Digitized by Google

Digitized by Google

B. Prov.
VII
177

Digitized by Google

ANTIQVITATVM

ROMANARVM

Corpus absolutissimum,

IN QVO

PRÆTER EA QVÆ IOANNES ROSINVS delineauerat, Infinita supplentur, mutantur, adduntur:

EX CRITICIS, ET OMNIBVS utriusque linguæ auctoribus collectum, Poëtis, Oratoribus, Historicis, Iurisconsultis, qui laudati, explicati, correctiq́;

THOMA DEMPSTERO à Muresk, I. C. Scoto, Auctore.

Editio Postrema, emendatior.

Apud Petrum & Iacobum Chouët.

M. DC. XL.

POTENTISSIMO AVGVSTISS. PRINCIPI IACOBO I. MAGNÆ BRITANNIÆ, &C. MONARCHÆ:

Domino ſuo Clementiſſimo
Æternum obſequij Monimentum,

THOMAS DEMPSTERVS
à Muresk D. D.

DELIBERANDVM diu mihi fuerat, DOMINE, cui L. M. ex SC. formula, ANTIQVITATEM meam nuncuparem, ſoli tuæ Auguſtiſſimæ Maieſtati debitam: alium nec volui, qui Mæcenatem quærebam, nec potui, in hæreditario tuo regno natus, nec debui, nomen operi conciliaturus. Genium deſtinare, cuius ſacrario hoc clientelæ anathema, hanc propenſioris obſeruantiæ tabulam ſuſpenderem, in quo mirabili mixtura eruditio magnitudinem ornaret, & pari gradu eruditionem magnitudo attolleret. A te ſentire Pythagoras, explicare Plato, diuidere Socrates, vernare Hortenſius, iraſci Demoſthenes didiciſſent: Tecum potentiſſimi in Europa principum regendi amuſſim communicent, à te priuatorum eruditiſſimi ſanctè Philoſo-

phandi præcepta petant. Opera, quæ admiratione dignissima, in vtroque genere, omnium manibus teruntur, tam tenui non egent commendatione. Eat nunc anxia doctorum sedulitas, Et te ἔμψυχον βιβλιοθήκην, miretur, qui illud Iuliani (qui memoriæ dolium dictus est) iure vsurpare potes ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος. Et ego doctissimo Regi meos in illustranda ornandáque Antiquitate conatus, æstimatori æquissimo, inscribere verebor?

Eunap. in Longino.

Epist. ad Ecdicium

Accedebant ad hæc, DOMINE, patris mei seu vota, seu imperia, qui nuper nec sordidæ, nec nouæ familiæ possessor, BANFIÆ insuper & BVCHANIÆ, tua, maiorúmque tuorum munificentia præfectus atque Irenarcha, parricidio primum domestico, inauditóque hactenus filij sui scelere, ac mox magnatum quorundam impotenti factione oppressus, omnibus non modo honoribus exutus, sed & hereditario spoliatus patrimonio, viginti pene retro actis annis, regiæ iustitiæ vindicem manum implorat. Et parricidam quidem ante sedecim annos, Abredoniæ inquiri præsens imperasti, adducentíque ingentia præmia pollicitus, vt de cætero bene speraremus, effecisti. Et quia τὰ δίκαια χρῄζει συμμάχων, καὶ γένοιντ' ἂν οἱ βοηθοῦντες αὐτοῖς εὐδαίμονες τοῖς ὀρθῶς ἔχουσι συμπονοῦντες, tu nobis πρόβολος esto, & nos Hortalos tu Augustus leua, & veterem prohibe interire familiam. Hæc à tua clementia maiores nostri Buchaniæ STVARTI, SCHRIMGERI, FORBASSI, & LESLÆI, deuota sceptro tuo capita, iunctis mecum vocis, supplices contendunt.

Synes. Epist. 156.

Tacit. lib. 2. Annal.

Mouit Patria, ciuésque ac subditi tui, vt qualecunque hoc esset, tuis DOMINE auspiciis prodiret: patria, inquam, quæ ante nongentos annos, emortuis vbique pene gentium literis, Lutetiæ primùm, ac mox Ticini clarissimum mansuetioris culturæ instituit emporium, pharumque disciplinarum longè latéque fulgentem erexit, ad quam si studiorum suorum cursus adolescentes dirigerent, portum occupare Honorum possent, neque Helice Atheniensi, aut Cynosura Romana indigerent. At nunc, Deus bone! quàm longè ab illo remota cultu, quàm tuì dissimilis? quæ nihil hodie scientiarum illustriorum (humaniores has artes intelligo, Medicinam, & Iurispru-

Digitized by Google

riſprudentiam) publica Regiæ liberalitatis cura hauriendum exhibeat, inops eorum, quæ ſplendidè olim in alias gentes, imo & prodiga, transfudit. Quod ſi qui tibi in literatos amor eſt, idem otium profeſſores inſtituendi eſſet, vt nunc tua iuuentus, caſtius ſub oculis parentum & minori ſumptu domi inſtituenda, Athenas inquirit peregrinas, ita mox Maſſiliam tuam alienigenæ certatim confluerent. Neque vero quos tibi debitos, ſub te hauſimus ſpiritus, in externa erudienda iuuentute turba tua impenderemus, quibus & parta ſecuraque fama, & ſæpe non leue compendium. En tota paſſim Europa Scotos oſtentat profeſſores, qui cum inuiti aliis principibus militant, ſplendori ac dignitati tuæ illuſtrandæ ſe totos, ſtudiaque ſua lubentiſſimi deuouerent, tua ſigna ſequerentur, & LEONES illos tuos gentilitios Aquilis venerabiliores poſteritati exhiberent. Verum iſta ſi mereri no n poſſumus, at ſperare certè non deſinemus: qui Italiam, Hiſpaniam, Belgium Germaniaſque omnes, ab Alpibus ad Mæotidis paludes, fama impleuimus. Taceo Galliam vnicam, artium parentem iam ac nutricem, auſpiciis CHRISTIANISSIMI REGIS, ſollicitudine Illuſtriſſimi CARDINALIS PERONII, plures SCOTOS ſinu ſuo fouere, bonas artes celebri nomine profeſſos, quam ipſa Scotia hodie alat. Quis enim Muſas nouit, & non earum inſignes alumnos (vt è multis paucos, nec tamen meriti aut dignitatis ſeruato ordine proferam) inaudiuit? Bellendenos, Blacuodæos, Balfuræos, Abrenethæos, Sanclaros, Cadanos, Strachanos, Barclaios, Scharpios, Leythos, Duncanos, Andreſonos, Hegatos, Vimæos, Burnatos, Chreiſtios, Ridæos, Ramſæos, Sibaldos, Hirdæos, Matthiſonos, Dazellos, Primroſeos, Melinos, Gelios, Ihonſtonos, Cragios, Curerios, Vallæos, Lautæos, Stuartos, Lumiſdanos, Leſlæos, Pendrichos, Tamſonos, Magillos, Bruſeos, qui omnium ſcientiarum genere excultiſſimi, aut principibus in maximo ſunt honore, aut in celebrioribus Academiis primas occupant: quorum ſi partem ſaltem aliquam ad te voces, nam nonnulli eorum vocari non poſſunt, quàm pulchrum elogium, & noſtro, & venturo ſæculo conſequeris, literatiſſimum Principem, doctiſſimos profeſſores, ingenti, & verè regia liberalitate ad ſe pellexiſſe. Verum de his plura fortaſſis, quàm volui, pauciora quàm debui, cui vnicum hoc in votis, non me modo meaque Augu-

Plin. lib. 4. Epiſt. 13.

ſtiſſ. tuæ Maieſtati, ſed & ciues tuos, & Patriæ ſplendorem commendare. Vale alijs potentiſſime, mihi etiam doctiſſime Monarcha, & in humanæ dignitatis faſtigio poſitus excelſiſſimo, ſumma eloquentia, ſumma eruditione præditus, effice, vt quæ tibi dicantur, te digna ſint, quod conſequutus cenſebor, ſi tu munus non fueris aſpernatus. E Muſæo meo Graſſinæo Lutetiæ 12. Kal. Decembres Anno reparatæ Salutis CIↃ. IↃC. XII.

NOBI-

Nobilißimo, Illuſtrißimoq; Viro

D. ROBERTO CARO,

ROCHESTRIÆ VICECOMITI, PERISCELIDIS EQVITI, à ſanctioribus Regis arcanis Conſiliario, &c.

* *
*

RELIGIOSE *iuxta ac prouidè à Perſis inſtitutum,* ILLVSTRISSIME DOMINE, *ne quis priuatus Sacroſanctæ Principum Maieſtati ſe ſiſteret, quem non ex interiori amicorum cohorte commendaſſet. Ad eum ego ritum, quem natura mediocri naſci familia iuſſit, Fortuna debito patrimonio, legitimaq; hæreditate, vnà cum patria, carere voluit, potentiſſimum eundémque eruditiſſimum* PRINCIPEM *abſens ſalutaturus, te vnum conueniendum interpellandúmque ſum ratus, qui & plurima poſſes, virtutis tuæ incomparabilis merito, & aliqua velles blanda illa in literatos & ciues propenſione. In quo non tam illuſtre & peruetuſtum apud Scotos gentilitium ſtemma, quàm animos egregios, magnarúmque rerum capaces, æquiſſimus virtutis æſtimator, Auguſtus ille* MONACHA *inſpexit, cum te ſibi Hephæſtionem, Agrippam, Ionatham aſſociauit, vt tranquilli ipſe animi fructus, incomparabili tua vſus prudentia, ſortiretur, tu vero æterni nominis, nec vnquam interituræ famæ beneficium conſeque-*

Digitized by Google

reris. Musas igitur nostras tyrocinium iam professas, in REGALIS GRATIÆ *forum patronus fauentior deducito, & me tanti beneficij magnitudine deuotum æterno obsequij nexu deuincito,*

Tuæ Celsitudini addictissimum

THOMAM DEMPSTERVM
A MVRESK.

LE-

LECTOREM MEVM SALVTO.

* *
*

ZENO ille Citticus Stoicæ assertor sapientiæ, Deos consuluit, qua ratione beatam vitam optimè institueret? Respondit Apollo, *εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς*, *si concolor fieret mortuis*, quod vbi ille intellexisset, *τὰ τῶν ἀρχαίων ἀναγινώσκειν* dicitur, *ad veterum monumenta euoluenda se contulisse:* censebat enim se mortuis concolorem tum demùm futurum, si defunctorum laudabili doctaque vteretur consuetudine, vnde *& mores formarentur, & virtutis præcepta desumerentur.* An non & L. Senecæ eiusdem familiæ sequacis par extat consilium? *Cum Catonibus*, inquit, *viue, cum Lælio, cum Tuberone: quod si conuiuere etiam Græcis iuuat, cum Socrate, cum Zenone versare, alter docebit te mori, si necesse, alter antequam necesse erit: viue cum Chrysippo, cum Posidonio, hi tibi tradent diuinorum humanorumque notitiam.* Neque quisquam obiiciat Augustum Principem ANTIQVARIOS *fastidisse*, qui Antiquitatem venerabatur, molestas illas & improbas Grammatistarum anxietates, & de *μὴν* & *σφὶν* dissertationes inutiles censebat. Alioqui enim ab argutissimo Grammatico *veterum memoriarum exequentissimus*, idem Princeps audit, an aliud filio tanti imperij destinato hæredi, & iam participi, Theodosius Hispanus apud cultissimum Claudianum commendat?

Suidas.

Laert. lib. 7. limine.

Spartian. in Fescen. in fine Epist. 104.

Sueton. c. 86.

Anthol. lib. 2. cap. 10. Epig. 3. Gell. li. 10. c. 24.

Interea Musis animus dum mollior instat
Et quæ mox imitere legas, nec desinat vnquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquis euoluere duces, assuesce futuræ
Militiæ, Latium retrò te confer in annum.

de 4. Hon. consul.

Hanc itaque tibi, (MI LECTOR) Philosophorum, virorum principum, atque adeo oraculi diuinioris authoritate comprobatam, offero, & vt possum, adorno ANTIQVITATEM vbique ROMANAM, sæpe GRÆCAM, interdum etiam & barbararum GENTIVM sacra ritusque complexam, vt publici fiat iuris, vtinam & saporis! quod priuatis meis antea studiis, in memoriæ subsidium, destinaueram ac domi continueram.

Videram JOANNEM ROSINVM, transcriptionis sedulitate (hoc de eo doctorum quorundam iudicium) non contemnendum, aliquem in ordinem eam digessisse, & de ea optimè meritos posterioris sæculi, nec rarenter ætatis nostræ Criticos ad verbum compilasse, Onuphrium, Manutium, Sigo-

nium, Ciacconum, Pithæum, Brodæum, Polletum, Cuiacium, Brissonium, Hottomannum, Rævardum, Marlianum, Rhodiginum, Riuallium, Gruterum, Turnebum, Lipsium, Scaligerum, magna omnes Europæ ornamenta, quibus ego nominibus cum semper assurgerem, aut à via discederem, nefas duxi aut Rufini speciosam abolere Epigraphen, ne malignus & inuidus censerer, aut illustriorum scriptorum curas hinc eliminare, ne pessimè iuuentutis profectui esset consultum. At cum multa deessent, quæ titulo responderent, in eam curam incubui, vt seruatis iisdem inscriptionibus mea insererem, quo viam studiosis aperirem, bonos authores probatosque euoluendi, seligendique, selectos excerpendi, summa quidem cum iucunditate, nec minori studiorum compendio.

Tabulas illas ductiles & schemas, quas prius Chalcographi, credo pompæ potius, quam rei seruituras immiscuissent, prudens sustuli, cum quod non suo pleræque loco, tum quod non paucæ earum ineptæ, rebus dissonæ, & non semel ridiculæ essent, quod qui acutius perpenderint, verum docti mecum fatebuntur. similes exigant pueri, qui & boui clitellas aptent.

Et si forte, MI LECTOR, hæc minus ad gustum tuum, en patrocinium: vt scias ideo tantum peccasse me, vt veniam rogarem. Anni vnius vertentis ambitu, citius quidem, quam asparagi coquantur, hæc à me meditata, collecta, digesta, scripto, prælo subiecta, nec licebat differre, nam & res meæ exigebant, & amici vrgebant, quorum ego votis nec volui, nec debui reluctari. Atque eius quidem quamlibet breuissimi temporis portio non exigua Academiæ concessa, & Constantissimæ GERMANIÆ nationi, quæ me sibi PROCVRATOREM imposuerat, eo potissimum tempore quo res maximæ & periculosissimæ cum potentissimis aduersariis gerebantur. Partem aliquam subduxit affluenti Auditorum meorum frequentiæ (quod citra inuidiosam ostentationem, vt dictum, ita acceptum velim) satisfaciendi sollicitudo, dum enim alius aliud poscit, adit, consulit, omnes interpellant: quorum votis & expectationi non respondisse, sibi deesse est.

Iustissima mehercules excusatio à munere publicæ professionis subministrata, quod quàm onerosum sit, nemo nescit, vbique quidem Academiarum sed maximè Lutetiæ, quæ veluti theatrum eruditionis, aut verius specula dici potest, vbi soli ignaui latent, & secura eloquentiæ *fama*, non raro & *præmia*. Accedebat ad hæc, & doctorem assiduum postulabat arctior lycæi Grassinæi seueriorque disciplina: quod opulentia quidem conditoris, & magnificentia pridem illustre, sed nobilius longè claritate moderatoris sui IOANNIS GVALTII SS. Theologiæ Doctoris Parisiensis, cuius in laudibus hoc ego potentissimum posuerim (vt omittam multiplicem eruditionem, linguarumque peritiam) quod & *iuuentus sub eo morigera*, & *professores eminentissimi*, nam nec ineptos acre patitur iudicium, nec insignes & claros prudentia dimittit.

His itaque ego, nescio, implicatus magis, an obrutus negotiis, quod liberum mihi, imo quod liberum non erat, noctu, interdiu, tibi, LECTOR, tempus impendebam, vtinam! eo otio, aut librorum supellectile, quam aut ego optassem, aut rei dignitas postulasset. Desunt, inquies multa: fateor, sed succurrat tibi illud Romani Philosophi, *alium aliò inuenire posse plura, neminem omnia*. nam vt aliis plerisque, ita in literis dies curaque præsens.

Mene-crates.

μέμφεται, ὅτι δ' αἰεὶ [illegible]

Incusatur, & semper futura melior est.

Et vt

Et vt vnico verbo expediam.

σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἔστιν, ἐμοὶ δὲ τάδε. Euenus Parius.

Hæc tibi videntur, illa vero mihi.

Quid? quod anxia sciototum turba sumus, alteri obstat inuida, ne multam in lucem ingenium proferat. Illi nocet obtrectatio, hunc memoria destituit, alium iudicium, in quibusdam omnia desiderantur.

-------οὐδέ τις ἐστὶν

ἀνθρώπων, ᾧ Ζεὺς μὴ κακὰ πολλὰ διδοῖ Mimnermus.

-----Nec vllus est

Hominum, cui Iupiter non mala multa largiatur.

Me in quocumque libuerit genere repones, memor, *nullum sine venia placuisse ingenium*, & à me omissa felicius à te suppleri posse, nec ego id inuidebo. Vale.

IN ROMANÆ ΑΡΧΑΙΟΛΟΓΙΑΣ Corpus absolutissime à Clariss. & Eruditiss. Viro THOMA DEMPSTERO editum.

SENARII Iamb. FEB. MORELLI
Profess. Regiorum.
Decani.

ROMANA *quando res viris & moribus*
Constat vetustis, ecquid hoc iucundius
Vtilius ac præstantius hoc spectaculo,
Vrbis vetustatem almæ ab oculos quod locat
DEMPSTERVS *omnium excitator strenuus*
Et Scriniorum & Codicum notæ optimæ,
Antiquitatis vitimæ vindex probus,
Hoc pertinaci struxit ardens ambitu
Opus, quod hominem penitus ingenuum sapit,
Quod pauperes æquè ac locupletes iuuat,
Quod eruditique & auidi doctrinæ amant,
Quod profuturum est sæculo huic & alteri,
Quod nunquam edax queat vetustas perdere,
Ni semetipsam senex vna absumere.

Eidem.

I*Mperium quo nec maius, neque pulchrius olim*
Lustrauit rutila Cynthius ipse face,
Restituis DEMPSTERE *tua quasi Romulus arte,*
Atque nouantiquis pingis originibus.
O factum bene! sed sapiens quoque sentius in illo
Est tuus, hoc mittis cum bonus imperium
Hinc procul ad toto diuisos orbe Britannos,
Et fluuium cogis nare per Oceanum:
Vt quò non potuit Martis pertingere pilo
Artis eò peragat se penetrare pilo.

Eidem.

I*Mperij* DEMPSTERE *tui se pagina vouit*
Magno, magnifica est quo magna Britannia, regi.
Sic digna eueniunt dignis. *Est maxima chartis*
Res depicta tuis & quem tu hac fronte salutas
Muneris, est ingens terráque marique monarches
Diuitiis imperio ingenij ter maximus idem.
Theodorus Marcilius Prof. eloq. Regius.

Εἰς τὴν αὐτὴν ἀρχαιολογίαν Ῥωμαίων.

Ἱστορίη [illegible]
Ἠγαθέη [illegible]
Καὶ [illegible]
Ἀρχαῖ' ἔργα [illegible]
Οἱ [illegible] μεγαλωσύνης [illegible]
Ἠγαθέων [illegible]
Ῥ[illegible] ἀμφ[illegible]
Δεῦ, [illegible] δίκας.
Ἱστορίην [illegible]
Παρθένος [illegible]

C. de Fourcroy, in supremo Senatu
Patronus.

Eidem.

S*Cotia præteritis commendatißima seclis*
Fortibus & doctis floruit vsque viris.
Et meritò, nam seu genio cœliue, soliue,
Ille locus magnos debet habere viros.
Scotia vicinis dedit olim sæpe Magistros,
Magnanimos eadem Scotia sæpe duces.
Gallia per Scotos diuina, humanáque discens,
Auxit Cœlum animis, ingenii que solum.
Sydereos cursus & inexplorabile cœli
Primus iter Gallis Scotus habere dedit.
Quidquid Graiorum scinis schola, mirus vbique
B. lforeus, *Gallis, cum Cleomede, dedit,*
Sic cœpit, cresc. itque diis Scotisque secundis
Gallorum augusto, docta Minerua, solo:
Ecce nouum Scotis exortum sydus ab oris,
Mira ferens, patriæ luxque, decusque suæ
Qui veterum illustrans scriptis monumenta virorum
Cuncta perexiguo corpore, sera docet.
Quàm fuerit veteris miranda potentia Romæ,
Quàm varij ritus Vrbis & Orbis erant.
Scotia Magnorum Genitrix, altrixque virorum
Præbet adhuc Magnos ingeniosa viros.
Georgius Strachanus Merniensis
Scotus.

Eidem

Eidem.

ET noua sunt & quæ poscant Antiqua vocari,
Hæc magni illa minus cernere cuique datum.
Regia Dauidis, memorare nouissima proles
Venturò que iubet mente cauere dies.
Attamen haud minor est Dempsteri gloria, prudēs
Dum per lapsa suum tempora flectis iter.
Solus at ille mihi ventura cauere videtur
Posse, per antiquos cui datur ire dies.

C. Franciscus d'Abra de Raconis
Philos. prof. Grass.

Eidem.

CInge comas Roma, & Parnasside tempora lauro,
Quod tibi non sectos Decij non claras Metelli
Nomina, non bello Fabiorum exercita virtus,
Nec Curij, indocilésque vlli seruire Catones
Præstiterant tantis prope toto ex orbe triumphis,
Ne metuenda tibi quondam labentibus annis
Fatorum vis maior, & insidiosa vetustas,
Verteret in cineres totam, & sine nomine glebas,
Musarum studijs & stemmate clarus auito,
Dempsterus, cultu nunc ecce volumine præstat,
Sceptra tua & Latiæ repetens primordia gentis
A nutrice Lupa, raptísque impune Sabinis,
Et veterum enodans leges ritúsque Quiritum,
Cum ludis, Pompísque & partis Marte tropheis,
Omnia quæ Criticis intexens ordine chartis,
Detersis pigri maculis salebrísque veterni,
Insomni studio, & solertis acumine mentis,
Dat prisco tibi honore frui, famáque perenni,
Irruat hinc iam Parthus eques, & Spartacus illinc,
Et iaculo immineat Dacus metuendus acuto,
Atque iterum Tyrias hostis iuratus ad aras
Alpibus infestas acies immittat apertis
Annibal, & totum quondam grassatus in orbem
Attila, & illatas gaudens calcare ruinas
Vandalus, ac gelida toties effusus ab Arcto
In Latium Gothus, Gothoque haud mitior Hunnus,
Supremum ferro exitium flammáque minentur,
Stabit honos vrbis, rediuiuaque gloria gentis
Ausoniæ memori æternum celebrabitur æuo,
Annorum secura, nec vlli obnoxia sorti
Dempsterique vna, veteri plaudente Rosino
(Audiat hæc liuor) claro sublimis Olympo
Assurget, totumque sibi laus asseret orbem,
Quáque coloratis surgens emergit ab Indis,
Quáque sedens sol Hesperio se gurgite condit,
Ni vanis cortinâ recentem delphica vatem
Auguriis ludit, temeréque vocatus Apollo
Cirrhæos tripodas in cassa oracula soluit.

Ianus Sirmondus in Supremo Senatu
aduocatus.

Roma Dempstero.

EDax meos vetustas
Emasculârat ignes
Extinxerat triumphos,
Sepeliuerat & honores,
Ni surgeres seuerus
Vltor: Bene est, abunde est
Defensionis aries
Operosus: hos triumphos
Ignésque, sed & honores
Foues, gubernas, ardes,
Mihi posteris cuique
Duce te ô mei lepores.
Duce te, mei ô amores
Dempstere, triplicanti
Emerite vitâ honoris
Factum ô bene! en Rosinum,
Titúmque ludis, & tu
Vincis, tibi potestas
Sic magna sæpe paruis
Componere, ima summis
Æquare, sic Quirinos
Dominósque terræ amare.

Hanc etiam vix Tityre duce
F.C.R.

ODE ALCHAICA.

Eidem.

FElix Vetustas quam vice duplici
Dempstere mulces, cuius & ambitum
Nunc Itala nunc voce Graia
Tingis aquæ salientis instar,
Phæacis ortus non ita reguli
Vernat Palasga nunc quoque pagina,
Non Flora tam suaui renatas
Gaudet opes variare succo.
Subinde curas ne rosa nexilis
Ne flos anethi, ne violæ decor
Situ fatiscat: quin legentis
Arbitrio saliunt odores.
Nam quis priorum tam facile pede
Sacri meauit per iuga limitis?
Non pulsus à vento Philetas
Rasit humum leuiore planta.
Paucis reclusa dum volitas viâ
Gemella virtus, felices aëris
Plagâ renides in supernâ,
Et citius tibi plaudit ales.
Hinc aura leni temperie nitet,
Spirátque nisu candor amabili:
Sic mutua fidus Laconum
Vela beat radians opella.
Dum cessat alter mens tua vim capit,
Eiúsque voto concolor it stylus?
Vt lacteæ non gutta lactis

Assideat magis vlla guttæ.
Id lance binâ vix dirimi queat,
Ceu parte nullâ plus eas aut minùs:
Sic lusitans gyro volutam
Palma præit sequiturque palmam.
At quum residis vester anhelitus,
Captas ROSINVS *præmia temporis:*
Te laudis inde pro theatrum,
Crescis opus mutuísque solui.
Tu Dædaleo fretus acumine
Tangis poëtas & Sophiæ decus:
Seu quicquid est prisci coloris,
Quæve recens vigilauit ætas.
Mox & statræ sit similis manus,
Et sæpè virga nobilis aurea
Vulgus coerces, aut in vmbras
Hunc agis, hunc adimísque letho.
Sed parce lætis ponere sedibus
Minùs merentes, aut aliquid mei:
Ni fortè iam pro laude dulci,
Me tenuis feriat procella.
Sed nil pericli est, cedimus vtili
Mellique nobis est potior nota,
Quis veritatem, quisve solem
Audeat insimulare falsi?
Quid plura? nectam? sic animus mihi
Tentat videndi cura voluminis,
Incuses vt spes ægra lucem
Quæ toties mea vota lusit.

St. Claucrius Aurelius. I. C.

Eidem.

Ἔκπαγλα καὶ πολύϊστορ θαύματα πολλὰ διδάσκεις
Δέμπστερ, καὶ τάδε πολυτρόπως ἅμα πολυτόπως τε
ἄστεα Ῥωμαίων κατὰ κόσμον δ' ἔργα ἰθαγενῆ
ἄστεμφα ... ὅσα καὶ εἴζεσκεν ...
πολλὰ μὲν ἐν μεγάροισι ... πολλὰ δ' ἐπὶ ἀγροῦ
... τε τύχην αὐτῶν σκέμμενος ἐνέπεις.
οἷς ἐθέλων ἐξῆς Ῥωμαίων εἰδέναι πάντας
... καὶ ... τῶ λαοῦ
... ἐπὶ χεῖρ' ἔχετο πολυΐστορα βίβλον
... σοῦ, ... τὸ κεχάρει.

C.Beleurger.Nauar.Prof.

Eidem.

PONIT anus longam per te Dempstere senectam,
Et venis in nostros facta puella sinus,
Qualis erat, cùm Roma orbem ditione teneret
Tantóque imperio cùm sua esset honor:
Si mille illecebras, si mille inspiceret amores
Ecquid mirum? bis culta puella fuit.

Ianus Sauretus.

Eidem.

ROma situ longísque æui damnata tenebris,
Nil præter magnum penè cadauer erat:
At casum, sortemque vrbis miseratus iniquam
Dempsterus, *Patrij lumen honórque soli.*
Posse pati negat, & Phœbo simul auspice, vindex
Adfuit, & medicam se re parauit opem.
Hinc Latios prima repetens ab origine fastos,
Æráque, & è varijs eruta saxa locis
Sacra doces, ritúsque & publica iura Quiritum,
Marmoráque & dubijs sculpta metalla notis.
Et quemcumque rudis morem tenuisse vetustas
Dicitur, haud paruæ molis & artis opus:
Hanc dum sic auido tu sedulus asseris Orco,
Dempstere, *& propria luce micare iubes,*
Efficis æternam ne se iactauerit vrbem
Immeritò, in titulos ambitiosa suos:
Quæque triumphauit iuuenis de gentibus olim,
Nunc quoque de Sæclis sera triumphat anus.

Iacobus de Viuante de Laulné Vasco.

Eidem.

Ἐπινίκιον.

PRisca videbantur veteris monimenta Latini
Pressa situ, melior quæ nulla reuoluerat ætas,
Lusáque frondosi properabant carmina Fauni
Perdere veraces scatebrosa per auia cantus:
Cuncta senum longo premebantur facta sopore,
Facta suis quondam ... ritura nepotibus orbem:
Non rugis pietas, non canis gloria rebus,
Non gentis viuebat honos, non fama Quirini,
Non dij, Religio, bella horrida, iússque Senatus
Æternúmque vrbis ventura in secula nomen:
Sed velut infesto, & vitiis latrantibus, æstu,
Barbareis inculta iacens, morúmque ruina,
Tempus edax situsque ... tristisque vetustas
Abduxerat Romam bellique togæque potentem.
Senserat hoc, lacrymis sæuum testata dolorem
Posteritas frustráque manus cum supplice fletu
Tendebat natis (Nam quæ fiducia tantum
Audet opus tentare?) suis. Ex agmine tanto
Nullus de obscœno reuocat vetera acta veterno,
Nullus in antiquos audet decurrere moris
Romanis campos, tandem Sigonius armis
Cingitur, & parili rursum Rosinus amore
Aggreditur veterem reuocare ad lumina matrem:
Illum vulgus iners spectans, nec pressa sequuntur
Signa pedum, queis sunt vestigia nota Quiritum.
Cùm subito assurgens natus me ... annis
Dempsterus *patriæ decus indelebile gentis*
Prospicis immersam cœnoso gurgite Romam
Et genus antiquum Teucri, Phrygiósque nepotes,
Factáque Lethæis Romana immersa fluentis:

Non

Non tulit hanc speciem, qui noverat acta referre
Solus, ab antiquo, cursu labente, Latino.
Sed memor Æneæ genti; quæ incensus amore
Ausoniæ, horrendam decernit vindice libro.
Anguicomæ veluti superator inire sententiam
Reddereque extinctum, Romanis artibus, orbem:
Decernit votique facit, sese ipse potentem.
Ausoniámque decus profert meliore lapillo.
Pro quibus, (eximio danda est quia fama labori)
Censeo, principibus se mixtum agnoscat Achiuis
Censeo, inextincta cingat sua tempora fronde.
Extinctam repetat qui duro principe Romam
Accipiátque Deum, vitam qui reddidit orbi.

I. Bourdelotius Senon. Aulici
consilij aduocatus.

Eidem.

DVm colis assiduo veterum primordia cultu,
Crescit & è Scriptis Roma renata tuis.
O quem te morem, quo sospita læta resurgis
Gentis Iuleæ gloria prisca noua?
Hoc Mars non potuit, non filia pulchra Diones.
Quem memorem, diuos vincere qui potis est?

G. Coignet.

Eidem.

Παντοίας μακρόπου πόλεως δράμε Δῖος ἐόντα δὲ
ἔδνα βουλόμενος ποικιλομάτις ἐμὸν
ὅστις ἀοίδιμα γράμματα τρόπον ἀνδρὸς ποικίλον εἶδεν
βούλοιτο Δεμπστήρου τοῦ κατὰ μέτρου τὴν βίβλον.
μνήματα γὰρ ἐάμμας γράψας πόλεων βασιλίδος
ἐξοχώτερα περιέχει κόσμον ἅπαντα βλέπειν.

Θεοδωρικὸς Σαβῖνος φιλόνομος.

PRÆCEPTORI SVO plurimum colendo.

Ὦ Σκότε τῆς σκοτίης φέγγος σκεπάεσσι χέουσιν,
Νέκταρ ἐν Πυλίῳ ἀθάνατον μέλι Νέστορι αὐδῆ
Τὸν λόγον, ἔγραψας Ῥωμαίων ἔργα παλαιά,
Τίς δὲ γράφεις Ῥώμην, Ῥώμην σοὶ ἔδωκε τοσαύτην
Ἀθανάτων πάντων; ἴσως μακρὸν αὐτὸς ὀλύμπου
Μειλίχιος λόγιον Ἑρμῆς σοὶ θῦμον ἔρειπε,
Σφαιρομανίη Ἑρμῆς, ἢ αὐτὸς φοῖβος Ἀπόλλων
Ἐστ' ἴσως σοὶ ὁμιλίης ὃ πάντες ὀλύμπου
Οὐρανιῶνες, ὅτω στόματος θεσπέσιον αὐδῆ,
Εἴδεται ἐπ' ἀσθμῷ συχνῶς ἀεὶ χείλεα Πειθώ,
Νέκταρ ἀπὸ στόματος μέλιτος γλυκίων ἀπορρεῖ,
Ἀμβροσίην καταχεῖ σὺ ἴσμεν παντόθεν ὁρμῶν,
Χρύσεια πληρομῶ τῆς τὸς δ' ὀλυμπίου μέλαθρα,
Ζεὺς δ' ὑψιβρεμέτης ἄγαται, καὶ πάντες ἄγανται
Ἀθάνατοι, βώμοις χαίρειν λιβανῶτα θυηπολεῦντες
Ἄνδρας βουλομένους λιτάνευον τοῦ Διὸς ὀργήν,
Ἀλλ' ὅταν ἐν πάθεσσι λέγουσι προσευχὰς μεθιέντες
Πρῶτον διέγνωσαν, κραδίης δὲ μυχοῖσι τ' ἔλεξας.
Δὶς βίου εἰσαῦθις τοῖς οὓς νὺξ ὄντα μέλαινα
Ἐνδελεχῶς λήθης ἔταφεν, καὶ βίβλῳ ἅπαντα
Γράψας ἀποδημήτωρ τὸ τέλος χθόνι ἔφθαρε χαῖρος
Πλάγξεσιν μεγάλῳ θαυμάσια ἄνδρες τε θεοί τε
Σοὶ δ' ἐπέρχονται ἅδιον φωνῆ, σοὶ φοῖβος Ἀπόλλων
Παρνάσσ' ἀμφιβόλην κορυφήν, Μουσῶν τε δέδωκε
Ἀοιδὴν ἀρχαίην, κῦδος ἐξ Ἑλικῶνος ἀπορρέων,
Καὶ στέφανον, Δελφοῖσι τάχος, τρίποδάς τε προφάτις,
Καὶ στόματι θρηνοῦν ἔπεα πλεονέντα προσηνῆ,
Ταῦτα διδοῦς, τόδε κατεχεῖ μοι διὰ καλλιαοιδῆς,
Κασταλίδες τί μάτην Μοῦσαι μάκαιρα λίγουσι,
Εἰ μὴ τελευτῶσι Δεμπστὴρ ἀγλαόπλεια νικᾷ,
Καὶ τί μάτην μὴ λίγουσι θεῶν θεσπίσματος ὀφθῇ,
Ἄνδρα ἐπεὶ μαντευόμενοι βλέπω ἔργα παλαιά
Ῥωμαίων, χρόνος ἃ σκοτεινῇ ἐκάλυψεν ὁμιχλῇ,
Καὶ τί μάτην Ἀσκληπιάδαι μοῦ θεῖα στεῦνται,
Οὗτος ἐπ' αἰθερίοις νεκροὺς προγόνους τε θανόντας
Δῶκε βίον, καὶ δ' ἀθανάτων τῶν ἐστὶν ἰατρός,
Ἡμετέρων τῶν ἐμῶν ἰσχέτω, μαντεύματι νικῶ:
Ἀρχέτω Ἀθανάτων Μουσῶν ἀγλαώτερος ἔστιν:
Τῆσδε σεβίζουσιν λογιώτεροι οἱ Θεσπιῶται:
Ταυτὶ δ' φράζ μόνον Μοῦσαι χαίρουσιν ἑαυτῆς
Ἐμμοραι ἀπὸ τύπου κ' ἐν θυμῷ ἀοιδὴν
Ἠδόμεναι μεγαλῶσι τ' εἰς ἄρχοντος ἔπαινον
Τοῖς σοῦ φοῖβος ἐπεὶ τιμὰς τοιαύτας ἔδωκε,
Ἀμφοτέρων φατὶ τὶν μοῦ θυμὸν ἀείρει φοῖβος.

Samuel Bochardus
Classicus.

Eidem.

DElituit longis æui damnata tenebris
Ex nulla, ablato, Roma nitore fuit:
Sed iam Dempsteri *emeritis exercita curis*
Reddita Roma sibi est, & capit omne decus.

Franciscus Rabigois.

Eidem.

ROmula lugebat, lugebat Gracia Vetustas,
Nec quisquam afflictæ ferre parabat opem.
Dempsterus *calamo sed vindice reddit vtramque.*
Huic igitur grates vtraque DIVA *ferat.*

Dionysius Baron.

FErtur Olympiacis antiquo tempore ludis
Laurea vincenti Rege corona dari.
Talia sed meriti si sint, huic aurea detur,
Mæonidum potuit qui superare choris.
Non opus hoc, Dempstere, *tuum, facundus Apollo*
Laudibus aut Musæ nec celebrare queunt.

Nam velut ac illos præfulgens Lampas Titan
Se propè qui veniunt irradiare solet:
Eximiis liber hic sic imbuet artibus omnes
Qui vigiles illum nocte, diéque legent.

Iust. Laigneau Delphinas.

Eidem.

QVi fuerint mores prisci, quæ iura doceri
Optas? Dempsteri *scripta diserta lege.*
Sit iuuenis, bene nec notus, sit cætera Scotus,
Magnus ab ingenio, iudicióque vir est.
Hi studium, Martémque alij mirantur, & artem,
Omnia posteritas dixerit esse viri.
Non aliud tibi sit precium, Dempstere, *quid ad te.*
Immortalis erit gloria, fama, libri.

Emericus Sturmius Sorumbterus Germanus.

Eidem.

EXciderant peritura vrbis monumenta latinæ,
Romuleum extinctum nomen, & omen erat.
Celsa palatini ruerant fastigia montis,
Templa, fora, & (vani nominis vmbra) patres.
Arma, togam, diuos casu cecidisse sub vno
Fama erat, æterno & sacra iacere rogo.
Subuenit ast tanto DOCTI *facundia fato*
Dempsteri, *& priscum das tibi (Roma) decus.*

Ioannes Rulandus Aruernus.

ELEN-

ELENCHVS SCRIPTORVM OMNIVM QVI IN PARALIPOMENIS MEIS ADVOCANTVR, ILLVSTRANtur, corriguntur, quique ad amussim criticam examinati, discutiuntur, vituperantur, laudantur.

A

ABBAS Vrspergensis incuriosus Chronologus, sæpe.
Abbo Floriacensis ante sexcentos annos Poëta durus.
Abdias Babyloniæ primus Episcopus, suppositum opus, sed vetustum, sæpe.
Accius vetus, sæpe.
Achilles Tatius Græcus, stylo tersus, in Amoribus obscœnus, & sæpe impius, passim.
Achmes Seirim F. necessarius scriptor, sæpe.
Adamus Matthæus.
Adamus Abrenethæus Doctor Medicus Monspeliensis Græcè & Latinè doctiss.
Adamus Iunghans rei militaris scriptor.
Adæus Smyrnæus vetus Epigrammatarius.
Ado Viennensis Archiepiscopus, diligens Chronologus, passim.
Adolfus Occo, Medicus Antiquarius diligentiss.
Ægidius Maserius doctus Grammaticus, sæpe.
Ægidius Carrocetus.
Ælianus Sophista rei militaris scriptor.
Ælianus exquisitæ doctrinæ.
Ælius Lampridius Historicus futilis, si scribendi genus spectetur, cæterum necessarius Polyhistor, passim.
Ælius stylo vetus Grammaticus.
Æmilius Portus linguæ Græcæ peritus.
Æmilius Probus Historicus vtilissimus, passim.
Æneas vetus author rei militaris.
Æschylus Tragœdus sæpe.
Æschines Orator vetustiss.
Africanus rei militaris scriptor vetustiss. M.S.
Agapetus sub Iustiniano Diaconus.
Agathias Scholasticus multi nominis Historicus & Poeta.
Aggenus Vrbicus vetus scriptor.
Agobardus Archiepiscopus, sæpe.
Agrætius vetus Grammaticus.
Albertus Puterius Criticus.
Albertus Magnus.
Albertus I.C.
Albertus Stadensis, Chronologus futilis, sæpe.
Alcæus Lyricus vetustissimus.

Alcides vetus scriptor
Alciphron vetustissimus scriptor
Alcuinus Scotus Caroli magni educator, Academiæ Pariensis fundator
Alcimus Auitus poëta cultus, sæpe
Aldus Manutius curiosus antiquitatis inuestigator
Alexandri Aug constitutiones
Alexander Myndius vetus Oneirocriticon scriptor
Alexander Sardus antiquarius
Alexander ab Imola I.C.
Alexander Neapolitanus variæ lectionis
Alexandri Aug. Epistola
Alexander Ætolus poëta vetus
Alexander Brassicanus I.C.
Alexis comicus Græcus
Alfonus I.C.
Ælius Spartianus historicus non magni ponderis, passim
Aloisius Cadomustus
Altissiodorensis Monachus chronologus non spernendus
Amiotus interpres Plutarchi
Ammianus Epigrammatographus
Ammianus Marcellinus miles Græcus sub Valente, luculentus Rer. Romanar. scriptor, passim
Anacreon Lyricus suauissimus, sæpe
Anacharsis philosophus Scytha
Anastasius Aug. sæpe
Anastasius Bibliothecarius antiquus & grauis scriptor
Alexandrides Rei Rusticæ scriptor antiquus
Anaxarchus Eudæmonicus
Ancyrana Synodus
Andreas Theuetus cosmographus diligens
Andræas Ianus Lascaris rei militaris scriptor
Andræas Alciatus I.C. & criticorum suo seculo princeps passim
Andræas Diuus interpres Aristophanis
Andræas Tiraquellus Regius Senator diligentissimus, omniscius, sæpe
Andræas Althamerus criticus
Annales Francici incerti authoris
Annæus Rulmannus I.C. eximius
M. Annæus Lucanus Neroni principi æmulus ingenij gloria, nec multum Virgilio inferior, passim
Annius Viterbiensis cum Beroso suo nugator
Anselmus Stakelius
Anthologia, in qua quædam publici saporis, plura frigida, & interdum inepta, passim
Antigonus Macedonum Rex
Antipater Sidonius poëta Græcus antiquus
Antipater Thessalonicensis Epigrammatarius
Antiphanes vetus comicus
Antiphilus vetus Epigrammatarius
Antipho Atheniensis de somniis scriptor
Antiquitates Tricastinæ
Antistius Epigrammatographus
Antonius Guibertus Costanus I.C.
Antonius Gallonius Rom. Congregat. Orator presbyter criticus
Antonius Aug. in constitutionibus
Antonius Aug. in Itinerario necessarius
Antonius Aug. in vita sua variæ eruditionis
Antonius Bartolinus
Antonius Muretus Criticus & orator eximius sæpe
Anton. Muretus Criticus & orator clarus, sæpe
Antonius Nebrissensis grammaticus
Antonius Gondanus politicon scriptor
Antonius Fruggerus Gregoræ interpres
Antonius Bonfinus rerum Hungaricarum scriptor
Antonius Contius I.C.
Apollodorus turpis cum bibliotheca sua nugator, sæpe
Apollodorus poliorceticon author
Apollonides vetus poeta
Apollonius Smyrnæus vetus poëta
Apollonius Rhodius pessimus Græcorum heroicorum, sæpe
Apollonius Collatius insignis poëta ante octingentos annos passim
Appianus Alexandrinus historicus eximius, passim
L. Apuleius inepta dictione, rebus eruditis, passim
Aquila interpres sacror. biblior.
Arabius Scholasticus Epigrammatarius
Archangelus Madrignanus Noui orbis historiæ interpres
Archestratus vetus scriptor
Archias Epigrammatarius vetus sæpe
Archilochus poëta
Arellius Fuscus Rhetor & declamator vetus
Aretæus Medicus
Argentarius Epigrammatarius
Aristæas historicus vetustiss.
Aristenetus suauis & iucundus passim
Aristides Orator eloquens
Aristo I.C.
Aristophanes Comicus, elegans, facetus, passim
Aristoteles, sæpe
Arnobius reconditæ eruditionis, styli asperioris passim
Arrianus luculentus historicus, sæpe
Arrianus in dissertionibus Epicteti grauis, diser-

disertus sæpe.
Artemon Milesius de somniis scriptor vetus.
Artemidorus Daldianus Oneirocriticon scriptor sub Antonino Aug. multiplicis oblectamenti & vtilitatis passim.
Asclepiades Medicus Pompeio magno coætanæus.
Asclepiadis Mendetis liber θεολογούμενα.
Asconius Pedianus vetus & idoneus Grammaticus sæpe.
Assagrius Rutzius Criticus.
Astrampsychus Oneirocrites vetus.
Athenagoras Philosophus, sæpe.
Athenæus doctus veterum authorum compilator, passim
Athenæus de Armaturis M.S.
Auentinus Boicarum Rex, Historicus.
Augusti Octauiani Epistola
D. Augustinus, doctissimus, eloquentissimus, passim
Augustinus I.C. & Criticus exactus
Aulus Gellius Grammaticorum vetustissimus, passim
Aurel. Cassiodorus doctus, & vt illa tempora ferebant, eloquens, passim
D. Ausonius Burdegalensis poeta eruditissimus, licet durioris styli, passim
Aufustius vetus scriptor.

B

Babrias antiquus poeta fabulator
Bacchylides Lyricus antiquiss.
Baifius Criticus non spernendus
Baiuuariorum leges
Balaus Sudouolca suspectæ fidei
Baldus I.C.
Balsamo optimè de consiliis meritus
Balthazar Ayala iuridicus Belgicorum exercituum quæstor
Bauarica Synodus tempore Caroli Magni indicta.
Baptista Fulgosius dux Genuensium
Baptista Fregosus
Baptista Goinæus orator
Baptista Pius Criticus
Baptista Mantuanus Chartusianus poëtaster barbarus, corruptus, sæpe
Bacchetides Aruspicinæ vetustiss. scriptor.
Bardasanes vetus scriptor
Baro Simpæus vetustus orator.
Baronius Cardinalis historicorum diligentissimus, sæpe
Barnabas Brissonius Iurisconf. & Criticus, iudicio, doctrinaque nulli secundus, sæpe
Bartholomæus Georgeuiz Hierosolymitanus historicus
Bartholomæus Marlianus Topographus diligens, sæpe.
Bartholomæus Amantius poeta & Criticus.
Basilius Magnus nomine doctrina Marinus, & eloquentia
Bassus Epigrammatarius Græcus
Bassus Lolius vetus poëta
Rhenanus Historicus, & Criticus non contemnendus.
Beda Historicus & Theologus
Benedictus Egius interpres Apollodori.
Belisarius Aquiuiuus Neritinorum dux.
Beneuenutius de Rambaldis Historicus
Bergomense Chronicon
Bernardinus Realinus Criticus
Bernardinus de Menduza Rei militaris scriptor
Bernardinus Rochæi
Bernardinus Martinus Criticus
Bernardinus de Ascalante Rei Bellicæ scriptor
Bernardus à Rey interpres Harmenopuli.
Bernosus Babylonius suppositus, spurius.
Bertoldus presbyter Constantiensis.
Bibaculus Furius Contumeliosus in Augustum poëta.
Bilibaldus Birckheymerus Antiquarius
Bironis Marescalli Epistola
Bisetus Criticus
Bito de fabrica instrumentorum bellicorum M.S.
Blondus Flauius sæpe
Bocatius in genealogia Deorum
Bocchus scriptor antiquiss.
Boethius philosophus, orator, & poëta eximius, sæpe
Bonauentura Vulcanius criticus doctissimus
Bonfinius historicus Hungarorum
Bongarsius eruditiss. ac literatiss. vir.
Bourdinus Scholiastes Aristophanis.
Brassicanus I.C.
Brederodius I.C. insignis
Britannicus Iuuenalis Interpres, sæpe
Brito poëta elegans.
Brocardus Monarchus terræ sanctæ descriptor
Broidæus Ariensis I.C.
Brutus impius scriptor, & Regiæ maiestatis oppugnator.
Bulengerus criticus multæ lectionis, & Theologus
Busæus I.C.

C

Cæcilius Historicus
Cæcilius I.C. antiquiss.
Cælius Symposius Ænigmatum egregius scriptor.

Cælius Aurelianus Medicus antiquus
Cælius Rhodiginus admirandæ eruditionis
Cælius Comicus vetustissimus.
Cæsar Dictator & Historicus eximius,& orator insignis,passim
Cæsarius Monachus
Caius I.C.sæpe
Calcagninus Criticus
Calfurnius Siculus Bucolici carminis princeps,passim
Calistus Pontifex Maximus
Calixenes Rhodius antiquiss.scriptor
Callistratus I.C.sæpe
Calphurnius Flaccus declamator disertissimus,passim
Caluus vetus poeta
Carcinus poeta vetustiss. Accusationis Orestis scriptor.
Carilius Historicus vetustiss.
Caroli quinti constitutio
Carinus Aug.
Carolus magnus in Capitulario
Carolus Cantoclarus magister libellor. supplic.Interpres Iuliani Aug.literatiss.
Carrio Criticus acutus
Cartilius I.C.
Carus Aug.
Casaubonus admirandæ lectionis Criticus, sæpe
Castalio Biblior.sacror.interpres
Castalio Criticus
Castritius Rhetor antiquus
Casus Oxoniensis politicon scriptor
D.Catellius Tholosas Senator supremæ curiæ vir literatiss.
M. Cato,in Originibus, in re rustica magnus author,passim
Camillus Gilinus, Fulgosij interpres, sæpe
Cebes Thebanus Philosophus
Censorinus, luculentus auctor & doctus, sæpe
Cephisodorus in Comœdia nobilis
Cæstius Pius Rhetor
Chares Mytilenæus Historicus
Chrysippus antiquus auctor
Chrysologus vetus scriptor Theologus
D.Chrysostomus aureæ eloquentiæ
Christophorus Rufus in Antexegematis
Christophorus Vega Medicus
Christophorus Columbus
Christophorus Landinus Criticus multiscius
Chronicon Lauris Hamense
Chronicon Altissiodorense
M.T.Cicero,passim
Cincius vetus scriptor
Cl.Claudianus Ægyptius, omnibus Latinis, rerum vbertate, prior, soli Homero inuentionis gloria inter Græcos cessurus, poetarum prægloriosissimus,passim
Claudius Coteræus de iure militari scriptor
Claudius Beleurgeus optimè de literis Græcis meritus professor Nauarræus
Claudius Galenus Medicorum ex primo primas
Claudius Minos eruditus senex
Claudius Cardinalis Guisius
Clarus Syluius I.C.& Criticus doctus
Clemens Alexandrinus,disertus & grauis author,sæpe
Clemens Romanus
Cleomedes vetus scriptor
Clidemus vetus scriptor
Cloatius vetus scriptor antiquiss.
Codex Canonum,sæpe
Codex Gregorianus.
Codex Theodosianus passim
Codex Iustinianæus,passim
Codex Hermogenianus
Cointus Calaber seu Smyrnæus, suauis, tersus poeta,sæpe
P.Colutius Criticus acutus
Collatio Carthaginensis
Coluthus Thebanus Lycopolita vetus poeta
Columella Iunius Moderatus, eloquens author,passim.
Concilium Carthaginense
Concilium Nicenum
Concilium Braccarense
Concilium Constantinopolitanum
Concilium Gangrense
Concilium Lateranense
Conradus Gesnerus
Conradus Rittherusius Criticus eruditissim. sæpe
Constantinus Manasses Chronologus non idoneus versuum politicorum vnicus scriptor apud Græcos,sæpe
Constantinus Porphyrogenetes.
Constantinus Aug. de instruendis aciebus M.S.
Constantini Aug.constitutiones
Cornarius Medicus.
Cornicularia Plauti
Cornutus A.Persij interpres,sæpe
Cornazanus poeta de re militari.
Cornelius Celsus Medicus Plinio prior, eloquens,sæpe
Cornelius Vitellius Criticus
C. Cornelius Tacitus Luculentus Historicus,ac vitæ pernecessarius,passim
Cornelius Fronto vetus Grammaticus
Cornelius Celsus rei militaris scriptor

Cor-

Cornelius Brederodius I.C. acutissimus.
Cornelius Seuerus insignis poëta.
Cornelius Scribonius Graphæus, sæpe.
Cornelius Gallus, Elegiacus, tersus, suauis.
Cornelius Nepos clarus historicus, passim.
Constitutiones Syracusanorum.
Corippus Africanus grammaticus sub Iustino Minore Aug. Antiquitatis studiosus poëta passim.
Cornificius Rhetorices ad Herennium scriptor, sæpe.
Cratinus poëta vetus, comicus.
Crinagoras Epigrammatographus vetus.
Crinitus, titulo specioso quem sumpsit non satisfaciens, sæpe.
Cruquius criticus diligens.
Ctesias vetus historicus, sæpe.
Curopalates, alij Georg. Codinus, officiorum lapsi Imperij scriptor exactissimus, passim.
Cuspinianus historicus, sæpe.
Cynulcus Philosophus.
Cyprianus insignis author, interdum floridus, sæpe.

D

DAniel Venatorius I.C.
Darius Attendulus de Duello scriptor.
Dauid Hoeschelius eruditus Græcorum quorundam interpres.
Demades Orator vetustiss.
Demetrius Phaleræus, Bibliothecarius Ptolemæi.
Demosthenes, acer, incomparabilis, sæpe.
Desiderius Heraldus Criticus & I. C. eximius.
Diaconus, Festi corruptor, historicus diligens, passim.
Didymus Homeri interpres eximius.
Digesta Iustinianæi iuris, passim.
Diuus Benignus Diuionensis.
Dio Cocceianus, Consul cum Alexandro Mammææ filio, historicus diligentissimus, exactiss. passim.
Diocletiani Aug. edictum, sæpe.
Diodorus Siculus Agyræus, historicus, sub Iulio & Augusto, antiquæ eruditionis, in quo nihil culpem præter Epigraphen, & corrupta Romanorum nomina, passim.
Diogenes Cynicus Philosophus.
Diogenes Laertius, diligens, exactus, disertus, passim.
Diogenianus Prouerbiorum collector.
Dionysius Longinus.
Dionysius Halicarnassæus sub Augusto historicus clarissimus, eloquentissimus, veracissimus, Antiquitatis studiosissimus, passim.
Dionysius Samius antiquus author.
Dionysius Afer in Periegesi, sæpe.
Dionysius Lambinus Græcè, Latinéque doctissimus multiscia lectionis, sæpe.
Dioscorides Pedicus Cleopatræ sæcul. Medicus.
Dioscorides Epigrammatarius Græcus.
Diphicus Comicus vetus.
Diphilus Comicus vetustiss.
Disarius Philosophus vetus.
Dominicus Floccus futilis author.
Dominicus Cyllenius rei militaris scriptor.
Donatus Ponzanus Comes Criticus laboriosus, passim.
Donatus Grammaticus non spernendus, sæpe.
Dorothæus auctor antiquus.
Dorsenus, vel Dossenus poëta vetustiss.
Dornadilla Scotorum Rex.
Dositheus Magister, vetus & necessarius scriptor.
Duris Samius historicus vetustiss.

E

EDuardus Vestonus Anglus, doctus & pius scriptor.
Eginhartus sub Carolo magno historicus, Suetonij simia, sæpe.
Egnatius Criticus.
Egolismensis Monachus historicus frigidus.
Eilhardus Lubinus interpres Anthologiæ & Nonni.
Elias Vinetus senex eruditissimus optiméque de Critica meritus.
Eunapius Sardianus, doctus, sed impius scriptor, sæpe.
Ennius primus magni nominis Heroicorum, Antiquitatis studiosus, interdum generosus, passim.
Ennodius Magnus Fœlix, Ticinensis Episcopus, florido stylo, passim.
Ephippus vetus Comicus.
Ephorus historicus.
Epicteti Enchiridium moribus vtile, dissertationes graues, prudentiæ plenæ, sæpe.
Epigramma Delphicum.
Epiphanius Ecclesiasticus scriptor.
Eratosthenes vetus Geographus.
Erycius poëta Græcus Epigrammatarius.
Esdræ Prophetæ liber.
Ester lib. sacr.
Ethicus historicus vetus insignis.
Eubulides antiquiss. scriptor.
Eugenius Gentilinus de Bombardis.
Euenus Parius poëta Græcus vetustiss.

Eugeriæ poetica nobilis antiqua.
Eugraphius futilis grammaticus, Terentij enarrator.
Euhemerus historicus vetus.
Euphron vetus poëta Græchus.
Eupolis antiquus comicus.
Euripides sublimi stylo Tragicus, passim.
Eusebius Cæsariensis, Chronologus optimus sæpe.
Eustathius Archiepiscopus Thessalonicensis.
Eutropij Supplementum.
Fl. Eutropius historicus sub Valente Aug. nec diligens, nec eloquens, passim.
Exodiarius poëta vetus.
Exodus lib. sac. sæpe.
Ezechielus Tragœdus Græcus antiquissimus.

F

F. FAber Sanjorianus.
Fabius Albergatus.
Fabius Dossenus antiquiss. poëta.
Fabius Plancides author Mythologicon, passim.
Fabius Quintilianus Orator eximius ac necessarius.
Fabricius Marcoduranus, Criticus & I.C.
Fasti Capitolini, passim.
Federicus Morellus professorum Regiorum Lutetiæ Decanus, optimè de posteritate meritus, tot scriptoribus Græcis editis, latinitate donatis, illustratis, sæpe.
Fenestella, vide Lucius.
Ferdinandus Pincianus Criticus sæpe.
Festus Auienus Cosmographus poëta, sæpe.
Festus Pompeius grammaticorum eruditissimus, passim.
Firmicus Maternus Sicalus Iunior Aduocatus Romæ, & grauis Matheseos scriptor, passim.
Firmicus Maternus alter author elegantis libelli de errore profanarum religionum, sæpe.
Flauius Charisius Sosipater grammaticus, sæpe.
Flauius Renatus Vegetius diligens & doctus, & vt illa ferebant tempora, eloquens scriptor, passim.
Q. Florens Tertullianus eruditissimus, & quantum patitur ætas illa, & patria Africa, eloquens, passim.
Florens Christianus vir eruditissimus, sæpe.
Floridus Sabinus Criticus.
Floridus poëta antiquus.
Florus Epitomastes, concisus, parum diligens, passim.
Florus historicus luculentiss. disertissimus, passim.
Fornerius Criticus eximius & Iurisconsult. sæpe.
Fortunatianus Consultus Rhetor.
Francici Annales.
Franciscus Robortellus Criticus.
Franciscus Arias de belli iustitia.
Franciscus Modius Criticus egregius.
Franciscus Lindembrogius Criticus insignis.
Franciscus Duarenus I. C. acutissimus, sæpe.
Franciscus de Valde Hispanus rei militaris scriptor.
Franciscus Hottomanus I. C. & antiquarius eruditissimus, passim.
Franciscus Iunius Criticus.
Franciscus d'Espinay Sanlucius, summus Castrorum Gallicorum sub Christianiss. Regibus præfectus.
Franciscus Accursius
Franciscus Ballerius politicôn scriptor.
Franciscus Laziardus chronologus sæpe.
Franciscus Iuretus I.C. & Criticus acutus, diligens, sæpe.
Franciscus Patricius scriptor non omnino spernendus.
Franciscus Sizæus Xanto vir literatiss.
Franciscus Petrarcha Orator & poëta insignis.
Franciscus Lutfinus Criticus.
Freculphus Lexouiensis Episcopus, sæpe.
Fridericus Sylburgius Interpres Halicarnassæi sæpe.
Frontinus in Stratagematis & lib. de Aquæductib vtilis, passim.
Fulbertus Carnotensis.
Fulgentius Episcopus Mythologus, passim.
Fuluius Vrsinus Criticus, diligens, sæpe.

G

GAbriel Faernus poëta.
Gabriel Simeonius Florentinus Antiquarius.
Gagnæus Criticus.
Gaguinus historicus Francus, excellens ac Theologus sui sæculi eruditiss. habitus.
Garcias ab Horto.
Gaspar Peucerus variæ lectionis.
Gaufredus Malaterra Monachus, ante quingentos annos historiam Guiscardi, satis culte, pro eo sæculo scripsit.
Gallieni Aug. Epitaphium.
Geminus Pyrius Oneirocriticon scriptor vetus.
Genesis libri sacri, sæpe.

Geor-

Georgius Bersmannus Interpres Philes.
Georgius Alexandrinus Criticus.
Georg. Codinus, vide Curopalates.
Georgius Cedrenus fabulatori quàm historicorum similior, sæpe.
Georgius Strachanus Scotus I. C. & Criticus eruditiss.
Geraldus Niger I. C.
Georgius Buchananus Scotus, poëta, historicus, eloquens, sublimis.
Germanicus Cæsar cultus, tersus, sæpe.
Geuerhardus Elmenhorst Criticus.
Gerardus Criticus, Aristophanis illustrator.
Geruasius Tilleberiensis.
Gilbertus Cognatus Luciani Interpres.
Gisolinus Criticus, infœlix sæpe.
Glossæ anonymi, passim.
Glossæ Latino-Græcæ, passim.
Glossæ Philoxeni, passim.
Glossæ Isidori, passim.
Glossæ Græco-Latinæ, passim.
Glycon Troadensis.
Goltzius diligens & vtilis scriptor.
Gorræus Nicandri interpres.
Gothofredus I. C. acutissimus, subtiliss.
Gracchi Coratio.
Gratianus Decretalium dispositor, sæpe.
Gratianus Aug.
Gratius poeta cultus ac tersus, sæpe.
Grauius Flaccus I C.
Gregorius Turonensis historicus, sæpe.
Gregorius Nazianzenus, Orator eloquentiss. poeta cultiss. sæpe.
Grotius Criticus insignis.
Gruterus incomparabilis iudicij ac lectionis Criticus, passim.
Guidus Pancirolius Iurisconsl. insigni doctrina.
Gulielmus Pantinus Plinij illustrator.
Guilielmus Baroldius Scotus I. C. acutissimus.
Guilielmus Neubrigensis historic. Angl. modestiss.
Guilielmus Canterus Criticus.
Guil. Stuckius.
Guilielmus Bellendenus Iacobi August. Britanniarum &c. Monarchæ supplicum libellorum magister, vir literatiss.
Guilielmus Fornerius I. C. & Criticus insignis.
Guilielmus Apuliensis ante quingentos annos poeta non malus, sæpe.
Guillandinus Criticus non infœlix.
Guisius Cardinalis Claudius.
Gundenus Ligurini poet. non omnino spernendus, passim.
Gyraldus grammaticus.

H

Hadrianus Iunius magni iudicij Criticus, sæpe.
Hadrianus Turnebus lux Criticorum, sæpe.
Hadrianus Augustus in Constitutionibus, in Epistolis, in altercationibus cum Epicteto, sæpe.
Halicarnassæus omnium historicorum vtiliss. passim.
Harmenopulus I. G.
Harpocration.
Hartungus Criticus, sæpe.
Hecatæus Abderita.
Hector Boethius Hist. eximius sup. alios facundus, sæpe.
Hegemus Gromaticôn scriptor.
Hegesander antiquus author.
Hegesippus illustri nomine Hist. sed fidei suspectæ, passim,
Helenius Acrogrammaticus doctissimus, passim.
Heluius Cinna poeta vetus.
Heliodorus Phœnix Emesenus disertissimus & castissimus amorum scriptor, suauis, in persequenda narratione supra modum artificiosus, passim.
Hellanicus historicus antiquiss.
Helmoldus historicus Sclauorum.
Henrici Memmij, M.S.
Henricus Stephanus, sæpe.
Henricus Samerius Luxemburgensis, Chronolog.
Henricus Buntingus.
Henricus Mameranus.
Henricus Ranzouius rei militaris scriptor.
Henricus Glareanus.
Hephestio antiquus, scriptor.
Hercules Ciofanius Criticus insignis, sæpe.
Hermanus Comes Nueuarius historicus.
Hermanus Cruserius interpres Plutarchi.
Hermippus poeta antiquiss.
Hermogenianus I. C.
Hermolaus Barbarus Criticus, sæpe.
Herodianus historicus elegans, copiosus, pass.
Herodotus Sophista.
Herodotus illustris, sæpe fabulosus historicus passim.
Heron Alexandrinus de telorum Fabrica.
Hesychius clarus & eruditus grammaticus, passim.
Hesiodus, Homero Coætaneus, grauis poeta, sæpe.
Hierocles philosophus, sæpe.
D. Hieronymus, sanctissimus & eruditissimus, & supra omnes eloquentissimus, Ecclesiæ Doctor, passim.

Hieronymus Mercurialis, Medicus, & Criticus.
Hieronymus Cardanus Medicus doctissimus.
Hieronymus Catanæus rei militaris scriptor.
Hier. Magius Criticus eruditus, sæpe.
Hieronymus Vidas.
Hieronymus Volfius.
Hildebertus Cœnamanensis epistolarum scriptor.
Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, sæpe.
Hippolytus Portuensis Episcopus, vetus author.
Hippolytus Thebanus D. Hieronymo coætaneus.
Hippolytus Bonacossa I. C.
Hippothoon vetus poëta.
Hirtius eloquens Historicus.
Historia Miscellanea, sæpe.
Historiæ Miscellaneæ scriptores varij.
Homerus, primus, sine exemplo, & supra fidem admirandus, passim.
Homilia Augustini à Sauarone nuper magno cum fructu eruditorum edita.
Honorius Imperator, sæpe.
Honorius Augustodunensis Abbas, Chronologus.
Honoratius Tuscanella.
Qu. Horatius Flaccus Lyricorum Phœnix, passim.
Hortensius Caualcanus I. C.
Horus Apollo antiquus hieroglyphicorum scriptor, sæpe.
Hubertus Velleius Chronologus, sæpe.
Hugeianus Grotius criticus acutus.
Huldricus Huttenus poeta non ignobilis.
Hyperides Comicus vetustiss.

I.

IACOBVS BRITANNIARVM &c. MONARCHA
Iacobus Reuardus I. C. diligens, doctus, Criticus, sæpe.
Iacobus Typotius politicon scriptor.
Iacobus Sanazarius poëta elegans.
Iacobus Lectius Criticus insignis.
Iacobus Laurentius, rei bellicæ scriptor.
Iacobus Pontanus Virgilij Interpres frigidus.
Iacobus Schegkius Interpres Arriani, sæpe.
Iacobus Purliliarum Comes, rei militaris scriptor.
Iacobus Sirmondus Criticus fœlix, & accuratus.
Iacobus Simancha Pacensis Episcopus.
Iacobus Bongarsius vir literatissimus.
Iacobus Campinus I. C.
Iacobus Acontius.
Iacobus Gutherius I. C. Antiquarius acutus & doctus.
Iacobus à Cruce criticus.
Iacobus Casellius Durantius IC. & criticus eximius.
Iacobus Schegkius criticus
Iacobus Cuiacius I. C. Princeps sui sæculi eruditorum.
Iamblichus Philosophus Iuliano coætaneus, sæpe.
Iauolenus I. C.
Ianus Gulielmus criticus.
Ianus Douza criticus insignis.
Ianus Gruterus, admirandæ eruditionis vir, sæculi nostri alter Varro, passim.
Ianus Parrhasius acutus criticus, sæpe.
Ianus Mellerus criticus.
Ibycus poeta Lyricus antiquissimus.
Idacius vetus author, nec spernendus Chronologus.
Incerti Chronographi, passim.
Incerti poëtæ Latini, passim.
Incerti poëtæ Græci, passim.
Inscriptiones Amantij, sæpe.
Inscriptiones Gallicæ.
Inscriptiones Hispanicæ.
Inscriptiones Lipsij, passim.
Inscriptiones Italicæ.
Inscriptiones vetustæ sine nomine, passim.
Inscriptiones Manutij, sæpe.
Inscriptiones Appiani.
Inscriptiones Lazij, sæpe.
Inscriptiones Germanicæ.
Inscriptiones Gruteri, passim.
Inscriptiones Græciæ.
Interpres historiæ Apollonij Tyrij.
Interpres Latinus Mich. Glycæ.
Interpres Gallicus Plutarchi.
Interpres Horatij.
Interpretes Græci. vide Scholiastes.
Ioachimus maior de Gladiatoribus.
Ioachimus Brechtel de Bombardis.
Ioachimus Perionius Interpres Aristotelis.
Giphanius I. C.
Ioachimus Zenerus sacrorum Adagiorum collector.
Ioan. Genesius Sepulueda rei militaris scriptor.
Ioannes Brodæus criticus magnæ eruditionis, sæpe.
Ioannes Hartungus criticus.
Ioannes Amerbacensis.
Ioannes Britannicus diligens Grammaticus.
Ioannes Saresberiensis, vel Zaresberiensis, incomparabilis pro ea ætate scriptor, passim.

Ioan-

Ioan. Alexander Brassicanus de Armis.
Ioannes Gualtius SS. Theol. Doctor Sorbonicus, Gymnasiarchus Grassinæus, Latinè Græcéque doctissimus.
Ioannis Ducæ Constitutiones.
Ioannes Iouianus Pontanus Neapolitanus suauis Poeta.
Ioannes Bodinus, vir magnus, sæpe.
Ioannes Lalamantius Hæduorum Medicus, criticus insignis.
Ioannes Picardus bene de Historia Anglica meritus.
Ioannes Rosinus criticorum recentium compilator.
Ioannes Camers, vt ea ferebant tempora, non ineruditus.
Ioannes Tzetzes doctus Grammaticus.
Ioan. Asser. Episcopus Styreburnensis, Historicus.
Ioannes Borcholten. I.C. eximius, sæpe.
Ioannes Gorræus, interpres Nicandri.
Ioan. Corcanus I.C. vtriusque linguæ peritiss.
Ioannes Stobæus & lectione & iudicio mirabilis.
Ioan. Tiremæus Hautonæus.
Ioan. Surgelus in Enchiridio militari.
Ioan. Oldendorpius I.C.
Ioan. Crispinus I C.
Ioannes Corrasius I.C.
Ioannes Busæus I C.
Ioannes Opsopæus criticus.
Ioan. Skinæus Scotus, Senator, criticus ac I.C eruditiss.
Ioan. Dikensonus historicus.
Iobi sacer liber.
Iodocus Velarcus Phornuti interpres.
Iodocus Clichtoueus.
Iodocus Badius Ascensius Grammaticus.
Iornandes, siue Iordanes Episcopus Gothicæ originis non contemnendus Historicus, passim.
Iosephus Scaliger Criticus variæ lectionis.
Iosephus Chassanęus Burdegalensis Senator.
Iosias Mercerus doctus Criticus.
Isacius Tzetzes sæpe futilis.
Isacius Paucanus criticus eruditissimus.
Isæus clarissimus sub Traiano Aug. Orator.
Isidorus Hispalensis Grammaticus necessarius, in quo pleraque quæ nusquam alibi.
Isocrates Orator copiosus, sed parum vehemens, passim.
Israel Spanchius Medicus egregius, & professor Argentin.
Iuba similitudinum vetustiss. scriptor.
Iudicium libri sacri.
Iulianus Princeps, Poëta, Historicus, sæpe.
Iulianus Diocles vetus Epigrammatographus.
Iul. Pollux, mille authorum diligentissimus eruditiss. incomparabilis exceptor, passim.
Iulius Barbaranus Criticus & Compilator frigidus.
Iulius Ferretus, in stratagematis.
Iulius Firmicus Mathernus Mathematicus insignis & Romæ Aduocatus, passim.
Iul. Hyginus Augusti libertus, antiquitatis studiosus, passim.
Iulius Firmicus antiquitatis studiosus.
Iulius Frontinus elegans & disertus scriptor, passim.
Iulius Africanus D. Hieronymo coætaneus, sæpe.
Iul. Capitolinus historici nomine indignus, passim.
C. Iul. Solinus Polyhistor. Plinij Transscriptor, nec titulo diligentia satisfaciens, passim.
Iulius Cæsar in Commentariis purus, tersus, oratoribus summis comparandus, passim.
Iulius Bulengerus criticus doctus.
Iulius Pacius Philosophus & I. C. acutiss. doctissimus.
Iunianus Iustinus Trogi Pompeij præceptoris sui abbreuiator, quantum styli genus patitur disertus, passim.
Iunius Philargyrius vetus grammaticus eruditissimus, sæpe.
Iunius Moderatus Columella magnus, vtilis, author eruditus, passim.
Iuris Orientalis Constitutiones.
Iurisconsulti, passim.
Ius Canonicum, passim.
Iustinianus Aug. passim.
Iustinus Goblerus interpres Constitutionum Caroli Quinti.
Iustinus Aug. sæpe.
Iustinus Martyr.
Iuuencus Hispanus Poeta non inelegans, sæpe.
Iuuenalis Satyricus Latinorum eo in genere princeps, passim.

L

Labeo Aruspicinæ vetustiss. scriptor.
Labeo I C. sæpe.
Laberius Mimus, antiquus poeta.
Lactantius Firmianus, tersus, candidus, passim.
Lælius Taurellus I.C.
Lambertus Hortensius Montfortius grammaticus.
Lampridius historicus frigidus, passim.
Langlæus I.C. doctissimus ac Criticus.

Lauterbachius de Præcedentia Doctoris & militis.
Latinus Drepanius Pacatus floridus & eloquens, sæpe.
Latro Rhetor, sæpe.
Laurentius Valla grammaticus.
Lauris Hamense Chronicum M.S.
Laudus Garyerius de Imperatore exercitus.
Lazarus Baifius criticus non contemnendus.
Lazarus de Schuuendi Longæus rei militaris scriptor.
Laziardus Chronologus, sæpe.
Lazius diligens auctor, passim.
Leges Ripuariorum.
Leges Anglicæ.
Legis Mosaicæ Pariatio, sæpe.
Legum Romanarum diuersarum infinita pene capita.
Lex Salica.
I. Leunclauius eruditissimus Græcorum scriptorum interpres, historicus non malus, sæpe.
Leo Imperator de re militari M. S. & de pugnis nocturnis.
Leo Marsicanus Casinensis Chronologus.
Leonardus Fronspourger de vniuerso iure & re militari Germanorum.
Leonidas Tarentinus Epigrammatarius vetus, sæpe.
Leonardus Fortius, poeta.
Leontius Scholasticus poeta Græcus.
Leopardus criticus insignis.
Leuinus Torrentius criticus insignis, sæpe.
Lexicum Rhetoricum vetus scriptum.
Libanius Sophista vetus, acutiss. disertiss. sub Iuliano.
Liborius à Badestain Politicon scriptor.
Licentius poeta D. Augustino familiaris.
Licinus Imbreu Comicus vetustiss.
Lilius Gyraldus magnæ lectionis, acris iudicij criticus, sæpe.
I. Lipsius, diligentia, iudicio, multiplici lectione admirandus, criticorum suada medulla, passim.
T. Liuius, sub Augusto, licet laxioris styli, egregiæ tamen eloquentiæ, & frustra patauinitatem sapere creditus historicus, passim.
Liuius Andronicus primus latinorum poëtarum.
Lockfnerus de Aciebus Triangularib. vel quadrangularib.
Lollius vrbicus historicus vetus.
Longobardicæ leges.
Lonicerus historicus non malus.
D. Lucas Euangelista, sæpe.
Lucas Penna I.C.
Lucifer Episcopus Calaritanus vetus author.
Lucilius poeta Græcus.
Lucilius Satyricus antiquiss. passim.
Lucilius Fenestella Plinio antiquior.
Lucius Fannus Antiquarius.
Lucretius Carus insignis eruditionis, passim.
Luctatius, siue Lutatius, aut Lactantius Placidius grammaticus transcriptor aliorum, passim.
Ludouicus Carrio criticus acutus.
Ludouicus Pipræus poeta cultissimus.
Ludouicus Romanus patricius, historicus.
Ludouicus Viues criticus.
Ludouicus Regius.
Ludouicus de la Cerda Toletanus criticus diligens.
Luitprandus, historicus, & orator, sæpe.
Lupercus Seruastus insigni stylo poeta.
Lycophon Chalcidensis obscurus, passim.
Lycurgus Rhetor.
Lysander historicus antiquiss.
Lysander historicus apud Xenophontem.
Lysippus comicus antiquus.

M

Macedonius princeps Epigrammatographus.
Macer sub Augusto rei militaris scriptor.
Macabæorum libri sacri.
Maffeius criticus.
Magno notarum scriptor, Carolo magno coætaneus.
Maiolus Episcopus multæ lectionis.
Manasses. vide Constantinus.
M. Manilius sub Augusto Ouidij æmulus, cultus ac tersus Astronomicon scriptor, passim.
Manlius Torquatus Seuerinus Boethius, doctus, eloquens, sæpe.
Manuel Palæologus Auh. sæpe.
Marcianus Heracleota poeta Cosmographus elegans & venustus, sæpe.
Marcus Aug. in Oratione.
Marcus Mantua de priuilegiis militaribus.
Marcus Argentarius vetus Epigrammatarius.
Maria Catanæus criticus eruditiss.
Mariangelus.
Marianus Scotus diligens Chronographus.
Marius Victor Orator Massiliensis.
Marius Victorinus Rhetor vetus.
Marius Plotius grammaticus.
Marsilius Picinus platonicus philosophus.
Marsilius Cognatus, criticus.
M. Martialis cognomento Coquus, gente Hispanus, vnus qui Epigrammatis genium videtur possedisse, passim.

Mar-

Martianus Capella rebus Latinus, verbis Africanus, durus innouator, passim.
Martianus Aug. sæpe.
Martianus I.C sæpe.
Martianus Polonus Archiepiscopus Consentinus Chronologus.
Massurius Sabinus I.C.
Mathelica monimenta antiqua.
Matthæus Hostus Antiquarius.
D. Matthæus Euangelista.
Matthias à M chou historicus non contemnendus.
Mauritius Imperator.
Maxim nus poeta futilis Cornelius Gallus habitus.
Maximus Taurinensis vetus scriptor.
Maximus Tyrius philosophus platonicus.
Mela I.C.
Melchior Iunius Politicon scriptor.
M l ag r poeta Græcus vetus.
M r Hamenueleus Goldastus criticus.
Menander Comicus antiquiss.
Menecles vetus scriptor de Atheniensibus.
Menecrates vetus poeta Græcus.
Metaphrastes historicus antiquus.
Metellus Tegerfensis Quirinalium scriptor.
Meto Astronomus celebratissimus.
Michael Psellus M S.
Mich. Glycas, non indignus lectu, à quo multa recondita eruas, licet leges historico præscriptas negligat passim.
Michael Ambrosianus.
Mimnermus poeta antiquiss.
Mnaseas Patarensis vetus scriptor.
Modestinus I.C. licet Romanus, Græcè leges scripsit, sæpe.
Modestus vetus author, & eloquens.
Monachus Egolismensis futilis historicus.
Morellus, vide Federicus.
Moschio vetus Epigrammatarius.
Moschopulus.
Moschus poeta vetus elegans.
Musæus poeta antiquiss.
Musculus Sozomeni interpres.
Mutianus Consul Romanus.
Myrsilus antiquus historicus.

N

NÆuius vetus poeta, sæpe.
Nannius criticus diligens, sæpe.
Nazarius Panegyristes eloquens & grauis, sæpe.
Neanthes Philosophus.
Neratius I C.
Nicander arduus & operosus poeta, sæpe.
Nicarchus vetus Epigrammatarius Græcus.
Nicephorus Gregoras Historicorum illius æui vtilissimus, passim.
Nicephorus Blemidas M.S.
Nicephorus Imperator de Euentibus & casibus belli M.S.
Nicephorus Callistus Historicus probatissimus, sæpe.
Nicephorus Rex.
Nicephorus Oneirocrites.
Nicetas Acominatus Choniates historicus luculentus, sæpe.
Nicodemus Heracliota Epigrammatarius vetus.
Nicodemus Frischlinus.
Nicolaus Triuethus D. Augustini scholiastes.
Nicolaus à Lyra.
Nicolaus Machiauellus de artis militaris præceptis.
Nicolaus vetustus scriptor de moribus gentium, sæpe
Nicolaus Tartalea de Bombardis.
Nicolaus Camuzat vir literatus.
Nicolaus Erythræus I.C.
Nicolaus Seuinus vir doctus.
Nicomachus Gerasinus.
Nicomedes Epigrammatographus vetus.
Nicostratus Ephesius, Oneirocriticon scriptor.
Nilus Scholasticus vetus Epigrammatarius.
Nithardus Regij sanguinis historicus.
Noëus, Politicon scriptor.
Nonnius Marcellus Grammaticus sæpe delirus, passim.
Nonnus Panopolitanus Genij mirabilis poeta, sæpe.
Notitia vtriusque Imperij sub Arcadio & Honorio Augg. egregium & necessarium opus, sæpe.
Notitia vrbis Romæ, sæpe.
Nummi aurei, argentei, ærei, sæpe.
Nymphodorus vetus scriptor Græcus.

O

OBertus Giphanius Criticus.
Obsequens necessarius & diligens scriptor, passim.
Occonis Numismata omnino necessaria.
Olaus Magnus curiosus ac diligens scriptor, sæpe.
Oliba Ausonensis Episcopus.
Olympius Nemesianus Carthaginensis sub Carino Aug. poeta suauis, passim.
Olympiodorus vetus author.
Onesicritus poeta antiquiss.
Onosander Platonicus, de re bellica Græce: M. S.

Onuphrius Panuinius Monachus optimè de re Antiquaria meritus, fastis collatis, vetustis marmoribus erutis, passim.
Oppianus Cilix, suauis, generosus: incomparabilis poeta, sæpe.
Oppius Historicus disertus.
Opsopæus Criticus, sæpe.
Optatus Mileuitanus antiquus scriptor.
Oracula Græca.
Oracula Sibyllina.
Oracula Latina.
Oraculum Arietinum.
Orbicius de nominibus ordinum militarium.
Origenes Theologus maximus.
Orismius Episcopus Lexouiensis & Caroli 6. Francorum Regis præceptor.
Orosius egregius & insignis historicus, passim.
Orpheus Theologus ac poeta primus, sæpe.
Osorius scriptor non spernendus.
Otto Frisingensis Episcopus Chronologus negligens, historicus non contemnendus, sæpe.
P. Ouidius, ingeniosissimus, copiosissimus, elegiacorum omnium princeps. passim.

P

PAchymerius historicus.
Palladas poeta licet vetus, non magnæ eruditionis, sæpe frigidus, passim.
Palladius Rutilius elegans author, sæpe.
Palmerius Criticus.
Pamphilo vetus Grammaticus.
Paneirolius Iurisconf. & Criticus exactus, sæpe.
Pandulfus Pratæius I.C.
Panegyristes ad Pisonem.
Panyasis Halicarnassæus Oneirocriticon scriptor.
Papinius Surculus Statius Neapolitanus, eruditus in filuis, sublimis in Thebaide, blandus in Achilleide, passim.
Papirius I.C.
Papon I.C.
Paralipomenon libri sacri.
Pariatio Mosaicæ legis, sæpe.
Parthenius Eroticon scriptor, passim.
Paternus vetus author de re militari.
D. Paulinus Nolæ Episcopus, passim.
Paulus Orosius Hispanus, in historia interdum purus veritatis aut inuestigator, aut enarrator, passim.
Paulus Diaconus Varnefridus Foroliuiensis desiderio Longobardorum Regi à secretis in additamentis Eutropianis & in Longobardicis rebus diligens, in notis futilis, Festi corruptor, passim.
Paulus I.C. passim.
Paulus à Castris I.C.
Paulus Silentiarius Epigrammatarius vetus.
Paulus Merula Cosmographus.
Pausanias, exactus, passim.
Pentadius Epigrammatarius antiquus elegantiss.
Peritus antiquus antiquiss. Epigrammatarius.
A. Persius Satyricus frustra intricatus habitus, passim.
Petilij Processi Epitaphium.
Petrinus Bellus.
Petronius Arbiter, candidus, tersus, suauis, in omnibus mirandus, modo absit obscœnitas, passim.
Petrus Petauius Senator Parisinus, optimè de literis meritus, tanta & tam incredibili M.SS. optimæ notæ codicum multitudine collecta, sæpe.
Petrus Rauennas Theologus antiquiss. sæpe.
Petrus Damiani Ostiensis Cardinalis, grauis scriptor.
Petrus Apollonius Collatius cultus ac vetus poeta, passim.
Petrus venerabilis.
Petrus Cermenatus politicon scriptor.
Petrus Appianus Mathematicus.
Petrus Augustus Morlaualentinus I.C.
Petrus Ciacconus Toletanus Criticus.
Petrus Ramus Criticus.
Petrus Martinius Morentinus.
Phalaris Agrigenti tyrannus, Epistolarum scriptor.
Phauorinus philosophus.
Phædrus Trax, Tiberij libertus, fabularum luculentus scriptor, sæpe.
Phœbus Antiochenus oneirocriticō author.
Philander criticus.
Philo de proprietatibus animalium Græcus scriptor, sæpe.
Philemon antiquiss. author.
Philippides Comicus antiquus.
Philippus poeta Græcus.
Philippus Beroaldus, Criticus frigidus.
Philippus Dux Cliuensis, de institutione omnium Græcorum bellandi M.S.
Philippus Rubenus Criticus summi iudicij & eruditionis.
Philo Iudæus Legatus ad Tiberium, sæpe.
Philo de Telis MS.
Philo Decalogi enarrator.
Philodemus vetus poeta Græcus.
Philomnestus historicus vetustis.
Philoponus vetus scriptor.
Philostratus Lemnius, optimæ notæ, & necessarius author, sæpe.

Philo-

Philostratus Iunior, suauis & doctus, sæpe
Philoxenes Citherius
Phornutus vetus scriptor Græcus, passim
Photius Patriarcha, in quo dubium, maiorve lectio an acrius iudicium? sæpe
Philarchus historicus antiquiss.
Pierius Valerianus
Pierierius Valerius criticus
Pighius Antiquarius, & historicus
Pithæas Massiliensis, vetus Geographus
Placidius seu Placidus Luctatus Grammaticus eruditiss. passim
Plato Philosophus, sæpe
Plato comicus, sæpe
C. Plinius Iunior Nepos, consul, tersus, candidus, passim
C. Plinius Classis Rom. præfectus, naturalium rerum scriptor, diligentissimus, eloquentissimus, veracissimus incomparabilis, vnus omnium instar, passim
Plotinus Philosophus
Plutarchus Cheronensis, Traiani principis educator, Philosophus, Historicus, Politicus, Antiquarius summi limatissimique iudicij, passim
Poggius Episcopus Tropiensis
Polemo Sospita antiquus scriptor
M. Pollio Vitruuius, egregius, & eruditus scriptor, passim
Polyænus prudens & disertus stratagematum scriptor, passim
Polybius Scipionis Comes, nimius in bellis describendis, parum politiæ idoneus, passim
Pompeius Epigrammatarius Græcus
Pompeius Sabinus vetus Grammaticus
Pomponius Lætus Antiquarius, & historicus
Pomponius I.C.
Pomponius Bononiensis antiquissimus Comicus
Pomponius Mela Geographus diligens, sed nimis concisus sæpe
Porphyrio vetus Grammaticus insignis, passim
Porphyrius Luculentus Orator, philosophus, poeta, sæpe
Posidonius Ecclesiasticus scriptor
Possidonius Historicus
Porticus Licinius vetustus poeta
Priapeiorum auctor, sæpe
Priscianus Cæsariensis grammaticus, sæpe
Probus Grammaticus
Procopius Cæsariensis sub Iustiniano historicus insignis, sæpe
Prosper Aquitanicus chronologus & poeta eximius, sæpe
Protagorides comicarum historiarum author
Prouerbia sacra
A. Prudentius, limati styli poeta, passim
Psalmi sacri Dauidis
Pseudocornutus Persij interpres
Ptolemæus Aristonici filius, vetus author
Ptolemæus Alexandrinus, peritus, vt ea ferebant tempora geographus.

Q

QVadrigarius historicus antiquiss.
Quintilianus optimus dicendi artifex
Quintus Curtius Rufus sub Claudio Principe Asiæ præpositus, venustus, suauis disertus, passim
Quintus Fabius Pictor historicus antiquus
Quintus Horens Tertullianus rerum vberrimus, sermonis sæpe innouator, passim
Quintus Sammonicus Serenus, cultus, quantum materia patitur, poeta, passim.

R

RAmiresius criticus variæ lectionis
Reinhardus Senior comes Solmensis, de re militari veterum Germanorum
Renatus Laurentius criticus frigidus
Rhodiginus asperæ dictionis, reconditæ eruditionis, passim
Rhodomanus interpres Diodori Siculi
Richardus Stanihurstus historicus Hibernus, impudens, mendax
Ricobaldus Ferrariensis
Rigaltius multæ eruditionis criticus, & Iurisconsul.
Robertus Bellarminus cardinalis
Robertus Vulturius de re bellica cum picturis
Robertus Gaguinus, historicus diligens
Romulus Amasæus interpres Pausaniæ.
Roterodamus vtilis iuuentuti veterum compilator, sæpe
Rodolphus Hospinianus
Rudolphus Gualterius interpres Pollucis, sæpe
Ruffinus Ecclesiast. historicus
Ruffinus interpres Iosephi
Rulmannus Nemausensis I.C. literatiss.
Rutilius Numatianus Gallus poeta suauis & doctus, sæpe

S

SAbellicus criticus & Historicus non spernendus
Salamonius de principatu scriptor non improbandus
Salernitana schola

Saluianus Massiliensis cultus ac pius author, Episcoporum doctor, passim
Sappho poetria antiqua.
Saresberiensis, vel Salisberiensis Anglorum regis ad pontificem summum legatus, & deinde Carnotensis Episcopus, doctior quam illa sæcula ferebant in policratico, passim.
Satyrus Thyillus vetus Epigrammatographus
Satyrius vetus poeta
Sauaro Auerniæ præses togatorum lumen, passim
S. Sauiani Martyris historia incerti authoris
Santra scriptor vetustiss.
Saxo Grammaticus, luculentus, vt tempora ferebant, Historicus
Saxonum leges
Scaliger pater criticus doctus, sed nimium suo proprio iudicio tribuens.
Scaurus vetus Grammaticus.
Scipio Tettus catalogi veterum M.SS. author
Schedæ Festi, sæpe.
Schekgius Tubingensis Medicus interpres Arriani dissertat.
Scholiastes:
- Anthologiæ, sæpe.
- Clementis Alexandrini.
- Nicandri
- Lycophronis, sæpe
- Æschyli, sæpe.
- Sophoclis, passim
- Pindari, passim
- Thucydidis, sæpe
- Dionysij Afri
- Euripidis, passim
- Aristophanis, passim
- Callimachi, sæpe
- Apollonij Rhodij omniũ, meo iudicio, optimus
- Theocriti, sæpe
- Homeri Didimus, sæpe
- D. Iuuenalis doctus grammaticus, sed fœdè corruptus & interpolatus à sciolis, passim

Schoppæ criticus.
Scribonius Craphæus Olaum in Epitomen redegit, sæpe
Scriuerius criticus
Secundus Epigrammatarius vetus
Sedulius Scotus sublimi vena, & variæ eruditionis poeta, passim
Seneca pater philosophus, verè facundus, sed inimitabilis, passim
Seneca Nepos, Tragœdus, purus, grauis, passim
Seneca auus, declamator, tersa dictione, summo iudicio, passim
Septimus poeta antiquus
Seruius Maurus Honoratus omnium grammaticorum doctissimus, vtilissimus, passim
Seuerus Aug.
Seuerus Sulpitius Rhetor luculentus & disertus, sæpe
Sextus Ruffus Topographus historicus sub Valente Aug. passim
Sext. Aurel. Propertius, argutus elegiacus, passim.
Siculus Flaccus de conditionibus agrorum scripsit.
C. Sidonius Sollius Apollinaris, Aruerniæ Episcopus, in Epistolis iuxta ac carminibus supra modum literatus passim
Sigebertus Gemblacensis chronologus, sæpe
Sigismundus Gelenius, fœlix in Plinio recensendo.
Silius Italicus consul Orator verius quam poeta, nimius & interdum ridiculus Virgilij imitator, passim
Siluius Criticus
Simaristus vetus scriptor.
Simon Maiolus multæ lectionis Episcopus, sæpe
Simonides epigrammatarius Græcus.
Sisenna vetustissimus historicus, sæpe.
Socrates Rhodius, historicus.
Sonchos de Londoano Hispanus de re militari
Sophocles tragœdus, sæpe
Sophon poeta vetustiss.
Sosicrates historicus antiquiss.
Sotades Maronites Cinedologorum auctor
Stadius L. Flori illustrator
Stanislaus Gilepsius antiquarius.
Stephanus Clauerius criticus & I. C. eruditus, sæpe.
Stephanus Paschasius Regius Legatus, & criticus multiplicis eruditionis.
Stephanus necessarius geographus, passim
Stesichorus Lyrius vetus
Stesimbrotus Thasius vetus author.
Strabo Vualafridus vetus scriptor.
Strabo Amasianus, è Ponti regibus oriundus, clarus sub Tiberio geographus, passim
Strabus Valafridus non malus poeta
Strattis vetus poeta
Stuckius criticus frigidus
C. Suetonius Tranquilius emendatissimus & liber licet concisus historicus, passim
Sulpitius Lupercus Seruastus Iunior poeta antiquus cultissimus
Sulpitia sub Domitiano nobilis poetria, sæpe.
Suidas Monachus Byzantinus, admirabilis, incomparabilis, vnus instar omnium grammati-

maticorum,passim
Syllius Bassius Rhetor & Declamator vetus
Q.Symmachus, Præfectus vrbis & consul ordinarius, in epistolis eloquens,in relatione vehemens,passim
Synesius pius & eruditus stylo eloquenti scriptor
Synodus Ancyrana
Synodus Bauarica sub Tassilone Duce habita
Symposius ænigmatum scriptor disertus.

T

TAges antiquiss.scriptor de Aruspicinis
Tarquitius de illustribus viris scriptor
Tarruntenus I C.
L.Tarrutius Firmanus mathematicus
Tatianus Martyr elegans scriptor
Taurus rei rusticæ scriptor, antiquus, elegans
Temporarius chronologus
Terentianus Maurus grammaticus egregius
P. Terentius Afer comicus venustus, passim
Terentius Scaurus grammaticus
Terruntenus aut Tarrutenus de re militari
Tertullianus,exquisitæ eruditionis
Thadæus Vgolinus Venetus
Thadæus Piso Soaccius I.C.
Theætetus scholasticus epigrãmatographus
Theocritus sæpe
Theodoretus Ecclesiast.historicus
Theodorici edictum
Theodoreus Adamæus de militarium ordinum institutione
Theodosius Pulmannus
Theodosius Clarius historicus ineptus
Theognis, vel Isocrate iudice necessarius poeta
Theon sophista Gallus
Theophilus Canfiger criticus non malus
Theophilus I.C.sæpe
Theophrastus historicus antiquiss.
Theophrastus elegans & priscus author
Theopompus historicus
Thomas Freygius politicon scriptor.
Thomas Treuisanus Venetus I C.
Thomas Valois Dominicanus D. Augustini interpres
Thomas Morus Angliæ cancellarius, cultus poeta
Thucydides historicus, verax,acer in concionibus,sæpe
Alb. Tibullus eques, Rom.purus,tersus,passim.
Tilemannus Brealeus de Milite christiano.
Timæus philosophus cognomento Locrus.
Timæus historicus vetustiss.
Titinnus vetus comicus.
Titus Calphurnius Siculus generosæ venæ Bucolicus, passim
Toromachus chronologus,seu, Turonicus idem forte cum Gregorio Turonensi
Traiani Aug.rescriptum
Trebellius Pollio historicus pene inutilis, sæpe
Trebonianus I.C.
Tzetzes.vide Ioannes,& Isacius
Trimatius vetus poeta
Trithemij Abbatis polygraphia
Trogus Pompeius historicus.
Turnebus criticus fælix,passim
Tryphonianus I C.
Turpilius comicus antiquus,sæpe.

V.

VAlentinianus in Edictis, sæpe.
Valeriani Aug.Epistola
M.Valer. Catullus Epigrammatarius acutus, fœlix,in eo genere princeps,passim.
Valerius Flaccus Balbus Setinus sub Vespasianis, generosus poeta, nisi morte præreptus opus acerbum reliquisset,passim
Valerius Maximus rerum varietate, eloquentiaque incomparabilis,sola adulationis fœditate valescens,passim.
Valerius Antias historicus vetus
Valens Imp. in constitutionibus,sæpe
Varnefridus Diaconus priscus author, & egregius,passim
M.Varro criticorum pater, in re rustica,in historiarum fragmentis,in latinæ linguæ explicationem incomparabilis,passim.
Velleius Paterculus styli elegantis,sed pudendæ adulationis sub Tiberio,passim.
Verrius Flaccus egregius grammaticus,passim
Verrutius I.C. & criticus.
Verus Cloacius antiquiss.scriptor.
Vibius Sequester antiquiss.author.
Sext. Victor Aurelius historicus luculentus, passim
P Victor Topographus,passim
Victor Tunnunensis chronologus.
Victorinus Afer grammaticus
Victorinus Strigelius criticus.
Victorinus Marius Rhetor antiquus.
P.Victorius, eruditus & acutus senex, criticus;sæpe
Vidua de Reip.dignitate,scriptor futilis
P.Virgilius,passim.
Vignerius criticus eruditiss.
Vincentius Lupanus
Vincentius Bellouacensis historicus
Vinctius Rhetor vetus.

Vvisigothorum leges.
Vitruuius, siue Victruuius. vide M. Pollio.
Vlpianus I C. passim
Vvnefridus Anglus Epistolarum vetus scriptor.
Vvolfgangus Lazius Criticus & Historicus, sæpe
Volusius Mæcianus antiquiss. author.
Fl. Vopiscus Historicus illius ætatis optimus
Vulteius interpres Æliani.

X

XEnon Historicus antiquiss.
Xenophon stylo sublimi, dictione Candida
Xilander diligens Strabonis interpres
Xiphilinus Monachus Epitomastes Dionis Cocceiani, passim.

Y

YVo Villiomarus suppositi nominis Criticus
Yuo Carnotensis.

Z

ZAcharias Lechmerus, de Triangularibus aciebus
Zaleuci constitutio
Zanus Epigrammatographus
Zechnerus sacrorum Adagiorum compilator diligens
Zeno Aug.
Zeno Veronensis
Zephyrus Paraphrastes vetus author
Zonaras Drungarius Magnus
Zonas vetus Epigrammatarius.
Zozimus Thasius vetus poeta.

INDEX LIBRORVM DECEM *huius Operis.*

I. Liber est, de Vrbe & Populo Romano.
II. De Diis, Templis, Ædibus, Ædiculis, Aris Deorum.
III. De Sacerdotiis.
IV. De Annorum & Dierum ratione, & Diebus festis.
V. De Ludis, Accumbendi & Discumbendi ratione, seu de Mensis, Vestimentis, ritibus Nuptiarum, & deducendorum Funerum.
VI. De Comitiis.
VII. De Magistratibus.
VIII. De Legibus.
IX. De Iudiciis.
X. De Militia.

THO-

ANTIQVITATVM Romanarum

LIBER PRIMVS, DE VRBE ET POPVLO.

PRÆFATIO.

De cavsis quæ me mouerint, vt hosce de Republica Romana libros scriberem, in Epistola ad Lectorem satis dixi. Nunc vt initium fiat operis, libet pauca quædam de ordine Librorum in medium afferre. Is verò hic est: Quicumque Rempublicam aliquam literis describendam sibi sumit, eum primùm omnium de loco, vbi illa constituta sit, dicere oportet. Quod nisi fiat, intelligi cætera quæ dicuntur, non bene possunt. Itaque in hoc meo opere primùm locum huius Reipublicæ describo: vrbem videlicet Romam: cuius originem, ædificationem, & amplificationem atque ambitum, quantum quidem ex veterum & recentium ea de re scriptis editis scire potui, fideliter Lectoribus ob oculos pono: atque simul præcipua ædificia iuxta quatuordecim regiones, in quas Avgvstvs Vrbem descripsit, indico. Vrbe muris circundata, & ædificiis instructa, de incolis atque habitatoribus huius Vrbis iure optimo dicendum est: quod etiam in hoc primo libro, allatis præcipuis huius Populi diuisionibus & differentiis, summa diligentia facio. Iis cognitis, instituta Populi consideranda. Illa verò versantur vel circa Religionem, vel circa Reipublicæ gubernationem. Secundo igitur huius Commentarij libro de Diis, quos hic populus coluit, quibus de causis eos hoc vel illo nomine appellarit, quæ templa, ædes, ædiculas, aras, &c. in eorum honorem ædificarit, differo. Inde libro tertio Deorum vel sacrorum Ministros describo. Cum verò multi etiam dies in honorem illorum Deorum festiuè & celebriter fuerint peracti: de iis, quos Romani festos habuerunt, quarto libro ago. Ad festos dies pertinent Ludi, quos quinto libro explico. Absoluta ad hunc modum tractatione de Religione, Politiæ descriptionem aggredior: vbi, cùm præcipuæ ferè partes Reipubl. comitiis Populi sint peractæ, de iis primo loco, libro videlicet sexto, ago. Magistratus postea libro septimo subiungo. Quæ Leges huius Reipublicæ, ad quarum normam ea gubernata est, fuerint, octauo libro trado. Gubernationis huius praxin, quæ in iudiciis consistit, nono libro expono. Ita & Religione & Reipublicæ gubernatione explicata, Vrbe egredior, & quæ instituta, qui ritus huius Populi circa rem militarem fuerint, oratione persequor & sic hunc totum tractatum concludo. Hæc de ordine. Nunc Deo benedicente, rem ipsam aggrediar, & de Vrbe, eiúsque habitatoribus agam. In quo tractatu, præter Veteres rei Romanæ Scriptores, recentes etiam quosdam secutus sum, Bartholomævm Marlianvm, Onvphrivm Panvinivm, Georgivm Fabricivm, & Carolvm Sigonivm, quod indicare hoc loco volui, ne si viderint Lectores, multa hic ex istis, quos dixi, authoribus desumpta esse plagij me insimulent.

Capvt I.

De Origine vrbis Romæ.

DE origine vrbis Romæ, eius conditoribus,& nomine, variæ & discrepantes sunt sententiæ,quæ à Liuio & Plutarcho recitantur, atque refutantur, & ab Onuphrio etiam Panuinio initio librorum de Republica Romana breuiter recensentur,quas huc referre non est opus. Simplicissima autem,& vero maximè consentanea hæc est: Conditam esse vrbem à Romulo Rheæ Syluiæ filio, Numitoris nepote, cuius prosapia refertur ad Æneam Troianum.Capta enim & diruta Troia propter raptum Helenæ, Aeneas cum patre Anchisæ,& aliis sociis fuga sibi consuluit:& incolumis quidem à Græcis,quia autor Troianis reddendæ Helenæ fuerat,dimissus est:post longam autem & diuturnam nauigationem in Latium, quod est pars Italiæ, ad regem Latinum venit, ibíque aliquandiu commoratus,accepta Regis Latini filia Lauinia,in matrimonium,post soceri obitum,hæres Regni relictus est. Sublato autem & ipso è rebus humanis, Ascanio filio,qui tamen nondum maturus imperio erat,Regnum auitum, paternúmque ad puberem ætatem incolume mansit,& tutelæ matris Lauiniæ stetit.Is verò Ascanius vbi ad maturam rebus gerendis ætatem peruenit,abundante Lauinii multitudine,florentem atque opulentam Vrbem matri reliquit: nouam ipse aliam sub Albano monte condens,quæ à situ porrectæ in dorso Vrbis,Alba longa appellata est. Interfuère inter Lauinium conditum,& Albam longam coloniam deductam triginta ferè anni. Initium regni Albani cæpit anno post captam Troiam trigesimo secundo,ætatis Ascanii vigesimoquinto:à quo, ad Procam vsque,vndecim Reges præfuerunt Imperio:quorum nomina apud Dionysium Halycarnassæum recensentur hæc.I. Syluius successor Ascanii,regnauit annos 29.II. Æneas Syluius 31.III. Latinus Syluius 51. IIII. Alba 39. V.Capetus,hunc quidam Atym dicunt,26. VI.Capys 28. VII.Calpetius 13. VIII. Tyberinus 8.IX. Agrippa 33.X. Alladius,alii Romulum Syluium vocant,19 XI. Auentinus 37.Post Auentinum Procas rerum Albanarum potitus est, & regnauit annos 13. relictis duobus filiis, Numitore & Amulio, quorum hic regnum, quod Numitori fratri propter ætatem debebatur, fraude occupauit: & ne vindex Regni ex fratris genere oriretur, ac ipse Regno eiiceretur, Rheam Syluiam filiam Numitoris, Vestæ sacerdotem consecrauit. Hæc perpetuæ virginitati deuota,à Marte,vt fingunt aliqui,siue ab alio quodam, grauida facta, geminos procreauit pueros,Romulum scilicet ac Remum. Amulius igitur hac re cognita, Rheam Syluiam carceri includit,pueros exponi iubet:qui à Faustulo regii pecoris magistro,in ripa fluminis Tyberis reperti, inter Pastores ab ipsius vxore Laurentia,quæ ob vulgatum corpus Lupa dicta fuit, educati sunt. Remus,vbi ætatem virilem est adeptus,captus à prædonibus perductúsque ad Amulium patruum Regem, accusatur, vt qui Numitoris greges abigere solitus sit. Itaque Numitori traditur,vt ipse de eo pro arbitrio pœnas sumat. Verum Remus,multis sermonibus vicissim habitis,& signis cognitis,nepos Numitoris agnitus est. Superuenit & Romulus cum Faustulo,auxilium fratro Remo laturus. At hi omnes coniuratione facta ex inopinato Amulium obruunt,atque obtruncant,regnúmque auo Numitori restituunt. Anno huius secundo Romulus & Remus vrbem Romam in eo loco,vbi expositi fuerant, (anno à capto Ilio 431. Olympiadis septimæ anno primo,anno mundi 3213.11.Calend. Maii,siue,vt alii tradunt, anno mundi 3220,21. die Aprilis) condiderunt. Exorto postea bello inter Romulum ac Remum de Imperio,Remus occiditur, Romulus ciuitati ac ciuibus Romanis nomen dedit. Liuius, Plutarchus,Dionysius Halicarnassæus,Messala Coruinus,& Bartholomæus Marlianus, ex quo posteriora fere ad verbum descripsi.

THOMAS DEMPSTERVS IC.
ADDIDIT.

AD CAPVT I. PARALIPOMENA.

A quo condita Roma?

ROmam conditam à Romulo communior sanè est sententia vulgatiórque, historici penè omnes, Ioan. Saresber. li.8.c.21. M. Varro rei Rust. lib. 3. cap.1. *antiquißimum Græciæ oppidum Thebæ Bæotiæ, quod ædificauit Ogyges rex, in terra Romana Roma, quam Romulus.* Auson. epigr. 50. Michaelius Glycas Annal. parte 1.195. quem certum est leges historico præscriptas non obseruare, multa tamen notatu digna in eo reperias, quæ nusquam aliàs. Aurel. Prudent. in Romano.

Dein fauore puer Mauortius
Fundauit vrbem septicollem Romulus.

Alii ab vtroque fratre conditam contendunt, Albert. Stradens. Chron. pag. 8. quem ego authorem doctum & diligentem iudico.

Pompon.

pon. Mela. lib. 2. cap. 4. C. Plin. lib. 8. cap. 18. *situs de conditoribus nostris accipimus.* M. Manil. Astronom. lib. 5.

Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit vrbem.

Mihi tamen animaduersum à Remo fundamenta eius iacta, erat enim maior natu. Corrigendus Papin. Stat. ope M S. lib. 5. sil. 2. v. 17.

——Neque enim de sanguine cretus
Turmali, trabe ac remis nec paupere clauo
Augustam sedem & Latij penetrale senatus
Aduena pulsasti.

Corruptissimè, neque vllo sensu, nam Metium Celerem nec è plebe fuisse vult, neque etiam equestris tantùm conditionis, sed patriciæ, equites verò trabeatos fuisse docuere Critici. legendum est ergo, *sanguine cretus*
Turmali trabeáque Remi.

Idem lib. 2. sil. vlt.

Dices culminibus Remi vagantes
Infandos domini nocem is ignes.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 1.

Qua gradibus domus ista Remi se sustulit,

Et lib. 4. Eleg. I.

Regnáue prima Remi, aut animos Carthaginis altæ.

M. Mart al. lib. 10. epig. 76.

Sed de plebe Remi, Numæque verna.

Prudent. lib. 2. in Symmachum.

Ipsa casas fragili texit gens Romula culmo,
Sic ir duns habitasse Remum.

Et eodem l. b. o.

Iamque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat.

Iuuenal. Sat. 10. vers. 72.

Turba Remi sequitur fortunam.

Valer. Catull. epigr. 56.

Gaubit magnanimos Remi nepotes.

QVÆ FVIT MATER ROMVLI?

Illium faciunt *Rheæ Syluiæ*, & habet hæc opinio suos fautores, sunt tamen qui Romuli matrem *Seruiam* appellent. Ælian. var. hist. lib. 7. cap. 16. nec desunt qui Iliam eam vocatam tradant, Seru. ad 1. Æneid. v. 278. & ad lib. 6. Aeneid. vers. 779. vetus scholiastes Iuuen. ad Sat. 9 v. 53. *Calendis Martiis quibus Iunonis sacra celebrabantur à Romanis; quia tunc & Ilia compressa est à Marte nam tunc Matronalia sunt.* Idem ad sat. 11 v. 106. *Martis ad Iliam venientis vt concumberet,* & ad Sat. 1. vers. 7. *Lucum Martis dicit, qui Romæ est in via Appia in qua solebant recitare poetæ; aut illum qui apud Colchos est; in quo fuit pellis aurea, aut in quo Ilia peperit.* Interpretes Horatij ad lib. 1. od. 2. Stat. lib. 2. syl 2. vers 246.

si victa sopore doloso
Martis è fluminea posuit latus Ilia ripa.

Et lib. 2. sil. 1 vers. 99.

Iam secura parens Tuscis regnabat in vndis
Ilia portantem lassabat Romulus Accam.

Insigni correctione eget Claudian. paneg. de Consul Olyb & Prob. in Tibridis habitu.

Palla graues humeros velat, quam neutras vxor,
Illi percurrens vitreas sub gurgite telas.

Nec sensus nec interpunctio valet, quare optime in MS. meo, nisi fallor,

Palla graues humeros velat, quam neuerat vxor
Ilia, percurrens vitreas sub gurgite telas.

Ouid. li. 2. Amor. eleg. 14. & lib. 3. Amor. eleg. 5. lib. 2. Fast. vt omittam Chronographos.

Quaque colunt thalamos Ilia diua tuos

QVAM ANTIQVA EXPOSITIO ET QVIS MODVS?

Natos nepotes Amulius exponi iussit, vetustissimus hic mos, atque adeò in vsu populo Hebræo, vt ex sacris literis de Moyse notum & Ezechielo Tragico, quem à Clemente Alexandrino & Eusebio laudatum, ego eruditum magis quàm eloquentem æstimo, is in sua exagoge.

ἐν ταῖσι μήτηρ ἡ τεκοῦσ', ἔκρυπτέ με
τρεῖς μῆνας, ὡς ἔφασκεν. οὐ λαθοῦσα δὲ
ὑπεξέθηκε.

Ibi mater quæ me peperit, abscondit me tres menses, vt dixit, cum autem latere non posset, exposuit. De Græcis nullus dubitandi locus, quin idem factitarint exemplo Oedipi. Diodor. Sicul. li. 5. cap. 6. L. Seneca Oedipo.

Teste damnauit parens
Et in alta nemora pabulum misit feris
Auidis auibúsque, quas Cytheron noxius
Alit.

Et alij eadem, quamquam postea Thebani id lege sustulerint, tanquam impium, & ab humanitate alienum. Ælian. lib. 2. cap. 7 νόμος οὗτος Θηβαϊκὸς ὀρθῶς ἅμα καὶ φιλανθρώπως κείμενος ἐν τοῖς μάλιστα, ὅτι οὐκ ἔξεστιν ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον. *Lex hæc Thebana recta simul & humana posita in his maximè ne cui Thebano viro liceat exponere infantem: malè interpres verterat,* nec minus varij in hoc ritu Romani, nam lata lege vetuerunt exponi partus, T. Liu. l. 1. Dec. 1. C. Theod. lib. 5. tit. 7. nisi fortè monstrui si forent, Dionys. Halycarnass. li. 2. nam nunquam sine comminatione deorum putabant portentosos fœtus nasci, quos abiicere aut necare intererat Rei publ vt dicetur in tractatu de prodigiis, & dixi ad illud Claudiani l. b. 1. in Eutrop.

Consule lustrandi fasces ip[illegible] que litandum
Prodigio.

Hinc *exponere* idem quod *necare* Paul. IC. l. 4. ff. de agnosc. li. & sustulere id Valentinianus & Valens AA. l. 1. Co. de infant. expos. certe tamen apparet licitam expositionem, nam *in nullo censu aut numero* expositos collocat Latro apud L. Senecam. lib. 5. controu.

33.v. *pater vel seruus agnoscens liberos suos solutis alimentis recipere potest* ex lege apud eundem lib. 4.controu.26. & lib. 9. controu.3. & docent I.C. *in genuos, si exponantur, in seruilem transire conditionem.*

Locus vel mare & fluuij. Constantin. Manass. Annal.p.42.& Otto Frisingens. Chron. lib.2.cap.2. *geminos quos Rhea pepererat, exponi & in aquam proijci Amulius iussit.* Iustin.li.44. *Gargoris rex nepotem suum Habidem in mare proijci iussit.* Strabo Amasianus lib. 5. Geograph.pag.252. τοῦ δ' ἐξέθηκε παρὰ τὸν Τίβεριν, κατά τι πάτριον, *hos ad Tiberim exposuit, secundùm morem quendam patrium.* Ezechielus Tragicus in Exagoge de præcepto Pharaonis.

ἔπειτα κηρύξας μὲν ἑβραίων γένει
τ' ἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν ἐς βαθύῤῥουν.

Deinde iussit vt Hebræorum gens masculos iaceret in fluuium profundum. Ouid. Fastor. lib.3.

Amne iubet mergi geminos, scelus vnda refugit,
In sicca pueri destituuntur humo.

Alij in deserto & auia abiiciebantur. Idem Epist.11.

Iámque dari paruum canibusque auibusque nepotem
Iusserat, in solis destituique locis.

Aut denique *ad cloacas* vetus scholiastes Iuuenalis infantes exponi solitos prodidit ad Sat.6.vers.6000 & ipse Satyricus.

Transeo suppositos & gaudia, votáque sæpe
Ad spurcos decepta lacus.

Modus exponendi, *in vasculo de papyro facto ac bitumine illito*, vt loquitur Freculphus Tom. 1.Chron.lib.2 cap. 8. quod vas *fiscellam* vocat quisquis ille fuit qui Glycam latinitate donauit, Annal.parte 2.pag.206.hic Romanam fuisse docet, ille Hebraicam consuetudinem: cantharis etiam exponi soliti, vnde intelligendus P. Terentius in Andria: Act.4.scen.4.

—Verum vidi cantharum
Suffarcinatum.

Vbi loci Ælius Donatus hallucinatur, dum pro *Canthare* putat legendum *Cantharam*, & de anu quadam intelligit, melius Eugraphius vetus Grammaticus, licet plerumque non magni ponderis author, *cantharam suffarcinatam dixit, quasi corbem supponendo puero repletum.* Scholiast. Aristoph. in βατράχ.

Πῶς γὰρ ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον
Χειμῶνος ὄντος ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ.

Vertit Nannius eruditissimus lib.1. συμμίκτ.

Qui mox vt aluo matris esset editus
In vase fictili per hyemem exponitur.

Denique notandum non modò inornato corpore partus hos abiectos, sed vnà cum iis pretiosissima quæque exposita, qualia sunt aurum, gemmæ, annuli, monilia, aliáque quæ Græcis γνωρίσματα, Latinis crepundia vocantur. Heliodor.lib.4 Æthiopi. ὥστε ὥρα σοι πάντως ἐπιδεικνύναι μοι τὴν ταινίαν ἣν τῇ παιδὶ συνεκτεθεῖσαν ἀναδέξασθαι μετὰ τῶν ἄλλων γνωρισμάτων ἔλεγες. *Quamobrem tempus est omnino, vt mihi fasciam ostendas, quam cum filia expositam te cum cæteris indiciis recepisse dicebas:* atque huic monili insculptum erat vtriusque parentis nomen, vt ex eodem Heliodoro liquet, pag.175.lib.4. vt si aliquis partum tolleret, haberet saltem educationis præmia, si moreretur non deessent sepulturæ sumptus, hócque est quod Eugraphius ait ad sc.1. Act.4. Heautontimor. *nefas fuisse liberos etiam mortuos paternis bonis fraudari*, crepundia ista significat Moyses de se exposito apud Ezechielum Tragicum Act.1.

ὁ πεξέθηκε κόσμον ἀμφιθεῖσά μοι,
παρ' ὄχθην ποταμοῦ λάσιον εἰς ἕλος, δασύ

Exposuit, ornatum, seu crepundia, circumdans mihi iuxta littus fluuij herbosum, in vlueam densam Terent. Heantontimor. Act.4.sc.1.

Cùm exponendam do illi, de digito annulum
Detraho, & eum dico, vt vna cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

EDVCATIO GEMINORVM.

LVpam eos educasse confirmant Laurentalia 10. Kal. Ianuarias, & dicam abundè infra, certúmque est impudicas lupas olim vocatas à rapacitate, quod ad se rapiant miseros & apprehendant. Isidor. Etymolog.lib.1. historici & Chronologi. Lactant.lib.1.cap.20. *Romuli nutrix lupa honoribus est affecta diuinis, & ferrem, si animal ipsum fuisset, cuius figuram gerit, author est Liuius Laurentiæ esse simulachrum; & quidem non corporis, sed mentis ac morum. fuit enim Faustuli vxor, & propter vulgati corporis vilitatem, lupa inter pastores, id est, meretrix nuncupata est.* Auso.epigr.25.

Credo quod illi nec pater certus fuit,
Et mater est vere lupa.

M. Martial.lib.1. Epigram.

Abscondunt spurcas & monimenta lupas.

Ob id prostibula impudicarum *lupanaria* dicta, quæ non in littoribus tantùm, vt multiscius Sauaro notat ad Sidonium suum lib. 9. ep.6. sed etiam in fornicibus sepulchrorum, in itineribus publicis, hinc *deuium scortum* dixit Horatius lib.2. Od.11. Q. Catull.epigr.35.

Omnes pusilli & semitarij mœchæ.

Turnebus primus, vt puto, obseruauit. Mart. lib.3.epigr.91.

Admittat inter bustuarias mœchas.

Non desunt tamen qui veram belluam

Romuli nutricem velint fuisse, non autem prostitutam Laurentiam, Strabo, qui Tiberij temporibus, è Ponti regibus oriundus, clarissimus fuit lib.5. Geogr. μυθεύουσι μὲν ἐξ Ἄρεως γενέσθαι τοὺς παῖδας, ἐκτεθέντας δ' ὑπὸ λυκαίνης ἐκτεθραμμένους. *Fabulantur autem Marte genitos pueros, animaduersúmque eos à lupa catulorum loco ali.* Restituendus Iustin. lib 38. *Ipsi ferunt conditores suos lupæ vulneribus alitos, sic omnem illum populum luporum animos habere, inexplebiles sanguinis atque imperij*, sic in editione Lugdunensi Gryphij legitur, sed nullo sensu, rescribendum ergo, *lupæ vberibus alitos.* C. Plin. lib.8. c.17 *quæ de infantibus ferarum lacte nutritis, produntur, si ut de nostris conditoribus à lupa.* Iul. Hygin. Augusti libertus. Fab. cap. 252. *Romulus & Remus Martis & Iliæ filij à lupa nutriti sunt.* Saresb. lib.1. cap.13. in quo multiplex lectio, acre iudicium, & vt illa ferebant tempora, eloquentiæ satis. *lupi*, inquit, *efficaciam non negabit, quisquis Romanorum genus lupino lacte non ambigit educatum, vnde plerumque quod in iis dulcius est, adhuc lupinum saporem resipiunt, primique eorum fidem, quam à matre lupa didicerant, sibi inuicem seruauerunt.* adscribam in tyronum gratiam celebriores poetas. M. Tull. lib.1. de diuinat. *Hic siluestris erat Romani nominis altrix bellua.*

Prudent. in Romano.

Antiquitatem Romuli, & Mauortiam
Lupam renarras.

Iuuen. sat.11 v.104. & vet scholiast. ibidem.

Romuleæ simulachra feræ mansuescere iussæ.

Sidon. Apollin. Carm.2. v.119 *Præbuit intrepida mammas lupa fœta Quirino.* v.395.

—Illius orbem
Martigenæ lupa, Tibris, Amor, Mars, Ilia complent.

Idem carm.5. in princ.

—Videas hic fusa metallis
Antra Rheæ fœtámque lupam.

Sext. Propert. lib.2. eleg.6. in criminis author

Nutritus duro Romule lacte lupæ.

Et lib.3. Eleg.8.

Eductosque pares siluestri ex vbere reges.

Et lib.4. eleg.1.

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creuerunt mœnia lacte tuo?

Eiusdem libri eleg.4.

—Quem non sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Mart. lib.2. epigr. 75.

A nostra pueris parcere disce lupæ.

Ouid. lib.2. Fastor.

Lacte quis infantes nescit creuisse ferino?

Claudian. lib. de bello Getico.

Nutricémque lupam Romæ.

Idem paneg. de consul. Olyb. & Prob.

Hic patrius Mauortis amor, fœtúsq; notantur
Romulei post omnia lupa, & bellua nutrix.

Statuæ illi belluina effigie erigebantur. Fest. lib.18. in *Ruminalis*, & Plin. lib.15. c.18. gestus autem lupæ erat, vt pendentibus ab vberibus suis puerulis reclinata ceruice abblandiretur. Seru. ad v.632. lib.8. Æneid.

—Illam tereti ceruice reflexa
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Sidon. Apollin. carm.5. in clypeo Romæ.

—Fatámque lupam: quam fauce retecta
Blandiri quoque terror erat, quanquam illa vorare
Martigenas & picta timet.

TEMPVS CONDITÆ VRBIS.

Condita fuit 11. Kal. Maij: diuersitas tamen opinionum notanda est, nam quidam, inter quos Marianus Scotus, 9. Cal Maias, alij 10 Cal. Maias, quam sententiam probat Plutarch. & Eutrop. lib.1. & ex eo Paul. Diacon. Histor. Miscellæ lib. 1. sed tamen certior authorum consensus in 11. Calen. Maias fundamenta vrbis iacta reiicit. id est in *Parilia*, siue *Palilia*, pastorum deæ solennitatem: C. Plin. lib.18. cap.26. M. Varro Rei Rust. lib.2. cap.1. Fl. Vopisc. in Aureliano. Fest. Pomp. lib.14. in voce *Parilibus*. Euseb. Cæsariensis in Chron. L. Tarrutius Firmanus mathematicus. Probus Grammaticus in lib.3 Georg. in princ. Pseudocornutus in sat.1. A. Persij.

—Et fumosa Palilia fœno.

Et ad illum locum interpretes. Censorin. de die natali lib. cap.17 *Et quidem ex Palilibus, vnde anni vrbis numerantur.* Quem locum vide discussum apud Fr. Modium in Nouantiq. lect. epist.14. & ante illum à Ioan. Cuspiniano in Chron. Cassiod. in consulatu Pij & Proculi poetæ, Propert. lib.4. eleg.4.

Vrbi festus erat: dicere Palilia patres,
Hic cœpit primus mœnibus esse dies.

Ouid. lib.4. Fast.

Per flammas saliisse pecus, saliisse colonos,
Quod fit natali nunc quoque Roma tuo.

Et lib.14 Metamorph. fab.18.

—Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit, festísque palilibus vrbis
Mœnia conduntur.

Defendendus ex his M. Manilius qui lib.4. Astron. videtur in Septembri conditam Romam asserere. & certe eo nomine in eum debacchatur Ioseph. Scalig. Ita igitur ille,

Quod regat Italiam potius, si seligis astrum,
Quam quod cuncta regit, quod iniquum separat æquo,
Discernit causas, & rerum pondera nouis?
Hesperiam sua libra tenet, qua condita Roma,
Et propriis frenat pendentem nutibus vrbem,
Orbis & imperium retinet.

At ego Manilium mathematicorum sub Augusto nobilissimum in natali vrbis Romæ potuisse falli non facile crediderim; itab; genesin eius ab omnium planetarum coniunctione desumpsisse, nam *Ioue in Piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro constitutis, Luna sit necesse est in lib.* Solin. Polyhist. cap.2. illud est quod ex Tarutio scribit Cicero lib.2. de Diuinat. *Romulum imperij parentem vrbis suæ iecisse fundamenta in iugo lunæ.* hæc est illa *Romæ natalis dies*, qua nefas hostiam cædere, maxima tamen lætitiæ argumenta saltu, discursu, epulóque exhibere receptissimum, vt ex variis authoribus Stuckius, (in quo modestiam & iudicium requirerem) Antiq. conuiuial. lib.1. cap.16. Vvolph. Lazius lib.1. Comment. Reip. Rom. cap.2. locus est Dionis Coccei pulcherrimus lib.44. τά τε γὰρ Παρίλια ἱπποδρομίᾳ ἀθανάτῳ, ἅτε καὶ διὰ τὴν πόλιν, ὅτι ἐν αὐτοῖς ἔκτιστο, ἀλλὰ διὰ τὴν τοῦ Καίσαρος νίκην, ὅτι ἡ ἀγγελία αὐτῆς τῇ προτεραίᾳ πρὸς ἑσπέραν ἀφῖκτο, ἐτιμήθη. *Præterea institutum, vt Parilibus, quo festo die equarum certamen celebrabatur diis immortalibus sacra fierent, non ob eam causam, quod is dies natalis vrbis esset, sed quod nuntius de hac victoria Cæsaris, pridie eius diei sub vesperam allatus esset.* Similis omnino locus est apud C. Suetonium in Calig. cap.16. *Decretum vt dies, quo cæpisset imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rursus conditæ vrbis.*

Nec minor de anno Romæ natali inter scriptores dissensus, quæ discutiam, si admonuero mundum, secundum probabiliorem sententiam, eodem anni tempore, Id est vere, vt Romam, conditum, creatúmque. Virgil. li. 2. Georg. v.338. licet reluctetur Seruius, sic enim ipse poeta, vers.340.

Cum primum lucem pecudes hausere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit aruis,
Immissæque feræ siluis, & sidera cælo.

Anno igitur à creato mundo quater millesimo centesimo tertio Roma condita, Ado Vienn. ætate 4. pag.44. vel quater millesimo ducentesimo vndecimo, Alber. Stadensis Abbas Chron. pag.9. hoc est ab imperio Nini millesimo trecentesimo. Otho Frising. lib.2. cap.3. à templo sancto Hierosolymis structo ducentesimo sexagesimo tertio, Freculphus Lexouiensis (quem inter præcipua lumina numerare Gallia potest) Chron. tom.1 lib.3. cap.13. quinto anno Achaz Iudæorum regis, Altissiodor. Chron. Roberti pag.17. Atque hæc quidem Ecclesiastica supputatio est, nam si ad profanum reuocemus numerum, antiquissima, quorum extet memoria, sunt tempora, bellum Thebanum & expeditio Troiana, à cuius euersione vsque ad natum Romulum trecenti nonagintaquinque, quo etiam anno sacra funebria in Elide, instituta sunt ab Hercule in honorem Iouis, renouatáque postea à Penelope vt notaui ad Corippum Africanum lib.1. de laud. Iustini Minoris Aug. num.18. & ab eo tempora supputari per Olimpiades cæptum, omniúmque annorum series ad Olympicos ludos exacte habita ratio: itaque Olympiadis 7. anno primo iacta Romæ fundamenta contendit Myrsilus Lesbius de Orig. Italiæ, & Euseb. MS. in canonibus suis chronicis scribit Anton. Contius, aut sextæ Olympiadis anno secundo, Paul. Oros. lib.2 cap.4. aut anno tertio, vt recentiores volunt, & inter eos I. Lipsius ad Velleium Paterculum, cui etiam concors Paulus Diaconus ex Eutropio lib.1. Id censetur quoque tempus quo reges Lacedæmoniorum deficere inceperunt, & Cranaus Macedoniæ regnum erexit, vt ab aliis obseruatum ex Plutarcho, & Æmil. Probo.

QVIS NOMEN ROMÆ IMPOSVERIT.

Indubitate fidei nomen vrbi à se conditæ imposuisse Romulum, Virgil. lib.1. Æneid. v. 281. & Seru. Honorat. ibidem.

——Romanó'que suo de nomine dicet.

Quod ab illo factum postquam duodecim vultures addixissent, nam graue inter fratres dissidium fuit, vter nomen vrbi daret, vt ex Q. Ennij Annalibus constat citante M. Cicerone lib.1. de Diuinat. quos versus etiam P. Crinitus transcripsit lib.16. de honest. disciplina cap.5.

Certabant vrbem Romámve Remamne vocarent,
Omnibus cura viris, vter esset induperator.

Vitiose in secundo versu, neque enim de duobus, omnibus, dixisset, legendum ergo, vt scripsit Ennius,

Omnis cura viris.

Non desunt tamen, qui à lecta Arcadũ manu vrbem structam appellatámque à robore primum quidem Ῥώμην, deinde Valentiam. Iul. Solin. polyhist. cap.1. & à Græcis positam Cæcilius rerum Romanarum scriptor docet apud Strabo. lib.5. aliique authores tam Græcarum quàm Latinarum rerum apud Festum Pompeium lib.16. sed vulgata omnia, nihilominus adscribam verba cultissimi poetæ Marciani Heracleotæ, qui Iambicis versibus orbem descripsit, is ergo vers.230.

Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις ἡ Ῥώμη ἐστὶ πόλις
Ἔχουσ' ἰσάμιλλον τῇ δυνάμει καὶ τοὔνομα
Ἄστρον τι κοινὸν τῆς ὅλης οἰκουμένης
Ἐν τῇ Λατίνῃ, Ῥώμυλος δ' αὐτὴν κτίσας
Θέμενος ἀφ' αὑτοῦ φασὶ τοῦτο τοὔνομα.

Vertit Feder. Morellus professor regius, cui hũc authorem latinitate cultissima donatum, vt multos alios, debitura est posteritas,

In hisce Roma ciuitas est gentibus,
Quæ æquale nomen robori suo obtinens

Com-

Communem sidus vniuersi orbis soli,
Hanc condidisse in Latio Romulum asserunt,
A se indito ipsi ciuitati nomine.

Sed ascribatur hic insignis locus è Constantino Manasse MS. quem communicauit sæculi nostri eruditissimus, & pene vnicum Græcæ literaturæ lumen, idem Federicus Morellus Regius professor.

ΕΚ ΤΩΝ ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ
Μανασσῆ χρονικῶν ἀπόσπασμα.

Υἱὸς Αἰνείου γνήσιος Ἀσκάνιος τὴν κλῆσιν,
ἀπὸ Κρεούσης γεγονὼς τῆς θυγατρὸς Πριάμου,
τὴν πόλιν Ἄλβαν ᾤκισεν σὺν τοῖς περιλειφθεῖσι,
καὶ ταύτης ἐβασίλευσεν Ἀμούλιος μετ' αὐτόν,
Νεμήτορα προσήκοντα τὰ σκῆπτρα προσαρπάσας.
Ἦν δ' ἀδελφὸς παλαίτερος Νεμήτωρ Ἀμουλίῳ.
Οὗ παντελῶς βουλόμενος τὸ γένος ἀφανίσαι,
Τὸν μὲν υἱὸν προσαναιρεῖ, τὴν δέ γε θυγατέρα
Ἱέρειαν πεποίηκε ναοῦ, καὶ τῆς Ἑστίας.
Νενομοθέτητο δ' ἁγνὰς τὰς ἱερείας μένειν,
Παρθενικὰς καὶ καθαράς, καὶ γάμων ἀπειράτους.
Ταύτην ποτὲ πρὸς Ἄρεος ἄλσος πορευομένην
Φυλάξας τις ἐπέθετο, καὶ συμφθαρεὶς τῇ κόρῃ
Ἐγκύμονα πεποίηκεν. ὡς δ' ἐπεγνώσθη τοῦτο
Τῷ πατραδέλφῳ βασιλεῖ, τότε μὲν ἐτηρεῖτο
Μέχρις ὠδίνων καὶ καιροῦ τοῦ τῆς βρεφοτοκίας.
Ἐπεὶ δ' ὁ χρόνος ἐπιστὰς ... ...
Γαστρὸς τὸ βάρος ἔλυσε, δίδυμα δ' ἦν τὰ βρέφη.
Τὴν μὲν καθείρξας ἀσφαλῶς ὁ βασιλεὺς κατεῖχε.
Τοῖς δ' ἀρτιτόκοις θάνατον κατέγνω βρεφυλλίοις.
Καὶ δίδωσι τὰ δύστηνα ῥιφῆναι καθ' ὑδάτων.
Ἐρρίφθη δὲ τὰ δυστυχῆ σκάφης ἐντὸς τεθέντα.
Ἐνταῦθα θεία πρόνοια κατάδηλος ὑπῆρξεν
Ἡ δραστικὴ δύναμις· τὸ τῆς χειρὸς σου κράτος.
Ἡ σκάφη περιτρέπεται ... καὶ τὰ βρέφη
Ἔκειτο δὴ κνυζόμενα, καὶ πεπλημμυρισμένα.
Φαίνεται λύκαινα ποθὲν ... ...
Βαρουμένη τοῖς μαστοῖς τοῦ γάλακτος τοῖς ῥεύθροις
Καὶ τὰς θηλὰς τοῖς στόμασι τοῖς τῶν βρεφῶν προσῆγε,
Καὶ τὸν πηλὸν ὑπέλειχε τῇ γλώσσῃ φιλανθρώπως.
Ἦσαν γὰρ σφόδρα κατάπηλα τὰ χείλη τῶν προσώπων.
Βλέπει ποιμὴν τὸ γεγονός, τὰ βρέφη περισώζει.
Ἀπάγει πρὸς τὴν γαμετήν· ἐξίστανται θαυμάσαι
Ὅτι θηρὸς ἀπήνεια ... τούτοις·
Καὶ δίδωσιν ὡς ἴδια ταῦτα τὰ βρέφη ...
Ἔτρεφε ταῦτα μητρικῶς ἐκείνη, καὶ γνησίως,
Καὶ παρ' ἐλπίδας μήτηρ ἦν διδύμων βρεφυλλίων,
Ἡ πρὸ μικροῦ μεθ' ... τοῦτο ...
Ἄλλοι δ' οὐ λύκαιναν φασὶν ἐκθρέψαι τὰ παιδία,
Αὐτὴν δὲ τὴν ὁμόλεκτρον φαμίλου τοῦ ποιμένος
Ἢ τις κοινὴ τοῦ σώματος τὸ κάλλος ...
Αὕτη κατωνομάζετο τῇ γλώσσῃ τῇ πατρίῳ
Ἤτοι κατὰ διάλεκτον Ἑλληνικὴν ἑταίρα.
Ἐπεὶ δὲ γε τὴν λύκαιναν ... λέγει
Τὴν ὕβριν ... τῆς γυναικὸς ...
Αὕτη ... τοῖς μαστοῖς τὰ βρέφη διαθρέψαι.
Ὡς δ' αὖ καὶ διετράφησαν τέως εἰς αὔξην ἦλθον,
Καὶ Ῥῖμος ὠνομάσθησαν οἱ παῖδες καὶ Ῥωμύλος
Καὶ βίον εἶχον συστάδην, ἀγροῖκον, καὶ ...
Ἀγνοίᾳ δὲ Νεμήτορος μεμαθήκασι ...
Ὃς ἔφη μὲν πάτορος τούτων, εἶπεν ὁ λόγος,
Ἐλθόντες ... ...
Τῷ πάππῳ προσενεχθέντες δὲ καὶ γνόντες, καὶ γνωσθέντες
Τῆς βασιλείας Ἀλβανοῦ Ἀμούλιον γυμνοῦσι
Καὶ ξίφει κατασφάττουσιν ἀφύλακτον εὑρόντες.
Τῷ σφῶν δὲ μητροπάτορι χαρίζονται τὰ σκῆπτρα.
Τούτοις ὁ πάππος δίδωσι χρημάτων ἀφθονίαν
Καὶ πᾶν τὸ συμβαλλόμενον πέμπει πρὸς ἀποικίαν.
Ὁ γοῦν Ῥωμύλος περιελθὼν ἐπί τινα πολίχνην,
Ὑπὸ τοῦ κτιστοῦ Πάλαντος Παλάτιον κληθεῖσαν,
Τὸ σχῆμα τὸ τῆς πόλεως ἐκεῖσε διαγράφει.
Ἄρρενα ταῦρον κεντηρῶν καὶ δάμαλιν συζεύξας,
Ὡς ὁ μὲν ταῦρος ἔνευεν ἔξω πρὸς τὸ πεδίον,
Ἡ τούτῳ συζυγεῖσα δὲ δάμαλις πρὸς τὴν πόλιν.
Συμβολικῶς δ' ἐπεύχετο Ῥωμύλος διὰ τούτων,
Τοὺς ἄνδρας μὲν τοῦ ἔξωθεν γίνεσθαι φοβεροὺς
Τὰς δὲ γυναῖκας ἔσωθεν γονίμους χρηματίζειν.
Πιστὰς μὲν ὥσπερ οἰκουροὺς καὶ φύλακας τὰ ἔνδον,
Ἔπειτα πάλιν τῇ χειρὶ λαβόμενος τὴν ἔξω,
Ἔνδον ῥεῖθρα τῆς πόλεως, εὐχόμενος ἐπεύχει.
Τὰ πράγματα τῆς πόλεως ἀπὸ τῆς ἀγροικίας.
Καὶ ταῦτα διαθέμενος ἐν σάλπιγξι σημαίνει
Τὴν κλῆσιν τὴν τῆς πόλεως, καὶ Ῥώμην ὀνομάζει.
Καὶ πλῆθος συλλεξάμενος ἀπὸ τῆς περιχώρου,
Ἄνδρας, γυναῖκας, γέροντας, μείρακας, ἀφθόνως
... πολίτας τίθησι, καὶ κατοικίζει πάντας.
Καὶ πρῶτος οὗτος βασιλεὺς καθίσταται Ῥωμαίων.

DE ORIGINE ROMANORVM
ET ROMVLO CONDITORE VRBIS.
Ex Constantini Manassis Chronologico Poëmate.

FED. MORELLVS *Interpres Reg. Senariis Latinis expressit.*

IVlus Æneæ satu magni editus
Ex filia Priami Creüsa Asiæ ducis,
Muniuit Albam Dardani cum posteris,
Regnauit in qua Amulius post impius,
Cùm sceptra fratri Numitori iusta rapuit,
Qui ætate maior, moribus melior fuit.
Huius genus dum exterminare percupit
Natum neci dedit, puellam at integræ
Vestæ sacerdotem dicauit perpetim.
Has mos sacerdotes manere virgines
Castas, pudicas, nuptiisque liberas.
Hãc Martis ad Lucum profectam quis semel
Obseruat, insidiisque virginem appetit,
Vitiátque, grauidámque efficit: quod Patruo
Cum cognitum est Regi superbo Amulio,
Seruauit illam sedulo ad partus diem,
Lucina quem præscripsit. vt fœtum edidit,
Geminósq; natos peperit, iterum includitur
Arcte à Tyranno, qui recens natos neci

Addixit,& iaci in fluentum mox iubet.
Proiecta soboles in scapha est miserabilis:
Hic dia prouidentia clara extitit:
Tua est Deus vis efficax,manus potens:
Subuertitur Cimba , & labascunt pumili,
Ac vagientes,obliti cœno iacent.
Enixa tum recens lupa aliunde excita,
Distenta lacte quæ gerebat vbera
Admouit oribus gemellorum hispidis,
Linguáque sordes comiter lambit cutis:
Contaminati nam luto vultus erant.
Pastor animaduertit facinus:inde erutos
Ad coniugé abducit gemellos:quam anxiam
Mœrore nactus , fœtum inertem ob editum,
Solatur istis,quos dedit, proprios velut
Huic nutriendos aluit affectu hæc pari.
Ac mater,etiam facta,præter spem, parens
Simul duorum,ne vnius quidem antea.
Sunt qui lupā altricé vtriusque pernegāt,
Sed Faustuli pastoris istam coniugem,
Quod corporis faceret sui aliis copiam,
Linguæ Latinæ more vocitatam lupam.
Hoc est Meretricem:ambigua nam dictio
Est Ausonia,quæ belluam & scortum notat.
Qui nesciebant fœminæ luxum malæ
Pusis lupam admouisse finxère vbera.
Cùm lacte ali ambo desiere,& crescere
Mirum in modū cepere, Romulus & Remus,
Egere vitam Rusticorum ingloriam:
Numitoris ignorantia ædibus erutis,
Quem dixi Auum maternū eorum , sic ferūt,
Prædæ incubantes,deprehensi actique sunt
Ad auum suum,agnoscuntur,& nouere eum,
Amulium Albanæ fugant hinc regimine,
Et ense confodiunt,inermen atque obuium,
Auóqu : matris sceptra restituunt suæ.
Dat copiā immēsā his opū Numitor probus,
Mittitque cum valida manu ad Coloniam.
Peruenit inde Romulus lacum ad oppidi
Pallantinum dicti suo à ductore,qui
Pallas vocabatur,situm designat hic,
Vrbisque formam,mente mox delineat,
Iunctis iuuenco cùm iuuenca protinus.
Taurus quidem pascebat ad campi sata,
Iuuenca verterat se ad vrbis pascua,
His ominatus Romulus signis erat,
Fore vt viri terrore clari essent foris,
Et prole fœcunda futuras fœminas,
Domuúmque custodes fideles & catas,
Is postea arrepto luto,hoc extrinsecus
Proiicit intra Ciuitatem,vt cresceret,
Res publica orans ab alienis commodis.
His constitutis ita,tubæ sonitu oppido
Imponit altum nomen,& Romam vocat:
Et congregauit cœtum ab accolis locis.
Iuuenes,puellas,virgines,viros senes:
His Ciuitatis ius dat,ædésque omnibus,
Ac primus hic Rex Sceptra Romæ stabiliit.

Cap. II.

De forma & magnitudine vrbis Romæ.

PERMISSA Numitori Albana re,vt iam dictum est, Romulus & Remus condiderunt vrbem Romam,quæ postea Septicollis dicta fuit,quòd septem montes muris suis complexa sit. Non autem initio tam capax ea fuit. Romulus enim primùm eam quadratam condidit in monte Palatino,atque Pomerio clausit. Ne autem qua vis externa Vrbem adoriri posset,atque finitimi colles hostium aliquādo arces essent,ex quibus Romam vexarent, non quod iis locis indigeret, Capitolium primo , mox Quirinalem & Cælium colles , qui erant vrbi viciniores , & ex quibus Vrbs ipsa magis oppugnari poterat, fossa, siue aggere , ac muro firmauit , præsidióque locata,tanquam arces muniuit:cum nihilominus extra vrbis ipsius mœnia pomeriumque essent.Paulò pòst Titus Tatius,Sabinorum Rex,cùm à Romulo in prælio victus & in vrbem receptus esset,veteris Vrbis Pomerio Tarpeium montem adiunxit,eúmque Sabinis,qui secum Romam commigrauerant,habitandum dedit , quem & ipse habitauit. Quirinalem quoque montem,addicta custodia firmauit:non tamen Vrbis pomerio inclusit.

Romulo sublato,Numa Pompilius II.Rex,teste Dionysio,collem Quirinalem, qui à Tito Tatio custodia tantùm firmatus erat , Vrbis circuitu inclusit, & Pomerium protulit. Neque verò hac Vrbis capacitate reliqui reges contenti fuerunt:quin nullus fuit,qui non Pomerium protulerit , & montem aliquem vel collem vrbi addendo eam capaciorem fecerit. Tullus enim Hostilius,Hosti F.Rex III. Alba longa diruta, Albanísque in vrbem receptis,montem Cælium Pomerio addidit,eúmque Albanis colendum assignauit.Quem tamen montem Ancum Martium IV. Regem Pomerio inclusisse Strabo , vel L. Tarquinium Priscum Tacitus produnt.Post hunc Ancus Martius,Numæ F.Rex IV.Politorio,Latinorum vrbe excisa,Latinis in Vrbem adscitis montem Auentinum habitandum concessit,quem tamen vt ominosum Vrbis Pomerio non inclusit. Idem autem Rex fossas circa Vrbem fecit, quæ Quiritium appellatæ sunt,& Ianiculum, quem, facto super Tiberim ponte sublicio , muro cinxerat , Vrbi addidit. Secutus eum L. Tarquinius, Damarati F.Priscus,Rex V.Vrbis muros ruderibus,vilibusque

busque structuris ad eam diem ædificatos, primus cœpit saxis magnis. Albano, Tiburtino,& Prænestino ad regulam formatis extruere, quos Seruius Tullius Rex VI. perfecit. De hoc enim rerum Romanarum Scriptores tradunt, quòd Esquilias, Quirinalem & Viminalem, montes, Vrbis Pomerio addiderit,& Romam aggere, fossis & muro lapideo circumdederit. Tandem L. Tarquinius, L.F. Superbus, Rex VII. immenso ab Oriente aggere addito, Vrbem tutiorem fecit. Et ad hunc quidem modum septem illi Reges Vrbem amplificasse, à veteribus Scriptoribus traduntur: quanquam de nonnullis inter eos non conueniat. Libertate populi constituta, produntur L. Cornelius L.F.P.N. Sulla Felix Dictator, C. Iulius C.F.C.N. Cæsar,& Imperator Cæsar Diui F.C.N. Augustus, Vrbis ambitum adauxisse, Vrbisque Pomerium protulisse: quo vero modo, aut quo loco Vrbi addito, non exprimitur. Inter Imperatores Tiberius Claudius, Drusi F. Cæsar Augustus, Auentino monte, L. Domitius Aurelianus, Cæsar, Augustus, Campo Martio Pomerio inclusis: Flauius Constantinus Maximus, Augustus, Castro prætorio exciso, Vrbis ambitum ampliorem fecerunt. Hæc omnia prolixè & diligenter, adductis plurimis veterum Scriptorum testimoniis, persequuntur Georgius Fabricius in sua Roma, & Onuphrius Panuinius libro I. Commentariorum Reipublicæ Romanæ, vnde pleniorem eius rei cognitionem, qui his contentus non est, petere potest. Nos verò, his præmissis, ad reliqua accedemus: & cùm mentio Pomerij eiúsque prolationis facta sæpe fuerit, de eo nunc quædam dicemus.

AD CAP. II.

PARALIPOMENA.

Septem Romæ colles.

Præter Historicos eleganter Aurel. Prudent. Romano Martyre Septicollem appellat.

Diuum fauore cum puer Mauortius
Fundaret arcem septicollem Romulus.

In sacrum septimontium. Inter ferias Romanas lego. C. Sueton Domitiano cap. 4. & interpretes, & dicam infra lib. 4. cap. 16. Interim in tyronum gratiam, quorum in manus hoc opus damus, adscribam aliquot poëtarum celebrium loca, qui septem Romæ montium meminerunt, Claudianus meus de statu eius vrbis sub Honorio Aug. de 6. consul.

Erexit subitas turres, cinctósque coëgit
Septem continuo montes iuuenescere muro.

Idem Paneg. de consul. Olib. & Prob.

Collesque canoris
Plausibus impulsi septena voce resultant.

Corrigendus idem in Fescenino de nuptiis Honorij & Mariæ.

Epulisque iam repleto
Resonet Quirine Tibris,
Dominique læta votis
Aurea septem geminas
Roma coronet arces.

Vbi τὸ Quirine glossema est, legendum enim ex MS. meo Codice, quem vir literarum bono natus Iocobus Bongarsius regis ad Germaniæ principes legatus dono dedit.

Epulisque iam repleto
Resonet Quirite Tibris:

Intelligit enim festam populi voluptatem exhibita nuptiali sportula. Q. Symmach libr. 4. epist. 14. *honor sportulæ suscipiendæ*, C. Plin. Iunior lib. 10. epist. 117. *Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, vel opus publicum dedicant, solent totam bulen, atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binósque denarios vel singulos dare.* Traianus deinde sequenti epistola interpretatur *solemnes sportulas*. L. Apul. Apolog. 2. *placuerat in suburbana villa potius vt coniungeretur, ne ciues denuò ad sportulas conuolarent.* Hoc illud est quod congiarium vocari solet, Seneca lib. 2. Benef. cap. 16. & lib. 4. cap. 28. Artemid. lib. 2. capite 31. καὶ δεῖπνά τινα ποιεῖν ἢ διαδόσεις διδόναι. *cœnas quasdam facere, ac congiaria largiri. lineam diuitem* nominat Martialis libro 8. epigramm. 78. dicam alibi. Claudian. de 6. consul. Honorij.

—Cum prælarga vocauit
Ditandas ad dona tribus.

Tenuiorum hæc expectatio, vet. Scholiast. Iuuenal. ad v. 119. Sat. 1. nam Senatores & equites mensis stratis accipiebantur. P. Statius lib. 5. silu. 2.

—Romuleos proceres, trabeatáque Cæsar
Agmina, mille simul iussit discumbere mensis.

Notissimum quoque plebem aliquando ad cænam inuitatam, quæ recta dicebatur, notarunt viri docti, M. Martial. lib. 8. epigr. 50.

Promissa est nobis sportula recta data est.

Asserendus idem Claudianus meus eodem panegyrico:

Consensúque caneæ sublatus in æthera vallis
Plebis adoratæ reboat fragor, vnaque totis
Intonat Augustum septenis arcibus Echo.

Sic hactenus in excusis libris & manuscriptis legebatur. Iulius tamen Bulengerus li. 1. de Theatro cap. 51. legit & interpungit.

Consensu caneæ sublatus in æthera clamor,
Plebis adoratæ reboat fragor.

A cuius ego sententia, in hoc, licet in aliis

censeo, cùm poëtæ sit mens, crebros populi adblādientis plausus, ab opposita valle reddi maiores, & referri, id autem per *cauam vallem* optime expressum. C. Plin. lib. 2. c. 44. *Concaui vallium sinus scindunt inaequaliter inde resultantem aera, quae causa voces multis in locis reciprocas facit*, & paria inuenies apud eundem lib. 36. cap. 15. Lucan. lib. Pharsal. vers. 159.

Valle caua media,

Et eodem libro post.

—Caua regni vires in valle retentat.

Ipse Claudian. lib. 2. de laudib. Stilich.

—Quoties vallis tibi Martia duces
Nomen Auentino Pallantaeque recessu.

Vt omittam *caueam* in Amphitheatro esse, Aurel. Cassiod. lib. 4. epist. 7. cum Claudianus de Circensibus non verò de Amphitheatralibus agat ludis, nam paulo ante *regia Circi*, in circo autem vallem fuisse, prӕter topographos Ouidius indicat lib. 2 Fastor.

Quaque iacent valles maxime Circe tuae.

Sed ad septimontium reuertamur, Stat. lib. 1. silu. 2. *septem geminae mœnia Romae appellat*, & silu. 5. vers. 24. *septena culmina*, & lib. 2. silu. vlt.

Sed septem iuga, martiúmque Tibrim.

Et lib. 4. silu. 3.

Septem montibus admouere Baias.

Propert. lib. 3. eleg. 10.

Septem vrbs alta iugis: quae toti praesidet orbi.

Silius Italic. lib. 19. Punicor.

—Septémque arces fumare videntur.

FORMA VRBIS CONDITÆ.

CIrcularis prima Romę forma. M. Porcius Cato in originibus, *Palatium in quo quadratam Romam condidit Romulus*, Iul. Solin. Polyhist. cap. 2. *dictaque est primum Roma quadrata, quod ad aequilibrium foret posita*, præter Halicarnassæum lib. 1. in limine, Plutarchum in Romulo, Q. Ennius.

Et quis nunc curat Romae regnare quadratae.

Scio aliter legere hunc versum Festum lib. 15. in voce *quadrata*, quanquam non sine mendi suspicione.

Et quis extiterit Romae regnare quadratae.

DE NOMINE VRBIS, ET SIGNIFICATIONE.

IN edito itaque colle vrbs locata, quia is ritus solennis eo sæculo, cùm *vt hostibus si forte inuaderent, difficilior foret accessus*, tum quod gentiles aliud diluuium metuebant, & ob id altissimis montibus, quo tutiores ab aquarum illuuie essent, habitabant. Pier. Valerian. hieroglyph. lib. 42. forma autem vrbium antiquarum rotunda fuit, vt iure Grammatici *vrbem* ab *orbe* desumant, Isidor. lib. 15. cap. 2.

Porro *vrbs* apud Romanos scriptores pro quolibet conuentu, vt & apud Græcos vsurpatur. Ephorus lib. 5. *δούλων πόλις seruorum vrbs*, & *Dulopolis* in Creta, Sosicrates rerum Creticarum lib. 1. & *Poneropolis* in Thracia, *Improborum vrbs*, à Philippo condita, collocatis 2000. iis qui ob improbitatem male audiebant, calumniatoribus, falsis testibus, & causidicis, Theopompus lib. 13. rerum Philippicarum, Suid. in voce *δούλων πόλις*, quæ significatio quia noua est, confirmanda fuerat. Themistocles ob id dicebat vrbes ei non deesse, cui triginta triremes suppeterent, idem Suidas in Adimanto, alludit ad Pythiæ responsum, quę consulta, præcepit *muris se ligneis tuerentur*, Iustin. ex Trogo Pompeio lib 2. Polyæn. lib. 2. stratagemat. & Herodot. lib. 7.

τεῖχος τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
Μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τὸ σὲ τέκνα τ' ὀνήσει.

Id est.

Iupiter altitonans dat mœnia sola Mineruae
Lignea, recta vt stare queat, natósque tueri.

Claudian. de consul. Manlij Theodori.

Obruit Eoas classes, vrbésque carinis
Vexat.

Propriè tamen vrbs de Roma, ἄστυ de Athenis, πόλις de Alexandria. Hier. Magius Miscell. lib. 4 cap. 6. & *sola aedificia significat*, vt definit Marcellus Grammaticus cap. 5 Num. 27. at interdum ciues eius nomine veniunt, nam Pompeius dicitur *Romam in Epirum transtulisse, quod meliorem ciuium partem eo traduxerat*. Plut. in eo, & fuse narrat Dio lib. 41. pag. 159. Seru. Honorat. ad illud. 2. æneid.

Vrbem somno vinoque sepultam

Et ad illud lib. 8. Æneid.

Vrbem qui resubis nobis.

Vrbem pro ciuibus interpretatur. IC. l. cum ratio. ff. de bon. damnat. M. Lucan. lib. 5.

—Veiósque habitante Camillo,
Illic Roma fuit.

VRBIS AMPLIFICATIO ET RESTAVRATIO.

INclinato imperio, illuuiésque barbararum gentium Hunnorum, Vādalorum, Gothorum Europam inuadente, ipsámque Italiam populante, sub Honorio principe Pomerium vrbis prolatum, reparatáque mænia quæ vel tempore, vel magistratuum incuria corruerant, vt historicos omittam, pulcherrimum extat marmoris antiqui monimentum.

S. P. Q. R. Imp. Caess. DD. NN. inuictissimis. principibus.

Honorio. &. Arcadio. victoribus. &. triumphatoribus. semper. Augustis. ob. instauratos. vrbis. aeternae. muros. portas. ac. turres. egestis. immensis. ruderibus. ex. suggestione. V. C. &. inlustris. ....militis. &. magistri. vtriusque. militiae. Stilichonis. ad. perpetuitatem. nominis. eorum. simulachra. constituit.

Curante. Fl. Macrobio. Longiniano.

D. Pau-

D. Paulin. Nolæ Episcopus, in Natal. D. Fælicis.

—Fidant legionibus illi
Perfugióque parent reparatis mœnia muris.

Claudian. de 6. Hon. Consul.

—Addebant pulchrum noua mœnia vultum
Audito perfecta recens rumore Getarum,
Profecitque opifex decori timor, & vice mira,
Quam pax intulerat, bello discussa senectus.
Erexit subitas turres.

Atque paulo ante hanc reparationem pomærij, vel tunc cum facta, cœpit Roma appellari *urbs æterna*, vt ex inscriptione ista apparet. Ammian. Marcellin. lib. 14. *Orphitus præfecti potestate regebat vrbem æternam* lib. 16. *aliaque inter hæc decora vrbis æternæ*. lib. 19 *difficultatem aduenientis inopiæ frumentorum vrbs verebatur æterna*, lib. 28 *sæuiens per vrbem æternam vrebat cuncta Bellona*. Symmacch. lib. 2. epist. 78. *vt curulibus stebulis vrbis æternæ etiam quina mancipia largiamur*. Auso. præfat. ad Fastos suos.

Ignota æternæne sint tibi tempora Romæ.

Virgilianus ille Iupiter lib. 1. Æneid.

Imperium sine fine dedi.

Sil. Italic. lib. 7.

Nulla regnis per sæcula metæ.

Alb. Tibull lib. 2. eleg. 5.

Romulus æternæ nondum fundauerat vrbis
Mænia, consorti non habitanda Remo.

Quem locum aliter legunt, sed hanc lectionem probat Muretus, Iosephus Scaliger, *formauerat vrbis mænia*, ego verò putem, *firmauerat*, quia firmata respublica latis legibus dicitur, quas tunc Romulum de sacrosancto murorum iure posuisse notum est.

Qui pulcherrima verissimaque vrbis Romæ encomia desideras, adi ad doctissimum Sauaronem, ad Sidonium Apollinarem lib. 1. epist. 6.

Cap. III.

De Pomerio.

Pomerium, quasi post murum, vt autor est Varro, quia veteres mœrum pro murum dixerunt: vel, vt Festus, quasi promurum id est proximum muro dictum, apud Agellium * sic definitur: Pomerium (inquit ex Augurum libris) est locus intra agrum effatum, per totius Vrbis circuitum, ponè muros, regionibus certis determinatus, qui faciat finem vrbani auspicij, &c. Ex quibus verbis intelligitur quid Pomerium sit, quod idem tamen clarius fit ex antiquo illo ritu, quem in condendis & circumscribendis oppidis veteres obseruarunt, qui à Terentio Varrone libro 4. de Latina lingua ita describitur: Oppida, inquit, condebant in Latio, Etrusco ritu multa, id est, iunctis bobus, tauro & vacca interiore aratro circumagebant sulcum: hoc faciebant religionis causa, die auspicato, vt fossa & muro essent munita. Terram vnde exscalpserant, Fossam vocabant: & introrsum factum, Murum. Postea quod fiebat orbis, Vrbs. Principium quod erat post murum, Pomerium dictum eiúsque ambitu auspicia vrbana finiuntur. Hæc Varro. Cum quo consentit Plutarchus in Romulo, vbi indicat, Romam etiam hoc ritu à Romulo conditam. Eius verba, vberioris explicationis gratia, libet quoque adscribere; sunt autem hæc: Romulus postquam Remum vnà cum nutritijs suis in Remonia sepeliuit, condidit vrbem: ad quod acciuit Hetruscos, qui velut in mysteriis, vt quidque faciendum erat, cæremonijs quibusdam, & scriptis præscripserunt, docuerúntque. Comitio fossa est rotunda circumducta. In eam primitias detulerunt omnium, quæ de more, vt bonis, natura vtebantur vt necessariis. Postremò, ex qua quisque aduenerat regione, eius terræ portiunculam collatam, eò coniecerunt, & commiscuerunt. Fossam hanc eodem quo cœlum nomine vocauerunt Mundum. Hinc Vrbe, sicut circulo, centrum circumscripsere. Conditor aratro æreum vomerem adiungit, iunctísque bobus, mare & fœmina, ipse circum lineamenta profundum inducit sulcum. Sequentium munus est, vt excitatas ab aratro glebas, introuertant, nec vllam finant extra ferri. Ita mœnia linea definiunt, idque elisis aliquot literis, Pomerium dicitur, quasi post, vel pone mœnia. Vbi portam designare visum est, vomére exempto, atque aratro sublato spacium relinquunt. Vnde totum habent murum, præter portas, sacrum. Nam eas si ducerent sacras, religiosum esset, necessaria & impura in Vrbem recipere, & exportare. Hactenus Plutarchus. Quibus addi possunt & ea, quæ Dionysius lib. 1. eadem de re scribit, & Liuius lib. 1 de Ser. Tullio loquens vbi indicat Pomerium locum fuisse, tam intra quàm extra vrbis murum, quem antiqui in condendis vrbibus augurato consecrarint, neque in eo vllum fieri ædificium passi fuerint. Inde fit, vt quotiescunque Roma amplior facta scribitur, Pomerium prolatum esse dicatur: atque ita proferre Pomerium, idem sit, quod mœnia Vrbis ampliare. Ius autem proferendi Pomerij, teste Agellio, habebat is, qui populum Romanum agro de hostibus capto auxerat.

* Agellius lib. 13. c. 14.

Ad Cap. VIII.

PARALIPOMENA.

Modus condendarum urbium delendarúmque.

COnditor ante omnia augurio dabat operam, vt à religione exordium duceretur. Solin.polyhist.cap.2. *auspicato fundamenta murorum iecit.* M. Tull.lib.1. de Diuinat. *principio huius vrbis parens Romulus, non solum auspicato vrbem condidisse, sed etiam ipse optimus augur fuisse traditur* Seru.ad lib.3 Æneid.136.

Connubiis aruísque nouis operata iuuentus.

Et ad vers.180.lib.6.Æneid.videatur.

Viden' vt geminæ stant vertice cristæ.

Aurel.Prudent in Romano Martyre.

Quod Roma pollet, auspicato condita,
Ioue statori debet, & diis cæteris.

Q.Ennius apud Isidor.etymolog.lib.15.cap.1.

His nata auspiciis illa inclyta Roma.

Idem apud Tullium lib.1.de Diuinat.de fratribus loquens.

Curantes cura cum magna concupientes
Regni, dant operam simul augurio, auspicioque,
Huic Remus auspicio se deuouet.

Idem apud Varronem lib.3.de Re Rust. ca.1.

Septingentei sunt paulo plus minus anni,
Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Posterior versus etiam à C. Suetonio citatur in Augusto ca.17.Claudian.lib.de bello Gildon.

Si mea mansuris meruerunt mœnia nasci
Iupiter auspiciis, si stant immota Sibyllæ
Carmina.

Captato augurio, qui vrbem nouam (inquit M. Cato in fragmentis) *condebat, tauro & vacca arabat, vbi arasset murum faciebat, vbi portam volebat esse, aratrum tollebat, & portam vocabat, &* rationem habes ex Plutarcho problemat. Rom.cap.27. & alludunt Poëtæ, Sil. Italic. Punicor.lib.13.

Hic agreste Capys domum, cum mœnia sulco
Signaret, paruæ iam tum deceptus amore
Nutrierat.

Ouid.lib.4 Fast.

Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro,
Festa Palis suberant, inde mouetur opus.

P.Maro lib 5.Æneid.

Vrbem designat aratro, sortitúrque domos.

Et lib.7.Æneid.

—Ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturque locum.

Aratrum qui tenebat, laciniam togæ in humerum dextrum reiiciebat, seséque cingebat, vel quia is sacris operantium erat habitus, atque opus illud inter sacra numeratum, vel vt commodius stiuam tenere posset, denique vt multitudinem ciuium togato, id est pacifico habitu fouendam esse ostenderet, neque solum bellicis artibus ciuitates vigere, sed multo magis pace florere. M. Manilius lib. 4. Astronomic.

—Ritúque Gabino
Mœnia succinctus curuo describet aratro.

Aratrum dirigebat conditor ipse, *si vero mulier ponendæ vrbis author fuisset, id muneris penes architectos relinquebatur.* Seru. Maurus ad lib.1. Æneid.

Instant ardentes Tyrij.

Boues duo tantum esse poterant, iique albi coloris, & sexus disparis, puto, vt numerosa soboles denotaretur, matrimoniique ratio haberetur, quod legitimum inter marem & fœminam respublicas tuetur & auget. Ouid. lib.4.Fastor.

Ipse tenens stiuam, designat mœnia sulco
Alba iugum niueo cum boue vacca tulit.

Exteriori aratri parti tauri, interiori vaccæ adiungebantur. Seru.ad illud.4.Æneid.

Cui littus arandum dedimus.

Modus ille non Romæ tantùm, sed & coloniis oppidísque aliis obseruatus, *quæ circumducta aratro,* (inquit Terentius Varro lib. 4. de lingu. Lat.) *ab orbe, in literis antiquis scribuntur vrbes, quia ita vt Roma conditæ.*

Et quia *vnumquodque eodem modo desinit & soluitur, quo cœperat,* vt loquitur Vlpian. IC.l. 30.ff.de diuers.reg.Iur. & Paulus IC.l.195.ff. eodem, aratro circunducto vt condebantur vrbes, ita euertebantur. Cæl.Rhodig. lib.14. Antiqu.lect. cap. 5. & Modestinus IC.l.21.ff. quib.mod.vsufruct.amit. *si vsusfructus, inquit, ciuitati legetur, & aratrum in ea ducatur, vt passa est Carthago, ciuitas esse desinit, ideóque quasi morte cessat habere vsumfructum,* & sicut consul Romanus, aut prætor, aut Tribunus, consulari potestate, aut quilibet alius exercituum imperator, dum coloniam traduceret, aratro muros designabat, ita in ciuitate delenda, penes eundem idem iuris erat. M Lucan.lib.7.

Sarmaticumque premet succinctus consul aratrum.

Q.Horat lib.1.od.16.

—Vrbibus vltimæ
Stetere causæ, cum perirent
Funditus imprimerétque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Helenius Acron vetus & doctus grammaticus, *hæc consuetudo fuit condendis atque euertendis vrbibus, vt aratro fieret,* alludunt poetæ. Ouid. epist.heroid.1.

Nunc

Nunc seges est, vbi Troia fuit, resecandáque falce
Luxuriat phrygio sanguine pinguis humus.

Et Virgil. lib. 3. Æneid.

Et campos vbi Troia fuit.

Hoc pacto deletæ ciuitates dicuntur *intermori*, vet. Poëta apud Fabrum Saniorian. lib. 1. semest. cap. 9. ex Anthologia. sic & *ægrotare & reuiniscere vrbes more hominum censentur.* Incerti nominis Poeta in eadem Anthologia lib. 1. cap. 90.

Τὴν πόλιν οἱ θανόντες πρότερον ζῶσαν κατέλειψαν
Ἡμεῖς δὲ ζῶντες νεκρὰν πόλιν ἐκφέρομεν.

Ciuitatem hanc mortui prius viuentem reliquerunt, nos verò viuentes ciuitatem efferimus. Forte propter Genios seu deos tutelares qui præesse vnicuique loco credebantur, quos stulta veterum superstitio vastatis mori, resurgentibus demum renasci existimabat, de quibus dicam infra lib. 2. cap. 14. Claudian. epist. ad Serenam.

Quid non præstiterint scribentis voce Serenæ,
Vel Genius regni, vel pietatis amor?

Prudent. lib. 2. in Symmachum.

Aut fatum aut Geniũ, cuius moderamine regnet.

Cap. IV.

De Monte Palatino.

Dixi antea Vrbem Romam Septicollem appellatam fuisse, quod septem colles, siue montes Pomerio eius inclusi fuerint: inter eos præcipuus ferè est Palatinus. Hic mons aliàs Palatium dictus fuit: cuius nominis causæ variæ ab autoribus referuntur. Terentius Varro lib. 4. de Lingua Latina: scribit Palatium dictum fuisse, quòd Palantes cum Euandro in illum locum venerint: aut, quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederint: & addit, alios à Palatia vxore Latini dictum eum montem tradidisse, alios verò à pecore balante, vnde à Næuio Balantium sit appellatus, quod etiam Festus probat, in hæc verba scribens, Palatium mons Romæ appellatus est, quòd ibi pecus pascens balare consueuerit, vel, quod palare, id est, errare ibi pecudes solerent, & subiungit, alios existimasse, Palatium dictum, quod Hyperborei filia Palanto ibi habitauerit, quæ ex Hercule Latinum pepererit: alios, quòd Pallas Hercule & Dyna Euandri filia procreatus, ibi sepultus sit, quod & Dionysius ex Polybio recitat, Solinus cap. 11. scribit, quosdam autores esse, Palatium à Pale Dea pastorali nomen adeptum. Nos in tanta Scriptorum dissensione, quid sequamur ignorantes, vnicuique liberum iudicium relinquimus, vt ex his, quam velit sententiam amplectatur. Hoc certè constat Romulum hunc montem primum omnium muro cinxisse, & in eo Romam quadratam condidisse, quæ posteà additis semper aliis & aliis montibus, & collibus, & Pomerio prolato ampliata fuit. Causas autem eius rei, propter quas Romulus hunc montem, & non alium, voluerit primùm muro cingere, & in eum Coloniam suam ducere, Dionysius refert duas præcipuas fuisse: primam, loci fortunam, quæ fratribus expositis incolumitatem & educationem præbuerat, alteram deinde causam accessisse auspicium, quòd duodecim vultures Romulo imperium addixerant. Vix alius locus scriptis ita celebratus fuit, atque hic mons. Primum enim à Romulo, deinde à Tullo Hostilio est habitatus, fuitque in hoc monte sedes imperij Romani, & domus Augustana. Ab Octauio enim Augusto deinceps omnes Romani Imperatores in Palatio habitauerunt. Et quia Imperij sedes in eo constituta fuit, cuiusuis Principis aulam aut splendidi hominis domum Palatium dicimus. Quæ verò templa, aut alia celebria ædificia in hoc monte fuerint, manifestum fiet ex quatuordecim illis Vrbis Romæ regionibus, quæ ex Onuphrio iam recitabuntur regione decima. Habet ad Ortum, Suburam & Cælium, ad Occasum forum Romanum & Capitolium, ad Meridiem Circum maximum & Auentinum, ad Septentrionem viam Sacram & templum Pacis. Hodie suffossionibus & subterraneis specubus totus est quasi pensilis, & aut ruinis deformis aut hortis occupatus.

ad Cap. IV.

PARALIPOMENA.

Palatium aula principum, & eius cura.

De palatij nomine Suid. à capite hominis recenter occisi dum locarentur fundamenta, ibi reperto, quod apud nullum alium, quod sciam, & de splendore, dignitate, antiquitate eleganter & diligenter, vt solet Dio lib. 53. *καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια παλάτιον, οὐχ ὅτι καὶ ἔδοξέ ποτε οὕτως αὐτὰ ὀνομάζεσθαι, ἀλλ' ὅτι ἔν τε τῷ παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει, καὶ ἐκεῖ τὸ στρατήγιον εἶχε, καί τινα καὶ πρὸς τὴν τοῦ Ῥωμύλου προενοίκησιν, φήμην ἡ οἰκία αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ παντὸς ὄρους ἔλαβε.* *Imperatoris autem ædes palatium nominantur, non quod ita aliquando decretum sit, sed quod in palatio Cæsar habitabat, ibique Prætorium*

eius erat, ac nonnihil domus eius, ab eo toto monte propterea, quòd ibi quondam Romulus habitarat, splendoris accepit.
Claudian. de 6. Hon. consul.

Ecce Palatino creuit reuerentia monti,
Exultátque habitante Deo.

Subdit D[illegible] [illegible] idcoque etsi alibi imperator domicilium suum habeat, tamen id quoque palatij nomen obtinet. Patria enim Claudian. eodem loco, vbi sic Roma Honorium principem alloquitur.

Cur mea quæ cunctis tribuere palatia nomen
Neglecto squallent senio, nec creditur orbis
Illic posse regi?

Ædes Romuli palatium dictum vult vet. Scholiast. Iuuenal. ad Sat. 6. vers. 527.
Sunt qui contendant non vltra Valentiniani tempora in splendore suo remansisse, quorũ error ex eo refellitur, quod Maximus Valentiniani successor *palatinis inclusus limitibus* dicatur à Sidonio Apollinare lib. 2. epist. 13 & Cassiodor. in Chron. *Hermenerico & Basilico coss. Ricimeris fraude vt dicitur, Seuerus Romæ in palatio interemptus est.* Hîc conuentus agebatur procerum certis temporibus, de eligendo Imperij successore. Coripp. de laudib Aug. Iustini minor. lib. 1. num 17. Vbi etiam liquet Senatu ibi habito de honoribus defuncto decernendis deliberatum.

Castigátque moras & plena palatia narrat
Conuentu procerum fortis iuuenis adempti.
Dilecti numen struit ne quo nocte peracta.

Atque hic excubiæ stationariorum & legionariorum militum. Idem lib. 1. num 12.

Excubiæ primum quæ summa palatia seruant,
Imperium fœlix Domino intrantibus optant,
Et cunctos aditus armato milite vallant.

Huic præerat vir summæ apud Imperatorem authoritatis, præsertim translato Constantinopolim Imperio, nam in officijs aulæ Byzãtinæ mentio est, [illegible], *Præfecti aut præsidis magnorum palatiorum*, Curopalates libello de offic. Constantinop. pag. 47. eúmque vocabant *Curam palatij.* Ammian. lib. 14. *ijsdem diebus Apollinaris Domitiani gener paulo ante agens palatij Cæsaris curam.* eius munus erat, vt *virga aurea decoratus, inter obsequia numerosa ante pedes regios primus incederet.* Aurel. Cassiodor. libro 7. epist. 5. Sidon. Apollin. carm. 23.

Intra aulam soceri mei expertus
Curam cum moderatus es Palatij.

Corip. African. lib. 1. num. 8.

Cum magni regeres diuina palatia patris,
Par extans curis, solo diademate dispar,
Ordine pro rerum vocitatus cura palatij,
Dispositi unam Cæsar tractaûm sceptra teneret
Fortis adhuc senior.

Idem lib. 2. num. 7.

Dispositórque nouus sacræ Baduarius aulæ,
Successor soceri factus mox cura palatij

Honorius etiam Aug. meminit curæ Palatij l. 7. de comit. & trib. scholar. lib. 12 licet in editionibus nonnullis sit *non cura palatij*, sed *curator.* & li. 6. tit. 13. C. Theod lex est vnica eodem titul. at quem hi *curam palatij* appellant, alij *Curopalatem* quæ vox serius inuectã est. Paul. Diacon. lib. 16. in rebus Iustiniani, *efficitur ei huiusmodi successor, Iustinus Curopalates*. Georg. Cedrenus, & Ioann. Zonaras tom. 3. in vita Iustini, in Leonis Isauri, à quo Arthabasdus eum honorem accepit, & instaurati [illegible] appellat, ipse Curopalates, seu vt alij volunt Georgius Godinus libro de Offic. Constant. pa. 13. & pag. 31. [illegible], *& Curopalatæ similia quoque vestimentis pincernæ, ac sine iudiciali sceptro.* Vnde pene adducor, vt apud Coripum legi putem præsertim illo æuo.

Ordine pro rerum vocitatus Curopalates.

Et pari ratione.

Successor soceri factus mox Curopalates.

Antiqui Galli similem magistratum habebant, cui regiæ aulæ cura demandabatur, quem *maiorem domus* notant dici apud Eginharcum in vita Caroli magni, & Vincent. Lupan. de magistrat. Gallic.

CAPVT V.

De Capitolino monte.

TRIBVS hic mons insignitus nominibus est, Capitolij, montis Tarpeij, & Saturni. Saturnius dictus fuit à Saturno, qui antiquis temporibus illum locum tenuisse dicitur, & in cuius tutela adhuc esse existimatur: Terentius Varro, Dionysius, Festus: vnde etiam Saturnia terra ab eo dicta fuit Italia. Tarpeij appellationem accepit à virgine Vestali Tarpeia, quæ ibi armis à Sabinis necata & sepulta est. Historiam eam recitant præter iam dictos Scriptores, etiam Titus Liuius libro primo, & Propertius libro quarto. Capitolinum idem mons dictus fuit, quod in eo cùm fundamenta foderentur ædis Iouis, caput humanum inuentum fuerit, testibus iisdem & Plutarcho. Theodorus Can-

Canterus lib. 1. Variar. lect. ca. 11. ex Arnobio demonstrat, montem hunc sic appellatum à capite Toli inuento, qui in monte Capitolino fuerit sepultus. Verba Arnobij ex libr. 6. contra Gentes, quæ à Theodoro citantur, nolo addere. Celeberrimus autem hic mons fuit, cùm propter alia multa, tum propter amplissimum templum Iouis Capitolini, quod in hoc à Tarquinio Prisco rege inchoatum & à Tarquinio Superbo exædificatum est: de quo suo loco. Habet ad ortum forum & montem Palatinum: ad Occasum Vrbem planam: ad Aquilonem Traiani forum, & Quirinalem: ad Meridiem Auentinum, Tiberim & Theatrum Marcelli, &c. Hunc collem cum Palatino IIX. Vrbis regionem Augustus fecit.

In Cap. V.

PARALIPOMENA.

De Capitolio.

Limina ærea ex multatitia pecunia Tit. Liu Dec. 1. lib. 1. ipsum verò capitolium Quadrato saxo structum eo anno, quo in Hetruriam missus exercitus Romanus, Cartuosam & Contenebram vrbes expugnauit diripuitque, produnt historici: quod euenit tertio anno post creatos Tribunos militares consulari potestate, Cuspinian. in fastos Cassiodori: qui à Numa vult Capitolium à fundamentis exstructum, contra aliorum sententiam, qui à Tarquinio Prisco quinto rege inchoatum, à Tarquinio superbo absolutum, ab Horatio Puluillo dedicatum vnanimi cõsensu tradunt. Flor. li. 1. cap. 7. L. Sen. ad Marciam cap. 13. sed nullum monimentum crebriores passum mutationes, quippe motis inter Syllam & Marium armis ciuilibus capitolium incensum fuit, C. Plin. lib. 13. cap. 13. coss. Scipione & Norbano id euenit post eius dedicationem annis quadringentis vigintiquatuor, vt ex serie consulum e Fast. Capitolin. colligere est manifestum: potitus autem victoria L. Sylla restaurare illud vnicè intendit, sed illo extincto Q. Catulus reparauit, rursúsque dedicauit. Plin. li. 19. ca. 11. Suet. Cæs. cap. 15. Deinde interiectis annis centum triginta sex sæuiente bellorum ciuilium rabie à Vitellianis incensum vstúmque, vt narrat Dio. lib. 65. in fine. Aespasianus restaurauit, *Ruderibúsq; purgandis manus primus admouit, ac suo collo quædam extulit, æreárumque tabularum tria millia, quæ simul conflagrauerant, restituenda suscepit*, vt loquitur C. Suetonius in eo cap. 8. D. Auson. in Vrbib. de Narbona.

Tanta molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius Catulúsque iterum postremus, & ille
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar.

Aurea autem propter tegulas aureas bracteásque quibus ornabatur. L. Seneca lib. 11. controuers. 6. *fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet capitolium.* Sidonius Apollinar. carm. 5.

Et regum aspicient capitolia fulua catenas.

Prudent. lib. 2. contra Symmachum.

—— tecta aurea flaminis
Soluere, mastrucis proceres vestire togatos.

In capitolio solenne iusiurandum concipiebatur. Plin. lib. 2. cap. 7. *Alij in ipso Capitolio falluntur, ac fulminantem peierant Iouem*, & Iupiter capitolinus in periuros telo trisulco erat armatus. Turneb. lib. 22. cap. 4. si accipio illud Propertij lib. 4. eleg. 1.

Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
Et stabant humiles in Iouis arce casæ.

idque præsertim cum adigendi in acta principum ciues Kalendis Ianuariis, vnde Tacitus lib. 16. Annal. fine, *vitare solemne iusiurandum principio anni*, dixit Gunther. lib. 1. Ligurini.

Mox vbi ritè suam proceres iuramine sacro
Astrinxere fidem cunctis, quæ postulat ordo
Expletis.

Solemnia etiam vota in capitolio concipiebantur. Florens Tertullian. lib. de corona, *annua votorum nuncupatio quid videtur, prima in principiis, secunda in capitoliis, accipe post loca & verba: hunc tibi Iupiter bouem cornibus auro decoratis vouemus esse futurum*, corrigendum necessario est *esse factum*, nam facere idem ac *sacrificare* esse, pueri Grammaticorum non ignorant. C. Sueton. Ner. ca. 46. *Votorum nuncupatione, magna iam ordinum frequentia vix repertæ capitolij claues.* Tactum autem fulmine capitolium inter prodigia recensebantur, vt ex Liuio infinitis pene locis, & Iulio Obsequente in prodigiis liquet, M. Cicero lib. 1 de Diuinat.

Nam pater altitonans stellanti nixus olympo,
Ipse suos quondam tumulos ac templa petiuit,
Et capitolinis iniecit sedibus ignes.

Ouid. lib 3. Amor. eleg. 3. *Iupiter igne suo lucos iaculatur & arces, Missáque periuras tela ferire vetat.* Auctor. consolat. ad Liuiam.

Iupiter ante dedit fati mala signa cruenti,
Flammigera petiit cum tria templa manu.

Tria templa sunt Iouis, Mineruæ, & Iunonis, sequitur enim

Iunonisque graui nocte impauidaque Minerua
Sanctáque & immensi est Cæsaris illa manu.

Res nota ex Criticis, historicis, Poëtis, D. Auson. Tern.

Trima in Tarpeio fulgent consortia templo.

Neque tantum Romæ capitolium erat, sed & in aliis vrbibus, Corinthi, Pausan. Corinthi ac Antiochæ, T. Liu. lib. 1. Dec. 5. vt obseruat Lilius Gyraldus de diis gentilibus syntagm 2. Tolosæ, Sidon. Apollin. lib. 9. epist. 16 & doctissimus Sauaro ibi Narbone, idem Sidon. carm. 23. *Salue*, inquit, *Narbo nobilis*

Delubris, Capitoliis, monetis.

Et Capuæ, Sil. Italic. lib. 10. de Annibale ingresso eam.

—Monstrant Capitolia celsa.

Denique corrigendus Corippus lib. 3. num. 3.

Tempore quo captis iniecit vincla tyrannis.

Iustinianus [...]nans, quarto cum consule princeps

A ta triumphali terret capitolia pompa.

Legendum censui in editione mea.

Triumphali terret capitolia pompa.

Necessaria omnino correctio. nam triumphantes capitolium curru ascendebant. Suet. Cæsare cap. 37. M. Lucan. lib. 8. de Pompeio triumphante.

—Nec ter Capitolia curru

Inuectus.

Idem lib. 9.

—Quam ter Capitolia curru

Scandere.

Apollon. Collatius de excidio Hierosolymorum lib. 2.

—capitolia scandet

Victor, & Augustam sedem nomenque tenebis.

Claudian. de 6. Hon. consul.

Iámque parabantur pompæ simulachra futuræ

Tarpeio spectanda Ioui.

Et peracto triumpho in Iouis Capitolini templo conuiuium instaurabatur Possidonius libro 2. historiarum, & ex eo Athen. lib. 5. cap. vlt. licet alij non in ipso Capitolio, sed in Capitolij porticibus epulas istas apparari solitas docuerunt Ioan. Zonar. Annal. tom. 2. in Camilli triumpho, & notat Faber Sanjorianus li. 1. semestr cap. 6. nec desunt qui in templo Herculis exhibitum epulum triumphale velint, *quod is Deus totum orbem terrarum victor peragrasset.* P. Crinit. lib. 24. de honesta disciplin. cap. 5.

Illud autem non omiserim omnium deorum simulachra dearumque in capitolio coli solita, T. Liu. dec. 1. lib. 6. *Cæterique dij deæque qui capitolium arcémque tenetis.* P. Victor in 8. reg. vrbis & Seruius ad illud lib. 2. Æneid. v. 319.

Panthus Othryades arcis phœbique sacerdos.

Capvt VI.

De colle Quirinali.

Collis Quirinalis, vt author est Varro, à Curetibus dictus est, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam quòd ibi habuerint castra. Festus ait, primum dictum hunc collem Agona, inquiens: Quirinalis collis, qui nunc dicitur, olim Agon appellabatur, antequam in eum commigrarent Sabini, Curibus venientes, post fœdus inter Romulum & Tatium ictum, à quo hanc appellationem sortitus est: quamuis existiment quidam sic dictum fuisse, quod in eo factum sit templum Quirino. Idem alibi: Agona sacrificia, quæ fiant in monte: hinc Romæ mons Quirinalis Agonius, & Collina porta Agonensis. Quæ etiam confirmat Dionysius lib. 2. appellans hunc collem Agonalem. Porrò si quis verba Varronis diligenter considerauerit, inueniet eiusdem colli aliquot partes, siue colles particulares fuisse: quorum vnus Salutaris, alter Mutialis, alter Latiaris sit vocitatus. Sub Imperatoribus autem Caballum hunc montem dictum fuisse, à duabus statuis marmoreis Alexandri Magni Regis Macedonum, equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Constantinus Imperator Romam transtulerit, atque in medio thermarum à se in Quirinali extructarum collocauerit, annotat Onuphrius & Georg. Fabricius in sua Roma. Collis hic habet ab Ortu Esquilias & Viminalem: ab Occasu vrbem planam & campum Martium: à Meridie Neruæ & Traiani fora, atque Capitolium: à Septentrione collem hortulorum, & portam Viminalem. In hoc colle fuit præcipua sextæ regionis pars, quæ Alta semita dicebatur.

PARALIPOMENA.

De Quirinali monte & fano Quirini.

Antiquissimum huius montis nomen loquitur fœdus inter reges Romulum & Tatium initum passim apud historicos, nam facta inter vtrumque populum concordia, non domos modò priuatas, sed & ædes sacras diis erexerunt, præter Liuium Elorum, Eutropium, & alios ab Onuphrio citatos in vrbe Roma pag. 146. Ouid lib. 6. Fast. de Fidio Deo.

Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,

Inque Quirinali constituere iugo.

Sunt tamen alij, qui non à Curibus oppido Sabinorum, aut eius ciuibus eo translatis, Quirinalem montem dictum contendűt, sed à templo Quirini, id est Romuli, vt dicam, li. 2. ca. 18. infra: D. Auson. epist. 23. ad Paulinum.

—Quos sacra Quirini

Purpura,

Purpura, & auratus trabea velauit amictus.

Et Pontius Paulin. ad Ausonium epist. 3. de toga prætexta.

Quæ tamen Augusta Latiaris in vrbe Quirini
Cæsareas inter parili titulo palmatas
Fulget natiuo longe venerabilis auro.

Cur nomen Romuli mutatum fuerit, causa certissima, quod in omni apotheosi nomina inter diuos referendis mutare consueuerit vetustas, & ob id cum Romulum ingratissimi patres discerpsissent in Curia, honores diuinos extincto decreuerunt, fanumque erexerunt, cuius adita ne sacerdotes quidem ipsi adire poterant. Q. Horat. Epod. od. 13.

—Quæque carent ventis & solibus, ossa Quirini
Nefas vi lere, dissipabit insolens.

Cui, vt omnibus alij templis, aut certe plerisque, adiuncta erat porticus. M. Martial. lib. 11. epig. 1.

Vicini pete porticum Quirini.

Claudian. de bello Getico

—procul arceat altus
Iuppiter, vt delubra Numæ, sedemque Quirini
Barbaries oculis saltem violare profanis
Possit, & arcanum tanti deprehendere regni.

Nec vnum modò Quirini fanum Romæ, sed plura, nam notitia vrbis in 10. Reg. collocat *templum Quirini prope lupercal, vbi erat signum lupæ duobus pueris Romulo & Remo mammas præbentis*, & tamen in 7. reg. in eadem notitia *templum Quirini nouum* statuitur, & puto illud esse, quod à Dione memoratur lib. 54. πρὶν δὲ ἀφορμηθῆναι τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν κατεσκευασμένον, ἐκ καινῆς οἰκοδομήσας, *ante suum obitum templum Quirini de nouo ædificatum dedicauit.* P. Ouid. lib. 3. Amor. eleg. 7.

Qua licet, affectes cælum quoque templa Quirinus,
Liber & Alcides & modo Cæsar, habent.

CAPVT VII.

De monte Cælio.

MONTIS Cælij (quem primum Romulum muniuisse, Pomerio verò Tullum, vt Dionysius & Liuius, vel Ancum, vt Strabo, vel Tarquinium, vt Tacitus scribunt, inclusisse) sic meminit Varro lib. 4. de ling. Lat. In Suburanæ regionis parte princeps est Cælius mons à Cælio Vibenno Tusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum Regem. Hactenus Varro, cum quo & Dionys. & Sext. Pompeius Festus non Cælium illum Etruscum ducem, sed Cælem dictum fuisse scribit. Querquetulanum etiam hunc montem appellatum docet Tacitus lib. 4. inquiens: Haud fuerit absurdum tradere montem eum (de Cælio loquitur) antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quòd talis syluæ frequens, fœcundusque erat, mox Cælium appellatum, à Cæle Vibenna, qui dux gentis Etruscæ, cùm auxilium appellatum duxisset, sedem eam acceperat à Tarquinio Prisco, seu quis alius Regum dedit: nam in eo scriptores dissentiunt. Habitasse autem eum montem Etruscos, & deinde cùm eum nimis muniissent, & in suspicionem venissent, ab illo in planum locum deductos fuisse, qui ab iis Tuscus vicus dictus sit, tradit Varro, & breuiter meminit Tacitus. Qui etiam cum Suetonio auctor est montem eum à Tiberio Imperatore, quod is post incendium habitatoribus ædificia consumpta instaurasset, augustum dici cœptum esse. Habuit in hoc monte Regiam suam Tullus Hostilius, vt scribit Liuius, quæ postea Curia Hostilia vocitata est. Hodie insignis in mons in Vrbe habetur, Basilica Ioannis Lateranensis, de qua alij. Hic mons ab Oriente habet vrbis mœnia, terminumque Esquilinæ regionis, portam Esquilinam & Amphitheatrum: ab Occidente Suburam & montem Palatinum: à Septentrione Carinas, Cælium & Esquilias: à Meridie Piscinam publicam & Vallem, quæ est ante viam Appiam, quæ prope Septizonium Seueri inchoans, versus portam Capenam protenditur. In hunc montem secundam Vrbis regionem, Cælimontium appellatam Aug. Cæsar posuit.

IN CAP. VII. PARALIPOMENA.

DE monte Cælio abundantissime Onufrius in vrbe Roma pag. 26. & sequentibus, Bartholom. Marlian. Topographiæ vrbis Romæ libro 4. capit. 18. Ouid. libro 5. Fast.

Cælius accipit puluerulentus equos.

Dicam infra lib. 6. cap. 2.

CAPUT VIII.

De monte Esquilino.

ESQUILINUS mons quando urbi sit additus, & Pomerio inclusus, dictum supra est. Accepit autem nomen, ut plerique existimant, ab excubiis, quas Romulus in illo monte habuit, cum Tito Tatio parum fideret, cúmque infidæ societatis suspectum haberet, quasi Excubinus, unde posteà Esquilinus factus est. Quam vocabuli etymologiam etiam Ouidius agnoscit libro 3. Fastorum. Alij verò non ab excubiis, sed à quisquiliis dictum eum montem Esquilias arbitrantur, quòd Aucupes ibi quisquiliis sparsis aues illuderent. Alij verò, quod excultæ Esquiliæ à Rege Tatio in illo monte fuerint, sic appellarunt: quæ omnia Terentius Varro lib. 4. de lingua Latina indicat, & quædam etiam Sextus Pompeius Festus. Habuit autem hic mons aliquot colles, quorum unus, Cispius, alter Oppius, Septimius alius dictus fuit, teste Varrone loco eodem. Quomodo excultus hic mons, & quibus ædificiis exornatus fuerit, ostendet quintæ regionis descriptio, paulò pòst secutura. Habet ab Ortu Urbis muros, versus aggerem & castrum Prætorium: à Meridie viam Lauicanam: ab Occasu vallem inter Cœlium & Palatinum longe latéque patentem: à Septentrione Viminalem.

AD CAP. VIII.

PARALIPOMENA.

De Excubiis more Romano in Urbe & in castris & de monte Exquilino.

CUM Scriptores ab Excubiis Exquilinum montem desumant, quædam hoc loco de excubitoribus, excubiisque dicendum, quanquam infra uberius lib. 10 cap. 13. prima itaque eorum institutio à Paulo IC. petenda est qui L. 1 ff. de offic. præfecti vigil. *apud vetustiores*, inquit, incendiis arcendis triumuiri præerant *qui ab eo quod excubias agebant nocturni dicti sunt.* Virgil. lib. 9. Æneid.

Vigilum excubiis obsidere portas.

Imago eius rei extat apud C. Suetonium in Augusto cap 23 Vide Artemidor. Oneirocrit. cap. 61. lib. 3. & licet in initio bono ciuitatis fouendo statúsque publici commodo institutæ fuerint excubiæ, ne videlicet *incendio publica urbis monimenta consumerentur*, tamen mali principes ministerio militum tyrannidem usurpantes, suos satellites seu stipatores hoc nomine vocarunt: non modo in Occidente, aut Romano imperio, sed etiam in Oriente, seu Byzantino imperio: nam [illegible] diurnæ vigiliæ apud Curopalatem lib. de Offic. Constantinop. pag. 171. & rectè, nam *vigiliæ nocturnæ, excubiæ diurnæ*, Isidor. Hispal. lib. 3. etymol. cap. 3. & Seruio, ut solet multa alia transcribere ad vers. 159. lib 9 Æneid. Hinc Aurel o Cassiodoro lib. 11. epist. 19. *tyrannorum excubiæ* Claud. de 4. Honor. Consul.

Non sic excubiæ, nec circumstantia pila,
Quam tutatur amor.

Idque non apud Romanos modò Imperatores, sed & Græcos, Xenophon Cyropæd lib 4. τὰ δ' ἐπὶ ἀμφοτέροις, ὅτι τὰ μὲν ἔξω ὑμῖν ἡμῖν νυκτοφυλακήσομεν, *Illud utrique scitote, nocturnas excubias non obituras vobis esse*, idem lib. 7. expedit. Cyri [illegible] meminit pag. 400. vertit Leunclauius, *nocturnas excubias*, malim *vigilias*, si fides Grammatici s nominatis adhibenda, idem eodem lib. post νυκτοφύλακας καταστῆσαι καὶ σύνθημα παραδιδόναι vertit idem Leunclauius, *nocturnas excubias constituere & tesseram dare, & προφύλακας, eos qui primas agunt excubias*, idem eleganter dixit de expedit. Cyri li. 2. pag. 270. eadémque voce vtitur lib. de magist. equitum pag 968. Corip. lib. 1. num. 12.

Excubiæ primum, quæ summa palatia seruant.

Et lib. 4. num. 3.

Ingens excubiis diuina palatia seruans.

Excubitores isti noctu nolam pulsabant, cui necesse erat responderi, notauit Hadrianus Iunius forte ducebantur. L. Apul. lib. 4. Milesia. *Latrones forte dicti noctu excubabant speculandi gratia* Sidon. Apollinar. lib. 8. epist. 6. *si quid inter excubiales curas, ut pote in castris saltem furtiuo vacabis.*

Valer. Flacc. Argonaut.

Excubiis fortissima manus.

Utque priuatorum foribus ianitores, serui ostiarij, aut canes appositi, ita principum vestibula vigiles excubitoresque insidebant. Claudian. lib. 2. de laud. Stilich.

—Quæ vestibulo foribúsque potentum
Excubat.

Dico ad illud Claudian. lib. 3 de raptu.

Ut domus excubiis incustodita remotis.

Corip. African. lib. 3. num. 4.

Ingens excubiis diuina palatia seruans.

Propertius lib. 4. eleg. 1. ad priuatam matronarum custodiam traduxit.

Non mille excubiæ, nec te signata iuuabunt
Limina, persuasæ fallere rima sat est.

Denique in sacris Bonæ deæ erant excubiæ,

ut

vt suo dicetur loco, quod Græcorum institutum fuisse, notissimum, eiusque rei author Anacharsis apud Herodotum Melpomene: ab hac mente Valer. Max. lib. 1. cap. 2. tit. 1. *in Iouis Optimi Maximi templo, eximia facie puerum histrionem ad excubias tenendas posuisse.* Valer. Flacc. Argonaut. lib. 3.

Linquit & vndantes mensas, insictáque pernox
Sacra Medon.

De monte vulgaria omnia: scio alios non *Exquilinum*, sed *Esquilinum* vocare. M. Martial. lib. 7. epigr. 72. aut ad interpretes Horatij Epod. od. 5. Propert. lib. 3. eleg. 22.

Et dominum exquilijs scribe habitare tuum.

Et lib. 4. od. 8.

Disce quid exquilias hac nocte fugarit equosas

Editio Horatij Tuscanellæ, & Ios. Scaligeri, *exquilias*, præfert, Achillis Tatij & Lugdunensis, *esquilias*. vt & Iuuenal. Sat. 5. v. 78.

Capvt IX.

De monte Viminali.

Viminalis mons, teste Varrone omnium doctissimo, à Vimineo Ioue, quòd ibi aræ eius sint, dictus est, vel quòd ibi vimineta, vel viminũ sylua fuerit: quod idem & Sextus Pompeius affirmat, & Iuuenalis: cuius auté generis vimina illa fuerint, nemo prodit. Fuit autem Fagutalis appellatus, à sylua fagea, testibus iisdem. Maxima eius montis pars hodie inculta iacet, & vel hortos, vel vineta, vel populos, salices, & harundines habet. Hunc collem cum Esquiliis quintam vrbis regionem fecit Cæsar Augustus, quum spacium Vrbis in vicos & quatuordecim regiones diuideret: vnde ex descriptione eius regionis etiam huius collis ædificia & ornamenta cognoscentur. In Ortum tendens hic mons, habet campum Esquilinum & Vrbis muros, cum castris Prætoriis: in Occasum verò Quirinalem, falsam Suburam & vallem planam interiectam: ad Meridiem Esquilias, viámque interpositam: à Septentrione Vrbis muros versus portam Viminalem.

Ad Cap. IX.
PARALIPOMENA.

Viminalem montem partem Exquilini facit M. Varro, alij distinguunt: legendi Bartholomæus Marlianus vir eruditus, & in antiquitate inuestiganda diligens, lib. 5. Topograph. cap. 19. & Onuphr. in vrbe Roma pagina octuagesima quinta, locus est elegans Strabonis Amasiani Geograph. lib. 5. ἐλλεῖπον δὲ Σερούϊος οὐκ ἐξέλιπε, ἀναπληρώσας γὰρ προσέθηκε τόν τε Ἠσκυλῖνον λόφον, καὶ τὸν Οὐιμινάλιον. *Quem defectum Seruius arguit, qui compleuit murum, adiectis vrbi Esquilino & Viminali collibus.* Sidon. Apollinar.

—Dictúmque petunt à vimine collem.

Capvt X.

De monte Auentino.

Aventinvm montem multis de causis sic appellatum, scribit Varro, videlicet, vel ab Auentino Rege Albano, qui ibi sepultus fuerit: vel ab aduentu hominum, quòd ibi commune Latinorum Dianæ templum sit constitutum: vel ab auibus, quæ se se à Tiberi eò ferrent, vel etiam ab aduectu, quòd cùm olim mons ille paludibus à reliquis esset disclusus, ex vrbe ratibus eò aduecti homines essent: cui sententiæ ipse accedit. Quòd ab Auentino Albanorum rege hic mons Auentinus dictus sit, docent etiam Sextus Pompeius Festus, Dionysius Halicarnassæus, Liuius & Ouidius. Meminit Varro in libris de Gente populi Romani, quosdam ab Auente Sabinorum fluuio montem illum Auentinum dictum fuisse, opinari, quod Sabinis in vrbem susceptis, Romulus eum habitandum concesserit. Quæ tamen opinio non videtur esse verisimilis: cum & Virgilius, & Ouidius quodam in loco testentur, ante Euandri & Herculis in Italiam aduentum hunc montem id nominis habuisse. Fuerunt præterea & aliæ huius mõtis appellationes: nam Murcius dictus est, teste Sexto Pompeio Festo, à sacello Deæ Murciæ, quod sub eo mõte fuit. Item collis Dianæ, à templo eius Deæ, quod in hoc monte extitit. Et celebris fuit Auentinus, Auentini & T. Tatij Regum, ac Remi sepulcris: secessione etiam plebis Romanæ in eum montem facta. Sed & hoc obseruandum de eo est, quod Romulus neminem eum habitare passus fuerit, sed sacrum fratri esse voluerit. Ideóque cum reliqui colles, de quibus hactenus dictum, vrbis Pomerio à Regibus inclusi fuissent, hoc tamen de Auentino non legitur. Sed is tandem à Tiberio Claudio Imperatore Augusto Vrbi additus legitur. Cuius quidem rei

Messala apud Agellium lib.13.cap.14. hanc causam fuisse recitat, quod in eo monte Remus vrbis condendæ gratia auspicauerit, auesque irritas habuerit, & superatus in auspicio à Romulo fuerit. Idcirco addit, omnes qui pomerium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi auibus obscœnis ominosum, Hæc Messala. Hic mons, quem propter longitudinem certo describi non posse, Georgius Fabricius fatetur, ad Ortum in Meridiem declinantem respicit mœnia: ad Meridiem campum Figulinum: ad Occasum flumen: ad Septentrionem montem Palatinum. Hunc montem Augustus XIII. regionem fecit: vnde ex ea cognosci poterit, quomodo fuerit excultus.

In Cap. X.
PARALIPOMENA.
De Remuriis, & à quo Auentinus vrbi inclusus.

QVod hic dicat vrbis Pomerio hunc montem non inclusum fallitur omnino: nam Ancus Martius quartus Romanorum rex, Numæ nepos mœnia vrbis muro complexus est. Auentinum etiam inclusit, Eutrop.lib.1. & ex eo Paulus Diacon.hist.r. Misceliæ lib. 1. & præter historicos, quidam incerti nominis poëta, apud I. Cuspinianum in Fastos Cassiodori, cuius epigramma adscribam.

Romulus aggreditur regnum, qui condidit vrbem,
Prima Remus quoniam mœnia transit, obit.
Et Numa diuinis impleuit cultibus vrbem,
Tullius inuentis fascibus arma ciet.
Ancus Auentinum montem superaddidit vrbi,
Prisce triumphali primus honore tumes.
Tullius inuenit censum, Vulcania proles,
Tarquinius Sexti crimine pulsus abit.

Certò autem constat interfectum per nefas à Romuli militibus Remum in Auentino fuisse sepultum, solemniaque ac annua sacrificia in eius honorem instituta, quæ tunc *Remuria*, postea & *Lemuria*, sunt appellata P.Ouid.lib. 5. Fast.

Romulus obsequitur ducemque Remuria dixit
Illam, qua positis iusta feruntur auis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.

Hic dies Id. Maij celebrabatur, vt est in fastis Capitolinis, & veteri Calendario Romano. Ser. ad illud lib.1. Æneid.

Romulus excipiet gentem.

Remo scilicet, inquit, *interfecto, post cuius mortem natam constat pestilantiam, vnde consulta oracula dixerunt placandos esse manes fratris extincti, ob quam rem sella curulis cum sceptro & coronâ, & cæteris regni insignibus, semper iuxta sancientem aliquid Romulum ponebatur, vt pariter imperare videretur, vnde est. Remo cum fratre Quirinus iura dabunt placari censebantur manes tumulo magnificè structo in Auentino & sacris eius honori institutis, quibus nomen vel ab illo desumptum vel à Lemuribus, qui animæ defunctorum censebantur*, Lil.Gyr. syntag.17.p.450. quorum in numero Lar erat L. Apul. lib. de Deo Socratis: licet sciam *Lemuria*, siue sacra feralia constituta 12. Kalend. Mart. vt fusissime Ouid.lib.2.Fastor. exequitur. M Terent. Varro de vita pop. Rom.lib.1.

— Quibus temporibus in sacris
Fabam iactant noctu, ac dicunt se Lemures domo
Extra ianuam eiicere.

Capvt. XI.
De reliquis tribus collibus: Hortulorum videlicet, Ianiculo, & Vaticano.

CVm Romani nimium studerent, non Imperij tantùm auctioni, sed Vrbis etiam amplificationi, vt cuiuis, qui in scriptis veterum non planè hospes est, manifestum esse potest: Ideóque non contenti veteribus Pomerij finibus, illos sæpe mutarunt, & aliis atque aliis montibus Vrbi subinde additis, protulerunt, vti hactenus de septem illis principalibus montibus dictum est: præter quos tamen etiam alios colles superioribus magnitudine nequaquam pares vrbis Pomerio incluserunt, de quibus hoc capite pauca dicam. Fuerunt autem hi tres: collis Hortulorum, Ianiculum, & Vaticanus.

Collis Hortulorum, vel, vt alij, Hortorum, hanc appellationem accepisse videtur à proximis ei hortis Salustij. Postea vocitatus fuit Pincius, quod in eo Pinciorũ domus essent: quæ familia nobilissima fuit, ac claruit in Vrbe circa tempora Constantini. Hic collis antiquitus extra Vrbis mœnia fuit, ideoque extra septem montium numerum. Tempore autem Aureliani Imperatoris Pomerio inclusus est. Celebris fuit, cùm propter Neronem in eo sepultum, vt Tranquillus

quibus in Nerone testatur, tum propter Candidatos quibus vsus erat (vt Macrobij verbis vtar) in Comitium nundinis venire, & in hoc colle consistere: vnde ab vniuersis possent videri: & inde in Campum Martium, petitum Magistratum descendere.

Ianiculum, inquit Sextus Pompeius Festus, dictum, quod per eum tanquàm per ianuam, populus Romanus primitus transierit in agrum Etruscum. Alij sic appellatum scribunt, à vetustissimo oppido, quod Ianus in Italia condidit. Macrobius autem dictum putat Ianiculum, quòd Ianus ibi vel sit sepultus, vel habitauerit. Hodie à flauis arenis mons aureus nominatur, & corrupto vocabulo Montorius. Ex hoc monte propter altitudinem Roma maximè est conspicua. Cæteris autem infrequentior est, ob aëris grauitatem, vt Martialis testatur. Celebris fuit Numæ Romanorum Regis, vt Dionysius & Liuius, itemque Statij Cæcilij Poëtæ, vt Cæsariensis Eusebius produnt, sepulchris. In hunc aliquando plebem secessisse Romanam, & à Quinto Hortensio Dictatore reuocatam, scribunt. Plinius libro decimosexto, & Liuius. In eodem, vt scribunt Liuius, Dionysius, Italicusque Silius, Rex Tuscorum Porsenna castra habuit. Fuit autem trans Tiberim.

Vaticanus etiam mons trans Tiberim fuit, olim non habitatus, nec ad Vrbem pertinuit. Nomen accepit, vt est apud Agellium libro 16. cap. 17 à vaticiniis, quæ in eo agro fieri solerent. Sextus Pompeius scribit: Vaticanum collem appellatum esse, quod eo potitus sit populus Romanus Vatũ responso, expulsis Etruscis. Alij volunt à Vaticano, vel Vagitano Deo sic appellatum. Vetustissima in eo ilex fuit, de qua Plinius sic scribit: Vetustior vrbe in vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Etruscis, religione arborem iam tunc dignam fuisse significat. Nobilis olim fuit Scipionis sepulchro. Nunc verò clarus, cum propter alia, tum propter celeberrimam totius orbis Bibliothecam Vaticanam.

Porrò autem ij montes iam rarissimi habitantur, maxi[illegible] ex parte hortis & dispersis hinc inde templis, aut claustris religiosis occupati; aut veterum ædificiorum ruinis obruti. Vetustissimis temporibus nemora & pascua habuit Palatinus, vt scribit Tibullus: Capitolinus Dumetum, vt Virgilius: Esquilinus, Quirinalis & Viminalis, vimina & syluam fageam, vt Varro: Cælius quercetum, vt Tacitus: Auentinus lauretum, vt Solinus: Ianiculum esculetum, vt Plinius. Vaticanus ilicetum, vt Fuluius prodidêre.

Et hæc quidem quæ de vrbis initio, ambitu, amplificatione & montibus Pomerio inclusis, hactenus dixi, præter veteres rerum Romanarum scriptores quos citaui, habent etiam Georgius Fabricius in sua Roma, Bartholomæus Marlianus in antiquæ Romæ Topographia, & Onuphrius Panuinius lib. 1. Comment. Reipublicæ Romanæ, ex quibus plura peti possunt. Situm vrbis & dictorum montium ostendet subiecta Tabula.

IN CAP. XI.
PARALIPOMENA.
De hortorum cura analecta quædam.

HOrtos Palatiis principum vicinos debere esse, Ester cap. 7. in sacris literis docetur, aut domibus priuatorum Pallad. lib. 1. cap. 34. & eos manu sua colere regious antiquis in delitiis fuisse testatur ex Trogo Pompeio Iustinus lib 36. de Attalo *qui omissa regni administratione, hortos fodiebant, gramina seminabat.* Et de Semiramidis Hortis pensilibus notius est, quàm vt dici debeat, legendus Strabo, lib. 16. in principio. viri docti ad Martial. epigram. 1. Amphitheat. idem lib. 6. epigr. 80. Plinij elegans est locus lib. 19. cap. 4. *nihil prius* (hortorum cura) *miratа est, inde Hesperidum horti, ac regum Adonis & Alcinoi, itemque pensiles, siue illos Semiramis, siue Assyriæ Rex Cyrus fecit.* Baptista Pius Annot. poster. cap. 178. & in obscœnis dici notat Palmerius Spicil. Lysander apud Xenophontem lib. 5. Memorabilium narrat hortum Sardibus visum, quem Cyrus rex sua manu conseuisset, pag. 831. & domibus regum Persarum iuncti semper horti. Plut. Artaxerxe, quos *paradisos* vocabant. Iul. Pollux. lib. 9. c. 1. at verò de Alcinoi & Hesperidum hortis quis post Homerum, & omnes alios dicat?

Apud Romanos tam vetus ea cura, vt ipsi etiam reges hortos curarint. C. Plin. loco proximè laudato. Iique plerumque in suburbiis quod præcipit M. Varro rei Rust. lib. 1. c. 16. & *in villis vinea primum locum, hortus secundum obtinet.* Cato R. R. c. 1. M. Martial. lib. 7. epigr. 48.

Suburbani munuscula mittimus horti.

Aut prope Tiberim, vt de hortis Cæsaris & Antonij in rebus Octauiani testis est Dio lib 47 pag. 351. suos autem Cæsar populo legauit Sueton. in eius vita cap. 83. & sic hortos publicos conductos lego apud Labeonem IC. l. 30. §. 2. ff. de leg. 3. licet ibi *non conductionem hortorum*, sed *conditionem* legi velint. Et sanè hortos legari suetum, nomen ex inscriptione vetusta, quæ Iulij Carnici habetur, in hæc verba. *Longius. Patroclus. secutus. pietatem. col. cent. hortis. cum. ædificio. iunc. sepulturæ iuncto. viuus donauit. vt ex reddito. eorum rosæ. & istæ. patrono. suo. & quandoque sibi. ponerent.*

tur. Laz. libro 12. cap. primo, tantique olim facti, vt hortos palatio prætulerit D. Aurelianus Cæsar. Fl. Vopisc. in eo ad finem, vnde Thraseæ Pæto & Bareæ Sorano obiectum, *quod consulatum & sacerdotia adepti hortorum amœnitati inseruirent*. C. Tacit. lib. 16. Annal. inter commoda familiaria, *venustos & delicatos hortulos* ponit Phædrus Tiberij Aug. libertus fab. 65. cuius versus optime collocauit eruditissimus Rigaltius IC. cum antea perturbati forent & transpositi.

Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lauationem argenteam eunucho glabros,
Domum politam, & delicatos hortulos,
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boues, iumenta.

Maxima cura prouidebatur, ne siccitate laborarent horti, ideóque aqua canalibus inducebatur, Calfurn. Siculus, quem non iniuria quidam Bucolici carminis principem effecère, Ecloga 2.

Accipe dixerunt nymphæ, puer accipe fontem.
Nam potes irriguos mutare can[...]s hortos.

Sic enim in antiqua editione legebatur, mendosè proculdubio, rescribe:

—Potes irriguos nutrire canalibus hortos.

Quos ille *canales* vocat, *fistulas aquarias* Iul. Capitolinus in Maximo & Balbino Augg. *Veterani se in castra prætoria contulerunt, cum ipsis prætorianis, quos cœpit populus obsidere, nec vnquam ad amicitiam essent redacti, nisi fistulas aquarias populus incidisset*. C. Plin. Iun. lib. 5. epist. 6. *fonticulis sedilibus adiacent, per totum hippodromum inductis fistulis strepunt riui, & qua manus ducit, sequuntur, his nunc illa viridia, nunc hæc, interdum simul omnia iuuantur*, malim *lauantur*, aut fortasse *rigantur*. *Sulcum publicum aquarum* appellant Impp. Theod. & Valent. l. 6. C. de Aquæductu. Sidon. Apollin. carm. 22.

Arctus at in thermas longe venit altior amnis,
Et cadit in montem, patulisque canalibus actus
Circumfert clausum caua per diuortia flumen.

Materia his fistulis, quas describit Iulius Frontinus lib. eleganti de Aquæductibus vrbis Romæ, plumbum, nam Impp. loco citato de plumbeis fistulis ducentibus ad thermas, Claudian. de Apon. baln.

Deuehit exceptum natiuo spuma meatu,
In patulas plumbi labitur inde vias.

Papin. lib. 1. sil. 3.

—Per obliquum penitus quæ laberis amnem
Marcia, & audaci transcurris flumina plumbo.

Tubuli certè diuitum plumbei, at tenuiorum lignei, vt apparet ex Ænigmate 72. Cælij Symposij.

Truncum terra tegit, latitant in cespite lymphæ,

Alueus est modicus, qui ripas non habet vllas,
In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.

Vide tractatum de Aquæductibus infra.

DE IANICVLO.

PARALIPOMENA.

VT collis hortulorum ab hortis vicinis nomen habet, ita à Iano Ianiculum: quem alij Ianicularem vocant, voluntque non extra vrbem, sed vrbi inclusum fuisse à Romulo, nam septem illos colliculos numerant *Palatinum, Quirinalem, Cælium, Viminalem, Auentinum, Æsquilinum & Ianicularem*, Seru. Maur. ad lib. 6. vers. 784.

Septemque vna sibi muro circumdabit arces.

Vel vt Verrius numerat, *Palatium, Veliam, Fagutalem, Suburram, Cermalum, Oppium, Cispium*, aut secundum M. Varronem alij aliter. Ianus Parrhasius epist. 57. Tarquinios autem expulsos reducturus Hetruscorum rex Porsenna eum collem cum exercitu suo occupauit, præter historicos Sidon. Apollinar. carm. 5.

—Porsenna superbum
Tarquinium impingens, compleuit milite Thusco
Ianiculum quondam.

In Transtiberina erat regione, Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Hoc mihi Ianiculo positis Hetruria castris
Quæsiit, & tantum fluuio Porsenna remotus.

Senatores etiam metu perculsi, sub initio bellorum ciuilium, iram Octauiani deuitantes, in Ianiculum se receperunt, veluti in sedem tutam quietamque. Dio lib. 47. pag. 320.

De Vaticani Ilice, & more in arborum corticibus carmina incidendi.

PARALIPOMENA.

DEcimus hoc colliculus, qui Ilice nobilitabatur, in qua *titulus æreis litteris insculptus*, vt loquitur C. Plinius lib. 16. cap. 44. quare de modo arboribus incidendi carmina hic, dicendum ex Euripide in Hippolito P. Victorius libro var. lection. 16. capite quinto doctissimè & ingeniosissimè disputat. Aristenet. libro primo epist. 10. τεῖα δὲ εἴτε ὦ δένδρα, καὶ νοῦς ὑμῖν γένοιτο καὶ φωνὴ, ὅπως εἰ εἴποιτε μόνον Κυδίππη καλὴ, ἤγουν τῷ τῇδε φλοιῷ ἐγκεκολαμμένα φέροιτε γράμματα, *vtinam, inquiebat, & mens vobis, arbores, & vox esset, hoc vnum dictitaretis, Cydippe pulchra, vel corticibus inscriptas ferretis hoc ipsum testantes litteras*. Q. Symmach. lib. 4. epist. 28. originem consuetudinis videtur explicare, *mallem*, inquit, *Aborigenum more, dictionem salutis æternæ ligno, aut corticiaut scribere, Ægyptus papyri volumina bibliothecis*

theciis feróque texuerit. P. Ouid. epist. heroid. 5. Oenone Paridi.

Incisæ seruant à te mea nomina fagi,
Et legor Oenone falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescent:
Crescite & in titulos surgite ritè meos.

Desumpta ex Virgilio qui 10. Ecloga dixit

——tenerisque meos incidere amores
Arboribus, crescent illæ, crescetis amores.

Carmen est elegantissimum, & ob id adscribendum veteri cuidam poetę, Floridum nonnulli vocant, de qualitate vitæ.

Quando ponebam nouellas arbores mali & pyri,
Cortici summæ notaui nomen ardoris mei:
Nulla fit exinde finis, vel quies cupidinis.
Crescit arbor, gliscit arbor, ramus implet litteras.

Olympius Nemesianus Chartaginiensis, qui sub Carino vixit principe Ecloga 1.

Accipe quæ super hæc cerasus, quam cernis ad amnem.
Continet, inciso seruans mea carmina libro.

Eidemque familiaris Calfurnius Siculus Ecloga 3.

Dic age, nam cerasi tua cortice verba notabo,
Et decisa feram rutilanti carmina libro.

Corrigendus idem Ecloga 4.

Vt qui que turba bono plaudat saginata magistro,
Ille meis pacem dat montibus, ecce per illum,
Seu cantare iuuat, seu ter pede læta ferire
Carmina nonnullas licet & cantare choreas
Et cantus viridante licet mihi condere libro.

Primus & quartus versus grauiter sunt affecti: corrigit Fr. Modius optime de hoc poeta meritus Nouantiquar. lect. epist. 17. *turba bono plaudat sagmata magistro.* id est, sagminibus coronata, nam solemni & compitalitio festo non rustici modo coronabantur, sed & boues ipsi, auctor Alb. Tibullus lib. 2. eleg. 1.

——nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boues capite.

Malim ego *satiata*, aut *saturata*, legere, cùm paganorum festa, qualia erant parilia, lustrationes ouilium, ambarualia, aliáque similia, nunquam celebrantur sine maximo epularum apparatu. Tibull. ibidem.

Turbaque vernarum saturi bona turba, coloni
Ludet, & ex virgis extruet ante casas.

In quarto versu vitium etiam latet, quid est enim *ferire pede læta carmina?* legendum est, *læta ferire gramina*, ex Horatio lib. 3. od. 18. Scribebatur præterea in cera, papyro Aegyptiaca, tabellis ligneis, & textis ligneis, vt suo ordine & loco dicetur.

Capvt XII.

De Vrbis Romæ Regibus.

His explicatis, de quatuordecim nunc regionibus dicendum est, quod hoc capite faciam: Vrbem Romam Romulus in tres partes distribuit, quas Tribus appellauit, Dionysio & Liuio testibus. Varro eas partes appellat, hæ fuerunt Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum. An verò regiones rectè dici possint, dubitari potest, sed tamen habent cognationem aliquam cum regionibus, eo ipso quod vnaquæque harum Tribuum propriam sedem in vrbe occupauit. Ramnenses enim à Romulo sic dicti, Palatium & Cælium montes coluerunt: Tatienses, à Tito Tatio nomen adepti, Capitolium & Quirinalem habitarunt: Luceres, à Lucumone, vel, vt aliis placet, à luco, in quo Asylum fuit, denominati, loca inter Palatium & Capitolium plana, atque circum forum tenuêre: de quibus plura, vbi de Tribubus erit dicendum. Fuerunt autem hæ tres Tribus à Tarquinio Prisco auctæ, & ex tribus sex factæ. Seruius Tullius vi. Romanorum Rex ex iis quatuor fecit, aliaque eis nomina attribuit, de quibus Dionysius lib. 4. ita scribit: Cæterum Tullius postquàm septem colles vno muro complexus est, Vrbem in quatuor partes diuisit, à collibus cognominatas: Palatinam, Suburanam, Collinam, Esquilinam: & quatuor Tribus esse fecit, quæ ad id temporis tres fuerant, suosque cuique tribules adscribit, diuisa habituros munia, nec mutaturos domicilium. Et hæc quidem Vrbis diuisio in quatuor partes, seu regiones à Seruio Tullio facta durauit vsque ad tempora Augusti. Is enim primùm Vrbem in certas regiones distribuisse legitur apud Suetoninm, qui in Augusto cap. 30. scribit Augustum spacium Vrbis in regiones & vicos diuisisse. Plinius autem lib. 3. cap. 5. auctor est, in quatuordecim regiones eam diuisam esse, à quo non dissentit Tacitus, qui lib. 15. Annalium de incendio Neroniano loquens, idem perspicuè confirmat: ne dicam de Sext. Rufo, & P. Victore, qui quatuordecim illas Vrbis regiones descripserunt. Hos secutus est Onuphrius Panuinius Veronẽsis, cuius descriptionem, cùm reliquis sit plenior, & clarior, huc referre placet. Qualem autem in ea ordinem secutus sit, ipse

met indicat his verbis: Huic, inquit, meæ Vrbis descriptioni, integros illos duos libellos) Sexti Rufi scilicet, & P. Victoris) nclusi, vtriusque ordinem secutus in recensendis vrbis regionibus, quos deinde ex antiquis probatisque auctoribus, sexcentis locis auxi. In eis autem enumerandis, quæ per singulas regiones erant, eorum ordinem non admisi, sed quandam mihi commentus sum rationem, quam in tradendis rebus commodissimam esse existimaui, vt facilè legentes cognoscere poterunt. Primo enim loco regionis nomen, deinde montes, Insulam, vias intra Vrbem, riuos, aquas, si quæ erunt, ponendæ: cliuos, vicos, vicomagistros, curatores, denunciatores, cohortes vigilum, nomina locorum publicorum, vel incertorum: deinde lucos, templa, ædes, ædiculas, porticus, Ianos, vel æanos, atria, areas, sacraria, sacella, delubra: nomina cæterorum locorum sacrorum, aras, signa, statuas Deorum, hominum vel animalium: hippodromos, equitia, circos, obeliscos, stadia, factionum stabula, theatra, amphitheatra, ludos, naumachias, ædificia reliqua publica incerta, fora, cœnacula, curias basilicas regias, comitia, septa, carceres, reliqua publica ædificia profana, castra siue stationes, campos, hortos, scholas, tabernas, aquas, thermas, balnea, lymphea, nymphea, lauacra, lacus, fontes, bibliothecas, arcus, columnas, septizonia sepulcra, emporia, macella, horrea, pistrina, domus, insulas, & postremo regionis ambitum, quem ordinem sequi decreui. Hæc ille. Regio autem à rego dicitur, quod priusquàm prouinciæ fierent, regiones sub Regibus erant, atque ab iis regebantur. Postea à similitudine earum regionum, in quas orbis diuiditur, maiores in Vrbe partes regiones appellari cœptæ. Regionis pars est vicus: quippe Vrbs in regiones tanquàm in maiora membra, & in vicos, tanquàm in minora diuiditur. Dictus vero est vicus, quod vias circùm haberet: nos Germani dicimus *Eine gassen, oder strassen.* Sed hæc hactenus. Sequitur nunc ex Onuphrio descriptio regionis primæ.

AD CAP. XII.

PARALIPOMENA.

Prima distributio tribuum, & Romæ regiones.

TOt regiones vrbis, quot Tribus in principio, nempe tres, Fest. Pompeius lib. 17. *Sex Vestæ sacerdotes constitutæ sunt, vt populus pro sua quaquaque parte haberet ministram sacrorum, quia ciuitas Romana, in sex est distributa partes, in primos secundósque Tatienses, Rhamnes, Luceres.* Propert. lib. 4. eleg. 1.

Hinc Tatienses Rhamnésque viri, Lucerésque coloni.

Ouid. lib. 3. Fast. de vrbe à Romulo disposita.

Quin etiam partes totidem Tatiensibus ille,
Quósque vocant Rhamnes, Luceribúsque dedit.

CAPVT XIII.

Descriptio XIV. vrbis Romæ regionum ex Onuphrio Panuinio.

REGIO VRBIS PRIMA.

Porta Capena.

Almo Fluuius.

Vici nouem.

Vicus Camœnarum.
Vicus Drusianus.
Vicus Sulpici vlterioris.
Vicus Sulpici citerioris.
Vicus Fortunæ obsequentis
Vicus puluerarius.
Vicus Honoris & Virtutis.
Vicus trium ararum.
Vicus Fabrici.
Vicomagistri xxxvi. quatuor per singulos vicos.
Curatores II.
Denunciatores II.

Luci tres.

Lucus Cuperius Hostiliani.
Lucus Egeriæ.
Lucus Camœnarum.

Templa quatuor.

Templum Isidis.
Templum Serapidis.
Templum Fortunæ viatorum.
Templum Martis Extramurani.

Ædes

Ædes sex.

Aedes Martis Quirini.
Aedes Mineruæ.
Aedes Mercurij.
Aedes tempestatis.
Aedes Apollinis.
Aedes Camœnarum.

Ædiculæ decem.

Aedicula Fortunæ obsequentis.
Aedicula Honoris.
Aedicula Virtutis.
Aedicula Rediculi.
Aedicula Herculis. *Reliquæ desiderantur.*

Areæ septem.

Area Apollinis.
Area Spei.
Area Thalli siue Galli, siue Galliæ.
Area Isidis Ælianæ.
Area Pinaria.
Area Carsuræ.
Area Mercurij.

Aræ duæ.

Ara Mercurij.
Ara Isidis.
Lapis Manalis.
Circus Antonini Caracallæ cum Obelisco.
Senaculum ad portam Capenam.
Mutatorium Cæsaris.
Campus Rediculi.
Horti Terentiani.
Tabernæ Cædiciæ.
Thermæ Commodianæ.
Thermæ Seuerianæ.

Balnea publica sex.

Balineum Vettij Bolani.
Balineum Torquati.
Balineum Mamertini.
Balineum Abascantiani.
Balineum Mertiani Secundiani.
Balineum Antiochiani.
Balinea reliqua priuata sine nomine XXCII.

Lacus Fund. XXCIII. In his:

Lacus Promethei.
Lacus Vespasiani, aliàs Vipsani.
Lacus Sanctus.
Lacus Sudans.
Lacus Torquati.
Lacus Publicus.
Lacus Biuius.
Lacus Spei.
Lacus Gratiæ.
Lacus Mamertini.
Lacus Salutaris.
Lacus reliqui sine nomine LXXII.

Arcus IV.

Arcus Drusi Neronis.
Arcus diui Traiani.
Arcus diui Veri Parthici.
Arcus B. fons.

Sepulcra.

Corneliorum Scipionum.
Auliorum Calatinorum.
Seruiliorum.
Cæciliorum.
Horatiorum.
Horrea XIV. &c.
Pistrina XVI.
Domus CXXI.
Insulæ ∞ IↃↃ CCXXXIII.
Regio in ambitu continet peder CCIↃↃ ∞ ∞ ∞ CCXXIII.

AD CAP. XIII. PARALIPOMENA.

Porta Capena.

QVæcunque in hac descriptione vrbis Romæ nominantur, sigillatim hic exponentur, quod non alibi idonea magis occasio ea narrandi offeretur: quanquam non sim ignarus Onuphrium Panuinium, Batholomæum Marlianum, & Guidum Pancirolum eruditissimos viros singula hæc libris suis executos. Romam igitur Augustus in *vicos & regiones diuisit*, describitque Suet. cap. 30. prima autem regio censetur porta Capena de qua præter T. Liuium variis in locis Fest. Pomp. lib. 17 in voce Senacula. vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers. 11. sat. 3. *stetit, inquit, expectans rhedam, vbi solent proconsules iurare, in via Appia ad portam Capenam, id est ad Cumenas*, corrige, & lege ad *Camenas*, vicus enim Camenarum in vicinia erat, vt ex notitia vrbis apud Onuphrium & Sext. Ruff. & P. Victore constat, & Iuuenalis ipse Sat. 3. princ.

— Ejectis mendicat silua Camenis.

Simile mendum Frontinum occupauerat, qui pro *Camenis*, *Cumenas* habet Q. Symmach. li. 1. Epist. 20. nomen huic portæ à Capenis Seru. ad vers. 696. lib 7. Æneid.

Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Longissima omnium viarum Appia hæc erat D. Paulin. Nolæ episcopus 5. Felicis Natali. 3.

— Portæque ex ore Capenæ
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ
Demissis duodena decem per millia denso
Agmine confertis longe latet Appia turbis.

Huic adiacebat ædes Martis extra muros T. Liu. dec. 4. lib. 8. *viam silice sternendam à porta Capena ad Martis ædem locauerunt.* Fest. lib. 11. *manalem vocabant lapidem, petram*

quæ extra portam Capenam iuxta ædem Martis. Sext. Propert. lib. 4. eleg. 3.

Armáque cum tulero porta vicina Capenæ.

P. Ouid. lib. 6. Fastor.

Lux eadem Marti sacra est, quem prospicit extra
Appositum tectæ porta Capena viæ.

Aquæductus etiam hic celebris. vet. scholiast. Iuuen. loco citato, *Capenam madidam, ideo quia supra eam ductus est, quem nunc appellant arcum stillantem, primùm enim vsque ibidem fuerunt portæ, quæ porta Capena vocabatur.* & ipse poëta,

Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

Valer. Martial. lib. 3. epig. 47.

Capena grandi porta qua pluit gutta.

REDICVLI ÆDES.

Male antea Ridiculi erat, Rediculi scribi oportebat. Fest. Pompeius lib. 16. *Rediculi fanum extra portam Capenam fuit, quia accedens ad vrbem Hannibal ex eo loco redierit quibusdam perterritus visis.* Valer. lib. 3. cap. 7. tit. 10. *ne hostilium locus castrorum, tum maxime Capenam portam armis pulsante Hannibale, minoris veniret, quam si illum Pœni non obtinerent.* sunt alij qui non Capenam, sed Collinam portam obsedisse Hannibalem contendat. Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmachum.

Affirmentque Libyn Collinæ à cardine portæ
Hannibalem Iouis imperio Martisque repulsum.

Sidon. Appollin. Carm. 7. v. 131.

——Si denique dirum
Annibal in iuncto terræ cælique tumultu
Repulimus, cum castra suis iam proxima muris
Starent, Collina *fulmen pro turre cucurris.*

Alij neque ad Capenam, neque ad collinam portam castra habuisse Hannibalem, sed tantum vrbi vicinum volunt. C. Plin. lib. 34. cap. 6. Sil. Italic. de obsidione illa lib. 12. Punicor.

Nunc aditus lustrat, nunc clausas cuspide portas
Infesta pulsat, fruiturque timore pauentum.

M. Manil. lib. 4. Astron. princ.

Quid referam Cannas, admotaque manibus arma.

Et in eodem opere post.

Ignibus Albanas cum contudit Hannibal arces.

Claudian. de bello Gildon. alteri sententiæ fauere videtur.

——Ruptaque emissus ab Alpe
Pœnus, & attonitæ iam proximus Hannibal vrbi,
Scilicet vt domitis frueretur barbarus Afris.
Muro sustinui martem, noctesque cruentas
Collina pro turre tuli.

ÆDES HONORIS ET VIRTVTIS.

Q. Symmach. lib. 1. epist. 20. *bene ac sapienter maiores nostri, vt sunt aliæ ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemellas iunctim locarunt: commenti quod in te vidimus, ibidem esse præmia honoris, vbi sunt merita virtutis.* Valer. Maxim. lib. 1. cap. 1. *cum Marcellus quintum consulatum gerens templum Honori atque Virtuti Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, nuncupatis debitum votis consecrare vellet, à collegio pontificum impeditus est.* Vetus marmor.

C. Policio. L. F. Bibulo. Æd. Pl. Honoris.
Virtuti que caussa. senatus.
Consulto populi. que. iussu. locus
Monimento. quo. ipse posterique.
Eius ferrentur publicè datus est.

Claudian. paneg. de Consul. Manlij Theodori princ.

Ipsa quidem virtus pretium sibi solaque latè
Fortunæ secura nites: & paucis interiectis.
Attamen inuitam blandè vestigat, & vltro
Ambit honor.

Aurel. Prudent. lib. 1. in Symmachum.

Præmia virtutum titulis, & Honoribus aucti
Ardua retulerint.

Ædem hanc Anno ab vrbe condita 545. M. Marcellus vouit. T. Liu. Dec 3. lib. 7. Lactant. Firmian. diuinar. Institut. lib. 1. cap. 20. *ad hoc illud M. Marcelli de consecratione Honoris atque Virtutis, honestate nominum differt, re congruit. votum in Gallia factum, septemdecim vero annis post à Marcello filio templum structum.* Bartholom. Marlian. lib. 4. Topograp. cap. 14. & de eius consecratione Plut. in vita Marcelli, & M. Tull. lib. 2. de legibus reparauit, vt apparet C. Marius, Fest. lib. 17 *summissiorem aliis ædem Honoris & Virtutis* C. *Marius fecit, ne si forte officeret auspiciis publicis, augures eam demoliri cogerentur* Ara illi erecta, in qua stabat *Reuerentia,* & *Maiestas.* Ouid. lib. 5 Fastor.

Donec Honor, placidoque decens Reuerentia vultu,
Corpora legitimis composuêre thoris.
Hinc sata Maiestas.

Sacrificia eius peragebantur aperto capite, cum sacerdotes in omnibus aliis deorum sacris tecto essent capite, rationes varias pete à Plutarcho Problem. Roman. c. 13. solemnitas eius & festum in Maio, vt opinor. Dio Cocceianus lib. 54. τὴν τε τῆς Τιμῆς καὶ τῆς Ἀρετῆς πανήγυριν ἐς τὴν νῦν ἡμέραν μετέστησεν *festū quod Virtuti & Honori celebrabatur, in eam diem, qua hodie agitur, transtulit.* translatio hæc festi Honoris incidit in consulatū C. Furnij & C. Silani qui

qui annus ab vrbe condita fuit septingentesimus trigemus septimus. Cuspinian.

DE LVCIS ET EORVM CVLTV & religione.

QVoniam multi in hac prima vrbis regione luci fuerunt, & passim apud authores lucorum vrbicorum fit mentio, videndum de prima institutione, & cultu lucorum. C. Plin. lib. 2. cap. 1. *arbores fuere numinum templa; priscóque ritu simplicia rura etiam nunc praecellentem arborem deo dicant, nec magis auro fulgentia, & ebore simulachra, quàm lucos & in ipsis silentia ipsa adoramus.* & prisci illi Germani *lucos ac nemora consecrabant, deorumque nominibus arbores appellabant.* C. Tacit. lib. de morib. Germanor. De Gallis etiam certo constat *arbores* eos *pro diis* in *lucis* non autem *templis* coluisse, quod liquidum est ex iis quae de Druydibus prodiderunt Strabo, Mela, Plinius, & Caesar lib. 6. belli Gallici cap. 5. quibus addendum est ad has ipsas arbores hostias humanas ab iis immolari solitas, quae plerumque peregrini erant & alienigenae. M. Lucan. lib. 2. Pharsaliae.

Omnisque humanis lustrata cruoribus arbor.

Cl Claudian. lib. 1. de laudib. Stilichon.

Lucosque vetusta
Religione truces, & robora numinis instar
Barbarici, nostrae feriunt impunè secures.

De Indorum ritu in consecratione lucorum audiendus Q. Curtius Rufus lib. 8. *Indi deos putant quicquid colere coeperunt, arbores maxime, quas violare nefas est, & capitale.* Longobardi eidem superstitioni implicati, nam lex Luitprandi regis eorum, *vt si quis ad arborem, quam rustici sanctiuum appellant, adorauerit vel incantationes fecerit, componat de medietate pretij sui in sacro palatio*, vt ex Paulo Diacono de legib. eorum pag. 108. obseruare non est difficile, & iam Hottomanus doctissimus notauit. Apud Romanos vero quis quaerat exempla? cum omnes scriptorum paginae loquantur celebrem in lucis deorum fuisse cultum. L. Apul. lib. 1. Apolog. *nullum in villa sine delubrum situm, nullus locus aut lucus consecratus.* C. Tacit. lib. 14. Annal. *excisi luci saeuis superstitionibus sacri.* sic interpretandi poetae, P. Ouid. lib. 3. Fastor.

Lucus Auentino suberat niger Ilicis vmbra.
Quo posses viso dicere numen habet.

Et lib. 3. Amor. eleg. 12.

Stat vetus, & densa praenubilus arbore lucus,
Aspice, concedes numinis esse locum.

P. Stat. Papin. lib. 4. Thebaid. v. 423.

Subter opaca quies, vacuusque silentia seruat
Horror, & exclusae pallet mala lucis imago,
Nec caret vmbra deo.

Idem lib. 6. Thebaid. de incaedua sylua

—Stat sacra senectae
Numine.

Silius Italicus lib. 2. Punicor.

—Prisco inde fauore
Arbor numen habet.

Corruptus est locus, sic, nisi fallor, restituendus suo nitori, atque ita contenderim poetam ipsum scripsisse.

Prisco inde pauore
Arbor numen habet.

Metus enim praecipua gentibus causa, cur deos esse crederent. nam quum in fontibus, fluuiis aut stagnis altitudinem immensam, in arboribus proceritatem stupendam animaduertissent, existimabant creduli & causarum certarum ignari, aliquid supra naturae vires iis inesse, & ob id diuinitatem arboribus seu lucis, aquis, fluminibúsque attribuerunt. Aurel. Prudent. lib. 2. contra. Symmachum vrbis praefectum.

Quos penes omne sacrum est, quicquid formido tremendum
Suaserit, horrificos quos prodigialia cogunt
Monstra deos.

Idem Romano martyre.

Quibus omne sacrum est, quod pauendum vanula
Edentularum cantilenae suaserint.

In veteri codice legebatur, *quod pauendum rancidae.*

Edentularum cantilenae suaserint.

Et forte rectius. Valer. Flacc. Argonaut. lib. 3. quod opus egregium quidem nunc est, multo suauius futurum, si auctor in iuuenili flore praereptus, ad limam reuocare potuisset.

Vtque metum, numénque loco, sacrumque quietem
Addidit.

Claudian. lib. 3. de Raptu Proserpinae, de luco à Cerere profanato,

Inde timor, numénque loci.

Vt verissimum fit, quod Petronius Arbiter apud Luctatium Placidium, seu Lactantium, seu Lutatium, ad lib. 3. Theb. v. 661. dixerit:

Quid inertia pectora terres?
Primus in orbe Deos fecit Timor.

Et M. Lucan. lib. 1. & lib. 7.

Nulloque authore malorum
Quae finxere timent.

Vt templa violare piaculum credebatur, nec quicquam in ea citra sacrilegium committi posset, ita nec luci exscindi contaminaríve: illud factum inter illaudata reponitur Caroli Gallorum regis, qui *nauali exercitu regnum Frisonum ingressus, interfectis plurimis, Popionem eorum ducem interemit, lucosque ac fana subuertit*

anno salutis 729. vt refert author incerti nominis in Annalibus Francicis. nota sunt, quæ criticis obseruata in illum ritum ex Cæsare, Seruio, & Lucano. Ouid. lib. 3. de arte.

—Multos incædua sylua per annos.

DE ARIS EARVMQVE IMMVNITATIBVS ET IVRE.

De nomine, proprietate, vsu & dedicatione earum vide infra lib. 2. cap. 2. hoc loco tantum de earum immunitate & iure dicendum est, quas inuiolabiles voluere antiqui esse, hinc dixit M. Tullius *in aram Tribunatus confugere*, post reditum in Senatu. L. Flor. lib. 2. cap. 12. *absens victus fugit in maria, insulamque Samothracem, fretus celebri religione, quasi templa & aræ possent defendere, quem nec suorum mentes nec arma potuissent* Confugientes itaque in fana, immunitatem impunitatemque consequebantur, si aras fuissent amplexi, Luctat. Placid. Grammaticus ad Papinij lib. 12. Thebaid. vers. 481. P. Terent. Heautontimorum. Act. 5. sc. 2.

Ne te admisce: nemo accusat Syre te, nec tu aram tibi,
Nec precatorem pararis.

Quare *ara confugij* vocatur. Stat. lib. 12. Thebaid.

Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Perfugium.

Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 5.

Vnica fortunis ara reperta meis.

Et lib. 2. de Ponto eleg. 8.

Vos eritis nostræ portus & ara fugæ,
Vos ego complectar Geticis si cingar ab armis,
Vtque meas Aquilas, vestra ego signa sequar.

Ad hunc morem allusit P. Maro lib. 2. Æneid. de ara Hercæi Iouis, ad quam Priamus, aliique Troiani confugerant, dum vrbem Græci diriperent, vt ab iniuria hostium tuti forent.

Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum
Præcipites atra ceu tempestate columbæ
Condensæ, & diuum amplexæ simulachra tenebant.

Prima immunitatis huius institutio fouendæ Reipublicæ vtilissima, & à ciuitatum conditoribus ideo introducta, *ne humilioris sortis homines, à potentioribus iniuriam paterentur*, vt definitur à Martiano August. l. 6. C. de his qui ad Eccles. confug. illud est quod in constitutionibus habetur, ὁ διὰ δυνατὸν μείζονα τῇ ἐκκλησίᾳ προσφεύγων, *qui propter potentem personam ad Ecclesiam confugerit:* quod & iure canonico pro ratione est cautum ca. inter alia. de immunitat. Ecclesiar. quæ omnia sunt intelligenda, modò ad aram vel templum fugiens, iniuriam alteri non intulerit, nam *illata iniuria poterat ab ara ipsa auelli.* Callistratus IC. l. 28. ff. de pœn. pulcherrima est Cæstij dissertatio apud Corn. Tacitum Annal. lib. 3. *fassus quidem est principes instar deorum esse, sed addidit neque à dijs iniustas supplicum preces audiri, neque quenquam in Capitolium, aliudque vrbis templum perfugere, vt ea occasione arrepta flagitijs magis ac magis inquinetur.* De quo ritu multa egregia Iustus Lipsius ad eundem librum: Id autem non in Latio tantum, aut more Romano, sed etiam Græco receptissimum reperio. Æmilius Probus seu Cornelius Nepos in vita Pausaniæ, *Itaque huic indici, quid fieri vellent, præceperunt: fanum Neptuni est Tænari, quod violari nefas putant Græci, eò ille index confugit, in ara consedit:* Hæc est illa ara quam idem auctor in Timothei vita *publicæ pacis* appellat, & meminit Plutarchus in Cimonis vita. Euripid. in Hecuba.

Ἀλλ' ἴθι ταχέως, ἴθι ναοὺς, ἴθι βωμούς.
Sed vade ad templa, vade ad aras.

Confugium illud non nisi deplorato statu, & salute desperata. Virgil. lib. 2. Æneid. vers. 574. de Helena.

—Atque aris inuisa sedebat.

Ab aris autem sine piaculo nemo auelli poterat, vt iure Pyrrhus ille Neoptolemus vituperetur, qui Priamum regem supplicem, vt habetur eodem libro vers. 550.

Altaria ad ipsa sedentem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati.

quæ ita accipienda sunt, vt magni alicuius sceleris reus eo fugiens, igne admoto cogeretur sponte inde discedere, obseruauit eruditissimus Hadrian. Turneb. lib. 9. cap. 12. & est locus insignis M. Plauti in Rudente Act. 3. sc. 4. vbi sic Labrax.

Mihi non liceat ancillas meas Veneris de ara abducere

Postea deinde dæmones respondent.

Ergo dabo ignem.

L. Sen. Herc. fur. vers. 505.

Congerite syluas, templa supplicibus suis iniecta flagrent

At obstructis valuis fame enecebant. Ælian. lib. 9 c. 41. Idemque iuris principum Romanorum statuis concessum erat, siue illæ in fano aut loco augurato, siue in triuiis, vt testatur IC. l. 17. ff. de ædilit. edicto. L. Seneca li. 1. de Clement. cap. 18. C. Sueton. Tiber. cap. 53. & dicam abundantissimè alibi: nec minus templis datum, differam lib. 2. cap. 2.

Aras iuraturi tenebant, siue, vt loquitur M. Tullius

Tullius pro L. Cornelio Balbo, *vt mos Graecorum est, iurandi causa ad aras accedebant*, Iustin. lib. 24. principio, *Ptolomaeus sumptis in manus altaribus, contingens ipsa simulachra & puluinaria deorum, inauditis vltimisque execrationibus adiurat*. sat. 13. v. 89. D. Iuuenal.

Atque ideo intrepidi quaecunque altaria tangunt.

Vet. scholiast. *sine vllo timore peierant*. *Et* sat. 14. v. 219.

Falsus erit testis, vendet periuria summa
Exigua, & Cereris, tangens aramque pedemque.

Idem vetus interpres, *vt periurus erit*. Sed haec praeoccupauit incomparabilis B. Brissonius in libris lectionis multiplicis & iudicij limatissimi de Formulis. Quod non tantum inter litandum aut sacrificandum fiebat, vt obseruat Aurel. Theodos. Macrobius lib. 3. saturn. cap. 2. sed etiam inter iurandum, Aemil. Prob. in Hannib. *ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat; eamque caeteris remotis, tenentem iurare iussit* Sil. Ital. c lib. 1.

Stant arae caelique Deis. subiungit deinde,
Hanc mentem iuro nostri per numina Martis,
Per manes regina tuos.

Vnde Latinus ille Virgilianus lib. 12. Aeneid.

Tango aras, mediosque ignes, & numina testor.

Denique & morituri aras deorum amplecti iubebantur, quod nescio an vlli hactenus obseruatum. L. Seneca in Herc. fur. Act. 2. sc. 3. vbi Lycus ad Megaram quam interficere volebat.

Coniugia quoniam peruicax nostra abnuis,
Regemque terres, sceptra quid possint, scies.
Complectere aras, nullus eripiet deus
Te mihi.

Quo sensu accipio illud C. Plinij lib. 35. cap. 10. *Timanthi est Iphigenia, oratorum laudibus celebrata, qua stante ad aras peritura, cum moestos pinxisset omnes, patris vultum velauit*. Q. Horat. lib. 2. sat. 3.

Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam,
Ante aras, spargisque mola caput improbe salsa.

Virgil. lib. 2 Aeneid. v. 155.

—Vos arae, ensesque nefandi
Quos fugi, vittaeque Deum, quas hostia gessi.

T. Lucret. Carus de rerum natura lib. 1.

Aulide quo pacto Triuiai virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine foedo
Ductores Danaum delecti.

Vel vt alij ex Prisciano Caesariensi legunt.

Iphianassae turparunt sanguine.

Legendi formularij, nam in sacris receptissimum vocabulum *stare ad aras*, de hostia ferienda, aut immolanda.

DE AREA.

AREA quid sit? expendendum hic, quod tam frequens arearum mentio in hac regione, & in aliis: igitur praeter significata Grammaticorum *Crates pectoris humani* denotat, vt notat Ioann. Sauaro doctissimè ad Sidonium suum lib. cap. 13. deinde *spatium illud ante deorum aedes, quod in priuatorum aedificiis vestibulum vocatur, in templis area soles nuncupari*, inde *Vulcani area*. A. Gell. lib. 4. cap. 5. Spei, Mineruae, Fidei, & Capitolini Iouis aream, apud Suetonium, Plinium, & Vitruuium, aliosque auctores reperio, & Critici annotarunt. & *Circi area*, Ouid. lib. 6. Fastor.

Prospicit à tergo summum breuis area Circum.

Liuius 3. Dec. lib. 5.

Vt multitudinem area Capitolij non caperet.

Sed quod nemo in hunc diem notauit, Area in campo Martio tironibus exercendis, atque vt inambulationis gratia basilicis templis, fanisque deorum addita loca vacua quae Festus lib. 1 *areas* appellat, quod nempe sint *aequalitate tabularum strata* vt loquitur Isidorus Hispalensis Etymolog. lib. 15. cap. 13. ita quod inter Tiberim fluuium, & septa, interiacebat spacium, tirocinio militum deuotum erat, & area dicebatur. locus est egregius, Horatij lib. 1. od. 9.

Nunc & campus & areae,
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora.

Quem locum male exponit Floridus Sabinus lib. 1. subcisiu. cap. 9. quem locum male etiam eruditi de Circo Romano putant intelligendum Claudian. de 6 Honor. consul.

Hic & belligeros exercuit area lusus,
Armatos hic saepè choros, pulchrasque vagandi
Textus lege fugas, inconfusosque recursus.

Quae sane de Circo perperam, vt puto, Iosephus Scaliger interpretatur Isag. 2. in M. Manilium, nam Claudianus antea de Circensibus, isto vero loco de campestribus agit, siue militaribus exercitiis, quae in campo Martio, aut verius eius area, nec citatus illi Martialis lib. 10. epigr. 24. quicquam facit,

Sed vitae, tribus areis peractis
Lucos Elysiae petam puellae:

Nam in vetusto codice MS est diserte

Sed vitae tribus aureis peractis.

Vt fila intelligat fatalia, poetarumque omnibus paginis celebrata, quae *ferrea*, habebantur *mala, inauspicata*, *aurea* vero *bona*, res notissima passim. Luc. Sen. Apocoloc. de Neronis genethliaco.

Aurea formoso descendunt secula filo.

Denique de area in hoc significatu M. Lucan. lib. 6. videtur capiendus,

—Coit area belli

Et quia areæ templorum mentio facta est, adscribam inscriptionis antiquæ verba, eruta è marmore Neapolitano, quibus appareat non modo in vrbe, sed & in coloniis municipiisque areas sacratum ædium vestibulis adiectas.

Ab. colonia. deducta. anno. XC. Neufido. M. F. M. Pollio duouir. P. Rutilio. Cu. Mallio. cos. operum. lex. II. lex. parieti. faciendo. in area. quæ. est. ante. ædem. Serapis. trans. viam. qui. redemerit praedes. dato. prædiáque subsignato. duumuirum arbitratu. hoc opus. omne. facito. arbitratu. duouir. & duouiratium. qui. in. consiliis. esse. solent. Puteolis. dum. ne. minus. viginti. adsient. cum. ea. res. consuletur. quod. eorum. viginti. iurati. probauerint. probum. esto. quod. ei. improbauerint. improbatum. esto.

Extat apud VVolfgangum Lazium lib. 3. Commentar. Reipublicæ Romanæ cap. 2.

DE ARCVBVS TRIVMPHALIBVS QVORVM FREQVENS IN hac regione mentio.

INter pompæ triumphalis ornamenta numerabantur arcus, qui veluti victoriæ perpetuum monimentum erectum in vrbe, hostes fusos loquebantur. Vet. scholiast. Iuuenal. ad v. 136. Sat. 10.

—Et summo tristis captiuus in arcu.

Erecti illi aliquando sola libidine Imperatorū, adeo vt in vrbe quatuordecim arcus ex historicis & P. Victore diligentissimo vrbis Romæ descriptore enumeret Onufrius Panuinius. sed ante Titum nemo Imperatorum statuit arcum triumphalem, Bartholom. Marlian. Topographiæ lib. 4. cap. 17. & est locus insignis C. Suetonij in Domitiano cap. 13. *Ianos arcusque cum quadrigis, & insignibus triumphorum per regiones vrbis tantos, ac tot extruxit, vt cuidam Græcè inscriptum arcui sit, Aream & caluitium*: scio Turnebum legere ἀρκεῖ, sed cur non caluitium retineamus? maxime cum caluities probrosa cuilicet illo sæculo, sed præ omnibus Domitiano, cum idem Suetonius dicat illum *caluitio fuisse deformem* cap. 18. D. Auson. in luculento de Cæsaribus suis opere.

Et Titus imperij fœlix breuitate, secutus
Frater, quem caluum dixit sua Roma Neronem.

D. Iuuenal. sat. 4. v. 38.

—Semianimem laceraret Flauius orbem
Vltimus, & caluo seruiret Roma Neroni.

Vbi vetus scholiastes eadem illa explicat, sed memoria lapsus, epigramma Ausonianum Martiali attribuit.

Flauia gens &c.

A nominibus triumphantium dicti, vel Septimij Seueri, Gallieni, Tit, Fabianus. L. Seneca de sapientis Constantia. cap. 1. Cornutus seu quilibet alius ad Persij sat. 4. v. 49. ante diem Triumpho præstitutum à senatu extrui solebant. Claudian. de 6. Hon. consul. vbi ad Honorium principem hæc Roma.

Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires
Electi candoris equos, & nominis arcum
Iam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrediere toga.

M. Tull. Act. 2. in Verrem *fornicem Fabianum* appellat, ad quæ verba Asconius Pædianus, *arcus est iuxta regiam, in sacra via à Fabio censore extructus, qui à deuictis Allobrogibus, Allobrox cognominatus est.* M. Martial. lib. 8. epigr. 64.

Grande loci meritum testantur & altera dona,
Stat sacer edomitis hostibus arcus ouans.

Secundus versus mira varietate, sed puto non male sic posse lectionem priorem retineri, *edomitus* enim, *egelidus*, aliaque similia, idem ac *domitus, gelidus*: si nihilominus arridet altera lectio sic interpungatur.

Stat sacer, & domitis hostibus arcus ouat.

Et est inscriptio Arcus elegans inter epigrammata veterum.

Ad diuortia Rheni peruasi hostiles depopulatus agros.
Dum tibi Roma decus, æternaque sudo trophæa
Ister pacatis lenior ibat aquis. Non tantum nomina ducum seu imperatorum triumphantium his arcubus inscripta, sed & hostium deuictorum gens, gesta, habitus, & spolia insculpebantur, veluti mansurum trophæum. Claudian. eodem opere.

Aeraque vestitis numeroso puppe columnis
Consita, subnixasque iugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu spoliisque micantes
Innumeros arcus acies stupet igne metalli,
Et circumfuso trepidans obtunditur auro.

Idem lib. 3. de laud. Stilich.

---Septem circumspice montes,
Qui solis radios auri fulgore lacessunt,
Indutosque arcus spoliis.

Sed cum multi de horum arcuum forma prodiderint, nemo expressius elegantiusve Aurelio Prudentio lib. 2. in Symmachum præfectum vrbis.

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadriiuges, stantesque duces in curribus altis

Fabri-

Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos,
Sub pedibúsque ducum captiuos poplite flexo
Sub iuga depressos, manibúsque in terga retortis.

Nec veteris solum Romanæ consuetudo, sed & nouæ siue Byzantij, Corippus Africanus poëta elegans, qui inaugurationem Iustini Minoris Augusti carmine prosequês, arcuum sæpè meminit, sed nescio an triumphales illi, puto subita lignorum congestione in publica lætitiâ tantum erigi solitos, ea absoluta tolli subuertique, cùm illi qui in Italia, perpetuum manerent, vt dixi, monimentum. ita igitur ille lib. 3 num. 6.

Quatuor in sese nexos curuauerat arcus.

Et lib. 4. Num. 1.

Roboribus flexis teretes curuauerat arcus
Artificum prædocta manus, trabibúsque cauatis
Affigens tabulas pendentes struxerat ædes.

Et eodem lib. num. 3.

Pérque arcus vicósque omnes adstabat vtraque
Parte fauens vulgus.

REGIO VRBIS SECVNDA.
Cælimontium.

Mons Cælius aliàs Querquetulanus, aliàs Augustus.
Cæliolus.
Suburá.
Ceroliensis.

Vici XII.

Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes vigilum V.
Lupanæ in Subura.
Antrum Cyclopis.
Caput Africæ.
Arbor sancta.
Mica aurea.
Spolium Samarium.
Luci duo.
Templum Tulli Hostilij.
Templum Bacchi. (∴)
Templum Fauni.
Templum diui Claudij.
Templum Deæ Carneæ.
Ædiculæ VIII.
Dianæ in Cæliolo.
Fortunæ Barbatæ.
Mineruæ captæ.

Isæum Metellianum.
Mineruium.
Statua Equestris M. Antonini Imperatoris.
Ludus Matutinus.
Ludus Gallicus.
Regia Tulli Hostilij.
Armamentarium.
Castra peregrina. ∴
Mansiones Albanæ.
Campus Martialis.
Campus Fontinatum, aliàs, Forinarum.
Campus Cælimontanus.
Thermæ publicæ
Balineæ priuatæ XXC.
Lacus fund. fine nomine LXV.
Macellum magnum.
Horrea XXIII.
Pistrina XXIII.
Domus CXXXIII.

In his.

Domus Vectiliana, aliàs, Vitelliana.
Domus Philippi.
Domus septem Parthorum.
Domus Laterani.
Cæsaris Dictatoris.
Mamurræ Formiani. (∴)
Tiberij Claudij Centumali.
Iunij Senatoris.
Stellæ Poëtæ.
Tiberij Claudij Clypti Hymnologi.
Territorum.
Turris Mamilia. ∴
Insulæ CIↃ CIↃ CIↃ CVI.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ ∞ ∞ ∞ CC. id est, 13200.

PARALIPOMENA.

Ad Regionem secundam.

DE SVBVRRA.

NON viam aut vicum, vt alij omnes scriptores, sed *regionem vrbis frequentissimam* appellat vetus Scholiastes Iuuenalis ad Sat. 11. vers. 50. sed constat viam, non autem regionem fuisse, celebrem habitatione Cæsaris apud Suetor., cap. 46. nisi fortè antè vrbem ab Augusto in regiones has quatuordecim distributam, quælibet via nomen regionis obtinuerit, quòd fortè verum est, ideò Festus lib. 17. *Suburram aiunt appellatam & regionem vr-*

bis: at vrbe iam descripta, *Subura sub terreo muro Carinarum secundæ regioni attributa*, inquit M. Varro li.4. de ling. lat. si regioni attributa, ergo non fuit ipsa regio: Iuuenal. satyr. 10. v. 155. videtur in ipsa vrbe non sub muro Carinarum vt Varro, collocare.

—Nisi Pœno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono subura.

Hic tonsores tabernas suas meritorias habebant: M. Martial. lib. 2. epigr. 17.

Tonstrix suburæ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum:

Quod si verum, procul dubio subura non in vrbe: sed extra pomærium, nam seruus publicus, seu tortor in vrbe habitare non poterat, vt dicam infra hoc opere. hic etiam venales rure merces exponebantur, puta ficus, oliuæ, poma, aliaque edulia, Martial. lib. 7. epig. 30.

Quidquid villicus, vmber, aut colonus,
Aut Thusci tibi, Thusculique mittunt,
Aut rus marmore tertio notatum,
Id tota tibi nascitur subura.

Idem lib. 10. epigr. 94.

Hæc igitur media quæ sunt mihi nata subura
Mittimus, Autumni cerea poma mei.

In primo versu melius MS. *Quæ sunt modo nata subura*, iamiam empta in subura, eò rure illata, & ob id velut *modo nata*. In hac via erant & prostibula impudicarum siue fornices, infra hac regione. *lupariæ in subura.* idem lib. 9. epigr. 38. de meretrice.

Cum sis ipsa domi, mediaque eruere subura,
Fiant absentes & tibi Galla comæ.

Scio locum de galericulo seu falso capillamento posse sumi, sed disertius li. 11. epigr. 62.

Summœnianis inquinatior buccis.
Quem cum fenestra vidit è suburrana.
Obscena nudum lena fornicem clausit.

In tertio versu non lena, sed *Leda*, legunt docti, vt lenis formosarum mulierum nomina fuisse imposita iudicari possit, nam notissimi nominis productrix est *Leda* apud eundem lib. 4. epigr. 4.

Quod spurcæ moriens lucernæ Ledæ.

Adi ad Q. Horatij interpretes Epod. od. 5.

Senem quod omnes rideant adulterum,
Latrent suburranæ canes.

Vbi *canis* notissima significatu pro scorto vsurpatur, quod vt illud animal impudentissimum est, ita hæc proiecti pudoris, denique exprobratio illa Propertiana huc referenda lib. 4. eleg. 7.

Iamne tibi exciderant vigilantis furta suburæ,
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?

DE SCHOLIS.

Mentio in hac regione *scholæ capulatorum*; discutiendum idcirco hôc loco, quid proprie *Schola?* Auson. Eidyll. 32. ad nepotem, & eruditissimus Vinetus.

—Graio schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuuntur vt otia curis.

Ob id locus, in quo tirocinia litterarum exhibita, sic dictus M. Martial. lib. 1. epigr. 36. lib. 2. epig. 64. præceptis scholam, exercitiis forum conuenit.

Si schola damnatur, si litibus omnia feruent.

Et lib. 3. epigr. 10.

An otiosus in schola poëtarum.

Inde tractum nomen scholastici, pro tirone, qui primis veluti litterarum institutis informatur. Saluian. Massiliens. lib. 1. de prouident. Dei, *id facere annisi, non vt salubres & salutiferi, sed vt scholastici & diserti haberentur.* C. Sueton. lib. de clar. Rhetorib. cap. 6. *declamabat autem genere vario modo splendide atque adornate, tum ne vsquequaque scholasticus existimaretur, circumcisè ac sordide.* Petron. Arbiter pag. 7. *tanquam scholastici ad cœnam promisimus*, vt desinat nugari Antonius Delrio in L. Senecæ Thyestem, qui poëtam venustissimum eruditissimumque ineptiis suis ac friuolis commentis dehonestauit: certè in iure *scholastici* etiam aduocati, officiales & scholastici l. 2. apud Constantinum Aug. C. Theod. lib. 8. tit. 10. Scholæ istæ in balneis, teste M. Pollione. Vitruuio Architect. lib. 5. cap. 10. aut in porticibus, C. Plin. lib. 35. cap. 10. & erat separata scholarum distinctaque consecratio à balneis porticibúsque in quibus erat vetus Marmor.

Bebryx. AV. F. L. Drusianus. A. Fabius.
Xanthus. Cur. imagines argenteas deorum.
sept. m. ad. dedicationem. scholæ.

Traducta tamen verbi significatio, & ad rem militarem conuersa. Ammian. lib. histor. 26. *memorat scholar capitum*, siue præfectorum, tironibus exercendis. sic intelligendus Claudianus de 6 Hon. Consul.

—Intonuit cum verbere signa magister,
Armatos edunt pariter tunc pectora motus.
In latus illisis clypeis.

Inualuit tamen vt ad res ludicras transferretur, & esset *locus exercendis gladiatoribus.* res nota omnibus. L. Flor. lib. 3. Histor. cap. 20. *Spartacus, Sryxus, Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum triginta aut amplius eiusdem sortis viris erupertunt.* Aut in sacris Græcorum certaminibus vsurpatur, Aurel. Propter. lib. 3. eleg. 13.

—Virginei munera gymnasij.

Denique vbi tirones futuræ militiæ præparabantur, schola appellata. Magnus Cassiodor. lib. 5. epist. 23. *ostentens iuuenes nostri bellis, quod in gymnasio didicere virtutis: scholæ martia mittat examina, pugnaturus, ludo, qui se exercere consueuit in otio.* editio G. Fornerij. *non ostentens*, habet, sed *ostendant iuuenes,*

iuuenes, & post, non, *quod virtutis didicere*, sed *quid virtutis*, melius. Flau. Renat. Veget. l. 2 de re militari cap. 19. *in legionibus plures sunt scholæ*, & cap. 21. *in orbem quendam per diuersas cohortes, & diuersas scholas promouentur.* Neque modò militum, sed & speculatorum fuisse scholas disco ex fragmento vetusti marmoris.

Schola speculatorum. leg. I. & II. adiu. piar. fidelium. Seuerinarum. refect. per eosdem quorum. nomina. infra. scripta sunt. dedicata. Fl. Æliano. leg. Aug. PR. PR. Kal. Octob. Modesto. & Probo. coss.

Volfangus Lazius Reip. Rom. Commentar. li. 4 ca. 13. scholam Martiam, scutariorum, sagittariorum, gentilium, tironum, speculatorum, domesticorum, Palatinam, notariorum, & denique agentium in rebus, allatis auctorum testimoniis probat. At clarior à Iustiniano lux, qui *vndecim militum scholas enumerat* l. 33. Co. de locato. erat præterea & *schola Palatinorum*, hoc est protectorum, domesticorum, aut in Palatio agentium. Iustinus. Aug. l. 13. C. de Iudæis *duarum librarum auri pœna afficere, per scholam Palatinam exigenda*, quam ille Palatinam appellat scholam, alij *domesticorum* solent nuncupare Suida auctore, & aliis, & est formula apud Aurelium Cassiodorum lib. 8. epist. 12. & est pulchra comitum huius scholæ descriptio apud Corippum Africanum de laudibus Iustini minoris Augusti, l. b. 3 num. 6.

Illis summa fides, & plena licentia sacris
Deseruire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales mensas epulis onerare supernis,
Conseruare domum, sanctúmque intrare cubile.
Internas munire fores.

Apud eundem vox ea sæpè corrupta, siue linguæ Græcæ inscitia, seu licentia poëtis vsurpata, seu denique librarij incuria, legitur enim libro 3. num. 5.

Ornata est Augusta domus, iussúque regentis
Acciti proceres omnes, scholáque Palati est
Iussa suis adstare locis.

Posset sic versus in legitimos cogi numeros.

Acciti proceres, scholáque alta palati,

Simile mendum irrepsit lib. 4. num. 2.

Protinus officiis summam tutantibus aulam
Ordinibus propriis & prisco more notatis
Per scholas, turmásque vocans.

Leui ad ectione locus sanabilis, hoc pacto

Perque scholas, turmásque vocans

Parrhasius ad Orat. Milonianam.

DOMVS STELLÆ POETAE.

Solus Onuphrius in notitia vrbis Stellæ ponit domum in secunda vrbis regione, tacent P. Victor, & Sext. Ruffus, qui iidem tamen diligentissimè Romę Topographiam expresserunt. Fuit ergo hic summi ingenij, nec minoris famæ poeta, temporibus Domitiani, vt puto, principis, quippe eius cum Violantilla nuptias, cultissimo & tersissimo carmine exequitur P. Papinius lib. 1. sylu. 2. insigni ortum familiâ ibidem eum celebrat Venus, eúmque XVuirum Sibyllinis libris consulendis vult fuisse v. 176.

Hunc & bissenos (sic indulgentia pergat
Præsidis Ausonij) cernes attollere fasces,
Ante diem, certè iam nunc Cybeleia nouit
Limina & Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.

Multus est in eius encomio M. Valerius Martialis, *disertum* appellat lib. 5. epigra. 60. *facundum* lib. 12. epig. 3. celebrauerat Columbam lib. 7. epigr. 13. elegiaco carmine scripsit & Amatorio Stat. libro syluáque citatis ver. 98.

Armiferos poterat memorare labores
Claráque facta virum, & torrentes sanguine
campos:
Hinc sibi plectra dedit, misitque incedere vates
Maluit, & nostra laurum subtexere myrto.

Tam fœlix in eo calor, vt, siue re vera ita se res habuerit, siue adulatus tantùm sit Martialis, eum Catullo prætulerit lib. 1. epigr. 8.

Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere maior est columba.

Vetus marmor, vt puto, eius meminit.

C. Ælio, Stellæ fidei monumentum.
Bithynia. erexit SENECIONE & SVRA.
coss. PATRONO optimo.

Vixit ergo vsque ad tempora Traiani Imperatoris cum fama & nomine. nam sub eo Senecio tertium, & Licinius Sura secundùm coss. fuerunt, vt ex fastis Capitolinis liquet, & iustissimè ostendit Ioan Cuspinianus in Commentariis ad magni Cassiodori Chronicon, qui consulendus. meminit & eius fortè alia inscriptio apud Lazium lib. 6. ca. 1. Commen. Reip. Rom.

C. Cestio. C. F. Stellio. Sabino. Trib. coh. xiij. VRB. PP. Legi. Adiutricis. PF. viij. PR. Coh. VIII. VRB.

REGIO TERTIA ISIS ET SERAPIS MONETA.

Vici VIII.

Vicus albus.
Vicus Fortunæ vicinæ.
Vicus Angiportus.
Vicus Bastianus.
Carinæ.

Vicus Structorum.
Vicus Asellus.
Vicus Lanarius.
Vicus Primigenius.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Caput Suburæ.
Tribus Gratiæ aureæ, aliàs, areæ.
Summum choragium.
Caput Sacræ viæ.
Prætura præsentissima.
Lucus Cuperius Scholæ capulatorum.
Templum Isidis & Serapidis Monetæ.
Templum Concordiæ virilis cum delubro.

Ædiculæ. VIII.

Aedicula bonæ spei.
Aedicula Serapidis.
Aedicula Sangi Fidoni.
Aedicula Mineruæ.
Aedicula Isidis.
Aedicula Veneris.
Aedicula Æsculapij.
Aedicula Vulcani.
Porticus Liuiæ, iuxta templum Concordiæ virilis.
Porticus Claudij Martialis.
Amphitheatrum Vespasiani, quod capit loca ɔɔɔ. ccɪɔɔ ccɪɔɔ ccɪɔɔ ɪɔɔ ∞ ∞ id est, 77000.
Ludus magnus.

Item.

Ludus Dacicus.
Ludus Mamertinus.
Castra Misenatium.
Castra Misenatium vetera.
Schola Quæstorum.
Schola Capulatorum.
Schola Galli.
Thermæ Titi Cæsaris Augusti.
Thermæ Traiani Cæsaris Augusti.
Thermæ Philippi Cæsaris Augusti.
Balineæ priuatæ LXX.
Lympheum Tiber. Claudij Cæsaris Augusti.
Lacus Pastoris.
Lacus sine nomine LXV.
Horrea XXIX. al. às, XIX.
Pistrina XXIII.
Domus CLX.

In his.

Aurea Neronis cum porticu.
Domus Bruttiani.
Domus Pompeiani.
Titi Cæsaris cum atrio, in quo fuit Laocoontis statua.
Insulæ ∞ ∞ DCCCVII.
Regio continet in ambitu pedes ccɪɔɔ ∞ ∞ CDL. id est, 12450.

PARALIPOMENA.

De regione tertia.

De Serapide.

IN hac regione ponunt Isidis & Serapidis templum auctores qui vrbem descripserunt: Itaque hic de Serapide nonnulla obiter dicam, plura in lib. 2. infra reiecturus. Ægyptij per Isidem & Serapidem *cælum* & *terram* significabant. Lactant. Firmian. lib. 1. cap. 13. Artemid. lib. 5. cap. 26. χθόνιος ὁ θεὸς εἶναι ἐνομίσθη *terrestris Deus esse putatus est.* At reuera primus pretio medicinæ artem exercuit, quæ primitus gratuita erat. M. Varro in Eumenidibus.

Ego medicina Serapi utor.

Sic legitur apud Nonium Marcellum cap. 17. num. 104. at doctissimus Turnebus lib. 3. cap. I. Aduersarior. legit.

Ego medicina à Serapi utor.

Idem M. Varro.

Hospes quid miras nummo curare Serapim?
Quid? quasi non curet tantidem Aristoteles.

Huc refer illud M. Tullij lib. 2. de Diuinat.

Quid conuenit ægros à coniectore somniorum potius, quàm à medico petere medicinam? an Serapis potest præscribere per somnium curationem valetudinis?

Neapolitani marmoris vetus fragmentum meminit apud VVolfgang. Lazium li. 3. commentar. Reip. Rom. c. 2. vnde liquet non tantum Romæ, sed & in coloniis municipiisque erecta Serapidi fana, verba adscribam.

A. colonia. deducta. anno. XC. Neufidos N. F. M.
Pollio. duouir. P. Rutilio. Cn. Mallio coss.
Operum. lex. parieti. faciendo. in. area. quæ
Est. ante. ædem. Serapidis. trans. viam.

Sed de solẽni religiosóq; eius apud Ægyptios cultu, statuáque mirando artificio pensili. Michaël. Glyc. Annal. parte 4. pag. 358. *adeò vt Capitolio Romano conferri possit*, Ammian. Marcellin. lib. 22. in fine, locus est Strabonis lib. 17. Geograph. Κάνωβος ἔχουσα τὸ τοῦ Σαράπιδος ἱερὸν πολλῇ ἁγιστείᾳ τιμώμενον, καὶ θεραπείας ἐκφέρον, ὥστε καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἄνδρας πιστεύειν, καὶ ἐγκοιμᾶσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν ἢ ἑτέρους. vertit Xilander. *Canopus habet Serapidis tẽplum, religiosè cultum, vt etiam nobilissimi viri ei credãt, & pro se, vel pro aliis insomnia ibi capiant.* subdit deinde & oraculorum virtutes, & curationes infirmorũ ibidem celebrari. eundem cum Osiride esse vult Martianus

Capella lib.2.de Nupt. Merc. & Philologiæ,

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim,
Dissona sacra Mithram.

Sed eius sacra Romam translata, fanúmque ei in Italia erectum docet M. Tullius li.3. de Natura deor, imò & indignatur: & dicam, vbi de peregrinis sacris agam. Eidem & in Græcia fanum, Thebis videlicet dedicatum reperio apud C. Plinium lib.36.cap.7.quod commune cum Libero patre erat, Pausan. Bœotic.& apud Romanos deuoti templi meminit Michaëlius Glycas Annalium parte 4.pagin. 349. Hunc consulebant ergo per somnia de valetudine sua solliciti. Artemidor. lib.5. Oneirocrit. cap. 92. νοσῶν τις ηὔξατο τῷ Σαράπιδι εἰ μέλλει σωθήσεσθαι τὴν δεξιὰν αὐτῷ χεῖρα ὄναρ ἐπισεῖσθαι, εἰ δὲ μὴ ἀριστερὰν, *quidam ægrotans precatus est Serapidem, vt si conualiturus esset, dextram manum ipsi in somnis concuteret, sin minus sinistram*, de insigni ipsius in somniorum coniectionibus fide adeundus C. Suetonius in Vespasiano cap.7 *è plebe quidam debili crure, item alius luminibus orbatus, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratum à Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset.* Hæc quidem gentiles vario errore delusi finxere, cùm constet Ægyptiorum regem fuisse, si fides Adoni Viennensi chron. ætate 3. pag.23. neque desunt qui Iosepho liberatori suo, populum Ægyptium, honorem diuinum nomine Serapidis detulisse, Otto Frising. lib.1.c.15. Effigies ei erecta cum modio capiti imposito, Suida auctore, vel calathro, vt liquet ex Artemidoro lib.5. oneir.c.93 triplex forma, *leonis, canis, lupi*, quos suo volumine *serpens* includebat, Britannic. ad sat.6.v.536. Iuuenal.

Et mouisse caput visa est argentea serpens.

Vetus tamen scholiastes diuersum sentit, *argentea*, inquit, *serpens quæ est in templo Isidis:* nisi fortè dicamus in eodem templo Isidem & Serapidem consecratos: quod facile admiserim, Dio in actis anni 711. in fine. καὶ ναὸν τῷ Σαράπιδι, καὶ τῇ Ἴσιδι ἐψηφίσαντο, *& templum Serapidi Isidique consecrarunt* lib 47. Plutar. lib. de Iside & Osiride Valer. Flacc. Argonaut. lib.4. fortè huc facit.

Aspide cincta comas & euanti persona sistro.

Ouid. lib.2. Amor. eleg.13.

Pigráque labatur circum donaria serpens.

Idolum illud non modò erroribus oppresso orbe consecratum lego, sed etiam ab ipsis ethnicis destructum, Dio Coccian. li.42. ἔδοξε γνώμῃ τῶν μαντέων πάντα αὖθις τὰ ἐκείνης, καὶ τὰ τοῦ Σαράπιδος τεμένισματα κατασκάψαι. *Itaque Aruspices iterum omnia templa Serapidis demolire iusserunt*, ad hanc ædem solitos mendicos stipem exigere, licet coniicere ex M. Martiali lib.9. epigr.30.

Heu quæ lingua silet? non illam mille Catastæ
Vincebant, non quæ turba Serapin amat.

Ac si dicat adeò loquacem fuisse Philenem, vt dicacitate nec venales serui, (quos à loquacitate commendabat Augustus apud Suetonium) nec mendicabula, illi possint certare.

REGIO QVARTA VIA SACRA,
aliàs, Templum Pacis.

Via sacra.
Ad Corneta.

Vici VIII.

Vicus Cyrius, post Sceleratus.
Vicus Eros.
Vicus Veneris.
Vicus Apollinis.
Vicus trium viarum.
Vicus Anciportus minoris.
Vicus Fortunatus minoris,
Vicus Sandaliarius.
Vicomagistri xxxII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Carinæ caput.
Aequimælium.
Buccna aurea,
Sororium tigillum.
Meta sudans.
Caput Lynco.
Busta Gallica.

Templa X,

Templum Pacis, in quo inter cætera ornamenta erant Templi Hierosolymorum.
Templum Remi.
Templum vrbis Romæ & Augusti.
Templum Veneris Cloacinæ.
Templum Diuæ Faustinæ, cum porticu.
Templum Telluris in Carinis cum armamentario.
Templum Solis.
Templum Lunæ.
Templum Concordiæ in porticu Liuiæ.
Templum diui Neruæ in foro transitorio.
Aedes Iani Curiatij.
Aedes Iunonis sororiæ in Carinis.
Aedes Salutis.

Aedicula VIII.

Aedicula Musarum.
Aedicula Spei.
Aedicula Mercurij.
Aedicula Lucinæ Valerianæ.
Aedicula Iunonis Lucinæ.
Aediculæ Mauortij.

Aedicula Iuuentutis.
Aedicula Isidis
Volcanale, vbi lotos à Romulo sata.
Sacriporticus, aliàs Sacriportus.
Porticus absidata.
Area Victoriæ.
Area Volcani, in qua sanguine per biduum pluit.
Sacellum Deæ Strenuæ.
Colossus Solis altus pedum CIIS. aliàs CXX. habens in capite radios VII. singulos pedum XXIIS.
Apollo Sandalarius.
Odœum.
Forum Transitorium, aliàs, Palladium, aliàs, diui Neruæ cum porticibus,
Forum Cupedinis
Basilica vetus L. Æmilij Paulli.
Basilica Constantiniana.
Secretarium populi Romani.
Balineum Daphnidis.
Balineæ priuatæ LXXV.

Lacus sine nomine LXXIX.
Arcus Titi Cæsaris Vespasiani Augusti
Arcus L. Septimij Seueri.
Arcus Constantini Augusti.
Horrea XXIIX.

In his.

Cantharia, aliàs. Testaria.
Pistrina XXIIII.
Domus CXXXIIII.
Regis Anci Marci in via Sacra.
Sp. Cassij Viscellini in Carinis, vbi postea templum Telluris fuit.
Domus Cn. Pompej, post M. Antonij in Carinis.
Domus aurea Ciceronum.
Domus alia C Cæsaris in Sacra via.
Domus M. Manlij.
Domus Philippi in Carinis.
Domus D. Cælij Balbini Imper.
Insulæ ∞ ∞ DCCLVIII. id est, 2758.
Regio continet in ambitu pedes CCIↃↃ ∞ IↃↃI. 1400. aliàs, ∞ ∞ CCIↃↃ. i. 1800.

PARALIPOMENA.

Ad Regionem quartam.

De via sacra.

NVlla via historicorum scriptis celebratior legitur. Nomen traxit à fœdere inter Romulum & Tatium Reges ictum, quod nunquam sine prævio sacrificiorum apparatu, patet liquido ex Dionysij Halicarnassæi narratione lib. 2. meminit L. Seneca, qui *viam sacram celeberrimum locum* appellat libr. de consolat. ad Marciam ca. 16. & ante illum Asconius Pædianus Comment. in orat. 2. in C. Verrem. Totam autem velis intexit C. Cæsar, vt & forum Romanum, cui vicina fuerat. C. Plin. lib. 19 ca. 1. fine: Ibique ipse Iulius Dictator habitauit, vt liquet ex C. Suetonio in eius vita cap. 46. & quod miror omnes vrbis topographos omisisse, *signa fœderis initi in ea extabant tempore Seruij Honorati, regibus diuerso itinere venientibus, Romulo à Palatio, Tatio à Rostris*, ad v. 641. lib. 8. Æneid. Sed illud omittendum non duxi, Plinium ab Ouidio dissentire, ille enim foro Romano, hic foro Cæsaris, viam sacram facit contiguam lib. 2. Trist. eleg. 1.

Paruit, & dixit, hæc sunt fora Cæsaris, inquit,
Hæc est à sacris quæ via nomen habet.

Suspicor Xistos inambulationi idoneos aut in ipsa hac via, aut non longe ab ea fuisse, nam, Horat. lib 1. Serm. sat. 9. principio.

Ibam forte via sacra.

Et ibi Epod. od. 4.

Videsne sacram metiente te viam
Cum bis ter vlnarum toga.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 23.

Cui sæpe immundo sacra conteritur via socco.
Nec sinit esse moram si quis adire velit.

Celebre hic & à multis rerum venalium emporium, rusticis in vrbem commeantibus, & fructus villicos conferentibus. M. Terentius Varro de re rustica lib. 1. cap. 2. *huiusce inquam* (Cn. Tremellij) *Pomaria summa sacra via, vbi poma veneunt, contra auream imaginem*: & ob id *frequentissimum ementium vendentiúmque consessum* retulit M Tullius orat. pro Cn. Plancio. Ouid lib. 1. Amor. eleg. 8.

Munera præcipuè videat, quæ miserit alter,
Si tibi nil dederit, sacra rogandа via est.

Et lib. 2. de Arte Amandi.

Dum bene diues ager, dum rami pondere nutant,
Adferat in calatho rustica dona puer.
Rure suburbano poteris tibi dicere missa,
Illa tibi in sacra sint licet empta via.

Petronius in catalectis, seu quicunque alius auctor est Priapeiorum versuum,

Hæc quæcunque tibi posui vernacula poma,
De sacra nulli dixeris esse via.

Sext. Propert. lib. 2. Eleg. 24.

Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
Quæque nitent sacra vilia dona via.

Et licet certum sit primam nominis imponendi occasionem à sacro fœdere defluxisse, inter reges icto, tamen non displicet sententia Verrij Flacci apud Festum Pompeium libro 17. *Quod eo itinere vtantur sacerdotes Idulium sacrorum causa conficiendorum*, Vel vt loquitur M. Varro lib. 4. de lingua Latin. *quod per eam sacra, quotquot mensibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti solent inaugurare.* Denique quod nullis hactenus obserua-

obſeruauit, Theodoſius Hiſpanus Aug.& filius Honorius in ea habitarunt. diſerte Claudianus meus Paneg. de 6. Honorij conſul.

Hinc te iam patriis laribus via nomine vero
Sacra refert.

Niſi forte indicari quis contendat ſacrificium diis Laribus à reduce Imperatore ſolutum intelligi, quorum ædem in ſacra via fuiſſe, præter alios loquitur C. Iul. Solinus Polyhiſt. cap. 2. ſed nullum huiuſmodi ſacrum ab eo idolis falſiſque figmentis portentorum oblatum dici poteſt, quum conſtet Chriſtianæ addictiſſimum ſe exhibuiſſe pietati, omnibuſque, quibus poterat, edictis, monſtroſos Ethicorum ritus ſuſtuliſſe.

PARALIPOMENA.

De Dea Strenia. Et de ſtrenarum ritu.

Vitioſum huius deæ nomen, nam pro *ſtrenia ſtrenuã* ſciolus aliquis antiquitatis ignarus repoſuerat, & ſic concipitur in Romæ deſcriptione apud Onuphrium Panuinium pag. 175. & apud P. Victorem pag. 243. in quarta regione, & in eadem regione apud Sextum Rufum pag. 229. qui ſacellum *Strenue* tantùm nominat, cum alij ædiculam deæ *ſtrennue*. Sed melius M. Terentius Varro lib. 4. de ling. lat. *Cerolienſis à Carinarum iunctu dictus Carinæ, poſtea Ceriolia, quod hinc oritur caput ſacræ viæ à Streniæ ſacello.* Feſt. Pomp. lib. 17. *itaque neque eatenus quidem, vt vulgus opinatur, ſacra appellanda eſt à regia, ad domum regis ſacrificuli, ſed à regis domo ad ſacellum Streniæ.* quo loco imperitè nonnulli Sireniæ legere, nam ſtremam deam dictam quæ *Xeniis ſeu muneribus Calen. Ianu. dandis accipiendiſque præeſſet,* auctor eſt D. Auguſt. lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 16. *Cui à ſtrenuitate aut bellica fortitudine nomen deductum.* Non. Marcell. cap. 1. num. 58. ex Pompon. in Piſtoribus vel vt alij verius, in pictoribus, *Aſide.*

Si qua eſt alia ventura ſtrena ſtrenuè.

Sed paulò altius res repetenda eſt, quanquam ſatis ſciam aliis animaduerſam. Q. Florens Tertullian. lib. de Idololatria. *Quid minus eſt inquinamenti eo quem præſtat quæſtus & nominibus & honoribus idolo nuncupatis, quàm Mineruaalia Mineruæ, quàm ſaturnalia Saturni, quàm etiam ſerui ulis ſub tempore ſaturnalium celebrari neceſſe eſt, etiam ſtrenæ captandæ, & ſeptimontium, & brumæ, & caræ cognationis honoraria exigenda omnia.* Ex quibus liquet inter præcipua Romanarum ſolemnitatum feſta, *ſtrenarum diem* fuiſſe. Vſus & origo à Romuli tempeſtate. Q. Symmach. lib. 10. epiſt. 28. *Strenarum vſus adoleuit authoritate Tatij regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ, anni noui auſpices,* *primus accepit:* receptam eandem Calendis Ianuariis ſolemnitatem idem nõ obſcurè indicat eod. lib. epiſt. 20. *Calendas anni auſpices, quibus menſium recurſus aperitur, impertiendis ſtrenis dicauit antiquitas:* nomen hoc bonum tantum omen ſignificabat. Feſt. Pomp. lib. 17. Plaut. Sticho. ſc. Saluete.

Bona, ſcæua, ſtrenaque obuiam acceſſit mihi.

legendum,

Bona ſcæua, ſtrenaque hoc bolo acceſſit mihi.

Obſcæuare enim idem ac *viſci*. eadem Comedia ſc. libros.

Muſtela murem mihi abſtulit præter pedes cum ſtrena obſeruauit. corrigit Palmerius in Spicilegio. *Eam ſtrenam obſcæuauit.*

Vt mus fuerit *ſtrena* aut *præda*, ſeu *bolus*, vt antea explicui *muſtelæ*.

Ouid. ad Ianum lib. 1. Faſt.

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas accipimuſque preces?

Et igitur die quo ſtrenas miſſitabant, prodigij inſtar habebant verba inomina, ſiue ominoſa, abundantiſſimè docuit I. Lipſius ad Taciti Annales, idem Ouid. lib. 3. triſt. eleg. 13.

Concipiamque bonas ore fauente preces.

Et eam ob cauſam *nouus conſul omina fauſta capturus annum nouum aperiebat.* Aurel. Caſſiod. lib. 2. epiſt. 2. l. 1. C. Theod. ne publ. læt. Stat. lib. 4. ſyl. 1.

—Inſignemque aperis Germanicus annum.

Neque vero munera hæc lætitiæ inſignia alio nomine, quam ſtrenarum appellari fas erat. & quia Vlpianus *διανομίδα diſtributionum, largitionumque* appellat τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων καλουμένην στρῆναν ἐπὶ πᾶσαν ἀγαθὴν λεγομένην, καὶ διδομένην τοῖς φίλοις, *vocatam à Romanis ſtrenam, patria conſuetudine ſic dictam, amiciſque dari ſolitam*, à Cynulco grauiter increpatur apud Athenæum lib. 3. Dipnoſophiſt. cap. 10.

Dona hæc, ſeu ſtrenam, *auro ducta manuſcula* interpretatur Symmachus lib. 10. epiſt. 28. offerri ſolebant patronis à clientibus, doctè nec minus pulchrè M. Martialis lib. 8. epigr. 33.

Hoc linitur ſputo Iani Cariota Calendis,
Quam fert cum paruo ſordidus, eſſe cliens.

Et æquè diſertè lib. 13. epigr. 27.

Aurea porrigitur Iani Cariota Calendis,
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

Aut Senatus totaque ciuitas, velut publico ſuo parenti imperatori ſtrenas largiebatur, Magnus Caſſiod. lib. 6. epiſt. 7 *ſupplicium per te fortunas erigimus, Calendis Ianuariis affatim dona largimur, & lætitia publica militia tua eſt.* Idem Byzantij inualuiſſe liquet ex Coripo Africano de rebus Iuſtini minoris lib. 4. nu. 2.

Dona Calendarum, quorum est ea cura, parabant Officia.

Introducta, quantum ſuſpicari licet, hæc conſuetudo ab Auguſti ſeculo. C. Suet. in eo. cap. 57. *Omnes ordines in lacum Curtij quotannis ex voto pro ſalute eius ſtipem iaciebant, item Calendis Ianuariis, ſtrenam in Capitolio, etiam abſenti, ex qua ſumma pretioſiſſima deorum ſimulachra mercatus, vicatim dedicabat, vt Apollinem ſandaliarium & Iouem Tragœdum:* poſt eum mos idem ſub Tiberio principe retentus, idem Sueton. in eo. cap. 34. *Quotidiana oſcula prohibuit edicto, item Strenarum commercium, ne vltra Calendas Ianuarias exerceretur.* Impudentius multò ſcurriliuſque C. Cæſar Caligula apud Suetonium in eo. cap. 42. *edixit, & ſtrenas ineunte anno ſe recepturum, ſtetitque in veſtibulo ædium, Calendis Ianuariis ad captandas ſtipes, quas, plenis ante eum manibus, & ſinu, omnis generis turba fundebat.* Neque modo accipiebant imperatores ſtrenas, ſed ſtipem emendicabant vt patet ex loco Tranquilli iam citato, cui addendus alter ex Auguſti vita cap. 91. *Ex nocturno viſu etiam ſtipem quotannis certo die emendicabat à populo, cauam manum aſſes porrigentibus prabens*, quem ritum obſeruabat vir eruditus Iac. Caſellius Durantius variar. lib. 1. cap. 20. quem miror alios ſuppreſſo nomine tranſſcripſiſſe. Ammian. lib. 16. *Inductis quadam ſolemnitate, agentibus in rebus, in conſiſtorium, vt aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum conſortio, non vt moris eſt, expanſa chlamyde, ſed vtraque manu cauata accepit, & Imperator rapere, inquit, non accipere ſciunt agentes in rebus.* Rapina ergo per manum cauam expreſſa, ingenua & liberalis vſurpatio, reiue acceptio per ſinum togæ expanſum ſignificabatur, quo ſenſu AEl. Lampr. in Commodo Aug. *Agebant ſe que omnia per alios, qui etiam condemnationes in ſinum vertiſſe dicuntur.* Plin. lib. 16. cap. 35. *Scaurus toties princeps ciuitatis, & Marianis ſodalitiis rapinarum prouincialium ſinus*, inde formulæ iſtæ locutionum manarunt, *ferre ſinu*. Q Horat. lib. 2 ſat. 3.

—Tales Aule, nuceſque
Ferre ſinu laxo.

Vacuo ſinu remittere, M. Martial. libro 10. epigr. 78.

Rectorem vacuo ſinu remittas.

Et ſanè is mendicantium ritus non manum protendere, ſed laxum togæ gremium L. Apul. li. 8. Metamorph. *ſtipes æreas, imo verò & argenteas multis certatim offerentibus, ſinu recepere patulo, nec non & vini cadum & lactem, & caſeos, & farris, & filiginis aliquid* Rutil. Numatian. Gallus Itinerarij ſui lib. 1.

Diuia pacatæ dent vectigalia terræ.
Impleat Auguſtos barbara præda ſinus.

Qui ſecus feciſſet, non carebat auaritiæ rapacitatiſque argumento, vnde paſtor ille Virgilianus Eclog. 1. grauiter conquerens ait.

Non vnquam grauis ære domum mihi dextra redibat.

Et amica auara apud Albium Tibullum li. 2. eleg. 4.

Nec proſunt elegi, nec carminis auctor Apollo,
Illa caua pretium flagitat vſque manu.

Corippus Africanus de laudibus Iuſtini li. 4. num. 1. idem in ſolennitatibus Circenſium ludicrorum obſeruatum oſtendit, in quibus miſſilia ſeu ſparſiones, aut principum donatiua, non manu, ſed toga prætenſa accipere ſolitum inſinuat,

Liberius ſpectare oculis, manibúſque fauere,
Et donis aptare ſinus, quæ plurima conſul
In plebes miſſurus erat.

Vltimæ deinde & plebeiæ multitudinis rapacitatem adumbraturus ſubdit.

—Palmáſque capaces
Tendere, quo veniens late pluat aureus imber.

Et dixerat antea.

—Exertas ad munera tendere dextras.

Eodem libro num. 2.

—Pretendunt dextras, & premia ſumunt.

Et libro eodem Num. 3

—Palmáſque ſinúſque parabat.

Dixi multis ad illud Claudiani lib. 1. in Ruffinum quem conſtat auaritia omnes mortales ſuperaſſe.

Dextera quin etiam ludo conceſſa vagatur
Æra petens, pœnáſque animi perſoluit auari
Terribili lucro vinoſque imitata retentus
Dogitur adductis digitos inflectere neruis.

Denique *fur manuarius* dicitur A. Gellio lib. 16. cap. 7. & ſic intelligendus Labertij antiqui poëtæ verſus in Fullone, Fullonicis.

Manitari pudorem perdidiſti.

Sed vt ad ſtrenas vnde digreſſus ſum reuertar, Imperatores dantibus ſibi & offerentibus ſtrenas pares aut maiores reddebant. C. Sueton. Tiber. cap. 14. *conſueuerat quadruplum & de manu reddere, ſed offenſus interpellari ſe toto menſe ab iis qui poteſtatem ſui die feſto non habuiſſent, vltra non reddidit.* D. Auſon. epiſt. 2. cuius Epigraphe ſic concepta, *Ad Vrſulum Grammaticum Treuirorum cui ſtrenas Calendis Ianuariis ab imperatore non datas, reddi fecit*, ſequitur deinde in epiſtola.

Primus iucundi fuit hic tibi fructus honoris,
Auguſtæ fauſtum munus habere manus.
Proximus ex longo gradus eſt, Quæſtoris amici
Curam poſtremis excubuiſſe tuis.

Ad quem locum doctiſſimus Vinetus videatur, quem ſuſpicor in corruptum codicem inciſiſſe,

cidisse, nam locum Nonij supra à me citatum, aliter quàm legi debeat profert.

——— *Asi de pistoribus*

Si qua alia ventura est strena strenue.

T. Pomponius Comediam scripserat, cui epigraphe indita *pistores* : itaque Nonius citarat primum opus, deinde verba expressit. Sed quum nimiam licentiam vellet reprimere Tiberius, ne strenæ amplius darentur, edicto perpetuo cauit, præter Suet. loco citato, Dio Cocceian. lib. 57. ὁ δὲ δὴ Τιβέριος ἐπεὶ καὶ μετὰ τὴν νουμηνίαν τινὲς αὐτῷ προσελθόντες, ὅ τι ἐδέξατο, καὶ τι καὶ γράμμα περὶ αὐτοῦ τούτου ἐξέθετο ῥήματί τινι μὴ λατίνῳ χρησάμενος. *Tiberius strenam à quibusdam oblatam non accepit, eáque de re edictum proposuit, in ea voce non Latina vsus.*

Interdixit quidem Tiberius, & edicto sustulit strenarum commercium, vt & primæ ecclesiæ constitutiones, cap. *non obseruetis* c. 26. quæst. 7. *non obseruetis dies, qui dicuntur Aegyptiaci, aut Calendas Ianuarij, in quibus cantilenæ quædam & comessationes, & ad inuicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio*, quo loco dissuadet quidem Ecclesia missionem munerum. at disertè prohibet, cap. si quis quæst. eadem *si quis Calendas Ianuarij ritu paganorum colere, vel aliquid plus noui facere propter annum nouum, aut mensas cum lampadibus, vel eas in domibus præparare, & per vicos & plateas cantores & choros ducere præsumpserit anathema sit* : quo referendum illud Q. Florentis Tertulliani lib. de idololat. *Saturnalia, & Calendæ Ianuariæ, & Brumæ, & matronales frequentantur, munera commeant, strenæ commeant, lusus, conuiuia constrepunt.* Sed hæc de strenarum abusu, non verò legitima consuetudine intelligenda sunt, quandoquidem moderatum vsum admisere imperatoria edicta. Anastasius August. Eustathio l. 4. Cod. de aduocat. diuers. Iudicum. *laudabile vitæque hominum necessarium aduocationis officium maximè principalibus præmiis oportet remunerari, idéoque iubemus viros clarissimos fisci, pro tempore patronos fori tuæ celsitudinis, solemni die festiuitatis Calendarum Ianuariarum ipsius tantummodo anni, quem per tale peragunt officium, inter spectabiles sacri nostri consistorij comites, diuina serenitatis nostræ manu punctli, consequi solatia*, qua in lege *solatia*, *strenas* glossa Accursiana reddit, quanquam sciam alios ex Vlpiano IC. l. 1. ff. de commun. præd. non malè interpretatos, *solatia, laboris præmia, mercedem.*

Porrò sunt qui putent idem esse *strenas* & *Xenia*, sed falsi illi, Hieronym. VVolfius vir alioqui doctus interpretatus. Suidæ versiculum ex Archilocho poëta transcriptum.

Ξεῖνα δ' ἐχθροῖσι λυγρὰ χαριζόμενος.

Vertit malè.

Strenas hostibus acerbas largiens.

Nam *Xenia*, pro *Mineruali aduocatorum*, seu *superm:unerario munere*, C. Plinius Iunior lib. 5. epist. 14. vsurpat *quem me iuuat, quod in caussis agendis, non modò pactione, dono, munere, verum etiam Xeniis semper abstinui*, morem indicat eorum, qui à clientibus sordidè & cum dedecore dona sibi dari postulabant, quo respexit Aurel. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 7. *Occasione Saturnaliorum per auaritiam à clientibus ambitiosè munera exigebant, sed cùm id onus tenuiores grauaret, Publicius Trib. pleb. legem tulit, vt non nisi Cerei ditioribus mitterentur; licèt aliam* caussam assignet. Cereorum missorum in Saturnalibus, nempe *vt Saturnum antea humana hostia coli solitum, accensis intra ipsius luminibus placarent*, eiusdem libri c. 11. quo ritu M. Martial. lib. 10. epigr.

Linguis omnibus & fauete votis.
Natalem colimus: tacete lites,
Absit cereus aridi clientis.

Vel certè dona quæ hospitibus oblata ξένια τοῖς ξένοις *Xenia* dicebantur, M. Pollio Vitruu. Architect. lib. 6. cap. 9. *qualia erant pulli, oleræ, oua, poma, similesque res agrestes, hospitibus ad cœnam inuitatis missæ.* Tertio Xenia sunt quæcunque munuscula à prouincialibus per præsidem, præfectúmque contra ius fásque, vetuerúntque ea aut exigi, aut oblata recipi, Valentinianus & Valens Augg. l. vn. C. Theodos. lib. 11. tit. 11. Vlpianus IC. egregiè, vt solet, ex epistola diuorum Seueri & Antonini, l. 6. ff. de offic. proconsl. *non verò in totum*, inquit, *Xeniis abstinere debebit proconsul, sed modum adiicere, vt neque moresè in totum abstineat: neque auarè modum Xeniorum excedat, nam valdè inhumanum est à nemine accipere, sed passim, vilissimum est, & omnia, auarissimum*, in quo antiquo Codice legebatur malè *euxeniorum*, Pius Antonius Bartolinus c. 6. P. Ouidius lib. 1. Amor. eleg. 10. eo respicit,

Non bene selecti iudicis arca patet.
Turpe reos empta miseros defendere lingua,
Quod facias magnum turpe tribunal opes.

Ob hanc, vt puto, causam, probibitum lata lege, ne magistratus in prouinciam proficiscentes vxores comitarentur, ne videlicet *fœminæ in auaritiam suapte natura propensæ, potentia subnixæ, prouinciam expilarent*, dicam alibi fusè. Iuuenal. sat. 8. v. 29.

—Si nullum in coniuge crimen,
Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat, nummos raptura celæno.

Vetus scholiastes, *si vxor*, inquit, *tua te administrante nihil rapit*, vltimo denique conuiuan-

tium solennis ritus, post epulas munusculum aliquod ad cœnam vocatis, in tesseram hospitij gratioris offerre, Plin. Iuniot. lib. 6. ep. 31. *adhibebantur quotidie cœnæ, erat modica si principem cogitas, interdum ἀκροάματα audiebamus, interdum iucundissimis sermonibus nox ducebatur, summo die abeuntibus nobis (tam diligens in Cæsare humanitas fuit) Xenia sunt missa.* M. Martial. lib. 14. epigr. 1.

Diuitis alternas & pauperis accipe sortes.
Præmia conuiua det sua quisque suo.

Apophoreta appellata à C. Suetonio in Vespasiano cap. 19. & est locus apud L. Senecam qui eget manu medica lib. 1. de Benef. cap. 5. *Non potest beneficium manu tangi, animo cernitur, multum interest inter materiam beneficij, & beneficium, itaque nec argentum, nec quicquam eorum, quæ à proximis accipiuntur, beneficium est.* I. Lipsius putauit legendum, *nec quicquam eorum, quæ pro summis accipiuntur.* Ianus Gruterus *quæ aperto sinu*, alij fortè non malè, *quæ pro maximis*, sed omnium, ex MS. commodissimè, Franciscus Modius Nouantiquar. lectio. epist. 28. *eorum, quæ pro Xeniis accipiuntur.* Et sic cum Apophoretis, Xenijsque plerumque strenæ confunduntur. Andreas Alciatus IC. Emblemate 45. & Minos ad eum locum.

Rostra nouo mihi setigeri suis obtulit anno,
Hæc quis cliens ventri Xenia, dixit, habe.

Plura qui cupis, lege Homiliam D. Augustini *de Calendis Ianuariis*, quam debet posteritas eruditissimo Sauaroni, qui & eandem multiplici doctrina sua illustrauit.

DE COLOSSO SOLIS ET RADIATA CORONA.

COlossi in vrbe multi fuerunt, *ænei triginta sex, marmorei quinquaginta & vnus*, vt testatur P. Victor. in 14. vrbis regione. Porro hunc colossum in 9. reg. ponit vrbis notitia: Sextus Rufus in 13. reg. ædem Antiquam Apollinis cum Colosso collocat, denique in reg. 10. Apollinis palatini colossum statuunt, altum quinquaginta pedibus. M. Martial. lib. spectaculor. epigr. 2. & Theodorus Marcilius ibidem.

Hic vbi sidereus propior videt astra colossus.

Et lib. 1. epigr. 71.

Nec te detineat mihi radiata colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.

Et lib. 8. epigr. 44.

Ædemque Martis & colossum Augusti.

Quo loco *Augustus* Martiali est *Vespasianus princeps qui dempto capite Neronis imposuit caput Solis, septem radiis insigne*, erectum enim colossum in Solis honorem, satis constat ex iis, qui de septem orbis miraculis post Plinium, Strabonem, Pausaniam, Melam, & alios prodiderunt. Commodus deinde *ablato solis capite, suum imposuit.* Æl. Lamprid. in eo. Herodia. lib. 1. sed de longitudine eius anceps est controuersia. P. Victor *centum duobus.* C. Sueton. in Nerone cap. 31. *centum viginti*, si modò is est, qui in Neronis vestibulo stetit, cui consonat C. Plin. lib. 5. cap. 5. dissentit, altitudinémque ponit *pedum centum decem*, Ioan. Xiphilin. in Vespasiano *pedum ducentorum viginti quatuor*, denique Eusebius lib. de Temporib. & Aurelius Cassiodorus in Chronico suo consulari *pedum centum septem*, vt sit mirum tantam de eadem re scriptorum discrepantiam reperiri.

Mutauit hic colossus sæpius locum, nam & in vestibulo domus aureæ Neronis stetit, ex Suetonio proximè citato, & in eo loco vbi templum vrbis erat, hoc in monte Palatino, vt multis ostendo ad Claudiani illud libr. de laudibus Stilich.

Conueniunt ad tecta deæ, quæ candida lucem
Monte Palatino.

Translatum autem colossum hunc ab Adriano Aug. prodit Æl. Spartianus in eo. in sacra via stetisse ostendit Dio Cocceian. lib. 66. ἐπὶ δὲ τοῦ οὐεσπασιανοῦ ἕκτον, καὶ ἐπὶ τοῦ τίτου τέταρτον ἀρχόντων, τὸ τῆς εἰρήνης τέμενος καθιερώθη, ὅ τε κολοσσὸς ὠνομασμένος ἐν τῇ ἱερᾷ ὁδῷ ἱδρύθη, φασὶ δ' αὐτὸν τὸ ὕψος ἑκατὸν ποδῶν, καὶ τὸ εἶδος οἱ μὲν τὸ τοῦ νέρωνος, οἱ δὲ τὸ τοῦ τίτου ἔχειν, *Vespasiano sextum & Tito quartum consulibus, templum Pacis dedicatum est, & colossus sacra via collocatus, quem ferunt fuisse altum pedes centum, imago Neronis erat, vel Titi, vt aliis traditum est.* alter eiusdem est locus lib 73. ad finem, quem, vt solet, ad verbum Xiphilinus exscripsit, καὶ μηδεὶς ἀπιστήσει, καὶ γὰρ τοῦ κολοσσοῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν, καὶ ἑτέραν ἑαυτοῦ ἀνθεὶς, καὶ ῥόπαλον, δοὺς, λέοντά τε τινὰ χαλκοῦν ὑποθεὶς ὡς Ἡρακλεῖ ἐοικέναι, *idque mihi omnes credent facilius, si intelligent eum abscisso colossi capite, sui capitis imaginem reposuisse, data ei claua, leonéque æneo subiecto, vt Herculi similis esset.*

Colossus hic Soli sacer, & ob id corona radiata insignitus, talis enim diis maioribus gentium, sed præcipuè Soli, Ioui, & Baccho, & de sole quidem Martia. Capella lib. 1. nupt. *Solis Augustum caput radiis perfusum circumactúmque flammantibus*, & post. *Septem radiorum coronam soliuaga virginitas renudauit.* P. Ouid. lib. 2. Metam. fab. 1.

—Circum caput omne micantes
Deposuit radios

De Ioue Claudian. de 3. Hon. Consul.

Quis non luciferum roseo cum Sole videri
Crederet, aut iunctum Bromio radiare tonantem.

Et Castores Latin. Drepan. paneg. Theodosij *seniori crediderat maiores, Castores geminos, albenti-*

bus

bus equis, & stellatis apicibus insignis: stellatum apicem interpretor *corona radiata ornatum*: Et Aurora, Claudian. lib. 1. in Eutropium.

Nec radiis redimita comam, nec flammea vultum.

Sed maximè radiatus sol dicebatur. L. Sen. Herc. furente Act. 4. in choro: Ad cuius similitudinem viri principes, qui dij haberi volebant, similem coronam gestabant, Latinus ille Virgilianus lib. 12. Æneid.

Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt
Solis aui specimen.

Si ad Imperatores respicimus, longa est impietatis series, qui statuas sibi erigi & aras fana dicari, flamines institui, non secus quàm dij voluerunt. princeps eius ritus vsurpator Augustus, *cuius species nocturna* apud C. Suetonium cap. 94. *mortali specie amplior cum fulmine & sceptro exuuiisque Iouis opt. maximi radiata corona*; quod fœdissimus adulator Vell. Paterculus signauit lib. 2. historiæ suæ, *cùm intrares vrbem, solis orbis super caput eius curuatus æqualiter, rotundatúsque in colorem arcus velut coronam tanti mox viri capiti imponens, & coronas distinctas Solis ac Lunæ specie.* vsurpat Caligula Aug. Sueton in eo cap. 45. Allusit C. Plin. in panegyr. Traiani. *Illi iamdudum radiatum caput, & media inter deos sedes staret auro & ebore.* sic interpretor C. Taciti verba lib. 8. Annal. qui ait *Augustum primum specie numinis coli voluisse*, hoc est, *additis simulachro aut statuæ suæ radio, hasta & fulmine*, quod expressum eleganter ab Aurelio Prudentio li. 1. in Symmachum.

Testantur tituli, produnt consulta senatus.
Cæsareum Iouis ad speciem referentia templum.

L. Flor. lib. 4. cap. 2. affectatum hunc ante Augustum à Cæsare dictatore, seu delatum honorem ab aliis insinuat. *Itaque non ingratis ciuibus omnes vnum in principem circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in cælo.* Sic de Cn. Pompeio suo M. Lucan. lib. 8.

Fulminibus manes radiisque ornabis & astris.

Stat. de Domitiano lib. 1. Thebaid. principio.

Ipse tuis altè radiantem crinibus arcum
Imprimat.

Et de eius filio Silius Italic. lib. 3. Punicor.

—Mediumque parens fraterq; locabunt
Siderei iuxta radiabunt tempora nati.

Imo in priuatis principum ædibus, radiatæ etiam coronæ vsus, disco ex Claudiano lib. 1. de laudib. Stil.

—Radiis auri Tyriáque superbit
Maiestas thorus.

DE BALNEO DAPHNIDIS.

P. Victor & Sext. Ruffus in quarta hac regione balineum Daphnidis reponunt, sed quale id fuerit, neuter eorum explicat. An à *Daphnide seruo* extructum? *cuius ingens pretium Cn. Pisaurensi vendente, & M. Scauro licitante refertur fuisse trium millium septingentorum sestertiûm.* C. Plin. lib. 7. c. 39. de quo intelligendum puto M. Martialem lib. 3. epigr. 5.

Protinus hunc adeas primìque in limine tecti,
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille lares.

An quia Apollini sacrum? in cuius tutela, laurus quæ frequenter circa balnea, aut in ipsis balneis censebat, quam ex Plinio & aliis *Daphnem* vocari ab etymologia græca apertum est: quod luculento carmine eiusdem Martialis constat, lib. 12. epigr. 50.

Daphnonas, Platanos, ac aerias Cyparissos,
Et non vnius balnea solus habes.

Qua occasione venit in mentem celebrata Daphnes oppidi prope Antiochiam historia: cuius meminit Philostratus Lemnius in vita Apollonij Thyanæi lib. 11. cap. 12. vbi & lucus ingens, & opacus, fontanis aquis irriguus, in cuius medio est fanum Apollinis, & Dianæ, & asylum, prope vrbem Orontes labitur, adi ad Strabonem Geograph. lib. 16. nomen vrbi indubiè à lauro spectatissima desumitur, quæ magna copia ibi visitur. D. Auson In vrbibus de Antiochia & Alexandria.

Tertia Phœbeæ lauri domus, Antiochia.

Cn. Pompeius Daphnensibus aliquantum agrorum dedit, quo lucus sibi spatiosior fieret, delectatus amœnitate loci, vt loquitur Eutropius lib. 6. Ammianus Marcellin. lib. 19. *amænum & ambitiosum Antiochiæ suburbanum Daphnem appellat*: Est & constitutio *ne arbores inde cadantur*, lata à Theodosio C. de cupressis ex luco Daphnensi, vel pascuis per Ægyptum non excindendis. lib. 11. Non ergo in hoc luco tantùm lauri, sed & magna aliarum arborum copia. Priscian. Cæsariensis ex Dionysio in Periegesi.

Hic nemorosa virent Daphnes loca, celsa cupressus
Erigitur, ramos innectit laurus odora.
Crine Dionæo myrtus diffunditur: alta
Consurgunt pinus, & cælum sibila pulsant
Robora, mollicoma tellus insternitur herbis.

Eadem Claudian. lib. 3. de raptu Proserp.

Tollebant geminæ capita inuiolata cupressus
Cespite vicino quales non rupibus Idæ
Miratur Simois, quales non diuite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.

REGIO QVINTA, ESQVLINA CVM TVRRI & colle Viminali.

Mons Esquilinus, aliàs, Cispius, Oppius, & Septimius.
Mons Viminalis, aliàs Fagutalis.
Aggeres Tarquinij Superbi.
Cliuus Vrbicus.
Vicus Patricius.

Figlina.

Puticuli, aliàs, Puticulæ, in Esquiliis.
Spes vetus.

Vici XV.

Vicus Sucusanus.
Vicus Vrsi pileati.
Vicus Mineruæ.
Vicus Vstrinus.
Vicus Palloris.
Vicus Seius.
Vicus Siluani.
Vicus Capulatorum.
Vicus Tragœdus.
Vicus Vnguentarius.
Vicus Paullinus.
Vicus Pastores.
Vicus Catiearius.
Vicus Veneris placidæ
Vicus Iunonis.
Vicus Africus in Esquiliis antiquus.
Vicomagistri LX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Stationes cohort. vigilum VII.
Tabernola.
Tres tabernæ.
Lucus Poëtulinus.
Lucus Fageus, aliàs, Fagutalis.
Lucus Esquilinus. ( )
Lucus Querquetularius.
Lucus Mephitis.
Lucus Iunonis Lucinæ.
Lucus Viminalis, aliàs, Iouis Viminei.
Lucus Rubiginis.
Templum Iouis Fagutalis, aliàs Viminei.
Templum Iunonis Lucinæ.
Templum Mineruæ Medicæ.
Pantheum.
Templum Siluani sub Viminali, cum porticu.
Templum Æsculapij.
Templum Veneris Erycinæ ad portam Collinam cum porticu.
Aedes Veneris Verticordiæ, extra portam Collinam, via Salaria.
Aedes Rubiginis via Nomentana, extra portam Catulariam.
Aedes Quietis extra portam Collinam.
Aedes Felicitatis
Aedes malæ fortunæ.

Ædiculæ XVI.

Aedicula Fortunæ Seiæ.
Aedicula Veneris placidæ.
Aedicula Castoris.
Aedicula Pollucis.
Aedicula Siluani.
Aedicula Apollinis.
Aedicula Cloacinæ.
Aedicula Herculis.
Aedicula Mercurij.
Aedicula Martis.
Aedicula Lunæ.
Aedicula Serapidis.
Aedicula Vestæ.
Aedicula Cereris.
Aedicula Proserpinæ.
Aedicula Fortunæ paruæ.
Sacellum deæ Næniæ extra portam viminalem.
Sacellum Querquetularium.
Sacellum Iouis Fagutalis.
Ara Iouis Viminei.
Ara Malæ Fortunæ.
Hercules Siluanus.
Isis Patricia.
Amphitheatrum Castrense.
Circus Aureliani cum obelisco.
Forum Esquilinum.
Basilica Sicini.
Regia Seruij Tullij.
Campus Esquilinus.
Campus Viminalis sub aggere, in quo erat ædicula Fortunæ paruæ.
Horti Mecœnatis cum turri.
Horti Plautiani, aliàs, Planciani, aliàs, Pallantiani.
Horti Torquatiani.
Castra Prætoria.
Viuarium.
Thermæ Olympiadis.
Thermæ Nouati.
Balineum Pauli.
Balinea priuata LXXV.
Nymphæum Alexandri Imp.
Lauacrum Agrippinæ.
Lacus Promethei II.

Lacus

Lacus fine nomine. CLXXIX.
Castellum aquarum Marciæ, Iuliæ, & Tepulæ.
Arcus Gallieni.
Macellum Liuianum.
Horrea XXIII.
Pistrina XXII.

Domus CXXC. in his.

Domus Regis Ser. Tullij.

PARALIPOMENA.

Ad Regionem quintam.

DE PALLORE.

PAllofis vicum in quinta regione ponunt notitia vrbis, & Sext. Ruffus, qui & ædiculam eidem erectam in eadem hac regione scribit, verè, an secus? ambigo. Cultum quidem, vt *omnes alios affectus humanæ mentis* prodidit D. Augustin. de ciuit. dei lib. 4. cap. 23. & amplius Lactant. Firmian. lib. 1. Diuinar. Institut. cap. 20. *Pauorem Palloremque Tullus Hostilius figurauit, & coluit; quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse, qui semper deos (sicut optari solet) præsentes haberet?* vt sit mirum non describi à Topographis vrbis, cùm luculenta extet T. Liuij narratio 1. Dec. lib. 1. *Tullus Hostilius in re trepida duodecim vouit Salios, fanáque Pallori ac Pauori, equitem clara increpans voce, vt hostes exaudirent, redire in prælium iubet.* Sed non in vrbe, verum extra vrbis pomærium Pallori structam ædem loquitur Plutarchus in Cleomene. Isti autem auctores tantùm ea quæ in ipsis mœnibus continentur descripserunt.

Et rectè Pallorem communi cum Pauore fano coluerunt, quia *ex timore* seu pauore nascitur *pallor, antequam pallescamus exangues simus*, inquit Seruius lib. 2. Æneid. v. 214.

Diffugimus visu exsangues.

Siue, vt idem loquitur ad v. 30. lib. 3. Æneid. *pallor nascitur, cùm se ad præcordia fugiens contrahit sanguis.* M. Tull. lib. 3. de finibus bon. & malor. *quis est enim, aut quotusquisque, cui mors cum appropinquet*

Non refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.

Atque ita semper poetæ, alios citari nihil expedit. vnicus satis erit Claudian. lib. 2. in Ruffin.

At procul exsanguis Ruffinum perculit horror, Infectæ pallore genæ,

MS. meus diserte, & melius.

——Exsanguem Ruffinus perculit horror

Idem lib. de bell. Gildon.

——Semper pallebit Regia Bacchi.

Q. Lutatij Catuli.
M. Licinij Crassi diuitis.
Aquilij Iureconsulti.
P. Virgilij Maronis.
Propertij.
Aul. Persij.
C. Plinij Iunioris.
Licinij Imperatoris.
Insulæ ∞ ∞ D.CCCL.
Regio habet in ambitu pedes CCIↃↃ IↃ. DCCCCL. id est, 15950.

Et eodem opere.

Pallida transl[a]tum iam sentiat Africa Rhenum.

Nempe calamitatis metu venturæ, idem paneg. de 3 Honorij consul.

——Famulo Gangem pallescere ripis.

DE RVBIGINE AVT RVBIGO DEO.

VT Furias & tempestatem, aliáque peioris mundi numina veteres coluerunt, ita & *Rubiginem ne obsisset.* T. Liuius 1. dec. lib. 1. in Numæ regno. Lactant. Firmian. lib. 1. cap. 20. *hæc enim semper est excusatio eorum, qui mala sua pro diis habent, vt Romani Rubiginem ac Febrim.* M. Terent. Varro Rei Rust. lib. 1. cap. 1. *quarto Robigum & Floram, quibus propitiis neque rubigo frumentum, neque arbores corrumpit, neque non tempestiue florent: itaque publicæ Robigo feriæ Robigalia, Floræ ludi Floralia instituti*, quæ ille *Robigalia*, Seruius infra citandus *Rubiginalia* appellat. Iun. Columella lib. 10. de Re Rustica.

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.

P. Vir. lib. 1. Georg.

Mox & frumentis labor additus, vt mala fruges
Esset Rubigo, segnis que horreret in aruis
Carduus.

Varro de ling. lat. lib. 5. *Robigalia Robigo, dicta, secundum segetes huic deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes*, sed quale illud sacrificium? controuersum, Moderatus Columella supra citatus, *sanguine lactentis catuli*, P. Ouid. lib. 4. Fastor.

Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ouis.

Sequitur deinde votorum conceptio.

Aspera Rubigo parcis Cerealibus herbis.
Et tremat in summa leue cacumen humo.

Sacrificium hoc *medio Vere* offerri solitum, vt est in fastis Capitolinis, hoc est *septimo Calendas Maias*, Fest. Pomp. lib. 16. *Robigalia dies festus 7. Calendas Maias, quo Robigo deo, quem putabant rubiginem auertere, sacrificabant*, concors ei C. Plin. lib. 18. cap. 29. *tria tempora*

fruƈtibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, diésque festos, Rubigalia, Floralia, Vinalia: Rubigalia Numa constituit, anno regni sui undecimo, quæ nunc aguntur ad septimum Calendas Maij, quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. alij vno die prius, hoc eſt *sexto Calendas Maias* volunt celebratum iſtud ſacrum, Alexand. Neapolitan. lib. 6. cap. 8. at diſſentit Seruius Honoratus ad lib. 1. Georgic. v. 151. *rubigo genus eſt vitij quo culmi pereunt, quod à rusticanis calamitas dicitur, hoc autem genus vitij ex nebula nasci solet, cùm nigrescunt & consumunt frumenta, inde & Rubigus deus: & sacra eius decimo Calend. Maias Rubiginalia appellantur, sed hæc res abusiuè rubigo dicitur. nam propriè rubigo eſt (ut Varro dicit) vitium obscœnæ libidinis, quod hulcus vocatur, id autem abundantia & superfluitate humoris solet nasci, quæ græcè* [illegible] *dicitur.* legantur D. Auguſtin. lib. 4. de ciuit. dei. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. aliis notati, hinc metaphoricus *loquendi rubigo* apud Sidonium Apollinar. lib. 8. epiſt. 6. & *rubiginem linguæ abstergere* dixit D. Hieronym. in epiſtolis, de Malcho monacho, & *stylum rubigine, & situ obduci*, idem in Epiſtolis in Epitaphio Nepotiani, denique Marcus Accius Plaut. Rudente Aƈtu 5. ſcena. 2.

——Hoc volo hic ante ostium extergere,
Nam hoc pol quidem è rubigine, non è ferro factum eſt.

Ex quo loco alia ſignificatio huius nominis, quàm ab aliis ſupra diſcere poſſumus.

REGIO SEXTA, ALTA SEMITA.

Mons Quirinali, aliàs, Agonius, Salutaris, Latiaris, & Murialis.
Campus Sceleratus, ad portam Collinam.
Cliuus Publicus.

Vici XIII. aliàs XII. non enim connumerant vicum Bellonæ.

Vicus Bellonæ extra numerum.
Vicus Mamuri.
Vicus Albus.
Vicus Publicus.
Vicus Floræ.
Vicus Quirini.
Vicus Flauius.
Vicus Fortunarum.
Vicus Paccius.
Vicus Tiburtinus.
Vicus Salutis.
Vicus Calidianus.
Vicus Maximus.
Vicus Muſtellarius antiquus, extra numerũ.
Vico magiſtri XLVIII. aliàs, LII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes vigilum III.
Capitolium vetus.
Malum Punicum.
Decem tabernæ.
ad Gallinas albas.
Pila Honoris.

Templa XV.

Templum Salutis in colle Quirinali.
Templum Serapium, aliàs Serapidis.
Templum Apollinis & Clatræ.
Templum Floræ.
Templum Veneris hortorum Salluſtianorum.
Templum Quirini cum porticu.
Templum Mineruæ Flauianæ.
Templum Fortunæ Seiæ.
Templum aliud Salutis.
Templum Fidei.
Templum Fortunæ liberæ.
Templum Fortunæ ſtatæ.
Templum Fortunæ reducis.
Templum Fortunæ publicæ.
Templum Fortunæ primigeniæ.
Ædes diui Fidij in colle, aliàs, Sanƈti Fidij Semipatris.

Aedicula XVI.

Aedicula Fortunæ paruæ.
Aedicula Genij liberorum.
Aedicula Dianæ Valerianæ.
Aedicula Iunonis Iuliæ.
Aedicula Spei.
Aedicula Sangi, in qua lana, colus, & fuſus Tanaquildis.
Ædicula Siluani.
Aedicula Veneris.
Aedicula Herculis.
Aedicula Viƈtoriæ
Aedicula Matutæ.
Aedicula Liberi patris.
Aedicula Saturni.
Aedicula Iouis.
Aedicula Mineruæ.
Sacellum Quirini.
Porticus Quirini.
Porticus Milliaria.
Area Callidij.
Statua Quirini altá pedes XX.
Statua Mamuri plumbea.
Statua Fortunæ publicæ in colle.
Statuæ duæ marmoreæ Alexandri Magni Bucephalum domantis, Fidiæ & Praxitelis.
Circus prope portam Collinam, iuxta ædem Veneris Erycinæ, cum obeliſco fortè Salluſtij.
Circus Floræ.

Forum

Forum Sallustii.
Forum Diocletiani.
Senaculum Matronarum in colle Quirinali, quod Antoninus Alagabalus fecit.
Horti Sallustiani.
Thermæ Diocletiani & Maximiani.
Thermæ Constantini in Colle.
Balinea Pauli.
Balinea priuata LXXV.
Lacus LXXV.
Bibliotheca Vlpia in Thermis Diocletiani.
Horrea XIX.
Pistrina XXIII.
Momus CLV.

In his

Domus Corneliorum.
Domus Attici.
Domus C.Sallustij.
Domus Titi Flaui Sabini.
Insulæ CIↃCIↃ CIↃIↃV. id est,3505.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ IↃↃ IↃC. id est,15600.

PARALIPOMENA.

Ad Regionem sextam.

De Salute.

Salutem diuino honore cultam, fanúmque iuxta portam salutarem habuisse in monte Quirinali testantur Festus li. 17. Sext. Ruffus in *alia semita*, P.Victor. in 6. reg. Templum eius frequenter memoratur Bartholom. Marlian. Topogr. lib 5. cap. 24. lib. 2. cap. 5. diésque dedicationis aut inaugurationis *natalis Salutis* appellabatur M. Tull. li. 4. ad Atticum epist. 1. & obseruat eruditissimus Adrian. Turneb. lib. 2. Aduersarior. cap. 11. T Liu 4 Dec. lib. 10. *decemuiri libros inspicere, ex eis Apollini Æsculapio, Saluti donæ vouere, & dare signa, inauratasque vouis, ædidique.* Idem 5. Dec. lib. 1. *Senatus maioribus hostiis vsque ad litationem sacrificari iussis, cæteris diis perlitatum ferunt, Saluti Petilium perlitasse negant.* sunt & nummi apud Lazium lib. 3. Commen. Reip. Rom. cap. 12. quorum inscriptio SALVS PVBLICA. neque verò placet eorum opinio, qui censent Salutem ab Augusto principe consecratam, cùm Cicero votum ei fanum ante Augusti imperium testetur lib. 2. de Natura deor. *vides Virtutis templum, vides Honoris à Marco Marcello renouatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico à L. Maximo dedicatum, quid Opis, quid Salutis, quid Concordiæ Libertatis, Victoriæ? quarum omnium rerum, quia vis erat tanta vt sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit.* eique ædem dedicauit primus Qu. Iun. Bubulcus Liu. 1. dec. Lib. 10. & fuit à Fabio depicta anno vrbis 450. C. Plin. lib. 35. cap. 4. durauítque ea pictura vsque ad Plinij ætatem. Renouauit itaque Augustus abolitum iam & intermissum *Salutis Augurium*, non consecrauit. C. Sueton. in eo cap. 31. Atque *Salus* ista *Publica* dicebatur. Ioan. Saresber. Policrat. li. 3. c. 1. seu, vt alij loquuntur, *popularis*, testis mihi Dio Cocceian. ὑγιείας δὲ δημοσίας καὶ ὁμονοίας εἰρήνης εἰκόνας ἔστησεν. *Salutis autem popularis, concordiæque ac pacis posuit imagines.* Vide locum versus finem libri 54. Dedicatio incidit in diem tertium Calendas Apriles, fasti, & Ouid. lib. Fastor. in fine.

Ianus adorandus, cúmque hoc Concordia mitis,
Et Romana salus, aráque Pacis erit.

Diu verò post hæc tempora, Nerone videlicet imperante ædes Saluti structa, quod video obseruatum à Ioanne Cuspinano in Fastos Aurelij Cassiodori ex C. Tacito libro 15. Annal.
Quod Romanis erat salus id Græcis θεοὶ σωτῆρες, *dij saluatores*, Ælian. lib. 1. var. Histor. cap. 30. [illegible] *vt lxciut persequentes apparentes miseris quasi Dioscuri saluatores, & opiferi salutem ferentes, quod communi prouerbio de his diis vulgatum est.* Heliod. Æthiopic. lib. 9. *Nilum vocat* σωτῆρα Αἰγύπτου, *seruatorem Ægypti*, & post eo. eo libro θεοὶ σωτῆρες, [illegible] *dij salis tores exclamarunt.* Penes hos tutela & salus hominum esse credebatur, qui que præsto aderant graui ad quo periculo afflictis, & in angustia constitutis Iul. Pollux Onomast lib. 6. cap. 16. [illegible] *Sicuti & Iouis saluatoris poculum sacrum est.* Ex quo loco liquet *saluatorem* hunc deum *Iouem* fuisse, & Athenæus meminit lib. 15. cap. 20. [illegible] *boni Genij; & Iouis saluatoris quem* Græci æde structa venerabantur. Pausan. Corinthiac. neque tantum ibi, sed & in Epidauriorum finibus aliud fuit templum erectum, idem Pausan. in Laconic. neque omittendum in omni conuiuio *primum calicem Ioui Olympio secundum heroibus tertium, Ioui saluatori* offerri solitum, scholiastes Pindari ex Aeschylo & Sophocle Tragediis ad oden 6. Isthmior. & ex illo eadem prodidit Gerardus Ad Aristophaneum illud in Pluto Act. 4. Sc. 3.

Νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα, πολύς γ' ἄξιος
Ἅπασι τοῖς Ἕλλησιν ὁ θεὸς ἰδεῖν,

Vertit Nicodem. Frischlinus.

Na, per Iouem seruatorem, magni hic deus.
A Græcis fieri posthac debet omnibus.

Et in eadem Comœdia.

Τὸν οὖν Δία τὸν σωτῆρα. Κἀγώ μοι δοκῶ
χαίρειν ἰδὼν.

Interpretatur idem.

Mihi itaque visum sospitatorem vt Iouem
Valere sinam.

Nec tantùm Iupiter sic cognominabatur, sed quicunque in difficili & ancipiti angustia constitutis liberaturi subuenissent, Heliodor. Aethiopic. lib. 2. *σωτῆρά σε, θεοῖς ἰσοστάσιον ἡγήσομαι* *seruatorem te meum ac diis æqualem ducam.* Idem hic seruator: seu salutem adferens Deus. *Dioscurus,* vt ex Æliano liquet, appellabatur, quo nomine geminos Castorem & Pollucem, doctores intelligi voluerunt. Tzetzes, & Ioan. Meursius ad Lycophronem multa eruditè, meo iudicio, vbi Iouem seruatorem ipse poëta à Lapersis seu geminis distinguit. pag. 36. & Λαπέρσαι quidem, ab oppido Laconiæ, Strabo lib. 8. & Steph. in λᾶς, Eriphus apud Athenæum libr. 4. ca. 3. Iul. Pollux Onomast. lib. 7. ca. 2. hi autem non à quibuslibet periculis, sed tempestatibus, liberare credebantur, passim omnes poëtæ, adi ad Homerum in hymno iis dicato, Plinium lib. 2. cap. 37. & Cl. Claudian. de bello Gildon.

—Cæca sub nocte vocati
Naufraga Lælai sustentant vela Lacones.

Dicam infra li. 2. c. 18. Interim hic corrigatur locus è codice Fulgentij, siue, vt aliæ præferunt membranæ, Fabij Planciadis lib. 2. Mytholog. ca. 16. *ex hoc ouo generantur tres, Castor, Pollux, & Helena, nihilominus seminarium scandali & discordiæ sicus antea diximus, & geminum luctu concessiis adultera mundum,* mutila & manca indubiè sententia, quam eleganter supplet manuscriptus codex, in quo sic legitur. *Castor, pollux & Helena, Helena quidem ponitur quasi seminarium scandali & discordiæ, sicut antea diximus,*

Quæ geminum luctu concessiis adultera mundum.

Denique salutares hi dij *παραστάται, opitulantes opem adferentes* vocantur apud Ælianum supra citatum, quam dictionem Latinam fecit Cælius Rhodiginus Antiquar. lection. lib. 13. cap. 15. significationem ad rem in iudicio disceptatam traducit Iulius Pollux. lib. 1. Onomast. cap. 10. *παραστάτης qui alicui adsistit,* & *παραστῆναι*, est *in iudicio alicui adesse,* Plato apud eundem lib. 8. cap. 6. allusére, vt solent, Poëtæ, P. Ouid. lib. Metamorph, fab. 9. Apollo de se.

—Opiferque per orbem— dicor.

Ex quo Q. Sammonicus Serenus lib. de Medicina,

Phœbe salutiferum quod pangimus assere carmen,
Inuentúmque tuum prompto comitare fauore.

Albius Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Nunc dea, nunc succurre mihi.

Corrip. lib. 1. Num. 1.

Et fer opem quæso.

PARALIPOMENA.

De Sango deo & lanificio Tenaquillis.

SAngi ædiculam, vicum, sacellúmq; in vrbis Romæ regionibus celebrant. Sext. Rufus, P. Victor, Onuphrius, aliique, sed quis ille sit deus? non est adeo exploratum, vt prætermitti debeat. Herculem esse contendit Festus lib. 14. *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est deus.* & Paulus ex Festo in schedis, *profecturi viam Herculi, aut Sanco sacrificabant.* quem illi Sancum vocant Dionysius Halicarnassæus lib. 2. *Sangum, Sabinorum deum, cuius filius Sabus nomen genti imposuit,* sed malo, *Sancum,* præsertim in tanto veterum codicum consensu. Martian. Capella de Nuptiis Mercurij Philologiæque lib. 1. *venit ex altera Fortuna, & Valetudo, Pauore, & Manibus refutatis. quippe hi in conspectum Iouis non poterant aduenire, ex duodecima Sancus tantummodo aduocatur.* Lactant. Firmian. lib. 1. diuinar. Instit. cap. 15. *summa veneratione coluerant., Ægyptij Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum.* vnde corrigendus M. Cato in originibus pag. 19. *Equicolos tenens Sabini à Sabo conditi, Sabagio Sangi gentili edito, inde ad fontes Arni amnis Sabelli Sabinorum proles incolunt, Sangui gentili Sabi pronunciant Sabini, Sanctum Romani, Sagam Barbari, à quo & Sagi primi Thusci, id est pōtifices & sacri expiatores,* legendum, vt puto, *Sabatio sangi aut sanci,* quod verius est, *gentili.* hūc eundem volunt esse *Sanctum,* & quidam in citato Festi loco non *Sanco,* sed *Sancto,* reponunt Lilius Gyraldus Ferrariensis hist. deor. gentil. syntagm. 1. de quo Sext. Propert. lib. 4. eleg. 10. in fine.

Sancte pater salue, cui iam fauet aspera Iuno,
Sancte, velis libro dexter inesse meo,
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem
Sic Sanctum Tatij composuere Cures.

Posterior versus dupliciter corruptus fuerat, primum *sanctum* scribebatur, quasi non esset nomen proprium, deinde *Tatiæ Cures,* Ios. Scaliger legendum censuit *Tatij,* & sic legendus Silius Italic. Punicor. lib. 8. 15.

Ibant,

Ibant, & læti pars Sanctum voce canebant
Auctorem gentis: pars laudes ore ferebant
Sabe tuas, qui de proprio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

In primo versu, anteà malè, pars *sanctum* voce, in tertio, *patrio de nomine*, pessimè, neque enim *à patrio nomine*, id est, *Sancti*, seu *Sangi*, seu *Sanci*, dicti *Sabini*, sed à *Sabo sancti filio*. Francisc. Mod. Nouantiquar. lect. Epist. 48. Translatus Romam huius cultus sub Tatio rege, vna cum Fidio. Marlian libro 5. ca. 14. Topogr. Cultus Nonis Iunius. P. Ouid. lib. 5. Fastor.

Quærebam Nonas Sancto, Fidione referrem,
An tibi Semo pater; tum mihi sanctus ait:
Cuicunque ex istis dederis, ego nomen habebo,
Nomina terna fero, sic voluere Cures.

In æde in Quirinali monte dei Sangi seu Sanci, asseruatam Tanaquillis colum scribit Onuphrius in Roma seu pag. 180. C. Plin. li. 8. cap. 48. *lanam cum colo & fuso Tanaquillis, quæ eadem Caia Cæcilia vocata est in templo Sangi, durasse, prodente se auctor est M. Varro, factámque ab ea togam regi m undulatam in æde Fortunæ, qua Ser. Tullius fuerat vsus. Inde factum vt nubentes virgines comitaretur colus compta & fusus cum stamine.* Ex quibus laudatissimum in matronis lanificii opus conijcere non est obscurum fuisse. Moderat. Colum. lib. 12. rei rust. cap. 3. *pluuiis diebus vel cum frigoribus aut pruinis mulier sub dio rusticum opus obire non poterit, vt ad lanificium reducatur, præparatæ sint & pexæ lanæ.* Ac primum ignobiles seruæ diurna pensa à dominis suis præscripta trahebant. Ouid. Epist. Briseidis.

Nos humiles famulæque tuæ data pensa trahemus,
Et minuent plenas stamina nostra colus.

Iisque quædam præposita. Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Tu potes alterius studiis hærere Mineruæ,
Tu telas non sola pati, tu stamina nosse,
Tu segnes operum solers vrgere puellas.

Et virgines in sacerdotii munera castitate mira educatæ lanificio erudiebantur. Fest li. 16. *Rica est vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum quo Flaminicæ pro palliolo vtebantur, alij dicunt, quod ex lana fiat succida Alba, quod conficiunt virgines ingenuæ patrimæ matrimæ ciues.* August. apud Suet. in eo. cap. 73. *veste non temere alia quam domestica vsus est, ab vxore, & sorore, & filia, neptibúsque confecta.* Xenoph. lib. 3. memorabilium. ἐν δὲ ταλασίᾳ καὶ τὰς γυναῖκας ἀποδείκνυμι ἄρχουσας τῶν ἀνδρῶν διὰ τὸ τὰς μὲν εἰδέναι ὅπως χρὴ ταλασιουργεῖν, τοὺς δὲ μὴ εἰδέναι. *In lanificio etiam mulieres viris præesse monstrabat, quo pacto lanificium sit exercendum, viri contra ignorent.* Idem lib. 5. Memorab. ἄνευ δὲ τι, ἔφη ἐγώ, ἰδίας ἐπιμέλειας, ὦ γύναι, ἃ ἡδεῖαί σοι γίγνονται, ὁπόταν ἀνεπιστήμονα ταλασίας λαβοῦσα ἐπιστήμονα ποιήσῃς, καὶ διπλασίου σοι ἀξία γένηται. *Sunt & aliæ, inquam ego, curationes propriæ tuæ, mea vxor futuræ non iniucundæ, vt cum imperitam lanificij nacta, peritam effecies, atque ea tibi deinde duplo pluris erit.* Pensum istud ancillis non semper ab eunucho aliquo & ancilla præscribebatur, vt ex Claudiano supra lib. Ouid. 2. Fast.

Famulæ data pensa trahebant,

Sed etiam ab ipsa matrefamil. Xenoph. eod. libro. οὐ γὰρ ἀγαπητὸν σοι δοκεῖ εἶναι, εἰ μόνον ἄνευ ἐπιστήμης, ἔρια λαβοῦσα, ἀποδεῖξαι ἱμάτιον, καὶ ἐπισταμένη ὡς ἔργα ταλασία θεραπαίναις δίδοται, *An non autem boni consulendum tibi videtur, quod saltem veneris perita conficiendi accepta lana vestem, ac animaduersa ratione pensi ancillis dandi? conuocat omnes, quasillarias familiæque sordidissimam partem.* Petron. Satyr. pag. 103. distribuebatur victus diurnus his ancillis pro operis ratione, Claudian. lib. de bello Gildon. allusit.

—— Gaudetque diurnos
Vt famulæ præbere cibos.

Et erat gynæcium seu conclaue in penitiori ædium parte, θάλαμος ἱστῶν ταλασιουργὸς οἶκος. *Thalamus telarum domus operosi lanificij.* Iul. Pollux lib. 1. cap. 8. addi ad eundem lib. 7. cap. 10. Hesychius Grammatic. γυναικωνῖτις, οἶκος γυναικεῖ, *domus mulierum.* Eustath. ad lib. 2. Iliad. vers. 515. *thalamum vocat huiusmodi gynæcium lanificiis aptum.* Egregiè in Lucretiæ historia. Ouid. lib. 2. Fastor.

Et venit in thalamos nupta pudica tuos.

Cùm antè dixisset.

Inde cito passu petitur Lucretia, cuius
Ante thorum calathi lanáque mollis erat.

Lucil. lib. 6 Satyr.

—— Thaunomeno inquit valua forore.
Lanificam siccam, atque abstemiam audit.

D. Hieronym. in Epist. ad Demetriadem virginem *habeto semper lanam in manibus.* Seru. ad vers. 646. lib. 8. Æneid. *ingressi itaque ciuitatem Collatinam, vbi Lucretiæ domus, inuenerunt eam lanificio operam dantem & tristem propter mariti absentiam.* Morem hunc non Romanum tantum, sed & peregrinum certum est fuisse, Alexander apud Q. Curtium, lib. 5. *hanc vestem, qua indutus sum, sororum non solum donum, sed etiam opus vides*, & Xerxes donatus ab Amestri sorore sua *amiculo quod ipsa neuerat*, Herodot. lib. 7. vnde senarius ille Comicus.

ἱστοὶ γυναικῶν ἔργα κ' οὐκ ἐκκλησίας.
Telæ fœminarum opera, non conciones.

Apud Homerum infinita penè exempla, nam Calypso nympha Atlantis filia à Mercurio

lanificiis occupata deprehenditur, li.5. Odyſſ. & Nauſicaa matrem Areten nentem oſtendit, lib. 6. Odyſſ. & Penelope noctu telam retexit, quam die texuerat, li.18. & Pallas pauimentum Iouis integit peplo quod ipſa parauerat ſuis manibus. lib.8. Iliad. adi ad lib.12. Iliad. in fine. Celebre exemplum refertur de Theano Brontini Crotoniatæ vxore, vt vult Plotinus, aut Pythagoræ, quod placuit Theocrito, quæ rogata quam vxorem commendaret, vt retulit Ioan. Stobæus ſerm.72. reſpondit verſu Homerico è lib. 1. Iliad. de Agamemnone.

ἱστὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν
Telam texentem, & meum lectum ſternentem.

Sappho apud Hephæſtionem.

γλυκεῖα μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκειν τὸν ἱστὸν
πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς βραδινὰν δι' Ἀφροδίταν
Dulcis mater, non poſſum texere telam
Amore victa pueri per ætrem Venerem.

Pindar. Pythior. Od.9. de Cyrena.

ἁ μὲν οὔθ' ἱστῶν παλιμβά-
μους ἐφίλησεν ὁδοὺς
οὔτε δείπνων οἰκουριᾶν
μεθ' ἑταιρᾶν τέρψιας

Hæc neque telarum retrogradas amauit vias, neque cœnarum oblectationes inter domeſticas ſocias.

Ouid. lib.1. Amor. eleg.13.

Tunc fœmineæ poſſint ceſſare lacerti,
Lanificam reuocas ad ſua penſa manum.

Idem lib.12. Metamorph. fab 5.

Quid ſis nata, vide, vel quid ſis paſſa, colúmque
I cape cum calathis, & ſtamina pollice torque.

Inde gloria nobilibus matronis, aut heroinis priſcis, veſtes filiis, maritis, amicisque diſcedentibus manibus propriis confectas dediſſe. de Alexandro & Xerxe antea Claudian. lib.1. du raptu.

Ipſa domum tenui mulcens Proſerpina cantu
Irrita texebat rediture munera matri.

Et de Conſul. Olyb. & Probini.

Lætatur veneranda parens, & pollice docto
Iam parat auratas trabeas, currúſque micantes
Stamine.

Et in epigr. de Equo Honorij

Et medium te zona ligat, variata Serenæ
Floribus & caſtæ manibus ſudata, colorum.
Perſarum gentile decus.

Silius Italic. lib.7.

Quod noſtræ neuere manus, venerabile donum,

Virgilius multis in locis aliis obſeruatus, lib. 1. Æneid. Andromache ad Aſcanium, *veſtes manuum monimenta mearum*, lib.4. Æneid.

——diues quæ munera Dido
Fecerat & tenui telas diſcreuerat auro.

D. Auſon. Parental. carm.3.

Morigeræ vxoris virtus cui contigit omnis
Fama pudicitiæ lanificæque manus.

Et eiuſdem operis carm.13.

Docta ſatis vitámque colo, famámque tueri,
Docta bonos mores.

D. Iuuenal. Sat.6. verſ.286. de frugalitate antiquarum matronarum.

——Somnique breues, & vellere Thuſco
Vexatæ duræque manus.

C. Flacc. Setinus lib.5. Argonaut.

Accipe Tænarei chlamydem de ſanguine ahæni,
Frænaque, & accinctum gemmis fulgentibus enſem,
Hoc patrium decus, hæc materni, texta labores.

Extat veteris marmoris Pulcherrimum fragmentum, quod non grauabor adſcribere, quoniam illo præcipua matronalis encomij contineantur, licet incerto authore,

Hoſpes quod deico, paullum eſt, aſta, ac pellege,
Hic eſt ſepulchrum haud pulchrum, pulcræ fœminæ
Nomen, parentes nominarunt Claudiam.
Suom mari tum corde dilexit ſouo.
Gnatos duos creauit, horum alterum
In terra linquit, alium ſub terra locat.
Sermone lepido, tum autem inceſſu commodo:
Domum ſeruauit, lanam fecit. dixit, abei.

REGIO SEPTIMA, Via Lata,

Vici XL.

Vicus Ganymedis.
Vicus Gordiani minori.
Vicus Nouus.
Vicus Caprarius.
Vicus Solis.
Vicus Gentianus.
Vicus Sanci.
Vicus Herbarius.
Vicus Manſuetus.
Vicus Sigillarius minor.
Vicus Solatarius.
Vicus Fortunæ.
Vicus Spei maioris.

Vicus

Vicus Nouus vlterior.
Vicus Libertorum.
Vicus Publij.
Vicus Nouus citerior.
Vicus Statuæ Veneris.
Vicus Archemorium, aliàs, Archemonium.
Vicus Æmilianus.
Vicus Piscarius.
Vicus Cælatus.
Vicus Victoris.
Vicus Vicinus.
Vicus Græcus.
Vicus Lanarius vlterior.
Vicus Pomonæ.
Vicus Caput Mineruæ.
Vicus Troianus.
Vicus Peregrinus.
Vicus Castus.
Vicus minor.
Vicus Putealium.
Vicus Scipionis.
Vicus Iunonis.
Vicus Sellarius.
Vicus Isidis.
Vicus Tabellarius.
Vicus Mancinus.
Vicus Lotarius.
Vicomagistri CLX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes VII primorum vigilum.
Pila Tiburtina.
Ad Mansuetos.
Lapis Pertusus.
Templum Solis.
Templum nouum Spei.
Templum nouum Fortunæ cum porticu, à Lucullo conditum, in quo erat statua Mineruæ facta à Fidia, posita à Paullo Aemilio.
Templum nouum Quirini.
Aedicula Capraria.
Porticus Constantini.
Sacelum Genij Sangi.
Equi ænei Tyridatis.
Forum Syarium, aliàs, Suarium.
Forum Archemorium.
Castra Gentiana, aliàs, Gypsiana.
Campus Agrippæ.
Horti Argiani.
Balinea priuata LXXV.
Nymphæum Iouis.
Lacus sine nomine LXXVI.
Arcus DD. Marci & Veri.
Arcus Gordiani Iunioris Aug.
Arcus Nouus.
Pistrina XVII.
Horrdæ XXV.
Domus XXV.

In his.

Domus Martialis.
Insulæ ∞ ∞ ∞ CCCXXCV. id est, 3385.
Regio in circuitu continet pedes CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ ∞ ∞ DCC. id est, 23700.

REGIO VRBIS OCTAVA.
Forum Romanum.

Mons Saturnius, post Tarpeius, demum Capitolinus, aliàs, Capitolium, vbi omnium Deorum simulachra celebrabantur.
Arx Capitolij.
Rupes Tarpeia, alias, Saxum Carmentale.
Cliuus Capitolinus.
Porta Stercoraria.
Via Noua.

Vici XII.

Vicus Ligurum.
Vicus Iugarius.
Vicus Thurarius.
Vicus Tuscus.
Vicus Vnguentarius maior.
Vicus Vnguentarius minor.
Vicus nouus.

Reliqui desunt.

Vicomagistri XLIIX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes vigilum VI.
Vmbilicus vrbis Romæ.
Milliarum aureum.
Porta Carmentalis.
Puteal Libonis.
Lacus Curtius.
Pila Horatia, vbi Trophæa locata.
Scalæ annulariæ.
Sub Nouis.
Ad Iunium secundum Tiberim.
Luteolæ ad Iani templum.
Marsyas.
Fauissæ Capitolinæ.
Lucus Vestæ Cuperius.

**Templa XXI.*

Templum Iouis Capitolini, aliàs, Optimi Maximi, in quo erant tria delubra.
Medium Iouis.
Dextrum Mineruæ.
Læuum Iunonis: ibique in area lapidea seruabantur libri Sibyllini.
Templum Iouis Feretrij.

Templum diui Iulij in foro, in quo simulachrum erat Veneris è mari exeuntis D D. ab Augusto.
Templum Castrorum ad lacum Iuturnæ, alias, Castoris, & Pollucis in quo erat signum Floræ.
Templum Concordię cum cella, inter Forum & Capitolium, à Camillo D D. In quo erat Senaculum, vbi Magistratus cum Senioribus deliberabant: erantque in eo hæc simulachra.
Batton s adorantis Apollinem, opus Bedæ.
Latonæ puer. eræ, Apollinem & Dianam sustinentis opus Euphranoris.
Aesculapij & Hygıæ opus Nicerati.
Martis & Mercurij, opera Pisicratis.
Cereris & Iouis, opera Sthenis & Victoriæ.
Templum Vestæ, cum atrio: vbi erant Palladium, Ignis & Virgines Vestales.
Templum Deûm penatium.
Templum Romuli, aliâs, Quirini in Foro.
Templum Iani Gemini æreum, quatuor portarum, cum signo Iani, opus Scopæ & Praxitelis, ab Augusto D D.
Templum diui Traiani.
Templum diui T. Cæsaris Vespasiani.
Templum Carmentæ.
Templum Veneris Caluæ nouum.
Templum Veneris Caluæ vetus.
Templum vetus Mineruæ.
Templum Nemesis, cum simulachro.
Templum Saturni: cum ara, vbi erat ærarium, ante quod erat æneum Siluani signum.
Templum diui Augusti.
Templum Iunonis Martialis.
Templum Larum.
Templum Veneris genitricis, aliàs, Veneris & Anchisæ, cum atrio.

Ædes X.

Aedes Victoriæ.
Aedes Opis & Saturni, in vico Iugario.
Aedes Martis vltoris in foro D. Augusti.
Aedes Veiouis, inter arcem & Capitolium, prope Asylum, cum eius simulachro cupressino.
Aedes Iouis Tonantis in cliuo Capitolij, in qua erant signa:
Iouis Tonantis, opus Locræ.
Iouis ex ære Deliaco, opus Hygiæ.
Castoris & Pollucis, opus Hygiæ.
Aedes Herculis victoris parua & rotunda, in foro Boario.
Aedes matris Matutæ.
Aedes Vortumni in Vico Thusco.
Aedes Iunonis Monetæ cum officina.
Aedes Iouis custodis D D. à Domitiano.
Aedes Veneris Cloacinæ.
Aedes Veneris Erycinæ.
Aedes Salutis.
Aedes Libertatis.
Aedes Iouis Sponsoris.
Aedes Mentis.
Aedes Fidei, in Capitolio.
Aedes Fortunæ primigeniæ.
Aedes Aij Locutij.
Aedes Fortunæ prosperæ.
Aedes fortis Fortunæ in foro Boario.

Ædicula XII.

Aedicula Victoriæ. D D. à M. Porcio Catone.
Aedicula Iuuentutis.
Aedicula Termini.
Aedicula Concordiæ ærea, supra Græcostasim.
Aedicula Fortunæ obsequentis.
Aediculæ Matris Rumæ.

* *
* *
* *
* *
* *
* *

Porticus Iulia.
Porticus Margaritariorum.
Porticus Liuiæ.
Porticus Augusti.
Porticus Minucia, alias Numicia.
Porticus Nasicæ.
Porticus Porphyretica.
Porticus Capitolinæ.
Porticus Constantini.
Iani duo, celebris Mercatorum locus ad arcum Fabianum, superior, inferiorque.
Atrium publicum in Capitolio.
Atrium Mineruæ.
Atrium Vestæ.
Area Opis, &.
Area Cereris in vico Iugario.
Area Saturni ante ærarium.
Sacellum Sumani.
Sacellum Larum.
Sacellum pudicitiæ patriciæ.
Sacellum Herculis in foro Boario.
Delubrum Mineruæ in foro.
Delubrum Larum.
Asilum inter duos Lucos, Arcemque & Capitolium.
Domus Diui Tatij.
Doliola.
Sepulchrum Romuli.
Sepulchrum Accæ Laurentiæ in via noua.
Ficus ruminalis.
Lupercal Virginis.
Germalus.
Ara Saturni vetus.
Ara Saturni noua ad lacum Curtij.
Ara Iunonis Iugæ in vico Iugario.

Ara

Ara Iouis pistoris in Capitolio.

Signa & statuæ Deorum.

Signum Iouis Imperatoris Præneste deuectum.
Signum æreum Iouis à Sp. Caruilio, ex Samnitica præda factum.
Signum Iunonis, D D. à Pompeio Bithynico.
Signum Apollinis translatum ex Apollonia à Lucullo, altum cubitos xxx. aliàs xxxii.
Signum Mineruæ Catulianæ, opus Euphranoris.
Signa duo Herculis, alterum à P. Sempronio Sauerrione dedicatum, alterum æreum opus Lisyppi, à Q. Fabio Maximo Tarento deuectum.
Signum Herculis tunicati iuxta rostra.
Victoria aurea in Templo Iouis Opt. Max.
Fides candida.
Signa Vortumni in vico Iugario.
Signum Matris Statæ.
Tria Signa Deorum Nixiorum, ante cellam Mineruæ, in templo Iouis Capitolini.
Signum Boni Euentus, opus Praxitelis.
Signum Bonæ Fortunæ, opus Praxitelis.

Simulacra hominum.

Statua Diui Iulij Equestris in eius foro.
D. Augusti.
Diui Claudij II. aurea, x. pedum, in templo Iouis Opt. Max.
Diui Constantini Equestris.
Romuli & Remi infantium sub Lupa.
Septem Regum in Capitolio.
Attij Naui Auguris ante Curiam.
L. Iunij Bruti, primi Cos. in Capitolio.
P. Valerij Poplicolæ.
Horatij Coclitis in Comitio.
Mucij Scæuolæ.
Annij Fecialis Equestris, in atri domus regis Superbi.
M. Furij Camilli pro rostris.
Tullij Cælij, C. Roscij Sp. Nautij, & C. Fulcinij Legatorum populi Romani, à Fidenatibus cæsorum, pro rostris.
P. Iunij & Ti. Coruncani Legatorum populi Romani ab Illyriis cæsorum, pro rostris.
Cn. Octauij in legatione occisi, pro rostris.
Equestris togata Q. Martij.
Tremuli ante templum Castrorum.
L. Cæcilij Metelli Pont. Max. in Capitolio.
Q. Fabij Maximi ærea equestris in Capitolio.
P. Scipionis Africani.
L. Scipionis Asiatici chlamydata & crepidata.
M. Lepidi Bullata & prætextata.
Trebij Aedilis in Capitolio.
Sullæ Dictatoris aurea Equestris.
Sullæ Felicis Dictatoris ænea.
Trium Sibyllarum pro rostris.
Clæliæ virginis Vestalis Equestris.
Caiæ Suffetiæ virginis Vestalis.
Corneliæ Gracchorum matris.
Hermodori Ephesij, xii. Tabularum interpretis in Comitio.
Alcibiadis Pythagoræ in Comitio.
Trophæa C. Marij aurea in Capitolio.
Currus seiuges à C. Cornelio positi.
Simulachrum Leonis, pro rostris.
Equus C. Cæsaris in eius foro.
Equus æneus Domitiani Augusti.
Equus æneus Traiani Augusti.
Equa cernens quatuor satyros.
Elephas herbarius.
Aereum Tauri simulachrum in foro Boario.
Signum anseris argenteum in Capitolio.
Clypei xii. inaurati.
Clypeus Martis cum imagine Hasdrubalis.
Aenearum tabularum publicarum tria millia.
Ludus Æmilius, aliàs, Lepidi.

Fora.

Forum Romanum, quod dicebatur Magnum, aliàs, Vetus.
Forum Cæsaris, in quo erant Veneris signa duo, alterum loricatum, alterum factum ab Arcesilao.
Forum Augusti, in quo erant statuæ M. Valerij Coruini, & eburnea Apollinis.
Forum Traiani cum porticu.
Forum Boarium.
Forum Piscarium.
Forum Argentarium.
Curia.
Curia Hostilia sub veteribus.
Curia Calabra in capitolio, vbi Pontifex minor pronunciabat dies.
Regia Numæ, aliàs, Curia Pompiliana, in qua sacrarium erat Opeconsiuæ.
Senaculum aureum.
Basilica Pauli Æmylij cum Phrygiis columnis in foro.
Basilica Iulia.
Basilica Vlpia, aliàs, Traiani.
Basilica Porcia, vbi fuerat domus Q. Mænij.
Basilica Sempronia.
Basilica Argentaria.
Basilica Opimij.
Comitium, in quo ficus erat Ruminalis.
Rostra populi Romani vetera.
Rostra populi Romani noua.
Græcostasis.
Carcer imminens foro, à Ser. Tullio ædificatus, media Vrbe.
Stationes municipiorum.
Ludi Literarij.
Schola Xantha.
Horti Asiniani.
Septem, aliàs, Quinque Tabernæ argentariæ nouæ.

Balineum Polycleti.
Balineæ priuatæ LXVI.
Lacus Iuturnæ.
Lacus fine nomine CXX.
Bibliotheca Capitolina. (∴)
Bibliotheca Templi Diui Traiani.
Arcus Fabianus.
Arcus Titi Cæsaris prope ædem Saturni.
Arcus Traiani Cæsaris Augusti.
Arcus Seueri & Marci Antonini in foro Boario.
Fornix Sertinij in foro Boario cum signis auratis.
Columna C. Diuilij.
Columna Mænia.
Columna Magn. Lud. sæcul.
Columna rostrata in Capitolio.
Columna diui Iulij rostrata pedum XX.
Columna Coclidis Traiani Imperatoris, alta pedes CXXVIII. habet gradus CXXCV. fenestellas XLV.

Sepulchrum C. Poplicij Bibuli ædilis plebis.
Macellum....
Horrea XXVIII.

In his:

Germanica, &.
Agrippiana.
Pistrina XXX.
Domus CL.

In his.

L. Tarquinij Superbi Regis, cum atrio.
M. Manlij Capitolini.
P. Scipionis Africani.
T. Annij Milonis.
P. Ouidij Nasonis.
M. Valerij Amerini Equitis Romani.
Insulæ CIↃCIↃCIↃ.DCCCLXXX. i. 3880.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ ∞ IↃↃ DCCCLXVII. id est 14867.

PARALIPOMENA.

De Regione octaua.

De Vmbilico.

VMbilicum seu meditullium vrbis Romæ ponunt in octaua regione Onuphrius & P. Victor. quid autem id loci fuerit, nemo, quod sciam, descripsit. Certè ad hanc formam *media libri pars vmbilicus* appellatur, quæ in tegmine libri, quòd non impingebatur, nisi toto absoluto opere, & ad finem perducto. Q. Horat. Epod. od. 14.

Inceptos olim promissum carmen Iambos
——ad vmbilicum adducere.

Helenius Acron, *id est, perficere*, inquit, *quia in fine operum, vmbilici lignei aut ossei aut cornei addebantur, cornua* vocauit Ouid. lib. 1. Trist. eleg. 1.

Nec titulus minio, nec Cedro charta notetur,
Candida nec nigra cornua fronte geras.

Tegmen ergo nigrum, literarum maiuscularum apices minio notati, aut cedrino succo, Pers. sat. 1. vers. 16. Vmbilicus diuersi alterius coloris, Cornutus seu verius Pseudocornutus in sat. 3. Persij, *membrana bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat.* & ipse Persius.

Iam liber, & positis bicolor membrana capillis.

M. Martial. lib. 4. epig. vlt.

Iam peruenimus vsque ad vmbilicum.

Et lib. 5. epig. 6.

Quæ cedro decorata purpuráque
Nigris pagina creuit vmbilicis.

Scio Theodorum Marcilium eruditissimum hæc obseruasse, & ante illum Turnebum, & vtroque priorem Cælium Rhodiginum lib. 1. cap. 20. Addantur Papinius lib. 4. syl. vlt. ex quo liquet vtramque paginam impositis vmbilicis decorari solitam.

Noster purpureus nouúsque charta,
Et binis decoratus vmbilicis.
Præter me mihi constitit decussis.

Q. Valer. Catull. epigr 19.

——Chartæ regiæ, noui libri,
Noui vmbilici, lora rubra, membrana
Dissecta plumbo & pumice æquata omnia.

Sic enim vltimum versum legit Achilles Statius, at Ios. Scaliger *directa*, alij *detecta* & fortè non malè *discreta*, hoc est lineis diuisa, notatáque plumbeis, pumicis vsus poliendo tegmini. Ouid. lib. 1. Trist eleg. 1. *geminæ polientur pumicè frontes.* Mar. lib. 4. epigr. 10. *comitetur pumice librum spongia.*

Legendum puto.

Comitetur, Punica librum spongia.

Sic enim legit Modius Epistol. 109. & Ioann. Brod. ad lib. 6. Antholog. cap. 26 & spongiæ vsus in scribendo, *ad scripta delenda.* Sueto. Aug. cap. 85. denique vmbilicus hic, coronis est. Martial. lib. 1. epigr. 8.

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber.

Est etiam *vmbilicus terræ meditetas*, seu meditullium translatione desumpta ab clypeo, *vmbilicus*. Iul. Poll. lib. 1. c. 10. ἀσπὶς, καὶ τὸ μέσον τῆς ἀσπίδος, ὀμφαλὸς, καὶ μεσομφάλιον. *Clypeus*, cuius media pars ὀμφαλὸς vocatur, hoc est, *& partes clypei, vmbilicus & medium clypei*, nonnulli bullas quasdam interpretantur: Sui. in γῆς ὀμφαλὸς, *terræ, vmbilicum* ait esse templum Apollinis. Strabo lib. 9. τῆς ἑλλάδος ἐν μέσῳ πως

... τῆς συμπάσης τῆς Ἑλλάδος ἱδρυμένον, καὶ τῆς ἐντὸς, ἐνομίσθη δὲ καὶ τῆς οἰκουμένης, καὶ ἐκάλεσαν τῆς γῆς ὀμφαλὸν, sunt Delphi ferè in medio siti totius Græciæ, quæ & extra Isthmum est & intra quin etiam in medio totius terrarum orbis iacere quidam senserunt, terræque vmbilicum appellarunt.

Stat. lib. 1. Thebaid.

Audiit & medius cæli Parnassus.

Ouid. lib. 10. Fab. 5.

Te meus ante genitor dilexit & orbe
In medio positi caruerunt præside Delphi.

Et lib. 1. fab. 1.

Auxilium cæleste petunt, mediámque tenentes
Orbis humum Delphos adeunt oracula Phœbi.

Pet. Apollon. Collatius non malus, vt illa ferebant tempora, poëta, lib. 3. de excidio Hierosolymitano:

—— Medium telluris apertæ
Credita habere locum, titulo quoque Delphica, quo se
Insulæ iactauit magnis auctoribus olim.

Ille Solymam vrbem, nos Delphos, vmbilicum terræ statuit. Sed contra stant alij iam laudati, & præter eos Pyndar. Pyth. Od. 6.

—— ἀναπολίζομεν
ὀμφαλὸν ἐριβρέμου χθονὸς
Versamus
Vmbilicum horrisonæ terræ.

Et Ol. 8.

—— ἰόντα γαίας
ὀμφαλὸν παρ' ἀοίδιμον.
Eunti terræ
Ad vmbilicum decantatissimum.

Idem Od. 11.

ὄφρα Θέμιν ἱερὰν Πυθῶνά τε καὶ ὀρθοδίκαν
γᾶς ὀμφαλὸν κελαδῆτε.

Vt Themim sacram Pythonémque, & recta iudicia dantem vmbilicum terræ resonetis. quo e fonte fabula deflexit, cùm Iupiter mundi medium locum vellet cognoscere, ex ortu atque occasu duas Aquilas dimisisse fertur, quæ volatu lassæ in Parnassi vertice consederunt, Luctatius Placidius ad v. 117 lib. 1. Thebaidos Statianæ. Alij non aquilas demissas à Ioue, sed coruos prodiderunt; nonnulli etiam cygnos, Scholiastes Pindari, & Plutarchus: sed communior sententia de aquilis, Claudian. præfat. ad Consulatum Manlij Theodori.

Iupiter, vt perhibent spatium cum discere vellet
Naturæ, regni nescius ipse sui.
Armigeros vtrimque duos æqualibus alis
Misit ab Eoo occiduisque plagis.

Denique *quicquid medium est, vmbilicus* appellatur. *Italiæ vmbilicus* in agro Rheatino, C. Solin. cap. 8. & *Ætoli gratiæ vmbilicum incolunt*, T. Liu. 4. Dec. lib. 5. & *Enna, si ciuitas Siciliæ vmbilicus*. M. Tull. Act. 6. in C. Verrem, & in homine ὀμφαλητομία, *centrum*. Suidas & Iul. Pollux. lib. 4. Onomast. lib. 25. Isidor. Hispal. Etymolog. lib. 11. cap. 1. sed M. Varro contradicit lib. 8. de ling. lat. est & *vmbilicus diei* apud Plautum Menechm. Act. 1. sc. 2. puto pro meridie:

Dies quidem iam ad vmbilicum est dimidiatus mortuus.

PARALIPOMENA.

De Marsya statua.

De Marsya altum omnium silentium, qui Topographiam vrbis descripserunt: at ego existimo statuam esse, vel in foro ipso Romano, vel prope forum, ad quam causarum patroni consueuerunt conuenire. Q. Horat. lib. 1. Sat. 6.

Deinde eo dormitum, non sollicitus mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Nouiorum posse minoris.

Martial. lib. 2. epigr. 64.

Si schola damnatur, fi litibus omnia feruent,
Ipse potest fieri Marsya causidicus.

Atque hæc quidem ratio probatur Adriano Turnebo lib. 22. cap. 12. De huius statuis erigendis pulcher est locus apud Seruium Honoratum ad lib. 3. Æneid. v. 20.

Auspicibus coeptorum operum.

Quod de Libero diximus, hæc causa est, *vt signum sit liberæ ciuitatis: nam apud maiores aut stipendiariæ erant, aut fœderatæ, aut liberæ, sed in liberis ciuitatibus simulachrum Marsyæ erat, qui in tutela Liberi patris erat. Idem Lyæus aptè vrbibus libertatis est deus, vnde etiam Marsyas minister eius per ciuitates in foro positus libertatis indicium est, qui erecta manu testatur nihil vrbi deesse*, ad v. 57. lib. 1. Æneid.

Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo.

Et notauit Cæl. Rhodigin. lect. Antiq. lib. 28. cap. 12 Lil. Gyrald. syntagm. 8. de diis gentilib. pag 274. Iustus Lipsius & alij ad illud L. Senecæ lib. 6. de Benefic. cap. 32 *forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse, quotidianum ad Marsyam concursum.* De statua Marsyæ erecta omnes hactenus sunt interpretati, at vetus scholiastes Iuuenal. ad principium sat. 9.

Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus.

Aut propter eo, inquit, *quem Apollo vicit, aut aduocatus temporis illius.* vult ille statuam non modò in foro positum, sed quendam celebratæ in actitandis causis famæ. Porrò sa-

bula de Marsya decantatissima est, quippe Pallas excogitauit prima tibiarum vsum, sed cum oris deformitatem, inflatásque in palude vidisset buccas, offensa tibias abiecit. quæ buccarum inflatarum fœditas expressa est ab Aristeneto lib. 1. epist. 14. τί οὖν μάτην ὦ νέοι διαρρήγνυσθε τὰς γνάθους ἐμφυσῶντες τῇ σύριγγι; οὐδὲν ὑμᾶς ὀνήσει τὰ κιθαρίσματα. *quid vos ergo Iuuenes frustra disrumpitis buccas inflanda fistula? nihil vos iuuabunt cytharæ modulamina.* Idem lib. 1. epist. 6. ὡς αὐλητρὶς ὑμεῖς ἐξαίρεις τὰς γνάθους, *veluti tibicinæ frustra inflas buccas.* Heliodor. lib. 2. Æthiop. ἐπειδὴ κατεπτήξαμεν αὐτὸ τὴν παρειὰν ἐν τοῖς αὐλήμασιν ᾔδει καὶ πρὸς τὸ βίαιον τῆς φυσήσεως ἀναπτύσσουσαν ἐπὶ τὰς ῥῖνας ... , *ea de causa quod illi intumescere genas inter canendum videbat, & vehementer inflando præter decorum ad nares exurgere oculis incensis, ac sua sede excedentibus.* locus est mirificè corruptus. Fulgentij lib. 1. Mytholog. *Minerua tibias ex osse inuenit, quibus cum in conuiuio deorum cecinisset, cumque eius tumentes buccas dij omnes irrisissent, illa ad Tritonem paludem pergens, in aqua faciem suam speculatur, dum turpia adiudicasset buccarum, in flumina tibias eiectis, quibus Marsya repertis, doctior factus prouocauit Apollinem.* Postremorum verborum sensus mancus, quem sic ex MS. supplendum censeo, *dum turpia adiudicasset hiamenta buccarum, in flumen tibias abiecit, quibus Marsya repertis.* Plutarchum lege in vita Alcibiadis. A. Gell. lib. 15. cap. 17. *Accersi Pericles Antigonidam tibicinem iussisset, vt eum canere tibiis (quod honestissimum tum videbatur) doceret, traditas sibi tibias cum ad os adhibuisset, inflassetque, pudefactus oris deformitate, abiecit, infregitque.* Claud. lib. 2. in Eutrop.

Hic cecinit Libycis iactata paludibus olim
Fistula, fœdatam cum redderet vmbra Mineruam.

Aurel. Propert. lib. 2. eleg. 30.

Quæ non iure vado Meandri iacta natasti.
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.

Prosequitur deinde eandem narrationem, *prouocauit Apollinem concertaturum de cantibus, sibique Midam regem iudicem deligunt (legas vtrique Midam regem iudicem deligunt) quem, Apollo cùm non rectè iudicasset, asininis auribus deprauauit.* tamen pœnam Marsyæ, quem constat ab Apolline excoriatum, pellémque Celænis fuisse suspensam. Apollodor. lib. 1 Bibliothec. & alludit Martianus Capella lib. 9. *Num fides apud Delphos per Deliacam citharam demonstraui, tibiæ per Tritonidem nostri comitem Marsyámque Lydium sonuerunt.* Luctat. Placid. *Marsyam dicit, qui victus submissus est pœnæ.* ad vers. 699. lib. 1. Thebaid.

Tu Phryga submittis citharæ.

Et paria scripsit idem de inuentione tibiarum ad vers. 667. lib. 2. Thebaid.

Fœda Celenæa committere prælia buxo.

Et in antro ab Apolline superatum idem docet ad vers. 186. lib. 4. Thebaid. quod puto nullus alius dixit.

—Quis non certamina Phœbi
Nosset, & illustres Satyro pendente Celænas?

Et Papinius idem lib. 5. syl. 3.

Et Phrigium silicem, atque ausum contraria Phœbo
Carmina, nec fissa gauisam Pallada buxo.

In hoc oppido pellis Marsyæ detracta, in victoriæ suæ monimentum, ab Apolline affixa, est, M. Lucan. lib. 3. vers. 206.

—Quæ tua munera Pallas
Lugent damnatæ, Phœbo victore, Celænæ.

P. Ouid. lib. 6. Metamorph. fab. 5.

Clamanti cutis est summos direpta per artus,
Nec quicquam nisi vulnus erat.

Quid attinet dicere cruorem excoriati in fluuium sui nominis mutatum? cum res sit notissima ex Tito Liuio 4. decad. lib. 8. Strabone lib. 12. Q. Curtio lib. 3. Et Ouidio li. 6. Fastor.

Prouocat & Phœbum, Phœbo superante pependit,
Cæsa recesserunt à cute membra sua.

Idem paria habet in Ibin.

Nullaque direpta pateant tua viscera pelle
Vt Phrygij, cuius nomina flumen habet.

PARALIPOMENA.

De Templo D. Iulij, & Venere Anadyomene.

IVlio Dictatori structam ædem loquuntur historici. Appian. Alexandrinus lib. 4. bell. ciuil. in foro Romano concors reponit consensus Sexti Ruffi, P. Victoris, & Onuphrij. *Templum hoc Cæsaris patris* appellat C. Plinius lib. 35. cap. 4. in fine: sed planius ad institutum nostrum idem differit eiusdem libri cap. 10 *Venerem exeuntem mari Diuus Augustus dicauit in delubro patris Cæsaris: quæ Anadyomene vocatur, versibus Græcis, tali opere, dum laudatur, victo, sed illustrato.* causæ centumuirales in eo pertractabantur. Plin. Iun. lib. 5. epist. vlt. Quint. apud Parrhasium epist. 57. M. Valer. Martial. lib. 6. epigr. 38.

Centumque viri, densumque corona
Vulgus, & infanti Iulia tecta placent.

& lib. 5. epigr 10. *& laudant Catuli Iulia templa sinus.* antea malè legebatur *vilia Templa.* Nec tantum Romæ, sed etiam Alexandriæ C. Cæsari templum structum, quod existimo tunc primum factum cum Aegyptus ab Octauio Augusto in formā prouinciæ redacta est, meminit

minit huius Alexandrini templi idem Plin. lib.36. c.9. *& alij duo sunt Alexandriæ in portu ad Cæsaris templum, quos excidit Mesphres rex quadragenum cubitorum.* Templi Romani quod in foro erat meminere P. Ouid. lib. vlt. Metamorph. fab. vlt. vbi Cæsare interempto in Curia, sic ad Venerem Iupiter.

Hanc animam interea cæso de corpore raptam
Fac iubar, vt semper Capitolia nostra, forúmque
Diuus ab excelsa prospectet Iulius æde.

Et lib.3. Amor. eleg.9.

Qua licet, affectes cælum quoque, templa Quirinus,
Liber, & Alcides, & modo Cæsar habent.

C. Sueton. obiter in Augusto c. 100. *adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est pro æde D. Iulij à Tiberio, & pro Rostris sub veteribus à Druso Tiberij filio.* adulatorie, vt solet, Valer. Max. lib.1. c.6. tit.11. *tuas aras, tuáque sanctissima templa, diue Iuli, veneratus oro, vt propitio ac fauenti numine, tantorum casus virorum, sub tui exempli præsidio ac tutela delitescere patiaris.* P. Virg. lib. 1. Æneid. v.296.

Hunc (Cæsarem) tu olim cælo spoliis Orientis onustum
Accipies secura, vocabitur hic quoque votis.

Vocari votis, vt à formularum scriptoribus notum, idem atque *aris fanisque structis ac sacrificiis coli, flaminesque habere.* Papin. lib.1. sil.1.

At laterum passus hinc Iulia templa tuentur.

Venus hæc è mari exiens seu emergens celebratissima est poetarum scriptis, Græci ἀναδυομένην, *iterum emergentem*, seu θαλαττίαν, *marinam appellant*, sed Plinius supra citatus dictionem Græcam tanquam Latinam vsurpauit, & eiusdem libri c. 11. *Apellis Venerem, hoc est depictam elaboratissimo Apellis penicillo.* Aristenet. lib.1. epist.7. ὡς δὲ ἱκανῶς εἶχε τῆς θαλαττίου λουτροῦ, εἴποις αὐτὴν κύκλῳ αἰσχυνομένην τῶν κυμάτων ἰδεῖν ἔτι τῆς θαλάττης τὴν Ἀφροδίτην ἀναδυομένην γράφουσιν οἱ ζωγράφοι. *sed vbi satietas eam cæpit marinæ lotionis, dixisses visa exeuntibus è fluctib. virgine, ad hunc modum docere pingunt Venerem exeuntem se è mari.* Extat elegans Epigramma Antipatri Sidonij in Anthologia lib.4. cap. 12. Num.26.

τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάσσας
Κύπριν, Ἀπελλείου μόχθον ὅρα γραφίδος,
ὡς χειρὶ συμμάρψασα διάβροχον ὕδατι χαίταν,
ἐκθλίβει νοτερῶν ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων.

Emergentem ex matre iam mari Venerem, Apelleæ instuere picturæ, quomodo corripiens irrigatam aqua comam exprimit humidis spumam è crinibus. hæc quidem interpretatio ad verbum reddita. At D. Ausonius epigr.104. metricis legibus inclusit.

Emersam pelagi nuper genitalibus vndis
Cyprim Apellæi cerne laboris opus.
Vt complexa manu madidos salis æquore crines,
Humidulas spumas stringit vtraque comis.

Eadem & *marina Venus* dicta. Fest. Auien. de ora marit.

Veneri marinæ consecrata est insula,
Templumque in illa Veneris.

Hanc perfectissimam humani ingenij operam respexit P. Ouid. lib.1. Amor. eleg.14. de coma amicæ suæ.

Illis contulerim, quas quondam nuda Dione
Pingitur humenti sustinuisse manu.

Idem lib.3. de Arte amandi.

Cum fieret, lapis asper erat, nunc nobile signum,
Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.

Quod ideo factum in pictura Veneris, quia antea iam poetæ eam è spuma maris ortam prodiderant. L. Apul. Apolog. lib.1. *nisi forte hoc vos ad mendacium induxerit, quod Venus dicitur pelago exorta.* Arnob. lib.4. contra gentes. *nunquid vos delectat ex pelagi spuma, & cæli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coaluisse candorem?* sed apud L. Apuleium pulchra est descriptio eius. *Venus est dea, quam cærulum profundum pelagi peperit, & ros spumantium fluctuum educauit.* Hesiod. in Theogonia v.190.

——ἀμφὶ δὲ λευκὸς
ἀφρὸς ἀπ' ἀθανάτου χροὸς ὤρνυτο, τῷ δ' ἔνι κούρη
ἐθρέφθη.

Circum vero alba spuma ab immortali corpore ferebatur, in quo puella innutrita est. Nonnus Panopolitanus Dionysiac. lib.41. v.97.

πρώτη γὰρ κίνησιν ἰδέκτο φιλόξεινον πυλώνι
ἐξ ἁλὸς ἀρτιλόχευτον, ὅτε βρυχίην Ἀφροδίτην
ἔγκυον ὠδίνει ἀπ' αὔλακος ὑγρὸν ὕδωρ.

Prima Venerem excepit hospitali ianua, ex mari nuper partu editam, quando submersam Venerem cælestis genuit sulci aqua grauida. Cointus Calaber paraleipom. Homer. lib.5. v.71. in clypeo Achillis.

Ἀφρὸν ἔτ' ἀμφὶ κόμῃσιν ἔχουσ' ἀναδύετο πόντου,
Κύπρις ἐϋστέφανος.

Spumam adhuc capillis aspersam habens, emergit salo Venus pulchrè coronata. Meleagri cultum illud Anthologiæ lib.7. epigr.100.

Θαῦμα δέ μοι πῶς ἄρα διὰ γλαυκοῖο φανεῖσα
Κύματος, ἐξ ὑγροῦ κύπρις ἔτικτε πῦρ.

Mirum est mihi quomodo sane per cæruleum apparens fluctum ex humido Venus in ignem pepereris. ratio huius fabulæ, quod in *fæmina multo magis humidum, quam in viro.* Plutarch. Sympos. lib.3. cap.3. & adeò *ob abundantiam humidi viris longè salaciores*, Albert. Magn. lib.12. Animal. cap.2. vt rectè græcè *lascinos ac petulantes*,

& in Venerem propensos ὀργεῖς vocent. Epigramma Delphicum testetur.

ὀργαὶ ἢ τρυφερὰ βασιλεὺς Ἆγις μ' ἀνέθηκεν.

Lasciuae & delicatae rex Agis me dedicauit.

At Aristoteles lib.2. de generat. animal. cap.2. quòd *salsa sit spermatis natura & spumosa, quale est mare.* quod Phornuto placuit lib. de Nat. deor. Alij quòd *sal ad genituram multum habeat momenti.* Plut. Symposia. lib.5. cap.30. nonnullis placet *semen citò surgere, citò cadere*, Fulgent. lib.2. Mytholog. Denique quod *sudor sit salsus, quem semper coitus elicit.* Seruius Danielis ad lib.5. Æneid. vers.801.

Fas omne est Cythara meis te fidere regnis,
Vnde genus ducis.

T. Lucretius de Natura. lib.4. eleganter rationem Seruij confirmat.

——Teriturque Thalassina vestis
Assiduè & Veneris sudorem exercita potat.

Non transcribo poetas Latinos alios obseruatos in hanc rem, Oppianus Cyneget. lib. 1. vers.31. ἀθύρματα ... , *ludicra Veneris mari generatae.*

PARALIPOMENA.

De templo D. Augusti, & Diuinis Impp. Roman. honoribus.

AMbitio nimia & humanum fastigium excedens in Augusto notatur à C. Tacito lib.1. Annal. *qui se templis & effigie numinum per flamines & sacerdotes coli voluit.* apertius eodem libro in sequentibus, *Templum vt in colonia Tarraconensi strueretur Augusto petentibus Hispanis permissum, datúmque in omnes prouincias exemplum.* Seruius ad illud Eclogae 1.

Nam erit ille mihi semper deus.

Semper, inquit, *id est post mortem, & dum viuit: alij imperatores post mortem in numerum referuntur deorum, Augustus templa viuus meruit.* Aram certe ei erexisse Vbios in Germaniis, Lugdunenses & Narbonenses in Galliis probat disquisitio erudita Iacobi Campij IC. apud Fr. Modium nouantiquar. lect. epist. 3. templum Pergamenos C. Tacit. lib.4. Annal. liquet. Modum praescriptum ab ipso Augusto. innuit C. Suetonius in eo c. 52. *templa quamuis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen prouincia, nisi communi suo Romaeque nomine recepit: nam in vrbe quidem pertinacissimè abstinuit.* recte quidem, & vt decebat virum humanae fragilitatis conscium. & deridetur siue furor Augusti tam immodica, & mortalitate altiora poscentis, siue abiectus humilisque animus in seruitium prono impetu ruentis senatus talia & offerentis, aut stultitia prouinciarum tantam impietatem recipientium, ab Arriano in dissertationibus Epicteti lib. cap. 19. in fin. ... , & quae sequuntur, *quidam hodie mecum locutus est de sacrificio, quod Augusto exhiberi solet.* & inuehitur amarè Q. Tertullianus. vide multa apud Iustum Lipsium ad C. Tacitum. Haec quidem laudata fuerat principis modestia, si sic semper se continuisset: nam, vt egregiè Callisthenes apud Curtium, *mortalitatem interdum sequitur diuinitas, nunquam comitatur.* at Augustus sub finem, vt apparet, principatus sui, deus coli à suis haberique voluit. Prudent. lib.1. contra Symmachum.

——flamine & aris
Augustum coluit, vitulo placauit & agno,
Tflantur tituli, produnt consulta senatus,
Caesareum Iouis ad speciem statuentia templum.

Vide quae supra de radiata corona à me sunt dicta, & de Apotheosi dicam infra latius suo loco. Q. Horat. lib.3. od 3.

Hac arte Pollux & vagus Hercules
Innixus arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Et eiusdem libri od.5.

Caelo tonantem credidimus Iouem
Regnare: praesens diuus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio grauibúsque Persis.

Et adulatione faedissima lib.2. Epist.1.

Praesenti tibi maturos largimur honores,
Iurandásque tuum per nomen ponimus aras.

Ab hoc ritu deriuatum, vt Caesares pro diis viuos colerent, deosque appellarent, de Caligula L. Seneca de Tranquillit. animi c.14. *nec iam procul erat tumulus, in quo Caesari deo nostro fiebat quotidianum sacrum.* de Nerone M. Lucan. lib.1.

Sed mihi iam numen: nec si te pectore vates
Accipiam, Cyrrhaea velim secreta mouentem
Sollicitare Deum.

De immani monstro Domitiano, quid attinet referre? quod retulit C. Suetonius in eius vita c.13. *pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit, Deus & dominus noster sic fieri iubet.* Vnde institutum posthac, vt ne scripto quidem ac sermone cuiuspiam appellaretur aliter, & passim adulantes eius aeui scriptores, sed ante omnes Martialis passim deum vocat in libro spectator. Epigr.17.

Crede mihi numen sentit & ille tuum.

lib.5. epigr.5.

Ingenio frueris qui propiore dei.

epigr.6. *Nosti tempora tu Iouis sereni.*

Magis ad mentem Suetonij epigr.8.

Edictum domini deique nostri.

lib.7. Epigr.1.

Sacrum cui tangere pectus

Vas

Fas erit, & nostri mente calere dei.

Et penè omnibus paginis. Papin.lib.1. Thebaid.in principio, de Capitolio ab eo & patruo Sabino, bello Vitelliano occupato:

Aut defensa prius vix pubescentibus annis
Bella Iouis.

Iupiter de eodem Domitiano apud Silium Italicum Punicor.lib.3.

Tunc ô nate deum, diuosque dature, beatas
Imperio terras patrio rege.

Valer.Flacc. Argonaut.c.lib.1.

Ille tibi cultusque deum, delubraque genti
Instituet, cum tu genitor succensus ab omni
Parte poli.

Salsè, vt par erat, D.Iuuenal.sat.4.

——Nihil est quod credere de se
Non possit, cum laudatur diis æqua potestas.

Diu post illa tempora mansit talcum nomen, etiam sub Christianis principibus, licet cultum immortali vnique deo concedendum censerent. Latin. Pacat. panegyrico quem Theodosio dixit, *deum dedit Hispania, quem videmus*: Edictum Theodosij & Valentiniani Aug. extat in hæc verba conceptum, *ludis quoque simulachra proposita, tantum in animis concurrentium mentiisque [illegible] nostrum numen & laudes vigere demonstret.* C Theodos. lib.15 tit. 4 l.1 vbi tamen putauerim non *numen* legendum, sed *nomen*, sequitur enim, *excedens cultura hominum dignitatem superno numini reseruetur.* Claudian. præfat. de 3. Honorij consulatu.

Me quoque Pieriis tentatum sæpius antris
Audet magna suo mittere Roma deo.

Eleganter Corippus Africanus potentiam regum in Iustino Minore inaugurato expressit lib.2. Num.vlt.in fine.

Terrarum dominis Christus dedit omnia posse,
Ille est omnipotens, hic omnipotentis imago.

Nec modo aras, flamines, templa, statuas, imagines, & sacrificia ad modum cælestium deorum principibus suis decernebat vetustas, sed etiam rescripta eorum vocabant *Oracula.* Iornand.lib.de reb. Getic. *donatione sacro oraculo confirmata, proprios lares vindicaret.* C. Sueton. Nerone c.11. *flagitantibus cunctis cælestem vocem, respondit, in hortis se copiam sui volentibus facturum.* Capito Coss[illegible]anus obiectat Traseæ Pæto apud C.Tacitum l.b.16. Annal. *nunquam pro salute principis, aut cælesti voce immolauisse.* Theodoricus rex apud Cassiodorum libro 1.epist.11 *quapropter Maniarij supplicatione commoti, præsentibus te affamur oraculis: vt si reuera mancipia eius B[illegible] irrationabiliter cognoueris abstulisse*, &c.Q Symmachus lib.10.epist 21. *Hæc æternitas vestra venerabilis, cum senatui statuenda mandaret, referri ad se protinus imperauit, vt placita cunctis immortali lege solidentur, iussis paruimus, expectamus oraculum, quo salutariter, vt vestro numini familiare est, patrum decreta firmetis.* Idem supplendus lib. 4. epist.8. *intelligo ex mora & cunctatione rescripti, atque diuini aliquid in hac quæ prætoria filij mei supplicatio comprehendit, incongruum vel dubium indicari.* Legendum forte, *ex mora & cunctatione rescripti, atque diuini oraculi aliquid*, &c. vel expunctos *atque, rescripti diuini.*

Tollendum & aliud mendum ex vitiosa interpunctione ortum lib. 2. epist. 8 *neque te exhauserit, quod aduentium preces indefesso absoluas affatu, quid venerandi principis mentem loqueris? oraculis sunt ista prima nec tamen sola.* legit Ianus Gruterus, *quod venerandi principis mentem loqueris oraculis, sunt ista prima*, &c. Cl.Claudian. paneg.de Consul.Manlij Theodori.

——Terris edicta daturus
Supplicibus responsa venis, oracula regis
Eloquio crevere tuo, nec dignius unquam
Maiestas meminit sese Romana locutam.

Idem lib.2.de laudib Stilichon.

——Quo[illegible] nostros qui cons[illegible]lis omnia patres
De[illegible] [illegible] taceas pel[illegible] [illegible] que nulla
Dedecoris sanctum violant oracula cætum.

Sic et [illegible] loquitur ipse Iustinianus §. *illud proœmium* 11. Instit. de adoptionib. *illud proprium est adoptionis illius, quæ per sacrum oraculum fit: quod is qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit* &c. sacrum hoc oraculum interpretatur Caius IC principem, l. 2 ff. de adoptionibus. Zeno Aug. l.9 C de Aquæductu *quod publicum fuit aliquando, minime sit priuatum, sed ad omnes vsus recurrat sacris oraculis, vel pragmaticis sanctionibus ad vsus commoditatem vrbis quibusdam impertiis.* Theodosius & Valentinianus Impp. l. 10. C. de sacrosanct. eccles. *nec si quæ etiam contra proferatur oraculum siue annotatio sit siue diuina pragmatica sanctio, prouidentissimas legis regulas excusare debebis.*

PARALIPOMENA.

De Atriis Libertatis, Vestæ, & priuatarum domuum.

Atrium templis adiici solitum nemo ignorat. Coripp.lib.3.num 1.

Apostolici subeuntes atria templi.

Atrium Mineruæ P. Victor in hac regione, & ne multis in re obuia & facili moreer, *atrium Libertatis* in 3. reg. ab eodem Victore ponitur. Marlian. Topogr.lib.4.cap.3 Gracchus *ex multatitia pecunia* erexit. T. Liu. 3 dec. libro 4 in principio. *Publica acta hic signabantur.* Idem Liuius 5. Decad. lib. 3, *Censores exem-*

plo in atrium libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabulis publicis, clausoque tabulario, & dimissis publicis seruis. dedicatio illius Eidib. April. Fasti Capitolini, & P. Ouid. lib. 4. Fastor.

Hæc quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
Atria Libertas cœpit habere sua.

Videtur in hoc atrio & bibliotheca fuisse, ita enim idem Ouidius lib. 3. Trist. eleg. 1.

Nec me quæ doctis patuerunt prima libellis
Atria Libertas tangere passa sua est.

In monte Auentino extructum loquitur Festus Pomp. lib. 10. Auctorem eius facit Asinium Pollionem C. Suetonius in Augusto cap. 29. *Vestæ* etiam *atrium* celebratur in hac 8. regione, de quo Seruius Honoratus ad vers. 153. lib. 7. Æneid.

Centum oratores Augusta ad mœnia regis
Ire iubet.

Augusta ad mœnia, inquit, augurio consecrata. hinc paulo post illud est, tectum augustum, ingens: & nisi in augusto loco consilium senatus habere non poterat, vnde templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc conueniret senatus, vbi erant virgines, nam hæc fuerat regia Numæ Pompilij. Ad atrium sane Vestæ conueniebatur, quod fuerat à templo remotum. Insolens ergo hoc in templo Vestæ, quod cum omnium aliarum ædium sacrarum contigua essent ipsis atria templis, Vestæ seiunctum remotumque foret.

Aedes priuatorum profanæ etiam atria habebant, de quorum longitudine, latitudine, struendique ratione, M. Victruuius Pollio li. 6. c. 3. quibusdam atrium græce est αὐλὰ, Homerus αἴθουσαν vocat. Iul. Pollux. lib. 1. cap. 8. M. Tull. ad Quintum fratrem lib. 3. epist. 1. quo loco in porticu te scribere aiunt, vt atriolum fiat, mihi, vt est, magis placebat, neque enim satis loci esse videbatur atriolo, neque fere solet, nisi in his ædificiis fieri, in quibus est atrium maius, nec habere poterat adiuncta cubicula & eiusmodi membra. Vbi duo obseruanda, primum in vna domo, plura atria fieri potuisse, quod à nullo, vt puto, notatum, alterum, atrio vicina aut iuncta cubicula, quod aliàs non legi. Intercolumniis siue peristyliis distinguebantur eius spatia, Claudia. lib. in Ruffin.

—Purpureis effulta columnis
Atria.

T. Lucret. Carus de Nat. rer. lib. 4.

Atria versari: & circumcursare columnæ,
Vsque adeo fit vti pueris videantur, vbi ipsi
Desierint verti.

Cereis, æreisue, aut marmoreis maiorum imaginibus decorabantur. C. Sen. lib. 3. de Benef. cap. 28. *qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant noti magis, quam nobiles sunt.* C. Plin. lib. 35. cap. 2. *aliter apud maiores in atriis hæc erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra aut marmora: expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat populus.* Ouid. lib. 5. eleg. 6.

Creditur & Ceris & quos prætexta verendos
Virgaque cum vitiis experiosa facis.

Idem lib. 1. Amor. eleg. 8.

Nec te decipiant veteris quinquatria ceræ,
Tolle tuos tecum pauper amator auos.

Corruptus locus indubie, alij corrigunt, *veteres quinque atria ceræ*, sed tot in vna domo fuisse atria, non est probabile, nonnulli restituunt, *vetere cincta atria cera*, quod admitti potest. M. Martial. lib. 2. epigr. 90.

Atriaque immodicis arctat imaginibus.

lib. 4. epigr. 40.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto.

Auctor carminis ad Pisonem, quem ego certò scio nec Ouidium fuisse, propter temporis rationem, nec Lucanum, quòd paupertatem suam defleat vers. 241. & Lucanum marmoreis in hortis iacere dixerit Iuuenal. sat. 7. vers. 79.

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint?

Iuuenal. Sat. 8.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria.

Plinius supra citatus exclusit imagines omnes ab atriis nisi cereas, at contrà Papinius lib. 2 syl. 2.

Quid inferam veteres ceræ quæ æráque figuras?

Nec modo maiorum suorum vultus in huiusmodi atriis in tablinis habebant, sed & pretiosa quæque clarorum virorum monimenta. Petro. Satyric. pag. 22. in descriptione domus Trimalcionis. *Interrogare ego atriensem cœpi, quas in medica picturas haberent. Iliada, & Odysseam, inquit,* sic enim Ios. Scaliger legi, vt sit *Medica porticus instar Pœciles Atheniensis, in qua Medi superati depingebantur.* Ælian. lib. 13. var. histo. c. 12. Æmilius Probus in Miltiade. Strab. lib. 9. L. Apul. lib. 1. Asini. sed glossarium vet. confirmat nostram sententiam, vbi *Tullia, media, vel regia*, ideoque censuerim legendum, *quas in media picturas haberent*, vt sit atrium media dicta, quod inter vestibulum & domum ipsam, ascendebatur in atrium quibusdam gradibus, vt apparet ex Martiali lib. 12. epigr. 3.

Atria sunt illic consulis alta mei.

Auro siue laminis aureis & bracteis incrustatū probabo infra, velis fuisse tectā seu suspensis ta-

ſis tapetibus decoratum liquet ex Corippo, qui frequenter eadem byzantinis aſſignat atriis, quæ antiqui ſcriptores Romani, ſic ille ergo de Laudib Iuſtini Minoris lib.3.num.7.

Clara ſuperpoſitis ornabant atria velis.

Et eodem loco.

Verum vt contracto patuerunt intima velo
Oſtia, & aurati micuerunt atria tecti.

Et forte huc referendum perçommodè epigramma cultiſſimum Sulpicij Luperci Seruaſti Iunioris, quod propter elegantiam integrum adſcribam.

Quod tua mille domus ſolidas habet alta columnas,
Quod tua marmoreo ianua poſte nitet,
Aurea quod ſummo ſplendent laquearia tecto,
Imum cruſta tegit quod pretioſa ſolum,
Atria quod circum diues tegit omnia cultus,
Hoc animos tollis nempe beate tuos,
Ædibus in totis gemmæ licet omnia claudant,
Turpe eſt, nil domino turpius eſſe ſuo.

Solis nobilibus competebat ius illud imaginum in atriis ſuis exponendarum, cauſa pulchra apud Valerium Maximum lib.5. cap. 8. tit.3. *videbat ſe in eo atrio conſediſſe, in quo illius Imperioſi Torquati ſeueritate conſpicua imago poſita erat, prudentiſſimoque viro ſuccurrebat effigies maiorum ſuorum cum titulis ſuis: idcirco in prima ædium parte poni ſolere, vt eorum virtutes non ſolum poſteri legerent, ſed etiam imitarentur.* Sext. Prop.lib.1.eleg 4.

Neſcis amor priſcis cedere imaginibus.

Præcedenti enim verſu dixerat.

Nec tibi nobilitas poteris ſuccurrere amanti.

P.Ouid lib.1 Faſtor.

Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras.

Pinatheeis hiſce aut tabulis claudendis, conſeruandis, in funebrem comitatum efferendis præerant ſerui, quos ab atrij cura, *atrienſes* vocabant. M. Tull. paradox. 5. *atque vt in magna familia, ſunt alij lautiores, vt ſibi videntur, ſerui, ſed tamen ſerui atrienſes: atque tu pari ſtultitia quos ſigna, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia vaſa, quos ædificia magnifica nimio opere delectant,* quem locum inſigniter poſſe ex MS. ſic ſuppleri exiſtimo, *lautiores, vt ſibi videntur, ſerui, ſed tamen ſerui, vt atrienſes, alij inferiori loco, vt mediaſtini, ſic ſtulti quidem omnes, vt tu pari ſtultitia ſunt, quos ſigna*, &c. Petronius ſupra laudatus officium indicauit, ſed apertius Iunius Moderat. Columella lib.12.rei ruſt. cap. 3. ait *vxorem debere ſiſtere atrienſibus, vt ſuppellectilem, & ferramenta deterſa nitidentur, atque rubigine liberentur, cæteraque, ſi refectionem deſiderent, fabris concinnanda tradantur.* Meminit Phædrus Tiberij Cæſaris libertus lib.2.fab.36.

Ex alticinctis vnus atrienſibus
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio.

Erat diſtricta, cirris dependentibus.

M.Accius Plaut. Pſeudolo Act.2.ſc.2.

PS. *Condus promus ſum, procurator peni.*

HA. *Quaſi te dicas atrienſem. PS. imo atrienſi ego impero.*

HA. *Quid tu, ſeruuſne es, an liber? PS. nunc quidem etiam ſeruio.*

HA *Ita videre, & non videre dignus qui liber ſies.*

Supereſt iam vt oſtendatur, quæ qualiſque ædium pars fuerit atrium. ſunt inter doctos nonnulli, qui *locum ſubdiualem impluuiumque* volunt fuiſſe, quod Tertullianus *ſubdiual* dixerit, itaque cum *Impluuio* confundunt, aut cum *loco in mediis ædibus patenti*, vtrumque malè. Nam M. Varro lib.4. de ling lat. *quod relictum erat in medio, vt lucem caperet, deorſum, quo impluebat, Impluuium dictum, & ſurſum qua compluebat compluuium & deinde Atrium ab atriatibus Tuſcis, eius primis auctoribus deriuatum contendit*, quicquid ſcioli togatorum doctiſſimo oblatrent. Adde locum hunc ſubdiualem in medio ædis, *Impluuiumque* dictum cum *atrium prima domus pars*, teſtante A.Gellio lib.16.cap.5. Feſtus Pomp. *genus ædificij ante ædem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia deſcendit.* Contrà Maro diſertè lib.2. Æneid.

Ædibus in mediis, nudóque ſub ætheris axe
Ingens ara fuit.

Et vtrumque memorat, ſed tanquam quippiam diſcretum diſtinctumque, Corippus African.lib.1.num.7.

Eſt domus interior tectorum in parte ſuperna,
Luce ſua radians, & aperto libera cælo,
Conſpicuo vitrei ſplendens fulgore metalli.

En ſubdiual, quod ab atrio aliud, vt liquet ex eodem lib.2.num.4.

Iam lætus princeps diualia tecta ſubibat,
Ampláque gaudentes implebant atria turbæ.

Corrigatur idem lib.3.num.7.

—miratur barbara pubes
Ingreſſus primos immenſáque atria luſtrans.

Legendum omnino eſt.

—atque immenſa atria luſtrans.

Itaque *atrio porticus extrinſecus adiacebant, inter quas & impluuium.* Iſidor. lib.15. cap.3. vt non poſſit concipi qua ratione idem cum atrio fuerit impluuium. Deinde in atrio ignis extrui ſolebat, vt teſtè Ioann. Britannicus ad Sat.8 Iuuen. verſ 8 *fumoſas imagines exponat fumo ſordidas*, igne in atrio videl. extincto. at ſub dio quis ſanæ mentis putauerit ignem veteres quotidie excitaſſe, niſi forte vt leones terrerent? quid quod in atrio, vt iam antea dixi, maiorum vultus cera expreſſi nobilitatis

suæ & generis claritudo, asseruarentur, quos aperti cœli iniuriæ exponere quam ridiculum, quàm à re alienum? Denique non tantum *prominentes pinnas*, habebant atria, siue vt Vitruuius supra citatus appellat, *alas*, sed etiam laquearia, quod qui pertinaciter verius, quam docte, ad apertum & subdiualem atrij situm trahunt, delirant. M. Tull. orat. de præt. vrbana *considerat templum, videt vndique tectum, laqueatum pulcherrimè.* en Cicero *vndique tectum* interpretatur *laqueatum*: laqueare autem, non tantum alas habuisse atria, indicio est D. Ausonius in Mosella.

Nunc Phrygiis sola consere leuia crustis,
Tendent marmoreum laqueata per atria campum.

Et L. Apul. lib. 5. Asini sui. *summa laquearia citro & ebore curiose cauata subeunt aureæ columnæ.* Vide locum, & perpende.

REGIO NONA, CIRCVS FLAMINIVS.

Collis Hortulorum, aliàs, Hortorum.
Campus Martius.
Via fornicata.
Via recta.

Vici XXX.

Vicomagistri cxx.
Curatores II.
Denunciatores II.
Palus Caprea.
Minitia vetus.
Minitia frumentaria.
Crypta Balbi.
Ciconiæ nixæ.
Meleagricum.
Fregellæ.
Lucus Mauortianus.
Lucus Mineruæ vetus.
Lucus Petilinus maior, extra portam Flumentanam.
Lucus Victoriæ.
Lucus Lucinæ, vbi erat Terentum.

Templa VIII.

Pantheum Iouis Vltoris, in quo erant signa:
Herculis humi sedentis.
Mineruæ ex ebore, opus Phidiæ.
Veneris, cum vnione Cleopatræ.
Templum Iani prope theatrum Marcelli, cum signo Iani bifrontis.
Templum Bruti Callaici, in quo erat Colossus Martis, & statua Veneris Gnidiæ nudæ.
Templum Apollinis.
Templum Neptuni iuxta septa.
Templum diui Antonini, cum columna Coclide.
Templum Mineruæ Chalcidicæ.
Templum Isidis & Serapidis prope ouile.

Ædes XX.

Aedes antiqua Apollinis cum lauacro & Colosso.
Aedes Herculis Magni, custodis Circi Flaminij.
Aedes Metelli, vbi erat statua eburnea Iouis à Praxitele facta
Aedes Martis in Circo Flaminio.
Aedes Volcani in Circo Flaminio.
Aedes Iuturnæ ad aquam virginem.
Aedes Bellonæ versus portam Carmentalem, in Circo Flaminio, intra quam dabatur, senatus legatis exterarum nationum, quos in Vrbem admittere nolebant.
Aedes Mineruæ.
Aedes Fortunæ equestris vetus.
Aedes Apollinis.
Aedes Neptuni in Circo Flaminio.
Aedes Larium permarinum in campo Martio.
Aedes Boni euentus.
Aedes Veneris Victricis.
Aedes Castoris in Circo Flaminio.
Aedes Floræ.
Aedes Iunonis Reginæ.
Aedes Dianæ.
Aedes Herculis Musarum.
Aedes Iunonis in porticu Octauiæ, vbi erant statuæ Æsculapij & Dianæ, opera Scopæ.
Iunonis, Veneris & Iouis, opera Phylisci Rhodij.
Simulachrum Iunonis opus Dionysij & Polyclis.
Dianæ, Latonæ, IX. Musarum, Apollinis nudi, Apollinis citharam tenentis, opera Timantidis.
Aesculapij & Dianæ, opera Cephisidori

Ædiculæ XXX.

Porticus Q. Catuli.
Porticus Philippi.
Porticus Corinthia duplex Cn. Octauij.
Porticus Argonautarum.
Porticus Pompeij Magni, cum Curia & Atrio.
Porticus Metelli.
Porticus Agrippæ ante Pantheum.
Porticus Octauiæ sororis Augusti, in qua erant Schola, Curia, & Bibliotheca.
Delubrum cum signo Apollinis, opus Phylisci Rhodij

Item

Item Statuæ Saturni, Battachi, & Veneris, opus Phidiæ & Corneliæ Gracchorum matris.
Porticus Traiani Augusti in campo Martio.
Porticus Gordiani Imp.
Porticus Gallieni Imp.
Porticus Europæ.
Atrium Pompeij.
Sacrarium Numæ.
Delubrum Iouis Statoris.
Delubrum Cn. Domitij cum signis.
Neptuni Thetidos, Achillis, Nereidum & Tritonum opera Scopæ.
Delubrum Apollinis in porticu Octauiæ.
Ara Neptuni.
Isæum.
Serapium.
Mineruium.
Odæum.
Minerua vetus cum luco.
Iupiter Pompeianus pedum xxx.
Colossus Apollinis.
Equiria
Circus Flaminius.
Circus Alexandri Impe. Stadium.
Obeliscus pro Gnomone in Campo Martio.
Stabula quatuor factionum.
Theatrum Pompeij.
Theatrum lapideum.
Theatrum Balbi capit loca CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ XCV. id est 30095.
Theatrum Marcelli capit loca CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ id est, 30000.
Amphitheatrum T. Statij Tauri.
Naumachia Domitiani.
Forum Ahenobarbi.
Basilica Mattidij, alias, Macidij, aliàs Matidiæ.
Basilica Marciana.
Basilica Antoniana, vbi erat prouinciarum memoria.
Curia Pompeij cum atrio & porticu.
Curia Octauiæ cum porticu, in qua erat signum Apollinis fulmen tenentis.
Septa Agrippiana.
Septa Trigaria.
Ouile.
Diribitorium.
Villa publica, vbi primum census populi actus est.
Carcer centumuirorum.
Horti Lucullani.
Horti Agrippæ.
Schola porticus Octauiæ, in qua erat statua Cupidinis, opus Praxitelis.
Quatuor Satyri, & duæ Nymphæ.
Thermæ Agrippæ
Thermæ Neronianæ.
Thermæ Alexandrinæ.
Thermæ Hadriani Imperatoris.
Thermæ Decianæ.
Balinea priuata LXIV.
Lauacrum Apollinis.
Lacus Thermarum Neronis.
Lacus sine nomine.
Fons Scipionum.
Bibliotheca porticus Octauiæ.
Arcus Ti. Cæsaris.
Arcus diui Claudij.
Columna Coclidis Antoniana, alta pedes CLXXV. habens gradus CCVI. & fenestras LVI.
Columna index belli inferendi, ante ædem Bellonæ.
Sepulchrum, siue Mausoleum Augusti, in quo erant duo pares Obelisci magni, singuli pedum XLIIS.
Sepulchrum Domitiorum in colle hortulorum.
Sepulchra in Campo Martio, Sullæ Felicis Dictatoris.
Iuliarum, Cæsaris amitæ & filiæ.
Hirtij & Pansæ Consulum.
Pistrina XXXII.
Horrea XXXII.
Domus CXL.

In his.

Domus Alexandri Imperatoris.
Domus Pinciorum, in colle hortulorum.
Insulæ ∞ ∞ ∞ IↃCCXXCIIX. id est, 3788.
Insula Philidis.
Regio contiuet in ambitu pedes CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃLX. id est, 30560.

Ad Regionem nouam.

PARALIPOMENA.

De Vnione Cleopatræ.

VNio seu margarita Cleopatræ dedicata fuit, tanquam donarium Veneri, postquam Antonius ab Augusto fusus, & illa Romam capta est traducta. C. Plin. lib. 9. cap. 35. *duo fuere maximi vniones per omne æuum, vtrumque possedit Cleopatra, Ægypti reginarum nouissima, per manum orientis regum sibi traditos.* Vide quæ celebratissima historia comprehensa sequuntur, & ex eo Aurel. Macrob. lib. 2. cap. 13. qui nonnihil à Plinio variat, qui *Veneri* tantum *donatum vnionem* prodit, hic *templo eius, quod pantheon* vocatur, consecratum & quem ille C. Plancum, hic *Munatium Plancum*, siue vt alij præferunt

codices, *Numatium* vocat, cuius narrationem ad verbum sequitur Ioannes Saresberiensis Policratici. lib. 8.c.7.postrema tamen ponam: ab vtroque prætermissa puto,quia parum sana *victumque Antonium pronunciauit homine irato.* lege, *omine ei rato*, quod nempe postea ab Augusto victus fuerit, *omen* enim *pugnæ*, pro augurio passim. de pretio horum vnionum controuersum, quidam HS. centies, id est ducenta quinquaginta millia aureorum, pretium statuunt, alij longe supra, nempe HS. sexcenties, hoc est quindecies centena millia aureorum. Q.Catull.epigr.17.

Ducenties comesset aut trecenties.

Et hic est ille ornatus,quem tam magnificum extulit M.Lucan.lib.10.verf.137.

Nec sceptris contenta suis, nec fratre marito,
Plena maris rubri spoliis,colloque comisque
Diuitias Cleopatra gerit,cultuque laborat.

Certè eo lubentiùs hanc Cleopatrę cum Antonio sponsionem exposui, quo memini me animaduertere, eam non tantum luxuriæ, sed etiam ebrietatis Antonio fuisse comitem, nam à diluculo statim mensæ accumbens,vsque ad ebrietatem potabat, Socrates Rhodius lib.3.belli ciuilis apud Athenæum lib. 4. cap.7.dipnosophist.Cic.6. Philip.in fine, Lucan.lib.4.

Profugisque bibax Antonius armis.

Mart.lib.2.epigr 89.

Quod vomis, Antoni.

Immoderatio, inquam ista, non tantum in Antonio, sed & in Cleopatra, quæ & vino Mareotico maximè oblectabatur. Suidas in voce ἰξώκευκε, L.Seneca epist.83.*Marcum Antonium magnum virum, & ingenij nobilis quæ alia res perd dit,& in externos mores, ac non Romana vitia traiecit quam ebrietas? nec minor vino Cleopatræ amor.* Legendum putat Lipsius,*nec minor vini, hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit,hæc crudelem fecit.*

Vnio eadem gemma, quæ aliis *margarita*, quæ in conchis generatur,timensque piscantium insidias inter saxa se occultat, ne capiatur, aut inter canes marinos delitescit, *certus est natantibus dux conchis,qua capta,quæ euaserint, redeunt, vt capiantur.* Iul. Solin. polyhist.cap. 56. *Matutinus res candidas facit, hoc est meliores, vespertinus atr obscuras,deterioresque;* Isidor lib. 16.c.10.*Est enim illa nascendi lex, vt conchæ densius oscitando, ex lunari aspergine, coitum humoris cupiant,exindeque grauidæ ed ant margaritas, quas vniones appellant, quia nunquam nisi vna est in vna concha.* Ammian.libro 23.in fine,Seruius Honoratus ad libr.1.Æneid.verf.657. *Multi separant gemmam, & margaritam, vt Cicero: nullam gemmam aut margaritam, & gemmas volunt dici diuersi coloris, margaritas vero albas, vel gemmas integras,margaritas pertusas.* Rectè ergo Vlpian. I.C.*margaritas nec lapillorum nomine nec gemmarum contineri constat.* l.19. ff.de auro & argento leg. hoc vnioni proprium esse volunt,vt quo magis à sole occultatur, & radiis ardentibus, eò pulchrior euadat.Athen.libro 3.dispnosophist.cap.8.

Varius vsus, nam aut *templa statuæque deûm ornabantur eo,* M. Tull. Actione 1. in C. Verrem, aut porticus publicæ, vnde P. victor in 8. reg. ponit *porticum margaritariam*, hoc est margaritis affixis splendidam, decoratamque: aut mulierum colla, brachia, aures vestesque insignibant, comprehenduntur que nomine *mundi muliebris.* Artemidor. Oneirocrit. lib.2.cap.5. Denique principum virorum equos, arma, ephippiaque, quod alibi fuse dicam: nunc addatur locus M.Varronis apud Nonium. *principum ephippia & phaleræ margaritis radiabant,* Atque hic legitimus vsus: at vero *Heliogabalus habuit in calceamentis margaritas, & quidem sculptas, quod omnibus risum mouit quasi possent nobilium artificum opera in pedibus cerni.* Ael. Lamprid.in eo.at.C.*Caligula, exemplo Cleopatræ, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas absorpsit.* C. Sueton. in eo.cap.37. qui ritus frequens nepotibus. Q.Horat.libro 2.sat.3.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet vt decies solidum exsorberet,aceto
Diluit insignem baccam.

Vsus Romæ ignotus ante Syllam, qui primus in vrbem inuexit, tanto omnium ordinum studio receptus, vt *Cæsar dictator ritum sustulerit margaritas gestandi, & lata lege coercuerit.* Sueton. cap. 43. Nascuntur non in Æthiopia modo, India, rubroque mari, sed etiam in Britannico æstuario.D.Auson.in Mosella.

Tota Caledoniis talis pictura Britannis,
Cum virides algas, & rubra Corallia nudat
Æstus,& albentes concharum germina bacas.

Sic enim rectè legendum puto,non vt antea,*concharum germina baccas,* baccæ enim arboribus propriè congruunt, bacæ de gemmis dicuntur. corrupti in hac voce, & alij scriptores,quod eruditissimus Leuinus Torrentius indicauit, vide ab illo citatos. & adde apud Hadrianum Iunium lib. 6.Animaduers. cap. 15. C. Petronium. *quo Margarita cara, tribaca, Indica.* Claudiani locum vnum in paneg.de 4.Honorij consul.

Et variis

Et varijs spirat Neria baca figuris.
Et alterum in paneg. de 6 Hon. consul.
Substringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & bacis onerat candentibus auras.

PARALIPOMENA.

De Minerua Chalcidicæ Aede.

CVm diis deuictarum gentium, nomina etiam, non solùm cultus recipere solebant Romani, vnde & Mineruæ Chalcidicæ templum in hac 9. reg. collocat Onuphrius, & ante illum P. Victor, ad similitudinem eius quod Spartæ erat, quod Chalciæcum vocant. Meminere scriptores Latini Græcique. T. Liu. 5. Decad. lib. 5. *Æsboli circa Chalciæcon (Mineruæ est templum æreum) congregati cæduntur.* Pausan. Lacon. ἐνταῦθα ἀθηνᾶς ἱερὸν πεποίηται, πολιοῦχον καλουμένης, καὶ χαλκιοίκου τῆς αὐτῆς. *Hic Mineruæ templum factum est quæ Poliuchus, & Chalciæcus eadem appellatur.* Non ergo hoc nominis ipsi deæ Mineruæ, sed templo competebat, licèt certum sit frequentius deæ solere attribui. Suidas locuples est testis χαλκίοικος ἡ Ἀθηνᾶ ἐν Σπάρτῃ, ἢ διὰ τὸ χαλκοῦν εἶναι οἶκον, ἢ διὰ τοὺς χαλκιδεῖς τοὺς ἐν Εὐβοίᾳ φυγάδας αὐτὴν κτίσαι. *Chalciæcus Minerua Spartæ vel quod domum æream habebat, vel quod Chalcidenses qui sunt in Eubœa, exules, id templum condiderunt.* & ex eodem multisque aliis auctoribus Cælius Rhodiginus Antiquar. lect. 19. cap. 8. ergo à structura ærea, vel simulachro Iouis æreo, omnium, quorum in vetustate mentio, antiquissimo, sic fanum appellatum, vel à Chalcidensibus conditoribus imposito Chalcidicę nomine,

Chalcidicáque leuis tandem super astitit arce.

Vel forte Mineruæ id cognomenti impositum, quod bellorum illa haberetur præses, in quibus armorum æreorum frequens vsus, ferreorum nullus, quod viri docti obseruarunt, ex Homero & C. Plinio, certè apud Homerum ducum clypei, aut aurei, aut ærei, ferrei nusquam Iliad. lib. 6. vers. 235.

ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε
χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Qui cum Tydide Diomede arma permutauit, aurea æreis, centum bobus valentia, cum iis quæ nouem bobus æstimabantur. hastæ etiam, non modò clypei ex ære eidem describuntur penè vbique. lib. 3. Iliad. in principio in apparatu monomachiæ, de Paride.

παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων καὶ καμπύλα τόξα,
καὶ ξίφος· αὐτὰρ ὁ δοῦρε δύω κεκορυθμένα χαλκῷ
πάλλων

Pellem Pardi humeris habens, & curuos arcus, & ensem, sed hic hastilia duo acuminata ære vibrans.

Plutarch. in parallel. Rom. & Græc. c. 11. φωραθέντος δὲ τούτου Ἀγησίλαος ὁ πατὴρ μέχρι τοῦ ναοῦ τῆς χαλκιοίκου συνεδίωξεν ἀθηνᾶς, καὶ τὰς θύρας τοῦ τεμένους ἀπέκλεισε, λιμῷ ἀπέκτεινεν, ἡ δὲ μήτηρ καὶ ἄταφον ἔῤῥιψε. *deprehensum autem Agesilaus pater vsque ad templum Mineruæ Chalciæci cum aliis persecutus est, eius autem mater etiam fine sepulturæ honore seu intumulatum proiecit.* Aemil. Prob. siue Cornel. Nepos in Pausaniæ vita. *itaque paucis ante gradibus quam qui sequebantur, in ædem Mineruæ, quæ Chalciæ us dicitur, confugit, hinc ne exire posset, statim Ephori valuas eius ædis obstruxerunt, tectúmque sunt demoliti, quo facilius subdio interiret.* vt mirum mihi videatur, cur nonnulli eruditionis & famæ nomine subuecti, insignésque viri, non *Mineruam*, sed *Iunonem* hoc epitheto habuisse contendant, adéoque interpres Gallicus Plutarchi lapsus turpiter, dum in vita Lycurgi χαλκιοίκου, *templum Iunonis Chalciæci* exponit, deceptus, vt puto, ambiguitate scriptorum, qui deam non nominant, sed cognomentum tantùm exprimunt. Idem Plutarchus in Agide & Cleomene. Polyænus stratag. lib. 4. οἱ δὲ συναχθέντες τῶν νέων ἔκρυπτον εἰς τὸ τῆς χαλκιοίκου ἱερὸν ... *Propter quas causas, cum quibusdam iuuenibus collectis præclamari per præconem iusserant, vt omnes ætate corroborata in templum Calciæci concurrerent.* Thucydides belli Peloponnes. lib. 1 pag. 89. φθάνει τὸ ἱερὸν τῆς χαλκιοίκου καταφυγεῖν. *In templum Chalciæci se proripuisse cursúque cæteros præue isse* Ælian. var. hist. lib. 9. cap. 14. ἐπεὶ δὲ ἦν ἐν τῇ χαλκιοίκῳ ... *Cum verò iam esset in Chalciæco, & cum fame luctaretur, támque calamitosissimè omnium mortem cerneret.*

Eadem hæc Minerua quæ *Chalciæcus* dicta, & *Chalcœtis* vocari solebat, notat Philipp. Beroaldus in lib. 10. L. Apulei de Asino. Pausaniæ prius citato *polinchos* audit, quod nempe in arce edita fanum istud conspiceretur, veluti vrbis præses aut tutela, talis enim erat Pallas. Q. Catulus epist. 2.

Quæ'ecunque quod est patrona virgo,
Vno plus maneat perenne sæclo.

In quo versu mira diuersitas, nam vetus editio præfert.

Qualecunque quidem, ora per virorum.

Iosephus Scaliger censuit legendum,

Qualecunque quod ô patrima virgo.

Sed nostram lectionē ex MS. codice asseruit Achilles Statius Neapolitanus, & habet ipsum Catullum fautorem. qui *Palladem arcium* siue *vrbium præsidem* describit Epigr. 62. in

Templum Augusti.
Templum Quirini prope Lupercal, vbi erat signum Lupæ, præbentis duobus pueris Romulo & Remo, mammas.
Templum Iouis propugnatoris.
Templum matris Deûm, & aliàs, Magnæ matris Ideæ, cum simulachro eius ex Pessinunte deuecto.
Templum Febris in Palatio cum ara.

Ædes IX.

Ædes Consi.
Aedes Deæ Viriplacæ, in Palatio.
Aedes Fortunæ Vicinæ.
Aedes Rhamnusiæ.
Aedes Iouis Victoris.
Aedes Dijouis.
Aedes Orci.
Aedes Vestæ.
Aedes Victoriæ.

Ædiculæ. VII.

Porticus Templi Apollinis, cum statua Mar. Varronis.
Area Templi Apollinis Palatini.
Sacellum Larum in Velia.
Sacellum Volupiæ.
Delubrum Iunonis Sospitæ.
Delubrum Palatij.
Delubrum Mineruæ.
Delubrum Latonæ.
Pentapilon Iouis Arbitratoris.
Auguratorium.
Iouis Cœnatio.
Curia Saliorum.
Sacrarium Saliorum Palatinorum.
Lupercal in Theatro.
Casa Romuli.
Tugurium Faustuli.
Ara Febris.
Ara Palatina.
Colossus Iouis Opt. Max. altus pedes ccL.
Fortuna respiciens.
Victoria Germaniciana.

Colossus Apollinis Tuscanici L. pedum in Bibliotheca Palatina.
Statua aurea Britannici Cæsaris.
Theatrum Statilij Tauri in Palatio
Curiæ veteres IV. id est,
Foriensis.
Rapta.
Vellensis, &
Velitia.
Balneæ Palatinæ.
Balineæ priuatæ XV.
Arcus Octauij patris Augusti, cum signis Apollinis & Dianæ, ex vno lapide, opus Fitiæ, quadriga, & curru.
Bibliotheca Palatinæ duæ, videlicet Latina Apollinis, in qua erat statua Numerarij Imp.
Bibliotheca domus Tiberianæ.
Septizonium Seueri Imperatoris.
Sepulchrum Cinciorum.
Pistrina XII.
Horrea XVI.
Domus cxxcIx. *In his.*
Domus Tullii Hostilii regis.
Anci Marcii Regis.
Seruii Tullii Regis.
Poplicolæ in Velia.
L. Crassi Oratoris.
L. Hortensii Oratoris.
L. Sergii Catilinæ.
M. Æmilii Scauri.
C. Cæsaris Dictatoris.
L. Annæi Senecæ.
M. Valerii Flacci.
D. Catuli.
M. Ciceronis.
Domus Augustana.
Domus Tiberiana cum Bibliotheca.
Domus Dionysii.
Domus Ceioniorum.
Insulæ cIↃIↃc id est, 1600.
Regio in ambitu continet pedes ccIↃↃ ∞ Icc. id est, 11600.

Ad Regionem decimam.

PARALIPOMENA.

De lychnuchis Apollinis Palatini.

DE Apollinis Palatini templo, ac bibliotheca dicam li. 2. cap. 7. hic tantùm de lychnis seu lychnuchis paulò altius repetendum Lumina ergo veterum, non faces, funalia, candelæ, sed *lychni*, quos generali nomine *lumen* interpretatur Isidor. li. 17. cap. 8. describit D. Ausonius Edyll. 2. in Cupidine cruci *affixo*, & testam vult fuisse, quod idem valet, ac si lucernam dicas.

Fert fumida testa
Lumina sestiaca præceps de turre puella.

Iul. Pollux. lib. 7. Onomast. ca. 33. Numero 7. λυχνοποιός, λυχνοπώλης, λυχνοῦχος. *lychnorum confector, lychnorum venditor, lychnuchus.*

Helio. Æthiop. lib. 7. μόνον δὲ τὸν θάλαμον λύχνῳ καταυγάζοντος *solum autem thalamum lichno illustrante.* Arrian. dissertation. Epicteti lib. 1. cap. 19. ἔρχεται εἰς οἶκον, ἅψομεν λύχνους ἀναβαίνει εἰς τὸ Καπιτώλιον, θύσει. *Domum venis, collucent omnia lychnis, ascenditur in Capitolium, sacrificatur.* videtur respexisse ad locum C. Suetonii in Iulio cap. 37. *ascenditque Capitolium ad lumina quadraginta ele-*

phantis dextra atque sinistra lychnuchos portantibus, non Romanorum hunc tantum fuisse morem, sed & Græcum indicio est authoritas Euripidis in Ino.

Κεῖσαι ἐν ἄντροις μονος ἄλυχνος ὥσπερ θὴρ μόνος.

Canis in antris sine lychno tanquam fera solitaris.

Luctatius Placidius Grammaticus, *priuatorum vsibus* videtur *lucernas* attribuere, *principum lychnos*.ad v.521.lib.1.Thebaidos Statianæ.

Ast alij tenebras, & opacam vincere noctem

Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis.

Aristophanes in Acharnensibus meminit. Act.4.sc.2. [illegible]

[illegible]

[illegible]

Vertit Nicodem. Frischlinus.

Erit malorum pluriu[m]

Crater, tapetum litium.

Fax (lucerna) in reis quadruplandis, & calix in hac

Republica obruenda.

Priscianus Cæsariensis in versione periegeseos Dionysij Afri.

Et flammæ similis splendenti lumine lychnis.

Idem in eodem carmine ad finem.

Hic lychnis lucem simulat splendere lucernæ.

D. Paulin. Episcopus Nolæ D. Felicis Natali 6.

Ast alij pictis accendunt lumina ceris,

Multiforésque cauis lichnos laquearibus aptant, Vt vibrent tremulas funalia pendula flammas. Rectè pendula funalia. Statius paulò ante tendere vincula dixit Virgil.lib.1.Æneid.vers.729.in conuiuio illo Didus.

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant

Atria: dependent lychni laquearibus aureis.

T. Lucret. de Rer. Nat. lib.5.

Quin etiam nocturna tibi terrestria quæ sunt

Lumina, pendentes lychni, claraque coruscis

Fulguribus pinguis multa caligine tædæ.

En claret tædæ apud Lucretium, *ceræ candelæ* apud Diuum Paulinum, discretæ à *lychnis* seu *lucernis*, in quibus nec cera, nec pix, nec sebum, sed oleum, C. Plinij extat apud Seruium locus ad lib.1.Georg.v.391. & ipse Virgilius.

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ

Nesciuere hyemem, testa cum ardente viderent

Scintillare oleum.

M. Martial.lib.4 epigr. 90. *dum paruus lychnus modicum consumat olivi*, *è testa illa*, aut *ærea*, Artemidor. Oneiroc.lib.2.cap.9. Et est æreus lychnus visendus apud Clariss virum nostrique sæculi lumen, P. Petauium, in supremo senatu Consiliarium. Porro lychnos non extinguebant, sed eos sinebant languescere. Petronius Arbiter in Satyrco pag 16. *lucernæ quoque humore defectæ, tenue & extremum lumen spargebant*. Elegans est Gallieni Aug. Epithalamium, quod adscribam propter venustatem.

Ite, agite, ô iuuenes pariter sudare medullis

Omnibus inter vos, non murmura vestra columbæ,

Brachia non hedera, non vincant oscula conchæ,

Ludite, sed vigiles nolite extinguere lychnos,

Omnia nocte videns, nil cras meminere lucernæ.

Allusit, vt puto ad posteriorem versum Philodemus vetus poëta, in Anthologia lib.7.epigr.89.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nox sacra & lychne conscios nullos alios iuramentis sed vos accepimus ambo. Et hic quidem se me amaturum, illum verò me nunquam relicturum iurauimus, communem habere testimonium, iam verò ille quidem iuramenta dicit in aquam illa ferenda, lychne tu verò in finibus ipsum vides aliorum. Indicauit & M. Martialis lib.11.epigr.105.ad vxorem.

Tu tenebris gaudes, me ludere teste lucerna,

Et iuuat admissa rumpere luce latus.

Horat.lib.3.od.21. lucernas tota nocte adsisse vult, amoribúsque adhibitas. *Te liber, & si læta aderit Venus. Segnésque nodum soluere Gratiæ.*

Viuæ, ut producunt lucernæ,

Dum rediens fugat astra Phœbus.

Sext. Propert.2.eleg 15.

Quam multa apposita narramus verba lucerna,

Quantáque sublato lumine rixa fuit.

Et lib.3.Eleg.7.

Dulcis ad extremas fuerat mihi rixa lucernas.

De vario ritu lucernas accendendi festis diebus, coronandi, ante ostia sua statuendi, obseruatum abundè à Criticis, & dicam alibi. Istud certè à nullo animaduersum, quod sciam *Ignem Imperatoribus prælatum in lucernis*: & quidem de igni usu apud Romanos ex Herodiano, apud Persas ex Xenophonte, docuit Iust. Lipsius ad Tacitum suum lib 1. Annal. At de lucerna locus est insignis apud Corippum Africanum, de Iustino principe in ludos Circenses prodeunte, lib.2. Num.8.

Prænuntius ante

Signa dedit Cursor posita de more lucerna.

Signum ergo illud erat Cæsarem aduentare quoties Cursores lucernas prætulissent, quas in Circo ponebant, veluti sacræ & non violandæ maiestatis indicium, sequitur enim apud eundem poëtam.

Exoritur

Excitur latis iumnda per agmina murmur, Inuentos oculos ad sedem vulgus herilem | *Extulit assurgens, quoniam plebs lata videre Fœlicem dominam summo cupiebat amore.*

REGIO XI. CIRCVS MAXIMVS.

Vici VIII.

Vicus Consiuius, aliàs Consinius.
Vicus Proserpinæ.
Vicus Cereris.
Vicus Argæi.
Vicus Piscarius.
Vicus Parcarum.
Vicus Veneris.
Vicus Sanctus.
Vicus antiquus Publicij ad portam Trigeminam.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Porta Trigemina.
Salinæ ad portam Trigeminam.
Velabrum maius in foro Olitorio.
Velabrum minus.
Argiletum.
Lucus Semelis minor.
Lucus Saturni.
Templum Mercurij.
Templum Castoris.
Templum Herculis Victoris in foro Boario.
Templum Iani ad forum Olitorium.

Ædes XXII.

Ædes Summani, aliàs, Ditis patris.
Ædes Cereris vetus.
Aedes Proserpinæ.
Aedes Veneris, opus Fabij Gurgitis.
Aedes Portumni, ad pontem Subiicium, aliàs Æmilium.
Aedes Herculis Oliuarij, ad portam Trigeminam.
Aedes Cereris.
Aedes Pompeij, in qua erat Herculis signum, à Myrone f. ctum.
Aedes Portumni vetus.
Aedes Muciæ, aliàs Veneris Myrteæ.
Aedes Consi subterranea, aliàs Neptuni equestris.
Aedes Pietatis in foro Olitorio.
Aedes Iunonis Mutatæ in foro Olitorio.
Aedes Iunonis.
Aedes Pudicitiæ patriciæ.
Aedes pudicitiæ plebeiæ in Vico longo.
Aedes Fortunę virilis ad Tiberim, in qua erat statua lignea Ser. Tullij Regis.
Aedes Spei in foro Olitorio.
Aedes Apollinis Medici.
Aedes Liberi, Liberęque.
Aedes Solis.
Aedes Floræ.

Ædiculæ VIII.

Aedicula Veneris.
Aedicula Iunonis.
Aedicula........
Aedicula Iuuentutis in Circo.
Aedicula Solis in Circo.
Aedicula Proserpinæ.
Aedicula Cereris.
Aedicula Parcarum.
Area Sancta.
Area Apollinis.
Sacrarium Saturni cum Luco.
Sacellum Iouis Conseruatoris.
Sacrarium Numæ.
Ara Maxima, aliàs, Magna Herculis.
Ara Consi.
Ara Iouis inuentoris.
Ara Accæ Laurentiæ in Velabro.
Apollo Cœlispex.
Hercules Triumphalis.
Signa Dearum Setiæ, aliàs, Segestæ.
Metiæ ac Tutilinæ, in Circo maximo.
Circus Maximus, qui capit loca ccIↃↃ IↃↃC ccccIↃↃↃↃ. id est, 485000. in quo erant Obelisci duo magni, quorum maior est pedum CXXII. minor pedum LXXXI IXS.
Circus Intimus.
Forum Olitorium.
Basilica Caij & Lucij Cæsarum.
Campus Trigeminorum.
Tabernæ bibliopolarum Argiletanæ.
Emissarium Cloacæ maximæ in Tiberim.
Balineæ priuatæ XV.
Lacus sine nomine XV.
Fornix Sertinij in Circo maximo cum signis auratis.
Columna Lactaria in foro Olitorio, ad quam infantes lacte alendos deferebant.
Lupanaria.
Horrea XVI.
Pistrina XII.
Domus CXXCIX. id est, 189.
Insulæ ∞ IↃC. id est, 1600.
Regio in ambitu continet pedes ccIↃↃ ∞ IↃC. id est, 1160.

PARALIPOMENA.

Ad regionem undecimam.

DE ARGILETO.

Evander Argum quem iam susceperat hospitio, cum de eius cogitaret interitu, ipse vt regnaret Euandro hoc non sciente, socij intellexerunt, & Argum necarunt, cui Euander & sepulchrum fecit, & locum sacra-

uit, non quod ille merebatur, sed hospitalitatis causa, ergo *Argiletum ab Argo illic sacrato, & sepulto. Alij Argum occisum dicunt ab ipso Euandro, auxiliante sibi Hercule, quod is ex hospite factus esset inimicus. Alij Danaen cum duobus filiis Argo & Argeo, quos de Fineo habuit, venisse in Italiam, & locum vbi nunc Roma est tenuisse, ibique Argum Aboriginum insidiis interfectum loco nomen dedisse. Alij Argeletam portam appellari, quod eam Cassius Argilus siue feceris, siue refeceris, quod ibi Cassius, post Argilus bello Punico primo sit interfectus ob turbulentam & seditiosam naturam. Alij quod Argilus senator post Cannense prelium suaserit à Pœnis pacem postulari, ideo in senatu carptum domúmque eius dirutam, & locum Argiletum appellatum.* hæc ad verbum Seruius Danielis, apud quem & plures vide rationes ad illud lib. 8. Æneid.

Necnon & sacri monstrat nemus Argileti,
Testatúrque locum, & letum docet hospitis Argi.

M. Terent. Varro lib. 4. de Ling. Lat. *Argiletum sunt qui scripserunt ab Argo, seu quòd is huc venerit ibíque sepultus sit, alij ab argilla, quòd ibi id genus terræ.* Est autem in principio vici Thusci sub Cæliolo inter Circum Maximum & Auentinum, vbi letum Argi simul & sepulchrum est, atque hic superior Argiletus vocatur. Imus autem est vbi Ianus quadrifrons, qui & Vertumnus, in fine vici Thusci ad radices Capitolij, in foro boario. Q. Fabius Pictor lib. 1. in fine de Aureo sæculo & orig. vrb. Rom. *Terminóque ab altero latere habet Marcelli theatrum.* Bartholom. Marlian. Topograph. lib. 4. ca. 9. Tabernæ hic meritoriæ. M. Martial. lib. 1. Epigr. 119.

Argi nempe soboles subire letum.
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc & inde totis.

Et prosertim bibliopolarum, Onuphrius in fine penè huius regionis, *Tabernæ bibliopolarum, Argiletanæ.* Martial. lib. 1. Epigr. 4.

Argiletanas mauis habitare tabernas,
Cum tibi paruæ liber scria nostra vacent.

Aut sutorum, Idem lib. 2. epigr. 17.

Argique letum multus obsidet sutor.

REGIO XII. PISCINA PVBLICA.

Vici XII.

Vicus Veneris almæ.
Vicus Piscinæ publicæ.
Vicus Dianæ.
Vicus Ceios.
Vicus Triarij.
Vicus Signi salientis.
Vicus Lacitecti.
Vicus Fortunæ Mammosæ.
Vicus Colafiti pastoris.
Vicus portæ Rudusculanæ.
Vicus Portæ Nauiæ.
Vicus Victoris.
Vicomagistri XLIIX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes vigilum III.
Caput viæ nouæ.
Fons Lollianus.
Aedes Bonæ deæ Subsaxanæ.
Aedes Isidis.

Ædiculæ XII.

Aedicula Veneris almæ.
Aedicula Dianæ.
Aedicula Fortunæ Mammosæ.

*

Area radicaria.
Area Lauernæ.
Fortuna Mammosa.
Isis Athenodora.
Signum Delphini.
Campus Lanatarius.
Horti Asiniani.
Thermæ Antonianæ.
Balineæ priuatæ LXIIX.
Lacus LXXX.
Septizonium vetus.
Horrea XXIIX.
Pistrina XXV.
Domus CXXVIII.

In his.

Domus VII. Parthorum.
L. Fabij Cilonis.
L. Cornificij.
Priuata Hadriani Imperatoris.
Insulæ ∞ ∞ CDXXXVI. id est. 2486.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ. ∞ ∞ id est, 12000.

REGIO DECIMATERTIA, AVENTINVS.

Mons Auentinus.
Cliuus publicij.

Vici XVII.

Vitus Fidij.
Vicus Frumentarius.
Vicus Trium viarum.
Vicus Cælesti.

Vicus

Vicus Valerii.
Vicus Laci miliari.
Vicus Fortunæ.
Vicus Capitis Canteri.
Vicus Trium alitum.
Vicus Nouus.
Vicus Loreti minoris.
Vicus Armilustri.
Vicus Columnæ ligneæ.
Vicus Materiarius.
Vicus mundiciei.
Vicus Loreti maioris, vbi erat Vortumnus.
Vicus Fortunæ dubiæ.
Vicomagistri LXIIX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cliuus publicus.
Caput Armilustri.
Doliolum.
Remuria.
Scalæ Gemoniæ.
Lauretum.
Mappa aurea.
Spelunca Caci.
Platanon.
Lucus Lunæ in Auentino.
Lucus Laurentinus.
Lucus Platanorum.
Lucus Loreti maioris.
Lucus Loreti minoris.
Hucus Hylernæ.

Templa VI.

Templum Lunæ in Auentino magnum.
Templum commune Dianæ.
Templum Bonæ deæ in Auentino.
Templum Libertatis.
Templum Iunonis Reginæ, M. D. à Camillo captis Veiis.
Templum Isidis.

Ædes IIX.

Aedes Consi.
Aedes diui Tati.
Aedes Mineruæ, aliàs, Palladis in Auentino.
Aedes Siluani.
Aedes Mercurii.
Aedes Herculis & Siluani.
Aedes Matutæ cum æreis columnis & atrio.
Aedes Victoriæ in Auentino.

Ædicula XVII

Aedicula Fidii, aliàs Fidei.
Aedicula Fortunæ dubiæ.
Aedicula Hylernæ.
Adicula deæ Tutilinæ.
Porticus Aemilia.
Porticus Fabaria, aliàs, Faberii.
Atrium Libertatis in Auentino.
Atrium Matutæ.
Sepulchrum diui Tatii.
Area publica.
Area Pinaria.
Ara Iouis Elicii.
Vortumnus, aliàs, ædes Vortumni.
Fortuna Horreorum Galbianorum.
Statua Minucii Augurini, præfecti annonæ.
Odæum.
Naumachia.
Forum pistorium.
Campus Pecuarius, aliàs, Pescuarius.
Schola Cassii.
Thermæ Varianæ.
Thermæ priuatæ Traiani.
Balineæ priuatæ LXXIV.
Lacus LXXIIX.
Fons Siluani.
Emporium extra portam Trigeminam.
Sepulchrum C. Sestii VII. viri Epulonum.
Columna P. Mancini præfecti annonæ.
Horrea XXXVI.

In his.

Aniceti.
Varguntei.
Galbiani.
Horrea Domitiani Augusti.
Pistrina XXX.
Domus CLV.

In his.

Domus Vlpiorum, aliàs, priuata Traiani.
Domus Vitellii Imperatoris.
Ennii Poëtæ.
Faberii scribæ.
L. Licinii Suræ III. Cos.
Insulæ ∞ ∞ CDXXCIIX. id est, 2488. Regio continet in ambitu pedes CCIↃↃ IↃↃ ∞ CCC. id est, 163000.

PARALIPOMENA.

Ad regionem decimam tertiam.

DE MAPPA AVREA.

VIcum *mappæ aureæ* ponunt in hac regione Topographi, Onuphrius Panuinius & P. Victor: sed neuter nominis impositi rationem explicat, fortean à commissionibus Circensibus tractum nomen, quæ *mappa extensa* indicebantur, voce punica ad id significandum in ciuitatem Latinam transmissa, M. Quintilian. lib. 1. cap. 5. sed omnia ab eruditis hactenus discussa obseruatáque sunt, ideo & obuia. Adria. Turneb. lib. 18. ca. 33. Sed nemo melius expresserit Iustiniano Aug. de Consulibus. Constitut. 105. *ac primus quidem*

illi (Consuli) *in publicum processus erit* Cal. *Ian. qua die consulatum inscipiet* & *huius adquiret codicillos: ab illo secundum pro ineunte spectaculum equorum cursu certantium, quod sane mappam appellant, & tertium, venationem (ut nuncupant) theatricam, non bis, sed semel tantummodo exhibendam*. Originem ritus discere non est obscurum ex Georgio Cedreno histor. Compendio pag. 139. μεμιμημένοι τοὺς Ῥωμαίους ἔθος ἐκράτησε αἰτίας τοιαύτης. ἔθος ἦν τοῖς ὑπάτοις ἐπὶ τοῦ θεάτρου ἀριστίζειν, μετὰ δὲ τὸ παύσασθαι τοῦ ἀρίστου τὸ ἐν χερσὶν ἐκμαγεῖον, ὃ καὶ μάππαν καλοῦσιν, ἐξ τοῦ ὑψηλοῦ ῥίπτειν, ὅπερ ὑποδεχόμενος ὁ λαὸς [illegible] τὸν ἀγῶνα παρεσκεύαζεν. *Mappula nomen Romanis tali de causa usurpatur. mos erat ut consules in theatro epularentur, ac postquam saturati conuiuio erant, mantile quod manibus tenebant quod & mappa dicitur, proijcerent, idque is qui ab ea re mappa [illegible] dicitur arripiens, certamen adornabat*. Hæc ille. de inuentione prima auctorem fuisse Neronem principem liquet ex Aurelio Cassiodoro libro 3. Epist. 51. *Mappa verò quæ signum dare videtur Circensibus, tali casu fluxit in morem, cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut assolet, auidus spectandi populus flagitaret: ille mappam, qua tergendis manibus utebatur iussit abijci per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulandi, hinc tractum est, ut ostensa mappa, certa videatur esse promissio Circensium futurorum*. Q. Flor. Tertullia. lib. aduersus Valentinianos ad finem allusit, *sed mappa, quod aiunt, missa est*. Idem lib. de spectaculis cap. vlt. *dehinc ad signum anxij pendent, unius dementiæ una vox est. cognosce dementiam de vanitate missi, dicunt, & nunciant initium quod simul ab omnibus visum est, tenro testimonium cæcitatis, non vident missum quid sit, mappam putant, sed est diaboli ab alto præcipitati figura*. D. Iuuen. sat. 11.

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ
Idæum solenne canunt.

Mittebatur hæc mappa, id est, Ludi Circenses aut Scenici indicebantur à Prætore. M. Martial. lib. 12. epigr. 29.

Prætor cretatam cùm vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.

Aut interdum à dictatore, T. Liu. 1. Decad. li. 8. *prætore graui morbo detento, dictator in Megalesiacis ludis mappam misit*, aut è libertis aliquis id muneris habebat, C. Sueto. in Nerone cap. 22. *Vniuersorum se oculis in Circo maximo præbuit aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent* & rectè *magistratus* dixit, nam & Consuli quandoque ea prouincia committebatur. Iuuenal.

Quid si vidisset prætorem in curribus altis
Extantem & medio sublimem in puluere circi
In tunica Iouis.

Vetus Scholiastes *mappam*, inquit, *mittentem in circo consulem describit poëta*: vsus eius non modo ad signandas Circensium commissiones, populumque conuocandum, verum etiam *ad feras irritandas*, & ad iram prouocandas quo ferociùs congrederentur. L. Sen. lib. 3. de Ira cap. 30. *taurum color rubicundus excitat, ad umbram aspis exurgit, ursos leonésque mappa proritat*. quem locum sunt qui ad strepitum curulium agitationum trahant, sed magis appositè I. Lipsius de colore ipsius mappæ candicantis intelligit.

Reliqua quæ decimatertia hac, & decima quarta regionibus describuntur, alibi exponentur suo loco commodiùs.

Interim quot fora Romæ fuerint, quæ nominum ratio, pete ex eruditissimo, & veræ senatoriæ dignitatis viro Andrea Tiraquello in Alexand. Neapolitan. lib. 2. cap. 12. genialium dierum.

De portarum numero, nominísque rationibus, consule eundem ad lib. 4. cap. 16.

De viis extra vrbem, stratis celebrioribus, earúmque curatoribus, Idem lib. 3. cap. 13.

REGIO DECIMA QVARTA, TRANS TIBERIM.

Ianiculus mons.
Vaticanus mons.
Insula.
Naualia.

Vici XXIII.

Vicus Censori.
Vicus Gemini.
Vicus Rostratæ.
Vicus Longi Aquilæ.
Vicus Statuæ Siccianæ.
Vicus Quadrati.
Vicus Raciliani maioris.
Vicus Raciliani minoris.
Vicus Ianiculensis.
Vicus Bruttianus.
Vicus Larum ruralium.
Vicus Statuæ Valerianæ.
Vicus Salutaris.
Vicus Paulli.
Vicus Sex Lucei.
Vicus Simi Publici.
Vicus Patratilli.
Vicus Laci restituti.
Vicus Saufei.
Vicus Sergi.
Vicus Ploti.

Vicus

Vicus Viberini.
Vicus Graianarum.
Vicomagistri xcII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes vigilum VII.
Caput Gorgonis.
Lucus Fortnarum.
Lucus Publicus.
Lucus Vaticanus.
Templum Fortis Fortunæ.
Templum Apollinis in Vaticano.
Templum Fortunæ Liberæ.

Ædes VI.

Ædes Forinarum.
Ædes Isidis Naumachinæ.
Ædes I. . nis.
Ædes Fauni.
Ædes Æsculapij.
Ædes Dianæ suburbanæ.

Ædicula XXII.

Ianus Septimianus.
Area Vaticana.
Area Septimiana.
Sacellum Deæ Maniæ.
Aræ XII. Iano dicatæ.
Ara Martis.
Statua Valeriana.
Statua Sicciana.
Statua Diui Iuli in Insula.
Diuæ Corniscæ.
Hercules Cubans.
Hippodromus.
Circus Vaticanus, aliàs, Caij & Neronis in quo obeliscus pedum LXXII. erat.
Circus Domitiæ in pratis.
Statius publicus.
Obeliscus magnus in Insula.
Naumachiæ duæ.
Tribunal Aurelium.
Castra Lecticariorum.
Castra Vetera.
Campus Bruttianus.
Campus Codetanus.
Campus Vaticanus.
Horti Cæsaris.
Horti Domitiæ.
Horti Galbæ Imperatoris.
Horti Martialis.
Horti Getæ.
Albiona.
Prata Mucia.
Prata Quinctia.
Nosocomion, vbi ægroti curabantur in Insula.
Thermæ Septimianæ.
Thermæ hyemales Aureliani Imperatoris.
Balneum Ampelidis.
Balneum Priscilliani.
Balinea priuata cxxxvI.
Lacus cxxc.
Sepulchrum Numæ Regis in Ianiculo.
Sepulchrum St. Cæcilii Poëtæ.
Sepulchrum Hadriani Imperatoris.
Horrea xxII.
Pistrina xxxII.
Domus L C.

In his.

Domus Martialis.
Insulæ ∞ ∞ ∞ CDIX. id est. 3409.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ ∞ ∞ CDXXCIX. 133489.

AQVAE VIGINTI IN VRBE ERANT.

Aqua Appia.
Aqua Anio vetus.
Aqua Martia, aliàs, Aufeia.
Aqua Tepula.
Aqua Iulia.
Aqua Virgo.
Aqua Halsia, al. Halsietina, quæ & Augusta.
Aqua Claudia Albudina, Cœrulea, Curtia, Augusta.
Anio nouus.
Riuus Herculaneus.
Aqua Crabra.
Aqua Sabatina, vel Cimina, Aurelia Septimiana trans Tiberim.
Aqua Traiana.
Aqua Alexandrina.
Aqua Damnata.
Aqua Annia.
Aqua Algentiana.
Aqua Seueriana.
Aqua Antoniana.
Aqua Setina.
Procopius scribit, suo tempore fuisse in vrbe æquæductus xIV.

QVONIAM QVO LOCO, VEL QVA VRBIS REgione reponerentur, non liquebat, huc referre placuit.

Petuscum Palati regio Vrbis.
Fragellę, locus in Vrbe.
Argæa, loca in vrbe.
Esculetum locus in vrbe.
Cliuus foro proximus.
Vicus Publilius.
Vicus Cosconicus.
Compitum Fabricij.

Lucus Veneris Lubentinæ.

Templa.

Templa Fortunæ Virginis.
Muliebris via Latina.
Masculæ.
Barbatæ.
Equestris nouæ.
Plebeiæ.
Priuatæ.
Viscatæ.
Blandæ.
Conuertentis.
Benè sperantis.
Auertentis.

Templa Iouis Victoris.

Inuicti. Pugnacis.
Prædatoris. Martiani.
Templum Iunonis Caprotinæ.
Templum Apollinis Sosiani.
Templum Apollinis Tortoris.
Templum Veneris Lubentinæ.
Templum Veneris Victricis.
Templum Herculis Defensoris.
Templum Herculis via Latina.
Templum Adonidis.
Templum Annonæ sanctæ.
Templum Vacunæ.
Templum Iustitiæ.
Templum Themidis.
Templum Erymnarum.
Templum Clementiæ Cæsaris.
Templum diui Augusti ad Mineruam.
Templum Iustitiæ Augusti.
Templum Fœcunditatis Poppeæ.
Templum diui Hadriani.

Ædes.

Ædes honoris & virtutis Martiana.
Ædes Deûm Consentum.
Porticus Vipsani.
Porticus Reguli.
Porticus Stadiata.
Porticus C. Columnarum.
Porticus Curua in hortis Commodianis.
Atrium Sutorium.
Sacrarium gentis Iuliæ.
Sacellum Minucij.
Sacellum Mutini.
Ara Pacis.
Ara Larum.
Curiæ nouem proximè compitum Fabricij.
Curia Tifata.
Curia Titia.
Curia Faucia, aliàs Saucia.

Fora.

Forum Gallorum.
Rusticorum.
Aurelij.
Cædicij.

Basilicæ.

Basilica Vestini.
Neptunij.
Vascellaria.
Flossselli.
Sicini.
Fuluia.
Mammeæ.

Campi.

Volcani.
Iouis.
Licinii.
Horti Mariani.
Horti Seruiliani.
Horti Commodiani.

Balnea.

Ti. Claudii Etrusci.
Statili.
Martialis.
Annæi Senecæ.
Tuccæ.
Fausti.
Fortunati.
Grylli.
Lupi.
Pontici.
Seueri.
Pæti.
Titii.
Offonii Tigillini.
Alexandrini Imperatoris.
Varii.
Nymphęum Marci Imp. prope Septizonium.
Gordiani Imperatoris.
Lacus Seruilius.

Castra.

Tabellariorum.
Victimariorum.
Salgamariorum.
Salicariorum.
Equitum singulorum.
Horrea Seiana.

IN VRBE ROMA ERANT MONTES SEPTEM.

Palatinus.
Capitolinus.
Cælius.
Esquilinus.
Quirinalis.
Viminalis. Auentinus.

Trans Tiberim.

Ianiculum. Vaticanus.

Extra vetus Pomerium.

Collis hortulorum.
Regiones XIV.
Vici CCX.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri ↀCCCCXI.
Curatores XXIIX.
Denunciatores XXIIX.
Cohortes Prætoriæ XVII.
Cohortes Vigilum VI.
Cohortes Vrbanæ VI.
Excubitoria XIV.
Vexilla II communia.
Castra Peregrina.
Castra Prætoria.
Castra Milenatium II.
Castra Tabelliorum.
Castra Lecticariorum.
Castra Victimariorum.
Castra Salgamariorum.
Castra Silicariorum.
Castra Equitum singulorum.
Castra Gyptiana.
Castra vetera.
Horrea CCCXXVII.
Pistrina CCCXXIX.
Balineæ ∞ IX. id est, 909.
Lacus ∞ XCIIX id est, 1098.
Domus ∞ ∞ CXVII. id est, 2117.
Insulæ CCIↃↃIↃↃↃ ∞ C ∞ XII. id est, 41912.

Luci XXXII.

Vestæ Cuperius.
Iouis Viminei.
Loreti minoris.
Loreti maioris.
Platanorum.
Quequetularius.
Cuperius Hostiliani.
Cuperius Scholæ Copulatorum.
Mauortianus.
Vaticanus.
Furinarum.
Poëtilinus.
Lunæ in Auentino.
Lucinæ, vbi erat Terentum.
Saturni.
Semelis minor.
Larum.
Mineruæ vetus.
Victoriæ.
Petilinus maior extra portam Flumentanam.
Fagutalis.
Esquilinus.
Mephitis.
Iunonis Lucinæ.
Rubiginis.
Veneris Lubentinæ.
Laurentinus.
Hylernæ.
Publicus.
Egeriæ.
Camœnarum.
Vaticanus.

Fora XIX.

Romanum, quod dicebatur Magnum.
Cæsaris Dictatoris.
Augusti Cæsaris.
Boarium.
Transitorium, quod & diui Neruæ.
Olitorium.
Pistorium.
Imperatoris Neruæ Traiani, Cæsaris Augusti.
Domitij Ahenobarbi.
Suarium, aliàs Syarium.
Archemorium.
Diocletiani Imperatoris.
Gallorum.
Rusticorum.
Cupedinis ad Cometa.
Piscarium.
C. Crispi Sallustij.
Aurelium.
Cædicij.

Basilicæ XXI.

Vlpia.
L. Paulli in foro.
Vestini.
Neptunni, aliàs, Neptunii, aliàs, Neptuni.
Macidii, alias Matidii, aliàs Matidiæ.
Iulia.
Marciana.
Vascellaria, aliàs, Vastellaria.
Filicelli, aliàs, Floselli, aliàs, Flosselli.
Sicini, aliàs, Sicimini.
Constantiniana.
Porcia, à Porcio Catone facta.
L. Paulli vetus.
Argentaria.
Opimiana.
Æmilia.
Fuluia.
Mammæa.
Antoniana.

Campi XVII.

Campus Viminalis.
Esquilinus.
Agrippæ.
Martius.
Codetanus.
Bruttianus.
Lanatarius.
Pecuarius.
Vaticanus, trans Tiberim.
Rediculi.
Martialis.

Cœlimontanus.
Furinarum.
Trigeminorum.
Volcani.
Iouis.
Licinij.

Thermæ XX.

Thermæ Traiani.
Titi Cæsaris.
Agrippę.
Syriacæ.
Commodianæ.
Seuerianæ, aliàs Varianæ.
Antonianæ.
Alexandrinæ.
Diocletianæ.
Decianæ.
Constantinianæ.
Septimianæ.
Olympiadis.
Philippianæ.
Traianæ priuatæ, & publicæ.
Neronianæ. Nouati.
Hadriani Imperatoris
Varianæ in Auentino.
Iani Quadrifrontes xxxvi. per omnes regiones marmoribus incrustati, & adornati insignibus militaribus, & signis.
Duo præcipui ad arcum Fabianum: superior, inferiórque.

Viæ XXXI.

Via Appia. Latina.
Lauicana, aliàs, Labicana.
Campana.
Prænestina.
Tiburtina, vel Gabina.
Collatina.
Nomentana, vel Figulensis, aliàs, Ficulnensis.
Salaria.
Flaminia.
Æmilia.
Claudia, aliàs Clodia.
Valeria noua & vetus.
Ostiensis.
Laurentina.
Ardeatina.
Setina.
Quinctia.
Gallicana.
Triumphalis.
Patinaria.
Cimina.
Cornelia.
Tiberina.
Aurelia.
Cassia.
Portuensis.
Gallica.
Laticulensis, aliàs, Ianiculensis.
Flauia, & Traiana.
Capitolia II. vetus & nouum.
Amphitheatra II.
Colossi II.
Columnæ Coclides II.
Theatra III. aliàs IV.
Circi IIX, aliàs, IX
Ludi VI. aliàs VII. aliàs V.
Naumachiæ V. aliàs, VI.
Stadia II.
Nymphea XII. aliàs XI. aliàs XV.
Macella II.
Equi ænei inaurati XXIV.
Equi Eburnei CXXIV. aliàs, XCIV.
Equi magni XXIII.
Tabulæ & signa sine numero.
Arcus marmorei XXXVI.
Lupanaria XLVI.
Latrinæ publicæ CXLIV.
Colossi Ænei XXXVII.
Marmorei LI.
Obelisci magni VI.
Duo in circo maximo.
Maior est pedum CXXXII.
Minor est pedum XXCIIXC.
Vnus in Vaticano, pedum LXXII.
Vnus in Campo Martio pedum LXXII.
Duo in Mausoleo Augusti pares, singuli pedum XLII.
In Insula Tiberis I.
Obelisci parui XLII. in plerisque sunt notæ Ægyptiorum.
Bibliothecę vndetriginta publicæ, ex iis pręcipuæ duæ.
Palatina & Vlpia.
Pontes IIX.
Miluius.
Ælius.
Aurelius, aliàs, Vaticanus.
Ianiculensis.
Fabricius.
Cestius.
Palatinus.
Aimilius, qui ante Sublicius.
Mensæ oleariæ ꟾↄↄↄ ccꟾↄↄ ccꟾↄↄ ∞ ICC. id est, 74000. aliàs, ccꟾↄↄ ccꟾↄↄ ∞ ꟾↄↄ. id est, 24000.
Portæ XXXVII

Hæ sunt quatuordecim regiones, in quas Vrbē Romam D. Augustus distribuit, ab Onuphrio Panuinio summa diligentia ex optimis Auctoribus conscriptæ: quas idem Auctor etiam Cōmentario sese explicaturum promisit: eum tamen, siue editus sit, siue adhuc alicubi lateat, mihi videre non contigit. Plura tamen loca in reliquis libris perspicue explicabuntur.

Quorun-

Quorundam autem vocabulorum, de quibus in aliis non erit commodus dicendi locus, quæque aliquomodo obscura sunt, significationes breuiter subiungere libet, ne & hoc in loco studiosæ iuuentuti defuisse videar.

Cap. XIV.

Explicatio quorundam vocabulorum quæ in hac XIV. regionum descriptione vsurpantur.

QVid Regio & vicus, superiùs dictum est: de Curatoribus, Denunciatoribus, & Vicomagistris, alibi dicetur, sicut etiam de Lucis, Templis, Ædibus, Ædiculis, Aris, & multis aliis. Item de Circis, Theatris, Amphitheatro, Foris, & Basilicis, &c. De quibusdam tamen in posterum erit silentium, itaque hoc loco sunt explicanda. Primùm autem de Aquæductibus agemus.

DE AQVÆDVCTIBVS.

Ab vrbe condita per annos CDXCI. contenti fuerunt Romani vsu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut fontibus hauriebant. Verum vrbe quotidie crescente, & penuria aquæ laborante, aliæ aquæ in vrbem deriuatæ sunt: quo factum est, vt tanta in vrbe vndique aquæ fuerit copia, vt singulæ ferè domus suos habuerint fontes. Earum nomina paulò antè sunt recitata: deducebantur aquæ ex diuersis locis, & altius aquæductus, præsertim qui per arcus fiebat, alio altior erat, siue depressior. Hæ in castella primum: ex illis à Castellario certa mensura distributæ in loca destinata effluebant. Castellum autem erat locus, qui aquã publicam recipiebat, & in varia alia loca transmittebat. Castellarius verò, Castellorum custos. Apud antiquos omnis aqua in publicos vsus erogabatur: legéque ita cautum erat, ne quis priuatus aliam duceret, quam quæ ex lacu abundaret, quam posteri caducam vocarunt: & hæc ipsa non in alium vsum, quam in balnearum aut fullonicorũ dabatur, erátque vectigali statuta merces, quæ in publicum penderetur: aliquid & in domos Principum dabatur, concedétibus reliquis. Ius dandæ vendendæve aquæ Censorum fuit, quoties in Republica erãt: quum non erãt, Ædilium Curulium. Tutela sing. aquarum locabatur, eorumq; operũ probandorum cura fuit penes Consules aliquando, & Ædiles, interdum etiam penes Censores. Postea tota res ad Curatores transiit: primúsq; Curator ab Augusto nominatus Messala Coruinus. Ius impetratæ aquæ neq; heredem, neq; emptorem, neq; vllum nouum dominum apud veteres sequebatur. Balneis, quę publicè lauarent, priuilegium antiquitùs concedebatur, vt semel data aqua perpetuò maneret. Postea omnis aquæ cum possessore instauratum est beneficium. Familiæ duæ erant, quæ aquis operam præberent: vna publica, Cæsaris altera. Publica antiquior fuit, quam Augustus ab Agrippa sibi relictam, publicauit, homines circiter CCXL. Cæsaris familiæ numerus CDLX. quam Claudius quũ aquas in Vrbem perduceret, constituit. Vtraque familia in aliquot ministeriorũ species diducebatur: Villicos videlicet, Castellarios, Curatores, Silicarios, Tectores, aliósq; opifices. Commoda publicæ familiæ ex ærario dabantur, quod impendium exonerabatur vectigalium reditu, ad ius aquarum pertinentium. Cæsaris familia ex fisco accipiebat commoda: vnde & plumbum, & omnes impensæ ad ductus, & castella, & lacus pertinentes erogabantur.

Deniquæ magna pœna erat constituta iis, qui Aquæductus violassent, vel aquam aliò quàm leges, statuta publica, Censores vel ipsi Ædiles permisissent, deriuassent: vel plus aquæ, quàm ipsis ab initio concessum esset, sumpsissent. App. Claudius primus omnium arcuato opere aquam in Vrbem produxisse dicitur, &c. Sed de aquis ipsis, æquæductibus, aliisque rebus ad hæc constitutis, vt de ratione ducendi, instrumentis, mensuris, ponderibúsque, duos libros scripsit Sext. Iulius Frontinus: item Plin. lib. 31. cap. VI. & alibi, qui legi possunt. Quædam etiam de iisdem, eruditè collegerunt Georgius Fabricius in sua Roma, & Aldus Manutius Paulli F. Aldi N. lib. 1. de quæsitis per epistolam: quò lectorem, plura sciente cupientem, remitto.

DE BALNEIS.

Balneæ * in Vrbe plurimæ fuerunt, cùm priuatæ in locis diuersis, tum publicæ in singulis regionibus. Si quibus autem locis deessent, aut corruptæ essent, eas antiquitus Ædiles, suis temporibus vel addiderunt, vel restituerunt Seuerus & Gordianus Imp. in primis populares & lauationum studiosi. Cùm. n. apud Romanos lini vsus esset rarior, sudorem, sordésque corporis sæpius abluere necesse habebant. Vsitato more ante cœnam balneis vtebantur. Item post ambulationes, exercitationes, operas, sæpe necessitatis causa, nõ raro voluptatis. Siquidem Commodum in die octies, Gordianum iuniorem & Rhemnium Grammaticum septies lauisse legimus. Balneas mixtas haberi Seuerus prohibuit, quod Commodus non vetuerat, Verus permiserat. Sola & parietes vnguentis illinebantur: idque non solum potentiores faciebant, sed in

* *Veteres vtrumq. dixerunt, Balneũ vel Balnea in genere fœminino.*

priuato quoque homine, ac demum in seruo, Plinius notauit: & Seneca aquam argenteis epistomiis fundi in plebeiis fistulis, & in libertinorum balneis gēmas calcari indignatur. Valerius & Macrobius Sergium Oratam, hominem voluptuarium, etiam pensiles instituisse balneas, testantur. Fabricius, ex quo hęc desumpsi, testatur, se prope balneas Paulli in proiecto lapide, formam strigilis & ampullæ vidisse exsculptam. Strigile autem vsos fuisse antiquos ad fricandum purgandúmque corpus: ampulla vase ad abluendas infusione sordes. Numerum balnearum, quæ Romæ fuerunt, habes suprà. P. Victor vltra octingentas computauit, Agrippa CLXX. gratuita balnea præbuit, quæ posteà in infinitum, vt Plinius tradidit, sunt aucta.

& Balineum, vel Balinea, sicus sup. in Vrbis regionibus scriptum est. Vide Orthographiam Aldi Manutij, & Charisiũ Sosipatrum in Inst. Grã. l. 1. Lib. 13. c. 3. Lib. 9. c. 1. Lib. 3. Saturn. c. 15. Lib. 36. ca. 15.

DE THERMIS.

In nullis antiquorum operibus plus luxus & insaniæ cernitur, inquit Georgius Fabricius in sua Roma, quàm in Thermis Imperatorum, quas in prouinciarum modum fuisse extructas, Ammianus conqueritur, & reliquiæ aliquarum adhuc testantur. Et aut æstiuæ, aut hyemales fuerunt, quales, vno eodémque in loco extruere instituerat Gordianus: sed morte præuentus non absoluit. Hyemales trans Tyberim Aurelianus fecit. Primùm seruierunt Imperatoribus priuatim, posteà vulgatæ sunt & populo: & aliquando patebant interdiu: corruptioribus temporibus etiam noctu. Consueto more mixtæ, & communes non fuerunt: quod tamen malorum Principum culpa aliquoties factum est. Hodie in Vrbe maiora omnia ædificia ab imperitis Thermæ vocantur, propter Diocletianas & Antonianas: quod suo quoque factum tempore non dissimulauit Blondus. Thermis, vt & aquæductibus, adiuncta erant castella, in quibus aqua contineretur: & subiuncti canales, per quos caduca aut inutilis effluebat. Castellorum parietes malthati erant tam tenaci & dura materia, vt vix ferro frangerentur. Thermarum sola, vt & balnearum interdum sternebantur vitro, vt Agrippinarum, frequentius lapide, aut crustis marmoreis latis, aut tessellis quadratis varij coloris: nigri, vt balneæ Palatinæ: nigri, albi sue vt thermæ Commodi & Antonini. Extat etiam descriptio Thermarum apud Nicolaum Sipontinum, ex qua aliquo modo luxus Imperatorum in ædificandis Thermis cognosci potest. Omnium autem diligentissimè nostra ætate de Romanorum Thermis scripsit Andreas Baccius Elxidianus, Medicus, libro vij. eorum, quos de Thermis edidit: ex quo hanc Thermarum Diocletianarum icona, & breuem singularum partium explicationem desumpsi, prolixior & plenior enarratio petatur ex ipsius Commentariis. Sic autem is scribit: in Thermis ædificationis erat varia forma ac varia dispositio partium: sed area amplissima, quæ in quadrum clausa, tribus veluti perpetuis circuitionibus diuisa esset. In primo vndique ambitu, quæ mœniorum instar totum ædificium claudebat, erant Gymnasia exercitationum, vario ordine. In secundo longè latéque spacia platearum, Xysta, ac Platanones, ad exercitia sub dio. In medio, tota ipsa moles Thermarum, quæ sunt membra balnearum, Atria simul, atque Xysti, & Palæstratam amplissimæ porticus, vbi (auctore Vitruuio) Athletæ per hyberna tempora in tectis stadiis exercerentur, ac transirent statim ad balneas. In prima facie, quæ est ad Meridiem, tertiam ferè partem mediam occupabat Theatridium. Quæ pars erat principalis, & tanquam caput totius huius ædificij: vnde duplicem (vt quibusdam videtur) habebat vsum: alterum extrinsecus, alterum intrinsecus. Ambitum enim exteriorem ponunt fuisse arcuato opere distinctum & apertum, vnde scilicet ingrederentur quasi per posticum, siue dextra verterentur, siue sinistra per porticum, apertè venirent in amplissimam plateam, ac exinde quò vellent, siue in palæstras, siue in balneas. In conspectu verò interiori erga plateas, erat Theatri specie distinctum cum sedibus: vbi scilicet populus, & maximè Nobiles, sub vmbra Meridiei sederent ad ludorum spectacula, quæ in plateis exercitij causa fierent. Partes verò quæ vtrinque à Theatridio plures sunt, partim fuerunt ipsius Theatridij membra, & partim loca ad vsum Athletarum, id est eorum, qui exercendi essent coram Theatridio, vtpotè Conisteria, Elæothesia, & quædam apertè in plateam, forsan equorum carceres. Duo post hæc Peristylia quadrata oblonga, hinc atque hinc vnum à Theatridio, quasi palæstræ breues, vel deambulationes. Ac in versuris vtrinque, vnum Sphæristerium, rotunda forma, cum pluribus (vt scribit Plinius Iunior de Villa sua) exercitationum generibus. Vel sacella, vt notatur per ædiculas, æquis vndique spatiis statuarum. hæc erat primæ faciei partitio. Porrò in altera facie, quæ ab Aquilone eodem commensu huic respondet, videntur fuisse maiori ex parte Gymnasia Philosophis dicata, ac Rhetoribus, reliquisque qui studiis literarum dedissent operam. Vtpote pars magis remota à strepitu Athletarum, & situ commodissimo, tum propter amœnitatem vmbrarum (erant enim in hac platea Platanones) tum propter grata fontium murmura, in Natationem ipsam cadentium. Quapropter est visum pluribus antiquariis, in medio hoc spatio à Septentrione fuisse principale vestibulum totius huius ædificij. Ex quo per medios Platanones patebat aditus ad Natationem, & hinc, in porticus, in Basilicas, Diætas

tas & Atria. Primùm verò à dextra vestibuli, & à sinistra, erāt Exhedræ plures clausæ ante plateam, & cum sedibus Hemicycli forma, vt disputantes, & tam loquentes, quàm audientes sese omnes aspicerent: & aliquæ patentes, ceu scholæ nostræ ad leuiora studia. Maiorem verò partem exercitationum Gymnasticarum continebant duæ vtrinque facies laterales, quæ conformes hinc, atque hinc, habebant partitiones. Ac fuisse ad exercitia dicatas videtur: tum quia plateæ hæ laterales erant liberæ, & amplæ mille circiter pedum spatio, tum quia membra ipsa partim erant Hemicycli aperti cum sedibus. ac vario ornamento, quod apparet, signorum, ac picturarum: & partim Conisteria, Elæothesia, aliáque membra ad vsum Athletarum opportuna. Totam hanc autem primam circumferentiam circundabant continuæ porticus, ducentis colūnis vno stylo. Subinde erant plateæ amplæ, & liberæ, vt dixi, tam quæ ante Theatridium, quàm vtræque laterales. In ea autem, quæ erat ante Natationem, erant Xistum, Platanones, & Stadium, ad exercitationes, maximè æstiuas, idonea. Fiebant enim Xista (auctore Vitruuio) inter duas porticus Syluæ, quæ erant Platani, virentésque id genus arbores consitæ, aptissimo situ ante Natationem, vnde aquæ caperent refrigeria. Post Xistum autem Stadium ita figuratum inquit Vitruuius, vt possent hominum copiæ sine impedimento Athletarum cursus, variáque alia spectare certamina. Atque hæ omnes erant partitiones quoquo latere, & Gymnasiorum, & Platearum. Sūma verò operis maiestas, erat tota moles in medio, quæ cōmunes habebat palæstras cum balneis, ac multimodis earum membris, ac miri artificij. Nam si ædificiorum perfectio proportionibus humani corporis respondere debet, vt Vitruuius tradit, perfectissimè respondet in Thermis Diocletianis, ac melius quàm constituat ex Græcis Vitruuius. Est enim in his Theatridium, vbi erat vestibulum, tanquam caput: Apodyterium, pectus: Hypocaustum, stomachus: vmbilicus, maxima, ac regalis Basilica in medio: venter, Natatio. Membrorum verò vtrinque, quæ sunt balnea, atria, palæstræ, porticus, Diætæ, basilicæ, æqua ratio, ac mensura est, vt brachiorum, ac femorum, ita vt quæ ex vna tradetur parte, eadem ex altera parte intelligenda sit. Incipimus autem à Natatione, quæ patentissima pars aspiciebat Aquilonem: & ex ea à latere, per basilicas, ac diætas veniemus in atria, exinde in palæstras interiores, ac maximam basilicam, & demum ad balnearum membra. Natatio erat in recessu medio ab Aquilone, longitudine ducentorum pedum, latitudine dimidio minus, ponte, ac arcubus bipartita ad interiores aditus, vbi nunc facta est maioris altaris basilica. Habebat autem à castello proximo Aquæ Martiæ emissarium, quod per occultos riuos ferebat ad Natationē ipsam aquas. Habebat & supernè ad longitudinem fontes varia specie, ac Musæa, quæ, teste Plinio, ex pumicibus ac erosis vetustate saxis extructa (vt hodie quoque Romæ sunt in vsu) specus imaginem referebant, ac fistulis modò apertis, modò clausis, vario blandissimóque salientium aquarum lusu, recentes semper aquas in Natationem ipsam fundebant, miris circum adhibitis ornamentis, quorum etiamnum apparent ædiculæ signorum & statuarum, fontiúmque vestigia, & columnarum bases. A Natatione plura, ac nobilissima membra: primùm ab vtroque capite erant amplissimæ porticus conformes, nimirum ad spectacula Natationū & ad refrigeria constitutæ. Et alia ad altiorem prospectum porticus pensilis, minori stylo. Exeuntibus verò à porticu, tam dextra, quàm sinistra, erat primùm basilica amœnissima, vbi conuenirent omnes qui vel in palæstras venturi essent, vel in balneas. Ideirco satis ampla, ornatu plastices, ac picturis adhuc nitet antiquissimis. Hinc rectà in Diætam, quæ erat eadem capacitate sed latior tamen basilica, duplici columnarum stylo tripartita: nam media parte ceu atriolum erat aditus in atrium maximum, & in palæstras: capita verò hinc, atque hinc desinebant in hemicyclis, vbi fortasse Athletarum ferebantur iudicia. In atriis erant Peristylia, hoc est, circumcolumnia, quæ faciebant atrium oblongum trecentis pedibus, latitudine dimidio minus: vbi in porticu, Orientali parte, erant hęc mēbra situ aliquantisper diuerso ab eo, quem assignat Vitruuius. Primo Ephœbæum in medio. Hoc autem erat Hexadra amplissima cum sedibus, quæ tertia item parte longior, quam lata erat ad exercitia iuuenum dicata. Sub dextra Ephœbæi erat Corticeum, seu Coryceum, à Coryco, quod videtur pilæ genus in Galeno libro xj. de Sanitate tuenda: seu Choriceū dictum, choreis nimirū ac saltationibus locus proprius. Proximi Frigidarium, locus ventis perflatus, fenestris amplis, ab eóque iter in Sphæristerium oblongum, & simplex, ad pilæ ludum aptissimum. Ad sinistram Elæothesium, quæ erat ad vnctiones faciendas cella olearia. Sub hoc Conisterium, vbi sicco puluere, vel arena luctaturi sese conspergerent. Ab eóque in Propnigeum, vbi erat in versura porticus Laconicum, quod referemus suo loco postea. A Peristylio autem atrióque intrantibus ad interiores Palęstras, erant porticus tres stadiatæ, quas hodie occupat longitudo ecclesiæ. Ex quibus media pars amplissima centum pedū latitudine: super ingentes columnas altissima prominet testudine, cæterùm ita facta secundùm Vitruuium, vti latera, quæ sunt vtrinque ad columnas margines haberent, quales habet hodie via ab Hadriani mole ad Vaticanum semitas, nō minus pedum

vocitatum, in quo Athletæ in tectis stadiis exercerentur. Quæ quoniam exactè erat in medio, & veluti in corde totius ædificij, vbi maximè conuenire solebat nobilitas ad exercitia hyberna, ad ambulationes, & ad spectacula; cęteras meritò excedit partes, tum magnitudine, tũ regali maiestate operis, altissimis superbissimisque prominens columnis, & patentissima vndique in peristylia, in balneas, in Hypocaustum, in Natationem, ac supernè fenestris illustratur latissimis. Hactenus ille. Quædam etiam de partib. Thermarum, siue exercitationum locis in Thermis habet Hieronymus Mercurialis, Medicus Patauinus, lib. 1. artis Gymnasticæ. Cæterùm & illud notandum est, quod campanæ sonitu populis in thermis statis horis vel aduocari, vel dimitti solitus fuerit, vti ex Martiali constat, dicente: Redde pilam, sonat æs Thermarum, &c. Descriptionem vel picturam Thermarum Diocletiani, quam habet in sua antiqua Roma Bernardus Gamucci, depingi, & huic tractatui addi vt melius intelligi posset, curaui.

Adrianus Turnebus lib. 3.c.11 Animaduers.

PARS INTERIOR THERMARVM DIOCLETIANI.



PARS EXTERIOR THERMARVM.



DE NYM-

DE NYMPHEIS.

Quid sit Nymphea, duplex est opinio. Zonaras Monachus, qui de Græcorum Imperatoribus scripsit, in Leone primo, Nymphea esse vult palatia publica, in quibus nuptias celebrarent illi, qui habitarent angustius: eáque ędificiis maximis, in quibus Senatus cogeretur plerumq; adiuncta fuisse: qualia ędificia Romæ erant, Curiæ Senacula, Basilicę. Alij Nymphea putant esse loca publica, delectationis gratia facta, in quæ non vt in balneas, aut thermas, propter vsum aqua deduceretur, sed gratiæ potissimum, atque amœnitatis causa: & à Nympharum statuis, quibus ornata fuerunt, nomen traxisse. Verum vt de forma aut vsu illorum operum non satis constat: ita maximè insignia fuisse, vel illud declarat, quòd aut ab ipsis Imperatoribus cõstruerentur, vt de Nympheo Marci, ambitiosi operis, scribit Ammianus lib. 15. de Alexandri Victor: de Gordiani, Capitolinus: aut ab Vrbis Præfectis, quale Clearchus Valétiniano & Valente Impp. extruxit Constantinopoli: & Flauius Philippus reparauit Romæ. De Nympheis veteribus nullum ad nostra, aut Patrum vsque tempora durauit. Recens nunc est intra Neapolim & montem Vesuuium in villa Leucopetrea, cuius forma est talis: Aedificium ex marmore quadrangulare, ad quod vna solummodò porta est aditus, & aliquot gradibus descensus. Ad dextram introeunti ad caput, fons est aquæ limpidissimæ, ad cuius quidem custodiam accubat Arethusa nuda, ex candidissimo marmore: solum varium & marmoratum, & canali circumdatum: in quod aqua ex fonte effluit. Parietes ex conchis, lapillisque, albi, nigri, flaui, purpurei coloris, quasi maltha illiti: in quibus ex concharum compositione, tanquam ductibus in pictura, anni menses duodecim, & quatuor virtutes Politicæ expressæ. Item raptus Proserpinæ: Pan canens fistula, & mulcens gregem, prætereà imagines Nympharum nantium, nauigantium, in piscibus ludentium: inter quos Helle insidens Arieti, Siren Delphino, Europa Tauro. In eodem ad singula latera quatuor statuæ marmoreæ: Herculis leoninam gestantis: Panos agnum baiulantis: Genij cani blandientis: Naiades nudæ, &c. Hæc Fabricius.

DE SENACVLIS.

Senaculum, inquit Varro, vocatum, vbi Senatus, aut vbi Seniores consisterent: dictum vt γερουσία apud Græcos. Idem Festus confirmat, iudicans, Senaculum esse locum Senatorum: & paulo ante: Senacula, inquit, Romæ tria fuisse, in quibus Senatus haberi solitus sit, memoriæ reddidit Nicostratus in libro qui inscribitur, de Senatu habendo: vnum, vbi nunc est ędes Concordiæ, inter Capitolium & Forum: in quo solebant Magistratus, vt dicit Tirinnius, cum Senioribus deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legati, quos in Vrbem admittere nolebant, Senatus dabatur. Lampridius in Heliogabalo Senaculum appellat. Eadem etiam P. Victor tradit.

DE PISTRINIS.

Pistrinum dicebatur locus in quo farina molebatur: nomen habens à pinsendo, hoc est, cõtundendo: quòd ante inuentum molarum vsum frumenta in pila comminuerentur. Pilæ autẽ erant vasa concaua, in quæ antiqui siccata frumẽta immissa pinsebant. Deinde mutata re, mãsit Pistrini nomen etiam illi loco, in quo molis seruorum iumentorúmque opera circumactis fruges comminuebantur. Inde serui, qui aliquod flagitium cõmiserant, pœnę loco in Pistrina tradebantur, & in seruitutem eorum perpetuam, circumagendi se molas, adiudicabantur.

Tabernæ dicuntur ædificia qualiacunque popularis vsus: præsertim è tabulis constructa: *Krämer oder Kauffladen merckus ſt. dc.*

Miliarium aureum fuit columna in capite fori Romani, sub Saturni æde, prope arcum Septimij, in qua omnes Italiæ viæ incisæ finirent, & à qua ad singulas portas mensuræ regionum currerent. Marlianus. Meminit eius & Plinius lib. 4. c. 5.

Insulæ propriè dictæ, quę non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuitúque publico, aut priuato cinguntur, à similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus, ac mari eminent, suntque in salo positæ. Festus.

Area locus dicitur, vbi frumenta secta teruntur, & arescunt. Propter horum similitudinem loca in vrbe pura, id est, non ædificata, non constructa, etiam areæ appellantur. Varro.

AD CAP. XIIII. PARALIPOMENA.

De Aquaeductuum forma mirabili & iure concesso.

PRimus Aquæductuũ vsus, nõ est dubium quin Romæ inoleuerit, Marlian. lib. 4. c. 21 Topographię, nõ anno vrbis 441 vt voluit Lipsius Libr. 3 Magnitud. Rom. cap. 11. sed sub Anco Martio Plin. libro 31 & cap. 3. dicam paulò infra hic. postea etiam & colonis, &

municipiis, & prouinciis concessus, C. Plin. Iunior. lib. 10. epist. 46. *in aquæductu, domine, Nicomedenses impenderant HS. XXX. CCC. XXIX. qui imperfectus adhuc relictus, ac etiam destructus est.* Traianus Aug. epistola sequenti, *curandum est vt aqua in Nicomedensem ciuitatem perducatur.* & extant Nemausi & Narbone etiamnum hodie rudereta, vt alias Europæ prouincias omittam, quæ aquæductus insignes ibi fuisse loquantur.

Tubuli vel *testacei*, vel *lignei* (C. Plin. lib. 16. cap. 41.) vel plumbei, vt docui supra in tractatu de hortis, adde & *tubis fictilibus vtilissimum aquam duci. Plin.* nat. hist. lib. 31. cap. 6 *lapideos.* Plinius nepos laudato, *manent adhuc paucissimi arcus, possunt & erigi quidam lapide quadrato, qui ex superiori opere detractus est, aliqua pars, vt mihi videtur, testaceo opere agenda erit, id enim & facilius & vilius.* vbi notandum Aquilegem esse eum, qui aquam explorat, an facile ex illo fonte deriuari alio possit. *quærere ac inuestigare* reddidit Palladius Rutilius rei rust. lib. 9. cap. 8. Aurel. Cassiodor. li. 3. epist. 53. *comperimus aquilegium Romam venisse*, & in margine, *aquilegum*, habetur corrige, *aquilegem*, & vide ibidem rationem aquæ inueniendæ & confer cum Palladio Plin. lib. 26. cap. 6. *habent & hoc signum aquileges.* iidem & *aquilices* ab elicienda aqua dicti. Callistrat. IC. apud Budæum annotat. posterior. in pandectas. Tarruntenus IC. l. 6. ff. de Iur. Immunitatis. Tertul. libro 3. aduers. Marcionem, *quia nec statim aquilicem sedens repromisit.* Nonius Marcellus cap. 2 Num. 8. *aquam colligentem* interpretatur. M. Terentius Varro in Quinquatribus.

An hoc præstas hero filius Diogenis.
Quod ille è ventre aquam mittit? an hoc te
Iactastat hoc pacto vtilior ii Thuscus Aquilex.

Qui versus indigent opera & manu critica, videntur enim corrupti, & sic melius posse legi.

An hoc præstas hero, filij Diogenis,
Quod illi ex vtre aquam mittis? an hoc te
Iactas?

Sunt quibus placet legi, sed non video cur mutandum.

An hoc præstas He ophilus Διογένης.

Inuenta ergo probataque ab aquilege aqua, ducebatur aut forma structili, aut plumbeis fistulis, aut canalibus ligneis, aut *fictilibus tubis*, vt loquitur Palladius Æmilianus Taurus l. 9. rei rust. cap. 11. tubi isti seu canales appellantur *formæ*, disertè Aur. Cassiodor. li. 7. epist. 6. *in formis autem Romanis vtrumque præcipuum est, vt fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis: quod enim illic flumina quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alueos soliditates saxorum.* Idem lib. 4. epist. 31. videatur.

Non ergo subterraneis meatibus, sed altis molibus substructis aquæ istæ in vrbem inuectæ. Sext. Iulius. Frontinus consularis & *aquarum curator.* lib. 1. in limine de Aquæductibus vrb. Rom. *ponam ex quibus locis, & à quoto miliario, quantum subterraneo riuo, quantum substructione, quantum opere arcuato, post altitudinem cuiusque modulorúmque rationem,* Strabo Amasenus lib. 5 οἱ ὑπόνομοι οἱ ... λίθῳ κατεσκευασμένοι ... ἔστι δ' ὅπου χόρτου ... *isti cuniculi lapideis fornicibus suffulti, nonnulli spatium currui feni onusto transeunti prabent.* Procopius altitudinem definit tantam, *vt eques per eos fornices oportunè posset transire.* Idem ille Iulius Frontinus *sublimatos ad centum & nouem pedes.* Cameratos huiusmodi arcus *vobis montes altitudine exæquasse* loquitur Plinius li. 36. cap. 15. Obiter Cl. Claudianus paneg. de 6. Honorij Consul. 26. *Inde salutato libatis Tibride lymphis*

Excipiunt arcus, operosáque semita ductis
Molibus, & quicquid tantæ promittitur vrbi.

Sidon. Apollinaris apertiùs Carm. 22. vers. 184.

Arctus at in thermas longe venit altior amnis,
Et cadit in montem, patulisque canalibus actus,
Circumfert clausum caua per diuortia flumen.

Sed proprius ad rem Claudius Numatianus Rutilius lib. 1. sui Itinerarij, ad Romam.

Quid loquar aërio pendentes fornice riuos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicam creuisse in sidera montes,
Tale gygantæum Græcia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa laua-cra lacus.

Papin. Stat. lib. 1. sil. 5. *præcelsis quarum vaga molibus vnda Crescit, & innumero pendens transmittitur arcu.* Quod autem prima aquarum in vrbem deriuatio facta non fuerit anno vrbis conditæ quadringentesimo quadragesimo primo, vt ex Frontino voluit Lipsius, docet supra à me citatus C. Plinius, & accedit Paulus IC. l. ff. ne quid in loco publ. *si per publicum locum riuus aquæ ductus priuato nocebit, erit priuato actio ex lege duodecim tabularum, vti noxæ domino caueatur.* quod si verum est, diu datæ à decemuiris leges ante annum 441. nisi fortè dicamus decemuirales tabulas de *aquagio*, non de *Aquæductu* intelligi debere, quod in Glossario veteri ὑδραγωγεῖον, ac si dicas *aquiductium*, vocatur. Cœlius Rhodigin. lib. 16. cap. 5. Antiquar. lectionum.

ction. Fest. lib. 1. *aquagium, quasi aquæ agium, id est aquæductus, appellatur.* Iauolenus IC. l. 9. ff. quemadmodum seruit. amitt. *aqua si in partem aquagij instruxit*, in margine repositum, *in partum agri*, malè. Pompon. IC. l. 3. ff. de aqua quotid. & æstiua, *is aquæ quotidianæ ius habet, vel fistulam in riuo ponere, vel aliud quodlibet facere potest*, vt existimem aquæductum esse arte quadam, & manu hominum absolutum perfectúmque opus, aquagium naturalem veluti alueum aut canalem fontis. fistulis hisce extima adhibebantur ornamenta, quæ capitis leonini speciem præferebant, Plutarch. Sympos. lib. 4. cap. 5. ratio elegans apud Horapollinem, Hieroglyph. lib. 1. cap. 21. ἥλιος εἰς λέοντα γενόμενος, πλείονα τὴν ἀνάβασιν τοῦ Νείλου ποιεῖται, ὥστε ἐμμένοντος τοῦ ἡλίου τῷ ζῳδίῳ τούτῳ τὸ διπλοῦν τοῦ νέου ὕδατος πλημμυρεῖ πολλάκις, ὅθεν καὶ τὰς χολέδρας καὶ τοὺς εἰσαγωγεῖς τῶν ἱερῶν κρηνῶν λεοντομόρφους κατεσκεύασαν οἱ ἀρχαῖοι τῶν ἱερατικῶν ἔργων ἐπιστάται. ritum obseruat Dauid Hoeschelius, & locum vertit *cum sol leonem subit, ampliorem Nili facit inundationem, quandiu enim sol in hoc signo perstitit, sæpenumero in duplum ipsius Nili aqua excrescit, unde & tubos canalésque sacrorum fontium satis sunt antiqui, qui sacris præerant operibus, leonis effigie fabricari.* vbi rectè, pro χελιδρας, χολέδρας reponemus, vt canales significentur, αὐτὸ τὸ ἐν αὐτοῖς ὥσπερ χολᾶν τὸ ὕδωρ, quod *in illis videatur aqua germinare ac veluti pullulare.* Est & Ennodij Ticinensis versus epigr. 19.

Aspice deposita blandum feritate leonem,
Ore vomit lymphas pectoris obsequio.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes,
Naturam perdens bellua nos satiat.

Nunc ad iura pergo pauca dicturus, quod clarissimis hæc non ignorem prodita ingeniis. Itaque ius aquæductus ad hæredem sine principis confirmatione non transmittebatur, neque olim ex quocunque loco, sed tantum ex castello aquam deriuare per fundum suum poterant, vt patet ex vetusti SC. verbis apud Iulium Frontinum lib. 1. de Aquæduct. quod intelligendum de aqua publicis vsibus adhibenda, nam è flumine non nauigabili quilibet inconsulto principe ius aquæ ducendæ habebat. Vlpianus IC. l. 1. de fluminibus. lege doctissimum Franciscum Duarenum Commentariis in titulum de Aquæductu cap. 3. variásque antinomias discutit idem Anniuersariarum disputat. lib. 1. cap. 52.

De vsu priuato aut publico aquæ in vrbem deductæ, hæc sunt intelligenda, quæ discussimus, at de Castris & exercitu Romano quid dicemus? Certè apud Historicos passim *aquationis castrensis* fit mentio, vt & pabulationis, quum nempe ad aquam conuehendam calones quidam & lixæ, non milites deputabantur, si fortè in locis aridioribus & siccis castrametatum fuisset, quod raro eueniebat, ex Vegetio & Polybio alij annotarunt. vide Volfangum Lazium lib. 4. Commentarior. Reip. Rom. lib. 4. cap. 6. & ideò frequenter contingebat, *vt fluuij à iis ab hostibus diriuarentur, quo exercitus siti domitus facile superari posset.* Herodian. lib. 7. apud Onuphrium in vrbe Roma pag. 39. Iul. Capitolin. in Maximo & Balbino Augg. *Inter hæc Romæ iterum seditiones inter populum & milites exortæ sunt, & quum mille edicta Balbinus proponeret, nec audiretur, veterani se in castra prætoria contulerunt cum ipsis prætorianis, quos capis populus obsidere, nec vnquam ad amicitiam essent traducti, nisi fistulas aquarias populus incidisset.* Cl. Claudian. de 6. Hon. Consul. de Gothis ad deditionem siti compulsis.

Vno colle latens sitiens inclusáque vallo
Ereptas quæsiuit aquas, quas hostibus ante
Contiguas, alio Stilicho deflexerat arcu
Mirantúmque nouas ignota per oppida valles
Iusserat auerso fluuium migrare meatu.

PARALIPOMENA.

De inuentione, vsu, ornatu Thermarum, & lauandi ritu.

DVcantur inde exordia tractatus difficillimi de balneis & thermis, seu lauacris, vt *balineæ sint publicæ, balinea priuatorum.* M. Terent. Varro lib. 8. de ling. Lat. quædam igitur Thermæ publicis impensis populo vniuerso extructæ. Theod. & Valent. Augg. l. 5. C. de Aquæductu. Arcadius Charisius l. vl. ff. de Muner. & hon. *aliæ in priuatorum vsus.* vet. Scholiast. Iuuenal. Satyr. 7. ad vers. 3. *meritorias* vocat Plinius lib. 2. epist. 17. illas quas publicas alij, quædam *æstiuales*, aliæ *hyemales*, pro ratione caloris frigorísve. Sidon. Apollinar. Carmin. 22. versu. 179.

Porticus ad gelidos patet hinc æstiua triones,
Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit,
Atque locum tempus mollit.

Vide notas Ioan. Sauaronis eruditissimi ad lib. 2. epist. 2. Aliæ *planæ* & solo æquatæ, nonnullæ *pensiles*. M. Tull. Hortensio apud Nonium Marcellum cap. 3. Num. 24. *primus balneola suspendis, inclusis pisces.* Rutilius Numatian. Itiner. lib. 1.

Intercepta suis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lauacra lacus.

Quod mirum mihi, cùm L. Seneca *suspensuras balneorum* suo æuo inuentas tradat Epist. 90. nec Senecæ credo, quum Sergius Orata primus fuerit auctor C. Plin. lib. 9. cap. 59. qui diu ante Senecam, æuo Mithridatis regis &

Institut. filiæ, cum luxuriæ minister Martialis *femineis dilecta catervis balnea* dixerit lib. 11. epigr. 84. vngebantur deinde vestibus depositis loti. Petron. Arbiter in Satyrico pag. 21. *Iam Trimalcio vnguento perfusus tergebatur, non linteis sed palliis ex molissima lana factis* hinc præceptum Cornelij Celsi de re medica lib. 1. ca. 2. *exercitationem recte sequitur, modo vnctio vel in sole, vel ad ignem, modo balneum, sed in conclaui quam maxime & alto, & lucido, & spatioso.* C. Sueton. in Cal. cap. 37. *commentus nouum balnearum vsum. portentosissima genera ciborum atque cœnarum, vt calidis frigidisque vnguentis lauaretur.* L. Apul. lib. 4. Asini. *ex more, calida tumultuario lauacro vestro præparata, in fine sermonis huius statim se deuestiunt, nudatique, & flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt,* A. Pers. sat. 6. vers. 15. Martial. lib. 3. epigr. 12.

cænare sine vncto.

Qui non cænat, & vngitur Fabulle,
Is vero mihi mortuus videtur.

M. Plaut. in Pœnulo. Act. 3. sc. 3.

Ibi te replebo vsque vnguentum echeumatis,
Quid multa verba faciam? vbi tu laueris,
Ibi vt balneator facias vnguentariam.

Vnde & locus ille *vnctuarium* vocabatur, Plinius nepos lib. 2. epist. 17. *vnguentaria cella* Sidon. Apollinar. li. 2. Epist. 2. vide carmen Alexis ante à me citatum, deinde fricabantur. D. Auson. Epigr. 105.

Termarum in solio si quis Polygitona vidit
Vlcera membrorum scabie putrefacta fouentem.

M. Plaut. in Pseudolo.

Vncti hi sunt senes, fricari sese ex antiquo volunt.

Aspernati has voluptatum illecebras Spartani, qui nudi aqua ex Eurotæ fluento frigidissima abluebantur, elegans est epigramma 42. Martialis lib. 6.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, Martiaque mergi.

Qui locus corrigendus est ex MS. Francisc. Mod. Epist. 23.

Concepto potes arido vapore
Cruda virgine, Martiaque mergi.

De ritu vide quæ Cornel. Celsus scripsit lib. 3. cap. 27. de Re Medica.

Tenebrosæ in principio thermæ, quod critici obseruauerunt, sed deinde specularia addita, vt clarissimum vndecunque admitterent lumen, epist. 90. L. Seneca Epist. 86. & lib. 5. controu. 5. & lib. de prouid. cap. 4. *quod non in caldarium suum latis specularibus diem admiserit.* Domitius Vlpian. IC. l. 12. ff. *de Instr. & Instr. leg.* Idem ad edictum l. 9. ff. *quod vi aut clam.* Martial. lib. 8. epigr. 14.

Hybernis obiecta Notis specularia, puros
Admittunt soles & sine luce diem.

Et de obscuris thermis idem Martialis lib. 4. epigr. 14.

Nec Fortunati spernis, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras Æoliamque Lupi.

De apertis & patulis Stat. lib. 1. syl. 5. vers. 46.

Multus vbique dies, radiis vbi culmina totis
Perforat, atque alio sol improbus vritur æstu.

Nec modo specularia seu fenestræ è vitro illis erant, sed pauimentum eo insternebatur, vt notatum à Lipsio, ex Fl. Vopisco in Firmo, & laquearia incrustabantur, quod *pulchritudinem balneorum* vocat Aurelius Cassiodorus lib. 3. epist. 51. idem Papinius eodem loci.

Effulgent cameræ, vario fastigia vitro
In species animosque nitent.

Poliebantur quotidie tergebanturque hæc seu specularia, seu pauimenta à seruis balneariis, idque non Romana tantum consuetudine, sed etiam Græca, testem cito Æschylum,

λῦται γε μὴν λουτήριον αὐτὸ δεύτερον,
ἀλλ' ἐκ μεγίστων ῥᾳδίως λουτρίων.

Lotum est quidem lauacrum hoc secundo;
sed ex maximis facile lauacris.

Iam vero promiscua non fuisse balnea, sed viros sua à mulieribus discreta separataque habuisse notissimum. M. Pollio Victruuius lib. 5. cap. 10. *item est animaduertendum, vti caldaria muliebria viriliaque coniuncta, & in iisdem regionibus sint collocata, sic enim efficitur vt in vasaria ex hypocausto communis sit vsus eorum vtrisque.* auctor separationis D. Hadrianus Aug. Æl. Spartian. in eo. & nimia inualescente luxuria substulit Antonius philosophus, Iul. Capitol. in eius vita. adi ad doctissimum Sauaronem lib. 2. Epist. 2. Sidonij Apollinaris, quod apparet consuetum & Græcis, est & locus Lucilij Satyrar. lib. 7. fœde corruptus citante Nonio cap. 2. Num. 204.

Sador, subellor, desquamor punicor, ornor.
Expilor, pingor,

Multis mendis, vt cuiuis apertum, scatet primus versus, itaque Hadrian. Iunius putauit, pro *sador sudor*, posse commode legi, vt sit à *balneo abstergi*, vnde & *sudum* alij *Sabor*, nonnulli *rador*, inter quos Adrian. Turneb. lib. 29. Aduersar. 22. sed melius indubie Carrio, *scabor*, deinde *subellor*, recte ab eodem in *suppellor* mutatum, M. Tullio libro 9. Epist. ad Pætum. 22. *quid? ipsa res nonmodo honesta, modo turpis, suppellere flagitium est, iam erit nudus in balneo, non reprehendes: habes stolam Stoicam.* Dionysius Lambinus monet in MS. fuisse, *suppetit flagitium.* sequitur inde *punicor*, vitiose pro, *pumicor*, nam *pumicari* est *pumice læuigari*, cuius vsum eneruatis effœminatisque nemo nescit solemnem gratumque & frequentem fuisse. Ouid. lib. 2. de Arte Amandi.

Nec tua mordaci pumice crura teras.

Sext. Propert. lib. 4. eleg. 8.

Serica nam tacto volsi carpenta nepotis.

Volsos autem siue depilatos & pumicatos infamia notatos alij docuerunt. C. Plin. lib. 36. cap. 21. *pumices læuigendis corporibus olim mulieribus in vsu, nunc & viris.* vet. Scholiast. Iuuenal ad v. 15. sat. 8. *Catina oppidum Siciliæ, vsque ad probra dissolutum notatur, vt & Bibaculus.*

Oste senex Catinæque puer, Cuna meretrix.

forte legendum.

Osce senex, Catinæque puer Cumana meretrix.

Ob pumicis nempe primos vsus. Iuuen. loco citato.

Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum.

Reuertor ad Lucilium, cuius versum elegantem & omnes voluptatis balneariæ gradus exprimentem, effœminatorumque mores exhibentem, sic corrigendum censeo & legendum.

Scabor, suppellor, desquamor, pumicor, ornor,
Expilor, pingor.

Cum tantum dedecoris in expilando pumicandoque corpore fuerit in calentibus illis thermis, miror cur Herculi deorum fortissimo *calida balnea* adscripserit antiquitas? quæ instar muneris Vulcanus Herculi dono dederit, Ibicus poëta Lyricus apud Scholiastem Aristophanis Nebulis Act. 3. sc. 3. in choro.

[Greek text, illegible]

vertit Frischlinus.

Et vbi tu vnquam frigida vidisti balnea Herculana.
Et quis erat Hercule fortior.

Et Herculaneas thermas insinuat Athenæus lib. 12. dipnosophist. cap. 2. & Pindar. Nem. od. 4.

[Greek text, illegible]

Neque calida aqua tantum mollia efficit membra quantum laus cytharæ comes. In balneis & carmina recitabant, & ea quæ inaudiuerant referebant, quare nomine garrulitatis balneatores notati, Erasmus Roterod. Chiliad. 1. cent. 6. Adagio 70. & aliquot locis Petronius, vt ab aliis obseruatum. Q. Horat. lib. de arte poët.

——Bona pars non vngues ponere curat
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.

Frequentia in thermis furta, Q. Flor. Tertull. lib. de fuga in persecutione. *inter tabernarios & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones Christiani quoque vectigales continentur.* Idem lib. de Idololatria, *Credo & fures balnearios suis quoque manibus viuere.* Paulus IC. l. 3. de offic. præfecti vig. *aduersus capsarios quoque qui mercede seruanda in balineis vestimenta suscipiunt, iudex est constitutus, vt si quid in seruandis vestimentis fraudis enter admiserint, ipse cognoscat.* Erant ergo hi fures seu capsarij inter seruos, eorumque furtum par sacrilegio, erant enim [Greek], *sacra calida balnea*, vt loquitur Aristoteles Problemat. sect. 24. n. 19. Romæ pœna duplionis huiusmodi furibus statuta, Athenis mors. Demosthenes orat. contra Timocratem, cuius verba vide apud Petrum Victorium variar. lection. lib. 7. cap. 18. Q. Catull. epigr. 31.

O furum optime balneariorum
Vibenni pater & cinæde fili:
Nam dextra pater inquinatiore.

Pergo ad ministros reliquos: erant in balneis quibus aqua commissa, caue tamen confundas eos, cum *aquaria prouincia*, vt est apud Tullium in Vatinium, nam *Aquaria prouincia ingenuis con edebatur*, quos Zeno Aug. *Hydrophylacas* vocat l. 10. C. de Aquæductu. Hoc est *aquarum, vt puto, publicarum custodes*, isti inter sæuitia, Rhodigin. lib. 18. cap. 40. & Iurisconsulti definiunt, Iul. Pollux. lib. 3. cap. 4. [Greek text, illegible] *inquilinos scaphigerulos, & mulieres eorum aquigerulas vocabant, vtrosque scilicet ab officio nominantes.* Quæ non de balneorum modo vsu, sed & de qualibet aquæ gestatione, nam Xenophon expedit. Cyri Minoris lib. 4. [Greek], *mulieres aquam gerentes, & aquigerulos*, dixit, forte ad eum morem Romani vænalem aquam per aquarios inferri definiebant. Iuuen. sat. 6. v. 330.

——Veniet conductus aquarius.

Primus vsus honestus legitimusque, nam lauantibus aquæ aspersio necessaria, quam eunuchi, alique serui in conchis adferebant, at postea, quia tunc maxime temporis dominas alloqui licebat remotis testibus, lenones & stupri conciliatores. *Aquarioli* dicti, Fest. lib. 1. *Aquarioli mulierum impudicarum sordidi asseclæ.* Glossæ veteres, *Aquarioli*, [Greek], *Bacariones*, & in iisdem *Bacario* [Greek], Gallicè, *maquereau*. Adrian. Turneb. lib. 14. cap. 12. Accius Plaut. Pœnulo Act. 1. sc. 2.

Seruulorum sordidorum scorta diobolaria.

Ælius Lampridius in Commodo, *aurigæ habitu currus rexit, gladiatoribus conuixit, aquam gessit,*

gessit, vt lenonum ministri, vt pro ris natum magis qu.m ei lo.o eum crederet ad quem sortens proaexit. Q. Tertullian. Apolog. cap.43 *si qui fortè verè de sterilitate Christianorum conqueri possunt, primi erunt lenones, productores, aquarioli, tum sicarij, venenarij, magi, item aruspices, arioli, mathematici*, vbi malè reposuerunt pro *aquarioli*, *vinarioli*. Renatus Laurentius obseruat. L. Apul. lib.1. Apologiæ, *hisce auditis exacerbatus aquariolus iste vxoris suæ: ita ira extumuit, ita exarsit furore, vt in fœminam sanctissimam & pudicissimam, præsente filio eius digna cubiculo diceret.* Cl. Claudian. lib.1. in Eutrop.

Pectebat dominæ crines & sæpe lauanti
Nudus in argento lymphas portabat alumnæ.

Quæ non tantum de balneis intelligenda, sed de quolibet expiamine post coitum, fœminæ enim à coitu se expurgabant. Sueton. Augusto cap.94. *quasi à concubitu mariti se purificasset.* Ælian. lib.4 var. histor. cap.1. ait, *Dardanenses Illyrici ter in tota vita abluti solitos* ἐξ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντες, καὶ τελευτῶντες *post partum, cum nuptias ineunt, cum mortem oppetunt*, & est quædam imago eius rei apud Plinium de Leæna lib.8. cap.16. in principio & allusit Alcæus.

πόρνη καὶ βαλανεὺς ταυτὸν ἔχουσ' ἐπιτήδευμ' ἴδιον
ἐν ταὐτῷ πυέλῳ τόν τ' ἀγαθὸν τόν τε κακὸν λόει.

Meretrix & balneator eundem habent perpetuo morem, in eodem solio & probum, & improbum lauat. Petronius seu Ouidius, seu incertus author in catalectis Priapeis.

Vnda per has vites quarum si carpseris vnas,
Quas aliter sumas hospes habebis aquas.

P. Ouid. lib.3. Amor. eleg.6.

Neue suæ possent intactam scire ministræ,
Dedecus hoc sumpta dissimulauit aqua.

Et lib.3. de Arte.

Et tamen vlla viro mulier non expedit, inquit.
Quid nisi quam sumis dic mihi perdis aquam?

M. Tull. orat. pro M. Cælio *ideo aquam adduxi, vt ea tu inceste vtereris*, Idem Ouid. eodem libro.

Scilicet obstabit custos, ne scribere possis.
Sumendæ detur cum tibi tempus aquæ.

M. Valer. Martial lib.2. epigr.50.

Quæ sibi parte opus est Lesbia sumis aquam.

Asseruabatur hæc aqua curtis calicibus. Idem lib.1. epigr.93.

Nec curtus Chiones Antiopesque calix.

Et lib.3. epigr.80.

Curtaque Ledæ sobrius bibat testa.

At in balneis iis ministrabatur vasis argenteis quæ *lauationem* appellant Iurisconsulti. Claudian. proximè supra citatus Vlpian. l.25. *ornamenta mulicbria sunt, quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli præter signatorios; mundus muliebris est, quo mulier mundior sit, continentur eo specula, matulæ, vnguenta, vasa vnguentaria, & si qua similia dici possunt, veluti lauatio, riscus*, in Antuerpia editione legitur *labatio* antiquo ritu, nam B. in V. sæpe permutant, Antonius Contius censuit legendum, *alabastrites*, male. Phædrus Tiberij libertus libro 4. Fab.63.

Seponit mœcha vestem mundum muliebrem,
Lauationem argenteam, eunuchos glabros,
Lanificæ agellos.

Lauatio hæc argentea, vel ea est, quam aquariolus adferebat, vel labrum ipsum, seu lebetes, quos constat argenteos fuisse inualescente luxu. Stat. lib.1 sil.5. v.47.

Nil ibi plebeium, nusquam temesæa videbis
Æra, sed argento felix propellitur vnda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat
Delicias mirata suas.

Conchæ fuit priuata hæc lauatio. vet. Glossarium ἐπέγχει ὕδωρ ταῖς χερσὶ κόγχῃ, *adfer aquam manibus concha.* Paulus IC. lib.3. sentent. tit.17. *mundo muliebri legato ea cedunt, per quæ mundior mulier lautiorque efficitur, veluti speculum concha.* in principio fictiles hæ conchæ, vetus Scholiast. Iuuenal. ad sat.3. v.277. *pelues inquit conchæ in quibus pedes lauant vt vasa fictilia, trullæ*, & postea è *Margaritis* Horat. lib.4. od. 12. fine *onyce* Catull. epigr. 61. quæ primitus loco tubarum. Meursius multis obseruat ad Lycophronem. aut ex ære. Gloss. Isidor. *Bascanda, concha area.* Lucan. lib.9. v.349.

Ventosa perflantem murmura concha.

Claudian. de Nupt. Honorij & Mariæ.

—Seu concha Libycum circumsonat æquor.

Argentea fuisse hæc ornamenta, notum, Claudian. epigrammate de concha.

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais,
Et patulo conchæ diuitis orbe fluat.
Nanque latex doctæ quæ lauerit ora Serenæ,
Vltra Pegasias numen habebis aquas.

Sidon. Apollinar. lib.4. epist.8. & ibi eruditissimus Sauaro.

Nam cum dignatur reginæ hic tangere vultus,
Candor in argentum mittitur è facie.

Felix Ennodius Ticinensis epigr.93.

Parturit vnda sitim, quam splendens concha ministrat. Non aquam modò, sed & vnguentum his conchis asseruatum. Q. Horat. lib.2. od.7.

Funde capacibus
vnguenta de conchis.

Inde data fabulæ occasio, *Venerem in concha natam*, siue, vt alij contendunt, *concha in Cyprum delatam*, Dionysius Lambin. ad M. Plauti

Rudentem Act.3.sc.3.

Te ex concha natum esse autumant, caue
Tu harum conchas spernas.

Supererat dicẽdum de linteis, oleo, vnguentis, & strigilibus, quibus ad corpus fricandum vtebantur, sed omnia iam ab aliis præoccupata sunt, explicataque, vnoque nomine *balneatoria* appellabantur, quæ peregrinaturi secùm veluti viaticum necessarium conuehebant, vt ex Plauto in Mercatore apertum.

Tollo ampullam atque hinc eo.

Et de strigilibus Suid. in voce στλεγγὶς, vet. Scholiast. Iuuen. sat.3.v.263. *strigulam* vel *Xistram* vult dici, Iul. Pollux lib.7. cap.33. tit.7. docta inuenire est apud Petrum Coluium ad lib.2. Florid. L. Apuleij.

PARALIPOMENA.

De pistrinis, & de primo molarum vsu.

Molarum vsus antiquissimus fuit, & à Cerere profectus, *quæ homines molere docuit prima.* Plin. lib.7. cap.50. licet Stephan. lib. de vrbib. inuentionem *Milanti* cuidam assignet in voce Μυλάντιοι. adeóque etiam temporibus heroicis cognitus, nam in horto Alcinoi Phæacum principis mola reponitur lib.7. Odyss. vers.105. apud Homerum.

Αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπόν.
Aliæ quidem molunt sub mola pomacei coloris frugem.

Græci à τρέπω, *verto, trapetum*, vocarunt, quòd nempe circumacto lapide, vt iam dicam, frumenta tererentur. Martialis lib.7. epigr.27. ea voce vtitur. Et lib.13. epigr.36.

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit Oliua dapes.

Statius lib.2. syl.7.

Vnctis Bætica prouocas trapetis.

Paulus IC. lib.2. sententiar. tit. 7. *cogendorum fructuum causa comparata, instrumento cedunt, velut corbes, aluei, falces messoriæ, & fœnariæ item molæ olinariæ. Eadem* vox vsurpata l.21. ff de instructo. adi ad legem 19. ff. locati. at Varro, non à *vertendo*, sed à *terendo* vult *trapetum* dici lib.4. de ling. Lat. vt & *molam à molendo*, *quod iniecta molentur, siue terantur, aut comminuantur*, licet à *rotunditate sui* vocatam, vt *mala pomorum* contendat Isidor. lib.20. cap.8. Columella Rei Rusticæ lib.12. cap.50. legatur. dicitur & *Molestrina pistrinum*, Cato apud Nonium ca.1. nu. 320. *Neruo, carcere, molestrina*, notauit Guil. Budæus in legem si seruus. §. si fornicarius. ff. Commum. prædior. in prioribus annotat. ad pandect. certum est primitus *trusatiles* fuisse molas, quæ circumactæ manuum agilitate & robore fruges tererent, A. Gell. lib.3. cap.3. *ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset.* ideo *manuales* dicuntur Seruio Honorato ad vers.274. lib.1. Georg. vbi de rusticorum laboribus.

Sæpe oleo tardi costas agitator aselli,
Vilibus aut onerat pomis, lapidemque reuertens
Incussum, aut atræ massam picis vrbe reportat.

Lapidem incussum rectè dixit (Suidas ὄνον vocat, *asinum*) nam *circumacto lapide frumentum terebatur.*

Eodem lib. vers.267.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

Vt & lib.1. Æneid. vers.184.

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Vbi Seruius, *terrebantur fruges in Pilis, & pinsebantur, neque molebantur.* Lucret. Carus lib.1. de nat. rer.

—— Fruges quoque sæpe minutas
Robore cum saxi franguntur.

in MS. codice erat exaratum, *minacis robore cum saxi.* Stat. lib.1. Thebaid. vers.524.

His labor inserto torrere exanguia ferro
Viscera cæsarum pecudum, his cumulare canistris
Perdomitam saxo Cererem.

Posterioribus deinde sæculis etiamsi ritus mutatus fuerit, mansit tamen loquendi eadem consuetudo. D. Ausonius in Mosella.

Nobilibus Gelbis celebratur piscibus ille
Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu,
Stridentesque trahens per læuia marmora serras.

Sed tamen æuo Ausonij nullæ trusatiles manibus molæ, sed asinariæ, quas nempe asini versarent, tectis capitibus velataque facie, L. Apul. Milesiar. lib.9. *Molæ quæ proxima videbatur, matutinis adstituor, & illico velata facie propellor ad incurua spatia flexuosi canalis, vt in orbe termini circumfluentis reciproco gressu, mea recalcans vestigia, vagarer errore certo.* Achmes oneir. cap.195. μύλωνα, ἀλήθοντα ὄνον δυνατόν. *pistrinum in quo asinus robustus moleret*, & mali serui pro pœna molis applicabantur. P. Terent. Andria Act.1. sc.2.

Verberibus cæsum te Daue in pistrinum
Dedam vsque ad necem.

Vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers.67. Sat.8.

Segni pedes dignique molam versare Nepotis.

Atque hi serui in pistrinum detrusi, solebant nomine *asinorum* appellari, & molæ ipsæ *præsepia*, vnde in MS. codice Plantino titulus concipiebatur, *Plauti Asinij Amphitryo*, qui mutandus in istum *Plauti Asinij Amphitryo*, nam serui ergastulo huiusmodi inclusi, tanquam laboris omnigenæ patientes, quales sunt asini, molis appliciti sic vocabantur, notatum

tatum scio à Ioan. Meursio insigni eruditione viro Criticar. Exercitat. parte 1.c.9.& certum est ex Aulo Gellio supra laudato, Plautum *in pistrino quasdam è comediis suis scripsisse*, & seruilibus addictum fuisse operibus. locus est apud ipsum in Curculione Act.2.sc.1.

Panes, parasitum quia non rediit Caria,
Affert argentum credo nam si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo.
Quin recipiet se huc fessum ad præsepim suam.

Quem locum longe aliter concipiunt alij, inter quos Nonius cap.3.num.160.

Quin reciperet se hic fessum ad præsepiam suam.

Sed melior prior lectio, vel ipso Plauto iudice in prologo Casinæ.

Qui sibi vxorem poscat, scit, si id impetret,
Futurum quod amat intra præsepes suas.

Et videntur mihi non molarij tantum serui, sed quilibet alij *stationem* in domibus priuatis dominorum habuisse, quæ *præsepe* diceretur, quod quasi par iumentorum & seruorum esset conditio, testis M. Terentius Varro lib.1.de Republica, *contra hic laudabatur ab illis, is habebat culinam rusticam, vnam præsepiam latam, cellam vinariam.* Huc pertinet locus Claudiani lib. 1. in Eutrop. à nullo hactenus explicatus.

Hæccine erat hæc Protomæ fides, hoc profuit ætas
In gremio consumpta tuo, lectusque iugalis,
Et ducti toties inter præsepia somni?

Postea & *aquariæ molæ* in asinariarum locum substitutæ, Pallad. Rutil. rei rust. lib. 1. cap. 42. *si aquæ copia est fusura balneorum debent pistrina suscipere, vt ibi formatis aquariis molis, sine animalium vel hominum labore frumenta frangantur.* Qua ratione confici huiusmodi aquariæ molæ debeant docet M. Pollio Vitruuius Architect. libro 10. cap. 10. & meminit Zeno Imp. l. 10. C. de *Aquæductu. suburbanum vel prædium vel balneum, vel aquæ mola, vel hortus, ad cuius vsum aqua publica fuerit deriuata*, licet alij perperam legant pro *aquæ mola, aquario*. Et Valentinianus & Valens Augg. C. Theodos. *de Canone frumentario vrbis Romæ* l.4. *Improborum petitiones, qui impudentius ausi sunt postulare pensiones, aquæ molarum quæ vrbi venerabili annonas abundantius præstitissent, quinque librarum auri mulcta insigas*, notat Iacob Cuiacius. aquariæ molæ, rotis subleuatis inuersisque suppeditabatur aqua, eique muneri iuncti asini, equi, & equæ. Secundus Verus poëta lib.1. Antholog. cap.33 epig.21.

Τίπτε τὸν ἐγκατάκλειστον βραδύπουν ὄνον ἄμμιγ' ἐν ἵπποις
Γυροδρόμοις ἐξελάατε δρόμοις
Οὐχ ἅλις ὅττι μύλοιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκας
Στρεπτὸν ... ἔχω,
ἀλλ' ἔτι καὶ πώλοισιν ἐρίζομαι.

Cur rudentem tardum asinum simul cum equabus in rotundum in areis triturantibus agitatis cursum? nonne satis est quod molæ circularium onus necessitatis conuolutim oculis clausis in gyrum actis habeo? quin adhuc cum equis cursu contendamus? Neque illud prætereundum, quod ab Artemidoro Oneirocrit. lib. 2. cap. 47. traditum μύλος ἀεὶ τῶν σκληρῶν καὶ ἐπιπόνων πραγμάτων λύσιν, καὶ πρὸς θεράποντα σημαίνει. *mola semper durorum & difficilium negotiorum solutionem portendit, & fidelem seruum significat.* Denique sciendum & pistrino seu molæ suum fuisse numen, suumque Deum tutelarem. Iul. Pollux. Onomast. lib. 7. cap.33. tit. 8. μυλωθρός, μύλων, μύλη, μυλαία θεός, καὶ εὔνοστος. *molitor, mola pistrinum, dea molaris, & beneuola.* sed & *Promylius* Deus semper ante molas collocabatur, *ob suauem alimoniam.* Suid. in voce προμύλιος θεός. adi ad Tiraquellum Commentario ad Alexandrum Neapolitanum libro 3. Genialium dierum cap.11.

De populo Romano, & eius prima diuisione.

Caput XV.

Hactenus de Vrbe dixi, quomodo ea à Romulo primùm condita, & à sequentibus Regibus, ac demùm ab Imperatoribus, subinde aliis atque aliis montibus ac collibus Pomerio inclusis amplata, & ab Octauio Augusto in XIV. regiones descripta sit: nunc institutus ordo requirere videtur, vt de incolis etiam nonnihil dicatur. Fuerunt igitur incolæ huius Vrbis appellati ciues Romani, quos Carolus * Sigonius, vir clarissimus, ita definit, quod sint homines liberi, qui Vrbem agrúmve Romanum inhabitarent. Quæ definitio cùm sit generalior, & potissimum de iis, qui sub Regibus fuerunt, intelligenda, addit deinde aliam specialiorem, & quidem de iis, qui libera Republica optima lege id nomen habuerunt. Optima, inquit, lege, is mihi ciuis Romanus videtur, qui domiciliū,

* Li. 4. c. 1. de Antiquo iure ciuiū Romanorū.

Patricius secundum Plutarchum & Velleium Paterculum dicti Senatorii liberi, qui patres ciere possent, ideoque scribendum Patricius per c. non Patritius per t. Aldus Manutius in ortographiæ ratione. Hadr. Iunius in Nomenclatore.

qui tribum, qui honorum potestatem est adeptus. Atque hæc prolixè & eruditè explicata, quæ qui vult, legere poterit. Nos verò iis omissis, de eius ciuis, cuius definitionem modò recitauimus, præcipuis diuisionibus, quarum cognitio ad multa veterum, & classicorum Scriptorum loca intelligenda proderit, agemus. Inuenimus autem in veteribus Scriptoribus populum Romanum variè, aliis tamen atque aliis temporibus diuisum esse. Primùm quidem in Patricios & Plebeios: inde in Tribus: tum in Curias distributum: iterum in Classes & Centurias: rursum in Senatores, Equites, & Populum: pòst, in Optimates & Populares: in Nobiles præterea, Nouos & Ignobiles: mentionem etiam fieri video Ingenuorum, Libertorum & Libertinorum. De his singulis operæ precium erit, quid veteres Scriptores tradiderint, indicare. De Tribubus Curiis, Centuriis, & Classibus, cum ea ad tractationem de Comitiis commodiùs referri possint, hîc dicere supersedebo. Patriciorum igitur & Plebeiorum discrimen, & iura primùm recitabo: inde de Patronis & Clientibus, cùm ex hac prima diuisione originem suam trahant, dicam: tertio loco de tribus discretis ordinibus, Senatorio, Equestri & populari, vel Plebeio, verba faciam: tum quid de Optimatibus & Popularibus scriptum reperecim, referam: pòst etiam de Nobilibus Nouis & Ignobilibus, quinam ij fuerint, disputaturus: ad extremum, qui Ingenui, qui Liberti, quique Libertini dicti fuerint, explicabo.

Prima igitur diuisio post Tribus & Curias facta est in Patricios & Plebeios instituta ab ipso Romulo primo Romanorum Rege, de qua Dionysius li. 2. sic scribit: Illustres, inquit, genere, & virtute celebres, opibúsque, vt tum ferebant tempora, abundantes, quibus essent liberi, secreuit ab obscuris, egenis, & humilibus. Inferioris fortunæ homines Plebeios vocauit. Hi Græcis sunt *δημοτικοί*: Potiores verò Patres, siue quòd ætate anteirent alios, siue quòd haberent liberos, siue propter nobilitatem generis, siue propter hæc omnia. Hæc Dionysius. Et addit, hunc morem sumptum esse ab Atheniensium Republica, qui etiam bifariam distributa multitudine, Patricios appellarint ex illustribus familiis, & pollentes opibus, penes quos fuerit ciuitatis regimen: cæteros ciues rusticos, quibus nullum in Republ. fuerit suffragium. Quod verò officium fuerit, tum Patriciorum, tum Plebejorũ, idem subiicit inquiens. Romulus postquam discreuit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit, quid vtrisque faciendum: vt Patricij sacra curarent; Magistratus gererent, ius redderent, secum Rempublicam administrarent, res vrbanas obirent: Plebeij verò ab his negotiis immunes (quippe qui talium imperiti essent, nec vacaret eis propter inopiam) agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia, ne seditiones orirentur, sicut in aliis ciuitatibus, dum humiliores protruduntur cubito à potentioribus, aut egeni, ac viles excellentioribus inuident, &c. Hæc ille. Qui tamen paulò pòst scribit etiam hoc interfuisse inter Patricios & Plebeios, vt quoties Patricij conuocarentur à Regibus, præco quemque suo ac paterno appellarit nomine: Plebeios verò ministri quidam cornibus bubulis concinentes in concionem contraxerint. Et hæc quidem primis temporibus differentia inter Patricios & Plebeios fuit. Procedente autem tempore, & impetratis à Patriciis Tribunis plebis plurima dignitatum & honorum ornamenta: vt, Sacrorum quorundam curationem, Magistratus Curules: Consulatum, Dictaturam, Censuram, &c. quæ anteà solis Patriciis concessa erant, per tribunos suos Plebs Patribus extorsit: sicuti etiam connubiorum inter Patricios & Plebeios communionem, vt suo loco dicetur.

PARALIPOMENA.

AD CAP. XV.

Antiquissima ciuitatis discretio ab ipso Romulo facta.

ROmulus vrbis fundamentis iactis curam de ordinando ciuitatis statu grauiter adhibuit, & quosdam iuniores mille numero armatos pro salute noui regni excubare præcepit, vnde & *militis* nomen Isidor. lib. 9. Etymolog. cap. 3. centum deinde ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret, quos *Senatores* appellauit, *propter senectutem*, vt loquitur Eutropius statim in limine suæ historiæ. Vnde & lunam in calceis ferebant dimidiatam, quæ centenarij numeri erat nota, quod nempe in prima diuisione ciuium *centum tantum patres* fuerint. Alexander Neapolitanus lib. 5. cap. 18. qui autem *seniores* dicantur, qui *iuniores*, Seruius ad vers. 304. lib. 6. Æneid.

—Sed cruda Deo viridisque senectus.

Et secundum hanc diuisionem, leges etiam ab eodem Romulo latæ, quarum nonnullæ ciuicam disciplinam, aliæ castrensem spectabant, fragmenta collegerunt viri docti nostro æuo, & ego digeram lib. 8. cap. 5.

Etiam deriuata consuetudo, vt alius in matrimoniis contrahendis esset modus cum senatu, & cum plebe, nempe olim promiscua inter vtrumque ordinem celebrabantur, ac id postea lege lata sublatum, secutaque ob id ipsum seditio: tertia exarsit, populari multitudine in montem Ianiculum duce Canuleio

fece-

secedente. L. Flor. lib. 1. Hist. Rom. cap. 15. de qua re dicam infra. Et Ioan. Borcholten IC. ad Tit. 10. lib. 1. Institut.

Quæ discretiones ita stabilitæ, vt in publicis scænicisque spectaculis diu nulla distinctio fuerit. Valer. Maximus definit lib. 2. cap. 1. tit 16. *Per quingentos & quinquaginta octo annos Senatus populo mistus spectaculo ludorum interfuit, sed hunc morem Attilius Seranus & L. Scribonius ædiles, ludos matri Deum facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, soluerunt, eaque res euertit animum vulgi, & fauorem Scipionis magnopere quassauit.* Eleganter eandem rem expressit M. Tull. Orat. de Aruspic. Responsis. *quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum in ipso matris magnæ conspectu Megalensibus fieri concelebrarique voluerunt? qui sunt more instituti, qui maxime casti, solemnes, religiosi, quibus ludis primum ante populi consessum senatui locum, P. Africanus iterum Cos. ille maior dedit.* Vbi puto *Megalensibus*, esse glossema, delendumque è textu, in quem inscitia librarij, aut scioli alicuius, irrepsit. Idem in Orat. pro Cornelio perduelle. *P. Africanus ille superior, vt dicitur, non solus à sapientibus hominibus, qui tum erant, verum etiam à se ipso accusatus sæpe est, quod cum Cos esset cum T. Longo passus esset, tum primum à populari consessu senatoria subsellia separari*; quod anno septimo post secundam cum Carthaginensibus pacem factam contigisse viri eruditi obseruant ex Appiano Alexandrino in Lybicis.

Exinde orta sunt nomina, variaque sedila in ludis spectaculisque concedi cœpere secundum vniuscuiusque dignitatem, *Senatoribus orchestra, Buleuticum, optimatibus proscanium, pulpitum, imperatori podium, equestri ordini quatuordecim gradus, fœminis cathedræ, denique & plebi popularia*, vt fuse differo infra lib. 5. cap. 4.

Diuisionem istam excepit altera, qua tota ciuitas in *plebem* & *optimates* discreta, plebs denuo in *classes, tribus*, aut *centurias* distributa, adeo vt Dominus seruum suum manumittens tribum ei mercaretur, qui veluti primus ciuicæ dignitatis gradus, vt in tractatu de seruis expediam, optimates vel partes erant vel patricij, qui nempe à patribus, quos Romulus instituit, genus ducebant.

Capvt XVI.

De Patronis & Clientibus.

Divso vniuerso populo ad hunc modum in Patricios & Plebeios, arctissimo eos Romulus vinculo colligauit. Commendauit, inquit Dionysius, Patriciis Plebeios, optione cuique è vulgo data, vt quem vellet, Patronum sibi legeret. Et inter alia, conferens hunc morem cum Thessalorum & Atheniensium Priscorum instituto, ait Romulum hoc negotium appellatione decora cohonestasse: nominando Patronatum tutelam pauperum, & hum[...] addidisse etiam vtrisque commoda officia, excogitata ciuili & perhumana copula. Constabat autem Patronatus, vt idem refert, officiis eiusmodi, iam inde apud Romanos durantibus. Patronos oportebat Clientibus respondere de iure, cuius illi rudes essent, & absentium æquè, ac præsentium curam gerere, facientes quicquid pro filiis parentes solent facere: quod ad pecunias & contractus attinet; & sustinere accusatoris impetum, &, vt compendio dicam, quietem eis, qua maximè opus haberent, parare à priuatis publicisve negotiis. Vicissim Clientum erat, Patronos iuuare elocantes filias, si his parum esset pecuniæ: & ab hoste captiuos redimere, vel ipsos, vel eorum filios: priuatarum quoque litium perditarum æstimationes, & mulctas publicas pecuniarias pro eis soluere, idque sumptu proprio, non quasi fœnoris loco, sed ob referendam gratiam. Publicorum quoque impendiorum, quæ Magistratuum honorúmve causa fiunt, esse participes non secus, quàm coniunctos genere. Commune autem vtrisque erat, nefas esse alteris accusare alteros, aut aduersum dicere testimonium, ferrève suffragium, aut censeri inter inimicos: quòd si quis deprehensus esset aliquid horum facere, tenebatur lege de Proditoribus, quam sanxit Romulus, conuictúmque eius criminis, cuiuis licebat, vt Diti sacrum interficere: (mos enim Romanis, quos vellent impunè occidi, eorum corpora deuouere Deo cuipiam, præcipuè Diis inferis, quod fecit Romulus.) Quapropter per multas ætates permanserunt mutua Patronorum ac Clientum officia, haud secus, quàm cognatæ necessitudines, posteris per manus tradita. Et maxima laus erat Nobilium habere Clientes quàmplurimos, tam hæreditariarum clientelarum, quàm paratarum virtute propria: Ingénsque certamen erat vtrisque, ne vincerentur mutua gratia, & beneuolentia: dum Clientes nullum Patronis negarent ministerium: vicissim Patroni nulli eorum, [...] possent pretio, vt Clientes molestari finerent. Tanta illis erat in omni vita temperantia, & *Idem A. gellius decet lib. 5. cap. 13. & lib. 20. cap. 1.*

fœlicitatem virtute,non fortuna metiebantur. Nec tantùm in ipsa Vrbe plebs tuta erat Patriciorum patrocinio:sed & coloniarum & sociarum ac amicarum ciuitatum, & bello subactarum, quæque suos habebat Patronos, quoscunque vellet è Romanis ciuibus. Et sæpenumerò Senatus controuersias ciuitatum, ac gentium ad earum Patronos remisit, eorúmque iudicia rata habuit:adeóque ab his initiis ex auctoritate Romuli, firma Romanis coaluit concordia,vt per DCXXX. annos nunquàm ventum sit ad cædem & sanguinem:multis licèt ac magnis inter plebem & honoratos exortis controuersiis de Republica, vt solet fieri in omnibus tam paruis, quàm magnis ciuitatibus:sed patentes, & monentes mutuum, & partim concedentes,partim impetrantes à volentibus, per expostulationes ciuiles componebant negotia, &c. Hæc Halicarnassæus.Eadem tradunt Liuius lib.1. & Plutarchus in Romulo,sed breuius.

Ad Cap. XVI. PARALIPOMENA.

Qui nomine populi contineantur,quotuplex clientela,quod ius patronatus?

Nomine populi tota ciuitas comprehensa: Donat.in Adelph. prologo. Lucil.lib.1.Satyrar.

Quo pacto populum, atque vrbem seruare potis sit Amplius Romanam. L. Flor. lib. 4. cap.2 *inuidens Fortuna principi gentium populo.* C. Plin. nat.hist. lib. 22. cap. 3. *corona quidem nulla fuit graminea nobilior in maiestate populi terrarum principis.* L. Sen.lib.2.controuers.1. *colis etiamnum in capitolio casam victor omnium gentium populus, & lib. 4. controuers. 7. Romanus populus hostem veneno vinci noluit.* Iustinian. Aug. §. plebs institut. de iure nat. gent. & ciuil. *plebs à populo eo differt, quo species à genere, nam appellatione populi vniuersi ciues significantur, connumeratis etiam patriciis, & [illegible] oribus.* Sic & Homerus Agamemnonem vbique ποιμένα λαῶν *pastorem populorum* appellat, sub quo nomine & alij reges etiam comprehensi. Q. Horat.lib.1.od.2.

Lætus intersis populo Quirini.

Ouid.lib.7 Met.

Dicta refert rector populorum talia centum.

P.Maro lib.1.Æneid.

Hinc populum late regem.

Non tamen sub populi nomine plebs comprehensa,clarè T. Liuius 1. Decad.lib.2. *Consul Appius negare ius esse Tribuno in quemquam nisi in plebeium, non etiam populi sed plebis esse magistratum.* Valer. Max. lib. 2. cap. 2. num. 6. *penes quos Senatus & equestris ordinis, & vniuersæ plebis summum decus erat.* adi ad Suidam in voce [illegible]. Et Vipianus IC. *stationarios habere ad tuendam popularium quietem* l.2.ff.de offic. præf. vrbi, vbi *populares* puto esse omnes *vrbis incolas.* Claudian. lib. de bello Gildonico.

Vt dominum plebem bellatoremque senatum
Classibus æ[illegible]inis aleret.

Plebs opposita ibi populo, qui & senatus, licet non ignorem distingui à Senatu populum,vt & principem,qui in locum populi successit,vt doctissimus Budæus notat in annotationibus prioribus ad pandectas. Virg. lib. 4. Æneí.vers.684.

Extinxi te meque soror, populumque patresque Sidonios.

Papinianus lib. 1. syl. 1. *vtere perpetuum populi magnique senatus Munere.* Interdum etiam pro vili abiectissimæque sortis homine *popularis* vsurpatur, siue pro eo qui inferioris erat ordinis, C. Tacit. histor.lib. 4. *cohortes quas ex veteri instituto nobilissimi popularium regebant.* M. Tull.orat.de Arusp. respons. *P.Clodius repente factus est popularis.* & apertius Actione 7.in C. Verrem, *homines populares aut nobiles supplicio aut exilio leuarentur*, & Vlpianus *voces popularium*, dixit, id est plebeiorum l 12. ff. de appellat. & relat. Et Callistratus IC. *solent quidam, qui vulgo se iuuenes appellant, in quibusdam ciuitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accommodare.* l. 28 ff. de pœnis, licet δημόται seu *populares* sint *eiusdem ciuitatis ciues, incolæ, accolæ*, vt loquitur Plautus Aulul.sc. Optati. P.Terent.Phorm.Act. 1.sc.1.

Amicus summus meus & popularis Geta.

Donatus Grammat, *popularis, eiusdem conditionis gentisque, Salust.popularis sui sceleris, & popularis populo amatus, & popularis ciuis, & popularis humilis,& popularem vilis è populoque factus, vt si quis dicas sordidum popularem ciuem.* Eugraphius vetus scriptor ad eundem locum, ex Salustio *socium* exponit.*siue eiusdem conditionis.* ex hoc ritu L. Seneca intelligendus, qui *populum* pro *qualibet multitudine* sumit.

Cum tot populis stipatus eat.
In tot populis vix vna fides.

Xenophon Cyropæd. lib. 6. post principium [illegible] *militaris populus, vulgus militum*, vt loquitur Tacitus lib 5. Annal. Deriuatum hinc nomen *popularis*, vt sit is qui populo charus acceptusque, & *popularitas* gratia apud principes populi, seu plebeiam multitudinem inita. Euripid. Hecuba vers.254. [illegible] *quicunque populares sectamini honores.* Sidonius Apol. vsurpauit, pro multitudine, seu quod idem est,pro *clientela*, de ea hic agamus. Quæ vel in

in Carm.23. vers. 142. *Vir semper popularitate crescens, Et iusti residens in arce fandi.*
Et eodem carmine vers.400.

Alter dum popularitate gaudet.

Papin.Stat.lib.2.syl.vlt.

Et gratum popularitate Magnum.

M.Lucan.lib.1.

——totus popularibus auris Impelli.

Quia Seneca *populum amicorum pro frequentia* in foro,quoties aduocatione potentiorum egebant tenuioris sortis homines. vet. Scholiast.Iuuenal.sat.7.vers.142. *togati sint tibi ante pedes qui litigent, qui te consulant. Et patronus causarum actor.* Diocletian.Imp.l.4 C.*de postul.* *& aduocatos patrocinia praestare dixit* Valentinianus Aug.l.6.C *eod.tit.* M.Martialis *querulos* ob id appellat clientes lib.1.epigr.50.& lib.4. epigr.89. Isti cum dignam facundiæ patroni sui mercedem exhibere non possent, Ianuas tamen corona imposita honestabant. L.Seneca lib 2 de ira cap.7. *iudex damnaturus quæ fecit elig tur,& corona pro mala causa,bona patroni voce corrupta.* Iustus Lipsius,*coronam*, *audientiam*,interpretatur, *siue concessum aut multitudinem spectantis populi*, sed indubie de corona, quæ victoriæ indicium offerebatur aduocato, loquitur Seneca. D. Auson. in professorib.C.2.

Palma forensis,& Camœnarum decus,
Exemplar vnicum in litteris.

Elias Venetus *bonum oratorem & poëtam* exponit,sed non sufficit,quippe palma hæc forensis seu corona foribus, vt dictum est,suffigebatur. Auctor carminis incertus ad Pisonem.

——licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet,& sine sanguinis haustu,
Mitia legitimo sub iudice bella mereri,
Hinc quoque seruati conting t gloria ciuis,
Altaque victrices intexunt limina palmæ.

M.Martialis lib.7.epigr.27.

Sit fera mirentur: sit te pa'atia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

D.Iuuenal.Sat.7.vers.118.

——rumpe miser tensumiecur,vt tibi lasso
Figantur virides scalarum gloria palmæ.

Vet.scholiast. *scalæ stationum scilicet, ad instar gladiatoriæ victoriæ, scalat, armariola gladiatorum vel vt quidam,casæ* (legendum est omnino *casæ*) *& stationes. Cicero in Corneliana,centrepsit inquit,in scalas.armaria nam aduocatorum apud veteres scalas habebant.* Quare miror quendam in re obuia & expedita tricas agere, & de alieno labore triumphare, aut verius malignè ab aliis tentatum dissimulare, ad C. Suetonij Domitianum cap.vlt.cum lippis & tonsoribus,quod dicitur, res sit decantatissima,& Martialis interpretibus notata, lib.1. epigr.118.

Et scalis habito tribus,sed altis.

Denique coronæ huius forensis mentio apud Maximilianum poëtam recentem, & styli satis infœlicis, lasciui nimis: quod opusculum qui Cornelio Gallo adscribunt,næ illi vehementer errant, cum se Maximinianum vocet.Is egitur eleg.1.

Sæpe peroptata percepi lite coronam,
Et data sunt linguæ præmia digna meæ.

Hi Calendis Ianuariis munuscula quædam tenuia, grati animi indicium, patronis offerebant. dixi in tractatu de strenis supra.quo sensu Calphurnius Flaccus Declam.4. *beneficium hæreditatis filio datur,patrono redditur*, Addendus locus D. Augustini in Homilia de Calendis Ianuariis,quam eruditissimo Sauaroni debent literati, *diabolicas etiam strenas & ab alijs accipiunt,& ipsi alijs tradunt.* Alcuinus *Diabolicas eti m strenas & ab alijs accipiebant, & ipsi alijs tradebant.*

Patronis suis isti omne obseruantiæ genus exhibere debebant, & patroni illis fidem, celebre apud C. Suetonium exemplum in Iulio cap.71. *studium & fides erga clientes ne iuueni quidem defuerunt, Masintham nobilem iuuenem cum aduersus Hiempsalem reg m tam enixe defendisset,vt Iubæ regis filio in alter atione barbam inuaserit, stipendiarium quoque pronunciatum & abstrahentibus statim eripuit occultauitque apud se diu,& mox ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia statim persequ ntium,fascesque lictorum lectica sua auexit.* Et par conditio clientis & liberti, vt ex Vlpiano ostendit Petrus Gregor. Syntagm.Iur.vniuersi l.14.cap.vlt.dictique dictione longobardica, vt puto, *vassali*, quod patronorum suorum tanquam *vasa* censeantur,quasi *vasarij*, quo nomine omne instrumentum magistratus in prouincia proficiscentis intelligitur.Adrian.Turneb.lib.21. cap.15. dicebanturque qui rem clientis prodidissent *præuaricatores*. Antoninus August.li. 1.C.*de aduocat. diuersor. iudicior.* *Et sunt clientes propinquis chariores* A.Gell.lib.5.cap.13 M Furius Sabinus iuris ciuilis lib.3. *officium primum tutelæ,deinde hospiti,deinde clienti tum cognato,postea affini.* Claudian.lib.1 in Ruffin. *profert arcana,clientes fallit*,& suscepti, eiusque lex XVIralis *patronus si clienti fraudem fecerit. sacer esto.* quam vir multisciæ lectionis Theodorus Marcilius pleniorem vberioremque tulit ex Dionysio Halicarnass. Hist.Rom.lib.2. *patronus si clienti clien sve patrono fraudem faxit, sacer esto.* Virg.adumbrauit lib.6. Æneid.vers.605.

Pulsatusque parens, aut fraus innexa clienti. Seruius *si clientes quasi colentes sunt, patroni quasi patres, tantundem est clientem, quantum filium fallere, & hoc posse fieri ex Horatij dictis intelligitur, qui cum loqueretur de auaris*

potentibus ait de vicino cliente (lib.2.od.18.)

—pellitur paternos In sinu ferens deos.
Vrbano tamen hoc displicet, & dicit ratum esse hoc, magisque contrarium, cum magis patronos decipiant frequenter clientes, vult autem intelligi præuaricatores, qui patroni sunt clientium, quos nunc susceptos vocamus.

Saluian. Massilien. lib. 5. prouident. *Nihil susceptis tribuunt, sed sibi.* Tull. lib. 5. epist. 9. *suscipe me totum.* est & titulus 54. Codicis Iustin. lib. 11. *Vt nemo ad suum patrocinium suscipiat vicos vel rusticanos eorum.*

Erat & aliud clientium genus, humiliores scilicet, tenuiorisque sortis homines, qui se tuendos protegendosque potẽtioribus committebat, idque à Romulo introductum magna ambitione omnibus reip. statibus retentum, Dionys. Halic. lib. 2. histor. vnde in Philipp. 8. M. Tullius. *Verebatur Nucula ne tantus amitteret clientelas.* Horat. lib. 2. od. 18. citata.

Trahunt honestæ purpuras clientæ.

Viri docti legunt, *clientæ*, id est ancillæ, quæ pensa diurna reddebant dominis, vt dixi supra de lanificiis. Idem Horat. lib. 2. epist. 1.

Mane domo vigilare, clienti pone iura.

Dominos comitabantur in forum euntes. Coripp. lib. 2. num. 6.

Intonuit patrum subitus fragor, inde clientum
Clamores crescunt.

Vt hi à patronis ingentia expectabant beneficia, & cõsequebantur interdum, ita mutuum iisdem rependebant, aderántque in omnibus periculis negotiisque non pace tantum & domi, sed bello etiam & militiæ. licet *clientibus onus militiæ annexum non sit.* Gerardus Niger lib. 3. de Feudis. Claudian. lib. 2. in Ruffin.

—Circumque armata clientum
Agmina priuatis ibant famulantia signis.

& cœnam popularem dominis suis in æde sacra instituebant. M. Plaut. Trinummo Act. 2. sc. 4.

Apposita sit cœna popularem quam vocant,
Si illi congestæ sint epulæ à clientibus.

Obiter notandum id interesse inter patronum & dominum, quod inter seruum & libertum, seu manumissum. Ascon. Pædian. in Diuinationem Tullianam. Iustinia. Aug. lib. 5. C. de testam. manumiss. *quem patronum habere noluerint dominum suum & forsitan acerbum sentiant.* Scio tamen & clientes nomine seruorum olim vocari solitos. Coripp. African. lib. 4. num. 5.

Ante pedes domini faciunt qui iussa clientes
Adstabat læti.

Ante pedes, rectè, quod *clientes, adseclas* vocat Glossarium vetus, vt notat Iac. Cuiacius, & propriè *serui à pedibus, ad pedes, ante pedes.* Iuuen Sat. 7. vers. 142. *togati ante pedes.* L. Sen. Epist. 27 *Habebat ad pedes hos.* Et lib. 3. de Benef. cap. 27. *seruus qui cœnanti ad pedes steterat.* C. Sueton. Calig. cap. 26. *et circum pedes dixit* Tullius 3. Verrina. M. Martial. lib. 12. epigr. 89.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

Et quia potiorque meliorque humani corporis pars dextera, *clientes* patronorum suorum *dextræ* appellabantur, si fidi. Stat. lib. 5. syl. 1.

—Vidi omni te pridem in flore nitentem,
Vidi aîte propius, propiusque accedere dextra.

Martialis allusit lib. 11. epigr. 70.

Lydia dicebar domino fidissima dextra.

Inde Aslagrius Ruizius existimauit legendum apud Corippum lib. 1. num. 1.

Et Thomas Lybicæ nutaquis dextera terræ.

Sed malè, retinendam ẽnim priscam lectionem ad eum locum docui.

—Lybicæ nutantis destina terræ.

Et è contra serui fures, rapaces, aut parum dominis suis fidi, seu census direptores, nepotes aut prodigi *sinistræ* dicebantur. Q. Catull. epigr. 45.

Porci & Socration duæ sinistræ
Pisonis.

Læua quippe furtis apta. M. Plaut. Persa. Act. 2. sc. 2.

Vbi est illa tua furtica læua?

P. Ouid. lib. 13. Metamorph. fab. 1.

Conueni & timidæ, nataeque ad furta sinistræ.

Catull. epigr. 12.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle vteris, in ioco atque vino,
Tollis lintea negligentiorum.

Andreas Alciatus IC. sui æui inter eruditissimos nominandus parerg. lib. 11. cap. 7. legit.

Inter cœnam, Asini, manu sinistra.

Idem Catullus Epigr. 27. vbi *sinistram liberalitatem* vsurpat pro *concussionibus sinistra factis.*

Quid est? an hæc sinistra liberalitas?

Sic Basiliensis Horatij Tuscanellæ editio conceptum habet, Lugdunensis item & Parisiensis. Achilles Statius legit, *quid est? abit.* Iosephus Scaliger, *quid est? alis.* id est *alius.* sed castigatissime idem Alciatus loco laudato.

Quid est alid sinistra liberalitas?

Alid enim idem quod *aliud.* Lambin. ad lib. 1. Lucretij.

Sed reuertar ad clientes, non fuit hoc primũ à Romanis excogitatum institutumque, sed

à Thess.

à Thessalis, qui *Penestas* nuncupant, & Atheniensibus, quibus *Thetæ* dicebantur; At apud illos superbè, imo & indignè habiti, mitius clementiúsque à Romanis tractati, Volfgang. Lazius Commentarior. Reipub. Rom. lib. 12. cap. 3.

Nec in vrbe modo clienteIæ celebres, sed & in agris villisque, vrbibus, regnis, & prouinciis, quæ vltro in potestatem potentis alicuius cedebant, cuius præsidio protegerentur. Valentinianus & Valens Augg. C. Theodos. *Ne colonus inscio domino. Non dubium est colonis, arma quæ subigunt, vsque adeo alienandi ius non esse, vt si qua propria habeant, inconsultis atque ignorantibus patronis in altero transferre* non liceat. Nec minus collegia artificum suos habebant patronos, quibus statuas in foro aut loco maxime conspicuo exigebant. Cuius rei amplum satis testimonium ex vetustis inscriptionibus, quarum quasdam subiciam, vt est Tergesti in Istria.

L. Vario. Papirio, Papiriano IIVIR. I. D. IIVIR.
ID. Q. Q. Prætor. Fab. Roma. & Tergeste. Flam. HADRI. Pont. Augur. collegium. Fabrum patrono merenti.

Altera Reatæ in Italia.

T. Fundilio. Gemino. VIVIR. *Aug. mag. iru. Augustales. patrono. & qui q. perpetuo. optime merito. hic. arce. Augi. Fla. ium se. viuo. HS. XX. dedit vt. ex reditu. eius summæ die. natali. Sec.* IIII *Kal. Febru. præsentes Vescerentur. & ob. dedicationem. statuæ. decurionib. & seuiris. & iuuenibus. sportulas. & populo. epulum. & oleum. eadem. die. dedit.*

Tertia Bergomi in Italia.

C. Cornelio C F. Vot. Municiano. Præf. coh. Prim. Damasc. Trib. mil. leg. III. *Aug. præf. Fabr. Curatori. reip. Otesinorum.* IV. *viro I.D. pontifici. Flamini. in diui. Claudij. Bergomi. Patrono. plebs. vrbana.*

Est & alia Vrbini in Italia.

C. Vesnio. C. F. Stell. Vindici. pot uli. Vruini. patrono suo & municipij. Æd. IIIIuir. viar. Curandar. Trib. mil. leg. VIII. *Aug. & quæ sequuntur.*

Priuato etiam clientes nomine statuas patronis suis sumptibus priuatis erigi curabant, collocarique vnica vetus inscriptio sufficiet, quæ in Hispaniis.

L. Domitio Gallicano. Papiniano. C. V. leg. III. *Aug. pr. pr. prouinciæ. Germaniæ. inferioris. leg. Aug. pr. pr. Dalmatianæ. cos. deuotissimo & innocentissimo. Aurelius. Iulianus. patrono. incomparabili.*

Historicos citare superuacanei foret operis, cum obuij sint passim loci ab aliis in hoc notati. Claudianus tamen & illustrandus & corrigendus, cuius elegantissimo carmini tot sæculis retroactis turpis macula inhæsit paneg. de consul. Manlij Theodori.

Hinc te pars Libyæ moderantem iura probauit,
Quæ nunc tota probat, longi sed pignus amoris
Exiguæ propterea moræ, populumque clientem
Publica mansuris testantur vocibus æra.
Inde sibi Macedum tellus, & condita Pellæ
Mania, quæ famulus quondam ditauit Hydaspes.

Quatuor primi versus ritum prænotatum significant, quintus corruptissimus est, quid enim *condita Pellæ mænia*, habent significationis? torsit me diu hic locus, fateor, & tandem diuinaui oportere legi,

Inde sibi Macedonum tellus, & credita Pellæ Mænia.

Vult enim poëta Manlium Macedoniæ fuisse præpositum, quam coniecturam Claudius Beleurgeus vir literarum Græcarum bono natus, iam ante biennium, sibi à me communicatam laudauit, nec multo post in MS. codice *Bongarsiano ita disertè* exaratum reperi. Et sane rectè pro Macedonia, Pella vsurpatur, est enim celeberrima vrbs illius prouinciæ. Marcianus Heracleota de situ orbis vers. 624.

Ἐν τῷ μεσογείῳ δ᾽ εἰσὶν αὐτῇ πολλαὶ πόλεις,
Ἡ Πέλλα καὶ Βέῤῥοια δ᾽ ἐπισημόταται.

Vertit Federicus Morellus Professor Regius.

Vrbisque mediterraneo sunt plurimæ,
Berrhæa nempe Pellaque illustrissimæ.

Est & aux hum M. Manlio adferendum, cuius versus lacer habetur lib. 1. Astronomic.

——Nec te Mauortia virgo.
Prætereo regesque alios, quos Græcia misit,
Atque Asiæ gentes, & magno maxima bella.

Iosephus Scaliger censet legendum,

——Asiæ gentes, & Magni maxima bella.

Vt de triumphata à Cn. Pompeio Asia intelligatur, sunt qui ad Scipionem maiorem referant, sed potior mihi videtur sententia Lud. Carionis Antiquar. lection. lib. 3 cap. 9.

Asiæ gentes, & Magno maxima Pella.

Vt velit Manlius illustratam & in summam claritudinem euectam Pellam, Macedoniæ alioquin ignobile oppidum, factis Alexandri Magni, quod eo probabilius duco, quod *Pellæ natum constet Alexandrum*, præter historicos, vetus Scholiastes D. Iuuenal. ad v. 168. Sat. 10. & apud eundem Claudianum lib. de Bello Gild.

Pelleo libertas concidit auro.

Id est Macedonico.

Hinc descendit ius illud patronatus celebratissimum, de quo quid opus post tot eruditos & insignes viros quicquam dicere? Gregor. Tolosan. Syntagm. lib. 17. cap. 4. & alij.

vocitatum, in quo Athletæ in tectis stadiis exercerentur. Quæ quoniam exactè erat in medio, & veluti in corde totius ędificij, vbi maximè conuenire solebat nobilitas ad exercitia hyberna, ad ambulationes, & ad spectacula; cęteras meritò excedit partes, tum magnitudine, tũ regali maiestate operis, altissimis superbissimisque prominens columnis, & patentissima vndique in peristylia, in balneas, in Hypocaustum, in Natationem, ac supernè fenestris illustratur latissimis. Hactenus ille. Quædam etiam de partib. Thermarum, siue exercitationum locis in Thermis habet Hieronymus Mercurialis, Medicus Patauinus, lib. 1. artis Gymnasticæ. Cæterùm & illud notandum est, quod campanæ sonitu populus in thermis statis horis vel aduocari, vel dimitti solitus fuerit, vti ex Martiali constat, dicente: Redde pilam, sonat æs Thermarum, &c. Descriptionem vel picturam Thermarum Diocletiani, quam habet in sua antiqua Roma Bernardus Gamucci, depingi, & huic tractatui addi vt melius intelligi posset, curaui.

Adrianus Turnebus lib. 3. c. 11 Animaduers.

PARS INTERIOR THERMARVM DIOCLETIANI.

PARS EXTERIOR THERMARVM.



DE NYM-

DE NYMPHEIS.

Quid sit Nymphea, duplex est opinio. Zonaras Monachus, qui de Græcorum Imperatoribus scripsit, in Leone primo, Nymphea esse vult palatia publica, in quibus nuptias celebrarent illi, qui habitarent angustius: eaque ędificijs maximis, in quibus Senatus cogeretur plerumque, adiuncta fuisse: qualia ędificia Romæ erant, Curiæ, Senacula, Basilicę. Alij Nymphea putant esse loca publica, delectationis gratia facta, in quæ non vt in balneas, aut thermas, propter vsum aqua deduceretur, sed gratiæ potissimum, atque amœnitatis causa: & à Nympharum statuis, quibus ornata fuerunt, nomen traxisse. Verum vt de forma aut vsu illorum operum non satis constat: ita maximè insignia fuisse, vel illud declarat, quòd aut ab ipsis Imperatoribus cōstruerentur, vt de Nympheo Marci, ambitiosi operis, scribit Ammianus lib. 15. de Alexandri Victor: de Gordiani, Capitolinus: aut ab Vrbis Præfectis, quale Clearchus Valētiniano & Valente Impp. extruxit Constantinopoli: & Flauius Philippus reparauit Romæ. De Nympheis veteribus nullum ad nostra, aut Patrum vsque tempora durauit. Recens nunc est intra Neapolim & montem Vesuuium in villa Leucopetrea, cuius forma est talis: Aedificium ex marmore quadrangulare, ad quod vna solummodò porta est aditus, & aliquot gradibus descensus. Ad dextram introeunti ad caput, fons est aquæ limpidissimæ, ad cuius quidem custodiam accubat Arethusa nuda, ex candidissimo marmore: solum varium & marmoratum, & canali circumdatum: in quod aqua ex fonte effluit. Parietes ex conchis, lapillisque, albi, nigri, flaui, purpurei coloris, quasi musiua illitis: in quibus ex concharum compositione, tanquam ductibus in pictura, anni menses duodecim, & quatuor virtutes Politicæ expressæ. Item raptus Proserpinæ: Pan canens fistula, & mulcens gregem, prætereà imagines Nympharum nantium, nauigantium, in piscibus ludentium: inter quos Helle insidens Arieti, Siren Delphino, Europa Tauro. In eodem ad singula latera quatuor statuæ marmoreæ: Herculis leoninam gestantis: Panos agnum baiulantis: Genij cani blandientis: Naiades nudæ, &c. Hæc Fabricius.

DE SENACVLIS.

Senaculum, inquit Varro, vocatum, vbi Senatus, aut vbi Seniores consisterent: dictum vt γερουσία apud Græcos. Idem Festus confirmat, iudicans, Senaculum esse locum Senatorum: & paulò ante: Senacula, inquit, Romæ tria fuisse, in quibus Senatus haberi solitus sit, memoriæ reddidit Nicostratus in libro qui inscribitur, de Senatu habendo: vnum, vbi nunc est ędes Concordiæ, inter Capitolium & Forum: in quo solebant Magistratus, vt dicit Tirinnius, cum Senioribus deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legati, quos in Vrbem admittere nolebant, Senatus dabatur. Lampridius in Heliogabalo Senaculum appellat. Eadem etiam P. Victor tradit.

DE PISTRINIS.

Pistrinum dicebatur locus in quo farina molebatur: nomen habens à pinsendo, hoc est, cōtundendo: quòd ante inuentum molarum vsum frumenta in pila comminuerentur. Pilæ autē erant vasa concaua, in quæ antiqui siccata frumēta immissa pinsebant. Deinde mutata re, mā- sit Pistrini nomen etiam illi loco, in quo molis seruorum iumentorúmque opera circumactis fruges comminuebantur. Inde serui, qui aliquod flagitium cōmiserant, pœnę loco in Pistrina tradebantur, & in seruitutem eorum perpetuam, circumagendi sc. molas, adiudicabantur.

Tabernæ dicuntur ædificia qualiacunque popularis vsus: præsertim è tabulis constructa: *Kramer oder Kauffladen mer lus st. dt.*

Miliarium aureum fuit columna in capite fori Romani, sub Saturni æde, prope arcum Septimij, in qua omnes Italiæ viæ incisæ finirent, & à qua ad singulas portas mensuræ regionum currerent. Marlianus. Meminit eius & Plinius lib. 4. c. 5.

Insulæ propriè dictæ, quę non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuitúque publico, aut priuato cinguntur, à similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus, ac mari eminent, suntque in salo positæ. Festus.

Area locus dicitur, vbi frumenta secta teruntur, & arescunt. Propter horum similitudinem loca in vrbe pura, id est, non ædificata, non constructa, etiam areæ appellantur. Varro.

AD CAP. XIIII.

PARALIPOMENA.

De Aquaductuum forma mirabili & iure concesso.

PRimus Aquæductuū vsus, nō est dubium quin Romæ inoleuerit, Marlian. lib. 4. c. 21 Topographię, nō anno vrbis 441 vt voluit Lipsius Lib. 3 Magnitud. Rom. cap. 11. sed sub Anco Martio Plin. libro 31 & cap. 3. dicam paulò infra hic, postea etiam & colonijs, &

municipiis, & prouinciis concessus, C. Plin. Iunior. lib. 10. epist. 46. *in aquæ ductu, domine, Nicomedenses impenderant HS. XXX. CCC. XXIX. qui imperfectus adhuc relictus, ac etiam destructus est.* Traianus Aug. epistola sequenti, *curandum est vt aqua in Nicomedensem ciuitatem perducatur.* & extant Nemausi & Narbone etiamnum hodie rudereta, vt alias Europæ prouincias omittam, quæ aquæductus insignes ibi fuisse loquantur.

Tubuli vel *testacei*, vel *lignei* (C. Plin. lib. 16. cap. 42.) vel plumbei, vt docui supra in tractatu de hortis, adde & *tubis fictilibus vtilissimum aquam duci. Plin.* nat. hist. lib. 31. cap. 6 *lapideos.* Plinius nepos laudato, *manent adhuc paucissimi arcus, possunt & erigi quidam lapide quadrato, qui ex superiori opere detractus est, aliqua pars, vt mihi videtur, testaceo opere agenda erit, id enim & facilius & vilius.* vbi notandum Aquilegem esse eum, qui aquam explorat, an facile ex illo fonte deriuari alio possit. *quærere ac inuestigare* reddidit Palladius Rutil us rei rust. lib. 9. cap. 8. Aurel. Cassiodor. li. 3. epist. 53. *comperimus aquilegium Romam venisse*, & in margine, *aquilegum*, habetur corrige, *aquilegem*, & vide ibidem rationem aquæ inueniendæ & confer cum Palladio Plin. lib. 26. cap. 6. *habent & hoc signum aquileges.* iidem & *aquilices* ab elicienda aqua dicti. Callistrat. IC. apud Budæum annotat. posterior. in pandectas. Tarruntenus IC. l. 6. ff. de Iur. Immunitatis. Tertul. libro 3. aduers. Marcionem, *quia nec statim aquilicem sedens repromisit.* Nonius Marcellus cap. 2 Num. 8. *aquam colligentem* interpretatur, M. Terentius Varro in Quinquatribus,

An hoc præstat hero filius Diogenis.
Quod ille è ventre aquam mittit? an hoc te
Iactat? at hoc pacto vtilior te Thuscus Aquilex.

Qui versus indigent opera & manu critica, videntur enim corrupti; & sic melius posse legi.

An hoc præstat hero, filij Diogenis,
Quod illi ex vtre aquam mittis? an hoc te
Iactas?

Sunt quibus placet legi, sed non video cur mutandum.

An hoc præstat Herophilus Διογένης.

Inuenta ergo probatáque ab aquilege aqua, ducebatur aut forma structili, aut plumbeis fistulis, aut canalibus ligneis, aut *fictilibus tubis*, vt loquitur Palladius Æmilianus Taurus l. 9. rei rust. cap. 11. tubi isti seu canales appellantur *formæ*, diserté Aur. Cassiodor. li. 7. epist. 6. *in formis autem Romanis vtrumque præcipuum est, vt fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis: quod enim illic flumina quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alueos soliditates saxorum.* Idem lib. 4. epist. 31. videatur.

Non ergo subterraneis meatibus, sed altis molibus substructis aquæ istæ in vrbem inuectæ. Sext. Iulius. Frontinus consularis & *aquarum curator.* lib. 1. in limine de Aquæductibus vrb. Rom. *ponam ex quibus locis, & à quoto miliario: quantum subterraneo riuo, quantum substructione, quantum opere arcuato, post altitudinem cuiusque modulorúmque rationem*, Strabo Amasenus lib. 5 οἱ ὑπόνομοι οἱ διὰ τῶν λίθων κατεσκευασμένοι ἰδοῦ ἁμάξαις χόρτου πορίμους, *isti cuniculi lapideis fornicibus suffulti, nonnulli spatium currui feni onusto transeunti præbent.* Procopius altitudinem definit tantam, *vt eques per eos fornices oportuné posset transire.* Idem ille Iulius Frontinus *sublimatos ad centum & nouem pedes.* Cameratos huiusmodi arcus *vrbis montes altitudine exæquasse* loquitur Plinius li. 36. cap. 15. Obiter Cl. Claudianus paneg. de 6. Honorij Consul 26. *Inde salutato libatis Tibride lymphis*

Excipiunt arcus, operosáque semita ductis
Molibus, & quicquid tantæ promittitur vrbi.

Sidon. Apollinaris apertiùs Carm. 22. vers. 184.

Arctus at in thermas longe venit altior amnis,
Et cadit in montem, patulisque canalibus actus,
Circumfert clausum caua per diuortia flumen.

Sed proprius ad rem Claudius Numatianus Rutilius lib. 2. sui Itinerarij, ad Romam.

Quid loquar aërio pendentes fornice riuos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicam creuisse in sidera montes,
Tale gygantæum Græcia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lauacra lacus.

Papin. Stat. lib. 1. sil. 5. *præcelsis quarum vaga molibus vnda Crescit, & innumero pendens transmittitur arcu.* Quod autem prima aquarum in vrbem deriuatio facta non fuerit anno vrbis conditæ quadringentesimo quadragesimo primo, vt ex Frontino voluit Lipsius, docet supra à me citatus C. Plinius, & accedit Paulus IC. l. ff. ne quid in loco publ. *si per publicum locum riuus aquæ ductus priuato nocebit, erit priuato actio ex lege duodecim tabularum, vti noxæ domino caueatur.* quod si verum est, diu datæ à decemuiris leges ante annum 441. nisi forté dicamus decemuirales tabulas de *aquagio*, non de *Aquæductus* intelligi debere, quod in Glossario veteri ὑδραγωγεῖον, ac si dicas *aquiductium*, vocatur. Cœlius Rhodigin. lib. 26. cap. 5. Antiquar. lection.

ction. Fest. lib. 1. *aquagium, quasi aquæ agium, id est aquæductus, appellatur.* Iauolenus IC. l. 9. ff. quemadmodum seruit. amitt. *aqua si in partem aquagij instruxit*, in margine repositum, *in partem agri*, malè. Pompon. IC. l. 3. ff. de aqua quotid. & æstiua, *is aquæ quotidianæ ius habet, vel fistulam in riuo ponere, vel aliud quodlibet facere potest*, vt existimem aquæductum esse arte quadam, & manu hominum absolutum perfectúmque opus, aquagium naturalem veluti alueum aut canalem fontis. fistulis hisce extima adhibebantur ornamenta, quæ capitis leonini speciem præferebant, Plutarch. Symposiac. lib. 4. cap. 5. ratio elegans apud Horapollinem, Hieroglyph. lib. 1. cap. 21. ἥλιος εἰς λέοντα γενόμενος, πλείονα τὴν ἀνάβασιν τοῦ Νείλου ποιεῖται, ὥστε ἐμμένοντος τοῦ ἡλίου τῷ ζῳδίῳ τούτῳ τὸ ἥμισυ ἔστι τοῦ νέου ὕδατος πλημμυρεῖ πολλάκις, ὅθεν καὶ τὰς χολέδρας καὶ τὰς εἰσαγωγὰς τῶν ἱερῶν κρηνῶν λεοντομόρφους κατεσκεύασαν οἱ ἀρχαῖοι τῶν ἱερατικῶν ἔργων ἐπιστάται. ritum obseruat Dauid Hoeschelius, & locum vertit, *cum sol leonem subit, ampliorem Nili facit inundationem, quandiu enim sol in hoc signo persistit, semenumero in duplum ipsius Nili aqua excrescit, unde & tubos canalesque sacrorum fontium soliti sunt antiqui, qui sacris præerant operibus, leonis effigie fabricari.* vbi rectè, pro χολέδρας, χολάδας reponemus, vt canales significentur, ἀπὸ τοῦ ἐν αὐταῖς ἀναχεῖσθαι τὸ ὕδωρ, quod *in illis videatur aqua germinare ac veluti pullulare.* Est & Ennodij Ticinensis versus epigr. 19.

Aspice depositâ blandum feritate leonem,
Ore vomit lymphas pectoris obsequio.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes,
Naturam perdens bellua nos satiat.

Nunc ad iura pergo pauca dicturus, quod clarissimis hæc non ignorem prodita ingeniis. Itaque ius aquæductus ad hæredem sine principis confirmatione non transmittebatur, neque olim ex quocunque loco, sed tantum ex castello aquam deriuare per fundum suum poterant, vt patet ex vetusti SC. verbis apud Iulium Frontinum lib. 2. de Aquæduct. quod intelligendum de aqua publicis vsibus adhibenda, nam e flumine non nauigabili quilibet inconsulto principe ius aquæ ducendæ habebat. Vlpianus IC. l. 1. de fluminibus. lege doctissimum Franciscum Duarenum Commentariis in titulum de Aquæductu cap. 3. variásque antinomias discutit idem Anniuersariarum disputat. lib. 1. cap. 52.

De vsu priuato aut publico aquæ in vrbem deductæ, hæc sunt intelligenda, quæ discussimus, at de Castris & exercitu Romano quid dicemus? Certè apud Historicos passim *aquationis castrensis* fit mentio, vt & pabulationis, quum nempe ad aquam conuehendam calones quidam & lixæ, non milites deputabantur, si forte in locis aridioribus & siccis castrametatum fuisset, quod raro eueniebat, ex Vegetio & Polybio alij annotarunt. vide Volfangum Lazium lib. 4. Commentarior. Reip. Rom. lib. 4. cap. 6. & ideò frequenter contingebat, *vt fluuij aïbo ab hostibus deriuarentur, quo exercitus siti domitus facile superari posset.* Herodian. lib. 7. apud Onuphrium in vrbe Roma pag. 39. Iul. Capitolin. in Maximo & Balbino Augg. *Inter hæc Romæ iterum seditiones inter populum & milites exortæ sunt, & quum mille edicta Balbinus proponeret, nec audiretur, veterani se in castra prætoria contulerunt cum ipsis prætorianis, quos capit populus obsidere, nec vnquam ad amicitiam essent traducti, nisi fistulas aquarias populus incidisset.* Cl. Claudian. de 6. Hon. Consul. de Gothis ad deditionem siti compulsis.

Vno colle latens sitiens inclusáque vallo
Ereptas quæsiuit aquas, quas hostibus ante
Contiguas, alio Stilicho deflexerat arcu
Mirantémque nouas ignota per oppida valles
Iusserat auerso fluuium migrare meatu.

PARALIPOMENA.

De inuentione, vsu, ornatu Thermarum, & lauandi ritu.

Dvcantur inde exordia tractatus difficillimi de balneis & thermis, seu lauacris, vt *balineæ sint publicæ, balinea priuatorum.* M. Terent. Varro lib. 8. de ling. Lat. quædam igitur Thermæ publicis impensis populo vniuerso extructæ. Theod. & Valent. Augg. l. 5. C. de Aquæductu. Arcadius Charisius l. vl. ff. de Muner. & hon. *aliæ in priuatorum vsus.* vet Scholiast. Iuuenal. Satyr. 7. ad vers. 3. *meritorias* vocat Plinius lib. 2. epist. 17. illas quas publicas alij, quædam *æstiuales*, aliæ *hybernales*, pro ratione caloris frigorísve. Sidon. Apollinar. Carmin. 22. versu. 179.

Porticus ad gelidos patet hinc æstiua triones,
Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit,
Atque locum tempus mollit.

Vide notas Ioan. Sauaronis eruditissimi ad lib. 2. epist. 2. Aliæ *planæ* & solo æquatæ, nonnullæ *pensiles.* M. Tull. Hortensio apud Nonium Marcellum cap. 3. Num. 24. *primus balneola suspendit, inclusit pisces.* Rutilius Numatian. Itiner. lib. 1.

Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lauacra lacus.

Quod mirum mihi, cùm L. Seneca *suspensuras balneorum* suo æuo inuentas tradat Epist. 90. nec Senecæ credo, quum Sergius Orata primus fuerit auctor C. Plin. lib. 9. cap. 59. qui diu ante Senecam, æuo Mithridatis regis &

Institut.filiæ, cum luxuriæ minister Martialis *fœmineis dilecta cateruis balnea* dixerit lib.11.epigr.84. vngebantur deinde vestibus depositis loti. Petron. Arbiter in Satyrico pag.21. *Iam Trimalcio vnguento perfusus tergebatur, non linteis: sed palliis ex mollissima lana factis*: hinc præceptum Cornelij Celsi de re medica lib.1.ca.2. *exercitationem recte sequitur, modo vnctio vel in sole, vel ad ignem, modo balneum, sed in conclaui quam maxime & alto, & lucido, & spatioso.* C. Sueton.in Cal.cap.37. *commentus nouum balnearum vsum. portentosissima genera ciborum atque cœnarum, vt calidis frigidisque vnguentis lauaretur.* L.Apul. lib. 4. Asini. *ex more, calida tumultuario lauacro vestro præparata, in fine sermonis huius statim se deuestiunt, nudatique, & flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt,* A.Pers.sat.6.vers.15.Martial.lib.3.epigr.12.

cœnare sine vncto.
Qui non cœnat, & vngitur Fabulle,
Is vero mihi mortuus videtur.

M.Plaut.in Pœnulo.Act.3.sc.3.

Ibi te replebo vsque vnguentum echeumatis,
Quid multa verba faciam? vbi tu laueris,
Ibi vt balneator faciat vnguentariam.

Vnde & locus ille *vnctuarium* vocabatur, Plinius nepos lib.2.epist.17. *vnguentaria cella* Sidon.Apollinar.li.2.Epist.2. vide carmen Alexis ante à me citatum, deinde fricabantur. D.Auson.Epigr.105.

Termarum in solio si quis Polygitona vidit
Vlcera membrorum scabie putrefacta fouentem.

M.Plaut.in Pseudolo.

Vncti hi sunt fines, fricari sese ex antiquo volunt.

Aspernati has voluptatum illecebras Spartani, qui nudi aqua ex Eurotæ fluento frigidissima abluebantur, elegans est epigramma 42. Martialis lib.6.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, Martiaque mergi.

Qui locus corrigendus est ex MS. Francisc. Mod.Epist.23.

Concepto potes arido vapore
Cruda virgine, Martiaque mergi.

De ritu vide quæ Cornel. Celsus scripsit lib.3.cap.27.de Re Medica.

Tenebrosæ in principio thermæ, quod critici obseruauerunt, sed deinde specularia addita, vt clarissimum vndecunque admitterent lumen, epist.90. L.Seneca Epist. 86. & lib.5. controu.5.& lib.de prouid.cap.4. *quod non in caldarium suum latis specularibus diem admiserit.* Domitius Vlpian.IC.l.12.ff.*de Instr. & Instr. leg.* Idem ad edictum l.9.ff. *quod vi aut clam.* Martial.lib.8.epigr.14.

Hybernis obiecta Notis specularia, puros
Admittunt soles & sine fœce diem.

Et de obscuris thermis idem Martialis lib. 4. epigr.14.

Nec Fortunati spernis, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras Æoliamque Lupi.

De apertis & patulis Stat.lib.1.syl.5.vers.46.

Multus vbique dies, radiis vbi culmina totis
Perforat, atque alio sol improbus vritur æstu.

Nec modo specularia seu fenestræ è vitro illis erant, sed pauimentum eo insternebatur, vt notatum à Lipsio, ex Fl.Vopisco in Firmo, & laquearia incrustabantur, quod *pulchritudinem balneorum* vocat Aurelius Cassiodorus lib.3.epist.51.idem Papinius eodem loci.

Effulgent cameræ, vario fastigia vitro
In species animosque nitent.

Poliebantur quotidie tergebanturque hæc seu specularia, seu pauimenta à seruis balneariis, idque non Romana tantum consuetudine, sed etiam Græca, testem cito Æschylum,

λῦτρόν γε μὴν λουτήριον αὐτὸ δ᾽ ἄντλιον,
ἀλλ᾽ ἐκ μεγίστων εὐμαρὲς λουτηρίων.

Lotum est quidem lauacrum hoc secundo;
sed ex maximis facile lauacris.

Iam vero promiscua non fuisse balnea, sed viros sua à mulieribus discreta separataque habuisse notissimum. M. Pollio Victruuius lib.5.cap.10. *item est animaduertendum, vti caldaria muliebria viriliaque coniuncta, & in iisdem regionibus sint collocata, sic enim efficitur vt in vasaria ex hypocausto communis sit vsus eorum vtrisque.* auctor separationis D. Hadrianus Aug.Æl.Spartian. in eo.& nimia inualescente luxuria substulit Antonius philosophus, Iul.Capitol. in eius vita.adi ad doctissimum Sauaronem lib.2.Epist. 2. Sidonij Apollinaris, quod apparet consuetum & Græcis, est & locus Lucilij Satyrar.lib.7.fæde corruptus citante Nonio cap.2.Num.204.

Sador, subellor, desquamor punicor, ornor.
Expilor, pingor,

Multis mendis, vt cuiuis apertum, scatet primus versus, itaque Hadrian. Iunius putauit, pro *sador sudor*, posse commode legi, vt fit à *balneo abstergi*, vnde & *sudum* alij *Sabor*, nonnulli *rador*, inter quos Adrian. Turneb.lib.29. Aduersar. 22. sed meliùs indubiè Carrio, *strabor*, deinde *subellor*, recte ab eodem in *suppellor* mutatum, M.Tullio libro 9.Epist.ad Pætum.22. *quid? ipsa res nonmodo honesta, modo turpis, suppellere, flagitium est, iam erit nudus in balneo, non reprehendes? habes stolam Stoicam.* Dionysius Lambinus monet in MS. fuisse, *suppetit flagitium.* sequitur inde *punicor*, vitiose pro, *pumicor*, nam *pumicari* est *pumice læuigari*, cuius vsum eneruatis effæminatisque nemo nescit solemnem gratumque & frequentem fuisse. Ouid.lib.1.de Arte Amandi.

Nec tua mordaci pumice crura teras.

Sext. Propert. lib. 4. eleg. 8.

Serica nam tacto vulsi carpenta nepotis.

Volsos autem siue depilatos & pumicatos infamia notatos alij docuerunt. C. Plin. lib. 36. cap. 21. *pumices læuigendis corporibus olim mulieribus in vsu, nunc & viris.* vet. Scholiast. Iuuenal ad v. 15. sat. 8. *Catina oppidum Siciliæ, vsque ad probra dissolutum notatur, vt & Bibaculus.*

Oste senex Catinæque puer, Cuma meretrix.

forte legendum.

Osce senex, Catinæque puer Cumana meretrix.

Ob pumicis nempe primos vsus. Iuuen. loco citato.

Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum.

Reuertor ad Lucilium, cuius versum elegantem & omnes voluptatis balneariæ gradus exprimentem, effœminatorumque mores exhibentem, sic corrigendum censeo & legendum.

Scabor, suppellor, desquamor, pumicor, ornor,
Expilor, pingor.

Cum tantum dedecoris in expilando pumicandoque corpore fuerit in calentibus illis thermis, miror cur Herculi deorum fortissimo *calida balnea* adscripserit antiquitas? quæ instar muneris Vulcanus Herculi dono dederit, Ibicus poëta Lyricus apud Scholiastem Aristophanis Nebulis Act. 3. sc. 3. in choro.

καὶ ψυχρὰ δὴ τε πώποτ' εἶδες ἡράκλεια λουτρά,
καὶ τίς τις ἀνδρειότερος ἦν.

vertit Frischlinus.

Et vbi tu vnquam frigida vidisti balnea Herculana.
Et quis erat Hercule fortior.

Et Herculaneas thermas insinuat Athenæus lib. 12. dipnosophist. cap. 2. & Pindar. Nem. od. 4.

οὐ θερμὸν ὕδωρ τόσον
γε μαλθακὰ τεύχει
γυῖα, τόσσον εὐλογία
φόρμιγγι συνάορος.

Neque calida aqua tantum mollia efficit membra quantum laus cytharæ comes. In balneis & carmina recitabant, & ea quæ inaudiuerant referebant, quare nomine garrulitatis balneatores notati, Erasmus Roterod. Chiliad. 1. cent. 6. Adagio 70. & aliquot locis Petronius, vt ab aliis obseruatum. Q. Horat. lib. de arte poët.

——Bona pars non vngues ponere curat
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.

Frequentia in thermis furta, Q. Flor. Tertull. lib. de fuga in persecutione, *inter tabernarios & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones Christiani quoque vectigales continentur.* Idem lib. de Idololatria, *Credo & fures balnearios suis quoque manibus viuere.* Paulus IC. l. 3. de offic. præfecti vig. *aduersus capsarios quoque qui mercede seruanda in balineis vestimenta suscipiunt, iudex est constitutus, vt si quid in seruandis vestimentis fraudis inter admiserint, ipse cognoscat.* Erant ergo hi fures seu capsarij inter seruos, eorumque furtum par sacrilegio, erant enim ἱερὰ θερμὰ λουτρά, *sacra calida balnea*, vt loquitur Aristoteles Problemat. sect. 24. n. 19. Romæ pœna duplionis huiusmodi furibus statuta, Athenis mors. Demosthenes orat. contra Timocratem, cuius verba vide apud Petrum Victorium variar. lection. lib. 7. cap. 18. Q. Catull. epigr. 31.

O furum optime balneariorum
Vibenni pater, & cinæde fili:
Nam dextra pater inquinatiore.

Pergo ad ministros reliquos: erant in balneis quibus aqua commissa, caue tamen confundas eos, cum *aquaria prouincia*, vt est apud Tullium in Vatinium, nam *Aquaria prouincia ingenuis con edebatur*, quos Zeno Aug. *Hydrophylacas* vocat l. 10. C. de Aquæductu. Hoc est *aquarum*, vt puto, publicarum *custodes*, isti inter sæuitia, Rhodigin. lib. 18. cap. 40. & Iurisconsulti definiunt, Iul. Pollux. lib. 3. cap. 4. *μετοίκους ὅτι δὲ σκαφηφόρους ὠνόμαζον, καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν ὑδροφόρους, ἀπὸ τῶν ἔργων ἐκαλοῦντο. inquilinos scaphigerulos, & mulieres eorum aquigerulas vocabant, vtrosque scilicet ab officio nominantes.* Quæ non de balneorum modo vsu, sed & de qualibet aquæ gestatione, nam Xenophon expedit. Cyri Minoris lib. 4. *ὑδροφορούσας γυναῖκας*, & *ὑδροφόρους*, *mulieres aquam gerentes, & aquigerulas*, dixit, forte ad eum morem Romani vænalem aquam per aquarios inferri definiebant. Iuuen. sat. 6. v. 330.

——Veniet conductus aquarius.

Primus vsus honestus legitimusque, nam lauantibus aquæ aspersio necessaria, quam eunuchi, aliique serui in conchis adferebant, at postea, quia tunc maxime temporis dominas alloqui licebat remotis testibus, lenones & stupri conciliatores. *Aquarioli* dicti, Fest. lib. 1. *Aquarioli mulierum impudicarum sordidi asseclæ.* Glossæ veteres, *Aquarioli, βαλανεῖς, Bacariones*, & in iisdem *Bacario προπωλητής*, Gallice, *maquereau.* Adrian. Turneb. lib. 14. cap. 12. Accius Plaut. Pœnulo Act. 1. sc. 2.

Seruulorum sordidorum scorta diobolaria.

Ælius Lampridius in Commodo, *aurigæ habitu currus rexit, gladiatoribus conuixit, aquam gessit.*

gessit, vt lenonum minister, vt pro lis natum magi, quem ei loco eum crederet, ad quem fortuna prouexit. Q. Tertullian. Apolog. cap. 43 *si qui forte verè de sterilitate Christianorum conqueri possunt, primi erunt lenones, productores, aquarioli, tum sicarij, venenarij, magi, item aruspices, arioli, mathematici*, vbi malè reposuerunt pro *aquarioli, vinarioli.* Renatus Laurentius obseruat. L. April. lib. 1. Apologiæ, *hisce auditis exacerbatus aquariolus iste vxoris suæ: ita ira extumuit, ita exarsit furore, vt in fœminam sanctissimam & pudicissimam, præsente filio eius digna cubiculo diceret.* Cl. Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Pectebas dominæ crines & sæpe lauanti
Nudus in argento lymphas portabat a umnæ.

Quæ non tantum de balneis intelligenda, sed de quolibet expiamine post coitum, fœminæ enim à coitu se expurgabant. Sueton. Augusto cap. 94. *quasi à concubitu mariti se purificasset.* Ælian. lib. 4 var. histor. cap. 1. ait, *Dardanenses Illyricos ter in tota vita ablui solitos* ἐξ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθνήσκοντας. *post partum, cum nuptias ineunt, cum mortem oppetunt*, & est quædam imago eius rei apud Plinium de Leæna lib. 8. cap. 16. in principio & allusit Alcæus.

[Greek verse, illegible]

Meretrix & balneator eundem habent perpetuo morem, in eodem solio & probum & improbum lauat. Petronius seu Ouidius, seu incertus author in catalectis Priapeis.

Vnde per has vites quarum si carpseris vuas,
Quas aliter sumas hospes habebis aquas.

P. Ouid. lib. 3. Amor. eleg. 6.

Neue suæ possent intactam scire ministræ,
Dedecus hoc sumpta dissimulauit aqua.

Et lib. 3. de Arte.

Et tamen vlla viro mulier non expedit, inquis.
Quid nisi quam sumis dic mihi perdis aquam?

M. Tull. orat. pro M. Cælio *ideo aquam adauxi, vt ea tu inceste vterere*, Idem Ouid. eodem libro.

Scilicet obstabit custos, ne scribere possis.
Sumendæ detur cum tibi tempus aquæ.

M. Valer. Martial lib. 2. epigr. 50.

Quæ tibi parte opus est Lesbia sumis aquam.

Asseruabatur hæc aqua curtis calicibus. Idem lib. 1. epigr. 93.

Nec curtus Chiones Antiopesque calix.

Et lib. 3. epigr. 80.

Curtaque Lædæ sobrius bibat testa.

At in balneis subministrabatur vasis argenteis quæ *lauationem* appellant Iurisconsulti. Claudian. proxime supra citatus Vlpian. l. 25. *ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli præter signatorios, mundus muliebris est, quo mulier mundior fit, continentur eo specula, matulæ, vnguenta, vasa vnguentaria, & si qua similia dici possunt, veluti lauatio, risus*, in Antuerpia editione legitur *labatio* antiquo ritu, nam B. in V. sæpe permutant, Antonius Contius censuit legendum, *clabastrites*, male. Phædrus Tiberij libertus libro 4. Fab. 63.

Seponit mœchæ vestem mundum muliebrem,
Lauationem argenteam, eunuchos glabros,
Lanificæ agellos.

Lauatio hæc argentea, vel ea est, quam aquariolus adferebat, vel labrum ipsum, seu lebetes, quos constat argenteos fuisse inualescente luxu. Stat. lib. 1 sil. 5. v. 47.

Nil ibi plebeium, nusquam temesæa videbis
Æra, sed argento fœlix propellitur vnda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat
Delicias mirata suas.

Concha fuit priuata hæc lauatio. vet. Glossarium ἐπίχυσον ὕδωρ περὶ χεῖρας κόγχῳ, *adfer aquam manibus concha.* Paulus IC. lib. 3. sentent. tit. 17. *mundo muliebri legato ea cedunt, per quæ mundior mulier lautiorque efficitur, veluti speculum, conchæ.* in principio fictiles hæ conchæ, vetus Scholiast. Iuuenal. ad sat. 3. v. 177. *pelues inquit, conchæ in quibus pedes lauant vt vasa fictilia*, ποδόνιπτρα, & postea è *Margaritis* Horat. lib. 4. od. 12. fine *onyce* Catull. epigr. 61. quæ primitus loco tubarum. Meursius multis obseruat ad Lycophronem. aut ex ære. Gloss. Isidor. *Bacanda, concha ærea.* Lucan. lib. 9. v. 349.

Ventosa perflantem murmura concha.

Claudian. de Nupt. Honorij & Mariæ.

—Seu concha Libycum circumsonat æquor.

Argentea fuisse hæc ornamenta, notum, Claudian. epigrammate de concha.

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais,
Et patulo conchæ diuitis orbe fluat.
Namque latex doctæ quæ lauerit ora Serenæ,
Vltra Pagaseas numen habebit aquas.

Sidon. Apollinar. lib. 4. epist. 8. & ibi eruditissimus Sauaro.

Nam cum dignatur reginæ hic tangere vultus,
Candor in argentum mittitur è facie.

Felix Ennodius Ticinensis epigr. 93.

Parturit vnda sitim, quam splendens concha ministrat. Non aquam modò, sed & vnguentum his conchis asseruatum. Q. Horat. lib. 2. od. 7.

Funde capacibus
vnguenta de conchis.

Inde data fabulæ occasio, *Venerem in concha natam*, siue, vt alij contendunt, *concha in Cyprum delatam*, Dionysius Lambin. ad M. Plauti

Rudentem Act.3.sc.3.

Te ex concha natum esse autumant, caue
Tu harum conchas spernas.

Supererat dicẽdum de linteis, oleo, vnguentis, & strigilibus, quibus ad corpus fricandum vtebantur, sed omnia iam ab aliis præoccupata sunt, explicataque, vnoque nomine *balneatoria* appellabantur, quæ peregrinaturi secùm veluti viaticum necessarium conuehebant, vt ex Plauto in Mercatore apertum.

Tollo ampullam atque hinc eo.

Et de strigilibus Suid. in voce στλεγγίς, vet. Scholiast. Iuuen. sat.3.v.263. *strigulam* vel *Xistram* vult dici, Iul. Pollux lib.7. cap.33. tit.7. docta inuenire est apud Petrum Coluium ad lib.2. Florid. L. Apuleij.

PARALIPOMENA.

De pistrinis, & de primo molarum vsu.

Molarum vsus antiquissimus fuit, & à Cerere profectus, *quæ homines molere docuit prima.* Plin. lib.7. cap.50. licet Stephan. lib. de vrbib. inuentionem *Milanti* cuidam assignet in voce Μυλάντια. adeóque etiam temporibus heroicis cognitus, nam in horto Alcinoi Phæacum principis mola reponitur lib.7. Odyss. vers.105. apud Homerum.

Αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλῃς ἔπι μήλοπα καρπόν.

Aliæ quidem molunt sub mola pomacei coloris frugem.

Græci à τρίβω, verto: *trapetum*, vocarunt, quòd nempe circumacto lapide, vt iam dicam, frumenta tererentur. Martialis lib.7. epigr.27. ea voce vtitur. Et lib.13 epigr.36.

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit Oliua dapes.

Statius lib.2. syl.7.

Vnctis Bætica prouocas trapetis.

Paulus IC. lib.2. sententiar. tit. 7. *cogendorum fructuum causa comparata, instrumento cedunt, velut corbes, aluei, falces messoriæ, & fœnariæ item molæ olinariæ. Eadem* vox vsurpata l.21. ff de instructo. adi ad legem 19. ff. locati. at Varro, non à *vertendo*, sed à *terendo* vult *trapetum* dici lib.4. de ling. Lat. vt & *molam à molendo, quod iniecta molentur, siue terantur, aut comminuantur,* licet à *rotunditate sui* vocatam, vt *mala pomorum* contendat Isidor. lib.20. cap.8. Columella Rei Rusticæ lib.12. cap.50. legatur. dicitur & *Molestrina pistrinum,* Cato apud Nonium ca.1. nu. 320. *Neruo, carcere, molestrina,* notauit Guil. Budæus in legem si seruus. §. si fornicarius. ff. Commum. prædior. in prioribus annotat. ad pandect. certum est primitus *trusatiles* fuisse molas, quæ circumactæ manuum agilitate & robore fruges tererent, A. Gell. lib.3. cap.3. *ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset.* ideo *manuales* dicuntur Seruio Honorato ad vers.274. lib.1. Georg. vbi de rusticorum laboribus.

Sæpe oleo tardi costas agitator aselli,
Vilibus aut onerat pomis lapidemque reuertens
Incussum, aut atræ massam picis vrbe reportat.

Lapidem incussum rectè dixit (Suidas ὄνον, vocat, *asinum*) nam *circumacto lapide frumentum terebatur.*

Eodem lib. vers.267.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

Vt & lib.1. Æneid. vers.184.

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Vbi Seruius, *terebantur fruges in Pilis, & pinsebantur, neque molebantur.* Lucret. Carus lib.1. de nat. rer.

——Fruges quoque sæpe minutas
Robore cum saxi franguntur.

in MS. codice erat exaratum, *minacis robore cum saxi.* Stat. lib.1. Thebaid. vers.524.

His labor inserto torrere exanguia ferro
Viscera cæsarum pecudum, his cumulare canistris
Perdomitam saxo Cererem.

Posterioribus deinde sæculis etiamsi ritus mutatus fuerit, mansit tamen loquendi eadem consuetudo. D. Ausonius in Mosella.

Nobilibus Gelbis celebratur piscibus, ille
Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu,
Stridentesque trahens per læuia marmora serras.

Sed tamen æuo Ausonij nullæ trusatiles manibus molæ, sed asinariæ, quas nempe asini versarent, tectis capitibus velataque facie, L. Apul. Milesiar. lib.9. *Molæ quæ proxima videbatur, matutinis adsistitor, & illico velata facies propellor ad incurua spatia flexuosi canalis, vt in orbe termini circumfluentis reciproco gressu, mea recalcans vestigia, vagarer errore certo.* Achmes oneir. cap.195. μύλωνα, ἐν ᾧ ὄνος στρέφει δυνατῶς, *pistrinum in quo asinus robustus moleret,* & mali serui pro pœna molis applicabantur. P. Terent. Andria Act.1. sc.2.

Verberibus cæsum te Daue in pistrinum
Dedam vsque ad necem.

Vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers.67. Sat.8.

Segni pedes dignique molam versare Nepotis.

Atque hi serui in pistrinum detrusi, solebant nomine *asinorum* appellari, & molæ ipsæ *præsepia,* vnde in MS. codice Plantino titulus concipiebatur, *Plauti Asinij Amphitryo,* qui mutandus in istum *Plauti Asinij Amphitryo,* nam serui ergastulo huiusmodi inclusi, tanquam laboris omnigenæ patientes, quales sunt asini, molis applicitì sic vocabantur, notatum

tatum scio à Ioan. Meursio insigni eruditione viro Criticar. Exercitat. parte 1. c. 9. & certum est ex Aulo Gellio supra laudato, Plautum *in pistrino quasdam è comediis suis scripsisse*, & seruilibus addictum fuisse operibus. locus est apud ipsum in Curculione Act. 2. sc. 1.

Panis, parasitus quia non rediit Caria,
Afferre argentum credo, nam si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo.
Quin recip. ret se huc fessum ad præsepim suam.

Quem locum longe aliter concipiunt alij, inter quos Nonius cap. 3. num. 160.

Quin reciperet se hic cessum ad præsepiam suam.

Sed melior prior lectio, vel ipso Plauto iudice in prologo Casinæ.

Qui sibi uxorem poscat, scit, si id impetret,
Futurum quod amat, intra præsepes suas.

Et videntur mihi non molarij tantum serui, sed quilibet alij *stationem* in domibus priuatis dominorum habuisse, quæ *præsepe* diceretur, quod quasi par iumentorum & seruorum esset conditio, testis M. Terentius Varro lib. 1. de Republica, *contra hic laudabatur ab illis, is habebat culinam rusticam, vnam præsepiam latam, cellam vinariam.* Huc pertinet locus Claudiani lib. 1. in Eutrop. à nullo hactenus explicatus.

Hæcne erat hæc Ptolomææ fides, hoc profuit ætas
In gremio consumpta tuo, lectusque iugalis,
Et ducti toties inter præsepia somni?

Postea & *aquariæ molæ* in asinariarum locum substitutæ, Pallad. Rutil. rei rust. lib. 1. cap. 42. *si aquæ copia est fusura balneorum debent pistrina suscipere, vt ibi formatis aquariis molis, sine animalium vel hominum labore frumenta frangantur.* Qua ratione confici huiusmodi aquariæ molæ debeant docet M. Pollio Vitruuius Architect. libro 10. cap. 10. & meminit Zeno Imp. l. 10. C. de *Aquaductu. suburbanum vel prædium vel balneum, vel aquæ mola vel hortus, ad cuius vsum aqua publica fuerit deriuata*, licet alij perperam legant pro *aquæ mola, aquario*. Et Valentinianus & Valens Augg. C. Theodos. *de Canone frumentario vrbis Romæ* l. 4. *Improborum petitiones, qui impudentius ausi sunt postulare pensiones, aquæ molarum quæ vrbi venerabili annonas abundantius præstitissent, quinque librarum auri mulcta instigat*, notat Iacob Cuiacius. aquariæ molæ rotis subleuatis inuersisque suppeditabatur aqua, eique muneri iuncti asini, equi, & equæ. Secundus Verus poë.a lib. 1. Antholog. cap. 33 epig. 21.

Τίπτε τὸν ὀγκηστὴν βραδύπουν ὄνον ἄμμιγ' ἐν ἵπποις
Γυροῖς ἀλοητοῖς ἐξελάετε δρόμον
Οὐχ ἅλις ὅττι μύλοιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκης
Σκοτοδινῶ σκοτίως κυκλοδίωκτος ἔχω,
ἀλλ' ἔτι καὶ πώλοισιν ἐρίζομαι.

Cur rudentem tardum asinum simul cum equabus in rotundum in areis triturantibus agitatis cursum? nonne satis est quod molæ circularium onus necessitatis conuolutum oculis clausis in gyrum actis habeo? quin adhuc cum equis cursu contendamus? Neque illud prætereundum, quod ab Artemidoro Oneirocrit. lib. 2. cap. 47. traditum *μύλος ἀεὶ τὴν σκληρῶν καὶ πονηρῶν πραγμάτων λύσιν, καὶ πιστὸν θεράποντα σημαίνει. mola semper durorum & difficilium negotiorum solutionem portendit, & fidelem seruum significat.* Denique sciendum & pistrino seu molæ suum fuisse numen, suumque Deum tutelarem. Iul. Pollux. Onomast. lib. 7. cap. 33. tit. 8. *μυλωθρὸς, μύλων, μύλη, σιτομυλαία θεὸς, καὶ ὄνος. molitor, mola pistrinum, dea molaris, & binemola.* sed & *Promylius* Deus semper ante molas collocabatur, *ob suauem alimoniam.* Suid. in voce *προμύλιος θεός.* adi ad Tiraquellum Commentario ad Alexandrum Neapolitanum libro 3. Genialium dierum cap. 11.

De populo Romano, & eius prima diuisione.

Capvt XV.

Hactenvs de Vrbe dixi, quomodo ea à Romulo primùm condita, & à sequentibus Regibus, ac demùm ab Imperatoribus, subinde aliis atque aliis montibus ac collibus Pomerio inclusis ampliata, & ab Octauio Augusto in XIV. regiones descripta sit: nunc institutus ordo requirere videtur, vt de incolis etiam nonnihil dicatur. Fuerunt igitur incolæ huius Vrbis appellati ciues Romani, quos Carolus * Sigonius, vir clarissimus, ita definit, quod sint homines liberi, qui Vrbem agrúmve Romanum inhabitarent. Quæ definitio cùm sit generalior, & potissimum de iis, qui sub Regibus fuerunt, intelligenda, addit deinde aliam specialiorem, & quidem de iis, qui libera Republica optima lege id nomen habuerunt. Optima, inquit, lege, is mihi ciuis Romanus videtur, qui domiciliũ,

* *Li. 4. c. 1. de Antiquo iure ciuiũ Romanorũ.*

Patricius secundum Plutarchum & Velleium Paterculum dicti Senatorii liberi, qui l patres ciere possent, idemque scribendum Patricius per c. non Patritius per t. Aldus Manutius in ortographiæ ratione. Hadr. Iun. ut in Nomenclatore.

qui tribum, qui honorum potestatem est adeptus. Atque hæc prolixè & eruditè explicat, quæ, qui vult, legere poterit. Nos verò iis omissis, de eius ciuis, cuius definitionem modò recitauimus, præcipuis diuisionibus, quarum cognitio ad multa veterum, & classicorum Scriptorum loca intelligenda proderit, agemus. Inuenimus autem in veteribus Scriptoribus populum Romanum variè, aliis tamen atque aliis temporibus diuisum esse. Primùm quidem in Patricios & Plebeios: inde in Tribus: tum in Curias distributum: iterum in Classes & Centurias: rursum in Senatores, Equites, & Populum: pòst, in Optimates & Populares: in Nobiles præterea, Nouos & Ignobiles: mentionem etiam fieri video Ingenuorum, Libertorum & Libertinorum. De his singulis operæ precium erit, quid veteres Scriptores tradiderint, indicare. De Tribubus Curiis, Centuriis, & Classibus, cum ea ad tractationem de Comitiis commodiùs referri possint, hîc dicere supersedebo. Patriciorum igitur & Plebeiorum discrimen, & iura primùm recitabo: inde de Patronis & Clientibus, cùm ex hac prima diuisione originem suam trahant, dicam: tertio loco de tribus discretis ordinibus, Senatorio, Equestri & populari, vel Plebeio, verba faciam: tum quid de Optimatibus & Popularibus scriptum repererim, referam: pòst etiam de Nobilibus Nouis & Ignobilibus, quinam ij fuerint, disputaturus: ad extremum, qui Ingenui, qui Liberti, quique Libertini dicti fuerint, explicabo.

Prima igitur diuisio post Tribus & Curias facta est in Patricios & Plebeios instituta ab ipso Romulo primo Romanorum Rege, de qua Dionysius li. 2. sic scribit: Illustres, inquit, genere, & virtute celebres, opibúsque, vt tum ferebant tempora, abundantes, quibus essent liberi, secreuit ab obscuris, egenis, & humilibus. Inferioris fortunæ homines Plebeios vocauit. Hi Græcis sunt *δημοτικοι*: Potiores verò Patres, siue quòd ætate anteirent alios, siue quòd haberent liberos, siue propter nobilitatem generis, siue propter hæc omnia. Hæc Dionysius. Et addit, hunc morem sumptum esse ab Atheniensium Republica, qui etiam bifariam distributa multitudine, Patricios appellarint ex illustribus familiis, & pollentes opibus, penes quos fuerit ciuitatis regimen: cæteros ciues rusticos, quibus nullum in Republ. fuerit suffragium. Quod verò officium fuerit, tum Patriciorum, tum Plebejorum, idem subijcit inquiens. Romulus postquam discreuit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit, quid vtrisque faciendum: vt Patricij sacra curarent; Magistratus gererent, ius redderent, secum Rempublicam administrarent, res vrbanas obirent: Plebeij verò ab his negotiis immunes (quippe qui talium imperiti essent, nec vacaret eis propter inopiam) agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia, ne seditiones orirentur, sicut in aliis ciuitatibus, dum humiliores protruduntur cubito à potentioribus, aut egeni, ac viles excellentioribus inuident, &c. Hæc ille. Qui tamen paulò post scribit etiam hoc interfuisse inter Patricios & Plebeios, vt quoties Patricij conuocarentur à Regibus, præco quemque suo ac paterno appellarit nomine: Plebeios verò ministri quidam cornibus bubulis concinentes in concionem contraxerint. Et hæc quidem prima temporibus differentia inter Patricios & Plebeios fuit. Procedente autem tempore, & impetratis à Patriciis Tribunis plebis plurima dignitatum & honorum ornamenta: vt, Sacrorum quorundam curationem, Magistratus Curules: Consulatum, Dictaturam, Censuram, &c. quæ anteà solis Patriciis concessa erant, per tribunos suos Plebs Patribus extorsit: sicuti etiam connubiorum inter Patricios & Plebeios communionem, vt suo loco dicetur.

PARALIPOMENA.

Ad Cap. XV.

Antiquissima ciuitatis discretio ab ipso Romulo facta.

ROmulus vrbis fundamentis iactis curam de ordinando ciuitatis statu grauiter adhibuit, & quosdam iuniores mille numero armatos pro salute noui regni excubare præcepit, vnde & *militis* nomen Isidor. lib. 9. Etymolog. cap. 3. centum deinde ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret, quos *Senatores* appellauit, *propter senectutem*, vt loquitur Eutropius statim in limine suæ historiæ. Vnde & lunam in calceis ferebant dimidiatam, quæ centenarij numeri erat nota, quod nempe in prima diuisione ciuium *centum tantum patres* fuerint. Alexander Neapolitanus lib. 5. cap. 18. qui autem *seniores* dicantur, qui *iuniores*, Seru. ad vers. 304. lib. 6. Æneid.

—Sed cruda Deo viridisque senectus.

Et secundum hanc diuisionem, leges etiam ab eodem Romulo latæ, quarum nonnullæ ciuicam disciplinam, aliæ castrensem spectabant, fragmenta collegerunt viri docti nostro æuo, & ego digeram lib. 8. cap. 5.

Etiam deriuata consuetudo, vt alius in matrimoniis contrahendis esset modus cum senatu, & cum plebe, nempe olim promiscua inter vtrumque ordinem celebrabantur, at id postea lege lata sublatum, secutaque ob id ipsum seditio tertia exarsit, populari multitudine in montem Ianiculum duce Canuleio

sece-

secedente. L. Flor. lib. 1. Hist. Rom. cap. 15. de qua re dicam infra. Et Ioan. Borcholten IC. ad Tit. 10. lib. 1. Institut.

Quæ discretiones ita stabilitæ, vt in publicis scænicisque spectaculis diu nulla distinctio fuerit. Valer. Maximus definit lib. 2. cap. 1. tit 16. *Per quingentos & quinquaginta octo annos Senatus populo mistus spectaculo ludorum interfuit, sed hunc morem Attilius Seranus & L. Scribonius ædiles, ludos matri Deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, soluerunt, eaque res auertit animum vulgi, & fauorem Scipionis magnopere quassauit.* Eleganter eandem rem expressit M. Tull. Orat. de Aruspic. Responsis. *quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum in ipso matris magnæ conspectu Megalensibus fieri concelebrarique voluerunt? qui sunt more instituti que maxime casti, solemnes, religiosi, quibus ludis primum ante populi consessum senatui locum, P. Africanus iterum Cos. ille maior dedit.* Vbi puto *Megalensibus*, esse glossema, delendumque è textu, in quem inscitia librarij, aut scioli alicuius, irrepsit. Idem in Orat. pro Cornelio perduelle. *P. Africanus ille superior, vt dicitur, non solus à sapientibus hominibus, qui tum erant, verum etiam à se ipso accusatus sæpe est, quod cum Cos esset cum T. Longo passus esset, tum primum à populari consessu senatoria subsellia separari*; quod anno septimo post secundam cum Carthaginensibus pacem factam contigisse viri eruditi obseruant ex Appiano Alexandrino in Lybicis.

Exinde orta sunt nomina, variaque sedila in ludis spectaculisque concedi cœpere secundum vniuscuiusque dignitatem, *Senatoribus orchestra, Buleuticum, optimatibus proscænium, pulpitum, Imperatori podium, equestri ordini quatuordecim gradus, fœminis cathedræ, denique & plebi popularia*, vt fuse differo infra lib. 5. cap. 4.

Diuisionem istam excepit altera, qua tota ciuitas in *plebem & optimates* discreta, plebs denuo in *classes, tribus*, aut *centurias* distributa, adeo vt Dominus seruum suum manumittens tribum ei mercaretur, qui veluti primus ciuicæ dignitatis gradus, vt in tractatu de seruis expediam, optimates vel partes erant vel patricij, qui nempe à patribus, quos Romulus instituit, genus ducebant.

Capvt XVI.

De Patronis & Clientibus.

Diviso vniuerso populo ad hunc modum in Patricios & Plebeios, arctissimo eos Romulus vinculo colligauit. Commendauit, inquit Dionysius, Patriciis Plebeios, optione cuique è vulgo data, vt quem vellet, Patronum sibi legeret. Et inter alia, conferens hunc morem cum Thessalorum & Atheniensium Priscorum instituto, ait Romulum hoc negotium appellatione decora cohonestasse: nominando Patronatum tutelam pauperum, & humilium: addidisse etiam vtrisque commoda officia, excogitata ciuili & perhumana copula. Constabat autem Patronatus, vt idem refert, officiis eiusmodi, iam inde apud Romanos durantibus. Patronos oportebat Clientibus respondere de iure, cuius illi rudes essent, & absentium æquè, ac præsentium curam gerere, facientes quicquid pro filiis parentes solent facere: quod ad pecunias & contractus attinet; & sustinere accusatoris impetum, & , vt compendio dicam, quietem eis, qua maximè opus haberent, parare à priuatis publicisve negotiis. Vicissim Clientum erat, Patronos iuuare elocantes filias, si his parum esset pecuniæ: & ab hoste captiuos redimere, vel ipsos, vel eorum filios: priuatarum quoque litium perditarum æstimationes, & mulctas publicas pecuniarias pro eis soluere, idque sumptu proprio, non quasi fœnoris loco, sed ob referendam gratiam. Publicorum quoque impendiorum, quæ Magistratuum honorúmve causa fiunt, esse participes non secus, quàm coniunctos genere. Commune autem vtrisque erat, nefas esse alteris accusare alteros, aut aduersum dicere testimonium, ferréve suffragium, aut censeri inter inimicos: quòd si quis deprehensus esset aliquid horum facere, tenebatur lege de Proditoribus, quam sanxit Romulus, conuictúmque eius criminis, cuiuis licebat, vt Diti sacrum interficere: (mos enim Romanis, quos vellent impunè occidi, eorum corpora deuouere Deo cuipiam, præcipuè Diis inferis, quod fecit Romulus.) Quapropter per multas ætates permanserunt mutua Patronorum ac Clientum officia, haud secus, quàm cognatæ necessitudines, posteris per manus tradita. Et maxima laus erat Nobilium habere Clientes quàmplurimos, tam hæreditarias suum clientelarum, quàm partarum virtute propria: Ingénsque certamen erat vtrisque, ne vincerentur mutua gratia, & beneuolentia: dum Clientes nullum Patronis negarent ministerium: vicissim Patroni nullo corrumpi possent pretio, vt Clientes molestari finerent. Tanta illis erat in omni vita temperantia, &

Idem A. Gellius decas lib. 5. cap. 13. & lib. 20. cap. 1.

fœlicitatem virtute, non fortuna metiebantur. Nec tantùm in ipsa Vrbe plebs tuta erat Patriciorum patrocinio: sed & coloniarum & sociarum ac amicarum ciuitatum, & bello subactarum, quæque suos habebat Patronos, quoscunque vellet è Romanis ciuibus. Et sæpenumerò Senatus controuersias ciuitatum, ac gentium ad earum Patronos remisit, eorúmque iudicia rata habuit: adeóque ab his initiis ex auctoritate Romuli, firma Romanis coaluit concordia, vt per DCXXX. annos nunquàm ventum sit ad cædem & sanguinem: multis licèt ac magnis inter plebem & honoratos exortis controuersiis de Republica, vt solet fieri in omnibus tam paruis, quàm magnis ciuitatibus: sed patentes, & monentes mutuum, & partim concedentes, partim impetrantes à volentibus, per expostulationes ciuiles componebant negotia, &c. Hæc Halicarnassæus. Eadem tradunt Liuius lib. 1. & Plutarchus in Romulo, sed breuius.

AD CAP. XVI. PARALIPOMENA.

Qui nomine populi contineantur, quotuplex clientela, quod ius patronatus?

NOmine populi tota ciuitas comprehensa: Donat. in Adelph. prologo. Lucil. lib. 1. Satyrar.

Quo pacto populum, atque vrbem seruare potis sit
Amplius Romanam.

L. Flor. lib. 4. cap. 2 *inuidens Fortuna principi gentium populo.* C. Plin. nat. hist. lib. 22. cap. 3. *corona quidem nulla fuit graminea nobilior in maiestate populi terrarum principis.* L. Sen. lib. 2. controuers. 1. *colit etiamnum in capitolio casam victor omnium gentium populus*, & *lib. 4. controuers. 7. Romanus populus hostem veneno vinci noluit.* Iustinian. Aug. §. plebs institut. de iure nat. gent. & ciuil. *plebs à populo eo differt, quo species à genere, nam appellatione populi vniuersi ciues significantur, connumeratis etiam patriciis, & senatoribus.* Sic & Homerus Agamemnonem vbique ποιμένα λαῶν *pastorem populorum* appellat, sub quo nomine & alij reges etiam comprehensi. Q. Horat. lib. 1. od. 2.

Lætus intersis populo Quirini.

Ouid. lib. 7 Met.

Dicta refert rector populorum talia centum.

P. Maro lib. 1. Æneid.

Hinc populum late regem.

Non tamen sub populi nomine plebs comprehensa, clarè T. Liuius 1. Decad. lib. 2. *Consul Appius negare ius esse Tribuno in quemquam nisi in plebeium, non etiam populi sed plebis esse magistratum.* Valer. Max. lib. 2. cap. 2. num. 6. *penes quos Senatus & equestris ordinis, & vniuersæ plebis summum decus erat.* adi ad Suidam in voce πολιτ. Et Vlpianus IC. *stationarios habere ad tuendam popularium quietem* l. 2. ff. de offic. præf. vrbi, vbi *populares* puto esse omnes *vrbis incolas.* Claudian. lib. de bello Gildonico.

Vt dominum plebem bellatoremque senatum
Classibus æ... inis aleret.

Plebs opposita ibi populo, qui & senatus, licet non ignorem distingui à Senatu populum, vt & principem, qui in locum populi successit, vt doctissimus Budæus notat in annotationibus prioribus ad pandectas. Virg. lib. 4. Ænei. vers. 684.

Extinxi te meque soror, populumque patresque
Sidonios.

Papinianus lib. 1. syl. 1. *vtere perpetuum populi magnique senatus Munere.* Interdum etiam pro vili abiectissimæque sortis homine *popularis* vsurpatur, siue pro eo qui inferioris erat ordinis, C. Tacit. histor. lib. 4. *cohortes quas ex veteri instituto nobilissimi popularium regebant.* M. Tull. orat. de Arusp. respons. *P. Clodius repente factus est popularis.* & apertius Actione 7. in C. Verrem, *homines populares aut nobiles supplicio aut exilio leuarentur*, & Vlpianus *voces popularium*, dixit, id est pleiorum l. 12. ff. de appellat. & relat. Et Callistratus IC. *solent quidam, qui vulgo se iuuenes appellant, in quibusdam ciuitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accommodare.* l. 28 ff. de pœnis, licet δημόται seu *populares* sint *eiusdem ciuitatis ciues, incolæ, accolæ*, vt loquitur Plautus Aulul. sc. Optati. P. Terent. Phorm. Act. 1. sc. 1.

Amicus summus meus & popularis Geta.

Donatus Grammat. *popularis, eiusdem conditionis gentisque, Salust. popularis sui sceleris, & popularis, populo amatus, & popularis ciuis, & popularis humilis, & popularis vilis è populoque factus, vt si quis dicas sordidum popularem ciuem.* Eugraphius vetus scriptor ad eundem locum, ex Salustio *socium* exponit, *siue eiusdem conditionis.* ex hoc vsu L. Seneca intelligendus, qui *populum* pro *qualibet multitudine* sumit.

Cum tot populis stipatus eas.
In tot populis vix vna fides.

Xenophon Cyropæd. lib. 6. post principium στρατιωτικὸς δῆμος *militaris populus, vulgus militum*, vt loquitur Tacitus lib. 5. Annal. Deriuatum hinc nomen *popularis*, vt sit is qui populo charus acceptusque, & *popularitas* gratia apud principes populi, seu plebeiam multitudinem inita. Euripid. Hecuba vers. 254. ὅσοι δημηγόρους ζηλοῦτε τιμάς. *quicunque populares sectamini honores.* Sidonius Apol. vsurpauit, pro multitudine, seu quod idem est, pro *clientela*, de ea hic agamus. Quæ vel in

in Carm.13. vers. 141. *Vir semper popularitate crescens,* *Et iusti residens in arce fandi.* Et eodem carmine vers.400.

Aliter dum popularitate gaudet.

Papin.Stat.lib.2.syl.vlt.

Et gratum popularitate Magnum.

M. Lucan.lib.1.

——totus popularibus auris Impelli.

Quia Seneca *populum amicorum pro frequentia* in foro, quoties aduocatione potentiorum egebant tenuioris sortis homines. vet. Scholiast. Iuuenal.sat.7.vers.142. *togati sint tibi ante pedes qui litigent, qui te consulant. Et patronus causarum actor.* Diocletian. Imp. l.4 C. *de postul. & aduocatos patrocinia præstare dixit* Valentinianus Aug. l.6. C. *eod.tit.* M. Martialis *querulos* ob id appellat clientes lib.1. epigr.50. & lib.4. epigr.89. Isti cum dignam facundiæ patroni sui mercedem exhibere non possent, Ianuas tamen corona imposita honestabant. L. Seneca lib 2 de ira cap.7. *iudex damnaturus quæ fecit elig..., & corona pro mala causa, bona patroni voce corrupta.* Iustus Lipsius, *coronam*, *audientiam*, interpretatur, *siue concessum aut multitudinem spectantis populi*, sed indubiè de corona, quæ victoriæ indicium offerebatur aduocato, loquitur Seneca. D. Auson. in professorib. C.2.

Palma forensis, & Camœnarum decus,
Exemplar vnicum in litteris.

Elias Venetus *bonum oratorem & poëtam* exponit, sed non sufficit, quippe palma hæc forensis seu corona foribus, vt dictum est, suffigebatur. Auctor carminis incertus ad Pisonem.

——licet exercere togata
Munera militiæ licet, & sine sanguinis haustu,
Mitia legitimo sub iudice bella mereri,
Hinc quoque seruati conting t gloria ciuis,
Altaque victrices intexent limina palmæ.

M. Martialis lib.7. epigr.27.

Sic fora mirentur: sic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

D. Iuuenal. Sat.7. vers.118.

——rumpe miser tensumiecur, vt tibi lasso
Figantur virides scalarum gloria palmæ.

Vet. scholiast. *scalæ stationum scilicet, ad instar gladiatoriæ victoriæ, scalas, armariola gladiatorum, vel vt quidam, casæ* (legendum est omnino *casæ*) *& stationes. Cicero in Corneliana, contrepsit inquit, in scalas. armaria nam aduocatorum apud veteres scalas habebant.* Quare miror quendam in re obuia & expedita tricas agere, & de alieno labore triumphare, aut verius malignè ab aliis tentatum dissimulare, ad C. Suetonij Domitianum cap.vlt. cum lippis & tonsoribus, quod dicitur, res sit decantatissima, & Martialis interpretibus notata, lib.1. epigr.118.

Et scalis habito tribus, sed altis.

Denique coronæ huius forensis mentio apud Maximilianum poëtam recentem, & styli satis infœlicis, lasciui nimis: quod opusculum qui Cornelio Gallo adscribunt, næ illi vehementer errant, cum se Maximinianum vocet. Is igitur eleg.1.

Sæpe perorata percepi lite coronam,
Et data sunt linguæ præmia digna meæ.

Hi Calendis Ianuariis munuscula quædam tenuia, grati animi indicium, patronis offerebant. dixi in tractatu de strenis supra. quo sensu Calphurnius Flaccus Declam.4. *beneficium hæreditatis filio datur, patrono redditur*, Addendus locus D. Augustini in Homilia de Calendis Ianuariis, quam eruditissimo Sauaroni debent literati, *diabolicas etiam strenas & ab alijs accipiunt, & ipsi alijs tradunt.* Alcuinus *Diabolicas eti m strenas & ab alijs accipiebant, & ipsi alijs tradebant.*

Patronis suis isti omne obseruantiæ genus exhibere debebant, & patroni illis fidem, celebre apud C. Suetonium exemplum in Iulio cap.71. *studium & fides erga clientes ne iuueni quidem defuerunt, Masintham nobilem iuuenem cum aduersus Hiempsalem regem tam enixe defendisset, vt Iubæ regis filio in altercatione barbam inuaserit, stipendiarium quoque pronunciatum & abstrahentibus statim eripuit occultauitque apud se diu, & mox ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia statim persequentium, fascesque lictorum lectica sua auexit.* Et par conditio clientis & liberti, vt ex Vlpiano ostendit Petrus Gregor. Syntagm. Iur. vniuersi l.14. cap.vlt. dictique dictione longobardica, vt puto, *vassali*, quod patronorum suorum tanquam *vasa* censeantur, quasi *vasarij*, quo nomine omne instrumentum magistratus in prouincia proficiscentis intelligitur. Adrian. Turneb. lib.21. cap.15. dicebanturque qui rem clientis prodidissent *præuaricatores*. Antoninus August. li. 1. C. *de aduocat. diuersor. iudicior.* *Et sunt clientes propinquis chariores* A. Gell. lib.5. cap.13 M. Furius Sabinus iuris ciuilis lib.3. *officium primum tutela, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini.* Claudian. lib.1. in Ruffin. *profert arcana, clientes fallit*, & susceptis, est que lex XViralis *patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.* quam vir multisciæ lectionis Theodorus Marcilius pleniorem vberioremque tulit ex Dionysio Halicarnass. Hist. Rom. lib.2. *patronus si clienti, cliensue patrono fraudem faxis, sacer esto.* Virg. adumbrauit lib.6. Æneid. vers.605.

Pulsatusque parens, aut fraus innexa clienti. Seruius *si clientes quasi colentes sunt, patroni quasi patres; tantundem est clientem, quantum filium fallere, & hoc posse fieri ex Horatij dictis intelligitur, qui cum loqueretur de auaris*

à Thessalis, qui *Penestas* nuncupant, & Atheniensibus, quibus *Thetæ* dicebantur; At apud illos superbè, imo & indignè habiti, mitius clementiúsque à Romanis tractati, Volfgang. Lazius Commentarior. Reipub. Rom. lib. 12. cap. 3.

Nec in vrbe modo clientelæ celebres, sed & in agris villisque, vrbibus, regnis, & prouinciis, quæ vltro in potestatem potentis alicuius cedebant, cuius præsidio protegerentur. Valentinianus & Valens Augg. C. Theodos. *Ne colonus inscio domino. Non dubium est colonis, arma quæ subigunt, vsque adeo alienandi ius non esse, vt si qua propria habeant, inconsultis atque ignorantibus patronis in altero transferre non liceat.* Nec minus collegia artificum suos habebant patronos, quibus statuas in foro aut loco maximè conspicuo exigebant. Cuius rei amplum satis testimonium ex vetustis inscriptionibus, quarum quasdam subiiciam, vt est Tergesti in Istria.

L. Vario. Papirio, Papiriano IIVIR. I. D. IIVIR.
ID. Q. Q. Prætor. Fab. Romæ. &. Tergeste. Flam. HADRI. Pont. Augur. collegium. Fabrum patrono merenti.

Altera Reatæ in Italia.

T. Fundilio. Gemino. VIVIR. *Aug. mag. iuu. Augustales. patrono. & qui q. perpetuo. optime merito. hic. arce. Augustalium se. viuo. HS.* XX. *dedit vt. ex reditu. eius summæ die. natali. Sec.* IIII *Kal. Febru. præsentes Vescerentur. & ob. dedicationem statuæ decurionib. & seuiris. & iuuenibus. sportulas. & populo. epulum. &. oleum. eadem. die. dedit.*

Tertia Bergomi in Italia.

C. Cornelio CF. Vot. Municiano. Præf. coh. Prim. Damasc. Trib. mil. leg. III. *Aug. præf. Fabr. Curatori. reip. Otesinorum.* IV. *viro I. D. pontifici. Flamini. in diui. Claudij. Bergomi. Patrono. plebs. vrbana.*

Est & alia Vrbini in Italia.

C. Vesnio. C. F. Stell. Vindici. pop. uli. Vrbini. patrono suo & municipij. Æd. III *Iuir. viar. Curandar. Trib. mil. leg.* VIII. *Aug. & quæ sequuntur.*

Priuato etiam clientes nomine statuas patronis suis sumptibus priuatis erigi curabant, collocarique vnica vetus inscriptio sufficiet, quæ in Hispaniis.

L. Domitio. Gallicano. Papiniano. C. V. leg. III. *Aug. pr. pr. prouinciæ. Germaniæ. inferioris. leg. Aug. pr. pr. Dalmatianæ. cos. deuotissimo & innocentissimo. Aurelius. Iulianus. patrono. incomparabili.*

Historicos citare superuacanei foret operis, cum obuij sint passim loci ab aliis in hoc notati. Claudianus tamen & illustrandus, & corrigendus, cuius elegantissimo carmini tot sæculis retroactis turpis macula inhæsit paneg. de consul. Manlij Theodori.

Hinc te pars Libyæ moderantem iura probauit,
Quæ nunc tota probat, longi sed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ, populumque clientem
Publica mansuris testantur vocibus æra.
Inde tibi Macedum tellus, & condita Pellæ
Mania, quæ famulus quondam ditauit Hydaspes.

Quatuor primi versus ritum prænotatum significant; quintus corruptissimus est, quid enim *condita Pellæ mænia*, habent significationis? torsit me diu hic locus, fateor, & tandem diuinaui oportere legi,

Inde tibi Macedonum tellus, & credita Pellæ
Mænia.

Vult enim poëta Manlium Macedoniæ fuisse præpositum, quam coniecturam Claudius Beleurgeus vir literarum Græcarum bono natus, iam ante biennium, sibi à me communicatam laudauit, nec multo post in MS. codice *Bongarsiano* ita *diserte* exaratum reperi. Et sane recte pro Macedonia, Pella vsurpatur, est enim celeberrima vrbs illius prouinciæ. Marcianus Heracleota de situ orbis vers. 624.

Ἐν τῇ μεσογείῳ δ' εἰσὶ μὲν πολλαὶ πόλεις,
Ἡ Πέλλα καὶ Βέῤῥοια δ' ἐπισημόταται.

Vertit Federicus Morellus Professor Regius.

Vrbesque mediterraneo sunt plurimæ,
Berrhæa nempe Pellaque illustrissimæ.

Est & aux lium M. Manlio adferendum, cuius versus lacer habetur lib. 1. Astronomic.

—*Nec te Mauortia virgo.*
Præterea regesque alios, quos Græcia misit,
Atque Asiæ gentes, & magno maxima bella.

Iosephus Scaliger censet legendum,

—*Asiæ gentes, & Magni maxima bella.*

Vt de triumphata à Cn. Pompeio Asia intelligatur, sunt qui ad Scipionem maiorem referant, sed potior mihi videtur sententia Lud. Carionis Antiquar. lection. lib. 3 cap. 9.

Asiæ gentes, & Magno maxima Pella.

Vt velit Manlius illustratam & in summam claritudinem euectam Pellam, Macedoniæ alioquin ignobile oppidum, factis Alexandri Magni, quod eo probabilius duco, quod *Pellæ natum constet Alexandrum*, præter historicos, vetus Scholiastes D. Iuuenal. ad v. 168. Sat. 10. & apud eundem Claudianum lib. de Bello Gild.

Pelleo libertas concidit auro.

Id est Macedonico.

Hinc descendit ius illud patronatus celebratissimum, de quo quid opus post tot eruditos & insignes viros quicquam dicere? Gregor. Tolosan. Syntagm. lib. 17. cap. 4. & alij.

Cap. XVII.

De tribus ordinibus populi Romani, Senatorio, Equestri, & Populari seu Plebeio.

ET ea quidem, quæ de Patriciis & Plebe, Patronis & Clientibus, dixi à Romulo instituta esse, Dionysij & Liuij testimonio confirmaui. Exactis autem Romæ Regibus, populus Romanus in tres ordines distributus est: in Senatorium, Equestrem & Popularem: id quod multis veterum Auctorum locis probari potest: ex quibus hæc pauca sufficient: quod Liuius lib. 26. Belli Punici dicit: Consensum Senatus, Equester ordo est secutus, Equestris ordinis plebs. Et Ausonius canit:

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.

Quod idem confirmat etiam notissimum illud elogium: Consensum Senatus, & Equestris ordinis, populique Romani. Differt autem hæc diuisio à priore, quod illa ciues Romani in certa genera vel gentes, hac in certos ordines distributi sunt. Non enim omnes Patricij, Senatores, neque contrà omnes Senatores posterioribus temporibus Patricij fuerunt. Patricij enim dicti fuerunt, vt alibi est demonstratum, ij, qui à patribus orti fuerunt, vel Patrum progenies, vt Liuius loquitur, quorum magna multitudo fuit: Senatorum autem certus fuit numerus. Et cum posterioribus temporibus ex Equestri ordine & Plebe multi in Senatum lecti sint, manifestum est, non omnes Senatores Patricios fuisse. Sed de Senatoribus plurima dixi in lib. de Magistratibus Rom. Illud tantum hoc repeto: Senatores dictos fuisse eos, qui à Regibus primùm, deinde à Consulibus, post Censoribus in Senatum lecti essent, siue Patricij, siue Equites, siue Plebeij iidem essent. Senatorum autem filij, nondum in Senatum lecti Equites, siue ex Equestri ordine fuêre, quod iam planius fiet. Secundus ordo fuit Equester, de quo primum notetur, in hac diuisione intelligi eos, qui à Romulo ex omni multitudine trecenti numero lecti, quos Celeres dixit, quique à Tarquinio Prisco ad sexcentorum numerum aucti fuerunt: neque enim eos, qui equis stipendia meruerunt (ij tamen quasi fundamentum & semina Equestris ordinis erant) sed eos, quibus publicus equus, & annulus à Censoribus datus: quique ab iis in equestrem ordinem lecti fuerunt. Duplices enim fuerunt Equites: alij oppositi peditatui in exercitu: quales fuerunt omnes, qui equo priuato meruerunt, & illi nihil ad hunc ordinem pertinuerunt: alij vero oppositi Senatoribus, qui neque Senatores, neque de plebe fuerunt, si hunc ordinem constituerunt. Hos necesse erat à Censoribus in Equestrem ordinem legi. Legebantur autem ij, quibus census equestris esset: qui erat Sestertiûm quadringentorum millium, teste Suetonio in Iulio Cæsare. Assignabatur iis equus publicus à Censore (Varro lib. 7. de ling. lat. vocat eum mille assarium) item annulus aureus, qui eos à Plebe distingueret. Vtebantur etiam angusto clauo, qui à Senatoribus, quorum insigne latus clauus erat, discernerentur. Sed & hoc obseruandum: eos qui ex Equestri ordine in Senatorium lecti fuissent, vel Magistratus gessissent, Equites esse desiisse: sicut contrà, qui patrimonio consumpto censum Equestrem non haberent: vel quibus propter flagitia equum publicum & annulum aureum Censores ademissent, de populo, vel plebe esse cœperunt. Tertius ordo fuit Popularis, siue de Populo, vel Plebe. Fuerunt autem de Plebe vel Populo omnes ij, qui neque Senatores, neque Equites erant: Patricij quidem, qui in Senatum nondum lecti essent, neque Equestrem censum haberent; Equites autem, qui patrimonium consumpsissent, vel quibus propter flagitia equi publici, & annuli aurei adempti essent. Plebeius vero, id est, ex plebeis, vel inferioris fortunæ hominibus natus, qui Patriciis opponebatur: si minùs haberet CCCC ∞ de populo erat: si CCCC ∞ haberet, equûmque publicum obtinuisset, annulóque vteretur: quamuis plebeius, id est, plebeij generis, erat tamen eques: & si ex equite in Senatum à Censoribus lectus esset, Senator. Sic igitur Patriciorum tres ordines fuerunt, sicut & Plebeiorum: Ciues Romani Patricij & Plebeij Senatores: Ciues Romani Patricij & Plebeij Equites: Ciues Romani Patricij & Plebeij de populo, vel plebe. Qui de populo vel plebe erant, si propter flagitia aliqua à Censoribus notarentur, ærarij fiebant, & in Cæritum tabulas referebantur, quod quid sit, alibi explicabitur. Quòd etiam in spectandis ludis Senatores separatas suas sedes à Senatorum & Plebeiorum: Plebeij, vel qui de populo erant, etiam suas proprias & separatas à reliquis habuerint: quodque ex ordine Equestri Iudices lecti fuerint, ex sequentibus libris intelligetur.

Eadem de Equestri ordine habet Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 2. cap. 29. Plin. lib. 3. cap. 1. & 2.

Ad Cap. XVII.

PARALIPOMENA.

De Equitibus & præsertim de Iudiciis, censu, albo, Transuectione.

NOtum omnibus primitus tantum duos Romæ fuisse ordines, *Senatorium & plebeium*, vt ante in diuisione vrbis dixi. Hinc L. Seneca epist.31 *Senatorium aut equitum nomina ex ambitione tantum nata ostendis* & notius est quam vt dici debeat. P. Virgil.lib.2. Georgic. vers.507.

Hic stupet attonitus rostris, hunc plausus hiantem
Per cuneos, geminatur enim plebisque patrumque
Corripuit.

Constat tamen postea Ascon. Pædian.in Diuinat. victore Sylla *ciuibus bellis spoliatus est pop. Rom potestate tribunitia, iudicandi iure, quod habuit per equites R. maiores quos secundum post clarissimatum locum obtinere* voluerunt. Valentin. & Valens Act.tit.31.lib.12.Cod.Iustinian.ei,& Cuiacius ibi.SCtis addi solitum *Senatus populique & equester ordo* L.Apul.Milesiar.lib 7.eratque is veluti medius quidam inter Senatum plebemque, adeo vt communicata cum iis sint iudicia publica,C.Plin.nat.hist.lib 33. c.2.principio. Dictique illi *iudices selecti*. L.Seneca lib.3. de Benefic.cap.7.*non potest adhuc, summi iudex ex turba selectorum, quam census in album & equestris hæreditas misit* P. Ouid.lib.2.Trist.

Nec mea decreto damnasti facta Senatus,
Nec mea selecto iudice iussa fuga est.

Idem lib.1.Amor.eleg.10.

Non bene conducti vendunt periuria testes,
Non bene selecti iudicis arca patet.

C.Petron.Satyr.

Ergo iudicium nihil est nisi publica merces,
Atque eques in causa qui sedet, empta probat.

Viri docti *recuperatores* interpretantur ex Vlpiano IC. in fragmentis tit 1. Et multa à doctis obseruata Ræuardo, Turnebo, Budæo, Cuiacio. tres ordines certum est censu, iure, nominibusque fuisse distinctos. omitto alios authores, vnicus è Claudiano locus abunde erit, is lib.3.de laudib.Stilichonis.

Præterea diuersus erat fauor, æquior ille
Patribus, iniustus plebi, popularibus illi
Mutuo studiis languebat gratia patrum:
Omnis in hoc vno variis discordia cessit
Ordinibus, lætatur eques, plauditque senator,
Votaque patricio certant plebeia fauori.

Primum igitur omnium census præfinitus erat equiti Romano, vt clarum ex Seneca proximè laudato, & conqueritur C. Plin.lib. 14.præfatione,*Senatorem censu legi,iudicem censu fieri.* Erat hic census *HS.quadringenta*, vt Hotomanno doctissimo probatum lib.4. Antiq. Roman. adi ad C. Plinium lib. 35. cap.2. Suetonium in Cæsare cap.33.*patrimonium vocat equitum* Iuuenalis vetus scholiastes ad vers. 323.Satyr.14.& diserte M.Martialis lib.5.epigr. 26.

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate surge

Et eiusdem libri epigr.39.

Calliodorus habet censum quis nescit equestrem
Sexte, sed & fratrem Calliodorus habet.

Q Horat.lib.1 epist.1.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, est lingua, fidésque
Plebs eris.

D.Iuuenal.Sat.14.

Sume duos equites, fac tertia quadringenta
Si nondum impleui gremium.

Secundum censum hunc vel Senatores, vel equites in album referebantur. L. Sen.supra. Sueton. Claudio cap. 16. *Latini sermonis ignarum non modo albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinationem redegit.* Et in Domitiano cap.8.*equitem Rom. erasit iudicum albo* Dio Cocceian. lib. 55. λεύκωμα τῆς βουλῆς dixit. & interpretatus est C.Tacitus lib.4 Annal.*album senatorum*. *album* autem dicebatur *à colore*, quod *tabula* foret *albis literis notata* & alluserunt ad eum ritum varij scriptores. Fulgent.seu Blanciades vt aliis visum,lib.1. Mytholog. *Vna è virginali sum Heliconiadum curia, Iouis albo conscripta.* Vlpian.IC.l.1.ff.de edendo.*eum quoque edere Labeo ait qui producat aduersarium suum ad album, & demonstret quid dictaturus est*. sic restituisse gloriatur Angelus Politianus Miscellaneor. cap.82 cum antea esset ad alium. Corippus Africanus de laudibus seu inauguratione Iustini lib.4.num.2.

Inde Senatorum sacro recitantur ab albo
Nomina conscripti patres.

Sedulius Scotus facti operis lib.1.in fin.

Exiguam concede domum, tuus incola sanctis
Vt merear habitare locis albóque beati
Ordinis æternus conscribi in secula ciuis.

Tabulæ huius non in censu equestri tantum vsus, sed in decurionum nominibus excipiendis secundum ordinem. Arcadius Charisius IC. *libro singulari de muneribus ciuilibus*. & prætores quo facilius edicta sua innotescerent, in albo ea proponebant. Theophilus IC. §. *pœnales, instit.de action.* Quintil. lib.12 c.3. *alij se ad album ac rubricas transtulerunt.* L.Seneca

epist. 49 *turpes infaméſque etiam ſedentibus ad album exceptiones.* Auctor declamationum quas cum Pithœo vulgus Quintiliano tribuit, declamat. 374. *Potentius eſt quod albo, quàm quod in teſtamento legitur.* M. Plaut. Act. 1 sc. 2. Persa.

Si illi ſtatinæ iſti faxim nuſquam appareant,
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.

Sic optimo ſenſu legi poteſt ex MS. nam edicta prætorum, vt & leges & SCta parietibus fori affigebantur, vt omnes è plano legere poſſent, vult ergo Plautus bona aliena albo ſeu tabula edict. prætorij parieti ſuffixa oppugnari, lite conteſtata adiri. alij legunt,

Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.

Lambinus, *alba rete, id eſt occulte, & inſidioſe, & doloſe, vel ſpecie Reip. conſulendi, & perſona boni ciuis induta.* nec deſunt qui *album parietem* interpretantur, *dolum ſub aliqua honeſti ſpecie latentem*, & ſibi auctorem faciunt D. Paulum Act. Apoſt. cap. 23.

Denique *Cn. Flauius faſtos circa forum in albo propoſuit, non ſine magna nobilitatis inuidia.* T. Liu. 1. Decad lib. 9. ad finem.

In album adſcripti equites Romani tantum erant, nam & in municipiis prouinciiſq; etiam equeſter ordo, Iuuen Sat. 8.

Hic nouus Arpinas ignobilis, & modo Romæ
Municipalis eques, galeatum ponit vbique
Præſidium attonitis, & in omni gente laborat.

Diuerſa eſt apud veterem Scholiaſten lectio.

—— & in omni monte laborat

Quia in montibus, inquit, condita eſt Roma, legitur & pontibus, propter Meluium, vbi Catilinæ coniurati & Allebroges deprehenſi ſunt. Idem Iuuenal. Sat 7. verſ. 16.

—— Cappadoces faciunt equitéſque Bithyni.

Vet. Scholiaſt. *equites Romani ex Græcis facti.* Sed hi longe inferioris dignitatis quàm illi qui Romani vocabantur, quibus *promiſcuus erat cum ipſis Senatoribus habitus, communiſque veſtis.* vt notat clariſſ. Pet. Faber Sanjorian. li. 1. ſemeſtr. ca. 4. tantóque minores, quanto decuriones Senatoribus: iſti quippe equo publico donabantur, de quo inſcriptionum antiquarum fragmenta iſta meminerunt.

M. Boebio. M. F. Q. N. Aru. Suetrio. Marcello. equo. publico. Æd. Q. IIII. *vir. I. D.* IIII. *quin. II. patrono. munic. Flamini. Diui. Veſpaſiani. M. Boebius. Suetrius. Marcellus. & Suetria. Rufa. optimo. huic decuriones. ſumus. publicum ſtatuam equeſtrem. clypeum. argenteum. locum. ſepulturæ. decreuerunt. vrbani. ſtatuam. pedeſtrem.*

Romæ in horto Baptiſtæ Iacobi. Laz. lib. 5. cap. 17.

D. M.

M. ATinio. AE. F. Pal. Gaterno. ſcribæ. ædil. Curul. hon. vſus. ab Imp. equo. public. Honor. Præfect. coh. II. Bracar. Auguſtan. Trib. mil. leg. X. freteſis. à Diuo. Traiano. in. expeditione. Parthica. donis. donat.

Vt liquido appareat non tantum equites donari conſueuiſſe equo publico, ſed & ſacerdotes, Valer. l. 4. cap. 1. tit. 11 *traduc equum*, inquit, *ſacerdos, ac lucri fac cenſoriam notam*, certúmque eſt eodem donatos flamines, & eos, quorumque virtus præclara in bellicis expeditionibus, aut fides in pacis probata actionibus. Inſcripta vetuſta marmora apud Onuphrium Panuinium de Ciuitate Romana pag. 165.

D. M.

Cn. Iuli. Cn. Fil. Donati. Friſci.
Ex equo. publ. ic. adiutoris haruſpicum.
Imperatoris. Pontificis. Alban.

Prima tamen origo indubiè à cenſoribus tracta, qui equites equo publico donabant. M. Cicero Orat 6. Antoniana. *Sed hæc vna ſtatua altera ad equitibus R. equo publico, qui item adſcribunt, PATRONO quem vnquam iſte ord. patronum adoptauit? ſi quem vnquam, debuit me.* Ouid. lib. 2. Triſt.

At memini vitamque meam moreſque notabat,
Ille quem dederat prætereuntis, equo.

Priuato hic ſumptu nutrit, licet publice datus, debebat, adeo vt *qui ſtrigoſum aut malè habitum equum in cenſu agendo duceret, multaretur, & equo illa priuaretur.* Sabinus Maſſurius apud A. Gellium lib. 4 cap. vlt. *Cenſus* hic *tranſuectio* vocabatur, quam deſuetam, poſt longam intercapedinem reducto more reuocauit Auguſtus Princeps C. Sueton. in eod. cap. 38. *Seuerè, curioſe, nec ſine moderatione equites C. Caligula recognouit, palam adempto equo, quibus aut probri aliquid aut ignominiæ ineſſet, eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modo in recitatione præteritis.* Idem cap. 16. in eo. Locus eſt inſignis Valerij Maximi lib. 4. cap. 1. tit. 12. de P. Scipione poſteriore. *Centurias recognoſcens equitum poſtquam C. Licinium ſacerdotem citatum proceſſiſſe animaduertit, dixit illum ſe ſcire verbis conceptis peierasſe, proinde ſi quis eum accuſare vellet, vſurum teſtimonio ſuo, ſed nullo ad id negotium accedente traduc equum, inquit, ſacerdos, ac lucrifac cenſoriam notam, ne ego in tua perſona, & accuſatoris & teſtis, & cenſoris, & iudicis partes egiſſe videar.* Ex quo loco multa diſcimus, primum per centurias diſtinctos equites, dum tranſueherentur, quas numero ternario comprehenſas docet D. Auſon. in Gripho Ternarij.

Tres equitum turmæ.

Virgil. lib. 5. Æneid. verſ. 565.

Tres

Tres equitum numero turmæ, terníque vagantur.
Ductores.

Deinde & *duas iis superadditas* facile est perspicere ex Suetonij Caio ca. 16. deinde *citatos*, hoc est nomine suo compellatos vult Valerius, mox & *notam*, si deliquissent, inuri solitam. Nota illa interdum ignominia, interdum equi tantum publici ademptio, quod aliis obseruatum non repeto. Tempus transuectioni statutum *Eidus Iuliæ*, Dionysius Halicar. lib. 6 Martial. lib. 5. epigr. 42.

Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeásque, & Idus, fibuláque, censúsque,
Et pumicata pauperi manu monstras,
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo Didyme.

Equi hi publici traducebantur nudi, id est sine strato aut dorsuali. Nonij auctoritate probant cap. 2. num. 312. Varro, Cato, de liberis educandis, *mihi puero modica vna fuit tunica, & toga sine fasciis calceamenti, equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alueus rarus.* Sed non video qui possit locus ille de transuectione equestri accipi, quum de puero, non vero equite loquatur M. Varro, & certum sit pueris nobilioribus equos donari solitos, exemplum de *Asturcone Macedonica donato Gytoni* apud Petronium Satyr. pag. 38. Denique *oleaginea omnibus corona erat, dum transuectio fieret*, C. Plinio teste nat. hist. lib. 15. cap. 4.

Nota etiam *equestris dignitatis* erat *annulus aureus* interpretes ad Iulium Suetonij ca. 33. vetus scholiast. Iuuenal. Sat 7. v. 89. *equitum de numero id est annulo*, & ipse Satyricus.

Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.

Et Sat. 11. v. 43

Talibus à dominis post cuncta nouissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

CAPVT XVIII.

De Optimatibus, & Popularibus.

DVAS diuisiones ciuium Romanorum hactenus habuimus: quarum prima naturæ fuit, altera Iuris. Sequitur nunc tertia, quæ est factionum: qua alij Optimates, alij Populares sunt dicti. Primùm hoc loco monendum videtur, vocabulum populi non vno & eodem modo semper accipi. In præcedenti enim capite populi vox certum aliquem ordinem ciuium Romanorum designauit, eorum videlicet, qui, siue Senatorio, siue equestri, siue Plebeio loco nati essent, à Censoribus tamen neque in Senatoriũ, neque in Equestrem ordinem relati erant. In hoc capite popularis notat eum, qui seditiosis ciuibus res nouas molientibus adhæret aut Reipublicæ incommodus est. Etsi autem ferè semper duo factionum genera in Republica fuerunt, vt ex historiarum Scriptoribus liquet: tamẽ maximè post Appij Cęci censuram, ea exarsisse vidẽtur, teste Liuio l. 9. extremo Decadis 1. Cùm enim scripsisset de Appio Censore, quomodo is primus Senatum Libertinorum filiis inquinasset, & quomodo Nobiles id ægrè tulissent, hæc verba subiungit: Ex eo tempore, inquit, in duas partes discessit ciuitas: aliud integer populus, fautor & cultor bonorum, aliud Forensis factio tenebat, donec Q. Fabius Censor, simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem Forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, vrbanásque eas appellauit. Hæc Liuius. Quibus ex verbis, licet aliquo modo, quinam Optimates, quíque Populares dicti fuerint, intelligi possit: tamen clarius idem fiet ex Cicerone, cuius insignem locum de hac re ex Oratione eius pro Sextio, huc transcribam. Sic autem inquit: Duo genera in hac ciuitate semper fuerunt eorum, qui versari in Republica, atque in ea se excellentiùs gerere studuerunt, quibus ex generibus alteri se Populares, alteri Optimates, & haberi, & esse voluerunt. Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini iucunda esse volebant, Populares: qui autem ita se gerebant, vt sua consilia optimo cuique probarentur, Optimates habebantur. Et paulò pòst, Omnes Optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti, &c. Horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda Republica seruiunt, defensores Optimatium, ipsíque Optimates grauissimi, & clarissimi ciues nominantur, & Principes ciuitatis. Quid est igitur propositum his Reipublicæ gubernatoribus, quod intueri & quo cursum suum dirigere debeant? Id quod est pręstantissimum, maximéque optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis, cum dignitate ocium. Hoc qui volunt, omnes Optimates: qui efficiunt, summi viri, & conseruatores ciuitatis putantur. Hæc Cicero. Fuerunt ergo Optimates, qui reipublicæ commodis, & maiestati studuerunt, siue illi Patricij siue Plebeij generis, siue Senatorij, siue Equestris, siue Plebeij, vel Popularis ordinis essent. Populares autem, vt idem auctor dicit, appellantur ij, qui aut

propter metũ peccatorũ suorũ conscij nouos motus conuersionésq. Reipublicæ quærunt, aut qui propter insitum quendã animi furorem, discordiis ciuium, ac seditione pascuntur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malunt, quam suo deflagrare, siue illi Patricij, siue Plebeij, siue Senatores, siue Equites, siue de populo. Seditiones porrò Romæ plurimas inter has factiones ortas, testantur Historiæ. De Imaginibus multa obseruatione dignissima collegit vir clarissimus Iustus Lipsius libro Electorum, cap. 29. quem consule.

Ad Cap. XVIII.
PARALIPOMENA.
Qui Optimates?

SEnatus cum Equestri ordine iudicia, vt monui, communicauit, ideò & vno communi nomine vtrumque corpus Senatorum & equitum comprehensum dictíque *optimates* Romanis, ὀλίγοι Græcis, nisi fortè oligarchiam aliud esse imperandi genus dicamus ab optimatum regimine, M Iun. Iust. lib 1. ca. 9. *optimatibus Persarum rem indicat* Theodosius *proceres* appellat l. 2. C. de leg. *& solent optimates à plebe distingui, vt à vulgo proceres.* Seru. ad lib. 1. Æneid. v. 744. *proceres ideo secundum Varronem principes ciuitatis dicuntur, quia eminent in ea sicut in ædificiis mutuli quidam, hoc est capita trabium quæ proceres nominantur.* Idem ad v. 403 l. 1. Æneid. *Myrmidonum proceres, Græcorum principes*, exponit ipse Virgil. l. 3. Æneid.

Delectos populi ad proceres.

Et lib. 10. Æneid.

Tot lecti proceres ter denis nauibus ibant.

Iuuenal. sat. 7.

Quod non dant proceres, dabit histrio.

Sil. Ital. lib. 11 Punicor.

—Proceres verum dimiseris vmbris.

M. Martial. lib. 12 epigr. 6.

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ.

Et epigr. 8.

Parthorum proceres ducésque Serum.

M Lucan. lib. 7. Cicero ad Pompeium.

—Procerésque tuorum
Castrorum, regésque tui, cum supplice mundo
Affusi.

Locus est C. Suetonij in Iulio cap. 19. quem vide, & alter apud eundem Augusto ca. 12. vt existimo, corruptus. *Sed vt cognouit Antonium post fugam à M. Lepido receptum, ceteróśque duces & exercitus consentire pro patribus, causam optimatium sine cunctatione deseruit*, existimant viri docti mendose scriptum, reponúntque, *ceterósque duces & exercitus consentire pro partibus.* causa huius correctionis L. Florus lib. 4. cap. 2. *si duces eius* (belli ciuilis Pompeiani) *inspicias, totus senatus in partibus,* alter Florus Epitome Liuiana ad lib. 116. *& ex Cæsaris partibus D. Brutus.* & lib. 11. *fortunam vtriusque partis æquauit.* & lib. 126. *Labieno, qui Pompeianorum partium fuerat, duce,* Vell. Patercul. lib. 2. *effusíque alterum Romani Imperij lumen, tot talésque Pompeianarum partium cæsos viros, non recipit enarranda hic scripturæ modus,* corrigendum censeo, *effossúmque alterum R. Imp. lumen.* Et eodem libro postea, *ingens partium eius fauor bellum excitauit Africanum,* & post, *longe antequam dimicaretur, exploratissima fuit Iulianarum partium victoria.* & deinde Cn. *Domitius qui solus Antonianarum partium nunquam reginam, nisi nomine, salutauit.* Nec temere aliter ille loquitur, inhæsit & mendum codici A. Gellij lib. 3. c. 9. *quem Cassium satis notum est, victis Parthis, fusóque exercitu suo miseram mortem oppetisse.* quid cum Parthis in historia bellorum ciuilium? aut quæ de Parthis illo sæculo victoria? legendum ergo, *victis partibus, fusóque exercitu.* Qu. Curtius Rufus. Africæ cum imperio præpositus, triumphalia consecutus ornamenta ibidem diem obiit supremum sub Claudio principe. C. Plin. Iunior. lib. 7. epist. 27. is ergo lib. 4. *Mitylenæis, ob egregiam in partes suas fidem, & pecuniam, & obsides reddidit.* Poëtæ. Cl. Claudian. de laud. Stilich. lib. 2.

Mittitur & miles, quamuis certamine partes
Iam tumeant.

Eleganter factionem optimatiũ seu partes à vulgo aut plebe distinxit Petrus Apollonius Collatius Excidij Hierosolymitani lib. 4.

Sic alterna monens insanæ prælia partes,
Nec minus inter se vulgus quoque dissidet ipsum.

Pentadius vetus poëta cultissimo epigrammate, quod in id adscribam.

Occidere simul Cascæ, simul occubuere,
Dextra quisque sua, qua scelus ausus erat.
Castra eadem fouere, locus quoque vulneris idem,
Partibus afflictis victus vterque iacet.
Quanta fuit mentis, tanta est concordia fati,
Et tumulus cinerem partium vtriusque legit.
Par fratrum multò celebrandum carmine vatum,
Vna si fierent parte minus gemini.

Et est pari venustate carmen, pariq; materia de Mæuio quodam, qui bello ciuili fratrem ignarus interfecerat, Portij Licinij.

Viximus aduersis, iaceamus partibus iisdem.

M. Lucan. lib. 1. Pharsaliæ. v. 312.

—Veniat longa dux pace solutus
Milite cum subito partésque in bella togatæ.

Et eiusdem libri v. 692.

Consurgunt partes iterum.

Et libro 5.

Nec Pompeianis tradit sua partibus arma.

Denique AEmilius Probus in Alcibiade. *erat eodẽ, quo Alcibiades sensu, populi potẽtiæ nõ amicus & optimatũ fautor.* Idem in Phocione expressius. *Erant eo tẽpore Athenis duæ factiones, quarum vna populi causam agebat; altera optimatium;*

Qui Nobiles, Noui, & Ignobiles fuerint.

CAPVT XIX.

HÆc ciuium Romanorum, quæ nunc sequitur, diuisio, à iure imaginum est sumpta. Fuerunt autem, vt rem breuissimè complectar, Nobiles dicti, qui maiorum suorum imagines habuerunt: qui suas tantùm, non autem maiorum etiam suorum imagines habuerunt, Noui: qui verò nec maiorum, nec suas habuerunt, Ignobiles appellati. Vt ita ius imaginum nihil aliud sit, quàm ius nobilitatis. Sed vt planius intelligatur quid sit habere imagines, prius quid imagines fuerint, explicandum erit. Imago, vt Polybius lib. 6. docet, est insignis alicuius viri simulachrum, oris similitudinem artificiosè effictam coloribus pigmentísque adumbratam, referens, quod in insigniori & celebriori domus parte ligneo armario includebant. Hæc ille. Non autem omnibus imaginem sui ponere licebat: sed iis tantùm, qui Magistratus Curules gessissent: quales fuerunt primum Aediles Curules, Prætores, Censores, & Consules. Cúmque hi Magistratus primùm solis Patriciis patuerint, sequitur etiam Patricios primùm solos ius imaginis habuisse. Postquam autem hi honores plebi communicati sunt, eos ius ponendi imaginem simul accepisse, dubium non est. Cæterum & hoc obseruandum de imaginibus, Romanos festis diebus, apertis armariis illas exornasse: cúmque ex domesticis quispiam esset mortuus, eas in funere extulisse: addito vt magnitudine quàm simillimæ apparerent, reliquo corporis trunco: vestibus autem exornatas: si Consulares aut cum imperio fuissent, prætextis: si Censorij, purpureis: si triumphales, auro intertextis, atque curru, fascibus & securibus, aliísque Magistratuum insignibus prælatis, in rostra esse perlatas, vt Polybius loco suprà citato annotat: cum quo consentit Plinius, cuius insignem locum ex lib. 35. cap. 2. quia hunc Polybij eleganter explicat, etiam adscribam. Sic autem inquit: Aliter apud maiores in atriis hæ (imagines) erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec ærea, aut marmorea. Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines, quæ comitarentur gentilia funera. Semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat, populus. Stemmata verò lineis discurrebant ad imagines picta. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in Magistratu gestarum. Aliæ in foribus, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret: quæ etiam dominis mutatis, domus ornamenta erant. Erátque hæc simulatio summa & ingens, exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Extat Messalæ Oratoris indignatio, quæ prohibuit inseri genti suæ Leuinorum, aliam imaginem. Similis causa Messalæ seni expressit volumina illa, quæ de familiis condidit: cùm Scipionis Africani transisset atrium, vidissétque adoptione testamentaria Salutationis (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam irrepentem Scipionum familiæ. Sed pace Messalorum dixisse liceat, etiam mentiri clarorum imagines, erat aliquis virtutum amor: multóque honestius, quàm mereri, ne quis suas expeteret. Hæc Plinius. Portò poni solitas eiusmodi maiorum imagines cum titulis suis in prima ædium parte, vt eorum virtutes posteri non solùm legerent, sed etiam imitarentur, docet Valerius. Ex his intelligi datur, Nobiles eos dictos, qui maiorum suorum imagines haberent, id est, quorum maiores Magistratus Curules gessissent: Nouos autem, qui suas tantùm imagines haberent: hoc est, quorum maiores nullos Magistratus Curules, ipsi autem gessissent: quorum autem neque maiores, neque ipsi, Magistratus Curules gesserant, ij Ignobiles erant, & dicebantur.

AD CAP. XIX.

PARALIPOMENA.

Qui nobiles.

NObilis idem ac *notus*, vt interpretantur Grammatici. Seruius Maurus ad v. 564. lib. 7. Æneid. Fest. Pomp. li. 15 & ex eo Paulus ex Accij Plauti auctoritate. M. Cicero. 2. Verrina. *oppidum est in Hellesponto Lampsacum, id in primis Asiæ prouinciæ clarum atque nobile.* Papin. lib. 1. syl. vlt.

Quicquid nobile Ponticis nucetis.

Gladiator nobilis, & meretrix nobilis dici soles, inquit Donatus ad Hecyram Act. 5. sc. 2. fi. & *scelere nobilis*, id est *notus* L. Sen. Agamem. act. 5. sc. 1. fi. & in Hippolyto Act. 4. sc. 1. princ. adi ad Ianum Palmerium in spicilegio Diomede Accius Tragædus.

Argos me referam, nam hic sum nobilis,
Ne cui cognoscar noto.

C. Lucilius lib. 7. satyr.

Phryne nobilis illa vbi amatorem improbius quem.

Postea tamen vsu effectum est, *vt vel ex re no-*

bilem, vel ex generatione generosum diceremus, vt loquitur Cornelius Fronto, indéque *nobiles familias constit⟨u⟩is antiquissimas habitas, quæque ex Troianis originem deduxerant*. Seru. ad li.5. Æneid. v. 117. vt in æstimanda nobilitate sola sanguinis aut generis ratio haberetur, neque enim vlla nobilitas vera, quæ pecuniis opibúsve pararetur, vnde vulgatum illud apud Suidam, γενναῖος εἶ ἐκ βαλαντίου, *nobilis es à crumena*. scio, γενναῖος, verti *generosus*, ab interprete Iulij Pollucis lib. 3. cap. 25. D. Auson. epigr. 22. in Epitaphiis heroum. Solonis tamen alia sententia apud eundem in septem sapientibus.

Pulchrius multo parari, quàm creari nobilem.

Sed quam inique existimatum nobilitatem non à factis aut virtute cuiusque petendam, sed à maioribus & priscarum imaginum varietate, legendus Tullius Orat. pro Plancio. Euripid. apud. Stobæum serm. 84.

περὶ δ' εὐγενείας, ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά,
ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνήρ.
De nobilitate parum laudis prædicare possum,
Bonus enim vir mihi nobilis videtur.

D. Iuuenal. Sat. 8. principio.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.

Et Lycus ille eadem pene apud L. Senecam in Hercule Furente Act. 2. sc. 3.

—Nobiles non sunt mihi
Aui, nec altis inclytum titulis genus,
Sed clara virtus.

Apud Romanos magni habitum multas in atrio imagines maiorum numerare, at contra Græci parentes claros vltimo loco reiiciebāt aliquem laudaturi, exemplum est apud Attiū veterem Tragicum in Philocteta.

Inclute, parua prædite forma,
Nomine celebri claróque potens
Pectore Achiuis classibus ductor,
Grauis Dardaniis gentibus vltor,
Laertiade.

Notauit disertissimus Antonius Muretus var. lect. lib. 11. cap. 10. C. Plin. Iunior. li. 10. epist. 3. *laudibus Voconij Romani numeratis, subdit, auget hæc & natalium, & paternarum facultatum splendor.* A. Gell. lib 19. cap. 10. *sedentibus multis doctrina, aut genere, aut fortuna nobilibus viris.* De nobilitate per doctrinam parta, videtur intelligendus locus D. Iuuena. Sat. 7. de Quintiliano:

Et Nobilis & generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Et quia in ciuitate & republica eminentiores sunt nobiles, fit vt *altum* pro *nobili* vsurpent poëtæ. Seru. ad v. 697. lib. 9. Æneid. Iul. Firmicus Maternus non minus doctus astrologus, quam disertus rerum forensium causarúmque patronus lib. 6. cap. 31. *erit publicis meritoriis prostituta, etiam si ex alto genere videatur esse progenita*, & contrà *humilem* pro *ignobili* dicunt IC. l. 3. §. legis ff. ad leg. Cornel. de Sicar. *solent humiliores bestiis subiici, altiores verò deportantur in insulam.*

Q. Horat. lib. 2. sat. 5.

Tempore quo iuuenis Parthis metuendus, ab alto
Dimissum genus Æneæ.

Virgil. lib. 5. Æneid.

—Genus alto à sanguine diuum.

D. Iuuenal. Sat.

Quædam de numero laniarum, ac nominis alti.

Claudian. lib. 2. in Eutrop.

Pars humili de plebe duces.

M. Martial. lib. 10. epigr. 72.

Et turpes humilésque, supplicésque
Pictorum sola basiate regum.

Sed quid tam multa in re obuia? quámque doctissimo volumine illustrauit multiscius Tiraquellus, quem suadeo tirones legant.

CAPVT XX.

De Libertis, Libertinis, & Ingenuis.

SAEPE mentio fit in veterum scriptis Libertinorum, & Ingenuorum: quorum tamen vocabulorum propriæ significationes non omnibus obuiæ sunt. De iis igitur etiam aliquid est dicendum. Non eodem semper modo hæc vocabula accepta sunt. Primis enim temporibus ita fuerunt distincta, vt Ingenuus diceretur is, qui ex duobus Ingenuis, vel Libertinis natus esset: Libertinus, qui ex duobus Libertis: Libertus, qui aliquando seruitutem seruiisset, & ex illa manumissus esset. Aliquantò autem post Appij Cæci Censuram, Liberti & Libertini pro iisdem accepti fuerunt: & tum Ingenuis dicti, qui ex Libertis, vel Libertinis, id est, iis, qui aliquando seruierant, & manumissi erant, fuerunt nati. Vbi tamen hoc discrimen inter duo ista, Liberti & Libertini vocabula, obseruatum fuit, vt Liberti dicerentur respectu Patronorum: Libertini verò, respectu Ingenuorum: & ita vocabulo Liberti priuatus quidam respectus: Libertini autem vocabulo publicus respectus, videlicet hominis conditio significaretur: quam differentiam prolixè tradit, & explicat Laurentius Valla Elegantiarum lib. 4. cap. 1. Et hanc postremam horum vocabulorum significationem Iurisconsulti etiam retinuerunt: vt de aliis non dicam, quæ mihi parum sunt cognita,

cognita. In Institutionibus Iustiniani lib. 1. tit. 4. ingenuus sic dicitur. Ingenuus is dicitur, qui statim vt natus est, liber est: siue ex duobus ingenuis matrimonio editus sit, siue ex libertinis duobus: siue ex altero Libertino, & altero Ingenuo. Sed & si quis ex matre nascatur libera, patre verò seruo, ingenuus nihilominus nascitur, quemadmodum qui ex matre libera, & incerto patre natus est, quoniam qui vulgò conceptus est, &c. Libertini autem tit. eiusdem lib. 5. definiuntur ij, qui ex iusta seruitute manumissi sunt: & rectè, quia vsus hoc iam obtinuerat, vt Libertini dicerentur, qui manumissi essent. Fuisse autem primùm aliam Libertorum, aliam Libertinorum rationem, ex verbis Suetonij apparet, quæ in vita Claudij sunt eiusmodi: Latum clauum (scilicet Imperator Claudius: de eo enim loquitur) quamuis initio affirmasset, non lecturum Senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem, etiam Libertini filio tribuit: sed sub conditione, si priùs ab Equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiã Appium Cæcum Censorem, generis sui proauctorem, Libertinorum filios in Senatũ allegisse docuit: ignarus, temporibus Appij, & deinceps aliquandiu, Libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Hæc Suetonius, cuius postrema verba eum sensum habere, Claudium Imperatorem ignarum fuisse, Libertinos temporibus Appij Cæci Censoris dictos esse, qui suo tempore erant Ingenui, ex manumissis procreati, nemo non videt. Hinc igitur intelligi potest, quod discrimẽ inter Ingenuos, Libertinos, & Libertos fuerit. Carolus Sigonius libro 1. de antiquo iure ciuium Romanorum, cap. 6. paulò aliter Suetonij verba enarrat, & eum reprehendens, ac erroris insimulans, vt qui Libertinos & ingenuos pro iisdem acceperit, putat Libertinos eos appellatos, qui ex seruitute manumissi fuerint: qui autem ab iis generati sint, quòd proprium nomen non habuerint, Libertinorum filios nuncupatos, non Libertinos. Sed cùm verba Suetonij clara sint, mihi prior sententia, quam pluribus probat argumentis Aldus Manutius iunior lib. 3. de quæsitis per epistolam, magis placet. Antonius etiam Vacca ICtus Imolensis alicubi scribit, antiquioribus temporibus Libertinorum appellationem sic acceptam fuisse, vt Libertini dicerentur, quicunque in infinitum descẽdissent ex iis, qui olim manumissi essent: Ingenui autem, quorum maiorum nemo seruitutẽ seruisset. Sed nec hoc conuenit cum vllo vetere scriptore, Libertinorum enim, qui Libertorum, seu manumissorum filij erant, natos, ingenuos fuisse, ex superioribus liquet. Sed satis apertam illorum vocabulorum significationem iam esse puto, de iure quoque eorum pauca addam. Libertus enim antiquis temporibus (de prima enim significatione hic loquor) ciuis erat, sed publico nullo, nisi Apparitoris, aut coactoris fungebantur munere. Apparitores autem erant, vt pòst ostẽderur, Scribæ, Præcones, Interpretes, Accẽsi, Lictores, Viatores, Stratores. Hęc enim veteres munera, vt Ciceronis ad Q. Fratrem epistola declarat, Libertis deferebant, excepto tamen scriptu. Postea verò Scribæ quoque Liberti fuerunt: tulerúntque hi suffragium in quatuor vrbanis Tribubus, quæ rusticis ignobiliores erant.

Aldus Manutius libr. 1. de Quæsitis per epistolam, epist. 7. Volum. 1. Expositionum locorum obscuriorum, & paratitlorum in Pandectas ad tit. 5. l. 6.

Libertinus, Liberti filius, fuit eodem iure.

Ingenuus, Libertini filius, Liberti nepos, fuit iure meliore: fert enim suffragium in Tribu rustica: Magistratus tamen non capit, neque Senatorij, neque Equestris est ordinis, sed tertij: id est, de Plebe.

Ingenuus, Ingenui filius, Libertini nepos, Liberti pronepos, meliore quàm pater iure est: Eques enim Romanus esse potest: sed aditum in Curiam non habet: quod è Suetonij verbis elicitur, qui Senatorium ordinem tribui solitum à veteribus ostendit, non ciuium Romanorum pronepotibus, verùm abnepotibus.

Ingenuus, Ingenui filius & nepos, Libertini pronepos, Liberti abnepos, meliore quàm pater & auus est iure. In Senatũ enim legi potest, & honores, Magistratúsque, &c. Et hæc quidẽ de eorum iure. Nunc, quia manumissionis etiam facta mentio in hoc capite est, de ea pauca erunt dicenda. Tribus modis seruos manumitti consueuisse, Suetonius interpres Topicorum Ciceronis affirmat: aut, si quis seruus consentiente, vel iubente domino nomen suũ in censum detulisset: aut virga in caput suum à Prætore imposita, quæ vindicta dicebatur, in libertatem vindicatus esset, aut à Domino testamento liber relictus esset. De manumissione, quæ per cẽsum fit, atq. à Seruio Tullio, VI. Romanorũ rege originẽ traxisse creditur, Vlpianus loquitur inquiens: Serui, qui in peculio centum haberent, aut quib. eas facultates domini impartirẽt, si eos domini in censum ciuiũ à Censoribus adscribi iuberent, libertatem cõsequebãtur. Vindictæ rationẽ intulisse fertur P. Valerius Poplicola, anno primo post exactos reges, cùm de præmiis Vindicis serui, qui coniurationem indicauerat, ad populum tulisset: à quo etiam vindictæ nomen ductum fuisse extstimant tum alij, tum Liuius libro 1. decad. 1. scribens: Pręmium indici, pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data. Ille dicitur vindicta liberatus. Quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant, Vindici ipsi nomen fuisse. Post illum obseruatum, vt qui ita libertati essent, in ciuitatem accepti viderentur, &c. Hæc autem potestas primum pe-

nes Consulem fuit, pòst ab eo ad Prætorem vrbanum translata est, vt vindicta, id est, virga in caput imposita (eam enim vindictam dicebant) manumitteret. Morem veterum circa hanc manumissionem obseruatum eleganter descripsit Carolus Sigonius ex Boëtio, Festo, Valerio Probo, & Donato his verbis: Qui manumittere, inquit, seruum apud Prætorem volebat, eius, quem manumittere volebat, caput, aut aliud membrum tenens, ad Prætorem ita dicebat: Hunc hominem liberum esse volo: & emittebat eum è manu. Idem tamen Sigonius alio locò ex Isidoro lib. 9. refert Romanos eos, quos manumittebant, alapa percussos, circumegisse, atque ita de manu misisse. Prætor autem vindicta, id est, virga eiusdem serui capiti imposita, ita dicebat: Dico eum liberum esse more Quiritum. Inde conuersus ad Lictorem addebat: Secundum tuam causam, sicuti dixi, Ecce tibi vindicta. Tum Lictor accepta à Prætore vindicta, caput serui percutiebat, faciem palma, tergúmque verberabat. Quibus actis, nomen manumissi in acta à Scriba referebatur, adiecta causa manumissionis. Addit autem Sigonius ex Caio, D. de manumissis vindicta, non fuisse omninò necesse pro tribunali manumittere. Itaque plerosque in transitu seruos manumitti solere, cùm aut lauandi, aut gestandi, aut ludorum causa prodiisset prætor. Hactenus ille. Hinc deductum esse opinor eum morem, quem hodie obseruant Nobiles, atque alij potentes domini, donantes seruos iure gestandi arma, quod nostra lingua dicitur, *vehrhafrig machen*.

Sed vt ad priora redeam, qui manumissi & libertate donati erant, raso capite pileum gestabant, libertatis insigne. Vnde prouerbium natum: Ad pileum vocare, id est, ad libertatem vocare. In cuius prouerbij explicatione Erasmus in Chiliadibus scribit, videri pileum priscis insigne fuisse spectatæ virtutis, vt inde fluxerit mos, vt qui magistri Doctorísque titulo decorantur, pileum accipiant. Hic secundus manumittendi modus fuit. Tertius, qui testamento fit, in Institutionibus satis diligenter explicatur, quare eo Lectorem remitto.

Addunt Iurisconsulti & alios tres modos, quos naturales vocant, videlicet, inter amicos, per mensam, & per epistolam. Manumissionem inter amicos appellant, cùm præsentibus amicis quispiã à domino manumittitur. Per mensam, cùm libertatis dãdæ gratia, seruus conuiuio adhibetur. Per epistolam, quando seruo aliis in locis agenti, missis literis à Domino permittitur vt liber viuat. Ij tamen qui his tribus modis manumitterentur, minorem libertatẽ consequebantur, & Latini Iuniani fiebant, ac dicebantur ex lege Iunia Norbana. Sicut contra ij, qui priorib. trib. modis manumittebantur, maiorem & iustam consequebantur libertatem, & fiebant, ac dicebantur Ciues Romani. Quòd si quis tempore seruitutis cõmisisset aliquod crimẽ, propter quod notis in fronte & stigmatis cõpunctus, vel in publicos carceres cõiectus fuisset: aut propter delictum aliquod verberib. affectus, illud confessus esset, ac deinde gratia cum domino inito, manumissus ab eo fuisset, ex lege Ælia Sentia Libertus dedititius fiebat, ac infimã libertatem accipiebat. De manumissione multa habet Iacobus Ræuardus li. 4. Variarum, cap. 9. & lib. singulari de auctoritate Prudentum, c. 7. vbi omnes modos diligenter explicat. Quædam etiam apud Antonium Cuiacium IC. libro 2. Lectionum subseciuarum Iuris ciuilis, ca. 9. Apud Iacobum Cuiacium Obseruationum lib. 5. c. 13. & li. 7. c. 10. vt de aliis interim taceam. Notat prætereà Adrianus Turnebus Aduersariorum li. 18. c. 3. ex Martiale, ordinem quendam inter Patronorum Libertos fuisse, vt qui maiori auctoritate apud Patronos essent, Liberti primi: qui secundo ab his loco essent, secundi, qui tertio, tertij dicerentur. Quod etiam in libertatibus obseruatum fuisse ex veteribus aliquot inscriptionibus idem probat.

Addã Coronidis vice, antiquam manumissionis formulam, quam recitat Iacobus Cuiacius ICtorum nostra ætate facilè princeps, ex antiquo exemplo, vnde colligi potest, moris fuisse, vt domini seruis suis, quos manumitterent, scripto etiam illam manumissionem confirmarent. Formula autem hæc est, Ille ciuis Romanus esto, ita vt ab hodierna die ingenuus, atq; ab omni seruitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis fuisset parentibus procreatus. Eã denique pergat partem, quamcunque elegerit, vt deinceps nec nobis, nec successoribus nostris vllum debeat noxiæ conditionis seruitium: sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa, plenissimáque ingenuitate, sicut alij ciues Romani, per hunc manumissionis, atque ingenuitatis titulum, semper ingenuus & securus existat, &c. Tantùm habui quæ de præcipuis populi Romani diuisionibus dicerem. Nunc cùm institutus ordo requirat, vt de religione illius populi dicam, huius libri finem faciam, ac in sequenti, Deo propitio, de Diis agam.

AD CAP. XX.
PARALIPOMENA.
De iure Libertorum & Libertinorum.

Libertos & Libertinos manumissione fieri dicam, lib. 9. cap. 10. licet sciam discrimen allatum ab Vlpiano IC. l. vltim. ff. *si lib. ingen. esse dicat.* l. 4. ff. *de his qui sunt sui vel alieni iuris*, & notauit doctissimus vir Ioannes Bor-

Borcholten in eruditis ad Iustinianum Commentariis: éstque *libertus*, quasi *liberatus*, Isidor. Etymolog. lib. 9. cap. 4. & res exposita omnibus interpretibus Institutionum imperialium libro primo tit. 5. quos non exscribo. vnica Theophili definitio sufficiet libro primo Inst. tit. 5. *ἀπελεύθερός ἐστιν ὁ ἐκ δικαίας δουλείας ἐλευθερωθεὶς παρὰ τοῦ δεσπότου, ἢ ἰουστ. libertinus est qui ex iusta seruitute manumissus est*, seu libertate donatus, verbum adde, *& legitima*. In triplici eos fuisse ordine sciunt omnes. *Ciues Romanos, Iunianos & Dedititios*, Vlpianus IC. in fragmentis tit. 1. singulorum definitiones exequitur. Pseudocornutus in vers. 106. sat. 3. Persij hesterni, *à defuncto pridie manumissi, id est liberti, & ciuis Romani facti*. Atque hos quidem dispari fuisse dignitate disces ex Hadriano Turnebo libro vndecimo capite nono vt *quidam primi liberti, quidam secundi, quinam denique tertij forent*, quod ego vel de tempore, quo quisque manumissus fuerit, accipiendum existimo, vel ratione officij, nam vt inter seruos alij viliores, alij honoratiores, ita manumissis cur non eadem conditio permittenda? Atque vt ingenuorum variis legibus fortuna coërcita administratáque, ita variæ leges libertis indulserunt, vt de iure testamenti faciendi, legata scribendi, colligit idem Turnebus libro trigesimo Aduersar. capite vigesimoquinto ex Tito Liuio 4. Decad. libro nono & licet scribendi testamenta ius iis non erat, poterant tamen adire hæreditates. Qu. Symmachus libro vndecimo epist. 54. *capiunt legata liberti, seruis testamentorum iusta commoda non negantur.* locus est notatu dignissimus apud Saluianum Massiliensem libro tertio ad eccles. Catholic. *Si eius id opus, ac non alterius, meliori conditione quidam relinquunt libertos suos, quàm tu relinquis filios tuos, in vsu siquidem quotidiano est, vt serui & si non optimæ, certè non improbæ seruitutis Romane à dominis libertate donentur, in qua scilicet & proprietatem peculij capiunt, & ius testamentarium consequuntur, ita vt & viuentes, cui volunt, res suas tradant, & morientes donatione transcribant, nec solùm hoc, sed & illa quæ in seruitute positi conquisierant, ex dominorum domo tollere non vetantur, tantùm eis interdum gratiæ patronæ liberalitas impartit, vt etiam iure suo detrahat, quod libertorum dominio largiatur, quanto, ô quisquis ille es infidelissime pater, quanto domini illius melius cum libertis agunt, quam tu cum liberis? illi quæ donant perpetuo iure donant, tu temporario, illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis, tu tollis liberis, illi postremo suos dant libertati, tu quasi addicis filios seruituti. nam quid est aliud quàm seruituti addicere, quos tu non vis aliquid quasi ingenuos possidere. more ergo illorum viuis, qui seruos suos non bene de se meritos, quia ciuitate Romana indignos iudicant, iugo Latinæ libertatis addicunt quos scil. iubent quidem sub libertorum titulo agere viuentes, sed nolunt quicquam habere morientes, negato enim his vltimæ voluntatis arbitrio. etiam quæ superstites habent, morientes donare non possunt*: quibus verbis elegantem adfert differentiam inter Latinos, Iunianos, & ciues Romanos, quæ trita est vulgatissimáque.

Liberti isti cuiuscunque conditionis etiam si ciuitatem haberent, ciuicísque fruerentur priuilegiis, tamen multa ingenuis licebat agere, quæ nequaquam libertis concessa, nam nec ipsi, nec eorum liberi vnquã ius tribuum habebant, quod *ingenuorum* tantùm erat, vt iam docuit Lælius Taurellus IC. neque tutores ingenui libertinis pupillis dari poterant vt ex Marci Aug. oratione habetur apud Modestinum *libro singulari de excusationibus*. adi ad l. 2 Co. *de vet. iure enucl.* nec in senatum admissi. C. Suet. in Nerone ca. 15. *neque sacramento militari se obstringere, aut vt milites in castris esse, vnde Augustus princeps libertino militi, præterquam Romæ, incendiorum causa, etsi tumultus in grauiore annona metuebatur, bis vsus est, semel ad præsidium coloniarum Illyricum coniungentium, iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis, eósque seruos adhuc viris fœminísque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit, neque aut commistos cum ingenuis aut eodem modo armatos*, vt verba vsurpem eiusdem Suetonij in Augusto ca. 25. quare tanquam nouum insolens, inusitatúmque notat Appianus Alexandrinus de bellis ciuilib. lib. 2. pag. 379. *ἀπελευθέρων τότε πρῶτον ἐς στρατείαν διὰ σπάνιν ἀνδρῶν καταλεχθέντων tum primum libertis, ob virorum inopiam in militiam missis.* Eadem Hirtius seu Oppius, seu quilibet alius author. lib. de bello Africano cap. 2. *postea ex Hybridis libertinis seruisque conscripserat, armauerat, equóque frenato vti condocuerat.*

Quod autem Suet. in curiam libertinos nunquam admissos prodat, cautè est intelligẽdum, nam Dio Cocceianus l. 40. pa. 150. diuersum sentit, qui *sub progressum bellorum ciuilium Pisonis consulatu libertinos omnes senatu eiectos docet*, argumento liquido in senatum adscitos antea, alioquin eijci non potuissent.

Vestitu etiam non tantùm iure distincti libertini à patriciis seu ingenuis. Aurel. Macro. libro primo Saturn. capite sexto, *cultum ingenuorum puerorum inter præcipua duxisse, instituisséque vt patricij bulla aurea, cum toga, cui purpura prætexitur, vterentur, dumtaxat illi quorum patres curulem gesserant magistratum, cæteris autem, vt prætextis tantum vterentur indultum.* & postea aliquot lineis interiectis, *concessum est, vt libertinorum quoque filij, qui*

ex iuſta dumtaxat matresfamilias nati fuiſſent, togam prætextam & lorum in collo, pro decore bullæ geſtarent. Eadem diſcriminis nota apud C. Plinium lib. 33. cap. 1. aliis idem ſcio obſeruatum, vetus Scholiaſtes Iuuenalis ad verſ. 164. ſat. 5. *antiquitus pueri nobilium bullas aureas habebant, pauperum de loris, ſignum libertatis*, & ipſe Iuuenalis ibidem loci.

—Hetruſcum puero ſi contigit aurum,
Vel nodus tantum, & ſignum de paupere loco.

Nec veſtitu tantùm diſcreti illi ab ingenuis, ſed & nota corpori impreſſa. idem vetus Scholiaſtes ad Satyr. 1. verſ. 104. *arguit homines, qui cùm propter libidinem libertatem meruiſſent, & in libertinorum corpus & tribus relati eſſent, pertuſis auribus ſigna libertinorum celare non poterant.* ergo *pertuſas* ſeu *perfoſſas* libertinis *aures* ex hoc loco apparet, quod an aliunde probari poſſit, non video, nec memini legere, niſi fortè notam illam ſeruilis conditionis præteritæ intelligamus, nam ſeruis perforari aures ſolitas notiſſimum eſt. Sulpitius Seuerus ſacræ hiſt. lib. 1. *Hebræus puer pecunia emptus, ſex annis ſeruiet, poſt hæc liber erit. ſponte autem permanenti in ſeruitute, auris forabitur.* ſeruorum ergo aures, tanquam argumentum ſuæ ſortis, perforabantur, vnde lux Petronio Arbitro Satyrici pag. 59. *quid tu, inquit Gyton, & circuncide nos, vt Iudæi videamur, & pertunde aures, vt imitemur Arabes & increta facies, vt ſuos Gallia ciues putet.* quem locum tranſcripſit Iſidorus Hiſpalenſis, *nonnullæ etiam gentes non ſolum moribus, ſed & in veſtibus aliqua ſibi propria vindicant, circuncidunt Iudæi præputia, pertundunt aures Arabes, Mauros habes tetra nox corporum, Gallos candida cutis.* Venalium itaque ſeruorum, quantum coniicio, Romæ nota erat, *ſub corona ſtare, cretatos habere calceos, aures perforatas*, nec id modo Arabes ſerui patiebantur, ſed & Pœni. M. Accius Plaut. Pœnulo Act. 5. ſc. 2. vbi Milphio ſeruus Pœnos conſpiciens.

Viden' homines faſcinatos conſequi?
Atque vt opinor, digitos in manibus non habent.
AG. Qui iam? Mil. quia incedunt cum annulatis auribus.
Adibo ad hoſce, atque appellabo Punice,
Si reſpondebunt, punice pergam loqui.

Lybes & Arabes Romæ inter ſeruitia habitos nemo ignorat. eſt locus corruptus in codice Q. Florentis Tertulliani lib. de velandis virginibus. *debebunt & ipſi aliqua ſibi defendere inſignia, aut pennas Garamantum, aut Crobylos barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut Cirros Germanorum, aut ſtigmata Britonum.* Beatus Rheanus bene de illo authore meritus, putauit in prima ſua editione legi debere, *ſcrobulos barbarorum*, vt *ſcrobuli* diminutiua vox à *ſcrobe, aurium ſunt foramina, per quæ barbari traiiciant gemmas & annulos;* at idem Rhenanus in altera editione, reponit *ſtrobulos*, niſi fortè retineamus antiquam lectionem, nam *corymbion mulierum, crebylus virorum, ſcorpius puerorum*, vt ad Petronij Satyricon notarunt viri docti pag. 69. *corymbióque dominæ pueri adornat caput.* quod Græcis pineam nucem *ſtrobulus* ſignificet, geſtamen ex auro barbarorum quorundam. at certè στρόβιλος, Iulio Polluci lib. 1. cap. 9 num. 17. & lib. 4. cap. 20. latinè *turbo* redditur à Rudolpho Gualtero. at στροβίλια in mundo muliebri reponuntur, *rotulas* interpretantur, puto *inaures* eſſe forma rotunda, idem Pollux lib. 5. cap. 16.

Hęc quanquam de libertis ſeruíſque poſſe accipi, qui Romam venales commeabant, ſcio ſolo luxu poſcente aures conſueuiſſe perforari, hoc eſt ad venuſtatem decoréque conciliandum, vnde D. Iuuenal. ſat. 1.

—Molles quod in aure feneſtræ.

Quod etiam in ſacris literis factum Geneſ. cap. 24. Exod. 32. Iudicum cap. 8. Eſaiæ cap. 3. & apud Ethnicos, ab Heroicis petitum temporibus certiſſimum vel ex vnico Homero, qui Ioui placituram Iunonem inducit lib. 14. Iliad. verſ. 182.

Ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν ἐϋτρήτοισι λοβοῖσι
Τρίγληνα.
Et ſanè inaures appoſuit benè perforatis auriculis
Inſtar trium pupillarum factas.

Et proci Penelopen donis affecturi inaures adferunt lib. 18. Odyſſ. verſ. 298.

Ἕρματα δ' Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν.
Inaures autem Euridamanti duo ſerui portauerunt. Iſidorus Hiſpalenſis in gloſſ. *Baen eſt lamina auri ab aure ad aurem, quo familiares regum vtebantur, ornamentum colli ex auro & gemmis, quod alio nomine torques poteſt dici.* L. Sen. lib. de Conſtantia ſapientis cap. 14. *quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quàm laxam ſellam?* I. Lipſius ibidem lib. 7 de Benefic. cap. 9 *video vniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos, iam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt.* & lib. de vita beata cap. 17. *quare vxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit?* Et idem ſeu verius duco, obſcurus ille ſcriptor libelli de Remediis fortuitorum. *duc bene inſtitutam, nec maternis inquinatam vitiis, non cuius auriculis vtrinque bina patrimonia dependeant.* Aurium vulnera in graui illa de corruptis moribus querela apud C. Plinium in præfatione ad lib. 12. nat. hiſt. *& quod vltimæ mollitiei id fuerit argumentum* nulli dubium eſſe poteſt. Aurel. Macrob. Saturnal. lib. 7. cap. 3. *Octauius, qui natu nobilis videbatur, Ciceroni recitanti ait, non audio quæ dicis, ille reſpondit, certè ſolebas bene foratas habere aures, hoc eo dictum eſt, quia Octauius Libyis oriundus dicebatur,* quib.

mos

mos est aurem forare. ergo & generis obscuritatem seu peregrinitatem, effæminatósque mores vno eodémque cauillatus est scommate. Florens Tertullianus lib. de cultu fœminarum *scrupulosa deinde auribus vulnera intulit*, Beatus Rhenanus *scrotulosa* legi voluit. quod quam malè tentatum ab eo, adeundum ad Hadrianum Iunium lib. 2. Animaduersor. cap. 1. Meretricum id signum. P. Ouid. lib. 1. de Arte.

Quid cum mendaci damno mæstissima plorat?
Elapsúsque caua fingitur aure lapis.

Q. Horat. lib. 2. sat. 3.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ
Diluit insignem baccam.

Quem locum discussi suprà in reg. 9. M. Martialis lautitiam meretriciam describens lib. 11. epigr. 50.

Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto
Gemma vel à digitis, vel cadit aure lapis.

Preciosissimæ gemmæ perforatis auribus impositæ. Suet. in Vitellio cap. 7. *ex aure matris detractum vnionem pigneraueris ad itineris impensas.* *elenchos* vocat Plin. lib. 9. ca. 35. Iuuenal. sat. 6.

Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Claudian. de 6. Honorij consul.

——Bacis onerat candentibus aures.

Sed magnum inter Græcos Latinósque discrimen, apud hos enim indicium nobilitatis, apud istos dedecoris luxuriæque nota. Isidor. lib. 19. cap. 31. *inaures ab aurium foraminibus nuncupatæ; quibus pretiosa genera lapidum dependuntur, harum vsus in Græcia, puellæ vtraque aure, pueri tantùm dextra gerebant*, ad quem ritum respexit L. Apuleius libr. de dogmate Platonis. *Reliquis auri tantum quantum puer nobilitatis insigne in auricula gestauit.* hic nobilitas per inaurem significata, at per eandem mollities obiecta viris gestantibus apud Romanos C. Plin. lib. 11. cap. 37. & mulieribus, Ælian. var. histor. lib. 1. cap. 18. πῶς δὲ οὐ διέρρευσαν αἱ πολλαὶ τῶν γυναικῶν, αἳ μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς στεφάνην ἐπετίθεσαν ὑψηλήν, τοῖς δὲ ποσὶ σανδάλια ὑπεδοῦντο, ἐκ δὲ τῶν ὤτων εἶχον ἐνώτια μακρὰ ἀπηρτημένα, vertit Iustus Vulteius, *nunquid verò pleraque mulierum luxu diffluxere? quæ corollam sublimem capiti imponebant, pedes verò sandaliis induebant, ex auribus longas inaures dependentes habebant* ex quibus lux L. Senecæ in Hyppolyto Act. 2. sc. 1.

Ceruix monili vacua, nec viuens lapis
Diducat aures, Indici donum maris,
Odore crinis sparsus Assyrio vacet.

In codice MS legeb. tur melius.

Deducat aures, id est grauet suo pondere.

Interpretationem hanc meam & correctionem adiuuat Horatius lib. Epodon. od. 8.

Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet.

M. Plaut. Epidico sc. *male.*

——Inaurem auream ad te afferre natali die.

At cùm non potuit tolli inaurium luxus, Alexander Seuerus Imperator modum adhibuit, sanxítque *vt viri in vniuersum inaures non haberent, & matronæ contentæ deberent esse vno reticulo, atque inauribus & bacato monili.* Æl. Lamprid. in eius vita, & non omnino earum vsum fœminis interdictum videri potest ex eo quod Vlpianus IC. *licita ornamenta muliebria enumeres armillas, inaures, viriolas, annulos præter signatorios* l. 25. ff. de auro arg. mundo mulieb. &c. legatis, & Paulus IC. *quæreretur an nihilominus detractis elenchis inaures deberentur, in quibus duæ margaritæ, & duo smaragdi, respondit deberi, si maneant inaures.* l. 32. ff. eod. tit. videatur Aristænetus lib. 1 epist. 15. Inaures has *stalagmium* vocat Cæcilius antiquus poëta in Cratino apud Festum Pompeium. lib. 17.

Ex aure eius stalagmium domi habeo.

Denique vt vnico verbo semel dicam, nobiles Græci adolescentes, vt ex Isidoro antea dixi, & regum familiares, vt in glossario, in verbo *Baen* habetur, laudi ducebant auriculas perforatas habere, adde & ipsos reges hoc ornamento insigniri consueuisse. Q. Curtius lib. 9. de Indiæ regulo *pendebant ex auribus insignes colore & magnitudine gemmæ.*

Sed ad libertinos reuertamur: quid refert omnia eorum arbitrio sub malis principibus permissa hoc loco referre? quòd conqueritur non sine indignatione C. Tacitus li. 1 hist. notum enim omnibus puto sub Claudio Licinium & Pallantem præcipua fuisse authoritate, & opulentia ex Suet. cap. 28. C. Plinio Iuniore lib. 7 epist. 29. & lib. 8. epist. 6. Carum & Massam Neronis libertos celebrant Iuuenal. sat. 1. & vetus eiusdem interpres Parthenium libertum Domitiani plurimum valuisse Suet. in eo cap. 16. *scurrilibus perditisque fuisse moribus* Tertullianus in Apologetico loquitur, vt & Asiaticum à patrono suo Vitellio Aug. *ad equestrem dignitatem promotum* ex Tacito lib. 2. hist. constat.

Atque vt hi libidini dominorum obsequendo flagitiosáque perpetrando sibi conciliabát opes, honores, dignitates ita libertinę vulgato corpore malè sępe audiebant. T. Liu. 4 decad lib. 9. *scortum nobile libertina Hispala Fesenia*, & videri posset meretrices seu publica prostibula libertinas fuisse, adducor authore Horatio, vt id credam, qui in libertina peccanti videtur impunitatem promittere li. 1. sat. 2.

Tutior at quanto merx est, in classe secunda,
Libertinarum dico, Sallustius in quas
Non minus insanis, quàm qui mœchatur.

GENEROSISSIMO ATQVE EXIMIA SPE VIRTVTIS ET DOCTRINÆ PRÆCELLENTI, ADOLESCENTI, IOANNI GEORGIO AB *Heussenstein*, Baroni Austrio Domino suo clementissimo,

S. D.

TARDIOR *sum, Generosissime Domine Ioannes Georgi, Baro Illustris, in exoluenda fide, quam tibi in proximis Comitiis dare memini. Pollicitus eram, me breui ad te missurum aliquid coll ctaneorum meorum (n hil enim sunt aliud) de quibus tum primùm cogitabam. Verum multis modis impeditus sum, quò minus eo tempore, quo constitueram, promissis satisfacere potuerim. Neque vita mea ratio passa est, vt vni illi rei vacarem: id quòd tamen necesse fuerat, & si promissione mea & tua, aliorúmq; expectationi satisfieri debuisset. Verùm sat citò, si sat bene, inquit ille. Tu velim hoc L uidense munusculum à me hilari fronte accipias, studiúmque meum boni consulas & in hac tua ætate bonis artibus operam diligenter naues. Vales ingenio præ multis aliis vestri ordinis. Habes parentes illustres, qui te & in virtutis studio, & in optimarum artium scientia multùm proficere mirum quantùm exoptant. Intuere Illustrem virum Patrem tuum, qui propter eruditionem, & raras virtutes tribus potentissimis Romani Imperij Monarchis fuit acceptissimus, & gratissimus. Hoc & tu consequeris, si, vti cœpisti, pleno gradu ad virtutis, & optimarum artium studium contenderis. Propone tibi, & alios quoque vestri ordinis viros illustres, quos propter excellentem eruditionem, gloria & gratia apud potentissimos Principes florere vides. Inter quos non silendi mihi sunt Generosus & Illustris vir Richardus Streinius Baro Austrius, omni liberalium artium cognitione, & grauissimarum facultatum scientia excellentissimus: atque lumina illa Galliæ Iulius Cæsar pater & Iosephus filius Scalig ri, qui in tanta eruditorum luce sic eminent,*

Vt pura nocturno renidet
Luna mari, Gnidiúsve Gyges.

Ad sempiternam memoriam fuisse hoc seculum præ multis aliis felicissimum, quò non tantùm inferioris generis homines, sed etiam summi nobilitate viri bonas literas colunt, suásque operas ad eas è puluere excitandas & illustrandas conferunt. Vide, quò prouehar, Ioannes Georgi, admiratione virtutum in summis illis viris, qui in tanta fortuna & honorum sublimitate, ac celsitate constitituti, tam sollici i etiam sunt de bonis literis. Quos viros, si tu imitandos tibi proposueris, habebit & Respublica Christiana aliquando virum, cuius industria & virtutibus iuuari: & literarum sectatores Patronum, quo ipsi gaudere possint. Vale Generose Ioannes Georgi, & literas ama. Ratisbonæ, ad VI. *Idus Ianuarij, Anno ab Orbe redempto* CIↃ IↃ. XXC.

T. Generositati ad omnia obsequia promptus,

IOANNES ROSINVS.

ANTI-

ANTIQVITATVM Romanarum

Liber II.

DE DIIS, ET EORVM TEMPLIS, SIVE ÆDIBVS SACRIS.

Dixi quæ origo fuerit Vrbis Romæ, à quibus condita & amplificata fuerit, quæ præcipua in Vrbe ædificia, secundùm quatuordecim regiones: addidi deinde quædam de Ciuibus, & præcipuis eorum differentiis, iā instituta illius Populi consideranda veniunt. Illa verò circa religionem & Reipublicę gubernationē versantur. Quia autem in omnibus rectè & bene constitutis Rebuspublicis primum locum obtinet, & obtinere iure debet Religio, ideò nos etiam de ea primùm dicendū esse arbitrati sumus. Ciceronis sententia celebris est, à Diis immortalibus agendi nobis capienda esse primordia, qua de causa ipse leges aliquot conscripturus, primùm eas recenset, quæ ad religionem & cultum Deorum pertinent: deinde politicas subiicit: quem ordinem & nos sequi volumus. Cæterùm antequam de diis agere incipiamus, non alienum ab instituto & officio etiam nostro esse existimamus, si quorum Scriptorum auxiliis præcipuè vsi simus, indicemus, vt candidus Lector id nobiscum sciat, & si quæ videbuntur hic breuius tradita esse, ex illis, quorum nos auxilio vsi sumus, auctoribus prolixiorem de singulis disputationem petere possit. Ea igitur omnia, quæ hìc cum studiosis Lectoribus communicamus, hausimus, atque desumpsimus ex rerum Romanarum Scriptoribus, Liuio, Plutarcho, Dionysio Halicarnassæo, Dione, & aliis quorum nomina suprà recensuimus. Post illos non parum nobis adiumenti attulit lectio Agellij, Macrobij, Varronis de lingua Latina, Festi, Nonij Marcelli, Plinij, Augustini de Ciuitate Dei, & Commentariorum in eosdem libros Ludouici Viuis, Bartholomæi Marliani, Georgij Fabricij, Lilij Georgij Gyraldi, & aliorum, quorum nomina sicubi occurrent, quæ ex iis descripta sunt, nequaquam silentio præteribimus. Scripserunt etiam, ante nos de Diis, & genealogia Deorum gentilium plurimi: videlicet vt ex multis paucos adducam, Apollodorus in suæ Bibliotheces libris, qui à Benedicto Ægio ex Græco in Latinum sermonem translati sunt, Hesiodus, Phurnutus Palæphatus, Fabius, Fulgentius, Albricus Philosophus: item apud Romanos Euemerus, cuius libri non ampliùs extant. Inter recentiores Ioannes Boccatius de genealogia Deorum gentilium libro 15. edidit, Georgius Pictorius Apotheosin tam exterarum gentium, quam Romanorum Deorum libris tribus complexus est, Iulianus Amelius de cognominibus Deorum gentilium libros tres collegit. Omnium autem diligentissimè de iis commentatus est Lilius Georgius Gyraldus, quem ego non semel consului. Porrò hac mea scriptione nihil opus fuisset, si adhuc extarent M. Terentij Varronis tres de Diis libri, quorum Augustinus aliquoties meminit. Sed perierunt illi. Itaque si quæ de iis scire volumus, ea oportet nos cum maximis laboribus ex variis & infinitis penè Scriptoribus conquirere. Verùm de Scriptoribus quos ego sequor satis. Tu,

beneuole Lector,ista legens,mecum deplora ingentem humanæ naturæ cæcitatem,qualis ea sit,nisi à Spiritu sancto & Dei verbo illuminetur:atque Deo gratias age,quod è tantis ac plus quàm Cymmeriis tenebris clementer nos eripuerit,nobísque in sacrosancto verbo sui veram cognitionem reuelauerit.Videbimus igitur quales Romani Deos,& Deas coluerint.

Caput I.

Vnde Deus dicatur,quid sit,& quot differentiæ Deorum apud Romanos fuerint.

DE diis dicturi,primùm vnde vocabulum ortum sit,inquiremus.Hîc autem variæ sese offerunt eruditorũ sententiæ.Alij Latinum vocabulum Deus,à dando deducunt,quòd Deus det omnia:alij sic dictũ putant,quod ei nihil desit. Contrà alij à Græco δέος,quod timorem siue metum significat:primus enim, vt Statius & Petronius Arbiter canunt,In orbe Deos fecit timor. Plerique à Græco θεὸς deducunt,cuius deriuatio itidem varia & multiplex est.Sunt enim qui à verbo θέειν,quod currere significat,formatũ volũt,quia homines Cœlum, Lunã. Solem, & alia astra propter motus & cursus velocitatem Deos esse putârint, & coluerint. Plures tamen à θεάομαι,quod est video,vel speculor, quia Deus omnia videat,& quia in ipso etiã Deo, tanquam speculo omnia cernantur,deriuant,quæ etymologia videtur reliquis verisimilior.

Quid Deus sit, nobis ex sacris Literis ignotum non est. Cùm autem de gentium Diis hîc nobis sermo sit,ideò quid illi de Deo senserint,& quomodo eum definierint, considerandum est.Sed qui potest omnia commenta Ethnicorum recensere? Videantur variæ Philosophorũ sententiæ apud Ciceronem de Natura Deorũ,& apud Lilium Gyraldum.M.Terentius Varro,vt est apud Aurelium Augustinum, in ea est opinione, Deum esse animũ mundi, ipsúmque mundum Deum.Ridicula profectò definitio,quam pluribus exagitat & refutat Augustinus.Plinius de Deo verba faciens,scribit: Quisquis est Deus,si modò est alius quàm scilicet Sol,& quacunque in parte,totus sensus est,totus visus, totus auditus, totus animi, totus animi,totus sui.Ridiculus & hic est,& quid dicat,ipse ignorat.Meliùs Plato definit Deum mentem æternam,causam boni in natura. *Lib.2.c.7.*

Cæterùm vti de Deo quis esset, Ethnici nihil certi habuerunt,ita etiã de numero Deorum mirum in modum hæsitauerunt.Plurimi quidem,& ii sapientiores,vnum tantùm Deum esse voluerunt, cui à veritate & diuersitate officiorum varia & diuersa nomina sint indita, sicut etiam Macrobius multis capitibus conatur omnes Deos alios ad Apollinem siue Solem referre:& Plinius eos qui pluralitatem Deorum induxerunt, falsè ridet:verumtamen inualuit etiam ea opinio,vt plures esse Dij crederentur, nec vnus tot muneribus obeundis par esse existimaretur.Atque vt propius ad propositum accedamus,Romanos ingentem Deorum multitudinem coluisse,quis nescit? sed non fuerunt omnes in pari honore & auctoritate:verùm in certos ordines,& certas quasdam classes distributi. Alios enim maiorum gentium,quòd præcipuas partes in rerum administratione haberent,alios minorum gentium, ob meriti paupertatem appellarunt. Varro Deos Romanorum in duas classes distribuit, in certos & incertos. Certos appellat publicos: quibus Romani publicè ædes ædificarint, quósque pluribus signis ornatos notauerint.Incertos autem,quorum certa ratio reddi non possit,qui sint.Cicero tres ordines Deorum recenset,vnum eorum qui cœlestes semper habiti sint, qui etiam maiorum gentium Dij vocantur: alterum eorum, quos in cœlum merita vocarint, qui & Semidei & Dij indigetes appellantur:tertium eorum,propter quos detur hominibus ascensus in cœlum. Cuius partitionem nos etiam in hoc libro sequi instituimus,ita vt primùm de maioribus, deinde de Semideis,tum de virtutibus Deorum Dearúmve nominibus insignitis dicamus:quibus adde nos etiam alios Deos, quibus singulis sua munia in rerum administratione sunt attributa,quique minores,siue minorum gentium Dii & Semones appellantur,vt suo loco docebimus.Iam verò antequam de Diis dicere pergamus: de sacris ædibus,& aliis locis,vbi cultum diuinum numinibus suis Romani exhibuerunt,pauca monebimus. *Lib.1.Satur.ca.17. & sequẽtib. lib.2. cap.7.* *Lib.2. de legib.*

Caput. II.

Quid templum sit,quid Fanum,Delubrum,Ædicula,Ara,Lucus,&c.

R ELIGIOSE Romani suos Diuos colebant: constituebant enim iis maximis sumptibus templa, fana, delubra, de quibus quomodo inter se differant, pauca dicemus. Templum dici vult Varro à templando, vel tuendo, & triplicem habere significationem: primum significare cœlum: deinde certa loca in aëre, vel in terra, quæ Augures captandorum Auguriorum causa definire solebant, quæ templa dicebantur, quòd ex omni parte conspici possent: tertiò verò significare loca sub terra. De prima & tertia significatione nobis nihil dicendum est: de secunda signignificatione agetur libro sequenti, vbi de auguriis disputandum erit. Ab eo verò templo, quod ab Auguribus definiebatur, quia id oporteret septum esse circumquaque, nec plus quàm vnum introitum habere, sicuti alibi ostendetur, factum est, vt etiam alia loca septa, & vnum tantum introitum habentia Templa appellarentur, etiamsi sacra non essent. Ita Festus: Templum significat & ædificium Deo sacratum, & lignum, quod in ædificio transuersum ponitur. *Lib. 6. de lingua Latina.*

Aedes autem sacræ Templa dicta fuerunt, quòd essent quasi ædes Deorum, sicuti cœlum etiam, quod domicilium Deorum esset, Templum dictum fuisse, paulò ante est indicatum. Solebant porrò templa illa ab hominib. propter certas causas voueri, cuius rei multa exempla in historiis reperiuntur, & paulò post quædam recitabuntur. Quando vota erãt, & id propter quod vota erant, prosperè successerat, tum definiebantur, vel certi illius templi fines constituebantur, id quod dicebatur effari templa, teste Varrone, vel sistere fana. Sic enim Pompeius Festus: Sistere fana cùm in Vrbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere. Id verò ab Auguribus fieri solitum docet Varro. Vbi ita definita essent, tunc condebantur, condita dedicabantur ab iis, qui ea vouissent: tandem ab Auguribus inaugurabantur: id est, suis auguriis sanctiora reddebantur. Hoc enim nisi fieret, Templa esse non poterant, teste apud Agellium Varrone: sed ædes tantùm dicebantur, vnde discrimen inter Tẽpla & ædes sacras facilè intelligitur. Extat apud Cornelium Tacitum narratio de lustratione areæ templi Iouis Capitolini, quod à Vespasiano tum restitutum fuit, ex qua cognoscere aliquo modo possumus, quanta religione vel superstitione potius veteres templa Diis construxerint. Sic autem Tacitus lib. 4. Histor. Vespasianus curam restituendi Capitolij in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed auctoritate famáque inter proceres. Ab eo contracti Haruspices, monuêre, vt reliquiæ prioris delubri in paludes aueherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur: nolle Deo mutari veterem formam. Vndecimo Calendas Iulias, serena luce, spatium omne, quod templo dicebatur, euinctum vittis, coronisque. Ingressi milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis, dein virgines Vestales cum pueris puellisque, patrimis matrimisque aqua riuis & fontibus amnibúsque hausta perluere. Tum Heluidius Priscus Prætor, præeunte Plauto Eliano Pontifice, lustrata Suouetaurilibus area, & super cespitem redditis extis Iouem, Iunonem, Mineruam, Præsidésque Imperij Deos precatus, vti cœpta prosperarent, sedésque suas pietate hominum inchoatas, diuina ope attollerent, vittas quibus ligatus lapis innexique funes erant, contigit. Simul cæteri Magistratus, & Sacerdotes, & Senatus, & Equites, & magna pars populi, studio, lætitiáque connixi saxum ingens traxêre: passimque infectæ fundamentis argenti, aurique stipes, & metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, sed vt gignuntur. Prædixère Haruspices, ne temeraretur opus saxo, auróve in aliud destinato, &c. Hactenus Tacitus. *Li. 14. ca. 7. Lib. 4. Hist.*

Fanum à fando dicitur, quòd dum Pontifex dedicat, certa verba fatur. Varro ait, Fana nominata, quòd Pontifices in sacrando fati sint finem. Quidam tamen à Fauno, quòd is primus fana condiderit, fanum dictum esse malunt. *Lib. 5. de Lingua Latina.*

Delubrum scribit Seruius appellari, quòd sub vno tecto plura complectatur numina, quia vno tecto diluatur. Alios verò scribit affirmare, delubrum esse locum ante templum vbi aqua currat, à diluendo dictum. Macrobius in Saturnalibus citat Varronem ex lib. 8. Rerum diuinarum de duplici significatione vocabuli Delubri differentem hoc modo: Delubrum, ait Varro, alij existimant esse, in quo præter ædem sit area assumpta Deûm causa, vt est in Circo Flaminio Iouis Statoris. Alij esse locum, in quo Dei simulachrum dedicatum sit, vt ita ab Dei dedicato simulachro delubrum cœperit dici: quod etiam ipse probat. Ita enim pergit: Sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellatum, ita in quo Deum ponerent, nominatum delubrum. Paulus autem Festi Pompeij abbreuiator scribit, delubrum dictum fuisse fustem delibratum, vel decorticatum, quem venerati sint antiqui pro Deo, id quod & Seruius alicubi tradit, cùm sic scribit: Delubrum dictum propter lacum, in quo manus abluuntur: vel propter tectum coniunctum: aut certè ligneum simulachrum delubrum dicimus, à libro, hoc est, à raso ligneo factum, quod Græcè ξόανον dicunt. *In 2. Aeneid. Lib. 3. Satur. cap.*

Aedicula diminutiuum est, quasi parua ædes sacra, sicut & sacellum. Festus: Sacella di-

cuntur loca Diis sacrata sine tecto.

Cæterum vt hoc obiter moneam, non omnibus Diis promiscuè omni loco ędificari templa solebant. Aliis enim intra Vrbem, aliis extra eam, aliis in montibus, aliis in foro, aliis alibi templa construebantur. Nec etiam forma omnium erat eadem: aliis enim rotunda, aliis tecto perforato templa ponebantur. Cœlitibus & superis aliis à terra extare templa volebant, inferis Diis sub terra, terrestribus media ponebant sæpius. Qua de re, qui plura cupit, legat Vitruuium, & alios.

Iam & hoc non est silentio prætereundum, quod Franciscus Polletus lib. I. Historię fori Romani, cap. 3. annotat templa veterum nostris non fuisse absimilia. Constabant enim, ait, cella sanctiore, nos Chorum vocamus, quæ cella sanctior à Basilica & porticibus distinguebatur Pluteo & quasi altero prona o, nos non male Pulpitum vocamus, quod in morem pulpiti, aut tabulati erectum sit, quidam ex vulgo Threnum vocant, fortassis quòd illic threni Ieremiæ Prophetę recitentur, & aliæ Homilię sacrę. Basilica verò, quam nos Nauē aut Carinam vocamus, deambulationes, quę vtrinq; sunt, omninò porticus sunt veterum, quę sunt veluti fori in Carina. Cella sanctior solis rebus sacris destinabatur: Basilica verò & porticus & pronaôn ferè vsibus profanis exponebantur. Illic enim & nundinæ mercium, & proxenetica contractuum, prologi nuptiarum, colloquia transactionum, vt hodie apud nos, nimis impiè exercebantur. Hactenus Polletus. Publius etiam Victor, cùm ait in libello de XIV. Vrbis regionibus, Ante cellam est prodomon, post templum opistodomon templum in tres partes diuidit, mediámque, vbi est Dei cella, quam hodie Chorum dicimus, vocat: quæ antecedit πρόδομον, quæ sequitur ὀπισθόδομον. Turnebus Aduersariorum lib. 22. cap. 17.

Lib 3. Satur. cap. 2. Li. 1. Antiquitatū. Ara nomen habet vel ab ardendo, quòd in ea victimæ incensæ ardeant, vel à similitudine arearum, quòd sicut illæ in vrbe puræ sunt, ita & aras Deûm puras esse oportet: vel ab imprecationibus quas Græci ἀρὰς vocant. Varro apud Macrobium ait, Aras primùm Ansas dictas, quòd esset necessarium eas à sacrificantibus teneri. Recitatur à Georgio Fabricio lex dedicatæ aræ, vnde cognosci potest, qua ferè verborum forma in dedicandis templis, sacris ædibus, aris, &c. veteres vsi fuerint, quam idcirco huic capiti inserere volui. Est autem talis.

C. DOMITIVS VALENS II. VIR. PRÆEVNTE C. Iulio Seuero Pontifice legem dixit in ea verba, quæ infra scripta sunt.

IVPITER OPTIME, QVANDOQVE HODIE TIBI HANC ARAM DABO, DEDICABOQVE OLLIS LEGIBVS, OLLISQVE REGIONIBVS DABO, DEDICABO, QVAS HIC HODIE PALAM DIXERO, VTI INFIMVM SOLVM HVIVS ARAE EST, SI QVIS HIC HOSTIA SACRVM FAXIT, QVOD IN AVGMENTVM NE PROTOLLAT, IDCIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO. CÆTERÆ LEGES HVIVS ARÆ EADEM SVNTO QVAE ARAE DIANAE SVNTO, IN MONTE AVENTINO DEDICATAE. HISCE LEGIBVS, HISCE REGIONIBVS SICVTI DIXI, HANC TIBI ARAM IVPITER OPTIME MAXIME DICO, DEDICOQVE, VTI SIS VOLENS PROPITIVS MIHI COLLEGISQVE MEIS DECVRIONIBVS, COLONIS, INCOLIS, COLONIAE MARTIAE, IVLIAE, SALONIAE, CONIVGIBVSQVE LIBERISQVE NOSTRIS.

Vide Adolphi Occonis Medici Augustani numismata pagina 46. Deest principium. Similis ferè inscriptio & dedicatio Arę Augusti apud Narbonenses, quam quomodo ab aliis in lucem data est huc adscribam.

NARBONENSIS NVMINI AVGVSTI DICAVIT.

LEGIBVS IISQ. SS.

NVMEN CAESARIS AVG. PP. QVANDO TIBI HODIE HANC ARAM DABO, DEDICABÓQVE, QVAS HIS LEGIBVS, HISQVE REGIONIBVS DABO, DEDICABÓQVE, QVAS HIC HODIE PALAM DIXERO: VTI INFIMVM SOLVM HVIVSQVE ARAE TITVLORVMQVE EST, SI QVIS TERGERE, ORNARE, REFICERE VOLET, QVOD BENEFICII CAVSA FIAT IVS FASQVE ESTO. SIVE QVIS HOSTIA SACRVM FAXIT, QVI AVGMENTVM NEC PROTOLLAT, IDCIRCO TAMEN PRO-

PROBE FACTVM ESTO, SI QVIS HVIC ARAE DONVM DARE, AVGEREQVE VOLET, LICETO, EADEMQVE LEX EI DONO ESTO, QVAE ARAE EST. CAETERAE LEGES HVIC ARAE TITVLISQVE EADEM SVNTO, QVAE SVNT ARAE DIANAE IN AVENTINO. HISCE LEGIBVS, HISQVE REGIONIBVS, SICVTI DIXI, HANC TIBI ARAM PRO IMP. CAESARE AVG. PP. PONTIFICE MAXIMO TRIBVNITIA POTESTATE XXXV. CONIVGE, LIBERIS GENTEQVE EIVS SENATV, POPVLOQ. ROM. COLONIS, INCOLISQVE COL. IVL. PATERN. NARB. MAR. QVI SE NVMINI EIVS IN PERPETVVM COLENDO OBLIGAVERVNT. DOQVE DEDICOQVE VTI SIES VOLENS PROPITIVM.

Est & alia Narbone Ara, Augusto posita hac inscriptione:

T. STATILIO TAVRO
L. CASSIO LONGINO.
COSS. X. KAL. OCTOBR.

Vide Adolphi Occonis numismata pag. 45.

NVMINI AVGVSTI VOTVM SVSCEPTVM
A PLEBE NARBONENSIVM IN PERPETVVM.

QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIXQVE SIT IMP. CÆSARI DIVI F. AVGVSTO PP. PONTIFICI MAXIMO TRIB. POTESTATE XXXIIII. CONIVGI, LIBERIS, GENTIQVE EIVS, SENATVI, POPVLOQVE ROMANO, ET COLONIS, INCOLISQVE C.I.P.N.M QVI SE NVMINI EIVS IN PERPETVVM COLENDO OBLIGAVERVNT, PLEBES NARBON. ARAM NARBONE IN FORO POSVIT, AD QVAM QVOTANNIS VIII. CAL. OCTOB QVA DIE EVM SECVLI FELICITAS ORBI TERRARVM RECTOREM EDIDIT, TRES EQVITES ROMANI, A PLEBE, ET TRES LIBERTINI HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT, ET COLONIS ET INCOLIS AD SVPPLICANDVM NVMINI EIVS THVS ET VINVM, DE SVO EA DIE PRÆSTENT. ET VIII KALEN. OCTOBR. THVS, VINVM, COLONIS ET INCOLIS ITEM PRÆSTENT. KAL. QVOQVE IANVAR. THVS ET VINVM, COLONIS ET INCOLIS PRÆSTENT. VII. QVOQVE IDVS IANVAR QVA DIE PRIMVM IMPERIVM ORBIS TERRARVM AVSPICATVS EST, THVRE, VINO SVPPLICENT. ET HOSTIAS SINGVL. IMMOLENT, ET COLONIS INCOLISQVE THVS, VINVM EA DIE PRÆSTENT.
ET PRIDIE KAL. IVNIAS, QVOD EA DIE T. STATILIO TAVRO. M. ÆMILIO LEPIDO COSS. IVDICIA PLEBIS DECVRIONIBVS CONIVNXIT. HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT, ET THVS ET VINVM AD SVPPLICANDVM NVMINI EIVS COLONIS ET INCOLIS PRÆSTENT.
EXQVE IIS TRIBVS EQVITIBVS ROMA. LIBERTINIS VNVS. *Reliqua desiciunt.*

Has inscriptiones eam ob causam huc referre volui, vt inde iudicium fieri posset, qua verborum forma etiam in templis, & sacris ædibus dedicandis veteres fuerint vsi. Cæterùm Aræ Diis superis & inferis consecratæ erant, altaria superorum tantùm Deorum extant, vt Seruius ait, ab altitudine dicta. Lactantius Grammaticus. Tria fuerunt in sacrificiis loca, per quæ expiationem faciebant, scrobiculo facto Inferis, Aris terrestribus, Cœlestibus extructis focis. Vnde denominata etiam sunt Altaria, ad quæ cùm sacrificabant, manus in altum porrigebant. Hęc ille. Prope Deorum templa & luci consecrabantur, qui nomen habent à lucendo, vel quòd minimè luceant, propter arborum vmbras opacas: vel potius quòd sacrificiorum luminibus, quæ ibi per noctem haberi solebant, quoquo versùs lucerent. Hos licebat interdum conlucare, hos est succidere, & succisis arboribus luce implere, sacrificio priùs facto, cuius formulam Cato de re Rustica hanc recitat. Porco piaculo facito, sic verba concipito: Si Deus, si Dea es, cuius sacrum est, vt tibi ius fiet porco piaculo facere, illiusce sacri coercendi ergo. Harúmque rerum ergo, siue ego, siue quis iussu meo fecerit, vti id rectè factum fiet. Eius rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, vti sies volens, propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberísque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto, &c. Hactenus Cato. Meminit eius rei etiam Plinius libro 17. capite 28. Atque tantum de locis, vbi Diis cultus exhibitus fuit. Sequuntur iam Dij ipsi.

THOMÆ DEMPSTERI IC. PARALIPOMENA.

Ad Cap. II.

De templis, eorum partibus, Donariis, iure belli, somniis, ædibus sacris.

IN augurali disciplina *templum est cæli regio*, præter ea quæ alij obseruarunt, Iacobus à Cruce Bononiensis annotation. in Ouidium. *discedite templo*, l. 1. fab. 7. Septimius poëta in hymno Iani, vt scripsit Victorinus Rhetor.

Cui reseratis mugiunt aurea cæli templa.

Licet Terentianus Maurus lib. de Metris, non *templa*, sed *claustra* legat. Multus est in hac significatione T. Lucretius Carus lib. 1.

nec cæli lucida templa.

Et lib. 2. idem.

Id rursum cæli rellatum templa receptant.

Et lib...

Per cæli voluunt passim se immania templa.

Festus Pompeius lib. 11. *minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis aut linteis sepiuntur, ne vno amplius ostio pateant.* Q. Ennius in Annalib.

Quanquam multa manus ad cæli cærula templa
Tendebat lachrymans.

Secundo *templum est quilibet locus clausus, etiamsi prophanus, & non augurio consecratus.* Notauit Ianus Parrasius in quæsitis suis epist. 57. Festus lib. 3. in *contemplari*. M. Varro lib. 6. de ling. Lat. *Curia Hostilia templum est, & tamen sanctum non est.* hoc est, *quicquid palis, hastis, aut aliqua re simili claudi potest.* Seru. ad lib. 4. Æneid. v. 199.

Templa Ioui centum latis immania regnis
Centum aras posuit.

Tertio *templi* nomine significatur *sepulchrum*, nata inde superstitione, quod veteribus cippi seu tumuli amicorum morte obitorum, pro templis religiosè colerentur, vt ex Clemente Alexandrino in Protreptico, ostendit Lilius Gyraldus Ferrariensis de diis gentibus syntagmate 17. & Nonius Marcellus cap. 6. num. 92. vt intelligi hoc sensu possit P. Virgilius li. 4. Aeneid. v. 457.

Præterea fuit antiquo de marmore templum
Coniugis antiqui.

Denique est *ædificium Deo consecratum*, (de qua re est volumen ingens Rudolphi Hospiniani Tubingensis, de quo quid aliud dicam nisi librum esse?) nam *penates hominum sunt, deorum templa*, vt loquitur Luctatius Placidus ad lib. 1. Thebaidos Statianę v. 643. Artemidor. Daldian. lib. 3. oneirocrit. c. 63. li. 4. cap. 39 lib 5. c. 1. Iul. Pollux li. 1. c. 1. nu. 22. & de prima institutione, sequenti superstitione, caussis cur templa diis mortales erexerint, & quam multiplici numero, disserit Blondus Flauius Romæ triumphantis lib. 1. Interim corrigendi aliquot authorum loci. D. Agobardus Lugdunensium Archiepiscopus (qui coætaneus fuit Carolo Magno) in carmine de obitu Caroli & Ledradi Episcopi.

Hic dum basilicas Deo dicatas,
Et Christo subeunt veneranda templa.

Vltimum versum corrige.

Et Christi subeunt veneranda templa.

Simili mendo corruptus Ouidius libro 2. Fastor. quæ correctio Isaaco Casaubono debetur.

Cætera ne simili caderent labefacta ruina,
Cauit sacrati prouida cura ducis.
Sub quo delubris sentitur nulla senectus,
Nec satis est homines, obligat ille deos.
Templorum positor, templorum sancte repertor,
Sit superis oro, mutua cura sui.

Quis credat templorum Augustum repertorem? quum *vel Pelasgo, vel Thessalo, vel Eleuthereo, vel Phoroneo, vel Otrita Amazoni, vel Lycaoni id* attribuat Iulius Hyginus Fab. c. 225. *vel Iano*, Xenon apud Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 9. & Q. Fabius Pictor de Aureo sęculo lib. 1. legendum est indubiè.

Templorum positor, templorum sancte refector.

C. Suet. in Augusto c. 40. *ædes sacras vetustate collapsas, aut incendiis absumptas, refecit.* quem locum Eginhartus in vita Caroli Magni expressit, *ædes sacras tamen vbicumque in regno suo vetustate collapsas comperit, pontificibus & patribus, ad quorum curam pertinebant, vt restaurarentur, imperauit.*

Nec verò omnibus gentibus templa diis dicare placuit, ac primum Sicyonij, nullum fanum, nullámque statuam *Coronidi* deæ suæ erigebant. Pausan. Corinthiac. vt iure exclamet Arnobius li. 5. contra gentes, *non omnibus diis templa deuota.* Exemplum hoc sequuti Athenienses, qui *Clementiæ*, cui lucus in media vrbe, nullum simulachrum fieri volebant. Statius lib. 12. Thebaid. v. 493.

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma deæ, mentes habitare ac pectora gaudet.

Persæ nulla fana admittebant, quod *maiestatem Solis*, quem venerabantur, *putarent nullis sectorum angustiis coercendam.* Strabo lib. 15. siue vt loquitur Cicero lib. 2. de legibus, *non esse parietibus includendos deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset, ac domus,* quod institutum ex doctrina Magorum profectum. Laert. libr. 1. extat Herodoti

in id

in id ipsum locus apud B. Brissonium lib. 2. de regio Persarum principatu pag. 226. quare in Græciam cum ingenti & numeroso exercitu irrumpentes *omnia deorum templa vastarunt*. Maximus Tyrius serm. 38. vt ob id diis hominibusque inuisos dicat Asconius Pædianus in 2. Verrinam. *quod diis dedita templa ruinis & ignibus deleuissent*, vt loquitur Alexander apud Curtium Rufum lib. 3 solique Deliaco templo ac Ephesino pepercerunt, quod intelligerent in hoc Apollinem Solem suum coli, in isto Dianam, quam ill. Lunæ nomine venerabantur Scholiast. Aristoph. in Pacem. neque deinde Græci vastata à Persis templa restaurare voluerunt, vt *hostilis impietatis & barbarici ma..eres monimentum*. Pausan. in Phocaic. eoque præcipuo nomine laudantur Iones ab Isocrate in panegyrico.

Ad Romanos venio, qui *centum septuaginta primis annis ritu Persico, templis simulachris deorumque statuis caruerunt*, si fides sit gentilissimo M. Varroni sit adhibenda ex D Augustino li. 4. ciuit. Dei cap. 6. Et certe aut in syluis seu *lucis* culta ab antiquis numina, vt supra dixi in Reg. 1. aut in *editis montibus*. Strabo Amasianus lib. 7 Geogr. [illegible] *Getas sacerdos Deus dicitur, & mons sacer existimatur & ita appellatur*. Idem lib. 15. in fine. *Indi inquit, sacrificant* [illegible] *in sublimi editóque loco*, vt merito orgia, Bacchi sacra, seu liberal. a, vocentur [illegible] *à montibus*. Seru. ad vers. 303 lib. 4. Aeneid.

Non modo Indorum, Græcorum, Getarum hic ritus, sed & Dacorum sic enim interpretor Papinium lib. 1. syl. 1. vers. 81.

—Tu tardum in fœdera montem
Longo Marte domas.

Et lib. 3 syl 3. vers. 169.

Hoc est qua victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat clementia montem.

Iam de inauguratione ago. itaque profana loca à templis discreta consecratione. M. Varro in libro Isagogico de officio Senatus habendi, referente A. Gellio lib. 14 cap. 7. *in Curia hostilia, & in Pompeia & in Iulia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per Augustum constituta: inde deriuatum vt templa sancta, Augustaque, id est augurio consecrata dicerentur*, notat Ioan. Corrasius Miscellaneor. Iul. ciuil. lib. 3. cap. 29 Seruius Honoratus ad vers. 200. lib. 4. Æneid.

Centum aras posuit, vigilemque sacrauerat ignem.

Et expressius P. Ouid. lib. 4. Fastor.

Sancta vocant Augusta patres, Augusta vocantur
Templa sacerdotum ritè dicata manu.

Ergo vt *templa Augusta, ita quælibet res augurio sacrata*, sic appellabatur, præsertim vbi Senatus haberi poterat, aut SC. fieri, abunde enarrat idem Seruius ad illud lib. 8. Æneid.

—Augusta ad mœnia regis
Ire iubet.

Imitatus est Corippus Africanus lib. 1. nu. 11.

—Augusta sacro pede contigit aulæ.

Et lib. 3. num. 1.

—Augusti limina tecti.

Silius Italic. lib. 1.

Concilium vocat Augustum, castaque beatos
Paupertate patres.

Et vetus poëta, vt puto, apud C. Tacitum li. de morib. Germanor.

Auguriis patrum, & prisca formidine sacrum.

Quare magna quæque, pretiosa, & insignia Augusta vocata. Suid. in voce Αὔγουστος, *Augustus*, & principes Romani *Augusti*, vt *Augustißimus princeps* Q. Symmacho. lib. 4. epist. 7. locus est elegans D. Ausonij in Actione gratiarum. *Gratianus potestate imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, pontifex religione, indulgentia pater ætate filius, pietate vtrumque.* Lege Munacij Planci sententiam apud Suetonium Augusto cap. 7. & notissimi sunt Q. Ennij versus apud M. Varronem lib. 3 de R. R. cap. 1.

Et quia, vt principes, templaque eodem nomine, *Augusti*, vocabantur, ita vtriusque violati par pœna, nempe legis Iuliæ maiestatis. Aurel. Prudent. in Romano martyre.

Spreuisse templa respuisse est principem.

Belli tamen iure non minus templa, quàm res profanæ occupabantur, & victori cedebant, licet plerosque sacram reuerentia religionis ductos iis pepercisse, nam *Alexander Thebis captis, sacris pepercit, reliquos agros, in prædam diuisit*. Arrian. lib. 1. de gest. Alexand. neque modò spoliata templa pr. fanari credita, sed & *si quis minus reuerenter se erga ea gessisset*. Saluia. Massil. enf. lib. 3. de prouid. & iud. Dei memorabile Agesilai regis factum refert Xenophon historiar. Græcar. lib 4. *qui hostes fuso peditatu, non vltra progressus est quam illi in templa se recepissent*, [illegible] *qui quanquam multa vulnera habens, tamen non est oblitus numinis*. Templum autem illud, in quod profligati se receperunt hostes, fuit *Mineruæ Itoniæ*, vt est in Agesilai vita apud Plutarchum, quod vsque adeo verum est, vt *rem in iure controuersam non liceat in sacrum dedicari*, idque XViros cauisse proditum l. vlt. ff. *de litigios.* quia scilicet *cum sacrorum inuiolabiles essent leges*, rem

potentiori tradebatur aduersario, vt è contra non licet rem sacram alienare, siue profanam facere alij notarunt.

Ius istud est belli, quo vt homines, ita templa, sepulchráque in seruitutem rediguntur, de quo liber extat non contemnendæ eruditionis Balthazaris Ayalæ Iuridici Belgicorum exercituum quæstoris, quem adi. Paulus IC. l. 4. *ff de sepulc. viol.* & Pompon. IC. l. 36. ff. *de relig. & sumptib. fun.* cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt religiosa vel sacra esse, sed quia quale id ius est, nulli exposuerunt, ponam celebria aliquot scriptorum loca. M. Tull. lib. 2. in Rull. *quid Mytilenæ? quæ certè, vestræ, Quirites, belli lege, ac victoriæ iure factæ sunt.* ex Trogo Pompeio M. Iunianus Iustinus (sic enim in codice MS. Vaticanæ bibliothecæ habetur) lib. 31. *ciuitates belli iure populi Romani factas in integrum restitui iubet.* C. Tacit. lib. 4. histor. *est armorum aliquod fas & ius hostium.* & eleganter lib 19. de fratre, qui in bello inter Flauianos & Vitellianos ciuili fratrem interfecerat, præmiúmque petierat, addit, *nec honorare illis eam cædem ius hostium: aut vlcisci ratio belli permittebat.* T. Liu. 1. Decad. lib. 2. Porsena ad Murium, *nunc iure belli liberum te intactum inuiolatúmque dimitto.* Q. Symmach. lib. 1. epist. 64. *euenit ea tempestate, vt etiam fidei depositum belli iure raperetur, quod à summatibus quos reliquos fuga fecerat, ius ærarij reposcebat*, in MS. codice erat, *fisci depositum, non fidei.* & necessaria videtur mihi correctio. Idem Græco ritu receptum. Heliodor. Emesenus Phœnix lib. 8. τί τοῦτ' ἔστιν; πολέμου νόμῳ, φησὶν αὐτὸς ἀπηνέγκατο, δούλους τοὺς αἰχμαλώτους ἀποδεικνύντος *quomodo? iure belli ipsi respondit, quod captiuos seruos efficit.* Et lib. 9. Æthiop. σύμφορον ἀνθρώπῳ τοῦ κρατοῦντος θέσιν ὁ πολέμου διδόντι νόμος, *corpus captiui spoliari, victori ius belli concedit.* Quint. Curt. lib. 4. *vt pote qui ne belli quidem iura in me seruaueris.* Et lib. 5. *pecunia & supellex regia quasi in re belli diripitur.* Et lib. 8 *& te transfugam belli in re prosequimur.* Papi. Stat. lib. 12. Thob. vers. 561.

> *Ne querimur cæsos, hæc belli iura, vicesque*
> *Armorum.*

Isto, vt iam admonui, iure, ne templa quidem, superatis bello incolis, tuta erant. D. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 18 cap 44. *ciuitatem capit (Pompeius) templum reserat, non deuotione supplicis sed iure victoris.* Sed eadem ante illum C. Tacitus lib. 5. Historiar. *Romanorum primus Cneus Pompeius Iudæos domuit, templúmque iure victoriæ ingressus est.* Otto Frisingensis lib. 2. cap. 46. *inter alia Orientis regna, Hierusalem veniens, capta ciuitate, templum quo soli populo Dei immolare licuit, oblatis hostiis polluit.* Idem de legatione Philonis Iudæi sub Tiberio Principe lib. 3. Chronic. cap. 13 *non solum spernitur ab eo illius populi odium, sed & vt templum profanetur ipseque ibi vt Deus colatur, ab Augusto præcipitur.* mitius tamen Hegesippus de excidio Hierosolymitano lib. 5. cap. 45. *Pompeius templum cepit, sed non diruit,* sic intellige poetas. Q. Horatium lib. 4. od. 4.

> *Vastata Pœnorum tumultu*
> *Fana deos habuere rectos.*

Valer. Flacc. Argonaut. lib. 5.

> *—an Martia templa*
> *Intemeranda minus, tacitus mihi lucus, & agger*
> *Quod rudis, & sola colimur frigentibus vmbra.*

Petrus Apollin. Collatius Excid. Hierosolm. lib. 1.

> *Nil superest tandem, veteri nisi lege relicta*
> *Crudeles iterum templum spoliare Quirites.*

Idem eodem libro post.

> *Magnus, & hanc domuit, templique in limina victor*
> *Irruit: hicque suos iussit stabulare iugales.*

Et libro 4. de Tito vrbe potito.

> *—nam parcere sacro*
> *Ille loco, saltémq; vrbis monimenta manere*
> *Vna cupit.*

Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmachum.

> *Aut quoties ductor Macedûm fortissimus alter*
> *Templorum cineres victis cumulauit Amyclis.*

Corruptus indubie posterior est versus, neque enim quicquam Alexandro Macedoni cum Amyclis seu Spartanis, quorum templa victor dirueret: optimè igitur in MS. meo iudicio,

> *Templorum cineres victis cumulauit ab Indis.*

Nec mendo vacat Silius Italicus lib. 3. Punicor.

> *Ne flammam tædasque velint, ne templa sub vno*
> *In cinerem transisse rogo.*

Erratum alij viderunt, solus, quod sciam, opem ex MS. codice attulit Fr. Modius Nouantiquarum lectionum epistola 62. legitque,

> *In cinerem traxisse rogo.*

Sed redeo ad templum Hierosolymitanum quod à Tito deletum narrat Dio Cocceian. lib. 66. ὁ δὲ Τίτος πρὸς Ἰουδαίους πόλεμον ἐπιταχθεὶς τὰ Ἱεροσόλυμα εἷλε, καὶ τὸν ναὸν ἐνέπρησε. τῶν δὲ Ἰουδαίων οὐκ ἐπιλελοιπότων, ἀλλὰ καὶ νικηθέντων, ὁ δὲ μέγιστος ἰσχύειν, ἐπὶ τῷ ναῷ συναπωλέσθαι. *Titus præfectus bello Iudaico capit Hierosolymam, incenditque templum, existimantibus*

mantibus Iudæis non suum interitum, sed victoriam & salutem, & fælicitatem, quod vnà cum templo caderent. Incensum ergo à Tito id templum, cui Pompeius antea pepercerat, id contigit anno postquam conditum fuerat millesimo octuagesimo nono, Ado Viennensis Ætate 6. Chronic. pag.115. aut millesimocentesimo secundo. Paul. Oros. lib.7. cap.9. sed tamen *id deleturus flenis Titus*. Constantin. Manasses Chron. pag 55 *quod videret se vnicum à Deo puniendis Iudæis designatum.* Michaelius Glycas Annalium parte 3. pag. 334. & sane subuersio incendiumque templorum semper inter flagitiosa habitum; miles ille Cæsarianus apud M. Annæum Lucanum lib.1. Pharsaliæ vers. 381. *iubeat.*

Si spoliare deos, ignemque immittere templis,
Numina miscebis Castrensis flamma monetæ.

Et iratus Cæsar apud eundem lib.5. vers.304.

Non illis vrbes, spoliandaque templa negasses,
Tarpeiamque Iouis sedem.

Quod vt in templis obseruatum, ita in statuis deorum, quæ nunquam sine piaculo pollui, contrectarique, aut profanari poterant, locum adscribam ex Marciano Herocleota in carmine Geographico vers.694.

[illegible]
[illegible]
[illegible]

Latinè vertit eleganter Fed. Morellus Regius Græcarum litterarum professor, bene de illo authore, vt de aliis omnibus meritus.

Ex his Iasiona facinus impium
Signum in sacrum patrasse Cereris asserunt,
Et cælitus misso interemptum fulmine.

Ad partes iam propero, quas non omnes enumerabimus, sed necessarias magis. Itaque & *areas*, & *vestibula* templis adhæsisse Reg. 1 supra docui. nunc in vestibulo *tetrastylum* fuisse, id est locum seu spatium quatuor columnis distinctum, est manifestum. M. Pollio Victru. lib.4. Architect. cap.1. atque hic locus omnibus deambulaturis patebat.

At altera pars quam *adytum* appellabant, solis sacerdotibus reserabatur. Iul. Pollux lib.1. c.1. num.8. [illegible], *templi locum quem adire non licet, adytum nominaueris, inactum, sacrosanctum, tectum, & oracularem.* Cæsar lib. 3. belli ciuilis. *Pergami in occultis & remotis templi, quo præter sacerdotes adire fas non est, quæ Græce ἄδυτα appellant.* vbi Rhellicanus interpres. *Græca vox ἄδυτον, secretum & penetrale sacrum dicitur.* Agrætius vetus Grammaticus, *adytum quod adiri non potest.* Iul. Firmic. lib. de errore profanar. Relig. *in adytis habent idolum Osyridis sepultum.*

Hinc oracula reddebantur. L. Sen. Thyeste Act 4. sc.1.

Responsa dantur certa, dum ingenti sono
Laxantur adyto fata.

Et Iupiter apud Martianum Capellam in Pescennio ad nuptias Mercurij & Philologiæ lib.2.

Quæ occultant adytis sacra latentibus.

Claudian. lib.1. de Raptu.

——adytis gauisa Cybelle
Prosilit.

Pentrale pars etiam *templi*. Seruius Maurus ad lib.2. & lib.6. Æneid. *penetralia* exponit *secreta templorum.* Hic honoratiorum seu principum cadauera recondebantur. Sueton. Augusto c.18. *per idem tempus conditorium, & corpus Magni Alexandri, cum prolatum è penetrali subiecisset oculis.* Hic & victimæ immolabantur. M. Lucan. lib 2. vers.125.

Ante ipsum penetrale Deæ, semperque calentes
Mactauere focos.

Hic etiam pretiosissima quæque abdebantur, vt metus præsentis numinis sacrilegos deterreret. idem Lucan. lib.5.

——Illa pauens adyti penetrale remoti
Fatidicum, prima templorum in parte resedit.

Quippe hic simulachrum ipsorum deorum erat collocatum. Claudian. lib.3. de Raptu.

——penetralibus amens
Exilit.

Idem de 4 Honorij consulatu.

——sic numina Memphis
In vulgus proferre soles, penetralibus exit
Effigies, breuis illa quidem sed plurimus infra
Liniger.

Festus Auienus in oræ maritimæ descriptione *penetral* vocat.

Templum in illi Veneris & penetral cauum.

Inter partes templi & *delubrum* recensent, quod ibi *sacrificaturi se abluerent.* Isidor. lib.15. cap.4. licet Festus Pompeius lib. 4. interpretetur *fustem delibratum, hoc est decorticatum, quem venerabantur pro Deo.* quam definitionem Asconius Pædianus reprehendit in Diuinat. Tullianam. glossæ antiquæ *delubrum* [illegible]. in solemni victoria & triumpho delubra coronabantur Sil. Italic. lib. 12. Punicor. vers.743.

Inque vicem amplexi permixta voce triumphum
Tarpeij clamant Iouis, & delubra decorant.

Fœde à librario erratum; legendum est, vt multis ostendetur in tractatu de triumpho,

——Et delubra coronant.

Hic captabantur somnia, nam manifestius est, quam vt dici debeat, rerum futurarum euentum consueuisse in templis pernoctantes

H ij

fciscitari. Baptista Pius Annotationib. poster. cap. 10. locus est in fragmentis Petronij Arbitri, cuius opus non tam mirum interiisse, quã nomen ignorari certum, Tacitus enim lib. 16. Annalium *Caium* vocat, vetus Scholiastes Iuuenalis ad v. 635. Sat. 6. *Publium*. Is itaque,

Somnia quæ humanas ludunt euanida mentes,
Non delubra Deum, nec ab æthere numina mittunt,
Sed sibi quisque facit.

Hunc in templis dormiendi morem ad somnia captanda expressit P. Virgilius lib. 8. Æneid.

——Huc dona sacerdos
Contulit, & cæsarum ouium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnósque petiuit.

Videtur ergo præuium fuisse sacrificium, quo oblato incubare pellibus hostiarum solerent. victima illa aries esse debebat. Cæl. Rhodig. Antiq. lect. lib. 27. cap. 14. multa interpretes A. Persij ad Sat. 2. v. 56. Pseudocornutus. *Acron tradit, quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas sub diuo totidem equestri filiorum Ægisthi, ex iis autem statuis quædam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula*, ipse Persius.

——nam fratres inter ahenos
Somnia pituita qui purgatissima mittunt
Præcipui sunto.

Vide quæ de Serapi alibi scribuntur in hoc opere. Et quia eò progressus sum, paulò altius de somniis repetam de iis eorúmque interpretamentis plerique eruditissimi olim scripsere, quorum opera temporis iniuria interciderunt, citantur tamen apud Iulium Pollucem, Suidam, Eustathium, & alios, nominatímque ab Hadriano Iunio recensentur lib. 1. Animaduers. c. 18. *Germinus Pyrius* 3. lib. ea de re conscripsit, *Artemon Milesius* 22. libros, idem studium illustrauere *Panyasis Halicarnassæus, Alexander Myndius, Phœbus Antiochenus, Demetrius Phalæreus, Nicostratus Ephesius, Antipho Atheniensis*. sunt & alij quorum nunc opera extant. *Artemidorus Daldianus Astramplychus, Philo Iudæus, Achimes Scyrimi filius, Nicephorus*. Quod magis miror incertum esse adhuc inter scriptores, quis primus diuinandi ex somniis scientiam condiderit id C. Plinius lib. 7. c. 57. *Deucalionis filio Amphyctioni* assignat, Pausanias in Atti. *Amphiarao vati*, qui bello interfuit Troiano, & ex eo Rhodig. lib. 27. cap. 14. Antiq. lect. Philo Iudæus, aut quilibet alius author libelli de Biblicis antiquitatibus, *Abrahamo Patriarchæ*. Sed certior concordia *Iosepho* id attribuit, quem venditum *Ægyptiis* primum mortalium volunt somnia interpretatum. Trogus Pompeius apud M. Iunianum Iustinum lib. 36. *Minimúsque inter fratres ætate Ioseph fuit, cuius excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt, à quibus deportatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, breui ipsi regi percharus fuit, nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit.* Corruptus locus seu librarij inscitia, seu ethnica malignitate. melius in MS. codice, *cum magnificas ibi artes solerti ingenio percepisset*, atque ita legit Freculphus Lexouiensis Chronic. tom. 1. lib. 2. c. 1. licet antiquam lectionem retineat Otto Frisingensis lib. 1. c. 14. Erátque interpretatio somniorum *pars aruspicinæ*, magni olim habita, licet Heliodor. lib. 2. Æthiopic. dicat ὄνειρα πολλὰ τοῖς τέλεσι κρίνεται. *somnia vt plurimum ex euentibus iudicantur.* tamen Euripid. Hecuba v. 90.

ὥς μοι κρίνωσ᾽ ὀνείρους.
Vt mihi interpretentur somnia.

Denique non desunt qui ad *Telmissenses* primum interpretationis somniorum ritum trahant inter quos est Tatianus Martyr, quod ego non de inuentione, sed frequenti exercitio sumendum existimo. M. Tull. lib. 1. de diuinat. *Telmessus in Cariæ est, qua in vrbe excellit aruspicum disciplina*, sed fallitur ille, seu memoria lapsus, seu errore poëtarum inductus, qui vicinitate locorum plerumque decepti, regiones confundunt, nam *Telmissus* non est *Cariæ*, sed *Lyciæ* oppidum, prope promontorium quod *Dædala* appellatur. Strabo Amassian. Geogr. lib. 14. pag. 763. quæ vrbs vsque ad Alexandri Macedonis tempora aruspicinæ gloria clarebat, celeberrimus quippe in ea arte Aristander Telmissensis fuit. Q. Curt. Rufus lib. 4. Arrian. de gest. Alex. lib. 1. Rigaltius obseruat ad Artemidorum lib. 1. c. 33. cuiúsque authoritate vsurpat C. Plin. lib. nat. hist. 17. c. 25. Q. Florens Tertull. lib. de Anima, c. 46. *Telmissenses enim nulla somnia euacuant, imbecillitatem coniectationis incusant.* & est egregia concertatio de cadauere Alexandri inter Ptolomæum & Perdiccam, finita ab Aristandro. Ælian. var. histor. lib. 12. cap. 64. hæc de inuentoribus.

Nunc ad causas. Credidit antiquitas quippiam diuinitatis inesse somniis. Xenoph. lib. de magisterio equitum in fine, *οὗτοι δὲ πάντα ἴσασι, καὶ προσημαίνουσιν ᾧ ἂν ἐθέλωσι, καὶ ἐν ἱεροῖς, καὶ ἐν οἰωνοῖς, καὶ ἐν φήμαις, καὶ ἐν ὀνείρασιν.* *Hi verè norunt omnia, futuráque denuntiant, cui volunt in extis, auguriis, auibus, ominibus, visis somniorum.* vbi ὀνείρασι datiuus est poëticus, quod Xilander peritissimus interpres admonuit. Sed falsa illa veterum fuit credulitas, causarúmque

naturalium inscia, nam grauiter affecto corpore, animus speciebus violentis agitatur. Q. Curt. lib. 4. *anxium de instantibus curis agebant etiam per somnium species rerum imminentium, siue illas ægritudo, siue animi præsagientis diuinatio accersit.* vanas appellat *species* L. Seneca lib. de Constant. Sapient. cap. 11. adscribam locum Ciceronis lib. 2. de Diuinat. *cum animus languore corporis nec membris uti, nec sensibus potest, incidit in visa varia & incerta ex reliquiis inhærentibus earum rerum, quas vigilans gesserit, aut cogitarit, quarum perturbatione mirabiles interdum existunt somniorum species.* Vetus poëta, vt quibusdam placet, Accius,

Quæ in vita vsurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæque agunt vigilantes, agitantque, ea si cui in somno accidant
Minus mirum est.

Luctatius Placidius, seu Lactantius Grammaticus ad vers. 134. li. 5. Thebaidos Statianę.

—Deus has, Deus vltor in aras
Apportat, captisque fauet, nec imago quietis
Vana meæ.

Helenius Acron, & alij interpres ad Q. Horatium, ipse in Arte poëtica in principio

—Velut ægri somnia vana
Finguntur species.

Petronius seu incertus poëta in fragmentis Petronianis,

—nam cum prostrata sopore
Vrget membra quies, & mens sine pondere ludit,
Quicquid luce fuit tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit, & flammis miserandas sæuit in vrbes,
Tela videt, versasque acies, & funera regum,
Atque exundantes perfuso sanguine campos.
Qui causas orare solent, legesque, forumque
Et pauidi cernunt inclusum corde tribunal;
Condit auarus opes, defossumque inuenit aurum;
Venator saltus canibus quatit: eripit vndis,
Aut premit euersam periturus nauita puppim:
Scribit amatori meretrix, dat adultera munus,
Et canis in somnis leporis vestigia latrat;
In noctis spatium miserorum vulnera durant.

Quæ ideo integra præter consuetudinem meam adscripsi, quod nullus elegantius significantiusque somniorum expressisset naturam, quibus consona sunt, quæ ex Cl. Claudiano peti possunt in præfat. ad 6. Honor. consul.

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator molli declinat corpora lecto,
Mens tamen ad syluas, & sua lustra redit,
Iudicibus lites: aurigæ somnia currus.

Atque hæc quidem naturalis ratio persuasit, vt infirmorum, aut inquietorum furiosa sint somnia: ita & digestione ciborum facta, tranquilla, placida, & vero proxima. vulgatum illud est Ouidij:

—mediæ sub tempora noctis,
Tempore quo cerni somnia vera solent.

Q. Horat. lib. 1. Sat. 10.

—vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cum somnia vera.

Iis fidem esse adhibendam persuadet Sext. Propert. lib. 4 eleg. 7. ad finem.

Nec tu sperne piis venientia somnia portis,
Si pia venerunt somnia, pondus habent.

Somniorum certe diuersitatem portarum inuolucris tegebant, quas vel *eburneas*, vel *corneas* fingebant; & *eburnea porta falsas inutilium rerum species designat, ebur enim solidum est, & non peruium, cornea verò visorum exprimit simulachra; translucida enim est, visumque facile admittens cornuum natura*: author est Porphyrius apud Aurelium Macrobium in Somn. Scipion. lib. 1. cap. 3. in fine. Seruius Honorat. ad lib. 6. Æneid. vers. 894. *per portam eburneam oculi significantur, quia & cornei sunt coloris, & duriores cæteris membris cum frigus non sentiunt, per eburneam verò portam os significatur à dentibus, & scimus, quia quæ loquimur falsa esse possunt, & quæ videmus, sine dubio vera sunt.* Eadem & Didymus antiquus Homeri Scholiastes scriptum reliquit, cuius verba repete ex Florido Sabino lib. 2. subcisiuar. lection. cap. 24. Ioan. Sarisber. Policrat. lib. 2. cap. 14. vtramque rationem complexus est Plato in Charmide, *δι᾽ ἐλεφάντων, δι᾽ ἐκ κεράτων. somnium ex cornibus, ex ebore.* Hinc intelligendi poëtæ Latini. P. Virgil. lib. 6 Æneid. in fine.

Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris,
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Hac falsa ad superos mittunt insomnia Manes.

Claudian. præfat. ad 6. Hon. consul.

Additur ecce fides, nec me mea ludit imago,
Irrita nec vanum somnia misit ebur.

Horat. lib. 3. od. 27.

—an vitiis carentem
Ludit imago
Vana, quæ porta fugiens eburna
Hominum ducis.

D. Auson. in Ephemeride.

Vana ignauorum simulachra locasse soporum,

Et geminas numero portas, quæ fornice eburno
Semper fallaces glomerat super aëra formas,
Altera quæ veros emittit cornea visus.

Idem in Cupidine cruci affixo.

—— Pulsa tandem caligine somni
Euolat ad superos, portáque euadit eburna.

Nec defuerunt poëtæ Græci. Incertus in Anthologia lib. 3. cap. 26.

ὦ μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ ἀδιάπτωτον ὄνειαρ
Ἦ ῥ' ἐτεὸν κεράων, οὐδ' ἐλέφαντος ἔφυς.

O magnum Battiadæ sapientis certum insomnium,
Certè verum licet non è cornu, neque ebore fuisti.

Coluthus Thebanus Lycopolita de raptu Helenæ v. 310.

—— δοιὰς δὲ πύλας ὤιξεν ὀνείρων
τὴν μὲν ἀληθείης κεράων.

Duas verò portas aperuit somniorum.
Alteram veritatis & cornuum.

Nonnus Panopolitanus, author, meo iudicio sublimis, grauis, rerum verborúmque diues, Dionysiac. lib. 34. v. 87.

Μόῤῥεα δ' ὑπνώοντα παρήπαφεν ὄψις ὀνείρου
Κλεψίνοον ἐλέφαντος ἀναΐξασα πυλάων

Morrhea verò dormientem decepit imago somnij
Mentem seducentibus eboris resiliens è portis.

Et lib. 44. v. 52.

φάσματα μαρμαίροντα διεπτοίησαν ὀνείρου.
Ἀπλανέος θ' ὁρμηθέντα δι' ἀκραέος πυλεῶνος.

Simulachra amulantis perterrefecerunt somnij,
Inerrantis currentia per corneam portam.

Et his omnibus prior, *musarum lux, immortale os mundi*, vt loquitur Antipater Anthologia lib. 3. cap. 25. Homerus Odyss. lib. 19. v. 564. & Eustathius Archiepiscopus ibidem.

δοιαὶ γὰρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων.
Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι.

Duæ enim portæ debilium sunt somniorum,
Vnæ enim cornibus fabricatæ: aliæ ebore.

Efficacia credebantur de republica esse somnia, ideoque qui somniassent, per præconem sequenti die publice visorum certos ciues faciebant. notarunt alij ad A. Persium: sed illud non sine solemni expiatione, vulgatum est illud A. Persij sat. 1.

Hæc sanctè vt poscas Tiberino in gurgite mergis.
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

D. Iuuenal. sat. 6.

Ter matutino Tiberi mergetur.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 5.

Ipse procuraui ne possent sæua nocere
Somnia, ter sancta deueneranda mola.

Idem lib. 3. eleg. 4.

At natum in curas hominum genus, omnia noctis,
Farre pio placant, & saliente sale.

Aliter in MS. Achillis Statij Neapolitani, & forte rectius.

Et vanum ventura hominum genus omnia noctis
Farre pio placant.

Sanè in eadem dictione corrupti infiniti poëtæ, & Cicero ipse, vt disquirit Guil. Canterus Nouar. lection. lib. 1. cap. 8. Addendi & alij. Sil. Ital. lib. 2. Punicor.

Effundunt gemitus, atque omnia tristia vertunt
In stirpem Æneadum.

Lege *omina*. Idem lib. 4.

Contra læta Bogus Tyrio canit omina regi.

Lege *omnia*. Idem lib. 9.

—— prospera pugnæ.
Omnia venturæ

Rescribe *omina*. P. Ouid. epist. 19. Acontij Cydippæ.

Omina re careant, nihil est violentius illis.

Indubiè legendum *omnia* dico ad illud Claudiani lib. 2 de raptu in fine.

Omina perpetuo genitalia federe sanxit.

Vbi reponendum *omnia*, quis enim nescit solemnia in nuptiis omnia adhibita; vt idem Claudianus licet corruptus lib. de laudibus Serenæ, quem MS. meus attribuit cuidam Magistro Gyraldo.

Omnia non audet genitrix tam magna fateri.

Et lib. 2. in Ruffinum.

Hoc proprium thalamis genialibus omen.

Papin. lib. 1. syl. 2. malè antea legebatur,

—— Et iam socialia præsto
omina.

Valer. Flacc. Argonaut. l. 7. item deprauatus:

Sola fui, tristes thalamos, infestaque cerno omina.

Simili mendo laborauerat etiam Corippus Africanus lib. 1. inu. 1. ante meam editionem,

Hæc ne vana putes, aut credas omina fingi,

Sed regredior ad somnia, quæ loto corpore oblatisque victimis expiabant. Sil. Italic. l. 8. Punicor.

Quæ dum abigo miseri, & sub lucem, vt visa fecundet.
Oro calicelas ac viuo purgor in antro.

Quis hic purgandi ritus *in antro*? mendosus est indubiè versus: certe viuam aquam lustrationibus adhibitam, seu fluuiatilem Persius & Iuuenalis supra docuerunt, & Virg. l. 2. Æneid. v. 635. at nulli scriptori in expiationibus *antri* mentio, quod meminì legisse, legendum est igitur,

Oro caliculas, ac viuo purgor in amne.

Secundum hanc expiationẽ, oneirocritæ seu coniectori sua somnia narrabant, atque huic officio plerumque vetulæ addictæ, quæ in supersti-

superstitionem procliues. Sext. Propert. lib. 2.

Quæ mea non decies somnia versat anus?

Aut diis penatibus domesticisque narrabant. Idem lib. eod. eleg. 29. aut vt alij numerant

Vadis & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Quæ sibi quæque mihi non nocitura forent.

Sic enim hunc locum legit exponitque Hadrianus Turneb. lib. 7. Aduersarior. cap. vlt. at in editione Horatij Tuscanellæ Basiliensi, & in MS. Codice Achillis Statij aliter, & fortasse non malè, concipiebatur.

Vadis & in casta narratum somnia veste.

Nunc ad templum ornamenta, somnius expositis, descendo. C. Suet. Vitell. cap. 5. quæ præcipue in *donariis* spectabantur *aris* aut *statuis*, aut *vasis aeris*. Aurel. Cassiodor. lib. 9. epist. 15 τῶν ἱερῶν κόσμοι. *ornamenta templorum vocat* Appian. lib. de bello Mithridat. pag. 201. *ornatus templi Apollinis*. Hegesipp. Excid. Hierosolym. lib. 2. cap. 1 Flor. Tertull. Apologetici ca. 26. *Deum victimis, templum donis, gentis fœderibus honestasti*. Seruij opinio displicet, qui ad lib. 3. Georg. vers. 534. vult *donaria esse loca, in quibus deorum dona reponuntur*. eademque repetit ad illud lib. 12. Æneid. *sacraria Ditis*. non placet inquam, quum Iustinianus Aug. definiat *donaria ea quæ ad ministeria Dei dedicata sunt* §. 8. Instit. tit. *de rer. diuis.* & Theophilus vertit *δῶρα*. Græcis ἀνάθηματα dicuntur generali nomine. Cebes Thebanus in tabula quod vocabulum, *donarium* reddidit Latinè Hieron. Volfius apud Suidam in Loco ἀνάθημα. Ælian. var. histor. lib. 2. cap. 20. anathemata autem hæc diis vota interpretatur Phalaris Agrigentinorum tyrannus, τρίποδας Δελφικοὺς, καὶ στεφάνους χρυσοῦς, καὶ ἄλλα πολλὰ πολυτελῆ χαριστήρια τῆς σωτηρίας. *tripodas Delphicos & coronas aureas, & alia multa ac pretiosa munera pro actione gratiarum ob recuperatam salutem* epist. 84. Appianus Alexandrinus ciuil. bellor. lib. 4. pag. 626. Iulius Pollux lib. 1. cap. 1. onomast. num. 24. ἀνάθημα ποιεῖσθαι, ἀναθεῖναι τῷ ναῷ. *anathemata facere, templum dedicare*. Lucan. lib. 9. vers. 517.

Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes.
Templa nec Cois splendent donaria gemmis.

Coripp. lib. 4 num. 2.

—postesque & limina comunt,
Et sua placandis nectunt donaria templis.

Martian. Capella de Nuptiis Mercurij lib. 1. *prænitens speculum, quod inter donaria eius adytis Sophiæ defixerat, quo se renoscens etiam velles originem inquirere*. Iustino lib. 24. dicuntur *munera* de delphico templo. *multa igitur & opima ibi regum populorumque visuntur munera, quæque magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem & deorum responsa manifestant*. M. Manilius Astronomic. lib. 5.

Hinc Augusta nitent sacratis munera templis
Aurea, Phœbeis certantia lumina templis.

Eadem & *dona* appellari solent. C. Plin. lib. 37. cap. 1. Sueton. August. cap. 30. Stat. lib. 1. Achilleid. vers. 426. *flammisque liquescunt dona Deum*. Martial. lib. 10. epigr. 28. *cinguntur limina donis*.

Corippus Africanus lib. 4. num. 4.

Instituit pulchrum solidauit robore templum,
Cæpit, perfecit denique ornauit, & auxit.

Et ibidem loci post,

Plurima votorum sacrauit dona suorum,
Immensoque pium ditauit munere templum.

Erant hæc donaria velut argumenta casuum præteritorum, nam emeriti milites arma sua, qui naufragium euasissent, vestes in tabella depictas diis dedicare solebant. Horat. lib. 1. od 5. Virgil. lib. 6. Æneid.

—casus effinxit in auro.

Alb. Tibull. lib. 1 eleg. 3.

Nunc dea nunc succurre mihi, nam posse mederi
Fixa docet templis multa tabella tuis.

Duces etiam defuncti arma diis, quos coluissent suffigenda relinquebant. Parthenius ille moriturus apud Papinium lib. 9. Thebaid. in fine.

Hæc autem primis tela infelicia castris
Vre, vel ingratæ munus suspende Dianæ.

Et reduces ab expeditione. Ouid. epist. 13. Laodamiæ. *Et sua det reduci vir meus arma Ioui.* Tituli & elogia inscribebantur donariis istis. Idem lib. 5. syl. 2. vers. 146.

Belligeris hæc dona diis, hæc tela dicauit,
Cernis adhuc titulos.

Vnde votum Hectoris Aiacem interficere cupientis apud Homerum lib. 7. Iliad.

Τεύχεα συλήσας, οἴσω προτὶ Ἴλιον ἱρήν,
καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Ἀπόλλωνος.

Arma adimens feram ad Ilium sacrum, & suspendam ad templum Apollinis. Vnde Κρεμάσαι τὴν ἀσπίδα. *suspendere clypeum*, bello confecto, prouerbialiter effertur apud Suidam, pro eo quod est *pacem agere*. suffigebantur autem non columnis modo, & parietibus votiuæ, sed & *tholis ipsis, seu fastigiis* ædium sacrarum. Arnob. lib. 6. *multa templa quæ tholis sunt aureis, & sublimibus clara fastigiis* Lactant. Placid. ad lib. 2. Thebaid. vers. 734. *tholum est in media templi camera locus in quo vouentium primitiæ aut exuviæ figebantur*. Martial. lib. 2. epigram. 71.

Et Cybeles picti, stat Corybante tholus.

Virgil. lib. 9. Æneid. v. 407. frequenter Statius lib. 1. Syl. 4. v. 33.

—tamen accipit omni.
Exuuias Diana tholo, captiuáque tela
Bellipotens.

Et lib. 2 Thebaid. in fine.

Hic ego maiorum pugnas, vultúsque tremendos
Magnanimûm effingam regum, figámque superbis
Arma tholis.

Et lib. 7. Thebaid. v. 56.

Terrarum exuuiæ circum, & fastigia templi
Captæ insignibant gentes.

Ædem de templo, *ædes* de profana habitatione curiosius quam par erat, docuerant Grammatici, sed vtrumque esse falsum ostendit multifaria authoritate eruditissimus Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum Genia. Dieb. quem non exscribo.

De *aris* pauca hic dicenda, reliqua repete ex Reg. 1. supra. In sepulchris, aut certe propè sepulchra erigebantur, doctissimus Hieronymus Magius in Miscellaneis probauit: vnde in Apotheosi illa mystica Cæsaris sub persona Daphnidis Ecloga 5. apud Virgilium.

—en quatuor aras
Ecce duo tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.

Et expressius lib. 3. Æneid. *stant manibus aræ.* & lib. 5. *mæstásque sacrauimus aras.* Andromache marito occiso lib. 3. eodem.

—manésque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lacrimis, sacrauerat aras.

In Comœdiis item actitandis, aræ in scænis erigebantur duæ, sed eo discrimine, vt in *Comœdia Apollini dextra ara* esset vota, *sinistra ei Heroi diuove, aut deæ*, cuius in honorem ludi celebrarentur seu *parentalia*, aut *funebria sacra*: at in *Tragœdia dextra ara* erat *Bacchi*, licet sciam Olympiodorum Comœdiæ etiam præsidem facere, cuius verba Fr. Lindenbruchius adfert. at contra stat Donatus in Andriam Terentij Act. 4. sc. 3. *ex ara scilicet Apollinis, quem diuinus Menander vocat, aut quod Apollini Comœdia dicata est, in cuius honorem aram constituebant Comœdiam celebrantes. Apollini ergo Comœdia, Libero patri Tragœdia*, & ipse Terentius.

Ex ara hinc sume verbenas tibi.

Quia nempe aræ Apollinis verbenæ imponebantur, aræ Liberi patris hederæ. Iul. Scaliger lib. 1. Poëtices cap. 21.

Aras præterea *priuatas Laribus* consecrabant, vt infra dicetur, sed & *mari fluminibusque*, quæ & humana colebant effigie, vt notum ex C. Plinio Iuniori lib. 8. epist. 8. & aliis. itaque aræ non minus iis quam aliis diis votæ. Virgil. lib. 1. Æneid.

Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet,
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras.
Dorsum immane mari summo.

Et de fluminum aris locus est egregius D. Ausonij epist. 9. ad Paulinum.

Culpabam properos aduerso flumine cursus.
Quis fuit ille dies? non annus longior ille est,
Attica quem docti collegit cura Metonis,
Desertus vacuis solisque exerceor aris.

Ac si dicat, discedente amico sibi nihil esse solatij, nisi vt deorum aris adduluatur, quas fortè licet gramineas existimare, de quibus Turnebus lib. 11. cap. 1.

Denique & aras summa cum veneratione dedicare consueuisse Romanos quis nescit? adscribam aliquot veterum marmorum fragmenta. vnum est Pætomione.

PRÆPOSITO. IOVI S. TRIP. COH. X. PRÆT. CVLTOR. NVMINIS. IPSIVS. PROFICISCENS. AD. OPPRIMENDAM. FACTIONEM. GALLICANAM. IVSSV. PRINCIPIS SVI ARAM. ISTAM POSVIT.

Alterum est in Bauaria, vt refert Wolfangus Lazius Commentar. Reip. Rom. lib 6. cap. 1.

NVNC. R. ET. MINER. V. SAC. CENO. COH. III BRIT. ARAM. ET. FL FELIX. PRÆF. EX. VOTO. POSVIT. L. M. DEDICAVIT. KALEND. DEC. GENTIANO. ET. BASSO. COSS.

Tertium Pisis visitur.

C. VRBIVS. IVCVNDVS. VEXIL. COH. II. VIGIL. VIS. ERTI. LATINI. MIL. ANNO. VI. ME. VII. DIES XVIII IN. EIS. TESSERAR. OPTIO. VEXILLAR. VIXIT. ANN. XXVII. ARAM. CVM. BASI. SVA. P. T.

CAPVT III.

Qui Dij selecti sint, & de fano.

Vodecim erant Dij Consentes, siue præcipui, quibus velut consiliariis Iupiter in maximis rebus agendis vtebatur, & quorum imagines auratæ apud forum stabant, sex mares, & sex fœminæ. Quorum nomina Ennius hoc disticho complexus est:

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Præter hos alij octo adducuntur, qui cum Consentibus selecti appellabantur, propter maiores

iores in mundo administrationes, vel quòd populis magis innotuissent, maiórque illis cultus exhiberetur. Sunt autem Selecti Dij hi: Ianus, Iupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater, Tellus, Ceres, Iuno, Luna, Diana, Minerua, Venus, Vesta: in quibus duodecim mares, octo fœminæ. De his ordine dicemus, initium capientes à Iano, qui & antiquissimus & in omnibus sacrificiis primo loco nominatus fuit.

IANVS ab eundo, quasi Eanus dictus, quod ianuis præsideret, vel quòd cœlum & tempus semper iret, vel à χάους detracta aspiratione, quòd fuerit omnium primus. Ab aliis mundus, ab aliis Sol esse putatur. Antiquissimus Latij rex fuit, Cœli & Hecates filius. Berosius, Q. Fabius Pictor, & Cato de quibus tamen doctoribus eruditi non sine causa dubitant, ferè in eo cōsentiunt, Ogygen, qui & Noha Ianum fuisse appellatū, qui in Italiam venerit, & propter merita à posteris diuinis honoribus, cultus fuerit. Ioann. Gorop. in 4 lib. orig. Antuerp. quem Cronia inscripsit, Ianum eundem esse, qui in sacris Literis Iaphet dicitur, filius Nohæ, contendit. Hic ergo, vti Q. Fabius tradit, primus docuit Italos vinum & far ad sacrificia, & religionem magis, quā ad esum & potum. Primus aras, & pomeria, & sacra docuit: & ob id illi in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, farque illi ac vinum primò prælibatur. Ad pudorem & sanctimoniam domorum primus valuas, feras & claues excogitauit, & inuenit, & ab eo dictæ ianuę. Olympo regi Hetruriæ, fanoque sacrato duodenis coloniis totidem pomeria, arásq; sacrauit, & ad continendum recentes tum colonias in officio, virgas, fascésq; singulis singulas dedit. Vnde ipse in manu virgam & clauem, subque pedibus bis senas aras habebat. Hæc Q. Fabius Pictor, nisi titulus libri mentitur. Idem etiam Macrob. lib. 1. Satur. c. 9 ex Xenone & aliis habet: vnde, quod simulachrum Iani fuerit, intelligi potest. Hoc tamen addam, quod Macrobius & Plinius memoriæ produnt, simulacrum eius quod in Capitolio fuit, ita formatum fuisse, vt in manu dextra 300. & sinistra 55. siue, vt in Plinij exemplaribus legitur, 45. numerum tenuerit, ad demonstrandum anni dimensionem. Qua de re plura Lilius Gyraldus. Inuenit etiam coronas, nauigia, tumultuarios pontes: ac primus in Italia æreum nummum signauit, vt apud Athenæum lib. 5 Dipnos. Dracon. Corcyreus docet: vnde etiam in veteribus quibusdam nummis ab vna parte Ianus bifrons, ab altera nauis aut prora, aut puppis conspicitur: quanquam Plutarchus Quæst. Romanis, quæst. 41. aliam huius rei causam afferat. *Plutarch. quæst. Ro. quæst. 21.*

Cognomina Iani varia fuerunt: dictus enim fuit Ianus Bifrons, Ianus Geminus, vel Quadrifrons, Ianus Pater, Ianus Iunonius, Consiuius, & Quirinus, Patulcius, Clausius. Item in Carminibus Saliorum DEVS DEORVM appellatur. *Vide etiā August. lib. 7. de Ciu. Dei, cap. 8.*

Bifrontis nomen vnde acceperit, causæ afferuntur hæ: Quod genere Græcus ex Perrhæbia fuerit, ac profectus in Italiam, sedibus apud Barbaros positis, linguam vitæque rationem ibi mutarit, vel quod Italos feros viuentes, inuitisque moribus suadendo ad aliud vitæ genus traduxerit, atque agricultura & ciuili institutione composuerit. Aliam hanc causam afferunt, quòd fuerit prudentissimus, vt & citoque procul ventura, & respexerit præterita. Alij, vt Ouidius & Augustinus ex Varrone, quod Ianus sit mundus gemina facie, hac Ortum spectante, illac Occasum. C. Bassus apud Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 9. dicit, Ianum Bifrontem fingi, quasi superum atque inferum Ianitorem.

IANVS Geminus, siue Quadrifrons fictus & appellatus fuit, quod vniuersa climata maiestate sua complecteretur. Idem Bassus apud Macrobium. Huius sicut & Bifrontis simulacrum in nummis veteribus adhuc conspicitur tale.

PATER dicitur, quasi qui Deorum sit.

IVNONIVS, quasi non solùm mensis Ianuarij, sed mensium omnium ingressus teneat, quia in ditione Iunonis sunt omnes Calendæ. Vnde & Varro lib. 5. Rerum humanarum scribit, Iano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas.

CONSIVVS dicitur à conserendo, id est, à propagine generis humani, quæ Iano auctore conseritur.

QVIRINVS, quasi bellorum potens, ab hasta, quam Sabini Curim vocant.

PATVLCIVS, & CLAVSIVS vel CLVSIVS, quia bello valuæ eius patent, pace clauduntur, vel ab aperiendi & claudendi vicissitudine, sicut Ouid. lib. 1. Fastorum scribit:

Inde vocor Ianus: cui cum Cereale Sacerdos,
Imponit libum, farráque mista sale.
Nomina ridebis, modò námque Patulcius idem,
Et modò sacrifico Clusius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diuersas significare vices.

CVRATII & SEPTIMIANI nomen vnde habuerit, paulò pòst videbimus.

Templa Iani tria fuerunt, ædes vna.

Primum Iani templum à Romulo conditum fuit, pace inter ipsum & T. Tatium facta; quemadmodum testatur ex Varrone Augustinus: in quo signum fuit Iani bifrontis, vt significaretur duos populos coiisse in vnum. Hoc templum Numa instituit pacis tempore claudi, bello verò ingruente aperiri, vnde à nonnullis ab ipso Numa templum conditum scribitur. Causæ autem huius instituti à diuersis variæ referuntur. Alij dicunt, Romulo contra Sabinos pugnante, cùm in eo esset, vt vinceretur, calidam aquam ex eodem loco erupisse, quæ fugârit exercitum Sabinorum. Hinc tractum morem, vt pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat constitutum, quasi ad spem auxilij pristini. Quam rationem etiam Macrobius explicat, aliquantò pluribus verbis. Alij dicunt Tatium & Romulum facto iam fœdere hoc templum ædificasse: vnde & Ianus ipse duas facies habet, quasi vt ostendat duorum Regum coitionem, vel quòd ad bellum ituri debeant de pace cogitare. Est & alia melior ratio, quòd ad prælium ituri optent reuersionem. De hoc templo Virgil. loquitur his versibus.

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ, & sæui formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternáque ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus.
Has, vbi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea, cinctúque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul, &c.

Ex quibus intelligitur, solemni more templum illud clausum & apertum fuisse. Cæterum & hoc est non prætereundum à Numæ regno ad Augustum ter tantùm clausum fuisse; ab ipso scilicet Numa, deinde à T. Manlio Torquato Consule, post primum bellum Punicum, anno ante Vrbem conditam ↀXIIX. tertiò post confectum bellum Actiacum ab ipso Augusto, teste Liuio, & aliis rerum Romanarum Scriptoribus ferè omnibus.

Alterum templum Iani Quadrifrontis, amplissimum quatuor portarum in foro Romano fuit ab Augusto dedicatum. Ianus ipse, qui in eo colebatur, Quadrifrons, & Faliscis Thusciæ ciuitate captis in forum transitorium Romam translatus erat. Auctor Seruius. Huic templi icon in veteri lapide adhuc videtur talis.

Tertium

TEMPLVM IANI QVADRIFRONTIS.

Tertium templum Iani ad forum olitorium, à Duillio, post primum bellum Punicum conditum, longo tempore post à Tiberio restauratum est. Tacit. lib. 2. Annal.

Ædes IANI CVRIATII ab Horatio extructa fuit, in memoriam Curiatij, quem ipse in nobili illa trigeminorum pugna interfecerat, de qua multi scribunt. Festus huius ædis meminit in voce Sororium tigillum.

IANVS SEPTIMIANVS, vt ego arbitror, ædificium fuit peruium, à Septimio Seuero fortasse extructum, vnde nomen habet.

Iani in plurali numero, dicuntur ædificia quadriformia, & peruia, siue stata illa & lapidea, siue ex materia pro tempore excitata, cuiusmodi multi in Vrbe fuerunt, teste P. Victore, cu-

ius sunt hæc verba: Iani Quadrifrontes per omnes regiones marmoribus incrustati & adornati insignis militaribus, & signis. Duo præcipui ad arcum Fabianum, superior inferiorque, vbi argentarij ac numularij artem suam exercebant, quo sæpe alludit Horat. Vide Acronem & Porphyrionem in Horatium, & Ioannem Brodæum lib. 2. Miscellaneorum, cap. 19.

Ad Cap. III.

PARALIPOMENA.

De duodecim diis, & Iano.

M. Terentius Varro lib. 1. Rei Rust. cap. 1. *& quoniam, vt aiunt, dij facientes adiuuant, prius inuocabo eos, nec, vt Homerus & Ennius Musas, sed duodecim deos consentes, neque tamen eos vrbanos, quorum imagines ad forum auratæ stant, sex mares & totidem fœminæ, sed illos duodecim, duos qui maximè agricolarum duces sunt.* eadem pene D. Augustinus lib. 4. ciuit. Dei cap. 23. Martianus Capella lib. 1. de Nept. Merc. & Philolog. *tunc etiam vt inter alios potissimi rogarentur ipsius collegæ Iouis, qui bisseni cum eodem tonante numerantur, quosque distichon complectitur Ennianum.*

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Item ex his septem residui, qui inter duodecim non vocantur, vbi obseruo sine adiectione, hos deos ab illo, *duodecim,* simpliciter dici. & quod cum alij omnes habeant *Mercurius, Iouis, Neptunus,* ille non, *Iouis,* sed *Iupiter* legit, malè meo iudicio: antiquitus quippe non *Iupiter,* in nominatiuo, sed Iouis dicebatur. T. Liu. 1. Dec. lib. 1. *Iouis Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus Rex Regia arma fero.* Pro quo nonnulli imperiti substituerunt ineptissimè, *Iupiter Feretri.* neque temere alias loquitur C. Iulius Hyginus Fab. cap. 31. *Iouis inter eos fulmen misit,* cap. 152. *Iouis fulmine ardenti pectus eius percussit,* cap. 176. *ad Lycaonem Pelasgi filium Iouis in hospitium venisse dicitur.* cap. 179. *Iouis cum Semele voluit concumbere.* Cap. 195. *Iouis, Neptunus, Mercurius in Thraciam ad Byrseum regem in hospitium venerunt* cap. 271. *Ganymedes Erychthonij filius, quem Iouis amauit,* In quibus omnibus locis in antiqua editione, in ora libri, *Iupiter,* cum asterisco scriptum erat, tanquam medicina parum sanæ sententiæ, sed vel ab imperito Librario, vel à sciolo aliquo: quod & posterior editio Lugdunensis recepit. est & locus Claudiano apud D. Augustinum Ciuit. Dei lib. 5. cap. 26. sed indubie [illegible] Claudiani, neque à Diuo Augustino [illegible]

[illegible] Deo, cui fundit ab astris
[illegible]
Et coniurati veniunt ad Classica venti.

Ita tamen legit Ioannes Cuspinianus Commentario in Fastos Consulares Cassiodori pag. 521. atque ita habebatur in editione Basiliensi 1490. *Ioannis Amerbacensis,* quod & agnoscunt *Thomas Valois & Nicolaus Trineth scholiastæ.* cum tamen & Paulus Orosius lib. 7. historiar. cap. 35. & Abbas Vspergensis in Chronico pag. 122. & Paulus Diaconus lib. 13. histor. Miscellæ, vnanimi cum Diuo Augustine consensu, vt est in vulgata Ludouici Viuis editione, legant,

O nimium dilecte Deo: cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Et puto patres illos noluisse *Æolum* nominare, ne Christianæ pietati officerent, quum nihilominus in omnibus editionibus constanter legatur, etiam in editione Venetiana 1495. *Thadæi Vgolini.*

O nimium dilecte deo, cui fundit ab astris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

De his duodecim diis puto etiam posse C. Suetonium intelligi in Augusto cap. 70. *cœna quoque eius secretior in fabulis fuit qui vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in qua deorum dearumque habitu discubuisse conuiuas & ipsum pro Apolline ornatum non Antonij modo epistolæ, singulorum nomina amarissime annumerantis exprobrant, sed sine authore notissimi versus,*

Cum primum istorum conduxit mensa choragum,
Sexque deos vidit Mallia sexque deas,
Impia dum Cæsar Phœbi mendacia ludit,
Dum noua diuorum cœnat adulteria.

M. Plaut. in Epidico Sc. malè.

Si vndecim deos præter sese secum adducat Iupiter,
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.

Dionysius Lambinus ad eiusdem Plauti Casinam sc. *vna.* ex Cicerone ostendit eosdem hos deos, *Consentes* Varroni dictos, aliis *selectos maiorum gentium* etiam vocari. P. Ouid. lib. 6. Metamorphos. Fab. 1. in tela Palladis,

Bis sex cœlestes medio Ioue sedibus altis
Augusta grauitate sedent suasquemque deorum
inscribit facies,

PARA-

PARALIPOMENA.

De Iano, & Templo eius.

DE *Iano* merito ante alios deos agetur, quod *in omnium deorum sacrificiis precationis principium à Iano ducereetur.* Arnob. lib. 3. contra gentes: *atque ita per vos Dei nomen traditur, quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis.* Xenon lib. 1. Rer. Italicar. tradit *Ianum in Italia primum diis templa fecisse & ritus instituisse sacrorum, ideo eum in sacrificiis præfationem meruisse perpetuam.* refert Aurelius Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 9. & pene paria prodit Q. Fabius Pictor lib. 1. de Aureo sæculo. *vinum & far primus illos docuit Ianus, ad sacrificia & religionem prius quam ad esum, primus enim aras & pomeria, ac sacra docuit, & ob id ei in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, farque illi ac vinum primo prælibatur* M. Tull. lib. 1. de Nat. Deor. *Cumque in omnibus rebus vim habere et maximam prima & extrema, principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum, ex quo transitiones perviæ, Iani, foresque in liminibus profanarum ædium, ianuæ nominantur.* Fest. Pomp. lib. 3. in voce chaos. *Vnde Ianus detracta aspiratione nominatur, ideo, quod fuerit omnium primus, cui primo supplicabant, velut Parenti, & à quo rerum omnium factum putabant initium.* à quibus omnibus scriptoribus diuersa traditur ratio cur Iano primitiæ veluti omnium sacrorum offerrentur, quum constet, saltem Romana consuetudine, id semper obseruatum, quod non modo citati autores confirmant, sed & poëtæ. M. Martial. l. 8. epigram. 8.

Principium des Iane licet velocibus annis,
Et reuoces vultu sæcula longa tuo.
Te primum pia thura rogent, te voce salutent,
Purpura te fœlix, te colat omnis honor.

In tertio versu MS. codex præferebat, *te voce salutent*, vt & in secundo versu legitur.

Et renoues vultu sæcula longa tuo.

Recte meo iudicio, quia antea dixerat, *principium des licet.*

Idem lib. 10. epigr. 28. ad Ianum.

Annorum nitidique sator pulcherrime mundi,
Publica quem primum voce preceque canunt.

Arnobio nuper superius laudato consonat Ouidius lib. 1. Fastor.

——cur, quamuis aliorum numina placem,
Iane tibi primum thura merumque feros.
Vt possis aditum per me qui limina seruo,
Ad quoscumque voles, inquit, habere deos.

Vbi suadeo tibi notes, Fabium Pictorem *far & vinum* tantum nominasse, quum poëtæ etiam *thuris* faciant mentionem Iano oblati, quod vel de suo sæculo dictum existimes, vel licentia poëtica confictum, certum enim est *Iliacis temporibus thure non supplicatum*, vel loquitur C. Plinius lib. 13. c. 1. Homerus ob id nusquam thuris in operibus suis mentionem vllam habet, quum tamen religiones antiquas & cærimonias diligentissime frequentet & ritus sacrorum describat, argumento liquido ne proprium quidem thuri esse apud vetustos Græcos nomen θύος enim non tam thus est, quam *quilibet suffitus.* neque λιβανωτὸς, vt ab aliis vocatur, *à Libano putre in id mutato antiquitatem loquitur*, Isidor. lib. 17. c. 8. & licet sciam B. Brissonium libro elegant. *de nuptiarum ritu* multa in hanc rem obseruasse, apponam tamen locum Arnobij è lib. 7. contra gentes. *Percunctamur de thure, unde aut quo tempore nosse illud, aut scire potueritis, ut merito existimetis aut esse diis dandam, aut eorum acceptissimum voluntati nouella enim propemodum res est, neque annorum inexplicabilis series, ex quo eius notitia profluxit in has partes, & deos meruit interesse diuinis; neque enim temporibus, quem admodum creditur & perhibetur heroicis, quidnam esset thus scitum est, scriptoribus ut comprobatur à priscis, quorum in libris posita nulla eius mentio reperitur, neque genitrix & mater superstitionis Hetruria opinionem eius nouit aut famam, sacellorum ut indicant ritus neque quadringentis annis quibus Albana res viguit, in usum cuiquam venit, sacra res cum fierent, neque ipse Romulus aut religionibus artifex in comminiscendis Numa, aut esse sciuit, aut nasci.* Sed ad Ianum reuertor.

Fuit Primus omnium deorum, ideóque peculiari cognomento *pater* dictus est Ianus, quod *venerationem cultumque* notat, & est *omnibus omnino diis conueniens appellatio*, Seru. Honorat. ad lib. 2. Georgic. in principio, & *uniuscuiusque proprium.* idem Seruius ad lib. 3. Æneid. ibi.

Da pater augurium.

sed & *Ianus* priuato, vt dixi, nomine *patris* honoratur. Lactantius Firmianus l. 4. diuinar. Instit. c. 3. *Itaque & Iupiter à precantibus pater vocatur, & Saturnus, & Ianus, & Liber, & cæteri deinceps, quod Lucilius in deorum consilio irridet.*

Vt nemo sit nostrum, quin aut pater optimus diuum.
Vt Neptunus pater, liber, Saturnus pater, Mars.
Ianus Quirinus, pater nomen dicatur ad unum.

L. Seneca in Apocolocynthosi, seu Apotheosi Claudiana. *Ille dimisso primus interrogatur.*

ſententiam Ianus pater. is multa diſerte, quod in foro viuat, dixit. Septimius antiquus poëta apud Terentianum Maurum lib. de Metris, quod fragmentum propter elegantiam adſcribam.

Iane pater, Iane tuens, diue biceps, biformis,
O cate rerum ſator, ô principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi.

Iun. Iuuenal. Sat. 6. verſ. 393.

Reſpondes his Iane pater.

Virgil. lib. 8. Æneid.

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem.

T. Liu. 1. decad. lib. 8. *Iane pater, Iupiter, Mars, audite vota.* C. Plin. lib. 36. nat. hiſtor. cap. 5. *Item Ianus pater in ſuo templo dicatus.* Martial. lib. 8. Epigr. 2.

Promiſit Pyliam quater Senectam,
Addas Iane ſuam pater rogamus.

Aut melius in MS.

Addas Iane pater tuam rogamus.

Et lib. 10. Epigr. 28. ad Ianum.

At tu, ſancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua clauſtra tuere ſera.

Q. Horat. lib. 1. epiſt. 16.

Iane pater, clarè clarè cum dixit Apollo,
Labra mouet.

In foro habitare dixit Ianum ſuperius Seneca, quod ad ſtatuas ei in foro Romano erectas refert P. Victor in 8. Reg. vrbis. *Iani duo, celebris, inquit, Mercatorum locus.* at quippiam diuerſum T. Liuius l. 1. in fine 5. decad. *forum porticus taberniſque claudendum, tres Ianos faciendos.* Horat. lib. 2. Sat. 3.

——poſtquam omnis res mea Ianum,
Ad medium fracta eſt.

Helenius Acron interpres vetus. *Iani ſtatuæ tres erant, ad vnam illarum ſolebant conuenire creditores, & fœneratores, alij ad reddendum, alij ad locandum fœnus.* Porphyrion eiuſdem etiam poëtæ Scholiaſtes, *omnes ad Ianum ſtabant in baſilica fœneratores*; vnde diſcimus non ſub dio has Iani ſtatuas omnes in foro ſtetiſſe, ſed aliquam earum ſub tectis, ſiue in baſilica, quum tamen ille in *baſilica Iani ſtatuam fuiſſe dicat, duos Ianos ante baſilicam Pauli ſtetiſſe, ibique locum fuiſſe fœneratorum ſcribit* Acron. ad illud Horatij lib. 1. epiſt. 1.

——hæc Ianus ſummus ab imo
Perdocet.

Et de his ſtatuis intelligendum cenſeo M. Ciceronem Orat. Antoniana 6. *Ianus medius in Antonij clientela fit* & lib. 2. de officiis in fine, *à quibuſdam viris optimis ad medium Ianum ſedentibus.* Hæc forte eſt illa Iani ſtatua, quæ *medius Ianus* Ciceroni, *ſummus* aut *imus* Horatio dicitur, cuius mentio C. Plinio lib. 34. nat. hiſtor. cap. 7. in hæc verba, *præterea Ianus Geminus à Numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, vt trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per ſignificationem anni, temporis & æui ſe Deum indicaret.* ſed quænam hæc per digitos numerandi ratio? multis quidem ea prodita, ſed à nullo doctius aut curioſius, quam à Petro Coluio, & Ioanne Sauarone & Andrea Tiraquello. Lilius Gyrald. Ferrarienſ. Dialogo 1. Fabius Quintilianus lib. 11. c. 3. *alij ergo digitis complicatis numeris alij conſtrictis ſignificabantur.* Martian. Capella lib. 2. in principio. *in digitos calculumque diſtribuit.* & lib. 7. *digiti vero virginis recuſantes, & quadam incomprehenſæ ſcaturiginis mobilitate vermiculati, quæ mox ingreſſa, ſeptingentos ac decem & ſeptem numeros, complicatis in eos digitis, Iouem ſalutabunda ſubrexit.* ille de complicatis inter numerandum digitis hæc eleganter, de conſtrictis Sidon. Apollinar. li. 9. epiſt. 9. *Chryſippus digitis propter numerorum indicia conſtrictis, Euclides propter menſurarum ſpatia laxatis.* Q. Florens Tertull. Apolog. c. 90. *cum digitorum ſupputatoriis geſticulis aſſidendum eſt.* C. Plin. Iunior. lib. 2. epiſt. 20. *componit vultum, intendit oculos, mouet labra, agitat digitos, nihil computat.* D. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 53. *omnium vero de hac re calculantium digitos reſoluit, & quieſcere iubet.* L. Seneca epiſt 88. *numerare doces me Arithmetica, auaritiæ accommodare digitos.* quo ſenſu interpretandi poëtæ. Ouid. lib 1. Faſt.

Seu quia tot digitos per quos numerare ſolemus.

M. Plaut. Milite Act. 2. ſc. 2.

Ecce autem auortit nixus læua, in femore
Habet manum.
Dextera digitis rationem computat,
Feriens femur.

Sed quo res clarior fiat, audiendus L. Apuleius lib 2. Apologiæ. *ſi triginta annos pro decem dixiſſes, poſſes videri pro computationis geſtu erraſſe, quos circulare debueris, digitos aperuiſſe, quum vero quadraginta, quæ facilius cæteris porrecta palma ſignificantur, ea quadraginta tu dimidio auges, non potes digitorum geſtu erraſſe, niſi forte triginta annorum Pudentillam ratus, bimos cuiuſque anni conſules numeraſti* Nec minus lucis adferet huic difficultati tenebroſæ locus D. Hieronymi lib. 1. in Iouinianum in principio. *triginta referuntur ad nuptias, nam & ipſa digitorum coniunctio, quaſi molli oſculo ſe complexus ac fœderans, maritum pingit & coniugem, ſexaginta vero ad viduas, eo quod in anguſtia & tribulatione ſunt poſitæ, vnde & ſuperiori digito comprimuntur,*

quantoque maior est difficultas experta quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est præmium. Porro centesimus numerus de sinistra transfertur ad dextram; & iisdem quibus digitis, sed non eadem manu, quibus in læua nuptæ & viduæ, circulum faciens virginitatis exprimit coronam. Expressius tamen de his proditum est à venerabili Beda, quem tam multi transcripserunt, *cum decem millia significare volebant, medio pectori læuam supinam admouebant digitis ad collum erectis; cum viginti millia, eandem expansam pectori apponebant; cum triginta millia, eandem manu pronam, & tamen erecta; pollicem ac cartilaginem medij pectoris affigebant, cum quadraginta millia, eandem vmbilico erectam supinabant, cum quinquaginta millia eiusdem pronæ & erectæ pollicem vmbilico applicabant, cum sexaginta millia, eadem prona femur læuum comprehendebant; cum septuaginta millia, eandem supinam femori item læuo imponebant, cum octuaginta millia, eandem pronam femori admouebant.* atque hæc quidem ratio magnos numeros exprimendi. minores sic denotantur, eodem Beda authore; *cum dicis vnum, minimum in læua digitum inflectens in medium palmæ figes, cum duo secundum à minimo flexum ibidem impones, cum tria, tertium similiter inflectes; cum quatuor, eundem minimum leuabis, cum quinque, secundum à minimo similiter eriges; cum sex, tertium eleuabis, medio in medium palma defixo; cum septem, minimum super palmæ radicem, cæteris leuatis impones, cum octo, medium; cum nouem, impudicum è regione compones; cum decem, vnguem indicis in medio pollicis ortu figes, cum viginti, summitatem impudici inter nodos indicis & pollicis arcte figes, cum triginta vngues indicis & pollicis blande coniunges, cum quadraginta, interiora pollicis lateri applicabis, cum quinquaginta, pollicem ad palmam inclinabis.*

Celebre refertur Orontis Artoxerxis regis generi deiecti, & honore spoliati dictum, *principum amicos videri similes computantium digitis*: nam *ὥσπερ οἱ τῶν ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυριάδας, νῦν δὲ μονάδα τιθέναι δύνανται, Arithmeticorum digiti, qui modo decem millia, modo vnitatem repræsentant, ita regum* amicos aliquando summo, mox infimo haberi loco. Plutarch. in Apophth. ex eo Cœl. Rhodig. antiq. lect. lib. 23. c. 11. & Valerian. Pier. Hieroglyph. lib. 37. huc facit & illud nescio cuius poetæ,

Vtile sollicitis computat articulis.

In hac re tam obscura inuolutáque, illud tamen certum indubitatumque, reperitur, vsque ad centum dextra solitos numerare, exinde sinistra. licet Suidas dicat *in Iani statua memoratam in manu dextra notam* CCC. *in sinistra* LXV. *fuisse.* Vnde rectè Nicarchus vetus poeta in Antholog. lib. 2. c. 9. epigr. 5. & Brodæus.

Ἡρῷος ἄρτιος ἰκάρι πάλιν, ὁ χειρὶ λαιῇ
σὰ γῆρας, ἀριθμεῖται δ' αὖ τρίτον ἐξ ἀρχῆς.

Qua secla vidit seruo plura, quæ manu sinistra finium numerare iterum incipit. D. Iuuen. sat. 10. v. 246.

Rex Pylius magno si quicquam credis Homero
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.
Fœlix nimirum, qui tot per secula mortem
Distulit, atque suos iam dextra computat annos.

Quid attinet dicere quod est vulgatissimum, Iani templum pace per vniuersum orbem parta claudi solère, indicto bello rursus aperiri. quod is *Deus belli pacisque arbiter* haberetur. L. Florus Epitomastes ex libro 4. Liuij. Seruius Honoratus ad illud lib. 1. Æneid.

Aspera dum positis mitescent secula bellis.

Claudian. de 6. Honorarij consul.

——Perpetuisque immoto cardine claustris
Ianus bella premens, læta sub imagine pugnæ
Armorum innocuos pati largitur honores.

Idem de summa sub Stilichone fœlicitate lib. 2. de eius laudibus.

——Nullus Boreæ metus, omnis & Austri
Ora silet, cecidit Maurus, Germania cessit,
Et Ianum pax alta ligat.

Semel ergo *Numa clausit*, item *Lutatius Catulus* icto fœdere cum Pœnis coss. M. Attilio, T. Manlio. Paulus Orosius lib. 4 c. 10. L. Flor. hist. Rom. lib. 2. c. 3. tertio ab *Augusto*, confectis bellis ciuilibus, narrat Dio Cocceian. lib. 51. in actis anni 725. Freculph. tom. 1. Chron. lib. 7. cap. 16. *ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus vna pace compositis, Iani portas tertio Augustus tunc clausit, quas ex eo per duodecim fermè annos, quietissimo semper obseratas otio, ipsa etiam rubigo consignauit: nec prius vnquam nisi sub extrema senectute Augusti pulsatæ Atheniensium seditione, & Dracorum commotione patuerunt.* lege *Dacorum commotione*; quorum illo seculo mota arma, præter historicos, Maro lib. 2. Georg.

Aut coniurato descendens Dacus ab Istro.

Otto Frisingensis lib. 3. cap. 3. Chronic. Vell. Patercul. lib. 2. histor. cap. 38. *tertio Augusto principe certæ pacis argumentum Ianus Geminus clausus dedit.* C. Sueton. in Augusto cap. 22. Benenutius de Rambaldis libro Augustali, *reliquum solus cum magna pace & tranquillitate orbis, clauso templo Iani egit.* Horat. lib. 4. od. vlt.

Ianum Quirini clausit.

Et lib. 2. epist. 1.

——totum confecta duella per orbem
Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum.

Templum istud duas fores habebat, vti & ipsa *Iani statua biformis*, seu duas habens facies. Blondus lib. 1. de Roma triumphante, seu quod per Ianum *mundum* significarent, cuius *duæ præcipuæ partes Oriens & Occidens*. siue *quod in bellum proficiscens de reditu, aut redu endo exercitu salno cogitare debet*. allusit Valer. Flacc. lib. 5. Argonaut.

— Aut sanguinei magna ostia belli.

P. Virgil. lib. 7. Æneid.

Sunt geminæ belli portæ

Statius Papinius lib. 5. Thebaid. vers. 145.

Lunatumque putes agmen descendere, vbi arma
Indulget pater, & sæui mouet ostia belli.

Hic consules Romani inaugurabantur, qui ob id dicuntur *annum aperire*. Vlpian. IC. l. 20. ff. *de pet. hæred* Sidon. Apollin. carm. 2.

Annum pandit nouum consul vetus.

Claudian lib. 2. in Eutrop.

—— & insanum gemino proclamat ab ore,
Eunuchumque vetat fastis accedere Ianus.

Ob id laurea noua singulis Calendis Ianuarijs pro veteri statuæ ipsius imponebatur, licet olim id *non in Ianuario*, sed *Calendis Martijs* solitum, vt liquet ex narratione Aurelij Macrobij lib. 1. Saturnal. cap. 12. *quod mutaret veteribus virides laureas* dixit Iulius Solinus Polyhist. cap. 3 Ouid. lib. 3 Fastor.

Laurea flaminibus, quæ toto perstitit anno
Tollitur, & frondes sunt in honore nouæ.

D. Auson. in Cæsarib.

Ter dominante Tito cingit noua laurea Ianum.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. in principio.

—Tuque ô cui laurea Iane
Annua d bitur, religa torpore soluto
Quamuis fronde comas subita nec luce pauescat
Principis.

Idem carm. 7. in principio.

—iam nocte bifrontis
Anceps Iane comas, duplicique accingere lauro.

De Saturno & Rhea Ope matre Deûm, Dea Cybele.

Caput IV.

SATVRNVS dicitur, quod saturetur annis, vel à saturando, propter annonæ erogationem, vel à satu, quòd stercorationi & agriculturæ præsit, vel ἀπὸ τοῦ σάθου, quod membrum virile significat, propter generatione n scil. Ioseph. Scaliger scribit, Saturnum Thuscum esse nomen, & Syriaca lingua significare latentem: vnde Latini vocabulum quasi interpretantes, cum vocarint Latium. Hic Cœli & Hecates filius fuisse, ac cursum conuersionemque spaciorum ac temporum continere fingitur: vnde etiam ex se natos comedit, quia consumit ætas temporum spatia, annisque præteritis insaturabiliter expletur. In lib. de Æquiuocis, qui Xenophontem authorem præ se fert, scriptum est, Saturnos dici familiarum Nobilium & Regum, qui vrbes condiderunt seniissimos. Igitur non vnicus Saturnus fuit, sed plures. Quod verò ad Saturnum attinet, quem Itali, & post Romani coluerunt, fuit is, vnus ex filiis, aut posteritate Nohæ, quem Berosus passim Sabarium & Sagam appellat. Is Iouis Beli insidiis petitus in Italiam ad Ianum patrem fugit, à quo humaniter acceptus, & portione aliqua agri donatus est, vti etiam in fragmentis Q. Fab. Pictoris, M. Porcij Catonis, & Dionysio Halicarn. dicitur. Cùm igitur iustus esset, & religionibus deditus, agriculturam etiam Aborigenes doceret, ab iis in Deorum numerum est relatus, & religiosissimè cultus. Macrob. id ab ipso Iano factum fuisse dicit.

In Varronem de ling. Lat.

Iustinus lib. 43. ex Trogo Pompeio scribit eum Aboriginum Regem fuisse, tantæ iustitiæ, vt neque seruierit sub illo quisquam, neque quicquam priuatæ rei habuerit, sed omnia communia & indiuisa omnibus fuerint, veluti vnum cunctis patrimonium esset. Ioan. Gorop. Becanus eundem Noham esse multis verbis demonstrat, quem legere potes. Simulachrum Saturni tale fuit. Pingebatur homo senex, canus, prolixa barba, curuus, tristis & pallidus, tecto capite, colore glauco, qui manu dextra falcem tenebat, & in eadem serpentis portabat imaginem qui caudam propriam dentibus commordebat. Manu sinistra filium paruulum ad os applicabat, & eum deuorare videbatur. Cuius simulachri mythologia, tum ab iis, tum à Macrobio prolixe explicatur. Appellatur etiam Sterculius, siue Sterculinus fuit, de quo post dicemus. In descriptione XIV. reg. Vrbis, quàm lib 1 inseruimus, trium ædium sacratum Saturni mentio fit, duarum ararum, vnius aræ, luci & sacrarij. Primus ædem ei Romæ vouit & exstruxit T. Tatius Sabinorum Rex in Capitolino monte, Dionysio, Varrone & Augustino testib.

Lib. 1. Saturn. c. 7. Lib. 4. Orig. Antuerp.

Lib. 1. Sa-

Saturni & Opis templum Tull. Hostilium eo tempore, quo cum Sabinis bellum gerebat, vouisse,

vouisse, Dionys. li. 3. testatur. Et Macrob. scribit inuenire se Tull. Hostilium cùm bis de Albinis triumphasset, de Sabinis tertiò, fanum Saturno ex voto consecrasse, & tunc primum Saturnalia Romæ esse instituta. Alia ædes Saturni fuit in Cliuo Capitolino, incertum à quo condita. Liuius scribit anno CCL VI A. Semp. Atratino, M. Minutio Coss. templum Saturni dedicatum. Id quod & Dion. Halicar. testatur his verbis: His Coss. ferunt templum Saturno dedicatum in cliuo Capitolino, qua e foro ascenditur, & ferias publicas decretas in sacrificio anniuersario. Aram verò, quæ ibi antea fuerat, sacratam ab Hercule, vbi Græco ritu ab illo tradito adolebantur victimæ. Id templum quidam scribunt locatum à T. Largio superioris anni Cos. quidam à Tarqui. Superbo, dedicatum verò ex S. C. à Post. Cominio. Macrob. ex Varrone notat L. Tarq. Regem eam ædem faciendam locasse. T. vero Largium Dictatorem Saturnalibus dedicasse. Hanc ædẽ ærariũ fecit P. Valer. Poplicola, si Plutarcho in Poplicola credimus. Cuius rei causæ referuntur hæ: quod Saturno regnante nullum fuerit commissum furtum, aut quod sub illo nihil fuerit cuiusquam priuatum. Isto institutum est, apud eum locaretur populi pecunia communis, sub quo cunctis fuissent vniuersa communia. Macrob. Plutar. addit alias duas rationes, quarũ prior est, quod Saturnus fructibus & agri culturę pręesse creditus sit. Cum autem ex frugum vbertate & venditione pecuniæ nascatur copia, fecisse ipsum Saturnum pecuniæ autorem, custodémque. Altera est, quod locus ille munitus, conspicuus, & ab insidiis tutus fuerit. Ad hanc ædem legati vndecunque Romam missi accedebant, ibique nomina sua Præfectis ærarij dabant: quod eo fiebat quia Saturnus cùm peregrinus fuerit, etiam hospitibus gauderet: vel quòd hospites antiquitus munera à Quæstoribus ærarij acceperint: vnde etiam posteà sublato sumptu, tamen ærarij præfectos adirent. In hac æde contractuum monumenta, acta quæ susceptis liberis parentes faciebant, & omnium ciuium Rom. nomina in Elephantinis libris descripta adseruabantur, & custodiebantur. Illud etiam Macrob. annotat, fastigio huius ædis Tritonas cum buccinis superpositos, quo significaretur, à Saturni commemoratione ad nostram ætatem historiam elatam, & vocalem esse, cùm ante eum muta & obscura, & incognita fuerit, id quod testantur caudæ Tritonum humi mersæ & absconditæ. Meminit etiam ædis Saturni, à Munacio Planco extructæ, Suetonius: quæ tamen ex veteribus aliqua fuerit ab ipso refecta, vel prorsus noua, alia à prioribus haud certum est. Saturni vxor Rhea fuit, de qua etiam nonnulla dicemus: reliqua quæ ad Saturni cultum, & ferias in honorem eius institutas pertinent, alibi explicabuntur.

tur. cap. 3. Lib. 2. Lib 6. Lib 1. Saturnal. ca. 8. Plutar. h. in quæst. Ro. q. 42. Macro. li. 1. Saturn. cap. 8.

RHEA, OPS, TELLVS.

Saturno additur Tellus, de qua ita scribit August. Var. in lib de Dijs Select. tres esse affirmat animæ gradus in omni vniuersá natura. Vnum qui omnes partes corporis, quę viuũt transit, & non habent sensum, sed tantũ ad viuendum valetudinem. Hanc vim in nostro corpore permanare dicit in ossa, vngues, capillos: sicut in mundo arbores sine sensu aluntur, & crescunt, & modo quodam suo viuunt. Secundum gradum animæ dicit, in quo sensus est. Hanc vim peruenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium, gradum animæ esse summum, qui vocatur animus, in quo intelligẽtia præeminet: hoc, propter hominem, omnes carere mortales, in qua quoniam homines Deo videtur similes, hanc partem animæ mundi dicit Deum, in nobis autem Genium vocari. Sic ergo in anima mundi tres gradus instituens, vnam partẽ eius lapides esse dicit, ac ligna, & hanc tertiã quam videmus, quò non permanat sensus. Aliam verò quam sensum vocat eius, vt athera. Tertiam porro, quam & animam eius nuncupat, quæ sidera peruenit in astra: eam quoque asserit facere Deos, & per eam quando in terram permanat, Deam Tellurem: quod autem inde permanat in mare atque Oceanum, Deum esse Neptunũ. Hęc ille. Est igitur Tellus nihil aliud, quàm vis, & quidem, vt ibidem ex Varrone dicitur, fœmina, quæ semina recipit, aut nutrit. Vim autem masculinam, quæ semina producit, Tellumonem dixerunt. Telluris cultum primum instituisse Melisseum Lactant. ex Didymo docet. Huius ædes extructa fuit in area ædium SP. Cassij, qui de regni affectatione suspectus, capite punitus est, testibus Cicerone, Liuio, Dion. Plin. Valer. Maxim & aliis. Collocatur à P. Victore in v. reg. Vrbis. Quis eam vouerit, atque extruxerit, non additur. De P. quidem Sempronio Sopho sic scribit L. Flor. Domiti hinc Picentes, & caput gentis Asculũ Sempronio duce, qui tremente inter pręlia campo, Tellurem Deam promissa ęde placauit. Terræmotus huius etiam Orosius meminit, & Frontinus. Porrò hæc Dea, quæ pro Saturni vxore, & sorore habita est, Rhea, Ops, Mater Deũm, atque Mater magna fuit cognominata, & sub iisdem nominibus culta. Rheæ quidem templum, vel ædes extructa fuit nulla. De reliquis vero iuuat adscribere, quæ ex Varrone profert Augustinus, sic autem is scribit: Deinde adiungit Varro & dicit Tellurẽ matrem & nominibus pluribus, & cognominibus, quòd nominatum Deos esse existimatos complures. Tellurem, inquit, putant esse Opẽ, quòd opera fiat melior: Matrem, quòd plurima

Lib. 7. de Ciuitate Dei c. 23. Lib 1. Epitome c. 19 Lib 4. Lib 1. Lib 7. de Ciuitate Dei. c. 14

Lib. 4. de lingua Latina.

pariat: Magnum quòd cibũ pariat: Proserpinam, quòd ex ea proserpant fruges: Vestam, quòd vestiatur herbis, sic alias Deas, inquit, non absurde ad hanc reuocant. Hæc ille. Nos de prioribus pauca quædam, quæ legimus exponemus, de Proserpina & Vesta alibi dicturi. Ops, vti iã ex Varrone audiuimus, dicta quod opera fiat melior. Idem sic scribit. Tertia Ops, quòd hic omne opus ad viuendum, & ideò dicitur Ops mater, quod terra nutriat. Hæc enim terris gentes omnes peperit, & resumit denuò. Sic enim Macrob. terram dicit appellatam Opem, quòd eius ope vitæ humanæ alimenta quærantur: vel ab opere, per quod fructus frugésque nascantur. Et Festus: Opis, inquit, dicta est coniunx Saturni, per quam volunt terram significare, quia omnes opes humano generi terra tribuit. Eius imago fuit, vt Albricus notat, in cuiusdam matronæ similitudinem depicta, quæ aperta manu dextra opem omnibus dare velle prætendebat, panem verò manu sinistra pauperibus porrigebat: Ædem Opi Romæ primus vouit & extruxit T. Tatius Sabinorum Rex, in regni societatem à Romulo receptus: Varrone, Dionysio & Augustino testibus. Vouit eidem cum Saturno ædem Tul. Hostilius, vt paulò ante in Saturno diximus. Festum eius Opalia, vt infra explicabimus.

Varro li. 5. de lingua Lat. Li. 4. c. 5.

Opis Consiuę etiam Deæ mentio fit apud Varronem, quę nomen habuit à conserendo. Sacrarium eius in regia fuit, ita scribente Varrone: Ope consiua dies ab Dea Ope consiua, cuius in regia sacrarium: quod ideò actum, vt eò, præter virgines Vestales, & Sacerdotem publicũ, introeat nemo. Is cùm eat, suffibulum haud habeat. Hanc n. legem eius ædis fuisse, cùm quælibet sacræ ædes suas certas leges haberent, Ioseph. Scaliger arbitratur. Mater Deûm vnde dicta sit variè traditur. Diod. Siculus scribit, cœlum ex Titæa coniuge suscepisse liberos v. & x L. muliebris sexus duos Reginam & Opem. Reginam ætate & prudentia præstantiorem, in gratiam Matris fratres omnes educasse, ideò dictam Matrem Deûm, nupsisséque Hyperioni fratri, ex quo Solem & Lunam genuerit: qui cùm scelere auunculorum interiissent, ipsam in furorem versam cum tympanis, cymbalisque terram suæ ditionis peragrasse, moremque eiusmodi mansisse post eius fatum. Idem tum addit etiam aliam fabulam. Menoem vetustissimũ Phrygiæ Regem ex vxore Dindymene filiam procreasse, quam exponi iusserit in monte Cybelo, infantem à feris enutritam euasisse in admirabilem pulchritudinem, inuentámque à muliere pastoria, educatam pro sua dictámque à monte in quo esset exposita, Cybelem, multas artes ingenij acumine & inuenisse, & docuisse mortales, videlicet cantum tibiæ, lusus, choreas, cymbalorum, tympanorúmque sonitus, artem prætereà veterinariam, & infantium morbis lenimenta: quibus quod multi curarentur pueri, idcirco eam Magnam Matrem nominatam esse. Cùm verò adoleuisset, amasse eam iuuenem terræ illius



nomine Atym, ex eóque grauidam factam, à Menoe patre, quòd famam de virtute factísque eius acceperat, reuocatam esse pro virgine, cognitóque flagitio eius Atym & nutrices iussu Regis affectos esse supplicio: Cybelem, amore incensam ex desiderio Atys insaniisse, domóq; paterna egressam solam cum fistula & tympano, sparsis crinibus totam regionem peragrasse dementatam, venisséq; in Nyssam ad Dionysium, aliquot annis post eius mortem, cũ & difficultate annonæ, & morbo in Phrygia laboraretur, oraculo iussos Phryges Atym & Cybelem venerari: hinc sacra, cæremoniásque Magnæ matris Deum ortas esse. Hæc Diodor. Nos Varronem sequemur, qui hanc eandem cũ Tellure facit: sic n. Aug. Eandem, inquit Varro, dicunt Matrem

Matrē Magnā q tympanum habeat, significari esse orbem terræ: quòd turres in capite, oppida: quòd sedes fingantur circa eam, cùm omnia moueantur, ipsum non moueri, quòd gallos huic Deæ, vt seruirent, fecerunt, significat eos, qui semine indigeant, terram sequi oportere, in ea quippe omnia reperiri; quod se apud eum iactant, præcipitur, inquit, qui terram colunt, ne sedeant, semper. n. esse quod agant. Cymbalorum sonitus, ferramentorum iactandorum, ac manuum, & cuius rei crepitus in colendo agro quid fit, significat quod ferramenta illa erant ideò ex ære, quod eam antiqui colebant ære, antequam ferrum esset inuentum.

Leonē, inquit, adiungũt: solutũ ac mansuetum, vt ostendant, nullũ esse genus terræ tā remotũ, ac vehementer ferũ, quod non subigi, coliq; conueniat. Hæc ex Varrone Augustinus. Aliā tamen rationē Ouid. ponit de qua alibi. Huiusmodi simulachrũ in veteri monumento adhuc conspicitur, q hîc subieci. Porro hæc Dea etiā Mater Idęa appellatur, ab Ida mõte Phrygię, in quo eā Phrygij plurimũ coluerũt. Berecynthia quoq; à Berecyntho Phrygię monte est dicta.

Dea Pessinuntia, à Pessinũte Phrygię oppido, vnde Romam trāsuecta & culta est, quod factum est anno V. C. D X. L I I X. P. Cor. Scipione, qui postea Africanus dictus est, & P. Licinio Crasso coss. tali de causa. Cum eo anno, vt Liuius scribit, durāte bello Punico sæpiùs lapidibus pluisset, & inspectis libris Sibyllinis carmē inuentũ esset. Quandoque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia, vincique posse, si mater Idęa Pessinunte Romā aduecta esset, moti eo carmine Patres, legatos misetũt ad Attalũ Asiæ regē, qui matrem Deũ petierunt, ab eóq; benignè accepti, ac Pessinuntē in Phrygiā deducti, sacrum lapidē, quē Matrē Deũ incolę nuncupabant, acceperũt, & Romā trāstulerũt. Addit Liuius Senatũ oraculo Delphico, vt eā qui vir optimus Romæ esset, hospitio exciperet, monitũ. P. Scipionem iuuenē adhuc, necdum Quęstorium, virum optimum iudicasse, eiq; munus excipiendę Dęę delegasse. Is igitur cum omnibus matronis Ostiam obuiam ire Deæ iussus, Deam de naue accepit, & matronis in vrbem ferendam tradidit. Perlata autem est in ędem Victorię, quæ est in Palatio, pridie Idus Apriles. Isque dies festus fuit. Populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisterniũ que & ludi fuēre Megalesia appellata. Sequenti anno ædem ei propriam in Palatio locarunt M. Liuius, & C. Claudius Censores, quā post anno D L X I I. Cornelius Nasica, M. Acilio Grabrione Coss. dedicauit M. Iunius Brutus. Sic enim scribit Liuius in illius anni historia. Per idem ferè tempus ædes Matris magnæ Ideę dedicata est. Quam Deā is P. Corn. aduectā ex Asia P. Corn. Scipione, cui postea Africano fuit cognomen, Licinio Coss. in Palatiũ à mari detulerat. Locauerant ædem faciendam M. Liuius, C. Claudius Censores, M. Cornelio, T. Sempronio Coss. XIII. anno postquàm locata erat, dedicauit eam M. Iunius Brutus, ludiq; ob dedicationem eius facti, quos primos Scenicos fuisse Antias Valerius est auctor, Megalesia appellatos. Hæc Liuius. Ædes illa collocatur à P. Victore in regione Vrbis. Cybele dicta est eadem, vel à monte Phrygiæ Cybelo, in quo fuit exposita, vt Diodorus scribit: vel, vt alij, à Cybelo, qui primus eius Deæ Sacerdos fuit. Festus: Cybele Mater, quam dicebant Magnam, ita appellabantur, quòd ageret homines in furorem, quod Græci κύβηβον, siue (vt alij malunt) κυβηβᾶν dicunt. Cybele verò eadem dicta à loco, qui est in Phrygia. Seruius ait ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, id est, à capitis rotatione dictam esse, quòd proprium fuerit eius Deæ Sacerdotum, qui per furorem motu capitis comam rotantes vlulatu futura pronuntiabant. Sosides Atticus apud Fulgentium Placiadem Cybelem dici ait, quasi κύδος βέβαιον, id est gloriæ firmitatem. Quæ præterea ad Cybeles historiam pertinent, ea paulò ante in Matre Deûm sunt explicata.

AD CAP. IIII.
PARALIPOMENA.

De Saturno & Cybele eiúsque sacris & cognominibus.

DE primo & antiquissimo deorum Saturno omnia vulgata, & Cœli fuisse filium, & sub eo sæcula aurea, & cum Titanibus pactum iniisse, vinctúmque & in Tartarum coniectum Nonnus Dionysiac. lib. 24. v. 237. & falcem inuenisse, & patri virilia secuisse, & filios ex Rhea vxore susceptos dira voracitate deglubere solitum, & à filio regno deiectum, idem Nonnus libro 21. v. 249. Dionysiac. Luctat. Placid. ad v. 44. libr. 8. Thebaid. & eiusdem vim metuentem in Italiam fugisse, totique genti nomen imposuisse, nulli ignotũ est, quũ passim tradiderint Mythologi Fulgentius, Phornucus, Albricus, Palæfatus & alij, qui non describendi, & prę aliis Apollodorus Atheniēsis Biblioth. libr. 1. sub initio: quem & Antipater vetus poëta celebrat lib. 3. Anthologiæ ca. 6. epig. vlt. & citat Apollonij scholiastes li. 3. Argonaut. dum Apollodori autoritate vsus ostendit, *Veneri sacram esse columbam, quod libidinosa sit auis*, apud P. Victor. ũ. Var. lect. li. 3. c. 14. qui locus in Apollodoro, quem manibus terimus, hodie non ex-

tat, vt suspicer non eundem esse authorem. adde tres tantummodo libros huius Apollodori superesse, quum eum libro decimo quarto περὶ θεῶν citet Macrobius lib. 1. Saturnal. cap.17. Sed satis de Apollodoro, ad Saturnum redeo.

Hunc deum præ aliis vinculis operatum finxerunt, & à filio per vim interceptum, catenatum, pœnisque addictum. rationem pete ex Luciano li. de Astrologia apud Christophorum Rufum in Antexegematis. Sylla apud Plutarchum ait Insulam quandam esse in *Cronio mari*, vbi barbari vinctum à Ioue Saturnum fabulantur. Sic Poëtæ intelligendi. Palladas lib. 1. Antholog. cap. 69.

Εἰ δὲ δὲ καὶ εὐτυχέοντας ἀνδροφόνους ὄντας ὁρῶμεν
οὐ πάνυ θαυμάζω, τοῦ Διὸς ἐστὶ γένος.
Τὸν γὰρ γεννήσαντα μεμισηκὼς, καὶ ἐκεῖνος
Κτεῖναι ἂν, εἰ ὁ Κρόνος θνητὸς ἐτύγχανεν ὤν.
Ἀντὶ δὲ τοῦ κτεῖναι, σὺν τοῖς Τιτῆσι κολάζει,
δήσας ὡς λῃστὴν εἰς τὸ βάραθρον ἄγεις.

Quod homicidas beatos esse videmus, non adeò miror: munus enim hoc Iouis est, nam parentem odio habens & ipse occidisset, si Saturnus mortalis fuisset, sed pro homicidio ipsum cum Titanibus punit, dum ipsum vinctum tanquam latronem in tartara mittit. Hercules furens ille à Seneca introducitur in tragœdia eiusdem nominis Act. 4. sc. 1.

Dubitatur etiam? vincla Saturno exuam,
Contraque patris impij regnum impotens
Auum resoluam.

Papin. Stat. lib. 8. Thebaid. vers. 44.

—Habeo iam quassa Gigantum
Vincula, & æthereum cupidos exire sub axem
Titanas, miserúmque patrem.

Quem locum sic exposuit Aegidius Maserius in doctis Commentariis ad Valerium Flaccum lib. 3. Argonaut.

—Fundo veluti cùm Cæus in imo
Vincla Iouis fractôq; trahens adamante catenas
Saturnum Titânasque vocat.

Claudian. lib. 1. de raptu.

Si dictis parere negas, patefacta ciebo
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas.

Inde in omnibus fanis Romanorum vincula statuis Saturni iniecta erant, quæ festo ipsius soluebantur, in memoriam securitatis & felicitatis quam sub illo egerunt homines, Lucian. in Saturn. Arnob. contra gentes libro 4. *nunquid parricidij causa vinctum Saturnum, & suis diebus tantùm vinculorum ponderibus releuari*, eôque puto Martialem allusisse lib. 3. epig. 29.

Has cum gemina compede dedicat catenas
Saturne, tibi Zoile, annulos priores.

Stat. lib. 1. sil. vlt.

Saturnus mihi compede exolutus,
Et multo madidus mero December,

Et ridens Iocus, & sales proterui Adsint.

Nec Saturnus modò vinctus, sed & alij, dicam infra vbi *de tutela vrbis* agam. sed quia Saturnaliorum facta est mentio, paucula mihi obiter de iis dicenda, licet sciam Iustum Lipsium elegantissimos duos, & exquisitæ lectionis libros eo titulo scripsisse, & ante illum diligentissimum antiquitatis inuestigatorem Macrobium, sed illi vberem ex omnibus pene probatis scriptoribus messem, ego racemationes & specilegia tantùm colligo.

Ac primum *cessabat Senatus*, neque conuocari poterant patres, neq; iudicia vlla peragi. Sueto. Augusto cap. 32. & ob id nec causidici in forum ventitabant. Martial. lib. 7. epig. 27.

Sic fora mirentur, sic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.
Otia tum medius præstat tibi parua December,
Excipe sed certa quos legis aure iocos.

Et rectè *medius December quia 14. Calend. Ianuarias celebrata Saturnalia.* Aurel. Macrob. li. Saturnal. cap. 10. in principio, L. Sen. epist. 18. C. Sueton. Calig. ca. 6. in MS. autem vltimus versus aliter habetur, sed paruo discrimine.

Exigua, & certa quos legis aure Iocos.

Feriæ etiam studiorum, clausæque scholæ C. Plin. Iunior lib. 8. epist. 7. *neque vt magistro magister, neque vt discipulo discipulus, sic enim scribis, sed vt discipulo magister, nam tu magister, ego contra atque ideò tu in scholam reuocas, ego Saturnalia extendo, librum misisti.* Mar. lib. 5. epist. vlt.

Iam tristis nucibus puer relictis,
Clamoso reuocatur à magistro,
Et blando male proditus fritillo
Arcana modò raptus à popina,
Ædilem rogat vdus aleator,
Saturnalia transiere tota.

Dona passim per vrbem conferebantur, vt sexcentis locis è Martiali & aliis obseruarunt critici. & *Saturnalitia, dona Saturnalibus missa* interpretatur Laurentius de la Barre ad Qu. Tertulliani librum *de fuga in persecutione*. *Togas* exuebant. *Syntheses* induebant, vide præter alios, interpretes Martialis ad lib. 5. epig. 80. plena tunc ludendi comedendíque cum dominis seruis libertas, vt recoleretur memoria aurei & prisci sæculi, quo *summa inter dominos & seruos æqualitas paritásque* erat. vt poëtæ passim, & præ aliis Albius Tibull. libro 1. eleg. 3. Freculph. Chronic. Tom. 1. lib. 2. cap. 15. C. Iul. Solin. polyhist. cap. 3. *in Martio matronæ seruis suis cœnas ponebant, sicut Saturnalibus domini, illæ vt honore promptius in obsequium prouocarent, hi quasi gratiam repensarent perfecti laboris, & Verus Augustus vernas in triclinium saturnalibus & diebus festis semper admittebat.* Iul. Capitolin. in vita eius, adscribam propter elegantiam fragmen-

mentum Accij veteris Tragici ex li.1. Annalium, citante Prisciano Cæsariensi lib.5.

Maxima pars Graiûm Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Quûmque diem celebrant, per agros, vrbésque ferè omnes,
Exercent epulas læti famulósque procurant
Quisque suos, nostrique itidem, & mos traditus illinc.
Iste, vt cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

Primus versus aliter legitur in Macrobij editione Lugdunensi, lib.1. Saturnal. c.7. quod Henricus Stephanus notat.

Maxima pars Graiam Saturno, & maximæ Athenæ
Conficiunt sacra.

D. Auson. eclogatio de mensibus.

Aurea nunc reuocet Saturni festa December,
Nunc tibi cum domino ludere verna licet.

Plura infra li.4. c.16. ærarium in eius templo publicáque pecunia & tabularia populi Romani, vt docebo infra lib.7. ca.31. Illi sacrum aperto fiebat capite, cum aliis diis tecto. Fulgent. lib.1. Mytholog. *velato vero capite ideo fingitur* (Saturnus) *quod omnes fructus foliorum obnupti tegantur vmbraculo.* Fest. Pompeius lib. 17. *Saturnia, Italia, & mons qui nunc est capitolinus, Saturnius appellabatur: quod in tutela Saturni esse existimantur, Saturnij quoque dicebantur, qui castrum in imo cliuo* Capitolino *incolebant, vbi ara dicata ei deo ante bellum Troianum videtur, quia apud eam sacrificant apertis capitibus, nam Italici auctore Ænea velant capita, quod is cùm rem diuinam faceret, in littore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Vlysse cognitus interrumperet sacrificium, caput adoperuit, atque ita conspectum hostis euitauit.* & post. *Saturno sacrificium fit aperto capite.* Idem lib. 10 *lucem facere dicuntur Saturno sacrificantes, id est capita detegere,* scio illud & in Herculis sacrificio factitatum, vt notatum aliis ex Aurelio Macrobio li. 3. Saturn. ca.6. sed illud de huius dei ceremoniis debere intelligi, facile est, & obuium ex Seruio Honorato argumentum, qui ad lib. 3. Æneid. *sane sciendum,* inquit, *sacrificantes diis omnibus caput velare consuetos, ob hoc ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur, quia Saturno capite velato incedit.* Emendauit doctissimus Meursius Exercit. parte 2. c.21. *quia Saturno capite velato sibi cernitur.* & ipse Virgilius loco laudato.

Et positis aris iam vota in littore soluet,
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.

PARALIPOMENA.

De Cybeles Sacris, Archigallis, Tympanis, buxo, cymbalis.

De Cybele, Rhea, aut *Berecynthia* seu *magna deorum matre*, omnia vulgata, & quod eius nomine intelligatur *terra*, communis omnium mater, docuerunt abundè naturalis historiæ scriptores. hinc & T. Lucret. lib. 2. de Nat. rer.

Muralique caput summum cinxere corona,
Eximius munita locis quod sustinet vrbes.

Multa Dionys. Lambinus ibi. Seru. ad v.113. lib.3. AEneid. *quod autem turritam gestat coronam, ostendit superpositas terræ esse ciuitates, quas insignitas turribus constat.* idem ad lib.10. AEneid. v.254 *ciuitates turritæ, quas terra gerit, vnde cum turrita corona mater deûm pingitur.* & ipse Virgilius.

Alma parens Idæa deum, cui dindyma cordi,
Turrigeræque vrbes.

Nec plures in re obuia citabo: vnus Claudianus satis erit, is lib.1. de Raptu.

Non buxus, non æra sonat, blandique leones
Submisere iubas, adytis gauisa Cybelle
Exilit, & pronas intendit ad oscula turres.

Et lib.2 in Eutropium.

Aurea sanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris, summóque volutus
Vertice crinalis violatur puluere murus.
Obstupuere truces omen Corybantes.

Et lib. 3. de laud. Stilich.

—Huc orgia secum
Transtulit: & Phrygios genitrix turrita leones.

Interim supplendus Fulgentius Mythologicon lib.3. cuius codici inhæsit hactenus mendum, *ideo turrita pingitur, quod omnis potentia elatio sit in capite, ideo leonum currui præsidens, quia omnis potentia regno ornata sit,* qui locus mancus est procul dubio, nec sensus compleri, itaque supplendus ex MS. hoc pacto. *Ideo leonum currus præsidens, quia omnis potentia etiam virtuti dominatur, ideo multiplici veste, quod omnis potentia ornata sit,*

Cybelem eandem etiam esse cum *dea Syria* docuit Philippus Beroaldus in Annotation. in var. author. nominis etymologia Festo libro 3. traditur sic. *Cybele mater, quam dicebant magnam, ita appellabatur, quod ageret homines in furorem, quod Græci κυβηβᾶν, dicunt.* & *Cybele verò eadem dicta à loco, qui est in Phrygia,* malim à luco, nam lucum pineum ei sacrum fuisse, docebo paulò infra. & pro κυβηβᾶν, malim κυβιστᾶν. At Fulgentius supra *Cybele, quasi κύβος βεβαία, firmitas gloriæ.* Seru. proximè citatus Χαῖρε

κυβιςᾶν vel κυβιςᾶν, *à capitis rotatione, quod proprium est eius sacerdotum.* L. Apul. libr. 8. Milesiar. *dibque capite demisso ceruices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes, in circulum, & nonnunquam suos incursantes musculos, ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecant.* aut vt in MS. melius, *dissicant.* Sidon. Apollinar. Carm. 5.

——Fortique lacerto.
Disicit ancipiti miserabile sinciput ense.

Martian. Capell. lib. 2.

Aurora primo commutans habitum
Surgens fenestras dissicarit lumine.

Sic. Italic. lib. 3. Punicor.

Impactum pelagus lacerata viscera terrae
Disicit

Paul. Silentiar. lib. 7. Anthol. epig. 46.

Certe igitur *caput torquere, crinem rotare, totúmque corpus circumagere* solebant *Corybantes*, aut vt loquitur Nonius Marcell. ca. 4. *Iactare, id est excutere, mouere.* Varro Terentius apud Nonium in *castum.*

Nam quae venustas hic adest Gallantibus.
Quae casta vestis?

Gallantes sunt insani, furiosi à Gallis matris deûm. Turneb. li. 29. c. 20. Eudæmonibus, vel vt in alis, in Eumenidib.

——Tibi nunc semiuiri teretem comam
Volantes iactant Galli.

C. Tacit. lib. 11. Annal. *ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, iuxtáque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput.* Vlp. IC. li. 1. ad *Edictum curulium. apud Viuianum quaeritur si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, & aliqua profatus esset, an nihilominus sanus videretur.* Plutarc. lib. 1. Symposiac. cap. 6. & Guiliel. Budæus ad legem dictam in annotationib. doctissimis ad Pandectas. AEl. Lamprid. in Heliod. *iactauit autem caput inter praecisos fanaticos.* Claudian. lib. 2. in Ruffinum.

Iam regale tumens, & principe celsior ibas,
Colláque foemineo iactabas mollia gestu.

Idem lib. 2. in Eutrop.

Quis melius vibrata puer vertigine molli
Membra rotet.

M. Lucan. lib. 1. v. 565. Pharsaliæ.

Crinitos deos crinémque rotantes
Sanguineum, populis cecinerunt tristia Galli.

Ærea tympana & *buxus* in huius sacris locum habebant. lib. 3. AEnei. *Corybantiáque æra.* & Claudian. lib. 1. de raptu supracitatus. *non buxus non æra sonant.* sic Sil. Ital. lib. 17.

Circum arguta cauis tinnitibus æra, sonóq;
Cornabant rauco sonantia tympana pulsu,
Semiuiríque chori.

Ouid. lib. 3. Fastor.

——Ida sonat tinnitibus æris acuti,
Tutus vt infanti vagiat ore puer.

Et lib. 5. Fastor.

——Tinnitus æra repulsa dabant.

Vbi æra putem non tympana tantùm significari. *æreos* aut *ferreos*, licet sciam Dactylos Idæos ferrum inuenisse: quod multi prodiderunt. Freculph. Chron. tom. 1. lib. 2. c. 20. sed etiam & nolas. Stat. lib. 1. Achill.

——Paulumque exercita pulsu
Æra tacent.

Auson. Epist. 25. qui locus elegans.

Cymbala dant flictu sonitum, dat pulpita saltu
Icta pedum, tentis reboant caua tympana tergis,
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus,
Nec Dodonaei cessat tinnitus aheni,
In numerum quoties radiis ferientibus ictae
Respondent dociles moderato verbere pelues.

Campanarum igitur seu nolarum vsus in sacris Cybeles, aut matres deûm receptus, vt ex variis authoribus probat Hadrianus Iunius li. 3. Animaduersor. cap. 11. erant & in ostiis, ad pulsum ciendum, quo Ianitores euocarentur. viri docti ad C. Suet. in Augusto ca. 91. *cum dedicatam in capitolio ædem Tonanti Ioui assiduè frequentaret, somniauit queri Capitolinum Iouem sibi cultores abduci, seséq; respondisse, Tonantem pro Ianitore ei appositum, ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimiuit, quod ea fere ianuis dependebant.* Præterea apud Græcos vigiles in custodiendis ciuitatum muris, tintinabulis mutabantur, Thucidid. lib. 4. ad finem. Illud quoque à doctis animaduersum est ante triumphantis currum nolam geri solitam. Zonaras Monachus Drungarius Tom. 2. Annal. in Camilli triumpho pag. 32. Cuius rei ea ratio *ne triumphator superbiret supra quam par esset, sed vt sciret se legibus subditum, & posse vel extremo affici supplicio, aut nolam sontibus appendi solitam gestare,* quod ob id factum *ne cuiis, aut carnifici, aut damnato occurrens pollueretur.* M. Accius Plautus Pseudolo Act. 1. sc. 3.

——Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis.
Eodem duo greges virgarum inde vlmearum adegero
Vt hodie ad litationem huic suppetant satias Ioui.
In malam crucem istic ibit Iupiter lenonius.

Sed ad *Curetas* aut *Corybantes* magnæ matris sacerdotes redeo, qui & *Idæi Dactyli* dicti. Solin. Polyhist. cap. 17. & *Lares.* Iul. Hygin. Fabular. c. 139. his qui præerat. *Archigallus* nominabatur. Flor. Tertullian. lib. de Resurrect. carn. *Et tamen calicem non dico venenatum, in quem mors aliqua ructarit, sed festricis, vel Archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum, quaero an minus damnes quam oscula ipsorum?* vbi quid per festricem

Itricam intelligat ego ingenue fateor me hactenus ignorasse, itaque puto legendum, *Frictricis*, nam impudicæ, lamiæ, balneatrices, aut quadrantariæ feminæ, vt est apud Quintilianum, frictu Pruriginem concitabant, sed nimium in re tam obscæna velitatum, ita Laurentius de la Barre legit, alij *Archibretis*, vt sit gladiatoris nomen, Guiliel. Canter. Nouar. lection. lib. 4. ca. 11. sed cum gladiatoris mentio à Tertulliano deinceps habeatur, puto priorem lectionem meliorem. huic in omnes Gallos seu Cybeles sacerdotes erat summum imperium. Idem Tertullian. Apologet. cont. gent. cap. 24. *Archigallus ille sanctissimus, die 9. Calend. Apriles quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat, pro salute imp ratoris M rci iam interempti solita æque imperia mandauit.* Hic primus Cymbala prælata in illis sacris pulsabat. D. Iuuenal. Sat. 9. v. 62.

Cymbala pulsantis legatum fiet amici,

Vetus Scholiastes. *Archigalli cymbala percutientes: ac per hoc Gallos, inquit, legetur, id est, legatario donabitur.* Ita intelligo Claudianum lib. 1. in Eutrop.

Vel si sacra placent, habeas pro Marte Cybellen
Rau a Celænæos ad tympana disce furores:
Cymbala ferre tibi, pectlisque illidere pinus,
Inguinis & reliquum Phrygiis abscindere cultris.

Cymbala ferre, recte dictum, ad officium Archigalli designandum. M. Varro ὄνος λύρας. *non vidisti simulachrum leonis ad Idam è loco, vbi quondam eum quum vidissent quadrupedem Galli tympanis adeò ferunt mansuetum, vt tractarent manibus.* T. Lucret. lib. 2.

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concaua.

Atque inde quoscunque effæminatos, tympana vel cymbala gestare dicebant. M. Plaut. Trucul. sc. Ite.

Mœchum malacum, cincinnatum, vmbraticolam
tympanotribam
Amas? hominem non nauci?

Quod scilicet eneruatissimi mollissimíq; & essent, & haberentur hi galli, qui Matri magnæ, cum tympanis operabantur. Virgilius li. 4. Georg. v. 64. *matris quate cymbala circum.* Aristænæt. libr. 1. epist. 10. & τυμπανισμὸς Florenti Christiano vertitur, *sonus tympani in tysi-stata.* Aristophanis pag. 860. P. Ouid. Epist. Phædræ Hyppolyto.

Quaque sub Idæo tympana colle sonant.

Nec tantùm in Cybeles sacris vsus Cymbalorum & tympanorum, sed etiam in Bacchi orgiis. Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 496.

—Rotat enthea thyrsum
Bassaris, & maculis Erythrea Nebrides horrens,
Excitat Odrysios ad marcida tympana tystas

Valer. Flac. Argonaut. li. 7. de Penthei cæde.

Tympanáque & mollem subito prior accipit hastam.

Et lib. 8. in fine.

—Qualem Ogygiis cùm tollis in arces
Bacchus, & Aoniis illidit tympana truncis.

Secundus vetus poëta in Anthologia lib. 4. c. 12. epig. 63.

τύμπανα ἢ θύρσον Βάκχου, καὶ Ζηνὸς κεραυνόν

Tympana & thyrsum Bacchi & Iouis fulmen.

Pinus ei dicata, propter *Atyn* puerum formosum, sibique dilectum, sub illa arbore iacentem. Seruij narratio est fusa lib 9. Æneid. v. 116. *vel in eam Attis fuit mutatus*, vt est in Ouidio lib. 10. Metamorphos. vt alios omittam, eleganter descripsit Q. Catullus Epigr. 61. vbi formæ elegantiæ præclarum encomium, solemnísque ritus sacrificiorum describitur, omnia sunt pulcherrima, sed tollendum tamen inde mendum, sic ergo ipse Atys,

Ego mulier, ego adolescens, ego Ephebus,
Ego puer,
Ego gymnasij fui flos, ego eram decus olei.

Quid? Atys mulier? forteam effæminatorum vitibus applicandus, at non ille in eum deæ amor. lege igitur,

Ego inuber, ego adolescens.

Inuberes etiam ostrias A Gellius, lib. 20. ca. 7. *inuberes macræque essent, inuberes infantes* Festus Pompeius dixit. Luctat. Placid. ad libr. 10. Thebaid. v. 146. *Pinus quæ colitur in sacris Matris deûm, sub quo iacuit Attis Matri deûm dilectus*, & ipse Statius.

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, consumptáque brachia ferro
Scire vetat, quati ille sacras in pectora pinus,
Sanguineó que vatat crines.

Accius in Bacchis apud Nonium cap. 10. nu. 12.

Lætum in Parnasso inter pinos tripudiantem,
In circulis ludo, atque tædis fulgere.

Virgilius inducit Cybelem Iouem alloquentem lib. 9. Æneid.

Pinea sylua mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa,

Seru. Maurus ibi. *Pinus in tutela matris deum est.* & ad v. 116. eiusdem lib. *Mater magna iussi eius vt quotannis in sacris suis plangeretur, pinúmque arborem sub qua iacuerat, tutelæ suæ adscripsit. & effecit vt cultores sui viriles partes sibi amputarent, qui Archigalli appellantur.* Arnob lib. 5. Cont.

gent. *quid sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in deûm matris intermistitiis sanctuario? nonne illius similitudo est arboris, si qua sibi furens manum & infelix adolescentulus intulit, & genitrix diuûm in solatium sui vulneris consecrauit?* Et eodem libro ad finem. *Pinus illa solenniter quæ in matris infertur sanctum deæ, nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Atys virum demissis genitalibus abstulit? & quam memorant aut diuam in solatium sui consecrauisse mæroris?* Claudian. lib. 1. in Eutrop. supra laudatus, & lib. 1. de raptu.

Hic sedes augusta deæ, templique colendi
Religiosa silex, quam pinus obumbrat
Frondibus.

Sed nouam rationem allatam audiamus ex Aurelio Prudentio in Romano Martyre.

An ad Cybelles ibo lucum pineum?
Puer sed obstat Gallus ob libidinem.
Per triste vulnus, perque sectum dedecus,
Ab impudicæ tutus amplexu deæ.
Per multa matri sacra plorandus spado.

Audiendus & Iul. Firmicus de errore profanar. Relig. *in sacris Phrygiis quæ matris deûm dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media arbore simulachrum iuuenis subligatur.* Denique & in eius tutela buxum reponunt, quod ex illa arbore fistulæ fierent. Luctat. Placid. lib. 8. Thebaid. Stat. vers. 222. lib. 6. AEneid. *biforem dat tibia cantum*, & de modo Phrygio seu lugubri, alibi dicendi est locus. poëtas tantùm aduocabo. Claudian. libr. 1. de raptu.

Non buxus, non æra sonant.

P. Virgil. in Ceiri. v. 166.

Sæpe velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,
Ild́ue barbarico Cybeles antistita buxo
Infelix virgo tota bacchatur in vrbe.

Valer Flacc. Argonautic. lib. 2.

——Sacris hinc ignibus ida
Vibrat, & horrisonæ respondent Gargara buxo.

Sidon Apollinar. Carm. 9. v. 202.

Non hic Dindyma nec crepante buxo
Curetas Berecynthiam sonantas.

Papin. Surcul. Stat. lib. 2. Thebaid. v. 663.

——Celanta committere prælia buxo.

Et lib. 5. v. 94.

——Cùm sacra vocant, Idæáq; suadet Buxus

Et lib. 8. v. 221.

——Geminus æra sonant, Idæáque terga,
Et moderata sonum vario spiramine buxus.

Nec tantùm in sacris Berecynthiæ, sed etiam & Bacchi vsus erat *buxea fistula*, fortè quod *immortalitas deorum maiestati conueniret, & hæc arbor cariem nunquam patiatur*, vt ex rerum naturalium scriptoribus proditum est, & in sacris Liberi patris buxum receptam loquitur Statius idem, & Luctatius exponit tibiam ad v. 480. lib. 9. Thebaid.

Fœminis experta choris cum bacchica mugit
Buxus, & insanæ maculant trieterida matres.

Nisi forte placet ratio ab Andrea Alciato eruditissimo IC. Emblem. 207. quæ mirè amoribus Cybeles quadrat.

Delitiis apta est, teneris & amantibus arbor:
Pallor inest illi, pallet & omnis amans.

Illud autem obliuiscendum non duxi, huius tibiæ inuentores esse Phryges in honorem huius deæ. Iul. Pollux. Onomast. li. 4. cap. 10. Num. 1. & tibiæ quidem materia ponitur ab eodem κάλαμος, ἢ χαλκὸς, λωτὸς, ἢ πύξος, ἢ κέρας, *arundo, æs, lotus, buxus, cornu.* eodem libr. cap. 9. Num. 6.

Porro quum tam multa de his sacris, & tam varia plerique tradiderint, mirum venationem non commemoratam ipsius deæ, & Atyos, quum multis Catullus epigr. 62. eam prosequatur. ego locum ex Iulio Firmico, eleganti mehercule de errore profanarum religionum libro, producam. *Tauribolium, vel Criobolium scelerata te sanguinis labe perfundit.* antea malè legebatur. *Tauribolum, vel Oribolium.* scio in Suida legi ταυροπόλαν Dianam dici, quod *omnia vt taurus circuit.* & eadem *quod prosternat feras*, ταυροβόλος appellata est, eodem authore. Hesychius Grammaticus ταυροπόλα, ἢ ἄρτεμις. *Tauripola, Diana.* At non Dianæ hæc cognomina soli conuenire; sed etiam Magnæ matri, loquuntur duæ inscriptiones vetustæ, quas à Ioanne à VVonner subministratas hic apponam.

M. D. M. I. E. T. ATTINIS.
L. CORNELIVS. SCIPIO. ORFITVS.
V. C. AVGVR. TAVRIBOLIVM.
SIVE CRIOBOLIVM. FECIT.
TVSCO, ET ANVLLINO. COSS.

Alterius inscriptionis hæc sunt verba.

DIS. MAGNIS.
MATRI. DEVM. ET. ATTIDI. SEXTILIVS.
AGESILAVS.
ÆDISIVS. V. C. CAVSARVM. NON. IGNOBILIS.
AFRICANI TRIBVNALIS. ORATOR
TAVRIBOLIO.
CRIOBOLIÓQVE. IN ÆTERNVM. RENATVS.
ARAM SACRAVIT DD. NN. VALENTE. V.
ET VALENTINIANO. IVNIOR. AVGG.
COSS.

Quando illa in vrbem recepta fuerint sacra Pessinuntémque missi, qui deam arcesserent, quid attinet dicere? cùm ex Strabone Amaseno lib. Geograph. 10. peti possit, & historicis, T. Liuio 3. Decad. li. 9. C. Sueto. in Tiber. cap. 2. Sil. Italic. lib. 17. Punicor. in principio & aliis.

Capvt V.

De Ioue.

HIstoriam Deorum incipi à Ioue, æquum erat si communem veterum opinionem, qui eum pro summo & principe Deorum habuerunt, sequi voluissem: sed plus apud me valuit ordinis ratio, quæ parentes filio præponi suadebat. Cùm igitur de Iano, qui Deus Deorum in Carminibus Saliaribus dictus fuit, tum de Saturno & Rhea, siue Ope hactenus dixerim, sequitur iam Iupiter de quo hoc capite agemus.

Ivpiter, secundùm Agellium, Macrobium, & alios, dicitur quasi iuuans pater. Cicero Ipse Iupiter, id est, iuuans pater, quem conuersis casibus appellamus à iuuando Iouem, à Poëtis, Pater diuûmque hominûmque dicitur. Sunt qui Iouis nomen ab Hebraico יהוה Iehoua ortum esse velint, quod à veritate non videtur vsque adeò esse alienum. Ioues, inquit Cic. tres numerant illi, qui Theologi nominantur: ex quibus primum & secundum natos in Arcadia, alterum patre Aethere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt & Liberum: alterum patre Cœlo, qui genuisse Mineruam dicitur, quam principem & inuentricem belli ferunt. Tertium Cretensem Saturni filium: cuius in illa insula sepulchrum ostenditur. Varro alicubi scribit, se ex varia lectione Ioues CCC. inuenisse, qui hinc inde in terrarum orbe fuerint culti. Sed nos de Cretensi Ioue dicemus, qui Saturni & Rheæ siue Opis filius fuit, de quo, quis fuerit, & quibus de causis diuini honores ipsi sint exhibiti, hæc tradit Diodorus Siculus. De Iouis genere, atque imperio dubitatur: nam quibusdam placet, postquam Saturnus ad Deos transiit, suscepisse regnum, non vi expulisse, iustè & legitimè regno potitum. Alij Saturno volunt in ortu filij responsum, fore vt ab Ioue vi regno pelleretur. Quæ res Saturnum impulerit, vt filios sæpiùs perimeret. Id ægrè ferens Opis, cùm viri animus placari non posset, Iouem in Ida ab se editum, clam nutriendum Curetibus iuxta Idæ montem habitantibus dedit. Hi in antrum ad Nymphas, commendata illis infantis cura, detulerunt. Lacte capræ, quæ Amalthea dicta est, m lléque educatus est. In Ida antrum, vbi nutritus dicitur sacrum est & circa illud, prata manent intacta. Capræ, quæ eum nutriit, & alij sunt honores impensi, & locus eius est Aegiocus vocatus. Adolescentiam egressus, in Ida, vbi genitus est, ciuitatem condidit, cuius postmodum destructæ etiamnum extant reliquiæ. Excessit hic Deus fortitudine, & cæteris virtutibus omnes: accepto enim post Saturnum regno maxima, plurimáque contulit ad hominum vitam. Primus omnium iustitiam docuit mutuo seruari inter mortales, omni vi atque iniuria remotis. Lites ac contentiones iudicio auferens, singula, quæ ad bene viuendum, ac pacem pertinerent, summa ope procurans. Bonos ad virtutem exhortatus est: improbos timore coërcuit ac pœna: omnem penè orbem circumiens, bello impiis ac prædonibus indicto, æquitatem ac leges introduxit. Per id tempus & Gigantes ab eo sublatos aiunt: in Creta quidem Milinum, in Phrygia Typhonem. Ante pugnam, quæ cum Gigantibus in Creta habita est, Iouem sacrificasse dicunt Soli, cœlo, ac terræ bouem. Quæ sacra Iouem fore superiorem portendentia, primùm vires, & ab hostibus defectionem, tum finem belli futurum monstrârunt. Musæus quippe ab eis desciuit, obque id ei honores tributi: à Diis autem omnes hostes cæsi sunt. Sed & alios quoque Diis præsidium belli tulisse aduersus Gigantes constat. Macedones quidam circa Pallenem, in campo quem olim à loci conflagratione Phlegrum, postmodum Cymæum cognominarunt. Animaduersum esse ab Ioue in Gigantes ob eam causam dicunt: quod magnitudine ac robore corporis confisi aduersique legibus & multa egerint in homines iniusta, & propinquas gentes in seruitutem redegerint, bellúmque his intulerint, qui ob singularia in omnes nationes beneficia Dij sint existimati. Feruntur ab Ioue non solùm impij, nefariíque deleti, sed etiam Diis, heroibúsque ab hominibus benemeritis honores impensi. Propter eius beneficentiam, imperiique magnitudinem omnium consensu & regnum perpetuum tributum est, & habitatio in Olympo. Sacrificia insuper illi super cæteros statuta. Postea vero quam in cælum delatus est, memoria nominis eius animis hominum, in quos beneficia contulit, adeò infixa permansit, vt omniũ, quę in cœlo fierẽ, velut imbriũ, tonitruũ ac fulminum, cęterorũq; eiusmodi potens existimaretur. Itaq; quòd vitæ causa hominib. esse videretur, cùm fructus terræ ad maturitatem perduceret, Iouẽ dixere. Patrem verò, tum quia singulorum susceperit summa cum beneuolentia curam, tum quia tanquam Dux hominibus extiterit rectè viuendi: imperator ac rex, ob imperij amplitudinem: consultor ac prouidus, propter consulendi prudentiam appellatus est. Hactenus Diodorus: vnde discimus, quæ prima origo colendi Iouis fuerit. Simulachrũ eius pro diuersa illi potestate attributa, variè fuit effictum. Pingebatur, vt ait Albricus, in throno eburneo in

Lib. 3. de natura Deo. Lib. 5. cap. 15.

sua maiestatis sede sedens: sceptrum regium in manu sinistra tenens: altera verò fulmina ad inferos mittens, & Gigantes repressos fulmine, tenens sub pedibus, & conculcans. Iuxta eum verò quædam aquila, quæ volans inter pedes suos quendam pulcherrimum iuuenem, scilicet Ganymedem, raptum portabat, habentem in manu craterem, vt Ioui poculũ propinaret. Hęc in genere de Ioue ex traditione Diod. Siculi, cum quo etiam sentiunt Apollodorus, Seruius Grammaticus, & alij. Iam verò etiam de cognominibus, quæ Ioui à Romanis indita, & de templis, quæ in honorem eius constructa fuerunt, agamus. Prima appellatio, quæ in Romana historia occurrit, est Iouis Indigetis, qua consecratus fuit Æneas. Cùm enim post prælium cum Rutilis & Mezentio gestum, non amplius appareret, & alij eum ad deos discessisse, alij necatũ in flumine apud quod pugnauerant, coniectarent, Latini sacellum ipsi dicauerunt cũ inscriptione hac: PATRI DEO INDIGETI, QVI NVMICI AMNIS VNDAS TEMPERAT. Dionysius: qui tamen addit, esse, qui id sacellum Æneam dicasse Anchisæ defuncto ante hoc bellum anno proximo scribant: & esse tumulum non magnum, & circùm dignas spectatu in ordinem digestas arbores. Liuius apertè testatur, AEneam Iouem Indigetem nuncupatum fuisse; cum quo Festus & alij. Aliàs Indigetes dij dicti fuerunt ij, qui ex hominibus inter Deos sunt relati, quòd scilicet nullius rei egeant, vel quòd in diis agerent, qui ex hominibus ad diuinitatem peruenissent. Aliorum derivationes prudens omitto. Æneæ indigetis etiam Ouidius libro 14. Metam. & Tibullus lib. 2. meminerunt.

IOVIS INVENTORIS appellatio ab Hercule originem traxit: cùm enim Hercules cum bobus Geryonis in agrum Palatinum peruenisset, & ibi boni pabuli nactus copiam, armenta per pascua dimisisset, ipse autem labore fessus, procubuisset, somnóque se dedisset, latro quidam eius loci, Cacus nomine, paucas aliquot, Hercule dormiente, abegit, & in propinquam speluncam, vbi degebat, abdidit, quas auersas vnam post aliam caudis eò traxerat, vt quærentem indicium falleret, vestigiis in contrariam partem ducentibus. Hercules somno excitus, cùm recensuisset numerum, & aliquot boues sensisset deesse, ad speluncam Caci contendit, & Caco deuicto atque ad terram prostrato, boues suas recepit, & eduxit, speluncam etiam diruit: cúmque cædem expiasset aqua fluminis, in proximo aram Ioui Inuentori posuit, quæ est Romæ prope portam geminam, & ob iuuentas boues Deo iuuencum vnum sacrificauit. Hæc sacra, inquit Dionysius, etiam ætate mea Romani Græco ritu faciunt, quemadmodum ab illo instituta sunt. Meminit huius historiæ Ouid. li. Fast. Virg. lib. 8. AEneid. Liuius lib. 1. Ara Iouis inuentoris mentio fit à P. Victore & Onuphrio Panuinio in regione Vrbis XI. quæ dicitur Circus maximus.

IVPITER FERETRIVS à ferẽdo vel feriendo hostem dictus à Romulo cõsecratus est, testibus Liuio, Dionysio, Plutarcho & aliis. Sext. Pomp. Festus. Feretrius Iupiter dictus à ferendo, quòd pacem ferre putaretur. De templo Iouis Feretrij, quod Romulus condidit in monte Capitolino, quódq; in IIX. Vrbis Regione à P. Victore collocatur, sic scribit Liuius: Romulus

Liber.1. duce hostium occiso, Vrbem primo impetu capit, inde exercitu victore reducto, ipse cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor, spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens in Capitolium adscendit: ibiq; ea cùm ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designauit templo Iouis fines, cognoménq; addidit Deo. Iupiter Feretri, inquit, hæc tibi Victor Romulus Rex regia arma fero, templúmque iis regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico sedem opimis spoliis, quæ Regibus ducibúsque hostium cæsis me auctorem sequentes posteri ferent. Hæc templi est origo, quod primum omnium Romæ sacratum est. Hactenus Liuius. Cum quo Dionys. Romulus, inquit, in Capitolino vertice Ioui Feretrio templi spatiũ designauit non magnum. Adhuc enim seruatur vetus eius vestigium vix XV. pedum longitudine, quò infert opima de Cæninensium Rege spolia. Tecta huius templi ob vetustatem, & Romanorum negligentiam, collapsa restituit Aug. Cornel. Nepos in vita Attici. Ex hoc templo sumebãt Romani sceptrum, per quod iurarent, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent. De Ioue Feretrio extat elegia Propertij lectu dignissima sic concludit: *--- causa Feretri,*

Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

IVPITER STATOR, à sistendo dictus est, eique Romæ templum dicatum hac de causa. Cùm Sabini ad vlciscendam iniuriam sibi in raptu filiarum à Romanis illatam, arma aduersum eos mouissent, & quidem arcem Tarpeiam iam cepissent, Romanos etiam in fugam vertissent, Romulus, qui & ipse fugientium turba agebatur, manus ad cælum attollens, ferè his verbis Dei opem implorauit, & votum de ædificando ei templo fecit: Iupiter tuis iussus auibus hic in Palatino prima Vrbi fundamenta ieci, arcem iam scelere emptam Sabini habent

bent, inde huc armati superata media valle tendunt. At tu pater Deûm hominúmq; hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugámque fœdam siste. Hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monimentum sit posteris tua præsenti ope seruatam esse Vrbem, voueo, &c. Hæc ferè Liuius, cui consentit Plutarchus. Et Dionys. scribit, Iouem Statorem dictum, quòd exercitum Romuli fugientem post preces stare fecisset, & vi viribus. Alij à stando nomen eû habere volunt. Seneca contra historiæ fidem, sed tamen non malè. Statorem dictum ait, quòd eius beneficio stent omnia. In antiquis nummis conspicitur eius simulachrum, forma nuda dextra hasta nitens, sinistra fulmen habens. Templum quod ei à Romulo extructum est situm fuit in Palatij radice, vti Cicero testatur, quanquam sint qui non templum, sed delubrû à Romulo ædificatum esse velint in Circo Flaminio. Templum autem hoc à M. Attilio Regulo Consule in bello Samnitico votum, & posteà extructû: qua de re Liuij verba adscribere libet. Inter hæc, inquit (de prelio cum Samnitibus loquens) Consul manus ad prelium attollês, voce clara, ita vt exaudiretur (templum Ioui Statori vouet si constitisset à fuga Romana acies, redintegratóque prelio cecidisset, vicissétque legiones Samnitium. Et paulò post: Fabium ait scribere bellum à Samnitibus in Etruriam translatum, & ad Luceriam pugnatum: in qua pugna Iouis Statoris ędes vota sit, vt Romulus antè vouerit, sed fanum tantùm, id est, locû templo effatum, iam sacratû fuisse. Cæterùm hoc demum anno, vt ædem etiam fieri Senatus iuberet, his eiusdem voti damnatam Rempubl. in religionem venisse. Hæc ille. AP. Victore delubrum collocatur in regione IX. quæ dicitur Circus Flaminius. Templum in regione X. cui nomen Palatium. Marlianus scribit, quod tempore Neronis hoc templum exustum, nûquam fuerit restitutum. Delubrum Iouis Statoris etiam Terentius Varro, citante Macrobio, in Circo Flaminio fuisse scribit, quòd Vitruuius prope Porticum Metelli fuisse dicit. Et hoc fortasse à M. Attilio Regulo Coss. votum est. In templo Iouis Statoris Senatus nonnunquam habebatur, & Senatusconsulta fiebant, vti ex Cicerone discimus.

Lib. 1. *Lib. 1. c. 11.* *Lib. 8. Rerum diuinarum.*

IVPITER ELICIVS ab eliciendo dictus, teste Varrone, & Ouid. qui in 3. Fastor.

> *Eliciunt cælo te Iupiter, unde minores*
> *Nunc quoque te celebrant, Eliciúmque vocant.*

Aram ei in Auentino extruxit, & dicauit Numa Pompilius Rex II. de quo sic Liuius: Pontificem, deinde Numam Martium M. F. ex patribus legit, eique sacra omnia exscripta, exsignatáque attribuit. Et post pauca: Quæque prodigia fulminibus, alióve quo viso missa susciperentur, atque curarentur docuit, ad ea elicienda ex mentibus diuinis Ioui Elicio aram in Auentino dicauit, Deíntque consuluit Auguriis quæ suscipienda essent. Iuuat hic adscribere fabulam de Numa, quo pacto artem Iouis eliciendi edoctus fuerit, quam Arnobius sic recitat: Numam inquit, Regem, cùm procurandi fulminis scientiam non haberet, essétque illi cupido noscendi, AEgeriæ monitu castos XII. iuuenes apud aquam celasse cum vinculis, vt cùm Faunus & Martius Picus ad id locorû venissent haustû (nam illis aquandi solenne iter huc fuit) inuaderent, constringerent, colligarent. Sed quò res fieri expeditiùs posset: Regem pocula non parui numeri vino, mulsoque complesse, circáque accessus fontis insidiosam venturis opposuisse falaciã: illos de more solito bibendi appetitione correptos ad hospitia nota venisse: sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, vetustioribus anteposuisse res nouas, inuasisse auiditer, dulcedine potionis captos, hausisse plus nimio, obdormiuisse, factos graues, tamen bis senos incubuisse sopitis, iniecisse madidatis vincula, expergitósque illos statim perdocuisse Regem, quibus ad terras modis Iupiter possit sacrificiis elici, & accepta Regê scientia, rem in Auentino fecisse diuinam, elixisse ad terras Iouem, ab eóque quæsisse ritum procurationis, Iouem diu cunctatum: Expiabis, dixisse, capite fulgurita. Regem respondisse, Cæpitio? Iouem rursus: Humano. Retulisse Regem, Sed capillo. Deum contra, animali, subiecisse Pompilium, piscis. Tunc ambiguis Iouem propositionibus captum, extulisse hanc você: Decepisti me Numa: nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita. Numa capillo cæpitio, quoniam me tamen circumuenit astutia, quem voluisti, habeto morem, & his rebus quas pactus es, procurationem semper suscipies fulguritorum. Hactenus Arnobius. Eadem habet Plutarchus in Numa. Huic Deo cùm non ritè sacrum fecisset Tul. Hostilius fulmine ictus cum tota domo conflagrauit. Liuius lib. 1.

Lib. 1. *Li. 2. Historiarum Annalis.*

IVPITER CAPITOLINVS, qui & OPT. MAX. dictus est, quòd velit & possit omnib. prodesse, & optimus quidê ante quã maximus: quia maius sit, gratiusq; prodesse, quã magnas opes habere, teste Cicer. qui etiã alibi scribit, Iouem à pop. Ro. propter bene Opt. propter vim Maximû appellatû fuisse. Capitolini nomê habuit à monte Capitolino, in quo têplû ei conditû, & cultus diuinus institutus fuit: de quo têplo à quo primû extructû sit, quomodo conflagrauerit & à quib. restauratû sit, audiemus Tacitû. Is verò sic scribit. Vouerat hoc têplum Tarq. Priscus Rex bello Sab. ieceratq; fundamenta spe magis futuræ magnitudinis, quam quò mo-

Libro 4. Historiarum.

dicæ adhuc pop. Rom. res sufficeret. Mox Ser. Tull. sociorum studio, deinde Tarq. Superb. capta Suessa Pometia, hosti ũ spoliis extruxere. Sed gloria operis libertati reseruata. Pulsis Regibus Horatius Puluillus iterũ Cos. dedicauit ea magnificẽtia, quã immensæ posteà pop. Rom. opes ornarent potiùs, quam augerent. Iisdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto CDXV. annorũ spacio, L. Scipione, C Norbano Coss. flagrauerat. Curam Victor Sylla suscepit, neque tamen dedicauit: hoc solùm felicitati eius negatum, Lutatij Catuli nomen inter tanta Cæsarum opera vsque ad Vitelliũ mansit. Hactenus Tacitus, cum quo facit etiã Plutarchus. Sed & hoc templum, vt idem cum Tacito prodit, in Vitellij seditionib. euersũ ac dirutũ est. Quod iterũ à Vespasiano de integro refectũ, vnà cum ipsius interitu inflammatum, atq. incẽsum est. Tandem à Domitiano quartũ restauratũ est, columnis eius ex Pentelesio lapide excisis, & ad deaurationẽ ipsius XII. millibus talentorum impensis. Idem scribit, Tarquinium in fundamẽta eius tẽpli, quod primũ conditũ fuit XL. millia argenti librarũ impẽdisse. Memorabile est, quòd de hoc templo Dionysius, Liuius, Seruius, & alij scribunt, cùm id à Tarq. Prisco iam votum Superbus ædificare vellet, auguriis Deũm voluntatẽ exploraret, quĩ mons huic templo esset aptissimus, in omnibus autem Tarpeius esset inuentus, in quo erant multa diuersorum nominum sacella, factum esse, vt exinde ad alia templa numina euocarentur sacrificiis, quo posset liberè & sine piaculo tẽplum Iouis ædificare. Cùm omnes Dij libenter migrassent, Terminum solum abscedere noluisse, sed illic remansisse: tunc de ipso sacrificatum & deprehensum, quòd Terminus cum Ioue remanens æternum ibi imperium cum religione significaret. Vnde in Capitolio primam partẽ tecti patere, quæ lapidem ipsum Deum spectet. Sed & Iuuenturem abscedere noluisse aliqui notant. De magnificentiis eius Dionysius hæc tradit, sitũ fuisse, & fundatum in alta crepidine, IIX. iugerum ambitu, CC. ferme pedibus patens per latera singula, pari propemodum longitudine, atque latitudine, vix XV. pedum differentia frontẽ eius Meridiem spectantem habuisse porticũ cum triplici columnarum ordine, in lateribus autem duplici ordine: trésque ædes pares communib. contentas fuisse lateribus, mediã fuisse Iouis, à dextra Mineruæ, à sinistra Iunonis. Et quia Mineruæ numerorũ inuentio à veterib. tribuebatur, lex erat scripta, vt qui Maximus Prætor esset, clauũ iuxta eiusdem simulachrum pangeret, vnde annorum numerus cognosceretur. Liuius. In vestigio huius templi erat fictilis Summanus Deus, cuius caput de cœlo tactum decidit in Tyberim. Habebat hoc templum cellam, quam ingredi prophano non concedebatur. In qua cella coronæ aureæ erant duæ: alteram Galli Ioui Optimo Maximo consecrarunt: alteram Carthaginenses, ob partæ victoriæ in Samnites congratulationem Romam miserunt. In sacello vel delubro Iunonis, quod in hoc templo erat, anseres sacri alebantur, & in arca lapidea seruabantur libri Sibyllini. In hoc etiam templo erat aurea Victoria vel statua aureæ Victoriæ. P. Victor. Ante cellam Mineruæ erant tria signa Deorum Nixiorum de quibus alibi.

In Poplicola.

Cic lib. I. de Diuinat.

Anno CXLVI. Volumnio, App. Claudio Coss. ex bonis fœneratorũ in publicũ redactis, Cn. & Q. Ogulnij, Ædiles Curules, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Iouis, Iouémque ipsum in culmine cum quadrigis posuerunt. Liuius Anno IOLXI. M. Tuccius & P Iunius Brutus, AEdiles Curules de mulcta damnatorum fœneratorum quadrigas inauratas in Capitolio posuerunt in cella Iouis, supra fastigium ædiculæ, & XII. clypea inaurata, qualia etiã paulo ante ex multatitia pecuariorum pecunia in fastigio ædis Iouis posita fuerunt. Liuius: Iouis simulachri facies diebus festis minio illini solebat. Seruius in 10. Ecloga, & Plinius: qui etiam scribit Turianum à Fregellis Romam fuisse accitum, cui locarit Tarquinius Priscus effigiem Iouis in Capitolio dicandam. Fictilem eam fuisse, & ideò mirari solere fictiles etiam in fastigio templi eius quadrigas. Fuit in hoc templo etiam signũ Iouis Imperatoris. Ad hoc templũ victimas gratulationis causa mactabant. In hoc templo Consules eo die, quo Magistratũ inibant, singuli singulos boues immolabant, & ex eo togam sumebant. In hoc templo Imperatores ad bellum ituri vota nuncupabant, & posteà reuersi, triumphali pompa in id deducebantur. Ioui in eo sacrum faciebant, & conuiuium celebrabant. In hoc etiam templo Senatus nonnunquam habebatur. In hoc homines religionis causa incubabant. Plautus in Curculione. Sed quis omnia enumeret?

Præter hoc templum etiam aliæ duæ ædes Iouis in Capitolio fuerunt, votę à L. Furio Purpureone, vna ab ipso Prætore bello Gallico, altera ab ipso Consule, dedicatæ à Qu. Marcio Ralla Duumuiro, anno ab vrbe condita IOLXI. Liuius.

LATIALIS IVPITER à Latio dictus fuit, quòd eum Latini populi communiter cum Romanis colerent, consecratus à Tarquinio Superbo Rege. Cùm enim Turnus Herdonius insidiis Tarquinij nec datus esset, ipse verò Princeps populorum Latinorum declaratus, Volsci etiam atque Hernici in societatem recepti essent; Tarquinius, quemadmodum Diony-

nysius scribit, vt id fœdus sempiternum maneret, posuit designare commune fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, Volscorum eorum duntaxat, qui in societatem recepti erant, quo ad Mercatum conuenientes quotannis vnà epularentur, fruerentúrque sacris communibus. Gratum id fuit omnibus: locus conuentus præstitutus est in meditullio fermè harum gentium, mons altus Albanis imminens, vbi singulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis spacio, propter loci religionem, legémque de hoc latam, ab omni vi temperarent omnes, sacráque communiter Ioui Latiali facerent, & vacarent epulis, constituto prius quantum quisque populus in ea sacra præbere, quantámve portionem recipere debeat, &c. Hæc Dionysius. De feriis Latinis post dicemus.

IVPITER SPONSOR etiam à Tarquinio Superbo consecratus, templúmque ei conditum est, quod postea Sp. Posthumius Consul anno CCXXCVII dedicauit. Sic enim Dionysius libr. 9. in Vrbe ædem Iouis Fidei Sponsoris (siue Lapus vertit, Gelenius, Dij filij, puto non rectè) Sp. Posthumius Consul alter, Nonis Iuniis, dedicauit, in luco Bellonæ, locatam ab vltimo Regum Tarquinio, non tamen ab illo consecratam, sed tum demùm ex S. C. id fecit Posthumius, vt testatur eius ædis inscriptio. Hæc ille. Lilius Gyraldus putat eundem hunc esse cum Dio Fidio, de quo alibi. Collocatur hæc ædes à P. Victore in VIII. Vrbis regione.

IVPITER IMPERATOR ab imperando, quod omnibus imperet, dictus: à Prænestinis cultus est, cuius simulachrum T. Quintus Præneste in deditionem accepto Romam deuectum in Capitolium tulit, dedicauítque inter cellam Iouis, & Mineruæ, tabula sub eo fixa, quæ esset monumentum rerum gestarum. Tabulæ inscriptio hæc ferè erat: Iupiter atque Diui omnes hoc dederunt, vt Titus Quinctius Dictator oppida nouem caperet, &c. Liuius in Historia Anni CCLXXVI Onuphrius ædem quoque et Capitolio extructam fuisse putat, cùm fragmenta illa in tabulis Capitolinis ACCVS ET T. DEDICAVIT, sic legenda arbitratur: Ædem Ioui Imperatori, qui Præneste Romam actus est in Capitolio T. Quinctius T. FIL. N. Cincinnatus Imp. dedicauit. Fuit & alibi Iupiter hoc nomine cultus, verum id huc non pertinet, de quo Cicero in 6. Verrina.

IVPITER PISTOR à pinsendo dictus, cuius ara in Capitolio fuit, de quo sic Lactantius: Quo tempore Galli Capitolium obsidebant, Ioui Pistori ara posita fuit, quod Romanos Deus in quiete monuisset, vt ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hostium castra iactarent, eóque facto, soluta est obsidio, desperantibus Gallis inopia subigi posse Romanos. Meminerunt huius historiæ Liuius, Frontinus, & alij. Vide etiam Plutarchum.

IVPITER VICTOR cognominatus quòd omnia vincere putaretur. Huic ædem vouit L. Papyrius Cursor bello Samnitico, vt Liuius eodem libro docet. Quintus Fabius bello cum Samnitibus & Gallis, & construxit postea in monte Palatino, teste Liuio, & P. Victore. Huic Deo vouit, si legiones hostium fudisset, pauxillum mulsi priusquam temetum biberet sese facturum, idque votum Deis cordi fuisse.

IVPITER LVCETIVS, vt scribit Seruius, lingua Osca dictus à luce, quam præstare hominibus dicitur: ipse est enim nostra lingua Diespiter. Agellius: Lucetius, inquit, dictus Iupiter, quòd nos die & luce quasi vita ipsa afficeret, & iuuaret. Festus. Lucetium Iouem appellabant, quòd eum lucis esse causam credebant.

Idem est DIESPITER, id est, diei & lucis pater, & DYOVIS, vt Seruius & Agellius tradunt. Ædes Dyouis à P. Victore in X. collocatur Vrbis regione: à quo sit extructa, ignoratur.

VEIOVIS, qui & Veiupiter, & Vedius à Martiano appellatur, vnde dictus sit, Agellius his verbis docet: Eum Deum, qui non iuuandi potestatem, sed vim nocendi haberet (nam Deos quosdam vt prodessent, celebrabant, quosdam ne obessent, placabant) Veiouem ap pellarunt, dempta atque detracta iuuandi facultate. Particula enim ve, priuandi habet hoc loco significationem. Ædes Veiouis inter arcem & Capitolium fuit, in qua etiam simulachrum Dei, sagittas tenens, quæ paratæ sint ad nocendum: huic simulachro assistit figmentum capræ. Ea enim solet ipsi immolari. Addit Agellius, putare quosdam hunc Deum esse Apollinem. Martianus Plutonem putat. Caput ei cornutum fuisse scribit Alexander.

IVPITER LAPIS, secundùm Festum, dicebatur à lapide silice, quem in sanciendis fœderibus iuraturi tenebant, ea verba dicentes: *Si sciens fallam, ita me Diespiter, salua Vrbe arcéque, bonis eijciat, vt ego hunc lapidem.* Sunt qui Iouem Lapidem dictum esse velint, ab ipso lapide Ioue vocato, qui Saturno oblatus fuisse ab Ope, & ab ea deuoratus fingitur.

IVPITER TONANS, à tonando dictus est. Hunc Octauius Augustus consecrauit,

ædémque ei in Capitolio extruxit, liberatus periculo, cùm in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgor præstrinxisset, seruúmque prælucentem exanimasset. Suetonius. De hac æde sic Dionysius scribit: Iouis etiam tonantis templum dedicauit, de qua re duo hæc commemorantur, & in ipso tunc sacrificio tonitrua accidisse, & somnium deinde Augusto tale oblatum. Cùm propter nominis ac formę eius Iouis nouitatem, & quòd ab Augusto consecratus esset, maximè autem quòd ascendentes in Capitolium, ad eum primò perueniebant, Iupiter Tonans ab omnibus frequentaretur, & coleretur: imaginatus est in somnis Augustus, Iouem Capitolinum secum expostulare, quod secundo iam ipse loco haberetur: séque respondisse, excubitorem hunc Tonantem ei Capitolino à se esse positum: ideóque orta die tintinnabulum Ioui Tonanti appendit somnij confirmandi causa. His enim tintinnabulis ianitores nocturni vtuntur, vt si quid vsus sit significari possit. Hactenus ille. ab Auguribus etiam ante hanc consecrationem Iupiter Tonans & Fulgens appellabatur, vt testis est Cicero, quia tonitrua & fulgura ipsi tribuebantur. Hinc in veteribus nummis simulachrum semper fingitur, fulmen trisulcum manibus tenens. Fulminum figuræ in antiquis nummis tales reperiuntur.

Ivpiter Vltor dictus, quod sceleratorum impia facta vlcisceretur. Huic Agrippa ædem, quam Pantheon appellauit, consecrauit, quæ etiam Pantheon dictum, quasi τῶν πάντων θεῶν, hodie Mariæ rotundæ, & omnium Sanctorum dicitur. Aliquando Cybeli sacrum fuit, cuius Deæ caput antiqui operis & saxi, cum duobus piscibus muro templi inclusum adhuc cernitur. De eo sic Dionysius & Plinius. Iuuat etiam addere ea, quæ Fabricius in sua Roma de hoc templo retulit. Altum, inquit, est hoc templum pedes CXLIV. totidem latum, Contignationes æneis trabibus canalium modo compactæ, pedum XL. vt testatur Baptista Leo. Valuæ ingentes, item trabes ex ære Corinthio, & inauratæ, lithiostrotum varij marmoris, aræ duæ marmoreæ, sex marmoratæ, Interstitia sex columnarum spatio distantia. Testudo templi laqueata vacuis circumquaque spaciis relictis, ne nimio pondere ædificium premeretur. Nulla fenestra penitùs inest, nisi in medio foramen sphæricum, æneis inauratísque trabibus fultum, quod lumen præbet, cique in pauimento subiectum ad imbres excipiendos impluuium. Ad foramen illud in tecto quadraginta gradibus plumbeis ascenditur: ad quod tectum antequam perueniatur, bini ambitus sunt, ad quorum primum ex imo templi per centum quinquaginta gradus est eundum. Marcellinus libro decimosexto, Pantheum, regionem terentem spaciosa celsitudine fornicatam nominat. In tecto nunc sunt plumbeæ laminæ, quæ olim argenteæ fuerunt, quas Constans Imperator, Constantini iunioris filius, detraxit. Gradus ænei ante templum sublati, & saxeis permutati sunt. Ascensum ad templum fuit per gradus duodecim, nunc per totidem descenditur: ex quo intelligitur, quàm alte sit ex ruinis solum exaggeratum. Parietes nunc latericij sunt, olim marmoribus incrustati fuerunt. Inter omnia igitur Vrbis opera, nullum admirabilius, siue molem, siue artem, siue impensam consideres, nullum etiam ex antiquissimis integrius: nam nec iniectis ignibus Gothi corrumpere, aut frangere potuerunt. Hæc ille. Paulo ante dicit, Hoc templum Bonifacium III. Pontificem à Phoca Imperatore, qui rem Pontificiam auxit, atque extulit acceptum beatæ Virgini, & omnibus sanctis dicasse: fuisséque primum dictum Virginem ad Martyres: sicuti nunc à circulari forma, Sancta Maria rotunda. Dionysius. Pantheum quoque perfecit Agrippa: id sic dicitur fortassis, quòd in simulachris Martis & Veneris multas Deûm imagines acciperet: vt verò mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma conuexa fastigiatum cœli similitudinem ostenderet. Voluit Agrippa in eo Augusti quoque statuam collocare, noménque operis ei ascribere: neutrum autem eo accipiente, in Pantheo ipso Cæsaris superioris statuam suam & Augusti in vestibulo posuit. Et Plinius, Agrippæ Pantheum decorauit Diogenes Atheniensis & Caryatides in columnis templi eius probantur, inter pauca operum sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata. In honore est, & in templo illo Hercules, ad quem Pœni omnibus annis humana sacrificauerunt victima, humi stans, ante aditum porticus agnationes sitæ.

Ivpiter Conservator à conseruando dictus, à Domitiano consecratus est, quòd ipsum in seditione Vitelliana à furore hostium conseruasset: de quo sic Tacitus lib. 3 Histor. 3. Domitianus prima irruptione apud æditum occultatus solertia liberti lineo amictû turbæ sacricolarum immixtus, ignarúsque apud Cornelium primum paternum clientem, iuxta velabrum delituit. Ac potiente rerum patre, disiecto æditui contubernio, modicum sacellum Iovi Conservatori, arámque posuit, casúsque suos in marmore expressit. Mox imperium adeptus, Iovi Cvstodi, templum ingens, séque in sinu Dei sacrauit, &c. huius templi, quod in Capitolio extructû fuit, meminit etiam Suetonius in Domitiano, cap. 5. Extant etiam

etiam nummi veteres Iouis Conseruatoris simulachrum & nomen continentes, qualis etiam hic est. Maximiani,

IVPITER SOL, vel SOL HELIAGABALVS: vnde dictus alibi explicabitur.

FAGVTALIS IVPITER à fagu dictus, quæ Ioui sacra habebatur: inde eius sacellum Fagutal. Festus. Fagutal sacellum Iouis, in quo fuit fagus arbor, quæ Ioui sacra habebatur. Meminit eius & Varro, & Plinius lib. 16. cap. 10. qui etiam addit, non procul ab eo sacello & lucum fageum esse. Collocatur in regione decima, à quo extructum fuerit, incertum.



VIMINEVS IVPITER à viminibus dictus: vnde etiam collis Viminalis. Varro. Viminalis à Ioue Viminio, quod ibi aræ sunt eius, aut quòd ibi viminera fuerunt. Festus: Viminalis porta & collis appellabantur, quòd ibi viminum sylua fuisse videtur, vbi est & ara Ioui Viminio consecrata.

ARBITRATORIS IOVIS templum in decima Vrbis regione ponitur à Victore: & appellatur Pentapylon, quasi quinque portarum.

PRÆDATOR IVPITER à præda appellatus, quòd ei à præda aliquid deberetur. Seruius 3. Æneid. Romanis, inquit, moris fuit, vt bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur, adeò vt Romæ fuerit vnum templum Iouis Prædatoris, non quòd prædæ præesset, sed quod ei aliquid ex præda debeatur. Locus huius templi, & à quo fuerit consecratum, ignoratur.

MARIANVS IVPITER à Mario dictus est, qui cum cæteris monumentis templum ei condidit. In hoc Senatusconsultum factum est de reuocando Cicerone ab exilio, quod ipsi erat per somnium significatum, vt scribit Valerius.

POMPEIANVS IVPITER, Colossus fuit Iouis, ex miræ magnitudinis, sic dictus à Theatro Pompeij cuius vicinus fuit. Plin. lib. 34. cap. 7. Moles, inquit, excogitatas videmus statuarum, quas Molossos vocant, turribus similes. Talis in campo Martio, Iupiter à Claudio Cæsare dicatus, qui ideò vocatur Pompeianus, à vicinitate Theatri.

IOVIS PROPVGNATORIS ædes in Palatio fuit, cuius mentio fit in antiquo Epigrammate.

P. MARCIVS. VERVS.
IMP. COMMODO, VI. ET PETRONIO. SEPTIMIANO. COS.
A. N. P. R. C. DCCCCXLI. K. DEC.
IN PALATIO. IN ÆDE. IOVIS. PROPVGNATORIS.
IN. LOCVM. P. VERI.
L. ATILIVS. CORNELIANVS. COOPTATVS.

PVGNANTIS IOVIS templum vbi fuerit, & à quo extructum cognitum est. Fuerunt & alia cognomina quibus Iupiter fuit à veteribus insignitus, & cultus: quorum quædam ex Varrone recitantur ab Aurelio Augustino libro 7. de Ciuitate Dei, cap. 10. Dixerunt, inquit, eum victorem, inuictum, opitulum, impulsorem, statorem, centum pedum, supinalem, tigillum, almum, ruminum, & alia, quæ persequi longum est. Hæc omnia cognomina imposuerunt vni Deo, propter causas, potestatésque diuersas: non tamen propter tot res etiam tot Deos eum esse coëgerunt: quòd omnia vinceret, quòd à nemine vinceretur, quòd opem indigentibus ferret, quòd habeat impellendi, statuendi, stabiliendi, resupinandi potestatem, quòd tanquam sigillus mundum contineret, ac sustineret, quòd aleret omnia, quòd Ruma, id est, mam-

ma aleret animalia,&c.ad quem locum videndus etiam Ioan. Ludouicus Viues.Iouis Opitulatoris etiam Festus meminit his verbis: Opitulus, Iupiter,& Opitulator dictus est,quasi Opis lator. Adulto Iouis in nuptiis sacrificabatur,de quo post. Dapalis Iouis Cato libro de Re rustica meminit:fortasse sic dictus fuit,quòd ei sacra dapali epulo fierent. Sed satis hæc sint de Ioue in cuius historia prolixior fui, cùm ipse etiam pro Principe,& patre Deûm hominúmque sit habitus. Progrediamur nunc ad alios.

Ad Cap. V.

PARALIPOMENA.

De Ioue, & variis eius cognominibus.

De Ioue post tot Mythologos differere superfluum:pauca tamen remota vt puto subtexenda, ac primùm à cognominibus, in quorum multiplicia vocabula inueh tur Arnob. l. 7. *tot monstra quot Iouis nomina. Herceus Iupiter dicebatur:cui aræ intra cursum eu aulam domus alicuius priuatæ structæ erant, & quicunque Herceum Iouem hab.bant, ius ciuitatis etiam habebant*, Suidas in voce ἑρκεῖος Ζεύς. *Herceus Iupiter*. Hanc aram religiose admodum coluit Priamus & ante eam à Pyrrho tandem Troia capta fuit interfectus. Ouid. in Ibim.

Cui nihil Hercei profuit ara Iouis.

Eurip. in Troadib. Bassus Lullius vetus poëta, Antholog. lib. 1. cap. 20. τοῦ ἑρκείου τῷ βωμῷ... Πριάμῳ θύειν.

Phrygi m ad aram Priami vict mam.

Trium oculorum erat hic Iupiter, vt *terna regnandi potestas* significaretur, in *cælo aquis terra*. Cel. Rhodig. lib. 21. Antiq. lection. cap. 1. L. Scoppa lib. Collectaneorum cap. 9 meminit & L. Seneca in Agamemn. Act. 3. sc. 1.

Sparsum cruore regis Herceum Iouem

Incertus poëta, sed elegans, apud Tullium lib. 3. Thusc. quæstio. *Hæc omnia vidi inflammari: Priamo vi vitam euitari, Iouis aram sanguine turpari.* Hic est ille quem *Durateum* vocant, & quem Stenelus Capanei filius abstulit à Neoptolemo, Pausan. Corynthiac.

Dictus & *Genetius Iupiter*, à templo ei in monte *Genete* structo. est enim & montis & fluuij montem alluentis nomen, & portus expeditione Argonautorum celeberrimi, Scholiast. Apollonij Rhodij, Strabo lib. 16. vt appareat portubus etiam Iouem præfectum. locus est apud Valerium Flaccum variè legendus lib 5.

Indigena æterni rupem Iouis hinc ti i Mauors.
Dant virides post terga manus.

Primus, vt puto Angelus Politianus restituerat.

Inde Genetæi rupem Iouis, Tibarenum.
Dant virides post terga manus.

Rectissime proculdubio, nam Tybareni Chalybes populos attingunt. Pompon. Mela libro 1. cap. 21. Sigismundus Gelenius, & Hermolaus Barbarus in C. Plinium lib. 6. cap. 1. Et Lud. Carrionis MS. præferebat aliam lectionem.

Inde Genetæi rupem Iouis, inde Timanos,

Eundem *Hospitalem* dici vult Scholiastes Apollonij, quod cognomentum Romanis vsitatissimum. Seru. Honorat. ad lib. 11 Æneidos vers 735. *Lycaonem hospites susceptos necarei, à su ceptu Ioue, postquam ei epulas humanas apposuit, versus in lupum, ostendit hospitij iura esse non violanda. Græci τὸν ξένιον Δία appellant, id est, Iouem Hospitalem.* & penè paria Suidas in voce ξένιος Ζεύς. *hospitalis Iupiter*, quod nempe *hospitum curam habeat*, proindeque ne iis iniuria inferatur. & ξένιοι θεοί, *hospitales dij*, Iul. Pollux lib. 1. Onomast. cap. 1. nume. 23 Plutarch. lib *de Exilio*, ξενίου Διὸς τιμαὶ μεγάλαι καὶ μεγάλης *Iouis hospitalis muneris honores & magni.* Et in Erotico. ξένων καὶ ἱκετῶν ἀδικίας ὁ ξένιος ... *Κοινὸς Ζεὺς hospitum & supplicum iniurias hospitalis Iupiter antus vindex.* M. Cicero l. 4. de finib. bonor. & malor. *Iouem tum optimum & maximum dicimus, cùm que eundem salutarem, hospitalem, statorem hoc intelligi volumus, salutem hominum in eius esse tutela.* in MS. tamen est, *Salutarem, Hospitalem, Sospitatorem.* Eustath. in Homerum lib. 9. Odyss. vers. 270.

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
Ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Iupiter vltor est suppliciúmque hospitúmque hospitalis, qui hospitibus simul verecundis opitulantur. Notissimus est ille Virgilij lib 1. Æneid. ad finem versus.

Iupiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem, Troiáque profectis
Esse velis.

Valer. Flacc. lib. 3. Argonautic. in princ.

——cur talia passus
Arma, quid hospitiis cunctas concurrere dextras

Iupiter?

Iupiter? unde tubæ; nec sturnaque mouit Erynnis?

SABAZIVS Iupiter, vel vt alij SEBADIVS, aut vt nonnullis visum SEBASIVS. Ludou. Carrio lib. 2. Emendation. ca. vlt. vide Bacchi sacris *Sebasiis* infra cap. 11. Iul. Firmic. Matern. lib. de errore profan. Relig. *Sebazium colentes Iouem anguem cum imitantur per sinus ducunt.* Aurel. Macro. lib. 1 Saturn. cap. 18. *Item eundem in Thracia habari Solem atque Liberum accipimus, quem illi Sebadium nuncupantes magnifica religione celebrant.* meminere vetustæ inscriptiones.

IOVI SEBASIO Q. NVNNIVS. ALEXANDER.

M. S. L. M.

Et altera.

Q. NVNNIVS ALEXANDER. DONVM. DEDIT. IOVI. SABAZIO.

Isti quidem Iouis cognomen volunt fuisse, at alij contra Bacchi proprium, cui loca consecrata *Sabi* appellabantur, vt & sacerdotes eiusdem, Suid. in voce Σαβάζιος, & Mnaseas Patarensis non Liberum ipsum, sed filium eius sic vocatum contendit, apud eundem Suidam, consentiente Scholiaste Aristophanis in Lysistratam pag. 861. & eodem Auibus, pag. 583 & in Vespis pag. 432 M. Lull. l. 2. de legib. n... s ... d os, & in his colendis n... ernas per... a ... sic Aristophanes facetissimus poëta veteris comediæ, v... xat v... apud ea n Sabazius & quid... m alij ... p ... regrini iudicati, è ciuitate eiiciantur. Q... o autem Aristophanem citat, petendum ex iis, quas iam memoraui comœdiis, in Vespis in princip.

-----ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου

Vertit Christianus Florens.

Sopor me incessit ex Sabazio.

Et in auibus.

Καὶ τῷ Φρυγὶ Σαβαζίῳ,
Καὶ στρουθῷ μεγάλῃ,
Ματρὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων.

Vertit Andreas Dinus.

Et Phrygio Sabazio.
Et passeri magnæ
Matri deorum & hominum.

Idem in Lysistrata.

χ' ὁ τυμπανισμὸς, χ' οἱ πυκνοὶ Σαβάζιοι

Sonusque tympani & frequens bacchatio.

Adeundi Diodor. Sicul. lib. 4. Harpocration. Hesychius in Σαβάζιος & alij quod autem supra de angue dixerat Firmicus, intelligi potest ex Arnobio lib. 5. in hæc verba, *ipsa sacra, & ritus imitationis ipsius quibus Sebadiis nomen est, testimonio esse poterit veritati in quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus.* Certè mihi persuasum hac sola ratione Iouis esse cognomentum, non autem Bacchi, quòd consecrandis serpentes immitterentur: nam Iouem in anguem mutatum reperio, vt posset Proserpinæ commisceri, quæ à serpentibus custodiebatur, quòd eo lubentius notandum duxi, quod à nullo animaduersum intelligerem. Nonnus Panopolitan. Dionysiacon lib. 6. vers. 158.

Νυμφίος ἱμερόεντι δράκων κυκλούμενος ὁλκῷ
Εἰς μυχὸν ὀρφναίοιο διέστιχε παρθενεῶνος

Sponsus desiderabili draco circumactus tractu, in penetrabile caliginosi pertransiit virginalis loci. dixerat enim paucis ante interiectis.

ἀλλὰ δρακοντείοισιν ἐνυμφεύθης ὑμεναίοις
Sed draconteis sponsa es nuptiis.

Et lib. 9. vers. 325. vt Semelæ concubat, eandem Iupiter formam capit. quod non sum ignarus de aliis quoque diis dici, vt antea annotabam in *Serapide*, & de *Apolline* C. Sueton. in Augusto cap. 94. ex Asclepiade Mendete. *Acciam cum ad solemne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lecticasdum cæteræ matronæ obdormirent, obdormisse, Draconemque repente irrepsisse ad eam, pauloque post egressum, illamque expergefactam, quasi à concubitu mariti purificasse se, & statim in corpore eius extitisse maculam, velut depicti draconis nec potuisse vnquam eximi, adeò vt mox publicis balneis perpetuò abstinuerit, Augustum natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum.* Vt Accia, ab Apolline serpentis formam gerente, grauida facta est, ita Olympias à Ioue eandem figuram gerente, Alexandrum Magnum concepit. de vtroque Sidon. Apollinar. Carm. 2. vers. 121.

Magnus Alexander necnon Augustus, habentur.
Concepti serpente Deo, Phœbumque, Iouemque
Diuisere sibi, namque horum quæsiit vnus
Cynifta sub specie patrem maculis genitricis,
Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi.

De Augusto solus Suetonius quod sciam inter historicos prodidit, quod & de P. Scipione traditum apud A. Gellium lib. 7. noct. Atticar. cap. 3. at de Alexandro idem A. Gellius lib. 13. cap. 4. *opinionem ille ingentibus victoriis, & adulantium blandimentis, & rebus supra fidem prosperis imbiberat genitum esse se de Ioue.* Ob id puto, Corinthij statuam ei Iouis habitu erexerunt, Pausan. Corinthiac. & apertius narrat M. Iunianus Iustinus lib. 11. *Namque mater eius* (Alexandri) *Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse.* P. Victor in Galerio Armamentario. *insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis Alexandri Magni creatricis, compressam dracone semet concepisse.* Seru. ad vers. 321. lib. 6. Æneid. *multi ad gloriam nominis simulant se*

tat, vt suspicer non eundem esse authorem. adde tres tantummodo libros huius Apollodori superesse, quum eum libro decimo quarto *περὶ θεῶν* citet Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 17. Sed satis de Apollodoro, ad Saturnum redeo.

Hunc deum præ aliis vinculis operatum finxerunt, & à filio per vim interceptum, catenatum, pœnísque addictum. rationem pete ex Luciano li. de Astrologia apud Christophorum Rufum in Antexegematis. Sylla apud Plutarchum ait Insulam quandam esse in *Croniomari*, vbi barbari vinctum à Ioue Saturnum fabulantur. Sic Poëtæ intelligendi. Palladas lib. 1. Antholog. cap. 69.

Εἰ δὲ τοὺς ἀνδροφόνους εὐδαίμονας ὄντας ὁρῶμεν
οὐ πάνυ θαυμάζω, τοῦ Διός ἐστι γέρας.
Τὸν γὰρ γεννήσαντα μεμισηκὼς, καὶ ἐκεῖνος
Κτεῖναι ἄν, εἰ ὁ Κρόνος θνητὸς ἐτύγχανεν ὤν.
Ἀντὶ δὲ τοῦ κτεῖναι, σὺν τοῖς Τιτᾶσι κολάζει,
δέσμιον ὡς λῃστὴν εἰς τὸ βάραθρον ἱείς.

Quod homicidas beatos esse videmus, non adeò miror: munus enim hoc Iouis est, nam parentem odio habens & ipse occidisses, si Saturnus mortalis fuisset, sed pro homicidio ipsum cum Titanibus punit, dum ipsum vinctum tanquam latronem in tartara mittit. Hercules furens ille à Seneca introducitur in tragœdia eiusdem nominis Act. 4. sc. 1.

Dubitatur etiam? vincla Saturno exuam,
Contráque patris impij regnum impotens
Auum resoluam.

Papin. Stat. lib. 8. Thebaid. vers. 44.

——Habeo iam quassa Gigantum
Vincula, & æthereum cupidos exire sub axem
Titanas, miserúmque patrem.

Quem locum sic exposuit Aegidius Mascerius in doctis Commentariis ad Valerium Flaccum lib. 3. Argonaut.

——Fundo veluti cùm Cœus in imo
Vincla Iouis fractóq; trahens adamante catenas
Saturnum Titanésque vocat.

Claudian. lib. 1. de raptu.

Si dictis parere negas, patefacta ciebo
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas.

Inde in omnibus fanis Romanorum vincula statuis Saturni iniecta erant, quæ festo ipsius soluebantur, in memoriam securitatis & felicitatis quam sub illo egerunt homines, Lucian. in Saturn. Arnob. contra gentes libro 4. *nunquid parricidij causa vinctum Saturnum, & suis diebus tantùm vinculorum ponderibus releuari*, eóque puto Martialem allusisse lib. 3. epig. 29.

Has tum gemina compede dedicat catenas
Saturne, tibi Zoile, annulos priores.

Stat. lib. 1. sil. vlt.

Saturnus mihi compede exolutus,
Et multo madidus mero December,
Et ridens Iocus, & sales proterui Adsint.

Nec Saturnus modò vinctus, sed & alij, dicam infra vbi *de tutela vrbis* agam. sed quia Saturnaliorum facta est mentio, paucula mihi obiter de iis dicenda, licet sciam Iustum Lipsium elegantissimos duos, & exquisitæ lectionis libros eo titulo scripsisse, & ante illum diligentissimum antiquitatis inuestigatorem Macrobium, sed illi vberem ex omnibus pene probatis scriptoribus messem, ego racemationes & specilegia tantùm colligo.

Ac primum *cessabat Senatus*, neque conuocari poterant patres, neq; iudicia vlla peragi. Sueto. Augusto cap. 32. & ob id nec causidici in forum ventitabant. Martial. lib. 7. epig. 27.

Sic fora mirentur, sic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.
Otia tum medius præstat tibi parua December,
Exipe sed certa quos legis aure iocos.

Et rectè *medius December* quia 14. *Calend. Ianuarias celebrata Saturnalia.* Aurel. Macrob. li. Saturnal. cap. 10. in principio, L. Sen. epist. 18. C. Sueton. Calig. ca. 6. in MS. autem vltimus versus aliter habetur, sed paruo discrimine.

Exigua, & certa quos legis aure Iocos.

Feriæ etiam studiorum, clausæque scholæ C. Plin. Iunior lib. 8. epist. 7. *neque vt magistro magister, neque vt discipulo discipulus, sic enim scribis, sed vt discipulo magister, nam tu magister, ego contra atque idèò tu in scholam reuocas, ego Saturnalia extendo, librum misisti.* Mar. lib. 5. epist. vlt.

Iam tristis nucibus puer relictis,
Clamoso reuocatur à magistro,
Et blando male proditus fritillo
Arcana modo raptus à popina,
Ædilem rogat vllus aleator,
Saturnalia transiere tota.

Dona passim per vrbem conferebantur, vt sexcentis locis è Martiali & aliis obseruarunt critici. & *Saturnalitia*, *dona Saturnalibus missa* interpretatur Laurentius de la Barre ad Qu. Tertulliani librum *de fuga in persecutione*. *Togas* exuebant, *Synthesis* induebant, vide præter alios, interpretes Martialis ad lib. 5. epig. 80. plena tunc ludendi comedendíque cum dominis seruis libertas, vt recoleretur memoria aurei & prisci sæculi, quo *summa inter dominos & seruos æqualitas paritásque* erat. vt poëtæ passim, & præ aliis Albius Tibull. libro 1. eleg. 3. Freculph. Chronic. Tom. 1. lib. 2. cap. 15. C. Iul. Solin. polyhist. cap. 3. *in Martio matronæ seruis suis cœnas ponebant, sicut Saturnalibus domini, illæ vt hoc re promptius in obsequium prouocarent, hi quasi gratiam repensarent perfecti laboris, & Verus Augustus vernas in triclinium saturnalibus & diebus festis semper admittebat.* Iul. Capitolin. in vita eius, adscribam propter elegantiam fragmen-

mentum Accij veteris Tragici ex li.1. Annalium, citante Prisciano Cæsariensi lib.5.

Maxima pars Graiûm Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Quúmque diem celebrant, per agros, vrbésque ferè omnes,
Exercent epulas læti famulósque procurant
Quisque suos, nostrique itidem, & mos traditus illinc.
Iste, vt cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

Primus versus aliter legitur in Macrobij editione Lugdunensi, lib.1. Saturnal. c.7. quod Henricus Stephanus notat.

Maxima pars Graiam Saturno, & maxime Athene
Conficiunt sacra.

D. Auson. eclogatio de mensibus.

Aurea nunc reuocet Saturni festa December,
Nunc tibi cum domino ludere verna licet.

Plura infra li.4. c.16. ærarium in eius templo publicáque pecunia & tabularia populi Romani, vt docebo infra lib.7. ca.31. Illi sacrum aperto fiebat capite, cum aliis diis tecto. Fulgent. lib.1. Mytholog. *velato vero capite ideo fingitur,* (Saturnus) *quod omnes fructus foliorum obnupti tegantur vmbraculo.* Fest. Pompeius lib. 17. *Saturnia, Italia, & mons qui nunc est capitolinus, Saturnius appellabatur: quod in tutela Saturni esse existimantur, Saturnij quoque dicebantur, qui castrum in imo cliuo Capitolino incolebant, vbi ara dicata ei deo ante bellum Troianum videtur, quia apud eam supplicant apertis capitibus, nam Italici auctore Ænea velant capita, quod is cùm rem diuinam faceret, in littore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Vlysse cognitus interrumperet sacrificium, caput adoperuit, atque ita conspectum hostis euitauit.* & post. *Saturno sacrificium fit aperto capite.* Idem lib. 10 *lucem facere dicuntur Saturno sacrificantes, id est capita detegere,* scio illud & in Herculis sacrificio factitatum, vt notatum aliis ex Aurelio Macrobio li. 3. Saturn. ca.6. sed illud de huius dei ceremoniis debere intelligi, facile est, & obuium ex Seruio Honorato argumentum, qui ad lib. 3. Æneid. *sane sciendum,* inquit, *sacrificantes diis omnibus caput velare consuetos, ob hoc ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur, quia Saturno capite velato incedit.* Emendauit doctissimus Meursius Exercit. parte 2. c. 21. *quia Saturno capite velato ibi cernitur.* & ipse Virgilius loco laudato.

Et positis aris iam vota in littore soluet,
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.

PARALIPOMENA.

De Cybeles Sacris, Archigallis, Tympanis, buxo, cymbalis.

De Cybele, Rhea, aut *Berecynthia* seu *magna deorum matre,* omnia vulgata, & quod eius nomine intelligatur *terra,* communis omnium mater, docuerunt abundè naturalis historiæ scriptores. hinc & T. Lucret. lib. 2. de Nat. rer.

Muralique caput summum cinxere corona,
Eximiis munita locis quod sustinet vrbes.

Multa Dionys. Lambinus ibi. Seru. ad v.113. lib.3. AEneid. *quod autem turritam gestat coronam, ostendit superpositas terræ esse ciuitates, quas insignitas turribus constat.* idem ad lib.10. AEneid. v.254 *ciuitates turritæ, quas terra gerit, vnde cum turrita corona mater deûm pingitur.* & ipse Virgilius.

Alma parens Idæa deum, cui dindyma cordi,
Turrigeræque vrbes.

Nec plures in re obuia citabo: vnus Claudianus satis erit, is lib.1. de Raptu.

Non buxus, non æra sonat, blandique leones
Submisere iubas, adytis gauisa Cybelle
Exilit, & pronas intendit ad oscula turres.

Et lib.2 in Eutropium.

Aurea sanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris, summóque volutus
Vertice crinalis violatur puluere murus.
Obstupuere truces omen Corybantes.

Et lib.3. de laud. Stilich.

—Huc orgia secum
Transtulit: & Phrygios genitrix turrita leones.

Interim supplendus Fulgentius Mythologicon lib.3. cuius codici inhæsit hactenus mendum, *ideo turrita pingitur, quod omnis potentiæ elatio sit in capite, ideo leonum curru præsidens, quia omnis potentia regno ornata sit,* qui locus mancus est procul dubio, nec sensus complecti, itaque supplendus ex MS. hoc pacto. *Ideo leonum curru præsidens; quia omnis potentia etiam virtuti dominatur, ideo multiplici veste, quod omnis potentia ornata sit,*

Cybelem eandem etiam esse cum *dea Syria* docuit Philippus Beroaldus in Annotation. in var. author. nominis etymologia Festo libro 3. traditur sic. *Cybele mater, quam dicebant magnam, ita appellabatur, quod ageret homines in furorem, quod Græci κυβῆν dicunt; Cybele verò eadem dicta à loco, qui est in Phrygia,* malim à luco, nam lucum pineum ei sacrum fuisse, docebo paulò infra. & pro κυβῆν, malim κυβιστᾶν. At Fulgentius supra *Cybele, quasi κύβος κλέους, firmitas gloriæ.* Seru. proximè citatus [illegible]

τυλίττειν τὸν αὐχένα, à capitis rotatione, quod proprium est eius sacerdotum. L. Apul. libr. 8. Milesiar. *diuque capite demisso ceruices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes, in circulum, & nonnunquam suos incursantes musculos, ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecant.* aut vt in MS. melius, *dissicant*. Sidon. Apollinar. Carm. 5.

—Ferisque lacerta.
Dissicit ancipiti miserabile sinciput ense.

Martian. Capell. lib. 2.

Aurora primo consanguistans habitu
Surgens fenestras dissicarit luminis.

Sic. Italic. lib. 3. Punicor.

Impactum pelagus laceratae viscera terrae
Dissicit

Paul. Silentiar. lib. 7. Anthol. epig. 46.
Certe igitur *caput torquere, crinem rotere, totúmque corpus circumagere* solebant *Corybantes*, aut vt loquitur Nonius Marcell. ca. 4. *Iactare: id est excutere, mouere.* Varro Terentius apud Nonium in *castum*.

Nam qua venustae hic adest Gallantibus.
Quae casta vestis?

Gallantos sunt insani, furiosi à Gallis matris deûm. Turneb. li. 29. c. 10. Eudæmonibus, vel vt in aliis, in Eumenidib.

—Tibi nunc semiuiri teretem comam
Volantes iactant Galli.

C. Tacit. lib. 11. Annal. *ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, iuxtáque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput.* Vlp. IC. li. 1. ad Edictum curulium. *apud Viuianum quaeritur si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, & aliqua profatus esset, an nihilominus sanus videretur.* Plutarc. lib. 1. Symposiac. cap. 6. & Guiliel. Budæus ad legem dictam in annotationib. doctissimis ad Pandectas. Æl. Lamprid. in Heliod. *iactauit autem caput inter praecisos fanaticos.* Claudian. lib. 2. in Ruffinum.

Iam regale tumens, & principe celsior ibas,
Colláque foeminea iactabas mollia gestu.

Idem lib. 2. in Eutrop.

Quis melius vibrata puer vertigine molli
Membra rotet.

M. Lucan. lib. 1. v. 565. Pharsaliæ.

Crinemque deos animúmque rotantes
Sanguineum, populis cecinerunt tristia Galli.

Æra, tympana, & *buxus* in huius sacris locum habebant. lib. 3. AEnei. *Corybantiáque aera.* & Claudian. lib. 1. de raptu supracitatus. *non buxus non aera sonant.* sic Sil. Ital. lib. 17.

Circum arguta cauis tinnitibus aera, simúlque
Certabant rauco sonantia tympana pulsu,
Semiuirique chori.

Ouid. lib. 3. Fastor.

—Ida sonat tinnitibus aeris acuti.
Tutus vt infanti vagiat ore puer.

Et lib. 5. Fastor.

—Tinnitus aera repulsa dabant.

Vbi æra putem non tympana tantùm significari. *aerea.* aut *ferrea*, licet sciam Dactylos Idæos ferrum inuenisse: quod multi prodiderunt. Freculph. Chron. tom. 1. lib. 2. c. 20. sed etiam & nolas. Stat. lib. 1. Achill.

—Paulumque exercita pulsu
Æra tacent.

Auson. Epist. 25. qui locus elegans.

Cymbala dant flictu sonitum, dat pulpita saltu
Icta pedum, tenuis reboant caua tympana tergis,
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus,
Nec Dodonaei cessat tinnitus aheni,
In numerum quoties radiis ferientibus icta
Respondent dociles moderato verbere pelues.

Campanarum igitur seu nolarum vsus in sacris Cybeles, aut matris deûm receptus, vt ex variis authoribus probat Hadrianus Iunius li. 3. Animaduersor. cap. 11. erant & in ostiis, ad pulsum ciendum, quo Ianitores euocarentur. viri docti ad C. Suet. in Augusto ca. 91. *cum dedicatam in capitolio aedem Tonanti Ioui assiduè frequentaret, somniauit queri Capitolinum Iouem sibi cultores abduci, seséque respondisse, Tonantem pro Ianitore ei appositum, ideoque mox tintinnabulis fastigium aedis redimiuit, quod ea fere ianuis dependebant.* Præterea apud Græcos vigiles in custodiendis ciuitatum muris, tintinabulis mutabantur, Thucidid. lib. 4. ad finem. Illud quoque à doctis animaduersum est ante triumphantis currum nolam geri solitam. Zonaras Monachus Drungarius Tom. 2. Annal. in Camilli triumpho pag. 32. Cuius rei ea ratio *ne triumphator superbiret supra quam par esset, sed ut sciret se legibus subditum, & posse vel extremo affici supplicio, aut nolam sontibus appendi solitam gestare*, quod ob id factum *ut ciuis aut carnifici, aut damnato occurrens pollueretur.* M. Accius Plautus Pseudolo Act. 1. sc. 3.

—Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis.
Eodem duo greges virgarum inde vlmearum adegero
Vt hodie ad litationem huic suppetat satias Ioui.
In malam crucem istic ibit Iupiter lenonius.

Sed ad Curetas aut Corybantes magnæ matris sacerdotes redeo, qui & *Idaei Dactyli* dicti. Solin. Polyhist. cap. 17. & *Lares*. Iul. Hygin. Fabular. c. 139. his qui præerat *Archigallus* nominabatur. Flor. Tertullian. lib. de Resurrect. carn. *Et tamen calicem non dicam venerium, in quem mors aliqua ructarit, sed sistricis, vel Archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum, quaero an minus damnes quam oscula illorum?* ubi quid per sistricem

ftricem intelligat ego ingenue fateor me hactenus ignoraffe, itaque puto legendum, *Frictricis*, nam impudicæ, lamiæ, balneatrices, aut quadrantariæ feminæ, vt eft apud Quintilianum, frictu Pruriginem concitabant, fed nimium in re tam obfcœna velitatum, ita Laurentius de la Barre legit, alij *Archibutrix*, vt fit gladiatoris nomen, Guiliel. Canter. Nouar. lection. lib. 4. ca. 11. fed cum gladiatoris mentio à Tertulliano deinceps habeatur, puto priorem lectionem meliorem. huic in omnes Gallos feu Cybeles facerdotes erat fummum imperium. Idem Tertullian. Apologet. cont. gent. cap. 24. *Archigallus ille fanctiffimus, die 9. Calend. Apriles quo fanguinem impurum lacertos quoque caftrando libabat, pro falute imp. veteris M. rci iam interrupti, idem æque imperia mandauit.* Hic primus Cymbala prælata in illis facris pulfabat. D. Iuuenal. Sat. 9. v. 62.

Cymbala pulfantis legitimum fiet amici.

Vetus Scholiaftes. *Archigalli cymbala percutientes, ac per hoc Gallos inquit, legetur, id eft, legatario donabitur.* Ita intelligo Claudianum lib. 1. in Eutrop.

Vel fi facra placent, habeat pro Matre Cybellen
Ritu & Celænæos ad tympana difce furores:
Cymbala ferre licet, pectúfque illidere pinus,
Inguinis & reliquum Phrygiis abfcindere cultris.

Cymbala ferre, recte dictum, ad officium Archigalli defignandum. M. Varro ὄνος λύρας. *non vidifti fimulachrum leonis ad Idam è loco, vbi quondam eum quum vidiffent quadrupedem Galli tympanis adeò ferant manfuetum, vt tractarent manibus.* T. Lucret. lib. 2.

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concaua.

Atque inde quofcunque effæminatos, tympana vel cymbala geftare dicebant. M. Plaut. Trucul. fc. Ite.

Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticolum
tympanotribam
Amas? hominem non nauci?

Quod fcilicet eneruatiffimi molliffimíq; & effent, & haberentur hi galli, qui Matri magnæ, cum tympanis operabantur. Virgilius li. 4. Georg. v. 64. *matris quate cymbala circum.* Ariftænæt. libr. 1. epift. 10. & τυμπανισμοὶ Florenti Chriftiano vertitur, *fonus tympani in lyftrata.* Ariftophanis pag. 860. P. Ouid. Epift. Phædræ Hyppolyto.

Quæque fub Idæo tympana colle fonant.

Nec tantùm in Cybeles facris vfus Cymbalorum & tympanorum, fed etiam in Bacchi orgiis, Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 496.

—Rotat enthea thyrfum
Baffaris, & madidis Erythræa Nebridas horrens,
Excitat Odryfios ad marcida tympana myftas

Valer. Flac. Argonaut. li. 7. de Penthei cæde.

Tympanáque & mollem fubito prior accipit haftam.

Et lib. 8. in fine.

—Qualem Ogygiæ cùm tollis in arces
Bacchus, & Aonis illidis tympana truncis.

Secundus vetus poëta in Anthologia lib. 4. c. 12. epig. 63.

τύμπανα καὶ θύρσους βρομίῳ, [illegible]
Tympana & thyrfum Bacchi & Ionis fulmen.

Pinus ei dicata, propter *Atyn* puerum formofum, fibique dilectum, fub illa arbore iacentem. Seruij narratio eft fufa lib. 9. Æneid. v. 116. *vel in eam Attis fuit mutatus*, vt eft in Ouidio lib. 10. Metamorphof. vt alios omittam, eleganter defcripfit Q. Catullus Epigr. 61. vbi formæ elegantiæ præclarum encomium, folemnífque ritus facrificiorum defcribitur, omnia funt pulcherrima, fed tollendum tamen inde mendum, fic ergo ipfe Atys,

Ego mulier, ego adolefcens, ego Ephebus,
Ego puer,
Ego gymnafij fui flos, ego eram decus olei.

Quid? Atys mulier? forteam effæminatorum vtibus applicandus, at non ille in eum deæ amor. lege igitur.

Ego inuber, ego adolefcens.

Inuberes etiam oftreas A Gellius, lib. 20. ca. 7. *inuberes macræque effent, inuberes infantes* Feftus Pompeius dixit. Luctat. Placid. ad libr. 10. Thebaid. v. 146. *Pinus quæ colitur in facris Matris deûm, fub qua iacuit Attis Matri deûm dilectus,* & ipfe Statius.

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cauernis
Elicit ex adytis, confumptáque brachia ferro
Scire vetat, quati ille facras in pectora pinus,
Sanguineó que vetat crines.

Accius in Bacchis apud Nonium cap. 10. nu. 12.

Lætum in Parnaffo inter pinos tripudiantem,
In circulis ludo, atque tædis fulgere.

Virgilius inducit Cybelem Iouem alloquentem lib. 9. Æneid.

Pinea fylua mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit fumma,

Seru. Maurus ibi. *Pinus in tutela matris deum eft.* & ad v. 116. eiufdem lib. *Mater magna iuffit vitis vt quotannis in facris fuis plangeretur, pinúmque arborem fub qua iacuerat, tutelæ fuæ adfcripfit. & effecit vt cultores fui viriles partes fibi amputarent, qui Archigalli appellantur.* Arnob. lib. 5. Cont.

gent. *quid sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in deûm matris intermistitiis sanctuario? nonne illius similitudo est arboris, si qua sibi furens manus & infœlix adolescentulus intulit, & genitrix diuûm in solatium sui vulneris consecrauit?* Et eodem libro ad finem. *Pinus illa solenniter quæ in matris infertur sanctum deæ, nónne illius imago est arboris, sub qua sibi Atys virum demessis genitalibus abstulis? & quam memorant aut diuam in solatium sui consecrauisse mæroris?* Claudian. lib. 1. in Eutrop. supra laudatus, & lib. 1. de raptu.

Hic sedes augusta deæ, templique colendi
Religiosa silex, quam pinus obumbrat
Frondibus.

Sed nouam rationem allatam audiamus ex Aurelio Prudentio in Romano Martyre.

An ad Cybelles ibo lucum pineum?
Puer sed obstat Gallus ob libidinem.
Per triste vulnus, perque sectum dedecus,
Ab impudicæ tutus amplexu deæ.
Per multa matri sacra plorandus spado.

Audiendus & Iul. Firmicus de errore profanar. Relig. *in sacris Phrygiis quæ matris deûm dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media arbore simulachrum iuuenis subligatur.* Denique & in eius tutela buxum reponunt, quod ex illa arbore fistulæ fierent. Luctat. Placid. lib. 8. Thebaid. Stat. vers. 221. lib. 6. AEneid. *biforem dat tibia cantum*, & de modo Phrygio seu lugubri, alibi dicendi est locus. poëtas tantùm aduocabo. Claudian. libr. 1. de raptu.

Non buxus, non æra sonant.

P. Virgil. in Ceiri. v. 166.

Sæpe velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,
Illáve barbarico Cybeles antistita buxo
Infœlix virgo tota bacchatur in vrbe.

Valer Flacc. Argonautic. lib. 2.

—— Sacris hinc ignibus ida
Vibrat, & horrisona respondent Gargara buxo.

Sidon Apollinar. Carm. 9. v. 202

Non hic Dindyma, nec crepante buxo
Curetas Berecynthiam sonantes.

Papin. Surcul. Stat. lib. 2. Thebaid. v. 663.

—— Celanta committere prælia buxo.

Et lib. 5. v. 94.

—— Cùm sacra vocant, Idæáq; suadet Buxus

Et lib. 8. v. 221.

—— Gemina æra sonant, Idæáque terga,
Et moderata sonum vario spiramine buxus.

Nec tantùm in sacris Berecynthiæ, sed etiam & Bacchi vsus erat *buxeæ fistulæ*, fortè quod *immortalitas deorum maiestati conueniret, & hæc arbor cariem nunquam patiatur*, vt ex rerum naturalium scriptoribus proditum est, & in sacris Liberi patris buxum receptam loquitur Statius idem, & Luctatius exponit tibiam ad v. 480. lib. 9. Thebaid.

Fœmineis experta choris cum bacchica mugit
Buxus, & insanæ maculant trieterida matres.

Nisi fortè placet ratio ab Andrea Alciato eruditissimo IC. Emblem. 207. quæ mirè amoribus Cybeles quadrat.

Delitiis apta est, teneris & amantibus arbor:
Pallor inest illi, pallet & omnis amans.

Illud autem obliuiscendum non duxi, huius tibiæ inuentores esse Phryges in honorem huius deæ. Iul Pollux. Onomast. li. 4. cap. 10. Num. 1. & tibiæ quidem materia ponitur ab eodem κάλαμος, ὁ χαλκὸς, λωτὸς, ὁ πύξος, ὁ κέρας, *arundo, æs, lotus, buxus, cornu.* eodem libr. cap. 9. Num. 6.

Porro quum tam multa de his sacris, & tam varia plerique tradiderint, mirum venationem non commemoratam ipsius deæ, & Atyos, quum multis Catullus epigr. 62. eam prosequatur. ego locum ex Iulio Firmico, eleganti mehercule de errore profanarum religionum libro, producam. *Tauribolium, vel Cribolium scelerata te sanguinis labe perfundit.* antea malè legebatur. *Tauribolum, vel Oriobolium.* scio in Suida legi ταυροπόλος Dianam dici, quod *omnia vt taurus circuit.* & eadem *quod prosternat feras,* ταυροβόλος appellata est, eodem authore. Helychius Grammaticus ταυροπόλη, ἡ ἄρτεμις. *Tauripola, Diana.* At non Dianæ hæc cognomina soli conuenire; sed etiam Magnę matri, loquuntur duæ inscriptiones vetustæ, quas à Ioanne à VVonner subministratas hic apponam.

M. D. M. I. E. T. ATTINIS.
L. CORNELIVS SCIPIO. ORFITVS.
V. C. AVGVR. TAVRIBOLIVM.
SIVE CRIOBOLIVM. FECIT,
TVSCO, ET ANVLLINO. COSS.

Alterius inscriptionis hæc sunt verba.

DIS MAGNIS.
MATRI. DEVM. ET. ATTIDI. SEXTILIVS
AGESILAVS.
ÆDISIVS. V. C. CAVSARVM. NON. IGNOBILIS.
AFRICANI TRIBVNALIS. ORATOR
TAVRIBOLIO.
CRIOBOLIÓQVE. IN ÆTERNVM. RENATVS.
ARAM SACRAVIT DD. NN. VALENTE. V.
ET VALENTINIANO. IVNIOR. AVGG.
COSS.

Quando illa in vrbem recepta fuerint sacra Pessinuntémque missi, qui deam arcesserent, quid attinet dicere? cùm ex Strabone Amaseno lib. Geograph. 10. peti possit, & historicis, T. Liuio 3. Decad. l. 9. C. Sueto. in Tiber. cap. 2. Sil. Italic. lib. 17. Punicor. in principio & aliis.

CAP.

Capvt V.

De Ioue.

Historiam Deorum incipi à Ioue, æquum erat si communem veterum opinionem, qui eum pro summo & principe Deorum habuerunt, sequi voluissem: sed plus apud me valuit ordinis ratio, quæ parentes filio præponi suadebat. Cùm igitur de Iano, qui Deus Deorum in Carminibus Saliaribus dictus fuit, tum de Saturno & Rhea, siue Ope hactenus dixerim, sequitur iam Iupiter de quo hoc capite agemus.

Ivpiter, secundùm Agellium, Macrobium, & alios, dicitur quasi iuuans pater. Cicero Ipse Iupiter, id est, iuuans pater, quem conuersis casibus appellamus à iuuando Iouem, à Poëtis, Pater diuúmque hominúmque dicitur. Sunt qui Iouis nomen ab Hebraico יהוה Iehoua ortum esse velint, quod à veritate non videtur vsque adeò esse alienum. Ioues, inquit Cic. tres numerant illi, qui Theologi nominantur: ex quibus primum & secundum natos in Arcadia, alterum patre Aethere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt & Liberum: alterum patre Cœlo, qui genuisse Mineruam dicitur, quam principem & inuentricem belli ferunt. Tertium Cretensem Saturni filium: cuius in illa insula sepulchrum ostenditur. Varro alicubi scribit, se ex varia lectione Ioues CCC. inuenisse, qui hinc inde in terrarum orbe fuerint culti. Sed nos de Cretensi Ioue dicemus, qui Saturni & Rheæ siue Opis filius fuit, de quo, quis fuerit, & quibus de causis diuini honores ipsi sint exhibiti, hæc tradit Diodorus Siculus. De Iouis genere, atque imperio dubitatur: nam quibusdam placet, postquam Saturnus ad Deos transiit, suscepisse regnum, non vi expulisse, iustè & legitimè regno potitum. Alij Saturno volunt in ortu filij responsum, fore vt ab Ioue vi regno pelleretur. Quæ res Saturnum impulerit, vt filios sæpiùs perimeret. Id ægrè ferens Opis, cùm viri animus placari non posset, Iouem in Ida ab se editum, clam nutriendum Curetibus iuxta Idæ montem habitantibus dedit. Hi in antrum ad Nymphas, commendata illis infantis cura, detulerunt. Lacte capræ, quæ Amalthea dicta est, milléque educatus est. In Ida antrum, vbi nutritus dicitur, sacrum est & circa illud, prata manent intacta. Capræ, quæ eum nutriit, & alij sunt honores impensi, & locus eius est Aegiocus vocatus. Adolescentiam egressus, in Ida, vbi genitus est, ciuitatem condidit, cuius postmodum destructæ etiamnum extant reliquiæ. Excessit hic Deus fortitudine, & cæteris virtutibus omnes: accepto enim post Saturnum regno maxima, plurimáque contulit ad hominum vitam. Primus omnium iustitiam docuit mutuò seruari inter mortales, omni vi atque iniuria remotis. Lites ac contentiones iudicio auferens, singula, quæ ad bene viuendum, ac pacem pertinerent, summa ope procurans. Bonos ad virtutem exhortatus est: improbos timore coërcuit ac pœna: omnem penè orbem circumiens, bello impiis ac prædonibus indicto, æquitatem ac leges introduxit. Per id tempus & Gigantes ab eo sublatos aiunt: in Creta quidem Milinum, in Phrygia Typhonem. Ante pugnam, quæ cum Gigantibus in Creta habita est, Iouem sacrificasse dicunt Soli, cœlo, ac terræ bouem. Quæ sacra Iouem fore superiorem portendentia, primùm vires, & ab hostibus defectionem, tum finem belli futurum monstrârunt. Musæus quippe ab eis desciuit, obque id ei honores tributi: à Diis autem omnes hostes cæsi sunt. Sed & alios quoque Diis præsidium belli tulisse aduersus Gigantes constat. Macedones quidam circa Pallenem, in campo quem olim à loci conflagratione Phlegrum, postmodum Cymæum cognominarunt. Animaduersum esse ab Ioue in Gigantes ob eam causam dicunt: quod magnitudine ac robore corporis confisi aduersíque legibus & multa egerint in homines iniusta, & propinquas gentes in seruitutem redegerint, bellúmque his intulerint, qui ob singularia in omnes nationes beneficia Dij sint existimati. Feruntur ab Ioue non solùm impij, nefariíque deleri, sed etiam Diis, heroibúsque ab hominibus benemeritis honores impensi. Propter eius beneficentiam, imperiíque magnitudinem omnium consensu & regnum perpetuum tributum est, & habitatio in Olympo. Sacrificia insuper illi super cæteros statuta. Postea verò quam in cælum delatus est, memoria nominis eius animis hominum, in quos beneficia contulit, adeò infixa permansit, vt omnium, quę in cœlo fierẽt, velut imbriũ, tonitruũ ac fulminum, ceterorũmq; eiusmodi potens existimaretur. Itaq; quòd vitæ causa hominib. esse videretur, cùm fructus terræ ad maturitatem perduceret, Iouẽ dixere. Patrem verò, tum quia singulorum susceperit summa cum beneuolentia curam, tum quia tanquam Dux hominibus extiterit rectè viuendi: imperator ac rex, ob imperij amplitudinem: consultor ac prouidus, propter consulendi prudentiam appellatus est. Hactenus Diodorus: vnde discimus, quæ prima origo colendi Iouis fuerit. Simulachrũ eius pro diuersa illi potestate attributa, variè fuit effictum. Pingebatur, vt ait Albricus, in throno eburneo in

Lib. 3. de natura Deo. Lib. 5. cap. 15.

ſua maieſtatis ſede ſedens: ſceptrum regium in manu ſiniſtra tenens: altera verò fulmina ad inferos mittens, & Gigantes repreſſos fulmine, tenens ſub pedibus, & conculcans. Iuxta eum verò quædam aquila, quæ volans inter pedes ſuos quendam pulcherrimum iuuenem, ſcilicet Ganymedem, raptum portabat, habentem in manu craterem, vt Ioui poculũ propinaret. Hæc in genere de Ioue ex traditione Diod. Siculi, cum quo etiam ſentiunt Apollodorus, Seruius Grammaticus, & alij. Iam verò etiam de cognominibus, quæ Ioui à Romanis indita, & de templis, quæ in honorem eius conſtructa fuerunt, agamus. Prima appellatio, quæ in Romana hiſtoria occurrit, eſt Iouis Indigetis, qua conſecratus fuit Æneas. Cùm enim poſt prælium cum Rutulis & Mezentio geſtum, non ampliùs appareret, & alij eum ad deos diſceſſiſſe, alij necatum in flumine apud quod pugnauerant, coniectarent, Latini ſacellum ipſi dicauerunt cum inſcriptione hac: PATRI DEO INDIGETI, QVI NVMICI AMNIS VNDAS TEMPERAT. Dionyſius: qui tamen addit, eſſe, qui id ſacellum Æneam dicaſſe Anchiſæ defuncto ante hoc bellum anno proximo ſcribant: & eſſe tumulum non magnum, & circùm dignas ſpectatu in ordinem digeſtas arbores. Liuius apertè teſtatur, AEneam Iouem Indigetem nuncupatum fuiſſe: cum quo Feſtus & alij. Aliàs Indigetes dij dicti fuerunt ij, qui ex hominibus inter Deos ſunt relati, quòd ſcilicet nullius rei egeant, vel quòd in diis agerent, qui ex hominibus ad diuinitatem peruenerint. Aliorum deriuationes prudens omitto. Æneæ indigetis etiam Ouidius libro 14. Metam. & Tibullus lib. 2. meminerunt.

IOVIS INVENTORIS appellatio ab Hercule originem traxit: cùm enim Hercules cum bobus Geryonis in agrum Palatinum perueniſſet, & ibi boni pabuli nactus copiam, armenta per paſcua dimiſiſſet, ipſe autem labore feſſus, procubuiſſet, ſomnóque ſe dediſſet, latro quidam eius loci, Cacus nomine, paucas aliquot, Hercule dormiente, abegit, & in propinquam ſpeluncam, vbi degebat, abdidit, quas auerſas vnam poſt aliam caudis eò traxerat, vt quærentem indicium falleret, veſtigiis in contrariam partem ducentibus. Hercules ſomno excitus, cùm recenſuiſſet numerum, & aliquot boues ſenſiſſet deeſſe, ad ſpeluncam Caci contendit. & Caco deuicto atque ad terram proſtrato, boues ſuas recepit, & eduxit, ſpeluncam etiam diruit: cúmque cædem expiaſſet aqua fluminis, in proximo aram Ioui Inuentori poſuit, quæ eſt Romæ prope portam geminam, & ob inuentas boues Deo iuuencum vnum ſacrificauit. Hæc ſacra, inquit Dionyſius, etiam ætate mea Romani Græco ritu faciunt, quemadmodum ab illo inſtituta ſunt. Meminit huius hiſtoriæ Ouid. li. Faſt. Virg. lib. 8. AEneid. Liuius lib. 1. Aræ Iouis inuentoris mentio fit à P. Victore & Onuphrio Panuinio in regione Vrbis XI. quæ dicitur Circus maximus.

IVPITER FERETRIVS à ferẽdo vel feriendo hoſtem dictus à Romulo cõſecratus eſt, teſtibus Liuio, Dionyſio, Plutarcho & aliis. Sext. Pomp. Feſtus. Feretrius Iupiter dictus à ferendo, quòd pacem ferre putaretur. De templo Iouis Feretrij, quod Romulus condidit in monte
Liber. I. Capitolino, quódq; in IIX. Vrbis Regione à P. Victore collocatur, ſic ſcribit Liuius: Romulus duce hoſtium occiſo, Vrbem primo impetu capit, inde exercitu victore reducto, ipſe cum factis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor, ſpolia ducis hoſtium cæſi ſuſpenſa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens in Capitolium adſcendit: ibiq; ea cùm ad quercum paſtoribus ſacram depoſuiſſet, ſimul cum dono deſignauit templo Iouis fines, cognoménq; addidit Deo. Iupiter Feretri, inquit, hæc tibi Victor Romulus Rex regia arma fero, templúmque iis regionibus, quas modo animo metatus ſum, dedico ſedem opimis ſpoliis, quæ Regibus ducibúſque hoſtium cæſis me auctorem ſequentes poſteri ferent. Hæc templi eſt origo, quod primum omnium Romæ ſacratum eſt. Hactenus Liuius. Cum quo Dionyſ. Romulus, inquit, in Capitolino vertice Ioui Feretrio templi ſpatiũ deſignauit non magnum. Adhuc enim ſeruatur vetus eius veſtigium vix XV. pedum longitudine, quò infert opima de Cæninenſium Rege ſpolia. Tecta huius templi ob vetuſtatem, & Romanorum negligentiam, collapſa reſtituit Aug. Cornel. Nepos in vita Attic. Ex hoc templo ſumebãt Romani ſceptrum, per quod iurarent, & lapidem ſilicem, quo fœdus ferirent. De Ioue Feretrio extat elegia Propertij lectu digniſſima ſic concludit:

--- cauſa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Seu quia victa ſuis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta eſt ara ſuperba Iouis.

IVPITER STATOR, à ſiſtendo dictus eſt, eique Romæ templum dicatum hac de cauſa. Cùm Sabini ad vleiſcendam iniuriam ſibi in raptu filiarum à Romanis illatam, arma aduerſum eos mouiſſent, & quidem arcem Tarpeiam iam cepiſſent, Romanos etiam in fugam vertiſſent, Romulus, qui & ipſe fugientium turba agebatur, manus ad cælum attollens, ferè his verbis Dei opem implorauit, & votum de ædificando ei templo fecit: Iupiter tuis iuſſus auibus hic in Palatino prima Vrbi fundamenta ieci, arcem iam ſcelere emptam Sabini habent

habent

bent, inde huc armati superata media valle tendunt. At tu pater Deûm hominúmq; hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugámque fœdam siste. Hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monimentum sit posteris tua præsenti ope seruatam esse Vrbem, voueo, &c. Hæc ferè Liuius, cui consentit Plutarchus. Et Dionys. scribit, Iouem Statorem dictum, quòd exercitum Romuli fugientem post preces stare fecisset, & vti viribus. Alij à stando nomen eū habere volunt. Seneca contra historiæ fidem, sed tamen non malè. Statorem dictum ait, quòd eius beneficio stent omnia. In antiquis nummis conspicitur eius simulachrum, forma nuda dextra hasta nitens, sinistra fulmen habens. Templum quod ei à Romulo extructum est situm fuit in Palatij radice, vti Cicero testatur, quanquam sint qui non templum, sed delubrū à Romulo ædificatum esse velint in Circo Flaminio. Templum autem hoc à M. Attilio Regulo Consule in bello Samnitico votum, & posteà extructū: qua de re Liuij verba adscribere libet. Inter hæc, inquit (de prælio cum Samnitibus loquens) Consul manus ad prælium attollēs, voce clara, ita vt exaudiretur (templum Ioui Statori vouet si constitisset à fuga Romana acies, redintegratóque prælio cecidisset, vicissétque legiones Samnitium. Et paulò pòst: Fabium ait scribere bellum à Samnitibus in Etruriam translatum, & ad Luceriam pugnatum: in qua pugna Iouis Statoris ędes vota sit, vt Romulus antè vouerit, sed fanum tantùm, id est, locū templo effatum, iam sacratū fuisse. Cæterùm hoc demum anno, vt ædem etiam fieri Senatus iuberet, his eiusdem voti damnatam Rempubl. in religionem venisse. Hæc ille. A P. Victore delubrum collocatur in regione ix. quæ dicitur Circus Flaminius. Templum in regione x. cui nomen Palatium. Marlianus scribit, quod tempore Neronis hoc templum exustum, nūquam fuerit restitutum. Delubrum Iouis Statoris etiam Terentius Varro, citante Macrobio, in Circo Flaminio fuisse scribit, quòd Vitruuius prope Porticum Metelli fuisse dicit. Et hoc fortasse à M. Attilio Regulo Coss. votum est. In templo Iouis Statoris Senatus nonnunquam habebatur, & Senatusconsulta fiebant, vti ex Cicerone discimus.

Lib. 1.

Lib. 1. & 11. Lib. 8. Rerum diuinarum.

Ivpiter Elicivs ab eliciendo dictus, teste Varrone, & Ouid. qui in 3. Fastor.

Eliciunt cælo te Iupiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciúmque vocant.

Aram ei in Auentino extruxit, & dicauit Numa Pompilius Rex II. de quo sic Liuius: Pontificem, deinde Numam Martium M.F. ex partibus legit, eique sacra omnia exscripta, exsignatáque attribuit. Et post pauca: Quæque prodigia fulminibus, alióve quo viso missa susciperentur, atque curarentur docuit, ad ea elicienda ex mentibus diuinis Ioui Elicio aram in Auentino dicauit, Deúmque consuluit Auguriis quæ suscipienda essent. Iuuat hic adscribere fabulam de Numa, quo pacto artem Iouis eliciendi edoctus fuerit, quam Arnobius sic recitat: Numam inquit, Regem, cùm procurandi fulminis scientiam non haberet, essétque illi cupido noscendi, Ægeriæ monitu castos XII. iuuenes apud aquam celasse cum vinculis, vt cùm Faunus & Martius Picus ad id locorū venissent haustū (nam illis aquandi solenne iter huc fuit) inuaderent, constringerent, colligarent. Sed quò res fieri expeditiùs posset: Regem pocula non parui numeri vino, mulsoque complesse, circáque accessus fontis insidiosam venturis opposuisse falaciā: illos de more solito bibendi appetitione correptos ad hospitia nota venisse: sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, vetustioribus anteposuisse res nouas, inuasisse auiditer, dulcedine potionis captos, hausisse plus nimio, obdormiuisse, factos graues, tamen bissenos incubuisse sopitis, iniecisse madidatis vincula, expergitósque illos statim perdocuisse Regem, quibus ad terras modis Iupiter possit sacrificiis eliei, & accepta Regē scientia, rem in Auentino fecisse diuinam, elixisse ad terras Iouem, ab eóque quæsisse ritum procurationis, Iouem diu cunctatum: Expiabis, dixisse, capite fulgurita. Regem respondisse, Cæpitio? Iouem rursus: Humano. Retulisse Regem, Sed capillo. Deum contra, animali, subiecisse Pompilium, piscis. Tunc ambiguis Iouem propositionibus captum, extulisse hanc vocē: Decepisti me Numa: nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita. Numa capillo cæpitio, quoniam me tamen circumuenit astutia, quem voluisti, habeto morem, & his rebus quas pactus es, procurationem semper suscipies fulguritorum. Hactenus Arnobius. Eadem habet Plutarchus in Numa. Huic Deo cùm non ritè sacrum fecisset Tul. Hostilius fulmine ictus cum tota domo conflagrauit, Liuius lib. 1.

Lib. 1.

Lib. 2. Historiarum Aduatis.

Ivpiter Capitolinvs, qui & Opt. Max. dictus est, quòd velit & possit omnib. prodesse, & optimus quidē ante quā maximus: quia maius sit, gratiusq; prodesse, quā magnas opes habere, teste Cicer. qui etiā alibi scribit, Iouem à pop. Ro. propter bene Opt. propter vim Maximū appellatū fuisse. Capitolini nomē habuit à monte Capitolino, in quo tēplū ei conditū, & cultus diuinus institutus fuit: de quo tēplo à quo primū extructū sit, quomodo conflagrauerit & à quib. restauratū sit, audiemus Tacitū. Is verò sic scribit. Vouerat hoc tēplum Tarq. Priscus Rex bello Sab. ieceratq; fundamenta spe magis futuræ magnitudinis, quam quò mo-

Libro 4. Historiarum.

dicæ adhuc pop. Rom. res sufficeret. Mox Ser. Tull. sociorum studio, deinde Tarq. Superb. capta Suessa Pometia, host ũ spoliis extruxere. Sed gloria operis libertati reseruata. Pulsis Regibus Horatius Puluillus iterũ Cos. dedicauit ea magnificẽtia, quã immensæ posteà pop. Rom. opes ornarent potiùs, quam augerent. Iisdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto CDXV. annorũ spacio, L. Scipione, C Norbano Coss. flagrauerat. Curam Victor Sylla suscepit, neque tamen dedicauit: hoc solùm felicitati eius negatum, Lutatij Catuli nomen inter tanta Cæsarum opera vsque ad Vitelliũ mansit. Hactenus Tacitus, cum quo facit etiã Plutarchus. Sed & hoc templum, vt idem cum Tacito prodit, in Vitellij seditionib. euersũ ac dirutũ est. Quod iterũ à Vespasiano de integro refectũ, vnà cum ipsius interitu inflammatum, atq. incẽsum est. Tandem à Domitiano quartũ restauratũ est, columnis eius ex Pentelesio lapide excisis, & ad deaurationẽ ipsius XII. millibus talentorum impensis. Idem scribit, Tarquinium in fundamẽta eius tẽpli, quod primũ conditũ fuit XL. millia argenti librarũ impẽdisse. Memorabile est, quòd de hoc templo Dionysius, Liuius, Seruius, & alij scribunt, cùm id à Tarq. Prisco iam votum Superbus ædificare vellet, auguriis Deûm voluntatẽ exploraret, qui mons huic templo esset aptissimus, in omnibus autem Tarpeius esset inuentus, in quo erant multa diuersorum nominum sacella, factum esse, vt exinde ad alia templa numina euocarentur sacrificiis, quo posset liberè & sine piaculo tẽplum Iouis ædificare. Cùm omnes Dij libenter migrassent, Terminum solum abscedere noluisse, sed illic remansisse: tunc de ipso sacrificatum & deprehensum, quòd Terminus cum Ioue remanens æternum ibi imperium cum religione significaret. Vnde in Capitolio primam partẽ tecti patere, quæ lapidem ipsum Deum spectet. Sed & Iuuentutem abscedere noluisse aliqui notant. De magnificentiis eius Dionysius hæc tradit, sitũ fuisse, & fundatum in alta crepidine, IIX. iugerum ambitu, CC. ferme pedibus patens per latera singula, pari propemodum longitudine, atque latitudine, vix XV. pedum differentia frontẽ eius Meridiem spectantem habuisse porticũ cum triplici columnarum ordine, in lateribus autem duplici ordine: trésque ædes pares communib. contentas fuisse lateribus, mediã fuisse Iouis, à dextra Mineruæ, à sinistra Iunonis. Et quia Mineruæ numerorũ inuentio à veterib. tribuebatur, lex erat scripta, vt qui Maximus Prætor esset, clauũ iuxta eiusdem simulachrum pangeret, vnde annorum numerus cognosceretur. Liuius: In vestigio huius templi erat fictilis Summanus Deus, cuius caput de cœlo tactum decidit in Tyberim. Habebat hoc templum cellam, quam ingredi prophano non concedebatur. In qua cella coronæ aureæ erant duę: alteram Galli Ioui Optimo Maximo consecrarunt: alteram Carthaginenses, ob partæ victoriæ in Samnites congratulationem Romam miserunt. In sacello vel delubro Iunonis, quod in hoc templo erat, anseres sacri alebantur, & in arca lapidea seruabantur libri Sibyllini. In hoc etiam templo erat aurea Victoria vel statua aureæ Victoriæ. P. Victor. Ante cellam Mineruæ erant tria signa Deorum Nixiorum de quibus alibi.

In Poplicola.

Cic lib. 1. de Diuinat.

Anno CXLVI. Volumnio, App. Claudio Coss. ex bonis fœneratorũ in publicũ redactis, Cn. & Q. Ogulnij, Ædiles Curules, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Iouis, Iouémque ipsum in culmine cum quadrigis posuerunt. Liuius Anno ICLXI. M. Tuccius & P Iunius Brutus, AEdiles Curules de mulcta damnatorum fœneratorum quadrigas inauratas in Capitolio posuerunt in cella Iouis, supra fastigium ædiculæ, & XII. clypea inaurata, qualia etiam paulo ante ex multatitia pecuariorum pecunia in fastigio ædis Iouis posita fuerunt. Liuius: Iouis simulachri facies diebus festis minio illini solebat. Seruius in 10. Ecloga, & Plinius: qui etiam scribit Turianum à Fregellis Romam fuisse accitum, cui locarit Tarquinius Priscus effigiem Iouis in Capitolio dicandam. Fictilem eam fuisse, & ideò mirari solere fictiles etiam in fastigio templi eius quadrigas. Fuit in hoc templo etiam signũ Iouis Imperatoris. Ad hoc templũ victimas gratulationis causa mactabant. In hoc templo Consules eo die, quo Magistratũ inibant, singuli singulos boues immolabant, & ex eo togam sumebant. In hoc templo Imperatores ad bellum ituri vota nuncupabant, & posteà reuersi, triumphali pompa in id deducebantur. Ioui in eo sacrum faciebant, & conuiuium celebrabant. In hoc etiam templo Senatus nonnunquam habebatur. In hoc homines religionis causa incubabant. Plautus in Curculione. Sed quis omnia enumeret?

Præter hoc templum etiam aliæ duæ ædes Iouis in Capitolio fuerunt, votę à L. Furio Purpureone, vna ab ipso Prætore bello Gallico, altera ab ipso Consule, dedicatæ à Qu. Marcio Ralla Duumuiro, anno ab vrbe condita IↃLXI. Liuius.

LATIALIS IVPITER à Latio dictus fuit, quod eum Latini populi communiter cum Romanis colerent, consecratus à Tarquinio Superbo Rege. Cùm enim Turnus Herdonius insidiis Tarquinij necatus esset, ipse verò Princeps populorum Latinorum declaratus, Volsci etiam atque Hernici in societatem recepti essent, Tarquinius, quemadmodum Diony-

nyſius ſcribit, vt id fœdus ſempiternum maneret, poſuit deſignare commune fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, Volſcorum eorum duntaxat, qui in ſocietatem recepti erant, quo ad Mercatum conuenientes quotannis vnà epularentur, fruerentúrque ſacris communibus. Gratum id fuit omnibus: locus conuentus præſtitutus eſt in meditullio fermè harum gentium, mons altus Albanis imminens, vbi ſingulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis ſpacio, propter loci religionem, legémque de hoc latam, ab omni vi temperarent omnes, ſacráque communiter Ioui Latiali facerent, & vacarent epulis, conſtituto prius quantum quiſque populus in ea ſacra præbere, quantámve portionem recipere debeat, &c. Hæc Dionyſius. De feriis Latinis poſt dicemus.

IVPITER SPONSOR etiam à Tarquinio Superbo conſecratus, templúmque ei conditum eſt, quod poſtea Sp. Poſthumius Conſul anno CCXXCVII dedicauit. Sic enim Dionyſius lib. 9. in Vrbe ædem Iouis Fidei Sponſoris (ſiue Lapus vertit, Gelenius, Dij filij, puto non rectè) Sp. Poſthumius Conſul alter, Nonis Iuniis, dedicauit, in luco Bellonæ, locatam ab vltimo Regum Tarquinio, non tamen ab illo conſecratam, ſed tum demùm ex S. C. id fecit Poſthumius, vt teſtatur eius ædis inſcriptio. Hæc ille. Lilius Gyraldus putat eundem hunc eſſe cum Dio Fidio, de quo alibi. Collocatur hæc ædes à P. Victore in VIII. Vrbis regione.

IVPITER IMPERATOR ab imperando, quod omnibus imperet, dictus: à Prænestinis cultus eſt, cuius ſimulachrum T. Quintus Præneſte in deditionem accepto Romam deuectum in Capitolium tulit, dedicauítque inter cellam Iouis, & Mineruæ, tabula ſub eo fixa, quæ eſſet monumentum rerum geſtarum. Tabulæ inſcriptio hæc ferè erat: Iupiter atque Diui omnes hoc dederunt, vt Titus Quinctius Dictator oppida nouem caperet, &c. Liuius in Hiſtoria Anni CCLXXVI Onuphrius ædem quoque ei Capitolio extructam fuiſſe putat, cùm fragmenta illa in tabulis Capitolinis ACCVS ET T. DEDICAVIT, ſic legenda arbitratur: Ædem Ioui Imperatori, qui Præneſte Romam actus eſt in Capitolio T. Quinctius T. FIL. N. Cincinnatus Imp. dedicauit. Fuit & alibi Iupiter hoc nomine cultus, verum id huc non pertinet, de quo Cicero in 6. Verrina.

IVPITER PISTOR à pinſendo dictus, cuius ara in Capitolio fuit, de quo ſic Lactantius: Quo tempore Galli Capitolium obſidebant, Ioui Piſtori ara poſita fuit, quod Romanos Deus in quiete monuiſſet, vt ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hoſtium caſtra iactarent, eóque facto, ſoluta eſt obſidio, deſperantibus Gallis inopia ſubigi poſſe Romanos. Meminêrunt huius hiſtoriæ Liuius, Frontinus, & alij. Vide etiam Plutarchum.

IVPITER VICTOR cognominatus quòd omnia vincere putaretur. Huic ædem vouit L. Papyrius Curſor bello Samnitico, vt Liuius eodem libro docet. Quintus Fabius bello cum Samnitibus & Gallis, & conſtruxit poſtea in monte Palatino, teſte Liuio, & P. Victore. Huic Deo vouit, ſi legiones hoſtium fudiſſet, pauxillum mulſi priuſquam temetum biberet ſeſe facturum, idque votum Deis cordi fuiſſe.

IVPITER LVCETIVS, vt ſcribit Seruius, lingua Oſca dictus à luce, quam præſtare hominibus dicitur: ipſe eſt enim noſtra lingua Dieſpiter. Agellius: Lucetius, inquit, dictus Iupiter, quòd nos die & luce quaſi vita ipſa afficeret, & iuuaret. Feſtus. Lucetium Iouem appellabant, quòd eum lucis eſſe cauſam credebant.

Idem eſt DIESPITER, id eſt, diei & lucis pater, & DYOVIS, vt Seruius & Agellius tradunt. Ædes Dyouis à P. Victore in X. collocatur Vrbis regione: à quo ſit extructa, ignoratur.

VEIOVIS, qui & Veiupiter, & Vedius à Martiano appellatur, vnde dictus ſit, Agellius his verbis docet: Eum Deum, qui non iuuandi poteſtatem, ſed vim nocendi haberet (nam Deos quoſdam vt prodeſſent, celebrabant, quoſdam ne obeſſent, placabant) Veiouem appellarunt, dempta atque detracta iuuandi facultate. Particula enim ve, priuandi habet hoc loco ſignificationem. Ædes Veiouis inter arcem & Capitolium fuit, in qua etiam ſimulachrum Dei, ſagittas tenens, quæ paratæ ſint ad nocendum: huic ſimulachro aſtitit figmentum capræ. Ea enim ſolet ipſi immolari. Addit Agellius, putare quoſdam hunc Deum eſſe Apollinem. Martianus Plutonem putat. Caput ei cornutum fuiſſe ſcribit Alexander.

IVPITER LAPIS, ſecundùm Feſtum, dicebatur à lapide ſilice, quem in ſanciendis fœderibus iuraturi tenebant, ea verba dicentes: *Si ſciens fallam, ita me Dieſpiter, ſalua Vrbe, arcéque, bonis eijciat, vt ego hunc lapidem.* Sunt qui Iouem Lapidem dictum eſſe velint, ab ipſo lapide Ioue vocato, qui Saturno oblatus fuiſſe ab Ope, & ab ea deuoratus fingitur.

IVPITER TONANS, à tonando dictus eſt. Hunc Octauius Auguſtus conſecrauit,

ædémque ei in Capitolio extruxit, liberatus periculo, cùm in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgor præstrinxisset, seruúmque prælucentem exanimasset. Suetonius. De hac æde sic Dionysius scribit: Iouis etiam tonantis templum dedicauit, de qua re duo hæc commemorantur, & in ipso tunc sacrificio tonitrua accidisse, & somnium deinde Augusto tale oblatum. Cùm propter nominis ac formę eius Iouis nouitatem, & quòd ab Augusto consecratus esset, maximè autem quòd ascendentes in Capitolium, ad eum primò perueniebant, Iupiter Tonans ab omnibus frequentaretur, & coleretur: imaginatus est in somnis Augustus, Iouem Capitolinum secum expostulare, quod secundo iam ipse loco haberetur: sé que respondisse, excubitorem hunc Tonantem ei Capitolino à se esse positum: ideóque orta die tintinnabulum Ioui Tonanti appendit somnij confirmandi causa. His enim tintinnabulis ianitores nocturni vtuntur, vt si quid vsus sit significari possit. Hactenus ille. ab Auguribus etiam ante hanc consecrationem Iupiter Tonans & Fulgens appellabatur, vt testis est Cicero, quia tonitrua & fulgura ipsi tribuebantur. Hinc in veteribus nummis simulachrum semper fingitur, fulmen trisulcum manibus tenens. Fulminum figuræ in antiquis nummis tales reperiuntur.

Iupiter Vltor dictus, quod sceleratorum impia facta vlcisceretur. Huic Agrippa ædem, quam Pantheon appellauit, consecrauit, quæ etiam Pantheon dictum, quasi τῶν πάντων θεῶν, hodie Mariæ rotundæ, & omnium Sanctorum dicitur. Aliquando Cybeli sacrum fuit, cuius Deæ caput antiqui operis & saxi, cum duobus piscibus muro templi inclusum adhuc cernitur. De eo sic Dionysius & Plinius. Iuuat etiam addere ea, quæ Fabricius in sua Roma de hoc templo retulit. Altum, inquit, est hoc templum pedes CXLIV. totidem latum, Contignationes æneis trabibus canalium modo compactæ, pedum XL. vt testatur Baptista Leo. Valuæ ingentes, item trabes ex ære Corinthio, & inauratæ, lithiostrotum varij marmoris, aræ duæ marmoreæ, sex marmoratæ, Interstitia sex columnarum spatio distantia. Testudo templi laqueata vacuis circumquaque spaciis relictis, ne nimio pondere ædificium premeretur. Nulla fenestra penitus inest, nisi in medio foramen sphæricum, æneis inauratísque trabibus fultum, quod lumen præbet: eique in pauimento subiectum ad imbres excipiendos impluuium. Ad foramen illud in tecto quadraginta gradibus plumbeis ascenditur: ad quod tectum antequam perueniatur, bini ambitus sunt, ad quorum primum ex imo templi per centum quinquaginta gradus est eundum. Marcellinus libro decimosexto, Pantheum, regionem terentem spaciosa celsitudine fornicatam nominat. In tecto nunc sunt plumbeæ laminæ, quæ olim argenteæ fuerunt, quas Constans Imperator, Constantini iunioris filius, detraxit. Gradus ænei ante templum sublati, & saxeis permutati sunt. Ascensum ad templum fuit per gradus duodecim, nunc per totidem descenditur: ex quo intelligitur, quàm alte sit ex ruinis solum exaggeratum. Parietes nunc latericij sunt, olim marmoribus incrustati fuerunt. Inter omnia igitur Vrbis opera, nullum admirabilius, siue molem, siue artem, siue impensam consideres, nullum etiam ex antiquissimis integrius: nam nec iniectis ignibus Gothi corrumpere, aut frangere potuerunt. Hæc ille. Paulò ante dicit, Hoc templum Bonifacium III. Pontificem à Phoca Imperatore, qui rem Pontificiam auxit, atque extulit acceptum beatæ Virgini, & omnibus sanctis dicasse: fuisséque primum dictum Virginem ad Martyres: sicuti nunc à circulari forma, Sancta Maria rotunda. Dionysius: Pantheum quoque perfecit Agrippa: id sic dicitur fortassis, quòd in simulachris Martis & Veneris multas Deûm imagines acciperet: vt verò mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma conuexa fastigiatum cœli similitudinem ostenderet. Voluit Agrippa in eo Augusti quoque statuam collocare, noménque operis ei ascribere: neutrum autem eo accipiente, in Pantheo ipso Cæsaris superioris statuam suam & Augusti in vestibulo posuit. Et Plinius, Agrippæ Pantheum decorauit Diogenes Atheniensis & Caryatides in columnis templi eius probantur, inter pauca operum: sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata. In honore est, & in templo illo Hercules, ad quem Pœni omnibus annis humana sacrificauerunt victima, humi stans, ante aditum porticus agnationes sitæ.

Iupiter Conservator à conseruando dictus, à Domitiano consecratus est, quòd ipsum in seditione Vitelliana à furore hostium conseruasset: de quo sic Tacitus lib. 3 Histor. 3. Domitianus prima irruptione apud æditnum occultatus solertia liberti lineo amictu turbæ sacricolarum immixtus, ignarúsque apud Cornelium primum paternum clientem, iuxta velabrum delituit. Ac potiente rerum patre, disiecto æditui contubernio, modicum sacellum Iovi Conservatori, arámque posuit, casúsque suos in marmore expressit. Mox imperium adeptus, Iovi Cvstodi, templum ingens, séque in sinu Dei sacrauit, &c. huius templi, quod in Capitolio extructū fuit, meminit etiam Suetonius in Domitiano, cap. 5. Extant

etiam nummi veteres Iouis Conseruatoris simulachrum & nomen continentes,qualis etiam hic est.Maximiani,

IVPITER SOL, vel SOL HELIAGABALVS: vnde dictus alibi explicabitur.

FAGVTALIS IVPITER à fagu dictus,quæ Ioui sacra habebatur:unde eius sacellum Fagutal.Festus.Fagutal sacellum Iouis,in quo fuit fagus arbor,quæ Ioui sacra habebatur. Meminit eius & Varro,& Plinius lib.16.cap.10. qui etiam addit,non procul ab eo sacello & lucum fageum esse.Collocatur in regione decima,à quo extructum fuerit,incertum.

VIMINEVS IVPITER à viminibus dictus: vnde etiam collis Viminalis. Varro. Viminalis à Ioue Viminio,quod ibi aræ sunt eius,aut quòd ibi vimineta fuerunt. Festus: Viminalis porta & collis appellabantur, quòd ibi viminum sylua fuisse videtur,vbi est & ara Ioui Viminio consecrata.

ARBITRATORIS Iouis templum in decima Vrbis regione ponitur à Victore:& appellatur Pentapylon,quasi quinque portarum.

PRÆDATOR IVPITER à præda appellatus, quòd ei à præda aliquid deberetur. Seruius 3. Æneid. Romanis,inquit,moris fuit,vt bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur, adeò vt Romæ fuerit vnum templum Iouis Prædatoris, non quòd prædæ præesset,sed quod ei aliquid ex præda debeatur. Locus huius templi, & à quo fuerit consecratum, ignoratur.

MARIANVS IVPITER à Mario dictus est, qui cum cæteris monumentis templum ei condidit. In hoc Senatusconsultum factum est de reuocando Cicerone ab exilio,quod ipsi erat per somnium significatum, vt scribit Valerius.

POMPEIANVS IVPITER, Colossus fuit Iouis,ex miræ magnitudinis, sic dictus à Theatro Pompeij cuius vicinus fuit. Plin lib.34.cap. 7. Moles, inquit, excogitatas videmus statuarum, quas Molossos vocant, turribus similes. Talis in campo Martio, Iupiter à Claudio Cæsare dicatus, qui ideò vocatur Pompeianus, à vicinitate Theatri.

IOVIS PROPVGNATORIS ædes in Palatio fuit, cuius mentio fit in antiquo Epigrammate.

P. MARCIVS. VERVS.
IMP. COMMODO, VI. ET PETRONIO. SEPTIMIANO. COS.
A. N. P. R. C. Dccccxli. K. DEC.
IN PALATIO. IN ÆDE. IOVIS. PROPVGNATORIS.
IN. LOCVM. P. VERI.
L. ATILIVS. CORNELIANVS. COOPTATVS.

PVGNANTIS Iouis templum vbi fuerit,& à quo extructum cognitum est. Fuerunt & alia cognomina quibus Iupiter fuit à veteribus insignitus,& cultus: quorum quædam ex Varrone recitantur ab Aurelio Augustino libro 7.de Ciuitate Dei,cap,10. Dixerunt,inquit,cum victorem, inuictum,opitulum, impulsorem, statorem, centum pedum,supinalem,tigillum, almum,ruminum, & alia,quæ persequi longum est. Hæc omnia cognomina imposuerunt vni Deo, propter causas, potestatésque diuersas: non tamen propter tot res etiam tot Deos eum esse coëgerunt: quòd omnia vinceret,quòd à nemine vinceretur, quòd opem indigentibus ferret, quòd habeat impellendi, statuendi, stabiliendi, resupinandi potestatem, quòd tanquam tigillus mundum contineret,ac sustineret,quod aleret omnia,quod Ruma,id est,mami-

Iupiter? unde tuba: nocturnaque mouis Erynnis?

SABAZIVS Iupiter, vel vt alij SEBADIVS, aut vt nonnullis visum SEBASIVS. Ludou. Carrio lib. 2. Emendation. ca. vlt. vide Bacchi sacris *Sebasiis* infra cap. 11. Iul. Firmic. Matern. lib. de errore profan. Relig. *Sebazium colentes Iouem anguem cum imitantur per sinus ducunt.* Aurel. Macro. lib. 1 Saturn. cap. 18. *Item eundem in Thracia haberi Solem atque Liberum accipimus, quem illi Sebadium nuncupantes magnifica religione celebrant.* meminère vetustæ inscriptiones.

IOVI SEBASIO Q. NVNNIVS. ALEXANDER.
M. S. L. M.

Et altera.

Q. NVNNIVS ALEXANDER. DONVM. DEDIT. IOVI. SABAZIO.

Isti quidem Iouis cognomen volunt fuisse, at alij contra Bacchi proprium, cui loca consecrata *Sabi* appellabantur, vt & sacerdotes eiusdem, Suid. in voce Σαβάζιος, & Mnaseas Patarensis non Liberum ipsum, sed filium eius sic vocatum contendit, apud eundem Suidam, consentiente Scholiaste Aristophanis in Lysistratam pag. 861. & eodem Auibus, pag. 583 & in Vespis pag. 432. M. Lull. l. 2. de legib. *nouos vero deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes sic Aristophanes facetissimus poëta veteris comediæ vexat, vt apud eum Sabazius & quidam alij dij peregrini iudicati, è ciuitate eiiciantur.* Quod autem Aristophanem citat, petendum ex iis, quas iam memoraui comœdiis, in Vespis in princip.

—— ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου

Vertit Christianus Florens.

Sopor me incessit ex Sabazio.

Et in auibus.

Καὶ φρυγίῳ Σαβαζίῳ,
Καὶ στρουθῷ μεγάλῃ,
Ματρὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων.

Vertit Andreas Dinus.

Et Phrygio Sabazio.
Et passeri magnæ
Matri deorum & hominum.

Idem in Lysistrata.

χ' ὁ τυμπανισμὸς, χ' οἱ πυκνοὶ Σαβάζιοι
Sonusque tympani & frequens bacchatio.

Adeundi Diodor. Sicul. lib. 4. Harpocration. Hesychius in Σαβάζιος & alij. quod autem supra de angue dixerat Firmicus, intelligi potest ex Arnobio lib. 5. in hæc verba, *ipsa sacra, & ritus imitationis ipsius, quibus Sebadiis nomen est, testimonio esse poterunt veritati, in quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus.* Certè mihi persuasum hac sola ratione Iouis esse cognomentum, non autem Bacchi, quòd consecrandis serpentes immitterentur: nam Iouem in anguem mutatum reperio, vt posset Proserpinæ commisceri, quæ à serpentibus custodiebatur, quòd eo lubentius notandum duxi, quòd à nullo animaduersum intelligerem. Nonnus Panopolitan. Dionysiacon lib. 6. vers. 158.

Νυμφίος ἱμερόεντι δράκων μεταμώλιος ἰχνῷ
Εἰς μυχὸν ἠερόεντα διέστιχε παρθενεῶνος.

Sponsus desiderabili draco circumactus tractu, in penetrabile caliginosi penetransiit virginalis loci. dixerat enim paucis ante interiectis,

Ἀλλὰ δρακοντείοισιν ἐνυμφεύθης ὑμεναίοις
Sed draconteis sponsa es nuptiis.

Et lib. 9. ver. 325. vt Semelæ concubat, eandem Iupiter formam capit. quod non sum ignarus de aliis quoque diis dici, vt antea annotabam in *Serapide*, & de *Apolline* C. Sueton. in Augusto cap. 94. ex Asclepiade Mendete. *Acciam cum ad solemne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lecticasdum cæteræ matronæ obdormirent, obdormisse, Draconémque repente irrepsisse ad eam, pauloque post egressum, illamque expergefactam, quasi à concubitu mariti purificasse se, & statim in corpore eius extitisse maculam, velut depicti draconis nec potuisse vnquam eximi, adeò vt mox publicis balneis perpetuò abstinuerit, Augustum natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum.* Vt Accia, ab Apolline serpentis formam gerente, grauida facta est, ita Olympias à Ioue eandem figuram gerente, Alexandrum Magnum concepit. de vtroque Sidon. Apollinar. Carm. 2. vers. 121.

Magnus Alexander necnon Augustus, haberi
Concepti serpente Deo, Phœbumque, Iouemque
Diuisere sibi, namque horum quæsiit vnus
Cynthia sub syrte patrem maculis genitricis,
Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi.

De Augusto solus Suetonius quod sciam inter historicos prodidit, quod & de P. Scipione traditum apud A. Gellium lib. 7. noct. Atticar. cap. 3. at de Alexandro idem A. Gellius lib. 13. cap. 4. *opinionem ille ingentibus victoriis, & adulantium blandimentis, & rebus supra fidem prosperis imbiberat genitum esse se de Ioue.* Ob id puto, Corinthij statuam ei Iouis habitu erexerunt, Pausan Corinthiac. & apertius narrat M. Iunianus Iustinus lib. 11. *Namque mater eius* (Alexandri) *Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse.* P. Victor in Galerio Armamentario. *insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis Alexandri Magni creatricis, compressam dracone semet concepisse.* Seru. ad vers. 321. lib. 6. Æneid. *multi ad gloriam nominis simulant se*

numinum filios, vt Romulus ex Marte, Alexander ex Ioue Ammone. Ælian. lib. 1. var. hist. cap. 25. Ἀλέξανδρος ὁ τοῦ φιλίππου εἴτε ἄμμωνος ὁ τοῦ Διὸς *Alexander Philippi filius, siue si quis mauult, Iouis.* Idem Sidon. Apollinar. eodem carm. v. 80.

Quaeque Draconigenae partas non clauserat hosti,
Tum demum Babylon nimis est sibi visa patere.

Notat eruditus Ioan. Sauaro. & carm. 9. v. 46. item Sidonius.

Non prolem Garamantici tonantis,
Regnis principibusque principantem:

Vide *Ammon* siue *Hammon* Iupiter vocatur; *ab arena*, nam Græci ἄμμος *arenam* dicunt. Historicos, quorum nullus penè est, qui non meminerit, sileo Iustin. lib. 1. *ad Hammonis nobilissimum templum expugnandum exercitum misisse.* Æmyl. Prob. Lysandro. *vota suscepisse quae Ioui Ammoni solueret.* poëtas tantum laudaturus. Aul. Gell. lib. 3 cap. 3. *ex qua duos hos versus exscripsimus, vt historiam quaeremus Oraculi Arietini, nunc illud est, quod Arietini responsum magnis ludis dicitur.*

Peribo si non fecero,
Si faxo vapulabo.

Vbi *Arietinum*, vocabulo à forma Iouis desumpto, *oraculum* est *Hammonis*, quod exploratæ indubitatæque fidei habebatur. Is autem specie arietis colebatur. Hadrianus Turneb. lib. Aduersar. 3. cap. 3. P. Ouid. lib. 3. de Arte in fine Lucan. lib. 9. vers. 514.

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus vnum
Inculti Garamantes habent: stat corniger illic
Iupiter, vt perhibent, sed non aut fulmina vibrans
Aut nostro similis sed tortis cornibus Ammon.

Sil. Italic. lib. 9. Punicor.

At patrius flexis per tempora cornibus Ammon.

Idem forte corrigendus libro 3. in principio.

Inter ambulantes Garamantas corniger Ammon
Fatidico pandis venientia saecula luco:
Hinc omen coeptis & casus scire futuros
Ante diem, bellique vices nouisse petebat.
Exin clauigeri veneratus numinis aras,
Captiuis onerat donis.

Critici vexarunt hunc locum, ego puto tamen retinendam priorem hanc lectionem, vult enim Hannibalem, antequam ad Ammonis oraculum Bostar mitteretur, *Herculem*, quem *clauigerum* Deum appellat, donis seu prædæ parte oblata honorasse, si tamen de Bostare in Libyam iam profecto, ac non de Hannibale in Hispaniis agente sumendus esset locus, censerem legendum cum Fr. Modio Nouantiquar. lection. epist. 34. ex MS.

Exin corrigeri veneratus numinis aram
Captiuis onerat donis.

Decimas Apollini in pace, Herculi in bello, dicam infra hoc opere votas.

Sed eodem libro ad finem, indubiè vitiosa lectio habetur, ita enim scribitur.

Lanigeri capitis media inter cornua praestans,
Marmaricis ales populis responsa canebat.

Vbi *ales* monstri instar est, nam si de columbis Dodonæum oraculum dentibus loqueretur poëta, eleganter diceretur *alitum responsa canere*, quod non sum ignarus à Lactantio Placidio tradi tum ad vers. 105. lib. 3. Thebaid. & aliis passim, nunc quum de Arietino oraculo fiat narratio, censeo rescribas.

Marmaricis aries populis responsa canebat.

Ad cuius imitationem Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Marmaricus claris violatur caedibus Ammon.

Et de 4. Hon. Consul.

—tibi corniger Ammon,
Et dudum tacitis rupere silentia Delphi.

Et lib. 1. *de laudib. Stilich.* Namasonibus conterminum id templum facit.

Et velox Garamas, nec quamuis tristibus Ammon
Responsis, alacrem posuit Nasamona moneri.

Scholiast. Pindari ad oden. 4. Pythior. & vet. Scholiast. Iuuenalis ad Sat. 6. vers. 532. Lactant seu Luctat Placid. ad lib. 3. Thebaid. v. 475. ad lib. 8. Thebaid. v. 201.

Quin & corrigeri vatis nemus.

Sidon. Apollinar. Carm. 5. vers. 264.

—doctis vatibus Ammon
Si sanctum sub Syrte gemit.

Erant & histriones in huius tutela. M. Accius Plaut Amphitr. in prologo.

Nunc profitear Iouem facere Histrionem,
Etiam in histrionas cum anno in proscaenio hic
Iouem inuocarunt.

Sunt & alia infinita quæ dici possent de Ioue, vt quod *Hecalus* vocatur, sed doctè differuit Angelus Politianus Miscellaneor. ca. 24. & *Supremus*, quod præoccupatum à Baptista Pio Annotat. posterior. cap. 3. & *Munichius* quod diligenter ab eodem discussum eiusdem operis cap. 74. *Olympius* Iosephus Castalio, Var. cap. 9.

CAP.

CAPVT VI.

DE IVNONE.

CVm præcedens caput de Ioue præter opinionem nimiùm excreuerit, ideò de Iunone seorsim dicam, quam quidem cum Ioue coniuncturus erat, vt puto, cuius & soror & vxor fuisse fertur. Fuit hæc Saturni & Opis filia, sic dicta, quemadmodum Varro scribit, quòd vnà cum Ioue iuuat. Cic.lib.2. de Natur.deor. Aër, vt Stoici disputant, interiectus inter mare & cœlum, Iunonis nomine consecratur: quæ est soror & coniunx Iouis, quod ei similitudo est ætheris, & cum eo summa coniunctio. Effœminarunt autem eum, Iunonique tribuerunt, quòd nihil est eo mollius. Sed Iunonem à iuuando credo nominatam. Macrobius etiam in Somnium Scipionis: Iuno, inquit, & soror Iouis & coniux vocatur. Est autem Iuno aër: & dicitur soror, quia iisdem seminibus quibus cœlum, etiam aër est procreatus: coniux, quia aër subiectus est cœlo. Libet hîc referre fabulam de Iunone, qua ratione Ioui matrimonio iuncta sit, quam Lilius Gyraldus ex Commentariis in Theocritum affert, est autem hæc: Iupiter cùm insidiaretur Iunoni, vt cum ea iaceret, eam conspexit procul à cæteris Diis, mutatus in Cuculum in monte consedit, qui prius Thronax dicebatur, posteà ex se Coccyx dictus est. Cuculus ergo Iupiter tempestatem simul commouit: vbi cùm sola in monte Iuno esset ea parte, qua posteà constructa est Teliæ Iunonis ædes, Cuculus Iupiter ob tempestatis horrorem in virginis Iunonis gremium deuolauit, quem Iuno miserata veste contexit. Tum verò Iupiter suam indutus formam, Iunonem est amplexatus. Illa matris metu abnuebat, donec pollicitus connubium obtinuit. Hactenus ille. Iunonis passim apud Scriptores Ethnicos fit mentio, cuius historiam vel fabulam potiùs integram, vt recitemus, non est necesse.

Tantùm de simulachro eius & cognominibus quibus Romæ culta fuit, quædam dicemus. Simulachrum eius ita figurabatur: Erat fœmina, inquit Albericus, in throno sedens, sceptrum regium tenens in dextra, eius caput nubes tenebant opertum supra diadema, quod capite gestabat, cui & Iris societa erat, quæ ipsam per circuitum cingebat: nunciámque Iunonis Iridem populi appellabant. Ideò iuxta illam Iridem ancillam paratam, ab obsequium Dominæ figurabant. Pauones autem ante pedes eius, à dextris & sinistris stabant, auésque Iunonis specialiter vocabantur, &c. Huius varia apud Romanos fuerunt, pro diuersis eius officiis, & muneribus, nomina. Prima quæ occurrit appellatio est, quòd dicitur Iuno Curis ab hasta. Nam hastam Curim Sabini appellabant. Cato in Originibus (si quæ leguntur fragmenta, legitima sunt.) Quirinalis collis à Iunone Sabinorum dea quam illi curatim, id est, hastatam Iunonem vocant. Idem tradit Festus. Huic deæ Romanæ in omnibus Curiis mensas posuit Titus Tatius Sabinorum Rex, quas suo etiam tempore Romæ fuisse, Dionysius testatur.

SORORIA IVNO dicta est à sorore Horatij. Huic in expiationem cædis sororis suæ aram Horatius consecrauit. Festus.

REGINA IVNO à Latinis cognominata, quòd & coniux Iouis, deorum atque hominum Regis esset. Hæc à Camillo Dictatore Veiis transuecta, in Auentinum, & celebri die, summo matronarum studio dedicata est. Collocatur à P. Victore in XIII Vrbis regione. Liuij verba de ea Romam transducta adscribam: Cùm iam humanæ opes egestæ à Veiis essent, amoliri tum Deûm dona, ipsósque Deos, sed colentium magis, quàm rapientium modo cœpêre. Námque delecti ex omni exercitu iuuenes, purè lautis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romana Regina Iuno assignata erat, venerabundi templum inière, primò religiosè admouentes manus, quòd id signum more vetusto, nisi certæ gentis Sacerdos attrectare non esset solitus: deinde cùm quidam seu spiritu diuino tactus, seu iuuenili ioco, Visne Romam ire Iuno, dixisset, annuisse: cæteri Romam conclamârunt: inde fabulæ adiectum est, vocem quoque dicentis, VELLE, auditam: motum certè sede sua parui molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus, leuem ac facilem translatu fuisse, integrámque in Auentinum, æternam sedem suam, quo vota Romani Dictatoris vocauerant, perlatam, vbi templum ei posteà idem, cui vouerat Camillus, dedicauit. Hæc Liuius. Eadem Plutarchus habet, & prolixius quidem. Fuit aliud Reginæ Iunonis templum in Capitolio, quod, Liuio teste à Cn. Flaminio bello aduersus Ligures votum est. Meminit eius & Cicero in oratione ad Equites, antequàm in exilium iret.

CAPROTINA IVNO vnde nomen acceperit, Plutarchus docet in Romulo de Camillo, & Macrobius, cuius hæc sunt verba. Post Vrbem captam, cùm sedatus esset Gallicus motus, res

verò publica esset ad tenue deducta, finitimi opportunitatem inuadendi Romani nominis aucupati, præfecerunt sibi Posthumium Liuium Fidenatium Dictatorem. Qui mandatis ad Senatum missis, postulauit, vt si vellent reliquias suæ ciuitatis manere, matres familiæ sibi, & virgines dederentur. Cúmque Patres essent in ancipiti deliberatione suspensi, ancilla nomine Tutela seu Philotis, pollicita est, se cum cæteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram, habitúque matrum familiàs & virginum sumpto, hostibus eum prosequentium lacrymis ad fidem doloris ingestæ sunt. Quæ cum à Liuio in castris distributæ fuissent, viros plurimo vino prouocauerunt, diem festum apud se esse simulantes. Quibus soporitis, ex arbore Caprifico, quæ castris erat proxima, signum Romanis dederunt: qui cùm repentina incursione superassent, memor beneficij Senatus, omnes ancillas manu iussit emitti, dotémque eis ex publico fecit, & ornatum, quo tunc erant vsæ, gestare concessit, diémque ipsum Nonas Caprotinas nuncupauit, ab illo Caprifico, ex qua signum victoriæ ceperunt, sacrificiúmque statuit annua solennitate celebrandum, cui lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti præcedentis adhibetur. Hactenus ille.

IVNO MONETA à monendo dicta: cùm enim non multò ante Vrbem captam à Gallis terræ motus factus esset, ferunt vocem extitisse è Iunonis templo, quod erat in arce, vt de sue plena fieret procuratio. T. Liuius scribit. L. Furium creatū dictatorem contra Aruncos, quod bellum ab repentina populatione cœptum erat, inter ipsam dimicationem ædem Iunoni Monetæ vouisse, cuius voti, cum damnatus victor fuisset, Senatum ædem faciendam iussisse, locúmque in arce destinatum, quæ area ædium M. Manlij Capitolini fuerat, anno postquàm ædes vota erat. Monetæ dedicatum fuisse Macrobius Calendis Iunij hoc factum fuisse scribit. Seruabantur in æde Monetæ Iunonis libri lintei, qui dicebantur, in quibus Imperij Romani fata continebantur. Non est verisimile, quod de Iunone Moneta Suidas scribit, cùm Romani pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, eos Iunonem inuocasse: quæ ipsos monuerit, si iustitiæ armis vterentur, pecuniam eis non defuturam, cúmque id Romanis rectè contigisset, Monetam Iunonem veneratos esse, eiúsque rei signum fuisse, quod nomisma, id est, moneta inscripta in eius templo asseruaretur.

IVNO SOSPITA, à Græco σώζω, quod seruare significat, antiquis etiam Sispes appellata est, teste Festo. Hæc in primis Lanuuij colebatur magno cultu, docet Liuius. Simulachrum eius fingebatur cum pelle caprina & hasta, & scutulo, & cum calceolis repandis. Cicero. Hanc Iunonem, cuius Lanuuij ædes erat, Romani etiam colebant: sic enim Liuius: Lanuuinis, inquit, ciuitas data, sacra que sua reddita, cum eo, vt ædes, lucúsque Sospitæ Iunonis communis Lanuuinis municipibus cum populo Romano esset. Quare sæpe apud Liuium & alios legimus, misisse Romanos Lanuuium, qui sacrificio facto Iunonem Sospitam placarent. Posteà verò & Romæ in foro Olitorio eidem ædes fuit extructa à C. Cornelio. Sic enim Liuius lib. 32. Consul principio pugnæ ædem vouit Sospitæ Iunoni, si eo die hostes fusi fugatique essent. Item lib. 34. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt, vna Iunonis Sospitæ in foro Olitorio vota, locatáque quadriennio ante à C. Cornelio Consule Gallico bello. Censor idem dedicauit. Huic Consules magistratum ineuntes sacrificare solebant. Cicero pro Muræna.

IVNO LVCINA indè nomen habet, quòd lucem nascentibus dare crederetur: vnde etiam Lucetia. Varr. de lingua Latina lib. 4. Ideò videtur à Latinis Iuno Lucina dicta, quòd terra, vt Physici dicunt, iuuat, & lucet: vel quòd ab luce eius, qua quis conceptus est, vna viuat, donec mensibus actis produxit in lucem. Facta igitur à iuuando & luce, Iuno Lucina: à quo parientes eam inuocant. Vnde illud Glycerij apud Terentium:

Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.

Plinius verò eam sic dictam ait, à luco, vbi eius ædes condita fuerit, vbi lotos fuerit miræ vetustatis, quam opinionem etiam Ouidius in Fastis recitat. Huius templum in v. regione Vrbis à P. Victore recensetur, vbi & lucus ei dicatus fuit. Ædicula ipsi in v. regione extructa & dicata fuit, teste eodem. Scribit Dionys. Seruium Tullium Regem ærarium Iunoni Lucinæ instituisse, in quod pro singulis nascentibus parentes, siue cognati certi pretij nummum inferrent.

IVGA IVNO appellata, vel quòd Iuges, vt ait Pompeius: sunt enim eiusdē iugi pares, vnde & coniuges: vel, vti scribit Seruius, proter iugū quod imponebant matrimonio coniungēdis. Iugæ Iunonis ara fuit Romæ in vico, qui ideò iugarius dictus erat, vt Festus ait. Scribunt alij quòd ad hanc aram veteri ritu nubentes vinculis iuncti fuerint in omen futuræ concordiæ.

Fuit & IVNONIS IVLIA ædicula in regione v. & templum Iunonis Martialis in regione VIII. Horum verò cognominū mētio extat in nummis C. Vrbij Trebonij Galli Imperatoris.

Præter hæc, quæ hactenus recitauimus, etiam Iunoni alia ferūt indita cognomina: Interdica,

ca, Momiduca, Vnxia, Cinxia, in nuptiis inuocabatur, de quibus infrà.

Calendaris Iuno vocabatur ab antiquis, quoniam omnes Calendas ipsi attributas existimabant: in primis Laurentes patriis religionibus suis seruabant, qui & hoc cognomen Calendaris Iunonis cæremoniis addiderunt, & omnibus Calendis huic Deæ supplicabant. Sed & Romæ Pontifex minor in Curia Calabra Iunoni rem sacram faciebat, & Regis vxor, id est, Regina sacrorum, porcam, vel agnam in regia Iunoni immolabat.

NOVELLA IVNO calabatur à Pontificibus: id est, vocabatur in mensium Calendis. Varro.

FEBRVATA, vel FEBRVALIS dicebatur à Februatio, quòd ipsi eo mense sacra fiebant.

FLVONIAM IVNONEM mulieres colebant, quòd eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant. Festus.

OPIGENAM etiam IVNONEM matronæ colebant, quòd ferre eam opem in partu laborantibus credebant. Idem.

POPVLONA, seu POPVLONEA IVNO etiam cognominata, quam populus seu plebs precabatur, vt innuit Martianus. Sed de Iunone hactenus.

In Cap. VI.

PARALIPOMENA.

De Iunone.

VT viris singulis sui *Genij* vitæ præsides, actuúmque arbitri esse credebantur, ita fœminis *Iunones* semper præsto erant, quomodo Iunius Philargyrius interpretatur illud Virgilij Eclog. 4. in fine.

Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Deus, id est Genius, seu vitæ præses, cui mensam antiquitas sacrauit, Dea, id est Iuno in cuius tutela lecti geniales, puerperia muliebria, & partus iam nati. quod Angelo Politiano acceptum referre debemus, qui primus, vt existimo, hunc ritum annotauit Miscellaneor. cap. 89 C. Plin. lib. 2. nat. hist. cap. 7 *Maior cælitum populus etiam quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant, Iunones Geniosque adoptando sibi.* in MS. Codice Iacobi Dalecampij qui optime non de Plinio modo, sed & de aliis multis authoribus, meritus est, legebatur, *adaptendo sibi.* In Fuxiensi *adoptantes sibi.* Plaut. in Mercatore.

I hac mecum, vt videas simul tuam
Alienam pellicem, Iuno eam.

L. Sen. Epist. 110. *Ita tamen hoc seponas, volo vt memineris maiores nostros, quia crediderunt hoc, Stoicos fuisse, singulis enim & Genium & Iunonem dederunt.* Sed quum virorum sint *Genij*, fœminarum *Iunones*, malim legere cum disiunctione, *singulorum enim aut Genium aut Iunonem dederunt.* licet & virorum Iunonem fuisse præsidem videri possit ex Iuuenalis Sat. 2. vers. 98.

Et per Iunonem domini iurante ministro.

At Satyricus de molli effœminatóque loquitur, ideò rectè quod mulieri conuenrebat, ei attribuit. Vet. Scholiast. *non per Iouem, sed per Iunonem, ita, inquit, serui iurant, quomodo solebant ancillæ Neronis, adulantes, per Iunonem tuam.* Albius Tibull. lib. 4.

Natalis Iuno sanctos cape thuris aceruos,
Quos tibi dat tenera docta tenere manu.
Tota tibi est hodie, tibi se lætissima compsit,
Staret vt ante tuos conspicienda focos.

Tertius versus, nisi fallor, non caret mendo itaque censebam legendum.

Tota tibi est hodie.

Ad disertè in MS.

Lota tibi est hodie.

Et rectè quidem meo iudicio, nam ornatrices seu psecades dicebantur: *speculum Iunoni tenere*, quod illa munditiei & ornatus curam habeat, quare & eius statuæ crines addebant, eosque curiosa superstitione disponebant. D. August. de Ciuit. Dei lib. 6. ex L. Senecæ libro *de superstitione*, qui intercidit. *sunt quæ Iunoni & Mineruæ capillos disponant, longè à templo, non tantum simu achro, stantes, digitos mouent, ornantium modo, sunt quæ speculum teneant.* Idem Epist. 95. *Vetemus lintea & strigiles Ioui ferre, Iunoni speculum tenere.* Prudent. lib. 2. in Symmach. de Victoria.

—non pexo crine virago,
Aut nudo suspensa pede.

Huc refert I. Lipsius illud Tertulliani libr. de ieiuniis. *qui in idolis comendis & ornandis & ad singulas horas salutandis adulantur curationem fecere dicuntur.* Vnde defluxit consuetudo loquendi vulgata, vt mulieres *Iunonem suam* appellarent. C. Petronius Satyrico pag. 19. *minor est ista quam ego fui, cum primum virum passa sum, Iunonem meam iratam habeam, si vnquam me meminerim virginem fuisse.* Alb. Tibull. lib. 3. eleg. vlt.

Et si perque suos fallax iurauit ocellos,
Iunonemque suam, perque suam Venerem.

Idem lib. 4. ad finem.

Hæc per sancta tuæ Iunonis numina iuro,
Quæ sola ante alias est tibi magna deas.

Hæc Vestæ & Cereris soror habita. D. Auson. Eidyllio 4. in Grypho Ternarij.

Vesta, Ceres, Iuno, sexus muliebres sorores.

Ita Vineti editio habet, ita & Siluius in Veneta repererat, & habet hæc lectio patronos suos, nam *sexus* in neutro genere dicitur: notat Priscianus Cæsariensis lib. 5. Sisenna histor. lib. 4. *tum in muro virile, et muliebre sexus populi multitudine omni collocata.* Salust. lib. 2 histor. *ac Metellus in vlteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria concurrentium vndique virile ac muliebre sextus, per vias & tecta omnium visebantur.* At Mariangelus in Iulium Solinum legit.

Vesta, Ceres, & Iuno, decus muliebre sorores.

Vulgara enim dicendi forma. Virgil. Eclog. 4. & alij passim.

Tóque adeò decus hoc æui.

Et Ecloga 5.

Tu decus omne tuis.

Inualuit tamen Criticorum opinio, vt legeretur.

Vesta, Ceres, & Iuno, sexus muliebre sororum.

Quod Sosipatri Charisij authoritate idem sit *secus* neutri generis ac *sexus*. Ioseph. Scaliger lib. 1. Ausoniar. lect. cap. 16. citat locum ex Eidyllio 5. seu Technopægnio, sed Elia Vineto indicante.

Nota Caledoniis nuribus muliebre secus strix.

Licet editiones vulgatæ habeant.

Nota & paruorum cunis muliebre secus strix.

Quæ lectio nihil habet cur placeat, meo iudicio. Et vt *Iupiter Stygius* de Platone apud poëtas, ita & *Iuno infera*, seu *inferna* pro Proserpina, vsurpatur. *quia inferius terræ hemisphærium per illam ab antiquis Physicis significatum.* Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 21. Inde poëtæ, Claudia. lib. 1. de Raptu in principio.

——caligantesque profunda
Iunonis Thalamos.

Stat. lib. 5 syl. 3.

——coniux Iunonis Auernæ.

Stat. lib. 5. syl. 3.

——umbrarum regi Ætnæaque Iuno.

Et lib. 4. Thebaid. vers. 524.

Funestorum o verum Eumenides, Stygiæque seueras
Iunonis thalamos, ac mœsta cubilia cerno.

Luct. Plac. *Pythagoras dicit duo esse hemisphæria quibus proprios deos assignat, & facit superioris regem Iouem, & reginam Iunonem, inferioris Ditem Iouem esse infernum, Proser. inam Iunonem infernam & duas Veneres vnam supernam, & alteram Libitinam. & alios deos binos constituens, Hecatem sicut & Ditem Iouem, ita & hanc Stygiam Iunonem, & Iunonem infernam* interpretatur Proserpinam Seruius ad illud lib. 6. Æneid.

Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Iunoni inferna dictus sacer.

Præposita erat & sacris nuptialibus, neque legitimæ celebrari poterant nuptiæ sine illius interuentu, quæ & matronalis reuerentiæ seu maiestatis, & ornatus seu munditiei muliebris præses credebatur. Dicam lib. 5. ca. 57. Eam autem nomine illo pro aëre cultam ab Assyriis & Afris docet Iul. Fir. l. de errore prof. Rel. & ante illum Pausan. Attic. Plutarch Crasso, & omnibus prior Herod. l. 1 Probus in Eclog. 6. Virgilij Cice. lib. 2. Nat. deor. *aër interiectus inter mare & cælum Iunonis nomine consecratur.*

CAPVT VII.

DE APOLLINE ET DIANA.

Sequuntur inter Selectos Deos, Apollo, & Diana.

APOLLO à plerisque putatur idem esse qui Sol, quidam diuersum ab eo faciunt. Cotta apud Ciceronem varios esse Apollines dicit, & ex iis quatuor recenset. Apollinum, inquit, antiquissimus is, quem paulò antè ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum. Alter Corybantis filius, natus in Creta: cuius de illa insula cum Ioue ipso certamen fuisse traditur. Tertius Ioue tertio natus & Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt aduenisse. Quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se leges ferunt accepisse. Ex his quatuor tertium potissimum à Romanis cultum fuisse suspicari licet. Is enim celebratissimus apud eos fuit. Dianæ frater, de quo sic Manilius vel Manlius apud Varronem: Latona parit casto complexu Ioui Deli deos geminos, id est Apollinem & Dianam: vt interpretatur Varro idem: O sancte Apollo, qui vmbilicum certum terrarum obtines. Vnde nomen Apollo habeat, variant Scriptores. Macrobius aliquot diuersas sententias & cognomina recenset lib. 1. Saturn. cap. 17. Hunc quatuor artibus antiqui præfecerunt. Nam primum Citharœdum, ac Citharœdorum Deum: deinde Medicinæ inuentorem, post Iaculatorem & Sagittarium, tum Vatem & vaticinij Deum constituerunt. Fabulam eius prolixè recitare nolo. Pingebatur in specie

specie impuberis iuuenis, modò facie puerili, modò iuuenili, semper imberbis: interdum autem cana diuersitate apparentis: licèt verò tali facie esset formatus, is super caput portabat tripodem aureum. In dextra verò manu habebat sagittas, arcum & pharetram: in sinistra autem citharam tenebat. Albricus, item Macrobius & alij. Nonnunquam etiam ita figurabatur, vt manu dextra Gratias gestaret: arcum cum sagittis sinistra: quæ de re multa habet Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 17. Religiosè hic fuit à Romanis cultus, ac multa est consecutus templa, ædes, aras, multáque cognomina. Dictus est enim Cœlispex, Medicus, Palatinus, Sandaliarius, Sosinus, Thuscanicus, Tortor.

COELISPEX fortasse dictus, quòd ita figuratum sit eius simulacrum, vt cœlum adspexerit.

MEDICVS dictus quòd medicinæ fuerit inuentor. Huic ædem extruxit M. Fuluius Nobilior Censor anno CIↃ LXXIV. Coss. L. Manlio Acidino, Q. Fuluio Flacco. Liu. lib. 40.

PALATINVS, qui & ACTIACVS & NAVALIS, & PARÆTONIVS, dictus fuit Apollo à templo, quod ipsi in monte Palatino Augustus, Antonio & Cleopatra deuictis, ex marmore (vt Seruius testatur) Lunensi fecit. Templum hoc fuit donis opulentissimum, siquidem Augustus aureas argenteásque statuas sibi positas ei donauit, fuit etiam opere magnificentissimum. Valuæ erant eburneæ, auro picturisq; ornatæ, de quibus detracta hostibus spolia suspensa erant. Describit hoc templum elegantissimè Propertius, cuius versus aliquot ex castigatione Iosephi Scaligeri adscribam: sunt autem hi:

Tum medium claris surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo charius Ortygia.
Auro solis erat supra fastigia currus,
Et valuæ Lybici nobile dentis opus.
Altera deiectos Parnasi vertice Gallos,
Altera mærebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, intérque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.
Illic aspicias scopulis hærere sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Iouis.
Vt Semele est combustus, vt est deperditus Io:
Denique vt à Troiæ tecta volarit alis, &c.

Fuit hoc templum etiam porticu circumdatum, quæ templi Apollinis Palatina appellata, vti ex eodem Propertio liquet, dicente:

Quæris cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in species Pœnis digesta columnis:
Inter quas Danaï fœmina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quatuor artificis viui signa boues, &c.

Fuit & ibidem Area Apollini Palatino consecrata. Hodie ne vestigia quidem illius templi relicta sunt: diruto etiam S. Luciæ sacello, in quod Apollinis illud conuersum fuerat.

SANDALIARIVS APOLLO, simulacrum fuit Apollinis, quod Augustus Cæsar ex strena, quam ipsi Equites Kalendis Ianuariis in Capitolio præbebant, mercatus est, & in vico quondam regionis Quartæ dedicauit, vnde vicus ipse Sandaliarij nomẽ accepit. Onuphrius Panuinius & Sex. Rufus. Dictus autem est Sandaliarius, vt quidam volunt, à Sandalio, quòd simulacrum istud Sandalijs fuerit ornatum. Quod ferè probãt Theodorus Pulmanus, qui annotat, in antiquis duobus Suetonij exemplaribus, pro eo, quod in excusis est, Apollinem Sãdaliarium, fuisse Apollinem Sandaliatum. Est autem Sandalium genus calciamenti, quod Germanicè pantoffeln dicimus. Antonius tamen Sabellicus non vicum ab Apolline, sed Apollinem à vico Sandaliarium appellatum fuisse vult, quòd in eo vico, in quo hæc Apollinis effigies dedicata fuerit, plurimi Sandaliarij opifices habitârint, cum quo etiam facit Læu. Torrentius.

SOSIANVS, etiam APOLLO simulacrum fuit Apollinis cedrinum è Seleucia Romam aduectum, & in æde eius collocatum. Meminit huius Plin. lib. 13. cap. 5.

TORTORIS quoque APOLLINIS simulacrum fuit Romæ, de quo Sueton. scribit, Apollinem hoc nomine in quadam parte Vrbis cultum fuisse. Antonius Sabellicus putat, cum

Tortorem dictum fuisse à vico, in quo venalia tortorum flagella pependerint, vel quem tortores incoluerunt. Idem probat Lævinus Torrentius.

THVSCANICVS APOLLO Romæ fuit in Bibliotheca templi Augusti, quinquaginta pedum à Pollice, de quo Plin. lib. 34 c. 7. dubium esse dicit ære mirabilior sit, an pulchritudine.

APOLLINEM DIADEMATVM, eius denique colossum cubitorũ triginta centum & quadraginta talentis in eo sumptis, Lucullus ex Apollonia Ponti in Capitoliũ transtulit. Plinius. Reperiũtur & alia Apollinis cognomina in vetustis monumẽtis & nũmis, quæ libẽs prætereo.

DIANA.

Apollinis soror DIANA fuit, sic dicta, ab Iana, si Macrobio credimus, d littera addita: Iana enim Luna est. Alij à *Ioue* appellatam eam volunt: hoc est, à Ioue, quasi Iouiana, Iouis enim est filia. Quidam quasi Deuianam, quoniam venantes per deuia, & syluas deuiare solent captantes feras. Alij Deuianam. Dianas tres Cicero connumerat lib. 3. de Natura Deorum: Primam Iouis & Proserpinæ filiam, quæ pennatum Cupidinem genuisse dicitur: secundam notiorem ait, quæ Ioue tertio & Latona nata sit: tertiæ patrem Vpin fuisse dicit, matrem Glaucem, quem sæpe Græci Vpin paterno nomine appellant. Ex iis secunda celebratissima fuit, à Græcis, & posteà à Romanis culta. Simulachrum eius tale erat: Pingebatur specie fœminæ coma dissoluta, quæ arcum tenebat & sagittam, ceruos quoque cornutos in venatione insequi videbatur, sicuti adhuc in nummis antiquis cernitur.

Primum DIANÆ templum Romæ in Auentino monte extructum fuit à populis Latinis, Seruio Tullio regnante. Cùm enim, vt Dionysius scribit, Cupido Seruium Regem inuasisset ex populis Latinis, quasi vnum corpus constituere, ne à se inuicem dissentientes, mutuis cædibus ruerent, conuocatis Latinorum optimatibus, suasit eis vt templum cum inuiolabili refugio communi sumptu Romæ construerent, quò conuenientes ciuitates, quotannis priuatim simul & publicè sacra facerent, exercerentque forum rerum venalium certis temporibus: & si qua offensa populis incideret, inter sacra Deorum conciliarentur ex aliorum populorum arbitrio. Hæc & alia multa commoda proponens, quæ consequerentur, & communi concilio, omnibus persuasit, qui tum aderant. Collocatis deinde oppidatim pecuniis, Dianæ templum ædificauit in Auentino eminentissimo vrbis tumulo, & fœderis leges conscripsit ciuitatibus, ritúsque celebrandi festi, atque fori constituit. Et ne vlla iniuria temporum aboleretur, in ærea columna incidit decreta concilij, & ciuitates eius conuentus participes. Ea columna permansit vsque ad nostram ætatem in Dianæ templo dedicata, inscripta literarum characteribus Græcanis. Hactenus Dionysius. Huic templo boum cornua erant affixa, cùm reliquis Dianæ fanis ceruorum cornua affigerentur: cuius rei causam hanc recitat Plutarch. esse id monimento antiqui casus. Fuisse quendam in Sabinis, Antronem Coratium, qui vaccam habuerit & magnitudine & forma reliquis præstantem, monitúmque à vate quodam ei, qui in Auentino bouem hanc Dianæ immolasset, fata summam potestatem deferre, Vrbémque ipsius Italiæ totius regno potituram, Romam se contulisse bouis ibi mactandæ gratia. Seruum autem Regi Seruio clam id vaticinium, Regémque Cornelio Pontifici indicasse. Tum Cornelio Antroni mandasse, vt ante sacrificium aqua Tiberis profluente sese ablueret: sic enim legibus præscriptum esse litaturo: ita hunc lotum abiisse. Interim Seruium occasionem immolandæ vaccæ in honorem Dianæ præcepisse, mactatæque cornua templo affixisse. Hactenus Plutarchus. Eandem fabulam & Liuius recitat.

Fuit ædes DIANÆ in Cœliolo, quæ hodie est temlum S. Ioannis Euangelistæ ante portam Latinam, minima & nullorum planè ornamentorum. Idem in Subura, vnde nomen DIANÆ Suburanæ.

Ædicula quoque DIANÆ VALERIANÆ in regione Vrbis VI. fuit. Item in vico Patricio ædes Dianæ fuit, quam non intrârunt viri, cùm ab aliis non arcerentur, eius rei hanc causam Plutarchus quæst. 3. affert, fieri ob id sermonem volgatum. Mulierem enim quandam Deæ ibi cultum exhibentem à quodam vi fuisse compressam, cúmque à canibus discerptum: vnde superstitio nata sit, ne viri eò intrarent.

AD CAP. VII. PARALIPOMENA.

Apollinis cognomina & Oraculis celebria.

LOcus Fulgentij lib. 3. Mythol. cap. 9. vbi agit de Apolline & Marsya mirè corruptus, quem fide MS. codicis restituit Fr. Modius, *quem Apollo cum non rectè indicasset asininis auribus decorauit, ille criminis sui notam tonsori tamen ostendit, præcipiens ei, vt si crimen tiное celaret, eum participem regni efficere, ille secretum domini sui in terram fodit, & in defosso terræ dixit & operuit, in eodem loco calamus natus est.* legendum, *tonsori tamen ostendit, promittens ei, ut si*

ut si crimen eius vel sciret, participem regni efficere. ille in terra fodit, & secretum domini sui in terra dixit & terra operuit. Sequitur deinde, *quæ cum percutiebatur dicebat: Mida rex aures asininas habet*, lege *asininas*.

Variis hic cognominibus compellatus, pro diuersis seu regionibus, seu cultibus, aut populorum ritu. Primum igitur, vt inde ordiar *Deliacus*, à Deo Insula, vbi est natus, dictus est θεὸν ἑὸν ἐν πρώτοις, *Deum celebrauit prima*. Callimach. Hymno in Delum. v. 5. non ergo tantum quod ibi natus sit, vt ex Pindari Scholiaste putant, & sexcentis aliis, sed quò à primus à Deliacis Apollini sit exhibitus cultus, primáque sacrificia. Vnde *sex mensibus æstiuis Deli dabat responsa*. Seru. ad v. 144. lib. 4 Æneid. vt abunde narrat Plutarchus in Pelopida. Idem etiam & *Genitor*. Diogen. Laert. lib. 8. προσκυνῆσαι μόνον ἐν Δήλῳ τὸν Ἀπόλλωνος τοῦ γενέτορος, ὃς ἐστιν ὄπισθεν τοῦ Κερατίνου. *Adorasse modo Apollinis Genitoris aram in Delo, quæ retro corneam est posita*. de Pythagora Macrob. lib 3. Saturnal. cap. 6. *Multa de hoc cognomento disquirit. Claudius Verus Ordinatorum lib. 2. Deli ara est Apollinis γενέτορος, in qua nullum animal sacrificatur, quam Pythagoram vt inuiolatam adorasse produnt*. Meminit & M. Cato lib. *de liberis educandis*, in Fragmentis historicor. pag 24. *nutrix hæc omnia faciebat in verbenis, ac tubis, sine hostia, vt Deli ad Apollinis Genitoris aram*. & allusit Valer. Flac. Setinus lib 5. Argonautic.

> *Cum comes orsa loqui, Phœbi Genitoris ad aram Vincitum, ait.*

Ara hæc *cornea*, seu, vt aliis placet, *cornuta* erat, id est è cornibus compacta, Angelus Politian. Miscellaneor. cap. 52 Theodorus Marcilius Regius eloquentiæ professor ad Epigr. 1. Amphitheatri Martialis. P. Ouid. Epist. 20. Cydippes Acontio.

> *Miror & innumeris structam de cornibus aram,*
> *Et de qua pariens arbore nixa dea est.*

Callimachus Cyrenæus in Hymno Apollinis. v. 62. eam depingit.

> —— ἔδειμε δὲ βωμὸν Ἀπόλλων.
> Δείματο μὲν κεράεσσι θεμείλια, πῆξε δὲ βωμὸν
> Ἐκ κεράων, κεραοὺς δ' ἀμφὶ ὑπεβάλλετο τοίχους.

Id est ad verbum. *ipse vero compingebat aram Apollo, construxit quidem cornibus fundamenta, compegit vero altare ex cornibus, cornua et in circum parietes posuit.* Metricis legibus elegantissime imposuit Bonauentura Vulcanius.

> ——*aram texebat Apollo,*
> *Cornea sternebat fundamina, cornibus aram*
> *Surgebat, cornu murum quoque duxit in orbem.*

Atque ista quidem inter mundi miracula habebatur, Martial. loco citato,

> *Dissimulatque Deum cornibus ara frequens.*

Abunde, vt solet nec minus curiosè, Plutarc. lib. de Solertia Animal. ex veteri poëta quodam.

> Εἶδον δὲ τοῦτο τὸν γε κερατῶνα ἐν Δήλῳ,
> Τὸν ἕνα τῶν ἑπτὰ θεαμάτων ὑμνούμενον διὰ τὸ μήτε κόλλης δεῖσθαι, μήτε ἄλλου δεσμοῦ, διὰ μόνων τῶν δεξιῶν κεράτων συμπεπηγμένον. vertit Guil. Xilander.

> *Tale quid in Delo, & Phœbi me cernere templo.*

Nempe aram ceratinam siue cornutam (melius reddidisset, corneam) quæ inter septem mundi miracula celebratur, quod neque glutine vllo, neque aliis vinculis cohærens, è solis dextris cornibus compacta est.

Isto quidem apud Græcos cognomento colebatur. at apud Romanos, *Palatinus*, seu *Actiacus*, siue quia Augustus videri volebat se Apollinis esse filium, vt Suetonius refert cap. 94. siue quod nauali prælio victor, Antonio profligato, ad Actium promontorium fanum ei erexerit, vt narrat Dio Cocceianus in actis Anni 724. lib. 51 ? principio à similitudine autem ludorum ibi exhibitorum, alios Romę post triumphum dedit, & Apollinem, cuius, vt credebatur, beneficio victoriam fuerat adeptus, templo structo decoratus est: quod quia in Palatio structum fuit, Apollo Palatinus inde cognominatus. Suetonius in Aug. cap 29. *Extruxit forum cum æde Martis Vltoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Iouis in Capitolio.* Et cap. 52. *ex quibus aureas Cortinas Apollinis Palatino dedicauit.* In hoc templo Bibliotheca Latina & Græca erat, vt ex Suetonio cap. 29 laudato constat. meminere vetusti marmoris fragmenta.

OSSA.
VIBIÆ. SVCCESSÆ. LIVIÆ. AVG. SER. AB. ARGENTO.
POTORIO. ITEM. A. VESTE. L. VIRIVS. AVG. SER.
PAMPHILVS SCRIBA. LIB. ET. A. BIBLIOTHECA.
LATINA. APOLLINIS. CONIVGI. FIDELISSIMÆ. ET PIISSIMÆ.

H. D. S. M.

Est & alia inscriptio, cuius hæc sunt verba.

SVLPICIÆ THALLVSSÆ.
ANTIOCHVS TI. CLAVDI. CÆSARIS.
BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS.
CONIVGI. SVÆ. BENE MERITÆ.

Istæ quidem inscriptiones meminerunt bibliothecæ Latinæ. Est quoque Græcæ mentio in ista.

DIS. MANIBVS.
C. IVLLVS. FELIX. A. BIBLIOTHECA. GRÆCA. PALAT.

Frequenter eam laudant poëtæ eius æui. Plin. lib. 34. Nat. histor. cap. 3 in fine. Et lib. 36. cap. 5. Virgil. lib. 6. Æneid. post principium.

Tum Phœbo & Triuiæ solido de marmore templa.
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.

Seruius Maurus. *vt solet, miscet historiam, nam hoc templum in Palatio ab Augusto factum est.* D. Iuuenal. Satyr. 7. v. 38.

Musarum & Apollinis æde relicta.

Martial lib. 12. epigr 3.

Iure tuo venerando noui pete limina templi:
Reddita Pierio sunt vbi templa choro.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 31. Et lib 4. eleg. 6.

Musa Palatini referamus, Apollinis ædem.

Helenius Acron, Porphyrion, aliique Horatij interpretes ad illud lib 1 Satyr 9.

——sic me seruauit Apollo.

Et lib. 1. epist. 3.

Priuatas vt quærat opes & tangere vitet
Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

De bibliotheca Græca, Latinaque nulli dubium esse possit; adde & Ouidium lib. 3. Trist. eleg. 1.

Quæque viri docti veteres fecere, nouique
Pectore, lecturis inspicienda patent.

Illud certe non æque obuium, aut cuiquam hactenus animaduersum, iuxta illud templum conuenire solitos Iurisconsultos, de litibus ambiguis disceptaturos. Vetus Scholiastes Iuuenalis ad vers. 128 Sat. 1 *aut quia iuxta Apollinis templum Iurisperiti sedebant, & tractabant, aut quia bibliothecam iuris ciuilis, & liberalium studium in templo Apollinis Palatini dedicauit Augustus, nam hic est Apollo, cuius meminit Horatius.* Pseudocornutus ad Sat. 2. A. Persij. vers. 56 *in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas sub dio totidem equestres filiorum Ægysthi.* Ob eam certè causam totum *Palatium*, & totus *mons Palatinus* in tutela erat Apollinis. P. Ouid. lib. 3. de Arte.

Quæ nunc sub Phœbo ducibusque palatia fulgent,
Quid nisi araturis pascua bobus erant?

Et eodem libro deinde.

Visite laurifero sacrata palatia Phœbo,
Ille Parætonias mersit in alta rates.

Habuere etiam & barbari suum Apollinem, quem, quod ab Hyperboreis Scythiæ vltra Aquilonem populis, vt exponit Luctatius Placidius ad lib. 5. Thebaidos Statianæ vers 390. religiosè coleretur, *Hyperboreum* appellauerunt Seru. Honorat. ad vers. 114. lib. 4. Æneid. *Agathyrsi populi sunt Scythiæ, colentes Apollinem Hyperboreum, cuius logia, id est responsa feruntur.* At historici Geographicarumque rerum scriptores fabulosa omnia de hac gente existimant Eratosthenes apud Strabonem libro Geograph. 1. qui idem Strabo nusquam illum populum existere docet contra commenta Pitheæ Massiliensis lib. 7. cap. 335. Fest. li. 8. *Vltra Aquilonis flatum habitantes.* Herodotus *nullos* omnino esse asserit, Possidonius *Alpibus conterminos* locat. Raphaël Volaterran Geographiæ lib. 7. pag. 221. sunt qui *vltra Scytas, Isedonas*, esse tradant, quibus conterminos *Arimaspos*, atque his adiacere *Rhiphæos* montes, quorum iuga incolant *Hyperborei.* sed omnia esse ficta, qui regiones illas lustrauit, prodidit Adamus Matthæus à Michanu. tamen vsque adeo antiqui fidem adhibuerunt, vt *Abaris Scytha, Senthæ filius, oracula scripserit, quæ Scythica vocabantur, nuptias Hebri fluuij, lustrationes, deorum origines soluta oratione, Apollinis aduentum ad Hyperboreos, versu.* Fertur & oraculum huius celebre, laborantibus peste Græcis, oportere à populo Atheniensi vota fieri pro omnibus, Suidas in voce Ἄβαρις authoritate magni Basilij. Iamblich. lib. de vita Pythagoræ cap. 19. ἧκε δὲ μὲν Ἄβαρις ἀπὸ ὑπερβορέων ἱερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος. *Venit Abaris ab Hyperboreis sacerdos Apollinis.* Scholiast. Pindari Olymp. ode 3. in principio.

Δᾶμον ὑπερβορέων πείσας Ἀπόλλωνος θεράποντα.

Populo Hyperboreorum quum persuasisset Apollinis cultori. meminit & Pythior. ode 10. Ælian. Var. hist. lib. 2. cap. 26. Ἀριστοτέλης δὲ λέγει ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν τὸν Πυθαγόραν Ἀπόλλωνα ὑπερβόρειον προσαγορεύεσθαι. *Aristoteles dicit à Crotoniatis Pythagoram Apollinem Hyperboreum cognominari*, qui locus in scriptis Aristotelis non habetur. Claudian. de 6 Hon. consul.

Auget spes Italas, & certius omnia surgunt
Victrici concepta solo, quum pulcher Apollo
Lustrat Hyperboreas Delphis cessantibus aras.

Primus versus corruptus: lege

—— & certius omnia surgunt.

Idem lib. 3. de laud Stilicon.

—— Hyperboreis Delos prælata priuignis.

Multa dona à Græcis ad hos Apollinis cultores mittebantur, Diodor. Sicul lib. biblioth. 2. apud Desiderium Heraldum lib. ad Iamblichum cap. 7. Animaduersor. Callimach. Hymno in Delum vers 281. *Decimas inquit tibi obtulerant, qui ad Auroram, Vesperam & meridiem.*

—καὶ οἱ ὑπὲρ βορέαο
οἰκία ναίουσι ...

Et qui supra Boream domicilia littus habent, valde longæuum genus, sed & illi *per virgines probatissimas primitias frugum Apollini Delio mittitabant*. C. Iul. Solin. Polyhist. cap. 21. Sequitur autem in Claudiano.

At si Phœbus adest, & frenis grypha iugalem
Ryphæo tripodas repetens detorsit ab axe.

Gryphes ergo *Hyperboreo Apollini* dicatos insinuat, vt puto, *propter sagacitatem*, Miramque in prospiciendis futuris prouidentiam. quos collocat L. Apull. lib. 11 Milesiar. in mysteriis Isidis. *Hinc Dracones Indici, inde Gryphes Hyperborei, quos in speciem pinnatæ alitis generat mundus alter*. Seru. ad Eclog. 8 *Gryphes genus ferarum in Hyperboreis nascitur montibus, omni parte leones sunt, alis & facie aquilis similes sunt, equis vehementer infesti. Apollini consecrati.* Mira certè earum ferarum natura, quæ auri aspectu adeo delectentur, vt *homines ne tangere illud quidem excubantes permittant*. Pompon. Mela lib. 3 de situ orbis cap. 1. *gryphi sæuum, & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum mirè amant, miréque custodiunt, & sunt infesti attingentibus*. Et lib. 3 cap. 7. parita Iul. Solin. Polyhist. cap. 20 *cum auro & gemmis affluant gryphes tenent vniuersa alites ferocissimæ, & vltra omnem rabiem sæuientes quarum immanitate obsistente, aditus aduenis difficilis est, ac rarus, quippe visos discerpunt, veluti geniti ad plectendam auaritiæ temeritatem*. Aurel. Cassiodor. lib. 9 epist. 3 *Gryphes aurum iugiter leguntur effodere, atque huius metalli inspectione gaudere*. Claudian. epist. ad Serenam.

Caucaseo crystalla ferunt de vertice lynces,
Gryphes Hyperborei pondera fului soli.

Fatidicus vates, augur, sortilegus, & sortiipotens idem hic Apollo nominabatur, *quod oraculis præesset*: quæ quò magis ambigua, & perplexa eò laudatiora. Non. cap. 1. num. 45. *crepera res proprie dicitur dubia. M. Varro in Mysteriis, primum horrida silent oracula, prisca, crepera in memoribus*. Martian. Capella lib. 1. de Nuptiis. *ipse pedibus talaria vertit aurea & nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denuntiata pecudum cæde, fissulatis extorum proficiis viscera loquebantur*. Vnde & veteribus quibusdam poëtis affectata ex industria obscuritas & sub imagine ænigmatum proposita veritas. Scholiast. Æschyli in Prometheo victo, *οἱ παλαιοὶ τὰ ποιήματα αὐτῶν ... αἰνιγματωδῶς ἔγραφον*, *antiqui poemata sua primum ænigmatis scribebant*. & Scholiast. Iuuenal. Sat. 1. vers. 128. *siue quod Cicero domum Scæuolæ oraculum dixit, siue quod tam dicta Iurisconsultorum responsa sint, quàm Apollinis*. Luctat. Placid. ad vers. 509. 1. Thebaid. *oraculi fidem latentem* vocat Statius ipse.

Salue prisca fides tripodum, obscurique recessus

Idem lib. 3. Thebaid. vers. 614.

Expectare queam, dum pallida virgo tremendas
Nuntiet ambages.

Adscribam celebrium aliquot poëtarum loca, qui oraculorum ambiguitatem egregiè expresserunt, si prius oraculorum præsidem Apollinem ab ista obscuritate nomen deduxisse id ipsum significans, dixero. *λέξιας* enim *λοξίας, ab incuruis & obliquis existentibus oraculis*, vt Iodocus Velareus interpres Phornuti, Latinè reddidit Scholiast. Sophoclis Synæs. lib. de somniis. Tacit. lib. 2. Annal. *Ferebatur Germanico, vt mos est, per ambages oraculum, maturum exitium cecinisse*. Chrysippus apud Tullium li. 2. de Diuinat. *Flexiloqua & obscura vocat oracula*. Lucan. lib. 1. vers. 639.

—Flexa sic omnia Thuscus
Inoluens, multáque tegens ambage canebat.

Et lib 5. vers. 225.

Terreat ambiguis frustratum sortibus.

Lib. 6. vers. 772.

—tripodes vatesque deorum
Sors obscura tenet.

Valer. Flacc. lib. 1. Argonautic.

Iam dudum longa Minyas ambage, ducemque
Terrificat.

Et lib. 4

—edit tacitis iterum responsa tenebris.

Sil. Italic 9 Punicor.

Iamque alter sibi, nec perplexo carmine, coram
Fans ... vates.

L. Seneca in Oedipo Act. 2 sc. 1.

Responsa dubia sorte perplexa latent.

Sequitur deinde ibidem.

Ambage nexa Delphica mos est Deo.
Arcana tegere.

Legendum ex MS.

Ambage flexa Delphico mos est Deo.

Claudian. lib. 2. in Ruffin.

Has canit ambages, occultis fallitur ille
Omine.

Et lib. 2. de Bello Getico.

O semper tacitas sortes ambage malignas
Euentúque patens, & noxia vatibus ipsis
Vera sacra fides.

Vnde quia ICti res maximè cōtrouersas forti cōtrahebant, ideo & *oracula sortis* nominè audiunt. Cic. lib. 2. de diuinat. post princi-

pium, *quæ est autem gens, quæ ciuitas, quæ non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium, ea enim fere artis sunt, prædictione non moueatur?* Et post eodem libro, *eo ut generis oracula etiam habenda sunt, non ea quæ æquatis sortibus ducuntur.* Et ibidem post, *si sors contemnenda non est, si authoritatem habet vetustatis.* Horatius de Arte poëtica, *dictæ per carmina sortes,* Helenius Acron. *responsa Apollinis*, interpretatur. & *Oraculi Geryonis sortes.* C. Sueton. in Tiber. cap. 14. T. Liuius 1. Decad. lib. 1 *Delphos ad maxime inclytum in terris oraculum mittere statuit, neque responsa sortium vlli alteri committere ausus.* L. Apul. 5. Milesiar. *duci e me & cui Scopulo sors addixit, sistite.* de Apolline Milesio. C. Iul. Hygin. Fab. cap. 69 *Adrastus memor sortium suarum, id est oraculi.* Et cap. 101. *petit sortem ab Apolline, quod esset remedium.* Ammian. Marcellin. lib. 14. in fine. *Vrnam sortium temperat, accidentium vices alternans.* Virgilius passim, lib. 7. Æn. *non patrio ex adyto sortes.* Seru. *sortes abusiuè pro oraculis.* Alb. Tibullus lib. 1. eleg. 3. eleg. 8. lib. 2. eleg. 5. Sidon. Appollinar. Carm. 5. vers. 263.

Si Lyciæ sapiunt sortes.

Et Carm. 9. vers. 187. & eruditissimus Sauaro.

Non sortes Lyciasque Cæritumque.

Terentian. Maurus lib. de Metris.

Fatidicas sortes docuit depromere Pæan.

Q. Ennius in annalib.

Vt se edoceret, obsecrans Apollinem,
Quo sese vertant tantæ sortes,

Corrigendus interea ex Ouidio locus lib. 15. Metamorph. Fab. 2.

Palantesque homines passim, ac rationis egentes
Desperare procul trepidosque, obitusque timentes,
Sic exhortari, sortemque euoluere fati.

Hercules Ciofanius Sulmonensis, qui optimè de hoc poëta est meritus, conferens cum viginti tribus codicibus MSS. putauit ex illis esse legendum, forte non malè.

Sic exhortari, seriemque euoluere fati.

Ita tamen vt non quælibet *sortes, oracula* essent, nam quædam vaticinia per sortes agebantur, id est talis coniectis in mensam, cuius rei forma huiusmodi præscripta est apud Pindari Scholiasten. ad odem. 4. Pythior. ἐὰν βάλλοντος μοῦ τοῦδε αὐτοῦ, ἀποτελεσθήσεται, εἰ δὲ μὴ, οὐκ ἀποτελεσθήσεται, *si me iaciente, hoc ceciderit, eueniet. sin minus, non eueniet.* Notauit Ioan. Hartungus Decuriæ ex optimis authoribus 3. cap. 8. num. 4. deinde certum est quasdam *sortes* esse *Apollineas*, vt loquitur Seruius ad v. 376. lib. 4. Æneid, aleas ab antiquitate *Mercurio dicatas*: eruditè vt solet, probat Adrianus Iunius lib. 2. Animaduers. cap. 4. Denique quum omne oraculum aut in templis, aut in antris edi soleret, sortes etiam in profundum aliquem fontem iactari, diuinandi gratia, notum est. C. Sueton. Tiber. cap. 14. *cum iuxta Patauium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebantur, vt de consultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret, euenit vt summum numerum iacti ab eo ostenderent, hodieque sub aqua visuntur hi tali.* Quod Isaacus Casaubonus vir doctissimus, in Græcorum consuetudine moribusque fuisse ostendit ex Sozomeno lib. 5. histor. Ecclesiast. cap. 19. allato etiam exemplo *Inus fontis*, ex Pausania in Laconic. & allusit Claudianus de 6. Hon. Consul.

——cumque omnibus vna
Sit natura vadis, similes vt corporis vmbras
Ostendant, hæc sola nouam iactantia sortem,
Humanos properent imitari flumina mores.

Et ob id in fontes dona quædam, ceu accepti beneficij præmia conijciebant, percepta sorte discessuri, non minus quam illi qui oracula consulebant, donaria votiua templorum seu tholis, seu parietibus affigebant. C. Plin. li. 8 epist. 8. *hunc subter fons exit & exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit, purus & vitreus, vt numerare iactas stipes, & relucentes calculos possis.* stipes quidem apparet in fundum iactas, sed & alia donaria iuxta affigebantur. Claudian. in celebratissimo illo de Apono fonte elegidio.

Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres hastæ regia dona micant.

Sed quia oraculorum incidit memoratio, dicam obiter quædam de consensu veterum scriptorum etiam ethnicorum, quia saluatore humani generis nato, perpetuo illa silentio damnata obticuisse prodiderunt, super qua re & plutarchus elegantem conscripsit libellum. *siue quod dæmones oraculis præpositi moriantur aut senescant, seu quod ætas illa sapientibus abundabat quorum responsa instar oraculi esse putarant. Hæc fere* Plutarchus. sed vera causa, *assertoris nostri natiuitas.* Suid. in Augusto. Et *durante sua tempora Iouem Ammonem siluisse* Strabo dixit lib. 17. qui sub Tiberio principe vixit, nec impietatis assertor negare id ausus Q. Symmachus lib. 4. cap. 33. *non vides oracula olim locuta desiisse, nec vllas in antro Cumano literas legi, nec Dodonam loqui frondibus, nec de spiraculis Delphicis vllum carmen audiri?* Et Appius, vt est apud M. Lucanum lib. 5. Pharsaliæ vers. 67.

Sollicitat

Sollicitat superos, multosque obducta per annos
Delphica fatidici reseras penetralia Phœbi.

Cic lib. 2. de Diuinat. & ex eo Arnob. li. cont. gent. 8. *de Pyrrho Ennius Apollinis Pythij responsa confinxit, cum iam Apollo versus facere desijsset, cuius tunc cantum illud & ambiguum defecit oraculum, cum & politiores homines & minus creduli esse cœperunt: & Demosthenes, quod sciret responsa simulata, φιλιππίζειν Pythiam querebatur.* Ioannes Britannicus ad vers. 554. Sat. 6. Iuuenalis: & vetus Scholiast. ibidem *tanquam sit à Ioue ipso Ammone victum: Apollo nam indignos homines putat quibus futura respondeat, nam magis sic intelligitur, quod Alexander damnauit templum Apollinis in Delphis, ne sint homines futurorum prægnari.* quod neic o an ab vllo sit scriptum, certe & post Alexandrum Macedonem præcipuus honor Delphico oraculo habitus, vt appareat illud ab eo non fuisse damnatum, neque puto id verum esse, de defectu ipse Iuuenalis loco proxime laudato.

Dixerit astrologus, credent à fronte relatum,
Ammonis quoniam Delphis oracula cessant.

Ambitiose, vt pene solet, Papin. Stat. li. 8. Thebaid. vers. 194.

——Mutisque diu plorabere Delphis,
Hic Tenedon, Cyrrhamque dies par suque ligatam
Delon, & intonsi claudet penetralia Branchi.
Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quisquam
Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit,
Quin & corrnigeri vatis nemus, atque Molossi
Quercus anhela Iouis, Troianaque Thymbra tacebit.

Quæ eo lubentius apposui, quod scirem apud nullum authorem tot oraculis celebria loca simul recenseri. Aurel. Prudent. in Apotheosi.

——Ex quo hominis deus induit artes,
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra,
Nec tripodas cortina regit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris,
Perdidit insanos mendax Dodona vapores,
Nec responsa refert Libycis in syrtibus Ammon.

Diana ad Prosepinam à Dite raptam apud Claudianum lib. 2 de Raptu.

——Mœstoque diu lugebere Cyntho.
Delphica quinetiam fratris delubra tacebunt.

Idem poëtica, vt puto, leuitate, aut adulandi studio, reserata vult fuisse nascente Honorio principe oracula, de 4. eiusdem consulatu.

Quis vatum discursus erat, tibi corniger Ammon,
Et dudum taciti rupêre silentia Delphi.

Sandaliarium Apollinem notarunt alij cognominatum, sed aptam quantum intelligere ex scriptis eorum potui, nemo causam edocuit: nam quod *à viro Sandaliario* denominatum contendant, falso id creditum, cùm *vicus* potius à *deo* nomen acceperit, eius mentio in lapide antiquo.

GERMANICO CÆSARE.
C. FONTEIO. CAPITONE, COS. KAL. IVN.
SEIÆ. FORTVNAE. AVG. SACR. SEX. FONTEIVS L. TROPHIMVS. CN. POMPEIVS. CN. L. NICEPHORVS. MAG. VICI. SANDALIARI. REG. IIII. ANNI. XVIII.

Ego existimo ab effœminato cultu sic dictum Apollinem, quod scilicet *sandaliis calceis muliebribus indutus esset.* id autem vituperio fœminis cessisse, & mollitiei argumentum testatur Ælianus lib. 1. var. hist. cap. 27. τὰς δὲ ἀθήνησι τῶν γυναικῶν αἱ πολλαὶ τῇ χλιδῇ ... *vero pleræque mulierum luxu defluxere: quæ corollam sublimem capiti imponebant: pedes vero sandaliis induebant.* Lucianus Samosatensis lib. de scribenda historia, de Hercule mancipato, καὶ παιόμενον ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης σανδάλῳ *& vapulantem ab Omphale Sandalio,* Turneb. lib. 29. aduersarior. cap. 8. Mira festiuitate Gnato ille Terentianus Eunucho Act. 5. sc. 7.

TH. qui minus quam Hercules seruiuit Omphali?
Gn. exemplum placet.
Vtinam tibi commitigari videam sandalio caput.

Ælius Donatus, si modo is est *sandalio, miro calceamento caput verberari.* Eugraphius item vetus Grammaticus, *Omphalen dicitur Hercules amasse vehementer, ita vt indutus muliebri habitu opera quoque fœminea faceret, & habitum suum amicæ eidem daret.* & deinde *sandalium genus calceamenti est* vet. glo. ... *gallicula* sic Rufinus exposuit locum à Iosepho li. 4. Antiquitat. Iudaicar. cap. 8. ... *soluens mulier fratris gallicula, & expuens in faciem.* alium que eiusdem scriptoris textum restituit è lib. 5. cap. 11 Fr. Lindenbruchius in obseruationibus suis ad Terentium. quod in aruspicina vsque adeo obseruatum, vt *de sandaliis somnianti, vxor portendatur.* Achmes Setem

cap. oneiroc. 229 Turpilius Comicus in Lindia apud Nonium cap. 4. num. 193. & recitauit vir acerrimi iudicij Petr. Victorius lib. 14. variar. lection. cap. 15.

Misero mihi mitigabat sandalio caput.

Quod autem vsus eius non tantum Romanis, sed etiam Græcis fuerit, testantur Menander, Cratinus in legibus, & Eupolis in aurea ætate, referente Iulio Polluce li. 7. Onomast. cap. 22. quibus addendus Cephisodorus in Trophonio.

Sandalia vero tenuiter distinctum,

Quibus aurei insunt flores.

Neque præterierim Nabathæos alio calceamenti genere non vsos. Strabo Amasenus Geograph. lib. 16.

Ad Cap. VIII. PARALIPOMENA.

De Diana & venationibus.

De *Diana* post Apollinem, dicendum siue quod iisdem orti parentibus, quod fabularum præferunt deliramenta. C. Iul. Hygin. Fab. 53. Seru. ad v. 6. lib. 3. Georg & sexcenti alij, *& prior nata Diana posterior, Apollo*, idem Seru. ad vers. 73. lib. 5. Aeneid. siue quod vna eadem fierent vtrique Deo sacra, & iuncti colerentur. vnde apud Topographos vrbis Romæ in Reg 19. *ponitur arcus Octauij patris Augusti, cum signis Apollinis & Dianæ, ex vno lapide, opus Phidiæ quadriga, & curru fine denique quod vna educatos celebres* vetustas. ambitiose, vt alios omittam, describit Claudia. lib. 2. de Latona.

Inualidum dextra portat Titana lacerto,
Nondum luce grauem, nec pube, tenentibus alte
Cristatum radiis, primo clementior æuo
Pingitur & tenerum vagitis despuis ignem,
Læua parte soror vitrei libamina potat
Vberis, & paruo signantur tempora cornu.

Eius quam varia nomina, quam multiplex potestas, pete ex Mythologis, Phornuto, Albrico Palæphato, Fulgentio, & aliis, ego quędam interim apponam, & vnde infra in tractatibus de *Luna, Hecate, Proserpina, Triuia, & Lucina*, nam idem est cum omnibus illis numen.

Primum *parturientibus erat præposita*. Abdias Babyloniæ primus Episcopus libro tertio histor. Apostolicæ, si modo is author est libri, qui à Iulio Africano Latinitate donatus eius nomine circumfertur. ibi ergo in hæc verba scribit: *Contigit vt mulier Culispa nomine, quæ homicida contumelia, conceptum susceperat illicitum, magnis in partu doloribus artaretur nec partum proferre posset: hac ad sororem suam inquit, vade quæso, & inuoca Dianam, deam nostram, vt misereatur mei, ipsa enim habet patrocinium obstetricandi.* Nonnus Panopolita Dionysiac. lib. 36. vers. 59. vbi Iuno Dianam vulneratam alloquitur.

Virgo lectos fugiens, labores suscipiens, traiectum amorum Cestum habere debuisses adiutorem partus. Idem lib. Dionysiac. 42. vers. 412.

Dolentem puellam agro partu editam fortica est Latona, Dianam Ilithyiam, auxiliatricem fœminarum. quare puerperæ statim doloribus defunctæ, Iunoni quidem sacrificium instituebant, vestimenta Dianæ consecrabant, quæ & λοχεῖα, *lochia à leuando seu curando partu.* Plut. lib 3. Symposiac. cap. vlt. Scholiast. Callimachi in Hymnum Iouis, quare & χιτώνη dicebatur, ac si tunicatam appelles, vetus marmor meminit.

CHITONI. VIRGINI. SACRVM.

Et ipse Callimachus loco laudato. v. 78.

Milites Martis, venatores vero Chitones Dianæ. Et de sacrificandi ritu post partum, M. Plaut. in Truculento sc. puero isti. vbi sic Phronesium meretrix.

Eumque gero ornatum, vt ægra quasi puerperio cubem.
Date mihi huc stactam, atque ignem in aram, vt venerem Lucinam meam.
Hic apponite atque abite ab oculis, o Pithecium,
Face vt accumbam: ...
Vbi est Astaphium? fer huc verbenam mihi, huc & bellaria,
Soleas mihi date, pallium ... iniice Archilis,
Date aquam manibus.

Venatoribus præposita, Q. Symmach. lib. 9. Epist. 28 C. Plin. Iunior. lib. 1. Epist. 6. vnde *Venatricis* cognomentum illi impositum, vt pulcherrime descripsit Nonnus Dionysiac. lib. 22. vers. 50. vnde quod *venatorum continuus sit motus, neque vnquam vno in loco consistant, circumcursatores & errones in eius sunt tutela*, Suidas in voce ... *Pergæa Diana* Artemidor. l. 2. Oneirocrit. cap. 35. ... *Diana Agrotera aut agrestis & ceruos prosequens* Minutius Fœlix in Octauio, *Diana interim est alte succincta venatrix.* Arnob. lib. aduersus gentes 4. *sunt in sidereis montibus lustra, syluæ sunt nemora, vt venationum præpotens habeatur in expeditionibus Diana.* ab Orpheo poëtarum antiquissimo κυνήγετις, *carum astrix*,

& à

& à Callimacho, θηροκτόνος, *ferarũ vastatrix aut interfectrix* appellatur. Oppian. Cilix, qui Seueri principis tempore vixit, lib. 2. in limine eius operis, quod cultissimum de venatione scripsit,

> Νῦν δ' ἄγε μοι Ζηνὸς θύγατερ καλλίσφυρε...
> ...

Nunc age mihi ô Iouis filia pulchris pedibus Diana, quis tua de manu acceperis illa fires artes venationis? Ideo omnem lucum ei dedicarunt ei. Luctat. Placid. lib. 4. Thebaid. vers. 425. *omnis lucus Dianæ est consecratus, sicut quercus Ioui.* & ipse Statius loco citato.

> *Nec caret umbra deo, nemori latonia cultrix*
> *Additur.*

Horat. de Arte in principio.

> *——Cum lucus & ara Dianæ.*

Seru. ad vers. 117. lib. 6. Æneid. *solam Proserpinam dicere non potuit propter lucos qui Dianæ sunt.* Q. Catull. in carmine sæculari.

> *Montium domina vt fores,*
> *Syluarumque virentium,*
> *Saltuumque reconditorum,*
> *Amniumque sonantium.*

Paulus Silentiarius insignis poeta in Anthol. lib. 1. cap. 60 Epigr. 5.

> ...
> ...

Forte ter beata venatrix quæ in cantatorem Diana bene sonantis soluit regi lyræ vnicum tantum poetam Claudianum producam, lib. 2. de raptu.

> *Nec quæ Parthenium canibus scrutatur odoris*
> *Aspernata choros.*

Et de. 4. Honorij consul.

> *——Tibi sæpe Diana*
> *Mænalios arcus venatricesque pharetras*
> *Suspendit puerile decus.*

Et de consul. Olyb. & Prob.

> *Illa feros saltus, & desolata relinquens*
> *Mænala lassato Cretam venatibus arcu.*

Est & egregius ritus indicatus ab eruditissimo Ioanne Brodæo in Anthologiam ex Scholiaste Pindari. *creditum ab antiquis Dianam Idibus Augusti venatu abstinere, ideoque nec venari tunc, cessante dea, licuisse, sed coronari consuetos canes, facesque accendi spicatas, iuxtaque suspendi quicquid erat venatoriorum instrumentorum*, notauit etiam Hadrian. Turneb. lib. 7. Aduersarior. cap. vlt. Gratius in Cynegitico suo.

> *Spicatásque faces sacrum ad nemorale Dianæ*
> *Sistimus & solito catuli velantur honore,*
> *Ipsáque per flores medio in discrimine luci,*
> *Strauere arma sacris.*

Papin. Surculus lib. 3. syl. 1. vers. 54.

> *Iámque dies aderat, profugis cum regibus aptum*
> *Fumat Aricinum Triuiæ nemus, & face multa*
> *Conscius Hippolyti splendet lacus: ipsa coronat*
> *Emeritos Diana canes, & spicula tergit,*
> *Et tutas sinit ire feras, omnisque pudicis*
> *Itala terra focis, Hecateias excolit Idus.*

Vocabatur etiam *propter venandi studium Dictynna* Plutarch. lib. 3 sympofiac. cap. vlt. & li. *de solertia animal.* in fine *à ritibus scilicet venatorijs quæ græcè δίκτυα nominantur*, inquit Lutatius Placidius ad vers. 632. lib. 9. Thebaid. Statianæ, & pars Prædæ captæ ei suspendebatur, vt facete admodum Lucilius poëta Marcum dicat non prædam, sed canes ipsos suspendisse. in Anthologia lib 2. ca. 28. τοὺς κύνας ἐκρέμασεν *canes suspendit ipsos.* Q. Symmach. lib. 5 epist 66. *honori numinum datur cornua sacrare ceruorum & aprinos dentes liminibus affigere.* ergo & Dianæ statuis addita retia tanquam necessaria venatus instrumenta, vt & *venabula, lineæ versicolores, canes catenati*, de quibus suo loco dicam ordine sigillatim.

Ac primum de casibus seu ritibus, quid operæ pretium quicquam dicere? Iul. Pollux lib. Onomast. 5. cap 4 δίκτυα, καὶ ἄρκυς, καὶ ἐνόδια, τὸ μὲν λίνον ... *retia, laquei, & casse; horum quidem linum Ægyptium, Phasianicum seu Colchicum Carthaginiense aut Sardium esse oportet.* subdit deinde omnia quæ plicari possunt, retia seu δίκτυα dici. vel ἄρκυς, *septa* ex authoritate Pherecratis. Virg. lib. 4. Æneid.

> *Retia rara, plagæ lato venabula ferro.*

L. Seneca in Hippolyto. Act. 1. sc. 1.

> *——Alius raras*
> *Ceruice graui portare plagas.*

Et de lino, quod Pollux dixit, transtulit, ve puto, ex Gratio, qui in Cyneg & magnitudinem retis, & linum, ex quo confici debeant, præscribit.

> *Et bis vicenos spatium prætendere passus*
> *Rete velim, plenique decem consurgere nodis,*
> *Optima Cyniphiæ ne quid cunctere paludes*
> *Lina dabunt.*

Erat & aliquis, qui inter venandum, retibus præpositus sedebat, sed verius stabat. C. Plin. libro primo epist. 6. *apros tres, & quidem pulcherrimos cepi. ipse? inquis. ipse, non tamen vt omnino ab inertia mea & quiete discederem, ad retia sedebam. erant in proximo non venabulum aut lancea, sed stylus & pugillaris.* & Cassor. Statarius, qui ad retia sedet, Sidon. Apollinar. lib. 2. epist 2. *subsessorem* Seneca vocat in Hippolyto in initio ἀρκυωρὸν, *retium custodem.* Xenophon

lib. de venatione pagg. 983 984. 986. Auson. epist. 5. *subsilisque fero?* Seruius ad vers. 268. li. 11. Æneid. Paulus IC. lib. 3. sententiar. *retia apraria & cætera venationis instrumenta continebuntur.* & de eorundem confectione est Nemesiani Carthaginensis, poëtæ luculentissimi præceptum in Cyneg.

Necnon & casses iidem venatibus apros,
Atque plagas, longóque meantia retia tractu
Addiscant raro semper contexere nodis.

Aprina retia IC. posuit, & *ceruina.* Ouid. epist. 4. Phædræ Hippolyto.

Iam mihi prima dea est, cornu præsignis obunco
Delia, iudicium sub equor ipsa tuum.
In nemus ire lubet, pressisque in retia ceruis
Hortari celeres per iuga summa canes.

Erycius poëta in Antholog. lib. 4. cap. 12, epigr. 83.

οἵ τε λινοῖς θαρσεῦντες ... ...
οἵ τε ... ...

Quique linis confidentes incedititis, quique ferro, & qui vis atorio aucupatorio calamo.

Venabulum hasta erat oblongior, qua feræ incurrentes excipiebantur, Plinius proxime supra citatus. Græci ob id ... *quod feris obiiciatur,* appellant, notauit Æmilius Portus. Xenop. lib. de venat. passim pag. 991. ... vertit Gulielm. Xylander: *at in aprum syluestrem canes comparas Indicas Creticas, Locrenses, Lacænas, casses, iacula, venabula, tendiculas.* Seruius ad v. 131. lib. 4. Æneid. *venabula ob hoc dicta, quod sint apta venatui quasi ex ipiabula.* Isidor. lib. 18. Etymolog. cap. 7. *venabula quasi venatui habilia.* Nonius Marcel. cap. 18. num. 23. *venantium telum latissimum à cæteris aciis longissime.* M. Varro ...

—Nempe sues saluaticos
In montibus sectaris venabulo aut ceruos.

Interpretatus est L. Seneca in Hippolyto Act. 1. sc. 1.

Tu graue dextrá læuáque simul
Robur lato dirige ferro.

Sidon. Apollinar. Carm. 7. vers. 199.

—Colluctántque lacerto
Vasta per aduersas venabula cogere prædas.

M. Lucan. lib. 1. vers. 212.

—Torta leuis si lancea Mauri
Hæreat, aut latum subeat venabula pectus.

Stat. lib. 2. sil. 5 de Leone.

Non formidato supra venabula saltu
Incitus.

Gratius Cyneget. formam describit.

Ille etiam valido primus venabula dente.
Induit, & proni moderatus vulneris iram.

Linea versicolor ad concludendas saltubus feras vel ad terrendos apros, vulpes, lupos, vrsos, & præcipuè ceruos: in ea alternus plumarum contextus, sed vulturis & cygni præcipuè laudatur, sed & interdum sandyce fucabatur. Adrian. Turnebus li. 5 Aduersarior. cap. 5 Cæl. Rhodigin. lib. 16. Antiquar. lect. cap. 11. M. Aurel. Olympius Nemesian. Cynegetico.

Linea quinetiam magnos circundare saltus
Quæ possit, volucresque metu concludere prædas.
Digerit annexas non vna ex alite pinnas.

Et post eodem opere.

Denique vetat conscendere septum.

Colorum diuersitas ex auium diuersarum plumis. Oppian. Cilix. li. 1. Cyneg. vers. 156.

φέγγεα, ...
... ...
... ...

Vertit Conradus Rittershusius Brunnicensis, vir meo iudicio, variæ doctrinæ, & multiplicis lectionis. *gladios, securesque & leporicidam tridentem, vncinos incuruos, plumboque præfixas clauas è sparto tortam formidinem.* Communior tamen color his lineis purpureus erat. Valer. Pier. lib. 7. Hieroglyph. *ceruus prætenta penna purpurea pauorem significat.* D. Hieronym. in dialogo Luciferiani & Orthodoxi *pauidorum more ceruorum, dum vanos cuiusatis pinnarum volatus fortissimis retibus implicamini.* Q. Symmac. lib. 1. epist. 55 *Vnde est hæc in epistolis tuis sensuum nouitas verborum vetustas* (non lm legere, *verborum venustas,* licet non male *nouitati* opponi possit *vetustas*) *si tantum nodosis retia vel pinnarum formidines, & sagaces canes, omnémque rem venaticam meli rum obtutus effectas?* parum apposite Seruius Honoratus ad v. 750. lib. 12. Æneid *Insidiis pinnarum scilicet, instrumentum quoddam instune ad terrendas bestias factum.* ipse Virgilius loco eodem.

Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Ceruum, aut punicea septum formidine pinnæ
Venator cursu canis, & latratibus instat.

Et lib. 3. Georgic. vers. 374.

Hos non immissis canibus non cassibus vllis,
Puniceæve agitant pauidos formidine pennæ.

Et quod terriculamentum inferret, Latinis formido dicitur. P. Ouid. lib. 5. Fastor.

—Pauidos formidine ceruos.

Et lib. 15 Metamorph. fab. 43 in fine.

Retia cum pedicis laqueosque, artesque dolosas
Tollite, nec volucres visca a tollite virga,
Nec formidatis ceruos includite pinnis,

Et lib. 1. de Remedio amoris.

Aut pauidos terre varia formidine ceruos,

Aut

L. Sen. in Hippolyto in limine.

Picta rubenti linea pinna,
Vano claudat terrore feras.

Et licet hi vel purpureum, vel puniceum, vel rubentem colorem fuisse contendant huic formidini, ego multicolorem ostendam ex Oppiano lib. 4. Cyneg. v. 387.

—πολύχροα δείματα θηρῶν.

Versicolori terriculamenta ferarum, & v. 403. eiusdem libri.

Σειόμενοι καὶ δεῖμα πολύχροον.

Agitantes & formidinem varij coloris. L. Apuleius li. 1. Apolog. ad fi. *ego ista propterea commemoraui, non quod pinnarum formidines, & fuliginis maculam, te præsertim iudice, timerem.* D. Augusti. li. 1. de Nupt. & Concupisc. *& cum verentur infamiam falsam, veram incurrunt, instar ferarum, quæ circundantur pinnis, vt cogantur in retia.* L. Sen. li. 1. de Clementia ca. 12. *sic feras lineis & pinnis conclusas contine, easdem à tergo eques telis incessat, tentabunt fugam per ipsa quæ fugerant, proculcabúntque formidinem.* li. 1. de Ira cap. 12. *nec mirum est, quum maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat, & in insidias agat, ab ipso effectu dicta formido, vanis enim vana terrori sunt.* Gratius in his Cygni plumas probat, vulturis improbat in Cynegetic.

Tantum inter niuei iungantur vellera cygni.
Et satis armorum hoc, hæc clara luce coruscant,
Terribilis species à vulture dirus auaro
Turbat odor syluas, meliúsque alterna valet res.

Ferdinandus Pincian. in loco Senecæ proximè laudato, legit; *linea pennis distincta conterreat*, quod melius formidinis nomen exprimit quam *contineat*, quod in priore erat & vulgata editione, & puto commodius sic posse legi. Vt & in priori loco legendum, *sic feras linea & pinna clausas continens*, ex MS. codice, non vt antea, vel nullo, vel vacillante sensu legebatur. *feras lineis & pinnis conclusas contine.* Arrian. Dissertationibus Epicteti. lib. 2. c. 1. in princ. λοιπὸν ἡμεῖς τὸ τῶν ἐλάφων πάσχομεν, ὅτε φοβοῦνται αἱ ἔλαφοι τὰ πτερὰ, ποῦ τρέπονται, καὶ πρὸς τίνα ἀναχωροῦσιν ὡς ἀσφαλῆ, πρὸς τὰ δίκτυα ἀναπλέκονται. Vertit Iacobus Schekius Tubingensis, *de cætero autem nobis idem accidit, quod ceruis solet, quæ dum exterritæ fugiunt volucrum insectationem aliquò se vertunt, & in loca quædam irretita laqueis concedunt.* Denique Oppianus non in venatu tantùm, sed etiam in piscatu vsum formidinis ostendit lib. 4. Halieutic. v. 576. quem locum vide, ἰσόωσαι, videntes, inquit.

Σχοίνους κινυμένας, αἱμώδεια δείματ' ἔχουσαι.

Funes agitatos, varios metus habentes.

At frequentior receptiórque in re venatoria vsus, præter citatos, adde M. Lucanum. lib. 7.

—Sic dum pauidos formidine ceruos
Claudat odorata metuentes aera pennæ

Et Ambitiosiùs multo D. Auson. Epist. 5. ad Theonem. adscribā quædam, quod nusquam melius ritus venantium expresserit, sic ergo.

An cum fratre vagos dumeta per auia ceruos
Circundas maculis, & multa indagine pinnæ?
Aut spumantis apri cursum clamoribus vrges,
Subsidisque fero? moneo tamen, vsque recuses
Stringere fulmineo venabula comminus hosti.

Sed iam ad canes pergo, quos à gentibus nobiles, venatuique inidoneos existimabant, Marcellus Donatus Ponzanus Comes in dilucidationibus suis in Ammianum Marcellinum pag. 863. Adrian. Turneb. li. 18. c. 1. Aduersarior. de quibus quid post Gratium, Nemesianum, Ouid lib. 2. Metamorphos. Oppianum, Senecam in Hippolyto, & alios dicerem? Ego tantum vnicum è Claudiano ponam locum è lib. 3. de Laud. Stilich.

—Variæ formis, & gente sequuntur,
Ingenioque canes, illæ grauioribus aptæ
Morsibus, hæ pedibus celeres, hæ nare sagaces,
Hirsutæque fremunt Cressæ, tenuésque Lacænæ,
Magnaque taurorum fractura colla Britannæ.

De cæteris canum generibus passim scriptores, de Britannis non adeò vulgatum, cuius tamen nobilitatis indicia etiamnum hodie in Anglicis canibus prodigiosæ magnitudinis, mirantur exteri, & laudarunt veteres. Gratius in Cynegetico.

O quanta est merces, & quanta impendia supra!
Si non ad speciem, mentiturósque decores,
Protinus hæc vna est catulis iactura Britannis.

Sed expressiùs Aurelius Nemesianus in Cyne.

Sed non Spartanos tantum, tantumve Molossos
Pascendum catulos; diuisa Britannia mittit
Veloces, nostrique orbis venatibus aptos.

At Anglorū canū nupera hæc gloria, Scotorū antiquissima, quib. solis, vt puto, id proprium, fures indefessa indagine, donec cōprehenderint, insequi tanta pertinacia, vt nec clausæ portæ, nec obiecta flumina remorari possint, quod relatum est à Simone Maiolo in laborioso de diebus canicularibus opere, & *canum Scoticorum pulchritudinē, velocitatem, laboris patientiam & audaciam* laudat Hector Boethius eiusdem gentis luculenti styli historicus li. 6. p. 97. Cui ego nolim credi, nisi idem antiquissimi disertissimique Scriptoris Q. Symmachi probari posset lib. 2. epist. 77. *vt nunc septem Scoticorum canum probauit oblatio; quos prælusionis die ita Roma mirata est, vt ferreis caueis putaret aduectos.* Et sane ante natum assertorem humani generis anno ducentesimo septuagesimo *Dornadilla Magini filius Scotorum rex.* Præcepta venandi scriptis commisit, & subditis suis seruanda proposuit, author est Balæus Sudouolca lib. de scriptoribus Britannicis, & ex eo Andreas Tiraq. in luculento de Nobilitate commentario; & nostro adhuc æuo leges illæ vt sacræ obseruantur. Geor. Buchananus

Rer. Scoticar. li. 4. & fuit semper nostratibus venandi summum studium. Idem Buchan. in Epithalamio Francisci Valesij & Mariæ Stuartæ regnum Franciæ & Scotiæ

Illa pharetratis est propria gloria Scotis,
Cingere venatu saltus, superare natando
Flumina, ferre famem.

Sed quod Claudianus paulò antè, *canes Cressas, lacænas Britannas* dixit, respexit morem antiquum, nam *vt in curulibus Græcorum stadiis equæ maiori in pretio*, quod, vt inquit Probus Grammatic. ad li. 3. Georg. *vtinam inter currendum emitterent*: ita canes fæminæ maribus præstantiores ad venatum æstimatæ. L. Apul li. 8. Milesiar. *canes venationis indagini generosæ, mandato cubili residentes, inuadere bestias immittuntur, statimque solertis disciplinæ memores, partite totos præcingunt aditus.* Varius de morte apud Aurelium Macrob. lib. 6. cap. 2.

Ceu canis umbrosam lustrãs Gortynia vallem,
Si veteris potuit ceruæ comprendere lustra,
Sæuit in absentem, & circum vestigia lustrans,
Aethera per nitidum tenues sectatur odores.

Q. Ennius lib. 10. Annal.

—— Animus que in pectore latrat
Sicuti si quando vinclo venatica aheno
Apta solet canis, forte feram si ex nare sagaci
Sensit, voce sua nictátque vlulásque ibi acutè.

Vel vt Georg. Merula legit, & vide Festum li. 12. in N. ctare,

Veluti si quando vinclis venatica velox
Apta solet si forte feram ex nare sagaci,

L. Sen. Hippolyto Act. 5. sc. vlt.

Mæstæque domini membra vestigant canes,

T. Lucret. Carus lib. 1. de Rer. Nat.

Námque canes vt montiuagæ persæpe ferai
Naribus inueniunt intactas fronde quietes,
Si semel institerunt vestigia nota viai.

Sic enim rectè legendum. Virgil. li. 2. Aeneid. *obstupui, steterúntque comæ*, male in vulgatis editionibus, *Si semel institerint.* Idem in venatu Græcorum obseruatum, Adæus Smyrnæus vetus poëta in Anthologia lib. 1. cap. 33 epigr. 33.

Μούνοις οὐ γυναιξὶν ἐπήπιος, ἀλλὰ καὶ αὐτὰς
συνθήρους σώζειν οἶδε κύνας σε.

Non solis mulieribus benigna, sed & ipsas vna secum venantes seruare Diana nouit canes. In cæteris istæ canes semper, nisi in venatu ipso: sic & omnib. Dianæ statuis, quæ in compitis, vel tẽplis erigebantur, appositi in catenis canes, ahena vincula Ennius supra laudatus appellauit. glossę Gręcolatinæ κλοιός, *Boiæ, eculeum*, itẽ κλοιὸς σιδηροῦς in *Boam do*: sic enim Theodorus Marcilius emendauit, cum antea esset in *boia.* vide eũ ad legg. Xuirales cap. 63. sed ibi de cane ostiario siue domestico, quem ostio alligatum alibi dico, at hic de venatorio cane tantũ agendũ. Sidon. Apollina. Carm. 7. v. 198.

Tonsa catenati submittere colla Molossi.

P. Ouid. lib. 8. Metamorph.

Vincula pars adimunt canibus.

Aurel. Nemesia Cyneg. de catulis venaticis.

Sed neque conclusos teneas, neque vincula collo
Impatiens circundederis.

Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Dum validus seruare gregem, vigilique rapaces
Latratu terrere lupos: cùm tardior idem
Iam scabie laceras dimisit sordibus aures,
Soluitur, & exuto lucratur vincula collo.

Illi *vincula* appellant, ego *copulam* nominari memini me legere, quod bini vna copula venaturi coniungerentur canes: qui ritus etiamnum hodie obseruatus, AEmil. Probus in vita Datamis. *ornatus etiam torque, atque armillis aureis cæteróque regio cultu, ipse agresti duplicique amiculo circundatus, hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam: dextera manu clauam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thyum agebat, vt si feram bestiam captam duceret.* Ouid. lib. 5. Trist. eleg. 9.

Veque canem pauide nactum vestigi ceruæ
Luctantem frustra copula dura tenet.

Sic enim optime legitur, *luctantem*, quasi vi summa à socio cane diuelli separaríque nitentem, at Hercules Ciofanius aliter, sed minus rectè legit,

Latrantem frustra copula dura tenet.

Idem Ouid. lib. 7. Metamorph. fab. 27.

Illa leui velox superabat retia saltu,
Summáque transibat positarum lina plagarum,
Copula detrahitur canibus, quos illa frequentes
Effugit

Sed quum eò deuentum sit, de venatione non grauabor quædam adferre, non ignarus multa doctè ex variis authoribus vtriusque linguæ Andræam Tiraque super re ista digessisse in Commentario de Nobilitate, quem non exscribo. Iul. poll. in pręf. ad lib. Onom. 5. venatum heroicum & regium appellat studium, καὶ πρὸς ἀνδρεῖαν ἄγει, καὶ ἀθυχίαν ... καὶ ... [illegible] ... καὶ ... [illegible] ... καὶ ... & *ad corporis animiq; bonam cõstitutionẽ confert, estque tam placidæ fortitudinis, quã militaris audaciæ specimen ad virilitatẽ viris & exercitatione reddit robustiũ, celerem, equestrem, solertem, & laboriosum*, consule Ioachimũ Zethnerũ in sacris adagiis. M. Tull. lib. 2. de Nat. deor. *venatione ferarum nos exerceri ad similitudinem bellicæ disciplinæ. Et Pelopidas rudimenta militiæ à venatu auspicatus est*, Plut. in eo. & Alexand. *dies totos à prandio in eo absumebat.* & Philopœmen *à militia cessans ei incumbebat*, eodem Plutarcho authore, neque minus Aristoteles *iustam gerendi belli occasionem cum venatriis exercitiis* coniungit, lib. 1. Politicor. ca. 4. in fine. Et in Re-

n Republica Platonis li.7. in fine, adolescentibus istiusmodi studium commendatur, nec minus heroicis temporibus à venatu laudabantur, Scamander li.5. Iliad. in princ. & Telemachus centum viginti canibus comitatus in concionem procedit lib.4. Odyss. principio: vt de eius vsu illo sæculo dubitari non possit. id cur fieret habes apud Horatium lib.1. epist. 18.

—Opus vtile famæ,
Vitæque & membris.

Pari studio Romani, Græci, & Persæ id operi affectarunt. de Romanis certum, nam *magnæ cogitationis eruditæ inde sunt incitamenta.* C. Plin. Iun. lib.9. ep.10. Et inter rei rusticæ commoda, & laudes id recenset. Horat. Epodon od. 2. lib 2. Sat. 6. vt non alius fuerit priscis victus, quàm qui quæreretur inde. Virgil. lib.8. AEneid. v.316.

—Asper victu venatus alebat.

L. Sen. epist. 90.

Tunc laqueis captare feras, & fallere visco
Inuentum, & magnos canibus circundare saltus.

Et de Anthemio Aug. Sidon. Apollinar. Carm. 2. v 145.

Inuentas agitare feras, & fronde latentes
Quærere, deprensas modo claudere classibus arctis

De Persis non minus indubitatum, quum extet apud D Iunianum Iustinum lib. 1. in historia Astyagis & Cyri, & Xenophontem lib. 1. Pædiæ in limine. C. Tacit. lib. 2. Annal. eadem de Parthis, *accendebat dedignantes, & ipse diuersus à maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura, quoties per vrbes incederet, lecticæ gestamine.* Qui multa cupis, adi ad B. Brissonium de Regio Persar. princip. lib. 2. vnicum addam è Claudiano locum, quem correxi ex fide MS. mei optimi lib. 1. de Laudib. Stilichonis, quia ad Persas legatus missus venandi curam prætulerat.

Si quando socii tecum venatibus ibant,
Quis Stilichone prior ferro penetrare leones
Cominus, aut longe virga transfigere tigres.

Lege mecum

—Longe virgatas figere tigres.

Nam *tigres virgatæ* sunt maculis, instar virgarum, transuersis distinctæ, quod emendatum ab eruditissimo Iusto Lipsio animaduertit, lib. 4. Poliorceticon c.6. fauet huic lectioni ipse poëta lib. 3. de Raptu.

—Fremit illa marito
Mobilior Zephyro, totámq; virentibus iram
Dispersit maculis.

Idem in præfat. ad lib. 2. de Raptu.

Concordes varia ludunt cum tigride damæ.

Sil. Ital. Punicor. lib. 5.

Caucasiam infractus virgato corpore tygrim.

L. Seneca Hippolyto Act. 1. in choro.

Tum virgatas India tygres
Decolor horret.

Est & alius locus apud eundem deprauatus de 6. Hon. consul. cui medela adferenda.

Nec solis hic cursus equis, assueta quadrigis
Cingunt arua tigres, subitæque aspectus arenæ
Diffundit libycos aliena valle cruores.

Cùm sensum videret non constare, coniecit Iosephus Scaliger Isag. 2. in M. Manilium, debere legi

—Assueta quadrigas
Cingit raua tigris.

Vt color tigridis designetur, qui rauus est. vnde Horatio dictum lib. 3. od. 37.

Raua decurrens lupa.

Sed ad Dianam redeo, quæ summa in veneratione & dignatione olim erat, vt solemne Iusiurandum per illam conciperetur. Plautus tus apud Ioannem Meursium correctus in hanc rem Criticar. Exercitationum parte 1. cap. 5.

Insuper OPS nominabatur, non quidem illa quæ *Saturni vxor*, seu *Rhea*, aut *Cybele* audit, sed quæ parturientibus pariter ac venatotibus præerat. dicta fuit ἐλαφηβόλος *ceruipeta*, Plutarchus li. de solertia animalium, D. Augustin. de Ciuit. Dei lib. 4. cap. 11. *ipse lucina quæ à parturientibus inuocetur, ipse opem feras nascentibus excipiens eos sinu terræ, vt vocetur Opis:* non ergo à perspicacitate visus, qui venatori necessarius, sed ab auxilio, quod hominibus præstat sublatis noxiis bestiis, vel ope puerperis exhibita, id nominis est consequuta. Seru. ad v.325. lib. 6. Æneid. Scholiast. Callimachi ad hymnum 3. Aurel. Macrob. lib. 5. Saturnal. ca. 22. *Alexander Ætolus poëta egregius in eo libro qui scribitur Musæ, refert quanto studio populus Ephesius dedicato Dianæ templo, curauerit præmiis propositis, vt qui tunc erant poëtæ ingeniosissimi in deam carmina diuersa componerent. In his versibus, non comes* Dianæ, sed ipsa *Diana Opis vocata est.* subiungit deinde Alexandri carmina quædam. Eadem Seruius ad libr. 11. AEneid. *Opis terra est vxor Saturni, quam Græci Rheam vocant, sanè & hoc nomen ipsius Dianæ fuit.* Sed Virgilius Comitem tantùm non vero ipsam Dianam facit lib. 11. Æneid. citato.

Velocem interea superis in sedibus Opim
Vnam ex Virginibus sociis, sacráque caterua
Compellat — Latonia.

Denique *Bubastis* dicta Diana, ab oppido Ægypti nobili, vbi colebatur. Stephan. lib. de vrbib. Nicomachus Gerasinus in Theocriticis, vt sit mirum Iuuenalem Satyra 15. v. 8. dixisse.

Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic

Oppida tota canem venerentur, nemo Dianam.
Vbi reponunt, meo iudicio rectè,
Illic æelurum, hic piscem fluminis.

Mirum, inquam, cùm constet Dianam ab Ægyptiis *nomine Bubastidis cultam.* vet. scholiast. Antholog. lib. 1. cap. 70. Epigr. 3. & ibidem Nicarchus poëta.

ὦ τοῦ Βούβαστι κατακαλύπτω, εἰ γὰρ ἑκάστη
τέξεται, ὡς αὕτη, τίς θεὸς ἐστι λόγος;

Vertit Elhardus Lubinus. *sic autem diana euertitur, si enim unaquæque pariet, vt hæc, quænam dea est ratio?* Herodo. lib. 2. μάλιστα ἐν Βουβάστι πόλι ἐξεχώσθη, ἐν τῇ καὶ ἱρόν ἐστι Βουβάστιος ἀξιαπηγητότατον. *præcipuè in vrbe Bubasti, vbi terra exaggerata, in qua vrbe templum est Bubastis* (sequitur Glossema in interpretatione Laurentij Vallæ, *quæ nostra lingua Diana dicitur*, glossema, inquam, quia verba illa à codice Græco absunt) *omnium maximè memorabile.* sed claré idem Herodot. in sequentibus pag. 171. Αἰγυπτιστὶ δὲ Ἀπόλλων μὲν Ὧρος, Δημήτηρ δὲ Ἶσις, Ἄρτεμις δὲ Βούβαστις. *Ægyptiacè quidem Apollo Horus dicitur, Ceres Isis, Diana Bubastis.* Ouid. tamen lib. 9. Metamorph. fab. vlt. non ipsam *Dianam Bubastim* facit, aut Isidem, sed vnam ex Isidis comitibus.

—Cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variisque coloribus Apis,
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet:
Sistraq. erant, nunquamque satis quæsitus Osyris,
Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

Et *bubastia* apud Gratium in limine Cynegeticon interpretor sacrificia Ægyptiaca seu Isidi, seu Dianæ offerri solita, sic enim ille,

Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes æstiui turba Canopi.

Capvt VIII. *De Sole & Luna.*

APollini & Dianæ subiecimus Solem, & Lunã, qui quamuis iidẽ sint, quia tamen superstitio Ethnica nonnunquam eos distinxit, ideò etiam nobis seorsim dicendũ. Fuerunt Sol & Luna filij Theæ, siue Matris magnæ & Hyperionis, si Diodoro credimus, qui libro 4. Antiquitatũ, c. 5. hæc scribit: Regina filia Theæ prior annis, prudentiaq. & virtute reliquis præstantior, in gratiam matris fratres omnes educauit, eóque magnã aiunt Matrem appellatam. Posteà vero quàm pater post obitũ ad Deos transiit, communi populorũ fratrumq. consensu regnũ cepit, adhuc virgo, cùm nulli anteà nupsisset. Postmodùm cupiẽs filios relinquere successores regni, vnum ex fratribus Hyperionem virum sumpsit: ex quo duos peperit liberos, Solẽ & Lunam. Quorum formam prudentiámque admirantibus singulis, tradunt fratres prolis inuidia motos, veritósque ne quando imperium ad Hyperiona perueniret, scelesto facinore excogitato, fratrem communi consilio obtruncasse. Solem adhuc puerum in flumen Eridanũ proiectum, suffocatum esse. Quare vulgata Luna præter modum fratrem diligens, ex tecto se præcipitauit. Matri quærenti iuxta flumen corpus, cùm in somnum incidisset, visum per somnium est à Sole se consolari, rogarique ne lugeret natorum mortem. Nam homicidas meritũ esse suppliciũ passuros: se verò ac sororẽ quadã Dei prouidentia futuros immortales. Nã ignẽ cœli sacrum anteà vocatũ Solẽ ab hominib. appellandũ fore: quæ verò Mena prius dicebatur, Lunã. A somno experrecta, cùm omnibus tũ somniũ, tũ infortunium suum narrasset, filios vt Deos coluit, ipsa innupta viuẽs. Postmodũ in insaniã versa, cymbala, tympanaq. quatiẽs, edito sonitu, sparsis crinibus per patriam errabat. Quo aspectu misero obstupebant homines. Cũ verò singuli eius dolores misererentur, quidam corpus sustinerent, maximo imbre coorto, continuóq. fluminũ casu Reginã a nunc disparuisse. Quare admiratus populus, Solis Lunæque nomẽ ad astra transtulit, matrẽ erã Deã existimauit. Et erecta ara cymbalis ac tympanis, cæterisque rebus illius gesta imitatus, sacra illi, & Deorũ honores instituit. Dictus autem est Sol, vel quia solus ex omnib. siderib. sit tantus: vel quia cum est exortus, obscuratis omnib. solus appareat. Luna à lucẽdo nominata est. eadẽ est Lucina. Cic. li. 2. de nat. Deor. Primus Soli & Lunę ędes Romæ cõsecrauit T. Tatius Sabinorum Rex, Ter. Varrone, & Dio Halicarnassæo auctoribus. Postea etiam alię iis ædificatę commemorantur in descriptióne xiv. regionum Vrbis, tria Solis tẽpla, ex quibus vnũ est tẽplũ Solis Heliogabali, quod cõdidit Imp. Antonius Varius Heliogabalus in monte Palatino, eo loco vbi prius fuerat ædes Orci. Colebatur is Heliogabalus in Syria, cuius Sacerdos cum aliquando fuisset Antonius, posteà Imperator factus, Romæ etiã ipsius instituit cultũ, ita vt omnia omnium aliorum Deorum mysteria, & sacra etiã ad hũc vnum vellet transferri: qua de re Lampridium loquentem audiamus: Vbi primùm, inquit, Antonius ingressus in vrbem Heliogabalum in Palatino monte iuxta ædes Imperatoris consecrauit, eiq. tẽplum fecit, studens & Matris typum, & Vestæ ignem, & Palladium & ancylia & omnia Romanis veneranda in illud transferre tẽplum: id agens, ne quis Romæ Deus, nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea Iudæorum & Samaritanorum religiones, & Christianam deuotionem illuc transferendam, vt omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret. Hæc ille. Collocatur hoc templum à P. Victore in regione Vrbis x.

Lunæ

Lunæ etiam templa tria, ædicula vna, referuntur. In monte Auentino magnum templum Lunæ fuit. Fuit item templum in Capitolio, & in monte Palatino templum Lunæ noctilucæ fuit, in quo noctu lumina solebant accendi. Vnde etiam noctiluca dicitur, teste Varrone. Tantum de his.

AD CAP. VIII.

PARALIPOMENA.

De Sole, & Luna, potestate, & cognominibus.

OMnes deos ad *Solem*, referri seu *Apollinem*, omnes deas ad *Lunam* notum ex Mythologis, & docuit Aurelius Macrobius lib. 1. Satur. c.17. Ego tantum hic docebo *Solem in Oriente specie leonis, nomine Mithræ cultum*, si prius dixero Anaxagoram censuisse *solem ignitum esse lapidem Peloponneso maiorem.* Suidas in voce Μίθρας. Luctatius Placidius ad versum vltimum lib. 1. Thebaidos Statianæ. *Persæ in speleis solem colunt, & hic sol proprio nomine vocatur Mithra: est autem ipse sol leonis vultu, cum thiara persico habitu, & vtrisque manibus bouis cornua comprimens. quæ interpretatio ad Lunam dicitur, quæ indignata sequi fratrem, occurrit illi, & lucem ei obscurat, mudauit autem mysteriorum partem. sol ergo quasi lunam minorem docens,* (malim, *ducens*) *ideo taurum torquet; mirè autem cornua posuit, vt lunam manifestius posset exprimere: non animal, quo illa vehi figuratur; sed quia locus non est deorum istorum secreta, iuxta tenorem internæ Philosophiæ disserere, de figuris tamen quibus creditur, paucis dicamus. sol est in ffabelis: quia principale signum inculcat & frenat, leonem scilicet, idcirco & ipse hoc vultu fingitur, vel quod is deus cæteros sui numinis & potentiæ impetu excellat, vt inter reliquas feras leo, vel quia sit rapidum animal: luna verò quia proprius tauro adhæret, adducitque, ideo vacca figurata est. Cæterum diuini & regij isti dij, vt comparentur in orbe, sic sunt expertes mortalis figuræ, tam hominis, quàm belluæ, non habentes initium, terminum, vel quod interpoletur medium, vt dij minores, & reliqui, vt supra, mox turba vagorum semideûm, id enim ratio æternitatis exp stulat.* Hæc ille, doctè & piè, sed propius ad communem vsum sensúmque antea scripserat, *simulacrum eius fingitur reluctantis tauri cornua retentantis quo significatur lunam ab eo lumen accipere, cum cœperit ab eius radiis segregari.* Ipsum audiamus Papinium.

—Seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemeniæ ritu: seu præstat Osyrim
Frugiferum: seu Persæi sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Iul. Firmic de Errore profanar. Relig. *hunc Mithram dicunt; sacra vero eius in speluncis abditis tradunt, vt semper obscuro tenebrarum squallore diuersi gratiam splendidi ac sereni luminis.* D. Hieronym. epist. ad Lætam. *Gracchus speluncam Mithræ subuertit.* Porphyrius Commentario de Nympharum antro. *Primus Zoroastes apud Persas, vt narrat Eubulus, speluncam natura factam in Persiæ montibus consecrauit, in honorem rerum omnium autoris, & parentis Mithræ, vt per speluncam significarent mundum à Mithra conditum.* Hesychius Grammatic. Μίθρας ὁ ἥλιος Πέρσαις *Mithra sol apud Persas;* Strabo Amasen, libr. Geograph. 15. pag. 847. τιμῶσι τὸν ἥλιον ὃν καλοῦσι μίθρην. *venerantur* (Persæ) *solem, quem appellant Mithram.* Q. Flor. Tertullian. lib. de Baptismo: *nam & sacris quibusdam per lauacrum initiantur, Isidis alicuius aut Mithræ, ipsos etiam deos lauationibus efferunt, huius sacerdotes milites vocabantur.* Idem libro de præscript. aduersus hæret. *Tingit & ipse quosdam vtique credentes & fideles suos, expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic initiat Mithræ signat illic in frontibus milites suos.* Idem lib. de Corona militis in fine, *quum Mithra miles in castris, in speleis tenebrarum initiatur, coronam interposito gladio sibi oblatam quasi mimum martyrij, de hinc capiti suo accommodatam, monetur obuia manu capite depellere, & in humerum transferre, dicens Mithram esse coronam suam atque exinde nunquam coronatur, id quod in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramento, statim creditur Mithræ miles si deiecerit coronam si eam in deo suo esse dixerit. Et quia statua leonina effigie erat, ijdem mystæ leones etiam vocitabantur.* Idem Tertullian. lib. 1. aduersus Marcionem, *sicut aridæ & ardentis naturæ sacramenta leones Mithræ Philosophantur.* qui plura cupis, consule Lilium Gyraldum Ferrariensem de diis gentilibus. Syntagm. 7. Æl. Lamprid. in Commodo. *Sacra Mythrica homicidio verò polluit, cum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat.* Q. Curtius de Gest. Alexand. lib. 4. *Mithram sacrum que & æternum inuocant ignem,* sic enim optimè legitur ex fide MSS. codicum, obseruante Ioanne Bernartio, alij malè, *Solem, & Martem.* Principium denominationis forte defluxit à *Mithre* quodam qui *Heliopoli* vel in *Solis vrbe* regnauit. C. Plin lib. Natural. histor. cap. 8. cuius tantum deinceps cultus, vt

per quem Persæ iurarent. Ælian. var. histo. lib. 4. cap. 33. Artaxerxes obtestatur νὴ τὸν Μίθραν. per Mithram. Iustus Vulteius, *per Solem*, vertit. locus est insignis Martiani Capellæ de Nupt. Merc. & Philologiæ, varia solis cognomina complectans, quem idcirco apponam.

Hunc Phœbum perhibent prudentem occulta futuri,
Ve q ia dissoluis noctis rna admissa Isæum,
Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Osyrim,
Dissona sacra Mitram, Ditémque ferúmque Typhoneum,
Atys pulcher item, curui & puer almus aratri,
Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon,
Sic vario cunctus te nomine conuocat orbis.

Denique vetus & marmor.
PERSIDICIQVE. MITRÆ. ANTISTES.
BABILONIÆ. TEMPLI. & aliud.
DEO SOLI. INVICTO. MITRAE. FL. SEPTIMIVS.
ZOSINVS. V. P. SACERDOS. DEI. BRONTONTIS.
ET ÆCATÆ. HOC. SPELAEVM. CONSTITVIT.

PARALIPOMENA DE LVNA

Veneficiis, nocturna gesta ei adscripta, expiatio fluxus, & deliquium.

Nec quicquam de *Luna*, nisi Romæ fuisse cultam, & *Noctilucæ* nomine templum in Palatino monte habuisse. Interpretes Q. Horatij ad od. 6. lib. 4. atque aliud in Auentino. P. Victor in reg. 13. Tit. Liu. 4. Decad. libr. 10. in principio.
P. Ouid. lib. 3. Fastor. in fine.

——Auentino luna colenda iugo.

Neque minus apud Græcos solemni religione obseruata, fana ei erigebantur: Et quoties naturali defectu laborabat, toties veneficiis deduci credebant, ideóque & cymbala omnis generis, ne illa veneficarum magicas incantationes audiret, pulsabant: quanquam scio alios id amoribus, non magicis artibus adscribere. Q. Catull. epigr. 63.

Vt Triuiam quondam per latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro detinet aërio.

At reuera ne incantatrices exaudiret magas cymbala pulsabant. longa est Plutarchi narratio in vita Pauli Æmilij. & in præcept. Connubial. b. ad finem pag. 145. ver. Scholiast. Iuuenalis ad Sat. 6. v. 441. *sonitum fieri adsolet quando luna deficit.* Petron. Satyrico pagin. 100. *solent, inquit, hæc fieri, & præcipue in hac ciuitate, in qua mulieres etiam lunam deducunt.* Luctat. Placid. ad v. 106. lib. 1. Thebaidos Statianæ. *pagani magicis artibus credebant lunam posse mutari.* Idem ad v. 687. lib. 6. Thebaid. *sic sibi insana hominum & stulta persuasio vindicat, quod carminibus lunam cœlo eripiant,* & deinde, *ad opinionem hominum retulit, quod arbitrentur deficienti lunæ auxiliari si æra percutiant.*

Atque ita perpetuo poëtæ audiendi. Sext. Propert. lib. 1. eleg. 1.

At vos deductæ quibus est fallacia lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis.

Ad Tibull. lib. 1. eleg. 8.

Cantus & è curru lunam deducere tentat,
Et faceret si non æra repulsa forent.

Melius sic, quàm in antiqua editione Vicentina.

Cantus & è curru deducere lumina tentat.

M. Martial. lib. 9. epigr. 50.

Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo,
Quæ sciet hos, illos, vendere luna thores.

Et lib. 12. epigr. 57.

Dicet quot æra verberent manus vrbis,
Cum secta Colcho luna vapulat rhombo.

In MS. Pulmani aliter & forte rectius concipiebatur.

Cum secta Colcho luna vapulat bombo.

Pet. Apollon. Collatius de Excidio Hierosolymitano lib. 1.

Candida nec magicas artes, inimicáque verba
Passa, nec à radiis, terræ molimine fratris
Intercepta sui, bissenas Delia noctes
Horruit, & fusca texit caligine vultum.

Et eodem libro post.

——Quantum pauidæ succurrere lunæ
Certantes populi tinnitibus æris acuti
Ingeminant, surdásque deæ nituntur ad aures
Thessalicum ne carmen eat, detractáque cœlo
Suppositas lato terras simul obruat orbe.

M. Manil. Astron. li. 1. in principio.

Sed prius Eoæ quærlitis sua lumina gentes,
Seráque in extremis quatiuntur gentibus æra.

Claudian. lib. in Ruff. de bello Getico.

Quo Thessala cantu eripiet lunare iubar.

Vnde constat Thessalas veneficas ab antiquitate celebrari, vt est apud eundem.

Nec credunt vetito fraudatam sole sororem
Telluris subeunte globo, sed castra sequutas
Barbara, Thessalidas propriis lunare venenis
Incestare iubar.

L. Sen. in Medea Act. 4. sc. 2.

Inqua

Inque auxilium pretiosa tuum
Dictyma sonent æra Corynthi.

Idem in Hippolyto Act.2.in Choro.

At nos solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rato
Tinnitu dedimus.

P.Ouid.lib.7.Metamorphos.fab.2.

Te quoque luna traho, quamuis Temesæa labores.
Æra tuos minuant.

Et lib.12.fab.4.

Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo
Sæpe reluctantis constabat cornua lunæ.

D.Iuuenal.Sat.6.vers.441.

Vna laboranti poterit succurrere lunæ.

Papin.lib.6.Thebaid.vers.686

Sic cadis attonitis quoties auellitur astris
Solis opaca soror, procul auxiliantia gentes
Æra crepant, frustráque timent, at Thessala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.

Idem corrigendus lib.1.Thebaid.

——Qualis per nubila Phœbes
Atracia rubet arte color.

Legendum omnino ex fide MS.codicis,

Atracia rubet arte labor.

Nam per artem *Atraciam* Thessalica incantamenta intelligit, notissimum quippe infamem maximè fuisse veneficiis Thessaliam, vel ex L.Apuleio lib.1.Milesiar.itaque defectum lunæ per *colorem* rubescentem explicare non potest commodè, quum deliquium illud non *ruborem*, sed verius *pallorem* inducat, optimè ergo per laborem expressit. Virgil. lib.2.Georgic.

Defectus solis varios, lunæque labores.

Quod ex Stesichori & Pindari sententia diligentissimè, vt omnia alia, traditum est à C. Plinio lib.2.Nat.hist.c.9.12.Sidon.Apollinar. Carm.15.vers 80.

Defectum vt Phœbi, nec non lunæque laborem.

Denique C Petron.in Satyrico pag.108.

Quid leuiora loquar? lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis.

Hæc variis impositis nominibus, secundùm naturæ suæ conditioné, modo *cornuta*, modo *plena*, modo *minuens* appellabatur, & quod cornuta vocaretur, omnes poëtæ passim. Ouid.Ep.2 Phyll.Demop.

Cornua cum lunæ pleno semel orbe coissent.

Valer.Flacc.lib 4.

——Plena referentem cornua Phœbes.

M.Lucan.lib.3.vers.595.

——Seu Phœbum videat, seu cornua lunæ.

Sedul.Scotus lib.1.

Qui solem radiis, at lunam cornibus imples.

Plenam autem *lunam* pulchritudinis typum esse volebant, & quemadmodum illa nubibus interiectis nonnihil tegi obumbraríque solet, ita nimbis seu limbis formosarum frontès vinctas legimus. Petron Satyr.pag. 97. *delectata illa risit tam blandum, vt videretur mihi plenum os extra nubem Luna proferre.* Arnobius lib.2.contra gentes, *laminas perfunderent aurium, imminuerent frontes nimbis, fuligine oculos obumbrarent.* in vulgatis editionibus habetur, *frontes imminuerent Limbis*, sed ita Ioannes Meursius legit parte 1. Criticar. exercitationum. & est par locus apud Seruium ad illud lib.2 Æneid.

——Tritonia respice Pallas
Incedit limbo effulgens & Gorgone sæua.

Legi potest, *nimbo effulgens*, licet antiqua lectio non sit reiicienda, *Limbus* enim *tenia* est, seu vinculum fronti tegendæ. Claudian. de consulatu Manlij Theodori.

Continuo frontem limbo velata pudicam.

Scio & vestis extremam oram *limbum* vocari, seu virilis, seu muliebris. de virili, Stat.lib. 6.Thebaid 540.

——Mæonio circunflua limbo
Pro meritis Admete chlamys.

De muliebri, idem de Achille fœmineæ vestem induente lib.1.Achilleid.

Et picturato cohibet vestigia limbo.

Vnde & *limbolarij* artifices, qui Limbos conficiebant, vt iam obseruatum ex Aulularia Plautina. Trebell. Pollio in Zenobia *galeata ad concionem processit cum limbo purpureo.* & de qualibet veste Ouid. lib. 6. Metamorph. fab. 3.

Vltima pars telæ tenui circundata limbo.

Sed redeo in orbitam, *nimbata* ergo *frons*, id est pulchra, limbo obducta, nimbata, quæ lunam imitatur se exerentem extra nubem, Plaut.in Pœnulo.

Quam magis aspecto, tam magis est nimbata.

Q Horat.lib.1.Sat.8.

Nec prohibere modo simulac vaga luna decorum
Protulit os.

Claudian.de Serena & Maria filia iam despondenda Honorio principi in Epithalamio eius.

Hæc modo crescenti plenæ par altera Lunæ.

Corip.African.lib.2.Num.3.

It sacrum comitata latus pulcherrima proles,
Luce sua plenam quæ possit vincere lunam.

Minuens luna, id est, decrescens, nota est fabula, quam prodidit Plutarchus in Symposio sapientum, lunam à matre petiisse *tunicam sibi congruentem*, siue χιτῶνα σύμμετρον, & illam respondisse, καὶ πῶς σύμμετρον ὑφάνω, νῦν μὲν γὰρ ὁρῶ σε πανσέληνον, αὖθις δὲ μηνοειδῆ, ποτὲ δὲ ἀμφίκυρτον, *quomodo congruum possim, cum te iam plenam, mox in cornua attenuatam, rursus dimidio orbe videam.* Fulgent.lib.1.Mytholog.de Sole, *quia occidem-*

do & renascendo semper est iunior, sic ut quod numquam in sua virtute deficias, ut luna quæ crescit & minuitur. Sedul.lib.1.sacro operis de Idolorum cultoribus.

Sed Lunæ quoque vota ferunt, quam crescere cernunt
Et minui, stelli, quæ litant.

Coripp.in præfatione sua.

Ardua suspiciens minuentis cornua Lunæ.

Sic.n.correxi ex Virgilio & Ouidio, quum antea legeretur, *suscipiens* hic lib.9. Æneid.

Suspiciens altam Lunam.

Ille lib.1.Trist.eleg.3.

Hanc ego suspiciens, & ab hac capitolia cernens.

Certè in concipiendis votis oculos manúsque in cælum tendere ac erigere solebant, tanquam deos voti testes facturi, ac præsertim solem & lunam, notauit Alexander Brassicanus in libro 2. Saluiani de Iud. & prouid. ex Aristotele lib. de Mundo. Claudian. lib. 2. in Ruffin.

—Tandem indignatus ad astra
Extollit palmas.

Et propriè *Luna decrescens*, dicebatur *minui*, Coripp. African.lib.2.Num.2.

—Cornua lunæ
Paulatim minui, palatim crescere iussit.

Hoc illud est, quod *damnum vocant.* Schol. Theocriti, Ianus Mellerus in spicilegio. A. Gell.lib. 20.cap.7. *eam ob causam esse dicunt sacerdotes Ægyptij, cur Pelusiotæ cæpe non edant, quia solum olerum omnium contra lunæ acta (lege aucta) atque damnum, vices minuendi atque augendi habet contrarias.* Iul. Firmic. Matern. Iunior, causarum olim patronus (ut est in præfatione ad lib.4.) præfat. ad lib. 1. Mathes. *quid lunæ velox motus, assiduáque luminis vel augmenta, vel damna.* M Manil.lib.2.Astron.

Et cùm damnas tuas imitantur Delia vires.

Sidon. Apollinar. Carm.15.vers.41.

Quid noctis lucisque vices, quid menstrua lunæ Incrementa parent totidem cur damna sequantur?

Cl.Claudian. de 6 Honor. consul.

—Nudatáque littora fluctu
Deserit, Oceani lunaribus æmula damnis.

Damna hæc siue decrementa regere cursus maris fluentis, vel refluentis creditum. C. Iul. Solin. Polyhist. cap. 26. *at ij qui siderum sequuntur disciplinam contendunt meatus istos commoueri lunæ cursibus adeò ut sic vicissitudines inter maritiam aquarum & plenitudinem respiciant ad auctus eius vel defectiones.* Phauorinus Philosophus apud A. Gellium lib. 14. cap. 1. *æstus Oceani cum luna curriculo congruit.* Philosophantium citare placita nihil iam opus. poëtæ passim. Lucan.lib.10. Pharsaliæ vers. 216.

—Ut Oceanus lunaribus incrementis
Iussus adest.

Sil.Italic.lib.2.Punicor.

Cymothoes ea regna vaga pelagique labores
Luna mouet, luna immensis per cærula bigis
Fértque refértque fretum, sequitúrque reciprocâ Thetis.

Ioan.Iouian.Pontan.lib.1.Vraniæ.

Quod varij maris accessus, variíque recessus
Ostendunt.

Sidon.Apollinar.carm.22.vers.107.

At cum summotus lunaribus incrementis
Ipse Garumna suos in terga recolligit æstus.

Claudian.paneg.de consul.Theodori.

—Tumidos quæ luna recursus
Nutriat Oceani.

Erat & *luna bellorum præses*, quòd animaduersum hactenus fuit, adeò ut victores arma captiuorum hostium ei cremarent. T. Liu. 5. Decad.lib.5. *cætera omnis generis arma cumulata in ingentem aceruum, precatus Martem, Mineruam, lunámque matrem & cæteros deos quibus spolia hostium dicare ius fásque est, ipse imperator face subdita succendit, deinde circumstantes tribuni militum pro se quisque ignes coniecerunt.* sic enim legendum est, non ut Adriano Turnebo lib. Aduersar.16.cap.20.visum est legere, *Lunámque matrem*, quam ille à *luendo*, hoc est, *expiando* vult dici, sed retinenda vulgata lectio, quippe multa noctis & lunæ præsidio aggrediebantur exercituum duces. Titus ille Quintius apud Liuium 4.Dec.lib. 1. *noctu itinera fieri iubet, & pernox erat luna*, quia ut manifestæ victoriæ sol, ita furtiuæ erat dux luna. neque omittendum, quod eodem authore T.Liuio proditum 5.Decad.lib.4. *Sulpitius Gallus tribunus militum secundæ legionis, qui prætor superiori anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis, pronuntiauit nocte proxima ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda vsque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse, id quia naturali ordine statis temporibus fiat, & sciri ante, & prædici posse: itaque quemadmodum solis lunæque certi & ortus & occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescente & exiguo cornu fulgere lunam non mirarentur: ita ne obscuram quidem, quum condatur vmbra terræ, trahere id in prodigium non debere. nocte quam pridie nonas Septembres insequuta est dies, edita luna, cùm defecisset, Rom. militibus Galli prope sapientia diuina videri, Macedonas ut triste prodigium, occasum regni perniciémque regni portendens monuit: nec aliter vates, clamor, vlulatusque in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucem emersit.* Neque vnquam sine castrorum tumultu lunæ deliquium contigisse est animaduersum. celebre exemplum apud C.Tacitum lib.1.Annal. *noctem minacem & in scelus erupturam fors leniuit, nam*

ubi Luna clariore pæne cælo visa languescere, id miles rationis ignarus omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimilans prosperéque cessura quæ perageret, si fulgor & claritudo deæ redderetur: igitur tubarum sono, æris, cornuúmque concentu strepere, ut splendidior, obscuriórve, lætari, mærere, ac postquam obortæ nubes officere visui conditamque creditum tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes, sibi æternum laborem portendi, sua facinora lamentantur deos auersari. Ergo & victoriarum futurarum certa à Lunæ aspectu ducebantur præsagia, vt defectus eius exitum, clarus fulgor prosperos euentus denotaret.

Quare & noctis lunæque præsidio Troia à Græcis capta. vbi non parua difficultas, meo iudicio oritur. Nam Seruius Maurus ad vers. 215. lib. 2. Æneid. *& sciendum septima luna captam esse Troiam, cuius simulachrum apud Argos est, quod relata victoria constitutum est, ab imagine eius, quæ tunc erat dimidua orbis re . . . . .* & P. Maro ipse loco prius laudato.

Iámque Argiua Phalanx instructis nauibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica silentia lunæ
Littora nota petens.

Vult Virgilius Troiam captam Luna silente, hoc est noua Luna, aut quum exiguus eius esset fulgor, id ipsum est quod septimam Lunam appellat Seruius: at C. Petronius in Satyrico pag. 45. plena Luna Troiæ halosin contigisse cecinit his verbis.

Iam plenâ Phœbe candidum extulerat iubar,
Minora ducens astra radianti face,
Cum inter sepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant claustra, & effundunt viros,
Tentant in armis se duces.

Deniq; inter prodigium habitum eam deliquium luminis sui passam. C. Petron. & idem de bellis ciuilibus Pompeianis.

—Plenos intexit Cynthia vultus.

Iul. Obsequens de Prodig. capp. 30, 31. 32.

Capvt IX.

De Mercurio & Minerua.

Mercvrivm & Mineruam etiam veteres coniunxerunt: non quidem coniugio, sed communitate studiorum, de quibus hoc capite dicemus.

Mercurius à Latinis quasi medicurius, vel medius currens, quòd sermo medius inter homines sit, cuius ipse Deus ab antiquis credebatur. Arnobius. Festus ait Mercurium à mercibus dictum esse: hunc enim negotiorum omnium Deum veteres existimarunt. Fulgentius, Mercurium dici, quasi Mercium curam. Cicero libro 3. de Natura Deorum, quinque Mercurios numerat. Vnum qui Cœlo patre, & Die matre natus sit, cuius obscœnis excitata natura traditur, quod aspectu Proserpinæ commotus sit. Alterum Valentis & Phoronidis filium, eum qui sub terris habitet, & Trophonius appelletur. Tertium Ioue tertio natum & Maia: ex quo & Penelopa Pana natum ferunt. Quartum Nilo patre: quem Ægyptij nefas habeant nominare. Quintum quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicatur interemisse, ob eámque caussam Ægypto præfuisse, atque Ægyptiis leges & literas tradidisse: quem Ægyptij Thetin appellent. Lactantius Grammaticus tantùm quatuor numerat. Inter hos celebratissimus fuit ille qui Iouis & Maiæ filius, de quo extat lepidissimus dialogus Luciani, quomodo à prima pueritia, imò infans adhuc in cunis iacens furacissimus fuerit. Multa munia Mercurio tribuerunt, crediderunt eum Deum sermonis, vnde & internuncius Deorum est existimatus. Mercatorum etiam Deus fuit, vt puta, qui pondera & mensuras, & quæstum ex mercatura facere, Diodoro teste, instituerit. Literas, Musicam, Palæstram, & Geometriam inuenisse dicitur, de quo eleganter Galenus Pergamenus in suasoria (si libellus est legitimus) Mercurium, inquit, vt orationis parentem & artium omnium auctorem, in aliam effigiem, quàm Fortunæ effinxerunt, tum Pictores, tum Plastæ. Effingunt enim iuuenem formosum, non tamen fucatum, aut comptum, sed natiua quadam virtutis specie, vultu hilari, acribus oculis, in basi quadrata, quæ stabilitatis & firmitatis figura est. Assignauere ei in capite & pedibus alas, signifi-

care volentes volucrem per aëra ferri sermonem: item caduceum, cui duo dracones sint implicati, eò quòd Præconis munere fungatur, & pacis auctor habeatur. Statuas Mercuriales appellarunt, quæ in viis extructæ iter facientibus.

CYLLENIVS dictus MERCVRIVS, vel à Cyllene monte Arcadiæ, in quo & nutritus & diuersatus sit: vel quod somnum animantibus conciliet. vt qui potestatem κοιμίζειν habeat. Festus ait, ideo Cyllenium dictum, quòd omnem rem sermone sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui careant, κυλλοὺς vocari. Huius duæ ædes, totidem ædiculæ, aræ, & templum Romæ fuerunt, vti ex XIV. regionum descriptione apparet.

MALEVOLI MERCVRII signum, ait Festus, appellabant ideò quòd in nullius taberna spectabatur.

CAMILLVS dictus fuit ab Hetruscis, quòd esset minister Deorum: Camillos enim ministros sacrorum veteres appellabant, vt infrà docebimus: Verùm de Mercurio non addam plura, de quo vel solo integrum volumen confici posset. Ad Mineruam progrediamur.

DE MINERVA

DE MINERVA, vnde nomen habeat, plurimæ, eæque diuersæ veterum scriptorum extant sententiæ, quas hoc loco commemorare volo. Cicero ait, Mineruam dictam esse à minuendo, vel minando, quia prudentiæ Dea sit, & belli. Festus etiam, quòd bene moneat, Mineruam esse dictam vult. Arnobius quasi Memineruam appellatam esse dicit, quòd à quibusdam eadem memoria esse affirmetur. Cicero quinque Mineruas recenset. Minerua prima, inquit, quam Apollinis matrem suprà diximus. Secunda orta Nilo, quam Ægyptij Saitæ colunt. Tertia illa, quam Ioue generatam suprà diximus. Quarta Ioue nata, & Coriphe, Oceani filia, quam Arcades Coryphasiam nominant, & quadrigarum inuentricem ferunt. Quinta Pallantis, quæ patrem dicitur interemisse, virginitatem suam violare conantem, cui pinarum talaria affigunt. Tertia ex his ex cerebro Iouis prognata dicitur, qua de re extat elegantissimus Luciani Dialogus. De Minerua in hunc ferè modum scribit Isidorus: Mineruam gentiles multis ingeniis prædicant: hanc enim primam lanificij vsum monstrasse. hanc etiam telam ordisse, & colorasse lanas perhibent: oliuæ quoque dicunt inuentricem & fabricæ, & multarum artium repertricem, ideóque illi vulgò Opifices supplicant. Sed & hoc poëticè fingitur. Non enim Minerua istarum artium princeps est: sed quia sapientia in capite dicitur esse hominis, & Minerua de capite Iouis nata fingitur, hoc est, ingenium: ideò sensus sapientis, qui inuenit omnia, in capite est. Ideò & Dea artium Minerua dicitur, quia nihil excellentius est ingenio, quo reguntur vniuersa. Effingebatur Minerua vultu virili & truculento, galeā in capite gerens, armis insignibus, oculis toruis & glaucis, cum hasta prælonga & crystallino clypeo, caput Gorgonis inscriptum habente, quomodo ex capite Iouis prosilisse fingitur.

PALLAS eadem dicta est, vel à Pallante Gigante occiso, vt scribit Seruius, vel quòd in Pallante palude orta esset, vt Festus, vel παρὰ τὸ πάλλειν τὸ δόρυ, i. à vibranda & concutienda hasta: vel à saliendo & saltando in bello, vt Plato ait. Huius simulachrum Palladium dicebatur: de quo in Vesta dicam.

MINERVÆ templa & ædes plures Romæ fuerunt. in reg. I. ædes eius fuit: in II. reg. ædicula Mineruæ Captæ, cuius appellationis causas aliquot recitat Ouidius, vel quòd ingeniosa Dea sit, cùm capitale ingenium solers dicamus, vel quòd feratur prosiluisse ex capite Iouis, vel quòd domitis Faliscis captiua Romam fuerit deducta, vel quòd capite puniatur, si quis ex eius templo furto quicquam subtrahat. Addit Paulus Marsus aliam Mineruam captam fortasse dici posse, quòd captus locus ex Festi sententia ad sacrificandum legitimè constitutus videretur.

Templi MINERVÆ MEDICÆ P. Victor meminit, quod fuit in regione V.

Templum MINERVÆ FLAVIANÆ in VI. regione collocatur.

Fuit & à Pompeio Magno delubrum Mineruæ consecratum, confecto bello annorum 30. de quo Plinius lib. 7. cap. 26. quod fuit magnificè ornatum, in quo etiam fuit breuiarium rerum in Oriente gestarum à Pompeio Magno.

MINER-

MINERVAE, siue PALLADIS AVENTINAE templum in Auentino monte antiquissimum fuit, & Liuij Andronici Poëtæ donariis celebre, quibus ipse ab aliis Poëtis, & ab Historicis, quibus fabulas scripserat, honoratus: eadem ad Mineruam ingeniorum præsidem, grata pietate detulerat. De hoc templo Ouid. lib. 6. Fast. De delubro Mineruæ in Capitolio anteà diximus, Mineruam custodem Cicero domi suæ priuatim coluit, quam posteà abiturus in exilium, in Capitolium detulit, & consecrauit. Dio lib. 8.

CHALCIDICAE MINERVAE templum in noua Vrbis regione C. Octauius Augustus dedicauit. Dio lib. 38.

Signum MINERVAE CATVLIANAE à Q. Lutatio Catulo dedicatum est; vnde & nomen habet. Plinius.

MINERVIVM MINERVAE templum dicebatur. Tantùm de Minerua.

MERCVRIO & MINERVAE, quos artium bonarum inuentores & præsides fuisse diximus, Musas iungamus, quamuis ad Apollinis historiam referri potuissent, & debuissent etiam.

AD CAP. IX.

PARALIPOMENA.

De Mercurio, & eius Zona, & statuis in Triuiis, cognominibus.

VEtus glossographus, siue is Cornutus, seu quilibet alius in Aulum Persium commentator ad Satyr. 5. v. 112. *ipsum deum lucri dicunt, vnde & cum sacello pingitur, & à negotiatoribus plurimum colitur.* Fest. Pomp. li. 1. *Mercurius à mercibus est dictus, hunc etenim negotiorum omnium existimabant esse deum.* Adde *& capite canino effingi solitum, quòd canis sagacissimum sit animalium.* Isid. lib. 8. Etymologiar. cap. vlt. Fulgent. li. 1. Mytholog. *Mercurium dici voluerunt, quasi mercium curam, pennata talaria quod negotiantium pedes vbique pergendo quasi pennati sint, virgam serpentibus nexam, quod mercatoribus det aliquando regnum, vt sceptrum: & vulnus, vt serpentium galero cooperto capite pingitur, quod omne negotium sit semper absconsum,* vide reliqua. Quæ ille ad Mercatores refert, de Natura Mercurij planetæ exponit Lutatius Placidius ad lib. 1. Thebaid. v. 304.

Tanto cultu à mercatoribus obseruabatur, vt Idus Maias ei dedicarent, quòd illis natus haberetur, vel quòd tunc ædes illi vota, posterius extat apud Festum Pompeium lib. 11. Maiis Idibus mercatorum dies festus erat, quòd eo die Mercurij ædes esset dedicata, prius placuit M. Martiali lib. 12. epig. 68.

Maia mercurium castis Idus.

D. Auson. Idyllio 25.

Et medias Idus Maij Augustique recursu
Quas sibi Mercurius, quásque Diana dicat.

Et quod apud Romanos *Saturnalia*, id apud Cretenses *Mercurialia*: vigebat enim illa insula plurimum mercatorum frequentia, vt ex Diogene Laërtio notauit Ioan. Brodæus: estque epigramma Nicarchi lib. 2. Antholog. cap. 47. epigr. 35.

Quod autem cum *sacculo* aut *sacco* eum depinxerant, interpretor *marsupium à Zona pendulum*, recondendæ pecuniæ. Scholiast. Anthol. lib. 7. epigr. 12. [Greek], *sacellum, pecuniæ repositorium, marsupium exponit*, ex Aristophane, Antiphane, Apollodoro *sacculum* reddidit Rudolphus Gualterus apud Iul. Pollucem lib. 7. onomast. cap. 33. Num. 9. neque enim in manu bursa illa vt imperitissimus quidam affirmauit, sed è cingulo propendens, in qua antiqui pecunias suas circumferebant. C. Suet. in Vitellio cap. 16. *simul dilabentibus cunctis, Zona se aureorum plena circumdedit, confugitque in cellulam Ianitoris*, L. Apul. lib. Milesiar. 7. *fugientis comes, & infortunij socia tonso capillo: in masculinam faciem reformato habitu pretiosissimis monilibus & auro monetali Zonis refertis incincta.* A Gelli. lib. 15. c. 12. *Cum Roma profectus sum: Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli.* vnde liquet non tantùm mercatores huiusmodi Zonis vsos, sed & magistratus. nam Gellius verba C. Gracchi posuit, qui Sardiniam administrauerat Vlpian. IC. l. 6. ff. de bon. damnator. *Nec si Zonam circa se habuerit, protinus aliquis sibi vindicare debebit, sed vestem qualis fuerit indutus, aut num miles in ventrali,* sic enim lego ex Andrea Alciato lib. 1. Parerg. cap. 40. nisi si cui placet, *laterali.* vt legitur in l. penul. ff. de leg. 3. certè corruptissime antea conceptum, in *vetralem*, quod nullum admittit sensum. Plau. in Mercatore & Diuum. *Zonam sustuli.* D. Iuuenalis Satyr. 14. v. 95.

Nolle cadis fractis trabibus fluctúque premitur
Obruitur, & Zonam laua morsúque tenebit.

Vet. Scholiast. *Zona quæ fert solidos.* non minus Græcam quam Romanam fuisse consuetudinem discere est facile ex carmine Simonidæ in Anthol. lib. 7. epigr. 12. [Greek]

[Greek]

Mercator & nauta, tua crumena nouis, & vnde hæc Zona: & vnde hæc sebellat Aristoph. in Thesmoph. apud Iul. Poll. l. b. 10. c. 32. Onoma.

[Greek]

Sacculum in quo argentum reponit,
Ego vel *saccion*, vel *sacculum*, vel *marsupium*, vel *sacellum* ad Zonam refero: occurrit quod Chrysippus scripsit, *Megaris quendam auro Zonam refertam efferentem, apud cauponem diuertisse vesperi, ab eoque oculis in aurum coniectis, occisum, quem, cadauere in currum, quo fimum veheret, coniecto, efferre voluerit.* Ælianus referente Suida in voce ἡμιμεσιῶντι. At sciendum non circa lumbos vt nunc fit has Zonas gestari solitas, sed è collo pendulas, quod licet sciam aliis præoccupatum, docebo tamen ex M. Plauto in Truculento sc. vlt.

Pecua ad hanc collo in crumena obligata defero.
In eadem fabula sc. *Rus mala.*

Et—*Homo crumenam sibi de collo detrahit,*
Minas viginti mihi dat, accipio lubens.

Idem Epidico sc. *Fecisti.*
Ipse in meo collo tuus pater crumenam collocauit.
Et in Asinar. sc. *Cur me.*
Hic istam colloca crumenam in collo planè.

Communis deus vocatus Mercurius, & cùm quis in itinere quippiam inuenisset, solebat præfari, *Communi Mercurio, qui rei inuentæ conscius est, vt qui in viis versetur*, vt ait Iodocus Velareus interpres Phornuti li. de Nat. deor. nam cùm deorum alij ἀέριοι aërij, alij οὐράνιοι, cælestes, θαλάσσιοι, marini, alij denique χθόνιοι, terrei: solus Mercurius vtramque veluti naturam cælestium, terrestrium, & aëriorum, habere iudicatus est. Q. Horat. lib. 1. od. 10.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgáque leuem coërces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus & imis.

Et cultissimè Claudian. lib. 1. de Raptu.
Atlantis Tegeæ nepos, commune profundis
Et superis numen, qui fas per limen vtrumque
Solus habes, geminóque facis commercia mundo.

Leonidas tamen vetus poëta eum inter terrestres collocat deos Anthol. libr. 3. cap. 6. epigr. 55.

Ἀλλὰ πρὸς ἡγεμόνα ἀΐδεω ...
Καὶ πατρὸς ... ἐς ... ἀργειφόντου.

Sed per Plutonem & Mercurium terrestres
Et noctem, hanc extra ite semitam.

Cultus præcipua veneratione à Germanis antiquis. C. Tacit. libr. 13. Annal. *victores Hermunduri diuersam aciem Marti ac Mercurio sacrauere.* Idem in lib. de Mor. Germ. *deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent.* Annius Viterbien. l. 5. Berosi Babylonij, si modò eius est libellus qui circumfertur, indignus quidem, meo iudicio, tanto autore. *Porro Tentanes German. Mercurius exstitit, cui cognomentum sacrificium ritus indidit: reddebat enim pallentes eos qui sibi gratis immolabantur.* quæ ego non assequor, nisi subsit aliqua idiomatis à me non intellecti proprietas, aut argutia, quid enim commune habent Palleus & Tentanes? Certe hactenus viri docti Teutatem vocarunt, inducti testimonio M. Lucani lib. 1. v. 443.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrénsque feris altaribus Hæsus

Quæ licet de Gallis dicta ab eo sunt, ad Germanos trahit Andreas Althamerus in Comment. ad Taciti libellum *de Moribus Germanor.* Huldricus Huttenus in Panegyrico Alberti Moguntinensis Arch.

Cernis & Alcidem: iunctóque Tuiscona Manno
Et Maia genitum?

Ad Græcos & Romanos redeo, qui in compitis ciuitatum statuas ei erigebant. Herodo. lib. 2. cap. 123. τὰ δὲ τοῦ Ἑρμέω τὰ ἀγάλματα ὀρθὰ ἔχειν τὰ αἰδοῖα ποιεῦντες, *vt Mercurij statuam facerent porrecto cum veretro.* Xenoph. lib. de Magist. equit. ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν ἑρμῶν κύκλῳ περὶ τὴν ἀγορὰν, καὶ τὰ ἱερὰ, καὶ ἀγάλματα περιελαύνειν τιμῶντες τοὺς θεούς. *Incipientes à Mercurialibus statuis, vndique in honorem deorum cum ipso foro, fanis, ac statuis, circumequitent.* qualis ea fuerit statua ex Herodoto supra citato percipi potest, & ex Plutarcho in præceptis Reip. gerendæ in fine. διὸ καὶ τοὺς ἑρμᾶς τοὺς πρεσβυτέρους, ἄχειρας καὶ ἄποδας, ἐντεταμένους μορίῳ δημιουργοῦσι. *Eam ob causam etiam Mercurios seniores sine manibus & pedibus, rigente fascino fingunt.* Seru. Honorat. ad lib. 8 Æneid. v. 137. *Mercurium quum in monte dormientem inuenissent, manus ei amputauerunt, vnde & ipse Cyllenius & monti dicuntur, námque græcè κυλλοὺς, aliqua mutilatos parte corporis dicunt, vnde etiam Hermas vocamus, quosdam stimulos in modum signorum sine manibus.* vide quæ apud eundem notatu dignissima deinde scribentur. Aurel. Macrob. lib. 1. Saturna. cap. 19. quum alij fabulosam attulissent rationem, veram, ex natura Solis desumptam, adducit, quem eundem cum Sole esse contendit, ait ergo, *pleræque etiam simulachra Mercurij statu quadrato figurantur solo capite insignita, virilibus erectis; quæ figura significat Solem mundi esse caput, & rerum satorem, omnemque vim eius non in quodam diuersorum ministerio membrorum, sed in sola mente consistere: cuius sedes in capite est; quatuor latera eadem ratione finguntur, quia & tetrachordum Mercurio attributum creditur, quippe significat*

hic

hic numerus vel totidem plagas mundi, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur, vel quod duobus æquinoctiis, duobúsque solstitiis Zodiaci ratio distincta est. Heliodor. Emesenus Phœnix hist. AEthiop. lib. 5 pag. 211. ναοῖς ἀγάλμασιν ἐπισήμοις, ἑρμαῖς τε καὶ λίθοις ἐπὶ τριόδων. *templis aut statuis insignibus, Hermisque aut lapidibus in triuiis.*

Vocatæ hæ statuæ *Hermæ*, vt patet ex citatis scriptoribus, quòd quem Latini *Mercurium*, sermonis & nuntiorum deum, quasi *Medicurrium* vocarint, Græci ab interpretamento seu expositione ἑρμῆν dixerunt. Et verè Athenienses illum ritum Hermas quadrangulari figura facere, aliis Græciæ populis communicarunt. Pausan. Messeniacis. Et apud eosdem Athenienses receptum vt pro Hermis illis seu Mercurij statuis facies Alcibiadis collocaretur, Arnob. li. 6. cont. gent. *quis est enim qui ignoret Athenienses illos Hermas Alcibiadis ad corporis similitudinem fabricatos?* Mulier illa adolescentulum amans ab puella de eius pulchritudine sciscitatur, cui ancilla respondet apud Aristænetum lib. 1 epist. 11. τοιαύτας ἔδει πλάττειν τοὺς ἑρμογλύφους, οὐ κατὰ Ἀλκιβιάδου μορφήν. *ad hanc faciem debuere fingi Hermæ, non ad Alcibiadis vultum.* Andreas Alciat. embl. 98.

> *Vt Sphæræ Fortuna, cubo sic insidet Hermes,*
> *Artibus hic variis, casibus illa præest.*
> *Aduersus vim Fortunæ est ars facta, sed artis*
> *Cùm Fortuna mala est, sæpe requirit opem.*

D. Iuuenal Sat. 8.

> *Nil nisi Cecropidos truncóque simillimus Hermæ,*
> *Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quod*
> *Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.*

Romani in triuijs Hermas illos habebant erectos, Athenienses pro foribus domuum suarum. AElian. var. hist. lib. 2. cap. 41. καὶ τὸν στέφανον λαβών, ὅτε ἐπανῄει μετὰ τὸ δεῖπνον τῷ ἑρμῇ, τῷ πρὸ τῶν θυρῶν ἑστῶτι ἐπέθηκεν αὐτόν, κατὰ τὸ ἔθος, *& coronam sumens cum reuerteretur à cœna, Mercurio imposuit, qui stabat ante fores secundùm consuetudinem.* AEmil. Prob. in Alcibiade. *accidit vt vna nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, deiicerentur, præter vnum qui ante ianuam Andocidis erat, Andocidisque Hermes vocatus est.* Videndi Suidas & Thucydidis scholiastes apud Dionysium Lambinum. & Suidas quidem in dictionibus γλυφίδες & ἑρμαῖ. Menecles siue Callistrates in opere de Athenensibus, sic scribit, *à varia porticu, (siue prætile) vsque ad regiam, sunt statuæ quæ Hermæ dicuntur, vnde locus id nomen accepit, quod multæ ibi & à priuatis, & à magistratibus dedicatæ essent, quarum quidam Hipparchei Hermæ dicebantur,* *ab Hipparcho Pisistrati filio. fuerunt item Hermæ saxei, & in ædium vestibulis, & in fanis.* Idem in ἑρμαῖον. *primitiæ ad statuas Mercuriales in viis collocabantur, quas viatores ederent, itémque aceruí Lapidum Mercurio sacris in viis obscuris.* Fest. Pompeius lib. 3. de huiusmodi statua, vt puto, intellexit, Cyllenius Mercurius dictus est, quod omnem rem sermone sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent κυλλοὶ vocantur. ideóque quadratum eum fingunt. Leonidas Tarentinus li. 1. Anthol. cap. 3. epigr. vlt.

> καὶ σὺ τετράγλωχιν μηλοσκόπε, Μαιάδος ἑρμῆ.
> *Et tu quadrate ouium custos, Maiugena Mercuri.*

Materia harum statuarum, vel *lignum* vel *marmor*, vt ex Iuuenale supra, vel *lapis*, vt ex Heliodoro. addendus vetus scholiastes eiusdem Iuuenalis ad v. 50. Saty. 8. *Hermæ, effigies Æneæ aut marmoreæ, sine manibus, quales videmus in Circo, Hermas Athenienses ante ianuas pro religione positos habuere*, & Plutarc. in Cimone ἑρμᾶς λιθίνους, *Mercurios lapideos* appellat. ex quo disces & bases elogiis clarorum virorum inscriptas, ibi enim duo epigr. iisdem Hermis inscripta leguntur.

Huic deo & Mineruæ erigebatur ara communis, immo & vtrumque numen in eadem statua, quæ ob id *Hermathena* dicta est, ac si dicas *Mercurio Mineruam*. hanc in Academia sua villæ Thusculanæ posuit Cicero, vt quum illa omnibus omnino gymnasiis præesset, hic eloquentiæ parens ac moderator doctrinæ esset, qui primus literas mortales docuisset, Notat Turneb. li. 8. ca. 14. Aduersa.

Bellis præerat. vide in reg. 9. supra Oui. li. 5. Fast. *Ensibus exertis bellica læta dea est.*
Stat. Papin. lib. 4. syl. 5.

> *Regina bellorum virago.*

Erat & lanificijs præposita, adi ad regionem 5 superius. Ouidium lib. 6. Metamorphoseon fab. 1. Adde locum insignem Claudiani è lib. 1. in Eutropium.

> *Tu potes alterius studiis hærere Mineruæ,*
> *Tu[...] as, non tela pati, tu stamina nosse*
> *Et solers operum signes vrgere puellas,*
> *Et nitentem dominæ pensis inuoluere lanam.*

Ouid. lib. 1. de Arte Amandi.

> *Quid facis Æacide? non sunt tua munera lanæ.*
> *Tu titulos alia Palladis arte petes.*

vbi *tela* instrumenta sunt textorum, notat Iosephus Scaliger ad Albium Tibullum lib. 2. eleg. 1.

> *Atque aliqua assiduè textrix operata Mineruam*
> *Cantat, & applauso tela sonans latere.*

Valer. Flacc. Argonaut. lib. 3.

Dat pictas auro, atq; ardentes murice vestes.

Quas rapuit telis formosa, vocantibus Austris: Hypsipile.

Hæc quidem in plurali, at in singulari alia telæ significatio, nempe lanificium ipsum. M. Manil. lib. 4.

Nunc tenuare levi filo, nunc ducere telas.

Cælius Symposius ænigmate 17. Aranea.

Pallas me docuit texendi nosse laborem,

Nec pepli radios poscunt, nec licia telæ,

Nulla mihi manus est, pedibus tamen omnia fiunt.

P. Ouid. lib. 4. Metamorph. fab. 1.

Teláque & calathos, infectáque pensa reponunt.

Melius codex M.S. Maffeianus.

Teláque calathosque.

Capvt X. *De Marte & Venere.*

Coniunxervnt etiam hos Deos, non quidem quòd coniuges essent, sed quòd amasij.

Mars dictus, vt Varro scribit, ab eo, quòd maribus in bello præest: aut quòd à Sabinis acceptus fuerit, ibi Mauors dictus. Mauors verò, vt ait Cicero, quòd magna vertat: vel, vt Seruius notat, figuratè dicitur, vt induperator, pro imperator, ita Mauors, pro eo qui est Mars. De patria eius varia à scriptoribus traduntur, qua ab Arnobio lib. 4. contra Gentes recitantur. Volunt aliqui ipsum solius Iunonis filium esse, quæ eum, cùm per vireta vagaretur, ex contactu & olfactu florum conceperit. Alij ex Ioue & Enyo natum tradiderunt. Iupiter apud Homerum dicit, Martem ex se & Iunone procreatum esse. Hunc Romani summo cultu venerati sunt, quòd existimarent parentem ipsum fuisse Romuli: vnde etiam in nummis quibusdam expressus videtur. Mars accedens ad Rheam Syluiam Romuli matrem, concubiturus cum ea, quorum vnum hîc adiecimus. Effingebant eum ardentem, nunc in curru, nunc in equo armatum cum hasta & flagello, interdum gallum ei appingebant ob mitum vigilantiam. De cognominibus & templis eius hæc traduntur.

Dictus fuit Gradivvs à gradiendo, vel progrediendo. Festus sic scribit: Gradiuus Mars appellatus est à gradiendo in bello vltrò citroque, siue à vibratione hastæ, quod Græci dicunt, κραδαίνειν: vel, vt alij dicunt, quia gramine sit ortus, quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maximæ est honorationis. Huius templum elegans & magnum extra Vrbem, propè portam, in via Appia fuit, quod etiam templum Martis extramuranei à P. Victore appellatur. Hoc templum à L. Corn. Sulla Felice restitutum, ampliatúmque, ac supra c. columnas positum ferunt. Iuxta hoc templum extra portam Capenam erat manalis lapis, quem cùm propter nimiam siccitatem in Vrbem deferrent, sequebatur statim pluuia, hinc eum, quòd aquas manaret, manalem lapidem dixêre. Festus.

Mars Qvirinvs à Sabinis nuncupatur, à Quiri hasta, qua hic Deus vti existimabatur. Etiam huius templum in 1. regione collocatur. Fuit prope portam Capenam, intra Vrbem.

Antiquissimum Martis templũ in campo Martio fuit: vnde etiam campus ille nomen habet, de quo alibi.

In circo Flaminio ædes Martis fuit, cuius meminit Cor. Nepos, citante Prisciano: In circo Flaminio, inquit, fuit ædes Martis, architectata ab Hermodoro Salaminio. In Capitolio etiam ædes Martis fuit, à T. Tatio vota & extructa, cuius simulachrum Ioui Capitolino cedere noluisse ab aliquibus proditur.

Mars Vltor, ab vlciscẽdo dictus. Huic tẽplũ in foro suo maximũ & sumptuosissimũ cùm opere, tũ artificio Augustus extruxit, bello Philippico, q̃ patris sui vlciscẽdi causa susceperat. Suetonius. Magnificentiam eius multis versib. celebrat Ouid. lib. 5. Fasto. In aditu templi ante fores ab vtroque latere Martis & Veneris statuæ erant. Ouid. li. 2. Triste. teste. ad idem templum Apellis tabulã posuit Augustus, in qua Alexãder triũphãs Belli imaginẽ vinctis ad tergum manib. quasi captiuã ducit. Nũc in eo tẽplo picta cohors Romana, cuius vexillifer pro signo labrum habet. Idẽ Augustus nõ multò post tẽplũ Marti secũdũ Vltori, siue (vt ipse dici voluit) bis Vltori, in Capitolio erexit, in quo suspensa signa sunt à Parthis reddita. Suetonius in Augusto, Dionys. lib. 54. vbi scribit, factum id fuisse ad similitudinem Iouis Feretrij. Icones horum templorum in num-

in nummis conspiciuntur, sicuti in præcedenti figura demonstratur.

Fuit & in Vaticano Martis ædes, & Mauortij ædicula regione IV. Sed de Marte hactenus: cui adiecimus etiam, quia huc pertinent, Bellonam & Victoriam.

BELLONA.

BELLONAM à bello, ante Duellonam, à duello dictam Varro scribit. Ea bellorum Dea fuit, quæ, vt Statius in Theb. canit, Marti in bella eunti, currum & equos pararet, quæque, vt Hyginus refert, acum inuenit: vnde etiam vult, eam ab acu, quæ Græcè ἡ βελόνη dicitur, Bellonæ nomen accepisse. Quidam eam Martis vxorem, quidam sororem fuisse scribunt, quidam & sororem & vxorem faciunt. Aedem habuit in IX. Vrbis regione. extat versus portam Carmentalem, in circo Flaminio, intra quam dabatur Senatus legatis exterarum nationum, quos in Vrbem admittere nolebant. Idem Ducibus è bello redeuntibus. Ante ædem columella erat, quæ bellica vocabatur, supra quam hastam iaciebant, cùm bellum indicebatur. Ouidio, P. Victore, & Festo auctoribus. Condidisse ędem hanc dicitur App. Claudius Cæcus, bello Thusco confecto, Ouid lib. 6. Fastor. Sacerdotes huius Deæ dicuntur ab Acrone Bellonarij, qui seipsos cultris feriebant: & proprio sanguine numẽ placabant, furentésque vaticinabantur. Tertull. in Apoll. Lactan. lib. 1. Diuin. instit. Alia ait sacra Virtutis, quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipsi Sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificabant. sectis namque humeris, & vtraque manu districtos tenentes gladios currunt, & efferuntur, & insaniunt. Meminit eorum etiam Tibullus, Iuuenalis, Lucanus, Horatius, & alij. Fingebatur hæc Dea furens flagello pugnam concire, Lucano in 7. ita canente.

Sanguineum quatiens veluti Bellona flagellum.

VICTORIA.

VICTORIAM à vincendo dictam, nemini obscurum est, quam Phurnutus Pallantis filiam Lycaonis nepem fuisse, cùm Minerua enutritam, & in numerum Deorum relatam ab ipsa, & Victoriam appellatam docet. A Romanis religiosè culta est. Simulachrum eius fuit, vt in antiquis nummis & marmoribus cernere est, virgo alata, volans, coronam vel palmam praeferens. Aedes Romæ habuit tres, ædiculas duas, lucum etiam & aream, vt de reliquis taceam.

Antiquissimum VICTORIÆ templum in Auentino fuit, conditum ab Arcadibus, vt Halicarnassæus meminit. Alterum in Palatino fuit, eo loco vbi antea P. Valerij Poplicolæ domus fuit: quod L. Posthumius Aedilis curulis ex mulctatitia pecunia extruendum curauit, in quo matronæ Romanæ simulachrum Matris Deûm Pessinunte aduectum, antequam propria ædes consecraretur, intulerunt. Liuius li. 29.

Aediculam VICTORIÆ virginis Mar. Porcius Cato Consul anno IↃLV. bello Hispaniensi vouit, & biennio post dedicauit. Liuius lib. 34.

VICTORIÆ simulachrum aureum CCCXX. pondo ab Hierone Siciliæ rege gratulationis causa Romam missum, & in Capitolini Iouis templum illatum est. Liu. lib. 22.

NEMESIS.

Ad Deos militię pręsides etiam Nemesis pertinet, quę alio nomine Rhamnusia & Adrastia est appellata. Nemesis dicitur ἀπὸ τῆς νεμέσεως διανεμήσεως: id est, à distributione, quæ vnicuique fit. Quænam hæc Dea fuerit, & quomodo à Romanis fuerit culta, tum alij, tum Ammianus, & Pomponius Lętus docent. Ammiani verba sunt: Nemesis Dea est, vltrix facinorum impiorum, bonorúmque præmiatrix, arbitra rerum, regina causarum, quam Theologi veteres fingentes Iustitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradebant, omnia despectare terrena. Pomponius autem Lætus: Romani, inquit, profecturi ad bellum Nemesi sacrificabant, & munus gladiatorum edebant: quod non sine ratione factum arbitramur. Virgo & Victrix Nemesis numen fuit, quo qui delinquebant ex malefactis puniebantur. Vnde Victores Nemesin nõ frustra inuocabant. Romani enim semper iusta mouêre arma. Cæteræ nationes odio & maleuolętia, liuoréque, quòd imperium tantæ Vrbis iustitia augeretur tela in populum Romanũ capiebant. Nemesis, quam plerique existimauêre esse vim Fortunæ, alij filiã iustitiæ, alij vim quandam inter cœlestes discurrentem, prima rerum semina, quæ fatorum & sortium vires tẽperat atque emendat, rebus humanis trutinam adhibens, éque cœlo terrena despectans, nocentes punit, bonis præmia largitur, & cùm sit velocissima, quia diu non permittit impios pręesse, atque grassari, alata fingitur à veterib. & eius pedib. supponitur rota, cùm citissimè discurrat. Sed tandem multitudine scelerum indignata oculos iamdiu à rebus humanis auertit, & cum genitrice in remotiore parte cœli, vltra terrarum regiones non reditura, renascentẽ orbem expectat. Hactenus ille. Effingitur etiam nonnunquam cum fræno, & mensura cubiti, quo significatur, nihil sine mensura & fræno agi oportere. Culta hæc Dea Romæ fuit in Capitolio, teste Plin. li. 11. & 28. vbi etiam templum habuit, si P. Victori credimus.

VENVS.

VENVS generationis, voluptatísque, & formæ à gentibus Dea credita est; ideoque dicta

Venus, quòd ad omnes res veniat, vel quòd per eam omnia proueniant. Cicero. Varro autem, Poëtæ, inquit, cœlo semen igneum cecidisse dicunt in mare, ac natam è spumis Venerem coniunctione ignis & humoris, quam haberet vim significantes. Veneris à qua vi nateis dicta vita, & illud à Lucilio:

Vis est vita vides, quæ nos facere omnia cogit.

Veneris antiquum fuisse nomen Cincius & Varro testes sint, qui nec Græcum eius, nec Latinum sub Regibus fuisse, apud Macrobium testantur. Cicero quatuor Veneres cômemorat in 3. de Natura Deorum: Venus, inquit, prima Cœlo & Die nata, cuius in Elide delubrum videmus. Altera spuma procreata, ex qua & Mercurio Cupidinem secundum naturam accepimus. Tertia Ioue nata & Dione, quę nupsit Vulcano: sed ex ea & Marte natus Anteros dicitur. Quarta Syria, Syróque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est. Hactenus Cic. Causam cur Venus e spuma procreata esse fingitur, Plutarch, in Sympos. li. 5. cap. 10. scribit, putare se Venerem à poëtis è mari ortā fingi, fabulámq; de ipsa editam fuisse, tanquam è salo nata, vt sub hoc inuolucro salis vim genitalem proponerent. Simulacrum eius varium fuit. Interdum effinxerunt eam puellam in concha è mari exeuntem: interdum mulieré manu concham tenenté, rosis floribúsque coronatam, ponè quam Charites, & vtrinque Cupido, & Anteros. Curru etiam nonnunquam vehebatur columbis tracto, quòd fiebat propter columbæ puritatem & castitatem: alij cygnis vehi currum istum tradunt. Plutarc. in Præceptis connubialibus, Venerem scribit testudinem pede calcantem Eleis Phidiam effecisse, vt domesticæ custodiæ & silentij mulieribus symbolum esset. Idem in libro de Iside & Osiride, de hac Venere agens ita interpretatur, quòd virgines custodia indigeant: nuptas verò deceat domus gubernatio & silentium. Eusubius lib. 3. Præpar. Euangel. fabulam eius ita exponit: Venerem, inquit, dicunt generandi vim possidere, seminis & cupiditatis causam, mulierísque ei formam accommodant, propter generationem: pulchram effingunt, quia Prosphorus est, quæ pulcherrima est in cœlo stella. Illi & Cupido assistit, propter cupiditatem. Vbera, & partes genitales obteguntur, quia seminis & nutritionis hæc membra causa sunt. Nata verò è mari perhibetur, quod elementum humidum calidumque est, & motu crebro spumas eiicit, quæ res est spermatis symbolum. Hanc Deam quemadmodum Martem religiosè coluerunt Romani, à qua originem ducere videri voluerunt, cùm finxerunt ex ea & Anchise natum Æneam: qua de causa in nummis quibusdam expresserunt Mercurium deducentem Venerem ab Anchise in Ida monte decumbentem, vt cum eo congrediatur. Hinc plurimis cognominibus & templis eam honorarunt.

CLVACINA VENVS, dicta à cluere, quòd antiqua lingua pugnare significat. Plin. lib. 15. Et templum vouit & construxit Titus Tatius Rex, in ea fori parte, qua Romani & Sabini armis depositis pacem inierunt, & facto sacrificio sese purgauerunt. Alij confundunt hanc cum Cloacina, quæ tamen diuersa est, vt infrà post docebimus. Quidam hanc Venerem armatam interpretantur. Veneris Cluacinæ templum, ædes, & ædicula recensentur ab Onuphrio.

MVRTIA VENVS, priùs Myrtia, à Myrto Veneri dicata nomen habet, Plin. libr. 15. Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant. Idem habet Plutarchus in quæstionibus Romanis, quæst. 20. Huius ædes fuit in regione XI. teste P. Victore.

LIBITINÆ VENERIS ærarium Seruius Tullius instituit, in quod pro defunctis certi pretij nummi inferrentur. Dionysius li. 4. li. 4. In huius templo vendebantur ea, quæ ad funera pertinebant. Cuius rei causas requirens Plutarchus dicit, aut esse hoc vnum de Numæ Regis sapienter institutis, quò discerent homines, ab his rebus non abhorrere, neque pro piaculis eas ducere: aut voluisse veteres hac ipsa re monere caducum esse, quod esset natum, vna eadémque Dea & ortibus, & interitibus præsidente.

Alia ab hac est VENVS LIBENTINA à libendo dicta, cuius meminit Varro, Cicero & Nonius Marcellus, cui puellæ, quæ excesserant annos pueritiæ, pupas ætatis suæ insignia dicare solebant, vti ex Persio discimus. Locus vbi huius templum fuerit, ignoratur.

ALMA etiam VENVS dicta est, id est, sancta, siue pulchra. Festus. Huius ædicula fuit in regione XII.

CALVA VENVS ab euentu nomen habet. Sic enim Lactantius libro 1. capite 20. Vrbe à Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cùm ex mulierum capillis tormenta fecissent,

sent, ædem Veneri Caluæ consecrârunt. Meminit huius historiæ & Vegetius libro 4. In obsidione Capitolij corruptis iugis, ac longa fatigatione tormentis, cùm neruorum copia defecisset, matronæ abscissos crines viris obtulêre pugnantibus: reparatísque machinis, aduersariorum impetum repulerunt. Maluerunt autem pudicissimæ deformato ad tempus capite liberè viuere cum maritis, quàm cum hostibus integro.

ERYCINA VENVS cognominata est ab Eryce monte Siciliæ, in quo Aeneas matri templum construxerat, de quo multi scribunt. Postea & Romæ Q. Fabius Maximus Dictator ædem ei vouit, cùm ex fatalibus, vel Sibyllinis libris edictum esset, vt is voueret, cuius maximum imperium in vrbe esset. Liuius lib. 22. Eam idem creatus Duumuir in Capitolo dedicauit. Liuius lib. 23. Fuit & alia ædes Veneris Erycinæ ad portam Collinam, vota à L. Porcio Liuio Consule, bello Ligustino, & ab eodem Duumuiro dedicata eo anno, quo Aquileia Colonia Latina in agro Gallorum est deducta. Liuius lib. 40. Meminit eius Ouid. lib. 1. de remedio amoris:

Est prope Collinam templum venerabile portam,
Imposuit templo nomina Celsus Eryx.

Hoc templum fuisse ex nominatim mis constat ex Appiano lib. 1. Bellorum ciuilium.

VERTICORDIÆ VENERIS ædes extra portam Collinam via Salaria fuit. Hæc ædes facta est, cùm tres Vestales vno tempore incestum commisissent (quemadmodum Iulius Obsequens ait) vt puellarum animos lascivos ad castitatem verteret. De eodem Valerius Maximus lib. 8. cap. 15. Ouidius lib. 4. Fastorum:

Roma pudicitia proauorum tempore lapsa.
Cumæam veteres consuluistis anum.
Templa iubet Veneri fieri, quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomina corda tenet.

VENERIS ROMANÆ, vel Veneris & Romæ consors delubrum fuit in via sacra testante id contra Symmachum Prudentio:

Ad sacram resonare viam mugitibus ante
Delubrum Romæ: colitur nam sanguine & ipsa
More Deæ, nomenque loci, ceu numen habetur,
Atque Vrbis, Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminæ adolentur thura Deabus.

Hoc templum inter singularia & admiratione digna loca numerat Marcellinus. De Venere custode hortorum Sallustianorum, nihil opus est dicere.

VICTRIX VENVS à vincendo dicta est, cui ædem dedicauit Pompeius altero consulatu, editis celeberrimis & sumptuosissimis ludis. Plutarchus in eius vita. Plinius lib. 8. Victricis Veneris imago talis in nummis antiquis cernitur.

VENERIS GENITRICIS templum ante pugnam Pharsalicam vouit, & potitus victoria, in foro suo posuit Caius Iulius Cæsar, quia ab Iulo, Æneæ filio, Veneris nepote, genus ducere videri volebat, eique spolia de hostibus dedicauit, vt thoracem de margaritis Britannicis. Et in eo statuam posuit nondum plenè ab artifice absolutam, quia dedicari ædem festinabant. In hoc collocauit Augustus statuam æneam Cæsari Diuo cum stella crinita supra caput ipsius fulgente, quia eiusmodi post mortem eius stella visa est. Templi huius meminit Dio lib. 43. Appianus lib. 2. de Bell. ciuil.

IOVIS etiam Vltoris templum priùs Veneris & Martis dictum fuisse Dio scribit.

VENERIS CAPITOLINÆ in Caligula & Galba meminit Suetonius.

PLACIDÆ etiam VENERIS ædicula fuit in regione V.

VENERI adduntur CVPIDO, & ADONIS, & GRATIAE, de quibus paucis verbis aliquid monebo.

CVPIDO.

CVPIDINEM, inquit Seruius, Latini vocant, eò quòd faciat amorem: interdum etiam, more Græco, Amorem ipsum appellant. Cicero lib. 3. de Natura Deorum, tres Cupidines enumerat, quorum primus, inquit, Mercurio & Diana prima natus dicitur: secundus, Mercurio & Venere secunda: tertius quidem est Anteros, Marte & Venere tertia genitus. Sen-

uius Æn. i. 1. scribit, Simonidem dicere, Cupidinem ex Venere tantùm esse progenitum: alios tradere ex Venere & Marte: alios ex Venere & Vulcano: alios Chai, & primæ rerum naturæ filium eum facere. Hinc effingebatur puer nudus, alatus, arcum & sagittas gestans: qua de re sic Seruius: Quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur: item, quia imperfectus est in amantibus sermo, sicut in puero. Alatus autem ideo, quia nihil amantibus leuius, nihil mutabilius inuenitur. Sagittas verò idcirco gestare dicitur, vel quia amorem & libidinem sequitur punctura pœnitentiæ & dolor, vel quia ipsæ incertæ, velocésque sunt. Hactenus ille. De imagine Cupidinis eleganter luserunt Propertius libro primo Elegiarum, Marullus, Angerianus, Andreas Alciatus Emblemate centesimo decimotertio, & alij, de quibus vide Claudium Minoem Diuionensem, Commentariis in Alciati Emblemata.

ADONIS.

Adonis Veneris minister esse fingitur, teste Seruio, qui ait veteres singulis Diis inferiores potestates ministros addidisse, vt Veneri Adonin, Dianæ Virbium &c. Hic Adonis Cynaræ Regis Cypriorum, eius natæ Myrrhæ filius fuit. Nomen habet ἀπὸ τοῦ ἄδειν τοῖς ἀνθρώποις, id est, ab eo quòd hominibus canat, secundum Phurnutum. Hyginus scribit in Astronomico Poëtico, Venerem cum Proserpina ad iudicium Iouis venisse, cui earum Adonin concederet, eísque Calliopen à Ioue datam iudicem, quæ Musa Orphei mater fuit. Itaque Calliopen iudicasse, vti dimidiam partem anni earum vnaquæque possideret. Venerem autem indignatam, quòd non sibi proprium concessisset, obiecisse omnibus, quæ in Thracia essent mulieribus, Orpheum, vt sibi quæque appeteret, membráque eius discerperet. Hæc ille. Plura de Adonide non addam. Legantur Ouidius in Metam. Hyginus, Fulgentius, & alij.

GRATIÆ.

Veneri Gratias etiam addunt, quas Græci Charites appellant. Has quidam Iouis & Eurynomes, vel Eurymedusæ, alij Iunonis, alij Liberi Patris & Veneris filias esse tradiderunt, de quibus tantùm ea, quæ apud Seruium leguntur, adscribam. Acidalia, inquit, Venus dicitur, vel quia curas iniicit, vel à fonte Acidalio, qui est in Orchomeno Bœotiæ ciuitate, in quo se Gratiæ lauant, quas Veneri constat esse sacratas. Ipsius enim & Liberi filiæ sunt, nec immeritò: Gratiæ enim per horum ferè numinum munera conciliantur. Ideo autem nudæ sunt, quod Gratiæ sine fuco esse debent: ideò connexæ, quia indissolubiles Gratias esse decet. Quod verò vna auersa pingitur, duæ nos respicientes, hæc ratio est: quia profecta à nobis Gratia duplex solet reuerti. Hactenus Seruius Æneid. 1. Huc refer Emblema Andreæ Alciati 162. de Gratiis, & quæ ad id commentatus est Claudius Minos Diuionensis. Tantum de Venere, & eius comitibus.

AD CAP. X

PARALIPOMENA.

De Venere & Marte, communibus sacris, adulterio.

Venus Marti concubuit, Sol Vulcano prodidit, ille catenas adamantinas excogitauit, quibus adulteros vinciret, illa in dolorum vindictam, vt videbatur, legitimam, quinque Solis filias amoribus succendit, Pasiphaen, Medeam, Phædram, Circen, & Dirceen: nota res est omnibus: sed tamen supplendus insigniter ope MS. codicis Furius Publius Fulgentius Episcopus libro secundo Mythol. *Hæc itaque quinque Solis filias, id est quinque humanos sensus luci ac veritati deditos, quasi solis fœtus hac corruptela fuscat: ob hanc rem etiam huiuscemodi nomina quinque ipsis solis filiabus voluere. Primam Pasiphaen, vt visum quasi πᾶσι φαίνουσαν, quod nos Latinè omnibus apparentem dicimus: visus enim reliquos quatuor sensus inspicit, quia & tum qui clamat, videt, & palpando notat, & degustando afficit, & odorando intendit: secundam Medeam, quasi auditum, hoc est, μηδὲν ἰδέαν, quod nos Latinè nullam visionem, dicimus* . . . . *quarta Phædra, quasi odoratus, velut si dicatur φέρουσα ἡδονήν, quasi afferens suauitatem. Quinta Dirce, saporis index, quasi διάκρισιν, quod nos Latinè acre indicans dicimus.* aliquid interiisse, & abesse liquidò patet, quod nulla tertiæ Solis filiæ fiat mentio, quam prætermitti, aliis enumeratis explicatisque non decuit. itaq; post illa verba, *visionem dicimus*, subiungere *tertiam* Circem, *id est, tactum, quasi diceret Græcè χειρῶν κρίσιν, quod nos Latinè manuum indicium dicimus.* addendum insuper quinque has filias exitiali morbo detectas interiisse, Lutatius Placid. ad v. 274. li. 3. Thebaidos Papiniani, & de hoc adulterio Poetæ. P. Ouid. lib. 2. de Arte Amandi, & lib. 4. Metamorphos. fab. 5. lib. 1. Amor.

Amor.eleg.9.

Mars quoque deprehensus fabrilia vincula sensit,
Notior in cælo fabula nulla fuit.

Sidon.Apollinar.Carm.11.verſ.34.

Quæ pro Lemniacis damnauit furta catenis.

Et carm.13.verſ.187.

Sic Martem simulat modo in catenas
Missum Lemniacas.

M.Martial.lib.5.epig 7.ad Volcanum.

Parce pater;sic Lemniacis lasciuus catenis
Ignoscat coniux & patienter amet.

Non vt antea legebatur, *& patienter amet.*

Cl.Claudian.lib.3.de Raptu.

——tu audes nati Cythereæ pudoris
Ostentare suos post Lemnia vincula vultus?

Aurel.Prudent.in Romano martyre.

Deos catenæ colligant adulteros.

Sat.lib.1.ſil.2.

Lemnia deprenso repserunt vincula lecto.

Et lib.3 Thebaid.Venus ad Martem:

Hoc mihi Lemniacæ de te meruere catenæ.

Et lib.7.Thebaid.

——talem diuina Mulciber arte
Ediderat,nondum radiis monstratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.

Valer.Flacc.lib.2.Argonaut.

——meritas postquam Dea coniugis iras
Horruit,& tacitæ Martem tenuere catenæ.

Denique & Auſon. Idyllio 2. in Cupidine Cruci affixo.

——natique in crimina confert
Dedecus ipsa suum,quod vincula cæca mariti
Deprenso Mauorte tulit.

Et alluſit Iuuenalis Sat.16.

Quam si nos Veneris commendet epistola Marti.

Sed ad Solis filias, quas antea ex Fulgentio nominaui,regredior,quas fœdis pudendiſque amoribus correptas, aut miſerabili exitu defunctas poëtæ paſſim narrant. & quidem de Medea & Circe, conſtat eas veneficiis fuiſſe infames, vt omnia magicorum rituum incantamenta iis aſſignarint. Furia illa apud Claudianum lib.1.in Ruffinum.

——nec me latuere fluentes
Arboribus succi,funestarumque potestas
Herbarum,quicquid lethali germine pollent
Caucasus, aut Scythiæ vernant in gramina rupes,
Quas legit Medea ferox,& callida Circe

M.Lucan.lib 9.Pharſaliæ verſ.441.

——& terris hospita Colchis
Legit in Æmoniis,quas non aduexerat herbas.

P.Ouid.lib.1.eleg.14

Nec te cantatæ læserunt pellicis herbæ.

Et lib.2.de Arte.

Non faciunt vt viuat amor Medeides herbæ,
Mixtaque cum magicis Colchica venena sonis.

Et lib.1.de Rem.Amor.

Quid te Phasiacæ iuuerunt gramina terræ,
Cum cuperes patria Colchi manere domo?

Stat.lib.6.Thebaid.verſ.735.

Secretis quæ Colchidos ipsa sub antris
Nocte docet,monstratque feras quærentibus herbas.

Sil.Italic.lib.8.Punicor.

Æeta prolem anguiferam mala gramina primum
Præmonstrasse ferunt.

Alb.Tibul.lib.1.eleg.2.

Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,
Sola feros Hecatæ perdomuisse canes.

Sic enim rectè,non vt in MS. Achillis Statij, *malas Medeæ dicitur artes.* Sext.Propert.lib.4. eleg.7.

Sed tibi nunc mandata damus,si forte moueris,
Si te non totum Chlorydos herba tenet.

Ita in editione Ioſephi Scaligeri, & vulgatis omnibus,editio Horatij Tuſcanellæ Baſil.

Si te non totum Chloridos herba tenet.

Recepta lectio poſſet defendi ex incerti ſcriptoris authoritate, quem Cenſorinum eſſe putent, certè ante L. Carrionis curas, continuato cum die natali titulo legebatur.Is ergo cap.10. *Chloridem filiam facit Tiresiæ.* ſuſpicor itaque vt hunc augurandi ſcientia & diuinationibus clarum, ita iſtam magicarum ſcientiarum notitia præſtantem: & forte illa eadem eſt *Chloris*, quæ aliis *Manto* appellatur, quamque L.Seneca in Oedipo patris in ſacrificando comitem facit.puto tamen commodiùs poſſe legi.

Si te non totum Colchidos herba tenet.

Adducor exemplo C.Pedonis Albinouani in elegia de obitu Mæcenatis,quam qui Ouidio aſſignant,falluntur.

His te Mæcenas iuuenescere posse dicebat,
Hæc vtinam nobis Colchidos herba foret.

Fabulæ data occaſio, vt ad Martem & Venerem reuertar,ſiue *quod indomito quoque ab amore superentur*, ſiue *quod Martis planetæ cum Venere coniuncti benignissimus sit influxus*, vt Mathematici docent, vnde communi templo vtrique Deo data altaria. Claudian. Carmine de Magnete.

Mauors sanguinea qui cuspide verberat vrbes,
Et Venus humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.

Supereſt tantum vt currum ſeu comitatum Martis deſcribamus. Homerus Iliad.lib.14. *Δεῖμον, Terrorem, φόβον, Pauorem, ἔριδα contentionem*, ponit Martis comites, talis enim eſt belli natura.paulò aliter Virgilius li.8.Æneid.

—*tristésque ex æthere diræ,*
Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Idem lib.2.Æneid.

—*circúmque atræ Formidinis ora,*
Iræque,insidiæque,Dei comitatus,aguntur.

At ambitiosius Papinius li.3.Thebaid.v.425.

—*comunt Furor Iráque cristas,*
Fræna ministrat equis Pauor aliger, ac vigil omni
Fama sono,varios rerum succincta tumultus,
Antevolat currum.

Lutat.Placid. *ac si dicat Famam esse Martis aurigam.* Valer.Flacc.lib.3.Argonaut.

—*Terrórque Pauórque*
Martis equi,sic contextis vmbonibus hærent.

Denique Claudianus lib.1.in Ruffin.

Fer galeam Bellona mihi,nexúsque rotarum.
Tende Pauor,frænet celeres Formido iugales.

Et lib.2.de Laudib.Stilichonis.

—*currum patris Bellona cruentum*
Ditibus exuuiis tendentem ad sidera quercum
Præcedit,lictórque Metus,cum fratre Pauore
Barbara ferratis innectens colla catenis,
Formido ingentem vibrat succincta securim.

De *Bellona* hic dicendum fuerat, illa enim etiam *belli dea, Martis soror,* sed commodius infra de ea sermo instituetur lib.4.cap.10.

PARALIPOMENA.

De Victoria Dea, eiúsque statua.

V*ictoria* non *à vincendo* dicta est, sed *quod victi hostes vincirentur.* M. Varro lib. 4. de ling. Lat.olimque quam nos *Victoriam* vocamus, *Viciam* dicebant. Isidor. Hispalens.lib. 10.in dictione *pernicax.* L Flor. hist.lib.3.cap. 1. *Ille quoque* (Iugurtha) *quamuis victus & vinctus vidit vrbem,quam Venalem & quandoque perituram, si habuisset emptorem frustra cecinerat.* Paul.Oros.hist.lib.7.cap.37. *sine prælio victum ac vinctum* (Radagaisum Gothorum regem) *sub iugo catenisque despiciunt.* C. Iul. Solin.cap. 44.Polyhist. *Veneni mali poculo animam expulit, & à Romanis se vinculis morte defendit.* Notissimus in Triumphis ritus, duces hostium *in vinculis* vrbe circumlatos, Iosephus belli Iudaici lib.7.ca.24. dicam in tractatu de Triumphis,Alb.Tibul.lib.2.eleg.7.

—*nonos pubes Romana triumphos*
Vidit,& vinctos brachia capta duces.

Stat.lib.3.syl.2.

Actiàs Ausonias fugit Cleopatra catenas.

Et recte post *Martem* & *Bellonam* de *Victoria* agimus,nam *Mars,Bellona, Victoria,* dij communes, ἀζωνοι, *Nulli certæ sphæræ alligati.* Seruius Maurus ad vers.118.lib.12.Æneid.

In medióque focos,& diis communibus aras
Gramineas

Depingebatur *virginis alatæ habitu, vultu liberali & blando, capite lauro coronato, manu dextera protensa ramulum lauri ostentante, humeris alatis,* vt ex antiquis numismatis apud Goltzium, & alios patet. vnde apud Claudium de 3. Honorij consulatu, & Horatium lib.1. epist. 18.*Velox* appellatur, propter alas,cum quibus pingi solebat. Ennodius Felix Ticinensis Episcopus epigr.18.

Ecce tenet victrix pennatum dextera numen,
Venis & ad reditum non habet arma viæ.

Quod de Victoria dici,explicat epigraphe epigrammati ab ipso authore præfixa, *in missorio, quod habet loricatum iuuenem super equum,tenentem victoriam in manu.* Trimatius vetus poëta,vt citat A. Gellius lib. 6. cap. 6. reprehendebatur ab Hygino,quod lib.2.Iliados cecinisset

Dum dat vincenti præpes Victoria palmam.

Cum tamen celeritatem euentuum in bellis gerendis,leuitatémque & inconstantiam fortis,modo in hanc, modo in illam partem propendentis,nihil melius explicet,quàm τὸ *præpes.* vt ex augurali clarum est disciplina, vt ex eo vsurpauit D. Ausonius Eidyllio 8.

Hoc mihi præpetibus Victoria nuntiat alis.

Dubia ergo armorum sors, incertáque belli alea per alas Victoriæ significabantur. Ouid. lib.8.Metamorph.Fab.1.*diúque.*

Inter vtrumq. volat dubiis Victoria pennis.

Per.Apollon. Collat.li. de Excidio Hierosol.

Romanæ plausit volitans Victoria classi.

Porphyrius pennatos deos enumerat apud Adrianum Turnebum, μοῦσας, σειρῆνας, νίκην, ἶριν, ἔρωτα, καὶ ἑρμῆν, *Musas, Scirenas, Victoriam, Iridem, Amorem,*& *Mercurium,*lib.27. Aduersar.cap.5. Latinus Drepanius Pacatus in panegyrico, *recte profecto germana illa pictorum poëtarúmque commenta, Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium non cursus est,sed volatus.* Aurel. Prudent.lib.2.contra Symm.

Marmoreo & in templo rutilas Victoria pinnas
Explicet,& multis surgat formata talentis.

Auson.Epigr.1.aut verius in præfatione ad epigrammata.

Tu quoque ab aerio præpes Victoria lapsu.

Statuebatur illa in *templis*, in *domibus priuatis*, in *Circo*, in *Senatu*, seu *curia*, vbi habebatur

Sena-

denique & in *castris*, in templis quidem, simulachris quibusdam suppositis, eorumque exporrectis manibus sustentabatur. M. Tull. lib. 3. de Nat. deor. *idem victriolas aureas, & pateras, coronasque, quæ simulachrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat.* In priuatis ciuium porticibus aut Xystis etiam collocabatur. L. Apul. lib. 2. Milesiar. de magnificis Byrrhenæ ædibus, *atria longè pulcherrima columnis quadrifariam per singulos angulos stantibus, attollebant statuas Palmaris deæ facies quæ pinnis explicitis sine gressu pilæ volubilis instabile vestigium plantis roscidis decitantes, nec vt maneant inhærent, & iam volare creduntur.* In Circo etiam Victoriæ simulacrum pompæ præferebatur. P. Ouid. lib. 3. Amor. eleg. 2.

Prima loco fertur sparsis Victoria pennis,
Huc ades atque meus fac, dea vincat amor.

In Senatu semper ara Victoriæ posita erat, vt transferretur ea ara in quamcumque ædem, pro ratione loci in quo habitus senatus, Ælius Lamprd in S. uero. *pater eadem nocte in somnijs vidit, alis se Romanæ Victoriæ, quæ est in senatu ad cælum vehi.* Hæc est illa, quam ne tolleret Imperator, Q. Symmachus vrbis præfectus graui & diserta oratione contendit, nec tamen obtinuit. Sigebertus Gemblacensis in Chron. Ann. Dom. 407. *Radaisus Scytha cum ducentis milibus Gothorum ex Scythia veniens, Italiam inuadit, ex hoc murmur multorum blasphemantium infremit in Christum, Christianitatis tempora culpantes, fæli is item gentium attollunt inter quos præcipuè Symmachus orator fuerebat, qui etiam scriptis & epistolis suis agebat de idololatria, & repetenda ara Victoriæ: quorum latrantium ora iniecto eis veritatis osse obstruxerunt, Augustinus libro de Ciuitate Dei, & Orosius historia sua.* D. Prosper Aquitanicus de Promissionibus Dei parte 3. *Symmachus ille mirabili eloquio & scientia præditus, tamen paganus, præconio laudum in consistorio recitato, subtili arte qua valuit, aram Victoriæ in senatum restitui, Christiano, vt nouerat principi intimauit,*

Magnus Fælix Ennodius Ticinensis.

Dicendi palmam Victoriæ tollit amico,
Transit ad Ambrosium, plus valet ira deæ.

Ipse Symmachus in relatione sua; *quis ita familiaris est barbaris, vt aram Victoriæ non requirat?* Pomponius vetus Epigrammatographus Anthol. lib. 4. cap. 20. epigr. 2.

Ῥώμη παμβασίλεια τεὸν κλέος, οὔποτ' ὀλεῖται,
Νίκη γὰρ σὺν σοὶ ἄπτερος οὐ φύγεται.

Roma omninò dominatrix tua gloria nunquam interibit, Victoria enim sine alis te fugere non potest. Erat eadem & in castris obseruata Claudian. de 6. Hon. consul.

Adfuit ipsa suis talis Victoria templis
Romanæ tutela togæ, quæ diuite penna
Patricij reuerenda souet sacraria cœtus
Castrorumque eadem comes indefessa tuorum.

Et lib. 3. de laudib. Stilich.

—quam certa futuræ
Gaudia, cum totis exurgens ardua pennis
Ipsa duci sacras victoria panderet ædes,
Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis
Custos imperij virgo.

P. Ouid. lib. 2. Trist.

Sic assueta suis semper Victoria castris,
Nunc quoque se præstet, notaque signa petat,
Ausoniumque ducem solitis circumuolet alis,
Ponat & in nitida laurea serta coma.

Color illi aut simulachro videtur fuisse purpureus, nam Q. Symmachus proximè supra, *rutilas pennas* dixit, aut candidas, quod vt ille maiestatem, ita & hic pacem, lætitiamque denotat. Sil. Italic. lib. 15.

—niueis victoria concolor alis.

Neque Romana tantùm hæc dea, sed & Græca. Nonnus Panopolitanus Dionysiac. lib. 5. vers. 115. de Victoria in nuptiis saltante Cadmi.

Αἰδομένη πτερὰ πάλλε παρ' ἀμφιέλικτον Ἔρωτα.

Verecunda pennas vibrauit circa alas Amorum.

Pindar. Pythior. od. 9.

πολλὰ δὲ Νίκας ἤδη πτέρ' ἔσχεν.

Multas antea alas accepit Victoria.

Bizantini principes eam in atriis etiam suis habebant. Corippus de palatio Iustini Minoris lib. 3. num. 6.

Quattuor in sese nexus curuauerat arcus,
Per dextram læuamque tenens Victoria partem,
Altius erectis pendebat in aëre pennis.

Depingebatur tamen olim globo insidens sine alis, quas primus addidit pater Bubali & Athenidis, scito esse inter antiquos scriptores, qui ad Pergamenum Carystium hoc referant, aliosque qui ad Aglaophontem pictorem, vt differit Aristophanis Scholiastes in Auibus ad hæc.

Αὐτίκα νίκη πέτεται πτερύγοιν χρυσαῖν,

Statim Victoria volauit aureis alis.

Iam verò alas istas Apuleius supra laudatus *explicatas pinnas* vocauit. Ouidius *sparsas pinnas*, vt credibile sit habitu volaturæ depictam. Antipater Sidonius poëta Anthologiæ lib. 1. cap. 24. epigr. 2.

Cultam illam non iis, quæ dixi, locis, sed etiam fana habuisse probat narratio Dionis lib. 51. pag. 459. Q. Tertul. Apologet. cont.

gent. *sed & Victorias adoratis.* eam pinxit I phis, C. Plin. lib. 35. cap. 11. C. Iul. Cæsar, bell. ciuili. lib. 3. cap. 20. *Trallibus in Templo Victoriæ, vbi Cæsari statuam consecrauerant, palma per eos dies in tecto inter coagmenta lapidum ex pauimento extitisse ostendebatur.* Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. tit. 12. Adde & templorum fastigia Victoriæ suffixo simulacro solere insigniri, Iul. Obsequens prodig. cap. 73. Denique nudo pede, veste laxa suspendebatur. Aurel. Prudent. l. 2. in Symmach.

Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est,
Et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioque recincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

PARALIPOMENA.

De Gratiis, earum numero & Pictura.

PLacid. Lactant. lib. 2. Thebaid. vers. 284. *nomina Gratiarum sunt tria, Pasithea, Aglaia, Euphrosyne, Iouis & Hermiones filiæ, Veneris famulæ.* L. Seneca lib. 1. de Benefic. cap. 3. *Nunc dicam quare tres Gratiæ, & quare sorores sint, & quare manibus implexis, quare ridentes, iuuenes, & virgines, solutaque ac pellucida veste? alij quidem videri volunt vnam esse quæ det beneficium, alteram quæ accipiat, tertiam, quæ reddat; alij tria beneficiorum, promerentium, reddentium, simul & accipientium reddentiumque.* Plut. libr. philosopho cum principibus viris esse disputandum, ἀλλὰ σοφὸς ἦν ὁ ταῖς χάρισι τὰ ὀνόματα θέμενος, Ἀγλαΐαν καὶ Εὐφροσύνην, καὶ Θάλειαν, τὸ γὰρ ἀγαλλόμενον καὶ τὸ χαῖρον ἐν τῷ διδόντι, *& sapuit, qui Gratiis nomina imposuit, Aglaiæ, Euphrosynes & Thaliæ, maior enim & purior est lætitia in eo qui dat.* Theocrit. Eidyll. 16. Meleager. Anthol. lib. 1. cap. 27. Epigr. 1.

Τρισσαὶ μὲν χάριτες, τρεῖς δ' ἡ γλυκὺ παρθένιοι ὧραι.
Tres quidem Charites, tres virginitatis studiosæ horæ.

Paulus Silentiar. in eodem Anthol. lib. 7. Epigr. 46.

Μορφὴν τριχθαδίην χαρίτων τριὰς ἀμφιπολεύει.
Formam triplicem Gratiarum trias comitatur.

Martian. Capella lib. 1. de Nuptiis Merc. & Philol. in limine.

Conserere vatiferis florentia limina sertis
Seu consanguineo Gratia trina dedit.

Idem lib. 9. in principio.

Ipsa etiam fulcris redimicula nectere sueta.
Flora decens trina anxia cum Charite.

De numero eorum nemo dubitat, quin tres fuerint, D. Ausonius Epigr. 114.

Tres fuerant Charites,

De nominibus tamen aliqua est contentio; nam & Homerus lib. 14. Iliad. vers. 269. *Pasitheam* in Gratiarum numero reponit, vt & Papinius lib. 2. Thebaid.

Non hoc Pasithea blandarum prima sororum.

At Orpheus pro communi stat sententia in Hymno Gratiarum.

Ἀγλαΐη τε, Θάλεια καὶ Εὐφροσύνη πολύολβε,
χαρμοσύνης γενέτειραι, ἐπήρατοι.

Aglaiaque, Thaliaque, & Euphrosyne diues, gaudij genitrices, amabiles. In Comitatu Veneris, vt dixi, eas ponunt. Furius Publius Fulgent. lib. 2 Mytholog. *huic etiam tres Charites adijciunt (Veneri) duas ad nos conuersas, vnam à nobis auersam quod omnis gratia simplex eat, duplex redeat, ideo sunt charites, quia omnis gratia ne? cis subtilem sed ornatum.* Martia. Capell. lib. 1. *præterea tres puellæ vultúque decoréque parili, ac venustate luculentæ sertis religata inuicem manus, rosarumque speciis redimitæ, ad virginem conuenere, quarum vna deosculata Philologiæ frontem, illic vbi pubem ciliorum discriminat glabellæ medietas, alia eius os, tertia pectus apprehendit, videlicet prima, vt lætos oculis afflaret honores, secunda gratiam eius linguæ inspirabat, animo tertia comitatem: quippe illæ Charites dicebantur, & quicquid apprehenderant, venustabant, quæ quidem virginem postquam lumine replenere. Musis admixtæ.* ob id ergo Veneris comites Gratiæ, quod animos inspirarent, corporisque pulchritudini prodessent augendæ, Aristænet. ep. 10. l. 1. καὶ τοῖς ὄμμασιν χάριτες οὐ τρεῖς, καθ' Ἡσίοδον, ἀλλὰ δεκάδων δεκάς ἐπικωμάζουσι, *tum oculos eius non trinæ, secundum Hesiodum sed decies denæ pererrant gratiæ.* Et eiusdem libri epist. 11. ἀθρήσειεν ὄμμασιν ἵλεῳ αἱ χάριτες ἴδοιεν. *Propitiis illam oculis videant Gratiæ.* Sidon. Apollinar. Carm. 11. vers. 113.

Hic triplex vno comitatur Gratia nexu.

Claudian. in Epithalamio, *Palladij, & Celerinæ*, non vt vulgo *Serenæ* nam Celerina Palladij cos. fuit vxor. Et sic legitur in MS. meo, & ipse Claud. gentilitium nomen insinuat.

Immensamque trahis Celerinæ robore lucem

Is in eo poëmate.

Idaliæ iuxta famulæ triplexque vicissim
Nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu.

Alias pete rationes ex Plutarcho lib. de *præceptis connubialibus* in limine. & Scholiasten consule Aristophanis in *Nubes*, Tzetzen in Pindarum, & ipsum poëtam Olympic. od. 2. od. 14. Pythior. od. 5. od. 11. Helenium Acronem ad Horat. lib. 1. od. 4.

Iunctæque nymphis Gratiæ decentes.

Et od. 30. ad Venerem.

Feruidus tecum puer, & solutis
Gratiæ Zonis.

Et lib. 3. od. 31.

Te Liber, & si læta aderit Venus,
Segnésque nodum soluere Gratiæ,
Te viuæ producent lucernæ.

Denique lib.4.od.7.

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.

Gratiæ ergo & Nympharum, & Musarum, & Veneris, & omnis venustatis erant comites. Adde & vnà cum Suada & Mercurio, vt ex Plutarcho alij notarunt, collocari solitas, sed ad alia properandum.

CAPVT XI.

De Libero patre, siue Baccho, & Cerere.

SIcut Ioues, Martes, Apollines, Mercurij, &c. etiam Bacchi plures fuerunt. Philostratus & Diodorus Siculus tres diuerso tempore fuisse affirmant. Cicero quinque numerat, cuius hæc sunt verba: Dionysios, inquit, multos habemus: primum à Ioue & Proserpina natum: secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: tertium Caprio patre, eúmque Regem Asiæ præfuisse dicunt, cui Sabazea sunt instituta: quartum Ioue & Luna, cui sacra Orphica putantur confici: quintum Niso natum & Thione: à quo Trieterides constitutæ putantur. Hæc ille. Communis tamen Poetarum opinio est, Bacchum Iouis & Semeles filium fuisse, cum quibus faciunt & Diodorus Siculus, & Eusebius. Diodori verba lib.5. rerum antiquarum, c.2. hæc sunt: Cadmum Agenoris tradunt ex Phœnicia ad peruestigandam Europam à Rege ea lege missum, vt aut virginem secum reduceret, aut in Phœniciam non rediret. Cùm diutiùs quæsitam ab se virginem non inueniret, postposita patria in Bœotiam peruenisse. Vbi cùm responso oraculi Thebas condidisset, Hermionem postmodùm Veneris filiam in vxorem sumpsisse: ex qua Semelem, Ino, Autonoem, Agauem, ac Polydorem genuerit. Semelem Iupiter ob pulchritudinem in forma hominis cognouit. Quod illa existimans ab Ioue in sui contemptum agi, rogauit, vt secum, prout cum Iunone assueuerat, coiret. Iupiter Dei maiestate assumpta cum tonitribus ac fulgure ad eam descendit. At illa prægnans, cùm neque fulguris, neque tonitru vim ferre posset, filium aborso igne expirauit. Infantem Iupiter Mercurio dedit, ad antrum Nysæ, quod inter Phœniciam Nilúmque est, deferendum à Nymphísque omni studio curáque educandum. Vnde ab Ioue Nysáque Dionysium dixerunt: quod etiam Homerus in Hymnis testatur, inquiens: Et Nysa supra montem floridum, sylua procul à Phœnicia fermè Ægypto fluente. Nutritum à Nymphis aiunt, vini, vineæque extitisse auctorem. Orbem quoque fermè obambulantem, multas regiones reddidisse domesticas: ac propterea maximis apud omnes honoribus celebratum. Docuisse eos insuper, quorum regio vites ferre non posset, potum ex hordeo conficere, quem nonnulli Zithum dicunt, paulùm à vini sapore differentem. Exercitum quoque secum non tantum virorum, sed etiam mulierum circumducens, nefarios homines, atque iniquos merita mulctauit pœna. Hæc & plura alia de Baccho Diodorus.

Dicitur BACCHVS, DIONYSIVS, & LIBER PATER: nam de aliis appellationibus non agam. Vnde DIONYSIVS dicatur hic Deus, ex verbis Diodori intelligemus: nimirum Ioue Patre, ἀπὸ τοῦ Διὸς, & Nymphis Nysæis, à quibus fuit educatus.

BACCHVS appellatur ἀπὸ τοῦ βακχεῖν: hoc est, ab incompositè vociferando: quidam à coronæ genere, quæ Baccha dicebatur, deriuant. Eustathius dici volui ἀπὸ τοῦ βακχᾶν, quod significat vlulare, & inconditè clamare, vt Bacchæ facere solebant.

LIBER PATER vocatus est, vel à linguæ licentia, vt plerique putant, nam vini potu magis liberi mortales fiunt, vel potiùs quòd animum curis liberet, & pellat tristitiam. Vnde Ouid.

Cura fugit multo diluitúrque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugáque frontis abit.

Seneca: Liber, inquit, non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini: sed quia liberum seruitio curarum animum afferit, vegetátque, & audaciorem in omnes conatus facit. Sunt qui dicant, quòd in liberis ciuitatibus coleretur, eum Liberum esse appellatum.

Simulacrum eius varium fuit: effingebatur nudus, vt vini naturam ostenderet, quæ secreta reuelat: item puer imberbis & lætus, cum corniculis in fronte: nonnunquam senex & caluus. Macrob. lib.1 Saturnal. Liberi, inquit, Patris simulacra partim puerili ætate, partim iuuenili fingebantur: præterea barbata specie, senili quoque. Coronabatur pampineis, hedera, & ficulneis frondibus, Pampino quidem, & ficu, ex memoria Nympharum Staphilæ & Sycæ, hedera verò, ex memoria Cissi pueri, qui fuerat in hanc plantam conuersus. Effectus est aliquando

in curru pampineo,& triumphans,qui pantheris modò, modò tigribus, ac lyncibus trahebatur. Silenus pando asello propter astans Bacchis & Satyris thyrsos in ferulas vibrantibus,cæteróque bacchantium comitatu,tum præeunte,tum subsequente. De Bacchi simulacro elegans extat Dialogismus Andreæ Alciati in Emblematis,quem vide, & qui in eum commentatus est,Claudium Minoem Diuionensem.

Bacchi templum collocatur à P. Victore regione II. de quo ita Georgius Fabricius: Bacchi templum nunc S. Constantiæ, extra portam Viminalem,in via Numentana, circulare & vermiculato opere vsque & aries villosus.

Liberi patris ædicula fuit in regione VI. De Liberi Liberæque æde posteà dicam.

Ceres,quæ Saturni & Opis filia,à Poëtis,non à Romanis solùm,sed à Græcis culta est. Credita fuit Dea frugum,à creando dicta,vel quasi geres,à gerendis frugibus,teste Cicerone lib.3. de Nat. Deorum. Epitheton ei tribuitur, Alma,quia nos alat. Græci δημήτηρ, quasi γημήτηρ appellant,id est, Terræ matrem,quòd cunctarum frugum creatrix sit,& altrix. item Thesmophoron,id est legum latricem. De ea in hunc modum Diodorus: Ceres,inquit,frumenti, quòd fortè inter alias herbas nascebatur ignotum,cæteris prima vsum inuenit,docuitque homines nascendi,seruandique & serendi modum. Est autem ab ipsa frumentum ante genitam Proserpinam repertum. Nam post eius à Plutone raptum, frumenta omnia tum in Iouis odium,tum propter dolorem filiæ incendisse ferunt. Sed ea inuenta reconciliatam esse Ioui,& Triptolemo frumenti dedisse semen, mandasséque, vt cum omnibus id donum participans, modum seminandi monstraret. Traditur à nonnullis illam leges quoque dedisse, quibus homines iustè viuere assuescerent: vnde & Legifera dicta est. Et quoniam maximorum bonorum causa humano generi extitisset,ab omnibus, non solùm Græcis,sed Barbaris quoque,ad quos frumenti peruenit vsus,honoribus, sacrisque solemnibus ac celebritate præcipua colitur. Hactenus Diodorus. Cereris igitur filia Proserpina fuit, quæ à proserpendo dicta, nihil aliud est,nisi ipsa terræ fœcunditas,quæ cùm aliquando defuisset posteáque reperta esset,fabulæ de raptu Proserpinæ occasionem dedit,vti August. ex Var. docet. De raptu Proserpinæ extant lib. tres elegantissimi Poetæ Claud.

CERES.

Ceres etiam Libera dicta fuit,quanquam nonnulli Venerem hoc nomine appellatam velint. Ludouicus Carrio I.C. Commentar. I. Antiquarum lectionũ c.3. scribit videri sibi eandem Deam in sacris Pandam nuncupatam fuisse: idque ex Nonio Marcello probare conatur: apud quem sic legendum existimat: Pandere, inquit, Nonius, Varro existimat ea causa dici, quòd qui ope indigerent,& ad asylum Cereris confugissent,panis daretur. Pandere ergo,quasi panem dare: & quod nunquam fanum talibus clauderetur. De vita populi Romani,lib I. Hanc Deam Ælius putat esse Cererem: sed quòd in asylum,qui confugissent,panis daretur,esse nomen fictum à pane dando,pandere quod est aperire. Hactenus Nonius: apud quem Varronis locum manifestè de Panda accipiendum esse Carrio arbitratur. Idem tamen addit alias etiam rationes huius appellationis afferri posse. Arnobius enim libro 4. aduersus Gentes auctorem esse quòd Tito Tatio Capitolinum vt caperet collem,viam pandere atque aperire permissum fuerit,Deam Pandam esse appellatam,vel Panticam. Alios item esse, qui Deam pacis esse, Pandam velint, eò quòd pacis tempore vrbium portæ aperiantur: ex quo Glossarium Latinum Panda εἰρήνης θεός. Hæc Ludouicus Carrio. Idem nomen Pandæ Deæ restituit in versibus Varronis,Satyra Menippæa,qui apud Agellium lib.13. ca.21. sed corrupti extant: sic enim legendos eos esse censet.

Sed Anna, Perenna, Panda te, Lato, Pales,
Nerienes: & Minerua, Fortuna ac Ceres.

In quibus versibus etiam Iosephus Scaliger vocem Panda retinet: quamuis reliqua paulò aliter legat. Effingebatur hæc habitu matronali,ornata spicea,corona, nonnunquam mœsta cum lampade seu face describitur, interdum manipulum spicarum & papauerum gerens, quemadmodum cernitur in nummis antiquis.

Hæc coli cœpta fuit in Vrbe Palantio, quam Arcades in monte Palantio condiderunt, & in ea Cereris templum, teste Dionysio libro I. addiderunt ei etiam Græcam sacerdotem. Posteà verò anno Vrbis conditæ CCLVII. Coss. A. Posthumio T. Virginio, vt idem refert lib. 6. ab A. Posthumio Dictatore, post victoriam à Volscis hostibus reportatam, de spoliis ædes Cereris locata est. Cùm enim, vt Dionysius scribit, initio belli laboraretur, victus inopia, & magnus metus esset,ne in totum deficeret,terra fructus negante,& bello,ne commeatus subueherentur, vetante, libri Sibyllini iussu Dictatoris inspecti sunt à suis custodibus, & monentibus oraculis, placanda esse hæc numina,votum fecit Posthumius, priùs quàm exercitum educeret,si imperii sui tempore fœlix prouentus fieret, qualis antea, templa se illis constru-

constructurum, & institutum in singulos annos sacrificia. Exaudierunt Dij, dederúntque magnum prouentum frugum, tum arboreorum, tum terrestrium, & Posthumius voti damnatus templum eis promissum reddidit. Hanc ædem triennio pòst alter Consulum Sp. Cassius in Vrbe relictus dedicauit. Sita est in fine Circi maximi super ipsos carceres. Fuerunt & aliæ Cereris ædes, quarum meminit P. Victor.

AD CAP. XI.

De Baccho seu Libero patre, cognominibus, statua, & sacris.

LIberi cognomentum Baccho impositum, *quod vindex & assertor libertatis à ciuitatibus, erecta in foro statua coleretur. is enim liberas fecit Bœotiæ ciuitates & primus triumphauit.* vet. Scholiast. *Iuuen ad* Sat. 14. v. 193. & cum cordatos libertas faciat, *Bacchum cordis præsidem faciebant* Suidas in voce Κοινοφόρος, vnde cognomen ei *Eleutherij* impositum, Diodor. Sicul. lib. 4. ca. 2. Biblioth. Vide quæ de Marsya, in Reg. 8. superius dixi. Colebatur vna cum Proserpina communi ara; in Hypercritico suo Iulius Cæsar Scaliger annotauit. & dij Inferi ponuntur, Pluto, Proserpina, Ceres, Core, Iacchus, Serapis, Isis, Anubis Harpocrates, Hecate subterranea, Erynnies, & dæmones qui iuxta hos sunt, Artemidor lib. 2. cap. 35. Oneirocrit. & quoddam genus sacrorum vtique erat commune, quod σαβάζια dici placuit. Oppian. Cilix. l. 1. Cyneget.

> ἢ ἐθέλεις τριέτηρον ἀνὰ κνημοὺς βάκχον ἀείδειν,
> ἢ χορὸν αἰονίου Βοιωτίου ἀγχ' Ἀσωποῖο
> λείπομεν, ὡς κέλεαι, τὰ σαβάζια νύκτερα θύσθλα.

Nolo trietericum te nunc montanum Bacchum canere, nolo choreas Bœotici ad fluenta Asopi, missa faciam, vt iubes Sabasia nocturna sacra. sic ergo optime legitur, non vt Ioannes Bodinus τὸ σαβάζειν venerari: sic etiam puto communia ista sacra in veteri marmore denotari, vbi Hecate Deo Brontonti coniungitur, quem ego Bacchum puto, ob turbas, quas fulminum instar ebrietas commouet, Blond. Flauius Romæ triumphantis lib. 1. *Bacchus & Liber pater & Brontinus quandoque dictus est.* pag. 13. verba inscriptionis sunt.

IOVI. SANCTO. BRONTONTI.
ECATÆQ. AVR. POPLIVS.

Et alterius expressiora.

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRÆ.
FL. SEPTIMIVS, ZOZIMVS. V. P.
SACERDOS. DEI. BRONTONTIS.
ET. ÆCATE. HOC. SPELEVM.
CONSTITVIT.

Claudian. lib. 1. de Raptu totum apparatum mysteriorum, id est sacrificiorum Bacchi, vt exponit Placid. Lactant. ad v. 11. li. 1. Thebaid. cumque Hecatæ coniungit.

> *Ecce procul ternis Hecate variata figuris*
> *Exoritur, lætusque simul procedit Iacchus,*
> *Crinali florens hedera; quem Parthica velat*
> *Tigris: & auratos in nodum colligit vngues,*
> *Ebria Mæonijs fulcit vestigia thyrsis.*

Vltimus versus varie legitur, antiqua lectio, *fulsit*, pessimè, Iani Parrhasij codex, *figit*. MS. Delrij, & Steph. Clamerij, *firmat*. Virgil. lib. 3. Æneid.

> *Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat.*

Stat. lib. 1. Thebaid. vers. 12.

> *It tamen, & medica firmat vestigia virga.*

M. Lucan. lib. 4 vers. 42.

> *Dum labat, & fixo firmat vestigia pilo.*

Sidon. Apollinar. Carm. 5. vers. 520.

> *Lubrica præmissis firmat vestigia conto.*

Et Carm. 11. vers. 46.

> *Labuntur firmantque pedum vestigia pinnis.*

Illi *firmare vestigia*, & alij non minus eleganter *figere vestigia*, vsurparunt, & parum interest, nisi quod magis genuina videatur ipsi Claudiano loquendi formula, in consulatu Manlij Theodori, ad finem.

> *Pendula librato figat vestigia saltu.*

Et confirmatur aliorum locis, Stat. l. 10. Thebaid. vers. 856.

> *Plana velut terra certus vestigia figat.*

Fest. Amien. in descript. orb. ter.

> *Nunc directa solo tentus vestigia figit.*

Sed ad Bacchum redeo, quem licet certum sit esse inter deos Consentes, & ab omnibus populis eius cultum receptum, tamen Scythę non admiserunt Dionysiaca sacra, *quod nefas ducerent Deum colere, qui ad insaniam* adigeret. Herodot. lib. 4. pag 283. & principium eius cultus ab Indis quibus imperauit primus. Fr. Laziardus hist. vniuersal. Epitoma cap. 16. Albert. Stadensis Chron. pag. 6. Roma eiectus testimonio Q. Florentis Tertulliani probatur, Apolog. cap. 6. *etiam circa ipsos deos vestros, quæ perspectè decreuerant patres vestri, iidem vos obsequentissimi rescidistis. Liberum patrem cum mysterijs consules senatus authoritate non modo vrbe sed vniuersa Italia eliminauerunt.* quæ ille haustà Cicerone lib. 2. de legibus. *quid ergo aget Iacchus, Eumolpidæque nostri, & augusta illa mysteria, si quidem sacra nocturna tollimus? non enim populo Romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges damus.* Iul. Firmic. lib. de Errore profanar. relig. *nec à salutaribus suis legib. exorbitat Posthumius consul noster, nam sicut in libris Annalibus inuenimus, Bacchanaliorum sacra, Ebutio quodam adolescente deferente detecta sunt,* vide paulo infra. neque

vero admodum antiquus eius cultus, nam *Eluther primus simulacrum Liberi patris constituit, & quemadmodum coli deberet, ostendit*, vt loquitur Hygin. Fabul. cap. 225. Depingebatur, *pectore nudo, muliebri, capite cornuto, vitibusque coronato, tigridi inequitans, manu dextera racemum prætendebat sinistra poculum*. Albric. lib. de Imaginibus Deor. Phornut. lib. de Natura deor, poculum istud è cornu bouis, Nonn. Dionysiac. lib. 12. vers. 201.

καὶ δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας.

Et poculum curuum habuit bouis cornu.

Arnob. lib. 5. ad finem. *Mercurius pinnatus, Argiphontes, Æsculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus, aut in Liberi dextera pendens potorius cantharus*: Ille dexteræ poculum, Albricus sinistræ attribuit. Et de insignibus sigillatim agamus.

Tigridem ei sacrarunt, quod ferocissima quęque pectora vino domentur. Martial. lib 8. Epigr. 26. Ouid. lib. 1. Amor. Eleg. 2. Horat. lib. 3. od. 3. Polyæn. lib. 1. Stratagemat. Claudian. de 4. Hon. consul.

—irent blandæ sub vincula tigres.

Sil. Italib. lib. 17. Punicor.

Qualis odoratis descendens Liber abIndis
Egit pampineos frænata tigride currus.

Thyrsum autem in eius sacrificiis receptum quis nescit? id est hastam hedera (vnde *Hedereus* dicitur Pausan. Attic.) inuolutam, quam exercitus eius in India ad decipiendos rudes Indorum animos, belloque inidoneos gestauit. & de cymbalis & tympanis Bacchicis diximus antea, vbi de Cybele agebamus, nunc de Thyrso, qui & Veneri dicatus, Sidon. Apoll. Carm. 9.

Occulsos veneri retasse thyrsos.

Et Baccho Virgil. lib. 6 Æneid. vers. 660. Horat. lib. 2. od. 19. C. Tacit. lib. 1. Annal. *ipsa crine fluxo thyrsum quatiens*. Sidon. Apollinar. vt alios omittam Carm. 5. vers. 501.

—rota enthea thyrsum
Bassaris, & maculis Erythræa Nebridos horrens,
Excitat Odrysios ad marcida tympana mystas.

Et apposite Carm. 22. vers. 31.

—sagittiferas Euan populatus Erythras,
Vite capistratas cogebat ad esseda tigres.
Cantharus, & thyrsus, dextra læuaque feruntur.

Sacra eius seu mysteria nocturna erant, & facibus accensis per vrbem discurrebant, crateres vini plenos statuẽtes, neque quicquam turpitudinis scelerumque vino & nocte suadentibus omittebant. D. Augustin. de Ciuit. Dei lib. 10. cap. 13. Clemens Alexandrinus in protrept co. Aurel. Prudent. lib. 1. in Symmachum.

Quod & ebria iam tunc
Ante oculos regis Satyrorum insania fecit,
Et fecisse reor stimulis furialibus actas
Mænadas, inflammante mero, in scelus omne rotatas

In cistis sacra hæc condita erant, & singulis tribus annis exhibebantur magno totius Gręciæ concursu. Antonius Delrio multa congessit in illud. L. Senec. in Herc. Oetæo Act. 2. in choro.

Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum solitæ condita cistis
Cum iam pulso sidere bruma
Tertia soles euocat æstas.

Ineunte vere igitur orgia celebrata noctu, vnde & Bacchus *Nytelius* dictus Pausan. Attic vel *Nyctelius*, vt aliis visum. Seru. ad vers. 302. lib. 4. Aeneid. *Liberi sacra tertio quoque anno innouabantur. sanè sciendum orgia apud Græcos dici sacra omnia, sicut apud Latinos cærimoniæ dicuntur. sed iam abusiuè sacra Liberi orgia vocantur, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς à furore, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν à montibus. nocturnus, quod nocte celebrarentur, vnde ipsa sacra Nyctelia dicebantur, quæ populus Romanus exclusit causa turpitudinis.* Ipse Virgilius loco laudato.

—qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia: nocturnusque vocat clamore Cytharon.

Valer. Flacc. Argonautic. lib. 6 ad finem.

Vt fera Nyctilei paulum per sacra resistunt.
Mox rapuere Deum, iamiam quodcunque parata
Thyades.

P. Ouid. lib. 1. de Arte Amandi.

Nyctileumque patrem, nocturnaque sacra precare,
Ne iubeant capiti vina nocere tuo.

Nescio quid Iosepho Scaligero in mentem venit, qui sensu optimo perturbato, legendum censuit.

Ne subeant capiti vina nocina tuo.

Inter deos vero antiquorum, nullus est, quem tam diuersis nominibus insignierint. lege cultissimum Archij poëtæ carmen lib. 1. Antholog. cap. 38. Epigr. 31. Auson. Epig. 28.

Αἰγύπτου μὲν Ὄσιρις ἐγώ, μυσῶν δὲ Φάνακης,
Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοις Ἀδωνεύς,
Πυρογενής, δίκερως, τιτανολέτης Διόνυσος.

Id est. *Aegypti quidem Osiris ego, Mysiorum vero Phanaces, Bacchus inter viuos, inter mortuos Adoneus, Igigena, Bicornis, Titanicida Dionysius.* Idem Ausonius Epigr. 29. sequen-

sequenti, & doctissimus Elias vinetus ibidem.

Ogygia me Bacchum vocat.
Osyrim Ægyptus putat.
Mystæ Phanacen nominant.
Dionysum Indi existimant.
Romanæ sacra Liberum.
Arabica gens Adoneum.
Lucaniacus Pantheum.

Ælian.var.histor.lib.3.cap.41. *Phleonem, Protrygam, Staphylitam, Omphacitam, Bacchum* cognominatum, variisq; aliis vocabulis scribit. Q. Ennius in Athamante multa eius cognomina complectitur, citante Fl.Sosipatro Charisio.

His erat in ore Bromius, hic Bacchus pater,
Illic Lyæus vitis inuentor sacræ,
Tum pariter Euan, Euoe, Euoe, Euius,
Ignotus iuuenum cætus, alterna vice
Inibat alacris, Bacchico insultans modo.

Adde P. Ouidium lib. 4. Metamorphos. Fab.1.

—— Bacchum vocant, Bromiúmque Lyaúmque,
Ignigenámque, satúmque iterum, solúmque bimatrem,
Additur his Nyseúsque, indetonsúsque Thyoneus,
Et cum Lenæo, genialis consitor vuæ,
Nyctileúsque, Eleléusque parens, & Iacchus, & Euan,
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina Liber habes.

Quibus omnibus cognominibus quantumuis eum compellauerint varij populi, tamen receptius in sacris nomen erat *Euius*. Ennius paulo supra citatus: seu quod *ea vox fuerit Iouis patris in Gygantomachia eum discerptum putantis*, vt Albericus in imaginibus deorum & Phornutus de nat.deor. prodiderunt, vel quod *in leonem mutatus, periclitantibus diis, Gygantem laniauerit & ob id à Ioue collaudatus sit ea voce*, Helenius Acron & Porphyrion antiqui interpretes ad Horat.lib.1.od.18.& lib.2.od.19. Lil. Gyrald. Ferrariensis de diis gentilib. Syntagm.8. Papin.lib.1. sil. 2. nuptiarum præsidem facit.

—— tibi Phœbus, & Euan
Et de Mænalia volucer Tegeaticus vmbra,
Serta ferunt.

Et lib.5. Thebaid. vers.497.& Luctat. Placid. ibid.& lib.2. Thebaid.

Et iam iam forte dies nato signata tonantis
Fulmine, præcepti quum te tener Eubye partus
Transmisere patri.

Virgil.lib.7.Æneid.vers.389.
Euoe Bacche fremens.

Sidon.Apollinar.Carm.5.vers.232.

Atque Pelethronios Lapythas Semeleius Euan
Miscuit, Æmonias dum flammant orgia matres.

Et carm.22.in principio.

Forte sagittiferas Euan populatus Amyclas.
Vitifer, seu vini inuentor: describit fuse Nonnus Dionysiacon lib.7. vers. 87.& Abbas Vrspergensis in Chronico quippiam diuersum tradit. *hoc tempore Dionysius, qui & Liber pater, vitem dicitur ostendisse hospiti suo in Attica terra.* Et eadem Freculph. Chronic. Tom.1.lib.2. cap.11. Fur. Publ. Fulgent.lib. 2. Mytholog. *Liber vero pater dictus est, quia vini potio liberas mentes faciat, Indos vero vicisse, quòd hæc gens sit valde vino dedita, duobus scilicet modis, siue quia feruor solis eos faciat potare, siue quia ibi sit Sarapcenum vinum, vel Meroitanum, cuius vini tanta virtus est, quo vix quilibet ebriosus sextarium toto mense bibat.* Ille vult ante Bacchum Indos vini vsum habuisse, ideóque nec vini eum inuentorem, at eius inuentum esse vites omnes contendunt. Alb. Tibull. lib. 2. eleg.3.

At tu Bacche tener iucundæ consitor vuæ,
Tu quoque deuotos Bacche relinque lacus.

Et vini quidem genera sigillatim alibi in hoc opere recensebo: nam & *Pramnium, Chium, Thasium, Lesbium, Creticum, Polium, Coum, Rhodium* Cæl.Rhodigin. lib.13. Lect. Antiq. cap. 11. Aurel. Macrob.lib.3.cap. vlt. Virgil lib.2. Georgic. Athen. lib. 1.capitibus multis. M. Plaut. Poenulo sc. iam istuc in fine.

Leucadio, Lesbio, Thasio, Coo, non *Thassio*, vt antea.

Vetustate vino edentulo. nunc vnicus è Corippo meo locus, quia omnia pœnè vina Græca complectitur: quem, quia eget correctione, in medium adducam è lib. 3. num.3.

—— dulcia Bacchi
Munera, quæ Sarapta ferax, quæ Gaza crearat
Ascalon, & lætis dederat quæ Græca colonis,
Quæve antiqua Tyros, quæ fertilis Africa mittit,
Quæ Meroe, quæ Memphis habet, quæ candida Cypros,
Quæque ferunt veteres maturo robore vites,

Quas manibus proprijs Ithacus plantauit Vlysses
Arce sub balia Laertia lumina seruans,
Nondum Troiani vitans discrimina belli,
Quæque Methymnæis expreßit cultor ab vuis
Pocula.

In primo versu, non *Serapta*, sed Serapte legendum est ex Fulgentio supra, C. Plin. lib. 5. cap. 16.
Sidon. Apollinar. Carm. 17.
Quæque Serapteno palmite missa bibas.

In versu quarto *Meroe* vinum est Ægyptium regum epulis adhibitum. M. Lucan. lib. 10. vers. 162.

Nobile sed paucis senium cui contulit annis
Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.

In sexto versu vites ab Vlysse plantatas exprimit, qua de re & ipse Vlysses ἱμαυτῷ αὐτὸς πολλὰ εἰδέναι, τεχνίτης αὐτῷ ῶ. *Fatetur multa se scire, & quæ sciat manibus exequi.* Ælian. var. histor. libro septimo cap. 5. In septimo versu mendum manifestum censueram legendum, *arce sub Obalia*, sed melius apertiusque sic legi posset,
Arce sub Inachia Laertia limina seruans.
In nono denique versu, *quæque Methymnæis*, pessime hactenus, expunge τὸ *que* & lege, *Methymnais* Græcis enim μήθυμνα est. Callimach. Epigr. 20. Q. Horat. lib. 2. Sat. 8. P. Virg. lib. 2. Georgic.
Quæ Methymnæo carpit de palmite Lesbos.

M. Martial. lib. 8. Epigr. 51.
Sic Methymnæo gauisus Arione Delphin.
Sil. Italic. lib. 7. Punicor.
Methymna ferax Latij cessura falernis.
Ex MS codice legit Fr. Modius Nouantiquar. Lect. epist. 31. & meo iudicio rectius.
—*Methymnia ferox laculus cessura falernis.*
Ad Liberum patrem regredior, cuius comites seu ministri sunt *Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæ, Thyiæ, Mimallones, Naides, Tytiri, & Nymphæ,* Ian. Parrhas. ad illud Claudiani lib. 2. de Raptu.
Quales referunt Baccho solemnia nymphæ.
Licet *Mæoniæ* Suidas tantum *Bacchas, Satyros, Panes, & Silenos* in comitatu Liberi ponat, in voce Βάκχαι *Bacchæ*. Adde & *Bassaridas* dictas fuisse Bacchi ministras. Pseudo-Cornutus ad vers. 115. Sat. 1. A. Persij. *Bassarides, Bacchæ quibusdam videntur, à genere vestis qua Liber pater vtitur, demissa ad talos, quam Thraces Bassaream, quidam à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur, vulpes Thraces Cassares dicunt.* Interpres ad Horat. lib. 1. od. 18. *car dide Bassareu.* Nonnus Panopolitan. lib. 4. Dionysiac. vers. 339. βασσαρίδων φάλαγγες. Bassaridum Phalanges. Stat. lib. 2. syl. vlt.
Et tu Bassaridum rotator Euan.
L. Sen. Oedipo Act. 2. in choro,
Te Bassaridum comitata cohors.
Nunc Edoni pede pulsanti
Sola Pangæi, nunc Threicio.
Vertice Pindi, nunc Cadmeas
Inter matris, Impia Mænas
Comes Ogygio venit Iaccho.

Secundus versus an sanus sit, ambigo. causa dubitandi, quod in nonnullis editionibus exaratum sit, *nunc Edonij pede pulsanti Pangea soli.* Sed malè. Seru. ad vers. 365 lib. 12 Æneid. *Edoni, Thraciij, nam Edon mons est Thraciæ. Sanè sciendum est hoc loco errasse Donatum, qui dicit Edonij legendum, vt Do breuis sit, secundum Lucanum, qui dicit.* (lib. 1. vers. 675.)

Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.
Namque certum est systolem fecisse Lucanum, vnde Edoni legendum est, vt hic sit Edonus, huius Edoni. Statius & Virgilium & artem sequutus ait (li. 10. Thebaid.

Tristius Edonas hiemes, Hebrumque niualem.

Idem lib. 5. Thebaid. vers. 78.
Dulcius Edonias hyemes, Arctónque frementem
Excipere. Corrigendum est,
Dulcius Edonas hiemes.

Simile mendum in vulgatis Claudiani codicibus, licet rectius in MS meo, & Veneta editione antiquissima legatur lib. 1. de laudib. Stilich.
—*Quoties sub pellibus egit*
Edonias hiemes & tardi flabra Bootæ
lege, *Edonas hiemes.*
Mimallones autem in Liberi patris comitatu, vt antea dixi, Plutarch. in Alexandro in principio. Cornutus in A. Persij Sat. 1. vers. 123. *Mimallones dicuntur ministri Liberi patris,* ἀπὸ τῆς μιμήσεως (ab imitatione) *Calandrus Illyriorum rex in Macedoniam cum exercitu venit. Macedones cum paruum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis & thyrsis in modum Bacchantium ornauerunt, illi credentes exercitum aduentare, discesserunt.* Ipse Persius omnem illorum sacrorum apparatum describit loco citato.
Torua Mimallonijs implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & Mænas lyncem flexura corymbis
Euion

Euion ingeminat.

Stat.lib.4.Thebaid.vers.659.

—Spolia armentalia portant,
Seminecesque lupos, scissásque Mimallones vrsas.

P.Ouid.lib.1.de Arte.

Ecce Mimallonides sparsis per terga capillis,
Ecce leues Satyri prænia turba dei.

Et vir multisciæ eruditionis, limatissimique iudicij Petr. Petauius supremæ Galliarum Curiæ senator, censet legendum *Mamillones*, non *Mimallones*, apud quem asseruatur insigne antiquitatis monimentum Æneum, *Minallo*, siue vt illi placet, *Mamillo*, vnde & antiqua gallica dictio forte deriuata, *Mamelue*.

Bacchis his tegmen capitis erat *Mitra*. Sext.Propert.lib.2.eleg.16.

Candida laxatis onerato colla corymbis,
Cinget Bassaridas Lydia mitra comas.

Et eodem habitu, quo ipse Bacchus, induebantur, pellibus scilicet Pantherarum, hinnulorum aliorumque quorundam animalium. Nonnus Panopolitan.lib.14.Dionysiac. vers.356.

Ἄλλη μὲν [illegible] ἐπὶ στέρνοισι [illegible]
Παρδαλίων, ἑτέρη δὲ [illegible] χροῒ [illegible] χιτῶνα,
Στικτὰ φιλοσκοπέλων ἐνεδύσατο δέρματα νεβρῶν.

Alia vero vtrium humerum habens in pectore tegumentum Pantherarum, alia vero supra corpus tanquam tunicam, varias scapulas animantium induit pelles hinnulorum. C. Tacit.lib.15.Annal. *fœminæ pellibus accinctæ assultabant, velut sacrificantes, vel insanientes Bacchæ.* Fest.Auien.in Descript.orb. ter.

Orgia ludentes & Nebride pectora cinctæ
Deduxere choros.

Sidon.Apollinar.Carm.5.

—maculis Erythrææ Nebridos horrens.

Et Carm.11.Idem.

Hic distincta latus maculosa Nebride Thyas.

Vnicum superest de Sileno dicendum, quem concors poëtarum consensus Bacchi educatorem facit, vt disquisiuit Ant.Delrius. Iulianus Cæsar in Cæsaribus suis. Martian. Capella lib.2. *Silenus alumnus, & nutricius Bacchi, senex caluus.* Scholiastes Nicandri in Alexipharmacis, Silenos vult [illegible], *à conniciari*, eosque esse & *Satyros*. Interpretes P. Virgil.ad illud Eclogæ 6.

Silenum pueri somno videre iacentem
Inflatum hesterno venas, vt semper, Iaccho.

Sidon.Apollinar.Carm.22.

Bassaridas, Satyros, Panos, Faunosque docebat
Ludere Silenus, iam numine plenus alumni.

Q.Horat in Arte poëtica, & interpretes.

An custos famulusque Dei Silenus alumni.

L.Seneca Act.2 in choro, Oedipo.

Te senior turpi sequitur Silenus asella,
Turgida pampineis redimitus tempora sertis,
Condita lasciui deducunt orgia mystæ.

Certè enim asello vectabatur Silenus, vt significaretur in turpissimum velut transmigrari animal per ebrietatem. poëtæ passim, & præsertim Ouidius, lib.1.de Arte.

In caput aurito cecidit delapsus asello.

Et lib.4 Metamorph.Fab.1.

—Bacchæ Satyrique sequuntur,
Quique senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet, & pando non fortiter hæret asello.

Aurel.Olymp.Nemesianus.

Tum primus roseo Silenus cymbia musto
Plena senex auidè non æquis viribus hausit,
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Hesternoque grauis semper ridetur Iaccho.

Nicander.Alexipharmac.

ὡς δ' ὁπότ' ἀγριόεντα νέον θλίψαντες ὀπώρην
Σιληνοὶ κεραοῖο Διωνύσοιο τιθῆνοι,

Vertit Ioannes Gorræus.

Ac veluti expressis Sileni agrestibus vuis,
Cornibus insignem qui nutriuere Lyæum.

Hic quidem poëtarum omnium est vnanimis consensus, at quippiam diuersum traditum est à Ioanne Salisburiensi, scriptore graui, erudito, & vt illa ferebant tempora, eloquente, *qui ad Hadrianum pontificem maximum pacis inter Henricum Regem Angliæ & Hibernos futurus author, missus fuit, nec multo post pontificatum Carnotensem obtinuit.* Richardus Stanihurstus Dubliensis de Reb. Hibernic.lib.3.pag.154 quem certum est Epigraphe fidem promissam non implesse, nec exoluisse, vt omittam mendacissimam impudentiam adeo præ se tulisse, vt tam illi historia scribenda, quam boui clitellæ conueniant. Is ergo Saresberiensis Policratici lib.1. cap. 4. *In semiuiri Chironis antro (si Græcis per omnia creditur) est institutus Achilles, Lyræ modis & citharæ & inde in siluas in strage ferarum cædibus & fœdo victui assuescens, reuerentiam naturæ: timoremque mortis abiicit. quid quod Bacchus eundem habuit nutritorem: nempe qui his studiis aut desidiis insistunt, semiferi sunt, & abiecta potiore humanitatis parte, ratione morum pro-*

mantur. De Baccho, non memini me id legere, edoctum eum à Chirone, & non à Sireno, de Achille certum, dum puer esset Chironem audiuisse, grandiorem natu Phœnicem. Q. Aurel Symmach. libro 3. epist. 13. Ælian. lib. 12. var. histor. cap. 25. Aristenætus lib. 2. epist. 5. Claudian. de 3. Hon. consul.

—— Non ocyus hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artem,
Siue lyra cantus, medicas seu disceret herbas.

Liuius Andronicus apud Festum in Ocri.

Haud vt quem Chiro in Pelio docuit Ocri.

Papin. Stat. lib. 2. syl 1. vers. 88.

—— Tenero sic blandus Achilli.
Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron,
Nec senior Peleus natum comitatus in arma
Troica, sed charo Phœnix herebat alumno.

Et de eodem lib. 1. Achilloid. vers. 117. Idem Statius.

—— Nam tunc labor vnus inermi
Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas,
Aut monstrare lyra veteres heroas alumno.

Pindar. Nemeor. od. 3. & Scholiastes

ξανθὸς δ᾽ Ἀχιλεὺς τὰ μὲν μέ-
νων φιλύρας ἐν δόμοις
παῖς ἐὼν, ἄθυρε
μεγάλα ἔργα χερσὶ θαμινά.

Flauus autem Achilles commorans in Philyræ ædibus, puer existens lusitabat magna opera manibus crebrò. P. Ouid. lib. 2. Metamorph. fab. 10.

Semifer interea diuinæ stirpis alumno
Lætus erat.

Et lib. 3. de Ponto eleg. 3.

Præmia nec Chiron ab Achille talia cepit,

Et lib. 1. de Arte.

Phillyrides puerum cythara perfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.

Sidon. Apollinar. Carm. 9. vers. 131.

Quorum hic Peliaco putatur antro,
Venatu, fidibus, palæstra, & herbis,
Sub Saturnigena sene institutus.

Cæsar Germanicus in Phænomenis Arati.

Hic erit ille pius Chiron iustissimus omnes
Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.

Denique, (vt ad Bacchum redeam) ei tempore tantum diluuii hostiæ immolabantur. Clidemo auctore apud Suidam in voce ὕης. Meminit vetus lapis.

LIBERO. PATRI. SANCTO. SACRVM. SCELIVS. PRIMITIVVS. ET. PVBLICIA. ANTILLA. VOTO. SVSCEPTO. D.D.

Cur plures illi appositæ nutrices disquirit Plutarchus Symposiac. lib. 3. cap. 9. Nam Orpheus in hymno eius, Hippem nutricem memorat, Eustach. Coronidem, Ino Pausan. in Lacon. adi. ad Antholog. lib. 2. cap. 20.

PARALIPOMENA.

De Cerere, eius sacris, raptu filiæ, facibus, taciturnitate, frugum inuentione.

IVl. Firmic. Matern. lib. de Errore profanar. religion. *sequitur hanc sacri* (Liberi patris) *contagionem, & imitatur ordinem funeris, à Cerere Hennensi muliere, mors filiæ consecrata, nam quicquid in Creta pater ob filium fecerat, hoc totum Ceres apud Hennam, amissa filia, impatientia materni doloris instituit.* narrat deinde luculentis verbis historicam rei seriem, quam vide, & lege vbique *Enna*, non *Henna*, & *Ennensis* vt infra dicam. Lacus prope quem illa à Dite rapta fingitur, illi est *Percus*, Claudiano lib. de Raptu *Pergus* vocatur, & mira vtriusque quadrat descriptio.

Nec procul inde latus, Pergum dixere Sicani,
Panditur, & nemorum frondoso margine cinctus
Vicinis pallescit aquis

Et quia omnium instar vnus mihi Claudianus, celebriora in illo opere sigillatim illustrabo. ac primum affectum Cereris in Proserpinam filiam immodicum exprimens, vaccæ illam comparauit lib. 1. de Raptu.

Hanc fonti, hanc sequitur, vitulum non blandius ambit
Torua parens.

Expressum indubie ex Euripide in Hecuba vers. 204. vbi sic Polyxena matrem alloquitur.

σκύμνον γάρ μ' ὥς τ' οὐριθρέπταν
μόσχον δειλαία δειλαίαν
εἰσόψει χειρὸς ἀναρπαστὰν
σᾶς, λαιμότομόν τ' Ἀΐδᾳ
γᾶς ὑποπεμπομέναν σκότον.

Vertit Guil. Canterius, *Catulam enim me veluti aut montipastam vitulam misera miseram videbis manu abreptam tua, decollatámque Plutoni terræ missam sub tenebras.* Eundem materni doloris amorem in orbata matre filiam raptam quærentis illustrat comparatione à Tigride desumpto, lib. 3. de Raptu.

Arduus Hircana quatitur sic matre Niphates,
Cuius Achæmenio regi ludibria natos

Auexit

Auexit tremebundus eques, furit illa marito
Mobilior Zephyro, totámque virentibus iram
Dispersit maculis, nimiúmq; haustura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.

Quo loco pulcherrimè summi amoris stimulos, furori & truculentiæ Tigridis, abreptos fœtus persequentis coniunxit, talis enim est eius animalis natura. D. Ambros. Hexamer. lib.6.cap.4. C.Iul.Solin. Polyhist. cap.21. *pedum motum nescio velocitas, an pernicacia magis adiuuet, nihil tam longum est, quod non breui penetrent, nihil adeo antecedit, quod non illico assequantur: at maximè potentia earum probatur, cum maternis curis incitantur, cum catulorum insistunt raptoribus, succedant sibi equites licet, & astu quantolibet amoliri prædam velint, nisi in præsidio maria fuerint, frustra est ausum omne.* quæ ille ex C. Plinio transcripsit, qui lib.8.nat.hist.cap.18 *totus eius fœtus ab insidiante rapitur equo, quam maximè pernici, atque in recentem subinde transfertur, at vbi vacuum cubile reperit fœta (maribus enim sobolis non est cura) fertur præceps odore vestigans.* allusere & poetæ, ipse Claudianus lib. 1. in Ruffinum.

Aut hircana premens raptorem bellua partus.

M. Martial.lib.3.epigr.44.

Non tigris catulis citata raptis.

Et lib.8.epigr.26.

Non tot in Eois timuit Gangeticus aruis
Raptor in Hircano qui fugit albus equo.

Magnus Felix Ennodius Ticinensis lib.1. carm.9.

Caspia non aliter cum Tigris sæta Niphatem
Circuit, aut catulos rapiendi formas ad vsus,
Ardet in absentes, sæuis mortalia mandit
Membra animis, hominémque necem petit ore cruento.

Sil.Italic.lib.11.Punicor.

Haud secus amisso tigris si concita fœtu
Emicat, attonitæ pauent lustrantur in horis
Caucasus, & saltu transmittitur alite Ganges:
Donec fulmineo partus vestigia cursu
Colligit, & rabiem prenso consumit in hoste.

Pet. Apollon. Collat. de Excid. Hierosolymit. lib.3.

Perdiuit; quantum lustris Hircana peractis
Dum redit, & raptos tigris circumspicit antro
Audaci furto catulos, furibundaque cautum
Insequitur raptorem, & peruolat ocyus Euro.

Valer.Flacc.Argonautic.lib.1.

——Haud aliter saltus vastataque peruyx
Venator cum lustra fugit, dominoque timentem
Vrget equum, teneras complexus pectore tigres,
Quas astu rapuit pauido dum sæua relictis
Mater in aduerso catulis venatur Amano.

Amorem & affectum in prolem habes apud Oppianum Cilicem lib.3.Cyneget.vers.96.

——φίλην ἀγάσαντο γενέθλην.
Ἠδ λύκοι λύγκες τε, περίγληνοί τε λέοντες
Παρδάλιες τ' ὀλοαὶ καὶ τίγριες λαιψηρόταται.

Charam amant sobolem, & perspicaces lynces, & oculis flammantes leones, pantheræque exitiosæ, & tigrides rapidæ. tanta hæc Tigridis velocitas etiam in Cerere expressa est apud poetam, & inualuit opinio concipere ex vento tigrides, historicos citare nihil necesse est. Idem Oppian.Cyneg.lib.1.vers.322.

τίγριες ὡς θοαί, κραιπνοῦ Ζεφύροιο γένεθλαι.
Tigrides vt veloces, pernicis Zephyri soboles.

Et lib.3.Cyneg.vers.354.

αὐτῷ γάρ τε θέειν ἰκέλη Ζεφύρῳ γενετῆρι.
Ipsi enim cursu similis Zephyro genitori.

Vt bene Claudianus antea dixerit, *marito mobilior Zephyro.* Cælius Symposius Ænigmate 38.

A fluuio dicor, fluuius vel dicitur ex me,
Iunctaque sum vento, vento velocior ipso,
Et mihi dat ventus natos, nec quæro maritum.

Ad Cererem redeo, quæ cum abesset, per dolum educta extra limen domus filia rapta est à Plutone, at à Iulio Scaligero poetices lib.6. cap.5. reprehenditur. *ad sollicitandum Proserpinæ fatum in futuras nuptias, iussu Iouis agit in Siciliam Venerem: sane recte, Palladem addiscam non recte, Dianam vero etiam ridicule, vtrámque virginem, hanc etiam virginitatis vindicem.* Ego contrà puto summo id ingenio ab eo factitatum, vt rudes & puellares animi, aliarum virginum comitatu facilius deciperentur, neue dolos Veneris malignæ rapienda persentisceret, clarè Cyane ad Cererem libro 3. de Raptu,

——Suspectaque nobis.
Ne foret hinc Phœben comites, hinc Pallada iunxit.

Et habet ab aliis patrocinium nam *vlulatum & strepitum aliarum puellarum, dum Proserpina reperitur*, commemorat Firmicus loco citato; & D. Ausonius coætaneus Claudiano, Epist.5.

si nil apud inferos gustauisset, illa autem iam punici mali grana in Elysio gustauerat, quam rem Ascalaphus Stygis filius prodidit, vnde Proserpina ad superos remeare non potuit. Sane Ceres à Ioue meruisse postea dicitur, vt Proserpina sex esset cum matre mensibus, sex cum marito. Et hoc raptu sequutum est beneficium frugum inuentarum: nam antea homines solis vescebantur glandibus. Claudian. lib. 1. de Raptu.

——Et glande relicta
Cesserit inuentis Dodonia quercus aristis.

Et lib. 3 de Raptu.

——Si frangunt communia pabula glandes.

Scio multis hoc proditum; sed tamen celebriores authores aduocabo Microb. lib. 2. in som. Scipion. cap. 10. A. Gell. lib. 5. cap 6. L. Apul. lib. 1. Milesiar. in principio, *siue tu Ceres alma frugum parens originalis quæ reperta lætata filiæ, vetustiæ glandis ferino remoto pabulo, miti commonstrato cibo, Eleusinam glebam percolis.* Fur. Pub. Fulgent. lib. 1. Mytholog. in præfatione. *quidam sunt, qui spreta capitis generositate, Atticam atque Arcadicos sensibus, glandium quippiam sapiunt.* vet. scholiast. Iuuenal. ad vers 57. sat. 13 *diuitiæ autem in fragis & in glande taxabantur.* & ad vers 184. Sat. 14 *quia ante homines fraga & glandes comedebant.* Arnob. lib. 2. cont. gent. *si panis ex farre, aut vt se vita imitemur antiqua, ex calido cinere glandes.* C. Plin. lib. 7. Nat. histor. cap 56. *Inuenit* Ceres *frumenta cum antea glande vescerentur.* Et in præfat. ad lib. 12. *primùmque munus homini datum, arbores, syluæque intelligebantur, hinc primum alimentum.* Iul. Pollux l. 6. cap. 7. βαλανοφάγοι, βαλανηφαγεῖν, *glandium comestores, glandes comedere.* hinc poetæ Ouid. lib 3. Amor. eleg. 9. Virgil. lib. 1. Georg. in princ. & Seru. ibid, Tibul. lib. 2. eleg. 3. Horat. lib. 1. Sat. 3. Iuuenal. Sat 6. in principio.

Et sæpe horridior glandem ructante marito.

T. Lucret lib. 5.

Glandiferas inter curabant corpora quercus.

Sulpitia poëtria in Satyra sua.

Non aliter quàm cum primo surreximus æuo,
Glandibus & pura rursus procumbere lymphæ.

Valer. Flacc. lib. 1. Argonaut.

——Flaua quercum damnauit arista,

Fest. Auien. descript. orb. terræ.

Coniugibus natisque simul cibus aspera glande.

D. Auson. in Monosyll.

Olim communis homini cibus & pecori glans.

Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmach.

Ilignis melius saturatur glandibus aluus.

Quod non Romanæ tantũ consuetudinis, sed & Græcæ fuit, nam apud Athenienses in nuptiis puer canistrum præferebat pane pleuum, clamat atq; ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, *fugi malum, inueni melius.* sed & antiquiores Atheniensibus. Arcades non alios, quàm glandes cibos habebant, vnde & in notam antiquitatis suæ appellantur βαλανηφάγοι *glandiuori* Cæl. Rhodig. lib. 16. Antiqu. lect. cap. 3. Iul. Pollux lib. 1. cap. 12. Num. 9. δρῦς πολλὰ δ' αἱ εἰσιν ἀμφίβολ@ περὶ τὸ ἱερὸν διὰ τοὺς βαλανηφάγους Ἀρκάδας, καὶ μάλιστα, εἰ περὶ πρῶτον τοὺς ἀνθρώπους θρέψειεν βάλαν@. *quercus. dubium autem mox erit, an frugifera habeatur, propter glandiuoros Arcades, & maximè quod homines ante frumenti vsum, glande pascebantur.* Ælian. var. histor. lib. 3. cap. 39. ἐπὶ βαλάνους Ἀρκάδες, Ἀργεῖοι δ' ἀπίους, Ἀθηναῖοι δὲ σῦκα, Τιρύνθιοι ἀχράδας δίαιταν εἶχον. *Arcades glandes, Argiui pyra, Athenienses ficus, Tirynthii syluestria pyra comedebant.* Artemidor. Daldian. lib. 2. Oneirocrit. cap. 25. δρῦς ἄνδρας σημαίνει πλουσίους, διὰ τὸ τρέφειν, ταύτης γὰρ τὸν καρπὸν ἤσθιον οἱ Ἀρκάδες, καὶ ὁ Ἀρχαῖ@ φησίν.

Ἀρκάδες ἐστὲ βαλανηφάγοι.

Quercus viros significat opulentos, ob alimentum, huius enim fructum comedebant Arcades, & Archaeus inquit, Arcades sunt glandiuori. huc pertinet oraculum illud vetustissimum, quod extat apud Herodotum lib. 1. pag. 28.

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς, μέγα μ' αἰτεῖς, οὔ τοι δώσω,
Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν.

Vertit valla.

Me petis Arcadiam? multum petis, haud tibi tradam,
Multi apud Arcadiam vescentes glande viri sunt.

Vnde in Xuiralibus tabulis cautum, vt *glandem in alienum fundum procidentem colligere liceret,* inquit Plinius lib. 16. cap. 5. Reuardus ex illo in legg. 12. Tabular. cap. 26. Ludou. Charondas ad easdem leges ca. 73. Theodor. Marcellus in easdem ca. 51. hinc puto deriuatum, vt *glans* pro *quolibet fructu* vsurpetur, nam *glandes palmarum* apud Suidam in voce βάλανοι, vbi ait *selectas quasdam glandes dominorum fuisse, alias in seruorum vsus expositas, ex iisque & vinum factum. & Cerrus glandifera arbor* apud Moderatum Columellam lib. 8. c. 17. & disertè Vlpianus IC. definit glandis nomine omnes fructus intelligi. l. vn. ff *de verbor significat.* vt mihi sit mirum, in tanto antiquitatis consensu Homerum siluisse, qui glandibus pinguiores fieri sues lib 13. Odyss. scripsit, de hominibus toto opere silet, quod non fecisset puto, si suo sæculo vllus glandium vsus mortalibus fuisset cognitus.

Cereris quidem id beneficium, sed Triptolemi opera frugum satio gentibus cognita,

is & *Celeus pater* Græcis dictus. Aristoph. Acharnensib. Act. 1. sc. 2. Martian. Capella libro 2. de Nupt. Merc. & Philolog. *qui primi mortalibus vsum rerum, maioraque commoda præstiterunt, vt vitem Dionysius apud Thebas, Osyris apud Ægyptios haustum vini, vsumque comperiens, frumentum Isis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuêre, eadémque Isis lini vsum, sementémque monstrauit.* Narrat fusè C. Iulius Hyginus Fabular cap 147. & obiter eodem opere cap. 259. *Lynceus rex Siciliæ fuit, qui missum à Cerere Triptolemum, vt hominibus frumentum monstraret, susceptum hospitio, interimere cogitauit.* Et cap. 277. *Ceres fruges serere, boues domare, & alumno suo Triptolemo fruges serere commonstrauit.* eleganter Freculphus Lexouiensis Chron. Tom. 1. lib. 2. cap. 12 *his temporibus* (Pelopis regis) *Triptolemus, quem Philochorus ait, longa naui ad vrbes accedentem, distribuisse frumenta, & ob id dedisse suspiciones, quod nauis eius serpens pennatus fuerit, siue vt alij fingunt, quod iubente Cerere anguibus portatus alitibus, indigentibus terris frumenta volando contulerit.* lege, *Triptolemus*, & est auctor optimus fœdè in nominibus propriis sæpe corruptus, quòd in annum mundi 3797. reiicit Ado Viennensis Chron. pag. 27. *his temporibus fabulæ fictæ sunt de Triptolemo, quod iubente Cerere serpentium pennis gestatus, indigentibus frumenta volando distribuit.* Dionys. Halicar. li. 1. hist. Rom. pene in limine. Et curiosè Hubertus Velleius & Fr. Laziardus in histor. vniuersal. Epitoma cap. 21. *Triptolemus agriculturam ampliasse, & quadrigas iunxisse dicitur. Ceres etiam, præter instrumenta arandi, mensuras inuenit, cùm prius per aceruos triticum numeraretur.* Lutat. Placid. ad vers. 658. lib. 4. Thebaid. *Cùm Triptolemus beneficio Cereris fruges per omnes spargeret gentes*, & ad lib. 12. vers. 629 *Ceres à Dite filiam raptam dum quæris, hospitio regis Eleusi fertur fuisse suscepta, cuius filium Triptolemum pro beneficij gratia sustulit nutriendum, cui agriculturam & inueniendi frumenti artificium Ceres ostendit.* Ipse Stat. præter loca citata lib. 4. syl. 2.

— Æthereî fœlix sic orbita fluxit
Triptolemi.

Sidon. Apollinar. Carm. 9. vers. 180.

Non cum Triptolemo verendam Eleusin,
Quis primas populis debere aristas,
Pastis Chaonium per ilicetum.

D. Auson. Epist. 22.

Triptolemum olim siue Meden quem vocant,
Aut Tullianum Buzigen.

Nonnu, Panopolita. lib. 19. vers. 84.

τριπτόλεμος ἀνέγει ἔτι σταχύων πτερόεντα
Triptolemus segetem inuenit spiciferis in curribus.

Claudian. lib. 1. de Raptu in limine.

Angues Triptolemi strident, & squamea curuis
Colla leuant attrita iugis.

Quem versum, nescio, cur insana critices prurigine, in deteriorem, & minus numerosum mutare voluerit Scaliger senior hoc modo.

Triptolemi strident angues.

L. Sen. in Hippolyto Act. 3. sc. 1.

Iam quarta Eleusis dona Triptolemi secat.

Valer. Flacc. 1. Argonaut.

— Aut curru saeuos frænasse dracones
Triptolemi, ignarus Cereris qui vomere terras
Imbuit.

Martian Capella lib. 2.

Atthys pulcher item, curui & puer almus aratri.

In memoriam accepti huius beneficij, decreto totius populi Atheniensis, in honorem Cereris instituta sunt sacra quæ *Thesmophoria* dicebantur vt infra probabo, & à patre Triptolemi *Eleusio Eleusina*, præter laudatos scriptores, narrat Lactant. Placid. ad vers. 383. lib. 2. Thebaid. Statianæ Strabo lib. 15. Geographiæ. noctu celebrabantur.

Crinagoras lib. 1. Antholog. cap. 28. epig. 3.

Δήμητρος μεγάλας νύκτας ἴδῃς ἱερῶν.
Cereris magnas noctes videas sacrorum,

Stat. lib. 7. Thebaid. vers. 412.

Et non assuetis pernox vlulauit Eleusis
Mensibus.

Et lib. 12. Thebaid. vers. 132.

Noctiuaga ímque gregem, quamuis sibi luget, Eleusis
Fleuit, & arcanos errantibus extulit ignes.

Arcani ignes sunt faces, quæ in Thesmophoriis accensæ, gestabantur, exemplo Cereris, quæ sub noctem quærendæ filiæ laborem exorsa est. Claudian. lib. 3. de Raptu.

Noctiuago tædas inflammatura labori.

Apollodor Athenienf. bibliothec. li. 3. Δήμητρα δὲ μετὰ λαμπάδων νυκτός τε καὶ ἡμέρας κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν ζητοῦσα περιῄει. *Ceres accensis facibus, noctésque & dies vniuersum terrarum orbem lustrauit vestigando* L. Sen. Herc. Fur. Act. 3. in Choro.

Libra Phœbeos tenet æqua curruus,
Turba sacratam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare mystæ.

Ideo & faces adhibitæ. Claudian. li. 1. de Raptu in principio.

— Templúmque remugit
Cecropidum, sanctasq; faces attollit Eleusis.

Quod vsq; adeo verum est, vt Ceres semper

cum

cum face accensa visebatur, seu locata, seu picta. Martian. lib.2. de Nupt. *in eo sistra Nilotica, Eleusináque lampas, arcúsque Dictynnæ, tympanáque Cybeleia videbantur.* & Dianæ Segestanæ simulachrum dextra manu facem præferebat, tanquam materni laboris & sollitudinis argumentum. M. Tull. 6. Verrina. Aur. Prudent. in Romano Martyre.

Facem recinctæ veste prætendit Ceres.

Lactant. Firmian. lib.1. cap.21. *quia facibus ex Aetnæ vertice accensis Proserpinam Ceres quæsisse in Sicilia dicitur, idcirco sacra eius ardentium tædarum iactatione celebrantur.* Cum istis faculis luto & furfure obliti currebant, obseruat Brodæus. vet. Scholiast. Iuuenal. Sat.15. vers. 141. egregium ritum tradit, nam vnaquæque non gestabat facem, sed currentes sibi mutuo tradebant, *face arcana dignus sacerdotij, ac per hoc iussus, arcana, imbutum sacris dicit pontificem, aut arcana dicit mystica, cùm in templo Cereris sibi inuicem facem cursores tradunt.* quod fiebat hac potissimum ratione vnus ab ara facem accensam manu comprehendebat, & ad certum in templo locum currebat, quò cùm peruenisset alteri successuro & cursuro eandem tradebat. Georgius Alexandrinus ex M. Varrone in Re Rustica notauit antiquè dictum *Tibe trado*, id est *tibi*. Quod nolim de Cereris sacris tantùm intelligi, nam Athenienses *tria festa agebant lampadis Panathenais, Vulcanalibus, Prometheis:* & primus quidem lampadis in sacrificiis vsus Vulcano tribuitur, quod *is ignis vsum primus reperisset*, & mortalibus ostendisset, vt scribit Ister apud Suidam in voce λαμπάδος. Communior tamen est & receptior consuetudo, in Cereris mysteriis faces gestari solere, vnde poëtæ. P. Ouid. epist. 2. Phyllid. ad Demoph.

Et per tædiferæ mystica sacra deæ.

Et lib.3. Fastor.

Quos cum tædifera nunc habet illa dea.

D. Iuuenal. Sat.2. vers.90.

Talia secreta coluerunt orgia tæda
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotyton.

L. Sen. Agamem. Act.2. in Choro.

Tibi votiuam matres Graiæ
Lampada iactant.

Et in Herc. Furente.

Longas Eleusi tacita iactabo faces.

Et in Hippol. Act.1. sc.2.

Iactare tacitis conscias sacris faces.

Scholiastes Apollonij Rhodij citat Bacchylidis lyrici versum hunc.

ἑκάτα δᾳδοφόρε Νυκτὸς μεγαλοκόλπου θύγατερ

Hecate tædifera noctis magnum habentis sinum filia.

Inde δᾳδουχία, *facis gestatio*, solennis in Thesmophoriis, & ἱεροφάνται δᾳδοῦχοι, *doctores sacrorum, faciferi*, in sacris recepta sunt vocabula. Iul. Poll. lib.1. cap.1. Onomast. Nu.31. & Callias Cereris sacerdos δᾳδοῦχος, *tædæ gestator*, appellatur à Plutarcho in Aristide in principio. & facis istius non in sacrorum annua celebratione tantùm, sed & in omnium sacerdotum initiationibus, testis Heliodor. lib. 9. pag.424. Iuuenal. Sat.15. pulchrè, vt semper,

Quis enim bonus & face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos.

Stat. lib.4. syl.8.

Túque Actæa Ceres cursu cui semper anhelo,
Votiuam taciti quassamus lampada mystæ.

Et lib.2. Thebaid. in fine.

Actæas tibi rite faces, & ab arbore casta
Nectent purpureas niueo discrimine vittas.

Vitium autem in editionem Georgij Cedreni irrepsit: nam in histor. Compendio pag. 139. à Xylandro, *Daduchus*, pro *Cleduchus* versum est.

In his sacris perpetua taciturnitas obseruabatur, ideo Papinius paulo antea laudatus, *tacitos mystas* dixit, ad quorum ritum & Cereales ludi instituti, vt expediam infra libr. 5. cap.14. C. Sueton. in Augusto cap.93. *Athenis initiatus cum postea Romæ pro Tribunali de priuilegio sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret, & quædam secretiora proponerentur, dimisso concilio, & corona circumstantium, solus audit disceptantes.* L. Sen. lib.7. Nat. quæst. cap.31. *non semel quædam sacra traduntur, Eleusis seruat, quod ostendat reuisentibus, rerum natura sacra sua non semel tradit initiatos nos credimus, in vestibulo eius hæremus, illa arcana non promiscuè nec omnibus patent, reducta & in interiore sacrario clausa sunt.* Mysteria ob id dicta ἀπὸ τοῦ μύειν, quod est *os claudere*, erantque duplicia: *parua*, quæ Proserpinæ filiæ, Plut. in Demetrio. Tatian. Orat. cont. gent. *magna* quæ in honorem ipsius Cereris instituta. Scholiast. Aristophanis in Pluto Act.4. sc.2. addit Gerardus, *parua sacra* fuisse veluti προκάθαρσιν, καὶ προάγνευσιν, *lustrationem.* at in magnis sacris qui initiari volebat, moris fuit, vt quam vestem quis eo tempore gestaret quo initiaretur, non prius eam exueret, quam longo vsu detrita, gestari amplius non posset: nam cum ferebatur in templum dicanda illi deo, cuius religionis candidatus esset, qui sacrandam offerebat. Ipse Aristophanes loco laudato.

μὴ οὖν ποτ᾽ ἐμυήθης δῆτ᾽ ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;

Vertit Nicodemus Frischlinus.

Nunquam hac ea vestis est, qua tu magnis sacris

Initiatus est?
Helenius Acron Interpres Horatij ad lib. 3. od. 2. *sacra Cereris mystica erant, nec vulgari fiebant, propter hoc quod consiliis occulte dea usa est, donec filiam reperiret.* ipse Horat.
—Quis Cereris sacrum
Vulgarit arcanum.
Lactant. Firmian. lib 2. diuinar. Institut. ca. 4. *vnum libet commemorare de Cerere Catanensi vel Ennensi, quarum alterius tanta fuit religio, vt adire templi eius secreta penetralia viris nefas esset, alterius antiquitas tanta, vt omnes historiæ loquantur.* idem alibi lib. 5. rationem reddit, *ea scilicet à callidis hominibus instituta, vt populus, quid coleret, ignoraret.* D. Auson. epist. 24.
At tu iuratis velut alta silentia sacris
Deuotus teneas perstas in lege tacendi.
P. Ouid. lib. 1. de Arte.
Tectaque sint solita mystica sacra fide.
Et lib. 2. de Arte.
Quis Cereris ritus audet vulgare profanis,
Magnaque Threicia sacra reperta Samo?
Moschus Eidyllio 3. vers. 75. δὴιάς ἡμιμπ bene velata Ceres. *Licmæa Ceres* etiam dicta à ventilabro, cum quo depingebatur. Suid. in voce λικμαία.
Eleusina, & *Attica*, & *Actæa*, à locorum numinibus, vt supra dictum est.
Profunda, Ian. Parthas. epist. 55.
Flaua, a colore frugum iā maturescentium.
Panda, & *Panica*, Lud. Carrio in Antiquis lectionibus docuit, quem adi.
Mammosa, quod grandib. & protensis mammis depingeretur. Arnob. lib. 5. cont. gent. & lib. 3 *aut animus, atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque in palatiis cæli, deos deasque conspicere intectis corporibus, atque nudis, ab Iaccho Cererem (Musa vt prædicat Lucretij) mammosam.* locus autem quem ex Lucretio laudat. lib. 4. de Rer. Nat. extat.
At gemina, & Mammosa Ceres, est ipsa ab Iaccho.

Sic enim emendat Dionys. Lambinus, cum antea legeretur in aliis editionibus, nec sensu, nec lege metri constante.
At iamina & mammo sacer est ipsa ab Iaccho.
Alumna, quod frugum beneficio alantur homines, Ceres autem nihil aliud quàm frumentum. Martian. Capella lib. 1. siue, vt alij volunt, quòd terra omnes nutriat. Orpheus in hymnis.
Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ παντοδότειρα.
Terra mater omnium, Ceres cuncta subministrans.
Aut carminis ad Messalam
—Communis alumna.
Omnibus iniecta tellus cumulauit arena.
Sancta Ceres, Claudian. lib. 2. de Raptu.
Si tu sancta Ceres & te non Caspia tigris
Edidit heu fuluas animo transgressa leones.
Legendum est, nam Proserpina loquitur.
—Et me Caspia tigris
Edidit.
Quam correctionem debeo Flauio coniectaneor. ca. 9. & ille MS. at ego priorem versum sic legi posse censeo ex MS.
Si tu nota Ceres.
Hoc est, si leuitas indulgentiáque materna mihi hactenus probata fuit, & innotuit. vel sic melius.
Si tu salua Ceres.
Id est, si mecum non ipsa periisti.
Legifera denique Seru. Honorat. ad lib. 4. Æneid. vers. 57. *leges Ceres dicitur non inuenisse, nam & sacra ipsius Thesmophoria, id est legum latio, vocantur, sed hoc ideò fingitur, quia ante inuentum frumentum à Cerere passim homines sine lege vagabantur, quia feritas interrupta est, postquam ex agrorum discretione nata sunt iura: Thesmophoria autem vocantur legumlatio, an quia in æde Cereris in ære incisæ fuerunt leges.* Clemens Alexandrin. in Protrept. Arnob lib. 5. cont. gent. *velitis consideremus, & illa diuina, quæ Thesmophoria nominantur à Græcis, quibus gente ab Attica, sancta illa peruigilia consecrata sunt, & pannychysmi graues?* Herodot. lib. 2. [illegible] *de Cereris quoque initiatione, quam Græci Thesmophoria vocant, absit vt eloquar, nisi quatenus sanctum est, de illa dicere.* Plutarchus lib. aduersus Colotem Δήμητρα θεσμοφόρον, *Cererem legiferam* appellat. & inter recentiores adi ad Lilium Gyraldum syntag. deor. gentil. 14. VVolfgang. Lazium lib. 11. Comment. Reip. Rom. cap 7. Baptist. Pium. Annotat. posterior. cap. 9. Callimach. in Hymno eius.
[illegible]
Vt vrbibus placidas leges daret.

Virgil. lib. 4 Æneid.
Legiferæ Cereri.

Caluus antiquus poëta de Cerere.
Et leges sanctas docuit, & chara iugauit
Corpora coniugis, & magnas condidit urbes.

Capvt XII.

De Vulcano & Vesta.

VVLCANVM etiam & VESTAM, vtpote duos ignes, veteres coniunxerunt, de quibus hoc capite nonnihil dicemus.

VVLCANVS, vt Seruius docet, quasi Volicanus dictus est, quod per aërem volet. Varro autem eum à maiore ignis vi & violentia nomen hoc accepisse tradit. Quis hic Deus fuerit, non liquidò constat: variant enim inter se scriptores veteres. Cicero lib. 3. de Natura Deorum, plures à veteribus Vulcanos proditos fuisse affirmat, ex quibus quatuor ipse recenset. Primus, inquit, Cœlo natus, ex quo & Minerua Apollinem, cum cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt. Secundus Nilo natus, Opas, vt Ægyptij appellant, quem custodem esse Ægypti volunt. Tertius ex tertio Ioue & Iunone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse. Quartus Mænalio natus, qui tenuit insulas prope Siciliam, quæ Vulcaniæ appellantur. Horum ille, qui Iouis & Iunonis filius fuisse à Cicerone traditur, is fortasse est, qui vsque adeò cultus ab antiquis est. Hesiodus & Lucianus scribunt, eum à sola Iunone citrà virilem congressum editum admodum fortunatum: claudum etiam ex ruina, cùm præceps à Ioue datus esset è cœlo, vbi periturus fuisset, nisi à Lemniis pro sua bonitate, dum adhuc in aëre ferretur, fuisset susceptus. Hic ignis inuentor fuisse ab Ægyptiis proditur. Diodoro teste, fabrorúmque fornacis auctor, quia sine igne nullum metalli genus fundi extendíque posset. Isidorus. Eusebius libro de Præparatione Euangelica scribit: Ignis virtutem Volcanum appellatam, & in forma hominis ei simulachrum constitutum, in cuius capite pileus esset cæruleus, cœlestis symbolum volutionis, vbi integer syncerúsque ignis inuenitur: nam qui è cœlo in terram delapsus est, cùm imbecillior sit, materiaque indigeat, claudicans fingitur. Venus ei vxor fuit, quam tamen Cincius Maiam, Piso Maiestam appellatam dicit. Templum Vulcano Romæ vouisse Titum Tatium Varro & Dionysius Halicarnassæus lib. 2. scribunt. Plutarchus in Quæstionibus, siue causis Romanis, quæstione 47. prodit, ipsum Romulum Vulcani fanum ædificasse extra Vrbem, & causas eius rei inquirens, dicit fecisse id Romulum, vel quòd cum Martis filius existimaretur, propter fabulosam illam Vulcani aduersus Martem Veneris causa simultatem, Vulcanum in eadem vrbe, eodémque cum Marte domicilio esse noluerit: vel quòd in hoc templum illud à Romulo conditum sit, vt ibi vnà cum Tatio collega curiam haberet, in qua de rebus arcanis cum Senatu absque interuentoribus quietè possent consultare: vel denique cùm Romæ ab incendiis statim à primis temporibus multum periculi esset, colendum quidem Deum igni præfectum: sed extra vrbem locum ei assignandum Romulus statuerit. In hoc templum Romulus cum reliquis spoliis ex Cameria quadriiugum æreum currum deportauit, & statuit, suique statuam ex victoria coronatam locauit. Auctor in vita eius Plutarchus. Augustinus passim Vulcani meminit, de Ciuitate Dei, quod ei templum à Tatio votum sit: & lib. 7. ca. 16. ignem mundi leuiorem Vestæ esse, violentiorem Vulcani: vbi Viues ex Phurnuto addit, Vulcanum esse ignem hunc crassum, quo passim vtimur. Ille enim subtilior Iupiter est, & idem Prudentius:

—Ipse ignis nostrum qui seruit ad vsum,
Vulcanus perhibetur: & in virtute suprema
Finditur, ac delubra Deus, & nomine & ore
Assimulatus habet: nec non regnare caminis
Fertur: & Æoliæ summus faber esse, vel Ætnæ.

VESTA.

Vnde Vesta nomen acceperit, inter scriptores non conuenit: Ouidius enim à vi stando deriuat, cùm scribit:

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

Alii à vestiendo, quòd terra variis tum herbis, tum plantis, cæterisque vestiatur. Cicero Vestæ nomen à Græcis esse vult: Ea enim, inquit, est, quæ ab illis ἑστία dicitur: vis autē eius omnis ad aras & focos pertinet. Libro de diuinationum generibus ait, Vestæ & item ἑστίας nomen nihil significare, neq; Latinorum, neque Græcorū lingua, sed vtramq; vocem Latinam, & Græcam Hebrææ originis esse, & quidem compositam ex Eschia, quòd ignem Dei significat: vnde etiam probat hanc colendi ignis consuetudinem defluxisse à Patribus, & remansisse inter Ethnicos cum tenui vmbra deprauatorum rituum. Fuit Vesta, vt Diod. Siculus & Apollodorus volunt, Saturni filia: vt vero Q. Fabius Pictor, Iani vxor, cui etiam adstipulatur Berosus ille, de quo tamen eruditi non sine causa dubitant, qui eam Noæ, qui Ianus dictus est, fuisse vxorem scribunt, cuius proprium nomen cùm fuerit Tidea, Aretiam, id est, terram. & Estam, id est, ignem, post mortem eam cognominatam esse, quia fuisset Regina sacrorum, & puellas docuisset sempiternum ignem sacrorum inextinctum seruare.

Simulachrum eius varium fuit. Pingebabatur nonnunquam forma mulieris sedentis, & gestantis tympanum, quòd terra ventos in se contineat: interdum aliter, vt ostendit hic, quem adieci, nummus. Fuit Vesta diu ante Romam conditam culta in Italia, maximè à Tyrrhenis, teste Myrsilo Lesbio, qui eam Tyrrhenorum lingua *Labith Horchiam* appellatam esse dicit, quam appellationem etiam auctore Herodoto apud Scythas habuit.

Macrobius eam vnam ex Diis Samothracibus, siue Penatibus, vel saltem eorum comitem esse vult. Huic ignis sacer est, & à virginibus, quæ ob hoc Vestales dicuntur, custoditur, de quibus alibi, tandem etiam à Romanis culta fuit. Alii ab Romulo putant ei templum primum conditum fuisse: alij ab Numa, quod lib. 2. vehementer Dionys. probare nititur: qui tamen paulò ante scribit, & cum eo Terentius Varro, Titum Tatium receptum à Romulo in regni societatem, tum aliis Diis, tum Vestæ etiam templum condidisse, Onuphrius Panuinius in descriptione XIV. regionum Vrbis meminit templi Vestæ, ædis, & ędiculæ, cuius sicut etiam templi meminit Sextus Ruffus, & P. Victor.

Templum VESTAE extruxit Numa Pompilius de quo sic Plutarchus: Traditur Numam custodiæ causa perenni igne Vestę templũ circumdedisse: quod rotundum ab eo extructum est, non vt terræ (quasi ea Vesta esset) sed vt vniuersi figuram exprimeret, in cuius medio ignem collocatum Pythagoræi censent, eámque Vestã & Vnitatem appellant. Festus Rotundam ædem Vestæ Numa Pompilius Rex Romanorum consecrasse videtur, quod eandem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit, eámque pilæ forma esse, vt sui simili templo Dea coleretur. In hac æde præter ignem Vestæ alia quoque sacra asseruata fuisse à quibusdam traditur, qua de re Dionysii & Plutarchi verba adscribam: Dionysius lib. 2. ita scribit. Alii tradunt præter ignem occulta quædam sacra in Deæ fano esse deposita, solis ęditujs cognita, & virginibus: addúntque argumentum non leue ex eius incendio, quod accidit, quando primùm Romani cum Pœnis bello conflictabantur, propter Siciliam: tunc enim Virginibus metu diffugientibus ædituorũ vnus L. Cæcilius Metellus vir Consularis, is qui deuictis in Sicilia Carthaginensibus in celebri illo triumpho CXXX. elephantos traduxerat, posthabito publicæ vtilitati priuato periculo irrupit in ardẽs penetrale, sacráque à virginibus deserta è flãmis eripuit: quamobrem honores maximos à ciuitate grata est promeritus, sicut ex elogio patet, quod adscriptum est eius statuæ in Capitolio. Ex hac confessa re nectũt coniecturas proprias: quidam dicunt hic seruari partem sacrorum Samothraciæ, quæ quondam ex hac insula Dardanus in Vrbem à se conditam deportauerat: eáq; capta Æneas Troia profugus secum attulit in Italiam. Alii Mineruæ Iliensis effigiem esse veram, & notam Æneæ, perito rerum talium, cùm alteram ad huius similitudinem formatam Achiui furto sustulerint: cuius facti crebra mentio reperitur apud Poetas, æquè ac Historicos. Ego sanè à multis accepi, custodiri à virginibus, non solùm ignem, sed & sacra quædam vulgo incognita: eo tamen nec ipse scrutari ausim curiosius, nec aliis fas puto. Plutarchus in Camillo: Alii ignem, vt & apud Græcos, in vestibulo templi ardere lustrationis causa censent, reliqua sacra intus abscondi, neque à quoquam præter Vestales virgines, conspici ea fas esse. In iis autem arcanis esse Troianum illud Palladium, ab Ænea in Italiam allatum multorum sermonibus est traditum. Alii fabulam addunt, Dardanum è Samothracia asportatum Palladium, cùm Troiam condidisset, in ea vrbe consecrasse. Æneam id, quo tempore Troia capta est, clam sustulisse, ac vsque ad migrationem in Italiam adseruasse Qui sibi maiorem harum rerum notitiam arrogant, duo dicunt dolia haud ita magna ibi esse reposita: alterum apertum & inane, alterum plenum, & obsignatum: solis autem sacris istis Virginibus licitum ea videre. Alii hos errare putant, eo deceptos, quòd tum (scilicet bello Gallico) Vestales pleraque sacra in duo dolia coniecta, terra obruerint sub templum Quirini: cui loco etiam nunc à doliis nomen fit. Hactenus Plutarchus. De Palladio, quia eius mentio facta est, adhuc dicendum videtur, de quo Ioannes Ludouicus Viues ad cap. 2. lib. 1. Augustini de Ciuitate Dei, hęc collegit: Palladium simulachrum est Palladis, de quo tam varia tradunt rerum scriptores, vt ineptum ducam persequi longiùs

eorum opiniones. Excerpam tamen ex Varrone, Dionysio Halicarnassæo, Ouidio, Plutarcho & Seruio, quæ mihi verisimiliora videbuntur. Chrysas Pallantis filia, cùm Dardano nuberet, pro dote secum attulit Palladium, & magnorum Deorum simulachra. Quibus templa Dardadus in Samothracia construxit: quæ posteà sacra in Ilium sunt, nepotum tempore transuecta, accepto oraculo mansuram Vrbem, quandiu & in ea Palladium illud. Quocirca in intimam arcis partem est reconditum, efficto altero quodam Palladio illi simillimo, quod in publico negligentius asseruabatur. Cùmq; Pyrrhus ex Heleno vate Priami filio inexpugnabilem esse Troianam vrbem, saluo in ea Palladio cognouisset, idque Principibus Græcorum renunciasset, Vlysses & Diomedes per fraudem primùm ingressi, deinde facta in custodes vi, Palladium illud imaginarium surripuerunt. Alterum capta iam vrbe Sycas Æneæ tradidit cum magnis Diis, quos penates Troianos vocant. Æneas in Italiam illa omnia secum aduexit. Hinc ex Alba longa, siue, vt Varro putat, ex Lauinio Romam Palladium translatum est, statutúmque in æde Vestæ, quæ cùm deflagraret, L. Metellus Pontifex Maximus, Palladium medio ex incendio sustulit amissis luminibus. Palladium vulgò conspectum est Heliogabalo Imperatore incensa æde Vestæ. Herodianus. Fuit alterum Palladium, quod Athenis in arce dicauit Nicias. Hæc Viues. In veteribus nummis & Vestæ templum rotundum, & Æneas patrem Anchisem in humeris portans, atque vna manu Palladium ferens, altera filium Iulum, alia sacra gestantem, ducens, cernuntur, quorum duos hîc subieci.

PARALIPOMENA.

AD CAP. XII.

Vestæ cultus, statua, templa, Ignis, Virgines, earum iura & priuilegia.

PEculiare hoc Troianorum numen. Sidon. Apollinar. Carm. 9. vers. 133.

Thebis Eubiam,Ilioque Vestam,

Et in senatu Atheniensium aram habebat. notat Ioann. Brodæus, eámque pene omnes scriptores, quantum reminiscor, *ignem* interpretantur. Seruius Honoratus, pro *terra* sumit, *quam ignem*, inquit, *habere non est dubium* ad illud lib. 1. Æneid.

Cana fides & Vestæ

Idem ad vers. 283. lib. 3. Æneid. *nam & Vestam, ideo Troiani colunt, quia eadem terra, terrigenos autem Athenienses nemo dubitat.* & hanc depingebant muliebri forma, tympanum gestantem, quòd *terra ventos in se contineat.* Suidas in voce *γῆς ἄγαλμα terræ simulachrum.* Cæl. Rhodigin. lib. 15. cap. 14. scio ab Ouidio dictum lib. 6. Fastor.

Effigiem nullam vesta nec ignis habet.

Sed & Plutarchus lib. de primo frigido ad finem, Vestam eandem cum terra esse in veteri theologia docet, nec dissentit Isidorus Hispalensis lib. 8. Etymolog. cap. 12.

Inter Penates colebatur, & deos domesticos Romanorum, ideóque & *mater* peculiari nomine dicebatur. M. Cic. Orat. pro domo sua. *teque Vesta mater, cuius sanctissimas sacerdotes ab hominum amentia, furore & scelere defendi.* P. Virgil. lib. 1. Geor. in fine.

Dij patrij, indigetes, & Romule, Vestaque mater,
Quæ Tuscum Tiberim, & Romana palatia seruas.

Et rectè, *palatia seruas*, quòd in omnibus ædium priuatarum vestibulis apud Romanos Vestæ simulacrum staret, vt Mercurii apud Athenienses, quemadmodùm supra explicui. Eugraphius vetus grammaticus in Andria Terentij,

Act.4.sc.3. *Romanis omnibus mos est in atrio, hoc est in vestibulo, habere Vestam (quippe cum inde vestibulum nominarint) cui sacrificium quotidie facerent, illic ei fuerat collocata ara, idcirco dictum est.*

Ex ara sume hinc verbenas tibi.

Neque verò huius sacrificij idem ritus, qui in aliorum deorum sacris, (licèt sciam molam etiam in illis receptam. Fest. li.3. in *casta*) nam *sal rufum tantum* offerebatur, Lil. Gyraldus syntag. deor. gent. 17. quod *in calicibus fictilib.* asseruabatur, Helenius Acron. & Porphyrion veteres interpretes ad Q. Horat. libri 1. od. 31. adhibita qualibet aqua, sed tantùm ex Numico flumine. Seruius ad illud lib. 7. Æneid.

—Hæc fontis stagna Numici.

Aut libo, aut farre. Iuuenal. Sat. 6. vers. 384.

Cum farre, & vino, Vestam, Ianumque rogabat.

Perpetuus æternúsque ignis in templo eius tanquam imperij certissimum pignus asseruabatur. Valer. Max. lib. 5. cap. 4. tit. 6. *ignoscite vetustissimi foci, veniámq; æterni date ignes, si à vestro sacratissimo templo, ad necessarium magisque speciosum urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit.* T. Liu. 1. Decad. lib. 5. *quid de æternis Vestæ ignibus signoque, quod imperij pignus, custodia eius templi tenetur?* Idem 3. Decad. lib. 6. *Vestæ ædem petitam, & æternos ignes.* Poetæ passim. P. Virgil. lib. 2. Æneid.

—Manibus vittas, Vestamque potentem
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Et Seruius ad illud lib. 4. Æneid.

—Vigilémque sacrauerat ignem.

Illud notatu dignissimum, ignem hunc non in focis aut altaribus, sed suspensum in vasculis quibusdam fictilibus, vt iam supra admonui proximè Valer. Max lib. 4. cap. 4. in fine. *namque per Romuli casam perque veteris Capitolij humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos iuro,* Seru. ad illud. lib. 7. Æneid.

—Consilijs habitus non futilis auctor.

Tantum fiduciæ in hoc igne erat, vt oportuerit eum nunquam extingui, quod si contigisset, non carebat res infaustitatis præsagio, quare inextinctum vocant. Ouid. lib. 6. Fastor.

Ignis inextinctus templo celatur in illo.

Vetus marmor.

ANTIQVA. GENEROSE. DOMO. CVI. REGIA. VESTÆ.
PONTIFICI FOELIX. SACRATO. MILITAT. IGNE.

Vide quæ sequuntur in cultissimo Epigrammate apud Onuphrium de Ciuitate Rom. pag. 149. Orpheus in hymnis.

Η' μέσον οἴκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο μεγίστου.

Quæ mediam domum habes ignis æterni maximi.

Sil. Italic. lib. 1. Punicor.

Et nos virgineæ lucentes semper in ara
Laomedontea Troiana altaria flammæ.

Et lib. 3.

Et Vestæ secreta feramus.

Et lib. 7.

—Primum Vestæ detersit honorem.

M. Lucan. lib. 9. vers. 995.

Dij cinerum, Phrygias colitis quicunq; ruinas,
Æneæque mei, quos nunc Lauinia sedes
Seruat, & Albæ lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.

Et nunquam sine portento aut prodigio credebatur extingui, & anxiâ sollicitudine expiabant. notauit Gaspar Peucerus in Diuinat. extispic. quod contigit ante initia bellorum ciuilium, motaque inter Cæsarem & Pompeium arma. Præter historicos idem Lucanus lib. 1. vers. 549 certissimum futurorum argumentum ab eo igne desumptum insinuat.

—Vestali raptus ab ara
Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas,
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit
Thebanos imitata rogos.

Ouid. lib. 15. Metam. fab. vlt.

—Facinusque repellite, neue
Cæde sacerdotis flammas extinguite Vestæ.

Quod vbi contigerat, omnia publica priuataque intermittebantur negotia, eratque iustitium indictum, donec procuratio solemnis institueretur, & tamdiu durare imperium quamdiu ignis fuisset inextinctus. Papin. lib. 4. syl. 3.

Donec Troicus ignis & renata
Tarpeius pater intonabit aula.

Et virgo cuius incuria id euenisset, à pontifice seuerè plectebatur, nam puto virgines igni fouendo excubuisse alternatim, seu forte, seu præcepto pontificis ad id officij ductas. Valer. Maxim. lib. 1. cap. 1. tit. 7. *Licinio pontifici Maximo, virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoueretur* malim legere, *admoneretur*. Iul. Obsequens de Prodigiis cap. 62. *Vestæ penetralis ignis extinctus, virgo iussu Æmilij pontificis maximi flagro cæsa.* Fest. Pomp. lib. 9. *Ignis Vestæ si quando interstinctus fuisset, virgines*

virgines verberibus afficiebantur à pontifice, quibus mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret. Vbi scio viros doctos legisse, non *tabulam felicis materiæ*, sed *clabulam*. diminutiuum enim id à claua esse volunt, B. quippe & V. olim sæpe in se inuicem transibant, & in nonnullis editionibus non *terebrare*, sed *verberare* scriptum extat. Q. Flor. Tertullian. libro de Pœnitentia, *Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædam eius tales ictus flammarum suscitent!* Atque etiamsi non fuisset extinctus, accendebatur tamen quotannis Calendis Martiis, & renouabatur ignis quem asseruabant in operto, non autem sub tecto, ostendit Ian. Parrhal. Epist. 57. Publius Ouidius lib. 3. Fastor.

Adde quod arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Interim corrigendus è M. Manilio lib. 4. Astronomic. locus insigniter corruptus:

Festinos, Capricorne, foues penetralibus ignes,
Hinc artes, studiumque trahis.

Sic legit Iosephus Scaliger, & exponit ignes festinos à natura elementi, velocissimi motus, ταχυκίνητον, sunt qui censuerint legendum.

Festa tuos Capricorne foues.

Aliis placuit potior hæc lectio
Vestinos Capricorne foues.

Neque desunt, quibus placuerit,
Festiuos Capricorne foues.

Vt ignes festiui sint festi, seu sacri, sed nulla harum lectionum placet, ideóque suadeo legas,
Vesta tuos Capricorne foues penetralibus ignes.

Quam lectionem optimam esse, vel ex iis quę subiungit ipse Manilius eodem loci liquet.

Hinc artes studiumque trahis, nam quicquid in vsus
Ignis alit, poscitque nouas ad munera flammas,
Sub te censendum est.

Et eodem libro.
Ast angusta foues Capricorni sidera Vesta,
Claudian. lib. de Bello Gildonico.
——Sanctæque memor Tritonia Vestæ

Ad virgines eius descendo, de quibus multa sunt à viris doctis obseruata, istud tamé, quod à C. Plinio lib. 7. epist. 19. à nullo, quod sciam, est animaduersum, nec memini me alibi legisse, post illum notat Cel. Rhodigin. Antiquar. lect. lib. 15. cap. 14. ita igitur ille. *Angit me Fanniæ valetudo, contraxit hanc, dum assidet Iuniæ virgini Vestali sponte primum, (est enim affinis) deinde etiam ex authoritate pontificum, nam virgines, cum vi morbi atrio Vestæ coguntur excedere, matronarum curæ custodiæque mandantur, quo munere Fannia dum sedulo fungitur, hoc discrimine implicata est, insident febres, tussis increscit*, in aliis libris legitur, *insident febris tussim iniecit*, quod probabilius duco. Mamertinus in Panegyrico Iuliani. *nulli gratificemini, in neminem sæuiatis, toto in orbe terrarum nullius virginis fama violetur, sit lectulus etiam sine inconcessis, sed legitimis voluptatibus Vestalium thoris purior*, corrigendum est, *sit lectulus etiam sine concessis & legitimis voluptatib. Vestalium thoris purior*, Fr. Modius Nouantiquar. lect. Epist. 25. Iam verò quantus iis exhibitus, honor, quanta dignatio nemo ignorat. nam & *seruitia fugitiua, nondum vrbem egressa, retineri in loco earum precatione credebantur ab iis*, vt loquitur C. Plinius lib. 28. Nat. historiæ. cap. 2. *Et Claudia Vestalis, cum patrem suum è curru triumphantem, violenta Trib. pleb. manu detrahi animaduertisset, mira celeritate vtrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitiæ accensam depulit, igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Vestæ duxit*, vt verba vsurpem Valerij Maxim lib. 5. cap. 4. tit. 7. Scio Suetonium in Tiber. cap. 2. non patrem hunc, sed fratrem Claudiæ facere & Iulius Cæsar *per virgines Vestales, Mamercum Æmilium, & Aurelium Cottam, propinquos & affines suos veniam impetrauit.* Sueton. in eo. cap. 1. & Aulus Vitellius Aug. *suasit senatui vt legatos cum virginibus Vestalibus mitterent, pacem, aut certè tempus ad consultandum petituros*, inquit idem Suetonius in vita eius ca. 16. Ergo inde liquet grauissima dissidia earum interuentu componi consueuisse. Adde & Vibidiæ Vestalis precibus Messalinam tentasse veniam à Claudio principe marito obtinere, narrante C. Tacito libro 11. Annal. huc spectant & illa M. Ciceronis Orat. 2. Agraria. *si quicquam deliquero, nullæ sunt virgines quæ me vobis deprecentur.* Testamenta penes eas erant asseruata, de testamento M. Antonij Plutarchus in eo de testamento Augusti C. Sueton. cap. vltim. vbi notandum inter eas vnam fuisse auctoritate præcipuam, quæ *Maxima* dicebatur. idem Sueton. in Cæsare cap. 83. *testamentum eius aperitur, recitatúrque in Antonij domo, quod Idibus Septembribus proximis in Lauicano suo fecerat, demandauerátque virgini Vestali Maximæ.* Et in Domitiano cap. 8. *Corneliam virginem Maximam* vocat. Sed nemo melius earum prærogatiuas expresserit Luc. Seneca lib. 6. Controu. 8. *tibi* (Vestali virgini)

tibi consules prætorésq; via cedunt. numquid exigua merce te virgo es? sacerdos varò iures, nec vnquam nisi per Vestam iuata moriar. numquid de nuptiis appellata es?

Sed vt magnus ei honos habitus, ita & delinquentes grauissimis afficiebantur supplicijs: nam *adulter verberibus necabatur*, ex lege quam in Libertatis atrio fixam M. Cato loquitur apud Festum Pompeium lib. 14. in voce *probrum Virginis Vestalis.* de virginis pœna, vet. Scol. ast. Iuuenal. ad Sat. 4. vers. 10. *hæc virginibus Vestæ pœna fuit decreta: si vitiatæ fuissent, viuæ in parietibus struebantur, aut sub terra obruebantur.* C. Plin. lib. 4. epist. 11. *Fremebat Domitianus, æstuabátque ingenti inuidia destitutus, nam cùm Corneliam Maximillam Vestalem defodere viuam concupisset, vt qui illustrari sæculum suum eiusmodi exemplo arbitraretur, pontificis Maximi iure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam suam conuocauit*, legendum est omnino: *Nam cùm Corneliam Vestalium Maximam defodere viuam concupiss.* auctor correct. Suet. laudato loco in Domit. cap. 8 supra, tota lugebat ciuitas, vt in clade publica, eratque is dies lugubris, vt ostendit multis Andr. Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum lib. 5. cap. 12. quod vsque adeò obseruatum, vt in animalibus, pro prodigio Vestalis damnatio notetur Euseb. Chronic. Olymp. 73. locus in quem defodiebantur erat prope portam Collinam T. Liu. 1. Decad. lib. 8. de Minutia Vestali. Fest. li. 17. *insceleratus campus.* Ouidius lib. 6. Fastorum.

——Nec viua defodiatur humo.

Sil. Ital. lib. 13.

Nec par pœna tamen sceleri, sacraria Vestæ.
Polluit exuta sibi virginitate sacerdos.

Cum defossa in terram Vestali virgine *panem & lac* ponebant, *ne videretur fame interiisse.* Gulielm. Canterus Nouar. Lection. lib. 7. cap. 6. ex Scholiaste Sophoclis ostendit. Rationem habes apud Iacobum Durantium Caselium lib. 2. variar. lection. cap. 2. ex Clemente Alexandrino Pæd. 3. quod terra impura huiusmodi, & libidinosa corpora purgari crederentur, idéoque in terra occultabantur expianda. Iuuenal. loco proximè citato.

Nemo malus fælix, minimè corruptor & idem
Incestus, cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos.

MS. meus *cum qua vitiata iacebat.* sed malè, vt infra ostendam. Vt igni nihil pariter impuri, ita virgines istæ omni corporei contagii labe carere debebant, vsque ad annum ab electione trigesimum, quo tempore licebat nubere, præter scriptores ab aliis obseruatos Sext. Propert. lib. 4. Eleg 4.

Et satis vna malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere Vesta tuas.

Fallere flammas Vestæ, interpretor *impudicam esse*, aut adulterium admittere, aut ad nuptias conuolare, quod ante trigesimum annum, vt monui, non licebat. Aurel. Prudent. li. 2. in Q. Symmachum,

Tandem virgineam fastidit virgo senectam.

Et post eodem opere.

Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas,
Discit & in gelido noua nupta tepescere lecto.

D. Auson. Epist. 7. de triginta ostreis.

Quot numero annorum Vestalis virgo ministrat.

Qui anni sic diuidebantur, vt primis decem sacros ritus diligenter disceret, aliis insequentibus decem ministrarent, denique vltimis decem, quæ percepissent alias docerent. Dionys. Halicarnass. lib. 2. hist. Rom.

Locum in Amphitheatralibus, & scenicis, Circensibúsque habuisse ludis ostendam infra lib. 5. cap. 4. Carpentis seu pilentis, vt alias matronas, vectas, certum ex C. Suetonio in Tib. cap. 2. & dicam alibi. Ad ornatum descendo. vestis eius *suffibulum* appellabatur. Fest. *Pom.* lib. 17. *suffibulum vestimentum album prætextum quadrangulum oblongum quod in capite vestales virgines sacrificantes habebant, idque fibula comprehendebatur.*

Vittas capitis ornamenta, vt aliæ matronæ, gestabant, vide lib. 5. cap. 35. infra D. Ambros. Epist. ad Valentinianum. *vix septem Vestales capiuntur puellæ, en totus numerus quem infula vittati capitis.* M. Lucan. lib. 1. Pharsaliæ vers. 596.

Vestalémque chorum ducit vittata sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Mineruam.

P. Ouid. lib. 6. Fastor.

Decidit arte sacros linea vitta focos.

Idem lib. 6. Fastor.

Nulláque dicatur vittas temerasse sacerdos,

Allusêre poëtæ. Virg. lib. 1. Æneid.

Virgineas ausi diuæ contingere vittas,

Valer. Flacc. Argonaut. lib. 8.

Vltima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Nec Vestales modò vittatæ, sed & aliæ sacerdotes. Caius Tacitus lib. 1. Annalium. *Sacerdos apud aram Vbiorum creatus, ruperat vittas.* Virg. lib. 3. Æneid.

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos,

Vitis & sacras redimitus tempora lauru,
Aurelius Prudentius in Romano Martyre

Summus sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus festa vitis tempora nectens.

Denique est hæc vetus Inscriptio.

MANSIONES PALATINORVM. SALIORVM. A. VETERIBVS. OB. ARMORVM. MAGNATIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS LONGANIMITATE. NEGLECTAS. PECVNIA. SVA. REPARAVERVNT. PONTIFICES. VESTÆ. VV. CC. PROMAGISTRO. PROTI. IACILII. LVCILII. PRÆTEXTATI.

CAPVT XIII.

DE NEPTVNO.

NEPTVNVM à nubendo dictum putauit Varro quod nubat, id est, aperiat terras: quod idem scribit Arnobius. At M. Cicero à nando vocatum existimat. A Græcis dictus Ποσειδῶν, quod pedibus terram quatiat, quamquam alii alias huius appellationis rationes afferant, quas hîc prætereo.

Fuit NEPTVNVS Saturni & Rheæ filius: qui cum nauigandi artem inuenisset, classem instituisse, eiúsque præfectus à Saturno factus esse dicitur. Quapropter traditum est posteris Neptunum imperasse mari, sacráque ei à nauigantibus facta. Addunt etiam Neptunũ equos primùm domuisse, artémque equitandi ab illo traditam: ex quo Hippius sit appellatus. Diodorus li. 6. c. 15. Hic à primo Vrbis excidio à Romanis cultus fuit. Dionysio, Liuio, Plutarcho, aliis minorum gentium auctoribus, cognomine Consi, quod ei fuit inditum à consiliis dandis. Sunt tamen qui Consum diuersum à Neptuno faciant, videlicet Deum consilij, à quo Romulus consilium de rapiendis Sabinis acceperit. Aurelius Augustinus Consum à consilio dando denominatum ait. Cyprianus Romulum dicit Consum Deum fraudis, velut consiliorũ Deum coli voluisse. Arnobius in 3. aduersus Gentes lib. Consum dictum putat, quòd salutaria & fida consilia nostris suggerat cogitationib. Cùm etiam Dionys. li. 2. docet, quosdam Neptunum & Consum eundem Deum, quosdam diuersos eos fecisse. Verùm vtut hæc sint, non anxiè laborandum nobis est. Conso, teste Dionysio, ara subterranea fuit constructa iuxta Circum maximum: in qua sacra ipsi fiebant Consualibus, de quibus agemus suo loco. Ideò autem eius Dei ara subterranea erat, vt significaretur consilia occulta esse oportere. Plutarchus.

EQVESTER NEPTVNVS dictus est, Græcè Hippius, quia primus equos domuisse artémq; equitandi tradidisse fertur, quemadmodum ex Diodoro audiuimus.

REDVCIS NEPTVNI mentio extat in antiquis nummis, quorum vnum hîc subiecimus.

Templum NEPTVNI Romæ fuit in regione Vrbis IX, item ædes, cuius meminit P. Victor.

NEPTVNO addunt SALACIAM & VENALIAM. Salaciam quidam putant Neptuni vxorem fuisse, sic dictam à salo, quòd salũ moueret, teste Varrone. Festus. Salaciam dicebant Deam aquæ, quam putabant salum ciere, hoc est, mare mouere. Augustinus ex Varrone lib. 7. cap. 22. scribit Veniliam vndam esse, quæ ad litus venit. Salaciam vndã, quæ ad salum redit. Iosephus Scaliger in appendice ad coniectanea in Varronem: Venila, inquit, est accessus seu exæstuatio maris, Salacia recessus. Varro, vt citatum reperi, Venilia vnda, quæ ad littus venit: Salacia, quæ ad salum redit. Atque ita quidem Romani vocabant maris reciproca incrementa, aut decrementa. Sed postquam in Oceanum Germanicum penetrârunt (quod primus Drusus Germanicus fecit, Germanicis nominibus veterum Saxonum ea vocârunt, pro Venilia Malinam, pro Salacia Lidimam dicentes. Atque ita quidem scriptum reperi in veteri libro Bedæ Anglosaxonis. Hæc ipse. Plutò post addit, Veniliam & Salaciam significare accessus & recessus maris quotidianos: Malinam & Lidunam etiam lunaria Oceani incrementa, & decrementa, &c. Atque tantum de his. Dicendum etiam de aliis marinis Diis, & Nymphis, & cæt. sed cùm ad Græcam potius historiam pertineant, nos hic ea prætermit-

remus Ægeriæ tantum & Iuturnæ, quæ à Romanis cultæ fuerunt, mentionem facientes.

Aegeriam nympham Numæ Pompilij Regis vxorem aiunt fuisse. Sic.n. de ea Diony.li. 2. Fabulamur congressum Numam sæpiùs cum Ægeria nympha, cuius è præceptis hauserit regiam prudentiam. Alij non Nympham, sed vnam Musarum palam ad eum ventitasse perhibent. Addit deinde Dionysius narrationem, quo facto Numa Romanis parum credulis suũ cũ Aegeria congressum probârit. Cùm, inquit, prisci illi Quirites parum creduli, pro figmentis haberent quæ audirent de Dijs, aiunt noluisse Numam eis manifesto signo facere fidem suæ cum numinib. consuetudinis, Aegeriáque iubente vocasse domum præcipuos ciuium, ostensáque vili supellectile, atque apparatu, qui non caperet frequens conuiuium, tunc dimissos, inuitasse ad cœnã sub vesperam, quibus ad condictam horam reuersis, ostendisse lectisternia splendida, mensasq; refertas multis egregiis poculis, ac mox discumbere iussis epulũ præbuisse instructum omnigenis ferculis, qualia nemo facilè pararet, quantumuis longo tẽpore. Romanos verò attonitos, tam vario spectaculo constanter posthac opinatos, Deam quampiam cum illo familiariter degere. Hactenus ille. Plura de Aegeria Plutarchus & alij habent.

Huic ædem Romani extruxere, cuius meminit P. Victor. Dicatus ei & locus fuit, quem, vt ait Liuius, medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua, qui locus Camœnis sacer erat. Pompeius Festus Aegeriæ lucum iuxta portam Capenam constitu t. Ouid. lib. Metamorph. 15. Aegeriam inducit in fontem mutari à Diana. De Aegeria, cui sacrificant prægnantes, suo dicemus loco.

Ivtvrnam Nympham Varro scribit dictam fuisse, quæ iuuaret. Itaque multos ægrotos propter id nomen aquam petere è fonte Iuturna solitos. Seruius in Virgilium: Iuturna, inquit, fons est in Italia saluberrimus, iuxta Numicum fluuium, cui nomen à iuuando inditum est. De hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueuerat. Tradunt alij Iuturnam in lacu submersam ei nomen indidisse.

Aedes eius Romæ fuit ad aquam virginem, vt ait P. Victor, in regione Circi Flaminij. Ouid. in Fast. innuit, fuisse illam ædem in campo Martio propè aquam virginem. Verba eius sunt.

Te quoque lux eadem Turni Soror æde recepit,
Hic vbi virginea campus obitur aqua.

Portvmnvs etiam ab his diis non est segregrãdus: de quo tamen vno tantùm atque altero verbo dicã. Portumnus, siue, vt aliis magis placet, Portunus, aut geminato n, Portunnus, Deus marinus erat, portubus præfectus. Festus: Portunus, qui & Palæmon, à Romanis inter Deos colebatur. Hic alio nomine Melicerta dictus, de quo fabula hæc refertur. Athamas post furorem à Iunone immissum, cùm occiso Learcho, qui etiam Clearchus dictus, Melicertam alterum filium cum Ino vxore sua persequeretur, & illi se in mare præcipitassent, vt lunrate numinum in Deos versi sunt. Melicerta in Portunnum, qui Græcè dicitur Leucothea. Historiam prolixè recitat Ouidius in 4. Metamorph. Aedes Portumni Romæ duæ fuerunt, vtraque in xi. Vrbis regione, altera rotunda ad pontem Aemilium, olim Sublicium appellatum, altera inter Apollinem Cœlispicem, & Herculem Oliuarium. Atque hæc tantùm de his.

Ad Cap. XIII.

Paralipomena.

De Neptuni sortitione.

Sortitum *Plutonem*, cum fratrib. sorti hæreditatem submittere placuisset, nemo ignorat. & prodidere Diodorus Siculus lib. 4. Bibliothec. & Homerus vers. 190. lib 15. Iliad. Seru. ad vers. 143. lib. 1. Æneid. *Iupiter & Neptunus, & Dis pater, Saturni & Opis filij, cum de mundi positione certamen inissent, placuit vt imperium sorte dividerent: ita effectum est, vt cælum Iupiter, maria Neptunus, Dis pater inferos sortiretur.* Id ego corrigendum ducerem, legendumque *de mundi possessione certamen inissent.* Idem lib. 10 Æneid. vers. 39. *sors rerum id est regnum: nam per sortem inter se fratres Iupiter, Neptunus, & Pluton mundi regna diuiserunt.* vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers. 50. Sat. 13. *cum adhuc nec Iupiter regnum cæleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluton infera cum Proserpina.* Luctat. Placid. ad lib. 8. Thebaid. vers. 196. *Claria ciuitas est in qua tres dij, id est Iupiter, Neptunus, & Pluto, mundum dicuntur fuisse sortiti,* Euhemerus antiquus historicus, qui ex sacris Inscriptionibus & titulis templorum gesta deorum collegit. apud Lactantium lib. 1 Diuinar. Insti. cap. 11. *aiunt Ioui cælum obtigisse, Neptuno mare, Inferna Plutoni, cur non terra potius in sortem tertiam venit?* Sic intellige poetas. Cl. Claudianum lib. 1. de Raptu.

Tertia suprema patior dispendia sortis.

Valer. Flacc. lib. 1 Argonaut.

Tuque fretum, diuosque pater sortite biformes.

Sil. Italic. lib. 17. Punicor.

—Cuius proles terramque fretumque

Sida-

Sideráque & manes regnorum sorte gubernat.
P. Virgil. in Ætna.
—Sors data cælo.
Prima, sequuta maris, subsedìtque infima tellus.
Alb. Tibull. lib. 3. eleg. 5.
Parcite pallentes vmbras quicumque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei.
D. Auson. in Mosella.
—Haud ille sinis, cui cura secundæ
Sortis, & æquorei cessit tutela tridentis.
Tellus ad Iouem apud Ouidium lib. 2. Metamorph.
—Cur illi tradita sorte
Æquora decrescunt?
L. Sen. Hercule Oetæo.
Et si placerent tertiæ sortis loca.
Regnare poteram.
Quod tamen factum negat Callimachus in hymno Iouis. Quod licet fabulosis poëtarum inuolucris traditum sit, non caret tamen antiquitatis insigni ratione, nam *regna olim sorte inter hæredes diuidebantur.* id Alexandri successores, mortuo eo fecerunt, Plutarc. in Eumene. Et Augustus, Antonius, & Lepidus, *orbis terrarum imperium sorte inter se sunt partiti.* Appian. bello Ciuil. li. 1. quinimo & Apostoli in omnes mundi partes cum Euangelij luce missi, *prouincias sorte elegerunt.* Ruffin. histor. Ecclesiast. lib. 10. Id consuetudinis Persicæ fuisse docemur ex Paulo Orosio lib. 2. cap. 8. *Anno ab vrbe condita 245. Darius, Cyro apud Scythas interfecto post aliquantum interuallum sorte regnum adeptus est.* quod idem inter Græcos prodidere, Herodot. lib. 3. & ex illo Polyænus stratagemat. lib. 7. iisque posterior Ammian. Marcellin. lib. 23. Gothos idem factitasse videri posset ex Sidonio Apollinare lib. 6. Epist. 6. *limes Gothicæ sortis.* Et lib. 7. Epist. 3. *promotæ limitem sortis.* lib. 9. Epist. 5. *diuersarum sortium iure reuocaremus.* In Italia idem iuris obseruatum. Vell. Patercul. lib. 1. cap. 1. *per hæc tempora Lydus & Tyrrhenus fratres cùm regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, vter cum patre multitudinis decederet patria; sors Tyrrhenum contigit.* eadem Seruius ad lib. 2. Æneid. vers. 161.
—Vbi Lydius arua
Inter opima virum leni fluit agmine Tibris.
Et ad illud lib. 8 Æneid.
—Lydia quondam
Gens bello præclara.
Denique & in Græcia inualuisse testes sunt Etheocles & Polynices, qui regnum Thebarum sortis arbitrio inter se diuiserunt, vt est apud Diodorum Siculum lib. 5. c. 6. & Euripides in Phœnissis, quod voluntate patris factum narrat Iulius Hyginus Fabular. cap. 67. L. Sen. Thebaid. Act. c.
Iam regna repetens frater ex pacto venit.
Stat. Papin. lib. 1 Thebaid.
—Iam sorte cadebat
Dilatus Polynicis honos.
Et lib. 2. Thebaid.
Quippe animum subit illa dies, qua sorte secunda
Fratris Echionia steterat priuatus in aula.
Et eodem libro postea.
Quæ sors iusta mihi, quæ non indebitus annis
Sceptra dimisit honos senco.
Idem in diuidendo Mycenarum regno Atreus & Thyestes admiserunt. L. Sen. Thyeste Act. 1. in choro.
Alternæ scelerum ne redeant vices.
Plura dicam infra lib. 4. cap. 21. vbi de Neptunalibus, siue Neptuni feriis agetur.

CAPVT XIV.

De Genio.

SEQVITVR inter Deos selectos GENIVS, de quo non omnes idem sentiunt. SEXTVS Pōpeius Festus: Genium appellabant Deum, qui vim obtineret rerum omnium generandarum. A. Gellius, Genius, inquit, est Deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur, propterea Genius meus nominatur, quia me genuit. Sunt qui dicant, duodecim signa cœlestia esse Genios, vniuersaliores scilicet. Nam alioqui suus est cuique loco Genius, quem ei faciunt præficere. Quin & vnicuique hominum Genius est. Aurelius Augustinus: Genius est Deus, qui præpositus est, ac vim habet omnium rerum gignendarum. Et paulò post Varronem affirmare dicit, Genium esse vniuscuiusque animum rationalem, & ideò esse singulos singulorum: Geniorum etiam meminit præter alios multos Ammianus Marcellinus, plurimis verbis. Seruius Grammaticus triplices Genios facit in 1. Georgicorum Virgilij: Genium, inquit, dicebant antiqui, naturalem Deum, vniuscuiusque loci, vel rei, aut hominis. De Genio hominis sic Censorinus. Genius ita nobis assiduus obseruator appositus est, vt ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab vtero matris acceptos, ad extremum vitæ diem comitetur. Appellatum autem hoc numen Genium ait, siue quòd in eius tutela vt quisque natus est viuit: siue quod vt generemur, curet, siue quòd vnà gignatur nobiscum: siue etiam quòd nos genitos suscipiat, siue tueatur. Cæterùm veteres vnicuique hominum duos Genios attribuebant, alterum bonum, alte-

tum malum, non aliter atque nos ex sacris literis edocti scimus vnumquemque suum Angelum custodem habere, & contra malum Angelum insidiatorem. Docet id pręter alios Seruius Grammaticus in hoc Virgilij. *Quisque suos patitur Manes*. Cùm nascimur, inquit, duos Genios sortimur, vnus est, qui hortatur ad bona, alter, qui deprauat ad mala, nec incongruè dicuntur Genij, quia cum vnusquisque genitus fuerit, ei statim obseruatores deputantur: quibus assistentibus post mortem aut condemnamur in deteriorem : per quos aut vocationem meremur, aut reditum in corpora. Ergo Virgilius Manes, Genios dixit, quos cum vita sortimur. Censorinus scribit à nonnullis binos genios in his duntaxat domibus quæ maritæ essent, colendis creditum esse. Alij genios propriè masculis, Iunones fœminis affirmarunt, qua de re alibi erit dicendi locus.

Simulachrum Genij fuit varium, interdum effingebatur imagine serpentis : interdum puerili, vel iuuenili forma: interdum etiam senis, vt apud Cebetem. Coronabatur verò Platani foliis: vt pote arboris genialis. Albius Tibullus poëta ita eum suis versibus exornat:

> *Ipse suos adsit Genius visurus honores,*
> *Cui decorent sanctas florea serta comas.*
> *Illius è puro distillent tempora nardo,*
> *Atque satur libo sit, madeátque mero.*

In vetustis nonnullis monetis Traiani & Adriani, aliorúmque principum, Genius pateram dextra super aram porrigere, quæ esset sertis ornata : læua verò manu propendulum flagellum, vel simile quiddam tenere videbatur.

Genio res sacra fiebat mero, ac floribus, cuius rei causam explicant Varro & Censorinus, his ferè verbis: id moris, inquiunt, institutique maiores nostri tenuerunt, vt cùm die natali munus annale Genio soluerent, Manum à cæde & sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent. Et addit Censorinus, quod sacro Genio facto, neminem oportuerit antè gustare, quàm eum, qui sacrum fecisset.

De Geniis plurima habet Plutarchus in eo Commentario, in quo disputat, cur oracula edi desierint, vbi etiam docet alium Genium alio & virtute & sapientia, & viribus præstitisse.

In descriptione XIV. regionum Vrbis mentio fit ædiculæ Genij Liberorum, & ædiculæ Genij Larium, regione VI. Sacelli Genij Sangi regione VII. A quibus autem condita fuerint, mihi non liquet. Hactenus de Genio diximus, quibus antequàm ad alia accedamus, adiiciemus quædam de Penatibus & Laribus, quia vicina numina fuerunt. Ac de penatibus primùm.

PENATES.

Penates, quasi penites, quòd penitissimi Dij sint & proprij. Macrobio illorum sententia placet, qui Deos Penates dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus. Itaque Penates sunt præsides & custodes Dij. Cicero existimat Penatium nomen à Penu ductum esse, quòd vocabulum significet omne id, quo homines vescũtur, vel ab eo, quòd penitus insideant: ex quo etiam Penetrales à poëtis dicantur. Varia Penatium genera fuerunt, Alij Penates totius generis humani, quales putârunt esse Pallada summum æthera, Iouem medium æthera, & Iunonem infimum: alii Penates cœli, vt Martianus Capella in nuptiis ludit: alij terræ, alij cuiusque ciuitatis: alij cuiusque domus. Sed vt de Penatibus dicam, quos Æneas in Italiam portauit, quorúmque templum in Octaua Vrbis regione collocatur, quinam illi fuerint, inter auctores conuenit: alii enim volunt Neptunum & Apollinem eos esse, de quibus legitur, quòd muros Troianos extruxerint: alii Vestam dicunt: alii alios. Dionysius Halicarnassæus refert, se vidisse Romæ in templo obscuro & humili, quod non procul à foro absit, simulachra Deorum Troianorum, cum hac inscriptione Denates, per quod vocabulum Penates intelligat, qua verisimile sit, veteres antè inuentum P. pro eo literam D. vsurpasse. Fuisse autem duos hastatos iuuenes, habitu sedentium, admodum antiqui operis, & addit similia horum Deorum simulachra, militari habitu, etiam in multis aliis templis conspici. Ludouicus Viues dicit putare se Vestam non tam fuisse ex Penatibus, quàm Penatibus additum focum: & duos illos iuuenes, de quibus Dionysius loquitur, putat esse Castorem & Pollucem, quos tamen negat Penates Troianorum fuisse, cùm sub ipsum bellum Troianum, rapta iam Helena, primum vitæ concesserint. Penatibus & Vestæ dictator, cæterique Magistratus Romani, quo die dignitatem inibant, sacra faciebant.

LARES.

Lares sunt Dij domestici vnde & pro ædibus ipsi accipiuntur, atque hinc Lar familiaris, qui ab antiquis, teste Plauto, in canis figura efformabatur. Fuerunt Lares Maniæ filij, quẽadmodum Varro & Macrobius docent. Ouidius in Fastis, Mercurii & Laræ Nymphæ, quæ & Muta dicta est, filios eos facit. Lactantius & Ausonius Larundæ. De Lara verò siue Larunda, hæc fabula narratur, quòd Nympha hæc Tiberiona fuerit, cui ab Ioue lingua sit abscissa,

quòd

quòd Iuturnæ cum Ioue concubitum Iunoni indicasset. Quæ cùm postea à Ioue Mercurio tradita esset, vt ad inferos eam deferret, Mercurius inter eundum forma puellæ illectus, rem cum ea habuit, vnde nati sunt gemini Lares. Arnobius scribit Lares vicorum atque itinerum Deos esse, ex eo, quòd Græci vicos cognominãt Lauras. Nigidius modò tectorum, domuúmque custodes, modò Curetas illos, qui occultasse perhibentur æribus Iouis vagitum, indigetes Samothracios. De simulacris ipsorum Plutarchus scribit, Laribus, quos proprie Præstites vocant, canem ad stare: ipsósque Lares canina pelle vestiri, eiúsque rei hanc ponit causam: cùm scilicet custodiæ & curæ domus committantur, conuenire eos alienis terrori, domesticis autem mansuetos, qualis sit natura canum. Addit & alterã causam, quod Lares à quibusdam putentur esse Genij quidam diri, ac furiarum naturæ affines ad puniendum facti, qui in vitas & familias hominum inspiciant: itaque canum exuuiis eos vestiri, & canem eis assidere, vt puta qui sint callidi ad scrutandum & vlciscendum malorum facinus. Solebant & coronari Lares. De cultu eorum suo dicemus loco.

In IIX. Vrbis regione templum, sacellum, & delubrum Larium fuerunt: fuit item lucus Larium, & sacellum eorundum in Velia regione X. Primus Laribus ædem vouit & extruxit T. Tatius Sabinorum Rex, teste Varrone.

LARIBVS PERMARINIS in campo Martio ædem vouit bello contra Anthiochum Regem L. Æmilius Regillus, quæ annis vndecim post dedicata fuit, supra cuius ædis valuas tabula, cum hoc titulo fixa est: Duello magno Regibus dirimendo * caput * subigendis * patrandæ pacis * hæc pugna exeunti L. Æmilio M.F. Regillo Prætori * auspicio, imperio, fœlicitate, ductúque eius inter Ephesum, Samum, Chiumque classis Regis Antiochi ante diem XI. Kal. Ian. victa, fusa, contusa, fugatáque est, ibique eo die naues longæ cum omnibus sociis captæ XLII. ea pugnata Rex Antiochus, regnúmque eius * eius rei ergo ædem Laribus permarinis vouit. Eodem exemplo tabula in æde Iouis in Capitolio supra valuas fixa est. Hæc Liuius li. 40. quæ quidem miserè deprauata sunt: quæ Carolus Sigonius ad hunc modum ex parte restituit. Permarinos autem Lares vocauit L. Æmilius, quia mari sibi adfuerant.

Aram Laribus Præstitibus dicauit Curius, quod præfuissent mœnibus Vrbis auctore Ouidio lib. 5 Fastor. Sed de his hactenus.

AD CAP. XIIII.

PARALIPOMENA.

De Genio eius cultu, sacrificiis, statua.

GEnium virorum esse tutelam, & veluti præsidem supra exposui, vt & mulierum Iunonem cap. 6. hoc libro. nunc dicendum nõ modò hominum, sed & regionum, regnorum, Vrbiúmque suos esse Genios. Plutarch. lib. de Oracul. def. τὸ τῶν δαιμόνων γένος ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων. *dæmonum genus in medio inter deos & homines*, Genios exponit, & nuntios inter deos & homines Plato apud eundem lib. de Iside & Osyride Ian. Parrhas. in Milonianam, Seruius Maurus ad vers. 742 li. 6. Æneid. *Manes* esse vult, & *Genius* Larum in 6. reg ponitur à Sexto Rufo. Qu. Symmachus in Relatione sua ad AAA. pro restaurando deorum gentilium cultu. *suus cuique mos, suus cuique ritus est, varios custodes vrbibus cunctis mens diuina distribuit: vt animæ nascentibus, ita populis fatales Genij diuiduntur: & obsessis Hierosolymis audita vox est, numen vrbis alio migrare, id est Genium.* Nicephor. Histor. Ecclesiast lib. 3. cap. 4. Et inter Ethnicos C. Tacit. lib. 5. Historiar. Tertul. li. de Idololat. Anton. Delr. in Troiadas L. Sen. obseruat. & huc tradit illud eiusdem poetæ Act. 1, sc. 1. Troad.

Supplique: testes sceleris: & quondam sacrum
Regni iacentis.

C. Petron. in Satyr.

Peritura Troia perdidit primum deos.

Sil. Italic. Carm. 7. vers 475.

Fortuna prisceum Arripuit Genium.

C. Claudian. Epist. ad Serenam.

Quid non perficient scribentis voce Serena,
Vel Genius regni, vel pietatis amor?

Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmachum.

Aut fatum aut Genium, cuius moderamine regnant.

Augustius vetus scriptor apud Festum Pompeium lib. 7. *alij Genium esse putarunt vniuscuiusque loci Deum.* Arnob. lib. 1. cont. gent. *qui Faunos, qui statuas, incitúmque Genios, qui Pausas venerentur atque Bellonas.* Vetus Lapis Viennæ, cuius hæc sunt verba.

I. O. M. IVNONI. GENIO. LOCI.
HVIVS Q. CECILIVS. SECVNDVS.
LEG. C SERENI. PROCOS. GALLIÆ. TRANSALPINÆ.
V. S. L. M.
FORTVNÆ. CONSECRATVM. GENIOQVE. HVIVS. LOCI. HONORATEI. IVN. TIBERINIACI. TRIB. MIL. LEG. X. C. PP. T. CLAVD. VALENTINVS. CORNICVLARIVS. EX. VOTO. AQVIL. ET. ÆMIL. COSS.

At si, quis hic Deus sit, disquiramus, rem totam, theologiamque Ethnicam aperiet Isidorum Hispalensis lib. 8. Etymologiar. cap. vlt. *Genium dicunt, quod quasi vim habeat omnium rerum gignendarum, seu à gignendis liberis, vnde & geniales lecti dicebantur à gentibus, qui nouo marito sternebantur.* Censorin. libello elegantissimo de die Natali cap. 3. *Genius est Deus, cuius in tutela, vt quisque natus est, viuit, siue quod, vt genamur, curat, siue quod vna genitur nobiscum, siue etiam, quod nos genitos suscipit ac tuetur, certè à genendo Genius appellatur. eundem esse Genium & Larem multi veteres memoriæ prodiderunt in queis etiam Granius Flaccus, in libro quem ad Cæsarem de Indigetamentis scriptum reliquit. hunc in nos maximam, imo omnem habere potestatem, creditum est. nonnulli binos Genios in iis duntaxat domibus, quæ essent maritæ colendos putauerunt. Euclides Socraticus duplicem omnibus omnino nobis Genium dicit appositum, quam rem apud Lucilium in libro Satyrarum nono licet cognoscere.* Et deinde paucis interiectis. *Genius autem ita nobis assiduus obseruator appositus est, vt ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab vtero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur.* Fest. lib. 7. *Genium appellabant Deum, qui vim obtineret omnium rerum gerendarum,* malim legere, ex Censorino supra, *rerum genendarum* vel *rerum gignendarum*, sequitur enim infra apud eundem Festum, *Genius est deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur, & propterea Genius meus appellatur, quia me genuit.* Et rectissimè Nonius Marcell. cap. 2. num. 392. *Genius generis Deus.* Certe enim veteres *Geno* pro *gigno* efferebant. M. Cic. lib. de Orat. *si mihi filius genitur, isque prius moritur,* in margine erat *gignitur.* Et li. 2. de Inuentione. *si mihi filius genitur, plurésue, is mihi hæres esto.* M. Varro Rei Rust. lib. 1. cap. 31. *id ex pabuli segete viridi sectum antequam genat siliquas.* T. Lucret. Carus lib. 3. apud Priscianum lib. 10.

Totum posse extra corpus durare, genique.

Corrigendus idem lib. 1. in eadem dictione.

Nobis est ratio, solis, lunæque meatus
Qua fiant ratione, & qua vi quæque genantur.

Antè malè legebatur, *quæque gerantur.* Laberius poëta in Imagine.

Genius generis nostri parens.

Sed elegantissima extat apud Ammianum Marcellinum lib. 21. in hæc verba dissertatio. *Post hæc confessus est cunctis thoribus proximis, quod tanquam secretum desolatum aliquid videre desierit quod interdum affuisse sibi squallidius æstimabat, & putabatur Genius quidam tutelæ salutaris appositus eum reliquisse mundo citius digressurum. Ferunt enim Theologi in lucem editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmodi quædam velut actus rectura numina sociari, admodum tamen paucissimis visa, quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracula & auctores docuerunt præclari, inter quos est etiam Menander Comicus apud quem hi senarij duo leguntur.*

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ
εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

(*Omni homini nascenti Genius totius vitæ mysticus ductor est*) *iisdem ex sempiternis Homeri carminib. intelligi datur non deos cælestes cum viris fortib. colloquutos, nec affuisse pugnantibus, vel iuuisse, sed familiares Genios cum iisdem versatos, quorum adminiculis præcipuis Pythagoras enituisse dicitur & Socrates.* & de Socratis Genio, seu Dæmone liber est Plutarchi. Q. Hora. lib. 2. Epi. 2. vers. 187.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum
Naturæ Deus humanæ mortalis in vnum
Quodque caput, vultu mutabilis.

Sacrificia illi non minus quàm aliis diis oblata, & præcipue die natali, libatumque illi interdum mola salsa Calphurn. Sicul. Egl. 5.

—tu cespite viuo
Pone focum, Geniumque loci, Faunúmque, Laremque
Salso farre voca.

animali hostia, idem Horat. lib. 3. od. 17.

—Cras Genium mero
Placabis & porco bimestri.

Aut Floribus, idem lib. 2. Epist. 1. vers. 144.

Tellurem porco, Syluanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium, memorem breuis æui.

Aut vino solo A. Persius Sat. 6. in limine.

Funde merum Genio.

Aut thure, Alb. Tibull. lib. 4. de Natali Cherinthi.

Magne Geni, cape thura libens, votisque faueto,
Si modo cum de me cogitat, ille calet.

In quo versu multiplex est lectio, alij enim legunt, *Mane veni*, alij *mane Geni.* Vt matutinum tempus potior diei pars ei nuncupetur, qui nascentib. lucis exordium præbuit. In secundo versu, legunt, *ille valet*, alij, *ille volet.* tu lector elige Plaut. in Persa sc. Ioui.

Nunc & amico meo prosperabo, & Genio
Meo multa bona faciam.

Idem corrigendus in Bacchidib. sc. Petulans, vt Dionysius Lambinus admonuit.

Petulans proterno, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo & modestia sum, sine bono iure, atque honore,
Incredibilis, impósque animi, inamabilis, illepidus viuo,

Maleuo-

Maleuolente ingenio latus.

Legendum est *Maleuolente Genio natus.* quia natis infantibus custos apponuntur, vt dixi, Genius. simili mendo laborat P. Terentius Afer Heautontimor. Act.3.sc.1.

Aut ego profectò ingenio egregiè ad miseriam
Natus sum, aut illud falsum est, quod vulgo audio.

Rescribendum censuerat Ianus Mellerus Palmerius in Spicilegio suo, non malè, meo iudicio, imò necessaria correctione:

Aut ego profectò Genio egregiè ad miseriam
Natus sum.

Inuentio & mentionem *Genij centuriæ* in antiqua inscriptione, cuius verba apponam ex Volfango Lazio lib.4. Commentarior. Reip. Rom. cap.8.

C. MARCIVS. C. F. SERE. SALVIANVS. HORBA. GENIO. CENTVRIÆ COH. X. PR. ET. MARI. BASSI. INQVA. MILITAVIT. ANNIS. XIX. VOTO. SVSCEPTO. MISSVS. HONESTA. MISSIONE. PR. NON. IANVAR. Q. FABIO. CAPVLLINO. M. PLAVTO. APRO. COSS. ANIMO. LIBENS. ARAM. SVA. PECVNIA. POSVIT.

Huic Deo & in vrbe votum extructúmque templum, vt habetur in Dionis Cocceiani narratione lib.50. pag.423. ἐν τῷ ναῷ τῷ τοῦ τοῦ δήμου ἱδρύθη. *In templo Genij populi consedit.* Idem lib 47. in lumine inter prodigia recenset, *vultures templum Genij P. R. insedisse.* Nec minus in prouinciis Geniis erecta fana, nam & Alexandriæ templum commemorat Ammianus Marcellinus lib.22.

Inde deriuata est consuetudo *Genium principis obtestandi.* L. Apuleius lib.9. Milesiar. *contra commilitones: ibi nec vsquam eum delitescere adiurantes Genium principis, contendebat.* quod interpretatur C. Suetonius in Iulio cap.85. *Interposito per Cæsarem iureiurando.* Eleganter C. Taciti lib.1. Annal. ad finem. *Rubrio crimini dabatur violatum periurio nomen Augusti.* Minutius Fœlix in Octauio. *Est eis tutius per Genium Iouis peierare, quàm regis.* Et Claudius neque crebrius, neque sanctius sibi iusiurandum instituit, *quàm per Augustum.* Suet. in eo. cap. 11. Q. Flor. Tertullian. Apolog. cap.28. *citius denique apud vos per omnes deos, quàm per vnum Genium Cæsaris peieratur.* Et in eodem opere cap.32. *sed & iuramus sicut non per Genios Cæsarum ita per salutem eorum quæ est augustior omnibus Geniis. nescitis Genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce demonia?* & pauculis interiectis. *Cæterum dæmonas, id est, Genios adiurare consueuimus, vt illos de hominibus exigamus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.* Ita intelligendus Vlpian. lib.12. *ff. de iureiurando, si quis iurauerit in re pecuniaria per Genium principis dare se non oportere, & peierauerit, fustibus eum esse castigandum.* Alexander Aug. l.2. C. *de reb. cred. & si per principis venerationem quodam calore fueris peieratum, inferri non placet.* Itaque principis nomen venerationémque violare censebantur, qui per Genium eius peierarent. Sic accipe M. Lucanum de Pompeio suo lib.7.

Inque Deûm templis iurabit Roma per vmbras.

Claudian. de bello Gildon.

——venerabilis illi
Ceu præsens numenque vocor.

Et de 6. Hon. consul.

——iuratur Honorius absens.

Sed de iurisiurandi formulis, authoritate, & ritu dicam infrà hoc opere abundantissimè, Deo duce. Genio huic loci sacra reduces instituebant, eúmque tanquam custodem soli, vt propitius foret, rem multis inter criticos notarunt Q. Symmach. lib.5. epist.72. *Octaua demum die, multa eluctatus itineris difficultate, Larem patrium salutaui.* Scholiast. Apollonij in fine. l.2. Argonaut. Stephan. de vrbib. in *...*. Sic Æneas Italiam salutaturus lib.7. Æneid.

——frondenti tempora myrto
Implicat, & Geniúmque loci, primámque deorum
Tellurem, Nymphásque, & adhuc ignota precatur
Flumina.

Sil. Italic. lib.6.

——Nymphas numenque precamur
Gurgitis ignoti.

Ouid. lib.5. Metamorph. Fab.1.

Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Figit, & ignotos montésque agrósq; salutat.

M. Acc. Plaut. Bacchidib. sc. Herilis.

Herilis patria salue, quam ego biennio
Postquam hinc in Eph. sum abij, conspicio libens.

Et Cydippe ad Acontium apud Ouid. in Epist.

Protinus egressæ superis quibus insula curæ,
Flaua salutatis thura merúmque damus.

Hanc siue tutelam, seu regionis numen, seu denique Genium, anguis specie depingebant. Isid. lib.12. Origin. cap.4. angues autem apud veteres pro Geniis locorum erant habiti semper, & sic describunt poëtæ. Virg. lib.5. Æneid. post ambitiosam serpentis descriptionem, subdit deinde.

Incertus Geniúsne loci,famulúsne parentis
Esse putet.

Et non minori,pompa idem non tentat modo,sed assequitur etiam Statius lib.5.Thebai.

Interea campis nemoris sacer horror Achæi
Terrigena erigitur serpens,tractúque solutus
Immanem sese vehit,ac post terga relinquit.

Et paucis interiectis.

—Inachio sanctum dixere Tonanti
Agricolæ, cui cura loci, & syluestribus aris
Pauper honos.

Sext.Propert.lib.4.Eleg.8.

Lanuuium annosi vetus est tutela Draconis.

Persius Sat.1 & interpretes.

Pinge duos angues, pueri, sacer est locus, extra Meiite,

Capvt XV.

De Orco siue Plutone, & reliquis Diis inferorum, Parcis, & Furiis.

INTER Deos selectos,siue præcipuos,& Orcus fuit,quem ab vrgendo dictum volunt:tametsi quidam Græcum potiùs nomen putauere,à iuramento deductum,& cum aspiratione scribunt Horcum. Festus. Orcum,quem dicimus,ait Verrius, ab antiquis dictum Vragum,quòd & V,literæ sonum pro O,efferebant,& per C.literæ formam nihilominus G,vsurpabant,sed nihil affert exemplorum,vt ita esse credamus, nisi quòd is Deus nos maximè vrgeat.Hactenus ille.Orcum,ait Varro apud Augustinum, terrenam & infimam partem mundi esse putabant.Hic fuit Saturni filius,Iouis & Neptuni frater, alio nomine Pluto nuncupatus à diuitiis.

PLVTO nuncupatur à diuitiis,πλοῦτος enim diuitias significat,quas veteres solis terris deputari credebant.Extat elegans distichon, quo comprehenduntur nomine trium illorum fratrum Deorum,Iouis,Neptuni, & Orci,siue Plutonis, & quomodo imperium paternum inter se diuiserint:

Iupiter astra,fretum Neptunus,tartara Pluto,
Regna paterna tenent tres tria,quisque suum.

ORCVS,siue potiùs ORCVM,genere neutro, dicebatur etiam locus inferorum. Cur autem veteres Plutoni imperium inferorum,& hominum mortuorum tribuerint,docet Diodorus Siculus lib 6.cùm scribit:Plutonem sepulchrorum,funerum,atque honorum,qui mortuis impenduntur, vsum introduxisse, cùm anteà nulla earum apud homines esset consuetudo, quæ causa extiterit,vt vitâ functis dominari sit existimatus,antiquitate illi huius curæ principium tribuente. Cæterum & aliæ huius Dei appellationes erant: dicebatur enim Dis pater, Summanus,Altor,Rusor,& Februus.

Dis appellatus est, vt ait Cicero, quòd terrena vis omnis ac natura ipsi dicata putaretur: nam & omnia in terras recidunt,& ex iis oriuntur: alij tamen,vt est apud Fabium Quintilianum,inde Ditem vocatum volunt,quòd minimè diues sit.Mortui enim omnibus exuti bonis credebantur.

Idem etiam SVMMANVS erat,qua summus Manium,cui (vt Plinius scribit) attribuebantur nocturna flumina. Huius simulachrum fictile in fastigio templi Iouis Opt. Max. fuit, quòd cùm ictum esset,nec vsquam eius caput inueniretur, Haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt:idque inuentum est eo loco,qui est ab Haruspicibus demonstratus. Cic. de Diuinat.

ALTOR dictus,quòd ex terra alantur omnia,quæ nata sunt.

RVSOR, quòd rursus cuncta,eòdem reuoluantur.

FEBRVVS appellatus est à purgationibus & lustrationibus funerum,de quibus alibi. Ædes Orci in x.Vrbis regione fuit.

Summani sacellum fuit in regione IIX.

Ædes autem in regione XI.quam vouit Titus Tatius Rex,Varrone teste.

ORCI,siue Plutonis vxor Proserpina fuit,Cereris filia,cuius paulò ante in Cereris historia meminimus.

Plutoni adduntur Parcæ & Furiæ,de quibus vno atque altero verbo.

PARCAS nomen habere volunt κατὰ ἀντίφρασιν quòd nemini parcant : & tres numerant,Clothon,Lachesin,Atropon:quarum Clotho colum teneat,Lachesis fusum, Atropos filum rumpat:vitæ cursum statúmque designantes. Vnde versus ille,

Clotho colum retinet,Lachesis net,& Atropos occat.

Fulgentius:tria,inquit,ipsi Plutoni destinant fata,quarum prima Clotho,secunda Lachesis, tertia Atropos. Clotho enim Græcè,Euocatio Latinè dicitur:Lachesis verò sors nuncupatur

Atropos

Atropos quoque sine ordine dicitur: hoc sentire volentes, quòd prima sit natiuitatis euocatio: secunda, vitæ sors, quemadmodum quis viuere possit: tertia, mortis conditio, quæ sine lege viuit. Hæc ille. Græci aliter de Parcis scribunt, quæ apud Lilium Gyraldum videri possunt. Hesiodus auctor est, Noctis & Erebi filias esse propter occultam & abdicatam fatorum vim. Varro apud Agellium lib. 3. ca. 17. scribit, Antiquos Parcis nomina fecisse à pariendo, & à nono atque decimo mense. Nam parca, inquit, immutata litera vna, à partu nominata: item Nona & Decima, à partus tempestiui tempore. Cesellius autem Vindex in lectionibus suis antiquis: Tria, inquit, nomina Parcarum sunt, Nona, Decima, Morta. Et versum hunc Liuij antiquissimi Poëtæ ponit ex Odyssea:

Quando dies aduenit, quem profata Morta est.

Sed homo minime malus Cesellius, Mortam quasi nomen accepit, cum accipere quasi *Moeram* deberet. Atque hæc quidem ille.

FVRIÆ, etiam Græcè Erynnies, Plutoni deseruiebant, quibus veteres commotæ mentis affectus adumbrabant, proptereáque furoris Deas existimabant. Semper verò virgines etiam prouerbio dictæ, quòd cùm malefactorũ vltrices sint, facilè corrumpi non possint, quinetiam pœnas de delinquentibus sumunt. Suidas. Erant autem tres Furię sorores, Alecto, Tisiphone, & Megęra: quidam & quartam addunt Lyssam, id est, Rabiem. Isidorus de Furiis sic scribit: Aiunt & tres Furias antiqui, fœminas crinitas serpentibus, propter tres effectus, qui in animis hominum multas perturbationes gignunt, & interdum cogunt ita delinquere, vt nec ad famam, nec ad periculum sui respectum habere permittant. IRA, quę vindictam cupit. CVPIDITAS, quę desiderat opes. LIBIDO, quæ appetit voluptates, quæ ideò Furiæ appellantur, quòd stimulis suis mentem feriant, & quietam esse non sinant. Rectè de Furiis Cicero in 1. de Legibus: Agitant & insectantur impios Furiæ, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ. Atque hæc quidem de diis inferorum repetere hoc loco voluimus. Plura qui cupit, legat Lilium Gyraldum Syntagmate 6. historiæ Deorum Gentilium, & alios.

CAPVT XVI.

De Fortuna.

EXPLICATIS Diis Maiorum gentium, quos & selectos dicebant, eorum historia nunc nobis pertexenda est, qui ex hominibus inter Deos relati sunt, quique communi nomine Indigetes dicuntur. De quibus tamen antequam dicere aggrediar, videor mihi non absurdè facturus, si de Fortunæ cultu, & templis nonnihil in medium afferam, quæ licet inter Selectos Deos è veteribus non sit numerata, credita tamen ab iisdem vel potentissima fuit, & pluribus nominibus ornata, id quod Iuuenalis grauiter reprehendit, inquiens:

Nullum numen abest si sit prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna Deam, cælóque locamus.

Et Plinius li. 2. c. 7. Toto, inquit, mundo & locis omnibus, omnibúsque horis, omniúmque vocibus Fortuna sola inuocatur: & vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & conuiciis colitur, volubilísque, à plerisque vero & cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorúmque fautrix: huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola vtramque paginam facit: adeóque obnoxiæ sumus sortis, vt Sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus. Hactenus Plinius. Fortunam definiêre quidam accidentium rerum subitum, ac inopinatum euentum. Verùm plurimorum & Oratorum & Poetarum, & aliorum Scriptorum dicta & testimonia de Fortuna coaceruare, nobis propositum non est, reperiuntur illa alibi. Satis est scire potentissimum id numen creditum fuisse, quemadmodum etiam seruus ille Pseudolus apud Plautum testatur:

Centum doctûm hominum consilia hæc deuincit Dea
Fortuna atque hoc verum est perinde vt quisque Fortuna vtitur,
Ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.

Iam verò, quod instituimus, cognomina Fortunæ recitabimus, & quæ illi templa consecrata fuerint, quantum ex veterum monumentis cognoscere poterimus, ostendemus. Etenim permulta ei, quemadmodum Plutarchus ait, antiqua & splendida omnis generis fere honoribus posita sunt templa, & permixta partibus, ac locis Romæ potissimis.

Primus Romæ Fortunæ templum dedicauit Ancus Martius sorore Numæ natus, quartus à

Romulo Rex. Videtúrque Fortunam cognomen fecisse Fortitudini, cui ad obtinendam victoriam Fortuna plurimùm confert. Plutarchus Commentario de Fortuna Romanorum. Consecrauit autem Fortunam virilem, id quod idem auctor lib. eodem docet his verbis: Virilis Fortunæ templum ab Anco Marcio quarto Rege est ædificatum, noménque inde petitum, quòd ad Victoriam parandam Fortitudini Fortuna plurimùm adfert adiumenti. Meminis huius templi præter alios P. Victor in descriptione xvi. Vrbis regionis.

Post Ancum religiosè Fortunam coluit, & plurima templa ei posuit Seruius Tullius, qui omnium regum maximè & potentiam auxit populi & Rempublicam ornauit, ordinémque census, ordinem militiæ instituit, primúsque Censor & inspector vitæ ac modestiæ ciuium fuit, creditúsque est vir fuisse fortissimus ac prudentissimus: is se ipsum ad Fortunam reiecit, eique regnum suum acceptum tulit: ita vt etiam cum eo consuescere Fortuna putaretur per fenestellam in domum eius descendens. Is ergo Fortunæ templa posuit primigeniæ, Obsequentis, Priuatæ, & Viscosæ: quarum appellationum rationes paucis annotabimus.

Primogeniae Fortunae templum in Capitolio fuit, Plutarcho teste, qui in Quæstionibus Romanis, causam cur hoc nomine à Romanis colatur, inquirens ait ideo vel potiùs, quòd ipsi Romæ sui ortus initia suggesserit, vel quòd omnium rerum principium sit Fortuna, & quòd natura ex euentis fortuitis constituatur, quando fortuita euenta ordinem inter se sortiuntur. Dio l. b. 42. scribit, Primigeniam dictam, quòd omnia quæ ante oculos, ac post se posita sint, cernat, atque expendat, moneátque debere vnumquémque meminisse, à quibus maioribus ortus, qualísque ipse sit.

Fuit & alia Fortunæ primigeniæ ædes, vota à Sempronio Consule cum M. Cornelio Cethego, anno ꟾↃxlix. bello secundo Punico, quem ipse Censor posteà locauit, in colle Quirinali. Q. Marcius Ralla, Duumuir ad id ipsum creatus, dedicauit anno ꟾↃ lv. decem annis postquàm vota erat. Liuius lib. 26. & 34.

Obseqvens Fortvna dicta est, quasi indigens, vel clemens: Huius ędes fuit in regione octaua.

Privatæ Fortvnæ siue propriæ delubrũ in Palatio à Seruio fuit excitatũ. Plutarchus.

Pvblica Fortvna, in valle Quirini, quæ inter Esquilias fuit, & Quirinalem collem culta est. Ouidius meminit 4. Fastor.

Viscosa dicta, quòd nos eminùs captet, & rebus adhibeat. Plutarch. in Quæstionibus Romanis, & Commentariolo de Fortuna Romanorum. Aedes hæc collocatur à P. Victore in regione Vrbis.

Parva dicta ab eodem Seruio, vel quòd initio humilis & obscurus, matre natus Captiua, Fortunæ beneficio ad regnum Romæ euectus fuerit: vel quòd significare voluerit Seruius, animum rebus essę aduertendum, nihilque eorum, quæ offeruntur, ob paruitatem esse negligendum, Plutarch. in Quæstionibus Rom. q. 47.

Mascvlæ Fortvnæ ædes quæ prope templum Veneris fuit, meminit Plutarchus Commentariolo de Fortuna Romanorum, dedicata est à Seruio.

Mascvlæ Fortvnæ ædem in Regia sua Tullius habuit.

Fuerunt & Fortunæ Bonæ spei, auerruncæ, blandæ, conuertentis, bene sperantis, & virginis à Seruio Tullio ædes extructæ, & consecratæ. Plutarchus in Quæstionibus Rom. q. 74.

Dvbiæ Fortvnæ vicus in Auentino fuit, in regione Vrbis xiii. P. Victor tradit.

Plebeiae Fortvnae templum etiam à Seruio conditum est, quòd is ex plebe ad Imperij gubernationem venerit. Ouid. 6. Fastor.

Plebs colit hanc: quia qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.

Fortvna Mvliebris culta, cíque templum constitutum est, in memoriam liberatæ Vrbis ab obsidione C. Marcij Coriolani, intercessione Veturiæ, & Volumniæ: quam historiam prolixè describunt Dionysius Halicarnassæus li. 8. Plutarchus in Coriolano, & alij, qui etiam annotant, Fortunæ huius simulacrum, cùm dedicatum esset matronis præsentibus, bis Latinè locutum esse, his verbis: Rite me matronae dedicastis. Valerius Maximus li. 1. cap. 8. Fortunæ etiam Muliebris simulacrum, quod est via Latina, ad quartum miliarium, eo tempore cum æde sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio Vrbis maternæ preces repulerunt, non semel, sed bis locutum constitit, his penè verbis: Rite me matronae vidistis, riteqve dedicastis. Addit Dionysius, mulieres monitu primæ Sacerdotis hunc morem instituisse, ne simulacrum hoc à nuptis coronaretur, neque à viduis: sed vt solis recens nuptis, hoc honoris & ministerij tribueretur. Plura apud Dionysium vide.

Eqvestri Fortvnæ ędē Q. Fuluius Flaccus Prætor in Hispania eo die, quo postremũ cum Celtiberis pugnauit, vouit; eandem Censor locauit, eóque studio fecit, ne vllum Romæ amplius

amplius aut magnificentius templum esset, qua de causa Iunonis Laciniæ ædem in Brutiis ad partem dimidiam detegit, vt ædem suam ornaret tegulis illis, quæ erant marmoreæ. Liuius lib.3. Annal. scribit, Tiberio Romæ imperante, nullum ibi Fortunæ Equestris templum fuisse: quod certè mirum est.

FORS FORTVNA quæ à plerisque Fortis Fortuna appellatur, non rectè, à Seruio Tullio consecrata est, qui ei primus ædem fecit, extra Vrbem in ripa Tiberis, quam bello Hetrusco, vel auxit, vel restituit Caruilius, multóque pòst Claudius Tiberius Imperator. Hanc Deam colebant qui sine arte aliqua viuebant, Vide Donatum in Terentij Phormionem, & in eundem Georgium Fabricium, item huius Romam cap.9.

FORTVNA huiusce diei consecrata à Q. Catulo est, docet Plutarchus in Mario, de bello Cimbrico agens: Vouit Catulus etiam sublatis manibus se consecraturum Fortunam illius diei. Ad huius Deæ ædem signa seminuda fuisse à Pythagora Samio pictore facta, Plinius lib.34. cap.8. scribit: vbi tamen pro Fortuda huiusce diei, perperam legitur, Fortuna huius Deæ, quem errorem obseruarunt, ac notarunt Adrianus Turnebus Aduersariorum lib.12.c.12. & Paulus Leopardus Emendationum lib.1.cap.14. Fortunæ huiusce diei meminit Cicero lib.2. de legibus.

FORTVNAE MALAE templum, seu (vt Cicero ait) ara consecrata in Esquiliis fuit, de quo apud suspectum sibi scriptorem se legisse, scribit Liuius.

FORTVNAE SEIAE ædem extruxit Nero Imperator, de quo Plinius.l.37.cap.22. A Nerone principe in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus, atque translucens, etiam qua paruæ fuluæ inciderant venæ, ex argumento Phengites appellatus: hoc construxerat ædem Fortunæ, quam Seiam appellatione dicebat, à Seruio Rege sacratam aurea domo complexus: quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diuina erat, haud alio, quàm specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa. Vnde cognomen hoc habuerit incertum.

MAMMOSAE FORTVNAE ædes fuit in capite viæ Nouæ, à qua etiam vicus nomen accepit: dicta vel ab vbertate, vel à forma statuæ.

FORTVNAE REDVCIS templum à Domitiano factum est. Martialis li.8 Ara etiam Fortunæ reduci consecrata Romæ est, ob reditum Augusti. Dio.lib.54. Atque de Fortuna hæc jam sufficiant.

AD CAP. XVI.

PARALIPOMENA.

De Fortuna Dea, eius cultu, cognominibus, simulachro.

AB Anco Martio à Romanis cultam Fortunam ab historica constat relatione, quam variè, docet ex infinitis scriptorum locis diligentissimè collatis Andreas Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum lib.1. cap.13. Lactant. Firmian. lib.2. diuinar. Instit. cap.29. *simulachro Fortuna cum copia & gubernaculo fingitur, tanquam hæc opes & humanarum rerum regimen obtineat.* Suid. in voce ἀγαθὴ τύχη, Francisc. Luisin. Parerg. lib.1. cap.22. alas ad inconstantiam notandam appositas habebat. Q. Horat. lib.3. od.29.

—si celeres quatit
Pennas, resigno, quæ dedit.

Etiam eius inconstantia, leuitas, cæcitasque tempore antiquissimo memorata. Aristot. Problem.8. sect.29. Pacuuius poëta, vt retulit lib.1. Rhetoricor ad Herennium, seu Cornificius, seu quilibet alius, certè Ciceronis non illud est opus, certè varia eius cognomina complectitur.

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent philosophi.
Saxóque illam globoso instare prædicant volubili, malim legi, volubilem.
Ideò, quo saxum impulerit Fors, cadere eò Fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet,
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit,
Brutam, quia dignum, atque indignum nequeat internoscere,
Sunt alij autem philosophi, qui contra Fortunam negant
Esse vllam, sed temeritate omnia statuunt regi, id magis
Verisimile esse aiunt, quod vsus reapse experiundo edocet:
Velut Orestes modò fuit rex, modò mendicus factus est:
Naufragio res contigit, nempe ergo haud Fortuna obtigit.

M. Manil. Astronom. lib.4. in limine.

Fortunamve suis inuitam prendere votis,
Aut fugere instantem.

Act.4.sc.3. *Romanis omnibus mos est in atrio, hoc est in vestibulo, habere Vestam (quippe cum inde vestibulum nominarint) cui sacrificium quotidie facerent, illic ei fuerat collocata ara, idcirco dictum est:*

Ex ara sume hinc verbenas tibi.

Neque verò huius sacrificij idem ritus, qui in aliorum deorum sacris, (licèt sciam molam etiam in illis receptam. Fest. li.3. in *casta*) nam *sal rusum tantum* offerebatur, Lil. Gyraldus syntag. deor. gent.17. quod *in calicibus fictilib.* asseruabatur, Helenius Acron. & Porphyrion veteres interpretes ad Q. Horat. libri 1. od. 31. adhibita qualibet aqua, sed tantùm ex Numico flumine. Seruius ad illud lib.7. Æneid.

—Hæc fontis stagna Numici.

Aut libo, aut farre. Iuuenal. Sat.6. vers.384.

Cum farre, & vino, Vestam, Ianumque rogabat.

Perpetuus æternúsque ignis in templo eius tanquam imperij certissimum pignus asseruabatur. Valer. Max. lib.5. cap. 4. tit. 6. *ignoscite vetustißimi foci, veniámq; æterni date ignes, si à vestro sacratissimo templo, ad necessarium magisque speciosum urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit.* T. Liu. 1. Decad. lib.5. *quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod imperij pignus, custodia eius templi tenetur?* Idem 3. Decad. lib.6. *Vestæ ædem petitam, & æternos ignes.* Poetæ passim. P. Virgil. lib.2. Æneid.

—Manibus vittas, Vestamque potentem
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Et Seruius ad illud lib.4 Æneid.

—Vigilémque sacrauerat ignem.

Illud notatu dignissimum, ignem hunc non in focis aut altaribus, sed suspensum in vasculis quibusdam fictilibus, vt iam supra admonui proximè Valer. Max lib. 4. cap.4. in fine. *namque per Romuli casam pérque veteris Capitolij humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos, iuro,* Seru. ad illud. lib.7. Æneid.

—Consiliis habitus non futilis auctor.

Tantum fiduciæ in hoc igne erat, vt oportuerit eum nunquam extingui, quod si contigisset, non carebat res infaustitatis præsagio, quare inextinctum vocant. Ouid. lib. 6. Fastor.

Ignis inextinctus templo celatur in illo.

Vetus marmor.

ANTIQVA. GENEROSE. DOMO. CVI. REGIA. VESTÆ.
PONTIFICI FOELIX. SACRATO. MILITAT. IGNE.

Vide quæ sequuntur in cultissimo Epigrammate apud Onuphrium de Ciuitate Rom. pag.149. Orpheus in hymnis.

Ἡ μέσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο μεγίστου.

Quæ mediam domum habes ignis æterni maximi.

Sil. Italic. lib.1. Punicor.

Et nos virgineæ lucentes semper in ara
Laomedontea Troiana altaria flammæ.

Et lib.3.

Et Vestæ secreta feramus.

Et lib.7.

—Primum Vestæ detersit honorem.

M. Lucan. lib.9. vers.995.

Dij cinerum, Phrygias colitis quicunq; ruinas,
Æneæque mei, quos nunc Lauinia sedes
Seruat, & Alba lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.

Et nunquam sine portento aut prodigio credebatur extingui, & anxiâ sollicitudine expiabant. notauit Gaspar Peucerus in Diuinat. extispic. quod contigit ante initia bellorum ciuilium, motaque inter Cæsarem & Pompeium arma. Præter historicos idem Lucanus lib.1. vers.549 certissimum futurorum argumentum ab eo igne desumptum insinuat.

—Vestali raptus ab ara
Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas,
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit
Thebanos imitata rogos.

Ouid. lib.15. Metam. fab. vlt.

—Facinusque repellite, neue
Cæde sacerdotis flammas extinguite Vestæ.

Quod vbi contigerat, omnia publica priuataque intermittebantur negotia, eratque iustitium indictum, donec procuratio solemnis institueretur, & tamdiu durare imperium quamdiu ignis fuisset inextinctus. Papin. lib. 4. syl.3.

Donec Troicus ignis, & renatæ
Tarpeius pater intonabit aulæ.

Et virgo cuius incuria id euenisset, à pontifice seuerè plectebatur, nam puto virgines igni fouendo excubuisse alternatim, seu sorte, seu præcepto pontificis ad id officij ductas. Valer. Maxim. lib.1. cap.1. tit.7. *Licinio pontifici Maximo, virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoueretur* malim legere, *admoneretur.* Iul. Obsequens de Prodigiis cap. 62. *Vestæ penetralis ignis extinctus, virgo iussu Æmilij pontificis maximi flagro cæsa.* Fest. Pomp. lib. 9. *Ignis Vestæ si quando interstinctus fuisset, virgines*

virgines verberibus afficiebantur à pontifice, quibus mos erat tabulam fœlicis materiæ tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret. Vbi ſcio viros doctos legiſſe, non *tabulam fælicis materiæ*, ſed *clabulam*. diminutiuum enim id à claua eſſe volunt, B. quippe & V. olim ſæpe in ſe inuicem tranſibant, & in nonnullis editionibus non *terebrare*, ſed *verberare* ſcriptum extat. Q. Flor. Tertullian. libro de Pœnitentia, *Quid illum theſaurum ignis æterni æſtimamus, cum fumariola quædam eius tales ictus flammarum ſuſcitent?* Atque etiamſi non fuiſſet extinctus, accendebatur tamen quotannis Calendis Martiis, & renouabatur ignis quem aſſeruabant in operto, non autem ſub tecto, oſtendit Ian. Parrhal. Epiſt. 57. Publius Ouidius lib. 3. Faſtor.

Adde quod arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Interim corrigendus è M. Manilio lib. 4. Aſtronomic. locus inſigniter corruptus:

Feſtinos, Capricorne, foues penetralibus ignes,
Hinc artes, ſtudiumque trahis.

Sic legit Ioſephus Scaliger, & exponit ignes feſtinos à natura elementi, velociſſimi motus, ταχυκίνητον, ſunt qui cenſuerint legendum.

Feſte tuos Capricorne foues.

Aliis placuit potior hæc lectio

Veſtinos Capricorne foues.

Neque deſunt, quibus placuerit,

Feſtiues Capricorne foues.

Vt ignes feſtiui ſint feſti, ſeu ſacri, ſed nulla harum lectionum placet, ideóque ſuadeo legas,

Veſta tuos, Capricorne foues penetralibus ignes.

Quam lectionem optimam eſſe, vel ex iis quę ſubiungit ipſe Manilius eodem loci liquet.

Hinc artes ſtudiumque trahis, nam quicquid in vſum
Ignis eget, poſcitque nouas ad munera flammas,
Sub te cenſendum eſt.

Et eodem libro.

Aſt anguſtâ fouet Capricorni ſidera Veſta,

Claudian. lib. de Bello Gildonico.

—Sanctaque memor Tritonia Veſtæ

Ad virgines eius deſcendo, de quibus multa ſunt à viris doctis obſeruata, iſtud tamẽ, quod à C. Plinio lib. 7. epiſt. 19. à nullo, quod ſciam, eſt animaduerſum, nec memini me alibi legiſſe, poſt illum notat Cęl. Rhodigin. Antiquar. lect. lib. 15. cap. 14. ita igitur ille. *Angit me Fanniæ valetudo, contraxit hanc, dum aſſidet Iuniæ virgini Veſtali ſponte primum, (eſt enim affinis) deinde etiam ex authoritate pontificum, nam virgines, cum vi morbi atrio Veſtæ coguntur excedere, matronarum curæ cuſtodiæque mandantur, quo munere Fannia dum ſedulo fungitur, hoc diſcrimine implicata eſt, inſident febres, tuſſis increſcit*, in aliis libris legitur, *inſident febris tuſſim iniecit*, quod probabilius duco. Mamertinus in Panegyrico Iuliani. *nulli gratificemini, in neminem ſæuiatis, toto in orbe terrarum nullius virginis fama violetur, ſit lectulus etiam ſine inconceſſis, ſed legitimis voluptatibus Veſtalium thoris purior*, corrigendum eſt, *ſit lectulus etiam ſine conceſſis & legitimis voluptatib. Veſtalium thoris purior*, Fr. Modius Nouantiquar. lect. Epiſt. 25. Iam verò quantus iis exhibitus, honor, quanta dignatio nemo ignorat. nam & *ſeruitia fugitiua, nondum vrbem egreſſa, retineri in loco earum precatione credebantur ab iis*, vt loquitur C. Plinius lib. 28. Nat. hiſtoriæ. cap. 2. *Et Claudia Veſtalis, cum patrem ſuum è curru triumphantem, violenta Trib. pleb. manu detrahi animaduertiſſet, mira celeritate vtriſque ſe interponendo, ampliſſimam poteſtatem inimicitiæ accenſam depulit, igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Veſtæ duxit*, vt verba vſurpem Valerij Maxim lib. 5. cap. 4. tit. 7. Scio Suetonium in Tiber. cap. 2. non patrem hunc, ſed fratrem Claudiæ facere & Iulius Cæſar *per virgines Veſtales, Mamercum Æmilium, & Aurelium Cottam, propinquos & affines ſuos veniam impetrauit.* Sueton. in eo. cap. 1. & Aulus Vitellius Aug. *ſuaſit ſenatui vt legatos cum virginibus Veſtalibus mitterent, pacem, aut certè tempus ad conſultandum petituros*, inquit idem Suatonius in vita eius ca. 16. Ergo inde liquet grauiſſima diſſidia earum interuentu componi conſueuiſſe. Adde & Vibidiæ Veſtalis precibus Meſſalinam tentaſſe veniam à Claudio principe marito obtinere, narrante C. Tacito libro 11. Annal. huc ſpectant & illa M. Ciceronis Orat. 2. Agraria. *ſi quicquam deliquero, nullæ ſunt virgines quæ me vobis deprecentur.* Teſtamenta penes eas erant aſſeruata, de teſtamento M. Antonij Plutarchus in eo de teſtamento Auguſti C. Sueton. cap. vltim. vbi notandum inter eas vnam fuiſſe auctoritate præcipuam, quæ *Maxima* dicebatur. idem Sueton. in Cæſare cap. 83. *teſtamentum eius aperitur, recitatúrque in Antonij domo, quod Idibus Septembribus proximis in Lauicano ſuo fecerat, demandauerátque virgini Veſtali Maximæ.* Et in Domitiano cap. 8. *Corneliam virginem Maximam* vocat. Sed nemo melius earum prærogatiuas expreſſerit Luc. Seneca lib. 6. Controu. 8. *tibi* (Veſtali virgini)

tibi consules pretorésq; via cedunt. nunquid exigua merce te virgo es? sacerdos varò iures, nec vnqu.m nisi per Vestam suam moriar. nunquid de nuptiis appellata es?

Sed vt magnus ei honos habitus, ita & delinquentes grauissimis afficiebantur suppliciis: nam *adulter verberibus necabatur*, ex lege quam in Libertatis atrio fixam M. Cato loquitur apud Festum Pompeium lib. 14. in voce *probrum Virginis Vestalis.* de virginis pœna, vet. Schol. ast. Iuuenal. ad Sat. 4. vers. 10. *hæc virginibus Vestæ pœna fuit decreta: si vitiatæ fuissent, viuæ in parietibus struebantur, aut sub terra obruebantur.* C. Plin. lib. 4. epist. 11. *Fremebat Domitianus, æstuabátque ingenti inuidia destitutus; nam cùm Corneliam Maximillam Vestalem defodere viuam concupisset, vt qui illustrari sæculum suum eiusmodi exemplo arbitraretur, pontificis Maximi iure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam suam conuocauit*, legendum est omnino: *Nam cùm Corneliam Vestalium Maximam defodere viuam concupiss.* auctor correct. Suet. laudato loco in Domit. cap. 8 supra, tota lugebat ciuitas, vt in clade publica, erátque is dies lugubris, vt ostendit multis Andr. Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum lib. 5. cap. 12. quod vsque adeò obseruatum, vt in animalibus, pro prodigio Vestalis damnatio notetur Euseb. Chronic. Olymp. 73. locus in quem defodiebantur erat prope portam Collinam T. Liu. 1. Decad. lib. 8. de Minutia Vestali. Fest. li. 17. *insceleratus campus.* Ouidius lib. 6. Fastorum.

—*Nec viua defodiatur humo.*

Sil. Ital. lib. 13.

Nec par pœna tamen sceleri, sacraria Vestæ.
Polluit exuta sibi virginitate sacerdos.

Cum defossa in terram Vestali virgine *panem & lac* ponebant, *ne videretur fame interiisse.* Gulielm. Canterus Nouar. Lection. lib. 7. cap. 6. ex Scholiaste Sophoclis ostendit. Rationem habes apud Iacobum Durantium Caselium lib. 2. variar. lection. cap. 2. ex Clemente Alexandrino Pæd. 3. quod terra impura huiusmodi, & libidinosa corpora purgari crederentur, ideóque in terra occultabantur expianda. Iuuenal. loco proximè citato.

Nemo malus fœlix, minimè corruptor & idem
Incestus, cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos.

MS. meus *cum quo vitiata iacebat.* sed malè, vt infra ostendam. Vt ignis nihil paritur impuri, ita virgines istæ omni corporei contagii labe carere debebant, vsque ad annum ab electione trigesimum, quo tempore licebat nubere, præter scriptores ab aliis obseruatos Sext. Propert. lib. 4. Eleg. 4.

Et satis vna malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere Vesta tuas.

Fallere flammas Vestæ, interpretor *impudicam esse*, aut adulterium admittere, aut ad nuptias conuolare, quod ante trigesimum annum, vt monui, non licebat. Aurel. Prudent. li. 2. in Q. Symmachum,

Tandem virgineam fastidit virgo senectam.

Et post eodem opere.

Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas,
Discit & in gelido noua nupta tepescere lecto.

D. Auson. Epist. 7. de triginta ostreis.

Quot numero annorum Vestalis virgo ministrat.

Qui anni sic diuidebantur, vt primis decem sacros ritus diligenter disceret, aliis insequentibus decem ministrarent, denique vltimis decem, quæ percepissent alias docerent. Dionys. Halicarnass. lib. 2. hist. Rom.

Locum in Amphitheatralibus, & scenicis, Circensibúsque habuisse ludis ostendam infra lib. 5. cap. 4. Carpentis seu pilentis, vt alias matronas, vectas, certum ex C. Suetonio in Tib. cap. 2. & dicam alibi. Ad ornatum descendo. vestitus *suffibulum* appellabatur. Fest. *Pom.* lib. 17. *suffibulum vestimentum album prætextum quadrangulum oblongum quod in capite vestales virgines sacrificantes habebant, idque fibula comprehendebatur.*

Vittas capitis ornamenta, vt aliæ matronæ, gestabant, vide lib. 5. cap. 35. infra D. Ambros. Epist. ad Valentinianum. *vix septem Vestales capiuntur puellæ, en totus numerus quem infula vittati capitis.* M. Lucan. lib. 1. Pharsaliæ vers. 596.

Vestalémque chorum ducit vittata sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Mineruam.

P. Ouid. lib. 6. Fastor.

Decidit arte sacros linea vitta focos.

Idem lib. 6. Fastor.

Nullâque dicetur vittas temerasse sacerdos,

Allusère poëtæ. Virg. lib. 1. Æneid.

Virgineas ausi diuæ contingere vittas,

Valer. Flacc. Argonaut. lib. 8.

Vltima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Nec Vestales modò vittatæ, sed & aliæ sacerdotes. Caius Tacitus lib. 1. Annalium. *Sacerdos apud aram Vbiorum creatus, ruperat vittas.* Virg. lib. 3. Æneid.

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos,

Vittis,

Vittis & sacras redimitus tempora lauru,

Aurelius Prudentius in Romano Martyre

Summus sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus festa vittis tempora nectens.

Denique est hæc vetus Inscriptio.

MANSIONES. PALATINORVM. SALIORVM. A. VETERIBVS. OB. ARMORVM. MAGNATIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS LONGANIMITATE. NEGLECTAS. PECVNIA. SVA. REPARAVERVNT. PONTIFICES. VESTÆ. VV. CC. PROMAGISTRO. PROTI. IACILII. LVCILII. PRÆTEXTATI.

CAPVT XIII.

DE NEPTVNO.

NEPTVNVM à nubendo dictum putauit Varro quod nubat, id est, aperiat terras: quod idem scribit Arnobius. At M. Cicero à nando vocatum existimat. A Græcis dictus Ποσειδῶν, quod pedibus terram quatiat, quamquam alii alias huius appellationis rationes afferant, quas hic prætereo.

Fuit NEPTVNVS Saturni & Rheæ filius: qui cum nauigandi artem inuenisset, classem instituisse, eiúsque præfectus à Saturno factus esse dicitur. Quapropter traditum est posteris Neptunum imperasse mari, sacráque ei à nauigantibus facta. Addunt etiam Neptunũ equos primùm domuisse, artémque equitandi ab illo traditam: ex quo Hippius sit appellatus. Diodorus li. 6. c. 15. Hic à primo Vrbis excidio à Romanis cultus fuit. Dionysio, Liuio, Plutarcho, aliis minorum gentium auctoribus, cognomine Consi, quod ei fuit inditum à consiliis dandis. Sunt tamen qui Consum diuersum à Neptuno faciant, videlicet Deum consilij, à quo Romulus consilium de rapiendis Sabinis acceperit. Aurelius Augustinus Consum à consilio dando denominatum ait. Cyprianus Romulum dicit Consum Deum fraudis, velut consiliorũ Deum coli voluisse. Arnobius in 3. aduersus Gentes lib. Consum dictum putat, quòd salutaria & fida consilia nostris suggerat cogitationib. Cùm etiam Dionys. l. 2. docet, quosdam Neptunum & Consum eundem Deum, quosdam diuersos eos fecisse. Verùm vtut hæc sint non anxiè laborandum nobis est. Conso, teste Dionysio, ara subterranea fuit constructa iuxta Circum maximum: in qua sacra ipsi fiebant Consualibus, de quibus agemus suo loco. Ideò autem eius Dei ara subterranea erat, vt significaretur consilia occulta esse oportere. Plutarchus.

EQVESTER NEPTVNVS dictus est, Græcè Hippius, quia primus equos domuisse artémq; equitandi tradidisse fertur, quemadmodum ex Diodoro audiuimus.

REDVCIS NEPTVNI mentio extat in antiquis nummis, quorum vnum hic subiecimus.

Templum NEPTVNI Romæ fuit in regione Vrbis IX, item ædes, cuius meminit P. Victor.

NEPTVNO addunt SALACIAM & VENALIAM. Salaciam quidam putant Neptuni vxorem fuisse, sic dictam à salo, quod salũ moueret, teste Varrone. Festus. Salaciam dicebant Deam aquæ, quam putabant salum ciere, hoc est, mare mouere. Augustinus ex Varrone lib. 7. cap. 22. scribit Veniliam vndam esse, quæ ad litus venit. Salaciam vndã, quæ ad salum redit. Iosephus Scaliger in appendice ad coniectanea in Varronem: Venila, inquit, est accessus seu exæstuatio maris, Salacia recessus. Varro, vt citatum reperi, Venilia vnda, quæ ad litus venit: Salacia, quæ ad salum redit. Atque ita quidem Romani vocabant maris reciproca incrementa, aut decrementa. Sed postquam in Oceanum Germanicum penetrârunt (quod primus Drusus Germanicus fecit, Germanicis nominibus veterum Saxonum ea vocarunt, pro Venilia Malinam, pro Salacia Lidimam dicentes. Atque ita quidem scriptum reperi in veteri libro Bedæ Anglosaxonis. Hæc ipse. Plutò post addit, Veniliam & Salaciam significare accessus & recessus maris quotidianos: Malinam & Lidunam etiam lunaria Oceani incrementa, & decrementa, &c. Atque tantum de his. Dicendum etiam de aliis marinis Diis, & Nymphis, & cæt. sed cùm ad Græcam potius historiam pertineant, nos hic ea prætermit-

remus. Ægeriæ tantum & Iuturnæ, quæ à Romanis cultæ fuerunt, mentionem facientes.

AEGERIAM nympham Numæ Pompilij Regis vxorem aiunt fuisse. Sic.n.de ea Diony.li. 2. Fabulamur congressum Numam sæpiùs cum Ægeria nympha, cuius è præceptis hauserit regiam prudentiam. Alij non Nympham, sed vnam Musarum palam ad eum ventitasse perhibent. Addit deinde Dionysius narrationem, quo facto Numa Romanis parum credulis suū cū Aegeria congressum probârit. Cùm, inquit, prisci illi Quirites parum creduli, pro figmentis haberent quæ audirent de Dijs, aiunt noluisse Numam eis manifesto signo facere fidem suæ cum numinib. consuetudinis, Aegeriáque iubente vocasse domum præcipuos ciuium, ostensáque vili suppellectile, atque apparatu, qui non caperet frequens conuiuium, tunc dimissos, inuitasse ad cœnā sub vesperam, quibus ad condictam horam reuersis, ostendisse lectisternia splendida, mensasq; refertas multis egregiis poculis, ac mox discumbere iussis epulū præbuisse instructum omnigenis ferculis, qualia nemo facilé pararet, quantumuis longo tēpore. Romanos verò attonitos, tam vario spectaculo constanter posthac opinatos, Deam quampiam cum illo familiariter degere. Hactenus ille. Plura de Aegeria Plutarchus & alij habent.

Huic ædem Romani extruxere, cuius meminit P. Victor. Dicatus ei & locus fuit, quem, vt ait Liuius, medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua, qui locus Camœnis sacer erat. Pompeius Festus Aegeriæ lucum iuxta portam Capenam constituit. Ouid. lib. Metamorph. 15. Aegeriam inducit in fontem mutari à Diana. De Aegeria, cui sacrificant prægnantes, suo dicemus loco.

IVTVRNAM Nympham Varro scribit dictam fuisse, quæ iuuaret. Itaque multos ægrotos propter id nomen aquam petere è fonte Iuturna solitos. Seruius in Virgilium: Iuturna, inquit, fons est in Italia saluberrimus, iuxta Numicum fluuium, cui nomen à iuuando inditum est. De hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueuerat. Tradunt alij Iuturnam in lacu submersam ei nomen indidisse.

Aedes eius Romæ fuit ad aquam virginem, vt ait P. Victor, in regione Circi Flaminij. Ouid. in Fast. innuit, fuisse illam ædem in campo Martio propè aquam virginem. Verba eius sunt.

Te quoque lux eadem Turni Soror æde recepit,
Hic vbi virginea campus obitur aqua.

PORTVMNVS etiam ab his diis non est segregādus: de quo tamen vno tantùm atque altero verbo dicā. Portumnus, siue, vt aliis magis placet, Portunus, aut geminato n, Portunnus, Deus marinus erat, portubus præfectus. Festus: Portunus, qui & Palæmon, à Romanis inter Deos colebatur. Hic alio nomine Melicerta dictus, de quo fabula hæc refertur. Athamas post furorem à Iunone immissum, cùm occiso Learcho, qui etiam Clearchus dictus, Melicertam alterum filium cum Ino vxore sua persequeretur, & illi se in mare præcipitassent, volunrate numinum in Deos versi sunt. Melicerta in Portunnum, qui Græcè dicitur Leucothea. Historiam prolixè recitat Ouidius in 4. Metamorph. Aedes Portumni Romæ duæ fuerunt, vtraque in XI. Vrbis regione, altera rotunda ad pontem Aemilium, olim Sublicium appellatum, altera inter Apollinem Cœlispicem, & Herculem Oliuarium. Atque hæc tantùm de his.

AD CAP. XIII.

PARALIPOMENA.

De Neptuni sortitione.

SOrtitum Plutonem, cum fratrib. sorti hæreditatem submittere placuisset, nemo ignorat. & prodidere Diodorus Siculus lib. 4. Biblioth. & Homerus vers. 190. lib 15. Iliad. Seru. ad vers. 143. lib. 1. Æneid. *Iupiter & Neptunus, & Dis pater, Saturni & Opis filij, cum de mundi positione certamen inissent, placuit vt imperium sorte diuiderent: ita effectum est, vt cælum Iupiter, maria Neptunus, Dis pater inferos sortirentur.* Id ego corrigendum ducerem, legendumque *de mundi possessione certamen inissent.* Idem lib. 10 Æneid. vers. 39 *sors rerum id est regnum: nam per sortem inter se fratres Iupiter, Neptunus, & Pluton mundi regna diuiserunt.* vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers. 50. Sat. 13. *cum adhuc nec Iupiter regnum cæleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluton infera cum Proserpina.* Luctat. Placid. ad lib. 8. Thebaid. vers. 196. *Claria ciuitas est in qua tres dij, id est Iupiter, Neptunus, & Pluto, mundum dicuntur fuisse sortiti.* Euhemerus antiquus historicus, qui ex sacris Inscriptionibus & titulis templorum gesta deorum collegit. apud Lactantium lib. 1 Diuinar. Insti. cap. 11. *aiunt Ioui cælum obtigisse, Neptuno mare, Inferna Plutoni, cur non terra potius in sortem tertiam venit?* Sic intellige poetas. Cl. Claudianum lib. 1. de Raptu.

Tertia suprema patior dispendia sortis.

Valer. Flacc. lib. 1 Argonaut.

Tuque fretum, diuosque pater sortite biformes.

Sil. Italic. lib. 17. Punicor.

—Cuius proles terramque fretumque

Sida-

Sideráque & manes regnorum sorte gubernat.

P. Virgil. in Ætna.

——Sors data cælo.

Prima, sequuta maris, subsedítque infima tellus.

Alb. Tibull. lib. 3. eleg. 5.

Parcite pallentes umbras quicumque tenetis,

Duraque sortiti tertia regna Dei.

D. Auson. in Mosella.

——Haud ille sinis, cui cura secundæ

Sortis, & æquorei cessit tutela tridentis.

Tellus ad Iouem apud Ouidium. lib. 2. Metamorph.

——Cur illi tradita sorte

Æquora decrescunt?

L. Sen. Hercule Oetæo.

Et si placerent tertiæ sortis loca.

Regnare potui ram.

Quod tamen factum negat Callimachus in hymno Iouis. Quod licet fabulosis poëtarum inuolucris traditum sit, non caret tamen antiquitatis insigni ratione, nam *regna olim sorte inter heredes diuidebantur.* id Alexandri successores, mortuo eo fecerunt, Plutarc. in Eumene. Et Augustus, Antonius, & Lepidus, *orbis terrarum imperium sorte inter se sunt partiti.* Appian. bello Ciuil. li. 1. quinimo & Apostoli in omnes mundi partes cum Euangelij luce missi, *prouincias sorte elegerunt.* Ruffin. histor. Ecclesiast. lib. 10. Id consuetudinis Persicæ fuisse docemur ex Paulo Orosio lib. 2. cap. 8. *Anno ab vrbe condita 245. Darius, Cyro apud Scythas interfecto, post aliquantum interuallum sorte regnum adeptus est.* quod idem inter Græcos prodidere, Herodot lib. 3. & ex illo Polyænus stratagemat. lib. 7. iisque posterior Ammian. Marcellin. lib. 23. Gothos idem factitasse videri posset ex Sidonio Apollinare lib. 6. Epist. 6. *limes Gothicæ sortis.* Et lib. 7. Epist. 3. *promotæ limitem sortis.* lib. 9. Epist. 5. *diuersarum sortium iure reuocaremus.* In Italia idem iuris obseruatum. Vell. Patercul. lib. 1. cap. 1. *per hæc tempora Lydus & Tyrrhenus fratres cùm regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, vter cum patre multitudinis decederet patria; sors Tyrrhenum contigit.* eadem Seruius ad lib. 2. Æneid. vers. 161.

——Vbi Lydius arua

Inter opima virum leni fluit agmine Tibris.

Et ad illud lib. 8 Æneid.

——Lydia quondam

Gens bello præclara.

Denique & in Græcia inualuisse testes sunt Etheocles & Polynices, qui regnum Thebarum sortis arbitrio inter se diuiserunt, vt est apud Diodorum Siculum lib. 5. c. 6. & Euripides in Phœnissis, quod voluntate patris factum narrat Iulius Hyginus Fabular. cap. 67. L. Sen. Thebaid. Act c.

Iam regna repetens frater ex pacto venit.

Stat. Papin. lib. 1 Thebaid.

——Iam sorte cadebat

Dilatus Polynicis honos.

Et lib. 2. Thebaid.

Quippe animum subit illa dies, qua sorte secunda

Fratris Echionia flexerat priuatus in aula.

Et eodem libro postea.

Quæ sors iusta mihi, quæ non indebitus annis

Sceptra dies auit honos teneo.

Idem in diuidendo Mycenarum regno Atreus & Thyestes admiserunt. L. Sen. Thyeste Act. 1. in choro.

Alternæ scelerum ne redeant vices.

Plura dicam infra lib. 4. cap. 21. vbi de Neptunalibus, siue Neptuni feriis agetur.

Capvt XIV.

De Genio.

Seqvitvr inter Deos selectos Genivs, de quo non omnes idem sentiunt. Sextvs Põpeius Festus: Genium appellabant Deum, qui vim obtineret rerum omnium genendarum. A. Gellius, Genius, inquit, est Deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur, propterea Genius meus nominatur, quia me genuit. Sunt qui dicant, duodecim signa cœlestia esse Genios, vniuersaliores scilicet. Nam alioqui suus est cuique loco Genius, quem ei faciunt præficere. Quin & vnicuique hominum Genius est. Aurelius Augustinus: Genius est Deus, qui præpositus est, ac vim habet omnium rerum gignendarum, Et paulò post Varronem affirmare dicit, Genium esse vniuscuiusque animum rationalem, & ideò esse singulos singulorum: Geniorum etiam meminit præter alios multos Ammianus Marcellinus, plurimis verbis. Seruius Grammaticus triplices Genios facit. in 1. Georgicorum Virgilij: Genium, inquit, dicebant antiqui, naturalem Deum, vniuscuiusque loci, vel rei, aut hominis. De Genio hominis sic Censorinus. Genius ita nobis assiduus obseruator appositus est, vt ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab vtero matris acceptos, ad extremum vitæ diem comitetur. Appellatum autem hoc numen Genium ait, siue quòd in eius tutela vt quisque natus est viuit: siue quod vt generemur, curet, siue quòd vnà gignatur nobiscum: siue etiam quòd nos genitos suscipiat, siue tueatur. Cæterùm veteres vnicuique hominum duos Genios attribuebant, alterum bonum, alte-

tum malum, non aliter atque nos ex sacris literis edocti scimus vnumquemque suum Angelum custodem habere,& contra malum Angelum insidiatorem. Docet id præter alios Seruius Grammaticus in hoc Virgilij. *Quisque suos patitur Manes.* Cùm nascimur, inquit, duos Genios sortimur,vnus est,qui hortatur ad bona,alter, qui deprauat ad mala,nec incongruè dicuntur Genij,quia cum vnusquisque genitus fuerit,ei statim obseruatores deputantur: quibus assistentibus post mortem aut condemnamur in deteriorem : per quos aut vocationem meremur,aut reditum in corpora. Ergo Virgilius Manes, Genios dixit,quos cum vita sortimur,Censorinus scribit à nonnullis binos genios in his duntaxat domibus quæ maritæ essent, colendis creditum esse. Alij genios propriè masculis,Iunones fœminis affirmarunt,qua de re alibi erit dicendi locus.

Simulachrum Genij fuit varium,interdum effingebatur imagine serpentis : interdum puerili,vel iuuenili forma: interdum etiam senis,vt apud Cebetem. Coronabatur verò Platani foliis:vt pote arboris genialis. Albius Tibullus poëta ita eum suis versibus exornat:

Ipse suos adsit Genius visurus honores,
Cui decorent sanctas florea serta comas.
Illius è puro distillent tempora nardo,
Atque satur libo sit,madeátque mero.

In vetustis nonnullis mouetis Traiani & Adriani , aliorúmque principum, Genius pateram dextra super aram porrigere,quæ esset sertis ornata : læua verò manu propendulum flagellum,vel simile quiddam tenere videbatur.

Genio res sacra fiebat mero,ac floribus,cuius rei causam explicant Varro & Censorinus, his ferè verbis:id moris,inquiunt,institutique maiores nostri tenuerunt,vt cùm die natali munus annale Genio soluerent,Manum à cæde & sanguine abstinerent , ne die, qua ipsi lucem accepissent,aliis demerent. Et addit Censorinus,quod sacro Genio facto,neminem oportuerit antè gustare,quàm eum,qui sacrum fecisset.

De Geniis plurima habet Plutarchus in eo Commentario,in quo disputat,cur oracula edi desierint,vbi etiam docet alium Genium alio & virtute & sapientia,& viribus præstitisse.

In descriptione XIV. regionum Vrbis mentio fit ædiculæ Genij Liberorum,& ædiculæ Genij Larium,regione VI. Sacelli Genij Sangi regione VII. A quibus autem condita fuerint,mihi non liquet. Hactenus de Genio diximus,quibus antequàm ad alia accedamus, adiiciemus quædam de Penatibus & Laribus,quia vicina numina fuerunt. Ac de penatibus primùm.

PENATES.

Penates,quasi penites,quòd penitissimi Dij sint & proprij. Macrobio illorum sententia placet,qui Deos Penates dixerunt,per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus. Itaque Penates sunt præsides & custodes Dij. Cicero existimat Penatium nomen à Penu ductum esse,quòd vocabulum significet omne id,quo homines vescũtur,vel ab eo,quòd penitus insideant:ex quo etiam Penetrales à poëtis dicantur. Varia Penatium genera fuerunt , Alij Penates totius generis humani , quales putârunt esse Pallada summum æthera,Iouem medium æthera,& Iunonem infimum:alii Penates cœli,vt Martianus Capella in nuptiis ludit:alij terræ,alij cuiusque ciuitatis:alij cuiusque domus. Sed vt de Penatibus dicam,quos Æneas in Italiam portauit , quorúmque templum in Octaua Vrbis regione collocatur,quinam illi fuerint, inter auctores conuenit : alii enim volunt Neptunum & Apollinem eos esse,de quibus legitur,quòd muros Troianos extruxerint: alii Vestam dicunt:alii alios. Dionysius Halicarnassæus refert,se vidisse Romæ in templo obscuro & humili,quod non procul à foro absit,simulachra Deorum Troianorum,cum hac inscriptione Denates, per quod vocabulum Penates intelligat , qua verisimile sit, veteres antè inuentum P. pro eo literam D. vsurpasse. Fuisse autem duos hastatos iuuenes , habitu sedentium, admodum antiqui operis , & addit similia horum Deorum simulachra , militari habitu , etiam in multis aliis templis conspici. Ludouicus Viues dicit putare se Vestam non tam fuisse ex Penatibus,quàm Penatibus additum focum:& duos illos iuuenes,de quibus Dionysius loquitur , putat esse Castorem & Pollucem , quos tamen negat Penates Troianorum fuisse, cùm sub ipsum bellum Troianum,rapta iam Helena,primum vitæ concesserint. Penatibus & Vestæ dictator,cæterique Magistratus Romani,quo die dignitatem inibant,sacra faciebant.

LARES.

Lares sunt Dij domestici vnde & pro ædibus ipsi accipiuntur, atque hinc Lar familiaris,qui ab antiquis,teste Plauto, in canis figura efformabatur. Fuerunt Lares Maniæ filij,quẽadmodum Varro & Macrobius docent. Ouidius in Fastis, Mercurii & Laræ Nymphæ, quæ & Muta dicta est,filios eos facit. Lactantius & Ausonius Larundæ. De Lara verò siue Larunda,hæc fabula narratur,quòd Nympha hæc Tiberiona fuerit, cui ab Ioue lingua sit abscissa,

quòd

quòd Iuturnæ cum Ioue concubitum Iunoni indicasset. Quæ cùm postea à Ioue Mercurio tradita esset, vt ad inferos eam deferret, Mercurius inter eundum forma puellæ illectus, rem cum ea habuit, vnde nati sunt gemini Lares. Arnobius scribit Lares vicorum atque itinerum Deos esse, ex eo, quòd Græci vicos cognominãt Lauras. Nigidius modò tectorum, domuúmque custodes, modò Curetas illos, qui occultasse perhibentur æribus Iouis vagitum, indigetes Samothracios. De simulacris ipsorum Plutarchus scribit, Laribus, quos proprie Præstites vocant, canem astetere: ipsósque Lares canina pelle vestiri, eiúsque rei hanc ponit causam: cùm scilicet custodiæ & curæ domus committantur, conuenire eos alienis terrori, domesticis autem mansuetos, qualis sit natura canum. Addit & alterã causam, quod Lares à quibusdam putentur esse Genij quidam diri, ac furiarum naturæ affines ad puniendum facti, qui in vitas & familias hominum inspiciant: itaque canum exuuiis eos vestiri, & canem eis assidere, vt puta qui sint callidi ad scrutandum & vlciscendum malorum facinus. Solebant & coronari Lares. De cultu eorum suo dicemus loco.

In IIX. Vrbis regione templum, sacellum, & delubrum Larium fuerunt: fuit item lucus Larium, & sacellum eorundum in Velia regione X. Primus Laribus ædem vouit & extruxit T. Tatius Sabinorum Rex, teste Varrone.

LARIBVS PERMARINIS in campo Martio ædem vouit bello contra Anthiochum Regem L. Æmilius Regillus, quæ annis vndecim post dedicata fuit, supra cuius ædis valuas tabula, cum hoc titulo fixa est: Duello magno Regibus dirimendo·caput*subigendis*patrandæ pacis*hæc pugna exeunti L. Æmilio M.F. Regillo Prætori*auspicio, imperio, fœlicitate, ductúque eius inter Ephesum, Samum, Chiumque classis Regis Antiochi ante diem XI. Kal. Ian. victa, fusa, contusa, fugatáque est, ibique eo die naues longæ cum omnibus sociis captæ XLII. ea pugnata Rex Antiochus, regnúmque eius*eius rei ergo ædem Laribus permarinis vouit. Eodem exemplo tabula in æde Iouis in Capitolio supra valuas fixa est, Hæc Liuius li. 40. quæ quidem miserè deprauata sunt: quæ Carolus Sigonius ad hunc modum ex parte restituit, Permarinos autem Lares vocauit L. Æmilius, quia mari sibi adsuerant.

Aram Laribus Præstitibus dicauit Curius, quod præfuissent mœnibus Vrbis auctore Ouidio lib. 5 Fastor. Sed de his hactenus.

AD CAP. XIIII.

PARALIPOMENA.

De Genio eius cultu, sacrificiis, statua.

GEnium virorum esse tutelam, & veluti præsidem supra exposui, vt & mulierum Iunonem cap. 6. hoc libro. nunc dicendum nõ modò hominum, sed & regionum, regnorum, Vrbiúmque suos esse Genios. Plutarch. lib. de Oracul. def. *τὸ τῶν δαιμόνων γένος ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων. dæmonum genus in medio inter deos & homines*, Genios exponit, & nuntios inter deos & homines Plato apud eundem lib. de Iside & Osyride Ian. Parrhas. in Milonianam, Seruius Maurus ad vers. 742 li. 6. Æneid. *Manes* esse vult, & *Genium* Latum in 6. reg ponitur à Sexto Rufo. Qu. Symmachus in Relatione sua ad AAA. pro restaurando deorum gentilium cultu. *suus cuique mos, suus cuique ritus est, varios custodes vrbibus cunctis mens diuina distribuit: vt animæ nascentibus, ita populis fatales Genij diuiduntur: & obsessis Hierosolymis audita vox est numen vrbis alio migrare, id est Genium.* Nicephor. Histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 4. Et inter Ethnicos C. Tacit. lib. 5. Historiar. Tertul. li. de Idololat. Anton. Delr. in Troiadas L. Sen. obseruat. & huc tradit illud eiusdem poetæ Act. 1. sc. 1. Troad.

Superbique testes sceleris: & quondam sacrum
Regni iacentis.

C. Petron. in Satyr.

Perituræ Troiæ perdidit primum deos.

Sil. Italic. Carm. 7. vers. 475.

Fortuna priorem Arripuit Genium.

C. Claudian. Epist. ad Serenam.

Quid non proficiunt scribentis voce Serena,
Vel Genius regni, vel pietatis amor?

Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmachum.

Aut fatum aut Genium, cuius moderamine regnant.

Augustius vetus scriptor apud Festum Pompeium lib. 7. *alij Genium esse putarunt vniuscuiusque loci Deum.* Arnob. lib. 1. cont. gent. *qui Faunos, qui statuas, in statúmque Genios, qui Pausas venerentur atque Bellonas.* Vetus Lapis Viennæ, cuius hæc sunt verba.

I. O. M. IVNONI. GENIO. LOCI.
HVIVS Q. CECILIVS. SECVNDVS.
LEG. C. SERENI. PROCOS. GALLIÆ. TRANSALPINÆ.
V. S. L. M.

FORTVNÆ. CONSECRATVM. GENIOQVE. HVIVS. LOCI. HONORATEI. IVN. TIBERINIACI. TRIB. MIL. LEG. X. C. PP. T. CLAVD. VALENTINVS. CORNICVLARIVS. EX. VOTO. AQVIL. ET. ÆMIL. COSS.

Maleuolente ingenio latus.

Legendum est *Maleuolente Genio natus.* quia natis infantibus custos apponuntur, vt dixi, Genius. simili mendo laborat P. Terentius Afer Heautontimor. Act. 3. sc. 1.

Aut ego profectò ingenio egregiè ad miseriam
Natus sum, aut illud falsum est, quod vulgo audio.

Rescribendum censuerat Ianus Mellerus Palmerius in Spicilegio suo, non malè, meo iudicio, imò necessaria correctione:

Aut ego profectò Genio egregiè ad miseriam
Natus sum.

Inuentio & mentionem *Genij centuriæ* in antiqua inscriptione, cuius verba apponam ex Volfango Lazio lib. 4. Commentarior. Reip. Rom. cap. 8.

C. MARCIVS. C. F. SERE. SALVIANVS. HORBA. GENIO. CENTVRIÆ COH. X. PR. ET. MARI. BASSI. INQVA. MILITAVIT. ANNIS. XIX. VOTO. SVSCEPTO. MISSVS. HONESTA. MISSIONE. PR. NON. IANVAR. Q. FABIO. CAPVLLINO. M. PLAVTO. APRO. COSS. ANIMO. LIBENS. ARAM. SVA. PECVNIA. POSVIT.

Huic Deo & in vrbe votum extructúmque templum, vt habetur in Dionis Cocceiani narratione lib. 50. pag. 423. ἐν τῷ ναῷ τῷ τοῦ Γενίου τοῦ δήμου ἱδρύθη. *In templo Genij populi consedit.* Idem lib. 47. in limine inter prodigia recenset, *vultures templum Genij P. R. insedisse.* Nec minus in prouinciis Geniis erecta fana, nam & Alexandriæ templum commemorat Ammianus Marcellinus lib. 22.

Inde deriuata est consuetudo *Genium principis obtestandi.* L. Apuleius lib. 9. Milebat. *contra commilitones: ibi nec vspiam eum delitescere, adiurantes Genium principis, contendebat.* quod interpretatur C. Suetonius in Iulio cap. 85. *Interposito per Cæsarem iureiurando.* Eleganter C. Tacit. lib. 1. Annal. ad finem. *Rubrio crimini dabatur violatum periurio nomen Augusti.* Minutius Fœlix in Octauio. *Est eis tutius per Genium Iouis peierare, quàm regis.* Et Claudius neque crebrius, neque sanctius sibi iusiurandum instituit, *quàm per Augustum.* Suet. in eo, cap. 11. Q. Flor. Tertullian. Apolog. cap. 28. *citius denique apud vos per omnes deos, quàm per vnum Genium Cæsaris peieratur.* Et in eodem opere cap. 32. *sed & iuramus sicut non per Genios Cæsarum ita per salutem eorum quæ est augustior omnibus Geniis. nescitis Genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce dæmonia?* & pauculis interiectis. *Cæterum dæmonas, id est, Genios adiurare consueuimus, vt illos de hominibus exigamus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.* Ita intelligendus Vlpian. lib. 12. *ff. de iureiurando, si quis iurauerit in re pecuniaria per Genium principis dare se non oportere, & peierauerit, fustibus eum esse castigandum.* Alexander Aug. l. 2. C. de reb. cred. *& si per principis venerationem quodam calore fueris peieratum, inferri non placet.* Itaque principis nomen veneratiónemque violare censebantur, qui per Genium eius peierarent. Sic accipe M. Lucanum de Pompeio suo lib. 7.

Inque Deûm templis iurabit Roma per vmbras.

Claudian. de bello Gildon.

——venerabilis illi
Ceu præsens numenque vocor.

Et de 6. Hon. consul.

——iuratur Honorius absens.

Sed de iurisiurandi formulis, authoritate, & ritu dicam infrà hoc opere abundantissimè, Deo duce. Genio huic loci sacra reduces instituebant, eúmque tanquam custodem soli, vt propitius foret. rem multis inter criticos notarunt Q. Symmach. lib. 5. epist. 72. *Octaua demum die, multa eluctatus itineris difficultate, Larem patrium salutaui.* Scholiast. Apollonij in fine. l. 2. Argonaut. Stephan. de vrbib. in *Βεραία*. Sic Æneas Italiam salutaturus lib. 7. Æneid.

——frondenti tempora myrto
Implicat, & Geniúmque loci, primámque deorum
Tellurem, Nymphásque, & adhuc ignota precatur
Flumina.

Sil. Italic. lib. 6.

——Nymphas numenque precamur
Gurgitis ignoti.

Ouid. lib. 5. Metamorph. Fab. 1.

Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Figit, & ignotos montésque agrósq; salutat.

M. Acc. Plaut. Bacchidib. sc. Herilis.

Herilis patria salue, quã ego biennio
Postquam hinc in Ephesum sum abij, conspicio libens.

Et Cydippe ad Acontium apud Ouid. in Epist.

Protinus egressæ superis quibus insula curæ,
Flaua salutatis thura merúmque damus.

Hanc siue tutelam, seu regionis numen, seu denique Genium, anguis specie depingebant. Isid. lib. 12. Origin. cap. 4. angues autem apud veteres pro Geniis locorum erant habiti semper, & sic describunt poëtæ. Virg. lib. 5. Æneid. post ambitiosam serpentis descriptionem, subdit deinde,

Incertus Geniumne loci, famulúmne parentis
Esse putet.

Et non minori, pompa idem non tentat modo, sed assequitur etiam Statius lib. 5. Thebai.

Interea campis nemoris sacer horror Achaei
Terrigena erigitur serpens, tractúsque soluto
Immanem sese vehit, ac post terga relinquit.

Et paucis interiectis.

—Inachio sanctam dixere Tonanti
Agricolæ, cui cura loci, & syluestribus aris,
Pauper honos.

Sext. Propert. lib. 4. Eleg. 8.

Lanuuium annosi vetus est tutela Draconis.

Persius Sat. 1 & interpretes.

Pinge duos angues, pueri, sacer est locus, extra Meite,

Capvt XV.

De Orco siue Plutone, & reliquis Diis inferorum, Parcis, & Furiis.

INter Deos selectos, siue præcipuos, & Orcus fuit, quem ab vrgendo dictum volunt: tametsi quidam Græcum potiùs nomen putauere, à iuramento deductum, & cum aspiratione scribunt Horcum. Festus. Orcum, quem dicimus, ait Verrius, ab antiquis dictum Vragum, quòd & V, literæ sonum pro O, efferebant, & per C. literæ formam nihilominus G, vsurpabant, sed nihil affert exemplorum, vt ita esse credamus, nisi quòd is Deus nos maximè vrgeat. Hactenus ille. Orcum, ait Varro apud Augustinum, terrenam & infimam partem mundi esse putabant. Hic fuit Saturni filius, Iouis & Neptuni frater, alio nomine Pluto nuncupatus à diuitiis.

Plvto nuncupatur à diuitiis, πλοῦτος enim diuitias significat, quas veteres solis terris deputari credebant. Extat elegans distichon, quo comprehenduntur nomine trium illorum fratrum Deorum, Iouis, Neptuni, & Orci, siue Plutonis, & quomodo imperium paternum inter se diuiserint:

Iupiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent tres tria, quique suum.

Orcvs, siue potiùs Orcvm, genere neutro, dicebatur etiam locus inferorum. Cur autem veteres Plutoni imperium inferorum, & hominum mortuorum tribuerint, docet Diodorus Siculus lib 6. cùm scribit: Plutonem sepulchrorum, funerum, atque honorum, qui mortuis impenduntur, vsum introduxisse, cùm anteà nulla earum apud homines esset consuetudo, quæ causa extiterit, vt vitâ functis dominari sit existimatus, antiquitate illi huius curæ principium tribuente. Cæterum & aliæ huius Dei appellationes erant: dicebatur enim Dis pater, Summanus, Altor, Rusor, & Februus.

Dis appellatus est, vt ait Cicero, quòd terrena vis omnis ac natura ipsi dicata putaretur: nam & omnia in terras recidunt, & ex iis oriuntur: alij tamen, vt est apud Fabium Quintilianum, inde Ditem vocatum volunt, quòd minimè diues sit. Mortui enim omnibus exuti bonis credebantur.

Idem etiam Svmmanvs erat, qua summus Manium, cui (vt Plinius scribit) attribuebantur nocturna flumina. Huius simulachrum fictile in fastigio templi Iouis Opt. Max. fuit, quòd cùm ictum esset, nec vsquam eius caput inueniretur, Haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt: idque inuentum est eo loco, qui est ab Haruspicibus demonstratus. Cic. de Diuinat.

Altor dictus, quòd ex terra alantur omnia, quæ nata sunt.

Rvsor, quòd rursus cuncta, eòdem reuoluantur.

Febrvvs appellatus est à purgationibus & lustrationibus funerum, de quibus alibi. Ædes Orci in x. Vrbis regione fuit.

Summani sacellum fuit in regione xix.

Ædes autem in regione xi. quam vouit Titus Tatius Rex, Varrone teste.

Orci, siue Plutonis vxor Proserpina fuit, Cereris filia, cuius paulò ante in Cereris historia meminimus.

Plutoni adduntur Parcæ & Furiæ, de quibus vno atque altero verbo.

Parcas nomen habere volunt κατὰ τὸ ἀντίφρασιν quòd nemini parcant: & tres numerant, Clothon, Lachesin, Atropon: quarum Clotho colum teneat, Lachesis fusum, Atropos filum rumpat: vitæ cursum statúmque designantes. Vnde versus ille,

Clotho colum retinet, Lachesis net, & Atropos occat.

Fulgentius: tria, inquit, ipsi Plutoni destinant fata, quarum prima Clotho, secunda Lachesis, tertia Atropos. Clotho enim Græcè, Euocatio Latinè dicitur: Lachesis verò sors nuncupatur

Atropos

Atropos quoque sine ordine dicitur:hoc sentire volentes, quòd prima sit natiuitatis euocatio:secunda,vitæ sors,quemadmodum quis viuere possit:tertia,mortis conditio,quæ sine lege viuit.Hæc ille. Græci aliter de Parcis scribunt, quæ apud Lilium Gyraldum videri possunt. Hesiodus auctor est, Noctis & Erebi filias esse propter occultam & abdicatam fatorum vim. Varro apud Agellium lib.3.ca.17. scribit, Antiquos Parcis nomina fecisse à pariendo,& à nono atque decimo mense. Nam parca,inquit,immutata litera vna,à partu nominata:item Nona & Decima,à partus tempestiui tempore. Cesellius autem Vindex in lectionibus suis antiquis: Tria,inquit,nomina Parcarum sunt,Nona,Decima,Morta. Et versum hunc Liuij antiquissimi Poëtæ ponit ex Odyssea:

Quando dies aduenict,quem profata Morta est.

Sed homo minime malus Cesellius,Mortam quasi nomen accepit, cum accipere quasi *μοῖραν* deberet. Atque hæc quidem ille.

FVRIÆ,etiam Græcè Erynnies,Plutoni deseruiebant,quibus veteres commotæ mentis affectus adumbrabant,proptereáque furoris Deas existimabant. Semper verò virgines etiam prouerbio dictæ, quòd cùm malefactorũ vltrices sint, facilè corrumpi non possint,quinetiam pœnas de delinquentibus sumunt. Suidas. Erant autem tres Furię sorores, Alecto, Tisiphone,& Megęra:quidam & quartam addunt Lyssam,id est,Rabiem. Isidorus de Furiis sic scribit: Aiunt & tres Furias antiqui,fœminas crinitas serpentibus,propter tres effectus, qui in animis hominum multas perturbationes gignunt,& interdum cogunt ita delinquere,vt nec ad famam,nec ad periculum sui respectum habere permittant. IRA,quę vindictam cupit. CVPIDITAS,quę desiderat opes. LIBIDO,quæ appetit voluptates, quæ ideò Furiæ appellantur,quòd stimulis suis mentem feriant,& quietam esse non sinant. Rectè de Furiis Cicero in 1.de Legibus: Agitant & insectantur impios Furiæ,non ardentibus tædis,sicut in fabulis,sed angore conscientiæ. Atque hæc quidem de diis inferorum repetere hoc loco voluimus. Plura qui cupit, legat Lilium Gyraldum Syntagmate 6.historiæ Deorum Gentilium,& alios.

CAPVT XVI.

De Fortuna.

EXPLICATIS Diis Maiorum gentium,quos & selectos dicebant,eorum historia nunc nobis pertexenda est, qui ex hominibus inter Deos relati sunt,quique communi nomine Indigetes dicuntur. De quibus tamen antequam dicere aggrediar,videor mihi non absurdè facturus,si de Fortunæ cultu,& templis nonnihil in medium afferam, quæ licet inter Selectos Deos è veteribus non sit numerata,credita tamen ab iisdem vel potentissima fuit, & pluribus nominibus ornata,id quod Iuuenalis grauiter reprehendit,inquiens:

Nullum numen abest si sit prudentia:sed te
Nos facimus Fortuna Deam,cœlóque locamus.

Et Plinius li.2.c.7. Toto,inquit,mundo & locis omnibus,omnibúsque horis,omniúmque vocibus Fortuna sola inuocatur,& vna nominatur,vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur,sola arguitur, & conuiciis colitur, volubilísque,à plerisque vero & cæca existimata,vaga,inconstans, incerta,varia, indignorúmque fautrix:huic omnia feruntur accepta,& in tota ratione mortalium sola vtramque paginam facit: adeóque obnoxiæ sumus sortis, vt Sors ipsa pro Deo sit,qua Deus probatur incertus. Hactenus Plinius. Fortunam definiêre quidam accidentium rerum subitum,ac inopinatum euentum. Verùm plurimorum & Oratorum & Poetarum,& aliorum Scriptorum dicta & testimonia de Fortuna coaceruare,nobis propositum non est, reperiuntur illa alibi. Satis est scire potentissimum id numen creditum fuisse, quemadmodum etiam seruus ille Pseudolus apud Plautum testatur:

Centum doctûm hominum consilia hæc deuincit Dea
Fortuna atque hoc verum est perinde vt quisque Fortuna vtitur,
Ita præcellet,atque exinde sapere eum omnes dicimus.

Iam verò,quod instituimus,cognomina Fortunæ recitabimus, & quæ illi templa consecrata fuerint,quantum ex veterum monumentis cognoscere poterimus,ostendemus. Etenim permulta ei,quemadmodum Plutarchus ait, antiqua & splendida omnis generis fere honoribus posita sunt templa,& permixta partibus,ac locis Romæ potissimis.

Primus Romæ Fortunæ templum dedicauit Ancus Martius sorore Numæ natus,quartus à

Romulo Rex. Videtúrque Fortunam cognomen fecisse Fortitudini, cui ad obtinendam victoriam Fortuna plurimùm confert. Plutarchus Commentario de Fortuna Romanorum. Consecrauit autem Fortunam virilem, id quod idem auctor lib. eodem docet his verbis: Virilis Fortunæ templum ab Anco Marcio quarto Rege est ædificatum, noménque inde petitum, quòd ad Victoriam parandam Fortitudini Fortuna plurimùm adfert adiumenti. Meminis huius templi præter alios P. Victor in descriptione XVI. Vrbis regionis.

Post Ancum religiosè Fortunam coluit, & plurima templa ei posuit Seruius Tullius, qui omnium regum maximè & potentiam auxit populi, & Rempublicam ornauit, ordinémque census, ordinem militiæ instituit, primúsque Censor & inspector vitæ ac modestiæ ciuium fuit, credidúsque est vir fuisse fortissimus ac prudentissimus: is se ipsum ad Fortunam reiecit, eique regnum suum acceptum tulit: ita vt etiam cum eo consuescere Fortuna putaretur per fenestellam in domum eius descendens. Is ergo Fortunæ templa posuit primigeniæ, Obsequentis, Priuatæ, & Viscosæ: quarum appellationum rationes paucis annotabimus.

PRIMOGENIAE FORTVNAE templum in Capitolio fuit, Plutarcho teste, qui in Quæstionibus Romanis, causam cur hoc nomine à Romanis colatur, inquirens ait ideo vel potiùs, quòd ipsi Romæ sui ortus initia suggesserit, vel quòd omnium rerum principium sit Fortuna, & quòd natura ex euentis fortuitis constituatur, quando fortuita euenta ordinem inter se sortiuntur. Dio lib. 42. scribit, Primigeniam dictam, quòd omnia quæ ante oculos, ac post se posita sint, cernat, atque expendat, moneátque debere vnumquémque meminisse, à quibus maioribus ortus, qualísque ipse sit.

Fuit & alia Fortunæ primigeniæ ædes, vota à Sempronio Consule cum M. Cornelio Cethego, anno IↃXLIX. bello secundo Punico, quem ipse Censor posteà locauit, in colle Quirinali. Q. Marcius Ralla, Duumuir ad id ipsum creatus, dedicauit anno IↃLV. decem annis postquàm vota erat. Liuius lib. 26. & 34.

OBSEQVENS FORTVNA dicta est, quasi indigens, vel clemens: Huius ędes fuit in regione octaua.

PRIVATÆ FORTVNÆ siue propriæ delubriũ in Palatio à Seruio fuit excitatũ. Plutarchus.

PVBLICA FORTVNA, in valle Quirini, quæ inter Esquilias fuit, & Quirinalem collem culta est. Ouidius meminit 4. Fastor.

VISCOSA dicta, quòd nos eminùs captet, & rebus adhibeat. Plutarch. in Quæstionibus Romanis, & Commentariolo de Fortuna Romanorum. Aedes hæc collocatur à P. Victore in regione Vrbis.

PARVA dicta ab eodem Seruio, vel quòd initio humilis & obscurus, matre natus Captiua, Fortunæ beneficio ad regnum Romæ euectus fuerit: vel quòd significare voluerit Seruius, animum rebus esse aduertendum, nihilque eorum, quæ offeruntur, ob paruitatem esse negligendum, Plutarch. in Quæstionibus Rom. q. 47.

MASCVLÆ FORTVNÆ ædes quæ prope templum Veneris fuit, meminit Plutarchus Commentariolo de Fortuna Romanorum, dedicata est à Seruio.

MASCVLÆ FORTVNÆ ædem in Regia sua Tullius habuit.

Fuerunt & Fortunæ Bonæ spei, auerruncæ, blandæ, conuertentis, bene sperantis, & virginis à Seruio Tullio ædes extructæ, & consecratæ. Plutarchus in Quæstionibus Rom. q. 74.

DVBIÆ FORTVNÆ vicus in Auentino fuit, in regione Vrbis XIII. P. Victor tradit.

PLEBEIAE FORTVNAE templum etiam à Seruio conditum est, quòd is ex plebe ad Imperij gubernationem venerit. Ouid. 6. Fastor.

Plebs colit hanc: quia qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.

FORTVNA MVLIEBRIS culta, eíque templum constitutum est, in memoriam liberatæ Vrbis ab obsidione C. Marcij Coriolani, intercessione Veturiæ, & Volumniæ: quam historiam prolixè describunt Dionysius Halicarnassæus li. 8. Plutarchus in Coriolano, & alij, qui etiam annotant, Fortunæ huius simulacrum, cùm dedicatum esset matronis præsentibus, bis Latinè locutum esse, his verbis: RITE ME MATRONAE DEDICASTIS. Valerius Maximus li. 1. cap. 8. Fortunæ etiam Muliebris simulacrum, quod est via Latina, ad quartum miliarium, eo tempore cum æde sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio Vrbis maternæ preces repulerunt, non semel, sed bis locutum constitit, his penè verbis: RITE ME MATRONAE VIDISTIS, RITEQVE DEDICASTIS. Addit Dionysius, mulieres monitu primæ Sacerdotis hunc morem instituisse, ne simulacrum hoc à nuptis coronaretur, neque à viduis: sed vt solis recens nuptis, hoc honoris & ministerij tribueretur. Plura apud Dionysium vide.

EQVESTRI FORTVNÆ ędẽ Q. Fuluius Flaccus Prætor in Hispania eo die, quo postremũ cum Celtiberis pugnauit, vouit: eandem Censor locauit, eóque studio fecit, nę vllum Romæ amplius

amplius aut magnificentius templum esset, qua de causa Iunonis Laciniæ ædem in Brutiis ad partem dimidiam detegit, vt ædem suam ornaret tegulis illis, quæ erant marmoreæ. Liuius lib.3. Annal. scribit, Tiberio Romæ imperante, nullum ibi Fortunæ Equestris templum fuisse: quod certè mirum est.

FORS FORTVNA quæ à plerisque Fortis Fortuna appellatur, non rectè, à Seruio Tullio consecrata est, qui ei primus ædem fecit, extra Vrbem in ripa Tiberis, quam bello Hetrusco, vel auxit, vel restituit Caruilius, multóque pòst Claudius Tiberius Imperator. Hanc Deam colebant qui sine arte aliqua viuebant, Vide Donatum in Terentij Phormionem, & in eundem Georgium Fabricium, item huius Romam cap.9.

FORTVNA huiusce diei consecrata à Q. Catulo est, docet Plutarchus in Mario, de bello Cimbrico agens: Vouit Catulus etiam sublatis manibus se consecraturum Fortunam illius diei. Ad huius Deæ ædem signa seminuda fuisse à Pythagora Samio pictore facta, Plinius lib.34. cap.8. scribit: vbi tamen pro Fortuna huiusce diei, perperam legitur, Fortuna huius Deæ, quem errorem obseruarunt, ac notarunt Adrianus Turnebus Aduersariorum lib.12.c.12. & Paulus Leopardus Emendationum lib.1.cap.14. Fortunæ huiusce diei meminit Cicero lib.2. de legibus.

FORTVNAE MALAE templum, seu (vt Cicero ait) ara consecrata in Esquiliis fuit, de quo apud suspectum sibi scriptorem se legisse, scribit Liuius.

FORTVNAE SEIAE ædem extruxit Nero Imperator, de quo Plinius.l.37.cap.22. A Nerone principe in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus, atque translucens, etiam qua paruæ fuluæ inciderant venæ, ex argumento Phengites appellatus: hoc construxerat ædem Fortunæ, quam Seiam appellatione dicebat, à Seruio Rege sacratam aurea domo complexus: quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diuina erat, haud alio, quàm specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa. Vnde cognomen hoc habuerit incertum.

MAMMOSAE FORTVNAE ædes fuit in capite viæ Nouæ, à qua etiam vicus nomen accepit: dicta vel ab vbertate, vel à forma statuæ.

FORTVNAE REDVCIS templum à Domitiano factum est. Martialis li.8 Ara etiam Fortunæ reduci consecrata Romæ est, ob reditum Augusti. Dio.lib.54. Atque de Fortuna hæc jam sufficiant.

AD CAP. XVI.

PARALIPOMENA.

De Fortuna Dea, eius cultu, cognominibus, simulachro.

AB Anco Martio à Romanis cultam Fortunam ab historica constat relatione, quam variè, docet ex infinitis scriptorum locis diligentissimè collatis Andreas Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum lib.1. cap.13. Lactant. Firmian. lib.2. diuinar. Instit. cap.29. *simulachro Fortuna cum copia & gubernaculo fingitur, tanquam hæc opes & humanarum rerum regimen obtineat.* Suid. in voce ἀκρόθινον. Francisc. Luisin. Parerg. lib. 1. cap. 22. alas ad inconstantiam notandam appositas habebat. Q. Horat. lib.3. od.29.

—si celeres quatit
Pennas, resigno, quæ dedit.

Etiam eius inconstantia, leuitas, cæcitasque tempore antiquissimo memorata. Aristot. Problem. 8. sect.19. Pacuuius poëta, vt retulit lib.1. Rhetoricor ad Herennium, seu Cornificius, seu quilibet alius, certè Ciceronis non illud est opus, certè varia eius cognomina complectitur.

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent philosophi.
Saxóque illam globoso instare prædicant volubili, malim legi, volubilem.
Ideò, quo saxum impulerit Fors, cadere eò Fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet,
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit,
Brutam, quia dignum, atque indignum nequeat internoscere,
Sunt alij autem philosophi, qui contra Fortunam negent
Esse vllam, sed temeritate omnia autument regi, id magis
Verisimile esse aiunt, quod vsus reapse experiando edocet:
Velut Orestes modò fuit rex, modò mendicus factus est:
Naufragio res contigit, nempe ergo haud Fortuna obtigit.

M. Manil. Astronom. lib.4. in limine.

Fortunamve suis inuitam prendere votis,
Aut fugere instantem.

C. Petron. in Satyrico.

Rerum humanarum diuinarúmque potest.ss
Fors.

Auson. Epigram. 133. in Professorib. Carm. 19. Eidyllio 7. & alij sæpè. Mirum mihi veteres quosdam tantùm potentiæ & authoritatis illi attribuisse, vt vnicam rerum humanarum, adeóque etiam actuum nostrorum dominam, non modò arbitram eam fingerent. res notissima, & mihi dicta ad principium libri 1. in Ruffinum, apud Claudianum, cuius versus correctione egentes apponam.

——vacuo qui currere semina motu
Affirmat, magnúmque nouas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, qui numina censet
Ambigua, vel nulla putat, vel nescia veri.

Optimè MS. meus codex

——qui numina sensit
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.

Mirum, inquam, illud mihi videtur, quum in perfectissimo illo humani ingenij opere Homerus nusquam eius meminerit, quod à Ioanne Spondano obseruatum video, licet futilibus in diuinum poëtam curis. sed ante illum iam prodiderat Salisburiensis lib. 3. Polycrat. capite nono, *& siquidem hec* (malim legere *huic*, id est Deo) *adscribenda sunt omnia, potius quàm Fortunæ, quæ aut ab ipso, aut quod magis reor, omnino non est. Ait enim Ethnicus* (Valerius Cato.)

Noli Fortunam, quæ non est, dicere cæcam.

Homerus quoq; in illo celeberrimæ perfectionis opere, dedignatus est nosse Fortunam, adeò quidem vt in nulla parte tanti criminis nominetur: maluit enim soli Deo, *quem Morphen nominauit, vniuersa regenda committere, quàm vt aliquid adscriberet temeritati Fortunæ, quam vtiq; sic constat minime esse Deam, sicut certum est dici & pingi cæcam. Frustra ergo cæcitas eius arguitur, quæ in rerum natura inueniri non potest.* Locus corruptus est, rescribendum est enim hoc pacto, *maluit enim soli Deo, quem* Μοῖραν, (id est fatum) *nominauit, vniuersa regenda committere.* auctor mihi seu coniecturæ, seu emendationis certissimæ Aurel. Macrobius lib. 5. Saturn. cap. 16. *Fortunam Homerus nescire maluit, & soli Deo, quem* μοῖραν *vocat, omnia regenda committit, adeò vt hoc vocabulum* τύχη *in nulla parte Homerici voluminis nominetur. Contrà Virgilius non solum nouit & meminit, sed omnipotentiam quoque eidem attribuit, quam & philosophi, qui eam nominant, nihil sua vi posse, sed decreti, siue prouidentiæ ministram esse voluerunt.* Locus, quem ex Virgilio innuit, est lib. 8. Æneid.

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.

Quod apud Homerum nomen Fortunæ non reperiri afferant illi, dissentiunt à Pausania, qui in Arcad. in hymno Cereris se ait reperisse id nominis, certè hodie non extat, vt præteream plerosque non Homero, sed alteri cuidam hymnos adscribere. sit penes Grammaticos disceptatio.

Vsque adeò tamen potentia adscripta, vt quicquid ductu alicuius Imperatoris gestum esset, id *Fortunæ* daretur. Seru. ad vers. 41. lib. 9 Æneid. *Fortunam, bellicum casum*, exponit. Mamertinus Panegyrico Maximiani. August. *vestræ Fortunæ vestræ fælicitatis est, Imperator, quod iam milites vestri ad Oceanum peruenère victoria.* malim legere, *victores.* L. Flor. li. 4. Histor. Rom. cap. 9. *stabat pro partibus inuicta Fortuna & victoris, & qui vindicabatur.* Q. Hora. lib. 4. od. 14.

Fortuna lustro prospera tertio.
Belli secundos reddidit exitus.

Claudian. de bello Gildon.

Si mihi tempestas Libyam ventiq; negabunt
Augusti Fortuna dabit:

Coripp. in Præfat. operis sui.

——cum milite suo
Alternas gentes domini Fortuna necaret.

Hoc ipsum alij *fatum*, nonnulli *auspicia* appellant, vtriusque producam exempla. Qu. Curt. Rufus lib. 5. *nouis initiis & ominibus opus est, auspicium & imperium alij trade.* Ammian. Marcellin. lib. 19. *quicquid per omnem terræ ambitum agebatur, fœlicib. auspicijs eius assignantur.* P. Ouid. lib. 1. de Arte Amandi.

Auspiciis animisq; patris puer arma mouebis,
Et vinces animis, auspiciisque patris.

Claudian. de 4 Hon. consul.

——ciuile secundis
Conficis auspiciis bellum.

Et lib. de bello Gildon.

Illius auspiciis immensa per æquora miles
Non plaustris Arctôe regor.

Facta, inquam, dicuntur pro Fortuna huiusmodi bella administrandi. Idem Claudian. de 3. Hon. consul.

——pugnastis vterque
Tu fatis, genitorque manu.

Sidon. Apollinar. carm. 5.

——certatum est iure magistri
Augusti fato.

Atque adeo etiam absente duce prosperè gesta, eius Fortunæ imputabantur. C. Sueton. in Augusto cap. 21. *domuit autem partim auspiciis suis, Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam.* Ista est vt puto, *Fortuna*, quæ in vetustis marmoribus SALVTARIS vocatur, vt ex fragmento isto apparet, quod reperi apud Fr. Modium Nouantiquar. lectionum. Epist. 5.

FOR-

FORTVNIS. SALVTARIBVS...... ÆSCVLAPIO. HYGIÆ...... Q. VENIDIVS. RVF...... MARIVS MAXIM.... CALVINIANV...... LEG. LEG. I. M. P...... LEG. AVG........ PR.... PROVINC. CI.... C..... D....

Sed iam celebriora eius cognomenta exequar, ac primum à loco, in quo colebatur, PRÆNESTINA vocata, Vet. Scholiast. Iuuenal. Sat.14. vers. 90. *apud Præneste & Fortunæ & Herculis habent ædes: aut certè quod in Capitolio, post ædem Dianæ & Iouis, secundam de miraculo operis habent gloriam Fortunæ atque Herculis ædes. Fortunæ apud Præneste ædem pulcherrimam ferunt fuisse.* Suet. Domit. cap.15. *Prænestina Fortuna sortem lætam dare assueta.* T. Liuius 5. Decad. lib. 2. in principio. Itaque censeo Herculem cum Fortuna simul cultum, vt fortitudo casibus fortuitis coniuncta cernatur, Iuuenal. ibidem 20.

——Vincens Fortunæ aut Herculis ædem.

Papin. lib.1. syl.3.

Quod ni templa darent alias Tyrinthia sortes,
Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

Sil. Italic. lib. 8.

——sacri quæ dicatum
Fortunæ Præneste iugis.

M. Lucan. lib.2.

——vidit Fortuna colonos
Prænestina suos cunctos simul ense recisos.

Regia Fortuna, quæ in interiori principum cubiculo colebatur, C. Tacit. lib. 15. Annal. *Nero præcepit, vt effigies Fortunarum aureæ in solio Iouis Capitolini collocarentur.* Iul. Capitolin. in Antonino Pio. *Fortunámque auream, quæ in cubiculo principum poni solebat, transferri ad eum iussit.* Idem in Antonino Philosopho. *Signo Æquanimitatis Tribuno dato, Fortunam auream, quæ in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum transire iussit.* Forte eadem est cum illa quam *Publicam* lego apud L. Senecam libro primo de Ira cap. 11. *habuit in consilio Fortunam publicam.*

Obsequens P. Victor in 1. Reg. L. Sen. in Octauia Act.2. sc.2.

Crede obsequenti parcius, leuis est dea.

Hera, seu *domina*. Q. Ennius apud Ciceronem lib.1. de Officiis.

Nec cauponantes bellum, sed belligerantes,
Vosne velis an me regnare hera, quidve ferat fors.
Quorum virtuti belli Fortuna pepercit.

In MS. erat, *quidne ferat Fors.* Plaut. in Mercatore Act.5. sc.2. in limine.

Diuum atque hominum quæ spectatrix, atque hera
Eadem es hominibus.
Spem speratam quum hanc obtulisti mihi, grates ago.

Equestris. de qua I. Lipsius in Commentar. ad lib.3. Annal. C. Taciti.

Redux. quam celebratam reditu ducum exercituumque victorum constat ex Claudiano de 6. Hon. consul.

Aurea Fortunæ reduci, si templa priores
Ob reditum vouêre ducum, non dignius vnquam
Hac dea, pro meritis, amplas sibi posceret ædes.

Fortis, Iul. Obsequens. lib. de Prodig. cap.38. *Romæ intra cellam fortis Fortunæ, de capite signum, quod in corona erat, in manus sponte sua prolapsum.* P. Ouid. lib.6. Fastor.

Quam citò venerunt Fortunæ fortis honores.

Muliebris. D. August. de Ciuit. Dei lib.4. ca.19. eius imago sæpius loquuta. Plutarch. l. de Fort. Romanor. Valer. Maxim. lib.5. ca.2. tit.2. *Super hoc ædem & aram Fortunæ muliebri in eo loco, quo Coriolanus exoratus fuerat faciendam curauit.* Fuit ergo huius ædes extra vrbem, non intra vrbis pomærium. Addendum est istud *Fortunam hanc muliebrem à bis nuptis non potuisse coronari*, vt loquitur Seruius ad illud lib. 4. Æneid.

Huic vni forsan potui succumbere culpæ.

Prospera, seu *secunda*, Ælian. var. Histor. lib.13. cap.43. aliíque passim. Stobæus serm.105. Cebeti Thebano in Tabula est ἀγαθὴ τύχη, id est *bona Fortuna.*

Comitem hanc Fortunam Fidei faciebant. Horat. lib.1. od.35.

Te spes & albo rara Fides colit
Velata panno.

Quod vt Ouid. loquitur, *cum Fortuna statque cadatque fides*, siue quod dubij amici Fortunæ fauentioris sequantur nutum. Suid. in voce ἀγχίστροφον nam *Fides consilij, Fortuna opes signat, Fides vt velis, Fortuna, vt possis promissa implere, vel Fortuna, de nostris possessionibus, Fides, quantum nobis creditur ab inimicis.* Seru. ad lib.9. Æneid. vers.250. C. Petron. Satyr.

Cum Fortuna manet, vultum seruatis amici,
Cum cecidit turpi vertitis ora fuga.

Corrige mecum. *Cum redit*, cedere enim, id est abire & redire dicitur Fortuna. Viri docti authoritatibus confirmarunt.

CAPVT XVII.

De Diis Indigetibus.

CICERO secundo Nomothesiæ suæ lib. leges de religione ferens, tres Deorum classes, quibus diuini honores & cultus tribuendi essent, facit: primam eorum, qui cœlestes semper sint habiti: alteram eorum, quos merita in cœlum vocarint: tertiam Diuarum propter quas detur ascensus in cælum. Hęc enim sunt ipsius verba: Diuos & eos, qui cælestes semper habiti sunt, colunto: & Ollos, quos in cælum merita vocarint: Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum: Ast olla, propter quæ datur homini ascensus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earúmque laudum delubra sunto. Cum igitur de prima Deorum classe hactenus satis multa attulerimus, consequens est, vt de altera etiam, & tertia classe quædam proferamus. Et quidem de alterius classis Diis hoc capite agere propositum nobis est, qui dicti sunt Indigetes, vel quòd nullius rei egerent, secundum Luc etium, vel quòd in Diis agerent, qui ex hominibus ad Diuinitatem peruenissent. Sic Glossarium vetus, testante Scaligero: Indigetes [illegible]. Alij alias appellationis rationes afferunt, quas hic omitto. Festus Indigetes Deos putat esse eos, quos indigetari, hoc est vocari, & nuncupari nefas sit. Sed nos de iis tantum dicemus, qui ex hominibus Dij facti sunt, quales apud Romanos fuerunt, Hercules, Faunus, Carmenta, Euander, Castor, Pollux, Æsculapius, Acca Laurentia, Quirinus.

DE HERCVLE.

HERCVLEM dictum volunt * Macrobius lib. 1. Saturnalium, cap. 2.

Plures autem hoc nomine fuerunt. Diodorus Siculus tres numerat, Cicero sex, Terentius Varro quadragintaquatuor fuisse scribit. Ciceronis verba ex 3. libro de Natura Deorum hæc sunt: Plures, inquit, Hercules tradunt nobis ij, qui interiores scrutantur, & reconditas literas. Antiquissimum Ioue natum, sed antiquissimo item Ioue. Nam Ioues quoque plures in priscis Græcorum literis inuenimus. Ex eo igitur & Lysito est is Hercules, quem concertauisse cum Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus, Ægyptius, quem aiunt Phrygias literas conscripsisse. Tertius est ex Idęis indigenis, cui inferias afferunt. Quartus Iouis est & Asteriæ Latonæ sororis, quem Tyrij maxime colunt, cuius Carthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus ex Alcmena, quem Iupiter genuit, sed tertius. Hactenus Cicero. De hoc Hercule, quem ille sexto loco commemorat, eiúsque natalibus, videatur Plauti Amphytruo, & Hyginus. Meminit eius & Diodorus Siculus libro 5. cap. 2. cuius hæc sunt verba: Iouem, inquit, ferunt tribus noctibus in vnā redactis, (alij duas tantùm ponunt) Alcmenæ operam dedisse, maximúmque futuri roboris indicium, tantùm temporis ex eo puero creando impensum. Quod non amoris cupiditate, prout in aliis mulieribus contigit, factum est, sed pueri gignendi gratia. Itaque nolens vi Alcmenam aggredi, neque fidens posse illi coitum, ob eius prudentiam persuadere, dolo mulierem aggressus est, Amphitryonis forma assumpta. Adueniente partus tempore Iouem Diis astantibus prædixisse ferunt, ea die puerum, qui nasceretur, se perfidarum regem facturum. Quibus verbis mota Iuno, Lucinam filiam iussit comprimere Alcmenæ partum, Eurystheum ante tempus in lucem educere. Iupiter licet consilio frustratus, quòd prædixerat ratum, & Herculis famam claram esse volens, dixisse Iunoni fertur permittere se, Eurystheum, vt prædixerat, Regem esse, Herculémque ei subiici velle: duodecim quoque certamina ab eo perfici, quæ Eurystheus mādasset: quibus consummatis fieret immortalis. Alcmena post partum Iunonem verita, puerum in loco exposuit, quem nunc ab eo Herculeum campum dicunt. Quo tempore Minerua cum Iunone profecta: cum infantis naturam admiraretur, Iunoni suasit, vt illi mammam præberet. Qua præter ætatem violentiùs sumpta, Iuno dolore mota puerum abiecit. Minerua illum matri detulit nutriendum. Hactenus Diodorus. Ex quibus verbis intelligitur, quomodo à Ioue procreatus sit. Cum autem tantæ virtutis hic Hercules fuerit, ideòque factum, vt omnes viri fortes Hercules dicerentur, & omnia præclara fortissimorum Heroum facinora vni Herculi adscriberentur. De duodecim laboribus Herculis multa habet Diodorus Siculus lib. 5. cap. 2. Hyginus, Seruius, & alij: & noti sunt versus Ausonij falsò hactenus. Virgilio adscriptis.

Prima Cleonæi tolerata ærumna Leonis.
Proxima Lernæam ferro face contudit hydram.
Mox Erymanthæum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cerui.

Sym-

Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threiciam sexto spoliauit Amazona balteo.
Septima in Augiæ stabulis impensa laboris.
Octaua expulso numeratur adorea tauro.
In Diomedæis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Vndecimum mala Hesperidum distracta triumphum.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

Quorum laborum mythologiam eruditissimo hoc carmine complexus est Andreas Alciatus Emblemate 173.

Roboris inuicti superat facundia laudis
Dicta Sophistarum, quóque resoluit inanes:
Non furor aut rabies virtute potentior villa est:
Continuum ob cursum sapienti opulentia cedit:
Spernit auaritiam, nec raptu aut fœnore gaudet:
Vincit fœmineos, spoliátque insignibus astus:
Expurgat sordes & cultum mentibus addit.
Illicitos odit coitus, abigitque nocentes:
Barbaries, feritásque dat impia denique pœnam:
Vnius virtus collectos dissipat hostes:
Inuehit in patriam externis bona plurima ab oris:
Docta per ora virûm volat, & non interit vnquàm.

Quos versus eleganter & multis verbis explicat Claudius Minos, in suo ad Alciati Emblemata Commentario. Verum non iis omissis, hoc loco dicemus qua occasione à Romanis cultus fuerit. Id verò Dionysius, Liuius, Plutarchus, Diodorus Siculus, & Aurelius Victor in fragmẽto illo de Origine gentis Romanæ, quod primus nuper in lucem protulit Antonius Schorus, docent: videlicet eum (fragmentum Aurelij Victoris refert, alio nomine Recaranum dictum, quod sanè apud nullum alium scriptorem hodie legitur) Geryone deuicto, armenta agentem in Italiam venisse quanquam & Diodorus Siculus ipsum non armenta egisse, sed cum exercitu in Italiam deuenisse scribant, quod etiam est verisimilius, quem vbi Euander adesse didicisset, admonitum à matre Carmenta esse in fatis, vt natus Ioue & Alcmena Hercules immortalis ex mortali, virtutis ergo fieret, diuinis eum dignatum esse honoribus, extructáque ara ei iuuencum mactasse, oraculo priùs cum hospite communicato, precatúmque eum esse vt libaret. De hac ara maxima Dionysius lib. 1. Ara in qua Hercules obtulit, à Romanis vocatur maxima prope forum boarium, nulla inferior, quo ad ciuium venerationem attinet: nam & iusiurandum apud eam, ac conuenta, quæ volunt esse firma, peragunt, & decimas facultatum ex voto sæpe illuc offerunt. Apparatus tamen eius parum respondet opinioni hominum. De decimis, quæ Herculi offerebantur, scribit Diodorus Siculus, dixisse Herculem, eos qui sibi, postquàm ad Deos translatus esset, decimam bonorum dicarent, vitam felicem victuros. Et addit euenisse hoc vsque ad sua tempora. Multos enim Romanorum non solum mediocri censu, sed & qui ditissimi sunt habiti, decimas Herculi vouisse, posteaque fortunatiores factos bona sua ad quatuor talentorum millia Herculi sacrasse. De qua re vide etiam Plutarchum in Quæstion. Rom. quæst. 18. Aurelium Victorem, Macrobium, Seruium, & alios. Multa huius Diui cognomina fuerunt. Dictus est enim Cubans, Defensor, Magnus, Triumphalis, Syluanus, Victor Musarum, quorum pleraque per se sunt aperta. Herculis Cubantis simulacrum fuit in regione Vrbis XIV.

HERCVLIS DEFENSORIS templum in regione eadẽ fuit, in quo, vt Iouis propugnatoris milites honesta missione missi, & gladiatores emeriti, arma, clypeósque suspendebant.

HERCVLIS MAGNI ædes fuit in regione IX. quam L. Cornelius Sulla ex carmine Sybillino ædificasse dicitur. P. Victor, ædes Herculis Magni custodis Circi Flaminij.

HERCVLIS TRIVMPHALIS simulacrum fuit in foro boario positum, quod iis diebus, quibus Romæ triumphus agebatur, triumphali habitu induebatur.

HERCVLES VICTOR dictus, quòd omne genus animalium vicerit. Varro lib. 4. Rerum diuinarum. Eius Romæ ædes duæ fuerunt, vna ad portam trigeminam, altera in foro boario. Hæc ad aram maximam extructa fuit rotunda, in quam nec serui, nec mulieres admittebantur. Plutar. Aurel. Victor, qui scribit ex Cassio, propterea ab Hercule sancitum, ne cui fœminæ fas esset, vesci ex eo, quod aræ maximæ sacratum esset, sed vt ab ea re diuina fœminæ in totum remouerentur, quod Carmenta ab Hercule inuitata, ad id sacrum non venis- Hanc ædem nec muscæ, nec canes intrabant. Plin. l. 10. cap. 29. In hac etiam

fieri lectisternium Macrobius in Cornelio Balbo,& Seruius docent.

Altera autem Herculis Victoris ædem,quæ ad portam Trigeminam fuit, fortasse extruxit Marcus Octauius Herennius,de quo Masurius Albinus lib.1. Memorabilium apud Macrobium:Marcus,inquit,Octauius Herennius prima adolescentia tibicen, postquàm arti suæ diffisus est,instituit Mercaturam:& bene re gesta,decimam Herculi profanauit. Posteà cùm nauigans hoc idem ageret,à prædonibus circumuentus fortissimè pugnauit,& victor recessit. Hinc in somniis Hercules docuit sua opera seruatum, cui Octauius impetrato à Magistratibus loco, ædem sacrauit,& signum:Victorémque incisis literis appellauit.Dedit ergo epitheton Deo,quo & argumentum veterum victoriarum Herculis,& commemoratio nouæ historiæ,quæ recenti Romano sacro causam dedit,contineretur.

HERCVLI MVSARVM ędem extruxit M.Fuluius Nobilior,Censor anno DLXVI. triennio post,quàm de Ætolis triumphauit,in qua Musarum signa, quæ capta Ambracia Romam transtulerat,posuit Liuius l.38.Plin.l.35.ca.10.Hanc ædem vetustate collapsam restituit Marcius Philippus Vitricus Augusti.Sueton.in Augusto.Cur sic dictus fuerit,Plutarch.docet quęstione 59.videlicet, quod Euandrum literas docuerit. Melius Eumenius Rhetor oratione de Scholis instaurandis ad præsidem Galliæ,cuius hæc sunt verba: Ædem Herculis Circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecunia Censoria fecit,non id modo secutus,quòd ipse literis,& summa Poëtæ amicitia duceretur:sed quòd in Græcia cum esset Imperator, acceperat Herculem Musagetem esse,id est,comitem ducémque Musarum:Idémque primus signa nouem,hoc est,omnium Camœnarum ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecrauit: quia mutuis operis & præmiis iuuari ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis:virtus Herculis voce Musarum. Hæc ille. De Musis,quia notissima sunt,quæ de ipsis traduntur,hîc dicere supersedebo.

HERCVLEVM MVSAGETEM nouem Musas diuersos habitu repræsentat nummus Q. Pomponij Musæ,quem habet in suis Emblematis v.c.Ioannes Sambucus. Reperiuntur & alia Herculis cognomina in veteribus lapidum inscriptionibus,vt Paciferi,Inuicti, Oliuarij, & alia, quæ petentur ex Thesauro Huberti Goltzij.

FAVNVS.

Duo fuerunt FAVNI Reges Aboriginum, testibus Manethone Ægyptio, Dionysio Halicarnassæo,& aliis, priscus & iunior: Priscus vixit circa annum mundi 2520, secundum Funccium,regnante apud Assyrios Amynta.Faunus iunior anno 2724.regnare cœpit.Hic Pici filius fuit,& ciues suos ritu ferarum viuentes, mitiorem vitam docuit,& primus loca certis numinibus,& ædificia quædam ac lucos sacrauit, à quo & fana sunt dicta,teste Probo, ideóque cùm inter homines esse desiisset,antiquitas eum tanquàm Deum coluit.Sic enim Dionysius:Fortè tum apud Aborigenes regnum à maioribus acceptum tenebat Faunus,à Marte,vt ferunt, oriundus,vir fortis ac prudens,à Romanis post, tanquàm vnus Indigetum sacris honoratus & carminibus.Plutarchus eum Mercurij filium fuisse dicit,alij verò Picum patrem habuisse volunt,quorum veriòr est sententia.Virg.cum Faunorum,Satyrorum,& reliquorum agrestium numinum patrem facit.Hinc Terentius Varro Faunos Deos Latinorum à fando dictos esse scribit,propterea quòd in syluestribus locis soliti fuerint fari,cuius rei exemplum Dionysius, quòd in prælio inter Hetruscos & Romanos de restitutione Tarquiniorum, vox è sylua propinqua castris, audita fuerit,quæ iusserit Romanos bono animo esse,esse eos victores,& vno plus Hetruscorum in acie cecidisse.Ibidem addit, ad hunc Deum Faunũ Romanos solere referre Panicos terrores, spectráque variis formis formidinem mortalibus incutientia & ab eo dicere edi horrendas voces Dæmoniacas.Porphyrius scribit,Faunum æstimatum Deum inferum ac pestilentem. Apud Ciceronem Cotta omnino negat Faunos esse, aut eorum voces vnquam auditas fuisse.Habuit hic Deus Romæ pòst Romulum templum in monte Cœlio, circulari forma,multis in ambitu columnis adornatum: & ædem in insula Tiberina, quam Domitius Ahenobarbus,& Scribonius Ædiles,cum multos plurimos ad populi iudicium adduxissent ex eorum qui condemnati fuerunt,multaticia pecunia.

CARMENTA.

CARMENTA,quæ alio nomine Themis,item Nicostrata dicta est, mater fuit Euandri, mulier vatidica.Sic enim de ea Dionys.scribit:Euander Mercurij filius,& Nymphæ cuiusdam Arcadiæ,quàm Græci Themin dicunt,plenam numine. Romanarum antiquitatum scriptores Carmentam patria lingua nominant, quod Nymphæ nomen fatidicam significet, deductum à carmine iuxta Romanam etymologiam. Hanc mulierem affirmant Dæmonis spiritu correptam futura populo præcinere solitam. Hæc ille. Plutarchus, qui etiam scribit, quosdam putare Carmentam esse Parcam,aliam huius appellationis rationem indicat,quòd

scilicet dicta sit Carmenta, quasi carens mente, ob instinctus diuinos, quibus ad fatiloqua fundenda carmina fuerit impulsa, Romani religiosè eam coluerunt: aram enim ei, vt Dionysius scribit, dedicarunt apud Carmentalem portam sub Capitolio. Eadem templum Romæ habuit in regione VIII. quæ dicitur forum Romanum: quod templum ei matronas dedicasse Plutarchus scribit, tali de causa: Cùm vsu vehiculorum, quibus trahendis iumenta iungerentur, Senatus matronis interdixisset, conspirasse eas inter se, neque vterum gerere se, neque parere velle, ac viros hac ratione vlcisci, idque fecisse, donec mutata sententia, vsus vehiculorum iis rursus concessus fuerit. Exinde cum parerent, fœcundas, & liberorum copia claras, templum Carmentæ posuisse.

EVANDER.

EVANDER Mercurij & Carmentæ filius, eo tempore quo Hercules in Italiam venit, Aboriginum Rex fuit. Liuius tamen eum non Regem fuisse, neque imperio, sed auctoritate magis Aborigines rexisse, auctor est. Hunc Aborigines primùm propter excellentem eius eruditionem, & summam sapientiam, vt Deum coluerunt: deinde Romani etiam diuinos ei honores tribuentes, aram condiderunt, & quotannis sacrificia obtulerunt, sicut & aliis heroibus idem fecerunt, vt testantur Dionysius lib. I. Ara autem ei dicata fuit apud Auentinum collem, prope portam Trigeminam.

CASTOR ET POLLVX.

Hi duo fratres fuêre, Græcis dicti, Dioscuri, id est, Iouis filij, siue pueri. Cicero lib. 3. de Natura Deorum: Dioscuri etiam apud Graios multis modis nominantur: primi tres, qui appellantur Anaces Athenis, ex Ioue Rege antiquissimo, & Proserpina nati, Tricopatreus, Eubuleus, Dionysius. Secundi Ioue tertio nati ex Leda, Castor & Pollux. Tertij dicuntur à nonnullis Alco & Melampus, Emolus, Atrei filij, qui Pelope natus fuit. Hæc Cicer. De Castore & Polluce Iouis & Ledæ filiis, Helenæ fratribus, varia fabula est: alij enim tradunt Iouem in formam stellæ mutatum Ledam vitiasse, & Castorem atque Pollucem genuisse: deinde Helenam. Alij scribunt, Iouem in cygnum conuersum Ledæ congressum, & nocte eadem Tyndarum, ex Ioue Pollucem & Helenam natos, ex Tyndaro Castorem: mortalem hunc, immortales illos. Iuuat adscribere Hygini hac de re verba, quæ habet in Astronomico poëtico, in olore: Iupiter, ait: cùm Nemesim flectere non posset, vt secum cubaret, iussit Venerem, aquilam simularet, se in olorem versum insecuturum eam: quo facto ipse fugiens aquilam Venerem, in Nemeseos gremium confugit: quem non auersata, & consopita: ab Ioue compressa est: statutóque tempore ouum peperit, quod Mercurius in gremium Ledæ proiecit, ex quo nata Helena. Seruius auctor est, Helenam, & Pollucem de Ioue natos, immortales fuisse. Nam Castorem Tyndari filium fuisse, cuius mortem suo interitu fraterna pietas redemerit: & addit, hoc ideò fingi, quia horum stellæ ita se habeant, vt occidente vna, oriatur altera. Plura de iis passim leguntur.

Ædem siue templum CASTORI & POLLVCI vouit, extruxitque bello Latino A. Posthumius Dictator, anno Vrbis CCLVII. tali de causa. Cùm in bello Latino cum Octauio Mamilio Thusculano, & Tarquiniis Equitibus Romanis, apparuissent duo primæ lanuginis iuuenes, præstantiore statura & forma, quàm quæ videri posset mortalium, præcedentes Romanum equitatum, hostémque hastis ferientes cominùs, & in fugam cogentes, ac rursum post fusos fugatósque Latinos, & castra eorum capta, fere iam finito prælio in Romano foro visi essent adolescentes duo militari cultu procerissimi, & pulcherrimi, vultu adhuc retinente quam in pugna habuerant speciem, & equis sudore madentibus, cúmque de equis descendissent ambo, lauissentque fontana, quæ ædem Vestæ profluens, paruam, sed profundam facit lacunam, multis eos circumsistentibus, rogantibúsque ecquid ab exercitu noui afferant, pugnam indicasset, atque victoriam: degressique foro, nunquam comparuissent postea, quamuis valde quæsiti à Præfecto vrbis essent: Senatus certior factus à Posthumio eos in prælio etiam visos esse, verisimili coniectura credidit Castorum eas imagines fuisse. Ideóq; templum eis constructum in foro Romano, vbi visæ sunt eorum imagines: vicinúsque fons hic sacer dictus: Dionys. lib. 6. Liu. lib. 2.

Hanc ædē vetustate collapsam refecit de manubiis hostium L. Metellus, qui subactis Dalmatis, Dalmaticus est appellatus. Cicero 3. Verrina, & in eadem Asconius, item pro M. Scauro. Quanquam autem, hoc templum vtrisque & Castori & Polluci consecratum esset, tamen vulgò plerúmque Castoris tantùm, aut Castorum templum appellatum fuit. Vnde iocus ille M. Bibuli apud Suetonium, qui cùm C. Cæsaris in consulatu collega esset, & cum eo communi impensa venationes ac ludos ederet, omnium autem illarum impensarum & munificentiæ C. Cæsar solus gratiam caperet, dixisse fertur, idem sibi euenisse quod Polluci. Vt enim gemi-

nis fratribus ædes in foro constituta, tantùm Castoris vocaretur: ita suam Cæsarisque munificentiam vnius Cæsaris dici, Suetonius in Cæsare.

ÆSCVLAPIVS.

Æscvlapios tres fuisse Cicero li.3. de Natura Deorum docet. Primum Apollinis filiū, quem Arcades colant, quique specillum inuenisse, primúsque vulnus obligauisse dicatur. Secundum, secundi Mercurij fratrem, qui fulmine percussus, Cynosuris humatus sit. Tertium, Arsippi & Arsinoæ filium, qui primus purgationem alui, dentisque euulsionem inuenerit, cuiusque in Arcadia, non longè Lusio flumine sepulcrum & lucus ostendatur. Æsculapium autem illum nobilem Medicum, Tarquitius de illustribus viris disserens, vt est apud Lactant. ait incertis parentibus natum, expositum, & à venatoribus inuentum, canino lacte nutritum, Chironique traditum, didicisse medicinam: fuisse autem Messenium, sed Epidauri habitasse. Hunc Cornel. Celsus propterea in Deorum numerum receptum esse tradit, quòd medicinam adhuc rudem paulò subtiliùs excoluisset. Qua ratione Romæ coli cœpit multi tradunt. Cùm enim Q. Fabio, Maximi filio, Gurgite, D. Iunio Bruto Scæua Coss. ingens pestilentia Vrbem & agros infestaret, lib. Sibyllini aditi, & quæsitum quinam finis, aut remedium eius mali à Diis daretur, inuentúmque in libris, Æsculapium ab Epidauro Romam accersēdum, quòd paulò post factum. Missi enim legati in Epidaurum, & ab incolis benignissimè accepti, & in templum Æsculapij perducti, anguem, quē Epidauri pro Æsculapio coluerant, sponte ad Romanorum nauem pergentem, Romam vexerunt, ibique templo coluerunt. Scribunt hanc historiam Valerius Maximus prolixè, Liu. lib. 10. & Flor. Epitome lib. 11. Oros. lib. 3. cap. 22. Aurel. Victor. de Viris illustribus qui liber hactenus falsò Cornelio Nepoti, item Plinio secundo adscriptus fuit. Ouid. lib. 15. Metamorph. ac alij.

Templum ei Romæ conditum extra Vrbem in insula Tiberina, cuius rationem Plutarc. in Quæstionib. Romanis probl. 94. reddit, & Festus. In insula, ait Festus, Æsculapio facta ædes fuit, quòd ægroti à Medicis a qua maximè sustententur, eiusdem esse tutelæ draconem, quod vigilantissimum sit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maximè apta est. Canes adhibentur eius templo, quòd is vberibus canis sit nutritus. Bacillum habet nodosum, quòd difficultatem significat artis. Laurea coronatur, quòd ea arbor plurimorum sit remediorum. Huic gallinæ immolabantur.

In hoc templo incubabant ægroti valetudinis causa, vnde qui morbo leuatus non erat, apud Plautum, his verbis incusat Deum:

Migrare certum est, iam nunc è fano foras,
Quando Æsculapi ita sentio sententiam.

Vide Hieronymum Mercurialem Variar. lection. lib. 1. cap. 13.

ACCA LAVRENTIA.

Quæ Acca Lavrentia, siue, vt alii malunt, Tarentia, fuerit, & qua occasione coli cœpta, in tanta veterum scriptorum discrepantia sanè obscurum est. Vix enim duos reperias, qui vno & eodem modo de ea scribant. Plutarchus auctor est, duas fuisse Accas, & vtrasque à Romanis cultas: alteram Accam Laurentiam, quæ Anco Martio regnante, Tarrutio, siue Taruntio nobili ciui nupserit, à quo forte etiam Tarrutia, vel Taruntia, siue Tarratia est cognominata. Plutarcho, qui tamen etiam non ita distinctè de iis scripsit, assentitur Varro, si verba eius ita, quemadmodum Ioseph. Scaliger emendauit, legamus. Laurentinæ, inquit, feriæ sit dies, quem diem quidam in scribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus; cui Sacerdotes nostri publicè parentant festo die: quia altera dicitur ob ditem Taruntium Acca Taruntia. Hos ergo auctores secuti hanc Accam Laurentiam Romuli & Remi nutricem esse dicemus, cui aram & ferias annuas Romulus constituerit, quæ mense Decembri sunt habitæ, sicuti alio loco dicetur. De altera verò Acca Tarrutia, siue Taruntia, quæ eadem Flora à plurimis putatur, infrà agemus.

QVIRI-

QVIRINVS.

Cvris, inquit Festus, Sabinis est hasta, vnde Romulus Quirinus, qui eam ferebat, est dictus, & Romani à Quirino Quirites dicuntur. Quidam eum dictum putant à Curibus, quæ fuit vrbs opulentissima Sabinorum: cui postremæ sententiæ etiam adstipulatur Varro, nisi quòd addit, Quirinum Martem esse, quemadmodum & Seruius scribit, Quirinum Martem esse, qui præsit paci, & intra ciuitatem colatur. Sed non inepta est etiam eorum sententia, qui per Quirinum Romulum intelligunt, cui diuinos honores tributos fuisse, & templum conditum, vel solus Flamen Quirinalis, cùm alius sit Martialis, testis esse potest, ne alias rationes & veterum scriptorum testimonia necesse habeam in medium afferre. De apotheosi autem Romuli, siue Quirini eleganter Plutarchus in Romulo, cùm populus tumultuaretur, atque vociferaretur à Patribus sublatum è medio fuisse Romulum, eisque extrema quæque minaretur, Iulius Proculus vir inter Patres genere, virtute, auctoritate primus, fidus Romulo in primis, & ex Albanis Colonis necessitudine & familiaritate coniunctus, procedens in forum, iuratus maximum & sanctissimum iusiurandum, præsentibus ait, Romulum sibi, dum iter faceret, è regione obuiam se obtulisse, specie ipsa & forma insigni, vt anteà nunquam, ornatum fulgentibus armis, ac se priorem illum ita allocutum: Qua iniuria, ô Rex, & qua mente impulsus, nos iniquis & improbis criminibus circunuentos, Vrbem orphanam in luctu & gemitu, in squalore & sordibus reliquisti? At contrà regem respondisse: O Procule, ita Diis visum, nos è cœlo demissos, condita Vrbe imperium permaximum, & gloriam habitura, rursus in cœlum reuerti: proinde bono animo sis, ac Romanis nuntia, vti prudentiam & fortitudinem colant: his artibus fore, vt amplissimam inter homines potentiam consequantur. Ego vobis Quirinus facilis, propitiusque ero Deus. His verbis & viri auctoritate, & iureiurando fide adhibita, veluti diuino quodam furore afflatis mentibus, nemo contradicere, nemo aduersari, sed reiecta omni suspicione & calumnia, inuocare Romulum votis, Deúmque appellare. Et paulò pòst: Quirinum autem Romuli cognomen, martium ac bellicorum quiddam referre existimant: quidam ex eo ductum, quòd ciues Quirites appellarentur. Alij tradunt, veteres lanceam Quirini vocare solitos, ac Curetæ Iunonis signum in pilo sublatum. Ad hæc lanceam in Regia positam, Martem vocari: lancea quoque donari consueuisse illos, qui in bellis quàm acriter strenuéque pugnantes fortitudinis laudem meruissent: proinde effectum esse, vt Romulus, veluti Martius quidam Deus, ac pugnax, Quirinus diceretur. Illius fanum in tumulo Quirino ab eo nuncupato, constitutum est: &c. Id quod etiam Varro testatur lib. 4. de lingua Latina. De Proculo, quæ Plutarchus narrat, etiam Liuius habet, sed breuius.

Penè prætermisissem de Anna Perenna dicere, quæ & ipsa à Romanis culta, cuiusque festum maxima hilaritate celebratum fuit, vti in Kalendario in mense Martio dicemus. Quæ autem fuerit hæc Anna Perenna, variè traditur. Plerique existimant fuisse sororem Didonis, hoc nomine appellatam: cuius etiam Virgilius meminit, quæ extincta Didone, & Carthagine ab Iarba Getulorum Rege occupata, relicta Africa in Melitam insulam fugerit: inde ob metum fratris Pygmalionis, naui conscensa in agrum Laurentium delata, & ab Ænea hospitio excepta fuerit: ibique in somniis à Didone monita insidias sibi à Lauinia Æneæ vxore strui, ideò suspectum hospitium fugeret, per fenestram nocte dilapsa ad amnem Numicium venerit, ac in eum se præcipitauerit. Postridie insanis clamoribus per Laurensum agrum diu quæsita, cùm præter vestigia ad fluuium vsque nihil appareret, visa fuerit clamantibus ex fluuio respondere:

—Placidi sum Nympha Numici

Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.

Itaque deinde pro Dea coli cœperit: id quod Ouidius prolixè explicat, vbi etiam hoc adiicit esse, qui hanc Annam Perennam Lunam esse putârint, quæ Anna vocaretur, quod annus ex mensibus quos motu Lunæ metitur fiat. Alios eam vnam ex Atlantidibus, quæ Ioui vbera præbuerit, putasse: alios Io, quosdam etiam Themin: sic enim scribit:

Sunt quibus hæc Luna est, quæ mensibus impleat annum,

Pars Themin Inachiam, pars putat esse bouem.

Inuenies qui te Nymphen Atlantida dicant,

Téque Ioui primos Anna dedisse cibos.

Postremò etiam hanc opinionem affert, fuisse Annam vetulam quandam Bouillis oriundam, quæ plebi, cùm in Auentinum montem secessisset, & iam commeatu destitueretur, placentas quasdam rusticas in montem detulerit. In cuius beneficij memoriam plebs, pace cum Patribus facta, statuerit, vt perenne nomen eius coleretur, ipsáque Anna Perenna nuncuparetur. Quam narrationem sic concludit:

Pace domi facta signum posuêre perenne.

Quòd sibi defectis illa ferenas opem.

Macrobius à perennitate annorum Annam Perennam dictam scribit. Huius & Varro in Satyra Menippæa meminit apud Agellium lib.15. cap. 21. his versibus quemadmodum eos legendos censet Ludouicus Carrio I.C. Comment 1. Antiq. lect cap. 1.

Ted, Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes & Minerua, Fortu a ac Ceres.

De celebritate, quæ in eius memoria peragebatur, in Kalendario. Atque hactenus de iis diximus, quos merita in cœlum vocârunt. De Tiberino, Pico, & aliis Latinorum Regibus, quos Romulus consecrasse fertur, nihil dicam: sicuti nec de Imperatoribus quicquam agam, qui tamen & ipsi post mortem consecrati, & templis, sacris, ac sacerdotibus honorati sunt, quod qua ratione factum sit, libro proximè sequenti exponemus.

AD CAP. XVII.

PARALIPOMENA.

Dij Indigetes, Æsculapius, eius cultus, fanum statua. De Inuentione Medicinæ, Medicorum primo vsu.

DE diis omnibus qui isto capite describuntur, eruditissimè, & copiosè Andr. Tiraquell. in Alexandrum Neapolitanum lib. 4. Genial. dier. cap. 4. supple locum. P. Fulgentij lib. 3. Mytholog. de Berecynthia. *Ideo & apud Romanos Indigetes. Ergo Bere ynthiam* rescribe. *Ideo & apud Romanos Indigetes, quasi nihil indigentes. ergo*, &c. A Gell. lib. 2. cap. 16. ex Apollinari Sulpitio qui hæc dicit ad filium, *sciebat eum. cum ex hominum vita discessisset, immortalem indigetem futurum, & longo perpetuoque æuo potiturum.* Valer. Maxim. in præfat. *reliquos deos accepimus, Cæsares dedimus.* Sil. Italic. lib. 9. Punicor.

Hinc Vesta, & captæ stimulatus cæde Sagunti
Amphitryoniades pariter veneranda Cybele,
Indigetesque dei, Faunusque, Satorque Quirinus:
Alternusque animæ mutato Castore Pollux.

Virgil. lib. 1. Georgic. in fine. M. Lucan. lib. 1. Pharsal. vers. 556.

Indigetes fleuisse deos.

Fr. Modius Nouantiquar. lect. epist 80. putauit legendum *Indigenas fleuisse deos.* Ouid. li. 1. Metamorphos. fab. vlt.

Dij precor Æneæ comites, quibus ensis & ignes
Cesserunt, dique Indigetes, genitorque Quirine,
Vestaque Cæsareos inter sacrata penates.

Claudian. lib. de Bello Gildon.

Mærent Indigetes, & si quos Roma recepit,
Aut dedit ipsa deos.

Alb. Tibull. lib. 2. eleg. 6.

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Vnda deum cœlo miserit Indigetem.

In historum deorum numero & Æsculapium ponunt, quem medicæ artis claritudo æternitate donauit. D. Auson. in præfat. Griphi. *quem tu, vt Æsculapius, redintegrabis ad vitam.* Socrates infirmus, vouit Æsculapio, si conualesceret, gallum. Plato in Phædone. Cuius cultus origo primum à Scythis, ad alias gentes, vt opinor, dimanauit. Suidas in voce ἄγιον, *sanctum. locus*, inquit Hieronymus VVolfius interpres, *Scythiæ in quo Æsculapius colitur, sanctum appellatur.* Sed & celebris eius Epidauri cultus instituebatur, res nota, sed illud minus obuium, cruenta hostia ibi placatum, quod ab eodem Suida proditum in voce *Epidauri.* T. Liu. 1. Decad. lib. 10 *inuentum in libris Æsculapium Romam Epidauro accersendum, neque eo anno, quia consules bello occupati erant, quicquam ea de re actum, præterquam quod vnum diem Æsculapio supplicatio habita est.* Et 3 Decad. lib. 9. *nullas dum in Asia habebat socias ciuitates populus Romanus, tamen memores Æsculapium quoque ex Græcia quondam haud vllo fœdere sociatam valetudinis populi causa, accersitum.* L. Sen. Hippolyto Act 4. sc. 1.

—Numen Epidauri dei.

Vnde oraculum apud Ouidium lib. 15. Metamorphos. fab. 50. ipse Apollo consultus.

Quod petis hinc propiore loco Romane petisses,
Et pete nunc propiore loco, nec Apolline vobis
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato.
Ite bonis auibus, prolemque accersite nostram.

Corrigendus C. Petronius in ciuilibus.

Quid porro tu Diue tuis cunctis in armis,
Non frangis portas, non muris oppida soluis,
Thesaurosque rapis? nescis tu, Magne, tueri
Romanas acies? Epidauria mœnia quære.

Vltimus versus afflictus est, legendum quippe suadeo.

Romanas arces, Epidamnia mœnia quære.

Ratione non probabili, sed & clara, historici omnes. C. Sueton. in Cæsare cap. 34. *secundum superum*

sopitum mare Brundisium tetendit, quo consules, Pompeiusque confugerant, quamprimum transfretaturi. Viris doctis obseruatum ex Cicerone lib.7.ad Attic.Epist. 10. & lib.8. Ep. 25. Et apertius Epist.2.*nihil ulla in gente vnquam ab vllo auctore reip. & duce turpius factum est, quam à nostro amico, cuius ego vicem doleo,qui vrbem reliquit,id est patriam,pro qua & in qua mori præclarum fuit.* Romanas arces ergo Pompeius nesciuit tueri,quo nomine malè audiuit.M.Lucan.lib.1.Pharsal.vers.513.

——Vrbem populis victisque frequentem
Gentibus & generis,coëat si turba capacem
Humani,facilem venturo Cæsare prædam
Ignauæ liquere manus.

Et rectè arces,ad magnificentiam notandam ædificiorum, quæ illa ætate ad septuaginta cubitorum altitudinem attollebantur, vt iure, *alta Roma*, vocetur passim apud poëtas & significantius est, *Carthaginis arces*, quam Carthago est, & *Pergamea arces*, quam Pergamus, ipse P[illegible] n.eodem.

Omnia,quæ tribui Romanis arcibus odi
Claudian.lib.1 de bello Get.
Securas iam Roma leuas tranquillior arces.
P Virg l.lib.2.Georgic.
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum
Et lib 4 Æneid.
Aspicit nunc pater Romanas inuidet arces.
lib.10.Æneid.
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum,atque Alpes immittet apertas.

Fugiens itaq; Roma Pompeius Dyrrachium se contulit, quod melioris vocabuli omine sic dicebatur, quum antea Epidamnus fuisset dictum.pessimo ergo omine,infortunatoque auspicio eò fugit.M.Plaut.Mænechm.

Ne mihi damnum in Epidamno duas.

Palmerius in spicilegio trahit huc illud Albinouani Consolat.ad Liuiam Augustam.

——Et nomina magna locorum.

Romam Epidauro,vt regrediar,Æsculapius, pestis leuandæ gratia, translatus, in Insula Tiberina fanum extra vrbem recepit(C.Sueton.in Claudio cap.25.*ægra & afflicta mancipia, Æsculapij tædio medendi in insulam exponerent*) quod Æsculapium appellabant. M. Pollio Victruuius præfat. ad lib. 7. & ex eo aliqui Criticorum.

Inuentorem hunc facit Medicæ artis. M. Capella lib.12.de Nuptiis.*comminuendæ frugis, farrisque fragmenta Pilumno signat Italia, adscribit Æsclepio Græcia medicinã.* Q.Tertull.Apol. cap.23.*Ipse iste Aesculapius,medicinarum demonstrator.* Arnob.lib 1.cont.gent. *Aesculapium medicaminum repertorem, post pœnas & supplicia fulminis custodem nuncupauistis & præsidem sanitatis,valetudinis & salutis!* certè *primus vulnus obligauit.* Cic.lib.3.de Nat. deor. Et tamen patrem habuit Apollinem.Seru.ad vers. 316. libro 10. Æneid.qui Ouidio scribente lib 1.Metamorph.fab. 9. Medicinæ inuentionem sibi vindicat.

Inuentum Medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor & herbarum subiecta potentia nobis.

Et Epist.5 Oenone Paridi.

Ipse repertor opis, vaccas pauisse Phereas Dicitur.

Idem Fastor.lib.3.ad finem, & li.3.Trist.eleg. 3. Q.Horat. Carmine sæculari, & Helenius Acron.ibi. Aurel.Macrob.Saturn.cap.17.Fab. Quintil.lib.3.ca.9.Diodor. Sicul.Bibliothec. li.6.Virgil.l.12. Aeneid.v.393 Plato in Sympol.vnde Apollinis cognomentum, *Acesius*, Pausan. Eliac.Et *Alexicacus* apud Athenienses, idem Arcad. Denique Q. Sammonicus Serenicus cap.1 Rei Medicæ.

Phœbe salutiferum,quod pangimus, assere carmen,
Inuentûmque tuum prompto comitare fauore.

Istis Apollinem authorem Medicinæ facere placuit,non Aesculapium, alij inuentam assignant Chironi centauro, saltem eam partem quæ ex herbis est. Iul. Hygin. Fabular. cap.274 *Chiron Centaurus Saturni filius, artem Medicam Chirurgicam ex herbis primus instituit.* vide quæ supra hoc opere de illo dixi. Probus Grammatic.ad lib.3 Georg.atque hic Aesculapij doctor fingitur. Ouid,lib.2.Metamorph.fab.9.

Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina,sed natum flammis vteróque parentis
Eripuit,geminique tulit Chironis in antrum.

Apollodor.Bibliothec.lib.3.
Ἀπόλλων δὲ τοῦ παῖδα ἐκ τῆς πυρᾶς ἁρπάσας πρὸς Χείρωνα τὸν κένταυρον ἤνεγκε, παρ' ᾧ καὶ τὴν ἰατρικὴν, καὶ τὴν κυνηγετικὴν τρεφόμενος ἐδιδάχθη. vertit Benedictus Aegius *Apollo rapiens infantem è pyra,ad Chironem Centaurum alendum tulit à quo etiam Medicinam, & venandi artem perdidicit.* Pindar.Nemeor.od 3.in princ.

Potest solui hic nodus, authorûmque dissensus componi ex loco laudato Hygini,nam *Medicinam Chirurgicam* Chiron excogitauit primus. Apollo ipse *ocularium*, eius filius Asclepius *Clinicen*. quare Plutarch. lib.8. Symposiac cap.14. καὶ τοὺς ἰατροὺς Ἀσκληπιὸν ἡγεμόνα ἔχοντας ἴσμεν. *Medicos habere Aesculapium præsidem scimus.* Incertus poëta lib. Anthol. cap.9. epigr.6.

Παιὰν, χαῖρε, Ἀσκληπιὲ, [illegible]

τοῖς δ' ἐπὶ Νίκανδρος ἀειμνήστου ἔλαχεν κλέος.
Id est ad verbum. *Pæon, Chiron, Aesculapius, Hippocratesque, post hos Nicander clarissimam consequutus est laudem.* vnde data leuitati poëticæ occasio fingendi Plutonem apud Iouem conquestum peritia Aesculapij infernos destitui, neque amplius mori homines, aut certè iam mortuos resuscitari ab eo, quo allusit Bassus, vel, vt aliis visum, Nicomedes.

καὶ νεκύων ἦν σπάνις εἰν ἀΐδῃ.
Et mortuorum erat egestas in inferno.

Pindar. Pythior. od. 3.

Ἀσκλαπιὸν
ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων.

Aesculapium heroem omnigenorum propulsatorem morborum. Et cum Hippolytum ad vitam reuocasset, fulmine percussus ab indignante Ioue fatalem rerum seriem ab illo rumpi. Athenagoras in Apologia. Lucian. in concilio deor. D. Augustin. lib. 18 de Ciuit. Dei cap. 10. Euseb. Præparat. Euangel. lib. 3. cap 14. Arnob. lib. 4. cont. gent. *nunquid Cupidinis atque auaritiæ causa (sicut canit Bœotius Pindarus) Aesculapium fulminis transfixum esse telo* Cyprian. lib. de Idolor. vanitate. *Aesculapius, vt in deum surgat, fulminatur: Hercules, vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur.* Tarquitius de Illustribus viris; *incertis parentibus natum expositum & à venatoribus inuentum canino lacte nutritum, Chironi traditum, didicisse Medicinam; fuisse autem Messenium, sed Epidauri moratum* scribit, vt refert Lactantius Firmianus lib. 1. Diuinar. Institut. cap. 10. M. Minutius Fœlix in Octauio, & Generhardus Elmenhorst. in Notis ad eundem auctorem. Varia disquisiui ad illud Claudiani lib. de Bello Getico, licet alia historia ibi.

Quem senior vates auium clangore repertum
Gramine restituit.

Sed quia de Medicina crebra hic mentio, annotabo paucis primam apud Romanos eius administrationem seruorum tantum fuisse, non autem ingenuorum, eámque illo sæculo quæstu exerceri solitam: si prius ostendero Aesculapium ad vitam plerosque reuocasse, quod & proditum à Xenophonte lib. de venat. in princip. Bocatius in Genealogia deor. lib. 2 cap. 27. & Hyginus, *ideo ait anguem in Aesculapij tutela esse, quod eius beneficio monstrata herba vitam filio regis restituerit.* P. Ouid. lib. 6. Fast.

Visus & auxilio est anguis ab angue dato.

Disertus medicus, & elegans poeta, Q. Sammonicus Serenus de Medicina in limine.

Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Nosti, atq; in cælum manes reuocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Huc ades.

Primi ergo medici seruili conditione. L. Seneca lib. 3. de Benef. cap. 24. *Imperauit* (Domitius) *medico, eidemque seruo sibi venenum daret,* & paucis interpositis, *vixit Domitius, seruatus à Cæsare, prior tamen eum seruus seruauerat: dominum hoc consolatus est, non tanquam mortiferum, sed tanquam somniferam potionem dedisset.* eadem narrat Sidon. in Ner. cap. 2. *vt haustum venenum pænitenti euomueris, medicúmque manumiserit, qui idem sibi prudens ac sciens minus noxium temperasset.* M. Tull. in Orat. pro rege Deiotaro. *Philippum medicum, seruum regium, qui cum legatis missus esset, ab ipso adolescente esse corruptum.* Fr. Robortellus corrigit C. Suetonij locum è Iulio capite quarto, *mansitque apud eos; non sine summa indignatione diebus quadraginta, cum vno medico & duobus cubicularijs,* legit ille *cum vno amico,* quòd φίλον, *amicum,* eum appellet Plutarch. in Cæsare, hanc ipsam historiam describens. sed lectionem vulgatam posse retineri docuit pridem vir multiscius Isaacus Casaubonus ad eum locum. Itaque æuo Augusti non omnes medici serui, sed quidem etiam in interiori principum cultu. C. Tacit. Annal. lib. 4. *sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liuiæ* L. Sen. lib. 6. de Benefic. cap. 16. *quare medico & præceptori plus quiddam debeo, nec aduersus illos mercede defungor? quia ex medico & præceptore, in amicum transeunt, & nos, non arte, quam vendunt obligant, sed benigna & familiari voluntate.* & vide plura egregiæ disquisitionis apud eundem.

Quæ licet aliquatenus fatear vera esse, tamen vsitatius erat, medicos in famulitio esse. C. Sueton. Calig. cap. 8. ex Augusti epistola. *mitto præterea cum eo ex seruis meis medicum.* Q. Aurel. Symmach. lib. 2. epist. 18. *certe Eusebius medicorum potissimus, obsequio tuo à me traditus, & ad lenendas opportunius offensas, iam poterit amara condire de cuius facetijs duo spondeo, nec afflictationi temperamentum, nec tibi defuturum esse solatium.* C. Plin. Iunior. lib. 10. Epist. 4. *proximo anno, domine, grauissima valetudine, vsque ad periculum vitæ vexatus, Iatraliptem assumpsi, cuius sollicitudine, & studio, tuæ tantum indulgentiæ beneficio referre gratiam parem possum, quare rogo des ei ciuitatem Romanam est enim peregrinæ conditionis, manumissus à peregrina, vocatur ipse Harpocras, patronam habuit Thermusim Theonis, quæ iampridem defuncta est.* Et eiusdem libri epist. 22. *ago gratias, quod Romanam ciuitatem Harpocrati Iatraliptæ meo sine mora indulsisti, sed cum annos eius*

eius & censum, sicut praeceperat, ederem, admonitus sum à peritioribus, debuisse me ei ante Alexandrinam ciuitatem impetrare, deinde Romanam, quoniam esset Ægyptius, ego autem, quia inter Ægyptios caeterósque peregrinos nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solum scribere tibi, cum scilicet à peregrina manumissum, patronámque eius iampridem decessisse. Claudian. lib. de bello Gildonico.

Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius regi, nudata fraude remisit,
Iniusto quem Marte petit, bellúmque negauit
Per famuli patrare nefas.

At quis hic famulus? Explicant historici. A Gell. *regis Pyrrhi amicum* libro tertio capite octauo vocat. Valerio Antiati veteri historico *Timochares Ambraciensis* dicitur, Q. Quadrigarius antiquus item historiae scriptor, *Nicium* nominat. Antiati concors est Valerius Maximus lib. 6. cap. 5. tit. 4. At T. Liuius non amicum, aut familiarem vult fuisse, vt illi, sed medicum 5 Decad. lib. 2. *non per insidias, & nocturna praelia, aut simulatam fugam, improuisósque ad incautum hostem reditus, nec vt astu magis quàm vera gloria viderentur bella maiores gessisse, eadem fide indicatum Pyrrho medicum, vitae eius insidiantem, eadem Phaliscis vinctum traditum praeceptorem.* huc refero illud L. Apuleij libro primo Apolog. *falsi, quod leporem marinum fuisse dixerunt: alius enim piscis fuit, quem mihi Themison seruus noster, medicinae non ignarus vt ex ipso audisti, vltro retulit inspiciendum.* Et alio loco eiusdem operis, *Themison medicus, à quo mulier ad inspiciendum perducta est.* antea legebatur pessimè, meo quidem indicio, *Themis conseruus,* auctor correctionis I. Lipsius in Elect. & firmatur lectio ista ex L. Seneca. Epist 95. *Itaque alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis.* vt coniectura mihi nascatur nobilissimi medici nomen, seruo seu medico domestico attributum, nam reperio Themisonem quemdam medicae peritia scientiae vsque eò elatum, vt cùm in comitatu regis Antiochi esset, Macedonia oriundus, quemadmodum *Iupiter* vocari voluerit *Menecrates,* ita ille *Hercules,* Athen. libro septimo dipnosophist. cap. 13. fuit & alter medicus eiusdem nominis tempore Vespasianorum, auctore veteri Scholiaste Iuuenalis ad vers. 221. sat. 10.

Quod Themison aegros Autumno occiderit vno.

Nec tantùm id ex historicis liquet & poëtis, sed & Iurisconsultis. Scaeuola l. 41. ff. de fideicommissar. libertat. *Lucius Titius ita testamento cauit, medicos tibi commendo, illum & illum, in tuo indicio erit, vt habeas bonos libertos, & medicos, quod si ego libertatem eis dedissem, veritus sum, quod sorori meae charissimae fecerunt medici serui eius manumissi ab ea, qui salario expleto reliquerunt eam.* Papinianus l. 10 ff. de annuis leg. *ideo nec sumptum medicamentorum medicus libertus rectè petet, quem, vt patronam, eiusq; familiam curaret accepeabat.* Iustinian. Aug. l. 3. C. Commun. de legat. Et in sacris literis, *Ioseph praecepit seruis suis medicis, aromatis patrem condirent.* Geneseos cap. vlt.

Narrationem de Æsculapio susceptam prosequor, depingebatur senili facie, barba propexa, nodoso in manu baculo. signi eius meminit C. Suet. in Augusto. cap. 59. de barba, M. Tull. lib. 3. de Nat. deor. *Dionysius Æsculapij Epidauri barbam auream demi iussit, neque enim conuenire barbatum esse filium, cùm in omnibus fanis pater imberbis esset.* legendum censeo, *Aesculapij Epidauri barbam*, neque eam res Epidauri acta est, sed in Sicilia. Aelian. var. hist. lib. 1. cap. 20. simile mendum in Valerio Maximo lib. 1. cap. 2. *Idem Epidauri Aesculapio barbam auream demi iussit quod affirmaret, non conuenire patrem Apollinem imberbem, ipsum verò barbatum conspici*, lege, *Epidaurio Aesculapio.* M. Minutius Faelix in Octauio. *Aesculapius barbatus, & si semper adolescentis Apollinis filius.*

Palladium & crepidas Graeco more, nempe Graecus deus gerebat, Q. Flor. Tertullian. lib. de Pallio. *ipsum hoc pallium morosius ordinatum, & crepidae graecae graecatim Aesculapio adulantur.*

Cum baculo etiam effigies illi posita. Fest. Pompeius libro nono: *In insula Aesculapio facta aedes fuit, quod aegros à medicis aqua maximè sustententur, eiusdem esse tutelae draconem, quod vigilantissimum sit animal, quae res ad tuendam valetudinem aegroti maximè apta est. canes adhibentur eius templo, quod is vberibus canis sit nutritus, bacillum habet nodosum, quod difficultatem significat artis, laurea coronatur quòd ea arbor plurimorum sit remediorum. huic gallinae immolabantur.* Sidon. Apollinar. lib 4. Epist. 3. *tenere non abnuis cum Orphea plectrum, cum Aesculapio baculum, cum Archimede radium, cum Euphrate horoscopium, cum Perdice circinum, cum Vitruuio perpendiculum.* & sic puto intelligendum L. Apuleium libro primo Milesiar. principio. *diceres dei medici, baculo, quod ramulis semiamputatis nodosum gerit, serpentem generosum lubricis amplexibus inhaerere.* baculus iste in laeua manu, dextra barbae admota, qui fere senum mos solet esse. P. Ouid. lib. 15. Metamorphos. fab. 50.

Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum Romane thorum, sed qualis in aede

Esse solet: baculúmque tenens agreste sinistra,
Cæsariem longa dextra deducere barba.
Varia de illo apud Lilium Gyraldum quære egregio de diis Gentilibus volumine. Et Artemidorum Daldianum lib.2. Oneirocrit. ca. 42.& lib.5.cappp.9.61.96.

CAPVT XVIII

De Diis, propter quæ datur ascensus in cœlum.

AST Olla, inquit Cicero, propter quæ datur ascensus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earúmq; laudum delubra sunto. Nec vlla vitiorum sacra solemnia obeunto. Et paulò pòst in huius legis explicatione: Bene verò, quòd mens, pietas, virtus, fides, consecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publicè templa sunt: vt illa qui habeant (habent autem omnes boni) Deos ipsos in animis suis collocatos putent. Tertia hæc est Deorum, siue Dearum gentilium classis, de quibus hoc capite ordine dicemus, initium à Mente capientes.

DE MENTE.

MENTEM propterea consecrarunt veteres, quemadmodum Varro, Lactantius, Augustinus & alij tradunt, vt bonam mentem concederet. L. Balbus apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum: Tum autem res ipsa, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur, vt ea ipsa vis nominetur Deus, vt Fides, vt Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proximè à M. Æmilio Scauro; antè autem ab Attilio Calatino erat fides consecrata. Hactenus apud Ciceronem L. Balbus. Liuius li.2. T. Otacilium Prætorem (sic emendauit Carolus Sigonius, cum antea legeretur Attilius) Menti ædem vouisse scribit: quàm posteà idem Duumuir ad hoc creatus, dedicauerit. Liuius lib.23. vbi etiam addit, hanc Mentis ædem Veneris Erycinæ in Capitolio esse, vno tantum canali discretas. Viues Ciceronem ita intelligendum esse vult, Mentem esse consecratam proximè à M. Æmilio Scauro, cùm iam ante fuisset ab Attilio consecrata.

DE VIRTVTE ET HONORE.

VIRTVTEM à viro dici auctor est Cicero, eò quòd virum Virtus maximè honestet. Quid sit virtus, plurimorum insignes disputationes ostendunt, quas hoc loco referre non est necesse. Lactantius dicit, virtutem esse perferendorum malorum fortem ac inuictam patientiam. Hanc Romani religiosè coluerunt, eiq; diuinos honores habuerunt, vt scilicet virtutem daret, teste Aurelio Augustino ex Varrone lib.4.cap.20.& alibi. Simulachra Virtutis varia fuerunt, nonnunquam matronali habitu, nonnunquam senili effictà.

Primus Virtuti fanū posuit Scipio Numātinus: deinde Marcellus Virtutis & Honoris. Plutarchus in libro de Fortuna Romanorum, & in vita Marcelli: Marcellus templum Honoris, & Virtutis, à se ex manubiis Siciliensibus extructum dedicare cupiens à Pontificibus impeditus, quòd ij non rectè vna æde duos Deos includi dicerent, priori alterum adijcere cœpit, ægrè ferens id impedimenti, ac quasi in omen trahens. Idem Valer. Maximus habet li.1.c.1. Liuius lib.29. Ædem Virtutis ex anno (qui fuit DXLIIX. P. Cornel. Scipione Africano, P. Licinio Crasso Diuite Coss.) ad portam Capenam M. Marcellus dedicauit XVII. anno postquam à patre eius primo Consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat. Cicero lib.2. de Natura Deorum: Vides Virtutis templum, vides Honoris à M. Marcello renouatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico à Q. Maximo dedicatum. Cæterum Virtutis & Honoris templa ita extructa erant, vt per virtutis templum ingressus esset ad ædem Honoris, quo ostendebatur non patere aditum ad verum honorem consequendum nisi per virtutem ipsam.

Fuit & alia Romæ Honoris & Virtutis ædes consecrata à C. Mario, deuictis Cimbris: diuersas tamen cellas habebat, cuius meminit præter alios Vitruuius lib.7.& vetus inscriptio, quæ habetur in lib. Epigrammatum, C. MARIVS PR. TR. PL. Q. AVGVR. &c. DE MANVBIIS CIMBRICIS, ET TEVTONICIS ÆDEM HONORI, ET VIRTVTI VICTOR VETERE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS, Festus. Summissiorem aliis ædem Honoris & Virtutis C. Marius fecit, ne si fortè officeret auspiciis publicis, Augures eam demoliri cogerentur. Honoris & Virtutis simulachra in nummis antiquis videntur talia.

DE PIE-

DE PIETATE.

Pietatis vox latè patet: propriè quidem conuenit in Deos, quibus omnia debemus: deinde in patriam, atque in parentes, quorum charitas proximè accedit ad Deos: tertio loco, erga omnes propinquos: postremò, erga optimè meritos, quos diligere vt propinquos, & colere parentum ferè loco, æquum est. Cicero lib. 1. de Natura Deorum: Pietas Iustitia est aduersos Deos, & cultus erga maiores aut sanguine coniunctos. Hanc vt Deos cæteros colebant Romani. Ædem ei consecrauit M. Acilius Glabrio Duumuir in foro Olitorio, eo loco, quo quondam mulier habitauerat, quæ matrem suam inclusam carceri mammis suis clàm aluerat, ob quod factum impunitas ei concessa fuit. Ita ferè Festus, nisi quòd pro matre patrem ponit, cùm tamen reliqui Scriptores, qui huius historiæ meminerunt, omnes matrem carceri inclusam fuisse, non patrem, scribant. Liuius lib. 40. Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. Plinius lib. 7. cap. 36. Pietatis exempla infinita quidem toto orbe extitêre, sed Romæ vnum, cui comparari cuncta non possint. Humilis in plebe, & ideò ignobilis puerpera, supplicij causa carcere inclusam matrem, cùm impetrasset aditum à Ianitore, semper exclusa, ne quid inferret cibi, deprehensa est vberibus suis alens eam: quo miraculo matri salus donata filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis, & locus ille eidem consecratus est Deæ C. Quintio, M. Attilio Coss. templo Pietatis extructo in illius carceris sede, vbi nunc Marcelli theatrum est. Hactenus Plin.

DE FIDE.

Fidem etiam diuinis honoribus coluerunt Romani. Ædes eius in Capitolio fuit, vt Plinius lib. 35 Naturalis historiæ innuit. Cicero lib. 5 de Offic. Fidem ait vicinam Ioui in Capitolio, & in 2. de Natur. Deor. ab Attilio Calatino consecratam ait. Festus ab Agathocle auctor est, ante ipsum Romulum ab Ænea in Palatio fidem consecratam. Dionysius Halicarnassæus lib. 2. & Plutarchus tradunt, Numam Pompilium primum publicè templum sacrasse Fidei, eique assignasse ex ærario victimas, quemadmodum Diis cæteris. Quid in tanta diuersitate Scriptorum sequendum sit, difficile est iudicare. Me tamen Plutarchi & Dionysij, quibus etiam accedit Liuius, auctoritas mouet, vt omnino credam à Numa Pompilio primam ipsi ædem consecratam, eandémque vetustate collapsam ab Attilio Calatino refectam, aut nouam extructam esse.

DE SPE.

Hvivs etiam Deæ ædem à Calatino consecratam esse Cicero in 2. de Legibus docet. Liuius lib. 21. ædis Spei in foro Olitorio meminit, quam dicit fulmine ictam esse. Et lib. 34. Q. Fabio filio Coss. & T. Sempronio

Gracccho Coss. eandem scribit incendio esse conflagratam, quæ paulò post creatis ad id ipsum Triumuiris, refecta fuit. Liuius lib. 25. P. Victor Spei nouum templum in VII. Vrbis regione statuit: hoc est in via lata. Fuit & ad Tiberim Spei ædes extructa à M. Fuluio Censore. Liuius lib. 40. Spei effigies in antiquis nummis talis cernitur: Fœmina est stans, institæ laciniam sinistra manu nonnihil attollens: dextra in cubitum elata pateram profert, in qua repositum inest velut ciborium: id est, vas in floris similitudine, cum hac inscriptione, SPES P.R. Quidam etiam spem Deam viridi indutam palla effinxerunt, & sedentem supra dolium cum cornice, quidam etiam Spem cum Nemesi.

SPEI templum demum incensum scribit Diod. lib. 50. ante bellum Actiacum, cum aliis plerisque ædificiis: quod factum quidam crediderunt libertorum opera.

DE PVDICITIA.

PVDICITIA etiam à Romanis vt Dea culta fuit, eáque duobus nominibus, Patricia, & Plebeia.

PVDICITIÆ PATRICIÆ ædes in foro Boario fuit, ad ædem rotundam Herculis, quam non licebat ingredi, nisi iis quæ semel nupsissent. Hanc ędem ab Æmilio consecratam aiunt.

PLEBEIÆ PVDICITIÆ ædicula in vico longo extructa est à Virginia, quæ familia Patricia orta, post Plebeio nupta, à sorore sacris Patriciæ Plebeiæ arcebatur, de qua re notatu digna sunt, quæ scribit Liuius: Insignem, inquit, supplicationem fecit certamen in sacello Pudicitiæ, quæ in foro Boario fuit ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum & Virginiam Auli filiam Patriciam Plebeio nuptam L. Volumnio Consule matronæ, quòd è Patribus nupsisset, sacris arcuerant. Breuis altercatio, inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit: cùm se Virginiam & Patriciam & pudicam in Patriciæ Pudicitiæ templū ingressam, & vni nuptam, ad quem virgo deducta sit, nec se viri honorúmve eius, ac rerum gestarum pœnitêre verè gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. In vico longo, vbi habitabat, ex parte ædium, quod satis esset loci, modico sacello exclusit, arámque ibi posuit, & conuocatis plebeiis matronis, conquesta iniuriam Patriciarum. Hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ Plebeiæ dedico: vósque hortor, vt quod certamen virtutis viros in hac ciuitate tenet, hoc Pudicitiæ inter matronas fit: detísque operam, vt hęc ara, quo illa antiquior culta est, vt nulla nisi spectatæ Pudicitiæ matrona, & qui vni viro nupta fuisset, ius sacrificandi haberet. Hactenus Liuius. Hinc Valerius Maximus lib. 2. de institutis. Quæ vno contentæ matrimonio erant, inquit, corona Pudicitiæ honorabantur. Festus auctor est, existimâre quosdam Pudicitiæ simulachrum, quod in foro Boario fuit, Fortunam esse.

DE CONCORDIA.

CONCORDIA DEA dicta, quæ daret concordiam. Huius diuersæ ædes Romæ fuerunt, quarum primam M. Furius Camillus Dictator V. in capitolio vouit & extruxit, Plutarcho & Ouidio testibus. Plutarchi verba ex interpretatione Xilandri sunt hæc: Camillus vouit, sedata seditione se templum concordiæ dedicaturum. Et paulò pòst: Postridie concione habita scriptum est, vt templum Concordiæ in rei memoriam, ad forum & Comitium spectans ædificaretur, &c. In hoc templo Senaculum erat, vbi Magistratus cum Senioribus deliberabant. Erant & multa simulachra, quorum passim meminit Plinius.

Alteram Cn. Flauius Appij Cæci scriba, Annio Libertino patre genitus, qui dies fastos publicauit æream fecit in Græcostasi, de qua in hunc modum Plinius lib. 33. cap. 1. P. Sempronio Longo, L. Sulpitio Coss. Flauius vouit ædem Concordiæ, si populo conciliasset ordines. Et cùm ad id pecunia publica non decerneretur, ex mulctatitia fœneratoribus condemnatis ædiculam æream fecit in Græcostasi, quæ tunc supra comitium erat, incidítque in tabula ærea, eam ædem CCCIV. annis post Capitolinam dedicatam. Meminit huius & Liuius libro 9.

Tertiā vouit L. Manlius Prætor bello Gallico, propter seditionem militarem. Facienda est locata à Duumuiris Cn. Puppio Cæsone, Quintio Flaminio ad hoc creatis à Prætore Vrbis dicata in arce à M. & Cn. Atuliis. Liuius lib. 22. & 23.

Quarta est in foro Romano prope Græcostasim, ædificata à L. Opimio Coss. deletis Gracchanis partibus, vbi etiam est basilica Opimia. Varro lib. 3. de lingua Latina. Erecta est ea ædes ingenti indignatione populi Romani, ad quam etiam cùm construeretur, inscriptum est: Opus Vecordiæ templum Concordiæ facit, veluti Xilander hunc locum vertit: Vecors facinus Concordiæ fanum facit. Plutarchus in C. Graccho. Appianus lib. 1. de Bellis ciuilibus.

Quinta

Quinta ædes Concordiæ posita est à Liuia Augusta, nisi eadem sit antiquissima, quam fecerat Camillus, reparata à Liuia, quòd vetustate laberetur. Suetonius in Tiberio. Ouidius in 1. Fastorum. dedicauit Tiberius Augustus. Dio. lib. 50. De ædibus Concordiæ etiam Augustinus li. 3. de Ciuitate Dei. cap. 25.

His Diis qui consecrati sunt nominibus virtutum, etiam eos adiiciemus, quibus nomina rerum repetendarum sunt indita. Quoniam, vt inquit Cicero, expectatione rerum bonarum erigitur animus. Tales fuerunt, Pax, Quies, Salus, Felicitas, Libertas. De quibus omnibus pauca tantùm verba faciemus, ac de Pace primùm.

DE PACE.

PACIS templum Romæ fuit magnificentissimum, foro proximum, quod Vespasianus à Claudio inchoatum, construxit. Iosephus, Plinius, Suetonius, & Dio. In hoc templo sunt qui tradant, diuum Hieronymum secuti, vasa, & donaria templi Hierosolymitani à Tito Vespasiano reposita fuisse. In hoc templo omnium rationalium artium Professores conuenire ad disputandum consueuisse, Galenus in Sermone de libris propriis docet. Lilius Gyraldus etiam ægrotos hoc templum frequentare solitos fuisse, ex quodam parum intellecto Galeni loco asserit. quem errorem notauit & reprehendit Hieronymus Mercurialis li. 1. Variarum lectionum, c. 13. Hoc Pacis templum, quod supra cætera maximum ædificium & pulcherrimum ac opulentissimum fuerat, Commodo imperante, incendio consumptum esse, Herodianus li. 1. auctor est. Simulachrum Pacis fuit varium: effingebatur nonnunquam cum spicis, interdum cum oliua, & cum lauro coronabatur, quin & cum rosa, nonnunquam solo caduceo significabatur. Fuit & ara Pacis Romæ.

DE QVIETE.

QVIETEM, inquit Aurelius Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei, c. 16. appellarunt, quæ faceret quietem. Hæc ædem habebat extra portam Collinam. Publice enim, inquit Augustinus, suscipere illam noluerunt. Liuius quoque lib. 4 scribit, fanum Quietis fuisse via Labicana. Viues ad Augustini illum locum suprà citatum, scribit, se coniectura ductum existimare, Quietem hanc ad mortuos pertinuisse, cùm & Orcus ab Antiquis Quietalis dictus sit.

DE SALVTE.

Et hanc Romani sanctè & religiosè coluerunt, ita vt feriæ etiam antiquis essent, quoties quis Salutem Deam nominasset, teste Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 16.

Ædes Salutis à C. Iunio Bubulco Censore locata fuit, anno vrbis CDXLVI. vt Liuius lib. 6. & 10. prodit, quam ipse Consul bello Samnitum vouerat, mox idem Dictator eam dedicauit. Hanc ædem à Fabio pictore depictam esse Plinius docet. Ab hac æde vicina nomen habet Porta Salutaris. Sic enim Festus: Salutaris porta Romæ appellata, quòd prope ædem Salutis esset. P. Victorius in v. regione eam collocat.

Porrò & Salutis augurium apud Romanos celebrabatur, cuius Scriptores veteres sæpius meminerunt: quale autem id fuerit, solus, quòd ego sciam, Dio lib. 37. his verbis docet: Anno, inquit, tunc spacio Romani bellis vacârunt, ita vt longo tempore intermissum augurium Salutis repeterent. Est autem quoddam diuinationis genus, quo probatur, concedántne ipsi Dij, vt populo Salutem postulent, quasi nefas esset eam priùs, quam concedatur, petere. Ad id dies destinatur singulis annis, ad quàm diem nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis in aciem, aut pugnatum sit. Hanc ob causam in continentibus malis, maximéque intestinis non celebratur: alioquin etiam difficillimum est Romanis, vt eam diem exactè ab his omnibus puram seruent: præterea absurdissimum est, cùm ipsi sese mutuò, seditionibus vltrò malis infandis affligant, vt siue vincantur, siue adeò vincant, in miseriis sint, ita salutem à Deo velle flagitare. Hactenus ille. Et sic Salutis Augurium explicat Angelus Politianus in Miscellaneis, cap. 13.

DE FELICITATE.

FELICITAS etiam, ait diuus Augustinus Dea est, ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt. De nomine non opus est multa verba facere. Simulachrum eius Archesilao Plastæ, quemadmodum Plinius scribit li. 35. locatum à L. Luculo HS. TV. cui mors Vtriusque inuidit. In antiquis numismatis talis Felicitatis cernitur effigies: Fœmina in solio sedens, dextra caduceum, sinistra grande cornu copiæ tenens. AEdem ei anno ab vrbe condita IↃCLXVI. L. Lucullus Consul cum M. Cotta locauit. Augustinus. Sed & M. Lepidus Magister equitum templum Felicitati Cæsaris ex Senatusconsulto construxit. Dio lib. 44.

DE LIBERTATE.

LIBERTAS imprimis à Romanis Dea habita & culta est, vt qui maximè ei studerent, ab eo videlicet tempore, quo in libertatem sese vendicauere. Libertatis templum P. Victor in Auentino constituit, & ibid. atrium Libertatis, cuius crebra apud Scriptores mentio. Templum Libertatis Liuius ex mulctatitia pecunia cum æreis columnis, & statuis pulcherrimis à patre Tib. Gracchi & conditum & dedicatum: eius atrium ab Ælio Pæto, & Cornelio Cethego Censoribus instauratum, & auctum, demùm & à Pollione restitutum, Suetonius scribit.

Cicerone in exilium profecto, domum eius P. Clodius Tribunus plebis Libertati consecrauit. Cicero pro Domo ad Pontifices. Dio quoque lib. 44. auctor est, Romanos in gratiam Iul. Cæsaris publico decreto Libertatis templum construxisse. Atque de his hactenus. Plurima templa, quæ in Imperatorum Romanorum gratiam extructa & consecrata fuerunt, vt Clementiæ Cæsaris, de quo Plutarchus: Iustitiæ Augusti, de quo Ouidius: Fœcunditatis Poppeæ de quo Tacitus, & multa alia, de quibus, præter Poëtas, & alios veteres Scriptores, Hubertus Goltzius in Thesauro Antiquitatis, & alibi, Adolphus Occa Medicus Augustanus in Numismatibus Romanorum Principum, AEneas Vicus, & alij nos docent, prætermitto. Nam translata ad vnum Imperij potestate, superstitiosa assentatio modum non inuenit.

CAPVT XIX.

De Diis Semonibus, siue minoribus, in quorum tutela homo esset.

DE Diis maioribus, siue Selectis hactenus diximus, tunc de Indigetibus, siue iis, quos merita vocarunt in cœlum: postremò de iis, propter quos daretur ascensus in cœlum. Sequitur igitur vt de Semonibus, siue minoribus, verba faciamus. Semones autem, vti Fulgentius Placidus in libello Obscurarum vocum tradit, dici voluerunt Deos, quos nec cœlo adscriberent, ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus; nec terrenos eos disputare vellent pro gratiæ veneratione. Hos Iustus Lipsius li. 2. Antiquarum lectionum, cap. 18. Semones dici ait, quasi hemihemones, id est, semi homines. Antiqui enim hominem dicebant hemonem. Augustinus lib. 6. de ciuitate Dei cap. 9. auctor est, Varronem commemorasse & enumerasse Deos à conceptione hominis, & exorsum à Iano, eam seriem perduxisse vsque ad decrepiti senis mortem, & Deos ad ipsum hominem pertinentes clausisse ad Næniam Deam, quæ in funeribus senium cantetur. Deinde cæpisse ipsum Deos alios ostendere, qui pertinerent non ad ipsum hominem, sed ad ea, quæ sunt hominis, sicuti est victus, vestitus, & quæcunque alia, quæ huic vitæ sunt necessaria, ostendisséque in omnibus, quod sit cuiusque munus, & propter quid, cuique debeat supplicari. Sed cùm libri isti interierint, impossibile nobis est de iis eo ordine, quo Varro, dicere, & omnes illos Deos, nemine omisso, recensere: faciamus tamen, vt quantum fieri poterit, eorum, quorum apud Scriptores passim fit mentio, Deorum nomina & officia, vel munera, breuiter enumeremus, accuratiorem descriptionem iis commendantes, qui & ingenio valent, & ocio magis abundant.

Dij qui nascentibus infantibus præerant.

A IANO incepisse Varronem Augustinus docet, de quo nos ante multa diximus.

OPIS, inquit Augustinus, dicitur, & inuocatur vt opem ferat nascentibus, & excipiat eos sinu terræ.

NASCIO siue NATIO Dea, quæ nascentibus præesse credebatur. Cicer. li. 3. de Natura Deorum: Nascio quoque Dea putanda est, cui cùm fana circuimus in agro Ardeatino, rem diuinam facere solemus.

VATICANVS Deus dictus, qui in vagitu os aperit, vel qui infantum vagitibus præsidet. Agellius li. 6. ca. 17. duas diuersas de hoc sententias recitat, quarum prima est, quòd præsit agro Vaticano, & nomen habeat à Vaticiniis, quæ ipsius vi atque instinctu in agro illo fieri consueuerint. Alteram deinde subiungit, ex Terentij Varronis libris rerum diuinarum, videlicet: Vaticanum Deum nominatum esse, penes quem essent vocis humanæ initia: quoniam pueri simulatque nascantur, eam primam vocem edant, quæ prima fit in Vaticano syllaba: qua de causa etiam vagire dicantur, exprimente verbo sonum vocis recentis. Apud Augustinum li. 4. cap. 8. de Ciuitate Dei, legitur Vagitanus: pro quo tamen in veteribus codicibus Vaticanus inuenitur: Viues annotat.

LEVANA, quæ de terra leuat infantes.

Cunina, quæ præest cunis, infantésque in cunis decumbentes tuetur: vel quæ cunas infantium administrat. Augustinus li.4. de Ciuitate Dei, ca.8.14. & alibi. Lactantius lib.1. Diuinarum institutionum, cap.20. Cunina à cunis dicta, eò quòd infantes in cunis tueatur, & fascinum submoueat.

Rumina, quæ mammam paruulo immulgeat: quia rumam dixerunt veteres mammam. Augustinus li.4.c.8. Varro, Cato, vel de liberis educandis, apud Nonium. His Semonibus (sic enim emendauit Iustus Lipsius lib.2. Antiquarum lectionum, ca.18. cùm anteà legeretur, hisce manibus) lacte fit, non vino. Cuninæ, propter cunas: Ruminæ, propter rumam: id est prisco vocabulo, mammam, à quo subrumi etiam nunc dicuntur agni.

Diva Potina, quæ potionem ministrabat.

Diva Educa, siue Edusa, quæ escam infantibus præbebat. Augustinus lib.4. ca.8. & alibi. Varro, Cato, siue de Liberis educandis, apud Nonium. Cùm primore cibo & potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus. Edusæ, & à potione Potinæ nutrices.

Ossilago Dea solidatrix ossium. Arnobius libro 4. Eam quæ durat & solidat infantibus paruis ossa, Ossilago ipsa memoratur.

Nundina Dea antiquorum, vt scribit Macrobius li.1. Saturnal. ca.16. à nono nascentium die dicta, qui dies lustricus nuncupatur, quo scilicet infantes lustrabantur, & nomen eis imponebatur. Is maribus erat nonus, fœminis octauus: cuius moris causas inquirit Plutarchus in quæstionibus Rom. quæst.102. quem hac de re lege.

Statilinus & Statanus, Dei præsides astantes. Lactantius. Alij educationi illos adscribunt, eo videlicet tempore, cùm standi & consistendi potestatem habere incipiunt.

Fabulinus Deus dicebatur, qui colebatur, cum fari pueri auspicarentur. De his duobus Diis ita Nonius. Statilinum, & Statanum & Fabulinum præsides Deos. Varro de liberis educandis puerilitatis affirmat, ab Statano, & Statilino, quorum nomina habent scripta Pontifices, Sic cùm primò fari incipiebant, sacrificabant diuo Fabulino.

Paventiam Deam antiqui constituerunt, vt auerteret ab infantibus pauorem, Augustinus lib.4. de Ciuitate Dei, cap.11.

Carnea vel potius Carna Dea, vitalibus humanis præesse putabatur, ab eáque petebatur, vt iecinora, & corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salua conseruaret. Cui templum, pulso Tarquinio, Iunius Brutus in Cœlio monte construxit, Calendísque Iuniis sacrum Vesti reus fecit. Huic Deæ pulte fabacea, & larido res sacra fieri solebat. Quin & Calendæ ipsæ Iuniæ Fabariæ dicebantur. Macrobius li.1 Saturnal. c.2. D. Augustinus lib.4. de Ciuitate Dei, c.8. & alibi, Carneam eam appellat, nisi mendosi sint codices.

Iuventus, siue Iuventas, quod Ludouico Viui, & Carolo Sigonio magis placet, inquit Augustinus lib.4. cap.11. & alibi, Dea est, quæ post prætextam excipit iuuenilis ætatis exordia. Hanc Romani à Seruio Tullio vsque in Capitolio coluerunt: quare cùm Tarquinius Priscus templum Ioui Capitolino extruere vellet, & proptereà omnium aliorum Deorum, qui in Capitolio colebantur, templa exauguraret, Terminus & Iuuentas cedere noluerunt, quod Romani in omen traxerunt, fore vt nunquam termini Vrbis mouerentur, nec vnquam iuuenilis vigor deesset. Dionysius Halicarnassæus lib.3. Augustinus de Ciuitate Dei, li.6. cap.1. Iuuentas Dea cum Termino Deo Ioui noluit concedere in Capitolio condendo. Liuius lib.5. extremo. Aliam Iuuentutis ædem vouit M. Liuius Consul, quo die Hasdrubalem exercitúmque eius cecidit, quam idem Censor M. Cornelio P. Sempronio Coss. faciendam locauit C. Licinius Lucullus, Duumuir dedicauit, xvi. annis pòst, quàm vota erat. Liuius li.36. & qui addit, ludos etiam huius ædis dedicandæ causâ factos, & quidem cum maiore religione, quòd nouum cum Antiocho bellum tum instaret.

Orbona Dea colebatur, ne orbos faceret. Arnobius lib.4. ait, in huius tutela fuisse orbatos liberis parentes. Ara eius Plinio li.2.c.7. teste, ad Larium ædem erat. Quanquam vocabulum Orbanæ inde eiectum erat. Restituit autem Adrianus Iunius li.3. Animaduersorum, cap.1.

Volupia Dea, à voluptate dicta est, quòd voluptatem hominibus afferret. Augustinus li.4. de Ciuitate Dei, cap.8. Nihil de ea apud Scriptores veteres inuenitur, nisi quòd sacellum habuerit prope portam Romanulam, in via noua. Sic.n. Iosephus Scaliger, vbi vulgati habet, naualia. In eo sacello, teste Macrobio, in ara Volupiæ, fuit simulachrum Angeroniæ, de qua Dea alibi. Sacellum Volupiæ à P. Victore collocatur regione Vrbis x. quæ dicitur Palatium. De simulachro huius Deæ Lilius Gyraldus scribit esse, qui Volupiam effingerent in throno, instar reginæ, sed pallidiori aspectu, & quæ virtutes subtus habere videretur: quam tamen opinionem ipse non magnifacit. Meminit & Cicero Volupiæ lib.2. de Natura deorum.

Lubentina, siue Lubentia, à lubendo, dicta teste Varrone, qui & Venerem eam esse

significat. Augustinus à libidine eam nomen habere docet.

ANCVLI & ANCVLAE Dij, Deæque erant ancillarum, ab iisque colebantur. Appellati sic sunt ab ancillis, quòd iis præessent: vel à verbo anculare, quo antiqui vtebantur, pro ministrare. Festus.

Dij nuptiales.

In nuptiis etiam peculiares Dij multi adhibebantur & colebantur, quos iam enumerabimus. Plutarchus in Quæst. Rom. qu. 2. auctor est, matrimonium contrahentes secundùm vulgi opinionem, quinque Deorum ope indiguisse: Iouis perfecti, siue adulti: Iunonis perfectæ, siue adultæ: Veneris, Suadæ, ac Dianæ (ea Lucina est) quam parturientes inuocant. Sed & multi alij adhibebantur, quorum hæc nomina apud Augustinum & alios repeiuntur.

IVGATINVS dicebatur, quòd coniuges coniungeret: hic colebatur, cùm mas & fœmina iungebantur. August. lib. 4. c. 11. & lib. 6. c. 9.

DOMIDVCVS Deus colebatur, cum domum ducenda erat, quæ nubebat. Dicebatur etiam Iuno domiduca eandem ob causam.

DOMITIVS eclebrabatur, vt esset in domo noua nupta.

MANTVRNA Dea adhibebatur, vt noua nupta cum viro maneret.

VIRGINENSIS Dea adhibebatur, cùm virgini zona solueretur. De his omnibus Augustinus lib. 4. De Ciuitate Dei, & lib. 6. cap. 9.

CINXIA etiam Iuno colebatur, de qua sic Festus. Cinxiæ Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quòd initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.

MVTINVS, qui & Priapus, super cuius immanissimum & turpissimum fascinum sedère noua nupta iubebatur more honestissimo & religiosissimo matronarum. Lactantius lib. 1. cap. 20. Augustinus lib. 6. c. 9.

DEVS PATER SVBIGVS adhibebatur, vt virgo à viro subigeretur.

DEA MATER PREMA colebatur, vt subacta virgo, ne se commoueret cùm premeretur. Martianus Capella lib. 2. de Nuptiis Mercurij, & Philologiæ. Meminit etiam Iunonis Interducæ, Domiducæ, Vnxiæ, Cinxiæ: quia scilicet nuptarum itinera protegeret, eas in ædes nouorum maritorum duceret, vnctioni postium adesset: de qua re pòst dicetur in ritibus nuptiarum. Huc pertinet etiam Dea Viriplaca.

VIRIPLACA Dea, à placando nomen habet, quòd viros placaret: de qua Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Quoties, inquit, inter virum & vxorem aliquid iurgij intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est in Palatio, veniebant: & ibi inuicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita, concordes reuertebantur. Dea nomen hoc à placandis viris fertur assecuta: veneranda quidem, & nescio an præcipuis, sed exquisitis sacrificiis colenda: vtpote quotidianæ & domesticæ pacis custos, in pari iugo charitatis, ipsa sui appellatione, virorum maiestati debitum, ac fœminis reddens honorem. Hæc ille. Sacelli eius meminit P. Victor, regione v. Vrbis Romæ, & in eadem Onuphrius Panuinius.

De diis, Deabúsque quæ parturientibus præerant.

MENA Dea fuit quæ fluoribus menstruis mulierum præesse putabatur. Augustinus libr. 7. Iouis filia hæc Luna credita, quippe Μήν Luna dicitur. Menam idem Augustinus priuignam Iunonis dixit.

DE IVNONE FLVONIA, & IVNONE LVCINA, diximus supra.

PARTVNDA etiam parientium Dea erat, & ab iis colebatur.

LATONA, Apollinis & Dianæ mater fuit. Huic, ait Ælianus in varia historia, existimatum gallum gallinaceum in amore fuisse, propterea quòd ei parienti adfuerit, & quòd etiam nunc parientibus adsit, eisque faciles partus efficiat.

EGERIAM Deam mulieres colebant, quòd eam credebant opitulari partui egerendo. Ita Festus. Egeriæ nymphæ sacrificabant prægnantes, quòd eam putabant facilè conceptam aluum egerere.

NIXII Dei dicti fuerunt ab enitendo, id est pariendo. Festus. Nixij Dij tria signa appellantur in Capitolio ante cellam Mineruæ, genibus nixa, velut præsidentes parientium nixibus: quæ signa sunt, qui memoriæ prodiderint Antiocho rege Syriæ superato M. Attillium subtracto populo Romano deportasse, atque ibi posuisse.

PROSA, vel PRORSA, & POSTVERTA, Deæ fuére apud Romanos celebratæ, quibus & aræ, & sacra fuerunt constituta, ob pariendi discrimina. Prosa enim præesse illis existimabatur, quæ rectum ac legitimum partum ederent: Postuerta verò, ab ægris & infirmis, &

cùm præposterè partus edebatur. Agellius libro 16. cap. 16. ex Varrone: Quando infantes contra naturam fortè conuersi in pedes sunt, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægriúsque tunc mulieres enituntur. Huius periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus: quarum altera Postuerta nominata est, Prosa altera: à recti, peruersíque partus & potestate & nomine. A Macrobio tamen Postuerta & Anteuerta, siue Postuorta alia ratione explicantur. Dicit enim veteres eas ideò coluisse, quòd ea omnia intelligi oportere existimarent, quæ præterita & futura essent. Qua ex re Comites diuinitatis eas appellauerit, non secus ac consilium & prouidentiam, quibus humana omnia & diuina expendantur & præuideantur.

Mulieri fœtæ, post partum tres Deos custodes adhiberi, commemorat apud Augustinum li. 6. c. 9. Varro: ne Syluanus Deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorúmque custodum significandorum causa tres homines circumire limina domus, & primò limen securi ferire, posteà pilo, tertiò deuerrere scopis, vt his datis culturæ signis, Deus syluanus prohibeatur intrare: quia, inquit, neque arbores cæduntur, atque putantur sine ferro: neque far conficitur sine pilo: neque fruges coaceruantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus, tres nuncupati Dij. Intercidona à securis intercisione. Pilumnus à pilo: Deuerra à scopis, quibus Diis custodibus contra vim Dei Syluani fœta conseruatur.

Ad mulieres etiam propriè pertinet Mater Matuta, quam, vt ait Festus, antiqui ob bonitatem sic appellarunt. Hæc fuit Ino Cadmi filia, quæ & Leucothea Græcis dicebatur. Fabulam eius habet Ouid. in 3. Metam. & 6. Fastor. AEdem ei primus posuit Seruius Tullius rex, quam posteà refecit Camillus, confecto bello Veientino. Liuius li. 5. Camillus Dictator satis iam omnibus ad id bellū (Veientinum scilicet) paratis ludos magnos ex Senatusconsulto vouit, Veiis captis se facturum, ædémque Matutæ matris refectam dedicaturum, iam ante ab Rege Ser. Tullio refectam. Idem Plutarchus in Camillo. Ab huius Deæ templi aditu seruæ prohibebantur. Vnam duntaxat matronæ introducebant, & colaphos genis eius infligebant. Cuius rei causam inquirit Plutarc. in Quæstionib. Rom. quæst. 16. Ab hac Dea nulla mulier suis, sed sororum liberis bona precabantur. Plutarchus quæst. 17. Ideóque in sacris eius sororum liberos pro suis in vlnas accipiebant. Plutarchus in Camillo. Liu. li. 34. meminit in foro Olitorio dedicatæ ædis Iunonis Matutæ. Verum Carolus Sigonius pro Matuta Sospitam legendum, nec Matutæ cognomen Iunoni tributum fuisse, docet.

Bona etiam Dea muliebris Dea fuit, de qua Plutarchus in Cæsare hæc scribit: Colitur Romæ Dea: quam Bonam appellant, vt Græci muliebrem. Hanc Phryges Mydæ Regis matrem fuisse putant. Romani Nympham Dryadem Fauni vxorem, Græci de nutricibus Bacchi vnā: eam, scilicet, quam nominari nefas est: itaque apud hos, cùm sacra ei fiunt, vitium palmitibus scenæ tectæ gestantur, & secundùm fabulam, Draco sacer apud Deam collocatur. Cùm ea sacra peraguntur, virum accedere, aut iisdem in ædibus esse nefas dicitur: ipsæ inter se mulieres multa cum Orphicis conuenientia obire feruntur. Eorum orgiorum tempus & celebrandi munus cùm ad Consulem vel Prætorem deuenit, ipse & omne quod est masculum, ædibus egrediuntur: vxor domum exornat, & pleraque noctu fiunt, iocis ad nocturna sacra admixtis, musicáque multa adhibita. Hactenus Plutarchus. Lactantius ex Sext. Clodio refert, Faunam vxorem Fauni fuisse, quæ, quia contra morem decúsque regium clam vini ollam ebibisset, & facta ebria esset, virgis myrteis à viro vsque ad mortem cæsa fuerit: posteà cùm Regem facti sui pœniteret, & vxoris desiderium ferre non posset, diuinum illi numen delatum esse: idcircóque in sacris eius obuolutam vini amphoram poni solitam. Quæ Plutarch. in Quæst. Rom. qu. 20. paulo aliter narrat. Macrob. lib. 1. Satur. c. 12. multa de Bona Dea habet, quam eandem dicit esse Terram vel Tellurem, & appellari interdum Bonam Deam: interdum Faunam: Opem: Fatuam: Bonam Deam, quòd omnium nobis ad victum bonorum causa sit: Faunam, quòd omni vsui animantium faueat: Opem, quòd ipsius auxilio vita constet. Fatuam à fando, quòd infantes partu editi non priùs vocem edant, quàm attigerint terram. Plura de hac apud Macrobium lege. Huius Deæ sacra violauit P. Clodius, is qui posteà Ciceronem in exilium pepulit, de quo Cicero ipse in Oratione de Aruspicum responsis & alibi. Plutarchus in Cæsare, Cicerone, & alij.

Fuit & Magna Geneta à Romanis culta, quam Plutarchus in Quæst. Ro. qu. 52. à manando dictam fuisse: & ortui atque partui præesse putat, non aliter atque apud Græcos Hecate. Huic canem immolari, votóque ab ea peti dicit, ne quis domi natorum bonus fiat.

Dij alij ab hominum actionibus sumpti.

Murcia Dea desidiæ existimata est, quæ faceret hominem murcidum, id est, nimis desidiosum. Augustinus lib. 4. cap. 16. & Arnobius. Festus. Murciæ Deæ sacellum erat sub... Auentino, qui anteà Murcus dicebatur. Tertullianus libr. de Spectaculis

que idolum fecit. Murciam enim Deam moris esse volunt, cui in illa parte ædem vouêre. Vide Iosephum Scaligerum castigationibus in Festum.

STRENVA, quæ impellebat homines, vt strenuè quid agerent. Eius sacellum fuit in via sacra. Varro lib. 4. de lingua Latina.

STIMVLA Dea, quæ vltra modum ad agendum stimularet. Augustinus.

AGENORIAM vocabant, quæ ad agendum excitaret, ab agendo dictam. Augustinus.

AGONIVS etiam Deus dictus, qui præesset rebus agendis.

HORTAM ab hortando dictam, quòd ad honestas actiones exhortaretur, & incitaret. Plutarchus in quæstionibus Romanis, Quæstione 46. ex Antistio Labeone docet: quam tamen ait aliis videri eam esse, quæ pòst Hora fuerit appellata, Dea agilis, & multis intenta negotiis. Alios etiam dicit existimare, hoc nomen à Græco ὁρᾶν, quod est videre, ei tributum esse, quòd sit Dea inspiciens res. Ennius & Ouidius memoriæ produnt, eam Quirini, vel Romani vxorem fuisse, quod alio nomine Hersilia dicta sit. Eius templum semper apertum mansisse Plutarchus scribit, vel quia Dea sit hortans, & incitans ad honestas actiones, vt significetur industriam eam sempérque occupatam nunquam cunctari debere, nunquam inclusam, impeditámve teneri: vel vt significetur nunquam ab ea res humanas negligi debere, cùm omnia obseruet, & sollicita sit de omnibus, vel etiam vt omnia videre possit. In qua Vrbis regione templum hoc, sciri non potest. Nonius Marcellus, vbi Ennij versum ex lib. 1. Annal. recitat:

Téque Quirine pater veneror: Horámque Quirini.

Iuuentutis Deam fuisse dicit Agellius lib. 13. c. 21. Quirini vxorem vocat. Viues ad Augustinum lib. 4. cap. 16. eandem cum Dea Stimula fuisse putat.

CATIVS Deus dictus, qui homines catos, id est, acutos faceret. Augustinus libro 4. capite 21.

VOLVMNVS Deus, & VOLVMNA Dea, à volendo dicti, quòd bona vellent: Fuerunt etiam Dij nuptiales, vt benè coniungerentur coniuges.

ADEONA & ABEONA Deæ cultæ fuerunt, quæ adeundi & abeundi facultatem præstarent. Augustinus lib. 4. c. 21. & lib. 7. c. 3.

VACVNAM ait Varro lib. 1. Rerum diuinarum, Victoriam dictam esse à Sabinis, & ea maximè gaudere eos, qui sapientia vincunt. Alij alia de ea tradunt. Porphyrio Horatij interpres aliquot auctorum sententias recitat, sic scribens: Vacuna apud Sabinos plurimùm colitur Dea, quæ est sub incerta specie formata, quidam Mineruam, alij Dianam putauerunt: nonnulli & Cererem esse dixerunt: sed Varro Victoriam. Hæc ille. Quidam volunt, Vacunam Deam creditam fuisse, quæ vacantibus & otiosis præesset. Eius templum Romæ fuit, quemadmodum in 1. Commentario Reipublicæ Romanæ, in descriptione XIV. Vrbis regionum, Onuphrius Panuinius docet: locus tamen ignoratur.

VITVLAM Deam Hyllus in libro, quem de Diis composuit, vocari dicit, quæ lætitiæ præesset. Piso ait, Vitulam Victoriam nominari: huius rei argumentum hoc profert, quòd postridie Nonas Iulias, re bene gesta, cùm pridie populus à Thuscis in fugam versus sit: vnde Populifugia dicuntur, post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio. Quidam nomen eius animaduersum putant, quòd potens sit vitæ tolerandæ: ideò huic Deæ pro frugibus fieri sacra dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur. Macrob. lib. 3. Saturn. c. 2.

PELLONIA, pellendorum hostium potens credebatur. Arnobius & Augustinus libro 4. capit. 21.

NVMERIA Dea, quæ numerare docere credebatur, vel ad numeros pertinere. Augustinus lib. 4. c. 11.

FESSONIA colebatur, vt fessos iuuaret. Augustinus lib. 4. c. 21.

VIBILIA, quæ ab erroribus viarum liberabat Arnobius lib. 4.

AVERRVNCVS Deus erat, qui auertere credebatur mala: sic dictus, ab auerruncare, quod pro auertere veteres dixerunt, quemadmodum verruncare, pro vertere: sic Placcunius, Dij nouerint meliora, atque amentiam auerruncassent. Ab hoc igitur Deo precari solebat, vt pericula auerteret. Varro.

ANGERONA silentij Dea fuit, sic dicta, vt habet Festus, quòd angores ac animi sollicitudines propitiata depelleret. In huius Deæ tutela fuisse Romam, à quibusdam proditur. Macrobius. Simulachrum Deæ fuit ore obligato atque signato, & in ara Volupiæ collocabatur, propterea quòd qui suos dolores, anxietatésque dissimularent, peruenirent patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Sacrificari ei ideò dicit Iul. Modestus, quòd p. p. Rom. morbo & angina, qua omne genus animalium consumeretur, præmisso voto, liberatus fuerit. Hæc ferè Macrob, Fest. Plin. & alij.

HERIM

Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant; quæ à nomine appellabatur Heredum:& esse vna ex Martis Comitibus putabatur. Festus.

Statatae matris simulachrum, inquit Festus, in foro colebatur, postquam id collustrauit (Ioseph. Scaliger, Cælius statuæ legendum opinatur) ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore, magna pars populi in suos quisque vicos retulerunt eius Deæ cultum.

Lavernam Deam Romani fures precabantur, vt instituta sua & consilia furandi ac mentiendi fortunaret. Plautus Cornicularia: Mihi Lauerna in furtis celebrassis manus. Horatius: Pulchra Lauerna, Da mihi fallere. Erat autem hæc Dea tantùm caput, sine reliquo corpore. Vide Iosephi Scaligeri castigationes in Festum. Huius Deæ lucus erat Romæ, de quo Festus. Lauerniones fures antiqui dicebant, quod subtutela Deæ Lauernæ essent, in cuius luco obscuro, abditóque soliti furta, prædámque inter se luere (id est, diuidere.) Hinc & Lauernalis porta vocata est.

Nænia Dea funerum erat. Eiusa cellum extra portam Viminalem fuit dedicatum. Aliàs Nænia, vt ait Nonius, significat ineptum & inconditum carmen, quòd adducta mulier quæ præfixâ diceretur, iis quibus propinqui non essent, mortuis non exhiberetur. Var. lib. 4. de pop. Rob. Ibi à muliere, quæ optima voce esset (sic legit Guil. Canterus) per quam laudari, deinde Næniam cantari solitam ad tibias & fides. Festus. Nænia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Sunt qui eo verbo finem significari putant. Quidam volunt Næniam ideo dici, quòd voci similior querimonia flentium sit.

De Libitina, Orco, Plutone, &c. aliàs diximus. Illud etiam non est silentio prætereundum, veteres singulis partibus humani corporis singulos Deos præfecisse. Caput Ioui deferebant: Neptuno pectus: cinctum Marti: Frontem Genio sacram facit Seruius: vnde inquit, Deum venerantes frontem tangimus. Supercilia in Iunonis tutela fuisse ait Sextus Pompeius, quòd iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam à Iunone tribui putabant, Lucina inde dicta. Oculos Cupidini Veneris filio, in quibus excubet, ceu Specula quadam, tribuit Philostratus: Mineruæ eos sacros tradit Fulgentius. Aurem Memoriæ consecratam refert Seruius. Locus retrò aurem dextram Nemesi attributus fuit, quo referimus, vt Plinij verbis dicam, tacto ore proximum à minimo digitum veniam sermonis à Diis ibi recordantes. Dextra Fidei sacra est: nam in fide porrigitur. Dorsum & posticæ partes Plutoni propriæ adscribuntur ab Artemidoro. Renes & inguina Veneri adiudicantur. Pedes Mercurio. Genua Misericordiæ consignauit antiquitas, quòd ea supplices attingant, ad hæc manus tendant, hæc vt aras adorent, vt inquit Plin. Tali, plantęve pedum in Thetidis potestate fuerunt. Digiti Mineruæ consecrati. Seruio teste. Vide Lilium Gregorium Gyraldum Syntagmate 1. Deorum gentilium, & Hadrianum Iunium li. 4. Animaduersorum, cap. 12.

Ad Cap. XIX.

Paralipomena.

De Dea Leuana, ritus infantes natos in terram deponendi, & terra leuandi, déque pueris Alexandrinis.

Nati infantes in humum abiiciebantur. C. Plin. Præfat. ad lib. 7. Nat. histo. *hominem tantum nudum & in nuda humo, natali die abijcit* (Natura) *ad vagitus statim & ploratum.* C. Sueton. Aug. c. 5. *hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem, ac velut aditumum soli, quod primum Diuus Augustus nascens attigisset.* Idem in Nerone cap. 6. *Nero natus est, ante nonum menses quàm Tiberius excessit, octaua Calend. Ianuarias, iam tum quidem exoriente sole, pene, vt radiis prius quam terra contingeretur.* locus suspectus mihi, ita deo censeo legendum, *iam tantum quod exoriente sole*, atque ita in codice MS. Henrici Memmij fuisse testatur Dionysius Lambinus, qui etiam in Augusto apud eundem authorem c. 98. legit. *de Alexandrina naui, quæ tantum quod appulerat*, ante à legebatur, *de Alexandrina naui, quæ tunc quidem appulerat.* & in eiusdem vita cap. 63. *tantúmque pueritiam egresso*, lege, *tantum quod pueritiam egresso*, valétque ea loquendi formula pro, *iam tum*, aut *modo primum*. sic frequenter loquitur M. Tullius lib. 7. epistolar. familiar. epist. 23. *tantum quod ex Arpinati veneram, cum mihi à te literæ redditæ sunt.* Et ad Attic. li. 15. epist. 13. *hæc cum scriberem, tantum quod existimabam orationem ad te esse perlatam.* Idem 3. Orat. Verrina. *tantum quod aratorib. Metellus obsides non dedit.* Æmil. Prob. in Datame. *qui tantum quod ad hostes peruenerat.* sed de diuerticulo in viam.

De nuper nati partus in terram depositione, intellexit Plinius idem lib. 2. cap. 65. *sequitur terra, cui vni rerum natura partium, eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis, sic hominum illa, ut cælum Dei, quæ nos nascentes excipit, natos alit, semélque editos sustinet semper.* Obstetricum hoc munus in terra

Quòd sibi defectis illa ferenat opem.

Macrobius à perennitate annorum Annam Perennam dictam scribit. Huius & Varro in Satyra Menippæa meminit apud Agellium lib.15. cap. 21. his versibus quemadmodum eos legendos censet Ludouicus Carrio I.C. Comment 1.Antiq.lect. cap.1.

Ted, Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes & Minerua, Fortu a ac Ceres.

De celebritate, quæ in eius memoria peragebatur, in Kalendario. Atque hactenus de iis diximus, quos merita in cœlum vocârunt. De Tiberino, Pico, & aliis Latinorum Regibus, quos Romulus consecrasse fertur, nihil dicam: sicuti nec de Imperatoribus quicquam agam, qui tamen & ipsi post mortem consecrati, & templis, sacris, ac sacerdotibus honorati sunt, quod qua ratione factum sit, libro proximè sequenti exponemus.

AD CAP. XVII.

PARALIPOMENA.

Dij Indigetes, Æsculapius, eius cultus, fanum statua. De Inuentione Medicinæ, Medicorum primo vsu.

DE diis omnibus qui isto capite describuntur, eruditissimè, & copiosè Andr. Tiraquell. in Alexandrum Neapolitanum lib.4. Genial. dier. cap.4. supple locum. P. Fulgentij lib.3. Mytholog. de Berecynthia. *Ideo & apud Romanos Indigetes.* *Ergo Bere ynthiam* rescribe. *Ideo & apud Romanos Indigetes, quasi nihil indigentes. ergo,* &c. A. Gell. lib.2. cap.16. ex Apollinari Sulpitio qui hæc dicit ad filium, *sciebas eum cum ex hominum vita discessisset, immortalem indigetem futurum, & longo perpetuoque æuo potiturum.* Valer. Maxim. in præfat. *reliquos deos accepimus, Cæsares dedimus.* Sil. Italic. lib.9. Punicor.

Hinc Vesta, & capta stimulatus cæde Sagunti
Amphitryoniades, pariter veneranda Cybelle,
Indigetesque dei, Faunusque, Satorque Quirinus:
Alternusque animæ mutato Castore Pollux.

Virgil. lib. 1. Georgic. in fine. M. Lucan. lib. 1. Pharsal. vers. 556.

Indigetes fleuisse deos.

Fr. Modius Nouantiquar. lect. epist 80. putauit legendum *Indignas fleuisse deos.* Ouid. li. 1. Metamorphos. fab. vlt.

Dij precor Æneæ comites, quibus ensis & ignes
Cesserunt, dique Indigetes, genitorque Quirine,
Vestaque Cæsareos inter sacrata penates.

Claudian. lib. de Bello Gildon.

Mærent Indigetes: & si quos Roma recepit,
Aut dedit ipsa deos.

Alb. Tibull. lib.2. eleg.6.

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Vnda deum cælo miseris Indigetem.

In historum deorum numero & Æsculapium ponunt, quem medicæ artis claritudo æternitate donauit. D. Auson. in præfat. Griphi. *quem tu, vt Æsculapius, redintegrabis ad vitam.* Socrates infirmus, vouit Æsculapio, si conualesceret, gallum. Plato in Phædone. Cuius cultus origo primum à Scythis, ad alias gentes, vt opinor, dimanauit. Suidas in voce ἄγιον, *sanctum. locus*, inquit Hieronymus VVolfius interpres, *Scythiæ in quo Æsculapius colitur, sanctum appellatur.* Sed & celebris eius Epidauri cultus instituebatur, res nota, sed illud minus obuium, cruenta hostia ibi placatum, quod ab eodem Suida proditum in voce *Epidauri.* T. Liu. 1. Decad. lib. 10 *inuentum in libris Æsculapium Romam Epidauro accersendum, neque eo anno, quia consules bello occupati erant, quicquam ea de re actum, præterquam quod vnum diem Æsculapio supplicatio habita est.* Et 3 Decad. lib.9. *nullas dum in Asia habebat socias ciuitates populus Romanus, tamen memores Æsculapium quoque ex Græcia quondam haud vllo fœdere sociata valetudinis populi causa, accersitum.* L. Sen. Hippolyto Act 4. sc.1.

—Numen Epidauri dei.

Vnde oraculum apud Ouidium lib.15. Metamorphos. fab.50. ipse Apollo consultus.

Quod petis hinc propiore loco Romane petisses,
Et pete nunc propiore loco, nec Apolline vobis
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato.
Ite bonis auibus, prolemque accersite nostram.

Corrigendus C. Petronius in ciuilibus.

Quid porro tu Diue tuis cunctaris in armis,
Non frangis portas, non muris oppida soluis,
Thesaurosque rapis? nescis tu, Magne, tueri
Romanas acies? Epidauria mœnia quære.

Vltimus versus afflictus est, legendum quippe suadeo.

Romanas arces, Epidamnia mœnia quære.

Ratione non probabili, sed & clara, historici omnes. C. Sueton. in Cæsare cap.34. *secundum*

superum

superum mare Brundisium tetendit, quo consules, Pompeiúsque confug-rant, quamprimum transfretaturi. Viris doctis obseruatum ex Cicerone lib.7.ad Attic.Epist. 10. & lib.8. Ep. 25. Et apertius Epist.2.*nihil ulla in gente unquam ab ullo auctore reip & dice turpius factum est, quam à nostro amico, cuius ego vicem doleo, qui vrbem reliquit; id est patriam, pro qua & in qua mori præclarum fuit.* Romanas arces ergo Pompeius nescivit tueri, quo nomine malè audiuit. M. Lucan. lib.1. Pharsal. vers 513.

——Vrbem populis victisque frequentem
Gentibus & generis, coeat si turba capacem
Humani, facilem venturo Cæsare prædam
Ignauæ liquere manus.

Et rectè arces, ad magnificentiam notandam ædificiorum, quæ illa ætate ad septuaginta cubitorum altitudinem attollebantur, vt iure, *alta Roma*, vocetur passim apud poëtas & significantius est, *Carthaginis arces*, quam Carthago est. & *Pergameæ arces*, quam Pergamus, ipse Petron. itidem.

Omnia, quæ tribui Romanis arcibus odi

Claudian. lib.1 de bello Get.

Securas iam Roma leuat tranquillior arces.

P. Virgil. lib.2. Georgic.

Imbellem auertis Romanis arcibus Indum

Et lib 4 Æneid.

Ast animae pater Romanas inuidet arces.

lib.10. Æneid.

Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque Alpes immittet apertas.

Fugiens itaq; Roma Pompeius Dyrrachium se contulit, quod melioris vocabuli omine sic dicebatur, quum antea Epidamnus fuisset dictum. pessimo ergo omine, infortunatoque auspicio eò fugit. M. Plaut. Mænechm.

Ne mihi damnum in Epidamno duas.

Palmerius in spicileg o trahit huc illud Albinouani Consolat. ad Liuiam Augustam.

——Et nomina magna virorum.

Romam Epidauro, vt regrediar, Æsculapius, pestis leuandæ gratia, translatus, in Insula Tiberina fanum extra vrbem recepit (C. Sueton. in Claudio cap.25. *ægra & afflicta mancipia Æsculapij tædio medendi in insulam exponerent*) quod Æsculapium appellabant. M. Pollio Victruuius præfat. ad lib. 7. & ex eo aliqui Criticorum.

Inuentorem hunc facit Medicæ artis. M. Capella lib.12. de Nuptiis. *comminuendæ frugis, farrisque fragmenta Pilumno signat Italia, adscribit Asclepio Græcia medicinā.* Q. Tertull. Apol. cap.23. *Ipse iste Aesculapius, medicinarum demonstrator.* Arnob. lib 1. cont. gent. *Aesculapium medicaminum repertorem, post pœnas & supplicia fulminis, custodem nuncupauistis & præsidem, sanitatis, valetudinis & salutis? certè primum vulnus obligauit.* Cic. lib.3. de Nat. deor. Et tamen patrem habuit Apollinem. Seru. ad vers. 316. libro 10. Æneid. qui Ouidio scribente lib 1. Metamorph. fab. 9. Medicinæ inuentionem sibi vindicat.

Inuentum Medicina meum est, opiféxque per orbem
Dicor & herbarum subiecta potentia nobis.

Et Epist.5 Oenone Paridi.

Ipse repertor opis, vaccas pauisse Pheræas Dicitur.

Idem Fastor. lib.3. ad finem, & li.3. Trist. eleg. 3. Q. Horat. Carmine sæculari, & Helenius Acron. ibi. Aurel. Macrob. Saturn. cap.17. Fab. Quintil. lib.3. ca.9. Diodor. Sicul. Bibliothec. li.6. Virgil. l. 12. Aeneid. v.393 Plato in Sympos. vnde Apollinis cognomentum, *Acesius*, Pausan. Eliac. Et *Alexicacus* apud Athenienses, idem Arcad. Denique Q. Sammonicus Serenicus cap 1 Rei Medicæ.

Phœbe salutiferum, quod pangimus, assere carmen,
Inuentúmque tuum prompto comitare fauore.

Istis Apollinem authorem Medicinæ facere placuit, non Aesculapium, alij inuentam assignant Chironi centauro, saltem eam partem quæ ex herbis est. Iul. Hygin. Fabular. cap.274 *Chiron Centaurus Saturni filius, artem Medicam Chirurgicam ex herbis primus instituit.* vide quæ supra hoc opere de illo dixi. Probus Grammatic. ad lib.3 Georg. atque hic Aesculapij doctor fingitur. Ouid. lib.2. Metamorph. fab.9.

Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina, sed natum flammis vteróque parentis
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum.

Apollodor. B. bliothec. lib.3.

ἀπόλλων δὲ τοῦτον τὸ βρέφος ἐκ τῆς πυρᾶς ἁρπάσας πρὸς χείρωνα τὸν κένταυρον ἤνεγκε, παρ' ὧ καὶ τὴν ἰατρικὴν, καὶ τὴν κυνηγετικὴν τρεφόμενος ἐδιδάχθη. vertit Benedictus Aegius *Apollo rapiens infantem è pyra, ad Chironem Centaurum alendum tulit à quo etiam Medicinam, & venandi artem erudiebat.* Pindar. Nemeor. od 3. in princ.

Potest solui hic nodus, authorúmque dissensus componi ex loco laudato Hygini, nam *Medicinam Chirurgicam* Chiron excogitauit primus. Apollo ipse *ocularium*, eius filius Asclepius *Clinicen.* quare Plutarch. lib.8. Symposiac cap.24. καὶ τοὺς ἰατροὺς Ἀσκληπιὸν ἡγεμόνα ἔχειν, *Medicos habere Aesculapium præsidem scimus.* Incertus poëta lib. Anthol. cap.9. epigr.6.

Παιὼν, χείρων, Ἀσκληπιὸς, ἰητῆρες τε

τοῖς δ' ἐπὶ Νίκανδρος μεταπρέπων ἴσχεν κῦδος. Id est ad verbum. *Pæon, Chiron, Aesculapius, Hippocratésque, post hos Nicander clarissimam consequutus est laudem.* vnde data leuitati poëticæ occasio fingendi Plutonem apud Iouem conquestum peritia Aesculapij infernos destitui, neque amplius mori homines, aut certè iam mortuos resuscitari ab eo, quo allusit Bassus, vel, vt alius visum, Nicomedes.

ἦν νεκύων δὲ ὑπὸ ἐν ἄδῃ.
Et mortuorum erat egestas in inferno.

Pindar. Pythior. od. 3.

Ἀσκλαπιὸν
ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων.

Aesculapium heroem omnigenorum propulsatorem morborum. Et cum Hippolytum ad vitam reuocasset, fulmine percussus ab indignante Ioue fatalem rerum seriem ab illo rumpi. Athenagoras in Apologia. Lucian. in concilio deor. D. Augustin. lib. 18 de Ciuit. Dei cap. 10. Euseb. Præparat. Euangel. lib. 3. cap 14. Arnob. lib. 4. contr. gent. *nunquid Cupidinis atque auaritiæ causa (sicut canit Boeotius Pindarus) Aesculapium fulminis transfixum esse telo* Cyprian. lib. de Idolor. vanitate. *Aesculapius, vt in deum surgat, fulminatur: Hercules, vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur.* Tarquitius de Illustribus viris, *incertis parentibus natum expositum & à venatoribus inuentum canino lacte nutritum, Chironi traditum, didicisse Medicinam, fuisse autem Messenium, sed Epidauri moratum* tradit, vt refert Lactantius Firmianus lib. 1. Diuinar. Institut. cap. 10. M. Minutius Fælix in Octauio, & Generhardus Elmenhorst. in Notis ad eundem auctorem. Varia disquisiui ad illud Claudiani lib. de Bello Getico, licet alia historia ibi.

Quem senior vates auium clangore repertum
Gramine restituit.

Sed quia de Medicina crebra hic mentio, annotabo paucis primam apud Romanos eius administrationem seruorum tantum fuisse, non autem ingenuorum, cùm neque illo sæculo quæstu exerceri solitam: si prius ostendero Aesculapium ad vitam plerosque reuocasse, quod & proditum à Xenophonte lib. de venat. in princip. Bocatius in Genealogia deor. lib. 2 cap. 27. & Hyginus, *ideo ait anguem in Aesculapij tutela esse, quod eius beneficio monstrata herbæ vitam filio regis restituerit.* P. Ouid. lib. 6. Fastor.

Vsus & auxilio est anguis ab angue dato.

Disertus medicus & elegans poeta, Q. Sammonicus Serenus de Medicina in limine.

Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Nosti, atq; in cælum manes reuocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Huc ades.

Primi ergo medici seruili conditione. L. Seneca lib. 3 de Benef. cap 24. *Imperauit* (Domitius) *medico, eidemque seruo sibi venenum daret,* & paucis interpositis, *vixit Domitius, seruatus à Cæsare, prior tamen eum seruus seruauerat: dominum hoc consolatus est, non tanquam mortiferum, sed tanquam somniferam potionem dedisset.* eadem narrat Sidon. in Ner. cap. 2. *vt haustum venenum pænitenti reuomueris, medicúmque manumiserit, qui idem sibi prudens ac sciens minus noxium temperasset.* M. Tull. in Orat. pro rege Deiotaro. *Philippum medicum, seruum regium, qui cum legatis missus esset, ab ipso adolescente esse corruptum.* Fr. Robortellus corrigit C. Suetonij locum è Iulio capite quarto, *mansitque apud eos, non sine summa indignatione diebus quadraginta, cum vno medico & duobus cubicularijs,* legit ille *cum vno amico,* quòd φίλον, *amicum,* eum appellet Plutarch. in Cæsare, hanc ipsam historiam describens. sed lectionem vulgatam posse retineri docuit pridem vir multiscius Isaacus Casaubonus ad eum locum. Itaque æuo Augusti non omnes medici serui, sed quidem etiam in interiori principum cultu. C. Tacit. Annal. lib. 4. *sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liuiæ* L. Sen. lib. 6. de Benefic. cap. 16. *quare medico & præceptori plus quiddam debeo, nec aduersus illos mercede defungor, quia ex medico & præceptore, in amicum transeunt, & nos, non arte, quam vendunt obligant, sed benigna & familiari voluntate.* & vide plura egregiæ disquisitionis apud eundem.

Quæ licet aliquatenus fatear vera esse, tamen vsitatius erat, medicos in famulitio esse. C. Sueton. Calig. cap. 8. ex Augusti epistola. *misso præterea cum eo ex seruis meis medicum.* Q. Aurel. Symmach. lib. 2. epist. 18. *certe Eusebius medicorum potissimus, obsequio tuo à me traditus, & ad leniendas opportunius offensas, iam poterit amara condire de cuius factijs duo spondeo, nec afflictationi temperamentum, nec tibi defuturum esse solatium.* C. Plin. Iunior. lib. 10. Epist. 4. *proximo anno, domine, grauissima valetudine, vsque ad periculum vitæ vexatus, Iatraliptem assumpsi, cuius sollicitudine, & studio, tuæ tantum indulgentiæ beneficio, referre gratiam parem possum, quare rogo des ei ciuitatem Romanam. est enim peregrinæ conditionis, manumissus à peregrina, vocatur ipse Harpocras, patronam habuit Thermutim Theonis, quæ iampridem defuncta est.* Et eiusdem libri epist. 22. *ago gratias, quod Romanam ciuitatem Harpocrati Iatraliptæ meo sine mora indulsisti, sed cum annos eius*

eius

tius & censum, sicut praeceperas, ederem, admonitus sum à peritioribus, debuisse me ei ante Alexandrinam ciuitatem impetrare, deinde Romanam, quoniam esset Ægyptius, ego autem, quia inter Ægyptios caeterósque peregrinos nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solùm scribere tibi, cum scilicet à peregrina manumissum, patronámque eius iampridem decessisse. Claudian. lib. de bello Gildonico.

> *Noxia pollicitum domino miscere venena*
> *Fabricius regi, nudata fraude remisit,*
> *Infesto quem Marte petit, bellúmque negauit*
> *Per famuli patrare nefas.*

At quis hic famulus? Explicant historici. A Gell. *regis Pyrrhi amicum* libro tertio capite octauo vocat. Valerio Antiati veteri historico *Timochares Ambraciensis* dicitur, Q. Quadrigarius antiquus item historiae scriptor, *Nicium* nominat. Antiati concors est Valerius Maximus lib. 6. cap. 5. tit. 4. At T. Liuius non amicum, aut familiarem vult fuisse, vt illi, sed medicum 5 Decad. lib. 2. *non per insidias, & nocturna praelia, aut simulatam fugam, improuisósque ad incautum hostem reditus, nec vt astu magis quàm vera gloria viderentur bella maiores gessisse, eadem fide indicatum Pyrrho medicum, vitae eius insidiantem, eadem Phaliscis vinctum traditum praeceptorem.* huc refero illud L. Apuleij libro primo Apolog. *falsi, quod leporem marinum fuisse dixerunt: alius enim piscis fuit, quem mihi Themison seruus noster, medicinae non ignarus vt ex ipso audisti, vltro retulit inspiciendum.* Et alio loco eiusdem operis. *Themison medicus, à quo mulier ad inspiciendum perducta est.* antea legebatur pessimè, meo quidem iudicio, *Themis conseruus,* auctor correctionis I. Lipsius in Elect. & firmatur lectio ista ex L. Seneca. Epist 95. *Itaque alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis.* vt coniectura mihi nascatur nobilissimi medici nomen, seruo seu medico domestico attributum, nam reperio Themisonem quemdam medicae peritia scientiae vsque eò elatum, vt cùm in comitatu regis Antiochi esset, Macedonia oriundus, quemadmodum *Iupiter* vocari voluerit *Menecrates,* ita ille *Hercules,* Athen. libro septimo dipnosophist. cap. 13. fuit & alter medicus eiusdem nominis tempore Vespasianorum, auctore veteri Scholiaste Iuuenalis ad vers. 221. sat. 10.

Quod Themison aegros Autumno occiderit vno.

Nec tantùm id ex historicis liquet & poëtis, sed & Iurisconsultis. Scaeuola l. 41. ff. de fideicommissar. libertat. *Lucius Titius ita testamento cauit, medicos tibi commendo, illum & illum, in tuo iudicio erit, vt habeas bonos libertos, & medicos, quod si ego libertatem eis dedissem, veritus sum, quod sorori meae charissimae fecerunt medici serui tiui manumissi ab ea, qui salario expleto reliquerunt eam.* Papinianus l. 10 ff. de annuis leg. *ideo nec sumptum medicamentorum medicus libertus rectè petet, quem, vt patronam, eiusq; familiam curaret, acceptabat.* Iustinian. Aug. l. 3. C. Commun. de legat. Et in sacris literis, *Ioseph praecepit seruis suis medicis, aromatis patrem condirent.* Geneseos cap. vlt.

Narrationem de Æsculapio susceptam prosequor, depingebatur senili facie, barba propexa, nodoso in manu baculo. signi eius meminit C. Suet. in Augusto, cap. 59. de barba, M. Tull. lib. 3. de Nat. deor. *Dionysius Æsculapij Epidauri barbam auream demi iussit, neque enim conuenire barbatum esse filium, cùm in omnibus fanis pater imberbis esset.* legendum censeo, *Aesculapij Epidauri barbam,* neque eam res Epidauri acta est, sed in Sicilia. Aelian. var. hist. lib. 1. cap. 20. simile mendum in Valerio Maximo lib. 1. cap. 1. *Idem Epidauri Aesculapio barbam auream demi iussit quod affirmaret, non conuenire patrem Apollinem imberbem, ipsum verò barbatum conspici,* lege, *Epidaurio Aesculapio.* M. Minutius Faelix in Octauio. *Aesculapius barbatus, & si semper adolescentis Apollinis filius.*

Palladium & crepidas Graeco more, nempe Graecus deus gerebat, Q. Flor. Tertullian. lib. de Pallio. *ipsum hoc pallium morosius ordinatum, & crepidae graecatae graecatim Aesculapio adulantur.*

Cum baculo etiam effigies illi posita. Fest. Pompeius libro nono: *In insula Aesculapio facta aedes fuit, quod aegroti à medicis aqua maximè sustententur, eiusdem esse tutelae draconem, quod vigilantissimum sit animal, quae res ad tuendam valetudinem aegroti maxime apta est, canes adhibentur eius templo, quod is vberibus canis sit nutritus, bacillum habet nodosum, quod difficultatem significat artis, laurea coronatur quòd ea arbor plurimorum sit remediorum, huic gallinae immolabantur.* Sidon. Apollinar. lib. 4. Epist. 3. *tenere non abnuis cum Orphea plectrum, cum Aesculapio baculum, cum Archimede radium, cum Euphrate horoscopium, cum Perdice circinum, cum Vitruuio perpendiculum.* & sic puto intelligendum L. Apuleium libro primo Milesiar. principio. *diceres dei medici, baculo, quod ramulis semiamputatis nodosum gerit, serpentem generosum lubricis amplexibus inhaerere.* baculus iste in laeua manu, dextra barbae admota, qui fere senum mos solet esse. P. Ouid. lib. 15. Metamorphos. fab. 50.

> *Cùm deus in somnis opifer consistere visus*
> *Ante tuum Romane thorum, sed qualis in aede*

Esse solet: baculúmque tenens agreste sinistra,
Cæsariem longa dextra deducere barba.
Varia de illo apud Lilium Gyraldum quære egregio de diis Gentilibus volumine. Et Artemidorum Daldianum lib.2. Oneirocrit. ca. 42. & lib.5. cappp. 9. 61. 96.

Caput XVIII

De Diis, propter quæ datur ascensus in cœlum.

Ast Olla, inquit Cicero, propter quæ datur ascensus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earúmq; laudum delubra sunto. Nec vlla vitiorum sacra solemnia obeunto. Et paulò pòst in huius legis explicatione: Bene verò, quòd mens, pietas, virtus, fides, consecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publicè templa sunt: vt illa qui habeant (habent autem omnes boni) Deos ipsos in animis suis collocatos putent. Tertia hæc est Deorum, siue Dearum gentilium classis, de quibus hoc capite ordine dicemus, initium à Mente capientes.

De Mente.

Mentem propterea consecrarunt veteres, quemadmodum Varro, Lactantius, Augustinus & alij tradunt, vt bonam mentem concederet. L. Balbus apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum: Tum autem res ipsa, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur, vt ea ipsa vis nominetur Deus, vt Fides, vt Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proximè à M. Æmilio Scauro: antè autem ab Attilio Calatino erat fides consecrata. Hactenus apud Ciceronem L. Balbus. Liuius li.2. T. Otacilium Prætorem (sic emendauit Carolus Sigonius, cum antea legeretur Attilius) Menti ædem vouisse scribit: quàm posteà idem Duumuir ad hoc creatus, dedicauerit. Liuius lib.23. vbi etiam addit, hanc Mentis ædem Veneris Erycinæ in Capitolio esse, vno tantum canali discretas. Viues Ciceronem ita intelligendum esse vult, Mentem esse consecratam proximè à M. Æmilio Scauro, cùm iam ante fuisset ab Attilio consecrata.

De Virtute et Honore.

Virtutem à viro dici auctor est Cicero, eò quòd virum Virtus maximè honestet. Quid sit virtus, plurimorum insignes disputationes ostendunt, quas hoc loco referre non est necesse. Lactantius dicit, virtutem esse perferendorum malorum fortem ac inuictam patientiam. Hanc Romani religiosè coluerunt, eiq; diuinos honores habuerunt, vt scilicet virtutem daret, teste Aurelio Augustino ex Varrone lib.4. cap.20. & alibi. Simulachra Virtutis varia fuerunt, nonnunquam matronali habitu, nonnunquam senili efficta.

Primus Virtuti fanũ posuit Scipio Numãtinus: deinde Marcellus Virtutis & Honoris. Plutarchus in libro de Fortuna Romanorum, & in vita Marcelli: Marcellus templum Honoris, & Virtutis, à se ex manubiis Siciliensibus extructum dedicare cupiens à Pontificibus impeditus, quòd ij non rectè vna æde duos Deos includi dicerent, priori alterum adiicere cœpit, ægrè ferens id impedimenti, ac quasi in omen trahens. Idem Valer. Maximus habet li.1. c.1. Liuius lib.29. Ædem Virtutis ex anno (qui fuit DXLIIX. P. Cornel. Scipione Africano, P. Licinio Crasso Diuite Coss.) ad portam Capenam M. Marcellus dedicauit XVII. anno postquam à patre eius primo Consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat. Cicero lib.2. de Natura Deorum: Vides Virtutis templum, vides Honoris à M. Marcello renouatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico à Q. Maximo dedicatum. Cæterum Virtutis & Honoris templa ita extructa erant, vt per virtutis templum ingressus esset ad ædem Honoris, quo ostendebatur non parere aditum ad verum honorem consequendum nisi per virtutem ipsam.

Fuit & alia Romæ Honoris & Virtutis ædes consecrata à C. Mario, deuictis Cimbris: diuersas tamen cellas habebat, cuius meminit præter alios Vitruuius lib.7. & vetus inscriptio, quæ habetur in lib. Epigrammatum, C. Marivs Pr. Tr. Pl. Q. Avgvr. &c. de manvbiis Cimbricis, et Tevtonicis Ædem Honori, et Virtvti victor veste trivmphali Calceis pvniceis, Festus. Summissiorem aliis ædem Honoris & Virtutis C. Marius fecit, ne si fortè officeret auspiciis publicis, Augures eam demoliri cogerentur. Honoris & Virtutis simulachra in nummis antiquis videntur talia.

DE PIE-

DE PIETATE.

PIETATIS vox latè patet: propriè quidem conuenit in Deos, quibus omnia debemus: deinde in patriam, atque in parentes, quorum charitas proximè accedit ad Deos: tertio loco, erga omnes propinquos: postremò, erga optimè meritos, quos diligere vt propinquos, & colere parentum ferè loco, æquum est. Cicero lib. 1. de Natura Deorum: Pietas Iustitia est aduersus Deos, & cultus erga maiores aut sanguine coniunctos. Hanc vt Deos cæteros colebant Romani. Ædem ei consecrauit M. Acilius Glabrio Duumuir in foro Olitorio, eo loco, quo quondam mulier habitauerat, quæ matrem suam inclusam carceri mammis suis clàm aluerat, ob quod factum impunitas ei concessa fuit. Ita ferè Festus, nisi quòd pro matre patrem ponit, cùm tamen reliqui Scriptores, qui huius historiæ meminerunt, omnes matrem carceri inclusam fuisse, non patrem, scribant. Liuius lib. 40. Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. Plinius lib. 7. cap. 36. Pietatis exempla infinita quidem toto orbe extitêre, sed Romæ vnum, cui comparari cuncta non possint. Humilis in plebe, & ideò ignobilis puerpera, supplicij causa carcere inclusam matrem, cùm impetrasset aditum à Ianitore, semper exclusa, ne quid inferret cibi, deprehensa est vberibus suis alens eam: quo miraculo matri salus donata filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis, & locus ille eidem consecratus est Deæ C. Quintio, M. Attilio Coss. templo Pietatis extructo in illius carceris sede, vbi nunc Marcelli theatrum est. Hactenus Plin.

DE FIDE.

FIDEM etiam diuinis honoribus coluerunt Romani. Ædes eius in Capitolio fuit, vt Plinius lib. 35 Naturalis historiæ innuit. Cicero lib. 3 de Offic. Fidem ait vicinam Ioui in Capitolio, & in 2. de Natur. Deor. ab Attilio Calatino consecratam ait. Festus ab Agathocle auctor est, ante ipsum Romulum ab Ænea in Palatio fidem consecratam. Dionysius Halicarnassæus lib. 2. & Plutarchus tradunt, Numam Pompilium primum publicè templum sacrasse Fidei, eique assignasse ex ærario victimas, quemadmodum Diis cæteris. Quid in tanta diuersitate Scriptorum sequendum sit, difficile est iudicare. Me tamen Plutarchi & Dionysij, quibus etiam accedit Liuius, auctoritas mouet, vt omnino credam à Numa Pompilio primam ipsi ædem consecratam, eandémque vetustate collapsam ab Attilio Calatino refectam, aut nouam extructam esse.

DE SPE.

HVIVS etiam Deæ ædem à Calatino consecratam esse Cicero in 2. de Legibus docet. Liuius lib. 21. ædis Spei in foro Olitorio meminit, quam dicit fulmine ictam esse. Et lib. 34. Q. Fabio filio Coss. & T. Sempronio

Graccho Coss. eandem scribit incendio esse conflagratam, quæ paulò post creatis ad id ipsum Triumuiris, refecta fuit. Liuius lib. 25. P. Victor Spei nouum templum in VII. Vrbis regione statuit: hoc est in via lata. Fuit & ad Tiberim Spei ædes extructa à M. Fuluio Censore. Liuius lib. 40. Spei effigies in antiquis nummis talis cernitur: Fœmina est stans, institæ laciniam sinistra manu nonnihil attollens: dextra in cubitum elata pateram profert, in qua repositum inest velut ciborium: id est, vas in floris similitudine, cum hac inscriptione, SPES P.R. Quidam etiam spem Deam viridi inducam palla effinxerunt, & sedentem supra dolium cum cornice, quidam etiam Spem cum Nemesi.

SPEI templum demum incensum scribit Diod. lib. 50. ante bellum Actiacum, cum aliis plerisque ædificiis: quod factum quidam crediderunt libertorum opera.

DE PVDICITIA.

PVDICITIA etiam à Romanis vt Dea culta fuit, eáque duobus nominibus, Patricia, & Plebeia.

PVDICITIÆ PATRICIÆ ædes in foro Boario fuit, ad ædem rotundam Herculis, quam non licebat ingredi, nisi iis quæ semel nupsissent. Hanc ędem ab Æmilio consecratam aiunt.

PLEBEIÆ PVDICITIÆ ædicula in vico longo extructa est à Virginia, quæ familia Patricia orta, post Plebeio nupta, à sorore sacris Patriciæ Plebeiæ arcebatur, de qua re notatu digna sunt, quæ scribit Liuius: Insignem, inquit, supplicationem fecit certamen in sacello Pudicitiæ, quæ in foro Boario fuit ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum & Virginiam Auli filiam Patriciam Plebeio nuptam L. Volumnio Consule matronæ, quò d è Patribus nupsisset, sacris arcuerant. Breuis altercatio, inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit: cùm se Virginiam & Patriciam & pudicam in Patriciæ Pudicitiæ templū ingressam, & vni nuptam, ad quem virgo deducta sit, nec se viri honorúmve eius, ac rerum gestarum pœnitêre verè gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. In vico longo, vbi habitabat, ex parte ædium, quod satis esset loci, modico sacello exclusit, arámque ibi posuit, & conuocatis plebeiis matronis, conquesta iniuriam Patriciarum. Hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ Plebeiæ dedico: vósque hortor, vt quod certamen virtutis viros in hac ciuitate tenet, hoc Pudicitiæ inter matronas sit: detisque operam, vt hęc ara, quo illa antiquior culta est, vt nulla nisi spectatæ Pudicitiæ matrona, & qui vni viro nupta fuisset, ius sacrificandi haberet. Hactenus Liuius. Hinc Valerius Maximus lib. 2. de institutis. Quæ vno contentæ matrimonio erant, inquit, corona Pudicitiæ honorabantur. Festus auctor est, existimâre quosdam Pudicitiæ simulachrum, quod in foro Boario fuit, Fortunam esse.

DE CONCORDIA.

CONCORDIA DEA dicta, quæ daret concordiam. Huius diuersæ ædes Romæ fuerunt, quarum primam M. Furius Camillus Dictator V. in capitolio vouit & extruxit, Plutarcho & Ouidio testibus. Plutarchi verba ex interpretatione Xilandri sunt hæc: Camillus vouit, sedata seditione se templum concordiæ dedicaturum. Et paulò pòst: Postridie concione habita scriptum est, vt templum Concordiæ in rei memoriam, ad forum & Comitium spectans ædificaretur, &c. In hoc templo Senaculum erat, vbi Magistratus cum Senioribus deliberabant. Erant & multa simulachra, quorum passim meminit Plinius.

Alteram Cn. Flauius Appij Cæci scriba, Annio Libertino patre genitus, qui dies fastos publicauit æream fecit in Græcostasi, de qua in hunc modum Plinius lib. 33. cap. 1. P. Sempronio Longo, L. Sulpitio Coss. Flauius vouit ædem Concordiæ, si populo conciliasset ordines. Et cùm ad id pecunia publica non decerneretur, ex mulctatitia fœneratoribus condemnatis ædiculam æream fecit in Græcostasi, quæ tunc supra comitium erat, incidítque in tabula ærea, eam ædem CCCIV. annis post Capitolinam dedicatam. Meminit huius & Liuius libro 9.

Tertiā vouit L. Manlius Prætor bello Gallico, propter seditionem militarem. Facienda est locata à Duumuiris Cn. Puppio Cæsone, Quintio Flaminio ad hoc creatis à Prætore Vrbis dicata in arce à M. & Cn. Attiliis. Liuius lib. 22. & 23.

Quarta est in foro Romano prope Græcostasim, ædificata à L. Opimio Coss. deletis Gracchanis partibus, vbi etiam est basilica Opimia. Varro lib. 3. de lingua Latina. Erecta est ea ædes ingenti indignatione populi Romani, ad quam etiam cùm construeretur, inscriptum est: Opus Vecordiæ templum Concordiæ facit, veluti Xilander hunc locum vertit: Vecors facinus Concordiæ fanum facit. Plutarchus in C. Graccho. Appianus lib. 1. de Bellis ciuilibus.

Quinta

Quinta ædes Concordiæ posita est à Liuia Augusta, nisi eadem sit antiquissima, quam fecerat Camillus, reparata à Liuia, quòd vetustate laberetur. Suetonius in Tiberio. Ouidius in 1. Fastorum. dedicauit Tiberius Augustus, Dio. lib. 50. De ædibus Concordiæ etiam Augustinus li. 3. de Ciuitate Dei. cap. 25.

His Diis qui consecrati sunt nominibus virtutum, etiam eos adiiciemus, quibus nomina rerum repetendarum sunt indita. Quoniam, vt inquit Cicero, expectatione rerum bonarum erigitur animus. Tales fuerunt, Pax, Quies, Salus, Felicitas, Libertas. De quibus omnibus pauca tantùm verba faciemus, ac de Pace primùm.

DE PACE.

PACIS templum Romæ fuit magnificentissimum, foro proximum, quod Vespasianus à Claudio inchoatum, construxit. Iosephus, Plinius, Suetonius, & Dio. In hoc templo sunt qui tradant, diuum Hieronymum secuti, vasa, & donaria templi Hierosolymitani à Tito Vespasiano reposita fuisse. In hoc templo omnium rationalium artium Professores conuenire ad disputandum consueuisse, Galenus in Sermone de libris propriis docet. Lilius Gyraldus etiam ægrotos hoc templum frequentare solitos fuisse, ex quodam parum intellecto Galeni loco asserit. quem errorem notauit & reprehendit Hieronymus Mercurialis li. 1. Variarum lectionum, c. 13. Hoc Pacis templum, quod supra cætera maximum ædificium & pulcherrimum ac opulentissimum fuerat, Commodo imperante, incendio consumptum esse, Herodianus li. 1. auctor est. Simulachrum Pacis fuit varium: effingebatur nonnunquam cum spicis, interdum cum oliua, & cum lauro coronabatur, quin & cum rosa, nonnunquam solo caduceo significabatur. Fuit & ara Pacis Romæ.

DE QVIETE.

QVIETEM, inquit Aurelius Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei, c. 16. appellarunt, quæ faceret quietem. Hæc ædem habebat extra portam Collinam. Publice enim, inquit Augustinus, suscipere illam noluerunt. Liuius quoque lib. 4 scribit, fanum Quietis fuisse via Labicana. Viues ad Augustini illum locum suprà citatum, scribit, se coniectura ductum existimare, Quietem hanc ad mortuos pertinuisse, cùm & Orcus ab Antiquis Quietalis dictus sit.

DE SALVTE.

Et hanc Romani sanctè & religiosè coluerunt, ita vt feriæ etiam antiquis essent, quoties quis Salutem Deam nominasset, teste Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 16.

Ædes Salutis à C. Iunio Bubulco Censore locata fuit, anno vrbis CDXLVI. vt Liuius lib. 6. & 10. prodit, quam ipse Consul bello Samnitum vouerat, mox idem Dictator eam dedicauit. Hanc ædem à Fabio pictore depictam esse Plinius docet. Ab hac æde vicina nomen habet Porta Salutaris. Sic enim Festus: Salutaris porta Romæ appellata, quòd prope ædem Salutis esset. P. Victorius in v. regione eam collocat.

Porrò & Salutis augurium apud Romanos celebrabatur, cuius Scriptores veteres sæpius meminerunt: quale autem id fuerit, solus, quòd ego sciam, Dio lib. 37. his verbis docet: Anno, inquit, tunc spacio Romani bellis vacârunt, ita vt longo tempore intermissum augurium Salutis repeterent. Est autem quoddam diuinationis genus, quo probatur, concedántne ipsi Dij, vt populo Salutem postulent, quasi nefas esset eam priùs, quam concedatur, petere. Ad id dies destinatur singulis annis, ad quàm diem nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis in aciem, aut pugnatum sit. Hanc ob causam in continentibus malis, maximéque intestinis non celebratur: alioquin etiam difficillimum est Romanis, vt eam diem exactè ab his omnibus puram seruent: præterea absurdissimum est, cùm ipsi sese mutuò, seditionibus vltrò malis infandis affligant, vt siue vincantur, siue adeò vincant, in miseriis sint, ita salutem à Deo velle flagitare. Hactenus ille. Et sic Salutis Augurium explicat Angelus Politianus in Miscellaneis, cap. 13.

DE FELICITATE.

FELICITAS etiam, ait diuus Augustinus Dea est, ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt. De nomine non opus est multa verba facere. Simulachrum eius Archesilao Plastæ, quemadmodum Plinius scribit li. 35. locatum à L. Luculo HS. TV. cui mors Vtriusque inuidit. In antiquis numismatis talis Felicitatis cernitur effigies: Fœmina in solio sedens, dextra caduceum, sinistra grande cornu copiæ tenens. AEdem ei anno ab vrbe condita IↃCLXVI. L. Lucullus Consul cum M. Cotta locauit. Augustinus. Sed & M. Lepidus Magister equitum templum Felicitati Cæsaris ex Senatusconsulto construxit. Dio lib. 44.

DE LIBERTATE.

LIBERTAS imprimis à Romanis Dea habita & culta est, vt qui maximè ei studerent, ab eo videlicet tempore, quo in libertatem sese vendicauere. Libertatis templum P. Victor in Auentino constituit, & ibid. atrium Libertatis, cuius crebra apud Scriptores mentio. Templum Libertatis Liuius ex mulctatitia pecunia cum æreis columnis, & statuis pulcherrimis à patre Tib. Gracchi & conditum & dedicatum: eius atrium ab Ælio Pæto, & Cornelio Cethego Censoribus instauratum, & auctum, demùm & à Pollione restitutum, Suetonius scribit.

Cicerone in exilium profecto, domum eius P. Clodius Tribunus plebis Libertati consecrauit. Cicero pro Domo ad Pontifices. Dio quoque lib. 44. auctor est, Romanos in gratiam Iul. Cæsaris publico decreto Libertatis templum construxisse. Atque de his hactenus. Plurima templa, quæ in Imperatorum Romanorum gratiam extructa & consecrata fuerunt, vt Clementiæ Cæsaris, de quo Plutarchus: Iustitiæ Augusti, de quo Ouidius: Fœcunditatis Poppeæ de quo Tacitus, & multa alia, de quibus, præter Poëtas, & alios veteres Scriptores, Hubertus Goltzius in Thesauro Antiquitatis, & alibi, Adolphus Occa Medicus Augustanus in Numismatibus Romanorum Principum, AEneas Vicus, & alij nos docent, prætermitto. Nam translata ad vnum Imperij potestate, superstitiosa assentatio modum non inuenit.

CAPVT XIX.

De Diis Semonibus, siue minoribus, in quorum tutela homo esset.

DE Diis maioribus, siue Selectis hactenus diximus, tunc de Indigetibus, siue iis, quos merita vocarunt in cœlum: postremò de iis, propter quos daretur ascensus in cœlum. Sequitur igitur vt de Semonibus, siue minoribus, verba faciamus. Semones autem, vti Fulgentius Placidus in libello Obscurarum vocum tradit, dici voluerunt Deos, quos nec cœlo adscriberent, ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos disputare vellent pro gratiæ veneratione. Hos Iustus Lipsius li. 2. Antiquarum lectionum, cap. 18. Semones dici ait, quasi hemihemones, id est, semi homines. Antiqui enim hominem dicebant hemonem. Augustinus lib. 6. de ciuitate Dei cap. 9. auctor est, Varronem commemorasse & enumerasse Deos à conceptione hominis, & exorsum à Iano, eam seriem perduxisse vsque ad decrepiti senis mortem, & Deos ad ipsum hominem pertinentes clausisse ad Næniam Deam, quæ in funeribus senium cantetur. Deinde cœpisse ipsum Deos alios ostendere, qui pertinerent non ad ipsum hominem, sed ad ea, quæ sunt hominis, sicuti est victus, vestitus, & quæcunque alia, quæ huic vitæ sunt necessaria, ostendisséque in omnibus, quod sit cuiusque munus, & propter quid, cuique debeat supplicari. Sed cùm libri isti interierint, impossibile nobis est de iis eo ordine, quo Varro, dicere, & omnes illos Deos, nemine omisso, recensere: faciamus tamen, vt quantum fieri poterit, eorum, quorum apud Scriptores passim fit mentio, Deorum nomina & officia, vel munera, breuiter enumeremus, accuratiorem descriptionem iis commendantes, qui & ingenio valent, & ocio magis abundant.

Dij qui nascentibus infantibus præerant.

A IANO incepisse Varronem Augustinus docet, de quo nos ante multa diximus.

OPIS, inquit Augustinus, dicitur, & inuocatur vt opem ferat nascentibus, & excipiat eos sinu terræ.

NASCIO siue NATIO Dea, quæ nascentibus præesse credebatur. Cicer. li. 3. de Natura Deorum: Nascio quoque Dea putanda est, cui cùm fana circuimus in agro Ardeatino, rem diuinam facere solemus.

VATICANVS Deus dictus, qui in vagitu os aperit, vel qui infantum vagitibus præsidet. Agellius li. 6. ca. 17. duas diuersas de hoc sententias recitat, quarum prima est, quòd præsit agro Vaticano, & nomen habeat à Vaticiniis, quæ ipsius vi atque instinctu in agro illo fieri consueuerint. Alteram deinde subiungit, ex Terentij Varronis libris rerum diuinarum, videlicet: Vaticanum Deum nominatum esse, penes quem essent vocis humanæ initia: quoniam pueri simulatque nascantur, eam primam vocem edant, quæ prima fit in Vaticano syllaba: qua de causa etiam vagire dicantur, exprimente verbo sonum vocis recentis. Apud Augustinum li. 4. cap. 8. de Ciuitate Dei, legitur Vagitanus: pro quo tamen in veteribus codicibus Vaticanus inuenitur: Viues annotat.

LEVANA, quæ de terra leuat infantes.

CVNINA,

Cvnina, quæ præest cunis, infantésque in cunis decumbentes tuetur: vel quæ cunas infantium administrat. Augustinus li.4. de Ciuitate Dei, ca.8.14. & alibi. Lactantius lib.1. Diuinarum institutionum, cap.20. Cunina à cunis dicta, eò quòd infantes in cunis tueatur, & fascinum submoueat.

Rvmina, quæ mammam paruulo immulgeat: quia rumam dixerunt veteres mammam. Augustinus li.4.c.8. Varro, Cato, vel de liberis educandis, apud Nonium. His Semonibus (sic enim emendauit Iustus Lipsius lib.2. Antiquarum lectionum, ca.18. cùm anteà legeretur, hisce manibus) lacte fit, non vino. Cuninæ, propter cunas: Ruminæ, propter rumam: id est prisco vocabulo, mammam, à quo subrumi etiam nunc dicuntur agni.

Diva Potina, quæ potionem ministrabat.

Diva Edvca, siue Edvsa, quæ escam infantibus præbebat. Augustinus lib.4.ca.8. & alibi. Varro, Cato, siue de Liberis educandis, apud Nonium. Cùm primore cibo & potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus. Edusæ, & à potione Potinæ nutrices.

Ossilago Dea solidatrix ossium. Arnobius libro 4. Eam quæ durat & solidat infantibus paruis ossa, Ossilago ipsa memoratur.

Nvndina Dea antiquorum, vt scribit Macrobius. li.1. Saturnal. ca.16. à nono nascentium die dicta, qui dies lustricus nuncupatur, quo scilicet infantes lustrabantur, & nomen eis imponebatur. Is maribus erat nonus, fœminis octauus: cuius moris causas inquirit Plutarchus in quæstionibus Rom. quæst.102. quem hac de re lege.

Statilinvs & Statanvs, Dei præsides astantes. Lactantius. Alij educationi illos adscribunt, eo videlicet tempore, cùm standi & consistendi potestatem habere incipiunt.

Fabvlinvs Deus dicebatur, qui colebatur, cum fari pueri auspicarentur. De his duobus Diis ita Nonius. Statilinum, & Statanum & Fabulinum præsides Deos. Varro de liberis educandis puerilitatis affirmat, ab Statano, & Statilino, quorum nomina habent scripta Pontifices, Sic cùm primò fari incipiebant, sacrificabant diuo Fabulino.

Paventiam Deam antiqui constituerunt, vt auerteret ab infantibus pauorem, Augustinus lib.4 de Ciuitate Dei, cap.11.

Carnea vel potius Carna Dea, vitalibus humanis præesse putabatur, ab eaque petebatur, vt iecinora, & corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salua conseruaret. Cui templum, pulso Tarquinio, Iunius Brutus in Cœlio monte construxit, Calendísque Iuniis sacrum Vesti reus fecit. Huic Deæ pulte fabacea, & larido res sacra fieri solebat. Quin & Calendæ ipsæ Iuniæ Fabariæ dicebantur. Macrobius li.1 Saturnal. c.2. D. Augustinus lib.4. de Ciuitate Dei, c.8. & alibi, Carneam eam appellat, nisi mendosi sint codices.

Ivventvs, siue Ivventas, quod Ludouico Viui, & Carolo Sigonio magis placet, inquit Augustinus lib.4. cap.11. & alibi, Dea est, quæ post prætextam excipit iuuenilis ætatis exordia. Hanc Romani à Seruio Tullio vsque in Capitolio coluerunt: quare cùm Tarquinius Priscus templum Ioui Capitolino extruere vellet, & propterea omnium aliorum Deorum, qui in Capitolio colebantur, templa exaugurarer, Terminus & Iuuentas cedere noluerunt, quod Romani in omen traxerunt, fore vt nunquam termini Vrbis mouerentur, nec vnquam iuuenilis vigor deesset. Dionysius Halicarnassæus lib.3. Augustinus de Ciuitate Dei, li.6. cap.1. Iuuentas Dea cum Termino Deo Ioui noluit concedere in Capitolio condendo. Liuius lib.5. extremo. Aliam Iuuentutis ædem vouit M. Liuius Consul, quo die Hasdrubalem exercitúmque eius cecidit, quam idem Censor M. Cornelio P. Sempronio Coss. faciendam locauit C. Licinius Lucullus, Duumuir dedicauit, xvi. annis pòst, quàm vota erat. Liuius li.36. & qui addit, ludos etiam huius ædis dedicandæ causa factos, & quidem cum maiore religione, quòd nouum cum Antiocho bellum tum instaret.

Orbona Dea colebatur, ne orbos faceret. Arnobius lib.4. ait, in huius tutela fuisse orbatos liberis parentes. Ara eius Plinio li.2. c.7. teste, ad Larium ædem erat. Quanquam vocabulum Orbanæ inde eiectum erat. Restituit autem Adrianus Iunius li.3. Animaduersorum, cap.1.

Volvpia Dea, à voluptate dicta est, quòd voluptatem hominibus afferret. Augustinus li.4. de Ciuitate Dei, cap.8. Nihil de ea apud Scriptores veteres inuenitur, nisi quòd sacellum habuerit prope portam Romanulam, in via noua Sic.n. Iosephus Scaliger, vbi vulgati habēt, naualia. In eo sacello, teste Macrobio, in ara Volupiæ, fuit simulachrum Angeroniæ, de qua Dea alibi. Sacellum Volupiæ à P. Victore collocatur regione Vrbis x. quæ dicitur Palatium. De simulachro huius Deæ Lilius Gyraldus scribit esse, qui Volupiam effingerent in throno, instar reginæ, sed pallidiori aspectu, & quæ virtutes subtus habere videretur: quam tamen opinionem ipse non magnifacit. Meminit & Cicero Volupiæ lib.2. de Natura deorum.

Lvbentina, siue Lvbentia, à lubendo, dicta teste Varrone, qui & Venerem eam esse

significat. Augustinus à libidine eam nomen habere docet.

ANCVLI & ANCVLAE Dij, Deæque erant ancillarum, ab iisque colebantur. Appellati sic sunt ab ancillis, quòd iis præessent: vel à verbo anculare, quo antiqui vtebantur, pro ministrare. Festus.

Dij nuptiales.

In nuptiis etiam peculiares Dij multi adhibebantur & colebantur, quos iam enumerabimus. Plutarchus in Quæst. Rom. qu. 2. auctor est, matrimonium contrahentes secundùm vulgi opinionem, quinque Deorum ope indiguisse: Iouis perfecti, siue adulti: Iunonis perfectæ, siue adultæ: Veneris, Suadæ, ac Dianæ (ea Lucina est) quam parturientes inuocant. Sed & multi alij adhibebantur, quorum hæc nomina apud Augustinum & alios reperiuntur.

IVGATINVS dicebatur, quòd coniuges coniungeret: hic colebatur, cùm mas & fœmina iungebantur. August. lib. 4. c. 11. & lib. 6. c. 9.

DOMIDVCVS Deus colebatur, cum domum ducenda erat, quæ nubebat. Dicebatur etiam Iuno domiduca eandem ob causam.

DOMITIVS celebrabatur, vt esset in domo noua nupta.

MVNTVRNA Dea adhibebatur, vt noua nupta cum viro maneret.

VIRGINENSIS Dea adhibebatur, cùm virgini zona solueretur. De his omnibus Augustinus lib. 4. De Ciuitate Dei, & lib. 6. cap. 9.

CINXIA etiam Iuno colebatur, de qua sic Festus. Cinxiæ Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quòd initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.

MVTINVS, qui & Priapus, super cuius immanissimum & turpissimum fascinum sedère noua nupta iubebatur more honestissimo & religiosissimo matronarum. Lactantius lib. 1. cap. 20. Augustinus lib. 6. c. 9.

DEVS PATER SVBIGVS adhibebatur, vt virgo à viro subigeretur.

DEA MATER PREMA colebatur, vt subacta virgo, ne se commoueret cùm premeretur. Martianus Capella lib. 2. de Nuptiis Mercurij, & Philologiæ. Meminit etiam Iunonis Interducæ, Domiducæ, Vnxiæ, Cinxiæ: quia scilicet nuptarum itinera protegeret, eas in ædes nouorum maritorum duceret, vnctioni postium adesset: de qua re pòst dicetur in ritibus nuptiarum. Huc pertinet etiam Dea Viriplaca.

VIRIPLACA Dea, à placando nomen habet, quòd viros placaret: de qua Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Quoties, inquit, inter virum & vxorem aliquid iurgij intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est in Palatio, veniebant: & ibi inuicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita, concordes reuertebantur. Dea nomen hoc à placandis viris fertur assecuta: veneranda quidem, & nescio an præcipuis, sed exquisitis sacrificiis colenda: vtpote quotidianæ & domesticæ pacis custos, in pari iugo charitatis, ipsa sui appellatione, virorum maiestati debitum, ac fœminis reddens honorem. Hæc ille. Sacelli eius meminit P. Victor. regione v. Vrbis Romæ, & in eadem Onuphrius Panuinius.

De diis, Deabúsque quæ parturientibus præerant.

MENA Dea fuit quæ fluoribus menstruis mulierum præesse putabatur. Augustinus libr. 7. Iouis filia hæc Luna credita, quippe Μήν Luna dicitur. Menam idem Augustinus priuignam Iunonis dixit.

DE IVNONE FLVONIA, & IVNONE LVCINA, diximus supra.

PARTVNDA etiam parientium Dea erat, & ab iis colebatur.

LATONA, Apollinis & Dianæ mater fuit. Huic, ait Ælianus in varia historia, existimatum gallum gallinaceum in amore fuisse, propterea quòd ei parienti adfuerit, & quòd etiamnunc parientibus adsit, eisque faciles partus efficiat.

EGERIAM Deam mulieres colebant, quòd eam credebant opitulari partui egerendo. Ita Festus. Egeriæ nymphæ sacrificabant prægnantes, quòd eam putabant facilè conceptam aluum egerere.

NIXII Dei dicti fuerunt ab enitendo, id est pariendo. Festus. Nixij Dij tria signa appellantur in Capitolio ante cellam Mineruæ, genibus nixa, velut præsidentes parientium nixibus: quæ signa sunt, qui memoriæ prodiderint Antiocho rege Syriæ superato M. Attillium subtracto populo Romano deportasse, atque ibi posuisse.

PROSA, vel PRORSA, & POSTVERTA, Deæ fuère apud Romanos celebratæ, quibus & aræ, & sacra fuerunt constituta, ob pariendi discrimina. Prosa enim præesse illis existimabatur, quæ rectum ac legitimum partum ederent: Postuerta verò, ab ægris & infirmis, &

cùm

cùm præposterè partus edebatur. Agellius libro 16.cap.16. ex Varrone: Quando infantes contra naturam fortè conuersi in pedes sunt, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægriùsque tunc mulieres enituntur. Huius periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt Romę duabus Carmentibus: quarum altera Postuerta nominata est, Prosa altera: à recti, peruersíq; partus & potestate & nomine. A Macrobio tamen Postuerta & Anteuerta, siue Postuorta alia ratione explicantur. Dicit enim veteres eas ideò coluisse, quòd ea omnia intelligi oportere existimarent, quæ præterita & futura essent. Qua ex re Comites diuinitatis eas appellauerit, non secus ac consilium & prouidentiam, quibus humana omnia & diuina expendantur & præuideantur.

Mulieri fœtæ, post partum tres Deos custodes adhiberi, commemorat apud Augustinum li.6.c.9. Varro: ne Syluanus Deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorúmque custodum significandorum causa tres homines circumire limina domus, & primò limen securi ferire, posteà pilo, tertiò deuerrere scopis, vt his datis culturæ signis, Deus syluanus prohibeatur intrare: quia, inquit, neque arbores cæduntur, atque putantur sine ferro: neque far conficitur sine pilo: neque fruges coaceruantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus, tres nuncupati Dij. Intercidona à securis intercisione. Pilumnus à pilo: Deuerra à scopis, quibus Diis custodibus contra vim Dei Syluani fœta conseruatur.

Ad mulieres etiam propriè pertinet Mater Matuta, quam, vt ait Festus, antiqui ob bonitatem sic appellarunt. Hæc fuit Ino Cadmi filia, quæ & Leucothea Græcis dicebatur. Fabulam eius habet Ouid. in 3. Metam. & 6. Fastor. AEdem ei primus posuit Seruius Tullius rex, quam posteà refecit Camillus, confecto bello Veientino. Liuius li.5. Camillus Dictator satis iam omnibus ad id bellũ (Veientinum scilicet) paratis ludos magnos ex Senatusconsulto vouit, Veiis captis se facturum, ædémque Matutæ matris refectam dedicaturum, iam ante ab Rege Ser. Tullio refectam. Idem Plutarchus in Camillo. Ab huius Deæ templi aditu seruæ prohibebantur. Vnam duntaxat matronæ introducebant, & colaphos genis eius infligebant. Cuius rei causam inquirit Plutarc. in Quæstionib. Rom. quæst. 16. Ab hac Dea nulla mulier suis, sed sororum liberis bona precabantur. Plutarchus quæst. 17. Ideóque in sacris eius sororum liberos pro suis in vlnas accipiebant. Plutarchus in Camillo. Liu. li. 34. meminit in foro Olitorio dedicatæ ædis Iunonis Matutæ. Verum Carolus Sigonius pro Matuta Sospitam legendum, nec Matutæ cognomen Iunoni tributum fuisse, docet.

Bona etiam Dea muliebris Dea fuit, de qua Plutarchus in Cæsare hæc scribit: Colitur Romæ Dea: quam Bonam appellant, vt Græci muliebrem. Hanc Phryges Mydæ Regis matrem fuisse putant. Romani Nympham Dryadem Fauni vxorem, Græci de nutricibus Bacchi vnã: eam, scilicet, quam nominari nefas est: itaque apud hos, cùm sacra ei fiunt, vitium palmitibus scenæ tectæ gestantur, & secundùm fabulam, Draco sacer apud Deam collocatur. Cùm ea sacra peraguntur, virum accedere, aut iisdem in ædibus esse nefas dicitur: ipsæ inter se mulieres multa cum Orphicis conuenientia obire feruntur. Eorum orgiorum tempus & celebrandi munus cùm ad Consulem vel Prætorem deuenit, ipse & omne quod est masculum, ædibus egrediuntur: vxor domum exornat, & pleraque noctu fiunt, iocis ad nocturna sacra admixtis, musicáque multa adhibita. Hactenus Plutarchus. Lactantius ex Sext. Clodio refert, Faunam vxorem Fauni fuisse, quæ, quia contra morem decúsque regium clam vini ollam ebibisset, & facta ebria esset, virgis myrteis à viro vsque ad mortem cæsa fuerit: posteà cùm Regem facti sui pœniteret, & vxoris desiderium ferre non posset, diuinum illi numen delatum esse: idcircóque in sacris eius obuolutam vini amphoram poni solitam. Quæ Plutarch. in Quæst. Rom. qu. 20. paulo aliter narrat. Macrob. lib. 1. Satur. c. 12. multa de Bona Dea habet, quam eandem dicit esse Terram vel Tellurem, & appellari interdum Bonam Deam: interdum Faunam: Opem: Fatuam: Bonam Deam, quòd omnium nobis ad victum bonorum causa sit: Faunam, quòd omni vsui animantium faueat: Opem, quòd ipsius auxilio vita constet. Fatuam à fando, quòd infantes partu editi non priùs vocem edant, quàm attigerint terram. Plura de hac apud Macrobium lege. Huius Deæ sacra violauit P. Clodius, is qui posteà Ciceronem in exilium pepulit, de quo Cicero ipse in Oratione de Aruspicum responsis & alibi, Plutarchus in Cæsare, Cicerone, & alij.

Fuit & Magna Geneta à Romanis culta, quam Plutarchus in Quæst. Ro. qu. 51. à manando dictam fuisse: & ortui atque partui præesse putat, non aliter atque apud Græcos Hecate. Huic canem immolari, votóque ab ea peti dicit, ne quis domi natorum bonus fiat.

Dij alij ab hominum actionibus sumpti.

Murcia Dea desidiæ existimata est, quæ faceret hominem murcidum, id est, nimis desidiosum. Augustinus lib. 4. cap. 16. & Arnobius. Festus. Murciæ Deæ sacellum erat sub monte Auentino, qui anteà Murcus dicebatur. Tertullianus libr. de Spectaculis

que idolum fecit. Murciam enim Deam moris esse volunt, cui in illa parte ædem vouêre. Vide Iosephum Scaligerum castigationibus in Festum.

STRENVA, quæ impellebat homines, vt strenuè quid agerent. Eius sacellum fuit in via sacra. Varro lib. 4. de lingua Latina.

STIMVLA Dea, quæ vltra modum ad agendum stimularet. Augustinus.

AGENORIAM vocabant, quæ ad agendum excitaret, ab agendo dictam. Augustinus.

AGONIVS etiam Deus dictus, qui præesset rebus agendis.

HORTAM ab hortando dictam, quòd ad honestas actiones exhortaretur, & incitaret. Plutarchus in quæstionibus Romanis, Quæstione 46. ex Antistio Labeone docet: quam tamen ait aliis videri eam esse, quæ pòst Hora fuerit appellata, Dea agilis, & multis intenta negotiis. Alios etiam dicit existimare, hoc nomen à Græco ὁρᾶν, quod est videre, ei tributum esse, quòd sit Dea inspiciens res. Ennius & Ouidius memoriæ produnt, eam Quirini, vel Romani vxorem fuisse, quod alio nomine Hersilia dicta sit. Eius templum semper apertum mansisse Plutarchus scribit, vel quia Dea sit hortans, & incitans ad honestas actiones, vt significetur industriam eam sempérque occupatam nunquam cunctari debere, nunquam inclusam, impeditámve teneri: vel vt significetur nunquam ab ea res humanas negligi debere, cùm omnia obseruet, & sollicita sit de omnibus, vel etiam vt omnia videre possit. In qua Vrbis regione templum hoc, sciri non potest. Nonius Marcellus, vbi Ennij versum ex lib. 1. Annal. recitat:

Téque Quirine pater veneror: Horámque Quirini.

Iuuentutis Deam fuisse dicit Agellius lib. 13. c. 21. Quirini vxorem vocat. Viues ad Augustinum lib. 4. cap. 16. eandem cum Dea Stimula fuisse putat.

CATIVS Deus dictus, qui homines catos, id est, acutos faceret. Augustinus libro 4. capite 21.

VOLVMNVS Deus, & VOLVMNA Dea, à volendo dicti, quòd bona vellent: Fuerunt etiam Dij nuptiales, vt benè coniungerentur coniuges.

ADEONA & ABEONA Deæ cultæ fuerunt, quæ adeundi & abeundi facultatem præstarent. Augustinus lib. 4. c. 21. & lib. 7. c. 3.

VACVNAM ait Varro lib. 1. Rerum diuinarum, Victoriam dictam esse à Sabinis, & ea maximè gaudere eos, qui sapientia vincunt. Alij alia de ea tradunt. Porphyrio Horatij interpres aliquot auctorum sententias recitat, sic scribens: Vacuna apud Sabinos plurimùm colitur Dea, quæ est sub incerta specie formata, quidam Mineruam, alij Dianam putauerunt: nonnulli & Cererem esse dixerunt: sed Varro Victoriam. Hæc ille. Quidam volunt, Vacunam Deam creditam fuisse, quæ vacantibus & otiosis præesset. Eius templum Romæ fuit, quemadmodum in 1. Commentario Reipublicæ Romanæ, in descriptione XIV. Vrbis regionum, Onuphrius Panuinius docet: locus tamen ignoratur.

VITVLAM Deam Hyllus in libro, quem de Diis composuit, vocari dicit, quæ lætitiæ præesset. Piso ait, Vitulam Victoriam nominari: huius rei argumentum hoc profert, quòd postridie Nonas Iulias, re bene gesta, cùm pridie populus à Thuscis in fugam versus sit: vnde Populifugia dicuntur, post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio. Quidam nomen eius animaduersum putant, quòd potens sit vitæ tolerandæ: ideò huic Deæ pro frugibus fieri sacra dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur. Macrob. lib. 3. Saturn. c. 2.

PELLONIA, pellendorum hostium potens credebatur. Arnobius & Augustinus libro 4. capit. 21.

NVMERIA Dea, quæ numerare docere credebatur, vel ad numeros pertinere. Augustinus lib. 4. c. 11.

FESSONIA colebatur, vt fessos iuuaret. Augustinus lib. 4. c. 21.

VIBILIA, quæ ab erroribus viarum liberabat Arnobius lib. 4.

AVERRVNCVS Deus erat, qui auertere credebatur mala: sic dictus, ab auerruncare, quod pro auertere veteres dixerunt, quemadmodum verruncare, pro vertere: sic Placcunius, Dij nouerint meliora, atque amentiam auerruncassent. Ab hoc igitur Deo precari solebat, vt pericula auerteret. Varro.

ANGERONA silentij Dea fuit, sic dicta, vt habet Festus, quòd angores ac animi sollicitudines propitiata depelleret. In huius Deæ tutela fuisse Romam, à quibusdam proditur. Macrobius. Simulachrum Deæ fuit ore obligato atque signato, & in ara Volupiæ collocabatur, propterea quòd qui suos dolores, anxietatésque dissimularent, peruenirent patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Sacrificari ei ideò dicit Iul. Modestus, quòd pop. Rom. morbo & angina, qua omne genus animalium consumeretur, præmisso voto, liberatus fuerit. Hæc ferè Macrob. Fest. Plin. & alij.

HERIM

HEREM MARTEAM antiqui accepta hereditate colebant; quæ à nomine appellabatur Heredum: & esse vna ex Martis Comitibus putabatur. Festus.

STATATÆ matris simulachrum, inquit Festus, in foro colebatur, postquam id collustrauit (Ioseph. Scaliger, Cælius statuæ legendum opinatur) ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore, magna pars populi in suos quisque vicos retulerunt eius Deæ cultum.

LAVERNAM Deam Romani fures precabantur, vt instituta sua & consilia furandi ac mentiendi fortunaret. Plautus Corniculaaria: Mihi Lauerna in furtis celebrastis manus. Horatius: Pulchra Lauerna, Da mihi fallere. Erat autem hæc Dea tantùm caput, sine reliquo corpore. Vide Iosephi Scaligeri castigationes in Festum. Huius Deæ lucus erat Romæ, de quo Festus. Lauerniones fures antiqui dicebant, quod sub tutela Deæ Lauernæ essent, in cuius luco obscuro, abditóque soliti furta, prædámque inter se luere (id est, diuidere.) Hinc & Lauernalis porta vocata est.

NÆNIA Dea funerum erat. Eiusfa cellum extra portam Viminalem fuit dedicatum. Aliàs Nænia, vt ait Nonius, significat ineptum & inconditum carmen, quòd adducta mulier quæ præfica diceretur, iis quibus propinqui non essent, mortuis non exhiberetur Var. lib. 4. de pop. Rob. Ibi à muliere, quæ optima voce esset (sic legit Guil. Canterus) per quam laudari, deinde Næniam cantari solitam ad tibias & fides. Festus. Nænia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Sunt qui eo verbo finem significari putant. Quidam volunt Næniam ideo dici, quòd voci similior querimonia flentium sit.

De Libitina, Orco, Plutone, &c. aliàs diximus. Illud etiam non est silentio prætereundum, veteres singulis partibus humani corporis singulos Deos præfecisse. Caput Ioui deferebant: Neptuno pectus: cinctum Marti: Frontem Genio sacram facit Seruius: vnde inquit, Deum venerantes frontem tangimus. Supercilia in Iunonis tutela fuisse ait Sextus Pompeius, quòd iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam à Iunone tribui putabant, Lucina inde dicta. Oculos Cupidini Veneris filio, in quibus excubet, ceu Specula quadam, tribuit Philostratus: Mineruæ eos sacros tradit Fulgentius. Aurem Memoriæ consecratam refert Seruius. Locus retrò aurem dextram Nemesi attributus fuit, quo referimus, vt Plinij verbis dicam, tacto ore proximum à minimo digitum veniam sermonis à Diis ibi recordantes. Dextra Fidei sacra est: nam in fide porrigitur. Dorsum & posticæ partes Plutoni propriæ adscribuntur ab Artemidoro. Renes & inguina Veneri adiudicantur. Pedes Mercurio. Genua Misericordiæ consignauit antiquitas, quòd ea supplices attingant, ad hæc manus tendant, hæc vt aras adorent, vt inquit Plin. Tali, plantęve pedum in Thetidis potestate fuerunt. Digiti Mineruæ consecrati. Seruio teste. Vide Lilium Gregorium Gyraldum Syntagmate 1. Deorum gentilium, & Hadrianum Iunium li. 4. Animaduersorum, cap. 12.

AD CAP. XIX.
PARALIPOMENA.
De Dea Leuana, ritus infantes natos in terram deponendi, & terra leuandi, déque pueris Alexandrinis.

NATi infantes in humum abiiciebantur. C. Plin. Præfat. ad lib. 7. Nat. histo. *hominem tantum nudum & in nuda humo, natali die abijcit* (Natura) *ad vagitus statim & ploratum.* C. Sueton. Aug. c. 5. *hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem, ac velut aedituum soli, quod primum Diuus Augustus nascens attigisset.* Idem in Nerone cap. 6. *Nero natus est, ante nouem menses quàm Tiberius excessit, octauo Calend. Ianuarias, iam tum quiòtum exoriente sole, pene, vt radiis prius quam terra contingeretur.* locus suspectus mihi, sic deo censeo legendum, *iam tantum quod exoriente sole*, atque ita in codice MS. Henrici Memmij fuisse testatur Dionysius Lambinus, qui etiam in Augusto apud eundem authorem c. 98. legit. *de Alexandrina naui, quæ tantum quod appulerat*, antè à legebatur, *de Alexandrina naui, quæ tunc quidem appulerat.* & in eiusdem vita cap. 63. *tantúmque pueritiam egresso*, lege, *tantum quod pueritiam egresso*, valétque ea loquendi formula pro *iam tum*, aut *modo primum.* sic frequenter loquitur M. Tullius lib. 7. epistolar. familiar. epist. 23. *tantum quod ex Arpinati veneram, cum mihi à te litteræ redditæ sunt.* Et ad Attic. li. 15. epist. 13 *hæc cum scriberem, tantum quod existimabam orationem ad te esse perlatam.* Idem 3. Ora. Verrina. *tantum quod aratoribus Metellus obsides non dedit.* Æmil. Prob. in Datame. *qui tantum quod ad hostes peruenerat.* sed de diuerticulo in viam.

De nuper nati partus in terram depositione, intellexit Plinius idem lib. 2. cap 65. *sequitur terra, cui vni rerum natura partium, eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis, sic hominum illa, vt cælum Dei, quæ nos nascentes excipit, natos alit, seméelque editos sustinet semper.* Obstetricum hoc munus in terra

pueros locare nudos. M. Varro lib. 2. de vita populi Romani, apud Marcellum c.12. *natus si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra, aut auspicaretur rectus esse, coniugialibus Pilumno & Picumno in ædibus lectus sternebatur:* qui genialis dicebatur.

Non igitur tantùm *Leuana* præses nascentium, sed hi quoque dij, atque vt ab obstetrice deponebantur in terram, ita à patre terra infantes leuabantur. allusit L. Seneca Consolat. ad Marciam cap. 17. *consulti de nobis parentes nostri qui cum conditionem vitæ nossent, in hanc nos sustulerunt.* Cestius Pius apud eundem lib. 2. Controuers. 9. *diues sustulit vnum filium, non fuit contentus, quid enim erat diuiti vnus? tres sustulit, poterat vnum in adoptionem dare, abdicauit vnum, alterum, tertium. iam nihil diuiti superesse putatis? quartum abdicat.* Et de vtroque ritu passim poëtæ, Ouid. in Ibim.

Qui simul impuræ matris prolapsus ab aluo,
Cyniphiam fœdo corpore pressit humum.

Locus est Claudiani lib. 1. in Ruff.

Est mihi prodigium cunctis immanius hydris,
Acrius Harpyis, refluis incertius vndis
Ruffinus, quem prima meo de matre cadentem
Suscepi gremio.

In secundo versu reponunt, *flauis incertius vndis.* sed retineatur recepta lectio, authore Corippo lib. 1. Num. 7.

Et prohibens refluas angustis faucibus vndas.

Estque magis germana ipsi poëtæ. De 3. Hon. Consulr

Thethyos alternæ refluas calcauit arenas.

Et de tollendi ritu, idem lib. 2. de laudibus Stilich.

Susceptum puerum, redimitæ tempora nymphæ
Auri fonte lauant.

Sidon. Apollinar. Carm. 23. v. 204.

Iam primo tenero calentem ab ortu
Excepere sinu nouem sorores,
Et te de genitrice vagientem
Texere vitrei vado Hippocrenis.

Alludit ad ritum quo pueri nati impositi aquis explorabantur, de quo alibi mihi dicendum. Multus est Papinius in hoc ritu. libro 2. syl. 1. v. 79.

—Raptum sed protinus aluo
Sustulit exultans ac prima lucida voce
Astra salutantem dominus sibi mente dicauit,
Amplexusq; sinu tulit, & genuisse putauit.

Eiusdem libri syl. vlt.

Natum protinus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.

Et lib. 1. Thebaid. v. 60. Oedipus ad Tisiphonem.

Si bene quid merui, si me de matre cadentem
Fouisti gremio, & traiectum vulnere plantas
Firmasti.

Et lib. 1. syl. 2. in fine.

At renascentem gremio mea blanda recepit
Parthenope.

Denique li. 5. syl. vl. quem locum adscribam, quod explicatione pariter & manu critica egeat.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delitias, doctumue sui conuicia Nili
Infantem, linguáque simul salibúsque proteruum
Dilexi, meus ille meus, tellure cadentem
Excepi, & vinctum genitali carmine foui,
Poscentémque nouas tremulis vlulatibus auras
Inserui vitæ.

Primum versum explicat Suet. in Aug. ca. 98. *qua re admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus diuisit, iúsque iurandum & cautionem exegit à singulis, non alio datam summam, quam in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos. Alexandrinæ merces,* historico, & *loquaces de pharia puppe delitiæ,* sunt Statio, pueri AEgyptij, dicaces, & ob id conuiuiis gratissimi. C. Petro. in Satyr. pag. 23. *tandem ergo discubuimus pueris Alexandrinis aquam in manum niuatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes.* M. Fab. Quinti. li. 1. c. 2. de effœminata puerorum suo sæculo educatione. *In lectitis crescunt, si terram attigerint, è manibus vtriusque sustinentium pendent, gaudemus si quid licentius dixerint, verba ne Alexandrinis quidem permittenda delitiis, risu & osculo excipimus, nec mirum nos docuimus, ex nobis audiuerunt, nostras amicas, nostros concubinos vident, omne conuiuium obscænis canticibus strepit, pudenda dictu spectantur.* Iul. Capitol. in Vero. Aug. *adduxerat secum & fidicinas, & tibicines, & histriones, scurrasque, mimarios & præstigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate.* M. Martial. lib. 4. Epigr. 42.

Si quis fortè mihi possit præstare locanti,
Audi, quem puerum, Flacce, locare velim.
Niliacis primum puer hic nascatur in oris.
Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Nequitias in re obscæna Martialis dixit, *delitias*

Quintilianus, & Papinius proximè supra laudatus, adde eundem lib. 2. syl. 1. v. 70.

Tu modo delitiæ, dulces modo pectore curæ.
Non te barbaricæ versauit turba Catastæ.
Nec mixtus Phariis venalis mercib. infans,
Compositósq. sales, meditatáque verba locutus
Quæsisti lasciuus herum.

Allu-

Alludit Claudianus lib. 2. de laudib. Stilicho. & dicam abundè infra, quando de conuiuiis agetur.

Non pueri lasciua sonant.

Statij versus repeto: quorum tertium repugnante metri ratione, ex M. S. imperiti indubiè manu exarati fide, nonnulli legunt.

Infantem, lingua simiumq; sa ibúsque proteruum,

Sed melius, eruditissimus vir, veréque senatoriæ doctrinæ Petrus Petauius, correxit ex M.S. primus, quod sciam,

Infantem, lingua Samium, salibúsque proteruum.

Firmat ille correctionem suam testimonio Ciceronis, apud quem insigni dicacitate, & conuitiandi licentia Samij audiunt: quod mihi non lectum. in versu quarto in eodem MS. egregie præfertur.

Aspexi, atque vnctum genitali carmine foui.

Castigatissime, nam infantes nuper nati, & adhuc de matre rubentes, vt verba satyrici vsurpem, aqua abluebantur, vnguentis perfundebantur, vt suo loco dicetur. sed ad institutum de *Leuana* sermonem redeo.

Infans non habebatur legitimus, nisi pater præsens, vel eo absente procurator pro eo, infantem terra leuasset, sinui imposuisset, itaque *tollere* infantem est *suum agnoscere, alere* in spem familiæ, & hæredem habere. *non tollere, familia eijcere, abdicare*, aut *exponere*. L. Seneca apud Lactantium Firmianum lib. 1. diuinar. Instit. cap. 16. *quid ergo est, quare apud poëtas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? vtrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit, an impetrauit ius trium liberorum?* D. Iuuenal. Sat. 9. vers. 84. alius in hanc rem citatus.

Tollis enim & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri, foribus suspende coronam:
Iam pater es, dedimus quod famæ opponere possis.
Iura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Quem locum, quia à paucis intellectum, explicabo, filium ex vxore sublatum tuum fecisti, cuius vxoris beneficio ciuis Romani frueris priuilegiis, vt etiam ad caducarum hereditatum admittaris successionem: gloss. Isidori, *bona caduca, quibus nemo succedat hæres*. Et alibi iisdem glossis, *caducarius ad quem pertinent ea quæ cadunt defuncto aliquo cui non est, qui succedat*. Q. Symmachus lib. 2. Epist. 13. *ego certe vereor, ne improborum sit is ad se eximere pertinere quæstum caducum, fiatque innocentium causa deterior. si ad eos tantum falsi redeat occasio qui neque lege, neque pudore cohibentur*. in M. S. non, *pertinere* quæstum, legitur, sed *peruenire*, rectiùs, id est iure deuolui. M. Manil. lib. 4. Astronomic.

Quærimus lucrum naui, mortémque sequemur
In prædas pudeat tanto bona velle caduca.

Audiatur vetus scholiastes. *Iura parentis habes, hæc omnia ad ius ciuile poeta retulit, id est meo labore habes filios, & scriberis hæres, & non pateris pœnas orbitatis.* I. Lipsius in lib. 3. Annalium C. Taciti. & primus de lege Papia Poppæa debere intelligi docuit Ioannes Cuspinianus ad Fastos Aurelij Cassiodori, in consulatu Q. Sulpitij. & C. Pompeij.

Denique de tollendi consuetudine, idem vetus Scholiastes loco citato. *tollis, nutris, & libris actorum propter professionem scilicet ..... quia ad ærarium patres natorum deferebantur filiorum, vel nominum notitia deuulgare constitutione publica.* C. Cor. Tacit. vita Agricolæ. *auctus est ibi filia in subsidium, simul & solatium, nam filium ante sublatum breui amisit.* Q. Curt. Rufus lib. 9. *Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt, aluntque, sed eorum quibus infantium spectandi habitum cura demandata est.* P. Terent. Adelph.

Qui sine hac iurabat se vnum nunquam victurum diem,
Qui in suo gremio positurum puerum dicebat.

Et in Heautontim.

Meministin', me esse grauidam, & magnopere
Interminatum, si puellam parerem,
Nolere tolli? CHREM scio quid feceris.
Sustulisti.

Reliqua quæ vel hoc capite, vel superiori continentur, seu quia ante à me explicata sunt, seu quia deinceps dicentur, prætermittenda impræsentiarum duxi.

PARALIPOMENA.

De Domiduco Deo, & ritu ex patris domo in mariti transeundi.

De diis Nuptialibus, vt & de Nuptiis, plenissime disseretur lib. 5. cap. 37. infra. Interim hic de *Domiduco* solum agam. Erat hic cuius numine putabatur virgo matrona esse, & patriæ potestatis iugo soluto, in mariti iura migrare. Nonius Marcel. cap. 2. num 431. *Imnubere positum pro transire, quod hæ, quæ nubunt, ad maritorum transeunt domos.* Quod intelligendum iam consummatis nuptiis. nam sponsalia non faciunt domum mutare sponsam. Modestin. ICl. 1. 32. ff. ad Munic. *pal. ea quæ desponsa est, ante contractas nuptias non mutat domum.* Papinianus IC. l. 68. ff. de iure dotium *in domum absentis vxore deducta, mulier in eam interea ex bonis viri sumptibus factis, ad exhibitionem operis promissas vsuras reuersus vir improbe petit.* Vlp. l. 15. ff. de condit. & demonstrat. *cui fuerit sub hac condi-*

tiam legatum si in familia nupsisset, videtur impleta conditio, statim atque ducta est uxor, quamuis nondum in cubiculum mariti venerit, & disertè idem Papinianus lib. 60. ff. de Iur. dot. *& si minor annis duodecim, vt maior deducta sit, tunc primum petatur, cum maior annis apud eundem esse cœperit.* Tull. Orat. 2. Verr. *Hic est Decimus, ad quem iste deduxerat tertiam Isidori Mimi filiam.* alludunt poëtæ. Nicodem. Heracleo. Antholog. lib. 6. cap. 4. νυμφίον ἠγάγομεν, *virginem duximus.* Cl. Claudian. lib. 2. de Raptu.

Ducitur in thalamum virgo.

M. Lucan. lib. 8. vers. 89. Cornelia hæc de se queritur.

Infœlix coniux, & nulli læta marito,
Bis nocui mundo, me pronuba duxit Erynnis.

Alb. Tibul. lib. 3. eleg. 4.

Vt iuueni primum virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.

P. Virgil. lib. 7. Æneid. vers. 358.

Exulibúsne datur ducenda Lauinia Teucris.

Ouid. lib. 6. Fastor.

Cùm primùm Cupido Venus est deducta marito.

Et Epist. 15. Paridis ad Helenam.

Penè suis manibus ad te deduxit amantem.

M. Accius Plautus Aulularia sc. narraui.

—si fidem faciant cæteri
Opulentiores, pauperiorum filias
Vt indotatas ducant vxores domum,
Et multò fiat ciuitas concordior.

Idque nocturno tempore, flammeo velatæ sponsæ in domum mariti futuri deducebantur, carpento, seu pilento vectæ, comitantib. duobus amicis aut consanguineis, quos *chamæpos parochos*, & *Paranymphos* vocabant, vt suo loco infrà fusissimè disquiretur.

PARALIPOMENA.

De Diis puerperarum, Nixiis, Bona dea, & Hecate.

PVerperas voluerunt in certo quorundam numinum præsidio esse (vide quæ infra de Siluano discutio hoc libro) nam puerperij ipsius Deos *Nixios* appellabant, à *Nitendo* nempe, quod vel partus in lucem venire tereretur, vel mater dolore defungi. alludunt poëtæ. D. Auson. Eidyllio 12. in fine.

Sed nono incumbens signo, cunctantia matrum
Vota leuat, trigono vires socians sequenti,
At si difficilis tradit Ilithyia....
Tetragono absoluit dubiarum vincla morarum.

Tertium versum facillimum erit supplere hoc modo.

At si difficiles tradit Ilithyia labores.

Vel si hoc displicet, dolores.

Ouid. Epist. 4. Phædræ Hippolyto.

O vtinam placitura tibi pulcherrima rerum
In medio nixu viscera rupta forent.

Eidem Medela adhibenda lib. 9. Metamorphos. Fab. 5. vbi Alcmenæ Herculem parientis describitur historia.

Dum loquor, horror habet, pársque est meminisse doloris,
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Fessa malis, tendésque ad cœlum brachia, magno
Lucinam ad nixos partus clamore vocabam.

Legendum est, nisi ego fallor, castigatius, apertiúsque.

—tendénsque ad cœlum brachia, magno
Lucinam, Nixosque pares clamore vocabam.

Atque huius necessariæ, vt videtur, correctionis auctor est Adrianus Turnebus lib. 7. Aduersariorum, cap. 8. qui super hac re consulatur.

De *Bona dea* hic quoque obiter aliquid perstringendum: cuius in ædem ventitare viris nefas habitum. M. Tull. Paradoxo 4. *familiarissimus tuus de te priuilegium tulit, vt si in opertum Bonæ deæ accepisses, exulares.* in margine legitur, *familiarissimus tuus Cornificius de te.* Arnob. lib. 2. cont. gent. *Fauna fatua, Fauni uxor, Bona dea quæ dicitur, sed in vini meliori & laudabiliori potu.* C. Plinius lib. 16 cap. 2. Aurel Macrob. ex Cornelio Labeone lib. 1. Saturn. cap. 12. *auctor est Cornelius Labeo, huic Maiæ ædem Kalendis Maiis esse dedicatam sub nomine Bonæ deæ, & tandem esse Bonam deam & terram, ex ipso ritu occultiori sacrorum doceri posse confirmat: hanc eandem Bonam deam, Faunámque, & opem, & Fatuam pontificum libris indigetari: Bonam, quod omnium nobis ad victum bonorum causa est.* poëtæ. D. Iuuenal. Satyr. 6. vers. 316.

Nota Bonæ secreta Deæ.

Alb. Tibull. lib. 1. Eleg. 6.

Exibit quàm sæpè cane, seu visere dicat
Sacra bonæ maribus non adeunda deæ.

Sext. Propert lib 4. Eleg. 10.

Fœmineæ loca clausa Deæ fontésq; piandos,
Impune & nullis sacra retecta viris.

Non ergo viri intrare templum poterant eius, vt tutum esset confugium puellis, quæ se ornari extra virilem conspectum volebant. Ouid lib. 3. de arte.

Quæ male crinita est, custodem in limine ponat,
Ornetúrve bonæ semper in æde Deæ.

Et post eodem opere.

Cum fugiat à templis oculos Bona diua virorum,
Præter-

Præterquam si quos illa venire iubet.
Ergo & adulteria sępè in fano illo committebantur, clam adulteris irrumpentibus, quod ab vnico P. Clodio factum, vt omnibus notū. vet. Scholiast. Iuuenal. ad v.335. Sat.6. de *Psaltria id est de Clodio dicit, qui templum Bonæ deæ ingressus habitu Psaltriæ adulterium commisit*, & ad vers.316 *templum vbi intrauit Clodius, & cum vxore pontificis concubuit, ibi non saltat matrona cum tibia & Clodius Psaltriæ habitu ingressus est.* & grauiter conqueritur M. Tull. Orat. de Arusp. Resp. *sacrificium violauit, quod fit in redibili ceremonia, fit ei deæ, cuius ne nomen quidem viros scire fas est, quam iste* (Clodius) *Bonam dicit, quod in tanto scelere sibi ignouerit.* Et de eodem. *hominemque eum qui puluinaribus Bonæ deæ stuprum intulerit, eaque sacra, quæ viri oculis ne imprudentis quidem aspici fas est, non solum aspectu virili sed flagitio stuproque violarit.* nec modo viri ingressu prohibiti, sed ne deorum quidem picturæ masculæ apertæ in illo templo. Iuuenal. Sat.6 vers.337.

—velari pictura iubetur,
Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.

Vet. Inscript.

ANNIA. P. L. FLORA. EX. TESTAMENTO.
BONAI. DEAI. SACRVM. SALVIA. SOROR.
LIBERTA. SVA. PECVNIA. FAC. CVRARVNT.

Et altera.

ÆLIA. NICE. SACERDOS. BONÆ. DEÆ. SE. BIBA. COMPARAVIT. SIBI. ET. ALVMNÆ. SVÆ.

Et tertia, ex Aldo Manutio in C. Iulij Cæsaris Commentarios, cuius hæc sunt verba.

D M.
CL. NICE. SACERDOS. BONÆ. DEÆ.
ET ÆLIÆ. THALVSSÆ. ET ÆLIÆ. SERAPIÆ. ET CL. FORTVNÆ. ET. LVCIA. FELICITATI. ET VALERIO. MENANDRO. F.

Eius sacrificia vino peracta ebibito, quod tamen non suo nomine, sed lactis appellabatur, puto, quod illa vinum bibens à marito suo interfecta fuerit, vinum hoc in amphora illatum, quod Mellariam dixere. quo refert Ioannes Britannicus illud D. Iuuenalis Satyr. 9. vers.115.

—taceant illi, sed prodere malunt
Arcanum, quam subrepti potare falerni,
Pro populo faciens, quantum Laufella bibebat.

Licet vetus Scholiastes ibidem, de virgine Vestali sacrificante intelligi velit, sed facilè dissidium est illud componere, nam & virgines Vestales Bonæ deæ sacrificabant, teste Cicerone Orat. de Aruspic. Respon. *id sacrificium nemo vir aspicere non horruit, quod fit per Virgines Vestales, fit pro populo Romano.* Hostiam animalem ei oblatam videri potest ex Iuuenale eodem Sat.2. vers.84.

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere deam.

Templum ei in Auentino fuit monte. P. Victor in Reg.13. & P. Ouid. lib.5. Fastor.

Templa patres illic oculos exosa viriles
Leniter accliui constituere iugo.

Sequitur de *Hecate*, quæ & in cælo, *Luna*, id inferis, *Proserpina*, in siluis *Diana* dicitur, venantium præses, vti antea exposui. adde Euripidem in Hecuba, referente Plutarcho lib. de Iside & Osyride.

Ἔσῃ δὲ ἄγαλμα φωσφόρου κύων Ἑκάτης.
Hecates simulachrum Luciferæ fies canis.

Adde hoc loco, præter ea quæ diximus, canes Hecates appositos statuis, & præsertim hic de *Vertago* agimus: sic enim à venatorib. appellari solebat, vt præfert lemma Epigrammatis 200. lib.14. apud Martialem.

Non sibi sed domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

At in MS. codice rectius.

Intactum leporem qui tibi dente feret.

Turneb. lib.18 aduersarior. ca.1. censuit legendum, *fertrahus* quasi *ferarum venatu interceptarum tractorem* dictas. nam F. in V. mutari solemne erat, nisi à *tragula* (retis id genus) nomen desumptum credamus. sed apud Gratianum in Gyneg.

Petronios (sic fama) canes, volucrésque Sicambros,
Et pictum macula vertrahum delige falsa.

Canes hi venatorij erant, & ob id latrare eos finxere creduli. Theocrit. Eidyll.2.

Κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται·
ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι.

Canes nobis per vrbem latrant, dea autem adest in Triuiis P. Virgil. lib.6 Æneid.

Visæque canes vlulare per vrbem
Aduentante dea.

L. Sen. Act.4. sc. vlt. ad finem Medeæ.

Vota sentiuntur ter latratus
Audax Hecate dedit.

Et cum illa præesset magicis incantaminibus puto, illud mysticè de ea dictum in Pharmaceutria, seu Ecloga 8. apud Virgilium,

—& Hylax in limine latrat.

Imo & eius *victima canes*, Sophron in Mimis. *quod eorum latratus monstrosas visiones, & incantamenta soluit.* Tzetzes in Lycophronem, qui dixit de Hecates sacrificio. Bernardinus Realinus cap.13.

Esse solet: baculúmque tenens agreste sinistra,
Cæsariem longa dextra deducere barba.
Varia de illo apud Lilium Gyraldum quære egregio de diis Gentilibus volumine. Et Artemidorum Daldianum lib. 2. Oneirocrit. ca. 42. & lib. 5. cappp. 9. 61. 96.

CAPVT XVIII

De Diis, propter quæ datur ascensus in cælum.

AST Olla, inquit Cicero, propter quæ datur ascensus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earúmq; laudum delubra sunto. Nec vlla vitiorum sacra solemnia obeunto. Et paulò pòst in huius legis explicatione: Bene verò, quòd mens, pietas, virtus, fides, consecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publicè templa sunt: vt illa qui habeant (habent autem omnes boni) Deos ipsos in animis suis collocatos putent. Tertia hæc est Deorum, siue Dearum gentilium classis, de quibus hoc capite ordine dicemus, initium à Mente capientes.

DE MENTE.

MENTEM propterea consecrarunt veteres, quemadmodum Varro, Lactantius, Augustinus & alij tradunt, vt bonam mentem concederet. L. Balbus apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum: Tum autem res ipsa, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur, vt ea ipsa vis nominetur Deus, vt Fides, vt Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proximè à M. Æmilio Scauro; antè autem ab Attilio Calatino erat fides consecrata. Hactenus apud Ciceronem L. Balbus. Liuius li. 2. T. Otacilium Prætorem (sic emendauit Carolus Sigonius, cum antea legeretur Attilius) Menti ædem vouisse scribit: quàm posteà idem Duumuir ad hoc creatus, dedicauerit. Liuius lib. 23. vbi etiam addit, hanc Mentis ædem Veneris Erycinæ in Capitolio esse, vno tantum canali discretas. Viues Ciceronem ita intelligendum esse vult, Mentem esse consecratam proximè à M. Æmilio Scauro, cùm iam ante fuisset ab Attilio consecrata.

DE VIRTVTE ET HONORE.

VIRTVTEM à viro dici auctor est Cicero, eò quòd virum Virtus maximè honestet. Quid sit virtus, plurimorum insignes disputationes ostendunt, quas hoc loco referre non est necesse. Lactantius dicit, virtutem esse perferendorum malorum fortem ac inuictam patientiam. Hanc Romani religiosè coluerunt, eiq; diuinos honores habuerunt, vt scilicet virtutem daret, teste Aurelio Augustino ex Varrone lib. 4. cap. 20. & alibi. Simulachra Virtutis varia fuerunt, nonnunquam matronali habitu, nonnunquam senili effícta.

Primus Virtuti fanũ posuit Scipio Numãtinus: deinde Marcellus Virtutis & Honoris. Plutarchus in libro de Fortuna Romanorum, & in vita Marcelli: Marcellus templum Honoris, & Virtutis, à se ex manubiis Siciliensibus extructum dedicare cupiens à Pontificibus impeditus, quòd ij non rectè vna æde duos Deos includi dicerent, priori alterum adijcere cœpit, ægrè ferens id impedimenti, ac quasi in omen trahens. Idem Valer. Maximus habet li. 1. c. 1. Liuius lib. 19. Ædem Virtutis ex anno (qui fuit IↃXLIIX. P. Cornel. Scipione Africano, P. Licinio Crasso Diuite Coss.) ad portam Capenam M. Marcellus dedicauit XVII. anno postquam à patre eius primo Consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat. Cicero lib. 2. de Natura Deorum: Vides Virtutis templum, vides Honoris à M. Marcello renouatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico à Q. Maximo dedicatum. Cæterum Virtutis & Honoris templa ita extructa erant, vt per virtutis templum ingressus esset ad ædem Honoris, quo ostendebatur non patere aditum ad verum honorem consequendum nisi per virtutem ipsam.

Fuit & alia Romæ Honoris & Virtutis ædes consecrata à C. Mario, deuictis Cimbris: diuersas tamen cellas habebat, cuius meminit præter alios Vitruuius lib. 7. & vetus inscriptio, quæ habetur in lib. Epigrammatum, C. MARIVS PR. TR. PL. Q. AVGVR. &c. DE MANVBIIS CIMBRICIS, ET TEVTONICIS ÆDEM HONORI, ET VIRTVTI VICTOR VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS, Festus. Summissiorem aliis ædem Honoris & Virtutis C. Marius fecit, ne si fortè officeret auspiciis publicis, Augures eam demoliri cogerentur. Honoris & Virtutis simulachra in nummis antiquis videntur talia.

DE PIE-

DE PIETATE.

PIETATIS vox latè patet: propriè quidem conuenit in Deos, quibus omnia debemus: deinde in patriam, atque in parentes, quorum charitas proximè accedit ad Deos: tertio loco, erga omnes propinquos: postremò, erga optimè meritos, quos diligere vt propinquos, & colere parentum ferè loco, æquum est. Cicero lib. 1. de Natura Deorum: Pietas Iustitia est aduersus Deos, & cultus erga maiores aut sanguine coniunctos. Hanc vt Deos cæteros colebant Romani. Ædem ei consecrauit M. Acilius Glabrio Duumuir in foro Olitorio, eo loco, quo quondam mulier habitauerat, quæ matrem suam inclusam carceri mammis suis clàm aluerat, ob quod factum impunitas ei concessa fuit. Ita ferè Festus, nisi quòd pro matre patrem ponit, cùm tamen reliqui Scriptores, qui huius historiæ meminerunt, omnes matrem carceri inclusam fuisse, non patrem, scribant. Liuius lib. 40. Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. Plinius lib. 7. cap. 36. Pietatis exempla infinita quidem toto orbe extitêre, sed Romæ vnum, cui comparari cuncta non possint. Humilis in plebe, & ideò ignobilis puerpera, supplicij causa carcere inclusam matrem, cùm impetrasset aditum à Ianitore, semper exclusa, ne quid inferret cibi, deprehensa est vberibus suis alens eam: quo miraculo matri salus donata filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis, & locus ille eidem consecratus est Deæ C. Quintio, M. Attilio Coss. templo Pietatis extructo in illius carceris sede, vbi nunc Marcelli theatrum est. Hactenus Plin.

DE FIDE.

FIDEM etiam diuinis honoribus coluerunt Romani. Ædes eius in Capitolio fuit, vt Plinius lib. 35 Naturalis historiæ innuit. Cicero lib. 3 de Offic. Fidem ait vicinam Ioui in Capitolio, & in 2. de Natur. Deor. ab Attilio Calatino consecratam ait. Festus ab Agathocle auctor est, ante ipsum Romulum ab Ænea in Palatio fidem consecratam. Dionysius Halicarnassæus lib. 2. & Plutarchus tradunt, Numam Pompilium primum publicè templum sacrasse Fidei, eique assignasse ex ærario victimas, quemadmodum Diis cæteris. Quid in tanta diuersitate Scriptorum sequendum sit, difficile est iudicare. Me tamen Plutarchi & Dionysij, quibus etiam accedit Liuius, auctoritas mouet, vt omninò credam à Numa Pompilio primam ipsi ædem consecratam, eandémque vetustate collapsam ab Attilio Calatino refectam, aut nouam extructam esse.

DE SPE.

HVIVS etiam Deæ ædem à Calatino consecratam esse Cicero in 2. de Legibus docet. Liuius lib. 21. ædis Spei in foro Olitorio meminit, quam dicit fulmine ictam esse. Et lib. 24. Q. Fabio filio Coss. & T. Sempronio

Graccho Coss. eandem scribit incendio esse conflagratam, quæ paulò post creatis ad id ipsum Triumuiris, refecta fuit. Liuius lib. 25. P. Victor Spei nouum templum in VII. Vrbis regione statuit: hoc est in via lata. Fuit & ad Tiberim Spei ædes extructa à M. Fuluio Censore. Liuius lib. 40. Spei effigies in antiquis nummis talis cernitur: Fœmina est stans, institæ laciniam sinistra manu nonnihil attollens: dextra in cubitum elata pateram profert, in qua repositum inest velut ciborium: id est, vas in floris similitudine, cum hac inscriptione, SPES P.R. Quidam etiam spem Deam viridi indutam palla effinxerunt, & sedentem supra dolium cum cornice, quidam etiam Spem cum Nemesi.

SPEI templum demum incensum scribit Diod. lib. 50. ante bellum Actiacum, cum aliis plerisque ædificiis: quod factum quidam crediderunt libertorum opera.

DE PVDICITIA.

PVDICITIA etiam à Romanis vt Dea culta fuit, eáque duobus nominibus, Patricia, & Plebeia.

PVDICITIÆ PATRICIÆ ædes in foro Boario fuit, ad ædem rotundam Herculis, quam non licebat ingredi, nisi iis quæ semel nupsissent. Hanc ędem ab Æmilio consecratam aiunt.

PLEBEIÆ PVDICITIÆ ædicula in vico longo extructa est à Virginia, quæ familia Patricia orta, post Plebeio nupta, à sorore sacris Patriciæ Plebeiæ arcebatur, de qua re notatu digna sunt, quæ scribit Liuius: Insignem, inquit, supplicationem fecit certamen in sacello Pudicitiæ, quæ in foro Boario fuit ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum & Virginiam Auli filiam Patriciam Plebeio nuptam L. Volumnio Consule matronæ, quòd è Patribus nupsisset, sacris arcuerant. Breuis altercatio, inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit: cùm se Virginiam & Patriciam & pudicam in Patriciæ Pudicitiæ templū ingressam, & vni nuptam, ad quem virgo deducta sit, nec se viri honorúmve eius, ac rerum gestarum pœnitêre verè gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. In vico longo, vbi habitabat, ex parte ædium, quod satis esset loci, modico sacello exclusit, arámque ibi posuit, & conuocatis plebeiis matronis, conquesta iniuriam Patriciarum. Hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ Plebeiæ dedico: vósque hortor, vt quod certamen virtutis viros in hac ciuitate tenet, hoc Pudicitiæ inter matronas fit: detísque operam, vt hęc ara, quo illa antiquior culta est, vt nulla nisi spectatæ Pudicitiæ matrona, & qui vni viro nupta fuisset, ius sacrificandi haberet. Hactenus Liuius. Hinc Valerius Maximus lib. 2. de institutis. Quæ vno contentæ matrimonio erant, inquit, corona Pudicitiæ honorabantur. Festus auctor est, existimâre quosdam Pudicitiæ simulachrum, quod in foro Boario fuit, Fortunam esse.

DE CONCORDIA.

CONCORDIA DEA dicta, quæ daret concordiam. Huius diuersæ ædes Romæ fuerunt, quarum primam M. Furius Camillus Dictator V. in capitolio vouit & extruxit, Plutarcho & Ouidio testibus. Plutarchi verba ex interpretatione Xilandri sunt hæc: Camillus vouit, sedata seditione se templum concordiæ dedicaturum. Et paulò pòst: Postridie concione habita scriptum est, vt templum Concordiæ in rei memoriam, ad forum & Comitium spectans ædificaretur, &c. In hoc templo Senaculum erat, vbi Magistratus cum Senioribus deliberabant. Erant & multa simulachra, quorum passim meminit Plinius.

Alteram Cn. Flauius Appij Cæci scriba, Annio Libertino patre genitus, qui dies fastos publicauit æream fecit in Græcostasi, de qua in hunc modum Plinius lib. 33. cap. 1. P. Sempronio Longo, L. Sulpitio Coss. Flauius vouit ædem Concordiæ, si populo conciliasset ordines. Et cùm ad id pecunia publica non decerneretur, ex mulctatitia fœneratoribus condemnatis ædiculam æream fecit in Græcostasi, quæ tunc supra comitium erat, incidítque in tabula ærea, eam ædem CCCIV. annis post Capitolinam dedicatam. Meminit huius & Liuius libro 9.

Tertiā vouit L. Manlius Prætor bello Gallico, propter seditionem militarem. Facienda est locata à Duumuiris Cn. Puppio Cæsone, Quintio Flaminio ad hoc creatis à Prætore Vrbis dicata in arce à M. & Cn. Attiliis. Liuius lib. 22. & 23.

Quarta est in foro Romano prope Græcostasim, ædificata à L. Opimio Coss. deletis Gracchanis partibus, vbi etiam est basilica Opimia. Varro lib. 3. de lingua Latina. Erecta est ea ædes ingenti indignatione populi Romani, ad quam etiam cùm construeretur, inscriptum est: Opus Vecordiæ templum Concordiæ facit, veluti Xilander hunc locum vertit: Vecors facinus Concordiæ fanum facit. Plutarchus in C. Graccho. Appianus lib. 1. de Bellis ciuilibus.

Quinta

Quinta ædes Concordiæ posita est à Liuia Augusta, nisi eadem sit antiquissima, quam fecerat Camillus, reparata à Liuia, quòd vetustate laberetur. Suetonius in Tiberio. Ouidius in 1. Fastorum. dedicauit Tiberius Augustus. Dio. lib. 50. De ædibus Concordiæ etiam Augustinus li. 3. de Ciuitate Dei. cap. 25.

His Diis qui consecrati sunt nominibus virtutum, etiam eos adiiciemus, quibus nomina rerum repetendarum sunt indita. Quoniam, vt inquit Cicero, expectatione rerum bonarum erigitur animus. Tales fuerunt, Pax, Quies, Salus, Felicitas, Libertas. De quibus omnibus pauca tantùm verba faciemus, ac de Pace primùm.

DE PACE.

PACIS templum Romæ fuit magnificentissimum, foro proximum, quod Vespasianus à Claudio inchoatum, construxit. Iosephus, Plinius, Suetonius, & Dio. In hoc templo sunt qui tradant, diuum Hieronymum secuti, vasa, & donaria templi Hierosolymitani à Tito Vespasiano reposita fuisse. In hoc templo omnium rationalium artium Professores conuenire ad disputandum consueuisse, Galenus in Sermone de libris propriis docet. Lilius Gyraldus etiam ægrotos hoc templum frequentare solitos fuisse, ex quodam parum intellecto Galeni loco asserit, quem errorem notauit & reprehendit Hieronymus Mercurialis li. 1. Variarum lectionum, c. 13. Hoc Pacis templum, quod supra cætera maximum ædificium & pulcherrimum ac opulentissimum fuerat, Commodo imperante, incendio consumptum esse, Herodianus li. 1. auctor est. Simulachrum Pacis fuit varium: effingebatur nonnunquam cum spicis, interdum cum oliua, & cum lauro coronabatur, quin & cum rosa, nonnunquam solo caduceo significabatur. Fuit & ara Pacis Romæ.

DE QVIETE.

QVIETEM, inquit Aurelius Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei, c. 16. appellarunt, quæ faceret quietem. Hæc ædem habebat extra portam Collinam. Publice enim, inquit Augustinus, suscipere illam noluerunt. Liuius quoque lib. 4 scribit, fanum Quietis fuisse via Labicana. Viues ad Augustini illum locum suprà citatum, scribit, se coniectura ductum existimare, Quietem hanc ad mortuos pertinuisse, cùm & Orcus ab Antiquis Quietalis dictus sit.

DE SALVTE.

Et hanc Romani sanctè & religiosè coluerunt, ita vt feriæ etiam antiquis essent, quoties quis Salutem Deam nominasset, teste Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 16.

Ædes Salutis à C. Iunio Bubulco Censore locata fuit, anno vrbis CDXLVI. vt Liuius lib. 6. & 10. prodit, quam ipse Consul bello Samnitum vouerat, mox idem Dictator eam dedicauit. Hanc ædem à Fabio pictore depictam esse Plinius docet. Ab hac æde vicina nomen habet Porta Salutaris. Sic enim Festus: Salutaris porta Romæ appellata, quòd prope ædem Salutis esset. P. Victorius in v. regione eam collocat.

Porrò & Salutis augurium apud Romanos celebrabatur, cuius Scriptores veteres sæpius meminerunt: quale autem id fuerit, solus, quòd ego sciam, Dio lib. 37. his verbis docet: Annuo, inquit, tunc spacio Romani bellis vacârunt, ita vt longo tempore intermissum augurium Salutis repeterent. Est autem quoddam diuinationis genus, quo probatur, concedántne ipsi Dij, vt populo Salutem postulent, quasi nefas esset eam priùs, quam concedatur, petere. Ad id dies destinatur singulis annis, ad quàm diem nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis in aciem, aut pugnatum sit. Hanc ob causam in continentibus malis, maximéque intestinis non celebratur: alioquin etiam difficillimum est Romanis, vt eam diem exactè ab his omnibus puram seruent: præterea absurdissimum est, cùm ipsi sese mutuò, seditionibus vltrò malis infandis affligant, vt siue vincantur, siue adeò vincant, in miseriis sint, ita salutem à Deo velle flagitare. Hactenus ille. Et sic Salutis Augurium explicat Angelus Politianus in Miscellaneis, cap. 13.

DE FELICITATE.

FELICITAS etiam, ait diuus Augustinus Dea est, ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt. De nomine non opus est multa verba facere. Simulachrum eius Archesilao Plastæ, quemadmodum Plinius scribit li. 35. locatum à L. Luculo HS. TV. cui mors Vtriusque inuidit. In antiquis numismatis talis Felicitatis cernitur effigies: Fœmina in solio sedens, dextra caduceum, sinistra grande cornu copiæ tenens. AEdem ei anno ab vrbe condita IↃCLXVI. L. Lucullus Consul cum M. Cotta locauit. Augustinus. Sed & M. Lepidus Magister equitum templum Felicitati Cæsaris ex Senatusconsulto construxit. Dio lib. 44.

DE LIBERTATE.

LIBERTAS imprimis à Romanis Dea habita & culta est, vt qui maximè ei studerent, ab eo videlicet tempore, quo in libertatem sese vendicauere. Libertatis templum P. Victor in Auentino constituit, & ibid. atrium Libertatis, cuius crebra apud Scriptores mentio. Templum Libertatis Liuius ex mulctatitia pecunia cum æreis columnis, & statuis pulcherrimis à patre Tib. Gracchi & conditum & dedicatum: eius atrium ab Ælio Pæto, & Cornelio Cethego Censoribus instauratum, & auctum, demum & à Pollione restitutum, Suetonius scribit.

Cicerone in exilium profecto, domum eius P. Clodius Tribunus plebis Libertati consecrauit. Cicero pro Domo ad Pontifices. Dio quoque lib. 44. auctor est, Romanos in gratiam Iul. Cæsaris publico decreto Libertatis templum construxisse. Atque de his hactenus. Plurima templa, quæ in Imperatorum Romanorum gratiam extructa & consecrata fuerunt, vt Clementiæ Cæsaris, de quo Plutarchus: Iustitiæ Augusti, de quo Ouidius: Fœcunditatis Poppeæ de quo Tacitus, & multa alia, de quibus, præter Poëtas, & alios veteres Scriptores, Hubertus Goltzius in Thesauro Antiquitatis, & alibi, Adolphus Occa Medicus Augustanus in Numismatibus Romanorum Principum, Æneas Vicus, & alij nos docent, prætermitto. Nam translata ad vnum Imperij potestate, superstitiosa assentatio modum non inuenit.

CAPVT XIX.

De Diis Semonibus, siue minoribus, in quorum tutela homo esset.

DE Diis maioribus, siue Selectis hactenus diximus, tunc de Indigetibus, siue iis, quos merita vocarunt in cœlum: postremò de iis, propter quos daretur ascensus in cœlum. Sequitur igitur vt de Semonibus, siue minoribus, verba faciamus. Semones autem, vti Fulgentius Placidus in libello Obscurarum vocum tradit, dici voluerunt Deos, quos nec cœlo adscriberent, ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos disputare vellent pro gratiæ veneratione. Hos Iustus Lipsius li. 2. Antiquarum lectionum, cap. 18. Semones dici ait, quasi hemihemones, id est, semi homines. Antiqui enim hominem dicebant hemonem. Augustinus lib. 6. de ciuitate Dei cap. 9. auctor est, Varronem commemorasse & enumerasse Deos à conceptione hominis, & exorsum à Iano, eam seriem perduxisse vsque ad decrepiti senis mortem, & Deos ad ipsum hominem pertinentes clausisse ad Næniam Deam, quæ in funeribus senium cantetur. Deinde cæpisse ipsum Deos alios ostendere, qui pertinerent non ad ipsum hominem, sed ad ea, quæ sunt hominis, sicuti est victus, vestitus, & quæcunque alia, quæ huic vitæ sunt necessaria, ostendisséque in omnibus, quod sit cuiusque munus, & propter quid, cuique debeat supplicari. Sed cùm libri isti interierint, impossibile nobis est de iis eo ordine, quo Varro, dicere, & omnes illos Deos, nemine omisso, recensere: faciamus tamen, vt quantum fieri poterit, eorum, quorum apud Scriptores passim fit mentio, Deorum nomina & officia, vel munera, breuiter enumeremus, accuratiorem descriptionem iis commendantes, qui & ingenio valent, & ocio magis abundant.

Dij qui nascentibus infantibus præerant.

A IANO incepisse Varronem Augustinus docet, de quo nos ante multa diximus.

OPIS, inquit Augustinus, dicitur, & inuocatur vt opem ferat nascentibus, & excipiat eos sinu terræ.

NASCIO siue NATIO Dea, quæ nascentibus præesse credebatur. Cicer. li. 3. de Natura Deorum: Nascio quoque Dea putanda est, cui cùm fana circuimus in agro Ardeatino, rem diuinam facere solemus.

VATICANVS Deus dictus, qui in vagitu os aperit, vel qui infantum vagitibus præsidet. Agellius li. 6. ca. 17. duas diuersas de hoc sententias recitat, quarum prima est, quòd præsit agro Vaticano, & nomen habeat à Vaticiniis, quæ ipsius vi atque instinctu in agro illo fieri consueuerint. Alteram deinde subiungit, ex Terentij Varronis libris rerum diuinarum, videlicet: Vaticanum Deum nominatum esse, penes quem essent vocis humanæ initia: quoniam pueri simulatque nascantur, eam primam vocem edant, quæ prima fit in Vaticano syllabæ: qua de causa etiam vagire dicantur, exprimente verbo sonum vocis recentis. Apud Augustinum li. 4. cap. 8. de Ciuitate Dei, legitur Vagitanus: pro quo tamen in veteribus codicibus Vaticanus inuenitur: Viues annotat.

LAVANA, quæ de terra leuat infantes.

Cunina, quæ præest cunis, infantésque in cunis decumbentes tuetur: vel quæ cunas infantium administrat. Augustinus li.4.de Ciuitate Dei, ca.8.14.& alibi. Lactantius lib.1. Diuinarum institutionum, cap.20. Cunina à cunis dicta, eò quòd infantes in cunis tueatur, & fascinum submoueat.

Rumina, quæ mammam paruulo immulgeat: quia rumam dixerunt veteres mammam. Augustinus li.4.c.8. Varro, Cato, vel de liberis educandis, apud Nonium. His Semonibus (sic enim emendauit Iustus Lipsius lib.2. Antiquarum lectionum, ca.18. cùm antea legeretur, hisce manibus) lacte fit, non vino. Cuninæ, propter cunas: Ruminæ, propter rumam: id est prisco vocabulo, mammam, à quo subrumi etiam nunc dicuntur agni.

Diva Potina, quæ potionem ministrabat.

Diva Educa, siue Edusa, quæ escam infantibus præbebat. Augustinus lib.4.ca.8.& alibi. Varro, Cato, siue de Liberis educandis, apud Nonium. Cùm primore cibo & potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus. Edusæ, & à potione Potinæ nutrices.

Ossilago Dea solidatrix ossium. Arnobius libro 4. Eam quæ durat & solidat infantibus paruis ossa, Ossilago ipsa memoratur.

Nundina Dea antiquorum, vt scribit Macrobius li.1. Saturnal. ca.16. à nono nascentium die dicta, qui dies lustricus nuncupatur, quo scilicet infantes lustrabantur, & nomen eis imponebatur. Is maribus erat nonus, fœminis octauus: cuius moris causas inquirit Plutarchus in quæstionibus Rom. quæst.102. quem hac de re lege.

Statilinus & Statanus, Dei præsides astantes. Lactantius. Alij educationi illos adscribunt, eo videlicet tempore, cùm standi & consistendi potestatem habere incipiunt.

Fabulinus Deus dicebatur, qui colebatur, cum fari pueri auspicarentur. De his duobus Diis ita Nonius. Statilinum, & Statanum & Fabulinum præsides Deos. Varro de liberis educandis puerilitatis affirmat, ab Statano, & Statilino, quorum nomina habent scripta Pontifices, Sic cùm primò fari incipiebant, sacrificabant diuo Fabulino.

Paventiam Deam antiqui constituerunt, vt auerteret ab infantibus pauorem. Augustinus lib.4 de Ciuitate Dei, cap.11.

Carnea vel potius Carna Dea, vitalibus humanis præesse putabatur, ab eáque petebatur, vt iecinora, & corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salua conseruaret. Cui templum, pulso Tarquinio, Iunius Brutus in Cœlio monte construxit, Calendisque Iuniis sacrum Vesti reus fecit. Huic Deæ pulte fabacea, & larido res sacra fieri solebat. Quin & Calendæ ipsæ Iuniæ Fabariæ dicebantur. Macrobius li.1 Saturnal. c.2. D. Augustinus lib.4. de Ciuitate Dei, c.8.& alibi, Carneam eam appellat, nisi mendosi sint codices.

Iuventus, siue Iuventas, quod Ludouico Viui, & Carolo Sigonio magis placet, inquit Augustinus lib.4.cap.11.& alibi, Dea est quæ post prætextam excipit iuuenilis ætatis exordia. Hanc Romani à Seruio Tullio vsque in Capitolio coluerunt: quare cùm Tarquinius Priscus templum Ioui Capitolino extruere vellet, & propterea omnium aliorum Deorum, qui in Capitolio colebantur, templa exaugurarer, Terminus & Iuuentas cedere noluerunt, quod Romani in omen traxerunt, fore vt nunquam termini Vrbis mouerentur, nec vnquam iuuenilis vigor deesset. Dionysius Halicarnassæus lib.3. Augustinus de Ciuitate Dei, li.6.cap.1. Iuuentas Dea cum Termino Deo Ioui noluit concedere in Capitolio condendo. Liuius lib.5. extremò. Aliam Iuuentutis ædem vouit M. Liuius Consul, quo die Hasdrubalem exercitúmque eius cecidit, quam idem Censor M. Cornelio P. Sempronio Coss. faciendam locauit C. Licinius Lucullus, Duumuir dedicauit, xvi. annis pòst, quàm vota erat. Liuius li.36.& qui addit, ludos etiam huius ædis dedicandæ causâ factos, & quidem cum maiore religione, quòd nouum cum Antiocho bellum tum instaret.

Orbona Dea colebatur, ne orbos faceret. Arnobius lib.4. ait, in huius tutela fuisse orbatos liberis parentes. Ara eius Plinio li.2.c.7. teste, ad Larium ædem erat. Quanquam vocabulum Orbanæ inde eiectum erat. Restituit autem Adrianus Iunius li.3. Animaduersorum, cap.1.

Volupia Dea, à voluptate dicta est, quòd voluptatem hominibus afferret. Augustinus li.4. de Ciuitate Dei, cap.8. Nihil de ea apud Scriptores veteres inuenitur, nisi quòd sacellum habuerit prope portam Romanulam, in via noua Sic.n. Iosephus Scaliger, vbi vulgati habet, naualia. In eo sacello, teste Macrobio, in ara Volupiæ, fuit simulachrum Angeroniæ, de qua Dea alibi. Sacellum Volupiæ à P. Victore collocatur regione Vrbis x. quæ dicitur Palatium. De simulachro huius Deæ Lilius Gyraldus scribit esse, qui Volupiam effingerent in throno, instar reginæ, sed pallidiori aspectu, & quæ virtutes subtus habere videretur: quam tamen opinionem ipse non magnifacit. Meminit & Cicero Volupiæ lib.2. de Natura deorum.

Lubentina, siue Lubentia, à lubendo, dicta teste Varrone, qui & Venerem eam esse

significat. Augustinus à libidine eam nomen habere docet.

ANCVLI & ANCVLAE Dij, Deæque erant ancillarum, ab iisque colebantur. Appellati sic sunt ab ancillis, quòd iis præessent: vel à verbo anculare, quo antiqui vtebantur, pro ministrare. Festus.

Dij nuptiales.

In nuptiis etiam peculiares Dij multi adhibebantur & colebantur, quos iam enumerabimus. Plutarchus in Quæst. Rom. qu. 2. auctor est, matrimonium contrahentes secundùm vulgi opinionem, quinque Deorum ope indiguisse: Iouis perfecti, siue adulti: Iunonis perfectæ, siue adultæ: Veneris, Suadæ, ac Dianæ (ea Lucina est) quam parturientes inuocant. Sed & multi alij adhibebantur, quorum hæc nomina apud Augustinum & alios reperiuntur.

IVGATINVS dicebatur, quòd coniuges coniungeret: hic colebatur, cùm mas & fœmina iungebantur. August. lib. 4. c. 11. & lib. 6. c. 9.

DOMIDVCVS Deus colebatur, cum domum ducenda erat, quæ nubebat. Dicebatur etiam Iuno domiduca eandem ob causam.

DOMITIVS celebrabatur, vt esset in domo noua nupta.

MVNTVRNA Dea adhibebatur, vt noua nupta cum viro maneret.

VIRGINENSIS Dea adhibebatur, cùm virgini zona solueretur. De his omnibus Augustinus lib. 4. De Ciuitate Dei, & lib. 6. cap. 9.

CINXIA etiam Iuno colebatur, de qua sic Festus. Cinxiæ Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quòd initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.

MVTINVS, qui & Priapus, super cuius immanissimum & turpissimum fascinum sedère noua nupta iubebatur more honestissimo & religiosissimo matronarum. Lactantius lib. 1. cap. 20. Augustinus lib. 6. c. 9.

DEVS PATER SVBIGVS adhibebatur, vt virgo à viro subigeretur.

DEA MATER PREMA colebatur, vt subacta virgo, ne se commoueret cùm premeretur. Martianus Capella lib. 2. de Nuptiis Mercurij, & Philologiæ, Meminit etiam Iunonis Interducæ, Domiducæ, Vnxiæ, Cinxiæ: quia scilicet nuptarum itinera protegeret, eas in ædes nouorum maritorum duceret, vnctioni postium adesset: de qua re pòst dicetur in ritibus nuptiarum. Huc pertinet etiam Dea Viriplaca.

VIRIPLVCA Dea, à placando nomen habet, quòd viros placaret: de qua Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Quoties, inquit, inter virum & vxorem aliquid iurgij intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est in Palatio, veniebant: & ibi inuicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita, concordes reuertebantur. Dea nomen hoc à placandis viris fertur assecuta: veneranda quidem, & nescio an præcipuis, sed exquisitis sacrificiis colenda: vtpote quotidianæ & domesticæ pacis custos, in pari iugo charitatis, ipsa sui appellatione, virorum maiestati debitum, ac fœminis reddens honorem. Hæc ille. Sacelli eius meminit P. Victor. regione v. Vrbis Romæ, & in eadem Onuphrius Panuinius.

De diis, Deabúsque quæ parturientibus præerant.

MENA Dea fuit quæ fluoribus menstruis mulierum præesse putabatur. Augustinus lib. 7. Iouis filia hæc Luna credita, quippe Μήνη Luna dicitur. Menam idem Augustinus priuignam Iunonis dixit.

DE IVNONE FLVONIA, & IVNONE LVCINA, diximus supra.

PARTVNDA etiam parientium Dea erat, & ab iis colebatur.

LATONA, Apollinis & Dianæ mater fuit. Huic, ait Ælianus in varia historia, existimatum gallum gallinaceum in amore fuisse, propterea quòd ei parienti adfuerit, & quòd etiam nunc parientibus adsit, eísque faciles partus efficiat.

EGERIAM Deam mulieres colebant, quòd eam credebant opitulari partui egerendo. Ita Festus. Egeriæ nymphæ sacrificabant prægnantes, quòd eam putabant facilè conceptam aluum egerere.

NIXII Dei dicti fuerunt ab enitendo, id est pariendo. Festus. Nixij Dij tria signa appellantur in Capitolio ante cellam Mineruæ, genibus nixa, velut præsidentes parientium nixibus: quæ signa sunt, qui memoriæ prodiderint Antiocho rege Syriæ superato M. Attillium subtracto populo Romano deportasse, atque ibi posuisse.

PROSA, vel PRORSA, & POSTVERTA, Deæ fuére apud Romanos celebratæ, quibus & aræ, & sacra fuerunt constituta, ob pariendi discrimina. Prosa enim præesse illis existimabatur, quæ rectum ac legitimum partum ederent: Postuerta verò, ab ægris & infirmis, & cùm

cùm præpostere partus edebatur. Agellius libro 16. cap. 16. ex Varrone: Quando infantes contra naturam fortè conuersi in pedes sunt, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægriúsque tunc mulieres enituntur. Huius periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt Romę duabus Carmentibus: quarum altera Postuerta nominata est, Prosa altera: à recti, peruersíq; partus & potestate & nomine. A Macrobio tamen Postuerta & Anteuerta, siue Postuorta alia ratione explicantur. Dicit enim veteres eas ideò coluisse, quòd ea omnia intelligi oportere existimarent, quæ præterita & futura essent. Qua ex re Comites diuinitatis eas appellauerit, non secus ac consilium & prouidentiam, quibus humana omnia & diuina expendantur & præuideantur.

Mulieri fœtæ, post partum tres Deos custodes adhiberi, commemorat apud Augustinum li. 6. c. 9. Varro: ne Syluanus Deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorúmque custodum significandorum causa tres homines circumire limina domus, & primò limen securi ferire, posteà pilo, tertiò deuerrere scopis, vt his datis culturæ signis, Deus syluanus prohibeatur intrare: quia, inquit, neque arbores cæduntur, atque putantur sine ferro: neque far conficitur sine pilo: neque fruges coaceruantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus, tres nuncupati Dij. Intercidona à securis intercisione. Pilumnus à pilo: Deuerra à scopis, quibus Diis custodibus contra vim Dei Syluani fœta conseruatur.

Ad mulieres etiam propriè pertinet Mater Matuta, quam, vt ait Festus, antiqui ob bonitatem sic appellarunt. Hæc fuit Ino Cadmi filia, quæ & Leucothea Græcis dicebatur. Fabulam eius habet Ouid. in 3. Metam. & 6. Fastor. AEdem ei primus posuit Seruius Tullius rex, quam posteà refecit Camillus, confecto bello Veientino. Liuius li. 5. Camillus Dictator satis iam omnibus ad id bellũ (Veientinum scilicet) paratis ludos magnos ex Senatusconsulto vouit, Veiis captis se facturum, ædémque Matutæ matris refectam dedicaturum, iam ante ab Rege Ser. Tullio refectam. Idem Plutarchus in Camillo. Ab huius Deæ templi aditu seruæ prohibebantur. Vnam duntaxat matronæ introducebant, & colaphos genis eius infligebant. Cuius rei causam inquirit Plutarc. in Quæstionib. Rom. quæst. 16. Ab hac Dea nulla mulier suis, sed sororum liberis bona precabantur. Plutarchus quæst. 17. Ideóque in sacris eius sororum liberos pro suis in vlnas accipiebant. Plutarchus in Camillo. Liu. li. 34. meminit in foro Olitorio dedicatæ ædis Iunonis Matutæ. Verum Carolus Sigonius pro Matuta Sospitam legendum, nec Matutæ cognomen Iunoni tributum fuisse, docet.

Bona etiam Dea muliebris Dea fuit, de qua Plutarchus in Cæsare hæc scribit: Colitur Romæ Dea: quam Bonam appellant, vt Græci muliebrem. Hanc Phryges Midæ Regis matrem fuisse putant. Romani Nympham Dryadem Fauni vxorem, Græci de nutricibus Bacchi vnã: eam, scilicet, quam nominari nefas est: itaque apud hos, cùm sacra ei fiunt, vitium palmitibus scenæ tectæ gestantur, & secundùm fabulam, Draco sacer apud Deam collocatur. Cùm ea sacra peraguntur, virum accedere, aut iisdem in ædibus esse nefas dicitur: ipsæ inter se mulieres multa cum Orphicis conuenientia obire feruntur. Eorum orgiorum tempus & celebrandi munus cùm ad Consulem vel Prætorem deuenit, ipse & omne quod est masculum, ædibus egrediuntur: vxor domum exornat, & pleraque noctu fiunt, iocis ad nocturna sacra admixtis, musicáque multa adhibita. Hactenus Plutarchus. Lactantius ex Sext. Clodio refert, Faunam vxorem Fauni fuisse, quæ, quia contra morem decúsque regium clam vini ollam ebibisset, & facta ebria esset, virgis myrteis à viro vsque ad mortem cæsa fuerit: posteà cùm Regem facti sui pœniteret, & vxoris desiderium ferre non posset, diuinum illi numen delatum esse: idcircóque in sacris eius obuolutam vini amphoram poni solitam. Quæ Plutarch. in Quæst. Rom. qu. 20. paulo aliter narrat. Macrob. lib. 1. Satur. c. 12. multa de Bona Dea habet, quam eandem dicit esse Terram vel Tellurem, & appellari interdum Bonam Deam: interdum Faunam: Opem: Fatuam: Bonam Deam, quòd omnium nobis ad victum bonorum causa sit: Faunam, quòd omni vsui animantium faueat: Opem, quòd ipsius auxilio vita constet. Fatuam à fando, quòd infantes partu editi non priùs vocem edant, quàm attigerint terram. Plura de hac apud Macrobium lege. Huius Deæ sacra violauit P. Clodius, is qui posteà Ciceronem in exilium pepulit, de quo Cicero ipse in Oratione de Aruspicum responsis & alibi. Plutarchus in Cæsare, Cicerone, & alij.

Fuit & Magna Geneta à Romanis culta, quam Plutarchus in Quæst. Ro. qu. 52. à manando dictam fuisse: & ortui atque partui præesse putat, non aliter atque apud Græcos Hecate. Huic canem immolari, votóque ab ea peti dicit, ne quis domi natorum bonus fiat.

Dij alij ab hominum actionibus sumpti.

Murcia Dea desidiæ existimata est, quæ faceret hominem murcidum, id est, nimis desidiosum. Augustinus lib. 4. cap. 16. & Arnobius. Festus. Murciæ Deæ sacellum erat sub monte Auentino, qui anteà Murcus dicebatur. Tertullianus libr. de Spectaculis, Murciæ quo-

HEREM MARTEAM antiqui accepta hereditate colebant; quæ à nomine appellabatur Heredum:& esse vna ex Martis Comitibus putabatur. Festus.

STATATAE matris simulachrum, inquit Festus, in foro colebatur, postquam id collustrauit (Ioseph. Scaliger, Cælius statuæ legendum opinatur) ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore, magna pars populi in suos quisque vicos retulerunt eius Deæ cultum.

LAVERNAM Deam Romani fures precabantur; vt instituta sua & consilia furandi ac mentiendi fortunaret. Plautus Cornicularia: Mihi Lauerna in furtis celebrassis manus. Horatius: Pulchra Lauerna, Da mihi fallere. Erat autem hæc Dea tantùm caput, sine reliquo corpore. Vide Iosephi Scaligeri castigationes in Festum. Huius Deæ lucus erat Romæ, de quo Festus. Lauerniones fures antiqui dicebant, quod sub tutela Deæ Lauernæ essent, in cuius luco obscuro, abditóque soliti furta, prædámque inter se luere (id est, diuidere.) Hinc & Lauernalis porta vocata est.

NÆNIA Dea funerum erat. Eiusa cellum extra portam Viminalem fuit dedicatum. Aliâs Nænia, vt ait Nonius, significat ineptum & inconditum carmen, quòd adducta mulier quæ præfica diceretur, iis quibus propinqui non essent, mortuis non exhiberetur. Var. lib. 4. de pop. Rob. Ibi à muliere, quæ optima voce esset (sic legit Guil. Canterus) per quam laudari, deinde Næniam cantari solitam ad tibias & fides. Festus. Nænia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Sunt qui eo verbo finem significari putant. Quidam volunt Næniam ideo dici, quòd voci similior querimonia flentium sit.

De Libitina, Orco, Plutone, &c. aliâs diximus. Illud etiam non est silentio prætereundum, veteres singulis partibus humani corporis singulos Deos præfecisse. Caput Ioui deferebant: Neptuno pectus: cinctum Marti: Frontem Genio sacram facit Seruius: vnde inquit, Deum venerantes frontem tangimus. Supercilia in Iunonis tutela fuisse ait Sextus Pompeius, quòd iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam à Iunone tribui putabant, Lucina inde dicta. Oculos Cupidini Veneris filio, in quibus excubet, ceu Specula quadam, tribuit Philostratus: Mineruæ eos sacros tradit Fulgentius. Aurem Memoriæ consecratam refert Seruius. Locus retrò aurem dextram Nemesi attributus fuit, quo referimus, vt Plinij verbis dicam, tacto ore proximum à minimo digitum veniam sermonis à Diis ibi recordantes. Dextra Fidei sacra est: nam in fide porrigitur. Dorsum & posticæ partes Plutoni propriæ adscribuntur ab Artemidoro. Renes & inguina Veneri adiudicantur, Pedes Mercurio. Genua Misericordiæ consignauit antiquitas, quòd ea supplices attingant, ad hæc manus tendant, hæc vt aras adorent, vt inquit Plin. Tali, plantęve pedum in Thetidis potestate fuerunt. Digiti Mineruæ consecrati. Seruio teste. Vide Lilium Gregorium Gyraldum Syntagmate 1. Deorum gentilium, & Hadrianum Iunium li. 4. Animaduersorum, cap. 12.

AD CAP. XIX.

PARALIPOMENA.

De Dea Leuana, ritus infantes natos in terram deponendi, & terra leuandi, déque pueris Alexandrinis.

NAti infantes in humum abiiciebantur. C. Plin. Præfat. ad lib. 7. Nat. histo. *hominem tantum nudum & in nuda humo, natali die abijcit* (Natura) *ad vagitus statim & ploratum.* C. Sueton. Aug. c. 5. *hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem, ac velut æditumum soli, quod primum Diuus Augustus nascens attigisset.* Idem in Nerone cap. 6. *Nero natus est, anno nonum mensis quàm Tiberius excessit, octauo Calend. Ianuarias, iam tum quidem exoriente sole, pene, vt radiis prius quam terra contingeretur.* locus suspectus mihi, ideo censeo legendum, *iam tantum quod exoriente sole*, atque ita in codice MS. Henrici Memmij fuisse testatur Dionysius Lambinus, qui etiam in Augusto apud eundem authorem c. 98. legit. *de Alexandrina naui, quæ tantum quod appulerat*, antea legebatur, *de Alexandrina naui, quæ tunc quidem appulerat.* & in eiusdem vita cap. 63. *tantúmque pueritiam egresso*, lege, *tantum quod pueritiam egresso*, valétque ea loquendi formula pro, *iam tum*, aut *modo primum.* sic frequenter loquitur M. Tullius lib. 7. epistolar. familiar. epist. 23. *tantum quod ex Arpinati veneram, cum mihi à te literæ redditæ sunt.* Et ad Attic. li 15. epist. 13 *hæc cum scriberem, tantum quod existimabam orationem ad te esse perlatam.* Idem 3. Ora. Verrina. *tantum quod aratorib. Metellus obsides non dedit.* Æmil. Prob. in Datame. *qui tantum quod ad hostes peruenerat.* sed de diuerticulo in viam.

De nuper nati partus in terram depositione, intellexit Plinius idem lib. 2. cap 65. *sequitur terra, cui vni rerum naturæ partium, eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis, sic hominum illa, vt cœlum Dei, quæ nos nascentes excipit, natos alit, semélque editos sustinet semper.* Obstetricum hoc munus in terra

Alludit Claudianus lib. 2. de laudib. Stilicho. & dicam abundè infra, quando de conuiuiis agetur.

Non pueri lasciua sonant.

Statij versus repeto: quorum tertium repugnante metri ratione, ex M. S. imperiti indubiè manu exarati fide, nonnulli legunt.

Infantem, lingua similem, sa ibisque proteruum,

Sed melius, eruditissimus vir, veréque senatoriæ doctrinæ Petrus Petauius, correxit ex M.S. primus, quod sciam,

Infantem, lingua Samium, salibusque proteruum.

Firmat ille correctionem suam testimonio Ciceronis, apud quem insigni dicacitate, & conuitiandi licentia Samij audiunt: quod mihi non lectum. in versu quarto in eodem MS. egregie præfertur.

Aspexi, atque vnctum genitali carmine foui.

Castigatissime, nam infantes nuper nati, & adhuc de matre rubentes, vt verba satyrici vsurpem, aqua abluebantur, vnguentis perfundebantur, vt suo loco dicetur. sed ad institutum de *Leuana* sermonem redeo.

Infans non habebatur legitimus, nisi pater præsens, vel eo absente procurator pro eo, infantem terra leuasset, sinui imposuisset, itaque *tollere* infantem est *suum agnoscere, alere* in spem familiæ, & hæredem habere. *non tollere, familia eijcere, abdicare*, aut *exponere*. L. Seneca apud Lactantium Firmianum lib. 1. diuinar. Instit. cap. 16. *quid ergo est, quare apud poëtas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? vtrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit, an impetrauit ius trium liberorum?* D. Iuuenal. Sat. 9. vers. 84. alius in hanc rem citatus.

Tollis enim & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri, foribus suspende coronam:
Iam pater es, dedimus quod famæ opponere possis.
Iura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Quem locum, quia à paucis intellectum, explicabo, filium ex vxore sublatum tuum fecisti, cuius vxoris beneficio ciuis Romani frueris priuilegiis, vt etiam ad caducarum hereditatum admittaris successionem: gloss. Isidori, *bona caduca, quibus nemo succedat hæres.* Et alibi iisdem glossis, *caducarius ad quem pertinent quæ cadunt defuncto aliquo, cui non est, qui succedat.* Q. Symmachus lib. 2. Epist. 13. *ego certe vereor, ne improborum fiat ad se eximie pertinere quæstum caducum, fiatque innocentium causa deterior, si ad eos tantum falsi redeat occasio qui neque legi, neque pudori cohibentur.* in M. S. non, *pertimere* quæstum, legitur, sed *peruenire*, rectiùs, id est iure deuolui. M. Manil. lib. 4. Astronomic.

Quærimus lucrum naui, mortémque sequemur
In prædas pudeat tanto bona velle caduca.

Audiatur vetus scholiastes. *Iura parentis habes, hæc omnia ad ius ciuile poeta retulit, id est meo labore habes filios, & scriberis hæres, & non pateris pœnas orbitatis.* I. Lipsius in lib. 3. Annalium C. Taciti. & primus de lege Papia Popæa debere intelligi docuit Ioannes Cuspinianus ad Fastos Aurelij Cassiodori, in consulatu Q. Sulpitij. & C. Pompeij.

Deinde de tollendi consuetudine, idem vetus Scholiastes loco citato. *tollis, nutris, & libris actorum propter professionem scilicet ..... quia ad ærarium patres nominum deferebantur filiorum, vel nominum notitia deuulgare contestatione publica.* C. Tacit. vita Agricolæ. *auctus est ibi filia in subsidium simul & solatium, nam filium ante sublatum breui amisit.* Q. Curt. Rufus lib. 9. *Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt, aluntque sed eorum quibus infantium spectandi habitum cura demandata est.* P. Terent. Adelph.

Qui sine hac iurabat se vnum nunquam victurum diem,
Qui in suo gremio positurum puerum dicebat.

Et in Heautontim.

Meministin', me esse grauidam, & magnopere
Interminatum si puellam parerem.
Nolle tolli? CHREM scio quid feceris.
Sustulisti.

Reliqua quæ vel hoc capite, vel superiori continentur, seu quia ante à me explicata sunt, seu quia deinceps dicentur, prætermittenda impræsentiarum duxi.

PARALIPOMENA.

De Domiduco Deo, & ritu ex patris domo in mariti transeundi.

De diis Nuptialibus, vt & de Nuptiis, plenissime differetur lib. 5. cap. 37. infra. Interim hic de *Domiduco* solum agam. Erat hic cuius numine putabatur virgo matrona esse, & patriæ potestatis iugo soluto, in mariti ius migrare, Nonius Marcel. cap. 2. num 431. *Immbere positum pro transire, quod hæ, quæ nubunt, ad maritorum transeunt domos.* Quod intelligendum iam consummatis nuptiis. nam sponsalia non faciunt domum mutare sponsam. Modestin. IC. l. 32. ff. ad Municipal. *ea que desponsa est, ante contractas nuptias non mutat domum.* Papinianus IC. l. 68. ff. de iure dotium *in domum absentis vxore deducta, mulis in eam inter ea ex bonis viri sumptibus factis, ad exhibitionem operis promissas vsuras reuersus vir improbe petit.* Vlp. l. 15. ff. de condit. & demonstrat. *cui fuerit sub hac condi-*

tiam legatum si in familia nupsisset, videtur impleta conditio, statim atque ducta est uxor, quamuis nondum in cubiculum mariti venerit, & disertè idem Papinianus lib. 60. ff. de Iur. dot. *& si minor annis duodecim, vt maior deducta sit, tunc primum petatur, cum maior annis apud eundem esse cœperit.* Tull. Orat. 2. Verr. *Hic est Decimus, ad quem iste deduxerat tertiam Isidori Mimi filiam.* alludunt poëtæ. Nicodem. Heracleo. Antholog. lib. 6. cap. 4. *νυμφίον ἠγάγομεν, virginem duximus.* Cl. Claudian. lib. 2. de Raptu.

Ducitur in thalamum virgo.

M. Lucan. lib. 8. vers. 89. Cornelia hæc de se queritur.

Infœlix coniux, & nulli læta marito,
Bis nocui mundo, me pronuba duxit Erynnis.

Alb. Tibul. lib. 3. eleg. 4.

Vt iuueni primum virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.

P. Virgil. lib. 7. Æneid. vers. 358.

Exulibúsne datur ducenda Lauinia Teucris.

Ouid. lib. 6. Fastor.

Cùm primùm Cupido Venus est deducta marito.

Et Epist. 15. Paridis ad Helenam.

Penè suis manibus ad te deduxit amantem.

M. Accius Plautus Aulularia sc. narraui.

——si fidem faciant cæteri
Opulentiores, pauperiorum filias
Vt indotatas ducant uxores domum,
Et multò fiat ciuitas concordior.

Idque nocturno tempore, flammeo velatæ sponsæ in domum mariti futuri deducebantur, carpento, seu pilento vectæ, comitantib. duobus amicis aut consanguineis, quos *chamæpos parochos*, & *Paranymphos* vocabant, vt suo loco infrà fusissimè disquiretur.

PARALIPOMENA.

De Diis puerperarum, Nixiis, Bona dea, & Hecate.

PVerperas voluerunt in certo quorundam numinum præsidio esse (vide quæ infra de Siluano discutio hoc libro) nam puerperij ipsius Deos *Nixios* appellabant, à *Nitendo* nempe, quod vel partus in lucem venire tereretur, vel mater dolore defungi. alludunt poëtæ. D. Auson. Eidyllio 12. in fine.

Sed nono incumbens signo, cunctantia matrum
Vota leuat, trigono vires socianti sequenti,
At si difficilis tradit Ilithyia. . . .
Tetragono absoluet dubiarum vincla morarum.

Tertium versum facillimum erit supplere hoc modo.

At si difficiles tradit Ilithyia labores.

Vel si hoc displicet, *dolores.*

Ouid. Epist. 4. Phædræ Hippolyto.

O vtinam placitura tibi pulcherrime rerum
In medio nixu viscera rupta forent.

Eidem Medela adhibenda lib. 9. Metamorphos. Fab. 5. vbi Alcmenæ Herculem parientis describitur historia.

Dum loquor, horror habet, pársque est meminisse doloris,
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Fessa malis, tendésque ad cœlum brachia, magno
Lucinam ad nixos partus clamore vocabam.

Legendum est, nisi ego fallor, castigatius, apertiúsque.

——tendénsque ad cœlum brachia, magno
Lucinam, Nixosque pares clamore vocabam.

Atque huius necessariæ, vt videtur, correctionis auctor est Adrianus Turnebus lib. 7. Aduersariorum, cap. 8. qui super hac re consulatur.

De *Bona dea* hic quoque obiter aliquid perstringendum: cuius in ædem venitare viris nefas habitum. M. Tull. Paradoxo 4. *familiarissimus tuus de te priuilegium tulit, vt si in opertum Bonæ deæ accepisses, exulares.* in margine legitur, *familiarissimus tuus Cornificius de te.* Arnob. lib. 2. cont. gent. *Fauna fatua, Fauni vxor, Bona dea quæ dicitur, sed in vini meliori & laudabiliori potu.* C. Plinius lib. 16 cap. 2. Aurel Macrob. ex Cornelio Labeone lib. 1. Saturn. cap. 12. *auctor est Cornelius Labeo, huic Maiæ ædem Kalendis Maiis esse dedicatam sub nomine Bonæ deæ, & eandem esse Bonam deam & terram, ex ipso ritu occultiori sacrorum doceri posse confirmat: hanc eandem Bonam deam, Faunámque, & opem, & Fatuam pontificum libris indigetari: Bonam, quod omnium nobis ad victum bonorum causa est.* poëtæ. D. Iuuenal. Satyr. 6. vers. 316.

Nota Bonæ secreta Deæ.

Alb. Tibull. lib. 1. Eleg. 6.

Exibit quàm sæpè caue, seu visere dicat
Sacra bonæ maribus non adeunda deæ.

Sext. Propert lib 4. Eleg. 10.

Fœmineæ loca clausa Deæ fontésq; piandos
Impune & nullis sacra retecta viris.

Non ergo viri intrare templum poterant eius, vt tutum esset confugium puellis, quæ se ornari extra virilem conspectum volebant. Ouid lib. 3. de arte.

Quæ male crinita est, custodem in limine ponat,
Orneturve bonæ semper in æde Deæ.

Et post eodem opere.

Cum fuget à templis oculos Bona diua virorum.

Prater-

Præterquam si quos illa venire iubet.

Ergo & adulteria sæpè in fano illo committebantur, clam adulteris irrumpentibus, quod ab vnico P. Clodio factum, vt omnibus notũ. vet. Scholiast. Iuuenal. ad v. 335. Sat. 6. *de Psaltria id est de Clodio dicit, qui templum Bonæ deæ ingressus habitu Psaltriæ adulterium commisit*, & ad vers. 316 *templum vbi intrauit Clodius, & cum vxore pontificis concubuit, ibi non saltat matrona cum tibia & Clodius Psaltriæ habitu ingressus est.* & grauiter conqueritur M. Tull. Orat. de Aruspic. Resp. *sacrificium violauit, quod fit in redibili ceremonia, fit ei deæ, cuius ne nomen quidem viros scire fas est, quam iste* (Clodius) *Bonam dicit, quod in tanto scelere sibi ignouerit.* Et de eodem. *hominemque eum qui puluinaribus Bonæ deæ stuprum intulerit, eaque sacra, quæ viri oculis ne imprudentis quidem aspici fas est, non solum aspectu virili sed flagitio stuprόque violarit.* nec modo viri ingressu prohibiti, sed ne deorum quidem picturæ masculæ apertæ in illo templo. Iuuenal. Sat. 6 vers. 337.

—velari pictura iubetur,
Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.

Vet. Inscript.

ANNIA. P. L. FLORA. EX. TESTAMENTO.
BONAI. DEAI. SACRVM. SALVIA. SOROR.
LIBERTA. SVA. PECVNIA. FAC. CVRARVNT.

Et altera.

ÆLIA. NICE. SACERDOS. BONÆ. DEÆ. SE. BIBA. COMPARAVIT. SIBI. ET. ALVMNÆ SVÆ.

Et tertia, ex Aldo Manutio in C. Iulij Cæsaris Commentarios, cuius hæc sunt verba.

D M.
CL. NICE. SACERDOS. BONÆ. DEÆ.
ET ÆLIÆ. THALVSSÆ. ET ÆLIÆ. SERAPIÆ. ET CL. FORTVNÆ. ET. LVCIA. FELICITATI. ET VALERIO. MENANDRO. F.

Eius sacrificia vino peracta ebibito, quod tamen non suo nomine, sed lactis appellabatur, puto, quod illa vinum bibens à marito suo interfecta fuerit, vinum hoc in amphora illatum, quod Mellariam dixere, quo refert Ioannes Britannicus illud D. Iuuenalis Satyr. 9. vers. 115.

—taceant illi, sed prodere malunt
Arcanum, quam subrepti potare falerni,
Pro populo faciens, quantum Laufella bibebat:

Licet vetus Scholiastes ibidem, de virgine Vestali sacrificante intelligi velit, sed facilè dissidium est illud componere, nam & virgines Vestales Bonæ deæ sacrificabant, teste Cicerone Orat. de Aruspic. Respon. *id sacrificium nemo vir aspicere non horruit, quod fit per Virgines Vestales, fit pro populo Romano.* Hostiam animalem ei oblatam videri potest ex Iuuenale eodem Sat. 2. vers. 84.

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere deam.

Templum ei in Auentino fuit monte. P. Victor. in Reg. 13. & P. Ouid. lib. 5. Fastor.

Templa patres illic oculos exosa viriles
Leniter accliui constituere iugo.

Sequitur de *Hecate*, quæ & in cælo, *Luna*, id inferis, *Proserpina*, in siluis *Diana* dicitur, venantium præses, vti antea exposui. adde Euripidem in Hecuba, referente Plutarcho lib. de Iside & Osyride.

Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρου κύων ἔσῃ.
Hecates simulachrum Luciferæ fies canis.

Adde hoc loco, præter ea quæ diximus, canes Hecates appositos statuis, & præsertim hic de *Vertago* agimus: sic enim à venatorib. appellari solebat, vt præfert lemma Epigrammatis 200. lib. 14. apud Martialem.

Non sibi sed domino venatur vertagus acer,
Ille sinus leporem qui tibi dente feret.

At in MS. codice rectius.

Intactum leporem qui tibi dente feret.

Turneb. lib. 18 aduersarior. ca. 1. censuit legendum, *fertrahus* quasi *ferarum venatu interceptarum tractorem* dictas. nam *F.* in *V.* mutari solemne erat, nisi à *tragula* (retis id genus) nomen desumptum credamus. sed apud Gratianum in Gyneg.

Petronios (sic fama) canes, volucrésque Sicambros,
Et pictum macula vertrahum delige falsa.

Canes hi venatorij erant, & ob id latrare eos finxere creduli. Theocrit. Eidyll. 2.

Κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται·
ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι.

Canes nobis per vrbem latrant, dea autem adest in Triuiis P. Virgil. lib. 6 *Æneid.*

Visæque canes vlulare per vrbem
Aduentante dea.

L. Sen. Act. 4. sc. vlt. ad finem Medea.

Vota tenentur: ter latratus
Audax Hecate dedit.

Et cum illa præesset magicis incantaminibus puto, illud mysticè de ea dictum in Pharmaceutria, seu Ecloga 8. apud Virgilium.

—& Hylax in limine latrat.

Imo & eius *victima canes.* Sophron. in Mimis. *quod eorum latratus monstrosas visiones, & incantamenta soluit.* Tzetzes in Lycophronem, qui dixit de Hecates sacrificio. Bernardinus Realinus cap. 13.

Ἄντρον κυνοσφαγοῦ θεᾶς.

Antrum Caniuoræ deæ.

Theocritus in Pharmaceutria, & Scholiastes eiusdem apud Ioannem Brodeum Miscellaneor.lib.1.cap.24.

Eius triplices vultus perstrinxit L. Apuleius lib.11.Milesiar.in princip. *seu nocturnis vlulatibus horrenda Proserpina, triformi facie laruales impetus comprimens, terraque claustra cohibens, lucos diuersos inerrans, varis cultus propitiaris.* Varias eius rei rationes pete ex Seruio Honorato ad illud libri 4. Æneid. quas non exscribo.

—crines effusa sacerdos
Tercentum tonat ore deos, Herebúmque Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ,

L.Sen.in Medea Act.1.sc.1.

Tacitisque præbens conscium sacris iubar,
Hecate triformis.

Iul.Hygin.Astronomic. lib. 4. ad finem & ex eo in Symmachum lib 1.Prudent.

Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu,
Cum succincta iacit calamos, Latonia Virgo est,
Cum subnixa sedet solio, Plutonia coniunx.

Eosdemque versus repetitos inuenies apud Isidorum Hispalensem lib.8. Etymolog. cap. 11.& refer huc vulgatos illos, sed ingeniosissimos versus.

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,
Ima, suprema, feras, sceptro, fulgore sagitta.

Claudian.lib.1.de Raptu in limine.

Ecce procul ternis Hecate variata figuris
Exoritur.

Valer.Flacc.lib.1.Argonautic.

Tergeminam tum places heram Stygiásq; supremo
Obsecrat igne domos.

Idem lib.7.Argonautic.

—vtque sub altas
Peruenere trabes, diuæque triformis in vmbras.

Aurel.Prudent.lib.1.in Q Symmachum.vide locum.

Nunc etiam volucres Caprearum in terga sagittas
Spargere, téque suas eadem variare figuras.

Auson.in Gripho Ternarij numeri

Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ.

Lutatius Grammaticus ad v.456.lib.4.Theb. & ipse Statius lib.10.Thebaid.vers.362.

Arcanæ moderatrix Cynthia noctis.
Si te tergeminis perhibet variare figuris
Numen & in siluis alio descendere cultu.

Malim legi, *alio descendere cultu.* Deniq; extat vetustissimum epigramma li. 2. poëmation & epigrammaton veterum, & apud Onuphriũ Panuinium in ciuitate sua pag.149.quod propter elegantiam integrum adscribam.

M. D. M. ID. ET. ATTIDIS. MINOTAVRANI.
ARAM. IIII. ID. MARTI.
GRATIANO.IV.ET.MEROBAVDE.
COSS. DEDICAVIT.
ANTIQVA. GENEROSE. DOMO.
CVI.REGIA.VESTÆ.
PONTIFICI.FELIX.SACAATO.MILITAT.IGNE.
IDEM. AVGVR. TRIPLICIS. CVLTOR VENERANDE DIANÆ.
PERSIDICI. QVE. MITRÆ. ANTISTES.BABILONIÆ.SACRI.
TAVRIBOLI.QVE.SIMVL.MAGNI.
DVX. MYSTICE.SARI.

Non esse tamen semper idem numen *Dianam, Proserpinam, & Hecaten*, docemur ex Hesiodo in Theogonia, qui diuersas facit deas has. etátque Hecate interdum tantummodo animarum præses. Lucta.Placid. ad vers. 481. 4.Thebaid. *Hecate & Mercurius pias animas ducant, nocentes Tisiphone.* ipse poëta.

Ferte simul gressus, nec simplex manibus esto
In lucem remeare modus, tu separe cœtu.
Elysios Persæa pios, virgaque potenti
Nubibus Arcas agas: contra per crimina: &c.

Sic enim optime legendum docuit Ianus Parrhasius in quæsitis suis Epist. 55. cùm antea pessimè esset.

Elysios Persæ pios.

Huic diuites olim singulis mensibus epulas magnificas parabant, quibus pauperes vescerentur. Scholiast. Aristophanis in Pluto. apud Ioannem Hartungum Locor. Memorabil. Decad.1.cap.8.num.34. Ipse Aristopha. Act.2. sc.5 ad finem.

Τὰς ἀρίγχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον
Κατὰ μῆνα προσφέρειν.

Opulentos, & diuites, quouis mense, sibi apponere cœnam. Ad alia pergo.

MVRCIA dea ignauorũ, quam frustra confundunt cum *Venere*, quæ sic appellata est à myrtho, quam in tutela sua habet. C. Plin. libro 15.cap.29 Plutarch. Problem.Rom. capite 19. ita tamen censuit Philipp. Beroaldus in Annotationibus cap.49. Sabellic. in Annotationibus in Tit. Liuium libro primo verba sunt ipsius historici. *Inde ingenti præda potitus, Romam rediit, tum quoque multis millibus Latinorum in ciuitatem acceptis, quibus vt iungere-*

iungeretur Palatio Auentinum, ad Murtiæ datæ sedes. Nomen illi desumptum à *Murcis*, id est, *ignauis*, quique pollicibus truncati inhabiles bellis gerendis habebantur. nam huiusmodi homines *Murci Murcidi, Murcili, Murcicidi*, vt alij notarunt, appellabantur. Ammian. Marcellin. lib. 15. *ad militandum omnis ætas aptissima, & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur, & adultus gelu duratis artubus, & labore assiduo, multa contempturus, & formidanda, nec eorum aliquando quispiam, vt in Italia, munus Martium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos localiter Murcos appellabant.* C. Sueton. Aug. exemplum consuetudinis subministrat cap. 24. *equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus, causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsu bonáque subiecit hastæ.* Isidor. Hispalensis in glossis. *Murcinarius, mutilus.*

Sed vt Venerem esse credamus Murciam hanc deam, seu Murtiam, (Cuius meminit etiam Tertullianus lib. de Spectaculis apud Adrianum Turnebum lib. 22. cap. 17. & cap. 4. Laudati libri, *Murciam amoris*, inquit Tertullianus, *deam esse volunt.*) facit C. Apuleius lib. 6. Milesia. *si quis à fuga retrahere, vel occultam demonstrare poteris fugitiuam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psychen, conueniat retro metas Murtias Mercurium prædicatorem.* Vbi *metas Murtias*, desidiæ, ignauiæque interpretor. tales enim illorum mores, qui Venerem sequuntur, licet sciam vitiis suis patrocinantem dixisse P. Ouidium lib. 2. de Arte.

Militiæ species amor est, discedite segnes,
Non sunt hæc timidis arma tuenda viris.
Nox, & hyems, longæque viæ, sæuique dolores,
Mollibus in castris, & labor omnis adest.

Et lib. 1. Amor. Eleg. 9.
Qui non vult fieri desidiosus, amet.

Sed quis ille labor? ipse eodem loci explicat, inconcessos scilicet in alienum thalamum assultus,

Nempe maritorum somnis vtuntur amantes,
Et sua sopitis hostibus arma mouent.

Redeo ad *Murcos.* constitutio est in veteri Saxonum lege in hæc verba cap. 13. *pollex totus abscissus* CCCLX. *sol si dimidius* CLXXX. *si minimus, si totus, vt supra, si index,* CLXXX. *& per singula membra tertia pars mulctæ componatur. medius & medicus, vterque sol.* CXX. *& per membra eorum, vt de cæteris dictum est, pollex pedis medietate pollicis manus componatur, tres articuli medietate compositionis medij & medici, digitorum componantur, minimus articulus medietate vnius de tribus articulis componatur. Itaque apparet solemne fuisse metu militiæ, digitis amputatis mutilos se facere consueuisse, & ob id secundum varium digitorum in bellis obeundis vsum, (neque enim is non diuersus est) pœnas detruncantibus se statutas etiam varias, maiores, minoresve.* est & altera huic similis constitutio, in Antiqua lege Baiuuarior. cap. 3. n. 11. cuius hic fermè textus.

1. *Si quis alicuius pollicem absciderit, cum* XII. *Sol. componat.*
2. *Et si proximum à pollice, vel minimum absciderit, cum* IX. *Sol componat, vnum sic, & alium sic.*
3. *Illos medianos duos digitos, cum* X. *solid. componat, vnum cum quinque solid. & alium cum V.*
4. *Et si non fuerint abscissi, & est mancus, stat rectus, vt non possit plicare, hoc impedimentum est ad arma baiulare, maior est compositio, quàm de abscisso, tertiam partem supra addes, ad* XII. *adde* IIII. *fiunt* XVI. *ad* IX. *adde tres, fiunt* XII. *ad* V. *adde duos, & tremissim, fiunt* VII. *sol & tremissis, sic eum debes iudicare, & sic componere.*

Pollices ergo sibi abscindebant militiam detrectaturi: vel abscindebantur in pœnam, ne vtilis quispiam esset ferendis armis. Tul. libro 3. de Offic. *Durius Athenienses, qui sciuerunt, vt Æginetis quia classe* (malim *qui classe*) *pollebant, pollices præciderentur.* Et certè varios animi motus pollicis diuerso gestu significabant, nam & laudem fauorémque iunctus significabat. C. Plin. lib. 28. cap. 2. Interpretes Quint. Horatij ad lib. 1. Epist. 18.

Consentire suis studiis, qui crediderit te,
Fautor vtroque tuum laudabit pollice ludum.

Et laudandos, amatósque, pollice exerto ostendebant, vt & alios indice extenso, vt alibi dicam. Cl. Claudian. de 6. Hon. consulatu.

——gaudet metuens, ac pollice monstrat.

Contra pollicem inuertere, denegati fauoris certissimum symbolum, odij, auersique animi indicium. Vet. Scholiast. *Iuuenal. ad* Satyr. 3. vers. 37. *pollice verso, id est, fortuna mutata.* Ipse Iuuenalis.

Munera nunc edunt, & verso pollice vulgus
Cum libet, occidunt populariter.

Sic enim melius quàm in editionibus vulgatis.

Quemlibet occidunt populariter.

Q. Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmach.

Et quoties victor ferrum iugulo inserit, illa
Delitias ait esse suas, pectúsque iacentis
Virgo modesta iubet à conuerso pollice rumpi.

Q

Caput XX.

De Diis Rusticis.

Marcus Terentius Varro conscripturus præcepta de re rustica innouat xii. Deos consentes, non eos de quibus supra diximus, qui à Ioue adhibebantur in consilium, sed eos qui præerant agriculturæ. Verba eius sunt hæc: Quoniam, inquit, vt aiunt, Dei facientes adiuuant, prius inuocabo eos: nec vt Homerus, & Ennius, Musas: sed xii. Deos consentes. Neque tamen vrbanos, quorum imagines ad forum auratæ stant, sex mares, & fœminæ totidem: sed illos xii. Deos, qui maximè agricolarum duces sunt. Primùm, qui omnes fructus agriculturæ cœlo & terra continent, Iouem, & Tellurem. Itaque duo hi parentes magni dicuntur: Iuppiter pater appellatur: Tellus terra mater. Secundò Solem & Lunam, quorum tempora obseruantur, cùm quædam seruntur & conduntur. Tertiò Cererem, & Liberum, quòd horum fructus maximè necessarij ad victum. Ab his enim cibus & potio venit è fundo. Quartò, Robigum, ac Floram, quibus propitiis, neque rubigo frumenta, neque arbores corrumpit, neque non tempestiuè florent. Itaque publicè Robigo feriæ Robigalia, Floræ ludi Floralia instituti. Item aduenero Mineruam & Venerem, quarum vnius procuratio oliueti, alterius hortorum: quo nomine rustica Vinalia instituta. Nec non etiam precor Lympham ac Bonum euentum: quoniam sine aqua omnis arida ac misera agricultura: sine successu ac bono euentu, frustratio est, non cultura. Hactenus Varro: vnde qui rustici Dij præcipui fuerint, facilè intelligimus. De Ioue, Tellure, Sole, Luna, Cerere, Libero, Minerua, Venere, & Nympha, siue Nymphis diximus antè: itaque de reliquis hoc capite agemus, quibus etiam alios huc pertinentes adiiciemus.

PALES.

De Pale Dea, quæ dicam, pauca habeo: Seruius, ait, eam fuisse Deam pabuli, cui sacra facta sunt pro felici prouentu pabuli, & incolumitate pecorum. Idem scribit alios putare eam Vestam esse, alios Matrem Deûm. Festus: Pales dicebatur Dea Pastorum. An templum ei Romæ constructum fuerit, nondum apud quenquam legi: culta tamen ab iis fuit, in eiúsque honorem festum, quod Palilia, vel Parilia dicebant, celebratum, vt alio libro ostendam, proptereà multa eius mentio est apud Virgilium, Ouidium, Tibullum, Propertium, Varronem, & alios. Notat etiam Seruius Palen à Virgilio genere fœminino dici: ab aliis genere masculino.

FLORA.

Diximus suprà duas à Romanis Accas fuisse cultas, alteram Laurentiam Romuli & Remi nutricem, alteram vero Tarrutiam. De Laurentia antè verba fecimus, de Tarrutia hic agemus. Scribunt Plutarchus in Quæstionibus Rom. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 10. August. lib. 6. cap. 7. de Ciuitate Dei, & alij, Anco Martio regnante æditúum Herculis per ferias ociantem Deum tesseris prouocasse, ipso vtriusque manum tuente, adiecta conditione, vt victus cœna, scortóque multaretur. Victore itaque Hercule, æditúum Accam Larentiam, nobilissimum per id tempus scortorum, intra ædem inclusisse cum cœna, eámque postero die distulisse rumorem, quod post concubitum Dei accepisset munus, ne commodum primæ occasionis, cùm se domum reciperet, offerendæ aspernaretur. Euenisse itaque vt egressa mox templo à Taruntio, siue Tarrutio capto eius pulchritudine compellaretur, cuius voluntatem secuta, sumptáque nuptiis, post obitum viri omnium bonorum eius facta compos, cùm decederet, pop. Romanum nuncupârit hæredem. Et ideò ab Anco in Velabro, loco Vrbis celeberrimo, sculpta fit, ac solenne sacrificium eidem constitutum, quo Diis Manibus eius per Flaminem sacrificaretur. Addunt quidam, quod à vero non est alienum, ipsam hac conditione populum Romanum hęredem reliquisse, vt sibi quotannis suum natalem celebrarent, editis ludis, quod cùm Senatui flagitiosum visum esset, ab ipso nomine argumentum sumi placuisse, vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam igitur finxisse, quæ floribus præesset, quámque placari oporteret, vt fruges cum arboribus aut vitibus benè, prosperéque florescerent. Hæc Lactantius lib. 1. Diuinarum Instit. cap. 20. & addit, eum colorem secutum in Festis Ouidium narrasse, Floram fuisse non ignobilem Nympham, quæ sit Chloris vocitata, eámque Zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepisse muneris à marito, vt haberet omnium florum potestatem. De Floralibus, quæ in huius Deæ honorem celebrabantur, pòst dicemus.

Pomona Dea fuit, quæ vt Varro & Festus aiunt, leuissimo agrorum fructui pomis præerat. Hæc proprium habebat Flaminem, qui dicebatur Flamen Pomonalis.

Ver-

Vertvmnvs, siue, vt alij scribunt, Vortvmnvs. Etiam hunc Deum inter rusticos referre placuit. Sic autem appellabant eum Deum, qui præerat rebus contrahendis, ac vertendis id est, permutandis: vel ab anno verso nomen habebat: vel ab eo, quod anni vertentis poma percipiat: de quo Propertius lib. 4.

Quid mirare meas tot in vno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tusco ego, Tuscis orior: nec pœnitet inter
Prælia Volscinos deseruisse focos.
Nec me turba iuuat, nec templo lætor eburno.
Romanum satis est posse videre forum, &c.

Plura lege apud Propertium. Proptereà autem quòd hic Deus ad omnes figuras ac formas opportunus erat, credebatur etiam menteis hominum, & cogitationes in rebus emendis ac vendendis, vertere, immutare, ac variè afficere, itaque mobili ingenio & inconstantes homines iratis Vertumnis natos dicebant, vt Horatius Satyra 7. lib. 2. Antonius Fanensis in libr. 6. Fastorum Ouidij multa de Vertumno habet, & inter alia dicit, esse qui Vertumnum affirment fuisse vetustissimum Thuscorum Regem, qui vinearum & pomiferarum arborum serendarũ tradiderit rationem, cui Thusci illi, qui cum Locu none in auxilium Romuli venisse dicuntur, Romæ templum ædificârint. Asconius in 3 Verrinam ait, Vertumnum Deum esse rerum inuertendarum, id est, mercaturæ. Huius signum & templũ in vico Thusco ad Opis & Cereris aras constituerunt. Festa eius, quę mense Octobri celebrabãtur, Vertumnalia appellârunt.

Seia & Segetia, siue Segesta, harũ duarum Diuarũ ex Varrone meminit Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei, c. 8 cùm ait: Sata frumenta quamdiu sub terra essent, præpositam voluerunt habere Deam Seiam: cum verò iam super terram essent, & segetem facerẽt, Deam Segetiam. Quam verò hic Augustinus Seiam gestã appellat, l. bro 10. c. c. 2. vbi etiam Seiæ meminit. Verba eius sunt: Seiam à serendo, Segestam à segetibus appellabant, quarũ simulachra in Circo videmus. Ex eodẽ Plinio discimus, à Numa Pompilio eas consecratas esse. Has Deas qui nominasset eum ferias obseruare solitum, Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 16 docet.

Tvllina, vel Tutelina, à tuendo dicta, frumentis collectis atque reconditis, vt tutò seruarentur præposita fuit, quemadmodum Aug. lib. 4. de Ciuit Dei, c. 8. docet. Hanc Adr. Turnebus arbitratur esse, cuius nomen sub Dio proferri non fas fuerit. Plin. lib. 18 cap. 2. auctore. Macrobius etiam lib. 1. Satur. cap. 16. docet, eos, qui eam inuocarent, ferias egisse. Ædicula eius in XIII. Vrbis regione, in monte Auentino fuit, teste P. Victore. Simulachrum eius etiam in Circo fuit, Plinius lib. 18. cap. 2. Quidam etiam Titulinam vocant, cui aram in Auentino dicatam ad populi Romani tutelam, Iosephus Scaliger in Varronem scribit.

Tvtanvs & Tvtilina Dij, qui rebus tuendis præerant. Nonius Marcellus. Hunc Varro in periculosis subitisque rebus inuocari dicit, non aliter atque Herculem malorum depulsorem: Tutilinam inauspicato nominari nefas est. Fuerunt & alij Dij frumentis præpositi, de quibus Augustini verba adscribam: Proserpinam, inquit, præfecerunt frumentis germinantibus geniculis, nodisque culmorum Deum Nodotum: inuolumentis folliculorum Deam Volutinam: cùm folliculi patescunt, vt spica exeat Deam Patelenam: cùm segetes nouis aristis æquantur, quia veteres æquare hostire dixerunt, Deam Hostilinam: florentibus frumentis Deam Floram: Lactescentibus Deam Lacturciam (Seruius in 1. Geor. Lactentem Deum esse ait, qui lac infundat segetibus, & eas faciat lactescere (maturescentibus Deam Matutam: cum runcantur, id est, à terra afferuntur Deam Runcinam. Hactenus Augustinus lib. 4. cap. 8. Idem cap. 21. meminit Deæ Fructeseæ, quæ fructibus præesset: Dei Spiniensis, qui spinas ex agris eradicaret.

Robigvs Deus à robigine, siue rubigine dictus, rubiginem à segetibus auertere putabatur, cui etiam festa Robigalia celebrabantur. Eius multa mentio apud Varronem li. 5. de ling. Lat. & lib. 1. de Re rustica, apud Festum Augustinum. lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 21. vbi dicitur Robigo, genere fœminino. Viues Robigum quasi Rodigum dici putat, à rodendo. Meminit huius etiam Plinius lib. 18. cap. 17. & 29 De Robigalibus dicemus alibi.

Bonvs quoque Euentus antiquis cultus est. Huius simulachrum, vt Plin. lib. 35. scribit, ab Euphranore ita factum erat, vt dextera pateram, sinistra spicam ac papauer teneret. Boni euentus meminit Varro in 1. de Re rust. inter colẽtes diuos agricolarum, vt modò diximus Plinius auctor est, Praxitelem eius simulacrum in Capitolio fecisse. Templi Boni Euentus quædam etiam hodie vestigia Romæ cernuntur, inter Mineruam & S. Eustachium, vt à plerisque creditur, Lilius Gyraldus. *Lib. 6. de ling. Lat*

Popvloniam & Fvlgorem coluerunt, Augustinus lib 4. de Ciuit. Dei, cap. 10. & Seneca in libro de Superstitione, fortasse ideò ne populationes & fulgura fierent.

PILVMNVS & PICVMNVS, de his duobus Seruius in 6. Æneid. Pilumnus & Picumnus fratres fuerunt Dij: horum Picumnus stercorandorũ agrorum inuenit vsum: vnde & Sterquilinus dictus est: Pilumnus verò pilendi, seu pinsendi frumenti: vnde à pistoribus colitur, & ab ipso pilum dictum est. Hactenus Seruius. Nonius Marcellus Pilumnum & Picumnum Deos vocat, præsides auspiciis coniugalibus, citátque Varronem libro 2. de Vita populi Romani, cuius hæc sunt verba: Natus si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice, statuebant in terra, vt auspicaretur rectus, Diísque coniugalibus, Pilumno & Picumno in ædibus lectus sternebatur.

STERCVLIVS etiam cognomen erat Saturni, qui sic dicebatur, quod ipse primùm stercore fœcunditatem agris comparauerit. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 7.

BVBONA Dea, præerat bobus. Augustinus lib. 6. de Ciuitate Dei, cap. 9.

HIPPONA Dea equarum & stabuli fuit. Meminit eius Plutarchus in Parallelis, Apuleius lib. 3. de Asino aureo. Tertullianus in Apologetico, Fulgentius de obscuris vocibus, & alij.

MELLONA mellificationis Dea erat. Idem eodem loco, & Arnobius.

IVGATINVS Deus iugis montium præsidebat.

COLLINA collibus: hæc tamen ab Augustino Collatina dicitur, mendosè, vt puto.

VALLONIA, vallibus. Augustinus.

RVSINA Dea à rure nomen habuit, quia ipsi rura commissa fuerunt. Augustinus lib. 4. c. 8. Hanc Lilius Gyraldus ab aliis Rurinam dici scribit. Huc etiam pertinent Terminus, Pan, Syluanus, & Priapus.

TERMINVS.

TERMINVS Deus, inquit Festus, dictus, quòd in eius tutela essent agrorum fines. Hic secundùm Varronem à T. Tatio consecratus est, secundùm alios à Numa Pompilio. Sic enim Dionys. lib. 2. Vt Romani contenti propriis aliena non concupiscerent, Numa lege cauit, de terminandis prædiis. Cum enim vnumquemque iussisset agrum suum circumscribere, ac in finibus statuere lapides, hoc sacros esse Ioui Terminali voluit, iussítque, vt quotannis stato die res diuina in eo loco in paganorum cœtu fieret, sacrato cum primis nobili festo in honorem Deorum, qui terminis tutelares præsident. Id Romani vocant Terminalia, sicut lapides ipsos terminos, quos nostri, variante vna litera, Termonas: quos si quis transferre ausus fuisset, aut tollere, lege terminali caput eius his Diis deuouit, interfectori ipsius tanquàm sacrilegi impunitate promissa, & puritate à scelere. Nec de priuatorum tantùm agris hoc ius sanxit, verùm etiam de publicis. Hos quoque certis complexus finibus, vt Romanorum agrum à vicinarum vrbium agris terminales Dij discernerent, & priuatum à publico: qui mos ex illo seculo reliquus Romanis religiosè seruatur, etiam nostro tempore. Nam Deos putant terminos, eísque sacra faciunt, non hostias cædentes, quòd nefas sit cruentari hos lapides, sed liba Cerealia, frugúmque afferentes primitias. Hactenus Dionysius. Coluerunt Terminum in Capitolio, vbi cùm Tarquinius Superbus templum amplissimum Ioui Optimo Maximo extruere vellet, & propterea omnium aliorum Deorum ædes exaugurarei, Terminus & Iuuentus ei cedere noluerunt: qua de re Liuius, Dionysius, Ouidius, Augustinus, & multi alij. Et de hac re intelligendum ænigma apud Agell. lib. 11. cap. 6.

Semel, minúsne, an bis minus sit, non sat scio,
An vtrumque horum, vt quondam audiui dicier,
Ioui ipsi regi noluit concedere.

Significatur enim Terminus: & sic explicat Angelus Politianus Miscellaneorum cap. 35.

PAN.

PAN Deus, Mercurij filius, Latinè Iunus dictus, nomen accepit, quòd πᾶν significat omne, quia sub ipso vniuersa rerum natura colatur, siue mundus. Iunus dictus ab eundo passim cum omnibus animalibus. Simulacrum eius caprina facie effingebatur, rubro colore, hirtis cornibus, pectore sideribus radiante, infima sui parte hispida, & caprino pede: altero pede incuruũ, quod eius simulacrum eleganter interpretatur Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 22. & ad rerum naturam transfert. De Pane etiam Silius Italicus libr. 13. Bellorum Punicorum. Antiquissimũ hoc fuit & honoratissimum Arcadum numen, qui cùm in Italiam venissent, sedibus sub colle acceptis & exædificatis more patrio domiciliis, omnium Primum Pani Lycæo templum cõstruunt, Themide iubente, in loco, quem Romani Lupercal nominant, cuius meminerũt Liuius, Iustinus, Plutarchus, & multi alij. Dionysius libr. 1. Erat tum, vt fertur, spelunca sub tumulo magna, denso querceto contecta, & sub petris profundi fonticuli, solúmque rupibus contiguum, nemorosum, & frequentibus ac proceris opacum arboribus. Ibi ara dicata Deo more patrio sacra fecerunt, quæ nostro quoque tempore faciunt Romani mense Februario, post Brumam, nihil mutantes ex ritu pristino. Hæc ille. Plura habemus, vbi de Lupercis, & Lupercalibus dicendum erit.

SYL-

SYLVANVS.

Seruius scribit, Publicam cærimoniarum opinionem hoc habere, Syluanum esse Deum pecorum & agrorum: prudentiores tamen dicere ὑλικὸν θεὸν, hoc est, Deum τῆς ὕλης. Hylem autem esse fæcem omnium elementorum: id est ignem sordidiorem, & aërem: item aquam & terram sordidiorem, vnde cuncta procreentur, quam Græci ὕλην, Latini materiam appellarint, vnde Syluani nomen factum. Et apud Ælianum de Historia animalium, Crathin Sybaritham concubuisse cum capra, & inde natum puerum, qui caprina haberet crura, & humanam faciem, qui fuerit in Deorum numerum relatus, & Syluanus Deus appellatus. Quòd Syluanus infestus fuerit puerperis, August. lib. 6. & 15. de Ciuitate Dei docet, & nos paulo ante meminimus.

PRIAPVS.

IMPVRVS & obscœnus hic Deus fuit, de quo, vt multa dicam, pudor meus non finit, hoc tantum moneo, fuisse ipsum hortorum Deum & custodem, quod ex illo Virgilij Ecloga 7. liquet.

Sinum lactis, & hæc te liba Priape quotannis
Expectare sat est, custos es pauperis horti, &c.

Seruius: Priapus fuit de Lampsaco, ciuitate Hellesponti, de qua pulsus propter virilis membri magnitudinem, post in numerum Deorum receptus, meruit præsidem esse hortorum. Dionysij & Veneris filius fuit, cuius fabulam describunt Apollonij interpretes, Stephanus, Suidas, & alij. Fuit etiam Deus nuptialis, dictus Mutinus, de quo supra. Et de Diis rusticis hactenus.

AD CAP. XX.

PARALIPOMENA.

De Diis Rusticis, Flora, Termino, Siluano, Priapo, nuditate Deorum, eorúmque statuis.

DII rustici agrorum erant præsides, agriculturámque promouere censebantur, horum in numero Flora est, Aurel. Olymp. Nemesian. Eclog. 3.

—das pictas Flora coronas.

Sidon. Apollinar Carm. 11. vers. 115.

Hic spargit calathos, hic flores Flora perennes.

In vrbem recepta ex oraculo Sibyllæ, Anno vrbis conditæ quingentesimo decimo sexto. C. Plin. lib. 18. Nat. histor. cap. 29. exhibitíque illi ludi, quibus, ab ipsa, Floralia, nomen fuit. Volfgang. Lay. Comment. Reip. Rom. lib. 10. cap. 10. celebratáque illa 4. Calend. Maias, vt alios omittam, D. Augustin. lib 6. de Ciuit. Dei cap. 7. Optime. vt solet descripsit vetus Scholiastes Iuuenal. Sat. 6. vers. 249. *Floralis tuba, qua committuntur ludi Florales, in quibus meretrices nudatu corporibus per varias artes ludendi discurrunt, & armis certant gladiatoriis, atque pugnant, hi ludi à Flora meretrice instituti sunt in honorem Floræ deæ, quæ floribus præest, ludi sunt impudici.* Primum itaque est ostendere etiam in ludicris Romanis & fœminas armatas produci consueuisse, puto authorem *esse incertum*, qui P[illegible]bus id factitarit. Statius lib. 1. silu. vlt.

Hos inter fremitus nouósque Luxus,
Spectandi leuis effugit voluptas,
Stat sexus rudis insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles,
Credas ad Tanaim ferúmque Phasin
Thermodontiacas calere turmas.

M. Martial. Amphytr. epigr. 6.

Belliger inuictis quod Mars tibi sæuit in armis,
Non satis est Cæsar, sæuit & ipsa Venus.

Iuuenal. Sat. 1. vers. 23. inter vitia vrbis corruptæ, & ista enumerat, mulieres venationi Circensi adhibitas.

Cum tener vxorem ducat spado, Meuia Thuscum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

Et Sat. 6 vers. 350.

—nisi si quid in illo
Pectore plus agitat, veraeque paratur arenæ.
Quam præstare potest mulier galeata pudorem?
Quæ fugit à sexu, vires amat.

Galeatæ ergo, & armis decretoriis accinctæ, certabant eodem quo gladiatores ritu. L. Senec. lib. 7. Natur. quæst. cap. vlt. *deinde sub persona cum diu trita frons est, transitur ad ganeam.*

Iuuenal. Satyr. 6.

Et quantò galeæ curuetur pondere.

Luctabantur, non modò armis gladiatoriis dimicabant, idem Iuuenalis Sat. 2.

Luctantur paucæ, comedunt colyphia paucæ.

Maximus istius rei vsus sub Domitiano princi-

pe.C.Sueton.in eo. cap. 4. *Venationes gladiatoresque, & noctibus ad Lychnuchos, nec virorum modo pugnas, sed & fœminarum:* Qui tamen illud ad eum referunt authorem, grauiter errant, nam & Titus frater ante illum idem in ludis suis fecerat. *θηρία γυναῖκες οὐ μέντοι ἐπιφανεῖς συγκατειργάσαντο. feras mulieres ignobiles confecerunt.* Dio Cocceian.lib.66.ad finem. Idem denique sub Nerone factitatum, qui vtrumque præcessit im imperio, vt videri possit, frequenter gestum. Sueton. Ner.cap.11. *Ludis, quos pro æternitate imperij susceptos, appellari Maximos voluit, ex vtroque ordine & sexu, ludi eas partes sustinuerunt*, sed insueta, & veluti præter naturam libido, constitutione Seueri Aug. penitus sublata. Io.Xiphilin.in eo. Neque verò mihi persuadeo Romanos primos fuisse, qui cum viris luctari exercerique fœminas voluerint, quippe idem Spartanis in vsu positum. Sext.Propert.lib.3.eleg.13.

Multa tuæ, Sparte, miramur iura palæstræ,
Sed mage virginei munera gymnasij.
Quod non infames exercet corpore laudes,
Inter luctantes nuda puella viros.

At quas infames laudes? an fortè strenuè cum viris luctari, quod probrosum mulieri, atque inde laudem quærere? at potius error subest, & rescribendum. Yuo Villiomar.lib.4. cap.1.in Rob.Titium.

Quod non infames exercet corpore ludos.

Nisi fortè *laudes corpore exerceri*, cum Tibullo l.4. dici posse fateamur. Achill. Stat. Neapolitan.

Laudis & assiduo vigeat certamine miles.

Et de ritu illo palestriç Lacedæmonio, Papin. lib.4.sil.8.

Qualis maternis Helene iam digna palæstris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres.

Sidon. Apollinar. Carm. 9. vers. 184.

Vrbstas Tyndaridis dicasse luctas.

Martial.lib.4.Epigr.55.

—aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras.

P.Ouid.Epist.15.Paris Helenæ.

More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
Ludis, & es nudis fœmina mixta viris.
Quod rapuit laudo.

Sed redeo ad Floralia: in quibus Ædiles fabas, cicer, aliáque similia in vulgus missilia spargebant. Valer.Maxim.lib.2.cap.5. Pseudocornut. in C.Persij Sat.5.vers.175. *ludis Floralibus omnia semina spargebantur in populum vt Tellus velut muneribus suis placaretur*, Persius ipse. *—cicer ingere largè*

Rixanti populo nostra vt Floralia possint
Aprici meminisse senes.

Et quia ipsa Flora meretrix fuisset notissima, meretrices apertis nudatísque pudendis producebantur, cursuræ, saltaturæ. Martial.lib.1. Epigr.3.

Festósque ludos, & licentiam vulgi.

sic eiusdem libri epigr.36.

Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

D.Auson.Edyll.25.

Necnon lasciui Floralia læta theatri,
Quæ spectare volunt, qui voluisse negant.

Committebantur, seu choreæ, seu lusus isti, fœminarúmque nudarum discursus, sono tubæ. Iuuenal. Sat.6.vers.249.

—dignissima certè
Florali matrona tuba.

Nec modo in Floralibus scorta producta, sed & in quibuslibet theatralibus ludis, habebis lib.5.cap.4.

Denique in his non leones, vrsi, elephantes, aut tigrides exhibitæ, aliáque ferocitate aut truculentia nota animalia, sed lepores, Ludouicus Piprus præceptor meus in Maximiliano suo diutno carmine.

Imbelles lepores Floralis præmia campi.

Martial.lib 8.Epigr.67.

Cum modo distulerint rauca vadimonia chartæ,
Et Floralitias lasset arena feras.

Vide Cornelium Vitellium Annotat.cap.22. Cæl.Rhodig.lib.25.ca.30. Antiqu. Lection. Et quod penè omiseram, inter popularia sacra erant Floralia, quæ à toto populo exhibebantur. Adrian. Turneb.lib.30. Aduersarior.cap. 30.ex M.Martiali lib.10.Epigr.41.

Et populare sacrum bis millia dena tulisset.

PARALIPOMENA.

De Termino Deo, statua eius, ritu ei sacrificandi. Lapides arboresque Terminales. Priapus. Siluanus.

INter antiquissimos Romanorum Deos *Terminum* habitum, loquuntur legum Regiarum fragmenta, à viris doctis digesta, & argumento liquido est, nullum Deum prius illo, ex legum præscripto cultum: vide infra lib.4.cap.6. nomen à terminando, finiendóve desumptum Græca origine. Xenoph. lib. de Lacæd.Rep. *τὸ τέρμα τοῦ βίου τὴν κρίσιν προθείς. indicium retulit ad finem vitæ*, pag. 984. Statua illi erecta erat, quadrato lapide, vel stipite dedolato, vncto, coronato. Arno. cont. gent.lib.1.

Venerabar (ô cæcitas) nuper simulachra modo ex fornacibus prompta, incudibus deos, & malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus tænias, si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex oliui vnguine

guine ordinatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar: rescribe mecum, irrigatum, alij legunt, *exornatum*, quibusdam placet, *oliui vngui-e diuatum*, hoc est, *diuum factum*. Idem Arnob. lib. 8. vt aliquæ præferunt editiones, reuera liber ille non Arnobij est, sed M. Minucij Felicis, *vt tum luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane & vnctos, & coronatos*. Clem. Alexandr. l. 7. Stromat. & in Protrept. Lucian. in Charonte. L. Apul. lib. 1. Floridor. *vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus*. & lib. 1. Apolog. *negans se vidisse aut lapidem vnctum, aut ramum coronatum in finibus eius*. Siculus Flacc. lib. 1. de conditionib. agror. *cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, & vnguento, velaminibusque, & coronis eos coronabant*. Plura vide apud Petrum Coluium in Apuleij locum laudatum. L. Sen. Hippolyto. Act. 2. sc. 1.

——nullus in campo sacer
Diuisit agros arbiter populis lapis.

D. Iuuenal. Sat. 16.

Improbus aut campum mihi si vicinus ademit,
Aut sacrum effodit medio de limine saxum.

Aurel. Prudent. lib. 2. in Q. Symmachum.

——vel lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueuerat error
Fasceolis.

T. Lucret. Carus lib. 5.

——velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras.

P. Virgil. lib. 12. Æneid. in fine.

——saxum circumspicit ingens
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte iacebat
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.

Papin. lib. 5. Thebaid. vers. 569.

——rapit ingenti conanime saxum
Quo discretus ager.

Et *terminales lapides* vocauit Ammianus Marcellin. lib. 18. & *arbores terminales* pari sensu lego apud Paulum IC. lib. 5. Receptar. sententiar. tit. 22. & indiscrete *arbores lapidesue terminales* dixere ICti legg. 1. 3 ff. *de Term. moto*. signate Ouid. lib. 2. Fastor.

Termine, siue lapis, siue es defossus in agro
Stipes ab antiquis tu quoque numen habes.

Tibull. lib. 1. Eleg. 1. ex Ouidij imitatione.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Frequentius tamen lapis Terminus erat, idem lib. eod. eleg. 3.

Non domus vlla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arua lapis.

Sext. Propert. lib. 1. eleg. 4.

Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Aut quicunque sacer qualis vbique lapis.

Denique donec plura inferius dicantur, addendus vnicus est M. Aurelij Olympij Nemesiani ex Eclog. 1. locus.

Sub te ruris amor, sub te reuerentia iusti
Floruit, ambiguos signauit terminus agros.

SILVANUS & ipse inter rusticos deos habitus, & matronali pudicitiæ insidiator. D. August. de Ciuit. Dei, l. 15. cap. 22. *quoniam creberrima fama est, multique se expertos, vel ab iis qui experti sunt, de quorum fide dubitandum non est, audiuisse confirmant, Siluanos & Faunos, quos vulgo Incubos vocant improbos sæpè extitisse mulieribus, & earum appetisse ac peregisse concubitum*. Eundem sanè esse Siluanum & Incubum patet ex Glossario veteri, in quo Πάν, δαίμων, *Incubus Siluanus*. Et puerperis statim post partum custos adhibebatur, ne Siluanus per noctem ingrederetur, & iacentem vexaret, & vt id significaretur, constituebatur quidam, qui pilo limen feriret, vt disseruit Diuus August. li. 6. de Ciuit. Dei ca. 9. & notauit Ioan. Meursius Criticar. Exercitat. parte 2. cap. 1. Et ante illum Blond. Flau. Rom. Triumph. lib. 1. Et lib. 2. eiusdem operis pag. 44. Hunc inquam inter numina, quæ agrorum præsidebant cultui, censuerunt locum habere, Iul. Obsequens lib. de Prodig. cap. 8. *silentio noctis ex silua Arsia ingens vox audita, quæ Siluani credita est fuisse*. à Siluis itaque nomen sortitus videtur. Horat. lib. 3. od. 29. dumeta Siluani. P. Virgil. lib. 1. Georg.

Et teneram ab radice ferens Siluane cupressum.

Gratius Cynegetic. in limine.

——Latij cultor qui Faunus amœni,
Manaliusque puer, domitrix Idæa leonum
Mater, & inculto Siluanus termite gaudens.

Itaque suspicor statuam illi positam, manu protensa & cupressu armata, cuius sationem primus inuenit. Martian. Capella lib. 5. Nupt. Merc. & Philolog. in principio.

Tunc primum posita Siluanus forte cupressu
Percitus, ac trepidans dextram tendebat inermem,

Interim corrigendus è Lucilio Locus, corruptissimus apud Nonium Marcellum. cap. 2. num. 314. nam Lucilij verba ibi loci sunt 16. lib. Satyr.

Luporum exactorem Maluanam ac fulguritatem arborum.

Nullo planè sensu, quod vt vidit I. Lipsius. iusserat rescribi, meo iudicio rectissimè.

Luporum exactorem Siluanum, ac fulguritarum arborum.

Q. Horat. lib. Epod. od. 2.

Qua muneretur te Priape, & te pater
Siluane tutor finium.

Scio alios eandem correctionem recepisse, seu excogitasse, inter quos & Adrianus Turneb. lib. 29. Aduersarior. cap. 23 sed alio sensu, vt crederent Siluanum eundem esse cum Marte, in cuius tutela est lupus, animal ferum, & truculentum, & certè M. Cato lib. de Re Rustica fauet cap. 38. cui *Mars Siluanus* dicitur. iam verò lupum Marti sacrum, quis dubitet? Et vt vnico verbo dicam. Grammaticis Siluanus est, πᾶς θεὸς ὑλαῖος, *omnis Deus filuicola.* Sed Siluani mentio in vetustis hisce marmoribus, quorum fragmenta apponam.

SILVANO. SANCTO.
LARVM PHILEMON.
P. SCANTI. ELEVTHERI
D. D.

Alterius hæc sunt verba.

SILVANO. SANCTO. SACRO,
LARVM.
CÆSARIS. N. ET. COLLEGI.
MAGNI. CN. TVRPILIVS. TROPHIMVS. VOTO. SVO. SVSCEPTO.
ARAM. DE SVO. D. D.

Extat & tertij lapidis inscriptio, etiam hic ponenda, vnde iudicium quondam & coniectura esse possit, non tãtum filuestrem Deum fuisse Siluanum, sed etiam domesticum, vnum nempè è Larium numero. sic itaque inscriptio se habet.

SILVANO. SACRVM. SODAL. EIVS. ET. LARVM DONVM. POSVIT. TI. CLAVDIVS. AVG. LIB. FORTVNATVS. A. CVRA. AMICORVM.

Ad sacrificia eius venio: cui inter Romanos tantum, quod sciam, cultus exhibitus fuit, peractaque sacrificia, à viris tantum suscipiebantur. vet. Scholiast. Iuuenal. ad v. 466. Satyr. 9. *Siluano mulieres non licet sacrificare.* Hostia illi primitus, vt rusticum decebat Deum, lac oblatum erat. Q. Horat. lib. 2. epist. 1.

Tellurem Porco Siluanum lacte piabant.

Aut animali hostia, Iuuenal. loco proximè citato.

Cædere Siluano porcum.

PRIAPVS obscænitatis & spurcitiei præses etiam inter deos rusticorum, diuino honore cultus, cuius nomine, nihil aliud quàm pudenda significabant; adeo lasciui *ex pene seu Priapo liberum; dictique illi drillopotæ.* Vet. Scholiast. Iuuenal. Sat. 2. vers. 95.

—vitreo bibit ille Priapo.

Nec rusticum tantum hic numen, sed & marinum, nauigantibúsque præpositus, Leonidas vetus poëta in Antholog. lib. 1. cap. 56. Epigr 4.

τοῦτ᾽ ὁ πρίηπος ἐγὼ ... ὁ λιμένος.

Hæc Priapus ego impero, portubus præfectus.

Et Antipater Sidonius.

[illegible]

Vela laxa textia extendite, hæc Priapus vobis in portu consistentibus puer dico Bacchi. & Marcus Argentarius vetus item Epigrammatographus.

— [illegible]

[illegible]

Hæc tu Priapo credens, omnem tange nauigationem & à Satyro, Thyillo antiquo poëta appellatur λιμενορμίτης, *portuum præses.* & ab eodem, λιμένων δαίμων, *oportunum dæmoni*, de eo Archias illum πέτρου φύλακα, *loci custodem* vocat; & eidem aræ, seu littorali Deo, id est Portumno, aut Neptuno, erigi solebant. Agathias scholasticus.

[illegible]

Portunum præfecti in aris Priapi.

Paulus Silentiarius. πιστὸς ναυσὶ Πρίηπος, *fidelis nauibus Priapus.* Theætetus Scholiasticus, ὁρμοδότῃ Πριήπῳ, *portuum datori Priapo.*

Sed communior poëtarum sententia, hortorum reique rusticæ præsidem faciebat, auctor Priapeior.

Villicus ærari quondam, nunc cultor agelli,
Hæc tibi perspectus templa Priape dico.

In aliis editionibus.

Ærari quondam custos nunc cultor agelli.

sed paruum interesse existimo. Pertius lib. 4. Antholog. cap. 12. Epigr. 88. λαχάνων φύλακα, *olerum custodem efficit.* Lucian. [illegible] φύλακα, *aridorum palmitum custodem.* Argentarius φυλακὴν σύκων ἔχων, *custodiam ficuum habens,* Antistius, φυτῶν ῥύστωρ, *frutices seruans.*

Eius statua expressa est ab Apollonida, egregiè in hæc verba.

[illegible]

[illegible]

Posuit Anaxagoras me non erectum pedibus? Priapum, in terra vtroque genu inclinantem. Super qua re nihil est, quod notari debeat, nisi nudum eum, vt & omnes alios Amoris deos,

depingi

depingi solitum. Auctor. Priapeiorum.

Talia cumque puer dominus florentis agelli
Imposuit mensæ nude Priape tuæ.

Alb. Tibull lib. 1. eleg. 4.

Quæ tua formosos capit solertia, certè
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.
Nudus & hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æstiui tempora sicca canis.

Amor etiam seu Cupido nudus depingebatur, Philostrat. in Icone eius. & simulachrum *Cupidinis nudi* est apud C. Plinium lib. 36. cap. 5. rationes vide apud Alexandrum problemat. cap. 85. Moschus in Amore fugitiuo, Eidyll. 1.

Γυμνὸς μὲν τόγε σῶμα, νόος δέ οἱ ἐμπεπύκασται.
Nudum corpus habet mentem fallacia velat.

Siue ad verbum, corpore quidem nudus, at mens illi tecta est. Marcullus Tarchaniota in Epigrammatis.

Cur sine veste Deus? simplex puer odit opertum.

Sext. Propert. lib. 1. eleg. 3.

Crede mihi, non vlla tuæ m dicina figuræ est,
Nudus Amor formæ non amat artificem.

Venus itidem sine vlla veste depicta. Lucian. lib. cui titulum fecit ἔρωτες, *Amores*. Vide quę superius dixi Reg. 8. de Venere Anadyomene. Arnobius lib. 6. *ad libidinem concitas Venus nuda*: & paucis interiectis. *Venus nuda, & aperta depingitur, ac si dicas illam publicare ac diuendere meritorij corporis formam.* L. Apull. li. 16 Milesiar. *qualis Venus, cum virgo fuit, nudo & intecto corpore.* M. Martial. lib. 8. Epigr. 1.

Nuda recede Venus.

P. Ouid. lib. 1. Amor. eleg. 14. *nuda Dione.* Epist. Didus ad Æneam.

—— quia mater Amorum.
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

lib. 3. de Arte Amandi.

Nuda Venus madidas exprimit arte comas.

Sidon. Apollinar. Carm. 5.

Nuda Venus, fœcunda Pales, pharetrata Diana,
Iuno grauis, prudens Pallas, turrita Cybelle.

Ratio est, *quod crimen celari non possit.* Fulgent. lib. 2. Mytholog. *Vel quod effrenata voluptas nanes & nudos dimittat.* altercatio Hadriani & Epicteti.

Quare nuda Venus? nudi pinguntur Amores?
Nuda quibus placeat nudos dimittat, oportet.

Bassianus Aug. *nouercam nudam videns, in vxorem duxit.* Æl. Spartian. in eo. D. Ambros. lib. 3. de virginib. *an quicquam est tam pronum ad libidines, quam inconditis motibus, ea quæ vel Natura abscondit, vel disciplina velauit, membrorum operta nudari?* Propert. lib. 2. eleg. 15.

Nam modo nudatis mecum est luctata capillis,
Interdum tunica duxit operta moram.

Cæl. Rhodigin. lib. 4. Antiquar. Lection. cap. 7. exponit eodem sensu illud eiusdem poëtæ lib. 2. eleg. 9.

Cantabant surdo, nudabant pectora cæco.

Martial. lib. 11. epigr. 105.

At mihi nuda satis nulla puella placet.

D. Auson. Epigr. 38.

Nec his cincta Diana placet, nec nuda Cythere,
Illa voluptatis nil habet, hæc nimium.

Et impudica *Mæuia, nuda mamma tenet venabula.*

Iuuenal. Sat. 1. vers. 24. & Messalina Augusta, *nuda* in fornice *stetit* prostituto corpore intrantibus. Sat. 6. vers. 124. & *nudum spumanti labello videris.* Sat. 9. vers. 35. Ouid. lib. 1. Metamorph. Fab. 9.

—— laudat digitosque manusque.
Brachiaque, & nudos media plus parte lacertos.

Et est apud eundem conciliandi amoris, seu veriùs concitandæ libidinis præceptum lib. 3. de Arte.

Pars humeri tamen ima tui, pars ima lacerti
Nuda sit à læua conspicienda manu.

Bene itaque Q. Ennius, & Græcorum & Romanorum mores in gymnasiis reprehendens, qui nudas fœminas, nudosque & formosos adolescentes producebant luctaturos, vt retulit M. Tull. lib. 4. Thusculan. quæstion.

Flagitij principium est nudare inter ciues corpora.

Quæ omnia notissima sunt, & facile tironi sexcenta similia obseruare exempla. Et disquisiuit vir eruditissimus, & literarum bono natus Andreas Tiraquellus in Commentariis suis de legibus Connubialibus, & alij.

CAPVT XXI.

De aliis Deis Miscellaneis.

Restant pauci aliquot Dij, qui in prioribus capitibus locum habere non potuerunt, de quibus hoc capite dicemus.

PAVOR ET PALLOR.

Hos Deos Tullus Hostilius III. Romanorum Rex vouit in prælio contra Fidenates cum Romanis Albani duce Metio Suffecio, Sue, vt multis placet, Fufetio, discess[illegible]

mano, eos non parum turbassent. Ita Liuius lib. 1. Tullus in re trepida XII. vouit Salios fanáque Pallori ac Pauori. Meminit eorum Aurel. Augustinus sæpè, vt libro 6. c. 15. & libro 6. c. 10.

CLOACINA.

Alia hæc est à Venere Cluacina, quemadmodum ex veteribus Scriptoribus docet Ioannes Viues, quem hic libenter sequor. Dicta est Cloacina à cloaca, quòd Romæ in Cloaca magna fuerit effigies eius inuenta, cúmque ignoraretur cuius ea esset, ex loco nomen ei inditum, Cloacináque appellata fuerit. Lactantius. Apud Augustinum Clacacina legitur, quod tamen Ludouicus Viues in Cloacinam mutandum esse contendit. Est igitur hæc Dea à Tarquinio Prisco consecrata. Tertullianus adyta Cloacinæ ludens cùm dicit, Cloacam intelligit, his verbis in libro de Pallio: sed omninò totum Empedoclem in adyta Clacinæ detulisset. Vide & Turnebi Commentarios in Varronem de lingua Latina.

AIVS LOCVTIVS.

Hic Deus à loquendo nomen habet, quòd locutus fuerit, & præmonuerit Romanos de aduentu Gallorum, de quo ita Liuius lib. 5. M. Ceditius de plebe nunciauit Tribunis, se in noua via, vbi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ vocem noctis silentio audiuisse, clariorem humana, quæ magistratibus dici iuberet, Gallos aduentare, id vt fit, propter auctoris humilitatem spretum. Et paulò pòst: Camillo expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuncia cladis ante bellum Gallicum, audita, neglectáque esset, mentio illata, iussúmque & templum in noua via Aio Locutio fieri. Eandem historiam recitat Cicer. lib. 1. de Diuinat. & Plutarch. lib. de Fortuna Rom. in Camillo. Ædes huius Dei à P. Victore ponitur IIX. Vrbis regione: à Cicerone tamen. & M. Terentio Varrone apud Agellium, non ædes, sed ara tantùm ei constructa esse scribitur.

RIDICVLVS, VEL REDICVLVS.

Redicvlvs etiam Deus à Romanis cultus est, cuius extra portam Capenam fanum constructum accepimus. Nam cum secundo bello Punico Vrbem oppugnaturus Annibal accessisset, à Diis iniecto metu recessit. Festus.

TEMPESTAS.

Tempestatis ædes à M. Marcello extra portam Capenam constructa fuit, cùm is liberatus esset à periculo & tempestate, quam passus erat, cùm in Corsicam & Sardiniam nauigaret. Ouidius in Fastis.

FEBRIS.

Colebant veteres quosdam Deos, vt prodessent: quosdam, vt ne obessent, placabant, vti Orbonam, Robigum, Febrem, &c. de Febri Dea ita scribit Val. Maximus: Febrim ad minus nocendum templis colebant, quorum vnum adhuc in Palatio, alterum in arce Marianorum, tertium in summa parte vici Longi, in eáque remedia, quæ corporibus ægrotorum innexa fuerant, deferebatur. Meminit ædium huius Deæ aliquoties Cicero.

FVGIA.

Fugiam existimat Lud. Viues Deam lætitiæ de fugatis hostibus fuisse, ad August. li. 2. ca. 6.

FORNAX.

Fornax dea etiam existimata est, quoniam ante triticum, & eius vsum, far fornacibus torrebatur: vnde est Dea Fornax constituta, cuius meminerunt Festus, Lactantius, & Ouidius in Fastis.

CACIA.

Cacia Dea culta Romæ, quæ Caci soror fuit, vt scribit Lactantius, quæ de furto boum Herculi fecit indicium: vnde etiam sacellum meruit, in quo ei per Virgines Vestales fiebat res sacra, vt Seruius scribit in 8. Æneidos.

VICEPOTA.

Quæ hæc Dea fuerit incertum. Apud Liuium lib. 2. cum de demolitione ædium Valerij Poplicolæ agit, sic legitur in vulgatis: Delata confestim materia infra Veliam, & vbi nunc vicus publicus est, domus in infimo cliuo ædificata. Vbi pro vicus publicus, Beatus Rhenanus annotat se, in vno veteri libro legisse, vbi nunc Vicæ pocæ est: quod tamen in Viriplacæ mutandum censet. Carolus Sigonius legit, Vbi nunc Vicus publicus est, quemadmodum & apud Plutarchum in Poplicola vertit Xilander, Vbi nunc templum est, & vicus publicus dicitur. Iustus Lipsius li. 2. Epistolicarum quæstionum, epistola 11. legendum apud Liuium arbitratur, Vbi nunc Vicepotæ est templum: & sic Plutarchum etiam emendandum. Quæ autem & qualis ea Dea fuerit, ignorare se dicit.

Meminit & Minvcii Dei Festus, sed qualis is fuerit, non exprimit. Hæc enim sunt ipsius verba:

verba: Minucia porta est, eò quòd proxima esset sacello Minuci. Paulus Festi abbreuiator: Minucia porta Romæ est dicta, ab ara Minuci, quem Deum putabant.

Fuit & VOLTVRNVS Deus, cuius Festus his verbis meminit: Volturnia Volturno Deo sua sacra faciebant, cuius Sarcedotem Volturnalem vocabant.

Foribus tres Deos præficiebant, Forculum, Cardeam, & Limentium: & Forculus quidem foribus dabatur, vt ait August. lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 8 Cardea, Cardini, Limentinus, limini. Cardeam quidem libentiùs Carnam, vocāt, quæ (vt canit Ouid. in 6. Fastor.) ab Iano cōpressa, acceperit, cardinum potestatem, prius Grane nuncupata, deinde per antistichon, Carna.

CAPVT XXII.

De Dijs Peregrinis.

SVPEREST vt adhuc de Dio Fidio, Iside, Osiride, & Serapide dicamus, quos peregrinos Deos appellamus, quod ab aliis gentibus in Vrbem recepti & culti sunt. Quanquam eorum plures fuerunt, de quibus tamen ante occasione sic oblata, egimus.

SANCTVS, VEL DEVS FIDIVS.

SABINORVM hic Deus fuit, à Reatinis plurimum cultus, vbi etiam editus esse putatur: de quo Dionys. Halicarn. lib. 2. hæc scribit. In agro Reatino, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena claro genere prognata, choros ducebat in templo Enyalij, quem Sabini, sicut & Romani, Quirinum nominant: verùm repente diuino furore correpta, choream deseruit, & in sacrarium se cursu proripuit. Deinde à loci genio compressa, vt vulgo visum est, filium edidit, nomine Medium, vel potiùs Dium Fidium cognomine. Is virilem ætatem ingressus, & forma supra hominem fuit, & in re militari longè præcellentissimus est habitus. Cúmque captus esset condendæ Vrbis cupidine, collecta magna manu ex agris finitimis, breui Cures repleuit habitatoribus, vocatas quidam putant à genio, cuius dicebatur filius: aut ab hasta, sicut malunt alij. Cures enim Sabini hastas nominant. Ita Terentius Varro scriptum reliquit. Paulò post Dionysius refert ex P. Catone, Dium illum Fidium, Sabum alio nomine dictum fuisse, quem Sabini coluerint.

Aedes Dij Fidij in Vrbe dedicata est à Sp. Posthumio Consule, anno vrbis CCXXXVII. nonis Iuniis in loco Bellonæ, locata ab vltimo Regum Tarquinio, non tamen ab illo consecrata. Dionys. lib. 9. qui etiam addit, eo demùm anno ex S. C. ædem hanc à Posthumio dedicatam esse, probari eius ædis inscriptione.

ISIS.

Hanc Diodor. Sicul li. 1. Rer. antiquar. filiam Saturni & Rheæ Osiridis sororem atque vxorem fuisse, & eandem cum Cerere esse scribit. Quæ prima inuenerit triticum & hordeum, hominibus priùs incognita. Leges quoque statuerit, quibus iustitia æquè omnibus seruaretur, vi, atque iniuria timore pœnæ sublatis: qua de causa à Priscis Isis Legifera appelletur, tanquàm prima legum inuentrix. Paulò post scribit, hanc Deam à nonnullis Isidem, ab aliis Cererem, Thesmophoram, Lunam, Iunonem, ab aliis alio nomine appellari. Subiicit etiam inscriptionem columnæ eius, quæ talis est: Ego Isis sum Aegypti regina, à Mercurio erudita. Quæ ego legibus statui, nullus soluet. Ego sum prima frugum inuentrix. Ego sum Ori Regis mater. Ego sum in astro Canis refulgens. Mihi Bubastia vrbs condita est, Gaude, gaude Aegypte, quæ me nutristi. Hæc & plura alia Diodorus Siculus, quæ apud ipsum potius leges. Non pauciora, imò plura etiam sunt apud Plutarch. in libello de Iside & Osiride.

Isidis ædes & ædiculæ Romæ multæ fuerunt, vt videre est in descriptione XIV. Vrbis regionum, quam ab Onuphrio Panuinio mutuati, primo libro inseruimus.

OSIRIS ET SERAPIS.

OSIRIS etiam Saturni atque Rheæ filius fuit, Isidis frater & maritus, rex Ægiyp. Hunc & Osiridem dicunt, & Serapidem, Dionysium, Plutonem, Ammonem, & Iouem. Nolo hic prolixè commemorare, quæ plurima à Diodoro Siculo, Plutarcho, & aliis de eo in medium afferuntur, nisi tantùm inscriptionem columnæ eius, quæ apud Diodorum extat talis. Mihi pater Saturnus, Deorum omnium iunior. Sum verò Osiris rex, qui vniuersum peragraui orbem, vsque ad desertos Indorum fines. Ad eos quoq; profectus sum, qui Arcto subiacent, vsque ad Istri fontes. Et iterum alias quoque orbis adij vsque ad mare Oceanum partes. Sum Saturni filius antiquior, germen ex pulchro & oneroso ortu: cui non semen genus fuit. Neq; vllus est in orbe, ad quem non accesserim locus, docens omnes ea, quorum inuentor fui. Hæc & alia plura in columna Osiridis scripta fuisse, Diodorus auctor est.

De Osiride hæc Suidas, quemadmodum ea citata & versa sunt à Ioanne Ludouico Viue, ad

c.5.li.18. August.de Ciuit.Dei.Hunc Deum alij Iouem esse dixerunt,alij Nilum,propter modium,quod in capite habet,& cubitum,mensuram aquæ scilicet,alij verò Ioseph.Sunt qui Apim quendam fuisse dicunt hominem locupletem:& regem in Memphide Ægypti vrbe,qui in difficultate annonæ maxima Alexandrinorũ prouentibus eos propriis aluerit.Ideò mortuo téplum est erectum,in quo bos nutriebatur, indicium ferens agricolæ,& notas in colore certas habens:dicitúrque & bos ipse Apis de nomine regis illius.Sepulcrum autem huius Apidis,in quo est eius corpus conditum,Alexandriam translatum est,& à Soro atque Apide composito nomine,vocarunt eum Serapin, posteà dictus est Serapis Hactenus Suidas.Alij alia afferunt, quæ sciens prætereo.Cultus hic Deus postremis temporibus etiam Romæ fuit, pluresque ei ædes & templa extructa sunt,vt ex P.Victoris,& Onuphrij Panuinij descriptionibus xiv.regionum Vrbis,& ex aliis quoque Scriptoribus manifestum est. Verùm de Diis Romanorum, eorúmque ædibus,templis,ædiculis,&c.hactenus.De ministris iam eorum dicemus.

Ad Cap. dvo vltima.

PARALIPOMENA.

De Isidis Deæ cultu,sacris,fano,sacerdotibus,adulteriis in templis,lineis vestibus.

De plerisque istis diis dixi supra hoc opere,& de *Pauore* & *Pallore*, Regione 5.
De *Rediculo*,fusè disserui Regione 1.
De *Fornace*,Cap.13.lib 1.
De *Tempestate* Critici, Turneb.lib.5.Aduers. cap.22.Q.Horat.Epod.od.10.

Libidinosus immolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

Ex D.Augustino,Tertulliano. Firmico Materno & aliis, quam poëtæ *Hiemen* vocant. Virg.lib.3.Æneid.

Nigram Hiemi pecudem.

Et lib.5.Æneid.

Noctém hiemémque ferens.

Valer.Flac.Argonaut lib.1.

Illicitas tentare vias,hiememque mereri.

Stat.lib.3.sil.2.vers.75.

Inque hominem surrexit hiems.

Et lib.6.Thebaid.vers.21.

Seu Tyrrhenam hiemem, seu stagna Ægea lacessant.

Ouid.Epist.7.Didus ad Æneam.

Quo fugis? obstat hiems, hiemis mihi gratia prosit,
Aspice,vt euersus conciset Eurus aquas.

Quanquam non sum ignarus,occultum latére sensum in iis versibus , vt *hiems* Ouinio sit idem quod *sidus hibernum*. Virg.li.4. Æneid.v. 309.*nam maria claudebantur à tertio Eidu um Nouembris vsque ad sextum Eidus Martias.* Flau. Veget.Renat.l 4.de re militari c 39.sed idem inter Græcos Hesiodus prodiderat. Quod nempe illo,vt plerunque, tempore tempestatibus maria infestantur. ob id Eidib. Martiis solemni ritu,littoralibus diis, sacrificiis peractis, nauigia in mare ducebantur , tanquam concessa iam à natura nauigatione.Q.Horat. lib.1.od.4.& interpretes ad illum locum.

Soluitur acris hiems grata vice veris & Fauoni,
Trahuntque siccas machinæ marinas.

De *Sango*,seu *Senco*, seu *Sancto*, dictum etiam à me ad Regionem quintam.

De *Iside* pauca subnecta, non ignarus vulgaria esse omnia, quæ de illa tradenda habeam.extat enim liber Plutarch. *de Iside & Osiride*.Suid.& Lucta.Placid.ad lib.1.vers.265. Theb.& lib.6.Theb. vers.279.quam optime descripsit Papinianus idem lib.3.sil.2.101.

Ipsa Phoronæis quondam stabulata sub antris,
Nunc regina Phari,numenque orientis anheli,
Excipe multisono puppem mareotida sistro.

Idem numen fuisse cum Cerere putât Steph. li.de Vrbib.in *βόρειος*. Tertull. *prima Isis repertas spicas capiti circumtulit*. Tzetzes apud Brod. ad Philippi veteris poëtæ epigr.li.6.Anthol. c.7.Et licet Alexandrini præsertim eam coluerint,vt scripsit Macrob.li.1.Satur.ca.20.tamen à Senatu Romano recepta.Lucan.lib 8.

Nos in templa tua Romana recepimus Isin,
Semideósque canes. lib.9.vers.159.
Euoluam busto iam numen gentibus Isin,

eadémque in Italia ei sacrificia instituta, quæ olim in Ægypto,fusissime L.Apuleius lib.vlt. Milesiar. Et in eius mysteriis,nouem noctib. integris secubabant.Ouid.lib.1.Amor.eleg.8.

Sæpe nega noctem,capitis modo finge dolorem,
Et modo quæ causas præbeat, Isis erit.

Et lib.3.eleg 8.

——Quid in vacuo se cubuisse thoro?

Sext.Propert.lib 2.eleg.33.

Tristia iam redeunt iterum solemnia nobis,
Cynthia iam noctes est operata decem,
Atque vtinam Nilo pereat,quæ sacra repente
Misit matronis Inachis Ausoniis.
Quæ dea tam cupidos toties diuisit amantes,
Quæcunque illa fuit semper amara fuit.

Conqueritur deinde eam in vrbe receptam.

An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis,
Cur tibi tam longa Roma petita via est?

Narrat vetus scholiastes Iuuenal. Sat. 6. v. 524. *Iuno indulsit pellici, & reuersa in suam figuram,recepta est inter deas,& ipsa est dea Isis,inde etiam sacra de Ægypto.* D. Auson.Edyl.25.

Natalem Herculeum,vel rasis Isiaca.

Aliquoties tamen postea; receptis reliquis omnibus gentilibus diis vrbe exacta ista, Pisone & Gabinio Coss. Q. Tertullian. Apolog. cap. 6. sed quandiu Romæ fuit, nulli deorum maiori superstitione, quam ei, litatum, nam maximus honor eius sacerdotibus delatus, summaque dignatio. *M. Volusius ædilis plebis proscriptus assumpto Isiaci habitu per itinera, viasque publicas stipem petens, in Bruti castra peruenit.* Valer. Maxim. lib. 7. cap. 3. tit. 8. & *Domitianus Isiaci habitu velatus, inter sacrificulos vanæ superstitionis latuit.* C. Sueton. cap. 1. hoc ego attribuo reuerentiæ, qua eius mystas prosequebantur Romani.

Templi eius Romę meminere Ælius Spartianus in vita Hadriani Aug. Dionysius Halicarnass. li. hist. Rom. 5. Ælius Lampridius in Seuero. *Isium & Serapium decenter ornauit, additis signis, & Deliacis omnibus, & mysticis.* Iuuenal. Sat. 6.

A Meroe portabit aquas, quas spergat in æde
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ouili.

Quod ille templum prope septa, seu ouile collocat, id est in 9. Regione, vt & in Topographia vrbis apud Onuphrium Panuinium in 5. regione ponit P. Victor. mane aperiebatur. Luc. Apul. lib. 11. *templi matutinas apertiones.* Porphyrius Philosophus Coluio ad eum locum laudatur, quem vide. *In templi huius conspectu*, vt ait Apuleius, siue penetrali, *habitant sacerdotes.* Ruffin. hist. Ecclesiast. lib. 2. cap. 23. veloque à populo secernebantur, alibi dicam. M. Varro de hoc templo audiendus ὄνῳ λύρας.

Non vidisti simulachrum leonis ad Isidem?
Et loco, vbi quondam cum vidissent quadrupedam
Galli.

Certe non longe ab hortis, vt apparet, publicis, nam prostitutæ sæpe eò concedebant, vet. scholiast. Iuuenal. ad vers. 487. Sat. 6. *apud templum* Isidis *lenæ conciliatris, quia in hortis templorum adulteria committuntur.* at ego non in hortis, sed in ipsis ædibus sacris adulteria illiusmodi commissa probabo. Q. Tertullianus Apologet. cap. 15. *in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari. Paulina Saturni vxore in Isidis fano à Mundo violatâ specie leonis, qui Anubis putabatur, sacerdotes omnes in cruces acti, templum solo æquatum sub Tiberio Imperatore,* Ioseph. Antiquit. Iudaic. lib. 18 cap. 4. nec de sola id Romanorum veterum consuetudine, apud Græcos ea inualuit, nam *Menalippus & Comete quod coissent in templo Dianæ, vt nefas expiaretur homines immolati.* Pausan. Achaic. & ex illo Cæl. Rhodigin. lib. 13. Antiquar. lection. cap. 34. poetæ, P. Ouid. lib. 2. Amor eleg. 2. Et lib. 2. Trist.

Quis locus est templis augustior? hæc quoque vitet
In culpam si qua est ingeniosa suam.

Paucis interpositis idem exponens.

Isidis æde sedens, &c.

Et lib. 4. Metamorph. fab. vlt. in fine.

Hanc pelagi rector templo vitiasse Minerua Fertur.

Et lib. 1. de Arte.

Nec fuge Niliacæ Memphitica sacra iuuencæ,
Multas illa facit, quod fuit illa Ioui.

Et Venus grauiter conqueritur ab Hyppomene violatum suum adulterio templum lib. 10. Metamorphos. fab. 11.

Luminis exigui fuerat prope templa recessus,
Speluncæ similis, natiuo pumice tectus,
Relligione sacer prisca, quo multa sacerdos
Lignea contulerat veterum simulachra deorum,
Hunc init, & vetito temerat sacraria probro.
Sacra retorserunt oculos.

Ioan. Iouian. Pontan. insignis, meo iudicio poeta. lib. 1. de Amore coniug.

Templa pudicitiam violant.

Iuuenal. Sat. 6. vers. 488.

——— *Iamque expectatur in hortis,*
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ.

Et Sat. 9. vers. 22. licet. vetus scholiastes, non de templo, sed de statuis, exponat.

——— *Vt repeto, fanum Isidis, aut Ganymedis.*
Pacis, & aduectæ secreta palatia matris,
Et Cereris, (nam quo non prostat fæmina templo?)
Notior Aufidio mæchus celebrare solebas.

Isiaci, quos supra memoraui, sunt Isidis sacerdotes, de quibus M. Martial. lib. 10. epigr. 48.

Nuntiat octauam Phariæ sua turba iuuencæ.

Ad quorum ritus intelligendos, notandum, *suillis & ouillis carnibus abstinere illos solitos ex religionis præscripto,* Herodot. lib. 2. neque *salem cibis adhibebant, ne castitatem violarent.* Plutarch. lib. 5. sympos. cap. 10 *vinum non bibebant, aut certe bene dilutum perparcumque.* Cæl. Rhodig. lib. 5. cap. 12. *caput radebant.* Æl. Lamprid. in Fescennino Nigro. *videmus sacra Isidis ferentem, quibus Commodus adeo deditus fuit, vt & caput raderet, & omnes partes expleret.* Hadrian. Comment. de Coma cap. 2. *papiraceis* [illegible] subie- *calceis vtebantur* Herodot. lib. [illegible]
Ferebāt & hi ipsi [illegible]

ctis humeris. Æl. Lamprid. in Commodo. *sacra Isidis coluit, vt & caput raderet, & Anubim portaret.* L. Apul. lib. 11. Metamorph. *erat & bos omniparentis deæ secundum simulacrum, quod residens humeris suis, præferebat vnus è ministerio beato, gressu gestuoso, ferebatur ab alio cista secretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis, gerebat alius fælici suo gremio summi sui numinis venerandam effigiem.* Cl. Claudian. de 4. Hon. consul. cultissime.

——Sic numina Memphis
In vulgus proferre solet penetralibus exit
Effigies, breuis illa quidem sed plurimus infra
Liniger, imposita suspirans veste sacerdos
Testatur sudore deum, Niliaca sistris
Ripa sonat, variosq; modos Ægyptia ducit
Tibia, submissis admugit cornibus Apis.

Neque verò semper à sacerdotibus effigies Isidis gestabatur, sed & ab asino interdum. L. Apul. lib. 8. Milesiar. *pedes luteis induti* (Isiaci) *calceis, deam serico contectam amiculo mihi* (Apuleio iam in asinum verso) *gerendam imponunt, brachiisque suis humero tenus renudatis, attollentes immanes gladios, ac secures, euantes exiliunt, incitante tibiæ cantu lymphaticum tripudium.* Gabrias fab. 6 siue forte Babrias, qui decem libris Æsopi apologos prosequutus est, vt scripsit Suidas.

ὤμοις ὄνος ποτ' ἦγεν ἀργυροῦν βρέτας
ἐφ' ὅν συναντῶν πᾶς τις αὐτὸν ἐπροσκύνει,
τῦφον δ' ἐπαρθεὶς, μὴ θέλων μένειν ὄνος,
ἤκουσεν, οὐ θεὸς σὺ, τὸν θεὸν δ' ἄγεις.

Id est *humeris asinus gestabat argenteam effigiem, quam vnusquisque recurrens adorabat: superbia vero elatus, nolens manere asinus, audiuit, non es tu deus, sed fers deum.* Versione metrica sic reddidit Gabriel Faernus.

Simulachrum asellus baiulans argenteum,
Cùm id transeuntes flexo adorarent genu,
Sui hoc honoris gratia fieri est ratus,
Iamque insolenti elatus arrogantia,
Nolebat ambulare, donec aspero
Probe dolatus fuste clunes audiit,
O stulte, non es tu deus, sed fers deum.

Andreas Alciat. IC clariss. Emblem. 7.

Isidis effigiem tardus gestabat asellus,
Pando verenda dorso habens mysteria.

Claudian. supra laudatus, *linigeros* vocauit *sacerdotes* Isidis, qui lineis vestibus induebantur, Hadrian. Iun. lib. 4. Animaduersor. cap. 29. cuius rei rationem puto inde deductam, quod illa lini vsum prima mortales docuisset. Martianus Capella lib. 2 de nupt. Merc. & Philolog. *qui primi mortalibus vsum verum, maioraque commoda præstiterunt, vt vitem Dionysius apud Thebas, Osyris apud Ægyptios haustum vini, vsumque comperiens, frumentum Isis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuerunt, eademque Isis lini vsum, sementemque monstrauit.* C. Sueton. Othone. *sacra etiam Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalàm celebrasse.* cap. vlt. poëtæ. M. Lucan. lib. 9. vers. 159. non Isidem at alios quoque Ægyptiorum deos lino velatos eorumque sacerdotes prodidit.

Et tectum lino spargam per vulgus Osyrim.

At communius est frequentiusque de Iside id proditum, præter Apuleium, qui nimius est in eius deæ sacris, pompaque describendis. Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Vt mea votiuas persoluens Delia noctes,
Ante sacras lino tecta fores sedeat.

Non itaque tantum ipsius Isidis mystæ linea induti veste, sed & quæcunque supplicare ei deæ vellent, dispersis promissisque crinibus, qui ritus clade aliqua afflictarum, aut lugentium consueuit, sequitur in eodem Tibullo.

Bisque die resoluta comas, tibi dicere laudes,
Insignis turba debeat in Pharia.

C. Plin. lib. 18. cap. 1. vestes inue (è lino) sacerdotibus Aegyptiis gratissimæ. Iuuenal Sat. 6. vers. 532.

Ergo hic præcipuum, summumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege caluo,
Plangentis populi currit derisor Anubis.

Ouid. lib. 2. Amor. eleg. 2.

Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isin
Quæsieris.

Nonnullæ editiones habent, & hic, & lib. 1. de Arte versu supra citato.

Nec tu Niligenam.

Sed malè, neque enim Isis in Aegypto nata, sed in Græcia, Inachi fluuij filia, vt notum, atque in Aegyptum translata, ob id patronymico vocabulo *Inachis* dicta: Philip. Beroaldus notat. Et lib. 1. Fast. *Inachi lanta.* Florid. Sabin. lib. 3 subsiciuor. cap. 1. abundantissime. Ouidius idem lib. 3. de Arte.

Cum sedeas Pharia sistris operata iuuenca
Quaque suæ comites ire iubentur, eas?

Melius in Codice MS. Herculis Ciofanij.

Cum sedeat Phariæ sacris operata iuuencæ.
Quaque suæ comites ire vetantur, eat?

Hoc est, cum illa sacra factura templi intima & secreta ingreditur penetralia, quò viri non admittuntur. Idem lib. 1. de Ponto eleg. 1.

Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.

Et par mendum irrepsit in lib. 1. Metamorphos. fab. 14. sic enim ille.

Nunc dea Niligena colitur celeberrima turba,

Rescri-

Rescribe, vt antea.

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.

M. Martial lib. 12. Epigr. 29.

Linigeri fugiunt calui sistrataque turba,
Inter adorantes cum stetit Hermogenes.

Sistrum concutiebant sacerdotes ipsius, præter authores laudatos, L. Apul. lib. 2 Milesiar. *miserere per sidera cælestia, & arcana Memphitica, & sistra Pharitica.* Et lib. 11. *sacerdos appropinquat, dextera sistrum præferens.* rationem habes apud Luctatium paulo ante laudatum, Seruium vers. 696. lib. 8 Æneid. *Isis est genius Ægypti, qui per sistri motum, quod gerit in dextra Nili accessus significat & recessus per situlam, quam sinistra retinet, ostendit affluentiam omnium lacunarum: Isis autem lingua Ægyptiorum est terra.* Baptista Pius Annotat. Poster. cap. 40. Virgil. loco laudato.

——*Patrio vocat agmina sistro.*

Valer. Flacc. lib. 4 Argonautic.

Aspide cincta comas, & suaui persona sistro.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Quid tua nunc Isis mihi Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties sistra repulsa manu?

Melius sic, quam antea.

Illa tua toties æra repulsa manu?

Persius Sat. 5. vers. 185.

——*Cum sistro lusca sacerdos.*

Pseudo Cornutus ibi, *sistrum sacerdotes Isidis portant; lusca autem ideo quod nubiles deformes cum maritos non inuenerint, ad ministeria deorum se conferant, forma eius ovalis, & manubriata,* circa oras tintinabula pendentia habens. Ouid. fab. vlt. lib. 9. Metamor. *crepuitque sonabile sistrum.* Adrian. Turneb. lib. 26. Aduersartor. cap. 33. materia illi aurum, argentum, æs. Apul. lib. 11. *æreis & argenteis imò vero aureis sistris argutum tinnitum constrepentes.* M. Lucan. lib. 8. vers. 833.

Semideósque canes & sistra iubentia luctus.

P. Ouid. lib. 3. Amor. eleg. 8.

Quid nos sacra iuuant, quid nunc Ægyptia prosunt
Sistra?

Adscribam alterum ex eodem scriptore locum lib. 9. Metamorph. fab. 12. qui non modo Isidis sacra, sed & pompam totam plene describit.

Inachis ante thorum pompa comitata sacrorum
Aut stetit, aut visa est, inerant lunaria fronti
Cornua, cum spicis nitido flauentibus auro,
Et regale decus, cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variisque coloribus Apis,
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet,
Sistráque erant, nunquamque satis quæsitus Osyris
Plenáque somniferis serpens peregrina venenis.

D. Auson Epist. 25. Paulino.

Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus.

Sistri huius vsus in bellis, eo quippe Amazones pro tuba in expeditionibus vtebantur. Isidor. lib. 2. Etymolog. cap. 21. Sext. Propert. lib. 3. eleg. 10.

Romanámque tubam crepitanti pellere sistro.
Baridos & contis rostra liburna sequi.

Denique D. Iuuenal. Sat. 13. vers. 94.

Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro.

Vet. scholiast. *feriat lumina, etiam cæcum faciat.* nam & excæcare putabatur noxios Isis. Lucil. Antholog. lib. 2. c. 22. epigr. 4.

Ἡν πίθω ἰχθὺν ἀπανῶς, μὴ ἐκ νεφέλης,
τὴν Ἶσιν τέττης, μηδὲ τὸν Ἁρποκράτην,
Μηδ᾽ εἴ τις τυφλοὺς ποιεῖ, θεόν.

Siquidem habes hic item Dionysi, non imprecaeris Isidem huic neque Harpocratem, neque si quis cæcos facit deum, sed iam de aliis agamus.

De Serapide dixi lib. 1. supra in Reg. 3. Et de eodem pulchra apud Ruffinum lib. 2. hic. Eccles. c. 23. *de Serapidis origine diuersa fertur opinio, alij Iouem putant, cuius capiti modius superpositus, vel quia cum mensura, modóque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi. quidam in honorem nostri Ioseph formatum perhibent simulachrum, ob dimensionem frumenti, qui tempore famis subuenit Ægyptiis.* aliud Nymphodorus apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromat. Sed conformia Ruffino sunt, quæ prodit Iulius Firmicus Maternus lib. de Errore profanar. relig. qui tamen fœdissime interpolatus est, & corruptus. *quomodo esurientibus & emantibus frumenta diuiserat, cupitis superposti ue est.* legendum indubie. *quo modio esurientibus & emantibus frumenta diuiserat, capiti ei superpositus est.* sequitur deinde in eadem narratione *huius simulachrum Neogrorum turba custodit,* lege mecum, *Neocororum turba custodit.*

Vide oraculum de potentia Serapidis relatum ab Aurelio Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 20. & ex eo à Petro Crinito honest. discipl. lib 24. cap. 16. Est & apud Apollodorum lib. 2. bibliothec. in principio, *Apyn tyrannica dominatione regnantem, Telxionis ac-*

Telchinis insidijs proditum, excessisse è vita, & mutata nomine pro Api Serapim vocatum. de Api verò legendi Iustinus lib. 1. cap. 9. *Cambyses offensus superstitionibus Ægyptiorum, Apis, cæterorumque deorum ædes dirui iu et.* C. Sueton. in Tito cap. 5. Iul. Solin. cap. 36. & alij passim Ouid. lib. 2. eleg. 13. Amor.

Et comes in pompa corniger Apis eat.

M. Lucan. lib. 9. vers. 157.

Et sacer in Magni tumulos mactabitur Apis.

Stat. Papin. lib. 3. syl. 2. vers. 107.

— Aut quo se gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.

NOBI-

NOBILITATE GENERIS DOCTRINÆ, ATQVE VIRTVTIS EXIMIA SPE,

præcellenti adolescenti Gebhardo à *Meiendorff*, Andreæ, viri nobilissimi, & præstantissimi F.

S. P. D.

TANTA *sunt nobilissimi viri parentis tui in me merita,* GEBHARDE *nobilissime, vt satis prædicare non possim. Referrem vobis libentissime gratias, sed nec vestra fortuna desiderat remunerandi vicem, nec mea suggerit restituendi facultatem. Quod igitur solùm meæ opis est, gratias ago vobis maximas, agámque dum viuam. Atque vt aliquo modo grati animi significationem vobis ostenderem, volui hunc meum tractatum, ex variis & optimis rerum Romanarum Scriptoribus cùm antiquoribus, tum recentioribus collectum, in tuo nomine, nobilissime* GEBHARDE *apparere. Quod meum studium neque parenti tuo, viro nobilissimo, displiciturum, nec tibi ingratum futurum esse mihi planè persuadeo: de parente enim tuo, vt pauca dicam, quomodo molestum ei esse hoc potest, quod ego tibi munus literarium tale, quale à mediocri ingenio, exigua doctrina proficiscitur, offeram, téque publicè compellem, vt vestigiis paternarum virtutum insistas, atque eodem, quo ipse fauore eruditos, & artium optimarum studiosos complectaris? Verè dicitur, artem non habere hostem, nisi ignorantem: ita è contrario, non habet ars fautorem, nisi eum, qui eiusdem gnarus & peritus sit. Cùm igitur parens tuus, vir præstantissimus, in optimarum artium & disciplinarum studio fuerit enutritus, omnes etiam earundem cultores veneratur, & amore complectitur. Non commemorabo singula, sed ea tantum, quæ comperta mihi sunt, recitabo. Cùm in inferioribus literis, quæ viam ad superiores sternunt, tantùm profecisset, vt dignus atque idoneus iudicaretur, qui ad facultatem aliquam certam animum applicaret, Lipsiam missus est, vbi breui in grauissimo Iuris studio tantùm profecit, vt publicè coram vniuerso Candidatorum huius facultatis cœtu de materia non cuiuis facili, aut leui, summa cum laude disputauerit, quemadmodum editæ propositiones testantur. Propter tantam igitur eruditionem & prudentiam, quam multis vigiliis, ac indefesso studio acquisiuerat, multis viris Principibus, imprimis autem Reuerendiss. ac Illustriss. Principi Sigismundo Archiepiscopo Magdeburgensi, & Hallensi gratissimus fuit, ab eiusdem Celsitudine innumerum Consiliariorum cooptatus, & ad maximas & grauissimas deliberationes adhibitus. Propter tantam eruditionem & prudentiam adhuc hodie multi vestri ordinis in grauissimis negotiis & controuersiis ad ipsum tanquam ad Oraculum confugiunt, & consilium petunt, sine quo etiam nunquam dimittuntur. Non enim assidua tantùm lectione librorum de Iure conscriptorum, magnam assecutus est prudentiam, sed eam auxit sedula, & diligenti lectione historiarum, veterum & recentiorum, in quo studio, quemadmodum & Geographiæ, profectò excellit: ad hæc adhibuit etiam longam experientiam. Rerum quoque naturalium & medicarum adeò non est expers, vt de multis cum doctiss. viris possit differere, & de nonnullis grauissimorum in re Medica virorum controuersiis & disputationibus iudicium ferre non contemnendum. Quid de sacrosancta Theologia dicam? In ea enim sic excellet, vt vni huic studio vacasse totum vitæ suæ tempus videatur. Nullus dies abit, quo non aliquid in textu Bibliorum sacrorum legat. Sanctorum virorum scripta ita familiaria sibi fecit, vt sæpe in collationibus non Tomum tantùm & librum, sed paginam etiam citare possit. Ex horum lectione cum*

insignem omnium articulorum fidei cognitionem percepisset, adiecit etiam animum ad considerationem controuersiarum, quæ auctore malo genio in Ecclesia mouebantur. Illa scripta ab vtraque parte de singulis controuersiis edita, tanta diligentia perlegit, vt de omnibus grauissimam sententiam ferre, & ambigentes, cui parti adhærere debeant, erudire optimè, & ex fundamento posit: quam ob causam multi præstantes viri iudicium eius sæpissimè expetierunt, & maximi fecerunt. Sed dies me deficeret, si vellem hic instituere commemorationem virtutum, quæ in eo lucent. Huius igitur tanti viri exemplum, vt semper ob oculos habeas, & omni studio sequaris, te etiam atque etiam hortor. Non desunt tibi paternæ admonitiones, non deest præceptor eruditus, ac fidelis, Magister Ionas Nicolai, amicissimus meus, qui propter pietatem, eruditionem, & in te instituendo fidelitatem, parentibus tuis est charissimus. Non desunt etiam aliæ commoditates. O beatum igitur te tanti viri filium! Beatum etiam parentem, te, si ipsius exemplum secutus fueris, filio! De quo vt minimè dubitem, præclaram mihi spem facit generosa tua indoles, & in parentes pietas, & virtutum amor. Non fallor, haud diu erit, vbi propter animi dotes, & ingenij cultum apud eruditos in summo honore, & apud viros Principes in maxima gratia futurus. Sed longiùs prouehor, quàm institueram. Itaque vt redeam vnde digressus sum, mitto ad te in te mei animi testem hunc de Sacerdotiis Romanorum librum, tenuem quidem illum, sed tamen à studiis tuis non alienum. Si enim Iuris fontes es delibaturus, multùm iuuabit te antiquitatum Romanarum notitia, quorum vestigia in I.C. libris sunt frequentissima, id quod vel ex solius Barnabæ Brissonij I. C. clariss. libris quatuor Selectarum ex Iure Ciuili antiquitatum, & illis, quos de ritibus nuptiarum, & iure connubij scripsit, facilè cognoscitur: vt interdum de aliis taceam. Quòd si quis prætereà ad alios studiosos hinc redibit fructus, est cur læter: sin minus, facultatem, non voluntatem mihi defuisse putabo. Vale, nobilissime Gebhar de, *& parenti tuo patrono, atque Mecœnati meo, matri etiam, & præceptori Magistro Ionæ Nicolai amiciss. meo, plurimam à me salutem. Ratisbonæ Kal. Intercal. anni à nato Christo* 1580.

T. G.

Deditissimus

Ioannes Rosinvs.

ANTI-

ANTIQVITATVM Romanarum.

LIBER TERTIVS.

DE SACERDOTIIS.

NVLLIS vnquàm in terris gens fuit tam fera, quæ absque omni Deorum metu fuerit: sed omnes naturali luce edocti, esse aliquem, qui imperium in vniuersum mundum haberet, & cuius voluntate & nutu omnia gubernarentur, & fierent, elegerunt sibi, quem colerent, eiúsque cultus gratia templa, aras, condiderunt, sacrificia instituerunt, eísque Sacerdotes cærimoniarum & sacrorum peritos præfecerunt: id quod in omnibus omnium gentium historiis videre est. Præter omnes autem alios populos, præcipue Romani fuerunt in Deorum cultu superstitiosissimi, & religiosissimi, vti hactenus vidimus. Quot enim Deos Deásque effinxerunt? quot templa, delubra, fana, arásque iis construxerunt? & vt omnia, quæ ad Deorum cultum pertinent, ritè peragerentur, suos plerísque Diis Sacerdotes instituerunt: his Pontifices præfecerunt, qui reliquos sacrorum omnium rationem edocerent, atque ne qua in re peccaretur, viderent: de quibus nobis hoc libro dicendum est, vt etiam ea in re horrendæ Ethnicorum tenebræ nobis innotescant. Insistemus autem vestigiis L. Fenestellæ, siue, vt iam malunt nonnulli, Dominici Flocci Florentini, Pomponii Læti, Onuphrij Panuinij, & aliorum, qui ante nos de iis sunt commentati, initiúmque à prima Latinorum religione, vnde Romani suam illam hauserunt, sumemus.

CAPVT I.

De prima Latinorum religione.

HOMINES priscos, agrestes, asperos, & more ferarum viuentes, ad mitiorem cultum, vitámque Saturnum, & Ianum, qui in Latio regnarunt, redegisse fama est, cum eos agrorum cultum, & politiorem quandam viuendi rationem docuissent. Ipsis verò, qui hactenus sine vlla religione fuerant, primus Deorum cultum, metúmque iniecit Saturni filius, Faunus, qui lucos sacrauit, templa constituit, & sacrificiorum ius ordinauit. A quo etiam ædes sacræ, fana appellata sunt. Post Faunum, cùm Picus, Latinis, Euander & alij, qui in Latio regnauerunt, nouas semper cærimonias commenti essent, nouissimè Dæmonum cultum maximè in Latio auxit Æneas, sacris Phrygiis in Italiam transportatis. Cuius posteà exemplum secuti cæteri Reges, Albani primùm, deinde Romani, multa & ipsi sacra addidêre, vsque ad Numam, qui cùm omnia in certum ordinem sacra direxisset, diuini apud Romanos iuris conditor creditus est. Qui verò singulis illis sacris præfecti, & qui Sacerdotum ordines, munia, & cærimoniæ fuerint, hoc libro, quantùm fieri poterit, ex veterum monumentis ostendemus.

Caput II.

De Lupercis, Panos Lycæi, vel Iani, Sacerdotibus.

LVperci, quòd Pani Lycæo sacra facerent, sic dicti, Sacerdotes omnium vetustissimi fuerunt, ante vrbem conditam ab Euandro Arcade, Arcadum rege solemni ex Arcadia translato, in monte Palatino instituti, de quibus Dionysius lib. 1. in hunc modum scribit: Arcades, inquit, in colle Palatino firmati, cùm ædificia alia more patrio exornassent, templa quoq; construxère, ac primùm quidem Pani Lycæo, admonente eos Carmenta (est enim apud Arcadas Pan vetustissimus, plurimúmque in honore habitus) loco congruo inuento, quem Romani Lupercal vocant, Græci Lycæum dicunt. Erat enim antiquitùs antrùm magnum sub colle, arbusto denso contectum, & fontes sub petris profundi, adhærénsque rupibus saltus, crebris arboribus, & quidem magnis opacus, vbi ara Deo constructa sacrificia perficiebant, quæ Romani posteà mense Februario peragebant. Et pòst scribit quidam auctor, oportuisse iuuenes Palantium, qui posteà Palatinus mons dictus est, incolentes, sacris peractis ex Lupercali circuire vicum cursu, nudos ipsos succinctos pudenda pellibus immolatorum paulò ante animantium. Hanc enim velut purgationem siue lustrationem quandam incolarum patriam habitam fuisse. Meminerunt horum Sacrorum & Sacerdotum Liuius lib. 1. Iustinus lib 43. Varro lib. 4. de ling. Lat. Sext. Pompeius, Val. Maximus lib. 7. cap. 1. & alij. Plutarchus in Quæstionibus Romanis qu. 68. & in Romulo inquit: Luperci sunt, qui Lupercalibus per lasciuiam discurrentes, pellibus obuios cædunt. Idem alibi: Iugulant capras, tum duos ex genere adolescentes eò sistunt, quorum frontes alij cultro sanguine perfuso pingunt, alij statim lanam lacte madentem admouentes abstergunt: oportet etiam abstersos adolescentes ridere. Deinde incisis in corrigias caprarum pellibus, discurrunt in orbem, & si qui obstant, scuticis cædunt. Mulieres adulta ætate, vltrò se ad verbera offerunt, ratæ eam rem ad fœcunditatem conducere. Proprium ac suum eius celebritatis est, vt Luperci canem immolent. Meminit huius rei & Ouidius, vt alibi notamus. Porrò duo Lupercorum ordines fuerunt, alij Fabiani, alij Quinctiliani, à præpositis suis Fabio, & Quinctilio sic appellati, quorum Fabiani Romuli, Quinctiliani Remi partium fuerunt, Festo & Ouidio testibus. Quibus deinde tertius ordo, vel sodalitas adiecta est, eorum qui Iuliani dicti sunt, quòd in Cæsaris honorem sint instituti. Suetonius in Iulio. Dio. lib. 44. initio. Adrianùs Turnebus Aduersariorum lib. 7. cap. 3. Meminit eorum etiam Cicero in Philippicis.

Ad Cap. II.

Paralipomena.

Lupercalium ritus, qui Arcades, quis Panis cultus.

DE Sacerdotiis Romanorum extat libellus L. Fenestellæ, saltem epigraphe sic præferente, quod non ita se habere, clarum apertúmque cuilibet ex eo, quod *L. Fenestellam* citent, Plinius sæpè, Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 10. Fulgentius lib. 3. Mytholog. in principio, & alij innumeri antiqui scriptores. Cùm tamen is, quisquis est, indignus certè illo nomine, nouitius sit, & nuperus, longeque iis à quibus citatur, posterior, & ipse libello isto laudet, *A Gellium noctium Atticarum scriptorem.* cap. 5. sed non ita pridem prodiit hoc opusculum, æternis tenebris, meo iudicio damnandum, sub nomine cuiusdam Dominici Flocci. Sed ad rem.

Lupercalia explicauerunt, eorúmque ritus Interpretes Iuuenalis ad Satyram 2. vet. scholiast. ad vers. 142. *steriles mulieres februantibus lupercis se offerebant, & ferula verberabantur, hoc homine, qui infra lectum .... multi feminis credit contractus ob fœcunditatē dandam: palmu ideò dicit, quia aut......catomis lætabantur, aut quia manibus vapulant cuncti per ciuitatem, tunc & in folio. si qui post ipsum descenderit, statim concipit.* Nudi transcurrebant Luperci. Aurel. Prudent. in Romano Martyre.

Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos esse monstrat, cùm luperci curritis,
Quem seruulorum non rear vilissimum,
Nudus plateas, si per omnes cursitans
Pulses puellas verbere ictas ludicro?

In aliis editionibus paruo legitur discrimine.

Pulses puellas verbere actas ludicro?

Vt & in C. Petronio. in Ciuilib. *quo mens ista iubet*, aut, vt aliis visum: *quo mens acta iubet.* Idem Prudent. lib. 2. in Symmach.

Inde

Inde lupercales ferulæ; nudíque petuntur
Discursus iuuenum.

Virgil.lib 8.Æneid.

Hinc exultantes Salios, nudósque lupercos.

Sed cùm *pudori consultum* cuperet Augustus princeps, statuit, *ne imberbes inter Lupercos nudi per vrbem cursitarent.* C. Suet.cap.31.& certe non semper nudi, at interdum etiam *pelle caprina accincti.* Vt est apud M. Iunianum Iustinum lib.43.aliquando & *oleo peruncti*, Plutarc. in Antonio.& *subligaculo interdum succincti, quo pudendas corporis partes velarent*, & ob id *cinctuti*, à cinctu appellabantur. Porphyrion Horatij interpres ad artem poëtic.& Ouid.lib.5. Fast.

Semicaper coleris cinctutis Faune lupercis.

Pellibus induebantur itaque, & *pelliceis scuticis* obuias matronas cædebant, vt nomine à crepitu deducto *Crepi* fuerint vocati, vt mirum sit *ferulas* iis à Prudentio supra proxime assignari, nisi forte dicamus, ferulas hasce pellibus etiam & corio tectas:quod & admitti posset.Fest.Pomp.lib.3. *Crepos Romani lupercos dicebant, à crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes: mos enim Romanis in lupercalibus nudos discurrere,& pellibus obuias quasque fœminas ferire.* Iuu.Moderat.

Columella lib.10.Rei Rust.

Cappadocámque premit ferali merse lupercus.

Germanos vocat M.Cicero in Orat. pro Cælio. *fera quædam sodalitus,& plane pastoritia, atque agrestis germanorum Lupercorum. Iulios* eosdem appellat. 2. Philipp. eosque plenissime ibi describit. *Fabiani*, à Fabio quondam dicti iidem, quod ab Adriano Turnebo notatum lib.7.Aduersar.cap.3.& post illum à Marcello Donato Ponzano, Commentarior.cap.76. Sext.Propert.lib.4 eleg.1.

Vellera pellitus setosa mouebat arator,
Vnde licens Fabius sacra Lupercus habet,

Denique & à Quintilio,Quintiliani audiunt ab Ouidio lib.2. Fastor.

Risit,& indoluit Fabios potuisse,Remumque
Vincere Quintilios non potuisse suos.

Fuere hi sacerdotes *Panis* qui Latinis *Faunus* est. *Ἀγροτέρων θεὸς rusticorum deus.* Apollonius Smyrnæus, *ὀρειβάτης, per montes ambulans*, Erycius poeta, *τερπόμενος δόναξι, delectatus fistula.* Alceus de quo quædam non vulgaria subnectam, ac primum *ex adulterio eum susceptum à Mercurio, matre Penelope.* M. Tull.lib.3. de Nat. deor. Iul. Hygin. fabular. cap.224. *Pan Mercurij & Penelopes filius ex mortali factus est immortalis.* id contigisse Mercurio in hircū mutato, ob quam causam & Pan *hircinis pedibus* effingatur. Simonid. Epig.84. lib.4. Antholog. cap.12. Theætetus ibidem loci epigr.85. Auson.Eidyll.3.Mosella v.174. *Capripedes agitat cum læta proteruia Panes.* narrat Herodotus lib.2.Probus Grammaticus ad illud Eclo. 4. Virgilianæ idem docet.

Pan Deus Arcadiæ.

Aliis ex Luciano in Dialogis Deorum, & D. Gregorio Nazianzeno Orat. 1. in Iulianum Aug. obseruatum, addendus Nonnus Panopolita.lib 24.Dionysiac.v.87.

υἷα Πηνελόπης κεραήνα Πᾶνα κομήτην.

Filium Penelopes cornua trahentem Pana comatum.

Quod eò lubentius retuli, vt vulgarem de castitate Penelopes opinionem rescinderem, quam ex fide Homeri notissimæ pudicitiæ, poëtæ penè omnes tradiderunt, at contra historicorum veterum nonnulli impudicissimam fuisse, omnibúsque sui corporis vulgati copiam fecisse, Duris Samius lib.de Agathocle, & Lysander historiæ vetustissimus scriptor. Tzetzes scholiastes, *domestica turpitudine offensum Vlyssem ad Circen rediisse, & à Telemacho filio necatum* prodit ad Lycophronis Alex. cui illa dicitur *βασσάρα πορνεύουσα. Baccha scortans.* aliis placet *Vlyssem, ob admissos procos, cum illa diuortio facto, Lacedæmona concessisse, inde Mantineam, ibique diem extremum clausisse*, quod relatum à Pausania in Arcadic. Et Helen. Acron. *Penelope meretrix fuit, quæ amatores suos pulchritudine sua luxuriosos reddebat.* ad illud Q Horatij lib.1.Epist.2.

Sponsi Penelopes nebulones.

Probatúrque impudicitia ex eo *quod à procis munera acceperit*, quod meretricij animi certissimum est argumentum Homer. lib.18. Odyss. & *mariti sui Vlyssis interfectori nupsit.* ex quo connubio natus Italus Iul.Hygin. fab.c. 127. & ob id ipse Vlysses apud Sabinum poetam in responsoriis Epistolis.

Tot iuuenes inter, tot vina liquentia semper,
Hei mihi! quid credam? pignore casta manes?

P.Ouid.lib.1.de Arte.

Penelopem ipsam perstes modo, tempore vinces.

Et procorum habito delectu, vt fortiori, valentiorique posset concumbere, arcu tentabat singulos. Auctor incertus Priapeiorum carminum.

Penelope vires iuuenum tentabat in arcu,
Qui latus argueret,corneus arcus erat.
Nemo meo melius neruos tendebat Vlysse.

Et est apud IC. Paulum l.3.ff. *si pars hered. petat.* locus diuersitate scripturæ controuersus: *alioquin tradidere non leues authores quinquies quaternos enixam Penelopen*, quæ lectio placuit Fr.Accursio, licet in aliis editionibus, *Peloponnensem*, legatur; in aliis, *Peloponesiam*, denique in nonnullis, *Proconnesiam*, vt & apud C.Plinium lib.7.cap.3.sed parum refert.

Ad *Panem* redeo, quem constat rusticum

deum habitum, vel ex omnibus poetis, de quo intelligi posset locus Prudentij in Romano martyre.

Quid rusticorum monstra detestor deûm?
Faunos, Priapos, fistularum præsides,
Nymphas natantes.

Propterea que *rustica hæc Lupercorum societas & agrestis* à Cicerone vocatur. addendum, & apes, aluearia que in eius tutela fuisse. Zonas poeta Antholog. lib. 1. cap. 60. Epigr. 7.

Ο'ς εμ μελισσεί☉-, Παὶ ὑπαυλί☉-,
Vt apum seruator Pan subaluearius.

Inter *semideos* collocat Placidius ad v. 112. li. 6. Thebaidos Statianæ. *Herculis & Mercurij socium* facit Philodemus Epigrammatographus Antholog lib. 4. cap. 12. Epigr. 86. Et *Echus soni inuentorem* celebrant. Alcæus ideo amore eius captum inducit.

Παῖά με τὸν δυσέρωτα, κὴ ἐξ ὑδάτων φύγεν ἠχώ.
Pana me amorem infœlicem, & ex aquis fugit Echo.

Arabius Scholasticus.

—ἀμέμφε☉- ἄστατον ἠχώ.
Frustratus instabilem Echo.

Denique *Panis oraculum* apud Pisas fuisse loquitur Luctatius Placidius ad v. 479. lib. 3. Thebaid.

—*rusticus accola Pisæ*
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in vmbra,

Et templi idem meminit lib. 3. ad vers. 206.

—*Procul vsque lycæos,*
Partheniosque super saltus.

Vt *luperci* ab arcendis ab ouilibus lupis dicebantur, ita & ipse Pan *Lycæus vocatus*, vel à monte eius nominis, vel ab vrbe Lycæa. Ouid. lib. 2. Fastor.

Quid vetat Arcadiæ dictos de monte lupercos?

Et quia venatores montibus plerumq; gaudent Panem venatus præsidem fecere, Zozimus Thasius lib. 6. Antholog. cap. 15. epigr. 11.

Σοὶ τά δε Πὰν θηρευτὰ ἀνηρτήσαντο συναίμοι
δίκτυα, τεχ θηρῶν δῶρα κυνηγεσίης.
Tibi hæc Pan venator suspenderunt consanguinei retia, trinæ munera venationis. Iulian. Diocles.

δίκτυα σοι τάδε Πὰν ἀνεθήκαμεν οἶκ☉- ἀδελφῶν.
Retia tibi hæc Pan deposuimus domus fratrum.

Satyrius poeta eodem capite.

Θηρευτὴς δολιχὸν τόδε δίκτυον εἵσατο Δᾶμις, τῷ Πανί.

Venator longum hic rete posuit Damis Pani. sed obuia sunt omnia.

Capvt III.

De Cereris Græcæ Sacerdote:

Sacerdotis Græcæ Cereris sæpe fit in Liuio mentio: sed quęnam ea sit, non explicatur: atque haud scio, an ab vllo alio, præterquam à Dionysio lib. 1. eius origo referatur. Is enim de ea in hæc verba scribit: Arcades post occupatum montem Palatinum sibi à Fauno Aboriginum Rege concessum, tum alia templa ædificârunt, tum verò Cereri ædem extruxerunt, & per fœminas Sacerdotes sacra ei fecerunt abstemia, more Græco; additque deinde suo etiam tempore nihil eorum mutatum esse. Plura de ea reperire non licuit.

Capvt IV.

De Potitiis & Pinariis, Herculis Sacerdotibus.

Antiquissimum fuit etiam Potitiorum & Pinariorum sacerdotium, ab ipso scilicet Hercule institutum, de quo Halicarnassæus lib. 1. hæc tradit: Postquam condita Herculi arà ab Euandro fuisset, & sacrificium factum, ferunt incolas regionis (Aborigenes) ab Hercule rogatos, vt quando se vltrò inter Deos recepissent, seruarent honores ipsius perpetuos, quotannis iuuencum indomitum mactantes, & ritu Græco peragentes id sacrificium. Et vt semper libens adesset suis sacris, præfecit illi edoctas prius rituum duas nobiles familias. Hi fuêre Potitij atque Pinarij, penes quas gentes multis seculis durauit cura sacrorum, ita vti ille iuxta Græcorum disciplinam instituerat: Potitiis solis extorum dape vescentibus, à quibus arcebantur Pinarij in communi officio, semper potiorem partem cedentes collegis sacerdotij Potitiis, ea fuit tarditatis mulcta & negligentiæ, quòd iussi manè præsto esse, adesis demum extis ad cæteram dapem venerint. Nunc tamen illorum posteritas non habet curam horum sacrorum, sed operantur eis seruienti ære publico. Hæc Dionysius. Eadem Liuius lib. 1. docet, & Seruius in 8. Æneid. cujus verba cùm

notatu

notatu digna sint, libet adscribere. Is postquam de ara Maxima Herculi constituta verba fecisset, hæc subiungit: Cùm Hercules de suo armento ad sua sacrificia boues dedisset, inuenti sunt duo senes, Pinarius & Potitius: quibus qualiter se coli vellet, ostendit, scilicet, vt mane & vesperi ei sacrificaretur. Perfecto itaque matutino sacrificio: cùm circa Solis occasum essent sacra repetenda, Potitius prior aduenit, Pinarius posteà extis iam redditis. Vnde iratus Hercules, statuit, vt Pinariorum familia tantùm ministra esset, epulantibus Potitiis & complentibus sacra. Vnde etiam Pinarii dicti sunt, ἀπὸ τῆς πείνης, id est, à fame. Nam senem illum Pinarium constat alio nomine esse nuncupatum. Hactenus ille. Porrò addit Liuius, Potitios, qui ab Euandro edocti antistites sacri eius per multas ætates fuerant, postquam tradidissent seruis publicis solenne familiæ ministerium, ad vnum omnes interiisse, id quod factum est, vti ex eodem auctore constat, anno ab vrbe condita CDLXI. Consulibus M. Valerio Maximo, P. Decio Mure. in Censura Appij Claudij, cui postea Cæci cognomen fuit. Sic enim in illius anni historia scribit: Eodem Appio auctore Potitia gens, cuius ad aram Maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, seruos publicos ministerij delegandi causa solemnia eius sacri docuerat. Traditur inde dictum mirabile, & quòd demouendis statu suo sacris religionem facere posset. Cùm duodecim familiæ ea tempestate Potitiorum essent, Puberes ad triginta, omnes intra annum cum stirpe extinctos: nec nomen tantum Potitiorum interiisse, sed Censorem etiam Appium memori Deum ira post aliquot annos luminibus captum. Hæc Liuius lib. 9. quæ etiam habet Valerius Maximus lib. 1. cap. 1.

CAPVT V.

De Regibus.

REGES tam apud Græcos, quàm apud Romanos Sacerdotes fuisse manifestissimum est. Virgilius enim de Rege Deli Anio ita scribit:

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

De Romanis autem Liuius lib. 1. & Dionysius lib. 2. scribunt, Numam, quamuis multa sacerdotia instituisset, ipsum tamen etiam quædam obiisse, ea maxime, quæ postea ad Dialem Flaminem fuerint delata. Eiectis verò Vrbe Regibus Rex Sacrificulus creatus est, qui regia sacrificia curaret, de quo post dicemus.

CAPVT VI.

De Fratribus Arualibus.

FRATRES Aruales, vt scribit Varro lib. 4. de lingu. Lat. dicti sunt, qui sacra publica faciunt, propterea, vt fruges ferant arua, à ferendo, & arueis. Fratres Aruales dicti, quia Fratria dixerunt. Eorum institutionem & originem tradit apud Agel. li. 6. ca. 7. Massurius Sabinus in 1. Memorab. Accam Laurentiam Romuli nutricem fuisse dicit: eámque mulierem ex XII. filiis maribus vnum morte amisisse, in cuius locum Romulus Accæ Laurentiæ sese filium dederit, séque & cæteros eius filios Fratres Aruales appellarit. Ex eo tempore Collegium mansisse Fratrum Arualium numero XII. cuius sacerdotij insigne sit spicea corona, & albæ infulæ. Eadem Plinius li. 17. c. 2. tradit: vbi inter alia dicit, spiceam coronam, quæ vitta alba colligaretur, & sacerdotio huic pro religiosissimo insigni data esset, primam apud Romanos fuisse coronam. Honorem quoque hunc non nisi vita finiri, & exules etiam captósque comitari. De iis etiam Fabius Fulgentius in lib. 1. de Vocib. antiq. in hunc modum scribit: Acca Laurentia, Romuli nutrix consueuerat pro agris semel in anno sacrificare XII. filius suis sacrificium præcedentibus, vnde cùm vnus mortuus esset, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti se succedere pollicetur: vnde & ritus processit, cùm XII. iam deinceps sacrificare, & Aruales dici fratres, sicut Rotilius Geminus in libris Pontificalibus memorat. Hactenus ille. Fratres Aruales de finibus & terminis motis cognouisse, Iac. Cuiacius I.C. lib. 11. Obseruat. ca. 5. docet ex veteribus glossis, in quibus sic scriptum reperiretur: Aruales sodales οἱ περὶ ὅρων διαγνώσεως δικασταί. Ideò autem Aruales de terminis motis cognouisse arbitratur, quod termini sancti, & inuiolati haberentur, de quibus Iuuenalis,

Improbus aut campum mihi si vicinus ademit,
Aut sacrum effodit medio de limite saxum,
Quòd mea cum vetulo coluis plus annua libo.

Seneca in Hippolyto.

——Nullus in campo sacer
Diuisit agros arbiter populus lapis.

Adrianus tamen Turnebus libro Aduers.21.cap.1. Non sacerdotes illos fratres Aruales de agris & eorum terminis iudicasse, sed iudices, qui de agrorum finibus cognoscerent, mutuatitio nomine, de Fratrum Arualium vocabulo, Aruales Sacerdotes appellatos, scribit. Vtrius sententia sit verior, iudicent eruditi.

Cap. VII.

De LX. *publicis Sacerdotibus.*

De his LX. publicis Sacerdotibus à Romulo institutis Dionys. li.2. scribit, Romulum post conditam vrbem, & multitudinem in Tribus & Curias diuisam, multos addixisse diuino cultui, ita vt in nulla vrbe recens condita ostendi possint tot Sacerdotes & Sacrifici. Nam præter Gentilia sacrificia, inquit, qui publicè pro ciuitate sacra tributim, & curiatim facerent, LX. illo regnante designati sunt, vt Ter. Varro in Antiq. auctor est, vir ætate sua doctissimus. Deinde, quod cum alij temerè plerumque ac inconsideratè Sacerdotes eligant, quidam licitatoribus proponentes hunc honorem, quidam committentes sortibus, ipse neque venalia voluit esse sacerdotia, neque sorti subdita: sed lege sanxit, vt è singulis Curiis legerentur bini, annum ingressi quinquagesimum, qui virtute ac genere præcellerent cæteros, censúmque sufficientem haberent, & integro essent corpore. His non ad certum tempus, sed in omnem vitam eum honorem concessit, immunibus ob ætatem à militia, & propter priuilegium exemptis ab vrbanis negotiis. Hæc ille. Alibi non memini me quicquam de iis legere.

Capvt VIII.

De Auguribus, & eorum Collegio.

Avgvres nomen habent ab auibus, gerendóque, quia per eos auium gestus educuntur, siue ab auium garritu, vnde & augurium. Augurum disciplina vetustissima fuit, à Chaldæis & Græcis vsurpata: maximè autem in Hetruria floruit, vnde ad Latinos & Romanos peruenit. Verum nobis non est propositum eius rei originem hoc loco superstitiosè inuestigare: sed contenti erimus, si quæ apud Romanos circa augures obseruata sunt, habere poterimus. Apud eos igitur primi Augures à Romulo instituti sunt, quia & ipse excellens Augur fuisse constanter asseritur à Dionysio, Liuio, Plutarcho, & aliis. Fuit autem ab eo trium Augurum collegium institutum, ita vt singuli ex singulis Tribubus legerentur, quorum sacerdotium deinde confirmauit Numa. Is enim, vt Dionysius libro secundo scribit, cùm octo genera Sacerdotum instituisset, & illorum omnium religiones & cærimonias octo libris complexus esset, quartum ordinem fecit de cælo signa obseruantium, eáque publica à priuatis discernentium, qui ab vna suæ artis specie Romanis dicti fuerint Augures, Græcis hominibus οἰωνόπολοι, totius diuinatoriæ peritissimi, siue quid è cœlestibus signis, siue terrestribus conijciendum esset. Hactenus Dionysius. His tribus Auguribus deinde vnus additus, IV. Augurum Collegium fecit. Putant nonnulli eum à Seruio Tullio VI. Rom. Rege, cùm in IV. Tribus Vrbem diuisisset, additum reliquis esse: non enim traditur. Illud constat anno ab vrbe condita CDLIV. Qu. Apuleio Pansa, M. Val. Coruo v. Coss. quatuor Augures fuisse, Patritios omnes, quibus vt v. ex plebe adderentur, & IV. Augurum collegium fieret, Q. & Cn. Ogulnij Tribuni plebis ad populum tulerunt, & magnis contentionibus tandem obtinuerunt. Liuius. Tradit Alex. Neapolitanus libro quinto Genial. dier. cap. 19. Cautum fuisse tum Senatusconsulto vt non vltra nouem Collegium excederet, quod quidem apud Liuium non inuenio. Mansit tamen hic numerus vsque ad Dictaturam Sullæ Felicis: quo tempore, vt ex Liuio Florus epitom. lib. 89. tradit, Sulla Augurum Pontificúmque Collegium ampliauit, vt essent XV. Augures, totidémque Pontifices, qui numerus posteà mansit. Nam quod Alexander Neapolitanus refert, additis à Sulla XV. Auguribus, ad XXIV. numerum Collegium auctum fuisse, in eo fallitur, adductus haud dubiè deprauatis Epitomæ Liuianæ exemplaribus. Totus igitur Augurum cœtus Collegium dicebatur, qui inter eos maior erat, & reliquos ætate-

ætate anteibat, iisque præerat, Magister Collegij appellabatur. Et hactenus de Augurum numero: iam qua ratione creati illi sint, videbimus. Primi quidem Augures à Romulo instituti & creati sunt, fortasse Comitiis Curiatis. Posteà verò in more fuit, vt ab Augurum Collegio si qui decessissent, alij crearentur, ea ratione, vt in defuncti locum vnus aliquis à duobus nominaretur, & à toto deinde Collegio expeteretur, & cooptaretur, qui postquam ad sacerdotium admissus erat, mox inauguratus, vt mos erat, captatis auguriis in Collegium admittebatur. Et hic mos per multos annos à Romanis obseruatus fuit, donec anno ab Vrbe condita DCLI. C. Mario III. & L. Aurelio Oreste Consulibus, primus Cn. Domitius Ænobarbus, Tribunus Plebis, Neronis Imperatoris atauus, Pótificibus offensus, quod alium, quàm se, sui patris in locum cooptassent, lege lata, ius Sacerdotum subrogandorum à Collegiis ad populum transtulit, cuius legis meminit Cic. 2. Agraria: vbi tamen dicit, non ad vniuersum populum, sed ad minorem tantùm eius partem selectam. Augurum, sicut & aliorum Sacerdotum, creandorum ius translatum esse, vt qui ab ea factus esset, is à Collegio cooptaretur, & Tributis Comitiis renunciaretur: permissũ etiã ea lege esse dicit, vt absentes possent petere sacerdotia, quod antea nemini licuit. Ea tamen Domitij lege posteà sublata, Sulla Felix rerum potitus sanxit, vt Sacerdotes iidem à Collegiis crearentur, teste Pædiano in Diuinationis Commentario. Sed quemadmodum legem Domitiam abrogauit Sulla, sic legem Sullæ aliquot anni pòst T. Attius Labienus Tribunus plebis abrogauit, Domitiámque restituit, M. Tullio Cicerone, & C. Antonio Coss. anno ab Vrbe condita DCX. Fecit autem hoc auctore C. Cæsare, qui si populus in mandando sacerdotio suffragium ferret, se, qui popularis admodum erat, Pontificem Maximum in demortui Metelli Pij locum creatum iri, non sine causa petebat, quod & factũ est. Rursus, lege Labieni abrogata, ius cooptandorum Sacerdotum à populo ad Collegia retulit post cædem Cæsaris M. Antonius Consul, eo consilio, vt faciliùs ac certius M. Æmilius Lepidus, cuius filio filiam suam collocauerat, Pontifex Maximus in Cæsaris locum subrogaretur. Cæterùm cùm Antonij omnes leges anno sequenti, C. Vibio Pansa, Aul. Hirtio Coss. ex Senatusconsulto abrogatæ essent, quod ex M. Tullij Philippicis, & Dione intelligitur, hæc quoque quam de Sacerdotiis tulerat, fracta est, lexque Domitia restituta. Postea sub Augusto abrogata tertiò lege Domitia, Collegiorum primò, deinde Romanorum Principum arbitrio Pontifices Augures & reliqui Sacerdotes cooptari cœpti. Viguit autem Augurum collegium Romę vsque ad Theodosij senioris Imperatoris tempora.

Porrò Augurum dignitatem non parum declarat, quòd cùm cæteris fere omnibus Sacerdotibus simul ac in iudicium ducti & damnati essent, alium substitui moris fuisset, Augures hac lege immunes essent. Dum enim viuerent, licet maximorum criminum conuicti essent, sacerdotio tamen potiebantur, neq; vnquam priuari poterant: cuius rei Plutarchus in Problematibus Romanis problem 99. tres rationes affert: vel, quòd Romani sacrorum eorum arcana neminem, qui Augur non esset, cognoscere voluerint: vel, quòd cùm qui Augur esset cooptatus, iureiurando adigeretur, Augurum res nemini sese dicturum, priuatum eum posteà factũ, eo sacramento liberum esse voluerint: addit deinde tertiam, quòd Auguris vocabulum non honoris, nec magistratus, sed scientiæ atque artis cuiusdam nomen sit: eamq; ob causam nemini Augurum vim ac facultatem diuinandi vel augurandi detrahi posse, licet appellatio ei detrahatur. Idem auctor Problemate 73. scribit, Augures si vlcera haberent, inaugurandi causa sedere prohiberi, eiúsque rei causam recitat, signum hoc esse, non oportere eos, qui morsum aliquem, vt vlcus, & perturbationem in animo haberent, res diuinas tractare: sed tum Deorum mentem hominibus prodere, cùm & liquido & integro animo essent: vel etiam hanc causam esse putat, cum neque victimam sanandi vlceris causa, quisquam adhibeat, nec auibus vlceratis ad auspicandum vtatur, existimasse Romanos ea multò magis in ipsis Auguribus seruanda esse, vt ad ea quæ à Diis significarentur, puri & integri accederent: cùm vlcus mutilatio quædam & pollutio corporis videatur.

Officium Augurũ fuit, ex auibus vaticinia obseruare, signáque rerum futurarum, & à Diis monita contemplari: si opportunè euolassent, aut sedes idoneas accepissent, obnunciare: de prodigiis, somniis, auguriis, atque oraculis, & portentis responsa dare, tum obseruationes auspiciorum, procurationes, expiationésque, vatum libros, portentorum explanationes, & monita Deorum edicere: si quid ingruente fato casurum foret, & quod salutis auspiciis fieret: Quódve augurium lætum, quódve peculiare esset, quod minas cœlestes, ingruentésque calamitates, aut fatale exitium afferret, præmonere, & vaticinari: quæ omnia comprehenduntur lege Augurali, quæ apud Ciceronem lib. 2. de Legib. extat eiusmodi: Interpretes, inquit, Iouis Optimi Maximi, Publici Augures signis & auspiciis posteà vidento, disciplinam tenento: Sacerdotes vineta, virgetáque, & salutem populi auguranto, quique agent rem duelli, quique populare auspicium, præmonento: ollique obtemperanto: diuorúmque iras prouidento, iisque

parento: cælique fulgura regionibus ratis temperanto: Vrbémque, & agros & templa liberata, & effata habento: quæque augur iniusta, nefasta, vitiosa, dira dixerit, irrita, infectaque sunto: quique non paruerit, capitale esto. Et infra: Ipsique auguriis auspiciisque captandis interesse deberent, eáque notare, ac inspicere & referre: & an egregiè esset litatum, declarare: quibúsque hostiis, & quibus sacris ac supplicationibus, & quæ ad puluinaria tetra prodigia procurarentur, aut expiarentur, enunciare, &c. Hactenus Cicero, qui etiam plura de Augurum dignitate & excellentia, ac differentia inter Augures sui temporis, & priscos illos annotat.

Ad Cap. VIII. et IX. et XI.

PARALIPOMENA.

Augurij dignitas, Inuentio, species, vulturis auspicium, Omina, sternutatio, aurium pulsus, occursus quorundam fugiendus.

QVis primus futura, ex aruspicina, aut augurio, prædicendi author gentibus extiterit, incertum penitus ex veterum scriptis est, & inexploratum, quantumlibet antiquissimum eius artis vsum reperiam, non modò apud Græcos etiam heroicis temporibus, vt de *Melampode* Apollodorus scribit li.2. biblioth. Homer. lib.15. Odyss. *Amphiarao* Iul. Hygin. fab. capp.73 128. Papin. lib.1. Thebaid. vers.399.

Non docte futuri Amphiarae vides.

Sidon. Apoll. nar. Carm. 9. vers. 194.

Nec quos amphiaram, aut Melampus.

Sed & apud Barbaras quasque nationes. Ælian. lib.2. var. hist. cap.31. καὶ λέγουσιν εἶναι θεοὺς, καὶ προνοεῖν ἡμῶν, καὶ προσημαίνειν τὰ μέλλοντα, καὶ διὰ ὀρνίθων, καὶ διὰ συμβόλων, καὶ διὰ σπλάγχνων καὶ δι' ἄλλων τινῶν μαθημάτων, τε καὶ διδαγμάτων, dicunt esse deos & nostri curam gerere, præsignificare futura per aues, signa, vel omina, viscera, & alias quasdam obseruationes atque doctrinas. Ex quo liquet etiam apud barbaros quosque prædictiones hasce in pretio & dignatione fuisse, hanc ad Græcos scientiam manasse tradente *Telegono*, primo eiusdem inuentore, prodidit Suidas in voce οἰωνός.

At *Hetrusci* se authores prædicabant, & à se Romanis concessum diuinandi istiusmodi munus. Claudian. lib.1. Epigrammatum.

Fulmineos soles Hetruria consulat ignes,
Immensúmque nefas fibris exploret aruspex,
Quæ noua portendant ...

Repertorémque extitisse *Tagem* quendam, diffusè M. Tull. lib.2. de Diuinat. Adscribam elegantem, de certitudine & inuentione huius disciplinæ, locum, licèt hominis ethnici, Ammiani Marcellini lib.21. *auguria & auspicia non volucrum arbitrio futura nescientium colliguntur (neque enim hoc vel insipiens quisquam diceret) sed volatus auium dirigit Deus, rostrum sonans, vt præteruolans pinna turbido meatu vel leni, futura præmonstret: amat enim benignitas numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere, quæ impendent: extis item pecudum attenti fatidicis, in species conuersi sueti innumera accidentia sciunt. Cuius disciplinæ Tages nomine quidam monstrator (vt fabulantur) in Hetruriæ partibus emersisse subitò visus è terra.* Ioan. Saresber. manifestè aruspicinam cum auspicio confundit lib.1. Policrat. cap.22. *Aruspicium quoque in extorum inspectione viget, quam artem Tages quidam dicitur inuenisse.* Martian. Capella lib.2. de Nupt. Merc. & Philolog. *Tagis sulcis emicuit, & ritum statim gentis Sypnumque monstrauit.* Concors in hanc rem Latinorum sententia. M. Lucan. lib.1 vers.635 Pharsal.

Sed venient maiora metus, dij visa secundent,
Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages.

P. Ouid. lib.15 fab.47.

Indigenæ dixere Tagen, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

In eadem fabula legitur.

Fatalem glebam motis aspexit in aruis.

Melius, meo iudicio, in MS.

—Mediis aspexit in aruis.

Huius Tagis præcepto asini caput præsepibus affigi solebat ruri, ad arcenda incommoda, ita exponente Ioanne Britannico Sat.11. vers.97. D. Iuuenal.

—Paruis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli.

Iun. Moderat. Columella de Re Rustica lib.10. in hortorum cura.

Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.

Imo, & quod nulli adhuc animaduersum Teges hic scriptis auguralem hanc artem mandauit, nam in voce *Præsegmina*, Furius Fulgentius libello de vocibus antiquis ad Chalcidium citat Tagetem in Aruspicinis, dicentem, *Præsegminibus amputatis.* Et peculiari nomine, disciplinæ Hetruscæ, diuinandi peritia vocantur: quam complexus est Labeo quindecim voluminibus *quæ Tagetis & Bacchetidis* appellabat, eodem

Ful-

Fulgentio inibi auct. in voce *Labeo* sed ad augures venio.

Erant hi summa veneratione, dignitatem ostendit perpetuus, & non nisi cum vita finiendus Magistratus, adeo vt Q. Fabius Maximus sexaginta tribus annis augur fuerit. C. Plin. lib. 7. ca 48. quibus & collegium celebre in vrbe, & honor amplissimus, eo tamen discrimine, vt quidam *minores*, quidam *maiores* dicerentur, nempe ex *Plebe*, aut patriciis electi, siue quod idem est, quidam *priuati* quidam *publici*, vt ex vetusto marmore constat.

M. MARCIO. MEMMIO. FVRIO. BALBVTIO.
CÆCILIANO. PLACIDO. C.V.
PONTIFICI. MAIORI. AVGVRI. PVBLICO. P. R. QVIRITIVM. QVINDECIM. VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORRECTORI. VENETIARVM. ET. HYSTRIÆ. PRÆFECTO.
ANNONÆ. VRBIS. SACRAE. CVM. IVRE. GLADII. COMITI. ORDINIS. PRIMI. COMITI. ORIENTIS. ÆGYPTI ET. MÆSOPOTAMIAE. IVDICI. SACRARVM. COGNITIONVM. TERTIO. IVDICI. ITERVM. EX. DELEGATIONIBVS. SACRIS. PRAEFECTO. PRAETORIO. ET. IVDICI. TERTIO. CONSVLI. ORDINARIO. PATRONO. PRAESTANTISSIMO. REGIO. PATATINA. POSVIT.

Atque hi quidem appellabantur *publici augures populi Romani Quiritium*, ad distinctionem *priuatorum* seu *Imperatoriorum*. nam & Augusti domesticos habebant augures, hoc est, qui pro sua salute excubarent, & auspicia captarent, & puto eadem libidine viuos imperatores Augures habuisse, qua mortuos flamines, vetus Inscriptio.

D. M.
CN. IVLI. CN. FILI. DONATI.
PRISCI. EX. EQVO. PVBLICO.
ADIVTORIS. ARVSPICVM. IMPERATORIS. PONTIFICIS.
ALBANI.

Habuerunt porrò augures collegium Romæ, cuius mentio frequentissima apud historicos. Cicero Orat. 2. Philip. *quod enim ipso me augurum à toto collegio expetitum Cn. Pompeius & Q. Hortensius, neque enim licebat à pluribus nominari.* Et in veteri lapide, cuius verba apponam.

COLLEGIVM. AVGVRVM. AVCTORE. IMPERATORE. CAESARE. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. FILIO. DIVI NERVAE. NEPOTE. TRAIANO. HADRIANO. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. V. COSS. III. PROCVS. TERMINOS. POMERII. RESTITVENDOS. CVRAVIT.

Ad species iam Augurij descendo, quas omnes in quinque signa distribuunt. *ex cælo, volucribus, bipedibus, quadrupedibus, diris.* Blondus Flau. li. 1. Romæ Triumphantis. Andreas Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum lib 5. cap. 19.

Augurium ex fulminibus, quorum procuratio ad bidental, ritúsq; notissimi, & dixi ad principium li. 2. in Eutropium Claudiani, M. Lucan. lib. 7. in fine.

Inclusum Thusco veneratur cespite fulmen:

Aut ex ventis ipsis, quod nescio in vlli notatum hactenus, testatur tamen ex iis captata auguria Luctatius Grammatic. ad v. 665. lib. 3. Thebaid *solent augures ventorum flatibus futura cognoscere.* Ipse Statius ibidem.

——venti que aut aliæ visa
Bellorum proferre diem.

Hinc finxêre Ventos deorum esse nuntios, & vota hominũ precésq; ad eos deferre. Venus illa Ouidiana lib. 10. Metamorphos. fab. 11.

Detulit aura preces ad me non inuida blandas.

Virgil. Eclog. 3.

Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures.

Quæ autem vota irrita cadebant, neque ex animo eueniebant, ea à ventis ad deos non fuisse perlata credebant, sed vel dissipata, vel in longinquam regionem auecta & procul exportari, & quicquid euenire nolebant, aut auersabantur, ventis differri, dissipaíque exorabant, Alb. Tibull lib. 1. eleg. 5 & lib. 3 eleg. 4. apud Adrianum Turnebum lib. 1. Aduersar. cap. 23. Virg. lib. 9. Æneid.

Multa patri portanda dabat mandata, sed Euri
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.

Et lib. 10. Æneid.

——Partem fecit Phœbus voti.
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.

Q. Catull. Epigr. 68. & al j passim.

In vento, & rapida scribere oportet aqua.

Ex auibus verò esse desumpta auguria, auspiciáque, de earum differentiis, speciebus, aut nominibus, nihil hîc dicendum, nisi eas deorum ministras, ab iisdem iussas hominibus mentem suam & voluntatem præsignificare. Ouid. lib. 5. Fast.

——Nam diis vt proximi quæque
Nunc pinna veras, nunc datis ore notas.

Græci hoc diuinandi genus ὀρνιθείαν, οἰωνισμὸν, ὀρνιθοσκοπικὴν, ὀρνιθομαντείαν vocarunt, ac si dicas ex auibus desumpta præsagia, vaticinia ex auibus aut diuinationem captatam. Gaspar Peucerus Commentario de præcipuis

Diuinationum generibus Suidas ex Aristophane.

ὁ δεὶς με θεωρεῖ πλὴν ὁ παρεπτάμενος ὄρνις.

Nemo me consuetur nisi prætervolans auis.

Sil. Italic. lib. 4. Punicor.

—Ni vano cassa volatu
Mentitur supero præpes.

Valer. Flac. lib. 1. Argonautic.

Seu plenum certis interroges aera pennis.

Ennius Annalibus de augurante Romulo, vt refertur à Tullio lib. 1. de diuinat.

Et simul ex alto longe pulcherrima præpes
Læta volanis auis.

In aliis est significantius.

Læua volauit auis.

Læuum enim seu sinistrum, & dextrum in augurali disciplina diligenter obseruabantur, vt omnibus notum. Sidonius Apollinaris Carm. 7.

Si Lyciæ sapiunt sortes, si nostra volatu
Fata loquuntur aues.

Papin. lib. 3. Thebaid. v. 470.

Nam te pernicibus alis
Addere consilium volucrésque implere futuri.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 28.

Et iam Luna negat toties descendere cælo,
Nigráque funestum condidit omen auis.

Nigra auis est inauspicata, augurij infortunatissimi, L. Apul. lib. 1 Milesiar. *fuscis auibus Larissam accessi.* scio aliter in codice Achillis Statij Neapolitani esse.

Nigráque funestum condidit omen anus.

Quod ferri potest, nam anus veneficiis & incantationibus infames celebrat antiquitas, Ouid. lib. 1. Amor. eleg. 8. & dixi alibi in hoc opere.

Romulum obseruato vulturum auspicio vrbem condidisse liquet, vt inde dignitas augurum par censeatur regum honori, & antiquissimum diuinandi ex auibus inspectis auditísque genus intelligatur. M. Varro apud Censorinum de Die Natali cap. 17. colligit ex visis illis vulturibus spatium vrbis duraturæ. M. Lucan. libro septimo Pharsaliæ.

Vulturis vt primum læuo fundata volatu
Romulus infami complenit mœnia luco.

Aurel. Prudent. in Romano Martyre.

Antiquitatem Romulis & Mauortiam
Lupam renarras, primum & omen vulturum.

Sidon. Apollinar. Carm. 7.

Quid rogo bisseno mihi vulturi Thuscus auspex
Portendis?

Et in eodem carmine.

Iam prope fata tui bissenas vulturis alas
Complebant, scis Roma tuos, scis ipsa labores.

Claudian. lib. de Bello Getico.

Tunc reputant annos, interceptóque volatu
Vulturis, incidunt properatis sæcula metis.

Alij quidem auibus obseruatis Romam conditam volunt, sed alias illas ab vulturibus fuisse, quas inter inauspicatas aues numerant, quibus amissio regni Tarquinio significata sit. P. Ouid. libro 5. Fastor. sic Remus ad Faustulum:

Qui modo si volucres habuissem regna iubentes,
In populo potui maximus esse meo.

Propert. lib. 4. eleg. 6.

Quam nisi defendes murorum Romulus augur
Ire palatinas non bene vidit aues.

Ennius de disceptatione inter fratres, referente Cicerone lib. 1. de Diuinat.

Cedunt ter quatuor de cælo corpora sancta
Auium, præpetibus sese pulchrisque locis dant.

Denique rationem istius significationis elegantem lege apud Papinium lib. 3. Thebaid. vers. 483.

Cui tu Dictæe secundas
Impuleris manifestus aues, mirum vnde, sed olim
Hic honor alitibus? superæ seu conditor aulæ
Sic dedit effusum chaos in noua semina texens,
Seu quia mutatæ, nostráque ab origine versis
Corporibus subiere Notos, seu purior axis,
Amotumque nefas, & rarum insistere terris
Vera docent.

Quæ ab animalibus seu occursantibus, ab auguribus, seu mactatis ab aruspicibus duci consueuerint præsagia, aliis dicta, non repeto. ad vltimum genus propero, quod in *Diris* quæ vel *omina*, vel *offensiones*, vel *voces incerto auctore emissæ & auditæ*, aut denique *occursus hominum, aliorúmve animalium minus auspicatorum.*

Omina pro quolibet auspicio augurióque. Propert. supra. Tibull. lib. 1. eleg. 3. *aues dant omina dira.* C. Petron. Satyr.

Fortior omnibus mouit mauortia signa.

Cæsar. i. auguriis. Suet. Ner. cap. 46. *terrebatur euidentibus portentis somniorum, & auspicio-*

spiderum & omnium. Iul. Obsequens cap. 86. *proditum est Gracchum, die quo periit, tristia neglexisse omina.* Luctat. ad lib. 6. Thebaid. vers. 932. *omnia sunt rerum futurarum signa, siue bonarum, siue malarum.*

Tamen strictius sumendum nomen, nam cū Ausonius in Gripho dixit.

—Omina trina.

Non quamlibet diuinandi formam intellexit, sed eam, quæ παλμὸς, πταρμὸς, *salissatio, sternutatio, & tinnitus auris.* Ioseph. Scalig. lib. 1. Ausoniar. lection. cap 16. de auris pulsu, seu tinnitu, vetus poëta. Incerta nominis in poëmat. & Epigrammat. vet.

Garrula quid totis resonas mihi noctibus auris?
Nescio quem dicis nunc meminisse mei.
His quid si quæris? resonant tibi noctib. aures
Et resonant totis. Delia te loquitur.

De *sternutamento* fusius agendum, cuius vetustas etiam ab heroicis temporibus repetenda est, nam *Penelope mala procis ominante, Telemachus sternutat.* Homer. lib. 17. Odyss. in fine, & *Xenophonti concionanti ad milites fælix inde auspicium, vt imperator postea fieret.* lib 6. Et sternutamenta quippiam diuinitatis habere augurabantur, eaque *in Cereris potestate* esse volebant. Suid. in voce σύμβολον. Sed longè dispari ratione Græci quàm Latini illa obseruabant, siquidem hi inter *minima* reponebant. C. Plin. lib. 2. cap. 7. *fulgurum monitus, oraculorum præscita, aruspicum prædicta, atque etiam parua dicta in auguriis, sternutamenta & offensiones pedum.* M. Tull. lib 2. de Diuinat. *quæ si suscipiamus, & pedis offensio nobis, & corrigiæ abruptio, & sternutamenta erunt obseruanda.* at isti summo cultu, imò superstitione persequebantur, adeo vt *sternutantes genu flexo salutarent,* Athen. lib. 2. dipnosoph. cap. 27. & bene precarentur. Ammian.

οὐδ' λέγει Ζεῦ σῶσον, ἐὰν πταρῇ. ὀ γὰρ ἀκούει
τῆς ῥινός, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

Vertit Thomas Morus Angliæ sub Henrico 8. Cancellarius.

Quando Iouem inclamas sternutans, quippe nec audis
Tam procul ab nasus promines aure tuus.

Petron. Satyr. *Gyto collectione spiritus plenus, ita continuo sternutauit, vt grabatum concuteret, ad quem motum Encolpius conuersus saluere Gytona iubet.* L. Apul. lib. 9. Milesiar. *crebras ei sternutationes commouebat, & quod cùm putaret ab ea profectum, solito sermone salutem ei fu rat imprecatus.* Et Themistocle sternutante in sacrificij solennitate peragenda, certa victoriæ argumenta capta sunt, captiuique immolati. Plutarch. in vita eius. Theocrit. Eidyll. 18.

—ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
εἰς Σπάρταν.

Bonus tibi quispiam adsternutauit proficiscenti ad Spartam. Ergo itineris euentus denotatus sternutatione, vt de Tiberio legimus qui *se salutantem grauiter, & tristi animo tulit, cùm sternutasset.* C. Plin. lib. 28. cap. 2. Et in genere, *matutinæ sternutationes infanda ominantur, meridianæ firmi sunt augurij.* Aristotel. Problemat. sect. 33. cap. 11. Ioan. Brodæus doctè ad Antholog. lib. 1. cap. 19. Epigramm. 5. vbi Macedonij Principis habetur versus.

Ἔπταρον ἄγχι τάφοιο.
Sternutabam prope sepulchrum.

Et deinde sequitur omen.

Ἔπταρον εἰς ἀνέμους.
Sternutabam in ventos. hoc est frustra.

Q. Catull. Epigr. 43.

Hoc vt dixit Amor sinistrâ, vt ante
Dextra sternuit approbatione.

In Veneta editione Achillis Statii.

Hoc vt dixit Amor sinistram, vt ante
Dextram sternuit approbationem.

Sed ego censuerim legendum.

Hoc vt dixit Amor sinistram amanti
Dextra sternuit approbationem.

At quàm hoc ineptum, & nullius ponderis, sed friuolæ plenum superstitionis, egregiè Ioan. Saresber. li. 2. de Nugis Curial. ca. 1. *quid enim refert ad consequentiam rerum, si quis semel, aut amplius sternutauerit?* Et tamen efficacissimum id in amore. Aristenæt. lib. 2. Epist. 5. ἰδοὺ μεταξὺ ταῦτα γράφουσα ἐπταρον, ἆρα ὁ νέος μου μέμνηταί μου; *sed ecce hæc dum scribo, iucundissime sternutaui, num forte iuuenis, mea curam eminit mei?*

Sext. Aurel. Propert. lib. 2 Eleg. 3.

Nam tibi nascenti primis mea vita diebus
Aridus argumentum sternuit omen Amor?

Nunc de *offensionibus* dicendum, quæ inde nascebantur, *si exituro limen insonuisset, per hæsisset.* C. Plin. lib. 2. cap. 7. Plutarch. in Demetrio & in Gracchis. Valer. Maxim. lib. 1. cap. 4. de eodem Graccho. C. Sueton. Ner. cap. 19. *ipso profectionis die destitit turbatus simul religione & periculo, nam cum circuitis templis in æde Vestæ resedisset, consurgenti ei primum adhæsit.* Cic. abunde lib 2. de Diuinat. alij notarunt, & apud maximum poëtam, certissimum ducitur Troiæ euertendæ argumentum, quod equus li. 2. Æneid.

—*quater ipso in limine portæ*
Substitit.

Et Proserpina egrediente, præsagium raptus fuit, quod vt ait Claudianus libro 2. de Raptu.

——ter cardine verso
Præsaga sonuere fores.

Ouid. epist. 13. Laodamiæ.

Hunc fateor volui reuocare, animisque ferebar,
Substitit auspicij lingua timore mali:
Cum foribus velles ad Troiam exire paternis
Pes tuus offenso limine signa dedit.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 3.

O quoties ingressus iter, mihi tristitia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem.

Restant vltima omina, *voces incerto authore prolatæ sub tempus nocturnum & occursus.* Et voces quidem perpetuò sinistri augurii: præter Ciceronem lib. 2. de Diuinat. Halicarnassæum lib. 7. in fine, & lib. 8. in fine, Euseb. lib 3. præparat. Euangel. cap. 6. Plutarch. in Themistocle. *& anno vrbis conditæ sexcentesimo decimoseptimo, M. Æmilio, C. Mancino Hostilio Coss in portu Herculis, cùm Mancinus consul conscenderet nauem, petens Numantiam, vox improuiso audita, mane Mancine.* Iul. Obsequens lib. de Prodig. cap. 83. C. Sueton. in Neron. cap. 46. *de Mausolæo sponte foribus patefactis exaudita vox est, nomine eum ciens.* P. Ouid. lib. 15. Metamorphos. Fab. vlt.

Mille locis lachrymauit ebur, cantúsque feruntur
Auditis sanctis, & verba minantia lucis.

Et Epist. 7. Dicûs.

Hinc ego me sensi noto quater ore citari,
Ipse sono tenui dixit Elisa veni.

M. Lucan. lib. 1. Pharsaliæ.

——magnaque per auia voces
Auditæ nemorum.

P. Virgil. lib. 1. Georgic. in fine.

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens, & simulachra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis.

C. Petron. in ciuilibus.

Necnon horrendi nemoris de parte sinistra
Insolitæ voces flamma sonuere sequenti.

Vltima augurij pars in *occursu* posita, cúm nempe negotium aggressuris, iter incœpturis, inauspicata offertur persona. Cuius ritus antiquitatem, ex Luciano demonstrauit apud Græcos inualuisse Brodæus de Romanis. Sueton. in Augusto cap. 83. *pumilos, atque distortos, & omnis generis eiusdem, vt ludibria Naturæ, malique ominis abhorrebat.* simile quippiam de bellorum ciuilium narrat successu L. Florus lib. 4. hist. Rom. cap. 7. M. Tull. Orat. in Vatin. *Cum viderint, tanquam auspicium malum detestantur.* Plut. in Bruto. In hoc genere naturali aliquo defectu insignes continebantur. L. Sen. *sacerdos non integri corporis, quasi mali ominis res vitanda est.* Aut Æthiopes & Mauri, nam occursante sibi Mauro, infaustitatis argumenta duxit Adrianus Augu. adde & Eunuchos occursibus infames habitos, docemur authoritate Claudiani lib. 1. in Eutropium.

——hoc dedecus addidit oris
Luxuriæ Fortuna suæ, cum pallida nudis
Ossibus horrorem dominis præberet imago
Discolor, & macies occursu læderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia mensis,
Aut famulis crimen, aut procedentibus omen.

Huc facit & illud Iuuenalis Sat. 3. vers. 177.

——Cum personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Interim de omine, illud est Ouidianum lib. 1. Fastor.

Omina principiis, inquit, inesse solent.

Et corrigendus Lucanus libro 3. Pharsal. v. 182.

——fuit hæc mensura timoris
Velle putant, quodcunque potest, non omnia festa,
Non ficto lætas voces simulare tumultu,
Vix odisse vocat.

Theodorus Pulmandus existimauit legendum esse, nescio an rectè, in secundo versu,

——non omnia fausta.

Sed indubiè melius, significantiusque.

——Non omina fausta.

Alludit ad morem reuocandi in vrbem Imperatoris, quem cum victore exercitu reducem faustis acclamationib. recipiebant, fausta illi omina apprecantes.

Et vt finem huic de Auguribus, Aruspicibúsque tractatui imponam, obseruo, cum aliis magistratibus posse esse auguratum connexum. Vetus marmor.

PRÆFECT. IVVENT........equo Publico.
ADIECTO. IN. V. DECVR. ORNATO.
MILITIÆ. PRÆF. COH. AFRICÆ.
FLAMINI. VIRBIALI. AVGVRI. ÆDILI. AVGVSTALI. Q. Q. IVVENVM.

Et altera inscriptio vetus apud Aldum Manutium Orthographia, pag. 40. cuius hæc sunt verba.

D. M.
M. ANTONII. ANTII. LVPI. PR. PATRICII.
AVGVRIS. QVÆSTORIS. SODALIS. TITII.
TRIB. MIL. LEG. II. Adiu. PIÆ. FIDEI.
X. VIR. STL. IVDICAN. PRÆFECT. FER.

FER.
Iat. CVIVS. MEMORIÆ. PER. VIM. OPPRESSI. IN. INTEGRVM. SECVNDVM.
AMPLISSIMI. ORDINIS. CONSVLTVM.
RESTITVTA. EST. SEPVLCHRVM. AB. EO. COEPTVM.

Magistratus huius summi & honoratissimi signitas vel ex eo lucet, quod oportuerit primis nascentis Reipublicæ primordiis in Hetruriam mitti duodecim optimatum filios, vt instruerentur auguralis huius disciplinæ initiis, quæ deinde, totius vitæ tempore exercerent. quod abunde ab aliis animaduersum, hic prætermitto.

Capvt IX.

De Auguriis.

Posteaqvam de Auguribus præcedenti capite, quantum potui, non quantùm debui dixi, libet nunc, ipsorum etiam Auguriorum rationem ostendere, non dubitans, quin hæc tractatio præcedens caput mirum in modum sit illustratura. Augurium, quasi auigerium, quòd aues gerunt, vt Seruius, vel vt Festus, ab auium garritu dictum, generaliter vocarunt quoduis omen, quòd vel subitò, & ex improuiso, aut in corporibus nostris perciperetur, aut intra ædes, aut extra domos in itineribus obiiceretur, cuiuscumque esset generis, vel quod ritu aliquo solenni, ratóque prænotatum, cœli regionibus circumspectis, ex auibus peteretur, moneréto; de ignotis & futuris, quæ ars & disciplina coniectorum atq; interpretum signis pensitatis explanabant. Speciatim autem appellatio vsurpata est de eo genere diuinationum, quod ex cantu, volatúque auium, & tripudiis pullorum futura auguraretur, ac præsagiret. Hoc hoc loco de vtroque significato agemus, initium facientes ab auguriorum diuisionib. Auguriorum alia erãt prospera, quæ ex Augurum disciplina censebantur annuere, ac suffragari deliberatis, & spondere successus, rebus motis, aut de consilio Senatus incipiendis, vel sancire decreta de magistratibus aut honoribus distribuendis. Alia aduersa, infausta, & piacularia erant, quæ proposito aduersari, vel abrogare aut improbare latas sententias, & facta decreta de rebus quibuscunque, vel detrectare successus putabantur. Vtrorumque alia oblatiua dicebantur, quæ non poscebantur: alia impetratiua, quæ optata veniebant. Oblatiua nihil adferre, & temere emissa esse, aut sine ratione sua quadam concitatione



prorupisse putabantur, nisi commotos, & velut perculsos animos ita afficerent, vt ad se pertinere assentirentur: si hoc negarent, nihil sese percipere aut experiri eorum, quæ illa pronunciarant, ex Augurum disciplina persuasum habebant, & in potestate nostra positum affirmabant, auspicia non petita amplecti, aut recusare. Impetratiua vero suscitari diuinitùs, & rarò fallere, ex multorum euentuum notatione & collatione, ac sese ipsa asserere, atque explicare obseruatione, constantia, & æqualitate sua putabant. Hæc igitur ritu solenni ab auibus petebantur, vel captabantur, hac, vti accepimus, ratione: Augur capturus auspicia ex arce cælo non turbido, nec procelloso, sed silenti, placido, sereno, & puro aëre lituum sine nodo: hoc est, baculum à summo inflexum in parte, qua robustior est, manu tenebat. Erat insigne augurale, quo cœli regiones describebant, & designabant metas, intra quas se obseruaturos signa constituerant, vt quod dextrum esset, quòdve sinistrum oculis animóque metiri possent. Manu enim hæc spacia, quæ templa vocabantur, definire, & notare, saluis auspiciis non licebat. Verba quibus Augures templa definiebant, vel effabantur, extant apud Varronem, sed miris modis corrupta, quæ vti Ioseph. Scaliger emendauit, hic adscribam. Concipitur templum, inquit Varro, non iisdem verbis vsquequaque: in arce autem sic, TEMPLA. TESQVAQ. INCITA. SVNTO. QVA. AD. EGO. CASTE. LINGVA. NVNCVPAVERO. OLLA. VETER. ARBOR. QVISQVIS. EST. QVAM. ME. SENTIO. DIXISSE. TEMPLVM. TECTVMQ. ESTO. IN. SINISTERVM. OLLA. VETER. ARBOR. QVIDQVID. EST. QVOD. ME. SENTIO. DIXISSE. TEMPLVM. TE-

Lib. 6. de ling. Lat.

CTVMQ.ESTO.IN.DEXTERVM.INTEREA.CONCRETIONE.CONSPITIONE.COR-TVMIONE.VT.EIQ NECTISSVME.SENSI. Hæc Varro ex emendatione Scaligeri. Capta-to igitur prospectu in agros, atque Vrbem, & conuersa facie in ortum, regiones ab Oriente in Occasum terminabat, limite decumano, & cardine ex transuerso signo metato, quòd oculi ferrent quàm longissimè. Ex distinctis regionib. antica in Ortum vergebat, postica à tergo oc-casum, dextera Meridiem, Boream sinistra respiciebat. His peractis cæsa victima longũ præfa-tus carmen, preces effundebat, quibus signa illarum rerum, quas S. P. R. meditabatur, posce-bat: & ne inter precandum fortè titubaret, aut hallucinaretur, vel aliquid omitteret, aliquo præeunte repetebat. Vtebantur autem inter precandum his ferè verbis: *Iouis pater, si mihi es auctor, vrbi populóque Romano Quiritum hæc sana sartáq; esse, vti tu mihi benè sponsis, benèque volueris.*

A precibus considebat velato capite, & duplici amictus toga augurali quæ lina dicta est, vel trabea ex purpura & cocco, defixísque in cœlum oculis, & attentè sollicitéque circum-spectis ac perlustratis cardinibus omnibus expectabat, nunquid alicunde ostenderet sese, & vnde nasceretur ac prodiret: & si obiiceretur auis aliqua, huc ne an illuc volaret, aut prono, o-bliquo, supinóve motu corporis ferretur: quo flecteret, contorqueret, porrigeret, contraheret membra: an hac, vel in illa se parte occultaret: à dextráne, vel sinistra parte canerent oscines. Visis auspiciis surgebat è templo. Non autem satis erat vnum augurium vidisse nisi confir-maretur ex simili. Nam si dissimilia essent posteriora, soluebantur priora. Quod si post acce-ptum augurium ad aquam venisset, inclinatus hauriebat exinde manibus, & fusis precibus vota promittebat, vt visum perseueraret auspicium, quod aquæ interuentu discumbi crede-batur. Seruius.

Porrò Auguriorũ genera erant quinque, ex quib. auspicandis rebus continuandísve, aut ab-rumpendis accommodata præsensio, prænotióq; futurorum euentum peti putabatur. Eorum primùm è cœlo nascebatur: alterũ præbebant aues: tertium pulli, quartum quadrupedes quin-tum diræ mouebant. Ex cœlo tonitura & fulmina auguria dabant in hunc modum. Si aut læ-uum aut impari numero intonuisset, aut si ex ortu emissa fulmina cœli circumactu in eandẽ partem redisssent, quale Syllæ Dictatori oblatum memorant, aut si in exortiuas recurrissent partes: vel si excussa nubibus à terra resiliissent, & crebris in sublimi ignib. fulsissent: aut si ful-gura à sinistra ad dextram emicuissent, prosperos euentus, & summam felicitatem nunciare hæc à Diis putabantur. Non. n. tam aduetus spectabatur fulminum, quàm reditus, siue ab ictu resiliret ignis, siue opere confecto, aut igne consumpto spiritus remearet. Serena tempestate tonuisse, hominésque, aut ædes sacras de cœlo tactas esse, infausti auspicij fuisse, sæpe notatũ est. Si ab Occasu tonitrua increpitassent: aut per Septentrionem in Occasum transcurrissent: aut multiplicati ictus pari desiissent numero, diros euentus, & calamitates portendebant. Sic Marco Crasso, castra, quæ trans Euphratem metatus fuerat, bis icta fulmine cladem, quàm paulò post perpessus est designauêre. Paulo Æmilio ad Amphipolim sacrificanti, fulmen cœ-lo elisum cùm sacra combussisset, regni amissionem denunciauit.

Distinguebantur fulmina & auctoribus, & vsu, ac finibus. Romanì diurna Ioui, nocturna Summano (quem Plutonem dicebant) attribuebant: & ea, quæ solus Iupiter eiacularetur, læ-ta promittere, quæ habito Deorum concilio aduersa minitari putabantur. Cúmque quando
Pli. 2. ca. 52. vel solus, vel communicato consilio Iupiter intonaret, in dubio esset, fulgetrà adorare, & pop-pysmatibus obstrepere, consensum gentium fuisse Plinius notauit.

Plin. lib. 8. cap. 2. Porrò fulminum alia bruta erant, vanáque, quæ nulla ratione naturæ: alia Fatidica, quæ ex alto, statísque de causis, & ex suis venire sideribus censebantur. Horum alia Consi-liaria vocabantur, quæ negotiis cogitatis: alia auctoritatis, quæ decretis ac susceptis iisdem superuenissent: alia status, quæ nec opinantibus coruscassent. Alia item pu-blica, alia priuata notabantur: publica non supra tricesimum, nisi in deductione oppi-dorum: priuata non vltra decimum annum, nisi in sponsalibus aut natali die, auspicata portendebant. Ex iisdem rursus quædam postulatoria sacrorum emendationem exigebant: quædam pestifera, mortem intentabant: quædam monitoria, latentia aperiebant fata; quædã auxiliaria erant: quædam hospitalia seu regalia: quædam peremptalia, quæ fata præcedẽtibus designata fulgetris perimere credebantur. Familiaria prima fiebant, familiam suam cuique adepto, & in totam vitam fatidica habebantur. Cùmque in lucos pollutos crebriora, & quati ac vibrari & traiici fulmina Haruspices notassent, ea vt auerterent, reliquias fulminis cum sa-crificio sepelire, dispersósque ignes in vnum cogere, & tacita prece terra condere solebant in loco, quem Bidental vocabant. Thusci in sedecim cœlum partes diuisêre, prima erat à Septẽ-trionibus ad Æquinoctialem exortum, secunda ad Meridiem, tertia ad æquinoctialem occa-sum, quarta obtinebat quod reliquum est ab occasu ad Septentriones. Has iterum in quater-nas diuiserunt partes, ex quib. octo ab exortu sinistras, totidẽ è contrario appellauêre dextras.

Ex his

è contrario appellauêre dextrás. Ex his maximè dira, quæ in Septentrionem ab Occasu porrigebantur, omninóque multum referebat, vnde venirent fulmina, & quò ferrentur atque excurrerent.

Secundò augurium præbuisse aues diximus. Auium aliæ erant Oscines, aliæ Præpetes. Oscines aues dicebantur, quæ ore canentes faciebant auspicium, vt coruus, cornix, noctua: Præpetes, quæ secundo volatu ante eum, qui auspicabatur, volabant, & auspicium faciebant. *Agel. li. 6. cap. 6.* Et hæc quidem aut superiora tenebant, & præpetes vocabantur: aut inferiora, & inferæ dicebantur. Præpetes autem ideò, quia omnes aues priora petunt volantes. Erant enim aliæ auium differentiæ. Quædam enim dicebantur sinistræ, quæ sinebant aliquid fieri. Quædam funebres, quæ auerso omine impediebant aliquid fieri. Et hæ aut arculæ dicebantur ab arcendo, quòd arcerent, vel vetarent: aut cliuiæ, quia difficilia vocabant cliuia, aut remores à remorando, aut inebræ, & tenebræ, ab inhibendo, quo nomine omne obstaculum intelligebatur, aut alteræ aues, cùm alteræ superuenirent, quæ felici auspicio vitium facerent: aut volsgræ, quæ se vellendo malum auspicium faciebant. *Seruius in 2. Æneid.* Superuacaneæ erant, quæ ex summo acumine vocem emittebant. Ex præpetibus erant aquilæ, vultures, buteones, sanqualis, immusculus, & aliæ. Picus autem Martius, Feronius, Parra, & in oscinibus, & in Præpetibus habebantur.

Aquilæ si dextra parte aduolarent, siue patulis & porrectis perstreperent alis, omen futuri boni certissimum præbebant, Homero teste. Aristander augurio aquilæ traijcientis in hostes, Alexandrum victorem portendit ante conflictum. Cùm Tarquinio Prisco aquila pileum detractum capiti euexisset in sublime, móxque reposuisset, regnum ei ominatum ferunt. *Dionys. lib. 3.* Fœtus aquilarum implumes à vulturibus rostro, pedibúsque à pastu abacti, & raptati, conceptíque cum ipsis nidis, Tarquinio Superbo exilia portenderunt, ac regni amissionem. Iaculum de satellitum manibus rostro extortum & deiectum in profundum ab aquila, Dionysio Syracusano regnum abrogauit, & diras incussit calamitates.

Duodecim vulturem numerus Romulus condentem Vrbem, de tempore durationis monuit. Sæpe tamen vulturem in ædem Iouis, aut Deorum volasse, prodigij loco habitum est. Vultures, corui, & aquilæ si consisent, conflictus & cædes indubias denunciabant. Ciconiæ concordiam ferebant. Ex accipitrum genere Circi nuptias, & rem pecuariam fortunabant. Buteones, quos τριόρχας vocant, à numero testium, & Falcones futuri maximi boni spem certam, si apparuissent, faciebant. Dario conspectu accipitrum, duo paria vulturum vellicantium, spem de regno Persico iniecit, quo coniuratis supplicio affectis, esset potiturus. Milui diri semper, inauspicatique fuêre ominis, sicut & incendiaria auis; Ea quæ sit nec inuenitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur, eam incendiariam esse, quæcumque apparet carbonem ferens ex aris, vel altaribus, alij Spinturnicem eam vocant: sed & hæc ipsa quæ sit, nescitur. *Pli. li. 10. cap. 13.*

¶ Picus Martius, & Luscinia, atque inter ardeolas illa, quam [illegible] vocant, si ad Austrum volatu contenderet, aut Septentrionem, prospera felicia que decernere, & omni periculorum metu soluere existimatum est. *Pli. li. 10. cap. 15.* Pici Martij præcipuè Latio fuerunt in augurijs, à Rege qui nomen huic aui dedit. Cùm in capite Prætoris vrbani L. Tuberonis in foro iura pro tribunali reddentis, Picus sedisset ita placidè, vt manu prehenderetur: responderunt vates, exitium imperio portendi, si dimitteretur, si exanimaretur, Prætori. Ille autem protinus concerpsit, nec multò post prodigium impleuit.

Hirundinum circumuolutationes decubitúsve aut insessus infausti habiti; Earum conspectus Dario in Scythas cum exercitu proficiscenti interitum: consessus vero in Pyrrhi tabernaculo & naue Antonij funestas vtrique clades attulisse creditum fuit.

Columbam augurium designare fœlix Homero placuit. Præposteros aut vespertinos gallorum cantus optimi euentus signa aliqui notauêre. Gallinarum cantus nunquam exauditi, nisi quando dirum aliquid immineret. Corui inauspicæ garrulitatis aues à dextra, vt cornices à sinistra spes non ambiguas: si ab Ortu occinerent clara voce, præsentem felicitatem significabant. Ab Occasu vel læua, si proclamarent, aut glutirent vocem, velut strangulati, exitium apportabant.

Corui discerptos deuorantes pullos, reliquiásque deferentes in nidum, ante Ciuile bellum inter Syllam & Marium, quo plurimo depugnatum est sanguine, visi, & crudelitatem, qua in sua illi sæuierunt viscera portendisse iudicati sunt. Eædem aues Alexandro Babylonem ingressuro, & Ciceroni vitaturo insidias ab Antonio structas, garritu, strepituque ingrato impendens periculum, & ærumnas extremas minitatæ sunt. Bubo funebris, & maximè abominatus, publicis præcipuè auspicijs, noctis monstrum nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu, si in vrbibus, aut omninò in luce visceretur, dirum ostentum præbuit. Cum Sexto

Papellio Istro, & Lucio Pedonio Consulibus cellam Capitolij bubo intrasset: eo anno Nonis Martiis Vrbs lustrata est. Idem factum Luc. Cassio, C. Mario Consulibus, bubone viso. Priuatorum si domibus insedisset, aut si taceret, non semper feralis compertus, vt pote qui Agrippæ captiuo Iudæorum regi, regnum promisisse putabatur.

Bubonis vox audita anno Vrbis DCXIX. & in sequenti exercitus Romani oppressionem ad Numantiam portendisse credita est. Rursus visu non auditus bubo felix omen attulisse, iudicatus est aliquoties.

Noctua si volasset, victoriam nunciare: si sereno cecinisset, turbare aërem: si tempestate occineret, serenare obseruatum est. Hæc cùm in hasta Pyrrhi Regis, contra Argos euntis consedisset, fatum illi, & discrimen extremum portendit, & attulit. Ante Pharsalicam pugnam apes aræ insidentes, & in nauibus conspectæ. Dioni & Pompeio Magno, cladem paulò pòst secutam prænotarunt, idcircò, cùm in Bruti exercitu examen apum procubuisset, Haruspices castra mutare eum iusserunt, ne in hoc loco damni aliquid, & detrimenti acciperet. Cæterarum etiam auium, & insectorum volatus multiplici discrimine in omnia conuersa sunt. Calchas apud Homerum, ex passerum numero, belli Troiani annos auguratur. De tripudio pullorum pòst dicam, capite peculiari.

Ex quadrupedibus lupos, vulpes, capras, iuuencas, asinos, arietes, lepores, mustelas, mures, omina mouisse & auspicia, quæ pedestria dicebantur, compertum est. Lupus si ad dextram cómearet pleno ore, prosperæ & magnæ rei argumentum putabatur. Lupos castra introisse, & laceratis obuiis intactos abiisse, exercitibus cladem portendisse: eosdem, si in foro Romano visi essent, & incolumes euasissent, oppressionem vrbis, aut alia designasse pericula animaduersum est. Romanis coloniam in Libyam ducturis, C. Gracccho Tribuno plebis legem rogante, cùm lupus metas aggeri definitas subruisset, & dissipasset, fecit vt à proposito desisterent. Cerua à lupo fugata, cùm inter duas acies illæsa euasisset, Romanis victoriam addixit. Adeò inauspicatus luporum in Vrbe conspectus habitus est, vt quotiescunque viserentur, siue oppressi insectantium industria interficerentur, siue euaderent, semper Vrbs solemni lustratione expiaretur, qua auerti atque depelli calamitates, quas apportassent lupi, credebantur. Examina apum, quocunque se demisissent polluere, & infortunare locum credita sunt: quare quoties in Vrbe comparuerunt, lustratam Vrbem ex Sibyllinis institutis legimus. Bouem, si loqueretur (quod sæpe compertum est) Vrbem læsi numinis ream peragere, & lustrationem Vrbis exigere censuerunt Romani. Agmina etiam locustarum anxia semper ac sollicita procuratione eorum, quæ ad placanda facerent numina, depulerunt. Mulam gemellos peperisse, aut leonem conspectum, aut ab asino laceratum esse leonem, aut mures derosisse aliquid, tristis, dirique fuit ominis, & magni terroris. Suburbana colubris plena, & equi ab illis depasti, præsagierunt Crœso Lydorum regi, fore, vt regnum ab exteris subigeretur.

Dirarum nomine complector tum ea, quæ in nostris fiunt corporibus, aut iisdem alioquin accidunt insolitè: tum quæ in domibus, agris, itineribus, quocunque modo præter rationem & morem eueniunt, atque obiiciuntur.

Leporem inter eundem transuerso saltu velut diremisse, aut fœtam vulpem, vel prægnantem canem obuiasse, aut serpentem commeantium iter interrupisse, aut procidisse, aut offendisse pedibus, aut laciniam adhæsisse, aut subito constitisse, aut expauisse, vel defecisse viribus absque manifesta causa, aut spectra conspexisse, aut circumfusas, aut scintillantes flammas, aut risus, gemitus, compellationem sui exaudiuisse, & quicquid fuit huiusmodi, infortunata præsagire, & infesta itinera creditum est. Mulieres per itinera ambulantes torquere fusos, aut omninò detectos ferre, spei omnium præcipuéque frugum aduersabatur. Introire in ædes atrum alienum canem, Anguem per impluuium decidere de regulis, infaustum erat vtrumque.

Plin. lib. 28. cap. 4.

Terëtius in Phormione.

Plin. lib. 28. ca. 2.

Mustela conspecta aut serpens, poculum salinúmve euersum, dispersi cineres, oleum effusum, aut mel, si quid à muribus esset corrosum, quod de sua Platonis Politia Cicero annotauit: Si cibus prolaberetur, si incendia nominarentur inter epulas, aut si sub mensas aquæ profunderentur, recedente aliquo ab epulis simul, verri solum, aut bibente conuiua mensam vel repositorium tolli, aut repentè conticescere conuiuium, inauspicatissima erant. Reuocari sternutamento mensas & fercula, inter diras erat. Ita si tigna gemuissent, aut crepassent mensæ, trabésve, dira portendebant.

Vinum effudisse, aut vino vestes inquinasse, bonæ fortunæ signum erat.

Si vibrata salitione insuetum alter oculorum, dexter vel sinister palpitaret: si concuterentur, ac veluti exilirent, aut trepidarent musculi, humeri aut fœmora: si prurire pedes inciperent, si inæquali vibratu cohorrosceret cutis: si tinniret alterutra auris, aut insolitum striderent dentes: si sternutationes pari imparíve numero crebræ vel raræ fierent: si vagis incertísve motibus huc illuc membra iactarentur: si membra obrigescerent subito, velut stupore

pore affecta, aut titubaret, vel insisteret lingua, mali erant ominis.

Voces etiam vel ex occulto missæ, vel responsi instar redditæ, suspiciones sæpe de variis monuerunt euentibus in vtramque partem. Sæpe veridicæ exauditæ voces in rebus turbidis, & tanquam monita Deorum acceptæ sunt, qualem ex luco Vestæ exitisse memorant, non multo ante captam à Gallis Vrbem, vt muri & portæ reficerentur: futurum enim, nisi præstitum hoc, atque effectum esset, vt Vrbs caperetur. Latratus canum eiulantium gemitus imitantes, & noctuarum vlulatus diri semper fuêre ominis. Equos hinnitu alacriore, & ferociore fremitu victoriam ominari prælia inituris, etiam nunc militibus persuasum est.

Cùm maximas vrbs clades perpessa esset, & ancipiti contentione agerent patres, an relicto solo patrio, Veios migrarent: vox Centurionis audita: *Hîc manebimus optimè*, retinuisse in Vrbe ciues, & confirmasse fertur. Hostilio Mancino Consuli Romano, anno Vrbis DCXVII. conscensuro nauem & Numantiam petituro, vox obiecta de improuiso scribitur, *Mane Mancine*: paulò post deuictus ipse, & Numantinis deditus est. Crasso in Parthos ituro, qui Cauneas ficus venales clamabat, omen illud innuit, quo paulò pòst fortunis expoliatus omnibus, famâ, vitâ, & exercitu amissis, interiit. Neronem paucis diebus ante mortem vox è Mausoleo reddita appellauit: Augustum Cæsarem supremo digressu ab Vrbe vox temerè emissa monuit, non ampliùs eum Romæ futurum. Cassio & Bruto prodituris in aciem Æthiops obuius euentum pugnæ præsignauit. Quinetiam ab ouibus & piscibus auguria petebant veteres, vti Plinius & Plutarchus docent. Sed sufficiant ista hoc loco: Plura ex veterum monumentis magna cura & diligentia conquisiuit Alexander Neapolitanus, & eum secutus Gasparus Peucerus in suis doctissimis Commentariis, de Diuinationum generibus, quæ videri & consuli possunt.

Liuius li. 2. Extre.

Capvt X.

De Pullariis, & Tripudiis.

PVLLARII à pullis dicti sunt, teste Cicerone, qui in 2. de Diuinat. sic scribit: Attulit in cauea pullos, qui ex eo nominatur pullarius. Hic caueę pullorum curam agebat, è quorum pastu auguria Augures captare solebant, quæ quoties offa, quæ pullis dabatur, aliquo modo cadebat in solum, tripudia solistima dicebantur. Ita Festus. Puls potissimùm dabatur pullis in auspiciis, quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id est, terripauium. Pauire enim ferire est. Captabantur autem Auguria ex pullis hoc modo. Quotiescunque de inchoanda re quapiam, exequẽdáque, Deorum per pullos sensa, placitaque exploratum ibant (oportebat autem id fieri summo mane, & primo diluculo, imperato de more silentio, pultem illis aut offam caueâ reclusa obiiciebant. Quòd si ad oblatam escam mox pulli è cauea non prosilirent, aut seriùs egressi, vel non attingerent eam, vel alarum planctu dissiparent, vel relicta esca oberrarent, aut occinerent, aut prorsus non vescerentur, vel auolarent penitus, omen præ se ferebant magni terroris, & sollicitudinis, euentúsque tristissimos, & pullarius exitum animo præmetiens, ne quid molirentur, sed vel desisterẽt ab incœpto, vel differrent deliberationes, vel mutarent hoc prorsus, quod præ manibus erat, hortabatur. Quòd si pulli mox proruerent cum impetu, certatimq; in escã inuolarent, & auidè depascerẽtur, ita vt vescentibus illis aliquid ex ore relaberetur, & terram pauiret, quod tripudium faceret solistimũ, inde spe hausta mirifica pullarius, vt cõstanter fortitérq; cœpta negotia vrgerent, iubebat, & successus optatos, ac prospera à Diis omnia spondebat. Caueæ & pullorum hæc icon in antiquis monumẽtis cernitur.



Solebant autem, vt Cic. lib. 2. de Diuinat. ait, in auspiciis apud veteres adhiberi non passim omnes, sed hi tantum qui essent periti. Peritos enim oportebat esse eos, qui quid silentium foret intelligerent. Silentium id in auspiciis dicebatur, quod omni vitio careret. Rogabat hinc Augur, an adhuc silentium esset, respondebat

statim pullarius silentium sibi esse videri. Tum ille, si aues pascerentur, petebat, aut vbi, non, quod ad auspicia pertinet, verùm pascerentur néne pulli, quos pullarius attulisset: sed quia, cùm pascebantur, necesse erat aliquid ex ore decidere, & terram pauire, ex hoc terripauium primò, pòst terripudium, deinde tripudium est dictum. Cùm igitur offa iam ex ore pulli exciderat, tum auspicanti tripudium solistimum nunciabatur. Extabat decretum Collegij Augurum vetus, auem omnem tripudium facere posse. Hunc augurandi modum Claudius 1. bello Punico & 2. Flaminius derisêre. De P. Claudio Valerius Maximus libro 1. cap. 4. sic scribit: P. Claudius bello Punico primo cùm prælium nauale committere vellet, auspiciáque more maiorum petijsset, & pullarius non exire cauea pullos enunciasset, abiici eos in mare iussit, dicens: Quia esse nolunt, bibant. Et L. Iunius P. Claudij collega, neglectis auspicijs classem tempestate amisit. Quorum ille populi iudicio concidit, damnationisque hic ignominiam voluntaria morte præuenit, cuius meminit etiam Polybius libro 1. Cicero lib. 1. & secundo de Diuinatione, & lib. 2. de Natura Deorum. De Flaminio verò Liuius lib. 22. scribit, quòd is, cùm tripudio auspicaretur pullarius, diémque committendi prælij propterea differret, ex eo quæsiuerit, si ne posteà quidam pulli pascerentur, quid faciendum esset, cùm ille quiescendum censeret, dixerit ei: Præclara esse auspicia, si esurientibus pullis res geri, saturis autem nihil geri posset, signa itaque conuulserit, atque pugnauerit ad Thrasimenum, & cum xv. Romanorum millibus ab Hannibale cæsus fuerit.

Quòd si pullarius, quæ Dij diuulgata voluissent, dissimulasset, aut veteratoriè suppressisset, idem contrahi nefas credebatur, ac si quæ occulenta & tacita ferenda erant, palàm fecisset. Si verò mentitus fuisset, aut omine conficto, aut eo quod ostensum esset subdole & fraudulenter deprauato, & in contrarium detorto, sensum non illi, qui consulebat, fraudi esse, sed in auctoris retorqueri caput censebatur, cuius rei exemplum refertur à Liuio lib. 10. vbi Pullarius mentiri ausus, & tripudium solistimum Consuli Papirio nuncians, paulò pòst patefacta fraude ab altero Pullario, in initio pugnæ emisso temerè pilo ictus cecidit, & sui mendacij pœnas dedit. Porrò quia de Tripudijs dixi, addendum & hoc est, fuisse etiam Tripudium Sonuium, de quo ita apud Festum legendum docet Ioseph. Scaliger. Sonuio significat in carmine Saliari, item in commentario Augurali, sonanti. Sonuium tripudium dicitur, vt ait Pulcher, quòd sonet, vt cùm pullo excidit puls, quadrupedíve aliquid ex ore. Seruius ad illud Virgilij, Tremere omnia visa repentè. Hoc augurium, inquit, iuxta auguralem disciplinam dictum est, quod appellatur Tripudium sonuium, id est à sono. Ad quod pertinet, si arbor spontè radicibus cadat, si terra tremat, quod hic Æneæ factum ostendit, antequam voce diuina responsa perciperet. Plinius lib. 15. cap. 22. etiam eius meminit his verbis: Quæ causa eas (de nucibus iuglandibus loquitur) nuptijs fecit religiosas, tot modis fœtu munito, quod est verisimilius, quàm quia cadendo tripudium soniuium faciant.

Meminit Festus & Tripudij Oscini: Oscinum, inquit, tripudium est, quòd oris cantu significat, quid portendi, cùm cecinit coruus, cornix, noctua, parra, picus. Atque hæc etiam de Pullariis, de auguriis, quæ ex pullis captarentur, & tripudiis. Restant de Aruspicibus, Aruspicina, & Extispicio quædam, de quibus capite sequenti.

Ad Cap. X.

PARALIPOMENA.

De Solistimo tripudio, eius Præfectis. Gallorum gallinaceorum pugnacitas.

Et istud genus diuinandi maximæ authoritatis habitum, quum pullos cauea inclusos vesci iuberent, non quidem pullarij seu custodes pullorum, sed magistratus ipsi, siue vrbici, siue militares. de his Sueton. Tiber. cap. 2. *apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis, vt biberent, quando esse nollent, prælium nauale iniit* (Claudius Pulcher) *superatusque est.* Iul. Obsequens prodig. cap. 83. cum Lanuuij auspicarentur, pulli è cauea in siluam Laurentinam auolarunt, neque inuenti sunt. Et semper exercitus sequebantur hi pullarij, locum prope signa in medijs castris habebant, intrantibus vallum ad manum læuam, quem augurale appellabant, vt obseruat I. Lipsius ad lib. 2. Annal. C. Taciti, sub principium, vbi frustra alij legendum putant, *nocte cœpta egressus Augustali, Augurali* enim placet. Sil. Italic. lib. 5. Punicor.

Tunc ales, priscum populis, de more, Latinis
Auspicium, cum bella parant, mentesque deorum
Explorant super euentu, ceu præscia luctus,
Damnauit vesci, planctuque alimenta refugit.

Et eodem libro paucis interiectis.

tunc

—— tunc signa sequentur
Nulla vulsa manu, vesciique interritus ales
Gaudebit.

De vrbicis magistratibus Aurel. Prudent. in Romano Martyre,
Cum consulatum initis, vt vernæ solent,
Pudet fateri, farre pullos pascitis.

Vtrumque coniunxit C. Plinius lib. 10. cap. 21. *vt planè dignæ aliti tantum honoris præbeat*, (in MS *perhibeat*) *Romana purpura, horum sunt tripudia solistima, hi magistratus* (alij magistros) *nostros quotidie regunt, domósque ipsis suas claudunt, aut reserant, hi fasces Romanos impellunt, aut retinent, iubent acies, aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auspices, hi maximo terrarum imperio imperant.* E pullis itaque Gallis desumpta auguria, quod omnium animalium ij sint pugnacissimi: notat Conradus Rittershusius ex Polybio lib. 6. & Philone Iudæo. Achmes Seitim Oneirocrit. c. 295. ἐμάχετο μετ' ἀλεκτρυόνος, *pugnare cum gallo gallinaceo.* Artemidor. lib. 3. cap. 5. ἀλεκτρυόνες δ' οἱ μάχιμοι, στάσεων καὶ φιλονεικιῶν μόνον εἰσὶ σημαντικοί, *galli vero pugnaces, seditionum & contentionum solummodo significatiui sunt.* id vetustissimum, nam gallinacei tonsoris Midæ aduersis Calliæ pennis ac rostro, spectante Socrate, pugnant, Diogen. Laërt. lib. 2. Eratque Athenis certamen gallorum, cuius author fuit Themistocles, Ælian. Var. Hist. lib. 2. cap. 28 μετὰ τὴν κατὰ τῶν Περσῶν νίκην, Ἀθηναῖοι νόμον ἔθεντο, ἀλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ ἐν τῷ θεάτρῳ μιᾶς ἡμέρας. *post relatam de Persis victoriam, Athenienses legem posuerunt, vt galli gallinacei quotannis vno die certamen in theatro inirent*, id à Themistocle institutum, tum maximè cùm Persæ superati fuerunt, vt restaret veluti de deuictis trophæum, nam auis ista è Perside primùm in alias religiones transmissa est, vt narrat Athenæus l. 14. Dipnosophist. cap. 25. & à Syriis diuinum cultum obtinuit. Lucian. lib. 16. de Syriæ dea. de eius pugnacitate. Oppian. Cilix Cyneget. lib. 2. vers. 189.

ὡς αἰεὶ θάρσυνε ἀλεκτρυόνων πολεμιστῶν.
Vt semper impetuosis gallinacei bellatoribus.

Pindar. Olympicor. od. 12.
ἐνδομάχας ἅτ' ἀλέκτωρ.
Domi pugnans velut gallinaceus.

Phile. de Animal. propriet. cap. 11.
Ἀλεκτρυὼν δ' ἤν ποτε νικῶν τὴν μάχην,
Χορηγεῖ τι καὶ ἐπὶ τῇ φωνῇ καὶ τῷ πτερῷ,
νικηφόρος διαπετάζει ...
καὶ ... ἀπαλῶς ...

Vertit Georgius Bersmanus.
Victor duello, voce, gallinaceus,
Gestúque factum prodit insolentiæ,
Sed victus idem se gerit remissius,
Latébisque paululum tenet silentia.

Ob id Marti gallum sacrauit antiquitas. Præter Mythologos Aristophanes in Auib.
Ὁ ... ἀφ' ἡμῶν τοῦ γένους τοῦ Περσικοῦ
Ἄρεως νεοττὸς ... διάκτορε.

Vertit Andreas Diuus Neapolitanus.
Auis à nobis genere Persico
Martis Pullus, ô pulle domine, id est, dominator.

D. Auson. in Gripho Ternarij.
——ter clara instantis Eoi
Signa canit, serus depenso Martis satelles.

Reuertor ad solistimum tripudium, verba solemnia in eo captando sunt, *damnare*, vt ex superioribus patet, & *addicere*, & damnare quidem in sinistro præsagio, tristique euentu, addicere in fortunatis prosperisque auguriis. T. Liu. Decad. 1. lib. 1. *cum omnium sacellorum inaugurationes admitterent aues in Termini templo non addixêre*, & 3 Decad. lib. 10. *Fabio auspicanti priusquam egrederetur à Tarento, aues semel atque iterum non addixerunt.* Ouid. lib. 15. Metamorph. Fab. 50.
——certant ita dicere sortes
Legendum est omnino.
——certant addicere sortes.

Capvt. XI.

De Haruspicibus, Haruspicina, & Extispicio.

Harvspices à victimis in ara aspiciendis, dici, quia postquàm hostia immolata est, inspectis extis futura prædicant: vnde Extispices appellentur, ignotum non est. Cùm igitur distincti ab Auguribus sint, proprium eis caput attribuimus, quo quid notatu de iis dignum est, tradenus. A Romulo primùm sunt instituti, teste Dionysio libro 2. Primùm autem Haruspices omnes Hetrusci fuerunt, in quorum patria hæc disciplina maximè viguit. Hinc est illud apud Cicer. libro 2. de Legibus Prodigia, portenta ad Hetruscos, & Haruspices, si Senatus iusserit, deferunto. Et huc spectat, quod Liuius lib. 5. refert: Prodigia interim multa nunciari, quorum pleraque, & quia singuli auctores erant, parum credita, spretáque, & quia Hostibus Hetruscis, per quos ea procurarent, Haruspices non erant, &c. Posteà verò Senatus decreuit, vt Principum filij sex singulis Hetruriæ populis in disciplinam traderentur, teste

Cicerone libro primo de Diuinatione: id quod & Valer. Maximus lib. 1. c. 1. confirmat: qui tamen non sex docet, verum decem Principum filios mitti solitos in Hetruriā. verba eius sunt: Tantum autem studium antiquis, non solùm obseruandæ, sed etiam amplificandæ religionis fuit, vt è florentissima tum & opulentissima ciuitate decem Principum filij Senatusconsulto singulis Hetruriæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia traderentur. Hæc ille. Quo in loco, quemadmodum & apud Ciceronem, non sex, vel decem, vel duodecim legendum esse censet Henricus Glareanus, vt cùm duodecim Hetruriæ populi fuerint, singulis vnus fuerit traditus. Huc lex illa Ciceronis pertinet: Hetruria Principes disciplinam doceto. Fuit igitur Haruspicum officium, victimas in ara inspicere, considerare, & ex iis futura, arte Dæmonum diuinare, qua de re libet nonnulla hîc annotare. Considerabant Haruspices, aut hostias ipsas priusquàm iugularentur: aut earum, postquàm dissectæ erant, exta: aut flammam, quæ ex incensis & ardentibus euolabat victimis: aut farinas, vel farinæ materiam, ex quibus liba pinsebantur, & molæ: aut thus quod adolebatur, vt vina, & aquas.

Primùm in viuis adhuc victimis dum producerentur, aut consisterent ad aras, & tractarentur sacrificantium manibus, obseruabant indicia & notas futurorum. Mali ominis erat, si victima ductorem non spontè sequetur, sed vi trahenda esset: vel si ex ducentium manibus sese proripuisset, si profugisset: vel elapsa ictum fefellisset, vel percussa aut exiliisset altiùs, aut horridius exclamasset, aut non statim & quidē placidè concidisset: vel si semianimis prouoluta in terram, eandem pedibus calcitrasset importuniùs: vel difficulter expirasset, vel iugulata nō copioso diffluxisset sanguine, vel si inter iugulandum triste aliquid, infaustúmve oculis, auribúsve occurrisset. Signa hæc offensi & alienati numinis, pœnásque minitantis, esse putabātur. Contrà læti ominis indicia, & fauentis Dei testimonia adferebat, cùm emissa ad aram spontè acceleraret, & sine tumultu ictū perferret, collapsáque placidè, sinéque deformi strepitu, aut pedum complotione animam exhalaret, & confossa tandem copiosum spirantémque & cum impetu, stridoréque prorumpentem effunderet cruorem. Talem læti, & cum gratulatione, acclamationéque excipiebant: ad alterius conspectum expauescebant, & animis consternebantur, móxque & trepidè suspectas aras adibant, ritúsque absoluebāt cæteros, & sollicitè, qua ratione offensū numen reconciliarent, deliberabant. Deinde in dissectis iam victimis, ex signis, salubribus, noxiisque, ex habitu, coloréque extorum & fibrarum, defecta aliquarum particularum in præcipuis organis, aut præter naturam adnatis, collectisve ex humorum adfluxu abscessibus, sumebant coniecturas de euentuū conditione, & in quam partem numen, cui adornabatur sacrificium, inclinatum esset, ac propenderet. Exta autem dicebantur, quòd ea Diis prosecrarentur, quæ maximè extarent eminerentque, qualia erant iecur, pulmo, lien, cor, præcordia, renes, & lingua, &c. in quibus præcipuum erat iecur. Ab hoc igitur contemplationem extorum inchoabant. Id si grata & natiua purpura ruberet, nulláque esset contaminatum labe: vel si caput iecinoris auctum, duplicatúmve, aut geminum iecur reperiretur: vel si extremę fibræ versus interiora replicatæ, ac conuolutæ, viserentur: hæc eximiæ felicitatis argumenta certissima dare, & magnas accessiones, potentiæ amplificationem, prolationem finium, triumphos, summa dignitatum fastigia designare augurabantur. Constitutis etiam in hepate geminis capitibus vnum hosti, alterū illi, in cuius gratiam instituebatur diuinatio, destinabant alterutrum eorum si vel corrugatum emarcuisset, vel colorem habitúmque suum quouis modo mutasset, ruinam aut inclinationem aduersáque omnia minitari: si velut inflatum, atque distentū intumuisset, & florido enituisset colore, motúque alacri & continuò micasset, victoriam certam spondere, & successus felicissimos illi putabatur, cuius nomine cædebatur. Si verò aut obsitum vlceribus, pustulisve, aut liuore deforme, aut duritie contractum, corrugatúmve abscessibus, aut humoribus vitiosis imbutum esset, atque obstructum: vel in sua non conspiceretur sede, sed aut à pręcordiis auulsum subsedisset, aut permutatis sedibus lienis locum occupasset, illo in dextram regionem translato, aut procidisset in anteriora: vel si contabuisset, aut alioquin gracilius iusto, aridiúsque appareret: vel si totum defuisset, aut solo caruisset capite: denique si inter coquendum purulenta inquinaretur sanie, aut ad eum exaresceret modum vt inter exta non emineret, aut colligatum dissolueretur in pultem: hæc piacularia esse, funestáque adeo persuasum erat, vt secùs accidere, atque de his demōstratum erat, nihil posse affirmaretur. Anno Vrbis ıↄ c xxx v i. Catoni Consuli immolanti exta emarcuerunt, & caput iecinoris euanuit. Caio principi & M. Marcello iecur subitò extabuisse annotatum est: quare prælio periisse existimatus est.

A iecinore cor inspiciebant: id si palpitaret, aut exiliret, aut flaccesceret, aut minùs iustè appareret, aut omni destitueretur pinguedine, aut coiuisset in rugas, aut inter exta omninò non viseretur, exitij, diræque atque infectæ fortunæ omina præbebat. Nam & Iulio Cæsari quo die purpurea veste processit, & à coniuratis interfectus est, cor bis in optimis bobus defecit, &

Caio

Caio Mario Vticæ immolanti. Pertinaci Cæsari, vtriusque visceris, hepatis & cordis defectus in ea, quam ante mortem mactari iussit victima, interitum portendit. Si verò aut solito grandius, aut spissum, glabrúmque & humectum, nec flaccidum, nec ex ariditate in plicas rugásque contractum inueniretur, aut si in summa basi largiore pinguedine vestitum foret, aut abriperetur ab aquila, propitios hæc Deos, & cœptus annuentes, flatúsque secundos aspiraturos confirmabant.

Corde explorato ad fellis, lienis, pulmonum, & membranarum viscera ambientium considerationem se vertebant, si κύστιν χοληδόχον geminam, qualem Augusto exhibitam ferunt, eo die, quo Antonium profligauit ad Actium: aut copiosa bile turgentem, atque effluentem notassent: acria & felicia prælia expectabant. Si suo loco positum lienē sine pustulis, duritie, corrugatione, sinéque alieno colore conspexissent, felicia propositæ rei ominabantur. Si contrà in dextrum lien vergeret aut antrorsum propenderet, aut reperet deorsum, aut notas alienas à natura sua haberet: Si exta ex sacrificantiū manibus decidissent, Si viscera aut cruore fœdiùs aspersa, aut liuido fœdata colore, aut maculis variata forent: Si peritonæum ruptum alicubi hiaret, aut sanguine suffusum esset. si phlyctœnis & ampullis pure aut salsilagine refertis scaterent intestina, aut lacerata esset intus, vel rupta ac diuulsa: Si dracones inter exta serperent: Si fœterent viscera aut putrilagium redolerent, fatalium hæc, & iam imminentium malorum indicia erant, quæ pro conditione earum rerum, de quibus victimę consulebātur, vates interpretabantur. Pulmones bifidi, incisíque moras adferebant rebus, & cunctationes, simplices & solidi mora rupta continuabant rerum curricula, & exequutionem maturabant. Hinc sacrificiorum alia Muta erant, in quibus nulla inerant signa, alia Arguta, quæ conspicuas, & illustres notas exhibebant, alia Regalia vocabant, quæ vultum fortunæ & felicitatis pollicebantur. Et tanti faciebant has diuinationes Romani, vt & libris describi rationem consulendi, eósque instar oraculorum custodiri publicè, & in ea disciplina suos exerceri à teneris curarint liberos, nihilque mouerint aut cœperint, nisi sacrificiis diligenter perlustratis, & examinatis. Affici enim victimas, notísque monitricibus euentorum subito seu consignari ab iis numinibus, quæ adessent coram vocata, & ritus spectarent, persuasissimum habebant.

Tertio flammas in sacrificiis considerabant, & ex iis futura diuinabant hac ratione, Si admota flamma victimas statim corriperet, & diffusa repentè totas occuparet, ac consumeret, Si tranquilla, pura, perspicua & nitida, nullis infecta coloribus alienis, vt nigro rutilóve, aut pallido, nec permixta vel sordibus, vel caligine fumisve, sinéque strepitu, & sine egestione, atque eiaculatione fauillarū turbulenta, & crepitante, recto ductu turbinatæ paramidis instar attolleretur, & insurgeret. Sique nō nisi tota victima depasta, atque exusta moreretur, placidè numen hostiam acceptare, ac complecti, annuerèque quæ requirebantur, coniiciebant. Si contrà multo vix excitari flatu posset, & cùm exarsisset, non coiret, sed finderetur atque in hiatū dehisceret, nec in totam subitò spargeretur, ac penetraret victimam, sed viciniora sensim velut serpens, lamberet atque vstularet, nec rectum auctum niteretur sursum, sed in vertigines, gyrósque conuolutus atram secū & densam eueheret caliginem, aut reperet deorsum, aut dilaberetur ad latera, aut aliena nasceretur specie, Sique aut ventis disploderetur, aut restingueretur pluuiis, aut insolitum crepitaret, & circunquaque multum eructaret ardentium fauillarum, aut si palleret plus nimio, vel nigricaret, aut euanesceret spontè priusquàm tota conflagrasset victima, aut si intactæ aliquæ partes remanerent, & integræ, læsi infestíque numinis & sacrificium respuentis omen esse suspicabantur.

Scrutabantur & fumos, quos vertigines facerent, quantúmque se attollerent, & quo motu, rectóve, an obliquo, vel in orbes contorto aut complicato, agglomeratione quadam in tortiles spiras, & quo redolerent nitore, alienóve, an eo, qui ex carnibus vstis effumaret.

Quin & pice, quæ ex tædis colligitur, comminuta in puluerem, & hoc in ignem coniecto, futura diuinabant, hoc modo, Si exardescens inde flamma coiret, nec dispergeretur, fausta: si diuideretur, aut dissiliret, infausta designare credebatur. Si pugnantem, deductum in diuersa, procumbentem in focum, crepitantem, ægris malum, euanescentem iisdem mortem minitari putabatur.

Ex incenso thure diuinabant, Si ignis mox illud arreptum dissolutúmque verteret in fumum, & suffitum cieret gratum, læta, si refugeret, aut odorem exprimeret inde fœdum & à natura thuris diuersum, abominanda ostendi putabantur. Meminit loci cuiusdam Dion in historia Romana, quem Nymphæū appellat, in quo hoc modo ex suffito thure præscita de omnibus reb. petita fuerint, præterquàm de morte & cōiugio. Tandē etiam ex vini consecrati adlibatione, & ex sacræ aquæ, qua abluebantur, & decoquebantur victimæ, coloribus, sapore, motu, strepitu, subitis mutationibus, argumenta euentuum colligebant, tum molas, & libamēta, & præcipuè materiam eorum, vt hordeum, far, & inde confectas farinas, quibus victimæ

S iiij

conspergebantur, scrutabantur, & expendebant. Sed quis omnia possit enumerare? Collegit hæc diligenter & eruditè tractauit clarissimus vir D.D. Gasparus Peucerus, in suis de generibus Diuinationum Commentariis, ex quibus ea desumpsimus. Extat apud Agel. exemplum perfidiæ Haruspicum Hetruscorum, & eorum pœna: vnde versus ille scitè factus & pueris decantatus fit: Malum consilium consultori pessimum est.

Lib. 2. de Diuin. *Amm. Marc. lib. 21.* Vnum adhuc, antequam ad aliorum Sacerdotum considerationem accedamus, monendum videtur, quis auctor huius disciplinæ fuerit. Celebrarunt autem Hetrusci vniuersæ huius disciplinæ auctorem, puerum, proscissione terræ exaratum, nomine Tagem, qui vt ex Hetruscorum lib. Cic. commemorat, cùm terra araretur, & sulcus altiùs impressus esset, repentè extitit puerili specie, sed senili prudentia, & eum affatus est, qui arabat. Ad huius conspectum cùm obstupuisset bubulcus, clamorémque maiorem cum admiratione edidisset, concursus est factus, totáque breui tempore in eum locum Hetruria conuenit. Tum plura ille locutus multis audientibus, qui omnia eius verba exceperunt literisque mandarunt: omnis autem ratio fuit ea, quæ Haruspicinæ doctrina continebatur. Atque hæc de Auguribus & Haruspicibus hactenus. Progrediemur in instituta Sacerdotum descriptione.

CAPVT XII.

De Tribuno Celerum.

DE Tribuno Celerum nihil hoc loco dicturus eram, nisi Dion. Halic. lib. 2. monuisset, ipsum etiam quædam sacra peregisse. Hæc enim sunt eius verba: Tertiam sacrorum administrandorum partem Numa Tribuno Celerum tribuit, quem Romulus equitum, quos Celeres vocabant, Præfectum constituit, quos equites ac pedites Regum stipatores fuisse diximus. Nam & solennia quædam habebant sacrificia. Hactenus Dionysius: præter quæ de sacris Tribuni Celerum nihil inuenio.

CAPVT XIII.

De Curionibus XXX. & Curione Maximo.

CVRIONES à Curiis dicti sunt: cùm enim Romulus populum Romanum in tres Tribus & triginta Curias distribuisset, singulis Curiis præposuit vnum aliquem virum, quem Curionem dixit, qui sacra pro Curia sua curaret. Hoc sacerdotium Numa Pompilius Rex II confirmauit: sic enim de eo Dionysius libr. 2. Numa, inquit, omnia quæ ad religionem ac cæremonias pertinent, octo libris iuxta totidem Sacerdotum genera complexus est. Primus sacra triginta Curionum continebat, quorum erat publicè pro suis Curialibus rem diuinam facere. Hæc ille. Curiæ autem non tantum erant triginta illæ partes populi, sed sic etiam singularum earum partium ædes dicebantur, in quibus quæque Curia sua sacra publica faceret, feriásque obseruaret. Ad hæc ritè efficienda singulę Curię singulos Sacerdotes habebant, qui Curiones dicebantur. Quia igitur triginta Curiæ, seu partes populi erant, Curiones etiam tot fuisse necesse est. Hi singuli à singulis Curiis eligebantur. Vnus autem, qui reliquis omnibus præsidebat, & Curio maximus dicebatur, cuiúsque auctoritate cæteri Curiones regebantur, omnium Curiarum suffragiis, Comitiis Curiatis creabantur, vti alio loco pluribus ostendemus. Sacra, quæ in Curiis fiebant, Curionia dicebantur, & Curionium æs, quod dabatur Curioni ob sacerdotium Curionatus. Festus.

CAPVT XIV.

De Sodalibus Titiis, vel Titiensibus.

HORVM Sacerdotum Dionysius & Liuius non meminerunt. M. Terentius Varro l. 4. de ling. Lat. eorum meminit scribens, Sodales Titios dictos esse à Titiis auibus, quas in auguriis

guriis certis obseruare sint soliti. Hi sacerdotes quando, & à quo sint instituti, incertum est: cum quia antiquissimi Scriptores id in suis monimentis non tradiderunt, tum quia Tacitus, qui duobus locis eorum meminit, non vno modo de iisdem scribit: iam enim tradit, eos à Titio Tatio Sabinorum Rege, & à Romulo in vrbem Romam recepto, mox eos non à Tito Tatio, sed à Romulo, post Tatij obitum, in eius honorem institutos fuisse. Verba Cornelij Taciti Historiarum lib. II. sunt hæc: Faces Augustales subdidere: quod Sacerdotium, vt Romulus Tatio Regi, ita Cæsar Tiberius Iuliæ genti sacrauit. Alibi verò ita scribit: Idem annus nouas cæremonias accepit, addito Sodalium Augustalium sacerdotio, vt quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris Sodales Titios instituerat. Hæc Tacitus: quem si sequamur, conijcere possumus, Titios Sodales non à Titiis auibus, vti Varro vult, sed à Titio Tatio ita appellatos esse, quemadmodum etiam Titiensis Tribus. Libet tamen etiam addere, quæ de his Adrianus Turnebus Aduers. l. I. c. I. tradit, Titios, inquit, Varro dictos esse ait, à Titiis auibus: sed illæ aues cui hodie aucupi notæ sunt. Equidem esse neminem puto, qui eas magis cognoscat, quàm spinturnicem, hominibus ignotam, vt censet Plinius. Et post pauca: Vetus Interpres Persij in illum locum, Ingentes trepidare Titos, à titis Titos vocatos ait. Seruius dicit palumbes vulgò appellari tetas. Isidorus, Palumbes, inquit, eò quòd sunt factæ pabulo, quas vulgò tetos vocat. An hæ sint Titiæ aues, intelligentioribus & doctioribus iudicandum relinquo. Hæc ille. Eadem habet Commentario in Varronem.

Li. II. Annalium.

Ad Cap. XIV.

PARALIPOMENA.

De Sodalibus Titiis, aliisque Sacerdotibus.

SAcerdotia omnia ista penè descripsit M. Lucanus lib. I. Pharsaliæ vers. 595. cuius versus describam.

Pontifices, sacri quibus est permissa potestas,
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Mineruam,
Tum qui fata Deum, secretaque carmina seruant,
Et lotam paruo reuocant Almone Cybellem,
Et doctus volucres augur seruare sinistras,
Septemuirque epulis festus, Titiique sodales,
Et Salius læto portans ancilia collo,
Attollensque apicem generoso vertice Flamen.

Fratres Aruales omisit, nisi forte de iis secundum versum intelligamus, quod non puto, de quibus est cap. 6. huius libri supra, & mentio in vetusto marmore, ex Aldo Manutio Orthographiæ pag. 25.

L. CÆSONIVS. C. F. QVIRINA. LVCILLIVS MACER. RVFINIANVS. COS. FRATER. ARVALIS. PRAEFECTVS. VRBI. ELECTVS. AD COGNOSCENDAS. VICE. CAESARIS. COGNITIONES. PROCOS. PROV. AFRICAE. XX. VIROS. EX. SENATVS. CONSVLTO. R. P. CVRANDAE. CVRATOR. AQVARVM. ET. MINICIAE. CVRATOR. ALBEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS. LEGATVS. PROV. AFRICAE. EODEM. TEMPORE. VICE. PROCONSVLIS. CVRATOR. R. P. SVESSANORVM. PRAETOR. KANDIDATVS. QVAESTOR. KANDIDATVS. ELECTVS. IN. FAMILIAM. PATRICIAM. X. VIR. SLIT. IVDICANDIS.

Quæ ideo plenissimè exscripsi, vt intelligeretur, plerosque ex his magistratibus posse cum honoribus vrbicis coniungi, & cohærere. Adde & sodales Titios plerúmque adolescentes fuisse, fragmentum lapidis antiqui.

Q. CAECILIO. FEROCI. KALATORI. SACERDOTII. TITIALIVM. FLAVIALIVM. STVDIOSO. ELOQVENTIAE. VIXIT. ANNIS. XV. MENSE. I. DIEBVS. XXIV. FILIO. OPTIMO. AC. REVERENDISSIMO. M. GAVIVS. KARINVS.

Et de septemuiro Epulonum de quibus est cap. 28. huius libri infra, succurrit hæc vetus inscriptio, qua constet, non modo eum honorem ciuibus in vrbe concedi consueuisse, sed & in castris, militantes eundem gerere solitos. verba ipsius marmoris sunt apud Onufrium in Vrbe Roma. pag. 64.

CN. DOMITIO. SEX. F. AFRO. TITIO. MARCELLO. CVRINO. LVCANO. COS. PROCOS. PROVINCIÆ. AFRICÆ. LEGATO. EIVSDEM. PROVINCIÆ. T. VI. FRATRIS. SVI. SEPTEMVIRO. EPVLONVM. PRAETORI. LEGATO. PROVINCIAE. AFR. IMPERAT. CAES. AVG. PRAEF. AVXILIORVM. OMNIVM. ADVERSVS. GERMANOS. OMNES. DONATO. AB. IMP. VESPASIANO. CAES. ET. T. AVG. F. CORONIS. MVRALI. VALLARI. AVREIS. HASTIS. PVRIS.

Cap. XV.

De Flaminibus in genere.

DE Flaminum sacerdotio dicturus, primùm in genere, quinam Flamines, & vnde dicti fuerint, explicabo: deinde cùm præcipua dignitas Flaminis Dialis fuerit, de eo, quę passim reperiuntur recitabo, ad extremum de aliis Flaminibus verba faciam.

Flamines vnde dicti fuerint, notum satis est, videlicet à Filo, quasi Filamines. Sic enim Terentius Varro libro 4. de ling. Latina: Flamines quòd licio in capite velati erant semper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti. Horum singuli cognomina habent ab eo Deo, cui sacra faciunt: sed partim sunt aperta, partim obscura. Sic Seruius. Flamines, in capite habebant pileum, quod cùm per æstus ferre non possent, filo tantùm capita religare cœperunt. Nam nudis penitus capitibus incedere nefas erat: vnde à filo, quo vtebâtur, Flamines dicti, quasi Filamines, cum quo facit etiã Sext. Pompeius Festus. Plutarch. eos à pileo, Pileamines primò, pòst Flamines dictos putat. Sunt etiam, qui eos à sacris infulis Flamines dictos existimant, quas in capite gestabant: quæ ab antiquis Flamę dicebâtur: siue à flammeo, quod genus est tegminis capitis: mulierum tamen potiùs, quàm virorum. At hæc quidem de nomine eorum traduntur, vbi videmus plures inclinare in eam sententiam, quòd à filo Flamines nomen acceperint. Et cùm toties pilei Flaminum mentio fiat, non videtur alienũ ab hoc loco, si descriptio eius quoque addatur, quam habet Ioseph Scaliger in Conectaneis in Varronem:

Totus pileus, inquit, vel potiùs velamenta Flãmeũ dicebatur: vnde Flamines dicti. Porro desinebat in conum, vnde Apex dictus. Summũ autem fastigiũ vocabant Tutulum. Addebatur virgula ex felici arbore, quæ in Flaminib. dicebatur Stroppus, in Flaminicis Inarculũ. Totus apex filo laneo velabatur, dicebatur Apiculum. Ab hoc putat quasi Flamines dictos Varro. Infra mentũ pertinebant amenta, quæ pileũ retinebãt: eæ dicuntur offendices, quòd se mutuò offenderẽt, & conuenirent. Solius tamẽ Flaminis Dialis pileum dicebatur Albogalerus: fiebat enim ex hostia alba, Ioui cæsa, quæ dicebatur Idulis, de qua alibi. Hactenus Scaliger, quæ omnia veterũ Scriptorũ testimoniis confirmari possũt. Apex enim, inquit Festus, Sacerdotũ insigne, dictus est ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, apere dicebant, vnde aptus is, qui conuenienter alicui iunctus est. Tutulũ vocari aiunt Flaminicarũ capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructũ in altitudine, quidam pileum lanatum forma tali figuratum quo Flamines ac Pontifices vtãtur, eodem nomine vocari aiunt, Stroppus est, vt Ateius Philologus existimat, quòd Græcè στρόφιον vocatur, & quod Sacerdotes pro insigni habẽt in capite: quidam coronã esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur, quale sit strophium. Inarculum dicit, virgula erat, ex malo Punico incuruata, quam Regina sacrificans in capite gestabat. Seruius etiam, quemadmodum doct. Scaliger ex schedis Petri Danielis docet, scribit, Arculum esse virgam ex malo Punica incuruatam, quæ fiat quasi corona: Et imam summámque, inter se alligari vinculo laneo albo, quam in sacrificiis certis Regina in capite haberet: Flaminica autem Dialis omni sacrificatione vti deberet. Apiculum, filum est quo Flamines velati, apicem regerunt: sic legendum Scaliger, docuit, & addit: Ponè enim regerebant apicem, ne grauis esset summis æstatis caloribus. Amentis enim, quæ offendices dicebantur sub mentum adductis religabant, vt cùm vellent regererent, & ponè pendêre permitterent. Offendices Titius ait esse nodos, quibus apex retineatur, & remittatur. At Veranius Choriola existima, quæ sint in locis apicis quibus apex retineatur & remittatur, quæ ob offendendo dicuntur. Nam quum ad mentũ peruentum est, offendit mentum. Albogalerus, à galea nominatus. Est enim pileũ capitis, quo Diales Flamines, id est, Sacerdotes Iouis vtebantur. Fiebat enim ex hostia alba Ioui cæsa: cui adfigebatur apex virgula oleagina. Huius icon in antiquis monumẽtis videtur talis. Cæterùm quo tempore creati primùm Flamines fuerint, de eo inter veteres Scriptores non conuenit. Plutarch. enim eorum primam creationem & institutionẽ Romulo attribuit: Dionysius verò Romanarũ rerum inuestigator acerrimus, & Liuius eandẽ Numæ adscribunt. Plutarchi in Numa verba sunt hæc: Iouis Martísque

tisq; Sacerdotib. à Romulo cõstitutis, tertium ipse Romulus cõstituit, quem Flaminem Quirinalem nominauit Liu. lib. 1. Tum Sacerdotib. creandis animũ adiecit: quanquam ipse plurima sacra obibat, ea maximè quæ nunc ad Dialem Flaminẽ pertinẽt. Sed quia in ciuitate bellicosa plures Romuli quàm Numę similes Reges putabat fore, ituróśq; ipsos ad bella: ne sacra regiæ vicis desererẽtur, Flaminem Ioui assiduum Sacerdotẽ creauit, insigniq; eum Veste, & Curuli regia sella adornauit huic duos Flamines adiecit, Marti vnũ, alterũ Quirino. Hæc Liuius: quę eadẽ confirmauit Dionysius. Maximè igitur cõsentaneum vero est, Numam Pompilium II. Ramanorũ Regem, Flamines primũ instituisse, tres videlicet numero, Dialem, Martialem, & Quirinalem. Nõ autẽ semper hic numerus mãsit. Sed processu tẽporis XII. alij aliis additi sũt, & ita ad XV. numerũ Flamines aucti. Erat tamen inter eos differẽtia: priores enim tres, quorum originẽ ad Numã referri diximus, ex Patriciis creabantur, & maioris dignationis erant, ideóq; Flamines maiores dicebãtur: reliqui ex plebeiis, & minores appellabãtur. Docet id Sext. Põp. Festus cum scribit: Maiores Flamines appellabantur Patricij generis, minores Plebeij. Inter omnes autem maximę dignationis erat Flamen Dialis, teste eodem Pompeio his verbis: Maximæ dignationis Flamen Dialis est, inter quindecim Flamines, & cum cæteri discrimina maiestatis suæ habeant, minimi habetur Pomonalis, quòd Pomona leuissimo fructui agrorũ præsidet pomis. Priores item tres Flamines ex Patriciis creatos esse docet Cicer. in orat. pro domo sua Quanquam autem XV. Flamines essent, qui nomine cõuenirent collegæ tamen nõ erant, neq; eorum quoddã collegium vocabatur. Siquidem Flamen vnius Dei Sacerdos erat, habebátq; sua quisq; sacra, quę per se quisque procuraret, quæque ad alios nihil omnino attinerẽt: quod Cic. li. 2. de Legib. satis indicat, huiusmodi legem recitans: Diuisque aliis Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis Flamines sunto. Flamines autem (de maiorib potissimùm loquor) tametsi non essent Pontifices: ita tamen erant adscripti in Collegiũ Pontificum, vt si quando de re aliqua apud Pontifices ageretur, ipsi vna Iudices sederent eius rei, de qua ad Collegium Pontificum relatum esset: quod potest ex Oratione Cicer. pro domo sua intelligi, quæ cùm sit habita apud Pontifices, ad quorum collegium reiectum erat de domo à Clodio consecrata iudicium, in ea tamen Iudices sedisse, Regem sacrorum, & Flamines ostendit.

Creabantur Flamines à populo Comitiis Curiatis, vti ex Lælio Fœlice docet Agell. li. 15. c. 27. Creati inaugurabantur à Pontifice Max. q. cùm fieret, capti ducebãtur à patribus, velut ab hostibus, ideóq; Flamines capti dicebantur, eodem Agellio, lib. 1. c. 12. teste. Eius dicto omnes suberãt, id quod ex plurimis veterum scriptorum locis patet, vnico Liuij l. 37. contentus ero, cũ de Q. Fabio Pictore sic scribit, priusquã in prouincias Prætores irẽt, certamẽ inter P. Licinium Pont. Max. fuit, & Q. Fabium Pictorem Flaminem Quirinalem, quale Patrum memoria inter Q. Metellum & Posth. Albinũ fuerat. Consulem illũ cum C. Lutatio Collega in Siciliã ad classem proficiscẽtem, ad sacra retinuerat Metellus Pont. Max. Prætorem hunc ne in Sardiniã proficisceretur P. Licinius tenuit. Et in Senatu, & ad populum magnis contentionib. certatũ est, & imperia inhibita vltrò citróque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & Tribuni appellati, & prouocatũ ad populum est. Religio ad extremum vicit, & dicto audiens esse Flamẽ Pontifici iussus. Hactenus Liuius. Qua de causa Flamini Diali antiquitus nec magistratum petere, nec capere permissum erat. In cuius rei gratiã ei lictore & Regia Sella Curuli vti permissum est. Inde Cornelium Merulam Flaminem Dialem Coss. in locum Cinnæ Vrbe pulsi suffectum, pœnas dedisse violati antiqui iuris quidam crediderunt. In magistratu enim paulò pòst occisus est. Flaminum autem Sacerdotium ita perpetuum erat, vt tamen ob certas quasdam causas Flamines etiam sacerdotio priuari possent, dicebatúrq; Flaminio abire, aliiq; subrogabantur. Quòd si nullis illarum causis coacti fuissent sacerdotium deponere, id dum viuebant, retinere solebant. Sic enim Val. Max. lib. 1. cap. 1. Consimili ratione pòst P. Clœlius Siculus, M. Corn. Cethegus, C. Clodius propter exta parũ curiosè admota aris Deorum immortalium, variis temporibus, bellisque diuersis Flaminio abire iussi sunt, coactiq; etiam. At Sulpicio inter sacrificandum apex è capite prolapsus, eidem sacerdotiũ abstulit. Sed & aliæ erant causę eius deponendi sacerdotij de quibus alibi dicetur. Flaminũ vxores Flaminicę vocabantur, vt tradit Festus, quibus diuortium facere non licebat. Ministri eorum Flaminij dicebantur, & ministræ Flaminiæ. Flaminia ædes, domus Flaminis Dialis, &c. His ita in genere de Flaminibus præmissis seorsim, nunc de singulis dicemus, incipientes à Flamine Diali.

CAPVT XVI.

De Flamine Diali.

FLAMEN Dialis, inquit Festus, dictus, q. filo assiduè veletur, indéq; appellatur Flamen. Dialis autem appellatur à Dio, à quo vita dari hominib. putabatur. Terẽtius Varro à Ioue cum dictũ ait, qui sit Diiouis. Cõstitutus igitur à Numa erat, vt assiduę Ioui præsto esset,

etque sacra faceret. Plurimæ huius erant cærimoniæ,quas obseruare cogebatur. Agell.li.10.c. decimoquinto, ex libris,qui de Sacerdotibus publicis compositi fuerãt,& ex primo Fabij Pictoris libro has recenset:I. Equo Dialem Flaminem vehi,religio est.II. Item Classem procinctam extra pomerium , id est, exercitũ armatum videre:idcirco rarenter Flamen Dialis creatus Consul est,cùm bella cõsulibus mandabantur III.Iurare Dialem,fas nunquã est.IV.Annulo vti,nisi peruio,cassóque fas nõ est.V.Ignem è Flaminia,id est,Flaminis Dialis domo,nisi in sacrum efferri ius non est.VI. Vinctum,si ædes eius introierit,solui necessum est, & vincula per impluuium in tegulas subduci,atque inde foras in viam demitti. VII. Nodũ in apice,neque in cinctu,neque in alia parte vllum habet. VIII.Si quis ad verberandũ ducatur,si ad pedes eius supplex procubuerit,eo die verberari piaculum est.IX.Capillum Dialis,nisi qui liber homo est,non detonset.X. Capram & carnem incoctam,& hederam,& fabam,neque tangere Diali mos est,neque nominare.XI Propaginẽ è vitibus altiùs protentis non succidet.XII. Pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet , & de eo lecto trinoctium continuum non decubat:neque in eo lecto cubare alium fas est,neque apud eius lecti fulcrum capsulã esse cum strue atque ferro oportet XIII. Vnguium Dialis,& capilli segmina subter arborem siliquam(alij felicem legunt) terra operiuntur.XIV.Dialis quotidie festatus est.XV. Ac fine apice,sub dio esse licitum non est, sub tecto vti libet,& non pridem à Pontificib. constitutum. Addit hoc loco Agellius,Masurium Sabinũ scripsisse, & alia quædam ei remissa,gratiámque aliquot cæremoniarum factam esse. XVI. Farinam fermento imbutam attingere ei fas non est XVII. Tunicam intimam,nisi in locis tectis,non exuit,ne sub cœlo, tanquam sub oculis Iouis,nudus sit.XVIII.Super Flaminem Dialem in cõuiuio,nisi Rex sacrificulus, haud quisquã alius accumbit.XIX.Vxorem si amisit,Flaminio decedit.XX.Matrimonium Flaminis, nisi morte dirimi non est ius.XXI.Locum in quo bustum est,nunquam ingreditur.XXII.Mortuum nunquã attingit.Funus tamen exequi religio non est.Hæc Agellius,& paulò post subiicit,verba prætoris ex edicto perpetuo de Flamine Diali,& Sacerdote Vestæ hæc: SACERDOTEM VESTALEM, ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Addit etiam verba ex 2 libro Rerũ diuinarum Varronis,quòd Flamẽ Dialis solus albũ habeat galerum,vel quia maximus sit,vel quia Ioui immolata hostia albato fieri oporteat. Nec poterat Flamen Dialis antiquitus aut magistratũ petere,aut capere, ne sacris auocaretur,& multa contra religionem facere cogeretur. Plutarch. in q.Ro.q.113.Hæ ferè fuerũt Flaminis Dialis cæremoniæ, quarũ quidem in Script. antiquis testimonia extant. Plutarch.aliquot earum causas inquirit,in Problemat vel Quæst. Romanarũ q.109 vt quod non liceat Flamini Diali farinam, aut fermentũ tangere: quia videlicet farina alimentum sit imperfectum,& crudum,neque manserit triticum,id quod fuerat,neque factum sit,quod fieri debebat,nimirum panis : sed simul seminis vim amiserit,& vsum cibi non sit assecutum. Eandem ob causam eidem interdictum esse dicit contactu carnis crudæ. Fermentum autem tangere ei non licere,ait,quod & ipsum natum sit ex corruptione,& farinam,cui admiscetur cor-
qu.110. rumpat, vt languidior fiat, & inefficax. Cur à tactu & nominatione capræ & canis abstinere
qu. 111. cogatur,causas has affert : de capra quidem,vel quia esset lasciua,& fœtida,ideóq; abominari, vel quòd morbo Comitiali animal istud obnoxium esset, ideoque metuerint, contagionem mali ad eos peruenturam,qui tum vescerentur capra,aut eam tangerent cùm in morbo esset. De cane verò hanc causam affert,quòd sit animal pugnax,ideoque asylis,& sacrosanctis prohibetur sacrificiis,in quibus omnis periculi exsors perfugium supplicibus concedatur. Cùm ergo Iouis quoque Sacerdotem,vtpote viuum:sacrúmque perfugij simulacrum, deceat ad se libere admittere quoslibet supplices & deprecantes,nemine arcente,aut terrente,à canibus ipsi abstinendum esse dicit, ne illi petituros hanc veniam terrerent , atque arcerent. Non licere ei hederam tangere dicit , vel quòd sit sterilis & inutilis hominibus , imbecilláque , & ea de causa aliis,quibus innitatur, opus habeat, vmbráque & virore suo multis quasi præstigiando imponat : vel quòd eam mulieres Bacchicis furoribus deditæ rectam ferant, eámque manibus discerpant,& vorent:ideoque nonnullos existimare,inesse spiritum hederæ, qui de statu rationis deturbet , mentémque abalienet , exagitétque, & prorsus ebrietatem à nullo ortam vino inducat. Debere autem Iouis Sacerdotem Orgia Bacchi vitare. Quam etiam ob causam scribit eidem vetitum esse transire per viam , vbi vitium propagines in sublimi prætentæ sint: voluerunt videlicet significare, nefas esse eum inebriari , sed vino moderari, nec ab eo vinci, cùm qui ebrij sunt,eorum superius capitib. sit vinum,eáque degrauet & premat. Fabam nec tangere, nec nominare Flamini Diali licebat, quòd ea putaretur ad mortuos pertinere,& in flore eius luctus literæ apparere viderentur,testib. Sext. Pompeio Festo,& Plinio. Cæterùm à Numa vsque ad Marij & Syllæ tempora,perpetua & cõtinuata serie Flamines Diales semper fuerunt,vsque ad L. Cornel.Merulã,qui in seditione ciuili L. Cornel. Cinnæ,& Cn. Octauij, anno

anno DCLXVI. in magistratu occisus fuit. Post quem, cùm C. Iul. Cæsar, qui posteà Dictator fuit, id sacerdotium consecutus fuisset, non longè post à victore Sulla, & sacerdotio, & vxoris dote mulctatus est: ita vt nullus deinceps Flamen inauguratus fuerit, vsque ad finem Imperij Augusti Cæsaris. Sub quo, anno plus minus C. postquàm sacerdotium id vacauerat, Flamen Dialis inauguratus est Sext. Corn. Maluginensis, post quem perpetuo ordine Flamines Diales multi fuerunt, vsque ad nouissima imperij tempora, quibus cum reliquis sacerdotiis veteris superstitionis ab Imp. Theodosio id sacerdotium omnino sublatum est. Hęc de Flamine Diali. Eius vxor dicebatur Flaminica, quam & ipsam seorsum easdem ferè ceremonias obseruare solitam, idem Agell. li. 10. cap. 15. docet: videlicet 1. quòd benè nato operiretur. 2. & quòd in rica surculum de arbore siliqua (siue felici) haberet: 3. & quòd scalas, quæ Græcè κλίμακας appellantur, ascendere ei plus tribus gradibus religiosum esset. 4. atque etiam cùm it ad Agiros, quòd neque comeret caput, neque capillum depecteret. Hactenus Agellius. Accedemus nunc ad reliquos Flamines.

CAPVT XVII.

De reliquis Flaminibus.

DIximus antè primùm à Numa Pompilio tres Flamines institutos fuisse, Dialem, Martialem, & Quirinalem; posteà temporum progressu pluribus additis ad quindecim numerum eorum excreuisse. Cùm igitur de Flamine Diali satis multa in medium attulerimus, consequens est, vt reliquorum etiam rationem explicemus: quod quidem paucis expediemus, cùm multa ad eos pertinentia ante sint dicta.

MARTIALIS igitur, qui dignitate proximus erat Diali, & maior Flamen, atque ex Patriciis creabatur, Marti qui Romuli pater esse putabatur, institutus est, eique sacra fecit, quod clarè docet Varro. Sed & QVIRINALIS Flamen maior, & Patricij generis à Numa in Romuli honorem institutus est, quod Romulus Quirinus appellatus, parens & Vrbis conditor fuisset. Frequens huius Flaminis mentio erat apud Liuium, Varronem, Sext. Pompeium Festum, & alios. Reliquorum aliquot Flaminum cognomina docet nos Ter. Varro lib. 4. de lingua Latina, cùm scribit: Flaminum singuli cognomina habent ab eo Deo, cui sacra faciunt: sed partim sunt aperta, partim obscura. Aperta, vt Martialis, Volcanalis: obscura, Dialis & Furinalis: cùm Dialis à Ioue sit, qui est Diouis: Furinalis, à Furina, cuius etiam in Fastis Furinales Feriæ sunt. Sic Flamen Falacer à diuo Patre Falacre. Idem alibi: Eundem Pompilium Numam Ennius ait fecisse Flamines, qui cum omnes sint à singulis Deis cognominati, in quibusdam apparent etyma: vt cur sit Martialis, Quirinalis. Sunt in quibus Flaminibus cognominum latent origines: vt qui sũt in versibus plerique. Volturnalis, Palatualis, Furinalis. Floralis, Falacer, Pomonalis, obscura est eorum origo. Volturnus, Palatua, Furrina, Flora, Falacer, Pomona, pomorum patrona.

VOLCANALIS igitur Flamen & minor fuit, & plebeius, Volcano institutus.

VOLTVRNALIS, Volturno, vel Deo, vel Flumini fuit dicatus, vt ei sacra faceret.

PALATVALIS, Flamen fuit constitutus ad sacrificandum ei Deæ, in cuius tutela Palatium erat. Sext. Pompeius Festus. Eam Deam Varro Palateam vocat.

FVRINALIS, Deæ Furinæ institutus est.

FLORALIS, Deæ Floræ, de qua, sicut & de reliquis Diis & Deabus, libro præcedenti multa.

FALACER, quemadmodum Varro scribit, Diuo Patri Falacri est institutus. Quis autem iste Deus fuerit, à nemine veterum traditur. Adr. Turnebus comment. in Varronem, suspicatur, Falacrem fortasse fuisse eum Deum, qui præfuerit falis Circi, quorum meminit Iuuenalis.

Consulit ante falas, Delphinorúmque columnas.

POMONALIS, Pomonæ Deæ pomorum, institutus est: & quemadmodum Sext. Pompeius Festus docet, minimi habebatur, quod Pomona leuissimo fructui agrorum præsideret, pomis.

Fuit etiam Flamen Carmentalis, qui Carmentæ Euandri Arcadis matris sacra curabat, cuius Cicero in Bruto ita mentionem facit: M. Popillius cùm Consul esset, eodémque tempore sacrificium publicum cum Læna faceret, quod erat Flamen Carmentalis, plebis contra Patres concitatione, & seditione nunciata, vt erat Læna amictus, ita venit in concionem, seditionémque, tum auctoritate, tum oratione sedauit. Et hic quoque Flamen minor, & plebeius fuit, quia Lænas hic, cuius à Cicerone mentio fit, ex plebe Consul electus est.

Flaminis Virbialis, qui Deo Virbio, id est, Hippolyto consecratus fuit.

Laurentialis, qui Accæ Laurentiæ institutus fuit.

Lauinalis, quoque & Lucularis nullus veterum Scriptorum, sed epigrammata tantùm quædam, quæ ab Onuphrio Panuinio proponuntur, meminerunt. Hæc itaque xv. illorum Flaminum nomina sunt, officia autem, vt singuli suis Diis sacra facerent.

Præter hos verò aliorum Flaminum in scriptoribus & lapidum epigrammatis vetustioribus fit mentio, eorum scilicet, qui imperatoribus Augustis vita defunctis, & inter Diuos relatis fuerunt instituti, iisque sacra peregerunt, quorum quidem tot fuerunt, quot Imperatores à Romanis consecrati sunt, quorum omnium nomina & testimonia summa diligentia collegit Onuphrius Panuinius, secundo suæ Reipublicæ Romanæ commentario.

Cùm autem hîc mentio inciderit consecrationis Imperatorum Romanorum vita defunctorum, operæpretium me facturum arbitror, si quibus cærimoniis ea peracta sit, paucis hoc loco explicem: id quod capite sequenti faciam, ex traditione Huberti Goltzij.

CAPVT XVIII.

De consecratione Imperatorum vita defunctorum apud Romanos.

ROMANIS mos erat à Cæsare Augusto primùm institutus, deinde à Tiberio instauratus, eos consecrare Impp. qui superstitibus filiis, vel successoribus moriebantur, quique eo erant honore affecti, inter Diuos relati dicebantur. Sic primus omnium Augustus Iulium Cæsarem, Tiberius Augustum mortuos consecrârunt. Cùm Imperator vita defunctus consecrādus erat, tota Vrbe primum quasi quidam esse videbatur, festæ celebritati promiscuus: quippe functum vita corpus ritu hominum sumptuoso funere sepeliebant: ceream deinde imaginem defuncto quàm simillimam fingebant, eámque in Palatij vestibulo propositam supra eburneum lectum maximum, atque sublimem, vestibus instratum aureis, locabāt. Et quidem imago illa ad ægroti speciem placida recumbebat. Circa lectum verò vtrinque magnam partem diei sedebant: à læua quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, à dextra verò matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestabat. Harúmque nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspiciebatur, sed vestibus albis exilibus indutæ, mœrentium speciem præbebant. Hæc ita per septem dies continuos faciebant, Medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectúmque veluti ægrum deteriùs se habere subinde pronunciantibus. Dein vbi iam visus esset obiisse diem, lectum humeris attollebant Equestris Senatoriique ordinis nobilissimi, ac lectissimi iuuenes: perque viam sacram in vetus forum deferebant, vbi Magistratus Romani deponere Imperium consueuerant. Extructum autem erat in ipso Romano foro coloris lapidei tribunal ligneum, super quod ædificium quoddam fabrefactum erat, quòd columnæ vndique sustinebant, erátque ebore variè ornatum, & auro: eò allatus fuerat alius lectus consimilis, cui stragulis purpureis, atque auro intextis ornato erant circùm capita belluarum terræ, marísque: in eóque statuam ceream Principis consecrandi, vt dixi, ex Pallatio allatam, ornatu triumphali collocabant, à qua puer egregia forma, ita vt Imperator dormiret, pennis pauonis muscas agebat. Et ita iacent superstites Imperatores, & Senatus, Senatorúmque vxores vestibus iisdem induti accedebant ponè lectum, dum in forum ipsi deuenissent, vbi mulieres quidem in porticibus, Senatus verò sub dio sedebant. Ab vtraque autem fori parte, gradus quidam erant ad scalarum similitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus erat è Nobilissimis, atque Patriciis, altera fœminarum illustrium, hymnos in defunctum, pæanásque canentium, verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus ita dispositis, funebris pompa in foro inchoabatur extra Vrbem in campum Martium tendens. Primùm antè ferebantur statuæ omnium veterum Romanorum illustrium, qui vnquam ab ipso Romulo vsque ad eius consecrationis tempus fuissent. Deinde Prouinciarum, & nationum omnium, quæ Romano Imperio subiectæ erant, ænea simulacra, variis distincta ornamentis, vt erat cuiusque gentis patria consuetudo. Sequebantur post varia genera Ciuium, Lictorum, Scribarum, Præconum, & qui sunt eiusdem generis. Sequebantur deinceps signa diuersorum illustrium virorum, quos præclarè fecisse aliquid, aut excogitasse, aut in aliquo studio floruisse constaret. Veniebant posteà equites, ac pedites armati, certatores equi, atque ea quæ ad parentandum pertinebant, quæ ab ipsis Principibus & Sacerdotibus, eorum vxoribus, & è clarissimis Equitibus, ac populis, & à ciuium congregatione missa fuerant. Postremò ferebatur altare inauratum, ornatúmque ebore, & lapillis Indicis. Quæ postquàm transierant, Imp. viuus Rostra ascendebat, defunctúmque Imp. laudabat. Cúmque oraret crebrò à Senatoribus adstantibus exclamabatur partim laudantibus defunctum, partim lugentibus: sed oratione habita multò magis id factitabant, ac tandem eum lectum de loco, in quo erat,

erat, moueri oporteret, omnes simul Senatores lamentabantur, ac flebant. Quibus peractis, iterum lectum à tribunali tollebant Pontifices & Magistratus, non modò qui tum erant, sed etiam hi qui in sequentem annum designati fuerant, eundémque posteà tradebant nonnullis Equitibus ferendum. Pars Senatorum lectum anteibat, ex quibus multi dolere se simulabant, querulas voces emittendo, multi canebant flebile carmen, ad tibias. Imperatores postremi sequebantur. Ita extra vrbem in Martium campum veniebant. Vbi qua latissimè campus patet, rogus siue suggestus quidam specie quadrangula lateribus æquis assurgebat, nulla præterquàm lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam: id quidem interius totum erat aridis fomitibus oppletum: extra autem intextis auro stragulis, atque eboreis signis, variisque exornatum: supra verò alterum minusculum quidem tabernaculum positum erat, sed forma & ornatu persimile portis, ianuisque patentibus. Tertium item, & quartum, semper superiore tabernaculo contractius, ac deinceps alias donec ad extremum, quod est omnium breuissimum, perueniebatur. In summo eius currus inauratus, quo mortuus Imperator olim vehebatur, collocatus erat. Potest eius ædificij forma comparari turribus his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato naues in tutas stationes dirigunt. Phari vulgò appellantur. Eius quoque tabernaculi formam adhuc in antiquis numismatibus, Sabinæ Augustæ, Ant. Pij, Faustinæ Augustæ, & matris & filiæ, M. Aurelij Antonini, L. Aur. Veri, P. Heluij Pertinacis, L. Septimij Seueri, & Iuliæ Piæ Augustæ consecratorum videntur, quorum duo subieci.

Igitur lecto in secundum tabernaculum, quod primo contractius est, sublato, aromata & suffimenta omnis generis, fructus, herbásque & succos omnes odoratos conquisitos, aceruatim effundebāt. Quippe neque gens erat, neque ciuitas, neque qui honore vllo, aut dignitate præcelleret, quin certatim pro se quisque suprema illa munera Principis honori deferrēt. Vbi verò ingens aromatum, ac eorum, quæ parentandi causa allata fuerant, suffimentorum aceruus magnus aggestus est, ac locus omnis oppletus, Imperator superstes, cæterique Imperatoris mortui propinqui eius statuam osculabantur, quo facto Princeps in tribunal conscendebat: Senatores verò, exceptis Magistratibus, in tabula parua assidebant, vt tutò simul, & commodè spectarent, quæ gerebantur. Magistratus & cæteri ex ordine collocabantur, vt cuiusque dignitas postulabat. Tum circa ædificium illud adequitabant vniuersi Equestris ordinis certa quadam lege, ac recursu motúque Pyrrichio, numeróque in orbem decurrentes: pedites quoque circum ipsum rogum cursus vrbanos & confictos peragebant. Currus item circumagebantur insessi purpuratis Rectoribus, qui personas ferebant Ducum omnium Romanorum, Principúmque illustrium. Quæ vbi celebrata erant, facem capiebat Imperij successor, eámque tabernaculo admouebat, tum Consules primò cæterique omnes Magistratus, & alij ordine vndique ignem subiiciebant, cunctáque illico fomitibus illis aridis, odoramentísque referta, igni valido corripiebantur. Mox ab extremo minimóq; tabernaculo, tanquam è fastigio quodam simul cum subiecto igni aquila dimittebatur, quæ in cælum ipsam Principis animam deferre credebatur. Ac iam ex illo, vnà cum cæteris Numinibus Imperator defunctus colebatur: vnde etiam in nummis quibusdam videntur aquilæ, vel pauones expressæ defunctos Imperatores, vel Augustas in cælum ferentes.

lus est, particeps fieri potes, terraque simul & sepulturæ, aut tumuli. Idem operis eiusdem lib. 3. cap. 30. id autem ab eo non nisi superata Perside, & profligato Dario ipsius Alexandri epistolis denunciatum est Græcis, nam tunc ἐπέστειλε τοῖς Ἕλλησι θεὸν ἑαυτὸν ψηφίσασθαι, γελοῖος γε, *scripsit Græcis, vt se deum facerent satis equidem stulte: & cum mandata ad singulas Græciæ ciuitates referrentur, quidam metu, quidam commodi & emolumenti specie inuitati, decreuerunt quod ille petebat, humanæ fragilitatis oblitus, at Lacedæmonij* ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός, *quoniam Alexander vult esse deus, esto deus.* Ælian. var. eiusdem hist. lib. 2. cap. 19. sed tamen decimus tertius inter deos Consentes factus. Pier. Hieroglyph. lib. 43. sed ad Romanos.

Longum foret, si Antoninos, Traianum, Claudium, Vespasianum, filios eius, Augustum, (D. Auson. Cæsarib.

Addidit Augustum diuis matura senectus.)

Et Cæsarem Dictatorem, inter deos relatos persequi vellem, quod diligentissime Onuphrius in Fastis suis, & Goltzius in Numismatis exequuti sunt, & ex Vopisco, Æl. Lampridio, Spartiano collegit Ioan. Kirchmanus lib. 4. de Funerib. Rom. capp. 13. 14. vnicum hoc sufficiat dixisse, *omnes Imperatores inter deos post mortem referri solitos.* Seruius Honoratus ad illud lib. 1. Georg. vers. 24.

Tuque adeo, quem mox, quæ sint habitura deorum
Concilia, incertum est.

Iuuenal. Sat. 6. vers. 115. *riuales diuorum*: vet. scholiast. *ridens, quia imperatores inter deos referuntur.*

Facetum illud est Vespasiani principis, qui *prima morbi accessione, vt inquit, puto deus fio.* C. Suet. in eo cap. 24. in fine. De Augusto, Domitiano, vide quæ fuse dixi supra libro 1. Reg. 8. & quia tam multa de Augusti diuinis honoribus scriptores disseruerunt, quidam imperite ortum eius consuetudinis ad illum retulerunt, sed falsi illi, nam Dictator ante illum consecratus fuit. Sueton. in Iulio cap. 88. *stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam, credi tumque est animam Cæsaris esse in cælum recepti, & hac de causa, simulachro eius in vertice additur stella.* Aliter alius proditum, verba Seruii Maur. adscribam. *apparet sidus in vertice, hoc est super galeam, nam ex quo tempore per diem stella visa est dum sacrificaretur Veneri genitrici, & ludi funebres Cæsari exhiberentur, per triduum stella apparuit in septentrione, quod sidus Cæsaris putatum est Augusto persuadente: nam ideo Augustus omnibus statuis, quas ob ciuitatem Cæsari statuit, hanc stellam adiecit. Ipse verò Augustus in honorem patris Augusti, stellam in galea capitis habere depictam.* hæc ille ad vers. 681. lib. 8. Æneid.

——Geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriúmque aperitur vertice sidus.

Sil. Italic. lib. 13. Punicor.

——Ille deûm gens
Stelligerum attollens apicem Troianus Iulo
Cæsar auo, quantas moles, cum sede reclusa
Hæc tandem erumpent, terraque marique mouebunt.

Propert lib. 4. eleg. 6.

Tum pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum deus, & nostri sanguinis ista fides.

Iupiter Ouidianus lib. 15. Metamorphos. fab. vlt. ad Venerem.

Hanc animam interea cæso de corpore raptam
Fac iubar,

Et postea ambitiose apotheosim describit.

Cæsareo eripuit membris, nec in aëra solui
Passa recentem animam, cælestibus intulit astris,
Dumque tulit, numen capere, atque ignescere sensit,
Emisitque sinu, simul altius euolat illa,
Flammiferúmque trahens spatioso limite crinem
Stella micat.

In tertio versu alij legunt non malè, vt mihi videtur,

Dumque tulit, lumen capere, atque ignescere sensit.

Ritum, plenissime, in deos referendi, expressum legere potes apud Herodianum libro 4. Hist. Rom. quem ex illo descripsere multi, Blondus Flauius Romæ Triumphantis lib. 2. Bernardin. Reatin. Annotat. in varia scriptorum loca cap. 16. Francisc. Robortell. lib. 2. Emendat. cap. 38. *Apotheosin* vocare hanc solemnitatem solemus. Iuuenal. Sat. 6. vers. 619. *descendere iussit in cælum*, vet. scholiast. *ridens, pro ad inferos; & apotheosin deridet, deum fecit imperatorem.* M. Tull. lib. 1. ad Atticum epist. 13. *vidésne consulatum illum nostrum, quem Curio antea* ἀποθέωσιν *vocabat?* Et lib. 12. ad eundem epist. 13. *Insula Arpinas habere potest germanam* ἀποθέωσιν. Et epist. 35. *fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest* (aut vt in aliis *neque mihi suaderi potest*, aut, *neque hoc mihi dissuaderi potest*) *sepulchri similitudinem effugere, non tam propter pœnam legis studeo, quam vt maxime assequar* ἀποθέωσιν.

Est autem idem *apotheosis*, ac *consecratio*, quam vocem aduocauit idem Cicero libro 1. ad Quintum fratrem Epist. 1. *quoniam in istis vrbibus cum summo imperio & potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas, &* [illegible]

in deorum numero collocatas vides. vet. scholiast. Iuuenal. ad Sat. 11. vers. 63. *Æneas qui in Numicium fontem lapsus, creditur consecratus. ideo ait, aquis, flammis vero Hercules, qui in Oeta monte se incendit, non tolerans ardorem vestis.* C. Plin. Cæcil. Iunior in Panegyrico elegantissimo. *Dicauit cælo Tiberius Augustum, sed vt maiestatis numen induceret, Claudium Nero, sed vt irrideret. Vespasianum Titus, Titum Domitianus, sed ille, vt dei filius, hic vt frater videretur, tu sideribus patrem intulisti.* est ergo apotheosis, quasi dei factio, aut diuinitatis collatio, veteres gl'ossæ, ϑειῶσαι, *diuino.* quod proprie facere, verti potest, aut deos dare, vt dixi supra lib. 2. cap. 17. M. Manil. lib 4 Astronomic.

Iam facit ipse deos mittitque ad sidera numen
Maius, & Augusto crescit sub principe cælum.

L. Sen. in Herc. Furente.

—Hæc quæ cælites
Recepit, & quæ fecit: & (fas sit loqui)
Fortasse faciet.

Et in Octauia, si modo illius est, & non alterius peioris poetæ. Act. 2. sc. 2.

Stulte verebor esse cùm faciam deos.

Et in eadem scena.

Pietate nati factus eximia deus

Allusit, vt puto, M. Martial. lib. 8. Epigr. 24.

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille deos, qui rogat ille facit.

Aliquos ritus apotheoseos nulli in hunc diē, quod sciam, obseruatos subiiciam: ac primum NOMINA MVTABANTVR inter deos referendis, sic apud priscos Io dicta est Isis, Melicerta Portumnus, Ino Leucothea apud Græcos, apud Latinos priscos, Æneas consecratus legitur, noménque mutatum. T. Liuius. 1. Decad. lib. 1. non longe à principio *situs est, quemcunque eum dici ius fas que est super Numicum flumen, Iouem indigetem appellant.* Ea propter Heroum templa transituri, ne in deos receptum heroem alio nomine, quam quod impositum ex apotheosi fuisset, compellantes offenderent, taciti & silentes, indictóque sibi silentio, precabantur, obseruauit Nannius Miscellaneor lib. 4. Ad Romanos descendere quid opus? cum omnes historici loquantur, Romulum post consecrationem *Quirinum* vocitatum. Poetæ. Sil. Italic. lib. 15.

Ledæos referam fratres, vestrumque Quirinum.

Claudian. lib. de bello Getico.

Delubra Numæ, sanctumque Quirini.

Sic, in MS. meo, in aliis hactenus lectum fuit.

—delubra Numæ, sedémque Quirini.

Q. Horat. Epost. od. 16.

Quæque carent ventis & solibus, ossa Quirini
Nefas videre, dissipabit insolens.

P. Ouid. lib. 3. Amor. eleg. 7. & lib. 2. Fastor.

Proxima lux vacua est, & tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

M. Lucan. lib. 1. Pharsal. vers. 196.

—Rapti secreta Quirini.

Et lib. 14 Metamorpho. fab. 15.

Lustratum genitrix diuino corpus odore
Vnxit, & ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque deum, quem turba Quirini
Nuncupat indigetem templisque arisque recepit.

Et eiusdem libri fab. vlt.

—Priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramque vocat, quæ nunc dea iuncta Quirino est

Ob id, vt puto, Homerus alia apud deos, alia apud homines nomina, quibusdam imponit, nam Paris illi perpetuo Alexander appellatur, vt lib. 3. Iliad. in limine, & passim, licet Carolus Sigonius, vnam nomen, alteram verò appellationem cognomen esse contendat libello de Nominib. Rom. cap. 1. Ipse Homer. lib. 14. Iliados vers. 291.

χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ κύμινδιν.
Chal idem nominant dij, homines verò Cimindin.

Et lib. 20. Iliad. vers. 73.

Ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον
Quem Xanthum vocant dij, homines vero Scamandrum.

P. Ouid. lib. 11. Metam. fab. 10.

Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat.

Effigies ei pari splendore, paribúsq; insignibus, atque dum viuus erat, *erigebatur.* exemplum nobile apud Ælianum var. hist. lib. 12. c. vlt. quod nuper incredibili Europæ dolore, cruento supra fidem spectaculo, in Henrico Magno efferendo in regia mœsti, attonitíque vidimus, nihil magnificentiæ itaque aberat, sed crebra famulantium turba circunstabat ministratura inter deos referendo, omnia ornamenta, adeoque etiam coronæ imponebantur. M. Cic. Pro L. Flacco. notauit Pet. Victorius var. lect. lib. 2. cap. 7. dicam infra lib. 5. cap. 59. abunde, vbi de Flaminibus, aris, templis, iis erectis consecratísque. interim locum adde è Corippo Africano lib. 1. de laudib. Iustini. Num. 13

Ipse videbatur cunctis plangentibus vnus
Effigie gaudere pia, diademate comptus,
Purpureaque in veste iacens requiescere somno.

Denique ab hac apotheoseos consuetudine emanauit, vt *diuos deosque* Imperatores appellarent, *numenque* eis adscriberent. Theodosius & Valentinianus Augg. C. Theodos. li. 15. ti. 4. *Ludis quoque simulachra proposita tantum*

tum in animis concurrentium mentibúsque secretis nostrum numen & laudes vigere demonstrat. Q. Symmach lib.3.epist.81. *solemne est diuo nostro Theodosio.* Gunter.ligurini li.6.

Hæc de responsis diui, pater optime regis
Salua pace tua, tibi rescribenda putamus.

Vetus marmor apud Aldum Manutium in Orthographia sua pag.292.

IMP....... CÆSAR......... L. DOMITIO. AVRELIANO. PIO. FELICI. INVICTO. AVG. PONTIFICI. MAX. GOTHICO. MAX. GERMANICO. MAX. TRIB POT. V. COS. DESIGNA. III. IMP. III. P. P. PRO. COS. RESTITVTORI. ORBIS. INVICTISSIMO. ET VICTORIOSISSIMO.

PRINCIPI.
FVRIVS. ORFITVS. V. C. PRÆF. VRB. DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS.

Et statuæ huic seu effigiei subiiciebant aquilam, quam credi volebant animam in cælos, & ad deorum concessum defuncti alis suis efferre. quare Hectoris raptator Achilles à Lycophrone Aquila appellatur. Ioan. Meursius notat. Artemid. Oneirocrit. lib.2. cap. 10. ἔθος γὰρ παλαιὸν ἀποθανόντας τούτους πλάττειν τε καὶ γράφειν ἐπ' αὐτῶν ὀχουμένους, διὰ τῶν δημιουργημάτων τιμᾶν. *mos enim vetus est, hos mortuos tum fingere, tum pingere eos* (antea dixerat, ὀχεῖσθαι ἀετῷ. *vehi aquila) insidentes, & per huiusmodi officia colere.*

CAPVT XIX.

De Virginibus Vestalibus.

VESTALES dicebantur hæ, quòd Vestæ sacra curarent, & ignem eius custodirent. De quarum prima apud Romanos institutione non admodum inter Scriptores conueniunt. Fuisse quidem eas Lauinij, & Albæ ante Romæ conditam dubium non est, cùm, quòd Æneas Vestæ sacra vnà cum Penatibus Palladio ex Troia in Latium tulerit, & condito Lauinio, Vestæ ibi ædem sacrauerit, cui deinde Ascanius etiam condita Alba longa, templum in monte Albano extruxit. tum verò quòd Rhea Siluia, Romuli mater, à Numitore patruo virgo Vestalis creata fuerit. Vtrùm verò Romulus, vt quidam volunt, an qui ei successit, Numa Pompilius, quod pluribus placet, Vestæ ædem Romæ construxerit, eique Virgines custodes ignis æterni assignauerit, de eo valdè discrepant. Dionysius certè, cuius in historia Romana non minima est auctoritas, Numæ id institutum tribuit: & contrarium sentientes grauiter refutat, cuius verba, quæ quidem huc spectant, libet adscribere: Romulus, inquit, nullas virgines Vestæ Sacerdotes instituit, memor fortasse materni dedecoris, quæ inter illius ministeria virginitatem amiserat, haud quaquam idoneus futurus iuxta leges patrias, si quam violasse pudorem deprehendisset, ne sibimet refricaret probrum domesticum. Hæc ille, quem sequuti dicemus a Numa Pompilio Virgines Vestales primùm esse creatas, & institutas. Quo verò numero, quod earum officium, quæ dignitas fuerit, de iis porrò Dionysium loquentem audiamus. Sic autem is scribit: Quinto loco erant virgines ignis sacri custodes, quas illi à sua Dea Vestales nominant, cui Rex hic primus templum sacrauit, & cultrices virgines. Et paulò pòst: Virgines autem quæ Deæ sacris operabantur, quatuor erant ab initio, & ius optandi eas penes Reges esse, Numa voluit: posteà tamen propter sacrificiorum multitudinem ad senarium numerum auctæ (à L. scilicet Tarquinio Prisco V. Romanorum, vt idem auctor alibi docet) in eo hodiéque permanent degentes in Deæ fano, à cuius aditu nemo arcetur interdiu, sed pernoctare intus fas est viro nemini. Has necesse est per XXX. annos manere puras à nuptiis, sacrario seruientes, & legitimis cæremoniis, ac primo decennio rationem sacrorum eis oportebat discere, sequenti exercere, postremò docere alias. Post exactum verò annum trigesimum nihil vetabat eas positis coronis, reliquísque insignibus sacerdotij, cui vellent, nubere: fecerúntque id paucæ aliquot, sed parum læto vitæ exitu, & ominoso apud cæteras, ita vt libenter posthac virgines æuum exigerent in Deæ contubernio, ac tum demùm in defunctæ locum alia sublegebatur à Pontificibus. Honores autem eis exhibentur à ciuitate multi & eximij, propter quos nec liberorum, nec nuptiarum tanguntur desiderio. Pœnæ quoque, si qua delinquat, graues sunt propositæ, quas Pontifices ab illis exigunt, flagris cædentes deprehensas in leuiore crimine, stupratas verò miserabili, longéque fœdissimo tradentes supplicio. Viuæ enim funebri pompa efferuntur, amicis ac cognatis cum lacrymis lecticam prosequentibus, delatæque ad Collinam portam extra muros, in subterranea cella sepeliuntur, nec monumento dignitatis, nec parentatione, aliísve solennibus defun-

ctorum honoribus. Admissum autem circa sacra piaculum, tum aliis prodigiis deprehenditur, tum maximè, si ignis extinguatur, quod formidolosissimum Romanis habetur, vt perniciem ciuitati minitans, quæcunque tandem causa acciderit, & post multam procurationem, alium ignem in templum inferunt. Hactenus Dionysius. Vbi quæ scribit de pœna

Dionys. l. 3. Plutarchus in Numa.

Vestalium impudicarum, quam quidem à L. Tarquinio Prisco institutam esse volunt, plenius à Plutarcho explicantur, cùm de iis verba faciens in hunc modum scribit: Si quid deliquerit, inquit, Vestalis, verbera ei à summo Pontifice infliguntur, aliquando etiam nudæ, linteo prætenso, in obscuro & vmbroso loco. At quæ virginitatem polluit, viua defoditur iuxtà portam Collinam. Est ibi intra vrbem tumulus quidam terreus, in longum porrectus, Aggerem Latini vocant: in eo domus subterranea non magna, in quam ex superiori parte descensus, paratur: in eáque lectus constratus, lucerna ardens, paucæque eorum, quæ ad vitam fouendam necessaria sunt, primitiæ reponuntur, vt panis, aqua, lac in vasculo, & oleum, tanquam nefas putent fore, si corpus summis consecratum sacrimoniis fame pereat. Tum illam, quæ supplicio est afficienda, lecticæ impositam extra opertæ, lorísque reuinctam, ita vt ne vox quidem exaudiri possit, per forum vehunt: ei omnes via decedunt taciti, & ingenti cum mœstitia silentes transmittunt, neque est horribilius vllum spectaculum, aut dies, quam vrbs agat tristiorem. Vbi ad locum, quem dixi, lectica peruenit, vincula lictores soluunt: at princeps sacrorum secretò quædam comprecatus, manibus ad Deos sublatis, antè quàm necessitati supplicij satisfaciat, obleuatam educit, & in scalis deorsum in domum deferentibus constituit, ita ipse cum reliquis Sacerdotibus reuertitur. Postquam damnata descendit, sursum gradus attrahunt, multáque superne terra ingesta domus occulitur, complanatúrque. Hactenus Plutarchus. Sextus Pompeius Festus tradit, Sceleratum campũ appellari proximè portam Collinam, in quo virgines Vestales, quæ incestum fecerint, viuæ sint defossæ.

Plutarc. Quæst. Romanis. q. 65.

Caussas autem propter quas Vestales tali supplicio, non alio, afficiantur, idem auctor inquirit, & tradit has: vel, quòd mortuos tantùm crement, iniustum autem esse eam cremare, quæ sacrum ignem non piè custodiuerit: vel quòd corpus summis consecratum cæremoniis interficere, & manus adferre sacræ mulieri, nefas censeant, ipsámque vltrò mori volentes, infra terram demittant, in extructum ad hoc domicilium. Hæc Plutarchus. Morem eum à Græcis desumptum esse Gulielmus Canterus docet.

Nouarum lectionum lib. 7. c. 6.

Quòd si ignis negligentia earum extinctus esset, nequaquam eum accendere ab alio igni licebat, sed renouebant eum, flammamque eliciebant à Solis radiis puram & sinceram. Eam ad rem instrumentis vtuntur, quæ [illegible] nominant. Sunt autem excauata in modum turbinis rectangulis: hæc si aduerso soli opponantur, fit vt radij solares in circumferentiam vndique incidentes, ad centrum omnes concurrant, itaque & aërem tenuem reddant, & materiam (quæ leuissima siccissimáque instrumentis opponitur) statim inflamment, quia videlicet radij Solares, à corpore teniteute ita coguntur, & stipantur, vt naturam ignis accipiat. Hactenus Plutarchus. Cùm quo etiam Festus: Ignis Vestæ, inquit, si quando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur à Pontifice, quibus mos erat tabulam facilis materiæ tam diu terebrare, quovsque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret. Honores illis redditi fuerunt, vt etiam viuo patre testamentum condere, ac cæte- ra gerere sine curatore possent, quemadmodum & trium filiorum matres, vt cum fascibus, si prodirent, deducerentur. Et si casu in quemquam incidissent, qui ad lethum ageretur, necari enim non licebat: verum deierare virginem oportebat, se non vltrò, sed fortè, non autem dedita opera, & de industria obuiam factam. Qui autem occurreret, cum ipse feretro veheretur, moriebatur. Plutarchus.

In Numa. li. 28. cap. 4. Plin. lib. 16. ca. 44. lib. 1. c. 12. Antiquarum lectionum li. 2. cap. 4.

Plinius scribit, Vestales virgines seruos fugitiuos, ne vrbe exirent, precationibus suis retinere, item crinem suum ad Loton arborem Romæ vetustissimã, cognomento capillatam consecrandum deferre fuisse solitas. Cæterùm cuius ætatis, ex qua familia, & quo ritu virgo Vestalis capi solita fuerit, elegãter docet Agellius, cuius verba, quemadmodum à Lud. Carrione restituta sunt, adscribam. Qui, inquit, de Vestali virgine capienda, scripserunt (quorum diligentissimè scripsit Labeo Antistius) minorem quàm annos VI. maiorem quam annos X. natam negauerunt capi fas esse. Itẽ, quæ non sit patrima & matrima. Item, quæ lingua debili, sensúve aurium deminuta, aliáve quauis corporis labe insignita sit. Itẽ quę ipsa, aut cuius pater emancipatus sit, etiamsi viuo patre in aui potestate sit. Item, cuius parentes alter, ambóve seruierint, aut in negotiis sordidis deseruierint. Sed eam, cuius soror ad id sacerdotium lecta sit, excusationem mereri aiunt. Item, cuius pater Flamen, aut Augur, aut Quindecimuir sacris faciundis, aut qui Septemuir Epulonum, aut Salius sit. Sponsæ quoque Põtificis, & tibicinis sacrorum filiæ vacatio à sacerdotio isto tribui solet. Prætereà Capito Atteius scriptum reliquit: Neque eius legẽdam filiam, qui domicilium in Italia non haberet, & excusandam eius, qui liberos treis non haberet. Virgo autem Vestalis, inquit Agellius, simulatque

quæ capta, atque in atrium Vestæ deducta, & Pontificibus tradita est, eo statim tempore sine emancipatione, ac sine capitis minutione è patris potestate exit, & ius testamenti faciundi adipiscitur. De more autem, ritúque capiendę virginis, literę quidem antiquiores non extant: nisi quòd fertur, quæ capta prima est, à Numa rege esse captam. Sed Papiam legem inuenimus, qua cauetur, vt Pontificis Maximi arbitratu virgines è populo viginti legantur: sortitióque in concione ex eo numero fiat, & eius virginis ductu erit, vt eam Pontifex Maximus capiat, eáque Vestę fiat. Sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet: nam si quis honesto loco natus adeat Pontificem Maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cuius duntaxat, saluis religionum obseruationibus, ratio haberi possit, gratia Papiæ legis per Senatum fit. Capi autem virgo propterea dici videtur, quia Pontifex Maximus manu prehensa ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta abducitur. In lib. I. Fabij Pictoris, quæ verba Pontificem Maximum dicere oporteat, cùm virginem capit, scriptum est. Ea huiusmodi sunt: SACERDOTEM. VESTALEM. QVÆ. SACRA. FACIAT. QVÆ. IOVIS. CIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPVLO. ROMANO. QVIRITIBVSQVE. VTI. QVÆ. OPTVMA. LEGE FIAT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Præterea in Commentariis Labeonis, quæ ad duodecim tabulas composuit: ita scriptum est: Virgo Vestalis neque hæres est cuiquam intestato, neque intestatæ quisquam, sed bona eius in publicum redigi aiunt. Id quo iure fiat, quæritur. Amata inter capiendum à Pontifice maximo appellatur: quoniam quæ prima capta est, hoc fuisse nomine, traditum est. Hactenus Agellius, qui etiam alibi recitat verba Prætoris ex edicto perpetuo de Flamine Diali, & de Sacerdote Vestæ, hæc: SACERDOTEM VESTALEM ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Alebantur Vestales sumptibus publicis. Durauit autem earum sacerdotium vsque ad Theodosij senioris Imperatoris tempora, quo regnante, vnà cum aliis Sacerdotiis, nequicquam reclamante Senatu, omninò est sublatum, id quod ex epistolis Symmachi, & Ambrosij responsionibus manifestum est.

CAP. XX.

De Saliis Palatinis XII.

SEXTA pars legum ad religionem pertinentium, inquit Dionysius, tractat iura eorum quos Romani vocabant Salios, de quibus nos hoc capite agemus. Vnde nomen acceperint, dubitatur inter veteres scriptores. Plerique enim à saliendo, vel saltando eos dictos fuisse scribunt, quod id facere in comitio in sacris quotannis & & solerent, & deberent. Quidam tamen eos à Salio quodam, vel Saone sic appellatos volunt, id quod Sextus Pompeius Festus his verbis docet: Salios, inquit, à saliendo & saltando dictos esse, quamuis dubitari non debeat, tamen Polemon ait, Arcada quendam fuisse nomine Salium, quem AEneas à Mantinea in Italiam deduxerit, qui iuuenes Italicos ἐνόπλιον saltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace cum AEnea Deos Penates, qui Lauinium transtulerit, Saliare genus saltandi instituisse, à quo appellatos Salios. Plerique tamen à saltando id nomen deducunt, quos & nos sequimur. Instituti primùm sunt, Liuio, Dionysio, & Plutarcho testibus, à Numa Pompilio Rege, qui, vt pleraque sacra instituit, & Sacerdotes singulis præfecit, ita etiam Salios XII. ex Patritio ordine elegit, qui Marti sacra in Palatio celebrarent: vnde etiam Palatini sunt appellati. Hi erant, vt Dionysius libr. 2. inquit, saltatores quidam, & laudatores Deorum belli præsidum. Festum autem eorum incidit in panathenæa Græcorum mensémque Martium, agitúrque publicè ad dies aliquot, per quos tota Vrbe choreas ducunt vsque in forum & capitolium aliáque loca, tam priuata, quàm publica, æreis balteis succincti super pictas tunicas, & induti astrictas fibulis prætextas, quas vocant trabeas, quæ Romanorum vestis est propria, & honorata cum primis. Gestant etiam capitibus, quos vocant apices, fastigiatos in altum pileos. Græci appellant Cyrbasias. Accinguntur autem singuli gladio, dextra tenentes lanceam, aut virgam, aut tale quid aliud: sinistra verò ancyle Thraciæ cæteræ simile. Et paulò post: Gesticulantur militariter ad tibiæ modulos, nunc simul, nunc per vices, interim canentes pæana quendam patrium. Saltationem autem armatam, quæ collisis ad scutum gladiis crebros ciet strepitus, si quid credendum est antiquis Scriptoribus, primi Curetes inuentam tradiderunt posteris, &c. Hactenus ille. Eadem Liuius tradit, sed breuius. Salios, inquit, duodecim Marti Gradiuo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegment: cœlestiaque arma, quæ Ancylia appellantur, ferre, ac per vrbem ire canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu iussit. Cœtus Saliorum dicebatur Collegium, quibus qui præerat, & eos quasi

T iij

conspergebantur, scrutabantur, & expendebant. Sed quis omnia possit enumerare? Collegit hæc diligenter & eruditè tractauit clarissimus vir D.D. Gasparus Peucerus, in suis de generibus Diuinationum Commentariis, ex quibus ea desumpsimus. Extat apud Agel. exemplum perfidiæ Haruspicum Hetruscorum, & eorum pœna: vnde versus ille scitè factus & pueris decantatus fit: Malum consilium consultori pessimum est.

Vnum adhuc, antequam ad aliorum Sacerdotum considerationem accedamus, monendum videtur, quis auctor huius disciplinæ fuerit. Celebrarunt autem Hetrusci vniuersæ huius disciplinæ auctorem, puerum, proscissione terræ exaratum, nomine Tagem, qui vt ex Hetruscorum lib. Cic. commemorat, cùm terra araretur, & sulcus altiùs impressus esset, repentè extitit puerili specie, sed senili prudentia, & eum affatus est, qui arabat. Ad huius conspectum cùm obstupuisset bubulcus, clamorémque maiorem cum admiratione edidisset, concursus est factus, totáque breui tempore in eum locum Hetruria conuenit. Tum plura ille locutus multis audientibus, qui omnia eius verba exceperunt literísque mandarunt: omnis autem ratio fuit ea, quæ Haruspicinæ doctrina continebatur. Atque hæc de Auguribus & Haruspicibus hactenus. Progrediemur in instituta Sacerdotum descriptione.

Lib. 2. de Diuin. Amm. Marc. lib. 21.

CAPVT XII.

De Tribuno Celerum.

DE Tribuno Celerum nihil hoc loco dicturus eram, nisi Dion. Halic. lib. 2. monuisset, ipsum etiam quædam sacra peregisse. Hæc enim sunt eius verba: Tertiam sacrorum administrandorum partem Numa Tribuno Celerum tribuit, quem Romulus equitum, quos Celeres vocabant, Præfectum constituit, quos equites ac pedites Regum stipatores fuisse diximus. Nam & solennia quædam habebant sacrificia. Hactenus Dionysius: præter quæ de sacris Tribuni Celerum nihil inuenio.

CAPVT XIII.

De Curionibus XXX. & Curione Maximo.

CVRIONES à Curiis dicti sunt: cùm enim Romulus populum Romanum in tres Tribus & triginta Curias distribuisset, singulis Curiis præposuit vnum aliquem virum, quem Curionem dixit, qui sacra pro Curia sua curaret. Hoc sacerdotium Numa Pompilius Rex II confirmauit: sic enim de eo Dionysius libr. 2. Numa, inquit, omnia quæ ad religionem ac cæremonias pertinent, octo libris iuxta totidem Sacerdotum genera complexus est. Primus sacra triginta Curionum continebat, quorum erat publicè pro suis Curialibus rem diuinam facere. Hæc ille. Curiæ autem non tantum erant triginta illæ partes populi, sed sic etiam singularum earum partium ædes dicebantur, in quibus quæque Curia sua sacra publica faceret, feriásque obseruaret. Ad hęc ritè efficienda singulę Curię singulos Sacerdotes habebant, qui Curiones dicebantur. Quia igitur triginta Curiæ, seu partes populi erant, Curiones etiam tot fuisse necesse est. Hi singuli à singulis Curiis eligebantur. Vnus autem, qui reliquis omnibus præsidebat, & Curio maximus dicebatur, cuiúsque auctoritate cæteri Curiones regebantur, omnium Curiarum suffragiis, Comitiis Curiatis creabantur, vti alio loco pluribus ostendemus. Sacra, quæ in Curiis fiebant, Curionia dicebantur, & Curionium æs, quod dabatur Curioni ob sacerdotium Curionatus. Festus.

CAPVT XIV.

De Sodalibus Titiis, vel Titiensibus.

HORVM Sacerdotum Dionysius & Liuius non meminerunt. M. Terentius Varro l. 4. de ling. Lat. eorum meminit scribens, Sodales Titios dictos esse à Titiis auibus, quas in auguriis

guriis certis obseruare sint soliti. Hi sacerdotes quando, & à quo sint instituti, incertum est: tum quia antiquissimi Scriptores id in suis monimentis non tradiderunt, tum quia Tacitus, qui duobus locis eorum meminit, non vno modo de iisdem scribit: nam enim tradit, eos à Titio Tatio Sabinorum Rege, & à Romulo in vrbem Romam recepto, mox eos non à Tito Tatio, sed à Romulo, post Tatij obitum, in eius honorem institutos fuisse. Verba Cornelij Taciti Historiarum lib. II. sunt hæc: Faces Augustales subdidere: quod Sacerdotium, vt Romulus Tatio Regi, ita Cæsar Tiberius Iuliæ genti sacrauit. Alibi verò ita scribit. Idem annus nouas cæremonias accepit, addito Sodalium Augustalium sacerdotio, vt quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris Sodales Titios instituerat. Hæc Tacitus: quem si sequamur, coniicere possumus, Titios Sodales non à Titiis auibus, vt Varro vult, sed à Titio Tatio ita appellatos esse, quemadmodum etiam Titiensis Tribus. Libet tamen etiam addere, quæ de his Adrianus Turnebus Aduers. l. 21. c. 1. tradit, Titios, inquit, Varro dictos esse ait, à Titiis auibus: sed illæ aues cui hodie aucupi natæ sunt. Equidem esse neminem puto, qui eas magis cognoscat, quàm spinturnicem, hominibus ignotam, vt censet Plinius. Et post pauca: Vetus Interpres Persij in illum locum, Ingentes trepidare Titos, à titis Titos vocatos ait. Seruius dicit palumbes vulgò appellari tetas. Isidorus, Palumbes, inquit, eò quòd sunt factæ pabulo, quas vulgò tetos vocat. An hæ sint Titiæ aues, intelligentioribus & doctioribus iudicandum relinquo. Hæc ille. Eadem habet Commentario in Varronem. *Li. II. Annalium.*

Ad Cap. XIV.

PARALIPOMENA.

De Sodalibus Titiis, aliisque Sacerdotibus.

Sacerdotia omnia ista penè descripsit M. Lucanus lib. 1. Pharsaliæ vers. 595. cuius versus describam.

Pontifices, sacri quibus est permissa potestas,
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Mineruam,
Tum qui fata Deum secretaque carmina seruant,
Et lotam paruo reuocant Almone Cybellem,
Et doctus volucres augur seruare sinistras,
Septemuirque epulis festus, Titiique sodales,
Et Salius læto portans ancilia collo,
Attollensque apicem generoso vertice Flamen.

Fratres Aruales omisit, nisi forte de iis secundum versum intelligamus, quod non puto, de quibus est cap. 6. huius libri supra, & mentio in vetusto marmore, ex Aldo Manutio Orthographiæ pag 25.

L. Cæsonius. C. F. Qvirina. Lvcilivs Macer. Rvfinianvs. Cos. Frater. Arvalis. Praefectvs. Vrbi. Electvs. Ad Cognoscendas. Vice. Caesaris. Cognitiones. Procos. Prov. Africae. xx. Viros. Ex. Senatvs. consvlto. R. P. Cvrandae. Cvrator. Aqvarvm. et. Miniciae. Cvrator. albei. Tiberis. et. Cloacarvm. vrbis. Legatvs. Prov. Africae. Eodem. tempore. Vice. Proconsvlis. cvrator. R. P. Svessanorvm. Praetor. Kandidatvs. Qvaestor. Kandidatvs. Electvs. in. Familiam. Patriciam. X. Vir. Slit. Ivdicandis.

Quæ ideo plenissimè exscripsi, vt intelligeretur, plerosque ex his magistratibus posse cum honoribus vrbicis coniungi, & cohærere. Adde & sodales Titios plerúmque adolescentes fuisse. fragmentum lapidis antiqui.

Q. Caecilio. Feroci. Kalatori. Sacerdotii. Titialivm. Flavialivm. Stvdioso. Eloqventiae. Vixit. Annis. xv. Mense. 1. diebvs. xxiv. Filio. Optimo. ac. Reverendissimo. M. Gavivs. Karinvs.

Et de septemuiro Epulonum de quibus est cap. 28. huius libri infra, succurrit hæc vetus inscriptio, qua constet, non modo eum honorem ciuibus in vrbe concedi consueuisse, sed & in castris, militantes eundem gerere solitos. verba ipsius marmoris sunt apud Onufrium in Vrbe Roma. pag. 64.

Cn. Domitio. Sex. F. Afro. Titio. Marcello. Cvrino. Lvcano. Cos. Procos. Provinciæ. Africæ. Legato. Eivsdem. Provinciæ. T. VI. Fratris. Svi. Septenviro. Epvlonvm. Praetori. Legato. Provinciae. Afr. Imperat. Caes. Avg. Praef. Axiliorvm. Omnivm. Adversvs. Germanos. Omnes. Donato. ab. Imp. Vespasiano. Caes. et. T. Avg. F. Coronis. Mvrali. Vallari. avreis. Hastis. Pvris.

Cap. XV.

De Flaminibus in genere.

De Flaminum sacerdotio dicturus, primùm in genere, quinam Flamines, & vnde dicti fuerint, explicabo: deinde cùm præcipua dignitas Flaminis Dialis fuerit, de eo, quę passim reperiuntur recitabo, ad extremum de aliis Flaminibus verba faciam.

Flamines vnde dicti fuerint, notum satis est, videlicet à Filo, quasi Filamines. Sic enim Terentius Varro libro 4. de ling. Latina: Flamines quòd licio in capite velati erant semper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti. Horum singuli cognomina habent ab eo Deo, cui sacra faciunt: sed partim sunt aperta, partim obscura. Sic Seruius. Flamines, in capite habebant pileum, quod cùm per æstus ferre non possent, filo tantùm capita religare cœperunt. Nam nudis penitus capitibus incedere nefas erat: vnde à filo, quo vtebātur, Flamines dicti, quasi Filamines, cum quo facit etiā Sext. Pompeius Festus. Plutarch. eos à pileo, Pileamines primò, pòst Flamines dictos putat. Sunt etiam, qui eos à sacris infulis Flamines dictos existimant, quas in capite gestabant: quæ ab antiquis Flamę dicebātur: siue à flammeo, quod genus est tegminis capitis: mulierum tamen potiùs, quàm virorum. At hæc quidem de nomine eorum traduntur, vbi videmus plures inclinare in eam sententiam, quòd à filo Flamines nomen acceperint. Et cùm toties pilei Flaminum mentio fiat, non videtur alienū ab hoc loco, si descriptio eius quoque addatur, quam habet Ioseph Scaliger in Coniectaneis in Varronem:

Totus pileus, inquit, vel potiùs velamenta Flāmeū dicebatur: vnde Flamines dicti. Porrò desinebat in conum, vnde Apex dictus. Summū autem fastigiū vocabant Tutulum. Addebatur virgula ex felici arbore, quæ in Flaminib. dicebatur Stroppus, in Flaminicis Inarculū. Totus apex filo laneo velabatur, dicebatur Apiculum. Ab hoc putat quasi Flamines dictos Varro. Infra mentū pertinebant amenta, quæ pileū retinebāt: eæ dicuntur offendices, quòd se mutuò offenderēt, & conuenirent. Solius tamē Flaminis Dialis pileum dicebatur Albogalerus: fiebat enim ex hostia alba, Ioui cæsa, quæ dicebatur Idulis, de qua alibi. Hactenus Scaliger, quæ omnia veterū Scriptorū testimoniis confirmari possūt. Apex enim, inquit Festus, Sacerdotū insigne, dictus est ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, apere dicebant, vnde aptus is, qui conuenienter alicui iunctus est. Tutulū vocari aiunt Flamin: carū capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructū in altitudine, quidam pileum lanatum forma tali figuratum quo Flamines ac Pontifices vtātur, eodem nomine vocari aiunt, Stroppus est, vt Ateius Philologus existimat, quòd Græcè στρόφιον vocatur, & quod Sacerdotes pro insigni habēt in capite: quidam coronā esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur, quale sit strophium. Inarculum dicit, virgula erat, ex malo Punico incuruata, quam Regina sacrificans in capite gestabat. Seruius etiam, quemadmodum doct. Scaliger ex schedis Petri Danielis docet, scribit, Arculum esse virgam ex malo Punica incuruatam, quæ fiat quasi corona: Et imam summámque, inter se alligari vinculo laneo albo, quam in sacrificiis certis Regina in capite haberet: Flaminica autem Dialis omni sacrificatione vti deberet. Apiculum, filum est quo Flamines velati, apicem regerunt: sic legendum Scaliger, docuit, & addit: Ponè enim regerebant apicem, ne grauis esset summis æstatis caloribus. Amentis enim, quæ offendices dicebantur sub mentum adductis religabant, vt cùm vellent regererent, & ponè pendēre permitterent. Offendices Titius ait esse nodos, quibus apex retineatur, & remittatur. At Veranius Choriola existima, quæ sint in locis apicis quibus apex retineatur & remittatur, quæ ob offendendo dicuntur. Nam quum ad mentū peruentum est, offendit mentum. Albogalerus, à galea nominatus. Est enim pileū capitis, quo Diales Flamines, id est, Sacerdotes Iouis vtebantur. Fiebat enim ex hostia alba Ioui cæsa; cui adfigebatur apex virgula oleagina. Huius icon in antiquis monumētis videtur talis. Cæterùm quo tempore creati primùm Flamines fuerint, de eo inter veteres Scriptores non conuenit. Plutarch. enim eorum primam creationem & institutionē Romulo attribuit: Dionysius verò Romanarū rerum inuestigator acerrimus, & Liuius eandē Numæ adscribunt. Plutarchi in Numa verba sunt hæc: Iouis Martísque

tisq; Sacerdotib. à Romulo cōstitutis, tertium ipse Romulus cōstituit, quem Flaminem Quirinalem nominauit Liu. lib. 1. Tum Sacerdotib. creandis animū adiecit: quanquam ipse plurima sacra obibat, ea maximè quæ nunc ad Dialem Flaminē pertinēt. Sed quia in ciuitate bellicosa plures Romuli quàm Numę similes Reges putabat fore, ituróſq; ipsos ad bella: ne sacra regiæ vicis desererētur, Flaminem Ioui assiduum Sacerdotē creauit, insigniq;eum Veste, & Curuli regia sella adornauit: huic duos Flamines adiecit, Marti vnū, alterū Quirino. Hæc Liuius: quę eadē confirmauit Dionysius. Maximè igitur cōsentaneum vero est, Numam Pompilium II. Ramanorū Regem, Flamines primū instituisse, tres videlicet numero, Dialem, Martialem, & Quirinalem. Nō autē semper hic numerus māsit. Sed processu tēporis XII. alij aliis additi sūt, & ita ad XV numerū Flamines aucti. Erat tamen inter eos differētia: priores enim tres, quorum originē ad Numā referri diximus, ex Patriciis creabantur, & maioris dignationis erant, ideóq; Flamines maiores dicebātur: reliqui ex plebeiis, & minores appellabātur. Docet id Sext. Pōp. Festus cum scribit: Maiores Flamines appellabantur Patricij generis, minores Plebeij. Inter omnes autem maximę dignationis erat Flamen Dialis, teste eodem Pompeio his verbis: Maximæ dignationis Flamen Dialis est, inter quindecim Flamines, & cum cæteri discrimina maiestatis suæ habeant, minimi habetur Pomonalis, quòd Pomona leuissimo fructui agrorū præsidet pomis. Priores item tres Flamines ex Patriciis creatos esse docet Cicer. in orat. pro domo sua Quanquam autem XV Flamines essent, qui nomine cōuenirent collegæ tamen nō erant, neq; eorum quoddā collegium vocabatur. Siquidem Flamen vnius Dei Sacerdos erat, habebátq; sua quisq; sacra, quę per se quisque procuraret, quæque ad alios nihil omnino attinerēt: quod Cic. li. 2 de Legib. satis indicat, huiusmodi legem recitans: Diuísque aliis Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis Flamines sunto. Flamines autem (de maiorib potissimùm loquor) tametsi non essent Pontifices: ita tamen erant adscripti in Collegiū Pontificum, vt si quando de re aliqua apud Pontifices ageretur, ipsi vna Iudices sederent eius rei, de qua ad Collegium Pontificum relatum esset: quod potest ex Oratione Cicer. pro domo sua intelligi, quæ cùm sit habita apud Pontifices, ad quorum collegium reiectum erat de domo à Clodio consecrata iudicium, in ea tamen Iudices sedisse, Regem sacrorum, & Flamines ostendit.

Creabantur Flamines à populo Comitiis Curiatis, vti ex Lælio Fœlice docet Agell. li. 15. c. 27. Creati inaugurabantur à Pontifice Max q. cùm fieret, capti ducebātur à patribus, velut ab hostibus, ideóq; Flamines capti dicebantur, eodem Agellio, lib. 1. c. 12. teste. Eius dicto omnes suberāt, id quod ex plurimis veterum scriptorum locis patet, vnico Liuij l. 37. contentus ero, cū de Q. Fabio Pictore sic scribit, priusquā in prouincias Prætores irēt, certamē inter P. Licinium Pont. Max. fuit, & Q. Fabium Pictorem Flaminem Quirinalem, quale Patrum memoria inter Q. Metellum & Posth. Albinū fuerat Consulem illū cum C. Lutatio Collega in Siciliā ad classem proficiscētem, ad sacra retinuerat Metellus Pont. Max Prætorem hunc ne in Sardiniā proficisceretur P. Licinius tenuit. Et in Senatu, & ad populum magnis contentionib. certatū est, & imperia inhibita vltrò citróque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & Tribuni appellati. & prouocatū ad populum est. Religio ad extremum vicit, & dicto audiens esse Flamē Pontifici iussus. Hactenus Liuius. Qua de causa Flamini Diali antiquitus nec magistratum petere, nec capere permissum erat. In cuius rei gratiā ei lictore & Regia Sella Curuli vti permissum est. Inde Cornelium Merulam Flaminem Dialem Coss. in locum Cinnæ Vrbe pulsi suffectum, pœnas dedisse violati antiqui iuris quidam crediderunt. In magistratu enim paulò pòst occisus est. Flaminum autem Sacerdotium ita perpetuum erat, vt tamen ob certas quasdam causas Flamines etiam sacerdotio priuari possent, dicebatúrq; Flaminio abire, aliiq; subrogabantur. Quòd si nullis illarum causis coacti fuissent sacerdotium deponere, id dum viuebant, retinere solebant. Sic enim Val. Max. lib. 1. cap 1 Consimili ratione pòst P. Clœlius Siculus, M. Corn. Cethegus, C. Clodius propter exta parū curiosè admota aris Deorum immortalium, variis temporibus, bellísque diuersis Flaminio abire iussi sunt, coactiq; etiam. At Sulpicio inter sacrificandum apex è capite prolapsus, eidem sacerdotiū abstulit. Sed & aliæ erant causę eius deponendi sacerdotij de quibus alibi dicetur. Flaminū vxores Flaminicę vocabantur, vt tradit Festus, quibus diuortium facere non licebat. Ministri eorum Flaminij dicebantur, & ministræ Flaminiæ. Flaminia ædes, domus Flaminis Dialis, &c. His ita in genere de Flaminibus præmissis seorsim, nunc de singulis dicemus, incipientes à Flamine Diali.

Capvt XVI.

De Flamine Diali.

FLamen Dialis, inquit Festus, dictus, q. filo assiduè velatur, indéq; appellatur Flamen. Dialis autem appellatur à Dio, à quo vita dari hominib. putabatur. Terētius Varro à Ioue cum dictū ait, qui sit Diiouis. Cōstitutus igitur à Numa erat, vt assiduę Ioui præsto esset,

eique sacra faceret. Plurimæ huius erant cærimoniæ, quas obseruare cogebatur. Agell.li.10.c. decimoquinto, ex libris, qui de Sacerdotibus publicis compositi fuerãt, & ex primo Fabij Pictoris libro has recenset: I. Equo Dialem Flaminem vehi, religio est. II. Item Classem procinctam extra pomerium, id est, exercitũ armatum videre: idcirco rarenter Flamen Dialis creatus Consul est, cùm bella cõsulibus mandabantur. III. Iurare Dialem, fas nunquã est. IV. Annulo vti, nisi peruio, cassóque fas nõ est. V. Ignem è Flaminia, id est, Flaminis Dialis domo, nisi in sacrum efferri ius non est. VI. Vinctum, si ædes eius introierit, solui necessum est, & vincula per impluuium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti. VII. Nodũ in apice, neque in cinctu, neque in alia parte vllum habet. VIII. Si quis ad verberandũ ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est. IX. Capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detonset. X. Capram & carnem incoctam, & hederam, & fabam, neque tangere Diali mos est, neque nominare. XI. Propaginẽ è vitibus altiùs protentis non succidet. XII. Pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet, & de eo lecto trinoctium continuum non decubat: neque in eo lecto cubare alium fas est, neque apud eius lecti fulcrum capsulã esse cum strue atque ferto oportet. XIII. Vnguium Dialis, & capilli segmina subter arborem siliquam (alij felicem legunt) terra operiuntur. XIV. Dialis quotidie festatus est. XV. Ac sine apice, sub dio esse licitum non est, sub tecto vti libet. & non pridem à Pontificib. constitutum. Addit hoc loco Agellius, Masurium Sabinũ scripsisse, & alia quædam ei remissa, gratiámque aliquot cæremoniarum factam esse. XVI. Farinam fermento imbutam attingere ei fas non est. XVII. Tunicam intimam, nisi in locis tectis, non exuit, ne sub cœlo, tanquam sub oculis Iouis, nudus sit. XVIII. Super Flaminem Dialem in cõuiuio, nisi Rex sacrificulus, haud quisquã alius accumbit. XIX. Vxorem si amisit, Flaminio decedit. XX. Matrimonium Flaminis, nisi morte dirimi non est ius. XXI. Locum in quo bustum est, nunquam ingreditur. XXII. Mortuum nunquã attingit. Funus tamen exequi religio non est. Hæc Agellius, & paulò post subiicit, verba prætoris ex edicto perpetuo de Flamine Diali, & Sacerdote Vestæ hæc: SACERDOTEM VESTALEM, ET FLAMINEM DIALEM IN OMMI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Addit etiam verba ex 2 libro Rerũ diuinarum Varronis, quòd Flamẽ Dialis solus albũ habeat galerum, vel quia maximus sit, vel quia Ioui immolata hostia albato fieri oporteat. Nec poterat Flamen Dialis antiquitus aut magistratũ petere, aut capere, ne sacris auocaretur, & multa contra religionem facere cogeretur. Plutarch. in q. Ro. q. 113. Hæ ferè fuerũt Flaminis Dialis cæremoniæ, quarũ quidem in Script. antiquis testimonia extant. Plutarch. aliquot earum causas inquirit, in Problemat. vel Quæst. Romanarũ q. 109 vt quod non liceat Flamini Diali farinam, aut fermentũ tangere: quia videlicet farina alimentum sit imperfectum, & crudum, neque manserit triticum, id quod fuerat, neque factum sit, quod fieri debebat, nimirum panis: sed simul seminis vim amiserit, & vsum cibi non sit assecutum. Eandem ob causam eidem interdictum esse dicit contactu carnis crudæ. Fermentum autem tangere ei non licere, ait, quod & ipsum natum sit ex corruptione, & farinam, cui admiscetur corrumpat, vt languidior fiat, & inefficax. Cur à tactu & nominatione capræ & canis abstinere

qu. 110. qu. 111. cogatur, causas has affert: de capra quidem, vel quia esset lasciua, & fœtida, ideóq. abominati, vel quòd morbo Comitiali animal istud obnoxium esset, ideoque metuerint, contagionem mali ad eos peruenturam, qui tum vescerentur capra, aut eam tangerent, cùm in morbo esset. De cane verò hanc causam affert, quòd sit animal pugnax, ideoque asylis, & sacrosanctis prohibetur sacrificiis, in quibus omnis periculi exsors perfugium supplicibus concedatur. Cùm ergo Iouis quoque Sacerdotem, vtpote viuum: sacrúmque perfugij simulacrum, deceat ad se libere admittere quoslibet supplices & deprecantes, nemine arcente, aut terrente, à canibus ipsi abstinendum esse dicit, ne illi petituros hanc veniam terrerent, atque arcerent. Non licere ei hederam tangere dicit, vel quòd sit sterilis & inutilis hominibus, imbecilláque, & ea de causa aliis, quibus innititur, opus habeat, vmbráque & virore suo multis quasi præstigiando imponat: vel quòd eam mulieres Bacchicis furoribus deditæ rectam ferant, eámque manibus discerpant, & vorent: ideoque nonnullos existimare, inesse spiritum hederæ, qui de statu rationis deturbet, mentémque abalienet, exagitétque, & prorsus ebrietatem à nullo ortam vino inducat. Debere autem Iouis Sacerdotem Orgia Bacchi vitare. Quam etiam ob causam scribit eidem vetitum esse transire per viam, vbi vitium propagines in sublimi prætentæ sint: voluerunt videlicet significare, nefas esse eum inebriari, sed vino moderari, nec ab eo vinci, cùm qui ebrij sunt, eorum superius capitib. sit vinum, eáque degrauet & premat. Fabam nec tangere, nec nominare Flamini Diali licebat, quòd ea putaretur ad mortuos pertinere, & in flore eius luctus literæ apparere viderentur, testib. Sext. Pompeio Festo, & Plinio. Cæterùm à Numa vsque ad Marij & Sullæ tempora, perpetua & cõtinuata serie Flamines Diales semper fuerunt, vsque ad L. Cornel. Merulã, qui in seditione ciuili L. Cornel. Cinnæ, & Cn. Octauij, anno

anno DCLXVI. in magistratu occisus fuit. Post quem, cùm C. Iul. Cæsar, qui posteà Dictator fuit, id sacerdotium consecutus fuisset, non longè post à victore Sulla, & sacerdotio, & vxoris dote mulctatus est: ita vt nullus deinceps Flamen inauguratus fuerit, vsque ad finem Imperij Augusti Cæsaris. Sub quo, anno plusminus C. postquàm sacerdotium id vacauerat, Flamen Dialis inauguratus est Sext. Corn. Maluginensis, post quem perpetuo ordine Flamines Diales multi fuerunt, vsque ad nouissima imperij tempora, quibus cum reliquis sacerdotiis veteris superstitionis ab Imp. Theodosio id sacerdotium omnino sublatum est. Hæc de Flamine Diali. Eius vxor dicebatur Flaminica, quam & ipsam seorsum easdem ferè ceremonias obseruare solitam, idem Agell. li. 10. cap. 15. docet: videlicet 1. quòd benè uato operiretur. 2. & quòd in rica surculum de arbore siliqua (siue felici) haberet: 3. & quòd scalas, quæ Græcè κλίμακα appellantur, ascendere ei plus tribus gradibus religiosum esset. 4. atque etiam cùm it ad Agiros, quòd neque comeret caput, neque capillum depecteret. Hactenus Agellius. Accedemus nunc ad reliquos Flamines.

Capvt XVII.

De reliquis Flaminibus.

Diximvs antè primùm à Numa Pompilio tres Flamines institutos fuisse, Dialem, Martialem, & Quirinalem; posteà temporum progressu pluribus additis ad quindecim numerum eorum excreuisse. Cùm igitur de Flamine Diali satis multa in medium attulerimus, consequens est, vt reliquorum etiam rationem explicemus: quod quidem paucis expediemus, cùm multa ad eos pertinentia antè sint dicta.

Martialis igitur, qui dignitate proximus erat Diali, & maior Flamen, atque ex Patriciis creabatur, Marti qui Romuli pater esse putabatur, institutus est, eique sacra fecit, quod clarè docet Varro. Sed & Qvirinalis Flamen maior, & Patricij generis, à Numa in Romuli honorem institutus est, quod Romulus Quirinus appellatus, parens & Vrbis conditor fuisset. Frequens huius Flaminis mentio erat apud Liuium, Varronem, Sext. Pompeium Festum, & alios. Reliquorum aliquot Flaminum cognomina docet nos Ter. Varro lib. 4. de lingua Latina, cùm scribit: Flaminum singuli cognomina habent ab eo Deo, cui sacra faciunt: sed partim sunt aperta, partim obscura. Aperta, vt Martialis, Volcanalis: obscura, Dialis & Furinalis: cùm Dialis à Ioue sit, qui est Diouis: Furinalis, à Furina, cuius etiam in Fastis Furinales Feriæ sunt. Sic Flamen Falacer à diuo Patre Falacre. Idem alibi: Eundem Pompilium Numam Ennius ait fecisse Flamines, qui cum omnes sint à singulis Deis cognominati, in quibusdam apparent etyma: vt cur sit Martialis, Quirinalis. Sunt in quibus Flaminibus cognominum latent origines: vt qui sũt in versibus plerique. Volturnalis, Palatualis, Furinalis. Floralis, Falacer, Pomonalis, obscura est eorum origo. Volturnus, Palatua, Furrina, Flora, Falacer, Pomona, pomorum patrona.

Volcanalis igitur Flamen & minor fuit, & plebeius, Volcano institutus.

Voltvrnalis, Volturno, vel Deo, vel Fluminì fuit dicatus, vt ei sacra faceret.

Palatvalis, Flamen fuit constitutus ad sacrificandum ei Deæ, in cuius tutela Palatium erat. Sext. Pompeius Festus. Eam Deam Varro Palateam vocat.

Fvrinalis, Deæ Farinæ institutus est.

Floralis, Deæ Floræ, de qua, sicut & de reliquis Diis & Deabus, libro præcedenti multa.

Falacer, quemadmodum Varro scribit, Diuo Patri Falacri est institutus. Quis autem iste Deus fuerit, à nemine veterum traditur. Adr. Turnebus comment. in Varronem, suspicatur, Falacrem fortasse fuisse eum Deum, qui præfuerit falis Circi, quorum meminit Iuuenalis.

Consulit ante falas, Delphinorúmque columnas.

Pomonalis, Pomonæ Deæ pomorum, institutus est: & quemadmodum Sext. Pompeius Festus docet, minimi habebatur, quod Pomona leuissimo fructui agrorum præsideret, pomis.

Fuit etiam Flamen Carmentalis, qui Carmentæ Euandri Arcadis matris sacra curabat, cuius Cicero in Bruto ita mentionem facit: M. Popillius cùm Consul esset, eodémque tempore sacrificium publicum cum Læna faceret, quod erat Flamen Carmentalis, plebis contra Patres concitatione, & seditione nunciata, vt erat Læna amictus, ita venit in concionem, seditionémque, tum auctoritate, tum oratione sedauit. Et hic quoque Flamen minor, & plebeius fuit, quia Lænas hic, cuius à Cicerone mentio fit, ex plebe Consul electus est.

Flaminis Virbialis, qui Deo Virbio, id est, Hippolyto consecratus fuit.

Laurentialis, qui Accæ Laurentiæ institutus fuit.

Lauinalis, quoque & Lucularis nullus veterum Scriptorum, sed epigrammata tantùm quædam, quæ ab Onuphrio Panuinio proponuntur, meminerunt. Hæc itaque xv. illorum Flaminum nomina sunt, officia autem, vt singuli suis Diis sacra facerent.

Præter hos verò aliorum Flaminum in scriptoribus & lapidum epigrammatis vetustioribus fit mentio, eorum scilicet, qui imperatoribus Augustis vita defunctis, & inter Diuos relatis fuerunt instituti, iisque sacra peregerunt, quorum quidem tot fuerunt, quot Imperatores à Romanis consecrati sunt, quorum omnium nomina & testimonia summa diligentia collegit Onuphrius Panuinius, secundo suæ Reipublicæ Romanæ commentario.

Cùm autem hîc mentio inciderit consecrationis Imperatorum Romanorum vita defunctorum, operæpretium me facturum arbitror, si quibus cærimoniis ea peracta sit, paucis hoc loco explicem: id quod capite sequenti faciam, ex traditione Huberti Goltzij.

Caput XVIII.

De consecratione Imperatorum vita defunctorum apud Romanos.

Romanis mos erat à Cæsare Augusto primùm institutus, deinde à Tiberio instauratus, eos consecrare Impp. qui superstitibus filiis, vel successoribus moriebantur, quique eo erant honore affecti, inter Diuos relati dicebantur. Sic primus omnium Augustus Iulium Cæsarem, Tiberius Augustum mortuos consecrârunt. Cùm Imperator vita defunctus consecrãdus erat, tota Vrbe primum quasi quidam esse videbatur, festæ celebritati promiscuus: quippe functum vita corpus ritu hominum sumptuoso funere sepeliebant: ceream deinde imaginem defuncto quàm simillimam fingebant, eámque in Palatij vestibulo propositam supra eburneum lectum maximum, atque sublimem, vestibus instratum aureis, locabãt. Et quidem imago illa ad ægroti speciem placida recumbebat. Circa lectum verò vtrinque magnam partem diei sedebant: à læua quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, à dextra verò matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestabat. Harúmque nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspiciebatur, sed vestibus albis exilibus indutæ, mœrentium speciem præbebant. Hæc ita per septem dies continuos faciebant, Medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectúmque veluti ægrum deteriùs se habere subinde pronunciantibus. Dein vbi iam visus esset obiisse diem, lectum humeris attollebant Equestris Senatoriique ordinis nobilissimi, ac lectissimi iuuenes: perque viam sacram in vetus forum deferebant, vbi Magistratus Romani deponere Imperium consueuerant. Extructum autem erat in ipso Romano foro coloris lapidei tribunal ligneum, super quod ædificium quoddam fabrefactum erat, quòd columnæ vndique sustinebant, erátque ebore variè ornatum, & auro: eò allatus fuerat alius lectus consimilis, cui stragulis purpureis, atque auro intextis ornato erant circùm capita belluarum terræ, marísque: in eóque statuam ceream Principis consecrandi, vt dixi, ex Pallatio allatam, ornatu triumphali collocabant, à qua puer egregia forma, ita vt Imperator dormiret, pennis pauonis muscas agebat. Et ita iacent superstites Imperatores, & Senatus, Senatorúmque vxores vestibus iisdem induti accedebant ponè lectum, dum in forum ipsi deuenissent, vbi mulieres quidem in porticibus, Senatus verò sub dio sedebant. Ab vtraque autem fori parte, gradus quidam erant ad scalarum similitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus erat è Nobilissimis, atque Patriciis, altera fœminarum illustrium, hymnos in defunctum, pæanásque canentium, verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus ita dispositis, funebris pompa in foro inchoabatur extra Vrbem in campum Martium tendens. Primùm antè ferebantur statuæ omnium veterum Romanorum illustrium, qui vnquam ab ipso Romulo vsque ad eius consecrationis tempus fuissent. Deinde Prouinciarum, & nationum omnium, quæ Romano Imperio subiectæ erant, ænea simulacra, variis distincta ornamentis, vt erat cuiusque gentis patria consuetudo. Sequebantur post varia genera Ciuium, Lictorum, Scribarum, Præconum, & qui sunt eiusdem generis. Sequebantur deinceps signa diuersorum illustrium virorum, quos præclarè fecisse aliquid, aut excogitasse, aut in aliquo studio floruisse constaret. Veniebant posteà equites, ac pedites armati, certatores equi, atque ea quæ ad parentandum pertinebant, quæ ab ipsis Principibus & Sacerdotibus, eorum vxoribus, & è clarissimis Equitibus, ac populis, & à ciuium congregatione missa fuerant. Postremò ferebatur altare inauratum, ornatúmque ebore, & lapillis Indicis. Quæ postquàm transierant, Imp. viuus Rostra ascendebat, defunctúmque Imp. laudabat. Cúmque oraret crebrò à Senatoribus adstantibus exclamabatur partim laudantibus defunctum, partim lugentibus: sed oratione habita multò magis id factitabant, ac tandem cum lectum de loco, in quo erat,

erat, moueri oporteret, omnes simul Senatores lamentabantur, ac flebant. Quibus peractis, iterum lectum à tribunali tollebant Pontifices & Magistratus, non modò qui tum erant, sed etiam hi qui in sequentem annum designati fuerant, eundémque posteà tradebant nonnullis Equitibus ferendum. Pars Senatorum lectum anteibat, ex quibus multi dolere se simulabant, querulas voces emittendo, multi canebant flebile carmen, ad tibias. Imperatores postremi sequebantur. Ita extra vrbem in Martium campum veniebant. Vbi qua latissimè campus patet, rogus siue suggestus quidam specie quadrangula lateribus æquis assurgebat, nulla præterquàm lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam: id quidem interius totum erat aridis fomitibus oppletum: extra autem intextis auro stragulis, atque eboreis signis, variisque exornatum: supra verò alterum minusculum quidem tabernaculum positum erat, sed forma & ornatu persimile portis, ianuísque patentibus. Tertium item, & quartum, semper superiore tabernaculo contractius, ac deinceps alias donec ad extremum, quod est omnium breuissimum, perueniebatur. In summo eius currus inauratus, quo mortuus Imperator olim vehebatur, collocatus erat. Potest eius ædificij forma comparari turribus his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato naues in tutas stationes dirigunt. Phari vulgò appellantur. Eius quoque tabernaculi formam adhuc in antiquis numismatibus, Sabinæ Augustæ, Ant. Pij, Faustinæ Augustæ, & matris & filiæ, M. Aurelij Antonini, L. Aur. Veri, P. Heluij Pertinacis, L. Septimij Seueri, & Iuliæ Piç Augustç consecratorum videntur, quorum duo subieci.

Igitur lecto in secundum tabernaculum, quod primo contractius est, sublato, aromata & suffimenta omnis generis, fructus, herbásque & succos omnes odoratos conquisitos, aceruatim effundebát. Quippe neque gens erat, neque ciuitas, neque qui honore vllo, aut dignitate præcelleret, quin certatim pro se quisque suprema illa munera Principis honori deferrét. Vbi verò ingens aromatum, ac eorum, quæ parentandi causa allata fuerant, suffimentorum aceruus magnus aggestus est, ac locus omnis oppletus, Imperator superstes, cæterique Imperatoris mortui propinqui eius statuam osculabantur, quo facto Princeps in tribunal conscendebat: Senatores verò, exceptis Magistratibus, in tabula parua assidebant, vt tutò simul, & commodè spectarent, quæ gerebantur. Magistratus & cæteri ex ordine collocabantur, vt cuiusque dignitas postulabat. Tum circa ædificium illud adequitabant vniuersi Equestris ordinis certa quadam lege, ac recursu motúque Pyrrichio, numeróque in orbem decurrentes: pedites quoque circum ipsum rogum cursus vrbanos & confictos peragebant. Currus item circumagebantur insessi purpuratis Rectoribus, qui personas ferebant Ducum omnium Romanorum, Principúmque illustrium. Quæ vbi celebrata erant, facem capiebat Imperij successor, eámque tabernaculo admouebat, tum Consules primò cæterique omnes Magistratus, & alij ordine vndique ignem subiiciebant, cunctáque illicò fomitibus illis aridis, odoramentísque referta, igni valido corripiebantur. Mox ab extremo minimóq; tabernaculo, tanquam è fastigio quodam simul cum subiecto igni aquila dimittebatur, quæ in cælum ipsam Principis animam deferre credebatur. Ac iam ex illo, vnà cum cæteris Numinibus Imperator defunctus colebatur: vnde etiam in nummis quibusdam videntur aquilæ, vel pauones expressæ defunctos Imperatores, vel Augustas in cælum ferentes.

dus est, particeps fieri potes, terraque simul & sepulturæ, aut tumuli. Idem operis eiusdem lib. 3. cap. 30. id autem ab eo non nisi superata Perside, & profligato Dario ipsius Alexandri epistolis denunciatum est Græcis, nam tunc ἐπέστειλε τοῖς Ἕλλησι θεὸν ἑαυτὸν ψηφίσασθαι, γελοῖος γε, *scripsit Græcis, vt se deum facerent. satis equidem stulte: & cum mandata ad singulas Græciæ ciuitates referrentur, quidam metu, quidam commodi & emolumenti specie inuitati, decreuerunt quod ille petebat, humanæ fragilitatis oblitus, at Lacedæmonij* ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός, *quoniam Alexander vult esse deus, esto deus.* Ælian. var. eiusdem hist. lib. 2. cap. 19. sed tamen decimus tertius inter deos Consentes factus. Pier. Hieroglyph. lib. 43. sed ad Romanos.

Longum foret, si Antoninos, Traianum, Claudium, Vespasianum, filios eius, Augustum, (D. Auson. Cæsarib.

Addidit Augustum diuis matura senectus.)

Et Cæsarem Dictatorem, inter deos relatos persequi vellem, quod diligentissime Onuphrius in Fastis suis, & Goltzius in Numismatis exequuti sunt, & ex Vopisco, Æl. Lampridio, Spartiano collegit Ioan Kirchmanus lib. 4 de Funerib. Rom. capp. 13, 14. vnicum hoc sufficiat dixisse, *omnes Imperatores inter deos post mortem referri solitos.* Seruius Honoratus ad illud lib. 1. Georg. vers. 14.

Túque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum
Consilia, incertum est.

Iuuenal. Sat. 6. vers. 115. *riuales diuorum*: vet. scholiast. *videns, quia imperatores inter deos referuntur.*

Facetum illud est Vespasiani principis, qui *prima morbi accessione, vt inquit, puto deus fio.* C. Suet in eo cap. 24. in fine. De Augusto, Domitiano, vide quæ fuse dixi supra libro 1. Reg. 8. & quia tam multa de Augusti diuinis honoribus scriptores disseruerunt, quidam imperite ortum eius consuetudinis ad illum retulerunt, sed falsi illi, nam Dictator ante illum consecratus fuit. Sueton. in Iulio cap. 88. *stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam, creditúmque est animam Cæsaris esse in cælum recepti, & hac de causa, simulachro eius in vertice additur stella.* Aliter aliis proditum, verba Seruii Maur adscribam. *apparet sidus in vertice, hoc est super galeam, nam ex quo tempore per diem stella visa est, dum sacrificaretur Veneri genitrici, & ludi funebres Cæsari exhiberentur, per triduum stella apparuit in septentrione, quod sidus Cæsaris putatum est Augusto persuadente: nam ideo Augustus, omnibus statuis, quas ob diuinitatem Cæsari statuit, hanc stellam adiecit. Ipse verò Augustus in honorem patris Augusti, stellam in galea cœpit habere depictam.* hæc ille ad vers. 681. lib. 8. Æneid.

——Geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriúmque aperitur vertice sidus.

Sil. Italic. lib. 13. Punicor.

——Ille deûm gens
Stelligerum attollens apicem Troianus Iulo
Cæsar auo, quantas moles, cum sede reclusa
Hac tandem erumpent, terræque marique mouebunt.

Propert lib. 4. eleg. 6.

Tum pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum deus, & nostri sanguinis ista fides.

Iupiter Ouidianus lib. 15. Metamorphos. fab. vlt. ad Venerem.

Hanc animam interea cæso de corpore raptam
Fac iubar,

Et postea ambitiose apotheosim describit.

Cæsaris eripuit membris, nec in aera solui
Passa recentem animam, cælestibus intulit astris.
Dumque tulit, numen capere, atque ignescere sensit,
Emisit que simul, simul altius euolat illa,
Flammiferúmque trahens spatioso limite crinem
Stella micat.

In tertio versu alij legunt non malè, vt mihi videtur,

Dumque tulit, lumen capere, atque ignescere sensit.

Ritum, plenissime, in deos referendi, expressum legere potes apud Herodianum libro 4. Hist. Rom. quem ex illo descripsere multi, Blondus Flauius Romæ Triumphantis lib. 2. Bernardin. Reatin. Annotat. in varia scriptorum loca cap. 16. Francisc. Robortell. lib. 2. Emendat. cap. 38. *Apotheosin* vocare hanc solemnitatem solemus. Iuuenal. Sat. 6. vers. 629. *descendere iussit in cælum*, vet. scholiast. *videns, pro ad inferos, & apotheosin derides, deum fecit imperatorem.* M. Tull. lib. 1. ad Atticum epist. 13. *vidésne consulatum illum nostrum, quem Curio antea* ἀποθέωσιν *vocabas?* Et lib. 12 ad eundem epist. 13. *Insula Arpinas habere potest germanam* ἀποθέωσιν. Et epist. 35. *fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest* (aut vt in aliis *neque mihi suaderi potest*, aut, *neque hoc mihi dissuaderi potest*) *sepulchri similitudinem effugere, non tam propter pœnam legis studeo, quam vt maxime assequar* ἀποθέωσιν.

Est autem idem *apotheosis*, ac *consecratio*, quam vocem aduocauit idem Cicero libro 1. ad Quintum fratrem Epist. 1. *quoniam in istis vrbibus cum summo imperio & potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas, &*

in deorum numero collocatas vides. vet. scholiast. Iuuenal.ad Sat.11.vers.63. *Æneas qui in Numicium fontem lapsus, creditur consecratus.ideo ait, aquis, flammis vero Hercules, qui in Oeta monte se incendit, non tolerans ardorem vestis.* C.Plin. Cæcil. Iunior in Panegyrico elegantissimo. *Dicauit cælo Tiberius Augustum, sed vt maiestatis numen induceret, Claudium Nero, sed vt irrideret. Vespasianum Titus, Titum Domitianus, sed ille, vt dei filius, hic vt frater videretur, tu sideribus patrem intulisti.* est ergo *apotheosis*, *quasi dei factio, aut, diuinitatis collatio*, veteres glossæ, ϑειώσις, *diuino.* quod proprie facere, verti potest, aut deos dare, vt dixi supra lib. 2.cap.17. M.Manil.lib 4 Astronomic.

Iam facit ipse deos, mittitque ad sidera numen
Maius, & Augusto crescit sub principe cælum.

L.Sen.in Herc.Furente.

—Hac qua cælites
Recepit, & quæ fecit & (fas sit loqui)
Fortasse faciet.

Et in Octauia, si modo illius est, & non alterius peioris poetæ. Act.2.sc.2.

Stulte verebor esse cùm faciam deos.

Et in eadem scena.

Pietate nati factus eximius deus

Allusit, vt puto, M.Martial.lib.8. Epigr.24.

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille deos, qui rogat ille facit.

Aliquos ritus apotheoseos nulli in hunc diē, quod sciam, obseruatos subiiciam: ac primum NOMINA MVTABANTVR inter deos referendis, sic apud priscos Io dicta est Isis, Melicerta Portumnus, Ino Leucothea apud Græcos, apud Latinos priscos, Æneas consecratus legitur, noménque mutatum. T. Liuius 1. Decad. lib. 1. non longe à principio *situs est, quæcunque eum dici ius fá que est super Numicum flumen, Iouem indigetem appellant.* Ea propter Heroum templa transituri, ne in deos receptum heroem alio nomine, quam quod impositum ex apotheosi fuisset, compellantes offenderent, taciti & silentes, indictó que sibi silentio, precabantur, obseruauit Nannius Miscellaneor lib.4. Ad Romanos descendere quid opus cum omnes historici loquantur, Romulum post consecrationem *Quirinum* vocitatum. Poetæ. Sil.Italic.lib.15.

Ledæos referam fratres, vestrumque Quirinum.

Claudian.lib.de bello Getico.

De ubra Numæ, sanctumque Quirini.

Sic in MS.meo, in aliis hactenus lectum fuit.

—delubra Numæ, sedémque Quirini.

Q.Horat.Epod.od.16.

Quæque carent ventis & solibus, ossa Quirini
Nefas videre, dissipabit insolens.

P.Ouid.lib.3.Amor.eleg.7.& lib.2.Fastor.

Proxima lux vacua est, & tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

M.Lucan.lib.1.Pharsal.vers.196.

—Rapti secreta Quirini.

Et lib.14 Metamorpho.fab.15.

Lustratum genitrix diuino corpus odore
Vnxit, & ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque deum, quem turba Quirini
Nuncupat indigetem templisque arisque recepit.

Et eiusdem libri fab.vlt.

—Priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramque vocat, quæ nunc dea iuncta Quirino est

Ob id, vt puto, Homerus alia apud deos, alia apud homines nomina, quibusdam imponit, nam Paris illi perpetuo Alexander appellatur, vt lib. 3. Iliad. in limine, & passim, licet Carolus Sigonius, vnam nomen, alteram verè appellationem cognomen esse contendat libello de Nominib. Rom.cap.1. Ipse Homer. lib.14.Iliados vers.291.

χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ κύμινδιν.
Chal idem nominant dij, homines verò Cimindin.

Et lib.20.Iliad.vers.73.

ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον
Quem Xanthum vocant dij, homines vero Scamandrum.

P.Ouid.lib.11.Metam.fab.10.

Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat.

Effigies ei pari splendore, paribúsq; insignibus, atque dum viuus erat, *erigebatur.* exemplum nobile apud Ælianum var. hist. lib. 12. c.vlt. quod nuper incredibili Europæ dolore, cruento supra fidem spectaculo, in Henrico Magno efferendo in regia mœsti, attonitique vidimus, nihil magnificentiæ itaque aberat, sed crebra famulantium turba circunstabat ministratura inter deos referendo, omnia ornamenta, adeoque etiam coronæ imponebantur. M Cic. Pro L.Flacco.notauit Pet.Victorius var.lect.lib.2.cap. 7. dicam infra lib.5. cap.59.abunde, vbi de Flaminibus, aris, templis, iis erectis consecratisque. interim locum adde è Corippo Africano lib. 1. de laudib.Iustini.Nume.13

Ipse videbatur cunctis plangentibus vnus
Effigie gaudere pia, diademate comptus,
Purpureaque in veste iacens requiescere somno.

Denique ab hac apotheoseos consuetudine emanauit, vt *diuos deosque* Imperatores appellarent, *numenque* eis adscriberent. Theodosius & Valentinianus Augg. C. Theodos. li.15.ti.4. *Ludis quoque simulachra proposita tantum*

tum in animis concurrentium mentibúsque secretis nostrum numen & laudes vigere demonstras. Q. Symmach lib.3.epist.81. *solemne est diuo nostro Theodosio.* Gunter.ligurini li.6.

Hæc de responsis diui, pater optime regis
Salua pace tua, tibi rescribenda putamus.

Vetus marmor apud Aldum Manutium in Orthographia sua pag.292.

IMP........CÆSAR.......... L.DOMITIO. AVRELIANO. PIO. FELICI. INVICTO. AVG. PONTIFICI. MAX. GOTHICO. MAX. GERMANICO. MAX. TRIB POT. V.COS DESIGNA. III. IMP. III. P. P. PRO. COS. RESTITVTORI. ORBIS. INVICTISSIMO. ET VICTORIOSISSIMO.

PRINCIPI.
FVRIVS. ORFITVS. V. C. PRÆF. VRB. DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS.

Et statuæ huic seu effigiei subiiciebant aquilam, quam credi volebant animam in cælos, & ad deorum concessum defuncti alis suis efferre. quare Hectoris raptator Achilles à Lycophrone Aquila appellatur. Ioan. Meursius notat. Artemid. Oneirocrit. lib.2. cap. 10. ἔθος γὰρ παλαιὸν ἀποθνήσκοντας τούτους πλάσσειν τε καὶ γράφειν ἐπ' αὐτῶν ἐχομένους διὰ τῆς δημιουργημάτων τιμῆς. *mos enim vetus est, hos mortuos tum fingere, tum pingere eos* (antea dixerat, ἐχομένους ἀετοῦ. *vehi aquila*) *insidentes & per huiusmodi officia colere.*

CAPVT XIX.

De Virginibus Vestalibus.

VESTALES dicebantur hæ, quòd Vestæ sacra curarent, & ignem eius custodirent. De quarum prima apud Romanos institutione non admodum inter Scriptores conueniunt. Fuisse quidem eas Lauinij, & Albæ ante Romæ conditam dubium non est, cùm, quòd Æneas Vestæ sacra vnà cum Penatibus Palladio ex Troia in Latium tulerit, & condito Lauinio, Vestæ ibi ædem sacrauerit, cui deinde Ascanius etiam condita Alba longa, templum in monte Albano extruxit. tum verò quòd Rhea Siluia, Romuli mater, à Numitore patruo virgo Vestalis creata fuerit. Vtrùm verò Romulus, vt quidam volunt, an qui ei successit, Numa Pompilius, quod pluribus placet, Vestæ ædem Romæ construxerit, eique Virgines custodes ignis æterni assignauerit, de eo valdè discrepant. Dionysius certè, cuius in historia Romana non minima est auctoritas, Numæ id institutum tribuit: & contrarium sentientes grauiter refutat, cuius verba, quæ quidem huc spectant, libet adscribere: Romulus, inquit, nullas virgines Vestæ Sacerdotes instituit, memor fortasse materni dedecoris, quæ inter illius ministeria virginitatem amiserat, haud quaquam idoneus futurus iuxta leges patrias, si quam violasse pudorem deprehendisset, ne sibimet refricaret probrum domesticum. Hæc ille, quem sequuti dicemus a Numa Pompilio Virgines Vestales primùm esse creatas, & institutas. Quo verò numero, quod earum officium, quæ dignitas fuerit, de iis porrò Dionysium loquentem audiamus. Sic autem is scribit: Quinto loco erant virgines ignis sacri custodes, quas illi à sua Dea Vestales nominant, cui Rex hic primus templum sacrauit, & cultrices virgines. Et paulò pòst: Virgines autem quæ Deæ sacris operabantur, quatuor erant ab initio, & ius optandi eas penes Reges esse, Numa voluit: posteà tamen propter sacrificiorum multitudinem ad senarium numerum auctæ (à L scilicet Tarquinio Prisco V. Romanorum, vt idem auctor alibi docet) in eo hodiéque permanent degentes in Deæ fano, à cuius aditu nemo arcetur interdiu, sed pernoctare intus fas est viro nemini. Has necesse est per XXV. annos manere puras à nuptiis, sacrario seruientes, & legitimis cæremoniis, ac primo decennio rationem sacrorum eis oportebat discere, sequenti exercere, postremò docere alias. Post exactum verò annum trigesimum nihil vetabat eas positis coronis, reliquisque insignibus sacerdotij, cui vellent, nubere: fecerúntque id paucæ aliquot, sed parum læto vitæ exitu, & ominoso apud cæteras, ita vt libenter posthac virgines æuum exigerent in Deæ contubernio, ac tum demùm in defunctæ locum alia sublegebatur à Pontificibus. Honores autem eis exhibentur à ciuitate multi & eximij, propter quos nec liberorum, nec nuptiarum tanguntur desiderio. Pœnæ quoque, si qua delinquat, graues sunt propositæ, quas Pontifices ab illis exigunt, flagris cædentes deprehensas in leuiore crimine, stupratas verò miserabili, longéque fœdissimo tradentes supplicio. Viuæ enim funebri pompa efferuntur, amicis ac cognatis cum lacrymis lecticam prosequentibus, delatæque ad Collinam portam extra muros, in subterranea cella sepeliuntur, nec monumento dignitatis, nec parentatione, aliísve solennibus defun-

quæ capta, atque in atrium Vestæ deducta, & Pontificibus tradita est, eo statim tempore sine emancipatione, ac sine capitis minutione è patris potestate exit, & ius testamenti faciundi adipiscitur. De more autem, ritúque capiendę virginis, literę quidem antiquiores non extant: nisi quòd fertur, quæ capta prima est, à Numa rege esse captam. Sed Papiam legem inuenimus, qua cauetur, vt Pontificis Maximi arbitratu virgines è populo viginti legantur: sortitioque in concione ex eo numero fiat, & eius virginis ductu erit, vt eam Pontifex Maximus capiat, eáque Vestę fiat. Sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet: nam si quis honesto loco natus adeat Pontificem Maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cuius duntaxat, saluis religionum obseruationibus, ratio haberi possit, gratia Papiæ legis per Senatum fit. Capi autem virgo propterea dici videtur, quia Pontifex Maximus manu prehensa ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta abducitur. In lib. I. Fabij Pictoris, quæ verba Pontificem Maximum dicere oporteat, cùm virginem capit, scriptum est. Ea huiusmodi sunt: SACERDOTEM. VESTALEM. QVÆ. SACRA. FACIAT. QVÆ. IOVIS. CIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPVLO. ROMANO. QVIRITIBVSQVE. VTI. QVÆ. OPTVMA. LEGE. FIAT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Præterea in Commentariis Labeonis, quæ ad duodecim tabulas composuit: ita scriptum est: Virgo Vestalis neque hæres est cuiquam intestato, neque intestatæ quisquam, sed bona eius in publicum redigi aiunt. Id quo iure fiat, quæritur. Amata inter capiendum à Pontifice maximo appellatur: quoniam quæ prima capta est, hoc fuisse nomine, traditum est. Hactenus Agellius, qui etiam alibi recitat verba Prætoris ex edicto perpetuo de Flamine Diali, & de Sacerdote Vestæ, hæc: SACERDOTEM VESTALEM ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Alebantur Vestales sumptibus publicis. Durauit autem earum sacerdotium vsque ad Theodosij senioris Imperatoris tempora, quo regnante, vnà cum aliis Sacerdotiis, nequicquam reclamante Senatu, omninò est sublatum, id quod ex epistolis Symmachi, & Ambrosij responsionibus manifestum est.

CAP. XX.

De Saliis Palatinis XII.

SEXTA pars legum ad religionem pertinentium, inquit Dionysius, tractat iura eorum quos Romani vocabant Salios, de quibus nos hoc capite agemus. Vnde nomen acceperint, dubitatur inter veteres scriptores. Plerique enim à saliendo, vel saltando eos dictos fuisse scribunt, quod id facere in comitio in sacris quotannis & & solerent, & deberent. Quidam tamen eos à Salio quodam, vel Saone sic appellatos volunt, id quod Sextus Pompeius Festus his verbis docet: Salios, inquit, à saliendo & saltando dictos esse, quamuis dubitari non debeat, tamen Polemon ait, Arcada quendam fuisse nomine Salium, quem AEneas à Mantinea in Italiam deduxerit, qui iuuenes Italicos ἐνόπλιον saltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace cum AEnea Deos Penates, qui Lauinium transtulerit, Saliare genus saltandi instituisse, à quo appellatos Salios. Plerique tamen à saltando id nomen deducunt, quos & nos sequimur. Instituti primùm sunt, Liuio, Dionysio, & Plutarcho testibus, à Numa Pompilio Rege, qui, vt pleraque sacra instituit, & Sacerdotes singulis præfecit, ita etiam Salios XII. ex Patritio ordine elegit, qui Marti sacra in Palatio celebrarent: vnde etiam Palatini sunt appellati. Hi erant, vt Dionysius libr. 2. inquit, saltatores quidam, & laudatores Deorum belli præsidum. Festum autem eorum incidit in panathenæa Græcorum mensémque Martium, agitúrque publicè ad dies aliquot, per quos tota Vrbe choreas ducunt vsque in forum & capitolium aliáque loca, tam priuata, quàm publica, æreis balteis succincti super pictas tunicas, & induti astrictas fibulis prætextas, quas vocant trabeas, quæ Romanorum vestis est propria, & honorata cum primis. Gestant etiam capitibus, quos vocant apices, fastigiatos in altum pileos. Græci appellant Cyrbasias. Accinguntur autem singuli gladio, dextra tenentes lanceam, aut virgam, aut tale quid aliud: sinistra verò ancyle Thraciæ cæteræ simile. Et paulò post: Gesticulantur militariter ad tibiæ modulos, nunc simul, nunc per vices, interim canentes pæana quendam patrium. Saltationem autem armatam, quæ collisis ad scutum gladiis crebros ciet strepitus, si quid credendum est antiquis Scriptoribus, primi Curetes inuentam tradiderunt posteris, &c. Hactenus ille. Eadem Liuius tradit, sed breuius. Salios, inquit, duodecim Marti Gradiuo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegmen: cœlestiaque arma, quæ Ancylia appellantur, ferre, ac per vrbem ire canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu iussit. Cœtus Saliorum dicebatur Collegium, quibus qui præerat, & eos quasi

moderabatur, dicebatur Magister Saliorum: tum Præsul. Vnde Lucilius.

Præsul vt amptruat, inde & volgu' redamptruat olli.

Redamptruare, ait Festus, quemadmodũ Ioseph. Scaliger in lucem edidit, dicitur in Saliorum exultationibus, cum præsul amptruauit: quod est, motus edidit, & referuntur inuicem iidem motus. Cæterùm carmina, quæ à Saliis fiebant, & canebantur, vel in Deos facta erant, & dicebantur ab eorum nominibus versus Ianualij, Iunonij, Mineruij: vel in vniuersos homines componebantur & appellabantur axamenta, auctore Festo, ab axare, quod est nominare: vel, vti Scaligero placet, quòd in axibus, seu tabulis describebantur, quemadmodum apud Græcos leges. Primum Saliare carmen composuisse fertur Numa Pompilius, quod omniũ Latinorum carminum antiquissimum fuisse dicitur, & idcirco obscurissimum, id quod & Cic. ac alij veteres Scriptores sæpissimè testantur, & multa vocabula ex eo à veteribus Grammaticis citata, probant. De Ancylibus, quibus vsi Salij fuerunt, vel potiùs quorum custodiæ præpositi fuerunt, pauca adhuc adiiciam. Festus: Numa Pompilio regnante è cœlo cecidisse fertur ancyle, id est scutum breue, quod ideò sic est appellatum, quia ex vtroque latere erat recisum, vt summum infimúmque eius latius medio pateret, vnaque edita vox, omnium potentissimam fore ciuitatem, quandiu in ea mansisset. Itaque facta sunt eiusdem generis plura, quibus id misceretur, ne internosci cœleste posset. probatum opus est maximè Mamurij: qui prænuj loco petiit, vt suum nomen inter carmina Salij canerent, &c. Vnde Mamurij Veturij nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant. Vide & Seruium, Plutarc. Ald. Manutium lib. 2. de Quæsitis per epistol. & alios.

VIRGINES SALIARES.

Virginum Saliarium solus, quod ego sciam, meminit Sext. Pompeius, his verbis: Saliares Virgines Cincius ait esse conductitias, quæ ad Salios adhibebantur, cum apicibus paludatæ, quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere in Regia cum Pontifice, paludatas cum apicibus in modum Saliorum. Hæc ille.

Capvt XXI.

De Fetialibus, & Patrepatrato.

Fetiales dicti, quòd fidei publicæ inter populos præerant. Nam per hos fiebat, vt iustum conciperetur bellum, & inde desitum, & vt fœdere fides pacis constitueretur. Ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus. Hactenus Varro. Quando Fetiales primùm Romæ instituti & creati sint, quæque eorum munera fuerint perspicuè docet Dionysius lib. 2 cuius hæc sunt verba: Septima legum sacrarum pars dicata erat Collegio Fetialium, quos Græci εἰρηνοδίκας dicerent: hi sunt selecti è præstantissimis familiis, funguntur que per omnem vitam eo sacerdotio, primo Numa huius sacri magistratus auctore, &c. Et paulo pòst: Longum autem esset recensere omnia Fetialium officia, sed in summa sunt hæc: Date operam, ne Romani vlli fœderatæ ciuitati iniustum bellum inferant: quòd si qua prior contra fœderis conditiones aliquid commiserit, Legatos agere, & verbis primo suum ius repetere: quòd si dedignetur facere postulata, tum verò bellum indicere. Iudem si qui illatam sibi contra fœdus querantur iniuriam, causam eorum cognoscere, & comperto crimine sontes comprehensos læsis dedere: iudicare item de Legatorum iniuriis, & date operam, vt seruentur conditiones fœderum: pacem etiam conficere, aut si parum legitimè facta videatur, irritam reddere: præterea si quid Imperatores contra iusiurandum peccauerint, cognoscere atque expiare. Eadem ferè Plutarchus scribit in Numa, sed breuiùs: Fetiales, inquit, quidam pacis custodes, & (vt mea fert opinio) ab re ipsa nomen capientes, controuersias verò sedabant, cùm non permitterent prius militare, quàm omnis iudicij species abscissa esset. Etenim pacem Græci vocant, quando verbo non vi inter se vtentes, controuersias soluunt. At Romanorum fetiales sæpè ad eos ibant, qui iniuriam inferrent, illisque suadebant, vt se beneuole & amicè gererent. Iis autem inimice sese, & pro voluntate gerentibus, Deos testati, & multa grauia in eos eorúmque patriam imprecati nisi iustè rem aggrediantur, sic eis bellum

indi-

indicebant. Fetialibus verò prohibentibus, aut minùs comprobantibus, neque militi fas erat, nefue regi Rom. arma mouere: sed ab his necesse erat initium belli pro iure Princeps acciperet, & tum demùm communi commodo prospiceret. Hactenus Plutarc. Vnus Fetialium dicebatur Paterpatratus. Erat autem is, cui pater & cui filij erant, & maximus habebatur, teste Plutarcho, vbi appellationis causas inquirens, has adfert: vel quòd & liberi revereantur & timeant suos genitores: vel quòd sint perfecti, vt ipsum nomen sonat. Patratum. n. esse quasi perfectum & absolutum, perfectiorem autem esse, qui viuo patre pater esset factus, vel quòd iurisiurandi & pacis præsidem oporteat simul prorsum & retrorsum videre: id verò maximè præstare posse eum qui & filium habeat, de quo consultet, & patrem quicum deliberet. Addit Plutarchus, Fetiales etiam suo tempore priuilegium, auctoritatemq; aliquam retinere. Prætores enim corpora, quæ ob formam & florem ætatis custodia opus habuerint pudica, eorum fidei commendasse. De Fetialibus loquitur lex Ciceronis: Fœderum, pacis, belli, induciarum Oratores Fetiales iudices duo sunto, bellaque disceptanto: Obsoleuisse autem hunc morem per Fetiales res repetendi, & bellum indicendi suo tempore M. Ter. Varro docet, cùm ait: Per eos factum esse, vt iustum conciperetur bellum, & inde desitum. Sic enim illud verbum Adr. Turnebus & Ioseph. Scaliger exponunt, & lib. 12 & de vita populi ad Nonium sic scribit Varro: Itaq; bella & tardè, & nulla licentia suscipiebant, & quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, priusquàm indicerent bellum iis, à quibus iniurias factas sciebant, Fetiales legatos repetitum mittebant IV. quos Oratores vocabant. Et lib. 3 Si cuius legati violati essent, qui id fecissent, quamuis Nobiles essent, vt dederentur ciuitati statuerunt, Fetialésque XX. qui de his rebus cognoscerent, iudicarent, & statuerunt, & constituerunt, &c. De ritibus indicendi belli & feriendi fœderis, libro de militia dictum.

AD CAP. XXI.

PARALIPOMENA.

Fetialium origo, hasta Imperij symbolum, hastata Roma ipsa.

DE belli indicendi per fetiales ritu, expediam lib. 10. cap. 1. infra. hic solum pauca obiter de iis perstringam, ac primum, adhibebantur illi in consilium belli indicendi. T. Liu. 4. Decad. li. 1. principio. *consulti fetiales à consule Sulpitio, bellum quod indicerent regi Philippo, vtrum ipsi vtique nuntiare deberent an satis esset in finibus regni, quod proximum præsidium esset, eo nuntiari fetiales decreuerunt, vtrum eorum fecisset, rectè facturum.* Origo eorum antiquissima, nam tempore regum fetialium in historia Romana mentio apud eundem T. Liuium 1. Decad. lib. 1. in rebus Romuli, & clarius in Anco Martio, imo & apud antiquos Aborigines eorum vsus, dicti que *σπονδοφόροι, libaminum latores.* Dionys. Halicarnass. lib. 1. Meminit frequentissimè Seruius Maurus ad libri 8. Æneid. principium, ad illud lib. 9. Æneid.

Principium pugnæ.

Et ad illud libri 10. Æneid.

---Tunc res rapuisse licebit.

Denique ad illud lib. 12. Æneid. verbena coronabantur.

---Verbena tempora vincti.

Et *capite velato* hostibus bellum indicebant. Iac. Scheghius Præmetior. libello epist. 10. Mentio etiam fetialium in antiquo marmore, cuius fragmentum inseram, ex Aldo Manutio in Orthographiæ suæ ratione pag. 352.

P. CORNELIO. LENTVLO. SCIPIONI.
COS. PRAEF. AERARI. LEGATO.
TI. CAESARIS. AVG. LEG.
LEG. VIII. HISPANICI.
FETIALI.
D.D.

Corrigendus locus è bucolico carmine Titi Calphurnij Siculi, tersissimi & elegantissimi poetæ, ita ille Ecloga 1. v. 53.

Candida Pax aderat, nec solum candida vultu,
Qualis sæpe fuit, quæ libera Marte professo,
Quæ domito procul hoste, tamen grassantibus armis,
Libera diffudit tacito discordia ferro.

Primus versus desumptus videtur ex Albio Tibullo, apud quem lib. 1. eleg. vlt.

Interea Pax arua colat, Pax candida primum
Duxit araturos, sub iuga panda boues.

C. Petron. in Ciuilibus.

Pax prima ante alias, niueos pulsata lacertos,
Abscondit galea victum caput.

Censuerim tamen legendum, in laudato Calphurnij versu hoc modo,

---Nec solum candida cultu.

Auctor lectionis mihi Corrippus Africanus lib. 2. Num. 3.

Æquiparans humeris matrem sic lucida cultu,
Sic niuis formosæ genis,

M. Martial. lib. 8. epigr. 94. Eodem modo corrigendus.

Caput XXII.

De Pontificibus, & Pontifice Maximo.

VLtima Numæ institutionum, inquit Dion. lib. 2. continebat sacra maximi apud Rom. sacerdotij, & cuius potestas est amplissima. Hi ab vno suorum operum, videlicet faciendo ponte sublicio, vocantur Pontifices, summa auctoritate præditi, &c. Quod hîc de etymologia nominis Dio tradit, dictos eos esse Pontifices à ponte & facere: id confirmat Varro, cum lib. de ling. Lat. sic scribit: Pontifices ergo à ponte arbitror dictos. Nam ab iis sublicius est factus primùm & restitutus sæpè, quum ideo sacra & vls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant. Idem tamen annotat, Q. Scæuolam Pontificem maximum voluisse, eos à posse & facere hoc nomen habere, quòd scilicet facere, id est, offerre, vel sacrificare possint. Hi, quemadmodum Dion. li. 2. scribit, à Numæ temporibus vsque ad annum Vrbis circiter DCL. à collegio Pontificum cooptari soliti fuerunt. Non enim Comitiis à populo creabantur, donec Cn. Domitius, Cn. F. Ahenobarbus Tribunus pleb. Pontificibus offensior, quòd alium quam se in locum patris sui Cn. Domitij cooptassent, lege lata, ius Sacerdotum subrogandorum à Collegiis ad populum transtulit, id quod & Cicer. in Rullum, & Tranquil. in Nerone tradunt. Hanc verò legem à L. Sulla dictatore plebi offensiore abrogatam, restituit M. T. Cicerone, M. Antonio Coss. T. Labienus Trib. pleb. teste Dione lib. 37. Postea sub Augusto iterum abrogata lege Domitia, Collegiorum primò, deinde Romanorum Principum arbitrio Pontifices & reliqui Sacerdotes cooptari cœperunt.

Ad numerum Pontificum quod attinet, IV. tantùm à Numa instituti traduntur, qui omnes ex Patriciis semper cooptati sunt, vsque ad annum Vrbis CDLIV. quo tempore Q. Appuleio Pansa, & M. Val. Coruo v. Coss. Q. & Cn. Ogulnij Trib. pleb. legem tulerunt, vt numerus Augurum & Pontificum augeretur, & pars eorum ex plebe crearentur. Qua de re Liuius ita scribit. Hoc anno, ne vndique tranquillæ res essent, certamen iniectum est inter Primores ciuitatis, Patricios, Plebeiosque à Tribunis pleb. Qu. & Cn. Ogulniis. Qui vndique criminandorum patrum apud plebem occasionibus quæsitis, postquàm alia frustrà tentata erant, eam actionem susceperunt, qua non infimam modò plebem accenderent, sed ipsa capita plebis, Consulares, triumphalésque plebeios, quorum honoribus nihil præter sacerdotia, quæ nondum promiscua erant, deesset. Rogationem ergo promulgarunt, vt cum IV. Augures, IV. Pontifices ea tempestate essent, placerétque augeri Sacerdotum numerum, V. Pontifices, V. Augures de plebe omnes allegerentur. Eam rem iuxta ægrè passi Patres, quam cum Consulatu vulgari viderent: simulabant ad Deos id magis, quàm ad se pertinere, ipsos visuros, ne sacra sua polluãtur. Id se optare tantùm, ne qua in Rempu. clades veniat. Minus autem tetendere, assueti iam tali genere certaminum vinci, & cernebant aduersarios non id quod olim vix sperauerint, affectantes magnos honores, sed omnia iam, in quorum spem dubiam erat certatum, tamen adeptos multiplices Consulatus, Censurásque & Triumphos, &c. Et paulò pòst: Vocare Tribus ex templo populus iubebat, apparebat accipi legem, ille tamen dies est intercessione sublatus: postera die deterritis Tribunis ingenti consensu accepta est, Pontifices creantur, suasor legis P. Dec. Mus, P. Sempr. Sophus, C. Mar. Rutilus, M. Liuius Denter, &c. Ita IIX. Pontificũ numerus est factus, qui vsque ad L. Sullæ Felicis Dictaturam mansit. Is enim cùm aduersæ partis factionibus cæsis dictator renunciatus fuisset, inter multa quæ aut abrogauit, aut addidit, Pontificum quoque & Augurum Collegium ampliauit, vt essent XV. Pontifices, & XV Augures. Florus Epit. 89. Ex quo Sullæ facto duplex factus est Pontificum ordo. Primi enim IIX. & ij, deinceps, qui in eorum locum cooptati sunt, Pontifices maiores appellati, reliqui verò VII. minores Pontifices dicti sunt, quorum passim & apud veteres Scriptores, & in vetustis Epigrammatis fit. Vniuersus Pontificum cœtus collegium vocabatur, quemadmodum ex Cic. oratione ad Pontifices pro Domo, & de Haruspicum responsis, item ex antiquis inscriptionibus liquet.

De Pontificum muneribus & dignitate hæc tradit Dionys. lib. 2. Pontifices, inquit, de omnibus causis ad sacra pertinentibus iudicant, tam inter magistratus sacrificos, quam inter priuatos homines: nouásque leges de sacris arbitratu suo condunt, sicubi destituuntur scriptis legibus: & magistratus, pænes quos cærimoniæ sunt, ac sacrificia, sacerdotésque omnes examinant: ministros quoque sacrorum in officio continent, ne quid præter solemnes ritus faciant, à profano etiam & imperito vulgo consuluntur de cultu Deorum, ac geniorum, aliísque religionibus, quòd si quem animaduertant præscripta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxij, nec tenentur ad red-

dendam rationem vel Senatui, vel Populo. Id genus Sacerdotes, siue sacri Doctores, siue sacrarum legum consulti, siue sacrorum custodes rectè dicendi sunt: ego Hierophantas nostris appellari dixerim. In defuncti locum alius solet subrogari, non populi suffragiis, sed qui Collegio maximè videatur idoneus ex omni numero: nec nisi inauguratus ad sacerdotium admittitur. Hactenus Dionysius. Quæ ferè eadem etiam à Cicerone referuntur, cùm in oratione pro Domo sua ad Pontifices sic loquitur. Cùm multa diuinitùs Pontifices, à maioribus nostris inuenta, atque instituta sunt, tum nihil præclariùs, quàm quòd vos eosdem & religionibus Deorum immortalium, & summæ Reipublicæ præesse voluerunt, vt amplissimi & clarissimi ciues Rempublicam bene gerendo, Pontifices religionum sapienter administrando Rempublicam conseruarent. Quòd si vllo tempore magna causa in Sacerdotum populi Romani iudicio, ac potestate versata est: hæc profectò tanta est, vt omnis Reipublicæ dignitas omnium salus, vita, libertas, aræ, foci, Dij penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatíque commissa & credita esse videantur. Et paulò pòst ad Lentulum, vnum ex Pontificibus: Te appello, inquit Lentule, tui Sacerdotij sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum. Vosque Pontifices, ad quos Epulones Iouis Optimi Maximi, si quid est prætermissum, aut commissum, afferunt: quorum de sententia illa eadem renouata, atque instaurata celebrantur, &c.

Pontificum Collegiũ vsque ad Theodosij Senioris Imperatoris tempora Romæ fuit. Quibus, religione Christiana, omnia iam obtinente, Imperatoribusque antiquæ superstitioni aduersantibus, vno edicto Sacerdotum omnium reditus fisco applicati sunt. Quare posteà planè Pontifices, Augures, & reliqui Sacerdotes fieri desierunt, cum reditibus omnibus mulctati essent. Zosimus. Vnus Pontificum omnium supremus erat, qui & Maximus dicebatur, à Numa institutus, quòd, vt Dionysius tradit, maximarum rerum quæ ad sacra & religionem pertinent, iudex esset, & vindex contumaciæ priuatorum & magistratuum. De eius creatione sic scribit libro primo Liuius: Minoribus Pontificibus creatis, Numa Pontificem deinde Maximum Numam Marcium, M. F. ex Patribus legit, eíque sacra omnia exscripta, exsignatáq; attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque vnde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica, priuatáque sacra Pontificis scitis subiecit, vt esset, quo consultum plebs veniret, ne quid diuini iuris negligendo patrios ritus, peregrinósque adsciscendo, turbaretur. Nec cœlestes modò cærimonias, sed iusta quoque funebria, placandósque manes, vt idem Pontifex edoceret, quæque prodigia fulminibus, aliòve quo viso missa susciperentur, atque curarentur. Hactenus Liuius. Festus etiam ait, Pontificem Maximum iudicem atque arbitrum rerum diuinarum, atque humanarum esse. Cæterùm Pōtifex Maximus ex collegio Pontificum creabatur, non quidem Collegarum cooptatione, vt in cæteris Sacerdotiis mos erat, sed populi tributis comitiis, vt ex omni Liuij historia facilè intelligi potest. Multo etiam tempore non nisi ex patribus creabatur, donec postremò omnibus honoribus plebi communicatis, Pontifex quoque Maximus ex plebe primus creatus est T. Coruncanius. Post quem multi tam Patricij quàm plebeij Pontifices Maximi creati fuerunt, vsque ad C. Iulium Cæsarem. Quo mortuo in eius locum Pontificatum maximum per vim inuasit Lepidus, post cuius mortem ita sacerdotium suscepit Augustus, quod Lepido viuo nunquam, quanquam oblatum, recipere sustinuerat, vt Tranquillus tradit. Decens autem visum est, eum qui totius imperij possessionem adeptus esset, ipsam quoque supremam diuinarum rerum auctoritatem, quæ hoc sacerdotio comprehendebatur, habere. Quare post Augustum omnes Romani principes, qui sub Imperatoris nomine rei Romanæ præfuerunt, Pontificatum maximum vel susceperunt, vel se Pontifices Maximos appellari passi sunt: vt Constantinus, Constantius, Valentinianus, Valens, & Gratianus Augustus: qui Christianæ religioni addicti, quanquam à Pontificis Maximi munere abhorrerent, id tamen elogiis suis adscriptum non aspernati sunt vel reiecerunt.

Primus omnium Gratianus Imperator edicto proposito (vt Zozimus docet) se Pontificem Maximum appellari vetuit, atque ita ea sacerdotij dignitas in Imperatoribus defecit. Seriem Pontificum Maximorum à Numa Marcio, vsque ad Titum Flauium Vespasianum Imperatorem Augustum collegit Onuphrius.

Caput XXIII.

De Saliis Collinis XII.

Salii

SALII Palatini, de quibus antè diximus, à Numa instituti sunt. Hos verò Tullus Hostilius Rex ex voto creauit, de quibus Dionysius li.3. hæc memoriæ prodit: Pugnatum est ad Heretum CVII. ab Vrbe stadio, multis vtrinque cadentibus. Cùmque tum quoque diu æquo Marte certaretur, Tullus protensis ad cœlum manibus votum Diis fecit, si eo die Sabinos vinceret, Saturno & Opi se instituturum ferias; quas Romani post comportatas terræ fruges celebrare solent publicè: duplicaturúmque Saliorum numerum. Hi sunt genere nobiles, certis temporibus armati saltantes ad tibiæ modulos, & patrios quosdam hymnos concinentes. Et antè cùm de Saliis Palatinis loquitur: Agonales, inquit, siue, vt quidam appellare malunt, Collini Salij habent in collino tumulo sacrarium, post Numam instituti à Rege Hostilio, sicut bello Sabino vouerat. Meminit horum & Varro lib.5. de ling. Latin. his verbis: in libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium, &c. Ex quibus omnibus manifestum est, Salios hos non à Numa, verùm à Tul. Hostilio rege ex voto institutos fuisse, ideóque à prioribus aliquo modo distinctos: & Collinos vel Agonenses dictos fuisse à monte, in quo sacrarium habuerunt. Aliter tamē de iis Seruius Virgilij interpres scribit, qui à Iosepho Scaligero sic citatur: Duo sunt genera Saliorum, vt in Saliaribus carminibus inuenitur: Collini & Quirinales à Numa instituti; ab Hostilio verò Pauorij & Pallorij. Addit Scaliger: Qui Quirinales hic vocati sunt, qui aliter Agonenses: Nam & mons Quirinalis dicebatur Agonalis. Quæ præter hæc ad horum munus pertinent, ex Saliorum Palatinorum descriptione repetantur.

CAPVT XXIIII.

De Duumuiris, Decemuiris & quindecimviris sacris faciundis.

SACERDOTIVM hoc à Tarquinio Superbo Rege institutum est. Qua de re Dionysius lib.4. ex Varronis traditione hæc scribit: Venit ad Tyrannum externa quędam mulier IX. libros Sibyllinorum oraculorum venales offerens: cúmque Tarquinius nollet eos tanti emere, quanti illa indicauerat, abiit, & tres exussit ex eo numero: nec multò pòst reliquos relatos tantidem obtulit: derisaque pro delira, quòd tantùm pro paucioribus peteret, quantùm pro pluribus obtinere non potuerat, rursum discedens reliquorum cremauit dimidium: relatísque tribus, auri quantum antea petiit. Tum rex miratus mulieris consilium, accersiuit Augures: réque denarrata quid faciendum esset, eos consuluit. Illi Augures quibusdam educti, aspernatum eum rem missam diuinitùs, & piaculum graue admissum, quod non omnes libros emerit, iusserunt numerari mulieri auri quantum peteret, & reliquum oraculorum redimi. Mulier datis libris diligenter eos seruare monuit, nec post hac vsquam visa est inter homines. Tarquinius Duumuiros creauit ex numero Nobilium, hísque addidit duos ministros publicos, & per hos custodiri libros voluit. Duumuirorum alterum M. Atilium, visum non bona fide rem gerere, & ab vno ministrorum delatum parricidij, in culeum insutum proiecit in mare. Expulsis postea Regibus Sibyllinorum cura deuenit ad populum: is nobilissimos viros custodes eorum creauit, qui per totum vitæ tempus fungerentur eo munere, liberi alioqui ab omnib. militarib. atq; ciuilibus muniis, hósque libros publicè accipiunt, nec sine his cuiquam licet eos inspicere. Et vt compendio dicam, nullam rem, ne sacra quidem, Romani tam diligenter quàm Sibyllina oracula custodiunt. Vtuntur autem eis ex S.C. si quando seditionibus turbatur status Reipub. aut in bello insignis aliqua clades accepta est, aut prodigia quæpiam dubia, magnúmque aliquid portendentia nunciata sunt, vt plerumque fit. Hi libri manserunt incolumes vsque ad bellum Marsicum, in templi Capitolini cella subterranea, inclusi arcæ lapideæ asseruati à Decemuiris: post exactam verò III. supra C & L. Olymp. cremato Capitolio, siue de industria, vt quidam autumant, siue fortuito incendio, cum aliis donariis Iouis, hi quoq; igne absumpti sunt: nam qui nunc extant è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis vrbibus, partim ex Erythris Asiæ, ex S.C. legatis illuc ad transcribendum missis, partim ex aliis vrbibus, etiam à priuatis hominibus descripti, in quibus inueniuntur quædam supposititia. Hactenus Dionys. quæ etiam habet Agell. lib.1 cap.19 Solin. capit.8. & alij Lactant. tamen cap.6. libr.1. Diuinarum Instit. & Seruius non Tarquinio Superbo, sed Prisco id adscribunt: quod temporibus est conformius. Nam (vt Solin. auctor est) fuit hæc Sibylla Romæ Olymp. I. qua regnauit Tarquin. Priscus. Ad libros etiam illos quod attinet, scribit Plin. libr.13 capit.13. non IX. sed III. tantum ad Tarquinium allatos esse, quorum II. fuerunt cremati, non VI. vnus à Tarquinio emptus. Duumuiri creati sunt vsque ad annum CCCXXCIIX. tum numerus eorum auctus

Ad Cap. XXIV.

PARALIPOMENA.

Oracula Sibyllina, libri fatidici quomodo scripti, quot Sibyllæ, vt consuleren-tur à XVuiris.

SAcerdotium istud, vt omnia alia, sæpissime immutatum est, nam primitus duo tantum designati erant, quorum curæ, fatalia regni pignora, seu libri Sibyllini committebantur inspiciendi, vt veluti deorum oraculis præmoniti, malo obuiam ire possent ciues, quo ritu, quo exordio, qua dignatione, dicam paulò hic infrà: Si prius in omnibus rebus dubiis Sibyllinos libros consuli consueuisse ex historica fide, ostendero. Deinde quamdiu durauerit hæc consuetudo, & pòst, quæ fuerint Sibyllæ, à quibus gentibus cultæ, claræ ostendam.

Ac primum in omni religione prodigiorũ seu duumuiri, seu decemuiri, seu denique quindecemuiri libros, vt mederi possent, consulebant. Tit. Liu. frequentissime, & alij, sed præcipuè 1 Dec. lib. 1. in Tarquin. Superbo. in principio videtur prodigia expiata sentire, decreto tantùm & præscripto Augurum, non duumuirorum, ita enim *anguis ex lignea columna elapsus cum ad publica prodigia Hetrusci tantum vates adhiberentur, ob hoc vnum prodigium aruspices in senatum vocati atque ex responso eorum supplicatio populo, in vnum diem indicta.* 4. Decad. lib. 2. in limine. *incertum mas an fœmina esset, natus erat, id aruspices ex Hetruria acciti fœdum ac turpe prodigium dixere.* 3 Decad. lib. 7. *in prodigium versa ea tempestas, procurarique aruspices iusserunt.* 4. Decad. lib. 10. principio. eadem M. Lucan. lib. 1. vers. 584.

> *Hæc propter placuit Thuscos, de more vetusto*
> *Acciri vates.*

Vtrumque Claudianus coniunxit lib. 2. in Eutropium in principio.

> *Pandite Pontifices Cumanæ carmina vatis,*
> *Immensúmque nefas fibris exploret aruspex,*
> *Quæ noua portendant superi.*

Tamen frequentius prodigia inspectis Sibyllinis oraculis expiabantur. Idem Liuius 4. Decad. lib. 1. in limine. *M. Claudio, M. Liuio coss. deportatum simile prodigij fœtus, nihilominus decemuiros adire libros de portentis iusserunt, decemuiri ex libris res diuinas eadem, quæ proxime secundum id prodigium factæ essent, imperarunt.* 1. Decad. lib. 3. *libri per duumuiros sacrorum aditi, pericula à consensu alienigenarum prædicta, ne qui in loca summa vrbis impetus, cædesq; inde fierent, inter cætera monitum, vt à seditionibus abstineretur.* 4 Dec. lib. 6. *eorum prodigiorum causæ libros Sibyllinos ex SC. cum decemuiri adiissent, renuntiarunt ieiunium instituendum Cereri esse,* eiusdem Dec. lib. 7. in princ. *supplicatio fuit, quibus diis, decemuiri ex libris ediderunt, vt fieret: & decemuiri lactentibus nocte rem diuinam fecerunt.* 3 Decad. lib. 2. in limine. *cum decemuiri libros inspexissent, eorum monitu decretum donum diis.* 4 Decad. lib. 8. *supplicatio in triduum pro collegio decemuirorum imperata fuit in omnibus compitis.* Et libro 10. *Decreuerunt patres, vt coss. quibus vellent diis, hostiis maioribus sacrificarent, & decemuiri libros adirent, eorum decreto supplicatio circa omnia puluinaria Romæ in vnum diem indicta.*

Libri isti non in chartaceis voluminibus descripti, sed linteis. Q. Symmach. li. 4. Epist. 34. *itane de me ludos facis, vt quæ apud te incuriosius loquor in styli caudice, aut ilice pugillares censeas transferenda, ne facilè senecta papyri scripta corrumpat* (in aliis melius, *ne facilis senectus papyri*) *& Marciorum qui iam vatum diuinatio caducis corticibus inculcata est monitus Cumanus lintea texta sumpserunt, tu etiam sericis voluminibus Achæmenio more infundi iste as meas præcipis.* Claudian. lib. de bello Getico:

> *Quid meditentur aues? quid cum mortalibus æther*
> *Fulmineo velit igne loqui? quid carmine poscat*
> *Fatidico custos Romani carbasus æui?*

Quæ tamen non ita intelligenda velim, vt soli Sibyllini libri in huiusmodi linteis tabulis, seu lintea tela inductis scriberentur, cum alios etiam sic scriptos reperiam, leges nempe Constantinus August tit. 27 lib. 11. C. Theodos. *de alimentis quæ inopes parentes de publico petere debent.* L. 1. ad Ablauium. *Æneis tabulis vel cerussatis, aut linteis mappis scripta per omnes ciuitates Italiæ proponatur lex quæ parentum manus à parricidiis arceat.* aut priuatæ epistolæ principum Fl. Vopisc. in Aurelio. *inueni nuper in Vlpia bibliotheca, inter linteos libros epistolam D. Valeriani,* fœdera etiam publica, atque acta iisdem in mappis exarabantur. T. Liu. Decad. libro 4. *prætermissa nomina consulum horum. Licinius Macer author est & in fœdere Ardeatino & in linteis libris ad Monetæ inuentos.* & quæcunque ludicra. Sidon. Apollinar. lib. 9. Epist. 16.

> *Præter hæc, et ioca multa multis*
> *Texui pannis elegos.*

Accuratè, vt solet, totam difficultatem expedit C. Plin. lib. 13. cap. 11. *in palmarum foliis primo scriptitatum, deinde quarundam arborum*

libris, postea publica monimenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici cœpta aut ceris. quem locum Critici aliter legendum censuerunt, & inter hos Iacobus Dalecampius & Guillandinus, scilicet hoc pacto, *in maluarum foliis primò scriptitatum*, quę restitutio placet impensius, authore Isidoro Hispalensi lib.6. Etymolog. cap.12. *at verò historiæ maiore modulo scribebantur, & non solum in charta, vel membranis, sed etiam in momentis elephantis*, lege, *omentis elephantis) textilibúsque maluarum foliis, atque palmarum.* C.Heluius Cinna vetus poëta.

Hæc tibi Arateis multum inuigilata lucernis
Carmina, queis ignes nouimus æthereos.
Leuis in aridulo maluæ descripta libello
Prusiaca vexi munera nauicula.

Et de hoc scribendi ritu intelligendus Plautus Bacchidib. sc. hunc hominem.

Stilum, ceram, & tabellam & Linum.

Alio longe sensu dixit Ouidius lib.6. Metamorphos. Fab.7.

Stamina barbarica suspendit candida tela,
Purpureásque notas filis intexuit albis.

D.Auson. Epist.23.

—Per licia texta querelas
Edidit, & tacitis mandauit crimina telis.

Ad Sibyllas reuertor, quarum antiquissimum constat esse vaticinium, versúsque, adeò vt ex Sibyllæ Delphicæ operibus Homerus multa operi suo inseruisse dicatur. Bocchus, & ex eo C.Iul.Solin. Polyhist. cap.8. Et de ea Auson. Epigr.18. P.Virgil. lib.6. Æneid. & Seruius ad illud.

—ruunt totidem responsa Sibyllæ.

D.Iuuenal. Sat.8.

—folium recitare Sibyllæ.

Q.Horat. Carmine sæculari.

Quod Sibyllini monuere versus.

Claudian. lib.2. in Eutrop. in præfat.

Miror cur aliis quæ pandere fata solebas,
Ad proprios casus cæca Sibylla taces.

Et de 4. Hon. consul.

—Cumanaque rursus
Intonuit rupes rapidæ delubra Sibyllæ.

Et lib. de bello Gildonico in principio.

Si mea mansuris meruerunt mœnia nasci
Iupiter, auspiciis, si stant immota Sibyllæ
Carmina.

Et lib.3. de Laudib. Stilichon.

—Hæc auguriis firmata Sibyllæ,
Hæc sacris animata Numæ.

Extant etiamnum hodie oracula Sibyllina, sed non illa, vt puto, quæ antiquitas tantopere suspexit, vtcumq; certè liquet heroicis carminib. illa scripta. Alb. Tibul. lib.2. eleg.5.

Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est,
Abdita quæ senis fata canit pedibus.

authoritatem extulit C. Sueto. in Iulio cap.79. *quoniam libris fatalibus contineretur Parthos nisi à rege vinci non posse.* Durauere hæc oracula in summa religione, multis sæculis, & ab Augusto reddita dignatio. Idem Sueto. in eo cap.31. *quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis, vel parum idoneis authoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta vndique cremauit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.* At quadringentis plus minùs post illum annis, imperante Theodosio seniore, conuersus melior senatus pars ad fidem, cœpit contemnere inania huiusmodi figmenta, & demum sub Honorio principe, Stilicho combussit. Rutil. Numatian. Gall. Itiner. lib.2. quod scio à multiscio & immortalitate dignissimo, Cæsare Baronio in excellentissimo Chronicorum Ecclesiasticorum opere obseruatum. sic itaque ille.

Nec tantùm Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremauit Opis.
Odimus Althæam consumpti funere torris,
Nisæum crimen flere putantur aues.
At Stilicho æterni fatalia pignora libri,
Et plenas voluit præcipitare colus.

Dixerat enim paulò anteà.

Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum
Proditor arcani qui fuit imperij.

Iam ad numerum Sibyllarum descendo, quas alij decem enumerant, genere, patria, parentibus, fama, tempore diuersas. Chronicon Bergomense lib.7. ex testimonio Varronis, & alij idem. alij nouem inter quos Suidas. quatuor constituit Ælianus Var. hist. lib.12. ca.35. nonnulli vnam tantùm. C.Plin. li.2. c.33. adstipulante Aulo Gellio lib.1. ca.19. Denique nonnulli tres. Auson. Gripho Ternarij.

Et tres fatidicæ, nomen commune, Sibyllæ.

Cap. XXV.

De Rege sacrorum, siue Rege Sacrificulo.

QVA causa hoc Sacerdotium institutũ sit, & vnde nomẽ habeat, eleganter docet Liuius li.2. his verbis: Regibus exactis & parta libertate, rerum deinde diuinarum habita cura: & quia quædam publica sacra per ipsos Reges factitata erant, necubi Regum desiderium esset, Regẽ sacrificulũ creant, id Sacerdotium Põtifici subiecere, ne ad-

additus nomini honos, aliquid libertati, cuius tunc prima erat cura, officeret. Et Dionys. li. 5. sic scribit: Sed quoniam multa magna beneficia collata videbantur in Répub. à Regib. volentes hoc nomẽ in vrbe seruari, perpetuò iusserunt vt Pontifices & Augures designarẽt vnũ aliquẽ è senioribus ad hoc idoneum, qui sacris tantùm praeesset, immunis à militia, vocareturque Rex sacrificulus; primúsque hunc honorem Romae accepit Manius Papirius, vir Patricius, quietis amantissimus. Creabatur Rex sacrorum Comitiis Centuriatis, quemadmodum apud Agellium lib. 15. cap. 27. refert Laelius Felix, & quidem quamdiu religio mansit, semper ex Patriciis, vt Cicero scribit pro Domo. Huic neque magistratum gerere, nec orationem ad populum habere licebat. Cuius rei causam hanc Plutarch. in Quaestionibus Romanis, quaest. 63. affert, vt scilicet nunquam nisi in sacris seruire, vtque in gratiam Deorum regnum sustinere videretur. Vnde etiam hunc ritum à maioribus traditum esse Plutarchus dicit, vt Rex sacrorum ante Comitium, post quàm rem diuinam fecisset, fuga sese inde & foro proriperet.

Non licebat Regi sacrorum feriis opus videre, quemadmodum nec Flaminibus, ideò per Praeconem denunciabat, ne quid tale ageretur, & praecepti negligens mulctabatur. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 16. ad Regem sacrorum virgines Vestales certa die ibant, & dicebant, Vigilásne Rex? vigila. Seruius in 10. Aeneid. Mansit autem hoc sacerdotium vsque ad Theodosij senioris tempora, quibus cum reliquis sacris abrogatum est.

Regis sacrorum vxor appellabatur Regina sacrorum, quae & ipsa aliquot sacra facere solebat: cuius meminit Plutarchus in 4 Satur. cap 15.

Cap. XXVI.

De Sacerdotibus foeminis Bonae Deae.

Sacerdotes Bonae Deae dictae fuerunt matronae illae, quae operatae sunt sacris Faunae siue Fatuae. Cùm enim ea tantae fuisset pudicitiae, vt nemo illam, dum vixit, praeter virum suum, mas viderit, nec nomen eius audierit, propterea illi mulieres sacrificabant, & Bonam Deam nominabant. Varro de huius Deae sacris. Plutarchus in Quaestionibus Romanis quaest. 20. scribit, matronas domi suae sacellum muliebris Deae, quam Bonam vocent, ornantes myrtum non inferre: cum tamen omnibus aliis germinantibus & florentibus studiosè ea re vtantur, & causam eius moris hanc fuisse dicit, quod mulieres cum ab aliis rebus purae, tum maximè re Venerea, sacra ista peragant, quodque non solum maritos, sed omnes in vniuersum mares domo exterminent, cum Deae sacris operantur ritibus, itaque myrtum vt Veneri sacram abominentur. Haec sacra P. Clodius Ciceronis aetate polluit: cum enim C. Caesaris Pontificis Maximi vxorem Muciam adamaret, muliebri habitu in operto Bonae Deae inuentus est, ab Aurelia C. Caesaris matre, quo non nisi mulieribus ingredi fas erat. Vnde Cicero in P. Clodium acerrimè inuectus est, quod ausus fuisset ea sacra, quae in operto pro salute populi Romani in Pontificis Maximi aedibus fiebant, sua praesentia polluere. Tantum de his.

AD CAP. XXVI.

Dixi abunde supra lib. 2. huius operis capite 16. quae adi.

Cap. XXVII.

De Gallo & Archigallo Sacerdotibus Deae Cybeles.

De Cybele, quae eadem est Mater Deûm, diximus libro superiore. Eius Sacerdotes dicti fuerunt Galli, quorum praeses, vel summus Archigallus fuit appellatus. Nomen habent à flumine Phrygiae Gallo, sic enim Sext. Pompeius Festus: Galli qui vocantur, Matris Magnae comites dicti sunt, à flumine cui nomen est Gallo, quia qui ex eo bibissent, in hoc furere incipiant, vt se priuent virilitatis parte, quod etiam Ouidius, Herodianus, & alii testantur. Quanquam alii aliam afferant etymologiam, dictos videlicet eos fuisse à Gallo quodam, qui primus Cybeles Sacerdos fuerit. De Archigallo Gallorum Antistite testimonium dicunt & veterum aliquot marmorum inscriptiones, quales à Lilio Gyraldo Syntagmate 4. historiae Deorum Gentilium, & ab Onuphrio Panuinio recitantur & Plinius atque Tertullianus qui eorum meminerunt, vt de reliquis taceam. Testes sibi praecidebant Samia testa, vt Plinius libro 11. capite quadragesimonono, & libro 35. capite 12. scribit, cuius rei origo haec fuisse fertur: Cum Dea Cybeles puerum Phrygem formosissimum Atyn nomine, suis sacris ea lege perfecisset, vt perpetuo castitatem

seruaret, haud longè pòst Sangritidem Nympham compressit: quare ab irata Dea in furorem actus, cum Dyndima venisset, manusque sibi afferre conaretur, miseratione Deæ furore liberatus à se interficiendo abstinuit, virilitatem tamen sibi amputauit, & ideò Cybele castratos Sacerdotes habere mauult: qua de re extat prolixum carmen Catulli. De his Sacerdotibus in hunc modum scribit Dionys. lib. 2. Romæ nulla peregrina sacra sunt recepta publicè, vt fit in multis vrbibus: sed etiamsi qua oraculorum iussu aliunde introducta sunt, suo more coluntur à ciuibus, abdicatis fabularum miraculis, sicut in matris Ideæ sacris fit. Prætores enim quotannis Romano ritu victimas ei cædunt, & ludos faciunt: sacerdotio verò eius funguntur Phryges, vir & mulier, eámque vicatim circumferunt more suo circulatorio, pectora plangentes ad cantum tibiarum tympanorúmque sonitum: ingenuus autem Romanus nemo est Mitriacus, nec oberat ad Phrygios modulos indutus synthesim, neque ex decreto Senatus initiatur magnæ matris Orgiis. Hactenus Dionysius. His Sacerdotibus licebat stipem colligere cùm reliquis id prohibitum esset. Sic enim Cic. li. 2. de Legibus. Præter Ideæ matris famulos, eósque iustis diebus nequis stipem cogito. Et paulò pòst interpretans hanc legem, Stipem, inquit, sustulimus, nisi eam quam ad paucos dies propriam Ideæ matris excepimus. Implet enim superstitione animos. Pulchra de his Sacerdotibus habebimus libro sequenti, vbi sacra huius Deæ explicabimus.

AD CAP. XXVII

De Cybeles sacris, translatione in vrbem, sacerdotibus ipsius, seu Archigallis dictum est à me lib. 1. supra cap. 7. huius operis, quæ consule.

CAPVT XXVIII.

De Septemuiris Epulorum.

Vt ferè omnes veterum Sacerdotes, sic Epulones vario numero fuerunt. Quando enim primum instituti sunt, tres creati sunt: quemadmodum ait Liuius lib. 33. qui ita scribit Anno Vrbis DLIII. L. Furio Purpureone M. Clau. Marcello Coss. Romæ eo primum anno III. Epulones viri facti. C. Trebonius Lucullus, T. Romuleius, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Leca. His Triumuiris item, vt Pontifici, lege datum togæ prætextæ habendæ ius. De his Triumuiris Cic. lib. 3. de Orat. ita scribit: Sed vt Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros Epulones esse voluerunt, quum essent ipsi à Numa, vt etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti. A posterioribus temporibus Septemuiros Epulones fuisse, ex veteribus cum scriptorum, tum lapidum monumentis intelligi potest. Antistius enim Labeo apud Agellium libr. 1. cap. 12. ita scribit: Item cuius pater Flamen, aut Augur, aut Quindecimuir S. F. aut qui Septemuir Epulonum, aut Salius est. Quis autem eum numerum auxerit, vt pro Triumuiris Septemuiri crearentur, nemo tradit. Onuphrius aliquot coniecturis ductus, putat à Lucio Cornelio Sulla id factum fuisse. Cui interim assentiemur, dum alij certius aliquid in medium proferent. Cæsarem quoque Dictatorem aliis tribus ad Collegium Septemuirorum additis, Decemuiros Epulonum constituisse, auctor est Dio, qui lib. 43. extremo hæc scribit: Cum Cæsar pluribus benefic a deberet, Magistratibus & Sacerdotiis collatis eis satisfecit. Itaque XV. Sacerdotibus vnum: Collegio Septenario tres addidit. Notat Hubertus Goltzius, Septemuiris Epulonum à C. Iulio Cæsare tres alios additos esse, ita vt Decemuiri facti sint. De munere horum Sacerdotum Cic. Oratione de Aruspic. respon. ita loquitur: Ludos minus diligenter factos, pollutosque. Quos ludos? Te appello, Lentule, cui sacerdotij sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum: vósque Pontifices, ad quos Epulones Iouis Opt. Maxi. si quid est prætermissum, aut commissum adferunt, quorum de sententia illa eadem renouata atque instaurata celebrantur. Ludi sunt minùs diligenter facti: quanto aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio Pontificum, nihil cuiusquam aut negligentia contemptum aut scelere esse pollutum. Ex quibus verbis intelligimus, non modò quod esset munus Epulonum, sed etiam fuisse eorum quoddam collegium. Et hi vt cæteri Sacerdotes, à collegiis subrogabantur ante legem Domitiam, quod ex tota Liuiana historia liquet. Post legem verò Domitiam populi suffragiis is quoque honor mandari cœptus. Tantùm de his.

CAPVT XXIX.

De Duumuiris ædis locandæ, faciundæ, dedicandæ, & Triumuiris ædibus Sacris incendio consumptis restituendis & sacris conquirendis, donisque persequendis.

Hi qui-

HI quidem propriè Sacerdotes non erant, sed tamen verisimile est ex Sacerdotibus eos potissimùm creatos fuisse. Duumuirorum frequens mentio est apud Liuium: & præsertim lib. 7. & 22. Nam ædes vbi aliquo casu vota erat, statim qui locarent, facerent, & dedicarent, Duumuiri populi Comitiis tributis lege Papiria renunciabantur, quod ex Agellio libro 15. cap. 17. facilè intelligi potest.

De Triumuiris Liuius lib. 25. ita scribit: Comitia deinde à Prætore vrbano de Senatus sententia, plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt Quinqueuiri Muris Turribúsque reficiendis, & Triumuiri bini, vni sacris conquirendis donisque præsignandis, alteri reficiendis ędibus, Fortunæ & matris Matutæ intra portam, quæ priore anno incendio consumptæ fuerant. Plura de his addere superuacaneum.

Caput XXX.

De Pontificibus & Sacerdotibus Deorum singulorum.

PRæter eos de quibus hactenus diximus, inquit Onuphrius libro 2. de Repub. Rom. multi quoque erant in Vrbe Sacerdotes publici, variis nominibus appellati, & recentioribus temporibus instituti, quorum memoria in vetustis tantùm superest Epigrammatibus, ex quibus quanta potui diligentia eos collegi, atque hac ratione hoc loco in antiquitatis studiosorum gratiam accuratè exscripta subiunxi. Hactenus ille. Nos, cum ad propositum nostrum nihil faciant, epigrammata illa quæ ipse adducit, omisimus.

Caput XXXI.

De Ministris Sacerdotum populi Romani.

SAcerdotiis populi Romani explicatis, de Ministris etiam quædam addenda sunt, id quod nos hoc capite faciemus.

CAMILLI & CAMILLÆ.

Hi à Romulo sunt instituti, de quibus Dionys. libro 2. scribit: Romulus voluit vxores cum suis maritis fungi sacerdotio, & siqua sacra viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis, in eiúsque ministerii partem debitam venire illorum etiam liberos: quòd si qui prole carerent, eis liceret optare ex quacunque tribu puerum, puellámque, elegantissimos: alterum ministraturum sacris, donec pubesceret: alteram tantisper dum pura esset à nuptiis.

FLAMINII, vel FLAMINIÆ.

De his in hunc modum scribit Festus: Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus & maximus, qui Flamini Diali ad sacrificia præministrabat. Antiqui enim ministros Camillos dicebant. Flaminia dicebatur sacerdotula, quæ Flaminicæ Diali præministrabat, eáque patrima & matrima erat, hoc est patrem & matrem adhuc viuos habebat.

ÆDITVVS, vel ÆDITVMVS.

Agellius libr. 12. cap. 6. Varro, inquit, censet æditumum dici oportere non æditumum, quòd alterum sit recenti nouitate fictum, alterum antiqua origine incorruptum. Quò respexit etiam Varro lib. 1. de re Rust. cap. 2. cùm scribit: Sementinis feriis in ædem Telluris veneram rogatus ab æditumo, vt dicere didicimus à patribus nostris: vt corrigimur à recentibus vrbanis, ab æditu. At lib. 6. de ling. Lat. notat, alios æditum dici malle. Hæc enim sunt ipsius verba: Tueri duo significat, vnum ab aspectu, vt dixi, vnde est illud, Tueor te senex, proh Iupiter? Et, Quis pater aut cognatus volet nos contra tueri? Alterum à curando, ac tutela: vt cùm dicimus, Bellum tutor, & tueri villam, à quo etiam quidam dicunt, illum qui curat ædeis sacras, Ædituum, non Æditumum. Quod officium huius fuerit, manifestum est. Fuerunt præter hos Scribæ Pontificum à Commentariis Quindecimuirûm, sacris faciundis, Adiutores Haruspicum, & Kalatores, quorum mentio extat in vetustis Epigrammatis. Vide Thesaurum Huberti Goltzij.

TIBICINES.

TIBICINVM Romanorum frequens apud veteres auctores mentio est: hi tibias concinentes sacris populi Romani interesse solebant. De his scribit M. Varro lib. 4. de lingu. Lat. Quinquatrus minusculæ dictæ Iuniæ Idus ab similitudine maiorum, quod tibicines tum etiati per vrbem vagantur, & conueniunt ad ædem Mineruæ. Quomodo hi aliquando,

quòd prohiberentur in æde Iouis vesci, Tibur secesserint, & post Romam inde reducti fuerint, alibi ex Liuio, Valerio Maximo, & Plutarcho docemus.

TVBICINES.

De Tubicinibus sic scribit Sextus Pompeius: Tubicines ij appellantur, qui Sacerdotes viri speciosi publicè sacra fiunt, tubarum lustrandarum gratia, &c. Qui enim tubis canebant, Tubicines dicebantur.

POPÆ.

Popae ministri sacrorum erant, qui hostias & victimas ligabant, & laureati succinctique, atque ad ilia vsque nudi, & eas ante aras deductas feriebant. Vnde Suetonius in Caligula: Admota altaribus victima succinctus poparum habitu cultarium mactauit. Et Spartianus in vita Getæ: Percussit hostiam popa.

VICTIMARII.

Et hi Sacerdotum ministri erant, qui victimas ligabant, & cultrum, aquam & molam parabant, & reliqua, quæ sacris erant necessaria, Valerius lib. 1. cap. 1. Libros Petilius Prætor vrbanus ex auctoritate Senatus, per victimarios facto igne in conspectu populi cremauit. Liuius libro 40. Libri in comitio igne à victimariis facto in conspectu populi cremati sunt. P. Victor Romæ castra victimariorum fuisse refert.

PRÆCIÆ.

Praeciae, siue præclamitatores dicebantur, qui à Flaminibus præmittebantur, vt denuntiarent opificibus, vt manus abstinerent ab opere, ne si vidisset Sacerdos facientem opus, sacra polluerentur. Habuerunt etiam Flamines & virgines Vestales suos lictores, de quibus alias dicetur.

PRÆFICA.

Terentius Varro lib. 6. de lingua Latina: Præfica, vt Aurelius scribit, mulier ab luctu, quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes eius caneret. Hoc factitatum Aristoteles scribit, in libro, qui inscribitur νόμιμα βαρβαρικά, quibus testimonium est quòd Fretum est Næuii.

Hæc quidem hercle opinor præfica est:
Nam mortuos collaudat.

Claudius scribit: Ea quæ præficeretur ancillis quemadmodum lamentarentur, præfica est dicta, vtrumque ostendit à præfictione, præficam dictam. Plautus in Truculento.

Sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica.

Sext. Pompeius: Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ. Nonius Marcellus: Præficæ (inquit) dicebantur apud veteres, quæ adhiberi solent funeri mercede conductæ, vt & flerent, & fortia facta laudarent. Lucilius 12. Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ multo, & capillos scindunt, & clamant magis.

DESIGNATOR & VESPA, seu VESPILLO.

Designatores dicebantur, qui constituendæ funebri pompæ præerant, vnicuique incedendi locum ordinémque præscribentes: ita Sext. Ponpeius.

Vespillones autem cadauerum funeratores erant: ita dicti, quòd vespertino tempore mortuos efferre solerent: vnde & funera, à funalibus dici autumat Donatus, quia noctu efferebantur ob sacrorum celebrationem diurnam. Hi Vespæ à Sexto Pompeio appellantur: Vespæ, inquit, dicuntur qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa propter inopiam duci nequeunt. Hi etiam Vespillones dicuntur. Hactenus de Sacerdotibus, & ministris eorum, ea, quę à veteribus memoriæ prodita sunt, exposuimus, quibus adiiciemus quædam generalia de Sacrificiis, si prius vasa, quorum vsus in sacrificiis fuit, explicauerimus, atque ita huic libro finem imponemus.

Ad Cap. XXX.

PARALIPOMENA.

Qui æditui, tibicines, & eorum collegium.

Ædium sacrarum custodes æditui, vel æditimi appellantur. Adria. Turneb. lib. 14. Aduers. cap. 12. Græcè ἱεροφύλακες nominantur, quam vocem Latinam fecit Scæuola IC. L. 20. ff. de annu. leg. *Attia fideicommissum his verbis reliquit, quisquis mihi hæres erit, fidei eius committo, vti det ex reditu cœnaculi mei, vel horrei, post obitum sacerdoti vel hierophylaco, & libertis, qui in illo templo erunt denaria decem, die nundinarum, quas ibi posui.* etat Alexander Neapolitanus lib. 5.

lib.5. Genial. dier. cap. 17. qui pro *hierophylaco*, aut *hierophylaco*, legi contendit debere, *hierofiarchum*. quæ dictio neque Latinis vsu recepta, neque ab aliquo authore vsurpata. *ἱερομνήμονες sacrarum cæremoniarum doctores*, leguntur apud Iulium Pollucem lib. 1. cap. 1. Num. 31. Plutarchum in vita Numæ, & Philostratum Lemnium in vita Apollonii Thyanæi lib. 4. cap. 6. Dionys. Halicarnass. lib. 2. D. Hieronym. de Monogamia ad Geruntiam. Atque hos nonnulli confundunt cum *Nomophylacibus*, de quibus Iun. Moderat. Columella lib. 12. cap. in fine. *in bene moratis ciuitatibus semper est obseruatum, quorum primoribus, atque optimatibus, non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos ciues creassent, quos Græci νομοφύλακας appellant*. M. Tul. lib. 3 de legib. *legum custodiam nullam habemus, itaque hæ leges sunt quas apparitores nostri volunt, à librariis petimus, publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus, Græci hoc diligentius, apud quos Nomophylaces creantur*.

Ex quo loco liquet conicere nullam apud Romanos fuisse custodum legum officium, ac ne nomen quidem. Itaque tantum in vsu erant istis; qui ædium sacrarum curam gererent, C. Suet. Augusto cap. 5 *se esse possessorem, ac velut æditimum soli, quod Diuus Augustus nascens attigisset*, e quo nonnullas apponam inscriptiones, prima ex Onuphrio Panuinio desumpta est in Ciuitate sua pag. 551.

SOLI. ÆTERNO.
SACR.
PIO. SAL. P. VALERII. CRISPI. SEPTENTRION. SACERDOT. DEI. INVICTI. M ANTONIVS M. F. LIBER. MESOPTLVS.
ÆDITVVS COLLOCAVIT.

Altera in hæc verba extat.

COSMVS ÆDITVVS MATRIS. D...... ANTIOCHO. SACERDOTE. ANNI. XII. IAS......AB. IMP. AVGVSTO. GRATIS. MANVMISSVS. OB.......SVPRA. SVNT. HS N.L. DONATIONIS. CAVSA. MANCIP.

Tertia Romæ visitur, his verbis,

D. M.

ABASCANTO. AVG. LIB. ÆDITVO. ÆDIS. NEPTVNI. QVÆ. EST. IN. CIRCO. FLAMINIO. FLAVIVS. ABASCANTIVS. ET. PALLANS. CÆS. N. SER. ADIVTOR. A. RATIONIBVS. PATRI. PIISSIMO. FAC.

Quartum marmoris vetusti fragmentum extat Romæ in ædibus Aulij Delphinii.

D M.
T. FLAVIO. AVG. LIB. LIBERALI ÆDITVO. MARTIS. VLTORIS. CLAVDIA. EXOCHE. CONIVGI. BENEMERENTI. ET. SIBI. FECIT. VIXIT. ANNIS LVII.

Denique & quintum apponam ex Aldi Manutii Orthographia pag. 17 ex Vinea Io. Poggii Episcopi Tropien. cuius hæc sunt verba.

DIIS. MANIBVS. SAL. SER. SVLPITIO. AVG L. ALCIMO. ÆDITVO. AB. ISEM. PELAGIAM. VIX. AN. XXXVII.

Sacerdotum seu verius sacrorum ministri erant & Tibicines, de quibus omnia vulgatissima, quasdam tibias *dextras*, quasdam *sinistras*, Io. Brod. lib. 1 Miscellan. cap. 6. *aduncas, eburneas*, Hieron. Magius lib. 1. ca. 13. *dextræ vnum foramen sinistræ duo habebant*.

Varro apud Seruium ad illud. 9. Æneid.

—Biforem dat tibia cantum,

Lucret. lib. 2.

De Phrygio stimulat numero caua tibia mentes.

Quosdam modos lugubres, seu Phrygios, quosdam incitatos, quosdam remissos, neque in Italia aut Romæ modo, sed & apud Græcos vt de Marsiæ & Apollinis certamine dixi ad lib. 1. supra in Reg. 8. & apud Ægyptios. Claudian. de 4. Hon. consul.

—Variisque modos Ægyptia ducit
Tibia.

Multiplicem tibiarum vsum nemo expressit aptius P. Ouidio lib. 4 Fastor.

Temporibus veterum tibicinis vsus auorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mæstis tibia funeribus.
Quæritur in cœna caua tibia.

Male antea legebatur meo iudicio,

Quæritur in scena caua tibia.

Et de eius in funeribus vsu, dicam infra lib. 5. cap. 36. in conuiuiis, eodem libro, receptos tibicines ostendam, & disputat ex Aristotele & aliis Dionys. Lambinus in Æmilium Probum, in vita Epaminondæ.

Denique & ludis solemnioribus, seu commissionibus adhibitos liquet ex M Varrone apud Nonium in *Ramices: priusquam in Orchestra Pithaules inflet tibias, domi suæ ramices rumpit*, dixi ad illud Claudiani panegyr. de consulatu Manlij Theodori.

Qui flatu manibúsque loquax, cui tibia flatu,
Cui plectro pulsanda chelys.

Sed & illud, vt puto, à Palmerio solo, adno-

ratum est, amantes ante dominarum suarum fores noctu tibiis canere consueuisse, at in templis nullæ tibiæ, nisi ex buxo, apud Græcos Latinosque. Athen Dipnosophist. li 4 ca. 24 & Lilius Gyrald. syntagm. deor. gentil. 17. cum aliæ *ex ceruinis ossibus* compactæ forent. Aristophanes citatus à Suida in voce ἐλύμος, vide supra lib. 2. cap. 4. quæ à me dicta sunt, addendi hoc loco poetæ. Claudian. lib. 3 de Raptu. vbi Cybele de se ipsa consternata somniis.

Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt,
Tympana si quatiam, planctum mihi tympana reddunt.

L. Sen. Agamem Act. 2. in Choro.

Tibi multifora tibia buxo
Solemne canit.

Papin. Stat. lib. 8. Thebaid.

Et moderata sonum vario spiramine buxus.

Virgil. lib. 9. Æneid.

Tympana vox buxusque inuat Berecynthia.

P. Ouid. loco citato. Mineruæ tibiarum inuentrix loquitur in hæc verba:

Prima terebraui per longa foramina buxos,
Vt dares effeci, tibia longa sonos.

Et certè in illius tanquam primæ Musices repertricis tutela erant tibicines, & tunc plena iis concessa potestas vagandi, popinas etiam censore contempto subintrandi. M. Martial. ob id *ebriam* vocauit *tibicinam*. lib. 14. epigr. 64. Fest. Pomp. lib. 11. *minusculæ quinquatrus appellantur idus Iunij, quod is dies festus est tibicinum, qui colunt Mineruam, cuius deæ festus est propriè dies quinquatrus, mense Martio.* Et lib. 4. de ling. lat. M. Varro, *quinquatrus Minusculæ dictæ Iuniæ idus, ob similitudinem maiorum, quod tibicines tum feriati per vrbem vagantur, & conueniunt ad ædem Mineruæ.* Martian. Capella de Merc. & Philolog. lib. 9. *nam fides apud Delphos per Deliacam citharam demonstraui, tibia per Tritonidem nostri comitem, & Marsyam Lydium sonuerunt, calamos Marsyæ dixi; & Aonis, in laudes instaurare cælestium, Panduram Ægyptios attestare permisi.* Antonius Delrio legit *Pandorium*, ex Isidoro Hispalensi lib. 3 Etymologiar. Interim tibicinum, qui sacris adhibebantur meminit Iuuenal. Sat. 6. vers. 314.

—cum tibia lumbos Incitat.

Suid. in ἀγαθώνιος *Agathonium tibiæ cantum dissolutum eneruatumque* appellat. hæc veteris marmoris fragmenta meminerunt.

IMP. CÆSARI M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVGVSTO. TIBICINES. ROMANI.
QVI. SACRIS.
PVBLICIS. PRÆSL. SVNT.

alterum in hæc verba concipitur.

DIANÆ. LVCINÆ. INVICTÆ. CN.
POMPEIVS. CN. LIB.
BARBVS PROCVRAT. TIBICIN.
ROM. TOTO. SVSCEPTO.
L. M.

Collegium eos in vrbe habuisse, ex Tito Liuio & antiquis inscriptionibus, alij obseruarunt, & habetur disertè apud Valerium Maximum libro secundo, cap. 1. tit. penult. qui plura cupis, adi ad Iulium Solinum Polyhist. cap. 11. Scaligerum patrem Poeticorum lib. 1. cap. 20. Cælium Rhodigin. lib. 9. cap. 7. Theophrastum lib. 4. de caus. Plantar. Iul. Pollucem lib. 4. Onomastic. cap. 10. & alios. Demades denique referente Isocrate: τοὺς Ἀθηναίους εἰκάζειν αὐλοῖς, ὧν εἰ τις ἀφέλοι τὴν γλῶτταν, τὸ λοιπόν ἐστιν οὐδέν. Athenienses *similes dicebat esse tibiis, quod ademptâ linguâ nihil residui rationis haberent.* Ioan. Stob. Serm. 2.

Cap. XXXII.

De vasis, quorum vsus apud Romanos in Sacrificiis fuit.

VASA, quibus veteres in sacrificiis vsi sunt plurima fuerunt, de quibus Lilius Gregorius Gyraldus peculiarem librum conscripsit: qui tamen ad meas manus non peruenit. Nos hoc capite quædam, & quidem præcipua enumerabimus, eorúmque iconas ex Guilhelmi Brassicani antiquitatibus, Gallica lingua editis, subiicimus. Sunt autem præcipua vasa hæc: Acerræ, Thuribula, Præfericula. Simpla, seu Simpuuia, & quas Cicero in Paradoxis Capedines & Fictiles vrnulas vocat: item Candelabra, Pateræ, Disci, Secespitæ, Securæ, Enclabria, Dolabra, Ollæ, Aquiminaria, Aspersoria.

Acerra, inquit Festus, ara, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Alij dicunt arculam esse thurariam, scilicet vbi thus reponebant: sic Glossarium vetus, acerra thuraria λιβανωτρίς.

Thuribulum,

THVRIBVLVM. PRÆFERICVLVM.





THVRIBVLVM,vas,quo thura adolentur.

PRAEFERICVLVM,vas æneum,fiue anfa patens fummum, velut peluis,quo vtuntur in facratio Opis Confiuæ.

CYMPVLVM , fiue CAPEDVNCVLA.



SYMPVLVM,fiue SVMPVLVM,vas paruum,non diffimile cyatho,quo vinum in facrificiis litabatur,vnde & mulieres rebus diuinis deditæ,fimpulatrices dicuntur. Varro li.4.de lingua Latina,fympulum à fumendo dictum vult:Iofephus Scaliger diminutiuum effe dicit,à Sympone,quod fit à Græco σίφων,ac fignificet vafculum cum tenui fiftula,vel anguſto collo ad pigiffandum vinum.

CAPEDVNCVLA, SECVRIS, VRNVLA.
Lituus , Patella.

CAPIS poculi genus,dictum à capiendo. Feftus,Varro:Capis & minores Capulæ à capiendo quòd anfatæ,vt prehendi poffint,id eft,capi. Harum figuras in vafis facris ligneas, & fictiles antiquas etiam nunc videmus. Idem lib.1.de Vitá pop. Rom. etiamnum pocula,

quo vocant Capulas, ac Capides, quod est poculi genus. Has Cic. in Paradoxis Capedines & Capedunculas, & fictiles vrnulas appellat.

CANDELABRA, vasa erant, in quibus candelæ figebantur. Varro libro quarto, de lingua Latina. Candelabrum à candela. Ex his enim funiculi ardentes figebantur. Festus: Candelabrum dictum, quòd in eo candelæ figantur.

PATERÆ eò quòd pateant, Latinè ita dictæ. Heisce etiam nunc in publico conuiuio, antiquitatis retinendæ causa, cùm Magistri fiunt, potio circumfertur, & in sacrificando Diis, hoc poculo Magistratus dat Deo vinum. Terentius Varro libro quarto de lingua Latina. Hinc diminutiuum patellæ, vasa picata, patua, sacrificiis faciendis apta.

CANDELABRVM, SECVRIS, & SECESPITA.



SECESPITAM, inquit Festus, alij securim, alij dolabram æneam, alij cultellum putant. Et mox. Secespita cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum auro, argentóque, fixo clauis æneis, ære Cyprio, quo Flamines, Flaminicæ virgines, Pontificésque ad sacrificia vtebantur: dicta autem secespita à secando.

DISCVS, lanx in quo dicebatur, & magis in quo assæ canes reponebantur.

DOLABRA, instrumentum, quo in dolando, vtebantur.

ENCLABRIA, siue potiùs ANCLABRIA, appellabantur vasa ænea, quibus Sacerdotes vtebantur. Anclabris mensa ministeriis diuinis apta. Sext. Pomp. Festus. Dicebantur autem Anclabria, & anclabris, ab anculare, quod erat ministrare, siue ab anclare, quod erat haurire.

ASPERSORIVM, quo aquam lustralem aspergebant: dicebatur etiam Aspergillum, & Lustrica.

AQVIMINARIVM, siue AMVLA, vas lustrale, deportandæ aquæ religionis expiationisque ergò deputatum. Hæc & alia vasa sacrificiis destinata erant, quibus explicatis, de sacrificiis quædam in genere dicemus: plura sequenti libro explicabuntur.

CAPVT

Caput XXXIX.

De veterum Sacrificiis.

SAcrificium, inquit Isidorus, est victima, & quæcunque in ara cremantur, seu ponuntur. Victimæ verò, vt idem ait, sunt sacrificia, quæ post victoriam deuictis hostibus immolabantur: sic dictæ, quod vi ictus percussæ caderent, aut quòd vinctæ ad aras ducerentur. Erant autem victimæ maiora sacrificia, quàm hostiæ: plerumque tamen confunduntur hæ voces. Festus: hostia, inquit, sacrificium quod Laribus immolabant, quòd ab aliis hostes arceri putabant. Alibi dicit hostias ab antiquo verbo hostio, quod ferio significat, dictas esse Ouidius.

Hostibus à victis hostia nomen habet.

Hostiarum multæ erant differentiæ: aliæ enim Præcidaneæ, quæ ante solemnia sacrificia pridie mactabantur Festus: Præcidaneam porcam dicebant, quod immolare antè erant soliti, quàm nouam inciderent. Idem præcidanea agna vocabatur, quæ ante alias cædebatur.

Succidaneæ dicebantur, si primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ cædebantur, quæ quasi prioribus iam cæsis, luendi piaculi gratia subdebantur, & succedebant, ob id succidaneæ nominatæ.

Eximiæ hostiæ erant, teste apud Macrobium lib. 3. Saturnal. cap. 5. Veranio in Pontificalibus Quæstionibus, quæ ad sacrificium destinatæ eximebantur à grege: vel quod eximia specie quasi offerendæ numinibus eligerentur.

Ambegni bos, aut veruex appellabantur, cùm ad eorum vtraque latera agni in sacrificium ducebantur. Festus.

Ambiguæ, vel Ambegnæ, vel Ambignæ oues in sacris dicebantur, quam circùm aliæ hostiæ constituebantur. Varro, Fulgentius Piaciades.

Haruiga, vel, vt Iosephus Scaliger legit Aringa, dicebatur hostia, cuius adhærentia inspiciebantur exta.

Cauiares hostiæ dicebantur, ait Festus, quòd Cauiæ, id est pars hostiæ, cauda tenus duceretur, & ponebatur in sacrificio pro Collegio pontificum quinto quoque anno.

Prodigiæ hostiæ appellabantur quæ consumebantur.

Bidentes hostiæ quæ fuerint, variè disputatur. Festus Ambidens, siue bidens ouis appellatur, quæ superioribus & inferioribus est dentibus, & hoc probat Ioseph. Scaliger, cùm in Varronem scribit: Bidentes erant hostiæ, quæ & corrigeræ essent, & duos dentes eminulos haberent.

Amburbiales hostiæ, quæ circùm terminos vrbis Romæ ducebantur.

Ambaruales hostię appellantur, quæ pro aruis à XII fratribus sacrificabantur, Festus. Et mox: Ambarualis hostia est, quæ rei diuinæ causa, circum arua ducitur, ab iis qui pro frugibus faciunt.

Iniuges hostiæ, quæ nunquam domitæ, ac iugo subditæ fuerunt. Trebatius apud Macrob. lib. 3 Saturn. cap. 5. duo in primis hostiarum genera fuisse dicit: alterum, in qua voluntas Dei per exta disquirebatur: alterum, quo sola anima Deo sacrabatur, vnde, & animales hostiæ vocabantur.

Cæterùm, sacrificia hac ratione, peragebantur, Cùm Sacerdos victimam ad aram adduxisset stans manu aram prehendebat, & preces fundebat. Principium precationis à Iano & Vesta fieri oportebat, quæ in omnibus sacris præcipua numina erant, & in votis nuncupandis cōpellationem primam meruerant: inde, quod per eos aditus ad cæteros patêre opinio erat. Et obseruabatur in ea precatione, vt Iupiter pater Opt. Maxim. omnésque Dij cæteri patres aduocarentur. Ne quid verò verborum prętериretur, aut pręposterè recitaretur, de scripto præire aliquem, rursúsque alium custodem dari, qui attenderet sedulò: alium qui fauere linguis iuberet & tibicinem canere, ne quid infaustum exaudiretur, oportebat: quòd cùm diræ obstrepentes nocuissent, aut precatio errasset, repentè extis capita adimi, vel corda, geminarive, stante adhuc victima compertum esset. His peractis sacrum ab immolatione Sacerdos inchoabat. Fruges aut molam salsam in caput victimæ deponebat, addito thure masculo. Vocabatur ritus ille Immolatio, quasi molæ in caput victimæ collocatio. Deinde vinum aspergebat: sed priùs quàm id effunderet, scipulo, aut simpuuio ligneo, vel fictili admodum paruo & ipse leuiter delibabat, & astantibus gustandum deferebat, vt pariter libarent. Vocabatur hic ritus Libatio: quo facto setas inter cornua victimæ manu euulsas tanquàm prima libamina proijciebat in ignem, conuersusque ad ortum, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam

ducebat, tandem victimam Diis exhibitam & dedicatam iubebat iugulare ministros: qui quod mactarent eas cultrarij & victimarij, à nonnullis Popæ & Agones vocabantur: reliqui partim admotis vasculis emanantem cruorem excipiebant, partim victimam excoriabant & abluebant, partim ignem accendebant. Vbi perpurgata erat, mox Aruspex, Flamen aut Sacerdos cultro ferreo viscera rimabatur, attentéque explorabat, an perlitatum foret. Non autem manu licebat contrectare viscera, ne qua offensa pollutis sacris intercideret. Inspectis tandem & exquisitis singulis, ex omni viscere & membro ministri partes certas, decisas, farina farris inuoluebant, & in calathis sacrificanti offerebant, sacerdos aris impositas, foculo incensu comburebat, quod reddere erat, & litare. Eum ignem ex olea, lauro, aut quercu corticis crassioris, aut cuius caudex cauus fungolúsque esset, accendere, vel numinibus adolere nefas erat: suspecta enim erant ligna illa tanquam diri & mali ominis. Vbi quod Deos tributum erat, conflagrasset, ad epulas ipsi, & conuiuia conuertebantur. Inter vescendum Diis laudes canebant, pedibúsque circum aras complodentes ad numeros psallebant, & pulsatis cymbalis choreas agebant. Cuius rei causam Seruius in 5. Virgil. eclog. hanc annotat, voluisse nimirum maiores, nullam corporis partem esse quæ non sentiret religionem. Cantus autem ad animum, Saltationem ad mobilitatem pertinere corporis. Porrò suæ singulis Diis victimæ etiam deputatæ erant, superis albæ & impares: inferis nigræ, & pares mactabantur. Ioui prodigiali thure & mola salsa: Ioui Flamini boue candido litabatur. Neptuno, Apollini, & Marti, tauro, verre & ariete: Heroibus tauro, capro, & ariete: Cereri primum lacte, vino, & fauis, posteà porca: Cybeli itidem porca: Æsculapio capris, & gallinis: Laribus gallo: Soli, & Marti equo: Lunæ tauro, Iunoni agna, Veneri columba, Pani & Mineruæ capra, Dianæ cerua, Libero patri melle, vino, & lacte, interdum capro & hirco, Syluano porca, Fauno agna vel hœdo, de quibus alibi. Atque hæc de Sacerdotiis, & in genere sacrificiis hactenus. Dicemus iam de diebus festis.

Ad Cap. XXXIII. vltimvm. PARALIPOMENA.

De vocabulis vsitatis, & formulis Sacrorum, Stare, sedere, tranferre sacra, circumagere se, manum osculari.

Formulæ supersunt, quę ex eruditissimo B. Brissonio clarissimo de formulis volumine peti possunt. Ac primum adorantes deos, *stabant* erecto corpore ampliorem augustiorémque cultum exhibituri. M. Martial. libro 11. epigr. 78.

Multis dum precibus Iouem salutat,
Stans summos resupinus vsque in vngues,
Æthon in Capitolio.

Hic quidem mos in communioribus sacris obseruatus aliis animaduersus, at in parentali, seu funebri solemnitate, operantes sacris sedebant. Q. Curt. lib. 8. *assidebat ei vna ex neptibus, nuper amissum Hephestionem, cui nupserat, lugens.* Seruius Honoratus ad principium lib. 9. Æneid. *ad augurandi tantum consuetudinem, & sententiam in senatu dicendi trahit,* sed certum etiam parentantes, & lugubria peragentes officia, *sedere* solitos, vel ex Hebræorum ritu, vt ex sacris literis clarum, D. Matth. cap. 27. atque ita intelligo poetas. M. Martialem lib. 2. epigr. 41.

Te mæstæ decet assidere matri,
Lugentique virum piúmque fratrem.

Et lib. 8. epigr. 57.

Tres habuit dentes pariter quos expuit omnes,
Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum.

Papin. Stat lib. 5. sil. 3. vers. 65.

—tepido genitrix super aggere nati
Mæsta sedet.

Alb. Tibull. lib. 2. eleg. 7.

Illius ad tumulum fugiam, supplexq; sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

P. Virg. lib. 9. Æneid. in limine.

—luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.

Aurel. prudent. lib. 3. eleg. 15.

Adferes huc vnguenta mihi, sertisque sepulchrum
Ornabis, custos ad mea busta sedens.

Ab hac consuetudine dimanauit, vt sedem pro sepulchro, seu tumulo vsurpemus. Ammian. Marcellin. lib. 22. *metuens, ne collectis supremum sedes illi, vt reliquis extruerentur.* Sidon. Apollinar. lib. 2. epist. 8 *perpetuus sedibus dormienti similior illata est.* ad quem locum doctissimus Sauaro idipsum obseruauit ex l. vltim. C. Theodos. *de sepulch. viol.* vbi *sedes Apostolorum* pro tumulo. & Valentinian. Aug. Nouella *de sepulch.* eodem loquendi genere vsus est. & Paulus IC. l. 40. ff. *de Religios. & sumptibus funer. si quis eo animo corpus intulerit, quod cogitabat inde aliò postea transferre, magisque temporis gratia deponere, quam quod ibi sepeliret mortuum: & quasi æterna sede dare destinauerat, manebit locus profanus*, in pandectis Florentinis legitur, *æternam sedem dare destinauerat.* sed parū interest. vetus marmoris

marmoris cuiusdam fragmentum.

HANC. SEDEM. SIBI. VIVI. POSVERVNT.

Et aliud in Epigrammatis & poematiis veterum lib. 4. cuius sunt verba.

LÆ. VITÆ. CONIVX. PETRONIA.
FORMA.
PVDORIS.
HIS. MEA. DISCEDENS. SEDIBVS.
OSSA.
LOCO.
PARCITE. VOS, LACHRIMIS.
DVLCES.
CVM. CONIVGE. NATAE.
VIVENTEM. QVE. DEO. CREDITE.
FLERE. NEFAS.

Et poetæ hoc sensu. Claudian. de bello Getico & alij passim.

—delubra Numæ sedemque Quirini.

Et Virgil. lib. 6. Æneid.

Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro.

Idem eodem libro,

—quam sedibus ossa quierunt.

Portò *sedem* hanc *perpetuam* appellauit Sidonius supra, è qua scilicet ossa transferri inconsulto sacrorum rege, aut pontifice, nefas erat, vt infra dicam, non *quod corpora non resurgant*, vt quibusdam impiè persuasum: sed vt *discrimen sit inter temporarium sepulchrum & æternum*, Diocletiani & Maximiani rescriptum id firmat. Paul. IC. lib. 1. Receptar. sententiar. lib. 1. tit. vlt. *qui corpus perpetuæ sepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudauerit, & solis radiis ostendit, piaculum committit.* & l. 4. C. de sepulch. viol. *qui sepulchra violant, domos, vt ita dixeris, defunctorum.* Epitaphium Crestinæ in antiquo lapide.

NE. QVIS. NOS. INQVIETET. EX. ARCA. MEA. NEQVE IN. ALIAM. PONAT. AVT. COMMVTET.

D. Auson. in professorib. in fine.

Sedem sepulchris seruet immotus cinis.

M. Varro Pseudonea, laudante Prisciano Cæsariensi.

Per æuiternum hominum domum.
Tellurem propero gradum.

Quare & sacra inconsulto pontifice, vt iam proximè supra exposuit, sine tumulo ossa efferre, seu donaria deorum, statuasque in alium locum exportare, non concessum. C. Plin. Iunior. li. 10. epist. 73. ad Traianum Aug. *petentibus quibusdam vt sibi reliquias suorum, aut propter iniuriam vetustatis, aut propter fluminis incursum, aliaque his similia quæcunque secundùm exemplum proconsulum, transferre permitterem: quia sciebam in vrbe nostra ex eiusmodi causis collegium pontificum adiri solere, te domine, maximum pontificem consulendum putaui, quid obseruare me velis.* Respondet Traianus Plinio Epistola sequenti. *durum est iniungere necessitatem prouincialibus pontificum adeundorum, si reliquias suorum propter aliquas iustas causas transferre ex loco in alienum locum velint.* vet. scholiast. Iuuenal. Sat. 4. vers. 61. *Romani Tullo Hostilio rege cum deseruissent Albam sacra sublata Romam transtulerunt, & deos Penates, quorum penetrale tam venerabile deprehensum est, vt lapidatio de cælo caderet supra.... memorati ponderis propter quod prodigium ex libris Sybillinis iussi pontifices ex SC. Albæ sacra renouare, tanta enim repente cum ea vellent transferre, grando cecidit, vt intelligerent suis locis sacra non esse mouenda.* alludunt poetæ ad hanc sacrorum translationem. Ouid. lib. 14. Metamorphos.

—sacra & sacra altera patrem
Fert humeris, venerabile onus, Cythereius heros.

Virgil. lib. 2. Æneid. & alibi passim.

Sacra suosque tibi commendat Troia Penates,
Hos cape fatorum comites.

Quæ translatio propriè deorum peregrinorum erat, qui euocatis ex ciuitatibus obsessis inuitabantur à sacerdote Romano, toto coram exercitum, Romã ne dedignarentur migrare, habituri augustiora temple, ampliorâque sacrificia, magis solemnes cultus, vt dicam lib. 10. hoc opere infra cap. 10. eleganter Festus Pompeius lib. 14. *peregrina sacra appellantur, quæ aut euocatis diis in oppugnandis vrbibus, Romam sunt conlata* (in aliis editionibus habetur, *coacta*, in alliis, *conata*,) *aut quæ ob quasdam religiones, aut pacem sunt petita, vt ex Phrygia Matris Magnæ, ex Græcia Cereris, Epidauro Æsculapij: quæ coluntur eorum more, à quibus sunt accepta.* Seruius Maurus ad illud lib. 8. Æneid.

—Hanc tanti numinis aram
Vana superstitio, veterumque ignara deorum
Imposuit.

Cautum fuerat apud Athenienses, & Romanos, ne quis nouas religiones introduceret, & ideo Socrates damnatus est Athenis, & Chaldæi & Iudæi, vrbe expulsi sunt. Idem ad illud lib. 8. Æneid. in fine.

Omnigenumque deûm monstra.

Monstra dixit, quia necdum sub Augusto Ægyptiaca sacra Romani receperant, & Varro Alexandrinos deos Romæ coli indignatur. sed vide illi aduersantem Lucanum lib. 2. supra huius operis, & legendus C. Suetonius in Augusto cap. 93. Denique huc pertinet comminatio illa Caij Caligulæ apud eundem Suetonium in eo cap. 22.

εἰς γαῖαν Δαναῶν περάσω σε.

NOBILITATE GENERIS, ERVDITIONE ATQVE VIRTVTIBVS

PRÆSTANTISSIMIS VIRIS, Domino Francisco A Dompsdorff, & Domino Hermanno Kotzen, Dominis & Mecœnatibus suis colendis.

INGRATVS planè essem, Nobilissimi viri, Domini atque Mecœnates colendi, si in his libris nullam vestrorum nominum mentionem facerem. Vt enim taceam de summis vestris, & parentum vestrorum in me, & parentes, imò in totam nostram familiam beneficiis, quibus hanc gratitudinem deberi à me iudico: vel istud solum hoc à me requirebat, quòd in itinere Italico hâc transeuntes, me amicè atque humaniter compellaueritis, déque bonis literis suauissimè mecum confabulati fueritis. Itaque peccarem equidem, nisi illorum, quæ iam tum in manibus habebam, vos quoque participes facerem, simul etiam vos horum librorum, quia Italiam perlustratis, atque cùm de aliis, tum de Antiquitate cum multis clarissimis & præstantissimis viris, adeóque luminibus Italiæ, & literatorum varios sermones contuleritis, iudices constituerem: denique vos rogarem, vt si quid ex Italia vobiscum attulissetis, quo hi libri exornari, atque illustrari possent, id mecum communicaretis. De quo quidem tu Nobilissime, atque Generosissime Francisce, vltro spem præclaram mihi fecisti: & hoc ipso etiam testatus es, te meis conatibus fauêre, cùm mihi notitiam atque amicitiam clarissimi Medici, Ioachimi F. Camerarij conciliaueris, qui, vt est vir humanissimus, & ad iuuanda studia aliorum promptissimus, ita me quoque non parùm iuuit in iis, quæ proposueram absoluendis. Huius beneficium tum alia multa, tum VVolfgangi Lazij Commentarios Reipublicæ Romanæ, quorum alioqui nec videndi quidem hîc locorum copia mihi fuit, legi Et cùm superiore æstate ipsum Norebergæ conuenirem, bone Deus, quantam Antiquitatum æreis formis excusarum copiam mihi exhibuit, vt ei merito multum debere, & agnoscam, & publicè profitear. Facerem etiam vt proptitudinem animi mei ad referendum gratiam benemeritis, vobis probarem, nisi ea vestra esset humanitas, vt nihil aliud, nisi gratam beneficiorum memoriam à clientibus vestris, inter quos me vnum esse palàm præ me fero, requiratis. Quare pro eo beneficio, ago tibi, Francisce, maximas gratias, maiores Domino Camerario habeo vobísque recipio, atque sanctè polliceor, me ea, quæ hactenus à vobis accepi, & in posterum accepturus sum, beneficia (eo enim impudentiæ prolabor, vt magis de cumulando, quàm de exoluendo ære alieno cogitem) quæ, inquam, in posterum accepturus sum, perpetuis laudibus celebraturum, nec concessurum, vt vllo vnquam tempore eorum memoria ex animo meo effluat. Neque me pœnitebit præconium facere (nostris morem veterem) eáque

quæ à vobis accepero, & didicero cum studiosis publicè communicare, si modo me dignum eo munere iudicaueritis. Verùm de his aliàs. Ad librum hunc quod attinet videtis ipsimet, viri Nobilissimi, me vbique ferè, quantum fieri potuit, inhæsisse vestigiis Kalendarij: non quod omnia alia auctorum veterum testimonia postponenda iudicauerim. Nequaquam enim ea sum sententia, vt putem veteres Scriptores, omnes diuersum aliquid à Fastis illis præferentes errare: sed tamen quum mira etiam inter ipsos Scriptores sit discrepantia, arbitratus sum, me minus erroribus implicari posse, si vnico illo Kalendario insisterem. Habetis rationem mei consilij. Quòd si videritis, me nihilominùs interdum à scopo aberrare, non mirum in vobis videbitur: cùm etiam veteribus auctoribus, quíque iis temporibus, quibus hæc omnia in flore fuerunt, vixerunt, de multis non constiterit, quid in literas referrent: cuius rei vel solus Macrobius locuples testis esse potest. Vos igitur, Nobilissimi viri, Domini atque Mecœnates colendi, hoc tenue munusculum, indicium meæ in vos obseruantiæ & gratitudinis, hilari fronte à me accipite, & animum meum potiùs, vobis certè deditissimum, quàm ipsum munus respicite: quódque hactenus fecistis, vobis me porrò commendatum esse, patiamini. Valete, Nobilissimi viri, Domini atque Mecœnates colendi, parentibúsque vestris, à me & parentibus meis plurimam salutem dicite. Ratisbonæ, ipsis feriis natalitiis Saluatoris nostri, inchoantibus annum ab orbe redempto ∞ IↃXXCI. qui vt vobis, vestrísque omnibus felix, ac fortunatus eueniat, ex animo precor.

V. N.

Deditissimus

IOANNES ROSINVS.

ANTIQVITATVM Romanarum Liber IV.

DE ANNO, MENSIBVS, ET DIEBVS.

POSTEAQVAM de Diis, quos Romani coluerunt, tum de Deorum ministris, siue Sacerdotibus diximus: requirit nunc propositæ tractationis ordo, vt de sacris etiam eorum, & diebus in eorum honorem feriatis, quædam subiiciamus: qua quidem in re, quantum fieri aut præstari à nobis potest, sequemur potissimùm kalendarium, siue Fastos Romanos ex vetustis marmoribus descriptos, & ab aliquot doctissimis viris in publicum editos: à quibus tamen Ouidius in iis, qui adhuc extant, vi. Fastorum libris non raro discrepat, cui nos illorum auctoritatem semper prætulimus, discrepantiam simul illam annotantes. Cùm autem hic de diebus potissimùm festis, & eorum cæremoniis agere instituissemus, operæpretium nos facturos arbitrati sumus, si paulò altius initium repetentes tractationi huic de festis quædam de anni ratione apud eos obseruata præmitteremus, vt ita vniuersam doctrinam de anno, mensibus & diebus coniunctam in conspectu habere studiosi possent. Æquum prætereà erat, vt de partibus in hoc libro dicturi, de diebus videlicet rationem totius nimirũ anni, explicaremus. Sed omissa longiore præfatione, rem ipsam aggrediemur, dicturi primùm de anni ratione: pòst kalendarium Romanum è marmore descriptum sicuti à Paulo Minutio, Huberto Goltzio, & Benedicto Aria Montano editum est, in medium proponemus: huic subiiciemus explicationem & diuisionem dierum: postremum, secundùm ordinem mensium de diebus festis, vt quique occurrent, differemus, non neglectis etiam iis, quorum hoc in kalendario nulla fit mentio. Atque hæc de ordine.

CAPVT I.

De triplici anno Romanorum.

TRIPLICI anno Romani diuersis temporibus vsi sunt, primo Romuli, altero Numæ Pompilij, tertio C. Iul. Cæsaris. Primus annus à Romulo ordinatus habuit menses x. dies CCCIV. (quanquàm alij velint, Romuli annum in XXII. menses distributum, CCCLIV. dies habuisse. nos tamen priorem numerum, quem etiam Varro Romanorum doctissimus probat, retinebimus. Numæ annus in XII. mensibus, CCCLIV dies habuit. Iulius autem ex diebus CCCLXV. & quadrante annum constituit. De his singulis Macrobium disputantem audiemus, qui libro primo Saturnal. cap. 12. hęc scribit, Romani auctore Romulo annum suum x. mensibus ordinatum habuerunt, qui à Martio incipiebat, & conficiebatur diebus CCCIV. Vt VI. quidem menses, id est, Aprilis, Iunius, Sextilis,

September, Nouember, December, tricenum essent dierum, quatuor verò, Martius, Maius, Quinctilis, October, tricenis & singulis expediretur, qui hodiéque septimanas habent Nonas, ceteri quintanas. Septimanas autem habentibus, ab Idibus reuertebantur kalendę ad diem septimum decimum: veterum habentibus quintanas, ad decimum octauum remeabat initiũ kalendarum. Hæc Romuli constitutio. Sed cùm hic numerus, vt idem Scriptor tradit, neque Solis cursui, neque Lunæ rationibus conueniret, nonnunquam vsu veniebat, vt frigus anni æstiuis mensibus, & contra calor hyemalibus proueniret. Quòd vbi contigisset, tantùm dierum, sine vllo mensis nominè patiebantur assumi, quantùm ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus instanti mensi aptus inueniretur. Sed secutus Numa, quantùm sub cœlo rudi & sęculo adhuc impolito, solo ingenio magistro comprehendere potuit, vel quia Græcorum obseruatione forsan instructus fuit, quinquaginta dies addidit, vt in trecentos quinquaginta quatuor dies, quibus duodecim Lunæ cursus confici credidit, annus extenderetur: atque his quinquaginta diebus à se additis, adiecit alios sex retractos illis sex mensibus, qui triginta habebãt dies, id est, de singulis singulos, factisque sexaginta, & sex dies, in duos nouos menses ratione diuisit: at de duobus priorem Ianuarium nuncupauit, primúmque anni esse voluit, secundùm dicauit Februo Deo, qui lustrationum potens creditur. Paulò verò post in honorem imparis numeri vnum adiecit diem quem Ianuario dedit, vt tam in anno, quàm in mensibus singulis præter vnum Februarium, impar numerus seruaretur. Nam quia duodecim menses, si singuli, aut pari aut impari numero putarentur, consummationem parem facerent: vnus pari numero institutus, vniuersam putationem parem fecit. Ianuarius igitur, Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December, vndetricenis censebantur diebus, & quintanas Nonas habebant. Ac post Idus in omnibus septemdecim ad Kalendas computabantur. Martius verò, Maius, Quintilis, & October, dies tricenos singuli possidebant. Nonæ in his septimanæ erant. Similitérque post Idus decem & septem dies in singulis vsque ad sequentes kalendas computabantur. Sed solus Februarius viginti & octo retinuit dies, quasi inferis diminutio, & par numerus conueniret.

Cùm ergo Romãni ex hac distributione Pompilij ad Lunæ cursum, sicuti Græci annum proprium computarent, necessario & intercalarem mensem instituerunt more Græcorum. Nam & Græci cùm animaduerterent temere se trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinasse annum, quoniam apparet de solis cursu, qui trecentis sexaginta quinque diebus, & quadrante Zodiacum conficit, deesse anno suo vndecim dies & quadrantẽ, intercalares statuta ratione cõmenti sunt, ita vt octauo quoque anno nonaginta dies, ex diebus tres mẽses tricenũm dierum composuerunt, intercalarent. Id Gręci fecerunt, quoniam erat operosũ, atque difficile, omnibus annis vndecim dies, & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui nascuntur, si quadrans cũ diebus vndecim octies cõponatur, inserere, in tres menses (vt diximus) distribuendos. Hunc ergo ordinẽ Romanis quoque imitari placuit, sed frustrà: quippe fugit eos, diem vnũ (sicut supra admonuimus) additum à se ad Gręcum numerũ in honorem imparis numeri. Ea re per octenniũ conuenire numerus, atq; ordo non poterat. Sed nondũ hoc errore cõperto, per octo annos, nonaginta quasi superfundendos Gręcorum exemplo computabant dies: alternisque annis binos & vicenos, alternis ternos, vicenósq; intercalares, expensabant intercalationibus quatuor, Sed octauo quoq; anno intercalares octo affligebant dies ex singulis, quibus vertentis anni numerum apud Romanos, super Græcum abundasse iam diximus. Hoc quoque errore iam cognito, hæc species emendationis inducta est. Tertio quoq; octennio ita intercalandos dispẽsabant dies, vt non nonaginta, sed sexaginta sex intercalarent, compensatis vigintiquatuor diebus pro illis, qui per totidẽ annos supra Græcorũ numerũ creuerant: Omni autem intercalationi mensis Februarius deputatus est, quoniam is vltimus anni erat. Quod etiam ipsum de Græcorum imitatione faciebant. Nam & illi vltimo anni sui mensi superfluos interserebant dies. Verum vna re à Græcis differebant. nam illi confecto vltimo mense, Romani non confecto Februario, sed post vigesimũ tertium diem intercalabant, terminalibus scilicet iam peractis. Deinde reliquos Februarii mensis dies qui erant quinque post intercalationem subiungebant: Credo, vetere religionis suæ more, vt Februario omninò Martius sequeretur. Sed quum sæpe eueniret, vt nũdinæ modò in anni principem diem, modò in Nonas caderent (vtrũque autem perniciosum Reip. putabatur) remedium quo hoc auerteretur excogitatum est. Dies ille, quo abundare annũ diximus, eorũ est permissus arbitrio, qui fastis præerant, vt cùm vellent, intercalarent: dummodũ eum in medio terminalium vel mensis intercalaris ita locarent, vt à suspecto die celebritatem auerterent nundinarum. Et hęc anni ordinatio à Numæ regis regno, ad Iul. Cæsaris Imperium Romę durauit. Is enim tertius fuit, qui annum ordinãuit, quem nos adhuc hodie sequimur. Illam verò constitutionem Macrobius lib. 1. Satur. cap. 14. sic describit. Verùm fuit tempus, inquit, cùm propter

propter superstitionem intercalatio omnis omissa est, nunnunquàm verò per gratiã Sacerdotũ, qui cum Publicanis proferri, vel imminui consultò anni dies volebant: modo auctio, modò retractio dierum proueniebat, & sub specie obseruationis emergebat maior confusionis occasio. Sed posteà C. Cæsar omnem hanc inconstantiam temporum, vagam adhuc & incertam, in ordinem statutæ definitionis coëgit, adnitente sibi M. Fauio Scriba, qui scriptos dies singulos ita ad Dictatorem retulit, vt & ordo eorum inueniri facillimè posset, & inuento certo status perseueraret. Ergo C. Cæsar exordium nouæ ordinationis initurus, dies omnes, qui cõfusionem adhuc poterant facere, consumpsit eáque re factum est vt annus confusionis vltimus in CDLIII dies protenderetur. Post hoc imitatus Ægyptios solos diuinarum rerum omnium conscios ad numerum Solis, qui dieb. CCCLXV. & quadrante conficit, annum dirigere cursum contendit. Nam sicut Lunaris annus mensis est, quia Luna paulò minùs quàm mensem in Zodiaci circuitione consumit, ita Solis annus hoc dierum numero colligẽdus est, quem peragit, dum ad id signum se denuò vertit, ex quo digressus est, vnde annus vertens vocatur, & habetur magnus, cùm Lunæ annus breuis putetur. Iulius ergo Cæsar X. dies obseruationi veteri superadiecit, vt annum CCC. & LXV. dies, quibus Sol lustrat Zodiacum, efficerent: & ne quadrans deesset, statuit, vt quarto quoque anno, Sacerdotes qui curabant mensibus ac diebus vnum intercalarent diem, eo scilicet mense ac loco, quo etiam apud veteres menses intercalabantur, id est ante quinque vltimas Februarii mensis dies, idque bissextum censuit nominandum. Dies autem decem, quos ab eo additos diximus, hac ordinatione distribuit: In Ianuarium, Sextilem & Decembrem binos dies inseruit. In Aprilem autem, Iunium, Septembrem, & Nouembrem singulos. Sed neque mẽsi Februario addidit diem, ne Deo infero religio immutaretur: & Martio, Maio, Quintili, Octobri seruauit pristinum statum, quòd satis pleno erant numero, id est, dierum singulorum tricenorũmque. Ideò & septimanas habent Nonas, sicut Numa constituit, quia nihil in his Iulius mutauit. Sed Ianuarius, Sextilis, December, quibus Cæsar binos dies addidit, licet tricenos singulos habere post Cæsarem cœperint, quintanas tamen habent Nonas, & ab Idibus illis sequentes Kalendæ in vndeuicesimum reuertuntur: quia Cæsar, quos addidit dies, neque ante Nonas, neque ante Idus inserere voluit, ne Nonarum aut Iduũ religionem, quæ statuto erant die, nouella comperendinatione corrumperet. Sed nec post Idus voluit inserere, ne feriarum quarũque violaretur indictio. Sed peractis cuiusque mensis feriis, locum diebus aduenis fecit. Et Ianuario quidem dies, quos diximus, quartum & tertium Kalendas Februarias, dedit: Aprili, tertium Kalendas Maias: Iunio, tertium Kalendas Iulias: Augusto, quartum & tertium Kalendas Septembris: Septembri, tertium Kalendas Octobris: Nouẽbri, tertium Kalendas Decembris: Decembri verò, quartum & tertium Kalendas Ianuarias. Ita factum est, vt cum omnes hi menses, quibus dies addidit, ante hanc ordinationem habuissent mensis sequendis Kalendas ad septimumdecimum reuertentes, posteà ex augmento additorum dierum hi qui duos acceperunt ad nonumdecimum: qui verò vnum, ad octauumdecimum haberent reditum Kalendarum. Feriarum tamen cuiusque mensis ordo seruatus est: nam si cui fere tertius ab Idibus dies festus, aut feriatus fuit, & cùm ad sextumdecimum dicebatur, etiam post augmentum dierum, eadem religio seruata est, vt tertio ab Idibus die celebraretur: licet ab incremento non iam ad decimum sextum Kalendas, sed ad septimumdecimum, si vnus, ad decimum octauum, si duo essent additi, diceretur. Nam ideò nouos dies circa finem cuiusque mensis inseruit, vbi finem omnium, qui in mense erant, reperit feriarum, adiectosque omneis à se dies fastos notauit, vt maiorem daret actionibus libertatem & non solum nullum nefastum, sed nec Comitialem quemquam de adiectis diebus instituit, ne ambitionem Magistratuum augeret adiectio. Sic annum ciuilem Cæsar habitis ad Lunam dimensionibus constitutum edicto palàm posito publicauit.

Et huc vsque error stare potuisset, hi Sacerdotes sibi errorem nouum ex ipsa emendatione fecissent. Nam cùm oportet diem qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto antequàm quintus reciperet, intercalare: illi quarto non peracto, sed incipiente, intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cum debuerint intercalari nouem.

Sed hunc quoque errorem serò deprehensum correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi iussit, vt illi tres dies, qui per annos triginta & sex, vitio Sacerdotalis festinationis excreuerant, sequentibus annis duodecim nullo die intercalato deuorarentur. Post hoc vnum diem, secundum ordinationem Cæsaris, quinto quoque incipiente anno, intercalari iussit, & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandauit. Hactenus Macrobius.

Cum quibus eadem tradunt Censorinus de die Natali, Dio, Suetonius, Plinius, Solinus, Florus. Dissentit aliquo modo Plutarchus: qua de re vide Lil. Gyraldum in libro de anno, Mensibus, ac Diebus, & Aldum Manutium lib. primo de Quæsitis per epistolam, epistola tertia. Vt

autem lucis aliquis his accedat, illam annorum & mensium differentiam breui tabella lectori ob oculos ponemus.

ANNVS ROMVLI DIErum CCCIV. menses habet decem.

Menses		Dies
Martivs,	dies habuit	XXXI.
Aprilis,		XXX.
Maivs,		XXXI.
Ivnivs,		XXX.
Qvintilis,		XXXI.
Sextilis,		XXX.
September,		XXX.
October,		XXXI.
November,		XXX.
Dedember,		XXX.

ANNVS NVMÆ DIERVM CCCLIV. menses habet duodecim.

Menses		Dies
Ianvarivs,	dies habuit	XXX.
Febrvarivs,		XXIIX.
Martivs,		XXXI.
Aprilis,		XXIX.
Maivs,		XXXI.
Ivnivs,		XXIX.
Qvintilis,		XXXI.
Sextilis,		XXIX.
September,		XXIX.
October,		XXXI.
November,		XXIX.
December.		XXIX.

ANNVS CÆSARIS DIERVM CCCLXV. MENSES habet duodecim.

Menses		Dies
Ianvarivs,	dies habuit	XXXI.
Febrvarivs,		XXIIX.
Martivs,		XXXI.
Aprilis,		XXX.
Maivs,		XXXI.
Ivnivs,		XXX.
Qvintilis,		XXXI.
Sextilis,		XXXI.
September,		XXX.
Octobrr,		XXXI.
November,		XXX.
December.		XXXI.

De Kalendario Romano. Cap. II.

COgnitis his, quæ de triplici anni ordinatione apud Romanos passim traduntur, de singulis mensibus & diebus in iis festis agemus: quod antequàm aggrediamur, operæpretium nos facturos arbitramur, si præmittamus kalendarium Romanum antiquu n à marmore, quod est Romæ in ædibus Maffæiorum ad Agrippinam, descripto, & à Paulo Manutio, ac filio illius Ald o aliquoties editum, cum quo etiam consentit illud, quod in charta patente, curante Benedicto Aria Montano Antuerpiæ excusum est, & illud quod ab Huberto Goltzio in publicum datum est, quod meum studium beneuolus Lector boni consulet.

VETVS KALENDARIVM ROMANVM A MARMORE descriptum in ædibus Maffeiorum ad Agrippinam, in tabula marmorea superne fracta.

IANVARIVS.	FEBRVARIVS.
A. K. Ian. F.	H. K. Febr. N.
B. F.	A. N.
C. C.	B. N.
D. C.	C. N.
E. Non. F.	D. Non.

F.F.
G.C.
H.C.
A.Agon.
B.En.
D.Car.NP.
D.C.
E.Eid.NP.
F.En.Dies vitiof.ex S.C.
G.Car.
H.C.
A.C.
B.C.
C.C.
D.C.
E.C.
F.C.
G.C.
H.C.
A.C.
B.C.
C.C.
D.C.
E.F.
F.N.
G.C.

XXXI.

E.N.
F.N.
G.N.
H.N.
A.N.
B.N.
C.N.
D.Eid.NP.
E.D.
F.Lvper.N.P.
G.En.
H.Qvir.NP.
A.C.
B.C.
C.C.
D.Feral.F.
E.C.
F.Ter.NP.
G.Regif.N.
H.C.
A.En.
B.Eq.NP.
C.C.

XXIIX.

MARTIVS.

D.K.Mar.Np.
E.F.
F.C.
G.C.
H.C.
A.NP.Hoc die Cæsar Pont.Max.factus est.
B.Non.F.
C.F.
D.C.
E.C.
F.C.
G.C.
H.En.
A.Eq.NP.
B.Eid.NP.
C.F.
D.Lib.NP.
E.C.
F.Qvin.N.
G.C.
H.C.
A.N.
B.Tvbil.NP.
C.Q.Rex.C.F.
D.C.
E.C.
F.NP.Hoc die Cæsar.Alexandr.recepit.
G.C.
H.C.
A.C.

APRILIS.

G.K.Apr.N.
D.C.
E.C.
F.C.Lvdi Matri Magnæ.
G.Non.Lvd.
H.NP.Lvdi.
A.N.Lvdi.
B.N.Lvdi.
C.N.Lvdi.
D.N.Lvd.in Circ.
E.N.
F.N.Lvdi Cereri.
G.Eid.NP.Lvdi.
H.N.Lvdi.
A.Ford.NP.Lvdi.
B.N.
C.N.Lvdi.
D.N.Lvdi.
E.Cer.N.Lvd.in Circ.
F.N.
G.Par.NP.
H.N.
A.Vin.NP.
B.C.
C.Rob.NP.
D.F.
E.C.
F.NP.Lvdi.Flor.
G.C.Lvdi.
H.C.Lvdi.

B.C.

XXXI.

MAIVS.

A.K.Mai.N.
B.F.Comp.
C.C.
D.C.
E.C.
F.C.
G.Non.N.
H.F.
A.Lem.N.
B.C.
C.Lem.N.
D. NP. Lvdi.Mart.in Circ.
E.Lem.N.
F.C.
G.Eid.NP.
H.F.
A.C.
B.C.
C.C.
D.C.
E.Agon.NP.
F.N.
G.Tvb.NP.
H.Q.Ren.C,F.
A.C.
B.C.
C.C.
D.C.
E.C.
F.C.
G.C.

XXX.

IVNIVS.

H.K.Ivn.N.
A.F.Mart.Car.Monet.
B.C.
C.C.
D N.
E.N.
F.N.
G.Menti.in Capit.
H.Vest.N.Fer.Vestæ.
A.N.
B.Matr.N.
C.N.
D.Eid.N.
E. N.
F.Q.St.D.F.
G.C.
H C.
A.C.
B.C.
C.C.
D.C.
E.C.
F C.
G.C.
H.C.
A.C.
B.C.
C.C.
D.F.
E.C.

XXXI.

IVLIVS.

F.K.Ivl.N.
G.N.
H.N.
A.NP.
B.Pollip.N.
C.N.Lvdi Apollin.
D.Non.N.Lvdi.
E.N.Lvdi.
G.C.Lvdi.
H.C.Lvdi.
A.NP.Lvdi.
B.C.Lvd.in Circ.
C.C.Merk.
D.Eid.NP.Merk.
E.F.Merk.
F.C.Merk.

XXX.

AVGVSTVS.

E.K.Avgvst.N.
F.C Fer.hoc die C.Cæs.Hispalin.vic.
G.C.
H.C.
A.Non.F.
B.F.
C.C.
D.C.
E.NP.Hoc die Cæsar Hispalin.vic.
F.C.
G.C.
H.C.
A.Eid.NP.
B.F.
C.C.
D.C.
E.Font.NP.

F.C.

G.C.Merk.
H.lvcar.NP.Merk.
A.C.Lvdi.Vict.Caesar.
B.Lvcar.Lvd.
C.C.Lvdi.
D.Nept.Lvdi.
E.N.Lvdi.
F.Fvrr.NP.Lvdi.
G.C.Lvdi.
H.C.In Circ.
A.C.In Circ.
B.C In Circ.
C In Circ.
D.C.

XXXI.

F.C.
G.Vin.F.P.
H.C.
A.Cons.NP.
B En.
C.Volc.NP.
D.C.
F.Opic.NP.
E.C.
G.Volt NP.
H.NP.H.D. ara Victoriæ in Curia dedic est.
A.F.
B.F.
C.C.

XXXI.

SEPTEMBER.

D.K.Sept.N.Hoc die Fer.Nep.
F.N.
F NP.
G.C.Lvdi Romani.
H.Non.F.Lvd.
A F.Lvdi.
B.C.Lvdi.
C C.Lvdi.
D.C.Lvdi.
E.C.Lvdi.
F.C.Lvdi.
G.N.lvdi.
H.Eid.NP.
A.F E.quor.prob.
B.Lvd.Rom.in Circ.
C.C.In Circ.
D C.In Circ.
E.C In Circ.
F C.In Circ.
G C.Merk.
H C.Merk.
A C.Merk.
B. NP. Merk. H. D. Augusti natalibus Lud.Circ.
C.C.
D C.
E.C.
F.C.
G.C.
H.F.
A.C.

XXX.

OCTOBER.

B.K.Oct.N.
C.F.
D.C.
E.C.
F.C.
G.C.
H.Non.F.
A F.
B.C.
C.C.
D.Medi.Tr.
E.Avgvst.NP.
F.Font.NP.
G.En.N P.
H.Eid.NP.
A.F.
B.C.
C.C.
D.Arm.NP.
E.C.
F.C.
G.C.
H.C.
A.C.
B.C.
C.C.
D.C.Lvd.Vict.
E.C.Lvdi.
F.C.Lvdi.
G.C.Lvdi.
H.C.Lvdi.

XXXI.

NOVEMBER.	*DECEMBER.*
A.K.Novem.N.	G.K.Dec.N.
B.F.	H.
G.F.	A.
D.	B.
E.Non. F.	C.Non.F.
F.F.Lvdi.	D.C.
G.C.Lvdi.	E.C.
H.C.Lvdi.	F.C.
A.C.Lvdi.	G.C.
B.C.Lvdi.	H.C.
C.C.Lvdi.	A.Agon.N.P.
D.C.Lvdi.	B.En.
E.Eid.NP.Epul.ind.	C.EID.NP.
F.F.Equor.prob.	D.F.
G.C.Lvd.pleb.in Cir.	E.Cons.NP.
H.C.in Cir.	F.C
A.C.In Circ.	G Feriæ Satvrn.
B.C.Mer.	H.C.
C.C.Merk.	A.Opal.NP.
D.C.Merk.	B.C.
E.C.	C.Div.NP.
F.C.	D.C.
G.C.	E.Lar.NP.
H.C.	F.C.
A.C.	G.C.
B.C.	H.C.
C.C.	A.C.
D.C.	B.C.
E.C.	C.F.
F.C.	D.F.
	E.C.
XXX.	XXX.

SEQVITVR HVIVS KALENDARII explanatio.

CAPVT III.

De discrimine dierum apud Romanos.

DE Anno & Mensibus diximus, sequuntur Dies, qui minores anni partes sunt. Non autem propositum nobis est hoc loco ea deducere, quæ de diebus ab Astronomis dicuntur, vt quod alius sit dies naturalis, alius artificialis. Sed de ciuili tantùm agemus, qui est spatium viginti quatuor horarum. Apud Romanos autem est spatium à media nocte ad proximam mediam. Illi enim à media nocte diem suum inceperunt, quod Terentius Varro testatur, quum Athenienses ab occiddnte Sole, Babylonij ab eodem oriente, Vmbri à meridie diem inciperent. Diei partes primùm duæ apud Romanos erant, ante meridiem & post meridiem. Auctor Censorinus de Die natali, capite 19. Alij postea eundem in quatuor partes, & noctem similiter diuiserunt, id quod testatur similitudo illa militaris, cùm dicitur, Vigilia prima: item secunda, & tertia, & quarta. Tandem verò plura noctis & diei tempora notata, & propriis discreta nominibus, quæ apud veteres Poëtas, vt Censorinus ait, passim scripta inueniuntur. Primum diei tempus dicebatur media nox; alterum mediæ noctis inclinatio, vel de media nocte: tertium, gallicinium siue galli

galli cantus: quartum, conticinium quòd & galli conticescerent, & homines etiam tunc quiescerent: quintum diluculum, cùm incipit dignosci dies: sextum, manè, cum est dies clarus. Dictum autem manè est, aut quòd ab inferioribus locis, i. à manibus exordium lucis emergeret, aut ab omine boni nominis, quòd Lanuuini manè pro bono dixerint. Varro ait, Mane dictum à manando, quod tum manaret dies ab Oriente: septimum, tempus ante meridianum: octauum meridies, quæ ipsa est medij diei pars. Sunt qui meridiem dictum putent, quòd merus sit dies: id est purus. Nam meridies est purior diei pars, quia Sol in medio cœlo rutilat, & omnem orbem pari illustrat claritate: nonum, tempus pomeridianum: decimum, Solis occasus, siue suprema tempestas, hoc est, nouissimum diei tempus: vndecimum, vespera, quæ à stella, quæ Græcis ἑσπερος dicitur, nomen habet, quòd tum appareat: duodecimum, crepusculum, sic fortasse appellatum, quòd res incertæ crepere dicuntur, idque tempus noctis sit, an diei, incertum est: decimum tertium, prima fax, quòd lumina tum accendebantur. Liuius primas tenebras appellat. Horatius lib. 1. epist. prima lumina: decimumquartum, concubia nox, cùm itum est cubitum: decimum quintum intempesta nox: id est, multa nox, quia nihil agi est intempestiuum. Alius: Intempestiuum est, inquit, cùm tempus agendi est nullum, quod alij concubitum appellarunt, quod ferè omnes tunc cubarent. Alij ab eo quòd filetur, silentium noctis dixerunt: decimum sextum, inclinatio ad mediam noctem. Hæ partes breuiter hoc typo comprehenduntur.

Dies ciuilis continet
- Lucem, cuius partes sunt:
  - Manè.
  - Ad Meridem.
  - Meridies.
  - De Meridie: siue tempus occiduum.
  - Solis occasus: siue suprema tempestas.
- Diluculum
- Crepusculum.
- Tenebras seu noctem, cuius partes sunt:
  - Vesper.
  - Prima fax.
  - Concubium.
  - Nox intempesta.
  - Ad mediam noctem.
  - Media nox.
  - De media nocte, vel, mediæ noctis inclinatio.
  - Gallicinium.
  - Conticubium.

Cæterùm non omnes dies vnius generis erant, sed quædam earum discrimina & diuersitates. Numa enim cùm annum in duodecim menses distribuisset, eundem etiam in certa dierum genera diuisit, ita vt quidam dies essent Festi, alij Profesti, alij intercisi. Festi dicebantur, qui Diis dicati erant. Profesti, qui hominibus ad administrandam rem priuatam, publicámque concessi erant, sic dicti, vt Festus ait, quòd procul sint à religione numinis diuini. Intercisi, erant Deorum, hominúmque communes, quibusdam enim illorum horis fas erat, quibusdam nefas erat ius dicere. Nam cùm hostia cædebatur, fari nefas erat: intercisi cæsa & porrecta fari licebat: rursus cùm adolebatur, non licebat. Ideóque intercisi vel quomodo veteres pronunciabant, & quomodo etiam in Kalendario notantur, Endotercisi vocabantur, aut quòd intercederet fas, aut quod intercisum esset nefas. Festi porrò dies, inquit Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 16. diuiduntur in sacrificia, epulas, ludos, ferias. Sic & profesti in Fastos, Comitiales, Comperendinos, Status, & Præliares. Sacra celebritas est, vel cùm sacrificia Diis offeruntur: vel cùm dies diuinis epulationibus celebrantur: vel cùm ludi in honorem aguntur Deorum: vel cùm feriæ aguntur.

Feriarum autem aliæ sunt publicę, alię priuatę. Publicarum porrò genera sunt quatuor: aut enim statiuæ sunt, aut conceptiuæ, aut imperatiuę, aut nundinæ. Et statiuæ quidem ferię sunt vniuersi populi communes, certis & constitutis diebus, ac mensibus, & in fastis statis obseruationibus annotatæ, in quibus præcipuè seruantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptiuæ sunt, quæ quotannis à Magistratibus, vel Sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos, vel etiam incertos: vt sunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia. Imperatiuæ sunt, quas Consules, vel Prætores pro arbitrio potestatis indicant. Nundinæ sunt paganorum, id est rusticorum, quibus conueniunt negotiis propriis vel mercibus prouisuri.

Priuatæ autem feriæ sunt vel propriæ familiarum, vt Claudiæ familiæ, aut Æmiliæ, aut Iuliæ, aut Corneliæ, & si quas ferias proprias quæque familia ex vsu domesticæ celebrationis obseruat, de quibus loquuntur duodecim tabulæ: Sacra priuata perpetua manento: vel sunt

singulorum, vt natalium fulgurúmque susceptiones, aut funerum, aut expiationum. Festus: Priuatæ feriæ vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales operationis, denecales. Apud veteres quoque quicunque nominasset, vt ait Macrobius, Semonam, Seiam, Segetiam, Tutilinam, ferias obseruat: Item Flaminica, quoties tonitrua audiisset, feriata erat, donec Deos placasset.

Cæterùm ad ferias publicas quod attinet, indicebantur illæ, & proclamabantur singulis mensibus à Rege sacrorum, & à Prætore. Ab hoc quidem vacatio à forensibus negotiis: ab illo autem sacrorum ritè peragendorum gratia. De Rege sacrificulo testis est Varro libro quinto de lingua Latina: Rex cùm ferias menstruas Nonis Februariis edicit, hunc diem Februatum appellat. Et paulò pòst: Harum rerum vestigia apparent in sacris Nonalibus in arce: quòd tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, Rex prædicit. Ex quibus verbis satis perspicuum est, Regem sacrificulum singulorum mensium ferias proclamasse. Videlicet (vt Arnobius aduersus gentes lib.2. scribit) in hunc modum: Lauatio Deûm matris est hodie: Iouis epulum cras est: Æsculapij geritur, celebratúrque vindemia: Lectisternium Cereris erit Idibus proximis: Telluris natalis est, &c. Prætorem autem etiam ferias, quæ Compitalia dicebantur, more maiorum, verbis olim solennibus concepisse, Agellius lib.10 cap.24 Macrobius lib.1. Saturn. cap.4. auctores sunt.

Postquàm enim modò die quinti, modò die quinto veteres dixisse docuissent, ad demonstrandam hanc veterum consuetudinem conferre plurimùm, addiderunt hæc solennia verba, quibus more maiorum Compitalia Prætor concipere solet: Die Noni post kalendas Ianuarias Quiritibus Compitalia erunt. Nec quidem Compitalitias duntaxat, sed etiam ferias omnes conceptiuas, & imperatiuas indicere prætorem consueuisse ex eodem Macrobio & Suetonio probari potest, Macrobii verba suprà sunt recitata. Suetonius in Claudio scribit: Obseruauitque sedulò, vt quoties terra in Vrbe mouisset, ferias aduocata concione Prætor in Vrbe indiceret. Vide hac de re plura apud Iacobum Ræuardum lib.5. Varronem cap.19.

Quid porrò feriis fieri deberet, docet Cicero lib.2. de Legibus, his verbis: Feriis iurgia amouento: eásq; in famulis, operibus patratis, habento: itaque, vt ita cadat in annuis anfractibus, descriptum esto: certásq; fruges, certásq; baccas sacerdotes publicè libanto: hoc certis sacrificiis ac diebus. Itémque alios ad dies vbertatem lactis, fœtúsque seruanto: idque ne committi possit, ad eam rem & rationem cursus annuos Sacerdotes finiunto, quæque cuique diuo decoræ gratæque sint hostiæ, prouidento. Et paulò pòst hanc legem explicans hæc dicit: Feriarũ, festorúmq; dierum ratio in liberis requietem habet litium, & iurgiorum, in seruis operum & laborum, quia compositio anni conferre debet, & ad perfectionem operum rusticorum, & ad remissionem animorum: per quod tempus, vt sacrificiorum libamenta seruentur fœtusq; pecorum, quæ dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est, &c. Hæc Cicero.

De feriis etiam hoc notandum est: quod Macrobius lib.1. Saturnaliorum, cap.16. habet: Sacerdotes, inquit, affirmabant, ferias pollui, quoties iis indictis, conceptisque opus aliquod fieret. Præterea non licebat Sacrorum Regem, & Flamines videre feriis opus fieri. Atque ideò per Præconem denunciabant, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur. Præter mulctam etiam affirmabant eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere: prudentem expiare non posse Scæuola Pontifex asseuerabat. Sed Varro negat eum pollui, qui opus vel ad deos pertinens, sacrorúmve causa fecisset, vel aliquid ad vrgentem vitæ vulitatem respiciens actitasset. Scæuola deniq; consultus, quid feriis agi liceret, respondit, id quod prætermissum noceret: quapropter si bos in specus decidisset, eúmque paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille qui trabem tecti fractam, fulciendo ab imminenti vindicauit ruina.

Ad profestos dies venio, quorum alij fuerunt Fasti, alij Comitiales, alij Comperendini, alij Stati. Fasti sunt, quibus licet fati Prætori tria verba solemnia, Do, Dico, Addico: quibus contrarij sunt Nefasti. His enim non licebat Prætori tria illa verba solennia fari. Comitiales, quibus vadimonium licet dicere. Stati, qui iudicij causa cum peregrino instituuntur. Et quidem Fasti dies qui propriè sic appellantur in Kalendario notati omnes sunt litera F. ac sunt numero XXXIIX. Non tamen his solùm, verùm etiam aliis diebus Prætori tria illa solennia verba dicere licebat: Comitialibus scilicet, & illis qui dicuntur Nefasti primò. Eam ob causam Paulus Manutius tria Fastorum dierum genera facit: Primum genus eorum, de quibus iam diximus, quibus fari semper & licebat, & solebat: atque hi propriè erant Fasti, & toti propriè, quòd per eos nisi cùm aliquis casus extra ordinem interueniret, nunquam Prætor ius non dicebat, toti, quòd fari omnibus horis licebat. Alterum genus eorum, qui & ipsi propriè fasti erant, sed non toti hoc est, quibus quidem fari licebat, sed non omnibus horis: quales sunt, qui in Kalendario notantur literis his, En: NP. F. P. Q. Rex, C. Q. St. D. quæ notæ sic explicantur.

cantur: EN. Endotercisos, vel intercisos denotat, de quibus suprà N.P. Nefastos primò: id est, quibus quidem horis matutinis ius dicere non licebat, postmeridianis autem licebat. His contrarij erant F. P. id est, Fasti primò. Iis enim antemeridianis horis iustitium erat, post meridiē verò, fari licebat. Q. Rex. C. significat, Quando Rex Comitauit. Q St. D. Quando stercus defertur, de quibus suo loco plura Hi autem erant omnes LXV. Tertium genus Comitiales fuere, qui casu tantùm, non autem propriè Fasti erant. Quia, cùm Comitia non haberentur, tunc fari solum Prætor solebat. Hi modò toti erant Fasti, cùm nulla scilicet Comitia haberentur illa quidem, sed minimè per totum diem. Atque hi numero erant CXXCIV, qui reliquis duobus generibus additi, CCXXCVIII, numerum efficiunt. Reliqui, præter hos omnes, erant Nefasti, hoc est, non licebat iis Prætori tria solennia verba fari. Causas tamen agere, concionem habere, & legem promulgare licebat. Porrò, quòd ad rem militarem attinet, ibi etiam non erant vnius generis dies omnes. Alij enim erant Præliares: alij non præliares. Iustos enim à Præliaribus Macrobius segregat. Præliares erant, quibus fas erat res repetere, vel hostem lacessere. Iusti erant continui triginta dies, quibus exercitui imperato, vexillum rufi coloris in arce positum erat. Non Præliares erant, quibus res repetere, aut hostem lacessere non licebat, quales erant dies Iusti, item atri, vt postridie Kalendas, Nonas, & Idus Innominales, vt ante quarum kalendas, Nonas & Idus, & Feriæ Latinarum, Saturnaliorum, Ditis, ac Proserpinæ.

De diebus atris Verrius Flaccus libro quarto, de Verborum significatione, apud Agellium lib. 5. cap. 17. cur ij qui sunt postridie Kalendas, Nonas, Idus, quos vulgus imperitè Nefastos dicat, ita sint appellati, & habiti, his verbis docet: Vrbe, inquit, à Gallis Senonibus recuperata, Lucius Attilius in Senatu verba fecit. Quintum Sulpitium Tribunum militum ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum, rem diuinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse. Tum exercitum populi Romani occidione occisum, & post diem tertium eius diei Vrbem, præter Capitolium, captam esse. Compluresque alij Senatores recordari sese dixerunt, quoties belli gerendi gratia res diuina postridie Kalendas, Non. Idus à Magistratu populi Romani facta esset, eius belli proximo deinceps prælio Reipublicæ malè gestum esse. Tum Senatus eam rem ad Pontifices reiecit, vt ipsi, quod videretur, statuerent. Pontifices decreuerunt nullum iis diebus sacrificium rectè futurum Ante diem quoque quartum Kalendas, vel Nonas, vel Idus tanquam Innominalem diem plerique vitant. Eius obseruationis an religio vlla sit tradita, quæri solet. Nihil super ea re scriptum inuenimus, nisi quod Claudius Annalium quinto cladem illam pugnæ Cannensis vastissimam, factam dicit ante diem quartum Nonas Sextiles. Hactenus Agellius Idem habet Macrobius libro primo Saturnaliorum, cap. 17 De atris diebus etiam multa Plutarchus in Quæstionibus Romanis quæstione vigesima quinta. De feriis Latinarum, Saturnalium, Ditis ac Proserpinæ ita Macrobius: Nam cùm Latiar, hoc est, Latinarum solenne concipitur, item diebus Saturnaliorum: sed & cùm mundus patet, nefas est prælium sumere. Quare nec Latinarum tempore, quo publicè quondam induciæ inter Romanum populum, Latinósque firmatæ sunt, inchoari bellum decebat: Nec Saturni festo, qui sine vllo tumultu bellico creditur imperasse: nec patente mundo, quod sacrum Diti patri, & Proserpinæ dicatum est, meliúsque occlusa Plutonis fauce, eundem ad prælium putauerunt Vnde & Varro ita scribit: Mundus cùm patet, Deorum tristium atque inferûm quasi ianua patet, propterea non modò prælium committi, verùm etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, nauem soluere, vxorem liberûm quærendorum causa ducere religiosum est, &c. Verùm tamen hi dies obseruantur in inferendo bello, non in excipiendo. Tum enim præliares erant. Atque hæc in genere de dierum discrimine dicta sint, quæ omnia hoc typo comprehenduntur.

- **Dierum alij**
  - Sacri, *Deorum causa instituti, nefasti omnes, quibus insunt*
    - Sacrificia.
    - Epulæ,
    - Ludi.
    - Feriæ, *aut*
      - Publicæ,
        - Statiuæ, — Agonalia. Carmentalia. Lupercalia. — *Plures refert Varro libro quinto de lingua Latina.*
        - Conceptiuæ,
          - Annales — Latinæ. Paganalia. Sementinæ. Compitalia.
          - NonAnnales — *cum* / *sine* — *nomine.*
        - Imperatiuæ, *ob* — Victoriam / Natalem *diem filij* / Successionem — *Imperatoris.*
      - Priuatæ,
        - Familiarum, — Claudiæ. Iuliæ. Æmiliæ, &c.
        - Singulorum, — Natalium. Fulgurum *susceptiones* Funerum, Expiationum.
  - Intercisi, *Deorum & hominum communes, modò hi, modò illi dici possunt.*
  - Negotiosi, *qui hominum causa constituuntur.*
    - Fasti,
      - Comitiales, *quòd tunc populus esset constitutus ad suffragium ferendum, quibus etiam lege agi licet.*
      - Comperendini, *quibus licet vadimonium dicere.*
      - Stati, *qui iudicij causa cum peregrino instituuntur.*
      - Nundinæ, *ex l. Hortensia,*
    - Nefasti,
      - Dies, *pridie Kal. Ianuarij, & si qui sunt similes.*
      - Rerum *prolationes.* — Messium / Vindemiarum / Dilationum — *causa.*
      - Iusti ciuiles, *quæ confessis & condemnatis conceduntur.*
      - Nundinæ, *olim ante l. Hortensiam, quæ nec videntur sub sacris contineri posse, sed hominum potiùs quàm Deorum causa instituti sint.*
- **Rursum alij.**
  - Præliares, *quibus fas est res repetere, vel hostem lacessere.*
  - Non præliares,
    - Iusti.
    - Atri *postridie.* — Kalendas / Nonas. / Idus.
    - Innomales, *ante quartum* — Kalendas / Nonas. / Idus.
    - Feriæ, — Latinarum. Saturnaliorum. Ditis & Proserpinæ.

Cap. IV.

De Kalendis, Nonis, & Idibus.

SINGVLOS menses Romani ex ordinatione Romuli distribuerunt in partes tres, in Calendas, Nonas, & Idus Calendas dixerunt primum cuiuscunq; mensis diem, à Græco verbo καλῶ, id est, voco: quo etiam prisci Latini frequenter vsi sunt. Cur autem primum singulorum mensium diem Kalendas vocitarint, causa hæc fuit: Priscis temporibus, antequam Fasti à Cn. Flauio Scriba inuitis patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ Lunæ primum obseruaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nuntiaret, atque tum sacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex Kalata, id est, vocata in Capitolium plebe, iuxta Curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima erat, quot numero dies à Kalendis ad Nonas superessent, pronunciabat: & quintanas quidem, quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas repetito septies prædicebat. Et hunc diem, qui ex his diebus calatis primus esset, placuit Kalendas vocari. Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas superessent, calando prodebat, quòd post nouam Lunam oportebat Nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in Vrbem, accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, sciturósque quid esset eo mése faciendum. Hæc Macrobius, cum quo facit etiam Terentius Varro, qui lib. 5. de ling. Lat. sic scribit: Primi dies mensium nominati Kalendæ, ab eo, quod heis diebus kalentur eius mensis Nonæ à Pontificibus quintanæne, an septimanæ sint futuræ, in Capitolio, in curia Calabra sic: Dies te quinque kalo Iuno Nouella. Septem dies te Kalo Iuno Nouella: hoc. n. modo legendum esse docet Iosephus Scaliger, & addit, non malè etiam pro Iunone, Ianam legi, quo nomine Luna sit appellata à veteribus, item pro vocabulo Nouella, in vetustioribus excusis, quod etiam Turnebus indicat, legi Couella, quod ipse deducit à Couum, quomodo veteres cœlum appellarunt, ita vt sit Iuno, vel Iana Couella: Iuno, vel Iana cœlestis. Sed hæc ἐν παρέργῳ. Venio ad nonas, quas quidem sic dictas putant, quasi nouæ obseruationis initium, quod in eas occurreret principium Lunæ, vel quòd ab eo die semper ad Idus nouem dies putarentur. His diebus populus ex agris in Vrbem conueniebat in arce, ibique Rex sacrorum prædicebat primas (vel priuas, vti Iosepho Scaligero placet: id est, singulas) ferias menstruas, qua de re paulò ante diximus. Porrò quidam menses habebant quatuor Nonas, quidam sex, inde vsque à Romulo primo Rege. Is enim cum ita méses distribuisset, vt alij essent dierum triginta vnius, alij vnde triginta, tum vt ex die Nonarum, Idus nono die essent, & inter Idus ac sequentes Kalendas sedecim dies intercederent, in mensibus illis, qui triginta vnum dies habebant inter Kalendas & Nonas interiecit duos illos, quibus mensis augebatur, deinde fiebat vt alius mensis quatuor, alius sex Nonas haberet, quod etiam Cæsar, cùm annum aliter ordinaret, obseruauit, ne stata sacra, quæ à priscis instituta fuerant, transferrentur. Restant idus, quæ in quouis mense sunt octo: dictæ Idus, vocabulo Thusco, apud quos idem dies Itis vocabatur, quod significat Iouis fiduciam. Cùm. n. Iupiter sit auctor lucis, vnde etiam Lucetius & Diespiter dicitur: huius autem diei lux non cum Solis occasu finiatur, sed splendorem diei & noctis continuet, Luna illustrante, quod semper in plenilunio: id est, medio mense fieri soleat, ideò iure Iouis fiduciam vocari eum putant. Alij volunt Idus dictas, quasi vidus, à videndo, vel ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν, id est, videre, quòd eo die plenam speciem Luna demonstret. Alij ab oue iduli, quę Idibus omnibus immolatur. Alij putant Hetruscam vocem esse, apud quos iduare erat diuidere: ideóq; hunc diem idus dictam, quod mensem diuidat, quia plerumque in medium mensem incidunt. Ab Idib. dies reliqui omnes referuntur ad Kalendas sequentis mensis: Dies postridie Calendarum, Nonarum & Iduum atros vel infaustos religiosos, hoc est, tristi omine infames, impeditósque esse, in quibus & res diuinas facere, & rem quampiam nouam exordiri non liceat, iam anteà monuimus. Sed tempus est, vt iam ordine de singulis mensibus, & diebus in iis festis agamus.

AD CAP. IV.

PARALIPOMENA.

Quam multiplex anni nomen, annus Platonis, Eudoxi, Metonis, Nonus Iulianus, Hippocratis.

QVam varia & multiplex in numerandis suis annis vetustas fuerit, enarrare hic longum foret. consulantur D. Augustin. libro 12. de Ciuit. dei cap. 10. & libro 15. eiusdem operis cap. 14. C Plin. libro 7. capit. 48. A. Gell. lib. 3. Noct. Atticar. cap. quadragesimo octauo, Xeno in libello de Æquiuocis, si modo eius ille excellentissimus vir auctor fuit, quod

non puto. Censorin. eleganti de Die Natali opusculo ca.15. Ludouic. Cario. Emendation. li.2 ca.1. & alij Critici, sed copiosissimè Cornelius Vitellius cap.28. Philipp. Beroald. Annotat. cap.47. Florid. Sabin. subseciuor. lib.2. ca.2. Ian. Parrhas. Epist.63. Pet. Nannius Miscellaneor. li.5 ca.7 Carol Sigon. lib.2. Emendat. c.16. Seruius Honoratus ad illud lib.1. Æneid.

Triginta magis voluendis mensibus orbes.

Et primi mortalium Ægyptij ante visum literarum inuentum draconem ore caudam retinentem, ad motus reciprocos astrorum, & vicissitudines exprimendas pro anno effinxerunt. Isidor. Hispalens. lib. 5. Etymolog. cap.36. & alij Idem Seruius ad illud lib.5 Æneid.

—aditis cum lubricus anguis ab imis.

Annum autem Ioui, menses Iunoni consecrabant. Plutarch problemat. Rom c.77. constatque initio vnius tantùm mensis spatium annum habuisse, quem quia ad Lunæ cursum metiebantur, *lunarem* appellabant. Ioan. Iouian. Pontan. lib.1. Vraniæ. de Luna.

—orbibus orbes

Mutat agens circum, & paruum conuertitur annum.

Alij bimestris spatio annum terminabant, inter quos & Ægyptij. Idem Pontanus eodem loco.

Ægypti primum veteres fecere bimestrem.

Idem illi Ægyptij interdum in tres menses, aliquando in quatuor annum suum secabāt. Plutarch. in Numa. Cares & Arcanaues sex mensium spatio annum claudebant. Censorin. lib. de die Natali c.19. vt & Hebræi ad lunæ motum annum sex mensium efficere, Suid in voce *ἐνιαυτὸς, annus.* Atq; hi quidem pro summo Deo Lunam venerabantur, ideò ad eiusdem cursum annos suos circumscribebant: aliis aliter visum, qui cælestium siderum ducem Solem agnouerunt, eiúsque metientes cursus, annos suos ad motum illius conformabant. Seru. ad illud libro 3. Æneid.

Interea magnum sol circumuertitur annum.

Annum hunc constat Persarum, Græcorum, & Latinorum fuisse, licèt aliqua differentia, vt quidam pauciores in eo menses, alij plures constituerent, nam & decem & duodecim fuisse in eo menses vulgatissimum est, adde & tredecim, ante Romam conditam, hoc est trecentos septuaginta dies, C. Iul Solin. Polyhist. cap.3. Oritur hinc crebra celebriorum scriptorum authoritas, qui pro scientia rerum cælestium varia, qua pollebant, ita quoque varium solis, siderúmque aliorum cursum obseruantes, annos diuersis durationibus circumscribebant, suó que indito nomine à se appellitabant. Quarre & *annus Hippocratis* legitur in libro de septimestri partu, quem dierum trecentorum & sexaginta fuisse probat Marsilius Cagnatus lib. 4. Obseruation. variar. cap.14. Sed & *Iulianus annus* à Iulio dictatore, cuius studio & cura impensiùs fasti correcti, vt suo loco dicetur, & ex Censorino obseruat Fr. Modius Epist. 14. Interim corrigendus Papinius lib.1. Achilleid.

—& expleto teneri iam fine pudoris

Virginitas matura thoris, animique tumentes,

Censeo rescribendum.

Virginitas matura thoris, annique tumentes,

Allusum est enim ad illud P. Virgilij libro 7. Æneid.

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Claudian. lib.1. de Raptu.

Iam matura viro plenis adoleuerit annis

Virginitas.

Et lib.1. de laudib. Stilichon.

Nubilis interea maturæ virginis ætas.

Est & *annus Metonis*, ab authore nomen sortitus, nam Meto astronomus celebratissimæ famæ, Ælian. var. hist. li.3. ca.12. Plutarch. in Nicia, & in Alcibiade, Diodor. Sicul. lib.12. Bibliothec. complectebantur autem nouemdecim annos vertentes, Suidas in voce *ἐνιαυτὸς Μέτωνος, annus Metonis* Marcellin. Comes lib.16. *spatium anni vertentis, id est perites mundani motus, & sid. um definiunt veteres, inter quos Menon & Euclemon & Hipparchus, & Archimedes excellunt, cum sol perenni rerum sublimium lege polo percusso signifero quem Græcus sermo Zodiacum appellat, tre entis sexaginta quinque diebus & noctibus ad eu. dem re ierit cardinem,* corrigendum necessario est, *inter quos Meton & Eudemon & Hipparchus, & Archimedes excellunt.* cuius restitutionis auctor est eruditissimus Petrus Pithæus lib. 2. subseciuor. cap. 13. ex M. Victruuio Pollione lib.9. Architectonic. cap.7 *quorum inuentæ secuti siderum & occasus & ortus, tempestatúmque significatus Eudoxus, Eudemon, Callistus, Meto.* Ioann. Tzetzes etiam eius meminit, vt & Theon Sophista, & Nicetas cognominatus Choniates in Imperio Alexij Ducæ Marzuffi, in annalibus. Et M. Tullius epist. ad Atticum, prouerbialiter, *annum Metonis* vsurpat pro longissimo temporis tractu. vt & D. Ausonius ad Theonem epist.9.

Quis fuit ille dies? non annus longior illo est

Attica quem docti collegit cura Metonis,

Desertus, vacuis solisque exercitor oris.

Antea

Anteà corruptissimè legebatur, in omnibus pene codicibus impressis, ante Eliam Vinetum.

Quis fuit ille dies? non annus longior illo est,
Atticáque indocti collegit cura Medonis,
Desertus, vacuis.

Lego etiam & Eudoxi annum, scribente Strabone Amaseno lib. 4. Geogr. Cæsar de fastis à se corigendis apud M. Lucanum libro 10.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Continebat autem iste, ex nostris, seu solaribus annis, octo. Seruius Maurus ad illud lib. 5 Æneid.

Iamque dies, ni fallor, adest.

Denique Platonicus nominatus est quidam annus, ab authore Platone Philosopho, qui efficiebatur, omnibus sideribus in suum orbem recurrentibus, ita vt post omnium omnina stellarum conuersionem factam, ad eundem, vnde regressæ fuerant, locum redeant illæ, hoc est post spatium duodecim millium ex nostris, annorum, adiectis quingentis quinquaginta quatuor, vel, vt aliis nonnullis visum est, post quindecim annorum nostrorum millia, vel denique, vt quibusdam placuit, exactis è nostris triginta sex millibus annis. M. Tull. in Hortensio. Fest. Pomp. lib. 11. in *Magnum annum*, Poëtæ passim. Sil. Italic. lib. 13 Punicor.

Hæ animæ cælum repetunt, ac mille per actis,
Oblitæ Ditem, redeunt in corpora lustris.

Claudian. de Raptu lib. 1.

—certisque ambagibus æui
Rursus corporeos animæ mittuntur in artus.

Et lib. 2. in Ruffinum, ad finem.

Quos vbi per varios annos, per mille figuras
Egit lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ reuocat primordia formæ.

Hæ quidem nobiliores annorum sunt denominationes. At Romani *annum nouum* vocabant. A. Gell. lib. 18. ca. 1 in limine *æstate anni noui*. L. Seneca Apocolocynthosi, seu Satyra Claudiana in principio, *initio anni noui*. Sunt qui existiment annum primum alicuius noui Imperatoris sic dici, quod placuit Adriano Turnebo lib. 23. Aduersarior. ca. 8 alij malunt annum esse nouum principium magistratus initi, siue primum diem. Qu. Symmach. lib. 1. epist. 22. *abunde gaudeo cum te consulem nouus annus expectat*. Aurel. Cassiodor. lib. 2. epist. 1. *fœlix à consule sumat annum auspicium* l. 1. Cod. Theod. *in publ. lætit.* hoc est, quod dicitur annum nouum à consule aperiri. Sidon. Apollinar. lib. 18. epist. 6. *consul Asterius anni sui fores votiuum aperuerat*. Et Carm. 2. in principio.

Et effulgens trabealis mole metalli,
Annum pande nouum, consul vtute.

Stat. lib. 4. Sil. 5.

Insignemque aperis Germanicus annum.

Claudian. Paneg. de 3. Hon. consul.

Tertia Romulei sumant exordia fasces,
Terque tuas ducat bellatrix pompa curules,
Festior annus eat.

Et de Hon. consul.

Auspiciis iterum sese regalibus annus
Induit, & nota fruitur iactantior aula.

Et lib. 2. de Laud. Stilich. vbi sic Roma de Stilichone consule designato.

Quanto me dignius incitat ardor,
Vt præsente fruar, conscendentémque tribunal
Prosequar, atque anni pandentem claustra salutem.

Nihilominus aliis nuda placet interpretatio, vt annus nouus sit veris initium. D. Auson. in præfat. Consulat.

Iane veni nouus anne veni.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 1.

Et quodcumque mihi pomum nouus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deos.

P. Ouid. lib 1. Fastor.

Dic age frigoribus quare nouus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?

De die, nocte, variisque earum partibus, ac differentiis seu in vrbe, siue in castris, item deinde de horis, & horologiorum vsu, infra dicendi dabitur locus. Interea apponam & Calendarij alterius descriptionem, longè illo luculentiorem.

CALENDARIUM.

MARTIUS, MAIUS, IULIUS, OCTOBER, *Nonas 7 idus 15. di habent. Ceteri 5. & 13. Cedren compendi. historiar. pag. 139 in quo præter ortum & occasum signorum cœlestium, quæ in sex lib. Fastorum notantur: initia templorum dedicationes Romanorum & Græcorum per seriem integri anni habentur.*

IANUARIUS.

A 1 Cal. Ian. Iani & Iunonis. Iouis & Æsculap. in ins. Tiberina Ouid. Gamelia Iunoni hoc mense celebrantur, vnde & mensi nomen.

b 2 4 Dies ater.

c 3 3 Cancer occidit. Tertia mensis. Mineruę sacra cuiusque Paus.

d 4 Prid. Non. Votum pro salute principis Caius.

e 5 Nonis Tacitus.

f 6 8 Lyra oritur tempestatem significat.

September, Nouember, December, tricenum essent dierum, quatuor verò, Martius, Maius, Quinctilis, October, tricenis & singulis expediretur, qui hodiéque septimanas habent Nonas, cęteri quintanas. Septimanas autem habentibus, ab Idibus reuertebantur, kalendę ad diem septimum decimum: veterum habentibus quintanas, ad decimum octauum remeabat initiũ kalendarum. Hæc Romuli constitutio. Sed cùm hic numerus, vt idem Scriptor tradit, neque Solis cursui, neque Lunæ rationibus conueniret, nonnunquam vsu veniebat, vt frigus anni æstiuis mensibus, & contra calor hyemalibus proueniret. Quòd vbi contigisset, tantùm dierum, sine vllo mensis nominé patiebantur assumi, quantùm ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus instanti mensi aptus inueniretur. Sed secutus Numa, quantùm sub cœlo rudi & sęculo adhuc impolito, solo ingenio magistro comprehendere pôtuit, vel quia Græcorum obseruatione forsan instructus fuit, quinquaginta dies addidit, vt in trecentos quinquaginta quatuor dies, quibus duodecim Lunæ cursus confici credidit, annus extenderetur: atque his quinquaginta diebus à se additis, adiecit alios sex retractos illis sex mensibus, qui triginta habebãt dies, id est, de singulis singulos, factisque sexaginta, & sex dies, in duos nouos menses ratione diuisit: ac de duobus priorem Ianuarium nuncupauit, primúmque anni esse voluit, secundùm dicauit Februo Deo, qui lustrationum potens creditur. Paulò verò pòst in honorem imparis numeri vnum adiecit diem quem Ianuario dedit, vt tam in anno, quam in mensibus singulis præter vnum Februarium, impar numerus seruaretur. Nam quia duodecim menses, si singuli, aut pari aut impari numero putarentur, consummationem parem facerent: vnus, pari numero institutus, vniuersam putationem parem fecit. Ianuarius igitur, Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December, vndetricenis censebantur diebus, & quintanas Nonas habebant. Ac post Idus in omnibus septemdecim ad Kalendas computabantur. Martius verò, Maius, Quintilis, & October, dies tricenos singuli possidebant. Nonæ in his septimanæ erant. Similiterque post Idus decem & septem dies in singulis vsque ad sequentes kalendas computabantur. Sed solus Februarius viginti & octo retinuit dies, quasi inferis diminutio, & par numerus conueniret.

Cùm ergo Romãni ex hac distributione Pompilij ad Lunæ cursum, sicuti Græci annum proprium computarent, necessario & intercalarem mensem instituerunt more Græcorum. Nam & Græci cùm animaduerterent temere se trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinasse annum, quoniam apparet de solis cursu, qui trecentis sexaginta quinque diebus, & quadrante Zodiacum conficit, deesse anno suo vndecim dies & quadrantẽ, intercalares statuta ratione cõmenti sunt, ita vt octauo quoque anno nonaginta dies, ex diebus tres mẽses tricenûm dierum composuerunt, intercalarent. Id Græci fecerunt, quoniam erat operosũ, atque difficile, omnibus annis vndecim dies, & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui nascuntur, si quadrans cũ diebus vndecim octies cõponatur, inserere, in tres menses (vt diximus) distribuendos. Hunc ergo ordinẽ Romanis quoque imitari placuit, sed frustrà: quippe fugit eos, diem vnũ (sicut supra admonuimus) additum à se ad Gręcum numerũ, in honorem imparis numeri. Ea re per octenniũ conuenire numerus, atq; ordo non poterat. Sed nondũ hoc errore cõperto, per octo annos, nonaginta quasi superfundendos Gręcorum exemplo computabant dies, alternisque annis binos & vicenos, alternis ternos, vicenósq; intercalares, expensabant intercalationibus quatuor. Sed octauo quoq; anno intercalares octo affligebant dies ex singulis, quibus vertentis anni numerum apud Romanos, super Græcum abundasse iam diximus. Hoc quoque errore iam cognito, hæc species emendationis inducta est. Tertio quoq; octennio ita intercalandos dispẽsabant dies, vt non nonaginta, sed sexaginta sex intercalarent, compensatis vigintiquatuor diebus pro illis, qui per totidẽ annos supra Græcorũ numerũ creuerant: Omni autem intercalationi mensis Februarius deputatus est, quoniam is vltimus anni erat. Quod etiam ipsum de Græcorum imitatione faciebant. Nam & illi vltimo anni sui mensi superfluos interserebant dies. Verum vna re à Græcis differebant, nam illi confecto vltimo mense, Romani non confecto Februario, sed post vigesimũ tertium diem intercalabant, terminalibus scilicet iam peractis. Deinde reliquos Februarii mẽsis dies qui erant quinque post intercalationem subiungebant: Credo, vetere religionis suæ more, vt Februario omninò Martius sequeretur. Sed quum sæpe eueniret, vt nũdinæ modò in anni principem diem, modò in Nonas caderent (vtrũque autem perniciosum Reip. putabatur) remedium quo hoc auerteretur excogitatum est. Dies ille, quo abundare annũ diximus, eorũ est permissus arbitrio, qui fastis præerant, vt cùm vellent, intercalarent: dummodò cum in medio terminalium vel mensis intercalaris ita locarent, vt à suspecto die celebritatem auerterent nundinarum. Et hęc anni ordinatio à Numæ regis tregno, ad Iul. Cæsaris Imperium Romę durauit. Is enim tertius fuit, qui annum ordinauit, quem nos adhuc hodie sequimur. Illam vero constitutionem Macrobius lib. 1. Satur. cap. 14. sic describit. Verùm fuit tempus, inquit, cùm

propter

propter superstitionem intercalatio omnis omissa est, nunnunquàm verò per gratiã Sacerdotũ, qui cum Publicanis proferri, vel imminui consultò anni dies volebant: modo auctio, modò retractio dierum proueniebat, & sub specie obseruationis emergebat maior confusionis occasio. Sed posteà C. Cæsar omnem hanc inconstantiam temporum, vagam adhuc & incertam, in ordinem statutæ definitionis coëgit, adnitente sibi M. Flauio Scriba, qui scriptos dies singulos ita ad Dictatorem retulit, vt & ordo eorum inueniri facillimè posset, & inuento certo status perseueraret. Ergo C. Cæsar exordium nouæ ordinationis initurus, dies omnes, qui cõfusionem adhuc poterant facere, consumpsit, eáque re factum est vt annus confusionis vltimus in CDLIII: dies protenderetur. Post hoc imitatus Ægyptios solos diuinarum rerum omnium conscios ad numerum Solis, qui dieb. CCCLXV. & quadrante conficit, annum dirigere cursum contendit. Nam sicut Lunaris annus mensis est, quia Luna paulò minùs quàm mensem in Zodiaci circuitione consumit, ita Solis annus hoc dierum numero colligẽdus est, quem peragit, dum ad id signum se denuò vertit, ex quo digressus est, vnde annus vertens vocatur, & habetur magnus, cùm Lunæ annus breuis putetur. Iulius ergo Cæsar x. dies obseruationi veteri superadiecit, vt annum CCC & LXV. dies, quibus Sol lustrat Zodiacum, efficerent: & ne quadrans deesset, statuit, vt quarto quoque anno, Sacerdotes qui curabant mensibus ac diebus vnum intercalarent diem, eo scilicet mense ac loco, quo etiam apud veteres menses intercalabantur, id est ante quinque vltimas Februarii mensis dies, idque bissextum censuit nominandum. Dies autem decem, quos ab eo additos diximus, hac ordinatione distribuit: In Ianuarium, Sextilem & Decembrem binos dies inseruit. In Aprilem autem, Iunium, Septembrem, & Nouembrem singulos. Sed neque mẽsi Februario addidit diem, ne Deo infero religio immutaretur: & Martio, Maio, Quintili, Octobri seruauit pristinum statum, quòd satis pleno erant numero, id est, dierum singulorum tricenorũmque. Ideò & septimanas habent Nonas, sicut Numa constituit, quia nihil in his Iulius mutauit. Sed Ianuarius, Sextilis, December, quibus Cæsar binos dies addidit, licet tricenos singulos habere post Cæsarem cœperint, quintanas tamen habent Nonas, & ab Idibus illis sequentes Kalendæ in vndeuicesimum reuertuntur: quia Cæsar, quos addidit dies, neque ante Nonas, neque ante Idus inserere voluit, ne Nonarum aut Iduũ religionem, quæ statuto erant die, nouella comperendinatione corrumperet. Sed nec post Idus voluit inserere, ne feriarum quarũque violaretur indictio. Sed peractis cuiusque mensis feriis, locum diebus aduenis fecit. Et Ianuario quidem dies, quos diximus, quartum & tertium Kalendas Februarias, dedit: Aprili, tertium Kalendas Maias: Iunio, tertium Kalendas Iulias: Augusto, quartum & tertium Kalendas Septembris: Septembri, tertium Kalendas Octobris: Nouẽbri, tertium Kalendas Decembris: Decembri verò, quartum & tertium Kalendas Ianuarias. Ita factum est, vt cum omnes hi menses, quibus dies addidit, ante hanc ordinationem habuissent mensis sequendis Kalendas ad septimumdecimum reuertentes, posteà ex augmento additorum dierum hi qui duos acceperunt ad nonumdecimum: qui verò vnum, ad octauumdecimum haberent reditum Kalendarum. Feriarum tamen cuiusque mensis ordo seruatus est: nam si cui fere tertius ab Idibus dies festus, aut feriatus fuit, & cùm ad sextumdecimum dicebatur, etiam post augmentum dierum, eadem religio seruata est, vt tertio ab Idibus die celebraretur: licet ab incremento non iam ad decimum sextum Kalendas, sed ad septimumdecimum, si vnus, ad decimum octauum, si duo essent additi, diceretur. Nam ideò nouos dies circa finem cuiusque mensis inseruit, vbi finem omnium, qui in mense erant, reperit feriarum, adiectosque omneis à se dies fastos notauit, vt maiorem daret actionibus libertatem & non solum nullum nefastum, sed nec Comitialem quemquam de adiectis diebus instituit, ne ambitionem Magistratuum augeret adiectio. Sic annum ciuilem Cæsar habitis ad Lunam dimensionibus constitutum, edicto palàm posito publicauit.

Et huc vsque error stare potuisset, hi Sacerdotes sibi errorem nouum ex ipsa emendatione fecissent. Nam cùm oporteret diem qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto antequàm quintus reciperet, intercalare: illi quarto non peracto, sed incipiente, intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cum debuerint intercalari nouem.

Sed hunc quoque errorem serò deprehensum correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi iussit, vt illi tres dies, qui per annos triginta & sex, vitio Sacerdotalis festinationis excreuerant, sequentibus annis duodecim nullo die intercalato deuorarentur. Post hoc vnum diem, secundum ordinationem Cæsaris, quinto quoque incipiente anno, intercalari iussit, & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandauit. Hactenus Macrobius.

Cum quibus eadem tradunt Censorinus de die Natali, Dio, Suetonius, Plinius, Solinus, Florus. Dissentit aliquo modo Plutarchus: qua de re vide Lil. Gyraldum in libro de anno, Mensibus, ac Diebus, & Aldum Manutium lib. primo de Quæsitis per epistolam, epistola tertia. Vt

autem lucis aliquis his accedat, illam annorum & mensium differentiam breui tabella lectori ob oculos ponemus.

ANNVS ROMVLI DIErum CCCIV. menses habet decem.

Mensis		Dies
MARTIVS,	dies habuit	XXXI.
APRILIS,		XXX.
MAIVS,		XXXI.
IVNIVS,		XXX.
QVINTILIS,		XXXI.
SEXTILIS,		XXX.
SEPTEMBER,		XXX.
OCTOBER,		XXXI.
NOVEMBER,		XXX.
DEDEMBER,		XXX.

ANNVS NVMÆ DIERVM CCCLIV. menses habet duodecim.

Mensis		Dies
IANVARIVS,	dies habuit	XXX.
FEBRVARIVS,		XXIIX.
MARTIVS,		XXXI.
APRILIS,		XXIX.
MAIVS,		XXXI.
IVNIVS,		XXIX.
QVINTILIS,		XXXI.
SEXTILIS,		XXIX.
SEPTEMBER,		XXIX.
OCTOBER,		XXXI.
NOVEMBER,		XXIX.
DECEMBER.		XXIX.

ANNVS CÆSARIS DIERVM CCCLXV. MENSES habet duodecim.

Mensis		Dies
IANVARIVS,	dies habuit	XXXI.
FEBRVARIVS,		XXIIX.
MARTIVS,		XXXI.
APRILIS,		XXX.
MAIVS,		XXXI.
IVNIVS,		XXX.
QVINTILIS,		XXXI.
SEXTILIS,		XXXI.
SEPTEMBER,		XXX.
OCTOBRR,		XXXI.
NOVEMBER,		XXX.
DECEMBER.		XXXI.

De Kalendario Romano. CAP. II.

COgnitis his, quæ de triplici anni ordinatione apud Romanos passim traduntur, de singulis mensibus & diebus in iis festis agemus: quod antequàm aggrediamur, operæpretium nos facturos arbitramur, si præmittamus kalendarium Romanum antiquum à marmore, quod est Romæ in ædibus Maffæiorum ad Agrippinam, descripto, & à Paulo Manutio, ac filio illius Aldo aliquoties editum, cum quo etiam consentit illud, quod in charta patente, curante Benedicto Aria Montano Antuerpiæ excusum est, & illud quod ab Huberto Goltzio in publicum datum est, quod meum studium beneuolus Lectori boni consulet.

VETVS KALENDARIVM ROMANVM A MARMORE descriptum in ædibus Maffeiorum ad Agrippinam, in tabula marmorea superne fracta.

IANVARIVS.	FEBRVARIVS.
A. K. IAN. F.	H. K. FEBR. N.
B. F.	A. N.
C. C.	B. N.
D. C.	C. N.
E. NON. F.	D. NON.

F. F.

F.F.
G.C.
H.C.
A.AGON.
B.EN.
D.CAR.NP.
D.C.
E.EID.NP.
F.EN.Dies vitiof.ex S.C.
G.CAR.
H.C.
A.C.
B.C.
C.C.
D.C.
E.C.
F C.
G.C.
H.C.
A.C.
B.C.
C C.
D.C.
E.F.
F.N.
G.C.

XXXI.

E.N.
F.N.
G.N.
H.N.
A.N.
B N.
C.N.
D.EID.NP.
E.D.
F.LVPER.N.P.
G.EN.
H.QVIR.NP.
A.C.
B.C.
C.C.
D.FERAL.F.
E C.
F TER NP.
G REGIF.N.
H C.
A.EN.
B.EQ.NP.
C.C.

XXIIX.

MARTIVS.

D K.MAR.NP.
E.F.
F.C.
G.C.
H.C.
A.NP.Hoc die Cæsar Pont.Max.factus est.
B.NON.F.
C.F.
D.C.
E.C.
F C.
G.C.
H EN.
A EQ.NP.
B EID.NP.
C.F.
D.LIB.NP.
E.C.
F.QVIN.N.
G.C.
H.C.
A N
B.TVBIL NP.
C.Q.Rex.C.F.
D C.
E.C.
F.NP.Hoc die Cæsar.Alexandr.recepit.
G.C.
H.C.
A.C.

APRILIS.

G.K.APR.N.
D.C.
E.C.
F.C.LVDI Matri Magnæ.
G.NON LVD.
H.NP LVDI.
A N.LVDI.
B N.LVDI.
C N LVDI.
D N LVD. in Circ.
E.N
F.N LVDI Cereri.
G EIB NP.LVDI.
H.N.LVDI.
A.FORD.NP.LVDI.
B N.
C N.LVDI.
D N.LVDI.
E.CER.N LVD.in Circ.
F.N.
G PAR.NP.
H.N.
A.VIN.NP.
B.C.
C.ROB.NP.
D.F.
E.C.
F.NP.LVDI.Flor.
G.C.LVDI.
H.C.LVDI,

X

B.C.

XXXI.	XXX.
MAIVS.	*IVNIVS.*
A.K.Mai.N.	H.K.Ivn.N.
B.F.Comp.	A.F.Mart.Car.Monet.
C.C.	B.C.
D.C.	C.C.
E.C.	D N.
F.C.	E.N.
G.Non.N.	F.N.
H.F.	G.Menti.in Capit.
A.Lem.N.	H.Vest.N.Fer.Vestæ.
B.C.	A.N.
C.Lem.N.	B.Matr.N. [illegible]
D. NP. Lvdi.Mart.in Circ.	C.N.
E.Lem.N.	D.Eid.N.
F.C.	E. N.
G·Eid.NP.	F.Q.St.D.F.
H.F.	G.C.
A.C.	H C.
B.C.	A.C.
C.C.	B.C.
D.C.	C.C.
E.Agon.NP.	D.C.
F.N.	E.C.
G.Tvb.NP.	F C.
H.Q.Ren.C,F.	G.C.
A.C.	H.C.
B.C.	A.C.
C.C.	B.C.
D.C.	C C.
E.C.	D.F.
F.C.	E.C.
G.C.	

XXXI.	XXX.
IVLIVS.	*AVGVSTVS.*
F.K.Ivl.N.	E.K.Avgvst.N.
G.N.	F.C Fer.hoc die C.Cæs.Hispalin.vic.
H.N.	G.C.
A.NP.	H.C.
B.Pollif.N.	A.Non.F.
C.N.Lvdi Apollin.	B F.
D.Non.N.Lvdi.	C.C.
E.N.Lvdi.	D.C.
G.C.Lvdi.	E.NP.Hoc die Cæsar Hispalin.vic.
H.C.Lvdi.	F.C.
A.NP.Lvdi.	G.C.
B.C.Lvd.in Circ.	H.C.
C.C.Merk.	A.Eid.NP.
D.Eid.NP.Merk.	B.F.
E.F.Merk.	C.C.
F.C.Merk.	D.C.
	E.Font.NP.

F.C.

G.C.Merk.
H.Lvcar.NP.Merk.
A.C.Lvdi.Vict.Caesar.
B.Lvcar.Lvd.
C.C.Lvdi.
D.Nept.Lvdi.
E.N.Lvdi.
F.Fvrr.NP.Lvdi.
G.C.Lvdi.
H.C.In Circ.
A.C.In Circ.
B.C In Circ.
C In Circ.
D.C.

XXXI.

F.C.
G.Vin.F.P.
H.C.
A.Cons.NP.
B En.
C.Volc.NP.
D.C.
F.Opic.NP.
E.C.
G.Volt NP.
H.NP. H. D. ara Victoriae in Curia dedic est.
A.F.
B.F.
C.C.

XXXI.

SEPTEMBER.

D.K.Sept.N.Hoc die Fer.Nep.
E.N.
F NP.
G.C.Lvdi Romani.
H.Non.F.Lvd.
A F.Lvdi.
B.C.Lvdi.
C C.Lvdi.
D.C.Lvdi.
E.C.Lvdi.
F.C.Lvdi.
G.N.lvdi.
H.Eid.NP.
A.F Equor.prob.
B.Lvd.Rom.in Circ.
C.C.In Circ.
D C.In Circ.
E.C.In Circ.
F C.In Circ.
G.C.Merk.
H C.Merk.
A.C.Merk.
B. NP. Merk. H. D. Augusti natalibus Lud.Circ.
C.C.
D C.
E.C.
F.C.
G.C.
H.F.
A.C.

XXX.

OCTOBER.

B.K.Oct.N.
C.F.
D.C.
E.C.
F.C.
G.C.
H.Non.F.
A F.
B.C.
C.C.
D.Medi.Tr.
E.Avgvst.NP.
F.Font.NP.
G.En.N.P.
H.Eid.NP.
A.F.
B.C.
C.C.
D.Arm.NP.
E.C.
F.C.
G.C.
H.C.
A.C.
B.C.
C.C.
D.C.Lvd.Vict.
E.C.Lvdi.
F.C.Lvdi.
G.C.Lvdi.
H.C.Lvdi.

XXXI.

NOVEMBER.	*DECEMBER.*
A.K.NOVEM.N.	G.K.DEC.N.
B.F.	H.
G.F.	A.
D.	B.
E.NON.F.	C.NON.F.
F.F.LVDI.	D.C.
G.C.LVDI.	E.C.
H.C.LVDI.	F.C.
A.C.LVDI.	G.C.
B.C.LVDI.	H.C.
C.C.LVDI.	A.AGON.N.P.
D.C.LVDI.	B.EN.
E.EID.NP.Epul.ind.	C.EID.NP.
F.F.Equor.prob.	D.F.
G.C.LVD.pleb.in Cir.	E.CONS.NP.
H.C.in Cir.	F.C
A.C.In CIRC.	G FERIÆ SATVRN.
B.C.MER.	H.C.
C.C.MERK.	A.OPAL.NP.
D.C.MERK.	B.C.
E.C.	C.DIV.NP.
F.C.	D.C.
G.C.	E.LAR.NP.
H.C.	F.C.
A.C.	G.C.
B.C.	H.C.
C.C.	A.C.
D.C.	B.C.
E.C.	C.F.
F.C.	D.F.
	E.C.
XXX.	XXX.

SEQVITVR HVIVS KALENDARII explanatio.

CAPVT III.

De discrimine dierum apud Romanos.

DE Anno & Mensibus diximus, sequuntur Dies, qui minores anni partes sunt. Non autem propositum nobis est hoc loco ea deducere, quæ de diebus ab Astronomis dicuntur, vt quòd alius sit dies naturalis, alius artificialis. Sed de ciuili tantùm agemus, qui est spatium viginti quatuor horarum. Apud Romanos autem est spatium à media nocte ad proximam mediam. Illi enim à media nocte diem suum inceperunt, quod Terentius Varro testatur, quum Athenienses ab occiddnte Sole, Babylonij ab eodem oriente, Vmbri à meridie diem inciperent. Diei partes primùm duæ apud Romanos erant, ante meridiem & post meridiem. Auctor Censorinus de Die natali, capite 19. Alij postea eundem in quatuor partes, & noctem similiter diuiserunt, id quod testatur similitudo illa militaris, cùm dicitur, Vigilia prima: item secunda, & tertia, & quarta. Tandem verò plura noctis & diei tempora notata, & propriis discreta nominibus, quæ apud veteres Poëtas, vt Censorinus ait, passim scripta inueniuntur. Primum diei tempus dicebatur media nox; alterum mediæ noctis inclinatio, vel de media nocte: tertium, gallicinium siue

galli

galli cantus:quartum,conticinium quòd & galli conticescerent,& homines etiam tunc quiescerent:quintum diluculum,cùm incipit dignosci dies:sextum,manè,cum est dies clarus. Dictum autem manè est,aut quòd ab inferioribus locis,i.à manibus exordium lucis emergeret, aut ab omine boni nominis,quòd Lanuuini manè pro bono dixerint. Varro ait,Mane dictum à manando,quod tum manaret dies ab Oriente:septimum,tempus ante meridianum: octauum meridies,quæ ipsa est medij diei pars.Sunt qui meridiem dictum putent, quòd merus sit dies:id est purus. Nam meridies est purior diei pars,quia Sol in medio cœlo rutilat, & omnem orbem pari illustrat claritate:nonum,tempus pomeridianum:decimum,Solis occasus, siue suprema tempestas,hoc est,nouissimum diei tempus:vndecimum, vespera, quæ à stella, quæ Græcis ἕσπερος dicitur, nomen habet, quòd tum appareat: duodecimum,crepusculum, sic fortasse appellatum,quòd res incertæ crepere dicuntur, idque tempus noctis sit, an diei, incertum est:decimum tertium,prima fax,quòd lumina tum accendebantur. Liuius primas tenebras appellat.Horatius lib.1.epist.prima lumina:decimumquartum,concubia nox, cùm itum est cubitum:decimum quintum intempesta nox:id est,multa nox,quia nihil agi est intempestiuum. Alius:Intempestiuum est,inquit,cùm tempus agendi est nullum,quod alii concubitum appellarunt,quod ferè omnes tunc cubarent. Alij ab eo quòd siletur, silentium noctis dixerunt:decimum sextum,inclinatio ad mediam noctem. Hæ partes breuiter hoc typo comprehenduntur.

Dies ciuilis continet:
- Lucem, cuius partes sunt:
  - Manè.
  - a · Meridem.
  - Meridies.
  - De Meridie:siue tempus occiduum.
  - Solis occasus: siue suprema tempestas.
- Diluculum
- Crepusculum.
- Tenebras seu noctem, cuius partes sunt:
  - Vesper.
  - Prima fax.
  - Concubium.
  - Nox intempesta.
  - Ad mediam noctem.
  - Media nox.
  - De media nocte,vel,mediæ noctis inclinatio.
  - Gallicinium.
  - Conticubium.

Cæterùm non omnes dies vnius generis erant, sed quædam earum discriminá & diuersitates. Numa enim cùm annum in duodecim menses distribuisset,eundem etiam in certa dierum genera diuisit,ita vt quidam dies essent Festi,alij Profesti,alij intercisi. Festi dicebantur, qui Diis dicati erant.Profesti,qui hominibus ad administrandam rem priuatam,publicámq; concessi erant,sic dicti,vt Festus ait,quòd procul sint à religione numinis diuini. Intercisi, erant Deorum,hominúmque communes,quibusdam enim illorum horis fas erat,quibusdam nefas erat ius dicere.Nam cùm hostia cædebatur, fari nefas erat:inter cæsa & porrecta fari licebat:rursus cùm adolebatur,non licebat. Ideóque intercisi vel quomodo veteres pronunciabant, & quomodo etiam in Kalendario notantur,Endotercisi vocabantur,aut quòd intercederet fas,aut quod intercisum esset nefas.Festi portò dies,inquit Macrobius lib.1 Saturn.cap. 16.diuiduntur in sacrificia,epulas,ludos,ferias.Sic & profesti in Fastos, Comitiales, Comperendinos, Status,& Præliares.Sacra celebritas est,vel cùm sacrificia Diis offeruntur:vel cùm dies diuinis epulationibus celebrantur:vel cùm ludi in honorem aguntur Deorum: vel cùm feriæ aguntur.

Feriarum autem aliæ sunt publicę,alię priuatę.Publicarum porrò genera sunt quatuor:aut enim statiuæ sunt,aut conceptiuæ,aut imperatiuę,aut nundinæ. Et statiuæ quidem ferię sunt vniuersi populi communes,certis & constitutis diebus,ac mensibus,& in fastis statis obseruationibus annotatæ,in quibus præcipuè seruantur Agonalia,Carmentalia,Lupercalia. Conceptiuæ sunt,quæ quotannis à Magistratibus,vel Sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos, vel etiam incertos:vt sunt Latinæ,Paganalia,Sementinæ,Compitalia. Imperatiuæ sunt,quas Consules,vel Prætores pro arbitrio potestatis indicant. Nundinæ sunt paganorum,id est rusticorum,quibus conueniunt negotiis propriis vel mercibus prouisuri.

Priuatæ autem feriæ sunt vel propriæ familiarum,vt Claudiæ familiæ,aut Æmiliæ,aut Iuliæ,aut Corneliæ, & si quas ferias proprias quæque familia ex vsu domesticæ celebrationis obseruat,de quibus loquuntur duodecim tabulæ:Sacra priuata perpetua manento : vel sunt

singulorum, vt natalium fulgurúmque susceptiones, aut funerum, aut expiationum. Festus: Priuatæ feriæ vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales operationis, denecales. Apud veteres quoque quicunque nominasset, vt ait Macrobius, Semonam, Seiam, Segetiam, Tutilinam, ferias obseruat: Item Flaminica, quoties tonitrua audiisset, feriata erat, donec Deos placasset.

Cæterùm ad ferias publicas quod attinet, indicebantur illæ, & proclamabantur singulis mensibus à Rege sacrorum, & à Prætore. Ab hoc quidem vacatio à forensibus negotiis: ab illo autem sacrorum ritè peragendorum gratia. De Rege sacrificulo testis est Varro libro quinto de lingua Latina: Rex cùm ferias menstruas Nonis Februariis edicit, hunc diem Februatum appellat. Et paulò pòst: Harum rerum vestigia apparent in sacris Nonalibus in arce: quòd tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, Rex prædicit. Ex quibus verbis satis perspicuum est, Regem sacrificulum singulorum mensium ferias proclamasse. Videlicet (vt Arnobius aduersus gentes lib.2. scribit) in hunc modum: Lauatio Deûm matris est hodie: Iouis epulum cras est: Æsculapij geritur, celebratúrque vindemia: Lectisternium Cereris erit Idibus proximis: Telluris natalis est, &c. Prætorem autem etiam ferias, quæ Compitalia dicebantur, more maiorum, verbis olim solennibus concepisse, Agellius lib.10 cap.24. Macrobius lib.1. Saturn. cap.4. auctores sunt.

Postquàm enim modò die quinti, modò die quinto veteres dixisse docuissent, ad demonstrandam hanc veterum consuetudinem conferre plurimùm, addiderunt hæc solennia verba, quibus more maiorum Compitalia Prætor concipere solet: Die Noni post kalendas Ianuarias Quiritibus Compitalia erunt. Nec quidem Compitalitias duntaxat, sed etiam ferias omnes conceptiuas, & imperatiuas indicere prætorem consueuisse ex eodem Macrobio & Suetonio probari potest, Macrobii verba suprà sunt recitata. Suetonius in Claudio scribit: Obseruauitque sedulò, vt quoties terra in Vrbe mouisset, ferias aduocata concione Prætor in Vrbe indiceret. Vide hac de re plura apud Iacobum Ræuardum lib.5. Varronem cap.19.

Quid porrò feriis fieri deberet, docet Cicero lib.2. de Legibus, his verbis: Feriis iurgia amouento: easq; in famulis, operibus patratis, habento: itaque, vt ita cadat in annuis anfractibus, descriptum esto: certáq; fruges, certásq; baccas sacerdotes publicè libanto: hoc certis sacrificiis ac diebus. Itémque alios ad dies vbertatem lactis, fœtúsque seruanto: idque ne committi possit, ad eam rem & rationem cursus annuos Sacerdotes finiunto, quæque cuique diuo decorę gratæque sint hostiæ, prouidento. Et paulò pòst hanc legem explicans hæc dicit: Feriarū, festorúmq; dierum ratio in liberis requietem habet litium, & iurgiorum, in seruis operum & laborum, quia compositio anni conferre debet, & ad perfectionem operum rusticorum, & ad remissionem animorum: per quod tempus, vt sacrificiorum libamenta seruentur fœtusq; pecorum, quæ dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est, &c. Hæc Cicero.

De feriis etiam hoc notandum est: quod Macrobius lib.1. Saturnaliorum cap.16. habet: Sacerdotes, inquit, affirmabant, ferias pollui, quoties iis indictis, conceptisque opus aliquod fieret. Prætereà nòn licebat Sacrorum Regem, & Flamines videre feriis opus fieri. Atque ideò per Præconem denunciabant, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur. Præter mulctam etiam affirmabant eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere: prudentem expiare non posse Scæuola Pontifex asseuerabat. Sed Varro negat eum pollui, qui opus vel ad deos pertinens, sacrorúmve causa fecisset, vel aliquid ad vrgentem vitæ vtilitatem respiciens actitasset. Scæuola deniq; consultus, quid feriis agi liceret, respondit, id quod prætermissum noceret: quapropter si bos in specus decidisset, eúmque paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicauit ruina.

Ad profestos dies venio, quorum alij fuerunt Fasti, alij Comitiales, alij Comperendini, alij Stati. Fasti sunt, quibus licet fari Prætori tria verba solemnia, Do, Dico, Addico: quibus contrarij sunt Nefasti. His enim non licebat Prætori tria illa verba solennia fari. Comitiales, quibus vadimonium licet dicere. Stati, qui iudicij causa cum peregrino instituuntur. Et quidem Fasti dies qui propriè sic appellantur in Kalendario notati omnes sunt litera F. ac sunt numero XXXIIX. Non tamen his solùm, verùm etiam aliis diebus Prætori tria illa solennia verba dicere licebat: Comitialibus scilicet: & illis qui dicuntur Nefasti primò. Eam ob causam Paulus Manutius tria Fastorum dierum genera facit: Primum genus eorum, de quibus iam diximus, quibus fari semper & licebat, & solebat: atque hi propriè erant Fasti, & toti propriè, quòd per eos nisi cùm aliquis casus extra ordinem interueniret, nunquam Prætor ius non dicebat, toti, quòd fari omnibus horis licebat. Alterum genus eorum, qui & ipsi propriè fasti erant, sed non toti hoc est, quibus quidem fari licebat, sed non omnibus horis: quales sunt, qui in Kalendario notantur literis his, En: NP. F. P. Q. Rex. C. Q. St. D. quæ notæ sic explicantur.

cantur. En. Endotercisos, vel intercisos denotat, de quibus suprà N.P. Nefastos primò: id est, quibus quidem horis matutinis ius dicere non licebat, postmeridianis autem licebat. His contrarij erant F. P. id est, Fasti primò. Iis enim antemeridianis horis iustitium erat, post meridiē verò, fari licebat. Q. Rex. C. significat, Quando Rex Comitauit. Q St. D. Quando stercus defertur, de quibus suo loco plura. Hi autem erant omnes LXV. Tertium genus Comitiales fuēre, qui casu tantùm, non autem propriè Fasti erant. Quia, cùm Comitia non haberentur, tunc fari solum Prætor solebat. Hi modò toti erant Fasti, cùm nulla scilicet Comitia haberentur illa quidem, sed minimè per totum diem. Atque hi numero erant CXXCIV. qui reliquis duobus generibus additi, CCXXCVII. numerum efficiunt. Reliqui, præter hos omnes, erant Nefasti, hoc est, non licebat iis Prætori tria solennia verba fari. Causas tamen agere, concionem habere, & legem promulgare licebat. Porrò quòd ad rem militarem attinet, ibi etiam non erant vnius generis dies omnes. Alij enim erant Præliares: alij non præliares. Iustos enim à Præliaribus Macrobius segregat. Præliares erant, quibus fas erat res repetere, vel hostem lacessere. Iusti erant continui triginta dies, quibus exercitui imperato, vexillum rufi coloris in arce positum erat. Non Præliares erant, quibus res repetere, aut hostem lacessere non licebat, quales erant dies Iusti, item atri, vt postridie Kalendas, Nonas, & Idus Innominales, vt ante quarum kalendas, Nonas & Idus, & Feriæ Latinarum, Saturnaliorum, Ditis, ac Proserpinæ.

De diebus atris Verrius Flaccus libro quarto, de Verborum significatione, apud Agellium lib. 5. cap. 17. cur ij qui sunt postridie Kalendas, Nonas, Idus, quos vulgus imperitè Nefastos dicat, ita sint appellati, & habiti, his verbis docet: Vrbe, inquit, à Gallis Senonibus recuperata, Lucius Attilius in Senatu verba fecit. Quintum Sulpitium Tribunum militum ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum, rem diuinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse. Tum exercitum populi Romani occidione occisum, & post diem tertium eius diei Vrbem, præter Capitolium, captam esse. Compluresque alij Senatores recordari sese dixerunt, quoties belli gerendi gratia res diuina postridie Kalendas, Non. Idus à Magistratu populi Romani facta esset, eius belli proximo deinceps prælio Reipublicæ malè gestum esse. Tum Senatus eam rem ad Pontifices reiecit, vt ipsi, quod videretur, statuerent. Pontifices decreuerunt nullum iis diebus sacrificium rectè futurum. Ante diem quoque quartum Kalendas, vel Nonas, vel Idus tanquam Innominalem diem plerique vitant. Eius obseruationis an religio vlla sit tradita, quæri solet. Nihil super ea re scriptum inuenimus, nisi quod Claudius Annalium quinto cladem illam pugnæ Cannensis vastissimam, factam dicit ante diem quartum Nonas Sextileis. Hactenus Agellius. Idem habet Macrobius libro primo Saturnaliorum, cap. 17. De atris diebus etiam multa Plutarchus in Quæstionibus Romanis quæstione vigesima [illegible]uinta. De ferijs Latinarum, Saturnalium, Ditis ac Proserpinæ ita Macrobius: Nam cùm Latiar, hoc est, Latinarum solenne concipitur, item diebus Saturnaliorum: sed & cùm mundus patet, nefas est prælium sumere. Quare nec Latinarum tempore, quo publicè quondam induciæ inter Romanum populum, Latinósque firmatæ sunt, inchoari bellum decebat. Nec Saturni festo, qui sine vllo tumultu bellico creditur imperasse: nec patente mundo, quod sacrum Diti patri, & Proserpinæ dicatum est, meliúsque occlusa Plutonis fauce, eundem ad prælium putauerunt. Vnde & Varro ita scribit: Mundus cùm patet, Deorum tristium atque inferûm quasi ianua patet, propterea non modò prælium committi, verùm etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, nauem soluere, vxorem liberûm quærendorum causa ducere religiosum est, &c. Verùm tamen hi dies obseruantur in inferendo bello, non in excipiendo. Tum enim præliares erant. Atque hæc in genere de dierum discrimine dicta sint, quæ omnia hoc typo comprehenduntur.

Cap. IV.

De Kalendis, Nonis, & Idibus.

Singvlos menses Romani ex ordinatione Romuli distribuerunt in partes tres, in Calendas, Nonas, & Idus. Calendas dixerunt primum cuiuscunq; mensis diem, à Græco verbo καλῶ, id est, voco: quo etiam prisci Latini frequenter vsi sunt. Cur autem primum singulorum mensium diem Kalendas vocitarint, causa hæc fuit: Priscis temporibus, antequam Fasti à Cn. Flauio Scriba inuitis patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ Lunæ primum obseruaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nunciaret, atque tum sacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex Kalata, id est, vocata in Capitolium plebe, iuxta Curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima erat, quot numero dies à Kalendis ad Nonas superessent, pronunciabat: & quintanas quidem, quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas repetito speties prædicebat. Et hunc diem, qui ex his diebus calatis primus esset, placuit Kalendas vocari. Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas superessent, calando prodebat, quòd post nouam Lunam oportebat Nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in Vrbem, accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, sciturósque quid esset eo mése faciendum. Hæc Macrobius, cum quo facit etiam Terentius Varro, qui lib. 5. de ling. Lat. sic scribit: Primi dies mensium nominati Kalendæ, ab eo, quod his diebus kalentur eius mensis Nonæ à Pontificibus quintanæne, an septimanæ sint futuræ, in Capitolio, in curia Calabra sic: Dies te quinque kalo Iuno Nouella. Septem dies te Kalo Iuno Nouella: hoc. n. modo legendum esse docet Iosephus Scaliger, & addit, non malè etiam pro Iunone, Ianam legi, quo nomine Luna sit appellata à veteribus, item pro vocabulo Nouella, in vetustioribus excusis, quod etiam Turnebus indicat, legi Couella, quod ipse deducit à Couum, quomodo veteres cœlum appellarunt, ita vt sit Iuno, vel Iana Couella: Iuno, vel Iana cœlestis. Sed hæc ἐν παρέργῳ. Venio ad nonas, quas quidem sic dictas putant, quasi nouæ obseruationis initium, quod in eas occurreret principium Lunæ, vel quòd ab eo die semper ad Idus nouem dies putarentur. His diebus populus ex agris in Vrbem conueniebat in arce, ibique Rex sacrorum prædicebat primas (vel priuas, vti Iosepho Scaligero placet: id est, singulas) ferias menstruas, qua de re paulò ante diximus. Porrò quidam menses habebant quatuor Nonas, quidam sex, inde vsque à Romulo primo Rege. Is enim cum ita mẽses distribuisset, vt alij essent dierum triginta vnius, alij vndetriginta, tum vt ex die Nonarum; Idus nono die essent, & inter Idus ac sequentes Kalendas sedecim dies intercederent, in mensibus illis, qui triginta vnum dies habebant inter Kalendas & Nonas interiecit duos illos, quibus mensis augebatur, deinde fiebat vt alius mensis quatuor, alius sex Nonas haberet, quod etiam Cæsar, cum annum aliter ordinaret, obseruauit, ne stata sacra, quæ à priscis instituta fuerant, transferrentur. Restant idus, quæ in quouis mense sunt octo: dictæ Idus, vocabulo Thusco, apud quos idem dies Itis vocabatur, quod significat Iouis fiduciam, Cùm. n. Iupiter sit auctor lucis, vnde etiam Lucetius & Diespiter dicitur: huius autem diei lux non cum Solis occasu finiatur, sed splendorem diei & noctis continuet, Luna illustrante, quod semper in plenilunio: id est, medio mense fieri soleat, ideò iure Iouis fiduciam vocari eum putant. Alij volunt Idus dictas, quasi vidus, à videndo, vel τὸ ἰδεῖν, id est, videre, quòd eo die plenam speciem Luna demonstret. Alij ab oue iduli, quæ Idibus omnibus immolatur. Alij putant Hetruscam vocem esse, apud quos iduare erat diuidere: ideóque hunc diem idus dictam, quòd mensem diuidat, quia plerumque in medium mensem incidunt. Ab Idib. dies reliqui omnes referuntur ad Kalendas sequentis mensis: Dies postridie Calendarum, Nonarum & Iduum atros vel infaustos religiosos, hoc est, tristi omine infames, impeditósque esse, in quibus & res diuinas facere, & rem quampiam nouam exordiri non liceat, iam anteà monuimus. Sed tempus est, vt iam ordine de singulis mensibus, & diebus in iis festis agamus.

---

ad Cap. IV.

Paralipomena.

Quam multiplex anni nomen, annus Platonis, Eudoxi, Metonis, Nouus Iulianus, Hippocratis.

Qvam varia & multiplex in numerandis suis annis vetustas fuerit, enarrare hic longum foret. consulantur D. Augustin. libro 12. de Ciuit. dei cap. 10. & libro 15. eiusdem operis cap. 14. C. Plin. libro 7. capit. 48. A. Gell. lib. 3. Noct. Atticar. cap. quadragesimo octauo, Xeno in libello de Æquiuocis, si modo eius ille excellentissimus vir auctor fuit, quod

non puto. Censorin. eleganti de Die Natali opusculo ca. 15. Ludouic. Cario. Emendation. li. 2 ca. 1. & alij Critici, sed copiosissimè Cornelius Vitellius cap. 18 Philipp. Beroald. Annotat. cap. 47. Florid. Sabin. subseciuor. lib. 2. ca. 2 Ian. Parrhas. Epist. 63 Pet. Nannius Miscellaneor. li. 5 ca 7 Carol Sigon. lib. 2 Emendat. c. 16. Seruius Honoratus ad illud lib. 1. Æneid.

Triginta magis voluendis mensibus orbes.

Et primi mortalium Ægyptij ante vsum literarum inuentum draconem ore caudam retinentem, ad motus reciprocos astrorum, & vicissitudines exprimendas pro anno effinxerunt. Isidor Hispalens lib. 5. Etymolog. cap 36, & alij Idem Seruius ad illud lib. 5 Æneid.

—aditis cum lubricus anguis ab imis.

Annum autem Ioui, menses Iunoni consecrabant Plutarch problemat. Rom c. 77. constatque initio vnius tantum mensis spatium annum habuisse, quem quia ad Lunæ cursum metiebantur, *lunarem* appellabant. Ioan. Iouian. Pontan. lib. 1. Vraniæ. de Luna.

—orbibus orbes
Mutat agens circum, & paruum conuertitur annum.

Alij bimestris spatio annum terminabant, inter quos & Ægyptij. Idem Pontanus eodem loco.

Ægypti primum veteres fecere bimestrem.

Idem illi Ægyptij interdum in tres menses, aliquando in quatuor annum suum secabãt. Plutarch. in Numa. Cares & Arcananes sex mensium spatio annum claudebant. Censorin. lib. de die Natali c. 19. vt & Hebræi ad lunæ motum annum sex mensium efficere, Suid in voce ἐνιαυτός, annus. Atq; hi quidem pro summo Deo Lunam venerabantur, ideò ad eiusdem cursum annos suos circumscribebant; aliis aliter visum, qui cælestium siderum ducem Solem agnouerunt, eiúsque metientes cursus, annos suos ad motum illius conformabant. Seru. ad illud libro 3. Æneid.

Interea magnum sol circumuertitur annum.

Annum hunc constat Persarum, Græcorum, & Latinorum fuisse, licèt aliqua differentia, vt quidam pauciores in eo menses, alij plures constituerent, nam & decem & duodecim fuisse in eo menses vulgatissimum est, adde & tredecim, ante Romam conditam, hoc est trecentos septuaginta dies, C. Iul Solin Polyhist. cap. 3. Oritur hinc crebra celebriorum scriptorum authoritas, qui pro scientia rerum cælestium varia, qua pollebant, ita quoque varium solis, siderúmque aliorum cursum obseruantes, annos diuersis durationibus circumscribebant, sub que indito nomine à se appellitabant. Quarre & *annus Hippocratis* legitur in libro de septimestri partu, quem dierum trecentorum & sexaginta fuisse probat Marsilius Cagnatus lib. 4. Obseruation. variar. cap. 14. Sed & *Iulianus annus* à Iulio dictatore, cuius studio & cura impensiùs fasti correcti, vt suo loco dicetur, & ex Censorino obseruat Fr. Modius Epist. 14. Interim corrigendus Papinius lib. 1. Achilleid.

—& expleto teneri iam fine pudoris
Virginitas matura thoris, animique tumentes,

Censeo rescribendum.

Virginitas matura thoris, annique tumentes,

Allusum est enim ad illud P. Virgilij libro 7. Æneid.

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Claudian. lib. 1. de Raptu.

Iam matura viro plenis adoleuerit annis
Virginitas.

Et lib. 1. de laudib. Stilichon.

Nubilis interea maturæ virginis ætas.

Est & *annus Metonicus*, ab authore nomen sortitus, nam Meto astronomus celebratissimæ famæ, Ælian. var. hist. li. 3. ca. 12 Plutarch. in Nicia, & in Alcibiade, Diodor. Sicul. lib. 12. Biblithec. complectebantur autem nouemdecim annos vertentes, Suidas in voce ἐνιαυτὸς Μέτωνος, annus Metonis Marcellin. Comes lib. 16. *spatium anni vertentis, id est peritè mundani motus, & sideratos definiunt veteres, inter quos Menon & Euclæmon & Hipparchus, & Archimedes excellunt, cum sol perenni rerum sublimium lege polo percusso signifero quem Græcus sermo Zodiacum appellat, trecentis sexaginta quinque diebus & noctibus ad eundem reuerit cardinem,* corrigendum necessariò est. *inter quos Meton & Eudæmon & Hipparchus, & Archimedes excellunt.* cuius restitutionis auctor est eruditissimus Petrus Pithæus lib. 2. subseciuor. cap. 13. ex M. Victruuio Pollione lib. 9. Architectonic. cap. 7 *quorum inuenta secuti siderum & occasus & ortus, tempestatúmque significatus Eudoxus, Eudæmon, Callistus, Meto.* Ioann. Tzetzes etiam eius meminit, vt & Theon Sophista, & Nicetas cognominatus Choniates in Imperio Alexij Ducæ Marzuffi, in annalibus. Et M. Tullius epist. ad Atticum, prouerbialiter, *annum Metonis* vsurpat pro longissimo temporis tractu. vt & D. Ausonius ad Theonem epist. 9.

Quis fuit ille dies, non annus longior illo est
Attica quem docti collegit cura Metonis,
Desertus, vacuis solisque exercitor aris.

Antea

Anteà corruptiſſimè legebatur, in omnibus pene codicibus impreſſis, ante Eliam Vinetum.

Quis fuit ille dies? non annus longior illo eſt,
Atticáque indoctè collegit cura Medonis,
Deſertus, vacuis.

Lego etiam & Eudoxi annum, ſcribente Strabone Amaſeno lib. 4. Geogr. Cæſar de faſtis à ſe corigendis apud M. Lucanum libro 10.

Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.

Continebat autem iſte, ex noſtris, ſeu ſolaribus annis, octo. Seruius Maurus ad illud lib. 5 Æneid.

Iamque dies, ni fallor, adeſt.

Denique Platonicus nominatus eſt quidam annus, ab authore Platone Philoſopho, qui efficiebatur, omnibus ſideribus in ſuum orbem recurrentibus, ita vt poſt omnium omnina ſtellarum conuerſionem factam, ad eundem, vnde regreſſæ fuerant, locum redeant illæ, hoc eſt poſt ſpatium duodecim millium ex noſtris, annorum, adiectis quingentis quinquaginta quatuor, vel, vt aliis nonnullis viſum eſt, poſt quindecim annorum noſtrorum millia, vel denique, vt quibuſdam placuit, exactis è noſtris triginta ſex millibus annis. M. Tull. in Hortenſio. Feſt. Pomp. lib. 11. in *Magnum annum*, Poëtæ paſſim. Sil. Italic. lib. 13 Punicor.

Hac animæ cælum repetunt, ac mille per æſtis,
Oblitæ Ditem, redeunt in corpora luſtris.

Claudian. de Raptu lib. 1.

——certiſque ambagibus æui
Rurſus corporeos animæ mittuntur in artus.

Et lib. 2. in Ruffinum, ad finem.

Quos vbi per varios annos, per mille figuras
Egit lethæo purgatos flumine, tandem
Rurſus ad humanæ reuocat primordia formæ.

Hæ quidem nobiliores annorum ſunt denominationes. At Romani *annum nouum* vocabant. A. Gell. lib. 18. ca. 1 in limine *æſtate anni noui*. L. Seneca Apocolocynthoſi, ſeu Satyra Claudiana in principio, *initio anni noui*. ſunt qui exiſtiment annum primum alicuius noui Imperatoris ſic dici, quod placuit Adriano Turnebo lib. 23. Aduerſarior. ca 8 alij malunt annum eſſe nouum principium magiſtratus initi, ſiue primum diem. Qu. Symmach. lib. 1. epiſt. 22. *abunde gaudeo cum te conſulem nouus annus expectat*. Aurel. Caſſiodor. lib. 2. epiſt. 1. *fælix à conſule ſumat annum auſpicium* l. 1. Cod. Theod. *ne publ. lætis*. hoc eſt, quod dicitur annum nouum à conſule aperiri. Sidon. Apollinar. lib. 18. epiſt. 6. *conſul Aſterius anni ſui fores votiuum aperuerat*. Et Carm. 2. in principio.

Et effulgens trabealis mole metalli,
Annum pande nouum, conſul vtuut.

Stat. lib. 4. ſil. 5.

Inſignemque aperis Germanicus annum.

Claudian. Paneg. de 3. Hon. conſul.

Tertia Romulei ſumant exordia faſces,
Terque tuas ducat bellatrix pompa curules,
Feſtior annus eat.

Et de Hon. conſul.

Auſpiciis iterum ſeſe regalibus annus
Induit, & nota fruitur iactantior aula.

Et lib. 2. de Laud. Stilich. vbi ſic Roma de Stilichone conſule deſignato.

Quanto me dignius incitat ardor,
Vt præſens fruar, aſcendentémque tribunal
Proſequar, atque anni pandentem clauſtra ſalutem.

Nihilominus aliis nuda placet interpretatio, vt annus nouus ſit veris initium. D. Auſon. in præfat. Conſulat.

Iane veni nouus anne veni.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 1.

Et quodcumque mihi pomum nouus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deos.

P. Ouid. lib. 1. Faſtor.

Dic age frigoribus quare nouus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?

De die, nocte, variiſque earum partibus, ac differentiis ſeu in vrbe, ſiue in caſtris, item deinde de horis, & horologiorum vſu, infra dicendi dabitur locus. Interea apponam & Calendarij alterius deſcriptionem, longè iſtâ luculentiorem.

CALENDARIVM.

MARTIVS, MAIVS, IVLIVS, OCTOBER,
Nonas 7 idus 15. dies habent. Ceteri 5. & 13. Cedren compendi. hiſtoriar. pag. 139 in quo præter ortum & occaſum ſignorum cæleſtium, quæ in ſex lib. Faſtorum notantur: iudi it m & templorum dedicationes Romanorum & Græcorum per ſeriem integri anni habentur.

IANVARIVS.

A 1 Cal. Ian. Iani & Iunonis, Iouis & Æſculap. in inſ. Tiberina Ouid. Gamelia Iunoni hoc menſe celebrantur, vnde & menſi nomen.
b 2 4 Dies ater.
c 3 3 Cancer occidit. Tertia menſis, Mineruę ſacra cuiuſque Pauſ.
d 4 Prid. Non. Votum pro ſalute principis Caius.
e 5 Nonis Tacitus.
f 6 8 Lyra oritur tempeſtatem ſignificat.

g 7 7 Isidis ἀφίξις, id est, accessus Plut. Octauus cuiusque mensis dies Neptuno sacer est apud Atheniens. Plu.
A 8 6 Sacrificium Iani. Vetus Cal.
b 9 5 Agonalia Ouid. Delphinus oritur.
c 10 4 Media hyems
d 11 3 Carmentalia. Iuturnæ ædes dicata in campo Martio.
e 12 Pr. Id. Compitalia. Gell. & Macro.
f 13 Idus Ioui. Octauius Augustus dictus, & prouinciæ in formam reductæ, Ouid. & tibicines habitu muliebri vrbem lustrabant. Plut.
g 14 19 Cal.
A 15 18 Carmentalia relata, & Porrimæ Postuertæ.
b 16 17 Concordiæ templum à Camillo ex
c 17 16 voto positum. Sol. in Aquario.
d 18 15
e 19 14
f 20 13
g 21 12
A 22 11
b 23 10 Lyra occidit.
c 24 9 Leonis, qui est in pectore clara stella
d 25 8 occidit Sementinæ feriæ, Ouid. Varr.
e 26 7 Fest. Macrob. non statæ quidem, sed
f 27 6 indictæ Castori & Polluci tem. ad Iu-
g 28 5 turnæ stagnum dedicatum.
A 29 4 Equitia in campo Mart. Vet. Cal. Paci.
b 30 3
c Prid. Cal. Sacr. Deis penat. Vet. Cal. qui patrii & Vrbani dicuntur.

FEBRVARIVS.

d 1 Cal. Feb. Sospitæ templi dic. Lucaria. ab Asyl. luco. Ouid. Fest. Item Ioui acr. de bidente Dianæ sacra fiebant, à ceruis Elaphobolia nuncupata.
Lyra & Medius Leo occidunt, Delphinus
e 2 4 occidit.
f 3 3
g 4 Prid. No.
A 5 Nonis. Aug. dictus Pater patriæ. Ouid.
b 6 8 Aquarius oritur, Zephyr. flare incipit.
c 7 7
d 8 6
e 9 5 Veris initium.
f 10 4
g 11 3. Arctophylax oritur.
A 12 Prid. Id.
b 13 Idus, Fauni festum & Iouis. Fabiorum cædes. Coruus, Crater, & Anguis.
c 14 16 C. M. oriuntur.
Lupercalia Plut. Ouid. Varr.
d 15 15 Sol in Piscibus. Venti per sex dies ve-
e 16 14 hementius flant.
f 17 13
g 18 12 Quirinaliorum stultorum feriæ. Festus. Ouid. Varr. Et Fornacalium indictio deæ Fornacali quæ & Fornax dicta fuit à quo indicta. Plin. Ouid. & Diis Manib. sacra feralia Deæ Mutæ.
A 19 11 Charistia. Val. Max. Ouid. id est, sacra
b 20 10 cognatorum V. Kal.
c 21 9 Terminalia. Ouidius, Bedas vero. VIII.
d 22 8 Cal. & regis fugium. v. Cal. Mart. cui
e 23 7 conuenit locus bissexti.
f 24 6 Regis fugium. Ouid. Quidam VI. Cal.
g 25 5 Hirundinum aduentus.
A 26 4
b 27 3 Equiria in campo Mart. Varr. Fest. &
c 28 Prid. C. Ouid. Tarquinij superati. Plutarch.

MARTIVS.

d 1 K. Mart. Matronarum dies festus Porph.
e 2 6 Satu. Ouid. Matronalia. Iunonis Lucinę. Martis Ancyliorum festum, nec nubere bonum quousque condantur. Porph. aliam causam adfert. Munychia sacra Deæ Munychiæ, id est, Dianæ.
f 3 5 Alter è piscibus occidit.
g 4 4
A 5 3 Arctophylax occidit. Vindemiator oritur.
b 6 Prid. Non. Aug. pont. max. facto. Vest.
c 7 Non. Ouid. Pegasus oritur. Veiouis templum ad duos lucos Asyli. Ouid.
d 8 8 Corona oritur.
e 9 7
f 10 6
g 11 5
A 12 4
b 13 3 Equiria altera apud Tyberim, vel si
c 14 Prid. Id. aquis increuerit in Cœlio monte. Ouid. Fest.
d 15 Idus. Annę Perennę Patricidium, id est, cædes. C. Cæs. Plin. & Suet.
e 16 17 Cal. A. Scorpius medius occidit. Lysander Athenis potitus. Plut.
f 17 16 Liberalia, Varro. quo die virilem togam pueri ingenui sumebant. Ouid. Agonia Varro.
Milnus oritur.
g 18 15 Sol in Ariete.
A 19 14 Quinquatria. Mineruę natalis, & Mineruæ magistris soluebatur.
b 20 13 Quinquatria.
c 21 12 Quinque Primus dies seculi, quidam VIII. Bedas.
d 22 11 Quinquatr.
e 23 10 Quinquatr. Tibulustrium sacrorum tubæ

f 24 9 tubæ lustratur: Varro.
g 25 8 Æquinoctium vernum: Hilar. Matris.
A 26 7 Deum festa: Lamprid. Macrob.
b 26 6 Matris Deûm: Ammia. Marc. Herodot.
c 28 5 Megalesia: Varro.
d 29 4
e 30 3 Iani, Concordiæ, Salutis, Pacis.
f 31 2 Prid. Lunæ, id est, Dianæ in Auentino. Ouid.

APRILIS.

g 1 C. April. Scorpius occidit: Veneris sacrum cum floribus & Myrto. Plut. Ouid. item Fortunæ virili: Targelia sacra Apollini & Dianę: Mensis hic Græcis auspicatissimus.
A 2 4 Pleiades occidunt.
b 3 3
c 4 Pr. No.
d 5 Nonæ, Megalesia matri Deûm: K.V. Ouid.
e 6 8 Fortunæ publicæ primig. in colle Quir. Ouid. Var. Dianæ natiuit.
f 7 7 Apollinis dies natalis, quæ dies quoque Socrat. & Platon. sunt Laert.
g 8 6 Ludi ob victoriam Cæs. Libra occidit: dies pluuius.
Orion occidit.
A 9 5 Cereal. Ludi Circe instaurationis dies
b 10 4 Circensibus additus: Macrob.
c 11 3
d 12 Prid. Id. Magna mater Romam adducta. T. Liui. xxx.
e 13 Idus: Iouis victori & libertati: Ouid.
f 14 18 C M.
g 15 17 Fordicidia vel fordicalia, de forda boue: Varr. Ouid.
A 16 16 Aug. Imp. salutatus: Hyades occidunt
b 17 15
c 18 14 Equiria in circo max. & vulpium combustio: Ouid.
d 19 13 Sol in Tauro.
e 20 12 Palilia: Romæ natalis: Varro. Ouid. Fest. Pintar. alij. Falluntur multi: Agonia.
f 21 11 altera, Ouid. quæ & agonalia dicuntur.
g 22 10 Vinalia priora Ioui & Veneri: Ouid. Plut. Var.. Plin. Fest.
A 23 9 Ilij destructio.
b 24 8
c 25 7 Medium Veris: Aries occidit. tẽpe. fig.
d 26 Canis oritur. Robigalia. Plin. Fest. Ouid. Varro, alij.
e 27 5 Latinę ferię in sacro monte: Titus Liu. Apaturia etiam hoc mense agebantur, à Venere dicta, Tribus dieb. celebrabantur:I. [illegible] Simplicius in Physicis: Suidas, alij: Quidam Pyanepsione agi dicunt.
f 28 4 Floralia: Plin. Cal. V. Ouid.
g 29 3
A 30 Pr. Cal. Vestæ Palatinæ: Ouid. hoc mense: vt Plut. in Romulo & Probl. Larentaliæ & distinguit à Laurentalibus, quæ mense Decembri celebrantur.

MAIVS.

b 1 Ca Maij. Capella oritur. Laribus præstit. ara posita. Ouid. & Bonæ Deæ sacr. Macro. Plutar. Varr. Lactan. Ouid. alij. & Florales ludi triduo V. Cal. Vmbraculorum festum, quæ σκίρα dicuntur, Σκιρὰς Pallas.
c 2 6 Argest. flare incipit. Hyad. oriuntur.
d 3 5 Centaurus oritur.
e 4 4
f 5 3 Lyra oritur.
g 6 Prid. Non. Scorpius medius occidit.
A 7 Nonæ.
b 8
c 9 7 Lemuria, quæ noctu agebantur, & triduo.
d 10 6 Ouid. Varr. Porph. malum nubere, & Luminaria.
e 11 5 Lemuria. Vet. Cal. Orion. occidit.
f 12 4 Martis vltoris bis ultorem ait Oui. Alij Post. Lem. vet. Cal.
g 13 3 Pleiades oriuntur Æstatis initium. Lemuria. vet. Kal.
A 14 Pr. Id. Taurus oritur.
b 15 Idus. Argeorum simulachra scirpea de
c 16 17 Põte kal. Iun. in Tyberim deiciebã-
d 17 16 tur: Dion. Euseb. Plut. Ouid. Macrob. alij. Et mercatorum dies festus. Fest. Ouid. Mercurium hoc die natum Martialis ait. Ædes dedi T. L. & Fet. Iou. v. Kal.
f 19 14 Sol in Geminis.
g 20 13
A 21 12 Agonia; seu gonalia Ian. Ouid. Varr. Vetous. v. Kal. alij superioribus diebus Canis oritur.
b 22 11 Vulcani ferię v Kal. Vulcanalis flamẽ
c 23 10 rẽ. di. Maiæ faciebat Mar. alij Tubilustrium Var. Oui. alij x. Kal. v. kal. Ouid. alij xiii.
d 24 9 Regis fugium alterum. vet. kal. Ouid, alij aliter.
e 25 8 Templum Fortunæ datum. Vet. kal. Ouid. Aquila oritur.
f 26 7 Arctophylax occidit.
g 27 6 Hyades oriuntur.
A 28 5
b 29 4
c 30 3
d 31 Pr. Cal.

IVNIVS.

e 1.Kal.Iun.Iunonis Monetæ ædis dedicatio Macrob. Bed Carnæ deę in Cælio monte. Marti sacra extra portam Capenam Tempestati delubrum. Ouid. Fabariæ Kal Marc. Aquila oritur. Hecatumbæ hoc mense plures, vnde & illi nomen. Anni initium apud Athenien. vel quod sol Hecatombęus diceretur.
g 3 3.
A 4 Prid. Non. Bellonæ sacr. Hercu. ædes in Circ.
b 5 Nonæ. templum fidei spondoris Iouis. Dion. alij Sacrum Fidio Semipatri. Vet. Kalend. Ouid.
c 6 8 Vestæ templum.
d 7 7 Piscatorij ludi in campo. Mart. Ouid. Fest. Mentis templum dic. Ouid. Vet. Kal Arctoph x occ
e 8 6 Testæ vet. Kal. Ouid. asini coronantur.
f 9 5 Ara Iouis pistoris.
g 10 4 Delphin vesperi oritur. Matralia.
A 11 3 Fortis Fort. Concordiæ ædes. Matris Matutæ. V. Kal Ouid.
b 12 Prid Id.
c 13 Idus. Iouis inuicti Minusculæ quinqua.
d 1 8 Kal. Iutria Mineru. Var. Fest. Censorin.
e 15 17 Stercus ex æde Vest. defertur. Varro. Ouid. Hyades oriuntur.
f 16 16 Zephyrus flat. Orion oritur.
g 17 15 Delphinus totus apparet. Æqui & Volsci à Posthumio fugati.
A 18 14
b 19 13 Sol in Cancro. Mineruæ in Auentino. Vetus Kal.
c 20 12 Ophiuchus oritur. Summani sacru.
d 21 11 ad Circum max. Vet. Kal. Ouid.
e 22 10
f 23 9 Flaminius victus à Pœnis Ouid.
g 24 8 Fortis fortunæ. Vet. Kal. Ouid. Var. Naues coroneas per Tyberim conuiuia ducebant.
A 25 7.
b 26 6 Orionis zona oritur. Solstitium.
c 27 5 Iouis Statoris & Laris. Ouid.
d 28 4 Quirini templum in coll. Quir. Ouid.
e 29 3 Vet Kal. III Kal.
f 30. Pr Col Herculis & Musarum. Ouid. Populi fugia in Iunio dies. Varro.

IVLIVS.

g 1 Kal. Iul. Hoc die apud Rom. fiebant migrationes ex ædibus in alienas ædes, id quod ex Cicer. Suetonio, & Martiale colligunt doct.
A 2 6
b 3 5
c 4 4
d 5 3
e 6 Pr. No. Capitol. incensum tempore Syllæ.
f 7 Nonæ. Romulus non apparuit. Lamp. in Commodo, Plutarch. Caprotina. Iuno Caprotina Ancillarum festum. Macrob. Plut. Ouid. Varro.
g 8 8
A 9 7
b 10 6
c 11 7 Cudi Apollinares. Tit. Liu. V. k. Varr. Liuius alio loco tertio Non. ait.
d 11 4 Iul Cæs. natalis vnde mensis. M. Ant. consule legem ferente Macrobius Fortunæ Pr. Id. mulier. dedic. Dion. Liu.
e 13 3
f 14 4
g 15 Idus. Castoris & Poll. Equites Rom. ab æde Honoris in equis in Capit. Plin. Vet. Kal. Dion.
A 16 17. K A.
b 17 16
a 18 15 Alliensis dies atra. Sees. Plin. Tacit.
d 19 14 XVII. kal. Plut. XVI. in Camillo.
e 20 13
f 21 12 Mundi natalis Solinus ex Ægyptiorum sacerd. sententia.
g 22 11
A 23 10
b 24 9
c 25 8 Hoc mense Rutilæ canes caniculæ sacrificabantur. Viuę Festum.
d 26 7
e 27 6
f 28 5 Neptunalia etiam hoc mense. Vet. kal. & Varro.
g 29 4.
A 30 3.
b 31 Pr. k.

AVGVSTVS.

c 1 K. Aug. Spei ad forum olitorium. V. Kl. Consecratio templi Martis. Dion. in historia. Boedromia celebritas hoc mense agebatur, vnde & mensis dictus. Apollo etiam Beedromius vocatus. Plut Pauf. Harpocr. alij Xerxes victus. Plut.
d 24 Feriæ quod Cæs. Hisp. citeriorem vicit.
e 3 3 Vet. Kal.
f 4 Pr. No.

g Nonæ, Saluti in colle Quir. V.Kl.& Spei.
A 6 8
b 7 7
c 8 6 Soris indigetis in colle Quir.V.K.
d 9 5
e 10 4 Aræ Opis & Cereris in vico Iugario Vet.K.
f 11 3
g 12 Pr.Id.Herculi magno custodi in Circo Flam.V.K.
A 13 Idus Dianę sacra:Martial. Currebant in
b 14 19 kl. S. nemus Arcinum:Item natalis
c 15 18 Augusti.Porph.Dies festus seruorum
d 16 17 & ancillarum : Plut.& Vertumno in Laureto maiore V.k.
e 17 16 Portunalia ad pontem Æmyl. V. C. & Var Iano ad thea.Marcelli:V k.
f 18 15 Consualia:Plut.in Numa,Vel seque. die.Sabinarum raptus.
g 19 14 Augusti mors Dion.hist.Suet.
A 20 13 Vinalia secunda:Plin.
b 21 12 Vinalia rustica. Varro xiiij.
c 22 11 kal. idem & Vet. kal. Mysteria magna.Plut.& Liber pater ex vrbe in Eleusinem transferebatur.
d 23 10 Vulcanalia in Circo Flam.V.k.
e 24 9
f 25 8 Opiconsiuæ in Capitolio,v.k.Varro.
g 26 7
A 27 6 vulturnalia. Vet. k. Varr.cuius feriæ mense Octob.Vortumnalia.
b 28 5 Harpocratis festum hoc mense fiebat ab Ægyptiis:Plut.
c 29 4 Vulcanalia:Festus.
d 30 3 Mundus Cereris patet.
e 31 Pr. kal.Nat.D.Cæs.Germanici.vete.kalend.

SEPTEMBER.

f 1 kal.Septemb.Vulcani tutela Septemb.v. kalen. Mæmactes Iupiter, & inde mensis. Harpocr.& alij.
g 2 4 Augusti victoria naualis ex M.Ant.& Cleop.
A 3 3 Dion.
b 4 Pr. Non.
c 5 Nonæ.
d 6 8
e 7 7
f 8 6 Hierosolyma à Tito Vesp.capta. Iosephus.
g 9 5
A 10 4
b 11 3
c 12 Pr.Id.
d 13 Idus:Prætor. Max.clauum pangit. Tit. Liu.
e 14 18 kal.Oct.& Capitolij dedi.ab Horatio Plut. T.L.Ioui Vet.ka.
f 15 17. Ludi. V.kal. qui Romani & magni, Asc.Pæd.
g 16 16 Ludi.Vet.kal Parentatio eorum qui contra Persas pugnando occubuerunt. Plut.
A 17 15 Ludi v.kal.
b 18 14. Ludi.V.kal.
c 19 13 Thoth,id est,Mercurio Ægyptij sacrificant.Plut.
d 20 12 Romuli natalis Plut.
e 21 11
f 22 10
g 23 9 Natalis Augusti. Dionys. Histor. Suet.
A 24 8
b 25 7 Veneri.Vet.Kal.
c 26 6
d 27 5
e 28 4
f 29 3
g 30 Prid.kal.Epulum Mineruæ.V.k. Meditrinalia hoc mense celebrabantur,& Metina Dea, quo die primum mustum bibebant.Fest.Varro.

OCTOBER.

A 1 kalend. Oct. Martis tutela Octob. Vet. kalend.
b 2 6 Pyanepsia hoc mense celebrantur.
c 3 5
d 4 4 Mundus Cereris patet.Fest.
e 5 3
f 6 Pr.No.
g 7 Nonæ.
A 8 8 Panopsia Apollini,im.ò Pyanepsia.
b 9 7 Etesione plectitur.
c 10 6 Oscophoria,id est,Ramalia celebra-
d 11 5 bantur.Plut.Suid. Comm. in Nicand.
e 12 4
f 13 3
g 14 Prid.
A 15 Id. Mercatores Mercurio.Virg.natalis.
b 16 17 k.Non.Mart.October equus Marti
c 17 16 immolatur.Fest.Plut.
d 18 15
e 19 14
f 20 13
g 21 12
A 22 21 Chalcea Mineruæ solennitas,vt Pha-
b 23 10 nodemus ait,Vulcani Hyperid. Har-
c 24 6 po.
d 25 8
e 26 7
f 27 6
g 28 5 Mysteria minora hoc mense agebantur.Plut.Galenus.
A 29 4 Sacrum hoc mense Libero fiebat.

b 20 3 V.Cal.Et Vertumni feriæ: Varr.
c 31.Pr.Cal.

NOVEMBER.

d 1 K.Nou. Hoc mense Iouis epulum cele-
e 2 4 brabatur.Ver.Calend.Anthesteria hoc
f 3 3 mense agebantur, quæ & Bacchanalia.
g 4 Theoph.Suid.Pr.N.Harp.
A 5 Nonæ.
b 6 8
c 7 7 Mundum patére Fest.
d 8 6
e 9 5 Limina Baccho:Thucyd.
f 10 4 Maria claudantur. Veg. alij:vsq.in vj
g 11 3 Id.Mart.
A 12 Pr.Id.Choes:Suid.
b 13 Idus:Pithœgia.
c 14 18 Cal.D.Chytr.Alij in Lenæone mense
d 15 17 constituunt: Commentar. in Hesi.
e 16 16 Harp.Ludi plebei per hos dies:Suet.
f 17 15
g 18 14
A 19 13
b 20 12
c 21 11
d 22 10
e 23 9
f 24 8 Bruma,quæ & Brumalia, festum Ro-
g 25 7 manorum constanc in re rust.
A 26 6
b 27 5 Hic mensis fuit in tutela Dianæ: V.
c 28 4 Cal. & inferiæ fiebant Gallis defunctis
d 29 3 & Græcis in foro boario:Plut.
e 30 Pr.Cal.

DECEMBER.

f 1 K.Dec.Fortunæ muliebris festum,quoniã
g 2 4 hoc die bellum sublatum:Postea trans-
A 3 3 latum:Prid.Non.Quinti. Diõ.Halicar.
b 4 in viij. P. No. Posidonia à certamine Pallad.& Neptuni.
c 5 Nonæ:Faunalia:Porphy.
d 6 8
e 7 7
f 8 6
g 9 5
A 10 4
b 11 3 Alcionii dies,
c 12 Pr.Id.
d 13 Idus.
e 14 19 Cal.Ia.Brumalia festum hoc mense
f 15 18 & Ambrosia:Proclus in Hesiod.
g 16 17
A 17 16 Saturnalia incipiunt, & per tres dies
b 18 15 durant, quibus adduntur Sigillaria, quæ septem dies complent.Macrob.
c 19 14 Opalia & Saturnalia : Macrobius, Var.
d 20 13
e 21 12 Angeronalia Angeronæ diæ : Macro. Herculi & Cereri sue mulso:Macrob.
f 22 11 Feriæ laribus dicatæ.Macro.Compitali. Ludi laribus:Plin.
g 23 10 Feriæ Iouis: Larentinalia vel Laurentinalia:Plut.Mar.Ouid.
A 24 9 Iuuenalis dies viii Saturn. additus.
b 25 8 Suet.vnde & Iuuenales ludi.
c 26 7
d 27 6
e 28 5
f 29 4
g 30 3 December:sacer:Macrob.
A 31 Prid.Kalen. Tutela verò Vestæ. V. Kalend.

CAPVT V.

De mense Ianuario, & diebus in eo festis.

Diximvs suprà,Romulum annum suum decem tantùm fecisse mensium, quorum primus fuerit Martius. His verò Numa Pompilius duos alios adiecit, vt duodecim menses essent,Ianuarium scilicet & Februarium. Primum mensem appellauit Ianuarium,à Iano, de quo alibi diximus : quòd sicut Ianus Deus est bifrons, & præterita,& futura videt:ita etiam is mensis respiciat & finem transacti anni,& principium futuri.

Cur ab hoc mense annum inceperint Romani,Plutarchus docet, has causas afferens: vel quòd Numa Pompilius, pacis studiosus, & ciues à re bellica ad agriculturam transferre cupiens,Ianuario principem locum assignauerit , Ianóque magnos honores detulerit, vt qui ciuilis vitæ,& terræ colendæ,quam belli fuisset studiosior,cùm Romulus homo bellicosus,& Martis filius Martium cæteris præposuisset:vel quòd Numa ad naturæ potiùs ordinem respiciens,cum post brumam Sol progrediendi finé facto,conuertatur,& ad nos cursum reflectat, ac quasi de nouo cursum suum incipiat , optimum indicauerit , idem anni,quod Solis , esse principium:cui sententiæ etiam Ouidius accedit,ita canens.

Bruma

Bruma nouis prima est, veterisque nouissima Solis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Portò hic mensis in Iunonis tutela erat, quòd cùm ex aliis, tum ex Calendario veteri rustico manifestum est: atque ex constitutione Numæ Pompilij xxix. dies habuit, ex ordinatione autem C. Iulij Cæsaris xxxi. Videamus igitur, qui dies in eo fuerint festi, idque præeunte nobis Kalendario Romano, & Ouidio in Fastis.

DE MENSIS IANVARII DIEBVS Festis sic habet Kalendarium.

A. k. IAN. F.
Id est, Kalendæ Ianuárij Fastus, Priores literæ. A, B, C, D, E, F, G, H, quarum serie totum contexitur Kalendarium, dies nundinarum demonstrant.
Kalendæ omnes in Iunonis tutela erant, teste Ouidio in 1. Fastorum.

Vendicas Ausonias Iunonis cura Kalendas &c.

Ianuarij autem Kalendæ præter cæteras maximè celebres erant, propter anni initium.

Primùm his Kalendis omne genus operis in sua quisque arte inchoabant, instaurabántque, vt scilicet, cùm omnia principiis inesse soleant, si prima anni die industrij, & solertes essent, de totius anni diligentia augurarentur. Ita Ouidius.

Posteà mirabar cur non sine litibus esset
Prima dies? causam percipe, Ianus ait.
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quàm solitum testificatur opus.

Hoc eodem die, qui designati Consules erant, Consulatum inibant, & comitati frequenti populo ascendebant in Capitolium, & Ioui Optimo Maximo iniuges iuuencos mactabant, multáque odorem facientia in templis, & pro foribus templi cremabantur. Quod obseruatum fuit ab anno vrbis Iↄci. quo Q. Fuluius nobilior, & T. Annius Lucus Consules fuerunt. A b eo enim anno regulariter hic dies solennis Consulatu ineundo fuit. Testatur id præter veterum historicorum innumeros locos, Ouid. his versibus.

Cernis odoratis vt luceat ignibus æther,
Et sonet accensis spica Cilissa focis.
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde iubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.
Iámque noui præeunt fasces, noua purpura fulget,
Et noua conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba phalisca suis.

Kalendis Ianuarij amici lætis precationibus faustum sibi inuicem ominabantur teste, præter Plinium & alios, Ouidio:

At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis,
Et damus alternis; accipimusque preces.

Item munera sibi inuicem mittebant boni ominis causa, videlicet caricas, cariotides, & mella, vt dulces dies anni à dulcibus rebus auspicarentur: & stipem, id est, nummum signatum: quæ omnia simul strenas appellarunt: cuius rei origo ad ipsum T. Tatium regem à Symmacho refertur, quod is verbenas è luco Streniæ Deæ acceperit, significans strenuis viris istas deberi. Strenam, inquit Festus, vocamus, quæ datur die religioso, ominis boni gratia, à numero, quo significatur alterum, tertiúmque venturum similis commodi, veluti trenam, præposita S, litera, vt in loco, & lite solebant antiqui. Constituta autem per Cn. Octauium Augustum Monarchia, hic mos inoleuit, vt equites ac reliquus populus ipsis etiam Imperatoribus strenam Kalendis Ianuarij conferrent: qua de re sæpe loquitur Suetonius.

Hoc item die erat festum Iani, cui sacra fiebant in libo, quod ab eo Ianual antiqui dicebant, auctor Festus. Item ex mola, quæ farina horna & sale miscebatur: quin etiam thure & mero. Ouidius:

Iane tibi primum thura, merumque fero.

Y

Erat etiam festum dedicationis templorum Æsculapij & Iouis in insula Tyberina, quod Ouidius ex ipsis Fastis se didicisse scribit his verbis:

Quid tamen ex ipsis licuit mihi discere Fastis,
Sacrauêre Patres hæc duo templa die:
Accepit Phœbo,nymphâque Coronide natum,
Insulæ dimidua quam premit amnis aqua.
Iuppiter in parte est,cepit locus vnus vtrumque,
Iunctaque sunt magno templa nepotis auo.

Plurimùm autem celebritatis Kalendis Ianuarijs festo duorum templorum dedicatione accessit. Cùm Seruius auctor sit,nihil apud Romanos tam solemne fuisse,quàm diem consecrationis,siue dedicationis. Cæterùm Æsculapio de capra res diuina imprimis fiebat: quoniam capra nunquam sine febre esse dicitur, sed & gallus: quidam etiam gallinas scribunt ei oblatas fuisse,& has quidam rostro nigro, nigrisque pedibus,& digitis imparibus. Si enim luteo essent rostro,vel pedibus, impuræ dicebantur ab Aruspicibus. De Iouis sacris dicemus postea.

Sequitur in Kalendario.

B.F.

Secundus Ianuarij dies,qui quartus Nonarum vel postridie Kalendas, Latinè dicitur, Fastus erat. Idem etiam erat alter,vt paulò ante docuimus.

C.C.

Tertius Ianuarij dies,Latine tertius Nonarum,& erat Comitialis.

D.C.

Quartus Ianuarij dies,pridie Nonis. Hic etiam Comitialis erat.

E.NON.F.

Quintus Ianuarij dies,Nonæ Ianuarij erant dies Fastus. De Nonis diximus antè. Hæ in nullius Dei tutela erant. Ouidius: *Nonarum tutela Deo caret.*

F.F.

Sextus,postridie Nonas Ianuarij,vel octauus Iduum,& erat Festus,item ater.

G.C.

Septimus dies,Latinè septimus Iduum,Comitialis.

H.C.

Octauus,sextus Iduum,Comitialis.

A.AGON.

Nonus dies Latinè dicitur quintus Iduum. Hoc die celebrabantur AGONIA,siue AGONALIA,de quibus Varro libro 5. de lingua Latina: Dies Agonales,per quos Rex in regia arietem immolat,dicti ab agone,eò quòd interrogatur à principe ciuitatis,& princeps gregis immolatur: Festus, Agonium dies appellabatur,quo Rex hostiam immolabat. Hostiam enim antiqui agonia vocabant. Agonium etiam putabant Deum diei præsidentem rebus agendis,cuius festa Agonalia dicebantur: Siue,quia agones dicebant montes: Agona sacrificia,quæ fiebant in monte. Hinc Romæ mons Quirinalis Agonus,& Collina porta Agonensis. Ouidius lib. 1. Fastorum quinque rationes huius vocabuli affert, quarum prima cùm Varronis sententia conuenit,videlicet dicta Agonalia, quod minister sacrorum, siue victimarius cultrum manu tenens,atque hostiam feriturus rogare soleret,agóne,id est,ferióne: nec nisi iussus hostiam percuteret: quem morem etiam Seneca lib. 3. Partitionum explicat. Altera est,quòd Agonalia nomen habeant ab agendo,quòd pecudes non sponte ad sacrificium veniant,sed agantur,vnde etiam hostia,agonia dicatur. Tertia,quòd ab agnis,quasi Agnalia,nomen habeant: quamuis Rex sacrorum arietem immolaret. Quarta,quòd sic appellentur,à metu hostiarum,quæ viso cultro,quo erant feriendæ in aqua,siue in mola,vbi tingebantur,trepidabant: nam ἀγὼν trepidationem significat. Vltima quòd Agonalia nomen habeant à ludis Græcorum, qui Agones dicebantur,cui sententiæ ipse accedit. Versus Ouidij sunt.

Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis,
Ianus Agonali luce piandus erit.
1. *Ratio.* *Nominis esse potest,succinctus causa minister,*
Hostia cælitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper agatne rogas,nec nisi iussus agit.
2. *Pars quia non veniant pecudes,sed agantur ab actu,*
Nomen Agonalem credit habere diem:
3. *Pars putat hoc festum priscis Agonalia dictum,*

Vna-

Vna nisi ut proprio littera dempta loco.

4 *Aut quia praeuisos in aqua timet hostia cultros,*
A pecoris lux est ipsa notata metu.

5. *Fas etiam fieri solitis aetate priorum.*
Nomina de ludis Graeca tulisse diem.
Et prius antiquus dicebat Agonia sermo,
Vtráque iudicio est ultima causa meo:

Agonalibus autem Rex sacrorum arietem immolat, Ouidio teste.

Vtque ea nunc certa est, ita rex placare sacrorum
Numina lanigerae coniuge debet ouis.

B.En.

Decimus Ianuarij dies, quartus Iduum, Endotercisus, siue Intercisus erat: de quo nomine supra diximus.

C.Car.NP.

Vndecimo die: tertio Iduum, Carmentalia celebrantur. Et hic dies erat nefastus, primò, quod quomodo intelligendum, paulo antè docuimus.

Carmentalia, inquit Varro, nominantur, quòd sacratum, & feriae Carmentis. Ouidius hoc die ferias esse Carmentae multis versibus docet, quem vide. Fuit autem Carmenta Euandri mater mulier vatidica, quae post obitum in diuarum numerum relata est, conditáque ei ara sub Capitolio ad portam Carmentalem, de qua libro secundo diximus. Ad hanc igitur aram sacra ei hoc die facta sunt. Ouidius,

Proxima prospicit & Tithono aurora relicto,
Arcadiae sacrum Pontificale Deae.
At vates felix ut Diis gratissima vixit:
Possidet hunc Iani sic Dea mense diem.

Eodem etiam die aedes Iuturnae dicata est in campo Martio, de qua nos suprà. Ouidius:

Te quoque lux eadem Turni soror aede recepit,
Hic ubi virgineae campus obitur aqua.

D.C.

Duodecimus dies Ianuarij, pridie Idus, Comitiales.

E.Eid.NP.

Decimus tertius Eidus, nefastus primò. Idus omnes Ioui sacrae erant, ideóque ouis mactabatur, quae ad hoc dicebatur Idulis. Ouidius:

Idibus alba Ioui, grandior agna cadit.

Festus: Idulis ouis dicebatur, quae omnibus Idibus Ioui mactabatur. Macrob. etiam libro primo Saturnaliorum, cap. 15. Sunt qui existiment, Idus ab oue Iduli dictas, quam hoc nomine vocant Thusci: & omnibus Idibus ouis immolatur à Flamine. Idibus autem Ianuarij veruecem Ioui mactatum & immolatum esse Ouid. tradit, inquiens:

Idibus in magni castus Iouis aede Sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ouis.

Hoc eodem die Octauius Imperator Augustus dictus, & Prouinciae in formam redactae. Ouidius. Plutarchus auctor est, hoc die tibicines habitu muliebri vrbem lustrasse, quod alij ad Idus Iunij referunt, vbi & nos de eo ritu dicemus.

F.En.

Decimus quartus dies, qui est XIX. Kalendarum Februarij. Endotercisus in Kalendario datur, quòd sit ex Senatusconsulto vitiosus.

G.Car.

Decimus quintus, qui dicitur XIIX. Kalend. Februarij.

CARMENTALIA.

Carmentalia hoc die referebantur, vel iterabantur, de quibus non omnes idem sentiũt. Alij enim à Carmenta, quemadmodũ priora illa, alij à duabus Carmentis, Porrima scilicet & Postuerta, haec Carmentalia dicta esse autumant. Qua causa hae feriae institutae, & à matribus familias obseruatae sint, Plutarchus docet in Quaestionibus Romanis, quaestione 56. Memoria, inquit, proditum, matres, cum vsu vehiculorum, quibus iumenta trahendis iungerẽtur, Senatus ipsis interdixisset, inter se conspirasse, neque vterum gerere se, neque parere velle, ac viros hac ratione vlcisci, idque fecerunt, donec mutata sententia, vsus vehiculorum concessus fuit. Exinde cùm parerent, foecundae, & liberorum copia clarae, templum Carmentae posuerunt, eiq;

sacra fecerunt. Eadem etiam Ouid. habet, & addit piaculum fuisse Scortea, hoc est, sua morte perempta in his sacris attulisse. Versus sunt hi.

Respiciet Titan actas vbi tertius Idus,
Fient Parrhasiæ sacra relata Deæ.
Nam priùs Ausonias matres carpenta vehebant,
Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor.
Mox honor eripitur, matronaque destinat omnis,
Ingratos nulla prole nouare viros.
Néve daret partus ictu temeraria cæco
Visceribus crescens excutiebat onus.
Corripuisse Patres ausas immitia nuptas.
Ius tamen ereptum restituisse ferunt.
Bináque nunc pariter Tegeæ sacra petenti,
Pro pueris fieri, virginibúsque iubent.
Scortea non illi fas inferre sacello,
Ne violent puros exanimata focos.
Si quis amas veteres ritus, assiste precanti.
Nomina percipies non tibi nota prius.
Porrima placatur, Postuertaque, siue sorores,
Siue fugæ Comites Mænali diua tuæ.
Altera quòd porrò fuerat, cecinisse putatur,
Altera venturum post modò quicquid erat.

Hactenus Ouidius. De Porrima, quæ ab aliis Prosa, siue pitiùs Prorsa, dicitur, & Postuerta diximus alibi.

Post Carmentalia secunda nullæ amplius Ianuarij mensis feriæ in Kalendario annotatæ sunt; sed dies omnes, vsque ad IV. Kalendas Februarij, Comitiales fuisse dicuntur. Cum autem in Ouidio adhuc aliquot celebritatum mentio fiat, nolumus eas hoc loco silentio præterire.

Die igitur proximè Carmentalia sequenti, qui est XVII. Kalend. Februarij, festum erat dedicationis templi Concordiæ, quòd à Camillo positum est, de quo templo nos suprà ex Plutarcho quædam in medium attulimus. Ouidius.

Candida te niueo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.
Nunc bene prospicies etiam Concordia turbam,
Nunc te sacratæ constituere manus.
Furius antiquus populi superator Hetrusci
Vouerat, & voti soluerat ante fidem.
Causa quod à patribus sumptis secesserat armis
Vulgus, & ipsa suas Roma timebat opes.

Subiungit Ouidius, & illud Concordiæ templum à Liuia constructum, dedicatum hoc die esse, de quo nos supra, cum de Diis ageremus. Concordiæ sacrificium Seneca in Medea his versibus explicat:

—— & asperi
Martis sanguineas quæ cohibes manus,
Quæ das belligeris fœdera gentibus.
Et cornu retines diuite copiam
Donetur tenera mitior hostia.

Die XXIV. qui est IX. Calend. Februarij, Sementinæ feriæ celebrabantur. Hæ tamen non statæ, verum conceptiuæ erant, vti antè ex Macrobio audiuimus. Ita etiam Ouidius:

Ter quater euolui signantes tempora Fastos,
Nec Sementina est vlla reperta dies.
Tum mihi (sensit enim) lux hæc inducitur, inquit,
Musa, quid à Fastis non stata sacra petis?
Vtque dies incerta sacris sic tempora certo
Seminibus iactu est vbi fœtus ager:
State coronati plenum ad præsepe iuuenci,
Cum tepido vestrum vere redibit opus.
Rusticus emeritum palo suspendit aratrum,
Omne reformidat frigore vulnus humus.

Villica da requiem terræ semente peracta,
Da requiem terram qui coluère viris.

Varro lib.5.de lingua Latina: Sementinæ feriæ dies is,qui à Pontificibus dictus:appellatus à Semente,quod sationis causa susceptæ. Festus:Sementinæ feriæ fuerunt institutæ,quasi ex iis fruges grandescere possint. His feriis sacra in æde Telluris,Cereri & Telluri fiebant, Varro lib.1.de rustica,cap.12. Orationem ad terram & Cererem pro felici frugum prouentu habet Ouidius,quem etiam leges.

Die xxvii.qui est vi.Dal.Februarij,festum dedicationis templi Castoris & Pollucis de quo ita Ouidius.

Atque venturas præcedit sexta Calendas,
Hæc sunt Ledæis templa dicata Deis.
Fratribus illa Deis,fratres de gente Deorum
Circa Iuturnæ composuere lacus.

Dies xxx. qui est iii.Calendarum Februarij,festum Pacis erat,de quo item Ouidius:

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad aras,
Hæc erit à mensis fine secunda dies &c. & pòst.
Thura Sacerdotes Pacalibus addite flammis,
Albáque perfusa victima fronte cadat.
Vtque domus quæ perstat eam cum pace perennet,
Ad pia propensos vota rogate Deos.

Hactenus de mense Ianuario. Lilius Gregorius Gyraldus in suo Calendario Romano xxix, Ianuarij diem assignat Equiriis,idque auctoritate veteris Calendarij,vt ipse ait,de quibus nos postea.

Hunc item mense sacrum Diis Penatibus factum,clarum est ex Calendario veteri rustico ab Huberto Goltzio edito cum quo etiam istud Calendarium, quod Georgius Fabricius 2. Antiquitatum libro inseruit conuenit.

Cap. VI.

De Februario, & diebus in eo festis.

ET hic mensis à Numa additus est cum à Romulo fuisset præteritus. Nomen habet à Februario Deo lustrationum,cui à Numa erat dicatus. Lustrari autem eo mense ciuitatem necesse erat,quo statuit, vt iusta Diis manibus soluerentur. Macrob.lib.1.Saturnaliorum cap.13. Festus:Februarius mensis dictus,quod tum,id est,extremo mense anni populus februaretur,id est,lustraretur, vel à Iunone februata, quam alij februalem, Romani febrvlim vocant: quòd ipsi eo mense sacra fiebant,eiúsque sacra erant Lupercalia; quo die mulieres februabantur à Lupercis amiculo Iunonis,id est,pelle caprina,quam ob causam is quoque dies februatus appellabatur. Quæcunque denique purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellatur. Id verò quod purgatur,dicitur februatum. Hactenus Festus,à quo non dissentiunt Censorinus,Plutarchus,& Ouidius,quorum hic etiam docet,apud priscos hunc mensem fuisse anni vltimum,& præcessisse Ianuarium:à Decemuiris autem legum scribendarum primum institutum,vt post mensem Ianuarium collocaretur. Versus eius sunt hi.

Sed tamen(antiqui ne nescius ordinis erres)
Primus vt est Iani mensis,& ante fuit.
Qui sequitur Ianum,veteris fuit vltimus anni,
Tu quoque sacrorum Termine finis eras.
Primus enim Iani mensis,quia Ianua prima est,
Qui sacer est imis manibus imus erat.
Postmodò creduntur spatio distantia longo,
Tempora bis quini continuasse viri.

Dies habuit hic mensis ab vltima Numæ constitutione viginti octo, quod Numam ea fecisse Macrobius docet, quòd cùm in honorem imparis numeri, tam in anno, quàm in mensibus singulis imparem numerum esse voluerit, huic tamen mensi parem dierum numerum tribuerit, vt vniuersa putatio totius anni impar fieret, quod alioqui factum non fuisset, si etiam huic mensi imparem dierum numerum assignasset, vel etiam ob hanc causam fecit, quod Deo infero, cui hic mensis sacer erat, diminutio & par numerus conueniret.

Quare etiam Iulius Cæsar cùm annum aliter ordinaret, & aliquot diebus adiectis augeret, nullum huic mensi diem addidit, ne Deo infero religio mutaretur.

Hic item mensis intercalationi destinatus erat, qua de re initio huius libri satis multa diximus, fuitque in tutela Neptuni.

De diebus mensis Februarij festis.

In Kalendario illo Romano, quod supra posuimus, à Kalendis huius mensis ad Idus vsque dies omnes Nefasti esse scribuntur, nec vllum notatur festum. In Ouidio tamen aliquorum fit mentio, de quibus pauca hîc dicemus.

Ita Kalendarium habet

H.k.FEB.N. Hoc est, Kalendæ Februarij, Nefastus dies.

Calendæ Februarij, sicut Ianuarij, & sequentium mensium omnium in tutela Iunonis erant, quod in Ianuario diximus, nec amplius repetemus.

Galendis Februarij festum erat dedicationis templi Iunonis Sospitæ, de quo ita canit Ouidius.

Principio mensis Phrygiæ contermina matri.
Sospita delubris dicitur aucta nouis.

De hoc templo diximus lib. 2.

Erat hoc die festum luci Asyli. Ouidius:

Tunc quoque vicini lucus celebratur Asyli,
Qua petit æquoreas aduena Tybris aquas.

De luco Asyli Liuius, Dionysius & alij multa habent.

Eodem die etiam rem diuinam faciebant in æde Vestæ, & æde Iouis Tonantis: atque in Capitolio mactabant Ioui bidentem. Ouidius:

Ad penetrale Numæ, Capitolinumque Tonantem,
Inque Iouis summi cæditur arce bidens.

Die Februarij V. In quem Nonæ incidebant, Cn. Octauius Augustus Pater Patriæ dictus est, qua de re Suetonius, & alij multi loquuntur. Ouidius.

Dum canimus sacras alterno pectine Nonas,
Maximus his fastis accumulatur honos, &c. & post.
Sancte Pater patriæ, tibi plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques,
Res tamen antè dedit, sero quoque vera tulisti
Nomina, iampridem tu pater orbis eras.

Idibus rursum Iouis Idulis mactabatur, vti in Ianuario notauimus, Februarij Idibus etiam Fauni feriæ erant, de quibus Ouidius:

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic vbi discretas insula rumpit aquas.

Idem dies ater siue religiosus erat, ob cædem Fabiorum, de qua omnes probè historiæ Romanæ & Ouidius loquuntur.

F. LVPER. N.P. Hoc est, LVPERCALIA, Nefastus primò.

Die xv. Februarij, qui Latinè dicitur xv. Calend. Martij, Lupercalia celebrantur.

LVPERCALIA, inquit Varro, dicta, quod in Lupercali Luperci sacra faciunt. Rex cùm ferias menstruas Noneis Februareis edicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sabini purgamentum, & id in sacreis nostreis verbum. Nam & Lupercalia Februatio, vt in antiquitatum libreis demonstraui, &c. Hæc, vt scribunt Dionys. Liuius, Plutarchus, & multi alij, ab Euandro ex Arcadia in Italiam translata sunt, alij ab ipso Romulo & Remo instituta esse volunt. Et huius posterioris qui sunt sententiæ, non omnes vnam eorum institutorum caussam afferunt. Quidam enim in memoriam nutritorum à Lupa Romuli & Remi: quidam propter factam sibi à Numitore auo potestatem condendæ Vrbis in monte Palatino, vbi seruati fuerant, instituta & celebrata primum à Romulo & Remo tradunt. Hanc caussam Valerius Maximus libro secundo explicat: illam Plutarchus à Buta quodam afferri dicit. Valerij Maximi verba primùm adscribam. Lupercalium, inquit, mos à Romulo & Remo inchoatus est, tunc, cùm lætitia exultantes, quod his auus Numitor rex Albanorum, eo loco, vbi educati erant, Vrbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Euander Argiuus consecrauerat, facto sacrificio, cæsisque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore prouecti, diuisa pastorali turba, cincti pellibus immolatarum hostiarum, iocantes obuios petiuerunt: cuius hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum, repetitur,

repetitur. Hactenus Valerius. Plutarchus autem de Lupercalibus, eorum institutione, & cærimoniis in Romulo ita scribit: Lupercalia si ad tempus respiciatur, lustrationis causa instituta videri possunt. Fiunt enim diebus nefastis mensis Februarij, qui ab expiationibus nomen habet, atque illa dies antiquitus Februata nuncupabatur. Lupercalia Græcie Lycæa vocantur, cuius nominis ratio videtur esse peruetusta, & ab Arcadibus, qui cum Euandro fuerant, deducta: possunt tamen etiam à lupa quæ iis Lycæna est, dicta videri cùm Luperci cursum suum ab eo loco, quo Romulus expositus fertur, ordiantur. Sed quæ aguntur Lupercalibus, eorum causa coniectu difficilior est. Mactant enim capras: tum duo nobiles adolescentes adducuntur ad eos, quorum alij frontem gladio cruentato contingunt, alii confestim detergunt lana lacte madefacta: adolescentulis istis interim dum deterguntur, ridendum est. Deinde caprarum pellibus in scuticas dissectis, subligaculis præcincti, cætera nudi, discurrunt, ab obuium quemque iis scuticis cædunt: Mulieres autem iuniores ictus illos nequaquàm fugiunt, credentes eos ad pariendi facultatem & conceptum conducere. Id quoque peculiare festi huius est, quòd canis à Lupercis immolatur. Porrò Butas quidam Elegiacis versibus causas Romanarum rerum fabulosas perscripsit. Is tradit Romulum cum suis victo Amulio, lætitia exultantem ad eum locum accurrisse, vbi infanti ipsi lupa vbera præbuisset, itaque & ad imitationem huius cursus Lupercalia agi, & currere nobiles, ac

Percutere oblatos, velut ensi cucurrit ab Alba
Armatus quondam Romulus atque Remus.

Quòd autem gladius cruentatus fronti eorum adhibetur, id esse cædis ac periculi signum, sicut detersio qui fit lacte nutritionem indicat. At C. Acilius narrat, pecudes Romuli ante Vrbem conditam amissas fuisse, eum itaque cum suis Fauno votis factis ad eas quærẽdas nudos excurrisse, ne sudore molestarentur, ideòque Lupercos etiam nudos currere. Quod ad canem attinet, si quidem id sacrum lustrationis causa peragitur, haud abs re expiationis causa immolari dicemus. nam in id genus sacrificiis Græci catulos adhibent, variéque vtuntur iis quos à catulis periscylacismos nominant Quod si instituta sunt Lupercalia ad agendas lupæ gratias, pro nutrito & seruato Romulo, haud absurdè canis mactatur, animal lupis inimicum: nisi potius ideò plectitur, quod Lupercis circum currentibus interturbet. Hæc Plutarchus. De Lupercalibus præter eos quos dixi Ouidius multa habet, quæ legere potes, & Ioannes Goropius Becanus lib. 4. Originum, quem inscripsit Cronia, vbi omnium rituum in his sacris obseruatorum causas diligenter inquirit, & explicat.

H. QVIR. NP. Hoc est, QVIRINALIA. Nefastus primò.

Die Feoruarij XVII. qui Latinè XII. Kalend. Martii dicitur, Quirinalia erant.

Latinè XIII. Kal. Martii dicitur, Quirinalia erant.

QVIRINALIA, inquit Varro, à Quirino, quòd ei Deo feriæ, & eorum hominum qui Fornacalibus sueis non fuerunt feriati. Quirinalia igitur Quirino, id est, Romulo celebrabantur: de cuius ἀποθεώσει suprà lib. 2. & de eius Flamine, qui Quirinalis dicebatur, libro 3. diximus. Ouidius,

Proxima lux vacua est, at tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen Romulus antè fuit.

Eodem die etiam feriæ Stultorum erant, vnde & Quirinalia feriæ stultorum dicebantur, ob hanc causam, quòd, cùm quisque in sua curia Fornacalibus, quæ indictiuæ feriæ erant, feriaretur, & sacra faceret, stulta populi pars, quæ sua Curia esset, ignorans rem diuinam Fornacalibus omissam, Quirinalibus faciebat. Ita Festus, quemadmodum restituit Iosephus Scaliger, cùm anteà hæc essent corruptissima: Quirinalia mense Februario dies, quo Quirini fiunt sacra. Idem: Stultorum feriæ appellantur, quod quidam, qui suorum Fornacalium sacra Romæ ignorauerant, eo potissimum rem diuinam faciunt. Idem vel potiùs Paulus Diaconus paulò inferius: Stultorum feriæ appellabantur, Quirinalia quòd eo die sacrificabant, ij, qui solenni die, aut non potuerunt rem diuinam facere, aut ignorauerunt.

Fornacalia autem (nam ea hoc die à Curione maximo indicebantur) festa erant, non stata illa quidem, sed indictiua, quæ fiebant Deæ Fornaci. Festus: Fornacalia feriæ institutæ sunt farris torrendi gratia, quòd ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat. Idem: Fornacalia sacra erant, cùm far in fornaculis torrebant. Plinius lib. 18. cap. 2. auctor est, à Numa Fornacalia esse instituta. Sic enim scribit: Numa instituit Deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque (vt auctor est Hemina) far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id vno modo consecutum, statuendo, non esse purum ad rem diuinam nisi tostum. Is & Fornacalia instituit farris torrendi ferias, & aque religiosas terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maximè nouerant. De Fornacalibus, & feriis stultorum Ouidius lib. 2. Fastorum:

Facta Dea est Fornax: læti fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec sacra stata facit.
Inque foro multa circumpendente tabella,
Signatur certa Curia quæque nota.
Stultáque pars populi, quæ sit sua Curia nescit:
Sed facit extrema sacra relicta die.

D. Feral. F. Hoc est, Feralia Fastus.

Die XXI. qui est IX Kalend. Martii erant Feralia, quæ tamen ab Ouidio ad XIII. Kalen. Martii hoc est, XVII. Februarii diem referuntur,

Feralia, inquit Varro, ab infereis & ferendo, quòd ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus ius ibi parentare. Festus: Feralia Diis manibus sacrata festa à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus appellata. Hæc Macrobius lib. I. Saturnaliorum cap. 13. à Numa Pompilio instituta scribit. Ouidius ab Ænea eorum originem deducit, cuius versus, quia notatu digni sunt, & multa de ritibus Feraliorum habent, huc referam. Sic autem scribit:

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Paruáque in extructas munera ferre pyras.
Parua petunt manes: pietas pro diuite grata est
Munere, non auidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges paruáque mica salis.
Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ:
Hæc habeat media testa relicta via.
Nec maiora veto, sed & his placabilis umbra est
Adde preces positis & sua verba focis.
Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras iuste Latine tuas.
Ille patris genio solemnia dona ferebat:
Hinc populi ritus edidicêre pios.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deseruere dies.
Non impune fuit: nam dicitur omine ab isto
Roma suburbanis incaluisse rogis.
Vix equidem credo bustis exisse feruntur,
Et tacitè questi tempore noctis aui.
Pérque vias urbis latosque ululasse per agros
Deformes animas vulgus inane ferunt.
Posteà præteriti tumuli redduntur honores,
Prodigiisque venit, funeribusque modus.

Hoc eodem die religiosum esse nubere, aut Diis superis sacra facere, docet idem, cùm ita pergit.

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ.
Exoptat puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurua comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœsta sepulcra faces.
Dij quoque templorum foribus celentur opertis.
Thure vacent aræ, stêntque sine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulcris,
Errant, nunc posito pascitur umbra cibo.
Nec tamen hæc ultra quàm quot de mense supersunt
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem,
Vltima placandis manibus illa dies.

Ipsis Ferialibus etiam Deæ Mutæ sacrificium fieri, Ouidius docet, quod erat tum quoddam dam magicum ad compescendas detrahentium linguas: cuius rationem Ouidius his versibus explicat.

Ecce

Ecce anus in mediis residens annosa puellis,
Sacra facit Tacitæ, nec tamen ipsa tacet.
Et digitis tria thura tribus sub limine ponit,
Qua breuis occultum mus sibi fecit iter.
Tum cantata tenet cum plumbo licia fusco,
Et septem nigras versat in ore fabas.
Quodque pice adstrinxit, quod acu traiecit ahena,
Obsutum mensæ torret in igne caput.
Vina quoque instillat, vini quodcunque relictum est,
Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa bibit.
Hostiles linguas, inimicáque vinximus ora,
Dicit, discedens, ebriáque exit anus &c.

Quorum versuum enarrationem petes ab Antonio Fanensi, Paulo Marso, & aliis, qui hos Ouidij libros suis Commentariis illustrarunt. Proximo à Feralibus die Charistia ab amicis celebrari Ouid. scribit his versibus:

Proxima cognati dixere Charistia chari,
Et venit ad socios turba propinqua deos.

& qui sequuntur.

Meminit etiam eorum mense Februario Kalendarium rusticum. De Charistiis Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. Conuiuium etiam, inquit, solemne maiores instituerunt, idque Charistia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt siqua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ & inter hilaritatem animorum, fautoribus Concordiæ adhibitis tolleretur. Hactenus Valerius: Sic & Ouid.

Dii generis, date thura boni concordia fertur
Illa præcipuè mitis adesse die.
Et libate dapes, vt grati pignus amoris
Nutriat incinctos missa patella cibos.
Iam tibi suadebit placidos nox humida somnos,
Larga precaturi sumite vina manu.
Et bene nos, bene tu patriæ Pater optime Cæsar,
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Reuertamur ad Kalendarium nostrum in quo die Februarij XXII. sic scriptum extat.

F. TER. NP. Id est, Terminalia, Nefasti primò.

TERMINALIA, inquit Varro, quòd is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius, & cùm intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense. Festus: Termino sacrificabant, quòd in eius tutela fines agrorum esse putabant: denique Numa Pompilius statuit eum, qui terminum exarasset, & ipsum, & boues sacros esse. Terminalia Numa rex instituit, quemadmodum Dionysius, Plutarchus, Plinius, & alij docent. Dionysius lib. 2. cùm multa de Terminis Deis verba fecisset, tandem ita concludit: Nam Deos putant Terminos, eisque sacra faciunt, non hostias cædentes, quòd nefas sit cruentari hos lapides, sed liba Cerealia, frugúmque offerentes primitias. Plutarchus causam inquirens, cur Termino, quem Deum censerent, & sacris Terminalibus honorarent, nullum animal immolaretur, ita tandem respondet: An quia Romulus terminos agro populi nullos posuit, vt liceret progredi, aliisque ademptum adiicere suo, & putare omnem ditionem ad se pertinere, quam (vt Laco ille dicebat) hasta assequi possent? Numa autem Pompilius, homo iustus, ciuilis ac Philosophus, limitibus suum agrum à vicino distinxit, eisque Terminum nuncupans, inspectorem, atque custodem amicitiæ & pacis existimauit sanguinis purum, nulla inquinatum cæde debere seruari. De sacris etiam Terminalibus ad hunc modum Ouidius: *Plutarc. Quæstiõ. Roman qu. 15.*

Nox vbi transierit solito celebratur honore,
Separat indicio qui Deus arua suo.
Termine siue lapis, siue es defossus in agro,
Stipes ab antiquis tu quoque nomen habes.
Te duo diuersa Domini de parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque liba ferunt.
Ara fit, huc ignem curta fert rustica testa,
Sumptum de tepidis ipsa colona focis.
Ligna senex minuit, concisaque construit arte,
Et solida ramos figere pugnat humo.
Tunc sicco primas irritat cortice flammas,

Stat puer, & manibus lata canistra tenet.
Inde ubi ter fruges medios immisit in ignes,
Porrigit incisos filia parua fauos.
Vina tenent alij, libantur singula flammis,
Spectant, & linguis candida turba fauet.
Spargitur & cæso communis terminus agno,
Nec queritur lactens cùm sibi porca datur.
Conueniunt, celebrántque dapes vicinia supplex,
Et cantant laudes Termine sancte tuas.

Sequitur in kalendario.

G. REGIF. N. Hoc est, REGIFVGIVM. Nefastus. Die Februarij XXIV. qui est VI. kalen. Martij erat Regifugium.

REGIFVGIVM, inquit Festus, sacrum dicebant, quo die Rex Tarquinius fugerit à Roma, de quo ita Ouidius.

Nunc mihi dicenda est Regis fuga, traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense dies.

Meminit etiam Ausonius in Ecloga de ferijs Romanis,

Nec Refugium pulsis ex urbe Tyrannis,
Lætum Romanis fas reticere diem.

Historiam illam de fuga vel exilio Romanorum Regum, Tarquiniorum scilicet, quia ea vulgo notissima est, & plerisque scriptoribus veteribus decantata, hoc loco repetere nolo.

B EQV. N. P. Hoc est, EQVIRIA, Nefastus primò.

DIE Februarij XXVII. Calend. Martij, Equiria erant.

EQVIRIA, inquit Varro, dicta ab equorum cursu. Eo enim die currunt equi in Campo Martio. De iisdem Festus ita scribit: Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in Campo Martio exercebantur. Meminit eorum & Ouidius.

Iámque duæ restant noctes de mense secundo,
Mársque citos iunctis curribus vrget equos,
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in campo prospicit ipse suo.

Pridie Calendar Martij, qui est XXIX. idem vltimus Februarij, Tarquinios Tyrannos prælio superatos à Romanis esse, nonnulli tradunt. Meminit eius rei Plutarchus in Poplicola. Tantum de mense Februario.

CAP. VII.

De Martio, & diebus in eo festis.

ANNVM, vt supra diximus, decem mensium fecit Romulus, quorum primus fuit Martius, sic dictus, vel à Marte, quod is Romuli pater crederetur, vel ab illius gentis in re militari alacritate. Varro: Martius à Marte dicitur. Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, cap. 12. Romulus primum anni mensem genitori suo dicauit. Ouid.

A te principium Romano ducimus anno,
Primus de patrio nomine mensis erit.
Vox rata fit, patrioque vocat de nomine mensem,
Dicitur hæc pietas grata fuisse Deo.

Festus: Martius mensis initium anni fuit & in Latio, & post Romam conditam, eo quòd gens erat bellicosissima. Cuius rei testimonium est, quòd posteriores menses, qui annum finiunt à numero appellati, vltimum habent Decembrem. Auctor est Ouidius, Martium mensis nomen, etiam ante Romam conditam, Italiæ populos habuisse, licèt non omnibus fuerit mensis anni primus. Alij enim tertio, alij quarto, alij quinto, alij sexto alij decimo loco eum collocarunt. Versus Ouidij sunt:

Quod si fortè vacat peregrinos inspice fastos,
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliscis,
Sextus apud populos Hernica terra tuos.
Inter Aricinos, Albanáque tempora constat,
Factáque Telegoni mœnia celsa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus acer,
A tribus hunc unum turba forensis habet.

Et

Et tibi cum proauis miles Peligne Sabinus
Conuenit huic genti quartus vtrique Deus.
Romulus hos omnes, vt vinceret ordine factum
Sanguinis auctori tempora prima dedit.

Quod autem hic mensis apud veteres Romanos ex prima Romuli constitutione, primus anni fuerit, & ex his, quæ iam adduxi, testimoniis constat, & Macrobius ac Solinus Annam Perennam sacrificatum iuerint, vt annare, perennareque commode licuerit; quod hoc mense mercedes exoluerint magistris, quas completus annus deberi fecisset. Quod Comitia auspicati fuerint: Vectigalia locarint: Quod matronæ seruis cœnas apposuerint, quemadmodum Domini Saturnalibus; illæ, vt principio anni ad promptum obsequium honore seruos inuitarent: hi, quia gratiam perfecti operis exoluerent. Reliquas in Calendis Martiis referemus. Habuit Martius, qui in Mineruæ tutela fuit ex Romuli, Numæ, & C. Iulij Cæsaris constitutione, dies xxxi.

DE DIEBVS MENSIS MARTII FESTIS.

D.K. MAR. NP.

Hoc est, Kalendæ Martiæ, vel Martij, Nefastus primo.

Kalendæ Martiæ, quod is mensis olim anni primus esset, valde celebres fuerunt. His enim, quemadmodum Macrob. lib. 1. Saturnaliorum cap. 12. & Solinus in Polyhistore, c. 3. & alij scribunt, ignem nouum Vestæ aris accendebant, vt incipiente anno, cura denuo seruandi nonati ignis inciperet.

Iisdem Kalendis tam in regia, curiisque, atque in Flaminum domibus, quàm in facibus Consularibus laureas veteres nouis mutabant: de quibus Ouidius lib. 3. Fastorum.

Neu dubites, primæ fuerint quin ante Kalendæ
Martis, ad hæc animum signa referre potes.
Laurea Flaminibus quæ toto perstitit anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore nouæ.
Ianua tunc Regis posita viret arbore Phœbi,
Ante tuas fiidem Curia prisca fores.
Vesta quoque vt folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde quod arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur: & vires flamma refecta capit.

Kalendas Martij etiam Matronalia erant, quæ à matronis Marti celebrabantur, cuius rei causas Ouid. recenset quinque: quarum prima est, quòd mulieres Sabinæ à Romanis raptæ, sua intercessione atrox bellum, quod inter maritos & patres atque amicos iam motum erat, sedauissent, ideoque constitutum vt quotannis eo die Marti sacrificarent. Altera est, vt fauore Martis eam felicitatem consequerentur in filiis, quam videbatur iis Deus Iliæ concessisse, quæ à Marte compressa Romulum summæ fœlicitatis filium peperit. Tertia, quòd mense Martio terra fœcunda esset, quales matronæ fieri cuperent: Quarta quòd Kalendis Martiis Iunoni, Lucinæ templum datum esset in Esquiliis. Quinta, quòd Mars Iunonis, quæ coniugiis præerat, filius diceretur. Versus Ouidij sunt:

Inde diem primasque meas celebrate Kalendas,
Oebalides matres, non leue munus habent.
Aut quia commisti strictis mucronibus ausæ,
Finierant lachrymis Martia bella suis.
Vel quòd erat de me feliciter Ilia mater,
Ritè colunt matres sacra, diemque meum.
Quid? quòd hyems adoperta gelu tunc denique cedit,
Et pereunt lapsæ sole tepente niues?
Arboribus redeunt detonsæ frigore frondes,
Vuidáque in tenero palmite gemma tumet:
Quæque diu latuit, nunc quà se tollat in auras,
Fertilis occultas inuenit herba vias.
Nunc fecundus ager, pecoris nunc hora creandi,
Nunc auis in ramo tecta larémque parat.
Tempora iure colunt Latiæ fecunda parentes,
Quarum militiam, votaque partus habet.
Adde quòd excubias vbi Rex Romanus agebat,
Qui nunc Esquilias nomina collis habet.

Illic à nuribus Iunoni templa Latinis
Hac sunt, si memini, publica facta die.
Quid moror & variis onero tua pectora causis?
Eminet ante oculos quod petis, ecce, tuos.
Mater amat nuptas, matrum me turba frequentat:
Hæc nos præcipuè tam pia causa decet.
Ferte Deæ flores, gaudet florentibus herbis
Hæc Dea, de tenero cingite flore caput.
Dicite, tu nobis lucem Lucina dedisti,
Dicite, tu voto parturientis ades.
Si qua tamen grauida est, resoluto crine precetur,
Vt soluat partus molliter ipsa suos.

Hoc eodem die Saliorum festum incipiebat, qui ancylia circumferebant, & Mamurium canebant. Sic enim Ouidius.

Quis mihi nunc dicet, quare cælestia Martis
Arma gerant Salij, Mamuriùmque canant?

Deinde causam huius rei subiiciens, quomodo videlicet Numa Iouem ad se elicuerit, colloquium cum eo habuerit, signum Imperij Romani petierit, & quid Iupiter responderit, ita tandem scribit:

Dum loquitur, totum iam Sol emouerat orbem,
Et grauis æthereo venit ab axe fragor.
Ter tonuit sine nube Deus, tria fulmina misit,
Credite dicenti, mira sed acta loquar.
A media cælum regione dehiscere cœpit,
Summisere oculos cum Duce turba suo.
Ecce leui scutum versatum leniter aura
Decidit à populo, clamor ad astra venit.
Tollit humo munus, cæsa prius ille iuuenca,
Quæ dederat nulli colla premenda iugo.
Idque ancyle vocat, quod ab omni parte recisum est,
Quemque notes oculis, angulus omnis abest.
Tunc memor imperij sortem consistere in illo,
Consilium multæ calliditatis init.
Plura iubet fieri simili cælata figura,
Error ut ante oculos insidiantis eat.
Mamurius morum fabræne exactior artis,
Difficile est illi dicere, clausit opus.
Cui Numa munificus, facti pete præmia dixit,
Si mea nota fides, irrita nulla petes.
Iam dederat Salijs à saltu nomina dicta,
Armáque & ad certos verba canenda modos.
Cùm sic Mamurius, merces mihi gloria detur,
Nomináque extremo carmine nostra sonent.
Inde sacerdotes operi promissa vetusto,
Præmia persoluunt, Mamuriùmque vocant.

Idem etiam Ouidius docet his diebus, quibus circumferrentur ancylia, priusquam condita rursum esset, ominosum esse nubere, neque etiam licere Flaminicam Dialem sese pectere, atque ornate. Hæc enim sunt ipsius verba.

Nubere si qua voles, quamuis properabitis ambo,
Differ, habent paruæ commoda magna moræ.
Arma mouent pugnam, pugna est aliena maritis,
Condita cùm fuerint, aptius omen erit.
Hîs etiam coniunx capitis discincta Dialis
Lucibus impexas debet habere comas.

De hoc Saliorum festo, & saltatione, ac circumgestatione ancyliorum, Plutarchus in Numa, vbi de Saliorum institutione & nomine agit, ad hunc modum scribit. Salij nominantur, non (vt fabulantur nonnulli) à Salio quodam Samothrace, aut Mantinensi, qui saltationem armatam docuerit: sed ipsa potiùs chorea, quæ saltibus constat, quam per Vrbem circumeuntes ducunt, cum mense Martio peltas gestant, puniceas tunicas induti mitrisque

non(vt fabulantur nonnulli) à Salio quodam Samothrace, aut Mantinensi, qui saltationem armatam docuerit: sed ipsa potius chorea, quæ saltibus constat, quam per Vrbem circumeuntes ducunt, cùm mense Martio peltas gestant, puniceas tunicas induti, mitrísque latis æreis cincti & galeas æreas ferentes, pugionibúsque arma pulsantes. Reliqua tripudij pars pedum officio constabat. Mouebantur enim eleganter, celeriter, atque confertim orbes implicantes, euoluentésque, multúmque in eo roboris & agilitatis ostendentes. Et paulò post: At Mamurio mercedis nomine datum aiunt, vt cum Salij inter Pyrrhicam saltationem cantarent, alij Veturium Mamurium eum, qui caneretur, fuisse tradunt; alij veterem memoriam. Hæc Plutarchus, secutus, opinor, Varronem, qui libro 5. de lingua latina ait Salios, cum cantant Mamurium Veturium significare veterem memoriam. Festus breuiter huius moris rationem indicat his verbis: Mamurij Veturij nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant, hac de causa. Numa Pompilio regnante, cœlo cecidisse fertur ancyle, id est, scutum breue, quod ideo sic est appellatum, quia ex vtroque latere erat recisum, vt summum, infimúmque eius latius medio pateret, vt á que edita vox, omnium potentissimam fore ciuitatem, quamdiu in ea mansisset. Itaque facta sunt eiusdem generis plura, quibus id misceretur, ne internosci cœleste posset, probatum opus est maximè Mamurij, qui præmij loco petiit, vt suum nomen inter carmina Salij canerent. Hactenus Festus. Historiam de ancyli habent scriptores rerum Romanarum plerique, qui sunt consulendi. De Saliorum Saltatione Dionysius etiam Halicarnassæus quædam habet, cuius pauca verba adscribam: Gesticulantur, inquit, Salij militariter ad tibiæ modulos nunc simul, nunc per vices interim canentes Pæana quendam Patrium. Saltationem autem armatam, quæ collisis ad scuta gladiis crebros ciet strepitus, si quid credendum est antiquis scriptoribus, primi Curetes inuentam tradiderunt posteris, &c. Hactenus ille. Sed de veterum saltationibus alibi dicemus prolixius.

XI. die Martij, qui est pridie Non. Sacrum Vestæ erat. Eodem die C. Octauius Augustus Imperator Pontificatum maximum inierat, quod & in veteri Kalendario notatum est his verbis: HOC DIE CÆSAR PONTIF. MAXIM. EST FACT. De vtroque Ouid.

Sextus vbi è terra cliuosum scandet Olympum
Phœbus & alatis æthera carpet equis:
Quisquis ades, castæque colis penetralia Vestæ,
Gratare, Iliacis thura que pone focis.
Cæsaris innumeris, quos maluit ipse mereri,
Accessit titulis Pontificalis honor
Ignibus æternis æterni numina præsunt:
Cæsaris, imperij pignora iuncta vides &c.

De Vestæ sacris Alexander ab Alexandro Neapolitanus lib. 5. cap. 12. Vestæ siquando Vestales virgines sacra libarent, vel rem diuinam facerent, eo cultu ornatúque, vt erant, & vittatæ peragebant. Album tamen præterea vestimentum quod suffibulum vocabatur, oblongum, & prætextum, & quadrangulum in capite sumebant, fibuláque subnectebant, tum casta mola, & sale tuso ac in ollam fictilem misso, mox in aquam iniecto, sacra faciebant, calicibúsque fictilibus, quas culullos dicebant, Vestæ & Diis libabant. Hæc ille. In veteribus etiam nummis sacra Vestæ expressa videntur, cuiusmodi duas ex Guilhelmi Braticani antiquitatibus hic subieci.

Nonis Martij, qui est dies eius, septimus, Veiouis templum consecratum est ad duos lucos Asyli, de quo ita Ouidius:

Vna nota est Martis Nonis, sacrata quod illis,
Templa putant lucos Veiouis ante duces.

De Veioue supra diximus.

Pridie Id. Martij, qui est dies eius mensis XIV. Equiria altera erant. Sic enim Calendarium habet, A.E.Q.NP. Id est EQVIRIA, Nefastus primò.

De EQVIRIIS, paulò antè diximus. Ouid.

Sex vbi sustulerit, totidem quoque demerit ortus,
Purpuream rapido qui vehit axe diem.
Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tyberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen eiecta si fortè tenebitur vnda,
Cælius accipiet puluerulentus equos.

Significat Ouidius, Equiria hæc in campo Martio iuxta Tiberim fuisse celebrata, nisi Tiberis inundasset. Tum enim in montem Cælium translata, vnde in eo monte locus dictus Campus Martialis, in quo Equiria solebant fieri, si quando aquæ Tyberis Campum Martium occupassent. Festus.

Idiqus Martij Annæ Perennæ festum erat, in quo largioribus poculis indulgebant: & pro cyathorum numero annos mutuò precabantur, de quo festo ita scribit Ouidius:

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Non procul à ripis aduena Tybri tuis.
Plebs venit, ac virides passim disiecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quisque sua.
Sub Ioue pars durat: pauci tentoria ponunt,
Sunt quibus è ramis frondea facta casa est.
Pars ibi pro rigidis calamos statuere columnis,
Desuper extentas imposuere togas.
Sole tamen, vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Inuenies illic qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.
Illic & cantant quicquid didicere theatris,
Et iactant faciles ad sua verba manus.
Et ducunt posito duras cratere choreas,
Cultaque diffusis saltat amica comis.
Cùm redeunt, titubant, & sunt spectacula vulgi,
Et fortunatos obuia turba vocat.
Occurrit: nuper visa est mihi digna relatu
Pompa, senem potum pota trahebat anus.

Causas cur Annæ festum tanta lætitia fuerit celebratum, Ouidius duas refert, quarum vna est, quòd ij, qui Annam Perennam apud Æneam exulantem, & post, vxoris eius Lauiniæ insidias fugientem quæsiuerant, responso accepto, esse eam Nympham Numici amnis, totum illum diem in agris lætis conuiuiis celebrarint. Altera, quòd Anna anus quædam Bouillis oriunda, plebi seditiosæ in montem sacrum digressæ, & penuria laboranti, quotidie liba attulerit, & diuiserit, in cuius rei memoriam plebeij pace cum Patriciis facta, hoc festum solenne instituerint. De priori causa ita scribit Ouid.

Sidonis intereà magno clamore per agros.
Quæritur, apparent signa notæque pedum.
Ventum erat ad ripas, inerant vestigia ripis,
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est: Placidi sum Nympha Numici,
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.
Protinus erratis læti vescuntur in agris,
Et celebrant largo, seque diemque mero.

Alteram causam his explicat versibus:

Hæc quoque, quam referam, nostras peruenit ad aures
Fama, nec à veri dissidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiam tunc tuta Tribunis,

Fugit, &

Fugit, & in sacri vertice montis erat.
Iam quoque, quem secum tulerant, defecerat illis
Victus, & humanis vsibus acta Ceres.
Orta suburbanis quædam fuit Anna Bouillis,
Pauper, sed multæ sedulitatis anus.
Illa leui mitra canos incincta capillos,
Fingebat tremula rustica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane solebat
Diuidere: hæc populo copia grata fuit.
Pace domi facta signum posuêre perenne,
Quod sibi defectu illa ferebat opem.

Idem etiam subiicit hoc die festo puellas, iocosa quædam & obscæna carmina cantare consueuisse, eam ob causam, quod Anna inter deos relata, & à Marte precibus sollicitata, vt Mineruæ, cuius amore tenebatur, nuptias sibi conciliaret, eum deluserit, affirmans se inflexisse Mineruæ animum, eámque paratam esse ad coniugium; in cuius tamen locum ipsamet flameo, tanquam noua nupta velata ad Martem deducta, & dolus detectus sit: quam narrationem Ouid. his versibus concludit:

Ludis amatorem charæ nupta Mineruæ,
Nec res hac Veneri gratior vlla fuit.
Inde ioci veteres obscœnáque dicta feruntur.
Et iuuat hanc magno verba dedisse Deo.

Idem dies dictus est Parricidium, quod C. Iulius Cæsar Dictator à Coniuratis in Senatu collecto in curia Pompeij, XXIII. vulneribus confossus est, de qua re Suetonius in Cæsare, capite penultimo, Florus Epitoma Liuiana libro 116. Plutarchus, Ouidius, Dio, & alij multi. Est & hoc non abs re meminisse. P. Cornelium Dolabellam Consulem, vt est apud Appianum lib. 2. de bellis ciuilibus, legem tulisse, vt hic dies, quo Caius Iulius Cæsar interfectus esset in posterum Natalis vrbis haberetur, quasi scilicet hac C. Iulij Cæsaris nece libertas Reipub. restituta esset.

XVI. Calend. Aprilis, qui est dies Martij XVII. Liberalia erant, sic in Calendario notata.

D. LIB. NP. Hoc est, Liberalia, Nefastus primò.

LIBERALIA, inquit Festus, Liberi festa, quæ apud Græcos dicuntur Διονύσια. Varro libro quinto de lingua Latina. Liberalia dicta, quòd per totum oppidum eo die sedent Sacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus cum libris & foculo pro emptore sacrificantes. In libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies ideò appellatur potiùs Agonia. Quẽ locum explicans Adrianus Turnebus, vir eruditissimus, in iis Commentariis Varronianis, quos post obitum ipsius hæredes in lucem dederunt, ait, sedere, hic significare feriari, & per foculum ignitabulum intelligi, paruúmque focum, quo vsi veteres fuerint, cùm rem diuinam extra templa in locis non sacris aut in quibus ara non erat facerent. Vnde Cicero pro Domo: C. Attinus bona Q. Metelli consecrauit, foculo posito in rostris, adhibitóque tibicine. Hæc ille. Quòd Varro dicit, in libris Saliorum hunc diem Agonia appellari, idem confirmat etiam Masurius, qui libro 2. Fastorum, vt est apud Macrob. lib. 1 Saturnal. cap. 4. Liberalium diem à Pontificibus Agonium à Martiale appellari scribit. Rituum, qui Liberalibus obseruabantur, causas diligenter explicat Ouid. multis versibus, quos legere potes, nos aliquos tantum adducemus. Sic igitur scribit:

Carminis huius opus causas exponere, quare
Vilis anus populos ad sua liba vocet.
Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt,
Liber & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant, Gange, totoque Oriente subacto,
Primitias magno seposuisse Ioui.
Cinnama tu primus, captiuáque thura dedisti,
Deque triumphato viscera tosta boue.
Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen,
Libáque quod sanctis pars datur indè focis.
Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Et paulò pòst.

Melle pater fruitur, liboque infusa calenti.
Iure repertori splendida mella damus.

Fœmina cur præest, non est rationis opertæ,
Fœmineos Thyrso concitat ille choros.
Cur anus hæc faciat quæris? vinosior ætas
Hæc erit, & grauidæ munera vitis amat.
Cur hedera cincta est? hedera est gratissima Baccho.
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nysiades Nymphas puerum quærente nouerca,
Hanc frontem cunis opposuisse ferunt.

Eodem etiam Liberalium die, toga libera adolescentibus pueritiam egressis dabatur, cuius ei causas Ouidius commemorat quatuor, de quibus ipsum audire placet. Sic inquit:

Restat, vt inueniam, quare toga libera detur
Lucifer is pueris candide Bacche tuis.
Siue quòd ipse puer semper, iuuenisque videris,
Et media est ætas inter vtrumque tibi.
Seu quia tu pater es, patres sua pignora natos
Commendant curæ, numinibúsque tuis:
Siue quod es liber, vestis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter.
An quia cùm colerent prisci studiosius arua
Et faceret patrio rure Senator opus,
Et caperet fasces à curuo Consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus,
Rusticus ad ludos populus veniebat in vrbem,
Sed Dîs, non studijs ille dabatur honor.
Luce sua ludos vuæ commentor habebat,
Quos cum tædifera nunc habet ille dea.
Ergo vt Tyronum celebrare frequentia posset,
Visa dies dandæ non aliena togæ.

De toga, & aliis vestium generibus dicemus suo loco.

Hoc etiam die & præcedenti ibatur ad Argeos, vt Ouid. docet. Argei loco erant in Vrbe, vbi sacra fiebant, à Numa consecrata. Liu. lib. 1. Locáque sacris faciendis, quæ Argeos Pontifices vocant, dedicauit: qualia vigintiseptem per quatuor primas Vrbis partes dispersa fuisse, ex Varrone dicimus, qui lib. 4. de lingua Latina scribit: Reliqua vrbis loca olim discreta, vt Argeorum sacra in 7. & 20. parteis Vrbis sunt disposita. Horum etiam verborum hunc esse sensum Iosephus Scaliger in Coniectaneis docet, Argeorum sacraria 27. diffusa esse per quatuor illas Vrbis parteis, siue tribus vrbanas, in quas Vrbs primùm distributa fuit: quod & ex sequentibus pagellis Varronis manifestum fit. Argeos autem, inquit Varro, putant dictos à principibus, qui cum Hercule Argiuo venerunt Romam, & in Saturnia subsederunt, &c. Festus: Argei (quamuis in vulgatis sit Argea) loca Romæ appellantur, quòd in his sepulti essent quidam Argiuorum illustres viri. Apud Agellium lib. 10 cap. 15. Lex de Flamine Diali extat, vt cùm iret ad Argeos, neque caput comeret, neque capillum depecteret. De Argeis, quæ effigies scirpeæ erant, & singulis annis per virgines Vestales in Tiberim iaciebantur, paulò post dicemus.

XIV. Calend. Aprilis, qui est xix. dies Martij Quinquatria incipiebant & quinque dies continuabantur, quorum sic meminit Calendarium.

F. QVIN. N. Hoc est, Quinquatria Nefastus.

QVINQVATRVS, inquit Varro, hic dies vnus à nominis errore obseruatur, proinde vt sint quinque, dictus ab Tusculaneis. Post diem sextum Eidus similiter vocatur Sextatrus: & post diem septimum Septimatrus: sic hic, quòd erat post diem quintum Eidus, Quinquatrus. In quam sententiam etiam Festus ita scribit: Quinquatrus appellari quidam putant à numero dierum, qui ferè his celebrantur, qui scilicet errant, tam Herculè, quam qui triduo Saturnalia, & totidem diebus Compitalia. Nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. Forma autem vocabuli eius, exemplo multorum populorum Italicorum enunciata est, quòd post diem quintum Iduum est is dies festus, vt apud Tusculanos Triatrus, & Sextatrus, & Septimatrus, & Faliscos Decimatrus. Mineruæ autem dicatum eum diem existimant, quod eo die ædes eius in Auentino consecrata est. Hactenus Festus. De Quinquatribus & ritibus ac cæremoniis, quæ illis diebus obseruari solebant, ad hunc modum scribit Ouid.

Vna dies media est, & fiunt sacra Mineruæ.

Nomi-

Nominaque à iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Causa quod est illa nata Minerua die.
Altera, tresque super strata celebrentur arena,
Ensibus exsertis bellica læta Dea est.
Pallada nunc pueri, teneræque ornata puellæ,
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.
Pallade placata lanam mollire puellæ
Discant & plenas exonerare colos.
Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit, & rarum pectine densat opus.
Hanc cole qui maculas læsis de vestibus aufers.
Hanc colle velleribus quisquis ahena paras.
Ne quisquam inuita faciet bene vincula plantæ
Pallade sit Titio doctior ille licet.
Et licet antiquo manibus collatus Epeo
Sit prior, irata Pallade mancus erit.
Vos quoque Phœbea morbos qui pellitis arte,
Munera de vestris pauca referte Deæ.
Nec vos turba feri censu fraudata magistri
Spernite; discipulos attrahit illa nouos.
Quique moues cælum tabulásque coloribus vris,
Quique facis doctâ mollia saxa manu.
Mille Dea est operum, certè Dea carminis illa est:
Si mereor studiis adsit amica meis.

Vltimò Quinquatrium die, qui est dies Martij XXIII. Latinè x. Calend. April. dicitur, Tubilustrium erat. Sic enim habet Kalendarium:

B. TVBIL. NP. Hoc est, Tubilustrium, Nefastus primò.

Tubilustrium, inquit Varro, appellatur, quòd eo die in atrio Sutorio sacrorum tubę lustrantur. Festus, quemadmodum Iosephus Scaliger legendum censet, Tubilustria dies, quibus diebus adscriptum in atrio Sutorio agna tubæ vt lustrentur, ab eis tubis appellant, quod genus lustrationis ex Arcadia, Pallante eò transferente, venisse dicunt: Ouidius.

Summa dies è quinque tuba lustrare canora
Admonet & forti sacrificare Deæ.

Dies proximè sequens, qui est XXIV. Martij in Kalendario ita notatus est.

C. Q. REX. C. F. Hoc est, Quando Rex Comitiauit, fas.

Dies qui sic vocatur, Quando Rex comitiauit, fas, inquit Varro, dictus ab eo, quòd eo die Rex Sacrificulus itat ad Comitium (sic enim Scaligero placet, cum vulgati habeant, dicat) ad quod tempus est nefas, ab eo fas. Itaque post id tempus lege actum sæpe. Festus, siue potius Paulus mutilator eius: Quando Rex comitiauit, fas, in fastis notari solet, & hoc videtur significare, quando Rex Sacrificulus diuinis rebus perfectis in comitium venit: ex quibus tamen verbis nihil certi intelligi potest. Vt autem diei huius celebritas, & ritus cognoscantur sciendum est, Regi sacrorum neque magistratum gerere, neque verba ad populum habere fas fuisse. Propterea in comitium ire illi non licebat, nisi hoc die, qui notatus est in Fastis. Ibat enim in comitium sacrificij causa, quo properanter patrato, protinus fuga se è comitio eripiebat. Docet hoc Plutarchus in Quæstion. Romanis, quæstione 63 his verbis: Cur regi sacrorum magistratum gerere, aut orationem ad populum habere non licet? An quòd antiquitùs Reges pleraque & potissima sacra peragebant, inque immolandis hostiis Sacerdotibus aderant: cùm vero modum non seruarent, sed superbè iniquéque dominarentur, Græci plerique iis omnem ademerunt potentiam, id tantum relinquentes, vt diis sacra facerent: Romani autem Regibus omninò eiectis, sacrificiis alium præfecerunt, neque magistratum gerere eum, neque cum populo agere sinentes, vt nunquam nisi in sacris seruire, & in gratiam Deorum sustinere regnum viderentur? Sanè à maioribus tradito ritu, ante comitium Rex sacrorum, postquam rem diuinam fecit, fuga sese inde è foro proripuit. Hæc Plutarchus.

Die XXV. Martij, qui est IIX. Kalend. Aprilis Hilaria erant, cuius tamen festi neque Kalendarium, neque Ouidius meminerunt. Macrobius autem lib. I. cap. 21. de eo sic scribit: Ad IIX. Kalend. Aprilis celebratur exordium lætitiæ, quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore Sol diem longiorem nocte protendit. Celebrabantur Hilaria in honorem Matris Deûm: quod & ex Macrobio constat, & ex Lampridio, qui in Alexandri Seueri vita ita scribit: Kalendis Ia-

nuariis & Hilariis Matris Deûm,& ludis Apollinaribus,& Iouis epulo,& Saturnalib iusmodi festis diebus.Fasianus,&c.loquitur de temperantia & frugalitate Alexandr Vopiscus in Aureliano:Hilaribus,quibus omnia festa & fieri debere scimus,&dici. locum Ioannes Baptista Egnatius annotat: Hilaria Pani Deo, omnium auctori,d malè opinor.Contrariũ enim docét hę,quas adduxi auctoritates,&Turnebus l.24.Ac rum,cpa.45.vbi maximum Dionysij interpretem citat in hæc verba de Hilaribus scr ἦσάν τινες ἡμέραι τοῖς εἰδωλολάτραις, ἃς ἱλαρίας ἐκάλουν, ἢ καὶ τὰς μὲν ἴδιαι ἢ ἱλάρειαι αἳ ὅταν τὰ ἰχ ἐκ τούτο, αἱ δὲ κοιναὶ καὶ δημόσιαι ἱλάρεια ἐκαλοῦντο, ὡς ὅταν βασιλεὺς ἀναγορευόμενος, τὰς δημοσίας ἱ ρεῖχε, καὶ οὔτε πενθεῖν ἐν ταύταις φορεῖν ἐξῆν· ἀλλὰ καὶ θέαι, καὶ θυσίαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν δημοτελοῦντο δ ποιθεῖν τις ἐπαυ̃ετο, καὶ ἰδοὶ ... ἐν ... ἀπαύστοις διῆγον τὰς ... ἡμέρας τὰς τοιαύτ ἡ δὲ ἱλάρεια ἑορτὴ ἰδικὴ Ῥωμαίων εἰς τιμὴν τῆς μητρὸς τῶν θεῶν αὐτῶν, καὶ δαιμόνων, ὡς φησὶ Δημόφ ἐν τῷ περὶ ἀρχαίων θυσιῶν. Quæ verba ita reddi possunt Habebant aliquot dies idol idolorum cultores,quos nuncupabant Hilarios. Horum autem dierum alij erant p Hilarij appellabantur,veluti si quis celebrarit nuptias,aut si filius alicui natus fuerit erant vulgares & publici,qui Hilaria nominabantur,vt cùm Rex aliquis publicè tus,publicas hilarias subditis exhibebat,& his quidem diebus neque lugere liceba ctacula & sacrificia quotidie perficiebantur publicè: quin & iudicia haberi cessaba spectabant,& conuiuiis continuis peragebant dies Hilariis deputatos. Erant autem festum proprium Romanorum in honorem matris Deûm:imò verò dæmonum,qu dum inquit Demophilus in libro de sacrificiis antiquorum.Cæterùm & Herodianu modo,lib. 1. suæ historiæ,docet, hæc festa principio veris celebrata fuisse,maxima titia,& nobilissima pompa,quouis è populo insignia cuiusque dignitatis mentient mulante,licerè & impunè,vt internosci magistratus à simulatore plerumque non tamen Hilariorum nomen non habet.

Tres vbi luciferos veniens præmiserat Eos,
Tempora nocturnis æqua diurna feret.
Inde quater pastor saturos vbi clauserit hædos,
Canuerint herbæ rore recente quater:
Ianus adorandus,cum quo concordia mitis,
Et Romana salus,araque pacis erit.

Vltimo Martii die Lunæ sacra fiebant in monte Auentino. Ouid.

Luna regit menses,huius quoque tempora mensis,
Finit Auentino Luna colenda iugo.

Quidam hos versus de Diana Auentina accipiunt, quos reprehendit Lilius Lunæ taurus mactabatur,quòd cornua haberet similia cornibus tauri.

Pridie Kalandas Aprileis:Mater Deûm magna pompa à Gallis ad Almonem flu ducebatur,qui non procul ab Vrbe Tiberi miscetur, ibíque ad confluentem du nium abluebatur veteri instituto.Nam quo primum die ex Asia illuc est aduecta,à lota est,iísque mos posteà per singulos annos est seruatus & dies ille dictus, Laua Deûm.Arnobius.Lauatio Matris Deûm est,hodiè,Lucanus lib.1.

Et lotam paruo reuocant Almone Cybelen.

Ouidius lib.4.Fastorum.

Est locus,in Tiberim quà lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veste Sacerdos
Almonis Dominam,sacráque lauit aquis.

Prudentius in Romano.

Nudare plantas ante Carpentum scio.
Lapis nigellus euehendus essedo.
Quem ad lauacrum præeundo duciiis,
Almonis vsque peruenitis riuulum.
Proceres togatos matris Idææ sacra,
Muliebris oris clausus argento sedet,
Pedes remotis atterentes calceis,&c.

Meminerunt huius lauationis etiam Papinius,Silius Italicus,Martialis,atque ... nus de Martio,sequitur Aprilis.

Ad Cap. V.

PARALIPOMENA.

De Crepusculo, Calendis, Calendario, Ephemeridibus.

CArptim & sine vllo certo ordine, quædam percurramus. *crepusculum est tempus illud, quum noctescere incipit*, errant autem qui existimant *crepusculum etiam esse dubiam illam lucem antequam diescat*, cum apud priscos, & probatos authores, solùm illud tempus sub vesperam esse perpetuo reperiatur, *diluculum* verò sub auroram. Inducti illi in errorem versibus Ouidij Epi.14. Hypermnestræ Lynceo,

Sed tamen experiar, modo facta crepuscula terris,
Vltima pars noctis, primáque lucis erat.

Sed corruptissimè ita legitur, melius enim in MS. codice Achillis Statij Neapolitani, & obseruauit Hercules Ciofanius, non malè de ciue suo meritus.

Vltima pars lucis, primaque noctis erat.

Luctat. Placid. ad vers. 340. li. 1. Thebaidos Papinianeæ, *crepusculum dicitur quod inter finem diei est & exordium noctis, vnde & decrepiti senes dicuntur, iam prope occasum salutis, & initium mortis, vtrumque enim tempus ostendit, & diei initium, & extremum noctis, siue crepuscula, quia præcedentis solis radij percutiuntur à crepusculo, id est, ab extrema parte noctis.* Ipse Statius.

Sed nec Puniceo rediturum crastina cælo
Promisere iubar, nec rarescentibus vmbris
Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.

P. Ouid. lib. 1. Amor. eleg. 4.

Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo,
Aut vbi nox abit, nec tamen orta dies.

Et lib. 11. Metamorph.

—dubiæ crepuscula lucis.

In MS. codice Stephani Pighij erat

—dubiæ crepuscula noctis.

M. Martian. Mineus Capella lib. 2. in fine, de Nupt. Mercurij & Philologiæ, aliter videtur sentire.

Quæ tam morosis implicata ductibus
Tenui lucernam palpitare lumine
Coegit instans innitens crepusculum.

Scio viros doctos crepusculum cum diluculo confudisse, quod Græcis λυκόφως & ἄγχαυγος, Festo exponente *primum tempus lucis*, ἀπὸ τοῦ λευκοῦ φωτὸς, ab *alba* seu *albescente luce*. sed potior Iosephi Scaligeri in obseruationibus suis & castigationibus in Festum, opinio, qui ἀπὸ τῆς λύκης, *à luce*, desumit, ea enim vox antiquitus lucem significabat. Aliis hoc displicet, quum tempus illud sic dictum velint, *quod prima nascente luce lupi exeant ad pastum, maxime idoneo ad venatum tempore.* Scholiast. Apollonij Rhodij & Ælian lib. 5. histor. Animal. & in profectione ad venationem Hippolytus apud L. Senecam in Tragedia eiusdem Act. 1. sc. 1.

Tum lux dubia est, dum signa pedum
Roscida tellus impressa tenet.

Oppian. Cilix. lib. 1. Cyneget. vers. 135.

κέλομαι δ' ἐπ' ἄεθλον ἱκέσθαι
πρώτην ὑπ' ἀμφιλύκην.
Iubeo vero, in certamen descendere.

Primum sub crepusculum, id est, *diluculum*. Malo tamen distingui illa duo diei tempora, vt antea admonui, idem L. Seneca Troade Act. 2. sc. vlt.

Dum premitur dubius nocte vicina dies.

Idas pastor apud Calfurnium Siculum Bucolico carmine Ecloga 2. in fine.

Carmina poscit Amor, nec fistulà cedit Amori,
Sed fugit ecce dies, reuocátque crepuscula vesper,
Hinc tu Daphni greges, illinc agat Alphesibæus,

Rutil. Numatian. Gallus Itinerarij sui lib. 1.

Roscida puniceo fulsere crepuscula cælo,
Pandimus obliquo lintea flexa sinu.

Adi ad Iunium Pollucem li. 1. Onomast. ca. 7. Isidorum Hispalensem lib 5. Etymolog. cap. 31. qui dubiè, *crepusculum est dubia lux, nam creperum dubium dicimus, hoc est inter lucem & tenebras.* eadem Nonius Marcel. cap. 1. Num. 45. Pacuuius Duloreste.

Non vetes animum ægritudine in re crepera confici.

Accius Phænisſ.

Quæ ego cuncta esse fluxa in mea re crepera
Comperi.

Ambitiose D Paulinus Nolæ episcopus, licet contra Grammaticos, Natali sexto D. Fælicis.

Iámque rubescebant rumpente crepuscula mane,
Noctis & extremæ fuga rarescentibus astris,
Luce sub obscura, vel sublucentibus vmbris,
Cœperat ambiguos rerum reserare colores.

De Calẽdis nihil est, vt puto, repetendum, quum vulgata sint omnia, tantùm aduertẽdũ receptiorem vsum neotericorum Calendas scribere, cum lapides antiqui, & prisci scriptores Victorinus Afer, Diomedes Grammaticus lib. 2. cap. 1. Terentius Scaurus, & ipse Grammaticus. Seruius Maurus, quorum quidam *Calendas*, alij *Kalendas*, probant dici. videatur Seruius ad illud lib. 8. Æneid.

—Tatióque seni, Curibúsque seueris.

Apponam quædam marmoris antiqui fragmenta, primum est,

A. ATINIO. A. F. PAL. PATERNO. SCRIB.
ÆDIT. CVR. NON. VSVS. AB. IMP. EQVO.
PVBL. HONOR. PRAEF. COH. II. BRACAR.
AVGVSTAN. TRIB. MIL. LEG. X. FRETENS.
A. DIVO. TRAIANO. IN. EXPEDITION. PAR-
THICA. DONIS. DONAT. PRAEF. ALAE.
VII. PHRYG. CVR. KAL. FRABATERNOR.
NOVOR. ATINIA. A. F. FAVSTINA.
PATRI. OPTIMO. FECIT.

Iterum reperi his verbis conceptum, quod adscribam, ex hortis Carpensibus Romæ.

D. AVRELIO. AVG. LIB. ONESIMO. CVICVL.
ET. A. LOCIS. CVBICVL. STATI. M. AVRELIVS. DIONYSIVS. PATRONO. PIENTISSIMO.
ET. BENEMERENTI. FEC. OSSVA. POSITA.
SVNT. VI. IDVS. NOVEMBR. CRISPINO. ET.
ÆLIANO. COS. ARA. XV. KAL. IANVAR.

Tertium ibidem loci visitur, in hæc verba:

SILVANO. SANCTO. L. VALLIVS SOLON.
PORTICVM. EX. VOTO. FECIT. DEDICAVIT. KAL. APRILIB. PISONE. ET. BOLANO. COS.

Adi ad lib. 2. supra huius operis cap. 8. vbi de Mithra seu Sole, transcripsi enim ibi veterem lapidem, qui huc facit, adde & istum erutum in hortis Colotianis.

FORTVNAE. AVG. L. LICINIVS. L. F. PALATINA.
SABINVS. VOT. D. D. XIIII. KAL. FEBR.
M. IVNIO. SILANO. ET. L. NORBANO. COSS,

Denique in domo Episcopi Ferratini.

SIGNVM, GENIVM, CENTVRIAE.
CVM. ÆDICVLA. ET.
BVS. EXORNATA. ET.
ARAM. SVA. PECVNIA. FE
CAVIT.
KALEND. MAI. IMP. COMMO
BVRO. COS.

Qui plures inscriptiones supe
bulo cupis, consule Aldum M
Orthographia sua, pagina 452.
ginta quatuor veterum lapidu
ta collegit, & aliis id ante
ctum.

Hinc calendarium librum voc
accepti expensique ratio contin
Florens Tertullian. lib. de habi
in fine. *graciles aurium cutes calen*
dunt. L. Senec. lib. 1. de Benef. c
neficia in calendario scribit, nec au
horam & diem debitorem appellat.
10. *quid fænus, & calendarium, c*
humanæ cupiditatis extra naturam q
Et epist 88. *quia magnus calendar*
tur. Scæuola IC. l. 27. ff. *de Instru*
leg. §. liberti. respondit verbis, quæ
contineri, nisi manifestè contrariam
hæredes approbant, in eo fundo in
lendarij. (in pandectis Florentin
& nummos reliquit, responsum est, c
que, vt supra. Coripp. Africanus
dibus Iustini Minoris Augusti, I

Thesauros fidis priuatos ferre mir
Imperat, innumeræ mox aduenere
Fortia centenis oneratæ brachia l

Ratio nominis impositi hæc era
lendis singulis collybistæ pecunias fœn
in foro haberent. Helen. Acron, &
tes Horatij lib. Epod. od. 2. in fi

Omnem elegis Idibus pecuniam,
Quærens Kalendis ponere.

Sed fusius de fœnerandi ritu
speciebus vsuræ legibúsque, qu
latum, seu permissum fænus. in
lib. 8. cap. 20. Interim calendar
des dici lego apud M. Tullium
pro Quintio. Sextum Propert
leg. 22.

Me miserum, hic aliquis rationem
Et ponis duras inter Ephemerida

Publius Ouidius libro primo
gia 12.

Inter Ephemeridas melius, tabula
In quibus amissas fleras auaru

Interim hoc monimenti antiqui fragmentum adscribam, quod Beneuenti extat.

C.OCTAVIO.C.F.PAL.MODESTO.AVGVR.II.
VIR.I.D.QVÆST.II.PRÆFF.FABR.ROMÆ.
PRÆF.COH.II.PANNONIOR.PRÆFF.COH.III.
ITYREOS.TRIB.MIL.LEG.IIII.SCYTHIC.
CVRAT.REIP.ÆCANOR.ITEM.HONORATO.
AD.CVRAM.CALENDAR.REIP.CANVSINOR.
A.DIVO.TRAIANO.PARTHICO.
ET.AB.IMP.HADRIANO.AVG.HIC.
OPVS.QVADRIGÆ.CVM.EFFIGIE.
IMPERATORIS.HADRIANI.
DEDICAVIT.

Nec tantùm in priuatis ædibus ciuium, liber ille calendarium vocabatur, sed & in exercitu, & publicis collegiis, quod nulli ad hunc diem obseruatum est, quod sciam, quum tamen & Iduaria & calendaria repetiam nominari in veteri lapide, cuius verba exscribo ex Volfgango Lazio lib.2. commentariorum Reip.Rom.cap.vlt.

L.VAL.P.FIL.GAL.FAVENTINO.IIVIR.ALDI.
QVI ANNONA.FRVMENTARIA.EMPTA.
PLEBEM.ADIVVIT.ET.OB.ALIA.MERITA.
EIVS.COLLEGIA.CALENDARIORVM.
ET.IDVARIA.DVO.CIVI.GRATISSIMO.POSVERVNT.

De solennitate Calendarum Ianuarij mensis, repete quæ à me sunt dicta supra hoc opere lib.1 Reg 4. & lib.2. cap.3. & res perspicua satis per sè vlteriori non eget disquisitione.

AD CAP. VI.

PARALIPOMENA.

Terminalia fornicalia.

DE diebus atris, fastis, nefastisque locus erit dicendi infra ca.9. nam in omnibus pene mensibus illi intercurrunt.

Fornacalia, eorúmque ritus explicantur à Plutarcho Problemat.Rom.ca.89. Lactantio Firmiano lib 1. Diuinar. Institut. cap.20. P. Ouid. lib.2. Fast. & lib.6. Fastor.

Sola prius furnis torrebant farra coloni.

Et fornicali sunt stata sacra deæ.

Nomen à *Fornace* dea desumptum, siue, vt aliis placet, ab *igne*, qui Græcis φῶς appellatur. Isidor. li.17. Etymologiar. ca.6. & diu Romani sola pute victitabant, incognito panis vsu, vt ostendi lib.1. supra hoc opere cap.14. vbi molarum manualium vetustatem, pensendique panis rationem probant.

Terminalia à Termino deo (de quo D. Augustin. lib.7 ciuit. dei cap 7. Angelus Politianus Miscellaneor. cap.36. docui lib. 2. cap.20. supra) hoc mense Februario, magna Rusticorum solemnitate celebrabantur, sed variato pro sæculorum ratione cultu, quippe Numa nihil animatum ei immolari volebat deo, vt est apud Plutarchum in vita eius & capite 14. Problemat. Rom. postea tamen mutata ea fuit sacrificandi ratio, & Termino animata, vt cæteris diis cæsa hostia: M. Cicero Philip.12. & alij, quæ vel porca P. Ouid. lib.2. Fastor.

Nec queritur lactens cum tibi porca datur.

Aut agnus, idem eodem loci.

Spargitur & cæso communis Terminus agno.

Qu. Horat. lib.2 Epod. od.2. & Interpretes ibidem.

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Corrigendus interea Seruij Honorati codex deprauatus ad v.446. lib.9. Æneid. *cum omnes dij libenter inde migrassent, Terminus solus hoc est imitum deus, descendere noluit, sed illic remansit, tum de hoc ipso sacrificatum est, & deprehensum quod Terminus cum Ioue remanens æternum vrbi imperium cum religione significaret: vnde in Capitolio prona pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Termini* (malim *Terminum*, nam è lapide ipse Terminus, Hieronym. Magius Miscellaneor. lib. 4. capite septimo) *spectat; nam Termino non nisi sub ciuo sacrificabatur*, apertum & pudendum vitium, legendum est omnino, *non nisi sub diuo sacrificabatur.* notissima quippe res est, ingens & patulum fuisse foramen (*sub dio*, vel *diuo* vocat) in templis omnibus Termini.

Denique locus est T. Liuij 5 Decad. lib.3. de Terminalibus non adeo obuius: *hoc anno intercalatum est tertio die post Terminalia: Kalendæ intercalares fuere.* sed diligenter, & multiscia lectione discutit Marcellus Donatus Ponzenus in Scholiis suis, quæ consule, ex quibus totam intercalandi methodum, formamque percipere erat difficile.

Neque attinet legem Numæ Pompilij vulgatissimam huc transferre, *qui Terminum exarasit ipse & bos sacer esto.* Andreas Alciatus IC. Emblem. 157. formam Termini seu imaginem expressit eleganter.

Quadratum infoditur firmissima tessera signum,
Stat cirrata super pectore imago tenus.
Et sese nulli profitetur cedere, talis
Terminus est.

Erat etiam hoc de lupercalibus sermo ... stituendus, sed præoccupati libro 3. s... cap.2.

Cap. VIII.

De mense Aprili, & diebus in eo festis.

EX ordinatione Romuli Regis, Aprilis secundus anni mensis fuit, vt supra Macrobio audiuimus, quod & alij scriptores cum eo multi testantur. Vnde ... men habeat, de eo inter vetustissimos etiam auctores non conuenit. Alij e... dictum eum volunt, quasi Aphrilem, à spuma, quam Græci vocant ἀφρὸν, v... orta Venus creditur. Et hanc Romuli afferunt fuisse rationem, vt prim... quidem mensem à patre suo Marte, secundum ab Æneæ matre Venere no... naret: vt hi potissimùm principia seruarent, à quibus esset Romani nominis origo, vnde sacris quoque Martem Patrem, Venerem genitricem vocabant. Alij putant Romulum altiore prudentia, vel certi numinis prouidentia, ita primos ordinasse menses, vt cùm pra... dens Marti esset dicatus, Deo plerunque hominum necatori, secundus Veneri dicaretur, ... vim eius quasi benefica leniret. Sed Cincius in eo libro, quem de fastis reliquit, ait impe... quosdam opinari, Aprilem mensem antiquos à Venere dixisse: cùm nullus dies festus, ... lúmque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem à maioribus institutum sit: sed ne... carminibus quidem Saliorum Veneris vlla, vt cæterorum cœlestium laus celebretur. Ci... etiam Varro consentit, affirmans, nomen Veneris ne sub Regibus quidem apud Roma... vel Latinum, vel Græcum fuisse, & ideò non potuisse mensem à Venere nominari: sed ... ferè ante æquinoctium vernum, triste sit cœlum & nubibus obductum, sed & mare naui... tibus clausum, terræ etiam ipsæ aut aqua, aut pruina, aut niuibus contegantur, eáque om... verno, id est, hoc mense, aperiantur: arbores quoque, nec minus cætera, quæ continet te... aperire se in germen incipiant: ab his omnibus mensem Aprilem dici meritò credendu... quasi Aperilem: sicut apud Athenienses ἀνθεστηριὼν idem mensis vocatur, ab eo, quòd hoc t... pore cuncta florescant. Non tamen negat Verrius Flaccus hoc die posteà constitutum ... matronæ Veneri sacrum facerent. Hæc ferè Macrobius. Varro lib.4. de lingua Latina: Sec... dus mensis Aprilis (vt Fuluius Flaccus scribit, & Iunius Gracchus) à Venere dictus, quò... sit Ἀφροδίτη, cuius nomen ego antiqueis literis, quod nusquam inueni, magis puto dict... quòd ver omnia aperit, Aprilem. De vtraque vocis huius etymologia etiam Plutarchu... Numa, & Ouid. multa, vt de aliis taceam, meminêre: posterior tamen sententia pluribus ... batur. Ioannes Geropius Becanus in Cron... is opinatur, Aprilem hunc mensem dictum fu... à Cymbo Operil, & per Syncopem Opril, quod inter eos menses, qui tellurem reclud... sit excellentissimus. Cæterùm hic mensis, qui in Veneris tutela fuit, ex ordinatione Ro... & Iulij Cæsaris dies habuit xxx. ex ordinatione autem Numæ xxix. ex quibus quinam ... sti fuerint, ordine videbimus.

DE DIEBVS MENSIS APRILIS FESTIS.

C. K Apr. N. Kalendæ Aprilis, Nefastus.

Præter alia generalia, singulis Kalendis obseruata, de quibus suprà diximus, kalendis A... lis Veneri sacrum fiebat, cum floribus & myrto, & mulieres sertis myrteis redimitæ lauab... tur, quod etiam Plutarchus docet, cùm in Numa scribit, hoc mense Veneri sacra fieri, & ... lieres myrto coronatas Kalendis Aprilis lauare: & Ouid. ita canit:

Ritè Deam colitis Latiæ matrésque nurúsque,
Et vos queis vittæ longáque vestis abest.
Aurea marmoreo redimicula demite collo,
Nunc alij flores, nunc noua danda rosa est.
Vos quoque sub viridi myrto iubet illa lauari:
Causáque cur iubeat, discite, certa subest.
Littora siccabat rorantes rore capillos,
Viderunt Satyri, turba proterua deam.
Sensit, & oppositæ texit sua corpora myrto,
Tuta fuit facto, vósque referre iubet.

Hoc die thure sacrificium fiebat Fortunæ virili à virginibus: cuius causam recitat Ou...

ha...

hanc, quòd virgines viro maturæ in templum ducerentur, & ibi depositis vestibus, omnia corporis vitia detegerent, sperantes fore, vt ea Fortunæ beneficio viros laterent. Versus Ouidij sunt.

Discite nunc quare fortunæ thura virili
Detis eo, gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc, celetque viros, Fortuna virilis
Præstat, & hoc paruo thure rogata facit.

Placabatur & Venus Verticordia, vt animos ab illicito amore auerteret. Sic enim Ouid. scribit:

Nec pigeat tritum niueo cum lacte papauer
Sumere, & expressis mella liquata fauis.
Cùm primùm cupido Venus est deducta marito,
Hoc bibit, ex illo tempore nupta fuit.
Illam supplicibus verbis placate, sub illa
Et forma, & mores, & bona fama manet.
Roma pudicitia proauorum tempore lapsa est,
Cumaam veteres consuluistis anum:
Templa iubet fieri Veneri, quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomine corda tenet.

De Venere Verticordia suprà plura attulimus. Pridie Nonas Aprilis, qui est IV. Aprilis, dies erant ludi Matris magnæ Deûm, qui dicebantur Megalesia, siue ludi Megalenses, de quibus ita Ouidius canit:

Ter sine perpetuo cœlum versetur in axe,
Ter iungat Titan, térque resoluat equos,
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.
Ibunt semimares & inania tympana tundent,
Æráque tinnitus ære repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum ceruice feretur
Vrbis per medias exululata vias,
Scena sonat, ludique vocant spectare Quirites,
Et fora Marte suo litigiosa vacent.
Quærere multa libet, sed me sonus æris acuti
Terret, & horrendo Lotos adunca sono.
Da dea, quàm scitè doctas Cybeleia neptes
Vidit, & has curæ iussit adesse meæ.
Pandite mandati memores Heliconis alumnæ,
Gaudeat assiduo cur dea Magna sono.
Sic ego, sic Erato: mensis Cythereius illi
Cessit, quod teneri nomen amoris habet.
Reddita Saturno sors hæc erat, optime regum
A nato sceptris excutière tuis.
Ille suam metuens, vt quæque erat edita prolem
Deuorat, immersam visceribúsque tenet.
Sæpe Rhea questa est, toties fœcunda, nec vnquàm
Mater: & indoluit fertilitate sua.
Iuppiter ortus erat: pro magno teste vetustas
Creditur, acceptam parce mouere fidem.
Veste latens saxum cælesti gutture sedit,
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua iamdudum resonat tinnitibus Ida,
Tutus vt infanti vagiat ore puer.
Pars manibus clypeos, galeas pars tundit inanes.
Hoc curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem, priscique imitantia facti
Æra deæ comites, raucáque terga mouent.

Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
Tybia dat Phrygios, vt dedit antè, modos.

Plura de ludis Megalensibus hoc loco non dicemus, sed reseruabimus ad proximè sequente librum, cuius priorem partem Ludis propriè consecrauimus. De Matre Deûm, siue Dea C bele diximus, lib. 2.

IIX. Idus, qui est vi. dies Aprilis, dies Consecrationis templi Fortunæ publicæ in colle Q rinali, de quo Ouidius:

Postera cum cælo motis Pallantias astris
Fulserit, & niueos luna leuarit equos,
Qui dicit, quondam sacrata est colle Quirini
Hac fortuna die publica verus erit.

De Fortuna publica diximus alibi.

VI. Id. Aprilis, qui est dies mensis eius xix. Ludi erant ob victoriam Cæsaris, quorum ite Ouidius sic meminit:

Tertia lux, (memini) ludis erit hæc mihi quidam
Spectanti senior, continuusque loco.
Hæc ait, illa dies, Lybicis qua Cæsar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Iubæ.

V. Id. Aprilis referuntur ab Ouidio, & Lilio Gyraldo ludi Cereris. In Calendario tantù Ludorum fit mentio, & die proximo sequenti Ludorum in Circo. Pridie autem Idus, Lud rum Cereris. Et ipsis Idibus rursum ludorum. Sic enim habet:

C.N.LVDI.	E.N.
D.N.LVDI.IN CIRCO.	F. N. CERERI LVDI.
	G. EID. N. P. LVDI.

De his ludis omnibus dicemus libro sequenti.

Idibus Aprilis Ioui Victori & Libertati sacra fieri consueuisse, quòd eo die templis hon rati essent. Ouidius docet his verbis:

Occupat Aprileis Idus cognomine Victor
Iuppiter, hac illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
Atria libertas cœpit habere sua.

XVII. Kalend. Maij, qui est dies Aprilis xv. Fordicidia erant, teste Ouidio, & Kalendari quod sic habet: A. FORD. NP. LVDI. Hoc est Fordicidia. Nefastus primò, Ludi.

FORDICIDIA, inquit Varro, à fordeis bubus nomen habet. Bos forda, quæ fert in ve tre: quòd ea die publicè immolentur boues prægnantes in curiis complureis. A fordeis c dendis Fordicidia dicta. Festus Pompeius: Fordicidiis boues fardæ, id est, grauidæ immolaba tur, dictæ à fœtu. Idem paulò post, eundem diem Hordicidia etiam dici ait, quod Hor fit prægnans. Ouidius triginta grauidas boues hoc die immolari scribit, pro numero C riarum, in singulis scilicet singulas: aliquas etiam in templo Iouis Capitolini. Versus Ouid sunt:

Tertia post Veneris cùm lux surrexerit Idus,
Pontifices forda sacra litera boue.
Forda ferens, Bos est, fœcundáque dicta ferendo,
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.
Nunc grauidum pecus est, grauidæ quoque semine terræ.
Telluri plenæ victima plena datur:
Pars cadit arce Iouis, ter denas curia vaccas
Accipit & largo sparsa cruore madet.

Eodem die virgo Vestalis maxima cremabat vitulos, quorum cinis seruabantur in temp Vestæ, vt inde suffimen fieret, quo populus Palilibus purgaretur. Cuius moris meminit O dius, cum ita pergit:

Ast vbi visceribus vitulos rapuêre ministri,
Sectáque fumosis exta dedêre focis:
Igne cremat vitulas quæ nata maxima virgo est,
Luce Palis populos purget vt ille cinis.

Cæterùm Fordicidiorum sacrum Numam Regem monitu Fauni instituisse, Ouid multis versibus docet, quorum hic est sensus: Cùm Numa imperante modò siccitas, mo nimiæ pluuiæ sterilitatem facerent, consultum à Numa Faunum, quânam ratione ista ste litas auerti, & Dii placari possent: qui responderit, placandam Deam tellurem esse duabus b sti

ftiis, quas tamen vna iuuenca daret, quod ænigma Nympha Ægeria de boue grauida sit interpretata. Sic enim Ouidius Faunum respondentem inducit.

Morte boum tibi Rex Tellus placanda duarum,
Detque sacris animas vna iuuenca duas.
Excutitur terrore quies, Numa visa resoluit,
Et secum ambages, cæsáque iussa refert.
Expedit errantem nemori gratissima coniux,
Et dixit, grauidæ posceris exta bouis.
Exta bouis grauidæ dantur: fœcundior annus
Prouenit, & fructum terra, pecúsque ferunt.

Sequenti die, qui est xvi. Aprilis, Latinè xvi. Kalend. Maij dicitur, Octauius Augustus Imperator salutatus est, testante id ipsum his versibus Ouidio:

Hanc quondam Cytherea diem properantiùs ire
Iussit & æthereos præcipitauit equos.
Vt titulum Imperij quamprimùm luce sequenti
Augusto iuueni prospera signa darent.

XIX. die Aprilis Equiria erant in Circo maximo, de quibus antè diximus, & Vulpes cùm stipulis ardentibus in Circo mittebantur: qui mos originem suam habuit ab adolescente quodam filio cuiusdam rustici Carseolani: qui cum maturis frugibus vulpem laqueis implicitam comprehendisset, eam stipula inuoluit, & accenso igni dimisit. Fugiens illa maturas fruges adussit: quare id singulis annis repetitum est, vt vulpes Cereri ob adustas fruges pœnas darent. De vtroque & Equitiorum & vulpium adurendarum more Ouidius:

Tertia post Hyadas cùm lux erit orta remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos.
Cur igitur missæ iunctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi est.

Et post pauca, fautam recensens, quam audierit ab hospite quondam Carseolano ipsum sic loquentem inducit:

Hoc ait in campo (campúmque ostendit) habebat
Rus breue cum duro parca colona viro.
Ille suam peragebat humum siue vsus aratri,
Seu curuæ falcis, siue bidentis erat.
Hæc modò verrebat cum raro pectine pratum,
Nunc matris plumis oua fouenda dabat.
Aut virides maluas, aut fungos colligit albos,
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen assiduis exercet brachia telis,
Aduersus minas frigoris arma parat.
Filius huius erat primo lasciuus in æuo,
Addiderátque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem in conualle salicti,
Abstulerit multas illa cohortis aues.
Captiuam stipula fœnóque inuoluit, & ignes
Admouet, vrentes effugit illa manus.
Quà fugit, incendit vestitos messibus agros,
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit monumenta manent. Nam dicere certam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Vtque luat pœnas genus hoc Cerealibus ardet,
Quæque modo segetes perdidit, illa perit.

XIII. Kalend. Maij, qui est dies Aprilis XIX. Cerealia erant.

Cerealia à Cerere dicta sunt, in cuius honorem fiebant. Dicebantur hęc etiam Gręca sacra, quod, vt Festus inquit, ex Græcia translata essent, quæ ob inuentionem Proserpinę matronæ colebant. Quæ sacra dum non essent matronę, quę facerent, propter cladem Cannensem, & frequentiam lugentium, institutum est, ne ampliùs centum diebus lugeretur. Hæc Festus, ex quibus constat, à matronis hæc sacra perfecta fuisse, & quidem ritu Græco, neque à lugentibus. Quare & Liuius scribit libro 22. post Cannensem cladem luctum adeo totam vrbem oppleuisse, vt sacrum anniuersarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere fas esset, nec vlla in illa tempestate matrona expers luctus esset. Itaque, ne ob eandem cau-

Iam alia quoque sacra publica aut priuata desererentur, Senatusconsulto diebus xxx. luctum esse finitum. Et Festus auctor est, minui luctum, cùm in Casto Cereris quis sit, id est, cùm quis operetur Cereri, sic enim hoc verbum intelligendum esse docet Iosephus Scaliger in Coniectaneis ad Varronem, & castigationibus in Festum, quod alioqui multum negotij fecit doctis viris, in primis Iacobo Ræuardo lib. 1. Variorum, cap. 10. & Theodoro Cantero li. 2. Variarum lectionum, cap. 21. Illud quoque non est omittendum, huic Cereris sacrificio duas porcas, vnam auream, argenteam alteram fuisse adhibitam: quod ex Capitone Ateio Sext. Pompeius Festus his verbis docet. Porcam auream, & argenteam dici ait Capito Ateius, quæ etsi numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Cereali. De ludis qui Cereri fiebant, dicemus suo loco.

XI. Kal. Maij, qui est dies Aprilis xxi. Parilia, siue Palilia erant, quorum Kalendarium sic meminit G. PAR NP hoc est Parilia, quæ eadem Palilia dicebantur, Nefastus primò. Ouidius XII. Kalend. Maij Palilia celebrata scribit. Verùm nos Kalendarium sequimur.

PALILIA, inquit Varro, dicta à Pale, quòd & feriæ ei Deæ fiunt. Festus verò: Pales dicebatur Dea pastorum, cuius festa Palilia dicebantur, vel, vt alij volunt, dicta Parilia, quoniam pro partu pecoris eidem sacra fiebant. Cui sententiæ etiam accedit Dionysius, scribens, quòd incunte vere pro partu quadrupedum agricolæ grati, pastorésque sacra faciant, quódque suo etiam tempore eam diem, si vllum alia Romana ciuitas singulis annis festum celebrârit. Vtrum verò iam antè festus fuerit, an verò à Romulo primum propter Vrbis initia consecratus sit, ipse dubitare se ait. Cæterùm quibus cærimoniis celebritas huius diei peracta fuerit, multis versibus Ouidius in Fastis docet. Primùm suffimen erat conficiendum, ex vituli fauilla, sanguine equi & fabæ culmine: deinde primo diluculo pastor lustrabat oues, & ouilia, hac ratione: Inspergebat oues aqua & sulphure, herbáque Sabina, & lauro igne succensis, circumcirca ouilia suffibat, quo suffimento pecora piari, morbos depelli, & tabem putabant. Deinde sacrificabatur Pali Deæ libo ex milio, lacte & sapa confecto, tum preces ad eam fiebant, sicuti ab Ouidio est annotatum, quid & quomodo ab hac Dea veteres petere sint soliti. Versus Ouidij, quibus & cærimonias Paliliorum, & preces ad palem Deam exponit, hi sunt.

I, pete virginea populus suffimen ab ara,
Vesta dabit, Vestæ munere purus eris.
Sanguis equi suffimen erit, vitulique fauilla,
Tertia res duræ culmen inane fabæ.
Pastor oues saturas ad prima crepuscula lustret,
Vnda priùs spargat, virgáque verrat humum
Frondibus, & fixis decorentur ouilia ramis,
Tergat & ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant puro de sulphure fumi,
Tactáque fumanti sulphure balet ouis.
Vre mares oleas, tædámque, herbásque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libáque de milio milij fiscella sequetur,
Rustica præcipuè est hoc dea læta cibo.
Adde dapes in vtranque suas, dapibúsque resectis,
Syluicolam tepido lacte precare Palem.
Consule, dic, pariter pecori, pecorísque magistris,
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.
Siue sacra paui, sediue sub arbore sacra,
Pabuláque è bustis inscia carpsit ouis.
Seu nemus intraui vetitum, nostrisue fugatæ
Sunt oculis Nymphæ semicapérque Deus.
Si mea falx ramo lucum spoliauit opaco,
Vnde data est ægræ fiscina frondis oui,
Da veniam culpæ, nec dum degrandinat, obsit
Agresti Fauno supposuisse pecus.
Nec noceat turbasse lacus: ignoscite Nymphæ,
Mota quòd obscuras vngula fecit aquas.
Tu dea pro nobis fontes fontanáque placa
Numina, tu sparsos per nemus omne Deos.

Nec

Nec Dryades, nec nos videamus labra Dianæ,
Nec Faunum, medio cùm premit arua die.
Pelle procul morbos, valeant hominésque, gregésque,
Et valeant vigiles, prouida turba, canes.
Néve minùs multò redigam, quàm manè fuerunt,
Néve gemam referens vellera rapta lupo.
Absit iniqua fames, herbæ frondésque supersint:
Quæque lauent artus, quæque libantur aquæ.
Vbera plena premam, referat mihi caseus æra,
Détque viam liquido vimina rara sero.
Sitque salax Aries, conceptáque semina coniux
Reddat, & in stabulis multa sit agna meis.
Lanaque proueniat nullas læsura puellas,
Mollis, & ad teneras quaslibet apta manus.
Quæ precor eueniant, & nos faciamus ad annum
Pastorum dominæ grandia liba Pali.
His dea placanda est, hæc tu conuersus ad ortus
Dic quater, & viuo perlue rore manus.

Peractis sacris pastores aqua spargebantur, cœnæ apparabantur, & vesperi sub noctem ignes à rusticis excitabantur ex stipulis, quos ter transiliebant. Sic enim Ouidius:

Dum licet apposita veluti cratere camella
Lac niueum potes, purpureamque sapam,
Moxque per ardentes stipulæ crepitantis aceruos
Traijcias celeri strenua membra pede.

Et paulo antè:

Certè ego transilij positas ter in ordine flammas.

Cuius moris causas Ouidius inquirens septem recitat: vel quia edax ignis omnia purget, ideóque etiam oues: vel quia duo hæc, ignis & humor, sint causa generationis, & ab his duobus omnia oriantur: vel quia per ea viuamus, vnde etiam exulibus aqua & igni interdicebatur. In nuptiis autem eadem adhibebantur: vel quia referre voluerint his cærimoniis Phaëtontis incendium, & Deucalionis cataclysmos: vel quia pastoribus saxa saxis percutientibus, vt ignem elicerent, prima flamma perierit, altera stipulis excepta fuerit: vel quia flamma dederit Æneæ innocuum iter: vel, quam rationem ipsemet verisimiliorem esse dicit, quia condita Roma, cùm pastores iuberentur à Romulo mutare domus, & suos lares in noua tecta transferre, illi veteribus suis casis ignem supposuerint, pérque illas flammas & pecus & coloni salierint: Versus Ouidij hi sunt.

Expositus mos est, moris mihi restat origo:
Turba facit dubium, cœptaque nostra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit, idcirco cum duce purgat oues.
An quia cunctarum contraria semina rerum
Sunt duo, discordes, ignis & vnda, Dei?
Iunxerunt elementa patres, aptúmque putarunt
Ignibus, & sparsa tingere corpus aqua.
An quòd in his vitæ causa est, hæc perdidit exul,
His noua fit coniux, hæc duo magna putant.
Vix equidem credo: sunt qui Phaëthonta referri
Credant, & nimias Deucalionis aquas.
Pars quoque, cùm saxis pastores saxa feribant,
Scintillam subitò prosiluisse ferunt.
Prima quidem periit, stipulis excepta secunda est,
Hoc argumentum flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Æneia fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter?
Hoc tamen est vero propius, cùm condita Roma est,
Transferri iussos in noua tecta Lares.
Mutantésque domum tectis agrestibus ignem,
Et cessaturæ supposuisse casæ.
Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos,

Quod sit natali nunc quoque Roma suo.

Erat enim hic dies natalis Vrbis,cuius meminerunt omnes ij,qui de Vrbis primordiis aliquid in literas retulerunt,in primis Plutarchus,Plinius & Solinus:vnde obseruatum, ne hoc die hostia mactaretur: quòd videlicet eum diem, qui patriæ natalis erat, & quo ipsi sanguinem,id est,vitam, cuius causa efficiens est sanguis, cepissent, à cæde & sanguine purum esse decerent. Neque illud hoc loco silentio prætereundum est,quòd Dio lib. 43. scribit C. Iulio Cæsari ex bello Hispaniensi Romam reuertenti decretum inter alios honores à Senatu etiam hunc esse,vt Parilibus (quo festo die equorum certamen celebratum fuisse dicit) Diis immortalibus sacra fierent:non eam ob causam,quòd is dies natalis Vrbis esset: sed quòd nuncius de victoria Cæsaris pridie eius diei sub vesperam allatus fuisset. De Palilibus & natali Vrbis,vide etiam Tibullum lib.2.elegia 4.& Propertium elegia 1.libri 4.

Præter hæc Verò Palilia,quæ vniuersi celebrabant,alia etiam erant,quæ à puerperis obseruabantur,de quibus hæc ex Festi fragmentis & ruderibus Iosephus Scaliger: Parilia sibi obseruanda iudicant priuatim ipsæ quoque puerperæ domi in stratis, vti pariendo ab iis quasi stabiliantur Parilia festa,quæ postea explicans, dicit, fœtas in lectis, qui in atrio sternebant, & aduersos vocabant,*** causa cubuisse. Ex quibus suspicari quis non incommodè posset, Palilia à Pale dicta,quæ iure facta sint a Pastoribus:Parilia autem à pariendo,quæ à grauidis fuerint celebrata pro feliciori partu.

IX.Kalend. Maij Vinalia priora erant,de quibus in hunc modum Kalendarium:A VIN.hoc est, Vinalia.

Vinalia inquit Varro,à vino.Hic dies Iouis,non Veneris,&c.Festus: Vinalia diem festum habebant,quo die vinum nouum Ioui libabant.De his varia & diuersa scribunt auctores:Plerique enim tradunt,hæc vinalia,quæ priora dicuntur,Ioui,altera Veneri esse celebrata: Iosephus tamen Scaliger Castigationibus in Festum scribit,Vinalia mense Aprili esse Veneris,eiq; hortos dedicatos:appellarique ea à Plutarcho Veneralia. Vinalia autem mense Sextili esse Iouis:& addit,vtrumque contra apud scriptores reperiri. Ouidius certè auctor est,Vinalia festum Veneris dici & tamen etiam Iouis festum esse. Plin.lib.18 cap.29. Vinalia priora,quæ ante hos dies sunt IX.Kalen.Maij degustandis vinis instituta,nihil ad fructus attinent.Verùm ego hanc controuersiam non dirimam. Hoc die meretrices sacrificabant Veneri Erycinæ, quod docet Ouidius his versibus.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ
Multa professarum quæstibus apta Venus:
Poscite thure dato formam,populíque fauorem,
Poscite blanditias dignáque verba ioco.
Cúmque sua dominæ date grata sisymbria myrto:
Textaque composita iuncea vincla rosa.
Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet à Siculo nomina colle tenet.

Hoc die multum vini effundebatur è templo Veneris: quem morem eiúsque causas Plutarchus ita explicat in quæstionibus Romanis,quæstione 45. Cur Veneralibus multum vini effunditur è templo Veneris? An verum est,quod plurimi narrant, Mezentium Etruscorum Imperatorem Æneæ per internuncios pacem ea conditione obtulisse,vt sibi is annuum vinum daret:& abnuente Ænea,illis id vinum promisisse,si prælio victor discessisset:Æneam cognita eius pollicitatione:Diis vinum id consecrasse,partáque victoria, vinum è congestis vuis factum,ante fanum Veneris effudisse. An hoc signo monebant,festos dies sobriè,non per ebrietatem debere agitari? an quòd Dij magis delectentur nimium merum effundentibus, quàm bibentibus.Hactenus Plutarchus. De libatione vini Ioui facta,propter quam Vinalia instituta sint,dicam in Augusto.

Die Aprilis XXV. qui Latinè VII.kalend.Maij appellatur, Robigalia erant.Sic enim kalendarium C.ROB NP.hoc est,Robigalia,Nefastus primo.

Robigalia, inquit Varro libro quinto de lingua Latina, dicta à Robigo. Secundùm segetes huic Deo sacrificatur, ne rubigo occuparet segetes. Idem libro primo de re Rustica capite primo,Robigalia ait,ferias esse Robigo institutas, & celebrari, ne rubigo frumenta atque arbores corrumpat.Festus:Robigalia dies festus septimo Kalendas Maias, quo Robigo Deo,suo,quem putabant rubiginem auertere,sacrificabatur Hæc Plinius libro 18 capite 29. à Numa Pompilio instituta esse scribit, cuius verba sunt: Robigalia Numa constituit anno regni sui XI.quæ nunc aguntur a.d.VII Kalen Maij,quoniam tunc fere segetes rubigo occupat.Hoc tempus Varro determinat Sole tauri partem decimam obtinente,sicut tunc ferebat ratio.Sed vera causa est,quòd post dies vndeuiginti ab æquinoctio verno,per id quatriduum varia

varia gentium obseruatione ad IV. Kalend. Maij canis occidit, sidus & per se vehemens, & cui præoccidere caniculam necesse sit, &c. Sacrum autem hoc oue & cane peragebatur, quorum exta cum thure & vino Deo offerebantur, de quo Ouidius ita scribit:

Sed vbi, quæ restant, luces Aprilis habebis,
In medio cursu tempora veris erunt.
Et frustrà pecudem quæres Athamantidos Helles,
Signáque dant imbres, exoriturque Canis.
Hac mihi Nomento Romam cùm luce redirem
Obstitit in media candida turba via.
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ouis.
Protinus accessi, ritus ne nescius essem,
Edidit hæc Flamen verba Quirine tuus:
Aspera rubigo parcas Cerealibus herbis,
Et tremat in summa leue cacumen humo.
Tu sata sideribus cœli nutrita secundis
Crescere, dum fiant falcibus apta, sinas.
Vis tua non leuis est, quæ tu frumenta notasti,
Mœstus in amissis illa colonus habet.
Nec venti tantùm Cereri nocuêre, nec imbres,
Nec sic marmoreo pallet adusta gelu.
Quantum si culmos Titan incalfacit vdos:
Tunc locus est iræ Diua timenda tuæ.
Parce precor, scabrásque manus à messibus aufer,
Néve noce cultis: posse nocere sat est.
Nec teneras segetes, sed durum amplectere ferrum:
Quodque potest alios perdere, perde prius.
Vtilius gladios & tela nocentia carpes,
Nil opus est illis: ocia mundus agat.
Sarcula nunc, durúsque bidens, & vomer aduncus,
Ruris opes niteant: inquinet arma situs.
Conatúsque aliquis vagina ducere ferrum,
Astrictum longa sentiat esse mora.
At tu ne viola Cererem, semperque colonus
Absenti possit soluere vota tibi.
Dixerat, à dextra villis mantile solutis,
Cúmque meri patera thuris acerra fuit.
Thura focis, vinúmque dedit, fibrásque bidentis,
Turpiáque obscœnæ vidimus exta canis,
Tum mihi, Cur detur sacris noua victima, quæris?
Quæsieram, causam percipe, Flamen ait:
Est canis (Icarium dicunt) quo sidere moto
Tosta sitit tellus, præripiturque seges.
Pro Cane sidereo canis hic imponitur aris,
Et quare fiat, nil nisi nomen habet.

V. Kalend. Maij. qui est dies Aprilis XXIX. Floralia erant: de quib. kalendarium: F. N P. **LVD.** Flor. hoc est, Nefastus primò, Ludi Floralia.

FLORALIA, inquit Plinius lib. 18. cap. 29. IV. Kalend. Maij instituerunt Romani, anno Vrbis DXVI. ex oraculo Sibyllæ, vt omnia bene deflorescerent. Hunc diem Varro determinat, Sole tauri partem quartamdecimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges, & omnia quæ florebunt lædi necesse erit. Ouid.

Cum Priami coniunx Tithonia fratre relicto,
Sustulit immenso ter iubar orbe suum:
Mille venit variis florum Dea nexa coronis,
Scena ioci morem liberioris habet.
Exit & in Maias festum Florale Kalendas &c.

De Floralibus plura dicemus libro proximè sequenti.

Pridie Kalendas Maij sacrum fiebat Vestæ Palatinæ; de quo Ouid. quamuis obscurè:

Aufer Vesta diem, cognati Vesta recepta est
Limine, sic iusti, constituere Patres, &c.

Ad Cap. VII.

PARALIPOMENA.

Parricidium Idus Martiæ dictæ: & Salis.

HIstoriam omnes sciunt, cur Idus Martiæ parricidii nomine vocarentur, quod nempe C. Iulius Dictator, postea parens patriæ Senatusconsulto appellatus, interfectus fuerit. reliquos præterire licet eius rei scriptores, vnicus sufficiet C. Suetonius, qui in Iulio cap. 88. *Curiam in qua occisus est, obstrui, placuit, idúsque Martias parricidium nominari, ac ne vnquam ea die Senatus ageretur.* Et in eodem cap. 80 *cuncti si an in sacra via, an in aditu theatri adorirentur, postquam Senatus Idibus Martiis in Pompeij curiam edictus est facilè tempus & locum prætulerunt.* Et cap 81. *immolantem aruspex Spurina monuit vt caueret periculum, quod non vltra idus Martias proferretur. Pridie autem easdem idus auem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, volucres varij generis ex proximo nemore persecutæ, ibidem discerpserunt.* Atque in illius rei memoriam Augustus nominis, familiæque hæres, captiuos bello Perusino eodem die trucidari voluit. Idem Sueton. in Augusto cap. 15. *scribunt quidam, trecentos ex dediticiis electos vtriusque ordinis, ad aram Diuo Iulio extructam idibus Martiis, hostiarum more mactatos.* meminerunt & alij: Val Max. in lib. 8. cap. 11. tit. 2. *prædixerat C. Cæsari vt proximos triginta dies quasi fatales caueret, quorum vltimus erat idus Martiæ, & cum fortè vterque mane in Domum Caluini Domitij ad officium conuenisset, Cæsar Spurinnæ, equid scis idus Martias iam venisse? & is, et quid scis illas nondum præteriisse?*

Quod illi, & Dio Cocceianus lib. 44. & Ioannes Xiphilinus, & Iulius Obsequens in libello de Prodigiis, & alij, scientiæ Spurinnę auguris adscribunt ipsi Cæsari, solus, quod sciam, C. Plinius assignat lib 18. cap. 26. *Cæsar & idus Martias ferales sibi annotauit, Scorpionis occasu.* vt memoria lapsus sit Stephanus Clauerius ad finem lib. 3. Claudiani de laudib. Stilichonis, qui *non idus, sed Kalendas Martias parricidium* hoc facit. vide P. Ouidium lib. 3. Fastor.

Prætériturus eram gladios in principe fixos
Cum sic è sanctis Vesta loquuta focis.

Quid autem sit parricidium, quibus legibus vetitum, qua pœna in illud animaduerteretur, dicam abundè infra hoc opere lib. 8. cap 25.

De *Vestæ sacris*, quæ incidunt in pridie Nonas Martias dixi supra hoc opere, lib. 2. cap. 12.

De *Saliis* quis notissima velit dicere? adi ad Helenium Acronem interpretem vetusti Qu. Horatii ad lib. 1. Carm. odd. 36. 37. Erasm. Roterodam. in Adagiis. D. Auson. Epist. 33. ad Paulum.

Nam mihi non saliare epulum, non cæna dapalis.

Corrigendus Q. Symmachus lib. 1. epist. 23. *Breuis in manus meas pagina recens à te profecta peruenit, erat quidem illa Atticis salibus respersa, & thymo odorata* (alii legunt, *odora*) *sed parcior, quæ magis fastigium detegeret, quàm famem frangeret, quasi ego cænas dapales, & saliare conuiuiis tum viscerationes atque epulum postulauissem; tu mihi mensas secundas, & scitamenta exiguæ lancis apponeres:* legendum omnino est, *quid? quid si ego cænas dapales & saliare conuiuium postulauissem, tu mihi mensas secundas & scitamenta exiguæ lancis apponeres?* Cultissimè Statius in Epicedio patris lib. 5. sil. 2. vers. 162.

Sub te Dardanius facis explorator opertæ,
Qui Diomedei celat penetralia furti,
Creuit, & inde sacrum didicit puer arma probare
Monstrasti Saliis præsagúmque æthera certis
Auguriis, cui Chalcidicum fas voluere, carmen,
Linea cui Phrygij est coma Flaminis, & tua multum
Verbera succincti formidauere luperci.

M. Annæus Lucan. lib. 1. Pharsaliæ v. 603. & eiusdem operis lib. 9. vers. 460. de Saliorum clypeis.

Arma timent gentes hominúmque erepta lacertis
A superis dimissa putant, sic illa profecto
Sacrificio cecidere Numæ, quem lecta iuuentus
Patricia ceruice mouet spoliauerit auster,
Aut Boreas populos ancylia nostra ferentes,

Patricios eos fuisse liquet ex narratione Lucani ista, & historicis omnibus, & *gestamina Patriciorum* tulisse, nisi quod *trabea* eos Dionysius Halicarnassæus voluit vestiri, Liuius *toga picta*, quod obseruatum à Marcello Donato pag. 142. Et trabeatos describit Aldus Manutius in quæsit. per Epist. 3. quid discriminis autem inter togam pictam sit, & trabeam, expediam infra hoc opere, in Tractatu, de Triumphis, & de Magistratibus lib. 10. cap. 29. & lib. 7. cap. 9.

Ad Cap. VIII.

PARALIPOMENA.

Fortuna virilis, & dearum nomina in Masculino concepta.

De

De Fortunæ nominibus variis, ac potestate, lege quæ à me sunt dicta supra lib. 2. ca. 16, addendum antiquum hoc fragmentum marmoris Prænestini, vnde clarum fiat ei deæ non minus quam aliis, donaria voueri solita, eámque communi veluti ara, cum Apolline, & Ioue collocatam, verba sunt:

TV. QVÆ. TARPEIO. COLERIS. VICINA. TONANTI.
VOTORVM. VINDEX. SEMPER. FORTVNA. MEORVM.
ACCIPE QVAE. PIETAS. PONIT. TIBI. DONA. MERENTI.
EFFIGIEM. NOSTRI. CONSERVATVRA. PARENTIS.

Et aliquot versibus interiectis.

OMNIBVS. HIC. ANNIS. VOTORVM. MORE. SVORVM.
CENTENAS. ADICIT. NVMERO. CRESCENTE. CORONAS.
FORTVNAE SIMVLACHRA. COLENS ET APOLLINIS. ARAS.
ÆGIRIVMQ. IOVEM. QVORVM. CONSENTIT. IN ILLO.
MAIESTAS.

Hanc *virilem* nominabant & Kalendis Aprilis colebant: Dionysius Halicarnass. lib. 4. & forte eadem est, quę *Mascula* appellabatur, siue quod viros puellis assignaret, siue quod virili habitu locaretur, & Masculino nomine honoraretur, vnde paulo ante in vetusta Inscriptione.

—Consentit in illo (nempe) *Fortuna, Maiestas.*

C. Petronius in bellor. ciuil. descriptione, vbi hæc de se ipsa loquitur Fortuna.

Muneribusque meis irascor; destruet istas
Idem qui posuit molem Deus.

Copiosè, vt solet, Lactantius Firmianus lib. 3. diuinar. Institu. ca. 29. *Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus euentus. verum Philosophi ne aliquando non errent, in re stulta volunt esse sapientes, qui Fortunæ sexum mutant, eamque non Deam sicut vulgus, sed Deum esse dicunt. eundem tamen interdum Fortunam, interdum, Naturam vocant.* Martialis Coquus lib. 2. epigr. 24.

Si det iniqua tibi tristem Fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiorque reo.

Et paucis interiectis sequitur.

Mecum ergo miser es, quod si Deus ore sereno
Annuerit, felix, Candide, solus eris.

Neque id modo de Fortuna verum, sed & de aliis deabus, quas promiscuo cum diis genere efferebant. De Minerua, Diogen. Laërt. lib. 2. in vita Stilponis in principio. quod ex aliis, & præsertim Macrobio, Critici obseruant: adde Seruij Honorati authoritatem ad v. 632. lib. 2. Æneid. & ad initium libri 1. Georgic. Et de fama P. Statius lib. 10. Theb. vers. 675.

Vt verò auersæ gressumque habitumque notauit,
Et subitam à terris in nubila crescere Manto,
Obstupuit, sequimur, diuum quicumque vocasti,
Nec tarde paremus, ait.

Turnus ad Iridem libro 9. Æneid. in principio.

—sequimur te, sancte deorum
Quisquis es.

De Nemesi L. Seneca in Hercule Furente Act. 2. sc. 3.

Dominare tumidus: spiritus altos gere,
Sequitur superbos vltor à tergo Deus.

Alb. Tibull.

Hic iuuenis quondam miseros laudabat amantes
Nescius vltorem post caput esse Deum.

De Cerere, seu Proserpina Cl. Claudian. li. 1. de Raptu in limine.

—Claram dispergere culmina lucem
Aduentum testata Dei.

De Venere P. Virgil. li. 2. Æneid. loco iam laudato.

Descendo, ac ducente deo.

Sic enim Seruius legit licet in MS. Codice Collegii Autunensis Lutetiæ habeatur,

Descendo, ac ducente Dea.

Sed priorem lectionem & Heluius Cinna confirmat.

Pollentémque Deum Venerem.

Græci eodem modo, nam Palladij li. 2. Antholog. c. 27. epigr. 1 Κύπριν Θεὸς dicitur. Dicam fusius ad locum Claudiani citatum.

De Parilibus, seu Palilibus, aut festo vrbis Romæ natali, quæ in hoc mense celebrari solebant, repete ex iis, quæ à me discussa sunt supra, hoc opere lib. 1. cap. 1.

De Robigo, & Robigalibus, quæ in hunc mensem incidunt, dixi supra libro primo Reg 5.

Denique de Flora, Floralibusque, quorum solennitas isto mense celebrata, vide lib. 2. cap. 20.

CAPVT IX.

De mense Maio, & Festis in eo diebus.

APrilem mensem sequitur Maius, de quo ita Macrobius lib. 1. Saturnalior. cap. 12. Maium Romulus tertium posuit, de cuius nomine inter auctores lata dissensio est. Nam Fuluius nobilior in Fastis, quos in æde Herculis Musarum posuit, Romulum dicit, postquam populum in maiores, iunioresque diuisit, vt altera pars consilio, altera armis Rempublicam tueretur, in honorem vtriusque partis, hunc Maium sequentem Iunium mensem vocasse. Sunt qui hunc mensem ad nostros Fastos à Tusculanis transisse commemorent, apud quos quoque vocatur Deus Maius qui est Iupiter, à magnitudine, sc. ac maiestate dictus. Cincius mensem nominatum putat à Maia, quam Vulcani dixit vxorem, argumentóque vtitur, quòd Flamen Vulcanalis Kal. Maiis huic Deæ rem diuinam facit. Sed Piso vxorem Vulcani Maiestam, non Maiam dicit vocari. Contendunt alij Maiam Mercurij matrē mensi nomen dedisse, hinc maximè probantes, quod hoc mense mercatores omnes Maiæ pariter, Mercurióque sacrificant. Affirmant quidam, quibus Cornelius Labeo consentit, hanc Maiam, cui Mense Maio res diuina celebratur, terram esse hoc adeptam nomen à magnitudine, sicut & Mater magna in sacris vocatur: assertionémque existimationis suæ etiam hinc colligunt, quòd sus prægnans ei mactatur quæ hostia est propria terræ: & Mercurium ideo illi in sacris adiungi dicunt, quia vox nascenti homini terræ contactu datur. Scimus autem Mercurium vocis & sermonis potentem, &c. Hæc & alia Macrobius. Ouidius lib. 5. Fastorum tres huius appellationis causas reddit, quarum prima est quòd dicta sit à Maiestate Dea Magistratuum: altera, quod à maioribus: tertia, quod à Maia Mercurij matre nomen habeat. Versus eius, quia plures sunt, adscribere nolo. Festus. Maius mensis in compluribus ciuitatibus Latinis ante Vrbem conditam fuisse videtur, qua ex causa verum à maioribus, vt Iunius à iunioribus dictus sit, an à Maia, quòd Mercurio Filio eius res diuina Idibus fiat eo mense, an quod ipsi Deæ in multis Latinis ciuitatibus sacrificia fiebant, &c. Item alio loco: Mæsius lingua Osca, mensis Maius, Osci enim à regione Campaniæ, quæ est Oscos, vocati sunt. Cum sic edimus, Maij mensis appellatio vel ante Romam conditam extitit, quod argumento foret à Romulo nullam ei propter maiores obtigisse denominationem. Ioannes Goropius Becanus in Croniis, mensis huius appellationem deducit à veteri Cymbria voce Mai, siue Mei, quo omnis viror plantar[um] significetur, quòd hoc mense omnia vireant & floreant. Cæterum fuit hic mensis in tutela Apollinis, & semper xxxi. dierum ex Romuli, Numæ, & C. Iulij Cæs. Constitutione.

DE DIEBVS MENSIS MAII FESTIS.

Kalendis Maij Laribus Præstitibus aram à Curibus Sabinis consecratam fuisse, & Bonæ Deæ sacri fieri Ouidius docet. de Laribus quidem his verbis:

Præstitibus Maiæ Laribus videre Kalendæ,
Aram constitui, paruáque signa Deûm.
Vouerat illa quidem Curius, sed longa vetustas
Destruit: & saxo longa senecta nocet, &c.

De causa appellationis, cur dicti Præstites, scripsimus alio loco.
De æde Bonæ Deæ item Ouidius,

——Interea Diua canenda Bona est.
Est moles natiua loco, res nomina fecit,
Appellant saxum, pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustrà: quo tempore fratri
Regna Palatinæ prima dedistis aues.
Templa patres illis oculos exosa viriles
Leniter accliui constituêre iugo.
Dedicat hoc veteris Clausorum nominis heres:
Virgineo nullum corpore passa virum.
Liuia restituit ne non imitata maritum
Esset, & ex omni parte secuta virum &c.

Macrobius libro Saturnaliorum 1. c. 12. scribit, Cornelium Labeonem auctorem esse Maiæ, id est, terræ ædem kalendis Maiis dedicatam sub nomine Bonæ Deæ: & posteà de sacris eius verba faciens, ait, virgam myrteam in templo eius haberi nefas esse: quod & Plutarchus in Quæstionibus Romanis, quæstione vigesima docet: cùm tamen omnibus germinantibus & florentibus ad ea sacra vtantur. Item super caput simulachri Bonæ Deæ extendi vitem, qua maximè eam Pater decipere tentauerit: vinum in templum eius non suo nomine solere inferri, sed vas in quo vinum inditum sit, mellarium nominari, & vinum lac nuncupari

serpes-

serpentésque in templo eius nec terrentes, nec timentes indifferenter apparere. Viros etiam ab eius sacris arceri. Hæc ferè Macrobius. Festus hoc sacrificium Damium appellari scribit his verbis: Damium sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonæ Deæ, dictum à contrarietate, quòd minimè esset δημόσιον, id est, publicum. Dea quoque ipsa Damia, & sacerdos eius Damiatrix appellabatur. Ad quem locum Iosephus Scaliger annotat, falsum esse, quod Festus scribat ἀντιφραστικῶς dictum Damium, quod minimè sit publicum: imò ita dictum, quòd pro populo fieret, & Iuuenalis adducit versum:

Pro populo faciens quantum Saufeia bibebat.

Fiebant autem hæc sacra à matronis in æde Pontificis Maximi. Itaque cùm in ædibus C. Iulii Cæsaris, qui tum Pontifex Maximus erat peragerentur, P. Clodius muliebri vestitu indutus, in iis deprehensus fuit, & ita sacra ea polluit: qua de re Cicero, Plutarchus & alii sæpe.

II. die Maii, qui Latinè VI. Non. dicitur. Compitalia erant, quorum sic meminit Kalendarium:

B. F. Comp. hoc est, Fastus, Compitalia.

Compitalia, inquit Varro, dies attributus Laribus, vt alibi, ideò, vbi viæ competunt, tum in Compiteis sacrificatur: quotannis is dies concipitur. Festus: Compitalia festa, quæ in compitis peragebant. De his sacris apud Macrobium lib. 1. Saturnaliorum, cap. 7. Albinus Cæcinna: Qualem nunc permutationem sacrificii Prætextate memorasti, inuenio posteà compitalibus celebratam, cùm ludi per Vrbem in compitis agitabantur, restitui scilicet à Tarquinio Superbo Laribus, ac Maniæ ex responso Apollinis, quo præceptum est, vt pro capitibus supplicaretur. Idque aliquandiu obseruatum, vt pro familiarum sospitate pueri mactarentur Maniæ Deæ, matri Larium. Quod sacrificii genus, Iunius Brutus Consul pulso Tarquinio aliter constituit celebrandum. Nam capitibus allij. & papaueris supplicari iussit, vt responso Apollinis satisfieret de nomine capitum, numero scilicet scelere infaustæ sacrificationis. Factúmque est, vt effigies Maniæ suspensæ pro singulorum foribus, periculum si quod immineret familiis, expiarent. Ludósque ipsos ex viis compitorum, in quibus agitabantur, compitalia appellitauerunt. Hæc Macrobius. Dionysius Halycarnassæus libro 4. de Compitalibus scribit, ea paucis post Saturnalia diebus celebrata fuisse, sacrificiúmque ministrantibus seruis peractum. Verba eius sunt hæc: Sacrificis Compitalia sacra facientibus non ingenuos, sed seruos ministrare voluit Tullius, quasi hoc gratius esset Laribus: quod festum nostra quoque ætate Romani agitant, paucis diebus post Saturnalia, cum primis celebre, & sumptuosum, Compitalium appellatione: durátque mos ille priscus in sacris placandi genios per seruorum ministeria, qui temporaria libertate fruuntur, per eos dies, vt hac humanitate mansuetiores redditi, dominos chariores habeant & leuiùs ferant suæ fortunæ inclementiam. Hæc ille. Fuerunt tamen hæc sacra non stata, sed conceptiua, vt initio huius libri docuimus. De compitalibus etiam Suetonius in Augusto, cap. 31. Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus & æstiuis, &c.

VII. Id. Maii, qui est dies mensis eiusdem nonus, Lemuria erant. Sic enim Kalendarium: A. LEM. N. hoc est, Lemuria, Nefastus.

Lemvria dicebantur à Lemuribus, qui re diuina facta his diebus placabantur: de quibus Nonius Marcellus: Lemures laruæ nocturnæ, & terrificationes imaginum & bestiarum. Varro de vita populi Romani, libro 1. Quibus temporibus in sacris fabam iactant noctu, ac dicunt, se Lemures domo extra ianuam eiicere. Porphyrio interpres Horatii, in 2. epistolam, lib. 2. Lemures, inquit, dictos esse putant, quasi Remures à Remo, cuius occisi vmbram frater Romulus cùm placare vellet, Lemuria instituit, id est, Parentalia, quæ mense Maio per triduum celebrari solent, ante additum anno mensem Februarium: ob quam rem Maio mense religio est nubere. Hactenus Porphyrio. Et hæc sacra tribus noctibus, non continuis, sed interueniente semper vna nocte celebrabantur, vt in Kalendario notatum est. De iisdem Ouidius:

Hinc vbi sustulerit formosa ter Hesperus ora,
Ter dederint Phœbo sidera victa locum.
Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri,
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat breuior, nec adhuc pia februa norant.
Nec tu dux mensium, Iane biformis eras.
Iam tamen extincto cineri sua dona ferebant,
Compositique nepos busta piabat aui.
Mensis erat Maius, maiorum nomine dictus,

A. Atinio. A. F. Pal. Paterno. Scrib.
Ædit. Cvr. Non. Vsvs. Ab. Imp. E-qvo.
Pvbl. Honor. Praef. Coh. II. Bra-car.
Avgvstan. Trib. Mil. Leg. X. Fre-tens.
A. Divo. Traiano. In. Expedition. Par-
thica. Donis. Donat. Praef. A-lae.
VII. Phryg. Cvr. Kal. Frabater-nor.
Novor. Atinia. A. F. Favsti-na.
Patri. Optimo. Fecit.

Iterum reperi his verbis conceptum, quod adscribam, ex hortis Carpensibus Romæ.

D. Avrelio. Avg. Lib. Onesimo. Cv-icvl.
Et. A. Locis. Cvbicvl. Sta-ti. M. Avrelivs. Diony-sivs. Patrono. Pientissi-mo.
Et. Benemerenti. Fec. Ossva. Po-sita.
Svnt. VI. Idvs. Novembr. Crispi-no. Et.
Æliano. Cos. Ara. XV. Kal. Ianvar.

Tertium ibidem loci visitur, in hæc verba:

Silvano. Sancto. L. Vallivs So-lon.
Porticvm. Ex. Voto. Fecit. De-dicavit. Kal. Aprilib. Piso-ne. et. Bolano. Cos.

Adi ad lib. 2. supra huius operis cap. 8. vbi de Mithra seu Sole, transcripsi enim ibi veterem lapidem, qui huc facit, adde & istum erutum in hortis Colotianis.

Fortvnae. Avg. L. Licinivs, L. F. Pa-latina.
Sabinvs. Vot. D. D. XIIII. Kal. Febr.
M. Ivnio. Silano. Et. L. Norbano. Coss.

Denique in domo Episcopi Ferratini.

Signvm. Genivm. Centvriae.

Cvm. Ædicvla. Et. Marmori-bvs. Exornata. Et.
Aram. Sva. Pecvnia. Fecit. Dedi-cavit.
Kalend. Mai. Imp. Commodo. III. Et. Bvro. Cos.

Qui plures inscriptiones super hoc vocabulo cupis, consule Aldum Manutium in Orthographia sua, pagina 451. qui quadraginta quatuor veterum lapidum fragmenta collegit, & aliis id ante illum effectum.

Hinc calendarium librum vocabant, in quo accepti expensique ratio continebatur. Qu. Florens Tertullian. lib. de habitu Muliebri. in fine. *graciles aurium cutes calendarium expendunt.* L. Senec. lib. 1. de Benef. cap. 2. *nemo beneficia in calendario scribit, nec auarus exactor ad horam & diem debitorem appellat.* Et lib. 7. cap. 10. *quid fœnus, & calendarium, & vsura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* Et epist 88. *quia magnus calendarij liber euoluitur.* Scæuola IC. l. 27. ff. *de Instructo vel Instru. leg. §. liberis. respondit verbis, quæ proponerentur, contineri, nisi manifestè contrariam voluntatem cohæredes approbent, in eo fundo instrumenta calendarij.* (in pandectis Florentinis, *calendaria*) *& nummos reliquit, responsum est, de nummis quoque, vt supra.* Coripp. Africanus lib. 2. de laudibus Iustini Minoris Augusti, Num. 10.

Thesauros fidis priuatos ferre ministris
Imperat, innumeræ mox aduenere cateruæ,
Fortia centenis oneratæ brachia libris.

Ratio nominis impositi hæc erat, quod *Calendis singulis collybistæ pecunias fœnori exponendas in foro haberent.* Helen. Acron, & alij Interpretes Horatij lib. Epod. od. 2. in fine.

Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærens Kalendis ponere.

Sed fusius de fœnerandi ritu differam, & speciebus vsuræ legibúsque, quibus seu sublatum, seu permissum fænus. infra hoc opere lib. 8. cap. 20. Interim calendaria Ephemerides dici lego apud M. Tullium Cicer. orat. pro Quintio. Sextum Propertium lib. 3. eleg. 22.

Me miserum, hic aliquis rationem scribit auari,
Et ponit duras inter Ephemeridas.

Publius Ouidius libro primo Amor. elegia 12.

Inter Ephemeridas melius, tabulásque iacerent,
In quibus amissas fleret auarus opes.

Interim,

Interim hoc monimenti antiqui fragmentum adscribam, quod Beneuenti extat.

C. OCTAVIO. C. F. PAL MODESTO. AVGVR. II.
VIR. I. D. QVÆST. II. PRÆFF. FABR. ROMÆ.
PRÆF. COH. II. PANNONIOR. PRÆFF. COH. III.
ITYREOS. TRIB. MIL. LEG. IIII. SCYTHIC.
CVRAT REIP. ÆCANOR. ITEM. HONORATO.
AD. CVRAM. CALENDAR. REIP. CANVSINOR.
A. DIVO. TRAIANO PARTHICO.
ET. AB. IMP. HADRIANO. AVG HIC.
OPVS. QVADRIGÆ. CVM EFFIGIE.
IMPERATORIS. HADRIANI.
DEDICAVIT.

Nec tantùm in priuatis ædibus ciuium, liber ille calendarium vocabatur, sed & in exercitu, & publicis collegiis, quod nulli ad hunc diem obseruatum est, quod sciam, quum tamen & Iduaria & calendaria repertam nominari in veteri lapide, cuius verba exscribo ex Volfgango Lazio lib. 2. commentariorum Reip. Rom. cap. vlt.

L. VAL. P. FIL. GAL. FAVENTINO. IIVRALDI.
QVI ANNONA. FRVMENTARIA. EMPTA.
PLEBEM. ADIVVIT. ET. OB. ALIA. MERITA.
EIVS COLLEGIA. CALENDARIORVM.
ET. IDVARIA DVO. CIVI. GRATISSIMO POSVERVNT.

De solennitate Calendarum Ianuarij mensis, repete quæ à me sunt dicta supra hoc opere lib. 1 Reg 4. & lib. 2. cap. 3. & res perspicua satis per se vlteriori non eget disquisitione.

AD CAP. VI.

PARALIPOMENA.

Terminalia fornicalia.

De diebus atris, fastis, nefastísque locus erit dicendi infra ca. 9. nam in omnibus pene mensibus illi intercurrunt.

Fornacalia, eorúmque ritus explicantur à Plutarcho Problemat. Rom. ca. 89. Lactantio Firmiano lib 1. Diuinar. Institut. cap. 20. P. Ouid. lib. 2. Fast. & lib. 6. Fastor.

Sola prius furnis torrebant farra coloni.

Et fornicali sunt stata sacra deæ.

Nomen à *Fornace* dea delumptum, siue, vt alijs placet, ab *igne*, qui Græcis φῶς appellatur. Isidor. li. 17. Etymologiar. ca. 6. & diu Romani sola pute victitabant, incognito panis vsu, vt ostendi lib. 1. supra hoc opere cap. 24. vbi molarum manualium vetustatem, pensendique panis rationem probant.

Terminalia à Termino deo (de quo D. Augustin. lib. 7 ciuit. dei cap 7. Angelus Politianus Miscellaneor. cap. 36. docui lib. 2. cap. 20. supra) hoc mense Februario, magna Rusticorum solemnitate celebrabantur, sed variato pro sæculorum ratione cultu, quippe Numa nihil animatum ei immolari volebat deo, vt est apud Plutarchum in vita eius & capite 14. Problemat. Rom. postea tamen mutata ea fuit sacrificandi ratio, & Termino animata, vt cæteris dijs cæsa hostia; M. Cicero Philipp. 12. & alij, quæ vel porca P. Ouid. lib. 2. Fastor.

Nec queritur lactens cum tibi porca datur.

Aut agnus, idem eodem loci.

Spargitur & cæso communis Terminus agno.

Qu. Horat. lib. 2 Epod od. 2. & Interpretes ibidem.

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Corrigendus interea Seruij Honorati codex deprauatus ad v 446. lib. 9 Æneid. *cum omnes dij libenter inde migrassent, Terminus solus hoc est limitum deus, descendere noluit, sed illic remansit, tum de hoc ipsi sacrificatum est, & deprehensum quod Terminus cum Ioue remanens æternum vrbi imperium cum religione significaret, vnde in Capitolio prona pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Termini* (malim *Terminum*, nam è lapide ipse Terminus, Hieronym. Magius Miscellaneor. lib. 4. capite septimo) *spectat, nam Termino non nisi sub ctiuo sacrificabatur*, apertum & pudendum vitium, legendum est omnino, *non nisi sub diuo sacrificabatur.* notissima quippe res est, ingens & patulum fuisse foramen (*sub dio*, vel *diuo* vocat) in templis omnibus Termini.

Denique locus est T. Liuij 5 Decad. lib. 3. de Terminalibus non adeo obuius: *hoc anno intercalatum est tertio die post Terminalia: Kalendæ intercalares fuere.* sed diligenter, & multiplicia lectione discutit Marcellus Donatus Ponzenus in Scholiis suis, quæ consule, ex quibus totam intercalandi methodum, formamque percipere erat difficile.

Neque attinet legem Numæ Pompilij vulgatissimam huc transferre, *qui Terminum exarasset ipse & bos sacer esto.* Andreas Alciatus IC. Emblem. 157. formam Termini seu imaginem expressit eleganter.

Quadratum infoditur firmissima tessera signum,
Stat cirrata super pectore imago tenus.
Et sese nulli profitetur cedere, talis
Terminus est.

Erat etiam hoc de lupercalibus sermo instituendus, sed præoccupati libro 3. supra cap. 2.

Cap. VIII.

De mense Aprili, & diebus in eo festis.

EX ordinatione Romuli Regis, Aprilis secundus anni mensis fuit, vt supra ex Macrobio audiuimus, quod & alij scriptores cum eo multi testantur. Vnde nomen habeat, de eo inter vetustissimos etiam auctores non conuenit. Alij enim dictum eum volunt, quasi Aphrilem, à spuma, quam Græci vocant ἀφρὸν, vnde orta Venus creditur. Et hanc Romuli afferunt fuisse rationem, vt primum quidem mensem à patre suo Marte, secundum ab Æneæ matre Venere nominaret: vt hi potissimùm principia seruarent, à quibus esset Romani nominis origo, vnde in sacris quoque Martem Patrem, Venerem genitricem vocabant. Alij putant Romulum vel altiore prudentia, vel certi numinis prouidentia, ita primos ordinasse menses, vt cùm præcedens Marti esset dicatus, Deo plerunque hominum necatori, secundus Veneri dicaretur, quæ vim eius quasi benefica leniret. Sed Cincius in eo libro, quem de fastis reliquit, ait imperite quosdam opinari, Aprilem mensem antiquos à Venere dixisse: cùm nullus dies festus, nullúmque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem à maioribus institutum sit: sed nec in carminibus quidem Saliorum Veneris vlla, vt cæterorum cœlestium laus celebretur. Cincio etiam Varro consentit, affirmans, nomen Veneris ne sub Regibus quidem apud Romanos, vel Latinum, vel Græcum fuisse, & ideò non potuisse mensem à Venere nominari: sed cùm ferè ante æquinoctium vernum, triste sit cœlum & nubibus obductum, sed & mare nauigantibus clausum, terræ etiam ipsæ aut aqua, aut pruina, aut niuibus contegantur, eáque omnia verno, id est, hoc mense, aperiantur: arbores quoque, nec minus cætera, quæ continet terra, aperire se in germen incipiant: ab his omnibus mensem Aprilem dici meritò credendum, quasi Aperilem: sicut apud Athenienses ἀνθεστηριὼν idem mensis vocatur, ab eo, quòd hoc tempore cuncta florescant. Non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum, vt matronæ Veneri sacrum facerent. Hæc ferè Macrobius. Varro lib. 4. de lingua Latina: Secundus mensis Aprilis (vt Fuluius Flaccus scribit, & Iunius Gracchus) à Venere dictus, quòd ea sit Ἀφροδίτη, cuius nomen ego antiqueis literis, quod nusquam inueni, magis puto dictum, quòd ver omnia aperit, Aprilem. De vtraque vocis huius etymologia etiam Plutarchus in Numa, & Ouid. multa, vt de aliis taceam, meminêre: posterior tamen sententia pluribus probatur, Ioannes Geropius Becanus in Cronis opinatur, Aprilem hunc mensem dictum fuisse à Cymbo Operil, & per Syncopem Opril, quod inter eos menses, qui tellurem recludunt, sit excellentissimus. Cæterùm hic mensis, qui in Veneris tutela fuit, ex ordinatione Romuli & Iulij Cæsaris dies habuit xxx. ex ordinatione autem Numæ xxix. ex quibus quinam festi fuerint, ordine videbimus.

DE DIEBVS MENSIS APRILIS FESTIS.

C. K APR. N. Kalendæ Aprilis, Nefastus.

Præter alia generalia, singulis Kalendis obseruata, de quibus suprà diximus, kalendis Aprilis Veneri sacrum fiebat, cum floribus & myrto, & mulieres sertis myrteis redimitæ lauabantur, quod etiam Plutarchus docet, cùm in Numa scribit, hoc mense Veneri sacra fieri, & mulieres myrto coronatas Kalendis Aprilis lauare: & Ouid. ita canit:

Rite Deam colitis Latiæ matrésque, nurúsque,
Et vos queis vittæ longáque vestis abest.
Aurea marmoreo redimicula demite collo,
Nunc alij flores, nunc noua danda rosa est.
Vos quoque sub viridi myrto iubet illa lauari:
Causáque cur iubeat, discite, certa subest.
Littora siccabat rorantes rore capillos,
Viderunt Satyri, turba proterua deam.
Sensit, & opposita texit sua corpora myrto,
Tuta fuit facto, vósque referre iubet.

Hoc die thure sacrificium fiebat Fortunæ virili à virginibus: cuius causam recitat Ouidius hanc,

hant, quòd virgines viro maturæ in templum ducerentur, & ibi depositis vestibus, omnia corporis vitia detegerent, sperantes fore, vt ea Fortunæ beneficio viros laterent. Versus Ouidij sunt.

Discite nunc quare fortunæ thura virili
Detis eo, gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc, celetque viros, Fortuna virilis
Præstat, & hoc paruo thure rogata facit.

Placabatur & Venus Verticordia, vt animos ab illicito amore auerteret. Sic enim Ouid. scribit:

Nec pigeat tritum niueo cum lacte papauer
Sumere, & expressis mella liquata fauis.
Cùm primùm cupido Venus est deducta marito,
Hoc bibit, ex illo tempore nupta fuit.
Illam supplicibus verbis placate, sub illa
Et forma, & mores, & bona fama manet.
Roma pudicitia proauorum tempore lapsa est,
Cumaam veteres consuluistis anum:
Templa iubet fieri Veneri, quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomine corda tenet.

De Venere Verticordia suprà plura attulimus. Pridie Nonas Aprilis, qui est IV. Aprilis, dies erant ludi Matris magnæ Deûm, qui dicebantur Megalesia, siue ludi Megalenses, de quibus ita Ouidius canit:

Ter sine perpetuo cælum versetur in axe,
Ter iungat Titan, terque resoluat equos,
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.
Ibunt semimares & inania tympana tundent,
Æráque tinnitus ære repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum ceruice feretur
Vrbis per medias exululata vias,
Scena sonant, ludique vocant spectare Quirites,
Et fera Marte suo litigiosa vacent.
Quærere multa libet, sed me sonus æris acuti
Terret, & horrendo Lotos adunca sono.
Da dea, quàm sciter doctas Cybeleia neptes
Vidi, & has curæ iussit adesse meæ.
Pandite mandati memores Heliconis alumnæ,
Gaudeat assiduo cur dea Magna sono.
Sic ego, sic Erato: mensis Cythereius illi
Cessit, quod teneri nomen amoris habet.
Reddita Saturno sors hæc erat, optime regum
A nato sceptris excutiere tuis.
Ille suam metuens, vt quæque erat edita prolem
Deuorat, immersam visceribúsque tenet.
Sæpe Rhea questa est, toties fœcunda, nec vnquàm
Mater, & indoluit fertilitate sua.
Iuppiter ortus erat: pro magno teste vetustas
Creditur, acceptam parce mouere fidem.
Veste latens saxum cælesti gutture sedit,
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua iamdudum resonat tinnitibus Ida,
Tutus vt infanti vagiat ore puer.
Pars manibus clypeos, galeas pars tundit inanes.
Hoc curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem, priscique imitamina facti
Æra deæ comites, raucáque terga mouent.

Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
Tybia dat Phrygios, vt dedit antè, modos.

Plura de ludis Megalensibus hoc loco non dicemus, sed reseruabimus ad proximè sequentem librum, cuius priorem partem Ludis propriè consecrauimus. De Matre Deûm, siue Dea Cybele diximus, lib. 2.

IIX. Idus, qui est VI. dies Aprilis, dies Consecrationis templi Fortunæ publicæ in colle Quirinali, de quo Ouidius:

Postera cum cælo motis Pallantias astris
Fulserit, & niueos luna leuarit equos,
Qui dicit, quondam sacrata est colle Quirini
Hac fortuna die publica verus erit.

De Fortuna publica diximus alibi.

VI. Id. Aprilis, qui est dies mensis eius XIX. Ludi erant ob victoriam Cæsaris, quorum item Ouidius sic meminit:

Tertia lux, (memini) ludis erit hæc mihi quidam
Spectanti senior, continuusque loco.
Hæc ait, illa dies, Lybicis qua Cæsar in oris
Perfida magnanimi contulit arma Iubæ.

V. Id. Aprilis referuntur ab Ouidio, & Lilio Gyraldo ludi Cereris. In Calendario tantùm Ludorum fit mentio, & die proximo sequenti Ludorum in Circo. Pridie autem Idus, Ludorum Cereris. Et ipsis Idibus rursum ludorum. Sic enim habet:

C. N. LVDI.	E. N.
D. N. LVDI. IN CIRCO.	F. N. CERERI LVDI.
	G. EID. N. P. LVDI.

De his ludis omnibus dicemus libro sequenti.

Idibus Aprilis Ioui Victori & Libertati sacra fieri consueuisse, quòd eo die templis honorati essent. Ouidius docet his verbis:

Occupat Aprilis Idus cognomine Victor
Iuppiter, hæc illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
Atria libertas cœpit habere sua.

XVII. Kalend. Maij, qui est dies Aprilis XV. Fordicidia erant, teste Ouidio, & Kalendario, quod sic habet: A. FORD. NP. LVDI Hoc est Fordicidia. Nefastus primò, Ludi.

FORDICIDIA, inquit Varro, à fordeis bubus nomen habet. Bos forda, quæ fert in ventre: quòd ea die publicè immolentur boues prægnantes in curiis complureis. A fordeis cædendis Fordicidia dicta. Festus Pompeius: Fordicidiis boues fardæ, id est, grauidæ immolabantur, dictæ à fœtu. Idem paulò post, eundem diem Hordicidia etiam dici ait, quod Horda sit prægnans. Ouidius triginta grauidas boues hoc die immolari scribit, pro numero Curiarum, in singulis scilicet singulas: aliquas etiam in templo Iouis Capitolini. Versus Ouidij sunt:

Tertia post Veneris cùm lux surrexerit Idus,
Pontifices forda sacra litera boue.
Forda ferens Bos est, fœcundáque dicta ferendo,
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.
Nunc grauidum pecus est, grauidæ quoque semine terræ.
Telluri plenæ victima plena datur:
Pars cadit arce Iouis, ter denas curia vacat
Accipit & largo sparsa cruore madet.

Eodem die virgo Vestalis maxima cremabat vitulos, quorum cinis seruabantur in templo Vestæ, vt inde suffimen fieret, quo populus Palilibus purgaretur. Cuius moris meminit Ouidius, cum ita pergit:

Ast vbi visceribus vitulos rapuêre ministri,
Sectáque fumosis exta dedêre focis:
Igne cremat vitulos quæ natu maxima virgo est,
Luce Palis populos purget vt ille cinis.

Cæterùm Fordicidiorum sacrum Numam Regem monitu Fauni instituisse, Ouidius multis versibus docet, quorum hic est sensus: Cùm Numa imperante modò siccitas, modò nimiæ pluuiæ sterilitatem facerent, consultum à Numa Faunum, quânam ratione ista sterilitas auerti, & Dii placari possent: qui responderit, placandam Deam tellurem esse duabus ho-

ftiis, quas tamen vna iuuenca daret, quod ænigma Nympha Ægeria de boue grauida sit interpretata. Sic enim Ouidius Faunum respondentem inducit.

Morte boum tibi Rex Tellus placanda duarum,
Det que sacris animas vna iuuenca duas.
Excutitur terrore quies, Numa visa resoluit,
Et secum ambages, cæcáque iussa refert.
Expedit errantem nemori gratissima coniux,
Et dixit, grauidæ posceris exta bouis,
Exta bouis grauidæ dantur, fœcundior annus
Prouenit, & fructum terra, pecúsque ferunt.

Sequenti die, qui est xvi. Aprilis, Latinè xvi. Kalend. Maij dicitur, Octauius Augustus Imperator salutatus est, testante id ipsum his versibus Ouidio:

Hanc quondam Cytherea diem properantiùs ire
Iussit, & æthereos præcipitauit equos.
Vt titulum Imperij quamprimùm luce sequenti
Augusto iuueni prospera signa darent.

XIX. die Aprilis Equiria erant in Circo maximo, de quibus antè diximus, & Vulpes cùm stipulis ardentibus in Circo mittebantur: qui mos originem suam habuit ab adolescente quodam filio cuiusdam rustici Carseolani: qui cum maturis frugibus vulpem laqueis implicitam comprehendisset, eam stipula inuoluit, & accenso igni dimisit. Fugiens illa maturas fruges adussit: quare id singulis annis repetitum est, vt vulpes Cereri ob adustas fruges pœnas darent. De vtroque & Equitiorum & vulpium adurendarum more Ouidius:

Tertia post Hyadas cùm lux erit orta remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos.
Cur igitur missæ iunctis ardentia tædis,
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi est.

Et post pauca fabulam recensens, quam audierit ab hospite quodam Carseolano ipsum sic loquentem inducit:

Hoc ait in campo (campúmque ostendit) habebat
Rus breue cum duro parca colona viro.
Ille suam peragebat humum siue vsus aratri,
Seu curuæ falcis, siue bidentis erat.
Hæc modò verrebat cum raro pectine pratum,
Nunc matris plumis oua fouenda dabat.
Aut virides maluas, aut fungos colligit albos,
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen assiduis exercet brachia telis,
Aduersus minas frigoris arma parat.
Filius huius erat primo lasciuus in æuo,
Addideràtque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem in conualle salicti,
Abstulerat multas illa cohortis aues.
Captiuam stipula fœnóque inuoluit, & ignes
Admouet, vrentes effugit illa manus.
Quà fugit, incendit vestitos messibus agros,
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit monumenta manent. Nam dicere certam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Vtque luat pœnas genus hoc Cerealibus ardet,
Quæque modo segetes perdidit, illa perit.

XIII. Kalend. Maij, qui est dies Aprilis XIX. CEREALIA erant.

CEREALIA à Cerere dicta sunt, in cuius honorem fiebant. Dicebantur hęc etiam Gręca sacra, quod, vt Festus inquit, ex Græcia translata essent, quæ ob inuentionem Proserpinę matronæ colebant. Quæ sacra dum non essent matronę, quę facerent, propter cladem Cannensem, & frequentiam lugentium, institutum est, ne ampliùs centum diebus lugeretur. Hæc Festus, ex quibus constat, à matronis hæc sacra perfecta fuisse, & quidem ritu Græco, neque à lugentibus. Quare & Liuius scribit libro 22. post Cannensem cladem luctum adeo totam vrbem oppleuisse, vt sacrum anniuersarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere fas esset, nec vlla in illa tempestate matrona expers luctus esset. Itaque, ne ob eandem cau-

Iam alia quoque sacra publica aut priuata desererentur, Senatusconsulto diebus xxx. luctum esse finitum. Et Festus auctor est, minui luctum, cùm in Casto Cereris quis sit, id est, cùm quis operetur Cereri, sic enim hoc verbum intelligendum esse docet Iosephus Scaliger in Coniectaneis ad Varronem, & castigationibus in Festum, quod alioqui multum negotij fecit doctis viris, in primis Iacobo Ræuardo lib. 1. Variorum, cap. 10. & Theodoro Cantero li. 2. Variarum lectionum, cap. 21. Illud quoque non est omittendum, huic Cereris sacrificio duas porcas, vnam auream, argenteam alteram fuisse adhibitam: quod ex Capitone Ateio Sext. Pompeius Festus his verbis docet. Porcam auream, & argenteam dici ait Capito Ateius, quæ etsi numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Cereali. De ludis qui Cereri fiebant, dicemus suo loco.

XI. Kal. Maij. qui est dies Aprilis XXI. Parilia, siue Palilia erant, quorum Kalendarium sic meminit G. PAR. NP hoc est Parilia, quæ eadem Palilia dicebantur, Nefastus primò. Ouidius XII. Kalend. Maij Palilia celebrata scribit. Verùm nos Kalendarium sequimur.

PALILIA, inquit Varro, dicta à Pale, quod & feriæ ei Deæ fiunt. Festus verò: Pales dicebatur Dea pastorum, cuius festa Palilia dicebantur, vel, vt alij volunt, dicta Parilia, quoniam pro partu pecoris eidem sacra fiebant. Cui sententiæ etiam accedit Dionysius, scribens, quòd ineunte vere pro partu quadrupedum agricolæ grati, pastorésque sacra faciant, quódque suo etiam tempore eam diem, si vllum alia Romana ciuitas singulis annis festum celebrârit: Verum verò iam antè festus fuerit, an verò à Romulo primum propter Vrbis initia consecratus sit, ipse dubitare se ait. Cæterùm quibus cærimoniis celebritas huius diei peracta fuerit, multis versibus Ouidius in Fastis docet. Primùm suffimen erat conficiendum, ex vituli fauilla, sanguine equi & fabæ culmine: deinde primo diluculo pastor lustrabat oues, & ouilia, hac ratione: Inspergebat oues aqua & sulphure, herbáque Sabina, & lauro igne succensis, circumcirca ouilia suffibat, quo suffimento pecora piari, morbos depelli, & tabem putabant. Deinde sacrificabatur Pali Deæ libo ex milio, lacte & sapa confecto, tum preces ad eam fiebant, sicuti ab Ouidio est annotatum, quid & quomodo ab hac Dea veteres petere sint soliti. Versus Ouidij, quibus & cærimonias Paliliorum, & preces ad palem Deam exponit, hi sunt.

I, pete virginea populus suffimen ab ara,
Vesta dabit, Vestæ munere purus eris.
Sanguis equi suffimen erit, vitulíque fauilla,
Tertia res duræ culmen inane fabæ.
Pastor oues saturas ad prima crepuscula lustret,
Vnda priùs spargat, virgáque verrat humum
Frondibus, & fixis decorentur ouilia ramis,
Tergat & ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant puro de sulphure fumi,
Tactáque fumanti sulphure balet ouis.
Vre mares oleas, tædámque, herbásque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libáque de milio, milij fiscella sequetur,
Rustica præcipuè est hoc dea læta cibo.
Adde dapes in vtramque suas, dapibúsque refectis,
Syluicolam tepido lacte precare Palem.
Consule, dic, pariter pecori, pecorisque magistris,
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.
Siue sacro paui, sediue sub arbore sacra,
Pabuláque è bustis inscia carpsit ouis.
Seu nemus intrauit vetitum, nostrisue fugatæ
Sunt oculis Nymphæ semicapérque Deus.
Si mea falx ramo lucum spoliauit opaco,
Vnde data est ægræ fiscina frondis oui,
Da veniam culpæ, nec dum degrandinat, obsit,
Agresti Fauno supposuisse pecus.
Nec noceat turbasse lacus: ignoscite Nymphæ,
Mota quòd obscuras vngula fecit aquas.
Tu dea pro nobis fontes fontanáque placa
Numina, tu sparsos per nemus omne Deos.

Nec

Nec Dryades, nec nos videamus labra Dianæ,
Nec Faunum, medio cùm premit arua die.
Pelle procul morbos, valeant hominésque gregésque,
Et valeant vigiles, prouida turba, canes.
Néve minùs multò redigam, quàm manè fuerunt,
Néve gemam referens vellera rapta lupo.
Absit iniqua fames, herbæ frondésque supersint:
Quæque lauent artus, quæque libantur aquæ.
Vbera plena premam, referat mihi caseus æra,
Déntque viam liquido vimina rara sero.
Sitque salax Aries, conceptáque semina coniux
Reddat, & in stabulis multa sit agna meis.
Lanaque proueniat nullas læsura puellas,
Mollis, & ad teneras quaslibet apta manus.
Quæ precor eueniant, & nos faciamus ad annum
Pastorum dominæ grandia liba Pali.
His dea placanda est, hæc tu conuersus ad ortus
Dic quater, & viuo perlue rore manus.

Peractis sacris pastores aqua spargebantur, cœnæ apparabantur, & vesperi sub noctem ignes à rusticis excitabantur ex stipulis, quos ter transiliebant. Sic enim Ouidius:

Dum licet apposita veluti cratere camella
Lac niueum potes, purpureamque sapam,
Moxque per ardentes stipulæ crepitantis aceruos
Traijcias celeri strenua membra pede.

Et paulò antè:

Certè ego transilij positas ter in ordine flammas.

Cuius moris causas Ouidius inquirens septem recitat: vel quia edax ignis omnia purget, ideóque etiam oues: vel quia duo hæc, ignis & humor, sint causa generationis, & ab his duobus omnia oriantur: vel quia per ea viuamus, vnde etiam exulibus aqua & igni interdicebatur. In nuptiis autem eadem adhibebantur: vel quia referre voluerint his cærimoniis Phaëtontis incendium, & Deucalionis cataclysmos: vel quia pastoribus saxa saxis percutientibus, vt ignem elicerent, prima flamma perierit, altera stipulis excepta fuerit: vel quia flamma dederit Æneæ innocuum iter: vel, quam rationem ipsemet verisimiliorem esse dicit, quia condita Roma, cùm pastores iuberentur à Romulo mutare domus, & suos lares in noua tecta transferre, illi veteribus suis casis ignem supposuerint, pérque illas flammas & pecus & coloni salierint: Versus Ouidij hi sunt.

Expositus mos est, moris mihi restat origo:
Turba facit dubium, cœptaque nostra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit, idcirco cum duce purgat oues.
An quia cunctarum contraria semina rerum
Sunt duo, discordes, ignis & vnda, Dei?
Iunxerunt elementa patres, aptúmque putarunt
Ignibus, & sparsa tingere corpus aqua.
An quòd in his vitæ causa est, hæc perdidit exul,
His noua fit coniux, hæc duo magna putant.
Vix equidem credo: sunt qui Phaëthonta referri
Credant, & nimias Deucalionis aquas.
Pars quoque, cùm saxis pastores saxa feribant,
Scintillam subitò prosiluisse ferunt.
Prima quidem periit, stipulis excepta secunda est,
Hoc argumentum flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Æneia fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter?
Hoc tamen est vero propius, cùm condita Roma est,
Transferri iussos in noua tecta Lares.
Mutantésque domum tectis agrestibus ignem,
Et cessuræ supposuisse casæ.
Per flammas saliisse pecus, saliisse colonos,

Quod fit natali nunc quoque Roma tuo.

Erat enim hic dies natalis Vrbis, cuius meminerunt omnes ij, qui de Vrbis primordiis aliquid in litteras retulerunt, in primis Plutarchus, Plinius & Solinus: vnde obseruatum, ne hoc die hostia mactaretur: quòd videlicet eum diem, qui patriæ natalis erat, & quo ipsi sanguinem, id est, vitam, cuius causa efficiens est sanguis, cepissent, à cæde & sanguine purum esse decerет. Neque illud hoc loco silentio prætereundum est, quòd Dio lib. 43. scribit C. Iulio Cæsari ex bello Hispaniensi Romam reuertenti decretum inter alios honores à Senatu etiam hunc esse, vt Parilibus (quo festo die equorum certamen celebratum fuisse dicit) Diis immortalibus sacra fierent: non eam ob causam, quòd is dies natalis Vrbis esset: sed quòd nuncius de victoria Cæsaris pridie eius diei sub vesperam allatus fuisset. De Palilibus & natali Vrbis, vide etiam Tibullum lib. 2. elegia 4. & Propertium elegia 1. libri 4.

Præter hæc verò Palilia, quæ vniuersi celebrabant, alia etiam erant, quæ à puerperis obseruabantur, de quibus hæc ex Festi fragmentis & ruderibus Iosephus Scaliger: Parilia sibi obseruanda iudicant priuatim ipsæ quoque puerperæ domi in stratis, vti pariendo ab iis quasi stabiliantur Parilia festa: quæ postea explicans, dicit, fœtas in lectis, qui in atrio sternebant, & aduersos vocabant, eius causa cubuisse. Ex quibus suspicari quis non incommodè posset, Palilia à Pale dicta, quæ iure facta sint a Pastoribus: Parilia autem à pariendo, quæ à grauidis fœminis celebrata pro feliciori partu.

IX. Kalend. Maij Vinalia priora erant, de quibus in hunc modum Kalendarium: A VIN. hoc est Vinalia.

Vinalia inquit Varro, à vino. Hic dies Iouis, non Veneris, &c. Festus: Vinalia diem festum habebant, quo die vinum nouum Ioui litabant. De his varia & diuersa scribunt auctores: Plerique enim tradunt, hæc vinalia, quæ priora dicuntur, Ioui, altera Veneri esse celebrata: Iosephus tamen Scaliger Castigationibus in Festum scribit, Vinalia mense Aprili esse Veneris, eique hortos dedicatos: appellarique ea à Plutarcho Veneralia. Vinalia autem mense Sextili esse Iouis: & addit, vtrumque contra apud scriptores reperiri. Ouidius certè auctor est, Vinalia festum Veneris dici & tamen etiam Iouis festum esse. Plin. lib. 18 cap. 29. Vinalia priora, quæ ante hos dies sunt IX. Kalen. Maij degustandis vinis instituta, nihil ad fructus attinent. Verùm ego hanc controuersiam non dirimam. Hoc die meretrices sacrificabant Veneri Erycinæ, quod docet Ouidius his versibus.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ
Multa professarum quæstibus apta Venus.
Poscite thure dato formam, populique fauorem,
Poscite blanditias dignáque verba ioco.
Cúmque sua dominæ date grata sisymbria myrto:
Textaque composita iuncea vincla rosa.
Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet à Siculo nomina colle tenet.

Hoc die multum vini effundebatur è templo Veneris: quem morem eiúsque causas Plutarchus ita explicat in quæstionibus Romanis, quæstione 45. Cur Veneralibus multum vini effunditur è templo Veneris? An verum est, quod plurimi narrant, Mezentium Etruscorum Imperatorem Æneę per internuncios pacem ea conditione obtulisse, vt sibi is annuum vinum daret: & abnuente Ænea, suis id vinum promisisse, si prælio victor discessisset: Æneam cognita eius pollicitatione: Diis vinum id consecrasse, partáque victoria, vinum è congestis vuis factum, ante fanum Veneris effudisse. An hoc signo monebant, festos dies sobriè, non per ebrietatem deberе agitari? an quòd Dij magis delectentur nimium merum effundentibus, quàm bibentibus. Hactenus Plutarchus. De libatione vini Ioui facta, propter quam Vinalia instituta sint, dicam in Augusto.

Die Aprilis XXV. qui Latinè VII. kalend. Maij appellatur, Robigalia erant. Sic enim kalendarium C. ROB. NP. hoc est, Robigalia, Nefastus primò.

Robigalia, inquit Varro libro quinto de lingua Latina, dicta à Robigo. Secundùm segetes huic Deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes. Idem libro primo de re Rustica capite primo, Robigalia ait, ferias esse Robigo institutas, & celebrari, ne rubigo frumenta atque arbores corrumpat. Festus: Robigalia dies festus septimo Kalendas Maias, quo Robigo Deo, suo, quem putabant rubiginem auertere, sacrificabant. Hæc Plinius libro 18. capite 29. à Numa Pompilio instituta esse scribit, cuius verba sunt: Robigalia Numa constituit anno regni sui XI. quæ nunc aguntur a.d. VII Kalen Maij, quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinat Sole tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio. Sed vera causa est, quòd post dies vndeuiginti ab æquinoctio verno, per id quatriduum

varia

varia gentium obseruatione ad IV. Kalend. Maij canis occidit, sidus & per se vehemens, & cui præoccidere caniculam necesse sit, &c. Sacrum autem hoc oue & cane peragebatur, quorum exta cum thure & vino Deo offerebantur, de quo Ouidius ita scribit:

Sed vbi, quæ restant, luces Aprilis habebis,
In medio cursu tempora veris erunt.
Et frustrà pecudem quæres Athamantidos Helles,
Signáque dant imbres, exoritúrque Canis.
Hac mihi Nomento Romam cùm luce redirem
Obstitit in media candida turba via.
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ouis.
Protinus accessi, ritus ne nescius essem,
Edidit hæc Flamen verba Quirine tuus:
Aspera rubigo parcas Cerealibus herbis,
Et tremat in summa lene cacumen humo.
Tu sata sideribus cœli nutrita secundis
Crescere, dum fiant falcibus apta, sinas.
Vis tua non leuis est, quæ tu frumenta notasti,
Mœstus in amissis illa colonus habet.
Nec venti tantùm Cereri nocuère, nec imbres,
Nec sic marmoreo pallet adusta gelu.
Quantum si culmos Titan incalfacit vdos:
Tunc locus est iræ Diua timenda tuæ.
Parce precor, scabrásque manus à messibus aufer,
Néve noce cultis: posse nocere sat est.
Nec teneras segetes, sed durum amplectere ferrum:
Quodque potest alios perdere, perde prius.
Vtilius gladios & tela nocentia carpes,
Nil opus est illis: ocia mundus agat.
Sarcula nunc, durúsque bidens, & vomer aduncus,
Ruris opes niteant: inquinet arma situs.
Conatúsque aliquis vagina ducere ferrum,
Astrictum longa sentiat esse mora.
At tu ne viola Cererem, semperque colonus
Absenti possit soluere vota tibi.
Dixerat, à dextra villis mantile solutis,
Cúmque meri patera thuris acerra fuit.
Thura focis, vinúmque dedit, fibrásque bidentis,
Turpiáque obscœnæ vidimus exta canis,
Tum mihi, Cur detur sacris noua victima, quæris?
Quæsieram, causam percipe, Flamen ait:
Est canis (Icarium dicunt) quo sidere moto
Tota sitit tellus, præripitúrque seges.
Pro Cane sidereo canis hic imponitur aris,
Et quare fiat, nil nisi nomen habet.

V. Kalend. Maij, qui est dies Aprilis XXIX. Floralia erant: de quib. kalendarium: F. NP. LVD. Flor. hoc est, Nefastus primò, Ludi Floralia.

FLORALIA, inquit Plinius lib. 18. cap. 29. IV. Kalend. Maij instituerunt Romani, anno Vrbis IↃXVI. ex oraculo Sibyllæ, vt omnia bene deflorescerent. Hunc diem Varro determinat, Sole tauri partem quartamdecimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges, & omnia quæ florebunt lædi necesse erit. Ouid.

Cum Priami coniunx Tithonia fratre relicto,
Sustulit immenso ter iubar orbe suum:
Mille venit variis florum Dea nexa coronis,
Scena ioci morem liberioris habet.
Exit & in Maias festum Florale Kalendas &c.

De Floralibus plura dicemus libro proximè sequenti.

Pridie Kalendas Maij sacrum fiebat Vestæ Palatinæ; de quo Ouid. quamuis obscurè:

Aufer Vesta diem, cognati Vesta recepta est
Limine, sic iusti, constituere Patres, &c.

AD CAP. VII.

PARALIPOMENA.

Parricidium Idus Martiæ dictæ: & Salis.

HIstoriam omnes sciunt, cur Idus Martiæ parricidii nomine vocarentur, quod nempe C. Iulius Dictator, postea parens patriæ Senatusconsulto appellatus, interfectus fuerit. reliquos præterire licet eius rei scriptores, vnicus sufficiet: C. Suetonius, qui in Iulio cap. 88. *Curiam in qua occisus est, obstrui, placuit, idésque Martias parricidium nominari, ac ne vnquam ea die Senatus ageretur.* Et in eodem cap. 80 *cuncti an in sacra via, an in aditu theatri adorirentur, postquam Senatus Idibus Martiis in Pompeij curiam edictus est facilè tempus & locum prætulerunt.* Et cap 81. *immolantem aruspex Spurina monuit vt caueret periculum, quod non vltra idus Martias proferretur. Pridie autem easdem idus auem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, volucres varij generis ex proximo nemore persecutæ, ibidem discerpserunt.* Atque in illius rei memoriam Augustus nominis, familiæque hæres, captiuos bello Perusino eodem die trucidari voluit. Idem Sueton. in Augusto cap. 15. *scribunt quidam, trecentos ex dedititiis electos vtriusque ordinis, ad aram Diuo Iulio extructam idibus Martiis, hostiarum more mactatos.* meminerunt & alij: Val Max. in lib. 8. cap. 11. tit. 2. *prædixerat C. Cæsari vt proximos triginta dies quasi fatales caueret, quorum vltimus erat idus Martiæ. & cum forte vterque mane in Domum Caluini Domitij ad officium conuenisset, Cæsar Spurinnæ, equid scis idus Martias iam venisse? & is, etquid scis illas nondum præteriisse?*

Quod illi, & Dio Cocceianus lib. 44. & Ioannes Xiphilinus, & Iulius Obsequens in libello de Prodigiis, & alij, scientiæ Spurinnę auguris adscribunt ipsi Cæsari, solus, quod sciam, C. Plinius assignat lib 18. cap. 26. *Cæsar & idus Martias ferales sibi annotauit, Scorpionis occasu.* vt memoria lapsus sit Stephanus Clauerius ad finem lib. 3. Claudiani de laudib. Stilichonis, qui *non idus, sed Kalendas Martias parricidium* hoc facit. vide P. Ouidium lib. 3. Fastor.

Præteriturus eram gladios in principe fixos
Cum sic è sanctis Vesta loquuta focis.

Quid autem sit parricidium, quibus legibus vetitum, qua pœna in illud animaduerteretur? dicam abundè infra hoc opere lib. 8. cap. 25.

De *Vestæ sacris*, quæ incidunt in pridie Nonas Martias dixi supra hoc opere, lib. 2. cap. 12.

De *Saliis* quis notissima velit dicere? adi ad Helenium Acronem interpretem vetustū Qu. Horatii ad lib. 1. Carm. odd. 36. 37. Erasm. Roterodam. in Adagiis. D. Auson. Epist. 33. ad Paulum.

Nam mihi non saliare epulum, non cœna dapalis.

Corrigendus Q. Symmachus lib. 1. epist. 23. *Breuis in manus meas pagina recens à te profecta peruenit, erat quidem illa Atticis salibus respersa, & thymo odorata* (alii legunt, *odora*) *sed parcior, quæ magis fastigium detegeret, quàm famem frangeret, quasi ego cœnas dapales, & saliare conuiuiū tum viscerationes atque epulum postulauissem, tu mihi mensas secundas, & scitamenta exiguæ lancis apponeres:* legendum omnino est, *quid? quid si ego cœnas dapales & saliare conuiuium postulauissem, tu mihi mensas secundas & scitamenta exiguæ lancis apponeres?* Cultissimè Statius in Epicedio patris lib. 5. sil. 2. vers. 162.

Sub te Dardanius facis explorator opertæ,
Qui Diomedæi celat penetralia furti,
Creuit, & inde sacrum didicit puer arma probare
Monstrasti Saliis præsagámque æthera certis
Auguriis, cui Chalcidicum fas voluere, carmen,
Lintea cui Phrygij est coma Flaminis, & tua multum
Verbera succincti formidauere luperci.

M. Annæus Lucan. lib. 1. Pharsaliæ v. 603. & eiusdem operis lib. 9. vers. 460. de Saliorum clypeis.

Arma timent gentes, hominúmque erepta lacertis
A superis dimissa putant, sic illa profecto
Sacrificio cecidere Numæ, quem lecta iuuentus
Patricia ceruice mouet spoliauerit auster,
Aut Boreas populos ancylia nostra ferentes,

Patricios eos fuisse liquet ex narratione Lucani ista, & historicis omnibus, & *gestamina Patriciorum* tulisse, nisi quod *trabea* eos Dionysius Halicarnassæus voluit vestiri, Liuius *toga picta*, quod obseruatum à Marcello Donato pag. 142. Et trabeatos describit Aldus Manutius in quæsit. per Epist. 3. quid discriminis autem inter togam pictam sit, & trabeam, expediam infra hoc opere, in Tractatu, de Triumphis, & de Magistratibus lib. 10. cap. 29. & lib. 7. cap. 9.

AD CAP. VIII.

PARALIPOMENA.

Fortuna virilis, & dearum nomina in Masculino concepta.

De

DE Fortunæ nominibus variis, ac potestate, lege quæ à me sunt dicta supra lib. 2. ca.16. addendum antiquum hoc fragmentum marmoris Prænestini, vnde clarum fiat ei deæ non minus quam aliis, donaria voueri solita, eámque communi veluti ara, cum Apolline, & Ioue collocatam. verba sunt:

TV. QVÆ. TARPEIO. COLERIS. VICINA. TONANTI.
VOTORVM. VINDEX. SEMPER. FORTVNA. MEORVM.
ACCIPE QVAE. PIETAS. PONIT. TIBI. DONA. MERENTI.
EFFIGIEM. NOSTRI. CONSERVATVRA. PARENTIS.

Et aliquot versibus interiectis.

OMNIBVS. HIC. ANNIS. VOTORVM. MORE. SVORVM.
CENTENAS. ADICIT. NVMERO. CRESCENTE. CORONAS.
FORTVNAE SIMVLACHRA. COLENS ET APOLLINIS. ARAS.
ÆGIRIVMQ. IOVEM. QVORVM. CONSENTIT. IN ILLO.
MAIESTAS.

Hanc *virilem* nominabant & Kalendis Aprilis colebant: Dionysius Halicarnass. lib. 4. & forte eadem est, quę *Mascula* appellabatur, siue quod viros puellis assignaret, siue quod virili habitu locaretur, & Masculino nomine honoraretur, vnde paulo ante in vetusta Inscriptione.

—Consentis in illo (nempe) *Fortuna, Maiestas.*

C. Petronius in bellor. ciuil. descriptione, vbi hæc de se ipsa loquitur Fortuna.

Muneribusque meis irascor, destruet istas
Idem qui posuit molem Deus.

Copiosè, vt solet, Lactantius Firmianus lib. 3. diuinar. Institu. ca.29. *Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus euentus, verum Philosophi ne aliquando non errent, in re stulta volunt esse sapientes, qui Fortunæ sexum mutant, eamque non Deam sicut vulgus, sed Deum esse dicunt. eundem tamen interdum Fortunam, interdum, Naturam vocant.* Martialis Coquus lib. 2. epigr. 24.

Si det iniqua tibi tristem Fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiorque reo.

Et paucis interiectis sequitur.

Mecum ergo miser es, quod si Deus ore sereno
Annuerit, felix, Candide, solus eris.

Neque id modo de Fortuna verum, sed & de aliis deabus, quas promiscuo cum diis genere efferebant. De Minerua, Diogen. Laërt. lib. 2. in vita Stilponis in principio, quod ex aliis, & præsertim Macrobio, Critici obseruant: adde Seruij Honorati authoritatem ad v.632. lib. 2. Æneid. & ad initium libri 1. Georgic. Et de fama P. Statius lib. 10. Theb. vers. 675.

Vt verò auersæ gressumque habitumque notauit,
Et subitam à terris in nubila crescere Manto,
Obstupuit, sequimur, diuum quicumque vocasti,
Nec tarde paremus, ait.

Turnus ad Iridem libro 9. Æneid. in principio.

—sequimur te, sancte deorum
Quisquis es.

De Nemesi L. Seneca in Hercule Furente Act. 2. sc. 3.

Dominare tumidus spiritus altos gere,
Sequitur superbos vltor à tergo Deus.

Alb. Tibull.

Hic iuuenis quondam miseros laudabat amantes
Nescius vltorem post caput esse Deum.

De Cerere, seu Proserpina Cl. Claudian. li. 1. de Raptu in limine.

—Claram dispergere culmina lucem
Aduentum testata Dei.

De Venere P. Virgil. li. 2. Æneid. loco iam laudato.

Descendo, ac ducente deo.

Sic enim Seruius egit licet in MS. Codice Collegii Autunensis Lutetiæ habeatur,

Descendo, ac ducente Dea.

Sed priorem lectionem & Heluius Cinna confirmat.

Pollentémque Deum Venerem.

Græci eodem modo, nam Palladij li. 2. Antholog. c. 27. epigr. 1 Κύπριν θεὸν dicitur. Dicam fusius ad locum Claudiani citatum.

De Parilibus, seu Palilibus, aut festo vrbis Romæ natali, quæ in hoc mense celebrari solebant, repete ex iis, quæ à me discussa sunt supra, hoc opere lib. 1. cap. 1.

De Robigo, & Robigalibus, quæ in hunc mensem incidunt, dixi supra libro primo Reg 5.

Denique de Flora, Floralibúsque, quorum solennitas isto mense celebrata, vide lib. 2. cap. 20.

CAPVT IX.

De mense Maio, & Festis in eo diebus.

serpentésque in templo eius nec terrentes, nec timentes indifferenter apparere. Viros etiam ab eius sacris arceri. Hæc ferè Macrobius. Festus hoc sacrificium Damium appellari scribit his verbis: Damium sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonæ Deæ, dictum à contrarietate, quòd minimè esset δημόσιον, id est, publicum. Dea quoque ipsa Damia, & sacerdos eius Damiatrix appellabatur. Ad quem locum Iosephus Scaliger annotat, falsum esse, quod Festus scribat ἀντιφραστικῶς dictum Damium, quod minimè sit publicum: imò ita dictum, quòd pro populo fieret, & Iuuenalis adducit versum:

Pro populo faciens quantum Saufeia bibebat.

Fiebant autem hæc sacra à matronis in æde Pontificis Maximi. Itaque cùm in ædibus C. Iulii Cæsaris, qui tum Pontifex Maximus erat peragerentur, P. Clodius muliebri vestitu indutus, in iis deprehensus fuit, & ita sacra ea polluit: qua de re Cicero, Plutarchus & alii sæpe.

II. die Maii, qui Latinè VI. Non. dicitur. Compitalia erant, quorum sic meminit Kalendarium:

B. F. COMP. hoc est, Fastus, Compitalia.

COMPITALIA, inquit Varro, dies attributus Laribus, vt alibi, ideò, vbi viæ competunt, tum in Compiteis sacrificatur: quotannis is dies concipitur. Festus: Compitalia festa, quæ in compitis peragebant. De his sacris apud Macrobium lib. 1. Saturnaliorum, cap. 7. Albinus Cæcinna: Qualem nunc permutationem sacrificii Prætextate memorasti, inuenio posteà compitalibus celebratam, cùm ludi per Vrbem in compitis agitabantur, restitui scilicet à Tarquinio Superbo Laribus, ac Maniæ ex responso Apollinis, quo præceptum est, vt pro capitibus supplicaretur. Idque aliquandiu obseruatum, vt pro familiarum sospitate pueri mactarentur Maniæ Deæ, matri Larium. Quod sacrificii genus, Iunius Brutus Consul pulso Tarquinio aliter constituit celebrandum. Nam capitibus allij & papaueris supplicari iussit, vt responso Apollinis satisfieret de nomine capitum, numero scilicet scelere infaustæ sacrificationis. Factúmque est, vt effigies Maniæ suspensæ pro singulorum foribus, periculum si quod immineret familiis, expiarent. Ludósque ipsos ex viis compitorum, in quibus agitabantur, compitalia appellitauerunt. Hæc Macrobius. Dionysius Halycarnassæus libro 4. de Compitalibus scribit, ea paucis post Saturnalia diebus celebrata fuisse, sacrificiúmque ministrantibus seruis peractum. Verba eius sunt hæc: Sacrificiis Compitalia sacra facientibus non ingenuos, sed seruos ministrare voluit Tullius, quasi hoc gratius esset Laribus: quod festum nostra quoque ætate Romani agitant, paucis diebus post Saturnalia, cum primis celebre, & sumptuosum, Compitalium appellatione: duratque mos ille priscus in sacris placandi genios per seruorum ministeria, qui temporaria libertate fruuntur, per eos dies, vt hac humanitate mansuetiores redditi, dominos chariores habeant & leuiùs ferant suæ fortunæ inclementiam. Hæc ille. Fuerunt tamen hæc sacra non stata, sed conceptiua, vt initio huius libri docuimus. De compitalibus etiam Suetonius in Augusto, cap. 31. Compitales Lares ornari bis anno instituit, vernis floribus & æstiuis, &c.

VII. Id. Maii, qui est dies mensis eiusdem nonus, Lemuria erant. Sic enim Kalendarium:

A. LEM. N. hoc est, Lemuria, Nefastus.

LEMVRIA dicebantur à Lemuribus, qui re diuina facta his diebus placabantur: de quibus Nonius Marcellus: Lemures laruæ nocturnæ, & terrificationes imaginum & bestiarum. Varro de vita populi Romani, libro 1. Quibus temporibus in sacris fabam iactant noctu, ac dicunt, se Lemures domo extra ianuam eiicere. Porphyrio interpres Horatii, in 2. epistolam, lib. 2. Lemures, inquit, dictos esse putant, quasi Remures à Remo, cuius occisi vmbram frater Romulus cùm placare vellet, Lemuria instituit, id est, Parentalia, quæ mense Maio per triduum celebrari solent, ante additum anno mensem Februarium: ob quam rem Maio mense religio est nubere. Hactenus Porphyrio. Et hæc sacra tribus noctibus, non continuis, sed interueniente semper vna nocte celebrabantur, vt in Kalendario notatum est. De iisdem Ouidius:

Hinc vbi sustuleris formosa ter Hesperus ora,
Ter dederint Phœbo sidera victa locum.
Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri,
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat breuior, nec adhuc pia februa norant.
Nec tu dux mensûm, Iane biformis eras.
Iam tamen extincto cineri sua dona ferebant,
Compositique nepos busta piabat aui.
Mensis erat Maius, maiorum nomine dictus,

Pontibus infirmos præcipitasse senes.
Tibri, doce verum, tua ripa vetustior vrbe est.
Principium ritus tu bene nosse potes.
Tibris arundiferum medio caput extulit alueo,
Raucáque dimouit talibus ora sonis:
Hæc loca desertas vidi sine mœnibus herbas,
Pascebat pauens vtraque ripa boues.
Et, quem nunc gentes Tiberim norúntque timéntque,
Tunc etiam pecori despiciendus eram.
Arcadis Euandri nomen tibi sæpe refertur,
Ille meas remis aduena torsit aquas.
Venit & Alcides turba comitatus Achiua,
Albula, si memini, tunc mihi nomen erat.
Excipit hospitio iuuenem Pallantius Heros,
Et tandem Caco debita pœna fuit.
Victor abit, secumque boues Erithræida prædam
Abstrahit, at comites longiùs ire negant.
Magnáque pars horum desertis mansit in agris,
Montibus his ponunt spémque, larémque suum.
Sæpe tamen patriæ dulci tanguntur amore,
Atque aliquis moriens hoc breue mandat opus.
Mitte me in Tyberim, Tiberinis vectus vt vndis
Littus ad Inachium puluis inanis eam.
Displicet hæredi mandati cura sepulchri,
Mortuus Ausonia conditur hospes humo.
Scirpea pro domino in Tiberim iactatur imago,
Vt repetat Graias per freta longa domos.

Eodem die Mercatorum festus erat, quod eo die Mercurij ædes dedicata, vt Liu. anno CCLIX. Atque è Mercurij fonte, ad portam Capenam mercatores aspergebant se laureo termite immerso, vberioris quæstus gratia. Ouid.

Templa tibi posuere Patres spectantia Circum
Idibus ex illo hæc est tibi festa dies.
Te, quicunque suas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas vt sibi lucra, rogant.
Est aqua Mercurij portæ vicina Capenæ,
Si iuuat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & vrna
Purus suffusa, quam ferat haurit aquam.
Vda fit hinc laurus, lauro sparguntur ab vda
Omnia, quæ dominos sunt habitura nouos.
Spargit & ipse suos lauro rorante capillos,
Et peragit solita fallere voce preces.
Ablue præteriti periuria temporis inquit,
Ablue præterita perfida verba die.
Siue ego te feci testem, falsóve citaui
Non auditurí numina vana Iouis:
Siue Deum prudens alium, Diuámque fefelli,
Abstulerint celeres improba verba Noti.
Et pereant veniente die periuria nobis,
Nec curent superi si qua locutus ero.
Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro,
Et fac, vt emtori verba dedisse iuuet.
Talia Mercurius poscentes ridet ab alto,
Se memor Ortygias surripuisse boues.

XII. Kalend. Iunij Agonalia siue Agonia erant, de quibus Kalendarium: F. AGON. N. P. est, AGONIA, siue AGONALIA; Nefastus primò. Ouid.

Ad Ianum redeas, qui quæris Agonia quid sint,
Quæ tamen in Fastis hoc quoque tempus habent.

De AGONIIS siue Agonalibus diximus supra. X. Kalend. Iunij, Tubilustria erant, quorum

ita meminit kalendarium: G. TVB. N. P. hoc est, TVBILVSTRIA, Nefastus primò. De his diximus in Martio. Ouid.

Proxima Vulcani lux est, quam Lustria dicunt,
Lustrantur puræ quas facit ille, tubæ.

Sequenti die qui est XXIV. Maij, Latine IX. kal. Iunij dicitur, erat refugium alterum, de quo ita kalendarium: Q REX. C. F. hoc est. QVANDO REX COMITIAVIT, FAS: quæ verqa, quomodo sint intelligenda, & qui ritus, quæve cæremoniæ huius diei fuerint, etiam in Martio docuimus, Ouidius:

Quatuor inde notis locus est, quibus ordine lectis
Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest.

IIX kalen. Iunij, qui est XXV. Maij dies erat Consecrationis ædis Fortunæ publicæ, cuius ita meminit Ouidius:

Nec te prætereo populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce sequente datum est.

De Fortuna Publica diximus libro harum antiquitatum secundo, quæ inde repetantur, Atque tantum etiam de mense Maio: sequitur Iunius.

AD CAP. IX. PARALIPOMENA.

Dierum discrimen, quid atrum, album. Compitalitiæ feriæ, Lares Domestici, viales, vrbani.

DE dierum differentia, variisque nominibus ex Macrobio, Seruio, Censorino, & aliis passim, plerisque iam præoccupatum: adscribam tamen non inutile Pauli Manutij patris opusculum, deinde ad disquisitionem penitiorem regrediar.

PAVLI MANVTII PATRIS.

DE VETERVM DIERVM RATIONE.

SI in duo dierum genera distribui Annum oporteat, multifariam recte diuidetur, vt sic, Annus constat ex Diebus vel Fastis, vel Nefastis: aut sic, ex Diebus vel Fastis, vel Profestis: aut sic, ex Diebus vel Senatoriis, vel non Senatoriis: aut sic, ex Diebus vel Comitialibus, vel non Comitialibus. harum enim quatuor diuisionum si separatim singulæ considerentur, totum Annum quælibet complectitur. Nos autem cum de Diebus ea, quæ scitu digna censuimus, quæque ad Romanæ historiæ notitiam valde pertinent breuiter ostendere instituerimus: ex his diuisionibus vtemur ea, in qua quæ maior pars est, (duas enim partes habent singulæ) ea, cum ea parte, quæ in aliis diuisionibus item maior est, comparata, vberior aliquanto esse cognoscitur. incipiemus igitur à nominatis in prima diuisione, Fastis & Nefastis: quandoquidem Fasti quæ duarum primæ diuisionis partium plenior est, plures in Anno sunt, quam quæcumque pars in tribus reliquis diuisionibus latius patet, hoc est, quam vel Profesti, vel non Senatorij, vel non Comitiales. quod si quis opponat, in kalendario plures notatos esse dies littera C, quam littera F, vnde plures significantur Dies Comitiales, quam Fasti, itaque non recte me à Fastis, vt à pleniore parte, exordiri, sciat, non à me Fastos modo vocari, quos notatos littera F, videmus, sed omnes plane, quibus fari tria verba, Do, Dico, Addico, Prætori licebat, quorum è numero Comitiales erant, & ij, quos in kalendario hæ litteræ demonstrant, EN. NP. Q. REX. C. Q. S. T. D. F. P. quibus omnibus cum fari liceret, etiam si non id semper fieret, qua de caussa notati sunt aliis litteris potius, quam F, vt indicetur, præter Fari, aliquid etiam fieri licuisse, non absurde mihi facere videor, si ad Fastos, littera F notatos, qui quidem vere Fasti dici possunt, quod iis aliud prorsus nihil fiebat, quo prætor à iure dicendo impediretur, eos quoque dies aggrego, quibus Fari semper quidem licebat, non tamen, quod liceret, fieri semper solebat, vt omnino tria essent genera, quibus de singulis agetur suo loco, primum Fasti ij quibus fari semper & liceret, & soleret, qui notantur littera F, suntque omnes XXXVIII. hi & proprie erant Fasti, & toti, proprie, quod per eos nisi cum aliquis casus extra ordinem interueniret nunquam Prætor ius non dicebat: toti, quod Fari horis omnibus liceret. Alterum genus fuit, Fasti ij qui & ipsi proprie Fasti erant, sed non toti, quod iis quidem omnibus Fari, non tamen horis omnibus, liceret, erant autem hi, EN. NF. F. P. EN. Q. REX. C. Q. S. T. D. quas litteras infra explanabimus, atque hi erant omnes LXV. Tertium genus Comitiales fuere, casu Fasti non proprie, quia, cum

Comitia non haberentur, tunc fari solum Prætor solebat, hi modò toti erant Fasti, cùm nulla scilicet Comitia haberentur: modò ex parte, cùm haberentur illa quidem, sed minimè per totum diem: hi CLXXXIV. erant. Nos Fastos omnes vocamus quibuscunque Fari liceret, siue Fasti propriè, siue non propriè essent. itaque, ab his profecti, paulatim progrediamur diuidendo, vt qui nobis propositus est huius narrationis finis, eo perueniamus. Omnes igitur Dies aut Fasti sunt, aut nefasti: & Fasti, partim Festi, partim profesti. Festos plerosque partim Fastos, partim Nefastos fuisse, vt Quirinalia, Lupercalia, Terminalia, ex Kalendario cognoscitur, quibus enim Festis diebus adscriptum est NP. ij sunt Nefasti simul, & Fasti, Nefasti, priore parte, Fasti posteriore. Dies Feralis adscriptam habet F. qui Festus propriè non fuit, sed gestandæ ad mortuos cœnæ dicatus dies. quod quia non hora stata fiebat, sed vt cuique commodum erat: ideò totus dies potuit esse Fastus, propterea, vt opinor, littera F. notabatur. Festis porrò diebus, non dubito, quin omnibus haberi Senatum licuerit, cuius rei exempla sunt in Antiquorum libris admodum multa, quanquam solemne hoc non erat vt semper diebus Festis Senatus haberetur, sed legitimum, vt haberi posset, solemne autem illud, ac statum, ex more maiorum vt Kalendis, Nonis, Idibus, haberetur. itaque in Kalendario neque Kalendis, neque Nonis, neque Idibus littera C, quæ Comitiales dies significabat, per quos haberi Senatus non poterat, neque diebus omnino vllis Festis adhæret. Profesti dies aut Fasti erant, aut Nefasti, & omnibus Profestis Nefastis haberi Senatum licebat, Profestis autem Fastis non planè omnibus, sed iis tantùm qui comitiales non essent, quibus autem Profestis haberi Senatus poterat, iis omnino Agi cum populo non poterat. contra, quibus Profestis haberi Senatum non liceqat, iis Agi quidem cum Populo licebat, nec tamen semper agebatur: cum ea res ex eorum voluntate penderet, penes quos Populi cogendi potestas esset. non enim, quod licet, id etiam necesse est. Quod autem dixi, comitialibus haberi Senatum non licuisse: declarant illa verba, in epistola Ciceronis ad fratrem, quæ tertia est lib. II. consecuti sunt dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat, & illa in S.C. quod Cœlius ad Ciceronem misit Ep. fam. lib. IIX. Vtique eius rei caussa per dies comitiales Senatum haberent, S. Q. C. facerent. Quibus verbis, quod extra ordinem à Senatu eo SC. decretum est, id omnino fieri solitum non esse, dilucidè constat. ita Senatus Fastis quibusdam haberi poterat, quibusdam non poterat; siquidem comitiales inter Fastos iam retulimus. Nefastis autem haberi omnibus potuisse, iam diximus. Sanè, qui me torqueat, nodus est, mihi quidem perdifficilis, in epistola ad Atticum lib. I. in qua, cum dixisset iam, Nam, cum dies venisset rogationi ex S. C. ferendæ, paucis post versibus subiunxit, Senatus vocatur. quod certè mos maiorum minus ferre videbatur. nam, si Rogationi ferendæ dies est, certè comitialis est: quòd si comitialis, haberi Senatum profectò non licet: cuius rei testimonio sunt ea quæ paulo ante recitauimus, & ex epistola ad fratrem verba Ciceronis & è S. C. nisi factum id esse extra ordinem dicamus, vt Pisonis Consulis iniquissimis conatibus obuiam iretur: qui cùm esset lator rogationis, & eius Rogationis, quam ex S.C. & de religione ferebat, idem tamen erat dissuasor. Comitialium magnus erat numerus: eosque fuisse dies Fastos, quod supra dixi, ita existimo, vt mihi videar affirmare posse. non enim inani quadam coniectura, sed certa in primis, vt puto, ratione commoueor, video enim in Orationibus Ciceronis, in Pisonem de Prouinciis consularibus, pro Sextio mentionem fieri ea de lege, qua P. Clodius Tribunus pl. sanxit, vt omnibus diebus Fastis Agi cum Populo liceret, quo fit apertum, Fastis quibusdam non id licuisse, quod vt omnibus liceret, lege Clodia sancitum est, quam tamen legem non fuisse obseruatam, demonstratum est à nobis in libro de Legibus Romanis.

Nec ego mirari satis possum, cum Fastos aliquot fuisse comitiales, pateat, qui venerit in mentem Macrobio, Fastis dicere lege agi licuisse, cum Populo non licuisse, comitialibus autem vtrumque licuisse, quorum alterum verè dictum constat, comitialibus, inquam, & lege agi, & cum populo licuisse: quia scilicet comitiales erant de numero Fastorum: itaque & illud omnium Fastorum commune habebant, vt lege agi posset, & hoc præterea proprium, vt etiam cum populo posset. Alterum autem de fastis diebus, quibus aut lege agi licuisse, cum populo non licuisse, in prima parte verum esse video. in secunda qui possit non esse falsum, haud facilè reperio. qui enim Fastis agi cum populo non licet, cum Comitiales omnes Fasti sint, & comitialibus agi licuisse cum populo, iam ostenderim? dixisset hoc modo, Fastis omnibus lege agi licet, cum populo non omnibus licet: nihil erat, quod reprehenderes, siquidem, quod docuimus, quibusdam Fasti agi cum populo poterat, quibusdam non poterat: quibus poterat, eos si

quis Fastos, aut Fastos comitiales diceret, non erraret, cùm dies fuerit nullus comitialis, quin idem & Festus: sed comitiales potius, quàm Fasti, vt à reliquis Fastis proprio nomine distinguerentur, & comitiales item potius, quàm Fasti comitiales, breuitatis caussa vocabantur. Verum, quia libenter, quantum in me est, Antiquitatem soleo tueri, Macrobium à quo multa didici, quasi gratiæ referendæ loco, ita conor excusare: vt, cùm Fastos nominauit, de iis tantum intellexerit, qui Fasti vulgò dicebantur, non etiam de iis, qui & si Fasti ipsi quoque erant, comitiales appellabantur. Spectauit igitur non verbi vim, quæ dies omnes, quibus Prætor tria verba fari posset, siue comitiales essent, siue non, complectitur: sed consuetudinem loquendi, quod Fastos nominabant eos, quibus tantum lege agi posset, cùm eos, quibus cum populo agi posset, comitiales præcipuo vocabulo mallent appellare. Quæritur hic fortasse: cum comitiales omnes essent Fasti, iisque & cum populo, & lege agi posset cum populo, quia comitiales: lege, quia Fasti, fieret ne simul vtrumque. Negatur. nam, & si licebat vtrumque eodem die, non tamen vtrumque poterat eodem tempore, cùm enim Populus in Forum conuenisset, quid iudicibus, aut litigantibus loci relinqueretur? porrò, si vacaret locus, quî tamen posset Prætor, aut Iudices, in tanto strepitu, quantus coactæ in vnum locum multitudinis solet esse, eorum, qui caussas agerent, orationes attentis auribus, animisque, vt par est, excipere? sedata mente diligenter aliquid considerantibus opus est. Itaque absurdum est credere, potuisse eodem tempore, & cum populo agi, & iudiciis operam dari: sicuti Fastis iis, qui comitiales non erant, eodem quidem die non tamen eodem tempore, & Lege actum, & Senatum esse habitum inuenio: iste, vt Lege ageretur primum, deinde Senatus haberetur, quod cum ex aliis locis, tum ex III. & XII. epistola libr. II. ad Quintum fratrem intelligitur. Ergo, cùm omnes comitiales essent Fasti, non quia semper Lege ageretur, sed quia semper liceret si modò cum populo non ageretur, (nec enim vtrumque simul fieri, iam diximus) ita concludemus: Fastos, littera F. in kalendario notatos iurisdictionem omnes habuisse, Fastis littera C. notatis, & ius dici, & agi cum populo eodem die, non eodem tamen tempore potuisse, ideoque Fastos eos quoque fuisse dico, non ex eo, quod fieret, sed ex eo, quod liceret. Hæc de Fastis: supersunt Nefasti. His omnino neque lege agi, neque cum populo licebat. cum enim opponantur Fastis, quorum è numero su comitiales, eo iure, quòd omnes Fasti, si comitiales, siue non comitiales, habent, pro sus careant necesse est. Festus etiam sic. D nefasto apud Prætorem lege agere, religi sum erat. Caussas tamen agi, & conciones haberi, & Legem promulgari licebat, na neque caussas agi, est Lege agi: neque co cionem haberi, aut Legem promulgari, e cum Populo agi. Quæ probare singula, ma gni negotij non est: Agitur lege, cùm Præt tria verba fatur, Do, Dico, Addico: qui e vltimus iudicij dies: cùm vero caussis audien dis Prætor operam dat, Lege tunc non ag tur. quare Festos esse necesse non est omne dies, quibus aut pro reo, aut contra reum di citur: sed, Fastum eum quidem esse necess est, quo Prætor, aut qui iudicio præest, cum consilio Iudicum sententiam ferre debet, taque in epist. 3. lib. 1. ad Quinctum fratrem Ad III Idus, inquit, dixi pro Bestia, de Amb tu, apud Prætorem Cn. Domitium. Quen tamen diem (est autem III. Idus Februar Fastum non fuisse Kalendarium indicat: no tatur enim, vt Nefastus, littera N. nec om nino de octo diebus qui ab Idibus appellan tur mense Februario Fastus vllus fuit, vlti mo tantum die, hoc est, Idibus ipsis, excepto qui Nefastus priore, Fastus posteriore parte fuit. Notatur enim sic, NP. Conciones, licet ad populum haberentur, non tamen comitiali tantum die, sed & Fasto, qui comitiali non esset, & Nefasto pariter haberi poterant. Nolo enim quenquam in eo falli, quia fortasse Agi ad Populum, & Agi cum Populo idem esse videatur, quæ diuersa sunt. nam Agebatur ad Populum, cùm ad Populum concionem aliquis habebat, vt Gellius docet lib. 13 cap. 5. Agebatur autem cum Populo, vt ait Festus, cum magistratus ad consilium, aut comitia, vocabat. quod fieri comitiali dumtaxat die licebat. Concionari autem omnibus æquè diebus licuisse, exempla demonstrant. itaque, quoties aliquod S.C. erat factum, dimisso Senatu, & S.C. ad populum recitato, magistratus aliquis, aut etiam priuatus Senator, Concione ei à magistratu data, ad Populum verba faciebat, nec tamen is erat dies comitialis, nam comitialibus fieri S.C. aut omnino Senatum haber non potuisse, demonstratum est, & Festus hæc aperte distinguit, cum ait: Forum est, in quo iudicia fieri, cum Populo Agi, conciones haberi soleant. Quo die igitur, Agi cum Populo, eodem, Agi apud Populum, licebat, quo autem, Agi apud Populum eodem, Agi cum Populo non semper licebat. Exempla sibi quisque notet in legendo, quod facillimum est, sunt enim infinita, itaque puto me facere non

non inepte, quod iis recitandis quæ passim extant, conterendum mihi tempus esse non existimem. Illud addendum vnum videtur: Cũ aduocabatur Concio, vt Populus aliquid suffragiis, rogante Magistratu, scisceret: tunc actum esse cum populo non ad populum: cum vero Magistratus, aut etiam priuatus aliquis, magistratu ei Concionem dante, ad Populum, verba faciebat, non vt suffragia deinde ferrentur, sed vt aliquid exponeretur, tunc non cum Populo, sed ad Populum actum esse. Aliud est igitur, Habere Concionem: aliud, Aduocare Concionem. Habere Concionem, est Agere ad populum: Aduocare concionem, si aduocatur, vt suffragia ferantur, est, Agere cum populo. ideo scripta sunt hæc apud Macrobium libro primo Sat. Iulius Cęsar Auspiciorum li. XVI. negat, Nundinis concionem aduocari posse, id est, Cum populo agi, ideóque Nundinis Romanorum haberi Comitia non posse. Addita enim sunt illa verba, Id est, Cum populo agi, quia non semper, concione aduocata, cum Populo agebatur, sed interdum ad Populum dumtaxat. Nundinis autem, cum Populo quidem agere, non licuit, ex quo sequebatur vt Comitia haberi non possent, ad Populum autem agere, hoc est concionem habere certe licuit. non enim aduersatur illud, quod à Cicerone scriptum est, lib. IV. ad Atticum: Ante diem x. kalend. Nundinę: concio biduo nullo. Quibus verbis, id quod factum non est: non id, quod non licuit, ostenditur. nam, cum haberi Nundinis Comitia non possent, quod non ex Macrobio tantum, verum etiam ex Plinio libro XVIII. cap. III. cognoscitur: propterea ne concionandum quidem P. Clodius, Appius, Metellus putauerunt, qui proximis diebus, Comitiorum caussa conciones habuerant. Superest de Lege promulganda. id enim de tribus, quæ proposuimus, erat tertium. Ferendæ Legis, & Promulgandæ non eadem ratio fuit. Ferebatur die tantum Comitiali: Promulgabatur etiam non Comitiali, siue Fastus, siue Nefastus esset. itaque C. Cato Tribunus pl. rogationem de abrogando Lentulo imperio, die non Comitiali promulgauit. cum enim & post IV. Nonas Februarii, & ante VIII. Idus eiusdem mensis promulgauerit: quod ex epistola III. libri II. ad fratrem colligitur: Comitiali die promulgare non potuit, ac nefasto quidem. Primi enim duodecim Februarii dies Nefasti omnes fuerunt. Haberi autem Senatum per Nefastos omnes, licebat: nec per omnes tamen, sed tantum, cum res postularet, habebatur: eorum Magistratuum, quibus id iuris erat, arbitratu. Ita Senatus in hoc præstare Populo videbatur, quod agi cum populo per vnum modo dierum genus, hoc est per Comitiales, quæ Fastorum pars erat, haberi autem Senatum per duo genera hoc est, & per Fastos eos, qui Comitiales non essent, & per Nefastos omnes, licebat. Erant præterea Dies aliquot promiscui, quibus totis lege agi, neque omnino licebat, sed partim Fasti erant, partim Nefasti. Horum tria erant genera: alij, prima & postrema diei parte, Nefasti, media Fasti, qui dicebantur intercisi, & in kalendario his duabus litteris notantur, EN, quod est, Endotercisi, pro Intercisi. Veteres enim Endo, pro In, vsurpabant. itaque dixit Cicero libro vndecimo, de Legibus, Quos endo cælum merita vocauerint. Et Festus notat, Endoitium pro, Initium. Varro autem libro III. de re Rust. Endo suam domum. Alij priore parte Nefasti, posteriore Fasti, qui notantur ipsi quoque duabus litteris, NP, sed coniunctis, hoc modo NP. quod valet: Nefastus primo, cuiusmodi fuisse dies fere omnes Festos, inspecto kalendario, cognoscitur, Nonnulli, priori parte Fasti, posteriore Nefasti, qui notantur sic, F. P. quod, Fastus primo, significat. quo ex genere videmus in Kalendario Vinalia fuisse. Dies eos, qui priore parte aut Fasti erant, aut Nefasti, de Veteribus, quod meminerim nemo nominat. de Fastis autem media diei parte, hoc est de intercisis Varro sic libro V. de lingua Lat. Intercisi dies sunt, per quos mane & vesperi est Nefas, medio tempore, inter hostiam cæsam, & exta porrecta fas, à quo, quod fas tum intercedit, Intercisi dies, aut quod Intercisum nefas. Patet iam, his litteris, quæ sunt in Kalendario, F. N C. F. P. NP. EN, sex dierum genera significari, Fastos, Nefastos, Comitiales, Fastos primo, Nefastos primo, Intercisos. Quid si cui veniat in mentem, hac duarum litterarum connexione NP, non significari, quod nos diximus, Nefastus primo, sed potius, Nefas Prætori, huius opinionis argumentum primo è coniectura, vel ex ipsa potius, vt ego sentio, ratione ductum, deinde etiam Historiæ veteris infirmat auctoritas. argumentum est hoc. Nemo, cui pauciora sufficiunt, pluribus vtitur. quid opus erat, vt ij Dies, quibus adscriptum videmus NP, Nefasti esse indicarentur, duas potius litteras, quam vnam, apponere? cur NP, inquam non N? præsertim cum Nefasti dies omnes hac vna littera, N, notentur? sicuti & Fasti, eorum quasi aduersarii vna littera, F, demonstrantur. Age, dicat aliquis, leue hoc esse, planéque nugatorium argumentum. quod sanè mihi videtur contra. quid Ciceroni respondebitur? mendaciine, & falsitatis quasi testem corruptum, aut inscientem arguemus?

non ita, vt opinor, quisquam desipiet. Sunt igitur hæc in Epistola, Risi, Ciceronis verba, lib. II. ad fratrem; Cognosce nunc Idus. Decimus erat Cœlio dies. Domitius ad numerum iudices non habuit. Quibus verbis, cum Idibus Februarii, de quibus Cicero loquitur, Fastum ex parte diem fuisse, satis constet: quandoquidem eo die Prætor Domitius, vt de reo cognosceret, sententiamque ferret, in Forum descendit: sequitur, vt N P, quod Idibus omnium mensium exceptis Iunii, in kalendario adscriptum videmus, Nefastus dies omnino significari non possit. Eodem in libro altera est Epistola, quæ sic incipit: Sextius noster absolutus est ad III. Idus Martias qui dies, si eo die Sextius absolutus est, certè Nefastus plane non fuit, fuit autem, cum ei sit adiunctum N P. priore quidem parte Nefastus, posteriore autem Fastus: sicuti & Idus Februarii, de quibus proxime diximus, & omnes dies, quibus in Kalendario N P. appositum animaduertimus. Aggrediamur nunc quando & de Dierum ratione, & de litteris eos significantibus, satis multa, atque etiam, vt arbitramur, satis vera dicta: alias quæ in Kalendario sunt, litteras, aut concisas, eoque obscuriores dictiones interpretari.

Dies ergo vel *præliares* erant vel *intercisi*, vel *festi*, *naturales*, vel *ciuiles*. Cornel. Vitel. cap. 28. & natura es quidem semper diuersi, pro ratione solis accessus, vel recessus, ciuiles duodecim horarum. Hieron. Magius libro 2. Miscell. cap. 5. vel *profesti*, vel *fasti*, vel *nefasti*, alij *infausti*, hoc *atri* aut inauspicati. Iuuenal. sat. 1.

——*Festis seruare diebus.*

Suetonius Augusto cap. 75. Claudio cap. 14. Olim certe æqualiter diei ac nocti horæ duodecim attribuebantur. Ianus Parrhasius quest. Epistol. 63. nomina eorum cur ab Imperatoribus mutata ostendit, disquirit Politianus Miscellaneor. capite octauo, cur à planetis desumpta?, Egnatius Racemat. capite 20. Achill. Statius Neapolitanus libro primo Obseruat. 9 Sunt denique *iuridiciarij*, quos ex C. Tacito notum est *negotiosos* vocari. Iul. Capitolin. in M. Antonino *festos dies iuridiciarios addidit, ita vt ducenti triginta dies in rebus agendis, litibusque disceptandis constituerentur: quos ordinarios* vocamus & *statos & constitutos*. Gulielm. Budæus in Annotat. prioribus in Pandect. Græcis κρίσιμοι, aliis *iudiciales* appellantur, de quibus forte intelligendus est C. Suetonius in Augusto capite 32. *Ne quod maleficium negotiumve impunitate, vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur actui rerum accommodauit*. actus sunt qualibet forenses actiones, quas Græci δίκας appellant.

Sed ad rem redeo. Dies nefasti qui sint repetatur ab Asconio Pediano in 3. Actione in C. Verrem. Plutarcho in Camillo, Prisciano Cæsariensi libro octauo, capit. secundo, ἀποφράδες ἡμέραι, Græcis dicuntur vt notatum à Ioanne Brodæo Libro 3. Miscellan. cap. 17.

Atros dixi nominari. L. Seneca de vita beata cap. 25. *ne quis mihi dies ater esset, prouisum est.*

Virgil. lib. 6 Æneid.

Abstulit atra dies.

P. Ouid. lib. de Arte.

Magna superstitio tibi sit natalis amicæ,
Quaque aliquid dandum est, illa sit atra dies.

Nominis ratio à coloris illius natura desumpta est, album enim pro fausto, bono, fortunatoque, nigrum, seu atrum pro inauspicato, infaustoque vsurpabant, vt meminit viris doctis obseruatum ad A. Persij Sat. 2. in principio: Porphyrion ad Q. Horat. lib. 1. Sat. 4. *niger est*, *id est malus*. & ad lib. 2. Epist. 2. *ater & albus id est malus & bonus*. Seruius *nigrum* exponit *noxium*, ad lib. 4. Æneid. vel 1. 5. 4 lib. 9. Æneid. *atrumque timorem*, id est *inauspicatum*. Turneb. lib. 22. cap. 7. vnde à rerum natura ... coloribus Cornices, corui, bubones, fuscæ coloris aues, inter inauspicatas recensentur. C. Plin. lib. 10. c. 12 L. Apul. lib. 2. Milesiar. *Iniectis auibus Larissam accessi, peragrata Thessalia*. Ouid.

Nigraque funestum concinit omen auis.

Contra album Albius Tibullus lib. 3. eleg. 6.

——*Et sint candida fata mea.*

L. Sen. Apolocynthosi de Nerone.

Candida de niueo subtegmine vellere sumit.

Hinc deorum filios, ipsos deos, aut inter deos relatos albis officiebant. Plato lib. 5. de Republica, Plutarch. lib. de discrimine adulatoris & amici de deo. Q. Horat. lib. 1. od. 2.

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.

Deorum in deorum numerum, Grammaticorum consensus est, nomine Daphnidis Virgiliani Cæsarem intelligi, de quo Eclog. 5.

Candidus insuetum miratur limen olympi,
Sub pedibusque videt nubes, & sidera Daphnis.

Seruius, *candidus*, *idest deus*. statuæ ipsæ candidis induebantur vestimentis. Seuer. Sulpit. Rhetor. de vita D. Martini lib. primo *quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulachra dæmonum candido tecta velamine misero per agros suos circumferre dementia*. Et curia ipsa cælestium, seu cælum lumine multo circumfusum, ornatúm-

ornatúmque ob deorum præsentiam, vt de circulo lacteo fabulosæ præferunt ambages. Papinius lib.1. Thebaid. de deorum concilio.

——Radiant maiore sereno
Culmina, & arcano florentes lumine postes.

Claudian.lib.1.de Raptu.

——claram dispergere culmina lucem
Aduentum testata dei.

Contrario sensu mortem nigram, inferos atros faciebant, apud Ælium Lampridium, in Commodo Augusto, certissimum mortis ipsius omen inde deductum, *quod in vestimentis nigris* (quæ luctui funeribusque & lugubribus solebant dedicari officiis vt infra probabo, vbi de funere) seu *pullis in ludis præsedisset.* Hesiodo in operibus & diebus Θάνατος μέλας, Mors atra dicitur, Iuuenal.Sat.1. *nigros* pro *mortuis* ponit.

Per famam & populos nigros efferre maritos.

Statius lib.9.Thebaid.

——nigra præcedunt nubila Mortis.

Et lib.4.Thebaid.vers.527.

Insepultis Mors atra sedet.

Inferi manesque nigri. Tibull.lib.3. eleg.3. *nigramque paludem.* idem Stat.lib.eodem vers. 631.

——Ille deos furiarumque atra fatigat
Concilia.

Et lib.6.Thebaid.vers.498.

——nec illud ianitor atra
Impauidus Lethes.

Et quæcumque aduersa, illo colore exprimebantur. S.I Italic.Punicor.lib 1.

Perfusaque atra fumabant cæde ruinæ.

Quo persuasa antiquitas in capitalibus sententiis ferendis calculos diuersi colores habebat. albis quidem absolutio continebatur, nigris lethale supplicium, quod notissimum ex historia Alcibiadis, scribente Plutarcho in Apophthegmatis ipsius, Æliano var. hist.lib. 13.cap 38 adstipulante P.Ouid. lib. 15. Metamorpho. fab.1.

Mos erat antiquis, niueis atrisque lapillis
His damnare reos, illis absoluere culpas.
Tunc quoque sic lata est sententia tristis, & omnes
Calculus immitem dimittitur ater in vrnam:
Quæ simul effudit numerandos versa lapillos,
Omnibus à nigro color est mutatus in album.

Quod à Thracibus videtur exordium sumpsisse. C.Plin.libro septimo capite 40. *calculos pro experimento cuiusque diei in vrnam conicit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronunciat.* alludunt M.Martial.lib.12. epigr.3.

Et si calculus omnis huc & illuc
Diuersus bicolorque digeratur,
Vincet candida turba nigrorum.

Q.Horat.lib.1.od.36.

Thressa ne careat pulchra dies nota.

Scio alios legisse aliter, de Cretensibus intelligentes versum istum, non de Thracibus, sed parum interest, nam vtriusque populi eadem consuetudo, vt ferri possit altera lectio: vt placuit Helenio Acroni, & Cornuto ad Sat. 2.Persij.

Cressa ne careat pulchra dies nota.

Albedo victoriam magnificabat, lætitiamque, quare & currus triumphantis, & vestis, & equi & puer. ad habenas, & victima ipsa, vt infra dicam, hoc colore sortem suam inhibebant. obiter Seruius ad illud lib. 3. Æneid.

Tondentes campum late candore niuali.

Quod non tantum mos is Romanis, sed & Athenensium, apud quos pro victoria sacra faciens, candida veste amiciebatur. Plutarch. in vita Demosthenis. Contra, clade aliqua afflicti, lugubria sed nigra vestimenta induebant, non Cornelius Lentulus prætor à Cicerone accusatus, *vestem purpuream magistratus sui indicem deposuit funestámque induit,* quod omnibus reis pæne necessarium credebatur: quod qui non fecisset, multum ei oberat, vt patet exemplo Milonis relegati, vt narrat Plutarchus in Cicerone.

Quod attinet ad cæremonias superis victimas albas offerri, inferis nigras, continuasse memorabile inferorum sacris. Plutarch. in Lucullo Valer.Maxim.lib.2.cap.1. de Valerio Publicola. Donatus Grammaticus *omnia nigra infeis mactat* ad illud lib.6.Æneid.

——Ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum.

Et lib.5.Æneid.

Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.

Alb.Tibull.lib 3.eleg.5.

Inferre nigras pecudes promittite Diti.

Papin.Stat.lib.4 Thebaid.vers 442.

Hic senior vates (Stygiis accommoda quippe
Terra sacris, multaque placent sola pinguia tabo)
Velleris obscuri pecudes, armentaque iussit
Atra moueri.

Quod in sacrificio funebri obseruatum, in quo quippe diis Manibus parentabant. Idem Statius in exequiis Archemori lib. 6. Thebaid vers.264.

Centum ibi nigrantis armenti robora taurum.

Lenta mo'e trahunt, idem numerusque, colorque
Matribus.

Et in magicis ritibus idem mos inualuit, vt hostia nigra esset. Virg. lib. 6. Æneid.

Quatuor hic primum nigrantes terga iuuencos
Constituit.

De deorum cælestium sacris etiam vulgatissimum est albas tantummodo hostias iis placandis adhibitas, *nam victima pro qualitate numinis dari solebat*, vt loquitur Seruius Maurus ad illud lib. 3. Aeneid.

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Adi ad eundem ad illud lib. 9. Æneid.

—— Ante aras aurata fronte iuuencum
Candentem.

D. Iuuenal. Sat. 10.

—— Duc in Capitolia magnum,
Cretatumque bouem.

Forte quod iucundissimus visui sit candor, vnde & albus asinus dictus Iunius Bassus, homo dicax, Quintilian. lib. 6. c. 3. *album* autem pro *iucundo* interpretatur Turnebus libr. 18. Aduersarior. cap. 35.

Denique pauperes, & rei pullati erant. C. Sueton. in Augusto cap. 40. *Habitum vestitumque pristinum reducere studuit, ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus, & clamitans ait.* C. Plin. Iunior. libro septimo epist. 17 *nam illos quoque sordidos pullatosque reueremur.* corrigendus M. Lucan. libr. 2. Pharsaliæ vers. 486.

At te Corfini validis circumdata muris
Tecta tenent, pugnax Domiti, tua classica seruas
Oppositus quondam polluto tiro Miloni.

Cur enim Milo pollutus? accusatum sciunt omnes, & forum cohortibus militaribus circonseptum. legendum est igitur, nisi ego fallor,

Oppositus quondam pullato tiro Miloni.

Titi. Calfurnius Siculus Ecloga 7.

—— Sed mihi sordes,
Pullaque paupertas, & adunco fibula morsu
Obfuerunt.

Et eodem loco postea.

Venimus ad sedes, vbi pulla sordida veste
Inter fœmineas spectabat turba cathedras.

Contra diuites, sed præsertim senatores, equites, & magistratus, candidis togis vtebantur. legendus Martialis lib. 8. Epigr. 28. lib. 7. Epigr. 10. Idem Calphurnius ecloga citata.

Aut equites, aut niuei loca densauere Tribuni.

D. Iuuenal. Sat. 10.

—— Niueosque ad frana Quirites.

Non me latet totam ciuitatem candidis vestibus incessisse quoties solemnitatem priuatam, aut festum publicitus indictum peragerent. Porphyrionem lege ad illud Q. Horatij lib. 2. Sat. 2.

Ille repotia, Natales, aliosque dierum
Festos, albatus celebret.

Imo in ludis amphitheatralibus, aut scænicis, nullo discrimine habito, plebeij iuxta ac patricij candidati spectabant. M. Martial. lib. 4. epigr. 2.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.

Compitalia in hoc mense peragebantur, quorum origo à Tarquinio Prisco rege. C. Plin. lib. 36. ca. 27. cum in foco repente membrum genitale apparuisset, Ocrisia regina Tanaquilis serua, & ancilla, ibi sedens, ex eo grauida facta est, sicque Seruium Tullum natum aiunt, qui Tarquinio successit, cui postea infanti in regis ædibus dormienti, cum caput ardere videretur, ex hoc creditur dei Laris filium fuisse, quamobrem primus diis Laribus compitalia instituit. licet T. Liuius 1. decad. lib. 1. Seruium Tullum ex vxore Seruij Tullij Corniculi principis, in expugnatione loci illius occisi, captiua facta natum & lib. 2. captiua Cornicula natum, patre nullo, matre serua, ingenio & virtute regnum obtinuisse. huic consentit Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. Eutropius hist. Rom. lib. 1. L. Sen. l. 3. Controuers. 9. sed ipsa Plinij verba adscribamus. *non præteribo & vnum foci exemplum, Romanis literis clarum, Tarquinio Prisco regnante tradunt repente in foco eius apparuisse genitale è cinere masculini sexus, eamque quæ insederat ibi Tanaquilis reginæ ancillam Ocrisiam captiuam consurrexisse grauidam, ita Seruium Tullum natum, qui regno successit, inde & in regia cubanti puero caput arsisse visum, creditumque Laris familiaris filium, ob id compitalia, & ludos primum Laribus instituisse.* Anno igitur vrbis conditę centesimo quinquagesimo exordium habuere Compitalia, quæ *longo temporum tractu per vicorum magistros curata, & tandem etiam pene abolita, renouauit L. Piso*, vt scripsit Asconius Pedianus in Orationem Ciceronis contra Pisonem: & post illum Augustus, teste Suetonio in eo capite 31. *nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis paulatim abolita restituit, vt salutis augurium, Diale Flaminium, sacrum lupercale: ludos sæculares & compitalitios.* Sed sacri ipsius ritum prosequamur.

Meminere

Meminere scriptores varij, præter eos quos alij nominarunt, adde M. Tullium lib. 7. ad Atticum epist. 7 *Ego quoniam 4. Non Ianuarias Compitalitius dies est, nolo eo die in Albanum venire molestus familiæ, veniam 3. Non. Ian.* in margine adscriptum, *in Albanum venire ne molestus sim. familiæ.* sed parum intereit. Iuninius Philargyrius ad vers. 381. libro 2. Georgicon Virgilianorum. *Compita, vt relatio.... placet, locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes, ex se via, atque itinere dirigens, siue is cum ara, siue sine ara siue sub tecto, siue sub diuo sit, vbi pagani agrestes buccina conuocati, solent certa inire concilia, hinc & lares Compitalitij & feriæ compitalitiæ* M Cato Rei rusticæ cap. 5. *rem diuinam nisi Compitalibus in compito, aut in foco ne faciat,* per seruos non vero ingenuos, hæc sacrificia peracta alij ne explicaremus, effecerunt, erudite singula discutientes. Horum originem ad Athenienses vocat Seruius Honoratus, *Thesidæ, inquit, Athenienses, qui primi ludos instituere liberales. Compita autem, vnde ludi compitalitij vocantur.* Ipse Virgilius loco laudato.

Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Thesidæ posuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis vnctos saliere per vtres.

Huc etiam viri docti trahunt illud eiusdem Virgilij Ecloga 5.

Pocula bina nouo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duos statuam tibi pinguis oliui,
Et multo imprimis hilarans conuiuia Baccho
Ante focum si frigus erit, si messis in vmbra.

M, Martial. lib. 3. epigr. 59.

Cingunt serenum lactes focum vernæ,
Et larga festos lucet ad Lares silua.

Neque vero stato aliquo, aut præscripto die recurrebant compitalia, vt cæteri dies festi, sed interdum bis terve singulis, vt liquet ex loco C. Suetonij proxime supra laudato, addendus D. Ausonius Eidyllio 25.

Et nunquam certis redeuntia festa diebus,
Cum sua per vicos compita quisque colit.

Cato proxime supra, aram Larium, cui imponebatur sacrificium, appellat focum. vt & eiusdem operis cap. 143. *coronam in focum indat, per eosque dies Lari familiari pro copia supplicet.* Helenius Acron ad oden 2. Epodon Horatij, *ara deorum Penatium est focus.* Porphyrion. *diis Penatibus sacer est focus.* quo in sensu passim poetæ. P. Ouid. lib. 3. Fastor.

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Num feror incestus sedes adiisse deorum,
Sertaque de sanctis diripuisse focis.

Accius Plautus Aulularia Act. 2. sc. 5.

Hæc imponentur in focum nostro Lari,
Vt fortunatas faciat gnatæ nuptias.

Seru. ad illud 12. Æneid.

In medijs que focis.

Sext. Aurel. Propert. lib. 4. eleg. 6. qui versus Iosepho Scaligero frustra ænigma videtur.

Costum molle date, & blandi mihi thuris honores.
Terque focum circa laneus orbis eat.

Quis enim nescit Ouidium *laneam vittam,* Propertium *laneum orbem* dixisse, quod lana, vt ex Plinio notissimum est familiare maxime indumentum subministraret, & ob id diis familiaribus, Laribus, eam maxime conuenire? C. Plin. li. cap. 3. *coronæ deorum honos erat, & Larium priuatorum publicorumque, ac sepulchrorum, ac Manium.* addo supernumerarios testes ipsum Propertium lib 3. eleg. 5. ex quo liquet coronam hanc laneam in expiatoriis, & magicis sacris receptissimam.

Et strygis inuentæ per busta iacentia plumæ,
Cinctaque funesto lanea vitta viro.

Scio & in pharmaceutria Virgiliana idem positum, sic enim ille.

Affer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta.

Nisi forte ex fide MS. codicis corrigere placet locum illum, hoc pacto, (vt non sit difficile intelligere nihil aliud à poeta designari, quam aram deorum Larium corona ornatam)

Terque focum circum laneus orbis eat.

Vt sit Tmesis, circumeat, id est coronet, cingat, vel ipso Propertio authore lib. 3 eleg. 5.

Rusticus hæc aliquis tam turpia prælia quærat,
Cuius non hederæ circumiere caput.

Porro Compitalia dicebantur Laribus deuota solemnia, quod in compitis, seu itineribus publicis Lares colerentur, viarum, non tantum familiarum præsides, seu domuum priuatarum. Arnob. lib. 3. contra gentes. *possumus si videtur, & summatim aliquid de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos esse ex eo quod Græci nominant λαύρας.* Ouid. l. b. 2. Fastor.

—— Geminósque parit, qui compita seruant.
Et vigilant nostra semper in æde Lares.

Plaut in Mercatore Act 5. sc. 2.

Vos Lares viales vt me bene iuuetis.

Et forte iidem sunt, quos *viales deos, & penates,* appellat Seruius ad illud lib. 3. Æneid.

Iasiúsque pater, genus à quo principe nostrum.

Erant namque alij Lares domestici, vt monui, qui suorum curam sortiti, pacato & quieto numine domum possidebant, vt loquitur Apuleius libro de deo Socratis & meminit Suetonius in Caligula cap. 5. & *familiarem*

Larem ideo vocat Catilina apud Salustium, Tertullian. Apologet. c.13 Plutarchus problemat. Roman. c.51. Alij vero vrbani, siue ipsius vrbis custodes, P. Ouid. lib. 5. Fastor.

Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus vrbis,
Et sunt præsentes, auxiliumque ferunt.

M. Lucan. lib. 1. Pharsaliæ. in recensione prodigiorum, quæ bella ciuilia præcesserunt.

—vrbisque laborem
Testatos sudore Lares.

M. Martial. lib. 3. epigr. 31.

Vrbanique tenent prædia culta Lares.

Hos putauit Turnebus lib. 19. Aduers. c. 13. *Hostilios* dici, quod ab vrbe, quam protegebant, hostes submouerent. Festus Pompeius libro 8. *Hostilis Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.* Sext. Propert. lib. 3. eleg. 2.

Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
Anseris & tutum voce fuisse Iouem.

Sed opportunius erit alibi de larium sacrificiis, origine, superstitione varia disserere. Interim adi ad doctissimum Pithœum, lib. 1. subseciuor. cap. 9 Andream Tiraquellum ad Alexandrum Neapolitanum lib. 6. Genial. dier. cap. 4. & cap. 19. ad alia iam pergo.

Capvt X.

De mense Iunio, & diebus in eo Festis.

DE hoc mense ita scribit Macrobius libro Saturnaliorum 1. c. 12. Iunius Maium sequitur, aut ex parte populi (vt diximus) nominatus, aut (vt Cingius arbitratur) quod Iunonius apud Latinos antè vocitatus, diúque apud Aricinos, Prænestinósque hac appellatione in Fastos relatus, adeò vt (sicut Nisus in Commentariis Fastorum dicit) apud maiores quoque nostros hæc appellatio mensis diu manserit: sed post, detritis quibusdam literis, ex Iunonio Iunius dictus sit. Nam & ædes Iunoni Monetæ Kal. Iunius dedicata est. Nonnulli putauerunt Iunium mensem à Iunio Bruto, qui primus Romæ Consul factus est, nominatum: quod hoc mense, id est, Kalendis Iunij, pulso Tarquinio sacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte voti reus fecerit, &c. Hæc Macrob. quibus verbis triplicem huius appellationis rationem indicat, vel quòd dictus sit Iunius à iunioribus: sicut Maius à maioribus: vel à Iunone, vel à Iunio Bruto, primo Romanorum Consule. Priores duas causas etiam Ouidius agnoscit. Quod enim à Iunone dicatur, ipsamet Iuno multis versibus Ouidium docet ita exorsa:

Ne tamen ignores, vulgique errore traharis,
Iunius à nostro nomine nomen habet. Et pòst:
Nec tamen hoc nobis tantummodò præstat honorem
Roma. suburbani dant mihi munus idem.
Inspice quos habeat nemoralis Aricia Fastos,
Et populus Laurens, Lauiniúmque meum.
Est illic mensis Iunonius, aspice Tybur,
Et Prænestinæ mœnia sacra Deæ.
Iunonale leges tempus nec Romulus illas
Condidit, at nostri Roma nepotis erat.

Sic etiam Festus: Iunium mensem dictum putant à Iunone, iidem ipsum dicebant Iunonium & Iunonialem. De altera causa, quam Macrobius priori loco recitat, Ouidius paulò aliter scribit. Inducit enim Heben Herculis vxorem, quæ eadem Iuuentas est, contendentem, à suo nomine hunc mensem appellationem accepisse, idque duplici ratione: Vel propter maritum Herculem, qui benemeritus de ea regione sit, vbi posteà condita est Roma, quòd eam Caci latrociniis expurgârit: vel propter iuuenes, alteram populi partem, quibus ea præsit. Verba Hebes apud Ouidium sunt:

Quid gratus si titulum mensis Romanæ dedisti
Herculis vxoris, posteritásque memor?
Hæc quoque terra aliquid debet mihi nomine magni
Coniugis, huc captas appulit ille boues.
Hic male defensus flammis, & dote paterna
Cacus Auentinam sanguine tinxit humum.
Ad propiora vocor, populum digessit ab annis

Roma-

Romulus in partes distribuit quo duas.
Hæc dare consilium, pugnare paratior illa est:
Hæc ætas bellum suadeat, illa gerat.
Sic statuit, mensésque nota secreuit eâdem,
Iunius est iuuenum, qui fuit ante senum.

His etiam aliam addit rationem, qua dictum Iunium putat, quasi Vnium siue Iungium, à iunctis Romulo & Tatio Sabinorum Rege. Sic enim apud ipsum:

Hæc vbi narrauit (Concordia) Tatium fortémque Quirinum,
Bináque cum populis regna coisse suis,
Et lare communi soceros, generósque receptos,
His nomen iunctis Iunius, inquit, habet.

Ioannes Goropius Becanus in Croniis auctor est, Iunium mensem à fauore nominatum, quod in eo fauorem terræ sentire incipiamus, fructibus iam se ad edendum offerentibus: dicit autem Iunium quasi Gunium, à Germanica voce *Gunnen*, vel *Gunnen*, quod Latinis fauere significat. Hic mensis, qui in Mercurij tutela erat, ex Romuli & C. Iulij Cæsaris xxx. ex Numæ autem Pompilij constitutione xxix. dierum fuit.

DE DIEBVS MENSIS IVNII FESTIS.

H. K. Iun. N. Hoc est, kalendæ Iunij, Nefastus. Hic nullius diei festi, aut sacri hoc die peracti, fit mentio in kalendario.

B. VI. Nonas Iunias, qui est dies eius mensis secundus, feriæ erant Martis, Carnæ, Monetæ: quarum ita meminit kalendarium, quod à Paulo Manutio, & Huberto Goltzio in lucem datum est. Illud enim, quod Benedicto Ariacurante editum est, de iis nihil habet.

A. F. Mar. Car. Monet. hoc est, Feriæ Marti, Carnæ, Monetæ. Ab Ouidio & Macrobio hæc sacra ad kalendas Iunij referuntur.

De Martis sacro, quod kalendis Iunij in templo extra portam Capenam peractum fuerit, ita Ouidius:

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extrà
Appositum tectæ porta Capena viæ.

De sacrificio Carnæ Deæ Macrobius libro 1. Satur. cap. 12. cùm monuisset, alios scripsisse Iunium mensem à Iunio Bruto, primo post exactos Reges Consule dictum, causam hanc subiicit: quòd scilicet is hoc mense, id est, kalendis Iuniis pulso Tarquinio, sacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte voti reus fecerit. Hanc, inquit, Deam vitalibus humanis præesse credunt. Ab ea denique petitur, vt iecinora & corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salua conseruet. Et quia cordis beneficio, cuius dissimulatione Brutus habebatur idoneus emendationi publici status, extitit, hanc Deam, quæ vitalibus præest, templo sacrauit. Cui pulte fabacia, & larido sacrificatur, quod vires maximè his rebus corporis roborentur. Nam & kalendæ Iuniæ Fabariæ vulgo vocantur: quia hoc mense adultæ fabæ diuinis rebus adhibentur. Hactenus Macrob. Ouid. lib. 6. Fast. cùm multa de hac Dea dixisset, quænam illa fuerit, & quod eius munus sit, quæ apud Ouidium ipse leges, paulo aliam eius cultus rationem, atque Macrobius annotat, cuius versus hi sunt:

Pinguia cur illis gustentur larda Kalendis,
Mixtáque cum calido sit faba farre, rogas?
Prisca Dea est, aliturque cibis quibus ante solebat,
Nec petit adscitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illis populis sine fraude natabat,
Ostreáque in conchis tuta fuêre suis.
Nec Latium norat, quam præbet Ionia diues,
Nec quæ Pygmæo sanguine gaudet auis.
Et præter pennas nihil in pauone placebat,
Nec tellus captas miserat ante feras.
Sus erat in pretio, cæsa sue festa colebant.
Terra fabas tantùm, duráque farra dabat.
Quæ duo mixta simul sextis quicunque Kalendis
Ederit, huic lædi viscera posse negant, &c.

De consecratione templi Iunonis Monetæ idem Ouidius:

Arce quoque in summa Iunoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.

Et Macrobius in verbis, quæ paulò antè à nobis citata sunt: nam ædes Iunoni Monetæ Kalendis Iuniis dedicata est.

Hoc eodem die & Tempestatis delubrum consecratum, de quo Ouid.

Te quoque Tempestas meritam delubra fatemur,
Cùm pene est Corsis obruta classis aquis.

Pridie Nonas Iunias sacrum fiebat Bellonæ, cui eo die templum consecratum erat, Ouidio teste, cuius hæc sunt verba.

Manè vbi bis fuerit, Phœbúsque iterauerit ortus,
Factáque erit posita rore bis vda seges:
Hac sacrata die Thusco Bellona duello
Dicitur, & Latio prospera semper adest.
Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata,
Multùm animo vidit, lumine captus erat.
Prospicit à tergo summum breuis area Circum.
Est vbi non parua parua columna notæ.
Hinc solet hasta manu belli prænuncia mitti,
In Regem & gentes cùm placet arma capi.

Quibus verò ceremoniis sacerdotes eius sacrum ipsi fecerint, pluribus exposui lib. 2. cùm de Bellona agerem, quæ hinc repete.

Eodem die etiam Herculi ædes in Circo posita est: de qua Ouidius.

Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est:
Quod Deus Euboico carmine munus habet.

Nonis Iunij sacrum fiebat Deo Fidio, de quo Ouidius:

Quærebam Nonas Sancto Fidióne referrem,
An tibi Semo pater: tunc mihi Sanctus ait.
Cuicunque ex istis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero, sic voluêre Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere iugo.

VII. Id. Iunij Piscatorij peragebantur, quorum sic meminit Ouidius:

Tertia post Nonas remouere Lycaona Phœbe
Fertur, & à tergo non habet Vrsa metum.
Tunc ego me memini ludos in gramine campi
Aspicere, & dici lubrice Tibri tuos.
Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt paruis æra recurua cibis, &c.

Festus: Piscatorij ludi vocantur, qui quotannis mense Iunio trans Tiberim fieri solent à Prætore vrbano pro Piscatoribus Tiberinis, quorum quæstus non in macellum peruenit, sed ferè in aream Volcani, quod id genus pisculorum viuorum datur ei Deo, pro animis humanis.

VI. Idus Iunij sacrum fiebat Menti in Capitolio, cui eo die ædes consecrata. Sic enim Kalendarium:

G. MENTI IN CAPITOLIO.

De æde Mentis, quo tempore, qua causa, & à quibus vota & consecrata sit, lib. secundo ex Liuio docuimus. Ouidius:

Mens quoque numen habet, Mentis delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.
Pœne rebellabas: & letho Consulis omnes
Attoniti Mauras pertimuêre manus.
Spem metus expulerat: cùm Menti vota Senatus
Suscipit, & melior protinus illa venit.
Aspicit instantes mediis sex lucibus Idus
Illa dies, quæ sunt vota soluta Deæ.

V. Idus Iunij feriæ erant Vestæ, quarum sic meminit kalendarium: H. Vest. N. Fer. Vestæ, quod sic interpretantur Vestalia, Nefastus, Feriæ Vestæ.

Vestalis dies, inquit Varro, vt virgines Vestales Vestæ sacrificent. Sext. Pompeius Festus. Penus vocatur locus intimus in æde Vestæ, segetibus septus, qui certis diebus circa Vestalia aperitur. Ij dies religiosi habentur, &c. De sacrificio Vestæ diximus suprà. Hoc autem die, cùm conuiuia passim ante focos agitarentur, cibi etiam Virginibus Vestalibus à ciuibus mittebantur

bantur Deæ Vestæ libandi,& asini floribus coronati, atque è pane veluti monilia quædam gerentes circumducebantur per vrbem: molæ item sertis & floribus ornabantur, & quiescebant: quarum cærimoniarum & rituum causas Ouidius diligenter inquirit & explicat, videlicet, quòd olim nullus molarum vsus fuerit, sed farra solummodo in furnis Vestæ, hoc est ignis beneficio torreri consueuerint, indeque mos seruatus fuerit, vt hoc die,& foci & Dominæ focorum, quæ Vesta est, à Pistoribus colerentur: & asini, qui scilicet primis temporibus Vestæ beneficio immunes à circumagendis molis essent, cùm nullus earum Romæ vsus esset, vacarent,& feriarentur. Cur autem iidem asini floribus coronati panes ex collo dependentes gestare solerent, hanc rationem affert, quia scilicet asini Sileni clamore Vesta è somnis excitata, insidias & libidinem Priapi effugisset. Sed præstat Ouidij versus recitare. Sic ergo scribit.

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat: & mensæ credere adesse Deos.
Nunc quoque cùm fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque, sedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetusto,
Fert missos Vestæ pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras florida serta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et fornacali sunt stata sacra Deæ.
Suppositum cineri panem focus ipse parabat,
Strataque erat tepido tegula quassa solo.
Inde focum seruat pistor, dominámque focorum,
Et quæ puniceas versat asella molas.
Prætereà, referámne tuum rubicunde Priape
Dedecus? est multi fabula plena ioci.
Turrigera frontem Cybele redimita corona,
Conuocat æternos ad sua festa Deos,
Conuocat & Satyros, & rustica numina Nymphas,
Silenus, quamuis nemo vocarat, adest.
Nec licet, & longum est, epulas narrare Deorum,
In multo nox est peruigilata mero.
Dij temerè errabant, in opacis vallibus Idæ
Pars iacet, & molli gramine membra leuat.
Hi ludunt, hos somnus habet, pars brachia nectunt,
Pars viridem celeri ter pede pulsat humum.
Vesta iacet, placidámque capit secura quietem.
Sicut erat positum cespite fulta caput.
At ruber hortorum custos, Nympháque, Deásque
Captat, & errantes fertque refértque pedes.
Aspicit & Vestam, dubium est, Nymphámne putarit,
An scierit Vestam, scisse sed ipse negat.
Spem capit obscœnam, furtimque accedere tentat,
Et fert suspensos corde micante gradus,
Fortè senex quo vectus erat Silenus asellum
Liquerat ad ripas lenè sonantis aquæ.
Ibat vt inciperet longi Deus Hellesponti,
Intempestiuo cùm rudis ille sono.
Territa voce graui, surgit Dea: conuolat omnis
Turba, per infestas effugit ille manus.
Lampsacus hoc animal solita est mactare Priapo,
Hinc asini flammis indicis exta damus.
Quem tu Diua memor de pane monilibus ornas:
Cessat opus, vacuæ conticuere molæ.

Vestalibus matronæ nudis pedibus ad Vestæ templum ibant, cuius moris causam hanc affert Ouidius, quam se à matrona quadam accepisse dicit, quòd olim ea parte lacunæ fuissent, ita vt sicco pede templum Vestæ adiri non potuerit: nudis igitur pedibus matronas accessisse, id quod posteà, siccatis iam lacunis in memoriam vetustatis obseruarint. Ouidij ver-

sis,quia multi sunt,non libet adscribere.

Hoc etiam die,siue,vt aliis placet,præcedenti, Ioui pistori ara in Capitolio posita est, de qua Ouidius pluribus versibus,quos ab ipso petes. Lactantius, Quo tempore Galli Capitolium obsidebant,Ioui Pistori ara posita fuit, quod Romanos Duces in quiete monuisset, vt ex omni frumento,quod haberent,panem facerent,& in hostium castra iactarent, eóque facto soluta est obsidio,desperantibus Gallis,inopia subigi posse Romanos. Vide etiam Plutarchum,& alios.

Hoc die D.Iunius Brutus vlteriorem Hispaniam subegit, & M. Crassus cum exercitu à Parthis cæsus est,de quibus præter Ouidium epitome Liuij libr. 56.& 106. Appianus in Parthico. Plutarchus in M Crasso,& Iustinus lib.41. & 42. In primis Carolus Sigonius in Fastorum Commentariis

III. Idus Iunij Matralia erant,quorum sic meminit kalendarium.

B. Matr. N. Hoc est,Matralia,Nefastus.

Matralia Matris Matutæ festa,inquit Festus. Quæ fuerit Mater Matuta, lib.2.harum Antiquitatum exposuimus. Ritus sacrorum huius Deæ hic erat, aditu templi eius seruæ prohibebantur,vnam duntaxat matronæ introducebant,& colaphos genis eius infligebant, quod fieri ex æmulatione huius Deæ aduersus maritum Plutarch. arbitratur. Cùm enim suspicata ea esset maritum amare ancillam,in insaniam prolapsa, filium perdidit, vnde hic ritus seruatus,vt ancillæ prorsus ab eius sacro arcerentur. In huius etiam Deæ sacrificio,matronæ sacrorum liberos pro suis in vlnas accipiebant,eisque bona precabantur. Denique ea agebant, quæ Bacchi nutricibus,& casui,in quem Ino propter pellicem venit,conuenirent. Plutarch. in Camillo,item in Quæstionibus Romanis,qu.16.& 17. Libum,quo ei sacrum fiebat,testuatium dicebatur,attestante Varrone, qui libro 4. de lingua Latina sic scribit: Testuatium, quòd in testu caldo(vel, vt alij legunt,*testa calda*) coquebatur, vt etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ. De huius Deæ sacris ita Ouidius.

Ite bonæ matres,vestrum Matralia festum.
Flauáque Thebanæ reddite liba Deæ.
Pontibus & magno iuncta est celeberrima Circo
Area,quæ posito de boue nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutæ sacra parenti
Sceptiferas Serui templa dedisse manus.
Quæ dea sit,quare famulas à limine templi
Arceat(arcet enim)libáque testa petit)
Bacchi racemiferos hedera redimite capillos,
Si domus illa tua est,dirige vatis opus.
Et paulò post.
Hospita Carmentis fidos intresse penates
Diceris,& longam deposuisse famem.
Liba sua properata manu Tegeæa sacerdos
Traditur,& subitò cocta dedisse foco.
Nunc quoque liba iuuant festis Matralibus: illa
Rustica sedulitas gratior arte fuit.
Et rursum.
Cur vetet ancillas accedere,quæritis; odit,
Principiúmque odij si sinat ipsa,canam.
Vna ministrarum solita est,Cadmea,tuarum
Sæpe sub amplexu coniugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit,ab illa
Comperit agricolis semina tosta dari.
Ipsa quidem fecisse negat,sed fama recepit,
Hoc est,cur odio sit tibi serua manus.
Non tamen hanc pro stirpe sua pia mater adoret,
Ipsa parum felix,visa fuisse parens.
Alterius prolem meliùs mandabitis illi,
Vtilior Baccho quàm fuit ipsa suis.

Eodem die P. Rutilius Consul cũ L. Iulio Cæsare, anno V.C.10.CLXIV. in bello Marsico,siue sociali periit, epitoma Liuij LXXIII. Appianus lib.1. Bellorum ciuilium. Erat hoc die etiam festum Fortunæ(Seiæ scilicet,vti Antonius Fanensis arbitratur, de qua nos supra diximus)in cuius templo signum erat Seruij Tullij regis toga cõtectum,cuius rei causas Ouidius inquirens,

tens, tres recitat; vel quod Seruius à Fortuna amatus fit, ac deinde Deam puduerit homini succubuisse, ideóque velatum voluerit eius simulachrum: vel, quòd Seruij morte cōfusa plebs mœrore, & desiderio amissi Regis, cum imaginem eius intuens, à lacrymis temperare non posset, eam velauerint, vt lachrymis modum adhiberent: vel, quod ipsi Manes Seruij voluerint simulachrum istud tegi, ne aspicere cogeretur sceleratam filiam Tulliam. Idem simulachrum, orto aliquando incendio & crematis, consumptisque reliquis omnibus, quæ in eo templo asseruabantur, solum nulla accepta labe permansisse, Ouidius & Dionysius scribunt. de hoc Fortunæ festo, & Seruij in eius Deæ templo simulacro, ita Ouidius:

Lux eadem, Fortuna, tua est, auctórque, locúsque:
Sed super iniectis quis latet iste togis?
Seruius est, & constat eum, sed causa latendi
Discrepat, & dubium me quoque mentis habet.
Tum Dea furtiuos timide profitetur amores:
Cœlestémque homini concubuisse pudet.
Arsit enim magna correpta cupidine Regis,
Cæcáque in hoc vno non fuit illa viro.
Nocte domum parua solita est intrare fenestra,
Vnde Fenestellæ nomina parta tenet.
Nunc pudet, & vultus velamine celat amatos,
Oráque sunt multa regia tecta toga.
An magis est verum: post Tulli funera plebem
Confusam placidi morte fuisse Ducis?
Nec modus vllus erat, crescebat imagine luctus,
Donec eum positis occuluère togis.
Tertia causa mihi spatio maiore canenda est:
Nos tamen adductos intus agemus equos.

Et infra de Tullia ingressa templum Fortunę à parente constructū loquutus, hæc subiicit:

Signum erat in solio residens sub imagine Tulli,
Dicitur hoc oculis opposuisse manum.
Et vox audita est: Vultus abscondite nostros,
Ne natæ videant ora nefanda mea.
Veste data tegitur: vetant hanc Fortuna moueri,
Et sic è templo est illa locuta suo.
Ore reuelato cùm primùm luce patebis
Seruius, hæc positi prima pudoris erit.
Parcite matronæ vetitas attingere vestes,
Solemnes satis est voce mouere preces.
Sitque caput semper Romano tectus amictu.
Qui rex Romana sextus in vrbe fuit.
Arserat hoc templum, signo tamen ille pepercit
Ignis, opem nato Mulciber ipse tulit &c.

Eodem etiam die Concordiæ ædes à Liuia constructa, & dedicata est, de qua nos libro secundo diximus. Ouidius:

Te quoque magnifica, Concordia, dedicat æde
Liuia, quam charo præstitit illa viro.
Disce tamen veniens ætas, vbi Liuia nunc est
Porticus, immensæ tecta fuère domus.
Vrbis opus domus vna fuit, spatiumque tenebat
Quo breuius muris oppida multa tenent.
Hæc æquata solo est nullo sub crimine regni:
Sed quia luxuria visa nocere sua est.
Sustinuit tantas operum subuertere moles,
Tótque suas hæres perdere Cæsar opes.

Idibus Iunij ædes Ioui Inuicto consecrata & dedicata fuit, de qua sic Ouidius:

Idibus Inuicto sunt data templa Ioui.

Iisdem erant Minusculæ Quinquatrus, de quibus ita scribit Varro lib. 5. de ling. Lat. Quinquatrus Minusculæ dictæ Iuniæ Eidus, ab similitudine maiorum, quod tibicines tum feriati per Vrbem vagantur, & conueniunt ad ædem Mineruæ: Festus: Minusculæ Quinquatrus appellabantur Idus Iuniæ, quod is dies festus erat tibicinum, qui Mineruam colebant. De

origine rituum, qui à Tibicinibus Quinquatribus hisce minusculis obseruabantur, ita Liuius lib. 9. Eiusdem (inquit) anni rem dictu paruam præterirem, nisi ad religionem visa esset pertinere. Tibicines prohibiti à proximis Censoribus erant in æde Iouis vesci, quod traditum antiquitùs erat. Ægrè passi Tibur vno agmine abierunt, adeo vt ne non in vrbe esset, qui sacrificiis præcineret. Eius rei religio tenuit Senatum, legatósque Tibur miserunt, vt darent operam, vt hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benignè polliciti, primùm accitos eos in Curiam hortati sunt, vt reuerterentur Romam: postquam pelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum eos aggrediuntur. Die festo alij alios per speciem celebrandarum cantu epularum causa inuitant, & vino, cuius auidum genus est, oneratos sopiunt, atque ita in plaustra vinctos coniiciunt, ac Romam deportant, nec prius sensêre, quàm plaustris in foro relictis, plenos crapula eos lux oppressit: tunc concursus populi factus, impetratóque vt manerent, datum vt triduum quotannis ornati (vestibus scilicet floridis, & muliebribus, & capite personis tecto, quod Valerius & alij tradunt) cum cantu, atque hac, quæ nunc solennis licentia, per Vrbem vagentur, restitutúmque in æde vescendi ius, ijs qui in sacris præcinerent. Hæc Liuius. Eadem Valer. Maximus lib. 2. cap. 5. Plutarchus in Quæstionibus Romanis quæstione 55. & Ouidius libro 6. Fastorum, paulo aliter hæc narrant: Quinetiam Plutarchus hunc ritum Idibus Ianuariis obseruatum fuisse scribit; non rectè opinor. Versus Ouidij sunt:

Et iam quinquatrus iubeor narrare minores,
Nunc ades ô cœptis flaua Minerua meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in Vrbe?
Quid sibi personæ, quid toga longa volunt?
Sic ego, sic posita Tritonia cuspide dixit:
(Possem vtinam doctæ verba referre Deæ)
Temporibus veterum tibicinis vsus auorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœstis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor, tempúsque secutum est,
Quod subitò gratæ frangeret artis opes.
Adde quòd Aedilis pompa qui funeris irent,
Artifices soles iusserat esse decem.
Exilio mutant vrbem, Tybúrque recedunt,
(Exilium quodam tempore Tybur erat:)
Quæritur in scena caua tibia: quæritur aris,
Ducit supremos nænia nulla choros.
Seruierat quidam quantolibet ordine dignus
Tybure, sed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille suo, turbámque canoram
Conuocat, ad festas conuenit illa dapes.
Nox erat, & vinis oculique, animique natabant:
Cum præcomposito nuncius ore venit:
Atque ita, Quid cessas conuiuas soluere? dixit,
Auctor vindictæ iam venit ecce suæ.
Nec mora, conuiuæ valido titubantia vino
Membra mouent, dubij stántque labántque pedes.
At dominus: Discedite ait: plaustróque morantes
Sustulit, in plaustro scirpea lata fuit.
Alliciunt somnos tempus, motúsque merúmque,
Potáque se Tybur turba redire putat.
Iámque per Exquilias Romanam intrauerat vrbem,
Et manè in medio plaustra fuêre foro.
Callidus vt posset specie numeróque Senatum
Fallere, personis imperat ora tegi.
Admiscétque alios, & vt hunc tibicina cœtum
Augeat, in longis vestibus esse iubet.
Sic reduces benè posse tegi ne forte notentur
Contra collegæ iussa redire sui.
Res placuit, cultúque nouo licet Idibus vti

Et cant-

Et canere ad veteres verba iocosa modos,

XVII. Kalendas Iulias, siue Sextiles, qui est dies mensis Iunij xv. in Kalendario notatus est, Q. St. D. F. hoc est. Quando stercus delatum fas.

Dies qui vocatur sic: Quando stercus delatum fas (inquit Varro libro 5. de lingua Latina) ab eo appellatus, quòd eo die ex æde Vestæ stercus euerritur, & per Capitolinum cliuum in locum defertur certum. Festus, quemadmodum Iosephus Scaliger, restituit: Quando stercus delatum fas, eodem modo in Fastis notatur dies, qui talis est, vt ædes Vestæ purgetur, stercúsque in cliuum Capitolinum deferatur, cùm id factum sit, tum est Prætori fas. Idem in voce Stercus: Stercus ex æde Vestæ xvII. kalendas Iulias defertur in angiportum medium ferè cliui Capitolini, qui locus clauditur porta stercoraria. Tantæ sanctitatis maiores nostri esse adiudicauerunt. Ouidius,

Tertia lux veniet, qua tu Dodona Thyene
Stabis Agenoreæ fronte videnda bouis.
Hæc est illa dies, qua tu purgamina Vestæ
Tibri per Etruscas in mare mittis aquas.

XIV. kal. Iulias, siue Sextiles Palladi in Auentino sacrum fiebat, de quo Ouidius:

Iam sex & totidem luces de mense supersunt,
Huic vnum numero tu tamen adde diem.
Sol abit è Geminis, & Cancri signa rubescunt,
Cœpit Auentina Pallas in arce coli.

Sequenti die, qui est VIII. kalendas Iulias, Summano templum positum fuit: de quo idem Ouidius:

Iam tua Laomedon oritur nurus: ortáque noctem
Pellit, & è pratis cana pruina fugit.
Reddita quisquis is est, Summano templa feruntur,
Tum cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

IX. kal. Iulias, Dies ater erat, quod Ouidius his versibus notat,

Non ego te, quamuis properabis vincere Cæsar,
Si vetat auspicium, signa mouere velim.
Sunt tibi Flaminius, Thrasymenáque littora testes,
Per volucres æquos multa monere Deos.
Tempora si veteris quæris temeraria damni,
Quartus ab extremo mense bis ille dies.

Historiam illam, quam Ouidius indicat, lege apud Liuium li. 22. Val. Maximum lib. 1. cap. 6. de Prodigiis: & Plutarchum in Fabio.

IIX. Kalend. Iulias Syphax à Masinissa superatus, item Hasdrubal ductu M. Liuij Consulis, & opera Claudij Neronis collegæ cæsus est: de quibus vide Liuium, Plutarchum, Polybium, & Caroli Sigonij Commentarios Fastorum. Ouidius:

Postera lux melior, superat Masinissa Syphacem,
Et cecidit telis Hasdrubal ipse suis.

Eodem die festum erat Fortis Fortunæ: de quo sic Varro li. 5. de lingua Latina: Dies Fortis Fortunæ appellatus à Seruio Tullio Rege, quod is fanum Fortis Fortunæ, secundùm Tiberim, extra vrbem, dedicauit Iunio mense. Donatus in Phormionem Terentij, hanc ædem trans Tiberim fuisse scribit: quò & pedibus iri per pontes & per fluuium lintribus vehi poterat. Colebant Fortem Fortunam, & hunc diem festum agebant ij, qui arte aliqua viuebant, vnde Columella ad Olitores:

Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes.

Naues item coronatæ per Tiberim conuiuia agitabant. Ouidius:

Quam citò venerunt Fortunæ Fortis honores
Post septem luces Iunius actus erit.
Ite, Deam læti Fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
Nec pudeat potos inde redire domum:
Ferte coronatæ iuuenum conuiuia lintres,
Multáque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc, quia qui posuit, de plebe fuisse

Fertur & humili sceptra tulisse loco.
Conuenit & seruis,serua quia Tullius ortus
Constituit dubiæ temp'a propinqua Deæ.

V.Kalen.Iulij templum dedicatum Laribus,ad quod habitabant puellæ,quæ coronas texere consueuerant.Ouidius:

Lucifero subeunte,Lares delubra tulerunt,
Hîc vbi fit docta multa corona manu.

Eodem etiam die Iouis Statoris templum conditum,de quo Ouidius:

Templum idem Statoris erit,quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

IV.Kalend.Iulij templum in colle Quirinali dedicatum est,Ouidius:

Tot restent de mense dies,quot nomina Parcis,
Cum data sunt trabeæ templa,Quirine,tuæ.

Pridie Calendas Iulias templum Herculi & Musis est consecratum, de quo idem Ouidius:

Tempus Iuleis cras est natale Kalendis,
Pierides captis addite summa meis.
Dicite Pierides,quis vos addixerit isti,
Cui dedit inuitas victa nouerca manus.
Sic ego sic Clio,clari monimenta Philippi
Aspi is,vnde trahit Martia casta genus.

Plura de hoc Herculis & Musarum templo,sicuti etiam de populo Quirini,Iouis Statoris Larium,Fortis Fortunæ,& aliorum,diximus libro secundo,quæ hîc repetantur, Atque de mense Iunio hactenus.

AD CAPVT. X.

PARALIPOMENA.

Bellonæ sacra,mos eius sacerdotes initiandi,& qui Bellonarij.

IN Iunio Bellona placabatur à sacerdotib. suis,quos Bellonarios vocatos discimus ex Tertulliano,Arnobio, & aliis Criticis obseruantibus: Hanc autem inter Deos communes collocat Seruius ad v. 118. lib.12. Æneid. *dij communes sunt:vt alij dicunt , Mars , Bellona, Victoria , quia hi in bello vtrique Parti fauere possunt , dij communes sunt qui ἀζωνοι dicuntur id est,qui cæli certas non habent partes,sed generaliter à cunctis coluntur.* Contrarium illi nomen erat *Pansus*,obseruat Turnebus lib.15.aduersar.ca. 21.quod *quies* & otium cui ille præest,*bello aduersetur.* Arnob.lib.1 *qui Faunos,qui Fatuas, ciuitatúmq; Genios , qui Pausos venerentur atque Bellonas.* dicam latius de eius templo in tractatu de Triumphis,Grammatici vel sororem Martis eam fecerunt. Luctat. Placid.ad v.155. lib.5 Thebaid Statianæ,*Enyo Bellona , Martis soror.*vel aurigam Virg.lib.8.Æneid.v.703. Stat.lib.7.v.71.

—Regit æra iugales
Sanguinea Bellona manu.

Vel denique vxorem, quam suspicor *Nerienem* vocari apud A.Gellium li.13.Noct. Atticar.c 21. quod nomen indubiè à *violentia*, & *fortitudine*, cuius plurimus in bellis vsus desumitur. M.Plaut.in Truculento.

Mars peregre adueniens salutat Nerienem
Vxorem suam.

Q.Ennius lib.1.Annal.

Nerienem Mauo tis.

Supple vxor,phrasi Græca,vt lib.3.Æneid.simili sensu à Virgilio dictum.

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia seruas?

Licinius Imbrex vetus Comicus, in Neæra,

Nolo ego Neæram te vocent,sed Nerienem,
Cum quidem Marti es in connubium data.

Eius etiam mentio apud M.Varronem in Satyra Menippea cui titulus σκιομαχία.

Tlianna & Perianna,Panda,Celato,Pales,
Nerienes,Mineruæ,Fortuna,ac Ceres,

Par illi in expeditionibus, atque ipsi Marti potestas.Papinianus libro 2. Thebaid.in fine.

Nec magis ardentes Mauors , hastaque pagnæ
Impleerit Bellona tubas.

Et lib.4 eiusdem operis in limine.

Prima manu Rutilam de vertice Larissæ
Ostendit Bellona facem.

Depingebatur coma sparsa, armata face,vt apparet ex Silio Italico lib.5. Punicor.

Ipsa facem quatiens , ac Flamen sanguine multo
Sparsam comam medias acies Bellona peragrat.

At falcem manu prætendebat. Claudian. li.2.in Eutrop.

Quid

—Quid dudum instare moraris
Tartaream Bellona tubam? quid stringere falcem
Qua populos à stirpe metis?

Altera manu clypeum gerebat. Idem de Honorij consulatu.

Iam trabeam Bellona geris, parmámq; remouit,
Et galeam.

Mira imitandi ratio eius mystas, Qu. Tertull. Apolog. c. 9. *Hodie isthic bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus, suis datur signatis.* in impressis sic legitur, teste Iacobo Pamelio, aut melior mihi videtur lectio illa ex MS. *in parmulam exceptus:* est enim verisimile, *parmam* adhibitam initiandis bellorum deę sacerdotibus. scio & aliter ab aliis hunc locum conceptum, *sacratus sanguis de femore proscisso, in palmulam exceptus & suis datus, signat.* rectius, meo iudicio, & significantius. Minutius Felix in Octauio. *Bellona ferrum suum haustu crueris humani imbuit.*

Mansit & hic mos in omnibus eius deæ solemnitatibus. Lactantius Firmian. lib. 1. ca. 21. *eandem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant, sectis namque humeris, & utraque manu, districtos gladios exerentes, currunt, efferuntur, insaniunt.* malim legere, *efferantur, insaniunt.* efferari enim est fere in modum debacchari. L. Apul. libro octauo Milesiar. *infandis inguinibus efferantur.* vetus schol. Iuuen. ad Sat. 6. vers. 105. *Sergiolum nomine ex gladiatore adamauis, qui & ludor dictus est, quia sit diu demoratus in ludo, qui, ut requiem gladiaturæ haberet, Bellonarium se fecerat, quo mos est in talibus sacris lacertos suos secare.* Immutata postea hæc consuetudo, & simulata tantummodo sectio membrorum, aut detruncatio retenta, vera abolita, colligo ex Ælio Lampridio in Commodo. *Bellonæ seruientes vere exsecare brachium præcepit studio crudelitatis.* passim poëtæ. M. Martial. lib. 12. epigr. 57.

Nec turba cessat entheata Bellonæ.

Aurel. Prudent. in Romano martyre.

Votiuus & cum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertis operit fanaticus.

Alb. Tibul. li. 1. eleg. 6. eleganter & ambitiose sacra describit:

Hæc (vbi Bellonæ motu est agitata) nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet,
Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguinéque effuso spargit inulta deam.
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus.

In MS. Codice Achillis Statij legitur tertius versus non male.

Ipsa bipenne suos cædit violata lacertos.

M. Annæus Lucan. lib. 1. vers. 565.

—Quos sectis Bellona lacertis
Sæua mouet.

Allusit L. Seneca Agamem. Act. 1. in choro.

—Sequitur tristis
Sanguinolenta Bellona manu.

Q. Horat. lib. 2. Sat. 3.

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Vaticinabantur hi Bellonarij stragem populorum, aut euersiones vrbium, vbi semel concepto furore transcurrere cœpissent, iisque maxima fides habebatur D. Iuuenal. Sat. 4. v. 124.

—Sed, ut fanaticus æstro
Percussus, Bellona, tuo, diuinat.

Quintus Calaber Paralipomenon libro 8. v. 285.

λύθρῳ πεπαλαγμένη ὤμους,
Sanie polluta humeros.

Capvt XI.

De mense Iulio, & festis in eo diebus.

IN explicatione Fastorum hactenus fuimus prolixiores, cùm multa nobis eò pertinentia suppeditauerit Ouidius in suis Fastorum libris, cuius auxilio iam destituti, erimus multis partibus breuiores, cùm præter vetus Kalendarium, nihil quo iuuari possimus, habeamus. Quod igitur ad hunc, qui sequitur, mensem attinet, & qui in ordine septimus est dictus, is à primis temporibus fuit Quintilis, eò quòd quintus esset à Martio, quem Romulus anni principium fecerat: quod nomen etiam tùm cùm iam Numa Pompilius reliquis decem mensibus à Romulo institutis, duos alios, Ianuarium videlicet, & Februarium addidisset, & Ianuarius primus anni mensis esset, retinuit. Postremis temporibus idem mensis Iulius appellatus fuit à C. Iulio Cæsare, qui eo mense natus ferebatur. Quæ omnia Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 12. sic explicat. Sequitur Iulius, qui cùm, secundum Romuli ordinationem Martio anni tenente principium, Quintilis à numero vocaretur: nihilominus tamen etiam post præpositos à Numa Ianuarium, ac Februarium, retinuit nomen, cùm non videretur iam quintus esse, sed septimus. Sed posteà in honorem Iulij Cæsaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio Coss. Iulius appellatus est: quod hoc mense ad IV. Idus

Quintilis, Iulius procreatus fit. Hæc Macrobius. Dio quoque Historiarum lib. 44. cùm honores Cæsari à Senatu decretos commemorat, id sit & hoc, quod mensem, in quem Cæsaris natalis competebat, Iulium cognominauerint. Idem Suetonius in ipsius vita, c. 76. Plutarchus in Numa, & Censorinus de Die natali, tradunt. Festus: Iulium mensem appellarunt, quòd eo mense dicitur Iulius natus. Festum hoc esse anno ab Vrbe condita DCCIX. C. Cæsare V. Cos. cum M. Antonio, Sigonius ex eorum temporum historiis ostendit. Hic mensis, qui in tutela Iouis erat, semper XXXI. dierum fuit, vti ex iis, quæ initio huius libri diximus, constat.

DE DIEBVS MENSIS IVLII FESTIS.

Kalendis Iuliis, siue Quintilibus nullum festum in kalendario notatum est. Illud tamen de iis notatu videtur esse dignum, quòd eo die migrationes ex ædibus apud veteres fieri consueuerint, qui dies primus conductionum erat, vt ex Cic. libro 2. epist. 3. ad Q. Fratr. Suetonio in Tiberio, & Martiali cognoscitur, qua de re multa ex Iurisconsultis quoque congessit, & explicauit Antonius Augustinus lib. 4 Emendat. atque opin. cap. 14. quem legentem Beroaldi Comment. in Suetonij Tiberium, cap. 35.

III. Nonas Poplifugia fuerunt, quorum sic meminit kalendarium: B. POPLIF. N. hoc est, Poplifugium. Nefastus.

Dies Poplifugia, inquit Varro li 5. de ling. Latina, videtur nominatus, quòd eo die repentè tumultu fugerit populus. Non multò. n. pòst hic dies, quam decessus Gallorum ex Vrbe: & qui tunc sub Vrbe populi, vt Ficuleates, ac Fidenates & finitimi alij contra nos coniurarunt. Aliquot huius diei vestigia fugæ in sacris apparent, de quibus rebus Antiquitatum libri plura referunt. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 2. de Vitula Dea, quænam ea sit locutus, hæc subiicit: Piso ait Vitulam, Victoriam nominari. Cuius rei hoc argumentum profert, quod postridie Nonas Iulias re bene gesta, cùm pridie populus à Thuscis in fugam versus sit (vnde Populi fugia dicuntur), post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio. Plutarchus in Romulo scribit, eum diem, quo Romulus fato concesserat, consternatum repentina Regis morte populum, Fugam plebis appellari, ac Nonas Caprotinas, siue Capratinas: eóque die Romanos ex Vrbe ad Capræ paludem exeuntes sacrificare. Ad quod sacrum dum exeunt, eos multa vsitatorum nominum inclamare, velut Marci ac Caij, imitantes eam, quæ tum acciderat, fugam, ac mutuam inuocationem cum timore ac tumultu factam. Quod etiam Dionys. lib. 2. tradit.

Pridie Nonas Quintiles ludi Apollinares celebrantur, sic enim Kalendarium: C. N. LVDI APOLLIN. hoc est, Nefastus, Ludi Apollinares. De his sicut & de reliquis, qui sequuntur, dicemus libro sequenti.

Nonis Quintilibus item Ludi celebrantur, testante id kalendario, quod habet: D. NON. N. LVDI. hoc est Nonæ. Nefastus. Ludi. Hæ Nonæ dicebantur Nonæ Caprotinæ, de quibus ita scribit Var. l. 5. de ling. Lat. Nonæ Caprotinæ quod eo die in Latio Iunoni Caprotinę mulieres sacrificant, & sub caprifico faciunt, & è caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eis. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 11. Nonis Iuliis diem festum esse ancillarum iam vulgo notum est, vt nec origo, nec causa celebritatis ignota sit. Iunoni enim Caprotinæ die illo liberæ pariter, ancillæq; sacrificant sub arbore caprifico in memoriam Benignæ virtutis, quæ ancillarum animis pro conseruatione publicæ dignitatis apparuit, &c. Et posteà cùm recitasset historiam de memorabili isto ancillarum Romanarum facto, quam nos lib. 2. cùm de Iunone Caprotina ageremus, ex Macrobio citauimus, hæc subiungit: Memor beneficij Senatus, omnes ancillas manu iussit emitti: dotémque eis ex publico fecit, & ornatum, quo tunc erant vsæ gestare concessit, diemque ipsum Nonas Caprotinas nuncupauit, ab illa caprifico, ex qua signum victoriæ ceperunt: sacrificiúmque statuit annua solennitate celebrandum, cui lac, quod ex caprifico manat propter memoriam facti præcedentis adhibetur. Plutarchus in Romulo & Camillo duas diuersas opiniones, cur hæ Nonæ Caprotinæ appellatæ & institutæ sint, recenset, quarum vna est, quòd hoc die Romulus apud Capreæ paludem, concione habita repentè tempestate orta, disparuerit: altera eadem est, cum illa, quam modò ex Macrobio recitauimus. Inter alia hæc scribit: Romani facto in hostes inopinantes impetu, victoria potiti diem eum in eorum memoriam celebrant & à Caprifico Nonæ Caprotinæ vocantur. Epulum autem præbent mulieribus extra Vrbem sub vmbraculis ex ficuum frondibus contextis; seruæque circumeuntes ludunt, deinde inuicem se plagis, ac lapidum ictibus impetunt, quasi tum quoque Romanis, in prælio adfuerint, pugnantibus que opem tulerint. Idem in Camillo: In memoriam facinoris istius ancillarum solenne illud festum agitur. Primò. n. confertim exeuntes, multa communium ac tritorum apud Romanos nominum, vt sunt, Caij, Marci, Lucij, & alia id genus inclamant: imitantes eam, quæ tum mutua inter properãdum fuit inuocatio. Deinde ancillæ eleganti habitu circumeunt, lorisque obuios impetunt: est & pugna inter ipsas, quo indicatur, eam quoque ipsas contra Latinos suis auxilio fuisse. Cum epulantur, sedent sub vmbraculis ex

ficulnis frondibus contextis: & diem Nonas Caprotinas nuncupant: nimirum à Caprifico, à qua facem illam ardentem sustulerat. Hæc Plutarchus.

Sequentibus diebus quinque ludi fuerunt celebrati, de quibus libro sequenti agemus.

IV. Idus Quintileis C. Iul. Cæsaris natalis fuit, vti initio huius capitis meminimus.

III. Idus Quintileis Ludi Circenses edebantur, de quibus postea.

Pridie Idus Quintileis ita notatur in Kalendario: C. C. MERK. hoc est, Comitialis Merkatus, sic enim plerique interpretantur. Hubertus Goltzius in suo vberrimo Antiquitatis thesauro monet, considerandum esse, an non legendum sit Merkurialia, ita vt intelligatur Mercurij festum, sicut Saturnalia Saturni, Vulcanalia Vulcani festum appellantur. Durabant autem hi siue Merkatus, siue hæc Merkurialia vsque ad XIV. kalend. Sextileis.

Eodem die ædes Fortunæ Muliebris dedicata est, de qua præter alios Scriptores vide 2. Antiquitatum librum.

Eidibus Quintilibus transuectio erat Equitum Roman. ab æde Honoris in Capitolium, de quo Valerius Maximus. Liuius libro 9. extremo. Ab eodem (Qu. Fabio) institutum dicitur, vt equites Idibus Quintilibus transueherentur. Ad quem locum annotat Sigonius, Liuium videri id significare, de quo Plutarchus in Pompeio: ad sedentes in foro Censores, vnumquemque equitem equum suum adduxisse, & de stipendiis legitimis confectis interrogantes rationem iis reddidisse. Verùm videtur errare. Non enim instituit Qu. Fabius equites trabeatos Idibus Iulij censeri, sed transuehi, sic nimirum: vt equites Romani Idibus Quintilis ab æde Honoris, equis insidentes, & olea coronati in Capitolium transirent. Ita enim Liuium & Valerium expresse interpretatus est Aurelius Victor (quem libri de Viris illustribus auctorem Andreas Schottus prodidit) vbi de Q. Fabio Rulliano ad hunc modum legitur: Hic primus instituit, vt Equites Romani Idibus Quintilibus ab æde Honoris, equis insidentes in Capitolium transirent. Ex quo loco satis perspicuum est, non censionem Equitum instituisse Fabium, sed Equitum transuectionem quandam, quæ singulis Idibus Quinctilibus ordinis totius equestris recognoscendi, probandique gratia fieri videtur, consueuisse. Meminit huius ritus etiam Plinius libro decimoquinto capite quarto, his verbis: Oleæ honorem Romana maiestas magnum præbuit, turmas Equitum Idibus Iuliis ex ea coronando. Atque de hac Equitum transuectione loquitur Suetonius, cum ita de Augusto scribit: Augustus Equitum turmas frequenter recognouit, post longam intercapedinem reducto more transuectionis: sed neque detrahi quemquam in transuehendo ab accusatore passus est, quod fieri solebat, &c. Ad hanc transuectionem etiam Vlpianus respexisse videtur, negans eum, qui equo publico in Capitolium (sic enim legendum, non, in causa publica, vt vulgati libri habent) transuehitur, in ius vocari posse, cap. 2. de in ius vocand. Cuius loci, sicut etiam superiorum Liuij aliquot, & aliorum explicationem debemus clariss. IC. Iac. Ræuardo, quem libr. 2. Variorum, cap. 15. de hac re legere poteris ex quo etiam hæc ferè omnia descripsimus. Dionys. Halicarn. lib. 6. paulò aliter de hoc ritu scribit, videlicet, institutum eum esse in honorem Castoris & Pollucis, & in memoriam victoriæ, quam Romani ex bello cum Latinis populis quod gestum fuit A. V. CCCLVII. A. Posthumio, T. Virginio Coss. anno XIV. liberæ Reipublicæ reportarint, quàmque Castor & Pollux equestri habitu, & equis vecti Romæ annunciarint. Hæc enim sunt eius verba: Eius mirificæ apparitionis numinum in Vrbe multa extant monumenta, in foro templum Castorum publicè constructum, vbi visæ sunt eorum imagines, vicinúsque fons his sacer dictus, & vsque ad nostra tempora creditus, tum sacrificium splendidum, quod quotannis populus Rom. per primarios equestris ordinis Idibus Quintilibus peragit, qua die victoria hæc illi contigit. Præter omnia verò pòst sacrificium transuectio eorum, qui equos habent ex publico, qui per Tribus & Centurias distincti, ordine in equis vehuntur omnes, quasi è pugna redeant, coronati fronde oleagina, & togis palmatis amicti, quas vocant trabeas, initio pompæ facto de æde Martis, quæ extra vrbem sita est, & pertranseuntes cùm cæteras Vrbis partes, tum forum, ædémque Castorum, nonnunquam quinque virorum millia, gerentes quicquid donorum militarium acceperunt à ducibus, egregium sanè spectaculum, dignúmque imperij magnitudine. Hactenus Dionysius.

XVII. Kalendas Sextileis, dies atra Alliensis dicta, qui dies atri sint, & cur sic appellati, suprà ostendimus. Hic autem dies peculiariter Alliensis vocatus, quòd eo die Tribuni militum legiones ad Alliam fluuium educentes à Gallis pugna victi sint, & Vrbem amiserint. Plutarchus in Quæstionib. Romanis, quæst. 25. & in Camillo. Liuius li. 5. Macrobius li. 1. Saturn. c. 16. Cicero epistola 5. libri 9. Ad Atticum: Maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quàm Vrbis captæ, quod hoc malum ex illo. Eodem die trecenti Fabij ad Cremeram in Hetruria cæsi feruntur, auctor Plutarchus.

XIV. Kal. Sextiles Lucaria erant, de quibus ita kalendarium: H. LVCAR. NP. Mercatus: hoc est, LVCARIA, Nefastus primò. MERCATVS.

LVCARIA festa, inquit Sext. Pompeius, in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam, & Tiberim fuit: pro eo, quòd victi à Gallis fugientes è prælio, ibi se occultauerunt. Varro lib. 5. de lingua Latina: Lucaria item à luce, quod propter lucem amissam is cultus institutus. Sic hunc locum restituit Iosephus Scaliger, cùm antea legeretur: Lucere item à luce, &c. Festus igitur à luco. Varro autem ab luce, hoc est, libertate amissa, Lucaria deducit.

XIII. Kalendas Sextileis LVDI VICTORIÆ CÆSARIS, quorum meminit Suetonius in Augusto cap. 10. Dio, lib. 45.

XII. Kalend. Sextileis Lucaria repetebantur, teste kalendario, quod sic habet: B. LVCAR. LVDI. Hunc diem Solinus cap. 35. ex sententia Sacerdotum Ægyptiorum facit mundi natalem. Sed variæ sunt de eo veterum & recentiorum sententiæ, ac disputationes, de quibus videre potes Lilium Gyraldum libro de Anno, Mensibus, ac Diebus. Hadrianum Iunium Animaduersorum lib. 3. c. 8. & alios multos.

X. Kalend. Sextileis Neptunalia erant, de quibus ita kalendarium. D. NEPT. LVDI. hoc est, NEPTVNALIA. LVDI. De ludis dicemus suo loco.

NEPTVNALIA, inquit Varro lib. 5. de ling. Lat. à Neptuno: eius enim Dei feriæ.

IIX. Kalen. Sextileis Furrinalia erant, quorum ita kalendarium meminit: F. FVRR. NP. LVDI. hoc est, FVRRINALIA. Nefastus primò, LVDI.

FVRRINALIA, inquit Varro lib. 5. de ling. Lat. à Furina, quòd ei Deæ feriæ publicæ dies is, cuius Deæ honos apud antiquos. Nam et sacra instituta annua, & Flamen attributus: nunc vix nomen notum pauceis. Festus: Furnalia, siue Furrinalia, sacra Furinæ quam Deam dicebant.

Sequentibus diebus LVDI IN CIRCO fuerunt editi de quibus suo loco.

Quod Festus notat rutilas canes, id est, non procul è rubro colore, immolari, vt ait Atteius Capito, canario sacrificio pro frugibus, deprecandæ sæuitiæ causa sideris Caniculæ, id videtur etiam ad hunc mensem referendum, licèt dies ignoretur.

AD CAP. XI.

PARALIPOMENA.

De Neptuno obiter pauca, & Neptunales ludi, seu feriæ.

LICET omnia sint obuia, adscribam tamen insignem locum Ammiani Marcellini lib. 17. ideóq; Neptunum humentis substantiæ *Ennosigæum, & Sisichthona poëtæ veteres & Theologi nuncupauerunt.* vide Fr. Lindebrogium, ni me fallit memoria, ad illum locum, & Cælium Rhodig. libr. 30. cap. 27. ἔνοσις sanè à ἐνέω *quatio*, est *concussio*, γαῖα, *terra*, vnde ἐννοσίγαιος, quasi terræ conquassator, appellatus. interpres Iuuenalis ad Sat. 10. v. 182.

Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum,

Allusit P. Virgilius lib. 2 Æneid.

Neptunus muros, magnóque emota tridenti
Fundamenta quatit.

Homer. lib 13 Iliad. v, 59.

——γαιήοχος ἐννοσίγαιος.
Terram continens, terram quassans.

Quare non immeritò commune illi cum Terra templum erat, vt ex Musæo apud Pausaniam notauit Marcellus Donatus in Dilucidationibus suis. Et ob id etiam quoties terra tremuisset, supplicationes decernebantur, feriæ indicebantur, de quibus paulò post dicam, iustitium fiebat, dum sacra peragerentur, incerto, neque nominato vlli numini, quia cùm certum esset terræ aliam, aliam maris potestatem esse, & tamen in terrę motibus multum virium causarúmq; aquam habere, nomen dij placandi silebant, ne vnum pro alio nominantes, falsa religione populum deuincirent. Ælian. var. histor. lib. 6. c. 76. Plato in Philebo. Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromat. Æschylus in Agamemnone. A. Gel. lib. 2. cap. 28. & cum Lycophron eundem faciat *Neptunum & Tritonem*, puto rectè huc trahi posse versus Actij, seu Attij seu Accij antiqui poëtæ, apud M. Tullium lib. 2. de Natur. deor.

Aut fortè Triton fuscina euertens specus,
Subter radices penitus vndanti in freto
Molem ex profundo saxeam ad cælum vomit.

In MS. codice meliùs.

Aut fortè Triton fuscina euerrens specus.

Simile enim est illud Claudian: li. 1. de Raptu Proserpinæ.

Putrida multimagis populatur flatibus antra.

Falsam autem fabulam de equo ab illo producto, in contentione cum Minerua inita, de nomine Athenis imponenda, côtra Seruium ad prin-

ad principium lib.1. Georgicon, ostendit Baptista Egnatius Racemationum cap.8. & Palladem quidem oliuam, Neptunum verò non equum, sed fontem seu scaturiginem produxisse, quod confirmat Ouidius lib.6. Fab.1. Metamorph.

Stare deum pelagi longóque ferire tridente
Aspera saxa facit, medióque è vulnere saxi
Exiluisse fretum, quo pignore vindicet vrbem.

Scio alios legisse, aliter, & de equo intellexisse *Ferum.*

Grauis est lapsus Placidij Luctatij ad lib. 12. Thebaid. v.633. *Acropolim dicit arcem Thebarum, de qua Neptuno & Mineruæ dicitur fuisse certamen, percussa Neptuno terra equum dedit, indicium belli, Mineruæ verò oliuam pacis insigne.* Certè quod ille de arce Thebarum scribit, concors antiquitatis consensus tradidit de vrbe Athenis Theætetus libr.4. Antholog. cap. 12. epigr. 85.

ἄκρων αὐχενίων
Aliis summa arces.

Videatur Ioannes Brodæus ibidem. Statium ipsum audiamus loco laudato.

Celauit Geticos ripis Ilissos amores,
Ipse quoque in pugnas vacuatur collis, vbi ingens
Lis superum, dubiis donec noua surgeret arbor
Rupibus, & longa refugum mare frangeret vmbra.

De Neptunalibus ludis, qui hoc mense celebrari solebant, Q. Flor. Tertullian. lib. de spectacul. c.6. *cui superstitioni vtriusque generis ludi notarentur, Magalenses, & Apollinares, item Cereales, & Neptunales, & Latiares, & Floreles, in commune celebrantur.* Extat mentio in vetusto marmore, cuius fragmentum apponam.

FLAVIA. Q. F. SALVTI. CONIVGI. CHARISSIMAE.
L. PVBLICIVS. ITALICVS. DEC. ORD. SIBI.
POSVIT. QVAM. IPSE. EXSTRVXIT. DIE. NEPTVNALIORVM. PARENTIBVS. SPOR......
BINI. DIVIDERENTVR. ET. DECVR. XXVIII. SIVE.
........CENTENI. QVINQVAGENI. V. SOLITI.
ARCAM. PVBLICORVM. FLAVIANI. ET ITALICI.
FILIORVM. ET. ARCAM. IN. QVA. POSITA.
EST. FLAVIA. SALVTARIS. VXOR. EIS. ROSIS........
DIE. XV. SACRIFICENT.

CAPVT XII.

De mense Augusto, & Festis in eo diebus.

SICVT præcedens mensis Quintilis, ita hic Sextilis dictus est, quòd sextus à Martio anni principe esset. Posteà Augusto imperante, in ipsius honorem Augustus est appellatus: qua de re ita scribit Macrobius Saturnal. lib.1. cap.12. Augustus deinde est, qui Sextilis anteà vocabatur, donec honori Augusti daretur, ex Senatusconsulto, cuius verba sub eci: Cùm Imperator Cæsar Augustus mense Sextili primum Consulatum inierit, & triumphos tres in Vrbem intulerit, & ex Ianiculo legiones deductæ, secutæque sint eius auspicia, ac fidem, Ægyptus hoc mense in potestatem populi Romani redacta sit, finisque hoc mense bellis ciuilibus impositus sit, atque ob has causas hic mensis huic Imperio fœlicissimus sit, ac fuerit, placere Senatui, vt hic mensis Augustus appelletur. Item Plebiscitum factum ob eandem rem, Sext. Pacubio Tribuno plebem rogante. Hactenus Macrobius. Idem ferè Dio libro 55. tradit, his verbis: Mensem Sextilem Augustum nominauit: quod nomen cùm alij Septembri, quo mense natus esset Augustus, indere vellent, ipse Sextilem prætulit, quòd eo mense primum consul factus, ac eo multis magnis prælijs victoriam potitus esset. Et Suetonius in Augusto, cap.31. Annum, inquit, à diuo Iulio ordinatum, sed posteà negligentia conturbatum atque confusum, rursus ad pristinam rationem redegit in cuius ordinatione mensem Sextilem mensem e suo nomine nuncupauit, magis quàm Septembrem, quo erat natus: quia hoc sibi & primus consulatus, & insignes victoriæ obtigissent. Cæterùm hic mensis, qui in Ceretis tutela erat, ex ordinatione Romuli & Iulij XXX. ex Numæ autem constitutione XXIX. dierum fuit, vti initio huius libri docuimus.

DE DIEBVS MENSIS AVGVSTI FESTIS.

Kalendis Augusti nullæ feriæ in illo Kalendario, quod initio huius libri posuimus, notatæ

sunt. Legimus tamen apud Dionem lib. 60. kalendis Augusti equestria certamina fuisse exhibita, quòd eo die Martis ædes consecrata esset.

IV. Non. Augusti erant feriæ, quòd Cæsar Hispaniam citeriorem vicisset. Harum ita meminit Kalendarium: Fer. Quod hoc die C. Cæsar. Hisp. cit. vicit. quemadmodum etiam in altero illo kalendario, quod beneficio Benedicti Ariæ Montani in lucem datum est, scriptum fuisse, fragmentum istud ostendit, cit. vicit. priora enim desiderantur. Hęc verò, quæ prius ex kalendario integro adscripsi verba, sic legenda sunt: Feriæ quod hoc die C. Cæsar Hispaniam citeriorem vicit. De hac verò victoria & feriis in memoriam eius celebratis Dio lib. 43. Id postremum bellum ab eo confectum est, hánceque vltimam victoriam reportauit, &c. Nihilominus tamen apertè tripléxque pompa Romæ de victoria Hispaniensi habita est, feriæque insuper quinquaginta dierum actæ. De eadem victoria Suetonius in Iulio Cæsare, c. 36. & alibi Plutarchus in eius vita. Hirtius lib. de bello Hispaniensi, Velleius libr. 2. Imprimis Car. Sigonius in Fastorum Commentariis, ad annum ɪↄcccɪx.

V. Idus Augusti ita notatus kalendario est: Hoc die Cæsar. Hispali. vic. id est, Hoc die Cæsar Hispalim vicit. Meminit & huius victorię Dio lib. 43. item Suetonius in Cæsare, & Hirtius lib. de Bello Hispaniensi.

IV. Idus Aras Opis & Cereris in vico Iugario consecratas esse, Lilius Gregorius Gyraldus ex veteri, vt ipse ait, Kalendario notat.

Pridie Idus Herculi magno Custodi in circo Flaminio sacra facta esse, idem Lilius Gyraldus annotat, ex veteri kalendario.

Idibus Augusti Dianæ sacra fiebant, quod testatur Martialis epigram. 68. libri 12.

Maiæ Mercurium creastis Idus,
Augustis redit Idibus Dianæ.

Et Ausonius Eidyllio de feriis Romanis.

Et medias Idus Maij, Augustique recursus,
Quas sibi Mercurius, quásque Diana dicat.

Has ferias intelligit Propertius cùm lib. 2. eleg. 33. sic scribit:

—Sed tibi me credere turba vetat;
Cùm videt accensis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre Deæ.

Mulieres enim voti damnatę, & compotes ab Vrbe ardentes faces in Aricinum nemus, vbi religiosissimè colebatur Diana, ferebant illius Deæ feriis, vt Ouidius in Fastis scribit.

Sæpè potens voti frontem redimita coronis
Fæmina lucentes portat ab vrbe faces.

Et venatores (nam venationibus Diana præest) sæpenumero faces spicatas accensas eò ferebant, & canes suos morbo, aut scabie affectos insulis velatos Deæ sistebant, omnéque instrumentum venatorium ante eam collocabant. Gratius de Venatione.

Spicatásque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus, & solito catuli venantur honore:
Ipsáque per flores medio in discrimine luci
Straueré arma sacris, & pace vacantia festa.

Sed & Diana, quæ venari, ferásque agitare, & sagittis conficere antiquorum opinione censebatur, illis ipsis feriis suis, quæ Idibus Augusti celebrabantur, emeritos canes, quietosque à venatione, & immunes habere credebatur, ipsáque etiam feriari. Statius Papinius 3. Syluarum.

—Ipsa coronat
Emeritos Diana canes, & spicula tergit,
Et tutas finit ire feras.

Collegit hæc Adrianus Turnebus Aduers. lib. 7. c. 26. ex quo ea descripsi.

Eodem die festum erat seruorum & seruarum, de quo ita scribit Plutarchus in Quæstionibus Romanis, quæstione 100. Cur Idibus Sextileis, qui nunc Augustus dicitur, feriæ sunt vtriusque sexus seruis: mulieres autem tum maximè lauare & purgare capita student? An hoc seruis datum, quòd ea die Seruius Rex natus è captiua fuit ancilla? lotio autem capitis ab ancillis feriatum causa cœpta, etiam ad liberas peruasit? Hactenus ille.

XVI. Kalend. Septembris Portumnalia erant, de quibus ita Kalendarium: E. Port. NP. hoc est, Portumnalia, Nefastus primò.

Portumnalia, inquit Varro, lib. 5. de lingua Latina, dicta à Portumno, cui eo die ædes in portu Tiberino facta, & feriæ institutæ. Adrianus Turnebus addit: Rem diuinam fieri consueuisse ad pontem Æmilium, vbi eius ædes fuerit. Plura quæ de Portumnalibus afferam,

non

non habeo. De Portumuo vide quæ scripsimus libro 2. c. 13.
XIV. Kal. Septembris Vinalia erant, quorum Kalendarium sic meminit: G. Vin. F. P. hoc est,
Vinalia, Festus primò.
Vinalia duplicia erant, alia Veneri, alia Ioui celebrabantur, quæ tamen Scriptores veteres
mirum in modum confundunt: modò enim ea quæ Veneri sacra erant, & ob id Venealia à
Plutarcho dicuntur, mense Aprili: altera mense Augusto celebrata tradunt: modò contrarium
scribunt, vt incertus sis, quid potissimùm sequaris. Ioseph. Scaliger Castigationibus suis ad Fe-
stum inclinat in hanc sententiam, quòd Vinalia Veneris, siue Vinalia priora mense Aprili: al-
tera Vinalia, quæ Iouis erant, & Rustica Vinalia appellabantur, Augusto mense fuerint cele-
brata: quem & nos secuti antè sumus, & adhuc sequemur: quamuis, vt ipse fatetur, contrarium
apud Scriptores reperiatur. Sic enim Varro lib. 5. de lingua Latina: Vinalia Rustica dicuntur
ante diem duodecimum Kalendas Septembris: quòd tum Veneri dedicata ædes, & horti eius
tutelæ assignantur, ac tum sunt feriati olitores. Paulus Festi mutilator: Rustica Vinalia quar-
todecimo Kalendas Septembris celebrabantur, quo die primum vinum in Vrbem defere-
bant. Festus, Rustica Vinalia appellantur mense Augusto, quartodecimo Kalendas Septem-
bris, Iouis dies festus, quia Latini bellū gerentes aduersus Mezentium, omnis vini libationem
ei Deo dedicauerunt. Eodem autem die Veneri templa sunt consecrata: alterum ad Circum
maximum: alterum in loco Libitinensi; quia in ipsius Deæ tutela sunt horti. Quod idem ferè
in voce Roscii scripsit, quæ verba à Iosepho Scaligero sic sunt restituta: Rustica Vinalia men-
se Augusto Veneri dicata sunt, quòd eodem die ædes ei consecrata sit: iumenta quoque, oli-
tores, & omnes horti in eius tutela sunt, &c. Contra tamen, & in superioribus quos citauimus,
locis scripsit & in voce Vinalia: Vinalia, inquit, diem festum habebant, quo die vinum nouum
Ioui libabant. Huius verò libationis vini, quę Ioui fiebat, ita meminit idem alibi: Calpar vi-
num nouum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antè quàm gustetur. Ioui enim priùs sua
vina libabant, quæ vocabant Vinalia. Id autem fiebat, inquit Iosephus Scaliger in Coniecta-
neis, ne reliquum, quod in apothecis illis, vnde calpar promeretur, remaneret, sacrum esse in-
ciperet, & omninò ex vsibus eriperetur humanis, sed calpari libato, religione solueretur. Ita-
que cum Calpar libabant Inferium vocabant, quòd solum inferretur, his verbis: Macte hocce
vino inferio esto. Et hoc pręcipuè dicebatur de vino diffuso, & doliari. Nam alioqui de eodem
musto libabant, sed id Sacrima vocabatur, posteaquam polluxerant eas confectiones, quæ
vocabant Suffimenta ex faba milióque molito, mulso sparso: quæ Diis eo tempore daban-
tur, quo vuæ calcatæ prælo premebantur, &c. Hactenus Iosephus Scaliger. Ex quibus cogno-
scere licet causam superstitionis illius, cur vinum nouum tangere nefas esset, antequam Vi-
nalia kalarentur.
XII. Kalend. Septembris Consualia erant: sic kalendarium: A. Cons. NP. quod interpretatur
Consualia, Nefastus primò.
Consualia, inquit Varro li. 5. de ling. Latina, dicta à Conso, quòd tum feriæ publicæ ei Deo
& in circo ad aram eius ab Sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. Festus:
Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant: quem Deum consilii putabant.
Liuius lib. 1. ab Vrbe condita auctor est, Consualia ludos esse Neptuni Equestris. De his ita
Plutarchus in Romulo: Romulus sparserat rumorem, reperisse se aram cuiusdam Dei sub ter-
ra occultatam. Dei nomen Consus fuit, siue quòd in consultando iuuaret, sicut Latinis est
consilium, & consul, siue is Neptunus Equestris est: nam ara Consi in Circo maiori reliquo
tempore latens, Circensibus ludis apparet: siue, quod alii asserunt, abdito consilio, arcanóque
haud inconuenienter subterranea Deo ei ara tribuitur: Ea ergo ara prolata, sacrificium eius
nomine splendidum & ludos, & spectaculum publicum edidit, conuocatis ad hoc finitimis,
&c. Et paulò pòst: Raptæ autem sunt virgines xv. kal. Septemb. quo die Consualia. Vbi nu-
mero erratum puto, cum Kalendarium vii. Cal. Septemb. festum illud colloces. Consualibus e-
quos, asinósque coronabant & ociari sinebant: vel quia feriæ illæ Conso, qui equester Neptu-
nus est, agebantur: asinus autem tum equo consors est, iuxtaque fruitur vacatione laboris: vel
quia tum commoda nauigandi maris tempestas exhibita, iumentis qualemcumque quietem
præbebat. Plutarch. Quæst. Rom. quæ. 48. Festus quoque scriptum reliquit: Multos celebrari
ludos in Circo maximo Consualibus consueuisse, quia id genus quadrupedum primum pu-
tatur currui vehiculóque adiungi.
XI. Kalend. Septemb. dies intercisus erat, quod testatur kalendarium his notis B. En. hoc est,
Endotercisus. Endotercisi, vel intercisi dies qui sint, supra est à nobis explicatum.
X Kal. Septemb. Volcanalia erant, testante id ipsum kalendario, quod sic habet: G. Volc.
NP. hoc est Volcanalia. Nefastus primò.
Volcanalia, inquit Varro lib. 5. de ling. Lat. à Volcano quod ei tum feriæ, & quod eo die

populus pro se in ignem animalia mittit. Ad Vulcania respexit Plin. cùm lib. 18. c. 13. de satione napi scripsit. Serere nudum volunt, precantem sibi & vicinis serere se: satus vtrique generi iustus, inter deorum numinum dies festos, Neptuni atque Vulcani. Huius etiam festi Columella libro 11. cap. 3. de raphani satione docens meminit.

IX. Kalend. Septemb. Feriæ Lunæ erant in Græcostasi, quemadmodum habet fragmentum Kalendarii marmoreum effossum Romæ sub colle hortulorum, & ab Huberto Goltzio Thesauro Antiquitatis insertum. Hoc etiam die mundus patêre dicebatur, qua de re in Octobri agemus.

IIX. Kalend. Septemb. Opiconsiua erant: sic enim kalendarium: E. Opic. NP. hoc est, Opiconsiua, Nefastus primò.

Opiconsiua dies à Dea Opiconsiua, cuius in Regia sacrarium, quod ideò actum, vt eo præter virgines Vestales, & Sacerdotem publicum, introeat nemo. Is cùm eat, subsibulum habeat, &c. Varro libro 5. de ling. Lat.

VI. Kalend. Septemb. Volturnalia erant, de quibus ita habet Kalendarium: G. Volt. NP. hoc est, Volturnalia, Nefastus primò.

Volturnalia, inquit Festus, Volturno Deo sacra erant, cuius Sacerdotem Volturnalem vocabant. Diximus de Volturno libro 2. vbi de Diis disputauimus.

V. Kalendas Septembris ita notatus est: Hoc die ara Victoriæ in curia dedicata est. De Victoria in Curia Iulia consecrata Dio libr. 51. cùm triumphum Augusti de Ægypto exposuisset, sic scribit: Cæsar (Augustus scilicet) his omnibus triumphis in Vrbem inuectus, &c. Mineruæ templum, & quod Chalcidicum vocatur, tum Curiam Iuliam in honorem patris sui factam dedicauit, in eáque imaginem Victoriæ posuit, quæ hodie quoque extat. Tarento olim Romam vecta, ac à Cæsare tum in Curia posita, & spoliis Ægyptiis decorata: quo Cæsar nimirum ostendebat imperium se ex victoria esse adeptum. Aræ Victoriæ in Curia meminit Herodianus libro 7.

In Kalendario Rustico, quod Hubertus Goltzius Romę ad palatium nouum Fernesianum, in campo Floræ, ex marmore quadrato exscripsit, & in suum Antiquitatis Thesaurum retulit: item in illo Kalendario, quod Georgius Fabricius lib. 2. Antiq. habet, descripto, vt ipse ait, ex duobus veteribus lapidibus, quorum alterum in domo Vallarum, quæ in circo Flaminio: alterum in hortulo Angeli Colotii in campo Martio, fit mentio sacrorum Spei, Salutis, & Dianę: quo verò die ea facta sint, non additur. Lilius tamen Gyraldus Kalendis Augusti Spei ad forum Olitorium: Nonis, Saluti in colle Quirinali, & iterum Spei: VI. Idus Soli Indigeti in colle Quirinali: pridie Idus, Herculi magno custodi in Circo Flaminio: XVI. Kalend. Semptemb. Iano ad theatrum Marcelli sacra facta fuisse tradit, idque ex auctoritate, vt ipse scribit, veteris Kalendarii: cuius rei fides sit penes auctorem. Et de mense Augusto hactenus.

Caput XIII.

De mense Septembri, & diebus in eo festis.

Septembær sequitur, qui mensis appellationem hanc accepit, quòd septimus esset à Martio, quemadmodum Varro libr. 5. de lingua Latina, testatur, vbi scribit, menses reliquos à Iunio ad Decembrem vsque à numero dictos. Quidam volunt Septembrem Romanis quasi septimum imbrem: non tantùm quòd à Martio septimus numeretur: verùm etiam ob imbrium frequentiam, & aëris turbationem, quæ sub initium autumni accidere plerumque solet, dictum esse haud aliter, ac reliqui menses, ad finem vsque anni suas appellationes antiquitùs nacti sint. Hunc mensem Senatus in Tiberii Augusti honorem Tiberium appellari voluit: quòd tamen ne fieret, ipsemet intercessit. Suetonius in Tiberio, c. 26. Dio lib. 7. hoc de mense Nouembri tradit, quia scilicet Tiberius XVI. Kal. Decembris natus fuerit. Eundem mensem Domitianus Imperator, Germanici cognomine assumptus, Germanicum à se transnominauit, Suetonius in eius vita, cap. 13. Macrobius libro 1. Saturn. cap. 12. Mensis September principalem sibi retinet appellationē ex Germanici appellatiōne. Iulius Capitolinus in vita Antonini Pij refert, Senatum decreuisse hunc mensem Antoninum, sequentem Faustinum appellari, verùm id Antoninum respuisse. Commodus autem Imperator, cùm omnia mensium nomina transmutasset, iisque pro vetustis appellationibus nouas de suis cognominibus imposuisset, hunc mensem Herculem vocauit. Ælius Lampridius in eius vita. Herodianus lib. 1. vbi tamen nouas illas mensium appellationes non addit.

dit. Tandem Tacitus Imperator Septembrem mensem Tacitũ appellari iussit, idcirco, quòd eo in mense & natus, & factus esset Imperator. Flauius Vopiscus eius vita. Cæterùm hic mensis, qui in Volcani tutela fuisse existimatus est, ex Romuli & Cæsaris ordinatione xxx. ex Numæ autem constitutione xxix. dierum fuit.

DE DIEBVS MENSIS SEPTEMBRIS FESTIS.

In hoc mense breuiores erimus, cùm Ludi, qui potissimam eius partem occupant, sequenti capite à nobis sint explicandi.

IV. Nonas Septembris memorabilis est, propter naualem victoriam Augusti de M. Antonio à Cleopatra Regina Ægypti, teste Dione lib. 51. qui eam victoriam proximè describit lib. 5. extremo. Atque vt idem auctor est lib. 51. ab hoc die Cæsaris Monarchia cœpit, anno ab Vrbe condita ıↄcccxxvı. Qua de re vide prolixè differentem Dionem loco indicato. Xiphilinum in Epitome, Suetonium, Eutropium, & alios. In primis Carolum Sigonium in Commentariis Fastorum.

Pridie Non. Septembr. & octo sequentibus Ludi Romani erant, vt habet Kalendarium, de quibus nos libro sequenti agemus.

VI Idus Septembris Hierosolymæ à T. Vespasiano captæ sunt, quod Iosephus tradit.

Idibus Septembris vetustis temporibus Prætor maximus clauum pangebat, de quo more Liuij verba ex libr. 7. adscribam: Lex, inquit, vetusta est priscis literis, verbisque scripta, vt qui Prætor maximus sit, Idibus Septembris clauum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Iouis Optimi maximi, ea parte, qua Mineruæ templum est: eum clauum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse feruntur, eóque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerua inuentus sit. Vulsiniis quoque clauos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiæ Etruscæ Deæ comparere, diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat. M. Horatius Consul, ex lege templum Iouis Optimi maximi dedicauit, anno post Reges exactos. A Consulibus posteà ad Dictatores, quia maius imperium solemne claui figendi translatum est, &c. Hæc Liuius.

Eodem die templum Iouis Capitolini dedicatum est, à M. Horatio Consule, quod docet Plutarchus in Poplicola, his verbis: Idibus Septembris, quæ dies incidit in plenilunium mensis eius (quem Metagitnionem Græci vocant) dedicationis causa cùm frequentes in Capitolium omnes conuenissent, Horatius facto silentio, peractis pro more omnibus, fores tangens verba dedicationis solennia dixit, &c. Vide de hac dedicatione etiam Liuium lib. 1. qui tamen diem non annotat.

Postridie Idus Septembris, vel xvıı. Kalend. Octobris dies erat Equorum probandorum. Sic enim Kalendarium habet: A. F. Equor. proband. hoc est, Fastus Equorum probandorum. De hac celebritate quid dicam, non habeo, cùm eius nec Varro, nec Festus vllo verbo meminerint. Valerius quidem Maximus probationis equorum mentionem facit libro 2 cap. 1. his verbis: Equestris ordinis iuuentus omnibus annis bis Vrbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat die Lupercalium, & equitum probatione. Sed ipse sese statim explicat, quòd eam equitum trabeatorum transuectionem in Capitolium intelligat, quæ Idibus Iuliis fuerit celebrata, de qua nos in Iulio mense ex Iacobi Ræuardi libris Variorum plura diximus. Qualis igitur hæc equorum probandorum consuetudo fuerit, cuius in hoc & sequenti mense extat mentio, quærendum videtur.

XVII. Kalend. Octobris, & sequentibus aliquot Ludi Romani in circo erant, vt habet Kalendarium: de quibus ludis nos sequenti libro differemus.

XII Kalend. Octobris, & sequentibus tribus diebus Merkatus, siue Merkurialia erant, de quibus etiam in Iulio.

IX. Kal. Octo. natalis Augusti erant: sic n. Kalendarium: NP. Merk H. D Augusti nato, hoc est, Nefastus primò Mercatus, siue Merkurialia, hoc die Augusti natalis. Kalendario assignatur Suetonius in Augusto. ca 5. Natus est, inquit, Augustus, M. Tull. Cicerone, & Antonio Coss. IX Kal. Octob. paulo ante Solis exortum, regione Palatij ad capita bubula, & Dio lib 55. Augustum mense Septembri natum dicit. De celebratione autem Natalis eius idem Dio lib. 54. in Historia anni ıↄcxxvııı. Ædiles natalibus Augusti priuatim ludos equestres, & venationem ediderunt. Et in Historia anni ıↄcxl.ii. eodem: Natalem Augusti diem Iulius Antonii F. Prætor equestri certamine, & venatione celebrauit, & ex S. C. epulum Augusto & Senatoribus in Capitolio dedit. Suetonius in Augusto c. 57. Equites Romani natalem Augusti sponte atque consensu biduo semper celebrarunt.

V. Kal. Octob. Veneris Genetricis feriæ erant, sicut testatur fragmentum aliud Fastorum effossum Romæ sub colle hortulorum, in quo sic legitur: Veneri Genetrici in foro Cæsaris. De Venere Genetrice diximus lib. 2.

Hoc mense Epulum Mineruæ fuisse, Kalendarium Rusticum, cuius ante quoque mentionem fecimus, habet: quo autem die, incertum. De Epulo dicemus in Nouembri.

Capvt XIV.

De mense Octobri, & diebus in eo Festis.

HIc mensis October à numero, quòd octauus esset à Martio. Hunc Domitianus è suo nomine Domitianum appellauit, quòd eo natus esset. Sic n. Suetonius in eius vita, c 13. Septembrem mensem, & Octobrem ex appellationibus suis Germanicum Domitianúmque transnominauit, quod alterò suscepisset Imperium, altero natus esset. Macrob. lib. 1 Satur. cap. 12 Octobrem verò suo nomine Domitianus inuaserat. Sed vbi infaustum vocabulum ex omni ære vel saxo placuit eradi, menses quoque vsurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt. Cautio posteà principum cæterorum diri ominis infausta vitantium, mensibus à Septembri vsque ad Decembrem prisca nomina reseruauit. Plutarchus etiam in Numa: Septembrem & Octobrem Domitianus suis cognomentis insigniuit: sed non diu ita vacati sunt, statimque post cædem eius pristina nomina recuperarunt. Hunc eundem mensem decreto Senatus Faustinum dictum, in honorem Faustinæ vxoris M. Antonii Imp. & à Commodo Inuictum, iam antè ex Iulio Capitolino & Ælio Lampridio diximus. Cæterùm hic mensis, qui in Martis tutela fuit, semper triginta vnius dierum fuit.

DE DIEBVS MENSIS OCTOBRIS FESTIS.

III. Non. Octo. mundus patere dicebatur, qua de re ita Fest. Mundus, vt ait Capito Ateius in libro 6. Pontificali, ter in anno patere solet, diebus his: postridie Volcanalia, & ante diem 3. Non Octob. & ante diem 6. Id Nouemb. Qui quid ita dicatur, sic refert Cato in Comment. Iur. ciuil. Mundo nomen impositum est ab eo mundo, qui supra nos est. Forma enim eius est, vt ex iis, qui intrauere, cognoscere potui, assimilis illi. Eius inferiorem partem, veluti consecratam Diis manibus, clausam omni tempore, nisi iis diebus qui suprascripti sunt, maiores censuerunt, quos dies etiam religiosos iudicauerunt, ea de causa, quod quo tempore ea, quæ occultæ & abditæ religionis Deorum manium essent, veluti in lucem quandam adducerentur, & patefierent: nihil eo tempore in Republica geri voluerunt. Itaque per eos dies non cum hoste manus conserebant: non exercitus scribebatur: non Comitia habebantur: non aliud quicquam in Republ. nisi quod vltima necessitas admonebat, administrabatur. Macrob. Satur. li. 1. c. 19. Nec Latinarum tempore, quo publice quondam induciæ inter popul. Rom. Latinósque firmatæ sunt, inchoari bellum decebat, nec Saturni festo, qui sine vllo tumultu bellico creditur imperasse: nec patente mundo: quod sacrum Diti Patri & Proserpinæ dicatum est, meliúsque occlusa Plutonis fauce eundum ad prælium putauerunt. Vnde & Varro ita scribit: Mundus cum patet, Deorum tristium atque inferûm quasi ianua patet, propterea non modo prælium committi, verùm etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, nauem soluere, vxorem liberûm quærendorum causa ducere, religiosum est &c.

V. Id Octob. Meditrinalia erant, quorum sic meminit Kalendarium D. Meditr. hoc est, Meditrinalia. Meditrinalia, ait Varro li. 5. de ling. Lat. dies dictus à medendo, quod, vt Flaccus Flamen Martialis dicebat, hoc die solitum vinum nouum & vetus libari & degustari medicamenti causa, Quod facere solent etiam nunc multi, cùm dicunt, Nouum vetus vinum bibo: nouo veteri morbo medeor. Fest. Meditrinalia dicta hac de causa. Mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, diceret ominis gratia. Vetus nouum vinum bibo: veteri nouo morbo medeor. A quibus verbis etiam Meditrinæ Deæ nomen cœptum, eiúsque sacra Meditrinalia dicta sunt.

IV. Idus Octobr. Augustalia erant, teste Kalendario, quod sic habet: E. August. NP. hoc est, Augustalia, Nefastus primò.

Augustalia dicebatur dies reditus Augusti Romam, rebus in Sicilia, Græcia, Asia, Syria, & Parthia compositis. De quo sic Dio lib. 54 in historia anni DCCXXXV. Ob reditum Augusti ac propter ea, quæ absens egisset, multa ac varia in honorem eius decreta sunt, quorum ille nihil accepit, nisi quòd Fortunæ reduci aram consecrari, diémque sui reditus inter ferias referri, & Augustalia dici passus est. His feriis ludi etiam peragebantur, qui dicebantur Ludi Au-

di Augustales, quorum Dio sæpe meminit libro 56. extremo: Eo, inquit, tempore plebs tumultuata est, cùm Augustalibus quidam histrio nollet pro constituta mercede in theatrum intrare: nec finis ante turbarum fuit, quam ea ipsa die Tribuni plebis coacto Senatu, precibus impetrarunt, vt liceret sibi maiores aliquanto, quàm legibus permitteretur, sumptus facere, &c. Et alibi Cornelius Tacit Annalium lib. 1. Tribuni plebei petiuêre, vt proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti Fastis additi Augustales vocarentur: sed decreta pecunia ex ærario, vtque per Circum triumphali veste vterentur. Curru vegi haud permissum, mox celebratio annua ad Prætorem translata, cui inter ciues & peregrinos iurisdictio euenisset. Horum ludorum etiam meminit Plin. lib. 7. Historiæ naturalis. cap. 25.

III. Idus Octobreis Fontinalia erant, de quibus ita Kalendarium: F. Font. NP. hoc est. Fontinalia, Nefastus primò.

Fontinalia, inquit Varro lib. 5. de ling. Lat. à fonte, quod is dies feriæ eius: ab eo autem tum, & in fontes coronas iaciunt, & puteos coronant. Festus Fontinalia fontium sacra, vnde & Romæ fontinalis porta. Iosephus Scaliger Coniectaneis in Varronem de lingua Latina notat, Fontinalia esse sacra, & feriæ eius fontis, cuius delubrum fuerit iuxta portam Capenam: vnde & ipsa Fontinalis dicta sit.

Idibus Octobris, October equus Marti immolabatur, de quo ritu Festus in hunc modum scribit: October equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur, quotannis Marti, bigarum victricum dexterior, de cuius capite non leuis contentio solebat esse inter Suburanenses (vel Suburanos) & Sacrauienses, vt hi in regiæ pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent, eiuídémque cauda tanta celeritate perfertur in Regiam, vt ex eo sanguis distillet in focum participandæ rei diuinæ gratia, quem hostiæ loco quidam Marti bellico Deo sacrari dicunt, non, vt vulgus putat, quia velut supplicium de eo sumatur quod Romani Ilio sunt oriundi, & Troiani ita in effigie equi sint capti. Plut. in Quæst. Rom. quæst. 97. vbi tamen Idibus Decembribus hoc factum fuisse tradit, cùm quæsiuisset, cur Idib. Decembris exhibitis equestribus ludis, dexter equus Victor Marti sacer immolaretur, & caudam aliquis amputatam ferret ad locum cui Regis nomen, aramque cruentaret, de capite alii à sacra via, alii à suburra descendentes depugnarent: ita respondet, id fieri, aut quod equo Troiam captam putantes, equum plectât: vt pote qui sint Troum splendida proles, natis mixta Latinûm: aut quia animosa sit bestia & bello apta, atque Martialis equus. Diis verò ea potissimum immolari, quæ eis accepta sint & conuenientia. Victorem autem equum mactari, quia Deo victoria sit accepta ferenda: aut rectiùs hoc dici, opus illius Dei statariam esse pugnam, victoriamque stando suos ordines qui seruant, de fugientibus reputare: itaque puniri celeritatem, vt fugæ commeatum, monerique isto argumento ciues fugientibus nullam esse salutis fiduciam. Hactenus Plutar.

XIV Kalen. Nouembris Armilustrium erat, testante idipsum Kalendario, quod sic habet, D. Armilustrium: Nefastus primò.

Armilustrium, inquit Varro libr. 5. de ling. Lat. ab eo, quòd in armilustrio armati sacra faciunt: nisi locus potius dictus ab heis. Sed quod de his prius, id ab luendo, aut lustro, id est, quod circumibant ludentes ancylibus armati. Paulus Festi abbreuiator: Armilustrium festum erat apud Romanos, quo res diuinas armati faciebant: ac dum sacrificarent, tubis canebant. Ad quem locum Iosephus Scaliger annotat, existimare se Centurias Comitiis exercitum armatum lustrari solitum, sumpto more ex vetustissimo instituto Atheniensium, apud quos οἱ ἀκλῆχοι Comitium lustrarint. Addit etiam, non esse credibile tubis in eo sacro canere solitos sed classico.

V. Kalendas Nouembris & sequentibus diebus quinque Ludi victoriæ fiebant. Sic enim Kalendarium: C. Lud. Vic hoc est Ludi Victoriæ. Hi ludi à P. Cornelio Sulla instituti fuerunt bello ciuili. Asconius in Verrinam. 2. Velleius lib. 2. Fœlicitatem diei, quo Samnitium, Telesinique pulsus est exercitus. Sulla perpetua ludorum Circensium honorauit memoria quibus sine nomine Sullanæ victoriæ celebrantur.

Hoc mense Libero etiam sacrum fieri consueuisse, ex Kalendario Rustico, cuius iam aliquoties meminimus, constat.

Initio autem huius Vortumnalia erant, quemadmodum ex Varrone liquet, qui ea ante Meditrinalia, & alia huius mensis festa collocat, diem autem certum non notat. Vortumnalia, inquit, à Vortumno, cuius feriæ Octobri mense.

CAPVT XV.

De mense Nouembri, & diebus in eo festis.

Caput XVI.

De mense Decembri, & diebus in eo festis,

HIc mensis December dictus, quòd decimus esset à Martio. Ab adulatoribus Commodi Imp. Amazonius est appellatus, vt modò ex Ælio Lampridio audiuimus, quam tamen appellationem non diu retinuit. Fuit in tutela Vestæ. Ex ordinatione Romuli dies habuit xxx. ex Numæ constitutione xxix. ex Iul. Cæsaris ordinatione xxxi.

DE DIEBVS MENSIS DECEMBRIS FESTIS.

Kalendis Decembris peractum fuit primum sacrum Fortunæ muliebris, quod tamen inde translatum est in 11. Nonas Quintiles. Docet hoc Dionys. Halycarnass. li. 8. cuius verba adscribam: Valeria, inquit, quæ prima Sacerdos eius Deæ, ex Senatusconsulto creata fuerat, quòd mulieribus legationis ad Martium Coriolanum auctor fuisset, & matri eius persuasisset, vt perfectione interesse vellet, ea præeunte primum sacrificium mulieres peregerunt pro populo in ara recens in fano facta, priusquàm absolueretur templum, aut Deæ simulacrum, Kalendis Decembribus, anni secuti proximè: nam ea die bellum finitum fuit. Anno deinde post primum sacrificium altero, ædes, quæ publicè locata fuerat, dedicata est pridie Nonas Quintileis à Consule Proculo Virginio. Hæc Dionysius, & alia plura, quæ ipse apud eum leges.

Nonis Decembribus Fauni festum erat, quod dicebatur Faunalia, Acrone & Porphyrione auctoribus, & in syluis ac pratis celebrabatur. Fiebat autem Fauno ea die res sacra hœdo & vino, quod testatur Horat. lib. 3. Carm. oda 18. vbi & reliqua eius diei solemnia explicat. Versus eius sunt hi:

Si tener pleno cadit hœdus anno:
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ: vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Cùm tibi Nonæ redeunt Decembres:
Festus in pratis vacat otioso
Cum boue pagus.
Inter audaceis lupus errat agnos:
Spargit agresteis tibi sylua frondes:
Gaudet inuisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

III. Idus Decembreis Agonalia erant, teste Kalendario: quod sic habet. A. Agonalia. NP. hoc est, Agonalia, Nefastus primo. De Agonalibus diximus in Ianuario.

XIIX. Kalendis Ianuarii Consualia erant, vt Kalendarium habet, de quibus in mense Augusto diximus.

XVI. Kalendis Ianuarii Saturnalia erant, de quibus ita Kalendarium: G. Sat. Feriæ Saturn. hoc est, Saturnalia, Feriæ Saturni.

Saturnalia, inquit Varro lib. 5. de lingua Latina, dicta à Saturno, quòd eo die feriæ eius, vt post tertium diem Opalia, Opis. Sext. Pompeius Festus: Saturno dies festus celebratur mense Decembri, quòd eo ædes est dedicata: & is culturæ agrorum præsidere videtur, quod etiam falx est ei insigne, &c. Fuerunt autem Saturnalia multò antè Romam conditam in Italia, quinetiam in Græcia celebrata, de quorum origine Macrob. libro primo Satur. cap. 7. tres diuersas veterum Scriptorum sententias recenset: quarum prima est, quòd Saturnalia à Iano, quem Saturnus cùm alia, tum agriculturam docuerat, post eius obitum fuerint instituta. Altera quòd à Comitibus Herculis ab ipso in Italia relictis, quia Saturni nomine ac religione tuti à latronum incursionibus fuerant, sacra hæc ipsi instituta sint, vt ad maiorem reuerentiam ipsa indicti festi obseruatio agrestes vicinorum animos vocaret. Tertia est, quod à Pelasgis in Delum insulam delatis, ex Apollinis oraculo ara Saturno erecta, & festum, quo sacra ipsi fierent, Saturnalia nominata sint. Addit ibidem Pelasgos primùm Saturnum victimis humanis placasse, ab Hercule posteà monitos, vt faustis sacrificiis infausta mutarent, accensis luminibus eundem coluisse, inde morem per Saturnalia missitandis cereis cœpisse. Saturnalibus crebra conuiuia agitabant, & mittebant sibi inuicem tum alia munera, quæ Saturnalitia dicebantur, tum etiam cereos, vel ob eam causam, quòd Saturnum luminibus accensis colerent, vel vt significarent, hoc Principe ab incomi & tenebrosa vita, quasi ad lucem, & bonarum

artium ſcientiam editos non eſſe. Cùm autem multi occaſione Saturnaliorum per auaritiam à clientibus ambitioſè munera exigerent, idque onus tenuiores grauaret, Publicius Trib. pleb. tulit, vt non niſi cerei ditioribus mittitarentur. Ipſi etiam domini ſeruos ſuos conuiuiis liberalibus & opiparis accipiebant, iiſque ſubminiſtrabant. Macrobio & Athenæo lib. 14. teſtibus. Quinetiam bellum Saturnalibus ſumere nefas habebatur. Et pœnas à nocente iiſdem diebus exigere, piaculare erat. Macrob. Saturno res diuina fiebat capite retecto, cùm aliis Diuis, excepto Honore, velato capite ſacrificarent. cuius moris Plutarch. in Quæſt. Rom. q. 11. rationes inquirens, ait id vel propterea fieri, quòd velare caput inſtitutum ſit Æneæ: Saturni autem ſacrificium multò ſit vetuſtius: vel quòd capita operiant coram cœleſtibus Diis: Saturnus autem inter inferos, terreſtréſque Deos numeretur: vel quia veritati, cuius Patrem Romani Saturnum eſſe cenſeant, nihil opertum ſit, nihil occultum. Cæterum primùm Saturn. A. D. XIV. Kal. Ianuarias celebrabantur, atque vno die abſoluebantur. PoſtquamC. Cæſar in anni emendatione huic mẽſi duos dies addidit XVI Kal. Ianuarii cœpta ſunt celebrari. Ea re factum eſt, vt cùm vulgus ignoret certum Saturnaliorum diem, nonnullique à C. Cæſare incerto die, & alii vetere more celebrarent, plures dies Saturnalia numerabantur. Quod Auguſtus Imp. confirmauit, cùm in legibus iudiciariis triduo ferias eas ſeruari iuſſit. Quanquam & apud veteres vel VII. dies Saturnalia peragi conſueuiſſe Nonius & Mummius, vel triduum tantum celebrata fuiſſe Mallius tradant. Alii tamen contrarium prodiderunt, qua de re prolixè differentem Macro. lib. 1 Saturn. cap. 10. Goropius Becanus lib. 4. orig. Antuerp. quem Cronia inſcripſit, affirmat, Saturnalia primùm à Noha tempore diluuii in Arca celebrata fuiſſe menſe diluuii decimo, eo die, quo primùm iuga montium ex aquis apparere cœperunt: ac deinde ſingulis annis eum diem feſtum fuiſſe: quem de hac re prolixè diſputantem, qui volet, legere poterit.

XIV. Kalendas Ianuarii Opalia erant, Kalendario teſte, quod ſic habet: A. Opal. NP. Hoc eſt Opalia, Nefaſtus primò.

Opalia inquit Varro li. 5. de lingua Latina, die tertio poſt Saturnalia, feriæ Opis. Sex. Pompeius: Opalia dies feſti, quibus ſupplicatur Opi appellantur. Macro. lib. 1. Saturnaliorum, cap. 10. cum pluribus de Saturnalibus diſputaſſet, ita tandem concludit: Ex his ergo omnibus colligi poteſt, & vna die Saturnalia fuiſſe, & non niſi XIV. Kalendas Ianuarias celebrata, quo ſolo die apud ædem Saturni conuiuio ſoluto, Saturnalia clamitabantur, qui dies nunc Opalibus inter Saturnalia deputatur, cùm primum Saturno pariter, & Opi fuerit adſcriptus. Hanc autem Deam Opem Saturni coniugem crediderunt, & ideo hoc menſe Saturnalia, itémque Opalia celebrari, quod Saturnus eiúſque vxor, tam frugum, quàm fructuum repertores eſſe credantur. Itaque iam omni fœtu agrorum coacto, ab hominibus hos Deos coli, quaſi vitæ cultioris auctores, quos etiam nonnullis cœlum & terram eſſe perſuaſum eſt, Saturnúmque à ſatu dictum, cuius cauſa de cœlo eſt: & terram Opem, cuius ope humanæ vitæ alimenta quæruntur: vel ab opere, per quod fructus, frugéſque naſcuntur. Huic Deæ ſedentes vota concipiunt, terrámque de induſtria tangunt, demonſtrantes ipſam matrem terram eſſe mortalibus appetendam. Philochorus Saturno & Opi primùm in Attica ſtatuiſſe aram Cecropem dicit, eóſque Deos pro Ioue, terráque coluiſſe, inſtituiſſéque, vt patresfamiliarum, & frugibus & fructibus iam coactis paſſim cum ſeruis veſcerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure tolerauerunt, delectari enim Deum honore ſeruorum contemplatu laboris. Hinc eſt, quod ex inſtituto peregrino huic Deo ſacrum aperto capite facimus, &c. Hactenus Macrob. ex quibus abundè, quod Opalia fuerint, cognoſci poteſt.

XIII Kalend. Ianuarij Sigillariorum feſtum incipiebat. Cum enim Saturnalia primùm vno tantum die videlicet XIV Kalend. Ianuarii peragerentur: deinde verò triduum iis tribueretur, à XVI. vſque ad XIV. Kalend. eiuſdem menſis, adiecta tandem eſt Sigillariorum celebritas, quæ diſcurſum illum publicum, & lætitiam religionis in ſeptem dies extendit: auctor Macrob. libro primo Saturn. cap. 10. De origine vero Sigillariorum idem libr. eod. cap. 11. ex Epicado hæc ſcribit: Epicadus, inquit, refert, Herculem occiſo Geryone, cum victor per Italiam armenta duxiſſet, ponte, qui nunc Sublicius dicitur, ad tempus inſtructo, hominum ſimulacra pro numero ſociorum, quos caſu peregrinationis amiſerat, in fluuium demiſiſſe, vt aqua ſecunda in mare deuecta, pro corporibus defunctorum veluti patriis ſedibus redderentur: & inde vſum talia ſimulachra fingendi inter ſacra manſiſſe. Sed mihi, inquit, huius rei illa origo verior exiſtimatur, quam paulo antè memini retuliſſe, quòd Pelaſgis poſtquam feliciore interpretatio capita non viuentium, ſed fictilia, & φῶτα æſtimatione non ſolum hominem, ſed etiam lumen ſignificare docuiſſet, cœperunt Saturno cereos potiùs accendere: & in ſacellum Ditis aræ Saturni cohærens oſcilla quædam pro ſuis capitibus ferre. Ex illo traditum, vt cerei Saturnalibus miſſitarentur, & ſigilla arte fictili fingе-

L finge-

li fingerentur, ac venalia pararentur, quæ homines pro se, atque suis piacula pro Dite Saturno facerent. Ideò Saturnalibus talis comitiorum celebritas cœpta, septem occupat dies, qui tantùm feriati fuerunt, non festi omnes. Hæc Macrobius.

XII. Kalend. Ianuarij Diualia erant, quorum sic meminit kalendarium: C. Diu. NP. Hoc est Diualia, Nefastus primò.

Diualia feriæ erant Diuæ Angeronæ, alio nomine dicta Angeronalia. Varro lib. 5 de lingua Latina. Angeronalia ab Angerona, cui sacrificium fit eo die, ac cuius eę feriæ publicæ. Sic enim hunc locum restituit Iosephus Scaliger in Coniectaneis. Sextus Pompeius Angeronæ Deæ sacra à Romanis instituta sunt, cum angina omne genus animalium consumeretur, cuius festa Angeronalia dicebantur. Macrob. lib. 1. Saturnaliorum cap. 10. Duodecimo kalendas Ianuarij feriæ sunt Diuæ Angeroniæ, cui Pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciunt, quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores ac animorum sollicitudines propiciata depellat. Iulius Modestus ideo sacrificari huic Deæ dicit, quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur præmisso voto sit liberatus.

Eodem die Herculi & Cereri mulso libari, & siue prægnante sacrificari consueuisse. Macrobius lib. 3. Saturnaliorum, cap. 11. docet.

VI. Kalendas Ianuarij ferias esse Laribus dedicatas, quibus ædem bello Antiochiæ Æmilius Regilius Prætor in Campo Martio curandam voluerit, Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, cap. 10. habet.

X. Kalendas Ianuarij Larentinalia erant, de quibus ita kalendarium: E. Lar. NP. Hoc est, Larentinalia. Nefastus primo. Quidam interpretantur Lalalia, vt sit festum Larium, sed cum illa die præcedenti fuerint celebrata, vti ex Macrobio audiuimus, hîc cum Paulo Manutio, Huberto Goltzio, & Petro Thuisconio Larentinalia intelligo, de quibus ita Varro lib. quinto de lingua Latina, ex emendatione Iosephi Scaligeri: Laurentiæ is dies, quem quidam in scribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus, cui Sacerdotes nostri publicè parentant festo die: quia altera dicitur ob ditem Taruntium Acca Taruntia. Hoc sacrificium fit in Velabro: qua in nouam viam exitur, vt aiunt quidam, ad sepulchrum Accæ: t quòd propè faciunt Diis manibus eius ibi Sacerdotes, vel, vt quod vbi propè faciant diis Manibus Aruales Sacerdotes. Sic enim legendum esse conicit Iosephus Scaliger, & constat ex Agellio libro 6. cap. 7. Sacerdotes, siue fratres Aruales Accæ, seu Caiæ Tarraciæ rem diuinam facere solitos. Sex. Pompeius: Larentalia coniugis Faustuli, inuentoris Remi, & Romuli Larentię festa. Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, c. 10. Decimo kalendas Ianuarij feriæ sunt Iouis, quæ appellantur Larentinalia. Et paulo post: Solemne sacrificium eidem constitutum, quo Diis manibus eius per Flaminem sacrificaretur, Iouique feriæ consecratæ, quia existimarunt antiqui, animas à Ioue dari, & rursus post mortem eidem reddi, &c. Quæ verò præcedunt in Macrobio verba, ea ad alteram Accam, siue Caiam Tarratiam, siue Tarrutiam pertinent, de qua nos lib. 2. harum Antiquitatum, in Flora diximus, cuius feriæ mense Aprili fuerunt, Floralia, nisi fallor, appellata. Valde autem hæc à veteribus scriptoribus confunduntur, quod & Iosephus Scaliger in Coniectaneis innuit. Vide & Plutarchum in Romulo, & quæstionibus Romanis.

IX. Kalendas Ianuarias, Iuuenales ludi erant, de quibus sequenti libro agemus.

Hoc etiam mense festum illud, quod Septimontium dicitur, fuit: quo die, incertum. Varro post Laurentialia eius mentionem facit. Sex. Pompeius Septimontium illum diem appellari scribit, qui in Fastis Agnalia dicitur. Terentij Varronis verba lib. 5. de lingua Latina hæc sunt: Dies Septimontium nominatus, ab heis septem monsibus in queis sita Vrbs est. Feriæ non populi, sed montanorum modo. Sex. Pompeius Septimontium dies festus appellatur mēse Decembri, qui dicitur in Fastis Agonalia, quòd in septem montibus fiunt sacra, Palatio Velia, Fagutali, Subura, Cermalo, Cœlio, Oppio, & Cispio. Sacrificiū quod fiebat Romæ in monte Palatino Palatuar dicebatur, &c. Varronis sententiam verisimiliorem facit Tertullianus, cùm scribit in libro de Idololatria: Etiam Streniæ captandæ, & Septimontium, & brumæ, & Caræ cognationis honoraria exigenda omnia. Ex quibus apparet, non solùm Decembri mense fuisse, quia is est brumæ mensis: sed etiam circa finem eius mensis fuisse, quia proximum sit strenæ exigendæ, quod fiebat kalendis Ianuarij. Vide Iosephum Scaligerum Calligationibus ad Festum, Plutarch. in Quæstionibus Romanis, quæst. 69. has ferias institutas esse ait, propter adiectum septimum Romæ collem, quo facta sit septicollis. Eóque die vsu vehiculorum, quæ iumentis traherentur, & antiquos abstinuisse, & suo etiamnum tempore antiquitatis studiosos abstinere, cuius moris rationes plures affert, inter quas & hæ sunt: Aut quòd Romani, cùm Vrbe condenda magnum opus peregissent, iámque vlterius incrementum Vrbis nullum animo conciperent, quietem cùm sibi, tum iumentis, quorum opera fuissent vsi, per istas ferias parauerint: aut quòd iidem, cùm vellent omnes festiuitates ciuium præsentia ornari, eam

verò imprimis quæ ob contractas in vnam multas Vrbis partes instituta erat, ciuibus vsu vehiculorum iumentariorum ista die interdixerint, ne Vrbe, cui dies agebatur festus, exirent. Hæc Plutarchus. Atque de mense Decembri hactenus.

Capvt XVII.

De diebus Festis, non stato certo tempore celebratis.

DIximvs hactenus, quantùm in tam obscurata antiquitatis memoria fieri à nobis potuit, de feriis statiuis, idque præeunte nobis Kalend. Romano, ex antiquo marmore descripto, superest, vt de conceptiuis etiam, Imperatiuis, nundinis, & aliis quibusdam, quædam in medium afferamus, quod hoc capite faciemus, atque tum finem huic libro imponemus. Conceptiuæ sunt, ait Macrob. lib. 1. Saturnaliorum, cap. 16. quæ quotannis à Magistratibus vel Sacerdotibus concipiuntur, in dies vel certos, vel etiam incertos, vt sunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia. Quanquam Latinas ferias non conceptiuas, sed statiuas fecisse videtur Liuius lib. 25. qua de re vide Commentarios Pauli Manutii in epistol. 4. lib. 2. ad Q. Fratrem.

Latinæ Feriæ, inquit Varro lib. 5 de ling. Lat. dies conceptiuus, dictus à Latineis populeis, quibus ex Albano monte ex sacreis carnem petere fuit ius cum Romaneis, à quibus Latineis Latinæ dictæ. De origine feriarum Latinarum Dionys. Halicarnass. libro 4. in historia Tarquinii Superbi, vii. Romanorum Regis, cùm deuictis Hetruscis, & fœdere inter Latinos populos auctore Tarquinio Superbo Rege icto, multa verba fecisset, sic scribit, Vt sempiternum maneret id fœdus, Tarquinius proposuit designare commune fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, Volscorum, duntaxat in societatem receptorum, quòd ad mercatum conuenientes, quotannis vnà epularentur, fruerentúrque sacris communibus. Gratum id fuit omnibus, locus conuentui præstitutus est in meditullio ferè harum gentium, mons altus Albanis imminens, vbi singulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis spatio propter loci religionem, legemque de hoc latam, ab omni vi temperarent omnes, sacráque communiter Ioui Latiali facerent, & vacarent epulis, constituto priùs, quantùm quisque populus in ea sacra præbere, quantamve portionem recipere debeat. Earum feriarum, atque sacrificii participes fuerunt tribus minus 50. populi, quas nostra quoque ætate Romani agitant, Latinas vocatas, conferúntque in eas populi sacrorum participes, quidam agnos, quidam caseos, quidam lactis certum modum, quidam liba lactaria. Victima est taurus vnus communis omnium, de cuius visceribus cuique populo sua certa portio tribuitur. Sacrificatur autem pro omnibus, & Romani præsunt sacrificio. Hactenus Dionys. Ex quibus ipsius verbis satis supérque, quæ ratio Latinarum feriarum fuerit, intelligi potest. Pertinet & hoc ad Latinarum feriarum rationem, quòd Consules non antè exire paludati in Prouincias consueuerint, quam ferias Latinas indixissent, atque iis in monte Albano cum Latinarum ciuitatum Magistratibus operam dedissent, Liu. multis locis, & Dio libro 46. vbi etiam annotat, male cessisse iis, qui ante ferias Latinas Vrbe profecti fuissent. Quòd si in eo sacro non omnes Latini carnem accepissent, sed aliquid dilatum, prætermissúmve fuisset, aut neglectæ cerimoniæ, intermissúmve solenne esset, tanquam non ritè exhibitum foret, denuò instaurari Latinas oportebat, cuius moris exempla apud Liuium libro 32. 37. 41. & alibi multa extant. Indicto Latiari, hoc est, solenni festo Latinarum, nefas esse prælium sumere, quod tempore quondam publicè induciæ inter Rom. populum, Latinósque firmatæ essent, Macrob. libro primo Saturnal. cap. 16. habet. Cum autem Consules Romani huic sacrificio hisque feriis operam darent, moris erat, vt interim alius aliquis ex Patriciorum numero Vrbi præficeretur, qui Præfectus vrbis Latinarum causa dicebatur. de quo ait Agellius lib. 15. cap. 8 quæsitum fuisse, an ius Senatus conuocandi, consulendique haberet. Anno V. C. ɪᴅxcvi. Q. Ogulium Dictatorem cum M. Lætorio Planciano Magistro equitum, feriarum Latinarum constituendarum causa creatum fuisse, ex Fastis Capitolinis patet. Atque his feriis vnum diem dicauit Tarquinius Superbus. Exactis autem regibus alter additus est, post fœdus cum Latinis à SP. Cassio Consule ictum, tertius anno demum Vrbis trecentesimo nonagesimo sexto, composita, quę diu ciuitatem turbauerat, de plebeio Consulatu seditione, quartus. Dion. libro sexto extremo, in historia anni cclx. Supplicationes Senatus decreuit ob plebis in gratiam reditum, & feriis Latinis diem tertium addidit, cùm priùs duo tantùm fuerint, primus consecratus à rege Tarquinio, quo tempore deuicit Hetruriam, alter à populo additus, quando Regibus pulsis libertatem adeptus est, tunc verò tertius accessit

post

post reconciliatam plebem Patribus. Earum feriarum & sacrificiorum, certaminúmq; curam Senatus commisit Ædilibus ornatis priùs Prætexta & sella eburnea regiis insignibus. Plutarc. in Camillo: Ad Latinarum feriarum triduum eodem edicto quartus adiectus est. Eadem ferè Liu. lib. 6 extremo Alexander ab Alexandro Genialium dierum l. 4. c. 7. vbi multa de Latinis feriis habet, etiam hoc addit, Latinarum tempore solemne ludicrum in Capitolio fieri, quadrigásque concito cursu decertare, victorémque certaminis in palmam victoriæ absynthium bibere solitum fuisse. Vnde verò hoc habeat, mihi non liquet.

Paganalia, siue Paganicæ feriæ agriculturæ causa susceptæ sunt, vt haberet in agreis omnis pagus: vnde Paganicæ dictæ sunt. Varro lib. 5. de ling. Latina Harum feriarum auctor est. Seruius Tullius Rex. Is. n. quemadmodum Dio Halycar. lib. 4. tradit, postquam tribus alias vrbanas, alias rusticas instituisset, & has in suos pagos distribuisset, vt rusticanæ multitudinis facilius iniri posset numerus: per singulos pagos aras iussit dedicari Diis tutelaribus, quotannísque ibi conuentum fieri, & sacrificium. festum hoc cumprimis religiosum constituens, vocatum Paganalia, simúlque eorum sacrorum ritus, qui nunc quoque seruantur, conscripsit. Ad id sacrificium, cúmque conuentum omnes paganos iussit in singula capita conferre certum numismatis genus, sed aliud viros, aliud mulieres, aliud impuberes: quibus connumeratis per sacrorum præsides, apparebat hominum numerus per sexus ac ætates distinctus. Hæc Halycar. Ouid. lib. 1. Fast.

Pagus agat festum, pagum lustrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum, Tellúsque, Ceresque,
Farre suo grauidæ, visceribúsque suis, &c.

Paganalia mense Ianuario, & quidem post Sementinas peracta fuisse significat. Cùm enim de Sementinis dixisset, hæc subiicit:

Villica da requiem terræ semente peracta,
Da requiem terram qui coluere viris.

Iosephus Scaliger Coniectaneis in Varronem notat, in Paganalibus potionem, quæ Deæ Cereri, vel quæ eadem esse videtur, Pali in Camella proposita sit, burranicam dictam esse: & eo refert illos Ouidij versus lib. 4. Fast.

Dum licet, apposita velut in cratere Camella
Lac niueum potes, purpureámque sapam.

Hæc potio, inquit, burranica dicebatur, à colore burro, quem mulsum lacte dilutum facit. Festus: burranica potio appellatur lacte commistum sapa, à rufo colore, quem burrum vocant. Camella autem ea est, quam Pollux σκαφίδα vocat. Idem Scaliger eodem loco addit, Cererem in Paganalibus sacris vocatam fuisse Empandam, de qua intelligendus sit Varro li. 2. de vita popul. Rom. cuius hæc apud Nonium leguntur verba: Hanc Deam Ælius putat esse Cererem. Sed quod in asylum qui confugerent, panis daretur, esse nomen fictum à pane dando pandere, hoc est, aperire. Ergo, inquit Scaliger, intelligit Empandam, Deam Paganorum. Porrò, Varro videtur Paganicas à Paganalibus distinguere, quòd Paganalia essent priuatæ feriæ alicuius pagi, Paganicæ verò omnium. De quo tamen discrimine Ouidius atque alij nihil habent.

De feriis Sementinis, secuti Ouidium, diximus in Ianuario: de Compitalibus in Maio.

Conceptiuarum Varro genera duo facit, alias. n. annales esse dicit, quæ non quidem in certos dies & menses, sed tamen quotannis: alias non annales, quæ neque certis diebus, neque mensibus, neque quotannis conciperentur. Sic. n. l. 5. de ling. Lat. Præterea feriæ conceptiuæ, quæ non sunt annales, vt hæ, quæ dicuntur sine proprio vocabulo, aut cum perspicuo, vt Nouendialis. Et hæ fortasse sunt, quæ à Macrobio imperatiuæ dicuntur, quales fuerunt feriæ Nouendiales, de quibus etiam quædam dicenda sunt.

Nouendiale sacrum dupliciter à Romanis actum fuit, vno modo, cùm defunctis parentabant, séque lustrabant, vt alibi dicemus, id enim huc non pertinet: altero, cùm prodigium aliquod accidisset, quod nouendiali sacro expiare solebant. Hoc autem sacrum nouem continuos dies fieri, vnde & nomen habet. & vel à Pontifice Maximo, vel à Prætore vrbano, ex Senatus decreto indici solebat. Paulus Festi abbreuiator: Nouendiales feriæ à numero dierum sunt dictæ. Festi verba mutila sunt, quæ tamen ex iis, quæ à Liuio lib. 1. scribuntur, intelligi atque suppleri facilè possunt, ideóque Liuij locum adscribam. Deuictis, inquit, Sabinis, cùm in magna gloria, magnisque opibus regnum Tulli, ac tota res Romana esset, nunciatum Regi, Patribúsque est, in monte Albano lapidibus pluisse: quod cùm credi vix posset, missis ad visendum prodigium, in conspectu haud aliter, quàm cùm grandinem venti

glomeratam in terras agunt crebri cecidêre cœlo lapides. Visi etiã audire vocem ingentem ex summi cacuminis luco, vt patrio ritu sacra Albani facerent, quæ velut Dijs quoq; simul cum Patria relictis obliuioni dederant: & aut Romana sacra susceperant, aut fortunæ (vt fit) obirati cultum reliquerant Deû m. Romanis quoque ab eodem prodigio nouendiale sacrum publicè susceptum est: seu voce cœlesti ex Albano monte missa (nam id quoque traditur) seu Haruspicum monitu. Mansit certè solemne, vt quandocunque idem prodigium nunciaretur, feriæ per nouem dies agerentur. Hæc Liuius, qui & alibi passim huius sacri, harúmque feriarum meminit. Quod autem in Festi fragmentis inter alia, hæc verba leguntur, quæ missa crate, &c. arbitratur Scaliger significari nouendiale sacrum illus factum, quos Tarquinius sub crate necauisset.

Quarti generis feriarum publicarum sunt Nundinæ, quas paganorum, id est, rusticorum fuisse, quibus conuenerint negotiis propriis, vel mercibus prouisuri. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 16. scribit Sext. Pompeius: Nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui, vt rustici conuenirent mercandi, vendendique causa, eumque nefastum, ne si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores. Vtrùm tamen hæ feriæ fuerint, an non, disputatum à veteribus scriptoribus esse Macrob. docet. Alios enim negare scribit, Nundinas ferias esse, vt Titum, Iulium, Modestum, & Trebatium: alios contra ferias esse affirmare, vt Iulium Cæsarem, & Cornelium Labeonem. Causam huius varietatis apud Granium Licinianum libro 2. inueniri scribit. Is ait (verba sunt Liciniani apud Macrobium) Nundinas Iouis ferias esse, siquidem Flaminica omnibus Nundinis in regia Ioui arietem soleat immolare. Sed lege Hortensia effectum, vt fastæ essent, vti rustici, qui nundinandi causa in Vrbem veniebant, lites componerent. Nefasto enim die Prætori fari non licebat. Ergo qui ferias dicunt, à mendacio vindicantur patrocinio vetustatis, qui contra sentiunt, æstimatu ætatis, quæ legem secuta est, vera depromunt, &c. De origine etiam Nundinarum variæ fuerunt veterum opiniones, quas Macrobius eodem loco his verbis recenset. Nundinarum, inquit, originem quidam Romulo assignant, quem communicato regno cum T. Tatio, sacrificiis & sodalitatibus institutis, Nundinas quoque adiecisse commemorant, sicut Tuditanus affirmat. Sed Cassius Ser. Tullium fecisse Nundinas dicit, vt in Vrbem ex agris conuenirent, vrbanas, rusticasque res ordinaturi. Geminius ait, diem nundinarum exactis iam regibus cœpisse celebrari: quia plerique de plebe, repetita Seruij Tullij memoria, parentarent ei nundinis. Cui rei etiam Varro consentit. Rutilius scribit, Romanos instituisse Nundinas, vt octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso rure, ad mercatum, legésque accipiendas Romam venirent, & vt scita, atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita, à singulis atque vniuersis facilè noscebantur: vnde etiam mos tractus, vt leges trinundino die promulgarentur. Ea re etiam Candidatis vsus fuit in Comitium Nundinis venire, & in colle consistere, vnde coram possent ab vniuersis videri. Sed hæc omnia negligentiùs haberi cœpta, & pòst abolita, postquàm in trinundino etiam ob multitudinem plebis frequentes adesse cœperunt. Hactenus Macrob. Plutarch. in Quæst. Rom. quæst. 42. Nundinas Saturno consecratas fuisse scribit. Sed hæc de Nundinis hoc loco sufficiant.

Non sunt etiam hic silentio prætereunda Bacchanalia, Ambarualia sacra, Solitaurilia, &c. quæ cùm explicauero, tum de Priuatis feriis pauca dicam, atque sic tandem hunc librum concludam.

Bacchanalia dicebantur Bacchi festa, inquit Festus Pompeius. De quorum solemnitate & licentia multa tradunt quæ huc referre non placet, illa tantùm adscribam, quæ de iis Flauius Blondus Foroliuiensis libro 2. de Roma triumphante, quemadmodum ea citat Ludouicus Carrio I. C. Scholiis in 2. librum Argonauticon Valerij Flacci, habet: Bacchanalia, inquit, Libero patri Baccho dicata, temporis longitudine per Autumnum Saturnalibus paria, maiore luxu celebrata sunt. Nudi enim viri cum nudatis omnia membra mulieribus, matronis, viduis & virginibus ad sacra conueniebant, quæ nonnisi nocturna erant, caput omnes pariter, femoraliaque pampinis, & vuarum racemis cincti, alios item vuarum racemos in manu tenebant, & tumultuario inuicem commixti cœtu in sublime saltantes, variáque gesticulatione, brachia, ceruicem, capútque mouentes, carmen inconditum Baccho cantabant, nec priùs erat saltationis modus quàm defatigati, & toto corpore vacillantes partim resupinarentur proximioribus inhærentes, partim in pauimentum fanatici, amentésque procumberent, vt rectè sensit Marcus Varro, talia nisi ab amentibus fieri non potuisse. Hæc Blondus. Quomodo hæc sacra in Italiam quoque & ipsam vrbem Romam irrepserint, quæque eorum fuerit turpitudo, videre est apud Liuium libro 39. vbi etiam hoc Senatusconsultum, quomodo abolita Bacchanalia Romæ, & per totam Italiam fuerint, recitat. In reliquum, inquit,

inquit, Senatusconsulto cautum est, ne qua Bacchanalia Romæ, nevé in Italia essent, si quis tale sacrum solemne, & necessarium duceret, nec sine religione, & piaculo se id omittere posse, apud Prætorem vrbanum profiteretur: Prætor Senatum consuleret. Si ei permissum esset, cùm in Senatu centum, non minùs, essent, ita id sacrum fieret, dum ne plus quinque sacrificio interessent, neu qua pecunia communis, neu quis magister sacrorum, aut sacerdos esset, &c. Illud etiam eodem libro prodit primùm, quotannis tribus diebus aliquos his sacris initiatos fuisse, posteà verò eò rem deductam, vt singulis mensibus quinque dies imitationi tribuerentur. De turpitudine sacrorum, quæ Baccho fierent in Italia, quædam etiam Augustinus libro 7. c. 21. de Ciuitate Dei, ex Varrone adducit, quæ legere potes.

Ambaruale sacrificium, ait Seruius, dicitur, quòd arua ambiat victima. Hæc victima siue hostia Ambaarualis dicebatur. Sex. Pompeius: Ambaruales hostiæ appellabantur, quæ pro aruis à XII. fratribus sacrificabantur. Idem: Ambarualis hostia est, quæ rei diuinæ causa circùm arua ducitur, ab iis, qui pro frugibus faciunt. Quæ verba etiam à Macrob. libr. 3. Saturn. cap. 5. citantur: qui etiam hæc addit: Huius sacrificii mentionem Virgil. in Bucolicis habet, vbi de apotheosi Daphnidis loquitur.

Hæc tibi semper erunt, & cùm solemnia vota
Reddemus Nymphis, & cùm lustrabimus agros.

Vbi lustrare significat circuire. Hinc enim videlicet, & nomen hostiæ acquisitum est ab ambiendis aruis. Hæc ille. Cæterùm hoc sacrum ita peragebatur. Victimas, suem scilicet, ouem, & taurum, vnde Suouetaurilia id sacrificium appellatur, maturis frugibus ter circùm arua ducebant, omnésque post clamantes sequebantur, ex quibus vnus querna corona ornatus, cum solenni saltatione composito carmine Cereri decantabant laudes, ac postquàm vino, & lacte libassent, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant. Discimus hoc ex Virgilio lib. 1. Georgicorum, vbi sic scribit,

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho:
Térque nouas circùm fœlix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus & socij comitantur ouantes.
Et Cererem clamore vocant in tecta, neque antè
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quàm Cereri torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, & carmina dicat, &c.

Ambarualia etiam Tibullus lib. 2. elegia 1. videtur describere, sic incipiens.

Quisquis adest, faueat, fruges lustramus, & agros,
Ritus vt à prisco traditus extat auo.
Bacche veni, dulcisque tuis è cornibus vua
Pendeat, & spicis tempora cinge Ceres, &c.

Cætera ex ipso Tibullo pete. Neque verò hoc sacrificium à rusticis tantùm fiebat, sed & à Romanis fines agri Romani lustrantibus, qui inter quintum & sextum lapidem, vt auctor est Strabo libro 5. erant, quod sacrum Ambarualia, vt inquit, vocabant, quòd opinor, circùm agri Romani terminos sacrum fieret. Adrianus Turnebus li. 18. Aduersariorum cap. 17. Atque huic sacro Fratres Aruales præerant, qui ad hoc creati erant, vt terminos agri Romani Suouetaurilibus circumferrent. Vide Iosephum Scaligerum Castigationibus in Festum, ad vocem, Amtermini.

Sed & Patresfamilias, vnusquisque in agro suo, fines fundi Suouetaurilibus lustrabat, quam lustrationem ita describit Cato cap. 141 de re Rustica, Agrum lustrare sic oportet, Imperans Suouetaurilia circumagi cum diuis volentibus, quódque bene eueniat, mando tibi Mani, vt illa Suouetaurilia, fundum, agrum, terrámque meam, quota ex parte, siue circumagi siue circumferenda censeas, vti cures lustrare, Ianum, Iouémque vino præfamino, sic dicit, Mars Pater, te precor, quæsóque, vti sies, volens, propitius mihi, domo, familiæque nostræ, quo ius rei erga agrum terram, fundúmque meum Suouetaurilia circumagi iussi, vti tu morbos visos, inuisósque viduertatem, vastitudinémque, calamitates, intemperiásque prohibessis, defendas, auertuncésque, vtique tu fruges, frumenta, vineta, virgultáque grandire, benéque euenire sinas. Pastores, pecuáque salua seruassis, duísque bonam salutem, valetudinémque mihi, domo, familiæque nostræ. Harúmce rerum ergo, fundi terræ, agrique mei lustrandi, lustríque faciendi ergò, sicuti dixi, macte hisce Suouetaurilibus lactentibus immolandi esto. Mars pater eiusdem rei ergò, macte hisce Suouetaurilibus lactentibus esto. Item cultro facito struem, & ferrum vti adsiet. Inde obmoueto. Vbi porcum immolabis, agnum, vitulúmque sic oportet. Eiúsque rei ergò macte hisce Suouetaurilibus immolandis esto, nominare

vetat Martem, neque agnum vitulúmque. Si minus in omnes litabit, sic verba concipito: Mars Pater, si quid tibi in illisce Suouetaurilibus piaculo. Si vno, duobúsque dubitaueris, sic verba concipito: Mars Pater, quod tibi illuc porco neque satisfactum est, te hoc porco piaculo. Hæc Cato.

Porca, quæ Cereri ante messem mactari solebat, dicebatur Præcidanea porca, quod Sext. Pompeius docet his verbis: Præcidanea agna vocabatur, quæ ante alias cædebatur. Item porca, quę Cereri mactabantur, ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est, glebam non obiecisset: quod mos erat eis facere, priusquàm nouas fruges præciderent. Sacrificii huius porcæ præcidaneæ formulam hanc habet Cato capite 134. de re Rustica: Priusquàm messem facies, porcam præcidaneam, porcam, fœminam, priusquam hasce fruges condantur, far, triticum, hordeum, fabam, semen rapicium, thure, vino, Iano, Ioui, Iunoni præfato. Priusquam porcam fœminam, immolabis, Iano struem commoueto sic: Iane Pater, te hac strue commouenda bonas preces precor, vti sies, volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiæque meæ mactus hoc fercto. Ferctum Ioui moueto, & mactato, sic: Iupiter te hoc fercto obmouendo bonas preces precor, vti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo familiæque meæ mactus hoc fercto. Posteà Iano vinum dato sic: Iane Pater, vti te strue commouendo bonas preces bene precatus sum, eiusdem rei ergo macte vino inferio esto. Posteà Ioui sic Iupiter Macte fercto, esto, macte vino inferio esto. Posteà porcam præcidaneam immolato. Vbi exta proiecta erunt, ita Iano struem commoueto, mactóque item vti priùs obmoueras. Ioui item ferctum obmoueto mactóque vt priùs feceras. Item Iano vinum dato, & Ioui vinum dato, ita vti priùs datum fuit ob struem obmouendam, & ferctum libandum, posteà Cereri exta & vinum dato. Hactenus Cato: apud quem tamen Mactus perpetuò legendum, locus ille ex libro Arnobij contra Gentes 7. significare videtur, vbi sic scribit: Operæ pretium est verba ipsa depromere, quibus cùm vinum datur, vti ac supplicare consuetudo est Mactus hoc vino inferio esto. Inferio, inquit Trebatius, verbum ea causa est additum, eáque ratione profertur: ne vinum omne omninò, quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum est, esse sacrum incipiat, & ex vsibus excerpiatur humanis.

Erant & Amburbia sacra, quæ fiebant cùm Vrbs & pomerium lustrabatur, vt apud Lucanum libr. 1.

Mox iubet & totam pauidis à ciuibus vrbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro
Longa per extremos pomœria cingere fines,
Pontifices sacri quibus est permissa potestas.

Hinc Amburbiales hostiæ dicebantur, quæ circum terminos vrbis Romæ ducebantur, Festus. Huius sacri meminit Vopiscus in Aureliano: Cantata, inquit, carmina, amburbium celebratum, ambaruália promissa &c. Obseruauit hæc Turnebus Aduersariorum libr. 18. cap. 17. Iosephus Scaliger Castigationibus in Festum ad vocem Amtermini, Amburbia ab Ambarualibus non distinguit, sed eadem esse scribit.

Quoniam autem de lustrationibus dixi, non alienum ab hoc loco erit, si etiam de lustratione quinquennali, quę à Cēsoribus quinto quoque anno perfecto censu peragebatur, quędam afferam. De hoc itaque more Dionysius Halicarnassæus lib. 4. in historia Seruii Tullii Regis qui auctor huius instituti fuit, ita scribit: Perfecto censu à Tullio Rege, omnes ciues iussi sunt armati adesse in campo Martio, ibi instructos in sua quemque Centuria equites, pedites, velites lustrauit Rex Solitaurilibus. Hostiæ, taurus, aries, & hircus ter circumductæ circum exercitum Marti mactatæ sunt. Hoc modo etiam nostra ætate post Censum Romani lustrantur à Magistratu sanctissimo, quod lustrum sua voce nominant. Eadem etiam Liu. lib. 1. Censu perfecto, inquit, quem maturauerat metu legis de incensis latæ, cùm vinculorum minis, mortisque edixit, vt omnes ciues Romani, equites, peditésque in suis quisque Centuriis, in campo Martio prima luce adessent. Ibi instructum exercitum omnem Suouetaurilibus lustrauit, idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est. Dicebatur autem hoc sacrum Suouetaurilia, quia sus, ouis, vel aries, & taurus ornati vittis & tæniis, atque ad aram ducti, quam iconam etiam Guilelmus Brassicanus in suum de antiqua Romanorum religione librum retulit. Dicuntur etiam Solitaurilia, de quibus Sex. Pompeius. Solitaurilia historiarum trium diuersi generis immolationem significant, tauri, arietis, verris, quòd omnes hi solidi, integríque sint corporis. Contrarii verueces maialésque, quia solum Osce totum, & solidum, significat, vnde tela quædam solliferrea vocantur tota ferrea, & homo bonarum artium solers, & quæ nulla parte laxata, cauáque sunt, solida nominantur, atque harum hostiarum omnium inuiolati sunt tauri, quæ pars scilicet cæditur in castratione. Sunt quidem qui putant, ex tribus hostiis præcipuè nomen inclusum cum solido tauri, quod amplissima sit

earum,

earum, quidam dixerunt omnium trium vocabula confusa, suis, quis, tauri, ad effecisse id quod vno modo appellarentur vniuersæ, &c. Sed de his satis.

Illud etiam non omiserim, moris fuisse apud Romanos, vt quotannis certo die solenni in pompa gestaretur canis in crucem actus, & anser splendidè admodum in lectica, & veste stragula pretiosa sedens, ob eam causam, quod hi in obsidione Capitolij, Gallis irruptionem in arcem tentantibus, Romanos clangore & strepitu excitassent, canibus interim somno indulgentibus. Meminit huius solemnitatis Plutarchus in libro de Fortuna Romanorum.

Et Sext. Pomp. meminit lapidis manalis, quo nomine appellatam fuisse dicit petram quandam, quæ fuerit extra portam Capenam, iuxta ædem Martis, quam, cùm propter nimiam siccitatem in vrbem protraxissent, insequuta statim pluuia fuerit: vnde etiam, quod aquas manaret, manalis lapis dictus sit. De eodem Varro lib. 2. de vita populi Romani, apud Nonium Marcellum, Manalis lapis appellatur in Pontificalibus sacris, qui tunc mouetur, cùm pluuiæ exoptantur. Sic enim Varronis locum restituit Iosephus Scaliger, Castigationibus in Pompeium Festum.

De Supplicationibus lib. 10. 3. penultim. dicemus. De lectisterniis paulò antè quędam memorauimus.

Sunt præterea feriæ propriæ familiarum, inquit Macrobius, vt Claudiæ familiæ, vel Æmiliæ, seu Iuliæ, siue Corneliæ, & si quas ferias proprias quæq; familia ex vsu domesticæ celebritatis obseruat. Sunt singulorum, vt natalium, fulgurúmq; susceptiones. Item funeris, atque expiationum. Apud veteres quoq; qui nominasset Salutem, Semoniam, Seiam, Segetiam, Tutilinam, ferias obseruabat. Item Flaminica, quoties tonitrua audisset, feriata erat, donec placasset Deos. De feriis familiarum propriis, siue sacris priuatis fuit lex in 12. Tabulis, his concepta verbis: Sacra priuata perpetua manento: ad quam legem quædam de sacris priuatis notabimus: plura habet Francisc. Hotomanus in Tripertita 12. Tabul. commentatione. Feriis natalitiis sacrificabant Genio, quemadmodum ex Tibullo lib. 2. elegia 2. discimus, vbi etiam alia, quæ iis diebus peragi solerent, commemorantur. Fœminæ Iunoni, quæ ipsarum natalis Dea erat, sacra faciebant. De Funeribus, sacrisque eò pertinentibus dicemus suo loco. Atque hæc habuimus, quæ de Romanorum sacris in medium afferremus: quibus coronidis loco, adiiciemus, Ausonij Burdigalensis epigrammata quædam de diebus, mensibus, quatuor anni partibus, quod ea ab hac tractatione videantur esse aliena.

AVSONII BVRDIGALENSIS VIRI *Consularis, de Nominibus septem dierum.*

EDYLLIVM XV.

Nomina, quæ septem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecere planetas,
Quos indefessa voluens vertigine mundus,
Signorum obliqua iubet in statione vagari.
Primum, supremúmque diem radiatus habet Sol.
Proxima fraternæ succedit Luna coronæ.
Tertius assequitur Titania lumina Mauors,
Mercurius quarti sibi vindicat astra diei.
Illustrant quintam Iouis aurea sydera zonam.
Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentem.
Cuncta supergrediens Saturni septima lux est.
Octaua instaurat reuolubilis orbita Solem.

DE MENSIBVS ET QVAtuor anni temporibus.

EDYLLIVM XVI.

Aeternos menses, & tempora quatuor anni
Quatuor ista tibi subiecta monosticha dicent,
Martius, Aprilis, Maius sunt tempora Veris.
Iulius, Augustus, necnon & Iunius Aestas,
Septembri, Octobri, Autumnus, totóque Nouembri.
Brumales, Ianus, Februarius, atque December.

DE MENSIBVS MOnosticha.

EDYLLIVM XVII.

Primus Romanas ordiris Iane Kalendas.
Februa vicino mense Numa instituit.
Martius antiqui primordia protulit anni.
Fœtiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Maiorum dictus patrum de nomine Maius.
Iunius ætatis proximus est titulo:
Nomine Cæsareo Quintilem Iulius auget.
Augustus nomen Cæsareum sequitur.
Autumnum Pomona tuum September opimat,

Tritico October fœnore ditat agros.
Sydera præcipitat, pelago intempesta Nouember.
Tu genialem hyemem festa December agis.

DE MENSIBVS ALIA *Monosticha.*

EDYLLIVM XVIII.

Dira patet Iani Romanis ianua bellis,
Vota Deo Diti Februa mensis habet.
Incipe Mars anni felicia fata reduci.
Tunc aries Veneri lutea serta legis.
Dulcia, Maia, tuis lucens examina Nonis:
Arte poli Geminos Iunius ecce locat.
Iulius ardenti diuertit lumina Solis
Aëre, flammigero cuncta Leone calens.
Poma legis virgo maturi mitia Solis,
Fundit & October vina Falerna lacis.
Aret tota soli species vi dura Nepeis.
Inde December amat te genialis hyems.

DE MENSIBVS. *Disticha.*

EDYLLIVM XIX.

Iane noue primo qui das tua nomina mensi,
Iane bifrons spectans tempora bina simul,
Post, superum cultus, vicino Februa mense.
Dat Numa cognatis Manibus inferias.
Martius & generis Romani præsul, & anni,
Prima dabat Latiis tempora Consulibus.
Aeneadum genitrix vicino nomen Aprili
Dat Venus, est Marti námque Aphrodita comes.
Maia Dea, an maior, Mai, te fecerit ætas
Ambige, sed mensi est auctor vterque bonus.
Iulius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Iuno, siue iuuenta dedit.
Inde Dionæo præfulgens Iulius astro,
Aestatis mediæ tempora certa tenet.
Augustus sequitur, cognatum à Cæsare nomen,
Ordine sic anni proximus, vt generis.
Nectuntur post hos numerúmque ex ordine signant,
September Bacchi munere præla rigans:
Et qui sementis per tempora, fœnore lætus
October, cupidi spem fouet agricolæ:
Quique solo mergens solemnia signa Nouember
Præcipitat, cælo mox rediturus suo.
Concludens numerum genialia festa December
Finit, vt à bruma mox nouus annus eat.

DE MENSIBVS *Tetrasticha.*

EDYLLIVM XX.

IANVARIVS.

Hic Iani mensis sacer est en aspice, vt aris
Thura micent, fumant vt pia thura Lares.
Annorum saclique caput, natalis honorum,
Purpureos fastis qui numerat proceres.

FEBRVARIVS.

At quem cæruleus nodo constringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet auem,
Dædala quem iactu pluuio circumuenit Iris.
Romuleo ritu Februa mensis habet.

MARTIVS.

Cinctum pelle Lupæ promptum est cognoscere mensem,
Mars olli nomen, Mars dedit exuuias.
Tempus Ver, hædus petulans, & garrula hirundo
Indicat, & sinus lactis, & herba virens.

APRILIS.

Contecta myrto Venerem veneratur Aprilis
Lumen iuris habet, quo nitet alma Ceres.
Cereus à dextra flammas diffundit odoras,
Balsama nec desunt: quis redolet Paphie.

MAIVS.

Cunctas veris opes, & picta rosaria gemmis
Lanigeri in calathis, aspice, Maius habet.
Mensis Atlantigenæ dictus cognomine Maiæ
Quem meritò multum diligit Vrania.

IVNIVS.

Nudus membra dehinc solares respicit horas
Iunius, ac Phœbum flectere monstrat iter.
Idem maturas Cereris designat aristas
Floralésque fugas, lilia fusa docent.

IVLIVS.

Ecce coloratos ostentat Iulius artus,
Crines cui rutilos spicea serta ligant.
Morus sanguineos præbet grauidata racemos:
Quæ medio Cancri sydere læta viret.

AVGV-

AVGVSTVS.

Fontanos latices, & lucida pocula vitro
Cerne, ut demerso torridus ore bibat.
Æterno regni signatus nomine mensis,
Latona genitam quo perhibent Hecaten.

SEPTEMBER.

Surgentes acinos varios & præsecat vuas
September, sub quo mitia poma iacent.
Captiuam filo gaudens religasse lacertam,
Quæ suspensa manu mobile ludit opus.

OCTOBER.

Dat prensum leporem cúmque ipso palmite fœtus,
October, pingues dat tibi ruris aues.
Iam bromios spumare lacus, & musta sonare
Apparet: vino vas calet ecce nouo.

NOVEMBER.

Carbaseo surgens post hunc indutus amictu
Mensis ab antiquis sacra deámque colit:
A quo vix auidus sistro compescitur anser,
Deuotúsque satis vbera fert humeris.

DECEMBER.

Annua sulcatæ coniecta & semina terræ
Pascit hyems, pluuio de Ioue cuncta madent.
Aurea nunc reuocas Saturni festa December,
Nunc tibi cum Domino ludere verna licet.

QVOTENI DIES SINT mensium singulorum.

EDYLLIVM. XXI.

Implent tricenas per singula menstrua luces
Iunius, Aprilisque, & cum Septembre Nouember.
Vnum ter denis cumulatius adde diebus
Per septem menses, Iani, Martisque Kalendis,
Et quas Maius agit, quas Iulius Augustúsque,
Et quas October, positúsque in fine December.
Vnus erit tantùm duo de triginta dierum:
Quem Numa præposito voluit succedere Iano.
Sic ter centenis decies accedere senos,
Quadrantémque, & quinque dies sibi computat annus.

DE TRIBVS MENstruis mensium.

EDYLLIVM XXII.

Bis senas anno reparat Lucina Kalendas,
Et totidem medias dat currere Iuppiter Idus,
Nonarúmque diem faciunt infra octo secundi.
Hæc sunt Romani tantum tria nomina mensis,
Cætera per numeros sunt cognomenta dierum.

Quot mense quotæ Nonæ, vel Idus sint.

At Nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux.
Sexta refert Maij, Octobris, Martisque recursus.
Et qui solstitio sua tempora Iulius infert.
Cætera pars mensium quartis est prædita Nonis.
Omnes verò Idus octaua luce recurrunt.

Quotæ Kalendæ sint mensium singulorum.

Post Idus, quas quisque suas habet ordine mensis,
Diuersæ numero redeunt variante Kalendæ,
Dum rursúmque, iterúmque..... ..vocantur,
Vt tandem oblati procedunt temporis ortu.
Ter senis, vnóque die genialia festa
Porrigis, vt Ianum arcessat noua bruma morantum.
Hos numero mensisque Numæ, redit, autumnique
Principium referens Bacchi September alumnus,
Iulius & Maius positúsque in fine December,
Octobérque die reuocatur tardiùs vno,
Inde dies redeunt minùs vno quattuor vltra,
Quos numero adiiciam, Sextilis, Iunius, atque
Aprilis, post quos penultima meta Nouember.
Ter quinis, vnóque die, Iunonie Mauors,
Vt redeas, referásque exordia prima cientis.
Hoc numero, ad plenum, vertens reparabitur annus.

DE FERIIS ROMANIS.

EDYLLIVM XXV.

Nunc & Apollineos Tiberina per ostia ludos,
Et Megalesiacæ matris operta loquar.
Vulcanique dies autumni exordia primi,
Quinquatrúsque Deæ Pallados expediam.
Et medias Idus Maij Augustíque recursus,
Quas sibi Mercurius, quas que Diana dicat.
Matronæ que sacra colunt pro laude virorum,
Mauortis primi quum rediere dies.
Festa Caprotinis memorabo celebria Nonis,
Quum stola matronis dempta teget famulas.
Quattuor illa etiam discretis partibus anni
Solstitia, & luces nocte, diéque pares.
Nec Regifugium pulsis ex vrbe tyrannis
Lætum Romanis fas reticere diem.
Vis ne Opis ante sacrum vel Saturnalia dicam?
Festaque seruorum, quum famulantur heri?
Et nunquam certis redeuntia festa diebus

Compita per vicos quum sua quisque colit?
Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt.
Et quem de Conso consiliisque vocant?
Festa haec nau gis, aut quae celebrata quadrigis,
Iungunt Romanos finitimósque duces.
Adiiciam cultus, peregrináque sacra Deorum,
Natalem Herculeum, vel ratis Isiacae,
Necnon lascivi Floralia laeta theatri,
Quae spectare volunt, qui voluisse negant.
Nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi,
Prima haec Romanus nomina Circus habet.
Et Dionysiacos Latio cognomine ludos
Roma colit: Liber quae sibi vota dicat.
Aediles plebeii etiam, Aedilesque Curules,
Sacra, Sigillorum nomine dicta colunt.
Et gladiatores funebria praelia notum
Decertasse foro: nunc sibi harena suos
Vindicat: extremo qui iam sub fine Decembris,
Falcigerum placant sanguine caeligenam.

AD CAP. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.
PARALIPOMENA.

Actiaca victoria Augusti, clauus Annalis fixus, Saturnaliorum libertas, origo, & diuersitas, Lararia, mensium nomina ac officia propria.

QVae ex hisce capitibus habentur, non habet quicquam difficultatis, tum quia ex Calendario à me ante apposito, abunde cognosci poterunt, tum etiam quod alibi exponentur, percurram tamen raptim.

Victoriae feriae in Augustum incidunt, de qua abundè dixi libr. 2. supra hoc opere cap. 10.

In Septembri Augustus princeps M. Antonium Aegyptiis & Orientalibus copiis ferocem ad Actium debellauit nauali acie, praeter historicos, quos non exscribo. L. Sen. lib. 1. de Clement. cap. 11. *Post mare Actii cum Romano cruore infectum,* & in aduersis eiusdem principis, C. Plin. lib. 7. nat. histor. cap. 45. *iam in nauali fuga, vrgente hostium manu, preces Proculeio mortis admotae, cura Perusinae contentionis, sollicitudo Martis Actiaci.* locus videtur castigatione egere, nam quorsum *Proculeio preces admonisset mortis?* certe etsi constet Proculeium inter amicissimos ei fuisse, ex Plutarcho in Antonio, censeo tamen legendum, *preces pro periculo mortis admotae.*

Poëtas tantùm adscribam. M. Manlium. lib. 1.

Perque patris pater Augustus vestigia vicit,
Necdum finis erat, restabant Actia bella
Dotali commissa acie, repetitáque rerum
Praelia.

Sext. Propertium lib. 2. eleg. 1.

Actiaque in Sacra currere rostra via.

Et lib. 4. eleg. 6.

Vincit Roma fide Phoebi, dat foemina poenas,
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.

Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 462

Nec si Leucadio classis Mareotica portu
Actiacas abscondit aquas, in bella mariti
Dum venit à Phario dotalis turba Canopo.

Et Carm. 7 v. 94.

—vidit te frangere Leucas
Trux Auguste, Pharon, dum classicus Actia miles
Stagna quatit, profugisque bibax Antonius armis
Incestam vacuat patrio Ptolemaida regno.

M. Manil. lib. 5 Astronomic. in initio.

Actiacosque sinus inter suspensus vterque
Orbis, & in ponto caeli fortuna notabit.

P. Virgil. lib. 8. Aeneid. ad finem.

—classes aeratas Actia bella
Cernere erat.

M. Lucan. lib. 1. v. 42.

—Et quas premit aspera classes Leucas.

Et lib. 7 in fine.

Et Mutina & Leucas puros fecere Philippos.

Fortuna rerum futurarum praesaga apud C. Petronium in bello ciuili.

Et Lybiae cerno, & tua Nile gementia claustra,
Actiacósque sinus, & Apollinis arma timentes.

Corrige interim C. Tacitum libro decimo quinto Annal. in limine. *etiamen ad exemplum Atticae religionis decretum.* lege cum I. Lipsio, *ad exemplum Actiacae regionis.* authoribus Suetonio in Augusto cap. 18. *vrbem Nicopolim apud Actium condidit, ludósque illic quinquennales constituit.* Mamerti in Paneg. *vrbs Nicopolis, quam D. Augustus monimentum Actiacae victoriae instar trophaei erexerat.* Dio lib. 51. fuse narrat. & meminit idem Suetonius in Tiber. capit. 6.

Claui figendi solemnitas & Septembri mense reperitur celebrata. Sext. Pompeius libr.

3. clauus

3. *clauus annalis appellabatur, qui figebatur in parietibus sacrarum ædium, per annos singulos, vt per eos numerus colligeretur annorum.* Casellius Durantius lib. 1. var. lect. cap. 5. discussit primus hunc ritum, & obscurissimis tenebris facem prætulit Petron. in Satyrico pag. 109.

At paries circa palea satiatus inani,
Fortuitóque luto: clauus numerabat agrestis,
Et viridi iunco gracilis pendebat arundo.

Duorum versuum primorum dictiones sedem suam videntur mutasse, itaque indubie sic legendum.

At paries circa palea satiatus agresti,
Fortuitóque luto: clauus numerabat & annos.

Rectissima, nisi ego fallor, loci restitutio, nam pro *inani* legi oportet *& annos*, alioqui nullus sensus, sed ad alia pergendum.

In Decembri peragebantur magna libertate *Saturnalia*, vt fusissime discussi lib. 2. huius operis supra c. 4. Iuuenal. Sat. 7. v. 96.

——tunc vtile multis
Pallere, & vinum toto nescire Decembri.
Inuitat genialis hiems, curásque resoluit.

Adde hic tantum, de muneribus missis locum Festi Pompeii lib. 3. *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis vtebantur.*

M. Martial. lib. 14. epigr. 87.

Absit cereus a idi cliensis.
Et vani triplices br. ne, que mappæ,
Expectent gelidi iocos Decembris.

Et *Saturnalicia dona* ista vocabantur. Tertull. libro de persecut. in fine. *pacem mandauit à militibus per Saturnalitia redimendã* quod ex eodem hoc loco, non tamen citato primus ostendit Angelus Politian. Miscellan. capit. vigesimoprimo.

Adi ad viros doctos in Suetonium in Augusto cap. 71. in Claudio cap. 5. in Calig. c. 17. T. Liu. 1. Decad. lib. 2. in principio. Q. Horat. lib. 2. Sat. 7. & Helenius Acron ibidem libertatem ostendit.

——age, libertate Decembri.
Quando ita maiores voluerunt, vtere.

Quod celebratissimum quidem apud Romanos, non tamen eius consuetudinis illi authores, sed Athenienses, quibus id in lege ante illos positum vt serui cum dominis pari honore epularentur, dixi in hoc opere alibi, sed & Cretenses festa agebant, quæ *Hermæa* dicebantur, in quibus domini ministrarent seruis mensæ accumbentibus. Caristius in historicis Commentariis apud Athenæum libr. 14. cap. 17. Babylonii festum etiam habebant, cui nomen *Saccas*, quod diebus quinque integris protendebatur in quo serui imperabant dominis suis, & è seruitio vnus stolam regiam induebat. Ctesias historicus antiquissimus lib. 2. Annalium Persicorum, & Berosus libro primo rerum Babylonicarum. Simile omnino ius in festo, quod *Peloria* appellabant Thessali, Bato Sinopæus in oratione de Thessalia, & Ammonia, referente Athenæo loco laudato, vt certissimo constet non tantum Romanos celebrare Saturnalia consueuisse, sed & alias gentes. Cur autem hoc mense potissimum, rationes disquirit, ex principiis astrologiæ Cælius Rhodiginus libro 15. cap. 23.

Lararia denique in Decembri peragi solebant: hoc est festum deorum Larium, (nam & Lararium pro loco in quo lares asseruabantur, vsurpatur, Æl. Lamprid. in Alexandro Seuero) de quibus paulo ante hoc libro dictum est à me, cap. 9. Adde & Ægyptios etiam Lares habuisse Aurel. Macrobius libr. 1. Saturn. cap. 19.

Principium certe cultus illorum inde profluxit, quod parentes, vel liberos, aut amicos domi defoderent, & sepelirent, quare credula plebs animas defunctorum cultu quodam domestico primum, ac deinde publico, tanquam auxiliaturos deos deuenerabatur. Q. Flor. Tertullian. libr. de resurrectione carnis. *scilicet quod apud maiores olim homines in domibus suis sepeliebantur.* Isidor. Hispalensis lib. 15. Etymolog. cap. 11. *sepulchrum à sepu to dictum, prius autem quisque in domo sua sepeliebatur, postea vetitum est legibus, ne fœtore ipso corpora viuentium contactu inficerentur.* Seruius Honoratus ad illud lib. 5 Æneid.

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

Et expressius ad illud lib. 6. Æneid.

Sedibus hunc refer ante suis.

Apud maiores, inquit, omnes in domibus sepeliebantur, vnde ortum est, vt Lares colerentur in domibus. hinc quoque deriuatum est, vt pro sepulchro domum vsurparent scriptores. M. Valer. Probus libello *de Notis. D. M. domus mortuorum.* libro 4. C. de sepulchr. v iol. *Qui sepulchra v. olant, domos vt ita dixeris defunctorum.* antiquum marmoris fragmentum.

PERPETVAS. SINE. FINE. DOMOS. MORS. INCOLIT. ATRA.
ÆTERNOSQVE. LEVIS. POSSIDET. VMBRA. LARES.

Vnde & *familiæ pater* Lar Plauto in Prologo Aululariæ dicitur, & dictum abunde supra. & quod domui præsideret. Præstitem deum appellarunt. Ouid. lib. 5. Fastor.

Præstitibus Maiæ Laribus venere Calendæ.

Illis diis pueritiam egressi, sumpta virili toga. bullas, quas nobilitatis & infantiæ argumentum gestauerant, suspendendas ponebant. Porphyrion vetus Grammaticus ad illud Q. Horatij lib. 1. Sat. 5.

—donasset iamne catenam
Ex voto Laribus.

A. Persius Sat 5.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Milites post exacta legitima stipendia, arma sua iisdem consecrabant. Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 7.

Miles ut emeritis non est satis vtilis armis,
Ponit ad antiquos quæ tulit arma Lares.

Denique & quicquid charum videbatur, ornamentum Laribus futurum dicabant. T. Liu. 4. Dec. libr. 4. *Penuarius Laribus suspendit molles pilas, reticula, strophia.* Imitatus ille indubie est illud M. Varronis in Sesqui-Vlysse apud Nonium.

Suspendit Laribus marinas, molles pilas,
Reticula, ac strophia.

Quæ Capite 17. sequuntur, in commodiorem locum sunt reiicienda. Et quidem de *Nouendiali* tractatu de Funeribus vberior erit dicendi occasio. de *Bacchanalibus*, in Tractatu de Conuiuio, de *Ambaruali* & *lustratione* alibi.

De Compitalibus addendus locus Næuij in Tunicularia apud Festum in *penis*.

Theodotum compellas, qui aras compitalibus
Sedens, in cella circumtectum tegetibus
Lares ludentes peni pinxit bubulo.

Denique de Mensibus, diebúsque Romani anni addendum & epigramma Incerti scriptoris in Anthologia lib. 1. cap. 91. & eodem vltimo.

Μὴν ὑπάτων πρῶτος, ὁ δ' αὖ δεύτερος αὔλακα τέμνει.
ὁ τρίτος Αὐσονίων χθονίων ἐπὶ μῶλον ἐγείρει,
τέτρατος ἀγγέλλει ῥοδοδάκτυλον εἴαρος ὥρην.
εἰμὶ ῥόδων γενέτης, καὶ ἐγὼ κρίνα λευκὰ κομίζω.
οὗτος ἀμαλλοδέτας, τὰ δ' ἐμὰ πτερὰ Νεῖλον ἐγείρει.
οὗτος ἀριστοφίλος ἐπὶ φιλαμπέλῳ ἔπλετο Βάκχῳ.
τεύχω δ' οἶνον ἐγὼ μερόπεσσι χάρμα βροτοῖσιν.
δεῖπνα φέρω χαρίεντα ἐπ' οὔνομα τοῖς ἑκάστου.
φορμίζειν διδάσκω, καὶ ὑπνώοντας ἐγείρειν.

Id est ad verbum *mensis consulum primus, secundus sulcum secat. tertius Ausonium genus ad pugnam excitat, quartus annunciat roseam veris horam. sum rosarum genitor, & ego lilia candida porto. hic ligat manipulos, & meæ alæ Nilum excitant. Hic generoso amicus est Baccho. Paro vinum ego dulce gaudium hominibus. Conuiuium fero gratiosum ad nomen hominis cuiusque. Cythara cantare noui, & dormientes excitare.*

Sed quid plura de mensium, dierum, annorúmque rationibus, & diuersitate cupis, adi ad librum non ineruditum Ioannis Lalamantij Hæduorum Medici, in quo Ægyptij, Persici, Arabici, Hebræi, Macedonii, Attici, & Romani anni exquisite, & curiosè peruestigatur ratio.

DOCTIS.

Doctißimis atque humanißimis viris D.

D. GODEFRIDO, ET HENRICO, REVERENDI AC CLARISSIMI VIRI D. D. Tilemani Heßußij filiis, Artium Liberalium Magiſtris, Amicis, ac Fratribus ſuis colendis.

AMICITIAM *eam, quæ inter parentes noſtros eſt, Doctiſſimi atque humanißimi viri, amici ac fratres colendi, decet nos liberos quoque colere, conſeruare, & quantùm in nobis eſt, augere: ſiquidem augeri poteſt id, quod omnino cumulatum eſſe videtur. Cui meo animo teſtando, hunc librum ad vos mitto indicem, & amicitiæ noſtræ. & mei erga vos amoris Conſcripſi autem in eo, quæ lectio variorum auctorũ mihi ſuppeditauit, de veteribus Romanorum ludis, non quidẽ omnia, qui enim hoc poſſem? Cum & impedita ea ſint, & à veteribus etiam non diligenter tradita, ſed aliqua ſaltem, eáque non omnino protrita & vulgaria: quæ ſi & vitam mihi Deus prorogauerit, & otium ab aliis ſtudiis & vocationis operibus ſuppetierit, quantum potero, illuſtrabo. Præclaram etiam in enodanda & eruenda ludorum veterum ratione operam poſuit VVolfgangus Lazius in aureis illis Reipublicæ Romanæ Commentariis, ex quorum lectione plurimum me profeciſſe nõ nego. Sed multa adhuc ipſis deeſſe, neminem, qui rem attentiùs conſiderauerit, puto eſſe dubitaturum: quæ tamen ſupplebunt Onuphrij Panuinij de Ludis libri, ſiue editi illi ſint, ſiue adhuc alicubi lateant: nondum enim quamuis ſtudioſiſſimè à me quæſitos, poſtquam ab Hieronymo Mercuriali eorum mentionem fieri intellexiſſem, videre licuit. Adieci tractationi de Ludis, etiam quædam de menſis, ſiue Conuiuiis veterum, de re Veſtiaria, de nuptiis & Funeribus, quorum omnium cognitio ſtudioſis adoleſcentibus, quibus ſolis iſta ſcribo, ad veteres ſcriptores intelligendos, haudquaquam erit inutilis: certè eos delectabit. Quæ ego omnia ſimul ad vos mitto, & per vos, cum ſtudioſa iuuentute communico. Vos iſta ſic accipietis, vt ab amico optimo, vobiſque dedítiſſimo profecta. Et me cum vobis commendatum habebitis, tum Reuerendo etiam Parenti veſtro quem ipſe quoque tandiu parentis loco habeo, atque colo, diligenter commendabitis. Concludam epiſtolam verſibus Paulini:*

Ego vos per omne quod datum mortalibus,
  Et deſtinatum ſeculum eſt,
Claudente donec continebor corpore,
  Diſcernar orbe quolibet.
Nec corde longos, nec remotos lumine
  Tenebo fibris inſitos.
Videbo corde, mente complectar pia
  Vbique præſentes mihi,
Et cum ſolutus corporali carcere,
  Terraque prouolauero:
Quo me locârit axe communis pater,
  Illic quoque vos animo geram.
Neque finis idem qui meo me corpore,
  Et amore laxabit veſtro.

Valete viri humaniſſimi, amici chariſſimi, ac ſaluete. Ratisbonæ Idibus Aprilis, anni ab Orbe redempto ∞. IC. XXC.

V. H.

Studioſiſs.

IOANNES ROSINVS.

ANTIQVITATVM ROMANARVM

Liber V.

DE LVDIS, MENSIS, SIVE CONVIVIIS, *Vestibus, Nuptiis, & Funeribus.*

EXPLICATIS iis, quæ de Diis Romanorum, Sacerdotibus, & sacris, atque festis diebus fuerũt obseruatione digna, de ludis iam agemus, qui quidem etiam ad celebritates, & dies festos pertinent. Nos verò proprium iis librum tribuimus, duabus de causis: quorum prior hæc est, ne liber præcedens nimiùm excresceret: altera, quòd placuerit nobis Varronem Romanorum doctissimum hac in re sequi, qui & ipse, quemadmodũ ex Aurelio Augustino discimus, seorsim de ludis scripsit, diuerso tractatu ab eo, qui de feriis fuit, & quidem ita vt primo loco de Scenicis, posteà de Circensibus egerit. Addimus his quædã de conuiuiis, vestimẽtis, nuptiis & funeribus, cùm quia plerá que ad religionem etiam pertinent, tum quia alium locum conuenientiorem de iis dicendi non habebamus; neque etiam placebat singulis illis materiis singulos libros consecrare. Hæc enim, vt iam sæpius monui, tantùm introductionem quandam in Antiquitatem, non plenam eius explicationem esse voluimus. Scripsit de ludis Romanorum diligentissime Onuphrius Panuinius Veronensis, qui & singularem de ludis Sæcularibus librum edidit, verùm isti mihi visi non sunt. Multa de iis habet Iulius Cæsar Scaliger in primo Poëtices libro. Et de Gymnicis ludis plurima tradit in suis de arte Gymnastica libris Hieronymus Mercurialis Medicus Patauinus: ex quibus multa in hanc nostram explicationem transtulimus. De mensis & conuiuiis veterum eleganter Iustus Lipsius vir clarissimus, cui me aliquando operam dedisse, haud pœnitet, in tertio Antiquarum lectionum libro. Quædam etiam eò pertinentia habet Hieronymus Mercurialis in arte Gymnastica, & variis lectionibus: Franciscus Robortellus libro de vita, & victu populi Romani: Aldus Manutius Pauli F. in libris de quæsitis per epistolam, & alii. Nam Francisci Pollezi Commentarius de mensis veterum, quod ego sciam, lucem nondum aspexit. De re vestiaria scripsit Lazarus Baysius, quem librum mihi legere contigit beneficio clarissimi Iurisconsulti Ioan. Thomæ Freigii, Rectoris Gymnasii Altorfiani, cuius opera & consilio non semel in his antiquitatum libris vsus sum. Multa etiam de vestibus habent Aldus Manutius, Carolus Sigon. & Iustus Lipsius in eo, quem iamprimùm in lucem dedit, Electorum libro. De nuptiis & earum ritibus multa habent Carolus Sigon. libro primo de Antiquo iure ciuium Rom. atque Andreas Tiraquellus I.C. in legibus Connubialibus: & singularem ea de re librum scripsit Barnabas Brissonius I. C. clarissimus. De sepulcralibus extat commentarius Lilii Georgii Gyrald. Scripsit de iisdem & Onuphrius Panuinius, vt audio: & iam in manibus librum de Funeribus, item alterum de re Vestaria habet Iust. Lipsius, quos expectamus breui. Plurima etiam de iis rebus, de quibus hoc libro agimus, extant in Alexandri Neapolitani Genialibus diebus, Cælii Rhodigini Antiquis lectionibus, Wolfgangi Lazii Commentariis Reipublicæ Romanæ, & aliorum etiam scriptis: quæ ego propterea hoc loco commemorare volui, vt beneuolus lector sciret quorum vestigia secuti essemus, & vnde

etiam ipse spleniorem harum rerum explicationem petere posset. Sed tempus est vt ludorum explicationem aggrediamur.

Capvt I.

De Ludis Romanorum, quinam ij sint, & quis eorum primus apud Romanos Auctor.

De ludis dicturi, ipsum vocabulum primùm considerabimus. Tertul. libr. singulari de spectaculis ex veteribus auctoribus scribit, Ludos à Lydis dictos esse, qui ex Asia Transuenæ, duce Tyrrheno cùm fratri suo regni contentione cederet, in Etruria consederint, ibique inter cæteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instuerint. Vnde Romani accersitos artifices mutuati fuerint, & tempus, & enuntiationem, vt ludi à Lydis vocarentur. Varro ludos à ludo vel lusu appellatos scribit. Cæterum vocabuli ludi variæ sunt significationes. Alias enim significat factum aliquod iocosum, vnde Grammatici distinguunt inter iocum & ludum, vt illud sit in verbis, hoc in rebus vel factis: aliàs locum exercitationis significat, vnde ludum gladiatorium, ludum matutinum, apud veteres legimus. Hoc loco ita ludos accipimus, vt sint publicæ celebritates, quæ vel placandæ Deûm iræ, vel pro salute populi, vel gratiæ populi demerendæ causa sunt editæ. Finis eorum erat tum religio quædam, qua antiqui opinabantur, sese Diis rem gratam illis ludis tanquam promissam facturos: tum populi voluptas, cui & Reges, & Resp. & Imperatores maximè studebant, quo homines voluptate demulsi in officio continerentur. Primus apud Rom. ludos instituit Romulus Rex, Consualibus celebratis: de quibus omnium veterum scriptorum historiæ loquuntur. Hunc secuti alij sunt, tum Reges, tum Consules & Prætores, postremùm Imperatores, vti postea videbimus.

THOMÆ DEMPSTERI IC. ad Libri quinti Cap. I. PARALIPOMENA.

Ludi priuati enumerati, explicati, latrunculi, Tali, Tessera, fritillus, pila, harpastum, halteres, Petaurus, par impar, trochus.

Miror eos, qui de *ludis Romanis* scripta prodiderunt, priuatos hosce, quos iam tractabo, omisisse, cùm constet eos celebratissimos & apud Græcos, & Latinos, & in creberrimo vsu fuisse. Incipiam à *Latrunculis*, ad alios deinde ludos perrecturus. Si priùs vt *iocum in verbis*, ita *Ludum in factis* positum dixero, vt obseruat Laurent. Vall. lib. 4. elegantiar. cap. 16. sic M. Tull. lib. 1. offic. *Ludo & ioco vti licet*: & opponitur ludus serio. Q. Horat. lib. 1. Sat. 1.

—amoto quæramus seria Ludo.

Latrunculos seu belli cuiusdam simulachrum & imaginem existimabant, vnde *Pyrrhus Epyrota strata, ematum peritissimus primus, quemadmodum ea disciplina traderetur per calculos ostendit in tabula.* Donatus Grammaticus in P. Terentij Eunuchi Act. 4. sc. 7. ad illud.

Idem hoc iam Pyrrhus factitauit

Suffragatur & Ammianus Marcellinus lib. 24. in limine, licet sciam L. Senecam lib. 2. de Ira cap. 14. id Chiloni sapienti attribuisse. Et Ioannem Saresberiensem Policratici lib. 1. c. 5. Attalo Asiatico, *vt ea ratione doceret motum exercitus.* alludunt authores. Sidon. Apollina. lib. 1. Epist. 2. *putes illum & in calculis arma tractare.* Hieronym. Vidas in Scacchia ludo in principio.

Ludimus effigiem belli: simulataque veris
Prælia, buxo acies fictas & ludicra regna:
Vt gemini inter se reges, albúsque nigerque
Pro laude oppositi certent, bicoloribus armis.

M. Manil. lib. 4. Astronomic.

Sunt quibus & simulacra placent, & ludus in armis.

Claudian. de 6. Hon consul.

—nùm Lemnius author
Addit hinnitum ferro, simulachráque bellis
Vina dedit.

Et post in eodem loco.

Hic & belligeros exercuit area lusus,
Armatos hic sæpe choros.

Latrunculorum nomen huic ludo impositum quod latrones olim ἀπὸ τοῦ λατρεύειν *à seruiendo* appellarint, quo nomine comprehendebantur omnes promiscuè seu conductitij milites, seu principum stipatores, quanquam M. Varro libro sexto de ling. Lat. *quasi latrones* dictos contendendat, *quod principibus ad latera semper essent, vel quod ad insidias laterent.*

vel denique *quod latus ferro armatum haberent*, ac primum quidem hoc nomen militibus communicari solitum, argumentum est M. Plautus in Milite glorioso Act.1.sc.1.

Nam rex Seleucus me opere orauit maximo,
Vt sibi latrones cogerem & conscriberem.

Et eadem fabula sc. *voluptas,*

Nam ego hodie ad Seleucum regem misi parasitum meum
Vt latrones quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret

Et in Cornicularia, quæ fabula hodie periit,

Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio.

Videatur Hesychius in voce λάθριοι. & Pet. Victorius var. lection. lib.16.ca.17.

De calculis hisce lusoriis, quod latrunculi vocarentur, præterquam quod L. Seneca Epist. 117. in fin. *tabulam latrunculorum* appellat, passim scriptores. C. Plin. li.9 c.54. *Mutianus & latrunculis lusisse cera fictis simios prodidit.* P. Ouid. lib. 2. de Arte, ex quo loco liquet non cereos tantùm fuisse calculos, sed & vitreos, ita enim ille.

Siue latrocinij sub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Et lib.3. eiusdem operis.

Cautaque non stultè latronum prælia ludat,
Vnus cum gemino calculus hoste perit.
Bellatorque suo prensus sine compare bellet
Æmulus in æptum sæpe recurrat opus.

M Martial. lib.14. Epigr.20.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Sed redeo ad inuentorem huius exercitationis, quē facit communior consensus, neq; Pirrhum neque Chilonem, neque Attalum, vt supra laudatis authoribus placuit, sed Palamedem Nauplij filium, qui in obsidione Troiana, vt milites in officio contineret, illud ludicri dimicationis genus excogitauit. Pausanias locupletissimus est testis in Corinthia. & rursus in Phocic. adstipulantibus Philostrato Lemnio in Heroicis, D. Gregorio Nazianzeno Inuectiua 1. Suida in voce τάβλα, vt Aurelius Cassiodorus *Palamediacos calculos* iure indigitet. li.8. Epist.31. atque hanc quidem tabulam Palamedis donarij loco deorum fanis dedicatam, summa apud posteros dignatione fuisse reperio apud Seruium Maurum lib.2. Æneid. ad illud.

Belidæ nomen Palamedis

Sidon. Apollinar. disertissimè Carm.23.

Tanquam Naupliades repertor artis,
Gaudebat hilarem ciere rixam.

Sed locum pulcherrimum ex Sophocle in *Palamede*, adscribam, qui huc maxime quadrat.

οὐ λιμὸν οὗτος τοῦδ᾽ ἔπαυσε, σὺν θεῷ,
εἰπεῖν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας
ἐφεῦρε φλοίσβου μετὰ κόπον καθημένοις
πεσσοὺς κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος.

Metricis legibus constrictos hos versus ita reddidit Hadrianus Iunius.

Nam ille (dicam enim) procul famem, deo
Iuuante abegit, otiumque fallere
Docuit sedentes littore in sicco, mare
Vbi murmurat, ludo reperto tesseræ,
Vitæ iucundo desidis solatio.

Frequentissimus eius vsus apud Priscos, creberrima apud scriptores mentio, aduocabo L. Senecam, qui vnus plus lucis afferet, quam omnes alij. itaque Epistola superius proxime laudata. *nemo qui ad incendium domus suæ currit, tabulam latrunculariam perspicit, vt sciat quomodo alligatus exeat calculus*, egregie *alligatus*. erat. n. quiddam instar dimicationis & alterius coloris calculi alteros ad vltimam seu extimam tabulæ lineam agebant, deinde victoriæ in eo summa erat posita, si implexum obsessúmque calculum lusor eduxisset, pro otioso exercitamento posuit idem lib. de Breuit. vitæ cap.13. *Persequi singulos longum est, quorum aut latrunculi, aut pila aut excoquendi in sole corporis cura, consumpsere vitam.* Nihilominus gloriosum viris etiam in republica eminentibus superiores in hoc ludendi genere extitisse, probrosum, & ignominiæ proximum superari. Idem de Tranquill. animi cap.14. *Verisimile non est, quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quam in tranquillo fuerit. ludebat latrunculis, cum centurio agmen periturorum trahens, & illum citari iubet, vocatus numerauit calculos, & sodali suo, vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse, tum annuens centurioni, testis, inquit, eris, vno me antecedere.* Fl. Vopisc. in Proculo, *nam cùm in quodam conuiuio ad latrunculos luderetur, atque decies imperator exisset, quidam non ignobilis scurra, aue, inquit, Auguste. allataque lana purpurea humeris eius iunxit, eumque ad adorauit*, malim legere, *allataque lana purpurea, humeros eius vinxit.* Videtur enim exprimere formulam creandi Imperatoris Byzantinis obseruatam, nam inter alia principatus ornamenta, & inaugurationis symbola, purpurea chlamyde humeros vestiebant. Corip. de laudib. Iustini Aug. lib.2. Num.4.

Cæsareos humeros ardenti murice texit
Circumfusa chlamis, rutilo quæ ornata metallo,
Principis exerta vincebat lumina dextra,
Aurea iuncturas morsu præstrinxit adunco
Fibula, & à summis gemmæ vitæuere catenis.

Sed ad latrunculos reuertor. nonnulli existi-

existimant alium & diuersum esse ludum ab eo, quem hodie in Europa frequentissime vsurpamus, in tabula lusoria sexaginta quatuor areolis distincta, nouem lineis ex vnaquaque parte se mutuo intersecantibus, in quibus duo scrupi nomen regum præferunt, duo alij reginarum, quatuor equitũ, quatuor satellitum, quatuor Centurionũ, seu elephantorum turrigerorum, sexdecim denique minores peditum, vt elegantissimè descripsit Hieronymus Vidas Cremonensis libello cui titulus, *Scacchia ludus*. sed falsam eorum esse opinionem palam est, cùm etiamnum hodie latrones illi colore dispares sedecim, totidem concolores, latronum, militum, regum nomina habeant (Fl. Vopiscus supra, *Imperatoris* appellationem in hoc ludo dixit) & turmis instructi, hostili quadam imagine procedant, & simulata acie congrediantur, & statione vnicuique calculo præscripta, hostem appetant, sibi, quantum licet, caueant. Tunc verò victi censentur, regi cum nullus patet effugij locus, vnde & ludo nomen, nam Hebræis *Schach* est *vallauit*, & *mat* vel *mot mortuus est*: vt & periculum regi & mors intentetur. Gregor. Syntag. lib. 39. ca. 4.] Sed nemo melius inter priscos scriptores expressit incerto authore, poëmatio ad Pisonem, quem falso, vt alibi ostendi, vel Ouidio, vel Lucano hactenus adscripserunt. Ita ille.

Te si forte iuuat, studiorum pondere fessum
Non languere tamen, lusúsque mouere per artem,
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Vt niueus nigros, sic & niger alliget albos,
Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit
Calculus, aut quis non periturus perdidit hostem?
Mille modis acies tua dimicat, ille petentem
Dum fugit, ipse rapit longo venit ille recessu,
Qui stetit in speculis, hic se committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hostem.
Ancipites subit ille moras, similisque ligato
Obligat ipse Duos, hic ad maiora mouetur
Vt citus, & fracta prorumpat in agmina mandra.
Clausaque deiecto populetur mœnia vallo.
Interea sectis, quamuis acerrima surgant
Prælia militibus, plena tamen ipse phalange,
Aut etiam pauco spoliata milite vincis,
Et tibi captiua resonat manus vtraque turba.

Recreationem à studiis seriis voluit antiquitas esse latrunculorum ludos, licet contrarium experiantur, quicunque eo se exercent, & Iacobus potentissimus Britannorum monarcha in REGIO Suo MVNERE penitus eius vsum filio interdicit, quod attentius multo implicetur eo animus, quam studiis etiam acrioribus. Denique in tabula hunc de quo iam loquuti sumus, latrunculorum congressum, præter authores citatos, innuere videtur D. Iuuenalis Sat. 11. v. 132.

Adeo nulla vncia nobis
Est eboris, nec tessella, nec calculus ex hac
Materia.

Sequuntur TALI, & TESSERÆ. Ludi non minus in conuiuiis recepti, quam latrunculi. Iul. Capitolin. in Ælio Vero. *post conuiuium lusum est tesseris vsque ad lucem* Inter quæ hoc discriminis est, quod tali sex angulos habeant, tesseræ tantum quatuor, quanquam Hadrian. Iunius libro 2. Aduersariorum cap. 4. diuersos hos ludos efficere conetur. varia disquirit Philipp. Beroaldus in Annotat. cap. 22. & cap. 27. Græci ob id eas κύβους Latini *quaterniones* appellant has *seniones*, vt infra hic dicam. Aurel. Macrob. lib. 2. in Somn. Scipion. cap. 1 M. Varro apud A. Gellium libr. 1. cap 20. Senile hoc, vt plerumque exercitamentum. M Tull. lib. de Senect. *Nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant & tesseras.* Item men init lib. 2. de Diuinat. *quid est enim sortilidem prope modum quod micare, quod talos iacere, quod tesseras quibus in rebus casus & temeritas, non ratio & consilium valet.* T. Liu. 1. Decad. libro quarto. *Leuant quidam regis facinus in prospero tesserarum iactu* Erant autem tali eburnei aut e ligustro. C. Plin. lib. 16. cap. 18. de eburneis vero. Ouid. lib. 2. de Arte.

Seu ludes, numerísque manu iactabis eburnos,
Tu male iactato, tu bene iacta dato.
Seu iactes talos victam ne pœna sequatur.

Apud Martialem lib. 14 epig. 14. lemma est, *Tali eborei.*

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Idem lib. 13 epigr. 1.

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Et quod de quaternione, & senione dixi est apud eundem libro eodem epig. 17.

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Et epig. 15. ibidem eiusdem, cuius lemma; *Tessera.*

Non sum talorum numero par tessera, dum sit
Maior, quam talis alea sæpe mihi.

Itaque maior iactus, nempe *senio*, (nam & senio pro talis etiam ipsis, non modò pro iactu) prosperrimus, meminit Suet. Augusto cap. 71. *Talis enim iactatis, vt quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos, singulos denarios*

in medium conferebat, quos tollebat vniuersos, qui in Venerem iecerat. docuerunt viri docti ad illud A. Persij Sat. 1.

——Quid dexter senio ferret.

Hunc nomine *Midæ* appellatum reperio, ex fragmento vetusti cuiusdam scriptoris, laudante Suida omniscio.

Μίδας ἐν κύβοις ἦν σύμβουλος κράτιστος.

Midas in tesseris consultor optimus.

Contrà *Canis* iactus erat infortunatissimus, Theod. Marcil. ad illud eiusdem Persij, Sat. 3.

Scire erat in voto damnosa canicula quantum Raderet.

P. Ouid. loco citato proximè.

Damnosi facito stent tibi sæpè Canes.

Sext. Propert. lib. 4 eleg. 9.

Me quoque per talos Venerem quærente secundos,

Semper damnosi subsiliere Canes.

Vnde liquet & Venerem conuiuiorum dominam seu *Tapullam* designasse, deterrè Q. Horat. lib. 2 od. 7.

——Quem Venus arbitrum

Dicet bibendi.

Alij duo iactus vocati *Vulturius, Hercules Basilicus*, de vtroque M. Plaut. Curcul. Act. 2. sc.

Talos arripit, iacit Vulturios quatuor.

Et post eodem loco.

——Iactu Basilicum,

Propino magnum poculum, ille ebibit.

In vsu hic ludus apud Græcos, nam Homerus lib. 1. Odyss. in templo Mineruæ procos ludentes talis inducit; & consuetum in templis ludere obseruat Fr. Lusin. parerg. lib. 5. c. 21. ex authoritate Iulij Pollucis loco proximè à me citato, antiquus poëta.

αἰεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.

Semper cadunt feliciter Iouis cubi.

Euripedes in Mirmidonibus, ex quo & eundem versum transcripsit Aristophanes, & in *Ranas* suas transtulit.

βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέτταρα.

Iacit Achilles duos cubos (vniones) & quatuor.

Dicebatur autem hic ludus *ἀστραγαλισμὸς* aut Ionibus *ἀστραγαλίη*. Eustathius auctoritate Lexic. Rhetorici ad lib. 23. Iliad. & *ἀστραγαλίζειν*, *talis ludere*, nam *ἀστράγαλος* Callimachus, *ἀστράγαλοι*. Aristophanes *talos* appellant laudante Iulio Polluce lib. 9. Onomast. ca. 7. Sophoclis versus huc quadrat.

καὶ πεσσὰ πεντέγραμμα, καὶ κύβων βολαί.

Tesseræ quinque lineis notatæ & talorum iactus.

Artemidor. lib. 3. Oneirocrit. c. 1. *παίζειν*, pro *talis ludere* vsurpauit, sed generale ille nomen posuit, alij speciale, & Latini suum fecerunt, nam *astragalizontes* lego apud C. Plinium, id est, *talis ludentes* lib. 34. cap. 8. *Polycletus Sicyonius ex ære fecit duos pueros; item talis nudos ludentes, qui vocantur astragalizontes.* perturbatus est, & inuolutus nimium sensus, confeo legendum ex fide codicis MS. *fecit duos pueros nudos, talis ludentes qui vocantur astragalizontes.* sed hoc discrimine, quod apud Latinos, senes tantùm luderent tesseris, cubis, talis, aut astragalis, apud Græcos etiam pueri, vt de Cupidine & Ganymede proditum Apollonio Rhodio li. 3. Argonaut. in hæc verba:

ἀμφ' ἀστραγάλοισι δ' τώγε

χρυσείοις ἅτε κοῦροι ὁμήθεες ἑψιόωντο.

Vt pueri æquales ex auro ludere talis

Sunt deprensi ambo.

Huc pertinet & versus Leonidæ Epigrammatarij in Anthologia lib. 3 c 6. epig. 19.

Τί σχαζόμεθα εν Πεισίστρατε Χῖον ἰδόντες

Γλυφθὲν ὑπὲρ τύμβου κείμενον ἀστράγαλον.

Id est ad verbum, Interprete Eilhardo Lubino, quid quærimus ex te Pisistrate, cùm Chium videamus, insculptum tumulo iacentem talum? vnde datus adagio locus, *pueros astragalis, viros iureiurando fallendos*. Philipp. Beroaldi loco proximè anterius laudato. Hesychius Grammaticus, & alij; Et propter facti nouitatem quod talis pueri instar luderet Heraclius Ephesius, *Astragalizon* cognominatus legitur apud Diogenem Laertium in vita ipsius.

Sed ad talos Romanorum regredior, quos qui iaciebant, scorta sibi auxiliatura inuocabant. M. Plautus in Asinaria Act. 5. sc. 2.

AR. iace pater talos, vt porro nos iaciamus.
DE. maxume.

Te Philenium mihi, atque vxori mortem, hoc Venereum est

Pueri plaudite & mihi ob iactum cantharo mulsum date.

Et in Captiuis Act. 1. sc. 1. in principio.

Ideò ego ato vetere nomen in conuiuio sibi

Amator talos cum iacit, scortum inuocat,

Estne inuocatum.

Iaciebant porro hosce talos in fritillum, id est, fimum, pyrgum, turriculam, orcam, vel pixidem corneam, sunt enim omnia hæc vocabula eiusdem significationis, significantissimè vetus scholiastes Iuuenalis Satyr. 14. vers. quinto: *fritillus, Pixis cornea, quæ fimus dicitur græcè fritinnire aues dicuntur, id est strepere. Apud antiquos in cornu mittebant tesseras, momentísque fundebant, aut fritillum, aut pyrgum dixit.* Omnia mihi suspecta, & puto non vnius esse operę, vt nec multa alia quæ in hoc authore, in quo quamuis egregia reperiam, sunt tamen, & frustra quædam repetita.

tita, & sibi pugnantia nonnulla, & alia friuola, non puto esse genuina, sed ab alterius, & recentioris calamo, *Pyrgum*, vsurpata Græca dictione, & in ciuitatem Latinam transmissa vocarunt. Sidon. Apollinar. lib. 3. Epist. 3. *Omitto', quod hic primum tibi pila, pyrgus, accipiter, canis, equus, arcus, ludo fuere*, Et lib. 5. Idem Epist. 17. *mox bipertitis (erat enim ætas acclamationibus efflagitata) profertur his pila, his tabula. Sphæræ primus ego significer fui, quæ mihi, vt nosti non minus libro comes habetur altera ex parte. frater meus Dominicus, homo gratiæ summæ, summi leporis, tesseras ceperat, quatiebátque, quo veluti classico, aleatores ad pyrgum vocabat.* Et cultissimè Idem lib. 8. Epist. 12. *hic te ædificatus culcitis thorus, hic tabula calculis strata bicoloribus, hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus expectat*, Cornea erat hæc pixis, vt antea probaui, gradus habebat, vt apparet ex isto loco, & D. Ausonio.

Fundunt excelsi per caua buxa gradus.

Esse autem idem fritillum atque pyrgum docet Helenius Acron ad illud Horatij libro 2. Sat. 7.

Mitteret in pyrgum talos.

Vocem Romanam posuit M. Martial. li. 14. Epigr. cuius lemma est, *turricula*, in quo docet euitandæ fraudis, tollendíque doli ratione huiusmodi turriculam inuentam, quod & hodie fieri etiam in aula videmus.

Quærit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Orcam vocarunt A. Persius Sat. 3.

——angustæ collo non fallier orcæ.

Pomponius Bononiensis consularis, & poëta.

Ecce dum orcam contemplor, taxillos perdidi.

Effusi itaque ex angusto orcæ collo in tabulam, ingentem concitabant strepitum. Sidon. Apollin. libro secundo Epist. 9. *Inter aleatoriarum vocum competitiones, frequens crepitantium fritillorum, tesserarúmque strepitus audiebatur.* L. Sen. Apocolocynt. Claudiana. *tum Æacus iubet illum ludere alea percusso fritillo, & iam cœperat fugientes tesseras semper quærere & nihil proficere.*

Nam quoties missurus erat, resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo.

Et in eodem opere.

Qui concusso magna parastis
Lucra fritillo.

Sidon. idem Carm 23.

Hic promens teretes pilas, trochosque,
Hic talos crepitantibus fritillis,

D. Iuuenal. Sat. 14. in limine.

——Paruoque eadem mouet arma fritillo.

M. Martial. lib. 4. epigr. 15.

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis.

Et lib. 5. epigr. vlt.

Et blando male proditus fritillo,

Et lib. 13. epigr. 1.

Hæc mihi charta, nuces, hæc est mihi charta fritillus
Alea nec damnum, nec facit ista lucrum.

Post fritillum locus dicendi de ALEA, quod genus exercitij adeò crebrò receptúmque fuit, vt inter edicta prætoria illud cautum apud Vlpianum sit, *in eum iudicium non dari, qui aleæ ludendæ causa vim intulerit.* l. 1. ff. *de aleatoribus* & *antiquam rem* alearum vsum vocat Iustinianus Augustus l. vlt. C. *de aleator. & aleæ lusu.*

Antiquitatem hanc optimè descripsit Ioannes Saresberiensis Policrat. libro primo capite quinto, *alea exciso regno Asiæ, inter manubias euersæ vrbis, non sub vna tantùm specie, migrauit ad Græcos, hinc tessera, calculus, tabula, senio, vrio* (malim *vnio*) *dardana pugna* (latrunculos intelligit, excogitatos à Palamede in obsidione Troiæ, vt supra innui) *tricolus, monarcha, orbicu i. taliorchus, vulpes, quorum artem vtilius est dediscere, quam docere, quis enim non erubescat, si fortis sua gratiam non virtuti debeat, sed taxillis? quis fritilli cautelam suæ prudentiæ non doleat anteferri? nonne satis improbata est cuiusque artis exercitatio qua quanto quisque doctior, tanto nequior mendaciorum omnium & periuriorum mater est alea, & ex aliena concupiscentia sua prodigit.* Iuuenal. Sat. 14. in initio.

Si damnosa senem iuuat alea.

Aleam pro quolibet ludo, in quo fortuna & casus dominantur, accipiunt, adeóque etiam pro tesseris & talis. L. Sen. in Claudiana apotheosi.

Cumque recollectos auderet mittere talos
Lusuro similis semper, sempérque petenti
Decepere fidem refugi, digitósque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.

Atq; ea quidem inuentum *dæmonis Theuth*, vt scribit Plato in Phædro. & *Furto*, & *Latrocinio* comparatur ab Aristotele lib. 4. Ethicor. ad Nicomach. cap. 1. certe Romanis legibus penitus interdicta, dato ædilibus negotio animaduertendi in aleatores, qui in disciplinam ciuium publicam peccarent. Martial. lib. 5. Epig. 85.

Arcana modo raptus è popina,
Ædilem rogat vdus aleator.

Vetitum aleæ nisi lusum Saturnalibus, indicio est locus Horatij lib. 3. od. 24. fuisse.

Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet ludere doctior

Seu Græco iubeat trocho,
Seu malis vetita legibus alea.

Lusere tamen ea viri principes, M. Cato, & Artoxerxes, Plutar. in eorum vita. Augustus, Suet. ca. 71. Eutrop. & P. Victor. Claudius Cæsar, Sueton. c. 33. Domitianus Aug. Idem cap. 21. & Verus princeps, Iul. Capitol. in eo. denique & Theodoricus Gothorũ rex, qui *lucrum inter domesticos partiebatur, vt gratiam promereretur.* Sidon. Apollin. lib. 1. Epist. 2. Et quia casus in aleæ certamine multum pollet, quæcunque incertis casibus subiacent, *aleæ* commissa soleat dicere, hinc D. Paulus ad Ephes. 4. κυβεία τῶν ἀνθρώπων *alea hominum*, pro discrimine, & periculo, quod hominibus imminet. M. Varro Rei Rust. libro primo capite primo, *vbi salubritas non est, cultura non aliud est atque alea domini vitæ ac rei familiaris* & Socratis illud graue dictum apud Ioan. Stobæum, Ser. 121 κυβεία τινι ἔοικεν ὁ βίος. *aleæ ludo similis est vita.* Nicephor. Gregoras hist. Rom. libro quarto, καὶ μετὰ πολλὰς τὰς τῶ πολέμου τροπὰς, καὶ τὰς τῆς τύχης κύβους. *& post multas belli vicissitudines, ac varios Fortunæ calculos, seu aleam.* eadémque loquendi formula vtitur li. 7. pagi. 114. Notissima est vox C. Cæsaris referente C. Suetonio in eo cap. 33. *Eatur, inquit, quo deorum ostenta inimicorum iniquitas vocat, iacta est alea.* allusum à poëtis. M. Lucano lib. 6. Pharsaliæ v. 9.

Funestam mundo votis petit omnibus horam,
In casum que cuncta ferat p'acet alea fati
Alterutrum mersura caput.

Eiusdem libri vers. 604.

Non humilis labor est, dignum est, quod quærere cures,
Vel tibi, quo tanti præponderet alea fati.

Claudiano lib. 1 de laudib. Stilich. in fine.

—Sed non vni certamina pugnæ
Credidimus totis nec constitit alea castris
Nutatura semel.

C. Petronio in apparatu bellorum Ciuilium.

Iudice fortuna cadat alea, sumite bellum,
Et tentate manus.

Ad alia pergo, ac primum de *Pila* sermo instituendus, quæ digna visa est, de qua medici & philosophi differerent. Galenus in libro de ea re conscripto, Cælius Aurelianus Tardar. passion. lib. 1. cap. 4. lib. 3. cap. 6. & li. 4. c. 7. Hieron. Mercurialis Medicus Patauinus in libb. artis gymnæsticæ, tanquam re exercendo corpori maxime idonea. ea in duplici differentia *paganica* vnde Martial. lib. 7. epigram. 31.

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes.

Et apud eundem lib. 14. epigr. 45. lemma est, *pila paganica.*

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

Puto illi nomen inditum è pagis, seu villis, in quibus, vt apparet, aut primus, aut certe frequentior eius vsus: altera vero pilæ nominatio à figura desumebatur, nam *trigonalis* propter angulos tres appellatur. Idem Martialis Epigr. sequenti.

Si me nobilibus scis expulsare lacertis,
Sum tua, si nescis, rustica, redde pilam.

Hæc non senum, aut ætate prouectorum erat, quibus non firmum latus, aut annis exhaustę vires, sed iuuenum esse consueuit. M. Tull. li. de Senect. antea in hoc tractatu à me laudatus, addendus M. Varro in Sera patere, apud Nonium, *purgatum scito, quoniam videbis Romæ in foro ante lanienas, pueros pila expulsim ludere*, formulariter ergo, vt apparet dicebatur, *expellere pilam*, vnde Pollucem paulo infra citatum. Sidon. Apollinaris, qui de rebus præposteris à quibusdam actis libr. 1. Epigr. 8. *muri cadunt, aqua stant, turres fluunt, naues sedent, ægri deambulant, medici iacent, sitiunt viui, natantes sepulti, algent balnea, domicilia conflagrant, vigilant fures dormiunt potestates, fœnerantur clerici, Syri psallunt, negotiatores militant, negotiantur milites, student pilæ senes, aleæ iuuenes, armis eunuchi, litteris fœderati.* Idem vellicat senem quendam lib. 5. epist. 17. sed notat eruditissimus Sauaro.

Ausus & ipse manu iuuenum tentare laborem.
Sphæristarum turmalibus constanter immiscuit.

Huc refero & fragmentum Epistolæ D. Augusti principis apud C. Suet. cap. 71. *Inter cœnam lusimus & quidem γεροντικῶς, heri, & hodie;* & deinde, *forumque aleatorium calefecimus.* Q. Aurel. Symmach. lib. 5. epist. 64. *distinguenda est lectio iuuenum non alueolo, aut pila aut trocho. Attico, vel Græcis palæstris, sed alacri fatigatione, & impotentis audaciæ gaudiis,* & Trimalcio ille Petronianus in Satyric. pag. 20. vellicatur, quod præter consuetudinem pila se exercuerit. *Videmus senem caluum tunica vestitum russea, inter pueros capillatos ludentem pila; nec tam pueri nos, quanquam erat operæpretium ad spectaculum, duxerant, quam ipse paterfamiliæ, qui soleatus pila prasina exercebatur.* Sidon. Apollin. lib. 2. epi. 9. *Dabat ætas & dignitas primi imitatori prærogatiuam, licet à deliciis in delitias rapiebamur, vix quodcunque vestibulum intratum est, ecce sphæristarum contra stantium paria inter rotatiles catastrophorum gyros duplicabantur*, sphæristæ enim sunt qui sphæras vel pilas agunt, nam *sphæra* est *pila*. l. 16. ff. mandati. C. Plin. lib. 2. Epist. 17. lib. 5. epist. 6. & *Sphæromachia* pro agone aut certa-

certamine ipso L. Sen. Epist. 80. in limine, *omnes mole flos ad sphæromachiam auocauit.* Iust. Lips. ibi. Stat. in præfat. ad lib. 4. Syluar. *sphæromachias spectamus & pilaris lusio admittitur.* adi ad eundem libro quinto epist. 17. solemnem eius vsum collige ex Iulio Polluce libro nono Onomast. capite septimo, *σφαίρᾳ παίζειν, σφαῖραν ῥίπτειν, βάλλειν, ἀφιέναι, πέμπειν, καταπέμπειν, ἀντιπέμπειν, ludere pila, pilam iacere mittere, emittere, dimittere, contramittere, in aduersum iacere, expellere, pilarum lusores sub geminis nascuntur, tanta velocitate,* inquit Iulius Firmicus Maternus lib. 8 Matheseon cap. 8. *vt aues superare videantur.* M. Manil. lib. 5. Astronomic.

Septima pars leporem tollit, quo sidere natis
Vix alas Natura negat, volucresque meatus,
Tantus erit per membra vigor referentia ventos.
Ille pilam celeri fugientem prendere planta,
Et pedibus prensare manus.

Sext. Propert. lib. 3. eleg. 13.

Cum pila veloces fallis per brachia iactus.

Q. Horat. lib. 1. Sat. 5.

Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.

Et lib. 2. Sat. 2.

—Vel si Romana fatigat
Militia assuetum græcari, seu pila velox.

Et in arte poëtica.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive trochive, quiescat.

C. Lucil. lib. 26. Satyrar apud Nonium.

—Cum studio in
Gymnasio duplici corpus siccassem pila.

M. Martial. lib. 7. epigr. 31.

Non pila non follis.

P. Ouid. lib. 3. de Arte.

Hos ignaua iocos tribuit natura puellis,
Materia ludunt vberiore viri,
Sunt illis celeresque pilæ, iaculúmque, trochique
Armaque, & in gyros ire coactus equus.

Et lib. 3. Trist. eleg. 12.

Lusus equo nunc est, leuibus nunc luditur armis,
Nunc pila, nunc celeri vertitur orbe trochus.

M. Martial. iterum lib. 12. epigr. 84.

Captabit tepidum dextra læuaq; trigonem,
Imputet exceptas vt tibi sæpe pilas.

Et lib. 10. epigr. 86.

Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
Nunc, postquam desit ludere prima pila est.

Laudatissimi certè hoc genus exercitamenti semper habitū, viris conuenientissimū, vtroque etiā iure receptum, Canonico quidem, vt disertè paret ex C. *clerici, de vit. & honest. clericor.* & Iure ciuili passim. Vlpian. l. 11. ff. ad leg. Aquil *si cum pila quidam luderent, vehementius quis pila percussa in tonsoris manus eam deiecerit, & sic serui, quem tonsor habebat, gula sit præcisa, adiecto cultello (malim adactio cultello) in quocumque eorum culpa sit, cum lege Aquilia Mela scribit teneri.* apparet hinc receptum legibus pilæ vsum, sublatum vetitúmque abusum, vt est apud Alfenum IC. lib. 2. Digestorum. *cum pila plures luderent, quidam ex his seruulum, cum pilam percipere conaretur, impulit, seruus cecidit, & crus fregit. quærebatur an dominus serruli, lege Aquilia cum eo cuius impulsu ceciderat, agere posset, respondi non posse, cum casu magis quam culpa videretur factum.* quidam viri docti, & illud Pauli IC. huc referunt libr. 2. ff. de aleatorib. *Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere, præterquam si quis certet hasta, vel pila iacienda, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat.* at in pandectis Florentinis, & editione Plantiniana legitur, *pilo iaciendo*, non *pila*, vt sit militare exercitium, quæ lectio accommodatissima est huic loco, & probabitur infra hoc opere, in Tractatu de *Militia Romana* libro 10.

Nihil igitur mirum, si communi gentium recepto lusu viri eminētissimi delectati sint. Et Philosophi quidem Architas Tarentinus, qui pila, etiam cum seruis suis ludere solebat. Athen. lib. 12. Dipnosophist. cap. 6. & Socrates cum pueris Valer. Max. li. 8. cap. 8. Ælian. Var. Histor. li. 12 c. 15. Lycon Troadensis, qui & ab aliis Glycon dictus, Diogen. Laert. li. 5. in vita ipsius. viri literati. ipse Sidon. Apollin. de se id fatetur li. 2. epig. 2 & de Scæuola IC. scriptum reliquit Valerius Maxim. loco proximè laudato titul. 2. *Scæuola autem rerum quietæ remissionis certissimus testis, optime pila lusisse dicitur.* Denique & viri principes, Augustus Cæsar C. Sueton. c. 83. M. Antoninus Philosophus, Iul. Capitolin. in eo. Domitianus Augu. indignus qui cum iis conferatur. C. Suet. cap. 21. & inter Græcos, Alexander Macedo, Plutar. in vita ipsius, & Athenienses Aristonicum Carystium, qui cum Alexandro pila ludere erat solitus, ciuitate sua donarunt, statuámque ei tanquam optimè de repu. merito, erexerunt, Ath. lib. 1. c. 13. meminit eiusdem Suid. in voce *ὄρχησις*.

Pentathlum quinquertium, celebre apud Græcos etiam exercitium olim. Iul. Poll. lib. 3. cap. 30. *πένταθλος ὁ πέντε ἀγωνιζόμενος, pentathlus quinq; certaminum generib. decertans, & ludiones pentathli.* C. Plin. li 34. cap. 8. quinque autem illa certamina sunt iactus disci, saltus, iaculatio, cursus, lucta. Fest. Pomp. lib. 14. vltima quatuor militibus inter exercitia conue-

niebant. ideoque commodius in lib. 10. huius operis exponentur, de disco pauca subnectam alludere videtur. Q. Horatius ad Quinquertium istud lib. 1. od. 8.

—Cur oliuum
Sanguine viperino
Cautius vitat, neque iam liuida gestat armis
Brachia, sæpè disco
Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito?

Simonides libro 1. Antholog. cap. 1. Epigr. vltim.

Ἰσθμια κ Πυθοῖ Διοφων ὁ φίλωνος ἐνίκα,
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον ἄκοντα πάλην.

Isthmia & Pythia Diophon *Philonis filius vicit,*
Saltu, cursu, disco, iaculo, lucta.

Artemidor. lib. 1. Oneirocrit. cap. 59. Philostrat. Icone Arrichionis, Tzetzes Moschopulus, Scoliast. Sophoclis in Electra. & scholiastes Pindari in oden. 1. Isthmior. viam ostendit, & veluti facem prætulit primus, quod sciam, Hermolaus Barbarus, in obseruationibus suis Plinianis, qui pancratium & penthalum idem esse existimauit, & ex illo Gulielm. Budæus in annotationibus prioribus ad pandectas, ad l. qua actione ff. ad leg. Aquil. Plaut. Bacchid. sc. nunc experiar.

Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo sese exercebant magis, quam scorto aut suauiis,
Ibi suam ætatem extendebant.

Discus itaque in Glossographo Græco βαρὺς λίθος, *grauis lapis.* Eusthatius in lib. 2. Iliad. adeò vt Lycophron in latebroso suo poëmate *Pletus μεγίστω disci maximi*, dixerit pro quouis lapide. Homerus apud Ioannem Brodæum lib. 2. Miscellaneor. cap. 26. Pindar. Olymp. od. 10.

μᾶκος δ' ἐνικεὺς ἔδικε πέτρῳ
χέρα κυκλώσαις ὑπὲρ ἁπάντων.

Longe Eniceus iaculatus est saxo, id est saxeo disco.
Manum circumrotans supra omnes.

Et Isthmicor. od. 1.

εἴν τε χερσὶν ἀκοντίζοντες αἰχμαῖς
κ λιθίνοις ὁπότ' ἐν δίσκοις ἵει.

Qualiter manibus iaculantes, cum iacularentur iaculis & saxeis discis.

Claudian. lib. 2. de Raptu.

—Te disci perculit error.

Statius lib. 7. Thebaid. v. 21.

Hic ieno tuus gradiuus furor, sanat orbe recusso
—Discus & Oebalij coeunt in prælia cæstus.

Optimè expressit istud Ludendi genus P. Ouid. lib. 16. Metamorphos. Fab. 5.

Corpora veste leuant, & succo pinguis oliuæ
Splendescunt, latique ineunt certamina disci,
Quem prius aereas libratum Phœbus in auras
Misit, & oppositas disiecit pondere nubes,
Decidit in solidam longo post tempore terram
Pondus, & exibuit iunctam cum viribus artem.

Nudi ergo, oleoque peruncti, vt omnes alij athletæ in altum orbem hunc saxeum contorquebant. Sext. Propert. libro tertio Eleg. 13.

Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Q. Horat. lib. 2. Sat. 2.

Seu te discus agit, pete cedentem aëra disco.

Et in arte poëtica v. 380.

Indoctusque pilæ, discive, trochive

Amento è crinibus factus discus hic in altum torquebatur. Cl. Claudian. lib. 2. in Eutrop.

Quis melius vibrata puer vertigine molli
Membra rotet, verrat quis marmora crine supino?

Licet alij non de disco, sed de puerili quodam exercitamento, intelligi versum hunc velint, quo illi pedibus in altum sublatis, caput in terram dimittebant, & legunt ex fide MSS. codicum,

—Verrat quis marmora crine supino.

Moris deinde erat, vt locus cadentis disci, fixa figuaretur sagitta, vt loquar cum Placidio Luctatio Grammatico, ad v. 703. lib. 6. Thebaidos Statianæ.

Fixa signatur terra sagitta.

Vt discus in sublime, ita in terram rotabatur *Harpastum* incredibili volubilitate. Martial. lib. 4. Epigr. 19.

Siue harpasta manu puluerulenta rapis.

Et lib. 7. epig. 31.

Vara nec iniecto ceromate brachia tendis,
Non harpasta vagus puluerulenta rapis.

Vt alij athletæ, ita parpasto ludentes, subligaria induebant, Idem eiusdem libri epig. 66.

Harpasto quoque subligata ludit.

Denique & lib. 14. epigr. 48.

Hæc rapit Antæi velox in puluere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

Quod de Ceromate dictum est, intelligi debet de vnguento gymnastico, non in harpasti modo exercitatione vsurpato, sed in omnibus aliis. L. Sen. lib. de breuit. vit. cap. 12. *qui in ceromate (nam proh facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) spectator puerorum rixantium sedet.* C. Plin. libr. 35. cap. 13. *plura de hac parte non sunt dicturus, non hercules magis, quàm de terræ vsu in cero-*

in ceromatis, quibus exercendo iuuentus nostra corpora vires animorum perdidit. poetæ. D.Iuuenal.Sat.6.v.248.

Endromidas Tyrias, & feminenm ceroma.
Quis nescit?

M.Martial.lib.4.epigr.4.

Quod ceromata fæce de Sabina.

Eiusdem l bri epigr.19.

Seu lentum ceroma teris.

Libri 5 epigr.66.

Et castigatum Libycæ ceroma palestra.

Halteres sequuntur, de quibus Adrian. Turnebus.Cæl.Rhodigin.li.14.c.3. definit eos *esse athletarum libramenta, circulos oblongiore figura, non prorsus in ambitum circumductos, nam quæ pars manibus prensatur, ansulas habet, intra quas digiti, vt intra clypeorum lora immittuntur.* Hæc pene ille, ex Pausania Eliac. prioribus ad finem. M Martial.lib.9.epig.66.

Et flaueseit apha, grauique draucos
Halteres facili rotas lacerto.
Et putri lutulenta de palæstra
Vncli verbere vapulas magistri.

In tertio versu pessime antea legebatur, in editionibus vulgatis.

Alterno facili rotas lacerto.

Neque melius illi legunt, quibus hæc lectio probatur

Alternans facili rotas lacerto.

De halteribus indignabunde idem M. Martial.lib.14.epigr.49

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

Iam de *Petauro*, qui circulus erat, quem intactum certante transuolabant, & ab eo petauristæ appellabantur vel petauristarij. Iul. Firmic. Matern.libro octauo capite decimo quinto, *ephalmator, oriscopalarius, petauristarius, aut certè innat decursus agilitate conspicuus.* Nonius Marcellus Cap.1 Num.277. *petauristæ à veteribus dicebantur, qui saltibus vel schænis leuioribus mouerentur. & hæc proprietas à græca nominatione descendit ἀπὸ τοῦ πετᾶσθαι,* (id est *à volare*) Varro Epist.ad Cæsarem. *conuocat Ptolemaeum cinædon, Laconicon petauristen, Diona, adeo visos* Idem de vita populi Romani libro secundo, *nec minus alio in genere sunt ludi velitis Galli, Germani petauristæ.* prior locus miræ deprauationis, nam quid, *scenis leuioribus moueri*, significet, ego non legi fortean igitur operæpretium erit legere, *sceuis leuioribus*, vt intelligantur, ludiones scæui, de quibus alibi. Adrianus Turnebus libro 29. capite 19. Aduer restituit, in *leuioribus schemis*, nam schema schemæ etiam apud probatos authores vsurpatur. C.Sueton.in Tiberio cap.43. *Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lasciuissimarum picturarum ac figurarum adornauit, librisque Elephantidis instruxit, ne cui in opera edenda exemplar imperatæ scheme deesset.* antea nullo sensu lectum extabat, *exemplar impetratæ scænæ.* Sequitur deinde, in eodem Varronis apud Nonium loco, *cinædon. Laconicon.* sed rescribendum omnino censeo, *Cinædo Logon Nicona.* sunt autem cinædologi carmina quædam, vt apparet, lasciua, quæ à Magodis, aut Lysiodis cani solent, specie virili, aut muliebri habitu indutis illis, qui hæc carmina canerent, quo poematij genere Sorades Maronites floruit, vt constat authoritate Carystij Pergameni, recitante Athenæo lib.14. dipnosophist cap.7.

Ad Petaurum regredior, quem *tabellam* interpretantur, *cui domestica aues indormire solent* ἐγκαθεύδειν reddidit Iul. Pollux libro 10. Onomastic.cap.34. Ælius Stilo causam nominis adfert, *quod in aëre volare videantur petauristæ.* Fest.Pomp.lib.14. C. Lucil. in Satyris.

Sicuti mechanici cum alto exilirent petauro.

M.Manil.Astronomic.lib.5.

Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem
Corpora, quæ valido saliunt excussa petauro,
Alternósque cient motus, elatus & ille
Nunc iacet, atque huius casu suspenditur ille.

Iosephus Scaliger, *rota in sublimi posita à duobus versabatur, alter superne, alter inferne nitebatur, ita fiebat, vt alternis deiecti, nunc penderent, nunc erecti sederent, per eandem rotam etiam corpora contento saltu subiecta traiiciebant.* rectè itaque *elatus & ille* pessime antea & nullo sensu,

—*Delatus & ille.*

D.Iuuenal.Sat.14.v.267.

An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique solent rectum descendere funem.

M.Martial lib.11.epigr.22.

Quam rota transmisso toties impacta petauro.

Et lib.2.Epigr.86.

Quod si per graciles vias petauri
Inuitum iubeas subire Ladam.

Fuit hic Ladas, vt obiter illud etiam expediatur, cursor notissimæ celeritatis, *qui ita supra cauum puluerem cursitauit, vt arenis pendentibus nulla indicia relinqueret vestigiorum,* vt loquitur C.Iul. Solinus Polyhist. capit.6. Author. Rhetoricorum ad C.Heren-

nium lib.4.in princ.*ipse intra carcerem flet, & narret aliis, quomodo Ladas aut Boius cum Sicyoniis cursitaris.* Celebre de eodem testimonium est,& elogium apud Pausaniam in Corinthiacis,atque iterum in Laconicis. meminere præterea poetæ. ipse Martial.libro.10.epigr.100.

Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte frustra crure ligneo curres.

Q.Catull,Epigr.53.

Non si Ladas,pennipé'que Perseus.

D.Iuuenalis Sat.13.vers. 96.

Ne dubites Ladas.

Atque hi quidem ludi viriles erant, reperio & alios pueriles, nam pueruli nucibus ludebant, & ob id in nuptialium rituum celebritate obseruatum, vt intrante cubiculum mariti vxore, iactis nucibus pueris strepitum excitarent, vt dicam in Tractatu de Nuptiis infra hoc opere.

Q.Catull.Epithalamio Iuliæ & Manlij.

Nec nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem,
Da nuces pueris iners
Concubine,satis diu
Lusisti nucibus.

In aliis editionibus,& præsertim Achillis Statij,alia lectio est aptior,meo iudicio.

Defectam dominam audiens
Concubinus amore.

M.Martial.lib.5.epigr.vlt.

Iam tristis nucibus puer relictis
Clamoso reuocatur à magistro.

Et lib.14.epigr.1.

Lude,inquis nucibus,perdere nolo nuces.

Eiusdem libri epigram. 18. cui lemma est, *Nuces.*

Alea parua nuces. & non damnosa videtur,
Sæpè tamen pueris abstulit illa nates.

A.Persius Sat.1.

—Nucibus facimus quæcunque relictis

Q.Horat.lib.2.

—Postquam te talos, Aule,nucésque
Ferre sinu laxo,donare & ludere vidi.

Ludebant nucibus diuinantes par esset numerus, nucum manibus comprehensarum an impar, & prout coniecisset, ita victor aut superatus erat,ita capio in C. Suetonio ca.71. verba Diui Augusti principis in epist. ad filiam:*misi tibi denarios ducentos quinquaginta quos singulis conuiuis dederam,si vellent inter se canam, vel talis,vel par impar ludere.* Qu.Horat.loco proximè laudato.

Ludere par impar,equitare in arundine longa.

P.Ouid.in eleganti de *Nuce* elegia, seu quilibet alius eius carminis author.

Est etiam par sit numerus,qui dicat,an impar,
Et diuinatas auferat augur opes.

Vltimo loco de *Trocho*, puerili item ludicro, seu exercitamento, paucis agam. Helenius Acron ad illud Q.Horatij in Arte.

Indoctúsue pilæ,discive,trochive.

Sext.Propert.lib.3.eleg.13.

Increpat & versi clauis adunca trochi.

Alb.Tibull.lib.1.eleg.5.

Namque ago, vt per plana citus sola verbere turbo
Quem celer assueta versat ab arte puer.

Martial. lib.14.epigr.168.

Inducenda rota est,das nobis vtile munus,
Iste trochus pueris, at mihi cantus erit.

P.Virgil.lib.7.Æneid.

Seu quondam torto volitans sub verbere turbo.

E buxo præsertim probabatur. Idem eodem libro.

Impubésque manus mirata volubile buxum.

A.Persius Sat.3.

—Buxum torquere flagello.

Possem & de aliis ludis hic dicere,sed satis sit de celebrioribus quædam delibasse. erat & *follis* in pretio. Martial.lib. 14. epigr.45.47. li.4.epig.19.li.7.epigr.31.lib.12 epigr.84. forte hic ille est ludus, qui *phenis* seu globulus in sole ab adolescentibus maximè exercebatur. Clemens Alexandri.lib.3.pædagog.ca.10.vbi scholiastes,ait ludum fuisse, quum è ludentibus pueri sphæram tenens,alij ostendebant, ad alium mittebat,forte à φενακίζειν decipere.est & *comma dianlion* siue cursus incisus,apud Iustinianum, & *catampon*, ex Festo Alciat.lib.2. prætermiss.& *ecperusa*. Ælian. libello de ordinanda acie.

Capvt II.

De Ludorum diuisione.

Qvi ludi fuerint,diximus.Sequitur vt de diuisionibus & generibus etiam eorum quædam annotemus.Et primùm quidem in vniuersum duo fuerunt ludorum apud Romanos genera.Alij n.Circenses fuerũt,alij verò Scenici.Docet hoc Cicero,qui cum lib.2.de legib.hanc legẽ recitasset: Ludis publicis, quod sine curriculo,& sine certa-

certatione corporum fiat, popularem lætitiam in cantu, & fidibus, & tibiis moderanto: eámque cum Diuum honore iunguto: eam deinde sic explicat: Iam ludi publ[ici], quoniam sunt cauea, circóq; diuisi, sint corporum certationes, cursu, pugillatione, luctatione, curriculísque equorum vsque ad certam victoriam circo constitutæ, cauea, cantu, voce, ac fidibus, & tibiis: dummodò ea moderata sint, vt lege præscribitur. Circenses dicebantur, quod exhiberentur in circuitu ensibus positis. Olim enim in littore fluminis agebantur, in altero latere positis gladiis, vt ab vtraque parte esset, ignauiæ præsens periculum. Seruius in 3. Georg. eorum, & 8. Æneid. Virgilij. Alij à circumeundo sic dictos putant, alij à Circo, in quo exhibebantur, de quo pòst. Scenici vocati sunt alteri, quod in scena, hoc est, in vmbra agerentur, & hi ingeniorum acumine, atque actionis agilitate, seu arte constabant. Dicemus de vtrisque, si prius qui ludos exhibuerint, & vbi exhibiti fuerint exposuerimus.

Caput III.

Qui ludos exhibuerint.

Quemadmodum non vna, & eadem semper fuit Reipub. forma, sed ea sæpius mutata est, ita non vnus & idem Magistratus ludos semper exhibuit: quin etiam diuersi ludi à diuersis sunt exhibiti Magistratib. vel aliis personis. Principio Reges ludos edi curauerunt, quod vel ex eo clarum est, quod Liuius, Dionysius, Plutarchus, & alij (non enim omnes auctores recensere libet) de Romulo scribunt, eum Consualia, vel ludos Neptuno Equestri sacros exhibuisse. Quamuis autem de reliquis Regibus nihil certi in scriptoribus vetustissimis, præterquam apud Tertullianum extet, quo minùs tamen de iis dubitetur, faciunt iidem scriptores, qui cum nonnullis aliis memoriæ produnt, Tarquinium Priscum certum locum celebrandis locis extruxisse, & ludos exhibuisse, vt iam dicetur. Post eiectos Roma Reges, Consulum fuit id munus, quemadmodum de Sæcularibus scribunt Valerius Maximus, Censorinus, & alij. Creatis autem Ædilibus, eorum id muneris fuit, ita quidem, vt Ædiles plebeij ludos plebeios curarent, & AEdiles curules, qui potissimum ob hoc ipsum creati primum sunt, magnos exhiberent: cuius rei testimonia plurima in historia Liuij & aliorum extant. Sed & ad Prætoris Vrbani officium pertinuit, signum dare mittendis quadrigis: Quocirca ipso nonnunquam bellis occupato, atq; absente, dictus Dictator fuit, qui in Prætoris locum ludorum tempore signum mittendis quadrigis daret. Quòd autem ad ludos funebres attinet, eos illi curarunt, & exhibuerunt, qui proximum defunctorum, in quorum honorem ludi celebrantur, hæredes fuerunt. Nonnunquam tamen & hi ab AEdilibus curati fuerunt, id quod ex omni Romana historia intelligitur. Exceptis igitur ludis funebribus, reliquos vel Reges exhibuerunt, vt Circenses, vel Consules & Prætores, vt eosdem, item Sæculares & Apollinares: vel Aediles plebeij, vt Plebeios, vel Aediles Curules, vt Magnos Megalenses, &c. Tandem omni Reipublicæ potestate in vnum translata, Imperatores etiam hoc munus sibi sumpserunt, quod ex Suetonio & sequentibus historicis cognoscitur.

Caput IIII.

De loco, vbi Ludi sint exhibiti. De Circo Maximo, Circis, Theatris & Amphitheatro.

Lvdi primum in Insula Tiberina exhibiti sunt, nullo ad id certo constituto loco, sed ab altera parte Tiberis pro meta erat, ab altera enses ponebantur, teste Seruio Virgilij interprete. Primus omnium Tarquinius Priscus V Romanorum Rex, Circum maximum extruxit. Sic enim Liu. lib. 1. Tum primùm Circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est: loca diuisa Patribus, equitibúsque, vbi spectacula sibi quisque facerent. Fori appellati, spectauêre, furcis duodenos, ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. Hæc Liu. Dionys. tamen libr. 3. non rude tantùm ædificium ipsum extruxisse, sed elegantissimè etiam exornasse scribit: cuius hæc sunt ex versione Sigismundi Gelenij: Idem Tarquinius Priscus in Circo maximo inter Palatinum & Auentinum montes sito, primus circumquaque operta tecto fecit sedilia. Nam antea stantes spectare solebant furcis tabulata sustinentibus. Locos spectaculorum in triginta curias distribuit, vt Curialium quisque suo loco spectaturus sederet: quod opus & ipsum procedente tempore annumerandum erat inter spectacula totius vrbis pulcherrima. Longitudo enim eius est trium stadiorum cum dimidio

latitudo quatuor iugerum à duobus maioribus lateribus, & vno minore, cingitur Euripo, qui aquas recipiat, decempedali profunditate simul, & latitudine. Post Euripum extructæ sunt triporticus: imæ habent lapidea paulùm scandentia (sicut in theatris) sedilia, super duplici contignatione sunt lignea, duas maiores porticus, tertia minor coniungit transuersim lunata specie apposita, vt ex tribus vna conficiatur, amphitheatralis 8. stadiorum amplitudine c. pass. centum quinquaginta millia hominum. Reliquum è minoribus latus, quod subdiale est, habet fornicatos carceres, vnde equi emittuntur, omnes vno clauso repagulo, externe ambit. Circum simplex contecta porticus, habens officinas & supernè cellas per quas spectatores intrant, & ascendunt per officinas singulas, vt nulla confusio exoriatur inter tot hominum millia, tum venientia, tum discedentia. Hactenus Dionysius. Dictus igitur est Circus, quod in circuitu, spectaculis ædificatis ludi ibi fierent, & quod illi circum metas ferretur pompa, & equi currerent. Alij à Circe venefica, Solis filia, nomen habere volunt, quod annotat Tertullianus libro singulari de spectaculis, vbi & hæc de ornamentis Circi affert: Singula, inquit, ornamenta Circi, singula templa sunt, oua honori Castorum adscribunt, qui illos ouo edito credendo de Cygno Ioue non erubescunt. Delphinos Neptuno vouent columnas sessias à sementationibus, messias à messibus, tutilinas à tutelis fructuum sustinent, ante has tres aræ, trinis Diis parent, magnis, potentibus, valentibus. Eosdem Samothracas existimant. Obelisci enormitas, vt Hermateles affirmat, Soli prostituta scriptura eius, vnde & census de Ægypto superstitio est. Frigebat Dæmonum consilium, sine sua Matre magna, ea itaque illic præsidet Euripo. Consus apud metas, sub terra delitescit. Murtias quoque idolum fecit. Murtiam enim Deam amoris volunt, cui in illa parte ædem vouere. Hæc Tertullianus. Idem paulò ante: Circus Soli principaliter consecratur: cuius ædes medio spatio, & effigies de fastigio ædis emicat, quòd non putauerunt, sub tecto consecrandum quem in aperto habent. Quæ de ouis & Delphinis Tertullianus dicit, sic sunt intelligenda, quod fuerint opera rotunda, specie ouorum, quædam etiam animantium vt Delphinorum formis expressis, quæ conuersionem & flexionem cursus ostenderent ab grippa posita, cùm propter similitudinem metarum, quarum multæ in Circo erant, aurigantes sæpe non sine magno periculo errarent. Obeliscorum, quorum etiam mentionem facit Tertullianus, descriptio extat apud Ammianum Marcellinum lib. 17. cuius pauca quædam huc afferam: Obeliscus, inquit, est asperrimus lapis in figuram metæ cuiusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, vtque radium imitetur, gracilescens paulisper, specie quadrata in verticem productus angustum, manu leuigatus artificis, formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei vndique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insigniuit auctoritas. Volucrum enim, ferarúmque etiam alieni mundi genera multa sculpentes, ad æuum quoque sequentis ætates Imperatorum vulgatiùs peruenientе memoria, promissa vel soluta Regum vota monstrabant. Non enim, vt nunc, literarum numerus præstitutus, & facilis exprimit, quicquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptij, sed singulæ literæ, singulis nominibus seruiebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus, &c. Paulò pòst recitat inscriptionem obelisci in Circo maximo ex Hermapionis libro, quæ inde peti potest. Hunc obeliscum, qui in Circo maximo constitutus ab Octauio Augusto est, excisum à Rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum vigintiquinque pedum fuisse, & dodrãtis, præter basim: Plinius libr. 36. cap. 9. auctor est, vbi & de Obeliscis aliis, qui Romam translati fuerint, mentionem facit. Cæterùm carceres primùm ex topho, lignóque fuerunt, quos marmoreis permutauit Claudius Imperator. Metas insigniores inaurari voluit Claudius: solum minio & Chrysocola sterni Caligula, auri atque argenti scobe conspergi mandauit Heliogabalus, dolens quòd non posset etiam electri: id ex Suetonio & Lampridio notũ est. In Circo, ne quis non sederet molliter, non solùm Magistratibus & honoratioribus tomentum, quod leuconium & gnaphalium: sed & multitudini substernebatur, quod è concisis arundinibus factum, nomine proprio Circense dictum est, vt Suetonius & Martialis indicant. Nequis porrò, importunè sedendo alteri molestus foret, sedilia cancellis erant separata. In Circo ornamenti causa cùm Deorum imagines gypseæ, tum detracta hostibus spolia suspendebantur. Per Circum nuces & fractum cicer clamando solebant serui circumferre: item in cortinis aquam portare, quam esurienti sitientique plebi venderent. Quæ omnia ex Ouidio, Horatio, & Plauto discuntur. Sub Circo in cellis antrisve subterraneis habitant, quæ corpore facerent questum mulieres, vt ex Iuuenale colligitur. Ad eundem res furto ablatæ vendebantur, quod in Horatium, cùm Circum fallacem annotauit Helenius Acro.

Præter hunc Circum, qui maximus appellatus est, etiam alij progressu temporis sunt extructi. P. enim Victor in libello de regionibus vrbis, octo, vel nouem fuisse dicit. Meminit enim Circi Flaminij, de quo etiam Plutarchus in Quæstionibus Romanis, quæst. 66. & Martialis

tialis in Apophoretis,& epigr.lib.12. In quo Circo vitri officina fuit,in quâ pocula fierent punctis coloratis quasi gemmis insignita,& cristallinis similia:quæ vt precio gemmatis æquanda non erant,ita vsu reperiantur firmiora, quod aquis calidis, vt veræ gemmæ, non vitiarentur aut fluerent. Collocatur hic Circus regione vrbis IX. In I.regione Circus Antonini Caracallę cum obelisco fuit. In v. Circus Aureliani cum obelisco. In VI.regione duo memorantur, alter prope portam Collinam,alter Circus Floræ,siue Floralium, Regione X. Circus Alexandri Imperatoris Regione XI præter Circum maximum, Circus intimus, antiquiore nomine Circus ad murum dictus Erat & Circus Domitiæ,& Circus Vaticanus,quorum memoria adhuc apud P.Victorem & alios extat,quorundam etiam vestigia & rudera hodie cernuntur. De Theatris iam dicemus.

Vt Circenses ludi in Circo,ita Scenici in Theatro peragebantur. Nomen habet Theatrum à θεᾶσθαι quod est spectare. Est autem locus, in quo Deorum immortalium diebus festis ludos spectabant sedentes cum coniugibus & liberis.

Apud Romanos Theatrum diu nullum fuit: olim enim, vti Iul. Cæsar Scaliger docet, in diem ad locum indictum conuenientes, qui specimen firmitatis, aut dexteritatis, aut pernicitatis edituri essent, in medio datis nominibus profitebantur. Circumfusa turba cum iudicibus ad spectandum mox alia item affluente, commode spectare non poterant: quod alij aliis obiectu corporum conspectum adimebant: idcirco aggestis cespitib. editiorem locum sibi puluillis actis faciebant. Eam ob causam medius locus depressior fuit, ac propterea Cauea dictus Igitur post initia stantes spectabant, postea subsellia sibi quisque afferebat Primi Theatrum faciendum locarunt M. Valerius Messala, atque C. Cassius Longinus, Censores anno IↃ XCIX. verùm auctore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subiectum hastę venire placuit. Atque etiam Senatusconsulto cautum est, ne quis in Vrbe propiúsve passus mille subsellia posuisse, sedénsve ludos spectare vellet, vt scil. cet remissioni animorum iuncta standi virilitas propria Romanæ gentis vota esset. Valerius Maximus libro secundo, capite quarto. Meminit & Velleius libro secundo, & Liuius libro 48 Deleta Corintho L. Mummius ludis,quos in triumpho fecit, Theatrum erexit, sed temporarium. In primis autem celebratur M. Scauri Theatrum, de quo hæc scribit Plinius lib.36.cap.15. M. Scaurus fecit in Ædilitate sua opus maximum omnium, quæ vnquam fuêre humana manu facta, non temporaria mora, verùm etiam æternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex altitudine trecentarum sexaginta columnarum, in ea ciuitate quæ sex hymettias non tulerat, sine probro ciuis amplissimi. Ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitro inaudito etiam posteà genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, vt diximus, imæ duodequadragenum pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero. Cauea ipsa cepit hominum LXX. millia, cum Pompeij Amphitheatro totiens multiplicata Vrbe, tantóque maiore populo sufficiat, largè XL millia sedere. Sed & reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cæteróque choragio fuit, vt in Tusculanam villam reportatis, quæ superfluebant, quotidiani vsus deliciis, incensa villa ab iratis seruis concremaretur ad sestertia. Hæc Plinius. Idē paulò pòst de Theatris Curionis. Theatra duo iuxta fecit amplissima è ligno, Cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quib. vtrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese auersis, ne inuicem obstreperent scenæ, & repentè circumactis, vt contrà starent: postremo iā die descendentibus tabulis,& cornibus inter se coeuntibus, faciebat Amphitheatrum & gladiatorium spectaculum edebat, ipsum magis autoratum populum Romanum circumferens, &c. Primum mansurum Theatrum C. Pompeius Magnus Romę extruxit lapide quadrato, auctore Cornelio Tacito lib.14. ad exemplum illius, quod Mitylenis viderat bello Mithridatico. De hoc Pompeij Theatro Tertull. lib. singulari de Spectaculis: Pompeius Magnus solo Theatro suo minor, cùm illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ Censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non Theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum: ita damnatum & damnandum opus templi titulo prętexuit, & disciplinam superstitione illusit. Hactenus Tertullianus. Erat autem Theatrum in modum hemicycli, cuius ab vtroque cornu scenæ erant, cum singulis aris, quarum vna Bacchi, altera eius Dei erat, in cuius honorem ludi fiebant.

Amphitheatra verò circulari integra formā construebantur, aut ouali, & oblonga, in quibus gladiatorij ludi, & conclusarum ferarū venationes exhibebantur. Eius area dicebatur cauea, & arena quod arena spargeretur, vt certantes sine offensione caderēt, quod ex Suetonio liquet.

Theatri partes sunt, Scena, Orchestra, Proscenium, & Pulpitum. Scena frons est Theatri, & ea pars, quæ ab vno eius cornu ad alterum cum coopertura ducebatur: ea aut versatilis erat, scil. cum machinis quibusdam subitò vertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat; aut ductilis,

cùm tractis tabulatis hac atque illac species picturæ interior nudabatur, vt annotauit Seruius li.3. Georg. Propriè verò scena vocatur arborum in se cubantium concamerata condensatio, vt subterpositos ab aëris iniuria posset tegere. Nam priscis temporibus ante vsum Theatrorum sub frondibus & vmbraculis agebant. Quare scena dicta est, inquit Cassiodorus, ab vmbra luci densissima, vbi à Pastoribus inchoante vere diuersis sonis carmina cantabantur. Placidus Grammaticus scenam dicit esse Cameram hinc inde compositam, quę vmbræ loco in Theatro erat, in quo ludi agebantur. Scenæ autem longitudo ad Orchestræ diametron duplex fieri debet, vt docet Vitruuius lib.5.c.7.

Proscenium locus erat ante scenam porrectus, in quo erat Pulpitum, agentium, & loquentium locus. In pulpitum enim actores prodibant, quod quidem, vt Vitruuius sentit, erat latius Latinis, quàm Græcis. Eius autem altitudo Romanis erat non plus pedum quinque. At scena erat altior pulpito, pulpitum altius prosceni & orchestra. Ibi gesticulatione, cantu, & saltatione, artifices personis in scena abditis populum retinebant.

Orchestra apud Romanos locus erat, in quo Senatores considebant spectaturi: apud Græcos saltationes in eo peragebantur. Sedilium ordines Cunei à figura dicebantur. Cum enim excurrerent ab angusto spatio ad ambitum extimum, strictiores erant necessariò, quo propiùs accederent ad caueam, &c. Atque de Theatris etiam, eorúmque partibus hactenus. Cæterùm vt de spectandi ratione pauca moneam, auctor est Valerius Maximus, & cum eo alij, per quingentos & quinquaginta octo annos Senatum populo mistum spectaculo ludorum interfuisse. Sed cum morem Attilium Serranum, & L. Scribonium Ædiles ludos Matri Deûm facientes, superioris Africani sententiam secutos, discretis Senatus & populi locis soluisse: quæ quidem res auerterit vulgi animum, & fauorem Scipionis magnoperè quassauerit. Lata deinde lex Roscia est, Metello & C. Martio Coss. anno vrbis conditæ ƆƆ C XX C V. quæ Equitem quoque à Plebe distinxit: sic tamen, vt qui ex Equite vel vitio, vel fortuna decoxissent, ab aliis separarentur, ac remotiore loco considerent. Meminère eius legis Horatius, Iuuenalis, ac sæpe Cicero, præsertim Philippica 2. qui natos hinc, se Consule, L. Roscij Othonis (nam is legem sanxerat) odio tumultus non solùm compescuit, verùm etiam effecit, vt errorem suum Plebs agnosceret, neque se notari sedis discrimine iniquo animo ferret. Auctor in eius vita Plutarchus, & Plin. lib.7.c.30. Verùm lex Roscia nihil nisi de XIV. ordinibus sanxit. Secutus autem Augustus, primùm eam sic moderatus est, vt cùm plerique Equites attrito bellis ciuilibus patrimonio, metu pœnæ theatralis sedere in XIV. non auderent, ea non teneri statueret, quibus ipsis, parentibúsque Equester census vnquam fuisset. Neque hoc solùm: verùm etiam in vniuersum, quoties quid spectandum publicè ederetur, primum subselliorum ordinem Senatoribus relinqui voluit: militem præstereà secreuit à populo, ac maritis è Plebe proprios ordines: Prætextatis quoque suum cuneum attribuit. Qua de re plura lege apud Læuium Torrentium Commentariis in Suetonij Neronem. Scribit Valerius Maximus, Religionem ludorum crescentibus opibus secutam esse lautitiam. Eius instinctu C. Catulum Campanam imitatum luxuriam, primum spectantium concessum velorum vmbraculis texisse. Cn. Pompeium ante omnes, aquæ per semitas decursu, æstiuum minuisse feruorem. Cl. Pulchrum scenam varietate colorum adumbrauisse, vacuis antè pictura tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Quintus Catulus prætexuerit. Versatilem fecisse Lucullos. Argentatis choragiis P. Lentulum Spintrem adornauisse. Translatum anteà Phœniceis indutum tunicis M. Scaurum exquisito genere vestis cultum induxisse. Hactenus Valerius. Quamuis autem Theatra, Circi, & alia eiusmodi loca singulares quæque, ac proprios ludos haberent, & exercitationes cuique loco accommodatas: tamen eadem sæpè omnibus in locis peracta sine discrimine fuerunt. De quo vide Georgij Fabricij Romam, c.12. Ex quo etiam multa huc transcripsimus. Theatra in libello Onuphrij Panuinij de XIV. regionibus Vrbis memorantur quatuor, Baldi, Marcelli, lapideum, & Pompeij. Amphitheatra tria, Amphitheatrum magnum, Castrense, & Tauri Statilij. Pertinet ad locum etiam Odeum, Stadium, & Xystus. Odeum Græco nomine dictum ᾠδεῖον, publicum ædificium erat, in quo citharœdi & tibicines à musico, & vel qui actores scenici ab histrione exercebantur, antequàm in Theatrum prodirent. Talia ædificia in vrbe fuère quinque. Stadium locus erat cursoribus destinatus, extructus à Domitiano, Suetonio teste. Xystus Græca appellatione locus dictus, in quo sub tecto hyemis tempore versabantur athletæ. Sed de locis spectaculorum siue ludorum hactenus.

AD CAPVT

Ad Cap. IV.

PARALIPOMENA.

Circi ornamenta varia, & amphitheatri, nec Romæ tantum Circus, sed & alibi, cui sacer, forma, ludorum commissio, & sortitio, sine vrna, Theatri loca distincta.

NOn modo prisca Roma circos habuit, sed & noua Roma, siue Constantin. vt ex titulo elegantis opusculi liquet, quod dedit Onuf. Panuinius, qui formam, situm, & obeliscos Byzantini Circi describit capite 27. Paul. Diacon. lib. 16. *Venit Constantinopolim, & ingressus est hippodromum.* Ammian. Marcelli. lib. 14. histor. *Ingressus* (Gallus Imperator) *Constantinopolim, tanquam de rebus prosperis, & securis, editis equestribus ludis, capiti Coracis aurigæ imposuit coronam, vt victoris.* Idem eiusdem hist. lib. 22. Num. 4. *Mamertino l. dos edente Circenses, manumittendis ex more inductis, per admissionum proximum* (malim legere, *admissionalium proximum*) *ipse lege agi dixerat.* est epigramma Crinagoræ poëtæ, *de columna Iustiniani regis in hippodromo.* Antholog. lib. 4. cap. 4. quod non de Romano hippodromo, sed tantum de circo Constantinopolitano intelligendum sciunt vel leuissime historię lectione tincti. Coripp. lib. 1. Num. 18.

—Tunc munere solis adempto,
Principibus delatus honos nominéque Latinis,
Et iucunda noua circensia munera Romæ.

Sed & Mediolanensem Circum celebratum reperio apud D. Ausonium in Vrbibus,

Amplificata loci species, populique voluptas,
—Circus, & inclusi moles cuneata theatri.

Nomen illi deriuatum nonnulli Grammaticorum à *Circe* venefica contendunt, quæ prima omnium in honorem Solis (vt iam proxime infra expediam) patris sui hoc ludicrum excogitauit, Isidor. Hispal. li. 18. Etymol. c. 28. alij à *circuitu*, quod rotundus esset. Cassiodor. li. 3. epist. 51. sunt & qui omnem ambitum seu gyrum velint circi nomine appellari. Non. Marcell. cap. 1. Num. 74. peritiores censent ideo circum vocitatum, *quod circum metas ferretur pompa*, hoc est deorum imagines, vt est apud P. Ouidium lib. 3. Amor. eleg. 2. & dicam infra.

Prima loco fertur sparsis Victoria pennis,
Huc ades, & meus hic fac deus vincat amor.
Plaudite Neptuno, &c.

Denique *quod circum spectaculis ædificaretur*, dictum M. Varro lib. 4. de ling. Lat. & alludit Cl. Claudianus de 6. Honorij consulatu. 42.

—Cum regia Circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus.

Et de hac ædium adiectione, siue circi maximi ornamento, capiendum censeo locum T. Liuij Decad. 4. lib. 9. *Ludis Romanis eo anno, quos P. Cethegus, A. Posthumius Albinus faciebant, malus in circo instabilis in signum Pollentiæ procedit, atque id deiecit:* in cuius loci explicatione caligat Henricus Glareanus, sed frustra, cum in circo positas deorum statuas, vt iam antea probatum, & principum præterea virorũ satis constet, T. Liu. 4. Decad. l. 9. laudato, *signa multa in circo maximo cum columnis, quib. superstabant, posita, tempestatis fœda vi deiecta.* de virorum nobilium statuis, quod circensibus præferrentur, nulli dubium esse potest cum C. Suetonius disertè habeat hæc verba in Tito cap. 2. *quorum omnium mox memor, statuam ei auream in palatio posuit, & alterum ex ebore equestrem, quæ circensi pompa, hodie quoque præfertur, dedicauit, prosequutúsque est.* C. Tac lib. 2. Annal. *Honores (vt quis amore in Germanicum aut ingenio validus) reperti, decretique sunt, vt nomen eius saliari carmine caneretur, sedes curules sacerdotum Augustalium locis, supérq; eas querceæ coronæ statuerentur, ludos circenses eburna effigies præiret.* Atque hæc quidem in circensibus prælatas deorum & magnatium effigies satis supérque ostendunt, sed tamen locum Liuij laudatum non exponunt, placet ergo sententia Marcelli Donati, qui & imagines prouinciarum vrb ûmque in circo stetisse coniectatur. Erit igitur *signum Pollentiæ*, ciuitatis Pollentiæ in Picenis statua, circensibus prælata, vrbis autem illius meminit Ptolomæus lib. 3. c. 1. & C. Plinius vasa testacea, & lanam Pollentinam celebrat lib. 8. ca. 48 & lib. 35. ca. 12. & priori loco, *lanam v lleris* ca i memorat, contra Sil. Italic. in Catalogo Italiæ lib. 8.

—Fuscisque ferax Pollentia villi.

Nobilitata etiam hæc vrbs clade seu Romanorum proditione Stilichonis vtriusque militiæ magistri sub Honorio Aug. accepta, seu Gothorum strage, victo profligatóque Alarico rege. Paul. Oros. lib. 7. histor. cap. 37. *taceo de Alarico rege cum Gothis suis sæpe victo, sæpe concluso, sempérque dimisso, taceo de infelicibus illis apud Pollentiam gestis, cum barbaro & pagano duci, hoc est Sauli, belli summa commissa est.* & certe proditionem Stilichonis

Vulgo creditam sic Claudianus sub nomine Alarici de 6.Hon.consul.taxat.

Heu quibus insidiis, qua me circumdedit arte
Fatalis semper Stilicho dum parere fingis,
Restulit hostiles animos bellumque remenso
Eualuit transferre Pado.
paucis interiectis.
Mars grauior sub pace latet, capiorque vicissim
—Fraudibus ipse meis.

Et apertius Cl.Rutil.Numatianus Gallus li. 2.Itinerarij sui.
—Geticis grassatus proditor armis.
Et paulò post.
Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum
Proditor arcani qui fuit imperij.

Sed crimen illud ab eo remouent Aurel. Prudent.lib.1 in Symmachum.
—Inhumata cadauera late,
Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.
Et impensius Claudianus, qui vnicus scopus imperii principisque conseruatorem ac prouidum tutorem describere, lib.de Bello Getico ad finem.
O celebranda mihi cunctis Pollentia seclis,
O meritum nomen fœlicibus apta triumphis
Virtutis fatale solum.
Idem in 6.Hon.consul.
—Nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausoniis.
Et eodem opere paulo ante.
Iam Pollentini tenuatus funere campi,
Direptis opibus, Latio discedere iussus
Hostis.
Et post Alaricus ipse iam victus,& fugiens.
—Nec me Pollentia tantum,
Nec captæ cruciastis opes.
Ad Circum regredior, qui Soli sacer habebatur.Corip.African.lib.1.Num.17.
Solis honore noui grati spectacula circi
—Antiqui sanxere patres.
Nihilominus ludi, non Soli, vt circus ipse, sed Cereri sacri erant. Cor. Tacit.libro decimo quinto Annal.*circensium ludorum die, qui Cereri celebratur,* & deinde eodem libro, *vtque Circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur.* Qui dies pridie Id. Apriles notatur in Calendario veteri Romano, his verbis LVDI CERERI, & biduo ante in eodem Calendario LVDI IN CIRCO quod libro 42.& libro 47.notauit Dio Cocceianus, & ex illo Angelus Politianus Miscellaneor. cap 85.
Sic poetæ, D.Iuuenal.Sat.14.v.269.
—Ergo omnia Floræ
Et Cereris tiethi& Cybeles aulæa relinquas.

P.Ouid.lib.4.Fastor.

Circus erat pompa celeber, numeroque deorum,
Primaque ventosis palma petetur aquis.
Hic Cereris ludi non est opus indice causa.

Circi forma oblongiorem referebat circulum, ita enim Coripus loco citato.

Ipse ingens circus, pleni ceu circulus anni
Clauditur in teretem longis anfractibus orbem,
Complectens geminas æquo discrimine metas,
Et spacium mediæ, qua se via tendit, arenæ.

Neque omnino dissimilis Amphitheatri forma erat, vt quę ouum appelletur à Tito Calphurnio Siculo Ecloga 7. vt annotauit Turnebus lib.5.cap.6.
Et medium geminis se molibus alligat ouum.

In hisce ludis siue Amphitheatralib.siue Circensibus certaturi dicebantur *commitii.* Stat. lib.6.Theb.174.

—Quisnam iste duos fidissima Phœbo
Nomina commisit deus in discrimina reges?

A.Gell.libro 5. capite 9. *nam cum in sacro certamine sortitio inter ipsos & aduersarios non bona fide fieret,& sortem nominis falsam subiici animaduertisset,* fiebatque hæc commissio, nominibus certantium in vnam iniectis, atque inde à prætore eductis. Donat.ad librum 5. Aeneid.*non idem labor in singulis locis in circo,& inde sors adhibetur, ut sit in ordinatione consensio, aut humanum iudicium gratia cuiuspiam transducatur.* Q.Symm.libro 10.Epist.22. *malo fremitum Martiæ vallis exponere, atque illam quadrigarum distributionem, in qua sibi cum fortunatior videtur, cui electionem mox vrna tribuebat, par vel potior erat, quem sors fecerat extremum.* qui locus nescio cur à Fr.Iureto tentetur, qui legit, *cui eu ctionem mox vrna tribuisset,* nam vrna electione primum, secundum, atque ita deinceps, locum tribuebat. Claudian.de 6.Hon. consul.
—Campus solemnis, & vrna Luditur in morem.

Sidon.Apollinar.Carm.23.v.315.
Et te iam vrna petit, cietque raucæ
Acclamatio sibilans coronæ.

Virgil.libro 5.Aeneid.
Tum loca sorte legunt.
In quibus suis excitamentis *commissionum* nomen vsurpabatur, translata à ludis significatione, C.Sue.Cali.cap.53.vt *Senecam tum maxime placentem, commissiones meras componere, & are-*

arenam esse sine calce diceret. Idem in Augusto cap. 89. *admonebátque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolesieri.* Et idem, in libello de Illust. Grammat. *Verrius Flaccus, libertinus, docendi genere maximè inclaruit, namque ad exercitanda discentium ingenia, æquales inter se committere solebat.* D. Iuuenal. Sat. 1. vers. 164.

Se tu us licèt Æneam Rutulumque ferocem
Committas.

Et Sat. 6. vers. 434.

Committit vates ac comparat.

M. Martial. lib. 7. epigr. 23.

Cum Iuuenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis perfida lingua loqui?

Sext. Aurel. Propert. lib. 2. eleg. 3.

Et sua cum antiquæ committit scripta Corinnæ.

Amphitheatrum Latinis *visorium*, quod commodissime populus ad ludicra conuocatus, inde spectare posset, Aurel. Cassiodor. li. 4. epist. vlt. & distinguit à Theatro Macer. IC. l. 3. ff. *de oper. public.* & diserte Cassiodorus loco laudato, & lib. 3. epist. 51. *amphitheatrum rotundum est, theatrum vero ex medio amphitheatro est, semicirculi figuram habens.* vt verba vsurpem Isidori Hispalensis libr. 18. cap. 52. eademque antea dixerat lib. 15. cap. 2.

Non vnum in vrbe erat amphitheatrum, sed multiplex, tanta populum spectaculorum libido cœperat, vt tria theatra tribus diuersis vrbis partibus erecta forent. L. Seneca libro primo de Clementia cap. 6. *cogitate in hac ciuitate, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens elidit ur, quoties aliquid obstitit, quod cursum eius velut torrentis rapidi moraretur, in qua tribus eodem tempore theatris viæ postulantur.* Locum afflictum sanare cupit I. Lipsius, legitque, *in qua tribus eodem tempore theatris mimi postulantur.* sed violenta nimis, & longius, quàm par esset, petita correctio, malim interpretari, *vias tribus theatris postulari*, vt sit liber ad spectacula eundi populo aditus, ne turba progredientibus obstet. nam in publicis lasciuientis vrbis delitiis liber ad theatra accessus habetur. Iul. Pollux libro nono Onomast. cap. 5.

προσαριθμητέον τοῖς δημοσίοις θέατρον. *adnumerandum est publicis theatrum.* sic capiendus locus P. Ouidii lib. 3. de Arte Amandi.

Quid facies custos, cum sint tot in vrbe theatra?
Cùm spectet iunctos illa lubenter equos.

Numerum verò theatrorum expressit libro eodem paulò ante

Visite thuricremas vaccæ Memphitidis aras,
Visite conspicuis terna theatra locis,

Idem lib. 3. Trist. eleg. 2.

Scæna viget, studiisque fauor distantibus ardet,
Cúmque tribus resonant terna theatra foris.

Fuere autem hæc tria theatra *Iulii Cæsaris Dictatoris.* C. Sueton. in eo. cap. 44 *Tauri Statilii,* idem in Calig. capite decimo octauo & nobilissimum illud opus Pompeij magni, sic enim C. Tacit. libro 14. Annal. *quippe erant, qui Cn. quoque Pompeium incusatum à senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. nam antea subitariis gradibus, & scena ad tempus structa, ludos edi solitos, vel si vetustiora repetantur, stantem populum spectauisse.* C. Plin. libro trigesimo sexto capite 15. *cauea ipsa cepit hominum octuaginta millia, cum Pompeii amphitheatri toties multiplicata vrbe, tantoque maiore populo, sufficiat largè ad quadraginta millia.* Plinius amphitheatrum à Pompeio structum contendit, Tacitus theatrum tantum, manifesta pugnantia. sed plures certioresque scriptores pro Tacito stant. Ammianus Marcellinus libro 16. C. Suet. in Neron. cap. 46. *à simulachris gentium ad Pompeii theatrum dedicatarum circuiri.* & in Tiberio capite 47. *Augusti templum, restitutionem quæ Pompeiani theatri imperfecta post tot annos reliquit.* & in Claudio capite 21. *ludos dedicationis Pompeiani theatri, quod ambustum restituerat, è tribunali posito in orchestram commisit.* & capite 11. in eod. Claudio. *Tiberio arcum marmoreum iuxta Pompeii theathrum.*

Q. Flor. Tertullian. lib. de spectacul. cap. 10. *Pompeius Magnus solo theatro suo minor. cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit.* disertè ille theatrum, non amphitheatrum facit, vt Tacitus ante illum, & concors Plutarchus iis in vita Cn. Pompeij, & Dio Cocceianus libro 39. & poëtæ penè omnes theatrum cum Tacito, Tertullianóque appellant, M. Lucanus lib. 7. Pharsalic. principio.

Nam Pompeiani visus sibi sede theatri
Innumeram effigiem Romanæ cernere plebis,
Attollique suum lætis ad sidera nomen
Vocibus, & plausu cuneos certare sonantes.

Et lib. 1. v. 132. de Pompeio.

——totus popularibus auris
Impelli, plausúque sui gaudere theatri.

M. Martial. lib. 6. epigr. 9.

In Pompeiano dormis Læuine theatro.

Et lib. 14. epigr. 29.

In Pompeiano tectus spectabo theatro.
Nam ventus populo vela negare solet.

Et eiusdem libri epigr. 186.

De Pompeiano sæpe est electa theatro,
Quæ duxit sylvas, detinuitque feras.

Cl. Claudian. lib. 2. de laudibus Stilichonis.

Pompeiana dabunt quantos proscenia plausus
Ad cælum.

Errant viri, licet docti, qui cum Porticu Pompeiana confuderunt theatrum istud, & loca celebrium scriptorum de spatiosa illa porticu, quæ ante curiam ipsius erat, ad theatrum transtulerunt, quod constat ex Sexto Rufo prope Circum Flaminium fuisse, hoc est in nona vrbis regione, P. Victor meminit. M. Pollio Vitruuius li. 5. Architect. cap. 9. in limine. *post scenam porticus sunt constituendæ, vti cum imbres repentini ludos interpellauerint, habeat populus, quo se recipiat ex theatro, coragiáque laxamentum habeant, ad chorum parandum, vti sunt porticus Pompeianæ.* C. Plin. lib. 35. cap. 9. *huius tabula est in porticu Pompeij, quæ ante curiam eius fuerat.* Sext. Propertius de porticu hac sumendus, non verò de theatro lib. 4. eleg. 9.

Tu neque Pompeia spatiabere cultus in vmbra,
Nec cum lasciuum sternet arena forum,
Colla caue inflectas ad summum obliqua theatrum.

P. Ouid. lib. 3. de Arte, illum, vt solet, imitatus est.

Tu modò Pompeia lentus spatiare sub vmbra.

Et lib. 3. de Arte.

At licet, & prodest Pompeias ire per vmbras.

Martial. lib. 2. epigr. 14.

Inde petit centum pendentia tecta columnis,
Illinc Pompeij dona, nemúsque duplex.

Lib. 5. epigr. 10.

Sic veterem ingrati Pompeij quærimus vmbram.

Libr. 11. Epigr. 1. de Porticibus celebrioribus vrbis.

Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, nec Agenoris puella,
Vel primæ dominus leuis carinæ.

Et eodem libr. epigr. 48.

Cur nec Pompeia lentus spatiatur in vmbra.

Vmbram Pompeianam Pompeii porticum vocant laudati poëtæ, quia in confinio & vicinia porticuum arbores erant, siue nemora voluptati publicæ dedicata. Qu. Horat. libro secundo od. 15. Martial. Amphitheatro epigram. 2.

—diffusas vbi porticus explicat vmbras.

Vel, si de theatro intelligi hæc velimus, verum erit de velis, quibus inualescente luxu spectacula & theatra integebantur. C. Plin. lib. 19. c. 1. ad finem. *postea in theatris tantum vmbram fecere (vela) quod primus omnium inuenit Q. Catulus cum Capitolium dedicaret, carbasina deinde vela primus in theatrum duxisse traditur Lentulus Spinter Apollinaribus ludis.* Sext. Propert. lib. 4. epigr. 1.

Nec sinuosa cauo pendebant vela theatro,

Ex illo P. Ouid. lib. 1. de Arte.

Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro.

Vsus & vtilitas horum velorum ad arcendas intemperantioris aeris iniurias, vt populus salubrius consisteret, neque à pluuia, neque à Sole infestatus, locus idoneus Suetonij in Calig. cap. 26 *gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo sole velis, emitti quemquam vetabat.* D. Martial. libro nono epigramm. 39.

Et rapiant madidi vela negata Noti.

Et lib. 11. epigr. 22.

Et Pompeiano vela negata Noto.

Sed cultissimè lib. 12. epigr. 29.

Quamuis non modico caleant spectacula sole,
Vela reducuntur cum venit Hermogenes.

Vetus Scholiastes Iuuenalis ad ver. 122. Sat. 4.

—pueros inde ad velaria raptos.

Lucret. Carus de Rerum Natura lib. 4. colorem expressit.

Et vulgo faciunt id lutea russáque vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta theatris
Per malos vulgata, trabeisque trementia flutant.
Námque ibi consessum caueai subter, & omnem
Scenai speciem patrum, matrúmque, deorúmque
Inficiunt, cogúntque suo fluitare colore.
Et quanto circum mage sunt inclusa theatri
Mænia, tum magis hæc intus perfusa lepore
Omnia conridens.

Tertius versus mira diuersitate concipitur in MSS. nam in quibusdam, *trementia circum* legitur, in aliis, *trementia fluctus*, nullo sensu denique aliis placuit legere, *trementia pendens.* sed rectius, ex coniectura Turnebi, & Lambini *trementia flutant*, pro *fluitant.*

CAPVT V.

Quinam ludi fuerint ludi Circenses.

DIXIMVS.

Dixi mus per quos, & vbi ludi exhiberentur, iam ad ipsos ludos reuertemur, atque cùm in duo genera eos distribuerimus, in Circenses & Scenicos, de Circensibus priore loco dicemus.

Vnde cognomen hi ludi habeant, capite secundo docuimus. Quidam eosdem etiam Gymnicos appellant, à Gymnicis ludis, siue exercitationibus, quæ in iis exhibebantur. Hos quidam appellatos dicunt à nuditate, quod ludentes corpora nudarent, aut saltem vestes exuerent, quo expeditiores & agiliores ad certamina ludicra essent. Alij ab exercitatione corporis. Namque exercitio & habitu corporis constabant: quemadmodum etiam Galenus Gymnasticam definit artem, siue scientiam potentiæ omnium exercitationum. De primariis horum formis, quæ in Circensibus exhibebantur, meminit Virgil. lib. 5. Æneid. Homerus penult. Iliad. Prima erat pugna cum pugnis, cæstibus, gladiis, fustibus, hastis, pilis, similibúsque armis certabatur. Huc spectat & gladiatura, cum gladiatores variis modis dimicabant, interim pro gloria, interim pro vita, idque spectante populo, vt iuuentus cædium, sanguinis, & vulnerum aspectu, assuesceret in bello minùs ista timeret. Huc quoque refertur pugna & certamen cum bestiis: qualia multa describit Martialis. Vtrumque horum, omnino infame fuit ingenuis, & ferè per seruos agebatur. Item lucta, quum alter alterum in terram prosternere, tum vi, tum agilitate corporis nitebatur. Altera species est cursus, quum peragebant currendo certa stadia in campo, perueniebántque ad metam destinatam. Tertia erat saltatio in æquo campo, aut inferne ad locum superiorem, & contra, aut cùm in equos currúsve insiliebant, non tantùm nudi, sed etiam armati, & cataphracti. Quarta iaculatio discorum, sagittarum, pilarum, telorum, omniúmque armorum, cuiuscunque generis, quæ longè proiiciuntur: & hi ludi erant ferè pedestrium. Quinta species est decursio equestris, qua exhibebatur species pugnæ equestris, qualem describit Virgil. in 5. Æneid. Sexta est aurigatio, id est, certamen bigarum, aut quadrigarum, cuius formam & schema videas apud Philandrum in annotationibus suis in Vitruuiũ. Septima est Naumachia, id est, nauale certamen, quum in mari, fluuio, stagno, lacu, forma naualis pugnæ repræsentabatur. De plerisque his speciebus multa eruditè collegit Hieronym. Mercurialis medicus Patauinus in 2. & 3. li. artis Gymnasticæ, ex quo ij qui pleniorem huius rei explicationem desiderant petere ea possunt. Nos hoc loco tantùm de cæstibus, discis, & aurigationum factionibus quædam adiiciemus, de pompa ludorum pòst dicturi. Cæstus, vti Aldus Manutius describit lib. 2 de quæsitis per epistolam, epist 8. erant lora ex multiplici crudo tergo è bouis agrestis, quemadmodum ait Homerus, manibus & lacertis inducta, ferreis plumbeisve clauis aut squamis clauatis conuoluta ad similitudinem arietini cornu, cuiusmodi adhuc in antiquis nummis cernuntur, & nuper beneficio Pyrrhi Ligorij antiquitatis peritissimi aliquot cæstuum iconas in publicum dedit Hieronym. Mercurialis, apud quem eas videbis lib. 2. Artis gymnasticæ, cap 9. Multa de cæstibus habet Ald. Manutius eo, quem indicaui loco. Discus fuit lamina quædam trium vel quatuor digitorum crassitudine, longior paulò plus pede, aliàs lapidea, alias ferrea, quin etiam ænea nonnũquam, ne, dum ex alto rueret, frangeretur, plana quasi lentis speciem referens, quam in aërem proiiciebant, manu ad pectus adducta, atque extrorsum & deorsum reducta, rotationis instar in aërem eiaculabatur: de quo, & eius forma vide etiam, si libet, Hieronym. Mercurialem lib. 2. Artis gymnasticæ, cap. 12. Factiones aurigantium, qui ludis Circensibus palmam quærebant, fuerunt quatuor, quæ à coloribus viridis, cærulei, coccini, albíque panni, quo donabantur, nomina acceperunt, Prasinæ, Venetæ, Rufatæ, Albatæ, de quibus ita Tertullianus: Ab initio duo soli fuerunt colores, albus & rufeus. Albus hyemi ob niues candidas: rufeus æstati, ob solis ruborem voti erant. Sed posteà tam voluptate quàm superstitione prouecta, rufeum alij Marti, alij album Zephyris consecrauerunt: Prasinum verò terræ Matri vel autumno. Hactenus Tertull. Domitianus duas, aurati, purpureique panni, ad quatuor pristinas addidit, teste Suetonio. Harum factionum ad reprehensionem vsque studiosi fuerunt Principes nonnulli, Caligula Prasinæ, Vitellius Venetæ: tum agitatores ipsos habuerunt in pretio, vt Caligula Incitatum, Nero Prasinum, Domitianus Passerinum, & Tigrim: Nerua Scorpium: quorum victorias prædicatione extollit Martialis. Meminit Boculi cuiusdam Asconius: meminerunt M. Aurelij Dioclis, & C. Apuleij Dioclis & C. Pompeij Fusceni & Fusci vetera epigrammata. Martialis tres factiones coniungit:

Si Veneto, Prasinóve faues, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga veste, vide.

De Prasiena separatim Iuuenalis Satyra 11.

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, euentum viridis quo colligo panni.

Iustiniani temporibus ex Prasinæ & Venetæ factionum conceptione est tanta Byzantij

feditio exorta, vt quadraginta ferè hominum millia fint trucidata: quod ex Zonara monacho tranfcripfit Cufpinianus. Poft illam cladem factionum nomina funt abolita. Magiftratus is qui ludis præerat, videlicet Prætor, aut Dictator, ob hoc ipfum creatus, mappa aurigis fignum curfus dabat. Exhibebantur autem olim (vti Varro dicit in libr. 2 de rebus populi Romani) xxv. miffi, fed vigefimus quintus dicebatur ærarius, eò quòd de collatione populi exhibebatur, quæ defiit effe, poftquàm conferendæ pecuniæ eft confuetudo fublata. Seruius in 3. Georgic. Domitianus Centum miffus: fed quins tantùm fpatiis exhibuit. Suet. in eius vita.

Ad Cap. V.

PARALIPOMENA.

Circenfes, Circus valli vicinus, Pompa ludicra, ftudia, factiones, quadrigæ, colorum diuerfitas, equi, Clamor, principes falutati, victores præconio honorati.

CIrcenfium venationem diligentiffime pertractarunt Iulius Bulengerus in libro ea de re edito, & Theodorus Marcilius in Commentario ad Amphitheatrum Martialis, qui adeantur. & eruditiffimus, neque iis inferior Ioan. Sauaro ad Sidonij fui carmen 23. ego tamen nonnulla obiter delibabo, vel leniter aliis dicta, vel omiffa.

Ac primum Circus Maximus valli propinquus, vnde maior ab obiecta valle fonus reddebatur, Echo voces acceptas referente, C. Plin. lib 2. cap 44. & lib. 36. cap. 15. Horat lib. 1. od. 12. & od. 20. C. Claudian. de 6. Honorij confful.

Confenfuque caua fublatus in æthera vallis
Plebis adoratæ reboat fragor, vnaque totis
Intonat Auguftum fep tis arcibus Echo.

Cæfar Bulengerus in Theatro fuo lib. 1. c. 51. putauit hunc locum aliter legendum, interpungendúmque, hoc fcilicet pacto.

Confenfu caueæ fublatus in æthera clamor,
Plebis adoratæ reboat fragor.

Sed corrupta & vitiofa, indubie, hæc lectio, omnibus manufcriptis, excufifque codicibus contraria, quippe natura vallis optime per *vi caua* exprimitur M. Lucan. lib. 4.

—Caua regni vires in valle retentat.

Deinde & mens poetæ alia, qui circenfes defcribit, in circo autem illo æuo nullæ caueæ, fed tantum in amphitheatro, vt eft apud Aurelium Caffiodorum lib. 4. epift. fimilis apud eundum Claudianum eft locus lib. 2. de laudibus Stilichonis.

—quoties vallis tibi Martia ducet
Nomen Auentino, Pallantæoque receffu.

Denique vallem fuiffe Circo huic proximã, de Circenfibus Q. Symmach. lib. 10. epift. 22. *melo fremitum maritæ vallis exponere.* docet P. Ouid. lib. 2. Faftor.

Quæque iacent valles Maxime Circe tuæ.

Pompa vocabatur totus ille apparatus, ludicro certamine præmiffus, & vt Pompam triũphalem, & nuptialem dicebant, ita & Circenfem. Symmach. loco laudato. *cum expectari munera principum foleant, nuntia accita venerunt, prætereo illum diem, quo elephantos regios per conferta agmina equorum nobilium pompa præceffit.* Q. Flor. Tertullian. libro de fpectacul. capite feptimo *videris ambitio, fiue frugalitas eius, quo deum offendit qualifcunque Pompa Circi; & fi pauca fimulachra circumferat, in vno idololatria eft.* In pompa deorum imagines, & nobiles matronæ, carpentis fuis vectæ, & clarorum virorum circumferebantur ftatuæ, vt dixi fuperiori capite, de imaginibus deorum productis in pompam circenfium, Sueton. in Augufto capite fexto, *exclamauit, etiam inuito Neptuno victoriam fe adepturum, ac die Circenfium proximo, folemni pompæ fimulachrum dei detraxit,* de nobilibus matronis idem Sueton. in Claudio capite vndecimo, *auiæ Liuiæ diuinos honores & Circenfi pompa currum elephantorum, Auguftæo fimilem decernendum curauit. parentibus inferias publicas, & hoc amplius, patri circenfes annuos natali die, matri carpentum, quo per circum duceretur, & cognomen Auguftæ ab auia recufatum.* de optimatium ftatuis idem in Tito cap. 2. *ftatuam equeftrem ex ebore, quæ circenfi pompa hodie quoque præfertur, dedicauit.* Ouid. lib. 3. Amor. eleg. 2.

Sed iam pompa venit, linguifque animifque fauete,
Tempus adeft plaufus, aurea pompa venit.

Et lib. 1. de Arte amandi.

At cum pompa frequens certaminibus ibit ephebis,
Tu Veneri dominæ plaude fauente manu.

Pompa procedente, fauor, ftudia, & fponfiones vniufcuiufque oftendebantur, quorum quidam huic, alteri alij fauebant factioni, erant autem quatuor factiones, coloribus diftinctæ, vt iam infra expediam. vet. fcholiaft. Iuuenal. Satyr. 11. verf. 199. *iuuenibus fpectacula concede, qui propter certamina fponfiones ponunt, & delictas tes iuxta puellas fpectare.*

spectare, quia antiquitus solebant mulieres, cum viris omnibus interesse spectaculis indifferenter. Tertul. lib. de Spectacul. cap. 16 *aspice populum ad id spectaculum iam cum furore venientem, iam tumultuosum, iam caecum, iam sponsionibus concitatum.* sponsiones autem istæ deposita pecunia de victoria alicuius aurigæ, fiebant. Adrian. Turneb. libro octauo capite quarto & lib. 18. cap. 33. Aduersarior. P. Ouid. libro 1. de Arte.

—tangisque manu, poscisque libellum
Et quaeris posito pignore, vincat vter.

Martial. lib. 11 epig. 1.

Sed cum sponsio, fabulaeque lassae,
De Scorpo fuerint, vel incitato.

Macrob. lib. 3. cap. 17. *Nec moratus sponsione contendit.* sed & annulis depositis certabant. Vlp. lib. 17. ff. de præscript. verb. *si in honesta sponsionis causa erit, annuli duntaxat repetitio erit.*

Partes dicebantur factiones, Coripp. libr. 1. Num. 8.

Partes vtraeque reclamant.

Et lib. 1. num. 17.

Studia in contraria partes,

Lib. 4. Num. 1.

Tum partes munire suas.

S. don. Apollinar. Carm. 23.

Pars aduersa micat.

Vitellius *factioni Venetae ita erat addictus, vt ei semper faueret.* Suet. in eo cap. 14. Caligula Aug. *ita addictus erat prasinae factioni, & deditus, vt cenaret in stabulo assiduè, & maneret,* vt ait idem Sueton. in eo cap. 55. eadem narrat Dio. *Nero princeps equorum studio vel praecipuè ab ineunte aetate flagrauit, plurimusque illi sermo, quanquam vetaretur, de Circensibus erat, & quondam tractum Prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, obiurgante magistro, de Hectore se loqui mentitus est.* Suet. cap. 22. *Caracalla, cùm populus aurigam, cui ipse fauebat, cauillatus esset, exercitum immisit, & poenas exegit.* Herodia. lib. 4. Verus Cæsar *amauit aurigas, Prasino fauens.* Iul. Capitol. in eo. Luctatius Placid. Grammaticus ad vers. 423. lib. 1 Thebaid Statianæ, *fauor populi dissidentis instigat ephebos & expressit fauentium studia.* C. Plin. Iunior. lib 9. Epist. 6. *fauent panno, pannum amant & si in ipso cursu, mediòque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, studium fauorque transibit.* sic accipiendi sunt poëtæ. Sil. Italic. lib. 16. Punicor.

Hic studio furit acris equi, furit ille magistri.

Virgil. lib. 5. Æneid.

—studiisque fauentum
Consonat omne nemus.

Anucheti aurigæ monumentum ex vetusto quondam marmore.

FAVISTI. VIVO. FORSITAN. IPSE MIHI.

Et aliud sepulchrum, in veteri inscriptione, Fusci itidem aurigæ.

FACTIONIS. VENETÆ. FVSCO. SACRAVIMVS. ARAM.
DE. NOSTRO. CERTE. STVDIOSI. AC. BENE. AMANTES.

Corippus Africanus lib. 1. Num. 17. de laudib. Iustini Augusti.

Et fecere duas studia in contraria partes.

Malè antea legebatur.

—duas stadia in contraria partes.

Idem lib. 2. Num. 8.

—studiorum gaudia surgunt.

Eiusdem libri Num. 9.

—studiorum iurgia essent.

Ouid. lib. 3 Amor. eleg. 2.

Fauimus ignauo.

Et lib. 1. de Arte.

Nec mora, quisquis eris, cui fauit illa, faue.

Ad *factiones* pergo, quæ desumebantur à colorum diuersitate, quæque in initio tantùm quatuor erant, postea tamen & *pannus purpureus* à Domitiano additus. Sueto. in eo cap. 7. de quibus nihil amplius addam, præter inscriptionum quarundam fragmenta, non parum necessaria. primum est,

M. AVRELIO. LIBERO. PATRI. ET. MAGISTRO. ET. SOCIO DOMINO. ET. AGITATORI. FACTIONIS. PRASINÆ. AVRELIVS. CÆCILIVS. PLANETA. PROTOGENES. OB. III. PALMAR. HOC. DONVM. VOVIT.
D. D.

Alterum extat apud Onuphrium, in hæc verba.

C. APVLEIVS. DIOCLES. AGITATOR. FACTIONIS.
RVSSATÆ. NATIONE. HISPANVS. LVSITANVS.
ANNORVM. XXXVII. MENS. VII. D. XXIV.
PRIMVM.
AGITAVIT. IN. FACTIONE. ALBA ACILIO. AVIOLA. ET. CORNELIO. PANSA.
COSS. PRIMVM.
VICIT. IN. FACTIONE. EADEM. M. ACILIO.
GLABRIONE. C. BELLICIO. TORQVATO.
COS. PRIMVM AGITAVIT. IN. FACTIONE.
PRASINA. TORQVATO. ASPRENATE. II.
ET. ANNIO. LIBONE. COSS.

Tertium sic habet;

C. Appvleio. Diocli. Agitatori.
Primo.
Factionis. Rvssatæ. Natione. Hispano.
Fortvnæ. Primogeniæ.
D.D.

Quartum in hęc verba extat.

Cl. Avrelio. Polyphemo. Domino
Et. Agitatori. Factionis. Rvssatæ
Togeni. Caesareo. Svi. Temporis.
Primo. et. Solo. Factionario. Ob.
Gloriam.

Liquet ergo ex superioribus hisce marmorum antiquorum inscriptionibus, numerum victoriarum, quas retulissent, consuetas inscribi tumulorum cippis, aut statuarum elogiis, vna cum factionis mentione, in qua circissari contigisset, deinde & factionem aurigas mutare potuisse, tertio, & genus, gentémque exprimi, vnde quis natus esset, quarto, & dignitatem quandam inter agitatores fuisse: adde & factionis medicum in inscriptione reperiri.

Diis Manibvs. M. Antonio. M. F. Aniensi.
Matrinio. Evoc. Avg. Vixit. Anno
xxxiix.
Medicvs. Factionis. Rvssatæ. Fratri.
Sanctissimo. Fec.

Erant insuper in factionibus singulis, quos procuratores appellabant, patet ex veteri lapide.

Q. Rapidio. Q. F. Lemsepvllio. Procvratori.
Dromi. Factionis. Venetæ. Q. Rapidivs.
Xenodotvs. et. Rapida. Ivventina.
Par. Fecere.

Et de medico factionis altera hæc in marmore vetusto hæc mentio est.

M. Vipsanio Fvlloni. Tentori. Aarigatori. M. Vipsanio. Mignioni.
Viatori. M. Vipsanio. Qvartin. Svccondatori. M. Vipsanivs. Medicvs
Fact. Venetæ.
Dl. l. IIII. D. D.

De coloribus M. Aurel. Cassiodor. libro 3. Varia. Epist. 51. *colores autem in vicem temporum quadrifaria diuisione fundantur, prasinus virenti verno, venetus nubilæ hyemi, roseus æstati flammeæ, albus pruinoso autumno dicatus est, vt quasi per duodecim signa digrediens, annus integer signaretur, sic factum, vt Naturæ ministeria* (legere malim, mysteria) *spectaculorum composita imaginatione luderentur.* Tertullian. libr. de Spectacul. capite nono, *talibus authoribus quadriga productæ, merito, & aurigis, coloribus idololatriam vestierunt, & ab initio duo soli fuerunt, albus, & russeus, albus hyemi, ob niues candidas, russeus æstati, ob solis ruborem voti erant: sed postea tam voluptate, quam superstitione prouecta, russeum alij Marti, alij album Zephyris consecrauerunt, Prasinum vero terræ matri, vel verno, Venetum cælo & mari, vel autumno.* Isidor. Hispalens. libro decimo septimo Etymologiar. capite 41. *gentiles colores equorum iunxerunt, roseos soli, id est igni, albos aeri, prasinos terræ, venetos mari assimilantes. item roseos æstati currere voluerunt, quod ignei coloris sit, & cuncta tunc flauescant, albos hyemi, quod sit glacialis & frigoribus vniuersa canescant, veri prasinos, viridi colore, quia tunc pampinus densatur. item roseos Marti, à quo Romani exoriuntur, & quia vexilla Romanorum cocco decorantur, siue quod Mars gaudeat sangue, albos Zepyris, & serenis tempestatibus, prasinos flori & terræ, Venetos aquæ vel aëri, quia cæruleo sunt colore, id est, croceos igni & soli, purpureos Iridi sacrauerunt, quem arcum dicimus.* describunt & poëtæ. Corip. libro 1. num. 17.

Aurigas totidem, totidem posuêre colores,
Vt sunt æstiui brumalia frigora flammis,
Nam viridis vernis campus sit concolor herbis,
Pinguis oliuæ comis, luxu nemus omne virescit,
Æstatis roseus rubra sic veste refulget,
Vt nonnulla rubent ardenti poma colore,
Autumni venetus ferrugine diues & ostro,
Maturas vuas, maturas signat oliuas
Aequiparans candore niues, hyemísque pruinas
Albicolor socia viridi coniungitur vna.

Christodorus Thebanus Copita vetus epigrammatographus in Anthologia.

χρώμασι ϗ πέπλοις συμμετίβαλλε τύχας.
Coloribus & pannis commutauit fortunam.

Martialis lib. 10. epigr. 48.

De prasino conuiua meus, venetoque loquatur.
Nec faciunt quemquam pocula nostra reum.

Et lib.

Et lib.11.Epigr.34.& lib.14.epigr.321.

Si veneto prasino ve fau si qui coccina fumis
Ne fias ista transfuga sorte vide.

Ouid.lib.3.Amor eleg.2.

Et e patent iterum reserato carcere postes,
Et volat admissis discolor agmen equis.

Sidon.Apollinar.Carm.23.v.321.

—micant colores,
Albus,vel venetus,virens,rubensque,
Vestra insignia continens ministri.

Meminit D. Chrysostomus in libello de Circo.& Procopius lib. 1. de bello Persico, vetus scholiast.Iuuenal.ad Sat.11.v. 196 *viridis panni,id est prasini.* C. Iul. Solin. Polyhistor. cap. 47.*quidam equi cantibus tibiarum, quidam saltationibus, quidam facibus accensis, quidam colorum varietate ad cursum prouocantur.*

Quadrigis certabatur, quia vt Lunæ biga, ita soli quadriga consecrabatur. Fulgent. li.1. Mytholog. cap.11. Flor. Tertul.laudato sæpe libro de spectacul cap. 9. itaque iure merito in circo, qui soli erat sacer, quadrigis inibant certamen. Seru. Honorat. ad illud. lib. 3. Georg.

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

Sext.Aurel.Propert.lib.3.eleg.8.

Sunt quibus Elææ concurrit palma quadrigæ.

Metellus Tegersensis in Quirinalib.

Circulatores pugiles,palestræ,
Curruum certamen,agon,palæstræ.

Vetus epigrammatarius incerti nominis lib. 3.epigr.& poëmat.veter.

Hoc rudis aurigæ requiescunt membra sepulchro,
Nec tamen ignari flectere lora manu.
Iam qui quadriiuges auderem scandere currus,
Et tamen à biiugis non remouerer equis.

Locus insigniter corruptus est in Circensium apud Claudianum de 6. Hon. consul.descriptione.

Ne solis hic cursus equis, assueta quadrigis
Cinguntur raua tigres, subiecque aspectibus arenæ
Diffundunt Libyces aliena valle cruores.

Corrige cum Iosepho Scaligero in M. Manilium.

Nec solis hic cursus equis,assueta quadrigas
Cingit raua tigris.

Tigrides quadrigis iunctas discimus ex Ælio Lampridio in Heliogabalo, & rauam à colore, optimo sensu dictam quis inficiari possit? similiter Qu. Horat.lib.3.od.27.& diximus fusius ad illum locum Claudiani, quæ hic non repeto.

Raua decurrens lupa.

Sed de primo quadrigarum authore, non leuis est controuersia ob scriptorum dissensum. sunt qui eam gloriam Erichthonio dēt, qui quartus Atheniensium rex fuit,nam Cecropi successit Cranaus, Amphyction Cranaum vi regno deiecit, & habuit successorem Erichthonium, quem Vulcano & Mineruа genitum fingunt, vel verius in terram effuso à Vulcano semine. Euripid. Ioue. Iulianus princeps in Anthologia.

Μήτηρ ἄτερ τέκνων, νυμφίου ἄτερ γάμων.
Mater sine liberis, sponsæ sine nuptiis.

Educatus clam à Mineruа in cista, pedes habuit serpentinos, Iul. Hygin. in poëtic. Astronom. in *Auriga* deinde *ad pedum deformitatem velandam primus quadrigam iunxit* vt loquitur C. Plinius lib. 7. Nat. hist. capit. 56. & ex eo Isidor. libro 18. cap 34. vt non malè possit lacuna suppleri Corippi libro 1. Num. 18.

Cecropidem referam primas iunxisse quadrigas,
Et currus armasse nouos. —

Aut si ad educationem respiciamus,non male sic legi poterit.

Anguipedem referam primas iunxisse quadrigas,
Et currus armasse nouos.

Tertul. libro & capite citatis, *Trochilum apud Argiuos in honorem Iunonis, Romulum in honorem Martis seu Quirini, quadrigam excogitasse* contendit. sic enim recte legitur, ex Theonis sophistæ verbis, quæ Iacobus Pamelius adducit, vt recte Paulus Leopardus li.1.Emendation. ca.15. non vt antea deprauatissime. *Arogilus*, ut quod Gaguæo & Gelenio placuit, *Acropilus*, nam Trochilum vsum quadrigarum adinuenisse scribit Eusebius in Chronicis. Freculphus Episcopus Lexouiensis concors Tom.1 Chronicor.libro 2. cap. 6. *Trochilus dicitur primus iunxisse quadrigam.*

Ado Viennensis Chronici sui ætate 3. pag. 24 *hac ætate* (sub principium regni Atheniensium) primus *Procidas quadrigam iunxit.* nisi forte mendum est.

Fr. Laziardus historiæ vniuersalis Epitoma cap. 21. *Triptolemus agricu turam hoc etiam tempore ampliasse,& quadrigas iunxisse dicitur.*

Sunt & qui ad Erichthonium non inuentionem quadrigæ simpliciter trahant, sed tantum apud Græcos. Freculph. lib. citato cap.9 *Atheniensibus Erichthonius imperabat, qui primus quadrigam iunxit in Græcia.* P.Virgilius fauet ei sententiæ lib.3. Georgic.

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Iungere equos rapidis, que rotis insistere victor.

Denique qui ad Oenomaum retulerint, sunt scriptores non spernendi. Inter quos Ioan. Sauaro Lacunam Corrippi loco laudato sic supplet.

Oenomaum referam primas iunxisse quadrigas,
Et currus armasse nouos.

Confirmat è triplici loco Sidonii sui Carm. 2.

—reparatis Pisa quadrigis
Suscitat Oenomaum, natæ quem fraude cadentem
Cerea destituit resolutis axibus obex.

Et Carm, 23. vers. 391.

Quantum auriga suos solebat ille
Reptans Oenomaum tremente Pisa.

Luctacius Placidius consulatur ad vers. 275. lib. 1. Thebaidos Statianæ,

—illic Mauortius axis
Oenomai.

Et ad vers. 243 lib. 4. Thebaid.

——& fractis durat ab vsque
Axibus Oenomai.

Et ad v. 285. lib. 6. Thebaid.

Parte alia victor curru, Neptunia tendit
Lora Pelops.

Lib. 7. Thebaid. v. 416.

—sæuo decurrere campo
Oenomaum sua Pisa refert.

Idem Stat. lib. 1. silu. 2.

Hanc propter tutum Pisæa lege trementem
Currere, & Oenomai fremitus audire sequentis.

Claudian. libello elegantissimo de laudibus Serenæ.

—nam prouidus obice regis
Prodidit Oenomai deceptus Myrtilus axem.

Narrat fabulam, vt alios omittā, scholiastes Pindari ad oden. 1. Olympicor. πέδησεν ἔγχος Οἰνομάου χάλκεον. impedi hastam Oenomai æream, & perstrinxit ode 19. eiusdem operis. Sed tamen, vt ingenuè fatear, non legi vllum authorem, qui Oenomaum quadrigas primum excogitasse scriberet, celebrem fuisse aurigandi peritia omnes loquuntur.

Et quoniam Circenses Romani quædam veluti effigies ludorum Græcorum, & præsertim olympicorum, erant ideò vt in his, ita in istis equorum celebritas probata. C. Plin. Iunior. libro nono epist. 6. *quo magis miror tot millia virorum, tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre; si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla.* petiti aut illi e Sicilia, aut Cappadocia, Iul. Capitol. in Gordianis. *equos Siculos centum, Cappadoces centum permittentibus Imperatoribus factionibus diuisit.* de Siculis seu Agrigentinis Plin. lib. 8. cap. 42. & alij. sed expressius Seruius Maurus ad illud libro 3. Æneid.

Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Culmina, magnanimum quondam generator equorum.

De Cappadocibus C. Iul. Solin. Polyhist. cap. 47. *terra illa* (Cappadocia) *ante alias altrix equorum & prouentui equino accommodatissima est.* isti equi ex Agrigentinis, cùm in Cappadocia omnes interiissent reparati sunt, ex oraculi Delphici præscripto, vt refert Baptista Pius Annotationibus posteriorib. cap. 39. & videtur alludere L. Apuleius lib. 8. Milesior. licet de asino, non de equo diuidendo loquatur. *Is, nimio præstinandi studio, præconem rogat, cuiatis essem? at ille Cappadocem me, & satis forticulum denunciat.* quem locum aptius Petrus Coluius, de equo, quam Philippus Beroaldus de seruo interpretatur, & legit aliter I. Lipsius, *at ille Cappadocem me satu,* id est gente, *& forticulum denunciat.* & præsertim nobiles velocitate equi, qui in pascuis ad Argæum fluuium enutriti. Claudian. libro 2. in Ruffinum, statim in limine.

—iam pascua fumant
Cappadocum, volucrúmque parens Argæus equorum.

Idem de Laudib. Serenæ vxoris Stilichonis.

—delectus equorum
Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina pastos,
Semine Cappadocum sacris præsepibus arcent.

Idem in Epigrammate de phaleris equi regij.

Siue illum Armeniis aluerunt gramina campis,
Turbidus Argæa seu niue lauit Halys.

Et de Circensibus equorum cursibus, passim poëtæ. M. Lucan. lib. 1. Pharsal. v. 296.

—quantum clamore iuuatur
Elæus sonipes, quamuis iam carcere clauso
Immineat foribus, pedibusque repagula laxet.

P. Ouid. lib. 2. Trist.

Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Sil. Italic. de Olympicis Græcorum curulib. lib. 15. Punicor.

Sic vbi prosiluit Pisæo carcere præceps
Ante suos it victor equus.

Et de Circensi Romano ludicro lib. 16. Punicor. idem scriptor.

—rursus proponit equorum,

Ela-

Fluctuat æquorco fremitu, rabiéque fauentum
Carceribus nondum reseratis mobile vulgus,
Atque fores oculis, & limina seruat equorum.
Iamque vbi prolato sonuere repagula signo,
Et toto prima emicuit vix vngula cornu,
Tollitur in cælum furiali turbine clamor,
Proniqne ac similes hortantibus ore sequuntur
Quisque suos, magnáque volantibus iidem
Voce loquuntur equis.

In quibus eligendis notandum est genus suetum obseruari. Martial. lib. 3. epigr. 63. Lipsio eo trahente.

Hirpini veteres qui bene nouit auos.
Stat. lib. 2. silu.
Romulei qualis per iugera circi
Cum pulcher visu, titulis generosus auitis,
Expectatur equus, cuius de stemmate longo
Fœlix emeritos habet admissura parentes.

Vetus lapis.
AQVILO. N. AQVILONIS. HIRPIN.
VICIT. CXXX. SECVND.
Vide Lipsium Cent. 3. Epist. 26.
P. Ouidius lib. 3. Amor. eleg. 2.
Maxima iam vacuo præco spectacula circo
Quadriiuges æquo carcere misit equos.
Cui faueas video, vinces cuicunque fauebis,
Quod cupias ipsi scire videntur equi.

Primus versus aliter in nonnullis editionibus concipitur, & forte non male.
Maxima iam vacuo prætor spectacula circo.
Nam prætor præerat circensibus, in eisque committebat cursuros, vt hoc opere supra li. 3. Reg. 13. dixi. & firmat D. Iuuenalis Sat. 10. v. 35. Vetus schol. eiusdem ad v. 193. Satyr. 11. *quoniam circensibus illis, quos prætores edunt, vnus est missus, qui ordinarius dicitur, ideo præda caballorum, quia hordeum pro illo die aurigæ tollunt equorum, aut ideo præda dixit, quoniam multi equi frangebantur iisdem circensibus.* Ipse Satyricus.
Præda caballorum prætor sedet.
Ita legit vetus scholiastes, licet in aliis pene omnibus editionibus legatur.
Prædo caballorum prætor sedet.
Ad tentatum Ouidij locum redeo, quem si priori lectione firmandum censeamus intelligenda est tuba, cuius sono committebantur circenses, vt notissimum est, & alij præoccuparunt. P. Virgil. lib. 5 Aeneid.
Inde vbi clara dedit sonitum tuba finibus omnes
Haud mora prosiliere suis.
Sil. Italic. loco proxime supra laudato.
— *vbi prolato sonuere repagula signo.*
Simili phrasi Coripp. lib. 2. Num. 8.

Inde dato populi fecere silentia signo.
Papin. Stat. lib. 6. Thebaid.
Iam placidæ dant signa tubæ.
Et eodem lib. v. 406. & Luctatius Placidius ad eundem locum.
Insonuit contra Tyrrhenum murmur, & omnes
Exiliere loco.

Sidon. Apollinar. Carm. 23. vers. 339.
Tandem murmure buccinæ strepentis,
Suspensas tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arua currus.
Retractandus & locus è C. Cæsaris Commentariis de bello ciuili lib. 2. c. 7. *ad eos Curio equitatum, & duas Marrucinorum cohortes mittit, quorum primum impetum equites hostium non tulerunt, ed amissis equis ad suos refugerunt.* sed quomodo ad suos redire potuerunt, si equi fuerant *amissi?* Certè ergo legendum est, *admissis equis ad suos refugerunt,* sunt autem equi admissi, qui velocissime aguntur, & admotis calcaribus incitantur. egregie alludit Ouidius lib. 1. de Arte.
Hic modus, hæc nostro signabitur area curru,
Hæc erit admissa meta terenda rota.

Et lib. 2. Amor. eleg. 11.
Hæc mihi quam primum cælo nitidissimus alto
Lucifer admisso tempora portet equo.

Equos istos à carceribus, sono tubæ, prætoris arbitratu emissos, vt cuique sponsio, aut votum hortamine, sublatisque in altum vocibus prosequebantur. vnde & *circus clamosus* appellari consueuit. D. Auson. in Ephitaphio equi admirabilis.

Phosphore clamosi spatiosa per æquora circi
Septenas solitus victor obire vias.
Improperanter agens primos à carcere cursus.
Fortis prægressis vt potere viris equis.

Potest & lectio recipi Eliæ Vineti, confirmata satis ex iis quæ à me supra dicta sunt.

Phosphore clamosi pannosa per æquora Circi.

L. Sen. Epist. 83. *ecce circensium obstrepit clamor, subito aliqui: & vniuersa voce feriuntur aures meæ, nec cogitationem meam excutiunt, nec interrumpunt quidam, fremitum patienti, imo fero, multæ voces, & in vnum confusæ, pro fluctu mihi sunt, aut vento siluam verberante, & cæteris sine intellectu sonantibus.* quæ pæne ad verbum ex illo mutuatus est Corippus loco citato.

Cunctáque clamosi tacuere sedilia Circi,
Mollior, vt ventis quieties venit aura remotis
Fluctiuagum pelagus quod tempestate mouetur.

Mansuetis planatur aquis.

Dixerat antea de confusis popularis multitudinis applausibus, aut immodicis clamorib.

Exaltata putes placidis beneflantibus Euris
Ludere consertæ frondosa cacumina silua
Et flexis nutare comis, lentóque vicissim
Vertice fecundos, hunc, illuc flectere ramos.

M. Martial. lib. 10 Epigr. 53.

Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria circi.
Plausus Roma, tui deliciæ que breues.

D. Iuuenalis Sat. 10. v. 144.

Securum iub ant clamoso insistere circo.

Clamores isti à sponsionibus, vt monui, vel à plausu, qui caua manu fiebat, vt ex Corippo, & aliis Bulingerus lib. 1. Theat. ca. 51. obseruat. adde Tacitum lib. 16. in limine. *plebs personabat certis modis plausúque composito.* C. Sueton. in Vitellio cap. 11. & interpretes vt non immerito de priscis ludis dictum sit ab Ouidio lib. 1 de Arte.

——Plausus tunc arte carebat.

Denique quod intrantibus principibus bene precarentur, immodicis, & supra quam dici possit, elatis clamorib. cuius precationis formula à Curopalate, siue Georgio Codino in offic. aulæ Constantinopolit. desumenda est. πολυχρόνιον ποιήσει ὁ θεὸς τὴν ἁγίαν βασιλείαν σοῦ εἰς πολλὰ ἔτη. *diuturnum faciat deus sanctam imperium tuum in multos annos.* & post πολυχρόνιον ποιήσει ὁ θεὸς τὴν θεοπρόβλητον καὶ θεοφρούρητον κραταιάν, καὶ ἁγίαν βασιλείαν σοῦ εἰς πολλὰ ἔτη. *diuturnum faciat deus acceptum deo, & à deo custoditum, firmum sanctum imperium tuum in multa secula.* in Canone Græci officij principium troparij bene apprecantium legitur. πολυχρόνιος, ac si dicas *multi temporis perpetuitatem.* Et in Constantinopolitana ecclesia finiebatur officium eadem formula, Curopalates eodem lib. pag. 95. sed & stante republica acclamationibus delectati principes. C. Suet in Domitiano cap. 13. *acclamari etiam in amphitheatro epulari die libenter audit, domino & dominæ feliciter*, alludunt alij scriptores ad fausta illa vota. Sinetas ille Persa, referente Æliano lib. 1. var. hist. cap. 32. βασιλεῦ, φησίν, Ἀρτάξερξη, δι' αἰῶνος βασιλεύοις. *ô rex, inquit, Artaxerxe, regnes in æternum.* Abrocamas Delphidi apud Aristenætum lib. 2. epist. 21. ἀλλ' ὦ ἀδελφίδιον ἐμόν, καὶ ὃ μάλιστα εὔχομαι, ζῴης ὡς ἐπὶ μήκιστον εὖ ζώοις. *Sed ô Delphi-ium, meúmque præoptatum bonum, viuas longum, bene viuas.* T. Calpurnius Siculus Eclog. 4. v. 142.

Cæsar ades, seu quis superum sub imagine falsa,
Mortalique lates, eterum hunc deprecor orbem,
Hos precor æternus populos rege, si tibi cali
Vilis amor.

Secundus versus mutilus est, & mancus, quem sic posse restitui puto, & legi.

Cæsar ades seu qui superum sub imagine falsa
Mortalique lates æternum, hunc te precor orbem
Hos precor æternus populos rege.

Q. Horat. lib. 1. od. 2.

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini.

Stat. Papin. lib. 1. Thebai. in ipso limine. de Domitiano, Augusto.

Quem noua maturi subeuntem exorsa parentis
Æternum sibi Roma cupit.

Corippus African. de Laudib. Iustini Augusti lib. 2. Num. 6.

Iustino vitam tercentum vocibus optant,
Augustæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat,
Mille canunt laudes, vocum discrimina mille.
Iustinum Sophiamq; pares duo lumina mundi
Esse pares regnate pares in secula, dicunt.
Fœlices annos dominis fœlicibus orant.
Insonuit vox illa diu, tandémque quieuit.

Et eiusdem libri Num. 8.

Ingens lætitiæ sonuit fragor, aurea plebes
Tempora principibus centenis vocibus optant,
Iustino vitam partes vtræque reclamant,
Augustæ Sophiæ votis quam pluribus orant.

Atque vt principes in theatrum aut circum venientes populus læto clamore excipiebat, ita populum Imperatores salutabant, & fœdissimo adulationis genere ei se submittebãt. quod nescio an ab vllo ante Neronem factitatum. is certè, vt scriptum à C. Tacito lib. 16. Annal. in principio. *flexus genu, & cœtum illum manu veneratus, sententias iudicum opperiebatur ficto pauore.* quod à Suetonio in Claudio 12. proditum, *spectacula edentes voce & manu veneratus est* ad magistratus, qui ludorum commissionibus præerant, non ad plebem spectat ideoque male eo ab aliquibus trahitur, cultissime Claudian. de 6 Honorij consulatu: venerationem hanc plebi ad Imperatore exhibitam exposuit.

O quantum populo secreti numinis addit
Imperij præsens species quantámque rependit
Maiestas æterna vicem cum regia circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus.

Corippus proximè supra nominato.

Vtque salutato tetigit subsellia vulgo,
Auratum scandens solium.

Victores coronabantur. adi ad volumen multæ feræ eruditionis Stephani Paschasij regij ad Heluetios legati, *de coronis.* Petr. Faber. Santorian. lib. 2. Agnostic. cap. 27. inter præconis officia

officia & illud reponitur, ἀνακηρύξαι ἀγωνιστὴν, *prænuntiare, aut proclamare certatorem, seu athletam.* Iul. Pollux lib. 4. Onom. c. 12. locus de Nicodoro pugile est non omnino inelegans apud Ælian. var. hist. lib. 2. c. 23. μακρῷ τούτῳ ἄμεινον πολιτευόμενος τῇ πατρίδι τῶν κηρυγμάτων τῶν ἐν τοῖς σταδίοις. *longe vtiliorem in eo patriæ se præstans, quam cùm victor in stadiis proclamaretur.* Eumenius Rhetor in orat. pro scholis *fortissimi viri in sacris certaminibus, summo labore atque etiam vitæ periculo, solam vocem præconis, & coronæ testimonium petunt.* idque sola præconum voce, *nam antiqui tubas non habebant,* inquit vetus scholiastes. Iuuenalis ad v. 3. Sat. 13. scio & posterioribus sæculis adhibitas denuntiandis declarandisque victoribus tubas. Isacius Tzetzes in Lycophronem. & poëtæ Latini, Græcique Statius lib. 6. Thebaid. v. 556.

——sequitur Sicyonius Alcon
Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena
Phædimus.

P. Virgil. lib. 5. Æneid.

Victorem magna præconis voce Cleanthum
Declarat.

Callimachus in fragmentis, quæ extant, Epigram. 12.

Ἄλλοις μὲν κήρυκες ἐπὶ βραχὺν οὔνομα χρόνον
φθέγξονται· τεῖο δ' Ἑλλὰς ἀεὶ σοφίαν.

Vertit Bonauentura Vulcanius.

Namque alios præco exiguos laudabit in annos,
Illius ingenium Græcia perpetuo.

Pindarus sæpissime. Olympicor. od. 5.

——τὶν δὲ κῦδος
ἁβρὸν νικάσαις ἀνέθηκε,
ὃν πατέρ' Ἄκρων' ἐκάρυξε.

Tibi vero decus pulchrum victor dicauit, & suum patrem Acronem præconis voce pronuntiauit. qui locus appositissimus est, nam non modo ipsi victores citabantur sono tubæ, sed & patria, genus parentesque publicè dicebantur, hoc illud est, quod C. Plinio dictum, *victores sacrorum agonum patriam suam coronare.* Idem Pindar. Olymp. od. 8 ἐξένεπε κρατέων πάλᾳ, *præconis voce promulgauit, cùm vinceret lucta,* Idem eiusdem operis od. 13. ἁδύγλωσσος βοὰ κάρυκος, *dulcilinguis vox præconis,* victores renuntiauit. denique Pythior. od. 1.

——Πυθιάδι
δ' ἐν δρόμῳ κάρυξ ἀνέειπέ νιν ἀγ-
γέλλων Ἱέρωνος ὑπὲρ
καλλινίκου ἅρμασι.

Pythiadis in curriculo præco proclamauit ipsum, nuntium adferens super egregij victoris curribus. Aristophanes in Pluto Act. 2. sc. 5.

ἵνα διὰ τί λαμβάνεις ἄγοντας ἀεὶ δ' Ἕλληνας πέμψαι
ξυναγείρεις,
ἀναγορεύσειν τοὺς ἀθλητὰς τοὺς νικῶντας,
στεφανοῦντας,
κοτίνῳ στεφάνῳ.

Vertit Latine Nicodemus Frischlinus non inelegantet.

Omnes illuc Græcos accires, victores oleastro
Præconis voce coronari voluis.

Capvt VI.

Quinam fuerint ludi Scenici.

Alterum ludorum genus eorum est, qui dicuntur Scenici à Græco σκηνὴ quod vmbram significat: nam in vmbra fiebant, & ingenij arte exercitabantur. Hos originem à Græcis traxisse, ex Aristotelis Poëtica, Polydoro Virgilio, Lud. Viue, & aliis intelligitur. Qua autem ratione, & quibus de causis Romæ instituti fuerint, eleganter docet Liuius in histo. A. V. C. CCCXXCIX. his verbis: Et hoc, inquit, & in sequenti anno, C. Sulpitio Potito, C. Licinio Stolone Coss. pestilentia fuit, eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis Deûm exposcendæ causa tertio tum post conditam Vrbem lectisternium fuit, & cùm vis morbi nec humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur victis superstitione animis, ludi quoque Scenici, noua res bellicoso populo (nam Circi modo spectaculum fuerat) inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur. Cæterum parua quoque, vt fermè principia omnia, & ea ipsa res peregrina fuit. Sine carmine vllo, sine imitandorum carminum actu ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant. Imitari deinde eos iuuentus simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus cœpêre: nec absoni à voce motus erant, accepta itaque res, sæpiusque vsurpando excitata. Vernaculis artificibus, quia Hister Thusco verbo Ludio vocabatur, nomen Histrionibus inditum: qui non, sicut antè, Fescennino similem versum, compositum temerè, ac rudem alternis iaciebant, sed impletas modis Satyras, descripto iam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Liuius: post aliquos annos qui ab Satyris ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet id quod omnes tum erant, suorum carminum actor dicitur cùm sæpius reuocatus vocem obtudisset, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem cùm statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente

essent, ex ea extracti, atque asserta libertate, iustum se sibi poema fecere. Hoc in lusu, cùm postea quædam impensius populo placuissent, ausi sunt seorsum suis auspiciis, quam commouerant, expectionem sustineae, atque in eo laudem quærere, & artificis præterea nomen vendicare. Hos Latini Mimos vocant, ex Publio & Laberio, qui eo in genere excelluêre: & Planipedes ob eam causam quod Cothurno Tragici: Socco autem Comœdi pedes induebant: ipsi autem nudis pedibus agebant. Erat mimorum argumentum apud Lacedæmonios varium, ac ridiculum, veluti imitatio furantium poma quædam. In alio Medici peregrini. Actores appellabantur *δεικηλισταί*, quòd verbum sonat figulos & imitatores. Cæterum Mimi non erant personati, sed fuligine obliti, & agninis amicti pellibus, quæ Pescia dicta legimus in Carmine Saliari. Ibant autem cum canistris & herbis, serpyllo, mentha, violis, hedera, corollis: saltabántque in numerum, atque in honorem Bacchi, cuius more victores hedera coronabantur. Inde procurrentes, obuium quemque subsannabant. Manuum quoque tegumenta gerebant ex floribus confecta, & tunicas albo ad medium distinctas, à cinctura, quam cogebat velum Tarentinum, ad talos demissas. Silentio per ostium ingressi, vbi ad Orchestræ medium euaserant, conuertebant se ad theatrum & loquebantur. Hæc Scaliger. Quædam etiam de Mimis habet Lil. Greg. Gyraldus Dialogo 6. Historiæ Poetarum quem vide.

Ad Cap. VI.

PARALIPOMENA.

Mimarij vrbani, Coprea, & parasiti, exordij ratio habita in Scenicis, Pantomimi.

SCurras adhibitos in scenam notius est quam vt dici debeat, neque tamen prætereo in duplici genere scurras fuisse, quidam domestici, seu mensarum obsessores, quos parasitos vocant, alij vrbani, seu in scenica admissi ludicra. & ob verborum lasciuiam, gestuúmque turpitudinem populo charissimi. & de primis illis C. Plin. Iunior. lib. 9. Epist. 77. *quereris tibi tædio fuisse quamuis lautissimam cœnam, quia scurræ, cinædi, moriones mensis inerrabant.* Et de iisdem locum insigniter corruptum è C. Suetonio in Tiberio cap. 61. viri eruditi restituerunt, ait itaque ille. *annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quondam conuiuio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subito, & clare, à quodam nano astante mensæ inter capreas, cur Paconius maiestatis reus tamdiu viueret?* quid sibi vult. *stare inter capreas* in Imperatorio conuiuio? monstri hoc simile, rectè Leuinus Torrentinus, *à quodam nano astante mensæ inter copreas.* nam dictionem illam Græci vsus ostendit Dio Cocceianus lib. 50. & li. 73. non multum à principio. *καὶ ἕτερον δέ τι ποιῶν [illegible] τῇ τοῦ Κομμόδου διαβολῇ ὁμοίως ἔπραξε κωπρέας τινὰς καὶ γελωτοποιοὺς, αἴσχιστα μὲν τὰ εἴδη [illegible] δὲ τὰ ὀνόματα, καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα ἔχοντας [illegible].*

vertit Guil. Xylander. *contra autem in contumeliam Commodi id fecit, nam cum aliquos adulatores & scurras, quibus facies quidem deformes, sed nomina & instituta vitæ multo erant turpissima, proscripsisset.* *κωπρέας adulatores* vertendum putauit, quod in conuiuiis maximus eorum vsus, vt infra paulo expediam, *γελωτοποιοὺς scurras*, mimos, aut eos qui gesticulatione ridicula risum mouerent, accipere oportet. Isidorus Hispalensis in glossis. *scurrula, qui incopriat.* est & alter non minus deprauatus locus in Codice eiusdem Suetonij in Claudio cap. 8. *& quoties post cibum obdormisceret, (quod ei fere accidebat) olearum ac pamularum ossibus incessebatur, interdum ferula flagróue, velut per ludion excitabatur à tropeis, solebant & manibus stertentis socci induci.* vidit difficilem, intricatúmque locum Adrianus Turnebus lib. 22. Aduersar. cap. 32. censuitque legendum *per ludum excitabatur à copreis.* sed qui essent copreæ non explicauit, at Iosephus Scaliger in Fest. libro 17. in voce *scurra*, erudite, vt sæpe nodum expediuit. Inuenio tamen in Criticis, quibus insolens, & pene incredibile videatur, in conuiuium virorum principum, fœdissimos illos impudicos. & vt Turnebi vtar verbo *sterquilinios* admitti. itaque vulgatam retinent lectionem, *à tropeis excitabatur.* quod scurræ qui Claudium percusserant, statim ne deprehenderentur, se verterent, ioculari motu, [illegible] enim est *verto.* alij contendunt lupercos intelligendos, qui *crepi* dicebantur, vt hoc opere à me supra est expositum, horum enim solemnis consuetudo obuios ferulis pelle contectis verberare, quidni & ea licentia, in excitando vsi sint Claudio principe? ergo & restituendum eum locum censent, *à crepis excitabatur.* quod miror placuisse Turnebo libro 27. cap. 19. cum antea aliam è MSS. eruisset lectionem, & probasset. Antonius Sabellicus & Philippus Beroaldus de Capreorum insulæ ciuibus quorum temporibus Tiberij nota fœditas insolentiaque, existimarunt Historicum loquutum, itaque visum est iis legi debere, *à capreis excitabatur.* sed quis est qui capreas, pro ca-

precensibus vsurpare velit, sine certa scriptoris alicuius antiqui authoritate? Denique Marcellus Donatus Ponzanus dilucidat. pag. 639. vltimus, non pœnitendam sententiam attulit, se suspicari ludi genus denotari, quod astragalis exercebatur, nam iactantes aspiciebant scrobem, in quam iactati calculi seu globuli excipiebantur. idque corpore non semel obuerso. & in lexico Græco ..., redditur, *obuersio ludi genus*. de his scurris vetus glossographus *scurram* exponit ... & *scurrari* .... D. Iuuenal Sat. 4. vers. 31.

Purpureus magni ructarat scurra palati.

Q. Horat. lib. 1. Sat. 8.

Pantalabo scurræ, Nomentanoque nepoti.

C. Lucilius Satyricus, antea corruptus, sic forte poterit non incommode legi. apud Festum corruptus in *scurra*.

——Cornelius Publius noster
Scipiadæ dicto penitusque interuenis ipsi
Molli. & delitus luci effigieatq. cinædo.
Et scurratori assiduo, quo rectius dicas,
Ibat forte domum, sequimur multi, atque frequentes.

Scurræ isti & parasiti dicti. vetus scholiastes Iuuenalis ad vers. 4. Sat. 5. *parasiti Cæsaris fuerunt, Appicii & Gabba sub Tiberio Scurra nobilis fuit.* D. Ausonius Epist. 13. Paulo.

Hæc non per vulgum mihi cognita, perque popinas,
Aut Parasitorum collegia Plautinorum.

Desiderari vult explicationem istius versus, in operibus Plauti, quæ hodie extant, Elias Vinetus: At ego Plautinos parasitos puto intelligi, quoscunque ille in Comœdias suas inducit, neque opus est vllam fabulam denotari specialem, per *collegia parasitorum*. satis est modo frequenter parasiti ab eo nominentur. nihil autem iis apud eum crebrius eorum commemoratione. Menechm. sc. *sportulam.*

Parasitus octo hominum munus facile fungitur.

Et in Persa. sc. *veterem.*

Quin parasitando pauerint ventres suos,
Quasi mures semper edere alienum cibum.

Denique in Captiuis sc. *iuuentus* elegantissima est aptissimaque descriptio parasiti.

Quasi cum caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo sibi succo viuunt. eos si non cadit,
Item parasiti rebus prolatis latent,
In occulto miseri, victitant succo suo.
Dum ruri rurant homines, quos liguriant.

Sed quando de scurris, copreis, & parasitis dicendum, nolim prætermitti & deorum parasitos esse, qui assiduo in templis epularentur. meminit D. Augustinus lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 7. *epulones etiam deos, parasitos Iouis ad eius mensam qui constituerunt, quid aliud quam mimica sacra esse voluerunt?* M. Martial. lib. 9. Epigr. 29.

Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi
Roma, qui fumulum dum sciat esse Iouis.

Vetus marmor.

L. ACILIO. L. FILIO. POMCVTICLA.
NOBILI. ARCHIMIMO. COMMVNI. MVNERE. ADLECTO.
DIVRNO. PARASITO.
APOLL. TRAGICO. COMICO.

Redeo ad *Mimos vrbanos*. satis enim de domesticis dictum. vetus Scholiastes Iuuenal. Sat. 13. vers. 109. *audacia creditur innocens, vt Mimum vrbani scurræ agere, ac tursione audaciæ videatur. talis est enim mimus. vbi fugitiuus dominum suum trahit.* illis vnica erat cura risum populo commouisse, exclamationibus ridiculis, & gestibus indecoris, id est vultu distorto, dictique ob id *sanniones*. Cornutus, seu verius Pseudocornutus ad Sat. 1. Persij. vers. 72 *tria genera sannarum, aut manu significari ciconiam aut oppositio* (malim *apposito*, id est iuxta posito) *temporibus pollice, auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. sanna autem dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cum alios deridemus, inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant.* M. Tull. lib. 2. de Oratore. *quid porro tam ridiculum, quàm sannio est? qui ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso.* Nonius Marcell. cap. 1. Num. 302. *sanniones dicantur à sanniis, qui sunt in dictis fatui, & in motibus & in scænis quos ... vocant Græci.* Iuuenal. Sat. 6. vers. 302.

——Qua sorbeat acra sanna.

Et gelasiani dicti, ab effectu. Sidon. Apollinar. Carm. 23. vers. 302.

Quid dicam cithoristrias choraules,
Mimos schœnobatas, gelasianos?

Apollon. Collat. Excidij, Hierosolymit. libro 1.

Laruatosque inter gestu contendere mimos.

Iul. Capitol. in AElio Vero. *adduxerat secum & tibicines, & fidicines, & histriones, & Mimarios, scurras, & præstigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate, prorsus vt videretur bellum non Parthicum, sed histrionicum confecisse.* addendus Ioannes Saresberiensis li. 1. Policrat. cap. 8. *desidiam prorogant histriones, exoccupatis etenim mentibus surrepunt tædia, sesque non sustinerent, si non alicuius voluptatis solatio mulcerentur, admissa sunt ergo spectacula, & infinita tirocinia vanita-*

tis

tis, quibus qui omnino celari non possunt, perniciosius accipentur. Hinc mimi salij, vel saliares balatrones, Æmiliani, gladiatores, palæstritæ, gignadij, præstigiatores, malefici quoque multi; & tota ieculatorum scenæ procelis. qui sint gignadij in scena, & mimicis salicibus, non memini à me lectum. C. Tacit. lib. 16. Annal. *& plebs quidem vrbis, histrionum quoque gestus iuuare solita.* D. Auson. Epigr. 83. ex Lucillio lib. 2. Antholog.

Decepta infælix casus se miscuit arti,
Histrio saltauit qui Capanea, ruit
Idem qui Niobem saltauit saxeus.

Dicuntur iidem & pantomimi: nam cum ex Histria histriones Romam fuissent aduecti, Pylades ex Asia venit, primusque nomen pantomimi vsurpauit, Lucianus, & ante illum C. Sueton. in Augusto. cap. 45. Isidorus Hispal. lib. 18. Etymolog. cap. 48. *histriones sunt qui muliebri indumento gestus fœminarum impudicarum exprimebant, ij autem saltando etiam historias & res gestas demonstrabant, sic dicti, quod ab Histria hoc genus sit adductum.* eadem Festus lib. 6. in *histriones*. In consulatum T. Sulpitij & C. Licinij Stolionis id reiicit Ioannes Cuspinianus in Fastos Cassiodori pag. 159. Suidas in voce [illegible], notat libera & stante republica nullum pantomimorum nomen nedum officium fuisse, quod mirum, nisi dicamus rem antiquam, vocabulum nouum sub Augusto accepisse.

De pantomimis vetus scholiastes Iuuenal. ad vers. 178. Sat. 3. *orchestra, spatium in quo saltat pantomimus.* & ad vers. 47. Sat. 7. *spatium in theatro dicit, quod pantomimo saltanti vacat.* Æl. Lamprid. in Alexandro. *Nanos & nanas, moriones, & vocales exoletos & omnia acroamata, & pantomimos populo donauit.* Aurel. Cassiodor. lib. 4. Epist. vlt. *hic sunt addita horcistarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, clamosum silentium, expositio tacita.* Et paucis interiectis. *pantomimo igitur, cui à multifaria imitatione nomen est, cum primum in scenam plausibus inuitatus aduenerit, assistunt consoni chori diuersis organis eruditi, tum illa sensuum manus, oculis canorum carmen exponit, & per signa composita, quasi quibusdam literis edocet intuentium aspectum, in illa leguntur apices rerum, & non scribendo docet, quod scriptura declarauit: idem corpus Herculem designat, & Venerem fœminam præsentat, & marem regem facit, & militem senem reddit, & iuuenem, in vno credo esse multos vana imitatione discretos.* Saluian. Massiliensis de Gubernat. dei lib. 6. *longum est nunc dicere de omnibus amphitheatris, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petaminariis, pantomimis, cæterisque portentis, quæ piget dicere: de solis circorum ac theatrorum impuritatibus loquor.* petaminariorum meminit & Iulius Firmicus Maternus lib. 8. Matheseos c. 15. *petaminarius, ephelmator, orcisopalarius.* Q. Tertullian. lib. de Spectacul. c. 17. *pantomimus à pueritia patitur in corpore, vt artifex esse possit.* Arnob. lib. 4. aduersus gentes *quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa Mimorum atque exoleti generis multitudo?* vetus inscriptio.

M. AVR. AVG. LIB. ACILIO. SEPTENTRIONI. PANTOMIMO. SVI. TEMPORIS. PRIMO. SACERDOTI. SYNHODI. APOLLINIS. PARASITO.

Ex iis, quæ iam dicta sunt à me, non erit operosum poëtas intelligere, qui de hac gesticulatione loquuntur, & vel nutus, vel gestus, vel digitos loquaces de mimica hac omnium personarum effictione, accipere oportet. Cl. Claudian. de consul. Manlij Theodori ad finem.

Nec molles egeant nostri dulcedine ludi.
Qui lætus risum salibus mouisse facetus,
Qui nutu manibusque loquax.

Sidon Apollinar. Car. 23.
Clausis faucibus, & loquente gestu.

Terentian. Maurus de Metris, seu Verius C. Petronius illicitatus.
At Arbiter disertus,
Tinctus colore noctis,
Manu puer loquaci.

Incertus author, sed elegans mehercule lib. 4. Epigrammatum & poematon veterum, lemma est PANTOMIMVS.

Masculo fœminio deriuans pectora sexu,
Atque aptus lentum sexum ad vtrumque latus,
Egressus scenam populum saltator adorat,
Solerti pendet prodere verba manu.
Nam cum grata chorus diffundit cantica dulcis,
Quæ resonat cantor, motibus ipse probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adstat,
Illustrat verum, cuncta decore replet.
Tot linguæ, quot membra viro, mirabilis est ars,
Quæ facit articulos voce silente loqui.

Rectè quidem loqui articulos dixit, quia non modo totius corporis circumacti gestu, nutibusque oblectabant pantomimi, sed præsertim digitis. Aurel. Cassiodor. lib. 1. epist. 20. *hanc partem Musicæ disciplinæ mutam nominauere maiores scilicet, quæ ore clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut scripturæ textu possit agnosci.* Isidor. lib. 1. cap. 25. *sunt quædam & digitorum notæ, sunt & oculorum, quibus secum taciti proculque loquuntur, sic mos est militaris vt quo-*

ties consentiat exercitus, quia voce non potest manu promittat. L. Sen. epist. 95. non est pantomimi de arte saltandi quærere. Et lib. 7. Nat. quæst. cap. vlt. in pulpito pantomimorum, viri & feminæ tripudiant, ergo & saltibus sicuti histriones, & voce, quemadmodum vrbani scurræ, seu Mimi, pantomimi scenam occupabant: licet non semper iidem sint scurræ seu histriones & pantomimi, nam histriones in scæna, Sueton. in Domit. cap. 7. pantomimi etiam alibi. Plin. paneg. populus ille scænici imperatoris spectator & applausor, nunc in pantomimis quoque aduersatur, & damnat effeminatas artes. Vlpian. IC. l. 43. §. vlt. si ponas agitatorem postea factum pantomimum ff. de Act. empt. Iulian. l. 27. si libertus artem pantomimi exerceat verum est debere eum non solum ipsi patrono, sed etiam amicorum ludis gratuitam operam præstare. ff. de oper. libert. ergo non omnes pantomimi seruilis conditionis, quum etiam libertis eam artem exercere permittant leges. & certe maximus iis honor deferebatur, idem Seneca Epist. 47. ostendam nobilissimos iuuenes mancipia pantomimorum. & viri senatorij eorum ædes studiose adibant, donec lege cautum, referente C. Tacito lib. 1. Annal. ne domos pantomimorum senator introiret. Corrigendus idem ille L. Seneca Epist. 121. mirari solemus scænæ peritos, quod in omnem significationem rerum & affectuum parata illorum est manus, & verborum velocitatem gestus assequitur. Turnebus lib. 26. cap. 20. in vetusto codice repererat, satiant, & quia nullus erat sensus, existimauit rescribendum, saltationis peritos. sed nihil refert, hæcne, an vulgata lectio retineatur, nam peritum esse scænæ, quid aliud est, quam mimicam aut histrioniam exercere? elegans adumbratio est apud M. Manilium libro 5. Astronomicorum.

Alternis tamen aptus erit nunc voce poetis,
Nunc tacito gestu, referetq; affatibus ora,
Et sua dicendo faciet, solusque per omnes
Ibit personas, & turbam reddet in vno.
Aut magnos heroas aget, scenisque togatas.
Omnes fiet vnus vultus per membra reducet,
Æquabitque choros gestu, cogetque videre
Præsentem Troiam, Priamumque ante ora cadentem
Quodque aget, id credes stupefactus imagine veri.

P. Ouid. Epid. Helenæ Paridi.

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notaui
Signa supercilio pene loquente dari?

Et lib. 1. Amor. eleg. 4.

Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem.

lib. 2. Amor. eleg. 5.

Sermonem agnoui, quod non videatur, egentem,
Verbáque pro certis visa valere notis.

Rectius multo in antiquo codice.

Sermonem agnoui quid non videatur amantis
Verbáque pro certis iussa valere notis.

Dixerat proxime ante, referens gestus scenicos ad conuiuia priuata.

Non oculi tacuere tui, conscriptáque vino
Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.

Lib. 3. eleg. 10. Amor.

Quid iuuenum tacitos inter conuiuia nutus,
Verbáque compositis dissimulata notis?

Lib. 1 de Arte amandi.

Multa supercilio, multa loquare notis.

Q. Ennius in Annalibus, vt vult Isidor. lib. 1. Etymolog. cap. 25.

Datatim dat sese, & communem facit,
Alium tenet, alij adnutat, alibi manus,
Est occupata, alij peruellit pedem,
Alij dat digito literas.

Licet Festus lib. 1. in adnictas, Næuio in Tarentilla adscribat. Dixi plura ad illud Claudiani lib. 2. in Eutropium, quæ hic nihil opus repetere.

Quis magis enodes laterum detorqueat artus,
Quis voci digitos, oculos quis moribus aptet.

Dictique sales, quod perstringerentur oblique nonnulli ciues, dicam ad cap. 9. huius libri infra.

CAPVT VII.

DE TRAGOEDIA.

TRAGOEDIA à plerisque putatur antiquior Comœdia: verùm Iul. Cæs. Scalig. Comœdiam antiquiorem fuisse, & ex hac ortam Tragœdiam demonstrat: non tamen negat Tragœdiam priùs excultam, quàm Comœdiam esse. Vnde nomen Tragœdiæ sit, inter Grammaticos non conuenit. Diomedes lib. 3. Tragœdia, inquit, vt quidam volunt, dicitur à τράγῳ & ᾠδῇ, quoniam olim actoribus Tragicis τράγος, id est, hircus, præmium cantus proponebatur, qui Liberalibus, die Festo, Libero patri ob hoc ipsum immolabatur, quia (vt ait Varro) depascunt vitem. Et Horatius in arte poetica.

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

Alij putant à fęce, quam Græcorum quidam τρύγα appellant, Tragœdiam nominatam, permutatione literarum in aduersum: quoniam olim nondum personis a Thespide repertis, tales fabulas peruncti fęcibus ora agitabant, vt rursum est Horatius testis, ita scribens:

Ignotum Tragicæ genus inuenisse camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Ex quibus versibus intelligimus, hunc Thespin primũ pensiles scenas in plaustris circumegisse, addidisséque nudis oribus fæcem pro persona. Alij à vino arbitrantur, propterea quòd olim vinũ dictitabatur τρὺξ, à quo τρύγητος hodie quoque vindemia est: quia Liberalibus apud Atticos, die festo Liberi patris vinum cantorib. pro eo rollario dabatur, cuius rei testis est Lucilius in 12. Hactenus Diomedes. Alij etiam alias quasdam etymologias adferunt, quas hîc omitto. Non tamen repudianda videtur Isaaci veteris Commentatoris Græci coniectura, quæ etiam Aldo Manutio Pauli F placet. Is.n. Tragœdiam primùm τραχῳδίαν dictam putat, quasi τραχεῖαν ᾠδὴν, quòd esset aspera cantilena, quæ res asperas, difficiles complecteretur: posteà verò vsum hoc nomen, vt multa alia, corrupisse, & pro τραχῳδία, τραγῳδία, dixisse.

Est autem Tragœdia heroicæ fortunæ in aduersis comprehensio: vel narratio & actio repræsentans negotia grauia, & res magnas, & euentus atroces, collata in personas ad hæc negotia idoneas, heroum & regum, imago vitæ honoratæ, & potentiæ, atque principatus in terris. Iul. Cæsar Scaliger definit hoc modo: Tragœdia est imitatio per actiones illustris fortunæ, exitu infelici, oratione graui metrica. Huius species à loco duæ sunt, Græca & Latina, quæ fuit prætextata, qualis erat Nero Senecæ. Ab argumentorum verò generibus diuersæ sunt: nam Callias Atheniensis, qui maior natu quàm Strattis fuit, Tragœdiam fecit, quam Grammaticam nominauit: propterea quòd è literis, & sonum ducebat, & argumentum. Nam chorus nihil aliud quàm saltatio fuit, ex nominibus, & sonis, & temporibus, & rythmis elementorum. Alias species continet Satyros mistos Heroibus, ita vt etiam seueris hilariora misceantur, eiusmodi Polyphemus extat in Euripide. Menedemus Philosophus hoc in genere poëmatis primas tribuit Sophocli, & Achæo. De Tragœdiæ vtilitate notanda Timoclis Comici verba, qui ait, apud Tragœdiam totius vitæ & conditionis esse exempla, atque documenta. Nam si pauper es, inquit, inopiam ferre disces à Telepho: si filij ante diem pereunt, à Niobe: si furor arripuit, furorem sedare disces ab Alcmæone: si oculis captus, à Phinæo cœcitatem, vt à Philoctete claudicitatem: sic ab alijs alias æquo animo ferre disces: omnia.n. maiora, quam quibus patitur, infortunia, qui alijs accidisse contemplatur, suas ipsius calamitates æquiùs, faciliúsque ferre consueuit. Est etiam apud Athenæum legere, quæ documenta ex Tragœdia habere possimus li. 7. & nonnihil apud Aristotelem in Poëtica. Verùm de Tragœdia paulò post plurima dicemus.

Capvt VIII.

De Comœdia, & eius atque Tragœdiæ differentia, de Cothurno, item & Socco.

Sequitur inter Scenicorum ludorum species Comœdia, quam quidem reliquis antiquiorem fuisse Iul. Cęs. Scaliger sentit. Dicta est Comœdia, quemadmodum scribit Diomedes ἀπὸ τῶν κωμῶν. Κῶμαι enim appellantur pagi, conuenticula rusticorum. Nam iuuentus, (vt ait Varro) Attica circùm vicos ire solita fuit, & quæstus sui causa hoc genus carminis pronunciabat: aut certe à vicis. Nam posteaquam ex agris Athenas commigratum est, & hi ludi constituti sunt, sicut Romæ Compitalitij, ad canendum prodibant, & ab vrbana κώμῃ & ᾠδῇ Comœdia dicta est: vel ἀπὸ τῶν κωμωδιῶν i. viculis, quòd ea humilium domuum fortunæ comprehendantur, non vt in Tragœdia publicarum, regiarúmque. vel ἀπὸ τοῦ κώμου, i. comissatione, quod olim in huiusmodi fabulis amantium iuuenum κῶμοι agebantur. Hæc Diomedes. Alij eam dictam volunt ἀπὸ τοῦ ἐν ταῖς ὁδοῖς κωμάζειν, quòd in viis lasciuirent, & petulanter luderent. Iul. Cæs. Scal. li. 1. Poet. vbi multa & rara de Comœdia & Tragœdia in medium affert, Comœdiam dictam esse ait ἀπὸ [illegible] τοῖς κώμαις, quòd iuuentus opera sua absoluta, & largiori cibo refecta, vacui temporis otio, atque licentia noctis abusa, secum impertiorum, vel heri, vel patroni, vel parentum per pagos (nondum enim in vrbes conuenerant) discurreret. Qui mos cum ipso nomine simul ad Romanos deductus est. Inde lusus, quos vicatim exercerent, aptè Comediam dixêre: quoniam non in pascuis, aut in aruis, aut ad tumulos, aut ad aras canerent. Quemadmodum verò in cæteris quoque ita vsu venit, vt tempus artium sit, & lima, & lex, politioribus deinde seculis in artem redacta,

certiſque limitibus præſcripta eſt, itémque conſtituta loca & tempora, in quibus ageretur. A Græcis ad Romanos tranſiit.

Eſt igitur Comœdia priuatę ciuiliſque fortunæ, ſine periculo vitæ comprehenſio. Donatus: Comœdia eſt fabula, diuerſa inſtituta continens affectuum ciuilium, ac priuatorum, qua diſcitur, quid ſit in vita vtile, quid contra euitandum. Cicero Comœdiam eſſe ait imitationem vitæ, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis. Iul. Cæſ. Scaliger ſic definit Comœdiam, quòd ſit poëma dramaticum, negotioſum, exitu lætum, ſtylo populari. Cæterùm Comœdiæ duplex affertur differentia, altera ſumpta à temporibus, altera ab argumentis. Differentia à temporibus ſumpta hæc eſt, quod alia ſit Comœdia vetus, alia media, alia noua. Vetus dicitur ea, quæ primum in vſu fuit, eo videlicet tempore, quo ſummum imperium penes populum fuit. Idcirco licuit illius ſeculi Poëtis, riſum aucupari ex quocũque genere iocorum, ſiue acerbitate aſperſi eſſent. Non enim æquo ſolum, ſed etiam libenti animo audiebat populus, quę in iudiciũ iniquitates, Prętorum mala, vel facinora, vel euenta, prauorum ciuiũ corruptos mores dicta iacerentur. Id tum impunè fuit maledicis Poëtis, quaſi malæ famæ metu deterriti, componerent animos ſuos à vitiis ad virtutibus, atque appellarent ad frugem bonam. Graſſabatur ergo ea licentia in omnes ordines, ætates, ſexus, conditiones impunè, idque non in tranſcurſu tantùm, ſed integro fabularum tractu, ac primario ſtudio. Quod in Ranis, & in Nubibus conſtat Ariſtophanis. Vexatio autem illa tametſi ſparſim, atque vt ſeſe res daret, exercebatur: ipſi tamen choro potiſſimùm eſt attributa. Habuit autem hæc quoque vetus, ętates duas. Quippe ſub Sannyrione, cuius nomen primùm inter Comicos celebratur, inconditæ partes, ac perſonarum introductiones, neque lex erat earum numero poſita. Primum ferunt Cratinum & partes diſtinxiſſe, & actus diſpoſuiſſe, & ad tres tantùm perſonas numerum adſtrinxiſſe, neque ab eo tam exactè hanc operam poſitam, quam ſtudioſè ſuſceperat: perfectam poſteà ab Ariſtophane. Atticis deinde populi opibus, reductáque illius inſana licentia & inconſtantia ad tyrannicam paucorum libidinem, continuit Poëtas metus potentiorum in officio bene dicendi. Quocirca ſublatus chorus fuit: cuius illæ videbantur eſſe præcipuæ partes, vt potiſſimùm quos liberet, lęderet. Quare cùm cætera nihil mutata eſſent, manſit ſpecies quidem prior, parte tantùm deſiderata: Vnde mediæ nomen ortum eſt non tunc quidem, ſed poſteaquam nouæ Comœdiæ appellatio fuit inſtituta: inter quam & veterem illam quæ intercederet, *media* fuit nominata. Interceſſit autem & tempore, & forma, quando neque huius neque illius faciem repræſentaret: tempore quoq; poſterior fuit ſuperiore, & poſterior à prior. Quippe noua ſub Alexandro florere cœpit, cuius ætas Oligarchiam ſubſecuta eſt. Chori autem loco παραβάσεις quædam fiebant, in quibus aliorum Poëtarum dicta, ſcriptáq; ſine maleficij crimine, aut pœnæ ſuſpicione irridebantur. Differt autem à veteri noua multis modis: potiſſimùm verò compoſitione. Aſtrictior enim certis legibus tam ad argumenta, quàm ad dictionem. Non enim ridicula dramata in noua, vt ex qualibet materia riſum captet. Quinque partitionibus ſecta tibicinem interſerit. Vocabula noua non fabricat ad riſum, aut ad cauillũ. Et populari ſermoni de medio ſumpto propior noua fuit apud Græcos. Neque excurrit noua ad alios verſus, ſolis iambicis, aut trochaicis contenta. In veteri multas carminũ ſpecies videmus. Ortam tamen ex antiquâ nouam, ſatis apparet ex iis, quæ veteres memoriæ prodidêre. Aiunt enim Ariſtophanem ſcripſiſſe fabulam Cocalum, cuius filum fuerit amuſſis regula Menandro, atque Philomeni ad nouam Comœdiam comminiſcendam. Hoc vnum genus Latini quanquam amplexi, atque imitati ſunt, tamen ſecundum ætates Comœdiæ modos quoque à temporibus notauere: quę eis differentias non à ſpecie, ſed à ſtylo conſtituerẽt. Itaque veteres fabulas Liuij Andronici dicimus, Pacuuij medias, Terentij nouas, quia hic poſtremo ſeculo, ille priſco, Pacuuius medio natus eſſet. Andronicus enim primus dedit fabulam, quam Græcorum more docuit hiſtriones, ita vt eſſet in Scena ipſe, atque eos caſtigaret. Nec abſtinuit tamen noua Romanorum à cenſura, atque animaduerſione vitiorum, vt ſæpe eſt apud Plautum. Romanus auſus eſt emollire opicam ſeueritatem, ac nomina ſimul cum moribus inferre in ſcenam è Latio, & deducere in feſtos ludos. Vnde orta fuere genera fabularum, ab ornatu veſtitúve quẽ gererent, nominata. Nam quemadmodum Gręcas Palliatas, à gentis veſte, ita à Romana toga, Togatæ dictæ ſunt. Latinarum igitur ſpecies hæ: Nobilioris, quæ à perſonis primariis, Prætextatæ appellabantur. Erat enim prætexta Magiſtratuum toga, cui purpura prætexebatur. C. Meliſſus, qui fuit ab Auguſto præfectus Bibliothecæ in portico Octauiæ, edidit nouum genus togatarum, quas Trabeatas appellauit: quemadmodum legimus in lib. de Clari Gramm. Minùs nobiles in quibus Senatores priuati cum togis induti ducebantur. Vltimum genus capiebat humilem fortunam, popularium negotium cum tunicis tantùm: quæ tamen haudquaquam tunicatæ eadem ratione, ſed ab habitaculis nomen adeptæ ſunt. Igitur Tabernariæ, quòd cum tabernis ſcenæ diſponebantur. Fuit autem ab his di-

uers

uersum genus Atellanæ, ab Atella Oscorum oppido, natura omnium maximè & iocosa & dicaci. Quare cùm facetias suas in theatra municipij intulissent, id gratiæ sunt assequuti, vt in Vrbem quoque transferrentur. Nihil enim præter visum aucupabantur, etiam in ipsa verborum acerbitate. Cuiusmodi fuit in versu illo, quem recitat Suetonius in Tiberio, cui olido hirsutóque senioris obscœnitas esset exprobrata. Versus fuit:

Hircum vetulum capris naturam ligurire.

Quibus verbis fortasse subest stimulus. Vt capras nominaret: quòd ille in Insula Capreis agebat. Romani igitur inter serias Reipub. tractationes ad animorum refectionem, minime turpe putarunt in vicinorum abire mores. Adeò verò placuerunt, vt tametsi omnia obscœna erant, persona, res, oratio: tamen occœptæ sint sententiæ dicaces à ciuib. agi per ioca versibus inconditis iactata. Quod genus poëmatis, quia ei deerat multum ad iustam Atellanæ magnitudinem, tanquam pars toti conueniens, insertum fuit posteà in Atellanas, atque ex eo facta exordia, quæ causa fuit, vt ij, qui agerent Atellanas, neque histrionum numero adscriberētur, neque tribu amouerentur. Ab argumentis etiam possimus agnoscere differentias: sunt.n. amatoriæ totæ, vt Andria. Calumniatoriæ, vt Nubes, Ranæ. Ciuilis fortunæ, & morum, vt Thesaurus, Captiui, Aulularia: Euenta, vt Phasma, Arcturus: Fallaciosæ, vt Miles, Pseudolus. Alia quoque ratione distinguuntur: alias enim turbulentas & negotiosas agnoscimus, qualis Adelphi: has motorias dixêre. Alias sedatiores, quas statarias idcircò vocant, quòd in iis non ita discurritur. Talis est Hecyra & Asinaria. Aliæ hilares & conuiuales sunt. Cuiusmodi Bacchides. Hæc de Comœdiæ speciebus & differentiis Iulius Cæsar Scaliger. Iam verò etiam quid inter Comœdiam & Tragœdiam intersit, videamus: differunt autem quinque modis potissimum. Primò materia, hoc est, rebus ipsis: nam in Comœdia amores fere & virginum raptus: in Tragœdia luctus, exilia, cædes introducuntur. In Comœdia sunt sales & risus: in Tragœdia perturbationes. Secundò, differunt personis, nam in Tragœdia sunt Heroes, Reges, Principes, &c. In Comœdia, priuati homines, & mediocris tantùm fortunæ. Tertiò, dictione, siue stylo: nam in Comœdia verba sunt non tam atrocia, aut significantia, vt in Tragœdia, in qua affectus atrociores regnant, quos afferunt res grandes: in Comœdia autem mitiores affectus sunt. Quartò, exitu: nam in Comœdia exitus sunt iucundi & læti: in Tragœdia, tristes & funesti, & fortunarum miserabilis commutatio. Illorum exemplum est in Odyssea, horum in Iliade Homeri. Quintò, differunt propria nata in theatro: nam Comœdia socco vtebatur: Tragœdia verò cothurno. Erat autem Cothurnus calceamentum quadrangulum, quod vtriuis pedi æquo accommodari poterat, adeo crassum, vt eius accessione Heroum magnitudinem æquatam prodat. Heroas enim omnes mira fuisse proceritate legimus. Soccus verò erat calceamentum humile, populo commune, à Thracibus acceptum. Quales porò ordines & differentiæ personarum in Tragœdia, quales Comœdia fuerint: qui item gestus & vestitus singularum docet Iulius Cæsar Scaliger lib. 1 Poët. capp. 13. 14. & 15. vnde desumi possunt. Quædam etiam habet Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo 6. Historiæ Poëtarum.

AD CAP. VII. & VIII.

PARALIPOMENA.

Tragicorum primus quis? ornatus sceptrum & cothurnus, Comicorum soccus.

TRagœdia (quæ Græcè δρᾶμα, Latinè *fabula*, censetur. Donat. in prolog. Adelphis.) primum munus fuit deorum laudes simplici choro canere, quod quis primus instituerit, incertum omnino est, & inexploratum, quippe Donatus ad Homerum eius carminis trahit, tanquam ad inuentorem, *qui omnis poëticæ largissimus fons, tragicis carminibus exempla præbuit, & velut quadam suorum operum lege præscripsit, Iliadem instar Tragœdiæ. Odysseam ad imaginem comœdiæ fecisse monstratur.* Platò vetustissimum Atheniensium inuentum esse asseuerat in *Minoe* de cuius progressu hæc à Diogene Laertio notatu dignissima habentur lib. 3. in vita ipsius Platonis. ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγῳδίαν: *nam vt olim Tragœdiam prius quidem chorus solus agebat, postmodum verò Thespis vnum inuenit histrionem, vt chorus interdum requiesceret, secundum verò postea Æschylus adiecit, & tertium Sophocles, atque in hunc modum tragœdia consummata est* M. Fab. Quintil. lib. 10. c. 1. Æschylum repertorem Tragœdiæ esse contendit. Incertus tamen poëta in Anthologia lib. 1. c. 57. epigramm. 22 ὁ ᾖσι, *inuenit*, inquit.

> εὕρετο τραγικοῖο χοροῦ πολυηχέα φωνήν
>
> *Extremæ tragici chori multisonam vocem.*

Denique Q. Horatius in arte poëtica, & eius interpretes, diuersum quiddam ab istis sentit.

Ignotum tragicæ genus inuenisse camenæ
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Quæ de nitidiori cultiorique tantum intelligi debere docet Iulius Cæsar Scaliger poëtic. lib. 1. cap. 6. Aristoteles, in libro de poëtica, & ex eo Critici, quos non exscribo, adi ad Suidam in voce τετραλογίαν, ac si dicas *quadriloquium*. nam Tragici in initio non simplici aliquo carmine, sed quadruplici certabant fabula, singulis annis quatuor Dionysius Lenæis, panathenaicis, & Chytris.

Ornatus tragicorum actorum fortunæ eorum respondebant, qui in scenam inducebantur, erant quippe illi principes, reges, exercituum duces, clade aliqua insigni affecti, aut pristina dignitate deiecti, ob id Tragœdiam ipsam coronatam depingebant, & sceptro manum ornabant. quod miror à nullo animaduersum. P. Ouid. libro 3. Amor. eleg. 1.

Venit & ingenti violenta Tragœdia passu,
Fronte comæ torua, palla iacebat humi.
Læua manus sceptrum late regale tenebat,
Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

Et ibidem loci ipse Ouidius ad elegiam & Tragœdiam,

Altera me sceptro decoras, altéque cothurno,
Iam nunc contracto magnus in orbe sonor.

Et lib. 2. Amor. eleg. 18.

Sceptra tamen sumpsi, curâque Tragœdia nostra
Creuit & huic operi quamlibet aptus eram.
Risit amor, pallámque meam, pictósque cothurnos,
Sceptraque privata tam citò sumpta manu.

C. Claudian. de consul. Manlii Theodori ad finem.

—Alte graditur maiore cothurno.

M. Manil. lib. 5. Astronomic.

Quinetiam tragico præstabit verba cothurno.

Atque vt grandiores essent, regúmque similes magis actores, altè sublevatos calceos, id est *cothurnos* induebantur. C. Plin. lib. 37. cap. 2. de Sophocle *quod quidem miror in tanta grauitate cothurni*. fallitur tamen Isidorus lib. 19. c. 34. qui putat solis tragœdiis conuenire cothurnos, nam & puellarum erant, quas grandiores videri volebant, & viatorum, vt à luto defenderentur, & venatorum, vt infra hoc opere dicetur. frequentior tamen vsus voluit tragicorum esse gestamina. Ennodius Ticinensis præfat. 8. lib. 1. Carm.

Nec mea grandisono flammentur corda cothurno.

Terent. Maurus lib. 2. de Metris.

Et qui cothurnis regios actus leuant.

Q. Horat. lib. 1. Sat. 5.

Non illi larua, aut tragicis opus esse cothurnis.

Sidon. Apollinar. lib. 8. epist. 11.

Soccos ferre tamen nec vt solebat,
Laxo pes nates altus in cothurno.

Vt hos altè eleuati, & suberati ducebant calcei, quo melius exprimerent heroum non gestus modo, sed corporis habitum, ita Comicos pedestris sermo, humiles calcei ornabant. L. Apuleius lib. 3. Floridor. *Ecca non infra soccum, seria non vsque ad cothurnum*. lepidè de villis suis C. Plin. Iunior. lib. 9. epist. 7. *itaque illam tragœdiam hanc appellare comœdiam soleo illam, quod quasi cothurnis, hanc quod quasi socculis sustineatur*, & ob hoc comici planipedes dici possunt, quòd si cum tragicis conferantur, videantur, plano pede agere, & *excalceati* à L. Seneca Epist. 8. comœdi vocitantur. Ioan. Brodæus lib. 2. Miscellaneor. cap. 18. Claudian. lib. proximè citato.

Cui plectro pulsanda chelys, qui pulpita socco
Personat.

D. Auson. Eidyl. 4.

—Percurris pulpita socco

Terent. Maurus loco iam laudato.

Sed qui pedestres fabulas socco premunt.

Vtrumq; scribendi genus coniungunt, soccum & cothurnum, id est Tragœdiam & comœdiam, authores antiqui, idem Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Quæ socci superent risus luctúsq. cothurni.

Auson. etiam Eidyllio citato.

—Soccos ac æque regum.

M. Martial. lib. 8. Epigramm. 3.

An iuuat ad tragicos soccum transferre cothurnos.

Horat. de arte poëtica,

Hunc socci cæpere pedem, grandésq; cothurni.

Capvt IX.

De partibus Comœdiæ, & Tragœdiæ.

Hic

HIs in generè hactenus de Comœdia & Tragœdia expositis, partes etiam earum videamus. Partes Comœdiæ, aliæ legitimæ, vel primariæ sunt, aliæ accessoriæ, aliæ attinentes, quas Philosophi circunstantes nominant. Primariæ partes sunt quatuor, Protasis, Epitasis, Catastasis, Catastrophe: has enim numerat Iulius Cæsar Scaliger, cùm cæteri plerique omnes Catastasin omittant. Protasis est, in qua proponitur & narratur summa rei, sine declaratione exitus: ita enim argutior est, animum sem per auditoris suspensum habens ad expectationem. Epitasis, in qua turbæ aut excitantur, aut intenduntur. Catastasis est vigor ac status fabulæ, in qua res miscetur in ea fortunæ tempestate, in quam subducta est. Catastrophe est conuersio negotij exagitati in tranquillitatem non expectatam. Harum partium communes portiones maiores Actus dicuntur. Verùm non penitùs, neque semper. Actus enim quintus interdum non est pars Catastrophes, sed æqualis ei, simulque cum ea sortitur & initium & finem. Eodem modo & Protasis semper in primo: in secundo enim actu est apud Plautum in Milite glorioso. Est autem actus pars actionis, siue actæ fabulæ, cùm videlicet omnibus personis scena deseritur: & interim chorus aut tibicen populum delectat: quòd cùm videmus, finitum esse actum agnoscimus. Debet autem omnis fabula non plures neque minores quinque actibus continere, vt præcipit Horatius in Arte Poëtica:

Néve minor quinto, neu sit productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

Actuum minores partes sunt Scenæ, quæ sunt mutationes rerum & personarum in actibus. Et quia plures vno actu in Scenam reduci possunt, ideò non habent singuli actus definitas Scenas. De Scenis hoc præcipitur, ne plures personæ in Scenam recipiantur, quàm tres, iuxta Horatij versum:

——Nec quarta loqui persona laboret.

Nam etsi tertia persona, paucissima tamen loquitur, & ferè aliorum dicta ex insidiis suscipit, & occultè respondet. Atque eædem partes sunt etiam Tragœdiæ.

Accessoriæ partes sunt, Argumentum, Prologus, Chorus & Mimus. Argumentum, siue περιοχὴ summam totius fabulæ breuiter recitat. Et hæc noua res est, neque necessaria, nisi iis in fabulis quarum Prologus aliquid agit, neque in Protasi continetur. Prologus, prænarratio quędam est, in qua Poëta rem suam agit. Hic autem non est vniusmodi. Alius. n. argumentum narrat, aut Poetæ consilia in Fabulis, & hic dicitur ὑποθετικός. Alius commendat populo fabulam, vel Poëtam, Græcè συστατικός. Alius est ἀναφορικός, quo aut refelluntur obiectiones aduersariorum, vt in Andria, aut etiam regeruntur crimina, aut populo gratiæ referuntur. Et hic Prologus in reliqua Comœdia nullum locum habebat, nec ad aliquam fabulam pertinebat. Nouum & rarũ est, quod Plautus Mercurium in Amphitruone fecit agere prologum: qui tamen magnam deinde fabulæ partem expedit. Chorus pars est inter actum & actum: vel, pars est post actum introducta cum concentu. Dicebatur autem Chorus multitudo canentium & saltantium cum tibicine: primùm quidem circa aras Deûm, Virgilius lib. 6. Æneid.

Illa chorum simulans, Euantes Orgia circum
Ducebat Phrygias

Quo in loco Seruius ait, Chorum esse multitudinem in sacra collectam. Et in Georg.

Omnis quam chorus & socij comitantur euntes.

Chorus, inquit, propriè est coæuorum cantus, atque saltatio. Solebant enim aras Liberi patris, Deorúmque cæterorum gyrare canentes, atq; saltantes. Et primum ex choro subducta est vna persona, quæ respondens alternis ipsi choro, ampliauit rem Musicam. Deinde altera, tum tertia, postmodùm quarta, tandem plures personæ. Nam in choris numerus personarum non est præfinitus. Omnes enim in voce quasi confusa loquentes, concentum in vnam personam formabant. Constabat chorus tam viris, quàm mulieribus, vt ex Troade Senecæ apparet. Tamen id obseruari solitum erat, vt si mas laudandus esset, viris: si fœmina, fœminis chorus constaret. Præterea, quicquid canebatur, ad argumentum fabulæ, maximè ad actum ipsum, quem distinguebat, oportebat pertinere, auctore Horatio.

Actoris partes (inquit) *chorus officiumque virile:*
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat aptè.

Cæterùm distinguebantur Græcis actus Choro in Orchestram ascendente. Latinis verò, qui Choro carebant, mimis personisque de proscenio in Scenam redeuntibus. Plurima de Choris habet Iulius Cæsar Scaliger lib. 1. Poetices, cap. 11. quæ cùm ad Græcos potissimùm pertineant, hic prætermisimus. De mimis etiam ante diximus.

Attinentes, siue Circumstantes partes sunt, titulus, modi, cantus, saltatio, apparatus, Titu-

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Iungere equos rapidis, que rotis insistere victor.

Denique qui ad Oenomaum retulerint, sunt scriptores non spernendi. Inter quos Ioan. Sauaro Lacunam Corrippi loco laudato sic supplet.

Oenomaum referam primas iunxisse quadrigas,
Et currus armasse nouos.

Confirmat è triplici loco Sidonii sui Carm. 2.

—reparatis Pisa quadrigis
Suscitat Oenomaum, natæ quem fraude cadentem
Cera destituit resolutis axibus obex.

Et Carm. 23. vers. 391.

Quantum auriga suos solebat ille
Reptans Oenomaum tremente Pisa.

Luctacius Placidius consulatur ad vers. 275. lib. 1. Thebaidos Statianæ,

—illic Mauortius axis
Oenomai.

Et ad vers. 243 lib. 4. Thebaid.

——& fractis durat ab vsque
Axibus Oenomai.

Et ad v. 285. lib. 6. Thebaid.

Parte alia victor curru, Neptunia tendit
Lora Pelops.

Lib. 7. Thebaid. v. 416.

—sæuo decurrere campo.
Oenomaum sua Pisa refert.

Idem Stat. lib. 1. silu. 2.

Hanc propter tutum Pisæa lege trementem
Currere, & Oenomai fremitus audire sequentis.

Claudian. libello elegantissimo de laudibus Serenæ.

—nam prouidus obice regis
Prodidit Oenomai deceptus Myrtilus axem.

Narrat fabulam, vt alios omittã, scholiastes Pindari ad oden. 1. Olympicor. πέδησεν ἔγχ@ Οἰνομάου χάλκεον. impedi hastam Oenomai æream, & perstrinxit ode 19. eiusdem operis. Sed tamen, vt ingenuè fatear, non legi vllum authorem, qui Oenomaum quadrigas primum excogitasse scriberet, celebrem fuisse aurigandi peritia omnes loquuntur.

Et quoniam Circenses Romani quædam veluti effigies ludorum Græcorum, & præsertim olympicorum, erant ideò vt in his, ita in istis equorum celebritas probata. C. Plin. Iunior. libro nono epist. 6. *quo magis miror tot millia virorum, tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre, si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla.* petiti aut illi e Sicilia, aut Cappadocia, Iul. Capitol. in Gordianis. *equos Siculos centum, Cappadoces centum permittentibus Imperatoribus factionibus diuisis.* de Siculis seu Agrigentinis Plin. lib. 8. cap. 42. & alij. sed expressius Seruius Maurus ad illud libro 3. Æneid.

Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Culmina, magnanimum quondam generator equorum.

De Cappadocibus C. Iul. Solin. Polyhist. cap. 47. *terra illa* (Cappadocia) *ante alias altrix equorum & prouentui equino accommodatissima est.* isti equi ex Agrigentinis, cùm in Cappadocia omnes interiissent reparati sunt, ex oraculi Delphici præscripto, vt refert Baptista Pius Annotationibus posteriorib. cap. 39. & videtur alludere L. Apuleius lib. 8. Milesior. licet de asino, non de equo diuidendo loquatur. *Is, nimio prafestinandi studio, præconem rogat, cuiatis essem? at ille Cappadocem me, & satis forticulum denunciat.* quem locum aptius Petrus Coluius, de equo, quam Philippus Beroaldus de seruo interpretatur, & legit aliter I. Lipsius, *at ille Cappadocem me satu*, id est gente, *& forticulum denunciat.* & præsertim nobiles velocitate equi, qui in pascuis ad Argæum fluuium enutriti. Claudian. libro 2. in Ruffinum, statim in limine.

—iam pascua fumant
Cappadocum, volucrúmque parens Argæus equorum.

Idem de Laudib. Serenæ vxoris Stilichonis.

—delectus equorum
Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina pastæ,
Semine Cappadocum sacris præsepibus arcent.

Idem in Epigrammate de phaleris equi regij.

Siue illum Armeniis aluerunt gramina campis,
Turbidus Argæa siue niue lauit Halys.

Et de Circensibus equorum cursibus, passim poëtæ. M. Lucan. lib. 1. Pharsal. v. 296.

—quantum clamore iuuatur
Elæus sonipes, quamuis iam carcere clauso
Immineat foribus, pedibusque repagula laxet.

P. Ouid. lib. 2. Trist.

Acer, & ad palma per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Sil. Italic. de Olympicis Græcorum curulib. lib. 15. Punicor.

Sic vbi prosiluit Pisæo carcere præceps
Ante suos it victor equus.

Et de Circensi Romano ludicro lib. 16. Punicor. idem scriptor.

—rursus proponit equorum

Flu-

Fluctuat æquoreo fremitu, rabiéque fauentum
Carceribus nondum reseratis mobile vulgus,
Atque fores oculis, & limina seruat equorum.
Iamque vbi prolato sonuere repagula signo,
Et toto prima emicuit vix vngula cornu,
Tollitur in cælum furiali turbine clamor,
Proniquæ ac similes hortantibus ore sequuntur
Quisque suos, magnáque volantibus iidem
Voce loquuntur equis.

In quibus eligendis notandum est genus suetum obseruari. Martial. lib. 3. epigr. 63. Lipsio eo trahente.

Hirpini veteres qui bene nouit auos.

Stat. lib. 2. silu.

Romulei qualis per iugera circi
Cum pulcher visu, titulis generosus auitis,
Expectatur equus, cuius de stemm ite longo
Fælix emeritos habet admissura parentes.

Vetus lapis.

AQVILO. N. AQVILONIS. HIRPIN. VICIT. CXXX SECVND.

Vide Lipsium Cent. 3. Epist. 26.

P. Ouidius lib. 3. Amor. eleg. 2.

Maxima iam vacuo præco spectacula circo
Quadriiuges æquo carcere misit equos.
Cui faueas video, vinces cuicunque fauebis,
Quod cupias ipsi scire videntur equi.

Primus versus aliter in nonnullis editionibus concipitur, & forte non male.

Maxima iam vacuo prætor spectacula circo.

Nam prætor præerat circensibus, in eisque committebat cursuros, vt hoc opere supra li. 1. Reg. 13. dixi. & firmat D. Iuuenalis Sat. 10. v. 35. Vetus schol. ejusdem ad v. 193. Satyr. 11. *quoniam circensibus illis, quos prætores edunt, vnus est missus, qui ordinarius dicitur, ideo præda caballorum, quia hordeum pro illo die aurigæ tollunt equorum, aut ideo præda dixit, quoniam multi equi frangebantur iisdem circensibus.* Ipse Satyricus.

Præda caballorum prætor sedet.

Ita legit vetus scholiastes, licet in aliis pene omnibus editionibus legatur.

Prædo caballorum prætor sedet.

Ad tentatum Ouidij locum redeo, quem si priori lectione firmandum censeamus intelligenda est tuba, cuius sono committebantur circenses, vt notissimum est, & alij præoccuparunt. P. Virgil. lib. 5 Aeneid.

Inde vbi clara dedit sonitum tuba finibus omnes
Haud mora prosiluere suis.

Sil. Italic. loco proxime supra laudato.

—— vbi prolato sonuere repagula signo.

Simili phrasi Coripp. lib. 2. Num. 8.

Inde dato populi fecere silentia signo.

Papin. Stat. lib. 6. Thebaid.

Iam placidæ dant signa tubæ.

Et eodem lib. v. 406. & Luctatius Placidius ad eundem locum.

Insonuit contra Tyrrhenum murmur, & omnes
Exiliere loco.

Sidon. Apollinar. Carm. 23. vers. 339.

Tandem murmure buccinæ strepentis,
Suspensas tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arua currus.

Retractandus & locus è C. Cæsaris Commentariis de bello ciuili lib. 2. c. 7. *ad eos Curio equitatum, & duas Marrucinorum cohortes mittit, quorum primum impetum equites hostium non tulerunt, & amissis equis ad suos refugerunt.* sed quomodo ad suos redire potuerunt, si equi fuerant *amissi*? Certè ergo legendum est, *admissis equis ad suos refugerunt*, sunt autem equi admissi, qui velocissime aguntur, & admotis calcaribus incitantur, egregie alludit Ouidius lib. 1. de Arte.

Hic modus hæc nostro signabitur area curru,
Hæc erit admissa meta terenda rota.

Et lib. 2. Amor. eleg. 11.

Hæc mihi quam primum cælo nitidissimus alto
Lucifer admisso tempora portet equo.

Equos istos à carceribus, sono tubæ, prætoris arbitratu emissos, vt cuiq; sponsio, aut votum hortamine, sublatisq; in altum vocibus prosequebantur, vnde & *circus clamosus* appellari consueuit. D. Auson. in Ephitaphio equi admirabilis.

Phosphore clamosi spatiosa per æquora circi
Septenas solitus victor obire vias.
Improperanter agens primos à carcere cursus,
Fortis prægressis vt potere vis equis.

Potest & lectio recipi Eliç Vineti, confirmata satis ex iis quæ à me supra dicta sunt.

Phosphore clamosi pannosa per æquora Circi.

L. Sen. Epist. 83. *ecce circensium obstrepit clamor, subita aliqu: & vniuersa voce feriuntur aures meæ, nec cogitationem meam excutiunt, nec interrumpunt quidam fremitum patienti, imo fero, multæ voces, & in vnum confusæ pro fluctu mihi sunt aut vento silnam verberante, & cæteris sine intellectu sonantibus.* quæ pæne ad verbum ex illo mutuatus est Corippus loco citato.

Cunctáque clamosi tacuere sedilia Circi,
Mollior, vt ventis quoties venit aura remotis
Fluctiuagum pelagus quod tempestate mouetur,

Mansuetis planatur aquis.

Dixerat antea de confusis popularis multitudinis applausibus, aut immodicis clamorib.

Exaltata putes placidis benestantibus Euris
Ludere coniferæ frondosa cacumina silua
Et flexis nutare comis, lentóque vicissim
Vertice facundus, hinc, illuc flectere ramos.

M. Martial. lib. 10 Epigr. 53.

Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria circi.
Plausus Roma, tuus, deliciæ que breues.

D. Iuuenalis Sat. 10. v. 144.

Securum iub ant clamoso insistere circo.

Clamores isti à sponsionibus, vt monui, vel à plausu, qui caua manu fiebat, vt ex Corippo, & aliis Bulingerus lib. 1. Theat. ca. 51. obseruat. adde Tacitum lib. 16. in limine. *plebs personabat certis modis plausuque composito.* C. Sueton. in Vitellio cap. 11. & interpretes vt non immerito de priscis ludis dictum sit ab Ouidio lib. 1 de Arte.

——Plausus tunc arte carebat.

Denique quod intrantibus principibus bene precarentur, immodicis, & supra quam dici possit, elatis clamorib. cuius precationis formula à Curopalate, siue Georgio Codino in offic. aulæ Constantinopolit. desumenda est. πολυχρόνιον ποιήσαι ὁ θεὸς τὴν ἁγίαν βασιλείαν σου εἰς πολλὰ ἔτη. *diuturnum faciat deus sanctam imperium tuum in multos annos.* & post πολυχρόνιον ποιήσαι ὁ θεὸς τὴν θεοπρόβλητον καὶ θεοφρούρητον κραταιὰν, καὶ ἁγίαν βασιλείαν σου εἰς πολλὰ ἔτη. *diuturnum faciat deus acceptum deo, & à deo custoditum, firmum sanctumque imperium tuum in multa secula.* in Canone Græci officij principium troparij bene apprecantium legitur. πολυχρόνιον, ac si dicas *multi temporis perpetuitatem.* Et in Constantinopolitana ecclesia finiebatur officium eadem formula, Curopalates eodem lib. pag. 95. sed & stante republica acclamationibus delectati principes. C. Suet in Domitiano cap. 13. *acclamari etiam in amphitheatro epulari die libenter audiit, domino & dominæ feliciter*, alludunt alij scriptores ad fausta illa vota. Sinetas ille Persa, referente Æliano lib. 1. var. hist. cap. 31. βασιλεῦ, φησὶν, Ἀρταξέρξη, δι' αἰῶνος βασιλεύοις. *ô rex, inquit, Artaxerxe, regnes in æternum.* Abrocamas Delphidi apud Aristenætum lib. 2. epist. 21. ἀλλ' ὦ Δελφίδιον ἐμὸν ... ἀγαθὸν, ζώοις ἐπὶ μήκιστον εὖ ζώσα. *Sed ô Delphidium meum, meúmque præoptatum bonum, viuas longum, bene viuas.* T. Calpurnius Siculus Eclog. 4. v. 34. 2.

Cæsar ades seu quis superam sub imagine falsa,
Mortalique lates, es etenim hunc deprecor orbem,
Hos precor æternus populos rege, si sibi cœli
Vilis amor.

Secundus versus mutilus est, & mancus, quem sic posse restitui puto, & legi.

Cæsar ades seu qui superum sub imagine falsa
Mortalique lates æternum, hunc te precor orbem
Hos precor æternus populos rege.

Q. Horat. lib. 1. od. 2.

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini.

Stat. Papin. lib. 1. Thebai. in ipso limine. de Domitiano, Augusto.

Quem nouæ maturi subeuntem exorsa parentis
Æternum sibi Roma cupit.

Corippus African. de Laudib. Iustini Augusti lib. 2. Num. 6.

Iustino vitam totidem vocibus optant,
Augustæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat,
Mille canunt laudes, vocum discrimina mille.
Iustinum, Sophiamq; pares duo lumina mundi
Esse pares regnate pares in secula, dicunt.
Felices annos dominis fœlicibus orant.
Insonuit vox illa diu, tandémque quieuit.

Et eiusdem libri Num. 8.

Ingens lætitiæ sonuit fragor, aurea plebes
Tempora principibus centenis vocibus optant,
Iustino vitam partes vtræque reclamant,
Augustæ Sophiæ votis quam pluribus orant.

Atque vt principes in theatrum aut circum venientes populus læto clamore excipiebat, ita populum Imperatores salutabant, & fœdissimo adulationis genere ei se submittebãt, quod nescio an ab vllo ante Neronem factitatum. is certè, vt scriptum à C. Tacito lib. 16. Annal. in principio. *flexus genu, cætum illum manu veneratus, iudicum sententias opperiebatur ficto pauore.* quod à Suetonio in Claudio 12. proditum, *spectacula edentes voce & manu veneratus est* ad magistratus, qui ludorum commissionibus præerant, non ad plebem spectat ideoque male eo ab aliquibus trahitur, cultissime Claudian. de 6 Honorij consulatu venerationem hanc plebi ad Imperatore exhibitam exposuit.

O quantum populo secreti numinis addit
Imperij præsens species quantámque rependit
Maiestas æterna vicem cum regia, circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus.

Corippus proximè supra nominato.

Vtque sacrato tetigit subsellia vulgo,
Auratum scandens solium.

Victores coronabantur. adi ad volumen multifecæ eruditionis Stephani Paschasij regij ad Heluetios legati, *de coronis.* Petr. Faber. Santorian. lib. 2. Agnostic. cap. 27. inter præconis officia

officia & illud reponitur, ἀνακηρύξαι ἀγωνιστὴν, *prænuntiare, aut proclamare certatorem, seu athletam.* Iul. Pollux lib. 4. Onom. c. 12. locus de Nicodoro pugile est non omnino inelegans apud Ælian. var. hist. lib. 2. c. 23. μακρῷ τοῦτο ἄμεινον πολιτευσάμενος τῇ πατρίδι τοῦ κηρυχθῆναι τῶν ἐν τοῖς σταδίοις. *longe vtiliorem in eo patriæ se præstans, quam cùm victor in stadiis proclamaretur.* Eumenius Rhetor in orat. pro scholis *fortissimi viri in sacris certaminibus, summo labore atque etiam vitæ periculo, solam vocem præconis, & coronæ testimonium petunt.* idque sola præconum voce, *nam antiqui tubas non habebant,* inquit vetus scholiastes. Iuuenalis ad v. 3. Sat. 13. scio & posterioribus sæculis adhibitas denuntiandis declarandisque victoribus tubas. Isacius Tzetzes in Lycophronem. & poëtæ Latini, Græcique Statius lib. 6. Thebaid. v. 556.

——sequitur Sicyonius Aleon
Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena
Phædimus.

P. Virgil. lib. 5. Æneid.

Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat.

Callimachus in fragmentis, quæ extant, Epigram. 12.

Ἄλλοις μὲν κήρυκες ἐπὶ βραχὺν οὔνομα καιρόν.
φθέγξονται, τούτου δ᾽ Ἑλλὰς ἀεὶ σοφίαν.

Vertit Bonauentura Vulcanius.

Namque alios præco exiguos laudabit in annos,
Illius ingenium Græcia perpetuo.

Pindarus sæpissimè. Olympicor. od. 5.

----τὶν δὲ κῦδος
ἁβρὸν νικάσαις ἀνέθηκε, καὶ
ὃν πατέρ᾽ Ἄκρων᾽ ἐκάρυξε.

Tibi vero decus pulchrum victor dicauit, & suum patrem Acronem præconis voce pronuntiauit. qui locus appositissimus est, nam non modo ipsi victores citabantur sono tubæ, sed & patria, genus parentesque publicè dicebantur, hoc illud est, quod C. Plinio dictum, *victores sacrorum agonum patriam suam coronare.* Idem Pindar. Olymp. od. 8 ἐξένεπε, κρατέων πάτραν, *præconis voce promulgauit, cùm vinceret lucta,* Idem eiusdem operis od. 13. ἁδύγλωσσος βοὰ κάρυκος, *dulcilinguis vox præconis.* victores renuntiauit. denique Pythior. od. 1.

---------Πυθιάδος
δ᾽ ἐν δρόμῳ κᾶρυξ ἀνέειπέ νιν ἀγ-
γέλλων Ἱέρωνος ὑπὲρ
καλλινίκου ἅρμασι.

Pythiadis in curriculo præco proclamauit ipsum, nuncium adferens super egregij victoris curribus. Aristophanes in Pluto Act. 2. sc. 5.

ἵνα τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἀεὶ δι᾽ ἔτους πέμπτου
ξυναγείρει,
ἀνακηρύττων τῶν ἀθλητῶν τοὺς νικῶντας,
στεφανώσας,
κοτίνου στεφάνῳ.

Vertit Latine Nicodemus Frischlinus non ineleganter.

Omnes illuc Græcos acciret, victores oleastro
Præconis voce coronari voluit.

Capvt VI.

Quinam fuerint ludi Scenici.

Alterum ludorum genus eorum est, qui dicuntur Scenici à Græco σκηνὴ quod vmbram significat: nam in vmbra fiebant, & ingenij arte exercitabantur. Hos originem à Græcis traxisse, ex Aristotelis Poëtica, Polydoro Virgilio, Lud. Viue, & aliis intelligitur. Qua autem ratione, & quibus de causis Romæ instituti fuerint, eleganter docet Liuius in histo. A. V. C. CCCXXCIX. his verbis: Et hoc, inquit, & in sequenti anno, C. Sulpitio Potito, C. Licinio Stolone Coss. pestilentia fuit, eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis Deûm exposcendæ causa tertio tum post conditam Vrbem lectisternium fuit, & cùm vis morbi nec humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur victis superstitione animis, ludi quoque Scenici, noua res bellicoso populo (nam Circi modo spectaculum fuerat) inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur. Cæterum parua quoque, vt fermè principia omnia, & ea ipsa res peregrina fuit. Sine carmine vllo, sine imitandorum carminum actu ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant. Imitari deinde eos iuuentus simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus cœpêre: nec absoni à voce motus erant, accepta itaque res, sæpiúsque vsurpando excitata. Vernaculis artificibus, quia Hister Thusco verbo Ludio vocabatur; nomen Histrionibus inditum: qui non, sicut antè, Fescennino similem versum, compositum temerè, ac rudem alternis iaciebant, sed impletas modis Satyras, descripto iam ad tibicinem cantu, motúque congruenti peragebant. Liuius: post aliquos annos qui ab Satyris ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet id quod omnes tum erant, suorum carminum actor dicitur cùm sæpiùs reuocatus vocem obtudisset, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem cùm statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente

essent, ex ea extracti, atque asserta libertate, iustum se sibi poema fecere. Hec in lusu, cum postea quædam impensius populo placuissent, ausi sunt seorsum suis auspiciis, quam commouerant, expectionem sustineac, atque in eo laudem quærere, & artificis præterea nomen vendicare. Hos Latini Mimos vocant, ex Publio & Laberio, qui eo in genere excelluêre: & Planipedes ob eam causam quod Cothurno Tragici, Socco autem Comœdi pedes induebant: ipsi autem nudis pedibus agebant. Erat mimorum argumentum apud Lacedæmonios varium, ac ridiculum, veluti imitatio furantium poma quædam. In alio Medici peregrini. Actores appellabantur δεικηλισταί, quod verbum sonat figulos & imitatores. Cæterum Mimi non erant personati, sed fuligine obliti, & agninis amicti pellibus, quæ Pescia dicta legimus in Carmine Saliari. Ibant autem cum canistris & herbis, serpyllo, mentha, violis, hedera, corollis: saltabántque in numerum, atque in honorem Bacchi, cuius more victores hedera coronabantur. Inde procurrentes, obuium quemque subsannabant. Manuum quoque tegumenta gerebant ex floribus confecta, & tunicas albo ad medium distinctas, à cinctura, quam cogebat velum Tarentinum, ad talos demissas. Silentio per ostium ingressi, vbi ad Orchestræ medium euaserant, conuertebant se ad theatrum & loquebantur. Hæc Scaliger. Quædam etiam de Mimis habet Lil. Greg Gyraldus Dialogo 6. Historiæ Poetarum quem vide.

AD CAP. VI.

PARALIPOMENA.

Mimarij vrbani, Coprea, & parasiti, exordij ratio habita in Scenicis, Pantomimi.

SCurras adhibitos in scenam notius est quam vt dici debeat, neque tamen præteriero in duplici genere scurras fuisse, quidam domestici, seu mensarum obsessores, quos parasitos vocant, alij vrbani, seu in scenica admissi ludicra. & ob verborum lasciuiam, gestuúmque turpitudinem populo charissimi. & de primis illis C. Plin. Iunior. lib. 9. Epist. 77. *quereris tibi tædio fuisse quamuis lautissimam cœnam, quia scurræ, cinædi, moriones mensis inerrabant.* Et de iisdem locum insigniter corruptum è C. Sueton o in Tiberio cap. 61. viri eruditi restituerunt, ait itaque ille. *annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quodam conuiuio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subito, & clare, à quodam nano astante mensæ inter capreas, cur Paconius maiestatis reus tamdiu viueret?* quid sibi vult. *stare inter capreas* in Imperatorio conuiuio? monstri hoc simile, recte Leuinus Torrentinus, *à quodam nano astante mensæ inter copreas.* nam dictionem illam Græci vsus ostendit Dio Cocceianus lib. 50. & li. 73. non multum à principio. καὶ ἔπραξε δέ τι τοιοῦτο ἐπὶ τῇ τοῦ Κομμόδου διαβολῇ ἐμάκε ἰσοράξε κοπρίας τινὰς καὶ γελωτοποιούς, αἴσχιστα μὲν τὰ εἴδη αἰσχίω δὲ τὰ ὀνόματα, καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα ἔχοντας ἐπισημωτο.
vertit Guil. Xylander. *contra autem in contumeliam Commodi id fecit, nam cum aliquos adulatores & scurras, quibus facies quidem deformes, sed nomina & instituta vitæ multo erant turpissima, proscripsit.* κοπρίας *adulatores* vertendum putauit, quod in conuiuijs maximus eorum vsus, vt infra paulo expediam, γελωτοποιοὺς *scurras*, mimos, aut eos qui gesticulatione ridicula risum mouerent, accipere oportet. Isidorus Hispalensis in glossis. *scurrula, qui incoprias.* est & alter non minus deprauatus locus in Codice eiusdem Suetonij in Claudio cap. 8. *& quoties post cibum obdormisceret, (quod ei fere accidebat) olearum ac pamularum ossibus incessebatur, interdum ferula flagróve, velut per ludion excitabatur à tropeis, solebant & manibus stertentis socci induci.* vidit difficilem, intricatúmque locum Adrianus Turnebus lib. 22. Aduersar. cap. 32. censuitque legendum *per ludum excitabatur à copreis.* sed qui essent copreæ non explicauit, at Iosephus Scaliger in Fest. libro 17. in voce *scurræ*, erudite, vt sæpe nodum expediuit. Inuenio tamen in Criticis, quibus insolens, & pene incredibile videatur, in conuiuium virorum principum, fœdissimos illos impudicos. & vt Turnebi vtar verbo *stercorarios* admitti. itaque vulgatam retinent lectionem, *à tropeis excitabatur.* quod scurræ qui Claudium percusserant, statim ne deprehenderentur, se verterent, ioculari motu, τρόπω enim est *verto*. alij contendunt lupercos intelligendos, qui *crepi* dicebantur, vt hoc opere à me supra est expositum, horum enim solemnis consuetudo obuios ferulis pelle contectis verberare, quidni & ea licentia, in excitando vsi sint Claudio principe? ergo & restituendum eum locum censent, *à crepis excitabatur.* quod miror placuisse Turnebo libro 27. cap. 19. cum antea aliam è MSS. eruisset lectionē, & probasset. Antonius Sabellicus & Philippus Beroaldus de Capreorum insulæ ciuibus quorum temporibus Tiberij nota fœditas insolentiaque, existimarunt Historicum loquutum, itaq; visum est iis legi debere, *à capreis excitabatur.* sed quis est qui capreas, pro ca-

precensibus vsurpare velit, sine certa scriptoris alicuius antiqui authoritate? Denique Marcellus Donatus Ponzanus dilucidat. pag. 639. vltimus, non pœnitendam sententiam attulit, se suspicari ludi genus denotari, quod astragalis exercebatur, nam astantes aspiciebant scrobem, in quam iactati calculi seu globuli excipiebantur, idque corpore non semel obuerso. & in lexico Græco τρῶπα, redditur, *obuersio ludi genus.* de his scurris vetus glossographus *scurram* exponit [illegible] & *scurrari* [illegible]. D. Iuuenal Sat. 4. vers. 31.

Purpureus magni ructaret scurra palati.

Q. Horat. lib. 1. Sat. 8.

Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti.

C. Lucilius Satyricus, antea corruptus, sic forte poterit non incommode legi. apud Festum corruptus *in scurræ.*

—Cornelius Publius noster
Scipiadæ dicto penitusque interuenit ipsi
Molli, & deliciis luci effigie, atque cinædo,
Et sectatori assiduo, quo rectius dicas,
Ibat forte domum, sequimur multi, atque frequentes.

Scurræ illi & parasiti dicti. vetus scholiastes Iuuenalis ad vers. 4. Sat. 5. *parasiti Cæsaris fuerunt, Appicii e Gabba sub Tiberio Scurra nobilis fuit.* D. Ausonius Epist. 13. Paulo.

Hæc non per vulgum mihi cognita, perque popinas,
Aut Parasitorum collegia Plautinorum.

Desiderari vult explicationem illius versus, in operibus Plauti, quæ hodie extant, Elias Vinetus: At ego Plautinos parasitos puto intelligi, quoscunque ille in Comœdias suas inducit, neque opus est vllam fabulam denotari specialem, per *collegia parasitorum.* satis est modo frequenter parasiti ab eo nominentur. nihil autem iis apud eum crebrius eorum commemoratione. Menechm. sc. *sportulam.*

Parasitus octo hominum munus facile fungitur.

Et in Persa. sc. *veterem.*

Quin parasitando pauerint ventres suos,
Quasi mures semper edere alienum cibum.

Denique in Captiuis sc. *iuuentus* elegantissima est aptissimaque descriptio parasiti.

Quasi cum caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo sibi succo viuunt, ros si non cadit,
Item parasiti rebus prolatis latent,
In occulto miseri, victitant succo suo.
Dum ruri rurant homines, quos ligurriant.

Sed quando de scurris, copreis, & parasitis dicendum, nolim prætermitti & deorum parasitos esse, qui assiduo in templis epularentur. meminit D. Augustinus lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 7. *epulones etiam deos, parasitos Iouis ad eius mensam qui constituerunt, quid aliud quam mimica sacra esse voluerunt?* M. Martial. lib. 9. Epigr. 29.

Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi
Roma, sui famulum dum sciat esse Iouis.

Metus marmor.

L. ACILIO. L. FILIO. PONCVTICLÆ.
NOBILI. ARCHIMIMO. COMMVNI. MVNERE. ADLECTO.
DIVRNO. PARASITO.
APOLL. TRAGICO. COMICO.

Redeo ad *Mimos vrbanos.* satis enim de domesticis dictum. vetus Scholiastes Iuuenal. Sat. 13. vers. 109. *audacia creditur innocens, vt Mimum vrbani scurræ agere, ac irrisione audaciæ videatur. talis est enim mimus. vbi fugitiuus dominum suum trahit.* illis vnica erat cura risum populo commouisse, exclamationibus ridiculis, & gestibus indecoris, id est vultu distorto, dictique ob id *sanniones.* Cornutus, seu verius Pseudocornutus ad Sat. 1. Persij. vers. 72 *tria genera sannarum, aut manu significari ciconiam aut opposito* (malim *apposito*, id est iuxta posito) *temporibus pollice, auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. sanna autem dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cum alios deridemus, inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant.* M. Tull. lib. 2. de Oratore. *quid porro tam ridiculum, quàm sannio est? qui ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso.* Nonius Marcell. cap. 1. Num. 302. *sanniones dicuntur à sanniis, qui sunt in dictis fatui, & in moribus & in schemis quos μωροὺς vocant Græci.* Iuuenal. Sat 6. vers. 302.

—Qua sorbeat aera sanna.

Et *gelasiani* dicti, ab effectu. Sidon. Apollinar. Carm. 13. vers. 302.

Quid dicam citharistrias choraules,
Mimos schœnobatas, gelasianos?

Apollon. Collat. Excidij, Hierosolymit. libro 1.

Laruatosque inter gestu contendere mimos.

Iul. Capitol. in Aelio Vero. *adduxerat secum & tibicines, & fidicines, & histriones, & Mimarios, scurras, & præstigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate, prorsus vt videretur bellum non Parthicum, sed histrionicum confecisse.* addendus Ioannes Saresberiensis li. 1. Policrat. cap. 8. *desidiam prorogant histriones, ex occupatis etenim mentibus surrepunt tædia, seseque non sustinerent, si non alicuius voluptatis solatio mulcerentur, admissa sunt ergo spectacula, & infinita tirocinia vanitatis*

tis, quibus qui omnino otiari non possunt, perniciosius occupentur. Hinc mimi salij, vel saliares balatrones, Æmiliani, gladiatores, palæstritæ, gignadij, præstigiatores, malefici quoque multi, & tota ioculatorum scenæ procedit. qui sint gignadij in scena, & mimicis salicibus, non memini à me lectum. C. Tacit. lib. 16. Annal. *& plebs quidem vrbis, histrionum quoque gestus iuuare solita.* D. Auson. Epigr. 83. ex Lucillio lib. 2. Antholog.

Decepta infælix casus se miscuit arti,
Histrio saltauit qui Capanea, ruit
Idem qui Niobem saltauit saxeus.

Dicuntur iidem & pantomimi: nam cum ex Histria histriones Romam fuissent aduecti, Pylades ex Asia venit, primusque nomen pantomimi vsurpauit, Lucianus, & ante illum C. Sueton. in Augusto. cap. 45. Isidorus Hispal. lib. 18. Etymolog. cap. 48. *histriones sunt qui muliebri indumento gestus fœminarum impudicarum exprimebant, ij autem saltando etiam historias & res gestas demonstrabant, sic dicti, quod ab Histria hoc genus sit adductum.* eadem Festus lib. 6. in *histriones.* In consulatum T. Sulpitij & C. Licinij Stolionis id reiicit Ioannes Cuspinianus in Fastos Cassiodori pag. 159. Suidas in voce Ἀ..., notat libera & stante republica nullum pantomimorum nomen nedum officium fuisse, quod mirum, nisi dicamus rem antiquam, vocabulum nouum sub Augusto accepisse.

De pantomimis vetus scholiastes Iuuenal. ad vers. 178. Sat. 3. *orchestra, spatium in quo saltat pantomimus.* & ad vers. 47. Sat. 7. *spatium in theatro dicit, quod pantomimo saltanti vacat.* Æl. Lamprid. in Alexandro. *Nanos & nanas, moriones, & vocales exoletos & omnia acroamata, & pantomimos populo donauit.* Aurel. Cassiodor. lib. 4. Epist. vlt. *hic sunt additæ horcistarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, clamosum silentium, expositio tacita.* Et paucis interiectis. *pantomimo igitur, cui à multifaria imitatione nomen est, cum primum in scenam plausibus inuitatus aduenerit, assistunt consoni chori diuersis organis eruditi, tunc illa sensuum manus, oculis canorum carmen exponit, & per signa composita quasi quibusdam literis edocet intuentium aspectum, in illa leguntur apices rerum, & non scribendo docet, quod scriptura declarauit: idem corpus Herculem designat, & Venerem fœminam præsentat, & marem regem facit, & militem senem reddit, & iuuenem, in vno credo esse multos varia imitatione discretos.* Saluian. Massiliensis de Gubernat. dei lib. 6. *longum est nunc dicere de omnibus amphitheatris, odeis, lusorius, pompis, athletis, petaminarijs, pantomimis, cæterisque portentis, quæ piget dicere: de solis circorum ac theatrorum impuritatibus loquor.* petaminariorum meminit & Iulius Firmicus Maternus lib. 8. Matheseos c. 15. *petaminarius, ephelmator, orcisopalarius.* Q. Tertullian. lib. de Spectacul. c. 17. *pantomimus à pueritia patitur in corpore, vt artifex esse possit.* Arnob. lib. 4. aduersus gentes *quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa Mimorum atque exoleti generis multitudo?* vetus inscriptio.

M. AVR. AVG. LIB. ACILIO. SEPTENTRIONI. PANTOMIMO. SVI. TEMPORIS. PRIMO. SACERDOTI. SYNHODI. APOLLINIS. PARASITO.

Ex iis, quæ iam dicta sunt à me, non erit operosum poëtas intelligere, qui de hac gesticulatione loquuntur, & vel nutus, vel gestus, vel digitos loquaces de mimica hac omnium personarum effictione, accipere oportet. Cl. Claudian. de consul. Manlij Theodori ad finem.

Nec molles egeant nostri dulcedine ludi.
Qui lætus risum salibus mouisse facetus,
Qui nutu manibúsque loquax.

Sidon Apollinar. Car. 23.

Clausis faucibus, & loquente gestu.

Terentian. Maurus de Metris, seu Verius C. Petronius illicitatus.

At Arbiter disertus,
Tinctus colore noctis,
Manu puer loquaci.

Incertus author, sed elegans mehercule lib. 4. Epigrammatum & poematon veterum, lemma est PANTOMIMVS.

Mascula fœmineo deriuans pectora sexu,
Atque aptas lentum sexum ad vtrumque latus,
Egressus scenam populum saltator adorat,
Solerti pendet prodere verba manu.
Nam cum grata chorus diffundit cantica dulcis
Quæ resonat cantor, motibus ipse probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adstat,
Illustrat verum, cincta decore replet.
Tot linguæ, quot membra viro, mirabilis est ars,
Quæ facit articulos voce silente loqui.

Rectè quidem loqui articulos dixit, quia non modo totius corporis circumacti gestu, nutibusque oblectabant pantomimi, sed præsertim digitis. Aurel. Cassiodor. lib. 2. epist. 10. *hanc partem Musicæ disciplinæ mutam nominauere maiores scilicet, quæ ora clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut scriptura textu possit agnosci.* Isidor. lib. 1. cap. 25. *sunt quædam & digitorum notæ, sunt & oculorum, quibus secum taciti proximique loquuntur, sic mos est militaris vt quo-*

ties consentiat exercitus, quia voce non potest manu promittat. L. Sen. epist. 95. *non est pantomimi de arte saltandi quærere.* Et lib. 7. Nat. quæst. cap. vlt. *in pulpito pantomimorum, viri & feminæ tripudiant*, ergo & saltibus sicuti histriones, & voce, quemadmodum vrbani scurræ, seu Mimi, pantomimi scenam occupabant: licet non semper iidem sint scurræ seu histriones & pantomimi, nam histriones in scæna, Sueton. in Domit. cap. 7. pantomimi etiam alibi. Plin. paneg. *populus ille scenici imperatoris spectator & applausor, nunc in pantomimis quoque aduertatur, & damnat effeminatas artes.* Vlpian. IC. l. 43. §. vlt. *si ponas agitatorem postea factum pantomimum* ff. de Act. empt. Iulian. l. 27. *si libertus artem pantomimi exerceat verum est debere eum non solum ipsi patrono, sed etiam amicorum ludis gratuitam operam præstare.* ff. de oper. libert. ergo non omnes pantomimi seruilis conditionis, quum etiam libertis eam artem exercere permittant leges. & certe maximus iis honor deferebatur, idem Seneca Epist. 47. *ostendam nobilissimos iuuenes mancipia pantomimorum.* & viri senatorij eorum ædes studiose adibant, donec lege cautum, referente C. Tacito lib. 1. Annal. *ne domos pantomimorum senator introiret.* Corrigendus idem ille L. Seneca Epist. 121. *mirari solemus scænæ peritos, quod in omnem significationem rerum & affectuum parata illorum est manus, & verborum velocitatem gestus assequitur.* Turnebus lib. 26. cap. 20. in vetusto codice repererat, *satiant*, & quia nullus erat sensus, existimauit rescribendum, *saltationis peritos.* sed nihil refert, hæcne, an vulgata lectio retineatur, nam *peritum esse scænæ.* quid aliud est, quam mimicam aut histrioniam exercere? elegans adumbratio est apud M. Manilium libro 5. Astronomicorum.

Alternis tamen aptus erit nunc voce poetis,
Nunc tacito gestu, referetq; affatibus ora,
Et sua dicendo faciet, solusque per omnes
Ibit personas, & turbam reddet in vno.
Aut magnos heroas aget, scenisque togatas.
Omnes fiet vnæ vultus per membra reuincet,
Æquabitque choros gestu, cogetque videre
Præsentem Troiam, Priamumque ante ora cadentem
Quidque aget, id credes stupefactus imagine veri.

P. Ouid. Epid. Helenæ Paridi.

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notaui
Signa supercilio pene loquente dari?

Et lib. 1. Amor. eleg. 4.

Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem.

lib. 2. Amor. eleg. 5.

Sermonem agnoui, quod non videatur, agentem,
Verbáque pro certis visa valere notis.

Rectius multo in antiquo codice.

Sermonem agnoui quid non videatur amanti?
Verbáque pro certis iussa valere notis.

Dixerat proxime ante, referens gestus scenicos ad conuiuia priuata.

Non oculi tacuere tui, conscriptáque vino
Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.

Lib. 3. eleg. 10. Amor.

Quid iuuenum tacitos inter conuiuia nutus,
Verbáque compositis dissimulata notis?

Lib. 1 de Arte amandi.

Multa supercilio, multa loquare notis.

Q. Ennius in Annalibus, vt vult Isidor. lib. 1. Etymolog. cap. 25.

Datatim dat sese, & communem facit,
Alium tenet, alij adnutat, alibi manus
Est occupata, alij peruellit pedem,
Alij dat digito literas.

Licet Festus lib. 1. in *adnictat*, Næuio in *Tarentilla* adscribat. Dixi plura ad illud Claudiani lib. 2. in Eutropium, quæ hic nihil opus repetere.

Quis magis enodes laterum detorqueat artus,
Quis voci digitos, oculos quis moribus aptet.

Dictique sales, quod perstringerentur oblique nonnulli ciues, dicam ad cap. 9. huius libri infra.

CAPVT VII.

DE TRAGOEDIA.

TRAGOEDIA à plerisque putatur antiquior Comœdia: verùm Iul. Cæs. Scalig. Comœdiam antiquiorem fuisse, & ex hac ortam Tragœdiam demonstrat: non tamen negat Tragœdiam priùs excultam, quàm Comœdiam esse. Vnde nomen Tragœdiæ sit, inter Grammaticos non conuenit. Diomedes lib. 3. Tragœdia, inquit, vt quidam volunt, dicitur à τράγος & ᾠδὴ, quoniam olim actoribus Tragicis τράγος, id est, hircus, præmium cantus proponebatur, qui Liberalibus, die Festo, Libero patri ob hoc ipsum immolabatur, quia (vt ait Varro) depascunt vitem. Et Horatius in arte poetica.

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

Ali

Alij putant à fęce, quam Græcorum quidam τρύγα appellant, Tragœdiam nominatam, permutatione literarum in aduersum: quoniam olim nondum personis à Thespide repertis, tales fabulas peruncti fęcibus ora agitabant, vt rursum est Horatius testis, ita scribens:

Ignotum Tragicæ genus inuenisse camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Ex quibus versibus intelligimus, hunc Thespin primū pensiles scenas in plaustris circumegisse, addidisséque nudis oribus fæcem pro persona. Alij à vino arbitrantur, propterea quòd olim vinū dictitabatur τρύξ, à quo τρύγητος hodie quoque vindemia est: quia Liberalibus apud Atticos, die festo Liberi patris vinum cantorib. pro co rollario dabatur, cuius rei testis est Lucilius in 12. Hactenus Diomedes. Alij etiam alias quasdam etymologias adferunt, quas hîc omitto. Non tamen repudianda videtur Isaaci veteris Commentatoris Græci coniectura, quæ etiam Aldo Manutio Pauli F. placet. Is. n. Tragœdiam primùm τραχῳδίαν dictam putat, quasi τραχεῖαν ᾠδὴν, quòd esset aspera cantilena, quæ res asperas, difficiles complecteretur: posteà verò vsum hoc nomen, vt multa alia, corrupisse, & pro τραχῳδία, τραγῳδία, dixisse.

Est autem Tragœdia heroicæ fortunæ in aduersis comprehensio: vel narratio & actio repræsentans negotia grauia, & res magnas, & euentus atroces, collata in personas ad hæc negotia idoneas, heroum & regum, imago vitæ honoratæ, & potentiæ, atque principatus in terris. Iul. Cæsar Scaliger definit hoc modo: Tragœdia est imitatio per actiones illustris fortunæ, exitu infelici, oratione graui metrica. Huius species à loco duæ sunt, Græca & Latina, quæ fuit prætextata, qualis erat Nero Senecæ. Ab argumentorum verò generibus diuersæ sunt: nam Callias Atheniensis, qui maior natu quàm Strattis fuit, Tragœdiam fecit, quam Grammaticam nominauit: propterea quòd è literis, & sonum ducebat, & argumentum. Nam chorus nihil aliud quàm saltatio fuit, ex nominibus, & sonis, & temporibus, & rythmis elementorum. Alias species continet Satyros mistos Heroibus, ita vt etiam seueris hilariora misceantur, eiusmodi Polyphemus extat in Euripide. Menedemus Philosophus hoc in genere poëmatis primas tribuit Sophocli, & Achæo. De Tragœdiæ vtilitate notanda Timoclis Comici verba, qui ait, apud Tragœdiam totius vitæ & conditionis esse exempla, atque documenta. Nam si pauper es, inquit, inopiam ferre disces à Telepho: si filij ante diem pereunt, à Niobe: si furor arripuit, furorem sedare disces ab Alcmæone: si oculis captus, à Phinæo cœcitatem, vt à Philoctete claudicationem: sic ab alijs alias æquo animo ferre disces: omnia. n. maiora, quam quibus patitur, infortunia, qui alijs accidisse contemplatur, suas ipsius calamitates æquiùs, faciliúsque ferre consueuit. Est etiam apud Athenæum legere, quæ documenta ex Tragœdia habere possimus. li. 7. & nonnihil apud Aristotelem in Poëtica. Verùm de Tragœdia paulò post plurima dicemus.

Capvt VIII.

De Comœdia, & eius atque Tragœdia differentia, de Cothurno, item & Socco.

Sequitur inter Scenicorum ludorum species Comœdia, quam quidem reliquis antiquiorem fuisse Iul. Cęs. Scaliger sentit. Dicta est Comœdia, quemadmodum scribit Diomedes ἀπὸ τῶν κωμῶν. Κῶμαι enim appellantur pagi, conuenticula rusticorum. Nam iuuentus (vt ait Varro) Attica circùm vicos ire solita fuit, & quæstus sui caussa hoc genus carminis pronunciabat: aut certe à vicis. Nam posteaquam ex agris Athenas commigratum est, & hi ludi constituti sunt, sicut Romæ Compitalitij, ad canendum prodibant, & ab vrbana κώμη & ᾠδῇ Comœdia dicta est: vel ἀπὸ τῶν κωμωδιῶν, i. viculis, quòd ea humilium domuum fortunæ comprehendantur, non vt in Tragœdia publicarum, regiarúmque, vel ἀπὸ τοῦ κώμου, i. comessatione, quod olim in huiusmodi fabulis amantium iuuenum κῶμοι agebantur. Hæc Diomedes. Alij eam dictam volunt ἀπὸ τοῦ κωμάζειν ἐν ταῖς ἀγυιαῖς, quòd in viis lasciuirent, & petulanter luderent. Iul. Cæs. Scal. li. 1. Poet. vbi multa & rara de Comœdia & Tragœdia in medium affert, Comœdiam dictam esse ait ἀπὸ τοῦ ᾄδειν ἐν ταῖς κώμαις, quòd iuuentus opera sua absoluta, & largiori cibo refecta, vacui temporis otio, atque licentia noctis abusa, secum imperiorum, vel heri, vel patroni, vel parentum per pagos (nondum enim in vrbes conuenerant) discurreret. Qui mos cum ipso nomine simul ad Romanos deductus est. Inde lusus, quos vicatim exercerent, aptè Comœdiam dixêre: quoniam non in pascuis, aut in aruis, aut ad tumulos, aut ad aras canerent. Quemadmodum verò in cæteris quoque ita vsu venit, vt tempus artium sit, & lima, & lex, politioribus deinde seculis in artem redacta,

certiſque limitibus præſcripta eſt, itémque conſtituta loca & tempora, in quibus ageretur. A Græcis ad Romanos tranſiit.

Eſt igitur Comœdia priuatę ciuiliſque fortunæ, ſine periculo vitæ comprehenſio. Donatus: Comœdia eſt fabula, diuerſa inſtituta continens affectuum ciuilium, ac priuatorum, qua diſcitur, quid ſit in vita vtile, quid contra euitandum. Cicero Comœdiam eſſe ait imitationem vitæ, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis. Iul. Cæſ. Scaliger ſic definit Comœdiam, quòd ſit poëma dramaticum, negotioſum, exitu lætum, ſtylo populari. Cæterùm Comœdiæ duplex affertur differentia, altera ſumpta à temporibus, altera ab argumentis. Differentia à temporibus ſumpta hæc eſt, quod alia ſit Comœdia vetus, alia media, alia noua. Vetus dicitur ea, quæ primum in vſu fuit, eo videlicet tempore, quo ſummum imperium penes populum fuit. Idcirco licuit illius ſeculi Poëtis, riſum aucupari ex quocũque genere iocorum, ſiue acerbitate aſperſi eſſent. Non enim æquo ſolùm, ſed etiam libenti animo audiebat populus, quę in iudiciũ iniquitates, Prętorum mala, vel facinora, vel euenta, prauorum ciuiũ corruptos mores dicta iacerentur. Id tum impunè fuit maledicis Poëtis, quaſi malæ famæ metu deterriti, componerent animos ſuos à vitiis [illegible], atque appellarent ad frugem bonam. Graſſabatur ergo ea licentia in omnes ordines, ætates, ſexus, conditiones impunè, idque non in tranſcurſu tantùm, ſed integro fabularum tractu, ac primario ſtudio. Quod in Ranis, & in Nubibus conſtat Ariſtophanis. Vexatio autem illa tametſi ſparſim, atque vt ſeſe res daret, exercebatur: ipſi tamen choro potiſſimùm eſt attributa. Habuit autem hæc quoque vetus, ętates duas. Quippe ſub Sannyrione, cuius nomen primùm inter Comicos celebratur, inconditæ partes, ac perſonarum introductiones, neque lex erat earum numero poſita. Primum ferunt Cratinum & partes diſtinxiſſe, & actus diſpoſuiſſe, & ad tres tantùm perſonas numerum adſtrinxiſſe, neque ab eo tam exactè hanc operam poſitam, quam ſtudioſè ſuſceperat: perfectam poſteà ab Ariſtophane. Atticis deinde populi opibus, reductáque illius inſana licentia & inconſtantia ad tyrannicam paucorum libidinem, continuit Poëtas metus potentiorum in officio bene dicendi. Quocirca ſublatus chorus fuit: cuius illæ videbantur eſſe præcipuæ partes, vt potiſſimùm quos liberet, lęderet. Quare cùm cætera nihil mutata eſſent, manſit ſpecies quidem prior, parte tantùm deſiderata: Vnde mediæ nomen ortum eſt non tunc quidem, ſed poſteaquam nouæ Comœdiæ appellatio fuit inſtituta: inter quam & veterem illam quæ intercederet, μέση fuit nominata. Interceſſit autem & tempore, & forma, quando neque huius neque illius faciem repræſentaret: tempore quoq; poſterior fuit ſuperiore, & poſterior prima priore. Quippe noua ſub Alexandro florere cœpit, cuius ætas Oligarchiam ſubſecuta eſt. Chori autem loco παραβάσεις quædam fiebant, in quibus aliorum Poëtarum dicta, ſcriptáq; ſine maleficij crimine, aut pœnæ ſuſpicione irridebantur. Differt autem à veteri noua multis modis: potiſſimùm verò compoſitione. Aſtrictior enim certis legibus tam ad argumenta, quàm ad dictionem. Non enim ridicula dramata in noua, vt ex qualibet materia riſum captet. Quinque partitionibus ſecta tibicinem interſerit. Vocabula noua non fabricat ad riſum, aut ad cauillũ. Et populari ſermoni de medio ſumpto proprior noua fuit apud Græcos. Neque excurrit noua ad alios verſus, ſolis iambicis, aut trochaicis contenta. In veteri multas carminũ ſpecies videmus. Ortam tamen ex antiqua nouam, ſatis apparet ex iis, quæ veteres memoriæ prodidêre. Aiunt enim Ariſtophanem ſcripſiſſe fabulam Cocalum, cuius filum fuerit amuſſis regula Menandro, atque Philomeni ad nouam Comœdiam communiſcendam. Hoc vnum genus Latini quanquam amplexi, atque imitati ſunt, tamen ſecundum ætates Comœdiæ modos quoque à temporibus notauere: quę eis differentias non à ſpecie, ſed à ſtylo conſtituerẽt. Itaque veteres fabulas Liuij Andronici dicimus, Pacuuij medias, Terentij nouas, quia hic poſtremo ſecolo, ille priſco, Pacuuius medio natus eſſet. Andronicus enim primus dedit fabulam, quam Græcorum more docuit hiſtriones, ita vt eſſet in Scena ipſe, atque eos caſtigaret. Nec abſtinuit tamen noua Romanorum à cenſura, atque animaduerſione vitiorum, vt ſæpe eſt apud Plautum. Romanus auſus eſt emollire opicam ſeueritatem, ac nomina ſimul cum moribus inferre in ſcenam è Latio, & deducere in feſtos ludos. Vnde orta fuere genera fabularum, ab ornatu veſtitúve quẽ gererent, nominata. Nam quemadmodum Gręcas Palliatas, à gentis veſte, ita à Romana toga, Togatæ dictæ ſunt. Latinarum igitur ſpecies hæ: Nobiliores, quæ à perſonis primariis, Prætextatæ appellabantur. Erat enim prætexta Magiſtratuum toga, cui purpura prætexebatur. C. Meliſſus, qui fuit ab Auguſto præfectus Bibliothecæ in porticu Octauiæ, edidit nouum genus togatarum, quas Trabeatas appellauit: quemadmodum legimus in lib. de Clari Grammat. Minùs nobiles in quibus Senatores priuati cum togis introducebantur. Vltimum genus capiebat humilem fortunam, popularium negotium cum tunicis tantùm: quæ tamen haudquaquam tunicatæ eadem ratione, ſed ab habitaculis nomen adeptæ ſunt. Igitur Tabernariæ, quòd cum tabernis ſcenæ diſponebantur. Fuit autem ab his di-

uerſa

uersum genus Atellanæ, ab Atella Oscorum oppido, natura omnium maximè & iocosa & dicaci. Quare cùm facetias suas in theatra municipij intulissent, id gratiæ sunt assequuti, vt in Vrbem quoque transferrentur. Nihil enim præter visum aucupabantur, etiam in ipsa verborum acerbitate. Cuiusmodi fuit in versu illo, quem recitat Suetonius in Tiberio, cui olidæ hirsutóque senioris obscœnitas esset exprobrata. Versus fuit:

Hircum vetulum capris naturam ligurire.

Quibus verbis fortasse subest stimulus. Vt capras nominaret: quòd ille in Insula Capreis agebat. Romani igitur inter serias Reipub. tractationes ad animorum refectionem, minime turpe putarunt in vicinorum abire mores. Adeò verò placuerunt, vt tametsi omnia obscœna erant, persona, res, oratio: tamen occœptæ sint sententiæ dicaces à ciuib. agi per ioca versibus inconditis iactata. Quod genus poëmatis, quia ei deerat multum ad iustam Atellanæ magnitudinem, tanquam pars toti conueniens, insertum fuit posteà in Atellanas, atque ex eo facta exordia, quæ causa fuit, vt ij, qui agerent Atellanas, neque histrionum numero adscriberentur, neque tribu amouerentur. Ab argumentis etiam possimus agnoscere differentias: sunt. n. amatoriæ totæ, vt Andria. Calumniatoriæ, vt Nubes, Ranæ. Ciuilis fortunæ, & motum, vt Thesaurus, Captiui, Aulularia: Euenta, vt Phasma, Arcturus: Fallaciosæ, vt Miles, Pseudolus. Alia quoque ratione distinguuntur: alias enim turbulentas & negotiosas agnoscimus, qualis Adelphi: has motorias dixêre. Alias sedatiores, quas statarias idcircò vocant, quòd in iis non ita discurritur. Talis est Hecyra & Asinaria. Aliæ hilares & conuiuales sunt. Cuiusmodi Bacchides. Hæc de Comœdiæ speciebus & differentiis Iulius Cæsar Scaliger. Iam verò etiam quid inter Comœdiam & Tragœdiam intersit, videamus: differunt autem quinque modis potissimum. Primò materia, hoc est, rebus ipsis: nam in Comœdia amores fere & virginum raptus: in Tragœdia luctus, exilia, cædes introducuntur. In Comœdia sunt sales & risus: in Tragœdia perturbationes. Secundò, differunt personis, nam in Tragœdia sunt Heroes, Reges, Principes, &c. In Comœdia, priuati homines, & mediocris tantùm fortunæ. Tertiò, dictione, siue stylo: nam in Comœdia verba sunt non tam atrocia, aut significantia, vt in Tragœdia, in qua affectus atrociores regnant, quos afferunt res grandes: in Comœdia autem mitiores affectus sunt. Quartò, exitu: nam in Comœdia exitus sunt iucundi & læti: in Tragœdia, tristes & funesti, & fortunarum miserabilis commutatio. Illorum exemplum est in Odyssea, horum in Iliade Homeri. Quintò, differunt propria nata in theatro: nam Comœdia socco vtebatur: Tragœdia verò cothurno Erat autem Cothurnus calceamentum quadrangulum, quod vtriuis pedi æque accommodari poterat, adeo crassum, vt eius accessione Heroum magnitudinem æquatam prodat. Heroas enim omnes mira fuisse proceritate legimus. Soccus verò erat calceamentum humile, populo commune, à Thracibus acceptum. Quales porò ordines & differentiæ personarum in Tragœdia, quales Comœdia fuerint: qui item gestus & vestitus singularum docet Iulius Cæsar Scaliger lib. 1. Poët. capp. 13. 14. & 15. vnde desumi possunt. Quædam etiam habet Lilyus Gregorius Gyraldus Dialogo 6. Historiæ Poëtarum.

AD CAP. VII. & VIII.

PARALIPOMENA.

Tragicorum primus quis? ornatus sceptrum & cothurnus, Comicorum soccus.

TRagœdia (quæ Græcè δρᾶμα, Latinè *fabula*, censetur, Donat. in prolog. Adelphis.) primum munus fuit deorum laudes simplici choro canere, quod quis primus instituerit, incertum omnino est, & inexploratum, quippe Donatus ad Homerum eius carminis trahit, tanquam ad inuentorem, *qui omnis poëticæ largissimus fons, tragicis carminibus exempla præbuit, & veluti quadam suorum operum lege præscripsit, Iliadem instar Tragœdiæ. Odyssæam ad imaginem comœdiæ fecisse monstratur.* Plato vetustissimum Atheniensium inuentum esse asseuerat in *Minoe* de cuius progressu hæc à Diogene Laertio notatu dignissima habentur lib. 3. in vita ipsius Platonis. ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγῳδίαν: *nam vt olim Tragœdiam primo quidem chorus solus agebat, postmodum verò Thespis vnum inuenit histrionem, vt chorus interdum requiesceret, secundum verò postea Æschylus adiecit, & tertium Sophocles, atque in hunc modum Tragœdia consummata est.* M. Fab. Quintil. lib. 10. c. 1. Æschylum repertorem Tragœdiæ esse contendit. Incertus tamen poëta in Anthologia lib. 1. c. 57. epigramm. 22 Θέσπιν, *inuenit,* inquit.

Εὗρεν τραγικὴν χοροῦ πολυηχέα μολπήν
Inuenit tragici chori multisonam vocem.

HIs in generè hactenus de Comœdia & Tragœdia expositis, partes etiam earum videamus. Partes Comœdiæ, aliæ legitimæ, vel primariæ sunt, aliæ accessoriæ, aliæ attinentes, quas Philosophi circunstantes nominant. Primariæ partes sunt quatuor, Protasis, Epitasis, Catastasis, Catastrophe: has enim numerat Iulius Cæsar Scaliger, cùm cæteri plerique omnes Catastasin omittant. Protasis est, in qua proponitur & narratur summa rei, sine declaratione exitus: ita enim argutior est, animum sen. per auditoris suspensum habens ad expectationem. Epitasis, in qua turbæ aut excitantur, aut intenduntur. Catastasis est vigor ac status fabulæ, in qua res miscetur in ea fortunæ tempestate, in quam subducta est. Catastrophe est conuersio negotij exagitati in tranquillitatem non expectatam. Harum partium communes portiones maiores Actus dicuntur. Verùm non penitùs, neque semper. Actus enim quintus interdum non est pars Catastrophes, sed æqualis ei, simulque cum ea sortitur & initium & finem. Eodem modo & Protasis semper in primo: in secundo enim actu est apud Plautum in Milite glorioso. Est autem actus pars actionis, siue actæ fabulæ, cùm videlicet omnibus personis scena deseritur: & interim chorus aut tibicen populum delectat: quòd cùm videmus, finitum esse actum agnoscimus. Debet autem omnis fabula non plures neque minores quinque actibus continere, vt præcipit Horatius in Arte Poëtica:

Néve minor quinto, neu sit productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

Actuum minores partes sunt Scenæ, quæ sunt mutationes rerum & personarum in actibus. Et quia plures vno actu in Scenam reduci possunt, ideò non habent singuli actus definitas Scenas. De Scenis hoc præcipitur, ne plures personæ in Scenam recipiantur, quàm tres, iuxta Horatij versum:

——Nec quarta loqui persona laboret.

Nam etsi tertia persona, paucissima tamen loquitur, & ferè aliorum dicta ex insidiis suscipit, & occultè respondet. Atque eædem partes sunt etiam Tragœdiæ.

Accessoriæ partes sunt, Argumentum, Prologus, Chorus & Mimus. Argumentum, siue περιοχὴ summam totius fabulæ breuiter recitat. Et hæc noua res est, neque necessaria, nisi iis in fabulis quarum Prologus aliquid agit, neque in Protasi continetur. Prologus, prænarratio quędam est, in qua Poëta rem suam agit. Hic autem non est vniusmodi. Alius. n. argumentum narrat, aut Poëtæ consilia in Fabulis, & hic dicitur ὑποθετικὸς. Alius commendat populo fabulam, vel Poëtam, Græcè συστατικὸς. Alius est ἀναφορητικὸς, quo aut refelluntur obiectiones aduersariorum, vt in Andria, aut etiam regeruntur crimina, aut populo gratiæ referuntur. Et hic Prologus in reliqua Comœdia nullum locum habebat, nec ad aliquam fabulam pertinebat. Nouum & rarũ est, quod Plautus Mercurium in Amphitruone fecit agere prologum: qui tamen magnam deinde fabulæ partem expedit. Chorus pars est inter actum & actum: vel, pars est post actum introducta cum concentu. Dicebatur autem Chorus multitudo canentium & saltantium cum tibicine: primùm quidem circa aras Deûm, Virgilius lib. 6. Æneid.

Illa chorum simulans, Euantes Orgia circum
Ducebat Phrygias

Quo in loco Seruius ait, Chorum esse multitudinem in sacra collectam. Et in Georg.

Omnis quam chorus & socij comitantur euntes.

Chorus, inquit, propriè est coæuorum cantus, atque saltatio. Solebant enim aras Liberi patris, Deorúmque ceterorum gyrare canentes, atque saltantes. Et primum ex choro subducta est vna persona, quæ respondens alternis ipsi choro, ampliauit rem Musicam. Deinde altera, tum tertia, postmodùm quarta, tandem plures personæ. Nam in choris numerus personarum non est præfinitus. Omnes enim in voce quasi confusa loquentes, concentum in vnam personam formabant. Constabat chorus tam viris, quàm mulieribus, vt ex Troade Senecæ apparet. Tamen id obseruari solitum erat, vt si mas laudandus esset, viris: si fœmina, fœminis chorus constaret. Præterea, quicquid canebatur, ad argumentum fabulæ, maximè ad actum ipsum, quem distinguebat, oportebat pertinere, auctore Horatio.

Actoris partes (inquit) *chorus officiumque virile:*
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat aptè.

Cæterùm distinguebantur Græcis actus Choro in Orchestram ascendente. Latinis verò, qui Choro carebant, mimis personisque de proscenio in Scenam redeuntibus. Plurima de Choris habet Iulius Cæsar Scaliger lib. 1. Poetices, cap. 11. quæ cùm ad Græcos potissimùm pertineant, hic prætermisimus. De mimis etiam ante diximus.

Attinentes, siue Circumstantes partes sunt, titulus, modi, cantus, saltatio, apparatus, Titu-

lus est inscriptio nominis,non à tutando,vt ait Varro,sed ἀπὸ τῆς τιμῆς. Honor enim & titulus idem. Nomen dico tam auctoris quam fabulæ. Quod non pronunciabatur tantum ab eo, qui modos faciebat,sed etiam proponebatur in proscenio. Aiunt quidam , si fuisset vetus Græca fabula auctoris noui opera edita Latinè,fabulæ nomen præponi solitum. Sin esset aliter,autoris nomini fabulæ nomen postponi , quò attentior esset populus ad audientiam ex vetere opinione. Argumentum autem ipsum sub titulo etiam proponi solitum , descriptum grandibus literis,arbitratus Scaliger,atque inde illud quoque argumenti genus excogitarunt,ex cuius versuum capitibus fabulæ nomen legeretur.

Modi sunt quos Aristoteles μελοποιίας nominat:hoc est,modulatio, mensura, aut harmonia cantus,cum affectibus Comœdiæ congruens quæ auctori indicabat, quam vocem in agendo sequi deberet,humilémne,an clatam:ratámne,an tristem. Aliàs,vt volunt. Græcè νόμος dicebatur,quòd statam intendendi cantus rationem,seu legem transcendere non liceret , sicuti iam quoque secundùm mensuram,aut tactum cantus gubernatur. De saltatione & apparatu capite sequenti agemus. Et hæ quidem partes Comœdię.

Tragœdia neque hoc argumentum habebat,neque prologum separatum,sed in persona aliqua ad fabulam pertinente. Habet autem, Tragœdia Chorum,quem nunquam amisit,& loco Mimi Satyram. Cantum quoque communem cum Comœdia partem habet,& Titulum, cum saltatione & apparatu.

Ad Cap. IX.

PARALIPOMENA.

Quam varij scenicorum ludorum cantus, isodium, embolum, epodium, sales, dicterium.

DE partibus legitimis siue comœdiarum, seu Tragœdiarum,supra quam par esset, verbosius Grammatici , tantum hoc loco reuocandum lectori in mentem,à Iosepho Scaligero antea obseruatum, præcipuam in actibus istis cantorum rationem habitam ; nam vel in initio canebant. εἴσοδος, hoc est , *introitus* dictus hic cantus Iulio Polluci lib.14. Onomast.c.15. vel in medio vt chorus requiesceret , & cantiones has ἐμβόλιμα appellabant, quasi *inserta*. nam embolum axem rotis immissum significat , quo tota currus coagmentatio firmatur.ita intermedio illo cantu spectantium, audientiúmque animi reficiûtur,& ad audienda,quæ insequuntur,parantur, denique in fine dramatis ἐξόδια canebantur. Festus lib.5.exponit *exitum*. C.Suet.in Domitiano cap. 10.*occidit & Heluidium filium,quod quasi scenico exodio , sub persona Paridis & Oenones, diuortium suum cum vxore taxasset*. estque cuiuslibet rei quasi finis. Varro, περὶ ἐξαγωγῆς,

— Quod cæperas modo in vi s
Narrare vt ad exodium adducas.

Apud eundem in Hecatombe , *in exodium visæ*. Vnde *embolaria mulier* apud C. Plinium. Iul. Firmic. Maternus li.6 Matheseos, *cum effeminati corporis mollitie cinædos efficiunt,& qui veterum fabularum in scenis,sæpe saltantes imitentur exitus*. vetus schol. D. Iuuenalis ad ver.175. Sat. 3 *exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, vt quicquid lachrymarum atque tristitia coegisset ex tragicis affectibus,huius spectaculi risus detergeret. huius & Lucilius meminit.*

Principio exitus dignus,exodiúmque sequetur.

Ipse Iuuenal.ibidem loci.

— Tandémque redit ad pulpita notum
Exodium.
Vrbi ut exodio risum mouet Atellana
Gestibus Autonoes.

In principio conciliandis auribus,reuocandis animis,& tædio liberandis audiebatur exodium,sed procedente tempore, *in vitium libertas excidit*,vt verba Horatij vsurpem. vtriusque exempla passim , prioris quidem apud Cassiodorum lib. 4. Epist. vlt. *mimus etiam , qui nunc tantummodo derisui habetur , tanta Philistionis cautela repertus est , vt eius actus poneretur in literis,quatenus mundum curis edacib. æstuantem, lætissimis sententiis temperaret.* in margine erat, *lætissimis sententiis repararet*. efficaciori, vt puto,sensu. Interim hic est ille Philistio,qui Imperatore Liberio clarissimus in vrbe fuit,ex Eusebio in Chronic. meminere alij scriptores. D.Hieronym. Apol. contra Rufin. *quasi mimum Philistionis,& Lentuli, ac Marulli stropham eleganti sermone confictam*. Ammian. Marcell. lib. 30. *& iudices patiuntur interdum doctos ex Aristidis illius iusti , & Catonis disciplina productos*. Martial. lib. 2. ep g. 41.

Mimos ridiculi Philistionis,
Et conuiuia nequiora vita.

Ad exodium redeo , quòd in amaram carpendi consuetudinem ex laudabili & iucundo officio abiit. T. Liu. 1. Decad. lib. 7. *ridicula intexta versibus , quæ iuuentus inter se more antiquo iactare cœpit , eaque conserta sunt fabulis potissimum Atellanis.* & de hoc ritu intelligendus Cicero in paradoxis. *histrio si paulò se mo-*

se moueat extra numerum, aut versus pronuntiatus est vna syllaba longior, aut breuior, exsibilatur. versus ille est *dicterium.* Furius Bibaculus apud Macrob li.2. Saturn.cap.1. *iocus in oratione non extat, mihi ex libro Furij Bibaculi notus est, & inter alia eius dicteria celebratur, iocos hoc genus veteres nostri dicteria dicebant.* M. Varronis versus, corrupti in codice Nonij cap.2. sic legantur.

Quam mobile, neque orthopallica attulit psalteria,
Quibus sonant in Gracia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia.

Dicteria hæc seu ioci, quos petulantes mimi ingerebant, sales exponi possunt. Claud. libro toties iam laudato.

Qui lætis risum salibus mouisse facetus.

Martial. lib. 10. epigr 9.

Et multo sale, nec tamen proteruo.

Horat. lib. 2. epist. 2.

Carmine tu gaudes, hic delectatur Iambis,
Ille Bioneis sermonibus, & sale nigro.

M. Manilius lib. 5. Astronomic. *petulantia corda.*

Et sale mordaci dulces quærentia risus.

L. Seneca in Epigrammatis.

Quare tolle iocos, non est iocus esse malignum.
Nunquam sunt grati, qui nocuere sales.

Cantores isti in duplici vsu, vel vt ad psalterium viros præcipuè authoritatis lacerarent, Iul. Paulus IC. lib. 5 Recep. sentent. tit. 4. *Psalterium, quod vulgò dicitur canticum, in alterius infamiam compositum, & publicè recitatum, tã in eos qui cantauerint quam in eos qui composuerint, extra ordinem vindicatur*, vel vt cætum dimitterent. Horat. in Arte poëtica.

Si plausoris eges aulæa manentis, & vsque
Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat.

Capvt X.

De ornatu Scenæ, atque saltationibus.

QVID Scena fuerit, & vnde appellata, diximus capite huius lib. 4. Cassiodorus scribit, Scenam appellari eam theatri portionem, quę inter duo protendatur cornua: quanquam prius non ferè aliud scena erat, quam veluti tentorium ab rusticis inumbrationis causa excitari solitum. Hæ cum primum è ramis ac frondibus constituerentur, cum racemis & corymbis: ac postea casæ cum cellis: postremum magnificè ornatæ sunt. Fuerunt autem tria Scenarum genera, Tragicum, Comicum, & Satyricum. Tragica Scena conformabatur columnis, & fastigiis, signisque, ac regalibus instruebatur rebus. Præterea etiam palatia, regiæ, & turres in ea excitabantur. Comica priuatorum ædificiorum speciem habebat, & mœnianorum. Satyrica ornabatur arboribus, speluncis, montibus, viridariis, & rebus agrestibus, aliis in topiarij operis speciem. Varius deinde ornatus accessit, quemadmodum cap. 4. ex Val. Max. audiuimus. Plura de Scenis, earúmque ornatu videas apud Vitruuium & alios. De Saltationibus iam etiam aliquid dicendum.

Saltationis rationem non fuisse veteribus vulgarem, aut contemptibilem, argumento esse multa possunt: id verò in primis, cærimonias nullas, aut spectacula paulò antiquiora fuisse, quibus non adhiberetur saltatio. Est autem Saltatio nihil aliud quam facultas quædam motibus ac gestibus corporis, artificio quodam, numero, & ratione factis imitandi hominum more affectus & actiones. Quomodo autem hæc per numerosos motus efficeretur imitatio, vnus omnium clarissimè post Aristotelem expressit Plutarc. qui in 9. Conuiual. quæstio. problem. 15. saltationem tres partes habuisse scripsit, lationem, figuram, & indicationem: eò, quia tota ipsa ex motibus & habitudinibus, & quietibus constaret, perinde ac harmonia ex tonis, atque interuallis. Lationem dicit ipse, nil aliud fuisse, quàm motionem affectus alicuius vel actionis, vel potentiæ repræsentatiuam: figuram verò fuisse habitudinem, dispositionémque, in quam motio, siue latio terminabatur: nempe quando saltatores quiescentes secundùm Apollinis, vel Panis vel alicuius Bacchæ figuram dispositi in corporis similibus formis graphicè aliquantulum persistebant: indicationem autem fuisse non propriè imitationem, sed alicuius rei, nempe terræ, cœli, vicinorum numerosis, atque ordinariis motibus, factam declarationem. Quemadmodum námque Poetæ dum imitantur, alias nominibus fictis, alias translatis vtuntur: dum verò indicant, propria nomina vsurpant: similiter saltatores imitantes: figuris & habitudinibus, declarantes autem res ipsas, prædictis indicationibus vtuntur. Porrò vetustissima saltatio sine cantu fuit: deinde cantus est additus: postremo etiam adiuncta instrumenta. Saltationis autem differentiæ summæ sunt duæ, stataria & motoria, pro argumentis fabularum, non quod non vtraque moueatur, sed quòd hæc magis. A quibus species illæ deductæ sunt contentæ, remissæ, seriæ, molles, ridiculæ. Alia verò nomina vel à regio-

lis,quæ ludicris adhibebantur. Dextras autem apud Romanos funeribus dicatas,quia essent graues,cùm tamen in funeribus barbari acutissimis vterentur. Dextras autem & sinistras appellarunt ab lateribus vnde inflarentur, &c. Hæc Scaliger. P.autem Victorius Variar.lect.li. 38.c.22.de iisdem prolixè agens, inter alia vtitur his verbis:Vocabantur tibię dextrę,quę dextra parte oris manuque itidem dextra tenebantur, eodémque pacto sinistræ, quæ contraria parte oris, & manus: dextris verò sinistrisque dicebatur is vti tibicen, qui simul ambas inflaret. Nam hoc etiam fieri solitum aliquando intelligitur ex antiquis monumentis,vt veterum Rom. nummis & lapidibus,in quibus institutum hoc incisum foret, vt fabula etiam, nisi fallor, acta dextris & sinistris: in qua partim tibiarum dextris, partim autem sinistris vsi forent: quarum contrariarum tibiarum sonus sibi in cantu responderet.Hæc Victorius.Cum Scaligero ferè consentit Ald. Manutius Pauli F. cuius verba facere non possum,quin hîc adscribam. Sic autem is lib.3. de Quæsitis per epistolam,epist.4. Dextræ tibiæ erant,quæ dextra histriones spectabant,sinistra scilicet spectatores.Sinistæ contra, quæ sinistra histriones, dextra spectatores. Opinor autem,sinistras grauem sonum reddidisse,dextras acutum. Sinistræ enim ex ea arundinis parte fiebant, quæ proxima terræ nascitur, quæ cùm crassior sit,& foramen latius habeat, quàm quæ longinquior à radice est,grauiorem sonum reddat necesse est:dextræ autem ex superiore arundinis parte fiebant. Testis Plin.li.16.in extremo cap.36.his verbis:Sed tum ex sua quamque tantùm arundine congruere persuasum erat, & eam quæ radicem antecesserat,lęuæ tibiæ conuenire,quæ cacumen,dextræ. Hinc legas: Acta est tibiis dextris & sinistris,id est,sono acuto & grauis tibiis vtrimque constitutis. Vbi autem legitur Parib.dextris & sinistris, Sarranas significat dextrorsum sinistrorsúmque positas, quæ pares vocabantur, quod foraminis cauerna,vt ait Seruius,par erat:ideóque sonum parem reddebant,vt Phrygię impares,quòd cauernam imparem habebant, ex quo sonum reddebant imparem:acutum scilicet partim,& partim grauem.Ex quo Seruius interpretans illud Virgilij lib.9.

O verè Phrygiæ(neque enim Phryges)ite per alta
Dindyma, vbi assuetis biforem dat tibia cantum.

Explanat biformem, dissonum, imparem & dissimilem, iuxta Phrygiarum tibiarum naturam, quæ hoc à Sarranis distabant, quòd vt ait Seruius, cauernam foraminis imparem habebant, vt Phrygiæ; distabant, quod dextræ vnicum foramen habebant,vt sonitu vniformi sonarent:sinistræ verò duo,quorum vnum grauem,alterum acutum sonum reddebant. Quod verò dextrę tibię acutum,sinistræ grauem sonum reddiderint, præter Plinij, Varronis quoque testimonium extat,de Re rust.lib.1.cap.2.quo loco ait:Tibias dextras & sinistras,cum vno eodémque tempore sonarent,vt histrionum vocem sequerentur,alteram incentiuam,alteram succentiuam fuisse:vbi per incentiuam dextram,per succentiuam sinistram intelligit. Idem paulò post:Si Sarranæ pares sunt,& Phrygiæ impares ob foraminis æqualitatem,inæqualitatémque, quod ait Seruius, manifestò patet Sarranas tam dextras quam sinistras esse posse: quales in Andria Terentij fuisse existimo,ideóque in inscriptione legitur,Tibiis paribus,dextris & sinistris,id est,Sarranis. Et in Adelphis,vbi legitur,Tibiis Sarranis easdem opinor fuisse cum paribus dextris & sinistris.Et in Phormione, Tibiis imparibus,explano,Tibiis Phrygiis dextris & sinistris.Hanc opinionem meam id confirmat,quòd nunquam reperi Phrygias aut Sarranas nominatas vnà cum paribus aut imparibus:quod indicio est:Paribus ad indicandas Sarranas,& Imparibus,ad Phrygias satis fuisse.Illud etiam animaduerti,Sarranas Phrygiasq; in vna,eadémque comœdia numquam sonuisse,sed vel has,vel illas:ideóque legitur,Paribus aut Imparibus:nec vnquam vna,Paribus & imparibus. Opinor etiam,vbi legitur, Dextris & sinistris, intelligendum esse non vnam tantùm,sed plures tibias à dextris sonuisse sinistrisque scenæ: aliquandóque sonuisse tantum ex altera parte, quomodo legitur in Eunuchi inscriptione,Tibiis duabus dextris:itaque est in scriptis libris,& rectè:Quo loco dubitaui interdum deesse Paribus vel imparibus:vt ostenderet Phrygiæne,an Sarranæ essent,quod in aliis dixerat,sed posteà,cum neq; Paribus neque imparibus ibi scriptum sit,intelligi debere existimaui,pares potius quàm impares fuisse:Sarranas scilicet potius, quam Phrygias:cùm ęqualis sonus grauior sit,qui Sarranæ us erat:ideoque conuenientior & Romanorum auribus iucũdior. Quod autem dextræ tibiæ sint pares, id patet ex Heautontimorumeni inscriptione,vbi est, Acta primum tibiis imparibus,deinde duabus dextris. Nam si dextrę non eędem sunt cũ imparibus,sequitur pares esse. Pares autem easdem fuisse cum Sarranis,iam diximus.Impares igitur Phrygiæ sunt,à sinistráque sonabant. Ex quo patet Sarranas modò vtrimque sonuisse, túncque dicebant, Tibiis paribus dextris,& sinistris,vt in Andriæ inscriptione:modò dextra tantùm, vt in Heautontimorumeni, vbi ait, Deinde duabus dextris:cùm dixisset iam,Acta primum tibiis imparibus.In Eunucho quoque sonuerunt tantum à dextra:dicit enim Tibiis

duabus dextris. Vbi verò neque dextræ, neque finistræ nominantur, vt in Phormionis Hecyræque inscriptionibus, credendum est ab vno tantùm latere sonuisse: à sinistro scilicet, in Phormione, cùm dicat, Tibiis paribus. Testimonio enim inscriptionis Heautontimorumeno iam demonstrauimus impares, Phrygias scilicet, sonuisse tantùm à parte sinistra. Sarranas verò sonuisse opinor modò à dextra solùm, vt in Eunucho & Heautontimorumeno: túncque in Comœdiæ inscriptione id apertè significabatur, & dicebatur, Tibiis dextris: modò à dextra & sinistra, vt in Andria, vbi tanquam de re, quæ interdum variaret, Dextris & sinistris dicitur. Hæc Aldus Manutius: ex quibus, opinor, satis intelligitur, quænam ratio & differentia tibiarum apud veteres in fabulis fuerit. Plura alia de aliis tibiarum generibus præter Cœlium Rhodiginum colligit Iulius Cæsar Scaliger Poëtices lib. 1. c. 20. Sed de Scenicis ludis hactenus.

CAPVT XI.

Alia ludorum diuisio.

HACTENVS eam ludorum diuisionem explicauimus, quæ à forma sumpta est: quia nimirum alij sunt Circenses, alij Scenici: iam alteram adiiciemus, quæ sumitur à fine. Alij enim sacri erant, alij funebres, quomodo ab initio diuisos fuisse, Tertulianus libro singulari de Spectaculis scribit: His deinde accesserunt votiui, & ij, qui exercitationis causa fiebant: ita vt quadrifariam ludos partiri possimus, alios sacros appellare, alios votiuos, alios funebres, alios ludicros. Sacri dicebantur, qui in Deorum honorem fiebant, quales erant ludi Megalenses, Cereales, Florales, Martiales, Apollinares, Capitolini, Romani, Plebeij, Consuales, Compitalitij, Sæculares. Hi enim singulis suis diis celebrabantur, de quorum aliquibus, à quibus instituti sint, ita scribit Tertullianus: Cum promiscuè ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi Patris manifestè sonabant. Libero enim à rusticis primò fiebant ob beneficium, quod ei adscribunt pro demonstrata gratia vini. Exinde ludi Consualia dicti, qui initio Neptunum honorabant. Eundem enim & Consum vocabant. Dehinc Equitia Marti Romulus dixit, quanquam & Consualia Romulo defendunt, quòd ea Conso dicauerit, Deo, vt volunt, consilij: eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitauit, &c. & paulò pòst: Dehinc idem Romulus Ioui Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos, & Capitolinos, Piso tradidit. Post hunc Numa Pompilius Marti & Robigini fecit. Nam & Robiginis Deam finxerunt: dehinc Tul. Hostilius: dehinc Ancus Martius, & cæteri quoque per ordinem. Hæc Tertullianus. Quinetiam singulas ludorum species singulis diis consecratas fuisse, tum alii docent, tum Saluianus Massiliensis Presbyter lib. 6. de Gubernatione Dei, his verbis: Colitur namque, inquit, & honoratur Mineruа in Gymnasiis, Venus in Theatris, Neptunus in Circis, Mars in Arenis, Mercurius in Palęstris: & ideò pro qualitate auctorum, cultus est superstitionum. Votiui dicebantur, qui ex voto, vel pro victoriis, vel pro bona valetudine edebantur. Funebres, qui in honorem defunctorum exhibebanbantur. Exercitationis causa fiebant Troiani, Castrenses, &c. Cæterùm, quòd ad tres superiores species, attinet, illorum alij erant stati, alij non stati. Et primùm quidem ludi omnes conceptiui, siue indictiui erant, non annales, aut annui, hoc est, non in annos singulos: deinde quidam facti sunt annales, tum stati soli Apollinares. In Kalendario Romano ferè omnes ludi, qui in Deorum honorem peragebantur, vt stati notantur: tum igitur non stati fuerunt funebres & votiui. Sed hæc singula prolixiorem aliquantò requirunt explicationem, quam hic subiiciemus, sumpto initio ab iis, qui in Deorum honorem celebrati fuerunt.

CAPVT XII.

De ludis Megalensibus.

QVINAM Magalenses ludi fuerint, non inter omnes conuenit. Scriptor vitæ Terêtii, siue is Ælius Donatus, siue alius est, Megalenses magnis Diis consecratos esse, quos Græci μεγάλους appellent, ait, & hunc sequuntur tum alii multi, tum etiam Antonius Goucanus I.C. qui etiam, vt hanc sententiam defendere possit, Megalesia, à Megalensibus distinguit. Sed rectè refutatur à M. Antonio Mureto. Non enim Megalenses ludi illi sunt appellati, qui in honorem magnorum Deorum Matri fiebant, & primum quidè n dicti Megalensia, posteà, vt fit, detrita litera in Megalesia. Sic n. Terentius Varro, quemadmodum Iosephus Scaliger legendum existimat: Magalesia dicta a Græcis, quòd ex libris Sibyllinis accersita ab Attalo Rege Pergami, Pesinunte, vbi Megalesion templum eius Deæ, vnde aduecta Romam. Et Festus: Megalesia ludos Matris Magnę appellabant. Quin etiam Liuius ipse, vt de aliis taceam, idem confirmat. Hæc enim sunt eius verba libro vigesimo nono. In ædem victoriæ, quæ est in Palatio, pertulêre Deam pridie Idus Aprilis: isque dies festus fuit. Populus frequens dona Deæ in Palatium tulit: lectisternium, & ludi fuere, Megalesia appellata. Item lib. trigesimo quarto. Megalesia, ludos scenicos, C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo Ædiles Curules primi fecerunt, Quo ex loco etiam illud constat, Aediles Curules hos ludos edidisse, quod etiam ex Cicerone libro 5. Actionis 2. in Verrem, & libro secundo de Legibus manifestum est, vbi inter alia sic scribit: Sunto Aediles Curatores vrbis, annonæ, ludorumque solemnium. Idem ex Asconio Pædiano Cōmentario in Cornelianam Ciceronis, & Dione li. 39 liquet. Fiebant autem hi ludi in Palatio, quod docet Cicero Oratione de Harusp. respon. his verbis. Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum, in ipso conspectu Matris Magnæ Magalensibus fieri, celebrarique voluerunt. Hos ludos per sex dies, à pridie Nonas Aprilis, ad Idus fuisse fasti veteres demonstrant. Nam etsi Deam perlatam esse pridie Idus Aprilis in ædem Victoriæ Palatinæ: eúmque diem festum fuisse cum lectisternio & ludis, qui Magalesia vocati sunt, Liuius dicat: postea tamen eos ludos in pridie Nonas reiectos esse, non est à vero alienum: cum præsertim etiam Ælii Spartiani testimonium accedat, qui cùm 1xx. Idus Aprilis ipsis Megalensibus interemptum Caracallam narret, satis indicat, Megalensium primum diem pridie Idus Aprilis non fuisse, nisi quis mendosum esse Liuii locum, & pro pridie Idus, legendum pridie Nonas arbitretur: ne dissētibus antiquis opinione dubia fluctuemus. Vide Paulum Manutium Commentariis in 2. epistolam, libro secundo ad familiares. De his ludis Herodianus libr. 1. Veris initio, solemnique die pompam Matri Deûm Romani celebrant. In ea, quæ apud quemque sunt diuitiarum præcipua, suppellexque pleraque Imperatoria, materiæ aut artis spectandæ, præferri ante Deam solent. Passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic vt personas induant, quas cuique libitum, nullamque non Magistratuum quoque imaginem, prout cuiusque studium repræsentent, sic vt non temere à falsis veros dignoscas. De turpitudine sacrorum Matris Magnæ Aurelius Augustinus libro secundo de Ciuitate Dei, cap. 5. & libro sexto cap. 26. Plurima de Magalensibus Ouidius lib. 4. Fastorum, ex quo aliquot versus citauimus in Kalendario, reliquos ab ipso pete. Simul etiam repete ea quæ lib. 2. de Dea Cybele. & lib. 3. de Gallis Sacerdotibus Deæ Cybeles & Archigallo diximus. Alexander ab Alexandro lib. 6. Genialum dierum cap. 19. cùm de Megalensium institutione dixisset, hæc subiungit: Ante Deæ simulachrum ludere, matronasque spectatæ pudicitiæ in his psallere, memoriæ datum est. Quibus diebus Romanæ consuetudinis erat, conuiuia, & sodalitates inuicem agere, & comessari victu tamen frugali & modesto: nec die tantùm, sed noctu appellari. Namque hi ludi præcipuè casti, magno fauore spectantium conspicui erant, ad quos seruos adire non licebat: illosque Prætores & Magistratus purpurati in toga & prætexta atque in ornatu maximo celebrarunt: quare purpura Megalensis in vulgi prouerbium venit. Quibus diebus stipem cogere, Ideæ Matris famulos, eosque iustis diebus, ne quis prætcrea stipem cogito, &c. Hactenus Alexander Quorum quædam etiam à Iul. Cæsare Scaligero lib. 1. Poëtices, cap. 29. afferuntur. Quod ad conuiuia attinet, quæ his ludis mutuò agebant, recitatur ab Agellio lib. 2. cap. 24 Senatusconsultum C. Fannio, M. Val. Messala Coss. factum quo iubentur Principes ciuitatis, qui ludis Magalensibus antiquo ritu mutitarent, id est, mutua inter se conuiuia agitarent, iurare apud Consules verbis conceptis, non ampliùs in singulas cœnas sumptus esse facturos, quam centenos, vicenosque æris, præter olus, & far & vinum, neque vino alienigena, sed patrio vsuros, neque argenti in conuiuio plus pondo, quam libras centum illaturos. Quidam hos ludos eosdem cum Romanis esse putant, quos tamen turpiter labi Paulus Manutius docet, cùm Romani à Tarquinio Prisco rege, Megalenses in Republica post multos annos instituti sint: & Romani mense Septembri, Megalenses Aprili darentur, Romani in honorem Iouis, Iunonis & Mineruæ, Megalenses Matris Magnæ Deûm. Romani primum Circenses, deinde etiam Scenici fuerint, Megalenses Scenici tantùm.

Capvt XIIII.

De ludis Cerealibus.

Cerbales ludi dicebantur, qui in honorem Cereris celebrabantur, ducto more à Græcis ex Eleusine, de quibus sacris multa habet Arnobius. In his ludis repræsentabatur à matronis luctus Cereris, ob raptam Proserpinam, & eius peregrinatio cum face quæritantis filiam. Pompa producebatur cum Deorum signis, & ouo. Hi ludi, inquit Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 6. cap. 17. à solis matronis fiebant annis singulis, Romanique in toga candida spectare ludos, mulierésque in veste alba pariter sacrum facere solebant: in quo id fuit obseruatum, vt tunc Diis gratum esse censerent, si à lætis, nec funere pollutis celebraretur: vtque in sacris Cereris ante noctem epuletur nemo, atque à Vino in primis, & Venere abstineant. Vtque quinto quoque anno ex Sibyllinis carminibus prodigiorum causa ieiunium fiat, inter quæ præcipuum fuit, vt sacris initiatos calda abluerent primum, quod castitati prodesse ducerent. Hæc ille, quorum quædam etiam Iulius Cæsar Scaliger habet li. 1. Politices, cap. 32. Et inter alia causam refert, cur Cerealibus ante noctem epulari nefas esset: quia videlicet, prodente idem Callimacho, Cererem extrema affectam fame, ac nihilo secius pertinacius ieiunium perpetuantem, solus vesper flexerit persuaseritque vt cibum caperet. Addit & hoc, cum thensa procederet, si auriga equi lorum leua manu apprehendisset pro pollutis cærimonias istas habitas fuisse. Cum autem hoc sacrum, & hi ludi, à lugentibus peragi non possent, ideo bello Punico secundo, post cladem Cannensem, quia tum lugentibus omnibus matronis intermissum erat, Senatus finiri luctum triginta diebus iussit. Liuius li. 35. vnde Festus scribit, minui luctum, cùm in casto sit Cereris, de quo in Kalendario. Fiebant hi ludi, quemadmodum Kalendarium habet, à pridie idus Aprilis per dies octo in Circo, proximo post Circenses die, quod & Ouidius testatur li. 4. Fast. his versibus:

Circus erit pompa celeber, numeróque Deorum,
Primáque ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi non est opus indice causæ,
Sponte Deæ munus, promeritúmque patet, &c.

Id quod causam erroris præbuit Angelo Politiano, vt opinatus fuerit, Cereales eosdem cum Circensibus capite Miscellaneorum 85. quem errorem notauit Ioan. Ludouicus Viues, & post eum alij. Exhibebantur Cerealibus certamina equestria, vt Dio. li. 47. cùm scripsisset, Ædiles plebis Cereri loco ludorum equestrium, gladiatores exhibuisse, adijcit malum id omen fuisse, quòd statum Reipublicæ popularem euersum iri significauerit. Iisdem Cerealibus etiam missilia, hoc est, nuces, cicer, & alia dabantur, & spargebantur in vulgus ab iis qui ludos exhibebant, ad plausum & populi fauorem captandum. Simius Capito apud Festum, quemadmodum eum locũ restituit Iosephus Scaliger. Præerant his ludis Ædiles, quod vel ex Numis aliquot antiquis constat, in quibus sic legitur: C. Memmius C. F. Quirinus, Memmius Æd. Cerealia primus fecit. Vide Caroli Sigonij scholia in 30. librum Liuij. Cicero libr. 5. actionis 2. in C. Verrem: Nunc sum designatus Ædilis: habeo rationem quid à populo Romano acceperim, mihi ludos sanctissimos maxima cum cærimonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos, &c. Nonnunquam tamen alij etiam Magistratus eos curabant. Nam Liuius lib. 30. scribit, Dictatorem & Magistrum equitum ludos Cereales ex Senatusconsulto fecisse. Sed de his ludis vide plura apud Ouidium, & in Kalendario.

Capvt XV.

De ludis Floralibus.

Florales ludi in honorem Floræ, de qua diximus lib. 2. celebrabantur. Hos Romani instituerunt IV. Kalendas Maij anno Vrbis DXVI. ex oraculis Sibyllæ, vt omnia bene deflorescerent. Plinius libro 18 cap. 29. vbi etiam addit, si in quatriduum illud quod interest inter Robigalia & Floralia plenilunium incidere, fruges, & omnia, quæ floreant, lædi necesse esse. Ouidius lib. 5. Fastorum L. Posthumio Albino, M. Popilio Lænate Coss. quod fuit anno ab vrbe condita DXXC. Floralia instituta esse, his verbis docet:

Conuenêre patres, & si bene floreat annus,
Numinibus nostris annua festa vouent.
Annuimus votis, Consul cum Consule ludos
Posthumio Lænas persoluêre mihi.

Et cùm Floralia primum mense Aprili celebrarentur, posteà in Maium translata sunt, quod Ouidius his versibus ostendit.

Mater ades florum ludis celebranda iocosis:
Distuleram partes mense priore tuas.
Incipis Aprili, transis in tempora Maij.
Alter te fugiens, cum venit alter, habet.

His ludis fœminas, quę vulgato corpore quæstum faciebant, denudari, & pudendis obscœnisque inuelatis, per luxum & lasciuiam currere, & impudicos iocos agere, moris erat: quibus etiam Ædiles cicer, fabas, & alia millilia plebi spargere, leporesq; & capreas, aliaq; mitia animalia ludis admittere consueuerant. Hos in vico Patricio aut proximo celebrabant, noctúq; accensis facibus, cum multa obscœnitate verborum per vrbem currebant, & ad tubæ sonitũ conueniebant. Hæc Alexander ab Alexandro li. 6 Genialium dierum, ca. 8. Lactantius etiam lib. 1. Diuinarum institutionum: Celebrantur illi ludi cum omni lasciuia, conuenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorum funguntur officio: & in conspectu populi vsque ad satietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur. Quare apud Valerium Maximum legimus lib. 2. ca. 5. Cum ludis Floralibus, quos Messius Ædilis faciebat, M. Portio Catone spectante, populus vt Mimæ nudarentur, postulare erubuisset, Catonem, cognito illo ex amico suo Fauonio, è theatro discessisse, ne pręsentia sua spectaculi consuetudinem impediret, populumque cum abeuntem ingenti plausu prosecutum, priscum morem iocorum in Scenam reuocasse: confessum se plus maiestatis vni tribuere, quàm vniuersos sibi vindicare. Introducebantur hisce ludis etiam funambuli elephantes, vti ex Suetonio in Galba, & ex Flauij Vopisci Carino apparet. Dio. lib. 58. scribit. L. Seianum Prætorem Floralibus ad ridendum Tiberium, qui caluus erat, omnia caluorum ministerio ad noctem vsque peregisse: lumen quoque discedentibus à theatro per puerorum rasis capitibus quinque millia præbuisse. De ludis his Ouid. li. 5. Fast. cùm de ipsa Dea multa dixisset, ad ludorum illorum explicationem conuersus ita scribit:

Quærere conabar, quare lasciuia maior
His foret in ludis, liberiorque iocus:
Sed mihi succurrit numen non esse seuerum,
Aptáque delicijs munera ferre Deam.
Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,
Et latet iniecta splendida mensa rosa.
Ebrius incinctis Philyra conuiua capillis
Saltat, & imprudens vertitur arte meri.
Ebrius ad durum formosæ limen amicæ
Cantat, habent vnctæ mollia serta comæ.
Nulla coronata peraguntur seria fronte,
Nec liquidæ vinctis flore bibuntur aquæ.
Donec eras mistus nullis Acheloe racemis,
Gratia sumendæ non erat vlla rosæ.
Bacchus amat flores, Baccho placuisse coronam
Ex Ariadnæo sidere nosse potes.
Scena leuis decet hanc, non est mihi credite, non est
Illa cothurnatas inter habenda Deas.
Turba quidem, cur hos celebret meretricia ludos,
Non ex difficili cognita causa fuit.
Non est de tetricis, non est de magna professis,
Vult sua plebeio sacra patere choro.
Et monet ætatis specie, dum floreat, vti:
Contemni spinam, cùm cecidere rosæ.
Cur tamen vt dantur vestes Cerealibus albæ,
Sic est hæc cultu versicolore decens?
An quia maturis albescit messis aristis:

Et color, & species floribus omnibus inest?
Annuit, & motis flores cecidêre capillis,
Decidere in mensas, vt rosa missa solet.
Lumina restabant quorum me causa latebat,
Cùm sic errores abstulit illa meos.
Vel quia purpureis collucent floribus agri,
Lumina sunt nostros visa decere dies.
Vel quia nec flos est hebes, nec flamma colore,
Atque oculos in se splendor vterque trahit.
Vel quia deliciis nocturna licentia nostris
Conuenit, à vero tertia causa venit.
Et breue prætereà, de quo mihi quærere restat,
Si liceat, dixi: dixit & illa, licet.
Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis
Imbelles capreæ sollicitúsque lepus?
Non sibi, respondit, syluas cessisse, sed hortos,
Arvaque pugnaci non adeunda feræ.
Omnia finierat, tenues secessit in auras.
Mansit odor, posses scire fuisse Deam.

Capvt XVI.

De ludis Martialibus.

MArtiales ludi erant, qui in honorem Martis peragebantur, 4. Idus Maij in Circo, quod testatur kalendarium. Horum ludorum sic meminit Dio libro 56. Hæ tum leges ab Augusto latæ sunt, ludíque extraordinarij ab histrionibus & equitibus acti, Martiísque ludi in foro Augusti (quia circum Tiberis stagno occupauerat) cum equorum decursu quodam, & venatione celebrati. Hi iterum facti ludi sunt, & in Circo iis Germanicus ducentos leones occidit, &c. Celebrabantur etiam ludi Martis kalendis Augusti, teste eodem Dione lib. 60. Quæ, inquit, equestria certamina Kalendis Augusti exhibentur, instituta sunt proptereà, quod ea die Martis ædes consecrata fuit. De ludis Martis etiam Suetonius in Claudio, cap. 4. Collocutus sum Tiberio, vt mandasti mea Liuia, quid Nepoti tuo Tiberio faciendum esset ludis Martialibus. Et paulò infra: In præsentia tamen quibus de rebus Consulis, curare eum ludis Martialibus triclinium sacerdotum, non displicet nobis, &c.

Capvt XVII.

De ludis Apollinaribus.

APollinares ludi in Apollinis honorem celebrabantur, de quorum origine & institutione *Liuius* libro vigesimo quinto hæc prodit, inuentum fuisse carmen Marci vatis perplexo scripturæ genere conceptum: hoc videlicet, Hostem Romani si ex agro pellere vultis, vomicamque quæ gentium venit longè, Apollini vouendos censeo ludos: qui quotannis comiter Apollini: cùm populus dederit ex publico, partem priuati vti conferant pro se quisque. His ludis faciendis præerit prætor is, qui ius populo, plebíque dabit summum. Decemuiri Græco ritu hostiis sacra faciant. Hæc si rectè facitis, gaudebitis semper, fiétque res vestra melior. Nam is Diuus extinguit perduelles vestros, qui vestros campos pascunt placidè. Ad id carmen expiandum (ita enim Car. Sigonius legit, id est procurandum) idem vnum sumpserunt: postero S.C. factum est, vt Decemuiri libros de ludis Apollinis, réque diuina facienda inspicerent. Ea cùm inspecta, relatáque ad Senatum essent, censuerunt Patres, Apollini ludos vouendos, faciendósque, & quando ludi facti essent, XII. millia æris Prætori ad rem diuinam & duas hostias maiores dandas. Alterum S.C. factum est, vt Decemuiri sacrum Græco ritu facerent,

rent, hisce hostiis, Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis: Latonæ, boue fœmina aurata. Ludos Prætor in Circo maximo cùm facturus esset, edixit, vt populus per eos ludos stipem Apollini, quantam commodum esset conferret. Hæc est origo ludorum Apollinarium, victoriæ non valetudinis ergo, vt plerique rentur, votorum factósque populus coronatus spectauit, matronæ supplicauêre, vulgo apertis ianuis in propatulo epulati sunt, celeberque dies omni cærimoniarum genere fuit. Hactenus L. u. Eadem Macrob. lib. 1. Satur. cap. 17. vbi & hoc adiicit, Cum ludi primo Romæ Apollini celebrarentur, ex vaticinio Marci vatis carminéque Sibyllino, repentino hostis aduentu plebem ad arma excitatam hosti occurrisse, eoque tempore nubem sagittarum in aduersarios visam ferri, & hostem fugasse, & victores Romanos ad spectacula Dei sospitalis reduxisse. Sex Pomp. Festus: Apollinares ludos, hoc est, in laudem Apollinis populus laureatus spectabat, stipe data pro cuiusque copia. In his ludis Parasitos Apollinis, qui ita appellabantur, quod ridiculi essent, quemadmodum Ioseph Scaliger libro 2. Auson. lect. cap 19. explicat, in scena dicere consueuisse: Salua res est, cùm saltat senex. Pomp. Festus docet, eiusque moris hanc causam ex Verrio Flacco affert his verbis. Quod P. Sulpitio, Cn. Fuluio, Coss. M Calpurnio Pisone Prætore Vrbis faciente ludos, cùm Romani subitò ad arma exissent nunciato aduentu hostium victoresque in theatrum redissent, solliciti, ne intermissa religione, adferrent, instaurandique essent, inuentus ibi sit C. Pomponius libertinus, minus magno natu, qui ad tibicinem saltaret. Qua de causa gaudio non interruptæ religionis edita voce, post à quoque celebrata sit. Seruius in 3 Æneid paulò aliter de eo more scribit, cuius hæc sunt verba Cum, inquit, iracundia Matris Deûm Romani laborarent, nec eam de sacrificiis, nec ludis placare possent, quidam senex statutis ludis Circensibus saltauit, quæ sola fuit causa placationis, vnde & natum prouerbium est, Omnia secunda, saltat senex. Cum autem hi ludi primùm non stati essent, sed in annum à Prætore vouerentur, diéque fierent incerta, vt ex Liuio libro 26. & 27. intelligitur: anno deinde 1ɔx L v. M. Marcello V. T. Quinctio Crispino Coss. lege ad populum lata constitutum est, vt deinceps in perpetuum & in statam diem vouerentur: qua de re ita Liuius libro 27. Ludi Apollinares Q. Fuluio, Ap. Claudio Coss. à P. Corn. Sulla Prætore vrbano primum facti erant, inde omnes deinceps Prætores vrbani fecerant: sed in annum vnum vouebant, diéque incerta faciebant. Eo anno pestilentia grauis incidit in vrbem, agrosque, quæ tamen magis in longos morbos, quam in perniciales euasit. Eius pestilentiæ causa & supplicatum per Compita tota Vrbe est, & P. Licinus Varus, Prætor vrbanus legem ferre ad populum iussus, vt hi ludi in perpetuum in statam diem vouerentur. Itaque ipse primus ita vouit, fecitque ante diem tertium Nonas Quinctiles, is dies deinde solemnis seruatus. Hactenus ille. In Kalendario tamen Romano referuntur ad pridie Nonas Quinctiles. A quo cum his ludis Prætores ex veteri instituto præessent: tamen apud Dionem libro 43. legimus, anno Vrbis 1ɔ ɔ I x, alterum ex Ædilibus Curulibus, sumptibus C. Cæsaris ludos Apollinares fecisse.

Caput XVIII.

De ludis Capitolinis.

Capitolini ludi dicti fuerunt, quòd in honorem Iouis Capitolini pro seruato Capitolio ab hostibus Gallis Senonibus instituti essent, & celebrarentur. Ostendit hoc Liuius lib. 5. vbi cùm de Camillo scripsisset, quomodo quæ ad Deos immortales pertinerent, ad Senatum retulisset, inter alia cum hæc quoque retulisse. Senatusque consultum fecisse dicit, vt ludi Capitolini fierent, quod Iupiter Opt. Max. suam sedem atque arcem populi Romani in re trepida tutatus esset: collegiumque ad eam rem M. Furius Dictator constitueret ex iis qui in Capitolio atque arce habitarent. Et paulo post: Camillus verba ad populum faciens, eique oratione suadens, ne deserta Roma Veios commigrarent, inter cætera sic loquitur: Aio Locutio templum propter cœlestem vocem exauditam in Noua via, iussimus fieri, Capitolinos ludos solennes aliis addidimus, collegiumque ad id nouum auctore Senatu condidimus. Hæc Liu. His ludis præconis voce Sardianos venales proclamari, & senem quendam ludibrij gratia produci, solitum bullam collo appensam gerentem puerilem. Plutarch. habet in Quæst. Rom. quæst. 53. Eiusque moris causam, in qui- ens, ait, id eum fortasse ob causam fieri, quòd cum Veientes Etruscorum populus per longum tempus Romulo bello restitissent, Romulus hanc vltimam vrbem ceperit multosque captiuos sub hasta vendiderit vnà cum ipsorum Rege, fatuitatem eius & stultitiam deridens. Cùm enim Etrusci à Lydis originem trahant, & Lydorum primaria vrbs sit Sardes, ideirco, inquit, Veientes Sardianorum nomine proclamant, & in hunc vsque diem ludicri gratia morem

iustum conseruant. Quod idem ferè etiam Festus docet cuius locum ea de re, quemadmodum à Iosepho Scaligero restitutus est huc adscribam. Sardi venales, inquit, hoc est, alius alio nequior: ex hoc natum prouerbium videtur, quòd ludis Capitolinis, qui fiunt à vicanis prætextatis, auctio Veientum fieri solet: in qua nouissimus is, qui omnium deterrimus, producitur à præcone in medium senex cum toga prætexta, bullaque aurea, quo cultu Reges soliti sunt esse Etruscorum, qui Sardi appellantur: quia Etrusca gens orta est Sardibus ex Lydia, &c. Vicanos Festus, vt idem Scaliger docet, magistros vicorum, qui etiam si Magistratus non erant, ludos tamen faciebant prætextati.

Præter hos verò Capitolinos ludos etiam alij erant, qui singulis quinque annis celebrabantur instituti à Domitiano Imperatore, qui alio nomine Agones Capitolini appellantur, de quibus ea huc referam, quæ diligenter, vt solet, vt solet, collegit Iosephus Scaliger libro 1. Auson. lect. cap. 10. vbi sic scribit: Agones Capitolini primum à Domitiano instituti sunt die XXII. eius, & Sergij Cornelij Dolabellæ Consulatu, exemplo ludorum Olympicorum. In iis agonibus omne genus artifices certabant. Nam & Citharœdi Iuuenalis.

An Capitolinam speraret Pollio quercum.
Quid Tarpeias licuit contingere quercus.

Item & Poetæ Martialis:
& Histriones, vt patet ex hac inscriptione.

L. SVRREDI L. F. CLV.
FELICIS.
PROCVRATORI. AB.
SCAEN. THEAT. IMP.
CÆSAR. DOMITIAN.
PRINCIPI
CORONATO. CONTRA.
OMNES. SCÆNICOS.

Vides eodem principe, qui hos ludos instituerat, histrionem coronatum. Illud, contra omnes Scænicos, manifesto significat certamen & contentionem. In eo agone, Statius post incredibilem totius vrbis expectationem tandem Thebaidem suam recitauit, sed non potuit, & contra eum alij coronati fuerunt. Id quod ipse non vno loco in Syluis conqueritur, sed in primis in epicedio patris. Vnde locus Iuuenalis Grammatici non bene perpensus explicatur.

—Sed cùm fregit subsellia versu
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agauen.

Nam satyricè dicit, eum fregisse subsellia versu, quòd, vt Comici loquuntur, recitans non steterit, sed excidit, hoc est, non placuit. Cuius rei vel ipsum Statium testem producere possumus, qui in Syluis hæc innuit non vno loco, vt iam dixi. Caueli sis eos fundas agonem Albanum cum hoc Capitolino. Vterque enim institutus à Domitiano. Sed nobilior Capitolinus: adeò, vt Romæ non per lustra, vt antea magnum annum, vt vocabant, sed per Capitolinos agonas supputarent. Quod à Domitiani institutione vsque ad tempora sua obtinuisse Censorinus scribit. Cæterum semper agon ipse mansit Romæ: vt in eo Poëtæ, Rhetores aliarumque professionum homines coronarentur ab ipso Imperatore. Neque puto aliunde Poetarum laureatorum morem manasse. Nam & ipsi antiquitus ab ipsis Cæsaribus Germanis coronabantur, magnoque in precio habiti semper apud Italos & Germanos, qui id honoris virtute ingenij consecuti erant. Sed in veteribus agonibus Capitolinis, qui vicerant, corona & ramo lemniscatis aut torque inuolutis donabantur. Nam qui secundi erant, eorum coronæ & palmæ sine lemniscis erant. Id vel ex ipso Ausonio cognoscas licet:

Et quæ iam dudum tibi palma poetica pollet
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

Sed melius Sidonius, quanquam non de agone Capitolino loquitur.

Hic mox præmiis æquus imperator
Palmis serica torquibus coronas
Coniungi, & meritum remunerari. Nam coronis torques, & palmis serica, hoc est, serica-

sericatos lemniscos coniungi vides, quamquam, vt dixi, de aliis ludis, aliáque re loquitur. Vides tamen amplificata præmia pro ratione meritorum. Hactenus Scaliger.

Capvt XIX.

De ludis Romanis.

QVt Romani ludi fuerint, docet Asconius Pędianus in actionem I. in Verrem his verbis: Romani ludi sub Regibus instituti sunt, magnique appellati, quòd magnis impensis dati sunt: tunc enim primùm ludis impensa sunt ducenta millia nummûm. Alii ideò magnos ludos dictos putant, quòd Cōso, Consiliorum secretorum Deo, id est Neptuno Latium regi, & rerum conditarum; & Diis magnis, id est Laribus vrbis Romæ, dati sunt: quibus aiunt raptas Sabinas esse, vt videatur propter hoc dicere Virgilius: Magnis Circensibus actis. Nam & magni & Circenses iidem sunt, &c. Quod Asconius scribit, ideò magnos hos ludos dictos esse, quòd Conso, id est, consiliorum secretorum Deo, id est Neptuno, &c. dati sint, nescio quàm verum sit, cùm Liuius illos ludos Consualia appellatos lib. 1. scribat: cui etiam Varro li. 4. de lingua Latina, Tertullianus li. singulari de spectaculis, & Sextus Aurelius Victor assentiuntur: quod etiam monuit Titus à Popnia notis in Asconium. De Romanis verò ludis lib. 1. Liuius in historia Tarquinii Prisci V. Romanorum Regis ita scribit: Bellum primum cum Latinis gessit, & oppidum Appiolas vi cepit: prędaque inde maiore, quàm quanta belli fama fuerat, reuecta ludos opulentiùs, instructiúsque, quàm priores Reges, fecit. Tùm primùm Circo, qui nunc Maximus dicitur, designatus locus est, loca diuisa Patribus, equitibúsque, vbi spectacula sibi quisque facerent, Fori appellati. Spectauēre furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. Ludicrum fuit, equi, pugilésque ex Etruria maximè acciti, solennes deinde annui mansēre ludi, Romani, Magníque variè appellati. Atque hi ludi primùm a Regibus, quemadmodum ex Liuij verbis manifestum est, edebantur, tum à Consulibus, vti verisimile est, cùm ij in Regum locum successerint, inde ab Ædilibus Plebeiis, tandem à Curulibus, postquàm ij creati fuerunt, in honorem trium magnorum Deorum, Iouis, Iunonis, & Mineruæ, quod vel ex vno Cicerone satis constat, qui libro quinto actionis 2. in Verrem hæc dicit: Nunc designatus Ædilis, habeo rationem, quid à populo Romano acceperim, mihi ludos sanctissimos, maxima cum cærimonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos, mihi Floram matrem populo, plebique Romanæ ludorum celebritate placandam, mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani appellati sunt, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæque esse faciendos. Hi verò ludi primùm Circenses erant, quod ex verbis Liuii paulè antè à nobis citati manifestum est: deinde verò etiam fuerunt Scenici, vt idem Liuius docet, tum alibi: tum lib. 31. vbi sic scribit: Ludi Romani Scenici eo anno magnificè, apparatéque facti ab Ædilibus Curulibus, L. Valerio Flacco, & L. Quinctio Flaminio biduùm instaurati sunt. Cæterùm cùm hi ludi primùm vno die, posteà biduo, & item triduo peragerentur, tandem plures dies iis sunt tributi. Fasti quidem veteres nouem continuos dies: à pridie Nonas Septembris, vsque ad pridie Idus celebratos eos fuisse docent: post quos biduo interiectis, alios ludos Romanos in Circo per quinque dies habitos, iidem testantur. Hos tamen Paulus Manutius Commentariis in actionem primam Verrinam, institutos esse arbitratur post illud tempus, quo Verres est à Cicerone accusatus.

Capvt XX.

De ludis Plebeiis, Compitalitiis, Augustalibus, & Palatinis.

LVdi Plebeii, scribit Asconius Pædianus in actionem I. Ciceronis in Verrem, sunt, quos exactis Regibus pro libertate plebis pòst fecerunt Romani, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in montem Auentinum. Alij eos post primam plebis in sacrum montem secessionem primùm editos scribunt. Hos Ædiles plebis edebant, vti ex Liuio non vno locó intelligitur. Fiebant autem in Circo à d. xvii. Kalendas Nouembris per triduum, vt testantur veteres Fasti. Atque in his ludis obseruabatur, vt quoties instaurarentur, ab Ædi-

libus ludorum causa epulum daretur. Errant qui hos eosdem cum Romanis fuisse opinantur. Sed de his hoc loco non ero prolixior. Restant de ludis, qui in Deorum honorem acti sunt, Consuales & Compitalitii.

De ludis Consualibus, cùm in Kalendario dixerimus, non necesse est ea hîc repeti.

De ludis Compitalitiis hæc Iulius Cæsar Scaliger libro 1. Poëtices, cap. 28 scribit: Ante vrbem designatam à vicorum compitis, in quibus agitabant agrestes, ludi & facti & dicti Compitalitii: intermissi deinde ad Seruium vsque Regem, ac per vicorum Magistros instaurati, quemadmodum à L. Pisone iterum curatum est, vt per eosdem magistros, qui cum Præfecti nominati sunt, restituerentur. Tandem sublatis Collegiis ipsi pariter aboliti sunt. Meminit Compitalitiorum ludorum etiam Suetonius in Augusto cap. 31. De Compitalibus in Kalendario quoque diximus.

Ad hos ludos, qui in Deorum honorem celebrarentur, Augustales quoque & Palatinos referre non incommodè possumus, cùm etiam Augustus, in cuius honorem acti illi sunt, post excessum ex vita pro Deo fuerit habitus. De iis verò Dio libro quinquagesimo sexto extremo, vbi de honoribus Augusto decretis loquitur, inter alia hæc habet: Decretum porrò est, inquit, ne qua eius imago vllo in funere ferretur, vt natalitiis eius ludis Consules, quemadmodum Martis fieri solitum, præmia certaminum proponerent. Augustalia Tribuni plebis tanquam sacri celebrarent. Itaque omnia reliqua eo, quo consueuerant fieri, more peregerunt: veste triumphali ludis Circensibus vsi: currum tamen non conscenderunt. Præter hæc in Palatio Liuia peculiares ludos in honorem Augusti fecit, qui ipsi quoque secundo loco ab imperatoribus exhibentur. Et paulò post: Eo tempore plebs tumultuata est, cùm Augustalibus quidam histrio nollet pro constituta mercede in theatrum intrare: nec finis ante turbarum fuit, quam ea ipsa die Tribuni plebis coacto Senatu precibus impetrarunt, vt liceret sibi maiores aliquantò, quam legibus permitteretur, sumptus facere. Palatinorum ludorum etiam Suetonius meminit in Caligula, cap. 56.

Capvt XXI.

De ludis Sæcularibus.

Celeberrimi apud Romanos ludi erant Sæculares, sic dicti quòd post centum annos fierent, quia Sæculum in centum annos extendi existimabant, de quorum origine Valerius Maximus libro secundo cap. 4. multa habet, quæ legere potes. Angelus Politianus Miscellaneorum cap. 58. ex Zosimo & aliis hæc de ludis Sæcularibus affert. Quum bellum inter se Romani, Albanique gererent, & vtraque in procinctu iam staret acies, extitit repente quidam monstrosa specie, pelle amictus furua, vociferans Iubere Ditem Patrem, Deámque Proserpinam fieri sacrum sibi priùs quàm prælium committeretur. Quo perterrefacti viso Romani protinus aram sub terra ædificarunt, & statim sacrificio facto pedum viginti aggere contexerunt, vt esset omnibus, præterquam Romanis ipsis ignorabilis: Sed enim euenit, vt Valesus Valesius, vnde nomen & origo Valeriæ familiæ, clarissimus in gente Sabina, & locuples, homo rusticæ vitæ aram hanc, quam diximus, ita diuinitus inuenerit. Erat ei nemus ante villam proceris maximè arboribus, quæ statim fulmine ictæ conflagrarunt. Nec multò post, filii duo & filia correpti pestilentiæ morbo ad desperationem vsque Medicorum laborât. Cùm sese igitur Laribus familiaribus aduoluens pater, pro liberorum salute suum, matrisque puerorum capita deuoueret, vox è nemore, quod tactum de cælo, statim audita, saluos fore eos spondens, si Tiberi ad Tarentum peruecti, calfactam Ditis & Proserpinæ foco de fluuio ipso biberent aquam. Quoniam verò longissimè abesse, Tarentum, scilicet in extrema Iapygia, nec proximè eam vrbem reperiri Tiberim vllum fluuium sciebat, spem sibi deterrimam fingebat, etiam inde territus, quòd inferarum potissimùm vox illa potestatum meminisset. Sed impositos nihilò seciùs in lintrem filios Hostiam pergens, mox ad campi Martii regionem deuexit: ibi recreare sitientes, & æstu febrique laborantes desiderans, qua placidissimè amnis labitur, exponit in ripa ægrotos, ac dum tumultuariam sibi tegeticulam concinnat, extincto igniculo, admonetur à gubernatore petendum potius Tarentum (nam ita locus in proximo vocabatur) etenim fumum esse illic aspicere. Tum verò lætior audito Tarenti nomine Valesius, Deos adorans, & salutem sibi liberorum iamiam propemodum bona fide spondens, agi prorsum iubet, & illuc maximè nauigium appelli. Quò cum peruenisset, haurit aquam festinatò de flumine, fretusque omine tenaciùs arrepto, fumigans ibidem solum flatu solicitat in flammam, cale-

factám-

factámque mox aquam porrigit in calice pueris. Succedit autem potui somnus. Vident in quiete illi, spongia sibi à nescio quo detergeri morbum, cum præcipi, vt Diti patri, & Proserpinæ, furuæ ibidem mactarentur hostiæ, trinoctiúmque perpetuum choris & carminibus concelebrarentur. Surgunt igitur recuperata valetudine, visúmque illud patri renunciant. Is homo locuples defodi iaciundis altè fundamentis humum iubet. Inuenta igitur sic ara est ea, quam diximus, cum titulo Ditis & Proserpinæ. Mactat ille (quod erat iussus) furuas continuò victimas, & trinoctium sacris frequentat: tot enim numero filios media de morte receperat, ea eóque Manius Valerius Tarentinus appellatus: quòd à Diis Manibus in Tarento liberûm suorum valetudinem impetrauisset. Ad hunc igitur modum quidam tradiderunt. At enim M. Varro lib. de Scenicis originibus 1. Cùm multa, inquit, portenta fierent, & murus ac turris, quæ sunt inter portam Collinam, & Exquilinam, de cœlo tacta essent, & ideò libros Sibyllinos Quindecimuiri adiissent, renunciauerunt, vt Diti patri & Proserpinæ ludi Tarentini in campo Martio fierent, tribus noctibus, & hostiæ furuæ immolarentur. Hactenus de origine. Sæculares autem, non quia fierent anno vel centesimo denique, vel etiam centesimo decimo [illegible] nuncupati: quod vtrumque sicut assertores habet, ita se ipso penitus coarguitur, sed ob id magis credi potest, quòd plerunque semel hominis ætate fierent, vt multa alia, quæ rara sunt, post seculum euenire loquentium consuetudo vsurpat. Tarentini autem id loco ipso qui Tarentus ob id vocatur, aut quòd ara ibi Ditis patris (quemadmodum supra diximus) in terra occultaretur, aut quod ripam Tiberis fluuius eo loco terreret, ex quo etiam Rumon dictus à veteribus, & in sacris Serra nominatus, quòd ruminaret, hoc est, exederet, & secaret ripas. Vnde ait Maro:

Stringentem ripas, & pinguia culta secantem.

Cæterùm de temporum interuallis, quibus isti ludi referrentur, fides in ambiguo est. Siquidem in carmine Seculari Horatius vndenos decies per annos fieri declarat, quòd & Commentarij Quindecimuirorum, & diui Augusti edicta & ipsius denique Sibyllæ, quod adhuc extat, oraculum confirmauerint. Contra verò Centesimum redire post annum, tàm Valerius Antias, quàm Titus Liuius, & item M. Varro testari perhibentur. Quòd enim legimus apud Herodianum trium spacio ætatum solitos instaurari, vereor vt emendata sit ibi lectio, nostrámque ob id è Græco interpretationem cum venia legendam censeo. Nec autem (si tempora dinumeres) aut quanta interualla retrò fuerint, aut quanta esse debeant, omninò colligas. Instituti autem primi Seculares ludi post exactos Reges à P. Valerio Poplicola, qui primus Consul fuit, existimantur. Etenim laborantibus pestilentia ciuibus, apud hanc ipsam quam diximus, aram, publicè nuncupatis votis, atrum bouem Diti pro maribus, concolorem pro fœminis, iuuencam Proserpinæ mactauit, ludósque & lectisternia trinoctiu fecit, & arā terra, sicut antè fuerat, exaggerata occuluit, inscriptam titulo isto: P. Valerius Poplicola frumentarium Campum Diti, & Proserpinæ consecrauit, & ludos Diti & Proserpinæ Romanorum salutis ergò fecit. Secundo & quinquagesimo post Romam conditam factos anno admonitu Sybyllinorum carminum, tradit Græcè Zosimus, missis occupata morbo ciuitate lectis ad hoc viris, qui libros consulerent: ex quorum responso, denuo regesta humo apud aram hanc ipsam in extremo campi Martij de more sacra & ludi persoluti, restitutáque Romanis iterum est incolumitas. Consulem verò scriptor hic vnum duntaxat, exemplario fortasse mendoso, M. Publiū Quintium nominauit, cùm Censorinus M. Valerium & Spurium Verginium Consules prodat. Idémque tertios, & item quartos Consulum temporibus, quos & nominatim citat autoritatibus Antiatis Valerij, Titi Liuij, Varronis, Pisonis, Agellij, & Heminę comprobat factos, etiámque Cōmentarios Quindecimuirûm sacris faciundis in testimoniū adsciscit. At enim quoniam lubricus in propriis nominibus, & item in numerorum notis librariorum lapsus, viciata ista (ni fallor) in Cēsorini Commentario reperies. Cæterùm diuus Augustus abolitos eos paulatim (sicuti quidā putant) atque intermissos instaurauit, magno (vt Liuius ait) apparatu, L. Censorino, & M. Manlio Puellio Consulibus, Ateio autem Capitone circumitum, spatiúmque subiiciente, tum verò sacrorum libris indicantibus Sybillinis. Porrò sextos, Claudius se Consule IIII. & L. Vitellio quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos: quamuis ipse in historiis prodidisse memoretur intermissos eos, Augustum multò post diligentissimè annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. Quare vox etiam tunc a [illegible] conis traditur, inuitantis more solenni ad ludos, quos nec spectauisset quisquam, nec spectaturus esset, cum superessent adhuc, qui spectauerant, & quidam histrionum producti olim, tum quoque producerentur. Etenim Stephanionē, qui primus togatus saltare instituit, vtriusque Secularibus ludis, Augusti videlicet, & Claudij, saltasse accepimus, qui LXXXIII. non amplius annos interfuere, quamuis & postea ille diu vixerit. Septimos Domitianus, se XIIII. & L. Minutio Ruffo Cōsulibus, computata

ratione temporum ad annum, non quo Claudius proximè, sed quo olim Augustus ediderat. Denique in numismatis variis apud Laurentium nostrum Medicem stelographiam quoque istam vidimus: Lud. Sæc. Fec. Cos. XIIII. Hæc Politianus. Et paulo post: Centesimo decimóque post Domitiani ludos anno, instaurauit, & eos Imperator ille Septimus Seuerus, cuius etiam nunc Romæ pulcherrimus spectatur triumphalis arcus, cum filiis Antonino & Geta, Chilone & Vibone Consulibus. Quos ludos & vidisse se memorat Herodianus, & Dion ætate sua factos memoriæ prodidit. Post Seuerum negat instauratos Zosimus: quoniam hic annorum centum & decem penè receptus autoritate ambitus in Consulatum Constantini Christiani Principis tertium, & Licinij, quem dum bello ipse vicit, incurrisset. Nos tamen apud Eusebium in Chronicis & Eutropium in Historiarum libro. 9. legimus Philippo imperante (quanquàm primus fuisse Christianus Imperator creditur) millesimum annum Romanæ Vrbis ingenti ludorum apparatu, & spectaculorum fuisse celebratum, bestiásque in Circo innumerabiles interfectas, & ludos in Campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo peruigilante concelebratos: quibus ludis sæcularibus etiam dicitur Philippus iunior, is qui nunquam risisse creditur, patrem Philippum seniorem petulantiùs cachinnantem vultu auerso notauisse. Restat vti de ritu carptim paucula perstringamus. Instantibus itaque ludis tota Italia præcones missitabantur conuocatum ad ludos, qui nec spectati, nec spectandi iterum forent. Tum ætatis tempore, paucis antequam spectacula edebantur, diebus, Quindecimuiri sacris faciundis in Capitolio, & Palatino templo pro suggestu considentes, piamina diuidebant populo, quæ erant tæda, sulphur & bitumen. Nec tamen ad ea seruis quoque accipienda ius vllum. Coibat autem populus, cùm in quæ suprà retulimus loca, tum præterea in Dianæ templum, quod erat in Auentino, & cui triticum, faba, hordeúmque dari mos. Tum ad instar Cereris initiorum peruigilia fiebant. Vbi verò iam aduenit festus dies, triduum, trinoctiúmque sacris intenti, in ripa ipsa maximè Tiberis agitabant. Sacrificia vero, Ioui, Iunoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, prætereáque Parcis, & quas vocant Ilithyas, tum Cereri, & Diti, & Proserpinæ suscipiebantur. Igitur secunda primæ noctis hora Princeps ipse tribus aris ad ripam fluminis extructis, totidem agnos, & vnà Quindecim viri immolabant, & sanguine imbutis aris, cæsa victimarum corpora concremabant. Constructa autem scena in theatri morem, lumina & ignes accendi, & hymni concini, ad hunc vsum tunc maximè compositi, & item spectacula edi solenniter solita, data celebrantibus hac mercede tritico, faba, hordeo, quę suprà inter vniuersum populum diuidi ostendimus. Manè vero Capitolium ascendere, sacra ibi de more agitare, tum in theatrum conuenire ad ludos in honorem Apollinis & Dianæ faciundos consueuerunt. Sequenti die nobiles matronas, qua hora præcipitur ab oraculo, conuenire in Capitolium, supplicare Deo, frequentare lectisternia, canere hymnos ex ritu, mos habebat. Tertio denique die in templo Apollinis Palatini, ter noueni pueri prætextati, totidémque virgines patrimi omnes matrimíque Græca, Romanaque voce carmina, & pæanas concinebant, quibus imperium suum, & incolumitatem populi Diis immortalibus commendabant. Quod si quis fortasse quæsierit, quod genus tunc aut ludorum fieret, aut sacrificiorum, sciat & ludos celebrari omnibus theatris atque omne genus, & sacrificia templis omnibus conuenisse noctu pariter, atque interdiu. Nam de Scenicis & Circensibus minimè dubitatur, cum Domitiani ludis histriones interfuisse meminerimus, prætereáque Circensium die, quo faciliùs centum missus peragerentur singulos à septenis spaciis ad quina legerimus correptos. Illud vtique in Augusto memorabile, qui ludis istis iuuenes vtriusque sexus prohibuit vllum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo maiore natu propinquorum. His, prout in mentem desubito venerunt, expositis, iam nec ille vatis Ausonij versiculus ambiguus relinquetur:

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.

Nec obscura apud Horatium ratio extiterit, cur Parcas Ilithyam, Dianamque ex Auentino cur & puerorum vota, & Quindecimuiros memorauerit, & item Sybillinos versus, qui nunc quoque apud eundem Zosimum vetustissimis quidem codicibus citra vlla fastigia inueniuntur, quos sic Latinè reddimus:

Ast vbi iam humanæ longissima tempora vitæ
Orbis agens annos referet centumque decémque,
Sis Romana memor (licet alta obliuia tentent)
Sis memor, vt qua se nimiùm Tiberina coarctat
Ripa feras, Diis in campo solennia sacra,
Cùm nox atra premit terras, tecti úsque latet Sol,
Agna, caprigenúmque pecus genitalibus Parcis
Hostia ferna vtraque cadant tum numina placa:

Læta puerperiis (quod fas fuat) Ilithyias.
Terra suum feras & scropham sibi fertilis atram,
Sed Iouis ante aram candenti corpore tauros
Luce feri: nam lux superis gratissima diuis.
Iunonis templu m nitida ceruice iuuenca
Imbuat, atque iti em Phœbus placetur Apollo.
Quem vocitant etiam Solem, Latoa propago.
Pæanas puerique canant, pueræque Latinorum
In templo. Sed enim pueri pueræque seorsum
Concelebranto choros, verùm hæc sit patrima proles,
Matrimaque, at nuptæ genibus Iunonis ad aram
Oranto inuisæ, in vota diuámque vocanto.
Februa quin etiam vir quisque & femina: quanquàm
Fœmina præcipuè, accipito, dehinc ædibus omnes,
Primitias vitæ placidis placamina diuis
(Quæ fas est) & cælitibus portanto beatis.
Antè domi tamen illa memor tibi habeto reposta,
Quæ dare mox vsu liceat poscente virisque,
Fœminebque gregi: tum digna sedilia Diuis,
Pérque dies iuxta & noctes multesima turba,
Complento, & lepidis miscento seria ludis,
Quæ tibi si stabili sint om..ia condita mente,
Cuncta tuo Italiæ tellus, cunctique Latini
Subdent colla iugo & victoris sceptra timebunt.

Plura de ludis sæcularibus legas tum apud alios: tum in libro singulari, quem de iis scripsit Onuphrius Panuinius: cuius tamen inspiciendi copia mihi hactenus fieri non potuit.

Cum ludis Sæcularibus multi confundunt Taurios, sed falluntur: sunt enim omninò diuersi. Paulus Diaconus Pesti abbreuiator: Taurij appellabantur ludi in honorem Deorum inferorum facti. Instituti autem videntur hac de causa: Regnante Tarquinio Superbo, cùm magna incidisset pestilentia in mulieres grauidas, quæ fuerat facta ex carne diuendita populo taurorum, ob hoc Diis inferis instituti ludi, & Taurii vocati sunt. Sextus Pompeius, vti à Iosepho Scaligero editus est: Taurii ludi in Circo Flaminio fiebant, qui instituti Diis inferis ex hac causa sunt: Tarquinio regnante, cum grauis pestilentia in mulieres grauidas incidisset, fœtus infecti sunt ex carnis putore taurorum immolatorum. Ob id Taurij ludi & appellati sunt, & fiunt in Circo Flaminio, ne intra muros euocentur Dii manes. Contrà eos ludos Varro ait vocari, quòd discipulus prudens à doctore inter *** s. litus sit impelli, atque vsque eo cog docere, quoad consisteret, & virtute talorum constaret pedum firmitas: Hactenus Festus. Addit autem Scaliger: Quòd ludi Taurii in Circo Flaminio fierent, qui fuit extra portam Carmentalem, testis est Varro li. 4. de Latino sermone. Reliqua quæ ex opinione Varronis afferuntur, quin ita scripserit Festus, negari non potest. Apud nullum autem veterem Scriptorem id temerè inuenias. Apparet tamen Varronem ludos Taurios ab eo dictos sensisse, quod in corio Tauri id genus ludi fieret à ludimagistris eo die, quo ludi Circenses, qui dicti sunt Taurii in Circo Flaminio fierent, aut quòd scutica taurica discipulus impelleretur: idque explendum fuisse in ea lacuna, in qua causa hominis desiderari videtur. Hæc Scaliger. Atque tantùm de præcipuis ludis iis, qui in honorem Deorum agebantur, à quibus non sunt separandi Votiui: nam & ipsi cultus diuini gratia celebrabantur. Itaque iam de iis dicemus.

CAPVT XXII.

De ludis Votiuis.

VOTIVI ludi erant, qui à Magistratibus ad bellum ituris vouebantur, post res fœliciter gestas, & victoriam partam exhibendi. Atque hi introducebantur, aut Sibyllinis versibus, aut Augurum præceptionibus, aut promissis Imperatorum, vel ante bellum, vel confecto bello, atque hostibus deuictis. Tales erant illi, quos magnos cognominarunt, quòd in honorem Iouis, quem principem Deorum putabant, fierent: quorum multa mentio est, tum apud alios, tum apud Liuium, vt

li.22.in historia anni ƆXXXVI. vbi scribit, auctore Q. Fabio Maximo Dictatore placandę Deûm iræ: & victoriæ de Carthaginensibus impetrandæ gratia, ex libris Sibyllinis votos fuisse ludos magnos, æris CCCXXXIII. millibus triente: prætereà bubus Ioui CCC. multis aliis Diuis bubus albis, atque cæteris hostiis, &c. Quomodo autem hi vouerentur, ex eodem Liuio cognoscitur, apud quem li.39. sic legimus: Certa deinde sorte Senatusconsultum factum est, quòd populus Romanus eo tempore duellum iussisset cum rege Antiocho esse, quique sub imperio eius essent, vt eius rei causa supplicationem impetrarent Consules: vtique Mancilius Consul ludos magnos Ioui voueret, & dona ad omnia puluinaria. Id votum in hæc verba, præeunte Publ. Licinio Pontifice Maximo Consul nuncupauit. Si duellum quod cum Antiocho Rege sumi populus iussit, id ex sententia Senatus populique Romani confectum erit: tum tibi Iupiter populus Romanus ludos magnos dies decem continuos faciet, donáque ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreuerit. Quisquis Magistratus eos ludos, quando, vbique faxit, hi ludi recte facti, donáque data sunto, &c. Vouebantur nonnunquam in quinquennium, cuius exempla sunt apud Liu. multa li.27. scribit: Senatus, quo die primùm est habitus, ludos magnos facere Dictatorem iussit, quos M. Æmilius Prætor Vrbis C. Flaminio, Cn. Seruilio Consulibus fecerat, & in quenquennium vouerat. Tum Dictator & ludos fecit, & in sequens lustrum vouit. Idem libro 30. Vt placatis Diis omnia inciperent, agerentque decretum à Senatu, vt quos ludos M. Claudio Marcello, T. Quinctio Consulibus T. Manlius Dictator, quásque hostias maiores vouerat, si per quinquennium illud Respublica eodem statu fuisset: eos Consules priusquam ad bellum proficiscerentur, facerent. Ludi in Circo per quatriduum facti: hostiæque, quibus votæ erant Diis cæsæ. Hactenus Titus Liuius.

Pertinent huc etiam Ludi Victoriæ, Ludi Quinquennales, Decennales, Vicennales, de quibus breuiter quædam dicemus.

Ludi Victoriæ à L. Cornelio Sulla instituti fuerunt, bello ciuili, Asconio & Velleio Patereulo testibus: cuius verba in Kalendario citauimus. Celebrabantur mense Octobri per dies quinque.

Fuerunt etiam alij Victoriæ ludi in memoriam victoriarum C. Cæsaris, Augusti, &c. peracti, de quibus in Kalendario diximus.

Quinquennales ludi instituti sunt ab Augusto post deuictum Antonium, & partam victoriam apud Actium promontorium: vnde etiam Actiaci ludi nonnunquam appellantur, testis Suetonius in Augusto, c.18. his verbis: Quóque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, vrbem Nicopolim apud Actium condidit: ludósque illic Quinquennales constituit: & ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat vsus, exornatum naualibus spoliis, Neptuno ac Marti consecrauit. Dio. lib.51. Eadem die Cæsar Apollini, qui apud Actium colitur, triremem, quadriremem, ac alia nauium genera, vsque ad deciremem ex captis nauibus consecrauit, templum maius extruxit, ludos Musicos & Gymnicos, & certamen equestre cum sacro Quinquennali constituit, Actios illos ludos dicens, vrbémque eo loco, vbi castra habuerat, efficit, &c. De quibus ludis etiam Strabo lib 7. loquitur. Neque verò hi ludi Nicopoli tantùm, sed & Romæ fuerunt celebrati: sic enim Dio lib.53. initio. Ludos propter Actiacam victoriam decretos cùm Agrippa exhibuit, & in iis equestre certamen per pueros & viros Patricios peregit: idque deinceps ad nostram vsque ætatem ludi quinto quoque anno facti sunt eorúmque curatio quatuor Sacerdotum collegiis per ordinem incumbit, Pontificibus nimirum, Auguribus, Septemuiris, & Quindecimuiris. Gymnici quoque ludi, stadio in Campo Martio extructo ligneo, acti sunt: & munus gladiatorium depugnantibus captiuis, exhibitum Idem lib.54. Tum Quinquennales etiam ludi propter principium Augusti ab Agrippa: nam is quoque à collegio Quindecemuirorum, quibus per ordinem horum ludorum curatio incumbebat, cooptatus & inauguratus fuerat, inaugurati sunt, &c. Iidem ludi etiam hinc inde in Prouinciis Neapoli, item & in Iudæa Cæsareæ ab Herode instituti & celebrati sunt, teste Egesippo & aliis. Quinetiam reliquis post Octauium Augustum Imperatoribus & viuis & defunctis ludi Quinquennales celebrati sunt, quemadmodum ex Ælio Spartiano, & cæteris mirorum gentium Historicis cognoscere licet, vnde etiam Flaminum Quinquennalium origo, de quibus veteres inscriptiones testantur. Quinquennale quoque certamen Romæ instituit Nero, teste Suetonio in ipsius vita, cap.12.

Decennales item ludi à Cn. Octauio Augusto sunt instituti, prætextu quodam ad Imperatoris titulum, monarchiæque potestatem retinendam sine inuidia. Solebat enim decimo anno, constituto in hoc ingenti spectaculo, ludorúmque apparatu, Imperium populo resignare, quod tamen illico, quasi rogaretur, recepit. Atque hinc ortum est, vt posteriores etiam Imperatores quoties decimum imperij annum attigissent, sextum celebrarent,

& lu-

& ludos cum maximo apparatu ederent. Dio lib.53. Augusto, cum primùm decennium exiuisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto rursum aliud quinquennium post decennium, ac eo finito, aliud item decretum est, ita, vt continuatis decenniis per totam vitam summum Imperij obtinuerit. Quam ob causam posteriores quoque imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium iis Imperium deferatur: tamen singulis decenniis festum pro eius renouatione agunt, quod hodie etiam fit. Hæc Dio. Ita Eusebius scribit in historia Ecclesiastica, Constantinum Magnum decennalia celebrasse. Et Trebellius Pollio de Gallieno Imperatore: Interfectis fenè militibus apud Byzantium, Gallienus quasi magnum aliquid gessisset Romam cursu rapido conuolauit: conuocatisque Patribus, decennia celebrauit nouo genere ludorum, nouo specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Iam primùm interrogatos Patres, & equestrem ordinem, albatos milites & omni populo præeunte, seruis etiam propè omnium, & mulieribus cùm cereis facibus, & lampadibus præcedentibus Capitolium petiit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boues, cornibus auro iugatis, & dorsalibus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab vtraque parte cc. præcesserunt, & x. elephanti, qui tunc erant Romæ, mille cc. gladiatores pompaliter ornati, Cum auratis vestibus matronarum, mansuetæ feræ diuersi generis cc. ornatu quàm maximo, affectæ. Carpenta cum mimis, & omni genere histrionum: pugiles sacculis, non veritate pugilantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarii, ita vt miranda quædam, & stupenda monstraret. Omnes viæ ludis, strepitúque & plausibus personabant. Ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter patres, vt diximus, omnibus Sacerdotibus prætextatis, Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, & præterea, quæ collegiorum erant dracones & signa templorum, omniúmque legionum ibant. Ibant præterea gentes simulatæ, vt Gothi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita vt non minùs quàm duceni singulis globis ducerentur. Hæc Trebellius.

Vicennalia, siue Vicennales ludi erant, qui xx. quoque imperij anno exhibebantur, quorum etiam Eusebius lib.3. de vita Constantini Magni, & alij meminerunt.

Pręter eos, de quibus hactenus diximus, etiam ludi Triumphales fuerunt, qui post insignes victorias celebrabantur Natalitij, qui in natalibus magnorum virorum edebantur, vt a d. iv. Idus Iulias C. Iulij Cæsaris natalitii ludi erant. A. d. ix. kalend. Ianuarij Titi Cæsaris. iv. Kalendas Decembris Neruę. A. d. iv. Kalend. Nouemb. Hadriani: Kalend. Aprilibus Antonini. A. d. iii. Idus Aprilis Ælij Veri A. d. xviii. Kalend. Decembris Septimiani A. d. xiii. Kalend. Ianuarij Gordiani. A. d. iv Kalend. Februarij Constantini Magni, & Iunioris, de quibus Aelius Spartianus, Lampridius, Capitolinus, & alii sæpe sic loquuntur.

Iuuenales ludi fuerunt à Nerone primùm instituti cùm barbam deponeret. Hic cùm priuati primùm essent, mox passim in eos data nomina à pluribus. Non nobilitas cuiquam, non ætas, haud acti honores impedimento fuêre, quin histrionis artem exercerent, vsque ad gestus, modósque haud viriles, quibus Aeliam Catulam filiam nobilissimam, atque ditissimam, natam annos xxc. saltasse, ex Dione scribit Xiphilinus. Dicti igitur Iuuenales, quod in eis veluti reiuuenescerent, vt à quibus auspicatus Nero, tandem etiam in Theatro caneret: per domos enim tantùm, atque hortos Iuuenales agebantur. Tacitus lib.15. Suet. in Nerone, cap. 11. & 12. Atque hoc est, quod eleganter scribit Plinius li.37. ca.2. Peculiari theatro Neronem in hortis primùm cantasse, & Pompeiano prælusisse. Vide Læuinum Torrentium Commentariis in Suetonium.

Fuerunt & alii ludi Iuuentutis, quos Salinator Senensi prælio vouit, fortasse pro salute iuuentutis. De quibus Cicero in Bruto C. Cornelio, Qu. Minutio Consulibus, ludis Iuuentutis, quos Salinator Senensi prælio vouerat, Liuius docuit fabulam.

Miscelli ludi, quorum apud Suetonium mentio extat, qui fuerint, dubium videri solet. Læuinus Torrentius Commentariis in Suetonii Caligulam, ca. 20. hæc scribit: Varro lib.3. de re Rustica, columbarum quoddam genus miscellum vocat, quæ neque agrestes, neque domesticæ sint. Atque idem lib.1. cap.54. quemadmodum & Cato de re Rustica, cap.6. miscellas appellat vites, quæ omni agro conueniunt. Quare miscellos quoque ludos vocari existimo, qui ad nullum certum genus ludorum Scenicorum, siue argumentum, siue scenæ instrumenta, & apparatum spectes, referri possint. VVolfgangus Lazius lib.11. Commentariorum Reipublicæ Romanæ, cap.15. scribit Miscellaneos ludos fuisse, ex variis, multiformibúsque ludicris commixtos. Sed hæc de iis quoque sufficiant. Iam, antequam de funebribus, & reliquis ludis, qui exercitationis gratia fiebant, verba faciamus, Pompa ludorum videtur nobis esse explicanda. Hæc enim potissimùm ad eos ludos, de quibus hactenus diximus, pertinebat. Faciemus autem hoc capite sequenti, idque verbis Dionysij Halicarnassæi.

Caput XVIII.

De Ludorum Pompa.

QVæ pompa ludorum fuerit apud veteres, eleganter explicat Dionysius Halicarnassæus li. 7. Itaque ipsummet, de ea, & quidem Latinè beneficio Sigismundi Gelenii, loquentem audiemus Sic autem scribit: Pompa ludorum, sacráque habebant se hoc modo. Priusquam spectaculum committeretur, viri potestate ac dignitate præeminentes, pompam ducebant Diis à Capitolio per forum in Circum maximum, in qua primi erant eorum filii pubertati proximi, qui iā per ætatem interesse possent, equis inuecti, quorum patres erant Romani equites, cæteri pedites in pedestrem accensendi militiam, distincti per alas, & Centurias, classiúmque ordines, ac si ludum literarium peterent, vt appareret Hospitibus futura iuuentus vrbana quàm esset egregia forma, & numero hos sequebantur, quadrigarii, bigarii, singulariúmque equorum agitatores, post quos athletæ grauiorum, leuiorúmque certaminum, nudi cætera, pudenda tantùm tecti subligaribus campestribus: qui mos Romæ manet nostro quoque tempore: sicut olim fuit in Græcia, in qua nunc antiquatus est, orto à Lacedæmoniis initio. Athletas sequebantur saltatorum chori diuisi trifariam, primo virorum, deinceps imberbium, postremò puerorum: post quos tibicines inflantes antiqui moris breues tibias, quarum & nunc vsus est, citharistæque plectentes lyras septem fidiū eburneas, & quæ vocantur barbita, quibus iam vti Græcia desiit, apud Romanos verò adhibentur omnibus antiquis cærimoniis. Saltatorum habitus erant tunicæ puniceæ balteis æreis astrictæ, gladiis dependentibus, gestabántque breuiores mediocrib. lanceas: viri verò, etiam æreas galeas cristis pinnatis insignes, quemque chorum præcedebat vnus vir qui præibat cæteris saltationis formulas, vnus item militares concitatos præcinens modulos rhythmis plerumque proceleusmaticis, id genus exercitii apud Græcos olim cum primis erat celebre, armata saltatio, quæ vocatur Pyrrhica: siue id Mineruæ inuentum est, quæ post deletos Titanas, in lætitia victoriali fertur prima saltasse armata, choreasque duxisse: siue priùs etiam institutum à Curetibus, dum infantem Iouem mulcerent armorum sonitu, concinnisque gesticulationibus, vt habent fabulæ. Post armatos saltatores in Pompa incedebant Satyri, sicinnem referentes Græcanicam: habitus horum Silenos repræsentantium erant hirsutæ tunicæ, quas quidam appellant scorteas amiculáque conserta ex omni florum genere: alius item Satyrorum, ex hircinis tergoribus campestria, setæque horrentes in vertice, aliáque his similia: hi serias illas saltationes ridiculè imitabantur, deprauantes per ludibrium, quibus lusibus satyricis, salibusque iam inde à priscis sæculis delectatos Romanos apparet è triumphis etiam. Permittitur etiam victores deducentibus, iambos & dicteria iacere in Imperatores clarissimos, quemadmodum Athenis solebant pompam in plaustris ducentes scommatibus obuios impetere: nunc autem extēporalibus vtuntur versiculis, quin & in illustrium virorum funebribus pompis inter alios feretrum pręcedebant saltatores Satyrici, maximè in diuitum. Lusus autem satyricos, nec Ligurum, nec Vmbrorum, nec aliorum Barbarorum in Italia habitum fuisse inuentum, si docere voluero, vereor ne molestus videar, laborans in euidente re demonstranda. Post hos choros transibat agmen citharistarum, ac tibicinum: post quos alij gestantes acerras argenteas, aureásque tam sacras, quam publicas, suffitúmque facientes. Extremum agmen claudebāt simulacrorum baiuli, habentium, quales apud Græcos finguntur, effigies, eundémque habitum, eadem insignia, muneraque, quorum inuentores & donatores traduntur, nec solum Iouis, Iunonis, Mineruæ, Neptuni, aliorúmque, quos Græci inter 12. numerant, sed antiquiorum etiam, quorum 12. illi sunt progenies, Saturni, Themidis, Latonæ, Parcarum, Memoriæ, adhęc Proserpinæ, Lucinę, Nympharum, Musarum, Horarum, Gratiarum, Liberi, semideorúmque, quorum animæ post mortem inter cœlites relatæ pari cum his honore coluntur, Herculis, Æsculapij, Castorum, Helenæ, Panes, & aliorum innumerorum. Peracta pompa confestim sacrificabant Consules, sacerdotes, quibus fas erat, & victimarii, idque more nostratium. Lotis enim manibus, & lustratis aqua pura victimis, moláque conspersis earum capitibus, votísque nuncupatis tum ministros eas mactare iubebant, quorum alij stantem etiam tum hostiam veste feriebāt, in tempora, alii cadentem cultris excipiebant, ac mox direpto tergore concidebant membratim, delibatásque ex singulis extis, aliisque membris primitias farre obuolutas in canistris offerebant sacrificantibus, qui aris impositas succendebant, & vinum affundebant insuper. Post hæc certamina spectabantur. Primus erat quadrigarum, bigarum, singulariúmque equorum cursus, sicut olim in Olympia, & nunc quoque. In his equestribus certaminibus duo quedam

dam priscorum instituta seruantur à Romanis, hoc quoque seculo; alterum trigariorum, quod defecit in Græcia vsitatum eorum temporibus, vt Homerus testatur describens eorum prælia; quo duobus equis bigarum in morem iunctis, adiungebatur tertius funalis loramentis adnexus, quem inde παρήορον Græci vocabant, alterum quod apud paucos aliquot Græciæ populos durat ex antiquitate reliquum, vectorum cursus. Finito enim equorum certamine viri, qui priùs cum aurigis eodem curru vehebantur, quos Poëtæ parabatas, Athenienses approbatas nominant, desilientes in pedes cursu certant in stadio. Post equorum cursum athletæ inducebantur, cursores, luctatores, pugiles. Hæc enim tria genera certaminum apud priscos Græcos erant, vt Homerus indicat in Patrocli funere. Cæterùm medio inter certamina tempore bene de Republica meriti coronabantur, vocéque præconis celebrabantur, ex more Græcorum laudatissimo, sicut Athenis per Liberalia factitatum est: & ostentabantur spectatoribus relata ex hoste spolia. Hactenus Dionysius.

Ad Cap. X.

PARALIPOMENA.

Tapetes, Babylonica, aliáque scena, & actorum ornamenta, pegma, pegmates, Crocus in pegmatis, & scena, orchestra in qua saltabatur, aliáque loca in spectaculis.

IN tragico theatro palatia regum erigebantur, sed illa tapetibus pensilibus obducta, partim vt scena magnificentius ornaretur, partim vt regiarum ædium species vera exhiberetur, quæ etiam heroicis temporibus tapetibus insterni solebant, cuius rei apud Homerum passim exempla, & ex illo Critici discusserunt. Ausonius Edyllio 7. supra adductus, *aulæaque regum*, pro Tragico ornatu scenæ dixit. ad hunc ritum alludunt authores. Heliodor. Emesenus lib. 5. hist. Æthiop. ἐξεφόρουν τραπέζας, κρατῆρας, τάπητας, αὐλαίας, Σιδωνίων ἔργα, καὶ Τυρίων χειρῶν, τ' ἄλλα οἷς δεῖπνον ὑπηρετεῖται. *efferebant mensas, pocula, tapetes, aulæa Sidoniarum opera & Tyriarum manuum & alia quorum in instruendo conuiuio vsus est.* primus vsus vt pedibus substernerentur, vnde *tapeta, quasi tapedia* dicuntur Isidor. libro decimo nono capite 26. postea & lectis cubitoriis insternebantur. Iul. Pollux lib. 6. cap. 1. *de symposio, amphitapetia, & tapetia* in ornatu conuiuantium reponit, hæc vtrique vitiosa, ista ab vna tantùm parte. Qu. Curt. lib. 7. *quum post aulæam quæ lectos obduceret staret rex.* Hyperides in Patroclo apud Iulium Pollucem libro quarto cap. 19. cuius hęc sunt.

οἱ δ' ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ
περιφραξάμενοί τι μέρος τῆς αὐλαίαις.
Nouem principes conuiuabantur in Stoa.
Circum septi alterutram partem aulæis.

P. Virgil. lib. 1. Æneid.

—Aulæis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda.

Virgil. lib. 9. Æneid.

—Qui forte tapetibus altis
Extructis, toto proflabant pectore somnum.

M. Varro in Hercule Socratico.

In omnibus rebus bonis quotidianis
Cubo in Sardinianis tapetibus.

Stat. Papin. lib 5. Thebaid. vers. 207.

Euinctum ramis, aliaque in mole tapetum
Efflantem somno crescentia vina.

Et in quocunque lautioris conuiuij apparatu, parietes totos integebant, de Adrasti magnificis epulis, quibus Polynicem & Tydeum accepit, idem Statius lib. 1. Thebaid. v. 528.

—Pars ostro tenues, auroque sonantes
Emunire thoros, altósque inferre tapetas,
Pars teretes lauare manus, ac disponere mensas.

Ad eum sensum Bacchylides Lyricus apud Athenæum li. 11. Dipnosop. cap. 1. οὐ βοῶν πάρεστι σώματ' οὔτε χρυσός, οὔτε πορφύρεοι τάπητες, ἀλλὰ θυμὸς εὔφρων μοῦσά τε γλυκεῖα, *non adsunt boum corpora, neque aurum, neque purpurei tapetes, sed animus beneuolus, Musaque dulcis.* Coripp. ad spectacula scenica eos adhibitos insinuat Byzantij, ita enim de Circensib. lib. 2. Num. 8. Iustinus, inquit Augustus.

Auratum scandens solium, sedémque paternam
Constructam plumis, pulchrísque tapetibus altam.

Et lib. 4. num. 2. ad domesticos mores reduxit.

Hanc prius, in media quam sol procederet aula,
Auratis gradibus sacrisque tapetibus altam
Conscendit.

Et quia in Assyria præcipuus honor, primaque fere peristromatum huiusmodi Inuentio, sit idcirco vt Babylonica vocentur. C. Plin. lib. 8. cap. 48. *colores diuersos picturæ intexere Babylon maxime celebrauit, & nomen im-*

posuit, Et post ibidem loci. *Metellus Scipio triclinaria babylonica sestertium octingentis millibus venisse iam tunc, posuit in Capitolinis criminibus. quæ Neroni principi quadragies sestertio nuper stetere*, M.Acc.Plau.in Sticho sc. *quisnam obsecro.*

Tum Babylonica peristromata, consutaque tapetia
Aduexit minimum bonæ rei.

M.Martial.lib.8.epigr.29.

Non ego prætulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.

Melius quam in antiquo codice

Non ego prætulerim Babylonis picta superba
Texta.

T.Lucret.Carus lib.4.de rerum Natura.

Somno deuincti credunt extollere vestem
Totius humore siccatum vt corpore fundant,
Tunc Babylonica magnifico splendore rigantur.

His intexebantur effigies diuersicolores, Glossarium vetus, πολύμιτον, id est *vestis filis versicoloribus contexta*, siue Babylonicum. Plinius loco citato, *aurum intexere in eadem Asia inuenit Attalus Rex*, idemque in vestibus obseruatum docebitur infra hoc opere, vbi de *Toga picta* agetur. effigies istæ quæ intexebantur, animalia referebant horrendæ cuiusdam & prodigiosæ naturæ, interdum & veteres historias adumbrabant heroes ipsos in iis depictos, docuit Aegidius Maserius ad lib.1. Valerij Flacci.

—Aclinisque tapetis
In mediis vacuo condit caput Hippasus auro.

Male antea, & corrupte.

—Acclinisque tapetis.

Quo refero locum illum Claudiani è lib.1.in Eutropium, à nemine intellectum hactenus, nedum explicatum, ita enim ille, *videbo*

Iam cocleis homines iunctos, & quicquid inane
Nutrit Iudaicis quæ pingitur India velis.

Sensus est, si vsque adeo incredibilia fingere licet, & vilissimum mancipium Eutropium ad fastigium consulatus euectum credimus, facile mihi persuadebo viuere, & in rerum natura esse ea animalia, quæ in peristromatis suis, animi oblectandi gratia intexunt, tanquam in India nata, siue in longinquis maxime gentibus, & veluti à cognitione nostra semotis. ita censuit vir in Græcis Latinisque literatissimus Nicolaus Seninus, qui in publico docendi munere mihi non ita pridem decessor. huiusmodi autem ignotas belluas Picturæ Babylonicorum intexi solitas, aut vestium aliarum, author est L. Apuleius libro 11. Milesiar. *ex humeris dependebant pone tergum, talorum tenus, pretiosa chlamyda, quaqua tamen viseres colore vario circumnotatis insignita animalib. hinc dracones Indici, inde Gryphes Hyperborei*, docet nomen ipsum; nam ζωωτὰ, quasi *belluata* dicas, appellantur, à belluis intextis. M.Plaut.Pseudolo sc. *exite.*

Vt ne peristromata quidem æquè picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Et rectè *Iudaicis velis*, id est peristromatis: *pingitur*. nam textura illa vere pictura dici potest. P.Virgil.lib.9.Aeneid.

Armáque craterásque simul, pulchrosque tapetas.

In MS.Nicolai Erythræi IC.legebatur,

Armáque, craterásque simul, pictósque tapetas.

Vela, peritissime, sic enim appellabantur tapetes priuatorum domuum. Vlpian.IC.l.12. ff. de lustru.leg. *voluptatis sunt specularia & vela* Sidon. Apollinar.lib.1.epist.2. Theodorici regis *limina inclusa velis, exclusa cancellis*, & dum principes viri aut optimates clientes suos admittere volebant, ad consueta salutandi munia obeunda, velo dimoto ille prodibat, aut si subibant. Æl.Lamprid.in Seuero. *salutaretur quasi vnus de senatoribus patente velo, admissionalibus remotis, aut solis iis, qui ministri ad fores fuerant, cum antea salutare principem non liceret, quod eos videre non poterat.* Coripp. Afric.lib.3.num 6.

Mira pauimento stratísque tapetibus ampla
Planities, longóque sedilia compta tenore
Clara superpositis ornabant atria velis.
Vela tegunt postes.

Et eiusdem libri num.7.

Verum vt contracto patuerunt intima velo
Ostia, & aurati micuerunt atria tecti.

D.Iuuenalis Satyr.9.citatus suppresso nomine à Ioanne Saresberiensi lib.3.Policraticic. 12.

Vela tegunt rimas, iunge ostia.

Et de nuptiali solemnitate. Idem Sat.6.

—Pendentia inquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Ad alia scenæ ornamenta iam pergo extruebant & *pegma* (à πήγνυμι *compingo.*) id est machinam quandam ludicram, è strue diuersorum lignorum compactam, tanta altitudine, vt ad tertium quartúmque nidum seu contignationem, siue stationem fabrica exurgeret. interpres Dionis in Adriano, *surgentia spectacula, & pegmata efferre* dixit, coniiciunt nonnulli automata & pegmata idem esse. Philander in M.Vitruuij libro 9.cap.7. sed

sed falso, vt infra. eam gladiatores ascendebant, & immissa deinde flamma totam machinam consumebant, vt illi per incendium euadere atque eniti cogerentur. Ioseph. de bello Iudaico libro septimo capite primo meminit, Fl. Vopiscus in Carino. *exhibuit pegma etiam, cuius flammis scæna conflagrauit, quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit.* M. Tull. Ad Atticum lib. 4. epigr. 8. *nihil venustius quam illa tua pegmata.* C. Suet. in Claudio ca. 34 *si aut automaton, vel pegma, vel tale quid aliud parum cessisset.* L. Seneca epist. 88 *his annumeres licet machinatores, qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata tacita in sublime crescentia & alias ex inopinato varietates, aut dehiscentibus quæ cohærebant, aut quæ stabant sua sponte cohærentibus, aut his quæ eminebant paulatim in se residentibus.* Auro addito ditabatur hæc moles, siue bracteis. Plin. libro 33. cap. 3. *L. Murena & Caius princeps in Circo pegma duxit, in quo fuère argenti pondo centum viginti quatuor.* Mart. lib. 8. epigr. 33.

Hæc fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci.

Succensa deinde strue, librabant se per medios ignes, populo oblectamentum allaturi petauristæ de incendio cultissime Cl. Claud. de Consul. Manlij Theodori.

Mobile ponderibus descendat pegma reductis,
Inque chori speciem surgentes ardua flammas
Scena rotet, varios effingat Mulciber orbes,
Per tabulas innoxius vagus, pictæque citato
Ludant igne trabes, & non permissa vagari
Fida per innocuas errent incendia turres.

de saltu petauristarum per flammas accenso pegmate, M. Manil. li. 5. Astronomic.

Membráque per flammas, orbésque emissa flagrantes
Delphinúmque suo per inane imitantia motu,
Et viduata volant pennis, & in aëre ludunt.

Totam fabricam non male descripsit Aurel. Prudentius in Romano Martyre.

Tabulis superne strata texat pulpita,
Rimosa rari pegmatis compagibus,
Scindunt subinde, vel terebrant aream,
Crebróque lignum perforant acumine
Pateat minutis vt frequens hiatibus.

D. Iuuenalis Sat. 4. vers. 122.

——Pugnas Cilicis laudabit, & ictus
Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.

Neque modo in Circo aut amphitheatro pegmata ista erecta, sed & in publicis vicis. Martial. Spectaculor. Epigr. 2.

Et crescunt media pegmata celsa via.

Et in priuatis ædibus, non quidem in insanos lasciuientium conuiuiorum luxus, nam in tricliniis illa, aut cænaculis, cum pegmata hæc in domorum essent atriis, vt puto, sustinendis maiorum imaginibus, aut gentilitio stemmate. Turnebus lib. 8. Aduersar. cap. 9. *ornamenta valuarum foribus suffixa* intelligit. Vlpian. IC. 12. ff. de Instrum. leg. *Specularia quoque affixa magis domus esse puto, quam partem: nam in emptione domus, & specularia & pegmata cedere, siue in ædificio sunt posita, siue ad tempus detracta.* D. Auson. Epig. 25.

Ceris inurens ianuarum limina
Et atriorum pegmata.

Pegmates à pegmatum structionibus, seu à Ludis, quos edebant, acceperunt, quo vocabulo non minus artifices ipsi quam gladiatores continentur. hi quidem Aristoteli lib. de Mundo μηχανοτεχναι appellantur, vertit Apuleius. *machinarum fabricatores, & pegma,* ipsum est *confixilis machina* ei libr. 5. Milesiar. Petr. Colutius ibidem. isti memorantur à C. Suetonio in Calig. c. 26. sed corrupto. *rabidis feris vilissimos senio confectos gladiatores quoque pegmares, patres familiarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis subiiciebat,* lege, *gladiatores quoque pegmates,* Denique & Croco, non modò bracteis aureis argenteísque decorabatur pegma. Martial proximè supra allatus, & inter multa alia Crocus in theatralibus admissus. Æl. Spart. Hadr. *in honorem Traiani balsama & crocum per gradus theatri fluere iussit.* vino admiscebatur, vt sic dilutum facilius in spectatores spargi posset. C. Plin. libro 21. ca. 6. *sed vino mire congruit, præcipue dulci, tritum ad theatra replenda.* Theophrastus lib. *de odoribus* à Iacobo Dalecampio citatus videatur. *Cum stomacho L. Seneca Epist. 90. sapientiorem putas qui inuenit, quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, qui Euripos aquarum subito impetu exsiccat, aut replet.* ibid. libro secundo Natural. quæstion. capite nono, *aqua autem sine spiritu, quemadmodum possent intendi? num quid dubitas, quin sparsio illa quæ ex fundamentis mediæ arenæ crescens, in summam altitudinem amphitheatri peruenit cum intensione aquæ fiat?* alludit & L. Apul. libro decimo Asini. *de summo montis cacumine, per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vnda croco diluta, sparsióque defluens, pascentes circa capellas, odoro perluit imbre.* Sed actum ago, dum retexo ea quæ à tot viris doctis obseruata in hoc ipsum, I. Lipsius libr. de Amphith. cap. 16. Theodorus Marcilius ad

Martialis spectacula epig. 3. I. Brodæus libr. 5. Miscellaneor. c. 6. P. Coluius ad laudatum Apuleij locum, & alij consulantur. Poëtæ eadem P. Ouid. lib. 1. de Arte amandi.

Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

Sext. Aurel. Propert. lib. 4. eleg. 1.

Pulpita solemnes non oluere crocos.

M. Martial. lib. laudato, & epigr.

Et Cilicis nimbis hic maduere suis.

Et lib. 5. epigr. 26.

Hoc rogo non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco.

Et lib. 9. epigr. 39.

Lubrica Corycio quamuis sint pulpita nimbo.

T. Lucret. li. 2. de Nat. rer. vt & alij prius citati, causam huius ritus ad odoris fragantiæque suauitatem refert.

Nec simili penetrare potes primordia forma,
In nares hominum cum tetra cadauera torrent,
Et cum scena croco Cilici perfusa recens est,
Araque Panchæos exhalat propter odores.

Saltabatur in scena, vt suprà à me expositū, vbi de *histrionibus* & *Mimis* actum: sed discrimen est inter saltationem mimicam, & gladiatoriam quæ & Pyrrhica appellata, vt aliis iam præoccupatum. Neque minus est dissidium de loco in quo saltabant, quidam *in scena*, alij *in orchestra*, nam à gesticulatorio saltu vocitatum volunt, ὀρχήσις, enim est *salio*. Isidor. li. 18. Origin. c. 44. *orchestra pulpitus erat scenæ, vbi saltator agere posset, aut duo inter se disputare, ibi enim poëtæ, comœdi, & Tragœdi ad certamen descendebant, iisque canentibus, alij gestus edebant.* Concors huic Vetus scholiastes D. Iuuenal. Sat. 3. v. 178. *orchestra, spatium in quo saltat pantomimus, vel qui in orchestra procedit, aut spectatur.* Idem ad v. 47. Sat. 7. *orchestra. spatium in theatro vicit ....qui pantomimo saltanti vacat.* nec ab hac sententia videtur recedere M. Varro citatus à Nonio cap. 2. Nu. 743. in *Triodite*, siue *Tribodite*, siue *Trifodite*, siue *Trifolio*, vel denique *Trifilio*. sic enim variant scripturæ, sed parum refert.

Priusquam in orchestra Pithaules inflet tibias,
Domi suæ ramices rumpit.

Contra alij non pantomimorum saltibus orchestram dedicatam, sed senatorum volunt subselliis M. Pollio Victruuius li. 5. Architect. c. 6. *ex his trigonis cuius latus fuerit proximum scenæ, in regione qua percipit curuaturam circinationis, ibi finiatur scenæ frons, & ab eo loco per centrum parallelos linea ducatur, quæ disiungat proscenii pulpitum, & orchestræ regionem: ita latius factum fuerit pulpitum quam Græcorum, quod omnes artifices in scenam dent operam. In orchestra autem senatorum sunt sedibus loca designata, & eius pulpiti altitudo, sitne plus pedum quinque, vti qui in orchestra sederint, spectare possint omnium agentium gestus.* C. Suet. Cæsare c. 76. *prænomen imperatoris, cognomen patris patriæ, statuam inter reges, suggestum in orchestra.* Et in Augusto cap. 35. *seruauit senatoribus etiam excusantibus insigne vestis, & spectandi in orchestra, publicéque epulandi ius.* idem Nerone c. 12. *deinde in orchestram senatumque descendit.* Iuuenal. Sat. 3.

Æquales habitus illic similémque videbis
Orchestram & populum, id est, optimates & plebem.

Et Sat. 7. v. 47.

Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.

Vt senatoribus, ita & aliis in spectaculis huiusmodi discreta separatáque loca. licet in principio promiscue spectarit cum plebe Senatus, nullo habito discrimine, iuuandæ concordiæ, fouendæque libertatis gratia, quod vsque ad annum vrbis conditæ quingentesimum octauum durasse ostendi suprà li. 1. ca. 15. hoc opere, quod repete inde. nunc de aliorum sedibus agam. si addidero vnum è Valerio Maximo locum li. 4. c. 5. tit. 1. *à condita vrbe vsque ad Africanum & Tiberium longum coss. promiscuus senatui & populo spectandorum ludorum locus erat.* Suetonius videtur contradicere in Claudio c. 21. qui locus consulatur.

Ac primum senes in *Buleutico* sedebant, iuuenes ex *Ephebico* spectabant. Cæl. Rhodigi. lib. 8. variar. lect. c. 8. Iul. Poll. lib. 4. Onomasti. cap. 19. ἐκαλεῖτο δέ τι καὶ βουλευτικὸν μέρος τοῦ θεάτρου, καὶ ἐφηβικόν. *dicebatur etiam pars quædam theatri Buleuticum, & ephebicum.* non est sanè dubium, quin Rhodiginus ex eo hæc mutuatus sit, vt multa alia, quæ suppresso nomine in exquisitissimas suas lectiones inseruit.

Virginibus Vestalibus suus è reliquorum spectantium cætu discretus erat locus. Suet. Augusto ca. 44. *solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & contra prætoris tribunal dedit.* C. Tacit. li. 4. Annal. *Augusta sedes inter Vestalium consideret*

Imperatores aut consules Epodio, Ælian. Spartian. in Seuero *die Circensium, cum tres Victoriæ, more solito, essent locatæ gypseæ cum palmis, media, quæ ipsius nomine adscriptum orbem palmu tenebat, vento icta de podio stans decidit.* M. Vitru. libro 5. cap. 7. *scenæ longitudo ad orchestræ diametron duplex fieri debet:*

dubet: podij altitudo à libramento pulpiti cum corona & lysi duodecima orchestræ diametri. Sueton. Nerone cap. 12. nam perraro præsidere, cæterum accubans primum paruis foraminibus, deinde toto podio adaperto spectare consueuerat. C. Plin. libro 37. capite tertio tanta copia inuectai, vt retia arcendis feris podium protegentia succinis nectarentur, Sidon. Apollinat. carm. 2. vers. 368

Totas ad podium ferens habenas
Curru præteréatur ictus æ[?]lo.

Metellus antiquus poeta, in Quirinalibus.

Terna lux & nox podium tenebat.

Iuuenal. 2. ad finem.

Et Catuli, Pauliq; minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium spectantibus.

Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmach.

At quoniam podij meliori in parte sedentes
Spectant æratam faciem.

Corippus Africanus sedem hanc principum intellexit lib. 2. num. 8. de Circenses celebrante Iust. Aug.

Intentos oculos ad sedem vulgus herilem
Extulit adsurgens.

Et post de eodem Circum ingresso.

Auratum scandens solium, sedemque paternam.

Vbi *herilis sedes* barbare satis pro *imperatorio podio* vsurpatur, vt ab eodem lib. 4. Num. vlt.

Adstabat Narses, sedemque ornabat herilem.

Denique equites discretis à senatu & plebe ordinibus spectare consueuerant, in quatuordecim illis subselliis, idque *lege*, vt videtur, *theatrali*, cuius primus author (secundum nonnullorum opinionem, licet ante illos id ipsum lege fuerat à L. Roscio præcautum) Iulius Cæsar, aut Augustus, nam Iuliam appellat C. Plinius lib. 33. cap. 2 *hac de causa constitutum ne cui id ius esset, nisi cui ingenuo ipsi patri quoque paterno sestertia quad ingenta census fuisset, ex lege Iulia theatrali, in quatuordecim ordinibus ius sedendi.* sed postea eandem legem renouatam reperio, siue verius retentam sub Nerone, sic enim C. Petronius in Satyrico pagina nonagesima quinta, *arena aliquas accendis, aut perfusus puluere mulio, aut histrio ostentatione scenæ traductus, ex hac nostra domina est mea, vsque ab orchestra* (Senatorum subselliis) quatuordecim (equitum sedilia) *transilit, & in extrema plebe quærit quod diligat.* vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers. 324. Sat. 14. *bis septem ordinibus, id est gradibus equitum Romanorum* primus, inquam huius distinctionis author est L. Roscius Otho, L. Flor. Epitomastes in T. Liuij lib 99. *L. Roscius Tribunus plebis legem tulit, vt equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur.* Tribunus ille dicitur, Plutarc. in Cic. Μᾶρκος Ὄθων στρατηγῶν vertitur ab Hermanno Cruserio, *M. Otho prætor* sed male M. Tull. Orat. pro Murena *L. Otho vir fortis, meus necessarius equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem, itaque hæc lex, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus.* sed quorsum *restitutus fructus iucunditatis?* suspicor sane alium ante illum eadem hæc lege sanxisse, nam cur diceret Cicero dignitatem cum voluptate Roscium equitibus restituisse, si antea nulla fuerit dignitas? atque vt id facilius credam, inducor loco C. Velleij Paterculi lib. 2. histor. cap. 32. *Cotta iudicandi munus quod Caius Gracchus, ereptum senatui, ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtu[lerat], æqualiter inter vtrumque ordinē partitus est. & Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit.* sed locum suspectum habet Albertus Burerius, & Aldus Manutius, cui lectionem sinceram debemus ex Putcani codice, antea enim pessime legebatur, *Horoscius lege sua in theatro equitibus loca restituit.* denique I. Lipsius, Iac. Schegkius reponendum censuerunt, *equitibus in theatro loca instituit.* atque is consensus scriptorum pene vniformis est à Roscio hanc legem primitus promulgatam. C. Plin. libro septimo capite trigesimo *se surdentes, Roscio, (theatralis author est legis) ignoscunt, ac notatasque e discrimine sedis, æquo animo tulerunt.* tulit autem eam L. Otho Anno vrbis conditæ 686. vt obseruatum est ab Antonio Augustino. Horat. Epodon. od 4.

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Et lib. 1. epist. 1.

Roscia dic sodes, melior lex, an puerorum
Nænia.

Allusit M. Martialis lib. 2. epig. 29.

Rufe vides illum subsellia prima terentem,
Cuius & hinc lucet sardonycha manus.

Iucundius lib. 5. epigr. 28.

Ingenium, studiumque tibi, moresque, genusque
Sunt equitis fateor, cætera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Vt sedeas viso pallidus Oceano.

D. Iuuenal. Sat. 14. in fine.

Ergo aliquid nostris de moribus effice summam

iustum conseruant. Quod idem ferè etiam Festus docet cuius locum ea de re, quemadmo-
dum à Iosepho Scaligero restitutus est huc adscr bam. Sardi venales, inquit, hoc est, alius alio
nequior: ex hoc natum prouerbium videtur, quod ludis Capitolinis, qui fiunt à vicanis præ-
textatis, auctio Veientum fieri solet: in qua nouissimus is, qui omnium deterrimus, produci-
tur à præcone in medium senex cum toga prætexta, bullaque aurea, quo cultu Reges soliti
sunt esse Etruscorum, qui Sardi appellantur: quia Etrusca gens orta est Sardibus ex Lydia, &c.
Vicanos Festus, vt idem Scaliger docet, magistros vicorum, qui etiam si Magistratus non e-
rant, ludos tamen faciebant prætextati.

Præter hos verò Capitolinos ludos etiam alij erant, qui singulis quinque annis celebra-
bantur instituti à Domitiano Imperatore, qui alio nomine Agones Capitolini appellantur,
de quibus ea huc referam, quæ diligenter, vt solet, vt solet, collegit Iosephus Scaliger
libro 1. Auson. lect. cap. 10. vbi sic scribit: Agones Capitolini primum à Domitiano instituti
sunt die xxii. eius, & Sergij Cornelij Dolabellæ Consulatu, exemplo ludorum Olympico-
rum. In iis agonibus omne genus artifices certabant. Nam & Citharœdi Iuuenalis.

An Capitolinam sperares Pollio quercum.
Oui Tarpeias licuit contingere quercus.

Item & Poetæ Martialis:
& Histriones, vt patet ex hac inscriptione.

L. SVRREDI L. F. CLV.
FELICIS.
PROCVRATORI. AB.
SCAEN. THEAT. IMP.
CÆSAR. DOMITIAN.
PRINCIPI
CORONATO. CONTRA.
OMNES. SCÆNICOS.

Vides eodem principe, qui hos ludos instituerat, histrionem coronatum. Illud, contra o-
mnes Scænicos, manifesto significat certamen & contentionem. In eo agone, Statius post
incredibilem totius vrbis expectationem tandem Thebaidem suam recitauit, sed non po-
tuit, & contra eum alij coronati fuerunt. Id quod ipse non vno loco in Syluis conqueritur,
sed in primis in epicedio patris. Vnde locus Iuuenalis Grammatici non bene perpensus ex-
plicatur.

—Sed cùm fregit subsellia versu
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agauen.

Nam satyricè dicit, eum fregisse subsellia versu, quod, vt Comici loquuntur, recitans non
stetit, sed excidit, hoc est, non placuit. Cuius rei vel ipsum Statium testem producere possu-
mus, qui in Syluis hæc innuit non vno loco, vt iam dixi. Caue is con fundas agonem Albanum
cum hoc Capitolino. Vterque enim institutus à Domitiano. Sed nobilior Capitolinus: adeò, vt
Romæ non per lustra, vt antea magnum annum, vt vocabant, sed per Capitolinos agonas sup-
putarent. Quod à Domitiani institutione vsque ad tempora sua obtinuisse Censorinus scribit.
Cæterum semper agon ipse mansit Romę: vt in eo Poëtę, Rhetores aliarúmque professionum
homines coronarentur ab ipso Imperatore. Neque puto aliunde Poetarum laureatorum mo-
rem manasse. Nam & ipsi antiquitus ab ipsis Cæsaribus Germani coronabantur, magnoque in
precio habiti semper apud Italos & Germanos, quod honoris virtute ingenij consecuti essent.
Sed in veteribus agonibus Capitolinis, qui vicerant, corona & ramo lemniscatis, aut torque
inuolutis donabantur. Nam qui secundi erant, eorum coronæ & palmæ sine lemniscis erant.
Id vel ex ipso Ausonio cognoscas licet:

Et quæ iam dudam tibi palma poetica pollet
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

Sed melius Sidonius, quanquam non de agone Capitolino loquitur.

Hic mox præcipuis æquus imperator
Palmis serica, torquibus coronas
Coniungi, & meritum remunerari. Nam coronis torques, & palmis serica, hoc est,

serica-

fericatos lemniscos coniungi vides, quamquam, vt dixi, de aliis ludis, aliáque re loquitur. Vides tamen amplificata præmia pro ratione meritorum. Hactenus Scaliger.

Capvt XIX.

De ludis Romanis.

QVi Romani ludi fuerint, docet Asconius Pędianus in actionem I. in Verrem his verbis: Romani ludi sub Regibus instituti sunt, magnique appellati, quòd magnis impensis dati sunt: tunc enim primùm ludis impensa sunt ducenta millia nummûm. Alii ideò magnos ludos dictos putant, quòd Cōso, Consiliorum secretorum Deo, id est Neptuno Larium regi, & rerum conditarum, & Diis magnis, id est Laribus vrbis Romæ, dati sunt: quibus aiunt raptas Sabinas esse, vt videatur propter hoc dicere Virgilius: Magnis Circensibus actis. Nam & magni & Circenses iidem sunt, &c. Quod Asconius scribit, ideò magnos hos ludos dictos esse, quòd Conso, id est, consiliorum secretorum Deo, id est Neptuno, &c. dati sint, nescio quàm verum sit, cùm Liuius illos ludos Consualia appellatos lib. 1. scribat: cui etiam Varro li. 4. de lingua Latina, Tertullianus li. singulari de spectaculis, & Sextus Aurelius Victor assentiuntur: quod etiam monuit Titus à Popnia notis in Asconium. De Romanis verò ludis lib. 1. Liuius in historia Tarquinii Prisci V. Romanorum Regis ita scribit: Bellum primum cum Latinis gessit, & oppidum Appiolas vi cepit: prędaque inde maiore, quàm quanta belli fama fuerat, reuecta ludos opulentiùs, instructiúsque, quàm priores Reges, fecit. Tùm primùm Circo, qui nunc Maximus dicitur, designatus locus est, loca diuisa Patribus, equitibúsque, vbi spectacula sibi quisque facerent, Fori appellati. Spectauêre furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes, Ludicrum fuit, equi, pugiléque ex Etruria maximè acciti, solennes deinde annui mansêre ludi, Romani, Magníque variè appellati. Atque hi ludi primùm a Regibus, quemadmodum ex Liuij verbis manifestum est, edebantur, tum à Consulibus, vti verisimile est, cùm ij in Regum locum successerint, inde ab Ædilibus Plebeiis, tandem à Curulibus, postquàm ij creati fuerunt, in honorem trium magnorum Deorum, Iouis, Iunonis, & Mineruæ, quod vel ex vno Cicerone satis constat, qui libro quinto actionis 2. in Verrem hæc dicit: Nunc designatus Ædilis, habeo rationem, quid à populo Romano acceperim, mihi ludos sanctissimos, maxima cum cærimonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos, mihi Floram matrem populo, plebíque Romanæ ludorum celebritate placandam, mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani appellati sunt, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæque esse faciendos. Hi verò ludi primùm Circenses erant, quod ex verbis Liuii paulò antè à nobis citati manifestum est: deinde verò etiam fuerunt Scenici, vt idem Liuius docet, tum alibi: tum lib. 31. vbi sic scribit: Ludi Romani Scenici eo anno magnificè, apparatéque facti ab Ædilibus Curulibus, L. Valerio Flacco, & L. Quinctio Flaminio biduùm instaurati sunt. Cæterùm cùm hi ludi primùm vno die, posteà biduo, & item triduo peragerentur, tandem plures dies iis sunt tributi. Fasti quidem veteres nouem continuos dies: à pridie Nonas Septembris, vsque ad pridie Idus celebratos eos fuisse docent: post quos biduo interiectis, alios ludos Romanos in Circo per quinque dies habitos, iidem testantur. Hos tamen Paulus Manutius Commentariis in actionem primam Verrinam, institutos esse arbitratur post illud tempus, quo Verres est à Cicerone accusatus.

Capvt XX.

De ludis Plebeiis, Compitalitiis, Augustalibus, & Palatinis.

LVdi Plebeii, scribit Asconius Pædianus in actionem I. Ciceronis in Verrem, sunt, quos exactis Regibus pro libertate plebis pòst fecerunt Romani, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in montem Auentinum. Alij eos post primam plebis in sacrum montem secessionem primùm editos scribunt. Hos Ædiles plebis edebant, vti ex Liuio non vno loco intelligitur. Fiebant autem in Circo à d. xvii. Kalendas Nouembris per triduum, vt testantur veteres Fasti. Atque in his ludis obseruabatur, vt quoties instaurarentur, ab Ædi-

libus ludorum causa epulum daretur. Errant qui hos eosdem cum Romanis fuisse opinantur. Sed de his hoc loco non ero prolixior. Restant de ludis, qui in Deorum honorem acti sunt, Consuales & Compitalitii.

De ludis Consualibus, cùm in Kalendario dixerimus, non necesse est ea hîc repeti.

De ludis Compitalitiis hæc Iulius Cæsar Scaliger libro 1. Poëtices, cap. 28 scribit: Ante vrbem designatam à vicorum compitis, in quibus agitabant agrestes, ludi & facti & dicti Compitalitii: intermissi deinde ad Seruium vsque Regem, ac per vicorum Magistros instaurati, quemadmodum à L. Pisone iterum curatum est, vt per eosdem magistros, qui tum Præfecti nominati sunt, restituerentur. Tandem sublatis Collegiis ipsi pariter aboliti sunt. Meminit Compitalitiorum ludorum etiam Suetonius in Augusto cap. 31. De Compitalibus in Kalendario quoque diximus.

Ad hos ludos, qui in Deorum honorem celebrarentur, Augustales quoque & Palatinos referre non incommodè possumus, cùm etiam Augustus, in cuius honorem acti illi sunt, post excessum ex vita pro Deo fuerit habitus. De iis verò Dio libro quinquagesimo sexto extremo, vbi de honoribus Augusto decretis loquitur, inter alia hæc habet: Decretum porrò est, inquit, ne qua eius imago vllo in funere ferretur, vt natalitiis eius ludis Consules, quemadmodum Martis fieri solitum, præmia certaminum proponerent. Augustalia Tribuni plebis tanquam sacri celebrarent. Iique omnia reliqua eo, quo consueuerant fieri, more peregerunt: veste triumphali ludis Circensibus vsi: currum tamen non conscenderunt. Præter hæc in Palatio Liuia peculiares ludos in honorem Augusti fecit, qui ipsi quoque secundo loco ab imperatoribus exhibentur. Et paulò post: Eo tempore plebs tumultuata est, cùm Augustalibus quidam histrio nollet pro constituta mercede in theatrum intrare: nec finis ante turbarum fuit, quam ea ipsa die Tribuni plebis coacto Senatu precibus impetrarunt, vt liceret sibi maiores aliquantò, quam legibus permitteretur, sumptus facere. Palatinorum ludorum etiam Suetonius meminit in Caligula, cap. 56.

Capvt XXI.

De ludis Sæcularibus.

Celeberrimi apud Romanos ludi erant Sæculares, sic dicti quòd post centum annos fierent, quia Sæculum in centum annos extendi existimabant, de quorum origine Valerius Maximus libro secundo cap. 4. multa habet, quæ legere potes. Angelus Politianus Miscellaneorum cap. 58. ex Zosimo & aliis hæc de ludis Sæcularibus affert. Quum bellum inter se Romani, Albanique gererent, & vtraque in procinctu iam staret acies, extitit repente quidam monstrosa specie, pelle amictus furua, vociferans Iubere Ditem Patrem, Deámque Proserpinam fieri sacrum sibi priùs quàm prælium committeretur. Quo perterrefacti viso Romani protinus aram sub terra ædificarunt, & statim sacrificio facto pedum viginti aggere contexerunt, vt esset omnibus, præterquam Romanis ipsis ignorabilis: Sed enim euenit, vt Valesus Valesius, vnde nomen & origo Valeriæ familiæ, clarissimus in gente Sabina, & locuples, homo rusticæ vitæ aram hanc, quam diximus, ita diuinitus inuenerit. Erat ei nemus ante villam proceris maximè arboribus, quæ statim fulmine ictæ conflagrarunt. Nec multò post, filii duo & filia correpti pestilentiæ morbo ad desperationem vsque Medicorum laborât. Cùm sese igitur Laribus familiaribus aduoluens pater, pro liberorum salute suum, matrisque puerorum capita deuoueret, vox è nemore, quod tactum de cælo, statim audita, saluos fore eos spondens, si Tiberi ad Tarentum peruecti, calfactam Ditis & Proserpinæ foco de fluuio ipso biberent aquam. Quoniam verò longissimè abesse, Tarentum, scilicet in extrema Iapygia, nec proximè eam vrbem reperiri Tiberim vllum fluuium sciebat, spem sibi deterrimam fingebat, etiam inde territus, quòd inferarum potissimùm vox illa potestatum meminisset. Sed impositos nihilò seciùs in lintrem filios Hostiam pergens, mox ad campi Martii regionem deuexit: ibi recreare sitientes, & æstu febrique laborantes desiderans, qua placidissimè amnis labitur, exponit in ripa ægrotos, ac dum tumultuariam sibi tegeticulam concinnat, extincto igniculo, admonetur à gubernatore petendum potius Tarentum (nam ita locus in proximo vocabatur) etenim fumum esse illic aspicere. Tum verò lætior audito Tarenti nomine Valesius, Deos adorans, & salutem sibi liberorum iamiam propemodum bona fide spondens, agi prorsum iubet, & illuc maximè nauigium appelli. Quò cum peruenisset, haurit aquam festinatò de flumine, frontisque omine tenaciùs arrepto, fumigans ibidem solum flatu solicitat in flammam, calefactam

factámque mox aquam porrigit in calice pueris. Succedit autem potui somnus. Vident in quiete illi, spongia sibi à nescio quo detergeri morbum, tum præcipi, vt Diti patri, & Proserpinæ, furuæ ibidem mactarentur hostiæ, trinoctiúmque perpetuum choris & carminibus concelebrarentur. Surgunt igitur recuperata valetudine, visúmque illud patri renunciant. Is homo locuples defodi iaciundis altè fundamentis humum iubet. Inuenta igitur sic ara est ea, quam diximus, cum titulo Ditis & Proserpinæ. Mactat ille (quod erat iussus) furuas continuè victimas, & trinoctium sacris frequentat: tot enim numero filios media de morte receperat, eóque Manius Valerius Tarentinus appellatus: quòd à Diis Manibus in Tarento liberûm suorum valetudinem impetrauisset: Ad hunc igitur modum quidam tradiderunt. At enim M. Varro lib. de Scenicis originibus I. Cùm multa, inquit, portenta fierent, & murus ac turris, quæ sunt inter portam Collinam, & Exquilinam, de cœlo tacta essent, & ideò libros Sibyllinos Quindecimuiri adiissent, renunciauerunt, vt Diti patri & Proserpinæ ludi Tarentini in campo Martio fierent, tribus noctibus, & hostiæ furuæ immolarentur. Hactenus de origine. Sæculares autem, non quia fierent anno vel centesimo denique, vel etiam centesimo decimo ue nuncupati: quod vtrumque sicut assertores habet, ita se ipso penitus coarguitur, sed ob id magis credi potest, quòd plerunque semel hominis ętate fierent, vt multa alia, quę rara sunt, post seculum euenire loquentium consuetudo vsurpat. Tarentini autem à loco ipso qui Tarentus ob id vocatur, aut quòd ara ibi Ditis patris (quemadmodum supra diximus) in terra occultaretur, aut quod ripam Tiberis fluuius eo loco tereret, ex quo etiam Rumon dictus à veteribus, & in sacris Serra nominatus, quòd ruminaret, hoc est, exederet, & secaret ripas. Vnde ait Maro:

Stringentem ripas, & pinguia culta secantem.

Cæterùm de temporum interuallis, quibus isti ludi referrentur, fides in ambiguo est. Siquidem in carmine Seculari Horatius vndenos decies per annos fieri declarat, quòd & Commentarij Quindecimuirorum, & diui Augusti edicta & ipsius denique Sibyllæ, quod adhuc extat, oraculum confirmauerint. Contra verò Centesimum redire post annum, tã Valerius Antias, quàm Titus Liuius, & item M. Varro testari perhibentur. Quòd enim legimus apud Herodianum trium spacio ætatum solitos instaurari, vereor vt emendata sit ibi lectio, nostrámque ob id è Græco interpretationem cum venia legendam censeo. Nec autem (si tempora dinumeres) aut quanta interualla retrò fuerint, aut quanta esse debeant, omninò colligas. Instituti autem primi Seculares ludi post exactos Reges à P. Valerio Poplicola, qui primus Consul fuit, existimantur. Etenim laborantibus pestilentia ciuibus, apud hanc ipsam quam diximus, aram, publicè nuncupatis votis, atrum bouem Diti pro maribus, concolorem pro fœminis, iuuencam Proserpinæ mactauit, ludósque & lectisternia trinoctia fecit, & arã terra, sicut antè fuerat, exaggerata occuluit, inscriptam titulo isto: P. Valerius Poplicola frumentarium Campum Diti, & Proserpinæ consecrauit, & ludos Diti & Proserpinæ Romanorum salutis ergò fecit. Secundo & quinquagesimo post Romam conditam factos anno admonitu Sybyllinorum carminum, tradit Græcè Zosimus, missis occupata morbo ciuitate lectis ad hoc viris, qui libros consulerent: ex quorum responso, denuo regesta humo apud aram hanc ipsam in extremo campi Martij de more sacra & ludi persoluti, restitutáque Romanis iterum est incolumitas. Consulem verò scriptor hic vnum duntaxat, exemplario fortasse mendoso, M. Publiũ Quintium nominauit, cùm Censorinus M. Valerium & Spurium Verginium Consules prodat. Idémque tertios, & item quartos Consulum temporibus, quos & nominatim citat autoritatibus Antiatis Valerij, Titi Liuij, Varronis, Pisonis, Agellij, & Heminę comprobat factos, etiámque Cõmentarios Quindecimuirûm sacris faciundis in testimoniũ adsciscit. At enim quoniam lubricus in propriis nominibus, & item in numerorum notis librariorum lapsus, vitiata illa (ni fallor) in Cẽsorini Commentario reperies. Cæterùm diuus Augustus abolitos eos paulatim (sicuti quidã putant) atque intermissos instaurauit, magno (vt Liuius ait) apparatu, L. Censorino, & M. Manlio Puellio Consulibus, Ateio autem Capitone circumitum, spatiúmque subijciente, tum verò sacrorum libris indicantibus Sybillinis. Porrò sextos, Claudius se Consule IIII. & L. Vitellio quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos: quamuis ipse in historiis prodidisse memoretur, intermissos eos, Augustum multò post diligentissimè annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. Quare vox etiam irri[sa] [præ]conis traditur, inuitantis more solenni ad ludos, quos nec spectauisset quisquam, nec spectaturus esset, cum superessent adhuc, qui spectauerant, & quidam histrionum producti olim, tum quoque producerentur. Etenim Stephanioné, qui primus togatus saltare instituit, vtriusque Secularibus ludis, Augusti videlicet, & Claudij, saltasse accepimus, qui LXXXIII. non amplius annis interfuêre, quamuis & postea ille diu vixerit. Septimos Domitianus, se XIIII. & L. Minutio Ruffo Cõsulibus, computata

satione temporum ad annum, non quo Claudius proximè, sed quo olim Augustus ediderat. Denique in numismatis variis apud Laurentium nostrum Medicem stelographiam quoque istam vidimus: Lud. Sæc. Fec. Cos. XIIII. Hæc Politianus. Et paulo post: Centesimo decimóque post Domitiani ludos anno, instaurauit, & eos Imperator ille Septimus Seuerus, cuius etiam nunc Romæ pulcherrimus spectatur triumphalis arcus, cum filiis Antonino & Geta, Chilone & Vibone Consulibus. Quos ludos & vidisse se memorat Herodianus, & Dion ætate sua factos memoriæ prodidit. Post Seuerum negat instauratos Zosimus: quoniam hic annorum centum & decem penè receptus autoritate ambitus in Consulatum Constantini Christiani Principis tertium, & Licinij, quem dum bello ipse vicit, incurrisset. Nos tamen apud Eusebium in Chronicis & Eutropium in Historiarum libro. 9. legimus Philippo imperante (quanquàm primus fuisse Christianus Imperator creditur) millesimum annum Romanæ Vrbis ingenti ludorum apparatu, & spectaculorum fuisse celebratum, bestiásque in Circo innumerabiles interfectas, & ludos in Campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo peruigilante concelebratos: quibus ludis sæcularibus etiam dicitur Philippus iunior, is qui nunquam risisse creditur, patrem Philippum seniorem petulantiùs cachinnantem vultu auerso notauisse. Restat vti de ritu carptim paucula perstringamus. Instantibus itaque ludis tota Italia præcones missitabantur conuocatum ad ludos, qui nec spectati, nec spectandi iterum forent. Tum ætatis tempore, paucis antequam spectacula edebantur, diebus, Quindecimuiri sacris faciundis in Capitolio, & Palatino templo pro suggestu considentes, piamina diuidebant populo, quæ erant tæda, sulphur & bitumen. Nec tamen ad ea seruis quoque accipienda ius vllum. Coibat autem populus, cùm in quæ suprà retulimus loca, tum præterea in Dianæ templum, quod erat in Auentino, & cui triticum, faba, hordeúmque dari mos. Tum ad instar Cereris initiorum peruigilia fiebant. Vbi verò iam aduenit festus dies, triduum, trinoctiúmque sacris intenti, in ripa ipsa maximè Tiberis agitabant. Sacrificia vero, Ioui, Iunoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, prætereáque Parcis, & quas vocant Ilithyas, tum Cereri, & Diti, & Proserpinæ suscipiebantur. Igitur secunda primæ noctis hora Princeps ipse tribus aris ad ripam fluminis extructis, totidem agnos, & vnà Quindecim viri immolabant, & sanguine imbutis aris, cæsa victimarum corpora concremabant. Constructa autem scena in theatri morem, lumina & ignes accendi, & hymni concini, ad hunc vsum tunc maximè compositi, & item spectacula edi solenniter solita, data celebrantibus hac mercede tritico, faba, hordeo, quę suprà inter vniuersum populum diuidi ostendimus. Manè vero Capitolium ascendere, sacra ibi de more agitare, tum in theatrum conuenire ad ludos in honorem Apollinis & Dianæ faciundos consueuerunt. Sequenti die nobiles matronas, qua hora præcipitur ab oraculo, conuenire in Capitolium, supplicare Deo, frequentare lectisternia, canere hymnos ex ritu, mos habebat. Tertio denique die in templo Apollinis Palatini, ter noueni pueri prætextati, totidémque virgines patrimi omnes matrimíque Græca, Romanaque voce carmina, & pæanas concinebant, quibus imperium suum, & incolumitatem populi Diis immortalibus commendabant. Quod si quis fortasse quæsierit, quod genus tunc aut ludorum fieret, aut sacrificiorum, sciat & ludos celebrari omnibus theatris atque omne genus, & sacrificia templis omnibus conuenisse noctu pariter, atque interdiu. Nam de Scenicis & Circensibus minimè dubitatur, cum Domitiani ludis histriones interfuisse meminerimus, prætereáque Circensium die, quo faciliùs centum missus peragerentur singulos à septenis spaciis ad quina legerimus correptos. Illud vtique in Augusto memorabile, qui ludis istis iuuenes vtriusque sexus prohibuit vllum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo maiore natu propinquorum. His, prout in mentem desubito venerunt, expositis, iam nec ille vatis Ausonij versiculus ambiguus relinquetur:

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.

Nec obscura apud Horatium ratio extiterit, cur Parcas Ilithyam, Dianamque ex Auentino cur & puerorum vota, & Quindecimuiros memorauerit, & item Sybillinos versus, qui nunc quoque apud eundem Zosimum vetustissimisquidem codicibus citra vlla fastigia inueniuntur, quos sic Latinè reddimus:

Ast vbi iam humanæ longissima tempora vitæ
Orbis agens annos referet centumque decémque,
Sis Romana memor (licet alta obliuia tentent)
Sis memor, vt qua se nimiùm Tiberina coarctat
Ripa foras, Diis in campo solennia sacra,
Cùm nox atra premit terras, tectiśque latet Sol,
Agne, caprigenúmque pecus genitalibus Parcis
Hostia ferna vtraque cadant tum numina places:

Lato:

Læta puerperiis (quod fas fuas) Ilithyias.
Terra suum feras & scropham sibi fertilis atram,
Sed Iouis ante aram candenti corpore tauros
Luce feri: nam lux superis gratissima diuis.
Iunonis templum nitida ceruice iuuenca
Imbuas: atque iti em Phœbus placetur Apollo.
Quem vocitant etiam Solem, Latoa propago.
Pæanas puerique canant, pueræque Latinorum
In templo. Sed enim pueri pueræque seorsum
Concelebranto choros, verùm hæc sit patrima proles,
Matrimaque: at nuptæ genibus Iunonis ad aram
Oranto inuisæ, in vota diuámque vocanto.
Februa quin etiam vir quisque & fœmina: quanquàm
Fœmina præcipuè, accipito, dehinc ædibus omnes,
Primitias vitæ placidis placamina diuis
(Qua fas est) & cælitibus portanto beatis.
Antè domi tamen illa memor tibi habeto reposita,
Quæ dare mox vsu liceat poscente virisque,
Fœmineoque gregi. Sum digna sedilia Diuis,
Pérque dies iuxta & noctes multesima turbas
Complento, & lepidis miscento seria ludis,
Quæ tibi si stabili sint omnia condita mente,
Cuncta tuo Italiæ tellus, cunctique Latini
Subdent colla iugo & victoris sceptra timebunt.

Plura de ludis sæcularibus legas tum apud alios: tum in libro singulari, quem de iis scripsit Onuphrius Panuinius: cuius tamen inspiciendi copia mihi hactenus fieri non potuit.

Cum ludis Sæcularibus multi confundunt Taurios, sed falluntur: sunt enim omninò diuersi. Paulus Diaconus Festi abbreuiator: Taurij appellabantur ludi in honorem Deorum inferorum facti. Instituti autem videntur hac de causa: Regnante Tarquinio Superbo, cùm magna incidisset pestilentia in mulieres grauidas, quæ fuerat facta ex carne diuendita populo taurorum, ob hoc Diis inferis instituti ludi, & Taurii vocati sunt. Sextus Pompeius, vti à Iosepho Scaligero editus est: Taurii ludi in Circo Flaminio fiebant, qui instituti Diis inferis ex hac causa sunt: Tarquinio regnante, cum grauis pestilentia in mulieres grauidas incidisset, fœtus infecti sunt ex carnis putore taurorum immolatorum. Ob id Taurij ludi & appellati sunt, & fiunt in Circo Flaminio, ne intra muros euocentur Dii manes. Contrà eos ludos Varro ait vocari, quòd discipulus prudens à doctore inter *** solitus sit impelli, atque vsque eo cog docere, quoad consisteret, & virtute talorum constaret pedum firmitas: Hactenus Festus. Addit autem Scaliger: Quòd ludi Taurii in Circo Flaminio fierent, qui fuit extra portam Carmentalem, testis est Varro li. 4. de Latino sermone. Reliqua quæ ex opinione Varronis afferuntur, quin ita scripserit Festus, negari non potest. Apud nullum autem veterem Scriptorem id temerè inuenias. Apparet tamen Varronem ludos Taurios ab eo dictos sensisse, quod in corio Tauri id genus ludi fieret à ludimagistris eo die, quo ludi Circenses, qui dicti sunt Taurii, in Circo Flaminio fierent, aut quòd scuticæ taurica discipulus impelleretur: idque explendum fuisse in ea lacuna, in qua causa hominis desiderari videtur. Hæc Scaliger. Atque tantùm de præcipuis ludis iis, qui in honorem Deorum agebantur, à quibus non sunt separandi Votiui: nam & ipsi cultus diuini gratia celebrabantur. Itaque iam de iis dicemus.

CAPVT XXII.

De ludis Votiuis.

VOTIVI ludi erant, qui à Magistratibus ad bellum ituris vouebantur, post res fœliciter gestas, & victoriam partam exhibendi. Atque hi introducebantur, aut Sibyllinis versibus, aut Augurum præceptionibus, aut promissis Imperatorum, vel ante bellum, vel confecto bello, atque hostibus deuictis. Tales erant illi, quos magnos cognominarunt, quòd in honorem Iouis, quem principem Deorum putabant, fierent: quorum multa mentio est, tum apud alios, tum apud Liuium, vt

li.22.in historia anni DXXXVI.vbi scribit,auctore Q.Fabio Maximo Dictatore placandę Deûm iræ:& victoriæ de Carthaginensibus impetrandæ gratia,ex libris Sibyllinis votos fuisse ludos magnos, æris CCCXXXIII. millibus triente:præterea bubus Ioui CCC.multis aliis Diuis bubus albis,atque cæteris hostiis,&c. Quomodo autem hi vouerentur,ex eodem Liuio cognoscitur, apud quem li.39.sic legimus:Certa deinde forte Senatusconsultum factum est,quòd populus Romanus eo tempore duellum iussisset cum rege Antiocho esse,quique sub imperio eius essent, vt eius rei causa supplicationem impetrarent Consules:vtique Mancilius Consul ludos magnos Ioui voueret,& dona ad omnia puluinaria. Id votum in hæc verba,præeunte Publ. Licinio Pontifice Maximo Consul nuncupauit.Si duellum quod cum Antiocho Rege sumi populus iussit,id ex sententia Senatus populique Romani confectum erit: tum tibi Iupiter populus Romanus ludos magnos dies decem continuos faciet, donáque ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreuerit. Quisquis Magistratus eos ludos, quando,vbique faxit,hi ludi recte facti, donáque data sunto, &c. Vouebantur nonnunquam in quinquennium,cuius exempla sunt apud Liu.multa li.27.scribit:Senatus,quo die primùm est habitus,ludos magnos facere Dictatorem iussit, quos M.Æmilius Prætor Vrbis C.Flaminio, Cn. Seruilio Consulibus fecerat,& in quenquennium vouerat. Tum Dictator & ludos fecit,& in sequens lustrum vouit.Idem libro 30.Vt placatis Diis omnia inciperent, agerénque decretum à Senatu,vt quos ludos M.Claudio Marcello,T.Quinctio Consulibus T.Manlius Dictator, quásque hostias maiores vouerat, si per quinquennium illud Respublica eodem statu fuisset: eos Consules priusquam ad bellum proficiscerentur, facerent. Ludi in Circo per quatriduum facti:hostiæque, quibus votæ erant Diis cæsæ. Hactenus Titus Liuius.

Pertinent huc etiam Ludi Victoriæ, Ludi Quinquennales, Decennales, Vicennales, de quibus breuiter quædam dicemus.

Ludi Victoriæ à L.Cornelio Sulla instituti fuerunt, bello ciuili,Asconio & Velleio Paterculo testibus: cuius verba in Kalendario citauimus. Celebrabantur mense Octobri per dies quinque.

Fuerunt etiam alij Victoriæ ludi in memoriam victoriarum C.Cæsaris,Augusti,&c.peracti, de quibus in Kalendario diximus.

Quinquennales ludi instituti sunt ab Augusto post deuictum Antonium, & partam victoriam apud Actium promontorium: vnde etiam Actiaci ludi nonnunquam appellantur, testis Suetonius in Augusto,c.18.his verbis:Quóque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, vrbem Nicopolim apud Actium condidit; ludósque illic Quinquennales constituit:& ampliato vetere Apollinis templo,locum castrorum,quibus fuerat vsus,exornatum naualibus spoliis,Neptuno ac Marti consecrauit.Dio.lib.51.Eadem die Cæsar Apollini,qui apud Actium colitur, triremem,quadriremem,ac alia nauium genera, vsque ad deciremem ex captis nauibus consecrauit, templum maius extruxit, ludos Musicos& Gymnicos, & certamen equestre cum sacro Quinquennali constituit, Actios illos ludos dicens, vrbémque eo loco,vbi castra habuerat,efficit,&c.De quibus ludis etiam Strabo lib.7.loquitur.Neque verò hi ludi Nicopoli tantùm, sed & Romæ fuerunt celebrati: sic enim Dio lib.53. initio. Ludos propter Actiacam victoriam decretos cùm Agrippa exhibuit, & in iis equestre certamen per pueros & viros Patricios peregit:idque deinceps ad nostram vsque ætatem ludi quinto quoque anno facti sunt eorúmque curatio quatuor Sacerdotum collegiis per ordinem incumbit, Pontificibus nimirum,Auguribus, Septemuiris,& Quindecimuiris. Gymnici quoque ludi, stadio in Campo Martio extructo ligneo, acti sunt: & munus gladiatorium depugnantibus captiuis,exhibitum. Idem lib.54. Tum Quinquennales etiam ludi propter principium Augusti ab Agrippa: nam is quoque à collegio Quindecemuirorum, quibus per ordinem horum ludorum curatio incumbebat,cooptatus & inauguratus fuerat,inaugurati sunt,&c.Iidem ludi etiam hinc inde in Prouinciis Neapoli, item & in Iudæa Cæsareæ ab Herode instituti & celebrati sunt,teste Egesippo & aliis. Quinetiam reliquis post Octauium Augustum Imperatoribus & viuis & defunctis ludi Quinquennales celebrati sunt, quemadmodum ex Ælio Spartiano,& cæteris mirorum gentium Historicis cognoscere licet, vnde etiam Flaminum Quinquennalium origo,de quibus veteres inscriptiones testantur.Quinquennale quoque certamen Romæ instituit Nero,teste Suetonio in ipsius vita,cap.12.

Decennales item ludi à Cn. Octauio Augusto sunt instituti, prætextu quodam ad Imperatoris titulum, monarchiæque potestatem retinendam sine inuidia. Solebat enim decimo anno,constituto in hoc ingenti spectaculo, ludorúmque apparatu, Imperium populo resignare, quod tamen illico, quasi rogaretur,recepit. Atque hinc ortum est, vt posteriores etiam Imperatores quoties decimum imperij annum attigissent, festum celebrarent,

& lu-

& ludos cum maximo apparatu ederent. Dio lib. 53. Augusto, cum primùm decennium exiuisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto rursum aliud quinquennium post decennium, ac eo finito, aliud item decretum est, ita, vt continuatis decenniis per totam vitam summum Imperij obtinuerit. Quam ob causam posteriores quoque imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium iis Imperium deferatur: tamen singulis decenniis festum pro eius renouatione agunt, quod hodie etiam fit. Hæc Dio. Ita Eusebius scribit in historia Ecclesiastica, Constantinum Magnum decennalia celebrasse. Et Trebellius Pollio de Gallieno Imperatore: Interfectis sanè militibus apud Byzantium, Gallienus quasi magnum aliquid gessisset Romam cursu rapido conuolauit: conuocatísque Patribus, decennia celebrauit nouo genere ludorum, nouo specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Iam primùm interrogatos Patres, & equestrem ordinem, albatos milites & omni populo præeunte, seruis etiam propè omnium, & mulieribus cùm cereis facibus, & lampadibus præcedentibus Capitolium petiit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boues, cornibus auro iugatis, & dorsalibus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab vtraque parte cc. præcesserunt, & x. elephanti, qui tunc erant Romæ, mille cc. gladiatores pompaliter ornati, Cum auratis vestibus matronarum, mansuetæ feræ diuersi generis cc. ornatu quàm maximo, affectæ. Carpenta cum mimis, & omni genere histrionum: pugiles sacculis, non veritate pugilantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarii, ita vt miranda quædam, & stupenda monstraret. Omnes viæ ludis, strepitúque & plausibus personabant. Ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter patres, vt diximus, omnibus Sacerdotibus prætextatis, Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, & præterea, quæ collegiorum erant dracones & signa templorum, omniúmque legionum ibant. Ibant præterea gentes simulatæ, vt Gothi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita vt non minùs quàm duceni singulis globis ducerentur. Hæc Trebellius.

Vicennalia, siue Vicennales ludi erant, qui xx. quoque imperij anno exhibebantur, quorum etiam Eusebius lib. 3. de vita Constantini Magni, & alij meminerunt.

Pręter eos, de quibus hactenus diximus, etiam ludi Triumphales fuerunt, qui post insignes victorias celebrabantur. Natalitij, qui in natalibus magnorum virorum edebantur, vt a d. iv. Idus Iulias C. Iulij Cæsaris natalitii ludi erant. A. d. ix. kalend. Ianuarij Titi Cæsaris. iv. Kalendas Decembris Neruę. A. d. iv. Kalend. Nouemb. Hadriani: Kalend. Aprilibus Antonini. A. d. iii. Idus Aprilis Ælij Veri A. d. xviii. Kalend. Decembris Septimiani A. d. xiii. Kalend. Ianuarij Gordiani. A. d. iv Kalend. Februarij Constantini Magni, & Iunioris, de quibus Aelius Spartianus, Lampridius, Capitolinus, & alii sæpe sic loquuntur.

Iuuenales ludi fuerunt à Nerone primùm instituti cùm barbam deponeret. Hic cùm priuati primùm essent, mox passim in eos data nomina à pluribus. Non nobilitas cuiquam, non ætas, haud acti honores impedimento fuère, quin histrionis artem exercerent, vsque ad gestus, modósque haud viriles, quibus Aeliam Catulam filiam nobilissimam, atque ditissimam, natam annos xxc. saltasse, ex Dione scribit Xiphilinus. Dicti igitur Iuuenales, quod in eis veluti reiuuenescerent, vt à quibus auspicatus Nero, tandem etiam in Theatro caneret: per domos enim tantùm, atque hortos Iuuenales agebantur. Tacitus lib. 15. Suet. in Nerone, cap. 11. & 12. Atque hoc est, quod eleganter scribit Plinius li. 37. ca. 2. Peculiari theatro Neronem in hortis primùm cantasse, & Pompeiano prælusisse. Vide Læuinum Torrentium Commentariis in Suetonium.

Fuerunt & alii ludi Iuuentutis, quos Salinator Senensi prælio vouit, fortasse pro salute iuuentutis. De quibus Cicero in Bruto C. Cornelio, Qu. Minutio Consulibus, ludis Iuuentutis, quos Salinator Senensi prælio vouerat, Liuius docuit fabulam.

Miscelli ludi, quorum apud Suetonium mentio extat, qui fuerint, dubium videri solet. Læuinus Torrentius Commentariis in Suetonii Caligulam, ca. 20. hæc scribit: Varro lib. 3. de re Rustica, columbarum quoddam genus miscellum vocat, quæ neque agrestes, neque domesticæ sint. Atque idem lib. 1. cap. 54. quemadmodum & Cato de re Rustica, cap. 6. miscellas appellat vites, quæ omni agro conueniunt. Quare miscellos quoque ludos vocari existimo, qui ad nullum certum genus ludorum Scenicorum, siue argumentum, siue scenæ instrumenta, & apparatum spectes, referri possint. VVolfgangus Lazius lib. 11. Commentariorum Reipublicæ Romanæ, cap. 15. scribit Miscellaneos ludos fuisse, ex variis, multiformibúsque ludicris commixtos. Sed hæc de iis quoque sufficiant. Iam, antequam de funebribus, & reliquis ludis, qui exercitationis gratia fiebant, verba faciamus, Pompa ludorum videtur nobis esse explicanda. Hæc enim potissimùm ad eos ludos, de quibus hactenus diximus, pertinebat. Faciemus autem hoc capite sequenti, idque verbis Dionysij Halicarnassæi.

Caput XVIII.

De Ludorum Pompa.

Q Væ pompa ludorum fuerit apud veteres, eleganter explicat Dionysius Halicarnassæus li. 7. Itaque ipsummet, de ea, & quidem Latinè beneficio Sigismundi Gelenii, loquentem audiemus Sic autem scribit: Pompa ludorum, sacráque habebant se hoc modo. Priusquam spectaculum committeretur, viri potestate ac dignitate præeminentes, pompam ducebant Diis à Capitolio per forum in Circum maximum, in qua primi erant eorum filii pubertati proximi, qui iã per ætatem interesse possent, equis inuecti, quorum patres erant Romani equites, cæteri pedites in pedestrem accensendi militiam, distincti per alas, & Centurias, classiúmque ordines, ac si ludum literarium peterent, vt appareret Hospitibus futura iuuentus vrbana quàm esset egregia forma, & numero hos sequebantur, quadrigarii, bigarii, singulariúmque equorum agitatores, post quos athletæ grauiorum, leuiorúmque certaminum, nudi cætera, pudenda tantùm tecti subligaribus campestribus: qui mos Romæ manet nostro quoque tempore: sicut olim fuit in Græcia, in qua nunc antiquatus est, orto à Lacedæmoniis initio. Athletas sequebantur saltatorum chori diuisi trifariam, primo virorum, deinceps imberbium, postremò puerorum: post quos tibicines inflantes antiqui moris breues tibias, quarum & nunc vsus est, citharistæque plectentes lyras septem fidiũ eburneas, & quæ vocantur barbita, quibus iam vti Græcia desiit, apud Romanos verò adhibentur omnibus antiquis cærimoniis. Saltatorum habitus erant tunicæ puniceæ balteis æreis astrictæ, gladiis dependentibus, gestabántque breuiores mediocrib. lanceas: viri verò, etiam æreas galeas cristis pinnatis insignes, quemque chorum præcedebat vnus vir qui præibat cæteris saltationis formulas, vnus item militares concitatos præcinens modulos rhythmis plerumque proceleusmaticis, id genus exercitii apud Græcos olim cum primis erat celebre, armata saltatio, quæ vocatur Pyrrhica: siue id Mineruæ inuentum est, quæ post deletos Titanas, in lætitia victoriali fertur prima saltasse armata, choreasque duxisse: siue priùs etiam institutum à Curetibus, dum infantem Iouem mulcerent armorum sonitu, concinnisque gesticulationibus, vt habent fabulæ. Post armatos saltatores in Pompa incedebant Satyri, sicinnem referentes Græcanicam: habitus horum Silenos repræsentantium erant hirsutæ tunicæ, quas quidam appellant scorteas amiculáque conserta ex omni florum genere: alius item Satyrorum, ex hircinis tergoribus campestria, setæque horrentes in vertice, aliáque his similia: hi serias illas saltationes ridiculè imitabantur, deprauantes per ludibrium, quibus lusibus satyricis, salibusque iam inde à priscis sæculis delectatos Romanos apparet è triumphis etiam. Permittitur etiam victores deducentibus, iambos & dicteria iacere in Imperatores clarissimos, quemadmodum Athenis solebant pompam in plaustris ducentes scommatibus obuios impetere: nunc autem extẽporalibus vtuntur versiculis, quin & in illustrium virorum funebribus pompis inter alios feretrum prçcedebant saltatores Satyrici, maximè in diuitum. Lusus autem satyricos, nec Ligurum, nec Vmbrorum, nec aliorum Barbarorum in Italia habitum fuisse inuentum, si docere voluero, vereor ne molestus videar, laborans in euidente re demonstranda. Post hos choros transibat agmen citharistarum, ac tibicinum: post quos alij gestantes acerras argenteas, aureásque tam sacras, quam publicas, suffitúmque facientes. Extremum agmen claudebãt simulacrorum baiuli, habentium, quales apud Græcos finguntur, effigies, eundémque habitum, eadem insignia, muneraque, quorum inuentores & donatores traduntur, nec solum Iouis, Iunonis, Mineruæ, Neptuni, aliorúmque, quos Græci inter 12. numerant, sed antiquiorum etiam, quorum 12. illi sunt progenies, Saturni, Themidis, Latonæ, Parcarum, Memoriæ, adhęc Proserpinæ, Lucinę, Nympharum, Musarum, Horarum, Gratiarum, Liberi, semideorúmque, quorum animæ post mortem inter cœlites relatæ pari cum his honore coluntur, Herculis, Æsculapij, Castorum, Helenæ, Panes, & aliorum innumerorum. Peracta pompa confestim sacrificabant Consules, sacerdotes, quibus fas erat, & victimarii, idque more nostratium. Lotis enim manibus, & lustratis aqua pura victimis, moláque conspersis earum capitibus, votisque nuncupatis tum ministros eas mactare iubebant, quorum alij stantem etiam tum hostiam veste feriebãt, in tempora, alii cadentem cultris excipiebant, ac mox direpto tergore concidebant membratim, delibatásque ex singulis extis, aliisque membris primitias farre obuolutas in canistris offerebant sacrificantibus, qui aris impositas succendebant, & vinum affundebant insuper. Post hæc certamina spectabantur. Primus erat quadrigarum, bigarum, singulariúmque equorum cursus, sicut olim in Olympia, & nunc quoque. In his equestribus certaminibus duo quędam

dam priscorum instituta seruantur à Romanis, hoc quoque seculo: alterum trigariorum, quod defecit in Græcia vsitatum eorum temporibus, vt Homerus testatur describens eorum prælia: quo duobus equis bigarum in morem iunctis, adiungebatur tertius funalis loramentis adnexus, quem inde παρήορον Græci vocabant, alterum quod apud paucos aliquot Græciæ populos durat ex antiquitate reliquum, vectorum cursus. Finito enim equorum certamine viri, qui priùs cum aurigis eodem curru vehebantur, quos Poëtæ parabatas, Athenienses approbatas nominant, desilientes in pedes cursu certant in stadio. Post equorum cursum athletæ inducebantur, cursores, luctatores, pugiles. Hæc enim tria genera certaminum apud priscos Græcos erant, vt Homerus indicat in Patrocli funere. Cæterùm medio inter certamina tempore bene de Republica meriti coronabantur, vocéque præconis celebrabantur, ex more Græcorum laudatissimo, sicut Athenis per Liberalia factitatum est: & ostentabantur spectatoribus relata ex hoste spolia. Hactenus Dionysius.

Ad Cap. X.

PARALIPOMENA.

Tapetes, Babylonica, aliáque scenæ, & actorum ornamenta, pegma, pegmates, Crocus in pegmatis, & scena, orchestra in qua saltabatur, aliáque loca in spectaculis.

IN tragico theatro palatia regum erigebantur, sed illa tapetibus pensilibus obducta, partim vt scena magnificentius ornaretur, partim vt regiarum ædium species vera exhiberetur, quæ etiam heroicis temporibus tapetibus insterni solebant, cuius rei apud Homerum passim exempla, & ex illo Critici discusserunt. Ausonius Edyllio 7. supra adductus, *aulæaque regum*, pro Tragico ornatu scenæ dixit. ad hunc ritum alludunt authores. Heliodor. Emesenus lib. 5. hist. Æthiop. ἐξεφόρουν τραπέζας, κρατῆρας, τάπητας, παραπετάσματα, Σιδωνίων ἔργα, καὶ Τυρίων χειρῶν, τ' ἄλλα ὅσα δεῖπνον ὑπηρετεῖται. *efferebant mensas, pocula, tapetes, aulæa Sidoniarum opera & Tyriarum manuum & alia quorum in instruendo conuiuio vsus est.* primus vsus vt pedibus substernerentur, vnde *tapeta, quasi tapedia* dicuntur Isidor. libro decimo nono capite 26. postea & lectis cubitoriis insternebantur. Iul. Pollux lib. 6. cap. 1. *de symposio, amphitapetia, & tapetia* in ornatu conuiuantium reponit, hæc vtrinque villosa, ista ab vna tantùm parte. Qu. Curt. lib. 7. *quum post aulæam quæ lectos obduceret staret rex.* Hyperides in Patroclo apud Iulium Pollucem libro quarto cap. 19. cuius hęc sunt.

οἱ δ' ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ
περιφραξάμενοι τι μέρος τῆς αὐλαίαις.
Nouem principes conuiuabantur in stoa.
Circum septi alteram partem aulais.

P. Virgil. lib. 1. Æneid.

——Aulæis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda.

Virgil. lib. 9. Æneid.

——Qui forte tapetibus altis
Extructis, toto proflabant pectore somnum.

M. Varro in Hercule Socratico.

In omnibus rebus bonis quotidianis
Cubo in Sardinianis tapetibus.

Stat. Papin. lib. 5. Thebaid. vers. 207.

Euinctum ramis, aliaque in mole tapetum
Effusum somno crescentia vina.

Et in quocunque lautioris conuiuij apparatu, parietes totos integebant, de Adrasti magnificis epulis, quibus Polynicem & Tydeum accepit, idem Statius lib. 1. Thebaid. v. 528.

——Pars ostro tenues, auroque sonantes
Emunire thoros, altósque inferre tapetas,
Pars teretes leuare manu, ac disponere mensas.

Ad eum sensum Bacchylides Lyricus apud Athenæum li. 11. Dipnosop. cap. 1. οὐ βοῶν πάρεστι σώματ', οὔτε χρυσός, οὔτε πορφύρεοι τάπητες, ἀλλὰ θυμὸς εὐμενής, μοῦσά τε γλυκεῖα, *non adsunt boum corpora, neque aurum, neque purpurei tapetes, sed animus beneuolus, Musaque dulcis.* Coripp. ad spectacula scenica eos adhibitos insinuat Byzantij, ita enim de Circensib. lib. 2. Num. 8. Iustinus, inquit Augustus.

Auratum scandens solium, sedémque paternam
Constructam plumis, pulchrisque tapetibus altam.

Et lib. 4. num. 2. ad domesticos mores reduxit.

Hanc prius, in media quam sol procederet aula,
Auratis gradibus sacrisque tapetibus altam
Conscendit.

Et quia in Assyria præcipuus honor, primaque fere peristromatum huiusmodi Inuentio, fit idcirco vt Babylonica vocentur. C. Plin. lib. 8. cap. 48. *colores diuersos picturæ intexere Babylon maxime celebrauit, & nomen im-*

posuit, Et post ibidem loci. *Metellus Scipio tricliniaria babylonica sestertium octingentis millibus venisse iam tunc, posuit in Capitolinis criminibus. quæ Neroni principi quadragies s. stertio nuper stetere*, M. Acc. Plau. in Sticho sc. *quisnam obsecro.*

Tum Babylonica peristromata, consutaque tapetia
Adduxit minimum bonæ rei.

M. Martial. lib. 8. epigr. 29.

Non ego prætulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.

Melius quam in antiquo codice

Non ego prætulerim Babylonis picta superba
Texta.

T. Lucret. Carus lib. 4. de rerum Natura.

Somno deuincti credunt extollere vestem
Totius humore siccatum vt corpore fundant,
Tunc Babylonica magnifico splendore rigantur.

His intexebantur effigies diuersicolores, Glossarium vetus, ποικίλμα, id est *vestis filis versicoloribus contexta*, siue Babylonicum. Plinius loco citato, *aurum intexere in eadem Asia inuenit Attalus Rex*, idemque in vestibus obseruatum docebitur infra hoc opere, vbi de *Toga picta* agetur. effigies istæ quæ intexebantur, animalia referebant horrendæ cuiusdam & prodigiosæ naturæ, interdum & veteres historias adumbrabant heroes ipsos in iis depictos, docuit Aegidius Maserius ad lib. 1. Valerij Flacci.

—Acliuisque tapetis
In mediis vacuo condit caput Hippasus auro.

Male antea, & corrupte.

—Accliuisque tapetis.

Quo refero locum illum Claudiani è lib. 1. in Eutropium, à nemine intellectum hactenus, nedum explicatum, ita enim ille, *videbo*

Iam coeleis homines iunctos, & quicquid inane
Nutris Iudaicis quæ pingitur India velis.

Sensus est, si vsque adeo incredibilia fingere licet, & vilissimum mancipium Eutropium ad fastigium consulatus euectum credimus, facile mihi persuadebo viuere, & in rerum natura esse ea animalia, quæ in peristromatis suis, animi obiectandi gratia intexunt, tanquam in India nata, siue in longinquis maximè gentibus, & veluti à cognitione nostra semotis. ita censuit vir in Græcis Latinisque literatissimus Nicolaus Seuinus, qui in publico docendi munere mihi non ita pridem decessor. huiusmodi autem ignotas belluas Picturæ Babylonicorum intexi solitas, aut vestium aliarum, author est L. Apuleius libro 11. Milesiar. *ex humeris dependebant pone tergum, talorum tenus, pretiosa chlamyda, quaqua tamen viseres colore vario circumnotatis insignita animalibus: hinc dracones Indici, inde Gryphes Hyperborei*; docet nomen ipsum; nam ζωωτὰ, quasi *belluata* dicas, appellantur, à belluis intextis. M. Plaut. Pseudolo sc. *exite.*

Vt ne peristromata quidem æquè picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Et rectè *Iudaicis velis*, id est peristromatis: *pingitur.* nam textura illa vero pictura dici potest. P. Virgil. lib. 9. Aeneid.

Armáque craterásque simul, pulchrosque tapetas.

In MS. Nicolai Erythræi IC. legebatur,

Armáque, craterásque simul, pictósque tapetas.

Vela, peritissime, sic enim appellabantur tapetes priuatorum domuum. Vlpian. IC. l. 12. ff. de lustru. leg. *voluptatis sunt specularia & vela.* Sidon. Apollinar. lib. 1. epist. 2. Theodorici regis *limina inclusa velis, exclusa cancellis*, & dum principes viri aut optimates clientes suos admittere volebant, ad consueta salutandi munia obeunda, velo dimoto ille prodibat, aut si subibant. Æl. Lamprid. in Seuero. *salutaretur quasi vnus de senatoribus patente velo, admissionalibus remotis, aut solis iis, qui ministri ad fores fuerant, cum antea salutare principem non liceret, quod eos videre non poterat.* Coripp. Afric. lib. 3. num 6.

Mira pauimento stratisque tapetibus ampla
Planities, longóque sedilia compta tenore
Clara superpositis ornabant atria velis.
Vela tegunt postes.

Et eiusdem libri num. 7.

Verum vt contractis patuerunt intima velo
Ostia, & aurati micuerunt atria tecti.

D. Iuuenalis Satyr. 9. citatus suppresso nomine à Ioanne Saresberiensi lib. 3. Policraticic. 12.

Vela tegunt rimas, iunge ostia.

Et de nuptiali solemnitate Idem Sat. 6.

—Pendentia inquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Ad alia scenæ ornamenta iam pergo extruebant & *pegma* (à πήγνυμι *compingo.*) id est machinam quandam ludicram, è strue diuersorum lignorum compactam, tanta altitudine, vt ad tertium quartúmque nidum seu contignationem, siue stationem fabrica exurgeret. interpres Dionis in Adriano, *surgentia spectacula, & pegmata efferre* dixit. coniiciunt nonnulli automata & pegmata idem esse. Philander in M. Vitruuij libro 9. cap. 7. sed

sed falso, vt infra. eam gladiatores ascendebant, & immissa deinde flamma totam machinam consumebant, vt illi per incendium euadere atque eniti cogerentur. Ioseph. de bello Iudaico libro septimo capite primo meminit, Fl. Vopiscus in Carino. *exhibuit pegma etiam, cuius flammis scæna conflagrauit, quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit.* M. Tull. Ad Atticum lib. 4. epigr. 8. *nihil venustius quam illa tua pegmata.* C. Suet. in Claudio ca. 34 *si aut αὐτόματον, vel pegma, vel tale quid aliud parum cessisset.* L. Seneca epist. 88 *his annumeres licet machinatores, qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata tacita in sublime crescentia & alias ex inopinato varietates, aut dehiscentibus quæ cohærebant, aut quæ stabant sua sponte cohærentibus, aut his quæ eminebant paulatim in se residentibus.* Auro addito ditabatur hæc moles, siue bracteis. Plin. libro 33. cap. 3. *L. Murena & Caius princeps in Circo pegma duxit, in quo fuère argenti pondo centum viginti quatuor.* Mart. lib. 8. epigr. 33.

Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit vnda croci.

Succensa deinde strue, librabant se per medios ignes, populo oblectamentum allaturi petauristæ de incendio cultissime Cl. Claud. de Consul. Manlij Theodori.

Mobile ponderibus descendat pegma reductis,
Inque chori speciem surgentes ardua flammas
Scena rotat, varios effingat Mulciber orbes,
Per tabulas impune vagus, pictæque citato
Ludant igne trabes, & non permissa vagari
Fida per innocuas errent incendia turres.

de saltu petauristarum per flammas accenso pegmate, M. Manil. li. 5. Astronomic.

Membráque per flammas, orbésque emissa flagrantes
Delphinúmque suo per inane imitantia motu,
Et viduata volant pennis, & in aëre ludunt.

Totam fabricam non male descripsit Aurel. Prudentius in Romano Martyre.

Tabulis superne strata texat pulpita,
Rimosa rari pegmatis compagibus,
Scindunt subinde, vel terebrant aream,
Crebróque lignum perforant acumine
Pateat minutis vt frequens hiatibus.

D. Iuuenalis Sat. 4. vers. 122.

—— Pugnas Cilicis laudabit, & ictus
Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.

Neque modo in Circo aut amphitheatro pegmata ista erecta, sed & in publicis vicis. Martial. Spectaculor. Epigr. 2.

Et crescunt media pegmata celsa via.

Et in priuatis ædibus, non quidem in insanos lasciuientium conuiuiorum luxus, nam in tricliniis illa, aut cænaculis, cum pegmata hæc in domorum essent atriis, vt puto, sustinendis maiorum imaginibus, aut gentilitio stemmate. Turnebus lib. 8. Aduersar. cap. 9. *ornamenta valuarum foribus suffixa* intelligit. Vlpian. IC. l. 12. ff. de Instrum. leg. *specularia quoque affixa magis domus esse puto, quam partem: nam in emptione domus, & specularia & pegmata cedere, siue in ædificio sunt posita, siue ad tempus detracta.* D. Auson Epig. 25.

Cerit inurens ianuarum limina,
Et atriorum pegmata.

Pegmares à pegmatum structionibus, seu à Ludis, quos edebant, acceperunt, quo vocabulo non minus artifices ipsi quam gladiatores continentur. hi quidem Aristoteli lib. de Mundo μηχανοποιοὶ appellantur, vertit Apuleius *machinarum fabricatores, &* pegma, ipsum est *confixilis machina* ei libr. 5. Milesiar. Petr. Coluius ibidem. isti memorantur à C. Suetonio in Calig. c. 26. sed corrupto. *rabidis feris vilissimos senio confectos gladiatores quoque pegmares, patres familiarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis subiiciebat*, lege, *gladiatores quoque pegmares*, Denique & Croco, non modò bracteis aureis argenteísque decorabatur pegma. Martial proximè supra allatus, & inter multa alia Crocus in theatralibus admissus. Æl. Spart. Hadr. *in honorem Traiani balsama & crocum per gradus theatri fluere iussit.* vino admiscebatur, vt sic dilutum facilius in spectatores spargi posset. C. Plin. libro 21. ca. 6. *sed vino mire congruit, præcipue dulci, tritum ad theatra replenda.* Theophrastus lib. *de odoribus* à Iacobo Dalecampio citatus videatur. *Cum stomacho. L. Seneca Epist. 60. sapientiorem putas qui inuenit, quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, qui Euripos aquarum subito impetu exsiccat, aut replet.* ibid. libro secundo Natural. quæstion. capite nono, *aqua autem sine spiritu, quemadmodum possent intendi? numquid dubitas, quin sparsio illa quæ ex fundamentis mediæ arenæ crescens, in summam altitudinem amphitheatri peruenit cum intensione aquæ fiat?* alludit & L. Apul. libro decimo Asini. *de summo montis cacumine, per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vnda croco diluta, sparsímque defluens, pascentes circa capellas, odoro perluit imbre.* Sed actum ago, dum retexo ea quæ à tot viris doctis obseruata in hoc ipsum, I. Lipsius libr. de Amphith. cap. 16. Theodorus Marcilius ad

dibu: podij altitudo à libramento pulpiti cum corona & lysi duodecima orchestræ diametri. Sueton. Nerone cap.12 *nam perraro p asfidere, cæterum accubans primum paruis foraminibus, deinde toto podio adaperto spectare consueuerat.* C.Plin.libro 37.capite tertio tanta copia inuectal, vt tertia arcendis feris *podium protegentia succinis nodarentur*, Sidon. Apollinar. carm.2.vers.368

Totas ad podium ferens habenas
Currus prætereatur ictus allo.

Metellus antiquus poeta, in Quirinalibus.

Terna lux & nox podium tenebat.

Iuuenal.2.ad finem,

Et Catuli, Pauliq; minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium spectantibus.

Aurel.Prudent.lib.2.in Symmach.

At quoniam podij meliori in parte sedentes
Spectans æratam faciem.

Corippus Africanus sedem hanc principum intellexit lib.2.num.8.de Circenses celebrante Iust.Aug.

Intentos oculos ad sedem vulgus herilem
Extulis adsurgens.

Et post de eodem Circum ingresso.

Auratum scandens solium, sedemque paternam.

Vbi *herilis sedes* barbare satis pro *imperatorio podio* vsurpatur, vt ab eodem lib.4. Num. vlt.

Adstabat Narses, sedemque ornabat herilem.

Denique equites discretis à senatu & plebe ordinibus spectare consueuerant, in quatuordecim illis subselliis, idque *lege*, vt videtur, *theatrali*, cuius primus author (secundum nonnullorum opinionem, licet ante illos id ipsum lege fuerat à L. Roscio præcautum) Iulius Cæsar, aut Augustus, nam Iuliam appellat C.Plinius lib.33.cap.2 *hac de causa constitutum: ne cui id ius esset, nisi cui ingenuo ipsi patri auoque paterno sestertia quadringenta census fuisset, ex lege Iulia theatrali, in quatuordecim ordinibus ius sedendi.* sed postea eandem legem renouatam reperio, siue verius retentam sub Nerone, sic enim C.Petronius in Satyrico pagina nonagesima quinta, *arena aliquas accendis, aut perfusus puluere multo, aut histrio ostentatione scenæ traductus, ex hac nota domina est mea, vsque ab orchestra* (Senatorum subselliis) quatuordecim (equitum sedilia) *transilis, & in extrema plebe quærit quod diligat.* vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers. 324. Sat.14. *bis septem ordinibus, id est gradibus equitum Romanorum* primus, inquam huius distinctionis author est L. Roscius Otho. L. Flor. Epitomastes in T. Liuij lib 99. *L. Roscius Tribunus plebis legem tulit, vt equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur.* Tribunus ille dicitur, Plutarc. in Cic. Μάρκ[illegible] Ὄθων [illegible] vertitur ab Hermanno Cruserio. *M.Otho prætor* sed male M.Tull. Orat. pro Murena *L. Otho vir fortis, meus necessarius equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem, itaque hæc lex, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus.* sed quorsum *restitutus fructus iucunditatis?* suspicor sane alium ante illum eadem hæc lege sanxisse, nam cur diceret Cicero dignitatem cum voluptate Roscium equitibus restituisse, si antea nulla fuerit dignitas? atque vt id facilius credam, inducor loco C. Velleij Paterculi lib. 2.histor. cap.32. *Cotta iudicandi munus quod Caius Gracchus, ereptum senatui, ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtulerant æqualiter inter vtrumque ordinē partitus est, & Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit.* sed locum suspectum habet Albertus Burerius, & Aldus Manutius, cui lectionem sinceram debemus ex Puteani codice, antea enim pessime legebatur, *Horoscius lege sua in theatro equitibus loca restituit.* denique I. Lipsius, Iac. Schegkius reponendum censuerunt, *equitibus in theatro loca instituit.* atque is consensus scriptorum pene vniformis est à Roscio hanc legem primitus promulgatam. C. Plin libro septimo capite trigesimo, *se sudente, Roscio, (theatralis author est legis) ignouerunt, notatasque e discrimine sedis, æquo animo tulerunt.* tulit autem eam L. Otho Anno vrbis conditæ 686. vt obseruatum est ab Antonio Augustino. Horat. Epodon. od 4.

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Et lib.1.epist.1.

Roscia dic sodes, melior lex, an puerorum
Nænia.

Allusit M. Martialis lib.2.epig.29.

Rufe vides illum subsellia prima terentem,
Cuius & hinc lucet sardonycha manus.

Iucundius lib.5.epigr.28.

Ingenium, studiumque tibi, moresque genusque
Sunt equitis fateor, cætera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Vt sedeas viso pallidus Oceano.

D.Iuuenal.Sat.34.in fine.

Ergo aliquid nostris de moribus effice summam

Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.

Itaque equites, quibus præscriptus census lege Roscia deerat, non habebant ius in quatuordecim gradibus sedendi. M. Tull. Philip. 2 *illud tamen audaciæ tuæ, quod sedisti in quatuordecim ordinibus, cum esses lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunæ vitio non suo decoxisset.* Erant autem hi quatuordecim gradus orchestræ continui, vt ordo equester, qui secundum in ciuitate locum obtinebat, senatoribus proxime succederet D. Auson. ludo Sapientum. in Cleobulo. decimo sexto.

Interpretare tu qui orchestræ proximus
Gradibus propinquis in quatuordecim sedes.

dicuntur & absolute *quatuordecim* sine vlla adiectione. L. Seneca lib. 3. de Benefic. cap 9. *beneficium vocas, dedisse potentis populi ciuitatem, in quatuordecim gradus deduxisse, & defendisse capitis reum* Ioannes Opsopæus *in gradus* glossema putat, ideóque expungendum. idem Seneca epist. 44. *at mihi ... le ...is quatuordecim sunt clausi.* Macrob. li. 2. cap. 3 *cum Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus à Cæsare, e vestigio in quatuordecim ad spectandum transiit violato ordine, & cum detrectatus est eques Romanus, & cum mimus remissus, ait Cicero prætereunti.* C. Sueton. in Augusto cap 40. *cum autem plerique equitum attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos è quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis pronuntiauit, non teneri ea quibus ipsis parentibúsque equester census vnquam fuisset.* addendus Petronij proxime supra citati locus Fr. Modius Nouantiquar. lection. epist. 29.

Quod vt verum esse concedam, interdum nihilominus addebatur vel gradus, vel ordines, vel subsellia, vel scamna, vel quippiam simile. patet ex authoribus antea à me allatis, & præterea ex Suetonio in Augusto cap. 14. *cum spectaculo ludorum gregarium militem in quatuordecim ordinibus sedentem excitari per apparitorem iussisset, rumore ab obtrectatoribus dilato, quasi eundem mox discruciatum necasset, minimum abfuit, quin periret concursu, & indignatione turbæ militaris* Corrigendus est idem scriptor, fœdissima labe aspersus in Iulio. c. 39. *ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit, donatusque est quingentis sestertiis & annulo aureo, sessum in quatuordecim scena solium per orchestram transiit.* primum nescio in quem sensum sufficiat *solium*, itaque commodissimè legi poterit, *sessum in quatuordecim scamna per orchestram transiit.* vetus scholiastes Iuuenalis ad ve l. 3. Sat 5. *quare per ludos.. ....qui ibi primus quatuordecim ordinibus sedit. hæc à populo in eum dicta sunt.*

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.
Digna dignis, sic Sarmentus crassas habeat compedes.

Neque prætermiserim quatuordecim istos gradus, equestria, dictos, Petronius in Satyrico. *vid rint matronæ, quæ flagellorum vestigia osculantur, ego, etiamsi ancilla sum, nunquam tamen nisi in equestribus sedeo.* L. Seneca lib. 7. de Benefic. cap. 12. *deinde pluribus modis communia sunt, equestria omnium equitum Romanorum sunt, in illis tamen locus meus fit proprius, quem occupaui.*

Denique ne hæc de sedilibus equestris ordinis lex Roscia interiret, effecit Domitianus, qui eam veluti fugitiuam retraxit, & nouo edicto sanxit, quod miror tacuisse historicos. M. Martial lib. 5. epigr. 8.

Edictum domini, deique nostri,
Quo subsellia certiora fiant,
Et puros eques ordines recepit,
Laudabat modo Phasis in theatro.

De cauea, arena, oppido, cathedris muliebribus, partim nota sunt omnia: nec vllis egent operis, partim infra expediam, vbi de matronarum ornatu differetur, & repeti ex Criticis passim non difficulter possunt, quæque inde sumenda non exscribo.

De ludis his sequentibus vsque ad caput 24. huius libri, dixi supra lib. 2. vbi de diis sigillatim actum est, quibus isti voti erant ludi, & ab aliis nullo negotio peti possunt, ideóque ad alia pergendum.

CAPVT XXIV.

De ludis Funebribus, & Gladiatoriis.

DIXIMVS de iis Ludis, qui in Deorum honorem fierent, itémque de votiuis: sequitur iam, vt de Funebribus etiam quædam afferamus. Funebrium origo longè est vetustissima, quippe Æneas ad Pallantis, Achilles ante eum ad Patrocli rogum mactauit inferias cum ludis, vnde etiam gladiatorum mos, sine dubio, est ortus. Nam

quum

quum primum captos ex hostibus iugularent, vitantes fœdi spectaculi crudelitatem, captiuos inter se commiserunt: vt penes eosdem esset, & facinus, & supplicium. Quibusque sors, & virtus dedisset, superessent: alij placarent manes puris manibus parentantium. A Græcis hic mos ad Romanos propagatus est, à quibus hi ludi munera dicebantur. Sic Tertullianus lib. singulari de spectaculis, capite de munere: Manus, inquit, dictum est ab officio: quoniam officium etiam muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, posteaquàm illud humaniore atrocitate temperauerunt. Nam olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captiuos, vel malo ingenio seruos mercati in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos parauerant armis, quibus tunc, & qualiter poterant eruditos, tantùm vt occidi discerent: mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant: ita mortem homicidiis consolabantur. Hæc muneris origo. Sed paulatim prouecti ad tantam gratiam ad quantam & crudelitatem. Qui ferarum voluptati satis non fiebat, nisi & feris humana corpora dissiparentur. Hactenus Tertullianus. Primus Romanorum Iunius Brutus, dicitur in defuncti patris honorem dedisse Romæ gladiatores. Alij Appium Claudium, & M. Fuluium Consules: an id verum sit, dubium. Tunc enim primum fuère sontes obiecti feris in arena, tanta immanitate vt ab eo horrore matronæ publico edicto summotæ sint. Dabantur & à publicis magistratibus & à priuatis personis, & cum certaminibus, & cum fabulis. In patrij funeris apparatu arenam inspersisse tradunt C. Cæsarem, cùm Ædilis esset: qui postea Dictator fuit. Claudius princeps ex arbitratiis statos fecit ludos funebres, quos Ædiles ederent: ex pecunia publica de Quæstoribus, quos Gladiatorios appellauit. Verum postea illorum perpessus, immanitatem sustulit. Priuatis tamen consuetudinis mansit ius. Cæterùm cùm ea profusione ad inopiam multi redacti essent, iam anteà sub Tiberio S. C. factum fuerat, vt nemini id liceret, qui minùs quadringentis millibus in censu haberet. Nam & emptis opus erat, & educatis: producti quoque in arenam alij cadebant, alij petente populo manumittebantur. Gladiatorum quoque magistri non sine magno precio, qui docerent eos, conducebantur, hos Lanistas appellabant. Tandem à Theodorico Gothorum rege, vniuersus vsus sublatus. Quid enim immanius, quàm vitam dare hominibus, vt eam ipsi mutuis cædibus ab sese auferant? Nefas erat cum gemitu vi Iniurae cipere, iussos ferrum iugulo non accipere, sanguinem suum eodem, quo hostilem, animo inspectare. Proposita paria Lanista indicabat quanti iugulatorum precia non accipiebat. Cum hastis ac rudibus prodibat. Erat Rudis baculus gladiatorius, quo prima pugnæ rudimenta meditabantur, vnde & nomen. Ea manumissi propter fortitudinem simul cum libertate donabantur, propterea quòd sine cruore deinceps essent acturi vitam. Certaminis initio, postquàm inter se rudibus batuissent, ferro nudi transfigebant. Fessis aut victis alia manus substituebatur. Vnde Martialis: Hermes suppositittus sibi ipsi cùm indefessus esset, atque inuictus sibi ipse succedebat. Ludibrium infelicitatis humanæ Nero, CCCC. Senatores, DC. Equites ad eam operam exhibuit. Alterum orbis monstrum Domitianus etiam fœminarum pugnas noctu edidit. Qui funebres curarent ludos, Designatores dictos autumant. Apud Horatium pro eo, qui præest funeri interpretantur. Hæc de ludis funebribus Iulius Cæsar Scaliger lib. I. Poëtices, capite trigesimoquinto. Quædam etiam habet Alexander ab Alexandro Neapolitanus, libro tertio Genialium dierum, capite septimo. Horum ludorum sæpe fit mentio à Liuio, Suetonio, Tacito, Dione, & aliis.

Ad Cap. XXIV.

PARALIPONENA.

Desultores in funebribus ludis, gladiatores, lanistæ, rudiarij, auctorati, inspecti tirones, aut serui antequam emerentur.

FVnera in duplici differentia, vt infra hoc libro dicam, nam vel *translatitia*, vel *vera*, hoc est quum quis peregre, aut apud hostes obierat, cadaueri domum relato postea solemnia & exequialia officia peragebantur, quæ quod corpus transferretur, *translatitia* nominabant, & si domi aliquis obiisset, quod illi ducebatur funus, vel *indictiuum* erat, vel *censorium*, vel denique *simpludiarium*, quod nullis aliis peragebatur solemnitatibus, nisi ludis. Fest. Pomp. lib. 17. *simpludiaria funera sunt, quibus adhibebantur D. T, ludi corbitoresque, quidam ea dixerunt esse, quibus neutrum genus interesset ludorum, nam indictiua sunt, quibus adhibebantur non ludi modo, sed etiam desultores, quæ sunt amplissima.* Adiciam Iosephi Scaligeri verba, etsi alios non sit mei moris exscribere, *simpludaria, dicta quasi simpliciudaria, quia simpli ludij adhiberentur, hoc est saltatore vel cernuatores, de quibus supra diximus, quos cernuatores, hic Verrius vel Festus vocat corbitores, more scribendi an-*

tiquitus in peritis librariis vsitato, qui B. cum V. & contra commutabant, cernuitores enim sine dubio dicendum erat, qui enim gestus cernuantium, vt modo sursum, modo deorsum, spectent, is cornuorum est, & [illegible]nicum, ac monedularum, quæ vbi pedibus aliquem locum insistunt, modo ἀνακύπτει, modo κατακύπτει, hinc elegantissime de mulierbus cibo se ingurgitantibus ad mensam Plautus Casina dixit. sc. ancilla.

Ergo noui istas estrices, cernuitant, vbi
Comesse possint.

Quanquam scio Turnebum mutasse, sed frustra, has notas D.T. dumtaxat significare, supra in Senacula admonuimus. causa igitur non est, cur doctis viris hic de mendo suspectus locus esse debeat. simpludiariis ergo simpli ludij dumtaxat adhibebantur, qui & cernuitores, seu cernui, vt est apud Seruium (lib.10. AEnei.c.894.) *dicuntur, indictiuis, & ludij & desultores, ac etiam ludorum quædam genera. Cicero de legibus 2. funus vt indicatur si quid ludorum, funerisque dominus vtatur accenso, atque lictoribus.* hæc ille. Cæterum locus Plauti eleganter posset legi, cum Turnebo, lib. 16. Aduersar. cap. 3. & Dionysio Lambino, nempe hoc pacto.

Noui ego illas estrices, corbitam cibi
Comesse possent.

Nam insignem edacitatem exprimit per *corbitam cibi*, est quippe corbita A. Gellio lib.19. c.25. *nauigij genus, tardum & graue*, vt exponit Nonius. itaque comesse possunt corbitam cibi, id est nauem onerariam, maximámque comedendo exhaurire possunt, tanta iis gula est. sed ad desultores regredior.

Horum, vt puto, primus vsus à barbaris gentibus, quibus in bellis equorum mutatio probata, vt vno equo fesso, aut sudante in alterum transire possent, nempe siccum & validum. scio à Marcello Donato Ponzano hoc obseruatum in Dilucidationibus suis pag. 229. tales effingunt Scythas Ammianus Marcellinus lib.22. & AElianus lib.2. de *aciebus instruendis*. & Indos Herodotus lib.7. Numidas Strab , Amasenus lib.17. & ante illum T.Liu. 3 Decad. libro 3. *nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in morem binos trahentibus equis, inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso transultare moris erat.* hoc idem de Institutione prima.

Vsus in curulibus illis & circensibus stadiis gl. vet. *μεταβάτης desultor.* nam vt quadrigæ quatuor equorum cursum significabant, ita desultores vno tantummodo equo vtebantur. T. Liu. 5. Decad. lib. 4. *semel quadrigis, semel desultore misso.* Artemid. lib. 1. Oneirocr. c.58. *ἵππον κέλητα ἐλαύνειν, equum desultorium agitare*, celerem equum pro singulari optime reddidit interpres desultorium. C. Plin. libro trigesimoquarto cap. 5. *equestres vtique statuæ Romanam celebrationem habent, orto sine dubio à Græcis exemplo, sed illi celetas tantum dicabant in sacris victores, postea vero & qui bigis vel quadrigis vicissent, vnde & in nostris currus in his qui triumphauissent.* idem *celetizontas pueros* dixit eiusdem libri cap. 8. Pindarus omnibus pene paginis. Aristophanes in Pace. & vetus eiusdem scholiastes.

κέλης ἢ μὴ τανδ' ἱπποδρομίαν ἄξειν
ἵνα δὲ ἢ αὖτος κέλητα ἀγωνιζόμενος.

Vertit Q. Septimius Christianus.

Die vacandum tertia Circensibus
Vbi singulator singulatorem premet.

Idem in Concionatoribus vsurpat κελητίζειν Andreas Diuus Iustinopolitanus reddit, *equo veheris.*

Officium descripsit elegantissime C. Iul. Hyginus lib. de fabulis cap. 80. *Vnde etiam Romani seruant institutum cum desultorem mittunt, vnus duos equos habet, pileum in capite, ex equo in equum transilit.* mentio & apud Vlpianum L. 20. ff. de præscript. verb. *si tibi equos venales experiendos dedero, vt si in triduo displicuissent redderes, tuque desultor in his cucurreris, & viceris, deinde emere nolueris, an sit aduersus te ex vendito actio? quærere solet Labeo. & putare se præscriptis verbis agendum?* Nec omnino male Isidorus Hispal. lib. 18. c. 39. *Desultor, cum ad finem cursus venisset, desiliebat, & ex equo in equum transiliebat.* C. Sueton. in Cæsare cap. 39. *quadrigas, bigasque & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes.* M. Varro Rei Rust. lib. 2. cap. 7. *perituum belli alios eligi, atque alios, ac docet aliter quadrigarius ac desultor.* Cicero orat. pro L. Murena. *qui nescio quo pacto mihi videtur candidatus prætorius in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere.* Sic facile erit poetas intelligere. M. Manilium lib. 5. Astronomic.

Nec non alterno desultor sidere dorso
Quadrupedum, & stabiles poterit defigere plantas
Per quos vadit eques ludet per terga volantum,
Aut solo vectatur equo, nunc arma mouebit.
Nunc licet in longo, per cursum, præmia circo
Quicquid de tali studio formatur, habebit.

Sext. Aurel. Propert. lib. 4. eleg. 2.

Est etiam aurigæ species Vertumnus, & eius
Traiicit alterno qui leue pondus equo.

P. Ouid.

P. Ouidius lib.1. Amor. eleg. 3. corrigendus.

Non mihi mille placent, non sum desertor amoris,
Tu mihi, si qua fides, cura perennis eris.

Legendum est aptius, vt nonnullis videtur

Non mihi mille placent, non sum desultor amoris,
Tu mihi, si qua fides: cura perennis eris.

Admonuit me ex MS. ita legendum esse, vir omniscius Petrus-Petauius Senator Parisiensis, & coniecturæ soli innixus. idem ante illum docuerat, Ludouic. Carrio lib.2. Emendation. & obseruation. c. 10. Sed nihil temere mutari opus, comparat enim amorem Ouidius sæpe militiæ. lib.1. Amor. eleg. 9. & lib. 2. de Arte.

Militiæ species amor est, discedite segnes,
Non sunt hæc timidis signa tuenda viris.

Et sæpe translationibus à bellica re desumptis vtitur. lib.2. Amor. eleg. 9. ad Cupidinem.

—Miles nunquam tua signa reliqui.

Et lib.3. Amor. eleg. vlt.

Culte puer, puerique parens mihi tempore longo
Aurea de campo vellite signa meo.

Gladiatores præterea in his ludis dimicabant, quos ob id bustuarios dictos putant. C. Sueton. Tiberio ca. 7. *munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in aui sui Drusi dedit, diuersis temporibus ac locis, primum in foro, secundum in amphitheatro.* M. Varro apud D. Augustinum libro 8. de Ciuit. Dei Cap. 26. Æl. Spartian. in Hadriano. *socrui suæ ludos gladiatorios impendit.* Iul. Capitolin. in Antonino philosopho. *Marcus & Verus imperatores Antonino pio patri munus gladiatorium exhibuerunt* quinimo & C. *Curio funebri patris memoriæ duo theatra struxit*, vt verbis vtar Plinij lib.36. c.15. sed omnium disertissimè Q. Florens Tertullianus lib. de Spectacul. cap.6. *Inter quos etiam priuatorum memoriis legataria hæreditates parentant, id quoque secundum institutionis antiquitatem, nam & à primordio ludi bifariam censebantur, sacri & funebres, id est, diis nationum, & mortuis sed de idololatria nihil differt, sub quo nomine & titulo, dum ad eandem spiritus perueniat, quibus renuntiamus, licet mortuis, licet diis suis faciant, communis igitur origo ludorum vtriusque generis, communis causa, communes & tituli, vt & de communibus causis, proinde communes habeant apparatus, necesse est.* T. Liu.3. Decad. li.8. *Scipio Carthaginem, ad vota soluenda diis, munusque gladiatorium (quod morti patris patruique parauerat, edendum rediit, gladiatorum spectaculum fuit, non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est.* Antiquitatem & solemnem primitus institutionem huius consuetudinis habemus apud Valerium Maximum lib. 2. c.1. *Gladiatorium munus primum Romæ datum est in foro Boario, Appio Claudio Quinto Fuluio consulibus. dederant Marcus & Decimus filij Bruti, funebri memoria patris cineres honorando.* Sed de hac re quis non disseruit inter Criticos, aut quis non digladiatus est? legantur Elias Vinetus & Iosephus Scaliger in Ausonium. I. Lipsius in li. de Amphitheatro. Pet. Faber Semestr. lib.1. Paret. c.22. Auson. in Gripho Ternarij,

Tres primas Thracum pugnas, tribus ordine bellis.
Iuniadæ patris inferias misere sepulchro.

Qui hosce alerent gladiatores, & qui priuatis sumptibus publicam populi lasciuientis voluptatem explere, erant in vrbe, quos *lanistas* vocabant. vet. scholiast. Iuuenal. Sat.2. v. 143 *qui toga, qua vtebantur senatores deposita tanquam infames tunica vtebantur. hinc lanistæ, vel dissoluti dicuntur.* C. Suet. in Iulio c.26. *tirones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat.* Æl. Spartian. in Hadriano, *puerum aut ancillam lanistæ aut lenoni vendi vetuit.* Iul. Capitoli. in Antonino Philosopho. *nullus lanista, nullus scenicus, nullus arenarius.* Ammian. Marcellin. in rebus Constantij & Iuliani li. 19. ad finem *exequutor & administer sæpe dicendus ille notarius missus est Paulus, qui peritus artium cruentarum, vt lanista, ex commerciis Libitinæ, vel ludi* optime sic legitur, id est, vel in arenam funebri productus pompa, vel domi tirones erudiens, (male antea, *vel ludij*) *ipsi quoque ex equuleo vel carnifice, quæstum fructumque captabat.* L. Sen. lib.10. Controuer.4. *crudelem rem facit lanista, nec tamen damnatur reipublicæ læsæ.* vetus glossarium Philoxeni græcolatinum διδάσκαλος μονομάχων, doctorem pugnantium, quasi dicas, *lanista*, iterum idem λουδοτρόφος, μονομαχοτρόφος, qui alit gladiatores, qui ludum habet, qui arenæ præparat, atque instruit. D. Iuuenal. Sat.11. in principio.

Scripturus leges, & regia verba lanistæ.

Et Sat.3. v.158.

Hic plaudit nitidi præconis filius, inter
Pinnirapi cultos iuuenes, iuuenesque lanistæ.

Aurel. Prudent. lib.2. in Symmachum, de Vestalibus ludos illos spectantibus.

—Sed & illa verendis,
Vittarum insignis phaleris, fruiturque lanistis.

M. Martial. lib.11. epigr.67.

Et fraudator es, & lanista, miror
Quare non habeas, Vacerra nummos.

Vetus marmoris antiqui fragmentum meminit.

P. POETELLIVS. P. L. SYRVS LANISTA. AD. AR. FORIN. AR. ROM. DD. VIXIT. ANN. XLIIX. H. S. F.

Emebant hi seruos è catasta, quos omni crudelitatis genere exercebant, & priuatim instituebant, vt possent, iis qui munera gladiatoria exhibebant, edoctos artem gladiatoriam elocare, Q. Flor. Tertullian. libr. de Idololatria c. 11. *sic & homicidij interdictio ostendit mihi lanistam quoque de ecclesia arceri.* in qua licitatione illud non est prætermittendum, summam lanistas curam adhibuisse, ne manca aut mutila haberent corpora adolescentes, quos in ludo suo edocturi essent, ideoque & medicum in emptione adhibebant, qui vitium, si quod lateret, detegeret, quod in omnibus mancipiis etiam obseruatum liquet, dum emerentur. L. Sen. epist. 80. in fine. *detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem inuolutum æstimas? mangones, quicquid est quod displiceat, lenocinio aliquo abscondunt, itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt, siue crus alligatum siue brachium adspiceres, nudari iuberes, & ipsum tibi corpus ostendi.* Idem lib. 1. Controuer. 2. vbi P. Viuetij Rhetoris seu verius declamatoris antiqui hæc verba habentur. *Nuda in litore stetit ad fastidium emptoris omnes partes corporis & inspectæ & contrectatæ sunt. vultis actionis exitum audire? vendit pirata, emit leno, excipitur nihil.* suspectus mihi locus, ideoque suaderem rescribendum, *vultis auctionis exitum audire?* certus enim & liquidus est sensus auctionis nomen conuenientissimum esse licitationi, actionis non item. Pseudocornutus in Sat. 6. Persij v. 77. *apud antiquos venales gladiatores in catasta ponebantur, vt in eis possent omnia membra inspici.* ritus eius vestigia in Caij Suetonij Caligula cap. 36. *non temere vlla illustriore fœmina abstinuit, quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatis præterque pedes suos transeuntes, diligenter ac lente, mercantium more considerabat, etiam faciem manu alleuans, si quæ pudore submitterent.* ex eodem in Augusto ca. 69. id probari potest epistolę M. Antonij fragmento quodam. *dimissam Scriboniam, quia liberius doluisset nimiam potentiam pellicis, & condiciones quæsitas per amicos, qui matres familias & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente.* Q. Symmach. libro 2. epist. 78. *quoniam seruorum per limitem facilis inuentio, & pretium tolerabile esse solet, quam maxime deprecor, vt per homines strenuos viginti iuuenes prædicto negotio* (curulibus ludis) *congruentes iubeas comparari,* *in quam rem solidos ad te misi libita æstimatione hominum, quorum non forma, sed ætas & sanitas eligenda est.* Cl. Claudian. in Eutrop. libro 1.

Si pelagi fluctus, Libiæ si discis arenas
Eutropij numeralis heros, quos iura, quos ille
Mutauit tabulas, vel quanta vocabula vertit.
Nudatus quoties medicum dum consulit emptor,
Ne qua per occultum lateat iactura dolorem:
Omnes pœnituit pretij, venumque redibat
Dum vendi potuit.

Pessime interpunctus, & ob id deprauatus locus leuissima opera suo nitori restitui potest, si sic legamus, & distinguamus, facili sensu, vt ex antea dictis patet.

Mutauit tabulas, vel quanta vocabula vertit.
Nudatus, quoties medicum dum consulit emptor,
Ne qua per occultum lateat iactura dolorem.

M. Martial. lib. 6. Epigr. 82.

Quidam me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emptor, aut lanista,
Cum vultu, digitoque subnotasset.

Grex ille tironum à lanistis sic emptorum in scenicas voluptates, *familia* dicebatur, & lanistæ ipsi seu gladiatores, *patres familias.* Iul. Cæsar. lib. 3. bell. ciuil. cap. 5. *ille ignominia & dolore permotus palam, se proficisci ad Cæsarem simulauit clam nuntiis ad Milonem missis, qui Clodio interfecto eius nomine fuerat damnatus, atque eo in Italiam euocato, quod magnis muneribus datis gladiatoriæ familiæ reliquias habebat, sibi coniunxit.* L. Sen. libr. 6. de Benef. cap 12. *lanista familiam suam summa cum cura administrat.* Sæpissime Suetonius in Iulio cap. 10. *adiecit insuper Cæsar etiam gladiatorium munus, sed aliquanto paucioribus, quam destinauerat, paribus. nam cum multiplici vndique familia comparata, inimicos exterruisset, cautum fuit de numero gladiatorum quo ne maiorem cuique habere Romæ liceret.* Et in Augusto cap. 42. *venalitias, & lanistarum familias vrbe expulisset.* Et in Caligula cap. 26. *vilissimos senio confectos, gladiatores quoque pegmates, patres familiarum notos, sed insignes aliqua debilitate corporis, rabidis feris subiiciebat.* denique idem in Domitiano cap. 10. pro lanista, *patremfamilias* vsurpauit, vide locum. Sed illud minime omittendum duco, vnumquemque ex his gladiatoribus in arenam productis, insigni aliqua nota conspicuum esse consueuisse. vet. Scholiast. D. Iuuenal. ad Sat. 3. v. 158. *pinnis pauonum ornari solent gladiatores si quando ad pompam descendunt: pinnirapes autem dicti lanistæ, ex habitu gladiatorum, quia post*

mentum retiarij, pinnam, id est, mexicam rapis, vt ostendas populo se vicisse, aut ideo pinnirapas, quia pinnas in galeis habebant, vt Lucilius lib.3.

Cum septem incolumis pinnis redis, ac recipit se.

Qui versus mutilus, apud Donatum, procul dubio, licet amplior auctiórq; proferatur in Phormionem Terentianum. Act.1.sc.3.

Ille alter abundans, cùm septem in locum Mi ispanus.

In MS.Donati codice erat, *cum septem in locum his pinnis*, æque corrupto sensu. legendum est ergo.

—Ille alter abundans
Cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se.

Gladiatores vero post multas operas arenæ elocatas, rude donabantur, tanquam iam dimittendi à tam operoso & periculoso discrimine, indéque *rudiarij* appellati. C.Sueton. in Tiberio cap.7. *rudiariis quoque quibusdam reuocatis, aut consummati gladiatores.* Plin. lib.8. cap.7. *principibus Claudiano & Neroni in consummatione gladiatorum*, quem locum Iac. Dalecampius, *de consummato gladiatorio munere siue gladiatorij spectaculi*, exponit Cæl. Rhodog. lib.11. cap.11. gladiatores emeritos, consummatos, & rude iam donatos, longa desuetudine digladiandi arenæ inidoneos. Q. Florens Tertull. lib. de Spectacul. cap.21. *& qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat.* Æl. Lamprid. in Commodo. *rudibus in arena inter cubicularios gladiatores depugnauit.* in aliis editionibus legitur, *inter cubi. ularios gladiatores.* sed nihil refert. M. Cicero Philipp.2. *tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti.* allusit idem lib. de opt. gen. orat. *quasi rudibus eius eludit oratio mea, nobilissimum gladiatorum par inducitur.* erudite, vt sæpe solet, vetus Scholiastes D.Iuuenalis ad vers. 105. Satyr. 6. *vt requiem gladiaturæ haberet, Bellonarium se fecerat.* & ad versum sequentem idem, *requiem sperare, rudem, vt solent in amphitheatro accipere gladiatores.* C.Sueton. in Claudio cap.21. *cum essedario, pro quo quatuor filij deprecabantur, magno omnium fauore indulsisset rudem, tabulam illico misit, admonens populum, quantopere liberos suscipere deberet.* Et in Calig. cap.32. *mirmillonem è ludo rudibus, secum batuentem, & sponte prostratum confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discurrit.* Est quibus locis perspicuum est, baculum fuisse rudem, quo velitantes, veluti & præludentes in ludo gladiatores, se exercerent, quo constantius & peritius veras pugnas obirent, erant grauioris multô ponderis rudes, quàm ea arma, quibus pugnabatur: adeò vt Xiphilinus in M. Antonino prohibeat ne in arena acutis gladiis, sed tantùm obtusis pugnaretur. Lucilius apud Tullium lib.3. de Orat.

—Quamuis bonus ipse
Samnis in ludo, ac rudibus cuiuis satis asper.

Incertus author dialogi de Oratoribus. *nec aduersarij ferro, nec rudibus dimicantes.* L.Sen. lib.5. Controu. 24. *gladiatores grauioribus armis discunt, quam pugnant.* idem epist.117. *quàm stultum est, cùm signum pugnæ acceperis, ventilare? remoue ista lusoria arma, decretoriis opus est.* malè antea legebatur *luxuriæ arma.* & puto primus ex MS. codice lectionem veram restituit Ferdinandus Pincianus. alludit M. Martialis lib.5. epigr.52.

Cornibus hic summis pendet, vagus ille per armos
Currit, & in toto ventilat arma boue.

Expressius P.Ouid. lib.3. de Arte.

Ponite iam gladios hebetes, pugnetur acutis,
Nec dubito telis quin petat ipse meis.

Imperatores rudem hanc, petente populo, gladiatori concedebant, liquet ex Suetonij loco in Claudio proximè supra laudato. Poëta idem Marial. lib.3. epigr.36.

Hoc merui Fabiane toga, tritáque, meaque
Vt nondum credas me meruisse rudem.

D.Iuuenal. Sat.7. vers.172.

Ergo sibi dabit ipse rudem.

Q.Horat. lib.1. epist.1.

Spectatum satis, & donatum iam rude quæris
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.

P.Ouid. li.2. Amor. eleg.9 non modo arenariis illis aut amphitheatralibr. gladiatoribus concessam rudem, sed & militibus.

Fessus in acceptos miles deducitur agros,
Tutáque, sed posito positur ense rudis.

Et lib.4. Trist. eleg.8.

Sic igitur tarda vires minuente senecta,
Me quoque donari iam rude tempus erat.

Contra, qui se vilibus arenæ locabant, seu pecunia accepta seipsos veluti distrahi patiebantur, venalem sanguinem insanæ populi voluptati impensuri, *auctorati* dicebantur, & pretium, *auctoramentum.* Sueton. in Tiberio cap. 7. *auctoramento centenum millium.* M. Cicero libr.1. de offic. *illiberales autem & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ non quorum artes emuntur: est enim in illis ipsa merces, auctoramentum seruitutis:* C.Vell. Patercul. lib.2. *in ea iugulati ciuis reipublicæ constitueretur auctoramentum.* Et in eodem libro: *auctoramento funebri ad conseruatoris quondam reipublicæ, tantique consulis necem irritandam.*

Q. Fab. Quinctilian. declamat. 10. *nec difficilem tamen sub illo auctoramento habuisset missionem, sed noluit gladiator viuere.* vetus Scholiastes D. Iuuenal. Sat. 11. v. 8. *Regia verba, superba, & delicata, id est si auctoraturus, aut hæc scripturus, quæ iuris & consuetudinis scribi ab iisdem, qui accepto pretio se in ludo distrahebant.* L. Apuleius frequentissimè illa loquendi formula vtitur. lib. 2. Milesior. *Hic auctoratus ad custodiam mariti sui fidenter accessit.* Et eiusdem operis lib. 9. *execrando metallo pudicitiam corporis sui protinus auctorata est.* & lib. 1. Apolog. *ob mercedem & auctoramenta impudentiæ, deprehensa haberi.* C. Plin. lib. 14 cap. 1. *vt vindemiator auctoratus rogum ac tumulum excidat.* lib. 35. cap. 15. *gladiatorum spectacula (C. Curio) edebat ipsum magis auctoratum populum Romanum circunferens.* L. Seneca in Apocolocynthosi. *eum dedi laruis, & proximo munere inter nouos auctoratos ferulis vapulare placet.* Idem epist. 37. *eadem honestissimi illius & turpissimi huius auctoramenti verba sunt, vri, virgis ferroque necari.* obseruatum ab aliis Criticis. idem Seneca epist. 7. *quid miraris, si vri, vulnerari, occidi, alligari iuuat aliquando etiam libet.* ad omnem ego tormentorum ferendorum patientiam se componebant, qui auctoramento proposito in ludum se dabant, pulchrè C. Petronius in Satyrico. *In verba Eumolpi sacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferroque necari, & quicquid aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi gladiatores domino, corpora animosque religiosissimè addicimus.* de quo ritu intelligi volunt Horatij libro 2. Sat. 7.

Quid refert vri, virgis, ferroque necari?
Auctoratus eas.

Restituendus & Claudiani locus paneg. de consul. Manlij Theodori de ludis consularibus, seu ab eo consule editis.

Quorum compositam puer augmentatus in artem
Emicet, & vinctus plantæ vel cruribus hærens
Pendula librato figat vestigia saltu.

Sed quid, *puer augmentatus* in scenicis spectaculis sit, ego difficillimum inquisitu reor. correxit ego vir eruditissimus Leuinus Torrentius.

Quorum compositam puer auctoratus in artem
Emicet.

Capvt XXV.

De iis ludis, qui exercitationis causâ fiebant, Troianis scilicet, & Castrensibus.

Troiani ludi, siue Troiæ ludus, ludicrúmque (omnibus enim his nominibus appellabatur) ab Ascanio Æneæ filio primum omnium in Italiam venerunt, celebrabantúrque in Circo à pueris maioribus & minoribus, turmatim congredientibus: quibus qui præsidebat, Princeps iuuentutis vocabatur, atque ex numero filiorum primi nominis Senatorum Augustorúmve eligebatur. Suetonius in C. Iul. Cæsare cap. 39. Troiam lusit, turma duplex, maiorum, minorumque puerorum. Idem in Augusto, cap. 43. Sed & Troiæ ludum edidit frequentissimè magnorum, minorumque puerorum delectu, prisci, decorique moris existimans claræ stirpis indolem sic enotescere. In hoc ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donauit, passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomina. Idem in Tiberio: Præsedit & Actiacis ludis, & Troianis Circensibus ductor turmæ puerorum maiorum. Dio lib. 43 de ludis Cæsaris scribens: Etiam Troiam antiquo more Patriciorum filij luserunt: iuuenésque, qui dignitate æquales erant, curribus certauerunt. Eorundem etiam lib. 48 & 51. atque alibi meminit. De horum ludorum origine & cærimoniis Virgilius lib. 5 Æneid.

At pater Æneas nondum certamine misso
Custodem ad sese, comitémque impubis Iuli
Epytidem vocat, & fidam sic fatur ad aurem:
Vade, age, & Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat auo turmas, & sese ostendat in armis.
Dic, ait, ipse omnem lato decedere Circo
Infusum populum, & campos iubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis, quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit, Troiaque iuuentus.

Omnis

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona
Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro;
Pars leues humero pharetras, it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bisseni quemque secuti,
Agmine partito fulgent, paribúsque magistris
Vna acies iuuenum, ducit quam paruus ouantem
Nomen aui referens Priamus, &c.

Et paulò pòst, cùm nomina præstantium auctorum recensuisset, hæc subiicit.

Postquam omnem læti consessum, oculosque suorum
Lustrauêre in equis, signum clamore paratis
Epytides longè dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrêre pares, atque agmina terni
Diductis soluêre choris, rursusque vocati
Conuertere vias, infestáque tela tulêre,
Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus
Aduersis spaciis, alternósque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient simulacra sub armis.
Et nunc terga fugæ nudant, nunc spicula vertunt
Infensi, facta pariter nunc pace feruntur.

Inde autem horum ludorum consuetudinem ad Romanos venisse, idem Virgil. his versibus docet:

Hunc morem cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cùm cingeret Albam,
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos.
Quos puer ipse modo secum, sic Troia pubes
Albani docuêre suos, hinc maxima porrò
Accepit Roma, & patrium seruauit honorem:
Troia nunc pueri Troianum dicitur agmen.

Vide de his ludis Vuolffgangum Lazium Commentariorum Reipub. Rom. lib. 10. cap. 1.

Erant & Castrenses ludi, quibus milites in Castris & exercebantur, & delectabantur: quorum meminit Sueton. in Tiberio, c. 72. Ac ne quam suspicionem infirmitatis daret, Castrensibus ludis non solùm interfuit, sed etiam missum in arenam aprum iaculis desuper petiit. Ad quem locum Læuinus Torrentinus hæc annotat: Castrenses ludos, vt puto, eos appellat, qui militibus illic in statione manentibus, Castrensi more edebantur. Sed de variis Romanorum ludis hæc sufficiant, de quibus, si cui vacat, legendus præter eos, quos passim indicauit, Vuolffgangi Lazij lib. 10. Comment. Reipub. Rom. qui totus de ludis agit. Nos iis, quæ visa fuerunt scitu iucunda & vtilia esse, hic breuiter expositis, ad alia nunc accedamus, de quibus initio huius libri spem Lectori fecimus.

Ad Cap. XXV. PARALIPOMENA.

Pyrrhica, Decursio, Saltatio, campidoctor, monitor, magister, flagellum ad coercendum tironem.

NEmo commodius ludos hos castrenses explicare poterit, quam si Claudiani locus è 6. Hon. consul. proferatur, qui sic se habet.

Hic & belligeros exercuit area lusus,
Armatos hic sæpe choros, certásque vagandi
Textas lege fugas, inconfusósque recursus,
Et pulchras errorum artes, iucundaque Martis
Cernimus.

In area igitur decurrebatur, vt dixi supra hoc opere lib. 1. Reg. 1. Variis ambagibus areæ huic inerrabant, egregieque & cum arte mutatis ordinibus ad eundem locum, è quo digressi fuerant, reuertebantur. L. Apul. allusit ad campestria isthæc exercitia lib. 10. Milesiar. *pueellis puellæque virenti florentes ætatula, forma conspicui, veste nitidi, gressu gestuosi, Græcanicam saltantes pyrrhicam, dispositis ordinationibus, decoros ambitus inerrabant, nunc in orbe rotarum flexuoso, nunc in obliquam seriem connexi, & in quadratum patorem cuneati, & in cateruæ dissidium separati.* sed audiendus idem Claudianus loco proxime citato.

Vna omnis submissa phalanx, tantæque salutant
Te dominum galeæ partitis inde cateruis
In varios docto discurritur ordine gyros,
Quos neque semiferi Gortynia tecta iuuenci,

Flumina nec crebro vincant Maandria flexu
Discreto reuoluta gradu, torquentur in orbes
Agmina, perpetuisque immoto cardine claustris
Ianus bella premens, lata sub imagine pugna:
Armorum innocuos paci largitur honores.

Pyrrhicam solent hanc decursionem vocare (à Pyrrho Neoptolemo sic dictam, Plin. lib.7.cap.56. licet paulo infra, alij diuersum sentiant.) quæ obseruatis numeris, concentúq; musico adhibito à tironibus sæpius, interdum & ipsis militibus veteranis exercetetur. verba sunt antiquissimi grammatici Marij Plotii apud Iacobum Cuiacium.lib.13.obseruation.cap.10. *pyrrhichius pes à pyrrhica lusus genere nomen accepit, quia hoc sono milites vsi sub armis per ludum cient simulachra pugnæ, ipsa tamen pyrrhica dicta est à Pyrrho Cydonio, quia primus Cretenses sub armis saltare ad huius pedis sonum instituit. alij à Pyrrho Achillis filio, quem primum in tumulo patris sui honoris gratia armatum saltauisse dicunt. Aristoteles autem ait Achillem huius lusus inuentorem fuisse, quibusdam places ab ardore, id est velocitate sui nomen accepisse hunc pedem, cognatus enim sensus velocitatis & ardoris est: vnde instant ardentes Tyrij, id est festinantes, & ardet abire fuga, id est, festinat.* quod de Pyrrho Cydonio scribit, est ex Nicolao vetustissimo autore lib. *de moribus gentium*, referente I. Stobæo serm.42. οἱ δὲ Κρητῶν παῖδες ἀγελάζονται κοινῇ μετ' ἀλλήλων συναγαγόμενοι, καὶ θήρας καὶ δρόμους τε ἀσκοῦσι ἀνυποδήτους ... καὶ τὴν ἐνόπλιον πυῤῥίχην ... ὃ πρῶτος εὗρεν Πυῤῥίχος ... vertit Conradus Gesnerus, *Cretensium pueri simul congregantur: educanturq; duriter, venationes & cursus acclines pedibus nudis conficiunt, & pyrrhicam in armis saltant, quam primus inuenit Pyrrhichus quidam Cydoniates, Cretensis genere.* quare suspicor vel in codice Stobæi mendum subesse, vel in textu Marii Plotii: itaq. sic si huius posterioris locum legamus, facile erit conciliare vtrumque, *pyrrhica ipsa dicta est tamen à Pyrrhico Cydoneo.* licet Strabo lib. 10. & Iul.Solinus cap. 16. Pyrrhicum eum constanter vocent. Porrò Cydones populi in Creta. Luctat.ad vers.595.lib.6.Thebaid. Statii. Strabo Amasian. lib. 10. & Cosmographi pene omnes consentiunt. Sammonic. Serenus lib.de Medicina cap.25.

Vel quæ poma Cydon Cretæis misit ab oris,
Coctiduna.

In alio codice, paruo discrimine.
Cocta seras.

Celebres non modo saltatione pyrrhica, sed & sagittandi peritia poëtæ passim. P. Ouid. lib.8.Metamorphos. fab.1.

Armaque, equósque, habitusque, Cynodiásque pharetras.

Interpretes.Q Horatij lib.4.od.9.
Primúsque Teucer tela Cydoneo
Direxit arcu.

D.Auson.Epist.21.
Iambe, Parthis, & Cydonum spiculis,
Iambe, pinnis alitum velocior.

Papin.Stat.lib.4.Thebaid.vers.269.
Terga Cydonea Corythos arundine pulsat.

Et lib.6.Thebaid.vers.597.
—Credas è plebe Cydonum
Parthorum fuga totidem auxilisse sagittas.

Idem lib.7.Thebaid.vers 339.
—Cydoneas anteibunt gesa sagittas.

Claudian.poë natio de histrice.
—Quicquid procul appetit hostem
Hinc reor inuentum, morem hinc traxisse Cydonas
Bellandi, Parthosque retro didicisse ferire.

Et in Panegyrico de 4.Hon.consul.
Scis quo more Cydon, quæ spicula dirigat arte
Armenius.

Sed redeo in orbitam. Pyrrhica hac saltatione exercebantur non modò tirones, & milites, vt dixi, sed nobilissimi quique adolescentes, & principes interdum ipsi. C. Suet. in Nerone cap.12. *exhibuit pyrrhicas quasdam è numero epheborum, quibus post editam operam diplomata ciuitatis Romanæ obtulit.* ex quo loco liquet & ignobiles, seruilisq; etiam conditionis homines pyrrhicam lusisse: adde & vilissima bestiariorum capita, ex Vlpiano IC.l. 8. ff. de pœnis, *quicunq; in ludum venatorium fuerint damnati, videndum est an serui pœnæ efficiantur, solent enim iuniores has pœna adfici, vtrum ergo serui pœnæ isti efficiantur, an retineant libertatem, videndum est, & magis, vt hi quoque serui afficiantur, hoc enim differunt à cæteris quod instituuntur venatores, aut purrichari ij, aut in aliam quam voluptatem gesticulandi, vel aliter se mouendi gratia.* rescriberem libenter, quod instituuntur *venatores, aut pyrrhicarij*, quanquam antiqua scribendi consuetudine, *purrum* & *burrum* dicebant, *pro byrro* & *pyrro.* vide scriptores de *Troia* ludicro.

Præcipuus in pyrricha vsus gladij, quare Iul.Polluci lib.4.cap.14 ἐνόπλιοι ὀρχήσεις, πυῤῥίχη καὶ τελεσιάς *saltationes armatæ, pyrrhica & Telesias* dicuntur Latini *bellicrepam.* fecere nomen Fest. Pomp. lib.2. *bellicrepam saltationem dicebant, quando cum armis saltabant, quod à Romulo institutum est, ne simile pateretur, quod fecerat ipse,* cùm

cum à ludis Sabinorum virgines rapuit. adhibebant & musicum concentum sed fistulis. Ammian. Marcellin. lib. 16. in rebus Iuliani parabatæ. *cum exercere prælùdia artis castrensis philosophus cogeretur, vt princeps, artémq; modulatius incedendi per pyrrhicham concinentibus disceret fistulis.* Idem lib. 18. de Sabiniano. *militari pyrrichio sonantibus modulis pro histrionicis gestibus in silentio summo delectabatur.* Claudian. ibidem loci.

Mutatos edunt pariter tunc pectora motus
In latus illisis clypeis, aut rursus in altum
Vibratis, graue parma sonat mucronis acutum
Murmur, & vmbonum pulsu modulante resultans,
Ferreus alterno concentus clauditur ense.

Præerat hjs exercitiis aliquis summæ authoritatis, qui non modò hortari poterat, sed & coercendo impellere tirones, Iul. Capitolin. in Maximino, ex Epistola Alexandri Aug. *veteres milites tibi, Maximine mi carissime, non credidi, quod veritus sum ne vitia eorum sub aliis insolescentia emendare non posses, habes tirones ad tuos mores, ad tuam virtutem, ad tuum laborem, eos fac militiam addiscere, vt mihi multos Maximinos optabiles reip. efficias.* hic *campi doctor* dictus, & in veteribus glossis *ἐκβιβαστὴς campi doctor* redditur. vet. Schol. Iuuenal. Sat. 6. vers. 260. *monstratos à campi doctore.* Idem ad v. 155. Sat. 5. *à sine magistro, campi doctore, Capella.* Ammian. Marcellin. lib. 15. *Marinus ex campidoctore, eo tempore vacans, author perniciosi sermonis, & alioquin naturæ feruentis, in taberna relictus.* nisi forte legi placet, vt hactenus excusum fuit, *Marinus ex campid-ctore:* quod ferri potest, est enim campiductor, idem qui castrorum præfectus cui sc. incumberet, loca in castris designare, idoneam castrametationibus stationem eligere Fl. Renat. Veget li. 1. de Militia Rom. c. 14. *illo exercitij genere, quod armaturam vocant, & à campidoctoribus traditur, imbuendus est tiro,* vide locum.

Magistri etiam appellabantur, vet. scholiast. Iuuenalis proximè suprà citatus, & ad v. 87. Satyr. 11. *dux magister exercitus.* C. Plin. in panegyrico Traiani postquam exercitationib. nostris, non veteranorum aliquis, cui decus *muralis, aut ciuicæ, sed græculus magister assistit.* Claudianus proximè supra citatus. quem locum pessime I. Lipsius (pace tanti viri liceat dixisse) de venatore Circensi, seu bestiario exponendum censet, nam & locus ipse sequela sua probat, de castrensibus tironum aut prætorianorum exercitiis intelligi debere, & ego in commentariis meis inserui, quæ abunde genuinum sensum vindicent poëtæ elegantissimo.

—Insonuit cum verbere signa magister.

Et P. Virgil. lib. 8. Æneid.

—Sub te tolerare magistro
Militiam, & graue Martis opus.

Idem sunt & *custodes.* Isidorus lib. 9. cap. 8. *tirones dicti, qui antequam sacramento probati sint, milites non sunt: Romanæ autem militiæ mos fuit, puberes primo exerceri armis, nam decimo sexto anno tirones militabant, quo etiam solo sub custodibus agebant.* quæ ille ex Seruio Honorato, vt solet, transcripsit, ad illud lib. 7. Æneid.

Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis.

Et ipse Virgilius allusit lib. 5. Æneid.

Custodem ad sese, comitémque impubis Iuli,
Aepytiden vocat.

Denique & *monitores* eadem omnino significatione. Q. Tertullian. Apolog. cap. 30. *illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus.* quod nomen non tantum in tirocinio valet, sed in heroibus, aliisq; adolescentibus, qui artibus certis imbuendi, admonitione rectoris alicuius indigerent. Latin. Pacat. Drepan. in paneg. *Tibris quondam hospitis monitor Æneæ, mox Romuli conseruator expositi.* Symmach. lib. 3. Epist. 13. *nullam certè Nestor tertiæ ætatis suæ militiæ vacationem poposcit, nec Achilli excusauit ætatis suæ frigus Phœnix monitor.* Parthenius Eroticon. ca. 6. ἕως ὅτε ὁ τροφεὺς αὐτῆς πρεσβύτης ἀναπυνθανόμενος, καὶ ἐπιγνοὺς τὸ πάθος, τῇ μὲν θαρρεῖν παρεκελεύετο. *donec nutritor eius senex* (siue monitor) *eam percunctatus, & cognito dolore bene sperare iussisset.* eligebatur autem in hos vsus, vt plerique, non grauitate, morumque sanctitate, non modo præceptis, feruentem, & in vitia præcipitem iuuentutem regere posset. L. Apul. Milesiar. lib. 10. *magnam domus cladem ratus indigere consilio pleniore, ad quendam compertæ grauitatis senem educatorem protinus refert.* Valerius Flaccus Setinas Argonautic. lib. 1.

—Fessum Phylace quem miserat æuo,
Non iam operum in partem monitus, sed tradat vt aeres.

Statius Papinius lib. 5. in Epicedio patris.

Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi.

Monitor iste tironum Romanorum, siue magister exercitiorum, in segnius officia obeuntes animaduertebat, eosque pro facti negligentia castigabat, non voce modo, sed & verbere. Claudianus supra *insonuit cum verbere signa magister.* idque tractum à græca consuetudine. Aelianus videtur insinuare lib. 2. var.

Hh iiij

histor.c.6. Ἱππόμαχος ὁ γυμναστὴς ... id est, *Hippomachus pugillandi magister, cum athleta quidam ex eius discipulis specimen exhiberet artis, & circumstans multitudo vniuersa plausum tolleret percussit eum virga.* at quem hoc loco ille pugillatus doctorem facit, immemor, vt puto, sui, eundem canendi magistrum ait fuisse, eandémque rem iisdem verbis narrat.lib. 14. eiusdem operis cap. 8. nisi fortè & pugil Hippomachus, & cantor esse potuerit. quod non est multum à vero alienum. Neque refert quod coërcitionem hanc non armorum alicui præfecto adscripserit, sed pugili, nam quippiam simile in vtriusque disciplina perdocenda, certè nomen *doctoris* vtrique commune. Valerius Max lib.2. cap.1.tit. *Nullius ante se imperatoris exemplum sequutus, ex ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accersitis, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem legibus ingenerauit, virtutémque arti, & rursus artem virtuti immiscuit* ecce P. Rutilius consul voluit tirones à doctoribus lanistis artis militaris peritiam edoceri. sed quodnam istud coercitionis genus? Claudianus *verber*, Ælianus *virgam* vocauit, seu bacillum, flagellum Iuuen. Satyr.5 ad finem, vt sæpius toties, & à tam multis Criticis tentato, agitato, torto ue, sed potior indubiè lectio, quam admittit vetus scholiast & Yuo Villiomar. in Rob. Titium lib. 7. cap. 3. vide quæ de amentis dicam infra.

Qui tegitur parma & galea, metuénsque flagelli
Discit ab hirsuto iaculum torquere Capella.

Nisi dicamus & verber, & virgam, & flagellum, tesseræ instar fuisse, non verò plectendo tironi dicatam. quod ferri potest, vel ex P. Virgilio lib 5. Æneid.

—Signum clamore paratis
Aepytides longe dedit, insonuitque flagello.

Sed expeditius est, vt ad pœnæ vsum flagellum istud pertrahamus. Q Horat.lib.1.Sat.2. in principio.

Nomina sectatur modò sumpta veste virili
Sub patribus duris tironum.

Decursio vel pyrricha est, vel certè pyrrhichæ admodum affinis, non quidem funebris illa, de qua alibi à me tractabitur, sed castrensis, quæque parando grauioribus conflictibus militi instituta foret, & in campestribus exercitiis militum habetur: Iul. Capitolin. in Maximino. *accepta igitur legione, statim eam exercere cœpit, quinta quaque die iubebat milites decurrere, ipse simulachra bellorum agere, gladios, loricas, scuta, galeas, tunicas, & omnia arma illorum quotidie circunspicere.* quinta die ergo decurrebatur, crebrum sanè hoc, & mira obseruatum constantia. sed quantum currebant spatij? diuersum, vt puto, illud, pro imperantis voluntate. interdum minus, interdum magis. minus apud T. Liuium 3. Decad. lib.6. *primo die legiones in armis, quatuor millium spatio decurrerunt.* magis apud C. Suetonium in Galba ca. 6. *Ipse maximè insignis, quod campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum imperatoris per viginti passuum millia cucurrerit.* vtilitas huius præcepti apud Flauium Vegetium multiplex lib. 1. cap. 9. *ad cursum assuefaciendi sunt milites, vt maiore impetu in hostem procurrant, vt loca opportuna celeriter occupent, vt ad explorandum alacriter pergant, vt fugientium terga facilius comprehendant.* meminerunt huius decursionis, & vsus, Florens Tertullianus lib. ad Martyres cap.3. *in pace, labore, & incommodis, bellum pati iam discunt: in armis ambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desudando.* L Seneca epist. 16. *miles in media pace decurrit sine vllo hoste, vallum iacit, & superuacuo labore lassatur, vt sufficere necessario possit.* Ianus Gruterus obseruauit, & ante illum I. Lipsius in Militia sua lib. 5. Erat aliquis qui decurrentibus tironibus seu militibus præiret, nescio an centurio, an verò magister, aut campidoctor. C. Sueton. in Nerone cap.7. *inde in decursione prætorianis, scutum sua manu prætulit.* antiquum hoc, & à bello Punico secundo in vsu. de P. Scipione Sil. Italic. lib.8.

—Sæpè alite planta
Ilia perfossum, & campi per aperta volantem
Ipse pedes prævertit equum.

Ad eum ritum opinor Homerum allusisse li. 3. Iliad. principio.

μάλα δ' ὦκα διέπρησσον πεδίον.
Valde celeriter transcurrerunt campum.

Et retentum etiam decliui Republica. Claudian. de 3 Hon. consulatu.

—Aut en vincere montes
Planitiem cursu, valles & concaua saltu.

Et de 4. Hon. consul. licèt alij diuersam probent lectionem.

Fluuios tu proterere cursu
Hærentes glacie.

Et de 6 Hon. consulatu.

In varios docto discurritur ordine gyros.

Huic & saltus addebatur. C. Salustius in fragmentis historiæ de Pompeio. *cum alacribus saltu certare.* Fl. Vegetius libro 1. capite 9. iam laudato. *ad saltum etiam exercendus est miles, quo vel fossæ transiliantur, vel impediens aliqua altitudo superetur, vt cum eiusmodi difficultates vene-*

fuerint, possit sine labore transire. Silius Italic. loco iam proximè supra citato de P.Scipione.

Ipse inter medios venturæ ingentia laudis
Signa dabat, vibrare sudem, transmittere saltu
Murales fossas.

De lucta, iaculatione, natatione, equitatione, quæ inter tironum exercitamenta, commodius vt spero, in Tractatu de militia expedietur.

CAPVT XXVI.

De mensis & Conuiuiis Romanorum. Quoties Romani singulis diebus cibum caperent.

ALVDIS ad mensas & conuiuia veterum accedemus, & videbimus quem morem in iis Romani obseruauerint. Nam & huius moris cognitio non caret maxima vtilitate, cum suauitate coniuncta. Veteres in more habuerunt, quater in die cibum sumere. Prima erat matutina ientatio, quam Prandiculum prisci appellauerunt, mox Prandium, tum Cœna: postremò Comessatio. Nam Merendam, quæ à cibo meridiano nomen sumpsit, cum Prandio eandem apud veteres fuisse, monet Festus: quanquam eam post prandium, & post meridiem collocat Nonius. Sed hæc facilè habita ratione temporum controuersia dirimitur, vt priscis temporibus Merenda pro Prandio fuerit, Prandij nomine & vsu nondum inducto: deinde verò, vt luxus & nequitia serpit, cùm à Merenda ad Cœnam, id est, à meridie ad vesperam, vnde vespernam Cœnam dixére, ieiunitas nimium longa videretur, prandii vsus in Merendæ locum & horam successerit. Merenda verò post eam horam, vnde nomen sumpserat, id est, post Meridiem producta sit, qui hodiéque mos retinetur. Inde non quater modo, sed quinquies quotidie cibum capi solitum esse constabit. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi omnes sine discrimine toties comederint, verùm de pueris, qui famem non ferunt, & opificibus, seruis, viatoribus, quorum vires labore fractas, atque imminutas refici & augeri cibo necesse erat, item de senibus, qui valetudinis causa aliquid cibi ante cœnam sumebant, verum est. Reliqui homines liberaliter educati, semel tantum aut plurimùm bis comedebant, id quod ex pluribus veteribus Scriptoribus probant. Hieronymus Mercurialis Variarum lectionum lib.4.cap. 17. in arte Gymnastica lib.1.cap.11. & Aldus Manutius Pauli filius, lib.1. de quæsitis per epistolam, epistola 4. & alij.

AD CAP. XXVI.

PARALIPOMENA.

Mensarum quæ materia, quæ forma, quis ornatus?

NOn aliunde aptius, quàm à mensis incipietur de conuiuiis sermo, erant autem illæ ex vluis palustribus, vt & lecticæ, adeoque etiam lecti ipsi. C. Plin. lib. 18. capit. 3. *quies somnúsque in stramentis erat.* frequentiores sunt poetæ in priscæ huius frugalitatis adumbratione. Alb. Tibul. libro secundo elegia 6.

At sibi quisque dapes & festas extruet alte
Cespitiam mensas, cespitibúsque thoros.

Valer. Flacc. lib.1. Argonautic.

—— viridique thorus de fronde, dapésque.

L. Sen. Hercule furente Act.1. in Choro.

Cespes Tyrio mollior ostro
Solet impauidos ducere somnos.

D. Iuuenal. Sat 6. in principio.

Syluestrem montana thorum cum sterneret vxor
Frondibus, & culmo vicinarúmque ferarum
Pellibus.

P. Ouid. passim. lib.5. Fastor.

Tunc dabat exiguum fluminis vlua thorum.

Et eodem libro paulò pòst.

Nec putor in stipula placidam cepisse quietem.

Et lib.3. Amor. eleg. 9.

Sed glandem quercus oracula prima ferebant,
Hæc cibus; & tenteri cespitis herba thorus.

Idem lib.2. de Arte.

Sylua domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes.

T. Lucret. Carus de Rer. Natur. lib. 5.

Sed nemora, atque cauos montes, siluasque colebant,
Et frutices inter condebant squallida membra.

Sequitur deinde paucis interiectis.

Circum se foliis, & frondibus inuoluentes.

Postea ex acere conficiebantur. C. Plin. lib. 33. cap. 11. ex L. Fenestella. *ait ante se paulò triclinia lignea, rotunda, solida, nec multò maiora, quàm mensas fuisse, se quidem puero quadrata, aut compacta, aut acere operta aut citro fuisse* M. Martial. lib. 14. epigr. 90. cuius lemma est, *mensa acerna.*

Non sum crispa quidem, nec siluæ filia Mauræ.
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Et Virgil. lib. 8 Aenead. de frugalitate Latini regis.

Præcipuumque thoro & villosi pelle leonis
Accipit Aenean, solioque inuitat acerno.

Lapsis deinde moribus, & inualescente luxuria, lecti, abaci, monopodia, mensæ, triclinia primum ærati, deinde & argentei, mox & laminis aureis obduci cœperunt, quæ morum pernicies, disciplinæque publicæ pestis ac iactura, à Cn. Manlio victa Asia in vrbem ommigrauit. T. Liu. 4. Decad. lib. 9. in limine. sed & citreæ mensæ vsque adeò in pretio fuerunt, vt argenti aurique æstimationem ea arbor æquauerit. C. Plin. lib. 3. cap. 15. *confines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri, & mensarum insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt.* in meliori MS. non *cedri arbor*, sed *citri arbor* est. aptius indubiè tum quia in MSS. epigraphe capitis habet *de Athlantis arboribus, & mensis citreis.* tum quod locum hunc Tertullianus transscribens, posteriorem lectionem firmet. sic igitur ille lib. de Pallio cap. 5. *nullis vitiis adulor, nullis veternis parco: adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus nummûm orbem citri emit, qua bis tantùm Asinius Gallus pro mensa eiusdem Mauritaniæ numerat hem, quantis facultatibus æstimauere ligneas maculas.* deprauatum eum locum restituit Calcaginus lib. 12. & post illum Iac. Pamelius, quo etiam & illud eiusdem Tertulliani trahit lib. de Anima. *quod mensis Ciceronianis infertur.* de eadem re vtrumque scriptore sentire probant verba Plinij sequentia *extat hodie Marc. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum est, illo æuo empta HS. vndecim. memoratur & Asinij Pollij HS. vndecim venundata.* sic enim locum istum censuit debere legi Gulielm. Budæus lib. 3. *de Asse.* addit Iacob. Cuiacius lib. 2. obseruat. cap. 5. citrum esse frugiferam, cedrum verò, *ἄκαρπον*, vt loquitur Suidas, *arborem fructus expertem.* denique supernumerarius testis est ipse Plinius lib. 5 cap. 1 *& quidem minus miror incomperta quædam esse equestris ordinis viris, iam verò & senatorij, nil demirantibus quam luxuriam, cuius efficacissima vis sentitur atque maxima, cum ebori citroque siluæ exquirantur.* Vetus Schol. Iouenal. ad vers. 138. Sat. 1. *mensis citreis, quas antiquitus magno in pretio habebant, aut de ebore.* Cicero ipse 6. Verrin. *maximam & pulcherrimam mensam, citream à Qu. Lutatio Diodoro omnibus scientibus abstulisti.* Paulus IC. l. 21. ff. de Action. empt. *veluti si mensas quasi citreas emat, quæ non sunt.* Hermol. Barbar. Corollarior. in Dioscorid. lib. 1. cap. 17. Q. Horat. lib. 2. od. 18. videtur ad luxum huiusmodi allusisse.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas vltima recisas
Africa.

C. Petron. Satyrico in descrip. bellorum ciuilium.

—— Ecce Afris eruta terris
Citrea mensa, greges seruorum, ostrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum.

Maculas has non ad purpureos tapetes, seu, vt ille loquitur, ostrum renidens refero, sed ad citreas mensas, quæ quo maioribus conspiciendæ maculis, eo cariores. Plinius loco proximè supra laudato. *mensis præcipua dos in vena crispis, vel in cortice variis. illud oblongo euenit discursu, ideòque tigrinæ appellantur, hoc intorto, & ideò tales pantherinæ vocantur. sunt & vndatim crispæ, maiore gratia si pauonum caudæ oculos imitentur.* & aliquot lineis interiectis *postea muræna nigro transcurrens limite, variisque corticum punctis apprehensus papauerum modo, & in totum atro propior color, maculæque discolores.* L. Sen. lib. de Tranquill. animi cap. 1. *placet minister incultus, ac rudis vernula, argentum graue, rustici patris, sine vllo opere, & nomine artificis, & mensa non varietate macularum conspicua, nec per multas elegantium dominorum successiones populo nota, sed in vsum posita, quæ nullius conuiuæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat inuidia.* Idem libro septimo de Benefic. capite nono, *video istic mensas, & æstimatum lignum senatoris censu, eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris torsit infelicitas.* sed quis ille senatorius census? antea à Tertulliano, & Plinio citatus, HS. vndecim, hoc est viginti quin-

quinque millia aureorum Philippæorum, vt correctione egeat Petronius vbi supra.

Citrea mensa, greges seruorum, ostrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ sensum turbant. hostile ac mobile lignum
Turba sepulta mero circumuenit.

Relege, & interpunge hoc pacto.

——Maculis imitatur vilibus aurum
Quod censum trahat, hoc sterile, at male mobile lignum
Turba sepulta mero circumuenit.

Martial. li. 14. epig 89.
Accipe fælices, Atlantica munera siluas,
Aurea qui dederis dona, minora dabis.

Eiusdem libri epigr. 18.
Nobilius villosa tegens tibi lintea citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

M. Lucan. lib. 9. v. 425.
——tantum Maurusia genti
Robora diuitiæ, quarum non nouerat vsum:
Sed citri contenta comis viuebat, & vmbra,
In nemus ignotum nostræ venere secures,
Extremóque epulas, mensasque petiuimus orbe.

A. Persius Sat. 1.
——Non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis.

M. Varro in gerontodidascalo apud Nonium Marcellum.
In quibus Libyssa citrus fasciis cingit feret.

Fulcra harum eburnea erant, laminis putaminum testudineorum minutim sectis obducta, coopertáque idem Plin. li. 9. c. 11. *testudinum putamina secare in laminas, lectósque, & repositoria his vestire Carbilius Pollio instituit, prodigi, & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij.* Philo Iudæus de Romanorum suo æuo insana luxuria, fuit autem legatus ad Tiberium principem à popularibus suis citante I. Lipsio. τρίκλινα καὶ ἀμφίκλινα χελώνῃ ἢ ἐλέφαντι, κατασκευασμένας, ἢ πολυτελεστέρας ὕλης ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα, id est, *triclinia, vel lecti & stibadia, testudine aut ebore adornata, & meliori etiam materia, atque ea pleraque gemmata.* Clemens Alexandrinus χελωνίας πεποικιλμένας κλίνας, *testudine variegatos lectos* dixit, & puto ligno inserebatur secta testudo, vt ex vtroque veluti vnum corpus affabre fieret. Lucianus, in Asino κλίνη καὶ μεγάλη ἀπὸ χελώνης ἰνδικῆς, *lectica magna ex testudine Indica*, grauis est querela L. Senecæ libro 7. de benefic. cap. 9. *video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretiis emptas, in quibus ipsa, quæ placet varietas, & subditis medicamentis, in similitudinem veri coloratur.* sunt quibus locus iste vitij suspectus sit, & censent rescribendum. *sublitis medicamentis.* sed priore lectione retenta sensus constat, ideoque nihil temere immutandum. Egregie vt solet C. Plin. lib. 16. cap 43. *excogitata sunt & ligni bracteæ, nec satis, cæpere tingi animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri, placuit deinde materiam & in mari quæri. Testudo in hoc secta, nuperque portentosis ingeniis Neronis principatu inuentum, vt pigmentis perderet se, pluri'sque veniret, imitata lignum.* M. Martial. libro 12. epigram. 67.

Gemmantes prima fulgent testudine lecti,
Et Maurusiaci pondera rara citri.

Et lib. 9. epigr. 60.

Et testudineum mensus quater hexaclinon
Ingemuit citro non satis esse suo.

Probata in hos vsus testudo, longe aduecta, & è diuersissimis petita regionibus L. Apul. libr. 10. Milesiar. *lectus Indica testudine perlucidus, plumbea congerie tumidus veste serica floridus,* corrige audacter, & mecum lege, *plumea congerie tumidus,* plumaciorum enim in delicatiorum sedilibus notissimus vsus, & alibi ostendam.

Vet. scholiast. Iuuenal. ad Sat. 11. v. 94. *vt lectum testudineum haberet. lectos nam antiqui testudine Oceani ornabant.* ipse Iuuenal. loco citato.

Qualis in Oceani fluctu testudo nataret
Clarum Troiugenis factura ac nobile fulcrum,
Sed nudo latere, & paruis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lasciui ludebant ruris alumni.

In secundo versu suspicor mendum esse, & fortasse non male legetur.

Clarum Troiugenis factura, ac mobile fulcrum.

M. Lucan. lib. 10. v. 121.
Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent.

Nam quot missus epularum inferebantur, tot mensæ mutabantur, & cum cibis, onustæ mensæ illatæ, cum iisdemque denuo sublatæ, ex Athenæo & Macrobio Critici animaduerterunt. Seruius ad finem libr. 1. Aeneid. *apud Romanos etiam cænæ edita, sublatisque mensis primo silentium fieri solebat.* Ipse Virgil. & alij passim.
Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.

Et cænaturis mensę apponi dicebantur. Plau. Asinar. sc. *agedum.*

Pueri mensam apponite.

Homer. Iliad. vlt. v. 476.

ἐν δ' ἔτι κεῖτο τράπεζα. *tunc enim apposita erat mensa*, & post conuiuium remoueri. Plautus idem in Amphitru. sc. *satis'.*

Te dormitare aiebas, mensa ablata est, cubitum hinc abiimus.

Petron. Satyr. pag. 47. *simul oblitus officij, mensam, quam humanitate posuissem, contumelia tollerem.* adi ad Athenęum lib. 1.

Eburneas fuisse mensas, tum ex authorum locis anteà à me citatis intelligi potest, & prętereà ex L. Apul. libr. 2. Milesiar. in conuiuio Byrrhenæ. *opipares cibi, & ebore nitentes lecti, aureis vestibus intecti, ampli calices, variæ quidem gratiæ, sed pretiositatis vnius.* Basilius Magnus oratione ad diuites, ἐλεφάντινα σκίμποδες, καὶ ἐλεφάντινα τράπεζαι, *eburnea stibadia, vel repositaria, eburneæ mensæ aut abaci*, l. 18 ff. de *Instruc. & instrum. leg.* citat Petrus Colutius. M. Terentius Varro in Quinquatribus.

Cum ebore ito lecto, ac purpurei operis
Thoro cubare videam ægrotum.

Plato poëta Comicus vetustissimus, citante Athenæo lib. secundo dipnosophist. capite sexto.

Κᾆτ' ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσι, καὶ στρώμασι πορφυροβάφοις
Κατακείμενοι ...
In lectis deinde eburneis fultis pedib. stragulis
Tinctis purpura, ostro, Sardiniano, dormituri cubant.

Sext. Propert. lib. 2 eleg. 13.

Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa thoro.

M. Accius Plau. in Sticho sc. *quisnam.*

DI. *Lanam, purpuramque multam*, GE. *qui ventrem vestiam.*
DI. *Lectos eburatos auratos.* GE. *accubabo regie.*

Q. Catullus Epithalamio Iuliæ & Mallij, Epigr. 59.

O cubile, quod è nimis
Candido pede lectuli
Quæ tibi veniunt bona
Gaudeas,

Non desunt tamen qui non de eburneo fulcro intelligi versum illum velint, sed de argenteo pede, auro enim argentóque obduci lecticas, tam tricliniares, quam cubitorias ostenditur ex iis, quæ ante à me citata sunt. Papinian. ICl. 9. ff. de supell. leg. *supellectilis mensas esse cuiuscunque materiæ, scilicet, vel argenteas vel argento inclusas placet nam & argenteos lectos, & argentea candelabra supellectili cedere, posterior ætas recepit.*

M. Martial. lib. 8. epigr. 33.

An magis astuti derasa est vngue ministri
Bractea, de fulcro quod reor esse tuo.

Et lib. 9. epigr. 23.

Et crepat in nostris aurea lamna thoris.

Satis de materia, superest de forma deinceps dicere. primum igitur quadratas fuisse mensas certissimum. C. Plin. lib. 33. c. 11. Fest. Pomp. li. 5. *escariæ mensæ quadratæ vocantur, in quibus homines epulantur.* M. Terentius Varro libro 4. de ling. Lat. *mensam escariam Cibillam appellabant, ea erat quadrata, vt etiam nunc in castris, à cibo cibilla dicta est. postea rotunda facta.* nullum itaque dubium est, quin hæc primitus mensarum fuerit forma, alludunt poëtæ. P. Virgilius lib. 7. Æneid.

——Patulis nec parcere quadris.

D. Iuuenal. Sat. 5. in principio.

Vt bona summa putes aliena viuere quadra.

Postea rotundæ factæ sunt. Varro proximè supra & ibidem *mensa vinaria rotunda nominabatur cilibantum vt etiamnum in castris, id videtur declinatum à Græco, ἀπὸ τοῦ κύλικος. altera vinaria mensa, erat lapidea, quadrata oblonga, vna columella, vocabatur cartibulum.* glossæ antiquæ Hispalensis Isidori, *cartipulum, mensa quadrata.* sed nescio an ad conuiuia, aut epulas? Varro enim in sequentibus. *hæc in ædibus ad compluuium apud multos me puero ponebatur, & in ea, & cum ænea vasa, & à gerendo, gertibulum, vnde cartibulum post dictum.* apparet certè hinc ornamento verius eam fuisse, quàm vsui, nisi contradiceret Etymologium magnum. αἱ τῶν παλαιῶν τράπεζαι τετράγωνοι ἦσαν. *antiquorum mensæ quatuor laterum erant.* Rationem adfert Myrtilianus apud Athenæum lib. 11. dipnosophist. cap. 13. *quod figura circularis absolutissima esset, ac perfectissima, maximéque ad perpetuam cæli omnia continentis conuersionem accommodatissima.* ob id non modo circulares mensas faciebant, sed & tripodes diis consecratos, & placentas ipsas eadem circularis formæ similitudine, quas, quia lunas inspersas habebant, aut alia sidera impressa, lunas appellabant. M. Lucan. lib. 10. Pharsaliæ vers. 142.

Dentibus hic niueis sectósque Atlantide silua
Imposuere orbes.

Virgil. lib. laudato.

Et violare manu, malisque audacibus orbem
Fata-

Fatalis crusti.

Martial.lib.9.epigr.23.

Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes.

Papin.Stat.lib.1.Thebaid.vers.518.

Pars teretes leuare manu,ac dißonere mensas.

D.Iuuen.Sat.11.vers.122.

—putere videntur
Vnguenta,atque rosæ,latos nisi sustinet orbes
Grande ebur,& magno sublimis pardus hiatu
Dentibus ex illis,quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres.

Atq; hanc quidem formam suspicor Græcis pariter,ac Latinis fuisse communem. Romanæ vero mensæ referebant figuram sigmatis Græci,quod idem cum C. Latino, seu dimidiatæ lunæ effigie, præoccuparunt iam Critici,Muretus, Lipsius, Sauaro, Brodæus. Iul.Pol. lib.6. Onom. cap.1. *ἀσκάντης, στιβάδες, ἡμικύκλια, κλιντῆρες, χαμεύνια, χαμεῦναι. scana, thori, semicirculi, recubatoria, humistrata*, in M.S.probatior lectio est *ἀσκάντης, στιβάδες*. Interim corrige Varronem *me puero ponebatur, & tina & cum ea vasa,tina* enim vel *tinea* vasa sunt vinaria. Nonium vide cap.19. Num.7.& dicam infra.Cæl.Rhodig.lib. 12. cap. 18. Antiquar. lection. pro *diæta* interpretatur, sed non vt oportuit. quanquam & in eadem mente viri docti,Petr.Rauennas Ser.29. *discumbebat deus, plus in Mathæi mente, quam sigmate.* idem Serm. 8. *& soli discipuli alio sigmate, choro vno, toto otio, delitiis securi epulabantur.* idem.serm. 93 *denique dum Pharisæus veste clarus primus in sigmate.* Sidon.Apollinar. lib.2. Epist. 2. *ita vt ministeriorum se non impediente famulatu, tot posset recipere sellas quot sigma capit personas.* D.Paulin. lib.1.de vita D.Martini.

Hos intermedius qua sigma flectitur orbe
Presbyter accubuit.

Martial.lib.10.Epigr.48.

Stella,Nepos,Cani,Cerealis,Flacce,veni:is,
Septem sigma capit,sex sumus,adde Lupum.

Et lib.4.epigr.87.

Accipe lunata scriptum testudine signum,
Octo capit,veniat quisquis amicus erit.

Iampridem ab aliis correctum.

Accipe lunatum scriptum testudine sigma.

Sidon. Apollinar.Carm.17.

Non tibi gemmatis ponentur prandia mensis,
Assyrius murex nec tibi sigma dabit.

Idem Carm.22.ad finem.

Mos erat hic dominis hibernum sigma locare.

Ad extrema huius cornua honoratiores conuiuæ collocabantur.Gregor.Turonensis, obseruante Sauarone,lib.1. de Miraculis cap.80. *discumbentibus autem ad conuiuium, vir ille cum presbytero dextræ partis cornu occupat, catholicum ad sinistrum statuens.* Sidon. Apollina. lib.1.Epist.11. *primus iacebat cornu sinister consul ordinarius Seuerinus.* Iuuencus Hispanus lib.3.sacrorum carminum.

Si vos quisque vocat,cœna conuiuia ponat,
Cornibus in summis deuitet ponere membra,
Quisque sapit,veniat forsan si nobilis alter
Turpiter eximio cogetur cedere cornu.

Ornabantur autem sigmata hæc seu mensæ eodem tapetum apparatu, quo superius scænas theatrorum instructas ostendi,scilicet initio pellibus ferarum, deinde & byssino peristromate, quare Latinus ille Virgilianus Æneam hospitem *villosa pelle leonis accipit.* & vxor rustica apud Iuuenalem Satyra 6. in limine *thorum sternit Frondibus & culmis, vicinárúmque ferarum pellibus.* longe alius tamen ornatus luxuriante republica,sed pergo.

CAPVT XXVII.

Quid Ientaculum, Prandium, Merenda, Cœna, Comessatio fuerint.

EX his igitur, quæ præcedenti capite dicta sunt, facilè intelligitur, quid ientaculum,prandium,merendam,cœnam,comessationem veteres appellarint.

Ientaculum cibus erat matutinus,qui sumi solebat antequam homines operas aggrederentur.Quanquam notat Festus, Prandium & ientaculum veteribus idem fuisse. Nomen habet ientaculum,à ieiuno,quòd ieiuni eo vterētur, vt de etiam ientare,quod ientaculo vti,vel ientaculum sumere significat. Ientaculũ prius dicebatur Silatum auctore Festo,cuius hæc sunt verba:Silatum antiqui pro eo, quod nunc ientaculum dicimus, appellabant, quia ieiuni vinum sili conditum ante meridiem ab-

ſorbebant. Plutarch.in Sympoſiacis, lib.8.quæſtion.6. ait, priſcos, cum & laboribus dediti, & temperantes eſſent, manè panem ediſſe, mero intinctum; aliud nihil, vnde etiam ientaculum, vel prandium (hæc enim antiquitùs pro iiſdem accipiebant) ἀκράτισμα dixerint, quod ἄκρατον ſit merum.

Prandium antiquitùs idem erat cum Ientaculo, poſteà verò diſtinctum, ita vt ientaculum ſumeretur aliquantò ante prandium. Dicebatur prandium, quemadmodum Plutarchus in Sympoſiacis docet, παρ' ἔνδιον, quod meridie ſumeretur: ἔνδιον, enim ſignificare ait meridianum tempus παρὰ τὸ ἐνδεῖν, quod ſignificat, deeſſe, indigere, vt videantur voluiſſe matutinum cibum, & nutrimentum, quo vterentur priuſquàm indigerent. Erant igitur prandia, vt plurimùm breuiſſima, & parciſſima. Sumptuoſiora autem, & liberaliora, vel feſtis diebus vſurpari ſolebant, vel nuptialia erant, vel ambitionis & largitionis, vel luxuriæ cauſa inſtituebantur. His cauſis exceptis & ſimilibus, parcè admodum prandebant, cœnabant largiùs. Ita Plutarch. in Sympoſiacis lib.8.quæſt.6. ſcribit, Priſcos Romanos moderatè prandere ſeorſim, cum amicis verò cænare conſueuiſſe, ideóque cœnam, quaſi κοινὴν, id eſt, communem ipſis appellatam eſſe.

Merendam, Feſtus, ait antiquos dixiſſe pro prandio, quòd ſcilicet medio die caperetur. Nonius Marcellus auctor eſt, Merendam dici cibum, qui poſt meridiem daretur. Ioſephus Scaliger notis in Varronem de re Ruſtica, docet, Merendam dictam eſſe, quæ iis, qui mererent ære, hoc eſt, mercenariis, data fuerit, adducens fragmentum Calpurnij,

—Seræ cum veneris hora merendæ.

Cœnam, quam nunc dicimus, veſpernam, veteres appellabant: quam autem prandium vocamus, illi cœnam appellabant, ait Feſtus. Iſidorus li.20.ca.2. Cœnam ait vocari à communione veſcentium: κοινὸν quippe Græci commune dicunt, vnde & communicantes, quòd communiter epulari, ne ſingularitas luxuriam gigneret. Hæc ille. Hora cœnæ apud Romanos erat hora diei nona.

Vltima erat comiſſatio (ſic enim ſcribendum eſſe, non comeſſatio, docent, Aldus Manutius iunior Orthographiæ ratione, Leonardus Malaſpina & alij) de qua ſic Feſtus: Comiſſatio à vicis quos Græci κώμας dicunt, appellatur. In his enim habitabant, priuſquàm oppida conderentur, quibus in locis alij alios conuictus cauſa inuitabant. Alij à comedendo vel comeſſando deriuant. Contra Dionyſius Lambinus Commentariis in Horatium, mutuatos eſſe ait Latinos hoc verbum à Græcis, vt alia pleraque, apud quos κωμάζειν ſit ebriorum aut intemperantium more ſe gerere, laſciuire, ſcortatum ire, &c. Vnde etiam Fulnius Vrſinus comeſſari, dicendum exiſtimat. Priorem tamen ſententiam comeſſationem à comedendo nomen habere, Læuinus Torrentius in Suetonij Vitellio defendit. Hoc quidem certiſſimum eſt, comeſſationes antiquis probatas non fuiſſe. Verùm nos reliquis omnibus prætermiſſis, de Cœnis tantùm ad quas veteres conuiuas vocabant, pauca quædam in medium afferemus, & primùm quomodo Romani cibum ceperint, oſtendemus.

Ad Cap. XXVII.

PARALIPOMENA.

An prandia in vſu habuerint Romani, an tantùm cænas? & meridiari.

EX frugali antiquorum victu, nata diſſertatio, ſemelne in die cibum ſumpſerint, an ſæpius? hoc eſt an prandecent ſub meridiem, vt nunc fit, an verò in veſperum diſtulerint, vt cænitarent. Ratio difficultatis præcipua ex Seruij Honorati verbis in lib. 4. Æneid. *in vſu*, inquit, *non erant prandia*. quod & alij non parui nominis Grammatici poſt eum tranſcripſerunt. Iſidor.lib.2. Etymolog. cap.20. *eſt autem cœna veſpertinus cibus, quam veſpertinam antiqui dicebant, in vſu enim non erant prandia.* Saluian.Maſſilien.de Prouidentia & Iudicio Dei lib.1. *numquid parcam illam tunc agreſtémque vitam cum gemitu & dolore tolerabant, cum viles & ruſticos cibos, ante ipſos, quibus coxerant, focos, ſumerent, eóſque ipſos capere, niſi ad veſperam non liceret?* horum ſuffragatur ſententiæ Aurelius Caſſiodorus in Pſalm.14. *maiores noſtri tabernas domos appellauerunt pauperum, & quod ibi habitabant, & cænabant, ſicut antiquis mos erat ſemel cibum ſumere, ex duobus nominibus vnum traditur factum eſſe vocabulum, ſcilicet tabernaculum.* Manlius Seuerinus Boethius lib.2. de conſol.Philoſop.metro.5.

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis
Nec inerti perdita luxu,

Facili

Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande.

Altera est sententia eorum qui putant prandia cœnasque nullo discrimine vt nunc, ita olim etiam vsurpasse Romanos, horum veluti dux est non tam veritatis studio, quam Seruii odio dictus Philippus Beroaldus in Annotationibus suis in Seruium, §. 24. cum insequutus est Ianus Parrhasius in Epistolicis quæstionibus epist. 57. Ioannes Boditus post illum lib. 1. Oppiani de venat. Philander in M. Victruuii Pollionis Architectonicen lib. 6. cap. 5. & alii plerique inter Criticos. & certe videtur fauere Cicero 3. Verr. *in Asiam vero postquam venit, quid ego aduentus istius prandia, cœnas, equos muneraque commemorem?* Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. *fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis simul & continentiæ certissimus index nam maxime viris prandere & cœnitare in propatulo, verecundiæ non erat, nec sane vllas epulas habebant, quas ciuium oculis subiicere erubescerent.* Aurel. Macrob. lib 2. Saturn. cap. 13. *leges cœnis, & sumptibus ad populum ferebantur, imperari cæpit, vt patentibus ianuis pransitaretur & cœnitaretur, sic oculis ciuium testibus factis luxuriæ modus fieret.* Q. Horat. lib. 4. Sat. 4.

—Qui nigris prandia moris
Finiet.

Et eiusdem lib. Sat. 3.

Luscinias soliti impenso prandere coemptas,

A. Persius Sat. 1.

His mane edictum post prandia Callirhoen do.

Quinimò & apud Græcos bis in die epulari receptum, indéq; nata sunt duo vocabula rebus iis peraccommoda, *ἄριστον* quasi *ἄριστον prandium à mane, δεῖπνον, ὅτι τοῦ πόνου διαναπαύει, cœna, quòd à laboribus requiem preberet.* Iul. Poll. lib. 6. Onom. ca. 1 vno eodemque tempore & cœnas & prandia fuisse in vsu Romæ, docemur ex pulcherrimo Plutarchi testimonio, lib. 8. Symposiac. cap. 6. *τὸ μὲν γὰρ δεῖπνον φασὶ κοινὰ διὰ τὴν κοινωνίαν κεκλῆσθαι, καθ' ἑαυτὸν ἄριστον ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις.* vertit Gulielm. Xylander. *Est enim deipnon cœna, quasi communionem voces quia seorsim solebant prandere antiqui Romani, cœnare cum amicis*, hæc licet veritatem habere in se videantur, certum tamen est, multos Seruio consentire. Pomponius Sabinus, *antiqui non prandebant, vti in vita Gallieni traditur.* L. Sen. epist. 122. *quotidie sobrius prodis, sic cœnas, tanquam ephemeridem patri approbaturus.*

Vt in tanto probatorum authorum conflictu, aliquid certi statuamus, puto prandia, non omnium omnino ciuium fuisse, sed lautiorum tantùm, qui & ipsi sine vlla ferculorum pompa, aut splendido apparatu accumbebant mensæ priuatæ pransuri, ad magnificas & exquisitas epulas amicis in cœnam condicebant. Celsus Medicus li. 1. cap. 3. *hyeme, si prandet aliquis, vtilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potione sumere, æstate verò, & potione, & cibo corpus lætius eget, ideo prandere quoque commodum est.* quod vsque adeo verum est, vt apud eundem Cornelium Celsum lib. 4. quippiam sit instar præcepti. *tamen facilius fert adolescens, quam puer, & vno cibo, quàm prandio quoque assuetus.* quod, vt puto, indicauit L. Seneca Epist. 83. ex Celso, vt pleraque alia transcribens, fuit enim ille ante æuum Senecæ in pretio, citatúrque tanquam rei medicæ peritus, à Plinio, aliquoties. *panis deinde siccus & sine mensa prandium post, quod non sunt lauandæ manus.*

Posset & dissidium componi facilè, si eandem rem significatam cœnæ prandiique nomine dicamus. Festus Pompeius lib. 3. *Cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium, vesperna quam nunc cœnam appellamus.* Idem libro 17. *scensas Sabini cœnas dicebant, quæ autem nunc prandia cum cœnas habebant & pro cœnis vespernas appellabant.* Est apud eundem alter locus lib. 14 mutilatus, vel verius à Paulo corruptus, vt plerique alij. *prandium ex Græco .... est dictum, nam meridianum cibum cœnam vocabant.* quam lacunam variè viri eruditi conati sunt supplere. Iosepus Scaliger in Castigationibus suis in eundem Grammaticum, authore Plutarcho, *ex Græco πρὸ ἔνδιον est dictum.* Gulielm. Canterus Nouar. lection. lib. quarto capite vigesimo octauo, fatetur se non potuisse reperire, quidnam verbi huic lacunæ explendæ conueniret, nisi fortè ex eodem Plutarcho. Sympos. libro octauo capit. 6. aliquid elici posset, *τὸ δ' ἄριστον ἐκαλοῦν πρανδίουμ ἀπὸ τῆς ὥρας, ἔνδιον γὰρ τὸ δειλινὸν, καὶ τὴν μετ' ἄριστον ἀνάπαυσιν ἐνδιάζειν, ἢ [illegible] τὸ ἑωθινὸν ἢ προσλαμβάνουσι πρὶν ἐνδεεῖς γενέσθαι, prandium aut in aristen dicunt ab hora περὶ ἔνδιον, nam endion significat meridianum tempus, & meridiari endiazein, aut cibum matutinum voluerunt notare, & quod imentum, quo vtebantur, priusquam indigerent, nempe πρὸ τοῦ ἐνδεῆσαι.* à tempore igitur liquidissimum est ex illo prandium dici, vel ab affectu quietis, quiescebant enim sumpto cibo meridiano, vt esset veluti alter dies, inter prandium & vesperam. Plinius Iunior libro tertio, epistola quinta, *dormiebatque minimum, mox quasi alio die studebat, in cœna tempus.*

exquisitissima locutione, *quasi alio die*, vsus est, nam somnus interiectus inter prandium & cænam, videtur alium quendam diem facere, L. Seneca Epist. 84. *hodiernus dies solidus est, totus inter stratum lectionemque, breuissimo somno vtor, & quasi interiungo.* eandemque formulam vsurpauit lib. de Tranquil. vitæ capite primo, *qui iam medio die interiunxerunt, & in pomeridianas horas aliquid leuioris operæ distulerunt.* frustra sunt, quibus placuit legi, *breuissimo somno vtor, & quasi interuigilo.* Interiungere enim diem idem omnino est, atque Horatio lib. 1. od. 1.

—Partem solido demere de die.

Martial. lib. 3. epigr. 67.

Exarsit iam dies, & hora lassos
Interiungit equos meridiana.

Itaque & meridiandi hic mos prisca republica, ab imperatoribus retentus, & ad decliues translati principatus lapsus transmissus, multa eruditus Sauaro. C. Suet. Augusto c. 78. *post cibum meridianum, ita vt vestitus, calceatusque erat retectis pedibus paulisper conquiescebat, opposita ad oculos manu*, idem in Caligula c 38. *ac ne paululum quidem moræ patiens, superque quadraginta reos ex diuersis criminibus vna sententia condemnauit, gloriatusque est expergefacta somno Cæsonia quantum egisset, dum ea meridiaret.* diu autem post illos eadem obseruata consuetudo, nam & Traianus meridiare solitus. Plinius in panegyrico, quem ei dixit, & Alboinus Longobardorum rex. Paul. Diacon. in histor. Longobard. libro 2. cap. 28. & Romanis meridiantibus vrbs ab Alarico Gothorum rege capta, intrataque, Gregor. Turonensis lib. 10. c. 1. eademque iam prodiderat Procopius Cęsariensis lib. 3. Id in lecto fiebat, siue lucubratorio, siue tricliniari, ego fateor mihi incompertum. M. Varro in quinquatribus laudante Nonio Marcello cap. 2. Num. 131.

Quam in testudineo lecto, culcitra plumea,
In die dormire.

Vestigium & in sacris literis, libro 2. Regum cap. 11. *Dauid surgit è strato suo post meridiem & deambulat in solario*, & in Iobo cap. 24. *inter aceruos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.* licet Nicolaus à Lyra, Interpres ordinarius deliret, qui exponit, *post meridiem*, id est, *vespertino tempore.* P. Ouid. libro 1. Amor. eleg. 5.

Æstus erat, mediamque dies exegerat horam,
Apposui dubio membra leuanda thoro.

Q. Catull. Epigr. 30.

Meæ deliciæ, mei lepores,
Iube ad te veniam meridiatum.

Paucis deinde interiectis, ostendit, quid sit meridiare.

Nam pransus iaceo & satur, supinus.

In aliis editionibus non male.

Nam pransus iaceo, & satis supinus.

Salernitanæ scholæ doctores id nihilominus vetant, & diem interiungere insalubre esse clamant, turbidumque nescio quid inde oriri dictitant.

—Somnum fuge meridianum.

Itaque quo liberius amicos tractarent, non interueniente negotio de die serio, cænas instruebant, inde tam frequens cænarum, prandiorum nulla, aut certe rara mentio, in descriptione apparatus alicuius magnifici. Q. Horat. lib. 2 od. 14.

Absumet hæres cecuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimentum superbo
Pontificum potiore cænis.

D. Auson. Epist. 13.

Ostrea nobilium cænis, sumptuque nepotum
Cognita.

M. Martialis omnibus paginis. lib. 5. epigram. 51.

Cano domi quoties nisi te Charopine vocaui,
Protinus ingentes sunt inimicitiæ.

Inde scriptorum, de nepotibus dissolutis querela, in noctem eos conuiuia extendere, imò interdum & à sole in alterum solem. Marc. Tullius Oratio 2. in Catil. *quorum omnis industria vitæ, & vigilandi labor in antelucanis expromitur.* Tit. Liu. 3. decad. lib. 3. *cæperunt* (Pæni duce suo Hannibale iam tertium victore, & Capuæ agente) *epulari de die, & conuiuia non ex more Punico, aut militari disciplina esse.* Æl. Lamprid. in Commodo, *& cum potaret in lucem, helluareturque.* quare & laus aliqua Domitiano apud C. Suetonium cap. 21. *conuiuabatur frequenter ac large, sed pene raptim, certe non vltra solis occasum.* lepide Martial. lib. 1. epigr. 29.

Hesterno fætere mero qui credit Acerram,
Fallitur, in lucem semper Acerra bibit.

M. Plau. Asinaria Act. 4. sc. sequente.

—at pol quin dixi rectius,
Tu ergo fac vt illi turbas, lites concias,
Cum suo sibi gnato vna ad amicam de die
Potare, illam expilare iam.

Horat. lib. 2. od. 7.

Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi.

Q. Catull. Epigr. 45.

Vos conuiuia lauta, sumptuose
De die facitis, mei sodales
Quærunt in triuiis vocationes.

Sic igitur inceptæ epulæ in sequentis diei mane protrahebantur. Sex. Aurelius Propert. lib. 4. eleg. 6.

Sit

Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Iniciat radios in mea vina dies.

Ob id Virgilianus ille Turnus lib. 9. Æne. milites suos ad corpora curanda dimittit.

—melior quoniam pars acta diei est.

Quod ita definit Vlpianus lib. 2. ff. de verbor. sign. *cuiusque diei maior pars est horarum septem, primarum dei, non supremarum*, id est, à *prima ad octauam, non à quinta ad duodecimam*, vt exponit Augustinus lib. 4. cap. 13.

Idque accensis lampadibus, seu lychnis, vt supra à me plene ostensum. adde Curium Fortunatianum Consultum libro tertio artis Rhetoricæ Scholicæ, *vt pro Cælio, aliud fori lumen est, aliud Lychnorum, quum posuisset etiam structius dicere, aliud lucernarum.* quare & *Lychnobios* appellat istiusmodi profusos homines. L. Seneca Epist. 122. *crebrò dicentibus illum quibusdam auarum & sordidum, vos, inquit, illum & lychnobium dicetis* & ibidem sub epistolæ principium elegantissimè, vt solet, insanam hanc conuiuandi consuetudinem taxat. *sunt quidem in eadem vrbe Antipodes, qui vt M. Cato ait, nec orientem vnquam solem viderunt nec occidentem, & paucis interiectis; licet in vino vnguentóque tenebras suas exigant, licet epulis, & in multa quidem fercula distinctis, totum peruersæ vigiliæ tempus diducant, non conuiuantur. sed iusta sibi faciunt.* Et si fortè è conuiuio redirent noctu, præcedebant faces, aut funalia. Silius Italicus libro sexto Punicor.

Exuuias Marti, donúmque Duillius alto
Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat,
Cui nocturnus honos, funalia, clara, facesqui
Post epulas tibicen adest; castósque penates
Insignis lati repetebat murmure cantus.

Retulere eandem historiam Liuius, Valerius Maximus, Plinius, & alij, quos facile est consulere, & mihi ad alia properanti quæ vrgent, transcribere illos, inani opera non vacat. D. Iuuen. Sat. 4. vers. 137.

Luxuriam imperij veterem, noctésque Neronis
Iam medias aliamque famem.

Capvt XXVIII.

Quomodo Romani cibum ceperint, atque de accumbendi, & discumbendi ratione.

Maiores nostri, inquit Seruius, sedentes epulabantur, quem morem habuerint à Laconibus, & Cretensibus, vt Varro docet in libris de vita populi Romani, in quibus dixit, quod à quaque traxerit gente. Et Isidorus lib. 20. cap. 11. Apud veteres, inquit, non erat vsus accumbendi, vnde & considere dicebantur: postea, vt Varro ait de vita populi Romani, viri discumbere cœperunt, mulieres sedere: quia turpis visus est in muliere accubitus. Hæc ille, cum quo consentit Valerius Maximus, lib. 2. cap. 1. vbi tamen notat posterioribus temporibus mulieres etiam contra morem maiorum cum viris accumbere cœpisse. Manauit autem hic mos accumbendi ad Romanos, vt verisimile est, post Asiam deuictam, Græciámque cognitam, ab ipsis Græcis, quod innuere Horatius videtur, cùm scribit:

Græcia victa suum victorem cepit, &c.

Quomodo accubuerint veteres, pauci rectè norunt, & est sanè res in tanta vetustate obscurissima. Iustus Lipsius, Hieronymus Mercurialis, & Dionysius Lambinus, præ reliquis omnibus, absit verbis inuidia, eum morem diligentissimè exposuerunt, à quibus ea, quæ huc conferre aliquid poterunt, mutuatus adscribam: plura ab illis ipsis petantur. Sic autem Iustus Lipsius libro 3. Antiquarum lectionum: Accumbendi modum, quà ex libris, quà ex monumentis, hunc ferè fuisse collegimus. In cœnaculo mensa collocabatur rotunda, humilis: inferiorum quidem hominum tripes & ex simplici ligno: lautiorum citrea, aut acerna, aut lamina argentea intecta: quem pes eburnus fabrefactus, pura in modum Pardi, aut Leonis, sustinebat. Circum mensam tres, vt plurimùm, lecti erant, ex quo Triclinij nomen. Vel duo etiam, quod Plautus Biclinium: posterior ætas à Vespasianorum imperio, Sigma vocare cœpit. Quod cùm esset in formam hemicycli, aut lunatæ testudinis extructum, vocari placuit nomine literæ Græcæ: quia, vt ex marmoribus liquet, illa ætas sigma literam, vt mediam lunam scribebat C. Sigma autem duobus lectis tantum constitisse, colligo ex numero conuiuarum apud Martialem, Lampridium, & alios. Ij porrò lecti insternebantur aulæis, purpura, aut alia veste stragula, pro copia, & inopia conuiuatoris. Id sub horam cœnæ fiebat. Priusquam autem accumberent, lauabantur, atque togas mutabant vestibus, quas à re Cœnatoria dixerunt. Tum etiam soleas pedibus demebant, ne lectum conspurcarent. Cæ-

terùm aut,terni,aut quaterni,vnum occupant.Horatius.

Sæpe tribus lectis cœnare quaternos.

Si plures,sordidum id,& minimè lautum habebatur. Ita fiebat, vt ex vna communi mensa vix esset,vt supra XII.vescerentur. A quo numero illa Augusti famosa Cœna apud Suetonium δωδεκάθεος dicta. Apud Macrobium tamen in Cœnę Pontificiæ descriptione in duobus tricliniis decem modò conuiuæ nominantur:vt pateat in magnifico aliquo epulo vix binos lectum vnum occupasse.Iam verò modus accubitus hic erat. Accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum,infera in longum porrecta ac iacente:capite leuiter erecto,dorso à puluillis modicè suffulto,quòd si plures vno lecto decumberent,primus decumbebat ad caput lecti,cuius pedes porrigebantur ponè dorsum secundi:secundus verò occiput obuertebat ad vmbilicum primi, puluillo interiecto,pedes iacebant ad tergum tertij , & sic deinceps tertius,sic quartus.Iam qui primus,& ad caput lecti decumbebat, Summus dicebatur : qui ad pedes,Imus:qui inter istos,Medius. Atque si tres conuiuæ in vno lecto, medius dignissimus: proximus honore,summus:si quatuor,medium censeri arbitror, proximum à summo : si duo tantùm,dignissimus,summus fuit.Hæc ferè Iustus Lipsius vir clarissimus , cum quibus etiam ea conueniunt,quæ scribit Dionysius Lambinus in Satyram 4.lib.2.Horatij,postrema scilicet eorum commentariorum editione:& Hieronymus Mercurialis lib.1.artis Gymnasticæ, cap.11. qui etiam addunt,discumbentes,quàm diu vescerentur & potarent, eo corporis situ mansisse:vbi verò cibum capere desiissent,vel intermisissent,tum dorsi spinam quæ antea erat inflexa & ad epulandum composita,reposuisse,& caput in ceruical reclinasse,nonnunquam etiam sedentium instar retexisse. Atque hæc quidem in priuatis conuiuiis ad hunc modum plerique obseruabantur. In publicis autem epulis,& cœnis nuptialibus , cùm magna hominum multitudo conueniret,numerus discumbentium obseruari non poterat , sed plures ternis aut quaternis in vno lecto accumbebant,id quod præter Plutarchum docet lapis vetustissimus, qui habebatur Patauii in ædibus Rhamnusianis,in quo triclinium vetus conspicitur , quem, cùm de multis huc pertinentibus nos moneat,ex Hieron. Mercurialis arte Gymnastica lectoris studiosi oculis subiicere volui,& petatur inde,vel ex Petri Ciacconi lib. non ineleganti de Triclinio Rom.pag.51.

Intereà suspensa graues aulæa ruinas,
In patinam fecêre trahentia pulueris atri,
Quantùm non Aquilo Campanis excitat agris.

Quem morem hodie Principes & Monarchas seruare compertum est : apud quos, mensas sub quibusdam veluti tentoriis sericeis parari sępe videmus. Alterum est,quod in variis nostris lectionibus docuimus,nimirum priscis illis temporibus priusquam coronæ ex floribus,herbis, & auro in vsum venirent,Cœnaturos, cùm ad dolores capitis ex cibo & potu auerruncandos, tum ad ebrietatem compescendam , laneis & lineis vinculis tempora, & frontem vincire solitos,quod minimè puto absque ratione fuisse excogitatum,cùm venæ,arteriæ cæterique capitis meatus, quò magis coacti, atque astricti sunt , eò minùs vapores à vino, & cibis sursum elatos,sinúsque molestias varias inducentes,recipiant. Tertium est id,quod luculentissimè Athenæus tractauit,apud quem scriptum & probatum inuenitur , priscos illos primùm cornibus boum potasse,indéque κεράσαι,id est,temperare vinum aqua,ἀπὸ τῶν κεράτων, id est,à cornibus,vocatum esse:tum cornua illa non solùm auro & argento ornata,& verum etiam argentea,& aurea esse facta,illisque continua sibi ipsi mutuò propinare consueuisse. Appicti etiam sunt duo pueri,quorum alter mensæ ministrabat, & conuiuis frigidam , & calidam præbebat, quem cunctos,ne ab ipso malè tractarentur,reueritos esse,& ab eo mordendo abstinuisse,verisimile fit.Extat apud Agellium li.13.c.12.fragmentum quoddam Varronis ex Satyris Menippęis,quod cùm de numero conuiuarum,& aliis ad cōuiuia veterum pertinentibus multa habeat notatu digna,visum fuit iis,quę de accumbendi,& discumbendi ratione diximus adiicere. Sic autem Agellius: Lepidissimus liber est M.Varronis ex Satyris Menippæis,qui inscribitur: Nescis , quid vesper serus vehat,in quo disserit de apto conuiuarum numero,déque conuiuii habitu,cultúque. Dicit autem,cōuiuarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum,id est,proficisci à tribus,& consistere in nouem, vt cùm paucissimi conuiuę sunt,non paucores sint,quàm tres,cùm plurimi,non plures,quàm nouem. Nam multos,inquit,esse non conuenit,quòd turba plerunque est turbulenta, vt Romæ quidem constat,sed & Athenis. Nusquam autem plures cubabant. Ipsum deinde conuiuium constat , inquit , ex rebus quatuor , & tum denique omnibus suis numeris absolutum est , si belli homunculi collecti sunt,si lectus locus , si tempus lectum , si apparatus non neglectus. Nec loquaces

quaces autem, inquit, conuiuas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro, & apud subsellia: silentium verò non in conuiuio, sed in cubiculo esse debet. Sermones igitur id temporis habendos censet, non super rebus anxiis, aut tortuosis, sed iucundos, atque inuitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate vtiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat & amœnius. Quod profectò, inquit, eueniet, si de ingenuis rebus ad communem vitæ vsum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro, atque in negotiis agentes loqui non est ocium. Dominum autem, inquit, conuiuij esse oportet non tam lautum, quàm sine sordibus. Et in conuiuio legi non omnia debent, sed ea potissimum, quæ simul sint βιωφελῆ & delectent, &c. Hactenus ex Varrone Agellius, de quibus etiam nonnulla Plutarchus in Symposiacis & Macrobius in Saturnalibus.

ICON TRICLINII.

Cuius priori pagina facta est mentio.



Ad Cap. XXVIII.

PARALIPOMENA.

Accumbere vxores in maritorum gremiis, Triclinium sternere, accubitorium, cellarij, rationales, cœnaculum, postibus affixa ornamenta.

IN lecticis epulabantur, hinc *accumbendi* in conuiuiis vocabulum inualuit, vt & *discumbendi*. A.Gell libro tertio capite 19. *apud cœnam Fauorini Philosophi cum discubitum fuerat cœptusque apponi cibus, seruus assistens mensæ, legere incœptabat.* M.Cicero. ad Atticum libro quarto epist.1. *Discubuimus omnes præter illam.* res obuia est, nec explicanda. Sed hoc cum discrimine, vt Helenij Acrpnit vetusti Grammatici verba vsurpem, in odem 27.lib.1. Q. Horatij (licet sciam omniscium Tiraquellum iam antea id notasse) *accumbere deorum est.* Virgil.lib.1.Æneid.

—Tu das epulis accumbere diuum.

Discumbere hominum est. Virgil. eodem libro.

Iam pater Æneas, & iam Troiana iuuentus
Conueniunt, stratoque super discumbitur ostro

Et paulo post.

—Thoris iussi discumbere pictis.

Recumbere ferarum est, hincque illud lib. 8. Æneidos de Cerbero.

—Te ianitor orci
Ossa super recubans antro semesa cruento.

Quod non vsque adeo verum est, vt non hæc nomina interdum confundantur, & promiscua significatione apud probatos authores reperiantur posita: quare & de hominibus *accumbere* teste Cicerone. in C. Verrem actione. *tum ille negauit moris esse Græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres.* & discumbere eadem notione idem 7. Verrina. *muliebria quotidie conuiuia essent, vir accumberet nemo præter ipsum.* T.Liu.3 decad.lib.8. *cœnatumque simul apud regem est, eodem etiam lecto Scipio atque Hasdrubal (quia ita cordi regi) accubuerunt,* C.Petron. in Satyrico pag.28. *non erubui eum qui supra me accumbebat, hoc ipsum interrogare* idem valet *accubare.* Moderatus Columella lib.21.cap.1. *nec nisi sacris diebus accubans cœnet.* Sedul.presbyter operis sui eruditissimi præfatione.

Paschales quicunque dapes conuiua requiris
Dignatus nostris accubitare thoris.

Ouid.lib.1.Amor.eleg.4.

—vt recumbas, clam mihi tange pedem.

Plaut.Amphytru. Act.2.sc.2.

ALC. *Cœna apposita est, cœnauisti mecum, ego accubui simul.*

AMP. *In eodem lecto?* ALC. *in eodem.* SOS *hoc non placet conuiuium.*

Atque vt accumbere his locis de hominibus effertur, ita & recumbere de iisdem. C. Plin.Iunior lib.4.epist.22. *cœnabat Nerua cum paucis, Veiento proximus, atque etiam in sinu recumbebat.* Martial.lib.2.epigr.29.

Debet Aricino conuiua recumbere cliuo.

Et lib.7.epigr.77.

Sportula nulla datur, gratis conuiua recumbis.

Nec modo viri, sed & fœminæ eadem accumbendi ratione vsæ, gremiis maritorum suorum inhærebant. Cicero ad Atticum lib. 5.epist.1. *sed prandimus in Arcano, nosti hunc fundum, quo vt venimus, humanissime Quinctus, Pomponia, inquit, tu inuita mulieres, ego viros arciuero.* Valer.lib. 2. cap.1. *fœminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant, quæ consuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit.* quod intelligendum de Romanis tantum matronis, nam probrosum id Græcis semper habitum. M. idem Cicero Accusatione in C. Verrem 1. *posteaquam satis calere res Rubrio visa est, quæso, inquit, Philodame, cur ad nos intra filiam tuam non vocari iubes? homo, qui & summa grauitate, & iam id ætatis, & parens esset, obstupuit hominis improbi dicto, instare Rubrius, tum ille, vt aliquid responderet, negauit moris esse Græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres, hic tum alius ex alia parte, enimuero ferendum hoc non est, vocetur mulier, & simul seruis suis Rubrius, vt ianuam clauderent, & ipsi ad fores assisterent, imperat, quod vbi ille intellexit, id agi, atque id parari, vt filiæ suæ vis adferretur, seruos suos ad se vocat, his imperat, vt seipsum negligant, filiam defendant.* id autem pro tempore à Philodamo confictum non fuisse, docent nobilissimi oratoris Isæi verba, qui fons Demosthenicæ facundiæ à veteribus appellatus fuit, vt habetur apud M.Antonium Muretum variar. lection. lib.7. cap. 2. vbi loci locus scribitur, quem vide. Ceterum cur ille facultatis Demosthenicæ fontem appellet, causa est, quod sua ætate, vixit autem sub Traiano, omnibus oratoribus palmam præripuerit. C.Plin.Iunior.lib. 2.epist.3. *magna Isæum fama præcesserat, maior inuentus est, summa est facultas, copia, vbertas.* Vetus scholiast. Iuuenal.ad vers.72.Sat.3. *Isæus Romæ orator omnibus eloquentior.* Ipse Iuuenal.

Ingenium velox, audacia perdita, sermo,
Largus, & Isæo torrentior.

Sed

Sed ad rem: diuersum hunc apud Romanos ac Græcos, de mulieribus in conuiuium deducendis, ritum expressit Æmilius Probus, siue Cornelius Nepos in præfat. ad lib. de vita Excellent. Imperator. *Contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur, quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in conuiuium? aut cuius mater familias non primum tenet ædium locum: atque in celebritate versatur? quod multo fit aliter in Græcia: nam neque in conuiuium adhibetur, nisi propinquorum, neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ gynaeconitis appellatur: quo nemo accedit nisi propinqua cognatione coniunctus.* neque ego sane vsque adeò Græcorum factum improbem, nam quæ & virorum cœtibus interesse, & symposia, solemnitatésque conuiuales sectari audet, parum abest, quin quidlibet pati sit parata, quæque iocandi libertatem patienter audire poterit, non grauate pudoris matronalis, virginalis castitatis iacturam incurrere dubitabit. vnde lux P. Terentio Eunucho Act. 4. sc. 1.

Heus, inquit, puer Pamphilam
Accerse, vt delectet hic nos, illa exclamat, minimè gentium,
In conuiuium illam?

Certè vxores suas Romani gremiis impositas, & veluti in se reclinatas habere solebant. Cic. 2. Catilinaria. *in conuiuio accubantes, complexi mulieres impudicas.*
L. Apul. lib. 6. Milesior. de nuptiali illa solemnitate. *accumbebat summum thorum maritus, Psychem gremio suo complexus.* hinc mollitiem Sulpitij Galli insectans P. Scipio Africanus scribente A. Gellio lib. 7. c. 12. *qui in conuiuiis adolescentulus, cum amatore, cum chirodota tunica inferior accubuerat.* hoc est, demissiori & humiliori loco, vt videretur ad pedes quodammodo sedere. idem ille Apuleius lib. 1 Milesiar. *cùmque accubantem exiguo admodum grabatulo, & commodum cœnare incipientem inuenio, assidebat pedes vxor, & mensa vacua posita.* malè, & contra antiquitatis notitiam Philippus Beroaldus legit *assidebat penes vxor.* nam in sinu mariti sedens vxor, videtur ad pedes esse. C. Sueton. in Calig. cap. 25. *Liuiam Horestillam C. Pisoni nubentem, cùm ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperauit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegauit, quod repetisse prioris mariti medio tempore vsum videbatur. alij tradunt adhibitum cœnæ nuptiali, mandasse ad Pisonem contra accumbentem, noli vxorem meam premere, statimque è conuiuio abduxisse eam secum.* Idem ille, flagitiosissima bellua contra receptam epulandi consuetudinem, *sorores pleno conuiuio singulas* (verba sunt Suetonij cap. præcedenti) *infra se vicissim collocabat, vxore supra cubante.* præposterè id actum. Ouid. libr. 1. Amor. eleg. 4.

Nec premat ille suis finito tua colla lacertis,
Mitte nec in rigido pectore pone caput.

Idem lib. 2. Amor. eleg. 18.

Sæpe mea dixi tandem discede puella,
In gremio sedit protinus illa meo.

Et lib. 3. Amor. eleg. 2. eundem sedendi ritum in Circensib. spectaculis innuit ad amicam.

En reuocant: at ne turbet toga mota capillos,
In nostros abdas te licet vsque sinus.

D. Iuuenal. Satyr. 2.

Signatæ tabulæ, dictum fœliciter: ingens
Cœna: sed in gremio iacuit noua nupta mariti.

Ad Græcorum mores traxit Ouid. Epist. 15. Paridis Helenæ, nisi fortè, vt solent poëtæ, Romanos ritus Græcis accommodauit, ita enim de Menelao Helenæ marito.

Hostibus eueniant conuiuia talia nostris,
Experior posito qualia sæpe mero.
Pœnitet hospitij, cùm me spectante, lacertos
Imponit collo rusticus ille tuo.
Rumpor, & inuideo, (quid nunc tamen omnia narrem?)
Membra sup iniecta cum tua veste fouet.

A Conuiuiis ad locum progredior, à lecticarum in quibus decumbentes vescebantur numero, triclinium appellabant, idq; varium pro anni tempestate, aliud quippe æstiuum, aliud hyemale. M. Victruu. Pollio li. 7. c. 4 *tricliniis hybernis non est vtilis hæc compositio.* de qua re liber extat Petri Ciacconi Toletani, & appendix Fuluij Vrsini.

Seruus Maurus ad v. 701. lib. 1. Æneid. *antiqui stibadia non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur, vnde & triclinium sterni dicitur. sic Cicero, sterni triclinia & in foro iubebat. vnde apparet errare eos, qui dicunt triclinium esse basilicam ipsam, vel cœnationem.* scio Philippum Beroaldum Seruium in hoc etiam reprehendisse, quàm opportunè, ipse viderit. vet. schol. Iuuen. Sat. 5. v. 17 *apud veteres accubitorum vsus non erat, sed in lectulis manducabant discumbentes, tres autem lectuli erant, in quibus discumbebant, vnde hodie triclinia appellantur.* accubitorium autem, vel vt alij Grammatici loquuntur, à *cibo vocatum, quasi adcubitum epularum*, inquit Isidorus lib. 20. cap. 1. posterioribus sæculis inter Græcos vsurpata ea dictio, nam in lexico Meursij ἀκκούβιτον, ex Ælio Lampridio in Commodo, & Suida obseruatum est, necnon ex Paulo Diacono in rebus Leonis, & in Leone Constantini filio, qui consulatur. At enim vt vetus triclinij nomen, quod

à Iuuenale loco citato describitur.

Tertia cum vacuo cessaret culcitra lecto,

Ita etiam lapso translatóque Byzantium imperio retentum. Curopalates lib. de offi. Aulæ Constantinop. pag. 128. ὁπηνίκα δὲ ὁ βασιλεὺς ποιήσει τὸ ἴτες τρωγ(ει ἐν τῷ τρικλίνῳ, παίτων παρισταμένων τῶν ἀρχόντων. *cùm autem Imperator quinquies quotannis cibum in triclinio sumat, astantibus omnibus principibus.* & in eodem libello pag. 180. μετὰ τὸ τοίνυν ἀνέρχεται ἐπὶ τὸ τρίκλινον τὸ λεγόμενον Θωμαΐτην φέρε τὸ πρὸς νότον ἀφορῶντα, *postea igitur ascendit triclinium, quod appellatur Thomaites, quod spectat australe versus.* hoc illud est triclinium, quod cum quibusdam D. Chrysostomi in sacram scripturam commentariis conflagrauit tempore Irenes & Constantini filij. quod autem paulò ante Seruius dixit, sterni triclinia, ad apparatum conuiuij accommodari debet. P. Terent. Heautont. Act. 2. sc. 4.

Et lectulos iube sterni nobis, & parari cætera
Ego iam transacta re conuertam me domum cum obsonio.

Cl. Claudian. lib. de bello Gildonico.

Splendet tartareo furialis mensa paratu
Cæde madens, atrox gladiis

Stat. Papin. lib. 1. Thebaid. v. 516.

Certatim accelerant, vario strepit icta tumultu
Regia, pars ostro tenues, auróque sonantes
Emunire thoros, altosque inferre tapetes,
Pars teretes leuare manu, ac disponere mensas.

Sil. Italic. lib. 10. de Hannibale à Capuanis recepto, & ingenti luxuriæ apparatu.

Instituunt de more epulas, festámque per vrbem
Regificè extructu celebrant conuiuia mensis
Ipse deûm cultu, & sacro dignatus honore
Præcipuus, multóque procul splendentibus ostro,
Excipitur sublime thoris.

Cattilius IC. apud Vlpianum l. 5. ff. Commodati *si me petisses, vt triclinium tibi sternerem, & argentum ac ministerium præberem, & fecero, deinde sequenti die petisses, vt idem facerem, & cùm commodè argentum domi referre non possem, ibi hoc reliquero, & perierit, qua actione agi posset, & cuius esset periculum?* Labeo IC. l. 20. ff. de opt. leg. *apud Aufidium lib. 1. rescriptum est, cum ita legatum est: vestimenta, quæ volet, tricliniaria, sumito, sibique habeto:* vestimenta tricliniaria appello, quæ ornando instruendóque triclinio sunt idonea, qualia sunt tapetes, aulæa, aliáque huius generis, quæ ex iis quæ supra à me dicta sunt, repetantur: & vide nostræ ætatis Criticos.

Cællam puto vel triclinio contiguam vel triclinij partem aliquam. Æl. Donat. in Adelph. Act. 4. sc. 2. *cella & cellarium, à reponendis celandisque rebus esculentis, & poculentis dicitur.* vetus inscriptio.

DATES. L. PISONIS. CELLARIVS.

Isidor. lib. 15. Etymolog. c. 3. *triclinium est cænaculum, à tribus lectulis discumbentium dictum; apud veteres enim in loco vbi conuiuij apparatus exponebatur, tres lectuli strati erant, in quibus discumbentes epulabantur, κλίνη enim græcè lectus vel accubitus dicitur, ex quo confectum est, vt triclinium diceretur. cella dicta quod nos occultet, & celet.* eadem Fest. Pomp. l. 3. C. Petron. in Satyrico pag. 49. videtur cællam existimare dictam diuersoriis, hospitiisque peregrinantium, vti & triclinium domuum priuatarum. *vos mehercule ne cellæ mercedem datetis, fugere nocte in publicum voluistis.* Et paucis interiectis *& de cælla proripuit.* licet non sum ignarus cællam pro penu vsurpari. glossæ veteres, κελλάριον penu in iisdem κελλάριος penuarius, hoc est cellæ præpositus. l. 12. C. de diuer. offic. l. 24. ff de manum. test. l. 12. ff. de Instructo. exponitur vis nominis à IC. l. 41. ff de leg. 1. *cellarij locus celandis rebus.* & *fugitiuus in cællam se recepisse* dicitur l. 17. ff. de ædil. edicto. quare & *cællaria* pro annonis populi publicis, Sulpitius Seuerus histor. Sacræ lib. 2. l. vl. C. Theodos. de offic. omn. iudic. & inualescente barbarie *cellariensis*, pro cællæ præfecto dici cœpit. l. pen. C. Theod. de indulg. debit. Marcellin. lib. 11. epig. 32.

Hinc cellarius experitur artes,
Vt condat vario vafer sapore
In rutæ folium capellianas.

M. Accius Plaut. Pseudolo sc. hi loci.

—Condus promus sum procurator peni,

Et post ibidem.

—qui res rationésque heri
Ballionis curo, argentum accepto, expenso, & cui debet dato.

Istos ego suspicor & rationales appellatos Petron. pag. 22. Satyrici. *iam ad triclinium veneramus, in cuius parte prima* (cælla) *procurator rationes accipiebat.* In principio quidem hi singulorum erant ciuium & principum. *Per rationalium curam quondam principum priuatam gubernasse fertur substantiam.* Aurelius Cassiodorus libro 6. Epistol. 8. ex quibus duplex vsus apparet, nam vel priuatum Imperatoris censum administrabant, vel publicum prouinciarum prouentum, Constantinus August. scribit *Callepio rationali trium prouinciarum* l. 5. Cod. Theodos. de petit. & vltrò datis, delator. & *rationes Belgicæ procurare* dictum à C. Plinio libro septimo, capite decimo sexto. Æl. Lamprid. in

in Alexandro. *rectores prouinciis dare vel præpositos facere, vel procuratores, id est, rationales ordinare.* ἐκδίκους isti, quasi *reddendis rationibus obnoxij* dicuntur, vt sic loquar cum Imperatore L.4.C.de Cleric. & Episcop. horum institutio prima à Constantino Cæsare, qui in vniuersum *negotiis fiscalibus eos præesse* voluit, seu criminis illa, siue rei pecuniariæ, vt ex Martiano IC. discimus l.8.C. ad legem Iul. Maiestat. & Iul. Capitolinus in Maximino. D.Auson. meminit in parentalibus Carm. 24.

Scrinia præfecti meritus, rationibus inde
Præpositus Libycis.

Atque isti quidem prouinciis præerant: de priuatarum Imperatorum facultatum rationalibus Corippus de laudibus Iustini Minoris lib.1. Num.1.

Mente placens dominis, sacris rationibus aptus.

Et licet *rationalis* non nisi corrupta lingua Latina reperiatur, res tamen vetustissimo vsu fuit comprobata. ex antiquo marmore inscriptionem apponam.

D. M.
ABASCANTO. AVG. LIB. AEDITVO.
AEDIS. NEPTVNI. QVI. EST. IN CIRCO.
FLAMINIO. FLAVIVS. ABASCANTIVS.
ET. PALLAS. COS. N. SER. ADIVTOR.
A. RATIONIBVS. PATRI. PIISSIMO.
FEC.

Altera est apud Manutium in Orthographia pag. 683 in hortis Carpens.

STRVCTVRA. CVM. MVNITVRA. SARCOPHAGI VETVRILICIS. P. P. SVIS. IMPENSIS FECIT. FELIX. AVG. LIB. ADIVTOR. A. RAT. QVI. SORTITVS. EST. IN. CONTVBERNIO. SVO. ARRIAM. QVÆ. FVIT. VXOR. EIVSDEM VET. FELICIS. LOCVS. CONCESSVS. T. AELIO. ASCLEDIODOTO.

Origo, vt puto, paulo antiquior est, quam putat Martianus supra proximè à me citatus, nam Augustus princeps depositurus Imperij administrationem *reddidit rationarium*, vt ait Suet. in eo cap.26. & stante republica, sumptus annui siue census ciuitatis, in foro posita hasta exigebantur à consule. Ouid. lib.4. de Ponto. eleg.5.

Aut populi censum positam componet ad hastam,
Et minui magnæ non sinet vrbis opes.

Denique priuatorum rationales rei domesticæ curam agebant, malè Ioannes Saresberiensis Policrat. sui lib.3. cap.12. cum *scriptariis* confundit, est enim toto cœlo diuersum vtriusque officium. rectius cum *dispensatore* confuderis. Suet. in Galba, capite 12. *dispensatori breuiarium rationum adferenti paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse.* Petron. pag. 22. C. POMPEIO. TRIMALCIONI. VIVIRO. AVGVSTALI. CINNAMVS. DISPENSATOR. & pagina sequenti. *dispensatorémque imprecario aureos numerantem deprecati sumus.* Isidorum in gloss. *arcarius dispensator* singulis noctibus isti domino seu patrisfamilias totius diei expensas offerebant considerandas. vetus scholiastes de Iuuenal. ad vers. 482. Satyr. 6. *ratiocinium diurnum accipit in transuersa charta scriptum.* ipse Satyricus.

Longi relegit transuersa diurni.

Vt igitur constaret rationes esse redditas, antequam cubitum iret dominus, rationibus à seruo sibi oblatis subscribebat computatis diligenter singulis & expunctis. L. Apul. lib. 2. Apolog. *neges eam rationibus villicorum, opilionum, & equisonum solertissime subscripsisse.* Quod vsq; adeo religiosè obseruatum, vt seruus, qui à rationibus domino fuisset, testamento ab eodem moriente manumissus, potuerit ab hærede in seruitute retineri, nisi subscriptione probatas rationes ostendere potuisset. Scæuola IC. l.40. ff. de statulib. *quæsitum est an si rationes quas egit per multos annos, sine subscriptione testatoris hæredi reddere paratus sit liber ex testamento fiat, cùm propter grauem valetudinem testator non potuerit rationibus subscribere, testamento tamen subscripserit, respondit si ex fide ratio redderetur, reliquáque inferantur, liberum fore.* Idem l.41. ff. de fideicommiss. libertatibus. *Post mortem testatoris tutores Cupito exactionem commiserunt, isque nummos redactos expensauit eisdem tutoribus, deinde filius impubes decessit, cui mater heres extitit, & tutorem tutelæ iudicio filio condemnatum habuit, Cupitus ad libertatem proclamat eo tempore, quo si viueret Martianus, annos sedecim habiturus esset, offerens rationes vnius anni in diem mortis testatoris, quod cæteræ subscriptæ fuerunt: quæsitum est, an eas quoque rationes, quas tutores periculo suo egerunt, Cupitus reddere compelli debeat, respondit eum de quo quæritur, conditioni rationis reddendæ ita videri paruisse, si omne ex eo quod gessit, & rectè desiderari possit reddiderit.*

Cænaculum pars ædium superior, in qua epulari consuetum. Donat. in Terent. Adelph. Act. 3. sc. 3. *veteres, ganeum meretricium tabernam esse dixerunt*, διὰ τὸ ὑπὸ γῆς, τουτέστι ὑπὸ γῆν, *quod ipsa sit in terra, non vt cænaculum, superius.* glossarium vetus, *cænaculum, superius.* Cuius significationis originem aperit M. Te-

rentius Varro li. 4. de ling. Lat. *vbi cubabant, cubiculum, vbi cænabant, cænaculum vocitabant,* & paucis interpositis, *vt etiam nunc Lanuuij apud ædem posteaquàm in superiori parte cœnitare cœperunt, superioris domus vniuersa, cænacula dicta.* frustra Isidor. libro 15. cap. 3. *à communione vescendi* nominis etymologiam deducit. & sunt in illo scriptore vt multa bona, ita nonnulla quæ reiicias. Strabo VValafridus libr. de reb. Ecclesiast. cap. 7. *potest enim fieri, vt ædes ad edendum in eis, sicut cænacula ad cænandum primo sint facta, & postea longo vsu in aliud verterentur* quem locum debeo eruditissimo Barnabæ Brissonio. M. Pollio Victruuius lib. 2. Archit. cap. 8. *in ea maiestate vrbis in infinita ciuium frequentia, innumerabiles habitationes opus fuit explicare, ergo cum recipere non posset area plana tantam multitudinem ad habitandum in vrbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipsa coegit deuenire, itaque pilis lapideis, structuris testaceis, parietibus cæmentinis & altitudines extructæ contignationibus crebris coaxatæ & cænaculorum summas vtilitates perficiunt, & despectationes.* vbi ego fateor non intelligere me quid sit, *altitudines coaxatæ*, velim ergo legi *coarctatæ*, aut *contextæ*. Q. Flor. Tertull. lib. aduersus Valentinianos ca. 7. *primus omnium Ennius poëta Romanus, cænacula maxima cœli simpliciter pronunciauit, elati situs nomine, vel quia Iouem epulantem illic legerat apud Homerum, etiam creatori nostro Enniana cænacula in ædicularum disposita sunt forma, aliis atque aliis pergulis superstructis, & vnicuique deo per totidē scalas distributis, quot hæreses fuerint.* D. Lucas Actor. Aposto. c. 20. ἔπεσεν ἀπὸ τοῦ τριστέγου, *cecidit è tertio cænaculo.* sic enim vetus bibliorum Interpres reddidit. M. Martial. lib. 1. epigr. 109.

At mea Vipsanas spectant cænacula laurus.

Q. Horat. lib. 1 Epist. 1.

——ride, mutat cænacula, lectos
Balnea, tonsores.

D. Iuuenal. Sat. 10. in limine.

Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors, rarus venit in cænacula miles.

Vetus marmor.

HVIVS. MONIMENTI. IVS. QVV. MACERIA. CLVSVM. EST. CVM. TABERNA. ET. CENACVLO. HERED. NON. SEQVITVR. NEQVE. INTRA. MACERIAM. HVMARI. QVENQVAM. LICET.

Scalis admotis ascendebatur. T. Liu. 4. Decad. lib. 9. *cænaculum super ædes datum ferentibus in publicum scalis obseratis.* Festus Pomp. libr. 3. *cænacula dicuntur, ad quæ scalis ascenditur.* L. Apul. lib. 9. Milesiar. *méque per scalas complicitis pedibus in superius cænaculum attraxit.* Sidon. Apollinar. Carm. 22. v. 207.

Alta volubilibus patet hinc cænatio valuis.

Et deinde paucis interiectis.

Vndosa inueniuns nantes cænacula pisces
Comminus erigitur vel prima, vel extima turris.

M. Martial. lib. 1. epig. 119. de incommodo habitationis suæ.

Longum est, si velis ad pyrum venire,
Et scalis habito tribus, sed altis,
Quod quæris propius petas licebit.

Idem lib. 7. epig. 19.

Hæc per ducentas cùm domum tulit scalas,
Sèque obserata clausit anxius cella,
Gulosus ille postero die vendit.

D. Iuuenal. Sat. 7. v. 118.

——Rumpe miser tensum iecur, vt tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.

Vetus scholiastes. *scalæ, stationum scilicet, ad instar gladiatoriæ victoriæ, scalas, armariola aduocatorum: vel vt quidam, casæ & stationes. Cicero in Corneliana, conrepsit, inquit, in scalas. armaria nam aduocatorum apud veteres scalas habebant.* quæ non esse vnius scriptoris certum est, vti nec multa alia, quæ in hoc opusculo, sed vel ab indocto librariolo, *addita ei argutiæ*, vt cum Cicerone 1. de leg. loquar, vel à sciolo insertæ. nam *scalas* cum interpretetur *stationes*, recte facit significans parta apud iudices causa clientem consueuisse patroni sui foribus coronam imponere, vt alibi in hoc opere dixi. quæ de aduocatorum armariis sequuntur, nugæ meræ. Incertus author carminis ad Pisonem, siue Ouidius sit, siue Lucanus, quod mihi non persuasum, alius enim ab vtroque sit oportet & humilioris fortunæ.

Licet exercere togatæ
Munera militiæ licet & sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub iudice bella mouere,
Hinc quoque seruati continget gloria ciuis,
Altaque victrices intexent limina palmæ.

Ad triclinium regredior, quod ornabatur tropheis gentilitiis, vt atrium imaginibus, bibliothecæ statuis. Petron. Satyrico pag. 22. *& quod præcipuè miratus sum, in postibus triclinij fasces erant cum securibus fixi, quorum imam partem quasi embolum nauis æneum finiebat.* in principio certe arma ista spoliáque hostibus adempta, non priuatorum ædibus adornandis suffigebantur, sed deorum fanis. Valer. libro 7. cap. 6. titul. 2. *opera M. Iunij dictatoris remp. administrantis spolia hostium affixa templis, deorum numini consecrata, instru-*

instrumenta militiæ futuræ conuellerentur. C. Plin. libro 35. cap. 1. *aliæ foris & circa limina animorum ingentium imagines erant affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret, triumphabántque etiam dominis mutatis ipsæ domus:* itaque etiam empta domo, manebant hæc ornamenta, neque nouo possessori fas erat illa refigere. M. Cato in oratione de spoliis apud Festum Pompeium lib. 16. in *resignare.* ne figerentur nisi de hō.......lacunam supplet Seruius Maurus ad v. 244. lib. 4. Æneid. *ne spolia figerentur, nisi de hoste capta sed tum vbi ij dimissi sunt, venerantur resignatis vectigalibus.* & de vtroque hoc ritu siue domibus priuatis, siue deorum templis affigendis manibus capiendi sunt passim poëtæ. Sil. Italic. lib. 1. Punicor.

In foribus sacris, primoque in limine templi
Captiui currus, belli decus, armaque rapta
Bellantum ducibus, fractæque in Marte secures,
Perfossi clypei, & seruantia tela cruorem
Claustraque portarum pendent.

Et lib. 10. eiusdem operis.

—— ite, occyus, arma
Diripite ô pubes, templis, vos atria raptim
Nudate, & clypeos in bella refigite captos.

A. Persius Sat 6. v. 45.

—— et iam postibus arma.

Valer. Flacc. lib. 1. Argonaut. in fine.

—— si quando pectore ductor
Vulnera nota gerens, galeis præfixa, rotisque
Cui domus.

Albinouanus in Consolat. ad Liuiam de morte Drusi Neronis, siue quilibet alius author.

Mœsta domus plangore sonat, cui figere læta
Parta sua dominus venerat arma manu.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 1.

Te bellare decet terra, Messala, marique
Vt domus hostiles præferat exuuias.

Sext. Propert. lib. 3. eleg. 8.

Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Censerem legendum, meliori, vt mihi videtur, sensu:

Atque ornare tuam fixa per arma domum.

Simili enim dictione vsus Lucanus Pharsal. lib. 6. v. 259.

Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis
Templa potes, non tu lætis vlulare triumphis
Infœlix.

Q. Horat. libr. 4. od. 15. eam consuetudinem Parthorum fuisse vult.

Et signa nostra restituit Ioui
Direpta Parthorum superbis
Postibus.

Stat. Papin. lib. 1. Achilleid. ad Græcos, more poëtico, consuetudinem Romanam traduxit. v. 424.

Nulla immunis humus, vellantur postibus altis
Arma olim dimissa patrum.

Idem lib. 3. Thebaid. v. 581.

Tanta in attonitos cecidit deus arma paternis
Postibus, & fixos superum ad penetralia currus
Vellere amor.

Et lib. 12. Thebaid. v. 701.

Pax inuenta perit, patriis modo fixa reuellunt
Arma deis, clypeisque obducunt pectora fractis.

Denique Ouid. li. 3. Trist. eleg. 1. non modo in more positum docet, priuatis, sed & principum ædibus, sic enim de palatio.

Singula dum miror, video fulgentibus armis
Conspicuos postes tectáque digna deo.

Id ipsum prisca republica inualuit. Claudian. de 4. Honorij consul.

Lustratæ lictore casæ, falcésque salignis
Postibus affixi, collectæ consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura colono.

Sic igitur triclinia sua, cænationésque ornabant vt maiorum virtute parta suspenderent trophæa, quo incitamento ea essent, ne maiorum gloriam desererent, & contemnerent posteri. erant insuper & libri adeo superfluo apparatu, & pompa nil profutura, vt verius bibliothecæ videri possent, quam cœnacula. qui mos inde defluxit, quod in conuiuiis aliquid semper legere aut recitare clientes, famulique consueuerant. L. Senec. lib. de Tranquil. animi c. 9. *sicut plerisque ignaris etiam seruilium literarum, libri non studiorum instrumenta, sed cænationum ornamenta sunt.* paulò post. *apud desidiosissimos ergo videbis quicquid orationum historiarúmque est, & tecto tenus extructa loculamentasiam enim inter balnearia & thermas, bibliotheca quoque, vt necessarium domus ornamentum expolitur.* lepidissimum est epigramma 50. apud Martialem libro 3. de tricliniari hac recitatione. quod vide, & Criticos, qui infinitis locis id probarunt.

Caput XXIX.

De partibus Cœnæ.

EXplicata accumbendi, ac discumbendi ratione mensam nunc instruemus. Qua in re eundem sequemur Iustum Lipsium, qui hanc materiam eruditè, & eleganter explicauit lib. 3. Antiquarum lectionum. Sic enim scribit: Cœnam antiqui in tres partes tribuerunt, siue placet dicere missus: Primum missum antecœnam siue gustationem, siue gustum dixerunt: secundum in quo præcipui & lautissimi cibi, propriè cœnam: tertium, in quo bellaria, mensam pomorum, siue mensas secundas. De Antecœna testis est Macrobius: de gustatione Petronius Arbiter: de gustu Martialis. Eadem cœnæ pars prandium ab Horatio dicta est, his versibus:

Æstatis peraget qui nigris prandia moris
Ille salubres finiet, &c.

Hoc enim dicere ibi Carius voluit, initio cœnæ ponenda mora esse, quod Galenus & Medici probant: non autem nihil sumendum præter mora. Vocarunt Antecœnam etiam Promulsidem, ideò videlicet, quòd daretur ante mulsum. Nam antiqui in conuiuiis non temerè primam sitim, nisi mulso sedabant. Quod ipsum principio cœnæ, vel confectum apponi moris fuit, vel eius loco separatum vinum, & mel, vt conuiua quisq; pro arbitrio id temperans, mulsum sibi conficeret. Hanc sequitur Cœna, cuius quod præcipuum ferculum erat, caput Cœnæ dicebatur. Cæterùm moris erat, vt est apud Athenæum, domino conuiuij simul ac decubuisset, schedam dari, quæ descripta ordine obsonia omnia haberet, vt iam tum sciri posset, quid primum, quid postremum coquus missurus esset. Extat apud Macrobium lib. 3. Saturnal. cap. 13. descriptio Cœnæ Metelli Pontificis, vnde quis veterum luxus fuerit, facilè intelligitur. Sic enim Macrobius, postquam ordine enumerasset eos, qui accubuissent, pergit: Cœna hæc fuit: Ante cœnam echinos, ostreas crudas, quantùm vellent, pelorydas, spondylos, turdum, asparagos, subtus gallinam altilem, pctinam ostrearum peloridum, balanos nigros, balanos albos. Iterum sphondylos, glycomaridas, vrticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprugnos, altilia ex farina inuoluta, murices & purpuras. In cœna, sumina, sinciput aprugnum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia assa, amylum, panes Picentes. Hactenus Macrobius. Cœnæ initium fuisse veteribus lactucam, oua, & lucanicas, vel ex Varrone & Cicerone epistolis ad Papirium Pætum manifestum. Verùm de plurimis veterum edulìis Macrob. lib. 3. cap. 13. 15. & sequentibus multa habet, quemadmodum etiam Plutarch. Plin. & ex recentioribus Cælius Rhodiginus antiquarum lectionum lib. 27. & 28. & alibi, atque Hieronymus Mercurialis in variis lectionibus.

Secundæ mensæ dicebantur mensæ pomorum, cùm scil. apponerentur bellaria, quo vocabulo omne genus secundæ mensæ significari, puta nuces, pira, poma, ficus, oleas, vuas, & alia de quibus, eorúmq; generibus multa habet Macrob. lib. Saturn. l. 3. cap. 18. 19. & 20. & docet Varro in Satyra Menippæa apud Agellium. Cæterùm cùm in tantum luxuria cresceret apud Romanos, vt ea modum non inuenirет, legum adnimaduersione opus fuit. Hinc igitur ortæ leges sumptuariæ, de quibus nos libr. 8. dicemus. Est & hoc silentio nequaquam prætereundum, moris apud antiquos fuisse in conuiuiis ante triclinia saltare & canere, qua de re videndus Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 14. Cælius Rhodiginus lib. 27. cap. 26. & alij passim. Veteres foris cœnitare, nec mensam omninò tollere, sed semper aliquid super ea relinquere consueuisse, Macrob. Plutarch. in Quæst. Rom. & Symposiacis, & alij tradunt.

Ad Cap. XXIX.

PARALIPOMENA.

Luxus, partes cænæ, illata, diribitores, carpus, Tapulla, sortitio in conuiuiis, symphonia post mensas, hydraula, thymelici, principes eo studio delectati, pueri loquaces, puellæ lubricis motibus introductæ.

QVæ deinceps sequuntur, intelligenda sunt non de prisca illa frugalique Roma, quæ sæpius pulte, quam pane victitabat, vt Valerii verba vsurpem lib. 2. cap. 1. sed de luxuriante & deliciis perdita, neque etiam de iis temporibus, quibus duo tantummodo missus erant, vnus *carnium*, siue *epularum*, alter *pomorum*, ficuum, aliarúmq; similium rerum, vt Seruio Mauro proditum ad lib. 1. Æneid. eo versu.

Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.

Et

Et illud lib. 8. Æneid.

Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt.

Sed de immodico, & fidem omnem excedente luxu, qui post Asiam domitam in vrbem inuectus, vsque ad lapsam reip. maiestatem inualuit, vsque adeo vt ingeniosi in gulam & belluationem principes, in id vnicum incubuerint studium, vt nouum aliquod conuiuandi, deliciarúmque genus excogitarent, vnde nonnulli apros integros conuiuantibus apponebant. vetus scholiastes D. Iuuenal. ad vers. 140. Sat. 1. *apud antiquos munificentia videbatur apparatior, si in conuiuio aper integer fuisset exhibitus.* Alii non contenti naturalibus cibis, in vna paropside, varias rerum species confundere gaudebant: ferculum quippe Ælij Veri Augusti, scribente Aelio Spartiano, erat *tetrapharmacum*, vel *pentapharmacum*, scilicet *sumen, phasianus, pauo, crustulana apruna*. Nec deerant, qui tot in mensa stationes facerent, quot literæ essent, vt ea ratione infinitus ferculorum numerus esset, quod commentum Getæ Seueri principis filii. idem Spartian. in eo *habebat etiam & istam consuetudinem, vt conuiuia & maxime prandia, per singulas literas iuberet disponi, scientibus seruis*, (Iuuenal. Sat. 7. vers. 148. *qui fercula docte componit*) *velut in quo erat anas, anser, aprunа, item pullus, perdix, pauus porcellus, piscis, perna, & quæ in eam literam genera edulium caderent, & item fasianus, farta ficus & talia.* quo trahit illud Iuuenalis Sat. 11. sub principium, Ioannes Britannicus.

Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus.

Sed quam bene, viderit lector, nam in Geta inuentum primum atque excogitatum vult historicus. ille in tempora Domitiani reiicit. ego putem Satyricum, de cibis ex omnibus naturæ elementis conquisitis, paratisque intelligendum, scilicet aqua, terra, mari. M. Lucan. lib. 10. Pharsaliæ. vers. 156.

Infudere epulas auro, quod terra, quod aer,
Quod pelagus, Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens, toto quæsiuit in orbe.
Non mandante fame, multas volucrésque ferásque
Ægypti posuere deos.

Ouid. lib. 8. fab. 11. Metamorphos.

Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educit aër
[illegible]
Poscit, & appositis queritur ieiunia mensis.

Et alius nescio quis poeta.

Et quæsitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames.

Denique reperio qui in vicinia paratos cibos fastidirent, è longinquo aduectos impense probarent C. Sueton. in Vitellio cap. 13. *famosissima super cæteras fuit ei cœna data aduentitia à fratre, in qua duo millia piscium lectissimorum, septem auium apposita traduntur. hanc quoque exuperauit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem clypeum Mineruæ, αἰγίδα πολιούχου dictitabat, in hac scarorum iecinora, fasianorum, & pauonum cerebella, linguas phænicopterum murenarum lactes Carpathio vsque fretoque Hispaniæ per nauarchos, ac triremes petitarum commiscuit.* an non perdita Apicij lasciuia? qui *Traiano apud Parthos agenti, multorumque dierum itinere à mari distanti, ostrea recentia solerter asseruata, misit.* Suid. in voce ὄστρεα Latin. Pacatus in panegyrico Theodosio dicto. *horum gulæ angustus erat noster orbis, namque appositas dapes non sapore sed sumptus illis demum cibis acquiescebant, quos extremus oriens aut propositum extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos inuitæ quodammodo deluctantique naturæ hominum pericla rapuissent: vt taceam infami sæpe delectu scriptos in prouinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse conuiuiis.* Locus Librarij inscitia mutilatus addito aliquo vocabulo restitui potest & suppleri, *appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimabant*, vel *probabant*, vel *indicabant*. Duplex huius insaniendi gulæ ratio, vel quia difficile inuenire cibos eiusmodi, vel quia vilescebat, quod obuium & expeditum foret, & animus errore lentus iniuriam diligens, vt cum Arbitro loquar, pretio immodico gauderet. L. Sen. consolat. ad Heluiam capite nono *vltra Phasin capi volunt, quod ambitiosam instruat culinam, nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repetijmus, aues petere. vndique conuehunt, omnia nota fastidienti gulæ, quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab vltimo portatur Oceano, vomunt, vt edant, edunt, vt vomant, & epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* deinde paucis interpositis. *ô miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur, pretiosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas, & difficultas parandi facit.* tum totam de vesania suæ ætatis querelam clausurus, *passim iacent alimenta, quæ rerum Natura omnibus locis disposuit, sed hæc velut cæci transeunt, & omnes ragiones peruagantur, maria traiiciunt, cum famem exiguo possint sedare, magno irritant.* simile cultissimum illud Petronij epi-

gramma.Satyric.pag.46.

Ales Phasiacis petita Colchis
Atque Afra volucres placent palato,
Quod non sunt faciles; at albus anser
Et pictis anas enouata pennis
Plebeium sapit, vitimis ab oris
Attractus scarus; atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur
Mullus iam grauis est, amica vincit
Vxorem, rosa cinnamum veretur:
Quicquid quæritur optimum videtur.

Adi ad Ælium Lampridium in Heliogabalo. Varro in Eumenidibus apud Nonium, cap.15. Num.6.

Patella esurienti posita, prouocat
Neapolitanas piscinas.

M.Manil.lib.4.Astronomic.

—in luxum iam ventri longius itur
Quam modo militia. Numidarum pascimur oris,
Phasidos & damnis.

Locus elegantia incomparabili, Claudiani adscribam, lib.2.in Eutropium.

Ad sua tecta vocat iuuenes, venere preterui,
Lasciuique senes, quibus est insignis edendi
Gloria, corruptásque dapes variasse decorum,
Qui ventrem inuitant pretio, traduntque palato
Sidereas Iunonis aues: & si qua loquendi
Gnara, coloratis viridis defertur ab Indis
Quæsitus trans regna cibus; quorumque profundam
Ingluuiem; non Ægeus, non alta Propontis,
Non mare longinquis Mæotida piscibus explent.

Quod autem *insignem edendi gloriam* in vituperio posuit, non caret egregio Antiquitatis sensu, nam *edaces* olim *asinos* appellabant, vt abiectissimi animalis nomen indignissimis hominibus imponeretur. quare Erysichthon ille voracitatis portentosæ κάνθων dicitur Æliano li.1.var.histor.ca.27.Iustus Vulteius Interpres, reddit, *asinus*, & ante illum Li.Gyral.de poet histor.dialogo 9.hinc prouerbium apud Aristotelem lib.3. Moralium. ὄνος πεινῶν ῥοπάλου ἀμελεῖ. *asinus famelicus fustem contemnit.* deducunt quidem istud ex verbis Philosop. ἐπεὶ οὕτω γε καὶ οἱ ὄνοι ἀνδρεῖοι ἂν εἶεν πεινῶντες· τυπτόμενοι γὰρ οὐκ ἀφίστανται τῆς νομῆς. *nam & isto pacto, & asini cum esuriunt essent fortes, quod licet verberentur, non discedunt tamen à pabulo.* Homer.lib.11.Iliad.vers.558.

—ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας
νωθής, ᾧ δὴ πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγῃ,
κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες
τύπτουσι ῥοπάλοισι, βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν,
σπουδῇ τ' ἐξήλασαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς.

Asinus in terram profectus vim intulit pueris
Piger, circa quem iam multi fustes fracti sunt,
Depascitque ingressus altam segetem, pueri autem
Verberant baculis, vis autem infirma ipsorum est,
Vixque expulerunt, postquam satur est pabulo.

Sext.Propert.lib.4.eleg.3.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Æternumque tuam pascat aselle famem.

Scio aliam istius loci adferri explicationem, nec improbabilem, quam pete ex Plutarcho lib.de Tranquillit. animi ad finem, Aristotele libro 9.histor. Animal.cap.18. Plinio libro 35.cap.11. Politiano Miscellaneor.cap.81.Turnebo libro octauo,cap.1.& aliis,quos non exscribo

Erysichthonem hunc,(quem ab enormi edacitate extulit Agathias Scholasticus, libro secundo Anthol.cap.31. Palæfat.lib.de fabulos.narrationib.cap.24.de Metra) Hellanicus referente Athenæo lib. 10. ca. 1. vocat βοῦν αἴθωνα, *voracitatis athonem*, sic enim legit Desiderius Erasmus Chiliad. 4. Cent.4.adag.39. quam lectionem admisit etiam Hadrianus Iunius Cent.7.adagio 75.licet idem alibi recedat ab ea sententia, putetque legendum αἴθυια *mergum*. αἴθυια quippe communiter significat mergum, Tretzes in Lycophronem. eius autem auis notissima est gulositas. Iul. Pollux,lib.6.cap.8. ἀκόρεστος, *qui satiari nequit*, expressit egregius id poëta Oppianus Cilix Halieutic.lib.2.vers.206.

—ὁ γὰρ ἰδωδῆς
οὐ κορέσαι μέγαρ οἱ θέλει, ἀλλ' ἀπέλεστον
λύσσαν ἀεὶ βάλλεται ἀναιδὴς γαστρὶ φυλάσσει,
οὐδὲ ποτ' αὖ λήγει ἐδωδῆς ἐγγὺς ἰούσης.

Neque enim cibi aut saturitatem, aut vllum modum nouit, sed inexpletam rabiem semper voracem impudenti ventri seruat, neque vnquam desinerit esca præsente.

Ad immensas illas conuiuiorum impensas reuertor. L.Sen.libr.4. Nat.quæstion.cap.vlt. *stomachus ille solutus, & æstu suo languidus, quærit aliquid quo erigatur.* Idem lib.de Prouid.cap. 3. *fælicior esses, si in ventrem suum longinqui littoris pisces, & peregrina aucupia congereres? si conchyliis superi atque inferi maris, pigritiam stomachi nauseantis erigeres?* C.Petron.in bellorum Ciuil. descrip.

Ingeniosa gula est, Libyco scarus æquore mersus

Ad mensam viuus perducitur, inde Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia cænas,
Vt renouent per damna famem, iam Phasides vnda
Orbata est auibus, mutóque in litore tantum
Sola desertis aspirant frondibus auræ.

Ferculum recepto vocabulo vocabantur epulæ illatæ: Græci ἐπιτραπέζωμα huiusmodi fercula mensæ imposita vocabant. Plato in Menelao apud Athenæum lib.4.cap.23 idem ille L.Sen.lib.de breuit.vitæ cap.25.*in alienum imponar ferculum, exornaturus victoris superbi ac feri pompam.* Sueton. Cæsare *inter pompæ fercula.* D. Ambros. lib. 1. de officiis. *quasi quædam fercula pomparum.* poetæ. Sen. Tragædus Hercule Oetæo Act.1.in Choro.

Nec captiua dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum.

Iuuenalis Sat.1.vers.64.

—Quis fercula septem
Secreto cœnauit auus?

Epulæ in conuiuium illatæ seu fercula hæc diuidebantur in æquales partes, vt vnicuique conuiuæ ex æquo portio tribueretur, quam illi vel seruo donare vel domum suam mittere poterant. Sueton.in Galba cap.2. Homer. lib.16.Odyss.apud Fuluium Vrsinum. Plaut. in Persa Sc.*veterem.*

Nunc hunc introibo, visum hesternas reliquias
Quieuerint recte, necne?

Et in Curculione idem Sc.*beatus.*

Et quidem reliqui in ventre cellæ vni locum,
Vbi reliquiarum reliquias reconderem.

Curtius ille eques Romanus adhibitus in cœnam ab Augusto, vt scripsit Macrobius lib.2. Saturn.cap.4.*rogauit num macrum turdum mittere liceret? & cum respondisset princeps quidni liceret? statim per fenestram misit.* Martialis lib.7.epigr.19.eleganter in gulosо Sanctra eum expressit ritum.& lib.3.epigr.23.

Omnia cum retro pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

Referre itaque moris erat domum, ad vxores suas, has partes, Petron. pag. 49. *dum hæc fabula inter amantes luditur, diuersitor cum parte cænulæ interuenit.* Alciphron festiuè de mulieris dolo apud Aristænetum libro 1. epist. 5. ὅμως δ' αὖ ταύτην λάθρᾳ ἐμοὶ καὶ βραχία τῆς ἑστιάσεως ἀποδῶσεις αὐτόν ἰξεύματισθαι καὶ τὸν τοῦ αὐτοῦ χάριν ἐμοῦ διασχῶ ... *si tamen vestem illam, & paucul as è conuiuio partes clanculum ad me miseris, ludos faciam hominem, animumque eius sequiora de me agitantem, alio auertam.* Et deinde lena cum veste remissa, in Epistola eadem, μεταλαβε δὲ καὶ σὺ τῶν παρατεθέντων ἡμῖν, *sume & tu de his quæ apposita nobis.* Interdum & partes hæ à seruis, aliquando à Tapulla seu conuiuij magistro, vt iam paulo infra sum dicturus, distribuebantur, nonnunquam denique & à coquis. Claudia. lib.2.in Eutrop.

Quas sigat versibus partes, qu æ frustra calenti
Mandet aquæ.

Communius tamen erat, vt edocti famuli inspectantibus conuiuis diuiderent. L. Sen Epistol.47. *cum ad cœnandum discubuimus, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum (analecta) subditus colligit, alius pretiosas aues scindit, pectus & clunes, ceteris ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excutit.* mendum suspicor subesse, itaque lege, *certis ductibus circumferens eruditam manum,* nam certi ductus, sunt artificiosi. Isti serui appellabantur *structores, scissores, diribitores, & chironomantæ,* vt patebit ex locis à me proxime citandis, & viri docti obseruarunt ad Petronium: & Ioannes Sauaro ad Sidonium suum lib. 4.epist. 7. *ac si inter Apicios epulones, & Byzantinos chironomantes hucusque ructaueris.* Iul. Capitolin.in Vero. *donatos etiam structores, & lances singulas.* Petronius in Trimalcionis conuiuio Satyrici sui pag.27.*repositorium enim rotundum, duodecim habebat signa in orbe disposita, superque proprium conuenientemque materiæ structor imposuerat cibum.* Ioan.Saresberiensis Polycratici lib.1.cap.4.*ad hæc carnificium eorum artem exigis, & artem facit, suum habet opificem.* citat deinde Iuuenalem, infra adducendum τραπεζοποιὸς Athenæo lib. 4. cap. 23. *mensarum structor* memoratur, & à Iuba in similitudinibus τραπεζοκόμος *mensarum adornator,* idem censetur esse, Philemon in Irrepente. videatur Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagog. l.4.vetus Scholiast. Iuuenal. Sat.5 vers.121. chironomanta, *manus ducentem, & artificio incidentem omnia.* ipse poeta.

Structorem interea, ne qua indignatio desit
Saltantem spectes, & chironomanta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia, nec minimo sane discrimine refert
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Martial.lib.10.epigr.48.

Et quæ non egeant ferro structoris Ofellæ.
Et faba fabrorum prototomique rudes.

Quem versum exposuit Cornarius in Commentar.in Galen.de Composit.medicamentor.

Tractū illud nomen à scænica consuetudi-

ne, nam Græcis dicuntur & χειρόσοφοι, quasi *manibus omnia effingerent.* certum sanè est præcipuam iis artem in manuum artificioso motu, licet & pedum, totiúsque corporis adminiculo ad omnia exprimenda vterentur, id fiebat ita, vt repræsentarent notam quandam ac nobilem, in quod scriptum esset canticum à poeta: ita enim Latini propriè, quod Græcis ὑπόθεσιν: eam personam primum veste ipsa referebant, vt in Velleio lib.2. *Plancus cum cæruleatus, & nudus, capútque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus, Glaucum saltasset in conuiuio.* scilicet vestitu effico in numen maris, deinde saltantes ad numerum, manibus, pedibus, eorúmque ac totius corporis contractione aut extensione, singulos versus, singula verba cantici referebant. Macrobij ea de re caput integrum, dignissimum lectu, vbi de Bathylli & Pyladis altercatione, adi ad lib. 2. Saturnal. cap. 7. hæc suprà à me discussa, adde Artemidorum lib. 2. cap. 78. & Leontius scholiasticus epigr. 1. cap. 15. lib. 4. Anthologia, & Antipater eodem capite epigr. 8. Iuuenal. Satyr. 6.

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo.

Hæc pene Iosias Mercerus ad Aristænetum lib. 1. Epist. 26. qui frustra partum legitimum exponit.

Idem & *Carpus* siue *carptor.* Petron. pag. 26. *ingerebat nihilominus Trimalcio, lentissima voce, carpe. ego suspicatus ad aliquam vrbanitatem pertinere vocem toties iteratam, non erubui eum qui supra me accubuerat, hoc ipsum interrogare, at ille, qui sæpe eiusmodi ludos spectauerat: vides, inquit, illum qui obsonium carpit, Carpus vocatur. itaque quotiescunque dicit, carpe, eodem verbo & vocat, & imperat.* vet. scholiast. Iuuenal. Sat. 9. ver 110 *carptores, infertores, qui illata carpunt,* dixerat enim Iuuenalis.

Finxerunt pariter librarius, archimagiri, Carptores. Ouid. lib. 2. de Arte Amandi, inter alia præcepta.

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi.
Ora nec immunda perline tota manu.

Magistrum obsonij appellat idem Seneca lib. de vita beata cap. 17. *quare ars est apud te ministrare, nec temere & vt libet, collocatur argentum. sed perite seruitur, & est aliquis scindendi obsonij magister.* Quem locum mire vexant Critici, Muretus, *seruatur.* M.S. *seruitur,* Ciacconus *striatur.* Lipsius. *struitur,* vel ex eodem Seneca probabili coniectura, lib. de breuit. vitæ cap. 12. *quam sollicite argentum ordinetur.*

Diribitores audiunt apud L. Apuleium lib. 2. Milesiar. *quicquid fieri non potest, ibi est, diribitores plusculi, splendide amicti, fercula copiosa.* vide cætera quæ in lautissimo conuiuij Byrrhenæ apparatu ibi habentur.

Carpebatur autem cibus ad musicos concentus, quippe quoties noua fercula inferebantur, toties hydraulica insonabant instrumenta, notatum à Iusto Lipsio lib. 2. Saturnal. cap. 2. & ex Luciano in Epistolis Saturnalitiis liquet, locum posuit Coluius elegantiæ ac limitati iudicij Criticus, suis in Apuleium Notis. adde Petronium in eodem Conuiuio Trimalcionis pagina 28. *Processit statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus lacerauit obsonium, vt putares Darium hydraule cantante pugnare.* Insanus mehercule, & superuacaneus luxus, & nescio an à Petronio confictum, vt Neronem vitiis suis, & helluationibus inuisum redderet apud posteros.

Partes sic dissectæ distribuebantur sorte, ne iniuria alicui fieret conuiuæ qua re in his omnibus.

Mercurij sors, pars illa carnium in conuiuio vocabatur, quæ prima illi deo consecrata seponebatur. Iul. Pollux. lib. 6. cap. 9. §. 5. testimonium luculentissimum est apud Plutarchum in Catone Vticensi, qui, *& si prima carnium diuisarum pars eius sorte non fuisset, amicis vt eam tamen caperet, hortantibus, habere se illam inuita Venere dicebat.* Neque modo epulæ a diribitoribus sorte distribuebantur, sed & magister conuiuantium sic eligebatur. idem ille Plutarchus in Apophthegmat. Laconic. *cum Agesilaus rex sorte factus fuisset, à pincerna rogatus, quantum vini vnicuique daret: si parum est inquit, vini, omnibus æqualiter, si abunde, quantum vnicuique libet.* C. Tacit. lib. 13 Annal. *festis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra, regnum lusu sortientium.* vide quæ supra hoc libro cap. 2. dixi. de *alea*. Horat. libro primo, od. 4.

—Quo simul mearis
Nec regna vini sortiere taliis.

Et lib. 2. od. 7.

Obliuioso læuia Massico
Ciboria exple funde capacibus
Vnguenta de conchis. quis vdo
Deproperare apio coronas
Curátve myrto quem Venus arbitrum
Dicet bibendi?

Qui sic fuissent electi magistri vocabantur Plato lib. 1. & 2. legum, scribente A. Gellio lib. 15. cap. 2. *non vt ille nebulo opinabatur, ebrietatem ipsam turpissimam, quæ labefacere & minuere hominum mentes solet, laudauit, sed hanc largiore*

gloriam paulo, incendioremque vini inuitationem, quæ fieret sub quibusdam quasi arbitris & magistris conuiniorum sobriis non improbauit. itaque penes eos erat cura epulandi modum constituere, cyathos ebibendos præscribere, vnde *Symposiarchus* appellatur à Plutarcho lib. 1. Symposiac. cap. 4. *οἰνάρχης*, Eupolides, referente Athenæo lib. 10. aut *modiperator*, Nonius Marcellus cap. 2. Num. 565. interpretatur, quasi *modum imperantem*. M. Varro rerum humanarum lib. 20. *in conuiuiis, qui sunt instituti putandi modiperatores magistri.* Corruptus indubie locus, restitui potest, facili correctione. *In conuiuiis qui sunt instituti potandi modiperatores magistri*, recte *potandi magistri*, quia potum pincerna nulli conuiuæ subministrabat, nisi ex præscripto magistri conuiuij siue symposiarchi, vt liquet ex dicto Agesilai regis apud Plutarchum paulo ante adductum.

Tapullam etiam voluerunt dici, quod scilicet *tapulo* seu mensæ præsideret, veteres enim tapulum, vt tempulum, templum, simpulum, simplum & sexcenta dicebant huiusmodi. Fest. Pompeius li. 18. *Tapullam legem conuiualem ficto nomine conscripsit iocoso carmine Valerius Valentinus, cuius meminit Lucilius hoc modo.*

Tapullam ridens legem contere opimi.

Locum eum Ioannes Meursius Criticarum exercitationum parte secunda cap. 2. aliter censuit legendum, nempe, *tapuleiam legem conuiualem*: deinde versum Lucilij transcribere voluerit nonnulli.

Tapullam ridens legem concere opimi.

Aut alij paruo discrimine.

Tapullam ridens legem congere opimi.

Interim dum structores suis fungebantur muneribus, organa, tibiæ, variaque alia insonabant instrumenta, præcipua tamen memorantur *hydraulica*. Petronius supra hic citatus, *cantante hydraule Darium pugnare.* mentio apud C. Suetonium in Nerone c. 41. *ac ne tunc quidem aut senatu, aut populo coram appellato, quosdam è primoribus vrbis domum euocauit, transactaque raptim consultatione, reliquam di i partem, per organa hydraulica, noui & ignoti generis circumduxit*, frequentissimus hydraulicorum horum vsus in conuiniis quare laus illa non vulgaris Theodorici Gothorum regis, quod, dum epularetur, *organa hydraulica non sonarent*, vt loquitur Sidonius Apollin. lib. 1. epist. 2. Ammianus Marcellinus luxum taxauit lib. 14. *pro philosopho cantor, & in locum oratoris artium doctor ludicrarum acciitur, & bibliothecis sepulchrorum ritu clausis in perpetuum, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæque & histrionici gestus instrumenta non leuia.* aqua impellente edi hunc concentum & nominis ipsius etymologia, & ratio Physica, & scriptorum testimonia confirmare possunt. Aurel. Cassiodor. lib. 1. Epist. 45. *facit aquas ex imo surgentes præcipites cadere, ignem ponderibus currere, organa extraneis vocibus insonare, & peregrinis flatibus calamos complet, vt musica possint arte cantare.* Idem lib. 3. epist. 53. *huic tamen mechanicus omnino adiungendus est, vt vndas quas iste reperit, illa leuet, & arte subire faciat, quod ascendere non præualet per naturam.* Isidor. lib. 8. cap. vlt. *ipsas autem dicunt & Musas, quas & nymphas, nec immerito, nam aquæ motus musicam efficit.* Seruius Honoratus ad lib. 7. Æneid. in limine eo versu.

Neptunus ventis impleuit vela secundis.

Physice, inquit, *loquutus est, motu enim aquæ ventus creatur, vt videmus in bombis organorum.* Achill. Stat. de Clitophontis & Leucippes amoribus allusit lib. 2. ἐὰν δὲ ἀκοῦσαι θέλῃς τοῦ ὕδατος λαλοῦντος μικρὸν ἀναμείνας ἐκπετάσας τὰ ὦτα· γὰρ ὀλίγος ἄνεμος εἰς τὰς δίνας ἐμπεσὼν, τὸ μὲν ὕδωρ ὡς χορδὴ κρούεται, τὸ δὲ πνεῦμα τοῦ ὕδατος πλῆκτρον γίνεται, τὸ ῥεῦμα δὲ ὡς κιθάρα λαλεῖ. *si vero paulo attentius auscultes, aquam resonantem audias, vbi enim vel modicus ventus vortices impulerit, aqua fidis in morem sonum edit, plectri siquidem ventus, citharæ vero aqua vsum præstat.* pulchre certe, & Philosophicis conformiter institutis: atque vtinam ab impurissima illa spurcitie, limatissimus scriptor abstinuisset aut eius in castitate sermonis, quem imitari volebat, Heliodori, aliqua saltem ex parte expressisset puritatem, neminem eo sæculo illi ego præferrem: sed apage immundas illas fœditates, ad quas videtur se ex industria incubuisse. Eandem istius rei rationem habes, lector, in poemate de Ætna, siue Virgilij sit, siue Cornelij Seueri, aut cuiuslibet alterius scriptoris.

Nam veluti resonante diu Tritone canoro
Pellit opes collectas aquæ victusque mouere
Spiritus & longas emugit buccina voces,
Quæ tenuem impellens animam, subremigat vndam.

Martian. Capella de nuptiis Mercurij & Philologiæ lib. 2. non multum à principio. *ecce autem ante fores quidam dulcis sonus multifidis suauitatibus suscitatur, quem Musarum conuenientium chorus impendens nuptialibus sacramentis modulationis doctæ tinnitibus concinebat, nam nec tibiarum mela, nec ex fidibus sonus, nec hydraularum harmonicum deerat plenitudo, sed in blandum collata cantum, ac modificato fine compactum voci virginum complementi spatium vatum fecere silentium, at tunc ille omnis chorus canoris vocibus, dulcique modulatu præteriit omnes organicas suauitates, &*

cum sacræ numeris cantilenæ hæc dicta funduntur. Carus & Carinus Augg. l. 4. de excusationibus muner. lib. 10 *hydraulæ munerum ciuilium immunitatem sibi iure concessam approbare minimè possunt.* hydraulæ sunt eo loci, artifices hydraulicorum, aut qui iis vtuntur. Sed vilia omnia præ aureis Cl. Claudiani mei versibus, quibus ne Musæ ipsæ suauiores addiderint, aut effinxerint, vt mihi non tam mirandum hydraulicorum organorum artificium, aut stupendum videatur, quam illi admiratione digni, quo magis dolendum inhæsisse mendum. sunt autem in Consulatu Manlij Theodori ad finem.

Et qui magna leui detrudens murmura tactu
Innumeras voces segetis moderatur ahenæ
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat vndas.

Rectissime, in MS. meo codice.

Innumeras voces segetis moderator ahenæ
Intonat erranti digito, pedibusque trabali
Vecte, laborantes in carmine concitat vndas.

Nam pulsabantur, vt apparet, isthæc organa pedum manuumque agili ministerio, & artificium quidem abunde persequutus est M. Victruuius lib. 10 de Inuentore Controuersia est. Musices certe hanc partem, vt reliquas, Euterpen inuenisse vult Martianus Capella lib. 9. sic enim *pastoralibus fistulis vel cantus auium, vel arborum crepitus, vel susurros fluminum imitantibus non negaui. Spadas, chordacistas sambucos, hydraulas, per totum orbem ad commodum humanæ vtilitatis inueni.* sed hæc ille, vt multa alia in eo opere non ineleganti poetica licentia confinxit. Magis ad historicam veritatem Q. Flor. Tertullian. lib. de Anima. *portentosissimum Archimedis inuentum* vocat. sed Victruuius paulo secus lib. 9. Architectonic. ca. vlt. *Ergo Ctesibius, cum animaduertisset ex tactu cæli, & expressionibus spiritus vocésque nasci, his principiis vsus hydraulicas machinas primus instituit.* hoc ipsum docuit Alcides apud Athenæum lib. 4. c. 24. additque Ctesibium & Alexandrinum & tonsorem fuisse, quibus nisi credendum sit, tertius accedat testis C. Plinius lib. 7. cap. 37. ad quem locum multa erudite Dalechampius quem non exscribo.

Ad musicam conuiualem redeo. M. Cato in originibus suis, & ex illo Cicero libro 4. Tuscul. quæst. *grauissimus author in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, vt deinceps qui accubarent, canerent ad tibias clarorum virorum laudes, atque virtutes*, eadémque repetuntur in Bruto. Arnob. lib. 4. *scribuntur dij vesci in triclinijs cælestibus, atque in Chalcidicis aureis cænitare, potare, & ad vltimum fidibus & vocum modulatione mulceri.* Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædag. cap. 4. Lucian. in Chrysolone. Quintilian. lib. 1. Instit. Oratoriarum cap. 14. *veterum quoque Romanorum epulis, fides ac tibias adhibere mos erat.* id ergo fiebat in principio nascentis reipublicæ, imo & temporibus heroicis, *in hortamen virtutis*, vt loquar cum Cælio Rhodigin. lib. 7. Antiquar. lect. ca. 1. quod recte an secius factum ex Platone & Xenophonte disquirit Antonius Muretus variar. lection. lib. 6. cap. 15. Certe abusum eius moris perstrinxit L. Sen. lib. de Vita beata cap. 11. *aspice Nomentanum, ac Apicium, terrarum & maris (vt isti vocant) bona conquirentes, & semper mensam recognoscentes, omnium gentium animalia. vides hos eosdem à lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum oblectantes.* Cúmque in initio tantum virtus quæreretur, cæpere omnia luxu occupante, iam victa Asias, delitias ex musico illo concentu ambire. T. Liu. 3 Decad. li. 9. *tunc psalteria, sambucistriæque, & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis.* Ammia. Marcel. lib. 10. *cumque apponerentur exquisitæ cupediæ & ædes ampla neruorum articulatu perflatuque sonitu resultarent.* S. I. Italic. lib. 6. Punicor.

Cui nocturnus honos, funalia clara, sacerque
Post epulas tibicen adest.

Eique pene coæuus, certe paulo ante Horat. lib. 3. od. 2.

Tuque testudo resonare septem
Callida neruis
Diuitum mensis & amica templis.

Et diu ante ea sæcula, in conuiuio Didonis Virg. lib. 1. Æneid. in fine.

—cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas

Sed & prisco heroum æuo id receptum, nam apud Homerum Demodocus in Phæacum conuiuio cantat Græcorum è Troia reditum. vide lib. 8. Odyss. vers. 498.

—ὁ δ᾽ ὁρμηθεὶς θεοῦ ἤρχετο, φαῖνε δ᾽ ἀοιδήν
Ille concitatus à deo capit, approbauitque cantionem.

Atque etiam ante expeditionem Troianam id factitatum, nam in Argonautica profectione Valerius Flaccus Balbus lib. 1.

Vinaque & æquoreos inter cum coniuge diuos
Æneis

Aeacides, pulsatque chelyn post pocula Chiron.

Et lib. 3. Argonaut. idem.

Hinc Halin, hinc rigido transcurrens demetit ense
Prothin, & insignem cithara, cantúque fluenti
Dorcea qui dulci festis assistere mensis
Pectine, Bistoniæ magnum post ausus alumnum.

At enim ne solos aduocem poëtas, Philippus Macedo *inter cænandum reprehendit cantorē, at ille ne tantum mali tibi ô rex eueniat, vt ista melius me scias,* Plutarch. in libro de discrimine adulatoris & amici, & in apophthegm. & lib. 1. de fortuna Alexandri. duplex itaque musica hæc, vna vocis, altera instrumentorum: dictique artifices thymelici. male nonnulli eorum significationem coarctant vt ad eos tantum referant, qui *epithalamicos cantus ad musica instrumenta canunt.* Balamon. ad Can. 46. & can. 13. Concilij Carthag. maximè cum in orchestra præcipuum ab iis munus exerceatur. Budæus in Annotat. ad Pandectas priores obseruat. Artemidor. libro 2. cap. 42 Ἀφροδίτη ἡ μὲν πάνδημος ἀγύρταις, καὶ καπήλοις, ζυγισταῖς, καὶ θυμελικοῖς, καὶ σκηνικοῖς πᾶσι ἀγαθή. *Venus popularis, circuitoribus, cauponibus & libripendiis, & thymelicis, & scenicis omnibus bona.* ratio nominis inde quod θυμέλη *pulpitum* sit. Isidor. lib. 16. cap. 47. licet sint qui à famosissima illa mima Thymele putant eos nominatos, cuius meminit Iuuenalis Sat. 1. & vetus eiusdem scholiastes.

——*Et à trepido Thymele, submissa Latino.*

Et Sat. 6. idem. vers. 66,

Attendit Thymele: Thymele tunc rustica discit.

Martial. lib. 8. epig. 5.

Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum
Illa fronte precor carmina nostra legas.

Sed potior Isidori sententia, nam in pulpitis Lyristæ, choraules, tibicines organarij, aliíque artifices, siue scenarum, siue domesticarum oblectationum sedere consueuerant, atque inde audiri. Vitru. li. 5. Architect. ca. 8. & est mentio l. 10. ff. de pollicitat. & l. 5. C. Theodos. de scenicis, & l. 21. de pistoribus, Codice eodem.

Atque isti quidem laude digni olim censebantur, legitimásque artes exercentes. Iul. Firmicus Maternus libro quarto Matheseon. cap. 15. *dabit artes honestas, & mundas, facit enim aurifices, inauratores, bracteatores, argentarios, musicos, organarios, pictores.* Vlpian. ICt. l. 4. ff. de his qui not. infamia. *neque Thimilici, neque exystici, neque agitatores, nec qui aquam equis spargunt, cæteraque eorum ministeria, qui certaminibus sacris deseruiunt, ignominiosi habeantur.* corrige textum luculentum: *Thymelici neque Xystici,* quamuis & *polupósus,* pro *polyposus,* dicant ICti, & *Sulla,* pro *Sylla,* Græca consuetudo, Lucan. l. 1. vers. 581.

——*Tristia Sullani cecinere oracula vates.*

Petron. Satyrico.

——*Sullanus bibit ensis.*

Vetus lapis.

L. CORNELIO. L. F. SVLLÆ. FELICI DICTATORI.

Iam verò Xysticos quis dubitat legi debere? Suet. Augusto cap. 45. Nihilominus tamen Sempronia male ob id audit, & veluti infamis habetur, scribente Macrobio libro quinto Saturnal. cap. 4. quod ille ex Salustij Catilinaria hausit. *Sempronia multa sæpe virilis audaciæ facinora commiserat: hæc mulier genere atque forma, præterea vero atque liberis fortuna fuit, literis Græcis, & Latinis docta, psallere & saltare elegantius, quam necesse esset probæ.* ex illis facillimum erit restituere locum Fulgentij Carthaginensis Episcopi, vel, vt aliis visum, Fabij Planciadis lib. 1. Mythologic. *sola est, quæ modum imponat furentibus, licet Petroniana subit Albutia, hac etenim alludente, & Plautinæ Satyræ dominatus obdormit, & Sulpicillæ Ausonianæ loquacitas deperit, Sallustianæque symphoniæ, quamuis præsens sit Cantilena, melos raucescet.* sic in editionibus vulgatis nullo, mehercule, sensu hactenus lectum. sic igitur nitori suo locus reddatur. *licet Petroniana subit Albutia, hac enim ludente, & Plautini Saureæ dominatus obdormit, & Sulpicillæ Ausoniaæ loquacitas deperit, Sallustianæque Semproniæ, quamuis præsens sit Catilina, melos raucescet.* posteriora verba Sallustiana historia satis clara sunt, at verò priora vel ex eo fidem merentur, quod in confesso apud omnes sit, nullas vnquam Satyras Plautum scripsisse, Saureæ nomen apud eum reperiri certissimum, Fest. lib. 13. in verbo *optio.* & ipse Comicus in Asinaria.

Qua me, qua vxorem, qua tu Sauream seruum potes
Circunduce, aufer.

Antisthenes audiens Ismeniam esse tibicinem optimum, *at nequam est, ait, non enim si probus esset, tibicen esset.* Plutarch. in Pericle in princi. Iuuenalis inter abiectissimæ plebis viliorem fæcem eos reponit Sat. 3.

Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ.

Martial. lib. 5. epigr. 57.

Artes discere vult pecuniosas?
Fac discat citharœdus aut choraules.

M. Terent. Varro in Eudæmonibus.

Contra cum psaltria, & cum Flora lucrare obstrepis.

Organarii, choraules, tibicines, Lyristæ, tympanistriæ, hydraulæ, chordacistæ, in pulpitis canere solebant, aut alii erant exquisitæ dicacitatis vernæ, qui conuiuas non modo suaui vocis symphonia, sed & petulantibus dicteriis seu oblectarent, seu incesserent, atque illi plerumque ex Ægypto petiti, vt dictum abunde supra hoc opere libro 3. cap. 31. Et quia iidem illi erant, cum administris, operæ pretium erit, qua veste induti, quomodo compti, quaque ratione famularentur discutere. Atque id vt facilius planiusque percipiatur, adscribam locum è Philone Iudæo li. de vita Contemplatiua, quem in Latinum sic vertit Petrus Ciacconus. *sed fortassis probabit aliquis morem hunc conuiuiorum iam vulgo receptum apud Græcos, atque barbaros à Romanis inuentum, non tam ad hilaritatem, quàm ad ostentationem deliciarum & opulentiæ. Triclinia lectos habebant eburneos aut testudineos, aut pretiosioris materiæ, gemmatos plerosque stratos auro intexta purpura, vel aliis floridis coloribus variis oculos allicientibus, poculorum etiam vim magnam, digestorum per suas species, præsto sunt enim scyphi, calices, phialæ, thericlea, toreumata clarorum artificum, ministrantibus formosis mancipiis, non tam ad præsens ministerium quæsitis, quàm ad exhilarandos aspectu conuiuarum oculos. ex iis minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam adferunt loti, & nitidi, fucatique, ac concinnati, alunt enim capillitium, vel omnino intonsi, vel à fronte tantum præsectis in orbem crinibus, tenuissimas, candidásq; præcincti tunicas anteriore parte ad genua demissas, posteriore ad poplites, vtrinque mollibus tæniis astricti commissuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus, sic ornati adstant, nutus obseruando, quid quisque postulet: adsunt & alij adolescentes prima lanugine malas vestiti, qui paulò ante amatorum suorum delitiæ fuerant, curiose edocti grauioris momenti ministeria: mera ostentatio magnæ opulentiæ, vt conuiuæ splendore stupefacti, facile intelligant à quanto viro, quámque magnifice sint ad mensam communem adhibiti, cùm tamen totum hoc in gentium vera æstimatione aliud nihil sit, quam stolidus luxus hominis abutentis fortunæ beneficio, sicut testari possunt, quibus comperta sunt talia. huc accedunt varia bellariorum, obsoniorum, condimentorúmque species, elaborata à pistoribus, & cupediariis, quorum est cura non tantum gustui satisfacere, verumetiam oculos exhilarare mundiis: sic fit, vt etiam septem, vel plures mensæ inferantur, plenæ omnium, quæ terra, mare, amnes, aërque ferunt selectis suauissimis carnibus terrestrium, aquaticorum, & volucrum, paratura simul ac conditura variantibus. Ac ne quid prætermittatur naturæ munerum, tandem apponuntur poma nucésq; dapsiliter, seruatis aliis eiusdem generis ad commessationes, quas ineant. deinde aliæ patinæ efferuntur vacuatæ à conuiuis voracibus, more fulicarum, explentibus se in tantum, vt ossa etiam arrodant, aliæ cum fœde discerptis semesisque reliquiis. vbi verò vsq; ad fauces expleti, nihil possunt amplius, edendo lassati, appetitu esurientes, oculos pascendo carnium opimarum copia, nidorem verò exhalantem attrahentes naribus. postremo hos quoque sensibus saturatis, faciunt mentionem ac abitu egregie collaudata conuiuatoris magnificentia.*

Ab affectu isti *symphoniaci* pueri appellabantur. Cicero Act. 6. in C. Verrem. *iste, quasi præda sibi aducta, non prædonibus captis si qui senes aut deformes erant, eos in hostium numero ducit, qui aliquid formæ, ætatis, artificiique habebant, abducit omnes, nonnullos scribis suis, filio, cohortique distribuit. symphoniacos sex cuidam amico suo Romam misit muneri.* Locus appositus, vnde constet non vnum aut alterum symphoniacum, aut cantorem, in magnatum conuiuiis fuisse, sed ingentem & pene prodigiosum numerum. L. Sen. Epist. 84. *de choro dico, quem veteres Philosophi nouerant, in commessationibus nostris plus cantorum est, quàm in theatris olim spectatorum fuit, cùm omnes vias ordo canentium impleuit, & cauea æneatoribus cincta est, & ex pulpito omne genus tibiarum, organorumque consonuit, fit concentus, ex dissonis.* quem locum frustra Epistolicarum quæstionum lib. 3. epist. 9. Iustus Lipsius voluit aliter legi & eum sequuti Opsopæus, Gruterus, & alij Critici, transcribentes, *in commissionibus nostris plus cantorum est*, male, inquam, & perperam conati illi, nam Senecæ mens tot iam in conuiuiis nepotum, opulentiorúmq; ciuium audiri cantores, quot olim in theatro publico, cùm tota ciuitas aderat, siue tantam esse vnius ciuis magnificentiam, quanta olim totius vrbis maiestas fuerat.

Neque vero semper hi symphoniaci domestici erant, sed vt gladiatores alebantur à mangonibus, collataque mercede in priuatas ciuium aulas, publicáque principum palatia itabant. C. Plin. lib. septimo capite duodecimo, *Toranus M. Antonio iam Triumuiro, eximios forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, vt geminos vendiderit, tanta vnitas erat, postquam deinde sermone puerorum*

rorum detecta fraude, à furente increpitus Antonio est inter alia magnitudinem pretij conquerente, nam ducentis mercatus erat sestertiis, respondit versutus ingenij mango, od id ipsum se tanti vendidisse, quoniam non esset mira similitudo in vllis eodem vtero editis, diuersarum quidem gentium natales tam concordi figura reperiri super omnem esse taxationem. In MS. Foxensi Tolosæ, sed paruo discrimine legitur. *Taranius mango Antonio iam triumuiro.* quem ille Toranium, alij *Thoranium* appellant. C. Sueton. in Augusto cap. 69. *ætate adultas virgines denudarunt, atque perspicerent, tanquam Thorannio mangone vendente.* Non desunt, qui scribant *Torannium* vocitari. Aurel. Macrob. 2. Saturnal. cap. 4. *delectatus erat inter cœnam symphoniacis Toranij Flacci mangonis, atque eos frumento donauerat, cùm in alia acroamata fuisset liberalis, eosdémque postea Toranius æque inter cœnam quærenti Cæsari sic excusauit: ad molas sunt.* adscribendus & locus de iisdem e Iulij Solini polyhist. capite quinto, *denique cum Antonio triumuiro Thoranius quidam eximios forma pueros, velut geminos, trecentis sestertiis vendidisset, quorum alterum de transalpina Gallia, alterum ex Asia comparauerat, adeoque vna res viderentur, nisi solus sermo fidem panderet.* nemo est, qui non peruideat mendum subesse, quid enim illud est *I vna res viderentur.* in MS. meo codice, qui raras aut nullas capitum discretiones aut epigraphas habet, legitur, *adeoque vt vna res videretur.* ex ea lectione locus potest coniecturæ esse non omnino improbandæ, *adeoque vt vterini viderentur.* sed hoc Isacio Pontano eruditissimo viro debeo, & recte, nam Plinius paulo ante supra *eodem vtero editis.* vterinos autem fratres *agnationis ius non habere, sed cognationis tantùm titulo connexos esse* vult Imperator l. 21. C. de excus. tut. & vterinum, *πρὸς μητρὸς ἀδελφὸν ex matre fratrem* interpretatur. Dio lib. 58. & *ὁμομήτριον.* quasi *ex eadem matre* dicas. Appian. Alexandrin. Syriac. fine.

Male itaque audierunt, qui immodicum hunc conuiuandi luxum exercebant. A. Gell. lib. 1. cap. 11. *fistulatores, fidicines, tibicines lasciuientium delitiæ conuiuiorum.* Ælius Lamprid. in Vero. *adduxerat secum & fidicinas, & tibicines, & histriones, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate.* D. Hieronym. Epist. ad Furiam. *fidicinas & psalterias, & huiusmodi chorum diaboli, quasi mortifera sirenarum carmina proturba ex ædibus tuis.* Contra laudari impensius illi, qui è modestis suis conuiuiis eiecerant huiusmodi portenta, quo nomine commendatur Theodosius ille Senior, qui *non solum aliis, sed & sibi has voluptates interdixit.* Aurel. Victor. in eo, & Paulus Diacon. lib. hist. Roman. 13. & Traianus Augustus, *non peregrinæ superstitionis mysteria,* inquit Plinius Iunior in panegyrico quem ei dixit, *aut obscœna petulantia mensis principis oberrat, sed benigna inuitatio, & liberales ioci.* Claud. in laudibus Stilichonis lib. 2.

—nullo cythara conuiuia cantu
Non pueri lasciua sonant.

Nec modo pueri procaciores hisce adhibiti officiis, sed & puellæ. Aurel. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 1. ex Prætextato. *quia sub illorum supercilio non defuit, qui psalteriam intromitti peteret, vt puella ex industria supra naturam mollior, canora dulcedine, & saltationis lubrico exerceret illecebris Philosophantes.* vet. Schol. Iuuen. ad v. 162. Sat. 11. *speras forsitan quod incipiant saltare delicatæ ac pulchræ puellæ Syriæ, quoniam de Syris & Afris Gades condita est. Nunc inquit expectas apud pantominas, aut Lyristrias de Gadibus, quod lasciuiant.* liquidum est, & meridiana luce clarius, non esse hæc vnius scriptoris: cumque tamen certè constat duplicem earum fuisse vsum, vel vt ad lyram suaui modulatione vocis compositæ, conuiuas oblectarent, vel vt lubricis indecorisq; motibus Venerem concitarent. Eos autem non Syrias puellas puto fuisse, sed Hispanas, contra quam placuit veteri scholiastæ, sunt quippe Gades insula prope Bæticam, dirimens Africam ab Europa 120. millibus passuum, celebratissima propter Herculis columnas, vt passim omnes Geographi. sed Iuuenalem loco citato audiamus.

Forsitan expectas, vt Gaditana canoro
Incipiat prurire choro plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendunt clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis. & acres
Diuitis vrticæ.

M. Martialis frequentissime, vnde colligere liceat sui æui vitium ab illo taxatum lib. 3. epigr. 62.

Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat.

Exactissime. nam pueri illi dicaces Ægyptij, supra à me dictum, Petron. Satyric. *discubuimus Alexandrinis pueris aquam niuatam in manus infundentibus.* puellæ autem Gaditanæ. Idem lib. 5. epigr. 79.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lasciuos agili tremore lumbos.

Et lib. 6. Epigr. 71.

Edere lasciuos ad Bætica crumata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

lib. 14. epig. 203. cuius lemma est, *puella Gaditana.*

Tam tremulum crissat, tam blandum prurit.

Papin.lib.1.sil.vlt.etiam earum in theatris vsum ostendit.

Hic agnoscitur omne quod theatris
Aut forma placet, aut probatur arte,
Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes
Illic cymbala, tinnulæque Gades,

Denique vt de musica inceptum finiam tractatum, diuersus ritus Græcorum à Latinis obseruandus est. nam hi deteriorem, si ea caruisset, virum principem existimabant, isti, si eius studio se dedisset, infamem reputabant. Æmyl. Probus in Epaminonda. *scimus Musicen moribus nostris abesse à principis persona, saltare etiam in vitiis poni, quæ omnia apud Græcos & grata, & laude digna ducuntur.* Et de Romanis principibus certum, antiquitus magnatum liberos *fidibus didicisse.* Tull. de Senect. & Titus Imperator *musicæ non erat ignarus.* Sueton. cap. 2. & Adrianus princeps *Psallendi canendique peritus.* P. Victor. in eo, quæ ego intelligo, de priuato oblectamento, nam eam publicè profiteri, ignominiosum, inde enim tam sæpe omnium scriptorum testimoniis laceratur Nero, quod in scænam prodierit, cytharam tenuerit, cum comœdis tragœdisve cecinerit, & de corona victoriáque cum iis contenderit. Historicos non aduoco, quorum nullus id tacuit. Iulianus Augustus in maligno illo opusculo, quo Cæsares omnes perstrinxit. [illegible] λέγοντι τῷ Σειληνῷ [illegible] μετὰ τῆς κιθάρας καὶ τῆς δάφνης. *hæc dicenti Sileno superuenit Nero citharam gestans & lauro redimitus,* Claudian. libro secundo in Eutrop.

——exquirere retro
Crimina continui lectis annalibus æui.
Prisca recensitis euolu it sæcula fastis
Quid senis infandi Capreæ, quid scena Neronis
Tale ferunt?

Sidon. Apollinar. carm. 5. vers. 321. de eadem indignitate.

Post Capreas Tiberi, post turpia nomina Cai,
Censuram Claudi, citharam thalamosque Neronis,
Post speculi immanis pompam, quo se ille videbat
Hinc turpis, quod pulcher Otho post quina Vitelli
Millia famosi ventris damnata barathro.
In titulis princeps lectus.

quina millia ille, de prodigioso illo Vitellij conuiuio, ac C. Sueton. in eo cap. 13. *duo millia lectissimorum piscium septem auium apposita:* licet in eo dissensus inter historicum & poëtam sit, tamen vterque numerus portentosus. Sed ad rem regredior institutam.

Tanti duxerunt Musices præceptis imbui, vt Cimon, quòd eam ignorauerit, vituperatus nō mediocriter fuerit. Stesimbrotus Thasius apud Plutarch. in vita Cimonis, & Epaminondas ille idem, *cithara cantre, ad chordarum sonum, à Dionysio edoctus est,* vt loquitur in eo Æmilius Probus. quid dicam Achillem apud Homerum erudire Patroclum citharizare, quod didicerat ille à Chirone Centauro? vt supra in hoc opere dixi. Sidon. Apollinar. Carm. 9.

——Venatu, fidibus, palæstra, & herbis,
Sub Saturnigena fene institutus.

Claudian. de 3. Honorij consulatu. ad quem locum plura.

Sine lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.

In MS. meo paulo aliter.

Medicas seu disceret artes.

Videturque effictum ad illud Maronis lib. 12. Æneidos.

——Mutas agitare inglorius artes.

Et præsente matre ipse Achilles fides pulsat. Stat. Papinius lib. 1. Achilleid. vers. 166.

Nunc libare dapes, bacchea que munera Chiron
Orat, & attonitam vario oblectamine mulcens
Elicit extremo chelyn, & solantia curas
Pia mou sileniterque expertas pollice chordas
Dat puero: canit ille libens immania laudum
Semina, qui tumidæ superarit iussa nouercæ
Amphitryoniades, &c.

Et eodem æuo Paris lyram callentissimè pulsabat. Ælian. var. histor. lib. 9. cap 38 [illegible] Ἀλεξάνδρου, *accedens lyram ostendit Alexandri.* vide locum & confer cum Plutarcho in vita Alexandri, vnde desumptus. vtrobique enim narratur Alexandrum Ilium venisse, & curiosum singula lustrasse, atque inter alia, cum lyram Paridis ei ostendissent. *maioris* inquit, *facerem, si lyram Achillis ostenderetis, potius enim mihi fores gratiusque virorum fortium laudibus canendis idoneum videre instrumentum quàm eam lyram, quæ accinebat fœminis captandis demulcendisque tantùm idonea carmina.* Hadrian. Iunius in Adagiis suis cap. 546. Q. Horat. lib. 1. od. 15. apposite ad dictum Alexandri.

Nequicquam Veneris præsidio ferox
Pectes cæsariem, grataque fœminis

Imbel-

Imbelli cithara carmina divides.

Homer.lib.3. Iliad.v.54. Hector frater cum pusillanimem effæminatúmque accusans.

οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης
ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος.
Non tibi profuerit cithara, & dona Veneris,
Et coma, & forma.

In alias legitur *κίδαρις, cidaris,* vt sit muliebre capitis gestamen, quo mollities ei exprobratur. Virgil.lib.9. Æneid.

—Et habent redimicula mitræ.

Et lib.4. Æneid.dicam infra.

Mæonia mentum mitra, crinémque madentem,
Subnixus.

MS.Meus egregie.

Mæonia mentum myrra,

Vt odores effæminatos taxet, aut vnguentis perungendi corpora rationem viris probrosam esse ostendat.

Capvt XXX.

De poculis, & eorum generibus

A Cibis ad potum nos nunc conuertemus, & videbimus, quis in eo veterum mos fuerit. Hieronymus Mercurialis Medicus doctissimus lib. 1. Variarum lectionum cap.21. Variis, inquit, mensuris antiquos potasse, non me latet: sed ex eis tres potissimùm obseruare soleo, Sextantem, Deuncem, & Trientem, quarum duas rariùs, tertiam, frequentius, & à pluribus, in quotidiano victu vsurpatam puto. Sextante, temperatos, ac valetudinarios; Deunce intemperatos & bibaces potasse, valdè verosimile est. Nam Suetonius auctor est, Augustum Cæsarem, sextante bibisse, cúmque sexies tantum in conuiuiis publicis ori admouisse. Martialis item de seipso, & Cinna.

Sextantem poto, tu potas Cinna deuncem,
Et quereris quòd non Cinna bibamus idem.

Item de lusco bibone, ad Aulum:

Potor nobilis, Aule, lumine vno
Luscus Phryx erat alteróque lippus.
Huic dicit medicus, Bibas caueto:
Vinum si biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx oculo, Valebis, inquit,
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros iubet. Exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Ex quibus in eam facilè venire coniecturam possumus, Deuncem, siue vnciarum vndecim calicem ebriosorum potiùs, & intemperatorum hominum mensuram extitisse Cæterùm quod in communi omnium fere vsu esset crater quinque paulò, plus minúsve vnciarum appellatus Triens, ideò mihi pro comperto habendum videtur, quoniam Poetæ, qui omnibus aliis auctoribus, meliùs veterum, in edendo præsertim, & bibendo, mores expresserunt, cum de huiuscemodi potus mensuris, vasisque loquuntur, fere semper trientes nominant, Proper.lib.1.

Cum fuerit multis exacta trientibus hora.

Pers.Sat.3.

Sed tremor inter vina subit, calidúmque trientem.

Martialis vero, quem cæteris copiosius de hisce rebus lusisse apparet, lib.2.

Crebros ergo bibas licet trientes.

Et lib.4.

Sed nec post primum legeᵗ hæc, summúmne trientem,
Sed sua cum medius prælia Bacchus amat.

Et alibi sæpe. Vnde coniicere quiuis potest, calices quotidianos, & à cunctis fere pro potu vsitatos, trientes fuisse, quæ erat quarta sextarij pars. Ex quo etiam ad credendum inducor, sextarium forsan eam fuisse potus mensuram, quam in Cœna quotidie sumebant, quamque

in quatuor partes,siue in trientes quatuor prouidebant. Quanquam non ignoro interdum nullam esse in bibendo seruatam mensuræ rationem : quemadmodum inuitat, Martialis Caium Proculum lib.1.

Quincunces,& sex cyathos,bessémque bibamus
Caius vt fiat Iulius & Proculus.

Et quemadmodum in conuiuiis publicis factitatum,rationi consentaneum est : in quibus refert Alexander Trallianus libro Problem 1.institutum esse, vt contrariis poculis vterentur, in principio scilicet minutis,in fine verò amplioribus. Vt enim epularum gratia, in quibus frequentius bibere decebat,veteres crebrius potarent,à paruis calicibus inchoabant,& in capaciores desinebant, quippe cum parua implere satis,vbi potare liberalissimè liberet,nequirent. Quòd si ab amplioribus incœpissent,ocyus repleri necesse erat,& subinde minùs potare. Siquidem natura à largo protinus haustu accepto veluti expleta,copiam omnem subsequentem contemnit:ex aduerso,si paruis poculis assueta paulatim ampliora exhibeantur,facile quopiam quamcunque sustinet. Hactenus Mercurialis. Veteres cornibus potare solitos, paulò antè ex eodem Mercuriali audiuimus. Varias poculorum appellationes,& varia eorum genera reperias apud Nonium Marcellum capite de generibus vasorum & poculorum , & apud Cælium Rhodiginum lib.27.ca.27.& alios.Quod veteres & frigidam & calidam potarint, quòd vina sæpius aqua temperarint, eáque nonnunquam niue,aut in puteo,aut alia ratione refrigerarint,pluribus explicat Hieronymus Mercurialis lib.1. Variarum lectionum, c.8.& 18. Plutarch.in Symposiacis.De calida aqua siue calda etiam Iustus Lipsius libro Electorum,capit.4.

Iam & hoc notandum,in conuiuiis moris fuisse,vt talis,astragalisve sorte missis Symposiarcha,quem alij Regem,alij Magistrum conuiuij,Varro Modimperatorem appellat,duceretur: nonnunquam etiam sola corollæ impositione diceretur, qui conuiuij præses Conuiuiales leges præfigeret,de quo,qualis eligi,& qualem is sese præbere debeat, pluribus docet Plutarc. li.1.Symposiacon,quæst.4.Magisteriorum huiusmodi,quæ & regna vini dicuntur,sæpissimè à veteribus scriptoribus fit mentio.Cato apud Ciceronem de Senectute:Me vero & Magisteria delectant à maioribus instituta,& is sermo qui more maiorum à summo adhibetur in poculo,&c. Legum verùm conuiualium meminit Cicero in Verrem, vbi inquit:Iste enim Prætor seuerus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur,obtemperabat.

Cæterùm in omni conuiuio,cùm paulò hilarius inuitare sese vellent,hunc solemnem morem obseruabant,vt à summo biberent ad imum:hoc est,ab eo conuiua, qui summus accumbebat,vsque ad imum.Solemne & hoc erat,vt Diuo alicui libarent, hoc est,ex patera leuiter vini aliquid defunderent,vel in mensam,vel in terram,vel in alium quoque locum pro re nata:vtque in Dominæ aut amicæ honorem cyathum ebiberent, eámque palam nominarent, quod qua verborum forma facerent,ex Plauti Sticho intelligimus,vbi Sangarinus ita loquitur:

Bene vos,bene nos,bene nostrum etiam Stephanium.

Ita enim loquebantur concise,pro eo quod esset,Bene vos viuere precor,bene valete.Quin & illud vsurpabant,vt in honorem amici, aut amicæ tot cyathos biberent,quos literæ in eo nomine essent.Martialis:

Næuia sex cyathis,septem Iustina bibatur.

Et lib.9.

Nunc mihi dic,quis erit,cui te Calatisse,Deorum,
Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, vt sit
Qui posuit sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da suauia fiat vt illud
Victor ab Odrysio quod Deus orbe tulit.

Cyathorum,rosarum,basiorum numerus respondet his tribus nominibus,Cæsar,Domitianus,Dalmaticus.De sermonibus,qui in conuiuiis agitari solebāt, Plutarchus in Symposiacis, Macrobius in Saturnalibus,Varro in Satyris Menippæis apud Agellium,& alij. Atque hęc de conuiuiis & eorum ritibus hactenus.Qui plura volet,legat eos,quos paulo ante dixi,auctores, Cęlium Rhodiginum,Hieronymum Mercurialem,& in primis Iusti Lipsij,viri clarissimi,tertium.

tium Antiquarum lectionum librum, ex quo pleraque descripsi, multa etiam omisi, quæ diligens lector ex illo ipso Lipsij libro petet, ad cuius etiam, sicut & aliorum viri illius doctissimi scriptorum, lectionem studiosos sedulo hortor.

Ad Cap. XXX.

PARALIPOMENA.

Poculorum materia, forma, species, aqua niuata, lex potandi, locus honoratior, vinum vetustum, gypsatum, vomitus, vnguenta, corona, genij bonj potio.

Primum omnium pocula ex terra illa Samia fictilia erant, neque in pauperiorum tantùm ædibus, sed & in opulentiorum conuiuiis, adeoque etiam deorum immortalium fanis ac sacrificiis solemnibus, & statuæ ipsæ deorum. Val. lib. 4. cap. 3. titul. 9. *cui consulatum gerenti, cùm Ætolorum gens omnis vsus vasa argentea, magno pondere, exquisita arte fabricata, per legatos misisset, qui superiori tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerant, fictilia se in eius mensa vasa vidisse, monitus ne continentiæ quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire iussit.* quod ille de priuata cæna Tuberonis, & alij ad publicum epulum, quo ciuitatem totam in Capitolium conuocatam exceperat, referunt. L. Sen. Epist. 95. in fine. *Tuberonis ligneos lectulos, & cùm in publicum sternerentur, hædinaque pro stragulis pelles, & ante ipsius Iouis cellam, proposita conuiuis vasa fictilia, quid aliud est, quàm paupertatem in Capitolio consecrare?* Et deinde paucis interiectis. *omnium illorum aurum argentumq; fractum est, & millies conflatum, at omnibus seculis Tuberonis fictilia durabunt.* Idem Epist. 90. *Tubero paupertatem & se dignam & Capitolio iudicauit, cum fictilibus in publica cæna vsus ostendit debere his hominem esse contentum, quibus dij etiamnum vterentur.* Corrigendus fortè idem libro primo Benefi. capite sexto, *sicut in victimis quidem, licet opimæ sint, auro que præfulgeant, deorum non est honos, sed in pia ac recta voluntate venerantium, itaque boni etiam farre ac fictili religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem, quamuis aras multo sanguine cruentauerint.* Fernandus Pincianus in nullo MSStorum repertum prodidit *fictili*, sed in quibusdam *ficicla*, in aliis *ficilla*, denique in Facundi & Primitiui exemplaribus, *fitilla*, itaque leuissima opera incerto vnico elemento legendum censuit, *fritilla*, vt sit pultis cuiusdam genus in sacrificio receptissima. M. Antonius Muretus libro 12. var. lect. cap. 1. *fitillam* retinet, eadem significatione ex Arn. lib. 7. *quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, conspolium, cubula?* Plin. lib. 17. cap. 8. *hodie sacra prisca, atque natalium pulte fitilla conficiuntur.* Iosephus Scaliger Pinciani sequitur sententiam, contenditque legendum *fritilla*, à *frio* eius etymologiam deriuans, quod placuisse video & I. Lipsio, qui ad vasa ipsa, quibus sacrificia offerebantur, non autem ad pultem refert, vt alij, testem habet Festum Pompeium lib. 11. *muries est, quemadmodum Veranius docet, ea quæ fit ex sale sordido, in pila pinsato, & in ollam fritilem coniecto, ibique operto gypsatóque, & in furno percocto.* olla ei fritilis diserte appellatur, vt appareat non sacrificij partem aliquam, aut libum denotari, sed vas sacris aptum. nam Paulus perperam, vt multa alia, in eo authore. Festum transcribens. *Muries dicebatur sal in pila tunsum, & in ollam fictilem coniectum, & in furno percoctum.* Denique Fr. Modius Nouantiquar. lection. Epist. 29. vt ab aliis quippiam diuersum adferat *farre ac friuolis*, sunt enim vt loquar cum Festo lib. 6. *friuola propriè vasa fictilia quassa.* Vlpian. IC. l. 11. ff. de pignorat. actio. *non enim credibile est hoc conuenisse, vt ad vniuersam pensionem insulæ, friuola inqui tenebuntur.* præoccupauit doctissimus Guiliel. Budæus in Annotationibus suis in hanc legem. Iuuenal. Saty. 3. vers. 199.

—iam poscit aquam, iam friuola transfert
Vcalegon.

Et Sat. 5. vers. 59.

Et te ne teneam, Romanorum omnia regum
Friuola.

Sed de diuerticulo in viam, hæc quidem fictilia, viris optimatibus sola in vsu, vt de Tuberone iam, quod Græci moris. Antiphanes in Mystide, apud Iulium Pollucem lib. 10. cap. 19. ἐξ ὀξυβαφίων κεραμέων ἔπινον. ex acetabulis fictilibus bibebantur. & in templis vt supra quoque expositum. Q. Flor. Tertull. Apologetic. cap. 25. *frugi religio & pauperes ritus & nulla capitolia certantia cælo, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis.* M. Tull. Paradoxo. 1. *quid autem Numa Pompilius? minúsne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles urnas fuisse, quam delicatas aliorum patinas arbitramur?* C. Plin. lib. 35. cap. 12. *In sacris quidem etiam*

inter has opes hodie non murrhinis crystallinisue, sed fictilibus prolibatur sympuuiis. vtrumq; vtriusque authoris locum legunt diuersa ratione, nam in Cicerone, *Deliacas aliorum patinas,* melius. in Plinio Lazarus Baifius non *simpuuiis* sed *sympullis* vult legi: Ego tamen nihil mutandum censeo. nam vet. scholiast. Iuuenal. ad Sat. 6. vers. 340 *simpuuium vas sacrificiis aptum, in quo pontifices solebant lauare simpuuium autem, quia omnes sacerdotes simul bibebant, inde simpuuiatrix illa dicitur, quæ porrigit poculum istud.* glossarium Isidori, *candes, vasa fictilia.* Satyricus ipse loco laudato.

Et quis tunc hominum contemptor numinis, aut quis
Simpuuium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat?

Deorum etiam templa fictiles habebant parietes. Plin. lib. 36. cap. 2. *non ergo in tam malo exemplo moribus cauere vtilius fuerat, quàm tacere tantas moles in priuatam domum trahi prater fictilia deorum fastigia?* Ipsorúmque numinum simulachra testacea erant, seu fictilia. L. Seneca consolat. ad Heluiam cap. 10. *tunc per fictiles deos religiosè iurabatur.* Sext. Propert. lib. 4. eleg. 1.

Fictilibus creuere diis hæc aurea templa,
Non fuit opprobrio facta sine arte casa
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat.

D. Iuuenal. Sat. 11. vers. 115.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Iupiter auro.

Atq; vt non tam aliam suppellectilem, quàm pocula fictilia fuisse constet, docet Albius Tibullus lib. 1. eleg. 1.

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facilis composuitque luto.

M. Martial. lib. 14. epigr. 88.

Arretina nimis ne spernas vasa monemus,
Lautus erat Thuscis Porsena fictilibus.

D. Auson. Epigr. 8.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Rectè *Samio luto*, nam è Samo insula in vrbem allata hæc fictilia. Plin. lib. 13. cap. 11. vel ex Hispania. Martial. lib. 4. epigr. 46. Iuuenal. Sat. 5.

Pugna Saguntina feruet commissa lagena.

Secundo reperio pocula ex fago facta in vsu apud priscos, idque herbicis temporibus receptum. vt saltem si non ex fago, at ex ligno fierent, allato Homeri versu ex libro 9. Odysseas iampridem docuit Fuluius Vrsinus in Appendice ad Triclinium meminere poëtæ frequenter antiquorum frugalitatem extollentes. P. Ouid.

Fabricataque fago pocula.

Idem lib. 3. Fastor.

Terra rubens crater, pocula fagus erat.

Virgil. eclog. 3.

Insanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

L. Sen. Tragœdus in Hercule Oetæo. Act. 2. choro.

Pectora pauper secura gerit,
Tenet è patula pocula fago.
Sed non trepida tenet illa manu.

Alb. Tibul. lib. 1. eleg. 10.

Diuitiis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.

Oleaginea pocula apud IC. l. 50. ff. de leg. 3. *qui pocula quatuor oleaginea habebat, ita legauit pocula oleaginea paria duo.* & hederea Plin. lib. 16. cap. 35. *hederæ mira proditur natura, ad experienda vina si vas fiat ex ligno eius, vina transfluere, ac remanere aquam, si aqua fuerit mixta.* Græci κισσύβιον istud poculum vocant. Macrobius li. 5. Saturnal. cap. 21. Euripides, in Andromeda. his verbis.

ὁ μὲν γάλακτος κίσσινον φέρων σκύφον.
Cum lacte hederaceum ferens scyphum.

Licet locum mendi suspectum habeant Critici οἴνου γάλακτος. Petrus Victorius variar. lection. lib. 16. cap. 23. aut simpliciter ex ligno erant pocula, *scal'eque* vocabantur. Isidorus lib. 20. cap. 5. *calices, & calathi, & scalæ poculorum genera, antea ex ligno facta, vnde & vocata: Græci enim omne lignum cala dicebant.* Paulus Varnefridus Diaconus, de gest. Longobardor. libro primo capite 27. *ad bibendum ex eo poculo, quod genus poculi apud eos scala dicitur, lingua verò Latina patera vocatur,* liquet hinc posterioribus etiam sæculis lignea barbaros habuisse pocula. Sed pergo. Erant & è cornibus bouinis pocula effecta, vestigia certissima eius ritus in antiqua inscriptione, cuius formam varij inseruere operibus suis. D. Ambrosius libro de Elia & Ieiunio cap. 17. *per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt, & si quis respirauerit, commissum flagitium, soluta acies, loco motus habetur.* Athenæus libro vndecimo Dipnos. *priscos fama est, atque homines cornibus olim bibisse boum, liquet hoc ex eo, quod adhuc dum aquæ vinum permiscent, κεράσαι dicunt, & vas in quo vinum miscetur, craterem appellant, ἀπὸ τοῦ κέρατος, quasi κερατῆρα, quoniam in cornua potio fundatur: manet etiam nunc cornuum ad hunc vsum fabrica: quidam eiusmodi pocula Rhyta vocant, poëtarum quoque multi antiquos bibentes cornibus inducunt.* Xenoph. libr. sexto. Expedit. Cyri Minoris in limine. Κατακείμενοι δὲ ἐν στι-

Caris

Καὶ ἐδείπνουν, καὶ ἔπινον ἐκ κεράτων μεγάλων. quum in grabatis inter cœnandum discumberent, ac biberent è poculis cornu factis. Idem operis eiusdem lib.7. in conuiuio Seuthis. καὶ κατὰ τὸν Θρᾳκῶν νόμον κέρατα οἴνου προὔπινον. ad secundam Thracicam legem, cornua vini sibi propinabant. προὔπινον. Xylander vertit propinabam, Paulus Leopardus lib.6. Emendation. cap.3. prabiberunt. Iacobus Dalechampius apud Athenæum portenderunt, minus rectè. Philoxenes Citherius in opere quod ... inscripsit. Lycurgus rhetor in oratione contra Demadem, & Theomopus in secunda Philippica videantur apud eundem Athenæum. alluserunt & poëtæ ad hunc ritum. Pindar.

> ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο.
> *Et argenteis cornibus bibentes lasciuierunt.*

Hermippus in vnguentis.

> ἐκ δ' τοῦ κέρατος αὖ μοι δὶς πιεῖν ἅπαξ μόνον.
> *Verum è cornu rursum semel tantum, quod bibam.*

Æschylus in in Perrhoebis ἀργυρηλάτοις κέρασι, argento ductilis facti cornibus. Sophocles in Pandora κέρας χρύσεον ... cùm ebiberis aureum cornu. Etymologici magni author voce κέρας, quem locum indicauit amicissimus ac doctissimus vir Nicolaus Seruitius, vti & formam ex Diuo Ambrosio loco supra laudato. epulis dimidiati assistunt pueri, coma nitentes ex gente barbarica ad hos vsus electi per singularum distinctis ætatum vices, cornu in medio vini plenum, non epularis, sed præliaris instrumentum buccinæ, primò minoribus pocu is veluti velitari pugna præluditur, vt tragœdiarum actorum primo sensim vocem excitant, donec vino aperiant iter, vbi res calere capit, possunt maioribus pocu is, vbi consummatæ fuerunt epulæ, iacet iam esse surgendum, tunc de integro potum instaurant suum, ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur, agonothetes ille furor est, hic si quis calicem conuertat, vrgetur ad potum. forma itaque buccinam oblongam referebat, siue quod idem est naturalem cornuum bouinorum speciem. Ratio est, quod Bacchum cornutum effinxerint, quod homines nimio vino truces fiant, vt loquitur Festus lib.3. in voce cornua, ergo vel quia Bacchus cornibus taurinis depingebatur, & appellabatur ταυρόκερως, pocula è cornibus bouinis in vsu erant, vel à poculorum corneorum vsu id ei cognominis impositum. Scholiast. Nicandri in Alexipharmac. οἱ παλαιοὶ κέρασιν ἐχρῶντο ἐν τῷ πίνειν ἀντὶ τῶν ποτηρίων antiqui cornibus vtebantur in conuiuio pro poculis, subiungit deinde rationem quam supra adduxi. Certè Bacchum cornutum sciunt pueruli Grammaticorum vnicus Ouidius sufficiet, Epist. 21. Sappho Phaoni.

> *Sume fidem & pharetram, fies manifestus Apollo.*
> *Accedant capiti cornua, Bacchus eris.*

Et lib.2. de Arte.

> *Purpureus Bacchi cornua pressit Amor.*

Lib.5. Fastor.

> *Mitte caput, pater, huc, placatáque cornua vertas.*

Et sane Bacchum primum eiusmodi poculo vsum putant. Nonnus Panopolitanus Dionysiac. lib.12. vers.200.

> καὶ δέπας ἀγχιάλοιο εἶχε βοὸς κέρας.
> *Et poculum curuum habuit bouis cornu.*

Vestigium illius ritus apud Homerum lib. 8. Iliad. vers.169.

> οἶνον τ' ἐγκεράοντα πιεῖν.
> *Vnumque cornu miscens ad bibendum.*

Indi talibus pocul s vsi, liquet ex grauissimo, antiquissimóque historico Ctesia, excerpsit Photius patriarcha in Bibliotheca illa sua dignissima. itaque Ctesias Annalibus Indicis pag. 686. asinos siluestres habet India, κέρας ἔχοντα ἐν τῷ μετώπῳ. cornu habent in media fronte. & deinde. ... ἐκπώματα, conficiunt ex his pocula.

Quartò vitrum poculorum materia L. Apul. lib.2. Milesiar. ampli calices variæ quidem gratiæ, sed pretiositatis vnius, hic vitrum fabre sigillatum, ibi chrystallum impunctum, argentum alibi clarum & aurum fulgurans, & succinum mire cauatum in lapides, vt bibas, & quicquid fieri non potest, ibi est. Aristoph.

> ἔπιν' ὁ μὲν ἐξ ὑαλίνων ἐκπωμάτων
> *Biberat hic quidem è vitreis poculis.*

In delitiis olim non spernendis. Martial. lib.1. epig .38. Basse bibis vitro, &c.

Et nepotibus præsertim in vsu. Iuuen. Sat.2. vers.95 Vitreo bibit ille priapo.

Nihilominus Gallienus Aug. aspernabatur vitrea pocula, aureis semper bibebat. Iul. Capitolin. in illo neque verò vitrum istud tale erat, quale hodie frangi leuissimo casu solet, sed quod flecti plicarique poterat. C. Plin. lib. 36. cap. 26. ferunt Tiberio principe, excogitato vitri temperamento, vt flexibile esset, totam officinam eius artifices eius abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur, eaq; fama crebrior ans quam

certior fuit, fuisse artificem tam ingeniosæ artis à Tiberio enectum, quòd coram eo poculum vitreum pauimento allisum, *αὖ ἐχεῖν*, *Illæsum* intactumque ostendisset. Cæl. Rhodigin. lib. 10. cap. 30. Antiquar. lection. Ianus Douza in Commentario suo in Petronium docent, & ante illum Petrus Crinitus lib. 25. cap. 4. Honestæ disciplinæ. Sed quia super ea re parum certæ rationis compertum, non grauabor locum integrum ex Ioanne Saresberiensi Policrat. lib. 4. cap. 5. eò lubentiùs exscribere, quo ex Petronio adducit rem memoratu dignissimam, quæ apud illum scriptorem hodie non reperitur. *Apud Petronium Trimalcio refert, fabrum fuisse qui vitrea vasa faceret tenacitatis tantæ, vt non magis quàm aurea aut argentea frangerentur. cum ergo phialam huiusmodi de vitro purissimo, & solo, vt putabat, dignam Cæsare fabricasset, cum munere suo Cæsarem adiens admissus est, laudata est species muneris, commendata manus artificis, acceptata est deuotio donantis; faber verò, vt admirationem intuentium verteret in stuporem, & sibi plenius gratiam conciliaret Imperatoris petitam de manu Cæsaris Phialam recepit; eámque validius proiecit in pauimentum tanto impetu, vt nec solidissima & constantissima æris materia maneret illæsa. Cæsar autem ad hæc non magis obstupuit, quàm expauit. at ille de terra sustulit phialam, quæ quidem non erat fracta, sed collisa, ac si æris substantia vitri speciem induisset, deinde marciolum* (legendum omnino est, *malleolum*) de sinu proferens, vitrum *correxit aptissimè & tanquam collisum vas æneum crebris ictibus reparauit: quo facto se cœlum Iouis tenere arbitratus est, eò quòd familiaritatem Cæsaris, & admirationem omnium se promeruisse credebat: sed secus accidit, quæsiuit enim Cæsar, an alius sciret hanc condituram vitrorum? quod cum negaret, eum decollari præcepit, dicens quia si hoc artificium innotesceret, aurum & argentum vilescerent, quasi lutum.* quod vnde ille deprompserit, incertum mihi, neque enim alibi me legere memini.

Mentio apud C. Tacitum lib. 15. Annal. vitrei poculi Vatinij cuiusdam sutoris, *quod quatuor rostris protendebatur, instar nasorum*, & de huiusmodi calice intelligendus est D. Iuuen. Sat. 5. v. 47. licet vetus scholiastes de naso oblongo perperam interpretetur.

Tu Beneuentani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor.

Expressit M. Martial. lib. 14. epigr. 96.

Vilia sutoris calicem monimenta Vatini
Accipe, sed nasus longior ille fuit.

Hæc sulfure permutabantur fracta. idem Martial. lib. 1. epist. 42.

Qui pallentia sulfurata fractis
Permutat vitreis.

Iuuenal. Sat. 5.

—rupto poscentem sulfura vitro.

Statius lib. 1. sil. vlt.

Hic plebs scenica quique comminutis
Permutat vitreis gregale sulfur.

Quinto *crystallus* in poculis aliaque supellectile laudabatur. L. Apuleius proximè supra citatus. Sidon. Apollin. lib. 2. Epist. 13. *inque crystallis calerent vnguenta glacialibus.* C. Plin. Præf. ad lib. 33. *murrhina & crystallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est habere quod posset statim perire totum.* L. Sen. lib. 3. de Ira cap. 40. *fregerat vnus ex seruis eius crystallinum, rapi eum Vedius iussit, nec vulgari periturum morte. paucis deinde interiectis, motus est nouitate crudelitatis Cæsar, & illum quidem mitti, & crystallina omnia coram se frangi iussit.* Iuuen. Sat. 6. vers. 154.

Grandia tolluntur crystallina.

Alcimus Auitus lib. 3.

Feruebat priscum crystallo algente falernum.

Martial. lib. 2. epigr. 82.

Opimianum morionibus nectar
Cristallinisque murrhinisque propinat.

Lib. 9. epigr. 60.

Et turbata breui questus crystallina vitro
Murrhina signauit, sepositque decem.

Prodigiosi illa erant pretij, quæque aurum, gemmásque superarent. idem Martial. lib. 1. epig. 54.

Sic Aretinæ violant crystallina testa.

Et quia eo deuentum est, non erit à re alienum de natura crystalli quædam proposuisse, quidam mineralibus adscribunt, Andreas Theuetus lib. 5. Cosmograph. cap. 8. C. Iul. Solin Polyhist. cap. 20. *putant glaciem coire, & in crystallum corporari: sed frustra, das Europa, das & Asia sed pretiosissimum Scythia.* vi frigoris non fieri crystallum Solino videtur, quod tamen placuit Plinio lib 37. cap 2. *contraria huic causa, crystallum facit gelu vehementiore concreto, non alicubi certè reperitur, quàm vbi maximè hibernæ niues rigent, glaciemque esse certum est.* fauet huic sententiæ Aristoteles apud A. Gellium lib. 19. cap. 5. & Seneca. lib. 3. Natural. quæstion. cap. 25. Stat. lib. 1. sil. 2.

Raráque longæuis niuibus crystalla gelari.

Coripp. lib. 3. num. 7.

Nec potuit fragilis crystalli forma nocere
Præsolido stringente gelu.

Claudian. in Epigrammatis.

Possedit glacies naturæ signa prioris
Quæ fit parte lapis, frigora parte negat.
Solers lusit hiems, imperfectóque rigore
Nobilior, mistis gemma tumescet aquis.

In MS. deinde ornatissimi viri Stephani Clauerij disiuncta sunt Epigrammata sequentia, quæ continua imperiti librarij manus fecit,

cit. Itaq; coacta nix vrgente frigore in tantam duriciem coalescit, vt crystallum producat, qui ob id lapis, vel *silex prodigiosa* Claudiano appelletur. Priscian. Cæsariensis in Periegesi Dionysij.

Illius fluuij rigidas prope frigore ripas
Inuenies lapidem Crystalli.

Argumento est glacie induratum niuem crystallum fieri, quod in frigidissimis semper regionibus, & pene solis iis, maximam eius vim reperiri sit proditum, vt ad Tanai fluminis ripas, Theophrastus lib. de lapidibus, & Orpheus in hymnis, at in sola India nunquam nascitur. Garcias ab Horto libr. primo capite 47. Fest. Auien. in descript. orbis.

Hic venæ di es niueum gignunt crystallum.

Ambitiose Sidon. Apollinar. Carm. 11. vers. 94.

Cui dederant crystalla iugum, quæ frigore primo
Orbis adhuc teneri, glacies vbi Caucason vrgens.
Strinxis hyperboreis Tanaitica crusta pruinis,
Naturam sumens gemmæ, quia perdidit vndæ.

Heluius Cinna poeta,

Atque imitata niues ludens legitur crystallus,

Sexto, *Murrhina*, vasa, & præcipue pocula adhibita luxuriosis nepotum conuiuiis. Martialis supra, vetus scholiast. Iuuenal. ad vers. 154. Sat. 6. *pocula tincta, facta de murrha.* Ælian. Lamprid. Heliogabalo. *in murrhinis & onychinis minxit* Iul. Capitolin. in M. Antonino. *vendiditque aurea pocula, & murrhina, & crystallina*, eadémque in eo habet lib. 8. Eutropius historicus. & Paulus IC. dubitat l. 3. §. vl. ff. de suppellectilis nomine enunciari *propter eximium vsum & pretium* L. Seneca Epist. 119. *illa hoc vnum iubet, sitim extingui, vtrum sit aureum poculum, an crystallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concaua, nihil refert.* Idem Epist. 123. *omnes iam mulos habent, qui crystallina, & murrhina, & cælata magnorum artificum manu, portent.* dignationem & immodicam æstimationem colligere licet ex eodem scriptore lib. 7. de Benef. cap. 9. *video illic crystallina, quorum accendit fragilitas pretium, omnium enim rerum voluptas apud imperitos ipsos quo fugari debet, periculo crescit, video murrhina pocula, parum scilicet luxuria magno fuerit, nisi quod vomant, capacibus geminis inter se propinarent.* ortum ac principium describit Plinius lib. 37. cap. 2. *eadem victoria primũ in vrbem murrhina induxit, primúsque Pompeius sex pocula ex eo triumpho Ioui Capitolino dedicauit, quæ protinus ad hominum vsum transiere, abacis etiam escariisque vasis inde expetitis, excreuítque indies eius rei luxus murrhino octoginta sestertiis empto, capaci plane ad sextarios tres calice potauit, ex eo ante hos annos consulatus ob amorem abroso eius margine*, frequens apud Martialem mentio. lib. 3. epigr. 26.

Aurea solus habes, myrrhina solus habes,

Lib. 11. epigr. 71.

Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum.

Lib. 13. epigr. 110.

Surrentina bibis, nec myrrhina, picta, nec aurum
Sume, dabunt calices hæc tibi vina suos.

Obseruatum in his, vt calenti vno conuenirent. idem Martial. lib. 14 epigr. 113.

Septimo *electrina pocula* magnatibus in pretio. Apul. supra, Trebellius Pollio. *Quietus Tyrannus electridem pateram, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historicam contineret, signis breuibus & minutulis, pontifici propinauit*, Lamprid. in Alexandro. *Helene dicitur Mineruæ Lindiæ calicem ex electro consecrasse.* varius certè eius seu gemmæ seu lapidis vsus, nam & ex eo annuli fiebant, Artemidor. lib. 1. cap. 5. & nummi, vt à doctissimo, summíque iudicij viro, Sauarone obseruatum est, & rusticarum fœminarum monilia. Isidor. lib. 16. Etymologiarum cap. 8. & vasa quælibet, Neratius IC. ex poculis ad Paulum l. 32. ff. de auro & arg. leg. & vites. Sidon. Apollina. Carmine 24. in fine.

Quis pomaria prisca regis Indi
Hic nunc compares, aureásque vites
Electro viridante pampinatas.

Et ædificiorum columnæ. Claudian. lib. 1. de raptu Proserpinæ.

Atria cingit ebur, trabibus solidatur ahenis
Culmen, & in celsas surgunt electra columnas.

Et pocula, vt omittam ea quę proximè supra sunt dicta. Iuuen. Sat. 5. v. 38. licet vetus schol. legat, *Beliadum.*

——— *ipse capaces*
Heliadum crustas & inæquales Beryllos,
Vitro tenet phialas, tibi non committitur aurum.

Q. Seren. Sammonic. lib. de Medicina cap. 72.

Produnt electri variantia pocula virus.

In aliis editionibus, & in MS. habetur, sed paruo discrimine.

Produnt electri rorantia pocula virus.

Sed quid propriè esset electrum, vbi terrarum nasceretur, non leuis est inter antiquos

contentio, ac primum poëtæ, omnes ex ſucco populi arboris expreſſo generari contendunt, Æſchylus, Philopænus, Nicander, Euripides, ac Satyrius, referente C. Plin. lib. 37. cap. 2. Virg. in Ceiri.

Coralia fragili, ac electro lacrymoſo.

P. Ouid. lib. 2. Metamorphoſ. fab. 3.

Inde fluunt lachrymæ: ſtillatáque ſole rigeſcunt,
De ramis electra nouis.

Claudian. de 3. Hon. conſul.

Et Phaetonteas ſolitæ deflere ruinas
Roſcida frondoſæ reuocant electra ſorores.

Hanc opinionem falſam eſſe & fabulę proximam probat Plinius ſupra citatus, & Lucianus, tota Italia luſtrata, obitáque Eridani ripa, comperit non modo ibi non gigni electrum, ſed nec populum vllam eſſe, è cuius cortice illud diſtillaret, & ad Icones Philoſtrati notat doctiſſimus Viginerius. Alij cenſent metalli eſſe genus, & ad argentum accedere. Qu. Flor. Tertull. libro aduerſus Hermogenem cap. 25. *nam & teſtam, licet ex argilla confectam, non tam argillam vocabo, ſed teſtam, & electrum, licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen nec aurum appellabo, ſed electrum.* idem lib. aduerſus Praxean: cap. 27. *vt electrum ex auro & argento, & incipit nec aurum eſſe id eſt ſpiritus, nec argentum, id eſt, dum alterum altero mutatur, & tertium quod efficitur.* Plin. lib. 33. cap. 4. *omni auro ineſt argentum, vbicumque quinta portio argenti eſt, electrum vocatur, fit & cura electrum argento addito: quid ſi quintam portionem exceſſit, incudibus non reſiſtit.* Ecce duplicem ille electri conditionem videtur ſignificare, vna eſt naturalis, altera artificio inducta imò triplicem docet Seruius ad v. 402. lib. 8. Æneid. *tria ſunt electi genera, vnum in arboribus, quod ſuccinum dicitur, alind quod naturaliter inuenitur, tertium quod fit de tribus partibus auri & vna argenti.* qui plura cupis, lege Gulielmum Pantinum in Commentationibus ſuis in Plinium. Iſti vt arte factum aliquod contendunt electrum, ita eorum ſententiam ſequutus eſt Vlpianus le. 4. ff. de leg. 1. dum ait *auri appellatione electrum non contineri.* Eſt tamen & alia eius ſpecies. D. Ambroſ. Hexamer. lib. 3. cap. 15. *quid autem tibi referam, quod electrum lachryma virgulti ſit, & in tantam materiæ ſoliditatem lachryma dureſcat? nec leuibus id aſſeritur teſtimoniis, quando folia & minutiſſimæ ſurculorum portiones, aut exigua quædam animantium genera in electro ſæpe reperiantur, quæ videtur, cum adhuc gutta eſſet mollior, recepiſſe, & ſolidam tenuiſſe.*

De loco dubitatur, nam in diuerſis mundi tractibus naſci certum eſt, in littore Britannici maris inuentum ſcripſit diſertiſſimus hiſtoricus Hector Boethius in rerum Scoticarum Annalibus, in mari Gothico, Finnonico, Liuonicoque prouenire docuit Cornelius Scribonius. Gryphæus in Epitome ſua ex Olai Magni hiſtorica, lib. 12. cap. 8. in Hiſpania, Strabo Amaſian. lib. 3. Communior nihilominus opinio eſt ad Padum naſci. Pauſan. Eliac. Priorib. Priſcian. Cæſarienſis Periegeſi.

Hic electra legunt aluis fluitantia Celtæ
Succina quæ memorant: mellis vinique colore
Quæ paleas rapiunt tractu, frondeſque cadu-
cas.

Quos ille Celtas vocat Itali ſunt, Eridani accolæ, nam & Dionyſius ipſe κελτῶν παῖδες, *Celtarum pubes* dixerat, quia Rubico antiquiſſimæ Galliæ limes erat ab Italia. Vibius Sequeſter libro de fluminibus, Lucan. lib. 1. Pharſal. verſ 213. & alij paſſim. Quintus Calaber Homericorum Paralipomenon lib. 5. verſ 625. *filiæ,* inquit, *Solis lugentes ad Eridani amnem,* ſolem patrem mouerunt. atque hic.

Ἤλεκτρον θῆκεν μέγα κτέαρ ἀνθρώποισιν.
Electrum fecit magnam rem & pretioſam hominibus.

Octauo, *argentea pocula* inuecto luxu in pretio, ſed magno nepotum à continentioribus ciuibus diſcrimine, iſti enim purum, ſimplex, nulliſque emblematis cælatum argentum habere gaudebant, illi totos cenſus profundere in mirabiles ſculpturas. C. Plin. Iun. libro tertio Epiſt. 1. *apponitur cœna non minus nitida, quàm frugi, in argento puro & antiquo. ſunt in vſu & Corinthia, quibus delectatur, nec tamen afficitur.* non ſine ſtomacho auunculus ipſius Plinius ſenior libro decimo tertio Nat. hiſtor. capite 12. *& quia hæc attinet colligere, cum capuli militum contempto ebore, aut etiam faſtidito, cælentur argento: vaginæ baſillis, balthei laminis crepitent. iam verò pædagogia ad tranſitum virilitatis cuſtodiantur argento, fœminæ lauentur, & niſi argentea ſolia faſtidiant. eademq; materia & cibis & probris ſeruiat.* mentio in Antiquis marmoribus.

ANTHVS. AD. ARGENTVM.
POT. I. CÆSARIS.

Aliud verò ſic habet.

VIBIÆ SVCCESSÆ. LIVIÆ.
AVG. SER. AB. ARGENTO.
POTORIO.

Tertium in hæc verba.

PARTHENIVS. CÆSARIS. N.
AB. ARGENTO. POTORIO.

Quar-

Quartum fragmentum huiusmodi est.

TI. CLAVD. AVG. LIB.
GRATIO. LIVIAE. AVG. SER.
N. A. POTIONE. ET.
ARGENTO.

Inde iocole apud Athenæum *magnum poculum puteus argenteus* dicitur lib. 11. Dipnosoph. vt clarum sit, inde etiam Græcis in vsu fuisse. Mela IC. apud Vlpian. l. 7 ff. de in rem verso. *illud verum non est, quod Mela scribit, si seruo meo argentum dederis vt pocula tibi faceret ex quolibet argento: mox factis poculis seruus decesserit, esse tibi aduersum me de in rem verso actionem, quoniam possum pocula vindicare.* P. Virg. lib. 1. Æneid.

Ingens argentum mensis cælataque in auro
Fortia facta patrum.

D. Iuuenalis. Sat. 1. vers. 76.

Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

Idem Sat. 9. vers. 141.

Pignoribus positis argenti vascula puri,
Sed quæ Fabricius censor notet.

Vetus schol. *Fabricius censor collegam suum notauit in senatu, quia supra decem libras argenti, unam Phialam inuenit: antea enim non licebat senatorem plus habere.*

Idem Iuuenal. Sat. 10. in principio.

Pauca licet portes argenti vascula puri.

Martial. lib. 8. Epigr. 6. de Eucto sene nimium pocula argentea ostentante.

Argenti furiosa sui dum stemmata narrat
Garrulus, & verbis mucida vina facit.

Corrigendum censuit Iustus Lipsius in Epistolicis suis quæstionibus.

Argenti fumosa sui dum stemmata narrat
Garrulus.

De cælatura poculorum argenteorum, quam *emblematum opus* vocat vetus scholiastes Iuuenalis ad vers. 76. Sat. 1. Locus est egregius Pauli IC. l. 13. de condict. furtiu. *ex argento surrepto pocula facta condici posse Fulcinius ait. ergo in condictione poculorum, etiam cælaturæ æstimatio fiet, quæ impensa furis facta est.* Vlp. IC. l. 19. ff. de auro arg. leg. *si esca ium argentum legatum sit, id solum debebitur, quod ad epulandum in ministerio habuit, id est ad escam, & potum.* quem locum frustra retractant, & pro, *id est*, reponere tentant, *item*: sensus enim optimus constat, si ministerio epulandi præparata vasa, siue ad esum & potum dicamus, quam luxuriam publicæ disciplinæ obfuturam damnat L. Seneca li. de Tranquill. animi ca. 1. *placet argentum graue, rustici patris, sine vllo opere et nomine artificis.* Idem in Consolat. ad Heluiam cap. 1. *si desiderat aureis fulgentem vasis suppellectilem, & antiquis nominibus artificum argentum nobile, et paucorum insania pretiosum.* Quænam ea cælatorum nomina? Certè enim Plinius lib. 33. cap. 12. *mirum in auro cælando inclaruisse neminem, argento multos, maxime tamen laudatus est Mentor.* Martial. lib. 8 Epig. 51. lemma est, de Phiala Rufi:

Quis labor in Phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hæc manus est, an Polyclete tua?
Liuescit nulla caligine fusca.

Emblemata ista nobilium artificum siue cælaturæ, proprio nomine *formæ* appellabantur. Sext. Propert. lib 3. eleg. 8.

Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ.
Et Myos exiguum flectit achantus iter.

Et lib. 4. eleg. 2.

At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus.

Nono aurea supellex recepta, & præcipue pocula. M. Tull. Act. in C. Verrem 4. *exponit multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ vt mos est regibus, & maxime in Syria gemmis erant distincta clarissimis.* Cn. ille Pompeius in triumpho suo vt scribit Plinius libro 37. capite 2. *transtulit vasa ex auro, & gemmis, abacorum nouem.* Corip. lib. 3. Num. 1. *vasa aurea mille.* abunde de hac supellectilis materia disseruere post Plinium Critici S cæuolæ IC. l. 36. de auro arg. le. *Seiæ dulcissimæ poculum aureum, quod elegerit, fidei heredum committo: vt da ent. quæro cùm in hereditate non sint nisi trulla, scyphi, modioli, phialæ an Seia ex his speciebus eligere possit, respondit, cùm omnia potui parata pocula dicuntur, posse eam ex his eligere.* Cælabantur & aurea pocula, licet non tanto támq; elaborato artificio quemadmodum argentea, nam Plinius *cælatura duri nullum artificem inclaruisse*, supra à me citatus dixerat. Virgilius etiam supra, *cælatáque in auro fortia facta patrum.* eodem lib.

——ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

Isidor. lib. 20 cap. 4. *in vasculis tria quæruntur, quæ placeant, manus artificis, pondus argenti, splendor metalli.* dictum ab eo superius, ne argentea tantum putes pocula denotari *cælata vasa, argentea vel aurea sunt, quæ signis eminentioribus intus extráue expressa, à cælo vocata, quod est genus ferramenti, quod cilionem vulgo vocant.* Sil. Italic. lib. 10.

——non vna ministri
Turba greges, posuisse dapes his addita cura,
His adolere focos, his ordine pocula ferre.

Necnon & certis struitur, aspera mensa,
Pondere calati fulgens antiquitus auri.

Insculpebantur iteque gentilitia familiæ stemmata: Pulchrè Statius Papinius libro 1. Thebaid. vers. 540.

—postquam ordine mensæ
Victa fames, signis perfectam auroque nitentem
Iasides pateram famulos ex more poposcit,
Qua Danaus libare diis, seniorque Phoroneus
Assueti, tenet hæc operum cælata figuras
Aureus anguicomam præsecto Gorgona collo
Ales habet, &c.

Decimo. inserebantur auro gemmæ, indéq; *gemmata pocula.* Luctatius Placidius ad vers. 150. lib. 1. Thebaid. *nondum eis luxuria sua fecerat pocula habere gemmata.* D. Hieronymus Epist. ad Macarium. *beatioréſque sibi videntur, qui purpura fulgent, qui gemmma bibunt toga fuciuntur, palmatáque pinguntur.* D. Cyprian. libro 2 epist. 2. *suspires ille in conuiuio, bibat licèt gemma.* L. Apul. lib. 2. Milesiar. *pueri calamistrati, pulchrè indusiati, gemmas formatas in pocula vini vetusti frequenter offerre.* Plinius acerrimus insanientis luxuriæ hostis, in præfat. ad librum 33. *nec hoc fuit satis turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ causa tenere Indiam iuuat: & aurum iam a cessio est.* Iacobus Cuiacius obseruat. lib. 10. cap. 8. notauit. Vlpian. l. 19. ff. de auro & argento leg. *Peruenia-mus & ad gemmas inclusas auro argentoque, & ait Sabinus auro argento ve cedere, ei enim cedit, cuius maior est species, quod rectè expressum: semper enim cùm quærimus quid cui cedas, quid cuius rei ordinandæ causa adhibetur, vt accessio cedat principali.* Contrarius omnino sensus loco Pliniano, nam Iurisconsultus vult gemmas accessionem tantùm auri esse. Plinius aurum gemmarum accessionem, quæ tanto numero sunt, vt maiorem poculi partem facere videantur. Paulus IC. lib. 3. ad Sabinum. *si vt habiliter gemmæ geri possint inclusæ auro fuerint, tum aurum gemmis dicimus cedere.* quæ perperam vir doctus de poculis gemmatis interpretatus est, cùm de annulis videatur sensisse, in quorum Pala gemmæ inclusæ. vetus Scholiastes Iuuenalis ad v. 42. Sat. 5. *venia danda est, si custodiris, cùm acceperis Phialam quoniam gemmæ pretiosæ in poculis, sunt & calices gemmati.* L. Sen. de Prouidentia cap. 3. *quanto magis huic inuidendum est, quàm illis, quibus gemma ministratur.* Et lib. 7. de Benefic. cap. 9. *capacibus gemmis inter se propinarent.*

Sext. Propert. lib. 3. eleg. 4.

Non tamen inuiso pectus mihi carpitur auro.
Nec bibit è gemma diuite nostra sitis.

Iuuenal. Sat. 10. in limine.

—sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

In immodico Cleopatræ luxu, quo Cæsarem excepit M. Lucanus libro 10. Pharsal. vers. 158.

Non mandante fame, multas volucrésque ferásque
Ægypti posuêre deos, manibúsque ministrat
Niliacus crystallus aquas, gemmæque capaces
Excepere merum.

Virgil. lib. 2. Georgic.

Hic petit excidiis vrbes, miserósque penates
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.

D. Paulinus de vita D. Martini lib. 4.

Pocula funduntur gemmis, gemmisque bibuntur.

P. Ouid. lib. 8. Metamorph.

In gemma posuêre merum.

Martial. lib. 11. epigr. 12.

Tolle puer calices, tepidique toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu.
Trita patrum labris, & tonso pura ministro,
Antiquus mensis restituatur honos.
Te potare decet gemma.

D. Auson. epigr. 8.

Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis
Et misceret opes, pauperiémque simul.

Statius lib. 1. Thebaid.

—nec cura mero committere gemmas.

Corrigendus è codice Corippi Africani locus lib. 3. Num. 3. qui insignis ad cælaturam huiusmodi vasorum exprimendam.

Aurea purpureis apponunt fercula mensis
Pondere gemmarum plus grauia: pictus vbique
Iustinianus erat, dominis pictura placebat,
Gaudebántque sui genitoris imagine visa.

Restitue corruptum locum leui mutatione.

Aurea purpureis apponunt fercula mensis

Pondere

Pondere gemmarum pregrauata.

Sequitur deinde cælatura.

Ipse triumphorum per singula vasa suorum
Barbarico historiam fieri mandauerat auro.

A Græcis χρυσένδετα Chrysendeta appellantur. *gemmas auro insertas* interpretatur Adrianus Turnebus lib. 14. Aduersarior. cap. 3. mendosus codex est. Isidori lib. 20. Etymologiar. cap. 4. *Crisendita, vasa deaurata.* castiga, & rescribe, *Chrysendeta, vasa deaurata.* vbi vel inscitiam, vel ignorantiam accusare liceat, neque enim Chrysendeta deaurata sunt vasa, sed auro solido facta, admixtisque gemmis decorata. vsus vel in poculis, vt iam expositum: vel in parapsidibus, aliaque suppellectile, Mart. lib. 2. Epigr. 43.

Innumeri tibi fl..ua tegunt Chrysendeta mulsi.

Lib. 6. Epigr. vlt.

Ponuntur semper Chrysendeta Calpetiano.

Lib. 11. Epigr. 30.

Accipe vina, domum, pueros, Chrysendeta, mensas

Denique lib. 14. epigr. 97.

Grandia ne viola paruo Chrysendeta mulso.

Vltimo. *ossa capitis humani* barbaris quibusdam & feris gentibus pro poculis erant. quod in more positum Scythis antiquis in Geographia sua Strabo Amasianus lib. 7. Herodot. lib. 4. pag. 277. αὐτὰς δὲ τὰς κεφαλὰς οὔτι πάντων, ἀλλὰ τῶν ἐχθίστων ποιεῦσι τάδε, ἀποπρίσας ἕκαστος πᾶν τὸ ἔνερθε τῶν ὀφρύων ἐκκαθαίρει, καὶ ἢν μὲν ᾖ πένης, ὁ δ' ἔξωθεν ὠμοβοέην μούνην περιτείνας, οὕτω χρᾶται, ἢν δὲ ᾖ πλούσιος. τὴν μὲν ὠμοβοέην περιτείνας ἔσωθεν δὲ περιχρυσώσας, οὕτω χρᾶται, ποτηρίῳ, *non tamen de omnium, sed de inimicissimorum capitib. hoc faciunt, vt quisque illud, quod est infra supercilia, recisum prorsus excutiat & crudo tantum bouis corio, si pauper sit, sin diues non modo exterius inducat bouino corio, verum etiam interius inauret, & sic vterque pro poculo vtatur.* sed ab Ægydio Maserio vide id animaduersum in Commentariis suis ad Valerij Flacci lib. 5. Argonautic. Antonius Bonfinius Rer. Vngaric. 1. Decad lib. 1. pag. 10. *eorum caluariis pocula fingere,* & de Scordiscis Ammia. Marcelli. lib. 27. *Scordisci longe nunc ab iisdem prouinciis disparati, saeui quondam & truces, vt antiquitas docet, hostiis captiuorum Bellonæ litantes & Marti humanumque sanguinem in ossibus capitum humanorum bibentes auidius.* De Auaribus, Hunnis, Gepidísque, Paulus Varnefridus Langobardi filius, quem alij Paulum Diaconum, nonnulli Paulum Monachum solēt vocare li. 1. de Gest. Lõgobardor. cap. 27. *In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque illius sublatum ad bibendum ex eo poculum fecit.* de quibusdam ad septentrionem colentibus populis C. Plinius lib. 7. ca. 2. *priores Anthropophagos, quos ad septentrionem esse diximus, decem dierum itinere supra Borysthenem amnem ossibus humanorum capitum bibere, cutibusque cum capillo, pro mantilibus ante pectora vti.* quod de Essedonibus retulit Iulius Solinus Polyhistor. cap. 19. *Essedonum mos est parentum funera cantibus prosequi, & proximorum corrogatis cœtibus cadauera ipsa dentibus laniare, pecudúmque carnibus mista dapes facere, capitum etiam ossa auro incincta, in poculorum tradere ministerium.* Reperi etiam qui ad priscos Gallos, seu Celtas eandem traherent diritatem, Sil. Ital. lib. 13.

At Celtæ vacui capitis circundare gaudent
Ossa, nefas, auro & mensis ea pocula seruant.

Satis iam superque, vt puto de poculorum materia disserui, sequitur forma, quæ diuersissima, quædam enim panda, quædam angusta, alia oblonga, nonnulla in nauigij speciem efficta, vt infra dicetur. Erant & pocula, quæ duos haberent fundos, quale est Nestoreum apud Homerum, & Athenæum, vt Desiderius Heraldus annotauit. M. Martial. lib. 2 Epigr. 6.

Hi duo longæuo censentur Nestore fundi,
Pollice de Pylio trita columba nitet.

Nec deerant, quæ tympanum referrent, parua & cana, sine fundo, & auribus, quę mollia erant & paruis viris conuenientia, vt locus fit datus Demostheni conuicium faciendi Mipiæ, quod eis parum castrensibus biberet, Dorotheo autore referente Athenæo lib. 11. iisque soli Cybeles sacerdotes vtebantur. & quia Græci κλίμμαδα vocant formam operimenti testudinis, *clemmateres* etiam dicebantur. Plin. libro trigesimo tertio cap. 11. *mox additum argentum in angulis, lineasque per commissuras, tympana verò se inuenio appellata statteras & lances quas antiqui magidas appellarant.* Plaut.

——ipsum etiam
Pauxillum argenti tenibus tensum tympanis
Limari, et minutari quæ semper creais, quia
Semel factum est.

Frustra est Cælius Rhodiginus lib. 8. ca. 15. qui μάγιδας *mensas* exponit, *quæ ponuntur, tolluntúrque,* cum diserte Plinius vasa potoria velit esse, eadémq; quæ tympana. Varro. lib. 4. de ling. Latin. *à magnitudine* desumit etymon, sed Græcæ tamen esse originis liquet cùm extet apud Iulium Poll. inter dictiones Græcas relatum lib. 6. Onomastic. cap 10. & rursus lib. 6. cap. 5. mentio & apud Paulum IC. l. 36. ff. de condi. indeb. *seruus cuiusdam inscienti domino magidem commodauit, is tui cum-*

m lauerat, pignori eam posuit, & fugit, ex Polluce, eadem, quæ Rhod. censet. Budæus in Annot. ad pandect. priores & post eum Andreas Alciat. lib. 8. parerg. cap 16. nisi forte credendum sit aliis criticis, qui legunt, *insciente domino capidem commodauit*. quod & ferri potest, nam capides vasa escaria sunt.

Tertio poculorum quædam ansulis carebant, alia ansas habebant, nonnulli aurita tantum vna erant parte. Iul. Poll. lib. 6. Onom. 18. ... *Phialam vero ancipitem, & aureum poculū vtrinq; ansatum, Homerus à forma appellat. sed vnicam ansam habens cotyliscus nominabatur*. Philemon, vt retulit Athenæus lib. 11. dixit *Cissibium esse poculum vna parte tantum auritum*, de quo supra hoc capite à me dictum est, Aurel. Macrob. 5. Saturn. cap. vigesimo primo *patera, vt & ipsum nomen indicio est, planum ac patens est, carchesium verò procerum, & circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis à summo ad infimum pertinentibus*. Locus, nisi ego fallor, corruptus. nam quomodo id mediocriter ansatum esse potuit, si à summo ad infimum pertingant ansæ? Ego verò si quid iudicio meo tribuendum esset, perpensis Calixeni Rhodii verbis eodem Athenæi lib. cap. 7. suspicor è Græco ... Macrobium ista transtulisse, & ideo compressum quidem circa meditullium, sed protuberans fuisse leuiter istud poculum, quod ille significantissime Latina expressit dictione, *ancatum mediocriter*, vt *ancatum* sit desumptum ab *ancus*. Fest. Pomp. li. 1. *ancus appellatur, qui aduncum habet brachium, vt exporrigi non possit*. glossarium *ancus* .... Ingratus sane essem, nisi eruditissimo Isacio Pontano hanc acceptam referrem coniecturam. de ansis iisdem locum proferam è M. Cicerone Act. 4. in Verrem. *exponit non pauca pocula ex auro, quæ vt mos est regibus, & maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. erat autem vas vinarium, ex vna gemma pragrandi, trulla excauata, manubrio aureo*. ansulatum harum vsus, vt apparet, erat, vt qui propinaret, aut porrigeret, vnam earum manu teneret, alteram verò cui tradebatur poculum, arriperet. de Sileno illo ebrioso P. Virg. Ecloga 6.

Serta procul tantum capiti delapsa iacebant,
Et grauis attrita pendebat cantharus ansa.

Ouid. Epist. 16. vbi Paris Helenæ pulchritudinem extollit.

Dum stupeo visis, (nam pocula forte tenebam)
Tortilis à digitis excidit ansa meis.

Hæc sunt vasa, quæ *calices pterot* nuncupantur à Plinio lib. 36. cap. 26. quasi *pinnatos* aut *alatos* dicas, quod ansæ vtrinque protensæ alarum speciem referrent. verba ipsa apponam. *sed quid refert Neronis principatu reperta vitri arte, quæ modicos calices duos, quos appellabant pterotos, HS. sex millibus venderet*. nisi forte assentiendum sit iis qui legere voluerunt, *quos appellabant apyrotos*, quasi scyphi sint frigidæ aquæ capaces, non vero calidæ. nam delicatiores calidam solebant bibere, Mart. lib. 6. epigr. 35. durioris victus homines, quiq; à luxu remotiores essent, frigidam. Plin Iunior. lib. 6. epist. 16. *iacens aliquantulum frigidam gustauerat*. C. Tacit. l. b 13. Annal. *innoxia adhuc, & præcalida potio*. M. Varro lib. 4 de ling. Lat. calix à caldo, quod in eo *cal da puls apponebatur, & caldum in eo bibebant*. L. Apul. lib. 2 Milesiar. *commodum cubueram, & ecce Fotis mea iam domina cubitum reddita, iacta proximas rosa serta, & rosa soluta in sinu tuberante, ac me pressim deosculato, & corollis reuincto, & flore prosperso, arripit poculum, ac desuper aqua calida iniecta porrigit bibam, idq; modicum: priusquam totum exsorberem, clementer inuadit*. Sed omnia vulgata. consule Fuluium in Appendice pag. 170. I. Lipsius Hier. Mercorialis Guilielm. Stuckius libro tertio Antiquitat conuiual. cap. 6. & alij. Iuuenal. Satyr. 5. vers. 63. videantur.

Quando vocatus adest gelidæ, calidæque minister.

Martial. libro 8. epigram. 67. & alibi sæpissime.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit.

Et lib. 14. epigr. 190. lemma est, *caldu & frigida aqua*.

Hæc tibi quæ fuerint caldarum nomina dicunt,
Ipsa suas melius charta notabit aquas.

Hæc de forma. iam de speciebus tractandum, quas libro iam sæpe citato Athenæus exequitur. Iull. Poll. libro sexto cap. 16. Nonius Marcellus cap. 19. Isidor. lib. 20. capite 5. & Iurisconsultus l. b. 36. ff. de auro & arg. leg. *trullas, scyphos, modiolos, thiaias*. enumerat Macrob. lib. & capite proxime citatis *carchesia, cymbia, cantharos, scyphos*, alij *pateras, crateras, amistes, Bacchia, alathos, calices, & ampullas*.

Trullam quidem, siue, vt alij appellant, *truellam*, volunt esse *scyphum profundiorem, & oblongiorem* Andreas Alciatus lib. 3. parer. cap. 3. vetus Interpres Iuuenalis ad Satyr. 3. v. 108. *calicem aureum* exponit *trullam*. & erudite, vt multa alia, Alexander Neapolita-

nus

nus lib.3. Genial. dier. cap.20. locum illum Iuuenalis pertractat, & exquisitissimæ diligentiæ pleraque apud Andream Tiraquellum reperies. Helenus Acron, *trulla, deformis calix, & rusticanus*, ad Horatium lib. 2. Sat. 3. M. Cato de Re Rustica cap. 10. *villicum habere oportet urnam quinquagenariam vnam, trullas tres.* Idem cap.13. in torcularium vsui opus sunt, *trullæ æneæ tres, amphoræ olearia duæ.* Et post eodem capite, *vrceos vrnales fictiles duos, trullas ligneas duas.* C. Plin. lib.34. cap.2. *sunt ergo vasa tantum Corinthia, quæ isti elegantiores nunc æ sculpendo transferunt modò in lucernas, modò in trullas, modò munditiarum respectu.* locus non omnino sanus, corrige igitur ex fide M S. *modò in lucernas modò in trullas nullo munditiarum respectu.* & sunt in illo scriptore pleraque, quæ manum criticam requirant, quod miror, in tanta eruditorum turba. vult enim munditiis contemptis Corinthia vilissimis vsibus applicata, dum ex iis fiunt trullæ. hoc est lasanum, in quod onus ventris deponitur; aut vas, quo è culina in latrinam aquam effundunt, aut cæmentariorum instrumentum, quo dealbati tectorio, aut delutati muniuntur, & complanantur, nam omnia illa significata habet trulla. meminere poetæ. Martial. lib.9. epigr.98.

Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro,
Deprensus dixit, stulte quid ergo bibis?

Sic puto abundè diuersam in Plinio lectionem firmatam. quod & poculum potorium fuerit, nulli dubium esse potest. M. Actius Plautus in Amphytruone Act. 4. sc.4.

Interea dum illi certant in popinam diuertendum est mihi.
Lances detergam omnes, omnésque trullas
Hauriam.

Horat. loco proximè supra laudato.

Qui Veientanum festis putare diebus
Campana solitus trulla, vappámque profestis.

Phialam enumerant inter vasa potoria non modò Græcarum rerum scriptores Iulius Pollux lib.6. Onomastic. cap 16. & alij, sed & Latini passim eam vocem tanquam suam vsurpant. Martial. lib.8. epig.33. & lib.3. epig.41. Iuuenal. Sat.5. *Virro tenet phialas.* corrigendus eiusdem Scholiastes ad vers. 27. Sat. 10. *inaurata*, inquit. *fiola, cum vinum coloratum acceperit.* rescribe. *aurata*, inquit. *phiala.* Athenæus lib.2. dipnosophist. cap. 6. in fine. & lib.11. cap.16. *sunt aurea phyala.* ex auro itaq; phialæ, liquet ex Æliano. Var. hist. lib.1. cap 32. εἰς χρυσῆν φιάλην ἐδέξαντο ἐκ τῶν χειρῶν αὐτοῦ τὸ ὕδωρ *in auream phialam de manibus eius exceperunt aquam.* erant tamen & ex argento. idem eodem lib. cap.22. φιάλαι δύο ἀργυραῖ. *phialæ duæ argenteæ.* Heliodor. lib.2. Æthiopic. καὶ ταῦτα εἰπὼν ἀπέχει τῆς φιάλης ἄκρατον τὸ ὕδωρ. ἔτι καὶ σπένδω μὲν ἔλεγε θεοῖς ἐγχωρίοις καὶ Ἑλληνίοις, καὶ αὐτῷ γε Ἀπόλλωνι Πυθίῳ, καὶ προσέτι Θεαγένει καὶ Χαρικλείᾳ. *hæc locutus effundebat ex phiala meram aquam, & libo, dicebat, diis huius regionis, & Græcis, & ipsi Apollini Pythio, ac insuper Theageni & Chariclea.* vnde apparet pateram fuisse, qua in sacrificiis vterentur, vt non tantum in conuiuiis eius fit vsus. Christodorus poeta Thebanus Copita, in Antholog. lib.5. epigr.29.

—λιῷ μὲν ἀείρων
δεξιτερῇ φιάλην ἐπιλοίβιον.
Et attollebat quidem dextera phialam libatoriam.

Pindarus etiam mensis epulantium appositam docet Olympic. ad 7. in principio.

φιάλαν ὡς εἴτε ἀ-
φνειᾶς ἀπὸ χειρὸς ἑλὼν
ἔνδον ἀμπέλου καχλάζοισ-
αν δρόσῳ δωρήσεται
νεανίᾳ γαμβρῷ προπίνων.
Phialam vt si quis è diuite manu sumptam, intus rore vuæ bullientem, donet iuueni genero præbibens. adi ad eundem si plura cupis. Pythior. od.4. & Isthmior. od.1. & alibi sæpe.

Cymbium à forma nauis, quam referebat, nomen accepit. M. Terent. Varro lib.1. de vita populi Romani. *item erant vasa vinaria, sinus, cymbia, aquilinæ pateræ, gutti septarij, simpuuium.* Simaristus *exiguum & cauum poculum* interpretatur: Dorotheus, *altum*, quodque *auribus careat.* Ptolomeus Aristonici filius, *gibbosum.* Dionysius Samius cum Cyssibio confundit: Didymus *oblongum angustum*: Eratosthenes, cymbium *similem cyatho* expressit, meminere præter Grammaticos & Poetæ, Alexis in Equite, Ephippus in Ephebis, Anaxandrides in Rusticis, & alij apud Athenæum libro laudato. Virg. lib.3 Æneid.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras.

Et lib.5. Æneid.

Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.

Martial. lib.8. epig.6.

Ficta Saguntino cymbia mala luto.

Sext. Propert. lib.3. eleg.7.

Cum furibunda mero mensam propellis, & in me
Proiicis insana cymbia plena manu.

Scyphus Græcorum etiam in vsu, Iul. Pollux lib 6. cap.2.16. à Latinis vsurpata dictio M. Tull. Act. 6. in C. Verrem. *hinc illa Verres*

n*ta sunt, hinc in conuiuium Sextum Conuiuium protrahi iussit, in quem scyphum de manu iacere conatus est.* Sueton. Tranquill. Nerone. cap. 47. *duos scyphos gratissimi vsus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri vocabat, solo illisit.* quem locum eo lubentius produxi, quod sciebam à Plinio calices vocari, quos hic scyphos appellauit, sic enim eandem historiam narrans ille lib 37 cap. 2. *Nero amissarum rerum nuntio accepto duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos, hæc fuit ratio sæculum suum punientis, ne quis alius ex his biberet.* sed parum interest, deque enim magna inter vtriusque poculi formam differentia, & materia communis, scilicet aurum, argentum, gemmæ. Ab. Tibul. lib. 1. eleg. 10.

Diuitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus astabat cum scyphus ante dapes.

Q. Horat. lib. 1. od. 27.

Natis in vsum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est.

Epodon idem od 9.

Capaciores adfer huc puer scyphos,
Et Chia vina, aut Lesbia.

M. Plautus in Asinaria.

Scyphos quos vtendos dedi Philodamo, retulitne?

Meminit Homerus lib. 14. Odyss. vers. 112.

καί οἱ πλησάμενος δῶκε σκύφος, ᾧ περ ἔπινεν,
Et impletum dedit scyphum, quo bibebat.

Herculaneos scyphos præ aliis laudatos inuenio ab inuentore Hercule. Macrob. lib. 5. Saturn. cap. 21. *Scyphus Herculis poculum est, ita vt Liberi patris cantharus. Herculem verò fictores & veteres non sine causa cum poculo fecerunt, & nonnunquam casabundum & ebrium: nō solum quod is heros bibax fuisse perhibetur, sed etiam quod antiqua historia est Herculem poculo tanquam nauigio, ventis immensa maria transisse.* vide quæ ille ex omnibus deinde probatis scriptoribus ad notitiam huius scyphi narrat. Bœotiis in præcipuo fuisse vsu, discimus ex Athenæi lib. 11 12. quod tutelare eius vrbis regionisque numen esset. Herculis mentio, & apud Plutarchum in Alexandro in fine. *ὅτι σκύφος Ἡρακλέους ἐκπιὼν, non exhausit Herculis scyphum.* Q. Curt. lib. 10. *iisdem ferè diebus conuiuium apud Thessalum Medium institutum est, ad quod rex cum sodalibus vocatus venit, ibi nondum epoto Herculis scypho, repente velut telo confixus ingemuit.* L. Sen. Epist. 83. *Alexandrum cuius modo feci mentionem, tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victa itinerum locorúmque difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum emiserunt, intemperantia bibendi, atque ille, Herculaneus & fatalis scyphus condidit.* Scribitur, à Niceta Choniate, Camatherum Logothetam, edacem admodum bibacémque fuisse, superasse illos, in quorum manibus amphoræ, vt calices versabantur, *καὶ τὸν σκύφον εἶχεν ἀεὶ ὄπισθεν τὸν Ἡράκλειον, & habebant semper post cænam illum scyphum Herculaneum.* Reperiuntur etiam scribente M. Tullio actione sexta in Verrem, *duo pocula Herculea manu Mentoris summo artificio facta.* Atque vt tandem expediam, *legitur in libris antiquis Herculem magnum poculum ligneum attulisse, quo vtebatur in sacris, quod ne caries consumeretur, pice oblitum conseruabatur.* Seruius Honoratus ad lib. 8. Æneid. de sacrificio Herculi oblato.

Et sacer impleuit dextram scyphus.

D. Iuuenal. Sat. 12. vers. 45.

——vrnæ cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo.

Pholum enim hunc *vnum de Centauris* fuisse, & Herculem peregrinantem excepisse hospitio narrant fabulæ. M. Lucan. lib. sexto (vt omittam Stesichorum.)

Hospes & Alcidæ magni Pholo.

Ciborium etiam inter vasa potoria reponit Hesychius Grammaticus. *κιβώριον, Αἰγύπτιον ὄνομα ἐπὶ ποτηρίου. ciborium Ægyptium nomen de poculo.* huius forma delineatur à Porphyrione vetusto Q. Horatij interprete, ad li. 2. od. 7. *ciborium est poculi genus in modum foliorum colocasiorum factum.* Paulus Varnefridus de Gest. Longobard. lib. 3. cap. 35. *de quo auro ipse rex postmodum ciborium solidum, miræ magnitudinis & magni ponderis fecit, multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum, ad sepulchrum domini Hierosolymam transmittere voluit: sed cum minimè potuisset idem supra corpus Beati Marcelli Martyris, quod in ciuitate Cauallono sepultum est, vbi sedes regni illius erat poni fecit, & est ibi vsque in præsentem diem, nec est vsquam vllum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari.* Horat. loco proximè supra laudato.

Obliuioso leuia Massico.
Ciboria exple.

De Aqua iam agendum incumbit, quam vel frigidam, vel tepidam fuisse iam à me ostensum: Sed & interdum pro aqua glacies in frusta dissecta, aut nix concreta frigore, vino diluendo adhibebatur, ardentissimis æstatis caloribus. C. Plin. libro nono capite quarto, *hi niues, illi glaciem potant, pœnásque montium in voluptatem gulæ vertunt, seruatur algor æstibus, excogitaturque, vt alienis mensibus nix algeat.* in MS. codice appositè magis, *seruatur Ligur æstibus.* quod niuem hanc, aut glaciem ex Alpibus vicinis Liguriæ Romam transferrent. Idem

Idem lib.33.cap.3. *niuem quidem glaciemque subtilissimum elementi eius videri miror, apposito grandinum argumento, è quibus pestilentissimum potum esse conuenit, nec vero pauci inter ipsos, è contrario ex gelu ac niuibus, insaluberrimos potus prædicant, quoniam exactum sit inde, quod tenuissimum fuerat.* in aliis etiam melius, meo iudicio, quoniam *exsuctum sit inde.* Plinius Iunior nepos ipsius lib.1. Epist.15. *promittis ad cœnam nec venis, dicitur ius, ad assem impendium reddes, nec id modicum: paratæ erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, oua bina, alica cum mulso & niue, nam hanc quoque computabis, imo hanc imprimis quæ perit in ferculo.* nec quisquam, vt puto cultus hoc ipsum expressit Latino Pacato Drepanio.in panegyrico, quem Theodosio Augusto optimum dixit. *nam delicati illi ac fluentes, ac quales sæpe tulit respublica, partim se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstiuam in gemmis capacibus glaciem falerna fregissent.* Macrob.lib. 7. Saturnal. cap. 12. *nosse quæro, cur aqua, quæ obsita globis nubium perducitur ad niualem rigorem non minus in potu noxia est quam ex ipsa niue aqua resoluta, scimus enim quot quantæque noxæ epoto niuis humore nascantur.* Hæc Auienus, subiungit vero Disarius, *aqua ex niue resoluta etiamsi igne calefiat æque noxia est ac si epota sit frigida, ergo non solo rigore noxia is aqua perniciosa est, sed ob aliam causam.* suspectus tamen mendi locus est, itaque rescribendum censerem, *aqua, quæ obsita sit globis niuium minus in potu noxia est.* nam *globi nubium*, vix Latinus admittit sermo oratorius, licet poeticum sit. Q.Sammonic. Seren.lib.de Medicina cap.4.

Desinet interea glomerari farrea nubes,
Cessabitque grauis crebræ porriginis imber.

Et non debere expungi docuit literatissimus Antonius Muretus lib. 9. variar. lection. cap. 9. meminere & alij scriptores niuatam hanc aquam in summis delitiis fuisse, licet maxima sanitatis iactura. A.Gell.lib.19 cap. 5. ex authoritate Aristotelis. *is nos aquam multam ex dilutæ niue bibentes, coercebat seueriusque increpabat.* Seuerior tamen est L.Seneca in exprobratione delicatioris istius bibendi consuetudinis, quam omnes alij scriptores, loca quædã huc transcribam. Epist. 78. *O infælicem ægrum, quare? quia non vino niuem diluit, quia non rigorem potionis suæ renouat fracta insuper glacie.* Epist. 96. *quid in illam æstiuam niuem non putas callum iecinoribus obducere?* lib.4. Nat.quæstion. *multo magis nobis dici à te pertineat, quare emendæ non sine niues, cum luxuria iubas me litigare.* Et lib. de Prouident. cap. 3. *quibus exoletus omnia perpeti doctus, suspensam auro niuem diluit.* Denique & lib.2. de Ira. cap. 25. *perpetitur hic famem, & æstiuæ expeditionis sitim qui puero male diluenti niuem, irascitur,* addi poterunt poetæ, qui eandem luxuriæ intemperantiam non minus quam oratores, vel expresserunt, vel insectati sunt. C. Lucilius apud Ciceronem lib. 2. de finibus bonor. & malor.

Cui nil dempsit nix, & saculis abstulerit nil.

M.Accius Plautus Curculione sc. *date viam,*
PH. Viden, vt expalluit? datin' isti sellam, vt assidat cito,
Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus?
CV. animo male est.
PH. Vin' aquam? CV. si frustulenta est, da obsecro hercle, obsorbeam.

Martialis omnibus paginis, vt appareat æuo ipso maxime eum ritum viguisse lib. 5. epigr. 65.

Sextantes Calliste duo infunde falerni,
Et super æstiuas, Alcime funde niues.

Et lib. 9. epig. 23.

Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra falerna niues.

Idem lib. 12. epig. 17.

Ebria Setino sit sæpe, & sæpe falerno.
Nec nisi post niueam cæcuba potat aquam.

Et lib. 6. epigr. 86. vetitum vsum à medicis ostendit.

Setinum dominæque niues, densique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?

Denique lib.14. epigr.117.

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem,
De niue commenta est ingeniosa sitis.

Melius in editione Plantiniana sic interpungitur.

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem
De niue, commenta est ingeniosa sitis.

Nec in potu modo, sed ad manus etiam abluendas. Petronius, *discubuimus Alexandrinis pueris aquam niuatam in manus infundentibus.* Vinum ætate æstimabant, & quo diutius fuisset asseruatum, eo maioris habitum. L. Apul.lib.2 Milesiar. *Commodum meridies accesserat, & mittis mihi Byrrhena xeniola porcum opti-*

mum, & quinque gallinulas, & vini cadum in ætate pretiosi. L. Sen. lib. 4. Natural. quæstion. cap. vlt. *nos vero quæramus potius quomodo fiant niues, quam quomodo seruentur, quoniam non contenti vina fundere veterana, & per sapores ætatesque disponere, inuenimus quomodo stiparemus niuem vt ea æstatem euinceret, & contra anni feruorem defunderetur loci frigore.* Et lib. de vita beata cap. 17. *quare cultius tibi rus est, quam naturalis vsus desiderat? cur non ad præscriptum tuum cœnas? cur tibi nitidior supellex est? cur apud te vinum ætate tua vetustius bibitur?* Pompeius IC. l. 3. ff. si certum petatur. *cum quid mutuum dederimus, etsi non cauimus, vt æque bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere, sit, reddere, veluti vinum nouum pro vetere.* Scæuola etiam IC. l. 37. ff. de leg. 3. *cum hoc elogio fideicommissum reliquit, Mæuio liberto meo de me nihil merito, dari volo lagynos vini vetusti centum quinquaginta.* sic legitur Charondæ seu verius Plantini editione, nec male, nam antiquitus *lagunam*, non vero lagænam dicebant, vt in appendice obseruauit Fuluius Vrsinus, pag. 178. ex Athenæi libris 7. & 11. in aliis probatiori vsu receptiorique legitur, *lagænas vini vetusti centum.* sed parum refert. meminit etiam & Anastasius Aug. l. 16. de erogat milit. ann. lib. 12. & poetæ passim. quosdam adscribam. Q. Catul. Epig. 24.

Minister veluti puer falerni
Ingere mi calices amariores
Vt lex Posthumiæ iubet magistræ
Ebriosa acina ebriosi oris.

Ita legitur hic locus apud A. Gellium lib. 7. cap. 20. licet Sabellicus, *auariores calices* contendat legendum, Hermolaus Barbarus, *meraciores*, vt videre facile est apud Ioannem Brodæum lib. 1. Miscellaneor. cap. 3. sed potior Gellij lectio, quam confirmat Seneca Epist. 64. *in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat.* Alcimus Auitus lib. 3.

Feruebat priscum crystallo algente falernum.

P. Ouid. lib. 2. de Arte.

Qui properant, noua musta bibant, mihi fundat auitum
Consulibus priscis condita testa merum.

Et lib. 5. Fastor.

Quæque puer quondam primis diffuderat annis
Promit fumoso condita vina cado.

Stat. Papin. lib. 4. sil. 6.

Iam moriente die rapuit me cœna benignè
Vindicis, hæc imos animi perlapsa recessus
Inconsumpta manet, neque enim ludibria ventris
Hausimus, aut epulas diuerso à sole petitas,
Vinaque perpetuis æuo certantia fastis.

Martial. lib. 3. epigr. 61.

Centenis quod emis pueros, & sæpe ducentis,
Quod sub rege Numa condita vina bibis.

Idem iocose, vt solet lib. 7. epigr. 78.

Potaui modo consulare vinum,
Quæris quam vetus, atque liberale?
Ipso consule conditum, sed ipse
Qui ponebat, erat, Seuere consul.

M. Plaut. Aulular. sc. *nimium.*

——at ego iussero
Cadum vnum vini veteris à me afferrier.

Alb. Tibull. lib. 3. eleg. 2.

Et primum annoso spargant collecta lyæo

M. Annæus Lucanus lib. 4. Pharsaliæ v. 381.

Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.

Et lib. 10. vers. 164. etiam Ægyptus vetustum vinum in pretio fuisse videtur subindicare, nisi forte de aliis loquens gentibus vsurpare voluerint consuetudinem Romanam, sic enim de Cleopatræ conuiuio.

——merum, sed non Mareotidos vuæ
Nobile, sed paucis senium cui contulit annis
Indomitum Meroe cogens spumare falernum.

Modus vinum istiusmodi condendi in doliis, erat vt pice diligenter oblinerent, in loco statuerent, quo posset fumus pertingere. Marcell. de Medicam. *operculo superposito, & clauso, vel gipsato diligenter de argilla.* Porphyrion ad oden 30. lib. 1. Horatij *dicit hoc vinum per se in ipsum inueteratum, leuisse ergo se gipso vtique vult intelligi.* ipse poeta.

——Græca quod ego ipse testa
Conditum leui.

Vnde Iunius Moderatus Columella lib. 1 Rei Rust. cap. 6. *vinum celerius fumo maturescit?* & iam notatum Brodæo lib. 1. cap. 13. quod *insaluberrimum* existimauit Plinius lib. 23. cap. 1. *si fumo sit inueteratum.* Q. Horat. lib. 3. od. 8.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem astrictum pice dimouebit
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.

Stat. lib 4. sil. 8.

Albanoque cadum sordentem promere fumo.

Tibullus lib. 2. eleg. 1.

Nunc mihi fumosos veteris proferre falernos
Consulis, & Chio soluite vincla cado.

Martial. lib. 13. epigr. 122.

Cum tua centenos expugnet sportula ciues.
Fumea Massiliæ ponere vina potes.

Primus author picandi reponendique hac ratione vini fuit L. Opimius Consul. vnde & Opimianum nomen accepit C. Plin. libro decimoquarto capite 4. *anno fuit omnium generum bonitas L. Opimio consule, cum Caius Gracchus seditionibus plebem agitans interemptus, ea cæli temperies fulsit, quam cocturam vocant, solis opere, natali.*

natæ vrbis 634. durántque adhuc vina ducentis fere annis iam in speciem redacta mellis asperi, etenim hæc natura vinis in vetustate est, nec potari per se queunt, si non peruincat aqua, vsque in amaritudinem carie indomita. Et eiusdem libri cap. 14. *apothecas fuisse, & diffundi vina solita anno 633. vrbis apparet in Consulatus Opimiani vini argumento, iam intelligente suum bonum Italia.* Britannicus non ineruditus Grammaticus ad Iuuenal. Sat. 5.

Ipse capillato diffusum consule potat.

Martial. lib. 1. epigram. 27.

Testa sed antiqui fœlix siccatur Opimi,
Egerit & nigros Massica cella cados.

Notabantur autem cadi inscripto nomine & authoris & consulis. vet. scholiast. Iuuen. ad vers. 34. Sat. 5. *vinum de montibus Albanis, ita vetus, vt non possit ex superscriptione antiquitate deleta, cognosci quanti sit temporis.* C. Petron. Satyr. pag. 26. *statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in ceruicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo.* FALERNVM. OPIMIANVM. ANNORVM. CENTVM. *dum titulos perlegimus, complosit manus Trimalcio, & heu, inquit, ergo diutius viuit: verum est vinum Opimianum præsto.* Helenius Acron. ad Horat. lib. 1. Satyra 10. *notas ideò quòd aut vina notantur in lagenis, aut consules.* Ipse Horatius ibidem loci.

—Rhodio quod Pitholeonti
Contigit, at sermo lingua concinnus vtraque
Suauior, vt Chio nota si commista Falerni est.

Iuuenal. loco proximè supra à me etiam laudato.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cuius patriam titulúmque senectus
Deleuit, multa veteris fuligine testa.

Elegantissimè, vt semper solet M. Plautus in Pœnulo, sc. *satis spectatum.*

Ibi tu videas literatas fictiles epistolas
Pice signatas, nomina insunt cubitum longis literis
Ita vinariorum habemus nostræ delectum domi.

Vt & nix seu niuata aqua percolari & sacco transmitti solebat, quo defecatior esset, ita & vinum istiusmodi vetus percolabant. hoc illud est, quod σακκίζειν & σακκίζειν appellant Græci, quasi *sacco liquare.* C. Plin. lib. 19. c. 4. in ueterari vina, saccisque *castrari*, in MS. longè melius, *saccisque castigari*, hoc est, egestis noxiis humoribus, aut fæce impuriori purgari, vt mitiora, leuiora & liquidiora fierent. Pomponius IC. l. 21. ff. de auro & arg. leg. *in argento potario verum id duntaxat sit, in quo bibi possit, an etiam illud quod ad præparationem bibendi comparatum sit, veluti colum niuarium, & vrceoli dubitari potest,* sic enim in editionibus melioribus concipitur, & Antonius Nebrissensis confirmat, vt & Andreas Alciatus lib. 8. parerg. cap. 4. alij legunt, *veluti colum vinarium.* alij ridiculè, & nullo sensu, *columnarium.* Chares Mitylenæus historicus, Strattis poëta in Psychastis, & Lysippus in Bacchis, & Protagorides lib. 2. Comicarum historiarum, & Diphicus in Mnematio apud Athenæum lib. 3. dipnosophist. cap. 21. C. Lucilius apud Ciceronem lib. 2. finib.

Cui nil dempsit nix, & sacculus abstulerit nil.

Martial. lib. 14. epigr. 103. cuius lemma est, *colum niuarium.*

Setinos moneo nostra niue frange trientes.
Pauperiore mero tingere lina potes.

Epigrammatis subsequentis lemma est *saccus niuarius.*

Attenuare niues norunt & lintea nostra.
Frigidior colo non salit vnda tuo.

Et lib. 11. epigr. 61.

Natali pallere suo ne calda Sabelle
Desinet & liquidum potes Alauna merum,
Turbida sollicito transmittere cæcuba sacco,
Atque inter mensas ire redire suas.

L. Lucret. Carus de Rerum Natura lib. 2.

Et quamuis subito per colum vina videmus
Perfluere, at contra tardum cunctatur oliuum.

Horat. lib. 2 Sat. 4. vers. 55.

Massica si cælo supponas vina sereno,
Nocturna si quid crassi est tenuabitur aura
Et decedet odor neruis inimicus, at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem,
Surrentina vafer qui miscet fæce falerna
Vina columbino limum bene colligit ouo.

Dulce hoc vinum percolatum hac ratione reddebant, admixto melle, ob id puto Proculus IC. l. 16. ff. de Tritico, vino, & oleo leg. mulsum inter potus dulces reponit. *cui dulcia legata essent, si nihil aliud testamento significetur, omnia hæc esse legata, mulsum passum, defrutum, & similes potiones.* & Caius l. 7. ff. de acquir. rer. domin. *mulsum ex vino & melle* constare scripsit. Macrob. lib. 7. cap. 12. *mulsum quod probè temperes, miscendum esse nouo Hymettio & vetulo Falerno.* L. Apul. lib. 10. Milesiar. *tantum diligenter ecce illum aureum cantharum, mulso & musto contempera.* corrigendus forte an locus, leuique manu sanitas restituenda. *cantharum mulso & musto contempera.* sed aliis antea idipsum video placuisse. C. Plin. lib. 22. capite 24. *semper mulsum ex veteri vino vtilissimum, facill-*

méque cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam euenit, ex austero factum non implet stomachum, neque ex decocto melle minúsque inflat. M. Varro περὶ ἐδεσμάτων. *quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcepit vt comburerent, quàm Democritus, qui, vt in melle seruarent: quem si vulgus secutus esset peream, si centum denariis calicem mulsi emere possimus.* Martial. lib. 13. epigr. 108.

Attica nectareum turbatis mella Falernum
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Conuiuantibus leges propositæ: sed præsertim de bibendi ratione, Festus lib. 16. *tapullam* appellat *legem.* Catullus epigr. 24. *legem Posthumiam.* D. Auson. in Grypho Ternarij *mysticam legem.* eam sic expressit Cicero Actione 3. in Verrem. *vos omnes Verres certiores facit, quid opus esset, maturè veniunt, discumbitur, fit sermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more biberetur, hospes hortatur, poscunt maioribus poculis, celebratur omnium sermone lætitiáque conuiuium, eráque lex data, vt aut biberent aut discederent.* & in eundem amarius. *iste enim prætor seuerus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus quæ in poculis ponebantur, parebat.* legem hanc apparet à Græcis petitam, quos constat omnes ea ætate, qua florebant, bibacitate populos superasse. Idem Cicer. lib. 5. Tusculanar. quæstion *mihi quidem in vita seruanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conuiuiis obtinetur, aut bibat, inquit, aut abeat, & rectè, aut enim fruatur cum illis voluptate potandi, aut ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat, sic iniurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas.* vnde illa cautio conuiualis apud eos sæpissimè inter pocula solebat repeti, πέντε πῖνε, τρεῖς πῖνε, ἢ τέσσαρας, *bibe quinque bibe tres, bibe quatuor,* scilicet cyathos. Sed quæ legis illius capita, quod præscriptum fuit? varias referam sententias. Anacharsis apud Laertium lib. 1. θαυμάζειν φησὶ πῶς Ἕλληνες ἀρχόμενοι μὲν ἐν μικροῖς πίνουσι, πλησθέντες δὲ ἐν μεγάλοις. *mirari se dixit cur Græci initio conuiuij paruis poculis vterentur, vbi verò saturati essent maioribus.* Asconius Pædian. in loci ex 3. Verrina supra citati expositione, *Græco more bibere est cum cyathis mero plenis saltare, & primo deos, deinde amicos suos nominantes, totics merum bibere, quoties deum & charos nominatim vocant.* nec multum ab his dissimilia prodita ab Helenio Acrone doctissimo Grammatico ad Horatij oden 19. lib. 3. *hoc modo veteres festinitatem conuiuiorum celebrare consueuerant, vt singulos vini cyathos, sub singulorum deorum, aut charissimorum hominum nomine in poculis apponi iuberent.* Scio alios lege hac æqualitatem tantum conuiuantium introductam censuisse, sed quænam hæc æqualitas esset, ab iis non fuit expositum, nisi fortè ad distributionem æqualem trahamus, nam carnes eduliáque alia diuidebantur ex æquo, etiam vel heroicis temporibus. Homer. lib. Iliad. 24. vers. 633.

Aut fortassis *de summo bibere*, vt obseruauit Adrianus Turnebus lib. 6. Aduersar. ca. 21. & poetæ passim. M. Plautus in Asinaria. Act. 15. sc. 2.

Da bibere ab summo.

Idem in Menæchm. Act. 1. sc. 1.

Standum est in lecto, si quid de summo petas.

Et in Sticho sc. *agite.*
Vbi illic biberis, vel seruate meum modum.
Vel tu dato,
Nolo ego de summo bibere, nulli
Referimus postea.
Namque edepol quamuis de subito vel cadus
Versi potest.

Neque desunt qui mensalem istam legem, cum cibariis aut sumptuariis confundere velint, sed malè, in iis enim publica censoris authoritas, in hac priuatæ familiæ cura, & consuetudo, illę de omnibus omnino ciborum epularúmque generibus latæ, ista compotationi tantùm prospiciebat, vt indubitatum sit penitus aliam legem, quam scribunt, συμποσίαρχοι, *dominum conuiuij*, aut βασιλέα, regem, statuisse, ab ea, quæ totius ciuitatis moribus componendis figeretur, communis numerum cyathorum definiebat. C. Petronius Satyrico pagin. 111. *collocauit illa ignem cassis arundinibus collectum, ingestisque super plurimis lignis capit excusare moram, quod amica se non dimisisset nisi tribus potionibus è lege siccatis.* & rectè *siccatis*, nam lege cautum, ne quid in fundo potus restaret, Virgil. lib. 1. Æneid. in fine, *ille impiger hausit spumantem pateram.* Iuuenal. Satyr. 5. vers. 47. *siccabat calicem nasorum quatuor.* Petronius idem pag. 45. *instat Eumolpus, & cum puer illi potionem dedisset malo te, inquit, quàm balneum totum, siccatóque auidè poculo, negat sibi vnquam acidius fuisse.* Martial. lib. 6. epig. 89.

Spoletina data est, sed quam siccauerat ipse,
Nec fuerat soli tanta lagæna satis.

Sed iam loca proferantur, quibus vel deos, vel amicos chariores, vel principes inter bibendum inuocatos palam fiat, vt tot scyphi exhaurirentur, quot in nomine eorum elementa essent. respexit ad hunc morem Statius lib. 1. sil. 5.

Iunge puer cyathos, atq; enumerare labora.

P. Ouid. lib. 3. Fastor.

Sole tamen vinóq; calent: annósq; precantur

Quot

Qui sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Inuenies illic qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.

Q.Horat.lib.3.od.9.

Da lunæ propere nouæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ, tribus aut nouem
Miscentur cyathis pocula commodis,
Qui musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet.

Lib.4.od.5.ad Augustum.

Te mensis adhibet deum
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris.

Multus est in hoc ritu Martialis. adscribam tantum quædam loca.lib.1.epig.72.

Næuia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnibus infuso numeretur amica falerno.

Et lib.8.epig.51.

Det numerum cyathis Instantis litera Rufi,
Auctor enim tanti muneris ille fuit.

Et lib.9.epig.95.

Addere quid cessas puer immortale falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te Calatisse deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, vt sit,
Qui posuit sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da basia, fiat vt illud
Nomen, ab Othrysio qui deus orbe venit.

Domitianum intelligit, in cuius honorem decies bibiturum se profitetur, quod tot in ipsius nomine sint literæ: eum autem Othrysium orbem, id est Daciam superasse notissimum. Et de eodem intelligendum epigramma 170. lib.14.eiusdem poetæ.

Hæc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit, decies adde falerna puer.

Quo fiebat, vt turpissimæ helluationi studerent, vsque ad vomitum, frequentissima L. Senecæ, in illo vitio reprehendendo indignatio. Epist 83. *quæ gloria est, capere multum? cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusauerint, cum superstes toti conuiuio fueris, cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit vinceris à dolio.* Idem Epist.95. eandem turpitudinem in fœminis reprehendit. *non mutata fœminarum natura, sed victa est; nam cum virorum licentiam æquauerint, corporum quoque virilium vitia æquauerunt, non minus peruigilant, non minus potant, & oleo & mero viros prouocant: æque inuitis ingesta visceribus per os reddunt & vinum omne vomitu remetiuntur: æque niuem rodunt, solatium stomachi æstuantis.* Et lib.de prouidentia cap.3 *hi qui quid biberint vomitu remetiuntur tristes, & bilem suam regustantes.* nam ante cœnam ad vomitum bibebant, quo stomachum erigerent.lib.ſt.de Benef.ca. 9. *parum scilicet magno luxuria furit, nisi quod vomitur capacibus inter gemmis propinarent.* hoc illud est quod ieiunos vomitores appellat Epist.88. & apertius Epist.122. *isti non videntur sibi contra naturam viuere, qui ieiuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrij transeunt? atqui frequens hoc adolescentium vitium est, qui vires excolunt, in ipso pene balnei limine inter nudos bibunt, imo potant:* vet. Scholiast. Iuuenal.ad vers 431. Sat.6. *Post vomitum bibit.* & deinde. *bibendo vomit, & vomendo denuo bibit.* Nouatianus in Epistola de cibis Iudaicis. *nec desunt qui cum sibi Christiani vocem induerint, exemplum præbeant intemperantiæ & magisterie, quorum vsque eo vitia venerunt, vt & ieiuni matutino tempore bibant, non putantes Christianum esse potare post cibum, nisi in vacuas adhuc & inanes venas infusa statim post somnum vina descenderint. videas ergo tales nouo genere adhuc ieiunos, & iam ebrios non ad popinam currentes, sed popinam secum circumferentes, quorum quisquis salutat non osculum dat, sed propinat.* non minus amarulenter alij insaniam eum ritum perstrinxerunt, qui & à Plutarcho non obscure sua ætate notatur libro octauo Symposiac. quæst. 9. in fin. οὐδὲ γὰρ ὕδωρ οἱ παλαιοὶ πρὶν ἐντραγεῖν ἔπινον, οἱ δὲ νῦν ἄσιτοι προμεθυσθέντες, ἀτελεῖ τῆς τροφῆς διαβρόχῳ τῷ σώματι καὶ ζέοντι, λεπτὰ καὶ δριμέα, καὶ ὀξέα προσφέροντες ὑπεκκαύματα ὀρέξεως, εἶτα οὕτως ἐμφορούμενοι τῶν ἄλλων. Id est. *antiqui enim ne aquam biberent quidem antequam edissent, ante cibum captum vino repleti, humectato, & feruente corpore cibum aggrediuntur, tenuia & acuta, vtque incidendi prædita, ad appetitum excitandum ingerentes, ac deinde aliis vescentes.* Incepisse videtur & inualuisse consuetudo sub æuo Pompeij Magni, quo sæculo Asclepiades medicus vixit, sed tam præoccupauit I. Lipsius. C. Plin.lib.26. cap.3.de Asclepiade illo nobilitato medendi peritia. *damnauit merito & vomitiones, tunc supra modum frequentes.* Aurel.Cornel Celsus de re medica lib.1.cap.3. *solet etiam prodesse post varium cibum, frequentesque dilutas potiones vomitus, & postero die longa quies, deinde modica exercitatio.* Hæc ille de vtilitate vomitus, si forte ingruat morbus, vt noxia bilis egeratur. Ceterum Asclepiades libro de sanitate tuenda, *citsit vomitum*: vt verba Celsi eodem lo-

eo vsurpem, qui addit. *itaque istud luxuriæ causa fieri non oportere confiteor, interdum valetudinis causa rectè fieri, experimentis credo.* Idem lib. 2. eiusdem operis cap. 13. *vomitus, vt in secunda quoque valetudine sæpe necessarius biliosis est, sic etiam in his morbis, quos bilis concitauit.* Iam poetas adscribam. Iuuen. Sat. 6.

——tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur vrna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexin
Dum redit, & loto terram ferit intestino,
Marmoribus riui properant, aut lata falerno
Peluis olet; nam sic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, vomit, & bibit, ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.

Martial. lib. 7. epigr. 66.

Nec cenat prius, aut recumbit ante
Quam septem vomuit meros deunces.

Sic in melioribus legitur, vt deunces meri sint vinum minime dilutum. M. Antonius Muretus aliam probat lectionem, sed parum interest.

Quam septem vomuit meri deunces.

Item lib. 6. epigr. 89.

Ille fide summa testæ, data vina remensus
Reddidit Oenophori pondera plena sui.

Allusit seruulus ille Plautinus in Curculione Act. 1. sc. 1.

——num tu Venerem vomere vis?

Atque hanc quidem turpissimam fœdissimamque impuritatem Romanorum, tenacius quædam gentes, quam virtutes eorum eximias, imitatæ sunt. nam generaliter omnes Septentrionales populi, inquit Cornelius Graphæus in Epitome sua ex Olao Magno lib. 13. cap. 4. *religiosum ducunt stando pro reuerentia numinum ac principum bibere, & quasi in agone per sudorem contendere, quis vno, vel altero, vel multiplicato haustu amphoram vacuet capitolinam.* & de Lithuanis Matthias à Michou de Sarmatia Europea lib. 2. cap. 3. *medone & spisso, & tenui, & vario modo cocto abundant, & illo reficiuntur, & inebriantur.* paucis postea interiectis subiungit. *potentes cum conuiuari cœperint, sedent à meridie in medium noctis, continuo cibo & potu sese opplendo, & à mensa quoties natura propellit, assurgendo & egerendo iterum atque iterum vacant vsque ad vomitum & amissionem discretionis & sensus, tuncque inguinis & capitis quæ sint discrimina, nesciunt; estque illa consuetudo perniciosa, in Lithuania & Moschouia, magis vero & absque rubore in Tartaria.* Lepida est inter Italum & Germanum altercatio (ne plura opus sit dixisse) ille nimiam hanc bibendi consuetudinem, tanquam probrosam objiciebat, iste inconcessam Venerem exprobrabat, tanto perniciosiorem ebrietate, quanto leges seueriores in eam latæ. sed elegans epigramma apponam.

Vt nos vina iuuant, sic vos Venus improba vexat,
Proposita est Veneri Iulia, nulla mero.

Iam in orbitam redeo. LOCVS honoratior quis fuerit in conuiuiis aliisve congressibus, controuersum, & ob id paucis expediendum. sunt qui elatiorem putent, sunt & qui medium existiment. C. Salust. in Romana historia. *discubuere Sertorius inferior, in medio super eum T. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis, in summo Antonius: quia autem erat conuiuium Sertorij, ipsi locus inferior, senatori honoratior datus.* sic in antiquis Seruij Honorati editionibus concipiebatur, at copiosior multo locus in schedis Petri Danielis. *igitur discubuere, Sertorius inferior, in medio super eum Tuscus Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis, in summo Antonius, & infra scriba* Sertorii *Versius, & alter scriba: Mæcenas in imo medius inter Tarquinium & Perpennam.* in bello Iugurth. *sed Hiempsal, qui minimus ex illis erat, natura ferox, antea etiam ignobilitatem Iugurthæ quia materno genere impar erat, despiciens, dextra Adherbalem adsedit, medius ex tribus ne Iugurtha foret, quod & apud Numidas honori ducitur.* C. Sueton. in Claudio cap. 23. *de maiore negocio acturus in curia medius inter consulum sellas Tribunitio subsellio sedebat.* non modo itaque in conuiuiis is mos obseruatus, sed & in senatu, & quocunque alio loco: nam Hadrianus Imperator, *seruo inter duos senatores ambulanti, colaphum iussit impingi.* Ælius Spartian. in vita ipsius. Simisgeres regius iuuenis narrante Sidonio Apollinare lib. 4. epist. 20. *pedes & ipse medius incessit flammeus cocco, rutilus auro, lacteus serico.* quod ne ad profanos ritus tantummodo reuocemus, saluator humani generis apud D. Lucam Euangelii sui cap. 2. *inuentus est sedens in medio doctorum.* & in Danielis Prophetæ cap. 13. *veni & sede in medio nostrum, & indica nobis, quia tibi dedit honorem senectus.* & *Diaconus in medio Presbyterorum sedere non potest* ex Concilio Nicæno cap. peruenit 93. distinct. nam *Imperator in Concilio medius sedet.* Concil. Constantinop. 6. Act. 1. M. Minucius Felix in Octauio. *& cum dicto eius assedimus.*

assedimus ita vt me ex tribus medium lateris ambitione protegerent, nec hoc obsequij fuit, aut ordinis, aut honoris, quippe cum amicitia pares semper aut inueniat, aut faciat, sed vt arbiter, & vtrisque proximus aures darem, & disceptantes duos medius segregarem. poetæ etiam hoc confirmant, M. Lucan. lib. 1. de Cæsare.

Et celsus medio conspectus in agmine Cæsar.

Rite in medio agmine, nam ducum ea statio, vt facilius in omnes exercitus partes imperium demandare possent, & ab omnibus audiri. Virgil. lib 9 Æneid. in limine.

——medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens.

At ipsum in conuiuiis factum præter ea quæ antea attulimus, Virg. idem lib. 1. Æn. in fine.

——aulæis tum se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediámque locauit.

Valer. Flac. Argonautic. lib. 2. de Iasoni exhibitis epulis.

Iam medio Æsonides; iam se regina locauit,
Post alij proceres.

Et lib. 4. idem.

Instituere thoros, medijsq; tapetibus ipsum
Accipiunt.

Silius Italicus ad deorum honores id ipsum traduxit lib. 3. Punicor.

Tunc ô nate deûm, diuûmque dature, beatas
Imperio terras patrio rege, tarda senectam
Hospitia excipiant cæli, solióque Quirinus
Concedet, mediúmque parens fraterque locabunt.

Paria de Ioue Virg. lib. 10. Aeneid. non multum à principio.

——Cælicolæ medium quem ad limina ducunt.

Deniq; vt vno verbo expediam in omnib. omnino cœtibus honoratiorem in medio collocabant. de Aenea suo idem lib. 5. diuini operis.

——Magna medius comitante caterua.

Et paulo post ibidem loci.

——quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit.

Et lib. 6. de Musæo.

Musæum ante omnes medium.

Lib. 7. de Latino rege.

——solio medius consedit auito.

Et de eodem lib. 11. vers. 236.

——sedet in mediis & maximus æuo.

P. Ouid. lib. 6 Fastor. in limine.

Et medius iuuenum non indignantibus ipsis
Ibat.

Sidon. Apollina. Carm. 22. vers. 76.

Ibant Pimpliades pariter, mediamque noueno
Circumsistentes vmbrabant syrmate currum.

Vnguentis delibuti crinesque peruncti, & coronati sedebant epulantes: sed præsertim nardo, rosa, vnguento se cingebant, vt infinitis antiquorum scriptorum locis probat Athenæus cap. 14. & quatuor sequentibus libri 15. Dipnosophist. Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædagog. cap. 8. Plutarch. lib. 3. Symposiac. quæst. 1. & alij quos non exscribo. Catull. epigr. 13. de cœna sua ad Fabullum.

Vnguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres Cupidinesque.

Addebatur & minium. C. Plin. lib. 33. cap. 7. *hac religione etiam nunc addi in vnguenta cœnæ triumphalis, & à censoribus imprimis Iouem miniandum locari.* adeoque frequens vsus vnguentorum & coronarum, vt nullum describatur, sine illorum mentione conuiuium & pene semper solent coniungi. Nam vnguentorum oblectatio quæsita in vino, in capitibus vngendis, de vino factitio cui vnguentum admixtum idem Q. Catull. Epig. 64.

Quam iucunda mihi munera liber onyx.
Vester onyx, casto colitis quæ iura cubili.

Horat. lib 4. od. 12.

——Nardo vina merebere.
Nardi paruus onyx eliciet cadum.

Multa erudite Theodor. Marcil. ad leg. Xuirales cap. 96 Fest. Pompeius lib. 11. in voce *murrata: duodecim tabulis, cauetur, ne murrata potio mortuo indatur.* A. Gel. lib. 10. ca. 23. *bibere solitas loream, passum, murinam, & quæ id genus optant potu dulcia.* recte itaque *murina* & *murinum vinum* apud Plinium lib. 14. cap. 13. idem ac *murata potio.* Fabius Dossennus antiquus poeta, quem alij Dorsenum vocant.

Mittebam vinum pulchrum, murrhinam.

Alij rescribunt sic,

Mittebam vinum, pultem, murrhinam.

Confirmantque ex D. Augustino lib. 6. Confession. cap. 2. *itaque cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes, & panes, & merum attulisset.* sequitur paucis interpositis. *quia illa parentalia superstitioni gentilium essent simillima.* & ex sequenti versu ibidem apud Plinium loci.

Panem & polentam, vinum, murrhinam.

Capita etiam iuncta. loquitur M. Cicero in Orat. pro Roscio Amerino de Chrysogono Syllæ liberto. *ipse vero quemadmodum composito & delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterua togatorum, videtis iudices.* Græce id etiam consuetudinis fuisse argumento est locus Archestrati apud Athenæum lib. 2. qui sui similes hortatur, *vt semper habeant caput floribus omnis generis quas terra ferat redimitum, & vnguentis liquidis ac suauibus delibutum.* L. Sen. Thyeste Act. 5. in choro.

Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? prohibet, prohibet
Vernæ capiti fluxere rosæ,
Pingui madidus crinis amomo.
Inter subitos stetis horrores.

Antonius Delrio alios, vt solet transcribens citat Statium.

—— Nec pingui crinem deducere amomo.

Et Ouidium.

Spissáque de nitidis tergit amoma comis.

Et Sidonium Apollinar.

Indus odorifero crinem madefactus amomo.

Anacreon pene vbique.

ἐμὲ μᾶλλον ὡς ἔτι ζῶ
Μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα
Πύκασον

Vertit Henricus Stephanus.

Potius manente vita
Roseas meas corollas
Capiti ferá que odores.

M. Lucan. lib. 10. Pharsal. vers. 164.

Accipiunt sertas nardo florente coronas
Et nunquam fugiente rosa, multumque madenti
Infud re comæ, quod nondum euanuit aura
Cinnamon, externa nec perdidit aëra terra
Aductumque recens vicinæ messis amomum.

Alb. Tibul. lib. 2. eleg. 2.

Illius puro distillent tempora nardo.

Sext. Propert. eleg. 3. lib. 9.

Sit mensæ ratio, nóxque inter pocula currat,
Et crocino nares murrheus vngat onyx.

Catul. epigr. 10.

Respondi id quod erat, mihi nec ipsi
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput vnctius referret.

Ob id, vt dixi, vnguentum cum coronis iungunt, Sen. lib. 2. de Ira cap. 33. *ad cænam inuitauit cum eo die, vnguentum & coronas misit.* Poetæ pene omnes. Cl. Claudian. lib. de bello Gildonico.

Vt vino calefacta Venus tunc sæuior ardet
Luxuries, mixtu redolent vnguenta coronis
Crinitos inter famulos pubémque canoram.

Et deinde post eodem libro.

Vmbratus dux ipse rosis, & marcidus ibat
Vnguentis, crudúsque cibo, titubánsque Lyæo,
Confectus senio, stupris morbísque solutus

Q. Horat. multis in locis. lib. 1. od. 5. in limine.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusum liquidis vrget odoribus.

Lib. 2. od. 7.

Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malabathro Syrio capillos.

Lib. 3. od. 14

I pete vnguentum puer & coronas,
Et Cadum Marsi memorem duelli.

Et lib. 1. Epist. 14.

Quem tenues decuere togæ, nitidíque capilli.

L. Lucret. Carus de Rer. Natur. libro quarto.

Eximia veste, & victu conuiuia, ludi,
Pocula crebra, vnguenta, coronæ, serta parantur
Nequicquam.

Neque primis tantum reipublicæ nascentis temporibus vnguentorum in conuiuiis sumptuosioribus vsus, sed & florente, imo & iam pæne senescente. Pomponius IC. l. 21. ff. de auro & arg. leg. *vnguentis legatis, non tantum ea legata videntur, quibus vngimur voluptatis causa, sed & valetudinis, qualia sunt commagena, glaucina, crina, rosa, mura, colum, nardum purum; hoc quidem etiam, quo elegantiores sint & mundiores vnguntur fæminæ,* qui locus non caret difficultate, itaque pro, *crina*, quidam reponunt fortassis non male, *crinina*. nam κρίνον *lilium* significat, ex quo vnguentum fit crininum, sequitur deinde, *rosa*, pro quo legi volunt, *rhodina*, nam vt è rosa coronæ conuiuales, ita & vnguentum pretij eximij: postea *mura*, rescribunt, è *myrrha* recte meo iudicio. denique *colum*, indubiè corrupta dictione inter vnguenta reponitur, pro quo in editione Florentina meliùs *costum*, nam inter odorata à Theophrasto libro de odoribus censetur. Plin. lib. 12. cap. 12. *de folio nardi dici par est, vt principali in vnguentis.* Sext. Propert. lib. 4. eleg. 6 & alij.

Costum molle date, & blandi mihi thuris honores.

Sunt itaque vnguenta vel ad necessitatem aut valetudinem, vt supra hoc opere à me dictum, vbi de balneis. aut ad voluptatem hoc est vinum miscendum, inungendos, aut coronas, atque ita capio mentem Vlpiani l. 25. ff. eo. *vnguenta quibus valetudinis causa vngimur, mundo non continentur.* addatur locus è M. Accij Plauti Curculione sc. *flos veteri vini.*

Nam omnium vnguentûm odor præ tuo nautea est,
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Te crocum, & casia es, tu bdellium.

Tertius versus diuerse concipitur.

Tu crocum, & casia es, tu petalium.

Est quippe petalium è nardo præstantissimum vnguentum, Dioscorid. lib. 1. cap. 81. Latini folia-

foliatum appellant. Yuo Villomarus, siue verius Iosephus Scaliger in Robertum Titium Locor. Controuersor. lib. 4. ca. 28. Martial. lib. 11. epigr. 28.

At mea me libram foliati poscit amica,
Aut virides gemmas sardonychásque pares.

Et lib. 14. epigr. 110.

Hac licet in gemma, quæ seruat nomina Cosmi
Luxuriose bibas si foliata sitis.

Denique de coronis hisce epularibus meminere passim, de quarum varia materia & vsu, & pretio, nemo tam eleganter scripsit, ac Artemidorus lib. 1. cap. 79. Seruius ad illud lib. 7. Æneid. *frondenti tempora ramo implicat. diebus festis ita epulabatur.* Plin. l. b. 21. cap. 3. *sutiles coronas sacrorum sacris inuenimus solemnes & tenia.* Idem Martial. qui, vt coquum decebat, totus est in patinis lib. 5. epigr. 65.

Lassenturque rosis tempora sutilibus.

Denuo idem lib. 11. epigr. 9.

Quod Cosmi redolent alabastra, focique deorum,
Quod modo diuitibus lapsa corona comis.

Ouid. lib. 9. Metamorphos. Fab. 3. in fine.

——qui m si conuiua iaceres
Inter plena meri redimitus pocula sertis.

Et lib. 5. Fastor.

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniectæ splendida mensa rosa.
Ebrius incinctis phylira conuiua capillis.

Virgil. Ecloga 6.

Serta procul tantum capiti delapsa iacebant.

Iuuenal. Sat 5. vers. 36.

Quale coronati Thrasea Heluidiusque bibebant.

Claudian. lib. 2. de raptu. in epulo Plutonis nupriali.

Grata coronati peragunt conuiuia manes.

M. Plautus in Pseudolo Act. 5. sc. 2. post principium.

Quid te ego video? Pseud. cum corona ebrium.
Pseudolum tuum.

Et in Amphytr. Act. 3. sc. 4.

Capiam mihi coronam in caput, assimilabo
Me esse ebrium.

Superest vltimo de poculorum discrimine, seu verius *consecratione* differere. constat enim quædam adhibita mensæ & fercula quæ non gustarentur, & pocula illata, è quibus non biberetur, nam Mercurio partes carnis vt dixi, consecrabantur, de poculis iam hoc loco videndum: L. Apul libro quarto Floridor. *sapientis viri super mensam celebre dictum est, prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam.* Hæc quidem de vsu ille ex Asclepia de Medico, & de dedicatione poculorum Francisci Luisini verba ponam è cap. 7. lib. 1. parerg.

Non ego te mensis & diis accepta secundis
Transierim Rhodia, & tumidis bumaste racemis.

Virgilij versus sunt l. b 2. Georgicorum vbi Bumastum & Rhodiam vuam interpretantur omnes acceptam in mensis secundis, & diis, id est in sacrificiis deorum. Ego ab his maxime dissentio, nam Virgilius vinum ex his quidem vuis suauissimum esse in secundis mensis innuit & diis secundis, in quorum honorem veteres in secunda mensa propinabant, solebant autem veteres in conuiuiis pocula sumere, cum aliquem deorum nominassent, quemadmodum est apud Athenæum lib 2. & 11. dipnosophistarum: cuius verba prætermitto. citat deinde Pindarum in Olympicis: fal'o, nam in Isthmic. od. 6. locus ab eo laudatus reperitur.

——ἐν δὲ τρίτον
σωτῆρι προσψίνοντας Ὀλυμπίῳ.

Contingat autem tertium
Seruatori propinantes Olympio.

Subdit deinde Luisinus. *vbi interpres ritum fuisse testatur antiquis, vt in conuiuiis primum poculum in Iouis Olympij laudem sumerent, alterum in heroum, tertium in Iouis seruatoris: idque & Sophoclis & Æschyli versibus comprobat. quis igitur nostro hoc in Virgilium sensu lepidior ac potior excogitari potest?* hæc ille quibus addi possunt non pauca scriptorum neque obscura testimonia. nam *Ioui seruatori structam ædem* Corinthi, scribente Pausania in Corinthiacis, discimus, & *aliam in Epidauriorum finibus* ex eodem erectam constat, in Laconicis. & Athenis, scholiast. Aristophanis ad locū infra paulo citandum. Iul. Pollux lib. 6. cap. 16. ὁ [illegible] *diis σωτῆρι κρατὴρ ἱερὸς ἦν. sicut & Iouis seruatoris crater quoque sacer est.* meminit & Athenæus lib. 15. cap. 20. ἀγαθοῦ δαίμονος, καὶ Διὸς σωτῆρος, *boni genij & Iouis seruatoris.* quod nomen etiamsi Ioui datum apparent ex istis locis tamen quibuslibet diis etiam conueniebat, penes quos tutela & salus hominum esse credebatur, quique præsto aderant hominibus, graui aliquo periculo laborantibus, aut in angustia deprehensis. Ælian. var. Histor. lib. 1 ca. 30. διόσκουροι, σωτῆρες, ἀγαθοί, ἀλεξίκακοι. *dioscuri, seruatores, boni, opitulantes.* Dioscurorum nomine intelligi volunt Castorem & Pollucem, Euphus apud Athenæum li. 4. cap. 3. Tzetzes ad Lycophronem. Iul. Poll. lib. 7. ca. 2. *parastatas* siue opitulantes deos quoslibet dictos docuerunt a ij, nam παραστάτης, nō modo de deo, sed & de quocunq; effertur *qui alicui assistit,* vertente Rodolpho Gualtero in Polluce li. 1.

ca. 10. & παρεστάναι, est in iudicio alicui adesse. idem ille Pollux lib. 8. Onomastic. ca. 6. licet dictionis Latinę sonę extulerit Cælius Rhodiginus lib. 13 cap. 15. Et circumloquuntur poetæ. Q. Sammonic. Seren. lib. de Medicina in limine.

Phœbe salutiferum, quod pangimus assere carmen
Inuentúmque tuum prompto comitare fauore.

Ouid. lib. 1. Metamorphos. Fab. *opiferque per orbem dicor.* Corip. lib. 1. Num. 1.

Et fer opem quæso.

Alb. Tibul. lib. 2. eleg. 3.

Nunc deus, nunc succurre mihi.

Sed satis de loco Æliani. vltimum certe poculum Mercurij erat, Homer. lib. 7. Odyss. vers 137.

σπένδοντας δεπάεσσιν ἐϋσκόπῳ Ἀργειφόντῃ
ᾧ πυμάτῳ σπένδεσκον.

Libantes poculis speculatori Mercurio
Cui vltimo libabant.

Heliodor. lib. 2. Æthiop. histor σωτῆρά σε καὶ θεοῖς ἰσοστάσιον ἡγήσομαι. *seruatorem te meum ac dijs æqualem ducam.* Idem lib. 9. Nilum appellat σωτῆρα τῆς Αἰγύπτου, *seruatorem Ægypti.* Et paulo post eodem θεοὶ σωτῆρες. ἀνεβόησαν *dij seruatores exclamarunt.* Omnium quidem hæc appellatio, sed præ omnibus aliis, vt dixi, Iouis, Aristophanes in Pluto.

τὸν γοῦν Δία τὸν σωτῆρα καὐτός μοι δοκῶ
χαίρειν ἐᾶσαι.

Interpretatur Nicodemus Frischlinus.

Mihi itaque visum, sospitatorem, vt Iouem
Valere finam.

Diphilus in Sapphone.

μεστὴν Διὸς σωτῆρος ἀγαθοῦ δαίμονος.

Plenam Iouis seruatoris, optimi genij.

Æschyl. Epigonis.

εἶτα τρίτην Διὸς τοῦ σωτῆρος εὐκταίαν λίβα.

Deinde tertio loco Iouis seruatoris optabilem stillam.

Sophocl. Nauplio.

Ζεὺς παυσίλυπός τε καὶ Διὸς σωτηρίου
Σπονδὴ τρίτου κρατῆρος.

Vertit Desiderius Erasmus,

Curarum ademptor Iupiterque & tertiū
Libatio scyphi sospitatoris Iouis.

Ad Virgilij locum tentatum redeo. qui, vt potest, ita vt exposuit Luisinus, sumi, tamen de bellariis, vel in priuatorum conuiuiis, vel in sacrificiis non incommode intelligetur, quem vt nodum mihi insolubilem obiecit quidam, dum professionem in Regia Nemausensium academia, disputationi commissam, magno licet concursu, obtinui, reiectisque aliis, solus, quod inter plures diuidere volebant quidam ardeliones, summo cum honore consequebar, senatu fauentissimo, vnico Barnerio in tot egregiis viris, & omni literarum genere eminentibus, contradicente, maximo consensu Consulum, Ciuiúmque aliorum, exceptis quibusdam, quos si mererentur nominarem, nunc quia indigni sunt tanto honore, cum suo liuore, imo & malignitate callida intermori patiar, potius quàm nominibus compellatos viuere meo beneficio velim. Sed de bellariis aut secundis mensis debere intelligi locum ostendunt, Horat. lib. 2. Sat. 2.

——tum pensilis vua secundas
Et nux ornabat mensas cum duplici ficu.

Martial. lib. 5. epigr. 120.

Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur vuæ.

Hoc illud est poculum, quod vltimum circumferebatur cum imagine mortis, vt discessuri conuiuæ caducæ sortis, & humanæ fragilitatis admonerentur, cui absynthium immixtum ne dulcedo nimium seduxisse videretur, aut tantum voluptati studuisse, neglecta naturalis necessitatis regula alludere mihi videtur Corippus de laudibus Iustini Minoris lib. 3. Num. 4.

Postquam diuinæ sumpsere nouissima cænæ
Pocula, & exceßæ siluerunt gaudia mensæ.

Denique boni Genij poculum aut idem erat cum poculo Iouis sospitatoris, aut certe vna cum eo inferebatur, Athenæus & Pollux supra à me citati. Eóque semper finiebatur cæna. Eustath. ad lib. 17. Odyss. Scholiast. Aristophan. in Equit. Christophor. Vega libro 2. de Arte Medica Sect. 4. disputat accurate num naturæ conueniens sit cibos vltimo an potum sumi. L. Sen. Thyeste Act. 5. sc. 1.

Ne parce potu, restat etiam nunc cruor
Tot hostiarum, veteris hunc Bacchi color
Abscondit, hoc hæc mensa clauditur scypho.

Is *bonus deus* dicitur Valerio Maximo lib. 1. cap. 2. in narratione sacrilegij Dionysij quod pene ad verbum transcripsit ex Cicerone libro 3. de Nat. deor. in fin. *iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus, quod more veteris Græciæ inscriptum erat bonorum deorum, vti se eorum bonitate velle dicebat.* quod de Genio intelligendum persuadet Ælianus lib. variar. histor. cap. 2. τὴν τράπεζαν τὴν ἀργυρᾶν τοῦ Ἀπόλλωνος τε ... ἀγαθοῦ δαίμονος τῷ θεῷ διδόντα... *mensam etiam argenteam astantem Apollini, iussit auferri, super bonus genius deo propinabat.* recensuit ex his Cælius Rhodig. lib. 28. cap. 6. At de bono Genio alibi supra dixi abunde. adde Hieroclem in aurea Pythagoræ carmina, & duas Inscriptiones apud

apud Cintharopolim erutas, vt extant in Inscript. German. Bartholomæi Amantii & Petri Apiani Mathematici pag. 461.

IN. H. D. D. IOV.
ET. IVNONI. RE.
GENIO. LOCI.
ET. DD. OMNIB.
P. SEDVLIVS.
IVLIANVS MIL. AVG. ANTONIANAE. B.F. COS.
PRO. SAL. SVA. ET. SVOR.
SIAT. ITERAT. POSVIT. IMP.
DIVI. ANTONINI. AVG.

Alterius fragmenti verba sunt.

IN. H. DD. OVI.
ET. IVNONI. REG.
ET. GENIO. LOCI.
ET. GERIONIS. SR.
VERVS. MIL. LEG.
XXII. ANTONIAN.
BI. COS. PRO. SVA.
ET SVO. DIV.
ANTON.

De panis generibus, mantilibus, quod nempe vnusquisque accubiturus secum illa ferret, nudámque mensam iis ipsi conuiuæ integerent, ex Martial. lib. 12. epig. 29 quod quoties fercula inferrentur, toties manus abluerent, quod in fine conuiuij discedentes se inuicem salutarent ex Dione Cocceiano in rebus Commodi, voce ζήσειας, id est *prosit*. & L. Apuleio libro 10. Milesiar. *grandissimum illum calicem vno haustu perhausi, & clamor exurgit consona voce cunctorum, salute me prosequentium.* aliis iam Criticis præoccupatum, neque minus cognitum puerulos illos pincernas, siue tricliniares seruos ad pedes dominorum stare solitos. Petron. pag. 16. *atque alii circa pedes discumbentium sparsi iacebant.* L. Seneca lib. 3. de Benef. cap. 27. Sext. Aurel. Propert. lib. 4. eleg. 9. C. Sueton. in Calig. cap. 26. Martial. lib. 3 epigr. 80. libro 7. epig. 19. lib. 12. epig. 89. & M. Tull. Act. 3. in C. Verrem. *seruos artifices pupilli cum haberet domi circa pedes ante homines formosos & literatos esse dicebas se emisse.* Et in puluinis reclinatos cibum sumpsisse, quis nescit? M. Varro de ling. Lat. lib. 8. *quis facis mappas tricliniares inter se non similes?* Mart. lib. 3. epig. 80. *cubitisque trudit, hinc & illinc conuiuas, Effultus ostro sericisque puluinis.* Verum hæc quum sint omnibus notissima, mihi ad alia properandum.

CAPVT XXXI.

De vestibus Romanorum in genere.

NON sunt in his Antiquitatum libris vestimentorum genera prætermittenda. Nam quantum eorum cognitio ad veram multorum veterum scriptorum sententiam intelligendam faciat, non opus est explicatione. Sunt autem vestimenta, vt Vlpianus docet, aut virilia, aut puerilia, aut muliebria, aut communia, aut familiaria, eáque vel induendi, vel præcingendi, vel amiciendi, vel insternendi, vel iniiciendi, vel incubandi causa parata sunt. Virilia sunt, quæ ipsius patrisfamilias causa parata sunt, togæ & tunicæ, palliola, vestimenta, stragula amphitapa & saga, & reliqua similia. Puerilia sunt quæ ad nullum alium vsum pertinent, nisi ad puerilem, veluti togæ, prætextæ alicubi, & chlamides, pallia, quæ filiis nostris comparamus. Muliebria sunt, quæ matrisfamilias causa parata sunt, quibus vir non facile vti potest, sine vituperatione, veluti stolæ, pallæ, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ, quæ magis capitis tegendi, quam ornandi causa comparata sint, plagulæ, penulæ. Communia sunt, quibus promiscue vtitur mulier cum viro, veluti si eiusmodi penula, palliúmve est, & reliqua eiusmodi, quibus sine reprehensione, vel vir, vel vxor vtatur. Familiaria sunt, quæ ad familiam vestiendam parata sunt: sicut saga, tunicæ, penulæ, lintea, vestimenta, stragula, & cætera qmilia. Hactenus Vlpianus. Dicemus de singulis, & primum de virilibus.

Quid toga & tunicæ fuerint, cum prolixior earum tractatio sit, peculiaria illis capita tribuemus.

Palliolum diminutiuum à pallio vestimentum laneum erat. Pallium autem vestis Græcorum propria, vt toga Romanorum.

Vestimenta stragula dicebantur, quæ insternebantur. Varro lib. 4. de ling. Lat. Quicquid insternebant, à sternendo stragulum appellabant.

Amphitapæ vestes dicuntur vtrinque habentes villos. Lucill. lib. 1.

Psilæ, atque amphitapæ villis ingentibus molles.

Hæ susternebantur dormientibus. Lucil. lib. 6.

Pluma atque amphitape, & si aliud quid deliciarum.

Varro Manio: Alterum bene acceptum dormire super amphitapa bene molli.

Sagum, vestimentum militare erat, quod armis superinduebant. Strabo & alij Gallicam vocem esse testantur.

Chlamys, ab Vlpiano inter vestimenta puerilia refertur, alias est vestis militaris.

Penula, vestis est, quam supra tunicam accipimus. Pompeius Panucceatis: Penulam in caput induce, te ne noscat. Varro Virgula diuina. Non quærenda est homini, qui habet virtutem penula imbri. Hac vtebantur veteres arcendis pluuiis, Lampridius in Alexandro. Quin etiam veteres abusiue Penulam dixerunt omne quicquid tegeret. Penularum multus vsus apud Romanos temporibus Augusti & post. Tum enim spreta toga, penulis fere, ac lacernis, aut solis tunicis, iisque coloris pulli, vtebantur: nonnulli tamen delicatiores coloris amethystini aut coccinei, de quo vide Iusti Lipsij Electorum librum cap. 13.

Lacerna, vestis militaris erat Propertius:

Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

Verum & hæc per bella ciuilia in vrbem irrupit, & frequenter vsurpata, & gestata est, non à vulgo tantum, verum etiam à Senatoribus: qua de re videndus Iustus Lipsius.

Paludamentum, ait Nonius, est vestis quæ nunc Chlamys dicitur. Sallustius histor. lib. 3. Et eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo sanguine suorum defensus, postquam ex sarcinis paludamenta astari, & delectæ cohortes intelligi cœpere Festus omnia militaria ornamenta paludamenta dici ait. Varro lib. de ling. Latin Paludata à Paludamentis: sunt insignia & ornamenta militaria. Ideò ad bellum cum exit Imperator, ac lictores mutant vestem & signa incinuerunt, Paludatus dicitur proficisci: quæ propterea quod conspiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam, paludamenta dicta. Proprie tamen Paludamentum Imperatorum erat, non solum purpura, sed cocco etiam, auróque distincta, vt Isidorus scripsit. Liuius paludamentum pro veste militari, etiam eius, qui non esset Imperator, posuit in historia Horatij lib. 1. Imperatoris Paludati icona ex veteribus monumentis Lazarus Baysius publice donauit, quam & nos pagina sequenti subiecimus.

Apu Nonium Marcellum & hæc vestium nomina leguntur.

Abolla, vestis militaris erat. Varro Cosmoterine: περὶ φθορᾶς κόσμου. Toga tracta est, & abolla data est ad turbam, vbi sera militia in munera velli, vt præstarem.

Tunicam rallam, tunicam spissam.

Ricinium, omne vestimentum quadratum. Ij, qui XII. interpretati sunt, esse dixerunt, virilem togam prætextam clauo purpureo, Festus. Varro lib. 4. de ling. Lat. Antiquissimi amictui Ricinium, id quod eo vtebantur duplici, ab eo, quod dimidiam partem retrorsum iaciebant, ab reiiciendo Ricinium dictum.

Læna, vestimentum militare, quod supra omnia vestimenta sumitur. Vsurpabatur etiam in sacrificiis. Varro lib. 4. de lingua Latina: Læna, quod de lana multa. Duarum enim togarum instar, vt antiquissimum mulierum, ricinium, sic hoc duplex virorum. Festus Læna vestimenti genus habitus duplicis.

Subucula, erat interior virorum vestis, quæ proxime cutem attingebat, à subtus dicta, vt vult Varro lib. 4. de lingua Latina. Idem li. 1. de vita populi Romani apud Nonium: Postquam, inquit, binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare, Subuculam, & indusium, siue (vt alij scribunt) intusium, &c.

Cæcisium, linteolum dicitur purum & candidum à cædendo, quod ita ad candorem perueniat, vel quod oras circumcisas habeat. Plautus Epidico: Linteolum Cæsicum.

Patagium, aurea chlamys, quæ pretiosis vestibus immitti solet.

Supparum, est linteum femorale, vsque ad talos pendens, dictum, quod subtus appareat.

Carbasus, pallium, quo fluuij amiciuntur, vel opulentiæ causa, vt sericum, aut lino tenui. Hæc & quædam alia vestium nomina apud Nonium Marcellum leguntur, & explicantur, quæ hic paucis repetere voluimus: addituri etiam vocabula vestium muliebrium, si prius de Toga, Tunica, & Trabea dixerimus.

ICON

ICON IMPERATORIS PALVDATI.

AD CAP. XXXI PARALIPOMENA.

Primæ vestes diuersarũ gentiũ, e pellibus ijs tentoria tecta, lacerna, fibulæ birribus, vestes sericæ, holobericæ, pellucidæ, herbidæ.

HEroes pellibus indutos, copiose supra in hoc opere dixi. & ad lib. 1. Claudiani de raptu in limine. scholiast. Apollonij Rhodij. *[illegible] solenne heroibus, pelles gestare.* nunc Romanis priscis etiam id obseruatum ostendam, præcipue mi-

litantibus quorum tentoria pellibus integebantur. Valer. lib. 8. cap. 2. *decreuerunt ut ex iis, qui equo meruerunt, peditum numero militarent, qui pedites fuerant in funditorum auxilia transcriberentur neue quis eorum intra castra tenderet, neue locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret, neue tentorium ex pellibus haberet.* Antiquum sane hoc, nec tamen ab vrbe condita semper vsurpatum, nam *in Veiorum obsidione* (verba sunt T. Liuij 1. Decad. lib. 5.) *primum sub pellibus hiemare caperunt.* hoc est anno 317. ab vrbe condita, vt annotauit Ioannes Camers. L. Flor. lib. 1. cap. 12. *Veientum quanta res fuerit indicat a decennis obsidio; tunc primum hiematum sub pellibus, taxata stipendio hiberna.* quæ ille, vt multa alia exscripsit e Liuio, vt non male in codice MS. hic titulus sit. *L. Annæi Flori Epitoma de historia Titi Liuij: argumentum feliciter incipit.* ita Iosephi Challanæi, at in vulgatissima, sed antiquissima editione, epigraphe talis legitur. *Incipit Lucij Annæi Flori Epitoma de Tito Liuio qui historiam R. ab vrbe condita scripsit.* Retenta diu ea consuetudo. Cæsar. lib. 3. de bello Gallico in fine. *eiusmodi tempestates sunt consequutæ, vti opus necessario intermitteretur, & continuatione imbrium, diutius sub pellibus milites contineri non possent.* Idem lib. 3. Bello Ciuil. cap. 4. *reliquarum legionum aduentum expectare, & sub pellibus hiemare constituit.* Et post illam ætatem idem inualuit mos, scilicet sub Nerone. Cornel. Tacit. lib. 13. Annal. *retentus omnis exercitus sub pellibus, quamuis hieme sæua, adeo vt obducta glacie nisi effossa humus, tentoriis locum non præberet.* Et post Neronem sub Theodosio Hispano disciplinæ militaris obseruantissimo. Lat. Pacat. Drepan. in panægyrico quem ei dixit. *summatim tuum illud attingam cum patre diuino castrense collegium, hiemes actas sub pellibus, æstates inter bella sudatas.* eadem de Stilichone Claudianus libro primo de Laudibus ipsius.

——quoties sub pellibus egit
Ædonas hiemes?

Factitatum idipsum à Græcis, à quibus Romani, vt pleraque alia mutuati sunt. Q. Curt. lib. 7. *sæpe pellibus tabernaculis alleuatis, vt conspiceret hostium ignes.* addendus Ammian. Marcellin. lib. 9. *sub pellibusque exercitu diffuso, per Istri fluminis margines barbaros obseruabat,* Flauius Vopiscus in Aureliano. *pelles ad tabernacula & tentoria paratæ.* Arrian. lib. 1. de Gest. Alexand. *tentoria militum erant ex pellibus leui materia repletæ.* Et lib. 3. *iubet tentoriis pelles detrahi, easque minutis ac leuibus festucis repletas consui,* siue quod antiquorum pelles indumentum, seu quod facilius sic ab aeris iniuria defendi possent. Et sane in pelliceis stragulis cubabant duces & Imperatores exercituum. Cornelius Nepos siue verius Æmilius Probus in Agesilao. *quod ei vsu venit cum annorum octoginta subsidio Thaco in Ægyptum iuisset, & in acta cum suis accubuisset sine vllo tecto, stratumque haberet tale, vt terra tecta esset stramentis, neque vt amplius quam pellis esset iniecta, eodémque comites omnes accubuisset, vestitu humili atque obsoleto, vt eorum ornatus non modo regem in his neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet.* Lecti itaque insternebantur pellibus. M. Tull. Orat. pro L. Murena. *Tubero ille homo eruditissimus & Stoicus, in funere Scipionis Africani, cum epulum populo Romano nomine Q. Maximi daret, strauit pelliculis hædinis lectulos punicanos, & exposuit vasa Samia.* Ælian. lib. 13. var. hist. cap. 1. *ἦν δ' ἄρα τῇ Ἀταλάντῃ στρωμναὶ μὲν αἱ δοραὶ τῶν τεθηραμένων, σιτία δὲ τὰ τούτων κρέα, ποτὸν δὲ τὸ ὕδωρ. stratis autem lectoque vtebatur ferinis pellibus, cibo earundem carnibus, & aqua.* Eugeria poetria nobilis.

Sericum tegmen gemmantia tecta Laconum
Pellibus hircinis æquiparanda loquar.

D. Iuuenal. Sat. 6. in principio 5.

Siluestrem montana thorum cum sterneret vxor
Frondibus, & culmis, vicinarúmque ferarum
Pellibus.

Sext. Propert. lib. 3. eleg. 12.

Atque hinuli pellis totos operibat amantes
Altaque natiuo creuerat herba thoro.

Ex iisdem, vt admonebam, vestitus primus hominum fiebat. hinc inter vestimenta, pelliceas reponunt Vlpian. l. 25. ff. de auro arg. leg. Paulus lib. 3. sententiar. tit. 6. & apposité T. Lucretius lib. 5.

Tunc igitur pelles nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam belloque fatigant.

Et eodem libro.

Necdum res igni scibant tractare, neque vti
Pellibus: & spoliis corpus vestire ferarum.

Rursusque eodem libro.

Inde casas postquam, ac pelles, ignémque pararunt:
Et mulier coniuncta viro concessit in vnum.

Nec Romanorum modo, sed & aliarum gentium. Hunnorum, Ammian. lib. 3. *indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus siluestrium murium, consarcinatis.* Iornandes lib. de Reb. Getic. cap. 5. *Hungari hinc noti sunt, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium, quos tantorum virorum formidauit audacia.* legendus præ aliis Ælianus de Histor. Animal. libro decimoseptimo. cap. 27. Scytharum, Iu-

stin.

ftin libro 2. cap. 2. *lanæ iis vſus ac veſtium ignotus, & quanquam continuis frigoribus vtantur, pellibus tamen ferinis ac murinis vtuntur.* Theophilus Cangiser putauit, non malè, meo iudicio, reſcribendum, *pellibus tantùm ferinis at murinis vtuntur.* vbi meras agit nugas Victorinus Strigelius. aut Sarmatarum, Vlp. lege cita. *argumento ſunt etiam nationes quædam, veluti Sarmatarum quæ pellibus teguntur.* at quarum belluarum hæ pelles eſſe conſueuerint; diſcimus ex L. Seneca Epiſt. 90. *frigus intolerabile eſt corpori nudo. quid ergo? nunquid non pelles ferarum & aliorum animalium, à frigore ſatis abundéque defendere queunt? non corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora? non auium plumæ in vſum veſtis conſeruntur? non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium? quæ tactu mollia, & impenetrabilia ventis ſunt.* de Germanis C. Tacit. li. de eorum morib. *gerunt & ferarum pelles proximi ripæ negligentius, vlteriores exquiſitius.* Iſidor. in gloſ. *maſtruca, veſtis Germanica ex pelliculis ferarum.* & Lappones Bothnienſéſq; *pretioſis veſtiuntur pellibus non modo ornatus cauſa, ſed & neceſſitatis* Olaus Magnus lib. 4 hiſt. cap. 4 de Getis notius eſt, quam vt dici debeat. Certè enim Gothi, quos certum eſt Getas dictos, ſic induebantur. Sidon. Apollina. in Concione. *ſi neceſſitas arripiendæ legationis incubuit, non illic ſemel pro hac ciuitate ſtetit ante pellitos reges, vel ante principes purpuratos.* Et lib. 1. Epiſt. 2. *pellitorum turba ſatellitum*, hoc eſt Gothorum. eruditiſſimus Sauaro, Maximus Taurinenenſis Homilia 2. de Auaritia *vnd barbaro auri gemmarúmque monilia? vnde pelliti ſerica veſtimenta?* quod vel de Getis illis antiquis intelligendum, vt Ouid. paſſim in libris Triſtium, & de Ponto, *pellitos inter agenda Getas.* & lib. 3. Triſt. eleg. 10. *Pellibus & laxis arcent mala frigora bracchis:* licet alij legant.

Pellibus hirſutis arcent mala frigora braccis.

Aut in aliis.

Pellibus & ſutis arcent mala frigora braccis.

Vel de Gothis, D. Hieronymus Epitaphio Nepotiani, *pellitorum turba populorum.* poëtæ illius ætatis. Aurel. Pruden. lib. 2. Contra Symmachum.

Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Iſtro,
Has arces æquare ſolo, tecta aurea flammis
Soluere, maſtrucis proceres veſtire togatos.

Et eodem libro.

Non armis, veſte, comiſque
Ignotus paſſim capta vagus errat in vrbe.

Proſper Aquitanicus de Prouidentia.

Quod ſi forte lupos, lyncáſque, vrſóſque creatos
Diſplicet, ad Scythiæ proceres, regéſque Getarum
Reſpice, queis oſtro contempto & vellere Serum,
Eximius decor eſt tergis horrere ferarum.

Ioſephus Caſtalio notat ad Rutilium Numatianum libr. 2. Itinerarij:

Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiua prius, quam caperetur, erat.

Claudian. lib. de bello Getico.

Crinigeri ſedere patres pellita Getarum
Curia.

Idem de 4. Honorii conſulatu

Caſtra cruore natant, moritur pellita iuuentus:
Pars morbo, pars enſe perit.

Et lib. 2. in Ruffin.

Ipſe inter medios, ne qua de parte relinquat
Barbariem, reuocat fuluas in pectore pelles,
Frænaque, & immanes pharetras, arcúſq; ſonoros
Aſſimilat, mentémque palam teſtatur amictus.
Nec pudet Auſonios currus, & iura regentem
Sumere deformes ritus, veſtémque Getarum;
Inſignémque habitum Latij mutare, togaque
Captiuæ mærent pellito iudice leges.

Licet ſciam quintum verſum eleganter de officio præfecti prætorio intelligendum, tamen MS. meus, antiquiſſima edito Veneta, & Gulielmus Fornerius præferunt.

Nec pudet Auſonias curas, & iura regentem
Sumere deformes ritus, veſtémque Getarum.

Sidon. Apollinar. Carm. 7.

Expetis in media pelliti principis aula.

Et Romanos ipſos pellitos in initio, vrbe iam condita fuiſſe loquitur Propertius libr. 4. eleg. 1.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu
Pellitos habuit ruſtica corda patres.

Pelles iſtæ pro qualitate nobilitatéve perſonarum, ita viliores pretioſioréſve erant. Adrian. Turneb. lib. decimo quinto capite vltimo: & Ianus Gruterus obſeruant. Helenius Acron ad Horatii lib. 1. Satyr. 5. *latum clauum purpuram dicit, quæ in pectore extenditur ſenatorum, Græci τὸν κολόβιον vocant, vſum cius hodie retinent principes iniicientes veſti à ceruice ad pectus indumentum ex purpura, vel pellibus pretioſis muris pontici, vel aliis, dum regio habitu prodeunt in publicum.* Ecce, quod nemo prodidit, quantum ſcio, ſenatores ætate

Acronis vsos pellibus in vestitu, locus iste indicat. Eginhartus in vita Caroli Magni, *ex pellibus lutrinis vel murinis thorace confecto, humeros ac pectus hieme muniebat.* sed multis hoc post Horatium sæculis, neque de Romano principe, sed de Gallo: certè omnes Septentrionis incolæ penè sed potissimum Germani atque Sarmatæ siluestrium murium pellibus ad ornamentum induuntur, vt & in Germania ipsi vidimus, & quotidie in celeberrimo Venetiarum emporio videre est, quem luxum taxat Helmoldus Chron. Slauor. libr. 1. c. 1. *pellibus abundant peregrinis, quarum odor lethiferum nostro orbi superbiæ venenum propinauit, & illi quidem, vt stercora hæc habent ad nostram credo damnationem, qui ad marturinam vestem anhelamus, quasi ad summam beatitudinem, itaque pro laneis indumentis, quos nos appellamus fa[l]lo[n]es illi afferunt tam pretiosos martures.* sed post moribus sæculis etiam Romani illi Cardinales huiusmodi fœdissimis pellibus deformarentur. adscribam locum elegantem B. Petri Damiani Ostiensis, qui vt ait Honorius Augustodunensis abbas lib. de luminarib. ad finem, *ex monacho & heremita episcopus*, & vt Bertoldus vult, *piæ memoriæ cardinalis*, aut *vas religionis*, vt verbis vtar Leonis Marsicani Casinensis, quod eo lubentius retuli, quod desiderium optimi scriptoris Baronis osten[dit]. Is itaque lib. 2 Epist. 2. pag. 128. *cum domestici mures nostris aspectibus sordeant, transmarinorum pelles, quia magno pretio coëmuntur, obiectant, ouium itaque & agnorum exuuiæ despiciuntur. Ermelini, Gebelini, martores exquiruntur & vulpes.* deinde aliquot lineis interpositis, *ecce non reclinatur in vulpeculis Christus, dormit sub vulpinis pellibus Christianus: respuit animalia redemptor mundi vt cabulis decorata, illud nunc depictat ornamentum quod signat innuit reproborum.* De Moscouitis Olaus Magnus hist. gent. septentr. libro 11. cap. 1. *merces eorum sunt pelles pretiosæ, & omnique [i]n [f]atis apud eos in pretio, videlicet, mardurinæ & Varolinæ.* Marullus Tarchaniota in Epigrammatis.

Pulla more delicatior Scytha,
Foltiue serici comis.

Birrus etiam antiquorum indumentum Sulpitius Seuerus in vita D. Martini, apud Ioannem Meursium in lexico suo lib. 3. *hæc charis viduis atque familiaribus mandat, tributa virginibus, illa vt rigentem birrum, hæc vt fluentem texat lacernam.* Vetus scholiastes Iuuen. ad v. 283 Satyr. 3. *coccina læna purpurea qua diuites olim vtebantur. Virgil. Tyrioque ardebat murice læna* (lib. 4. Aeneid. *aut antiqui amphimallum lænam appellabant........quod Græci coccum, latini veteres birrum vocarunt.* frustra vir doctus corrigere tentat, *Latini veteres birrum vocarunt.* nam τὰ πυρρὰ formam vestimenti optime exprimere mihi videtur. Isidor. libro decimo nono Etymologiar. cap. 24 *birrus à Græco vocabulum trahit: illi enim birrum bibrum dicunt.* corrigendum, *illi enim βίρρον dicunt.* nã bibrum librarij culpa videtur irrepsisse. Posidonius de passione Cypriani, *& cùm peruenisset in locum, qui dicitur Sextus, quarto ab vrbe miliario, exspoliauit se birrho, & tradidit carnificibus.* Fl. Vopisc. in Carini vita ad finem. *inscriptum est adhuc in chlamyde pallio bianthino, quo ille velut spolio nobilitatus exultat, Messalæ nomen & vxoris: iam quid lineas petitas Aegypto loquar? Quid Tyro & Sidone tenuitate pellucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles, donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri canusini, Africana in scæna opes non prius visæ.* Mentio præterea & apud Martianum Capellam de Nupt. Philolog. & Mercurii libro quarto *vniuocum est, quando duarum aut plurium rerum idem nomen est & definitio, vt vestis, nam & birrus & tunica nomen vestis habent, & definitionem possunt accipere.* vilissimum certe erat hoc vestimenti genus, vt apparet ex epigrammate hoc Claudiani, cuius epigraphe, *de birrho & Castoreo.*

Nominis vmbra manet veteris, nam dicere byrrhum,
Si Castor niteat, Castoreum nequeo.
Sex emptus solidis, quid sit iam scire potestis,
Si mihi nulla fides, credite vel pretio.

D. Auson. præfatione sua ad edyllium septimum.

At nos illepidum, rudem libellum,
Burras quisquilias ineptiásque
Credemus gremio tuo fouendum?

Vbi *burras* pro *birras* antiquo more scribendi dixit, nam & *Sulla* pro *Silla*, & sexcenta alia efferebant. Egeria poëtria in collectaneis Epigr. & poëmat. lib. 4.

Nobilis horribili iungetur purpura birrho.
Nec latur plumbo lucida gemma graui.

Hoc quia villosum, vt apud Isidorum in glossis *birrum villosum.* Græci ἀμφίμαλλον, vetus scholiastes Iuuenalis supra ad Satyram tertiam, siue ἀμφίμαλλον, aut certè ἀμφίβολον vocarunt Chronicum Lauris Han[ens]e.

Et sunt immensis induti calciamentis,
Amphibalis longis vtentes & scapsosis.

Lacernam esse putant oblongiorem, qua etiam caput posset obuolui. licet glossarium Philoxeni simpliciter βίῤῥος birrus, habet, & Suidas non lacernam, sed togam contendat fuisse,

fuiſſe, ſic enim in codice ipſius, *βίῤῥον, ἱμάτιον ῥωμαϊκόν, birrum, toga Romana.* frequentiùs tamen apud bonos authores pro lacerna vſurpatur. Abdias Babylonius hiſtor. Apoſtol. lib. 7. *lacernam birram in ſalutis pretium obtulit.* Anonymus ſcriptor, ſed non inelegans in vita D. Cypriani. *poſt hanc verò ſententiam turba fratrum dicebat, & nos cum ipſo decollemur, propter hoc tumultus fratrum exortus eſt, & ita idem Cyprianus in agro Sexti perductus eſt, & ibi ſe lacerna birra exſpoliauit, & genu in terram flexit, & in orationem ſe domino proſtrauit, & cum ſe Dalmatica expoliaſſet, & diaconibus tradidiſſet, ad lineam ſtetit, & cæpit ſpiculatorem ſuſtinere.* quem locum ideo longiorem exſcripſi, quod in ſupplicijs *ad lineam ſtare*, non viderim obſeruatum adhuc ab vllo, & puto extimas theatri funeſti partes, populo ſubmouendo defixas in terram ſudes intelligi debere. deinde quid ſit *Dalmatica* non memini legere me. Interim Artemidori Daldiani è lib. 2. Oneirocrit. ca. 3. locus proferatur. *χλαμὺς δὲ ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βίρεον καλοῦσι, θλίψεις καὶ στενοχωρίας, καὶ τὰς δίκας ... καταδίκην μαντεύεται διὰ τὸ περιέχειν τὸ σῶμα. Chlamys, quam aliqui mandyam, alij epheſtridem, alij berion appellant, tribulationem ſignificat propterea, quod corpus circum amplectatur.* reſcribendum fortaſſis *οἱ δὲ βίῤῥον καλοῦσι* alij *birrium vocarunt.* vetuſtatem eius veſtimenti inuentionémq; Gallis aſſignarunt, inter quos eſt vet. Schol. Iuuenal. ad v. 144. Sat 8. *Santonico cucullo, id eſt birro Gallico, nam apud Santonas oppidum Galliæ conficiuntur.* & ipſe Iuuenalis.

——Quam ſi nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adaperta cucullo.

Pſeudocornutus, ſeu quilibet alius A. Perſij Interpres, ad v. 68. Sat. 1. *ſcis birrum attritum comiti condonare.* dixerat enim Perſius.

Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

Sequitur deinde de lacerna. *lacerna, pallium fimbriatum, quo olim ſoli milites vtebantur, penula, pallium cum fimbriis longis*, quod ex eo Iſidorus deſumpſit lib. 19. cap. 24. qui totidem verbis idipſum expreſſit, additque, *unde & in diſtinguenda caſtrenſi vrbanáq; turba, hos togatos, illos verò lacernatos vocabant.* P. Ouid. libro 2. Faſtor.

Mittenda eſt domino, iamiam properate puellæ,
Quam primum noſtra facta lacerna manu.

Superinduebantur togis lacernæ. C. Sueton. in Auguſto ca. 40. in fine, negotium ædilibus dedit, ne quem poſthac paterentur in foro, circóve, niſi poſitis lacernis togatum conſiſtere Iuuenal. Sat. 9. v. 29. *munimenta togæ* lacernas vocat, & ſcholiaſtes *pingues, ut ſtendat greſſas, ac per hoc pluuiales, quæ muniant à pluuia, non quæ ornent,* Mart. li. 14. epigr. 137. & viris doctis notatum.

Amphitheatrales nos commendamur ad vſus,
Cùm tegit algentes noſtra lacerna togas.

Præcipuus itaque earum vſus in ſpectaculis Amphitheatralibus. Qu. Florens Septimius Tertullian. Apologet. c. 6. *video theatra, nec ſingula ſatis eſſe, nec nuda, nam ne vel hyeme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonij penulam ludis excogitauerunt.* ita eleganter Iacobus Pamelius reſtituit, cùm antea legeretur, *penulam nudis excogitauerunt.* rectè quidem, nam penula Tertulliano idem ac lacerna, Beatus Rhenanus. Suet. in Claudio c. 6. licet ſciam initium ritus à viatoribus veniſſe, vt à pluuia facilius defenderetur, C. Plin. lib. 19. c. 25. *nubilo occaſu pluuioſam hyemem denuntiat, ſtatimq; augent lacernarum pretia.* Certe facile erat eas exuere, Caſtritius Rhetor ad ſenatores quoſdam diſcipulos ſuos quos feſto die tunicis & lacernis indutos viderat, *maluiſſem*, inquit, *vos togatos videre.* A. Gell. libro 13. cap. 5. M. Tull. 2. Philipp. *cum gallicis & lacerna cucurriſti.* apud eundem eodem lib. cap. 10. Idem Mart. lib. 4. epigr.

Spectabat modo ſolus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs & minor ordo maximúſque
Sancto cum duce candidus ſederet,
Toto nix cecidit repente cælo.
Albis ſpectat Horatius lacernis.

C. Lucilius li. 3. Satyrar. citante Flauio Soſipatro Chariſio li. 2. & Nonio Marcello ca. 3. Num. 94.

Romanis ludis forus olim ornatus lacernis.

Peſſime in codicibus vulgatis,
Romanis ludis forus olim ornatus lucernis.

Niſi fortè de igne Imperatoribus prælato intelligi placeret, quem conſtat in lucernis geſtari ſolitum: quippe vt in priuatorum domibus lychni, vel lychnuchi, ita in Circo aut amphitheatro lucernæ. de lychnis ſupra hoc opere aliquoties, adde Magni Felicis Ennodij locum è libro ſecundo Epiſt. 7. *nos ad ſcholam gymnaſiis ſequeſtrati, arentis ingenij guttis, quædam Oceani fluenta prouocamus, quaſi lychnis contra ſolis radios pugnaturi,* ante e-

ditionem Iacobi Sirmondi, vitiosè legebatur, *quasi lychnis contra solis radios pugnaturi.* Apologia pro Synodo, *nescitis, stolidi, solem facibus non iuuari, nec ad præsidium diurnæ lucis lychnos accendi?* de Circo Curopalates lib. de Offic. Aulæ Constantinopolit. pag. 87. τοῦ δὲ λαμπαδαρίου κάτωθεν τοῦ μεγάλου δομεστίκου, τὸ δισάμπουλον μετ' ὀρθῆς λαμπάδος φέροντος, ἧς δὴ λαμπάδος τὰ μὲν ἄκρα εἰσὶ διὰ κινναβάρεως βεβαμμένα. *Lampadario verò secundùm Magnum domesticum ferente diuini cultus ampullam, cum accensa lampade, cuius lampadis oræ extimæ tinctæ sunt colore cinnabari.* Coripp. lib. 2 Num. 8.

Iamque operis nouus astra dies præntius ante
Signa dedit cursor, posita, de more, lacerna.

Erant lacernæ purpurei coloris, non minus quàm prætextæ ipsæ magistratuum. Martial. lib. 8. epigr. 10.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi.

Eiusdem libri epigr. 28. & libr. 2. epigrammate 39.

Quæque Tyron toties epotauere lacernæ,
Et toga non tactas vincet iussa niues.

Neque verò semper coccineæ erant, sed interdum & candidæ, vt ostendit D. Iuuenal. Sat. 1. v. 27.

——Tyrias humero reuocante lacernas.

Idem lib. 14. epigr. 133. lemma est, *lacerna.*

Non est lana mihi mendax, non vtor aheno:
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ouis.

Fibulis substringebantur. Ammian. Marcel. lib. 14. *sudant sub ponderibus lacernarum, quas in colli exerta singulis ipsis adnectant.* corrigendum necessaria restitutione, *fibulis ipsis adnectant.* nam aliter sensus non constat. Luctatius Placidius ad v. 658. lib. 7. Thebaidos Papinianæ. *ad luxuriam retulit pulchritudinem fibulæ; erat enim foraminibus multis exornata, quas vulgo interrasas appellant.* sunt itaque fibulæ orbiculi quidam teretes, quibus vestimenta connectebantur, & Vlpianus IC. l. 25. ff. de auro & argento leg. non tam *in vestibus quàm ornatu* eas ponit. caligis imponebantur, vetus scholiastes Iuuenal. ad vers. 73. Sat. 6. *nam omnes pueri vocales fibulas in naturis habent, ne coëant.* & ad vers. 377. eiusdem Satyricæ. *fibulam dicis circellos, quos tragœdi, siue comœdi in penem habent, vt coitum non faciant, ne vocem perdant.* Philostratus Lemnius in Imaginibus. Cupidinem, puerum delicatum depingit, & ob id fibulatum. Martial. lib. 7. epigr. 81. *penem tam grandis fibula vestit.* libro decimo quarto epigramm. 215. *Comœdis & citharœdis fibula quid præstat?* aut etiam in chlamydibus, & penulis, extat Constitutio Leonis Augusti. *fibulis in clamydibus his quoque vtantur* (priuati) *quæ solæ auro & arte pretiosæ sunt.* Nec ciuium tantùm in vrbe agentium fibulæ gestamen, sed & militum. Fl. Vospic. in Aureliano Aug. *concessit militibus fibularum aurearum vsum.* præsertim tamen fœminarum mundo adnumerabantur, & puto illud iis fuisse principium. C. Plin libro trigesimo tertio cap. primo *fabricam etiam deum fibulas, & alia muliebris cultus, sicuti inaures in principio factitauisse sine mentione annulorum.* materia iis aurum argentumve vel quælibet alia metalla inaurata, vel bracteis obducta. Trebell. Pollio in Claudio Valerianus princeps Zosimo Syriæ procuratori præcepit *vt in Claudio extra dona daret fibulas argenteas inauratas duas, & fibulam auream.*

Plinius libro proximè laudato cap. 3. *sed in militia quoque in tantùm adoleuit hæc luxuria, vt M. Bruti in Philippicis epistolæ reperiantur frementes, fibulas tribunisias ex auro geri.* In virtutis hæ præmium, & benefactorum gloriam tribuebantur, vel tribunis, vt ex his Epistolæ Bruti verbis colligere facile est, vel puerulis, quos ad virtutem erigere & incitare volebant. T. Liuius 1. Decad. libro septimo *puerum annulo aureo tunica laticlauia Hispano sagulo, & aurea fibula, ornatum donat.* poetæ meminere Latini. Corippus libro 2. Num. 4.

Aurea iuncturas morsu præstrinxit adunco
Fibula, & auratis gemmæ nituere catenis.

Publius Ouidius libro octauo Metamorphos.

Rasilis huic summam mordebat fibula vestem.

Virg li. 4. Æneid. de Didone venatum profectura.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Et li. 5 Ænei. de donis & ornatu in agone illo funebri certantium: vt appareat & gemmis ornari consueuisse.

——lato quem circumplectitur auro
Baltheus & tereti subnectit fibula gemma.

Et libro septimo Æneidos in fine de Camilla.

——vt fibula crinem
Auro internectat.

Stat. lib. 6. Thebaid.

Emicat, & torto chlamydem diffibulat auro.

Et lib. 7. Thebaid. cultissime.

Carbasíque sinus, & fibula rasilis auro
Tenariam fulua mordebat Iaspide vestem.

Et poetæ Græci, Nilus Scolasticus lib. 4. Antholog. cap. 12. epigr. 111. ad Dianam venatricem.

Πόρπη τε χρυσεῖη πεπυκασμένη, καὶ ποτὶ ἄκρην
Ἰγνύην φοίνιξ σπιλὰς ἑλισσομένη.
Et fibula auro facta, & ad summum
Poplitem ruber peplus tractus.

Homerus in Hymno Veneris primo. v. 164. si modo id opus ipsius censendum est.

Κόσμον μέν οἱ πρῶτον ἀπὸ χροὸς εἷλε φαεινόν,
πόρπας τε, γναμπτάς θ' ἕλικας, κάλυκάς τε καὶ ὅρμους.
Ornamentum quidem illi primùm à corpore abstulit lucidum.
Fibulásque flexibiles helicásque, calicásque & monilia.

Idem Iliad 18. v. 401.

τῇσι παρ' εἰνάετες χάλκευον δαίδαλα πολλά
πόρπας τε, γναμπτάς θ' ἕλικας.
Apud istas per nouennium fabricant artificiosa multa.
Fibulásque, flexibilésque helicas.

Delicatiores inualescente luxuria byssinis vestiebantur, & præsertim fæminæ, M. Varro apud Nonium cap. 14. Num. 6. *aliam cerneres cum stola holoserica*, quas ille *holosericas* vocat, id est Penitus sericas, alij bombicinas, aut *olobericas* vt Adrian. Turneb. l br. 1. Aduersar. cap. 13. alij denique *olouerias*, inter quas Cuiacius, sed parum interest, nam in V. sæpissimè B. solebant commutare, & sic controuersam videbis epigraphen tituli 9. lib. 11. Codicis Iustinianei. communior tamen receptiórque lectio sic concipitur: *de vestibus holoueris, & auratis, & de tinctione sacri muricis*: aliter alij legunt, vide Andream Alciatum. Cúmque immodicus & fidem excedens circa vestitum hunc nasceretur luxus & viri fæminis similes molliori cultu viderentur. Theodosij. Aug. constitutio furorem his verbis coërcuit, *temperent vniuersi cuiuscunque sint sexus, dignitatis, artis, professionis, & generum, ab huiusmodi speciei possessione, quæ soli principi, eiúsque domui dedicatur, nec pallia quis tunicasque domi sericas contexat aut faciat, quæ tincta conchylio, nullius alterius permistione contexta sint, proferantur ex ædibus, tradantúrque tunicæ aut pallia ex omni parte texturæ cruore infecta conchylij, nulla stamina subtexantur tincta conchylio, nec eiusdem infectionis arguto pectine solidanda fila decurrant, reddenda ærario holoueræ vestimenta virilia protinus efferantur, nec est, vt quisquam de abiurato pretio conqueratur, quia sufficit calcatæ legis impunitas.* quæ habentur l. 4. Cod. loco proximè supra laudato Lucas Penna imitatum Imperatorem versum Virgilij lib. 1. Georgic. docet.

Arguto coniux percurrit pectine telas.

Quod autem de *pretio* sequitur, ad historiam pertinet, nam ideo vsum huiusmodi vestimenti negauit Aurelianus Cæsar vxori suæ, ne immodico, & nihil profuturo sumptu patrimonium attenuaret suum. verba Flauij Vopisci in vita ipsius apponam. *Aurelianum vestem holosericam neque ipsum habuisse in vestimento suo, neque alteri vtendam dedisse, & cùm ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur, illum respondisse, absit vt auro fila pensentur.* Zonaras certe Tomo Annal. 3. βέσεις vocat eiusmodi vestes, vt & Balsamo Canone 12. Concilij Gangrensis. Vsum viris ademit, & vt rem probrosam indicauit Tacitus Aug. Fl. Vopisc. in eo, & Gordianus id lege lata interdixit. Iul. Capitolin. in vita ipsius eleganter, vt omnia alia C. Tacitus libr. 2 Annal dixit, *decreto cautum à Q. Haterio viro consulari*, sub Tiberio principe, *ne viros vestis fœdaret.* sed id antea ab Augusto ipso interdictum fuerat. Ioann. Xiphilin. in Traiano: neque quicquam turpius homini ingenuo iudicatum, vnde inter exprobrationes D. Hieronym. libro 2. aduersus Iouinianum. *nunc lineis & sericis vestibus, & Atrebatum, ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis.* cultissime Claudian. libr. 2. in Eutropium.

Vestis odoratæ studium, latet maxima risum
Per varios mouisse sales minimèque viriles
Munditiæ, compti vultus, onerique vel ipsa
Serica.

Neque florente tantùm republica id vetitum à principibus, quos enumeraui, sed & translato Byzantium imperio, extat Constitutio Ioannis Ducæ libro 1. Iur. Orient. tit. *de vestitu*, in hæc verba. *ne quis subditorum vtatur vestibus Assyriis, Babylonicis, Italicis, variisque artificiis confectis, sericis nisi is, quisquis esset, cum omni familia in ordinem cogi, ac notari ignominia vellet, vtque his contenti sint, cautum, quas Romanæ sericæ Constantinopolitanæ prouinciæ, & manus præberent.* Neque minus hoc contagium repressum, ne latius serperet, legibus aliorum populorum. Antiquissima sanè Scotorum lex erat, ne peregrinis vestimentis vterentur, néue alia haberent, etiam proceres, gestamina, quàm quæ parabilia essent, & è lana patria conficerentur: Indignum quippe iis visum est in ea degere regione quæ ne ad vestitum

quidem necessaria subministrare posset, quoties illud & quando cautum dìces, lector, ex erudito & insigni opere de legibus Scoticis Ioannis Skenæi, amicissimi mihi consanguinei, & in supremo Scotiæ senatu actuarij ac Senatoris: cuius frugalitatis vestigia etiam mea memoria abhinc viginti plus minus annis supererant. Idem pari sollicitudine institutum apud Gallos, imperante Carolo 9. anno dominicæ incarnationes 1565. Pet. Gregorius Syntagmat. Iur. vniu. libr. 9. cap 19. in Germaniis idipsum edicto Caroli quinti præcautum, comitiis Augustæ Vindelicorum habitis, Anno reparatæ salutis 1548. vt clarum est ex Politica eiusdem principis constitutione, patria lingua edita, & in Latinum versa à Iustino Goblero, Attic. 9 10. 11. longum foret, si gentium in hac reprimenda luxuria consensum demonstrare vlterius cuperem, satis præstitero, si à barbaris primum vsum ad Romanos promanasse, incredibili disciplinæ ciuicæ iactura affirmauero, authore Dione Cocceiano lib. 43. adeundi Iulius Pollux lib. 7. cap. 17. Indis & Ægyptiis inuentionem primam assignat Procopius libr. 1 belli Persici, Clemens Alexandr. Pædagog. libro 2. cap. 10. duraque is luxus non apud cultiores tantum populos, aut in Europa, sed & aliis, Calachutensibus scilicet, Aloisius Cadamustus Nauigationis suæ cap. 58. cuius verba, Archangelo Madrignano Interprete hæc sunt. *veste vtuntur cotonina, quoniam eo panno abundant plurimum, vtuntur & pannis sericeis, & in primis illustriores, at alij aliis vtuntur vestibus, prout patitur illorum census & opulentia, at nobilium virorum mulieres, etiam supra cinctiram carnes velant telis subtilioribus, egregiæ verò feminæ ad pubem tantum corpora tegunt.* Et de Nigritis in Nauigatione sua Christophorus Columbus cap. 110. sic enim ille eodem Archangelo interprete: *bombice scatet regio, quippe quæ suapte natura gignitur, colentes femine eo subligacula conficiunt, quibus occulunt inguina.*

Sunt qui sericam vestem cum bombicina confundant, sequuti Isidorum lib. 19. cap. 27. & Hieronymum Cardanum lib. 9. de subtilitate, sed quam appositè, viderint, cùm distinguant Iurisconsulti. Vlpian. l. 23. ff. de auro arg. leg. *vestis an vestimenta legentur, nihil refert, vestimentorum sunt omnia linea, l. neáque, vel serica, vel bombicina, que indu n di, præcingendi, amiciendi, substernendi, iniiciendi, incubandiue causa parata sunt.* Concors Vlpiano Paulus I C. lib. 3. Receptar. sententiar. tit. 6. vel vt alij numerant titul. 7 *veste legatæ ea cedunt, quæ ex lana linoque texta sunt, item serica, & bombicina, quæ tamen induendi, operiendi, cingendi, sternendi, iniiciendique causa parata sunt, pelles quoque indutoriæ continebuntur.* placet itts bombycina ex verme, serica ex foliis tenuibus depecti, vt duo magna Galliarum lumina, Andreas Tiraquellus in legibus suis Connubialibus, & Barnabas Brisson us in Lexico suo obseruarunt. & *vestem* quidem *sericam* vt appellat Vlpianus l. 37. ff. de Euictionibus è ramis arborum fieri docuerunt vnanimi consensu historici. Ammian. lib. 23. cap. 11. *cæli apud Seres iucunda temperies, salubrisque, aëris facies munda, leuiúmque ventorum commodissimus flatus, & abunde siluæ sublucidæ, à quibus arborum fœtus, aquarum aspergínibus crebris, velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt.* Geruas. Tillebertensis Otior. Imperial. lib. 2. c 11. C. Iul. Solin. Polyhist. c. 53. *aquarum aspergine inundatis frondibus vellera arborum adminiculo depectunt liquoris, & lanuginis teneram subtilitatem humore donant ad obsequium, hoc est illud sericum, in vsum publicum damno seueritatis admissum, & quo ostentare potius corpora, quàm vestire, primo fæminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido.* P. Virgil lib. 2. Georgic. & Seruius ibidem loci.

Velleraque foliis depectunt tenuia Seres,

Sil. Italic. lib. 6. Punicor. sub initium.

——primo Phaetonte retecti
Sere lanigeris repetebant vellera lucis.

Et lib. 17 eiusdem operis.

——monstrum admirabile Seres
Lanigeros cinere Ausonio canescere lucos.

L. Seneca Thyeste Act. 2. in Choro.

Et quocunque loco iacent
Seres vellere nobiles.

Et in Hippolyto Act. 2. sc 1.

Remouete famulæ purpura, atque auro illitas
Vestes, procul sit muricis Tyrij rubor,
Quæ fila ramis vltimi Seres legunt.

Idemque rursus in Hercule Oetæo.

Quæ Phœbeis subditus Euris
Legit Eous Ser arboribus.

Claudian. Paneg. de Consulatu Olybrij & Probini.

Iam parat auratas trabeas, currúsque micantes:
Stamine, quod molli tondent de stipite Seres,
Frondea lanigeræ carpentes vellera siluæ.

Et de 3. Hon. consul. in fine.

Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

Fest.

Fest. Auien. in orbis terræ descriptione.

Et riger in neruis venit obuius, unde cruenti
Sunt Thachari, Fruriqne truces, & inhospita Seres
Arua habitant, gregibus permixti ouiúmque boúmque
Vellera per siluas Seres nemoralia carpunt.

Sidon. Apollinar. Carm. 5 v. 40.

——————tum quæque suos prouincia fructus
Exposuit, fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Assyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus.

D. Auson. Epigr. 25.

Hos ille Serum veste contexi iubet.

De verme verò, cuius siue natura, siue industria byssus aut bombycinæ vestes comparatæ. D. Basilius Magnus Hexamer. homilia 8. citatus Brissonio, quem locum Latina ciuitate donauit D. Ambrosius eiusdem epigraphes operis lib. 5. cap. 23. *& quia de volatilibus dicimus, non putamus alienum ea complecti, quæ de verme Indico tradit historia, vel eorum relatio, qui videre potuerunt, fertur hic corniger vermis conuerti primum in speciem caulis, atque in eam mutari naturam, inde processu quodam fieri bombylius, & nec eam formam figurámque custodit, sed laxis & latioribus foliis videtur pennas assumere, ex his mollia illa Seres depectunt vellera,* (Virgilij supra laudati imitatio manifesta) *quæ ad vsus sibi proprios diuites vindicarunt,* quinam hi diuites? principes, vt puto ipsi, Constitutione Constantini paulò ante allata. Claudianus Honorij principis apparatum describens, panegyrico de 4. eius consulatu.

——————tribuere colorem
Phœnices, Seres subtegmina, pondus Hydaspes.

Nec omiserim quod in rebus Friderici prodidit Otto Frisingensis libro primo cap. 33. *Rogerius Siculus Corintho, Thebis, Athenis expugnatis, opifices qui sericos pannos texere solebant, ob imperatoris ignominiam captiuos deduxit, quos in Palermo Siciliæ Metropoli collocans, artem illam texendi edocere suos præcepit.*

Vermem hunc inter naturæ miranda enumerari iure posse existimo, nec quicquam in rebus creatis, quod resurrectionem magis confirmet, adi ad Simonem Moralum in Diebus Canicularibus, & Plinium libro 11. capit. 23 Qu. Tertullian. libr. de Pallio cap. 3. *prorsus haud latet bombycem, (vermiculi genus est) quæ per aërem aliquando araneorum more scopis idoneus se distendit, dehinc deuorat, mox æque reddere, proinde si necauerit, animata iam staminis aluo. tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque vestificinæ prosecuta, primum tegendo homini, qua necessitas præcessit, dehinc ornando, imo & inflando, qua ambitio successit, varias indumentorum formas promulgauere.* quem locum Gagnæus aliter, atque Turnebus frustra legi voluerunt. Isidor. li. 19. ca. 22. *bombycina vestis à bombyce vermiculo, qui longissima ex se fila generat, quorum textura bombycinum dicitur, conficitúrque in insula Coo.* vetus Scholiastes Iuuenal. ad v. 260. Sat. 6. *pannum bombycinum* interpretatur *sericum.* Ipse Iuuenalis.

Hæc sunt quæ tenui sudant in cyclade, quarum
Delitias, & panniculus bombicinus ornat.

Sext Propert. lib. 2. eleg. 3.

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.

M. Martial. libro 8. Epigr. 13.

Tam leue nec bombyx pendulus vrget opus.

Eiusdem libri epigr. 68

Fæmineum lucet sic per bombicina corpus.

Et lib. 11. epigr. 50.

Nec furtiua lucri fieri bombycina possunt.

Erat purpuræ genus, quam blatteam appellat Imperator l. 1. Cod. quæ res vendi non possint. Aurel. Cassiodorus libro 1. Epist. 2. *cum blatta, quam nostro cubiculo dare singulis annis consueuisti, venire festina.* gloss. Diaconi, *blatta, genus purpureum vermis,* Æl. Lamprid. in Heliog. parauerat igitur funes, *blatta, & serico, & cocco intortos,* simile in portentosi Neronis rebus refert Eutropius Breuiarij sui libro 7. *insitatæ luxuriæ sumptuumque, vt qui exemplo Caij Caligulæ, calidis & frigidis se lauaret vnguentis, retibus aureis piscaretur, quæ blatteis funibus extraheret.* in MS. meo codice disertè scribitur *blattinis,* sed parum interest, quod tamen obseruatione dignum censuit Elias Vinetus. *pallium blatto sericum* dixit Fl. Vopiscus in Aureliano: & *blatteam tunicam.* Gregorius Turonensis libro primo histor. c. 38. & *blatta serica* leg. vltim: Codic. Theodos. de muril. leg. Honorius & Arcadius Augg. l. 10. Co. Iustinianeo de Murileg. & gynæciar, *lotas in*

posterum sericoblattæ, & metaxæ huiusm di species inferri præcipimus, vigini librarum auri condemnatione proposita iis qui scrinium ca onum tractans Antonius Contius putauit legendum *sericobaptæ*: & non *metaxæ*, sed *metexæ*. alij rectius iudicarunt, frustra, cum Zonaras Annal. tom. 3. μετάξης nomen vsurpet, & Moschopulus à Cuiacio citatus, & C. Lucilius apud Festum. Est certè metaxa non quodcunque sericum, sed rude tantùm, necadhuc in fila sua deductum, vt & blatta eadem illa metaxa, sed purpureo colore tincta. l. 1. C. quæ res væn. non poss. *purpura, quæ blatta, vel oxiblatta, vel ianthina dicitur.* hinc *blattiarij* qui sericas tingunt vestes, l. 2. C. Theod. de excus. artific. & *blattifer*, qui sericis vestibus purpura tinctis induitur. Sidon. Apollina lib. 9 epi. vlt.

Blattifer vel quam tribuit senatus.

Idem lib. eodem Epist. 13.

Rutidum tortum byßo.
Rutidáque ferre blattas.

Et Carm. 5. v. 48

Attis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon elinum,
Pontus Castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus.

Erant & *pellucidæ vestes* in maximo pretio perditis iam moribus, in quas doctiusve an amarius inuehatur Seneca, vix queas iudicare, aliqua adscribam loca. lib. 7. de Benefic. c. 9. *video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor poßit, quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse iurabit. hac ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, vt matronæ nostræ ne adulteris quid amplius sui in cubiculo, quam in publico ostendant.* Idem Epist. 90. *quid si contigisset illi videre nostri temporis telas, quibus vestis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est*, in consolat. ad Heluiam. *nunquam tibi placuit vestis, quæ nihil amplius quàm nudam componeret.* mira est librorum dissentientium varietas. in quibusdam, *vestis quæ ampliùs nuda et, quam componeret.* in aliis, *vestis quæ nihil aliud quàm vt nudaret, componeretur.* in aliis, *vestis qua nihil aliud nudaret, quàm componeretur.* sed certissima meo iudicio lectio est, *vestis quæ nihil aliud nudaret, cum poneretur.* hoc est, quæ induta nullas corporis partes reuelaret, aut detegeret. Dio Cocceian. Histor. lib. 46. λεπτὰ χλανίδια, *tenues lanæ*. Non multum absimilia Seneca Rhetor. lib. 2. Controu. 7. *vt adultera tenui veste conspicua sit.* Et lib. 4. contr. 7. *non loricam clypeúmve sumpsit, sed tenuem ac pellucidam vestem.* Aloysius Cadamustus, Martialis, D. Hieronymus, Ammianus Marcellinus, C. Solinus supra citati videantur. sed multa egregia P. Faber Sanioranus lib. 1. Semestr. cap. 6. M. Tull. lib. 2. de diuinat. *deos enim ipsos iocandi causa induxit Epicurus pellucidos ac perflabiles.* D. Hieronym. iterum lib. in Heluidium, *ingrediuntur expolitæ libidinis victimæ, & tenuitate vestium nudæ impudicis oculis ingeruntur.* Clemens Alexandrin. libro 2. Pædagog. cap. 10. χλαινῶν δὲ διαφανῶν ἀναπεπτωμένων, καὶ μαστίχην τρώγοντες, καὶ ὄζοντες μύρου. *subtilibus autem & tenuibus vestibus induti, mastichen rodentes, & unguentum olentes.* quod in effœminati animi argumento ponebant. poëtæ Aurelius Prudentius Hamartig.

——*Fluitantes sumere amictus*
Gaudent.

M. Lucan lib. 1. Pharsal.

——*cultúsque decoros*
Vix nuribus rapuere mares.

Q. Horat. lib. 1, Satyr. 2.

Altera nil obstat, Cois tibi penè videre est
Vt nudam.

Vetus schol. Iuuenalis ad Satyr 2. v. 79. *multitia, vestes molli intextas sub stamine, quibus solent vti puellæ.*

Ipse Satyricus ibidem loci.

Quæro an deceat multitia testem,
Acer, & indomitus, libertatisque magister
Cretice perluces.

Cultissime Lucan. lib. 10. v. 140. de Cleopatræ immodico & luxurioso apparatu, vt appareat non solum Romanis eas vestes in vsu, sed & aliis gentibus fuisse.

Candida Sidonio perlucent pectora filo,
Quod Nilotes acus compressum pectine Serum
Soluit, & extenso laxauit stamina velo.

Pellucidas illiusmodi vestes *thallas* appellarunt: sed melius alij *rallas* à *raritate* dixerunt. Nonius Marcell 14. Num. 14. M. Acc. Plaut. Epidico. Act. 2. sc. 2.

Tunicam rallam, tunicam spißam.

Ralla igitur tunica est pellucida, spissa est densioris materiæ, quæ totum corpus obtegeret, & à frigoris iniuria tueretur. *granem* suspicor vocari à Trebellio Pollione in triginta tyrannis, in Celso. *discumbere milites iußit, hyeme cum sagis grauibus, æstate pellucidis: spißatam* suspicantur nonnulli eandem esse. L. Senecæ lib. 1. de Benefic. cap. 3. & *crassam* Fabio Quintiliano lib. 12 cap. 10. *crassa toga sit, non serica, intonsum caput.* Est etiam vestis vitrea, quam cum pellucida aut tenui confundunt. Non. cap. 6. Num. 4. *vitreum pertenue & perlucidum quicquid est, veterum authoritate dici potest.* M. Varro in Modio

Modio apud eundem ca. 14. in limine, *quam istorum quorundam vitreæ togæ ostentant tunicæ claræ.* P. Virgil. lib. 4. Georg.

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit, eam circum Milesia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali saturo fucata colore.

Hyali autem color vitreus est, vt vocis etymologia satis indicat, isque Italis *Giallo*, aut vt aliis visum est, *gialdo*, appellatur, Nicolaus Erythræus in libris de origine linguæ vernaculæ, & in libro de coloribus. Claudian. de Consul. Olubrij & Probini.

—— percurrens vitreas sub gurgite telas.

Inde *Circe vitrea* censetur nuncupata, quod meretricio ornaretur indumento, vel quod maris esset accola, Adrian. Turneb. lib. 8. c. 15. Horat. lib. 1. od. 17.

Dices laborantes in vno
Penelopen vitreamque Circen.

Denique ex Isidoro, superius citato, docuimus Coas vestes easdem esse cum tenuibus aut translucentibus, confirmatúrque authoritate C. Solini polyhist. cap. 13. ex M. Varrone. *Salamis, Sunium, Cos, Coos subtilioris vestis amicula, arte lanificæ scientiæ prima in ornatum fœminarum dedit.* eamque C. Plin. lib. 11. cap. 22. *rursúsque texere inuenit in Ceo mulier Pamphila Latoi filia.* in MS. *in Co* legitur, & fauet Aristoteles lib. 5. histor. Animal. qui ἐν Κῷ Παμφίλη πρώτη Λατῷος θυγάτηρ, eadem certè verba vsurpant Latini scriptores, nisi quod pro *Co* reposuerunt *Coo*. Ioan. Brodæus lib. 2. Miscellaneor. cap. 23. eadémque reperitur diuersitas in poëtis Sexto Propertio libro 1. eleg. 2

Quid iuuat ornato procedere vita capillo,
Aut tenues Coa veste mouere sinus?

In aliis editionibus.

Aut tenues Cœa veste mouere sinus.

Idem lib. 4. eleg. 2.

Indue me Cois, fiam non dura puella,

Ouid. lib. 3. de Arte Amandi.

Siue erit in Cois, Coa decere puta.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, auratas, disposuitque vias.

Q. Horat. lib. 4. od. 13.

Nec Coæ referunt iam tibi purpuræ
Nec clari lapides tempora.

Reperio etiam & vestes *herbidas*, à colore indubiè sic appellatas. D. Cyprian. lib. de discipl. & hab. virg. *neque enim deus coccinas aut purpureas oues fecit aut herbarum succis id est virides, seu carinas, & conchyliis tingere, & colorare lanas docuit.* Q. Tertullian. lib. de habitu muliebri ad finem. *non placet deo quod non ipse produxit, nisi si non potuit purpureas & carinas oues nasci iubere. si potuit ergo, iam noluit, quod deus noluit, vtique non licet fingi.* vbi Rhenanus, *Gorziensis codex habet, arinas, nec refert, vtrumque Græcis vernum] significat, quod tu hic pro viridi interpretare.* ambo vocabula coniuncta habes in lepidissimo epigrammate de luscinia, quæ cicadam corripuerat, quod incerto autore legitur in Anthologia libro 1. cap. 60. epigramm 12.

τὸν λάλον ἁ λαλέουσα, τὸν εὔπτερον ἁ πτερόεσσα,
τὸν ξεῖνον ἁ ξεῖνα, ἐαρινὸν εἰαρινά.
Vocalem, vocalis, alatam, alata,
Hospitem hospes, vernam verna.

Hoc pariter sensu intelligendum puto illud Titi Lucretij lib. 4.

—— teritúrque Thalassina vestis
Assiduè, & Veneris sudorem exercita potat.

Erunt ergo *Earinæ oues, aut arinæ* viridis coloris lanæ, è quibus verno tempore côuenientissimæ vestes fiebãt, vt in Anglia etiamnum hodie videmus. nam vbi hyems frigora sua remisit, & lætiori facie terra aperitur, Rex, totúsq; procerum ordo, aulicorúmque officiorum turba venatum proficiscitur concolor anni tempestati, neque minus, quam saltus ipsi, aut campi, virescit aula. Eius ritus vestigia non pauca in antiquitate. L. Apuleius lib. 11. Metamorphos. *namque in ipso ædis sacræ meditullio, ante deæ simulachrum constitutum tribunal ligneum, iussus superstiti byssina quidem, sed floride depicta veste conspicuus.* Martian. Capella de Nupt. Mercurij & Philologiæ lib. 1. *calceos autem Smaragdinæ fluctu viriditati herbosos vestigiis eius tellus annexuit.* & eodem libro aliquot paginis interiectis. *Eius coniux grandæua, corpulentáque mater, quamuis fœcunda, circumfusaque partubus, tamen floridam discolorémque vestem herbida palla contexuerat, in qua totus gemmarum metallorumque census, atque omnium prouentus frugésque sationum, larga admodum vbertate ferebantur.* vestes illas Græca in consuetudine fuisse, testatur abundè Constitutio Syracusanorum, quæ floridas vestes penitus prohibebat. Phylarcus lib. 24. historiarum. neque minus ex lege Atheniensium, qua scorta iubebantur. ἀνθινὰ φορεῖν *vestes floreas ferre*, vt ex Suida clarum in voce ἑταιρῶν. atque hic vestitus non caruit suspicione mollitiei, nam eo indutus est Liber pater,

vt extat apud Diodorum Siculum libr. 5. Biblioth. quod tamen non semper inualuisse certum esse coniicio, tum quod Timæus apud Atheneum reges Persarum sic indutos dicat, & confirment Eustathius ad Homeri libr. 16. Iliad. & Strabo lib. 15. Geograph. tum etiam quod floridam hanc vestem eandem esse cũ tunica picta Romanorum nonnulli crediderunt, Dionysius Halicarnass. apud Hadrianum Iunium lib. 1. Animaduersor. c. 13. Artemidor. Valdian. li. 2. Oneirocrit. c. 3. ποικίλη καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς, *variegata vestis & picta.* & penè sic fluuij ornabantur. D. Auson. Edyll. 3. siue Mosella v. 270.

Cæruleos nunc Rhene sinus, hyalóque virentem
Pande peplum.

Et delicatiores Romæ plerumque eo indumento velabantur. Papin. libro 2. silu. 1. v. 132.

Cum tibi, quas vestes? quæ non gestamina mitis
Festinabat herus? breuibus constringere læuis
Pectora, & angusta telas arctare lacerna:
Enormes non ille sinus, sed semper ad annos
Texta legens, modo puniceo velabat amictu
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice, nunc viuis digitos accendere gemmis
Gaudebat.

M. Martial. lib. 5. epigr. 24.

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
Iura theatralis dum siluere loci.

Claudian. de Consul. Olybrii & Probini ad finem.

Prima tibi procedat hyems, non frigore torpens.
Non canas vestita niues, non aspera ventis,
Sed tepido calefacta Noto, ver inde serenum
Protinus, & liquidi clementior aura Fauoni
Pratis te croceis pingat, te messibus æstas
Induat, autumnúsque madentibus inbuat vuis.

Fœda labes eiusdem tersissimo carmini eximenda est lib. 2. in Ruffinum.

Illic Armeniæ vibratis crinibus alæ
Feruida collectæ facili velamina modo.

Opera MS. codicis restituit Stephanus Clauerius, optimè, meo quidem iudicio.

Herbida collectæ facili velamina nodo.

Erycius antiquus poëta in Antholog. libro 4. c. 22. epigr. 94.

Ἀλλὰ μάλασσε φρονεῖν τὸν ἐξοιδεῦντα ἄνακτα
τοῦτον, καὶ ἀνθηρῇ κρύψον ὑπὸ χλαμύδι.
Sed mitiga lignum tumidum mutonem
Hunc, & florida absconde sub chlamyde.

Caput XXXII.

De Toga, & eius multiplici differentia.

TOGA antiquitus propria Romanorum, pacis tempore, vestis, à tegendo corpore, vt Verro docet, appellata, amictus exterior fuit: de qua quid passim apud scriptores veteres reperiatur, hic exponemus. Primùm autem de materia eius dicemus, post varia genera explicaturi Ad materiam, quod attinet, lanea ea fuit id quod Martialis multis locis ostendit, & Varro, cum scribit: Toga læna, quod de lana multa, duarum enim togarum instar. Forma semicirculari primum fuit, vti perspicuè docent Dionysius Halicarnassæus, Quinctilianus, & Isidorus: quanquam alicubi quadratam fuisse Athenæus significare videatur, vbi sic scribit: Romani in Asia, vt vim Mithridatis effugerent, ad templa confugerunt, & quadratis vestimentis abiectis pallia sumpserunt. Id vero de togis intelligendum esse, quod iis abiectis pallia Romani sumpserint, docet Cicero, qui eiusdem historiæ meminit orat. pro Posthumo. Sed potior est superiorum auctoritas, præsertim cùm Dionisius expresse dicat, togas non fuisse amictum quadratum. Hæc enim sunt ipsius verba, de Tarquinio Prisco loquentis: Amictum ipsius fuisse togam pictam purpuream qualia fuerint Lydorum, atque Persarum regum gestamina, nisi quod non quadrata, vt illa, sed figura semicirculi. Hoc genus Romani togam Græci τήβεννον appellant, &c. Hactenus ille. Tunicæ porrò superiniectam testimonio præter alios est Agellius, cùm scribit, antiquitus sine tunicis, sola toga amictos fuisse: & Asconius in Scaurianam: Cato Prætor iudicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit: campestri sub toga cinctus. In forum quoque sic descenderat, iúsque dicebat, idque repetierat ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli ætate statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt, togatæ sine tunicis. Adde etiam Plutarchum, qui scribit, Tiberium Gracchum fugien-

fugientē togam demisisse, atque in tunica cecidisse. Apertam fuisse cognoscitur ex Valerio, de Nasica loquente lib.3. Leuam manum apertę togæ circundedit, & ex eo, quod toga dicebantur amiciri, ij sáque amictus & amiculum vocabatur. vnde idem lib.2. Iussit eum toga laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum nudis pedibus adesse: & Agellius lib.11. Obtentu togæ tanquam se amiciens. Aldus Manutius Pauli filius eam non apertam, sed à summo ad imum integram, nulla scissura, nullis manicis fuisse, & brachia si emittenda forent, reiecta in tergum ima toga expedita fuisse, probare contēndit. Per annum tamen, sumpta virili toga, modestiæ caussa togam in humerum reiici non consueuisse, ibidem ex Cicerone monet, qui in oratione pro Cœlio sic scribit: Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus.

Cingeretur, nécne toga, de eo controuertitur inter viros huius ętatis doctissimos, Carolus Sigonius cingi eam consueuisse asseuerat, & triplicem fuisse cincturam scribit, laxiorem, astrictiorem, & cinctum Gabinum. Laxiorem ait fuisse, quæ togæ lacinia traheretur, de qua Macrobius lib.2. Cæsar ita toga præcingebatur, vt trahendo laciniam, velut mollis incederet, vt Sulla tanquam prouidus dixerit Pompeio: Caue tibi illum puerum male præcinctū: Astrictiorem, qua sinus togę in anteriore parte cōficeretur, nec toga ad pedes deuenire permitteretur, vnde altè præcincti, pro expeditis, dicti sint. Quibus contrarium scribit Aldus Manutius, & locum Macrobij, quem Sigonius adduxit, de mendo suspectum ait, cum Suetonius eadem de re loquens, tunica, non toga male cinctum Cæsarem fuisse dicat. Verba Suetonii sunt: Cultum enim notabilem ferunt. Vsum enim lato clauo ad manus fimbriato, nec vt vnquam aliter, quā vt super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: vnde emanasse Sullæ dictum, Optimates sæpius admonentis, vt male præcinctum puerum cauerent. Hæc Suetonius, cuius in auctoritatem, vt, qui de genere vestium, teste Seruio, librum scripserit, Macrobio anteferēdam esse, Manutius existimat, & discinctam togam, maiorem habuisse dignitatem, ideoque nemini vitio datam fuisse, ex Quinctiliano probat. Sinum autem togæ, cuius idem Sueto. de cæde Iulij Cæsar. verba faciens, meminit, extremam partem togæ fuisse, nec sinus alios veteres in vsu habuisse: eos vero sinus, qui apud Quinct. Tertul. Apuleium, Statium, & alios leguntur, nouum inuentum posteriorum temporum fuisse, his verbis Quinctiliani confirmauit. Veteribus nulli sinus, posterioribus perquam breues &c. Per veteres, Ciceronis ætatem intelligens. De nouis autem posteriorum temporum sinibus scribit Manutius, eos non attextos, sed assutos, vel appensos in toga fuisse: quorum alter superior à dextro latere ad sinistrum humerum, tanquam balteus oblique duci, alter inferior ab vmbilico demitti, sic, ne infra imam togam deflueret: ab Oratore autem in dextrum humerum: quemadmodum ille superior in sinistrū, reiici consueuisse, quod Quinctiliani verba declarant. Hæc fere Aldus Manutius. Quin etiam sinus togę gremium fuit, vnde illud Liuij de Fabio Legato in Senatu Carthaginis: Sinu ex toga facto, Sinu effuso: quod dixit Florus: Excusso togæ gremio.

De Cinctu Gabino sic Isidorus: Cinctus Gabinus dicitur, cum ita imponitur toga, vt togæ lacinia quę post reiicitur, attrahatur ad pectus, ita, vt ex vtroque latere pendeat, vt Sacerdotes pingebantur. Item Seruius exponens versum illum Virgilij.

Ipse Quirinali trabea, cinctúque Gabino,
Insignis reserat stridentia limina Consul.

Inquit: Gabinus cinctus est: toga sic in tergum reiecta, vt vna eius lacinia à tergo reuocata hominem cingat. Hoc autem vestimenti genere vtebatur Consul bella indicturus, ideo, quia cum Gabij Campaniæ ciuitatis sacris operaretur, bellum subitò venit, tum ciues accincti togis suis ab agris ad bella profecti sunt, & adepti victoriam, vnde hic est ortus mos.

Togæ mensura non eadem omnibus, sed, vt inquit vetus Horatii interpres Porphyrio, pro opibus varia fuit. Quibus enim domestica res angustior, iis togæ paruæ: quibus ampla, maiores. Hinc illud Horatii epistola 19. lib. 1.

Arcta decem comitem sanum toga.

Et Epistola 20.

Exiguaque toga simulet textore Catonem.

Iusta vero togæ mensura sex vlnarum fuit. Horatius epistola 4.

Vedes ne sacram metiente vitam,
Cum bis ter vlnarum toga: &c.

Quo loco subiungit Porphyrio, hanc esse iustam togæ mensuram intelligendam. Nec discrepant Quinctiliani verba: Pars, inquit, togæ prior mediis cruribus terminatur, posterior eadem proportione: Longiorem tamen stante Republica togam fuisse video, ad calceos videlicet, de quo sic Quinctilianus: Togam veteres ad calceos vsque demittebant: vt Græci pallium,

idque vt fiat, qui de gestu scripserunt, Plotius, Nigidiúsque præcipiunt. Et Cicero de toga prætexta Quinctij Tribuni plebis loquens in Cluentiana: Facite, vt non solum mores eius, & arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam vsque ad talos demissam purpuram recordemini. Idem ostendit vetus illa lex, quæ Romulo adscribitur: Quisquis demissam ad talos togam in vrbe habeto, de quo nos alibi dicemus. Togæ componendæ quæ cura fuerit, quod artificium, vt rugæ, tuliæ, tabulata, vmbones fingerentur, indicat in libro de pallio Tertullianus. De colore togæ dicemus tum, quum, quæ fuerit toga pura, explicabimus.

Vsus autem togæ proprius Romanorum fuit, vt Græcorum Pallium. Itaque Togati pro Romanis dicti, vt Palliati pro Græcis. Et fabulæ togatæ fuerunt, in quibus Græci, Galli, atque Hispani, teste Strabone, Togati vocati, qui victum, cultumque Romanorum adsciuerunt: Quare Suetonius: Augustus inquit, inter varia munuscula togas insuper, & pallia distribuit, lege proposita, vt Romani Græco, Græci Romano habitu vterentur. Cicero pro Rabirio, quod Alexandriæ palliatus fuisset. Et Scipioni obiectum, inquit Liuius, quod cum pallio, crepidisq; inambulasset in Gymnasio. Cicero etiam obiecit Verri, quod steterit soleatus Prætor cum pallio purpureo, muliercula nixus in littore. Et in Antonium dixit de iudice Græco Romæ iudicante: Iudex modo palliatus, modo togatus.

Eadem toga pacis fuit insigne, vt sagũ belli, vnde togati sagatis oppositis. Etenim in tumultu priuati togas, magistratus prætextas ponebant, & saga militaria sumebant, vt idem ostendit eodem in loco. Quanquã etiam in castris vsum togæ fuisse, ex multis Liuij & Plutarch locis appareat, ex quibus tamen Aldus Manutius colligit, non omnes milites, sed centuriones tantum, & equites: ac quidem in castrorum ocio non autem in acie, toga vsos fuisse: qua de re vide ipsum prolixe disserentem lib. 2. de Quæsitis per epistolam, epist. 1.

Honestiores fœminæ toga non vtebantur, sed eius vice stola. Quæ tamen obscuri loci essent, item ancillæ, & mulieres impudicę togam ferebant, vnde apud Poetas sæpe togatæ mulieres matronis opponuntur, quippe eo nomine meretrices notabantur. Exulibus Romanis, quibus aqua & igni esset interdictum, vti toga non licuisse docet, Plin. lib. epist. 4.

Cæterum mutata Republica, & imperio labente, toga, quæ olim necessaria ciuibus erat, apud paucos, & nonnisi honestiores, remansit. Vulgus, spreta ea, abiit ad Penulas, Lacernas, aut Tunicas solas: easque coloris pulli. Cœpit id statim sub Augusto, de quo Suetonii verba sunt cap. 40. Etiam habitum, vestitúmque pristinum reducere statuit: ac visa quondam pro concione Pullatorum turba, indignabundus, & clamitans: En, ait:

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Negotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circóve, nisi positis lacernis, togatum consistere. Post Augustum, vt libertas, sic toga magis, magisque exoleuit. Hadriani quidem temporibus, vix in Senatoribus & Equitibus ius suum tenuit, adiuta principis edicto, de quo Spartianus in Hadriano: Senatores & Equites Romanos semper in publico togatos esse iussit, nisi à cœna reuerterentur. Appianus, qui eodem fere tempore vixit, memoriæ prodit, in solis propemodum Senatoribus reliquum togæ vsum tum fuisse, de quibus vide pluribus agentem Iustum Lipsium libro primo Electorum, cap. 13. & Aldum Manutium Pauli F. loco quem supra indicaui. Atque his in vniuersum de toga cognitis, nunc de generibus eius agamus. Fuerunt autem hæc: Prætexta, Candida, Pura, Pulla, Sordida, Picta, Purpurea, Palmata.

Toga Prætexta dicitur à prætexendo, quia ei purpura, vt ait Macrobius, prætexta erat: hoc est, quia purpuram in ora habebat, vnde etiam Græci scriptores, περιπόρφυρον, vocant, id est, circumquaque purpuram habentem. Hac vtebantur pueri vsque ad annum decimum septimum, qui annus tyrocinii dicebatur. Cuius moris causas plures Macrobius libro Saturnaliorum primo, capite sexto indicat. Scribit enim primis Reipublicæ Romanæ temporibus puerilem ætatem prætextam non vsurpasse, sed postea Tarquinium Demarati exulis Corinthii filium, Priscum quum de Sabinis triumphum ageret, filium suum, annos quatuordecim natum, quòd hostem, in eo bello manu percussisset, & pro concione laudasse, & bulla aurea, prætextaque donasse, eumque adhuc puerum vltra annos fortem præmiis virilitatis & honoris insignuisse. Inde deductum morem, vt prætexta, & bulla in vsum puerorum nobilium vsurparentur, ad omen & vota conciliandæ virtutis ei similis, cui primis in annis munera ista cessissent. Alias deinde aliorum sententias subiicit, videlicet Tarquinium Priscum cùm ingenuorum puerorum cultum inter præcipua duceret, instituisse, vt Patricii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, vterentur, illi scilicet, quorum patres Curulem gessissent magistratum: cęteris autem, vt prætexta tantùm vterentur indulsisse, sed vsque ad eos, quorum parea-

parentes epistola stipendia iusta meruisset: Aut quod rerum antiquarum peritissimi tradũt, Romulum, cùm ad consolandum raptas spopondisset, se eius infanti, quæ prima sibi ciuem Romanum esset enixa, illustre munus daturum. Hostum Hostilium Hersyliæ filium, quòd ea prima ex omnibus Sabinis mulieribus raptis partum edidisset, bulla aurea, ac prætexta insignibus honorasse: Aut, Togam prætextam pueris datam, vt ex purpuræ rubore, ingenuitatis pudore regerentur. Aut, quam Verrij Flacci sententiam esse ait, togæ prętextę vsum primum ei puero concessum, qui, cum Circensium die de cœnaculo pompam ludorum supernè despexisset, & patri retulisset, quo ordine secreta sacrorum in arca Pisenti composita vidisset: ea re oraculi, quo nunciatum erat, populum Romanum propterea à pestilentia laborare, quod Dij despicerentur, sententiam aperuisset. Sed hæc apud Macrobium latiùs.

Neque vero pueri tantùm, iique ingenui, verùm etiam puellæ ingenuæ, libertinorum filij, magistratus omnes non modo Romæ sed in Coloniis etiam & municipiis: magistri vicorum & collegiorum: Sacerdotes, Senatores ludorum Romanorum diebus: & mulieres nonis Caprotinis toga vtebantur. De quibus omnibus testimonia ex scriptoribus antiquis plurima collegit Aldus Manutius, Pauli F. lib. 2. de Quæsitis per epistolam, epistola prima, ex quibus nos vno atque altero contenti erimus. De pueris ante testimonia audiuimus. De puellis ingenuis prætextatis Cicero in Verrem: Eripies pupillæ togam prætextam. Et Propertius libro quarto:

Mox vbi iam facibus cessit Prætexta maritis
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Ex quo etiam intelligitur, sicut pueri, donec virilem sumerent, prætexta vtebantur: ita puellas, donec nuberent, eadem vsas fuisse, quod etiam docet Festus his verbis: Nubentibus depositis prætextis, à multitudine puerorum obscœna clamabantur.

Cur libertinorum filiis concessa Prætexta sit, exponit Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 6. videlicet, quod, cum bello secundo Punico ad lectisternium ex stipe collata faciendum, libertinæ quoque pecuniam subministrassent, & aucta obsecratio esset, pueris ingenuis, itémque libertinis carmen prænunciantibus: concessum fuerit, vt libertinorum quoque filij, qui ex iusta duntaxat matrefamilias nati fuissent, togam prætextam & lorum in collo pro bullæ decore gestarent.

De prætexta Magistratuum & Sacerdotum multa extant testimonia apud Ciceronem, Plutarchum, Polybium, Macrobium, & alios. Valerius Tribunus plebis apud Liuium lib. 34. Purpura viri vtemur, prætextati in Magistratibus, in Sacerdotiis: liberi nostri prætextis, purpura, togis vtentur: Magistratibus in Coloniis, municipiisque, hic Romæ infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ habendæ ius permittemus: nec id vt viui solum habeant tantum insigne, sed etiam vt cum eo crementur: fœminis duntaxat vsu purpuræ interdicemus, &c. Quare etiam apud Valerium libro 9. cap. 12. legimus, quod Prætores aliquem capitis damnaturi, prætextam prius deposuerint, eam fortasse ob causam, quia tristem sententiam in veste lætitiam indicante, ferri non deceret. De magistris collegiorum Asconius Pædianus in oratione in Pisonem: De Senatoribus ludorum diebus prætextam gerentibus, Cicero 2. Philippica: De mulieribus prætextatis Nonis Caprotinis Varro libr. quinto de lingua Latina testes sunt.

A Prætexta, Prætextati dicti sunt, & qui in ætate essent prætextata: id est, pueri, & qui in Magistratu. Quomodo Papyrij à Prætexta cognomen consecuti sint, eleganter docet Agellius, & ex eodem Macrobius.

Candida toga dicebatur, qua induebantur ii, qui honores petere volebant: eáque signum erat petitionis. Macrobius lib. 1. Saturnalior. c. 16. Mos fuit petitoribus, vt sumpta candida toga nundinis in Comitium venirent, & in colle considerent, vnde coram possent ab vniuersis videri. Hinc candidati vocati. Erat autem candida, vt inquit Isidorus, cui intendendæ albedinis causa cretam addiderant. Est enim plus candidum, quam album. Albus color natiuus lanæ est, candidus propriè splendens ille, & qui est ab arte. Ideò Polybius aliquot locis λαμπρὰν dicere maluit Petitorum togam, quàm λευκὴν, & Latinè commodè eam dicemus splendentem. Hinc Liuius lib. 4. Placet tollendæ ambitionis causa, Tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum addere petitionis causa liceret. Vide Iustum Lipsium. lib. 1. Elect. ca. 13. & alibi.

Toga pura fuit communis toga hominum priuatorum. Eadem virilis est appellata, & libera & recta: nonnunquam simpliciter toga dicta, nullo epitheto addito. Ac pura quidem dicta, quod albi coloris, nulla admista purpura esset. Albam fuisse, ostendit Pol-

lux, τήβεννον λευκὴν, & ἱμάτιον, appellans: item Martialis Papinius, & Agellius, quorum & item aliorum testimonia vide apud Aldum Manutium, & Iustum Lipsium, qui accuratè de colore togæ scripserunt. Quod nullam purpuram admistam haberet, ἀπόρφυρος, id est, expers purpuræ, à Plutarcho in Bruto dicitur. Virilis appellata, quia pueris virilem ætatem ingredientibus dabatur, in exitu scilicet anni xv. sicuti data est M. Ciceronis filio: qui tamen mos Imperatorum ætate mansisse non videtur. Nam Caligula togam puram anno xix. M. Aurelius xv. accepit, auctoribus Suetonio & Capitolino. Qui eam sumebant, tyrones appellabantur. Plinius libro 8. cap 48. Tanaquil prima texuit rectam tunicam, qua simul cum toga pura tyrones induuntur, nouæque nuptæ. Liberam vocant, quia pueris toga pura initium quoddam libertatis erat, cum anteà custodirentur à Pædagogis. Rectæ nomen ex Festo cognoscimus, cuius hæc sunt verba: Rectæ appellantur vestimenta virilia, quæ patres liberis suis conficienda curant ominis causa, ita appellata, quod à stantibus, & in altitudinem texuntur. Et alio loco: Regillis, tunicis albis, & reticulis luteis, vtrisque rectis, textis sursum versum à stantibus, pridie nuptiarum diem, virgines inductæ cubitum ibant, ominis causa: vt etiam in togis virilibus dandis obseruari solet. Locus, in quo sumebatur Capitolini Iouis, vt opinor, templum fuit: aut certè, post eam domi sumptam, statim in Capitolium ad Iouis ædem ibatur, quod Valerius Maximus libro 5. cap. 4. declarat his verbis: Hanc pietatem æmulatus M. Cotta, eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus vt è Capitolio descendit, Cn. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, postulauit. Plura vide apud Aldum Manutium, à quo hæc sumpsi.

Toga pulla atri coloris fuit, quam induebant luctus causa. Et ab illo vestis colore atrati dicebantur. De hac toga Cicero loquitur in Vatinium: Qua mente fecisti, vt in epulo Q. Arrij cum toga pulla procumberes? Item: Quis in funere familiari cœnauit atratus, cùm ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset, &c. Atque hoc stante Republica ita obseruatum, vt pulla veste nonnisi in luctu vterentur. Sub Imperatoribus autem, cùm iam exoleuisset vsus togæ, exoleuit etiam simul vsus coloris albi, & tum pullæ fuerunt plebeiæ vestes omnes. Hinc pulla paupertas Calpurnio dicta:

Vidissem propius numina, sed mihi sordes
Obstiterant.
O vtinam nobis non rustica vestis inesset.
Pullaque paupertas, & adunco fibula morsu.

Hinc Pullati Suetonio in Augusto, cap. 44. Sanxit ne quis pullatorum media cauea sederet. Hinc discrimen natum inter ciues, ignotum seculo priori: vt alii Candidati dicerentur, Pullati alii. Candidati non ij, qui peterent (vt olim) sed honestioris ordinis ciues: Pullati, infima plebs, siue vulgus, à colore scilicet vestium, quibus vtrique vtebantur. Et in hac significatione ista vocabula à Plinio in epistolis, Quinctiliano & aliis vsurpantur. Pullati isti à Seneca, li. 2. de beata vita etiam colorati appellantur, quemadmodum locum illum restituit, & explicauit Iustus Lipsius: sicut Candidati Pexati ab eo dicuntur, quod pexis, hoc est, candidis & recentibus togis vterentur. Ita enim istud vocabulum accipiendum intelligitur ex Persio, qui scribit:

—Pexusque, togaque recenti.

Pexis autem togis opponuntur tritæ, quæ à Festo decores, siue, vt Lipsio placet, decutes appellantur, quòd sint sine flocco, & quasi sine cute.

Sordida toga à pulla differebat & colore & vsu. Non enim erat atri coloris, vt Sigonius & alii perperam tradiderunt, sed alba: verum tamen erat sordidior & obsoleta, ac longo vsu detrita. Deinde nullus eius vsus fuit in luctu: sed erat ferè vulgi vestis, quod ob id etiam sordidum interdum dicitur, quia sordida veste vteretur. Qui verò erant ditiores & elegantiores, ij semper niuea toga vestiti erant, quæ si interdum sordes aliquas traxisset, erant Romæ fullones, qui eas maculas ac sordes toga eluebant, & addito sulphure ac creta, iterum eam candefaciebant. Testis huius rei Plin. lib. 35. c. 15 & 17. Hinc tam creber vsus fullonum apud veteres. Vulgus verò, vt iam dixi, toga sordida vtebatur. Per dies autem, vel priuatim, vel publicè lætos, togas recentes sumebant, & vsu nondum sordidas, aut obsoletas, quæ à Prudentio contra Symmachum:

Candida toga & niueus pietatis amictus.

Ab Ouidio vestis intacta, à Persio recens toga nominatur: vnde est, quod per ludos apud Martialem & alios, Candidati leguntur: inde, quod apud Plautum Aulularia scribitur;

Qui vestitu & creta se occultant, & sedent quasi frugi.

In homines scilicet tenuiores, quibus cum copia mutandæ togæ non esset, tamen vt nitidi, & me-

& melioris fortunæ apparerent, sub dies ludorum togulam suam incretabant. Viri autem illustres ac nobiles, cum semper niuea toga vterentur, si rei essent facti, per dies iudicii sumebant togam sordidam, posita niuea, vt miserabiliores essent in veste plebeia. Itaque rei in sordibus esse dicuntur, aut sordidati. Neque vero ij solum, qui rei facti erant, verum etiam cognati eorum, & affines sordidatam togam sumebant: quod cum facerent, vestem mutare dicebantur. Liuius lib 6. Tribuni plebis diem Manlio dicunt. Conuersa plebs est, vtique postquam sordidatum reum viderunt, nec cum eo non modo Patrum quemquam, sed ne cognatos quidem, aut affines, quod ad eam diem nunquam visu venisset, vt in tanto discrimine non & proximi vestem mutarent. Hæc Liuius. Verum de hoc more libro 9. qui de iudiciis est, plura dicemus.

ICON ROMANI SENATORIS TOGATI.

De trabea, quæ etiam inter Togarum genera, videtur referenda, dicemus paulo post capite singulari.

Toga Picta, vestis Etrusca fuit, purpurei coloris, auro distincta, à triumhantibus geri solita, quam, vt ait Florus, subactis duodecim Thusciæ populis, Tarquinius Priscus Romam transtulit: id quod etiam Dionysius confirmat. Macrobius, Plinius, id non Prisco, sed Tullo Hostilio tribuunt. Hæc purpurea fuit, vt Dionysius ostendit. Picta vocabatur, quòd in ea figuræ ita fingerentur, vt ea species ad picturæ similitudinem accederet. Duos historiæ memorant, quorum virtuti tributum sit, vt picta toga, quanquam priuati, vterentur, Paulum Æmilium, qui de vlti no Macedoniæ Rege Perseo triumphauit, de quo Aurelius Victor, libro de viris illustribus: & Pompeium, de quo Velleius libro secundo, & Dio libro trigesimo septimo scribunt.

Togam palmatam, inquit Manutius, à palmis pictis sic appellarunt: cuius tamen non multa apud scriptores veteres mentio extat, plures meminerunt tunicæ palmatæ.

Toga purpurea differebat à picta & à prætexta: à picta quia pura erat: à prætexta, quia hæc erat alba cum limbo purpureo circumducto; purpurea verò limbum non habebat. Et Liuius lib. 31. separatim eas nominat. Dona, inquit, ampla data, quæ ferrent Regi, vasa aurea argenteaque, togaque purpurea, & palmata tunica, cum eburneo scipione, & toga prætexta. Togarum etiam alia genera, vndulatam, sericulatam, Phrygianam, Scutulatam nominant. Plinius, Martialis, Iuuenalis, deductis nominibus à vario genere picturæ. Sed de Toga, & multiplici eius differentia hactenus, quæ maximam partem ex Caroli Sigonii libro 3. de iudiciis: Aldi Manutij libro secundo de Quæsitis per epistolam, & Iusti Lipsij Electis exscripsimus, vnde tu, beneuole lector prolixiorem & pleniorem harum rerum explicationem petes. Leges Vuolfgangi Lazij libro 8. Commentariorum Reipublicæ Romanæ, cap. 3. in quo de toga differit: & Lazari Baysij I.C. clarissimi de re vestiaria librum, cap. 9. & 10. vbi etiam habet Senatoris Romani togati Icona, ex antiquis marmoribus desumptam, quam & nos his Commentariis inserere volumus.

Ad Cap. XXXII.

PARALIPOMENA.

Toga meretricum gestamen, & Byzantinorum, τήϐεννος, forensis, virilis, Libera, militaris, lugubris, tirones in forum deducti, cadaueribus superimposita, domestica, cinctus eius.

INdubitatum est, omnium ordinum Romæ, omnis sexus, ætatisque gestamen fuisse togam, si seruio Honorato fides adhibenda sit ad libr. 1. Æneid. v. 176. Laberius Mimus in Epheso citante Macrobio libro 6. Saturnal. cap. 5.

——Licentiam as libidinem vt
Tollam togatæ stirpis.

Deinde infra.

Idcirco ope nostra dilatatum est
Dominium togatæ gentis.

Nonius cap. 14. ex M. Varrone libro 1. de vita populi Romani, *ante enim fuit commune vesti mentum toga, & diurnum, & nocturnum, & muliebre, & virile*, quod autem & diurnum & nocturnum vocet, ex Martiali petitum videtur lib. 11. epigr. 57.

Et seges, & cimex, & nudi sponda grabati,
Et breuis atque eadem nocte dieque toga.

Istud tamen non vsque adeo innotuit matronas honestiores stolis sine institis vestiri solitas, meretrices vero, aut proiecti pudoris fæminas, togis indutas. quo sensu capio illud Q. Florentis Tertulliani Apolog. cap. 6. *in fælicissimæ libidinum victimæ à matronis cultu distinguuntur.* & indignationis pleno spiritu, ibidem, *video & inter matronas atque prostibula nullum de habitu discrimen relictum:* quod lib. de Pallio cap. 4. fusissime exequitur. Interpres Iuuenalis ad illud Satyr. 2.

Damnetur si vis etiam Calphurnia: talem
Non sumat damnata togam.

Ascon. Pædian. in 3. Verrinam, ad hæc verba, *eripies tu igitur puellæ togam prætextam?* breuiter, vt solet, *toga communis est habitus, fuis & marium, & fæminarum, sed prætexta honestiorum, toga viliorum, quod etiam circa mulieres seruabatur.* Is Atheniensium ritus. Suid. in voce νόμος, *lex*, Pet. Faber. Semestr. libr. 1. cap. 15. Adrian. Turnebus libro 16. Aduersar. cap. 19. Porphyrio vetus Interpres ad illud Q. Horatij lib. 1. Sat. 2.

——quid inter
Est, in matrona, ancilla peccesue togata.

Alb. Tibull. lib. 4.

Sit tibi cura togæ prior, pressumque quasillo.

Ser-

Scortum, quam Serui filia Sulpitia.

Martialis sæpissime lib. 2. epigr. 39. lemma est, *de muneribus mœchæ.*

Coccina formosæ donat & ianthina mœchæ,
Vis dare quæ meruit munera? mitte togam.

Et lib. 6. epigr. 64.

Sed patris ad speculum tonsi, matrisque togatæ
Filius.

Lib. 10. epigr. 52.

Thelim viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Erat & quoddam togæ genus, quod *tebennum* appellarunt, de cuius forma, origine, colore pretióque, dubitant non sæculi modò nostri scriptores, sed & inter antiquos nonnulli: Dionysius Halycarnass. lib 3. qui fatetur se ignorare, cur id nominis impositum, à Ioanne Meursio obseruatum est in Curis Criticis parte 2. cap. 31. narratio autem penè huiusmodi est. *Tebennus nomen habet ab Arcade Tebenno, qui primus eam chlamydem induit, cum Ionium sinum ingressus esset, & ab illius loci incolis susceptus, à quo edocti indigenæ eodem modo vestierunt, & vestem Tebenniam vocarunt, postea nomine corrupto Tebennus dicta est.* ita interprete Hieronymo Vvolfio Suidas in voce τήβεννος. Paulò aliter Artemidor. libr. secundo Oneirocrit. cap. 3. τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἡ Ῥωμαϊκὴ ἐσθῆς, ἣν τινὲς τήβεννον καλοῦσιν, ἀπὸ Τημένου τοῦ Ἀρκάδος, ὃς πρῶτος τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα τοῦτον περιεβάλετο τὸν τρόπον, εἰσπλεύσας κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον, καὶ ὑποδεχθεὶς ὑπὸ τῶν ταύτῃ κατοικούντων, ἀφ' οὗ μαθόντες καὶ οἱ ἐγχώριοι τὸν αὐτὸν ἐνεδύσαντο τρόπον, καὶ ἐκάλεσαν τὴν ἐσθῆτα πρῶτον ἐπώνυμον τοῦ εὑρόντος, ὕστερον δὲ τῷ χρόνῳ παραφθαρὲν τὸ ὄνομα, τήβεννος ἐκλήθη. *eadem significat & vestis Romana, toga videlicet, quam nunc Tibennum vocant, à Timeno Arcade, qui primus suam chlamydem circumdedit, cum per sinum Ionium nauigasset, & ab his, qui illic habitant, susceptus esset à quo indigenæ edocti eodem modo præparauerunt, & vestitum Timenium vocauerunt, cognomine Timenio inuentori, verum posterioribus temporibus corrupto nomine Tibennus appellatus est*, vbi pro, τίβεννον, & τίβεννος, legendum omnino esse existimo τήβεννον, & τήβεννος. Hesychius Grammaticus, τήβεννος εἶδος περιβολαίου παρὰ Ῥωμαίοις, *tebennus species vestitus apud Romanos.* Halycarnass. loco proximè supra laudato. Ῥωμαῖοι μὲν τόγας, Ἕλληνες δὲ τήβεννον καλοῦσι, *Romani certè togas, Græci quidem tebennum appellarunt.* Et libro secundo, τηβέννας ἁλουργεῖς περιπορφύρους, *togisque induti purpurâ prætextis, & fibula adstrictis, quas trabeas vocant*, ita vertunt in editione Friderici Sylburbij. est ergo quædam tebennus ὁλοπόρφυρος, *tota è purpura contexta toga*, quæ regum erat gestamen, est & περιπόρφυρος, *circumsuta tantum purpura*, quæ equestri ordini conueniebat, idem Halycarnassæus libro sexto pag. 351. Eunapius Sardianus de vitis Philosophor. in Iuliano ad finem. καὶ τὴν περιπόρφυρον ἀφαιρεῖται ἐσθῆτα, τήβεννον αὐτὴν Ῥωμαῖοι καλοῦσι, vertit Hadrianus Iunius, *& purpuream togam, (Romani trabeam vocant) excutiens.* Certum est ex his trabeam peregrinæ esse originis, nec Romanorum in principio proprium, vt nec tebennum.

Togam optimè describit Q. Tertullian. lib. de Pallio cap. 5. *adeò nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet & inde deducat in tilias, totúmque contracti vmbonis figmentum custodibus forcipibus assignet, dehinc diluculo, tunica prius cingulo correpta, quam præstabat moderatiorem texuisse, recognito rursus vmbone, & si quid exorbitauit reformato, partem quidem de læuo promittat, ambitũ verò eius ex quo sinus nascitur iam deficientibus tabulis retrahat à scapulis, & exclusa dextera in læuam adhuc congerat cum alio pari tabulato in tergo deuoto, atque ita hominem sarcina vestiat.* apparet hinc togam *enormes sinus* habuisse, vt loquar cum Statio lib. 2. silua 1. vers. 131. Fl. Sosipat. Charis. lib. 1. citat Furium Bibaculum.

Duplici toga inuolutus.

Videatur Quintilianus infra citandus, vbi de cinctu agetur. Cornutus Satyrici Persij interpres, siue quilibet alius ad Sat. 5. vers. 14. *toga est purum pallium, forma rotunda & fusiore atque inundante sinu & sub dextro veniens, & super humerum sinistrum ponitur, cuius similitudinem in operimentis simulacrorum, vel picturarum aspicimus, eásque statuas togatas vocamus: toga verò Romani in pace vtebantur, in bello paludamentis, mensura togæ iustæ senas vlnas habebat.* Horatius eadem de mensura eius Epodon od. 4. *cum bis ter vlnarum toga.* vetus scholiastes Iuuenalis ad Sat. 2. vers. 143. senatorum gestamen tantum esse vult, cum ex iis, quæ dicta sunt, constet & singulorum esse vestitum, & quorumlibet magistratuum, Marcianus IC. l. 32. ff. de iure fisc. *si accepto vsu togæ Romanæ, vt ciues Roman. peregrini.* Aurel. Prudent. de Romano martyre.

Fasces, secures, sella, prætexta, toga,
Lictor, tribunal, & trecenta insignia,
Quibus tumetis, móxque detumescitis.

Nec in Romæ modò antiquæ sed & nouæ Romæ, siue Byzantij factitatum. Corippus African. de laudib. Iustini lib. 4. Num. 3.

Incessit lætus præclara in veste senatus,

Pars trabeis pars compta togis, vt quique probatus
Ordo locum, cultúmque dabat.

Claudian. lib. de bello Gildonico, vbi sic conqueritur Roma.

Cùm subit ò par Roma mihi, diuisáque cepit
Æquales aurora togas.

Et quamuis omnium ordinum sit gestamen toga, tamen aduocatorum præcipuè censebatur. vetus glossarium, *togatos dicimus eosdem, quos aduocatos & patronos causarum, qui in forensibus negotiis præmunientes, litigatoribus suum præbent patrocinium: quorum patrocinia substantiue nomine dicuntur honoraria.* & sic ferè loquûtur scriptores posterioris æui. Aurel. Cassiodor. li. 6. Epist. 4. in fine. *Admonitis num igitur ordine decurso per indictionem illam habitu te togatæ dignitatis ornamus, vt indutus veste Romulea iure debeas affectare Romana.* vbi loci *togata dignitas* est aduocatio, vt iã à viris doctis est præoccupatum, potéstque confirmari autoritate L. Apuleij lib. 10. Milesiar. *forenses rabulæ, & pragmatici vilissima capita forensia, vulturésque togati.* clarissimè Aurel. Symmachus lib. 5. Epist. 39. *Epictetus togæ forensis honore pi... natus est, intimis præferendus, qui firmo patrocinio proteguntur.* Idemque rursus lib 9. Epist. 30. *tu modò benignam mentem literis meis applica, & qui toge amicus es, cuius laude supra alios splenduisti, & honesto ordini notam detrahe, & homini, pars meus, rogatus ignosce.* Sed quænam hoc notæ silent j indictio, nam aduocati . d. linquentibus solemnis ea pœna, Vlp. an lib. 9. ff. de pœn. *moris est aduocationibus quoque præsides interdicere, & n nunquam ad tempus, vel annis metiuntur, vel etiam tempore quo prouinciam regunt, nec non ita quoque interdici potest alicui, ne certis personis adsit: potest & ita interdici cui, ne apud tribunal præsidis postulet, & tamen apud legatum vel procuratorem non prohibetur agere* Antoninus Aug. l. 1. C. de postul. *cum à præside Ægypti causas agere perpetuum prohibitus non appellaueris, placitis obtemperæ.* elegantissimus in id locus extat apud C. Plinium libro quinto epist. 14. *assenserunt omnes præter Flauium Afrum. is interdicendum ei aduocationibus in quinquennium censuit.*

Sed redeo ad togam forensem Sidon. Apollina. libro secundo epist. 23. *epistolam mihi nobis Marcellinus togatus exhibuit, homo peritissima* è ante sagacissimi doctissimique Ioannis Sauaronis editionem legebatur, *Marcellinus togatum exhibuit.* Idem lib. 3 Epist. 7. *tu vetites, vel bibas ib earum medius, vel togarum, & à me effusium panoersini sermonis expectas.* denique togatos idem pro aduocatis dixit, libro 6. Epist. 3. *negotium huic testamentarium est, latent eum propriarum merita chartarum; togatorum illic peroran iam peritiam consulere perrexit, pro victoria computaturus si se intellexerit iure iugeri.* D. Cyprian. libro secundo Epist. 2. ad Donatum *sæuit inuicem discor... tinm rabies, & inter togas pace iuxta forum litibus mugit insanum.* D. Ambros. epist. vigesimaquarto *mouebat hoc vtriusque partis togatos:* id est, causidicos; Anianus interpretatur *togam aduocationem*, Nouella Valentiniani de confirmand. his quæ administrant vel publ. offic. *curiales*, inquit, *ad togam præparare*, Non. Marcell. capite primo Num. tertio, *toga est vestimentum, quo in foro amicimur.* Honorius & Theodosius Augg Proculo lib. 15 lib. 6. tit. 2. Cod. Theod. *vel qui è schola agentium in rebus expletis stipendiis ad principatum ducenæ peruenerunt, togati præ... iane atque etiam vrbicariæ præfecturæ.* hoc est, diuersorum iudiciorum aduocati. elegans est epitaphum incisum marmori in D. Pauli basilica, Petilij Processij, sedis prętorianæ togati, qui obiit Probo Iuniore consule, hoc est, anno reparatę salutis 513. sed verba ipsa apponantur.

Post mortem si viuit amor, si gratia prisca
Durat in arcanum mentis ... dacia bonum.
Quamuis l... ctificum fratris tamen accipe carmen,
Ne mala sit tumulis extera lingua tuis.
Te Naturæ parens omni depinxerat arte,
Moribus ingenio, corpore, mente, fide.
Purus amicitiæ cultor, cultor honesti,
Eloquio miseros, vel pietate fouens.
Hinc est quod toto semper te flebimus æuo,
Quod fuerat iuueni vis tibi multa senis.
Te genitrix fratrē, que simul, te compare luctu
Perpetuis lachrymis plangis amata domus.

HIC. REQVIESCIT. IN. PACE. B.M.
PETILIVS. PROCESSIVS. V. S. TOGATVS. IN L. P. P. QVI. VIXIT.
PL. M. ANN. XXXVIII. DEP. E.
SVB. DIE. KAL. IVL. PROBO. IVN. V.C.Cos.

Meminêre & alij poetæ veteres. D. Auson. in Ephemeride ad finem.

Habitum forensem da puer,
Dicendum amicis est Aue,
Valéque: quod fit mutuum.

Habitum autem *forensem*, exponunt *togam*, Elias Vinetus, Lazarus Baisius, & Gulielm. Budæus. Auctor carminis ad Pisonem.

------licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & sine pulueris haustu
Mitis legitimo sub iudice bella mereri.

Ouid libr. 1. de Remedio Amoris,

Sunt fora, sunt lites, sunt quos tuearis, amici,
Vade per vrbanæ splendida castra togæ.

Claudian. libr. 2. in Ruff.

Insignemque habitum Latij mutare, togæque,
Mœrent captiuæ pellito iudice leges.

Sic intelligendi Arcadius & Honorius principes l. 4. C. de aduocat. diuersor. iudicior. *ne quis ex corpore togatorum, minime curialibus nexibus illigatus, prouinciales suscipiat functiones.* & Theodosius Aug. li. 6. C. eod. *nulla togatis inspectio, nulla peræquatio ingeratur.* & Leo Imperator censet eodem titulo lib. 11. *filios togatorum, qui vel causas agunt, vel futuris temporibus actitauerint cæteris supernumerariis anteferri.* denique Gratianus princeps libro tertio C. de sportul. *illustribus vel spectabilibus, vel clarissimis, vel togatis fori cuiuscunque præfecturæ.* Vt certissimum sit togas præcipue aduocatis concessas, sub tempora labentis iam Imperij.

Sequitur *Libera toga*, quam induebant ingenui adolescentes, deposito puerilis ætatis gestamine. A. Gell. libr. octauo capite quarto, *cum iam adolescentuli Romæ prætextam & puerilem togam mutassemus, magistrosque tunc nobismetipsis exploratores quæreremus, in Sandaliario forte apud librarios fuimus.* liberam hanc togam appellarunt, quod omnis honesta libertas, quæ aliorum esset ciuium, iis concederetur qui eam induissent, inde & dies ille, mutatæ vestis *Liberia* in Fastis appellatur, soletque incidere in 16. Calend. April. vt ex Macrobio, Plutarcho, & aliis iam abunde obseruatum est. Horat. li. 2. od. 36. Hermanus Figulus animaduertit.

Nulli plura tamen diuidit oscula,
Quam dulci Lamiæ, memor.
Actæ non alio rege puertiæ,
Mutatæque simul togæ.

Cultissime Ouidius libro 3. Fastor. causas reddit, cur Liberalia potissimum eligerentur.

Restat vt inueniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuis.
Siue quod ipse puer semper, iuuenisque videris,
Et media est ætas inter vtramque tibi.
Seu quia tu pater es, patres, sua pignora, natos
Commendabant curæ, numinibúsque tuis.
Siue quod es Liber, vestis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter.

Allusit idem lib. 4. de Tristib. eleg. 10:

Interea tacito passu labentibus annis
Liberior fratri sumpta mihique toga est.

Hæc coloris candidi erat, ob id & *pura* dicebatur, M. Tull. libr. nono Epist. 4. ad Atticum. *vtar tuo consilio, neque me in Arpinum hoc tempore abdam; & si Ciceroni meo togam puram dum dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem.* Eiusdem libro Epist. 20. *volo Ciceroni meo togam puram dare.* Et Epist. 22. *ego meo Ciceroni, Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi, idque municipibus nostris fuit gratum.* libro quinto ad eundem Atticum Epist. 20. *ego cum Laodiceam venero Quinto sororis tuæ filio togam puram iubeor dare, cui moderabor diligentius.* C. Plin libro octauo cap. 48. inuentionem attribuit Tanaquilli. *ea prima texuit rectam tunicam, quales cum toga pura tironi induuntur, & nouæ nuptæ.* Poetæ alluserunt.

M. Lucan. libr. 7. Pharsal. in limine.

------pura venerabilis æque
Quam currus ornante toga.

Q. Catull. epigr. 66.

Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Iucundum cum ætas florida ver ageret.
Multa satis lusi.

A. Persius Sat. 5. v. 30.

Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo.

Vmbonem hunc videtur togæ partem facere Cornutus ad istum locum, friuolum illud, & à ratione longe alienum: melius Cœlius Rhodiginus libro decimoquarto Antiquar. Lection. cap. 16. *vmbo à Persio vocatur toga, quod sit vmbonis instar contra reprehensiones præceptorum.* hanc etiam *virilem* appellare solent, quod non nisi à viris induatur, qui iam scilicet, pueritiæ annos egressi firmioris ætatis licentiam affectant. Cic. Philippic. 2. *sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti*, ita in vulgatis editionibus, at in aliis, *sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti.* rectius meo iudicio, nam impudicitiam vult Antonio exprobare, quod optime fiet, si muliebrem eum togam induisse dicatur, nam meretrices, & prostibula regis induebantur, vt est supra hoc capite à me probatum, quod si togam virilem in stolam muliebrem eum com-

mutasse diceret, minus probrosum foret, nam honestæ matronæ stolatæ erant, vt infra hoc libro expedietur.

De anno sumendæ virilis togæ præscripto, controuersum est, nonnulli *annum ætatis decimum quintum* attigisse oportere aiunt, vt puerile indumentum exueretur, virilis toga sumeretur, Iulio Capitolino authore in Antonio Philosopho. alij in annum decimum sextum reiiciunt, C. Suetonius in Augusto capite octauo: *quadrimus patrem amisit, duodecimum annum agens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit, quadrienno post virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est.* Nero, *quo capessendæ reipublicæ habilis videretur, vix pubescens, maturatam togam virilem induit.* Corn. Tacitus libro duodecimo Annal. Iurisconsulti certe virilem ætatem ab anno tantum decimo septimo desumunt, itaque & togam Liberam tunc sumendam concedunt: At Cumis non ante annum vigesimum viros se profitebantur, neque vestem virilem induebant. Dio. Halicarnass. libro 7. pag. 424.

Ritus solennis erat, vt in sumenda ea toga denarium in ædem Iuuentutis deferrent. L. Piso historicus apud Halicarnassęum eundem libro quarto, pagina ducentesima vigesima: verba eius Celenio vertente hæc sunt, *Tradit L. Piso Annalium primo, voluisse eum & vrbanæ multitudinis scire numerum, tum nascentium, tum morientium, tum eorum τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων qui virilem togam sumerent, statuisseque quanti pretij nummos pro singulis inferre deberent cognati, in ærarium Ilithyiæ pro nascentibus, in Veneris ærarium, in luco situm, quam Libitinam appellant, pro defunctis, in Iuuentutis, τῆς Νεότητος, pro virilem togam sumentibus, unde poterat nosse annis singulis quantus esset in vniuersum numerus ciuium, tum quam multi ex his essent per ætatem idonei militiæ.* quæ consuetudo, quantum hactenus legi, à nullo alio obseruata fuit. Est & alter ritus apud Festum Pompeium libro decimosexto, in voce Regillis, quem cupiam expositum. *Regillis tunicis albis, & reticulis luteis vtrisque .... ctis susum versum à stantibus pridie nuptiarum diem, virgines inductæ cubitum ibant ominis causa, vt etiam in togis virilibus dandis obseruari solet.* nisi forte auxilio possit esse illud Suetonii in Augusto capite nonagesimo quarto: *sumenti virilem togam, tunica lati claui resuta ex vtraque parte ad pedes decidit.* quæ leguntur apud Dionem Coccianum libro quadragesimo quinto principio χιτὼν ὁ ἐσθὴς ἐρρήγη. male *toga palmata* à Xylandro vertitur, *tunica* enim *laticlauia* verti debuit. Porro induebantur tirones virili toga diis præsentibus, hoc est ante altaria, Sextus Propertius lib. 4. eleg. 1.

Mox vbi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante deos libera sumpta toga est.

Tirones appellauit Plinius paulo ante citatus, adolescentes forensibus studiis sumpta hac veste præparatos, vt & Quintilianus lib. duodecimo Institutionum oratoriarum capite sexto: *nec rursus differendum est tirocinium in senectutem.* Itaque tirocinium istud non est militare, sed forense, nam à patribus suis naturalibus vel adoptiuis in forum deducebantur eo die quo togam virilem induissent, vel singulis, vel priuatis senatoribus commendabantur, comitante toto clientum numero. quare vt insolens in Claudio principe notatur, quod non in forum, vt solemnis mos erat, togæ virilis sumptæ die, sed in Capitolium fuisset deductus. Sueton. in eo capite secundo: *ob hanc eandem valetudinem & gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus nouo more præsedit, & togæ virilis die, circa mediam noctem sine solemni officio in Capitolium latus est.* Idem in Augusto capite vigesimosexto: *consulatum decimum tertium biennio post vltro petiit, vt Caium & Lucium filios, amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum.* pessime antea legebatur, *amplissimo præditos magistratu* neque enim tirones illi vllum gerebant magistratum, sed ipse Augustus, amplissimo præditus erat magistratu, hoc est consulatu. Et in Tiberio, capite decimo quinto: *deducto in forum filio Druso.* In Calig. capite decimo: *vndeuigesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, vno atque eodem die togam sumpsit, barbamque posuit, sine vllo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum eius.* In Nerone capite septimo: *deductus in forum tiro populo congiarium militi donatiuum proposuit.* adeundus & Plutarchus in Bruto, qui eandem hanc consuetudinem expressit. offerebant itaque sumpta iam toga congiarium, vt ex verbis Suetonij in Nerone constat. C. Tacitus confirmat id ipsum libro tertio Annal. *quo die forum ingressus* (Nero) *congiarium plebi, militi donatiuum propositum.* tum deinde in Capitolium deducebatur idem ille tiro à foro. Valer. Maxim. libro quinto, capite quarto, titul. 4. *hanc pietatem æmulatus M. Cotta, eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus vt à Capitolio descendit, C. Carbonem à quo pater eius damnatus fuerat, postulauit protractumque reum iudicio afflixit,* Læuinus Torrentius ad illud Q. Horatii libro primo Satyr. 2.

Nomina sectatur modo sumpta veste virili
Sub patribus duris tironum.

Commendabant patres tirones istos, filios suos,

filios, fidei Senatorum, cuius rei clara sunt argumenta apud Titum Liuium 5. Decad. lib. 5. ad finem. *filium postremo Nicomedem senatui commendauit.* Qu. Symmach. libro 4. epist. 41. *commendaueram tibi dudum Macedonij viri clarissimi filium, quum foro tuo nomen dedisset, credo tum rem pro studio meo iuueni accommodasse: sed quia parentibus nihil satis est, & efficacior quibusdam videtur petitionis iteratio, rogatus denuo postulatum retexo, non vt nouam candidato beneuolentiam praestes, sed vt iam tributam digneris augere.* elegans formula commendationis apud C. Suetonium in Augusto, cap. 56. *nunquam filios suos populo commendauit, vt non adiiceret, si merebuntur.* pulchrè Claudian. de 6. Hon. consul.

———te cum praelarga vocauit
Ditandas ad dona tribus fulgentia tecum
Collecti trabeatus adit delubra senatus,
Romano puerum gaudens efferre fauori.

Militaris toga illa, vt arbitror, appellabatur, qua in castris induebantur milites, quod antiquissima republica factitatum censeo, nam florente vrbe, sagatos notissimum est, id est, milites, togatis, id est, vrbicis ciuibus oppositos, quare & togam pro pace passim vsurpant scriptores, quod nunquam fecissent promiscuo togae vsu in castra recepto: prioribus id nihilominus inualuisse temporibus, coniicere licet ex Festo Pompeio, libro quinto: *endo procinctu significat autem cum ex castris in praelium exitum est, procinctos, quasi praecinctos atque expeditos, nam apud antiquos togis in cinctu pugnasse dicuntur.* vestigia quaedam huius ritus reuocata ab Antonio Philosopho apud Iulium Capitolinum in eius vita ad finem. *reuertens ad Italiam nauigio, grauissimam tempestatem passus est, per Brundusium veniens in Italiam, togam & ipse sumpsit, & milites togatos esse iussit.* sequitur deinde, dignissimum obseruatione, *nec vnquam sagati milites sub eo fuerunt.* Claudian de 4. Hon. consul. in limine.

Lictori cedunt aquilae, ridetque togatus
Miles, & in mediis effulget curia castris.

Toga lugubris, siue, vt alij appellant, *pulla*, supra memorata est à me hoc opere libro 4. capite nono, & fusius infra expedietur, vbi de funeribus: hoc tantum obseruandum duco, cadauera ea obuolui consueta. L. Apul. libro primo Floridor. *nam illis quoque videres hominem depugnare, togam quoque parari, & voto & funeri, item pallio cadauera operiri, & Philosophos amiciri.* qui locus appositissimè & de virili toga, & de lugubri intelligendus est, ita P. Colutius allata Pauli IC. authoritate li. 19. ff. de in rem verso. *filiusfamilias emit togam, mortuo deinde eo, pater ignorans & putans suam esse dedicauit eam in funus eius*, dedicare autem in funus, nihil aliud est, quàm cadauer ea obuoluere. Lucian. lib. de Luctu. Artemidorus & Plutarchus adducti ad id probandum à Lipsio libro primo Elector. vetus Scholiast. Iuuenalis ad vers. 171. Satyr. 3. *togam sumit vt ei supra lectum mittant, dum mortuus effertur.* Ipse Satyricus.

Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus.

Martial. lib. 9. epigr. 58.

Nil est tritius Hedyli lacernis,
Non ansae veteres Corinthiorum,
Non pallens toga mortui tribulis.

Illud quoque hoc loco non duxerim omittendum quasdam vestes seu togas *domesticas* fuisse, & alias verò *forenses*, vt iam monui. M. Tull. libro secundo de Finibus bonorum & malorum: *quod si vultum tibi, si incessum fingeres, quo grauior viderere, non esses tui similis. verba tu fingas, & ea dicas, quae non sentias, aut etiam, vt vestitum, sic sententiam quoque habeas, aliam domesticam, aliam forensem, vt in fronte ostentatio sit intus veritas occultetur.* Ammian. Marcellin. lib. 31. in principio. *Nec alia iis domestica vestis est, alia forensis, sed semel obsoleti coloris tunica collo inserta, non ante deponitur, aut mutatur quàm diuturna carie in pannulos destuxerit defrustata.* lepidè Romanos ritus Hunnis barbaris adaptauit, ita Fr. Lindenbrogius hunc locum legendum docuit, antè malè, *in pannulos defluxerit defrustata.* causa probatae huius lectionis ex Glossario veteri, in quo, *concisus. frustratus.* Idem Ammianus lib. vigesimo, *defrustanda Mesopotamia spiculari.* Sidon. Apollinar. lib. decimo nono, Epist. 9. *quasi non volumen inuenio, produco, lectito, exterpo, maxima ex magnis capita defrustans,* defrustare itaque est veluti *per frusta effundere*, vt loquitur idem Apollinaris libro primo Epist. vlt. atque ita L. Florus supplendus, legendúsque lib. 2. cap. 2. in fine. *& tamen cum Punicae praedae omnibus promontoriis, insulisque frustarentur, ac fluitarent, populus Romanus triumphauit.* Sed ad vestem domesticam redeo, qua scilicet domi vtebantur, Suetonius Aug. cap. 73. *veste non temere alia, quàm domestica vsus est, ab vxore, & sorore, filiáque & neptibus confecta.* quae licet vulgata sit lectio, & ab Isaaco Casaubono probata, post tamen non incommodè aliter legi. *veste non temerè alia domestica vsus est, quàm ab vxore, & sorore, & filia neptibúsque confecta,* authore vel ipso Suetonio, cuius in Vitellio capite octauo haec sunt verba. *vixdum mense transacto, neque diei, neque temporis habita ratione ac iam vespere subitò à militibus è cubiculo raptus, ita vt erat*

in veste domestica, imperator est consalutatus. accedat & L.Senecæ testimonium lib. de Tranquil.animi, cap.1. *placet vestis domestica, & vilis, nec seruanda, nec sumenda sollicitè.* in hac numerabantur & cœnatoriæ siue accubitoriæ, quas *synthesis* nuncupabant, de qua eruditè, vt solet Iustus Lipsius in Saturnalibus, & Martialis passim, sed præcipuè libr. 14. epigramm. 135. cuius lemma est *cœnatoria.*

Non fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota;
Hic opus est pictis accubuisse toris.

Ad huius differentiam, alter appellatur *forensis.* Iun. Moderat. Columella libro 12. de Re Rust. cap. 4. *quales sunt arculæ, in quibus vestimenta forensia conduntur.* Idem Sueton. in Calig. cap. 17. *posteriore etiam forensia insuper viris, pueris ac fœminis fascias purpuræ ac conchylij distribuit.* vide Interpretes ibidem loci.

Cingeretúrne semper hæc toga, néene, disces ex Festo libro 5. in voce *endo procinctu,* & ex PseudoCornuto, ad Sat 5. A. Persij vers. 31. supra citatis, sed maximè ex Quintiliani pulcherrimo loco Oratoriar. Institut. libro vndecimo, capite tertio: *ipsam togam rotundam esse, & aptè cæsam velim, aliter enim multis modis fiet enormis, pars eius prior mediis cruribus aptè terminabitur, posterior eadem portione altius quàm cinctura: sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, nunquam certè sit inferior: ille qui sub humero dextro ad sinistrum obliquè ducitur velut balteus, nec strangulet, nec fluat pars togæ, quæ postea imponitur, sit inferior, nam & ita sedet melius, & continetur: subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat, tum sinus inijciendus humero, cuius extremam oram reiecisse non dedecet: operiri autem humerum cum toto iugulo non oportet, alioqui amictus fiet angustus, & dignitatem, quæ est in latitudine pectoris, perdet.* Plura dicentur libro septimo, capite nono huius operis, vbi de veste consulari, eiúsque cinctura agetur. Etiam ad alia pergendum.

Caput XXXIII.

De Tunica.

Togæ verò suppositæ tunicæ plures fuerunt, sed quæ togam proximè attigit, ea proprio nomine Tunica dicta est. Hæc angustior & breuior, quàm toga fuit, ac primùm sine manicis, deinde manicata, ac cinctura constricta est. De modo Tunicæ Quinctilianus libro 11. Cui laticlauius non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paululùm, posterioribus ad medios poplites vsque perueniant. Nam infra mulierum est, suprà Centurionum. Hinc talares tunicæ, id est, vsque ad talos demissæ, semper probro obiectæ sunt. De manicis Agellius libro septimo cap. 12. Tunicis vti virum prolixis vltra brachia, & vsque in primores manus, ac propè in digitos, Romæ atque in omni Latio indecorum fuit. Eas tunicas Græco vocabulo nostri χειριδωτὰς appellauerunt, fœminisque solis vestem longè latéque diffusam decere existimauerunt: ad vlnas crurá que aduersus oculos protegenda. Viri autem Romani primò quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt: posteà substrictas & breues tunicas citra humerum desinentes habebant, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας. Hac antiquitate inductus P. Africanus Pauli filius P. Sulpitio Gallo homini delicato inter pleraque alia, quæ obiectabat, id quoque probro dedit, quòd tunicis vteretur manus totas operientibus. Qui cum chirodota tunica inferior accubuerit. Item Cicero in Catilinam: Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut barbatos videtis manicatis & talaribus tunicis, velis amictos, non togis, &c. Color tunicæ liberorum hominum albus fuit, quod constat ex Vopisco Aureliano, cuius hæc sunt verba: Sciendum tamen congiaria illum ter dedisse, donasse etiam populo Romano tunicas albas manicatas ex diuersis Prouinciis. Iuuenalis quoque tunicas albas appellat hoc versu:

Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.

Et Cicero Verri obiicit, quòd in officina sedere solitus sit cum pallio, & tunica pulla. Vide Iustum Lipsium libro Electorum primo, cap. decimo tertio. Aldus Manutius purpureum tunicarum colorem defendit libro secundo de Quæsitis per epistolam, epistola 2. Scribit porrò Plutarchus, Catonem maiorem per hyemem tunica exomide sumpta, per æstatem nudum opus in agro perfecisse, &c. Iuuenes tunicatos in campo se exercuisse scriptum est apud Ciceronem in Cluentio. Plebeculam verò Romanam tunicatam incessisse significauit Horatius, cùm popellum eam tunicatum vocauit. Cùm ergo ciues omnes Romani tunica vterentur, factum est, vt tunica ordines distinxerint. Nam Senatores & Equites tunicam

clauatam

clauatam induerunt, plebs rectam, & sine clauis. Clauata tunica fuit, quæ clauos purpureos intexos, vel potiùs insutos, quod Aldus Manutius probat, habuit, aut latos, aut augustos. Fuerunt autem claui, quasi flores panno intexti. Vnde Martialis dixit:

—lato mapa lia clauo.

Festus, clauata vestimenta scribit fuisse clauis intertexta. Varro in octauo de lingua Latina addit: Si quis tunicam in vsu ita consuit, vt altera plagula sit angustis clauis, altera latis, vtraque pars in suo genere caret analogia. Pl n. libr. 9. Toga prætexta & latiore clauo à Regibus primum vsum Etruscis deuictis Tullumi Hostilium, satis constat. Silius:

Sacrificium lato vestem distinguere clauo:

Varro Modio, teste Nonio:

Isterum vitreæ toga ostentant tunica clauos

Cæterùm tunica latos clauos purpureos intertextos habens, quæ & latus clauus, & tunica lati claui dicta est, propria fuit Senatorum, atque amplissimi ordinis insigne. Indicat hoc Suetonius loquens de Augusto: Sumenti virilem togam tunica lati claui resuta ex vtraque parte ad pedes decidit. Fuerunt, qui interpretarentur, non aliud significare, quàm quod is ordo, cubis insigne id esset, quandoque ei subi ceretur. Idem: Liberis Senatorum, quo celeriùs Reipublicæ assuescerent, protinus à virili toga latum clauum induere & curiæ interesse permisit. Et de Tiberio: Senatori latum clauum ademit. Et de Caio: Latum clauum, quanquam initio affirmasset, non lecturum Senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem, etiam libertini filio tradidit, &c. Vt autem latus clauus fuit Senatorum, sic angustus clauus Equitum Romanorum. Ostendit Velleius Paterculus de Mecœnate scribens, qui Equestri dignitate contentus erat, Mecœnas non minus Agrippa Cæsari charus, sed minùs honoratus: quippe vixit angusto clauo pene contentus. Lampridius item in Alexandro: Tum satis esse constituit, vt Equites Romani à Senatoribus claui qualitate discernerentùr. Hæc de Tunica Carolus Sigonius libro tertio de Iudiciis. Et ab hac clauorum differentia, discrimen etiam inter Tribunos militum fuit, vt alij dicerentur angusticlauij, qui scilicet vtebantur angusto clauo: alii laticlauii, qui latum clauum vsurpabant, quorum hi maioris, illi minoris dignitatis erant. Qua de re Suetonius in Augusto, Nerone, Othone, Domitiano, & in eundem Læuinus Torrentius. Adrianus Turnebus Aduersariorum libro tertio capite 2. & libro 12. capit. 6. Item libro 17. cap. 11. Aldus Manutius libro secundo de Quæsitis per epistolam, epistola 2. scribit latos clauos omnium fuisse, qui vel patre Senatore, vel Equite nati essent: non quidem à primis annis per omnem ætatem, sed ab ann. XVII. quo etiam virilis toga sumebatur ad annum ætatis Senatoriæ: quo anno curiam ingredientibus remanserit eiusdem tunicæ ius, addito prætereà omni reliquo iure, quo Senatorius ordo præcipuè fruebatur: sin autem Senatoriam dignitatem non assequerentur: vel quia nollent, ociosam aut tranquillam vitam honoribus anteponentes: vel quia non possent, gratia destituti, lato clauo deposito angustum sumpserint: ad quam sententiam probandam Ouidij, & Suetonij testimonia adducit, quæ apud ipsum leges.

Palmatam tunicam idem Manutius fuisse, arbitratur quam triumphantes toga picta superimposita, tanquàm insigne victoriæ, gestarint.

Sicut autem tunica exterior illa vestis dicebatur quæ togæ supponebatur, ita Subucula interior tunica, quæ proximè cutem attingebat. Tantum de tunica, de qua præter eos, quos citaui, scriptores, etiam Lazarus Baysius libro de re vestiaria cap. 12. Volfgangus Lazius libro 8. Commentariorum Reipublicæ Romanæ, cap. 4.

Capvt XXXIIII.

De Trabea.

ADhvc de Trabea nobis agendum est, antequàm ad muliebria vestimenta accedamus, vbi tamen nos paucis expediemus. Sueton. in lib. de vestimentis, auctore Seruio in lib. 7. Virgilij, tria Trabearum genera fuisse ostendit: vnum è sola purpura, Diis consecratum: alterum è purpura non sine albo, quo Reges vsi fuerint: tertium Augurale, è purpura & cocco. De primo genere non est opus, vt multa verba faciã. Secundi generis trabeæ fuerunt præ reliquis in maximo apud Romanos vsu. Non enim Reges tantum, verùm etiam pulsis Regibus Consules: itẽ Equites, cùm trabeati idibus Quinctilibus transueherentur, eas vsurparunt. Et Consulum quidem Trabea videtur Aldo Manutio, post Reges, fuisse militaris habitus, quo Consules in bello vsi fuerunt; quod sibi in mentem venisse ait, illum Liuij locum li. 32. consideranti: Consul,

cùm Corcyræ hybernasset, vere primo in continente trabeatus ad hostem ducere pergit, &c. Eamque ob caussam etiam Equestres turmas bellicam speciem repræsentantes, Idibus Quinctilibus trabea vestitos transuectas esse dicit. Meminit eius trabeæ Consularis Ausonius in gratiarum actione pro Consulatu, his verbis: In procinctu, & tum maxime dimicaturus, Palmatæ vestis meæ ornamenta disponi feliciter, & bono omine: námque iste habitus, vt in pace Consulis est, sic in victoria triumphantis. Parum est, si qualis ad me trabea mittatur, interrogare te coràm proximi iubes. Hæc Ausonius. Quibus ex verbis primùm illud constat, triumphalem Romanis trabeam fuisse, quod aliis Reipublicæ temporibus inusitatum fuit: Prætexta enim tunc & Consules, & reliqui Magistratus vtebantur: postremò trabeam & palmatam vestem & togam pictam eandem facit, qua de re vide Ald. Manutium lib. 2. de Quæsitis per epistolam, epist. I & Eliam Vinetum, Commentariis in Ausonium. Quin etiam trabeam auro pictam facit Ausonius, quorũ nec Suetonius vbi de tribus trabearũ generibus agit, nec quisquam alius veterum scriptorum, veteris & liberæ Reipubl. meminit. Vnde apparet Gratiano imperante, & trabeatos Consules fuisse, qui prætextati antea fuerant, & trabeam fuisse pictam, contra veterem consuetudinem. De tertio trabearum genere Dionysius loquitur libr. 3. vbi de Saliorum vestitu, vel trabeis scribens, eas περιπορφύρους vocat: id est purpura prætextas, puniceo colore alternis intertexto. De trabea præter Aldum Manutium, Eliam Vinetum, Lazarum Baysium, & alios, VVolfgangus Lazius lib. 8. Commentariorum Reipublicæ Romanæ, cap. 5.

Capvt XXXV.

De fœminarum vestibus.

Explicatis iis vestimentis, quibus viri & pueri propriè vsi apud Romanos fuerunt, sequitur, vt de mulieribus etiam pauca subiiciamus. Muliebria cum Vlpiano appello, quæ matrisfamilias causa parata sunt, quibus vir non facilè vti potest sine vituperatione, veluti Stolæ, Pallia, Tunicæ, Capitia, Zonæ, Mitræ, quæ magis capitis tegendi, quàm ornandi causa comparata sunt, Plagulæ, Penulæ.

Stolam, inquit Nonius Marcellus tractatu de genere vestimentorum, veteres non honestam vestem solùm, sed etiam omnem quæ corpus tegeret, appellarunt: quibus verbis docet, Stolam non mulierum vestem propriam, sed iis cum viris communem esse, cui rei probandæ testimonia Ennij & Varronis adducit. Vlpianus tamen Stolam pro muliebri tantùm veste vsurpat, quæ demissa erat ad imos vsque pedes, & cuius extremam partem instita assuta, quæ erat fasciola quædam siue limbus ambibata. dicta autem videtur Stola ἀπὸ τοῦ στέλλειν, quod induo, significat. Hac matronæ Romanæ vtebantur, non aliter atque viri tunica. Sic enim eas virorum & mulierum vestes confert Terentius Varro lib. 7. de ling. Lat. cùm scribit: In vestitu quum dissimilima sit virilis toga tunicæ, mulieris stola pallio, tamen inæqualitatem hanc sequimur nihilominus, &c. Quibus verbis togam & tunicam viro tribuit, pallium & stolam mulieri. Stolatæ mulieris iconã talem ex vetustis monumentis suo libro de re vestiaria inseruit Laz. Baysius, quam & nos sequenti pagina adiicimus.

Pallium virorum & puerorum erat, erat & mulierum: hoc tamen ab illo altero, quod viri & pueri vsurpabant, erat diuersum. Dicebatur pallium, quia palàm gestabatur, & tunicæ, siue stolæ circundabatur, aut tunicæ operimentum erat: id quod ex Varronis verbis, quæ modò recitauimus, liquet. Hæc etiam Palla dicta fuit, vt Varro lib. 4. de ling. Lat. docet, quod foris ac palàm esset. Nonius: Palla est honestæ mulieris vestimentum, hoc est tunicæ pallium. Vide de his vestimentorum generibus differentem Aldum Manutium Pauli filium lib. 2. de Quæsitis per epistolam, epistol. 2. sub finem.

Tunicæ non tantùm virorum, sed & fœminarum erant, quod ex Varrone cognoscimus, qui eas fœminis tribuit. Idem lib. 9. de ling. Lat. Muliebrem tunicam eam dicimus quæ de eo genere est, quo indutu mulieres vt vterentur est institutum. Ita autem dicebatur exterior fœminarum tunica: indusium interior, quæque carni hærebat. Sic enim Varro libro 4. de ling. Lat. cùm de capitio locutus esset, subiungit: Alterius generis item duo: vnum, quod foris, ac palàm, à quo palla: alterum, quod intus, à quo indusium. Nonius: Indusium est vestimentum, quod corpori intra plurimas vestes adhæret, tanquam intusium. Apud eundem Varro lib. 1. de vita pop. Rom. Postquam binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam & indusium. Ex quo apparet subuculam interiorem virorum tunicam, indusium mulierum fuisse. Posterioribus

ſterioribus tamen temporibus ſubucula quoque fœminarum fuit, quæ etiam Supparus dicta. Ita enim Feſtus: Supparus veſtimentum puellarum lineum femorale vſque ad talos pendens, dictum quod ſubtus apparet. Et ita quatuor muliebres veſtes fuerunt, induſium intra tunicas omnes, ſupparum, ſtola, & palla. Vide Aldum Manutium loco paulò ante citato.

ICON MVLIERIS ROMANÆ STOLATÆ.

Capitia capitum tegmina, inquit Nonius, vbi adducit locum Varronis libro 4. de Vita popul. Rom. Neque id ab orbita matrumfamilias inſtitutu, quòd eæ pectore, ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant. Ex quo tamen loco capitia non capitis, ſed pectoris tegumentum fuiſſe intelligitur, quod etiam idem Varro libro quarto de ling. Lat. ſignificat, cùm ſcri-

bit Capitium ab eo, quòd capit pectus, id est, vt antiqui dicebant, indutu comprehendit. Atque sic capitium intelligendum, Adriano Turnebo, & doctissimo Scaligero placet. Erant & ad vinciendum pectus strophia & fasciæ, de quibus Terentius, de puellis loquens, quas matres student esse:

Demissis humeris, vincto pectore, vt graciles fient,
Si qua est habitior paulo pugilem esse aiunt, deducunt cibum, &c.

Nam fasciis illis humerorum castigabant superfluum, & quasi luxuriantem habitum, eósque ἰσομέρεις, & æquos reddebant, cùm contra in pugilibus sint torosi: strophio tumorem papillarum cohibebant. Nonius: Strophium est fascia breuis, qui virginalem tumorem cohibet papillarum. Turpilius Philopatro: Me miseram quid agam, inter vias epistola excidit mihi, infelix inter tuniculam, ac strophium collocâram. Vide Ioseph. Scaligerum Coniectaneis in Varronem de lingua Latina.

Zonæ, quæ à Iurisconsulto etiam inter muliebria vestimenta numerantur erant, quibus sese mulieres cingebant, sic dictæ à Græco verbo ζωννύω, quod est cingo. Hæ alio nomine appellantur cingula, de quibus Varro lib. 4. de ling. Lat. Cinctus, & cingulum à cingendo, alterum mulieribus attributum. Festus: Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat.

Mitræ, capitis ornamenta erant mulieribus propria, quemadmodum Seruius in 9. libr. Æneidos in illum versum Virgilii,

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ,

Scribit: Pilea, inquit, sunt virorum, mitræ fœminarum, quas Calanticas appellant.

Calantica, inquit Nonius est tegmen muliebre, quod capiti innectitur. Marcus Tullius in Clodium: Túne, cùm vincirentur pedes fasciis, cùm calanticam capiti accommodares? Cælius Rhodiginus lib. 6. Antiq. lect. cap. 10. ex Euripide & Herodoto docet, mitram esse genus fasciæ, siue tæniæ quo caput obligetur quosdam, & subiicit esse, qui sic finiant, ex fascibus horariísque concinnatas corollas dici mitras, eàmque appellationem inclinari à μίτος, quod filum est: atque etiam eorum dici zonam, de qua paulo antè.

Plagulæ diminutiuum à plaga, de qua ita Nonius: Plagæ grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lectuariam sindonem dicimus, quarum diminutiuum est, plagulæ.

De Penula paulò antè diximus, quæ virorum & mulierum communis fuit, hic tamen I.C. iter muliebria simpliciter pónit. Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri: Penulis (inquit) vt frigoris causa senes intra vrbem vterentur, permisit: cùm id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluuiæ fuisset. Matronas tamen intra vrbem penulis vti vetuit, in itinere permisit. Hactenus de iis muliebrium vestium nominibus diximus, quorum Vlpianus meminit: quibus etiam ea adiiciemus, quæ apud Nonium Marcellum, & alios extant, quanquam nonnullorum iam ante mentionem fecerimus.

Reticulum, tegmen capitis muliebre. Varro Sequiulysse: Suspendit Laribus marinas molleis pilas, reticula, ac strophia. Cic. in 7. Verrina: Ipse autem coronam habebat vnam in capite, alteram in collo: reticulúmque ad nares sibi oponebat: tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ, &c. Ex quo loco intelligis, reticulum dici fasciam laneam, vel lineam ad formam retis factam, quam faciei admouerent, ne agnoscerentur: vel vt naribus suaues odores admouerentur. Sed cùm ad ornatum mulierum spectat, tum est id, quòd capillos continet. Hinc Varro libr. 4. de ling. Latina, scribit à reti dictum esse, quòd capillum contineret, & Reticulum à raritudine.

Vittæ dicebantur capitis ornamenta muliebria, quibus mulieres capillos colligabant, vt satis ostendit illud Ouidii in 1. Metam.

Vitta coërcebat positos sine lege capillos.
& lib. 2.
Vitta coërcebat neglectos alba capillos.

Eránt que olim propriæ honestarum matronarum, virginum, & Vestalium, quæ etiam dicebantur tæniæ.

Ricæ & Riculæ, vt Festus scribit, vocantur parua ricinia, & palliola ad vsum capitis facta. Grauius autem esse ait muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica vtebatur. Agellius lib. 10. cap. 15. vbi de Flaminica loquitur: Et quod in rica surculum de arbore felici habet. Sic enim hunc locum Iosephus Scaliger restituit.

Flammeus, inquit Nonius, vestis vel tegmen, quo capita matronæ tegunt. Hoc autem amiciebantur nubentes ominis boni causa, propterea quòd eo assiduè vtebatur Flaminica, id est, Flaminis vxor, cui non licebat facere diuortium. In C. fœminæ 30. quæst. 5. scribitur fœmi-

fœminas, cum maritantur, ideo flammeo velari, vt se nouerint semper maritis suis subditas esse. Hinc Flammearij dicti opifices huiusmodi vestium apud Plautum in Aulularia:

Flammearij, Violarij, Carinarij.

Encombomata & Parnacides, inquit idem Nonius, genera erant vestium pullarum. Varro, Cato de liberis educandis: Vt puellæ habeant potiùs in vestitu chlamydas, encombomata, ac Parnacidas, quam togas: Pollux ἐγκόμβωμα vocat albam tuniculam. Plura de muliebribus vestimentis non addam, quæ si quis desiderauerit, petet ea ex Andreæ Tiraquelli IC. clarissimi Præceptis siue Legibus connubialibus, præcepto, aut lege 3. vbi summa diligentia plurima ornamentorum muliebrium, instrumentorum, repositoriorum, aliarúmque rerum ad eam rem pertinentium collegit, & ordine Alphabetico disposuit. De ornamentis etiam muliebribus lectu non indigna habet Iacobus Ræuardus, lib. 1. Variorum, cap. 4.

AD CAP. XXXV. PARALIPOMENA.

Muliebres vestes, & ornamenta, acus ornatrix, & textrix, calamistrum, crinium flexura, vitta, Instita, fascia, Ægis, monile, tunica, palla, mitra,

MAttronas suas non ornatu suo carere, non vestibus propriis sinebant, itaque pauca obiter perstringentur. ab acu incipiam, quam Festus libro primo definit, *qua sarcinatrix vel ornatrix vtitur.* gloss. Isidiori, *casona, acus, qua mulier scalpit caput.* L. Apuleius libro 8. Milesiar. *crinalem* appellat, quod scilicet crinibus ornandis inseruiret, vel discernendis, diuidendisque, quare & discriminalis est vocata à Diuo Hieronymo libro secundo in Ruffin. & in capit. 3. Isaiæ, *habent mulieres acus suas quibus ornatorum crinium compago tenetur, ne laxius fluant, & in sparsos dissipentur capillos.* Vlpian. IC. l. 25. ff. de auro & arg. leg. *ornamentorum hæc, vitta, mitræ, semimitræ, calanticæ, acus, cum margarita, quam mulieres habere solent.* duplex itaque acus huius muliebris vsus, vel enim componendis crinibus subseruiebat, vel picturæ seu vernis texturæ vestium, quas commendabant si matronarum manibus factæ fuissent. Et de prima significatione intelligendi scriptores: Martial. libro 14. epigr. 24.

Tenuia ne madidos violent bombycina crines.
Figat acus tortas, sustineatque comas.

P. Ouid. lib. 1. de arte.

——————Minoida Thesus
Abstulit, à nulla tempora comptus acu.

Et lib. 1. Amor. eleg. 14.

Ante meos oculos sæpe est ornata, nec vnquam
Brachia derepta saucia fecit acu.

D. Iuuenal. Sat. 2. v. 94.

Ipse supercilium madida fuligine tectum
Obliqua producit acu.

Cl. Claudian. Epithal. de Nupt. Hon. & Mariæ.

Cæsariem tum forte Venus subnixa corusco
Fingebat solio, dextra, læuaque sorores
Stabant Idaliæ, largos hæc nectaris imbres
Irrigat, hæc morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen erat, sed tertia retro
Dat varios nexus, & certo diuidit orbes
Ordine.

Et post eodem libro.

Ipsa caput distinguit acu.

In secundo significatu C. Plin. libro 8. cap. 48. *pictas vestes iam apud Homerum fuisse, vnde triumphales natæ: acu facere id Phryges inuenerunt, idcóque Phrygiones appellati sunt.* Inuentio itaque in Phrygia, vsus in Assyria, & præsertim Babylone, Plinius ibidem loci, paulo post *colores diuersos picturæ intexere Babylon maxime celebrauit.* Plutarchus in M. Catonis vita scribit ei hæreditario iure obuenisse *βαβυλώνιον ποίκιλμα Babylonicis coloribus variegatam vestem*, iussisse autem eum vt statim ea venderetur. vide quæ supra hoc libro dicta à me sunt, adde Lucretium de Rer. Nat. libro quarto.

Labitur interea res & Babylonia fiunt.

Sic legit Iacobus Dalecampius, aliter in vulgatis habetur æditionibus.

Labitur interea res, & vadimonia fiunt.

M. Luca lib. 10. v. 142.

Quod Nilotis acus compressum pectine Serum
Soluit, & extenso laxauit stamina filo.

Martial. lib. 10. Epigr. 6.

Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis.

Locus non inelegans est apud Nonium ex Titianio in Barbato.

Phrygio fui primo, beneque id opus
Sciui, reliqui acus fasciasque hero

Atque hera nostræ.

Valer. Flacc. lib. 2. Argonautic.

Illic seruati genitoris conscia sacra
Pressit acu.

Eiusdem operis lib. 6.

Nec leuior comitatur Aron, horrentia cuius
Discolor arma super, squallentesque ære lacertos,
Barbarica chlamys arcet acu, tremefactaque vento
Implet equum.

Acum hanc *discerniculum* appellarunt, quod capillos discerneret, M. Varro lib. 4. de ling. Lat. C. Lucilius lib. 30. Satyrarum.

Emplocamo digitis, discerniculumque capillo.

Nec dirimebat modo, aut discernebat capillum, sed in cirros contorquebat hæc acus. Isidorus Hispalensis in glossis, *acus, calamistratorium*, quo mundiores essent fœminæ pulchrioresque ingenui pueri, aut ipsæ deorum effigies, quare & acus magnæ matris dicitur, vel qua sacerdotes eam adornabant, vel qua ipsa, dum viueret, in texendo vteretur. Seruius Honoratus ad vers. 187. libr. 7. Æneid. *septem fuerunt paria, quæ imperium Romanum tenent, acus matris deûm, quadriga fictilis Veientorum, cineres Orestis, sceptrum Priami, velum Ilionæ, Palladium, ancilia*, & puto sic intelligendum P. Ouidium lib. 1. Amor. eleg. 14.

Non acus abrupit, non vallum pectinis illos,
Ornatrix toto corpore semper erat.

Idem est *calamistrum*, sic appellatum, *quod calefactum in ignito cinere capillos ornet*, si fides sit adhibenda Grammaticis, vnde apud M. Ciceronem in orat. post reditum: *frons calamistri notata vestigiis*, & ibidem, *calamistratus saltator.* & apud Plautum alterum linguæ Latinæ parentem Asinaria Sc. *cur me, calamistrate cinæde.* Cicero idem pro Sextio, *calamistratæ comæ.* D. Hieronymo in Epist. ad Demetriadem pro virginit. seruand. *calamistratus* dicitur *puer.* Inde etiam & *cirrati* Aulo Persio Sat. 1. vers. 43. & Phædro Tiberij Augusti liberto dicuntur fab. 36. illi qui ad luxuriam compositi sunt. Interpres D. Iuuenalis ad vers. 164. Sat. 13. *madido torquentem cornua cirro.* Iul. Poll. lib. 10. c. 28. *γυναικείων σκευῶν κτένιον, ξαίον, muliebrium instrumentorum sunt pecten, calamistrum.* sic enim vertit Rudolphus Gualterus, Ianus Gulielmus lib. 3. verisimilium cap. 16. locum Martialis tentauit non infæliciter. is est lib. 2. epigr. 36.

Flectere te nolim, sed nec turbare capillos,
Splendida sis nolo, sordida nolo cutis.

Ex MS. rescribit.

Flectere te nolo, sed turbare capillos.

Non modo liber scriptus fauet, sed ipse poeta lib. 3. sequenti Epigr. 72.

Bellus homo flexos qui digerit ordine crines,
Balsama qui semper, cinnama semper olet.

Cincinnati itaque & calamistrati capilli Martiali non placent, vt nemo impexi & horridi, pexi & compositi, quod inter illa duo tanquam medium est, non displicent, siue, quod idem valet, nimius cultus displicet, moderatus placet, immoderatum cultum facit calamistrum, laudabilem, pecten, Petron. Satyr. pag. 95 *quo enim spectant flexæ pectine comæ?* L. Apul. lib. 2. Milesiar. crinis pectinis arguti dente discriminatus. Ouid. elegantissime expressit lib. 1. Fastor.

Naiades, effusis aliæ sine pectinis vsu,
Pars aderant positis arte manuque comis.

Pulchra sunt quæ Claudius Musaubertius, siue Theodorus Marcilius in Commonitoriis suis in Laurentij Ramiserij hyponeumata inseruit: *pectere capillos & turbare, opposita res hoc epigrammate. solent autem turbati capilli non flexis sed pexis opponi, etenim pexos capillos intelligi voluere non nude simpliciterque pectine perstrictos, sed pectine compositos ad elegantiam, & venustatem, vt patet Fabij cap. 3. lib. 11. vbi opponuntur comis turbatis compositæ id est pexæ.* tum deinde paucis interiectis *ad summum triplex capillorum genus, flexi ad pectinem, sine pexi, flexi calamistris, & turbati. primum genus elegantiæ, alterum mollitiei, tertium sine elegantia & venustate.* Corrigendus, & locus Arnobij libro secundo Contra gentes. *nec in formas erubescere masculorum calamistris vibrare cæsariem.* rescribunt quidam, *nec in formas*, alij, *nec iis formis.* denique nonnullis visum legi, *nec informis*, adeo varia Criticorum & mens & manus. Seruius ad vers. 98. libro duodecimo Æneid. *vibratos calido ferro, crispatos calamistro: nam calamistrum est acus maior, quæ calefacta & adhibita intorquet capillos, vnde etiam Cicero calamistratam comam appellat frequenter, quæ etiam vituperationi est.* Philoxeni glossæ, *calamistraro, ἀγκιστρεῖν καὶ εἰς τὸ οὖλον ἀναπλέκειν τὴν κόμην, vncinare: & crispare comam.* Lucian. in Amorib. *σιδηρᾶ ὄργανα πυρὶ ἀμβλεῖ ἀφλογὶ χλιανθέντα βίᾳ τὴν ἑλίκων ὑπότητα διαπλέκοντα ferrea instrumenta, quibus ignis leni & hebeti flamma tepefactis, crispatur coma in cirros.* Porphyrion ad vers. nonagesimum septimum Sat. 2. libr. 1. Q. Horatij. *cinifiones & cinerarij in eadem significatione apud veteres dicebantur, ab officio calamistrorum in cinere calefaciendorum,*

quibus

matronæ capillos crispabant, cuius rei & Virgilius meminis(lib.12. Æneid.)

——fœdare in puluere crines
Vibratos calido ferro, mirrhaque madentes.

Paria pene Helenius Acron. *cinifiones & cinerarij eadem significatione apud veteres habentur, ab officio calamistrorum, id est verum in cinere calefaciendorum quibus matronæ capillos crispabant, cuius rei & Virgilius meminis dicens.*

Vibratos calido ferro.

Dicti autem cinifiones ab eo, quod in cinerem stant ad ferrum calefaciendum, quos cinerarios appellant. fuit itaque hoc viris probrosum. Martial.lib.10.Epigr.65.

Tu flexa nitidus coma vagaris,
Hispanis ego contumax capillis.

Neque tantum id in more positum Romanis, sed & Germanis. Iuuenalis proxime supra laudatus, L.Sen.lib.3 de Ira.cap 26. *rufus crinis, & in nodum coactus, apud Germanos virum que decet.* Idem Epist. vlt. *quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel modo Germanorum vinxeris, velut Scythæ solent, sparseris, in quolibet equo densior iactabitur iuba.* necessaria correctio est, *vel modo Germanorum vinxeris.* idem Martial. Spectacul. Epigr.3.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis cribus Æthiopes.

Aliter recte, hoc est non arte, aut industria, sed natura, idem poeta libr.6. epigr.39. Galen.libr.2.de Temperamentis sect.14. Onesicritus poeta laudatus à Strabone Amasiano lib.15.Geograph. Aristot.l.lib.5 de Generat. Animal. cap.3. hoc quidem non datum vituperio, vti nec *crines pectere*, modo id non ad luxum, & effæminationem. Ælius Spartian. in Hadriano. *statura fuit procerus, forma comptus flexo ad pectinem capillo.* quanquam & interdum mollitiei argumentum inde desumptum, quod quis se pexum ostentasse, de Catilinæ sociis M.Tull. Orat. 2. in illum. *hi sunt, quos pexo capillo nitidos videtis.* & talem inducit Cupidinem Moschus insignis poeta Bucolicus. Phocylides referente Iuni. l.b. 2. Animaduersor.cap.8. Horat.lib.2.od 15.de Paride.

Nequicquam Veneris præsidio ferox
Pectes cæsariem.

Quod diebus festis fieri assolebat. A. Persius Sat.1.

——pexusque togaque recenti
Et natalitia tandem cum [illegible] ibus.

Alb. Tibull.2.eleg.5

Sed nitidus pulcherque veni, nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas.

Id non acu tantum, seu discerniculo, aut calamistro tantum, sed pectine peragi solitum vetus Scholiast. Iuuenal.ad v.150. Sat.11. *diducti pectine capilli.* Ipse Satyricus,

Idem habitus cunctis, tonsi, rectique capilli,

Sed quia de crinibus agimus, pauca obiter perstringam: atque illud ante alia, iis adornandis aurum consueuisse addi. P. Ouid. Epist.20. Cydippe Acontio.

Quos idem solitos postquam reuocauit ad ortus,
Comuntur nostræ matre iubente comæ.
Ipsa dedit gemmas digitis, & crinibus aurum.
Et vestes humeris induit ipsa meis.

Idem Epist.21 Sappho Phaoni.

Ecce iacent collo positi sine lege capilli,
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veste tegor vili, nullum est in crinibus aurum,
Non Arabum noster rore capillus olet.

Valer. Flacc.lib.1.

——tereti crinem subnectitur auro.

Auro gemmæ accedebant non mulierum modo crinibus ornandis, sed & virorum. huc traho illud Luitprandi in legatione ad Nicephorum Phocam pag. 85. *nemo ibi auro, nemo gemmis ornatus erat.* hic est ille Luitprandus qui legationem obiit anno 968. vel aliquo sequenti, certe ante obitum Othonis Magni, qui incidit in annum 972. vt Sigebertus Gemblacensis est author. Cl. Claudian. de 6. Hon. consul.

Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore thori mater solertior ornat
Adueniente proco, vestesque & cingula comit,
Sæpe manu, viridique angustat Iaspide pectus,
Substringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit & baccis onerat candentibus aures.

Locum expressit Aurelius Prudentius libro secundo in Q. Symmachum non longe à principio.

Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est,
Et deus omnipotens, non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophióque reuincta.

Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

Rescripsit ex MS. codice Ioan. Schardus.

------non flexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede.

M. Lucan lib. 10. Pharsaliæ.

------colloque comisque
Diuitias Cleopatra gerit, cultúque laborat.

M. Manil. lib. 4 Astronomic.

Perque caput ducti lapides, per colla, per armos.

D. Gregor. Nazianzen. Elegia illa cultissimæ eruditionis *aduersus mulieres ambitiosius se adornantes.*

Μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις πλοκάμοισι γυναῖκες,
θρύπτουσαι μαλακὰς δειράδας ἐκ σκοπιῶν.
μηδὲ θεοῦ μορφὰς ἐπαλείφετε χρώμασιν αἰσχροῖς
ὥστε προσωπεῖα, κοὐχὶ πρόσωπα φέρειν.
οὐδὲ γὰρ ἀσκεπέα κεφαλὴν θέμις ἀνδρὶ γυναῖκα
φαίνειν, ἢ χρυσοῖς σφιγγομένην πλοκάμοις.

Latinis metris inclusit Federicus Morellus professor literarum Græcarum, Galliarum decus.

Crinibus adscitis capiti fastigia vestro
Ne addite, quo petris mollia colla fiant,
Neue dei formas pictura inducite fæda,
Vt iam non facies, larua sed ora notet.
Fæmineum caput illicitum est nudare, virorum
In cœtu, seu auro cæsarie implicita.

Atque vt hæc in vituperio posita, quemadmodum exposui, quod muliebrem cultum spectare, verius quam virilem curam videntur vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers. 478. Satyr. 6. *eos dicit, qui ornamentis præsunt, non tamen & ornatrices.* & ad vers. 488. eiusdem *Satyræ, componit crines dominæ.* vnde liquet fæminas fuisse in vsu ornatrices quasdam puellas, quæ capita adornarent, crines disponerent. Iulianus Augustus in Cæsaribus suis non longe à fine. Sil. Italic. lib. 7. Punicor.

Ast alius niuea comebat fronte capillos
Purpureos;

Claudian. Epithal. Hon. & Mariæ supra citatus, & lib. de laudib. Serenæ.

Vile putas donum solitam consurgere gemmis,
Et rubro radiare mari, si floribus ornes
Reginæ regina comas.

Ancillæ porro ornandis crinibus præfectæ, *psecades* appellabantur. vetus Scholiast. Iuuenal. ad vers 489. Sat. 6. *Psecazein Græcè dicunt, quando minutum, siue rarum pluit, ornatrices igitur componentes rarum aut paruum aquæ solent mittere, ac velut* ψεκάζειν. *ergo nominis etymologiam ab arte sumpsit.* vocem illam apud Artemidorum Daldianum reperio libro. 2. Oneirocrit. cap. 8. ψεκάδες καὶ πάχναι γεωργοῖς μὲν σφόδρα ἀγαθαί. *minutæ pluuiæ guttæ, & pruinæ, agricolis quidem valde bonæ.* Et iam doctissimus Nicolaus Rigaltius obseruauit. Iul. Pollux libro decimo. Onomast. capite quinto, ὑάειν, καὶ διαρραίνειν, καὶ καταρραίνειν, καὶ ψεκάζειν, καὶ ῥανίζειν ἔστιν εἰπεῖν. vertit. Rud. Gualterus, *rigare, & irrigare, & perrigare, humectare & aspergere dicere licebit.* Antimachum *psecadem* appellarunt. vt recitat Suidas in voce ψεκάδος, vertit Hieronym. Volfius, *rorem,* sed pauci intelligunt, ego puto mollitiem in eo denotari, vt quod muliebribus se addixerit ministeriis, & capillos matronarum instar ancillæ composuerit, irrorauerit, digesserit. Aristophanes in Acharnensibus non multum à fine:

Ἀντίμαχον τὸν ψεκάδος
τὸν ξυγγραφῆ τῶν μελῶν, τὸν ποιητὴν
ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ, κακῶς
ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς.

Vertit Nicodemus Frischlinus.

Antimachum illum psecadis
Versificatorem, hominem vsque ineptum
Vt breuiter dicam, male
Iupiter ille perdat.

Suidam lapsum memoria existimo, neque enim illum *psecadem*, sed *psecadis poetam* vocat, hoc est vilis alicuius ancillulæ ornatricis amorem carminibus aucupantem, seu quod idem est, seruilibus additum amoribus irridet simul & deuouet. consule Scholiastem veterem, & Eustachium apud Bisetum. discreta igitur ancillarum officia, quædam disponebant tantum crines, & in orbes digerebant. Iuuenal. Sat. 6. vers. 488.

Disponit crinem laceratis ipsa capillis.

Ouid. lib. 2. Amor. eleg 8

Comendis in mille modis perfecta capillis,
Et non ancillas inter habenda Nape.

Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Pectebat dominæ crines.

Martial. lib. 2. epigr. 66.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage, speculo, quo viderat, vlta est,
Et cecidit sæuis icta Plecusa comis.
Desine iam Lalage, tristes ornare capillos,
Tangat & insanum nulla puella caput.

Aliæ crines dispositos aquis aspergebant. Claudian. Epithalam. Hon. & Mar.

------largos hæc nectaris imbres
Irrigat.

Iuue-

Iuuenalis loco proxime citato.

Nuda humero psecas infelix, nudisque mamillis
Altior hic quare cincinnus? aurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.
Qui psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ
Si tibi displicuit nasus tuus? altera læuum
Extendit, pectitque comas, & voluit in orbem.
Est in consilio materna, admotaque lanis
Emerita quæ cessat acu.

Crinibus hisce seu pexis seu flexis, ornamenti gratia, vittæ addebantur: easque quidem in multiplici vsu fuisse, neque muliebri mundo adnumeratas solum, docuere Critici. Ac primum sacerdotes erant vittati, & poetæ, & ad vltimum supplicium ducendi, & templa ipsa, aræque deorum, victimæ, & naues e portu exituræ, aut post longam nauigationem regressuræ, faces nuptiales, ludorum præmia, arboresque ipsæ certis quibusdam diis consecratæ: vt diligenter & erudite obseruat Ioannes Bernartius ad librum quintum Thebaidos Statianæ: adde & diademata priscorum regum nihil aliud, quam vittas discolores fuisse, vt ad Claudianu expofui, & alibi, vt puto, in hoc opere. Certe matronarum hoc proprie gestamen. Aristo. IC. apud Vlpianum l. vigesimoquinto ff. de aur. arg. leg. *vitta margaritarum, & fibulæ, ornamentorum magis sunt, quam vestium.* Martian. Capella libr. primo de Nupt. Mercurij & Philolog. *Iuno quoque expurgatioris auri vena splendentem addiderat crinibus sociale vinculum.* Interpretor vinculum crinalem vittam. Sic enim Stat. lib. 1. sil. 2. vers. 241.

——dat Iuno verenda
Vincula, & insigni geminat concordia dextra.

Discretę iis matronæ à meretricibus. Q. Flor. Tertullian. lib. de fæminar. cultu. *quo minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quæ si quæ leges à matronalibus decoramentis coercebant, iam certe sæculi improbitas honestissimis quibusque fæminis vsque ad errorem dignoscendi exæquauit.* Sext. Propert.

Mox vbi iam facibus cessit prætexta maritis
Vinxit, & acceptas altera vitta comas.

M. Plaut. Milite sc. cubibitc.

——vt ad te eam iam deducat domum,
Vtique eam sic adornatam adducas matronarum modo
Capite compto, crines, vittásque habeat, assimuletque se
Tuam esse vxorem, ita præcipiundum est.

P. Virgil. lib. 7. Æneid.

——matres vbicunque Latinæ
Soluite crinales vittas capite orgia mecum.

Ouidius sæpissime lib. 1. de Arte, nomine vittarum matronalem dignitatem significat.

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Cuique tegit medios instita longa pedes.

Et lib. 1. de Remedio amoris.

Thais in arte mea est, lasciuia libera nostra est,
Nil mihi cum vitta, Thais in arte mea est.

Lib. 3. Fastor. de Siluia.

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Et lib. 4. Fastor.

Et vos queis vittæ longáque vestis adest.

Lib. 1. Metamorphos. fab. 9.

Vitta coercebat positos sine lege capillos.

Albius Tibullus lib. 1. eleg. 6.

Sit modo casta doce, quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Neque modo matronarum illæ, sed & virginum nondum nuptarum. Valer. Flacc. libr. 8. Argonauticon.

Vltima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Vt vitta honestatum matronarum ornamentum, ita quoque & *stola*, siue *instita*, nec modo apud Latinos, sed & alios populos, nam στολὴ Σεμιράμιδος, *stola Semiramidis* apud Diodorum Siculum lib. 1. Bibliothec. pag. 67. & deæ. vnde *stolata Diana* apud M. Tullium Act. 5. in C. Verrem. Vlpian. l. 23 ff. de aur. arg. legat. *vestimenta muliebria sunt, quæ matrisfamiliæ causa sunt comparata, quibus vir non facile vti potest sine vituperatione, veluti stolæ, pallia, tunicæ, capitia, Zonæ, mitræ, quæ magis capitis tegendi caussa, quam ornandi sunt comparata.* Valerius Maximus libro sexto capite primo in limine, *matronalem* appellat *stolam.* quod nempe sine mollitiei aut infamiæ nota fœminarum indumenta viri non possent vsurpare: atque id quidem Flauius Iosephus in vituperio posuit Caligulæ imperatori, quod *stolam* gestaret, libro decimonono Antiquitat. Iudaicar. capite primo. L. Sen. libr. de vita beata capite 13. *hoc tale est, quale vir fortis stola indutus.* quod Romanorum ex more intelligi debet. nam reges aliarum gentium stola vestiebantur, & præsertim Persę, Herodot. lib. 7. Arria. de Gest. Alexand. libr. 4. Plutarchum in vita Alexandri huiusmodi regum Persicorum vestem στολὴν βαρβαρικὴν, *stolam barbaricam,* Zonaras Annal. Tom. 1. Μηδικὴν στολὴν *Medicam stolam.* denique Ælianus lib. 1. var. histor. c. 31. & cum eo Athenæus lib. 12. Dipno-

sophist. ἐφεστρίδα πολλὴν, *Persicam stolam* dixerunt, sed à viris quoque gestari maluit Lazarus Baifius libello de Re vestiaria, & in sacris literis, *Ioseph honoris causa stola byssima à Pharaone vestitur.* Geneseos cap. 41. auro gemmisque consueuisse adornari depingique eam, fuisséque *talarem*, docet Procopius libro. 1. de Bello Persico, & fusissimè eruditissimus Brissonius libr. 1. de Regio Persarum principatu pagin. 46. 47. 48. Superinduebatur armaturis regum, vt coniicio, quippe στολάδα *armaturæ* genus vult esse Suidas, & Xenophon lib. 6. Pædiæ χιτῶν στολιδωτὸς, *tunica striata*, plicas forcassis habens, quæ armis superinduebatur, Ioan. Leunclauius, in Appendice Xenophontea, plicas vertit Gualterius Iulij Pollucis libr. septimo, capite decimotertio. quid quod lib. 3. Expedit. Cyri. pag. 307. στολάδες Xenophon idem pro *stolis* vertente Gulielmo Xylandro vsurpantur, qui pro στολάδες censuit στολίδες reponendum. Sed parum interest. Pollux libr. 1. cap. 10. ἔστι δέ τις ἡ στολὴ ἀντὶ θώρακος, *est & stola quædam thoracis loco.* Dionys. Halicarnass. lib 6. pag. 351. πολεμικὰς στολὰς, *militares stolas* ob id nuncupat. Constat ex istis plicatas & corrugatas has stolas fuisse, id enim *striatas* appellari, sunt enim *striæ* prominentiæ columnarum. Victruu. libr. 4. cap. 4. vt ego interpretor, cæsis in plicasque conformatis columnis, vnde *striatæ picturæ* eadem notione dicuntur in sacris literis lib. 3. Reg. cap. 7. glossarium vetus ζόστρωμα, *stricta.* L. Apul. lib. 10. Milesiar. *simili tristitia striatam gerens frontem.* Et lib. 11. *serpens striato tumore sublimis.* Et lib. 1. Apologiæ, *striatam conchulam*, vt & Plaut. in Rudente sc. *Omnibus modis.*

Echinos, lepades, ostreas, balanos captamus, conchas,
Marinam vrticam, musculos, plagusias, striatas.

Corrigendus idem Apuleius lib. 2. Floridor. tunicam picturis *variegatam deorsus ad pedes deiectus ipsos, Græcanico cingulo, chlamyda velas vtrunque brachium adusque articulos palmarum, cætera decoris instrumentis dependent.* rescribe cum acutissimo Colvio, *Cætera decoris striis dependent.* M. Varro lib. 1. de Re Rust. *qua aratrum vomere lacunam aut striam fatit, sulcus vocatur.* itaque mulieres stolis indutæ. Luct. Placid. ad vers 157. libr. 1. Thebaid. Papinianæ. *instita fasciola est, qua imam vestem suo pingit ornatu.* Ipse poeta,

Candida pampineo subnectitur instita pilo.

C. Plin. lib. 33. cap. 3. non multum à principio. *etiamne pedibus induitur? atque inter stolam plebémque hunc medium fæminarum equestrem ordinem facit.* formam ejus habemus apud Helenium Acronem ad Sat. librum primum Horatij. *Matronæ stola vtuntur demissa, vsque ad imos pedes, cuius imam partem ambit instita subsuta.* pariaque pene Porphyrion. *matronas significat; hac enim stola vtuntur ad imos pedes demissa.* Idémque tota interpretum caterua, cum Christophoro Landino ex iis transcripsit Q. Flor. Tertullia. libro de Pallio. capite primo: *quod neque trans crura prodigæ, nec intra genua inuerecundæ, nec brachiis parcæ, nec manibus arctæ, sed nec cingulo sinus diuidente, expeditæ atque quadratæ instita tunicæ.* Horat. loco citato.

—— qui noluit tetigisse, nisi illas
Quarum subsuta tales tegat instita veste.

Alij poëtæ passim. P. Ouid. locis supra proximè citatis, & lib. 1. de Arte,

Quas stola contingit, vittáque sumpta vetat.

Et lib. 3. de Ponto eleg. 3.

Scripsimus hæc illis, quarum non vitta pudicos
Contigit crines, nec stola longa pedes.

Ex quo & illud mutuatus Albinus Tibullus lib. 1. eleg. 6.

Sit modo casta doce, quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Papin. lib. 1. Sil. 2. vers. 235.

Omnes plebeio teritur prætexta tumultu,
Hic eques, hic iuuenum quæstus; stola mixta laborat
Fælices vtrosque vocant.

M. Martial. lib. 1 Epigr. 36.

Quis Floralis vestit & stolatum
Permittet meretricibus pudorem.

Sequitur *Fasciæ*, non modo in vestitu, sed & in ornatu numerata. Martian. Capella libro secundo de Nupt. *At cingulum, quo pectus annectere sibi prudens mater exsoluit, & ne Philologia ipsius Phronesis careret ornatibus, eius pectoris quo verius constringeretur, apponis.* antiquitas vel ex sacra pagina probari potest, nam D. Hieremiæ cap. secundo legitur, licet Castalio, non *fascias*, sed *lemniscos* verterit, & D. Isaicæ c. 3. exponitur ab Aquila, *cingulum*: minus rectè, nam cingulum ilia, lateráve succingebat, at fascia, vel crura, vt infra expediam, vel papillas, vel denique pedes, vnde & *pedules* Alciato libro 1. prætermissorum dicuntur, & Nebrissensi in Lexico M. Tull. in Clodium: *cum vincirentur pedes tui fasciis, cur capiti tuo calanticam accommodares?* Memoratum hoc à viris doctis, Ponzano Marcello Dilucidationum suarum pag. 981. M. Cato apud Nonium.

Mihi puero modicum fuit vnica tunica,

Sine fasciis calceamentum, equus sine ephippio.
Balneum non quotidianum.

C. Plin. libro 8. cap. 57. *arrosis Carboni Imperatori apud Dlusium fasciis, quibus in calceatu vtebatur.* Crura iis obligari solita discere obuiũ est, ex Valerio libro sexto capite secundo ait, *Pompeium fascia candida crus obligatum habuisse*, & Fauonium sapientiæ professione clarum dixisse, *parum refert qua corporis parte diadema gestet.* Quintilian. libro 11. cap. 3. *fascias quibus crura vestiuntur.* quibus locis conuincitur & virile gestamen fascias fuisse: addatur Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri, *fasciis semper vsus est.* multa lege apud Isaacum Casaubonum ad Suetonij Augustum c. 81. ita exponendus L. Senecæ locus in Hippolyto Act. 1. in Choro.

Et dedis legem rudibus capillis,
Crura distincto religanis auro.

Adscribam & locum è legatione Luitprandi, primo Diaconi, vt ipse narrat, deinde Episcopi Cremonēsis, eo quidem lubentius, quo eum manu medica egere certum sit. sic itaque pag. 102. *Ductus itaque in perivolium satis magnum, montuosum, fructuosum, minime amœnum cum pileatus equitarem, meque Coroplates à longe prospiceret, filio celeriter directo, mihi mandauit fas non esse quempiam, vbi Imperator esset, pileatum, sed teristratum incedere, Cui mulieres, inquam, nostræ tiaratæ & teristratæ, pileati equitant viri: nec decet vos compellere patrium me hic mutare morem, cum vestros, nos adeuntes, patrium morem tenere finamus: manicati enim, fasciati, fibulati, crinitis, talari tunica induti, penes nos equitant, incedũt, mensa assidunt.* quis hic Coroplates, cui demandatum comitatus regij erat negotium? Censuerim rescribendum, *meque Curopalates à longe prospiceret:* ratio correctionis, quod idem olim *maioris domus*, ac *Curopalatis* officium esset, vt annotaui ad librũ 1. huius operis supra, adde eundem pag. 116. eadem macula aspersum. *Papam vestrum Imperiales accipere literas, indignum esse diiudicanimus: mittit autem illi Coroplates, Imperatoris frater, non per suos pauperes nuncios, sed per se epistolam, satis dignam.* Rescribendum omnino. *Curopalates Imperatoris frater.* Sed redeo in orbitam.

Licet viri & in calceis, & in capite, & in cruribus ferrent fascias, tamen muliebre proprie id gestamen, vt ex sacris literis apparet locis proxime citatis. *numquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, & sponsa fasciæ pectoralis?* Et apud alium Prophetam loco etiam laudato, *pro fascia pectorali cilicium* L. Apul. libro 2. Milesiar. *ipsa linea tunica mundule amicta, & russea faciola prænitente altiuscule sub ipsas papillas succinctula* quo graciliores apparerent virgines, istis igitur succingebantur. ita capio Claudianum libro 1. in Eutrop.

Stat tamen, atque alias succingit lana ministras.

Et de 6. Hon. consulatu.

——— viridique angustat Iaspide pectus.

Apoll. Collatius Excidij Hierosolymitani libro 1.

——— Non fascia pectus.
Aurea virgineum vinxit.

P. Terentius in Eunucho. Act. 3. Sc 3.

Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas
Matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, vt
Graciles fient.

P. Ouid. lib. 1. de Remedio amoris.

——— anne papillæ
Pectus habent tumidæ, fascia nulla tegat.

Lib. 3. de Arte.

Angustum circa fascia pectus erat.

Et post eodem libro.

Conscia cum possit scriptas portare tabellas,
Quae tegat in tepido fascia lata sinu.

Sext. propert. libr. 4. eleg. 10.

Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus.

Martialis libro 14. epigrammate 134. lemma est.

fascia pectoralis.
Fascia crescentes dominæ compesce papillas,
Vt sit quod capiat nostra tegatque manus.

Græcis στρόφιον appellatur, vt ex Iulio Polluce obseruarunt Turpilius in Philopatre *me miseram, quod inter vias epistola excidit mihi, infelix inter tuniculam & strophium collocatam.* Q. Catull. in Argonautic.

Nec tereti strophio lactantes vincta papillas.

Vsus & ea voce Virgilius in Copa, seu quilibet alius author.

Et grauidum roseo necte caput strophio.

Iam dicendum de *Ægide*, quæ pectori velut ornamentum necessarium imponebatur. Philippides Comicus apud Iulium Pollucem lib. 5 cap 16. Onomast. περὶ τὰ στήθη αἰγίδας μασχαλιστῆρας. vertit Gualterus non omnino bene *circa pectora vero habent scutulas axillares*, nam quanquam certum sit scutum Palladis fuisse ægidem, tamen Pollux non scutum, sed pectorale intelligi voluit. Seruius Honoratus, *ornamentum pectorale habens in medio Gorgonis caput.* ad lib. 2. Æneid.

Iam summas arces Tritonia respice Pallas
Insedit, nimbo effulgens & Gorgone saeua.

Aliæ editiones non male meo iudicio.
—limbo effulgens & Gorgone sæua.

Excogitatum huiusmodi velamentum tegendis naturæ deformitatibus, quo amantium pellecti oculi, in certam perniciem iuuenes deducerent, elegantissime P. Ouidius lib. 1. de Remedio amoris.

Proderit & subito, cum se non finxerit vlli,
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur
Omnia, pars minima est ipsa puella sui.
Sæpe, vt sit quod ames, inter tam multa requiras,
Decipit hac oculos ægide diues Amor.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 2.

Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis.

Videtur mihi & allusisse Martialis libr. 7. epigr. 1.

Accipe belligeræ crudum thoraca Mineruæ,
Ipsa Medusææ quem timet ira deæ.
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari,
Pectore dum sacro sederis, ægis erit.

Tunica inter communia vestimenta reponitur, non quidem quod à principio vtriusque fuerit sexus gestamen, sed quod viri in libidinem præcipites, etiam muliebres ferre vestes non erubuerunt, atque ita capio Saluiani Massiliensis è libro 7. de Prouid. & Iudic. Dei locum. *quis credere aut audire etiam possit, conuertisse in muliebrem tolerantiam viros, non vsum suum tantum, atque naturam, sed etiam vultum, incessum, habitum.* Et paucis postea interiectis, *cum muliebrem habitum viri sumerent, & magis muliebrem gradum fingerent.* M. Fab. Quintilian lib. 5. cap. 9. *fractum incessum, vestem muliebrem dixerit, mollis & parum viri signa.* Idem libro 11. cap. 1. *vt monilibus ac margaritis, ac veste longa quæ sunt ornamenta fœminarum, deformentur viri.* Grauis est de luxu sui temporis ad Senatum Tiberij Augusti querela, in qua *communitas vestis* vel præcipuas obtinet partes, C. Tacit. libro tertio Annal. graphice & grauiter, vt semper solet L. Seneca Epist. 123. *non videtur tibi contra naturam viuere, qui commutant cum fœminis vestem?* Criticis rescribi placuit, *qui communicant cum fœminis vestem?* vt nempe Coæ bombycinæque intelligantur, vtrique sexui in vsu frequentissimo positæ, & supra à me expositum, quod placuit Iusto Lipsio & discipulis eius, Iano Grutero, & Fr. Iureto: licet viri magni retineant vulgatam lectionem. Pet. Faber, Sanjorianus lib. 1. Semestr. cap. 15. & Langlæus li. 1. Ocij Semestris. capite quinto, neque puto quippiam immutandum, quum libri consentiant, & sensus constet. M. Accius Plautus hac mente capiendus Mænechmis. scilicet *potui.*

Me. *Neque hercle ego vxorem habeo, neque Erotio*
Dedi, nec pallam surripui. Pe. *satin sanus es?*
Occisa est res hæc, non ego te indutum foras
Exire vidi pallâ? Me. *væ capiti tuo:*
Omnes cinædos esse censes, quia tu es.
Tunc me indutum fuisse pallam prædicas?
Pe. *Ego hercle vero.*

Contra hanc insaniam elegans est sermo Clementis Alexandrini libro tertio Pædag. cap. 3. nec Romanæ tantum fuisse consuetudinis, discimus ex Valerio libro secundo capite primo: *Lycij in luctu muliebrem vestem sumebant, vt citius stolidum mærorem deponerent.* Viris probrosum tunicas gestare. A. Gell. libro septimo capite 12. *tunicis vti virum prolixis vltra brachia, & vsque in primores manus ac prope digitos, Romæ atque in omni Latio indecorum fuit. Eas tunicas Græco vocabulo nostri χειριδωτὰς appellauerunt, fœminisque solis vestem longe lateque diffusam indecorem existimauerunt ad vlnas, curasque aduersus oculos protegenda. viri autem Romani primo quidem sine tunicis, toga sola amicti fuerunt.* Claudit deinde caput Ennij authoritate, qui *Carthaginensium iuuentutem tunicatam non sine probro videtur dixisse.* Chiridatas ergo has vestes, vel *chirodatas* à manicis appellarunt. Scio Grammaticos *Chiridatas* recepisse, & præsertim Suidam, Iuliumque Pollucem libro 2. Onom. cap. 4. χειριδωτοὶ χιτῶνες: *tunicæ.* Et lib. 7. c. χειριδωτὸς χιτὼν ἦν κατὰ τοὺς ὤμους ἐκκρεμὴς ⁂. *manicata tunica fuit, secundum humeros appensa.* Iul. Capitolinus corrigendus in vita Pertinacis apud Baptistam Pium Annotation. Posterior. capite 58. *penul...sque, lacernas, & Chirodatas Dalmatarum, & cirratas militares, & Bardiacos cucullos.* Rescribendum, *Chiridatas Dalmatarum.* eademque macula expungenda è codice Gellij loco superius allato. Sunt autem Chiridatæ Dalmatarum, vt puto, vestes auro intexto pretiosæ, quarum & apud Ælium Lampridium in Commodo fit mentio. *Dalmaticatus in publicum processit, atque ita signum emittendis quadrigis dedit.* Et in decretis Canonicis Distinctione vigesima tertia, *concedimus te & Archidiaconum tuum Dalmaticarum vsu decorandos esse.* nomen inditum fortean quod in Dalmatia

matia aurifodinę essent, vti notissimum est, & iam ab aliis est obseruatum. Stat. libro 1. Sil. 2. v. 158. addendus est iis, quod alij annotarunt.

Pendent innumeris fastigia nixa columnis
Robora Dalmatico lucent satiata metallo.

Et lib. 4. sil 7.

Quando te Dulci Latio remittent
Dalmatæ montes, vbi Dite viso
Pallidus fossor redit, erutóque
Concolor auro est?

Chiridatæ memorantur à Næuio antiquissimo poëta Comico in *Pedio.* apud Nonium quatuor locis.

Mollicinam crocutam, chiridatam, rallam.

In aliis non minus erudite, nisi quod *chirodotam* non *chiridotam* habetur.

Mollicinam, crocutam, chiridotam, ricam.

Atque has gestasse vestes non carebat mollitiei argumento, ideoque recte L. Seneca Epist. 33. *quia mirum est aliquid dici fortiter à viro mollitiem professo, ita enim plerique iudicant, apud me vero Epicurus est & fortis, licet, manuleatus sit,* hoc est licet effæminatorum vestitu ornatus. Simile & illud eiusdem scriptoris lib. de vita beata cap. 13. *hoc est, quale vir fortis, stola indutus* M. Cicero siue Portius Latro declamator, Orat. 2. in Catilin. *quos manicatis & talaribus tunicis, velis amictos, non togis videtis.* vtrumque in vituperio positum, & manicatas habuisse tunicas, & talares, seu ad talos demissas, talis quippe habitus mulierum, vt supra de Instita disserui. vetus scholiastes Iuuenal. ad v. 143 Sat. 2. *infames tunica vtebantur.* & de talari manicatáque intelligi debet. Porphyrio vetus interpres ad Horatium libr. 1. Sat. 2. *porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles ac delicatos haberi velint* Ipse poëta,

Malthinus tunicis demissis ambulat.

Virgil. lib. 9. Æneid, in exprobratione Numani Remuli.

Et tunicæ manicas.

M. Actius Plautus Pseudolo Sc. *dulcia.*

—Manuleatam tunicam
Habere hominem addecet.

Valer. Flacc. lib. 6. Argonautic.

Insignis manicis, insignis acinace dextra.

Pulcherrima est mollissimi hominis & orgiis tantum obscænis dediti descriptio apud Statium Papinium, lib. Thebaid. v. 650.

Quis tibi Bacchæos Eunæe relinquere cultus,
Quis lucos, vetitus quibus emansisse sacerdos
Suasit? & assuetum Bromio mutare furorem?
Quem terrere queas? clypei penetrabile textum
Pallentes hederæ, Nysiaque serta coronant.
Candida pampineo subnectitur instita pilo,
Crine latent humeri, crescunt lanugine malæ,
Et rubet imbellis Tyrio subtegmine thorax,
Brachiáque in manicis, & pictæ vincula plantæ,
Carbaseique sinus.

Non fuit, inquam, ignominiosum tunicam quamcunque gestasse, sed manicatam tantum, nam plebecula illa vilior tunicis solebat innui. Cornel. Tacitus seu Quinctilianus, aut quicumque alter author Dialogi de Oratorum defectu. *vulgus imperitum, & tunicatus populus transeuntes nomine vocat.* Pierius Valerian. libr. 40. Hieroglyphicor. Hele. Acron. ad Epist. 7. libro primo Horatij. *tunicatum dicimus popellum, id est vili vestimento indutum, sicut & senatum togatum.* versumque hunc Horatij scio vsurpatum à D. Hieronymo in Epistolis.

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Est & tunica rusticorum non modo plebeiorum amictus, vt in Codice Theodosiano extat L. 1. quo habitu vti intra vrbem oporteat. Sidon. Apollinar. lib. 2. epist. vlt. *tunicatæ quiete,* & *tunicatorum otia* idem dixit libro 5. epist. 7. Martial. lib. 10. epigr. 51.

—O soles, ô tunicata quies.

Certe & pricipes ipsi tunica posterioribus temporibus induebantur. Corippus libro 2. Num. 4.

—Tunicaque pios inducitur artus.

Indubitatum tamen est muliebrem fuisse vestitum, idem ille Martialis lib. 11. epigr. 100, passim Ouidius lib. 1. Amor. eleg. 5.

Ecce Corinna venit, tunica velata recincta.

Et post ibidem loci,

Diripui tunicam, nec tantum rara nocebat.
Pugnabat tunica se tamen illa tegi.

Lib. 3. eiusdem operis eleg. 6.

At qualem vidi, qualem tetigique puellam,
Sic etiam tunica tangitur illa sua.

Et lib. 3. de Arte.

Adstiterit tunicata, moues incendia: clama.

Sed vt auro insignitas tunicas, coccóq; elauatas fuisse constat Oneirocr. c. 210. Achmes ἐὰν ἴδῃ ἔχειν κοκκίνας ... *visum rubras quasdam quasi bullas habere.* ita & plumbo

signabantur. Luitprand. in legatione pag. 115. *multo plura ac pretiosiora pallia emi, quæ neque scrutata, nec à Græcis visa, nec plumbo sunt signata.* quod de pallio pallâque dici potest, aut etiam tunica, nam pallium & tunica promiscue peregrinantium aut iter conficientium habitus.

Pallium quoque *pallaque* in vestitu censebantur, non autem in ornatu, viro fœminæque promiscuo vsu permissæ, Vlpianus IC. l. 25. ff. de auro arg. lega. de qua re, quia omnia vulgata sunt, nihil aliud est dicendum. Stat. lib. 1. Thebaid. *riget horrida tergo palla.* de Alecto. T. Liu. 5. Decad. li. 7. in limine. Iuuena. Sat. 10. v. 262. *scissâque Polyxena palla.* Seruius ad illud lib. 1. Æneid.

Ferre iubet pallam.

Et lib. 11. Æneid.

Pro longæ tegmine pallæ.

Ouid. lib. 1. Metamorph.

Vertit hamum Tyrio saturata murice palla.

Alb. Tibull. lib. 4. in laude Sulpiciæ.

Vrit seu Tyria voluit procedere palla.

Et lib. 3. eleg. 4. de Apolline.

Ima videbatur talis illudere palla.

C. Lucil. Satyrar. lib. 15.

—— Sat visuri a ieni
Sunt homines, spiram, pallam, redimicula premit.

Martial. lib. 11. epigr. 105.

Fascia te, tunicæque tegunt obscuraque palla.
At mihi nulla satis nuda puella placet.

In MS. aliter.

Fascia te, tunicæque, Obscuraque pallia celant.

Rectè *celant*, opponitur *nudæ*.

Mitra & fœminarum ornatui annumerari solet. Isidorus Hispalensis in glossis *calestra genus mitræ.* locus quin sit corruptus, non dubito, nam ei voci nec Latina nec Græca origo affingi potest, corrigendus igitur, *caliptra genus mitræ*, Fest. Pompeius lib. 3. *caloptra genus vestimenti quo caput operiebant.* καλύπτω, enim est idem, ac *velo, tego, operio*, vnde κάλυμμα est *velum*, & καλυπτήρια significat *tegumentum*, καλυπτήρ, *imbrex*, καλυπτηρίζω, *imbrico.* Lege Gothofredum IC. doctissimum ad tit. ff. de donationib. ante nupt. Aristænetus lib. 1. Epist. 19. ἐκπέπληγμαι ναὶ τοὺς θεοὺς πῶς ἀθρόως (in aliis editionibus ἀπείρως) ἅπαντα μεταβέβληκας καὶ γῦν καὶ σφίσιν θαυμάζειν ἐκεῖνο τὸ σχῆμα μετρίως, μίτραις ἴδοις, μειδιᾶν μετρίως, χεῖρας ἀπεῖργε πειθομένην, καλύπτρας ἐπ' αὐτῆς [illegible] *stupeo per deos, qui mulier omnia simul mutaris: videas nunc ei demissum vultum, gestum moderatum, sincerum risum, capillum sine arte implicitum, ducentem super mitram breuem ac submissum sermonem.* Achil. Tat. de Amorib. Clitophontis ac Leucipes lib. 3. pag. 83. [illegible] *Hanc in modum adornata puella, stolâque superimposita, mitris deinde ac vittis additis, apparatum istum occultabimus.* Aristænetus certe mulieri, Tatius, puellæ, adsignat mitram, rectéque Seruius Honoratus ad lib. 9. Æneid. v. 616. *pilea virorum propriè sunt, mitræ fœminarum, quas calanticas dicunt.* Optatus Mileuitan. contra Donatist. *compressam ab eo puellam, cui mitram ipse imposuerat à qua paulò antè pater vocabatur, nefariè incestare minimè dubitauit.* Bourdinus Scholiast. ad Aristoph. Θεσμοφοριαζ. μίτρα διάδημα ἢ ζώνη, ταῦτα δὲ εἴδη ἐσθήτων ἐστὶν ἁρμόττοντα ταῖς γυναιξὶν οὐ τοῖς ἀνδράσι. *mitræ, diadema, aut zona, aut species vestium apta fæminis non verò viris.* ipse poeta; ἵνα μὴ κροκωτοῖς, καὶ μίτραις γέρων ἀνήρ. *vt ne tum Crocutis & mitris senex vir.* viris itaque probrosum eas ferre. Ouid. Epist. 9. Deianira Herculi.

Ausus es hirsutos mitra redimire capillos.
Aptior Herculeæ populus alba comæ.

Virg. lib. 4. Æneid. Hiarbas obiicit Aeneæ inter alia & vestitum effœminatum.

Mæonia mentum mitra crinémque madentem
Subnixus.

Euripides in Hecuba, in Choro.

ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις
μίτραισιν ἐρρυθμιζόμαν.
Ego capillum redimiculis
Mitrisque composui.

Effœminatorum dixi fuisse gestamina mitras, imo & meretricum. Seruius ad locum vltimò citatum. *mitra Lydia, nam vtebantur & Phryges & Lydij mitra, hoc est incuruo pileo, de quo pendebat etiam baccharum tegimen* (rescribe mecum, *buccarum tegimen*) *sane quibus effœminatio crimini dabatur, etiam mitra eis adscribebatur, multa enim lectio mitras meretriciũ esse docet, ergo ex habitus qualitate mutuatur inuidiam, nam enim non iam effeminatum, velut meretricem appellas, sed etiam meretricem vocare.* Et ad lib. 9. Aeneid. loco proxime indicato. *alij mitras meretricum esse voluerunt, quod hic est tanquam effœminatis obiectum.* Iuuenalis Sat. 3. v. 66.

—Picta lupa barbara mitra.

Ob id, vt existimo, mollissimum habitum Baccho, Bacchantibus, & poetis qui in Bacchi erant tutela, mitras dedit antiquitas. *vt cohiberentur, vini vapores, ne caput peterent.*

Euseb-

Euseb. Cæsariens. libr. 3. præparat. Euang. ca. 2. Propert. lib. 4. eleg. 2. L. Seneca Tragædus in Oedipo act. 2. in Choro.

Te caput Tyria cohibere mitra,
Hedera que mollem baccifera
Religare frontem.

Valer. Flacc. Argonautic. libr. 2. quem locum quia elegantissime sacra Liberi describit, apponam.

Serta patri, iuuenisque comam vestesque Lyæi
Induit, & medium curru locat, æraque circum,
Tympanaque, & plenas tacita formidine cistas.
Ipsa sinus, hederisque ligat famularibus artus:
Pampineamque quatit ventosis ictibus hastam.
Respiciens teneat virides velatus habenas.
Vtque pater niuea tumeant vt cornua mitra,
Et sacer vt Bacchum referat scyphus.

Sext. Propert. lib. 3. eleg. 16.

Candida laxatis onerato colla Corimbis,
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.

Stat. lib. 1. sil. 2, v. 251.

Nunc opus Aonidum comites, tripodumque ministri
Dimensis certare modis, eat Enthea vitris
Atque hederis redimita cohors.

Corruptum esse hunc locum, nulli dubium esse potest, Correxit Ioannes Bernartius, & Martinus Delrio, vterque bene, ille etenim

—eat Enthea vittis
Atque hederis redimita cohors.

Ille vero,

—Eat enthea mitris
Atque hederis redimita cohors.

Meminere authores varij, erat. n. triplex, virginalis, militaris & capitis redimiculum. de militari, Hesychius in voce μίτρα. Didym. in Iliad. 4. Homeri, Etymologici author, Suidas, Parthenius Erot. 9. in vltima significatione, Suid. in ἀνάδημα, Palæfatus, Callimachus in hymno de Delo, Sophocles in Oedipo Tyranno. secunda significatio extat apud Isidor. li. 19. c. 91. Originem ad Leuit. cap. 8 Bedam lib. 2. Exposit. in Esdram c. 14. notauit Io. Meursius parte 2. Criticar. Exercitat. ca. 14. Ouid. lib. 14. Metam.

—Pictis redimitus tempora mitra
Innixus baculo posuit per tempora canis,
Assimilauit anum.

Lydi omnes & Phryges ex Seruio supra laudato, mitrati fuerunt, adde & Arabes eodem vsus capitis gestamine, C. Solin. Polyhistor. c. 36. forma eius huiusmodi, nisi fallor, erat, vt propenderent vittæ quædam, seu teniæ buccas velaturæ, supra notatum, Iul. Pollux li. 4. ca. 18. τιάρα, κυρβασία, ἀναδήματα, μίτρα, tiara, vitta, redimiculum mitra. Et libro septimo cap. 22. idem *mitras*, & *anademata* coniunxit Dionysius Lambinus ad li. 4. de Rer. Nat. T. Lucretij Cari.

Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ.

Versicolores esse diximus ex C. Plinio lib. 35. c. 9. Dionys. Helicarn. lib. 2. pag. 129. χιτῶνας ποικίλους χαλκαῖς μίτραις ... *tunicas versicolores æreis balteis ci...* vbi fortè legendum, μίτραις, nam ex Scoliaste Aristophanis supra adducto, cingulum militare, vel balteum mitra significat. sub mento redimiculum solere substringi, argumento locus est Claudiani lib. 1. in Eutrop.

—Mitra redeunte capillos
Strinxerat.

Quid autem discriminis sit inter mitram, & tiaram, primus, quod sciã, admonuit Brissonius lib. 1. de Persar. principatu pag. 24. nam Maximus Tyrius Serm. 10. *metrophorum* à *tiarophoro* discernit, & Herodotus libr. 7. *tiaram* Persas gestasse scribit, Cisseos vero pileos, seu *mitras*. differentia hæc à forma, vt puto petenda est: nam tiara formata erat in modũ dimidiatæ lunæ, vti iam infra dicetur, mitra non item, designaturque hoc discrimẽ non admodum obscure à Luitprando in legatione sua. *mulieres nostræ tiaratæ & teristratæ, viri equitant pileati.* vtrumque certè regum Persicorum tegmen appellarique solent *citaris, vel cidaris.* licet Theophrastus lib. de Regno Cypriorum distinguat apud Suidam in voce τιάρα Claudian. paneg. de 4. Honorij Aug. consulatu.

Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset
Care puer, terrisque procul venerandus Eois
Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras
Sufficeret sublime genus

Quod hic de Parthis, in 6 Honorij consulatu de Persis dicit, neque enim Arsacidæ magis pro Parthis, quam Persis accipiuntur. Schol. Aristophanis ad Acharn. Act. 1. Sc. 2. τιάραι ... περσικά ... *tiaræ sunt capitum velamenta aut vincula persica, pauonicas pennas habentes.* vt existimen galeas bellicas, non habitum pacificum denotari, illæ enim plumis ornabantur, vt dicam libro decimo infra. Sic itaque Claudianus.

Te linguis variæ gentes missique togatum
Fœdera Persarum proceres cum patre sedentem

Hæ quondam videre domo, positáque tiara
Submisere genu.

Sidon. Apollinar. lib. 8. Epist. 3. *atque inter satrapas regum tiaratorum myrrhatos, puncatos, mitellatos.* fortassis non malè legi poterit, *inter satrapas regum tiaratorum mitratos.* D. Hieronym. in Danielem cap. 5. *tiara est genus pileoli, quo Persarum Chaldeorúmque gens vtitur.* vet. scholiast. Iuuenal. ad Sat. sextam vers. 514. *tiara sacerdotis habitu, tiara nam galea sacerdotis est, quæ per malas veniens, mento subligatur, tiara est Phrygium quod dicunt,* non esse eiusdem scriptoris clarum est, posteriora verba è Seruio sunt lib. 7. Æneid. *tiara est pileum Phrygium,* vt censeam adiecto eo vocabulo supplendum scholiastem allusit L. Seneca Tragædus Thyeste Act. 4. sc. 1.

—Hoc Phrygius loco
Fixus tiaris Pelopis.

Isidor. gloss. *frigium mitra.* Luctat. Placid. ad v. 294. lib. 8. Thebaid. Statianæ. *tiara dicitur pileum quod in capite gerit sacerdos Martis.* Ipse tamen Papinius, vt Claudianus, regibus Parthorum adscribit.

Sicut Achemenius solium gentésque paternas
Excepit si forte puer, cui viuere patrem
Tutius, incerta formidine gaudia librat,
An fidi proceres, an pugnet vulgus habenis,
Cui latus Europæ, cui Caspia limina mandet
Sumere tunc arcus, ipsúmque onerare videtur
Patris equum, visúsque sibi nec sceptra capaci
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.

Nec minus Suetonius in Nerone c. 13. *deinde precanti, tiara deducta, imposuit diadema.* Carebat autem sacerdotalis tiara acumine, quod regum habebat. D. Hierony. in Epistolis, Et ad Fabiolam, Eucherius li. 2. c. 10. regû fuit, de Prima Virgil. libro iam laudato, *sceptrúmque, sacérque tiaras*: & reginarum: Heliodor. de Arsace principe vxore. Oroondatis Aethiopic. histor. li. 7. pagin. trecentesima octaua, [illegible Greek] *monilium pretio & tiaræ dignitate superbientem, ac delicatè delibutam, ac stipatam satellitibus.* Et paucis interiectis, [illegible Greek] *simul & de capite tiaram deposuit multum iis qui aderant, prohibentibus.* Sed quomodo differret ab aliorum tiara, regium hoc gestamen, nusquam melius discernus, quam ex Philarcho historiar. lib. 11. referente Suida loco iam laudato. *tiara ornatus capitis, quam soli reges rectam ferebant apud Persas, duces autem inclinatam. Demaratus autem Lacedæmonius, qui cum Xerxe Athenas venit, ob successum aliquem lætiorem, rege ei permittente petere quod vellet, petiit, in recta tiara Sardes inuehi.* manifestè id contra veritatem historicam, nam non *ad lætiorem successum,* qui nullus fuit, sed ob salubre consilium ei præstitum, ne vellet bellum in Græcos iam destinatum, exequi: vt narrat L. Seneca copiosissime lib. 6. de Benef. cap. 31. qui vbi totum belli apparatum ornatissime expressit, tandem concludit, *itaque Xerxes pudore quam damno miserior, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet: petiit ille, vt Sardes maximam Asiæ ciuitatem curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens: id solis datum regibus. dignus fuerat præmio antequam peteret: sed quam miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret regi, nisi qui non dicebat sibi!* In buccas propendebat. Iustin. lib. 1. *brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit* (Semiramis) *& ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri iubet.* D. Iuuenal. Sat. 6 v. 413.

—Phrygia vestitur bucca tiara.

Color illi purpureus. P. Ouid. li. 11. Metamorphoseon. Fab. 5.

Ille quidem celare cupit, turpique pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.

Gemmis & margaritis distinguebatur, vt regalis opulentiæ ostentatio fieret. Valer. Flac. lib. 6. Argonautic.

Ad viridem gemmis, & Eoæ stamine siluæ
Subligat extrema patriam ceruice tiaram.

Intelligendus hac mente Plautus in Persa Sc. nunquid.

—Euge, euge, exornatus basilice
Tiara ornatum lepide condecoras tuum.

Dimidiatæ lunæ effigiem simulabat. Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 51.

Interea te Susa tremunt ac supplice vultu
Flectit Achemenius lunatam Persa tiaram.

Idem Carm. 23. v. 251.

Vt fastu posito tumentis aulæ
Qui supra satrapas sedet tyrannus,
Ructans semideum propinquitates,
Lunatam tibi flecteres tiaram.

CAP.

Capvt XXXVI.

De Calceis.

Restat in hoc de vestibus veterum tractatu, vt de calceis etiam quædam afferamus: quod cum fecerimus, ad alia progrediemur. Calceamentorum genera duo fuerunt, calceus & solea. Calceus totum pedem texit, solea plantam tantùm: pars enim superior habenis deuincta fuit. Sed & calceorum & solearum multa genera. Cæterum calceus adstrinxit magis pedem, quàm solea: vnde illud Pauli Aemilij, de quo Plutarc. Nonne hic calceus pulcher est? at nescis qua ex parte pedem meum torqueat. Cicer. de Rhetoricis: Si multus erat in calceis puluis, ex itinere eum venire oportebat. Hunc proprium togæ tormentum Tertullianus in libr. de Pallio vocat. Idem auctor est, calceos quosdam mulleolos, quosdam puros fuisse: Impuro, inquit, cruri purum aut mulleolum inducit calceum: vt per mulleolos lunulatos, per puros, eos qui ex puro corio, siue lunulis facti erant, quique perones appellantur, intellexisse videtur. Lunulati calcei Senatorum, & nobilitate præstantium virorum erant, quos Isidorus Romulum reperisse ait, assuta luna. Luna verò non syderis in eis formam, sed notam centenarij numeri significasse, eos dicit, quod initio Patricij centum fuerint. Plutarc Quæst. Rom. qu. 79. quærens cur, qui nobilitate generis aliis præstare videntur, lunulas in calceis gestarint? multas eius moris rationes affert, An, inquit, signum hoc est habitationis supra Lunam, quæ fertur, & quòd post mortem rursus animæ Lunam sub pedibus habebunt? An hoc prisci habuerunt eximium, qui erant Arcades cum Euandro, & ante Lunam nati dicebantur? Aut, vt multa alia, hoc quoque institutum erat, vt rebus secundis elati, ac superbientes, mutationis fortunæ in alteram partem admonerentur? Exemplo videlicet Lunæ, quæ primum recens existit è caligine: fulgore dehinc subinde faciem splendido augescit illustrans: & cùm pulcherrima renidet orbe pleno, rursus exuit lumen suum, & ad nihilum redit. Aut obedientiæ sic assuescere dicebant, Lunæ exemplo, præstantiori parere non recusantes? & quemadmodum illa secundas obit partes, Phœbei semper radiis intenta nitoris, vt canit Parmenides: ita ipsi quoque contenti esse secundo loco, Magistratibúsque obtemperare, ab iisque potentiæ, & honorum fructu aliquo impertiri. Hactenus Plutarchus. Zonaras: Patricij, inquit, gestabant in vrbe calceos vrbanos forma literæ rho, vt à centum Senatoribus trahere originem viderentur, aut quod prima esset litera Romanorum. Idcirco etiam Patricij calcei dicuntur in illa veteri inscriptione: Aedem Honori Virtvti Fecit Veste Trivmphali. Calceis Patricieis. De mulleis, vel mulleolis Festus: Mulleos, inquit, genus calceorum aiunt esse, quibus Reges Albanorum primi, deinde Patricii vsi sunt. M. Cato Originum libr. 7. Qui Magistratum Curulem cepisset, calceos mulleos allucinatos, aut lunatos (quemadmodum Antonio Augustino, & Iacob. Ræuardo placet) cæteri perones. Item Titinius in Setina Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceos. Ita legit Iosephus Scaliger tibiatim exponit, ad mediam tibiam. Addit etiam talia fuisse omnia calceamentorum genera, qualia Turcarum hodie me...lib crure tenus. Catonis autem fragmentum, ne hoc omittam, idem Scaliger sic legit. Qui Magistratum Curulem cepisset, calceos mulleos, alij vncinatos, cæteri Romani perones sumpserint: qua ratione tria calceorum genera facit, mulleos de quibus iam diximus. Hos veteres, Festo auctore, à mullando, i. suendo, mulleos appellatos putarunt. Adr. Turnebus Aduersar. libr. 10. cap. 2. à rubro mulli colore, mulleos dictos arbitratur, quod scilicet fuerint purpurei. Perones siue puri calcei, ex puro corio, sine lunulis facti erant, quibus per niues, imbres, & glaciem veteres etiam vsos esse Iuuenalis his versibus auctor est Satyra 14.

Nil vitium fecisse volet: quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi,

Sed de his plura Iac. Ræuardus lib. 1. Varior. cap. 8. Calceos alibi coloris fuisse, nonnullos etiam videlicet Imperatorum & aliorum delicatorum hominum, coccineos Iustus Lipsius Electorum libro primo cap. 13. id quod de virorum calceis intelligendum est. Fœminas enim luteis, aut albis calceis vsas fuisse, idem Lipsius eodem capite ostendit: in quam sententiam adducit hunc Flauij Vopisci in Aureliano locum: calceos mulleos, & cereos, & galbos, & hederaceos viris omnibus tulit, mulieribus reliquit. De calceis luteis videndus præter Lipsium Adr. Turnebus Aduersar. libro 28. capite 21. Quin etiam eos lapillis quibusdam, gemmisque pretiosis exornatos nonnunquam fuisse, Iacob. Ræuardus loco supra indicato ostendit. De soleis sic Agellius lib. 13. capite vigesimo, Omnia id genus quibus plantarum calce-

—Sua sibi vrina
Dentem atque russam pumicare gingiuam
Misi, vt petisti, munditias dentium,
Nitelis ortu ex Arabicis frugibus.
Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pristinæ reliquiæ,
Ne qua visatur terra labes sordium.
Restrictis forte si labellis riseris.

Ratio è medicinæ fontibus petenda est, nam dentium dolori medetur lentiscus, vt & alia multa quæ enumerat Q. Sammonicus Serenus lib. de Medicina cap. 15.

Sæpe Chelidoniæ succo vel lacte capellæ
Sanescunt dentes, aut tauri felle iuuantur,
Aut acidi latices clauso voluuntur in ore:
Manditur apta rebus gingiuis, & bona labris
Lentiscus, mistúsque emendans oris odorem,
Quod vero assum sit nomen de dente fricando
Ceruino ex cornu cinis est, aut vngula porcæ
Torrida, vel cinis ex cuis sed non sine vino
Muricu aut tostis vel bulbi extincta fauilla.

Denique Q. Horat. lib. 2. od. 8.

Dente si nigro fieres, vel vno
Turpior vngui.

Et lib. 4. od. 13.

—Refugit te, quia luridi
Dentes te, quia rugæ
Turpant, & capitis niues.

Recte vnguium nitelam cum dentium cura coniunxit, quia par vtriusque habita ratio. Ouidius loco proxime supra laudato.

—Et sine sordibus vngues.

Quid? quod eundem tonsorem habebant & capilli & vngues communem Val. Max. lib. 2 cap. 2. *Cuius* (Catonis Vticensis) *filia minime muliebris animi, Bruti viri sui consilium, quod de interficiendo Cæsare ceperat, ea nocte, quam dies teterrimi facinoris sequutus est, cognouisset, egressio cubiculum Bruto, cultellum tonsorium, quasi vnguium resecandorum causa poposcit, eóque vel ut forte elapso se vulnerauit, clamore deinde reuocatus in cubiculum Brutus obiurgare eam cœpit, quod tonsoris præripuisset officium.* Paulus Silentiarius in Anthologia lib. 7. Epigr. 37.

—— ἢ τὸν ὄνυχα.
[illegible]

Aut cui manus expurgat, vnguium circumcidit extremitates. Corrigendus Martialis cuius lib. 3. hoc est epigramma 75.

Psilothro faciémque lauas, & dropace caluam,
Num quid tonsorem Gargiliane times?
Quid facient vngis? nam certe non potes illos
Resina, veneto nec resecare luto.

Mendum manifestum, rescribendúmque in tertio versu optimo sensu.

Quid facient vngues? nam certe non potes illos
Resina, &c.

Sed ad calceos venio. Initio nascentis reipublicæ non modo serui, sed & senatores ipsi nudis incedebant pedibus. vetus Scholiastes Iuuenal. ad v. 111. Sat. 1. *ostendit plus honoris videri in calceis quàm in persona, illo enim tempore nedum senatores nigris calceis vtebantur, sed nudis pedibus, vel puluerentis, vel braccis, vel pedules nexos in brachiis: quos pedornis dicunt, vt peregrinis.* locus corruptus mutilúsque, censeo rescribas, *pedules nexos in bracchis, quos pedortes dicunt, est enim indumenti vestis ad talos demissa* ex Achmete in Oneirocrit. capite 217. notat Meursius. & Certè ἀνυποδησία nuditas pedis paupertatis indicium non leue erat Qu. Tertull. libro de Pallio ad finem, *nihil dicimus proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam verum & falsam, quam enim expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo vincipedem.* Martian. Capella libro sexto de Nuptiis *plerumque tamen adhæsit, ac visitque paupertatibus, nam atque illis, quos aut pedibus nudis, aut intonsis crinibus hispidos, aut ... conspexit pallio ... amictos.* Quod fecere clari Imperatores magnique duces sequuntur, non ob paupertatem, sed vt patientis animi tolerantiæque bellicæ argumenta suis militibus præberent. talis Phocio fuit *qui nudis pedibus viri & in castris incedebat, nisi ... hinc iocantes milites ... sæuientis frigoris putabant argumentum ... quum Phocionem calceatum videre.* Plutarch. in vita ipsius & P. Scipione, & Germanico C. Tacit. libro 2. Annal. *sine militibus incedere pedibus intectis & pari cum Græcis amictu ... quem eadem fuisse apud Siciliam ... quamuis flagrante adhuc Punicum bello ... imus.* quadrat huc institutum Lacedæmoniorum, apud quos Iuuenes calceis omnes carebant, *quo expeditiores essent,* Plutar. ... in vita Lycurgi. summis ducibus adnumeratur summus Philosophus Socrates cui cum Alcibiades grandem illam aream ad ædificandam domum largiretur, dixit, καὶ εἰ ὑποδήματος ἔδει, *si calceamentis egerem, corium dares, vt calceos mihi ipse conficerem, atqui ridiculus essem si*

acciperem. Pamphila in 7. Commentarior. Diogenes Laërt. lib.4.pag.107.ex Aristophane.

βρενθύῃ τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς, καὶ τ' ὀφθαλμὼ παραβάλλεις
Κἀνυποδητεῖς, κακὰ πόλλ' ἀνέχει, καὶ ἐφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς.

Elatus fastu vias teris, oculisque innuis,
Et discalceatus mala multa tolerat, &
Inter nos vultu grauitatem præ se fert.

Catonem Vticensem sunt, qui affirment idem factitasse grauissimi authores, licet neget Helenius Acron, cuius fides non est mihi tanti, vt præponderet authoritati Plutarchi, qui in eius vita discalceatum sæpe consueuisse incedere affirmat, aut Horatij, lib.1. Epist.19.

Quod si quis vultu toruo ferus, ac pede nudo
Exiguæque togæ simulet textore Catonem,
Virtutemque repræsentet moresque Catonis.

P. Terent. Phormione Act.1.sc.2.
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem
Capillus passus, nudus pedes, ipsa horrida.

Quod consuetudinis Iudæorum, apud quos, qui nuptias recusabant, nudis pedibus incedere cogebantur, puto, vt carentia prolis plecteretur, D. Cyprian. lib.2. in Iudæos Iuuenalis Sat.6.v.159.
Obseruant vbi festa mero pede sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Omitto nudipedalia festum fuisse apud gentiles, Græcos, Romanos, Barbaros, in quo nudis pedibus oportebat omnes incedere, sed ab aliis id obseruatum. Q. Tertullian. Apologetici c. 40. *Denique cum ab imbribus æstiua hiberna suspenduntur, & annus in cura est, quidam quotidie pasti statimque pransuri, balneis & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Ioui immolatis, nudipedalia populo denuntiatis, cælum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, auersi ab ipso deo & cælo.* Institutio, vt videtur, nudipedalium fuit, vt aquarum cælestium defluxum, terra arescente, impetrare possent, proprium tamen id Iudaici populi festum, describit Flauius Iosephus lib.2. Bell. Iudaic. sed pergo.

Sacri calcei erant, quibus soli sacerdotes rem diuinam facturi videbantur. describit Seruius Honoratus ad librum quartum Æneid. vers. 516. *& bene ipsa, quia supra de sacerdote erat locuta, vnum exuta pedem, quia id agitur, vt & ista soluatur, & implicetur Æneas: solent enim & resultatoria sacrificia in aruspicibus fieri: & Iunonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi in solutis nodis, in veste recincta: quia in sacris nihil licet esse prælizatum, præcipuè eius, quæ amore vult solui. sanè flaminicæ non licebat neque calceos, neque soleas morticinas habere, morticina autem dicuntur, quæ de pecudibus sua sponte mortuis fiebant.* allusit ad eum ritum Martianus Capella libro secundo *& ne Philologia ipsius Phronesis careret ornatibus, eius pectori, quo verius cometetur, cingulum apponit, calceos præterea ex papyro textili subligauit, ne quid eius membra pelluerent morticinum.* vnde in ceremoniis Flaminum & Flaminicarum relatum & illud est, à Fabio Pictore referente A. Gellio libro decimo capite 15. *mortuum nunquam attingit.* Appian. Alexandrinus meminit lib.5. Bellor. Ciuil. cuius hæc sunt verba in Latinum versa. *exutus nempe curis omnibus & imperij obsequiis, stolam quadratam Græcorum more, pro patria & domestica induit, calceamenta candida, qualia Atheniensium sacerdotes, & Alexandrinorum, quos Phæcasios vocant, deferre consueuerant sibi assumpsit.* Erastothenes in Mercurio.

πίλμα ποτὶ ῥάπτοισιν ἐλαφροῦ φαικασίοιο.
Soleam olim subibat tenuis Phæcasii.

De istis etiam Herodianus histor. libro quinto in Heliogabali luxu, Politiano interprete. *exta porro victimarum, atque aromata intra lances aureas capitibus imposita gestabant non quidem famuli aliqui, aut humiles personæ, sed præfecti exercitibus, & quicumque maximas dignitates obtinebant, induti tunicas talares & manuleatas, vnamque in medio purpuram ferentes. sed & linteis calceamentis vtebantur, quemadmodum vates in iis regionibus consueuerunt.*

Principum siue Imperatorum Romanorum calceamenta erant cultu, pretio, coloréq; ab aliorum distincta. *Campagos* appellatos constat. Iul. Capitolinus in Maximino Iuniore, *calceamentum eius, id est campagum regium, quidam posuerunt.* Trebell. Pollio in Gallien. *caligas gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellaret.* Idem valent Zancæ, siue Tzancæ, vt ex codice Theodosiano notatum reperies à Iacobo Cuiacio libro vigesimoprimo. Obseruation, capite 18. Curopalates siue Georg. Codinus libro de Offic. Aul Constantinopolit. pagin. 55. *καὶ ἕτερον εἶδος ὑποδημάτων, ἃ καλοῦνται τζαγγία, ἔχοντα ἐκ πλαγίων κατὰ τὰς κνήμας καὶ ἐπὶ τῶν ταρσῶν ἀετοὺς διὰ λίθων καὶ μαργάρων, ἅτινα καὶ φορεῖ ὁ βασιλεὺς εἰς τὰς προελεύσεις, καὶ τὰς προσκυνήσεις. & alterum calceamentorum genus, quæ dicuntur Tzaggia, habentia ad latus secundum suras, & tarsis, aquilas ex lapillis & margaritis, quæ fert etiam imperator ad ambulationes & adorationes.*

Græ-

Græca hæc dictio est, & ab Arabibus petita, nam apud illos *Tzagatha*, & Turcos, idem est ac *quieti dare, collocare commode.* vt à Francisco Iunio video discussum, quare *Tzagga* non vero *Tzenga* appellari debent, vt male legitur in eodem Curopalate pag. 169. τὸν τοῦ βασιλέως τζάγγαν φοροῦντα. *Imperatoris ferentem Tzancam.* quod autem de Aquilis hic dicit, intelligendum puto de Aquilarum effigie gemmis vel auro intexta aut assuta calceis, talis enim calceorum ornatus illo sæculo erat. Nicephor. Greg. libro quarto de Michaëlis Palæologi socero. *Cæsar cum Despote socero Sebastocrator appellatur, soceri vero illustre discrimen in cæruleis calceis aquilæ intertextæ constituebant.* tarsi nomine superiorem Imperatorij calcei partem significauit cùm aquilæ illæ, vt iam monui, apponebantur, assuebanturve. Idem Curopalat. ἔχοντα ἀετοὺς μαργαριταρένιους ἐν πλαγίοις τε καὶ ἐπὶ τῶν ταρσῶν, ἤτοι ἐπάνω τῶν ὑποδημάτων μουζακωτῶν. *habentes aquilas ornatas margaritis, ad latera, & in tarsis, id est, super calceos picturatos de Mussas.* quod autem soli Imperatores eo possent vti calceo, certum, tum ex Iure canonico, vt alij præoccupatum: tum ex loco pulcherrimo, in inaugatione Iustini iunioris, quem integrum adscribam è Corippo libr. 2. Num. 4.

Purpureo suræ resonant fulgente cothurno
Cruráque puniceis induxit regia vinclis
Parthica campano dederant, quæ tergora fuco
Qui soles edomitos victo calcare tyrannos
Romanus princeps, & barbara colla domare.
Sanguineis prælata rosis laudata rubore,
Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis:
Augustis solis cultu competit vti,
Sub quorum est pedibus regum cruor. omnis profecto
Mysterium certa rerum ratione probatur.

Hæc de translato iam Byzantium imperio intelligenda: at antea varia calceorum ornamenta, pro diuersa principum libidine, aut moderatione, Carinus Augustus *non gemmis adsutis calceis, sed fibulis gemmis* vtebatur. Flauius Vopisc. in eo. Idem non minori luxu factitatum ab Heliogabalo. Æl. Lamprid. *habuit in calceamentis gemmas, & quidem sculptas, quod risum omnibus mouit, quasi possent sculpturæ nobilium artificium videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant*: Et de iisdem alijs gemmis loquitur idem author in vita Alexandri Seueri in limine. *gemmas in calceamentis & vestibus tulit, quibus vsus fuerat Heliogabalus.* Diocletianus Cæsar *ornamenta gemmarum vestibus calceamentisque indidit: nam prius imperij insigne in chlamyde purpurea tantum erat.* vt verba vsurpem Eutropij histor. libr. 10. quod vt rem insolentem miro consensu scriptores Ecclesiastici prodiderunt. Euseb. Cæsariens. in Chronico, vertente D. Hieronymo, *primus Diocletianus adorari se vt deum iussit, & gemmas vestibus calceamentisque inseri, cum ante eum omnes Imperatores in modum iudicum salutarentur, & chlamydem tantum purpuream à priuato habitu plus haberent.* Aurel. Cassiodor. in Chronico suo consulari Fausto & Gallo Coss. *primus Diocletianus se vt deum adorari iussit:* deinde eadem quæ D. Hieronymus subiungit, nescio quæ ad eum locum deblaterat Cuspinianus pag. 481: Laziardus eadem penè ad verbum narrat histor. vniuersal. Epitomæ cap. septuagesimo secundo. *hic vt deum se adorari mandauit: primus vestibus & calceamentis gemmas inseri iussit, cum antem omnes Imperatores in modum iudicum incederent, & solam chlamydem purpuream vltra communem habitum haberent.* Addo Viennensis chronic. ætate 6. pag. 136. *hic Diocletianus primus vestibus calceamentisque inseri iussit gemmas, dum sola purpura, retro principes vterentur.* Martianus Polonus Archiepiscopus Consentinus chronic. libr. 4. pagin. 181. eadem penitus verba habet. Denique Fr. Iacobus Philippus Bergomensis Supplementi chronicor. lib. 8. pagin. 162. alios sequutus iisdemque verbis narrauit. Tam mali exempli res visa est, vt consensu vnanimi omnium scriptorum prodi meruerit. Sed ad alia pergo. *Soccos muliebriter ornatos* gestabat Caligula. C. Plin. lib. 9. cap. 35. Demetrius Antigoni filius *aureos calceos*. Plut. in eo.

Principum calceamenta Aquilis distinguebantur, vt dixi, *Senatorii* lunæ dimidiatæ effigie. vet. Schol. Iuuen. ad v. 192. Sat. 7. *patricius senator est, lunula nam adsuta calceis discernuntur patricii à nouitiis.* causas ex Plutarc. Probl. Roman. c. 76. alii discusserunt, & ex Isidoro l. 13. cap. 34. quę non exscribo. Adde, id forte factum, vt imperii incrementum, decrementúq; lunæ simile intelligeretur: vel quod antiquitatem generis sui, nulla alia re melius possent ostendere, quam si ad Arcades genus suũ referrent, qui priores erant luna ipsa Ser. Maur. ad v. 342. li. v. Georg. *Arcades Proselenos se esse asserunt, quod & Cicero in Fundaniana commemorat.* locus fabulæ datus, *quod post diluuium genus humanum ab iis propagatum putaretur.* vt vnanimi cõsensu prodiderunt Blondus de Roma Triumphante lib. 9. Cælius Rhodiginus li. 20. Antiquar. Lection. cap. 7 Ioannes Pierius libr. 44. Hieroglyphic. Atque ita esse volunt Seru. ad illud lib. 7. Æneid.

—— Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iouem.

Sat.lib.4.Thebaid.

Arcades hinc veteres,astris lunaque priores,
Agmina fida f pis.

P.Ouid.libr.1.Fastor.

Orta prior luna, de se si creditur ipsi,
A magno tellus Arcade nomen habet.

Et lib.2.eiusdem operis.

—Luna gens erat illa prior.

Calceos hos gestasse summæ nobilitatis argumentum.quare Herodotus Sophista,*fratri suo insolentius nobilitatem suam iactanti, certe ex talis inquit,nobilitatem suam iactanti,certe in talis, inquit,nobilitatem tuam habes,*author est Philostratus in eo: alluserunt & poëtæ Statius lib. quinto silua secunda.

—Genium si curia sensit
Primaque patriciis clausit vestigia luna.

Martial.lib.1.epigr. 50.de vestitu ciuis alicuius patricii.

Lunata nusquam pellis,& nusquam toga,
Olidæve vestes murice.

Et lib.2.epigr.29.

Non extrema sedet lunata lingula planta,
Coccina non læsum cingit aluta pedem.

Iuuenal.Sat.7.

—Et nobilis,& generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Andreas Alciatus Emblemate 136.

Calceus Arcadio suberat cui lunula ritu,
Gestatur patribus nobilibus Romulidis.

Et de istis extat fragmentum lapidis antiqui,qui Arimini est.

C. Marivs. Coss. VII. Trib. Pleb. Q. Avg. Tribvnvs. Mil. Extra. Sortem. Bellvm. Cvm. Ivgvrta. Rege. Nvmidiae. Gessit. Evm. Caepit. Trivmphans. In Secvndo. Consvlatv. Ante Cvrrvm.Svvm.Dvci.Ivssit.Tertivm. Cos. Absens.Creatvs. Est. IIII.Cos.Tevtonorvm. Delevit. Exercitvm.Cos. Cimbros.Fvdit. Ex illis. et. Tevtonis. Itervm. Trivmphans. Remp. Tvrbatam. Seditionibvs.Trib plebe.Et.Praetor.V.Qvi.Armati. Capitolivm. Occvpaverant.VI.Cos.Vindicavit. Post. Lxx. Annvm. Patria. Per.Arma. Civilia. Pvlsvs.Armis. Restitvtvs.Est. VII.Cos.Factvs. Est. de.Manvbiis.Cimbris.Et.Tevtonicis. Aedem.Honori.Et.Virtvti Victor Fecit.Veste Trivmphali.Calceis Patriciis.

Matronarum calceamenta ab iis quæ enumeraui, differebant. licet sciam Ælianum libro septimo variar. historiar. capite vndecimo aliter scripsisse. Ῥωμαίων αἱ πολλαὶ γυναῖκες, τὰ ὑποδήματα αὐτὰ ὅσα καὶ τοῖς ἀνδράσιν εἰθισμέναι. *ex Romanorum fæminis multæ eosdem cum viris calceos gestare consueuerunt.* Contra tamen Marc. Tullius libro primo de Oration. *vt si mihi calceos Sicyonios attulisses, non vterer, quamuis essent habiles & apti ad pedem, quia non essent viriles.* Hesychius Σικυώνια γυναικεῖα ὑποδήματα. *Siyonia, calceamenta muliebria.* Iul. Pollux libro septimo capite vigesimo secundo, εἴδη ..., καὶ ποικίλα ὑποδήματα *species muliebrium calceamentorum, calceus varius, & conuolubilis.* Fl. Vopisc. in Aureliano Augusto ad finem. *calceos mulleos, & cereos, & albos,& hederaceos, viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.* Optime descripsit Luc. Apuleius libro septimo Metamorphos.*sumpta veste muliebri florida, in sinus floccidos abundante, mitellaque, textili contexto capite, calceis fæmininis, albis illis & tenuibus indutus, & in sequiorem sexum insertus, atque absconditus.* Ab Inuentoribus tantæ mollitiei Sicyoniis,(cognomentum id fuit regis) nomen calceis muliebribus impositum, Publius Virgilius in Ceiri v.centesimo sexagesimo nono.

Cognita nec teneris pedibus Sicyonia seruans,
Nec niueo retinens baccata monilia collo.

C. Lucylius Satyricus apud Festum Pompeium libr.16.

Et pedibus læua Sicyonia demit honesta.

Lucret.Carus libr.4.

Vnguenta & pulchra in pedibus Sicyonia ridens.

Recte calceos vnguentis iunxit, nam Græci, quibus istorum calceorum inuentum debetur, pedes perungere frequentissime solebant, Meursius ostendit, vt puto, primus, Criticar. Exercitat. parte secunda,capite decimo sexto, & ad Lycophronem pagina 230. Discrimen inter viriles igitur calceos quos enumeraui, quod Imperatorum purpu-

purpurei essent, mulierum albi, virorum nigri. Iuuenal. Sat. 7. supra hoc capite laudatur. Q. Horatius lib. 7. Sat. 6.

—Nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum dimisit pectore clauum.

Helenius Acron. *altiores sunt calcei senatorum.* negligenter sanè, & haud scio an vere, nam vt infra dicetur, altiores erant calcei muliebres, non autem senatorij, malo de ansulis quibus constringebantur intelligere Satyricum, quam de altitudine ipsorum calceorum, quippe ille *impediit crus*, scilicet ansis extensis in crura. melius Christophorus Landinus, *apud antiquos non nisi nobiles nigris calceis vtebantur*, facile est intelligere Martialem libr. 7. epigr. 32.

Sordidior cœno cùm sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna niue.
Deiectos quid, inepte, pedes perfundis amictu?
Collige Cinna togam, calceus ecce perit.

Vituperat Cinnam, vel quia sordibus erat, lutóque albos ferebat calceos, vel quia cum fœminis communes gerebat, hoc est albos, vt præcipit Ouidius puellis, quæ amare aut amari cupiunt, lib. 3. de Arte.

Pes malus in niuea semper celetur aluta,
Arida nec vinclis crura resolue tuis.

At nescio cur ille vincula vel ansas fœmininis calceamentis attribuit, cum alij nullis vinculis ea adstricta fuisse contendant, M. Manil. li. 5. Astronomic.

Fœmineæ vestes, nec nexæ tegmine plantæ,
Et species, fictique placent ad mollia gressus.

Certe tamen in omnibus omnis sexus calceis ansas fuisse suspicor, Achill. Tatius de Amorib. Clitoph. & Leucipp. lib. 1. *corollæ iis in capite erant, crines per humeros effusi, pedes vinculis exuti, crura vestibus zonaque genus tenus succinctis nudata.* ita enim Latinè verba ipsius sonant. vetus scholiast. Iuuena. ad v. 20. Sat. 7. *calciarij cum festinant & ansas caligarum praetereunt nonnullas.* Fest. Pompeius libro 1. *amenta quibus vinciuntur solearum lora.* Petron. Satyrici pag. 110. *atque alius tunicam meam lacerat, alius vincula calceamentorum resoluit ac trahit.* Plinius obseruatus Douzæ lib. 9. cap. 35. Terentius in Heautontimoro. *detrahere soccos*, Plautus in Epidico, *soccos adimere pedibus*, & in captiuis, *compedes adimere.* ex quibus illud mutuatus est P. Ouidius vt notauit Hercules Ciofanius lib. 3. Metamorphos.

Vincla duo pedibus demunt.

Idem sæpe alibi. lib. 2. Fastor.

Fregerat armillas non illa ad brachia factas,
Scindebant magni vincula parua pedes.

Et lib. 3. Fastor.

Nec quisquam inuita faciet bene vincula planta
Pallade.

Et lib. 5. Fastor.

Ille memor veteris ritus, timidúsque deorum
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.

Virgil. lib. 8. Aeneid.

Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Alb. Tibull. lib. 1. Eleg. 6.

Vinclaque de niueo detrahet ipse pede.

Eiusdem libri eleg. 8.

Ansaque compressos alligat arcta pedes.

Vnde in sacris expiatorijs, vt notissimum est, calciamenta solutis vinculis & ansis pedibus detrahebantur. Virgil. li. 4. Aeneid. de Didone sacris magicis operante.

Vnum exuta pedem vinclis.

Valer. Flacc. lib. 3. Argonautic.

Ducit & ad fluuios, & vincula soluere monstrat.
Prima pedum glaucásque comis prætexere frondes.
Imperat.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 402.

—Retinacula bina cothurnis
Quæ stringant crepidas.

Protendebantur certæ ansulæ à pede per tibiam, atque crus obligabant. idem Sidon. eodem carmine.

—Et concurrentibus ansis
Vinclorum pandas texunt per crura catenas.

Et lib. 8. Epist. 11.

—Atque vinculorum
Concurrentibus ansulis reflexa
Ad crus per cameram catena surgat.

Marc. Manilius lib. 5.

Perque caput ducti lapides, per colla manúsque
Et pedibus niueis fulserunt aurea vincla.

Corippus loco proxime supra à me laudato.

Cruraque puniceis induxit regia vinclis.

Nec Græca in hoc consuetudo à Romana est alia, siquidem & Homerus ligata calceamenta fuisse innuit, Odyss. lib. 2. in principio, obseruante Hieronymo Magio lib. 3. cap. 2. apud quem & multo plura vide huc spectantia, ad crura siue ad suras protensas hasce ansas, præter loca jam citata probat Liuius An-

ſophiſt. *ἀσπιδιώ στολήν*, *Perſicam ſtolam* dixerunt, ſed à viris quoque geſtari maluit Lazarus Baifius libello de Re veſtiaria. & in ſacris literis, *Ioſeph honoris cauſa ſtola byſſima à Pharaone veſtitur.* Geneſeos cap. 41. auro gemmiſque conſueuiſſe adornari depingique eam, fuiſſéque *talarem*, docet Procopius libro. 1. de Bello Perſico, & fuſiſſimè eruditiſſimus Briſſonius libr. 1. de Regio Perſarum principatu pagin. 46. 47. 48. Superinduebatur armaturis regum, vt conicio, quippe *στολάδα armaturæ* genus vult eſſe Suidas, & Xenophon lib. 6. Pædiæ *χιτῶν στολιδωτός*, *tunica ſtriata*, plicas forcaſſis habens, quæ armis ſuperinducbatur, Ioan. Leunclauius, in Appendice Xenophontea. plicas vertit Gualterius Iulij Pollucis libr. ſeptimo. capite decimotertio. quid quod lib. 3. Expedit. Cyri. pag. 307. *στολάδες* Xenophon idem pro *ſtolis* vertente Gulielmo Xylandro vſurpantur, qui pro *στολάδες* cenſuit *στολίδες* reponendum. Sed parum intereſt. Pollux libr. 1. cap. 10. *ἔστι δέ τις καὶ στολὴ ἀντὶ θώρακος*, *eſt & ſtola quædam thoracis loco.* Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 6. pag. 351. *πολεμικὰς στολάς*, *militares ſtolas* ob id nuncupat. Conſtat ex iſtis plicatas & corrugatas has ſtolas fuiſſe, id enim *ſtriatas* appellari, ſunt enim *ſtriæ* prominentiæ columnarum. Vitruu. libr. 4. cap. 4. vt ego interpretor, cæſis in plicaſque conformatis columnis, vnde *ſtriatæ picturæ* eadem notione dicuntur in ſacris literis lib. 3. Reg. cap. 7. gloſſarium vetus *ξύστωτα*, *ſtriata*. L. Apul. lib. 10. Mileſiar. *ſimili triſtitia ſtriatam gerens frontem.* Et lib. 11. *ſerpens ſtriato tumore ſublimis.* Et lib. 1. Apologiæ, *ſtriatam conchulam*, vt & Plaut. in Rudente ſc. *Omnibus modis.*

Echinos, lepades, oſtreas, balanos captamus, conchas,
Marinam vrticam, muſculos, plaguſias, ſtriatas.

Corrigendus idem Apuleius lib. 2. Floridor. tunicam picturis *variegatam deorſus ad pedes deiectus ipſos, Græcanico cingulo, chlamyda velat vtrunque brachium adusque articulos palmarum, cætera decoris inſtrumentis dependent.* reſcribe cum acutiſſimo Coluio, *Cætera decoris ſtriis dependent.* M. Varro lib. 1. de Re Ruſt. *qua aratrum vomere lacunam aut ſtriam facit, ſulcus vocatur.* itaque mulieres ſtolis indutæ. Luct. Placid. ad verſ. 157. libr. 1. Thebaid. Papinianæ. *inſtita faſciola eſt, quæ imam veſtem ſuo pingit ornatu.* Ipſe poeta,

Candida pampineo ſubnectitur inſtita pilo.

C. Plin. lib. 33. cap. 3. non multum à principio. *etiamne pedibus induitur? atque inter ſtolam plebémque hunc medium fœminarum equeſtrem ordinem facit.* formam ejus habemus apud Helenium Acronem ad Sat. librum primum Horatij. *Matronæ ſtola vtuntur demiſſa, vſque ad imos pedes, cuius imam partem ambit inſtita ſubiuta.* paritaque pene Porphyrion. *matronas ſignificat: hæ enim ſtola vtuntur ad imos pedes demiſſa.* Idemque tota interpretum caterua, cum Chriſtophoro Landino ex iis tranſcripſit Q. Flor. Tertullia. libro de Pallio. capite primo: *quod neque trans crura prodigæ, nec intra genua inuerecundæ, nec brachiis parcæ, nec manibus arctæ, ſed nec cingulo ſinus diuidente, expeditæ atque quadratæ inſtita tunicæ.* Horat. loco citato.

———qui noluit tetigiſſe, niſi illas
Quarum ſubjuta talos tegat inſtita veſte.

Alij poëtæ paſſim: P. Ouid. locis ſupra proxime citatis, & lib. 1. de Arte,

Quas ſtola contingit, vittáque ſumpta vetat.

Et lib. 3. de Ponto eleg. 3.

Scripſimus hæc illis, quarum non vitta pudicos
Contigit crines, nec ſtola longa pedes.

Ex quo & illud mutuatus Albinus Tibullus lib. 1. eleg. 6.

Sit modo caſta doce, quamuis non vitta ligatos
Impedias crines, nec ſtola longa pedes.

Papin. lib. 1. Sil. 2. verſ. 235.

Omnes plebeio teritur prætexta tumultu,
Hic eques, hic iuuenum quæſtus, ſtola mixta laborat
Fœlices vtroſque vocant.

M. Martial. lib. 1 Epigr. 36.

Quis Floralia veſtit, & ſtolatum
Permittet meretricibus pudorem.

Sequitur *Faſcia*, non modo in veſtitu, ſed & in ornatu numerata. Martian. Capella libro ſecundo de Nupt. *At cingulum, quo pectus annecteres, ſibi prudens mater exoluit, & ne Philologia ipſius Phroneſis careret ornatibus, eius pectori, quo verius cometeretur, appenit.* antiquitas vel ex ſacra pagina probari poteſt, nam D. Hieremiæ cap. ſecundo legitur, licet Caſtalio, non *faſcias*, ſed *lemniſcos* verterit, & D. Iſaicæ c. 3. exponitur ab Aquila, *cingulum*: minus recte, nam cingulum ilia, laterave ſuccingebat, at faſcia, vel crura, vt infra expediam, vel papillas, vel denique pedes, vnde & *pedules* Alciato libro 1. prætermiſſorum dicuntur, & Nebriſſenſi in Lexico M. Tull. in Clodium: *cum vincirentur pedes tui faſciis, cur capiti tuo calanticam accommodares?* Memoratum hoc à viris doctis, Ponzano Marcello Dilucidationum ſuarum pag. 981. M. Cato apud Nonium.

Mihi puero modicum fuit vnica tunica,

Sine

Sine fasciis calceamentum, equus sine ephippio.
Balneum non quotidianum.

C. Plin. libro 8. cap. 57. *arrosis Carboni Imperatori apud Clusium fasciis, quibus in calceatu vtebatur.* Crura iis obligari solita discere obuiũ est, ex Valerio libro sexto capite secundo ait, *Pompeium fascia candida crus obligatum habuisse*, & Fauonium sapientiæ professione clarum dixisse, *parum refert qua corporis parte diadema gestet.* Quintilian. libro 11. cap. 3. *fascias quibus crura vestiuntur.* quibus locis conuincitur & virile gestamen fascias fuisse: addatur Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri, *fasciis semper vsus est.* multa lege apud Isaacum Casaubonum ad Suetonij Augustum c. 81. ita exponendus L. Senecæ locus in Hippolyto Act. 1. in Choro.

Et dedis legem rudibus capillis,
Crura distincto religanis auro.

Adscribam & locum è legatione Luitprandi, primo Diaconi, vt ipse narrat, deinde Episcopi Cremonẽsis, eo quidem lubentius, quo cum manu medica egere certum sit. sic itaque pag. 102. *Ductus itaque in perivolium satis magnum, montuosum, fructuosum, minime amœnum cum pileatus equitarem, meque Coroplates à longe prospiceret, filio celeriter directo, mihi mandauit fas non esse quempiam, vbi Imperator esset, pileatum, sed teristratum incedere, Cui mulieres, inquam, nostræ tiaratæ & teristratæ, pileati equitant viri: nec decet vos compellere patrium me hic mutare morem, cum vestros, nos adeuntes, patrium morem tenere sinamus: manicati enim, fasciati, fibulati, criniti, talari tunica induti, penes nos equitant, incedũt, mensa assident.* quis hic Coroplates, cui demandatum comitatus regij erat negotium? Censuerim rescribendum, *meque Curopalates à longe prospiceret:* ratio correctionis, quod idem olim *maioris domus*, ac *Curopalatis* officium esset, vt annotaui ad librũ 1. huius operis supra, adde eundem pag. 116. eadem macula aspersum. *Papam vestrum Imperiales accipere literas, endi, num esse diiudicauimus: misit autem illi Coroplates, Imperatoris frater, non per suos pauperes nuncios, sed per se epistolam, satis dignam.* Rescribendum omnino. *Curopalates Imperatoris frater.* Sed redeo in orbitam.

Licet viri & in calceis, & in capite, & in cruribus ferrent fascias, tamen muliebre proprie id gestamen, vt ex sacris literis apparet locis proxime citatis. *nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, & sponsa fasciæ pectoralis?* Et apud alium Prophetam loco etiam laudato, *pro fascia pectorali cilicium* L. Apul. libro 2. Milesiar. *ipsa linea tunica mundule amicta, & russea fasciola prænitente altiuscule sub ipsas papillas succinctula* quo graciliores apparerent virgines, istis igitur succingebantur. ita capio Claudianum libro 1. in Eutrop.

Stat tamen, atque alias succingit lana ministrat.

Et de 6. Hon. consulatu.

——— viridique angustat Iaspide pectus.

Apoll. Collatius Excidij Hierosolymitani libro 1.

——— Non fasciis pectus.
Aurea virgineum vinxit.

P. Terentius in Eunucho. Act. 3. Sc 3.

Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas
Matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, vt
Graciles sient.

P. Ouid. lib. 1. de Remedio amoris.

——— omne papillæ
Pectus habent tumidæ fascia nulla tegat.

Lib. 3. de Arte.

Angustum circa fascia pectus erat.

Et post eodem libro.

Conscia cum possis scriptas portare tabellas,
Quas tegat in tepido fascia lata sinu.

Sext. propert. libr. 4. eleg. 10.

Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus.

Martialis libro 14. epigrammate 134. lemma est.

fascia pectoralis.

Fascia crescentes dominæ compesce papillas,
Vt sit quod capiat nostra tegatque manus.

Græcis στρόφιον appellatur, vt ex Iulio Polluce obseruarunt. Turpilius in Philopatre *me miseram, quod inter vias epistola excidit mihi, infelix inter tuniculam & strophium collocatam.* Q. Catull. in Argonautic.

Nec tereti strophio lactantes vincta papillas.

Vsus & ea voce Virgilius in Copa, seu quilibet alius author.

Et grauidum roseo necte caput strophio.

Iam dicendum de *Ægide*, quæ pectori velut ornamentum necessarium imponebatur. Philippides Comicus apud Iulium Pollucem lib. 5. cap 16. Onomast. περὶ δὲ τοῖς στέρνοις αἰγίδας, μασχαλιστῆρας. vertit Gualterus non omnino bene *circa pectora vero habent scutulas, axillares*, nam quanquam certum sit scutum Palladis fuisse ægidem, tamen Pollux non scutum, sed pectorale intelligi voluit. Seruius Honoratus, *ornamentum pectorale habens in medio Gorgonis caput.* ad lib. 2. Æneid.

Iam summas arces Tritonia respice Pallas
Insedit, nimbo effulgens & Gorgone sæua.

Aliæ editiones non male meo iudicio.

—limbo effulgens & Gorgone sæua.

Excogitatum huiusmodi velamentum tegendis naturæ deformitatibus, quo amantium pellecti oculi, in certam perniciem iuuenes deducerent, elegantissime P. Ouidius lib. 1. de Remedio amoris.

Proderit & subito, cum se non finxerit vlli,
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur
Omnia, pars minima est ipsa puella sui.
Sæpe, vt sit quod ames, inter tam multa requiras,
Decipit hac oculos ægide diues Amor.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 2.

Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis.

Videtur mihi & allusisse Martialis libr. 7. epigr. I.

Accipe belligeræ crudum thoraca Mineruæ,
Ipsa Medusææ quem timet ira deæ.
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari,
Pectore dum sacro sederis, ægis erit.

Tunica inter communia vestimenta reponitur, non quidem quod à principio vtriusque fuerit sexus gestamen, sed quod viri in libidinem præcipites, etiam muliebres ferre vestes non erubuerunt, atque ita capio Saluiani Massiliensis è libro 7. de Prouid. & Iudic. Dei locum. *quis credere aut audire etiam possit, conuertisse in muliebrem tolerantiam viros, non vsum suum tantum, atque naturam, sed etiam vultum, incessum, habitum.* Et paucis postea interiectis, *cum muliebrem habitum viri sumerent, & magis muliebrem gradum fingerent.* M. Fab. Quintilian lib. 5. cap. 9. *fractum incessum, vestem muliebrem dixerit, mollis & parum viri signa.* Idem libro 11. cap. 1. *vt monilibus ac margaritis, ac veste longa quæ sunt ornamenta fæminarum, deformentur viri.* Grauis est de luxu sui temporis ad Senatum Tiberij Augusti querela, in qua *communitas vestis* vel præcipuas obtinet partes, C. Tacit. libro tertio Annal. graphice & grauiter, vt semper solet L. Seneca Epist. 123. *non videtur tibi contra naturam viuere, qui commutant cum fæminis vestem?* Criticis rescribi placuit, *qui communicant cum fæminis vestem?* vt nempe Coæ bombycinæque intelligantur, vtrique sexui in vsu frequentissimo positæ, & supra à me expositum, quod placuit Iusto Lipsio & discipulis eius, Iano Grutero, & Fr. Iureto: licet viri magni retineant vulgatam lectionem. Pet. Faber, Sanjorianus lib. 1. Semestr. cap. 15. & Langlæus li. 1. Ocij Semestris. capite quinto, neque puto quippiam immutandum, quum libri consentiant, & sensus constet. M. Accius Plautus hac mente capiendus Mænechmis. scilicet *pomi.*

Me. *Neque hercle ego vxorem habeo, neque Erotio*
Dedi, nec pallam surripui. Pe. *satin sanus es?*
Occisa est res hæc: non ego te indutum foras
Exire vidi pallà? Me. *væ capiti tuo:*
Omnes cinædos esse censes, quia tu es.
Tunc me indutum fuisse pallam prædicas?
Pe. *Ego hercle vero.*

Contra hanc insaniam elegans est sermo Clementis Alexandrini libro tertio Pædag. cap. 3 nec Romanæ tantum fuisse consuetudinis, discimus ex Valerio libro secundo capite primo: *Licij in luctu muliebrem vestem sumebant, vt citius solidum mærorem deponerent.* Viris probrosum tunicas gestare. A. Gell. libro septimo capite 12. *tunicis vti virum prolixis vltra brachia, & vsque in primores manus ac prope digitos, Romæ atque in omni Latio indecorum fuit. Eas tunicas Græco vocabulo nostri χειριδωτὰς appellauerunt, fæminisque solis vestem longe lateque diffusam indecorem exi[?]imauerunt ad vlnas, curasque aduersus oculos protegenda. viri autem Romani primo quidem sine tunicis, toga sola amicti fuerunt.* Claudit deinde caput Ennij authoritate, qui *Carthaginensium iuuentutem tunicatam non sine probro videtur dixisse.* *Chiridatas* ergo has vestes, vel *chirodatas* à manicis appellarunt. Scio Grammaticos *Chiridatas* recepisse, & præsertim Suidam, Iuliumque Pollucem libro 2. Onom. cap. 4. *χειριδωτοὶ χιτῶνες tunicæ.* Et lib. 7. c. *χειριδωτὸς χιτὼν ἢ κατὰ τοὺς ὤμους ἀναπλεως. manicata tunica fuit, secundum humeros appensa.* Iul. Capitolinus corrigendus in vita Pertinacis apud Baptistam Pium Annotation. Posterior. capite 58. *penulasque, lacernas, & Chirodatas Dalmatarum, & cirratas militares, & Bardiacos cucullos.* Rescribendum, *Chiridatas Dalmatarum.* eademque macula expungenda è codice Gellij loco superius allato. Sunt autem Chiridatæ Dalmatarum, vt puto, vestes auro intexto pretiosæ, quarum & apud Ælium Lampridium in Commodo fit mentio. *Dalmaticatus in publicum processit, atque ita signum emittendis quadrigis dedit.* Et in decretis Canonicis Distinctione vigesima tertia, *concedimus te & Archidiaconum tuum Dalmaticarum vsu decorandos esse.* nomen inditum fortean quod in Dal-

matia

matia aurifodinę essent, vti notissimum est, & iam ab aliis est obseruatum. Stat. libro 1. Sil. 2. v. 158. addendus est iis, quod alij annotarunt.

Pendent innumeris fastigia nixa columnis
Robora Dalmatico lucent satiata metallo.

Et lib. 4. sil 7.
Quando te Dulci Latio remittent
Dalmatæ montes, vbi Dite viso
Pallidus fossor redit, erutóque
Concolor auro est?

Chiridatæ memorantur à Næuio antiquissimo poëta Comico in *Pedio.* apud Nonium quatuor locis.

Mollicinam crocutam, chirodatam, rallam.

In aliis non minus erudite, nisi quod *chirodotam* non *chiridotam* habetur.

Mollicinam, crocutam, chiridotam, ricam.

Atque has gestasse vestes non carebat mollitiei argumento, ideoque recte L. Seneca Epist. 33. *quia mirum est aliquid dici fortiter à viro mollitiem professo, ita enim plerique iudicant, apud me vero Epicurus est & fortis, licet, manuleatus sit,* hoc est licet effæminatorum vestitu ornatus. Simile & illud eiusdem scriptoris lib. de vita beata cap. 13. *hoc est, quale vir fortis, stola indutus* M. Cicero siue Portius Latro declamator, Orat. 2. in Catilin. *quos manicatis & talaribus tunicis, velis amictos, non togis videtis.* vtrumque in vituperio positum, & manicatas habuisse tunicas, & talares, seu ad talos demissas, talis quippe habitus mulierum, vt supra de Instita disserui. vetus scholiastes Iuuenal. ad v. 143 Sat. 2. *infames tunica vtebantur.* & de talari manicatáque intelligi debet. Porphyrio vetus interpres ad Horatium libr. 1. Sat. 2. *porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles ac delicatos haberi velint* Ipse poëta,

Malthinus tunicis demissis ambulat.

Virgil. lib. 9. Æneid, in exprobratione Numani Remuli.

Et tunicæ manicas.

M. Actius Plautus Pseudolo Sc. *dulcia.*

—Manuleatam tunicam
Habere hominem addecet.

Valer. Flacc. lib. 6. Argonautic.
Insignis manicis, insignis acinace dextra.

Pulcherrima est mollissimi hominis & orgiis tantum obscænis dediti descriptio apud Statium Papinium, lib. Thebaid. v. 650.

Quis tibi Baccheos Eunæe relinquere cultus,
Quis lucos, vetitus quibus emansisse sacerdos
Suasit? & assuetum Bromio mutare furorem?
Quem terrere queas? clypei penetrabile textum
Pallentes hederæ, Nysiaque serta coronant.
Candida pampineo subnectitur instita pilo,
Crine latent humeri, crescunt lanugine malæ,
Et rubet imbellis Tyrio subtegmine thorax,
Brachiáque in manicis, & pictæ vincula plantæ,
Carbaseique sinus.

Non fuit, inquam, ignominiosum tunicam quamcunque gestasse, sed manicatam tantum, nam plebecula illa vilior tunicis solebat innui. Cornel. Tacitus seu Quinctilianus, aut quicumque alter author Dialogi de Oratorum defectu. *vulgus imperitum, & tunicatus populus transeuntes nomine vocat.* Pierius Valerian. libr. 40. Hieroglyphicor. Hele. Acron. ad Epist. 7. libro primo Horatij. *tunicatum dicimus popellum, id est vili vestimento indutum, sicut & senatum togatum.* versumque hunc Horatij scio vsurpatum à D. Hieronymo in Epistolis.

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Est & tunica rusticorum non modo plebeiorum amictus, vt in Codice Theodosiano extat L. 1. quo habitu vti intra vrbem oporteat. Sidon. Apollinar. lib. 2. epist. vlt. *tunicatæ quiete,* & *tunicatorum otia* idem dixit libro 5. epist. 7. Martial. lib. 10. epigr. 51.

—O soles, ô tunicata quies.

Certe & pricipes ipsi tunica posterioribus temporibus induebantur. Corippus libro 2. Num. 4.

—Tunicaque pios inducitur artus.

Indubitatum tamen est muliebrem fuisse vestitum, idem ille Martialis lib. 11. epigr. 100. passim Ouidius lib. 1. Amor. eleg. 5.

Ecce Corinna venit, tunica velata recincta.

Et post ibidem loci.
Diripui tunicam, nec tantum rara nocebat.
Pugnabat tunica se tamen illa tegi.

Lib. 3. eiusdem operis eleg. 6.
At qualem vidi, qualem tetigique puellam,
Sic etiam tunica tangitur illa sua.

Et lib. 3. de Arte.
Ad Sliteris tunicata, moues incendia: clama.

Sed vt auro insignitas tunicas, coccóq; elauatas fuisse constat Oneirocr. c. 210. Achmes *δοίον ἔχει ἀκαὶ βύλαις ἐρυθρὰς.* *vsum rubras quasdam quasi bullas habet.* ita & plumbo

signabantur. Luitprand. in legatione pag. 115. *multo plura ac pretiosiora pallia emi, quæ neque scrutata, nec à Græcis visa, nec plumbo sunt signata.* quod de pallio pallàque dici potest, aut etiam tunica, nam pallium & tunica promiscue peregrinantium aut iter conficientium habitus.

Pallium quoque *pallaque* in vestitu censebantur, non autem in ornatu, viro fœminæque promiscuo vsu permissæ, Vlpianus IC. l. 25. ff. de auro arg. lega. de qua re, quia omnia vulgata sunt, nihil aliud est dicendum. Stat. lib. 1. Thebaid. *riget horrida tergo palla.* de Alecto. T. Liu. 3. Decad. li. 7. in limine. Iuuena. Sat. 10. v. 262. *scissáque Polyxena palla.* Seruius ad illud lib. 1. Æneid.

Ferre iubet pallam.

Et lib. 11. Æneid.

Pro longæ tegmine pallæ.

Ouid. lib. 1. Metamorph.

Vestis humum Tyrio saturata murice palla.

Alb. Tibull. lib. 4. in laude Sulpiciæ.

Vrit seu Tyria voluit procedere palla.

Et lib. 3. eleg. 4. de Apolline.

Ima videbatur talis illudere palla.

C. Lucil. Satyrar. lib. 15.

——*Sat visus i a ieni*

Sunt homines, spiram, pallam, redimicula promit.

Martial. lib. 11. epigr. 105.

Fascia te, tunicæque tegunt obscuraque palla.

At mihi nulla satis nuda puella placet.

In MS. aliter.

Fascia te, tunicæque, Obscuraque pallia celant.

Rectè *celant*, opponitur, *nudæ*.

Mitra & fœminarum ornatui annumerari solet. Isidorus Hispalensis in glossis *calestra genus mitræ.* locus quin sit corruptus, non dubito, nam ei voci nec Latina nec Græca origo affingi potest, corrigendus igitur, *caliptra genus mitræ*, Fest. Pompeius lib. 3. *caliptra genus vestimenti quo caput operiebant.* καλύπτω enim est idem, ac *velo, tego, operio*, vnde κάλυμμα est *velum*, & καλυπτήριον significat *tegumentum*, καλυπτὴς, *imbrex*, καλυπτηρίζω, *imbrico.* Lege Gothofredum IC. doctissimum ad tit. ff. de donationib. ante nupt. Aristænetus lib. 1. Epist. 19. ἐκπλήττομαι ἐν τῷ θεάτρῳ πρὸς ἀθρόον (in aliis editionibus ἀθρόως) ἅπαντα μεταβέβληκεν ἡ γυνὴ καὶ ἀφίησι θαυμάζειν ἐκείνης βλέμμα σεμνότης, μέτριον ἦθος, μειδίαμα κεκοσμημένον, κόμην ἀφελῶς πεπλεγμένην, καλύπτραν ἐπ' αὐτῆς ἐπὶ μάλα σεμνὴν, βραχυλογίαν ἐν ἠρεμίᾳ. *stupeo per deos, qui mulier omnia simul mutarit: videas nunc ei demissum vultum, gestum moderatum, seuerum risum, capillum sine arte implicitum, ducentem super mitram breuem ac submissum sermonem.* Achil. Tat. de Amorib. Clitophontis ac Leucippes lib. 3. pag. 83. ὡς μὲν ῥᾳδίως τὴν παρθένον διακοσμήσαντες, καὶ ἐπισκευάσαντες μίτραις τε καὶ ζώσμασιν, ἐνδεδυμένην τὴν στολὴν ταύτην ἐπικρύψομεν. *Hanc in modum adornata puella, stolàque superimposita, mitris deinde ac vittis additis, apparatum istum occultabimus.* Aristænetus certe mulieri, Tatius, puellæ, adsignat mitram, rectéque Seruius Honoratus ad lib. 9. Æneid. v. 616. *pilea virorum propriè sunt, mitræ fœminarum, quas calanticas dicunt.* Optatus Mileuitan. contra Donatist. *compressam ab eo puellam, cui mitram ipse imposuerat à qua paulò antè pater vocabatur, nefariè incestare minimè dubitauit.* Bourdinus Scholiast. ad Aristoph. Θεσμοφοριαζ. μίτρα διάδημα ἢ ζώνη, ταῦτα δὲ εἴδη ἱματίων ὄντα ἁρμόττοντα ταῖς γυναιξὶν οὐ τοῖς ἀνδράσι. *mitræ, diadema, aut zona, aut species vestium apta feminis non verò viris.* ipse poeta, ἵνα μὴ κροκωτοῖς, καὶ μίτραις γέρων ἀνήρ. *vt ne tum Crocotis & mitris senex vir.* viris itaque probrosum eas ferre. Ouid. Epist. 9. Deianira Herculi.

Ausus es hirsutos mitra redimire capillos.

Aptior Herculeæ populus alba comæ.

Virg. lib. 4. Æneid. Hiarbas obiicit Aeneæ inter alia & vestitum effæminatum.

Mæonia mentum mitra crinémque madentem

Subnixus.

Euripides in Hecuba, in Choro.

ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις

μίτραισιν ἐρρυθμιζόμαν.

Ego capillum redimiculis

Mitrisque composui.

Effæminatorum dixi fuisse gestamina mitras, imo & meretricum. Seruius ad locum vltimò citatum. *mitra Lydia, nam vtebantur & Phryges & Lydi mitra, hoc est incuruo pileo, de quo pendebat etiam baccharum tegimen* (rescribe mecum, *buccarum tegimen*) *sane quibus effæminatio crimini dabatur, etiam mitra eis adscribebatur, multa enim lectio mitras meretricũ esse docet, ergo ex habitus qualitate mutuatur inuidiam, nam enim non iam effeminatum, velut meretricem appellat, sed etiam meretricem vocare.* Et ad lib. 9. Aeneid. loco proxime indicato. *alij mitras meretricum esse voluerunt, quod his est tanquam effœminatis obiectum.* Iuuenalis Sat. 3. v. 66.

——*Picta lupa barbara mitra.*

Ob id, vt existimo, mollissimum habitum Baccho, Bacchantibus, & poetis qui in Bacchi erant tutela, mitras dedit antiquitas. vt cohiberetur vini vaporis, ne caput peterent.

Euseb. Cæsarienf. libr. 3. præparat. Euang. ca. 2. Propert. lib. 4. eleg. 2. L. Seneca Tragædus in Oedipo act. 2. in Choro.

Te caput Tyria cohibere mitra,
Hedera que mollem baccifera
Religare frontem.

Valer. Flacc. Argonautic. libr. 2. quem locum quia elegantissime sacra Liberi describit, apponam.

Serta patri, iuuenisque comam vestesque Lyæi
Induit, & medium curru locat, æraque circum,
Timpanaque, & plenas tacita formidine cistas.
Ipsa sinus, hederisque ligat famularibus artus:
Pampineámque quatit ventosis ictibus hastam,
Respiciens teneat virides velatus habenas.
Vtque pater, niuea tumeant vt cornua mitra,
Et sacer vt Bacchum referat scyphus.

Sext. Propert. lib. 3. eleg. 16.

Candida laxatis onerato colla Corimbis,
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.

Stat. lib. 1. sil. 2, v. 251.

Nunc opus Aonidum comites, tripodúmque ministri
Dimensis certare modis, eat Enthea vitris
Atque hederis redimita cohors.

Corruptum esse hunc locum, nulli dubium esse potest, Correxit Ioannes Bernartius, & Martinus Delrio, vterque bene, ille etenim

—eat Enthea vittis
Atque hederis redimita cohors.

Ille vero,

—Eat enthea mitris
Atque hederis redimita cohors.

Meminere authores varij, erat. n. triplex, virginalis, militaris & capitis redimiculum. de militari, Hesychius in voce μίτρα. Didym. in Iliad. 4. Homeri, Etymologici author, Suidas, Parthenius Erot. 9. in vltima significatione, Suid. in ἀνάδημα, Palæfatus, Callimachus in hymmo de Delo, Sophocles in Oedipo Tyranno. secunda significatio extat apud Isidor. li 19. c 91. Originem ad Leuit. cap. 8 Bedam lib 2. Exposit. in Esdram c. 14. notauit Io. Meursius parte 2 Criticar. Exercitat. ca. 14. Ouid. lib. 14. Metam.

——Pictis redimitus tempora mitra
Innixus baculo posuis per tempora canis,
Assimilauit anum.

Lydi omnes & Phryges ex Seruio supra laudato, mitrati fuerunt, adde & Arabes eodem vsus capitis gestamine, C. Solin. Polyhistor. c. 36. forma eius huiusmodi, nisi fallor, erat, vt propenderent vittæ quædam, seu teniæ buccas velaturæ, supra notatum, Iul. Pollux li. 4. ca. 18. μίτρα, ... *tiara, vitta, redimiculum mitra.* Et libro septimo cap. 22. idem *mitras*, & *anademata* coniunxit Dionysius Lambinus ad li. 4. de Rer. Nat. T. Lucretij Cari.

Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ.

Versicolores esse diximus ex C. Plinio lib. 55. c. 9. Dionys. Helicarn. lib. 2. pag. 129. χιτῶνας ποικίλους χαλκαῖς μίτραις ... *tunicas versicolores æreis balteis ci...* vbi fortè legendum, μίτραις, nam ex Scoliaste Aristophanis supra adducto, cingulum militare, vel balteum mitra significat. sub mento redimiculum solere subligari, argumento locus est Claudiani lib. 1. in Eutrop.

—Mitra redeunte capillos
Stringit erat.

Quid autem discriminis sit inter mitram, & tiaram, primus, quod sciã, admonuit Brissonius lib. 1. de Persar. principatu pag. 24. nam Maximus Tyrius Serm. 10. *metrophorum à tiarophoro* discernit, & Herodotus libr. 7. *tiaram* Persas gestasse scribit, Cilleos vero pileos, seu *mitras*. differentia hæc à forma, vt puto petenda est: nam tiara formata erat in modũ dimidiatæ lunæ, vti iam infra dicetur, mitra non item, designaturque hoc discrimẽ non admodum obscure à Luitprando in legatione sua. *mulieres nostræ tiaratæ & teristratæ, viri equitant pileati.* vtrumque certè regum Persicorum tegmen appellarique solent *citaris, vel cidaris.* licet Theophrastus lib. de Regno Cypriorum distinguat apud Suidam in voce τιάρα Claudian. paneg. de 4. Honorij Aug. consulatu.

Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset
Clare puer, terrisque procul venerandus Eois
Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras
Sufficeret sublime genus

Quod hic de Parthis, in 6 Honorij consulatu de Persis dicit, neque enim Arsacidæ magis pro Parthis, quam Persis accipiuntur. Schol. Aristophanis ad Acharn. Act. 1. Sc. 2. τιάραι ... *tiaræ sunt capitum velamenta aut vincula persica, pauonicas pennas habentes.* vt existimen galeas bellicas, non habitum pacificum denotari, illæ enim plumis ornabantur, vt dicam libro decimo infra. Sic itaque Claudianus.

Te linguis variæ gentes missique togatum
Fastidita Persarum proceres, cum patre sedentem

Hæ quondam videre domo, positáque tiara
Submisere genu.

Sidon. Apollinar. lib. 8 Epist. 3. *atque inter satrapas regum tiaratorum myrrhatos, pum catos, milabratos.* fortassis non malè legi poterit, *inter satrapas regum tiaratorum mitratos.* D. Hieronym. in Danielem cap. 5. *tiara est genus pileoli, quo Persarum Chaldeorúmque gens vtitur.* vet. scholiast. Iuuenal. ad Sat. sextam vers. 514. *tiara sacerdotis habitu, tiara nam galea sacerdotis est, quæ per malas veniens, mento subligatur, tiara est Prygium quod dicunt*, non esse eiusdem scriptoris clarum est, posteriora verba è Seruio sunt lib. 7. Æneid. *tiara est pyleum Phrygium*, vt censeam adiecto eo vocabulo suppiendum scholiastem allusit L. Seneca Tragædus Thyeste Act. 4. sc. 1.

——Hoc Phrygius loco
Fixus tiaris Pelopis.

Isidor. gloss. *frigium mitra.* Luctat. Placid. ad v. 294. lib. 8. Thebaid. Statianæ. *tiara dicitur pileum quod in capite gerit sacerdos Martis.* Ipse tamen Papinius, vt Claudianus, regibus Parthorum adscribit.

Sicus Achemenius solium gentésque paternas
Excepit si forte puer cui viuere patrem
Tutius, incerta formidine gaudia librat,
An sibi proceres, an pugnet vulgus habenis,
Cui latus Europæ, cui Caspia limina mandet
Sumere tunc arcus, ipsúmque onerare videtur
Patris equum, visúsque sibi nec sceptrà capaci
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.

Nec minus Suetonius in Nerone c. 13. *deinde precanti, tiara deducta, imposuit diadema.* Carebat autem sacerdotalis tiara acumine, quod regum habebat. D. Hierony. in Epistolis, Et ad Fabiolam, Eucherius li. 2. c. 10. regū fuit, de Prima Virgil. libro iam laudato, *sceptrúmque, sacérque tiaras*: & reginarum: Heliodor. de Arsace principe vxore. Oroondatis Aethiopic. histor. li. 7. pagin. trecentesima octaua, *ὅρμων δὲ πολυτελείᾳ, καὶ τιάρας ἀξιώματι μεγαλαυχουμένην, καὶ* [illegible] *monilium pretio & tiaræ dignitate superbientem, ac delicatè delibutam, ac stipatam, satellitibus.* Et paucis interiectis, *καὶ ἅμα, καὶ τὴν κεφαλῆς τιάραν ἀφεῖλε, πολλὰ τῶν παρόντων κωλυόντων. simul & de capite tiaram deposuit multum iis qui aderant, prohibentibus.* Sed quomodo differret ab aliorum tiara, regium hoc gestamen, nusquam melius discemus, quam ex Philarcho historiar. lib. 11. referente Suida loco iam laudato. *tiara ornatus capitis, quam soli reges rectam ferebant apud Persas, duces autem inclinatam. Demaratus autem Lacedæmonius, qui cum Xerxe Athenas venit, ob successum aliquem lætiorem, rege ei permittente petere quod vellet, petiit, in recta tiara Sardes inuehi.* manifestè id contra veritatem historicam, nam non *ad lætiorem successum*, qui nullus fuit, sed ob salubre consilium ei præstitum, ne vellet bellum in Græcos iam destinatum, exequi: vt narrat L. Seneca copiosissime lib. 6. de Benef. cap. 31. qui vbi totum belli apparatum ornatissime expressit, tandem concludit, *itaque Xerxes pudore quam damno miserior, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet: petit ille, vt Sardes maximam Asiæ ciuitatem curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens: id solis datum regibus. dignus fuerat præmio antequam peteret: sed quam miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret regi, nisi qui non dicebat sibi!* In buccas propendebat. Iustin. lib. 1. *brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit* (Semiramis) *& ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri iubet.* D. Iuuenal. Sat. 6 v. 413.

—Phrygiæ vestitur bucca tiara.

Color illi purpureus. P. Ouid. li. 11. Metamorphoseon. Fab. 5.

Ille quidem celare cupit, turpique pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.

Gemmis & margaritis distinguebatur, vt regalis opulentiæ ostentatio fieret. Valer. Flac. lib. 6. Argonautic.

Ad viridem gemmis, & Eoæ stamine siluæ
Subligat extrema patriam ceruice tiaram.

Intelligendus hac mente Plautus in Persa Sc. *nunquid.*

—Euge, euge, exornatus basilice
Tiara ornatum lepide condecoras tuum.

Dimidiatæ lunæ effigiem simulabat. Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 51.

Interea te Susa tremens ac supplice vultu
Flectit Achemenius lunatam Persa tiaram.

Idem Carm. 23 v. 251.

Vt fastu posito tumentis aulæ
Qui supra satrapas sedet tyrannus,
Ructans semideum propinquitates,
Lunatam tibi flecteret tiaram.

CAP.

Capvt XXXVI.

De Calceis.

Restat in hoc de vestibus veterum tractatu, vt de calceis etiam quædam afferamus: quod cum fecerimus, ad alia progrediemur. Calceamentorum genera duo fuerunt, calceus & solea. Calceus totum pedem texit, solea plantum tantùm: pars enim superior habenis deuincta fuit. Sed & calceorum & solearum multa genera. Cæterum calceus adstrinxit magis pedem, quàm solea: vnde illud Pauli Aemilij, de quo Plutarc. Nonne hic calceus pulcher est? at nescis qua ex parte pedem meum torqueat. Cicer. de Rhetoricis: Si multus erat in calceis puluis, ex itinere eum venire oportebat. Hunc proprium togæ tormentum Tertullianus in libr. de Pallio vocat. Idem auctor est, calceos quosdam mulleolos, quosdam puros fuisse: Impuro, inquit, cruri purum aut mulleolum inducit calceum: vt per mulleolos lunulatos, per puros, eos qui ex puro corio, siue lunulis facti erant, quique perones appellantur, intellexisse videtur. Lunulati calcei Senatorum, & nobilitate præstantium virorum erant, quos Isidorus Romulum reperisse ait, assuta luna. Luna verò non syderis in eis formam, sed notam centenarij numeri significasse, eos dicit, quod initio Patricij centum fuerint. Plutarc Quæst. Rom. qu. 79. quærens cur, qui nobilitate generis alijs præstare vide[illegible] lunulas in calceis gestarint? multas eius moris rationes affert, An, inquit, signum hoc est habitationis supra Lunam, quæ fertur, & quòd post mortem rursus animæ Lunam sub pedibus habebunt? An hoc prisci habuerunt eximium, qui erant Arcades cum Euandro, & ante Lunam nati dicebantur? Aut, vt multa alia, hoc quoque institutum erat, vt rebus secundis elati, ac superbientes, mutationis fortunæ in alteram partem admonerentur? Exemplo videlicet Lunæ, quæ primum recens existit è caligine, fulgore dehinc subinde faciem splendido augescit illustrans: & cùm pulcherrima renidet orbe pleno, rursus exuit lumen suum, & ad nihilum redit. Aut obedientiæ sic assuescere dicebant, Lunæ exemplo, præstantiori parere non recusantes? & quemadmodum illa secundas obit partes, Phœbei semper radiis intenta nitoris, vt canit Parmenides: ita ipsi quoque contenti esse secundo loco, Magistratibúsque obtemperare, ab iisque potentiæ, & honorum fructu aliquo impertiri. Hactenus Plutarchus. Zonaras: Patricij, inquit, gestabant in vrbe calceos vrbanos forma literæ rho, vt à centum Senatoribus trahere originem viderentur, aut quod prima esset litera Romanorum. Idcirco etiam Patricij calcei dicuntur in illa veteri inscriptione: Aedem Honori Virtvti Fecit Veste Trivmphali. Calceis Patricieis. De mulleis, vel mulleolis Festus: Mulleos, inquit, genus calceorum aiunt esse, quibus Reges Albanorum primi, deinde Patricii vsi sunt. M. Cato Originum libr. 7. Qui Magistratum Curulem cepisset, calceos mulleos allucinatos, aut lunatos (quemadmodum Antonio Augustino, & Iacob. Ræuardo placet) cæteri perones. Item Titinius in Setina Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceos. Ita legit Iosephus Scaliger tibiatim exponit, ad mediam tibiam. Addit etiam talia fuisse omnia calceamentorum genera, qualia Turcarum hodie medio crure tenus. Catonis autem fragmentum, ne hoc omittam, idem Scaliger sic legit. Qui Magistratum Curalem cepisset, calceos mulleos, alij vncinatos, cæteri Romani perones sumpserint: qua ratione tria calceorum genera facit, mulleos de quibus iam diximus. Hos veteres, Festo auctore, à mullando, i. suendo, mulleos appellatos putarunt. Adr. Turnebus Aduersar. libr. 10. cap 2. à rubro mulli colore, mulleos dictos arbitratur, quod scilicet fuerint purpurei. Perones siue puri calcei, ex puro corio, fine lunulis facti erant, quibus per niues, imbres, & glaciem veteres etiam vsos esse Iuuenalis his versibus auctor est Satyra 14.

Nil vetitum fecisse volet: quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi,

Sed de his plura Iac. Ræuardus lib. 1. Varior. cap. 8. Calceos alibi coloris fuisse nonnullos etiam videlicet Imperatorum & aliorum delicatorum hominum, coccineos Iustus Lipsius Electorum libro primo cap. 13. id quod de virorum calceis intelligendum est. Fœminas enim luteis, aut albis calceis vsas fuisse, idem Lipsius eodem capite ostendit: in quam sententiam adducit hunc Flauij Vopisci in Aureliano locum: calceos mulleos, & cereos, & galbos, & hederaceos viris omnibus tulit, mulieribus reliquit. De calceis luteis videndus præter Lipsium Adr. Turnebus Aduersar. libro 28. capite 21. Quin etiam eos lapillis quibusdam, gemmisque pretiosis exornatos nonnunquam fuisse, Iacob. Ræuardus loco supra indicato ostendit. De soleis sic Agellius lib. 13. capite vigesimo, Omnia id genus quibus plantaram calceg

——Sua sibi vrina
Dentem atque russam pumicare gingiuam
Ut si, vt potissimum munditias dentium,
Nitelis oris ex Arabicis fontibus.
Tenuem, canaliculum, nobilem puluisculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pristinæ reliquiæ,
Ne qua visatur terra labes sordium,
Restrictis forte si labellis riseris.

Ratio è medicinæ fontibus petenda est, nam dentium dolori medetur lentiscus, vt & alia multa quæ enumerat Q. Sammonicus Serenus lib. de Medicina cap. 15.

Sæpe Chelidoniæ succo vel lacte capellæ
Sanescunt dentes, aut tauri felle iuuantur,
Aut acidi latices clauso voluuntur in ore:
Manditur apta rubis gingiuis, & bona labris
Lentiscus, mixtúsque emendant oris odorem,
Quod vero assum sit nomen de dente fricando
Ceruino ex cornu cinis est, aut vngula porcæ
Torrida, vel cinis ex cuis sed non sine vino
Muricu aut testæ vel bulbi extincta fauilla.

Denique Q. Horat. lib. 2. od. 8.

Dente si nigro fieres, vel vno
Turpior vngui.

Et lib. 4. od. 13.

——Refugit te, quia luridi
Dentes te qui s rugæ
Turpant, & capitis niues.

Recte vnguium nitelam cum dentium cura coniunxit, quia par vtriusque habita ratio. Ouidius loco proxime supra laudato.

——Et sine sordibus vngues.

Quid? quod eundem tonsorem habebant & capilli & vngues communem Val. Max. lib. 2 cap. 2. *Cuius (Catonis Vticensis) filia minime muliebris animi, Bruti viri sui cor silium . quod de interficiendo Cæsare ceperat, ea nocte, quam dies teterrimi facinoris sequutus est, cognouisset egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium, quasi vnguium resecandorum causa poposcit, eóque vel t forte elapso se vulnerauit, clamore deinde reuocatus in cubiculum Brutus obiurgare eam tapit, quod tonsoris præripuisset officium* Paulus Silentiarius in Anthologia lib. 7. Epigr. 37.

——ὄνυχα ...
...

At cui manus exburgas, vnguium circumcid n extremitates. Corrigendus Martialis cuius lib. 3 hoc est epigramma 75.

Psilothro faciémque lauas, & dropace caluam,
Numquid tonsorem Gargiliane times?
Quid facient vngis? nam certe non potes illos
Resina, veneto nec resecare luto.

Mendum manifestum, rescribendúmque in tertio versu optimo sensu.

Quid facient vngues? nam certe non potes illos
Resina &c.

Sed ad calceos venio. Initio nascentis reipublicæ non modo serui, sed & senatores ipsi nudis incedebant pedibus. vetus Scholiastes Iuuenal. ad v. 111. Sat. 1. *e Rludis plus honoris videri in calceis quàm in persona, illo enim tempore necdum senatores nigris calceis vtebantur, sed nudis pedibus, vel puluerentis, vel braccis, vel pedules nemos in brachiis: quos pedorsis dicunt, vt peregrinis.* locus corruptus mutilúsque, censeo rescribas, *pedules nemos in brachiis, quos pedortes dicunt*, est enim *indigena vestis* ad tales demissa ex Achmete in Oneirocrit. capite 217. notat Meursius. & Certè alioquin nuditio pedis paupertatis indicium non leue erat Qu. Tertull. libro de Pallio ad finem, *nihil dicimus proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam verum & falsam, quam enim expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo vincipedem.* Marcian. Capella libro sexto de Nuptiis *plerumque tamen cohæsit, aristique parte ibus, nagi que illis quos aut pedibus nudis, aut ... ... palli ... ...* quod fecerunt clari Imperatores magnique duces leguntur, non ob paupertatem, sed vt patientes animi, tolerantiæque ... argumenta suis militibus præberent ... Phocio fuit *qui nudis pedibus turi & in calceis incedebat, nisi ... ... hinc ... milites ... ... sævientis frigoris putabant argumentum ... quem Phocion eum calceatum videre.* Plutarch. in vita ... de P. Scipione, & Germanico C. Tacit. libro 2. Annal. *sine milite incedere ... ... & pari cum Græcis ... ... quem eadem fuisse apud Siciliam ... quamuis flagrante adhuc ... ...* quadrat huc institutum Lacedæmoniorum, apud quos Iuuenes calceis omnes carebant, *quo expeditiores essent*, Plutarchus in vita Lycurgi. summis ducibus adnumpatur summus Philosophus Socrates cui cum Alcibiades grandem illam aream ad ædificandam domum largiretur dixit, *... ... ... si calceamentis egerem, corium dares*, vt calceos mihi ipse conficerem, atqui ridiculus essem si

acciperem. Pamphila in 7. Commentarior. Diogenes Laërt. lib.4.pag.107.ex Aristophane.

βρενθύῃ τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς, καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλεις
Κἀνυπόδητος, κακὰ πόλλ' ἀνέχει, κἀφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς.

Elatus fastu vias teris, oculisque innuis,
Et discalceatus mala multa toleras, &
Inter non vultu grauitatem præ se fert.

Catonem Vticensem sunt, qui affirment idem factitasse grauissimi authores, licet neget Helenius Acron, cuius fides non est mihi tanti, vt præponderet authoritati Plutarchi, qui in eius vita discalceatum sæpe consueuisse incedere affirmat, aut Horatij, lib.1. Epist.19.

Quod si quis vultu toruo ferus, ac pede nudo
Exiguæque togæ simulet textore Catonem,
Virtutemque repræsentet moresque Catonis.

P. Terent. Phormione Act.1.sc.2.
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem
Capillus passus, nudus pedes, ipsa horrida.

Quod consuetudinis Iudæorum, apud quos, qui nuptias recusabant, nudis pedibus incedere cogebantur, puto, vt carentia prolis plecteretur, D.Cyprian.lib.2.in Iudæos Iuuenalis Sat.6.v.159.
Obseruant vbi festa mero pede sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Omitto nudipedalia festum fuisse apud gentiles, Græcos, Romanos, Barbaros, in quo nudis pedibus oportebat omnes incedere, sed ab aliis id obseruatum. Q. Tertullian. Apologetici c. 40. *Denique cum ab imbribus æstiua hiberna suspenduntur, & annus in cura est, quidam quotidie pasti statimque pransuri, balneis & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Ioui immolatis, nudipedalia populo denuntiatis, cælum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, auersi ab ipso deo & cælo.* Institutio, vt videtur, nudipedalium fuit, vt aquarum cælestium defluxum, terra arescente, impetrare possent, proprium tamen id Iudaici populi festum, describit Flauius Iosephus lib.2. Bell. Iudaic. sed pergo.

Sacri calcei erant, quibus soli sacerdotes rem diuinam facturi videbantur. describit Seruius Honoratus ad librum quartum Æneid.vers.516. *& bene ipsa, quia supra de sacerdote erat locuta, vnum exuta pedem, quia id agitur, vt & illa soluatur, & implicetur Æneas: solent enim & resultatoria sacrificia in aruspicibus fieri, & Iunonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi insolutis nodis, in veste recincta, quia in sacris nihil licet esse prælizatum, præcipuè eius, quæ amore vult solui. sanè flaminicæ non licebat neque calceos, neque soleas morticinas habere, morticinas autem dicuntur, quæ de pecudibus sua sponte mortuis fiebant.* alludit ad eum ritum Martianus Capella libro secundo *& ne Philologia ipsius Phronesis careret ornatibus, eius pectori, quo verius comeretur, cingulum apponit, calceos præterea ex papyro textili subiigauit, ne quid eius membra pollueret morticinum.* vnde in ceremoniis Flaminum & Flaminicarum relatum & illud est, à Fabio Pictore referente A. Gellio libro decimo capite 15. *mortuum nunquam attingit.* Appian. Alexandrinus meminit lib.5. Bellor. Ciuil. cuius hæc sunt verba in Latinum versa. *exutus nempe curis omnibus & imperij obsequiis, stolam quadratam Græcorum more, pro patria & domestica induit, calceamenta candida, qualia Atheniensium sacerdotes, & Alexandrinorum, quos Phæcasios vocant, deferre consueuerant sibi assumpsit.* Erastothenes in Mercurio.

πέλμα ποτὶ μὲν ὑπῆεν λεπτοῦ φαικασίοιο.
Soleam olim subibat tenuis Phæcasii.

De istis etiam Herodianus histor. libro quinto in Heliogabali luxu, Politiano interprete. *exta porro victimarum, atque aromata intra lances aureas capitibus impolita gestabant non quidem famuli aliqui, aut humiles personæ, sed præfecti exercitibus, & quicumque maximas dignitates obtinebant, induti tunicas talares & manuleatas, vnamque in medio purpuram ferentes, sed & linteis calceamentis vtebantur, quemadmodum vates in iis regionibus consueuerunt.*

Principum siue Imperatorum Romanorum calceamenta erant cultu, pretio, coloréq; ab aliorum distincta. *Campagos* appellatos constat. Iul. Capitolinus in Maximino Iuniore. *calceamentum eius, id est campagum regium, quidam posuerunt.* Trebell. Pollio in Gallien. *caligas gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellaret.* Idem valent Zancæ, siue Tzancæ, vt ex codice Theodosiano notatum reperies à Iacobo Cuiacio libro vigesimoprimo. Obseruation. capite 18. Curopalates siue Georg. Codinus libro de Offic. Aul. Constantinopolit. pagin. 55. καὶ ὅπερ εἴδος ὑποδημάτων, ἃ καλοῦσι τζαγγία ἔχοντα ἐν ταῖς ... κατὰ τὰς κνήμας καὶ ... τῶν ταρσῶν ... διὰ λίθων καὶ μαργάρων, ... *& alterum calceamentorum genus, quæ dicuntur Tzaggia, habentia ad latus secundum suras, & tarsis, aquilas ex lapillis & margaritis, quæ fert etiam imperator ad ambulationes & adorationes.* Græ-

Græca hæc dictio est, & ab Arabibus petita, nam apud illos *Tzagaiha*, & Turcos, idem est ac *quieti dare, collocare commode.* vt à Francisco Iunio video discussum, quare *Tzagge* non vero *Tzanga* appellari debent, vt male legitur in eodem Curopalate pag. 169 τὴν τοῦ βασιλέως τζάγγαν φοροῦσι. *Imperatoris ferentem Tzangan.* quod autem de Aquilis hic dicit, intelligendum puto de Aquilarum effigie gemmis vel auro intexta aut assulta calceis, talis enim calceorum ornatus illo sæculo erat. Nicephor. Greg. libro quarto de Michaëlis Palæologi socero. *Cæsar cum Despote socero Sebastocrator appellatur, soceri vero illustre discrimen in cæruleis calceis aquilæ intertexta constituebant.* tarsi nomine superiorem Imperatorij calcei partem significauit cùm aquilæ illæ, vt iam monui, apponebantur, assuebanturve. Idem Curopalat. ἔχοντα ἀετοὺς μαργαριταρίους ἐν πλαγίοις τε καὶ ἐπὶ τῶν ταρσῶν, ἤτοι ἐπάνω τῶν ὑποδημάτων μουζακωτῶν. *habentes aquilas ornatas margaritis, ad latera, & in tarsis, id est, super calceos picturatos de Musas.* quod autem soli Imperatores eo possent vti calceo, certum, tum ex Iure canonico, vt alij præoccupatum: tum ex loco pulcherrimo, in inaugatione Iustini iunioris, quem integrum adscribam è Corippo libr. 2. Num. 4.

Purpureo suræ resonant fulgente cothurno
Cruráque puniceis inauxit regia vinclis
Parthica campano dederant, quæ tergora fuco
Qui soles edomitos victo calcare tyrannos
Romanus princeps, & barbara colla domare.
Sanguineis prælata rosis laudata rubore,
Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis:
Augustis solis cultu compescit vti,
Sub quorum est pedibus regum cruor. omne profecto
Mysterium certa rerum ratione probatur.

Hæc de translato iam Byzantium imperio intelligenda: at antea varia calceorum ornamenta, pro diuersa principum libidine, aut moderatione, Carinus Augustus *non gemmis adsutis calceis, sed fibulis gemmeis* vtebatur. Flauius Vopisc. in eo. Idem non minori luxu factitatum ab Heliogabalo. Æl. Lamprid. *habuit in calceamentis gemmas, & quidem sculptas, quod risum omnibus mouit, quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant*: Et de iisdem aliis gemmis loquitur idem author in vita Alexandri Seueri in limine. *gemmas in calceamentis & vestibus tulit, quibus vsus fuerat Heliogabalus.* Diocletianus Cæsar *ornamenta gemmarum vestibus calceamentisque indidit: nam prius imperij insigne in chlamyde purpurea tantum erat.* vt verba vsurpem Eutropij histor. libr. 10. quod vt rem insolentem miro consensu scriptores Ecclesiastici prodiderunt. Euseb. Cæsariens. in Chronico, vertente D. Hieronymo, *primus Diocletianus adorari se vt deum iussit, & gemmas vestibus calceamentisque inseri. cum ante cum omnes Imperatores in morum iudicum salutarentur, & chlamydem tantum purpuream à priuato habitu plus haberent.* Aurel. Cassiodor. in Chronico suo consulari Fausto & Gallo Coss. *primus Diocletianus se vt deum adorari iussit:* deinde eadem quæ D. Hieronymus subiungit, nescio quæ ad eum locum deblaterat Cuspinianus pag. 481: Laziardus eadem penè ad verbum narrat histor. vniuersal. Epitomæ cap. septuagesimo secundo. *hic vt deum se adorari mandauit: primus vestibus & calceamentis gemmas inseri iussit, cum autem omnes Imperatores in modum iudicum incederent, & solam chlamydem purpuream vltra communem habitum haberent.* Addo Viennensis chronic. ætate 6. pag. 136. *hic Diocletianus primus vestibus calceamentisque inseri iussit gemmas, dum sola purpura, retro principes vterentur.* Martianus Polonus Archiepiscopus Consentinus chronic. libr. 4. pagin. 181. eadem penitus verba habet. Denique Fr. Iacobus Philippus Bergomensis Supplementi chronicor. lib. 8. pagin. 162. alios sequutus iisdemque verbis narrauit. Tam mali exempli res visa est, vt consensu vnanimi omnium scriptorumque prodi meruerit. Sed ad alia pergo *Soccos muliebriter ornatos* gestabat Caligula. C. Plin. lib. 9. cap. 35. Demetrius Antigoni filius *aureos calceos.* Plut. in eo.

Principum calceamenta Aquilis distinguebantur, vt dixi, *Senatorii* lunæ dimidiatæ effigie. vet. Schol. Iuuen. ad v. 192. Sat. 7. *patricius senator est, lunula nam adsuta calceis discernuntur patricii à nouitiis.* causas ex Plutarc. Probl. Roman. c. 76. alii discusserunt, & ex Isidoro l. 13. cap. 34. quę non exscribo. Adde, id forte factum, vt imperii incrementum, decrementumque lunæ simile intelligeretur: vel quod antiquitatem generis sui, nulla alia re melius possent ostendere, quam si ad Arcades genus suũ referrent, qui priores erant luna ipsa Ser. Maur. ad v. 342. li. v. Georg. *Arcades Proselenos se esse asserunt, quod & Cicero in Fundaniana commemorat.* locus fabulæ datus, *quod post diluuium genus humanum ab iis propagatum putaretur.* vt vnanimi cõsensu prodiderunt Blondus de Roma Triumphante lib. 9. Cælius Rhodiginus li. 20. Antiquar. Lection. cap. 7 Ioannes Pierius libr. 44. Hieroglyphic. Atque ita esse volunt Seru ad illud lib. 7. Æneid.

—Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iouem.

purpurei essent, mulierum albi, virorum nigri. Iuuenal. Sat. 7. supra hoc capite laudatur. Q. Horatius lib. 7. Sat. 6.

—Nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum dimisit pectore clauum.

Helenius Acron. *altiores sunt calcei senatorum.* negligenter sanè, & haud scio an vere, nam vt infra dicetur, altiores erant calcei muliebres, non autem senatorij, malo de ansulis quibus constringebantur intelligere Satyricum, quam de altitudine ipsorum calceorum, quippe ille *impediit crus*, scilicet ansis extensis in crura. melius Christophorus Landinus, *apud antiquos non nisi nobiles nigris calceis vtebantur*, facile est intelligere Martialem libr. 7. epigr. 32.

Sordidior cæno cùm sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna niue.
Deiectos quid, inepte, pedes perfundis amictu?
Collige Cinna togam, calceus ecce perit.

Vituperat Cinnam, vel quia sordibus erat, lutóque albos ferebat calceos, vel quia cum fœminis communes gerebat, hoc est albos, vt præcipit Ouidius puellis, quæ amare aut amari cupiunt, lib. 3. de Arte.

Pes malus in niuea semper celetur aluta,
Arida nec vinclis crura resolue tuis.

At nescio cur ille vincula vel ansas femininis calceamentis attribuit, cum alij nullis vinculis ea adstricta fuisse contendant, M. Manil. li. 5. Astronomic.

Fœmineæ vestes, nec nexæ tegmine plantæ,
Et species, fictique placent ad mollia gressus.

Certe tamen in omnibus omnis sexus calceis ansas fuisse suspicor, Achill. Tatius de Amorib. Clitoph. & Leucipp. lib. 1. *corollæ iis in capite erant, crines per humeros effusi, pedes vinculis exuti, crura vestibus zonaque genu tenus succinctis nudata.* ita enim Latine verba ipsius sonant. vetus scholiast. Iuuena. ad v. 20. Sat. 7. *calciarij cum festinant & ansas caligarum prætereunt nonnullas.* Fest. Pompeius libro 1. *amenta quibus vinciuntur solearum lora.* Petron. Satyrici pag. 110. *atque alius tunicam meam lacerat, alius vincula calceamentorum resoluit ac trahit.* Plinius obseruatus Douzæ lib. 9. cap. 35. Terentius in Heautontimoro. *detrahere soccos*, Plautus in Epidico, *soccos adimere pedibus*, & in captiuis, *compedes adimere.* ex quibus illud mutuatus est P. Ouidius vt notauit Hercules Ciofanius lib. 3. Metamorphos.

Vincla dua pedibus demunt.

Idem sæpe alibi. lib. 2. Fastor.

Fregerat armillas non illa ad brachia factas,
Scindebant magni vincula parua pedes.

Et lib. 3. Fastor.

Nec quisquam inuita faciet bene vincula planta
Pallade.

Et lib. 5. Fastor.

Ille memor veteris ritus, timidúsque deorum
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.

Virgil. lib. 8. Aeneid.

Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis.

Alb. Tibull. lib. 1. Eleg. 6.

Vinclaque de niueo detrahat ipse pede.

Eiusdem libri eleg. 8.

Ansaque compressos alligat arcta pedes.

Vnde in sacris expiatoriis, vt notissimum est, calciamenta solutis vinculis & ansis pedibus detrahebantur. Virgil. li. 4. Aeneid. de Didone sacris magicis operante.

Vnum exuta pedem vinclis.

Valer. Flacc. lib. 3. Argonautic.

Ducit & ad fluuios, & vincula soluere monstrat.
Prima pedum glaucásque comis prætexere frondes,
Imperat.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 402.

—Retinacula bina cothurnis
Quæ stringant crepidas.

Protendebantur certæ ansulæ à pede per tibiam, atque crus obligabant. idem Sidon. eodem carmine.

—Et concurrentibus ansis
Vinclorum pandas texunt per crura catenas.

Et lib. 8. Epist. 11.

—Atque vinculorum
Concurrentibus ansulis reflexa
Ad crus per cameram catena surgat.

Marc. Manilius lib. 5.

Perque caput ducti lapides, per colla manúsque
Et pedibus niueis fulserunt aurea vincla.

Corippus loco proxime supra à me laudato.

Cruraque puniceis induxit regia vinclis.

Nec Græca in hoc consuetudo à Romana est alia, siquidem & Homerus ligata calceamenta fuisse innuit, Odyss. lib. 2. in principio, obseruante Hieronymo Magio lib. 3. cap. 2. apud quem & multo plura vide huc spectantia, ad crura siue ad suras protensas hasce ansas, præter loca iam citata probat Liuius An-

dronicus poëta vetus apud Terentianum Maurum lib. de Metror. generib.

Et iam purpureo suras include cothurno,
Pristaque iam grauida cripitent tibi terga pharetra.

Ex quo imitatus Virgilius Ecloga 7. dixit.

Purpureo stabis suras euincta cothurno.

Et lib. 1. Æneïd.

Purpureóque alte suras vincire cothurno.

Meretricij calcei erant ab his, quos iam enumeraui, diuersi colore rubri. Theodorus Marcilius, ad illud Persij Sat. 5. & alij viri docti.

—Solea puer obiurgabere rubra.

Seruiles, siue, vt melius dicam, seruorum calciamenta non minus differebant, ab aliis, nam ætates, sexus, dignitates, & officia omnia vestitu, & præsertim calceis distinguebantur. C. Plin. lib. 35. c. 18. in fine. *tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo, vnde cretatis pedibus aduenissent.* Nota igitur cretacea impressa, pedes seruorum signabantur. Ouid. lib. 1. Amor. eleg. 7.

Despice gypsati nomen inane pedis.

Alb. Tibul. lib. 2. eleg. 3.

Nota loquar, regnum ipse tenet, quem sæpè coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

D. Iuuenal. Sat. 1.

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Serui in catasta venales sic notati exponebantur. Martial. libro 9. epigr. 30.

Heu quæ lingua silet non illam mille catastæ
Vincebant,

In eo loco variæ stationes, pro ætate, forma, aut pretio mancipiorum venalium, idem lib. eodem epigr. 60.

Inspexit molles pueros, oculisque comedit,
Non hos, quos primæ prostituere casæ,
Sed quos arcanæ seruant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

Sequuntur *militares* calcei. de quibus spero futurum, vt abundè dicatur libro 10. huius operis. vet. scoliast. Iuuenalis ad v. 14. Sat. vlt. *darupsis militibus calceamenta dixit.* corrigendum censuit Pet. Pithæus, *pro ipsis militibus calceamenta dixit.* Ipse Satyricus.

Bardaicus iudex datur hæc punire volenti
Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ
Legibus antiquis castrorum.

Ael. Lamprid. in Alexandro. *milites calceatos* appellat, Estque præceptum salutare militibus impositum: Epistola Aureliani apud Flauium Vopiscum in vita ipsius, *militis arma tersa, ferramenta samiata, calciamenta fortia sint.* habebant isti calcei clauos, quibus in terram defixis, in eodem vestigio staret miles, nec ad fugam esset idoneus. Iosephus libro septimo belli Iudaici cap. 3. cuius verba sic versa sonant. *calceos habens creberrimis atque acutis clauis, vt ceteri solent milites, fixos, dum strato saxeis crustis solo occurreret, labitur, magnoque cum sono armorum se deiectus solo in tergum fugientes reduxit.* Eandémque narrans historiam Egesippus Excid. Hierosolymit. libro 5. capite trigesimo. *hic Iulianus, qui tergo immineret hostium, dum alios perimit, & claustro coërcet, ipsa alacritate incautior, confixum clauis calciamentum gerens, vsu militarium virorum, non considerans, polito lapide solum stratum, quod cauendum foret, sed quasi in campo præliaretur, securus labitur, & ingentem strage sua sonitum dedit.* Inde & *calciarium* pro donatiuo militibus collato in emendos calciamentorum clauos accipiunt Iurisconf. vnde & *calciatum coercere* dixit Paulus l. 3. ff. de Offic. præfect. vigil. l. 21. ff. de alim. & cib. leg. *diariis & cibariis relictis neque habitationem, neque vestiarium, neque calciarium deberi palam.* Vlpian. l. 8. de transactionib. *de calciario quoque arbitrio prætoris transigendum est.* Suetonius ab hac mente intelligendus in Vespasiano capite octauo. *Classiarios verò qui ab Hostia & Puteolis Romam pedibus per vicos commeant, petentes constitui sibi aliquid calciarij nomine, quasi parum esset sine responso abegisse, iussit post hac excalciatos cursitare.* id ipsum à C. Tacito lib. 3. Histor *clauatum* fuisse dictum obseruauit eruditissimus Læuinus Torrentius.

Sunt præterea & calcei *venatorij.* altiores scilicet, quo à luti iniuria defenderentur, quos alij cum cothurnis confundunt, sed parum refert.

Comicorum ac Tragicorum calciamenta hoc ipso libro capite octauo explicata vide: Iam verò ad materiam, vnde calcei fiebant, pergam, quæ quam multiplex fuerit, breuibus ostendetur, deinde ad species quasdam celebriores, ac notiores promouebitur oratio.

Primum è *corio crudo bubuli* conficiebantur calcei, vt omittam delicatius illud corij genus, quam alutam supra citatus Iuuenalis, & alij, appellant, Xenophon Socraticus Anabaseos libro tertio. *cum defecissent veteres calcei, habebant ex recentibus coriis bubulis carbatinas confectas.* Ita Latina donauit ciuitate verba diserti Scriptoris Angelus Polit.

Iul.

Iul. Pollux. libr. 7. cap. 22. *καρβάτινα μὲν, ἀγροικῶν ὑποδήματα, κληθὲν ἀπὸ Καρῶν* *carbatina verò, rusticorum calceus, à Caribus dictum.* Q. Catulli. Epigr. 97.

Ista tamen lingua si vsus veniat tibi possis
Culos, & crepidas lingere carbatinas.

In editione Achillis Statij Lusitani, legitur, *crepidas cercolipas*, nullo sensu, alij contendunt scribi oportere, *cercopythas*, deniq; nonnulli, *coprotinas*. sed prior vulgatiorque lectio melior est, quippe Aristoteles libr. 2. de Anima, prodidit *mulos carbatinis calciari solere, ne itinere longiori fathiscant.* Et Lucianus in Pseudomante, *oratores è Paphlagonia carbatinis indui*, author est.

Secundo *ex aluta coccinea* seu versicolore, aut cocco infecta & calcei confici soliti. Martial. lib. 2. epigr. 29.

Coccinea aut læsum cingit aluta pedem.

Tertio *ex pelle hædina*. Epiphanius, Athenæus, & Pollux, citante Paulo Leopardo lib. 2. Emendation. cap. 2. vocatique istiusmodi calcei, à nonnullis *hædones*, à quibusdam, *vdones*, ab aliis, *odones*, denique sunt qui *adones* appellant. vt inter viros non ineruditos controuersum est Fran. Accursium, & Lazarum Baifium. Et de his intelligendus est Martial. libr. 14. epigr. 140. epigraphe est, *vdones cilicij*, in aliis editionibus scio aliter legi.

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti,
Cyniphio poterit planta latere sinu.

Et illud eiusdem poëtę festiuissimum li. 12. epigr. 45.

Hædina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticémque caluæ,
Festiue tibi, Phœbe, dixit ille
Qui dixit caput esse calceatum

Quarto, *ex subere*, sed eius, vt puto vsus tantum ad subleuandos calceos, altioresque reddendos, nam & Augustus, vt historici prodiderunt, altè subleuatis calciamentis vsus est, quod in vniuersum de Persis accepimus, qui altum & duplum gerunt calceum, & ei interdum aliquid subiiciunt, quo altiores videantur, exigua enim apud eos esse statura, in vituperio positum, itaque eam subueniendi naturæ defectui excogitarunt rationem, fusè Strabo libro decimo quinto, eósque propriè fæminarum esse gestamina, Xenophon innuit in lib. de tuenda re familiari, siue in Oeconomico, vbi de vxore Ischomachi, Et ex eodem, vti & ex Alexi Comicho apud Athenæum libro decimotertio liquet non minus Græcarum, quam Romanarum mulierum eum fuisse morem. Clemens Alexandrinus libro tertio pædagog. C. Plinius libro decimo sexto capite decimo octauo, *vsus eius* (suberis) *in anchoralibus maxime nauium, piscantiúmque tragulis, & cadorum obturamentis, præterea in hyberno fæminarum calceatu.* sed pergendum.

Quinto, *ex ferro*. ferreum enim calceum Empedocli Agrigentino attribuit Alexander ab Alexandro libro quinto Genial. dier. capite decimo octauo: quod controuersum tamen est.

Sexto, *ex ære*, talis enim fuit Empedocli eidem calceatus, Philostrat. in Helladicis, Fauorinus & Neanthis apud Diogenem Laërtium libro octauo: quibus adstipulatur Ælianus variar. histor. libro duodecimo cap. 32.

Septimo *ex ligno*. C. Petronius, Satyrici pagina 49. *alius furca de carnario rapta, flatum præliantis componit, anus præcipuè lippa sordidissimo linteo præcincta, soleis imparibus ligneis imposita canem ingentis magnitudinis catena trahit.* Auctor Rhetorices ad Herennium *pedibus soleæ ligneæ inductæ sunt.* Viri docti obseruarunt *gallicula*s hosce calceos proprie nominari, gloss. vet. *[illegible], gallicula*, gloss. Isidori *gallicæ calces militum.*

Octauo, *ex corticibus arborum*, quod Indis omnibus solemne fuit, Philostratus de vita Apollonij libro secundo capite nono.

Nono, *ex papyro*. quod familiare Ægyptiis, & præsertim sacerdotibus. Herodotus libr. 1. mentio & apud Martianum Capellam libro secundo de Nuptiis, non multum à principio. *calceos præterea ex papyro textili subligauit.*

Decimo, *ex argento*. Paulus Venetus libro 2. de Regionibus Orientalibus capite 14.

Denique aurum, gemmæ, & quicquid pretiosum erat, calceis apponebatur, patet enim ex iis quæ iam præmisi, tum ex loco eleganti libro primo Martiani Capellæ. *calceos autem smaragdinæ fluctu viriditati herbosis vestigiis eius tellus annexuit*, aliquot deinde paginis interiectis, *calcei vero similes ex pyropo; quem iuxta lunam leui quodam tenebróque vultu ex fraterna fulgorum lampade resumebat.*

Species autem notissimæ sunt Sicyonij, socci, Soleæ, cothurni, crepidæ, sandalia, de quibus vltimis consulendi sunt Lucianus lib. de scribẽda historia, Donatus, & Eugraphius

ad P. Terentij Eunuchum Act.5.scena 8. Ælianus var. histor. lib. 1. cap. 18. Achmes Seirim Oneirocrit. cap. 229. Strabo Amasianus libro 19. Geor. Turpilius in Lindia, inter priscos scriptores: si Criticos cupis, legantur P. Victorius lib. 14. variar. Lection. cap. 15. Adrian. Turnebus lib. 30. capit. 38. Et libro 29. capite octauo.

Caput XXXVII.

De Nuptiis, & earum ritibus.

Qvae hic in medium afferemus, debemus clarissimis viris Andreæ Tiraquello IC. Carolo Sigonio, & Barnabæ Brissonio IC. qui tanta industriæ laude ritus eos inquisiuerunt, & explicarunt, vt nihil istorum monumentis addi posse videatur. Quod eò commemoro, ne cornicum oculos configere velle videar, cùm de iis materiis, de quibus tantorum virorum monumenta extant, hic differere instituerim. Quæcunque etenim apud illos ipsos auctores obseruatione & notatu digna legi, quæque huic meo instituto conuenire putaui, huc transtuli tantum eam ob causam, vt & illi, qui librorum talium copia destituuntur, habeant quæ de nuptiis veterum sciri possent: reliquos verò, quibus libri isti suppetunt, moneo, atque hortor, vt his relictis illos libros diligenter euoluant, cuius quidem lectionis eos minime pœnitebit. Vt autem via & ordine hæc procedat tractatio, primum de sponsalbus dicemus; deinde de personis inter quas more maiorum nuptiæ fieri potuerint: tum de tempore, quo nuptiæ apud antiquos celebrari consueuerunt, postremùm de iis nuptiarum ritibus quibus capite sequenti pauca quædam de Diuortio, Repudio, & nuncij remissione adiiciemus. Ac de sponsalibus primum. Sponsalia à sponsionibus, vel spondendo nomen habent, sicut etiam sponsi, sponsæque appellatio inde ducta est, quod veteres stipulari & spondere vxores solerent, Vlpiano ac Florentino testibus. Quamuis aliter sentiat Verrius Flaccus, qui, vt est apud Pompeium Festum, sponsorum & sponsarum nomen inde tractum existimabat, quod σπονδῶν interpositis rebus diuinis facerent. Sed nobis potior sit auctoritas Vlpiani & Florentini, præsertim cùm ipsorum sententiam etiam confirment veteres sponsaliorum ritus. Fuit enim in more priscis temporibus, vt qui vxorem ducturus, ab eo, vnde ducenda erat, eam in matrimonium datum iri, stipularetur: idque qui nuptum daturus erat, spondere: qui contractus stipulationum, sponsionúmque, dicebatur sponsalia. Hoc Seruium Sulpitiũ in libro de Dotibus, Neratium Priscum in lib. 4. c. 4. reliquit. Huius moris vestigia apud Plautum non pauca extant, quorum vno atque altero hic contenti erimus. Sic enim in Aulularia Megadorum ab Euclione filiam stipulantem facit:

M. Qui nunc etiam mihi despondes filiam? E. illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. M. Sponden' ergo? E. Spondeo, &c.

In trinummo quoque, Lysiteles à Charmide ita stipulatur:

Sponden' ergo tuam gnatam vxorem mihi? CH. *Spondeo. & mille auri*
Philippûm dotis.

Et paulò post:

Istbac lege filiam tuam sponden' mihi vxorem dari?
CH. *Spondeo.* CA. *Et ego spondeo idem hoc,* &c.

Respexit ad hunc morem Arnobius libro 4. aduersus gentes, fabulosa Gentilium Deorum coniugia ridens. Eiusdémque meminit Seruius in lib. 10. Aeneid. Nec verò à filiæ duntaxat patre nuptum datum iri; sed à patre viri ductum iri sponsio interponebatur, si modò Donato credimus, qui Terentij verba ex prima Andriæ Scena ad eam rem exponit, quæ ita habent:

Hac fama impulsus Chremes
Vltrò ad me venit, vnicam gnatam suam
Cum dote summa, filio vxorem vt daret.
Placuit: despondi: hic nuptiis dictus est dies.

Cæterùm ad constituenda sponsalia nudus consensus sufficiebat: nec quicquam intererat, vtrum testatio interponeretur, an aliquis sine scriptura sponderet. Denique & absenti absens per epistolam, vel internuncium rectè despondebatur. l. sufficit. l. in sponsalibus. In tabulas tamen vt plurimùm sponsalitiæ conuentiones referebantur: ex quo illud Iuuenalis Satyr. 16.

Si tibi legitimis pactam, iunctámque tabellis
Non es amaturus.———

Et Tertullianus in libro de virginibus velandis: Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsaliorum, & nuptiarum, &c. Quæ tabellæ signatoriis eorum, qui interfuerant, annulis obsignabantur: vnde Iuuenalis de nuptiis contrahendis agens:

——*veniet*, ait, *cum signatoribus Auspex.*

Apuleius Apolog. 2. Habes, Æmyliane, causam totam, cur tabulæ nuptiales inter me & Pudentillam non in oppido sint, sed in villa vrbana consignatæ, &c. In argumentum etiam contractorum sponsaliorum sponsæ à sponso arrhæ dabantur: quemadmodum ex Paulo libro 2. Sent. & ex Gratiani, ac Valentiniani, aliorúmque Imperatorum Constitutionibus intelligitur. Quin & annulus sponsæ pignoris loco mittebatur, quem pronubum Tertullianus in lib. de cultu fœminarum vocat. Isidorus Hispalensis lib. 20. Etymol. Fœminæ, ait, non vsæ sunt annulis, nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius, quàm binos aureos in digitis habere solebant. Idem lib 2. de Diuinis officiis, cap. 25. Quod in primis, ait, nuptiis annulus à sponso sponsæ datur, fit nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis, vt eodem pignore eorum corda iungantur. Vnde & quarto annulus digito inseritur: ideò, quia in eo vena quædam, vt fertur, sanguinis ad cor vsque perueniat. Quam eandem rationem Agel. lib. 10. cap. 10 & Macrob. lib. 7. cap. 13. ex Appione & Ateio Capitone reddunt, cur apud Romanos communi assensu receptum esset, annulum in digito, qui minimo vicinus est, quem & medicinalem vocant, atque adeo manu præcipuè sinistra, gestare. Quem morem etiam Iuuenalis versus Satyra 6. indicant:

Conuentum tamen & pactum, sponsalia nostra
Tempestate paras, iámque à tonsore magistro
Pectoris, & digito pignus fortasse dedisti.

Ferreum verò annulum, eúmque sine gemma sponsæ mitti ætate sua consueuisse, Plin. libr. 33. Natur. histor. cap. 1. auctor est. Porrò à qua ætate sponsalia olim contrahi potuerint ex Modestino lib. 4 Differentiarum l. in sponsalibus. ff. de ritu nuptiarum, liquet, cuius hæc verba sunt: In sponsalibus contrahendis ętas contrahentium definita non est, vt in matrimoniis: Quapropter à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modò id fieri ab vtroque persona intelligitur: id est, si non sint minores, quàm septem annorum. Quæ verba certam nominatim sponsalibus contrahendis præscriptam ætatem non fuisse significant. Quod autem, quantum ad præmia legis Iuliæ & Papiæ attinet, ea demum sponsalia probari, admittique Augustus constituit, quibus biennio post iustæ, ac legitimæ nuptiæ accedere possent, vt proinde minores natu 10. annorum virgines frustra sponsæ haberentur: ideò factum est, quod sponsaliorum obtentu, quæ ad exitum & effectum breui perduci per sponsarum immaturam ætatem non poterant, legi fraudes fieri animaduertisset: vt Dio lib. 54. Zonaras & Suetonius docent. Quod quidem prohibitum non fuit, cum illa, quę septem tantum annos habebat, sponsalia contrahere: sed illud constitutum, ne statim illorum sponsaliorum nomine commodi, lucriue quid percipi posset.

Iam videndum inter quas personas more maiorum nuptiæ fieri potuerint. Ad quam quæstionem vt respondeam, primùm hoc sciendum, Romanum non nisi Romanam ducere potuisse, quod & Iustinianus in Instit. indicat. Romanos hic intelligimus non eos tantùm, qui in vrbe Roma domicilium habuerunt, & vixerunt, sed eos etiam, qui iure ciuitatis donati, rogatione aliqua hoc ius impetrarunt, vt ipsis Romanas ducere: & vicissim filias suas Romanis nuptum dare liceret, quod non est obscurum. Sic enim Strabo refert, Romanos & Albanos summa inter se sacrorum connubiorum, & sermonis necessitudine fuisse deuinctos: & Dionys. lib. 6. multas Romanas mulieres apud Latinos & Latinas apud Romanos fuisse: & Liuius libr. 38. de Campanis auctor est, quod primum habuerint ius connubij cum Romanis, & post defectionem, cùm iterum victi à Romanis essent, M. Val. Messala, & C. Liuio Salinatore Coss. à Senatu petierint, vt sibi ciues Romanas ducere vxores liceret, & si qui priùs duxissent, vt haberent eas, & ante diem nati, vt iusti sibi liberi heredésque essent, idque impetrarint. Quod etiam ciuibus Romanis cum municipibus Latinis ius connubij fuerit, testis est Cic. in Philipp. vbi de Antonio verba faciens, meminit L. Philippum & C. Marcellum Aricinas vxores habuisse: Aricinos autem municipes fuisse manifestum est. In ipsa tamen Vrbe discrimen aliquod connubiorum, inter Patricios & Plebeios fuisse, ne videlicet Patriciis cum Plebeiis Romæ connubium esset, tum Lex XII. Tab. quæ à Dionysio libro 11. recitatur: tum oratio C. Canulei, Trib. pleb. testatur, qui apud Liuium lib. 4. initio ita concionatur: Hoc ipsum, ne connubium Patribus cum plebe esset, non Decemuiri tulerunt, paucis his annis, pessimo exemplo publico, cum summa iniuria plebis? an esse vl-

la maior, aut insignior contumelia potest, quam partem ciuitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi? quid est aliud, quam exilium intra eadem mœnia, quam relegationem pati? ne affinitatibus immisceamur cauent: ne societur sanguis cauent, &c. Peruicerunt autem Tribuni plebis, licet magnis contentionibus, anno V.C. cccix. teste Liuio lib. 4. vt connubia inter Patricios & Plebeios communia essent. Quod etiam nec ingenuus libertinam, nec libertinus ingenuam ducere potuerit vxorem ex lege Papia Poppæa, quæ hoc primum concessit, apparet: quam legem, sicut & totam hanc quæstionem, luculentissime explicauit elegantiss. I C. Barn. Brissonius lib. singulari de Iure connub. quem leges.

Sequitur quæstio tertia de tempore celebrandis nuptiis idoneo. Sponsalibus factis consequens erat nuptiis diem dici: nec verò temere, & è re nata, ac quolibet, prout incidisset, die nubebant: sed in ea re non leuem mensium, temporum, ac dierum delectum habebant. Nonarum, certe Kalendarum posteros omnes dies à nuptiis habitos alienos, Sext. Pomp. Festus scribit. Mensis item Maius, quemadmodum Plutarchus in Quæst. Rom. quæst. 86. testatur, nuptiis infaustus & inauspicatus existimabatur. Ex quo illud olim vulgi sermone tritum prouerbium Mense Maio nubunt malæ. Ouid. libro 5. Fastor. quemadmodum etiam in Kalendario retulimus:

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupsit, nec diuturna fuit.
Hac quoque de causa si te prouerbia tangunt,
Mense malas Maio nubere vulgus ait.

Dies etiam alios, qui nuptiis contrahendis vitabantur, Macrob. libro 1. Saturnal. cap. recenset, cuius hæc sunt verba: Nec hoc prætermiserim, ait, quod nuptiis copulandis Kalendas, Nonas, & Idus religiosas, id est, deuitandas censuerunt. Hi enim dies præter Nonas feriati sunt. Feriis autem vim cuique fieri piaculare est. Ideò tunc vitantur nuptiæ, in quibus fieri vis virginibus videtur. Sed Verrium Flaccum, iuris Pontificum peritissimum, dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, nouas facere ius non esset, ideò magis viduis quàm virginibus idoneas esse ferias ad nubendum. Subiiciet aliquis: Cur ergo Nonis, si feriatus dies non est, prohibetur celebritas nuptiarum? Huius quoque rei in aperto causa est. Nam primus nuptiarum dies, verecundiæ datur: postridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportet adipisci, & rem diuinam facere. Omnes autem postriduani dies, seu post Kalendas, seu post Nonas, Idúsve ex æquo atri sunt. Ideo & Nonas inhabiles nuptiis esse dixerunt, ne nupta aut postero die auspicaretur libertatem vxoriam, aut atro immolaret, quo nefas est sacra celebrari. Idem etiam auctor cap. 16. eiusdem libri ex Varrone: Mundus, ait, cùm patet, Deorum tristium atque inferorum quasi ianua patet. Propterea non modò prælium committi, verùm etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, nauem soluere, vxorem liberûm quærendorum causa ducere, religiosum est, &c. Hæc Macrobius. Parentalibus quoque, quæ mense Februario celebrabantur, coniugium, propter infaustos & ominosos eiusmodi dies, vitandum esse Ouidius libro 2. Fastorum præcipit his versibus.

Post ea præteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiisque venit, funeribusque modus.
Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ,
Expectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurua comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœsta sepulcra faces.

Pomponij tamen nuptias pridie Idus Februarij celebratas Cic. lib. 2. epist. ad Q. Fratrem, epist. 11. indicat. Sed & Saliorum diebus festis abstinendum nuptiis, idem Ouidius lib. 2. Fastorum præcipit his versibus:

Nubere, ait, si qua voles, quamuis properabitis ambo,
Differ, habent parua commoda magna moræ.

Contra coniugio aptissimum esse id tempus, quod Idus Iunias sequitur, ostendit, lib. 6. quo loco filiæ diuturnam salutem precatus, ita concludit:

Hanc ego cum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cauenda forent.
Tunc mihi post sacras monstratur Iunius Idus,
Vtilis & nuptis, vtilis esse viris.

Primo

Primáque pars huius thalamis aliena reperta est:
Nam mihi sit coniux sancta Dialis ait.

Atque ad hunc superstitiosum dierum nuptialium delectum referenda sunt verba Ciceronis libro secundo Epist. ad Quintum fratrem: De nostra Tullia tui mehercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi. Cæterùm confectum est, &c. Tantùm de tempore nuptiis celebrandis idoneo & commodo. Porrò, vt ad ritus tandem aliquando deueniamus, vxorum duo genera fuisse Cic. in Topicis docet: vnum quod propriè vxor dicebatur, alterum quod materfamilias. Verba eius hæc sunt: Si ita Fabiæ pecunia legata est à viro, si ea in manum viri non conuenerat, nihil debetur. Genus est enim vxor, eius duæ formæ: vna matrumfamilias, earum, quæ in manum conuenerunt, altera, earum, quæ tantummodò vxores habentur, &c. Quem ad locum hæc annotat Boëtius: Tribus modis, inquit, vxor habebatur, vsu, farre, coemptione, sed confarreatio solis Pontificibus conueniebat. Quæ autem in manum per coemptionem venerant, hæ matresfamilias vocabantur: quæ vsu vel farre, minimè. Hæc Boëtius, quæ tamen vera non esse ostendit Cicero in Orat. pro Flacco, vbi sic scribit: In manum conuenerat. Nunc audio: sed quæro vtrùm vsu, an coemptione? Vsu non potuit: nihil enim potest de tutela legitima, sine omnium tutorum auctoritate diminui. Coemptione? Omnibus ergo auctoribus, &c. Nam vsu etiam, nedum coemptione vxores in manum conuenisse significat. Iacobus Ræuardus libro quarto Variorum, capite 16. ita Ciceronis locum in Topicis interpretatur, vt dicat Ciceronem per duas vxorum formas intelligere vxorem iustam & iniustam, vti Iurisconsulti loquuntur. Iustam esse ait, quæ in manum viri conuenerit, vsu, farre, aut coemptione, quam Cicero matremfamilias appellat: iniustam, quam sola consuetudo vxorem fecerit, & cum qua ius esse connubii leges non patiantur.

Cæterùm vt ad tres illos modos, quibus vxores iustæ habebantur, reuertar, vsu fieri matrimonium dicebatur, cum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conueniebat, & cum viro ita consuescebat, vt cum iusto marito adeò, vt si vsus ille intra annum non interrumperetur, pro vsucapta iam haberetur: qua de re nonnihil scriptum fuisse in duodecim Tabulis, satis locus hic Agellii indicat. Quintum Mutium Iurisconsultum dicere solitum legi, non esse vsurpatam mulierem, quæ cùm Kalend. Ianuariis apud virum causa matrimonii esse cœpisset, ante diem IV. Kalend. Ianuarias sequentes vsurpatum isset. Non posse impleri trinoctium, quod abesse à viro vsurpandi causa ex duodecim Tabulis deberet, quoniam tertiæ noctis posterioris sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex Kalend. Ex his enim verbis apparet, vt aliarum rerum, sic etiam vxorum vsucapionem fuisse, & si vxor per annum integrum nullo interrupto vsu apud virum fuisset, in manum mariti venisse, & ex tutorum potestate exiisse: vsum verò, si per tres noctes ab eo abfuisset, interruptum fuisse. Hoc enim veteres vsurpari dixerunt. Atque hanc legitimi matrimonii rationem antiquissimam fuisse, & à raptu illo Sabinarum initium sumpsisse, Iacobus Ræuardus Iurisconsultus clarissimus, & quemadmodum Iustus Lipsius eum appellat, Belgicus Papinianus, arbitratur: qui raptus, quia feliciter Romulo successerat, ideò institutum ab eodem rege fuisse putat, vt non vero, sed simulato quodam raptu omnis legitimi connubii ritus perageretur. Quo quidem tempore (verba hæc sunt Iacobi Ræuardi in Commentariis XII. Tabularum, capite 21.) ea fuisse videtur matrimonij contrahendi ratio, vt vsu quisque virginem ex gremio matris, aut ex proxima necessitudine vi simulata raptam, non aliter suam faceret, quàm Romana pubes Sabinas olim virgines suas vsu fecerit. Idque omninò mihi visus est voluisse Festus, cum ita scriberet: Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cùm ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit. Rapiundæ autem vi simulata virginis, quinam olim ritus fuerit, elegãter Apuleius exposuit libro quarto de Asino aureo his verbis: Tunc me gremio suo mater infelix tolerans, mundo nuptiali decenter ornabat, mellitisque suauiis crebriter ingestis iam spe futura liberorum votis anxiis propagabat, cùm in ruptionis subitæ gladiatorum impetus ad belli faciem sæuiens, nudis & incertis mucronibus coruscans, non cædi, non rapinæ manus, afferunt, sed denso, conglobatóque cuneo cubiculum nostrum inuadunt protinus, nec vllo de familiaribus nostris repugnante, ac ne tantillum quidem resistente, me miseram, exanimem, sæuo pauore trepidam, de medio matris gremio rapuêre. Et id quidem illud esse omninò videtur, quod hunc in modum in libro de Spectaculis Tertullianus scribit: Dehinc Equiria Marti Romulus dixit: quanquam & Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicauerit, Deo, vt volunt, consilij: eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitabit. Probum planè consilium, & nunc quoque apud ipsos Romanos iustum & licitum, ne dixerim pe-

nes Deum, &c. Hactenus ex Festo, Apuleio, & Tertulliano Ræuardus, qui etiam affirmat hunc simulatum raptum nulli alii connubii contrahendi modo, quàm ei qui vsu fiebat, conuenire.

De Confarreatione loquitur Dionysius in Romulo, sacras nuptias scribens Farracia esse dicta, quòd eodem farre coniuges vescerentur, quo etiam victimas respergerent. Itaque Vlpianus titulo x. Institutionum: Farre, inquit, conuenitur in manum certis verbis & testibus decem præsentibus, & solenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur. Et Plinius libro 18. capite 2. In sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat, nouæque nuptæ farreum præferebant. Et tertius libro tertio Annalium conferreandi consuetudinem aut omissam, aut inter paucos retentam fuisse. Hinc diffarreatio apud Festum dissolutio matrimonij dicitur confarreatione contracti. Quod autem Boëtius scribit conferreationem solis Pontificibus conuenisse, id sic interpretatur Ræuardus, eam per solos Pontifices peractam fuisse.

Coëmptio, ait Boëtius, certis solemnitatibus peragebatur: & sese in coemendo inuicem interrogabant: vir ita, an sibi mulier materfamilias esse vellet? Illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat: An vir sibi paterfamilias esse vellet? Ille respondebat, velle: itaque mulier in viri conueniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem, & erat mulier materfamilias viro loco filiæ. Hæc Boetius: quæ etiam totidem verbis refert Seru. in 4. Æneid & Georgic. Coemptionem porrò imaginariis venditionibus peractam, vt & adoptionem, credibile est: in eâ que facienda nummos aliquot dicis causa interuenisse. Id enim in aliis quoque legitimis actibus obseruatur, in quibus specie tenus Mancipationum solennia repræsentanda erant. Ad hanc contrahendi matrimonii rationem pertinet, quod ex Varrone Nonius Marcellus refert his verbis: Veteri Romanorum lege nubentes mulieres asses tres ad virum venientes ferre solebant: atque vnum quidem, quem in manu tenebant, tanquam emendi causa, marito dare: alium, quem in pede habebant in foro Larium familiarium ponere: tertium in sacciperione, cùm condidissent, compito vicinali donare, quemadmodum Iustus Lipsius libro quinto antiquarum lectionum, cap. 22. emendauit, aut (quod Palmerio in Spicilegiis placet) rezonare, hoc est, soluta zona promere. Huius autem modi meminit etiam Cicero pro Muræna: Putarunt, inquit, Iurisconsulti, omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Caias vocari, & in 1. de Oratore: Mirandum non est, qui quibus verbis coemptio fiat, nesciat, eundem eius mulieris quæ coemptionem fecerit, causam posse defendere. Ex hoc ergo fiebat, vt mulier in manu, mancipióque mariti esset, suáque illi hæres fieret. Vir autem non in manu, id est potestate vxoris erat, sed quod coemptus erat, id ei sui hæredis ius tribuebat: qua de re plurib. eruditè disputat Barnabas Brissonius lib. singulari de ritu nuptiarum, Iacobus Ræuardus & alii. Ac de vxorum quidem generibus ac differentiis satis. Iam reliquos nuptiarum ritus explicabimus.

Primùm ergo nuptiæ non nisi captatis priùs auguriis fiebant. Iisque faciendis Auspices olim interponebantur, vt Val. Max. libro secundo capite 1. vbi antiqua instituta persequitur, tradit his verbis: Apud Antiquos non solum publicè, sed etiam priuatim nihil gerebatur, nisi auspicio priùs sumpto: quo ex more nuptiis etiamnum Auspices interponuntur: qui quamuis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia vsurpantur. Vnde notum illud Tullii pro Cluentio: Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus funesto ominibus omnium. Et auspiciorum nuptialium mentio est apud eundem Ciceronem in libro primo de Diuinatione noua: nupta senis crinibus ornari solebat: siue quòd is ornatus vetustissimus esset, seu quòd eo virgines Vestales ornabantur, quarum castitatem viris suis nubentes spondebant, quemadmodum Sext. Pompeius tradit. Cælibari præterea hasta, quæ in corpore gladiatoris abiecti, occisique stetisset, nubentis caput, eodem auctore, comebatur: vt quemadmodum illa fuerat coniuncta cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum viro esset: vel quia matronæ in Iunonis Curitis tutela essent, quæ ita à ferenda hasta (quæ Saliorum lingua Curis dicitur) appellabatur, vel vt viros fortes genituram ominaretur: vel quòd nuptiali iure imperio viri subiiciebatur nubens, quia hasta summa armorum & imperij est. Plutarchus etiam in Romulo docet, esse qui affirment, propterea nuptæ comam cuspide hastilis discriminari, vt signum sit, primas nuptias bello & pugna contractas. Et in Quæstionibus Romanis, quæstione 87. etiam alias qæasdam huius moris rationes affert. Verba eius sunt hæc: Cur nuptarum comam discriminant hastæ cuspide? Aut monentur nuptæ, quæ bellicosis iungantur maritis, debere ipsas ornatu vti simplici, & à luxu ac mollitie alieno: quemadmodum Lycurgus fores & fastigia ædium iubens serra & securi, nullo alio adhibito instrumento, fabricari, omnem luxum superuacaneámque operam præcidit: Aut per ambages

ambages innuitur solo ferro coniugium discissum iri. Aut quia pleraque ad nuptias pertinentia ad Iunonem referuntur. Iunoni autem sacra habetur hasta, & pleræque eius statuæ hasta nituntur, ipsáque dicitur Dea Quiris. Hasta enim antiquis Quiris nominabatur, &c. Huius item moris meminit Ouidius lib. 2. Fastorum his versibus.

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurua comas.

Corona inde redimiri nouæ nuptæ consueuerant, Tertullianus in libro de Corona militis, Catullus in carmine de nuptiis Iuliæ & Manlij.

Cinge tempora floribus Suaueolentis amaraci.

Recta item tunica induebantur, qualem prima Caia Cæcilia texuit, Plinius libro 8. cap. 48. Quod quidem ex fœlici textricis coniugio in vsum venisse, non est dubium, cuius memoriam boni ominis causa in nuptialibus ritibus nouas nuptas vsurpare constat. Cingulo insuper nupta cingebatur, quod vir in lecto soluebat. Factum id ex lana ouis. Sex. Pompeius scribit, vt sicut illa in glomis sublata, coniuncta inter se est: sic vir suus secum vinctus, cinctúsque esset. Catullus in Nuptiis Iuliæ & Manlij, & alij, Arnobius libro 3. aduersus Gentes. Coronam item ex verbenis à se lectis compositam noua nupta, Sexto Pompeio teste, sub amiculo fereqat. Eandem & soccos luteos gestasse Catullus suspicandum relinquit. Velo autem obnubi solebat, cum ad virum deduceretur. Tertullianus libro de Virginibus velandis. At quinetiam velatæ ad virum ducuntur. Vnde nuptiarum nomen ductum est. Nubere enim & obnubere priscis valere & operire significabat, vt Festus Pompeius non vno loco, Nonius Marcellus & alij complures notant. Caper in libro de Orthographia, Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput suum genásque. Velum autem id, quo nuptæ caput operiebatur, Flammeum vocabatur: quo boni ominis gratia eas velari solitas, Sext. Pompeius tradit, ideirco, quòd eo assiduè Flaminica vteretur, cui diuortium facere non licebat. Flammeum autem hoc erat luteum, vt Plinius lib. 21. cap. 8. his verbis docet: Lutei, inquit, video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum fœminis concessum, & fortassis ideò non numerari inter Principales, hoc est, communes maribus ac fœminis, quoniam societas principatum dedit. Vnde Lucanus libro 2. de bello Pharsalico:

Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Quomodo etiam raperentur nubentes ex gremio matris aut proximæ necessariæ; paulò ante ostendimus. Quò respiciens Catullus sic scripsit in Epithalamio Iuliæ & Manlij.

Qui rapis teneram ad virum virginem.

Hoc modò ornata noua nupta in viri domum, tanquam coniugij mansionem, ac domicilium traducebatur: quem morem eleganter explicauit, & multis Iurisconsultorum atque aliorum auctorum testimoniis probauit Barnabas Brissonius, lib. 1. Selectarum ex iure ciuili Antiquitatum, cap 18. Vnde vxorem ducere, quasi domum ducere, Latini dicunt, quemadmodum ex compluribus Plauti locis patet. Deducebantur autem vespere à prætextatis pueris patrimis tribus, quorum vnus facem præferebat ex spina alba, reliqui duo tenebant ducentem.

Faces autem adhibebantur, vel in honorem Cereris, vti Festus tradit: vel quòd non nisi vbi contenebrasset, in mariti domũ sponsa deduceretur, quod Seruius ex Varrone, & Plutarchus docent. Idem Plutarch. in Quæst. Rom. quæst. 2. scribit, quinque tantùm faces, siue cereos in nuptiis, non plures, nec pauciores accendi consueuisse: eiúsque moris causas inquirens, ait id propterea fieri, vel, quæ Varronis opinio sit, quòd ab Ædilibus, qui pluribus quam Prætores, qui trinis tantum facibus vtebantur, ignem sponsi accenderent: vel quod hic numerus impar reliquis præstantior atque perfectior crederetur, & ad nuptias magis quadrare videretur: vel potiùs quod cum mulieres ad quinque plerumque pariant, veteres tot faces, procreationis signa accenderint: vel denique quod matrimonium contrahentes quinque Deorum ope indigere putarent, Iouis perfecti, siue adulti, Iunonis perfectæ, siue adultæ, Veneris Suadelæ, ac Dianæ, siue Lucinæ, quam parturientes inuocant, &c. Hæ faces sæpe à Poëtis tædæ, vel faces iugales, faces legitimæ, tædæ geniales, & festæ appellantur. Nubẽtem à pueris patrimis & matrimis duobus manu deductam colus compta cum fuso & stamine comitabatur. Cuius moris meminit Plin. lib. 8. cap. 48. his verbis: Lanam cum colo, & fuso Tanaquil, quæ eadem Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse, prodente se, auctor est M. Varro, factámque ab ea togam regiam vndulatam, in æde Fortunæ, qua Seruius Tullius fuerat vsus. Inde factum vt nubentes virgines comitaretur colus compta, cũ fuso & stamine, Plutarch. etiam in Quæstionib.

Romanis, quæstione 31. testis est, nouam nuptam secum importare in domum mariti colum & fusum. Præter hæc vtensilia mulioris, & quæ in vsu ac ministerio eius erant, per puerum impuberem in vase operto gestari consueuerant. Puer Camillus, vas ipsum Cumerum proprio nomine vocabatur. De puero Varro lib. 6. de lingua Latina. Igitur dicitur in nuptiis Camillus (siue Casmillus) qui cumerum fert, in quo quid sit in ministerio, plerique extrinsecus nesciunt. De vase Sextus Pompeius: Cumerum vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis vtensilia. Item cumerum vas nuptiale, à similitudine cumerarum, quæ fiunt palmeæ, vel sparteæ ad vsum popularem, sic appellatum. Hoc igitur comitatu nubentes ad mariti ædes accedebant. Aedium porrò fores floribus & frondibus ornari consueuerant, vnde Catullus in carmine de nuptiis Pelei:

Vestibulum vt molli velatum fronde vireret.

Pro foribus autem interrogatæ nubentes, quænam essent, Caias se esse respondebant. Testis & præter alios auctor epitomes lib. 10. Valerij Maximi, qui sic scribit: Cæterùm Caia, vsu super omnes celebrata est. Fertur enim Caiam Cæciliam Tarquinij Prisci Regis vxorē optimam lanificam fuisse, & ideo institutum esse, vt nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Caiam se esse dicerent. Plutarchus in Quæstionibus Rom. quæstione 30. testis est, sponsam introducentes, iubere eam dicere, Vbi tu Caius, ego Caia. quorum verborum plerique hunc sensum esse existimârunt, Vbi tu Dominus, & paterfamiliâs, ego Domina & materfamiliâs. Postes verò ianuæ lana tangi à nubentibus, adipéque vngi & oblini consueuerunt: vnde vxores quasi vnxores dictæ. Seruius in 4. Æneidos: Moris fuit, vt nubentes puellæ simul ac venissent ad limen mariti, postes, antequàm ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo vngerent: & ideò vxores dictæ quasi vnxores. Eadem Donatus in Hecyram Terentij. Plinius libro 29. cap. 2. Idem libr. 28. capite 6. nouas nuptas adipe lupino postes inungere solitas, ne quid mali medicamenti inferretur, scribit. Peracta vnctione, noua nupta limen ianuæ transiliebat, eóque modo in ædes inducebatur. Religioni quippe habebant, si in transgrediendo mulier limen contigisset. Plutarchus etiam in Quæstionibus Romanis, quæstione 29. docet, sponsæ non licuisse transcendere limen domus, sed eam sublatam transportari à Pronubis consueuisse, eiúsque moris rationes aliquot affert: vel quod, in prima ratione, mulieres non vltrò intrauerint domos, sed illatæ sint: vel quod videri velint, non volentes, sed vi coactæ eò ingredi, vbi sint virginitatem amissuræ; vel quod hoc signum sit, exire etiam eas, domúmve relinquere non debere, nisi vt eiiciantur, sicut vi introductæ sunt. Varro autem apud Seruium in 8. Virgilij Eclogam opinatus est, ideò sponsas limen non tetigisse, vt ne à sacrilegio inchoarent, si deposituræ virginitatem, calcarent rem Vestæ, id est, numini castissimo consecratam. Iam ingredienti nuptæ claues dabantur, ad significandam, quemadmodum Sext. Pompeius explicat, partus facilitatem: vel, quod verisimilius est, vt significaretur, ei rerum omnium domesticarum, quæ clauibus concludi solent, curam ac custodiam, totam denique domum, ac rei familiaris administrationem, dispensationémque permitti. Statuebatur quoque noua nupta, quemadmodum à Sext. Pompeio traditur, in pelle lanata, vel propter morem vetustum, quo antiquitus homines pellibus erant induti, vel quo testaretur se lanificij officium viro præstituram. Sed & aqua & igni mariti vxores accipiebant, vnde Sext. Pompeius: Aqua & igni interdici solet damnatis, quæ accipiunt nouæ nuptæ: videlicet quia hæ duæ res maximè vitam continent. Et iterum, Aqua aspergebatur noua nupta, siue vt pura, castáque ad virum veniret, siue vt ignem & aquam cum viro communicaret. Varro lib. 4. de ling. Latin. Igitur causa nascendi duplex, aqua & ignis: ideò ea in nuptiis in limine adhibentur, quod coniungit. Hinc & mas ignis, quod ibi semen, aqua fœmina, quod fœtus ab eius humore, & eorum coniunctione sumit Venus. Idem apud Seruium in 4. Æneid. Aqua & igni mariti vxores accipiebant. Vnde & hodie faces prælucent, & aqua petita de puro fonte per puerum felicissimum, vel puellam, quæ interest nuptiis, de qua solebant nubentibus pedes lauare. Huius moris etiam Plutarch. in quæst. Rom. quæst. 1. meminit, eiusque quatuor rationes in medium affert, quarum prima & tertia cum Varronis ac Sext. Pompeij sententia conueniunt: altera est, quòd hac cærimonia significetur, debere eam, quæ nubit, puritatem, & castimoniam conseruare. Ignis enim, inquit, lustrat, aqua purgat. Vltima est, quòd significet alterum ab altero deseri non debere, sed eos in societate qualiscunque fortunæ persistere, etiam ita rebus ferentibus vt præter ignem & aquam nihil boni vnà frui detur. Adhibebantur porrò his cæremoniis singulis, quemadmodum Aurelius Augustinus ex Varrone docet, singuli Dij, vt cùm mas & fœmina coniungerentur, Deus Iugatinus: cùm nupta domum duceretur, Domiducus vt in domo esset Domitius: vt cum viro maneret, Manturna: cùm postes vngeret, Iuno Vnxia. Martianus Capella, etiam Iunonis Domiducæ, Interducæ, & Vnxiæ meminit.

Acce-

Acceptæ hoc modo sponsæ, & comitibus eius in cœna dabatur à nouo marito, quæ veteribus scriptoribus cœna nuptialis, à Claudiano epulæ geniales appellantur: in quam cœnam aliquanto maiores sumptus quàm in alia conuiuia, facere legibus Licinia & Iulia permittebatur. Tibiam etiam nuptialibus festiuitatibus interuenisse, non pauci Plauti, Terentij & aliorum scriptorum loci declarant. Præterea Thalassionem in nuptiis Romani non secus atque Græci Hymenæum, inclamare consueuerunt: quam acclamationem ex eo inoleuisse Liuius lib. 1. auctor est, quòd in Sabinarum raptu, virgo vna longè ante alias specie & pulcritudine insignis à globo cuiusdam Thalassij rapta fuerit: multísque sciscitantibus, cuinam eam ferrent deducendam, ne quis violaret, Thalassio eam ferri clamitatum. Qua de causa vocem hanc nuptialem factam & ad posteros inde manasse Plutarchus quoque in Romulo & Quæstionibus Romanis quæstione 31 censet. Nonnullis tamen ad lanificium vocis huius originem, causamque referendam esse videtur. Qua in sententia Varronem fuisse, Sextus Pompeius testatur: Thalassionem inquiens, Varro ait, signum esse lanificij. Thalassionem enim vocabant quasillum, qui alio modo appellatur calathus: vas vtique lanificiis aptum. Constat autem lanificiis priscas matronas valde deditas fuisse: præcipuamque his curam & operam impendisse. In fœdere etiam inter Romanos & Sabinos percusso, lex hæc, atque conditio dicta est, vt volentes nuptæ apud viros quibus coniunctæ erant manerent, omnium operum ac munerum vocationem præterquàm lanificij, habituræ, vt est à Plutarcho in Romulo, memoriæ proditum. Nuces à nouis maritis iaci, & pueris spargi consueuisse indicat Catullus in carmine de nuptiis Iuliæ & Manlij, & Virgilius Ecloga 1x.

Sparge marite nuces:——

cuius moris rationem Varro apud Seruium hanc esse putat, vt Iouis omine matrimonium celebraretur: vt noua nupta matrona esset, sicut Iuno. Nam nuces in tutela erant Iouis, vnde & iuglandes vocatæ, qua Iouis glandes. Illud vulgare fuisse idem Varro tradit, idcirco sparsas nuces, vt à rapientibus pueris fieret strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis possit audiri. Aliis placuit, ea id gratia factum, vt se puerilibus omnibus ludis renunciare, & iuuenilia cuncta ludicra relinquere maritus eo iudicio testaretur. At Plinius lib. 15. cap. 22. duas alias recitat, vel, quòd cadendo tripudium sonúmve facerent: vel quia, gemino protectæ essent operimento, vt ita significarent fœtum multis modis munitum. Nubentibus prætextis depositis, à multitudine puerorum, qui ad eam celebritatem frequentes conueniebant, obscæna clamabantur, versúsque mollicie, ac lasciuia diffluentes maxima, nec vlli reprehensioni obnoxia licentia occinebatur: quos versus Fescenninos vocabant, siue quòd ex vrbe Fescennia allati essent, siue quòd fascinum arcere putarentur. Et huius etiam moris apud veteres scriptores testimonia extant. Interea verò lectus nuptialis componebatur. Eum autem proprio nomine Genialem, quasi generalem, appellatum Seruius in 6. Æneidos ostendit: Geniales, scribens, eos proprie esse lectos, qui puellis nubentibus sternuntur, dictósque ita à generandis liberis. Toga verò sterni lectos, & maritorum genios aduocari consueuisse, Arnobius lib. 3. aduersus Gentes, mores vetustate obliteratos recensens, testis est. Et hinc fortasse sacri genium lecti, Iuuenalis Satyra 6. dixit. Noua nupta in cubiculum deducta, vt ait Festus, prætextati eius, qui prælux dicebatur, fax rapi erat solita ab vtriusque amicis, ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte poneret, aut vir in sepulcro comburendam curaret, quo vtroque mors propinqua alterutrius captari putabatur. Aliam causam reddit Seruius, nondum editus, quemadmodum Iosephus Scaliger Castigationibus in Festum annotat: Quæ, inquit Seruius, solent præire nubentes puellas corneæ sanè faces, quæ quasi diutissimè luceant, quas rapiunt tanquàm vitæ præsidia. Námque his qui sunt potiti, diutiùs feruntur vixisse. In cubiculum inferebantur simulacra Deorum, vt ope illorum sine vlla difficultate virginitas auferretur. Hi erant Virginensis Dea, vt virgini zona solueretur. Subiugus Deus, vt viro subiiceretur. Dea Prema, vt subacta ne se commoueret, & comprimeretur: & Dea Pertunda, quæ concuteret & penetraret. Item Venus, & Priapus. Iubebatur autem noua nupta super ingentem fascinum, id est, membrum Priapi, sedere: qui erat in loco altiori, quem indicat Lucanus, inquiens: *Tersum fuit*, id est, stratum pendulum & erectum, in quod ascendebatur gradibus ebore ornatis. Hoc autem fiebat propterea, vt illorum pudicitiam prior Deus delibasse videretur. Docet ex Varrone, Aurelius August. lib. 6. de Ciuitate Dei, cap. 9. & lib. 7. cap. 24. Lactantius libro primo. Post hæc noua nupta lectum viri adibat, in quo eam collocabant pronubæ, quod significat Catullus his versibus.

Iam cubile adeat viri
Vos vnis senibus bonæ
Cognitæ bene fœminæ
Collocate puellam.

Ad huiusmodi enim officium spectatæ pudicitiæ mulieres, & quæ vni duntaxat viro nupsissent adhibebantur, quo matrimonij perpetuitatem, quemadmodũ Sex. Pompeius auctor est, auspicarentur. Inde Cingulum virgineum maritus sponsæ soluebat, teste eodem Pompeio. Erat hoc cingulum Herculaneo nodo vinctum, quod vir soluebat ominis gratia, vt sic ille felix esset in suscipiendis liberis, vt fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit. Idem alio loco: Cinxiæ Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quòd initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta. Vnde Catullus.

Quòd zonam soluit diu ligatam.

Item.

Tibi virgineas zonulas soluunt sinus.

Hoc pacto, quæ sponsa fuerat, fiebat vxor. Postridie nuptiarum apud nouum maritum rursum cœnabatur, & quasi instauraretur, redintegraretúrque potatio, eum diem Repotia, Sexto Pompeio teste, appellabant. Nouæ autem nuptæ munera à cognatis & propinquis mittebantur, eáque sunt Nuptialia dona apud Iurisconsultos. At apud Ciceronem pro Cluentio & Apuleium lib. 6. de Asino aureo, nuptialia dona ea accipienda sunt, quæ ante cõtractas nuptias mulieri à viro offerebantur. Postridie item nuptiarum, noua nupta libertatem auspicans vxoriam in domo viri rem diuinam faciebat. vt est à Macrobio lib. 1. Saturnaliorum cap. 15. proditum. Atque hactenus de nuptiarum ritibus, quorum plerique colligi possunt ex nuptiis Marciæ, & Catonis apud Lucanum lib. 2. belli Pharsalici.

AD CAP. XXXVII.

PARALIPOMENA.

Nuptiarum origo, causæ, ritus, auspices, dos, tabulæ, petere, respondere, sacra nuptiale, epulum, sortitio, Ignis & aqua, in manum conuenire, flammeum, Zona soluta, faces, hymenæus, claues traditæ.

AEqualitas, *quæ ciues ad concordiam maxime hortatur*, firmissimúmque habetur ordinandæ ciuitatis vinculum, nusquam melius inducitur, quam legitimo nuptiarum contractu. P. Cermenatus Rapsod. de Recta regnor. ac rerumpublicar, administrat. cap. 38. hanc quidem æqualitatem videas etiam apud barbaras & immanes omnino gentes obseruari, nam & rex Calechut matrimonia nuptiásque apud suos edidit, & ipse vxori ductæ non prius concumbit quam dignior sacerdotum cum ea cubuerit, & deflorauerit; vt ostendat non tam voluptatis quam retinendæ consuetudinis ciuicæ causa ad nuptias se conuolare, Ludouic. Rom. patric. Nauigation. Ægypti, Æthiopiæ, vtriusque Arabiæ, Persidis, Syriæ, Indiæ lib. 5. capite 4 quinimo qui Respublicas ordinarunt, nuptias introduxerunt, vnanimi consensu, Lycurgus apud Spartanos, Xenophon libr. de Republic. Lacedæmonior. in principio, Et Plato lib. 6. de legibus monet, *primas in republica bene constituta leges de matrimonio esse debere.* quod ea vis non homini modo, sed & belluis insita sit, *sui similis procreatio.* Aristotel. libro octauo, Ethicor. capit. duodecimo, quare Iustinianus August. lib. primo Institut. Imperial. tit. 10. *coniunctionem* siue *copulam* naturæ iuris, nuptias seu *ritus solennes*, iuris gentium esse voluit, neque attinet diuersos gentium aut populorum mores recensere, nam Galli arbitrium electionis ipsi puellæ permittebant, procis ad conuiuium inuitatis, signúmque electi mariti erat, *aquam manibus dedisse*, Iun. Iustinus libro 43. In Lituania fœminæ multos iuuenes alunt, *quos matrimoniorum adiutores* vocant, palamque eos secum cubitum ducunt, Baptista Fulgosius Genuensis, siue Baptistinus Fregosus, (vt voluit Raphaël Volaterranus) libro 2. dictor. factor. memorabil: capi. 1. quem Latini ciuitate donatum debemus Camillo Gilino. Disputant hanc quæstionem eleganter Fr. Patricius Reipublicæ suæ libro 4. titul. 3. Melchior Iunius Politicar. quæst. parte secunda, sed quam diuersi ritus sint, diiudicandum relinquo lectori sedulo, ne mihi magnopere sit necesse, vel ea quæ Olaus habet, aut potius eius Epitomastes Corn. Scribonius Graphæus libro decimoquarto, capite quinto, transcribere. Nec illud sollicite hic adnotandum duco, quod cum legislatores prisci in omnibus rebus parsimoniam laudassent, suisque ciuibus commendassent, tamen in cæna nuptiali permiserint conuentum amicorum cum apparatu indici, siue, vt vult Hecatæus Abderita, *quo testibus multis inter liberos & ciues matrimonium contractum significarent*, siue etiam, vt author est Theo, *quod huiusmodi conuiuia non amicorum tantum essent, sed & affinium & cognatorum*, quos æquum fuerat, societate iam inita co conuocari. Plutarchus libro quarto, Symposiac. capite 3. Theognis quem vnicum mita-

gus

tur Isocrates

οὐδὲν πέφυκ' ἀγαθῆς γλυκερώτερον ὦ Κῦρε γυναικός.

Nihil Cyrne bona suauius est vxore.

Apollonides & ipse poeta vetus.

οὐ χρυσὸς, οὐ τυραννὶς, οὐ πλούτου χλιδὴ
τοσαύτας ἔχει διαφοράς, τὰς ἡδονὰς
ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς
γνώμη δικαία καὶ συνοῦσα τ' ἀνδρί.
Non aurum, non regnum, non diuitiarum luxus,
Voluptates tam eximias praeb[e]t.
Quam boni mariti, & vxoris p[i]a
Voluntas iusta & legitime affecta.

Hippothoon poeta quoque antiquus.

Ἄριστον ἀνδρὶ κτῆμα, συμπαθὴς γυνή.
Bona viri possessio est vxor beneuola.

Duplex igitur nuptiarum contrahendarum causa, vel vt liberi legimo concubitu, proprióque sanguine generentur, qui hæredes familiæ esse possint, quare & qui impotentes naturaliter erant, aut frigidi, quique alia qualibet occulta causa, liberos suscipere ex vxoribus suis non poterant, eas aliis vtendas tradebant, ex eoque coitu natos in spem familiarum suarum educabant, quod de Sarracenis extat apud Cælium Rhodiginum libro 15. Antiquar. lectio cap. 17. & jam idem ante illum prodiderat Ammianus Marcellinus lib. 14. *vita est illis semper in fuga, vxorésque mercenariæ conductæ ad tempus ex pacto.* Id ipsum licet belluinum penitus scio in vsu Spartanis fuisse, Plut. in Lycurgo: & apud Romanos: nam Strabo libro vndecimo, testatur Catonem Vticensem, vxorem suam, ex qua liberos suscipere non poterat, Hortensio concessisse. Altera, non minus potens causa est, vt societas indiuidua, mutuúsque ciuium amor nuptiali hac concordia firmaretur: vsque adeo, vt cum vxores maritos extinctos vidissent, probrosum iis superesse ducerent: Itaque Vuendi, qui Sclauorum, seu Thuringorum genus erant, vxores eidem rogo cum maritis inferebant; Vunefridus Anglus in Epist. ad Edoardum regem: quod familiare Catharis Indiæ genti. Diodor. Sicul. libro 17. Et de Thracibus C. Iul. Solinus idipsum tradidit Polyhist. cap. 16. Et de Indis, Ælian. var. historiar. libro. septimo cap 17. Et de Gallis. Pompon. Mela libro tertio cap. 2 Sext. Propert. libro tertio eleg. Hierocles libro de nuptiis rectissime ἅπαν μὲν γὰρ ἡμῶν τὸ γένος ἔφυ πρὸς κοινωνίαν, πρώτη δὲ καὶ στοιχειωδεστάτη τῶν κοινωνιῶν ἡ κατὰ τὸν γάμον, οὔτε γὰρ πόλεις ἂν ἦσαν μὴ ὄντων οἴκων. *vniuersum enim genus nostrum ad societatem natum est, prima autem & præcipua societas est, quæ per nuptias initur, nam ciuitates sine familiis esse non possunt.* quis vero nescit periculosissimum nascenti vrbi motum incendium discussisse Sabinas virgines, inde maritos, hinc patres ad pacem cogentes? aut quis ignorare potest calamitosum in Rempublicam Romanam ortum bellum, & pene ad internecionem partium, inter Cæsarem & Pompeium dimicatum, extincta Iulia, filia Cæsaris, quæ Pompeio denupserat, quod illa, quamdiu vixerat, impedierat, quod præter historicos exequutus est, M. Annæus Lucanus Pharsal. lib. 1. vers. 114.

——————nam pignora iuncti
Sanguinis, & diro ferales omine tædas
Abstulit ad manes parcarum Iulia sæua
Intercepta manu, quod sibi fata dedisses
Maiores in luce moras, tu sola furentem
Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem,
Excussisque manus inuitas iungere ferro,
Vt soceros generis mediæ iunxere Sabinæ.
Morte tua discussa fides, bellumque mouere
Permissum ducibus.

Sed quia hæc omnia de quarumlibet gentium nuptiis dici possent, & mihi de Romanis tantummodo sermo instituitur, paucula de eorum ritibus subiungam, non ignarus multa sparsim à viris doctis prodita, & à Criticis in hanc rem edita, adi ad librum singularem Barnabæ Brissonij, Andream Tiraquellum de legg. connubialibus, Pet. Gregorium Syntagmat. Iur. vniuers. lib. 9. pene toto, Thomam Treuisanum Venetum, Thadeum Pisonem Soaccium, Tractatu de Sponsalibus, Matrimonio, & eorum priuilegiis.

Primum non quodlibet tempus aptum habebatur nuptiali celebritati, sed plenilunium tantùm, non vero desinens luna, aut incipiens, siue cum *in damno* erat, aut *incremento*, vt loquitur S. Valerianus Sermone de Disciplina: quo tempore & Græci *nundinas* suas celebrabant, frequentabántque publicos consessus, vt constat ex Scholiaste Thucydidis libr. 1. non multum à fine, vbi de fuga Periclis, & querela Megarensium: Nuptias autem tunc potissimum curabant, siue, *quod inde boni ominis nonnihil ex plena luna facile auspicarentur*, siue, *vt frequenti iam & aduenis referta ciuitate, in conspectu ampla multitudinis positæ, celebriores, nobilioresque haberentur nuptiæ.* Menander, Anaxandridesque Comici, Pindarus Hæphæstion, Demetrius Phalereus, laudati à Bernardo Martino variar. Lection. libro 1. cap. 14. eam consuetudinem abunde probant, addendi Pindarus in Isthmiis, & Euripides in Iphigenia, in Aulide, vbi Agamemnon rogatus ab vxore Clitemnestra, quando filiæ suæ vellet celebrari nuptias, respondit hiis verbis

ὅταν σελήνης ἄντυγας ἔλθῃ κύκλος.

Quando lunæ so tunatæ venerit circulus.

Quum dies dicta fuerat pacta dotalibus scribendis, ausp.ces noctu & sub auroram, auguriis operam dabant. Valer. Maxim. libr 2. cap. 1. antiquitatum narrat, sed ante illum M. Cicero libro 1. de Diuinat, *quod in nuptiarum auspiciis declarant, qui re omissa, nomen tenent.* Et in Orat. pro Aulo Cluentio, *nubit genere socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus.* frequentissima eius ritus mentio, C. Tacit. libro 11. de Nuptiis Silij & Messalinæ: *prædicta die adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa conuenisse, atque illam audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse apud deos, discubitum inter conuiuas, oscula, amplexus, noctem denique actam licentia coniugali.* Idem libro 15. Annal. de Nuptiis Neronis principis, & Pythagoræ. *paucos post dies vni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit, in modum solennium coniugiorum denupsit, in litum Imperatori flammeum denupsit, inditum Rmperatori flammeum missi auspices duos.* C. Sueton. in Claudio capite vigesimosexto *quam, cum comperisset super cætera flagitia, atque dedecora, C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio affecit.* Q. Symmach. libro 4 Epist. 4. *cum filios nostros iugali fœdere sociare vellemus, primam super hoc magnificentiam tuam meditatio nostra consuluit, vt cœpto fœlici auspicium à parente publico sumeretur.* Idem lib. 6. Epist. 3. *sororem Poppæam olim viro maturam, te auspice in manum optat accipere.* Seruius ad libro 1. Æneid. & ad libr. 6. aliis obseruatus. vetus scholiast. Iuuen. ad vers. 136. Sat. 10. *auspices solebant nuptiis interesse.* Inscriptio vetus, cuius verba apponam, quod & coemptio, & faces nuptiales, & deductio domum contineantur.

COS. AVG. PVB. CLAVDIO. QVÆS. ÆR. ANTONINAM. VOLVNIAM. VIRGINEM. VOLENT. AVSPIC. A. PARENTIBVS. SVIS. COEMIT. ET. IIII. FAC. IN. DOM. DVX.

Ita poetæ intelligendi, Cl. Claudian. lib. 1. in Ruffinum.

——hac auspice tæda
Oedipodem matri, natæ iunxere Thyestem.

Et in Epigrammatis de laude Serenæ.

Atque vtinam sub luce tua contingeret oris
Coniugis in castris, vel solio generi
Optatum celebrare diem me iungeres auspex
Purpura me, sancto cingeres aula choro.

Et lib. 2. in Ruffinum.

——dilecta hic pignora certe.
Hic domus, hoc proprium tædis genialibus omen.

Idem lib. 2. de Raptu in fine.

——tangénsque cubile.
Omina perpetua genitalia fœdere sancit.

Alibi hoc opere docui corrigendum.

Omina perpetuo genitalia fœdere sancit.

L. Apul. libr. 1. Milesiar. *vix offatum me statim familiares omen nefarium execrati rapsis cuiusquemodi telis prosequuntur.* ante legebatur, *omnes nefarium ex.crati.* Et in libro de deo Socratis, *quum præterea si omnia obseruitares*, corrige & lege *si omina obseruitares.* Ita Iosias Mercerus ad Aristænetum lib. 1. Epist. 3. in nuptiis his vero *optimum augurium ab accipitre circo*, Plin. libr. 10. cap. 8. eique *præsidens Pilumnus & Pitumnus dij.* M. Varro, referente Nonio cap. 12. Martian. Capella lib. 1 de nupt. Merc. & Philolog. in limine.

Connubium diuum componens Calliopæa
Carminis auspicio te probat annuere.

Et eodem libro in fine.

Iungantur paribus nam decet auspiciIs,
Et nostris cumulent astra nepotibus.

Prior versus veteri consuetudine scribendi librariorum imperitorum, sic poterit legi.

Iungantur paribus nam decet auspicIs.

M Plaut. Casina in fine prologi.

Vltro ibit nuptum, non manebit auspices.

L. Sen. Tragædus.

Per ergo auspicatos regij thalami rogos.

Idem Medea act 1. in choro.

Et tu qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextra.

Troade Act. 4. sc. 1.

Quicunque hymen funestus, illætabilis
Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habens
Est auspice Helena dignus.

P. Virgil. lib. 4. Æneid. de Nuptiis Didonis & Æneæ præsumptis.

Diis equidem auspicibus reor, & Iunone secunda
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.

Et lib. 1. Æneid.

——primi que ingeras
Ominibus.

Claudian. Epithal. Hon.

Omina non audes genitrix tam magna fateri.

M. Lucan. lib. 2. Pharsal. de Martiæ & Catonis nuptiis.

Iunguntur taciti contentique auspice Bruto.
Inter auspices nubentium dos consignabatur.

Tacit. supra libro 11. Annal. quædam obiter discussit ex Iurisconsultus P. August. Morlanunus

tinus in Emporio Iuris pagin. 81. sed Grammaticos audio, M. Varronem libro 4. de ling. Lat. *dos est pecunia nuptiarum causa data.* neque tamen omnis dos pecuniarum nomine continetur, quanquam Aristænet. libr. 1. Epist. 6. *καὶ αὐτίκα χρημάτων εἰς προῖκα τῷ σῷ δεήσει πατρί. & breui paratis nummis in dotem tuam opus erit patri.* Helen. Acron. ad Horat. libro 3. od. 24. aliquanto expressius *dos est donum puellarum nubentium.* egregiè definit Vlpianus lib. tertio ff. de iur. dotium. *dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia, quæ consistere non possunt, neque enim dos sine matrimonio esse potest, vbicunque igitur matrimonij nomen non est, nec dos est*: quibus verbis officium, munus, atque ipsam veluti dotis conferendæ originem indicauit, vt & cum matrimonio sit, & sine illa esse non possit, hoc est, *vt onera matrimonij qui sustines, dotem percipias.* Scæuola IC. apud Paulum l. 46. ff. famil. ercisc. consentanea sunt, quæ scripsit Papinianus l. 6. ff. de Castr. pecul. *dos matrimonio cohærens, oneribus eius, ac liberis communibus, qui sunt in aui familia, confertur.* itaque si nulla matrimonij onera fuissent, id est nulli liberi communes, dos diuortio facto, ad vxorem redibat, vti infra dicetur, vel ea mortua sine prole, ad eum, vnde profecta fuerat, vt difficillimum sit diiudicare, quis propriè dominus dotis dici possit. Non me latet sæpissimè ad maritum eam delatam. Pseudocornutus ad v. 14 Sat. 2. Auli Persij. *Nerius morte coniugum locupletatus, fenerator est factus notissimus, dos enim à ciue Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non interuenerit, post mortem vxoris ad maritum pertinet.* lepidissimum est M. Martialis epigramma 43. libro 10.

Septima iam Phileros sibi conditur vxor in agro,
Nulli plus Phileros, quam sibi reddit ager.

A. Persius ibidem loci.

——Nerio iam tertia ducitur vxor.

Et si fortè in adulterio maritus vxorem deprehendisset, dote eam poterat multare. Helen. Acron. ad Sat. 2 lib. 1. Q. Horatii in fine, *antea adulteræ dotem tantùm perdebant.* Ipse Satyricus.

Ianua frangatur, latret canis, vndique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vel pallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus hæc metuat doti deprensa.

Varia autem & multiplex fuit, aut enim *profectitia* dicitur, quæ à parente, vel patre profecta est, aut *aduentitia*, quæ à quouis alio, vel ex mulieris ipsius data est, est denique *recepticia*, quam is, qui dat, in mortem mulieris à marito stipulatur, quod IC. acutissimi obseruarunt, Barnabas Brissonius, & P. Cornelius Brederodius, & alij, quos, quia facile est adire, non exscribo.

Dotem autem vel *dare*, vel *dicere*, vel *promittere* dicunt authores, vt est in l. 3. C. Theodos. de incest. nupt. *dos si qua forte solemniter aut data, aut dicta, aut promissa fuerit.* Caius Institutionibus de Obligationibus titul. 7. *vt si mulier sine sponso vxor futura, siue iam marito dotem dicat.* Sidon. Apollinar. libro primo Epist. 11. *vt familiæ superiori, per filiam quanquam honestissimam iungeretur, contra rigorem ciuici moris splendidam (vt ferunt) dotem Chremes noster Pamphilo suo dixerat.* C. Plinius Iunior libro 2. Epist. 4. *In dotem centum millia contulerim, præter eam summam quam pater tuus, quasi donum dixit.* Sauaroni hoc obseruatum debetur. P. Victor in vita Neronis, *conuocato senatu, dote dicta, cunctis festa de more frequentantibus, nuberet.* M. Martial. libr. 12. Epigr. 42.

Dos etiam dicta est.

Sed de dotis summa non est inter magnos viros leuis quæstio, nam Iustus Lipsius ad Tacit. Annal. 2 Iacobus Curacius ad Nouellam 22. Claudius Musambertius, id est Theodorus Marcilius in Commonitoriis, contendunt summam dotis præstitutæ consueuisse esse *decies.* Alij Critici, Laurentius Ramiresius, ad Martialem in hypomnematis, Iosias Mercerus ad Aristænetum, contra nituntur, dotis dictæ nullam certam summam fuisse, sed ætatem, familiam, conditionem, natalia inspici debere. Ego tamen senatoriam, vt plerumque, dotem puto potuisse præfiniri, cur enim potius census, quam dos, certus foret? & tamen quin census certissimus esset, nullus est, qui inficias ibit: hæc quæ fuerit, omnino non est exploratum. frequentius *decies.* vetus Scholiast. Iuuenal. ad versicu. 335. sat. 10. *centena dabuntur, dos scilicet secundum morem.* L. Sen. Consolat. ad Heluiam cap. 12. *beatiores istos putas, quorum pantomimæ decies sestertio nubunt, quam Scipionum, cuius liberi à senatu, tutori suo, graue æs in dotem acceperunt?* Hotomannus eruditissime multa, in cuius disputat. de aureo Iustinianeo Papinianus IC. libr. 6. de vsur. & fructib. *de fisco ideo numerari decies centena nomine dotis iussit.* hoc est, decies centena sestertiorum nummûm, vt exponit Antonius Augustinus lib. 2. Emendat. cap. 6. ita poeta. Martial. lib. 2. Epigr. 65.

Centena decies quæ tibi dedit dotis.

Et lib. 11. Epigr. 24.

Nubere Sila mihi nulla non lege parata est,
Sed Silam nulla ducere lege volo.

Cum tamen inflaret, decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis, dixi, quid minus esse potest?

D. Iuuenal. loco proxime laudato.
——dudum sedet illa parata
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum signatoribus auspex.

Dote dicta signabantur pacta dotalia, siue tabulæ. M. Fab. Quintilian. libro 5. cap. 11. *nihil obstat, quominus iustum matrimonium sit mente coeuntium, etiamsi tabulæ signatæ non fuerint.* Isidor. libro 9. cap. 8. *ante vsum tabularum matrimonij cautiones quibus inuicem emittebant.* Idipsum & à IC. admittitur l. seia. ff. de donat. int. vir. & vxor. D. Iuuenal. Sat. 2.
Signatæ tabulæ, dictum fæliciter.

Recte *fæliciter*, talis enim erat exclamatio faustior, qua bona quæque ominabantur: & auspiciorem contractus initi euentum. Suet. Domitiano capit. 13. *domino & dominæ fæliciter.* Dositheus magister libr. 3. de Sententiis & Epistolis Adriani Imperatoris allusit, ἀλλὰ καὶ ἐπιτυχῶς τέκνοις σοῖς καταλίπῃς καὶ ὑπόδειγμα φιλοπονίας σοῦ. *sed & fælicior liberis tuis relinquas & exemplum studiorum tuorum.* In MS. antea fuerat ἐπιτύχῳ, sed correxit Melchior Hamenueltus Goldastus. fallitur interim vir doctus, qui putat vocem eam in nuptiis fuisse solemnem, quum de sponsalibus tantum intelligi debeat. vet. gloss. συμβόλαια, *dotalia instrumenta.* Harmenopul. libro 1. titul. 18. *documenta* vocantur, Nouell. 119. cap. 3. Gunther. libro 4.
———totaque caterua
Acclamante viro faustum fæliciter omen.

Tabulæ non prius signabantur, quam solemnis stipulatio fuisset interposita, ex Plauto alij ritum obseruarunt in Curcul. Act 5. scilicet 2. in fine & in Aulular. sc. *præsagibat.* Q. Symmach. libro 9. Epist. 7. *petitoris ambitum, testis fidem in me recipi.* Isidor. lib. 10. Etymologiar. *procax idem quod petax proprie, nam procari est petere, vnde & nuptiarum petitores proci dicuntur.* Idem repetit libro 9. cap. 8. *proci nuptiarum petitores, à procando id est petendo dicti.* Sidon. Apollinar. libr. 2. Epist. 4. *dicet in coniugium petierit.* Idem libro 4. Epist. 20. *vt pote sponsum seu petitorem.* rursusque libro 7. Epist. 2. *adolescens solum, tenuis, peregrinus, puellam non inferiorem natalibus, vxorem petit, impetrat, conscribuntur tabulæ nuptiales.* Nonius Marcellus cap. 5. Num. 69. *virgo prius quam petatur sperata dicitur*, sic Imperatores etiam solent loqui. l. vn. C. Theodos. si quis eam cuius tutor fuerit, corruperit, libro 1. C. Theod. de Nuptiis. Seruius Sulpitius in libro de dotibus, *qui vxorem ducturus erat, ab eo, vnde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri, qui daturus erat itidem spondebat, is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia, tunc quæ promissa erat sponsa appellabatur, qui sponderat ducturum, sponsus.* Setu. ad illud libro decimo Æneid.
———gremiis abducere pactas.

Poetæ sic intelligendi. P. Virgil. in limine lib. 7. Æneid.
Multi illam teto è Latio, magnáque petebat Ausonia.

Q. Catull. Epigr. 68.
Nulli se dicit mulier mea nubere malle
Quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.

P. Ouid. libro 1. Metamorphoseon fab. 9. de Daphnide puella.
Multi illam petiere, illa auersata petentes,
Impatiens, expérsque viri nemora auia lustrat.

Claudian. libro 1. de Raptu.
Posse Iouem, dabitur coniux.

Respondebatur deinde dandam, quæ petebatur in vxorem, puellam, & testatio interponebatur, parum refert, *scriptione, an sine scriptos*, vt loquar cum Iurisconsulto lib. 7. ff. de sponsalibus. in hac responsione ille *Caius*, illa *Caia* vocabatur, rationes pete à Plutarcho problemat. Romanor. cap. 29 M. Fab. Quintilian. lib. primo Institut. Orator. capit. 7. *nam & Caius C. litera notatur, quæ inuersa Ɔ mulierē significat, quia tam Caias esse vocatas quam Caios, etiam ex nuptialibus sacris apparet.* fuit enim vxor bona & frugi Caia Cæcilia, quam & *Tanaquillem* solent appellare, ideo boni ominis gratia, quod fortunatissimum fuisset matrimonium eius, Tarquinij Prisci regis, nomen eius in nuptiali contractu vsurpatum, vide eundem Quintilianum libro 5. cap. 10. Auctorem de vir. Illustrib. & *pro bona qualibet vxore* capitur. D. Hieronym. in Iouinian. vetus Scholiast Iuuenal. ad Sat. 6. v. 564. *Tanaquil, modo pro qualibet vxore posuit nomen, hæc autem Tanaquil fuit Tarquinij Prisci vxor soceri Seruilij Tullij, quæ dicitur mathematicam artem optime scisse.* corrige locum, *Tarquinij Prisci vxor. soceri Seruij Tullij.* constat enim Seruium Tullium sextum regem fuisse, & suasu Tanaquillis regno admotum. quod mathematicas artes dicat scisse, nescio an non *magicas* sit rescribendum Sidon. Apollinar. Libro 5. Epist. 7. *Temperat Lucumonem Tanaquil sua.* id est Chilpericum vxor. Egregie Iuuenalis loco laudato.
Consulis Ictericæ lento de funere matris.
Ante tamen de Tanaquil tua.

Quod

Quod autem proxime citatus Quintilianus docuit nomina ea in *sacris nuptialibus* recepta, pertinet, vel ad auspicia, de quibus iam dictum est, vel ad sacrum quod constat celebrari solitum dum sponsalia fierent, aut tabulæ scriberentur, Virgil. libr. 3. Æneid. & ad eum locum Seruius Hon.

Connubiis aruisque nouis operata Iuuentus.

Perfecit sacrificia propter connubia, & nouas sedes, quia apud veteres neque vxor duci, neque ager arari sine sacrificiis poterat. de huiusmodi solemni sacro est locus Valerij Flacci lib. 8. Argonautic. de Nuptiis Iasonis & Medeæ.

Inde vbi sacrificas cum coniuge venit ad aras.
Æsonides.

L. Sen. Octauia Act. 4. sc. 1.

——————vidit attonitus tuam
Formam senatus thura cum superis dares
Sacrá que grato spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput,
Et ipse lateri iunctus atque hærens tuo
Sublimis inter ciuium læta omina.
Incessit, habitu, atque ore lætitiam gerens
Princeps superbo.

Quem locum ideo adscripsi, quia multos nuptiarum sanciendarum ritus complectitur, nam & sacrificium sponsalium describitur, & rica, siue velamen nubentis & acclamationes illæ, hoc est *ἀγαθῇ τύχῃ feliciter, prospere*, vti supra obseruatum, in MS meo, quo vtor beneficio clarissimi eruditissimique viri D. Iohannis Gouualtij SS. Theologiæ doctoris Sorbonici, ac Grassinæi gymnasiarchæ, non male penultimus versus legitur.

Sublimis inter ciuium læta agmina.

Vt frequens comitatus intelligi possit, quod idem in MS. suo iam Delrio viderat.

Denique tota hæc sponsaliorum solemnitas epulo egregie instructo finiebatur. scio alios notasse, sed non ideo omittam. Q. Flor. Tertullian. lib. de Cult. Fæminar. *præ crea vt conuiuiis multis ac molestiis supersiderent, quæ sic modo ex more nouis maritiis obeunda sunt.* L. Apul. lib. 6. Milesiar. *nec mora, cum cæna nuptialis affluens exhibebatur, accumbebat.* C. Sueton. in Calig. cap. 25. *alij tradunt adhibitum cænæ nuptiali, mandasse ad Pisonem contra accumbentem, noli premere vxorem meam.* Idem in Aug. cap. 53 *dies cuiusque solemnes frequentare desiit, quam grandior iam natu, & in turba quondam sponsaliorum dies vexatus.* huic itaque conuiuio amici quique & familiares, ipsique principes adhibebantur, vt Augusti, & Caligulæ exemplo patet. D. Auson. Epist. 13 de ostreis.

Sed festos quia sæpe dies partim ipse meorum
Excolui inque vicem conuiua vocatus adiui,
Natalis si forte fuit solemnis amico,
Coniugijque dapes aut festa repotia patrum
Audiui, meminique, bona laudare frequenter.

Proprio nomine hoc conuiuium *repotia* vocabatur. Pacuuius in Ilione apud Festum libro 16. & ex eo Paulus, *repotia, postridie nuptias apud nouum maritum cænatur, quia quasi reficitur potatio.* ita capio L. Apuleium lib. 2. Apolog. *ad nuptiales sportulas conuolarem,* nam honestiores cæna dabatur postridie nuptiarum, vilioribus sportula, Coluius & Iuretus iam præoccuparunt. Q. Symmach. lib. 4. Epist. 4. Et lib. 9. Epist. 96 *non eadem tamen facilitate purgabis, quod filij nostri Mineruij nuptias aliorum potius relatu, quam litteris tuis comperi? an veritus es ne à te numisma cusum desiderarem? potuit inclusam sportulæ facere.* locus elegantissimus, quo docemur non conuiuium modo exhibitum, sed & pecuniam vultibus mariti aut vxoris, aut vtriusque signatam dari iis consueuisse, qui ad epulas has nuptiales condixissent, quod nescio an ex alio cuiusquam scriptoris loco probari possit, videndi Helenius Acron & Porphyrion ad Horatij libr. 2. Sat. 2.

Ille repotia, natales, aliosque dierum
Festos albatus celebret.

Quid repotia ab iis cænis quas Codex Canonum *ἀγάπας* appellat Canon. 70. politissimæ lectionis vt Christophorus Iustellus IC. docuit, agapis enim extra nuptias amici adhibiti, repotia sine nuptiis nunquam erant. Iam vero triplex nuptiarum esse genus, notius est, quam quod notissimum, ex Seruio ad librum 1. Georgic. vers. 31. & ad librum 4. Æneid. vers. 214. Boethius Seuerinus ad Ciceronis Topica, per coemptionem, vsum, & confarreationem fiebant nuptiæ. Adde & per sortitionem apud M. Plautum in Casina, *cui titulus Græcus clerumeni, id est sortientes erat.* & in eiusdem fabulæ prologo, Chalinus seruus & Olympio villicus *sortiuntur, vtrius futura sit vxor.* L. Apul. libro nono Milesiar. *pessimam sortitus coniugem* Iul. Firmic. Matern. Matheseos libro tertio capite octauo Num. 7. *sed hi mulieres stupratas sortiuntur vxores, & in frequenter infamium virorum curam tuitionémque suscipiunt.* Idem libro 5. capite primo in horoscopo Sagittarij in fine. *facile ducto vxorem eríntque ei grati coniugales affectus, stupro tamen vel adulterio cognitam coniugem sortietur.* ita in Iure Canonico dicitur C. vero 26. distinct. sor-

viri uxoris coniunctionem. Aurel. Cassiodor. libro octauo Epist. 9. *iunctus A malo genero, nobilissima tibi facta consortia.* Diocletian. & Maximian. Augg. l. decimaoctaua Cod. de de Inoffic. testament. *cum te pietatis rel gionem non violasse, sed mariti coniugium quod fueras sortita, distrahere noluisse dicas.* Theodosius etiam l.2. C. quando & quibus caus. libro decimo v.l *si intra id tempus, alienum ab eadem curia sortiatur maritum, penitusque nupta non fuerit.* Valentinianus eadem loquendi formula etiam vsus l.9. C.de Incolis, & vbi quis domic. eodem libro decimo. *sin autem minoris ordinis virum postea sortitae fuerint, priori dignitate priuatae, posterioris mariti sequentur conditionem.* Vlpian. l.20. ff. de man. vind. *matrimonij causa manumittere si quis velit, & u sit, qui non indigne huiusmodi conditionis vxorem sortiturus sit, erit ei concedendum.* Paulus & ipse IurisConsult. l.8. ff.de Senatorib. *clarissimarum fœminarum nomine senatorum filiæ, nisi quæ viros clarissimos sortitæ sint, non habentur.* adde & historicum sic loquutum C. Suetonium in Tiber. capite 35. in fine. *alium & quæstura remouit, quod vxorem sortitione ductam pridie, postridie repudiasset.* P. Ouid. Epist. 16. Helena Paridi.

Sed siue, quam tribuit sortem fortuna tueri
Nec spolium nostri turpe pudoris habe.

L Sen. Octauia Act.2.si tamen is author est, & non alter humilioris spiritus, quod facile admiserim.

Sortita fratris more Iunonis thoros.

Deducebatur deinde per vim abrepta è gremio matris, in domum mariti, vide quæ de Domiduco deo à me sunt dicta libro secundo capite 29 res notissima est. Synodus Bauarica sub Tasilone Bauariæ duce æuo Caroli magni capite secundo, *de eo, quod sanctimoniales, quæ in seruitio Dei sunt, ita constituit vt nullus ausus sit in coniugium, & matrimonium ducere, aut si quis ausus fuerit contra decreta canonum, ita componat sicut canones decreuerunt.* Martian. Capella libro secundo, *Interducam, Domiducam, Vnxiam, Cinthiam.* (malim legere *Cinxiam*) *mortales puellæ debent in nuptias conuocare, vt earum & itinera protegas, & in optatas domos ducas: & cum postes vngent, faustum omen affigas, & cingulum ponentes, in thalamis non relinquas.* correctio necessaria: plura si lector cupis, adi ad locum iam indicatum.

Proximum est vt de igne & aqua, quos solemnes in nuptiis fuisse sciunt omnes, agatur. Fest. Pompeius libr. 1. *aqua dicitur à qua iuuamur, aqua & ignis interdici solet, quam accipiunt nuptæ, videlicet quia hæ duæ res humanam vitam maxime continent,* eadem Plutarchus Romanor. problemat. cap.1. idem Festus libro 6. *facem in nuptiis in honorem Cereris præferebant, aquaque aspergebatur noua nupta, siue vt casta puraque ad virum veniret, siue vt ignem & aquam cum viro communicaret.* Scæuola Iurisconsult. l. 66. ff. de donation. int. vir. & vxor. *accipere coniugem aqua & igni,* dixit, hoc est, domum suam, sponsam iam exinde sibi futuram ducere, notatum à Iacobo Cuiacio Obseruation. libr.11. cap.2. Cæl. Lactant. Firmian. lib.2. cap.10. *duo illa principalia* (aqua & ignis) *inueniuntur, quæ diuersam & contrariam habent potestatem, calor & humor, quæ mirabiliter Deus ad sustentanda & gignenda omnia excogitauit.* & aliquot lineis interiectis, *alterum enim quasi masculinum elementum est. alterum quasi fœmininum, alterum actiuum, alterum patibile, ideoque à veteribus institutum est, vt sacramento ignis & aquæ nuptiarum fœdera sanciantur, quod fœtus animantium calore & humore corporentur, atque animentur ad vitam, cum enim constet omne animal ex anima & corpore, materia corporis in humore est, animæ vero in calore.* hinc apud M. Varronem *Veneris comites* sunt *aqua & ignis*, vt citauit Adrianus Turnebus lib.20. Aduersarior. cap. 26. eundemque Varronem adi lib.4. Æneid. de nuptiarum præsagio inter Æneam & Didonem.

——fulsere ignes & conscius æther.

Forte & Connubij huc illud Claudiani quadrat, de Nuptiis Plutonis & Proserpinæ lib. 2. de Raptu & discussit P. Nannius libro 7. cap.14.

——ni Iupiter æthere summo
Pacificas rubri torsisset fulminis alas
Confessus generum nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, & testes firmant connubia flammæ.

Nænius poeta apud Nonium Marcellum in voce *puriter.*

Sequere me puriter volo facias.
Aqua atque igni volo hunc accipere.

Stat. Papin. lib.1 sil.2. princ. de Violantillæ & Stellæ nuptiis.

——————procul ecce canoro
Demigrant Helicone deæ, quatiuntque nouena
Lampade solemnem thalamis coeuntibus ignem.
Et de Pieriis vocalem fontibus vndam.

Nuptiæ Iasonis & Medeæ celebrantur à Valerio Flacco libro 8. Argonautic.

Inde vbi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Æsonides, vnaque adeunt, vnaque precari
Incipiunt, ignem Pollux, vndamq; iugalem
Prætulit,

Prætulit, vt dextrum pariter vertantur in orbem.
Causas easdem, quas apud Plutarchum & Luctatium habet enumerat Ouidius lib. 4. Fastor. quem vide locum.
His noua fit coniux, &c.
Et Epist. 14. Hypermnestra Lynceo.
Ducimur Inachides sub magni tecta Pelasgi,
Et socer armatas accipit ipse nurus.
Vndique collucent præcinctæ lampades auro,
Dantur in inuitos impia thura focos.

Lampades, vel quia nubentibus faces prælatæ vt infra hic paulo dicetur, vel quod ignem solemnitatibus nuptialibus adhibitum per lampades exprimit, talis enim erat ille, qui Imperatoribus præferebatur, alibi in hoc opere exposui, vel denique quod nocturnis conuiuijs adhiberentur lampades. de nuptiali hoc ritu, idem ille Ouid. lib. 2. de Arte Amandi:

Ista viri captent, si iam captanda probabunt,
Quos faciunt iustos ignis & vnda viros.

In MS. legitur paruo discrimine, nec quicquam interest.
Ista viri captent, si iam captanda putabunt.

In primo limine aquam exhibebant, cui titionem integebant. M. Varro apud Turnebum lib. 29. cap. 27. *contra à nouo marito cum item à foco in titione ex fælici arbore, & in aquali aqua illata esset.* Inde effectum putem, vt cum in calore generandi potentiam ponerent, in frigore mortem collocarent, nam & ζωὴ vita, à ζεῖν feruendo. Helenius Acron ad lib. 2. Sat. 1. Q. Horatij.
Frigore te feriat.
Luctat. Placid. ad illud Statij lib. 1. Thebaid.
Custodem Pharia somno lotoque iuuencæ Extinguas.

Et Donat. ad illud Terentij in Adelph.
Seni animam primum primum extinguerem.
Virgil. lib. 4. Aeneid. de moriente ex vulnere Didone.
Discessit calor.

Lib. 12. Aeneid.
—soluuntur frigore membra.
Stat. lib. 8. Thebaid.

Ingentesque animas extremo frigore labi Sensit.

Et lib. 3. silua. 3.
—animæque supremum Frigus amat.
Graues ob id ducum querelæ, quod naufragio perirent, ac si non corpus tantum, sed & ipsa anima periret. Synesius Epist. 3. ex Homero, & ipse Homerus lib. 5. Odyss. Curt. lib. 3 de Cydno amne, in quo dum nataret Alexander, pene fuit extinctus. Stat. libro 7. Thebaid.
------ Fluuione, pudet, pater optime merges Hanc animam?
Erat non minus solemne in nuptiis, *in manum conuenire.* id enim proprie dicitur *matrimonium,* quum in manum conuenerant, seseque mutuo emerant nubentes, quo facto ius sibi mutuo succedendi impetrabant. Seruius ad lib. 7. Aeneid. *de iure traxit non vt generum, sed vt hæredem diceret, nam per coemptionem facto matrimonio sibi inuicem succedebant,* locus est M. Varronis lib. 1. de vita populi Romani egregius, *nubentes ex veteri lege Romana asses tres ad maritum venientes solebant ferre, atque vnum quem in manu tenebant, tanquam emendi causa, marito dare, alium quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponere, tertium in sacciperone, quem in compito vicinali certo tempore solebant resignare.* Sophocles apud Ioannem Stobæum, Serm. 66. vbi obiter obseruatum velim *assem* in loco Varronis esse idem ac *sestertium nummum,* Theodor. Marcilius ad leges Xuirales c. 14. Statius lib. 4. silu. vlt. (vt omittam L. Senecam. Epist. 65.)
Emptum plus minus esse Caiano.
Arnob lib. 4. Contra gentes. *vxores dij habent atque in coniugalia fœdera veniunt, conditionibus antea quæsitis, vsu, farre, coemptione.* M. Cicero in Topicis *si ita Fabiæ pecunia legata sit à viro, si ea vxor materfamilias esset, si ea in manum viri non conuenerat, nihil debetur, genus est vxor, eius duæ formæ, vna matrisfamilias, eæ sunt quæ in manum conuenerunt; altera earum, quæ tantummodò vxores habentur.* & ad eum locum Boëtius Seuerinus. Quintilian. lib. 5. cap. 4. *at si quis cum legatum sit ei quæ viri materfamilias esset, neget deberi ei, quæ in manum non conuenerit,* & fortè Papinianus IC. corrigendus foret. l. 15. ff. de ritu nupt. *vxorem quondam priuigni coniungi matrimonio vitrici non oportet, nec in matrimonium conuenire nouercam eius, qui priuigna maritus fuit.* manus hæc Triboniani fuit, scripserat Papinianus, *nec in manum conuenire nouercam eius.* per mendum in eodem IC. l. 121. *mulier ab eo in cuius matrimonium conueniebat.* Fr. Accursius vt solet, moris illius ignarus, interpretatur, *reconciliabatur,* sed *quia alia species exoleuit,* nihil censuit mutandum Andreas Alciatus lib. 7. Parerg. cap. 11. sic tamen constanter boni authores loquuntur. Vlpianus tit. 9. Regular. Iur. *farre conuenitur in manum, certis verbis.* Et titulo vigesimo tertio. *agnascitur suum hæredem in manum conueniendo.* Aul. Gell. libro decimo octauo, capite septimo,

L. Apul. lib. 6. Milesiar. *his rite Psyche conuenit in manum Cupidinis.* Idem libro 8. *dum herilis puella in manum Lepolemi conueneras.* Et rursus eodem illo libro *modo ne in Thrasylli manum sacrilegam conuenias.* Donatus in Andriam P. Terentij Act. 1. sc. 5.

hanc mihi in manum dat.

Confirmatæ sunt legitimæ per in manum coemptionem. paria sunt, quæ reperies apud Seruium ad illud lib. 11. Aeneid.

Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optauere nurum.

Matresfamilias sunt, quæ in matrimonium conueniebant per coemptionem. rescribendum & omnino *quæ in manum conueni bant.* *iustos viros* post hanc coemptionem appellauit Ouidius supra, *iustam vxorem.* Vlpianus l. 13. ff. ad leg. Iul. de adul. De Gregor. Naz. in Carmine de laude Virginitatis.

ὤνιος ὅδ' ἄλοχον πόσις, ᾗ τό γε χείρτερον
πολλάκις οὐδ' ἀγαθοῖς, ᾗ ὤνιος οὖτ' ἀνδρὶ
παλάκι α... ζυγή.

Venalis est vxori maritus, & hoc quod est deterius, sæpenumero neque bonus, venalis vxor marito, sæpe & odiosa. apud Euripidem Medea in Tragædia illa celeberrima sui nominis sic conqueritur.

ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος
λαβεῖν.

Quas primum oportet diuitiarum excessu
Maritum emere, dominumque corporis
Accipere.

Sequitur *flammeum*, hoc est capitis tegumentum Fest. lib. 6. & libr. 13. Isidorus libr. 9. Etymologiar. cap. 8 *quod tegeretur caput, nuptiæ dictæ.* Tacitus & alij supra hoc ipso capite laudati, Sueton. Ner. cap. 28 *cum dote, & flammeo per solemne nuptiarum celeberrimo officio.* Sulpitius Seuerus libro 2. Sacr. histor. *Inditum imperatori flammeum, dos & genialis thorus, & faces nuptiales, cuncta denique quæ vel in fœmina, non sine verecundia conspiciuntur spectata.* Manifestaria Taciti imitatio. L. Apul. lib. 4 Milesiar. *puella nuptura detergit lachrymas ipsa suo flammeo.* Causa certe huiusmodi velamenti erat, ne à quoquam priùs, quam à marito videretur noua nupta, siue pudicitia, (vt cum L. Floro lib. 4. cap. 2. loquar) polluaretur aspectu. Idem Apuleius libro secundo Apolog. *venit igitur ad eum noua nupta secura, intrepida, pudore despoliato, flore exoleto, flammeo obsito*, vetus Scholiast. Iuuen. ad vers. 225. Sat. 6. *flammea, genus amicti, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum: est enim sanguineum, propter ruborem custodiendum.* poetas sic intellige, Claudianum non vno in loco. libro 2. de Raptu.

Et sparsos religant crines, & vultibus addunt
Flammea, sollicitum prævelatura pudorem:

Et de laudib. Stilichonis lib. 1.

——inde pium matris regina gerebat
O sequium, gravibus subnectens flammea gemmis.

Et in Fescenino ad nuptias Honorij & Mariæ.

Iam produnt lachrymas flammea simplices.

Denique in Epithalamio Honorij & Mariæ in fine.

Flammea Virginis accommodat ipsa capillis.

Martianus Mineus Capella lib. 9. de Nupt. Merc. & Philol.

Flammea virgineum quæ obnubere sueta pudorem
Regina deme pronuba.

D. Iuuenal. loco proxime supra laudato.

Segmenta, & longos habitus, & flammea sumunt.

Et Sat. 10. de Messallinæ cum Silio sponsalibus.

——————sedet illa parato
Flammeolo.

M. Martial. lib. 11. epigr. 79.

Flammea texuntur sponsæ, iam virgo parata est,
Tondebis pueros iam noua nupta tuos.

Lib. 12. epigr. 41.

Præ uxore faces, velarunt flammea vultus,
Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.

Q. Catull. Epithalamio Iul. & Mallij.

Flammeum videor videre.

Ouid. lib. 2. Fastor.

Anna tegens vultus, vt noua nupta suos.

Stat. lib. 2. Thebaid. vers. 140.

——Necdum post flammea toti
Intepuere thori.

Dicitur & alio nomine *rica*, Cæsar Germanicus in Phænomenis Arati, vbi de Virgine.

——tristesque genas abscondis rica.

Color illi luteus. C. Plin. lib. 21. c. 8. *luteum video honorem in nuptialibus flammeis, totum fœminis concessum*. citat deinde Verrium Flaccum qui *flammeum nuptæ amiculum vocabat; non quidem à flammæ colore* nomine deriuato, *sed quia flaminica, cui diuortium facere non licebat, eo perpetuo vtebatur, eodem modo tegebatur & nupta, vt perpetuo cum viro maneret.* hoc quidem veteri & probato Grammatico visum ita est, at alij à *lutea* herba, quam Latini *glastum*, Græci *Isatidem* appellant, eum colorem desumptum contendunt. Auson. de Mensib. M. Lucan. lib. 2. Pharsal.

Tunc Aries Veneri lutea serta gerit.

Lutea demissos velarunt flammea vultus. Nec modo flammea lutea erant, sed & alia quoque vestimenta nuptiis dedicata. L. Apul. li. 9. Milesiar. *cingulo subligati, pedes luteis induti calceis.* Q. Catull. loco iam laudato.

Luteum cape soccum.

Estque luteus color flauo in omnibus similis, vtrumque enim, si tamen vlla est differentia nuptiarum solemnitati dicatum esse voluerunt. Adrian. Turneb. libr. 19. c. 32. Albius Tibull. lib. 1. Eleg. 10.

Flauaque coniugio vincula portet Amor.

Et meretricium crinem flauum fuisse disco ex veteri Scholiaste Iuuenal. v. 120. Sat. 6. *crine supposititio rotundo muliebri capitis tegumen, in modum galeæ facto, quo vtebantur meretrices, flauo, nam nigro matronæ vtebantur,* Adrianum Iunium Commentario de Coma c. 1. consule, & Andream Alciatum lib. 2. Parer. c. 1. adde poëtas. Virgilium de Didone lib. 4. Æneid. in fine.

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

De Messalina Iouenal. ibidem loci.

Et nigrum flauo crinem abscondente galero.

Catull. in Argonautico, de Ariadne prostratæ pudicitiæ.

Nec flaua retinens subtilem vertice mitram.

Qu. Horat. lib. 1. od. 5. de Pyrrha meretricula.

Cui flauam religas comam?

Paulus Silentiarius lib. 7. Anthologia Epigr. 46.

Ἀνεωγμένη δ᾽ ἡ κεφαλή, ἐγὼ ξανθίσματι χαίτας,
ἐκχυτὸν ἐκ στηθέων ἐξεδίωξα νόον.

Apertum est caput, ego flauedine Cæsariei
Effusilem ex pectoribus expuli mentem.

Ob id crines adscititij & adulterini, qui meretricibus in pretio, è Germania petebantur, clarè Ouidius lib. 1 Amor. eleg. 14.

Iam tibi captiuos mittet Germania crines,
Pulchra triumphatæ munere gentis eris.

Martial. lib. 5. epigr. 69.

Arctoa de gente comam tibi Lesbia misi,
Vt scires quanto sit tua flaua magis.

D. Auson. Epist. 5.

Sic certè flauus crines, niueosque lacertos.

Et tales plerumque sunt Germanorum, aliorumque qui ad Septentrionem vergunt, populorum comæ. M. Lucan. libr. 10. Pharsaliæ v. 130.

——tam flauos gerit altera crines
Vt nullos Cæsar Rheni se dicat in aruis
Tam rutilas vidisse comas.

Fest. Anien. in orbis Terræ descript.

Flauaque cæsariem Germania porrigit ora,

Ausonius idem in Bissula sua.

—— Germana maneres
Vt facies oculos cærulea, flaua comas.

Zonam inter ornamenta muliebria reponit Vlpianus l. 25. ff. de aur. & argen. leg. vide quæ supra de *mitra* hoc opere à me discussa sunt. D. Augustin. libro 4. de Ciuit. dei cap. 11. ex Varrone idem M. Varro in Gerontodidascalo. *confluit mulierum tota Roma, quæ noctu fieri initia solita, etiam nunc pinea fax indicat.* Festus Pompeius lib. 3. *cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum ex lana ouis, vt sicut illa in glomos sublata coniuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus, vinctusque esset, hunc Herculaneo nodo vinctum vir soluit ominis gratia, vt sic ipse fælix sit in suscipiendis liberis, vt fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit.* quod Maritus hanc Zonam solueret, Iuno, quæ matrimoniorum solemnitati præerat, *cinxia* appellabatur. Idem Festus paulò infra eodem libro. *Cinxiæ Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.* P. Ouidius Epist. 2 Phyllis Demophoonti.

Cui mea virginitas auibus libata sinistris,
Castaque fallaci Zona recincta manu.

Q Catul. epigr. 2. de Atalantę & Hippomenes matrimonio.

Tam gratum mihi quam ferunt puellæ,
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod Zonam soluit diu ligatam.

Et Epigr. 65. ad Ianuam impudicæ.

Ne quærendum aliunde fores netu sius illud,
Quod possit Zonam soluere virgineam.

Antiquitatem ritus probant ex Musæo, vbi de Herò & Leandro.

ὣς ἡ μὲν τάδ᾽ ἔειπεν· ὁ δ᾽ αὐτίκα λύσατο μίτρην,
καὶ θεσμῶν ἐπέβησαν ἀριστοτόκου Κυθερείης.

Sic illa hæc dixit, ille vero statim soluit Zonam,
Et leges inierunt beneuolæ Veneris.

Theocrit. Eidyll. 20. de Ioue & Europa ab eo rapta, iámque deuirginanda.

λῦσε δέ οἱ μίτρην.

Soluit vero Zonam.—

Homer. in Hymno Veneris, vbi illa Anchisæ nubit.

λῦσε δέ οἱ ζώνην.

Soluit vero Zonam.

Et lib. 11. Odyss. idem.

λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην.

Soluit virgineam Zonam.

Faces præferebantur, quia nunquam nisi no-

ctu mulcebant puellæ; neque domum mariti deducebantur, quamdiu quicquam lucis diurnæ supererat, Valer. lib. 1. c. 5. C. Tacit. lib. 11. *interdiu in viro nubente spectata, quæ etiam in femina nox operit*, Cathul. Epithal.

vesper adest, iuuenes consurgite.

Claud. libr. 2. de Rapt. *iam suus inferno processerat Hesperus orbi, ducitur in thalamum virgo*, supra vide pag. 468. ideoque tædas ardentes gestabant pueri patrimi & matrimi, ex Festo & aliis obseruatum est à Criticis. Sidon. Apollinar. libro quinto epist. 8. *seu nuptiales thalamorum faces: lucernæ splendor* in somnis vsus. *nuptias præsagit*. Artemidor. lib. 2. c. 9. Oneirocrit. L. Apul. li. 3. Floridor. *ad funebrem facem prius quam ad nuptialem venisse*. hoc ipsum Sextus Propertius ante illum dixerat li. 4. eleg. 1. *insignes inter vtramque facem*. Martialis supra citatus. M. Plaut. Casina. Act. 1. sc. 1. L. Seneca Octauia Act. 2. sc. 2. Cicero pro Cluentio Auito, *faces nuptiales* vocat. Catullus in Argonauticis, *tædas iugales*, Valerius Flaccus lib. 2. *faces iugales*, Lucanus lib. 2. *faces legitimas*, Statius lib. 2. sil. vlt. *tædas geniales*. notat Brissonius. Sil. Italic. lib. 2. Punicor. de Euridamante, qui nuptias Penelopes ambiebat.

Ast Ithacus vero ficta pro morte loquacem
Afficit letho, versaque ad funera tæda.

Et eodem libro paulo post.

Sic thalami fugit omnia amor, dulcesque mariti
Effluxere thori, & subitæ obliuia tædæ.

Idem lib. 3. eiusdem operis.

Consortem thalami, paruumque sub vbere natum
Virgineis iuuenem tædis, primoque hymenæo
Imbuerat coniux.

Et lib. 8. I[d]em.

Deceptus tæda regnis se imponit Hiarbas

Denique lib. vltimo.

Hasdrubalis proles, thalamis quam cæpit vt altis
Ceu face succensus prima, tædaque iugali
Vertit opes gener ad Pœnos.

P. Ouid. lib. 1. Metamorphos. Fab. 9. & Fab. 10. in fine, & lib. 2. Fastor.

Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mæsta sepulchra faces.

Seruius consulatur ad illud Eclog. 8.

Mopse nouas incide faces, tibi ducitur vxor.

Et ad illud. lib. 4. Aeneid.

—Nec coniugis vnquam
Prætendi tædas.

Q. Horat. lib. 3 od. 11.

Vna de multis face nuptiali
Digna.

Stat. lib. 2. Thebaid. v. 260.

Præmissasque faces, festum nubentibus omen
Obruit.

Claudian. sæpissime, aliquot adscribam loca, vide supra, vbi de auspiciis hoc capite de 4. Hon. consulatu in fine.

Cum tibi prodiderit stellas nox pronuba tædas.

Lib. 1. de laudib. Stilichonis.

—Roseisque euincta coronis
Certantes Asiæ tædas Europa leuaret.

Lib. de laudibus Serenæ.

—Alio tibi numine tædas
Accendit Romana salus.

Et in Fescennino.

Martem felix tæda relegat.

In Epithalamio Honorij & Mariæ.

Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige.

Eiusdem opusculi sub finem.

Aurea sic videat similes Thermantia tædas.

Et lib. 3. de Raptu.

Non tales gestare tibi proserpina tædas
Sperabam.

Apud Romanos pueri quinque præferebant faces, vt iam dixi. Plutarch. Problemat. Rom. cap. 20. apud Græcos, mater ipsa sponsæ. Euripid. in Phæniss. & præoccupatum ab aliis, ne primus obseruarem, ex quo liquet & ritum Græcanicum fuisse, quod probant Zosimus histor. libr. 2. Apollonius Rhodius Argonautic. lib. 4. & eius ibidem loci Scholiastes. Iano Douza obseruante. Achil. Tatius de Amoribus Clitophont. & Leucipp. libr. 1. pag. 13. & pagin. 20. libro secundo, pag. 35. Heliodor. libro secundo, pag. 62. & pag. 112. libro quarto pag. 198. lib. 5. pag. 278. & possem verba ipsa apponere, nisi importuna typographi sedulitas vrgeret nimium, publicoque intentum muneri alio vel inuitum seduceret.

Materia illi *pinus*. M. Varro supra citatus in Gerontodidascalo, & lib. 2. de vita populi Romani, *cùm à noua nupta ignis in face afferretur, de foco eius sumptus, cùm fax ex pinu ablata esset, vt eam puer ingenuus afferret*. poetæ Virgil. in Ciri.

Pronuba nec castos accendit pinus odores,

Ouid. lib. 2. Fastor.

Exoptat puros pinea tæda deos.

Vel ex *spina alba*, Masurius Sabinus apud L. plinium libr. 16 cap. 18. Fest. libr. 14. in voce *patrimi*. Q. Catull. in Epithalamio Mallij.

Spineam quate tædam.

Licet

Licet editio Achillis Statij Neapolitani habeat disertè,

Pinuari quate tædam.

De Hymenæo & clauibus traditis, alibi commodius expedietur, vti & de iugo, quod subibant, & dextræ coniunctione.

Caput XXXVIII.

Quomodo Connubia dissoluerentur, & de Diuortio ac Repudio.

Diximus quomodo connubia contrahi, & qui ritus in nuptiarum celebritate obseruari solerent: requirit præpositæ materiæ ordo, vt etiam quomoda eadem dissoluerentur, explicemus. Qua in re idoneum auctorem sequemur Iacobum Ræuardum, qui in XII. Tabularum commentariis cap. 19. docet, tribus modis connubia dissolui consueuisse, vsurpatione, diffarreatione, & remancipatione. Quæ enim vsu vxor erat, antequam esset vsu capta, si trinoctium à viro vsurpandi causa abfuisset, lege XII. Tabularum vsurpata dicebatur. Vsurpatio vsucapionis interruptionem significat, non vi quidem & proprietate verbi, sed per consequentiam. Si enim id quod possideo, necdum tamen vsucepi, ab aliquo solemniter vsurpetur, siue apprehendatur: is, si eius rei dominus est, possessionem meam sua vsurpatione interrumpit. Quia igitur mulieres in potestate aut mariti aut parentum vel tutorum erant perpetua, idcirco vsu vxor nondum vsucapta, ante annum à marito discedens vsurpabatur: hoc est, à parentibus, aut si illi non essent, à tutoribus solenni quadam ratione apprehendebatur, & mariti potestate liberabatur, si ab eo trinoctium abfuisset. Atque ita videtur intelligendum esse, quod ex Q. Mutio de vxore, quæ per trinoctium à viro abfuerat lege XII. Tabularum vsurpata, Agellius lib. 3. cap. 2. & Macrobius libr. 1. cap. 3. tradiderunt.

Confarreatione matrimonium contractum, diffarreatione dissolui solitum, Festus obseruauit, qui diffarreationem genus fuisse ait sacrificii, quo inter virum & mulierem fiebat dissolutio, idcirco sic appellatam, quia fiebat farreo libo adhibito. Et ita, quæ farreo libo, hoc est, confarreatione, facta erat in manus conuentio, eadem farreo libo, id est, diffarreatione, dirimebatur.

Et quia nihil tam naturale est, quam vnumquodque eo modo dissolui, quo ligatum est: ideò etiam non vsus vsurpatione tantum, non confarreatio diffarreatione duntaxat, sed & coëmptio dissolui remancipatione solet. Testis est enim idem Festus, remancipatam Gallum Ælium eam definiuisse, quæ mancipata sit ab eo, cui in manum conuenerat. In coëmptione autem quandam quasi in manus traditionem interuenire solitam, testatur expresse Symmachus, hunc in modum de Fuluio quodam scribens lib. 2. epistolarum: Sororem Pompeiam olim viro maturam, te auspice in manus optat accipere, nec genere minor, & re fortassis vberior. Huc spectat quoque Terentii illud in Andria:

Hanc mihi in manum dat, mors continuò ipsum occupat.

Igitur, quæ coëmptione in contrahendo matrimonio mulier mariti in manum tradebatur, eadem illa in dissoluendo, remancipabatur, hoc est, manu ab eo reddebatur, in cuius manum conuenerat. Cæterum illa coniugum separatio vel matrimonii dissolutio, Diuortium dicebatur, de quo Romulus legem tulerat. Sic enim scribit Plutarchus: Leges etiam quasdam tulit Romulus inter quas vehemens est illa, qua mulieri maritum relinquendi potestas adimitur: viro autem eiicere vxorem conceditur, si veneficio circa prolem vsa fuisset, aut alienam pro sua subdidisset, aut adulterium commisisset: si quis alia de causa repudiasset coniugem, eius mariti bona partim vxori cederent, partim Cereri sacra forent: & qui vxorem dimisisset, is Diis manibus rem sacram faceret. Hactenus Plutarchus. Itaque postea quoque in XII. Tabulis Diuortium esse permissum, ex eo licet suspicari, quod inquit Cicero in Philippicis de Antonio: Frugi factus est, mimam illam suam sibi res habere dixit ex XII. Tabulis, claues ademit, exegit. Et Caius ad legem Iuliam de adulteriis: Si ex lege repudium missum non sit, & idcirco mulier adhuc nupta videatur, tamen si quis eam vxorem duxerit, adulter non erit. Quod autem inquit de repudio ex lege misso, significat, cum alia multa, tum maxime diuersas repudii ac diuortii formulas, atque solemnem ipsam matrimonii renunciationem. Inter repudium autem, & diuortium illud interfuisse Paulo & Modestino placuit, quod repudium sponsæ remitteretur, diuortium cum vxore fieret. Itaque repudii formula fuit: Conditione Tua Non Vtor, Diuortii: Res Tuas Tibi Habeto, Vel Res Tuas Tibi Agito: quod & Cicero loco citato significauit, & Caius capite 1. de diuortiis tradidit. Renunciatio autem matrimonii eiusmodi fuit, vt vir vxori, aut vxor marito, vel præ-

Ad Cap. XXXVIII.

PARALIPOMENA.

Diuortij formulæ disquisita, tabulæ dotales ruptæ, nunciatum, dos reddita, claues ademptæ.

QVia *nuptias concubitus non facit*, vt cum IC. loquar, sed *consensus*, ideo quibus vel morosior, quam par erat vxor fuerat, vel sterilis, poterant ab ea diuertere, aliámque ducere, duæ scilicet nuptiarum legitimæ causæ erant, *societas & concordia*, hanc tollebat *morositas*, *propagandi generis cupido*, siue multitudo liberorum, quæ per *sterilitatem* negabatur, quæ Græcis ἀτεκνία, significanti vocabulo exprimitur. Interueniente itaque vel alterutra ex his causis, vel vtraque, *amici rogabantur, vellent consilio interesse*. Valer. Maximus lib. 2 cap. 4. L. Antonius senatu motus, à M. Val. Max. & C. Iunio Bubulco censoribus, *quod vxorem virginem ductam repudiasset, nullo amicorum consilio.*

Nec modo consummatis nuptiis, sed & in sponsalibus ipsis repudium valuit. l. 2. ff. de diuort. glos. vet. *diuortium*, διαζύγιον. Quinctilianus declamat. 1. *iniusti repudij est actio*. Inter repudium & diuortium hoc interest, *quod futurum matrimonium repudiamus, at à futuro matrimonio non posſit dici nos diuertere*. l. 191. ff. de verb. signific.

Probatis sic in priuato amicorum consessu rationibus, *Iusiurandum præstabant censoribus legitimas fuisse diuortij causas*, quas obtendebant. A. Gel. li. 37. c. 21. Et certè primum repudium ob sterilitatem contigit, anno vrbis sexcentesimo, aut circiter, vt à Stephano Pighio supputatum est. aliæ postea accesserunt causæ, nam C. Sulpitius Gallus cum vxore diuortium fecit, quod eam *foris capite nudo conuersatam* comperisset, & Q. Antistius Verus diuortium etiam remisit vxori, quod *cum libertina quadam vulgari, secreto fuisset collocuta*, sed & Sempronius Sophus, quod vxor *ludos spectásset se ignorante*, vt confirmant Plutarchus in Comparatione Romuli & Thesei, & in Problemat. Romanis Valerius Maxim. libro. 3. cap. 6. sed ad ritus sigillatim discutiendos veniendum, siquidem hic actus iuridicus erat non minus quàm nuptiæ, suásque habebat solemnitates, citra quas non posset constare: At prius dicendum est inuecto semel pernitioso exemplo omnia pessumdata, neque vllum modum diuortiorum habitum, donec Augustus præfixisset, Dio Cocceian. l. 54. C. Sueton. in Augusto cap. 34. fuit autem hæc *lex Iulia de maritandis ordinibus*, si fides sit adhibenda Vlpiano IC. l. *viro* §. cum *mulier* ff. de solut. matrim.

Vt nuptiæ firmabantur scriptis tabulis, ita fractis dissoluebantur, vnum quodque enim eodem modo frangitur, ceu dissoluitur, quo factum fuerat, aut contractum, vet. Scholiast. Iuuenal. ad v. 75. Sat. 9. *dotales tabulas frangentem, & repudium volentem tibi dare, & signantem tabulas, siue vt alteri nubas, siue vt alium faceres hæredem*. C. Tacit. li. 11. Annal. *fruetur immo iis, & redderet vxorem rumperétque tabulas nuptiales, an dissidium iuum nost. Inam matrimonium Silij vidit populus, senatus & miles.* D. Iuuenal. loco laudato.

—Fugientem sæpe puellam
Amplexu rapui, tabulas quoque fregeras, & iam
Signabat: tota vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante toris.

Cum vxorem autem quis repudiare vellet, vel præsens eam exturbabat ædibus, vel per nuntium absenti libellum mittebat, quo legitimæ causæ continebantur. Isidor. li. 10. Etymologiar. capite octauo. *repudium est quod sub testimonium testium vel præsenti, vel absenti mittitur: diuortium est, quotiescumq; dissoluto matrimonio, alter eorum alteras nuptias sequitur. diuortium autem dictum est à flexu viarum, hoc est via in diuersa tendens, fribolum est, cum eo animo separantur, vt rursus ad se inuicem reuertantur, nam fribolum est quasi quassæ mentis & effluxæ, nec stabilis*. quod de testib. ait, habetur l. 9. ff. de diuort. suntque numero septem puberes, ciuésque Romani, vti in signandis tabulis dotalibus esse debebant. Iustinus Martyr. in Apologia pro Christian. Libellus hic mittebatur vel per aliquem è libertis, vel per procuratorem, de hoc vltimo, Caius Iurisconsult. l. 2. §. fin. & Vlpian. l. 4. ff. eodem. C. Sueton. in Tiberio cap. 11. *comperit deinde Iuliani vxorem ob libidines, atque adulteria damnatam, repudiúmque ei suo nomine ex authoritate Augusti rem ssum. & quanquà lætus nuntio tamen officij duxit, & quantum in se esset, exorare filiæ patrem frequentibus literis, vt vel vtcunque meritæ quicquid vnquam dono dedisset, concedere.* nec mariti modo mittebant hunc libellum, sed & patres impudicitia offensi, vt ex loco apparet, ac multo vehementius crudeliúsque Caligula, qui, vt est apud Suetonium in vita eius cap. 36. *quibusdam, absentium maritorum nomine, repudium ipse misit, inssitque in acta referri.* vt puerperia in acta publica, siue Censorum commentarios referebantur, vti suprà, vbi de toga libera egi, ex Halicarnassæo probauit, ita & repudia. dicitur etiam *& repudium dicere*. l. 57. ff. de donat. int. vir. & vx. & *repudium mittere*.

scilicet abienti, P. Terent. Phormione Act. 5. sc. 8. & renuntiare. idem in eadem fabula Act. 4. sc. 4. & scribere, Q. Flor. Tertullian. Apologet. *per omnes sexcentos nulli repudium domus scripsit.* de liberto D. Iuuenalis Sat. 6. v. 145.

Collige sarcinulas, dixit libertus, & exi.

Exeunti reddebatur, quicquid in domum mariti secum attulerat. Suetonius paulo ante laudatus. L. Apul. li. 5. Milesiar. *confestim thoro meo diuerte, & tibique res tuas habeto.* M. Cicero Antoniana 2. *frugi factus est, mimam illam suam res suas sibi habere iussit.* P. Ouid. l. 1. de Remed. Amor. & Iodoc. Badius Accensius notat.

Tutius est aptiusque magis discedere pace,
Quam petere à thalamis litigiosa fora.
Munera quæ dederis, habeat sibi, cite iubeto
Esse solent magno damna minora bono.

M. Plaut. Amphytr. Act. 3. sc. 2.

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.

Martial. lib. 10. epigr. 41.

Mense nouo Maij veterem Proculeia maritum
Deserit, atque iubet res sibi habere suas.

Titinnius poëta in *Gemina*, apud Nonium in voce *facessat.*

Atque vt aliquis vestrorum Geminæ
Vt res suas procuret, ædibus facessat.

Vt claues intranti domum mariti tradebantur, post conclamatum Hymenæum, Paul. Diacon. ex Eutropio lib. 1. Fest. Pomp. lib. 3. in voce *clauim* Turpil. in *Pedio.*

Age tu Hymenæum iam crepa.

Tanquam dominij in familiam, & fidei maritos vxorum argumentum. Artemidor. Lib. 3. c. 53. ita diuertenti claues adimebantur vltimo, D. Ambros. Epist. 65 *mulier offensa claues remisit, domum reuertit.* & in legib. XII tab. *res suas sibi habeto, claues adimito, foras exigito.* Theodor. Marcil. cap. 26. significabat quippe clauium ademptio, *rerum mariti possessio* amissa, Papinian. IC. l. *clauibus.* ff. de Contrah. empt. adi ad Gregorium Tholosatem libr. 9. Syntagmat. Iur. vniuers. c. 5.

Capvt XXXIX.

De Funeribus & Sepulchris.

CVm propositum mihi sit in his libris plerosque veterum Romanorum ritus & mores, quorum cognitio ad faciliorem antiquorum monumentorum intellectum facere aliquid videatur, explicare, non possum sine reprehensione funebres cærimonias prætermittere: quia in iis non minus, quàm in cæteris, de quibus & hactenus diximus, & in sequentibus libris dicturi sumus multa sunt, quæ plurimis veterum scriptorum locis magnam lucem afferunt. Quare huc, quæcunque ad funera spectant congeram, secutus in eo, tum alios clarissimos atque doctissimos viros, qui multa huc pertinentia obseruarunt, & è tenebris eruerunt, tum Lilium Gregorium Gyraldum, cuius liber de vario sepeliendi ritu extat ad Carolum Miltizum scriptus.

Romani igitur (hinc.n. placet incipere) vbi animam ægrotus exhalare cœpisset, qui proximiores erant, si domi moriebatur, spiritum eius ore excipiebant, morientisque oculos claudebant, rursusque in rogo patefaciebant, quod Quiritium magno ritu sacrum fuisse, Plin. li. 11. c. 37. scribit, ita more condito, vt neque ab homine supremum eos spectari fas sit, & cœlo non ostendi nefas. Lege tamen Mæuia cautum fuit, vt auctor est Varro apud Nonium Marcellum, ne filii parentibus luci charos oculos sugillarent: minus enim licebat vt filij parentum oculos in obitu sugillarent: quo loco Nonius sugillare pro occludere exponit. Scribit Plutarchus, eos vulgo infelices vocari, quorum oculos propter absentiam non potuerint obtegere. Prius illud ex Virgilio manifestum est, apud quem lib. 4. Æneidos, Anna Didonis soror ita loquitur.

——extremus siquis super halitus errat Ore legam, &c.——

quæ verba Tiberius Donatus sic explicat: Obseruare volo exeuntem spiritum, & addit: ideò hoc dixit Virgilius, quia hunc charissimi colligere se posse arbitrabantur: licet teneri non possit Cicero Verrina 17. Vt extremum filiorum spiritum excipere liceret, &c.

Post hæc defuncti corpus per interualla conclamabatur, atque à propinquis & affinibus calida aqua abluebatur, & vnguentis vngebatur. Virgil. lib. eod.

——data vulnera lymphis abluam——

&c. ad quem locum Seruius, Lauare, inquit, cadauera proximis concedebatur. Idem Virgil. li. 6. Æneid.

Per calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpusque lauant frigentis, & vngunt. &c.

Ennius

Ennius:

Tarquini corpus bona fœmina lauit & vnxit.

Seruius ex Plinio hanc causam affert, quod mortui & calida aqua abluantur, & per interualla conclamentur, quia soleat plerumque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere: refert etiam, quendam suppositum pyræ adhibitis ignibus erectum esse, nec potuisse liberari: vnde, inquit, & seruabantur cadauera septem diebus, & calida abluebantur aqua, & post vltimam conclamationem comburebantur, vnde traxit Terentius: *Desinite, iam conclamatum est:* Hæc Seruius. Qui autem cadauera vngerent, Pollinctores dicebantur. Nonius Marcellus. Pollinctores sunt, qui mortuos curant. Ablutum vnctúmque corpus, candida vel alba induebant veste, vt Iuuenalis Satyra 3. Apuleius li.1. Floridorum, & Plutarchus in Quæstionibus Romanis, quæst.26. docent apud quem candidam vel albam vestem togam intelligi Iustus Lipsius monet. Nam, inquit, cadauera in honestissima veste efferri mos erat: quæ in vulgo ciuium, & in tacito funere toga vulgata fuit, in Magistratibus toga prætexta, in Censoribus purpurea tota. Polybius lib.6. Liuius li.34. Purpurea viri vtemur: Prætextati in Magistratibus, in Sacerdotiis, nec id vt viui solum habeamus insigne, sed etiam, vt cum eo crememur mortui, &c. Inde in vestibulo ędium collocabatur ad ianuam ipsam. Id proprio verbo dicebatur Collocatio. Glossæ Priscæ Conlocatio, πρόθεσις, Sueton. in Augusto, cap.100 Corpus Decuriones municipiorum, & Coloniarum à Nola bouillas vsque deportarunt, noctibus, propter anni tempus, cùm interdiu in basilica cuiusque oppidi, vel ædium sacrorum maxima reponeretur. A bouillis Equester ordo suscepit, vrbique intulit, atque in vestibulo domus collocauit, &c. Illustris locus, & clarum vestigium huius moris. Corpus enim ablutum, vnctum, coronatum ad ianuam deponebant: donec post legitimos dies efferatur ad bustum. Meminit huius moris Lucianus περὶ πένθους, & Dio de Liuiæ excessu, ex quo etiam Iosephus Scaliger colligit, eam collocationem à filiis, aut certè hæredibus, solitam fieri. In hoc ritu collocandi, cæremonia quædam adiuncta fuit, & cautio. Seruabant enim, vt corpus mortui fora spectaret, & facie, pedibúsque esset in publicum versis: fortasse eo situ abitionem illam postremam significantes: Hinc Persius:

——tandémque beatulus alto
Compositus lecto, crassique lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit, &c.

Interim Cupressi, vt ait Sext. Pompeius, mortuorum domibus apponebantur ideò, quia huius generis arbor excisa non renascitur: sicut ex mortuo nihil iam est sperandum: quam ob causam in tutela Ditis patris esse putabatur. Seruius Petri Danielis, quemadmodum Iosephus Scaliger Castigationibus in Sext. Pompeium citat: Romani moris fuit propter cærimonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, vt potissimum Cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis imprudens funestam domum, rem diuinam, facturus, introëat, & quasi contaminatus suscepta peragere non possit. Plin. lib.16. cap.33. Cupressus Diti sacra ideò & funebri signo ad domos posita. Addit autem Iosephus Scaliger, nouum hunc morem fuisse, neque tam vetustum, quam putet Seruius, idque vel ex eo apparere, quod peregrina fuerit arbor, seroque Romam aduecta, non multum ante Catonis ætatem. Diuitum etiam tantum, non omnium ædibus præponi solitam testimonio Lucani confirmat, apud quem est:

Et non plebeios luctus testata cupressus.

Cuius rei causam nullam aliam putat, quam raritatem arboris, quod initio pauci in agris aut intra vrbanas villas eam arborem instituerunt.

Apparabantur tum ea, quæ ad funera requirebantur. Docet autem Plutarchus in Quæstionibus Romanis, quæst.23. ea, quæ ad funera pertinerent, in templo Libitinæ, quæ eadem cum Venere sit, vendi fuisse solita: eiúsque moris duas rationes affert, quarum prima est, quòd putat institutum hoc sic esse à Numa Pompilio Rege, vt discerent Romani ab his rebus non abhorrere, neque eas pro piaculis ducere: altera, vt monerentur hoc ritu, caducum esse, quod esset natum, cùm vna, eadémque Dea & ortui & interitui præsideret. Hæc Plutarchus. Vnde Libitinarij dicti, qui funera curabant, & pyram, si cremandus defunctus foret, lignis aliisque rebus pro hominis conditione struebant.

Vbi ita septem dies in ædibus cadauer seruatum fuisset, die octauo, ne fraudarentur solemni honore supremi dies, & vt homines ad honestandas exequias conuenirent, euocabatur populus ad funus per præconem his verbis: EXEQVIAS L. TITIO, L. FILIO QVIBVS EST COMMODVM IRE IAM TEMPVS EST, OLLVS EX ÆDIBVS EFFERTVR. Hinc etiam indictum funus, auctore Festo, appellatur, ad quod per præconem euocabantur. Postquam populus conuenisset, lecto constrato purpura, aut linteis splendentibus,

& in eo defuncti corpore collocato, post vltimam conclamationem, tibicine præcedente, qui næniam funebrem, quæ laudes defuncti, & facta recensebat, cùm pudorem, integritatem & fidem non saltabundus, sed stans Phrygio modulo caneret, funus (siue funeris pompam) præcedebat. Non autem omnes eodem modo efferebantur. Qui. n. ditiores erant, ij lectis efferebantur, vnde de L. Cornelio proditum est, quòd sex millia lectorum in funere habuerit. At tenuis fortunæ homines capulis siue feretris, vt Seruius notat. Idem etiam in 5. Æneid. scribit, ris fuisse, vt maioris ætatis funera ad tubam proferrentur: minoris verò ad tibias, vnde Statius de Archemoro:

Tibia enim teneros solitum deducere manes.

Agellius li. 20. c. 2. hos tibicines proprio nomine siticines dictos esse docet, & adducit testimonium Capitonis Ateii, in cuius Coniectaneis scriptum sit, Siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est, vita functos, & sepultos: eósque habuisse proprium genus tubæ, qua canerent, à cæterorum tibicinum proprietate differens, quos Sicinistas vulgus dicit. Idem etiam eodem loco auctor est Siticines, siue Sicinistas olim ludibundos, siue saltabundos: suo verò tempore stantes næniam canere solitos. Fuit etiam lege XII. Tabularum cautum, ne plures quàm decem tibicines funeribus adhiberentur: neque plures lecti inferrentur, de quibus infra li. 8. dicemus. Deferendi verò feretrum propinquioribus virilis sexus dabatur munus. Seruius. Itaque filii interdum parentes, & fratres sorores elatas funere deferebant: nonnunquam serui libertate donati, plerunque Senatorii, Prætorii, & Consulares, quique amplissimis honoribus functi erant, Imperatorum & Consularium virorum feretrum detulere. Quare Pauli Æmilii, qui de Macedonia triumphauit, legati Macedonum, & Sullæ Dictatoris feretrum Senatores, & sacræ virgines extulerunt, & Metello filii tres Consulares, duos triumphales, vnus Censorius, & alter prætor, lectum subiere.

Si verò defunctus tenuioris fortunæ fuisset, à Vespis, siue Vespilonibus portabatur, qui Sext. Pompeio auctore, sic dicebantur, quod vespertino tempore eos efferrent, qui funebri pompa duci propter inopiam nequibant. Dum efferebatur, insignia honorum, quos gessisset, vt fasces, secures, lictores, armáque, & dona militaria, coronásque omnis generis, quas in vita meruisset, vexilla atque vrbium dona, & legionum, spoliáque hostium, ac munera quæ quis daturus erat, expressósque cera vultus, & decora maiorum totiusque familiæ longo ordine simulachra, in oblongis perticis, siue hastis præferebant ab vltima origine, quanto cum poterant apparatu. Polybius singula illa simulachra, singulis curribus vecta fuisse li. 6. affirmare videtur, cuius integrum locum paulò inferius adscribemus. Præterea si ab eo serui manumissi, & libertate donati fuerant, illi præcipue, qui fide insignes à domino cogniti forent, herilem miserantes, pleni lachrymarum elatum corpus præcedebant pileati, aut alba lana capitibus velati: qui quanto plures erant, tanto plus nominis laudisque dedere, quod familiam totam decedens dominus tantis muneribus cumulasset, ac libertatis pretio affecisset. Nonnunquam illos qui rasis capitibus triumphantis currum fuerant prosecuti, eiusdem defuncti corpus pileatos in pompa funeris præcessisse, inuenimus, vt Q. Terentium Culeonem & alios. Atque hi feretrum, siue lectum, quo defuncti cadauer portabatur, præcedebant. Sequebantur liberi, propinqui, affines, atque alij amici lugentium habitu, capillo demisso, in veste pulla. Ac filii quidem velatis, filiæ nudis capitibus, passisque crinibus incedebant, cuius moris causas Plutarchus in Quæstionibus Romanis, quæst. 14. has affert: An, inquit, quia filiis venerandi sunt parentes tanquam Dii: filiabus autem lugendi vt mortui, lex vtrique parti suum decoro conueniens assignauit officium? An, quia luctui maximè congruit, quod est alienum à consuetudine? solent autem ferè mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi, &c. Idem quæst. 26. mulieres in luctu albas gessisse vestes, albásque vittas prodit: idque eas facere scribit: aut exemplo magorum, qui aduersus Plutonem, & tenebras lucido & illustri amictu se muniant: an quòd sic amictos esse velint necessarios, quemadmodum defuncti sint, quorum cadauera albis inuoluebant teguminibus, id est, togis puris, quod Iusto Lipsio placet: an quòd existiment luctum maximè decere vilia & simplicia: quæ autem colore infecta sunt, ea partim luxum, partim superuacanearum rerum studium arguere: solum album syncerum esse, mixturæque expers, purum & tinctura non imitabile, ac proinde optimè conuenire iis qui sepeliuntur. Hæc Plutarch. Adhibebantur etiam præficæ, quas Sext. Pompeius ait, mulieres fuisse, ad lamentandum mortuum conductas, quæque darent cæteris modum plangendi: vnde etiam nomen habeant, quasi quæ huic rei sint præfectæ. Propinquos atque affines, alij, qui funeris deducendi causa confluxerant, sequebantur. Ferebatur autem defunctus, si illustris ac splendidi generis, meritisque in rempub. insignis fuisset, primum in forum, ibique oratio funebris

nebris recitabatur: de quo more insignis extat apud Polyb. lib. 6. locus, quem hic integrum adscribam. Si quando, inquit, apud Romanos quispiam ex illustribus viris ex hac vita discesserit, elato funere portatur cum reliqua pompa ad rostra sic dicta, in forum: & nunc stans conspicuus, nunc obuolutus, idque raro, vniuersa plebe circumstante rostra ascendit, siquidem filius adultus superfit, ac præsens existat: sin vero, alius quisquam ex ipsius genere, ac demortui virtutes, & quæ in vita præclare gessit, deprædicat. Et hinc accedit, vt multi admoneantur, & quæ gesta sunt, inspiciant: atque non illi modo, qui operum illius fuere consortes, sed & exteri vsque adeo compatientes, vt casus eiusmodi non solum illis, qui periclitantur, proprius, sed & populo videatur esse communis. Et paulo post, cùm de imaginibus dixisset, quas in vestibulo ædium ponere & colere consueuissent Romani, hæc subiungit: Vbi autem præclarus aliquis ex domesticis vltimum diem obiuit, instituunt funeris elationem & circumfusi, qui simillimi magnitudine, ac reliqua statura videntur, vestitum vsurpent: si vel Consul, vel Imperator fuerit, purpura circumdatum: si Censor, purpureum: si triumphum egit, vel tale qui perfecit, auro contextum, legitur, isti curru sic incedunt: Fasces vero, & secures, ac reliqua Principatibus consueta, secundum dignitatem cuiusque præcedunt, qua dum in viuis esset, in Repubi. eminuit. Vbi ad rostra veniunt, cuncti ex ordine sellis elephantinis sedent, quo spectaculo haud facile poterit quicquam spectari pulchrius iuueni glorię & honestatis cupido. Etenim eorum virorum, qui virtutis gratia glorificantur, videre imagines, easque omnes veluti viuas, quem non excitaret? quódnam aliud pulchrius spectaculum? Præterea qui de iam sepeliendo mortuo concionatur, etiam de aliis disserere incipit, idque primum de maiore natu ex his, qui præsentes sunt, recensens, quid quisque illorum consecutus sit ac gesserit: vnde fit vt frequenter bonorum virorum præconia virtute acquisita, renouentur, ac celebritas eorum, qui honesti aliquid gesserunt, immortalis, & gloria illorum, qui patriæ benefecerunt, multis innotescat, ad posteros propagetur. Et, quod maximum est, iuuentus ad hoc prouocatur, vt nihil non pro Reipub. commoditate ferendum subeat quo celebritatem, quę bonos viros comitatur, consequatur. Hactenus Polybius, ex Vvolfgangi Musculi versione. Primus apud Romanos funebri oratione collegā suum Iunium Brutum laudauit P. Valerius Publicola Consul anno primo post Reges exactos, quam orationem tam acceptam, támque charam populo fuisse Plutarchus scribit, vt inde tractum sit, vt omnes boni ac magni viri, cum fata concessissent, ab optimis laudarentur. Qui honor posterioribus temporibus etiam illustribus iuuenibus, & claris mulieribus, quemadmodum, cùm ex aliis tum ex Plutarcho, Suetonio, & Dione manifestum est, fuit concessus. His sic peractis, funus procedebat, donec ad locum veniretur, vbi mortuus vel sepeliendus, vel cremandus erat. Cæterùm memoriæ prodit Seruius in 5. lib. Æneid. apud maiores moris fuisse, vt qui mortuus esset, domum suam referretur, & in illa sepeliretur. Vnde est apud Virgilium:

Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulcro:

Postea vero lege XII. Tabularum cautum: ne hominem mortuum in Vrbe sepelirent, néve vrerent. Quam legem explicabimus suo loco. Veruntamen etiam post latas XII. Tabulas fuerunt quidam in ipsa Vrbe sepulti: quos legibus solutos, virtutis causa id consecutos fuisse, Cicero existimat, vt Valerio Publicolæ, & P. Posthumio Tuberto contigit, de quibus Cicero li. 2. de Legib. C. quoque Fabricius iuxta Veliam in foro sepulchrum habuit, de quo Plutarchus, C. Poplicius sub Capitolio, de quo eodem loco lapis Tiburtinus. Claudia familia sub eodem Capitolio, de qua Suetonius, Seruius Sulpitius in campo Esquilino, de quo in Philippicis Cicero. Quin etiam Imperatores & virgines Vestales, quia legibus non tenebantur, in Vrbe sepulchra habebant. Reliqui aut priuatim in agris suis condebantur: aut in viis extra portas tumulos habebant. Locum autem sepulchro designabant, vel Augures, vel Pontifices. Qui verò cremandus erat (hoc. n. cuique liberum erat) postquam ad pyram delatus fuisset, digitus ei incidebatur, ad quem seruatum iusta fierent, reliquo corpore combusto: quod factum, teste Festo, membrum abscindi mortuo dicebatur, quanquam ne id semper liceret, XII. Tabularum legibus cautum fuerit: in quibus sic scriptum erat: Homini mortuo, ne ossa legito quo post funus facias: extra quam, si militiæ, aut peregrè mortuus sit, &c. Tum cadauer curatum ad pyram efferebatur. Pyram autem in modum aræ lignis construere solebant, eiq; intexebant laricem, piceam, taxum, & alias arbores, circa eam constituebant cupressos, quod Seruius ex Varrone factum fuisse dicit, propter grauem vstrinæ odorem, ne eo offenderetur populi circumstantis corona: quæ tamdiu stabat respondens fletibus præficæ, i. planctuum principi, quandiu consumpto cadauere, & collectis cineribus, dicebant nouissimum verbum, Ilicet, quod ire licet significat. Moris autem erat, vt pyram, siue rogum (quem ne ascia polirent XII. Tabulæ vetabant) & cadauer liquoribus quibusdam preciosis perfunderent, & aurum multaque alia preciosa, vestes, arma, atq; alia, quæ defuncto in vita chara fuerant, inijcerent, quod ne fieret

ampliùs XII. Tabulæ sanxerunt. in quibus sic fuisse scriptum proditur: Vti ne somptuosa respersio fieret: néve murrhata potio mortuo inderetur. Item: Ne plures tribus riciniis cum mortuo vterentur, aut conderentur. Item: Ne aurum adderetur: ast quoi auro dentes vincti essent, id cum illo sepelire, & vrere, se fraude esset.

Posteaquam cadauer rogo impositum erat, is qui defuncto necessitudine maiore iunctus erat, auersus, rogo ardentem facem inferebat. Scribit Seruius moris etiam fuisse, vt ante rogos humanus sanguis effunderetur, vel captiuorum, vel gladiatorum, easque inferias fuisse appellatas, alio loco dicit his verbis: Inferiæ sunt sacra mortuorum, quæ inferis soluuntur. Sane mos erat in sepulchris virorum fortium captiuos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui à bustis Bustuarii dicti sunt. Sin captiuorum, aut gladiatorum copia non esset, laniantes genas suum effundebant cruorem, vt rogis illa imago restitueretur, vel, quemadmodum Varro loquitur, vt sanguine ostenso inferis satisfieret: quod tamen etiam lege XII. Tabularum fuit interdictum: quæ talis erat: Mulieres genas ne radunto, néve lessum funeris ergo habento: de qua lege, sicut & de reliquis, quarum paulò antè mentionem fecimus, plura dicemus lib. 8. Mox vbi vstulatum cadauer erat, rogus bustum dicebatur, cineresque & ossa cado, siue vrna, colligebantur, amicis & cognatis, & aliis circumstantibus, qui à sacerdote ter aqua pura aspergebantur, & ita expiabantur, siue lustrabantur. His perfectis Præfica nouissimum verbum illud alta voce pronunciabat, ILICET, quod est ire licet. Quo dicto, qui comitati funus erant domum abituri, extremum vale alta voce pronunciabant, hoc modo, Vale, vale, vale, nos te ordine, quo natura permiserit sequemur. Varro Logistorio, scribit, Ideò mortuis Salue & Vale dici: non quòd valere & salui esse possint, sed quòd ab his recedamus, eos nunquam visuri. Tum cineres & ossa sepulchro inferebantur, ante quod ara constituta erat, quam acerram Festus appellatam scribit, in qua odores incendebant. Hos ritus ferè omnes eleganter executus est Virgilius libr. 6. de Funere Miseni scribens his versibus

Nec minus interea Misenum in littore Teucri
Flebant & cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem tædis, & robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorántque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt corpúsque lauant frigentis, & vngunt.
Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt,
Purpureásque super vestes, velamina nota,
Conyciunt, pars ingenti subiere feretro
Triste ministerium: & subiectam more parentum
Auersi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres oliuo.
Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit:
Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam:
Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ:
Lustrauitque viros, dixitque nouissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suáque arma viro, remúmque, tubámque
Monte sub aërio: qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per secula nomen.

De vrnis, loculis, & sepulchrorum ornamentis multa diligenter collegit Georgius Fabricius Chemnicensis in sua Roma, capit. 21. quæ hic non pigebit repetere. De loculis siue vrnis ita scribit: Faciendorum loculorum, & vrnarum condendarum, non admodum diuersa fuit ratio, cùm in Vrbe, tum in reliqua Italia, atque etiam in Græcia. Marlianus scribit, antea concamerata fossionibus esse aperta, in campo Esquilino quædam vnius testudinis, quædam duplicis concamerationis, ita vt ex superiore in inferiorem descenderetur. Pauimenta interdum tessulata, interdum vermiculata: in parietibus circumcirca loculos extitisse, singulos cum binis vrnis. Alia quoque fuisse antea plurium parietum modico interuallo distantium, in quibus totidem vrnas fuisse contiguas, & exiguo post spatio rursus alias,

alias, hisque alias impositas: has pauperum, alias diuitum fuisse opinatur. Nos in agro viæ Appiæ in profundum sub terram fornicem descendimus, plenum loculorum inter se dispositorum: ex ruina autem partium vere cognosci ordo loculorum non potuit. Inter Puteolos & Atellam, ad vtraque viæ filicibus stratæ latera plurima sepulchrorum lustrauimus monumenta: quorum ædificia partim quadrata sunt, partim rotunda. Inter cætera pulcherrimum est, quod arcum cellæ nominant. Parietes eius tetragoni, cum laqueari vermiculato: in cuius medio Centauri imago puerum vehentis. Loculi vltra sexaginta, medij ampli, fortasse patronorum: laterales contracti, libertorum, libertarumque. In loculis vrnæ singulæ pluresue dispositæ fuerunt, clausæ exterius tabellis marmoreis, in quibus nomina dispositorum de more fuerunt, adscripta. Testatur Ciriacus Anconitanus (cuius scriptas quasdam chartas euoluimus) se Patris in Achaia in ædem S. Andreæ antrum subterraneum ex integro solidóque lapide vidisse, miro artificio fabricatum, in quod per gradus sedecim descensus fuerit, quodque sub vna testudine ad tetragonos parietes habuerit loculos quatuordecim, in quibus singulis binæ aut ternæ funerales fuerint locatæ, ex quibus testimoniis non multò diuersam Græcorum & Romanorum, vt diximus, vrnas coniungendi rationem fuisse est perspicuum. De sepulchrorum autem ornamentis hæc affert: In sepulchris, quæ hinc inde per Vrbem in multis locis occurrunt, varia rerum simulacra sunt exsculpta. Ludorum Curulium quale est ante SS. Cosmam & Damianum, in foro Romano: & in S. Ioanne Laterano, in quo etiam nocentes obiiciuntur bestiis, vt in alio quodam ante S. Mariam in via lata. Equestrium certaminum, vt in S. Maria in ara cœli, montis Capitolini. Pugnarum, vt in S. Gregorio, montis Cælij. Venationum, vt in S. Laurentio in Lucina, campi Martij. Triumphorum, vt ante S. Laurentium in Panisperna montis Viminalis: & Triumphi Venerei in S. Ioanne Laterano. Sacrificiorum, vt in S. Maria Strada, inter Octauij porticum & Capitolium: & in S. Laurentio extra Esquilinam. Deorum ludentium, vt Apollinis canentis & Narcissi iaculantis discum, in domo Augustini Maphæi: Satyrorum puellæ dormienti insultantium, in horto S. Marci: Amorum equitantium, in domo Columnensium: Deorum marinorum in piscium caudas desinentium, & vehentium in eis Nymphas tribus in locis: in S. Ioanne Paulò in Cælio, in hortis S. Sabinæ montis Auentini: ante S. Thomam in regione Harenulæ. Plutonis Proserpinam rapientis, in S. Syluestro, prope arcum Domitiani: & ante S. Mariam Cosmedim, prope Velabrum. Ventorum quatuor simulachra in sepulchro domus Cæsiæ laborum Herculis, in domo Sabellorum supra Marcelli theatrum. Seruilium suppliciorum, in quibus alij pede vtroque suspenduntur, aliis cultro secatur collum, aliis brachium saxo impositum alio saxo frangitur, in S. Maria in ara cœli, & ante ædem S. Stephani de Cacabo, in regione Pineæ. In quibusdam sepulchris exsculpta sunt ædificia, partim ianuis apertis, quibus dicunt animæ æternitatem significari, cuiusmodi est in Palatio Capitolina Triumuirum: partim clausis, qua interitus eius vna cum corpore notatur: tale in domo ciuis cuiusdam regionis Transtiberinæ cernitur è regione pontis Fabricij. Hæc è multis retulisse satis sit, quæ non ita accipi volo, quasi vnius tantùm rei effigies expressa sit: sed alia multa quæ oratione depingi in hac breuitate nequeunt, spectaculi gratia sunt addita, quod vt intelligatur, duobus exemplis declarabo. In sepulchro Sacrificantium in S. Maria de Strada, mulier in bigis, quæ à rhinocerotibus trahuntur, vehitur: ipsis animalibus duo iuuenes insident, & animalia à Faunis naso ducuntur, præcedit Thuscus fidicen & viri nudi ac mulierculæ, donec ad aram perueniatur, cui fidicen canens astat, & inter cætera ludicra Faunus cornibus cum hirco concurrit. Item in altero apud S. Syluestrum: Pluto quadrigis vectus, raptam Proserpinam amplexu tenet, exanimi similem: supra quam volitat alatus Cupido, currum præcedit Mercurius alato pileo & caduceo. In altera parte Ceres bigis inuehitur tractis à serpentibus pinea tæda, quam sinistra gestat inuestigans amissam filiam. Inter hæc, ab vtraque parte comites Proserpinæ flores collectos gestant, veste vltra pubem sublata. A lateribus Hercules est, leonis exuuio indutus, dextra tenens clauam: sinistra anum quandam inuadens, cui verbera minitatur. Hactenus Fabricius.

Peractis ad sepulcrum iustis, conuiuia domi apparabantur, ad quæ amici atque cognati conuocabantur. Senibus enim cœna funebris exhiberi solebat, quod Silicernium dicebatur, de quo in XII. Tabularum explicatione dicemus. Sed & populo interdum epulum à defuncti hæredibus dabatur, aut cruda caro distribuebatur, quod Visceratio dicebatur. Denicales inde feriæ celebrabantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur. Erant enim Euerræ, purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferebatur, quæ fiebat per euerriatorem, certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dicta: Sextus Pompeius Festus, vbi & hæc habet euerriatorem vocatum, quem accepta iure hæreditate, iusta facere defuncto oportuerit: quæ si non fecisset, aut quid in ea re turbasset, suo capite lueri. Ede-

bantur etiam nonnunquam in honorem defunctorũ ludi, quos funebres appellabant, de quibus iam ante diximus. Inde discrimen illud funerum ortum, vt alia dicerentur Indictiua, alia Simpludiaria. Indictiua erant, quibus adhibebantur non ludi modò sed etiam desultores, eaque erant amplissima: Simpludiaria autem, quibus adhibebantur duntaxat ludi, corbitoresque. Quidam ea dixerunt esse, quibus neutrum genus interesset ludorum, Sext. Pompeius Festus. Iosephus Scaliger ad eum locum annotat: Simpludiaria dicta, quasi simpliludaria, quia simplices ludij adhiberentur: hoc est, saltatores, vel cernuatores siue cernitores, quos Festus corbitores appellat. Indictiuis autẽ & ludios, & desultores, ac etiam ludorum quædam genera adhibita fuisse, Vide eundem Scaligerum libro primo Ausoniarum lectionũ, cap. 28. Cæterum cum nonnulli essent, qui suorum vel propinquorum, vel amicorum minus desiderium ferre possent, tertiũ, septimum, nonum, & quidam vicesimum, trigesimum, & quadragesimũ, non sine quadam numerorũ religione, dies defunctorum manibus, & memoriæ statuebãt: vnde parentationes, feralia, nouendialia, decennalia, vicenalia, tricennalia, &c. originem traxerunt, quæ omnia tum lacte, & vino, tum sertis & floribus, tum aliis rebus ab antiquis celebrantur. Quanquam decennalium, vicennalium, &c. etiam alius vsus fuerit, de quibus paulò ante diximus.

Vnum adhuc superest, vt quamdiu apud veteres lugeri mortui solerent, explicemus. Cõstat autem ex veterum monumentis, tum ex Plutarcho, & Ouidio in Fastis, menses decem (tot enim Romuli annus habebat) viros ab vxoribus viduis lugeri consueuisse: ita quidẽ vt ante legitimum tempus luctus, nubere nemini possent, nisi id peculiariter à Magistratu, aut Principe impetrassent. Quod si nubendi potestatem non impetrassent, & tamen nuberẽt, infames à Prætore fiebant, & multabantur. Minuebatur tamen nonnunquam luctus aut publice aut priuatim. Publice populo luctus minuebatur ædis dedicatione, cum à Censoribus lustrum condebatur, cum votum publice susceptum soluebatur: priuatis autem, cum liberi nascerentur, cum honos in familiam veniret, cum pater & liberi, aut vir, aut frater ab hoste captus domum rediret, cum puella desponsaretur, cum propiore quis cognatione, quam is, qui lugeretur, natus esset, cùm casto Cereris constitissent. Sext. Pompeius Festus. Qua de re pluribus erudite disputat Iacobus Ræuardus libro primo Variorum, cap. 20. vbi etiam discrimen facit inter lugere & elugere, atque lugere dicit esse lugubri habitu incedere: elugere, legitimum tempus nuptiis, & aliis, quæ prohibita ipsis erant, abstinere. De legitimo luctus tempore etiam differit Iacobus Cuiacius libro 6. Obseruationum, cap. 32. Tantum etiam de Funeribus, & quæ ad ea spectant. De quibus præter Lilium Gyraldum, Alexander Ab Alexandro Neapolitanus libr. 3. Genialium dierum, cap. 2. & 7. & Cælius Rhodiginus libro 17. Antiquarum lectionum, capitibus 19. 20. 21. & alij.

AD CAPVT. Vltimum.

PARALIPOMENA.

Sepultura naturali lege inducta, varij gentium ritus, terra gleba inhumato cadaueri iniecta à transeuntibus, & in os immissa, Pyramides pro tumulis, aues pascere pœna summa, bubo, stryx, cornix, incendiaria, funebres, vultur cadauera sequitur, sepulchra in viis, in montibus, locus à pontifice assignatus, cadauera melle condita, cera, cedria.

NE multa de funeribus dicerem, viri docti præoccuparunt. I. Lipsius ad libr. 4. Annal. ad Alexandr. Neapolitan. lib. 3. cap. 7. Andreas Tiraquellus, præcipuéque Ioannes Kuchmannus Lubecensis quatuor libris, solemnitates funerum Romanorum hinc inde ex omnigenis scriptoribus antea dispersas, in vnũ corpus redactas complexus est. vide quæ supra in hoc opere de Apotheosi & de Tibiis, ad quas efferebantur, à me sunt dicta lib. 3. cap. 31 Certe nulla gens adeo barbara, aut ab humanitatis vsu aliena quæ sepelire cadauera nõ probauerit, est enim *sepultura iuris naturæ*. D. Chrysost. libr. περὶ ἠθῶν, *de moribus*. hinc egregia illa nec minus amara interrogatio Vibuleni apud C. Tacitum libr. primo Annal. *responde Blæse, vbi cadauer abieceris, ne hostes quidem sepulturam inuident.* Hannibal, licet iuratus nomini Romano hostis, tamen Flaminij interfecti corpus, vt sepulturæ mãdarent, quæri iussit. T. Liu. 3. Decad. lib. secũdo eandem humanitatem L. Cornelius consul Hannoni præstitit. Valer. Maxim. libr. 5. cap. 1. & cum seruus iure gentium *nullam habeat communionem* cum liberis hominibus, *locus* tamen *in quo sepultus est, sacer debet haberi*, Aristo apud Vlpianum lege 2. ff. de relig. & sumpt. funer. Quinctilian. Declamat. quinta *hinc ille venit effectus, quod ignotis cadaueribus humum congerimus.* valeat Stoicorum rigida, & ab humanitate remota secta, qui parum interesse asserebant, *supra ter-*

terram, an infra putrescerent. quibusque illud semper in ore, *cælo tegitur qui non habet vrnam sentiensi.* dicebat alter, *onus est terra, non sentienti superuacaneum.* denique non placet illud *non defunctorum causa, sed viuorum inuenta est sepultura, vt corpora & visu, & odore fœda submouerentur.* L. Sen. in libro de Remed. fortuitor. si tamen eius ille author. Sepulturę carentiam apud Virgilium *malum* omnes sciunt appellari libro sexto Æneid.

Eripe me his inuicte malis, & tu mihi terram
Iniice.

Valer. Flacc. lib. 1. Argonautic. in fine

——Quem fida manus, quem chara sororum
Diripiat, lacerátque senem, nec membra sepulchro
Contegat.

Lege Stobæum Serm. 122. rectissimè Ariminus Vetus poëta.

Humano generi posuit natura creatrix
Hanc legem, vt tumuli membra sepulta tegant.

Sed quam varij sepeliendi ritus sint, aliis dictum, de Chiis, Tauris, Sindis, Colchis, Phrygibus, Panebis, Nicolaus, antiquus scriptor, li. de Morib. gent. de Persis, & Ægyptiis, Herodot. lib. 3. de Tartaris. Paul. Venetus li. 1. de Regionib. Orientalib. c. 54. de Iapponibus, Olaus Magnus lib. 4. cap. 7. sed cultissime Silius Italic. lib. 15. Punicor.

Daque vago primum portas Acherontis adire,
Haud vlla ante tuam, quanquam non parua fatigent.
Cura, tum prior exiteris, námque ista per omnes
Discrimen seruat populos, variátque iacentum
Exequias, tumuli & cinerum sententia discors.
Tellure, vt perhibent, is mos antiquus Ibera
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.
Regia cum lucem posuerunt membra probatum est
Hircanis adhibere canes, Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxa
Corpora, & à mensis exanguem aut separat vmbram:
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm, & longum myrrata reponit in æuum:
Quid qui reclusa nudos Garamantes arena
Infodiunt? quid qui sæuo sepelire profundo
Exanimes mandant Libycis Nasamones in oris?
At celtæ vacui capitis circundare gaudent
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula seruant.
Cecropidæ ob patriam Mauortis sorte peremptos
Decreuere simul communibus vrere flammis.
At gens in Scythica suffixa cadauera truncis
Lenta dies sepelit putri liquentia tabo.

Atque hæc quidem dira immanium populorum feráq; barbaries erat, melius aliquanto Romani, qui cadauera terræ, seu primæ parenti, vnde ortum traxerant reddebant, & abunde quieti animarum, quæ quandiu insepulta erant corpora, errare credebantur, si terra cooperuisset defunctos. Fl. Veget. lib. 4. Rei militaris cap. 44. *alij ferro interimuntur, alij ardere coguntur in fluctibus, inter tanta tamen mortium genera, qui acerrimus casus est, absumenda piscibus, insepulta sunt corpora.* D. Synesius in Epistol. Helen. Acron, ad Horat. libro primo od. 28. *in sacris hoc genus sepulturæ tradebatur, vt etsi non obrueretur manu plena ter iacta terra cadaueri pro sepultura esset.* lex ea fuit Græcorum. Aelian. lib. 5. var. histor. cap. 14. [illegible] *lex etiam inter Atticos scripta fuit, si quis in sepultum cadauer hominis incidat, aliquid ei terram injiciat.* L. Sen. rursus mihi compellendus libro quinto de Benefic. capite 20. *at si terram ignoto mortuo inieci, nullum habeo huius officij debitorem, in publicum humanum.* Idem libro 8. Controuers. 4. *quid est miserius in vita, quam velle mori? quid in morte, quam sepeliri non posse? omnibus Natura sepulturam dedit, naufragos, idem qui expulit fluctus sepelit.* hoc ipsum *terræ iniectionem*, siue, vt alij volunt *humationem* appellant. Valer. libro 5. cap. 3 tit. vltim. *Phocion non tantum in exsilio ab Atheniensibus impositum est, sed certè post obitum, nullam Atticæ regionis, quæ ossibus iniiceretur, glebam inuenit.* eleganter C. Petron. Satyr. pag. 76 *si nihil aliud, certe diuitias, inquit, iuncta mors nos feret, vel si vulnerit misericors ad idem litus expellere, aut præteriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit, aut, quod vltimum est, iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet.* Seruius ad illud libri sexti Aeneid. *inops, inhumatáque turba.* Lactant. Firmian. libro sexto capite 12. *quin etiam non desuerunt, qui superuacaneam facerent sepulturam, nihilque esse di-*

erent mali, iacere inhumatum, atque abiectum. Quinctilian. declamat. 5. *hinc & ille venis affectus; quod ignotis cadaueribus humum congerimus.* Idem declamat. 6. *nobis verò genuit* (rerum natura) *non solùm miserationem, sed etiam religionem; inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura: inde iniecta alienis humus.* ea mente capiendi sunt poëtæ Latini Claudian. libro primo in Ruffin. in fine.

—nec vili moriens condatur arena.

Lib. de bello Gildonico.

Occidit iuuenes inhumatáque corpora vulgo
Dispulit, & tumulo cognatas arcuit umbras
Naturamque simul, fratrémque hominemque cruentus
Exuit, & tenuem cæsis inuidit arenam.

Et eodem libro paulò post.

Te pater vltorem, te nudi puluere manes,
Te pietas polluta rogat.

Sext. Propert. lib. 3. eleg. 6.

Et mater non iusta piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Q. Catull. in Argonauticis.

—potius germanum amittere creui,
Quam tibi fallaci suprêmo in tempore deesse
Pro quo dilaceranda feris dabor alitibúsque
Præda, nec iniecta tumulabor mortua terra.

Q. Ennius in Ctesiphonte, citante Macrobio li. 6. Saturnal. cap. 2. & notat Scriuerius.

Neque terram iniicere neque cruenta
Conuestire mihi corpora licuit,
Neque miseræ lauare lachrymæ salsum sanguinem.

Virgil. lib. 6. Aeneid.

Tu mihi terram
Iniice.

Q. Horat. loco proximè supra à me laudato.

Quanquam festinas, non est mora longa, licebit
Iniecto ter puluere curras.

Stat. lib. 12. Thebaid. v. 96. Creon omnem humanitatem exuens.

—Longos vtinam addere sensus
Corporibus, cæcoque animas, Ereboque nocentes
Pellere fas, ipsumque feras, ipsum vnca volucrum
Ora sequi, atque artus regum monstrare nefandos,
Hei mihi quod positus humus alma diffoluet.

Poëtas Græcos adde, Moschionem, siue, vt alij vocant Menandrum.

ἐάσατ᾽ ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς·
ὅθεν δ᾽ ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ᾽ ἀφίκετο
ἐνταῦθ᾽ ἀπελθεῖν, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα
τὸ σῶμα δ᾽ εἰς γῆν.

Sinite iam terra operiri mortuos,
Et vnumquodque, vnde in corpus venit
Illuc redire, spiritum quidem ad æthera
Corpus verò in terram.

Allusit vetus lapis li. 3. Epigrammat. & poëm. Pithæanorum.

Vita subit cælum, corpus tellure tenetur,
Omnia sic repetit iura locósque suos.

Et Maximianus, falsò hactenus Cornelii Galli nomine circumlatus Eleg. 1.

Ortus cuncta suos repetunt, matrémque requirunt.

Zanus Epigrammatographus li. 3. Antholog. c. 22. epigr. 59.

ψυχρὴν σοῦ κεφαλῆς ἐπαμήσομαι αἰγιαλῖτιν
θῖνα κατὰ κρυεροῦ χευάμενος νέκυος.

Frigidam tui capitis accumulabo littoralem
Arenam ad miserabile effundens cadauer.

Antipater Thessalonicensis vetus item poëta, Anthologia eodem lib. cap. 23. epigr. 20.

Αὐσονίη με Λίβυσσαν ἔχει κόνις, ἄγχι δὲ Ῥώμης
κεῖμαι παρθενικὴ τῇδε παρὰ ψαμάθῳ.

Ausonius me Libycam habet puluis, prope Romam
Iaceo virgo hac in arena.

Lycophron. in Cassandra.

ἑνὸς δὲ λώβης, ἀντὶ μυρίων τέκνων
Ἑλλὰς στενάξει πᾶσα τοὺς κενοὺς τάφους
οὐκ ὀστοθήκας, χοιράδων δ᾽ ἐπεμβάσεις
οὐκ ἐσχάτην κεύθοντας ἐκ πυρὸς τέφρην
κρωσσοῖς παρχυθεῖσαν, ὡς θέμις φθιτοῖς
ἀλλ᾽ οὔνομ᾽ οἰκτρὸν καὶ κενηρίων γραφάς.

Vertit ad verbum pene Gulielmus Canterus. *vnius autem ad peccatum, infinitorum liberorum Græcia gemet omnis honoraria sepulchra, non vrnis, sed scopulis insidentia, nec extremum egentia ex igne cinerem, hydriis conditum, vt mortalium mos est, sed nomen miserandum & cænotaphiorum inscriptiones.* metricis legibus Iosephus Scaliger inclusit optimè.

Vnius ob noxam orba mille liberum
Tumulos inanes conquerentur Græcia
Non in sepulchris, sed maris fundo sitos,
Rogi supremum non tegentes puluerem,
Vrnis latentem, vt iusto denicalia,
Sed triste nomen, atque cespitum notas.

Glebula hæc terræ non modò cadaueri imponebatur abiecto, sed & ipsi ori. M. Tull. li. secundo de legib. *priusquam in os iniecta gleba est, locus ille, vbi crematum est corpus, nihil habet religionis.* macula extergenda è loco

Fe-

Festi lib 14. *præcidanea agna vocabatur, quæ ante alias cædebatur, item porca quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est glebam non obiecisset, quod mos erat eis facere prius, quam nouas fruges gustarent.* rescribe omnino, *id est glebam in os iecisses.* quod confirmari posse videtur ex Horatio proxime supra.

At tu nauta vaga ne parce malignus arenæ,
Ossibus, & capiti inhumato
Particulam dare.

Adscribam ad hæc veluti Corollarium egregium locum Claudiani è lib. 2. in Ruffin.

——ne quis nimium sublata secundis
Colla gerat, triuiis calcandus spargitur ecce
Qui sibi Pyramides, qui non cedentia templis
Ornatura suos extruxit culmina manes,
Et qui Sidonio velari credidit ostro
Nudus pascit aues, iacet en qui possidet orbem
Exiguæ telluris inops, & puluere raro
Per partes tegitur nusquam, totiésque sepultus,

Singula discutiam: vnicus.n. mihi videtur inter Latinos poëtas antiquitatem mysticam reconditámque doctrinam, fluentissimis dulcissimisque versibus inseruisse. Primum Pyramides pro tumulo sperabat Ruffinus, prima quippe pyramidum extructio ad sepeliendos principes excogitata primitus, præter historicos, poëtæ, Stat. lib. 5. sil. 5.

Atque utinam fortuna, dares mihi Manibus aras
Par templis opus, aëriamque educere molem
Cyclopum scopulos vltra, atque audacia saxa
Pyramidum, & magno tumulum prætexere luco.
Illic & Siculi superassem dona sepulchri,
Et Nemees lucum, & Pelopis solemnia trunci.

M. Lucanus lib. 6. Pharsaliæ v. 155.

Tanta fuit merces inhumatos condere manes,
Sanguine seminiri Magnum satiare tyranni.
Non ego Pellæas arce adítisque retectum
Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?
Non mihi Pyramidum tumulis auulsus Amasis,
Atque alij reges, Nilo torrente natabunt?

Idem. lib. 8. v. 695.

Tum sibi sacrato Macedo seruatur in antro,
Et regum cineres extructo monte quiescant,
Cum Ptolemæorum manes, seriémque pudendam
Pyramides claudant, indignaq; Mausolea,
Littora Pompeium feriunt, truncúsque vadosis
Huc illuc iactatur aquis.

Magm. Ennodius Fælix Ticinensis Episcopus Epi. 135. cuius lemma est, *de sepulchro Maioriani Imperatoris.*

Cum perstat grauior, bustum fortuna petitum
Contulit exuuiis Maioriane tuis.
Nunc indignis Pyramidum, Sors, prospice moles,
Vilia principibus linque sepulcra piis.

Sequitur in Claudiano. *Sidonio velari credidit ostro.* quia antiquitus purpureis tapetibus cadauera operiebantur, quanquam non sum ignarus vilissima, pauperrimáque sepultura veteres condi solitos, nempe in fontes aut puteos abiici. M. Varro lib. quarto de lingua Latina, & Festus libro decimo quarto in voce *puticuli*, Antiphilus libro primo Antholog. & iam clarus Siluius obseruauit in libro singulari in leges pagina quingentesima quadragesima septima, verum heroicis temporibus longe opulentius cum cadaueribus actum, purpureo enim velamine integebantur. Stat. libro quinto silua prima vers. ducentesimo vigesimo quinto.

Hic te Sidonio velatum molliter ostro
Eximius coniunx, (neque enim fumantia busta,
Ardoremque rogi potuit perferre) beato
Composuit Priscilla thoro.

Valer. Flac. lib. 3. Argonautic.

Funerea quæ cuique manus, quæ cura suorum,
Quæ fortuna fuit, medio rex agmine longe
Eminet, hunc crebris quatiens singultibus ora
Alternat Æsonides, celsoque reponit in ostro,
Dat pictas auro, atque ardenti murice vestes.

Denique *nudus pascit aues.* quia prima infælicitas carere sepulchro, secunda ab auibus discerptum aut pastum fuisse. Aurel. Cassiodor. libro primo epistol. 19. *inhumatam quoque reuerentiam eius funeris abiecerunt, legum districtione resecatis, quatenus qui exemplis prouocantur pessimis, pœnis arceantur aspectis. proh dolor! pietas in auibus inuenitur, quæ ab humana conditione deseritur, vultur ipse, cui victus est cadauer alienum, tantæ magnitudinis corpus, nec exiguis alitibus probatur intestinis,*

sed magis accipitrem vitam plumigerum auium prosequentem, alis cædis, ore dilaniat, totóque suo pondere periclitantibus nititur subuenire. Valer. libro 1. cap. 6. tit. 11. *tam multa signa hostilibus incepta manibus, tantum Romanæ militiæ decus barbarorum oberitum equitatu, optimæ ind lis filij cruore paternæ respersi oculi corpus imperatoris inter promiscuas cadauerum strues, auium ferarúmque laniatibus obiectum.* Mentio & apud Homerum libro vigesimosecundo Iliad. v. 395. Augustus apud Suetonium capite 13. *cuidam sepulturam petenti, respondit iam illam in volucrum esse potestate.* varie legunt viri docti eum locum: Læuinus Torrentius, *in potestatem volucrum esse.* Cic. pro lege Manilia. *cum vestros portus in prædonum fuisse potestatem sciatis.* Terent. in Andria *in ignem posita est.* L. Sen. libro primo de Ira. *cum se in possessionem posuerunt.* Adrian. libro 24. Aduersarior. capite 15. *iam istam volucrum potestatem fore.* sed non multum interest. L. Apul. libr. 5. Milesiar. *perinde, vt merebatur laceratis visceribus suis, alitibus, bestiisque obuium ferens pabulum interiit.* Catul. in Argonautic. supra laudatus. P. Virgil. lib. 9. v. 486. Æneid.

Heu miserande puer, canibus data præda Latinis
Alitibúsque iaces.

Et libr 10. Æneid. v. 559. & citat Pierius Valerian. lib. 18. Hieroglyphic.

——Non te optima mater
Condet humi, patriòve onerabit membra sepulchro.
Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
Vnda feret, piscésque impasti vulnera lambent.

Sil. Italic. lib. 13.

Hic diræ volucres, pastusque cadauere vultur,
Hic multus bubo.

Iuuenal. Sat. 10.

Non vnquam attigerant maiora cadauera corui.

Et Sat. 14. v. 77. *vultur,*

At fœtus properat, partémque cadaueris offert.

Lucan. lib. 4. v. 801.

——Libycas en nobile corpus
Pascis aues.

Et lib. 8. v. 507. Idem.

Nec soceri tantùm arma fugis, fugis arma senatus,
Cuius Thessalicas saturat pars magna volucres.

Eiusdem libr. v. 764. Codrus ad cadauer Pompeij.

——ne ponti belluæ quicquam.
Ne feræ, ne volucris, ne sæui Cæsaris ira
Audeat exiguam, quantum potes, accipe flammam
Romana succense manu.

L. Sen. Tragæd. Thyeste Act. 5. sc. 3.

Vtrumve sæuis pabulum alitibus iacent.

Et in Thebaid. Act. 1. sc 1.

Et in alta nemora pabulum misit feris
Auidis, auibúsque.

Claudian. de 6. Hon. consul. vbi cæsus à Stilichone Alaricus.

——multi que suorum
Diras pauit aues

Aues diræ sunt, *quæ laceratione corporum aluntur.* vt loquitur Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 20. vultures autem designari certum est, Silius loco proximè supra laudato. Agathias Scholasticus Antholog. libro 2. capite 31. epigram. 7.

ὄρνεον ἠέλιον ... (Greek verse, illegible)
... (Greek verse, illegible)

Auem comedimus inuisati miseram viri,
Aliarum auium cibus euadimus.

Ennius apud Seruium lib. 6. Æneid.

Vulturus in siluis miserum mandebat hominem.

In aliis editionibus legitur, sed paruo discrimine.

Vulturis in siluis miserum mandebat hominem.

Quare in hæredipetæ vultures dicti. L. Seneca ille idem Epist. 95. *vultur est, cadauer expectat.* nam *vltra mare* vultures *vt cadauera præsentiscunt*, ita huiusmodi homines opibus defunctorum inhiant Isidor. lib. 12. c. 7. Cicero in Pisonem *prouinciæ vulturius.* Catul. Epigr. 66.

Suscitat & cano vulturium capite.

Martial. lib. 6 epigr. 62.

Cuius vulturis hoc erit cadauer?

Lepidissime, vt solet, & festiuissime Plaut. in Trinummo.

Tum autem sunt alij qui te vulturium vocant,
Hostésne an ciues comedas, paruipendere.

Et quia eò deuenimus, aues funebres habebantur præter vulturem, bubo, stryx, cornix, incendiaria auis, quæ vel inauspicatæ censebantur, vel certæ mortis aduenturæ nuntiæ, ob id *diræ aues* dicuntur Statio libr. 3. Theb. v. 520. vbi locus insignis fæda interpunctione corruptus.

Non comes obscurus tripodum non fulminis ardes
Vector ades, flauæque sonans auis vnca Mineruæ:
Non venis auguriis melior, quàm vultur, & acres.
Desuper accipitres insultante rapinis.

Licet

Licet certum sit vulturis augurio Romam conditam, tamen manifestum est eam inter nominatas aues poni solere, quare censeo legendum in tertio versu,

Nec venit augurio melior: sed vultur.

Bubo, siue vt alii volunt, *bis*, Cæl. Rhodig. lib.19. ca. 17. nomen habet *à sono quem edit*. M. Varro lib.4. de ling. Lat. C. Plin. lib.10. cap.12. *aues inauspicatæ, bubos coruus, cornix*. Ouid. li. 1. Amor. eleg.12. & li.6. Metamorphof. Fab. 7. & lib.5. Fab. 8. & lib.5. Fab. vlt. *cubiculo Commodi* Imperatoris *insidens bubo, mortem ei significauit*. Æl. Lamprid. in eo. L. Sen. in Hercule Furente. Act.3 sc.2. M. Lucan. lib.5. Pharsaliæ.

Et lætæ iurantur aues bubone sinistro.

Silius Italic. supra, & in prodig. in Cannensem stragem præcedentibus lib.8. Punic.

Obsedítque frequens castrorum culmina bubo.

Claudian. lib.2 in Eutrop.

——infestóque iubet bubone moueri
Agmina Mygdonias mox impletura volucres.

Est tamen obseruandum, non semper funebrem esse auem eam, nam *tacita bonum, canens malum*, denuntiat. Seruius ad li.4. Æneid. L. Apul. libr.3. Milesiar. Iul. Obsequens in egregio & necessario de prodigiis opere. Capp.85.86.90 91. Ouid. libro 9. Metamorphos.

——ter omen
Funereus bubo lethali carmine fecit.

Virgil. loco citato.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Visa queri.

Stat. lib.3. Thebaid. citato superius loco, & vbertim fabulam narrat Luctatius Placid.

——Feralia bubo
Damna canens.

Strygem in *maledictis* posuerunt inquit Plin. lib.11. cap.39 id nominis sortita est. *quod horrendum stridere nocte solet.* vt cum Ouidio loquar. li.6. Fast. Seneca Tragœdus & Isidorus locis proximè laudatis, Porphyrion ad Horatium. Epod. od. 5. *strix nocturna est, mali ominis*. Lucan. li.6.

Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queratur.

Statius vbi supra.

Nocturnæque gemunt stryges.

In veneficiis ob id maximè petebatur. Horat. ibidem.

Plumámque nocturnæ strigis.

Sext. Propert. lib.3. eleg.5.

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta ex sectis anguibus ossa trahunt.
Et strygis inuentæ per busta iacentia plumæ,
Cinctáque funesto lanea vitta viro.

Et lib.4 eleg.5.

Consuluitque stryges nostro de sanguine.

Ouid. lib.7. Metamorphos. Fab.2. in Medeæ incantationibus.

Et strygis infames ipsis cum carnibus alas
Addidit.

Cornix vocatur Ecloga 1. à Virgilio *sinistra*. & præsertim funebre auspicium ab ea captatur, *fætus tempore*, id est, *post solstitium: quod ex duabus vna extincta, altera perpetuò vidua permaneat* Plin. lib.10. cap.12. Ælian de Animal. lib.3. Horat. lib.3. od. 27. Andreas Alciatus IC. Emblemate 73.

Te corui comedunt, te deuorat improba cornix
Quæ nihil humanæ commoditatis habent.

Incendiaria auis quænam fuerit, incertum est, certè ea nunquam videbatur, vt statim post *vrbs non lustraretur*, C. Plin. lib.10. cap.13. *pyralem* appellat Cælius Rhodig. libr.14. ca.8. ἀπὸ τοῦ πυρὸς, videlicet ducto nomine *ab igne*. rectè Seruius, *de busto sudem ad tectum si detulisset incendium portendebat: si cuius ædes insedisset, & vocem misisset, significabat mortem*. Iosephus Scaliger in Annotationibus in Festum *ambustiam* putat dici, quod circa busta voliter, & in iis plerumq; delitescat. Glossarium vetus ambustandus, *εἶδος ὄρνιθος, genus auis*. legendum est indubiè *ambustaneus*. sunt & nonnulli qui Spinturnicem esse hanc velint Santræ authoritate. Fest. Pomp. lib. 17 *spinturnix est auis genus, turpis figuræ, occursatrix artificum, perdita spinturnix, ea Græcè dicitur σπινθαρίς*. ab euentu itaque nomen illi inditum. σπινθὴρ enim *ignis est structura*. ad sepulcra redeo.

Vt olim in puteis pauperiores insepulti abiiciebantur, vti paulò ante ostendi, diuites olim in domibus suis, admonui in Tractatu de laribus hoc opere supra, communis Romanorum sepultura in *viis publicis* erat, vt ex epitaphiis apparet, quæ semper viatores alloquuntur, & habetur diserte apud ICtos. l. mortuorum, & l. prætor ff. de sepul. violato. vet. scholiast. Iuuen. ad Sat.1. vltim. *viæ in quibus nobiles sepeliebantur*. ipse Satyricus, *sl minia tegitur cinis atque Latina*. Et Sat.5 v.55 *cinerosæ monimenta Latinæ* L. Sen. Epist 91. in fi. *non est quod nos tumulus metiaris, & his monimentis, quæ viam disparia prætexunt, æquat omnes cinis impares nascimur pares morimur*. dem in Apocolocynt. seu Satyra Claudiana. *Appiæ viæ curator est, qua scis, & Diuum Augustum & Tiberium Cæsarem ad Deos isse*. Beatus Rhodanus annotauit, pleni sunt omnes historicorum & poëtarum paginæ, quis enim ignorare potest, vetitum fuisse legibus Romanis Græcisque,

intra vrbis pomeria quemquam humare, aut sepelire, nisi legislatores, quibus is videbatur debitus honor, vt qui ciues legibus à se latis salubri concordia continuissent viui in medio eorundem mortui requiescerent: Alii autem, quibus ambitio & fama petebatur etiam post fragilem caduci huius corpusculi vsum depositum, in viis publicis sepulchra sua erigi volebant, vt titulos, quibus inscripti fuerant, possent omnes, qui transirent, perlegere: titulis hisce, siue Inscriptionibus gesta, familia, ætas, vitæ conditio, mortisque causa continebantur. vnicum addam ab eruditissimo Meursio annotatum. Principes aut in montibus, aut ad montium radices sepeliebantur. Isidor. libro decimo quinto Etymologiar. cap. vndecimo: *apud maiores enim potentes aut sub montibus, aut in montibus sepeliebantur, inde tractum est, vt super cadauera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.* priora illa mutuatus est à Seruio ad lib. 11. Æneid Aurelius libr. de Orig. gent Rom. *post illum regnauit Auentinus Siluius, isque finitimis bellum inferentibus, in dimicando circumuentus ab hostibus prostratus est, ac sepultus circa radices montis, cui ex se nomen dedit.* M. Lucan. lib. 8.

Et regum cineres extructo monte quiescant.

Stat. lib. 5. sil. 3.

Exere semirutos subito de puluere vultus
Parthenope, crinémque afflato monte sepulti
Pone super cineres, & magni funus alumni.

P. Virgil. lib. 6. Æneid.

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suáque arma viro, remúmque, tubámque
Monte sub aëreo, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternúmque tenet per secula nomen.

Et lib. 11. Æneid.

— fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacáque Ilice tectum.

Et à Pontificibus locus sepulchris assignabatur, nisi forte hæreditaria ea fuissent, & tunc non erat operæpretium Pontificem interuenire, nam idem patrifamilias in illud ius erat atque in reliquam hæreditatem. C. Sueton. in Domitiano capite decimo septimo: *cadauer eius populari sandapila per vespillones exportatum Phyllis nutrix in suburbano suo, Latina via, loco à pontifice dato, funerauit.* sic legitur ille locus apud VVolfgangum Lazium Reipub. Roman. lib. 3. ca. 11. at in editionibus vulgatis verba illa, *loco à pontifice dato,* desiderantur, neque puto genuina esse Suetonio, sed vel glossema Lazij, vel in textum irrepsisse è margine. At solitos pontifices loca idonea designare & consecrare, apparet ex Strabone Amasiano li. 5. Geograph. Aurelio Prudentio in Romano Martyre, & vide apud Lazium loco nominato. vetus Lapis.

P. ACTILIO. RVFFO. ET. ACTILIAE. BERONI. CAE. VX. VIXER. ANN. XXIIII. SED. PVBLI. MENS. X. ANTE. NATVS. EST. ET. EADEM. HORA. FVNGOR. ESV. AMBO. MORTVI. SVNT. ILLE. ACV. ISTA. LANIFICIO. VITAM. AGEBANT. NEC. EX. EORVM. BONIS. PLVS. INVENTVM. EST. QVAM. QVOD. SVFFICERET. AD. EMENDAM. PYRAM. ET. PICEM. QVIBVS. CORPORA. CREMARENTVR. ET. PRAEFICA. CONDVCTA. ET. VERNA. EMPTA. ATQVE. INDVLGENTIA. PONTIFICVM. LOCVS. DATVS. EST.

Altera Inscriptio est Romæ, cuius hæc verba sunt.

D. M.

FLAVIAE. VRBICAE. FILIAE. SVAE. CHARISSIMAE. FECIT. T. FLAVIVS VICTOR. ET. MANICA. VRBICA. PARENTES. VIXIT. ANN. VII MENSIB VII LOCVS. DATVS. EST. A. PONTIF. MANILIO. FORTVNATO. PATRONO.

Quod si aliquis peregrè obiisset, cadauer melle perungebant, ne corrumperetur, donec domum referri posset. C. Plin. lib. 22. c. 24. *mellis quidem ipsius natura talis est, vt putrescere corpora non sinat, iucundo sapore atque non aspero, alia quam salis natura.* quod in consuetudine fuisse Græcis discimus ex historia Agesipolis Lacedæmoniorum regis, qui febri mortuus apud Xenophontem. Historiar. Græcar. lib. quinto, pag. 564. καὶ ὁ μὲν ἐν μέλιτι τεθεὶς, καὶ κομισθεὶς οἴκαδε τῆς βασιλικῆς ταφῆς ἔτυχε, *melle oblitus domum deportatur, ac regiam sepulturam consequitur.* huc pertinet mystica antiquorum significatio, nam *viuentium symbolum sal* solebat esse, *mortuorum quidem mel.* Cæl. Rhodigin. libro vigesimo octauo. cap. vigesimoseptimo Antiquarum lectionum. Stat. Papin. libro 3. sil. 2. v. 108.

Duc & ad Emathios manes, vbi belliger vrbis
Conditor, Hyblæo perfusus nectare durat.

Corip-

Corippus African. de laudib. Iustini Minoris lib. 3. Num. 3.

Thura Sabæa crepant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo.
Centum aliæ species, vnguentaque mira feruntur,
Tempus in æternum sacrum seruantia corpus.
Supremum patri talem celebrabas honorem
Augusto melius Iustinus Cæsare princeps.

Meminit ritus Diogenes Laërtius l. 3. de dict. Ph los. obseruauitque ex eo eruditissimus senex P. Victorius lib. 19. variar. lection. ca. 1. M. Varro in *Crono* ἀεὶ τρυφῆς apud Nonium c. 3. Num. 261.

Quare Heraclides Ponticus plus sapit
Qui præcepit vt comburerent, quam Democritus,
Qui vt in melle seruarent, quam si vulgus
Sequutus esset, peream si centum denariis,
Calicem mulsi emere possimus.

Nec modo melle, sed & *cera* cadauera oblinere receptum. M. Tull 1. Tusculan. quæst. ad finem. *condiunt Ægyptij mortuos, & eos domi seruant. Persæ etiam cera circumlitos condiunt, vt quam maxime permaneant diuturna corpora: Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi à feris sint antea laniata: In Hircania plebs publicos alit canes, optimates domesticos, nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat, à quibus lanietur.* eadem illa, & plura iam antea ex Silio dixi hoc c. Sed locum suspicor ceræ tantum relictum ad perungenda defunctorum corpora, quando mel non suppetebat. Cornel. Nepos, aut verius Æmilius Probus in Agesilao, in fin. *in morbum implicitus decessit, ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non haberent, cera circumfuderunt, atque in domum retulerunt.* eandem historiam narrans Diodorus Siculus libro 15. καὶ τὸ σῶμα ἐν μέλιτι κομισθὲν εἰς τὴν Σπάρτην, *corpus in melle deportatum Spartam.* controuersum inter duos clarissimos historicos, vtrum cera, an melle Agesilai demortui cadauer domum fuerit relatum: probabilior est Æmilij sententia. quod habeat Plutarchum assentientem, sic. n. ille in vita Agesilai: οἱ παρόντες κηρὸν ἐπιτήξαντες τῷ νεκρῷ, μέλιτος οὐ παρόντος, ἀπῆγον Σπαρτιᾶται εἰς Λακεδαίμονα, *cera cadaueri illiquefacta, quia mel non suppetebat, Lacedæmonem retulerunt Spartiatæ.* ita intellige Silium Italicum libr. 13. Punicor.

Dum varios ritus curas, & solemnia vulgi
Exequitur, cessas flammis imponere corpus,
Vt portes tumulis per longum membra paternis:
Quod te per nostri Martis precor æmula facta,
Arce, quæ patrios artus medicina seruant,
Daque vago portas quamprimum Acherontis adire.

Locus corruptus est forsan legendum, hoc modo primus versus.

Dum varios ritus, curam, & solemnia vulgi
Exequitur.

Adde tertiam rationem conseruandorum cadauerum, ea peruncta quippe cedria non vero melle, neque cera, Plin. libro decimosexto capite 11. *primus sudor aquæ fluit canali, hoc in Syria cedrium vocatur, cui tanta vis est, vt in Ægypto corpora hominum defunctorum ea perfusa seruentur.* eadem pæne habet idem scriptor libro vigesimo quarto capite quinto: *cedri succus, ex ea quomodo fieret diximus, magni ad lumina vsus, ni capiti* (melius quam *capitis*) *dolorem inferret, defuncta corpora incorrupta æuis seruat, viuentia corrumpit, mira differentia, cum vitam auferat spirantibus, defunctisque pro vita sit,* & Iunius Moderatus Columella Rei Rust. li. 6. cap. 32. notat Georgius Alexandrinus.

Sic peruncta & delibuta cedria, melle, ceráue cadauera ornabantur, coronabantúrque, eodem modo ac si adhuc viuerent, imo & mensis adhibebantur, quod in aula Gallica nuper bellicosissimi clementissimíque principis funestata incredibili, calamitosóque Europæ toti, exitu, videmus fieri. & consuetudinis Ægyptiorum fuisse, vt simulachrum defuncti induerent iisdem ornamentis, quibus viuens vtebatur, sepulchróque vitreo inferrent, clarum est ex Herodoto libro tertio. Græcos idipsum probasse, habetur apud Ciceronem Orat. pro L. Flacco. quid contineretur plebiscitis Smyrnæorum, quæ fecerant in Castricium mortuum, breui ostendens, *primum,* inquit, *vt in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur, deinde vt ferrent Ephebi, postremo, vt imponeretur aurea corona mortuo.* adstipulatur & Aristophanes in Concionantibus apud P. Victorium libro secundo variarum Lectionum, capite septimo de Turcis, idem lego scribente Philippo Louicero histor. Turcicæ Tom. 1. parte 2. capite decimo nono: *ablutum cadauer duobus linteis funeralibus, iisdem è xilino textis abstergunt & exsiccant, siccatum cadauer aqua rosacea addito thimiamate aspergunt, vestibúsque quas habuit pretiosissimis induunt, capi-*

quoque virgam adaptant, cui pileum florib. exornatum imponunt: sic exornatum cadauer quidam ex sacerdotibus in templa deferunt. Id apud Macedones inualuisse, testis esse potest Ælianus lib. 12. var. hist. c. vlt. de Byzantiis principibus. Coripp. li. 1. Num. 13.

Sic suprema suæ seruans insignia vitæ
Iustinianus erat, non mutans morte colorem,
Sed solito candore nitens, quia vicerat orbem
More veneranda viri, signis monstrauit apertis,
Ipse videbatur cunctis plagentibus vnus
Effigie gaudere pia, diademate comptus,
Purpureáque in veste iacens requiescere somno à

Sil. Italic. lib. laudato, de Ægyptiis.

Claudit odorato post funus stantia busto
Corpora, & à mensis exanguem haud separat umbram.

Relicta ad funebrem apparatum spectantia, suo ordine libro singulari à me expedientur.

AMPLIS-

AMPLISSIMIS VIRIS PRVDENTIA, ERVDITIONE, ET VIRTVTIBVS PRÆSTANtissimis, Domino Camerario, & toti Senatui inclytæ Reipublicæ Ratisbonensis, Dominis suis reuerenter colendis, S. D.

MVLTA sunt pij Magistratus officia, Viri amplissimi, Domini reuerenter colendi: sed nescio, an non multò maximum & præstantissimum sit, curare, vt bonæ literæ floreant & conseruentur. Cùm enim Spiritus S. per Prophetam Esaiam pios Magistratus appellet nutritios Ecclesiæ: certè hoc etiam vult, vt Scholarum curâ tangantur, quippe quæ seminarium sunt Ecclesiæ: imò non Ecclesiæ tantùm, verùm etiam Politiæ. Et profectò si res rectè perpendatur, dici non potest, quantùm de toto genere humano, & de omni posteritate mereantur ij, qui Scholas instituunt, institutas liberaliter fouent & conseruant, quod vel ex superioris ætatis historia luce meridiana clarius est, vbi omnes bonæ artes spretæ & sine honore iacuerunt, tantaq; barbaries fuit, vt non sine stupore de ea cogitare possimus.

Neque verò sacræ tantum literæ hoc munus Magistratui adscribunt, verùm etiam Ethnici ex lumine naturæ perspexerunt eidem conseruationem Scholarum competere. Vnde inter alia plurima numina Græci coluerunt etiam Herculem μουσηγέτην. Romani Herculem Musarum, ob nullam aliam causam, quàm vt ostenderent Musas & Herculem mutuis operis & præmiis iuuari, ornarique debere Musarum quietem defensione Herculis: Virtutem Herculis voce Musarum, uti præclarè docet Eumenius Rhetor in oratione, quam habuit ad Præfectum Antiochenum de Scholis instituendis. Laudanda igitur est vestra pietas, Viri amplissimi, quòd inter alias molestias & curas, quæ Reipub. causa vobis incumbunt, Scholæ etiam, eiúsque alumnorum curam non abijcitis, verùm fouetis, & vt porrò foueatis, & omni studio conseruetis, maximoperè vos rogo & obtestor. Cùm autem & mihi partem aliquam muneris in ea vestra Schola commendaueritis, succisiuis illis horis, quæ mihi à publicis vocationis meæ laboribus reliquæ fuerunt, ex varia variorum scriptorum lectione, quædam ad classicorum scriptorum sententiam intelligendam non inutilia notaui: quæ cùm viris doctis vsque adeò probarentur, vt me ad eorum editionem hortarentur, æquissimum fore putaui, si vestræ Amplitudini, sub quarum vmbra hactenus viuo, alterum Antiquitatum Romanarum Commentarium publicè inscriberem, meaque in Vest. Ampl. gratitudinis specimen ederem, reuerenter atque humillimè petens, vt V. A. hoc meum, licet exiguum, munus beneuolo animo accipere, sibique me, meaq; studia etiam porrò commendata habere dignetur. Valete, Viri amplissimi, & saluete. Ex ludo vestro ad IV. Id. Ianuar. Anno CIↃ.IↃ.XXC.

V. A.

Deditissimus

Ioannes Rosinus Isennacensis.

ANTIQVITATVM ROMANARVM

Liber VI.

DE COMITIIS.

ABsolvimus priorem institutæ scriptionis partem, quæ de Vrbe, Populo, & Religione fuit. Iam posteriorem, quæ de Politica gubernatione agit, aggredimur: in qua primùm omnium de Comitiis dicendum esse arbitramur, cùm eorum cognitio ad reliquorum librorum tractationem summopere requiratur, & omnia fere, de quibus in sequentibus disputabitur Comitiis populi peracta sint. Magistratus enim iisdem à populo creatos fuisse, quis ignorat? Cui obscurum esse potest, leges omnes non aliter, quàm Comitiis populi latas esse? Sic iudicia etiam quædam, ea scilicet, quæ populi propria fuerunt, itémque multa ad rem militarem pertinentia, Comitiis sunt peracta. Facilè igitur perspicitur summè necessarium esse, vt antequam ad illorum explicationem accedatur, horum ratio perspecta sit. Scripserunt quidem de Comitiis apud veteres, M Terentius Varro, & alij: nostra verò ætate eruditione multa præditi, & excellentes viri non pauci: inter quos sunt Alexander Neapolitanus, Onuphrius Panuinius, Ioachimus Perionius, Carolus Sigonius, & alij, vt de Blondo & Budæo taceam. Inter omnes autem Nicolaus Grucchius, vir doctissimus, ante annos aliquot, tres libros eruditione multiplici refertos, de Comitiis Romanorum in publicum edidit, quem ego præ reliquis secutus sum: ordine tamen nonnihil mutato. Quippe cùm mihi visum fuerit, temporis etiam rationem aliquo modo obseruandam esse, de curiatis Comitiis primùm agendum putaui, de quibus ipse vltimo loco disputat. Sed nec illud dissimulare possum, quod de quibusdam huc pertinentibus Carolo Sigonio non benè cum Grucchio conueniat. Consului igitur diligenter illa etiam scripta, quæ ab vtroque de rebus huius materiæ controuersis sunt edita. Et cùm Sigonij sententia mihi probabilior, pluribus etiam & firmioribus rationibus niti videatur, secutus eam sum. Nequaquam autem ita meum iudicium interponere volui, vt lectoribus horum librorum omnem de illa controuersia vlteriorem inquisitionem adimerem, imò hortor eosdem, vt diligenter ea scripta legant, & iudicium ipsimet de iis faciant. Quam etiam ob causam semper vtriusque sententiam simul lectori proposui: & tamen quæ ex iis mihi verisimilior visa fuerit, reticere nolui. De his igitur, studiose lector, monendus mihi initio eras. Sequitur, vt vnde Comitia dicta, quid, & quotuplicia fuerint, videamus.

CAPVT I.

Vnde dicantur Comitia, quid, & quotuplicia ea sint, & quid Comitia calata.

COMITIA (à coëundo, vel comeundo, vt veteres locuti sunt, quòd populus coire eis & vnum in locum conuenire soleret, dicta) fuerunt conuentus populi ad ferendum de aliqua re suffragium. Agellius libro decimoquinto, capite vigesimo septimo, ex Cælio Felice recitat discrimen inter Concilia & Comitia, cùm ait: Eum

Eum qui non vniuersum populum, sed partem aliquam adesse iubeat, non Comitia, sed Concilium edicere debere. Vnde intelligitur Comitia dicta fuisse, quando vniuersus populus conueniret: Concilia autem, quando non vniuersus populus, sed pars tantum aliqua eius congregata esset, quæ tamen differentia anxie auctoribus non est obseruata: imò sæpiùs reperitur alterum vocabulum pro altero positum. Indicare igitur hoc loco, non explicare pluribus eam volui.

Neque verò omnes populi conuentus comitia dicta fuerunt, sed ij tantùm, qui ferendorum de aliqua re suffragiorum causa haberentur. Quando verò ludorum, vel census gratia, vniuersus populus, vti sæpe fiebat, conueniret comitia non fuerunt.

Genera Comitiorum, eorum scilicet, quæ proprie sic dicta sunt, fuisse tria, Curiata Centuriata & Tributa inter omnes conuenit. Quod Agellius lib. 15. capite 27. ex Lælio Felice refert de Comitiis calatis: ea proprium & peculiare genus non efficiunt. Fuerunt etiam primùm omnia comitia calata dicta (quod idem etiam innuere videtur, inquiens, calatorum alia fuisse curiata, alia centuriata) à Græco verbo καλεῖν, quod voco significat: vnde vetustas rudis calare dixit Latina forma, pro vocare: sed postea cùm in vsu hoc verbum esse desiisset, retentum est nomen calatorum comitiorum in his tantùm, quæ pro collegio Pontificum habebantur, vel testamentorum condendorum causa fiebant: idque religionis cuiusdam & antiquitatis ratione. De priori causa loquitur Lælius Felix apud Agellium libro 15. cap. 27. inquiens, calata Comitia esse, quæ pro collegio Pontificum aut Regis sacrorum, aut Flaminum inaugurandorum causa haberentur. De posteriori autem Theophilus Instit. libro 2. sic scribit: Duo erant apud veteres testamentorum genera, vnum, quod Calatis Comitiis fiebat, & dicebatur: alterum, quod in procinctu. Testamentum calatis Comitiis, tempore pacis fiebat bis in anno, hoc modo: Præco vniuersam circumibat ciuitatem, populum conuocans: ac tum qui testamentum condere volebat, in concione populi, ipso teste populo, testamentum scribebat. Ex quo etiam dictum est Calatis Comitiis: nam calare est vocare: Comitia verò populi congregatio. Quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum calatis Comitiis. Hæc ille.

Caput II.

Quid sint Comitia Curiata, & quid Curia.

De Curiatis Comitiis, quòd ea omnium prima sint, primo etiam loco dicendum esse arbitror. Fuerunt ergo Curiata Comitia, in quibus populus curiatim suffragium dicebat: hoc est, in quibus populi per curias diuisi sententia rogabatur, vt quod plures curiæ statuissent, id iussum populi esse diceretur. Lælius Felix apud Agellium lib. 15. c. 27. vbi discrimen inter Curiata, Centuriata, & Tributa Comitia recenset, dicit, cùm ex generibus omnium suffragium feratur, Curiata Comitia esse. Quod vt meliùs intelligatur, de curiis, vnde hæc Comitia nomen traxerunt, verba facienda sunt.

Curiam à cura dictam, testis est apud Nonium Varro libro secundo de vita popul. Roman. Tres autem sunt significationes vocis curiæ, quarum in historia Romana fit mentio. Prima est, quòd curiæ sunt triginta illæ partes, in quas populum Romulus distribuit, altera, quòd significant sacras illas ædes, quas singulæ harum triginta partium habuerunt, & in quibus sacra sua peregerunt. Quas primùm quidem à Romulo in monte Palatino conditas, Veterésque appellatas, posteà verò nimium aucto populo, nouas prope compitum Fabricij ædificatas fuisse Festus docet. Tertiò sunt etiam Curiæ dictæ ædes illæ, in quibus Senatus est habitus. De secunda & tertia significatione Varro libro 4. de ling. Latin. sic scribit: Curiæ duorum generum sunt: nam & vbi curarent Sacerdotes res diuinas, vt curiæ veteres: & vbi Senatus humanas, vt curia Hostilia, quam primus ædificauit Hostilius Rex. Festus verò: Curia, inquit, locus est, vbi tantùm ratio sacrorum gerebatur. Curiæ etiam nominantur, in quibus vniuscuiusque partis populi Romani quid geritur: quales sunt eæ, in quas Romulus populum distribuit, numero triginta, vt in sua quisque curia sacra publica faceret, feriásque obseruaret, hisque curiis singulis nomina Curium (aut Curentium, siue Curiensium) virginum imposita esse dicuntur, quas virgines quondam Romani de Sabinis rapuerunt. Hæc ille. De prima significatione Pomponius IC. ff. titulo 2. l. 2. de Origine iuris scribit & Halicarnass. libro secundo, qui etiam originem curiarum, id est, triginta popul. Ro-

mani partium sic refert: In tres partes, inquit, diuisa vniuersa multitudine, Romulus singulis præclarum aliquem virum Ducem præposuit: deinde vnamquamque, rursum in decem partitus, totidem fortissimos viros eis præfecit: has Curias, illas Tribus vocari voluit, sicut vocantur & hodie. Et paulò pòst. Sacra sua Romulus cuique curię partitus est, assignatis in singulas Diis & Dæmonibus, quos perpetuò colerent: sumptúsque in hæc attribuit ex ærario publico: quæ quoties celebrarentur, aderant curiæ suis vicibus, epulúmque diebus festis præbebantur Curialibus (id est, iis qui erant eiusdem curiæ) in aula cuique curiæ propria. Hactenus Dionysius. De numero igitur & prima origine curiarum, quod triginta tantùm fuerint, à Romulo primo Romanorum Rege institutæ, quodque is numerus perpetuò fuerit retentus, præter Asconium Pędianum Commentario in Ciceronis Verrinas, qui curias cum Tribubus confundit, & easdem ad trigintaquinque numerum auctas fuisse affirmat, pleriq; consentiunt. In eo autem discrepant Scriptores, vnde nomina curiæ acceperint. Liuius enim & Festus auctores sunt, virginum Sabinarum à Romanis raptarum nomina curiis indita esse. Verba Liuij lib. 1. Decad. 1. sunt hæc: Ex bello tam tristi læta repentè pax chariores Sabinas viris ac parentibus, & ante omnes Romulo ipsi fecit. Itaque cùm populum in curias triginta diuideret, nomina earum curiis imposuit. Id non traditur, cùm haud dubie aliquantò numerus maior hoc mulierum fuerit, ætate, an dignitatibus suis, virorúmve, an sorte lectæ sint, quę nomina curiis darent. Hæc ille. Varro tamen, Plutarch. & Dion. & alij eos mendacij arguunt, & contrarium asserunt. Plutarchi verba in Romulo adscribam: Singulæ, inquit, Tribus decem continuerunt curias. Eas quidem perhibent à Sabinis mulieribus nomen traxisse: sed hoc mendacium esse deprehenditur: nam multis earum à locis nomina imposita sunt. Et Dionys. li. 2. vbi de honoribus Sabinis mulieribus habitis disserit, inter alia ait: Sunt qui scribant eas donis multis, magnisque remuneratas à Regibus, & triginta, quas diximus, curias accepisse illarum nomina, quod totidem in legatione fuerint. Sed Terent. Varro hac parte dissentit à reliquis, asserens iam pridem curiis nomina imposuisse Romulum cùm primùm distribueret multitudinem, partim à Ducibus, partim à veteribus patriis.

Cæterum de triginta curiarũ nominibus præter octo, nulla sunt reliqua, Foriensis, Raptæ, Vallensis, Velitiæ, meminit Festus his verbis: Nouæ curię proximè compitum Fabricij ædificatę sunt, quòd parum amplæ erant veteres à Romulo factæ, vbi is populum & sacra in partes triginta distribuerat, vt in iis sacra curarent: quæ quando ex veteribus in nouas euocarentur, quatuor curiarum per religiones euocari non potuerunt. Itaque Foriensis, Raptæ, Vallensis, Velitiæ, res diuinæ fiunt in veteribus curiis, &c. Idem etiam Tifatę meminit & Titiæ. Tifata, inquit, Iliceta: Romæ autem Tifata curia: Tifata etiam locus iuxta Capuam. Et post pauca: Titiensis Tribus à prænomine Tatij Regis appellata videtur. Titia quoque curia ab eodem Rege est dicta, &c. Calabra curia, ex Varrone lib. 4. de ling. Lat. nota est, qui ait, Calabram curiam dictam esse, vbi tantùm sacrorum ratio sit gesta. De Faucia, vel, vt quidam malunt, Saucia, loquitur Liuius li. 9. Dictator, inquit Papyrius, C. Iunium Bubulcum Magistrũ Equitum dixit, atque ei legem Curiatam de imperio ferenti, triste omen, diem diffidit, quod Fauciæ (vel Sauciæ) Curiæ fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ vrbis, & Caudinæ pacis, quod vtroque anno eiusdem curiæ fuerat principium, &c. Hoc quoque addere visum est, curias Romæ fuisse populi tales quasdam partes, quales sunt nostro tempore in vrbibus quibusdam parœchiæ. Vt enim nostrę parœchiæ habent destinatas quasdam ædes & domos, in certa quadam vrbis parte sitas, quæ communia sacra, ipsam ædem communem, & sacrorum communem ministrum, id est, parœchum habent: ita curię erant incolarum vrbis partes, non modò loco, sed etiam sacris sibi peculiaribus distinctæ, quibus qui præerant, Curiones vocabantur. Et licet primùm curiæ Tribuum partes essent: tamen posterioribus temporibus, crescente Tribuum numero, eadem ratio obseruata non est. Hinc igitur intelligi potest, quænam Curiata comitia fuerint: quorum, sicuti etiam curiarum, Romulum auctorem fuisse certum est.

Capvt III.

De quibus causis actum sit Comitiis Curiatis.

De origine Curiatorum comitiorum dictum est: iam etiam causæ, propter quas ea habita fuerint, aperiendæ sunt. Primùm quidem, quando nondum Centuriata, nec Tributa fuerunt, omnia quæ ad Rempublicam pertinuerunt, Curiatis comitiis peracta sunt. Reges & alij Magistratus iis creati, leges omnes, quæ ad illud vsque tempus latæ sunt, & quæ ad iudicia peracta Curiata fuerunt, ita vt omnia, quæ populi suffragiis fierent, nonnisi Comitiis Curiatis fierent.

De

De Regibus quidem, quod iis comitiis Curiatis creata sint, res est manifesta. Testantur id Liuius libro primo, & Dionysius libro secundo, & aliis multis locis. De Numa Dionysius perspicuè indicat, eum Curiatis comitiis Regem declaratum esse. Eadem de Seruio Tullio refert, ne dicam de aliis: omnes enim Reges excepto Tarquinio Superbo, legitimis comitiis sunt creati. De Tribuno Celerum elici potest ex Dionysij lib. 2 & Liuij lib. 1 vbi de eius prima creatione scribunt: Adde quod Dionysius libro quarto, vbi de Centuriatis comitiis à Seruio Tullio institutis, verba facit: Clarè, inquit, iam olim penes populum fuisse trium horum arbitrium, creandi Magistratus, tam domi, quàm militiæ: leges abrogandi, vel confirmandi: bellum pacemve decernendi: & quoties de iis rebus disceptatum sit, curiatim collecta suffragia. Ac de Romulo Dionysius libro secundo, loquens: Plebi, inquit, tria hæc commisit, Magistratus creare, leges sancire de bello, referente Rege, decernere: ita tamen, vt Senatus quoque in iis accedat auctoritas. Perspicuum ex his est, non tantùm Magistratus, vt Reges & Tribunos Celerum (quo etiam referri debent Quæstores: nam & ipsos sub Regibus fuisse testis est Tacitus Annal. libro vndecimo.) Curiatis comitiis creatos: sed leges etiam iisdem latas esse: eas scilicet, quas Reges tulerunt. Quin etiam iudicia iis comitiis sub Regibus exercitata fuisse, confirmat iudicium Horatij sub Tullo Hostilio, vbi Curiarum suffragiis vel calculis Horatius absolutus est, testibus Dionysio libro tertio, & Liuio libro primo. Præter hoc autem iudicium nullum aliud, quod comitiis Curiatis peractum sit, reperitur, quod etiam Carolus Sigonius vir doctissimus lib. 3. de Iudiciis Romanorum, cap. 4. affirmat.

Post eiectos Roma Reges, cùm plebs per secessionem impetrasset à Patribus, vt liceret sibi Tribunos, Ædilesque Plebeios creare, etiam illi Curiatis comitiis vsque ad legem Voleronis latam creati leguntur. Vbi verò Curiatis non tantùm Centuriata, sed & Tributa accesserunt: cùm omnia ferè, quæ antè Curiatis fiebant, post Tributis & Centuriatis peragerentur: & maximè postquam lex Voleronis lata est, de creandis plebeiis Magistratibus comitiis Tributis, qui ante Curiatis creati fuerant. Post quæ tempora duabus potissimum rationibus Curiata comitia haberi cœperunt: vna fuit legum ferendarum, altera vero Sacerdotum quorundam creandorum.

Leges Curiatæ fuerunt sex. Prima de confirmatione quorundam Magistratuum, qui ante aliis comitiis designati erant, quod tamen non diu obseruatum est, vti postea dicetur. Altera de imperio (hoc est, rei militaris administrandæ facultate) Magistratibus, vt puta, Dictatoribus, Consulibus, Proconsulibus, Prætoribus, Proprætoribus, ac Proquæstoribus, qui cum iure Prætorio in Prouincias mittebantur dando: Cicero 2. Philippica & Liuius. Imperium enim, vt clarissime ostendit Carolus Sigonius in posteriore cum Gruchio disputatione, & lib. 3 de Antiquo iure prouinciarum cap. 4. & sequentibus, item lib. 1. de Antiquo iure ciuium Romanorum, cap. 21. duplex fuit, ciuile & militare. (Ciuile, quod in auspicio & iudicio consistebat, & plerumque potestas dicitur, non imperium) Magistratibus iis comitiis dabatur, quibus creabantur, vel in Magistratu fuerat. Militare verò imperium (quod erat sacramento adigendi milites, exercitum habendi, bellúmque gerendi ius) non habebant, nisi peculiari lege de ea re ad populum curiatis comitiis lata, impetrassent. Quanquam hoc non erat omninò necessarium, cùm etiam ex Senatusconsulto peculiari, item iure Prouinciæ imperium illud habere possent, vt pluribus docet Carolus Sigonius. Hoc igitur alterum genus legis curiatæ fuit.

Tertia lex curiata fuit, quia Camillus ab exilio reuocatus est, vt tradit Liuius libro quinto.

Quarta erat, qua adoptiones fiebant, de qua Cicero pro domo, Tacitus li. 17. & Agellius lib. 5. cap. 19.

Quinta, quæ testamentis confirmandis ferri solebat, de qua idem Agellius lib. 15. capit. 27. Sexta lex curiata fuit, qua sacrorum detestationes fiebant: id est, omnes consecrationes, quas publicè in concione populi fieri oporteret. Agellius libro decimoquinto capite vigesimoseptimo. Altera porrò causa habendorum curiatorum comitiorum posterioribus temporibus, fuit ad creandos sacerdotes quosdam. Hi autem erant Flamines, & Curio maximus, cuius, vt tradit Sext. Pompeius, auctoritate, curiæ omnes, curionésque regebantur, vt ex Dionys. lib. 2. & Lælio Felice apud Agell. libro decimoquinto. cap. 27. intelligitur. Reliqui autem curiones non comitiis, sed à suis quisque curiis eligebantur, vt alibi dicetur. Hæ igitur causæ fuerunt, de quibus curiatis comitiis actum est, quemadmodum ex veteribus scriptoribus cognoscitur.

Caput IIII.

Quas personas comitiis curiatis interesse oportuerit.

Dvplices considerandæ sunt personæ, & quæ potestatem habuerint conuocandi, ac habendi comitia curiata, & quæ suffragium iis tulerint. Potestatem conuocandi & habendi curiata comitia habuerunt primum Reges, penes quos summa rerum omnium potestas fuit vt in sequenti de Magistratibus libro demonstrabitur. Exempla & testimonia de ea re multa adducere ineptum esset. Mutata autem veteri Reipub. forma, & in Regis locum Consulibus creatis, etiam hæc ratio mutata, & ius vocandi populum ad comitia curiata, vel alias personas translatum est. Tum.n. Magistratibus quibusdam Patriciis, Consulibus, Prætoribus, Dictatoribus, & Interregibus: Pontificibus etiam id ius fuisse Romanæ historiæ scriptores testantur. Ac Patricios quidem Magistratus solos id iuris habuisse ex Liuio lib.6. intelligi potest, vbi dicit, curiata comitia auspicato & Patribus auctoribus haberi. De Consulibus autem Prætoribus, & Dictatoribus, quòd id ius habuerint, non est dubuerint, non est dubium. Cùm.n. legem de Imperio eorum ferri Curiatis comitiis oporteret, eosdem etiam vocare potuisse populum ad ea comitia, quis est qui dubitet? vt interim alia argumenta, quibus idem probari posset, prætercam De Interregibus item manifesta res est, cùm Dionys. lib.2. & Liuius lib.1. testentur, Romulo, item Numa Regibus extinctis Interreges aliquandiu Rempubl. gubernasse, ac tandem communi consilio vnum comitia curiata, creando nouo Regi in defuncti locum edixisse. Quia autem & Flaminum inaugurandorum causa curiata comitia haberi solerent, vt capite præcedenti dictum est, idque ad Pontificum officium pertineret: eosdem etiam populum ad illa comitia vocandi potestatem habuisse, perspicuum est. Et hæc quidem de iis personis, quæ ius conuocandi populum ad curiata comitia habuerunt: De iis nunc agendum, qui suffragium tulerunt. Fuerunt autem qui suffragium his comitiis tulerunt, ciues Romani, & quidem ij tantum, qui in Curias descripti erant. Atqui non omnes ciues in Curias descripti fuerunt: sed ij tantum, qui in vrbe habitarunt: Qui verò extra vrbem Romam domicilia habuerunt, in Curias descripti non sunt. Quod igitur discrimen inter eos fuerit non videtur ab hoc loco alienum, paucis explicare: Omnes ciues qui in vrbe domicilium haberent, in Tribus & Curias describebantur. Postquam vero crescente Repub'. multis vicinis populis deuictis ius ciuitatis communicaretur, describebantur illi quidem in Tribus, & ciues Romani erant. Quandiu autem extra vrbem viuerent, in Curias non referebantur, sed sua sacra patria retinebant. Qui autem ex coloniis, vel municipiis vel etiam prouinciis Romam migrabant, ij, cùm in Curias describerentur patria sua sacra relinquere cogebantur, & ea recipere, quæ eius Curiæ, in quam describebantur propria essent. Illi ergo, quibus in vrbe domicilium erat, ius suffragii comitiis Curiatis habebant. Reliqui non item. Cuius rei explicationem prolixiorem si quis desiderat, legat Nic. Grucchium lib.3. de comitiis, cap.3. Onuph. Panuinium lib.2. Comment. Reip. Roman. & Carol. Sigonium li. 1. de Iure ciuium Rom. c.5. Meminit Grucchius, & eum secutus Onuphr. Panuinius, ac Paul. quoque Manutius lib. de Legib. & Oratione 2. in Rullum. Ciceronis tempore triginta tantùm lictores curiarum, non ipsas curias nonnunquam suffragium comitiis curiatis ferre solitos. Quam opinionem multis argumentis refutat Car. Sigonius in posteriore cum Grucchio disputatione, & lib.3. de Iure prouinc. cap.1. & ostendit liquidò id elici ex Ciceronis verbis non posse, quæ sic habent: Sic igitur Decemuiri neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem, atque ad vsurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum causa adumbratis, constituti, &c. Hoc enim ait Ciceronem significare velle, Rullum Decemuiros suos eiusmodi comitiis curiatis constituere voluisse, vt ad ea non modò non omnes curias adhiberet, quæ ille vera comitia appellat: sed nec lictores quidem curiarum in speciem aduocaret auspiciorum causa, iisque triginta lictoribus vera comitia Curiata adumbraret, quasi omnes curiæ adfuissent. Quod verò talia comitia vnquam in vsu fuerint, Ciceronem nequaquam docere affirmat. Solebant quidem comitiis curiatis singulis curiis singuli lictores adesse, non autem suffragiorum, sed officij causa. Verum de horum verborum intellect. plura scribit Sigonius, in posteriore cum Grucchio disputatione, & li.3. de antiquo iure prouinciarum cap.1.

Cap.

Caput V.

De loco Curiatorum Comitiorum, de Comitio & Rostris.

CVriata Comitia non ferè poterant auspicatò fieri, nisi intra pomerium, idque in foro adeóque in comitio, quod multis scriptorum locis demonstrari potest. Varro libro quarto de ling. Lat. dicit, comitium inde primùm nomen habuisse, quòd comitiis Curiatis populus illuc conueniret. Fuit igitur comitium foro coniunctum, imò pars fori à Palatii porta incipiens, & finiens ad templum D. Mariæ Nouæ, vt Marlianus Epitome Topographiæ antiquæ vrbis, libro 3. cap. 15. & 20. docet, qui etiam scribit S.P.Q.R. aliquid quod ex vsu Reip. esset, decreturos eò coisse. Quod vero addit Consules, Tribunos, aliosque Magistratus ibidem creatos, in multum errat. Non enim Consules in comitio, sed in campo Martio creati sunt, vt paulo post ostendetur. Sicuti etiam de Tribunis, quod non omnes, neque semper in comitio, sed vt plurimùm in campo Martio, nonnunquam in Capitolio creati fuerint, docebitur. Hoc vero etiam notandum, quod ibidem tradit, comitium multis annis tecto caruisse, & propterea sæpe comitia indicta, ob tempestatem ingruentem peragi non potuisse, sed fuisse dissoluta. Longo autem tempore post, vbi Hannibal in Italiam venerit, tectum impositum fuisse, idque postea à Cæsare restauratum. Plurimæ statuæ in hac fori parte fuerunt, item Rostra, quæ L. Furio Camillo, C. Mænio Coss. ex Rostris nauium Antiatium condita fuerunt: sic enim Liu. lib. 8. Naues Antiatium partim in Naualia Romæ subductæ, partim incensæ: rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuit, Rostráque id templum appellatum. Horum sæpe in Liuio, Cicerone, & aliis fit mentio. Ferebantur in Rostris leges, agebantur causæ, & conciones habebantur. Erant autem duplicia, noua & vetera. Noua quæ ad Palatii radices: & vetera, quæ apud curiam in comitio, de quibus hoc loco. Illud etiam memorabile de Rostris est, quod Antonius occisi Ciceronis caput præcisum, & ad se allatum inter duas manus in Rostris poni curauerat, vbi ille Consul, vbi sæpe Consularis, vbi eo ipso anno aduersus Antonium, quanta nulla vnquam humana vox, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat. Testantur hoc Liu. Plutarch. in vita Ciceronis. Dio libro 47. & alii. De loco tamen comitiorum curiatorum etiam hoc notandum, legem curiatam, qua reuocatus Camillus ab exilio fuit, vrbe à Gallis capta, Veiis, non in comitio latam esse, teste Liuio lib. 5.

Caput VI.

De tempore Curiatorum Comitiorum.

DE tempore curiatorum comitiorum equidem nihil habeo dicere, nisi quod comitialibus diebus, de quibus alio libro multa dicuntur, ea sint habita. Non enim certo aliquo tempore curiatis comitiis populum conuenisse, ac de re aliqua suffragium tulisse, legitur: sed quandocunque necessitas Reipublicæ id requirebat, tum conueniebant. Non tamen omnibus diebus sine discrimine, sed tantùm comitialibus, vt modo dictum est. Superest vt modum horum comitiorum explicemus.

Caput VII.

De modo Comitiorum Curiatorum.

IN explicatione modi comitiorum curiatorum primùm videbimus, quid ante illa fieri oporteret vt iusta essent: deinde, quo ordine ipsa comitia peragerentur: tum etiam quædam particularia, quæ in singulis obseruari solerent, addemus. Quod igitur ad ea quæ ante tempus comitiorum initorum fiebant, attinet, notanda hæc veniunt: primum edicebantur hæc comitia ab aliquo eorum Magistratuum, quibus id ius fuisse paulo ante diximus: conuocabatur deinde populus per triginta lictores. Habebantur etiam auspicato, ita vt obnunciationi parendum esset, si de cœlo seruatum esset. Quod vt intelligatur, quædam de auspiciis repetenda sunt. Tria fuerunt auspiciorum generalium inspectu-

de cælo obſeruatio: & tripudij animaduerſio: Obſeruatio de cœlo ad omnia comitia adhibebatur, & ſic etiam ad curiata. Auium inſpectio ad curiata & centuriata tantùm. Eam ob cauſam propter obſeruationem de cœlo etiam Augures tres oportebat his comitiis adeſſe, qui latori legis in auſpicio eſſent. Tripudium rerum gerendarum erat proprium. Sed de Auguriis vel auſpiciis alio loco dictum eſt prolixiùs. Hoc tantum addere viſum fuit, quod ante præterij, & in hunc locum reſeruaui, cum legatur & de Magiſtratibus ipſis Patriciis, & de Auguribus, quòd auſpicati fuerunt, vtrum ſimilia eorum auſpicia, an vero diuerſa fuerint. Et, ſi diuerſa fuerunt, quodnam inter ea ſit diſcrimen. Hoc vbi explicauero, tum ad ea, quæ comitiis curiatis obſeruata fuerint, prætexenda reuertar. Tractat hanc quæſt. eruditiſſimus Ald. Manut. Pauli. F. lib. 3. de Quæſitis per epiſt. ep. 9. prolixè, ex quo capita tantum præcipua hic afferam. ſtudioſum lectorem ſi pleniorem eius explicationem volet, eo remittens. Quod igitur ad propoſitum attinet, multis modis diuerſæ fuerunt Augurum & Magiſtratuum auſpicia, præcipua eorum diſcrimina Ald. Man. recitat ſex.

Primum Augures auſpicabantur, vt ex ſignis quibuſdam, vel probarent aliquid, vel vetarent quod Cicero pluribus locis aliis, tum maximè libro 2. de Legibus oſtendit. Magiſtratus verò cæteris quidem in rebus, teſte eodem Cicer. libro 1. de Diuin. ſigna obſeruabant, ex quibus aut prohiberent, aut probarent: comitiis autem, vel ſi nulla inſtructi ſcientia eſſent, nulla ſignorum obſeruatione, ſolo auſpicio vetabant, ſiue aliquid contrarium vidiſſent, ſiue non vidiſſent. Itaque in Oratione pro Domo ſua: Negant, inquit, Augures fas eſſe agi cum populo, cum de cœlo ſeruatur. Ipſa igitur actio, non ea quæ agentes vidiſſent, impediendi vim habebat.

Alterum diſcrimen hoc eſt, Augures nunciationem ſolam habebant, ſine ſpectione: Magiſtratus vtramque: quod oſtendit Cic. in 2. Philip. iiſdem penè verbis: Nos, inquit (de Auguribus loquitur, quia & ipſe Augur erat) nunciationem ſolùm habemus, Conſules, & reliqui Magiſtratus etiam ſpectionem. Spectionem autem habere, idem eſt, quod ſeruare de cœlo, vel auſpicari: nunciare verò, vel obnunciare, eſt, viſa vel audita auſpicia indicare.

Tertia differentia eſt, quòd Augures neceſſariò adhibebantur: non enim Magiſtratuum Comitia, neque legum haberi poterant, niſi Augures adeſſent, & probaſſent, teſte Cic. lib. 3. de Legibus & ad Attic. libro 4. Epiſt. vltim. vbi ait, Augures tres in ferenda lege Curiata adeſſe oportere: Magiſtratus autem ſeruare de cœlo nulla res cogebat. Sed vbi Comitiis impedimento eſſe cupiebant, tunc de cęlo ſeruabant. Hoc tamen non eſt prętereundum, nemini Magiſtratuum licuiſſe comitiis, Magiſtratuum creandorum cauſa inſtitutis de cœlo ſeruare, & ita ea comitia impedire.

Quarta differentia eſt, Augures non obnunciabant futuris tantum comitiis, verùm etiam inſtitutis, aut iam habitis, quod docet Cicero libro 2. de Legibus cùm inquit, Quid maius eſt, quàm poſſe à ſummis imperiis & ſummis poteſtatibus comitia tollere, conſilia, vel inſtituta, dimittere, vel habita reſcindere? quid grauius, quàm rem ſuſceptam dirimi, vnus ſi Augur, alio die, dixerit? quid magnificentius, quam poſſe decernere, vt magiſtratu ſe abdicent Conſules? quid religioſius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut non dare? Hæc Cicero. Magiſtratus autem obnunciare ſolebant, priuſquam Comitia haberentur: quod perſpicuum eſt ex 2. Philippica vbi dicit Cicero Quiſquamne diuinare poteſt, quid vitij in auſpiciis futurum ſit, niſi qui de cœlo ſeruare conſtituit? quod neque licet comitiis per leges. & ſi quis ſeruauerit, non habitis Comitiis, ſed priuſquam habeantur, debet nunciare. Idem intelligitur ex epiſtolis ad Atticum epiſt. 3. libro 4.

Quintum diſcrimen eſt, Augures obnunciabant, cùm auſpicati eſſent, erant enim auſpicia priora obnunciatione: Magiſtratibus autem ſemper impedientibus, obſeruatio ſignorum neceſſaria non erat. Ita enim obnunciabant, quaſi aduerſa ſigna ſemper eſſent. Propterea liberum illis fuit, non modò pòſt auſpicium, ſed ante etiam obnunciare, quaſi diuinarent, vti aliquid in auſpiciis futurum. Cic. Philippica 2. & pro Seſtio, & Dio. libro 39.

Sextum & vltimum diſcrimen eſt, tres Augures interdum, vt in ferenda lege curiata, teſte Cicerone ad Attic. libro quarto epiſt. vlt. quandoque vnus, quemadmodum in comitiis Magiſtratuum, vt idem Cicero libro ſecundo de Legibus docet, auſpicio vtebantur. Magiſtratus autem vel vnus, qui de cœlo ſeruaret, impedire legum comitia poterat, quod probatione non eget. Hæc de diſcrimine inter auſpicia Magiſtratuum & Augurum. Reuertamur ad comitia. Poſtquam curiæ conueniſſent, & Magiſtratus illi, qui comitia inſtituerant, per Augures auſpicati eſſent, nec quicquam impedimento eſſet, quo minùs ea peragerentur, tum rogatio, de qua curiæ ſuffragium laturæ erant, publice recitabatur, quæ vbi recitata erat, præſes comitiorum curias in ſuffragium mittebat, his verbis, Si ita vobis videtur, Quirites, diſcedite in curias, & ſuffragium inite, quod perſpicitur ex Dionyſio Halicarnaſſæo libro quarto.

Si verò

Si verò rogatio non videbatur futura è re populi, Tribuni plebis intercedebant, vtentes solenni verbo Veto, vel Vetamus. Quod cùm fieret non licebat curiis suffragium ferre, sed comitia vel dissoluebantur, vel in alium diem proferebantur. Nemine autem Tribunorum intercedente, discedebat populus in curias, & de rogatione consultabat. Post singulæ curiæ, vna post alteram sorte vocatæ, exibant, & suffragium ferebant. Et ea quidem, quæ prima exierat, Principium dicebatur. Quod autem plures ex triginta curiis iusserant, id ratum habebatur. Atq; si primò vocatæ consentirent, statim atque sedecim ex illis suffragium dixerant, finis fiebat comitiis. Quia tum certum esset, à pluribus curiis id iussum esse, quod sedecim curiæ iussissent. Sin dissentirent, eo vsque vocabantur, dum sedecim curiæ consensissent.

Obseruabatur & hoc vt curia primò ad ferendum suffragium sorte vocata, esset boni ominis. Si contrarium accideret, comitia in alium diem proferebantur. Quod intelligitur ex Liuio li. 9. cùm scribit, L. Papyrium Dictatorem auspicia postero die repetiisse, quia ipso comitia de imperio priori die habente, prima exiuisset curia Saucia, quæ mali ominis erat, duabus scilicet insignis cladibus, captæ vrbis, & Caudinæ pacis, quod vtroque anno eiusdem curiæ fuerat principium, &c. Tandem quod pluribus curiis visum esset, id ad Patres referebatur, vt ab iis confirmaretur. Quem tamen morem non semper fuisse retentum, sed posterioribus temporibus mutatum, ita vt Patrum sententiam curiæ confirmauerint, docet Dionysius libro secundo his verbis: Populus ferebat suffragium non vniuersus confusè, sed per curias vocatus: quódque pluribus visum esset curiis, id ad Patres referebatur: nunc vero mos mutatus est. Neque enim Patres de iussis populi post iudicant, sed contra sententiam Patrum confirmat deinde populus, &c.

Postulat hic locus vt de suffragiis etiam aliquid dicatur, quomodo ea lata à curiis sint, per tabellas, an viua voce. Qua de re hoc ex antiquorum scriptis cognoscitur initio fuisse & in his, & in aliis Comitiis semper vsitata suffragia voce. Ita vsque ad legem illam tabellariam à Gabinio Tribuno plebis latam, Coss. Cn. Calpurnio Pisone, M. Popilio Lænate, Anno ab Vrbe condita DCXIV. qua cautum erat, vt comitiis, quibus Magistratus crearentur, populus non voce, sed tabella suffragium ferret. Et quod id liberet, ne quis inspiceret tab. ne rogaret, ne appellaret. Ita ab omni parte liberum iudicium suum in Magistratibus creandis populus haberet. Secutæ hanc legem sunt & aliæ, vt Cassia, Papyria, & Cælia, quibus cautum, vt non solùm in creandis Magistratibus, sed etiam in iudiciis populi, in legibus iubendis & vetandis, item in iudicio perduellionis tabulæ vsurparentur, vt in li. de Legibus & iudiciis explicabitur. Atque hæc in genere de modo Comitiorum curiatorum dicta sint. Præter quæ tamen etiam specialia quædam digna sunt consideratione.

In Comitiis legum ferendarum præter ea quæ dicta sunt, nihil fere fuit obseruatum, nisi quod eas oportuerit trinundino antè proponi, quàm Comitia haberentur.

Quod autem ad Comitia curiata de confirmatione Magistratuum iam designatorum attinet, sciendum est, primis temporibus, Comitiorum & Magistratuum confirmandorum ius penes Senatum fuisse, vti paulò antè ex Dionysio ostendimus. Quod ius Senatui ademptum populus deinde ad se rapuit, ac bina de Magistratibus Patriciis Comitia haberi voluit: vna, quibus crearentur, & illa vel centuriata, vel curiata fuerunt, altera, quibus confirmarentur, quæ etiam centuriata aut curiata fuerunt. Centuriata lex ferebatur pro confirmatione Censorum iam designatorum: Curiata autem pro reliquorum Magistratuum Patriciorum confirmatione. Solebat autem in prioribus comitiis quæ Magistratibus designandis haberentur, populus ita rogari: Quos vultis Consules fieri? Posterioribus, quibus de confirmatione Consulum, vel aliorum Patriciorum Magistratuum lex Curiata ferebatur, ita rogabatur: Vultis, iubetisne, vt M. Cicero, T. Antonius, quos consules populus designauit, consulatum habeant? Confirmabantur igitur Magistratus designati lege ad populum lata, non autem designabantur lege lata. Nam rogatio illa, qua ad populum ferebatur, vt Magistratus crearent vel designarent, lex non dicebatur. Docet hoc de binis Magistratuum comitiis Cicero, cuius Oratione 2. contra Rullum hæc sunt verba: Maiores de omnibus Magistratibus bis vos iudicare voluerunt. Nam cùm centuriata lex Censoribus ferebatur, cum curiata ceteris Patriciis Magistratibus, tum iterum de iisdem iudicabatur. Et mox addit causam: Vt esset reprehendendi potestas, si populum beneficij sui pœniteret. Quorum sententiam hanc esse docet Carolus Sigonius lib. 3. de antiquo iure Prouinciarum capite 2. De omnibus Magistratibus, inquit, maiores bis vos iudicare voluerunt. Nam cùm Centuriata lex Censoribus iam designatis ferebatur, cùm Curiata item ceteris Patriciis Magistratibus pariter iam designatis ferebatur, eo tempore secundum iudicium faciebat populus vt posset reprehendere, si beneficij sui prioribus Comitiis delati, pœniteret. Primum enim Comitiis Centuriatis Censores designabant, deinde iisdem legem Curiatam ferebant. Item centuriatis comitiis Consules designabant, deinde eis legem Centu-

riatam ferebant. Non erat autem idem designare Magistratum,& legem ei Centuriatam, aut Curiatam iam designato ferre. Prioribus igitur comitiis designabantur Magistratus, posterioribus lege confirmabantur,&c. Hæc ille. Qui tamen mos de binis huiusmodi comitiis non semper obseruatus, sed mutatus posterioribus temporibus est, & in eorum locum successerunt bina comitia, Prærogatiuæ & iura vocatarum, vti paulò post dicetur: quod tum fuisse factum suspicari licet, cùm numerus tribuum trigintaquinque est expletus.

Alia ab hac lege Curiata de confirmatione Magistratuum designatorum est, illa de imperio eorundem, quæ Magistratibus, vtputà Consulibus, & aliis in prouinciam, & ad bellum cum imperio militari profecturis, ferebatur, ac postremis etiam temporibus obseruabatur: Et sine qua Magistratibus rem militarem attingere non licebat, vt Cicero loquitur. Quanquam legamus nonnunquam Senatusconsulto, vel Plebiscito idem ius Magistratibus tributum fuisse, sicuti etiam iure prouinciæ, iis qui in Prouincias mittebantur, rem militarem attingere licebat. Quod tamen si sine curiata lege facerent, propriis sumptibus in Prouincias ire cogebantur: si vero legem curiatam accepissent, tum ex ærario viaticum: id est, sumptus in mulos, vehicula, & tabernacula, & cætera eiusmodi instrumenta eis suppeditabantur. Regulariter autẽ, Magistratibus vrbanis, & Prouincialibus, si extra vrbem bellum esset gerendum, imperium militare lege curiata tribuebatur: in Vrbe verò seditionis alicuius restinguendæ causa, quam ad rem exercitu opus erat, militare imperium Magistratibus dabatur summo illo Senatusconsulto: Videant Consules, ne quid Respublica detrimenti capiat, id quod Salustius docet. Et hęc quidem omnia prolixè & diligenter explicat Carolus Sigonius in posteriori cum Grucchio disputatione, & lib. 3. de iure Prouinciarum, cap. 5 & seqq. de quibus etiam nobis alio loco pluribus erit agendum.

Sequitur vt de lege curiata arrogationum dicam. In iis itaque comitiis præter superiora illa generalia, etiam hæc obseruabantur. Non tantùm latorem legis, eósque, inter quos arrogatio fiebat, & curias suffragium ferentes, sed Pontifices etiam adesse oportebat, qui de causis, & omni iure arrogandi cognoscerent, in quo certum quoddam erat iuramentum, à Quinto Mutio Pontifice Maximo conceptum, quod hi iurare debebant, inter quos fiebat arrogatio. Considerabatur ætas eius, qui arrogare volebat an liberis posteà gignendis idonea esset: bonáque eius, qui arrogabatur, ne illæ insidiosè appetita essent. Rogari solebat is, qui arrogabatur, auctórne fieret vt in alterius potestatem illo modo transiret. Posteaquam verò vtrique interrogationibus iurati respondissent, & Pontifices causas arrogationis probarent, nécne, publicè professi essent: tum populus à Magistratu rogabatur, vti legem iuberent. Cuius formulam recitat Agellius li. 5. c. 19. his verbis: Arrogatio, inquit, dicta est, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. Eius rogationis verba hæc sunt: Velitis, iubeatis, vti L. Valerius L. Titio tam iure, legéque filius sibi fiet, quàm si ex eo patre, matréque familias eius natus esset: vtique ei vitæ, necisque in eum potestas sit, vti patiendo filio est. Hoc ita vt dixi, ita vos Quirites rogo, &c. Hactenus. Agell.

In Comitiis curiatis Flaminis Dialis, hoc propriè obseruatum fuisse scribit Tacitus li. 4. Annalium, vt tres Patricij, confarreatis nati parentibus, nominarentur, ex quibus deinde vnus legeretur. An verò hoc etiam in reliquorum Flaminum creatione obseruatum fuerit dubitari potest. Nihil enim de iis antiquiores scriptores tradunt. Atque hæc de comitiis curiatis dicta sint, sequuntur centuriata.

CAPVT VIII.

De Centuriatis Comitiis, quid ea sint: quídque classes & Centuriæ.

SICVT Curiata comitia à Curiis, ita centuriata à centuriis dicta sunt. Ad quorum rationem intelligendam refert primùm scire quid centuriæ fuerint, & à quo fine institutæ: quod vbi cognitum fuerit, non difficulter etiam centuriatorum comitiorum natura intelligi poterit. Fuit autem, vt rem aggrediar, centuriarum autor & institutor Seruius Tullius, consentientibus Liuio, Dionysio, Floro, Eutropio, & multis aliis, ex quibus Dionysij lib. 4. verba adscribere libet, qui omnium diligentissimè, & clarissimè centuriarum institutionem tradit. Seruius, inquit, iussit censeri bona omnium ciuium cum iureiurando bonæ fidei, adscriptis ætatis annis, & parentum nominibus, atque adeò liberorum etiam, atque coniugum: adhæc quam quisque regionem vrbis, quémve pagum incoleret:

ret: ei qui non censeretur, pœna proposita, vt bonis in fiscum redactis, cæsus virgis, sub hasta veniret: diúque lex ea Romanis seruata est. Peracto censu, cùm ex scripto & ipsorum numerum, & opes eorum cognouisset, commentus est institutum longe prudentissimum & Reipublicæ saluberrimum, vt res docuit. Id fuit tale. Vnam selectam ex omni numero partem, cuius maximus census erat, nec minor centum minis, in octuaginta centurias digestam, arma habere imperauit, clypeum, arginum, loricam ex ære, galeámque & ocreas, tela, hastam, & gladium. Ex his quadraginta centurias fecit iuniorum, qui foris bella gererent, totidem seniorum, qui manerent ad vrbis custodiam. Hæc prima classis fuit. Eius iuuentus primum semper locum tenebat in acie. Secundæ classis census erat intra decem millia drachmarum vsque ad minas septuaginta. Ex his conscriptæ viginti centuriæ: arma gestare iussi eadem: nisi quòd loricæ ademptæ, & scuta data pro clypeis. Hic quoque nati super quadragesimum quintum annum à militari ætate diuisi. Centuriæ decem iuniorum, qui ad bella emitterentur: totidem seniorum ad seruanda mœnia. Huic classi secundus locus dabatur in acie. Tertiæ census, vt ad septies mille & quingentas drachmas non perueniebat, ita quinquaginta minas excedebat. His non solum loricæ ademptæ sicut proximis, sed & ocreæ: eundem numerum centuriarum explentibus, diuisarum æquè in denas, ætatis discrimine locum in acie tuebantur post secundam classem proximum. Et reliquis rursùs cùm detraxisset, qui minus quinque millibus drachmarum in bonis possiderent, vsque ad viginti minas, quartam classem fecit æque viginti constantem centuriis, decem vigentium cum maxime: totidem maturitatem iam egressorum, quemadmodum & priores distinxerat. Arma his imperata, scuta, hastę, & gladij: locus assignatus in postrema acie. In quintam classem reiecti sunt, quorum facultates censerentur inter vigintiquinq: minas, & duodecim cum dimidia: triginta erant centuriæ, pro ætatis ratione diuisæ pariter, quindecim seniorum, iuuenum totidem. His imperatum, vt cum fundis & iaculis militarent extra ordines. Iussæ etiam armatos sequi quatuor inermes centuriæ, duæ ad armorum, & machinarum fabricam, totidem cornicinum, tubicinum, quique aliis instrumentis signa canerēt. Opifices in secunda classe censebantur, adscripta senioribus vna eiusdem ætatis centuria: altera iuniorum stipendia faciebat cum iuuenibus. Tubicines & cornicines quartæ classis pars erant, pari ætatis discrimine. Centuriones deinde præfecti, vt quisque erat virtutis spectatissimæ, qui centurias imperatis peragendis assuefacerent. Hi ordines fuêre tam legionariorum, quàm leuis armaturæ peditum. Cæterum equitum delectum habuit ex opulentissimis nobilium illorum octodecim centurias primis illis legionariorum octuaginta centuriis attribuit cum suis præfectis viris illustrissimis. Reliquos ciues quorum census minor fuit duodecim minis cum dimidia, sed numero non cedebant quinque classibus, aut superabant etiam, in vnum ordinem congestos immunes fecit à tributis simul, & militibus. Sex classes Romani vocant, &c. Hæ classes continebant CXCIII. centurias. Prima XCIIX. annumeratis equitibus: secunda XXII. cum opificibus, tertia XX. quarta XXII. cum cornicibus & tubicinibus, quinta XXX. vltima pro vna censebatur egenorum centuria. Hactenus Dionysius. Ex quibus perspicuum est, quid centuriæ fuerint, & quomodo à Seruio introductæ, & quòd quinque tantum classes census faciendi causa sint institutæ, sextæ nulla fere habita ratione.

Quanqoam autem initio classes & Centuriæ cum tribubus & curiis nihil habuerint commune, vt manifestò ex Liuio & Dionysio constat: tamen procedente tempore institutum est, vt classes centuriæque quodammodo tribuum essent partes. Quod factum fuisse post expletum trigintaquinque tribuum numerum, ex Liuio colligit Sigonius lib. 1. de antiquo iure ciuium Romanorum, cap. 4.

Erant igitur Centuriata Comitia, quibus populus per classium centurias diuisus suffragium ferebat, ita vt suffragia colligerentur centuriatim, & quod plures centuriæ iussissent, id ratum haberetur, &c. Vt autem centuriarum, ita etiam Centuriatorum Comitiorum auctor fuit Seruius Tullius, teste eodem Dionysio & Liuio: quod postea, vbi de modo Centuriatorum comitiorum dicendum erit, pluribus demonstrabitur.

CAPVT IX.

De caussis Comitiorum Centuriatorum.

DIONYSIVS libro quarto, vbi de institutione comitiorum Centuriatorum agit, inter alia dicit, Seruium Tullium Regem, tria Comitiis illis peregisse, vt puta, Magistratus creasse, leges tulisse, & bellum indixisse. Hoc institutum etiam post assertam in libertatem Rêpublicam mansisse intelligitur, ex antiquarum rerum scriptoribus.

Tum n. eodem modo Magistratus Centuriatis comitiis creati, leges latæ, & quod superioribus illis accessit, iudicia peracta sunt. Nec mutatum de his causis quicquam est, donec libera fuit Respublica. Explicandæ igitur nonnih l, & pluribus demonstrandæ hæ causæ sunt. Dicam de singulis, & primùm quidem de Magistratibus. Eorum quosdam centuriatim collectis suffragiis à populo creatos esse, maiores scil. & quidem ordinarios, docet ex Messala Agellius li. 13. c. 14. his verbis: Maiores Magistratus comitiis Centuriatis fiunt. Erant autem Magistratus maiores, vt idem eodem loco dicit, & nos etiam alibi annotauimus, quorum maiora erant auspicia, id est, quorum auspicia magis rata erant quam aliorum. Ordinarij verò, qui singulis annis ad suum munus ordinarium in Vrbe obeundum à populo creabantur. Tales erant Consules, Prætores atque Censores.

De consulibus, quod ij Centuriatis comitiis creati sint, res est manifesta. Liuius libro 1. vbi de primis Consulibus agit, sic scribit: Duo Consules inde comitiis Centuriatis à Præfecto vrbis ex Commentariis Seruij Tullii creati sunt, L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus &c. Quod idem confirmat Dionysius libro 5. inquiens, Sp. Lucretium interregem à Bruto dictum, iussisse omnes ciues Romanos cum armis in campo Martio adesse: & postquam eò ventum esset, duos viros nominasse habituros potestatem regiam, Brutum, & Collatinum: hisque populum eum honorem ratum fecisse, collectis centuriatim suffragiis. De Consulibus igitur certa res est. Prætores verò etiam Centuriatis comitiis creatos fuisse, testis est apud Agellium libro decimotertio, cap. decimoquarto Messala, qui inter eos maiores Magistratus numerat & Consulum collegas facit. Idem ostendit Liuius libro septimo initio, quando de Tribunis plebis loquitur, eos non passos esse tantùm quod pro vno Consule plebeio, tres Patricios Magistratus Curulibus sellis prætextatos tanquam Consules sedentes, nobilitas sibi sumpsisset: Prætorem quidem etiam iura reddentem, & collegam Consulibus, atque iisdem auspiciis creatum, &c. Hæc dicit Liuius, Prætorem, iisdem auspiciis, id est, comitiis, quibus Consules, creari. Creantur autem Consules Centuriatis, ergo & Prætores. Clariora tamen sunt quam affert Cicero oratione pro lege Manilia, de seipso loquens: Nam, inquit, cum propter dilationem Comitiorum, ter Prætor primus centuriis cunctis renunciatus sum. Hæc ille, &c.

De Censoribus, quòd Centuriatis comitiis fuerint creati, liquet ex eodem Agellio, quum scribit: Patriciorum auspicia in duas esse potestates diuisa. Maxima esse Consulum, Prætorum, Censorum, &c. Hi itaque Magistratus Centuriatis comitiis creabantur. Dictatorum, Magistrorum Equitum, & Interregum, qui quidem etiam maiores Magistratus erant, sed extraordinarij, alia fuit ratio, quam alibi prolixe explicauimus.

Præter hos autem, de quibus diximus, Proconsules etiam interdum, item Reges Sacrorum Centuriatis comitiis creari solebant. De Proconsulibus auctor est Liuius libro vigesimosexto, de P. Cornelio Scipione Proconsule loquens: Et Romæ, inquit, Senatu populóque post receptam Capuam, non Italiæ iam maior, quàm Hispaniæ cura erat, & exercitum augeri, & Imperatorem mitti placebat, nec tamen quem mitterent, satis constabat: quoniam illuc, vbi duo summi Imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligendus esset: cum alij alium nominarent, postremùm eò decursum est, vt populus Proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet, diémque comitiis Consules edixerunt. Primo expectauerunt, vt qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. Quæ vt destituta expectatio est, redintegratus luctus acceptæ cladis, desideriúmque Imperatorum amissorum. Mœsta itaque ciuitas, prope inops consilij. Comitiorum die tamen in campum descendit: atque in Magistratus versi, circumspectant ora Principum aliorum alios intuentium, fremúntque adeo perditas res, desperatúmque de Republica esse, vt nemo audeat in Hispaniam imperium accipere: cùm subito P. Cornelius, illius, qui in Hispania ceciderat, filius, vigintiquatuor ferme annos natus, professus se petere, in superiore, vnde conspici posset, loco constitit. In quem postquam omnium ora conuersa sunt, clamore ac fauore ominati exemplo sunt felix faustúmque imperium. Iussi deinde inire suffragium, ad vnum omnes, non modò Centuriæ, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispania, iusserunt. Hactenus Liuius. Ex quibus intelligitur eum Centuriatis comitiis creatum esse. Verùm hæc ratio extraordinaria fuit. Ideo non semper vsitata. Nec scio an vllum aliud exemplum, excepto hoc, inueniri apud auctores possit. De ordinaria autem constituendarum Prouinciarum ratione dicemus suo loco. De Rege sacrorum fateor, nullum vllius auctoris veteris testimonium perspicuum proferre posse: Nicolaus Grucchius tamen id probare nititur, cuius rationes videri & perpendi possunt.

Non sunt silentio prætereundi Tribuni militares Consulari potestate, & Decemuiri legibus scribendis. Nam & hi comitiis centuriatis creati fuerunt. Cùm enim sint maiores Magistratus, & propterea maiora auspicia habuerint: quis dubitabit, eos etiam maioribus, id est, centuriatis comitiis creatos fuisse? Quod autem apud Agellium nulla eorum inter cæteros maiores Magistratus mentio fiat, causa est, quod eorum Magistratus non fuerit diuturnus, sed breui tempore è Republica sublatus. Constat certè ex Liuio, Dionysio, & aliis, eos à populo per centurias diuiso lectos fuisse. Et hæc quidem de prima causa dicta sufficiant: Accedamus ad alteram, quam diximus fuisse legum ferendarum. Hæc vero non ita sunt intelligenda, quasi omnes leges his Comitiis latas esse dicamus. Sunt enim aliæ Curiatis, aliæ centuriatis, aliæ Tributis perlatæ, de quibus singulis suis locis. Hic de centuriatis tantum dicendum. Quæ enim leges Centuriatis comitiis ferebantur, Centuriatæ: sicut illæ, quæ Curiatis, Curiatæ dicebantur. Fuerunt autem illæ fere leges quæ à Magistratibus maioribus auctoritate Senatus, ac de re quapiam maioris momenti rogabantur, Centuriatis comitiis latæ. Quas quidem proprie leges dici, testis est Iustinianus in Institutionibus, vbi ius ciuile in sex species diuidens, legem definit esse id, quod populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante (veluti consule) constitueret. Eas itaque centuriatis comitiis latas fuisse, ne multis scriptorum testimoniis (quæ tamen in promptu sunt) recitandis sim longior, vnico Liuij libro 8. contentus ero, qui scribit à Dictatore P. Philone legem latam, vt earum legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium, patres auctores fierent: quod argumento esse potest, eas leges, quæ ad distinctionem plebiscitorum sic appellarentur, quales erant, quæ à Magistratibus maioribus ferebantur, comitiis centuriatis ferri solitas. Sic leges Valerij Publicolæ latæ de prouocatione, centuriatæ fuerunt, vt est apud Valerium Maximum lib. 4. cap. 1. Et lex alia Valerii, & Horatii Coss. cuius meminit Liuius lib. 3. Item lex de reuocatione Ciceronis ab exilio, teste ipso Cicerone in Oratione post reditum in Senatu, & li. 1. epistolarum ad familiares, epistola 2. ad Lentulum, quibus quod iisdem comitiis latæ sint, testimonium dicit Liuius li. 3. Neque excluduntur hic leges ad populum à maioribus Magistratibus latæ de bellis hostibus indicendis. Eas enim his quoque comitiis latas, testis non obscurus est Liuius de bello Macedonico, & bello cum Perseo, & alibi, vt taceam ex Dionysio. Singulas autem hasce leges hic enumerare, non est necesse.

Tertia Comitiorum Centuriatorum causa est iudiciorum exercendorum: non quidem omnium, sed vnius tantùm, videlicet, Perduellionis. De quo licet alibi etiam dicendum sit, hic tamen pauca quædam annotabimus.

Caius ff. de verborum signification. dicit: Quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant: cum quo sentit Terentius Varro libro 6. de lingua Latina. Hinc factum est, vt reus perduellionis diceretur, qui se quoquo modo in Rempublicam hostili esse animo declarasset: quasi diceres reum hostilitatis. Festus affirmat perduellem dici eum, qui pertinaciter bellum retineat. Sed prior sententia melior esse videtur. Distingui quidam volunt inter crimen perduellionis, & crimen maiestatis, ita vt crimen maiestatis sit, duces hostium pecunia liberare, aut priuatum hominem domi suæ hostium duces seruare incolumes: Perduellionis vero, ciuem Romanum contra ius libertatis in crucem tollere, aut securi percutere, aut in latumias conicere. Verum id discrimen non vsque adeò obseruatur, sed vtraque pro vno plerumque habentur. De quibus alibi plura erunt dicenda. Illud hoc loco demonstrandum, quod de perduellione comitiis Centuriatis iudicatum sit. Id verò docet Valerius Maximus libr. sexto cap. quinto inquiens. M. Pompilium Tribunum ple bis Tiberio Graccho & C. Claudio Censoribus, cum ob nimis seuere gestam censuram maiorem partem ciuitatis exasperassent, diem perduellionis ad populum dixisse: quo in iudicio primæ classis permultæ centuriæ Claudium aperte damnarint, &c. Clarum hoc etiam est ex Liuio libro 6. de iudicio M. Manlij Capitolini loquente. Et Cicero pro Sestio, & alibi docet, legibus duodecim Tabularum sancitum esse, ne de capite ciuis nisi comitiis centuriatis rogaretur. Hinc Sigonius lib. 3. de iudiciis Rom. c. 5. affirmat post instituta Tributa comitia de mulcta Tributis, de capite vero ciuis centuriatis comitiis actum esse. Et hæc de causis horum Comitiorum. Sequitur de Personis.

Caput X.

De Personis, quarum interuentu Comitia Centuriata peracta sunt.

TRIPLICES hic personæ considerandæ sunt, aliæ videlicet, quæ ius habuerunt Comitia Centuriata conuocandi, aliæ quæ suffragium in iis tulerunt: aliæ quas præter priores his comitiis adesse oportuit. Ius igitur horum comitiorum habendorum fuit penes Magistratus maiores tantum, & quidem penes Consules, Prætores, Censores, Dictatores, Interreges, Tribunos militum Consulari potestate, & Decemuiros legibus scribendis.

Magistratuum creandorum comitia habuerunt soli Consules, Dictatores, Interreges, Tribuni militum Cons. potestate, & Decemuiri legibus scribendis. Legum autem Consules, Dictatores, Prætores, & Censores, Iudiciorum item Consules, Dictatores, & Prætores. Id verò probandum est.

Quod Consules habuerint ius comitiorum centuriatorum, creandorum Magistratuum, nulla fere probatione eget: probabimus tamen, idque ordine. Habuerunt primum comitia Consulum creandorum. Quotiescunque enim noui Consules, in sequentem annum creandi essent, tum illi qui præsentis anni Consulatum gerebant, comitia de consulibus in sequentem annum legendis habebant. Testatur id, vt de reliquis taceam, Liuius sexcentis locis. Quod si tempus comitiorum centuriatorum instaret, & Consules, vel bellis impediti Romam redire non possent, vel abdicassent, vel aliud quid impedimenti ipsis obiectum esset, ex Senatusconsulto Dictatorum comitiorum causa creabant: is postea comitia habebat. Quod testatur præter alios, Liuius multis locis, & hinc toties in Fastis Consularibus Sigonii & Onuphrii legitur Dictatorem comitiorum habendorum dictum esse. Vbi verò vel contentione Ordinum, aut Magistratuum, vel Candidatorum ambitu, vel alia ratione, perfici ante anni exitum comitia nouis Magistratibus creandis non potuissent, tum Patricios conuenire oportebat ad prodendum ex suo numero Interregem, qui dies quinque imperaret, à quo alius deinde creabatur, eodémque modo alij atque alij singulis quinque diebus creabantur, donec vnus ex eis comitia Consulibus creandis haberet. Confirmat hoc etiam Liuius libro decimo. Eo anno (nec traditur causa) Interregnum initum. Interreges fuere Claudius, dein P. Sulpitius, is Comitia Consularia habuit, &c. alibi sæpe.

Comitia Prætoribus creandis, & item Censoribus soli Consules habuerunt. Neque enim Prætores, ac Censores à Prætoribus, & Censoribus, sed tantùm à Consulibus creari potuerunt. De Prætoribus præter Liuiũ, qui ostendit sæpenumero in sua Historia, Consules Prętoria comitia (ita enim dicebantur, quæ Prætorum creandorum causa habebantur, sicut etiam Consularia, quæ de consulibus, & censoria, quæ de censoribus, item Tribunitia, Aedilitia, Quæstoria, quæ de Tribunis militaribus, vel plebeiis, Aedilibus plebis, & Quæstoribus) Prætoria, inquam, comitia habuisse testis locuples est Cicero lib. 9. epistolarum ad Atticum, epistola 11. ad quem sic scribit: Nos autem in libris habemus, non modo consules à Prætoribus, sed ne Prætores quidem creari ius esse, Idque factum esse, nusquam. Consules eò non esse ius, quod maius imperium à minore rogari non sit ius. Prætores autem cum ita rogentur, vt collegæ consulum sint, quorum est maius imperium, &c. Idem etiam confirmant M. Messala, & C. Tuditanus apud Agellium lib. 13 c. 14. quorum verba sunt hæc: Prætor (inquit Messala) etsi collega Consulis est, neque Prætorem neque Consulem iure rogare potest: vt, quidem nos à superioribus accepimus, & ante hæc tempora seruatum est. & vt in commentario 13. C. Tuditani patet: quia imperium minus Prætor, maius habet Consul: & à minore imperio maius, aut maioris collega (sic enim legendum est: cum in vulgatis sit, aut à maiore collega) rogari iure non potest.

De censoribus porrò, quod eorum etiam comitia consules habuerint, perspicuum est ex Liuio, li. 24 qui sic scribit: Decretúmque omnium primum, vt consules sortirentur, comparaséntve inter se, vter censoribus creandis comitia haberet, & paulò post. Q. Fabius Consul comitia censoribus creandis habuit. Item Liuius libro 27. Per eos dies, & censoribus creandis Q. Fuluius Coss. comitia habuit, &c. Non dissentit à Liuio Cicero libro quarto ad Atticum, epistola 2. in cuius epistolæ hæc sunt: Ego, inquit, me à Pompeio legari ita passus sum, vt nulla re impediter, quin, si vellem mihi esset integrum, aut si comitia censorum proximi Consules haberent, petere possem. Perspicuum ex his est, censorum etiam comitia à Consulibus habita.

De Tribunis militaribus Consulari potestate, & Decemuiris legibus scribendis nunc dicendum, qui & ipsi comitia Magistratuum creandorum habuerunt. Ac de Tribunis militaribus testis est Liuius multis locis, præcipue vero libr. 4. Tribuni, inquit, militum mentione nulla comitiorum Consularium habita (credo ob iram Dictatoris creati) Tribunorum militum comitia edixerunt.

Iidem etiam consularia comitia habuerunt, vt ex eodem Liuij libro, & ex 5. eiusdem, item ex Fastis Sigonii apparet.

Tribunorum verò militum comitia non ab ipsis tantum Tribunis, sed sæpe à consulibus, nonnunquam etiam ab interregibus habita sunt, vt ex Liuio liquet.

Decemuirorum prima comitia Consules habuerunt: altera vero Decemuiri, testibus Liuio, Dionysio, & aliis.

Sed hic quæritur, cùm duo Consules, plures Interreges, tres, interdum plures Tribuni militares, decem Decemuiri essent, quisnam eorum comitia Magistratuum creãdorum habuerit? Respondebo de singulis. Primum, quod ad Consules attinet, illi inter sese comparabant, vel sortiebantur: cui sorte id munus offerebatur, is comitia peragebat. Docet hoc Liu. libr. 35. his verbis. Consulibus ambobus Italia prouincia decreta est, ita vt inter se compararent, sortirentúrve vter comitiis eius anni præesset. Item: Eodem fere tempore duorum Consulum literæ allatæ sunt, L. Cornelij de prælio ad Mutinam cum Boiis facto, & Q. Minutii à Pisis, comitia suæ sortis esse. Cæterum adeò suspensa omnia, &c. Quod si is, cui sors tulerat, vt comitia haberet, adesse non poterat, tum id alteri demandabatur: si tamen vellet. Testis est eodem loco Liuius. Sic enim de Q. Minutio scribit, eum ad senatum literas dedisse, comitia suæ sortis esse, cæterum adeò suspensa omnia, &c. Et paulò post: Si ita videretur patribus mitterent ad collegam, vt is ad comitia Romam rediret. Si id facere graueretur, quod non suæ sortis id negotium esset, se facturum, quod Senatus censuisset. Item Liu. lib. 29. Iam consularium comitiorum appetebat tempus. Quibus quia M. Æmilius, cuius sortis ea cura erat, occurrere non poterat, C. Flaminius Romam venit, &c. Plura testimonia, præsertim in re tam manifesta, adducere nolo.

De Interregibus respondeo cum Asconio Pædiano, qui in Oratione pro Milone scribit, non fuisse moris, vt ab eo, qui primus Interrex proditus erat, comitia haberentur. Verissimum sane hoc est. Nusquam enim apud Liuium legitur à primo Interrege comitia habita: sed interdum à secundo, vt libro 9. Item decimo. Interreges fuere Ap. Claudius, dein P. Sulpitius, is comitia consularia habuit. Interdum à tertio, vt lib. 5. duobus locis. Interdum à pluribus, vt ad vndecimum etiam Interregem aliquando peruentum sit, Liu. lib. 7. De Tribunis militaribus idem quod de consulibus diximus suspicor, licet expressum veteris alicuius scriptoris testimonium non habeam.

De Decemuiris nihil attinet dicere, cum vna tantum aliorum Decemuirorum creandorum comitia ipsi habuerint. Liuius libro tertio quidem affirmat, reliquos nouem Decemuiros App. Claudio, quod is minimus natu inter eos esset, munus habendorum comitiorum communi consensu iniunxisse. Et hæc quidem de Magistratuum comitiis. Pergamus ad reliqua.

Legum comitia dixi habuisse Consules, Dictatores, Decemuiros, Prætores. De consulibus res manifesta est. Omnes enim leges consulares, quę passim reperiuntur apud auctores, satis ostendunt, legibus ferendis Consules comitia centuriata habuisse. Neque de Dictatoribus vlla est dubitatio. Confirmant id lex Hortensia, Æmilia, & Cornelia, quæ omnes à Dictatoribus latæ, aliis tamen, quam centuriatis comitiis, ferri non potuerunt. De Decemuiris testimonium dicunt duodecim Tabularum leges ab iis centuriatis comitiis latæ, vt est apud Liuium, & Dionys. Prætores quoque comitia centuriata legum habuisse testatur Liuius libr. 45. cum scribit, Prætorem M. Iuuentium legem tulisse de bello Rhodiis indicendo. Confirmat id ipsum & hoc, quod si in Vrbe consules non essent, Prætorum ac præsertim Vrbani summum imperium erat. Ex quo sequitur, si legum comitia habenda essent, Prætorum id fuisse munus.

De iudiciis etiam dicendum. Illorum igitur comitia habuerunt Consules, quod patet ex iudicio Coriolani apud Liuium lib. 2. Etenim Consules habuisse comitia, ibi diserte dicitur. Habuerunt eadem etiam Dictatores: quod probatur ex iudicio Sp. Melij, quod exercuit L. Quinctilius Dictator, qui ad id exercendum potissimum dictus erat. Liuius lib. 4.

De Prætoribus, quod comitia iudiciorum habuerint, dubitari nullo modo potest. Scribit enim Liuius libro quadragesimo tertio, Tribunos plebis à Prætoribus diem comitiis centuriatis petiisse, ad exercendum iudicium. Verba eius sunt hæc: Tribuni plebis Sempronius & Rutilius, postquam se perduellionis iudicare reis pronunciauerunt, diem comitiis à Prætore Vrbano petierunt. De Censoribus nusquam extat, quod vel Magistratuum, vel legum, vel iudiciorum comitia habuerint. Quod autem leges censoriæ apud scriptores reperiuntur, id non de legibus comitiis centuriatis latis: sed de eorum subscriptionibus, vt Cicero pro Cluentio, actione septima in Verrem, aut locationibus à Censoribus factis, vt idem alicubi

appellat intelligendum est. Habuerunt tamen ius populi vocandi in campum Martium lustri condendi causa, teste Liuio: de quo alias.

Hactenus igitur de iis personis, quæ ius vocandi populum ad Comitia Centuriata habuerunt, egimus: postulat locus, vt de iis etiam, quæ suffragium tulerunt, dicamus. Tulerunt autem suffragium ciues, qui in centurias describi erant, quique ius suffragii habebant, non tantùm qui in vrbe Roma, sed etiam, qui extra vrbem in Italia habitabant, ciuitate tamen cum iure suffragii donati erant. Non.n. omnes Itali pari iure ciuitatem adipiscebantur: sed alii cum iure suffragij, alii sine iure suffragij, quod pluribus declarabitur libro de militia. Qui igitur ciuitate cum iure suffragii donati erant, etiamsi in Vrbe non habitabant, ius suffragii habebant.

Neque tamen omnes etiam ciues, qui in vrbe habitabant, ius suffragii comitiis centuriatis habebant. Qui.n. à Censoribus ignominiæ causa notabantur, si plebeii essent, in Ceritum tabulas referebantur, id est, adimebatur iis ius suffragij, & referebantur in tabulas eorum ciuium, qui eo iure carerent: fiebant etiam ærarii, id est, non erant amplius in albo centuriæ suæ: scilicet ad hoc, vt ciues essent, sed tantummodò, vt pro capite suo tributi nomine æra penderent.

Quod verò etiam ij ciues, qui domicilium in Vrbe non habebant, si ciuitatis plenum ius cum iure suffragii adepti essent, centuriatis comitiis suffragium tulerint, testis est inter alios Cicero pro Domo, & post Reditum ad Quirites, quando de comitiis centuriatis reuocationis suæ ab exilio causa habitis agens, sic scribit: Nullus in eorum reditu motus municipiorum & coloniarum factus: at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta reuocauit. Et alibi pro Sextio: Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ societas, nullum collegium, aut concilium, aut omninò aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissimè de mea salute decreuisset, &c. Quibus ex locis intelligitur, municipes etiam colonos, & eos, qui in præfecturis habitabant, si modò id ius haberent, suffragium his comitiis tulisse. Aliquos autem municipes, colonos, & præfecturas aliquas id ius non habuisse, ostendetur in lib. de militia Rom. vbi de eorum omnium origine, & iure disserendum erit. Et hæ quidem personæ habuerunt ius suffragii. Præter eas autem de quibus diximus, etiam quasdam alias personas his comitiis interesse oportuit, quarum tantùm nomina hic recitabo. Causæ enim propter quas adfuerunt, & quod eorum officium, alibi explicabitur. Fuerunt autem illi, in comitiis quidem magistratuum, candidati: in genere autem in omnibus, Diribitores, rogatores, custodes, & Præcones, quod in sequentibus probandum erit. Itaque hic huius capitis finis esto.

Capvt XI.

De loco Centuriarum Comitiorum, & quid campus Martius.

Centvriata comitia in loco inaugurato haberi oportebat, non tamen intra Pomerium, sed extra, quod docet Agellius libro 15 cap. 27. cum inquit: Centuriata Comitia nisi imperato exercitu haberi non poterant, idque præsidii causa, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus. Exercitū autem extra Vrbem imperari oportebat, intra vrbem imperari ius non erat: quod confirmat etiam apud Liuium libr. 39 Sp. Postumus Consul his verbis: Maiores vestri, ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus edictus esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex Magistratibus ad concionem vocasset, fortè temerè coire voluerunt. Manifestum hinc est, non intra, sed extra Vrbem, & quidem edicto exercitu comitia conturiata haberi potuisse. Locus autem centuriatis destinatus erat campus Martius, quem Cicero dicit Consularibus auspiciis consecratum: quia imperii consularibus auspiciis omnia ferè peragebantur, quæ publicè in eo campo fieri solebant. Pauca itaque de eo hic sunt adiicienda.

Fuit campus Martius, qui alibi etiam Tiberinus dicitur, locus extra vrbem Romam prope portam Flumentanam: Martius dictus, cò quòd Marti sacer vel dicatus esset. Scribit Agellius lib. 6. cap. 7. eum à Caia Tarratia, virgine Vestali populo Romano donatum, propter quem amplissimos honores populus ipsi habuerit. Sunt tamen qui cum ab Acca Laurentia, scorto nobili: non à Caia Tarratia, testamento populo Romano condonatum, affirment. Eum fortasse Romulus Marti sacrum fecit. Non enim traditur, Seruij enim Tullij, Regis vi-

tem-

tempore, iam tum Marti sacer fuit, in eoque primum lustrum conditum, & comitia Centuriata habita, testante Dionysio lib. 4. Postea à Tarquinio Superbo, VII. & vltimo Romanorum Rege in proprios vsus conuersus, post eiectos reges, à Bruto, & collega rursus ad pristinam conditionem redactus est. Qua de re libet adscribere verba Dionysij, lib. 5. quæ sunt. Iunius Brutus & P. Valerius bona Tyrannorum populo diripienda dederunt, agrum que illi priuatim possederant, inopibus ex plebe diuiserunt, vno tantum campo excepto, qui situs est, Vrbē inter, & fluuium. Is iam ante Marti sacer erat, pratum equis & iuuentuti in armis exercendæ accommodatum. Id Tarquinius contempta religione suis oppleuerat segetibus, sicut satis apparet ex decreto consulum de eius frugibus. Cùm enim omnia Tyrannorum bona agenda, ferendáque permisissent populo, quicquid frumenti erat in eius campi areis, vel in stipula, vel tritum iam, non permiserunt auehi, religione vetante, iusseruntque totum effundi in Tiberim. Et nunc quoque eius facti manet monumentum, benè magna Insula, sacra Aesculapio, cincta flumine, consecrata (vt fertur) è frumenti aceruis putrescentibus, & paulatim aliis, quæ temere fert flumen, eodem inuectis, fit auctior. Hæc Dionysius. Paulo ante dicit, moris fuisse in campo Martio, Reges, & Magistratus creari. Bartholomæus Marlianus Epitoma antiquæ Romæ Topographiæ libr. 16. cap. 12. vbi de campo Martio verba facit, inter alia refert, in hoc campo, præter natiuam loci pratorúmque amœnitatem, ornamenta etiam, & statuas illustrium virorum erectas, & ex capitolio, cum ille locus nimis angustus esse cœpisset, propter ornamentorum quæ quotidie inferrentur, multitudinem, plurima in campum Martium translata esse. Strabo lib. 5. etiam eleganter campum Martium his verbis describit Maximam, inquit, horum (scilicet deorum) partem campus Martius habet, præter natiuam locorum amœnitatem, artis & solertiæ exornationes admittens. Campi enim admirabilis magnitudo, & curules pariter cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditat: nec minus, tam multis pilam, trochum, palæstram exercitatione tractantibus, aliaque incumbentia simul opera. Quid perennes solo herbas, coronatósque vsque ad fluminis alueum colles? Scenicarum ostentatio picturarum eius generis spectacula præstant, vt difficile & inuitus abscedas. Hæc ille. Varia itaque ludicra in hoc campo exercebantur, quod præter Strabonem & Horatius docet. Tumultu exorto delectus in eo habebatur, clari viri mortui cremabantur, & hic campus fere schola erat militiæ Romanæ, vbi iuuentus Romana ad palum omni genere armorum, & quidem veris duplo grauiorum, exerceretur, caput petendo, lateribus insidiando, poplite succidendo, insiliendo, resiliendo, punctim potius, quam cæsim feriendo, & interim tamen assidue sese protegendo, item iaculando. Pars ibi Tyronum pilis, lapidibus, sagittis, manu, funda, arcu iaculandis exercebatur. Tum verò saltu fossæ latitudinem, aut valli altitudinem superare: præcipue autem cursu locum occupare, fugientem assequi consuescebat. Erant etiam equi lignei in campo vt insilire, desilire, dextra, læua, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret, veros etiam equos domaret, & futuris prælijs adsuefaceret, &c. Neque prætereundum est, quod Pomponius Lætus in suis antiquitatib. Rom. annotat, fuisse in campo Martio insigne horologium quod habuerit septem gradus circum, & lineas distinctas metallo inaurato: solum etiam campi, eo loco, vbi horologium istud fuerit, lapide amplo quadrato stratum fuisse, & habuisse lineas easdem, & in angulis quatuor ventos, cum inscriptione, vt Boreas spirat, ex opere Misino. Meminit eius etiam Plin. lib. 36. c. 10. & addit, ab Augusto Imperatore illud horologium conditum fuisse. In hoc igitur campo Centuriata Comitia regulariter, & semper habita fuerunt. Nisi quod illa, quibus de Manlio Capitolino iudicatum est, Comitia ex campo Martio in Lucum Petelinum translata sunt, eam ob causam, vt à conspectu Capitolij, oculi populi auerterentur, quò liberiùs de conseruatore eius iudicare posset, vt scribit Liuius lib. 6. Sequitur de tempore.

CAPVT XII.

De tempore Comitiorum Centuriatorum.

NVLLA Comitia nisi diebus Comitialibus haberi poterant. Ergo nec Centuriata. Qui autem Comitiales dies fuerint, non opus esse arbitror hic pluribus explicari, cùm in priori harum Antiquitatum commentario, vbi omnium dierum ratio & discrimina, à Romanis obseruata, diligenter inquisita, & tradita sunt, de Comitialibus etiam non pauca sint annotata: nec patitur horum librorum ratio, vt eadem sæpius repetātur. Hoc tamen hic monendum videtur, cū in singulis mensib. quidam Comitiales

dies fuerint: quo anni tempore Magistratuum Comitia haberi consueuerint. De iudiciorum enim, & legum Comitiis nihil certi dici potest.

Non semper idem tempus obseruatum fuit Magistratibus creandis. Liuius libro 3. scribit L. Ebutium & P. Seruilium Kalend. Sextil. vt tunc principium anni actum sit, Consulatum iniuisse. Quo igitur tempore, mense Iunio, vel Quintili, Comitia eorum habita fuerunt, certi quidem nihil traditur. Paulo post, cùm de Decemuiris loquitur, ita scribit: Idus tum Maiæ solemnes erant ineundis Magistratibus. Mense igitur Martio, vel Aprili, cum eorum Comitia habita fuisse suspicari licet. Tempore autem belli Punici secundi, Consules idibus Martiis Consulatum inibant, vt passim in historia L. Liuij legitur. Idque ita obseruatum fuit, vsque ad annum Vrbis DCI. Illo igitur tempore Comitia haberi solebant, Ianuario & Februario mense, dimissis scilicet ad hyberna exercitibus. Anno autem Vrbis DCI. Q. Fuluius Nobilior, & T. Annius Luscus Consules primi Kalend. Ianuariis Magistratuum inierunt, post quod tempus idem deinde à sequentibus Consulibus factum est. At eo tempore ordinaria Magistratuum creatio fuit, ad finem mensis Iulij, & principium Augusti, vti ex Ciceronis oratione secunda in Verrem, Epistolis ad Atticum, & epistola Cœlij ad Ciceronem, constat. Quod si vltra ducerentur Comitia, id eueniebat propter intercessiones, aut obnunciationes, per quas differentur.

Porro autem consularia Comitia ante Prætoria haberi solebant, interdum quidem eodem die, vt ex Liuij libro 10. constat, interdum postero die, nonnunquam tertio, aut alio quodam post die, vti ex eodem Liuio intelligi potest.

Censoribus creandis Comitia initio paulò pòst initum à Consulibus Magistratum, priusquã in prouincias proficiscerentur, ætate Ciceronis ad finem mensis Iunij, vt constat ex Epistolis ad Appium collatis cum iis, quæ ad Atticum lib. 6. scriptæ sunt, ex quibus colligi potest, Appium Censorem factum, eo quo dixi tempore, idque quinto quoque anno fiebat, vt ex historia cognoscitur. Hoc tamen differebant Censorum Comitia à Consularibus, & Prætoriis, quod Censores statim designati Magistratum inibant. Vnde legimus apud Liuium lib. 14. Censores designatos statim in Capitolium deductos, ad capienda Magistratus insignia, iurandúmque in leges. Consules verò, Prætoréſque, nisi interregno aut in locum demortui creati essent, non statim designati inibant Magistratum, sed ab eo tempore, quo designati erant ad illud, quo Magistratum inibant, quod posterioribus temporibus fere quinque mensium spacium erat, priuati manebant. Quæris, quid per id tempus actum sit? respondeo, requirebatur per competitores aut alios de ambitu in designatos, de quo alibi dicendum erit. His ita explicatis, modum comitiorum trademus.

Capvt XIII.

De modo Centuriatorum Comitiorum, & primum quidem de iis, quæ ante Comitia fieri solebant.

Qvod ad modum horum Comitiorum attinet, tria nobis consideranda veniunt: primum, quid, vt iusta haberentur Centuriata Comitia, fieri ante ipsa soleret: deinde quis modus in ipsis Comitiis seruaretur, postremo quid post dicta suffragia fieri oporteret. Hoc capite de iis, quæ ante Comitia obseruari solebant dicemus, de reliquis in seq. cap. acturi.

Primum omnium ex auctoritate Senatus hæc Comitia fieri oportebat. Hoc enim discrimen inter Centuriata, Curiata, ac Tributa Comitia, præter alia fuisse Dionys. lib. nono scribit, quod Tributis non opus esset Senatus auctoritate, in reliquis vel maxime necesse esset eam accedere. Ac primis quidem temporibus, post habita Comitia Patres auctores fiebant, hoc est, ea, quæ populus suis suffragiis iussisset, confirmabant. Postea vero id ius Senatui ademptum est, & institutum, vt ante, quàm Comitia haberentur, in incertum Comitiorum euentum Patres auctores fierent. Testatur hoc Liuius libro octauo, pluribus locis, & Cicero pro Plancio. Testatur etiam lex P. Philonis Dictatoris, qua cauebatur, vt legum, quæ Comitiis Centuriatis ferrentur, ante initum suffragium, patres auctores fierent. Et Appianus libro primo bellorum ciuilium scribit, à L. Cornelio Sylla legem latam, vt nihil referretur ad populum, quod ante à Senatu decretum, confirmatúmque non esset, atque addit, veteri id lege cautum fuisse. Requirebatur itaque in Comitiis Centuriatis primum, vt Patres auctores fierent, hoc est, vt iuberent aliquem Comitia illa edicere. Iubebant autem

id

id plerumque Senatusconsulto, quemadmodum ex Liuio constat. Quod si patres auctores non fierent, hoc est, non probarent causas Comitiorum, tum intermittebantur, vel differebantur, donec Senatus auctoritas accederet.

Postquam Patres auctores facti essent, hoc est, postquam probassent Comitia vel Magistratuum creandorum, vel legum ferendarum, vel iudiciorum exercendorum haberi, tum edictum præmitti necesse erat, vt ad quam diem conuenire populus deberet, multò antè intelligeret. Vnde fit, vt in omnibus historiis tam sæpe reperiantur Consules Comitia edixisse. Id verò edictum in tabella scriptum publicè proponi solebat, quod ex Agellii lib.13.ca.14. apparet, qui sic scribit: In edicto illo Consulum, quo edicunt, quis dies Comitiis Centuriatis futurus sit, scribitur ex veteri forma perpetua: Nequis Magistratus minor de cœlo seruasse velit. Ex quibus verbis apparet, in eo edicto plura capita fuisse scripta, atque illud proponendum publice fuisse, vt populo notum esset. Quoniam autem Comitiis etiam adesse ex agris homines oportebat, qui in Vrbem fere, nisi nundinis, hoc est, nono quoque die, non veniebant, propterea edictum illud per plures dies publice extare necesse erat, vt populo vniuerso notum esset. Solebàtque plerumque in Comitiis Centuriatis trinundinum interiici, inter edictum illud, & idem Comitiorum, non tantum in legum & iudiciorum, sed Magistratuum quoque Comitiis, si nihil accidisset, quod impedimento esset, ne legitimo tempore Comitia haberentur: quemadmodum fiebat, si per Interreges Comitia haberentur, aut necessitas aliqua posceret, Comitia maturari. Quando enim Interreges Comitia habituri erant, tum certe tantum tempus inter edictum, & diem Comitiorum interiici non poterat. Erat enim Interregis Imperium, quinque tantum dierum: poterat autem secundus Interrex Comitia habere, vt paulo ante ostendimus. Sic etiam superioribus temporibus, quibus Consules bellis vrgentibus in Vrbe esse non poterant, sæpe accidebat, vt in exitu annus prope esset, nec dum tamen subrogati essent Magistratus. Eo igitur tempore interdum reperimus propter necessitatem subrogandorum Magistratuum, paucis post edictum diebus, habita fuisse comitia. Vnde T. Liuius libro 24. scribit, Qu. Fabium. in eum, qui primum comitialem diem habuerit, comitia edixisse: quibus verbis satis ostendit, post edictum non fuisse interiectum trinundinum. Neque enim tot dies continui, quot sunt in trinundino, esse poterant, quin aliqui ex iis essent comitiales. At temporibus ætati Ciceronis proximis consules totum fere annum sui consulatus agebant in Vrbe, nec ad exercitus, aut in Prouincias, nisi ad finem anni proficiscebantur. Vnde fiebat, vt legitimo tempore comitia Magistratuum edicerentur: & nisi ad diem edicto præstitutum haberentur, ideo accidebat quod dies diffinderetur vel auspiciis, vel Magistratuum intercessionibus.

Quod si vero consules abessent, tum edictum illud comitiorum ex itinere præmittebant, vt trinundino ante proponerentur, vel Prætori scribebant, vt is eorum nomine comitia indiceret, teste Liuio li.22. Atque hæc quidem in genere, de omnibus comitiis centuriatis legitimis & regularibus intelligenda sunt. Præter ea autem, comitia legum, & iudiciorum peculiaria etiam quædam habebant, quæ etiam consideranda sunt.

Ante comitia legum hic modus seruandus erat, vt primum legislator concionem haberet, in qua populo necessitatem & vtilitatem legis proponendæ ostenderet, deinde etiam recitaret, ac publice proponeret, vt populo potestas fieret, eam cognoscendi otiose: & vt inde liceret librariis describere, si qui vellent legem apud se habere. Cognosci hoc ex Dionysij lib. decimo potest, qui sic scribit: Tribuni plebis aduocata concione pollicebantur plebi se legem laturos de iis rebus, quas postulabat. Quam orationem postquam plebs collaudauit, sublata omni mora, legem, quam paratam habebant, recitarent. Ac proposita ea lege, datum est trinundini spacium, quo fieret potestas legis improbandæ omnibus, qui vellent, &c. Hæc ille. Quæ etiam de legibus Decemuiralibus scribit Liuius libro tertio. Post hanc legis propositionem, trinundino promulganda erat, id est, tribus nundinarum diebus aduocata concione recitanda, & de singulis capitibus populus docendus: rogandus etiam vt legem accipere vellet, vtque prodita die qua comitia haberentur legis ferendæ, ad illam diem frequens adesset: inter quos, qui primus populo vt legem acciperet suadebat (solebant enim sibi latores virum aliquem præcipuum auctoritate præditum conciliare, & adiungere, qui legem populo suaderet) is auctor legis appellari solebat. Post hunc auctorem alij etiam nonnunquam priuati data à Magistratibus concione, eam suadebant. Dabatur etiam potestas dissuadendi legem quicumque vellet. Et ex Ciceronis oratione post reditum in Senatu, colligitur, rogatores legum primo nundinarum die, post recitatam & explicatam legem, populo gratias egisse, quod aduenisset, & simul rogasse, vt pari studio conueniret reliquis diebus.

cum lex eadem rursus ad populum referenda esset: solitum etiam fuisse populum significationem dare acclamationibus, legem sibi acceptam esse, aut non esse, antequam dies suffragii veniret.

Quemadmodum autem in legum, sic etiam in iudiciorum Comitiis obseruabatur, vt trinundino accusatio promulgaretur. Docet hoc Cicero in oratione pro Domo sua inquiens: Moderata populi iudicia sunt à maioribus constituta: primum, vt ne pœna capitis cum pecunia coniungatur: deinde ne nisi prædicta die quis accusetur: vt ter ante Magistratus accuset, intermissa die quam mulctam irroget, aut iudicet: quarta sit accusatio trinundinum prodita die, qua iudicium futurum sit. Hæc ille. Tribus autem nundinarum diebus ante comitia accusatio repetebatur ad populum. Atque hæc quidem ante diem Comitiorum obseruabantur.

Capvt XIV.

De iis quæ in ipsis Comitiis, & post ea obseruari solebant.

Diximvs præcedenti capite, quid vt iusta essent ante comitiorum diem fieri oportuerit: considerabimus nunc, quæ ipso comitiorum die, adeóque ipsis comitiis obseruari solerent. Primùm, nulla comitia centuriata iure fieri poterant, nisi captatis ante auspiciis. Pertinebant autem ad hæc Comitia duo auspiciorum genera, obseruatio de cœlo, & auium inspectio. Et igitur qui comitia habiturus erat, parendum erat obnunciationi. Si enim quis obnunciaret, se de cœlo seruasse, tum comitia peragi non poterant. Non autem omnes Magistratus, maiores scilicet, & minores, maioribus obnunciare poterant, sed maiores tantùm, iique qui erant Consulum collegæ, Consules, & Prætores: Ideóque in omnibus Centuriatorum comitiorum edictis, inter alia hoc caput erat Ne quis minor Magistratus de cęlo seruasse vellet, quod paulo antè ex Agellij lib. 13. c. 14 recitauimus.

Deinde etiam is, qui Comitia habiturus erat, priusquam in campum veniret, in arce aut alio quodam, sed intra pomerium, loco auspicabatur, adhibito augure, qui sibi in auspicio esset: qui si aduersa auspicia nunciasset, Comitia eo die peragi non poterant. Posterioribus tamen temporibus, vt ex Dionysij. li. 2. & Ciceronis libro 2. de Legibus, & libro 2. de Diuinatione cognosci potest, neglecta augurali disciplina, Magistratus, qui comitia habiturus erat, augurem non tam consulere deos iubebat, quàm bona esse auspicia pronuntiare. Itaque ex voce auguris veriùs, quàm ex vllo signo ex auibus, aut ex cœlo sumpto, auspicabantur.

Sed & candidatos ante comitia auspicatos fuisse, docet Dionysius Halicarnassæus libro 2. his verbis: Qui Magistratus accepturi sunt, prima luce, loco aperto expositi Diis supplicant tum ex Auguribus publicis, qui adsunt, nonnulli nunciant illis fulgur sinistrum, quod omnino non factum sit. Illi Augurium ex voce accipientes abeunt Magistratum accepturi: alii quidem satis esse existimantes, nulla sibi aduersa auspicia fuisse, alii verò etiam repugnantibus Diis. Hactenus ille. Præter auspicia erant enim sacra quædam legitima, quæ à Magistratu ante comitia fieri oporteret, quemadmodum idem Dionysius libro 7. & 10. docet. Illa verò sacra, immolationes hostiarum erant, quibus in omnibus actionibus publicis vti solebant.

Captatis itaque auspiciis, & sacris peractis, primis quidem temporibus, Magistratus Comitia habiturus vrbem egrediebatur, atque tabernaculum capiebat: eum sequebantur omnes ciues armati sub signis, in suis, quique centuriis, vt multis docet Dionysius. Posterioribus verò temporibus non omnes ciues armati in campum conueniebant, sed tamen præsidii causa, vt ait Agellius, paucorum hominum exercitus imperabatur, atque in Ianiculum introducebatur & erigebatur vexillum, donec peracta essent comitia. Quem morem eiusque causas Dio lib. 37. indicat his verbis: Cum antiquitus multi hostes circum Romam habitarent, veriti Romani, ne dum ipsi comitia centuriata agerent, hostes per insidias vrbem aggrederentur, Ianiculúmque occuparent, statuerunt non omnes ire in suffragia, sed vt semper aliqui armati per successionem eum locum custodirent. In Ianiculo igitur, quamdiu concio durabat, custodiæ agebantur. Cum autem soluenda iam erat concio, signum à Ianiculo remouebatur, custodésque discedebant. Non autem licebat custodiis ab arce ea remotis, quicquam amplius statuere: Is autem

item mos, solis centuriatis comitiis obseruabatur cum extra Vrbem omnes in armis adesse res postulabat, & id hodiéque religionis causa fieri solet. Hactenus ille. Hoc etiam semper obseruatum fuit, vt Consul Comitiorum die, quasi ad vsurpationem vetustatis extra pomerium tabernaculum haberet: velut Dux exercitus. In quo capiendo vitium committebatur, si prius quam pomeriũ transgrederetur, auspicia aut non consuluisset, aut aduersa apparuissent. Tantúmque tribuebatur his auspiciis tabernaculi capiendi, vt si hic peccatum esset tota actio vitiosa, & inauspicata censeretur. Scribit Plutarc. in Marcello idcirco solitos Magistratus capere tabernaculum, vt in eo sederent pro captandis auspiciis. Quod si nondum ratis auspiciis, aliqua eos causa in Vrbem retraheret, primum tabernaculum relinquere oportebat, & alterum capere, ex quo denuò captabantur auspicia. Huiusmodi autem auspicia prima luce captari solebant, quemadmodum intelligi potest ex Dionysio. Macrob. li. 1. Saturn. c. 3. & Agel. li. 3. cap. 5. Porro & hoc ad auspiciorum rationem pertinebat, si cœptis Comitiis tonitru superuenisset, tum ea dirimebantur. Idem, si ipsis comitiis morbo Herculeo corruptus quisquam repente concidisset, dissoluenda erant Comitia, nec iusta eo die haberi poterant: vnde etiam illi morbo nomen est comitialis, vt Serenus docet his versibus:

Et subiti species morbi cui nomen ab illo
Quod fieri nobis suffragia iusta recusat:
Sæpe etenim membris ægri languore caducis,
Concilium populi labes, horrenda diremit.

Et hæc quidem de auspiciis horum Comitiorum.

Cum igitur Senatus auctoritate, edicto ante proposito, & re per multos dies ante promulgata, sacris factis, auspiciis addicentibus, nulláque obnunciatione interiecta, Centuriata comitia maior Magistratus habere vellet, nihil omiserat eorum, quæ ad legitimum modum Comitiorum ante ipsa quidem comitia requirebantur. Videamus reliqua.

Populus Romanus, cui quidem ius erat suffragij, ad diem edicti conueniebat in campo Martio, atque ibi, priusquam in Centurias distribueretur, habebat Magistratus concionem ad populum, qua rogabatur, vt id, quo de ageretur, iubere, aut vetare vellet. Ac si Magistratuum quidem essent Comitia, solebat is, qui habebat Comitia, rogare populum, vt ex iis Candidatis, quorum haberi rationem oporteret, quosque tum omnes nominatim appellabat, crearet populus quos vellet, Consules, Prætores, Censorésve. Neque vero cum voce quidem suffragium ferebatur, necessitas ea ratione populo imponebatur, vt non posset alios, quàm candidatos facere: sed libera suffragia relinquebantur, vt ex omnibus ciuibus crearet, quos vellet, si modo ij essent, quorum ratio legibus haberi posset. Quinetiam legibus solutos sæpe reperimus multos, vt creari possent, vel ante legitimam ætatem, vel absentes, vel decennio nondum interposito inter eundem Magistratum. Et multos qui non peterent, creatos inuenimus. Verum ista euenire non solebant nisi ea tempora essent, in quibus magna virtus alicuius Reipublicę necessaria videbatur: quæ in petentibus tanta non erat populo cognita. Ordinarium autem ac legitimum erat, vt ex Candidatis crearentur Magistratus. Post leges tabellarias hi modo creari poterant, quorum rationem haberi debere, ante iudicatum esset, vt in tabellis nomen eorum scriberetur.

Quod de Magistatibus dixi, idem debet in comitiis Regis sacrorum intelligi.

Huiusmodi autem conciones, non solum ante, quam populus in suffragium mitteretur, sed interruptis etiam interdum Comitiis, ad emendanda populi suffragia habitas fuisse, testimonio est Liuius l. 3. de L. Quinctio scribens cum C. Claudius Consul haberet Comitia Consularia, & se refici Consulem videret, L. Quinctius eius collega interrupit comitia, orationémque ad populum habuit, cuius exitus fuit, vt communiter ab ambobus Consulibus ediceretur ne quis Quinctium consulem faceret: si quis fecisset, se id suffragium non obseruaturos. simile exemplum recitat Liuius lib. 24. etiam, de Q. Fabio Maximo.

Si legum Comitia essent, antequam populus in suffragium mitteretur: primum lex recitabatur à Præcone, subiiciente Scriba: tum oratione docebatur populus; deniq; rogabatur, vt eã legem acciperet. & suffragiis suis iubere vellet, testibus Asconio, in argumẽto orationis pro C. Cornelio, Appiano li. 1. bellorum ciuil. & Plutarcho in Catone Vtic. Ex quibus etiam auctoribus intelligi potest obseruatum fuisse, vt post trinundinũ promulgationem, die comitiorum rursus recitaretur lex, haberentúrque orationes, suadendi & dissuadendi causa.

At si iudicij causa, comitia haberentur, idem fiebat, quod in legibus ferendis. Iudicium enim populi lege lata fiebat: quæ si acciperetur à populo, condemnatus erat reus: sin antiquaretur, absoluebatur.

Erat autem omnium actionum cum populo commune principium: VELITIS IVBEATIS QVIRITES, quemadmodum ex Cicerone, & Liuio intelligi potest. Ex qua dicendi formula nomen ortum est rogationis, omnibus actionibus cum populo commune.

de cælo obseruatio: & tripudij animaduersio: Obseruatio de cœlo ad omnia comitia adhibebatur, & sic etiam ad curiata. Auium inspectio ad curiata & centuriata tantùm. Eam ob causam propter obseruationem de cœlo etiam Augures tres oportebat his comitiis adesse, qui lationi legis in auspicio essent. Tripudium rerum gerendarum erat proprium. Sed de Auguriis vel auspiciis alio loco dictum est prolixiùs. Hoc tantum addere visum fuit, quod ante præterij, & in hunc locum reseruaui, cum legatur & de Magistratibus ipsis Patriciis, & de Auguribus, quòd auspicati fuerunt, vtrum similia eorum auspicia, an vero diuersa fuerint. Et, si diuersa fuerunt, quodnam inter ea sit discrimen. Hoc vbi explicauero, tum ad ea, quæ comitiis curiatis obseruata fuerint, prætexenda reuertar. Tractat hanc quæst. eruditissimus Ald. Manut. Pauli. F. lib. 3. de Quæsitis per epist. ep. 9. prolixè, ex quo capita tantum præcipua hic afferam. studiosum lectorem si pleniorem eius explicationem volet, eo remittens. Quod igitur ad propositum attinet, multis modis diuersæ fuerunt Augurum & Magistratuum auspicia, præcipua eorum discrimina Ald. Man. recitat sex.

Primum Augures auspicabantur, vt ex signis quibusdam, vel probarent aliquid, vel vetarent: quod Cicero pluribus locis aliis, tum maxime libro 2. de Legibus ostendit. Magistratus verò cæteris quidem in rebus, teste eodem Cicer. libro 1. de Diuin. signa obseruabant, ex quibus aut prohiberent, aut probarent: comitiis autem, vel si nulla instructi scientia essent, nulla signorum obseruatione, solo auspicio vetabant, siue aliquid contrarium vidissent, siue non vidissent. Itaque in Oratione pro Domo sua: Negant, inquit, Augures fas esse agi cum populo, cum de cœlo seruatur. Ipsa igitur actio, non ea quæ agentes vidissent, impediendi vim habebat.

Alterum discrimen hoc est, Augures nunciationem solam habebant, sine spectione: Magistratus vtramque: quod ostendit Cic. in 2. Philip. iisdem penè verbis: Nos, inquit (de Auguribus loquitur, quia & ipse Augur erat) nunciationem solùm habemus, Consules, & reliqui Magistratus etiam spectionem. Spectionem autem habere, idem est, quod seruare de cœlo, vel auspicari: nunciare verò, vel obnunciare, est, visa vel audita auspicia indicare.

Tertia differentia est, quòd Augures necessariò adhibebantur: non enim Magistratuum Comitia, neque legum haberi poterant, nisi Augures adessent, & probassent, teste Cic. lib. 3. de Legibus & ad Attic. libro 4. Epist. vltim. vbi ait, Augures tres in ferenda lege Curiata adesse oportere: Magistratus autem seruare de cœlo nulla res cogebat. Sed vbi Comitiis impedimento esse cupiebant, tunc de cęlo seruabant. Hoc tamen non est prętereundum, nemini Magistratuum licuisse comitiis, Magistratuum creandorum causa institutis de cœlo seruare, & ita ea comitia impedire.

Quarta differentia est, Augures non obnunciabant futuris tantum comitiis, verùm etiam institutis, aut iam habitis, quod docet Cicero libro 2. de Legibus cùm inquit, Quid maius est, quàm posse à summis imperiis & summis potestatibus comitia tollere, concilia, vel instituta, dimittere, vel habita rescindere? quid grauius, quàm rem susceptam dirimi, vnus si Augur, alio die, dixerit? quid magnificentius, quam posse decernere, vt magistratu se abdicent Consules? quid religiosius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut non dare? Hæc Cicero. Magistratus autem obnunciare solebant, priusquam Comitia haberentur: quod perspicuum est ex 2. Philipica, vbi dicit Cicero. Quisquámue diuinare potest, quid vitij in auspiciis futurum sit, nisi qui de cœlo seruare constituit? quod neque licet comitiis per leges. & si quis seruauerit, non habitis Comitiis, sed priusquam habeantur, debet nunciare. Idem intelligitur ex epistolis ad Atticum epist. 3. libro 4.

Quintum discrimen est, Augures obnunciabant, cùm auspicati essent, erant enim auspicia priora obnunciatione: Magistratibus autem semper impedientibus, obseruatio signorum necessaria non erat. Ita enim obnunciabant, quasi aduersa signa semper essent. Propterea liberum illis fuit, non modò pòst auspicium, sed ante etiam obnunciare, quasi diuinarent, vti aliquid in auspiciis futurum. Cic. Philippica 2. & pro Sestio, & Dio. libro 39.

Sextum & vltimum discrimen est, tres Augures interdum, vt in ferenda lege curiata, teste Cicerone ad Attic. libro quarto epist. vlt. quandoque vnus, quemadmodum in comitiis Magistratuum, vt idem Cicero libro secundo de Legibus docet, auspicio vtebantur. Magistratus autem vel vnus, qui de cœlo seruaret, impedire legum comitia poterat, quod probatione non eget. Hæc de discrimine inter auspicia Magistratuum & Augurum. Reuertamur ad comitia. Postquam curiæ conuenissent, & Magistratus illi, qui comitia instituerant, per Augures auspicati essent, nec quicquam impedimento esset, quo minùs ea peragerentur, tum rogatio, de qua curiæ suffragium laturæ erant, publice recitabatur, quæ vbi recitata erat, præses comitiorum curias in suffragium mittebat, his verbis, Si ita vobis videtur, Quirites, discedite in curias, & suffragium inite, quod perspicitur ex Dionysio Halicarnasseo libro quarto.

Si verò

Si verò rogatio non videbatur futura è re populi, Tribuni plebis intercedebant, vtentes solenni verbo Veto, vel, Vetamus. Quod cùm fieret non licebat curiis suffragium ferre; sed comitia vel dissoluebantur, vel in alium diem proferebantur. Nemine autem Tribunorum intercedente, discedebat populus in curias, & de rogatione consultabat. Post singulæ curiæ, vna post alteram sorte vocatæ, exibant, & suffragium ferebant. Et ea quidem, quæ prima exierat, Principium dicebatur. Quod autem plures ex triginta curiis iusserant, id ratum habebatur. Atq; si primò vocatæ consentirent, statim atque sedecim ex illis suffragium dixerant, finis fiebat comitiis. Quia tum certum esset, à pluribus curiis id iussum esse, quod sedecim curiæ iussissent. Sin dissentirent, eo vsque vocabantur, dum sedecim curiæ consensissent.

Obseruabatur & hoc vt curia primò ad ferendum suffragium sorte vocata, esset boni ominis. Si contrarium accideret, comitia in alium diem proferebantur. Quod intelligitur ex Liuio li. 9. cùm scribit, L. Papyrium Dictatorem auspicia postero die repetiisse, quia ipso comitia de imperio priori die habente, prima exiisset curia Saucia, quæ mali ominis erat, duabus scilicet insignis cladibus, captæ vrbis, & Caudinæ pacis, quod vtroque anno eiusdem curiæ fuerat principium, &c. Tandem quod pluribus curiis visum esset, id ad Patres referebatur, vt ab iis confirmaretur. Quem tamen morem non semper fuisse retentum, sed posterioribus temporibus mutatum, ita vt Patrum sententiam curiæ confirmauerint, docet Dionysius libro secundo his verbis: Populus ferebat suffragium non vniuersus confusè, sed per curias vocatus: quódque pluribus visum esset curiis, id ad Patres referebatur: nunc vero mos mutatus est. Neque enim Patres de iussis populi post iudicant, sed contra sententiam Patrum confirmat deinde populus, &c.

Postulat hic locus vt de suffragiis etiam aliquid dicatur, quomodo ea lata à curiis sint, per tabellas, an viua voce. Qua de re hoc ex antiquorum scriptis cognoscitur initio fuisse & in his, & in aliis Comitiis semper vsitata suffragia voce lata, vsque ad legem illam tabellariam à Gabinio Tribuno plebis latam, Coss. Cn. Calpurnio Pisone, M. Popilio Lænate, Anno ab Vrbe condita DCXIV. qua cautum erat, vt comitiis, quibus Magistratus crearentur, populus non voce, sed tabella suffragium ferret. Et quod id lib. esset, ne quis insp. tab. ne rogaret, ne appellaret. Ita ab omni parte liberum iudicium suum in Magistratibus creandis populus haberet. Secutæ hanc legem sunt & aliæ, vt Cassia, Papyria, & Cælia, quibus cautum, vt non solùm in creandis Magistratibus, sed etiam in iudiciis populi, in legibus iubendis & vetandis, item in iudicio perduellionis tabulæ vsurparentur, vt in li. de Legibus & iudiciis explicabitur. Atque hæc in genere de modo Comitiorum curiatorum dicta sint. Præter quæ tamen etiam specialia quædam digna sunt consideratione.

In Comitiis legum ferendarum præter ea quæ dicta sunt, nihil fere fuit obseruatum, nisi quod eas oportuerit trinundino antè proponi, quàm Comitia haberentur.

Quod autem ad Comitia curiata de confirmatione Magistratuum iam designatorum attinet, sciendum est, primis temporibus, Comitiorum & Magistratuum confirmandorum ius penes Senatum fuisse, vti paulò antè ex Dionysio ostendimus. Quod ius Senatui ademptum populus deinde ad se rapuit, ac bina de Magistratibus Patriciis Comitia haberi voluit: vna, quibus crearentur, & illa vel centuriata, vel curiata fuerunt, altera, quibus confirmarentur, quæ etiam centuriata aut curiata fuerunt. Centuriata lex ferebatur pro confirmatione Censorum iam designatorum: Curiata autem pro reliquorum Magistratuum Patriciorum confirmatione. Solebat autem in prioribus comitiis quæ Magistratibus designandis haberentur, populus ita rogari: Quos vultis Consules fieri? Posterioribus, quibus de confirmatione Consulum, vel aliorum Patriciorum Magistratuum lex Curiata ferebatur, ita rogabatur: Vultis, iubetisne, vt M. Cicero, T. Antonius, quos consules populus designauit, consulatum habeant? Confirmabantur igitur Magistratus designati lege ad populum lata, non autem designabantur lege lata. Nam rogatio illa, qua ad populum ferebatur, vt Magistratus crearent vel designarent, lex non dicebatur. Docet hoc de binis Magistratuum comitiis Cicero, cuius Oratione 2. contra Rullum hæc sunt verba: Maiores de omnibus Magistratibus bis vos iudicare voluerunt. Nam cùm centuriata lex Censoribus ferebatur, cum curiata cęteris Patriciis Magistratibus, tum iterum de iisdem iudicabatur. Et mox addit causam: Vt esset reprehendendi potestas, si populum beneficij sui pœniteret. Quorum sententiam hanc esse docet Carolus Sigonius lib. 3. de antiquo iure Prouinciarum capite 2. De omnibus Magistratibus, inquit, maiores bis vos iudicare voluerunt. Nam cùm Centuriata lex Censoribus iam designatis ferebatur, cùm Curiata item cęteris Patriciis Magistratibus pariter iam designatis ferebatur, eo tempore secundùm iudicium faciebat, populus vt posset reprehendere, si beneficij sui prioribus Comitiis delati, pœniteret. Primum enim Comitiis Centuriatis Censores designabant, deinde iisdem legem Curiatam ferebant. Item centuriatis comitiis Consules designabant, deinde eis legem Centu-

riatam ferebant. Non erat autem idem designare Magistratum, & legem ei Centuriatam, aut Curiatam iam designato ferre. Prioribus igitur comitiis designabantur Magistratus, posterioribus lege confirmabantur, &c. Hæc ille. Qui tamen mos de binis huiusmodi comitiis non semper obseruatus, sed mutatus posterioribus temporibus est, & in eorum locum successerunt bina comitia, Prærogatiuæ & iura vocatarum, vti paulò post dicetur: quod tum fuisse factum suspicari licet, cùm numerus tribuum trigintaquinque est expletus.

Alia ab hac lege Curiata de confirmatione Magistratuum designatorum est, illa de imperio eorundem, quæ Magistratibus, vtputà Consulibus, & aliis in prouinciam, & ad bellum cum imperio militari profecturis, ferebatur, ac postremis etiam temporibus obseruabatur: & sine qua Magistratibus rem militarem attingere non licebat, vt Cicero loquitur. Quanquam legamus nonnunquam Senatusconsulto, vel Plebiscito idem ius Magistratibus tributum fuisse, sicuti etiam iure prouinciæ, iis qui in Prouincias mittebantur, rem militarem attingere licebat. Quod tamen si sine curiata lege facerent, propriis sumptibus in Prouincias ire cogebantur: si vero legem curiatam accepissent, tum ex ærario viaticum: id est, sumptus in mulos, vehicula, & tabernacula, & cætera eiusmodi instrumenta eis suppeditabantur. Regulariter autē, Magistratibus vrbanis, & Prouincialibus, si extra vrbem bellum esset gerendum, imperium militare lege curiata tribuebatur: in Vrbe verò seditionis alicuius restinguendæ causa, quam ad rem exercitu opus erat, militare imperium Magistratibus dabatur summo illo Senatusconsulto: Videant Consules, ne quid Respublica detrimenti capiat, id quod Salustius docet. Et hæc quidem omnia prolixè & diligenter explicat Carolus Sigonius in posteriori cum Grucchio disputatione. & lib. 3. de iure Prouinciarum, cap. 5 & seqq. de quibus etiam nobis alio loco pluribus erit agendum.

Sequitur vt de lege curiata arrogationum dicam. In iis itaque comitiis præter superiora illa generalia, etiam hæc obseruabantur. Non tantùm latorem legis, eósque, inter quos arrogatio fiebat, & curias suffragium ferentes, sed Pontifices etiam adesse oportebat, qui de causis, & omni iure arrogandi cognoscerent, in quo certum quoddam erat iuramentum, à Quinto Mutio Pontifice Maximo conceptum, quod hi iurare debebant, inter quos fiebat arrogatio. Considerabatur ætas eius, qui arrogare volebat an liberis posteà gignendis idonea esset: bonáque eius, qui arrogabatur, ne illa insidiosè appetita essent. Rogari solebat is, qui arrogabatur, auctórne fieret vt in alterius potestatem illo modo transiret. Posteaquam verò vtrique interrogationibus iurati respondissent, & Pontifices causas arrogationis probarent, nécne, publicè professi essent: tum populus à Magistratu rogabatur, vti legem iuberent. Cuius formulam recitat Agellius li. 5. c. 19. his verbis: Arrogatio, inquit, dicta est, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. Eius rogationis verba hæc sunt: Velitis, iubeatis, vti L. Valerius L. Titio tam iure, legéque filius sibi siet, quàm si ex eo patre, matréque familias eius natus esset: vtique ei vitæ, necísque in eum potestas sit, vti patiendo filio est. Hoc ita vt dixi, ita vos Quirites rogo, &c. Hactenus Agell.

In Comitiis curiatis Flaminis Dialis, hoc propriè obseruatum fuisse scribit Tacitus li. 4. Annalium, vt tres Patricij, confarreatis nati parentibus, nominarentur, ex quibus deinde vnus legeretur. An verò hoc etiam in reliquorum Flaminum creatione obseruatum fuerit dubitari potest. Nihil enim de iis antiquiores scriptores tradunt. Atque hæc de comitiis curiatis dicta sint, sequuntur centuriata.

Caput VIII.

De Centuriatis Comitiis, quid ea sint: quídque classes & Centuriæ.

Sicut Curiata comitia à Curiis, ita centuriata à centuriis dicta sunt. Ad quorum rationem intelligendam refert primùm scire quid centuriæ fuerint, & à quo sint institutæ: quod vbi cognitum fuerit, non difficulter etiam centuriatorum comitiorum natura intelligi poterit. Fuit autem, vt rem aggrediar, centuriarum autor & institutor Seruius Tullius, consentientibus Liuio, Dionysio, Floro, Eutropio, & multis aliis, ex quibus Dionysij lib. 4. verba adscribere libet, qui omnium diligentissimè, & clarissimè centuriarum institutionem tradit. Seruius, inquit, iussit censeri bona omnium ciuium cum iureiurando bonæ fidei, adscriptis ætatis annis, & parentum nominibus, atque adeò liberorum etiam, atque coniugum: adhæc quam quisque regionem vrbis, quémve pagum incoleret:

ret: ei qui non censeretur, pœna proposita, vt bonis in fiscum redactis, cæsus virgis, sub hasta veniret: diúque lex ea Romanis seruata est. Peracto censu, cùm ex scripto & ipsorum numerum, & opes eorum cognouisset, commentus est institutum longe prudentissimum & Reipublicæ saluberrimum, vt res docuit. Id fuit tale. Vnam selectam ex omni numero partem, cuius maximus census erat, nec minor centum minis, in octuaginta centurias digestam, arma habere imperauit, clypeum, arginum, loricam ex ære, galeámque & ocreas, tela, hastam, & gladium. Ex his quadraginta centurias fecit iuniorum, qui foris bella gererent, totidem seniorum, qui manerent ad vrbis custodiam. Hæc prima classis fuit. Eius iuuentus primum semper locum tenebat in acie. Secundæ classis census erat intra decem millia drachmarum vsque ad minas septuaginta. Ex his conscriptæ viginti centuriæ: arma gestare iussi eadem: nisi quòd loricæ ademptæ, & scuta data pro clypeis. Hic quoque nati super quadragesimum quintum annum à militari ætate diuisi. Centuriæ decem iuniorum, qui ad bella emitterentur: totidem seniorum ad seruanda mœnia. Huic classi secundus locus dabatur in acie. Tertiæ census, vt ad septies mille & quingentas drachmas non perueniebat, ita quinquaginta minas excedebat. His non solum loricæ ademptæ sicut proximis, sed & ocreæ: eundem numerum centuriarum explentibus, diuisarum æquè in denas, ætatis discrimine locum in acie tuebantur post secundam classem proximum. Et reliquis rursus cùm detraxisset, qui minus quinque millibus drachmarum in bonis possiderent, vsque ad viginti minas, quartam classem fecit æque viginti constantem centuriis, decem vigentium cum maxime: totidem maturitatem iam egressorum, quemadmodum & priores distinxerat. Arma his imperata, scuta, hastę, & gladij: locus assignatus in postrema acie. In quintam classem reiecti sunt, quorum facultates censerentur inter vigintiquinq: minas, & duodecim cum dimidia: triginta erant centuriæ, pro ætatis ratione diuisæ pariter, quindecim seniorum, iuuenum totidem. His imperatum, vt cum fundis & iaculis militarent extra ordines. Iussæ etiam armatos sequi quatuor inermes centuriæ, duæ ad armorum, & machinarum fabricam, totidem cornicinum, tubicinum, quique aliis instrumentis signa canerēt. Opifices in secunda classe censebantur, adscripta senioribus vna eiusdem ætatis centuria: altera iuniorum stipendia faciebat cum iuuenibus. Tubicines & cornicines quartæ classis pars erant, pari ætatis discrimine. Centuriones deinde præfecti, vt quisque erat virtutis spectatissimæ, qui centurias imperatis peragendis assuefacerent. Hi ordines fuêre tam legionariorum, quàm leuis armaturæ peditum. Cæterum equitum delectum habuit ex opulentissimis nobilium illorum octodecim centurias primis illis legionariorum octuaginta centuriis attribuit cum suis pręfectis viris illustrissimis. Reliquos ciues quorum census minor fuit duodecim minis cum dimidia, sed numero non cedebant quinque classibus, aut superabant etiam, in vnum ordinem congestos immunes fecit à tributis simul, & militibus. Sex classes Romani vocant, &c. Hæ classes continebant CXCIII. centurias. Prima XCIIX. annumeratis equitibus: secunda XXII. cum opificibus, tertia XX. quarta XXII. cum cornicibus & tubicinibus, quinta XXX. vltima pro vna censebatur egenorum centuria. Hactenus Dionysius. Ex quibus perspicuum est, quid centuriæ fuerint, & quomodo à Seruio introductæ, & quòd quinque tantum classes census faciendi causa sint institutæ, sextæ nulla fere habita ratione.

Quanqoam autem initio classes & Centuriæ cum tribubus & curiis nihil habuerint commune, vt manifestò ex Liuio & Dionysio constat: tamen procedente tempore institutum est, vt classes centuriæque quodammodo tribuum essent partes. Quod factum fuisse post expletum trigintaquinque tribuum numerum, ex Liuio colligit Sigonius lib. 1. de antiquo iure ciuium Romanorum, cap. 4.

Erant igitur Centuriata Comitia, quibus populus per classium centurias diuisus suffragium ferebat, ita vt suffragia colligerentur centuriatim, & quod plures centuriæ iussissent, id ratum haberetur, &c. Vt autem centuriarum, ita etiam Centuriatorum Comitiorum auctor fuit Seruius Tullius, teste eodem Dionysio & Liuio: quod postea, vbi de modo Centuriatorum comitiorum dicendum erit, pluribus demonstrabitur.

Caput IX.

De causis Comitiorum Centuriatorum.

DIONYSIVS libro quarto, vbi de institutione comitiorum Centuriatorum agit, inter alia dicit, Seruium Tullium Regem, tria Comitiis illis peregisse, vt puta, Magistratus creasse, leges tulisse, & bellum indixisse. Hoc institutum etiam post assertam in libertatem Rēpublicam mansisse intelligitur, ex antiquarum rerum scriptoribus.

Tum n. eodem modo Magistratus Centuriatis comitiis creati, leges latæ, & quod superioribus illis accessit, iudicia peracta sunt. Nec mutatum de his causis quicquam est, donec libera fuit Respublica. Explicandæ igitur nonnihil, & pluribus demonstrandæ hæ causæ sunt. Dicam de singulis, & primùm quidem de Magistratibus. Eorum quosdam centuriatim collectis suffragiis à populo creatos esse, maiores scil. & quidem ordinarios, docet ex Messala Agellius li. 15. c. 14. his verbis: Maiores Magistratus comitiis Centuriatis fiunt. Erant autem Magistratus maiores, vt idem eodem loco dicit, & nos etiam alibi annotauimus, quorum maiora erant auspicia, id est, quorum auspicia magis rata erant quam aliorum. Ordinarij verò, qui singulis annis ad suum munus ordinarium in Vrbe obeundum à populo creabantur. Tales erant Consules, Prætores atque Censores.

De consulibus, quod ij Centuriatis comitiis creati sint, res est manifesta. Liuius libro 1. vbi de primis Consulibus agit, sic scribit: Duo Consules inde comitiis Centuriatis à Præfecto vrbis ex Commentariis Seruij Tullij creati sunt, L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus &c. Quod idem confirmat Dionysius libro 5. inquiens, Sp. Lucretium interregem à Bruto dictum, iussisse omnes ciues Romanos cum armis in campo Martio adesse: & postquam eò ventum esset, duos viros nominasse habituros potestatem regiam, Brutum, & Collatinum: hisque populum eum honorem ratum fecisse, collectis centuriatim suffragiis. De Consulibus igitur certa res est. Prætores verò etiam Centuriatis comitiis creatos fuisse, testis est apud Agellium libro decimotertio, cap. decimoquarto Messala, qui inter eos maiores Magistratus numerat & Consulum collegas facit. Idem ostendit Liuius libro septimo initio, quando de Tribunis plebis loquitur, eos non passos esse tantùm quod pro vno Consule plebeio, tres Patricios Magistratus Curulibus sellis prætextatos tanquam Consules sedentes, nobilitas sibi sumpsisset: Prætorem quidem etiam iura reddentem, & collegam Consulibus, atque iisdem auspiciis creatum, &c. Hæc dicit Liuius, Prætorem, iisdem auspiciis, id est, comitiis, quibus Consules, creari. Creantur autem Consules Centuriatis, ergo & Prætores. Clariora tamen sunt quæ affert Cicero oratione pro lege Manilia, de seipso loquens: Nam, inquit, cum propter dilationem Comitiorum, ter Prætor primus centuriis cunctis renunciatus sum. Hæc ille, &c.

De Censoribus, quòd Centuriatis comitiis fuerint creati, liquet ex eodem Agellio, quum scribit: Patriciorum auspicia in duas esse potestates diuisa. Maxima esse Consulum, Prætorum, Censorum, &c. Hi itaque Magistratus Centuriatis comitiis creabantur. Dictatorum, Magistrorum Equitum, & Interregum, qui quidem etiam maiores Magistratus erant, sed extraordinarij, alia fuit ratio, quam alibi prolixe explicauimus.

Præter hos autem, de quibus diximus, Proconsules etiam interdum, item Reges Sacrorum Centuriatis comitiis creari solebant. De Proconsulibus auctor est Liuius libro vigesimosexto, de P. Cornelio Scipione Proconsule loquens: Et Romæ, inquit, Senatu populóque post receptam Capuam, non Italiæ iam maior, quàm Hispaniæ cura erat, & exercitum augeri, & Imperatorem mitti placebat, nec tamen quem mitterent, satis constabat: quoniam illuc, vbi duo summi Imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligendus esset: cum alij alium nominarent, postremùm eò decursum est, vt populus Proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet, diémque comitiis Consules edixerunt. Primo expectauerunt, vt qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. Quæ vt destituta expectatio est, redintegratus luctus acceptæ cladis, desideriúmque Imperatorum amissorum. Mœsta itaque ciuitas, prope inops consilij. Comitiorum die tamen in campum descendit: atque in Magistratus versi, circumspectant ora Principum aliorum alios intuentium, fremúntque adeo perditas res, desperatúmque de Republica esse, vt nemo audeat in Hispaniam imperium accipere: cùm subito P. Cornelius, illius, qui in Hispania ceciderat, filius, viginti quatuor ferme annos natus, professus se petere, in superiore, vnde conspici posset, loco constitit. In quem postquam omnium ora conuersa sunt, clamore ac fauore ominati exemplo sunt felix faustúmque imperium. Iussi deinde inire suffragium, ad vnum omnes, non modò Centuriæ, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispania, iusserunt. Hactenus Liuius. Ex quibus intelligitur eum Centuriatis comitiis creatum esse. Verùm hæc ratio extraordinaria fuit. Ideo non semper vsitata. Nec scio an vllum aliud exemplum, excepto hoc, inueniri apud auctores possit. De ordinaria autem constituendarum Prouinciarum ratione dicemus suo loco. De Rege sacrorum fateor, nullum vllius auctoris veteris testimonium perspicuum proferre posse: Nicolaus Grucchius tamen id probare nititur, cuius rationes videri & perpendi possunt.

Non

Non sunt silentio prætereundi Tribuni militares Consulari potestate, & Decemuiri legibus scribendis. Nam & hi comitiis centuriatis creati fuerunt. Cùm enim sint maiores Magistratus, & propterea maiora auspicia habuerint: quis dubitabit, eos etiam maioribus, id est, centuriatis comitiis creatos fuisse? Quod autem apud Agellium nulla eorum inter cæteros maiores Magistratus mentio fiat, causa est, quod eorum Magistratus non fuerit diuturnus, sed breui tempore è Republica sublatus. Constat certè ex Liuio, Dionysio, & aliis, eos à populo per centurias diuiso lectos fuisse. Et hæc quidem de prima causa dicta sufficiant: Accedamus ad alteram, quam diximus fuisse legum ferendarum. Hæc vero non ita sunt intelligenda, quasi omnes leges his Comitiis latas esse dicamus. Sunt enim aliæ Curiatis, aliæ centuriatis, aliæ Tributis perlatæ, de quibus singulis suis locis. Hic de centuriatis tantum dicendum. Quæ enim leges Centuriatis comitiis ferebantur, Centuriatæ: sicut illæ, quæ Curiatis, Curiatæ dicebantur. Fuerunt autem illæ fere leges quæ à Magistratibus maioribus auctoritate Senatus, ac de re quapiam maioris momenti rogabantur, Centuriatis comitiis latæ. Quas quidem proprie leges dici, testis est Iustinianus in Institutionibus, vbi ius ciuile in sex species diuidens, legem definit esse id, quod populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante (veluti consule) constitueret. Eas itaque centuriatis comitiis latas fuisse, ne multis scriptorum testimoniis (quæ tamen in promptu sunt) recitandis sim longior, vnico Liuij libro 8. contentus ero, qui scribit à Dictatore P. Philone legem latam, vt earum legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium, patres auctores fierent: quod argumento esse potest, eas leges, quæ ad distinctionem plebiscitorum sic appellarentur, quales erant, quæ à Magistratibus maioribus ferebantur, comitiis centuriatis ferri solitas. Sic leges Valerij Publicolæ latæ de prouocatione, centuriatæ fuerunt, vt est apud Valerium Maximum lib. 4. cap. 1. Et lex alia Valerii, & Horatii Coss. cuius meminit Liuius lib. 3. Item lex de reuocatione Ciceronis ab exilio, teste ipso Cicerone in Oratione post reditum in Senatu, & li. 1. epistolarum ad familiares, epistola 2. ad Lentulum, quibus quod iisdem comitiis latæ sint, testimonium dicit Liuius li. 3. Neque excluduntur hic leges ad populum à maioribus Magistratibus latæ de bellis hostibus indicendis. Eas enim his quoque comitiis latas, testis non obscurus est Liuius de bello Macedonico, & bello cum Perseo, & alibi, vt taceam ex Dionysio. Singulas autem hasce leges hic enumerare, non est necesse.

Tertia Comitiorum Centuriatorum causa est iudiciorum exercendorum: non quidem omnium, sed vnius tantùm, videlicet, Perduellionis. De quo licet alibi etiam dicendum sit, hic tamen pauca quædam annotabimus.

Caius ff. de verborum signification. dicit: Quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant: cum quo sentit Terentius Varro libro 6. de lingua Latina. Hinc factum est, vt reus perduellionis diceretur, qui se quoquo modo in Rempublicam hostili esse animo declarasset: quasi diceres reum hostilitatis. Festus affirmat perduellem dici eum, qui pertinaciter bellum retineat. Sed prior sententia melior esse videtur. Distingui quidam volunt inter crimen perduellionis, & crimen maiestatis, ita vt crimen maiestatis sit, duces hostium pecunia liberare, aut priuatum hominem domi suæ hostium duces seruare incolumes: Perduellionis vero, ciuem Romanum contra ius libertatis in crucem tollere, aut securi percutere, aut in latumias conicere. Verum id discrimen non vsque adeò obseruatur, sed vtraque pro vno plerumque habentur. De quibus alibi plura erunt dicenda. Illud hoc loco demonstrandum, quod de perduellione comitiis Centuriatis iudicatum sit. Id verò docet Valerius Maximus libr. sexto cap. quinto inquiens. M. Pompilium Tribunum ple bis Tiberio Graccho & C. Claudio Censoribus, cum ob nimis seuere gestam censuram maiorem partem ciuitatis exasperassent, diem perduellionis ad populum dixisse: quo in iudicio primæ classis permultæ centuriæ Claudium aperte damnarint, &c. Çlarum hoc etiam est ex Liuio libro 6. de iudicio M. Manlij Capitolini loquente. Et Cicero pro Sestio, & alibi docet, legibus duodecim Tabularum sancitum esse, ne de capite ciuis nisi comitiis centuriatis rogaretur. Hinc Sigonius lib. 3. de iudiciis Rom. c. 5. affirmat post instituta Tributa comitia de mulcta Tributis, de capite vero ciuis centuriatis comitiis actum esse. Et hæc de causis horum Comitiorum. Sequitur de Personis.

Capvt X.

De Personis, quarum interuentu Comitia Centuriata peracta sunt.

TRIPLICES hic personæ considerandæ sunt, aliæ videlicet, quæ ius habuerunt Comitia Centuriata conuocandi, aliæ quæ suffragium in iis tulerunt: aliæ quas præter priores his comitiis adesse oportuit. Ius igitur horum comitiorum habendorum fuit penes Magistratus maiores tantum, & quidem penes Consules, Prætores, Censores, Dictatores, Interreges, Tribunos militum Consulari potestate, & Decemuiros legibus scribendis.

Magistratuum creandorum comitia habuerunt soli Consules, Dictatores, Interreges, Tribuni militum Cons. potestate, & Decemuiri legibus scribendis. Legum autem Consules, Dictatores, Prætores, & Censores, Iudiciorum item Consules, Dictatores, & Prætores. Id verò probandum est.

Quod Consules habuerint ius comitiorum centuriatorum, creandorum Magistratuum, nulla fere probatione eget: probabimus tamen, idque ordine. Habuerunt primum comitia Consulum creandorum. Quotiescunque enim noui Consules, in sequentem annum creandi essent, tum illi qui præsentis anni Consulatum gerebant, comitia de consulibus in sequentem annum legendis habebant. Testatur id, vt de reliquis taceam, Liuius sexcentis locis. Quod si tempus comitiorum centuriatorum instaret, & Consules, vel bellis impediti Romam redire non possent, vel abdicassent, vel aliud quid impedimenti ipsis obiectum esset, ex Senatusconsulto Dictatorum comitiorum causa creabant: is postea comitia habebat. Quod testatur præter alios, Liuius multis locis, & hinc toties in Fastis Consularibus Sigonii & Onuphrii legitur Dictatorem comitiorum habendorum dictum esse. Vbi verò vel contentione Ordinum, aut Magistratuum, vel Candidatorum ambitu, vel alia ratione, perfici ante anni exitum comitia nouis Magistratibus creandis non potuissent, tum Patricios conuenire oportebat ad prodendum ex suo numero Interregem, qui dies quinque imperaret, à quo alius deinde creabatur, eodémque modo alij atque alij singulis quinque diebus creabantur, donec vnus ex eis comitia Consulibus creandis haberet. Confirmat hoc etiam Liuius libro decimo. Eo anno (nec traditur causa) Interregnum initum. Interreges fuere Claudius, dein P. Sulpitius, is Comitia Consularia habuit, &c. alibi sæpe.

Comitia Prætoribus creandis, & item Censoribus soli Consules habuerunt. Neque enim Prætores, ac Censores à Prætoribus, & Censoribus, sed tantùm à Consulibus creari potuerunt. De Prætoribus præter Liuium, qui ostendit sæpenumero in sua Historia, Consules Pretoria comitia (ita enim dicebantur, quæ Prætorum creandorum causa habebantur, sicut etiam Consularia, quæ de consulibus, & censoria, quæ de censoribus, item Tribunitia, Aedilitia, Quæstoria, quæ de Tribunis militaribus, vel plebeiis, Aedilibus plebis, & Quæstoribus) Prætoria, inquam, comitia habuisse testis locuples est Cicero lib. 9. epistolarum ad Atticum, epistola 11. ad quem sic scribit: Nos autem in libris habemus, non modo consules à Prætoribus, sed ne Prætores quidem creari ius esse. Idque factum esse, nusquam Consules eò non esse ius, quod maius imperium à minore rogari non sit ius. Prætores autem cum ita rogentur, vt collegæ consulum sint, quorum est maius imperium, &c. Idem etiam confirmant M. Messala, & C. Tuditanus apud Agellium lib. 13 c. 14. quorum verba sunt hæc: Prætor (inquit Messala) etsi collega Consulis est, neque Prætorem neque Consulem iure rogare potest: vt, quidem nos à superioribus accepimus, & ante hæc tempora seruatum est. & vt in commentario 13. C. Tuditani patet: quia imperium minus Prætor, maius habet Consul: & à minore imperio maius, aut maiore collega (sic enim legendum est: cum in vulgatis sit, aut à maiore collega) rogari iure non potest.

De censoribus porrò, quod eorum etiam comitia consules habuerint, perspicuum est ex Liuio, li. 24 qui sic scribit: Decretúmque omnium primum, vt consules sortirentur, compararéntve inter se, vter censoribus creandis comitia haberet, & paulò post. Q. Fabius Consul comitia censoribus creandis habuit. Item Liuius libro 27. Per eos dies, & censoribus creandis Q. Fuluius Coss. comitia habuit, &c. Non dissentit à Liuio Cicero libro quarto ad Atticum, epistola 2. in cuius, epistola hæc sunt: Ego, inquit, me à Pompeio legari ita passus sum, vt nulla re impedirer, quin, si vellem mihi esset integrum, aut si comitia censorum proximi Consules haberent, petere possem. Perspicuum ex his est, censorum etiam comitia à Consulibus habita.

De Tribunis militaribus Consulari potestate, & Decemuiris legibus scribendis nunc dicendum, qui & ipsi comitia Magistratuum creandorum habuerunt. Ac de Tribunis militaribus testis est Liuius multis locis, præcipue vero libr. 4. Tribuni, inquit, militum mentione nulla comitiorum Consularium habita (credo ob iram Dictatoris creati) Tribunorum militum comitia edixerunt.

Iidem etiam consularia comitia habuerunt, vt ex eodem Liuij libro, & ex 5. eiusdem, item ex Fastis Sigonii apparet.

Tribunorum verò militum comitia non ab ipsis tantum Tribunis, sed sæpe à consulibus, nonnunquam etiam ab interregibus habita sunt, vt ex Liuio liquet.

Decemuirorum prima comitia Consules habuerunt: altera vero Decemuiri, testibus Liuio, Dionysio, & aliis.

Sed hic quæritur, cùm duo Consules, plures Interreges, tres, interdum plures Tribuni militares, decem Decemuiri essent, quisnam eorum comitia Magistratuum creãdorum habuerit? Respondebo de singulis. Primum, quod ad Consules attinet, illi inter sese comparabant, vel sortiebantur: cui sorte id munus offerebatur, is comitia peragebat. Docet hoc Liu. libr. 35. his verbis. Consulibus ambobus Italia prouincia decreta est, ita vt inter se compararent, sortirentúrve vter comitiis eius anni præesset. Item: Eodem fere tempore duorum Consulum literæ allatæ sunt, L. Cornelij de prælio ad Mutinam cum Boiis facto, & Q. Minutii à Pisis, comitia suæ sortis esse. Cæterum adeò suspensa omnia, &c. Quod si is, cui sors tulerat, vt comitia haberet, adesse non poterat, tum id alteri demandabatur: si tamen vellet. Testis est eodem loco Liuius. Sic enim de Q. Minutio scribit, cum ad senatum literas dedisse, comitia suæ sortis esse, cæterum adeò suspensa omnia, &c. Et paulò post: Si ita videretur patribus mitterent ad collegam, vt is ad comitia Romam rediret. Si id facere grauaretur, quod non suæ sortis id negotium esset, se facturum, quod Senatus censuisset. Item Liu. lib. 39. Iam consularium comitiorum appetebat tempus. Quibus quia M. Æmilius, cuius sortis ea cura erat, occurrere non poterat, C. Flaminius Romam venit, &c. Plura testimonia, præsertim in re tam manifesta, adducere nolo.

De Interregibus respondeo cum Asconio Pædiano, qui in Oratione pro Milone scribit, non fuisse moris, vt ab eo, qui primus Interrex proditus erat, comitia haberentur. Verissimum sane hoc est. Nusquam enim apud Liuium legitur à primo Interrege comitia habita: sed interdum à secundo, vt libro 9. Item decimo. Interreges fuere Ap. Claudius, dein P. Sulpitius, is comitia consularia habuit. Interdum à tertio, vt lib. 5. duobus locis. Interdum à pluribus, vt ad vndecimum etiam Interregem aliquando peruentum sit, Liu. lib. 7. De Tribunis militaribus idem quod de consulibus diximus suspicor, licet expressum veteris alicuius scriptoris testimonium non habeam.

De Decemuiris nihil attinet dicere, cum vna tantum aliorum Decemuirorum creandorum comitia ipsi habuerint. Liuius libro tertio quidem affirmat, reliquos nouem Decemuiros App. Claudio, quod is minimus natu inter eos esset, munus habendorum comitiorum communi consensu iniunxisse. Et hæc quidem de Magistratuum comitiis. Pergamus ad reliqua.

Legum comitia dixi habuisse Consules, Dictatores, Decemuiros, Prætores. De consulibus res manifesta est. Omnes enim leges consulares, quæ passim reperiuntur apud auctores, satis ostendunt, legibus ferendis Consules comitia centuriata habuisse. Neque de Dictatoribus vlla est dubitatio. Confirmant id lex Hortensia, Æmilia, & Cornelia, quæ omnes à Dictatoribus latæ, aliis tamen, quam centuriatis comitiis, ferri non potuerunt. De Decemuiris testimonium dicunt duodecim Tabularum leges ab iis centuriatis comitiis latæ, vt est apud Liuium, & Dionys. Prætores quoque comitia centuriata legum habuisse testatur Liuius libr. 45. cum scribit, Prætorem M. Iuuentium legem tulisse de bello Rhodiis indicendo. Confirmat id ipsum & hoc, quod si in Vrbe consules non essent, Prætorum ac præsertim Vrbani summum imperium erat. Ex quo sequitur, si legum comitia habenda essent, Prætorum id fuisse munus.

De iudiciis etiam dicendum. Illorum igitur comitia habuerunt Consules, quod patet ex iudicio Coriolani apud Liuium lib. 2. Ea n. Consules habuisse comitia, ibi diserte dicitur. Habuerunt eadem etiam Dictatores: quod probatur ex iudicio Sp. Melij, quod exercuit L. Quinctius Dictator, qui ad id exercendum potissimum dictus erat. Liuius lib. 4.

De Prætoribus, quod comitia iudiciorum habuerint, dubitari nullo modo potest. Scribit enim Liuius libro quadragesimo tertio, Tribunos plebis à Prætoribus diem comitiis centuriatis petiisse, ad exercendum iudicium. Verba eius sunt hæc: Tribuni plebis Sempronius & Rutilius, postquam se perduellionis iudicare reis pronunciauerunt, diem comitiis à Prætore Vrbano petierunt. De Censoribus nusquam extat, quod vel Magistratuum, vel legum, vel iudiciorum comitia habuerint. Quod autem leges censoriæ apud scriptores reperiuntur, id non de legibus comitiis centuriatis latis: sed de eorum subscriptionibus, vt Cicero pro Cluentio, actione septima in Verrem, aut locationibus à Censoribus factis, vt idem alicubi

appellat intelligendum est. Habuerunt tamen ius populi vocandi in campum Martium lustri condendi causa, teste Liuio: de quo alias.

Hactenus igitur de iis personis, quæ ius vocandi populum ad Comitia Centuriata habuerunt, egimus: postulat locus, vt de iis etiam, quæ suffragium tulerunt, dicamus. Tulerunt autem suffragium ciues, qui in centurias descripti erant, quique ius suffragii habebant, non tantùm qui in vrbe Roma, sed etiam, qui extra vrbem in Italia habitabant, ciuitate tamen cum iure suffragii donati erant. Non.n. omnes Itali pari iure ciuitatem adipiscebantur: sed alii cum iure suffragij, alii sine iure suffragii, quod pluribus declarabitur libro de militia. Qui igitur ciuitate cum iure suffragii donati erant, etiamsi in Vrbe non habitabant, ius suffragii habebant.

Neque tamen omnes etiam ciues, qui in vrbe habitabant, ius suffragii comitiis centuriatis habebant. Qui.n. à Censoribus ignominiæ causa notabantur, si plebeii essent, in Ceritum tabulas referebantur, id est, adimebatur iis ius suffragij, & referebantur in tabulas eorum ciuium, qui eo iure carerent: fiebant etiam ærarii, id est, non erant amplius in albo centuriæ suæ: scilicet ad hoc, vt ciues essent, sed tantummodò, vt pro capite suo tributi nomine æra penderent.

Quod verò etiam ij ciues, qui domicilium in Vrbe non habebant, si ciuitatis plenum ius cum iure suffragii adepti essent, centuriatis comitiis suffragium tulerint, testis est inter alios Cicero pro Domo, & post Reditum ad Quirites, quando de comitiis centuriatis reuocationis suæ ab exilio causa habitis agens, sic scribit: Nullus in eorum reditu motus municipiorum & coloniarum factus: at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta reuocauit. Et alibi pro Sestio: Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ societas, nullum collegium, aut concilium, aut omninò aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissimè de mea salute decreuisset, &c. Quibus ex locis intelligitur, municipes etiam colonos, & eos, qui in præfecturis habitabant, si modò id ius haberent, suffragium his comitiis tulisse. Aliquos autem municipes, colonos, & præfecturas aliquas id ius non habuisse, ostendetur in lib. de militia Rom. vbi de eorum omnium origine, & iure disserendum erit. Et hæ quidem personæ habuerunt ius suffragii. Præter eas autem de quibus diximus, etiam quasdam alias personas his comitiis interesse oportuit, quarum tantùm nomina hic recitabo. Causæ enim propter quas adfuerunt, & quod eorum officium, alibi explicabitur. Fuerunt autem illi, in comitiis quidem magistratuum, candidati: in genere autem in omnibus, Diribitores, rogatores, custodes, & Præcones, quod in sequentibus probandum erit. Itaque hic huius capitis finis esto.

Capvt XI.

De loco Centuriarum Comitiorum, & quid campus Martius.

Centvriata comitia in loco inaugurato haberi oportebat, non tamen intra Pomerium, sed extra, quod docet Agellius libro 15 cap. 27. cum inquit: Centuriata Comitia nisi imperato exercitu haberi non poterant, idque præsidii causa, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus. Exercitus autem extra Vrbem imperari oportebat, intra vrbem imperari ius non erat: quod confirmat etiam apud Liuium libr. 39 Sp. Postumus Consul his verbis: Maiores vestri, ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus edictus esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex Magistratibus ad concionem vocasset, fortè temerè coire voluerunt. Manifestum hinc est, non intra, sed extra Vrbem, & quidem edicto exercitu comitia centuriata haberi potuisse. Locus autem centuriatis destinatus erat campus Martius, quem Cicero dicit Consularibus auspiciis consecratum: quia imperii consularibus auspiciis omnia ferè peragebantur, quæ publicè in eo campo fieri solebant. Pauca itaque de eo hic sunt adiicienda.

Fuit campus Martius, qui alibi etiam Tiberinus dicitur, locus extra vrbem Romam propè portam Flumentanam: Martius dictus, eò quòd Marti sacer vel dicatus esset. Scribit Agellius lib. 6. cap. 7. eum à Caia Tarratia, virgine Vestali populo Romano donatum, propter quem amplissimos honores populus ipsi habuerit. Sunt tamen qui eum ab Acca Laurentia, scorto nobili: non à Caia Tarratia, testamento populo Romano condonatum, affirment. Eum fortasse Romulus Marti sacrum fecit. Non enim traditur, Seruij enim Tullij, Regis vetem-

tempore, iam tum Marti sacer fuit, in eoque primum lustrum conditum, & comitia Centuriata habita, testante Dionysio lib. 4. Postea à Tarquinio Superbo, VII. & vltimo Romanorum Rege in proprios vsus conuersus, post eiectos reges, à Bruto, & collega rursus ad pristinam conditionem redactus est. Qua de re libet adscribere verba Dionysij, lib. 5. quæ sunt. Iunius Brutus & P. Valerius bona Tyrannorum populo diripienda dederunt, agrum quem illi priuatim possederant, inopibus ex plebe diuiserunt, vno tantum campo excepto, qui situs est, Vrbē inter, & fluuium. Is iam ante Marti sacer erat, pratum equis & iuuentuti in armis exercendæ accommodatum. Id Tarquinius contempta religione suis oppleuerat segetibus, sicut satis apparet ex decreto consulum de eius frugibus. Cùm enim omnia Tyrannorum bona agenda, ferendáque permisissent populo, quicquid frumenti erat in eius campi areis, vel in stipulis, vel tritum iam, non permiserunt auehi, religione vetante, iusseruntque totùm effundi in Tiberim. Et nunc quoque eius facti manet monumentum, benè magna Insula, sacra Aesculapio, cincta flumine, consecrata (vt fertur) è frumenti aceruis putrescentibus, & paulatim aliis, quæ temere fert flumen, eodem inuectis, fit auctior. Hæc Dionysius. Paulo ante dicit, moris fuisse in campo Martio, Reges, & Magistratus creari. Bartholomæus Marlianus Epitoma antiquæ Romæ Topographiæ libr. 16. cap. 12. vbi de campo Martio verba facit, inter alia refert, in hoc campo, præter natiuam loci pratorúmque amœnitatem, ornamenta etiam, & statuas illustrium virorum erectas, & ex capitolio, cum ille locus nimis angustus esse cœpisset, propter ornamentorum quæ quotidie inferrentur, multitudinem, plurima in campum Martium translata esse. Strabo lib. 5. etiam eleganter campum Martium his verbis describit Maximam, inquit, horum (scilicet deorum) partem campus Martius habet, præter natiuam locorum amœnitatem, artis & solertiæ exornationes admittens. Campi enim admirabilis magnitudo, & curules pariter cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditat: nec minus, tam multis pilam, trochum, palæstram exercitatione tractantibus, aliaque incumbentia simul opera. Quid perennes solo herbas, coronatósque vsque ad fluminis alueum colles? Scenicarum ostentatio picturarum eius generis spectacula præstant, vt difficile & inuitus abscedas. Hæc ille. Varia itaque ludicra in hoc campo exercebantur, quod præter Strabonem & Horatius docet. Tumultu exorto delectus in eo habebatur, clari viri mortui cremabantur, & hic campus fere schola erat militiæ Romanæ, vbi iuuentus Romana ad palum omni genere armorum & quidem veris duplo grauiorum, exerceretur, caput petendo, lateribus insidiando, poplite succidendo, insiliendo, resiliendo, punctim potius, quam cæsim feriendo, & interim tamen assidue sese protegendo, item iaculando. Pars ibi Tyronum pilis, lapidibus, sagittis, manu, funda, arcu iaculandis exercebatur. Tum verò saltu fossæ latitudinem, aut valli altitudinem superare: præcipue autem cursu locum occupare, fugientem assequi consuescebat. Erant etiam equi lignei in campo vt insilire, desilire, dextra, læua, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret, veros etiam equos domaret, & futuris prælijs adsuefaceret, &c. Neque prætereundum est, quod Pomponius Lætus in suis antiquitatib. Rom. annotat, fuisse in campo Martio insigne horologium quod habuerit septem gradus circum, & lineas distinctas metallo inaurato; solum etiam campi, eo loco, vbi horologium istud fuerit, lapide amplo quadrato stratum fuisse, & habuisse lineas easdem, & in angulis quatuor ventos, cum inscriptione, vt Boreas spirat, ex opere Misino. Meminit eius etiam Plin. lib. 36. c. 10. & addit, ab Augusto Imperatore illud horologium conditum fuisse. In hoc igitur campo Centuriata Comitia regulariter, & semper habita fuerunt. Nisi quod illa, quibus de Manlio Capitolino iudicatum est, Comitia ex campo Martio in Lucum Petelinum translata sunt, eam ob causam, vt à conspectu Capitolij, oculi populi auerterentur, quò liberius de conseruatore eius iudicare posset, vt scribit Liuius lib. 6. Sequitur de tempore.

CAPVT XII.

De tempore Comitiorum Centuriatorum.

NVLLA Comitia nisi diebus Comitialibus haberi poterant. Ergo nec Centuriata. Qui autem Comitiales dies fuerint, non opus esse arbitror hic pluribus explicari, cùm in priori harum Antiquitatum commentario, vbi omnium dierum ratio & discrimina, à Romanis obseruata, diligenter inquisita, & tradita sunt, de Comitialibus etiam non pauca sint annotata: nec patitur horum librorum ratio, vt eadem sæpius repetātur. Hoc tamen hic monendum videtur, cū in singulis mensib. quidam Comitiales

dies fuerint: quo anni tempore Magistratuum Comitia haberi consueuerint. De iudiciorum enim, & legum Comitiis nihil certi dici potest.

Non semper idem tempus obseruatum fuit Magistratibus creandis. Liuius libro 3. scribit L. Ebutium & P. Seruilium Kalend. Sextil. vt tunc principium anni actum sit, Consulatum iniuisse. Quo igitur tempore, mense Iunio, vel Quintili, Comitia eorum habita fuerunt, certi quidem nihil traditur. Paulo post, cùm de Decemuiris loquitur, ita scribit: Idus tum Maiæ solemnes erant ineundis Magistratibus. Mense igitur Martio, vel Aprili, tum eorum Comitia habita fuisse suspicari licet. Tempore autem belli Punici secundi, Consules idibus Martiis Consulatum inibant, vt passim in historia L. Liuij legitur. Idque ita obseruatum fuit, vsque ad annum Vrbis DC I. Illo igitur tempore Comitia haberi solebant, Ianuario & Februario mense, dimissis scilicet ad hyberna exercitibus. Anno autem Vrbis DC I. Q. Fuluius Nobilior, & T. Annius Luscus Consules primi Kalend. Ianuariis Magistratuum inierunt, post quod tempus idem deinde à sequentibus Consulibus factum est. At eo tempore ordinaria Magistratuum creatio fuit, ad finem mensis Iulij, & principium Augusti, vti ex Ciceronis oratione secunda in Verrem, Epistolis ad Atticum, & epistola Cœlij ad Ciceronem, constat. Quod si vltra ducerentur Comitia, id eueniebat propter intercessiones, aut obnunciationes, per quas differentur.

Porro autem consularia Comitia ante Prætoria haberi solebant, interdum quidem eodem die, vt ex Liuij libro 10. constat, interdum postero die, nonnunquam tertio, aut alio quodam post die, vti ex eodem Liuio intelligi potest.

Censoribus creandis Comitia initio paulò pòst initum à Consulibus Magistratum, priusquã in prouincias proficiscerentur, ætate Ciceronis ad finem mensis Iunij, vt constat ex Epistolis ad Appium collatis cum iis, quæ ad Atticum lib. 6. scriptæ sunt, ex quibus colligi potest, Appium Censorem factum, eo quo dixi tempore, idque quinto quoque anno fiebat, vt ex historia cognoscitur Hoc tamen differebant Censorum Comitia à Consularibus, & Prætoriis, quod Censores statim designati Magistratum inibant. Vnde legimus apud Liuium lib. 24. Censores designatos statim in Capitolium deductos, ad capienda Magistratus insignia, iurandúmque in leges. Consules verò, Prætoréſque, nisi interregno aut in locum demortui creati essent, non statim designati inibant Magistratum, sed ab eo tempore, quo designati erant ad illud, quo Magistratum inibant, quod posterioribus temporibus fere quinque mensium spacium erat, priuati manebant. Quæris, quid per id tempus actum sit? respondeo, requirebatur per competitores aut alios de ambitu in designatos, de quo alibi dicendum erit. His ita explicatis, modum comitiorum trademus.

CAPVT XIII.

De modo Centuriatorum Comitiorum, & primum quidem de iis, quæ ante Comitia fieri solebant.

QVOD ad modum horum Comitiorum attinet, tria nobis consideranda veniunt: primum, quid, vt iusta haberentur Centuriata Comitia, fieri ante ipsa soleret: deinde quis modus in ipsis Comitiis seruaretur, postremo quid post dicta suffragia fieri oporteret. Hoc capite de iis, quæ ante Comitia obseruari solebant dicemus, de reliquis in seq. cap. acturi.

Primum omnium ex auctoritate Senatus hæc Comitia fieri oportebat. Hoc enim discrimen inter Centuriata, Curiata, ac Tributa Comitia, præter alia fuisse Dionys. lib. nono scribit, quod Tributis non opus esset Senatus auctoritate, in reliquis vel maxime necesse esset eam accedere. Ac primis quidem temporibus, post habita Comitia Patres auctores fiebant, hoc est, ea, quæ populus suis suffragiis iussisset, confirmabant. Postea vero id ius Senatui ademptum est, & institutum, vt ante, quàm Comitia haberentur, in incertum Comitiorum euentum Patres auctores fierent. Testatur hoc Liuius libro octauo, pluribus locis, & Cicero pro Plancio. Testatur etiam lex P. Philonis Dictatoris, qua cauebatur, vt legum, quæ Comitiis Centuriatis ferrentur, ante initum suffragium, patres auctores fierent. Et Appianus libro primo bellorum ciuilium scribit, à L. Cornelio Sylla legem latam, vt nihil referretur ad populum, quod ante à Senatu decretum, confirmatúmque non esset, atque addit, veteri id lege cautum fuisse. Requirebatur itaque in Comitiis Centuriatis primum, vt Patres auctores fierent, hoc est, vt iuberent aliquem Comitia illa edicere. Iubebant autem

id

id plerumque Senatusconsulto, quemadmodum ex Liuio constat. Quod si patres auctores non fierent, hoc est, non probarent causas Comitiorum, tum intermittebantur, vel differebantur, donec Senatus auctoritas accederet.

Postquam Patres auctores facti essent, hoc est, postquam probassent Comitia vel Magistratuum creandorum, vel legum ferendarum, vel iudiciorum exercendorum haberi, tum edictum præmitti necesse erat, vt ad quam diem conuenire populus deberet, multò antè intelligeret. Vnde fit, vt in omnibus historiis tam sæpe reperiantur Consules Comitia edixisse. Id verò edictum in tabella scriptum publicè proponi solebat, quod ex Agellii lib. 13. ca. 14. apparet, qui sic scribit: In edicto illo Consulum, quo edicunt, quis dies Comitiis Centuriatis futurus sit, scribitur ex veteri forma perpetua: Nequis Magistratus minor de cœlo seruasse velit. Ex quibus verbis apparet, in eo edicto plura capita fuisse scripta, atque illud proponendum publicè fuisse, vt populo notum esset. Quoniam autem Comitiis etiam adesse ex agris homines oportebat, qui in Vrbem fere, nisi nundinis, hoc est, nono quoque die, non veniebant, propterea edictum illud per plures dies publicè extare necesse erat, vt populo vniuerso notum esset. Solebátque plerumque in Comitiis Centuriatis trinundinum interiici, inter edictum illud, & idem Comitiorum, non tantum in legum & iudiciorum, sed Magistratuum quoque Comitiis, si nihil accidisset, quod impedimento esset, ne legitimo tempore Comitia haberentur: quemadmodum fiebat, si per Interreges Comitia haberentur, aut necessitas aliqua posceret, Comitia maturari. Quando enim Interreges Comitia habituri erant, tum certe tantum tempus inter edictum, & diem Comitiorum interiici non poterat. Erat enim Interregis Imperium, quinque tantum dierum: poterat autem secundus Interrex Comitia habere, vt paulo ante ostendimus. Sic etiam superioribus temporibus, quibus Consules bellis vrgentibus in Vrbe esse non poterant, sæpe accidebat, vt in exitu annus prope esset, nec dum tamen subrogati essent Magistratus. Eo igitur tempore interdum reperimus propter necessitatem subrogandorum Magistratuum, paucis post edictum diebus, habita fuisse comitia. Vnde T. Liuius libro 24. scribit, Qu. Fabium, in eum, qui primum comitialem diem habuerit, comitia edixisse: quibus verbis satis ostendit, post edictum non fuisse interiectum trinundinum. Neque enim tot dies continui, quot sunt in trinundino, esse poterant, quin aliqui ex iis essent comitiales. At temporibus ætati Ciceronis proximis consules totum fere annum sui consulatus agebant in Vrbe, nec ad exercitus, aut in Prouincias, nisi ad finem anni proficiscebantur. Vnde fiebat, vt legitimo tempore comitia Magistratuum edicerentur: & nisi ad diem edicto præstitutum haberentur, ideo accidebat quod dies diffinderetur vel auspiciis, vel Magistratuum intercessionibus.

Quod si vero consules abessent, tum edictum illud comitiorum ex itinere prœmittebant, vt trinundino ante proponerentur, vel Prætori scribebant, vt is eorum nomine comitiia indiceret, teste Liuio li. 22. Atque hæc quidem in genere, de omnibus comitiis centuriatis legitimis & regularibus intelligenda sunt. Præter ea autem, comitia legum, & iudiciorum peculiaria etiam quædam habebant, quæ etiam consideranda sunt.

Ante comitia legum hic modus seruandus erat, vt primum legislator concionem haberet, in qua populo necessitatem & vtilitatem legis proponendæ ostenderet, deinde etiam recitaret, ac publicè proponeret, vt populo potestas fieret, eam cognoscendi otiose: & vt inde liceret librariis describere, si qui vellent legem apud se habere. Cognosci hoc ex Dionysij lib. decimo potest, qui sic scribit: Tribuni plebis aduocata concione pollicebantur plebi se legem laturos de iis rebus, quas postulabat. Quam orationem postquam plebs collaudauit, sublata omni mora, legem, quam paratam habebant, recitarent. Ac proposita ea lege, datum est trinundini spacium, quo fieret potestas legis improbandæ omnibus, qui vellent, &c. Hæc ille. Quæ etiam de legibus Decemuiralibus scribit Liuius libro tertio. Post hanc legis propositionem, trinundino promulganda erat, id est, tribus nundinarum diebus aduocata concione recitanda, & de singulis capitibus populus docendus: rogandus etiam vt legem accipere vellet, vtque prodita die qua comitia haberentur legis ferendæ, ad illam diem frequens adesset: inter quos, qui primus populo vt legem acciperet suadebat (solebant enim sibi latores virum aliquem præcipuum auctoritate præditum conciliare, & adiungere, qui legem populo suaderet) is auctor legis appellari solebat. Post hunc auctorem alij etiam nonnunquam priuati data à Magistratibus concione, eam suadebant. Dabatur etiam potestas dissuadendi legem quicumque vellet. Et ex Ciceronis oratione post reditum in Senatu, colligitur, rogatores legum primo nundinarum die, post recitatam & explicatam legem, populo gratias egisse, quod aduenisset, & simul rogasse, vt pari studio conueniret reliquis diebus,

tem mos,solis centuriatis comitiis obseruabatur cum extra Vrbem omnes in armis adesse res postulabat,& id hodiéque religionis causa fieri solet. Hactenus ille. Hoc etiam semper obseruatum fuit,vt Consul Comitiorum die,quasi ad vsurpationem vetustatis extra pomerium tabernaculum haberet: velut Dux exercitus. In quo capiendo vitium committebatur, si prius quam pomeriū transgrederetur,auspicia aut non consuluisset,aut aduersa apparuissent. Tantúmque tribuebatur his auspiciis tabernaculi capiendi, vt si hic peccatum esset tota actio vitiosa,& inauspicata censeretur. Scribit Plutarc.in Marcello idcirco solitos Magistratus capere tabernaculum,vt in eo sederent pro captandis auspiciis. Quod si nondum ratis auspiciis, aliqua eos causa in Vrbem retraheret, primum tabernaculum relinquere oportebat,& alterum capere,ex quo denuo captabantur auspicia. Huiusmodi autem auspicia prima luce captari solebant,quemadmodum intelligi potest ex Dionysio.Macrob.li.1.Saturn.c.3.& Agel.li.3.cap.5. Porro & hoc ad auspiciorum rationem pertinebat, si cœptis Comitiis tonitru superuenisset, tum ea dirimebantur. Idem, si ipsis comitiis morbo Herculeo corruptus quisquam repente concidisset,dissoluenda erant Comitia,nec iusta eo die haberi poterant: vnde etiam illi morbo nomen est comitialis,vt Serenus docet his versibus:

Et subiti species morbi cui nomen ab illo
Quod fieri nobis suffragia iusta recusat:
Sæpe etenim membris ....ri languore caducis,
Concilium populi labes,horrenda diremit.

Et hæc quidem de auspiciis horum Comitiorum.

Cum igitur Senatus auctoritate,edicto ante proposito,& re per multos dies ante promulgata,sacris factis,auspiciis addicentibus,nulláque obnunciatione interiecta,Centuriata comitia maior Magistratus habere vellet, nihil omiserat eorum, quæ ad legitimum modum Comitiorum ante ipsa quidem comitia requirebantur. Videamus reliqua.

Populus Romanus, cui quidem ius erat suffragij, ad diem edicti conueniebat in campo Martio,atque ibi,priusquam in Centurias distribueretur, habebat Magistratus concionem ad populum,qua rogabatur,vt id,quo de ageretur,iubere,aut vetare vellet. Ac si Magistratuum quidem essent Comitia,solebat is,qui habebat Comitia,rogare populum,vt ex iis Candidatis, quorum haberi rationem oporteret, quosque tum omnes nominatim appellabat, crearet populus quos vellet,Consules,Prætores,Censorésve. Neque vero cum voce quidem suffragium ferebatur,necessitas ea ratione populo imponebatur,vt non posset alios,quàm candidatos facere:sed libera suffragia relinquebantur,vt ex omnibus ciuibus crearet, quos vellet, si modo ij essent,quorum ratio legibus haberi posset. Quinetiam legibus solutos sæpe reperimus multos,vt creari possent,vel ante legitimam ætatem,vel absentes,vel decennio nondum interposito inter eundem Magistratum. Et multos qui non peterent,creatos inuenimus. Verum ista euenire non solebant nisi ea tempora essent,in quibus magna virtus alicuius Reipublicę necessaria videbatur:quæ in petentibus tanta non erat populo cognita. Ordinarium autem ac legitimum erat,vt ex Candidatis crearentur Magistratus. Post leges tabellarias hi modo creari poterant,quorum rationem haberi debere,ante iudicatum esset, vt in tabellis nomen eorum scriberetur.

Quod de Magistatibus dixi,idem debet in comitiis Regis sacrorum intelligi.

Huiusmodi autem conciones,non solum ante,quam populus in suffragium mitteretur,sed Interruptis etiam interdum Comitiis,ad emendanda populi suffragia habitas fuisse,testimonio est Liuius l.3.de L.Quinctio scribens cum C.Claudius Consul haberet Comitia Consularia,& se refici Consulem videret,L. Quinctius eius collega interrupit comitia, orationémque ad populum habuit,cuius exitus fuit, vt communiter ab ambobus Consulibus ediceretur ne quis Quinctium consulem faceret:si quis fecisset,se id suffragium non obseruaturos. simile exemplum recitat Liuius lib.14.etiam de Q.Fabio Maximo.

Sin legum Comitia essent,antequam populus in suffragium mitteretur:primum lex recitabatur à Præcone,subiiciente Scriba:tum oratione docebatur populus; deinde rogabatur,vt eā legem acciperet.& suffragiis suis iubere vellet,testibus Asconio,in argumēto orationis pro C. Cornelio,Appiano li.1.bellorum ciuil.& Plutarcho in Catone Vtic. Ex quibus etiam auctoribus intelligi potest obseruatum fuisse,vt post trinundinum promulgationem, in comitiorum rursus recitaretur lex,haberentúrque orationes,suadendi & dissuadendi causa.

At si iudicij causa comitia haberentur,idem fiebat,quod in legibus ferendis. Iudicium enim populi lege lata fiebat:quæ si acciperetur à populo,condemnatus erat reus:sin antiquaretur,absoluebatur.

Erat autem omnium actionum cum populo commune principium: VELITIS IVBEATIS QVIRITES,quemadmodum ex Cicerone,& Liuio intelligi potest. Ex qua dicendi formula nomen ortum est rogationis,omnibus actionibus cum populo commune.

His peractis, iubebat Magistratus populum in suas Centurias discedere, ad suffragium ferendum: idque populus ita faciebat: nisi hic obnuntiatum esset, aut ab aliquo magistratu intercessum.

Intercedebant inter se, Consules, Prætores, & Tribuni, vnde in legibus Ciceronis scribitur: Par, maiórve potestas plus valeto. Qua lege significatur, parendum esse intercessioni paris aut maioris potestatis.

De suffragiis iam dicendum, quo ordine centuriæ ea tulerint. Non enim omnibus temporibus eadem obseruata ratio. De primis temporibus Dionysius libro 4. in historia Ser. Tullij Regis sic scribit: Quando Tullius Magistratus creare, aut de lege cognoscere, aut bellum inferre volebat, pro Curiatis, Centuriata indicebat Comitia. Primæ ad suffragia vocabantur maximi census Centuriæ, XIIX equitum, XXC. peditum. Hæ, quia tribus Centuriis plures erant, quàm reliquæ, si consentirent, vincebant, & definiebatur sententia. Sin minus, XXII. Centuriæ secundæ classis inibant suffragia. Quod si ne tum quidem conuenirent calculi, tertia classis vocabatur, ac deinceps quarta: idque tamdiu fiebat, donec nonaginta septem Centuriarum consentirent suffragia. Id, si ne post quintam quidem vocationem contingeret, centum nonaginta duabus Centuriis pari vtrinque numero diuisis in duas sententias, tum demùm vocabatur vltima inopum Centuria, immunis à tributis, atque militia, & vtricunque parti accederet, eam reddebat potiorem altera: quod perrarum erat, & penè impossibile. Plerumque enim prima vocatione absoluebantur Comitia, rarò ad quartam perueniebatur: quinta & sexta erant superuacaneæ, &c. Hæc eo loco docet Dionysius. Sequentibus autem temporibus, & quidem libera ciuitate, mutata illa ratio fuit. Non enim centuriæ equitum primam sententiam ferebant, sed omnes Centuriæ in sortem coniiciebantur, & quæ prima educebatur, prima suffragium dicebat, & prærogatiua appellabatur: deinde reliquæ vocabantur, quæ dicebantur Irreuocatæ. Post expletas verò tribus trigintaquinque, cum Centuriæ ac classes Tribuum partes essent, vti ex Liuio Sigonius & Grucchius colligunt, tum primùm vniuersus populus in Tribus trigintaquinque distribuebatur, & duplex sortitio fiebat, prima inter Tribus, quæ primùm sorte exibat, centuria prærogatiua Tribus dicebatur: altera sortitio fiebat inter Centurias Prærogatiuæ tribus: quæque primum exibat, Centuria Prærogatiua dicebatur, ac prima suffragium ferebat, postquàm primæ classis Centuriæ, tum secundæ, suo quæque ordine ad suffragium ferendum vocabantur, quæ iureuocatæ appellabantur, atque plerumque, imò semper prærogatiuæ sententiam (tantùm eius omen erat) sequebatur. Et hæc causa, cur in Centuriatis Comitiis non tantùm Prærogatiuæ Centuriæ, verùm etiam Tribus mentio fiat.

Sed neque hoc prætereundum est, cum primis liberæ Reipublicæ temporibus, bina de Magistratibus maioribus Comitia haberentur, Centuriata & Curiata, quemadmodum supra ex Sigonio docuimus, obsoletis postea curiatis Comitiis factum est, vt Prærogatiuæ & Iureuocatorum suffragia pro binis Comitiis haberentur. Docet hoc Asconius in 2. Verrina, cum sic scribit: Prærogatiuæ tribus sunt, quæ primæ suffragium ferunt ante iure vocatas. Mos enim fuerat, quò faciliùs in Comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem Candidatis Comitia fieri, quorum tribus Prærogatiuæ dicebantur, quod primò rogarentur, quos vellent Consules fieri: secunda Iureuocatæ quod in iis, sequente populo, vt sæpè contingit, Prærogatiuam voluntatem, iure omnia complerentur: Hactenus Asconius. Ad suffragia redeo. Ante leges tabellarias latas, populus voce suffragium ferebat: at postea cæpit tabella suffragium ferre. Ac voce quidem cum dicebatur suffragium, erant in singulis centuriis rogatores, qui singulorum rogabant sententias, quas palam singuli proferebant. In quam autem partem plures eiusdem Centuriæ homines inclinassent, eius totius Centuriæ sententia censebatur: quam deinde rogator per Præconem nunciari iubebat. Quod si Magistratuum Comitia essent, rogabantur singuli, quem vellent Magistratum esse, & tum nominatim singuli appellabant, quem vellent Magistratum creari. Idem in Comitiis Regis sacrorum fiebat. Sin legum Comitia essent, cum populus legem accipere vellet, solebat vti his verbis solemnibus, ac velut conceptis, VTI ROGAS: quibus significabat, se velle hoc ita fieri, quemadmodum legis rogator fieri vellet. Cùm verò legem accipere nollet, vtebatur solemni verbo, ANTIQVO: quo significabat se, quod rogaretur, antiquare: hoc est ne omnino fieret vetare.

Iisdem vocibus etiam vtebantur in Comitiis iudiciorum. Nam & ea per legem his Comitiis exercebantur: quam si populus antiquasset, absolutus erat reus, sin verò iussisset, tum erat damnatus. Postquam autem tabella populo data est, oportuit eam munere vocis fungi. Ac in Comitiis quidem Magistratuum oportuit tabellis nomina Candidatorum inscribi, vt daretur iis per tabellam Magistratus, sicuti priùs voce creabantur. Tot autem tabellæ vnicui-

vnicuique de populo dabantur, quot essent Candidati, quorum rationem haberi oportere iudicatum esset. Et breuitatis causa in tabellis non integra Candidatorum nomina scribebantur, sed primæ tantum literæ nominis cuiusque, id quod ex Ciceronis Oratione pro Domo intelligitur.

In Comitiis legum duæ dabantur tabellæ, vna in qua scriptum erat, VTI ROGAS, duobus tantum primis elementis, V. R. Altera in qua scriptum erat, ANTIQVO, vna etiam litera A. In Comitiis iudiciorum eædem tabulæ dabantur, vna notata litera A, quæ significat ANTIQVO, altera notata literis V. R. id est, VTI ROGAS.

Illę autem tabellæ non domo afferebantur à populo, sed erant, qui eas ministrarent populo suffragium inituro, qui Diribitores appellabantur, idque hoc ordine fiebat.

Sortitione inter Tribus & Centurias de prærogatiua facta, Magistratus in Tribunali, quod erat in campo Martio, sedens, per præconem vocabat Prærogatiuam centuriam ad suffragium. Centuria igitur illa de eo loco in quo consistebat, discedebat in septum quoddam prope tribunal, quod alio nomine etiam Ouile dicebatur, & erat locus in Campo Martio cancellis conclusus, in quo erant, qui suffragium dicebant, & quò aliis interim ingredi non licebat. In illud igitur Ouile, seu septum Centuria discessura ibat per pontes, qui erant angustæ viæ, per quas populus in Ouile discedebat. In pōtis initio stabant Diribitores, qui tabellas singulis ministrabant. Ingredientibus in Ouile Rogatores cistam proponebāt, in quam coniicerent eam, quam vellent, tabulam. Postquam autem totius Centuriæ tabellæ collectæ erant, tum educendis suffragiis adhibebantur Custodes. Eorum munus erat describere suffragia, vt ea Centuriæ sententia renunciaretur, in quam plures inclinasse conspiceretur. Hoc autem erat describere suffragia, tot puncta in tabella notare, quod tabellæ similes reperirentur: vt inito tandem numero, ea Centuriæ sententia renunciaretur, quæ plures habere similes tabellas ex numero punctorum perspiceretur. In legibus quidem ferendis, si plures reperirentur tabellæ, in quibus scriptum esset, V. R. pauciores in quibus scriptum esset, A. ab ea Centuria legem iuberi renunciabatur. Contra vero legem Centuria non accipere pronunciabatur, si plures scriptum haberent, A. At si forte pares numero tabellæ in vtramque partem reperirentur, eius Centuriæ nulla renunciabatur sententia, nisi lex esset, quæ de perduellione ferretur. In fauorem enim reorum absoluisse censebatur Centuria quæ non condemnarat. Itaque si pares essent reliquæ Centuriæ accipientium legem, & vetantium, hac accessione ad vetantes Centurias legem antiquabat: adeo, vt reus absolueretur. Quod præter alios Dionysius libro 7. testatur, cum scribit, lege cautum fuisse, vt æqualitate suffragiorum reus absolutus iudicaretur.

In Magistratuum vero creatione numerus inibatur tabellarum, quæ idem nomen continerent. Cuius enim Candidati nomen plures tabellæ comperiebantur continere, is ab ea Centuria Consul Prætor, Censórve factus renunciabatur. Sin paria suffragia tulisse omnes Candidati reperirentur, nullus renunciabatur, expectandáque erant reliquarum centuriarum suffragia.

Quod de Magistratuum Comitiis Centuria dixi, idem de Comitiis Regis sacrorum intelligi debet. Hic enim pro Candidatis erant duo, trésve, quos inaugurasset Pontifex Maximus, ex iis postea populus suffragiis suis crearet, quem vellet esse Regem sacrorum, vti ex Liuij li. 40. colligitur.

Postquam Prærogatiuæ Centuriæ suffragium renunciatum esset, tum ea ex Ouili discedebat, & prima Equitum Centuria, post singulæ Centuriæ primæ classis ordine ad suffragium ferendum vocabantur eo modo, quo de Prærogatiua diximus. Vbi omnes Primæ classis Centuriæ suffragium tulissent, tum ea iterum numerabantur. Et in legum Comitiis, si illæ omnes cum Prærogatiua consensissent, aut legem iussissent, aut vetuissent, lex præferebatur, neque opus erat reliquarum classium Centurias ad suffragium vocare, cum prima classis reliquas omnes numero Centuriarum vinceret. Si vero non omnes primæ classis centuriæ cum Prærogatiua consentirent, sed aliquæ tantum, & quidem maior pars: tum secundæ classis Centuriæ ordine introuocabantur, donec appareret, tot iam centurias vel iussisse, vel antiquasse legem, vt numero reliquas omnes vincerent. Idem etiam in Magistratuum comitiis obseruabatur, hac ratione. Si primæ classis centuriæ cum Prærogatiua de vno aliquo candidato consensissent, reliquorum autem candidatorum suffragia paria essent, vnus ille, qui omnium suffragia habebat, Consul, siue Prætor, siue Censor, renunciabatur: de reliquis candidatis secundæ classis centuriæ interdum etiam tertiæ, quartæ, quintæ, &c. vocabantur, donec aliquis, vel aliqui reliquos numero suffragiorum vincerent, & sic prius renunciatis collegæ addi possent. Quod si nec reliquæ centuriæ inter se conuenirent, sed paria de singulis candidatis suffragia manerent, quod interdum factum fuisse legimus: tum denumeratis omnibus suffragiis, vnus tantum Consul qui renunciatus erat, sequenti die de subrogandis sibi vel

Prætoribus,vel collegiis comitia habebat. Quod etiam fiebat,si vno Consule,item vno, vel pluribus Prætoribus renunciatis, antequam ex reliquo candidatorum numero, alter quoque Consul,vel alii Prætores renunciati essent, aliquid de cælo accidisset,cuius interuentu comitia dirimebantur. Tum etiam ille Consul vel Prætores illi iam renunciati non quidem reddebantur vitiosi,sed tamen collegæ illorum,eo die creari non poterant,verum postero die.

Diuersum erat in comitiis Censorum,in quibus, si creato vno censore tempestas comitia dirimeret,tum etiam is,qui creatus iam censor erat,vitiosus censebatur.

Erat & hæc vna dirimendorum Comitiorum ratio, si quis Magistratus maior vexillum illud seu signum militare,quod principio comitiorum in Ianiculo erigebatur, inde detraheret, & exercitum abduceret. Tum enim nihil amplius decerni poterat:sed concio soluebatur, vt habet Dio lib.3. Restant ea,quæ post dicta suffragia fieri solebant.

In legum comitiis Magistratus post dinumerata suffragia legem aut acceptam aut antiquatam pronunciabat,populúmque admittebat. In Magistratuum vero comitiis solebat is,qui comitia habebat, priusquam populum dimitteret, eos renunciare, quos iam sæpe à Præconibus pronunciatos populus creâsset,adiecta solenni precatione,id quod ex Cic. Oratione pro Murena constat,qui etiam solemnia quasi verba precationis recitat: Quæ precatus sum, inquit,à Diis immortalibus, Iudices,more institutoque maiorum illo die, quo auspicato à comitiis centuriatis L. Murænam Consulem renunciaui:vt ea res mihi Magistratuique meo,populo plebique Romanæ bene, ac feliciter eueniret, &c. illud quoque ex eodem Cic. confirmare possumus, eos,qui consules designati essent, domum de campo deduci solitos à magna multitudine populi,ac præsertim propinquorum & necessariorum. Verba Ciceronis Orat.2.in Verrem,sunt hæc: Nam vt Hortensius Consul designatus reducebatur e campo cum maxima frequentia & multitudine. Et paulò pòst: Propinquis,necessariisque eius qui tum aderant,verbum nullum facit. Atque de comitiis centuriatis hactenus:dicemus nunc de Tributis.

CAPVT XV.

Quid sint Tributa Comitia,& quod,quotque Tribus.

TRIBVTA comitia fuerunt vt docet apud Agellium Messala libro 15. capit. 27. cum ex regionibus & locis, hoc est per Tribus suffragium ferebatur. Quod vt intelligatur, de Tribubus, vnde hæc comitia nomen acceperunt, quædam dicenda sunt. Triplici modo vocabulum Tribus vsurpatur, aut pro loco, aut pro hominibus, aut pro iure: Quando pro loco ponitur, tum partem quandam vrbis Romæ significat;quando verò pro hominibus,tum partem quandam ciuitatis Romanæ, vel ciuium,notat:pro iure acceptum ius alicuius partis vrbis,vel ciuitatis designat. Erant igitur Tribus populi Rom.partes distinctæ locis in Vrbe diuersis, & regionibus vndique circum Vrbem per Italiam dispersis sic appellatæ, quemadmodum Asconius Pædianus in actionem 3.in Verrem,& alii docent, aut à tributo dando,aut quia primò tres tantum fuerunt,vnde etiam Tribuni dicti. Earum primus auctor fuit Romulus:qua de re Dionysij libro secundo verba,omissis reliquorum scriptorum testimoniis,adscribam: In tres, inquit, partes diuisa vniuersa multitudine,singulis præclarum aliquem virum, ducem præposuit: deinde vnamquamque rursum in decem partitus totidem fortissimos viros eis præfecit. Has curias,illas Tribus vocare voluit,sicut vocantur & hodie. Hæc ille. Quem quidem sequuntur plerique alij Romanarum rerum scriptores,excepto Varrone, Plutarcho,& Liuio lib.1.quorum hic eas tres populi pares non Tribus, sed Equitum centurias vocat (alibi tamen etiam Tribus eas appellat) & primum Tribuum auctorem Seruium Tullium facit: illi vero Romulum quidem Tribuum,sicut & curiarum auctorem faciunt,sed post Sabinum confectum bellum:cum Dionysius contrà Romulum ante omne bellum à se gestum populum in Trib. & curias distribuisse scribat:quorum tamen diuersas sententias ita concil are facile possumus,si dicamus,Romulum quidem initio statim ante Sabinorum bellum populum in tres partes,seu Tribus descripsisse, secundum Dionysium,quas partes Liuius non Tribus,sed centurias Equitum dicat:non quod Tribus illas fuisse neget, sed quod ex singulis illis Tribubus centum Equites,siue singulæ Equitum centuriæ ab eodem sint descriptæ: eisque tribus partibus, secundum Plutarchi, Varronis,& aliorum sententiam, post confectum tandem Sabinum bellum, & Tit. Tatium in vrbem & regni societatem receptum,nomina ea quæ iam habemus, esse imposita. Fuerunt autem

rem earum Tribuum nomina hæc:Ramnensis, Titiensis, & Luceres. Ramnensis dicta fuit à Romulo, primo Vrbis conditore: Titiensis à Tito Tatio Sabinorum Rege, qui à Romulo prælio victus ab eo…em in vrbem Romam & Imperij societatem receptus fuit: Luceres vel à Lucumone, vel à Lucretino, vt quidam volunt, vel à luco Asylij, in quem multi fuga delati, ciuitatéque donati fuerunt, quæ posterior sententia Plutarchi in Romulo, & Pædiani in Actionem 2. in Verrem, verisimilior esse videtur. Ramnenses igitur fuerunt, qui cum Romulo primo Vrbem condiderunt, pastores scilicet Albani, & aliquot Græcanici generis, qui ante Vrbem conditam ea loca tenuerunt: atque hi omnes habitarunt Palatinum & Cælium montes. Tatienses fuerunt Sabini, & quotquot ab ea regione vel cum T. Tatio, vel postea venerunt, hi coluerunt Capitolium & Quirinalem: cæteri aduentitij, vt Etrusci, Ardeates, Latini, & perfugæ omnes, qui ad Asylum confugerant, Luceres dicti sunt, & tenuere loca inter Palatium & Capitolium plana, atque Circum Forum. Permanseruntque hæ Tribus vsque ad Tarquinij Prisci tempora. Nam cum sub Tullo Hostilio Albani victi in Ramnensium Tribum adscripti, cęteriq; omnes populi, qui sub Regibus Romam ad habitandum venerant, pręter Sabinos, Lucerum Tribui inclusi fuissent, Vrbéq; multùm aucta, hæ tres Tribus non sufficerent, L. Tarquinius Priscus numerum Tribuum augere, & de se aliis amicis nominare volens, cùm ne id faceret, ab Augure Nauio prohiberetur, veteres illas sub iisdem, quibus inauguratæ à Romulo erant, nominibus duplicauit, primósq; & secundos Tatienses, Ramnienses, & Luceres constituit: quod, vt alia omittam, ex Sext. Pompeio manifestum est, cùm scribit: Sex Vestæ Sacerdotes constitutæ erant, vt populus pro sua quoque parte haberet ministram sacrorum. Quia ciuitas Romana in sex erat distributa partes, in primos, secundósque Tatienses, Ramnenses, & Luceres. Eodem autem modo centurias etiam Equitum Tarquinium duplicasse tradunt. Dionysius & Liuius.

Tarquinio Prisco insidiis filiorum Anci Martij è viuis sublato, Seruius Tullius VI. Rom. Rex, aliam Tribuum diuisionem instituit, de qua quidem nonnihil discrepant inter se scriptores veteres. Dionys. li. 4. sic scribit: Cæterùm Tullius postquam septem colles vno muro complexus Vrbem in quatuor partes diuisit, à collibus cognominatas, Palatinam, Suburanam, Collinam, Esquilinam, & quatuor Tribus esse fecit, quæ ad id temporis tres fuerant, suosq; cuiq; Tribules adscripsit, diuisa habituros munia nec mutaturos domicilium: ita, vt in quaque seorsim delectus militum, & collationes Tributorum fierent, nec iam iuxta illas generales Tribus, vt antea, sed iuxta has quatuor, per locos à se digestas, vel locales, ordinabat militiam, Tribunis in singulos præpositis, &c. Hactenus ille. Quæ quidem confirmantur etiam à Liuio, qui tamen nomina Tribuum non addit. Quod verò sequitur in Dionysio: Diuisit & vniuersum agrum, vt Fabius auctor est, in partes vigintisex, quas ipse Tribus nominat, ita vt triginta fiant, vrbanis quatuor ad has additis. Cato certè eas tot fuisse dicit, iam cum regnante Tullio. Ego libentius accesserim Venonio, qui triginta & vnam Tribus numerat, tacito agri partium numero, &c. repugnat cum iis quæ in historia anni CCLIIX. à Liuio dicuntur, tum primũ viginti & vnam (sic. n. legendum esse Sigonius in Scholiis Liuianis monet, non quemadmodum vulgati libri habent, triginta & vnam Tribus factas. Carolus Sigonius li. 3. de Antiq. iur. ciu. Rom. c. 3. ita hæc explicat, vt dicat Seru. Tullium aucta mirum in modum aduentitia multitudine, quã in tertiam Tribum Lucerum scilicet Romulus coniecerat, aucta etiam Vrbe, quam ampliorem fecerat, inclusis pomerio duobus collibus, Viminali & Esquilino, totam vrbanam multitudinem in quatuor partes, secundum loca habitationum, distribuisse, quas à tributo Tribus appellarit, neglectis illis tribus Tribubus generalibus à Romulo institutis, iisque nomina à locis vbi habitarunt, indidisse, Suburanam, Palatinam, Esquilinam & Collinam, easque vrbanas Tribus nominasse. Postea eundem vniuersam rusticam multitudinem in quindecim Tribus diuisisse, quarũ nomina fuerint Romulia, Læmonia, Pupinia, Galeria, Pollia, Voltinia, Æmilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, Veturia, & illa, quæ post dicta est Claudia. Imposuisse autem Seruium illis omnibus nomina à locis, vt testatur Varro: verum vindicata post in libertatem ciuitate, multas earum veteri relicto nomine, illustrium aliquot familiarum sibi nomina asciuisse: hunc numerum ad annũ vsque CCXLIIX. mansisse, quo anno additis duab. ad XIX. viginti & vna Tribus factas. Atque has duas tribus, quæ prioribus XIX fuerunt additæ, quarúmque nomina à Liuio non sunt express…, fuisse putat Crustuminam, siue Clustuminam, & Veientinam. Dionysius certe de iudicio C. Martij Coriolani, quod incidit in annum Vrbis CXLII. verba faciens, viginti & vnam Tribus tum fuiss… scribit. Sigonium sequitur Onuphrius li. 2. Commentariorum Reip. Rom. nisi quod XXI à Seruio institutas, quam postea anno CCCLIIX. completas fuisse affirmare malit. Quę Alex. Neapolitanus li. 1. Genial. dier. c. 17. & Ioach. Petronius li. 2. de Magistr. Rom. & Græc. de Tribubus scripserunt, valde impedita & confusa sunt. Dederunt autem iis errandi causam deprauati Liuianæ historiæ codices

sed ad Tribus reuertamur. Hactenus igitur XII. fuerunt. Anno verò CCCLXVI. rex nouis ciuibus quatuor Tribus additæ, Stellatina, Tromentina (in vulgatis exemplaribus mendosè habetur Pomatina apud Florum Prometina) Sabbatina Arniensis, XXV. numerum expleuere. Sic enim potius apud Liuium li. 6. legendum, quàm XXXV. vt vulgati libri habent. Rursus anno CCCXCV. teste eodem Liuio li. 7. duæ Tribus additæ, Pomptina & Publilia: anno postea CCCCXXI. à Censoribus Publ. Philone & Sp. Posthumio duæ tribus propter nouos ciues censos additæ, Mætia & Scaptia. Duæ etiam tribus, Vfentina, ac Falerina, anno CCCCXXXV. & anno CCCCLIV. à Cēsoribus P. Sempronio Sopho, & P. Sulpitio Auerriore rursus duæ Tribus, Aniensis & Tarentina. Tandem anno DXII. duæ Tribus additæ, Velina, & Quirina XXXV. numerum expleuerunt: qui numerus integer vsque ad extrema reipublicæ tempora penetrauit. Florus Epitoma libri 19. Hæ tribus omnes diuisæ fuerunt in vrbanas & rusticas. Fuit autem hoc inter eas discrimen, vt primis quidem temporibus, vrbanis Tribubus ij, qui vrbem, rusticis autem ij qui rus haberent, comprehenderentur. Quod ex verbis Dionysij, quæ supra recitata sunt, manifestum est. Inde enim cognoscitur, tempore Seruii Tullij vrbanas Tribus fuisse eorum, qui vrbem: rusticas illorum qui rura. & quidem colendi causa haberent: ita, vt Tribus nihil aliud, quàm pars aliqua vrbis vel agri Romani esset, eáque habitationem sequeretur, & mutata habitatione, mutaretur, quíque in agris, iidem in aliqua Tribu essent: siquidem tot ferè rusticæ Tribus, quot agri partes numerentur. Et hæc quidem prima ratio fuit Tribuum, quæ tamen postea mutata est. Posterioribus. n. temporibus hoc discrimen inter vrbanas & rusticas Tribus fuit, vt rusticæ vrbanis longè præferrentur, & ita optimus & præstantissimus quisque in rusticis Tribubus, relictis vrbanis, censeri vellet: ac tum Tribus non vrbis, sed ciuitatis partes haberentur. Cuius mutationis causas duas fuisse Sigonius refert: vitæ nimirum rusticæ commendationē, & Censoriam potestatem vel notationem. De priori scribit Varro li. 2. de Re rustica, initio: Viri magni maiores nostri non sine causa præponebant rusticos Romanos vrbanis. Vt ruri enim, qui in villa viuunt, ignauiores, quàm qui in agro versantur, in aliquo opere faciundo: sic qui in oppido sederent, quàm qui rura colerent desidiosiores putabant. Et Plin. lib. 18. c. 3. commendans vitam rusticam: Iam distinctio, inquit, honósque ciuitatis ipsius non aliunde erat. Rusticæ Tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent: Vrbanæ verò in quas transferri ignominiæ esset, desidiæ, probro. Itaque quatuor solæ à partibus vrbis in quies habitabant, Suburana, Palatina, Collina, Esquilina. Nundinis vrbem reuisitabant, & ideò comitia nundinis haberi non licebat, ne plebis rustica auocaretur. Hæc ille. Ex quibus etiam altera causa, videlicet Censoria potestas, vel notatio intelligi potest, de qua etiam Liuius li. 8. scribit Ap. Claudius Censor humilibus per omnes Tribus diuisis, forum & campum corrupit. Et ex eo tempore in duas partes discessit ciuitas, aliud integer populus, fautor & cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat, donec Q. Fabius & P. Decius Censores facti. Et Fabius simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu essent Comitia, omnem forensem turbam excretam in quatuor Tribus coniecit, vrbanásque eas appellauit. Hæc Liuius, vt alia omittam. Factum est anno ab V. C. CDXLIX. Coss. P. Sulpitio Auerrione, P. Sempronio Sopho. Atque hæc in genere de Tribuum origine, numero & discrimine dicta sint. Iam quod restat, ordine de singulis pauca subiiciamus: vnde nomen acceperint, & vbi earum fiat mentio. Ac primum de quatuor Vrbanis

Tribus I. Suburana.

Hæc prima inter vrbanas recensetur à Varr. li. 4. de ling. Lat. Dionys. lib. 4. Liu. lib. 1. Plin. ac aliis. Dicta autem est Suburana, teste Varrone, quod sub muro terreo carinarum esset, vel, quemadmodum idem ex Iunio affert, ab eo, quod fuerit sub antiqua vrbe. Cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego, inquit, à pago potius Sucusano dictam pro Sucusam. Nunc scribitur tertia litera B, non C. Pagus Sucusanus, quod succurrit carineis. Sex. Pompeius sic de ea scribit. Suburam Verrius alio libro à pago Sucusano dictam ait. Hoc verò maximè probat eorum auctoritate, qui aiunt, ita appellatam & regionem vrbis, & Tribum à statiuo præsidio, quod solitum sit succurrere Esquiliis infestantibus eā partem vrbis Gabinis, indicióque esse, quod adhuc ea Tribus per C. literam, & non per B. scribatur. Hæc Cœlium montem, & circum adiacentia loca complectebatur. Paul. Manutius in Scholiis in 8. lib. epist. Cic. ad familiareis. existimat de ea Ciceronem locutum fuisse in Orat. 2. Agraria, vbi tamen in vulgatis legatur Ogulculana, in libris autem quinque antiquis: abusuranam, pro quo ipse legendum putat Suburana.

Tribus II. Esquilina.

Tribus Esquilina dicta est ab Esquiliis, Esquiliæ autem, vt Varro libr. 4. de lingua Lat. testis est,

est,secundum quosdam ab excubiis regiis, secundum alios, quod excultæ à Rege Tullio essent, sic dictæ sunt: sed de iis supra, vbi de Monte Esquilino sermo fuit, plura attulimus. Meminerunt huius Tribus iidem, qui Suburanæ, Dionysius, Liuius, Varro, Plinius & Festus.

Tribus III. Collina.

Collina Tribus dicta est, vt scribit Varro li.4. de ling. Lat. à collibus, Quirinali, & Viminali, in quibus sita erat. Meminit eius præter superiores etiam Iosephus lib. 14. cap. 17. his verbis. L. Coponius, L. F. Collina.

Tribus IV. Palatina.

Denominata hæc tribus est, secundum Varronem li.4. de ling. Lat. à Palatino monte, quem cum Foro & Capitolio obtinebat. Meminerunt eius omnes ij, qui superiorum, & præter eos Cicero Orat. 4. in Verrem: C. Claudius, C. F. Palatina, & ad eum locum Asconius: alibi ait, L. Claudium Palatina. Reperitur eius mentio etiam in plurimis antiquis marmoribus, in quibus hisce fere literis notatur, PAL. PALAT. PALATIN. PALATINA, & PALATEINA. Inscriptiones illas qui cognoscere voluerit, videat Onuphr. Panuinium 2. Comment. de Republ. Rom. qui singularum Tribuum testimonia ex inscriptionibus adduxit. Atque hæ sunt IV. Tribus vrbanæ, sequuntur rusticæ.

Tribus V. Romilia.

Sequuntur rusticæ Tribus: inter quas primum locum obtinet Romilia, quæ sic dicta est, quod sub Roma sit, teste Varrone. Sext. Pompeius sic eius meminit: Romilia Tribus dicta, quod ex eo agro censebatur, quem Romulus ex Veientibus ceperat. Ex quo loco Onuphr. lib. 2. Comm. Reipubl. Rom. colligit hanc Tribum eam agri Romani partem obtinuisse, quę in Tuscia prope vrbis mœnia inchoans, secundum flumen, vsque ad maris ostia trans Tiberim extendebatur. Meminit eius etiam Cic. Orat. 2. Agraria: item 2. in Verrem: Fortem virum ex eadem familia, Qu. Verrem. Romilia. Ad quem locum annotat Asconius: Romilia, nomen est Tribus, ablatiui casus, vt sit ex Romilia.

Tribus VI. Lemonia.

Sex. Pomp. Festus: Lemonia Tribus à pago Lemonio appellata est, qui est à porta Capena, via Latina. Cic. eius meminit Phil. 9. Ser. Sulpitius Qu. F. Lemonia Rufus: & in Orat. pro Plancio: Quid cum Lemonia?

Tribus VII. Pupinia.

Tribus Pupinia, scribit Sext. Pompeius, dicta ab agro Pupinio, qui in Latio cis Tiberim ad mare vergens, haud longe ab Vrbe erat, vt videre est apud Liuium li. 26. Meminerunt eius Cælius epist. ad Ciceronem: C. Lucretius C. F. Pup. Iur. & Cic. ad Q. Fratr. CN. Nerius Pupinia. Valerius etiam Maximus li. 4. c. 4. his verbis: Illi etiam prædiuites, qui ab aratro accersebantur, vt Consules fierent, voluptatis causa sterile, atque æstuosissimum Pupinæ solum versabant. Et paulò post Atilius Consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse.

Tribus VIII. Galeria.

Vnde Galeria dicta sit, ex veteribus scriptoribus non liquet. Carolus Sigonius lib. 1. de Antiquo iure ciuium Rom. c. 3. opinatur, eam etiam à loco aliquo nobis iam incognito hoc nominis accepisse, quemadmodum reliquæ Tribus omnes à Seruio institutæ. Sigonium sequitur Onuphrius li. 2. Comm. Reip. Rom. qui etiam addit, posse videri eam à flumine Thusciæ Galeso, cuius Virgilius meminit, Galesam post Galeriam dictam. Memoria eius extat apud Liuium lib. 27. Galeria iuniorum quæ sorte prærogatiua erat, Q. Fuluium, & Q. Fabium Coss. dixerat. Plin. lib. 7. c. 48 M. Mucium, M. F. Galeria Felicem commemorat.

Tribus IX. Pollia.

Etiam hanc Tribuum à loco aliquo, cuius nomen & memoria interciderit, nomen accepisse Sigonius & Onuphrius putant. Meminit eius Liuius lib. 8. Tribus omnes, præter Polliam, antiquarunt legem in Tusculanos latam. Et libro 39 Cum ad Tribum Polliam ventum est, in qua M. Liuij nomen erat, & Præco cunctaretur citare ipsum Censorem, Cita, inquit Nero, M. Liuium. Meminit vtriusque rei, & Tribus Polliæ etiam Val. Maximus libro 1. cap. 4. & lib. 9. cap. 10.

Tribus X. Voltinia.

Hæc Tribus, quemadmodum præcedentes, à loco nobis modo incognito, secundùm Sigonium & Onuphrium, nomen habet. Mentionem eius fecit Cicero Oratione pro Plancio, cùm ait: Quas Tribus edidisti? Terentinam credo, aut Voltiniam. Et paulo post: Voltinia Tribus ab hoc corrupta. Terentinam habuerat venalem; quid diceret apud Vol-

tinienses, aut tribules suos iudices? Et alibi: Plures te testes habere de Voltinia, quam quot in ea Tribu puncta tuleris.

Tribus XI. *Claudia.*

Diximus ante ex Varrone, Tribus à Seruio Tullio rege institutas omnes à locis nomina habuisse: cui rei etiam testimonium præbent illæ Tribus de quibus hactenus egimus. Vindicata verò in libertatem ciuitate, multæ earum vetere relicto nomine illustrium aliquot familiarum sibi nomina adsciuerunt. Atque hinc fit, vt plurimùm antiquæ appellationes ignorentur, noua tantùm à familiis ipsis indita nomina apud scriptores reperiantur. Id quod de Tribu Claudia, & aliis, quæ sequentur, sentiendum est. Fuit enim vetus Tribus à Seruio Tullio instituta, in quam cùm Actius Clausus, cui postea Appio Claudio fuit Romæ nomen, cum clientibus suis Regillo profusus, & ciuitate donatus, scriptus esset, Tribui illi, de sua appellatione nomen dedit, testibus Liuio lib 2. & Halicarnassæo lib. 5. Meminerunt etiam huius Tribus Virgil. 7. Æneid. & Pædianus ad Orationem Ciceronis pro Scauro.

Tribus XII. *Æmilia.*

Claudiæ exemplum multæ aliæ Tribus secutæ, antiquis nominibus quæ à locis acceperant, dimissis, nobilissimarum gentium, quæ in singulas sese transtulerant, nomina acceperunt, vt Æmilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, & Veturia. Quod tum fuisse factū verisimile est cum forensi turba, in vrbanas Tribus coniecta, viles eæ haberi inciperent, & illustres familiæ in rusticas nomina darent, seq; in eas transferendas curarent, in quibus agros suos haberent. Primùm autem in vrbanas Tribus illustriores familias relatas fuisse, ex Liuio, Dionysio, & aliis manifestum est. Æmilia igitur Tribus à familia vel gente potiùs Æmilia, quam celeberrimam Romæ fuisse tum ex omnibus rerum Romanarum scriptoribus, tum ex generosi viri Richardi Streinij Baronis Austrj libro de Familiis & Gentibus Romanorum cognoscitur, nomen hoc sortita est. Meminerunt eius Liuius lib. 38. Rogatio perlata est, vt Æmilia Tribu Formiani ac Fundani, in Cornelij Arpinates ferrent: & Cicero in epist. ad Atticum.

Tribus XIII. *Cornelia.*

Fuit & hæc antiqua Tribus à Seruio Tullio instituta, quæ veteri nomine dimisso, Cornelia postea appellata fuit, à gente Cornelia omnium nobilissima atq; amplissima, quemadmodum legenti veterum scripta, & Richardi Streinij de Gentibus & Familiis Romanorum librum, clarum fit. Meminit eius Liuius eodem loco, vbi Aemiliæ.

Tribus XIIII. *Fabia.*

Nomen obtinuit hæc Tribus à clarissima gente Fabia, quæ in eam relata fuit. Mentio eius extat apud Suetonium in Augusto: Fabianis & Scaptiensibus Tribulibus suis die Comitiorum singula millia numûm à se diuidebat. Item apud Horatium.

Hic multùm in Fabia valet, ille Velina.

Tribus XV. *Horatia.*

Quod nomen antiquitùs huic tribui fuerit, in tanto veterum auctorum defectu sciri non potest: dicta posteà fuit Horatia à nobili & clara gente Horatia. Quanquam autem nullum veteris scriptoris de hac Tribu testimonium extet: quia tamen in antiquis lapidum inscriptonibus eius mentio fit, Carolus Sigonius & Onuphrius coniectura ducti, eam inter primas illas a Seruio institutas retulerunt. Paulus Manutius eam nouies in lapidibus nominari scribit.

Tribus XVI. *Menenia.*

Hanc Tribum Meneniam potiùs, quàm Mentinam (vti apud Iosephum fortasse corruptè legitur) dictam fuisse Paulus Manutius & Onuphrius volunt, accedente præsertim inscriptione apud Feltriam, in qua expresse scriptum est: C. FIRMIO. C. F. MENEN. RVFINO, &c. Integrā illam inscriptionem habet Onuphrius. Habet autem nomen hoc à gente Menenia, quæ primis Reipublicæ temporibus Romæ floruit, testantibus id Liuio, Dionysio, Cassiodoro, & Richardi Streinij de Familiis & Gentibus Romanorum libro. Mentio huius Tribuis extat apud Flauium Iosephum Antiquitatum libr. 14. L. Manlius L. F. Menenia: vbi tamen (quemadmodum ante monui) in vulgatis exemplaribus legitur, Mentina. Meminit eius etiam Cic. libro 13. epist. ad familiares, epistola 9. ad M. Brutum. P. Rupilius C. F. Men.

Tribus XVII. *Papiria.*

A Gente Papiria, cuius Liuius, Dionysius, ac alij, & inter recentiores Richardus Streinius meminerunt, hæc Tribus nomen accepit. Sic enim Sextus Pompeius: Papiria Tribus à Papi-

à Papyrio vocata. De ea Liuius libro 8. Memoriáque eius iræ Tusculanis in pœnæ tam atrocis auctores mansisse ad Patrum ætatem constat, nec quenquam fermè ex Pollia Tribu candidatum Papyriam ferre solitum.

Tribus XVIII. Sergia.

Appellationem hæc tribus obtinuit à gente Sergia, de qua Richardus Streinius. Meminit eius Q. Asconius Pedianus in Orationem Ciceronis pro Cornelio: Sergio & Quirina damnauerunt. Et Frontibus libro 2. de Aquæductibus. Tribus Sergia principium fuit.

Tribus XIX. Veturia.

Veturia Tribus à gente Veturia, quæ priùs Vetusia dicta fuit, relicto veteri nomine, hanc appellationem accepit. Meminit eius Liuius libro 36. his verbis: Fuluius Romam comitiorum causa accersitus, cum comitia Consulibus rogandis haberet, Prærogatiua Veturia iuniorum declarauit Tit. Manlium Torquatum, & Tit. Octacilium, &c. Quo loco etiam Veturiæ Seniorum meminit. Atque hæ sunt nouemdecim illæ Tribus, in quas populum Romanum Seruium Tullium regem diuisisse, Carolus Sigonius libro primo de Antiquo iure ciuium Roman. cap. 3. scribit, quatuor vrbanæ, quindecim rusticæ. Considerabimus reliquas.

Tribus XX. Crustumina.

Liuins libro secundo in Historia anni CCLIIX. scribit eo anno Romæ viginti & vnam Tribus factas esse, quod etiam Florus in Epitome testatur, inquiens: Numerus Tribuum ampliatus est, vt essent viginti vna: sic enim legendum esse ea quæ in sequentibus libris de Tribubus scribuntur, coarguunt, cùm in vulgatis Liuii & Flori exemplaribus sit, triginta vna. Quæ verò nomina earum fuerint, non addunt. Carolus Sigonius coniectura ductus putat, esse Crustuminam & Veientinam, quem non sequimur. Onuphrio placet has duas addendas esse superioribus, & dicendum viginti & vnam ab ipso Seruio factas, nec hoc anno numerum Tribuum ampliatum, cùm eius rei mentionem Dionysius faciat. Quòd autem ad Crustuminam Tribum, quæ etiam Clustumina in antiquis lapidum inscriptionibus appellatur, dicta ea est à Thuscorum vrbe Clustumina, aliàs Crustumina, testante Pompeio Festo: meminit eius præter Festum Liuius lib. 42. in oratione Sp. Ligustini Trib. plebis ad populum: Sp. Ligustinus, Tribus Crustuminæ, ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Et Cicero oratione pro Planco, item pro Balbo: In Tribum Crustuminam peruenit I. Cornelius Balbus, Legis de ambitu prooemio.

Tribus XXI. Veientina.

Hanc, vt diximus, cum Crustumina anno CCLIIX. tribuum numero adscriptam esse, placet Sigonio. Dicta est Veientina, à Veiis, vel ab agri Veientini parte: Meminit eius Cicero pro Planco: Quid Plancio cum Lemonia? quid cum Veientina?

Tribus XXII. Stellatina.

Liuius libro 6. in historia anno CCCLXIV. Eo anno in ciuitatem accepti, qui Veientium Capenatúmque ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agérque iis nouis ciuibus adsignatus, ac paulò pòst in historia anni CCCLXVI. Tribus quatuor ex nouis ciuibus additæ, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis, eæque vigintiquinque Tribuum numerum expleuêre: quod idem etiam habet Florus in Epitome. Stellatina nomen à Stellate agro Thuscorum accepit. Sic enim Festus in fragmentis, quemadmodum legendum docet Antonius Augustinus Episcopus Ilerdensis: Stellatina tribus, non à Stellate campo eo, qui in Campania est, sed eo, qui est....miliario à porta Capena ex quo Thusci eum campum ita appellauerunt. Quæ posteriora Onuphrius libr. secundo Commentarior. de Republ. Rom. sic legit: Sed eo, qui in Etruria, regione Capena, qua Tusci profecti, eum Stellatem campum appellarunt.

Tribus XXIII. Tromentina.

Tromentina Tribus à campo Tromento dicta. Sext. Pompeius: Is campus in Thuscia fuit, ex quo, cùm aliquot Romam perfugissent, & ciuitate donati, inque quatuor tribus conlecti, agri populi Romani partem obtinuissent, vni earum Tromentinæ nomen posuerunt. Meminit eius Liuius libro 6. vbi Stellatinæ.

Tribus XXIV. Sabatina.

Etiam huius Liuius libro 6. meminit, quod anno CCCLXVI. cum præcedentibus duabus, & sequente Arniensi fuerit reliquis addita. Dicta est Sabatina, teste Pompeio, à lacu Sabate, quem Onuphrius libr. 2. Commentar. de Republ. Rom. dicit fuisse in Thuscia, & nostra ætate appellari Anguillatiam.

Tribus XXV. Arniensis.

Arniensis, quam alij in Narniensem transformarunt, dicta est ab Arno, Thusciæ amne

vt volunt Sigonius & Onuphrius. Meminit eius Liuius lib. 6. item 29. C. Claudius Nero Censor, ex tribu Arniensi, Valerius libr. 2. cap. 4. Cicero oratione in Rullum: à Suburana vsque in Arniensem, id est, vt Sigonius libr. 1. de antiquo iure ciuium Romanm. capite 3. interpretatur, à prima tribu ad vltimam. Habuerunt enim Tribum Arniensem pro vltima, non quòd vltimo loco, vel nouissimè fuerit addita, & trigintaquinque tribuum numerum expleuerit, sed quòd fuerit ab vrbe Roma omnium remotissima.

Tribus XXVI. Pomptina.

Hæc Tribus cum Popilla, in quas tum ij ciues, qui agrum Pomptinum sortiti erant, tum alii noui ciues, qui in dies ciuitate donabantur coniecti sunt anno CCCXV. addita est. Dicta autem est Pomptina, ab agro Pomptino, de quo multa Liuius libr. 7. Sextus Pompeius Festus Pontinam hanc tribum appellat, & ab vrbe Pometia sic dictam scribit, quæ vrbs fuit in Volscis prope Terracinas. Quanquam Carolus Sigonius apud Festum legat Pomptinam tribum dictam esse à Pometia vrbe. Meminit huius tribus præter Festum & Liuium libro 7. Cicero epist. ad Atticum: Tribus habet Pomptinam, Velinam & Mæciam, & Cælius ad Ciceronem lib. octauo epistol. ad famil. L. Vilius, T. F. Pom. Annalis: vbi per Pom. tribus Pomptina intelligenda est.

Tribus XXVII. Popillia.

Tribus hæc variè scribitur Popillia, Poplilia, Poblilia, & Publilia. Vnde nomen acceperit, dubitatur. Apud Festum quidem, vbi de ea loquitur, sic legendum docet Iosephus Scaliger: Popillia vna trigintaquinque Tribuum, tot enim fuerunt, dicta à Popillia felici nomine. A quo & Tribus Pinaria, à sororis eius nomine. Et addit Scaliger: Non dubium est, Festum ita scripsisse. Nam quid manifestius quam à Popillia fœmina dictam esse Tribum, cuius nomen auspicatissimum habebatur, ac bonæ scænæ, vt tunc loquebantur? Paulus Diaconus scribit: Popillia Tribus, à progenitrice traxit nomen. Carolus Sigonius dubitat, à locóne, an à viro dicatur. Onuphrius mauult à loco aliquo qui fortè in Volscis prope Pontinam fuerit, hoc nomen accepisse. Sed siue à loco, siue à familia, siue à Popillia fœmina hoc nomen habuit, Tribus certè fuit, cuius præter Liuium libro septimo, & Festum meminit Valerius Maximus lib. nono capite 10. his verbis: Quam ob causam Popillia Tribus, in qua plurimum posteà in ciuitatem recepti potuerunt, neminem vnquàm Candidatum Polliæ Tribus fecit Magistratum.

Tribus XXVIII. Mæcia.

Liuius libro 8. in historia anni CDXXI. eodem anno (scilicet à Cornelio II. & Cn. Domitio Coss.) census actus, nouique ciues (Lanuuini, Aricini, Nomentani, Pedani, qui paulò antè ciuitate donati fuerant) censi, Tribus propter eos additæ Mæcia, & Scaptia. Censores addiderunt Q. Publilius Philo, Sp. Posthumius. Dicta est Mæcia, vt docet Festus, à quodam castro Mæcio scilicet, quod non procul à Lanuuio fuit, teste Liuio lib. sexto. Meminerunt etiam huius Tribus, Cicero ad Atticum, & pro Plancio, Liuius libr. 29. & Valerius libro secundo cap. 4.

Tribus XXIX. Scaptia.

Nomen accepit hæc Tribus, vti Festus habet ab vrbe Scaptia, quam Plinius cum aliis in Latio numerat. Meminit eius Suetonius Tranquillus in Augusto: Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die Comitiorum singula millia nummûm à se diuidebat.

Tribus XXX. Vfentina.

Vfentina Tribus, quæ & Oufentina, crescente ob nouos ciues, qui indies in Vrbem recipiebantur, frequentia, cum Falerina anno CDXXXV. addita est, Liuio teste, à Censoribus L. Papirio Crasso, & C. Mænio. De ea sic scribit Festus: Oufentinæ Tribus initio causa fuit nomen fluminis Oufens, quod est in agro Priuernate, inter mare & Terracinam. Lucretius.

Priuerno Ofmina venit, fluuiusque Oufente.

Posteà deinde à Censoribus alii quoque diuersarum ciuitatum eidem Tribui sunt adscripti. Hactenus Festus.

Tribus XXXI. Falerina.

Falerina Tribus, quæ eodem anno, quo Oufentina adiecta reliquis est, ab agro Falerno in Campania, quemadmodum Sigonius & Onuphrius coniiciunt, nam ea parte etiam Oufentina fuit, nomen accepit. Meminit eius præter Liuium, Iosephus libr. 13. cap. 16. Antiquitatum his verbis: C. Sempronius C. F. Falerina.

Tribus XXXII. Aniensis.

Ob eam, ob quam superiores, causam, anno Vrbis CDLV. M. Fuluio, T. Manlio Coss. vti Liuius libro decimo docet, condito lustro à Censoribus P. Sempronio Sopho, & P. Sulpitio Sauerrione, Tribus additæ duæ, Aniensis, ac Terentina. Ex his Aniensis ab Aniene amne,

amne, qui in Sabinis fuit, dicta est. Meminit eius Cælius epistola ad Ciceronem lib. 8. epistol. ad familiares, L. Atteius L. F. An. Capito, & Cicero pro Plancio.

Tribus XXXIII. Terentina.

Huius Tribus, quæ cum Aniensi addita, & à Tarento, qui locus in campo Martio erat, nomen, vti putatur, accepit, meminit Cicero oratione pro Plancio: Quas Tribus edidisti? Terentinam, credo? Et paulò pòst: Prioribus comitiis Aniensem à Politio, Terentinem à Plancio tibi esse concessam. item, Altinas præfectura, ex qua Cn. Plancius fuit, ex tribu Terentina. Meminit etiam Cælius epistola ad Ciceronem libro 8. epistolarum ad familiares. M. Oppius M. F. Terentina.

Tribus XXXIV. Velina.

Hæc Tribus cum Quirina anno DXII. Coss. A. Manlio II. & Q. Lutatio, à Censoribus C. Aurelio Cotta, & N. Fabio Buteone addita trigintaquinque Tribuum numerum expleuit. Nomen habet à lacu Velino, qui in Sabinis fuit, non à Velia vrbe Lucaniæ. Meminit eius Cicero epist. ad Atticum: Tribus habet Pomptinam. Velinam, & Mæciam. Ac in Bruto: T. Annius Velina. Meminerunt eiusdem etiam Horatius lib. 1. epist. 6. & Persius Satyra 5.

Tribus XXXV. Quirina.

De Quirina Tribu sic scribit Sex. Pompeius Festus: Quirina tribus à Curensibus Sabinis videtur appellationem traxisse. Fit eius mentio à Cicerone, oratione pro Quinctio: L. Albius Sext. F. Quirina & ab Asconio in orationem pro Cælio: Duæ solæ Tribus, Sergia & Quirina damnauerunt. Cælius quoque ad Ciceronem: C. Septimij. T. F. Quirina, & Iosephus antiquitatum libr. 14. c. 17. Papyrij Quirina, meminerunt.

Atque hæ sunt trigintaquinque Tribus, in quas populus Romanus tum vrbanus, tum rusticus, distributus fuit, & ex quibus aliquam necesse fuit cuiuscunque esset ordinis, ciuis Romanus obtineret: qui numerus ad extrema vsque Reipublicæ illius tempora permansit, quemadmodum ex Cicerone, & aliis scriptoribus antiquis cognoscere licet. Nam quod Onuphrius ex Velleio Paterculo, & Appiano refert, tempore belli Marsici, quod incidit in annum Vrbis conditæ CDLXV. Tuscis, Vmbris, Gallis & reliquis Cispadanis populis lege Iulia ciuitas data esset, octo vel decem nouas Tribus à censoribus P. Licinio Crasso, & L. Iulio Cæsare additas fuisse, in quas noui ciues conicerentur, ipsemet fatetur, vltra annos quatuor eas non mansisse, sed nouis illis ciuibus in veteres XXXV. Tribus à Censoribus L. Marcio Philippo, & M. Perperna, auctore L. Cinna Consule distributis, XXXV. Tribuum numerum fuisse restitutum.

Quòd vero præter ea, quæ recensuimus, multa alia Tribuum nomina, maxime antiquis lapidum & marmorum inscriptionibus, reperiuntur, videlicet Papia, Ocriculana Camilla, & alia, Caro. Sigonius vir doctissimus, Onuphrius Panuinius, & ante eos, Georgius Fabricius in Roma, cap. 6. putant, nomina ea esse XXXV. Tribuum: sed multas earum duobus fuisse fortasse aliquando nominibus insignitas, altero quod loci esset, altero quod familiæ, easque ab aliis hoc, ab aliis illo fuisse appellatas, quemadmodum etiam tres ex veteribus illis postea fuerint ab Augusto Vespasiano & Traiano Iulia, Flauia, & Vlpia vocitatę. Atque de Tribubus, vnde comitia Tributa nomen habent, hactenus prolixiùs penè, quàm satis erat. Reuertamur ad comitia.

CAPVT XX.

De causis Tributorum Comitiorum.

CAVSAE habendorum comitiorum tributorum generales fuerunt quatuor: prima ad creandos minores Magistratus: altera ad sacerdotes collegiorum cooptandos: tertia, ad leges ferendas: quarta ad iudicium exercendum: de quibus singulis ordine dicemus.

Magistratus, qui his comitiis creabantur, partim erant Prouinciales, partim vrbani: & hi partim ordinarij, partim extraordinarij. De vrbanis primùm. Ordinarij Magistratus, qui his comitiis creabantur, erant omnes minores Magistratus, qui singulis annis ad suum munus ordinarium in Vrbe obeundum à populo creabantur. Tribuni plebis, Ædiles plebis, Ædiles Curules, Triumuiri capitales, Triumuiri nocturni, Triumuiri auro, argento, ære, flando, feriundo, Tribuni militum. De Tribunis, & Aedilibus plebis, certum est, eos, cùm primùm Curiatis comitiis crearentur, vt demonstratum paulò ante est, post legem à

Volerone Trib.pleb.latam vt videlicet plebeij Magistratus Tributis comitiis fierent, semper ex iis creatos esse, testibus Liuio 2. Dionysio libr. 9. qui etiam addit, eam (Voleronis) legem perlatam esse, ac propterea eo tempore Tribunorum & Ædilium plebis comitia ad suam vsque ætatem, Tributa vt essent, obseruatum. Clarissima hæc sunt, neque vllum dubitationi locum relinquunt, vt non sit necesse plura adducere testimonia. Ædiles autem Curules iisdem comitiis creatos fuisse, ex Agellio lib. 6. cap. 9. constat, apud quem hæc verba sunt citata ex tertio Annali L. Pisonis: Cn. Flauius patre libertino natus scriptum faciebat. Isque eo tempore Ædili Curuli apparebat, quo tempore Ædiles subrogabantur. Eúmque primæ Tribus Ædilem Curulem renunciauerunt. At Aedilis, qui comitia habebat, negat accipere. Idem etiam Liuius lib. 9. extremo habet, Cn Flauium à factione forensi, quam Ap. Claudius Censor in omnes Tribus diuiserat, Ædilem Curulem factum.

De Quæstionibus præter Liuium libro quarto, testis est Cicero libro septimo, ad familiares, epistol. 30. ad M. Curium his verbis: In campo certè non fuisti, cùm hora secunda comitiis Quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi Consulem esse dicebant, posita esset, quo mortuo nunciato, sella sublata est. Ille autem, qui comitiis Tributis esset auspicatus, centuriata habuit, &c. Appellat enim hoc loco Cicero Quæstoria comitia ea quæ Quæstoribus creandis habebantur: & paulò post addit, ea Tributa fuisse. De Triumuiris capitalibus, testis est Cicero oratione pro Cluentio, de Q. Manilio loquens, vbi dicit eum suffragiis populi ad id munus peruenisse: quod certè neque Centuriatis, neque Curiatis comitiis fieri potuit, quemadmodum ex superioribus constat. Tributis ergo eum factum esse Triumuirum capitalem, necessariò sequitur. Idem etiam sentiendum de Triumuiris nocturnis, de quibus Liuius libro nono, extremo. Tribunos porro militum Tributis comitiis creatos fuisse, obscurum non est: non tamen omnes. Cùm enim duo eorum genera fuerint vt scribunt Liuius libro septimo & Asconius, Rufuli scilicet & comitiati, Rufuli in exercitu ab Imperatoribus vel Ducibus belli, comitiati Romæ comitiis creabantur: cuius rei initium, teste Liuio loco modò indicato, fuit anno ab V. C. CCCXCIII. Coss. Q. Seruilio II. L. Genutio II. Atque hi Magistratus omnes ordinarij fuerunt. Videamus nunc extraordinarios.

Magistratus minores extraordinarij, qui tributis Comitiis crearentur, fuerunt Præfecti Annonæ, teste Liuio libro 4. vbi dicit eum à plebe creatum. Duumuiri nauales, de quibus Liuius libro 9. inquit: Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, vtraque ad rem militarem pertinentia: vnum, vt Tribuni militum senideni in quatuor legiones à populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis. Dictatorum & Consulum fermè fuerant beneficia: alterum, vt Duumuiros classis ornandæ reficiendæque causa idem populus iuberet.

De quæstoribus siue Quæsitoribus parricidij testes sunt leges, Manilia apud Sallustium, & Varia apud Asconium, quibus decernebantur de certis quibusdam criminibus quæstiones, ad quas exercendas ipsi legumlatores simul populum rogabant, vt Quæsitores designaret. Ne dicam, quod sæpe legimus, Tribunis plebis Comitia habentibus, Quæsitores creatos fuisse, quæ certè comitia non Centuriata, sed Tributa esse oportuit.

Pertinent huc & Duumuiri ædium sacrarum locandarum, ędificandarum, consecrandarum, vel restituendarum: quos populus ex lege Papiria designare solebat, de quibus Cicero pro Domo sua, & sæpissimè Liuius Triumuiri reficiendis sacris, de quibus Liuius. Quinqueuiri turribus, murisque reficiendis, Liuius lib. vigesimoquinto. Triumuiri & Quinqueuiri mensarij, Liuius lib. 6. & 23. Triumuiri donis persequendis, Liuius libr. vigesimoquinto. Item omnes Curatores siue Magistratus extraordinarij, id est, qui non ordinarij annuam potestatem continuatam habebant, sed tamdiu in ea erant, dum curationem, cui præfecti erant, absoluissent, comitiis Tributis creabantur. Triumuiri quoque vel quotquot creari placuit, ad colonias deducendas, ad redigendos colonos in suas quemque colonias, aut agros diuidendos, de quibus frequentissima est in omni historia mentio: curatores item viarum extra Vrbem, de quibus Cicero & Triumuiri iuuenibus ad militiam conquirendis, de quibus Liu. libr. vigesimotertio. Comitiis Tributis creabantur. Et de his omnibus Messala Augur, apud Agel. decimotertio. cap. 14. dicit: Minoribus Magistratibus creandis Tributis comitiis Magistratus, sed iustiùs Curiata datur lege. Quibus verbis significat Messala, minores Magistratus comitiis Tributis creari, cùm priùs & quidem iustiùs, Curiatis creati essent.

Prouinciales Magistratus, qui his comitiis creabantur, fuerunt Proconsules, Proprætores, & Proquæstores. Proconsules enim, quanquam ordinariè ex Senatus decreto Prouincias obtinerent: sæpe tamen etiam præter Senatus voluntatem, populi iussu in Prouincias missos fuisse legimus, præsertim si extra ordinem Prouinciæ iis mandarentur. Id quod etiam de Proprætoribus & Proquæstoribus sentiendum est, de quibus hoc loco non dicemus plura, sed in librum

librum de Magistratibus reseruabimus.

Alteram causam Tributorum comitiorum fuisse diximus sacerdotum creandorum: non tamen omnium. Quidam enim à collegiis suis cooptabantur, vt Salii, Luperci, Fratres aruales, Sacerdotes Galli, & Sodales Titij. Vestales à Põtifice Maximo, Rex sacrorũ Centuriatis, Flamines & Curio maximus Curiatis, solus Pontifex maximus ante legem Domitiam, Tributis comitiis creabatur, vti ex Liuio intelligi potest. Post legem verò Domitiam, qua Sacerdotum subrogandorum ius à collegiis ad populum translatum est, etiam Pontifices, Augures, Feciales, Septemuiri Epulonum, & Quindecimuiri sacris faciundis his comitiis creari cœpti. Cuius rei testimonia si quis requirat, Nicolai Grucchij librum 2. de comitiis Romanorum legat, vbi ea omnia diligentissimè multis scriptorum locis in medium adductis probat. Accedamus ad reliqua.

Tertiam causam dixi esse legum ferendarum, idquod nemini, nisi in lectione historiarum plane non versato ignotum esse potest. Testatur hoc ipsum nomen plebiscitorum, quæ videlicet plebs, plebeio Magistratu rogante, constituebat. Omnia igitur plebiscita, omnes rogationes, quibus de pace ad populum ferebatur (bellum.n. lege Centuriata indici solebat, vt ante diximus) & quibus superioribus temporibus aliquis legibus soluebatur, quacunque id ratione fieret, item quibus per populum triumphus decernebatur, publicæ quæstiones constituebantur, aut ciuitas aliquibus dabatur comitiis Tributis ferebantur. Non opus est singula prolixè probare, de duabus tantùm aliquid addam, videlicet de rogationibus, de pace & soluendo legibus. Quòd de pace ad populum Tributis comitiis latum sit, docet Liuius lib. 30. vbi scribit M. Atilium & Q. Minutium Tri. pleb. ad populum tulisse, vellent, iuberéntne Senatum decernere, vt cum Carthaginensibus pax fieret, & quem eam pacem dare, quémque ex Africa exercitum deportare iuberent. Et alibi Liuius libro 24. Q. Martium Regem & Catinum Labeonem Tribun. pleb. ad plebem tulisse, vellent, iuberentne cum Rege Philippo pacem esse. Quæ rogatio in Capitolio ad plebem lata est. Omnésque x. & xxx. Tribus vti rogatæ iusserunt.

Quod ad illas rogationes attinet, quibus aliquis legibus solueretur, id superioribus temporibus obseruatum fuit. Ætate.n. Ciceronis Senatum eam sibi authoritatem arripuisse, eáque lege Cornelia rursus priuatum fuisse, habet Asconius in argumento Orationis pro C. Cornelio: C. Cornelius, inquit, legem promulgauit, qua auctoritatem Senatus minuebat, ne quis, nisi per populum legibus solueretur, quod antiquo quoque iure erat cautum. Idque in omnibus Senatusconsultis, quibus aliquem legibus solui placebat, adijci erat solitum, vt de ea re ad populum ferretur. Sed paulatim ferri erat desitum, resque iam eam consuetudinem venerat, vt postremo ne adijceretur quidem in Senatusconsultis de rogatione ad populum ferenda. Hactenus Asconius.

Restat vt etiam de quarta Tributorum comitiorum causa, de iudiciis videlicet, dicamus. Hic igitur ea iudicia intelligenda sunt, quæ mulctæ alicui indicendæ causa exercebantur. Nam iudicia capitis centuriatis comitiis fiebant. Testis de his iudiciis est Liuius multis locis: li. 4. scribit, M. Posthumio, & T. Quinctio Tribunis plebis diem dictam, quòd ad Veios eorum opera male pugnatum esset. Et paulò pòst subiicit: Mœstæ ciuitati ab re male gesta, & iratæ ducibus. M. Posthumius reus obiectus, decem millibus æris grauis damnatur. T. Quinctium collegam eius omnes Tribus absoluerunt. Plura testimonia apud eundem sunt lib. 25. lib. 34. lib. 43. & aliis. Et hæc de causis Tributorum comitiorum.

Caput XVII.

De personis quarum interuentu Comitia Tributa peragebantur.

Triplices personæ etiam hîc sunt considerandæ: primùm qui licuerit comitia Tributa habere: deinde illæ propter quas illa comitia fuerint habita, tum quæ tulerint suffragia.

Tribunorum & Ædilium plebis Comitia habuerunt Tribuni, & ij quidem, quibus id sorte eueniebat: quod docet Liuius libro tertio, qui de comitiis Tribunitiis verba faciens, dicit: Fortè quidam vtili ad tempus, vt comitiis præesse, potissimum M. Duillio (qui vnus ex collegio Tribunorum erat) sorte euenit, viro prudenti, &c. Sortiebantur igitur Tribuni, cui comitia habenda essent, vel communi consensu alicui id munus iniungebat: cuius exemplum legimus apud eundem Liuium libro tertio. Nec plura testimonia de Tributiis comitiis, quòd Tribunis habere ea licuerit, vt

de re manifesta, adferam.

De Ædilitiis comitiis, quòd id munus etiam ad solos Tribunos plebis pertinuerit, perspicuè docet Dionysius lib. 6 scribēs, Tribunos plebis, postquàm impetrassent à Patribus potestatem creandi Ædiles, quasi administros confestim eos creasse. Quod autem apud Liuium libro tertio legitur, Tribunos post eiectos Decemuiros à Pontifice Maximo creatos fuisse, id semel tantùm, atque extraordinariè factum est, cùm nulli tum essent Tribuni plebis, propter Decemuirorum imperium, in quo instituendo cessarant omnes alij Magistratus, nec possent ipsi ab Interrege Patricio Magistratu creari. Tribunorum itaque, Ædiliumque plebis comitia ordinariè habebantur à Tribunis. Reliquos ordinarios Magistratus minores Consules creabant, aut Dictatores, si quando comitiorum habendorum causa creabantur, aut Tribuni militum Consulari potestate.

De Consulibus, quòd habuerint comitia Tributa Quæstorum creandorum, testatur Cicero libro 7. epist. famil. ad Curium, & oratione in Vatinium. Sic & Ædilium Curulium comitia habebāt, quemadmodum testatur idem oratione pro Plancio, & ad Atticum lib. 4. Quod idem etiam de Tribunis militum Consulari potestate sentiendum. Illi enim Quæstoria comitia habuerunt, vti ex Liuio cognoscitur. Idem scribit libr. 6 Primos Ædiles Curules à Dictatore creatos fuisse: comitia etiam Tribunorum militum in castris, ad Consulum munus pertinuerunt.

Quod ad extraordinarios Magistratus attinet, eos creandi Consulibus, Prætoribus, & Tribunis plebis ius fuit, vti ex omni historia patet. Non igitur singula pluribus sunt probanda.

Sacerdotum comitia Tributa Consules habere oportuisse ex Ciceronis epistola ad Brutum colligi potest, vbi ait, mortuis Hirtio & Pansa Consulibus, comitia Sacerdotum necessariò differenda esse, donec res ad Interregnum rediisset, vt Consules auspicatò ab Interrege subrogarentur. Atqui tum & Prætores, & Trib. pleb. erant Romæ: quibus si ius fuisset, ea comitia habendi, Sacerdotum comitia non fuissent eò vsque differenda, dum Consules subrogati essent. Hoc tamen post legem Domitiam obseruatum fuit. Nam ante eam legem comitia Tributa, quæ Pontifici Maximi creando habebantur, ab vno quodam Pontifice haberi solebant, id quod ex Liuio libro vigesimo quinto initio intelligitur. Scribit enim, comitia Pontifici maximo creando habuisse M. Cornelium Cethegum Pontificem.

Legum, iudiciorúmque comitia Tributa habere iis Magistratibus licebat, quibus ius erat cum populo agendi, Consulibus scilicet, Prętoribus, & Tribunis plebis: de quibus sępe legimus in historiis, quòd rogationes ad populum tulerint: quemadmodum ætate Ciceronis rogatio de religione à P. Clodio polluta à M. Pisone Consule lata est. Lex Aurelia de tribus ordinibus Iudicum ab Aurelio Cotta Prætore: leges Gabinia, Manilia, Vatinia, à Tribunis plebis latæ sunt. Hæ igitur personæ omnes, ius habendi comitia Tributa habuerunt. Sequuntur illæ, quæ ius suffragii habuerunt.

Omnibus ciuibus Romanis, quibus data erat ciuitas cum iure suffragij licebat comitiis Tributis suam dicere sententiam. Simul enim cum pleno iure ciuitatis Tribum accipiebant, in qua suffragium ferrent. Docet id Liuius libro trigesimo octauo inquiens: De Formianis Fundanisque municipibus, & Alpinatibus C. Valerius Tappo Tribunus plebis promulgauit, vt iis suffragij latio (nam antè sine suffragio habuerant ciuitatem) esset. Et apud Agellium libro decimo quinto capit. 27. Lælius Felix scribit, Tributa comitia esse, cùm ex locis & regionibus suffragium feratur. Quibus ex verbis manifestum fit, non eos solùm ciues Rom. qui in Vrbe ipsa habitarent, & Tribubus siue locis distincti essent, suffragij ius habuisse: sed eos etiam, qui non in Vrbe, sed extra eam, in Italia habitarent, atque etiam Tribubus, siue regionibus, ipsam Vrbem circumiacentibus distincti essent, postquàm ciuitate cum suffragii iure donati essent, siue municipes siue coloni essent. In quibus autem Tribubus, quæuis colonia, vel præfectura, vel fœderata ciuitas post ciuitatem impetratam suffragium tulerit, inuentu difficillimum, nec ita scitu necessarium esse arbitror. Carolus Sigon. libro tertio de antiquo iure Italiæ, cap. 3 paucas annotat, quas ipse inuenerit. Verba eius libet adscribere: Mihi, inquit, ne hanc quidem inuestigandæ antiquitatis partem negligenti contigit, vt veterum lapidum titulos perlegens, atque obseruans, paucarum tantùm quarundam certas Tribus inuenerim. Mutinæ quidem, patriæ meæ, Polliam, Veronæ Publiliam, Sutrij Veliam, Ceretis & Tudertis Crustuminam, Florentiæ Scaptiam, Atestis Romiliam, Brixiæ Fabiam, Vicentiæ Meneniam, Clusij Arniensem, Tergestis Pupiniam, alterij Publiliam, Arretij Pomptinam. Nam Atinam in Terentina suffragium inisse, docet Cicero in Planciana. Hactenus Sigonius.

Notan-

Notandum verò & hoc est, licet interdum eiusmodi coloniæ, præfecturæ, aut fœderatę ciuitates ius suffragii non haberent, quosdam tamen ciues ex iis illud ius adipisci potuisse, idq; variis modis; vel per legem, cuius exemplum habemus apud Liuium lib. 41. Lex, inquit, sociis, ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent dabat vt ciues Rom. fierent qui in Latinis coloniis Magistratum gessissent, vel etiam hac ratione, qua per legem Seruiliam Latinis ius erat ciuitatem assequendi in locum eius, quem accusando damnassent repetundarum. De hac ratione Cicero pro Balbo.

Præter has personas oportebat etiam adesse comitiis Tributis Magistratuum Candidatos, eósque in Tribunitiis quidem & Ædilitiis comitiis omnes plebeios. Nulli enim Patricio is Magistratus patebat, vt habet Liuius libro 4. Quapropter factum est, vt posterioribus temporibus quidam Patricij, quò possent ad eum Magistratum peruenire, sese plebeiis adoptandos dederint, quemadmodum de Clodio legimus. Id etiam obseruatum est, vt ex singulis classibus par numerus Candidatorum esset. Ideóq; ab anno trigesimosexto post primos tribunos plebis, semper ex singulis classibus binos creatos fuisse, testatur Liuius lib. 3 Idem alibi dicit, cautum etiam fuisse Tribunorum Ædiliumque pleb. personis, vt eos Magistratus gerere iis non liceret, quorum pater, qui sella curuli sedisset, viueret.

Canditati Quæsturæ tam patricij, quàm plebeij esse poterant, hoc tantùm in iis prouidendum erat post legem annalem, vt ætatem haberent legē definitam, & vt emeritis decem annuis stipendiis, nullo infami iudicio à petitione deiicerentur. Candidatis Tribunatus militaris videndum erat, si equites essent, vt decem stipendia, si pedites, vt sex vel minimùm quinque haberent.

Quod autem ad Candidatos Magistratuum extraordinariorum attinet, de iis quidem certi nihil tradi potest, nisi quod Cicero adfert, lege Licinia & Ebutia cautum fuisse, ne is, qui ad populum rogationem de aliqua potestate, aut curationę tulisset, semetipsum, aut collegas suos aut cognatos, aut affines crearet.

Porro etiam in Sacerdotum comitiis Candidatos adesse oportebat. De quibus sciendum, quod dimidia ex parte patricii, ex altera plebeii esse debuerint, quodque absentium, vel etiam non petentium ratio haberi potuerit. Non autem duos ex eadem gente in eodem collegio sacerdotes esse potuisse, legibus cautum fuisse scribit Dio. Neque etiam legibus definitam fuisse ætatem petendi sacerdotia, sicuti erat in petendis Magistratibus, colligi potest ex Suetonio, qui affirmat, Cæsarem septimo & decimo ætatis anno factum fuisse Flaminem Dialem. Et Cicero ad M. Brutum scribit, se velle, vt filius suus Cicero iunior in Pontificum collegium coopteretur, quo tamen tempore ille admodum adolescens fuit. Non tamen verisimile est, eos ante, quàm togam virilem acciperent, ad Sacerdotia peruenire potuisse.

De Candidatis Pontificatus Maximi notandum, eos nonnisi ex Pontificum collegio esse potuisse, quod pluribus probat Grucchius. Atque hæc quidem de Candidatis. In comitiis iudiciorum præter eos, qui comitia haberent & eos qui suffragium ferrent, adesse etiam oportuisse accusatores, & reos cum Aduocatis, Patronis & sordidatis, cuique manifestum est.

De Diribitoribus, custodibus, rogatoribus & præconibus, quorum munus fuit etiam Centuriatis comitiis interesse, supra dictum est, & post plura erunt annotanda. Considerabimus nunc horum comitiorum locum.

Caput XVIII.

De loco Tributorum Comitiorum.

TRibutis comitiis vocandis non erat vnus destinatus locus, quemadmodum curiatis & centuriatis. Quia religio non erat, extráne, an intra pomerium haberentur; Hinc reperimus, interdum in campo Martio, interdum in comitio, nonnunquam in Capitolio, aliquando in pratis Flaminiis, seu Circo Flaminio, Tributa comitia hab[ita]. Quæ singula videntur probanda.

De campò quidem Martio, quòd in eo comitia Tributa Magistratuum creandorum habita sint, multa extant veterum testimonia. De Tribunitiis comitiis testatur Cicero epistola 1. libro primo epistolarum ad Atticum: In campo comitiis Tribunitiis a. d. XVI. Kalend. Sextil. & cæ & alibi. De Quæstoriis epistola 30. libri 7. ad famil. ad Curium scribit: In campo certè non fuisti cum Quæstoriis comitiis institutis, &c. Mox enim epistola 3. libri 4. ad Attic. subiungit, ea Tributa fuisse. De Ædilitiis idem testis est ex epistolis ad Atticum. Plerumque igitur hi

Magistratus in campo Martio creabantur.

Legum autem comitia & iudiciorum in Comitio haberi solebant. Testis est Cicero pro Rabirio Posthumo, vbi Equites Romanos ita alloquitur, Si iam vobis nunciaretur, in Senatu sententias dici, vt his legibus teneremini, concurrendum ad Curiam putaretis: si lex ferretur, conuocaretis ad Rostra. Fuisse autem rostra in Comitio supra demonstrauimus. Quódque comitia Tributa iudiciorum exercendorum in Comitio haberi consueuerint, ex Agellio libro 1. c. 5. discimus.

Cæterùm etiam in Capitolio Tributa Comitia Magistratuum creandorum, legum ferendarum, & iudiciorum exercendorum, nonnunquam habita fuerunt. Sic enim Tib. Gracchus, vt est apud Plutarchum in Gracchis: & Appianum lib. 1. bellorum ciuilium in Capitolio Tributis comitiis creari iterum Tribunus plebis voluit: súntque iidem testes, Triumuiros agrarios ex lege Tib. Gracchi in Capitolio creatos.

Leges in Capitolio etiam latas, scribunt Plutarchus in Gracchis, & Liuius lib. 45. de lege Agraria, & rogatione de Triumpho L. Pauli, vbi eas in Capitolio à Graccho perlatas asserunt. Et paulò post, de Opimio refert Plutarchus, quod de abrogandis C. Gracchi legibus Comitia in Capitolium edixerit.

Iudiciorum etiam Tributa Comitia in Capitolio habita fuisse, præter alios ostendit Liuius li. 25. vbi de Comitiis quibus de mulcta M. Posthumio Publicano irrogata populus iudicabat, in Capitolio ea habita esse scribit.

De circo Flaminio iam dicendum. In eo igitur comitia Tributa haberi solita, ex hoc probari potest, quod Liu. li. 3. scribit, post electos Decemuiros Q. Furium Pontificem Max. in pratis Flaminiis, seu circo Flaminio Tributis comitiis Tribunos plebis creasse. Idem alibi docet Liuius lib. 27. rogationem eam, quam tulerat Bibulus Trib. plebis de abrogando Marcello imperio, in circo Flaminio antiquatam fuisse, quod & Plutarchus in Marcello confirmat. Fuit autem circus Flaminius, vt id obiter addam, locus in ipsa vrbe, sic dictus, quod circùm Flaminium campum ædificatus esset, vel à Consule Flaminio, qui ad Thrasimenum lacum occisus est, in quo ludi Apollinares, Equestrésque celebrabantur: in quem etiam Senatus sæpe consultandi gratia ex Capitolio descendens, conuenire solebat. De quo videndus Bartholomæus Marlianus libro 6. cap. 3. in antiquæ vrbis Topographia, & Georgius Fabricius cap. 12. in sua Roma.

Capvt XIX.

De tempore Tributorum Comitiorum.

De tempore horum Comitiorum idem iudicandum, quod de prioribus diximus, non potuisse ea nisi diebus Comitialibus haberi; hac tamen adiita exceptione, nisi quis nominatim, vt aliis etiam diebus cum populo agere sibi liceret, legem tulisset, id quod P. Clodium in Tribunatu fecisse, docet Cicero oratione pro Sestio, vbi scribit, eum inter alias leges etiam hanc tulisse, vt omnibus fastis diebus sibi legem ferre liceret. Comitialibus igitur tantùm diebus ordinariè Tributa comitia habebantur. Quo verò anni tempore, id sciri nullo modo de omnibus posse arbitror. Nam legum, iudiciorúmque & extraordinariorum Magistratuum comitia certum tempus habere non poterant, quádoquidem pro publica necessitate ac voluntate Magistratuum variis anni temporibus haberentur. Sacerdotum comitia, cum erat in demortui locum sufficiendus alius, habebantur: alias non, nisi aut noui instituerentur, aut numerus in collegiis augeretur.

Ordinarij verò Magistratus ferè ad finem mensis Iulii, & principium Augusti creabantur. Ac Tribunorum quidem, Ædiliúmque plebis comitia prima erant, tum Consularia, & Prætoria, de quibus supra diximus, mox AEdilium Curulium, post Quæstorum, & tandem Tribunorum militum.

Quod autem Tribunorum, AEdiliúmque plebis comitia priora fuerint, quàm Consulum & Prætorum, intelligi potest ex epistola Ciceronis 1. libro 1. ad Atticum, vbi sic scribit: In campo comitiis Tribunitiis. a. d. xvi. Kalend. Sextil. &c. & paulo post mentionem facit Candidatorum Consularium illius anni: quibus verbis satis indicat, nondum fuisse Consules creatos. At idem Oratione 1. in Verrem, & in eam Asconius ostendunt, Prætoria, Ædilitiáque comitia post Consularia fuisse, sicut & Cælius ad Ciceronem scribens indicat, Tribunos Ædilésque plebis iam creatos, cùm adhuc sua comitia, quibus fieri Ædilis curulis volebat, non essent habita: vbi ostendit Kalendis Sextilibus iam creatos fuisse Tribunos

Pleb.

Pleb. Coss. Prætores cùm adhuc Ædiles Curules creati non essent. Eodem tempore, & Tribunos militum creari solitos, docet Cicero Oratione 2. in Verrem, post Ædiles tamen plebis, sicuti etiam Quæstores, vt disertè affirmat Dio lib. 39. Hoc igitur ordine & tempore creari Magistratus solebant, nisi aut obnunciationibus, aut intercessionibus differentur comitia. Notandum etiam est, quòd sicuti alia comitia, ita & Tributa ante primam diei horam haberi non potuerint, idque legibus prohibitum fuisse, Dio docet lib. 39.

Capvt XX.

De modo Tributorum Comitiorum.

INDICEBANTVR primùm hæc comitia ab aliquo Magistratu, qui ea habiturus erat, idque vt plurimùm trinundino antequàm haberentur: quod ostendit Liuius, quando in sua historia sæpissimè dicit, indicta fuisse comitia à Tribunis, Consulibus, aut aliis. Vnico testimonio contentus ero, quod scribit lib. 4. Cùm Tribunorum plebis creandorum comitia indicta essent, &c.

Legibus etiã, quas Tribuni plebis, aliiq; Magistratus, Tributis comitiis ferebãt omnia accommodari, quę de Centuriatis diximus poterant, quod scilicet trinundino ante promulgandæ, suadendæ & dissuadendę atque explicandæ essent. Et hoc primum de modo eorum comitiorum notandum est. Deinde illud obseruandum, non auspicatò habita fuisse ea, id quod præter Liuium & alios, Dionys. lib. 9. vbi discrimen ponit inter Tributa & curiata comitia apertè docet. Verba eius hæc sunt: Curiatis comitiis de re quapiam in Senatu priùs tractata suffragia curiatim colligebantur, idq; auspicatò: alias, nisi aues addicerent, ea comitia habebãtur pro irritis. Tributa verò incõsulto Senatu, nullis auspicibus adhibitis, vna die peragebantur à tribulibus. Hæc ille. Quæ tamen non de omnibus auspiciis intelligẽda sunt. Cùm n. tria essent auspiciorum genera, vt supra ex Sigonio retuli, auium inspectio, de cœlo obseruatio, & tripudii animaduersio, & auiũ inspectio ad comitia curiata, & centuriata: tripudij animaduersio ad res gerendas: obseruatio de cœlo ad omnia comitia adhiberetur: sequitur hoc tantùm auspiciũ in iis obseruandum esse ne haberentur, quo die seruatum esset de cœlo: id quod etiã Cicero in Vatinium innuere videtur cum scribit: Inde à Romulo decretum fuisse ab Auguribus Ioue fulgente cum populo agi nefas esset. Parendum igitur etiam in his comitiis obnunciationi fuit, nisi interdum ad legem aliquam ferendam, quam omnino vellet Senatus pro tẽporis necessitate perferri, vt nulla ratione impediretur, lator illius his legibus solueretur: sicuti de M. Aufidio Tribuno plebis legimus apud Ciceronem. Et Clodius initio sui Tribunatus legem tulisse fertur, ne obnunciationi sibi parendum esset. Ita autem hęc comitia inauspicatò habebantur, quod non caperentur auspicia, non adhiberentur Augures, Pullariive, quemadmodum in Magistratibus maioribus fieri solebat. Sic Sigonius lib. 1. de antiquo iure ciuium Romanorũ, ca. 7. explicans, quid esset, quod Plebeij Magistratus carerẽt auspiciis, scribit: Cum plebeij carere auspiciis dicuntur, auium volantium, aut canentium obseruatione in comitiis, tripudio in rebus gerendis carere dicuntur, quæ soli Patricij tenuerunt. Hęc ille. Et sic etiam intelligendum, quod interdum legitur, Tribunos, aut Ædiles plebis, aut alios Magistratus minores vitio creatos fuisse, videlicet eo die, quo creati essẽt, fulgurasse aut tonuisse. Ideoque contra commune Augurum decretum cum populo aut plebe actum esse, quo die seruatum esset de cœlo. Non igitur oportebat Patres horum comitiorum auctores fieri, nec auspicia adhibebantur, nec sacra ante fiebãt, quod Centuriatis comitiis facta fuisse, diximus. Ad ipsa verò comitia quod attinet, quando populus conuenerat, tum concio habebantur à Magistratu eo, qui comitia illa habebat: qua concione de Magistratibus aut sacerdotibus creandis, vel de legibus ferendis, verba ad populum faciebat. Hac peracta, populus in suas quisque Tribus discedebat, tum sortitiones fiebãt à Magistratu, quæ diuersi erant generis. Vna erat, ac prima omnium ad sortiendum, in qua Tribu Latini suffragium ferrent. Sic enim Liuius li. 25. Testibus datis, Tribuni populũ summouerunt: sitellãque allata est, vt sortirentur, vbi Latini suffragium ferrent. Quod quomodo intelligendum sit, pluribus docent, Nicolaus Grucchius libr. 2. de comitiis, cap. 4. & Carolus Sigonius, li. 1. de antiquo iure Italiæ, cap. 4. quorum fere hæc est summa Fœdere cũ Latinis icto, Sp. Cassio II. & Posthumo Cominio II. Coss. anno Vrbis conditæ CCLXI. datam eis fuisse potestatem ferendi suffragij, si quando tempore comitiorum Romæ essent, quod quidem in legum & iudiciorum tantùm comitiis factum

fuisse, Sigonio placet. Quia verò in nullam Tribum adscripti essent Latini, ante legem Iuliam, qua eis vniuersis ciuitas data est, iccircò sortiendum erat, in qua Tribu suffragium ferre deberent. Post legem autem Iuliam latam, qua Latini omnes ciuitate donati sunt, hac sortitione opus amplius non fuit. De fœdere quidem cum Latinis facto scribunt Cicero & Dionysius lib.8. quorum hic Sp. Cassium sic loquentem introducit: Latinos cognatos Romanorum, sed eosdem imperij, gloriæque æmulos in amicitiam atque ciuitatem recepi (siue æquo iure ciuitatis donaui) vt iam Romam patriam existimarent, non aduersariam. Et paulò pòst: Sp. Cassius accersebat ad suffragia ex Latinis & Hernicis quotquot poterat. Illi frequentes conueniebant, breuique repleta est vrbs hospitibus. Hoc cognito Virginius voce præconis edixit per compita vt omnes, quibus in Vrbe non esset domicilium, excederent, præfinito ad id non magno temporis spatio. Cassius verò iussit contrarium proclamari, vt quotquot haberent ciuitatis ius manerent, donec perferretur lex. Quibus ex verbis intelligitur, qua ratione Latini ius ferendi suffragij acceperint, quod scilicet id precarium potiùs Magistratuum beneficium, quàm optimum ius fuerit, ideoque nonnunquam Consule, vel Tribuno plebis intercedente, ij qui suffragiorum causa in Vrbem venissent, ante Comitia exire fuerint iussi: id quod etiam ex Plutarcho in Gracchis manifestum est, vbi scribit, socios Latinos à C. Fannio Consule Vrbe exire iussos, ne tum Romæ essent, quando legibus Gracchi ferendis, Tribus in suffragium vocarentur. Hinc Cicero pro Sestio: Nihil acerbius socios Latinos ferre solitos esse dicit, quàm id, quod perraro accidit, ex Vrbe exire à consulibus iuberi. Hæc igitur prima sortitio erat. Altera fiebat inter Tribus, quo scilicet ordine quæque earum suffragium ferret. Ad quam sortem peragendam, omnium Tribuum nomina in cistellam quandam coniiciebantur, tum vt quæque prior exierat, ita prior suffragium ferebat, quemadmodum ex historia Tib. Gracchi apud Appianum lib.1. Bellorum ciuilium, intelligi potest. In Sacerdotum verò creatione, quia septemdecim tantùm Tribus suffragium ferre ex lege poterant, iccircò sortiendæ tantùm erant hæ Tribus septemdecim, quæ erant suffragium laturæ: hac quidem, vt verisimile est, & ex Cicerone colligitur, ratione, vt coniectis in cistam trigintaquinque Tribubus, septemdecim, quæ primùm educerentur, suffragium ferrent, reliquæ suffragio excluderentur. In omnibus autem comitiis Tributis, quæ Tribus prima sorte exibat, prærogatiua dicebatur. Hoc tamen diuersum erat à comitiis Centuriatis, quòd in his, sortitione prærogatiuæ centuriæ facta, reliqua comitia absque sorte, pro censu, ordine, atque ætate peragebantur. At comitiis Tributis sorte vendum erat ad finem vsque comitiorum.

Sortiente Magistratu, prout quæque primùm exierat, à præcone ad suffragium ferendum vocabatur. Quæ verò tribus vocabatur, de eo loco, vbi consistebat (erant enim etiam ante suffragium tribus diuisæ locis, & singulæ seorsim stabant, id quod tum ex aliis tum ex Dionysij lib.7. perspicuum est) discedebat per pontes in septum, vel ouile, de quo suprà diximus. In pontis initio stabāt Diribitores qui tabellas populo ministrarent. Consistebat & in ponte Magistratus ille, qui comitia habebat, isque cistam deferebat, colligendis per Tribus suffragiis, atque rogatoris munere fungebatur. Non enim alii his comitiis erant rogatores, quod in Centuriatis fiebat, quam ipsi Magistratus, qui comitia habebant, id quod ex auctore Rheticorum ad Herennium lib.1. Cicerone 1. de natura Deorum, Asconio in Cornelianam, & Suetonio in Cæsare apparet. Aderant autem custodes, qui animaduerterent, ne quid fraudis, vel in dirimendis, vel in colligendis suffragiis committeretur, quique suffragiorum numerum pro Candidatis inirent. Hi custodes erant, vel candidatorum amici, qui amicitiæ causa, vel etiam Magistratus, qui pro Magistratu suo Comitiis sese interponebant, atque hoc munere fungebantur. Cæterùm quod ad suffragia attinet, colligebantur ea viritim, ita vt omnes, qui ex eadem Tribu essent, rogarentur. Postquàm aut tota Tribus suffragium dixerat, sententiæ numerabantur atque describebantur, hoc est, tot puncta in tabella notabantur, quot tabellæ similes reperirentur: atque in quam plures consensisse videbantur, ea tribus sententia renunciabatur.

Quod Liuius libro quadragesimo scribit, de Censoribus M. Æmilio Lepido, & M. Fuluio Nobiliore, mutasse eos suffragia, regionatímque generibus hominum, causisque, quæstibus tribus descripsisse, ex eo colligit Nicolaus Gruchius libro 2. de comitiis, capite quarto, cum primùm confusè homines vnius Tribus suffragium ferre consueuissent, at mutatum ab istis quos dixi, Censoribus esse, & constitutum, vt non amplius confusè, sed quadam distinctione, & quibusdam gradibus, vnius Tribus ordines, & genera sententias dicerent, ita quidem vt seorsim ferrent suffragium Patricij, seorsim Plebeij, seorsim ingenui, seorsim libertini (sic enim genera interpretatur) tum, vt causis etiam distincti suffragium ferrent, hoc modo, vt seorsim ferrent Senatores, tum publicani, scribæ, Tribuni ærarij, atque agricolæ. Hos enim causis, id

sis, id est, negotiis distinctos fuisse Liuium affirmare vult, quòd negotia inter sese gererent diuersa. Tandem, vt seorsim etiam suffragium ferri distincti homines quæstibus, id est, qui artes exercebant inter ciues receptas, & inter se diuersas, vt puta lictores, Præcones, fabri, tibicines, argẽtarij, numularii, aliique. Sellularias enim, siue manuarias artes exercere ciuibus Romanis non licebat, quemadmodum Dionysius libro 2. & 9. testatur. Atque hac quidem distinctione, quæ Ciceronis etiam tempore obseruari solebat, ratio habebatur aliqua dignitatis nobiliorum hominum, ne in cætera turba promiscuè suffragium ferrent: quod autem ad suffragiorum vim attinebat, nihil mutabatur, nec erat eorum maior auctoritas, quàm prius. Si quidem ea tandem tribus sententia renunciabatur, in quam plures cuiusque generis inclinassent, ac numeri, non dignitatis suffragantium hac in re habebatur ratio. Quæ omnia prolixè explicat, & adductis veterum scriptorum testimoniis confirmat Grucchius. Atque hæc in genere de Tributorum comitiorum modo dicta sint. Nunc etiam specialia quædam de singulis sunt subiicienda. Primum de Magistratuum comitiis.

In his tot dabantur tabellæ, quot erant Candidati, quorum nomen receptum esset. Et quoniam triginta quinque tantum Tribus erant, oportebat enim decem & octo Tribus ferre, quemque Candidatum, vt à maiori parte populi creatus diceretur. Vt autem quisque prior cum numerum Tribuum tulerat, ita prior renunciabatur: cùmque tot creati erant, quot ex lege in eo Magistratu esse oportebat, tum finis fiebat comitiis: Veluti Ædilitiis comitiis, quia duo tantum creandi erant, statim, vbi ex omni Candidatorum numero duo ab octodecim Tribubus facti Ædiles erant, finis fiebat vocandarum Tribuum. Ac si consensissent in eo illæ octodecim Tribus quæ primæ sorte exierant ad suffragium ferendum, reliquæ Tribus non vocabantur: sin variassent e octodecim illæ Tribus, quia alios Candidatos aliæ Tribus fecissent, eo vsque vocandæ erant Tribus, dum legitima suffragia duo confecissent, hoc est donec duo ab octodecim Tribubus creati Ædiles essent. Quod idem etiam de Tribunis plebis decem, viginti Quæstoribus, vigintiquatuor Tribunis militaribus, & aliis quotquot creandi essent ordinariis, extraordinariisque Magistratibus intelligendum.

Verùm in Tribunorum plebis renunciatione, primis quidem temporibus, id proprium erat, vt si euenisset, ex numero Candidatorum decem non confecisse legitima suffragia, tum ab iis, qui legitima suffragia cõfecerant, cooptabantur, absque suffragio populi, quot erant necessarii ad perficiendum numerum decem Tribunorum. Docet hoc Liuius libro tertio de Comitiis M. Duillii in hunc modum scribens. M. Duillius comitia habuit. Et quinque Tribunis plebis creatis, cum prӕludiis apertè petentium nouem Tribunorum, alii Candidati Tribus non explerent, concilium dimisit, nec deinde Comitiorum causa habuit. Satisfactum legi aiebat, quæ numero nusquam præfinito Tribunis, modo vt relinquerentur, sanciret: & ab iis, qui creati essent cooptari collegas iuberet. Recitabatque rogationis carmen, in quo erat. Si Tribunos plebis decem rogabo, si quos minùs hodie decem Tribunos plebis fecerint, hi tum, quos sibi collegas cooptassent, ita illi legitimi eadem lege Tribuni plebei sint, vt illi, quos hodie Tribunos plebei feceritis. Verùm ea ratio lege à L. Trebonio Tribuno plebis lata anno proximo, postquam hæc, quæ de M. Duillo diximus, gesta erant, mutata est, vt idem Liuius libro tertio paulò post scribit: L. Trebonius Tribunus plebis rogationem tulit, vt qui plebem Romanam Tribunos plebis rogaret, is vsque eò rogaret, dum decem Tribunos plebis faceret. Hac lege cooptationem sublatam esse manifestum est. Si itaque post eam legem accidisset Tribunos plebis ad numerum legitimum factos non esse, reuocandæ erant Tribus ad suffragium eo vsque dum decem Tribuni plebis creati essent. Appian. libro primo bellorum ciuilium etiam scribit C. Gracchum, secundum Tribunum obtinuisse legem quandam, qua cautum sit, vt si quis ex Candidatis legitima suffragia non confecisset, tum liberum esset plebi, quem vellet Tribunum plebis nominare. Erat enim legitima suffragia conficere. 18. Tribuum suffragia ferre. Explere autem suffragia erãt, non quidem 18. tribuum suffragia ferre, sed tamen eum numerum tribuum conficere, vt tandem plures tulisse iudicaretur, quam alius. Si itaque tum duo, vel tres Candidati parem numerum suffragiorum haberent, nec alter alterum numero suffragiorum excederet, reuocãdæ erant Tribus, quæ ex illis Candidatis, qui Tribus non expleuerant vnum aliquem Tribunum, vel quotquot adhuc necessarij erant, crearent. In Ædilitiis comitiis hoc non obseruabatur. In iis enim, si aliquando accidisset, pares suffragiis Candidatos esse, non reuocabantur Tribus, sed sorte decernebatur, cui cederet Magistratus, quod ex Cic. pro Plancio intelligitur. In Quæstoriis Comitiis idem factitari solitum, verisimile est, quod in Tribunitiis, vt reuocarentur potius Tribus, quam vt sorti res committeretur. In Tribunorum militarium Comitiis si ad legitimum numerum non peruenerant, qui creati erant, Consulis hac in re iudicio stabatur. Erat enim is Magistratus quem Consul creare posset.

In legum comitiis Tributis, idem modus omnino, qui centuriatis seruabatur.

Quod verò attinet ad comitia iudiciorum, Cicero pro Domo eam docet fuisse rationem, vt nemo nisi prædicta die accusaretur: tum vt Magistratus ter reum ante accusaret, quam mulctam irrogaret: ea verò interrogata, trinundino prodenda erat dies, qua ad populum mulcta certandum esset: quæ dies cùm aduenisset, quarta accusatio fiebat à Magistratu. Tum atratus reus siue, vt Cicero ait, sordidatus, barba, & capillo promisso (hic enim reorum habitus esse solebat) à magno amicorum item atratorum comitatu in fora deducebantur. Magistratus interim in rostris sedebat, reus sub rostris stabat, populus ante rostra in comitio erat. Præco igitur, cùm Magistratus iusserat, ex rostris reum citabat. Qui, si vellet pro se dicere in rostra ascendebat, vt inde orationem haberet ad populum, Sin per alium se vellet defendere, is item iussu Magistratus in rostra ascendebat, reúmque defendebat. Quod si orationibus tempus vsque eò consumeretur vt non satis videretur restare temporis, quo ante noctem peragi comitia possent, dies producebatur, hoc est, in alium comitialem diem differebatur populi iudicium. Qui dies cùm venisset, idem quod priori die peragebatur: nisi quòd spacium fere dicendi Magistratus constituebant. Cùm dicendi finem vtrinque fecissent, populus in suffragium mittebatur. In quo non eædem dabantur tabellæ, quæ Iudicibus, Condemnandi, Absoluendi, & Ampliandi: sed quales in legibus ferendis, vti rogas, & antiquo. Lege enim lata mulcta dicebatur: quæ lex, si à populo acciperetur, tantæ pecuniæ damnatus erat reus, quanta erat mulcta, quam dixerat Magistratus: sin populus antiquaret, absoluebatur. Neque verò ex eo, quæ supra rostra, Comitiúmque appellauimus, in iudicio populi describendo, existimandum est, eo tantùm in loco comitia de mulcta haberi. Nam aliis quoque in locis haberi docuimus antè: sed quia eo in loco sæpius id vsu veniebat, propterea eum locum potissimùm accepimus: sed ita, vt de aliis locis idem vellemus, quod de hoc, intelligi. Ad modum etiam horum comitiorum pertinet, quod Cicero scribit pro domo sua: Si qua res illum diem aut auspiciis, aut excusatione sustulisset, totam causam iudiciúmque sublatum esse. Ex hoc enim loco apparet, in reorum fauorem proprie institutas fuisse has duas rationes effugiendi iudicii: quarum vna erat in auspiciis, quæ si diem iudicii diffunderent, totum iudicium sublatum erat, benigna scilicet voluntatis Deorum interpretatione, quasi nollent omninò de hoc reo damnando cum populo agi, quando bona auspicia non dedissent. Altera causa etiam in excusatione legitima: quæ si die iudicij obtendi poterat, tota causa (inquit Cicero) tollebatur: ita vt reus non posset hoc nomine causam dicere, nisi reuocato de integro toto iudicio, perinde, ac si nihil priore actum esset. Erant autem excusationes legitimæ, morbus: quomodo excusatum dicit fuisse P. Africanum T. Liuius: exilium voluntarium, quomodo Cæso Quinctius excusatus est, teste eodem Liuio libro tertio. Item funeris familiaris procuratio, aliæque huius generis, quæ ex iure ciuili colligi possunt.

Quod attinet ad sacerdotum comitia, in his id iam diximus proprium fuisse, quod septemdecim tantum Tribuum suffragio staretur, earum quibus id forte obtigisset. Itaque propter incertum sortis beneficium omnes Tribus conueniebant, vt nulla se exclusam conqueri posset: sed in sortem tantùm id reiicere poterant, quæ in suffragium vocatæ non erant. Statim ergo vt vnus competitorum nouem Tribus tulerat, sacerdos renunciabatur. Aut si ita variassent Tribus, vt nullus competitorum nouem ferret Tribus, tum qui plures tulerat, reliquos superabat. Sin suffragiis pares essent, tum reuocari Tribus oportuisse existimari licet, nisi potiùs hac in re collegii studio staretur, vt is sacerdos esset, quem potissimùm cooptassent. Cæterùm ex Cicerone 2. Philippica, & in Bruto discimus iis, qui petitionem sacerdotij profiteri volebant, nominationem fuisse necessariam, hoc est, non potuisse quemquam petitionem sacerdotij profiteri, nisi sibi vnum aliquem, aut plurimùm duos, nam plures lex non concedebat, ex collegio conciliasset, à quo, vel à quibus, in concione nominaretur. Oportebat autem eum, qui nominaret aliquem, iuratum id facere, hoc est, publicè iurare, dignum esse eum, quem nominaret, eo sacerdotio, de quo ageretur. Quod iuramentum fortassè eò fuit institutum, ne quem suffragiis suis populus indignum sacerdotio crearet. Denique inauguratos oportebat esse omnes, cuiuscunque sacerdotii Candidatos. Ita autem dicebantur inaugurati, si adhibitis ad Deos consulendos Auguribus, pronunciarentur digni ad fungendum sacerdotium. Atque ante legem quidem Domitiam omnino cooptabatur in collegium, qui inauguratus erat. At post legem Domitiam omnes competitores inauguratos esse oportebat, sed is solus cooptabatur, quem populus creasset, quod pluribus probat Nicolaus Grucchius libro secundo de comitiis, capite 4. & ita ferè populus iudicium sacerdotum confirmabat. Qua ratione factum, vt apud Latinos auctores totum hoc

crean-

creandorum sacerdotum negotium verbo inaugurandi continetur: ita vt inauguratum fuisse aliquem sacerdotem dicant, cùm factum fuisse sacerdotem dicere volunt.

Post dicta suffragia, in Magistratuum creatione, eadem ferè quæ post Centuriata fiebant. Postquàm enim à præcone & à Magistratu renunciati erant, quos populus crearat, domum à frequenti amicorum comitatu deducebantur.

Post legum Comitia, id modo restabat, vt publicarentur, id quod æneis tabulis per fora, & templa fixis fieri solebat, teste Cornelio Tacito lib. 11. Annalium.

In iudiciorum Comitiis, si damnatus erat reus, illico prædes dare, soluendæ multæ cogebatur: alioqui in vincula duci iubebatur à Magistratu, quod ex historia L. Scipionis Asiatici, apud Liuium lib 38. & Agellium lib. 7. cap. 19. intelligi potest.

Atque hæc quidem de Comitiis hactenus. Sequitur de Magistratibus.

AD LIBRVM SEXTVM.
PARALIPOMENA.

Causa, locus Comitiorum, campus Martius, septa, suffragia per puncta ferebantur, in iisdem sortitio.

VRbis Romæ regimen triplex censetur, aut ciuile, quod in magistratibus vrbicis, aut militare, quod in exercituum Imperatoribus, legionum præfectis, castrorumque præpositis, aut denique sacrum, quod in sacerdotibus spectatur, ideoque vnicuique sua erant comitia, de quibus eleganti volumine Cruquius, qui mihi non ad manum. Andreas Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum lib. 4. Genial. dier. cap. 3. Pet. Gregor. Syntagmat. Iur. vniuersi. libr. 47. cap. 15. Marcell. Donat. Ponzan. in Elucidationib. pag. 139. & rursus pag. 969. Carol. Sigon. Emendation. libr. 1. cap. 11. Nannius Miscellaneor. lib. 10. cap. 6. Vvolfang. Lazius in Republ. & alij. Interdum vero *non vniuersum populum, sed partem adesse* magistratus *iubebat*, atque is conuentus, *non comitia habita, sed concilia*, *edicta* proprie vocari poterat. A. Gell. libro decimo quinto cap. 27. immutata hæc ratio sub Augustis. C. Tacit. libro 1. Annal. *de comitiis consularibus, quænam primum illo principe, ac deinceps fuere, vix quicquam affirmare ausim, adeo diuersa, non modo apud authores, sed in ipsius orationibus reperiuntur.* Et de Comitiali morbo, quem ἐπιληψίαν aut *ἱερὰν νόσον*, *epilepsiam, sacrum morbum, aut ἡρακλείαν Herculeum, aut caducum* appellarunt, aut denique *lunaticum*, ex Cornelio Celso lib. 3. cap. 24. C. Plinio lib. 20. cap. 17. Galeno lib. 6. de Morbis vulgar. Aretæo lib. 1. cap. 13. Aristotele Problemat. Sect. 30. disquisiuit eleganter Barnab. Brissonius ex Q. Sammonico Sereno libello de Medecina c. 58 Ioan. Rosinus etiam annotauit idipsum, cuius maior in hoc libro diligentia quam in aliis, licet infælix successus.

Locus in principio comitiorum in ipsa vrbe erat, vnde nomen indutum *comitio*, *qui locus à Palatij porta incipiens, qua forum terminabat, quasi Titi sornicem contingebat*, verba sunt Lucij Fauni de Antiquitatib. vrb. Romæ libro secundo capite decimo. subdit deinde, *constat tamen diu fori ipsius partem fuisse comitium, quem orbem Plinius de ficu mentionem faciens quæ hoc loco erat in foro, atque in comitio fuisse scribit, tametsi tantum vna esset ficus.* locus autem, quem è Plinio indicat, habetur libro 15. capite decimooctauo, adde Ciceronem libro quarto ad Attic. Epist. 3. Sueton. in Cæsare cap. 10. quem locum adscribam, quia sanus non est. *ædilis præter forum ac comitium basilicasque, etiam Capitolium ornauit porticibus ad tempus extructis, in quibus abundante rerum copia, pars apparatus exponeretur*: legendum censerem, *in quibus par apparatus exponeretur*: Bartholom. Marlian. libro tertio Typograph. vrb. Romæ cap. 15. nomen inde deductum videtur, vel *quod litium causa eò coirent*, vt loquar cum M. Varrone lib. 4. de ling. Lat. *aut quod in eum locum ad fœdus ineundum Romulus & Tatius reges coiissent.* Idem Marlian. eiusdem libri cap. 19. Publius Victor, Sextus Rufus, Onufrius Panninius, aliique vrbis descriptores in 8. Regione ponunt, nempe in ipso foro, alludere videtur M. Plautus in Curculione sc. *beatus.*

CV. *Adolescens ob rempublicam hoc intus mihi*
Quod insigne habeo quasi ne me incomities.
LY. *Licetne inforare, si incomitiare non licet?*
CV. *Non inforabis me quidem: non mihi places*
Tuum prosicilo neque forum, nec comitium.

Pars fori itaque Comitium, indubitatum est ex authoribus antea citatis, & vidit Theodorus Marcilius in leg. Xuirales ad cap. 8. Comitij vero pars erat locus quidam quem populi Romani *Secretarium* appellarunt, quem magis miror ab Onufrio in 4. vrbis Regione positum quam ab aliis omnibus eius mentionem prætermissam: quam licet repetere ex vetusto marmore.

SALVIS. D. D. N. N. HONORIO. ET.

THEODOSIO. VICTORIOSISSIMIS. PRINCIPIBVS. SECRETARIVM. AMPLISSIMI. SENATVS. QVOD. VIR. ILLVSTRIS. FLAVIVS. ANNIVS. INSTITVERAT. ET. FATALIS. IGNIS. ABSVMPSIT. FLAVIVS. ANNIVS. EVGARIVS. EPIPHANIVS. VI. PRAEF. VRB. VICE. SACRA. IVD. REPARAVIT. ET. AD. PRISTINAM. FACIEM. REDVXIT.

Postea tamen crescente in dies, & augente ciuium conuenarumque multitudine, mutatus comitiorum est locus, & ne fori angustia ampla ciuitas conuocata posset coarctari, prouisum, translataque extra vrbem in campum Martium comitia, quo viri eruditi trahunt illud Q. Florentis Tertulliani lib. de Spectacul. cap. 5. *Consus consilio, Mars duello, Lares comitio potentes.* vt comitium sit campus ille Comitiis habendis destinatus, nam vt Pamelius eleganter obseruat, Lares ædem in Campo Martio habebant. D. Auson. in Gratiar. Actione. *Consul ergo, Imperator Auguste, munere tuo, non passus septa, neque campum, neque suffragia, neque puncta, neque loculos.* Plutarch. in Lucullo ad finem. ἐβιάζετο θάψαι ἐν τῷ πεδίῳ τοῦ Ἄρεως. *contendit sepelire in Campo Martis.* scio Gulielmum Xylandrum vertisse *in Comitio*, sed parum interest, nam comitium eo sæculo in campo Martio. Fl. Renat. Veget. Rei militar. lib. primo. cap. 10 *campum Martium Tybridi vicinum elegerunt.* Godescalco Steutechio ibidem notatum est ex Marliano in Topogr. vrb. libro 6. cap. 19. vet. scholiast. Iuuenal ad Sat. 2. vers. 132. *hic ager Tarquinij Superbi fuit. & pro illius fuga, Marti consecratus: dictus est Martius campus.* Ipse Iuuen.

——vade ergo, & cæde seneri
Iugeribus campi.

Q. Horat. libr. 1. od. 8. de adolescente exercitia illa solita exoso.

——cur apricum
Oderit campum: metuens pulueris.

Eiusdem libri ode sequenti.

——nunc & campus, & area.

Et lib. 1. Epist. 7.

Et ludis, & post decisa negotia: campo
Scitari lubet ex ipso.

Lib. 2. Satyr. 6.

——noster ludos spectauerat vna,
Fuserat in campo fortuna filius omnes.

Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Per te, perque tuos; obtestor: Roma: triumphos,
Nesciat hoc Tibris, nunquàm poscentibus olim
Quod dare Dentatis annis, Fabiisque solebat,
Martius Eunuchi repetat suffragia campus.

Et de 6. Hon. consul. in principio.

Mars augusta sui renouat suffragia campi.

C. Petron. Satyrico in bellorum ciuilium illa eleganti descriptione.

Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt.

M. Lucan. lib. 1. Pharsal.

——fatalisque ambitus vrbi
Annua venali referens certamina campo.

Sil. Italic. lib. 8. Punicor.

——malum exitiale fouebat
Ambitus, & Graio funestior æquore campus.

Erat in hoc campo prope fluuium locus exercendis militibus, qui *area* vocabatur, alibi à me fuse expositum: & alter cui includebatur populus, donec de creandis magistratibus suffragia tulissent, cui nomen esse voluerunt, *septa* aut *ouilia*. Apposite admodum, vt semper solet, Seruius Honoratus ad Eclogam 1. Virgilianam. *septa proprie sunt loca in campo Martio inclusa tabulatis, in quibus stans populus Romanus suffragia ferre consueuerat, sed quoniam hæc septa similia sunt ouilibus, duo hæc inuicem pro se ponuntur.* L. Seneca libro secundo de Ira cap. septimo: *cum videris forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiæ plena, & illum Circum in quo maximam sui partem populus ostendit.* C. Plin. libro decimo sexto capite quarto: *trabs fuit in porticibus septorum à M. Agrippa relicta.* qui locus insignis est, & ostendit porticibus circumiectis ea ornata fuisse loca, meminit Idem libr. 6. cap. 5. *nec minor quæstio est, in septis Pana & Olympum, Chironemque cum Achille, qui fecerit.* hic etiam ludi exhiberi solebant. C. Sueton. Calig. cap. 18. *munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in septis aliquot edidit.* ratio expressis, & conceptis verbis est apud eundem in eodem Imperatore capite 21. quod *amphitheatrum* esset ædificatum *prope septa.* Confirmatque idem in Claudio capite 21. *anniuersarium in castris prætorianis sine venatione apparatuque, iustum & legitimum in septis munus* gladiatorium exhibuit. & apparet sub Augustis raro solemnes ludos alibi quam in septis exhibitos, nam idem ille Suetonius in Nerone cap. 12. *gymnico, quod in septis dabat inter buthysiæ apparatum, barbam primus posuit.* lege Strabonem lib. 5. Geograph. ad finem. locus etiam deambulationibus destinatus, vt qui vicino Tibride, apricus esset, & salubriori inuitaret cœlo, accedente præsertim tantarum rerum opulentia. disco ex Statio Papinio lib. 4. sil. 6. in Principio.

Fortè

Fortè remittentem curas, Phœboque leuatum
Pectora, cum patulis tererem vagus otia septis
Iam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Martial. lib. 9. Epigr. 60.

In septis Mamurra diu, multumque vagatus,
His ubi Roma suas aurea vexat opes
Inspexit molles pueros.

M. Lucan. sæpè meminit, lib. 1. Pharsaliæ.

——Et miseræ maculauit ouilia Romæ.

Et lib. 7. Pharsal. vers. 305.

Et caput hoc positum rostris, effusaque membra,
Septorumque nefas, & clausi prælia campi,
Cum duce Syllano gerimus ciuilia bella.

D. Iuuenal. Sat. 6.

A Meroe portabit aquas, quas spargat in æde
Isidis, antiquo, quæ proxima surgit ouili.

P. Ouid. lib. 1. Fastor.

Est quoque quo populum fas est includere septis.

Iam ad suffragia descendo, quæ etiam *insanis permissa* indignatur Seneca libr. 2. de Ir. cap. 35. & *per puncta* conferebantur, coacta in septa multitudine, & in tribus, atque deinde in centuriatis distributa notatum scio ab eruditissimo viro Ioanne Sauarone. Sidon. Apollinar. libro primo Epist. 9 *cui si examinis quoque tui puncta tribuantur.* Idem libro tertio Epist. 14. *quia gloriæ punctum, quod dictioni negaret, das amicitiæ.* Et libro octauo Idem Epist. 6. *lætor ad puncta censoris omnium voce celebrati.* Rursus idem libro nono Epist. 11. *tetrica puncta Censoribus tardius procacitas recitatoris quam trepidatio excudit.* Eiusdem libri Epist. 16. *nihil palam fanè loquitur, pauetque publica puncta.* Helen Acron. ad Horatij artem poëticam. M. Cicerò frequenter, in Orat. pro Plancio. *an vnà fieri potuerunt, si vna tribus non tulissent, at nonnullas punctis penè totidem* Et Orat. pro L. Muræna. *recorder quantum hæ quæstiones in senatu habitæ punctorum nobis serui detraxerunt* Ascon. Pædian. in Orat. pro Scauro. *Et in eo pauca puncta inter absolutionem & condemnationem interessent.* denique idem ius Diuinatione illa sua diuina. Imò *lege Cassia tabellaria*, cuius author fuit L. Cassius, cautum legimus *ne voce suffragia ferrentur, sed tabellis.* authores sunt pIc Tullius libr 3. de legibus & Asconius in Cornelianam, vt Verrutium & Hottomannum omittam. Alluserunt poëtæ, Horat. in Arte.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Epigrammatarius ille antiquus anonymus. Epigr & poëmat. veter. libr. 2. in Sempronium, Rufum Prætorium.

Ciconiarum Rufus ille conditor,
Ipse est duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit septem.
Ciconiarum populus vltus est mortem.

Sidon. Apollinar. Carm. 2.

Te punctis scripsere tribus.

Et Carm. 7. Idem.

Concurrunt ad puncta tribus.

In hisce suffragiis sortitioni locus. Martia. Capella libro primo allusit. *ad intra consistorium regis quædam fœmina, quæ Adastria dicebatur, vrnam cælitem, superamque sortem irreuolubilis raptus celeritate torquebat.* Claudiani pulcher est locus de 6. Hon. consul. in limine.

——Neque enim campus solemnis & vrna
Luditur in morem, species nec dissona cætus,
Nec simulata nitet peregrini iuris imago.

Et lib. 2. de laudib. Stilichon. de eiusdem consulatu.

Talibus innitat donis, dextraque regendum
Diua simul porrexit ebur, se omnibus vnam
Commouet auspiciis, ambusque incepta secundat.

M. Lucan. lib. 5. vers. 392.

——Nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erat, fingit solemnia campus,
Et non admissæ dirimit suffragia plebis
Decantatque tribus, & vana versat in vrna.
Nec cælum seruare licet.

Quibus omnibus mutatum à Cæsare Comitiorum ordinem describit, sed ad alia pergendum.

REVERENDIS VIRIS, PIETATE ET Eruditione præstantibus D. Magistro Bartholomæo, D. Theodorico, & bonæ indolis ac spei adolescentibus, Petro Christophoro & Abrahamo Rosinis, Parenti, Patruo, ac Fratribus suis clarissimis, S. D.

SEMPER mihi cura fuit, Reuerende Domine parens, ac patrue, cum sacrosancto Theologiæ studio, cui me ab ineunte pueritia mea mancipaui, etiam aliarum humaniorum literarum, in primis historiæ & antiquitatis scientiam coniungere. Videbam enim summos viros idem fecisse, & ea ratione aliis, quibus dediti erant, studiis non parum dignitatis addidisse. Audiebam præceptores nostros, identidem nos ad id cohortari, & suo exemplo nobis præire, atque viam monstrare, qua sequi tutò possimus. Intelligebam etiam hoc studium non carere amplissima vtilitate. Accedebat hoc iudicium tuum, reuerende pater, quod, vti debui, nunquam non magnifeci, qui sic sentiebas, me non posse illos primæ iuuentutis annos melius collocare, quam si præter alia, quibus deditus essem, studia, aliquid temporis tribuerem lectioni & cognitioni historiarum & antiquitatis, requirente præsertim idipsum eo, in quo versarer, vitæ statu. Valuerunt hæc apud me tantum, vt quicquid ocij mihi esset à grauioribus studiis & operibus vocationis, id totum huic rei tribuerem. Nec vero legebam tantùm ea, quæ à grauissimis scriptoribus prodita erant: verum etiam, quæ morem aliquem antiquum continebant, enotabam. Quæ cum tuæ reuerentiæ, & post aliis amicis, ac præceptoribus etiam meis ostenderē, placebant vobis ita, vt me cohortaremini, sic pergerem, & plura colligerem, fore ea, si aliquando in publicum darentur, non inutilia studiis discentium. Obtemperans igitur præceptis vestris, f. ci quod potui: quid præstiterim, iudicent alij. Cum autem ea in lucem edenda essent, non posse me insignem impietatis & ingratitudinis notam effugere iudicaui, si non & tui rationem haberem, & aliquid harum primitiarum tuo nomini publicè inscriberem, quas, etiamsi absque vlla nuncupatione mea rectè vindicare posses, vt cuius sumptu, cura & diligentia à prima pueritia liberaliter educatus, & in celebribus aliquot scholis, quantum tempora illa studiis nostris iniquiora tulerunt, institutus sum, & a quo præcipuo auctore, hoc quicquid est laboris, in me recepi: volui tamen etiam publicè hoc meæ in te obseruantiæ & pietatis monumentum extare, id quod tibi non improbatum iri spero. Coniunxi tecum Reuerendum fratrem tuum, Patruum colendum, & fratres meos charissimos, tum vt & illis beneuolentiam & fraternum meum amorem ostenderem: tum vero vt minores ætate fratres cohortarer, darent operam, ne præclaram discendi occasionem negligerent, sed Spartam, quam nacti sunt, ornarent, insisterent vestigiis tuis, Parens dilecte, & fratrum, Magistri Bartholomæi, Ioachimi, cuius immatura mors nobis omnibus propter summam expectationem, quam de ipsius præclaro ingenio conceperamus, acerbissima fuit, & etiam meis. Nolo enim cuiquam malo exemplo ad ignauiam sectandam auctor esse. Quod si fecerint, & Deo gratum facient, & tuam senectutem oblectabunt, & nos fratres ad omnia studia & officia ipsis præstanda reddent promptissimos, & suis etiam rebus ac saluti maxime consulent. Valete in Domino, Parens optime, Patrue reuerende, & fratres charissimi, meúmque hoc qualecunque id est studium, boni consulite. Ratisponæ Idibus Ianuariis, anni à nato Christo, 1580.

Ioannes Rosinus Isennacensis.

ANTI-

ANTIQVITATVM ROMANARVM Liber VII.

DE MAGISTRATIBVS.

PERVENIMVS ad Magistratuum descriptionem, quorum ordines, munia, dignitates, & priuilegia sunt nobis hoc libro explicanda. Digna profecto res, in cuius indagatione & consideratione non parum operæ ponatur. Polybius libro 6. inter rerum Romanarum scriptores non postremus, si modo omnes eius libri ad nos peruenissent, maximè pulcherrimam huius populi politiam miratur, & omnibus aliarum gentium Rebuspublicis, Lacedæmoniorum in primis anteponere non veretur. Vtinam autem nos tantam in hac tractatione diligentiam adhibere possemus, quantam rei dignitas requirit. Sed difficultatem maximam parit, sæpius Magistratuum variata ratio, & veterum monumentorum, in quibus hæc perspicue tractata sunt, amissio. Fuerunt quidem, & ante hoc sæculum, & nostra etiam memoria plurimi, qui in harum rerum consideratione maximos labores exantlarunt, quique ea, quæ summo studio & labore inuenerunt, aliis liberaliter communicarunt. Inter quos, vt aliquorum tantum nomina recitem, fuerunt Flauius Blondus Foroliuiensis, qui in libris de Roma triumphante plurima obseruatione dignissima exposuit: Pomponius item Lætus, Alexander ab Alexandro Neapolitanus, & Dominicus Floccus Florentinus, qui scriptor librorum de Magistratibus & Sacerdotiis Romanorum, qui sub nomine Fenestellæ circumferuntur, iam à plurimis proditur. Et hi quidem ante hæc tempora vixerunt. Nostra autem memoria Vvolfgangus Lazius Historicus Cæsareus, suis, suis illis aureis Reipublicæ Romanæ Commentariis, & Onuphrius Panuinius Veronensis Fastorum commentariis, tanta diligentia in hac scriptione versati sunt, vt veteres illos longo interuallo post se reliquisse dici iure possint. Quædam etiam hinc inde sparsa, in optimis de antiquo iure ciuium Romanorum, Italiæ Prouinciarum de iudiciis, & alibi habet doctissimus Sigonius, Vlricus Zasius in scholiis ad legem 2. FF. Pomponij de origine iuris, & Lexicon illud iuris ciuilis quod primum à Pandulpho Prateo delineatum nouissimè auctum, ex officina Martini Lechleri Francofurti prodiit. Horum igitur doctissimorum virorum exemplum quid vetat me quoque sequi, & aliquam operam in harum pulcherrimarum rerum consideratione ponere: præsertim cùm institutus ordo id requirat, & illi libri, qui diligentissime de hac materia scripti extant, non cuiuis sunt obuij? De Fenestellæ enim vel potius Dominici Flocci Florentini, & Pomponij Læti libris, qui iam omnium manibus teruntur, doctissimorum virorum iudicia nemini sunt ignota. Editus etiam non ita pridem est libellus de Magistratibus, ideóque Reipublicæ Romanæ statu Lausannæ: qui, si libere licet quod sentio dicere, haudquaquam perfectius est, & plurimis in locis à grauissimis scriptoribus dissentit. Quod verò ad hunc meum tractatum attinet, affirmare possum, me, quæcunque ex illis quos nominaui, clarissimorum virorum scriptis tum ex veteribus rerum Romanarum historicis, & ex publicis etiam clarissimi viri Ioannis Rosæ, piæ memoriæ, præceptoris quondam mei lectionibus didicerim, fideliter hic in vnum contulisse, & cum omnibus harum rerum studiosis

candide communicasse. Sed de mea fide, candore, & studio aliis iudicium permittens descriptionem Magistratuum ordiar: si priùs de politia, & eius speciebus quædam generalia præmisero.

Capvt I.

De generibus Politiarum.

Vocabvlvm Politiæ, vt Plutarchus in libro de tribus Reipublicæ generibus annotat, tria præcipue significat. Primum, communicationem iuris, quod in aliqua est Republica: sic dicimus, impertiri alicui Politiam. *Einem in seine Stadt nehmen, einem das Stadtrecht mittheilen.* 2. Politia etiam dicitur hominis ciuilis, qui Rempublicam administrat, vitæ ratio: sic Biantis politiam (*seine Policey.*) in laude ponimus, ac Hyperboli & Cleonis, vituperamus. 3. Significat ordinem & constitutionem ciuitatis, ad quam diriguntur actiones. Iuxta hanc tertiam significationem, Politia est legitima ordinatio Reip. blicæ secundum quam alij præsunt, alij parent: sicut Aristoteles libro 3. Polit. cap. 4. definit: Est descriptio, seu ordo ciuitatis & Magistratuum, cùm aliorum, tum præcipuæ summi gubernatoris. Eius tres à plerisque recensentur species, Regnum, siue Monarchia, Aristocratia, & Democratia: quarum tamen singulis contrariæ sunt oppositæ: Monarchiæ Tyrannis: Aristocratiæ Oligarchia: Democratiæ Ochlocratia. Hinc fit, vt ab aliquibus non tres, sed connumeratis vitiosis, sex Politiæ species recenseantur, tres rectæ, & tres vitiosæ: cuius sententiæ est etiam Polyb. libro 6. qui de Politiarum speciebus & reuolutionibus eruditè & eleganter disputans, inter alia sic scribit: Quapropter sex sunt Politiarum dicenda genera: quorum tria decantata sunt omnibus: tria reliqua istis sunt cognata: Monarchia scilicet, Oligarchia, & Ochlocratia, &c. Monarchia siue Regnum, est Imperium ad communem vtilitatem spectans. Notandum hoc loco est, licet iuxta naturam vocabuli, omnia Imperia, vbi vnus aliquis cæteris imperat, & supremam potestatem habet, Monarchiæ appellari possint, quemadmodum nostro seculo regnum Turcicum, Persicum, Moscouiticum, Tartaricum, Gallicum, Danicum, Sueuicum, &c. item Principatus, Ducatus, & Electoratus: quò etiam referuntur Episcopatus & Comitatus, &c. In iis enim singulis vnus aliquis præ reliquis potestate eminens suæ ditionis incolis imperat, qui Monarcha dici rectè potest: tamen iam vsus obtinuit, vt quatuor tantum summa in mundo imperia, quæ à Deo per Prophetam Danielem prædicta sunt, Monarchiæ nomine censeantur: Assyrium, Persicum, Macedonicum, & Romanum. Polybius distinguit inter Monarchiam & Regnum, ita vt Monarchia dicatur, si quis robore corporis & animi viribus præstans, sibi ipsi Imperium & Principatum alicuius populi sumat & obtineat, sine voluntario consensu populi: Regnum vero voluntario subditorum consensu Imperium & Principatus vni alicui conceditur. Quo in loco etiam docet, quomodo Regnum ex Monarchia oriatur, atque hæc illo sit prior, quæ harum rerum studiosus ipse poterit legere. Opponitur primo huic Politiæ generi Tyrannis, quæ est aberratio Monarchiæ, & Imperium ad vtilitatem vnius spectans. Qui huiusmodi imperium tenet, Tyrannus dicitur, ducto nomine, vt quibusdam placet à Tyrrhenis, quod hi latrociniis quondam insignes fuerint: vel à Græcis, à quibus, quicunque in ciuitate, quæ libera soleret esse, dominabatur, Tyrannus appellatur, non Rex. Trogus Pompeius auctor est, Reges olim quos ad maiestatis fastigium, non ambitio popularis, non vis, sed spectata inter bonos moderatio proueheret, quique à quo iure omnia administrarent, ob fortitudinem Tyrannos esse dictos: cæterum, cùm vrbes & regna oppressa, vi magisquàm legibus gubernarentur, ita vt quod libido, non quod æquum dictaret pro lege ratum haberetur, Tyranni nomen verti cœpisse, eum notasse, qui nullam legibus & iuri reuerentiam haberet, sed pro suo libitu omnia ageret, & in immeritos crudelissime contra ius, fasque sæuiret. Altera Politiæ species est Aristocratia, quæ est Imperium paucorum ad communem vtilitatem spectans. Ac dicitur Aristocratia, vel quia optimi imperant (Latinis Optimatum Imperium) vel quia ad optimum publicum imperantes spectant. Polybius Aristocratiam definit, cùm Respublica secundùm electionem iustissimis ac prudentissimis viris æqualiter administratur. Quando hæc degenerat, fit Oligarchia, quæ est Imperium ad vtilitatem paucorum, scilicet diuitum, spectans. Tertia species est Democratia, quæ definitur Imperium populi, communem vtilitatem spectans. Hæc cùm degenerat, fit Ochlocratia, cùm vulgus auctoritatem suam confert ad augendam potentiam tenuiorum ciuium contra optimates. Politiæ in genere contraria est Anarchia, in qua nemo præest aliis, nec quisquam alteri, tan-

Aristoteles li. 3. Politicorum.

Poli. lib. 6.

Aristot. lib. 3. Politi.

Aristoteles lib. 3. Polit. Polybius li. 6

tanquam legitimo Magistratui obtemperat, sed quilibet facit, quod sibi rectum videtur, aut lubet. Hæc politiæ genera omnia Respublica Romana experta est. Monarchia fuit sub Regibus, & quando Dictatores summam in Republica potestatem obtinuerunt, postremum etiam sub Imperatoribus Augusto & aliis. Hæc in Tyrannidem versa est Tarquinio Superbo Romæ regnante, Dictatore Sulla, & imperantibus Tiberio, Nerone, Caligula, & aliis. Liberata à Tyrannide Regum Repub. & Consulibus, mox etiam Tribunis militaribus, Consulari potestate, & Decemuiris, legibus scribendis, creatis, Aristocratia fuit: quæ tamen aliquot ante secessionē plebis in montem sacrum annis, tertio Decemuirorum anno: & sub Triumuirorum Repub. constituendæ imperio, in Oligarchiam degenerauit. Tribunis autem plebis in Rempublicam inductis, quandiu quidem illi intra metas sese continuerunt, Democratia fuit: quando vero contra Patricios & maiores Magistratus tumultuati sunt, & seditiones excitarunt, vti tum sæpe alias, tum paulo ante Decemuirorum creationem, & Gracchorum Tribunatu factum, Ochlocratia effecta fuit. Ab anno vero Vrbis CCCLXXVI. impeditis per totum quinquennium, vt Liuius, vel quadriennium, vt alij malunt, Magistratuum Curulium Comitiis, & à Trib. pleb. Repub. administrata, fuit Anarchia, quemadmodum etiam à Diodoro Siculo illius temporis status expressè nominatur. Scribit Polybius suo tempore Reipub. Romanæ formam non simplicem, sed mixtam & compositam fuisse, ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia, ita vt in Consulum potestate Monarchia siue Regnum: in Senatus auctoritate Aristocratia, in populi maiestate Democratia apparuerit: quam sententiam ex veteribus quidem Dionys. & Cicer. ex recentioribus autem Carolus Sigonius, Paulus Manutius, Nicolaus Gruchius, & alij sequuntur. Sed Ioannes Bodinus contrà multis rationibus probare nititur, toto illo liberæ Reip. præcipue Polybij, & post Cic. Dionisij tempore Democraticam Politiæ formam viguisse: in cuius viri sententiam, me quoque grauissimis adductum argumentis pedibus ire non diffiteor. His ita præmissis Magistratibus Populi Romani, à diuisione eorum initium facientes, quanta fieri poterit diligentia, ordine explicabimus.

Liuius lib. 6. D. cod. l. Sextus Rufus. Cassiodorus & Eutropius. Polybius li. 6. Ioannes Bodinus in Methodo historica. cap. 6.

Capvt II.

Magistratuum Romanorum diuisio.

MAGISTRATVVM Romanorum non vna fuit ratio: alij enim in ipsa Vrbe fuerunt, siue vrbani: alij extra Vrbem, seu prouinciales: rursus vrbanorum Magistratuum alij fuerunt maiores, alij minores. Vtrorúmque alij fuêre ordinarij, alij extraordinarij.

Magistratus maiores ordinarij fuerunt: Rex, Præfectus, vel Trib. Celerum, Consules, Censores, Prætores, Imperatores, Cæsares Augusti, donati Tribunitia potestate, Nobilissimi Cæsares, vel Principes iuuentutis, Præfectus vrbis.

Magistratus maiores extra ordinem fuerunt: Præfectus vrbis absente ordinario Magistratu, Interrex, Dictator, Magister Equitum, Decemuiri legibus scribendis Consulari potestate, Tribuni militum Consulari potestate, Triumuiri Reipublicæ constituendæ.

Magistratus minores ordinarij, Quæstores vrbani, vel ærarij, Trib. plebis, AEdiles plebis, AEdiles curules, Aediles cereales, Curatores omnium tribuum, Triumuiri capitales, Triumuiri nocturni, Triumuiri valetudinis, Triumuiri monetales, A.A.A.F.F. Quatuoruiri viarum curandarum, quinqueuiri cis & vls Tiberim, Decemuiri litibus iudicandis, Centumuiri litibus iudicandis, Præfecti ærarij, Curatores operum publicorum, Curatores aluei Tiberis, & cloacarum. Curatores viarum singularum extra vrbem, Præfectus Prætorio, Præfectus frumenti populo diuidendi, Præfectus vigilum, Curatores regionum: Denunciatores regionum, Magistri vicorum 14. regionum Vrbis, Aduocatus fisci.

Magistratus minores extra ordinem, Duumuiri perduellionis, Quæstores parricidij, vel rerum Capitalium, Præfectus annonæ, Quinqueuiri mensarij, Duumuiri nauales, Triumuiri, qui conquirerent iuuenes idoneos ad arma ferenda, militésque facerent. Quinqueuiri turribus, murisque reficiendis, Triumuiri legendi Senatus, Triumuiri recognoscendi turmas Equitum Romanorum.

Magistratus populi Romani extra Vrbem, vel prouinciales, Proconsules, Proprætores, Legati Proconsulum, Legati Proprætorum, Quæstores Prouinciales, Proquæstores, Præfectus Ægypti, Præfecti Præfecturarum, Consulares quatuor, qui per Italiam ius dicerent, Iuridici Italiæ, Triumuiri, vel Quinqueuiri, vel Septemuiri, vel Decemuiri coloniæ deducendæ, Quinqueuiri, vel Septemuiri, vel Vigintiuiri agris dandis,

attribuendis. Quinqueuiri, vel quindecemuiri agrorum metiendorum, diuidendorumque Triumuiri, vel Quinqueuiri ad inspiciendos fines, litésque dirimendas.

Ministri Magistratuum populi Romani, Scribæ, Accensi, vel Ad censi, Præcones, Lictores, Viatores, Carnifices. Hos omnes, quantum quidem fieri poterit, ordine explicabimus.

Capvt III.

Qui sint Magistratus Maiores, & ordinarij, & de Rege.

Agell. lib. 13. c. 1. Cicero lib. 3. ... 36.

MAIORES Magistratus dicuntur, quorum maiora sunt auspicia, quique Comitiis centuriatis creantur, vel qui imperium, potestatémque habent: hoc est, qui non obedientes & noxios ciues mulcta, & vinculis coërcendi ius habent. Ordinarij autem, qui singulis annis id munus suum ordinarium in Vrbe obeundum à populo creantur: vel quo ordine legibus instituto solemni more creantur, & perpetuò vsurpantur. Inter ordinarios igitur Magistratus principem locum tenet rex, de quo primùm nobis agendum. Respublica Romana, primùm à Regibus gubernata fuit, consentientib. omnibus, qui eius populi historiam scripserunt. In eorum verò creatione hic mos, Dionysio teste, fuit obseruatus. Defuncto Rege aliquo, Senatus à populo accipiebat potestatem constituendæ, ad quam placeret formam, Reip. Senatus Interreges creabat. Illi virum eligebant optimum, nullo ciuium sociorum, aut exterorum discrimine, quem Regem constituerent: in quem, si Senatus, populique consentirent suffragia, & addicerent auspicia, assumebat is imperium: quod si horum trium aliquid deesset, alter nominabatur, & post hunc tertius, nisi secundus ille probaretur, Deorum, hominúmque iudiciis. Et hac quidem ratione omnes Reges post Romulum, imperium adepti sunt, præter Seruium Tullium, & Tarquinium Superbum, qui non legitimè ad Regnum peruenerunt. Romulus autem, cùm nullus adhuc Senatus esset, à populo communi consensu rex declaratus fuit: cui tamen populi declarationi obtemperare prius noluit, quam Devs auspicio certo comprobaret illam electionem: ac deinde hunc morem instituit, ne quis nisi auspicatò regnum assumeret, magistratúmve iniret, vt scribit Dionysius, qui etiam addit, obseruatum hoc apud Romanos esse longo tempore, non solùm sub Regibus, verùm etiam sublata Monarchia, in Consulum, Prætorum, cæterorumque Magistratuum comitiis. Potestas atque officia Regis fuerunt, primum, vt sacra curaret, atque sacrificia, perque eum gereretur, quicquid ad placandos Deos attinet. Alterum, vt legum ac morum patriorum haberet custodiam, & iuris siue naturalis, siue quod scripta & pacta continet: vtque de iniuriis grauissimas causas ipse decerneret, leuiores permitteret Senatoribus, prouidendo interim, ne quid peccaretur in iudiciis: vtque Senatum cogeret, populum in concionem conuocaret, primus sententiam diceret, quod pluribus placuisset ratum haberet. Hæc Regi munia Romulus attribuit, & præterea summum in bello imperium. Dionys. Liu. & alij. Insignibus autem quibusdam, vt præ cæteris internosci, & à reliquo populo discerni possent, Romulus, & post eum alij reges vsi fuerunt, qualia sunt hæc. Incedebant ornati purpura, & toga purpurea, dantes populo iura, & exercentes iudicia sedebant in sella curuli conspicua: habebant circa se lectos iuuenes trecentos, eósque robustissimos, ad custodiam sui corporis, qui eo, quod regi quotidie præsto essent, à celeritate officij, Celeres sunt nuncupati: quidam tamen à Tribuno, vel Præfecto suo, cui hoc nomen fuerit, vel à Colere quodam Romuli comite, qui Remum interfecerat, Celeres eos dictos affirmant. Præter Celeres habebant duodecim alios ministros, succinctis vestibus & expeditos ad plectendos facinorosos, quos lictores vocant, qui ipsis curuli sella vectis præferrent fasciculos virgarum, intra quas obligata securis erat, sic vt ferrum in summo fasce extaret. Cuius rei causas Plutarch. in Problem. ostendit, inquiens: vel indicium id fuisse, iram Magistratus non debere esse in procliui, & solutam: vel propterea sic institutum, vt solutio fascium, quæ paulatim fit, moram aliquam iræ iniiceret, & cunctationem: fecisséque nonnunquam, vt sententia de supplicio exigendo mutaretur. Virgas verò & secures simul ipsis prælatas, vt cùm vitiorum alia sanabilia sint, alia insanabilia, virgis corrigerentur, quæ emendari possint, securibus amputarentur immedicabilia. Numerum autem lictorum Romulus sumpsit, vel è numero auium, quæ augurio ipsi regnum portenderant, vel ab Hetruscis finitimis, quod ij ex duodecim populis (tot enim primores vrbes in Hetruria fuisse ab auctoribus proditum est) communiter creato Regi, singuli populi lictores dederint. Tarquinius Priscus v. Romanorum rex vsus etiam fuit toga picta purpurea, sella eburnea. Gestauit coronam auream, sceptrumque eburneum in summitate habens Aquilam, permissu scilicet Senatus, populique Romani, cùm donata sibi esset ab Hetruscis, quæ ornamenta etiam posterio-

Varro lib. 4. Dion li. 2. Liu. lib. 1. Plutarch. in vita Romuli.

Dion. li. 2.

Dion. li. 2. Liu. lib. 1. Decad. 1.

Plutarch. Problem. Romanis, probl. 82. Liu. lib. 1.

steriores Reges retinuerunt, testibus Dionysio, Liuio, Plutarcho, Floro, Eutropio, & aliis. Imperium penes Reges fuit annos CCXLIII. Sext. Ruffus, Messala, Liuius, Eutropius, Orosius, & alij: Dionysius Halicarnassæus vnum annum adiicit, alii pauciores numerant: cuius diuersitatis causam Sigonius Commentariis suis in Fastos erudite monstrauit. *Diony. l. 3. Liu. l. 9. Plutarch. in Romul. Florus. Eutropius lib. 1.*

Capvt IIII.

De Præfecto, vel Tribuno Celerum.

Tribvnvs, siue Præfectus Celerum, vt scribit Pomponius, fuit qui Equitibus præerat, & veluti secundum locum à Regibus obtinebat, quo in numero fuit Iunius Brutus, qui auctor extitit Regis eiiciendi. Et paulo post ait, Magistros equitum ita Dictatoribus esse iunctos, vt Regibus Tribuni Celerum. Fuerunt autem Celeres trecenti robustissimi, & ex nobilissimis familiis delecti iuuenes, commendati suffragiis curiarum, & deni per singulas Curias delecti, qui circa Regẽ essent, ipsum hastati per vrbem assectarentur, & iussi ministeria exequerentur, in militia antesignani, & protectores, qui primi pugnam inirent, & postremi se reciperent: Equites quidem vti campus esset ad equestre certamen accommodus, pedites vero in aspero loco, & equis inuio. Appellati fuerunt Celeres vel à celeritate ministerii, iuxta rationem vocabuli Romani, vel à duce suo, cui nomen id fuisse, vel à Celere quodam Romuli comite, qui eum in pugna contra Remum strenuè adiuuerit, Remúmque occiderit, Plutarchus. Hi trecenti iuuenes, in tres centurias distincti, singulæ suum Præfectum habebant, qui Centurio dicebatur: qui verò his omnibus, necnon & Centurionibus, præerat. Præfectus, siue Tribunus Celerum nuncupabatur. Plutarchus in Numa scribit, Numam Pompilium secundum regem, Celerum custodiam deposuisse: quod si ita est, sequentibus Regibus eorum rursus institutum fuisse credendum est, cùm etiam in reliquorum Regum vitis Celerum mentio fiat. Nos Germani appellare possumus Celeres, *die h. rschärer*. Tribunum vel præfectum Celerum, *der hirtschärer hauptman.* *Diony. l. 4. Pompon. tit. 1. de Origin. Iur.* *Plutar. in Romulo.*

Capvt V.

De Senatoribus, eorum numero, & lectione: item, qui sunt Patricij maiorum, qui minorum gentium: Qui Patres Conscripti: quis Princeps senatus, & qui Senatores pedarij.

Dicendvm iam de Consulibus esset: cum autem augustum Regum, & aliorum etiam Magistratuum consilium fuerit Senatus, & ex eo plerique, de quibus ordine dicetur, Magistratus creati, operæ pretium videtur, vt prius de Senatoribus pauca annotentur, & quinam Candidati fuerint explicetur, quo facto ad scriptionem Magistratuum reuertemur.

Senatores à Romulo primum institutos esse, Liuius, Dionys. Plutarch. aliique auctores, tradunt, eósque qui tum generis amplitudine, tum prudentia, tum etiam instituto vitæ clariores essent, electos hac quidem ratione: primum ipse Romulus in omnibus vnum principium declarauit, cui rerum Vrbanarum regimen committeret: quoties ipse foras exercitum duceret, deinde iussit Tribum vnamquamque tres viros seligere, qui per ætatem maxime saperent, & genere præcellerent: post hos IX. mandauit singulis curiis, vt è Patriciis ternos eligerent, maximè idoneos, adiectisque ad illos IX. quos Tribus legerant, his nonaginta, & omnibus præfecto duce, quem ipse secreuerat, centenarium expleuit Senatorum numerum; vel quia eum numerum satis esse putaret, vel, quia C. tantum ex illa multitudine creari Patres possent. Hoc Consistorium siue Concilium Senatum appellauit, de quo postea: ipsos autem, qui electi essent Senatores & Patres, Senatores quidem, vel propter ætatem eorum, vel propter virtutem, quia prisci viros ætate & virtute præstantes senum appellatione honorarunt. Patres autem, vel quod hi solum, qui legitimi patres essent, creari, vel quod illi patres suos ostendere possent, quod non multis contigit, ex primis illis aduenis: vel à patrocinio hoc nominis acceperunt, vel etiam, quod primores & potentes illos oporteret paterno officio & indulgentia humiliorum causam, in fidem suam curámque suscipere, quódque cæteri edocerentur, vt tutiorem sibi vitam in eorum præsidio viuendam statuerent, neque quibus virtute *Liu. lib. 1. Dion. li. 1. Plutar. in Romulo.*

cederent, eorum honore augerentur, sed beneuolo & amico animo in eos ferent, patrésque illos honoris gratia & appellarent, & esse opinarentur. Dionys. Liu. Plutar. Festus ait, eos patres dictos fuisse quòd agrorũ partes attribuerint tenuioribus, ac si liberis propriis. Hæc de primis Senatoribus, quorum centum fuerunt. Auctus autem hic numerus non multo post fuit, confecto bello Sabino. Cùm.n. Sabinorum, Etruscorum, & aliorum in dies ad Asylum confugientium aduentu vrbs valde creuisset, eósque Romulus in ciuitatem æquo iure suscepisset, atq; in Lucerum, Tatiensiúmque Tribus coniecisset: placuit Romulo & Tatio, quem ipse paulo ante victum, in societatem regni Romam adsciuerat, vt Patriciorum duplicato numero, Senatorum quoq. numerus augeretur. Ex illustrioribus igitur familiis viros centum Curiarum suffragiis delegentes, in Patres cooptarunt, & veterib. Senatorib. adscripserunt: atque hac ratione Senatorum numerus ad ducentos auxerunt. Dionys. Neq. verò hic numerus retétus diu fuit. *Dionys. li. 3.* Tarquinius.n. Priscus, mox vt principatum accepit, ad conciliandum sibi plebis fauorem selectos ex omni plebeiorum numero viros centum spectatæ vel fortitudinis, vel prudentiæ, in Patriciorum primo allectos ordiné, Patrum etiam adscripsit numero: ac tum primum Roma trecentos habuit, qui ducenti ante fuerant. Dionys. Hic numerus postea aliquandiu mansit. *Dionys. li. 5.* Nam quod legitur de L. Iunio Bruto. & P. Valerio Poplicola, quod præcipuos ex plebe allegerint in Patriciorum ordinem, & ex his Senatum à Tarquinio Superbo cædibus & expulsionibus imminutum, suppleuerint, ij numerum veterem non auxerunt, sed tantum diminutum suppleuerunt. *Plutarc. in Grac. Florus Epitome li. 60.* Longo tempore post, à G. Graccho Trib. pleb. allectis ex Equestri ordine trecétis, sexcenti Senatores lege primum facti sunt, testibus Plut. & Floro, qui tamen sexcentos Equites Senatoribus additos fuisse scribit. Verum hæc lex aut à populo antiquata, aut non ita multo post abrogata esse videtur, cum eadé à M. Liu. Druso Trib. ple. sit relata, vt est apud Appianum. Sed & illa lex, vna cum cæteris Liuianis Philippo Consule referente, vno S.C. sublata fuit. Facta etiam lectio Senatus est, teste Appiano L. Corn. Sulla, Quinctio Pompeio Rufo Cos. Ita enim scribit, eos Consules in Senatum, tum maximè propter infrequentiam contemnendum, trecentos ex optimatibus legisse: quam tamen lectionem non à Consulibus, sed à Censoribus qui tum fuerunt, L. Iul. Cæs. & P. Licinio Crasso factam fuisse, opinatur Sigonius. *Liuius, Appianus lib. 1. bellorum ciuil. Appianus li. eodem. Sigon li. 2. de antiquo iure ciuiũ Rom. c. 2.* Idem etiam Appianus memoriæ prodidit, ipsum Sullam Dictatorem Senatum exhaustum trecentis Principi, equestris ordinis lectis, dato Tribub. de singulis suffragio, suppleuisse. Quãquam autem certus Sullani Senatus numerus afferri non potest: tamen supra quadringentos fuisse epistola quadam C. ad Attic. elici posse videtur, vbi sic scribit: Homines ad xv. Curioni nullum SC facienti assenserunt: facile ex altera parte, c D. affuerunt. Hæc ille. Auctum inde ad nongentos ad Cæs. Dictatore Senatum, & post necem eius. à Triumviris Reip. constituendæ indignissima etiam turba repletum, & Dionis & omnium prope loquuntur historiæ. *Dionys. li. 43. & 52. extremis, Sueto. in Augusto, c. 35. item Dionys li. 54. Sigon. li. 2. de antiquo iure ciuium Romano. Dionys. li. 5. Liu. lib. 2. & 33. Seneca declamationum, li. 1. 14. pro le.* Vnde est, & illud Suetonij: Augustum Senatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba (erãt enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmiũ allecti, quos Orcinos vulgus vocabat) ad modum & splendorem pristinum redegisse. Hæc de numero Senatorum, quantum quidem ex antiquis auctoribus sciri potest, quæ omnia diligenter tractat Carolus Sigonius, ex quo ferè ad verbum hæc descripsi. Cæterùm legi solebant Senatores à Regibus, Consulibus, & Censoribus: aliis tamen atque aliis temporibus, vt ex his, quæ dicta sunt, & ex Dionysio, Liuio & Festo, aliisque manifestum est. In iis verò legendis, generis, ordinis, census, ætatis & Magistratus habita fuit ratio. Generis quidem vt ex iis familiis legerentur, quibus Senatus patebat. Patuit autem primum Patriciis, post etiam plebeijs. De Patriciis nullum est dubium, de plebeiis, quando illi primum in Senatum allecti fuerint, valde discrepant auctores. Zonaras à Tarquinio Prisco primum factum fuisse scribit. Festus à L. Iunio Bruto. & P. Valerio Poplicola primis Consulibus Eos tamen antequam in Senatum allegerentur Patricios factos fuisse, Dionys aperte tradit ex quo etiam colligitur post annum A.V.C. CCLX. & ante annum CCCXX. vt ex Liuio patet, plebi Senatum communicatum fuisse. Sigonius coniectura ductus putat, Decemuirum Consularium tempore id institutum fuisse, ex quo aliqui ex plebe fuerunt, quos in Senatum propter Magistratus ipsius amplitudinem ascitos esse, atque eorum exemplo post alios etiam adscriptos, præsertim verò postquam plebeij, de Tribunatu militari, quæ erat par Consulatui potestas, capiendo peruicerint. Ordinis ea ratio fuit, vt cum in Senatum legendi essent, maxime ex Equestri ordine, qui proximus dignitate erat, legeretur, quod ostendunt Liuius & alij.

Censum autem in legendo Senatu spectatum, declarat Seneca inquiens: Senatorum gradũ census ascendere facit. An verò hoc antiquum fuerit institutum, in dubium reuocare videtur Plinius cum ait Posterius laxitas mundi, & rerum amplitudo danno fuit, postquam Senator censu legi cœptus, pessum iére vitæ pretia, &c. Laudatur autem Census in Senatore, ne splẽdor amplissimi ordinis rei familiaris angustiis obscuretur. Cæterum ante Augustum, cẽsum Senatorium

natorium sestertium 800. millia fuisse:eumq; ab Augusto ampliatum docent Suetonius & Dio. Neque solum, si qui Senatorium censum non haberet, Senator legi non poterat. sed si posteaquam lectus esset, censum labefactasset, ordinem amittebat. Cic. Epist. ad Q. Valerium.

Quinetiam ætatem in legendo Senatore certam esse obseruatam, ex eo suspicari possumus, quod scribit Agellius, Præfectum vrbis ea ætate factum quæ non esset Senatoria, & ex Cic. oratio. pro lege Manilia de Pōpeio. Quæ tamen hæc ætas esset, dubium videtur. Sigonius ex Val. Max. & Cicerone, Philip. probat, Senatoriam prope eandem fuisse cum Quæstoria. Quæstu ę autem capiundæ annus fuit 20. vt post demonstrabitur. Rationem huius suæ sententiæ Sig. affert etiam hanc, quod illi maxime in Senatu legi consueuerint, qui Magistratus cœpissent: Quæsturam vero primum vrbanum fuisse Magistratum extra controuersiam est. Hinc etiam intelligi potest, Senatorem legi ex ordine, nisi qui Magistratum gessisset, non fuisse solitum. Quare congruenter Cicero sanxit in legib. suis, è Magistratibus Senatum esse oportere. Probat idem in oratione post reditum in Senatu. Est tamen illud animaduertendum, quanquam hæc omnia in aliquo constarent: non tamen idcirco necessario Senatorem eum fuisse. Opus. n. fuit lectione Censoris, vsque adeò, vt ne qui Magistratus quidem gessissent, nisi à Censorib. lecti essent, Senatores esse possent. Valerius. Neque verò legendi solum Senatoribus arbitrium fuit Censorium, sed etiam prætereundi & mouendi, ita vt quem in citando Senatu nominassent, is lectus in Senatum, quem præteriissent, idem Senatu motus putaretur. Atque hæc legendi Senatus ordinaria fuit ratio, vt à Censoribus, & eo, quo dictum est, modo, legeretur. Appij Claudij Cæci Censoris, qui libertinorum filios legit, & Fabij Buteonis Dictatoris Senatus legendi causa dicti, lectiones fuerunt extraordinariæ, sicut & Gracchi, atque Drusi, Tribunorum pleb. Sullæ dictatoris, Cæsaris Dictatoris, Triumuirum Reip. constituendæ, & Augusti Cæsaris.

Agellius li. 14. c. 8. Sigon. lib. 2. de antiqu iure. ciuili Romanorum c. 2. Cic. li. 3. de Legi. Valerius Maxim.

Insigne Senatorum fuit tunicula lati claui, qua ab Equitibus sunt separati. Plinius, Suetonius. Quæstus omnis in Senatore indecorus fuit, teste lege Q. Clodij Trib. pleb. de qua Liuius & Cicero. Denique in petendis honoribus fuerint occupati, vnde multa ornamenta domi forisque pepererunt, Cicero pro Cluentio, & pro Posthumo. Finem capiti imponam, si prius dixero, qui Patricij minorum, qui maiorum gentium, quiq; Patres conscripti fuerunt: qui Princeps Senatus, & qui pedarij Senatores. Patricios maiorum gentium dictos fuisse ducentos illos Senatores à Romulo primum lectos, eorúmq; progeniem, dubiũ non est. Eos verò, qui à Tarquinio Prisco v. Romanorum Rege ex plebeiis in Patriciorum primũ ordinem allecti, deinde Patrum numero adscripti fuerunt, Patricios minorũ gentium appellatos, testis est Liuius. Allectos autem in Senatum à L. Iunio Bruto, & P. Valerio Poplicola primis Consulibus post pulsos Vrbe Reges, Patres Conscriptos vocitatos, Liuius & Plutarchus docent, cúmque his Cornelius Tacitus, cuius hæc sunt verba: Iisdem diebus in numerum Patriciorũ asciuit Cęsar vetustissimum quemq; è Senatu, aut quib. clari parentes fuerãt. Paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum gentium, L. Tarquinius minorum, Brutus Conscriptorum appellauerant. Sic enim legendum hunc locum monuerunt Ludouicus Viues, Gulielmus Canterus, & nouissime Iustus Lipsius. Alij aliter sentiunt, quorum opiniones hic recenseri, non est necesse. Princeps Senatus dictus fuit, is, qui in lectione Senatus, quæ per Censores peracto censu fiebat, primo loco recitabatur. Qui honor fere nemini, nisi Consulari, & Censorio tribuebatur: & qui semel Principatum hunc acceperat, is, dum viuebat, locum illum etiam apud alios Censores retinebat, nec nisi eo mortuo alius Princeps Senatus declarabatur. Pedarii Senatores qui sint docet Agellius, ex Varronis Satyra Menippæa, quod videlicet Equites quidam Pedarij Senatores appellati sint, qui nondum à Cēsorib. in Senatum lecti, & ita Senatores quidem propriè non fuerint, honoribus tamen populi vsi sint, & propterea in Senatum venerint, & sententiæ ius habuerint: & quia in postremis scripti essent, sententias non rogati fuerint, sed in eas, quas principes dixissent, discesserint. Vbi etiam diuersas ab hac sententia aliorum recitat, vt quod quidam opinati sint, Pedarios Senatores appellatos esse, qui sententiam in Senatu non verbis dixerint, sed in alienam sententiam pedibus iuerint: quidam autẽ, inter quos C. Bassus, eos Pedarios dictos fuisse, qui cùm Curulem Magistratum non gessissent, pedibus in curiam itauerint, non Curuli sella vecti fuerint, sicut illi, qui Curulem Magistratum gesserant. Quorum omnium sententias improbat: priorem quidem, quod inde sequeretur, si quando Senatusconsultum per discessionem fieret, omnes Senatores esse Pedarios: quia tum vniuersi sententiam pedibus ferant: posteriorem vero ex Varrone, qui scribit etiam Curulibus Magistratibus functos, si nondum à Censoribus in Senatum lecti essent, Senatores non esse. Festus scribit, Pedarium Senatorem appellatum fuisse, qui tacitus transeundo ad eum, cuius sententiam probet, qui sentiat, iudicet. Hactenus de Senatoribus. Reliquum est, vt de Senatu quoque, eius potestate, & Senatusconsultis quædam addantur, quod capitibus duobus proxime sequentibus fiet.

Plin. li. 33. cap. 2. Sueton. in Augusto & Tiber. Liu. li. 12. Cicero 7. Verrina. Liu. lib. 1. Liu. li. 2. Plutar. in Poplicola Cor. Taci. 11. libro Annal. Agel. 3. c. 3. c. 18.

AD CAPVT. V.

PARALIPOMENA.

Allecti & conscripti senatores, patriciatus dignitas, omnia Senatus authoritate gerebantur, eius elogia, eos lædere maiestatis imminutæ crimen, omnes in senatusconsultis, maior non melior pars probata.

NOn vnus omnium senatorum honor, non vna dignitas colligitur, nam nonnulli *allecti* appellabantur, alij *conscripti*. C. Tacit. libro vndecimo Annal. *iisdem diebus in numerum patriciorum adsciuit Cæsar vetustissimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant. paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Iunius Brutus minorum gentium appellauerant, exhaustis etiam, quas Dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Senia sublegere.* locum produxit vir doctus antea, sed dum *allectos* interpretatur *ad ius ciuitatis* pertinere, assentire non possum, quippe vilior plebis & indiscretæ multitudinis fæx, *allectorum* nomine veniret, cùm constet Senatorum esse propriè appellationem, hoc sensu. Suet. in Aug. capite secundo, *ea gens à Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta in Senatum, mox à Seruio Tullio in patricias transducta, procedente tempore ad plebem se contulit, ac rursus magna vi per D. Iulium in patriciatum rediit.* vulgata hæc est lectio, probataq; mirificè Læuino Torrentio, & sic eam explicat, vt velit historicus, gentem Octauiam, quæ Veliternia esset, primo à Tarquinio Romam traductam, ac proinde Romanam factam fuisse, à Seruio Tullio autem etiam patriciam, cúmq; postea ad plebem transiisset, à D. Iulio redactam iterum inter patricias. sic nimirum etiam gens Claudia, post Romam recens conditam eò ex Sabinis commigrans, mox Romana facta est, sed anno demum sexto post exactos reges in patricias cooptata, vt auctor est Liuius. At viri egregii, Philippus Beroaldus, Antonius Coccius Sabellicus, neuter malè de hoc scriptore meritus, eósq; sequuti Adrianus Turnebus libro vigesimo quarto Aduersario. cap. 15 P. Pithæus libro secundo subseciuor. cap. 7. legunt, *inter minores gentes allecta in senatum.* Nec multum dissentit Isaacus Casaubonus, quem vide. de discrimine hoc Senatorij ordinis capiendus idem Suetonius in Othone, c. 1. *namque & senatus honore rarissimo, statua in palatio posita, prosecutus est eum, & Claudius allectum inter patricios collaudans amplissimis verbis, hæc quoque adiecit.* Est & alter locus subindicatus paulo ante, quem apponam, ex eodem in Tiberio c. 1. *Inde Romam recens conditam, cum magna clientum manu commigrauit authore Tito Tatio consorte Romuli, vel quod magis constat Appio Claudio gentis principe, post reges exactos sexto fere anno, à patribus in patricios cooptata.* vitiosam lectionem contendunt, rescribúntque. *Atta Claudio gentis principe.* Attæ. n. cognomento Romano dicebantur illi, quibus pedes tumore vitiati: atque in Iacobus Bononiensis, ex MS. codice, qui testem lectionis suæ facit Martia. lib. 4 Epigr. 19.

Plumea seu laxi partiris pondera follis,
Siue leuem cursu vincere quæris Attam.

Editio Hadriani Iunij habet, *vincere quæris Atham.* Hermolaus Barbarus suis in Plinium Castigationibus li. 7. c. 20. putauit esse legendum, sed parum refert,

Siue leuem cursu vincere quæris Atham.

Vet. schol. Iuuenal. ad v. 192. Sat. 7 *patricius senator est, lunula nam adsuta calceis discernuntur nouitij à patritiis.*

Corippus sæpè lib. 4. Num. 2.

Inde Senatorum sacro recitantur ab albo
Nomina, conscripti patres, qua voce citati
Accedunt hilares.

Et eiusdem libri Num 5.

Ante pedes domini stabant qui iussa clientes
Astabant læti vultúque & veste nitebant
Romani populi patres sine semine facti.

Qui ex conscriptis hisce patribus ortum traxerant, *Patricij* vocabantur, qui honor primùm legitimus erat, & dignitati vniuscuiusque siue generi conueniens, ac temporibus Constantini principis cœpit patriciatus culmē concedi, iis, quos dignos censuissent Imperatores, vt ex Zosimi relatione clarum est, cœptúmque patricius appellari *πατὴρ βασιλέως*, *pater imperatoris*, vt Luitprandus exponit, & *patres principis*, vt vertitur ab eo qui Nicephorum Callistum Latina ciuitate donauit libro decimo tertio cap. 1. Suidas, *πατρίκιος πατὴρ τοῦ κοινοῦ patricius pater reipublicæ*, eundem consule Suidam in *Antiocho Præposito*. Georg. Cedren. in Basilio Macedone. Procopium lib. 1. de Bello Vandal. Aurel. Cassiod. li. 6. form. 2. *mox vt datus fuerit* (patriciatus) *in vitæ tempus reliquum homini fit coæuus, ornatus indiuidui singulum fidele, quod nescit ante deserere, quàm de mundo contingat exire.* Iustinian. Aug. l b. 1. Instit. 11. 12 §. *quis patiatur imperatoriam celsitudinem non valere eum quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?* Idem l. 5. C. de Consul. *ne videantur, qui à nobis loco patris honorantur, alieno iuri esse subiecti.* Neq; verò Pithæo assentior, qui ex Zosimo libr. 2. vult patriciatus honorem institutum, ille enim tantum arbitrariam hanc prærogatiuam designat

gnat ab eo excogitatam, d'u, enim antea nomen fuerat. C. Sueton. præter loca proxime superius adducta, etiam rebus Titi capite sexto, *neque ex eo desti it participem, atque etiam tutorem Imp rij agere.* tutorem Imperij agere quid aliud est, quàm patriciatus dignitatem adipisci, & fortassis ab hac mente accipiendus erit. Q. Symmachus libro secundo Epist. trigesimoquinto, *parentes etiam patriæ.* nisi forte de ipsis Cæsariolis intelligendum quis existimet, non verò de patriciis, quos parentes patriæ eam vocabant. Tam gloriosum autem habebatur etiam appellationem vsurpasse, vt cum nomine Regio coniungerent, Chron. Lauris Hamense MS. productum à Meursio. *Otto Dei gratia rex Francorum ac Longobardorum, ac patricius Romanorum.* Sigebert. Gemblacens. in Chro. Anno 999. *in Italia Crescens patriciatu Romanorum arrepto contra Othonem imperatorem rebellat.* Et deinde sequenti Anno. *Otho Imperator Romæ Crescentem patricium bello aggreditur.* Paul. Vanefrid. libro secundo de Gest. Longobardor. capite tertio: *hic Narses prius quidem chartularius fuit, deinde propter virtutem merito patriciatus honorem promeruit.* Ex his facile erit corrigere locum Adonis Viennensis Chronici sui ætate sexta pagina 174. *Iustinus Minor annis undecim, Narcissus patricius Totilam Gothorum regem in Italia superauit, & occidit, hic deinde minis territus Sophiæ Augustæ Iustini uxoris, Longobardos à Pannoniis inuitatis, eósque in Italiam introduxit.* quis hic sub Iustino Minore Narcissus? sub Claudio principe libertum illius nominis potentissimum fuisse constat, & ad amplissimas dignitates eiusdem principis, seu stultitia omnia tolerantis, siue benignitate, omnia suis concedentis, euectum: sed multis id ante Iustinum sæculis. Rescribendum est ergo, *Narses patricius regem Gothorum Totilam.* nam præter Vanefridum proxime superius allatum, idipsum narrant P. Victor in Iustino, Paul. Diacon. in supplemento ad Eutropium libro decimo sexto in rebus Iustiniani pagina 459 qui & *exarchum Italiæ* fuisse præterea scribit. Agathias Scholiastes lib. primo histor. Otto Frising. Chronic. libro quinto capite quinto *Itaque cum Narses patri ius, deletis barbaris Italiam in pristinum statum reduxisset; Romani, vt assolet, felicitati eius inuidentes.* Freculph. Tom. secundo Chronicor. libro quinto capite vigesimo tertio, *contra quem Iustinus Imperator Narsetem patricium direxit, qui in Italiam veniens, viriliter ac fortiter dimicans contra Gothos, Totilam eorum regem occidit, gentémque Gothorum cædibus prostrauit.* vetus marmor apud Onuphrium Panuinium, cuius hæc sunt verba.

IMPERANTE. DN. PIISSIMO. AC. TRIVMPHALI. IVSTINIANO. PP. AVG. ANNO. XXXVIII. NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX. PRÆPOSITO. SACRI. PALATII. EX CONSVL. ATQVE. PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM. IPSIS. ET. EORVM. REGIBVS. CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV. PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE. PROSTRATIS. LIBERTATE. VRBIS. ROMAE. AC. TOTIVS. ITALIAE. RESTITVTA. PONTEM. VIAE. SALARIAE. VSQVE. AD. AQVAM. A. NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO. DESTRVCTVM. PVRGATO. FLVMINIS. ALVEO. IN. MELIOREM. STATVM. QVAM. QVONDAM. FVERAT. REFORMAVIT.

In altera pontis parte hi versus leguntur.

QVAM BENE. CVRBATI. DIRECTA. EST. SEMITA. PONTIS.
ATQVE. INTERRVPTVM. CONTINVATVR. ITER.
CALCAMVS. RAPIDAS. SVBIECTI. GVRGITIS. VNDAS.
ET. LIBET. IRATAE. GENERE. MVRMVR. AQVAE.
ITE IGITVR. FACILES. PER. GAVDIA. VESTRA. QVIRITES.
ET. NARSIN. RESONANS. PLAVSVS. VBIQVE. CANAT.
QVI. POTVIT. RIGIDAS. GOTHORVM. FLECTERE. MENTES.
HIC. DOCVIT. DVRVM. FLVMINA. FERRE. IVGVM.

Sed ad patricios redeo. satis quippe clarum est, apud Adonem *Narsen* non *Narcissum*, qui illo tempore nullus, intelligendum. D. Iuuenal. Sat. 10.

—tutor haberi
Principis, angusta Caprearum in rupe latentis.

Claudian. de 6. Hon. consul. pro toto senatu patricios posuit.

Adfuit ipsa suis talis Victoria castris
Romanæ tutela togæ quæ diuinite penna
Patricij vestenda fouet scriptaria cætus.

Et Clarius eius dignitatis officium expressit lib. 2. in Eutrop.

—Præsidium legum genitórque vocatur
Principis & famulum dignatur curia patrem.

Coripp. lib. 2. Num. 8.

His ætas dispar, sed par virtum atque voluntas

Ambo patricij, dilecti principis ambo.

Et lib. 4. Num. 5.

Patricius senio fulgens Calinicus honores
Qui pater Imperij meruit iam factus haberi.

Inscriptio vetus in hæc verba apud Vuolfgangum Lazium lib. 4 Reip. Rom. c. 9.

HIC. IACET. ELIVS. CONSTANTIVS. VIR. CONSVLARIS. COMES. ET. MAGISTER. VTRIVSQVE. MILITIAE. ATQVE. PATRICIVS. SECVNDO. CONSVL. ORDINARIVS.

Prima Senatus authoritas in eo erat posita, vt quicquid agendum incumberet, eius decretis sanctissimis ageretur. Salustius Crispus monet Liuiam Augustam apud C. Tacitum li. 1. Annal. *ne Tiberius potentiam dominandi r[e]solueret cuncta ad sen[a]tum vocando.* dignum mi[hi] scriptoris Ioannis Saresberiensis locum grauissimum apponam, cuius nomen variè concipitur, nam *Salesberiensis Carnutum in Celtica Pontifex*, vocatur à Ioanne Picardio in Gulielmum Neubrigensem lib. 2. c. 25. ab Israële Spanchio in Nomenclatura sua pag. 6. *Ioannis Sarisparïensis*, & ab eodem pag. 710. *Ioannes Sarisbariensis*, sed parum rectè. Is ergo libro 5. Policrat. c. 9. *cordis locum, authore Plutarcho, senatus obtinet, senatus verò, sicut maioribus placuit officij nomen est, & habet ætatis notam*: (imitatus est illud Ouidianum, *nomen & ætatis mite senatus habet.*) *si quidem sic dicitur à senectute. Eum verò Athenienses Areopagum dicebant, eò quod in illis totius populi virtus consisteret, & cum ab illis præclara plurima inuenta sint, nihil salubrius, nihil gloriosius institutum est, quàm senatus. quid enim nobilius est cætu senum, qui emeriti à vulgaribus officiis ad consilij & regiminis officium transeunt, & in marcido corpore exprimunt mentis vires, eo sapientiæ magis apti negotiis, quo in exercitiis corporis minus possunt. Eorum vtiq; tantus honor extitit apud Græcos, vt duces Reipublicæ nusquam procederent, nihil egregium ageretur, quod senes instituti non inducerent, aut approbarent. Et quod magis est, ab initio vrbis conditæ, nomina eorum aureis literis scripta sunt* (hoc vnde ille desumpsit, aut quis post eum ipsum prodiderit, non memini legere) *ipsique patres conscripti appellati, qui alios sapientia, ætate, & affectu paterno præcedebant. penes istos consiliorum erat authoritas, & omnium publicè gerendorum.* C. Suet. in Tiberio. cap. 30. *quinetiam speciem quandam libertatis induxit, conseruatis magistratibus ac senatui, & maiestate pristina, & authoritate, potestatéque: neque tam paruum quicquam, neque tam magnum, publici priuatique negotij fuit, de quo non ad patres conscriptos referretur.* neque attinet vel historicos alios, vel poëtas aduocare. M. Lucan. lib. I. v. 480.

— iussisque belli
Consulibus fugiens mandat decreta Senatus.

Et li. 5. Pharsaliæ statim in ipso limine, vbi sic Lentulus.

Cunctáque iussuri primum hoc decernite patres,
Quod regnis populisque liquet nos esse Senatum.

Claudian. lib. 2. de laudibus Stilichonis ad finem.

Hoc quoque non parua fas est cum laude relinqui.
Quod non ante fretis exercitus adstitit vlter,
Ordine quam prisco censeret bella Senatus.
Neglectum Stilicho tot iam per sæcula morem
Reddidit, vt ducibus mandarent prælia patres
Decretóque togæ iret in legionibus iret
Tessera, Romuleas leges rediisse fatemur,
Cum procerum iussis famulantia cernimus arma.

Idem de 6. Hon. consul.

— agnoscunt proceres, habitúque Gabino,
Principis, & ducibus circum stipata togatis
Iure paludatæ iam curia militat aulæ.

Hæc quidem de obsequio Senatus in Augustum, antea quantum princeps Senatui deferret, exposuerat.

Hic est ille puer, qui nunc ad rostra Quirites
Euocat, & solio fultus genitoris eburno
Gestarum patribus causas ex ordine rerum
Euentúsque refert, veterúmque exempla secutus,
Digerit imperij sub iudice facta Senatu.

Denique idem lib. 3. de laudib. Stilichonis, de Roma.

Ipsa iubet signis, bellatoréque togatus
Imperat, & spectans Aquila decreta Senatus.

Coripp. li. 2. num. 7. vbi multa egregia ad officium Senatus spectantia Iustinus disserit, vide locum.

Et iuris seruate modos, disponite plebes,
Vt decet Imperij veros disponere patres,
Vtque pedes proprios, & membra minora fouete.

Varias Romani Senatus laudes contexuit vir doctissimus Franciscus Iuretus. Qu. Symmach. lib. I. Epist. 46. *pars melior humani generis Senatus.* Petron. in Satyr. *Senatus recti boni-*

Iuniq; praeceptor. Aurel. Prudent. li.1.in Symmachum, *mundi lumina.* Epictetus ab Adriano interrogatus, quid censeret esse Senatum? vt habetur in quaestionibus illis, quae excusae sunt cum Notitia Imperij Romani, *ornamentum,* respondit, *vrbis, splendor ciuium.* Et legati Pyrrhi Epirotae interrogati quid de Romanis sentirent? responderunt, *vrbem sibi templum visam, senatum regum concessum.* rettulit L. Florus libro primo capite decimooctauo, apud quem male antea legebatur, *Senatum regnum.* nam Plutarch. in eodem Pyrrho βασιλέων πολλῶν συνέδριον, *multorum regum conciliabulum* interpretatus est. Ammian. libro decimo quarto scibit: *vbique Senatorum reuerendam cum authoritate canitiem: sed tamen catus illius magnificum splendorem laesum fuisse leuitate paucorum incondita, vbi nati essent non reputantium, sed ad lasciuiam labentium.* Idem libro decimo sexto, *cumque vrbi appropinquaret* (Constantius) *Senatus officia, reuerendasque patriciae stirpis effigies ore sereno contemplatus, non vt Cyneas ille Pyrrhi legatus, in vnum coactam multitudinem regum, sed asylum mundi totius adesse aestimabat.* M. Tull. Orat. de Aruspic. respons. *Senatum principem salutis, publicaeque mentis.* Probi Caesaris dictum est apud Fl. Vopiscum in vita ipsius: *Romanos senatores mundi principes esse, tales fuisse, & tales semper futuros.* Aurel. Cassiodor. libro primo Epist. decima tertia: *quicquid humani generis floris est, debet curiam habere; quia sicut arx decus est vrbium, ita illa ornamentum sit caeterorum ordinum.* Et libro quinto formul. quarta: *Senatus mira opinione gloriosus, mundi lumina.* Quintilianus declamat.329. appellat *sanctissimum ordinem.* Virgil. libro sexto Aeneid. *sanctumque senatum,* & repetit idem Maiorianus Augustus Nouella tertia de titulo Imperij sui. Et in Xuiralibus scitis senatus iubetur *omni vitio carere,* vt relatum est à Cicerone libro tertio de legibus. Nazarius paneg. Constantini. *sensisti Roma te tandem arcem omnium gentium, & terrarum esse reginam, cum ex omnibus prouincijs optimates viros curiae tuae pigneraueris, vt senatus dignitas non nomine quam re esset illustrior.* eleganter l. 74. Cod. Theodos. de decurion. *qui vitiis, anteactaeque vitae opprobriis laborant, ampliſsimo ordine indigni iudicantur; quia famosis dignitatum portae non patent.* quod quomodo sit intelligendum, repete ex C. Tacito libro 11. Annal. & Dione Cocceiano libro sexto fine: Et Cassiodoro libr. primo Epist. 41. quos vide, sed nullus melius laudauit Silio Italico Punicor. lib. primo ad finem.

Consilium vocat Augustum, castaque beatos
Paupertate patres, & nomina parta triumphis.
Consul, & aequantem superos virtute Senatum
Facta animosa viros, & recti sacra cupido
Attollunt, hirtaeque comae, neglectaque mensa,
Dexteraque à curuis capulo non segnis aratris,
Exiguo faciles, & opum non indigna corda.

Et cum Rempublicam corpus effecissent, Imperatorem esse caput volebant, Senatores pectus, Plutarchus paulo supra laudatus à Saresberiensi, Corippus loco proxime citato.

Vos estis pectus, vos brachia verticis huius,
Quorum consiliis, quorumque laboribus vsa
Publica res domuit gentes, & regna subegit.

Quia vt vitae principium, secundum Platonicos à capite in alias humani corporis partes dimanare credebatur, ita sapientiae & prudentiae sedes in pectore. Macrob. libro primo Saturnal. capit. 6. Horat. libro primo Epist. 4. Plaut in Milite Act. 3. scena 1. Et in Epidico Act 2. sc. 2. & puto, alibi hoc in opere à me id dictum. Quamobrem male de senatu loqui imminutae maiestatis crimen, Arnob. libro 4. sub finem, & Saluian. Massiliensis libro sexto *sunt enim senatores quaedam principis pars.* L. 5. C. ad leg. Iul Maiest. & princeps ipse *in ordine senatorio numeratur* L. 1 Cod. Theodos. de exhibend. & transf. reis. quodque magis mirum, senator quilibet, *qui dignitatem suam non defendebat, imminuti magistratus, velut maiestatis reus erat.* vt verba vsurpem Asconij Paediani in 3. in C. Verrem Actionem: Itaque nec probrosum Imperatoribus ipsis in ordinis senatorij albo inscribi. Claudian. de 4. consul. Hon.

——numeroso consule consul
Cingeris, & socios gaudes admittere patres.

Superest tantum de Senatusconsulto iam facto qua ratione confirmaretur. id autem fiebat, si omnes inclamassent, geminassentque hanc vocem OMNES. quae dictio vnanimem consensum exprimebat, neque quemquam esse, qui reluctaretur. Fl. Vopisc. in Tacito August. *habita concione à Metio Nicomachio senatore, clamatum est, omnes, omnes.* Idem in Probo. *cum Manlius Statianus in probi laudem excucurrisset, sic clausit, denuo igitur patres conscripti, vocis omnibus concinentibus, nomen Caesareum, nomen Augustum, addo Probo consulare imperium, patris*

patriæ reverentiam post hæc acclamatum, omnes, omnes Iul. Capitolin. in Maximo & Balbino, *æquum est, iustum est, sententiæ Sabini omnes sumus.* Et paucis interiectis. *Gordianum Cæsarem omnes rogamus.* Æl. Lamprid. in Commodo August. *proroga, proroga, omnes censemus unco trahendum.* Trebell. Pollio in Claudio. *Claudi dux fortissime, habeas virtutibus tuis, deuotioni tuæ, Claudio statuam omnes decernimus, Claudium consulem omnes cupimus.* C. Plin. Iunior. in incomparabili panegyrico. quem Traiano dixit. *vnus solusque censebat, quod sequerentur omnes, & omnes imprcbarent.* Existimarem tamen apud Trebellium Pollionem in Valeriano in principio locum esse corruptum, *quæ cum essent sæpius dicta, ad iderunt omnes* legi cuperem, *addiderunt omen; atque ita discessum est*, omnibus enim rebus agendis adhibebant formulam auguralem ἀγαθῇ τύχῃ *bona fortuna.* Donat. in P. Terentij Phormionem Act. 1. scena 2. Ioan. Xiphilin. in Nerua. T. Liu. 1. Decad lib. primo M. Cicero pro L. Murena, C. Sueton. in Augusto cap. 58. in Calig. cap. 15. in Nerone cap. 37. Aul. Pers.

Hoc bene sit.

Ennius apud Seruium libro 6. Æneid.
Emicuit, dum ferre moror, cinis ipse, bonum sit.

Senatusconsulta fiebant, vt non sanioris, sed maioris partis probaretur consensus, neque quam prudentes, sed quam multi idem censuissent, intererat, hoc est, quod *numerari sententias non ponderari* dixit Plinius Nepos lib. 2. Epist 12. diserte Q. Symmachus libro 4. Epist. 37 *lex curiæ est, vt maioris Partis numeri antistes authoritas.* qua re senator quilibet poterat consulem, vel quemcunque alium magistratum, qui Senatum habebat, admonere, vt antequam Senatusconsultum proferretur, Senatum numeraret, alioquin Senatuscon sulto intercedebat. Fest. Pomp libr. 12. *numera senatum, quivis senator ait consuli, quum impedimento vult esse, quo minus faciet senatusconsultum, postulatque, vt aut res quæ adferuntur diuidantur, aut singuli consulantur, aut si tot non sint senatores, quot numero liceat præscribi senatusconsultum.* respexit huc Cicer. libro 5. Epistol. ad Atticum. *consule aut numera.* Et Cælius libro octauo epistolar. Familiar. ad eundem Ciceronem, *cum posset rem impedire, si vt numeraretur, postularet, tacuit.* apud Dionysium Halicarnassæum libro 16. Hist. Lucius Cornelius ab Appio postulat διαριθμεῖν τὰς γνώμας *numerari sententias.* M. Fab. Quintilian. Declamat. 365. *de vi septem indicent, quod maior pars iudicum statuerit, reus patiatur, duo ignominiam statuerunt, duo exilium, tres mortem, petitur ad mortem.* hæc quidem epigraphe controuersiæ: sequitur deinde. *ego existimo maiorem partem esse, in qua plures idem sentiunt, eandem pœnam pronuntiant, in eadem verba iurant.* Ne qua autem ambiguitas suboriatur, disertis verbis explicat, quinam sit ille maior numerus. *partem intelligimus eidem numero applicatam, quemadmodum sententia coniunctam.* Sed quis L. Senecæ aurea verba prætermiserit, huc spectantia? libr. de vita beata capite secundo, *cum de vita beata agitur, non est, quod mihi illud discessionum more respondeas, hæc pars maior esse videtur, ideo enim peior est, non tam bene cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant* apposite, & cum iudicio alium eiusdem Senecæ locum annotauit I Lipsius *quid præstat Philosophia? vt malis tibi placere, quam populo, vt existimes iudicia, non vt numeres.* Imperita librariorum multitudo antea legerat, *illud dissensionum more respondeas*, primus Rodolphus genuinam lectionem animaduertit, & ex eo Erasmus Roterodamus Egregie decreta Lateranensis Concilij apud Gulielmum Neubrigensem de Reb. Anglic. libro tertio, capite tertio, *ex hoc tamen nullum Canonicis Institutionibus, & aliis Ecclesiis præiudicium generetur, in quibus maioris & sanioris partis debet sententia præualere: quia quod in eis dubium venerit, superioris iudicio poterit definiri, in Romana vero Curia & Ecclesia, speciale aliquid atque constituitur, quia non potest ad superiorem recursus haberi.* Aurel. Prudent. libro primo in Symmachum in fine.

Seruemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri.

Frequentissimus cogebatur Senatus Kalendis Ianuariis. Sidon. Apollinar. libro 8. Epistol. 6. & ad eum locum ex multis diuersisque scriptoribus eruditissimus Sauaro. Cessabat autem duobus tantum toto anno mensibus, *Nouembri, & Decembri.* Sueton. in Augusto cap. 32. 35. aliis vero omnibus mensibus habebatur bis, *Kalendis, & Eidibus*, exceptis, *eidibus Martiis*, quæ parricidium appellabantur, quod in illis contigisset Cæsarem interfici, alibi hoc in opere est à me obseruatum. quid sit Senatu moueri, non est difficile intelligere ex Ioanne Zonara T. 2 Dione Cocceiano li. 56 Valerio Maximo libr. secundo cap. 4. titul. 25. Authore Incerti libri de vir. illustrib. capit. 72 Asconio Pædiano in Argumentum Orat. in Catilin. & aliis. Denique non nisi in loco sacro senatum fas erat conuocari. Herodian. libr. 7. histor. Roman. Seruius ad libr. 7. Aeneid. vers. 153. Guntherus allusit lib. 1. Ligurini.

Ergo vbi tanta patres audire negotia, dignum
Insedere

Insedere locum, diverso magna fauore
Pondera librantes.
Claudian. de 6. Hon. consul.
------ *Fulgentia tecum*
Collecti trabeatus adit delubra Senatus.
Et cum summum esset crimen, senatorem non petito & concesso commeatu à Curia abesse, vt ex C. Tacito in Accusatione Thraseæ, Peti, & Bareæ Sorani li. 16. Annal. colligitur, ita *vltra annum sexagesimum non poterat cogi Senator, vt in Senatum veniret.* L. Seneca libro de Breuit. vitæ cap. vl. licet alij tempus vacationis legitimum præfiniant sexagesimum quintum.

Capvt VI.

De Senatu, & eius potestate, item per quos more maiorum, quo loco, & quo tempore Senatus habitus fuerit.

Totum illud Senatorum collegium siue concilium, Senatus dictus est, cuius quæ fuerit potestas, paucis indicat Dionysius lib. 2. inquiens, Senatui dignitatem ac potestatem eam addidit Romulus, vt de iis de quibus à Rege ad ipsum relatum esset decernat, & ferat calculum, ita, vt semper plurium obtineat sententia, & ita Senatus erat potestas in negociis ad Rempublic. pertinentibus: & alio loco scribit, li. 6. legem semper ab Vrbe condita fuisse Romæ, vt Respublica omnis in potestate Senatus esset, præter Magistratuum creationem, legum lationem, & belli pacisue arbitrium. Polybius vero lib. 6. pluribus eam Senatus potestatem exponit, cuius verba sunt hæc: Senatus primam ærarij potestatem habet. Etenim in ipsius arbitrio sunt & reditus & sumptus. Neque. n. Quæstoribus, ne ad particulares quidem vsus integrum est aliquid expendere, sine ipsorum decreto, nisi in Consules tantùm: vniuersalis verò, ac maximus quisque sumptus, quales plerumq; Quæstores in sarta tecta, ad publicum pertinentia, singulis quinquennis facere solent, in Senatus est potestate, & per hũc indultum est, quicquid conceditur Censoribus. Consimiliter & quæcunq; flagitia per Italiam commissa publicam animaduersionem requirunt, vt puta proditionis, coniurationis, veneficij, cędis dolo perpetratę, horum puniendorum cura Senatum concernit. Pręptereà, si quis priuatus, vel ciuitas quæpiam ex Italicis, vel conciliatione aliqua, vel æstimatione, vel auxilio, aut custodia opus habet, horum omnium procurationem habet Senatus. Denique si legatio quædam aliquo mittenda sit extra Italiam quæ vel conciliet quosdam vel adhortetur, siue omnino imperet aliquid, aut accipiat, vel bellum denunciet de his prouidet Senatus. Consimiliter cùm legati Romam veniunt, quomodo tractandi sint quilibet, quidque respondendum, cuncta hæc perficiuntur per Senatum. Hactenus Polybius. Quæ omnia etiam confirmantur à Cicer. oratione in Vatinium testem, & pro Domo sua, exceptis iis, quæ de iudiciis à Polybio dicuntur: quæ tamen sic intelligenda sunt, quòd Iudices ex Senatu lectos fuisse dicere velit. Eo enim tempore, quo Polybius hæc scripsit, nondum communicata fuerunt iudicia ordini Equestri, vt alibi ostendetur: alioqui maximè obscurus hic locus esset. Non minima etiam Senatus potestas fuit, quòd in comitiis maioribus, & legibus ferendis, necessaria fuit & cognitio & auctoritas eius. Liu. li. 1 & 8. & Appian. lib. 1. de bellis ciuilibus, & Dio lib. 11. & maximè commendant Senatus dignitatem ea, quæ à Plutarcho scripta sunt in Pyrrho, de Cynea, quòd cùm à Pyrrho Romam legatus missus esset, & inde reuersus, à Pyrrho interrogaretur, quomodo placuisset sibi Senatus Romanus: responderit, sibi Senatum illum visum fuisse concessum Regum. Sed reliqua etiam videantur.

Per quos autem Senatus more maiorum haberi & consuli consueuerit, exponit Agellius ex Varrone, dicens: Senatum haberi solitum fuisse à Dictatore, Consulibus, Prætoribus, Tribunis pleb. Interrege, & Præfecto vrbis, neque alij præter hos, ius fuisse facere Senatusconsultum. Quoties autem vsu venisset, vt omnes isti Magistratus eodem tempore Romæ essent, tum quo supra ordine scripti fuerunt, qui eorum prior alijs esset, ei potissimum Senatus consulendi ius fuisse. Extraordinario autem Iure Tribunos quoque militares Consulari potestate, item Decemuiros legum scribendarum, Triumuiros etiam Reipu. constituendæ, ius consulendi Senatum habuisse. Idem tradit, de Præfecto vrbis Latinarum causa dubitatum fuisse, vtrùm ius id habuerit, sensisse tamen & Capitonem, & Tuberonem, contra Mutium Præfectum vrbis Latinarum causa, & Tri. pleb. quanquam hi ante Atinium Plebiscitum Senatores non essent, Senatum tamen habere potuisse. Docet etiam Senatum nisi in loco pe-

Augures constituto, quod templum appellaretur, haberi non licuisse, quódque Senatusconsul tum aliis locis factum esset, iustum non fuisse, & propterea in curia Hostilia & Pompeia, & postea in Iulia, cùm profana ei loca essent, templa fuisse per Augures constituta, vt in iis Senatusconsulta, more maiorum, iusta fieri possent. Loca autem ea Senacula dicta fuisse habet Festus, inquiens: Senacula Romæ tria fuisse, in quibus Senatus haberi solitus sit, memoriæ prodidit Nicostratus in lib. qui inscribitur, De Senatu habédo. Vnum, vbi nunc est ędes Concordiæ inter Capitolium & forum in quo solebant Magistratus, vt dicit Titinius, cum senioribus deliberare. Alterum ad portam Capeuam. Tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in Vrbem admittere nolebat, Senatus dabatur. Hæc Festus. Sed tamen etiam Magistratibus iis qui ad Vrbem esse dicebantur, datum in Bellonæ templo Senatum fuisse, ex Liuio cognoscitur. Memorabile est quod Plinius scribit, cùm esset nunciatum, bouem loquutum (quod frequens in priscorum prodigiis fuisse ait) Senatum sub diu haberi fuisse solitum.

Liu. li. 38. & 49.
Plin. li. 8. cap. 45.

Cæterùm, vt de tempore etiam habendi Senatus aliquid dicatur, sciendum est, Senatum alium fuisse legitimum, alium indictum. Legitimus dicebatur, qui vel lege, vel more certis semper diebus habebatur, Kal. Non. Idib. Suet. ait: Sanxisse Augustum, ne plus quàm bis in mense legitimus Senatus haberetur, scilicet Kal. & Idibus. Néve Septembri, Octobri ve mense vllos adesse alios necesse esset, quàm sorte ductos. Indictus autem dicebatur, qui reliquis diebus mensis, qui modo comitiales non erant, Magistratuum vocatu cogebatur. Iul. Capitolinus. Comitialibus autem diebus idcirco Senatus non indicebatur, ne Senatores à suffragio ferendo auocarentur. Prætereà Agellius docet, Senatusconsultū nec ante exortum, nec post occasū Solem factum, ratum fuisse. Opus etiam Censorium fecisse existimatos, per quos eo tempore Senatusconsultum factum esset, quod confirmat his verbis Seneca: Maiores nostri, inquit, nouam relationem post horam decimam in Senatu fieri vetabant. Quin & totum mensem Februar. legationibus exterarum gentium audiendis attributum fuisse, ex Ciceronis epistola ad Lentulum, ad Q. Fratrem, & aliis locis multis constat.

Sueton. in Augusto cap. 35.
Iulius Capitolinus in Gordiano.
Agel. li. 14. cap. 1.
Seneca li. 1. de tranquillitate vitæ.

CAPVT VII.

Quomodo sententiæ in Senatu & rogatæ, & dictæ fuerint. Item de Senatusconsultis.

SENATVSCONSVLTA duobus modis fieri solita, Agellius li. 14. cap. 7. ex Varrone docet, aut per discessionem, si consentiretur: aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas. Singulos autem debere consuli gradatim, incipique à Consulari gradu: ex quo gradu semper quidem regulariter primùm rogari solitum, qui Princeps in Senatu lectus esset. In Senatusconsulto verò per discessionem faciendo, moris fuit, vt is Magistratus, qui de aliqua re ad Senatum retulerat, diceret: Qui hoc censetis, illuc transite: qui alia omnia, in hanc partem: quibus verbis præibat ominis causa, ne diceret: Qui non censetis. Festus, Hircius, Suetonius, Plinius Iunior, Agellius, Cicero, & alij. Quòd si singulorum sententiæ exquirendæ essent, tum hoc ordine procedebatur. In more erat, vt post comitia consularia, consules designati primi sententias rogarentur, & eorum is prior qui priore loco declaratus esset: ante Comitia verò is qui à Censoribus Princeps Senatus lectus erat: ij deinde, quos Consulibus videbatur: ita tamen, vt ne Prætorium Consulari, Aedilitium Prætorio, Tribunitium Aedilitio anteferret, quemadmodum ex Sallustio, Agellio, & Cicerone quinta Philippica cognoscitur. Memorabile autem est quod Suetonius scribit in Iulio Cæsare, consuetudinem obtinuisse, vt quem ordinem rogandarum sententiarum Consul Kalendas Ianuarias tenuisset, eundem toto anno vsurparet, quem tamen morem à Cæsare non obseruatum fuisse ibidem annotat.

Cum rogatus Senator dicere sententiam vellet, assurgebat, stánsque dicebat, & non modò de ea re, de qua relatum fuisset, verùm etiam quacunque de re volebat, & quandiu volebat dicendi potestatem habebat. Agellius libro 4. cap. 10. Tacit libro 3. & 13. Annalium, & Plutarchus in Catone. Forma autem sententiæ dicendæ, quemadmodum ex Philipp. orat. paret, ferè hæc erat: Quod verba facta sunt de literis, &c. de ea re ita censeo. Neque verò prætereundum illud est, quod Pedianus in Milonianam docet, cùm aliquis in dicenda sententia duas, pluresve res complexus esset, ex si non omnes probarentur, postulari solitum à quouis sedente, vt diuideret, id est, vt de rebus singulis referretur, de quo more

multa

multa etiam Plinius lib.8.Epist.ad Aristonem, & Cicero libr.1.epistolarum ad Lentulum habent.

Cæterùm qui numerus Senatorum ad Senatusconsultum faciendum necessarius fuerit, non videtur alienum ab hoc loco inquirere. Quis numerus Senatorum inde ab Vrbe condita ad Augusti tempora Romæ fuerit, capite ab hoc tertio annotatum est. Quia verò non omnes Senatores semper adfuerunt, ideò certus numerus eorum constitutus, qui necessariò præsens esset ad Senatusconsultum faciendum. Is autem diuersus fuit, pro diuersis Reip. temporibus Liuius vbi de Bacchanalib. loquitur, innuere videtur, Senatusconsultum fieri posse, si centum, non minùs Senatores in Senatu essent. Pedianus autem de re non ita magni momenti loquens, in Corneliana scribit, lege Cornelia cautum fuisse, ne quis in Senatu solueretur legibus, nisi ducenti ad fuissent. Posterioribus temporibus 400. adfuisse oportere, docet Dio, de Augusto scribens: Cùm videret Senatum non semper frequentem conuenire, decreuit, vt eius consulta etiam à paucioribus, quam à quadringentis fierent Priùs enim non aliter, quam eo numero constante, rata esse poterant. Hactenus ille. Qui igitur Senator non aderat, is legitima excusatione agebat, aut in culpa erat, tum mulcta ei indicebatur, quæ dum solueretur, pignus ab eo capiebatur. Hinc Agellius de Varrone scribit, quod in Isagogico suo de Senatu habendo, item in Epistolis etiam de pignore capiendo disseruit, deque mulcta dicenda Senatori, qui cum in Senatum venire deberet, non adesset. Meminit huius moris etiam Cicero, apud quem est cædere vel concidere pignora, pro ita capi, vt auctione distraherentur, & consumerentur. Sed pergamus ad reliqua. Discessione facta, siue sententiis singulorum exquisitis, præscribebatur Senatusconsultum. In eo autem scribendo moris erat, vt ea res, de qua rogatæ sententiæ fuerant, summatim exponeretur. Exempli gratia: Quod M. Marcellus Consul verba fecit de Prouinciis D.E.R.I.C. quæ verba sic interpretatur Valerius Probus: De ea re ita censuerunt. Quòd verba facta sunt de Philosophis & Rhetoribus, D.E.R.I.C. Quod M. Pomponius Senatum consuluit, &c. Quod si quid Consulibus Senatus mandaret, addi solebat: Si eis Consulibus videatur. Donatus in Terentium. Cuius rei exemplum est in Ciceronis Philippicis: Vtique C. Pansa, A. Hircius Coss. alter ambóve, si eis videatur, Quæstoribus vrbanis imperent. Quanquam ex eodem apparet, eam interdum formulam prætermissam. Quoniam autem Senatusconsultis intercedere Tribuni plebis poterant, propterea moris erat, vt illa clausula adderetur: Si quis huic Senatusconsulto intercesserit, Senatui placere, auctoritatem præscribi, & de ea re ad Senatum, populumque referri. Ac si quis intercessisset, addebatur: Huic Senatusconsulto intercesserunt C. Cœlius: C. Pansa Tribuni plebis. Et tum quidem non Senatusconsultum, sed auctoritas præscripta dicebatur, Dio. Quod si forte vsu veniret, vt non tam multi, quàm opus erat, conuenirent, Senatus quidem habebatur, decretumque præscribebatur, non tamen quasi effectum habebat: sed erat authoritas, vti Senatus sententia nota ac testata esset. Tale enim quiddam vis huius verbi declarat, quod vno verbo Græcè exprimi non potest. Id etiam obseruatum est, si quando in loco aliquo non legitimo, aut die non idoneo aut non legitimo edicto, sed ambitiosè Senatus coactus esset, aut nonnulli Tribuni plebis intercessissent. Tum enim Senatusconsultum fieri non poterat, quid tamen placuisset, testari reliqui volebant. Hæc Dio, quibus consentanea scribit Cicero Epistolis ad Lentulum.

Liuius lib. 39. *Dio. li. 34.* *Cic. lib. 3. de legibus* *Agellius lib. 14 c. 7.* *Cic. libr. 3. de Orato.* *Dio. l. 5.*

Notari quoque eum nominatim oportuisse in cuius sententiam Senatusconsultum factum esset, colligitur ex epist. Cic. ad Atticum. Scripto Senatusconsulto, eorum omnium nomina qui affuissent adscribi solebant, quod notum est ex Epistola Cœlij ad Ciceronem, & ex ipso Cicer. Fieri autem id ad Consulis pedes solitum fuisse, Lampridius subindicare videtur. Ex iis quæ hactenus dicta sunt, intelligi etiam potest, quæ impedimento fuerint, quo minus Senatusconsultum fieri potuerit, vt puta, I. si legitimus Senatorum numerus non adesset: quo tempore cuiuis Senatori dicere Cõsuli licebat numera Senatum. II. Cùm dies tolleretur: hoc est, cum quis ad vsque Solis occasum oratione produceret, quo tempore Senatusconsultum fieri non poterat. III. Cùm quis Tribunorum plebis moram interponeret, hoc est, tempus sibi ad deliberandum postularet. IIII. Cùm quis intercederet. Nam vt scribit Agellius libro decimo quarto, capite septimo, intercedendi, ne Senatusconsultum fieret, ius fuit iis, qui eadem potestate, qua ij qui Senatusconsultum facere vellent, maioréve essent. Memorabile autem est, quod Valerius lib. secundo capite secundo scribit, vetustis temporibus ius non fuisse Tribunis plebis curiam intrare: ante valuas autem, positis subselliis, decreta Patrũ examinasse, vt si qua ex iis improbassent, rata esse non finerent. Itaque veteribus Senatusconsultis T. literam subscribi solitam, qua nota significabatur, illa Tribunos plebis quoque censuisse. Liuius libro tertio etiam auctor est, anno A.V.C. CCIV. institutum à Valerio, & Hora-

Cic. lib. 4. ad Attic. Epistola. *Cic libr. 3. de Orat.* *Lamprid. in Heliogabalo.*

tio Coss. fuisse, vt Senatusconsulta in ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur, quę ante arbitrio Consulum supprimebantur, vitiabantúrque. Postea tamen ad ærarium ea delata fuisse, & Cicero 5. Philipp. Suetonius in Augusto, & Tacitus li. 3. Annalium testantur. Hæc de Senatu: ex quo, vt ait Dionysius, Sacerdotes & Magistratus creati sunt. Ij verò, qui Magistratum aliquem petebant Candidati dicebantur, de quibus capite sequenti.

Capvt VIII.

De Candidatis.

CANDIDATI dicebantur, qui Magistratuum aliquem petebant: id nominis adepti à toga candida, quam gestabant, qui se Magistratum petere professi essent. Professio autem ista fiebat ad populum, ea ratione, vt quis impetrata ab aliquo Magistratu concione, vel per se, vel per amicos, oratione declararet, velle se Magistratum populi beneficio obtinere. Nemini autem prohibitum erat profiteri in candida toga petitionem, quia populo in candida veste supplicare, cuiuis liberum erat, qui se à populo obtinere posse sperabat. Sed tamen non semper habebatur ratio eorum, qui professi essent. In quo Magistratuum ac Senatus cognitio locum habebat. Ne enim populus Magistratum alicui mandaret indigno, aut contra leges, publicè intererat considerari Candidatorum causas à Magistratibus & consilio publico: quæ deinde ad populum allegatæ, efficiebant, vt eorum tantùm qui digni essent, rationem Comitiis habere vellet. Ac sæpe etiam contra populi studia manifesta, Magistratus iudicio aut Senatus decreto excludebantur à suffragiis populi nonnulli Candidati. Oportebat .n. eos ante Comitiorum diem, sua nomina etiam profiteri apud Magistratum illum, qui Comitia habiturus erat. Tum si digni iudicarentur, quibus pars aliqua gubernationis Reipub. à populo committeretur, nomina eorum à Magistratibus recipiebantur, sin minùs, non recipiebantur, neque tum populus, etiamsi maximè vellet, creare eos poterat. Professio porrò, quæ integrum annum ante Comitia nonnunquam incipi solebat, posita erat, vt apud Ciceronem de petitione Consulatus, Q. Cicero prolixè disputat, in amicorum, & populi voluntate concilianda. Amicorum nomen latiùs in hoc genere patuit, quàm in reliquæ vitæ consuetudine. Nam & propinqui & necessarij & omnino, qui aliquid voluntatis ostenderunt, inter amicos habiti sunt. Hi omnes conciliandi erant. Studia enim eorum plurimùm ad petitionem valebãt. Qui verò aliquid voluntatis ostenderunt, ij fermè, aut salutatores, aut deductores, aut sectatores fuerunt. Salutatores prima diei hora domum petitoris veniebant, atque salute dicta, inde discedebant. Deductores propterea tantisper exspectabant, dum illum domo exeuntem in forum deducerent, atque hi etiam obseruare eum dicebantur. Sectatores assidui cum eo omnibus horis erant, eiúsque latera stipabant. Hic Petitorum mos erat, vt summo mane domi inambularent, ac sui copiam salutatoribus facerent. Popularis ratio, siue voluntaris populi conciliatio, quatuor habebat partes: nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, & benignitatem. Nomenclatio eam habuit vim vt Petitor suo quemque ciuem nomine appellaret. Fuit ergo illud in primis Petitori elaborandum, vt singulos ciues nosset, eorúmque nomina teneret. Siquidem, qui aut non tenet, aut oblitus est nomen alterius, is parum eius rationem videtur ducere. Sed quoniam in tanto populo, & tantis vitæ occupationibus fieri non poterat, vt æquè omnes cogniti essent: hinc ministrum instituerunt, qui Petitori nomina omnia ciuiũ, vt quisque occurrebat, suggereret, eúmque nomenclatorem vocarunt. Cicero pro Muræna monitorem, Festus fartorem appellat, quòd clàm veluti infarciret in aures Candidati nomina salutandorum ciuium. Altera pars popularis rationis est blanditia. Est autem blandè appellare, non proprio nomine, sed honestiore salutare, vt patrem, aut fratrem, aut patronum. Ad assiduitatem pertinebat ambire, prensare, ac rogare. Ambire erat circuire. Ambibant autem Petitores non solùm Romæ & in foro, sed etiam in Conciliabulis Italię, in quibus ciues multi negotiandi causa versari solebant. Prensare erat rogandi causa singulorum dextram prehendere. Rogare erat precibus petere, ac beneficium reposcere. Atque in hoc quidem munere supplicationis, vel admonitionis, aut ipsi versabantur, aut alios claros viros adhibebãt, qui vices suas sustinerent, qui suffragatores dicti sunt. Ij cum virtutes Petitorum populo commemorabant, tum beneficia accepta exponebant. Attulit etiam aliquid ad hanc rationem Toga candida, qua sumpta Petitores nundinis veniebant in Comitium, & in colle considebant, vnde coram possent ab vniuersis videri. Narrat etiam Plutarchus in Coriolano, Petitores cùm in campum descen-

descenderunt, tunicam deposuisse, siue quemadmodum idem inquit in Problematibus, Problemate 49. ne in sinu pecuniam gestare possent, qua suffragia emerent: siue vt cicatrices aduerso pectore acceptas commodius possent ostendere omnibus qui occurrerent: aut quemadmodum prensationibus & supplicationibus, sic etiam habitu & mutatione corporis se deprimerent. Benignitas posita in conciliando populo, congiariis dandis, prandiisque prębendis, gladiatoribus exhibendis, locis parandis, & pecuniis diuidendis, quibus muneribus dādis multi patrimonia consumpsisse leguntur. Fuerunt etiam qui locis tribulibus suis, cùm gladiatores darentur, in foro commodandis, gratiam eorum quæsierunt. Quinetiam postremis temporib. consuetudo obtinuit, vt præsenti pecunia populi suffragia emerentur, ad eámque rem ministri adhiberentur, interpretes, sequestres, & diuisores. Interpretes, teste Asconio, erant, per quos pactio inducebatur. Sequestres apud quos pecunia deponebatur. Diuisores, qui singulis nummos distribuebant. Hæc omnia Cicero, de petitione Consulatus, & alibi, Asconius, Plutarchus & alij.

Capvt IX.

De Consulibus

Svpremvm inter reliquos Reipublicæ Romanæ Magistratus ordinarios locum, rerúmq. imperium, post Reges, Consules obtinebant: de quorum institutione, dignitate, & potestate, hîc nobis dicendum est. Postquam Regum imperium per L. Iunij Bruti, & sociorum ipsius Tarquinij Collatini, Spurij Lucretij, atque Valerij, qui Poplicola postea dictus est, operam, Roma excussit, re cum Patribus, vniuersoque populo deliberata, visum fuit commodissimum fore, vt deinceps, suprema potestas duobus committeretur, idque ad anni solummodò spacium: quos tum quidem Prætores (cùm nondum Prætorium nomen peculiarem haberet Magistratum à Consulibus distinctum) quòd summæ rerum præessent, vel quòd populo præirent, aliquot annis interpositis. Iudices à iudicando: ac tandem Consules, à consulendo, vel quòd alios consulerent, vel quòd ab aliis consulerentur, appellatos esse, ex Sexto Pompeio, Iustiniani Imperatoris Nouellis, Cicerone & Varrone discitur. Græci eos ὑπάτους appellare maluerunt, quam συμβούλους, siue προβούλους à potestatis præcellentia. Hi creabantur comitiis Centuriatis, vt præcedenti libro ostensum est. Legitimus annus eius Magistratus capiendi fuit quadragesimus tertius ætatis. Nemini enim Consulatus regulariter contingebat, nisi ad minimum annos ætatis XLII. expleuisset, & prudentia atque virtute singulari conspicuus, gradatim per Quæsturam, Ædilitatem, ac Præturam anteà gestam, sibi aditum fecisset ad petitionem huius muneris: Ideò prorsus peculiare, & extraordinarium quiddam fuit, quando honoris & præmij causa aliquis ante legitimum tempus factus est Consul, quod Marco Valerio Coruino, Tito Flaminio, Scipioni, & Pompeio contigit. Nec licebat absentem aliquem Consulem creari. Qui Candidatos se profitebantur, eos oportebat esse præsentes. Inter Consulatum etiam, & Præturam ad minimum intercedebat spatium biennij: sicuti & tantundem temporis inter Ædilitatem, & Præturam interponebatur. Nec fas erat denuò anno sequente Consulem fieri, qui anno proximo hac dignitate fuerat perfunctus. Quanquam in persona Marij, propter molem ex bello Cymbrico imminentis periculi hoc non fuit obseruatum: Et hæc quidem ad hunc modum se habuerunt, dum Respublica fuit sui iuris. Nam de eo tempore, quo cœpit Cæsaris imperium, hîc non loquimur. Ratò quoque hæc dignitas bis, aut ter in vnum quempiam collata est. Quanquam in quosdam toties collata fuisse legitur, Rarius verò quater, aut quinquies. Vnius Marij hoc est proprium, quod septies Consulatum gessit. Initio etiam hæc dignitas nonnisi in Patricios conferebatur: quæ posteà cum Plebeiis quoq. communicari cœpit, anno ab V. C. CCCXCVII. Anno autem DCXXI. eò res deducta legitur (cùm id multis annis ante, lege Licinia fuisset obtentum) vt tum primùm nouo quodam prorsus exemplo ambo Consules Plebeij eligerentur. Sed tamen nihilominùs plerumque euenit, vt iungerentur Patricius & Plebeius.

Nouel. 34.25. Cicero lib 3. de legib. Varro lib. 4. de ling. Lat. & li. 2. de vita pop. Rom. apud Nonium. Vide etiā Antonij Contium li. 1. de Ilio num subsecinarum iuris ciuilis ca. 19.

Insignia Consulum fuerunt, sella Curulis regia & eburnea, in qua ius dicebatur, trabea seu purpurea prætexta, lictores præferentes ipsis fasces. Fuit & hoc maximæ dignitatis, quod hic Magistratus esset ἐπώνυμος, hoc est, quo annorum solebant differentiæ notari: non aliter, quam apud nos Christianos annorum series à natiuitate Saluatoris nostri sumitur.

Cæterùm quæ potestas Consulum fuerit, tum multi alij, tum verò Polybius li. 6. exactè describit, cuius hæc sunt ex versione Vuolfgangi Musculi: Consules, inquit, antequam exercitus educantur, Romæ præsentes omnium publicarum actionum potestate funguntur. His

reliqui principes cuncti subiiciuntur,& obediunt,præter Tribunos plebis. Et in Senatum illi legationes ducunt,& vrgentia consilia proferunt, ac totum edictorum(siue Senatusconsultorum)negotium ipsi exequuntur. Denique quicquid per plebem,quod publica negotia côcernat,perficiendum est,huius cura pertinet ad ipsos. Illorum est conuocare concionem, illorum proferre edicta(siue Senatusconsulta):illorum ea,quæ à pluribus decreta sunt,dispensare. Denique & bellicus apparatus ad eos pertinet,ac vniuersæ, quæ sub cœlo est, œconomiæ,prope Imperatoriam,ac regiam habent potestatem. Licet enim ipsis constituere millenarios Iudices (siue Tribunos militum) qui videntur imperare belli sociis,conscribere exercitus,ac seligere socios ac necessarios. Et præterea in ipsorum potestate est, quemlibet ex subditis vbilibet commorantibus punire. Et id quoque potestatis habent, vt sumptus ex ærario publico, quantum ipsis videtur,faciant, Quæstore ipsos ad hoc consequente,& imperata incunctanter faciente. Hactenus Polyb. Quæ omnia etiam ab aliis scriptoribus confirmantur,& à Cicer.lib. 3.de Legib.paucis comprehenduntur,cum inter alias leges hanc quoque recitat. Regio Imperio duo sunto,iique præeundo, iudicando consulendo,Prætores,Iudices,Consules appellantor:militiæ summum ius habento: nemini parento:ollis salus populi suprema lex esto. Eum Magistratum,nisi interuenerint decem anni,ne quis capito. Æuitatem annali lege seruanto, &c.

Restricta tamen plurimum est Consularis potestas, quòd ad Senatus auctoritatem fuit alligata, & quod maturè est constituta prouocatio à Consulibus ad plebem lege Valeria. Qui consulatum gesserant, Consulares appellabantur, sicut,qui Præturam, Prætorij:qui Ædilitatem, Ædilitij:qui Quæsturam,Quæstorij. Et erat eximij honoris symbolum,dici consularem, hoc est,agnosci pro eo, qui dignus fuisset habitus, cui se legitimis suffragiis Respublica Romana,maximæ partis orbis terrarum domina,aliquando commisisset. Ex illis electi sunt,Dictatores,Magistri equitum,& Censores.

Non est hoc loco silentio prætereundum,quod de Consulibus Honorariis Dio li.43.scribit, quos anno A.V.C.DCCIIX.primùm creatos fuisse docet. Eius verba sunt hæc: Consulatum, inquit,Cæsar continuò,antè etiam,quàm vrbem intraret,accepit. Non autem toto anno gessit, sed postquàm in vrbem venit,eo se abdicauit, Consulésque fecit, Q Fabium,ac C. Trebonium. Fabióque extrema Magistratus sui die mortuo, statim in residuas horas C.Caninium subfecit. Hac in re dupliciter præuaricatum est à C. Cæsare contra instituta maiorum,quòd Consulatus non toto anno, neque omni reliquo anni tempore gestus est, sed ipse viuus, ac neque legibus patriæ, neque edicto quodam iussus, eo se abdicauit, aliúmque subrogauit. Deinde quòd is Caninius & consul creatus est,& gessit Magistratum, & deposuit, quod Cicero cauillatus,tanta fortitudine ac cura consulem eum in suo Magistratu vsum dixit, vt ne breuissimi quidem in eo somnum admiserit. Verùm ab eo cœptum est, vt perpauci toto anno consulatum gererent,sed alij pauciores,alij plures menses,diésque,prout casus tulisset, eo Magistratu fungerentur. Ac nostro quidem tempore,nemo, neque ad integrum annum, neque amplius duobus mensibus ferè cum collega aliquo consul est: in cæteris ab antiquo more nihil discrepamus. Annorum autem numerus his,qui initio eius Consules fuerunt,adscribitur,&c. Auctor verò fuisse hoc institutum à Triumuiris R.P.C. L Marcio C.Caluisio Coss.vt ipsi gratiæ causa multos in eundem annum consules designarent, qui in paucos menses aut etiam dies Magistratum gererent,idem scriptor tradit alio loco his verbis: Consules electi sunt,non vt moris erat,duo qui annum eum Magistratum gererent, sed ipsis comitiis, tum primùm plures designati simul sunt. Equidem iam ante quoque,nonnulli aliis in Consulatu substituti fuerant,neque mortuis,neque per ignominiam,aut aliàs eo depositis. Verùm hi tamen ipsi ex arbitrio eorum, quibus consulatus in totum annum mandatus fuerat, constituti: tum verò annuus consul nullus est creatus, sed alij ad alias partes temporis eius designati, quorum primi nomen consulum per totum annum gerebant,vt nunc quoque fit:reliquos ij,qui Romæ, aut in Italia erant, sui quemque Magistratus tempore consulem nominabant, reliqui aut omnes istos,aut plerosque ignorabant,iccircóque eos consules minores appellabant. Hæc ille. Hinc Suetonius de Domitiano,cap.2. In sex consulatibus nonnisi vnum ordinarium gessit. Quem locum Adrianus Turnebus Aduersariorum li.5.ca.10.explicans scribit,Ordinarium consulem dici,ex cuius nomine anni supputatio ordinaretur,id est,cuius nomen in literis,& instrumentis,& in fastis scriberetur,qui denique Kalen. Ianuar,honorem iniret. Nam,inquit,ætate Imperatorum annus in multos diuidebatur Consules:sed soli, qui anni initio inibant honorem, ordinarij censebantur,honoratiorésue erant. Sic & Seneca: Consulem me fecit, sed non ordinarium. Atque tantùm de Consulibus.

Cap.

Capvt X.

De Censoribus.

Anno cccx. primi Censores constituti sunt, quod Consules negotiorum mole impediti, vacare censendis ciuibus non poterant, ideóque totos annos septemdecim nullus fuerat habitus census. Partem igitur hanc consularis muneris, & alia quædam officia iudicarunt Patres transferenda esse in peculiarem Magistratum, cui hinc censuræ nomen est impositum, quòd ad eorum censionem, id est, arbitrium, censeretur populus, vel quod quisque rem suam tanti æstimare solitus sit, quantùm illi censuissent. Liuius li. 4. scribit: Censores eos dictos, quod censui præessent. Fuit hic vnus de Magistratibus maioribus, & Romanæ Reipublicæ propter disciplinæ custodiam, cuius seuera cura Censoribus inter cætera, sine prouocatione commissa fuit, admodùm salutaris. Ipsorum officium erat describere facultates cuiusque ciuis, obseruare singulorum hominum, etiam eorum, qui Senatorij, aut Equestris erant ordinis, mores & vitam: & notare ignominia ciuem quemcumque: Senatorem loco mouere, & Equiti adimere equum, & annulum, si quid in vita eius deprehenderent honestati contrarium, tollere quoque omnia, quæ probitati morum pestem, & perniciem illatura videbantur, vnde Magistri morum solebant nominari. Si quis etiam, ait Agellius lib. 4. cap. 12. agrum suum passus fuerat sordescere, eúmque indiligenter curabat, ac neque arauerat, neque purgauerat, siue quis arborem suam vineamque habuerat derelictui, non is sine pœna fuit: sed erat opus censorium, Censorésque ærarium faciebant. Item si quis Eques Romanus equum habere gracilentum, aut parum nitidum visus erat, impolitiæ, id est, incuriæ notabatur. Plinius libro 34. capit. 6. scribit, statuas circa forum omnes, quæ non essent populi aut Senatus sententia positæ, per Censores Scipionem & Popilium sublatas fuisse, ne scilicet, quis temerè sibi honores, & eorum insignia vendicaret. Et alibi Plinius libro 33. capit. 4. docet quomodo lege Censoria de numero metallicorum hominum, ne nimis multi ad aurifodinas adhiberentur, fuerit constitutum. Apud eundem libro 35. cap. 17. legitur etiam, Fullonibus modum in pingendis vestibus à Censoribus fuisse præfinitum. Porro, vt constaret quinam è Senatu, aut ordine Equestri reijcerentur, vsitatum erat, peracto censu recitare omnium Senatorum, qui tali ordine digni haberentur, posteà & Equitum nomina: vbi, qui in recitatione præteriti erant, sua dignitate exuti intelligebantur. In Senatorum catalogo eximius honos erat primo loco recitari. Quod ideo notandum est, quia talis vocabatur ob eam dignitatem Princeps Senatus: de quo suprà. Eadem ratione princeps Equestris ordinis dicebatur is, quem Censores primo loco scripserant in Equitum tabulis, siue catalogo. Hoc tamen etiam obseruandum, quòd licet quis à Censoribus esset notatus, non tamen propterea fuerit vt infamis per omnem vitam à reditu ad honores exclusus. Eum enim vel successores, vel Iudices, re cognita & iudicata (si quidem Censores plerúmque fama solummodò laborantem etiamsi causam non dixisset, ab officio remouebant) vel populus iis suum locum reddens, aut nouum honoris gradum decernens, poterat restituere. Et habent Valerius libro secundo capite 9. ac Cicero pro Cluẽtio duo exempla virorum, qui per Censores è Senatu eiecti postmodum ipsi ad Censoriam dignitatem peruenerunt, vbi multa de Censoriæ animaduersionis correctione afferunt. Et Valerius grauiter ait in illis duobus, qui ita notati fuerant, ignominiam virtutem acuisse: Rubore enim eius excitatos omnibus viribus incubuisse, vt digni ciuibus viderentur, quibus dari potiùs, quam obiici censura deberet. Sed & alia ad Censorum munus pertinebant, vt putà, addere tribus, tueri vrbis templa, vias, pontes, aquarum ductus, & alia quædam publica ædificia: elocare item vectigalia, & fundos publicanis, quod in conspectu populi Romani fieri oportebat, vt ex Cicerone, oratione 1. in Rullum patet. Precia quoque Sacrificiorum procurare, & alere sacros anseres, lustrum condere. Habuerunt etiam potestatem leges condendi, aut abrogandi, & cognoscendi de certis causis, vt de matrimonialibus Equitibus quoque emeritis vacationem dederunt: quorum omnium probationem qui desiderat, legat Liuium, Plutarchum, Valerium, Agellium, Plinium, & alios. Cicero lib. 3. de Legibus paucis verbis hęc omnia complectitur, quando de Censorum munere eiusmodi legem proponit: Censores populi æuitates, soboles, familias pecuniásque censento. Vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuento, populique partes in tribus distribuunto: exin pecunias, æuitates, ordines partiuntor: Equitum peditúmque prolem describunto: cælibes esse prohibento: mores populi regunto: probrum in Senatu ne relinquunto: bini sunto: Magistratum quinquennium habento: reliqui Magistratus annui sunto: eáque potestas semper esto, &c.

Varr. libr. 4. de lingua Latina, Festus.

Fuit autem obseruatum, vt ad hoc munus non eligerentur, nisi duo viri, virtute & auctoritate insignes, & vt plurimùm Consulares, nec post Martium Censorium vlli licuit bis hanc dignitatem capere. Cùm etiam Censor moreretur, id pro infaustissimo habebatur omine: propterea quòd eo anno, quo Roma à Gallis occupata est, mors Censoris calamitatem eam præcesserat. Ideóq; post occupatam à Gallis vrbem, tanta religione obitus Censoris accipiebatur, vt confestim Collegam quoque Magistratu illo abire oportet, nec quisquam in demortui locum sufficeretur. Liu. lib. 4. 5. 6. 9. Plutarchus in vitis.

Creabantur autem quinto quoque anno, Liuius lib. 4 & 9. Et quanquam primis posterioribus temporibus integro quinquennio, quod spacium lustrum dicebatur, Magistratum retinerent: tamen anno Vrbis CCCXIX. Mamertinus Dictator eam potestatem annuam, & semestrem fecit.

Com[illegible]icatus fuit hic Magistratus, qui initio solis Patriciis fuit delatus, cum plebe, anno Vrb[illegible] [illegible]u. lib. 7.]

[illegible] cum ingratum sit licentiam quærētibus, rigidiore disciplinæ custodia contineri: [illegible]ant, vt aliquando, & vt verisimile est, post annum Vrbis DCLXVII. intermitteretur [illegible] æ tamen anno DCXXCIII. est restituta. Clodium quoque Tribunum inter cæteros pern[illegible]os conatus censuram tantum non sustulisse, cùm legem tulisset, ne quem Censores [illegible] mouerent, néve qua ignominia afficerent, nisi qui apud Tribunos accusatus, & illorū [illegible]que sententia damnatus esset, ex Dione li. 36. & 40. & Cicerone in Pisonem, & pro Sestio intelligitur. Sed anno CC∞ L. Q. Metellus Scipio, Pompeii in Consulatu collega, eam denuò integram reddidit Reipublicæ: quæ postea vsque ad Decii Imperatoris tempora retenta est, vsurpantibus sibi hunc honorem ipsis Imperatoribus non tamen omnibus. Et scribit Dio l. 54. de iis, qui postremi de personis priuatis Censores fuerunt, sub Augusto Cæsare, tribunal ipsorum, cùm prima Magistratus die conscenderent, corruisse, & confractum esse, omine non obscuro, quod deinceps eorum similes Censuram non essent gesturi. Apud Halicarnassæum li. 1. etiam mentio fit commentariorum, quos Censores in sua familia reliquerint, vbi scribit: Sicut apparet, cum ex aliis multis, tum ex Censoris commentariis, quos à Patribus filii per manus accipiunt. & ipsis posteris pari cura tradunt, haud secus quam sacra paterna, & gentilicia. Hi per viros illustres seruantur in familiis Censoriis. Hactenus ille.

Capvt XI.

De Prætoribus.

Consvles primùm Prætores appellatos fuisse, à præeundo, ante dictum est, testantibus id Festo, Iustiniano Imperatore, & Varrone lib. 4. de ling. Latina, qui inquit, Prætorem dictum eum, qui præiret iure & exercitu. Dixisse. n. Consules primis temporibus ius, ex plurimis Liuij, Dionys. & aliorum locis est manifestum. Post autem vt scribit Pomponius ff. tit. 2. de origine iuris. l. 2. anno A. V. C. CCCXXCVI. cùm Consules auocarentur à bellis finitimis, neq; esset qui in ciuitate ius reddere posset, factum est, vt Prætor quoque crearetur, qui ius in Vrbe diceret: quod idem etiam Liuius lib. 6. testatur. De hoc Cicero lib. 3. de Legibus: Iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicaríve iubeat, Prætor esto: is iuris ciuilis custos esto: huic potestati parento. Post aliquot verò annos non sufficiente eo Prætore, quòd multa turba peregrinorum, ad ius petendum in Vrbem veniret, creatus est & alius Prætor. Ita Prætores duo facti: vnus qui ciuibus, alter qui peregrinis ius diceret. Vnde ille vrbanus, hic peregrinus vocatus. Quod factum post DVII. annum fuisse Liuius epitoma libro decimonono, ostendit. Hi Comitiis Centuriatis creati, à populo iurisdictionem, sed incertam, accipiebant. Vbi verò designati erant, ex Senatusconsulto suas iurisdictiones, vrbanam, & peregrinam sortiebantur, quámque sorte adepti erant, eam exercebant. Itaque licet apud Liuium legere, quotannis iurisdictiones in sortem coniectas, eásque Prætores designatos sortiri iussos. Factum tamen aliquando est, vt ambas iurisdictiones vnus Prætor ex Senatusconsulto sortitus sit, eásque exercuerit: idque non antiquis solùm temporibus, quorum testis est Liuius, sed etiam vltimis. Cæterùm Prætores, priusquàm ius dicerent, vt cuique notum esset, quemadmodum anno suo ius dicturi essent, in albo edictum constituebant, atque proponebant (quod ab edicendo, id est, ante denunciando, ac prædicendo sic dictum est) quasi tanto antè populo denunciaret, quæ esset in iure dicendo obseruaturus. Hoc autem inito Magistratu, habita concione, & iuratus in leges faciebat, teste Cicerone libro 1. de Finibus Iuris dicundi munus tribus hisce continebatur verbis, *Do, Dico, Addico*, de quibus libro de Iudicijs.

diebus. Insignia Prætorum, quibus vtebantur, fuerunt: prætexta, sella Curulis, hasta, & ministri, scribæ scilicet, accensi & lictores. Prætexta fuit toga purpura prætexta, quam Kalendis Ianuariis in Capitolio, votis solemnibus nuncupatis, vnà cum cæteris insignibus acceperunt, quod eis commune cum Consulibus fuit. Sella Curulis fuit sella eburnea, qua in publico & priuato loco sedendi causa vtebantur. Propria autem Prætorum insignia duo fuere, hasta, & gladius: illa ad iurisdictionem, hic ad quæstionem significandam. Cyprianus epistolarum libro secundo. Seneca de breuitate vitæ. Lictoribus duobus Prætor vrbanus vsus est, teste Censorino de Die natali. Polybius tamen & Plutarchus eidem sex lictores datos tradunt. Vsus scribarum fuit, vt in tabulas actiones referrent: Accensorum, vt citarent, & horam esse tertiam, aut meridiem admonerent: Lictorum, vt coërcerent, aut summouerent. Cæterùm licèt hi duo Prætores, vrbanus & peregrinus, parem potestatem habuerint, ideóque alter alterius decreto intercedere potuerit, teste Asconio in 3. Verrinam, si quis eos appellaret: dignitas tamen vrbani maior fuit, quam ob causam Prætor vrbanus maior, peregrinus minor appellatus fuit. Hotomanus tres ferè differentias inter Præturam vrbanam, & peregrinam fuisse tradit: Primam, quòd soli ciues Rom. agere apud vrbanum potuerint, peregrini non item. Alteram, quòd apud vrbanum lege ageretur, apud peregrinum autem nequaquam. Tertiam, quod Prætor vrbanus edictum in albo proponeret, quibus de rebus ius anno suo dicturus esset: cum alter nusquàm legatur proposuisse, sed (vt idem opinatur) ex Vrbano edicto ius diceret. Et hæc quidem de duobus Prætoribus, qui primùm soli creati fuerunt, & iudiciis priuatis præfuerunt. Publicis enim iudiciis primis temporibus ante constitutas quæstiones perpetuas solebant illi præesse, quos populus creasset, Quæsitores (Pomponius Quæstores Parricidij appellat) vt quodque crimen publica animaduersione dignum inciderat: aut verò ab aliquo Magistratu ad populum vocabatur is, quo cum iudicio publico agendum esse videbatur. At post constitutas quæstiones perpetuas (quod Cicero in Bruto factum esse ait Censorino & Manilio Coss. qui est annus Vrbis DCV.) ad Sullæ vsque tempora sex Prætores creati fuerunt, quorum duo vrbanus, & peregrinus, de priuatis causis egerunt: reliqui quatuor iudicia publica exercuerunt, ea nimirum, de quibus non videbatur extra ordinem quærendum esse: vnus de repetundis, alter de ambitu, tertius de maiestate, quartus de peculatu. Nam propterea quæstiones perpetuæ dicebantur, tum quòd lege erat præscripta quædam forma perpetua iudicij de his rebus exercendi, vt noua semper lege non opus esset: tum verò, quod annuam prouinciam in his quæstionibus exercendis illi Prætores peragerent: non, quemadmodum antè fieri solebat, vt, cùm ita casus tulisset, vt quærendum videretur, tum primùm crearetur, qui quæreret, statimque hoc absoluto iudicio potestatem de eadem re quærendi non haberet. L. verò Cornelius Sulla Dictator, cùm videret non satis esse, aucto perpetuarum quæstionum numero, vt quatuor modo Prætores publicis iudiciis præessent, adiecit alios quatuor, vt vult Pomponius: atque ita decem Prætores cœperunt Romę esse, quorum duo, vrbanus & peregrinus, priuatis potissimùm iudiciis præerant: reliqui octo quæstionibus publicis. Erant autem, si Pomponium ff. titul. 2. de origine iuris, libro 1. sequamur, illi octo Prætores, quos ex Ciceronis oratione pro Cluentio colligere ferè possumus: duo qui inter Sicarios ius dicerent: vnus qui de repetundis quæreret, alius qui de peculatu: alius qui de ambitu, alius, qui de falso: alius qui de maiestate, alius qui de vi. Quidam tamen volunt, quatuor quidem Prætores à Sulla Felice prioribus additos, verùm ex iis tantùm duos retentos, atque ita Sullæ tempore octo Prætores creatos fuisse, quibus duo Prætores Cereales à Cæsare Dictatore addit, testibus Tranquillo, Dione & Pomponio: ab Augusto item duo, testibus iisdem & Tacito, & à Claudio Imperatore duo, qui de fideicommisso ius dicerent: quorum tamen vnum detraxerit Titus, in cuius locum restituerit Nerua, qui inter fiscum & priuatos ius diceret, & postremum adiectus Prætor tutelaris à Marco Imperatore, vt habet Iulius Capitolinus, quindecim Prætorum numerum effecerint.

CAPVT XII.

De Imperatoribus, Cæsaribus, Augustis, donatis Tribunitia potestate.

POSTQVAM Respublica Romana, eiectis Regibus, per annos CDLVII. vt habet Sex. Rufus, & alij, à Cõsulibus, Decẽuiris legib. scribendis, & Tribunis militũ Consularibus fuisset gubernata, secuta alia est eius mutatio, & summa potestas, quæ hactenus penes populum fuerat, in vnum translata, atque ita popularis Reipu-

blicæ status in Monarchiam conuersus est, hac quidem ratione. Cùm C. Iulius Cæsar deuictis Pompei in Hispania filiis, & reliquiis ciuilis belli confectis, Romam reuersus esset: Senatus, qui magna ex parte Pompeium secutus fuerat metuens ne ipse victoria elatus, crudele quid in se statueret, nouos quosdam, ac singulares honores decreuit, inter quos fuerunt hi vel præcipui: vt pater Patriæ diceretur, Consul in decennium (quem tamen honorem post aspernatus est) Dictator in perpetuum esset, Sacrosanctus haberetur: Quintilis mensis ab eius nomine Iulius appellaretur: vt comitia Tributa in sua haberet potestate: In acta sua Magistratus ineuntes iurarent: & vt Imperator appellaretur. Quæ omnia post necem Iulij in Octauio, postquàm Triumuiratum deposuisset, sunt confirmata, & alia insuper addita. Nam & ipse Imperator est dictus. Quam quidem appellationem Suetonius in Tiberio scribit, Prænomen fuisse, quo primùm Iulius Cæsar, deinde filij eius, ac nepotes Senatusconsulto sint affecti. Intelligi autem Imperatoris vocabulo non eum voluerunt, qui re bene gesta id nominis, vel militari studio, vel Senatus auctoritate consequutus, sed qui potentiam & auctoritatem in Republica summam adeptus esset: quo factum, vt quotquot post Octauium summum ius in Republica obtinuerunt, Imperatores appellarentur. Quanquam etiam prior huius tituli vsus non penitus abolitus, sed tum in aliis, tum in ipsis Principibus fuerit retentus, & obseruatus, cùm scilicet rebus in bellis præclarè gestis, pro victoriarum numero Imperatores II. III. IIII. V. nuncuparentur. Quemadmodum de Octauio legimus, quòd XX. (id est, vicesimum) Imperator propter res præclarè gestas, & toties reportatam ex bellis victoriam, fuerit appellatus. Iidem etiam Augusti dicti sunt, quo nomine primùm Octauium appellatum fuisse, Dio libro 53. Suetonius in Augusto, & alij tradunt. Cùm enim Senatus & populus Romanus eum singulari aliquo nomine ornare vellent, & alij censerent Romulum eum appellari oportere, quia & ipse conditor Vrbis esset, quo quidem nomine Octauium valdè delectatum fuisse scribitur: ne tamen ea occasione in suspicionem regni incideret, præualuit ipsa Munatij Planci sententia, vt Augustus potius vocaretur, non tantùm nouo, sed etiam ampliore cognomine: quòd loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, & omnia quæ maximo honore digna sunt, Augusta dicuntur. Censorinus a.d. XVI. Kalend. Februar. ab Idibus Ianuariis id factum fuisse scribunt, Cn. Octauio. VII. M. Vipsanio Agrippa Coss.

Præter hæc, quæ commemorauimus, Tribunitia etiam potestate Imperatores donabantur, Pontifices Maximi creabantur, & Patres Patriæ appellabantur. De quibus omnibus & potestate, quæ his ipsis appellationibus ad eos deferebatur, eleganter & prolixè scribit Dio, cuius verba, cùm ad intelligendam Imperatorum potestatem maximè faciant, omninò adscribenda esse putaui. Sic autem Dio libro quinquagesimo tertio: Imperatores omnia, quæ in populari forma Reipublicæ multùm valuerant, Senatu, populóque volentibus, ea cum ipsis nominib. in se recipiunt, excepta Dictatura. Consules enim fiunt sæpenumerò, & quoties extra pomœrium sunt Proconsules dicuntur, nomenque Imperatoris non modò, si qui aliquam victoriam retulerint, sed & alias reliqui omnes ad significandam plenam suam, & perfectam potentiam semper gerunt, loco nominis regij, & Dictatoris: quæ semel è Republica sublata, vt non imponunt sibi, ita eorum vim ac rem ipsam Imperatorio titulo confirmant. Horum nominum ratione exercitus scribendi, pecuniam conficiendi, peregrinis atque vrbanis rebus, perpetua & in omnia valente potestate, imperandi, atque etiam intra pomœrium Equites, Senatorésque necandi, aliáque omnia quæ Consulibus, aliisque cum pleno Imperio Magistratibus facere licet, agendi ius habent. Ex Censoria autem appellatione in vitam & mores inquirendi, census agendi, in Equestrem ac Senatorium ordinem adscribendi, atque ex iis remouendi pro suo arbitrio licentiam consequuntur. Quod autem omnibus Sacerdotiis inaugurati sunt, ac plerosque in ea collegia adsciscunt, semper vnus eorum (si quidem duo, vel tres nonnunquàm simul Imperatores sunt) summum Pontificatum gerit: eo fit, vt omnes religiones, & sacrificia in sua habeant manu. At Tribunitia potestas, quam præclarissimus quisque Imperator habuit, efficit, vt intercedere iis, quæ ab aliis contra ipsorum placitum mouentur, possint, ac sacrosancti sint, ita vt si vel minimo sermone se ab aliquo læsos existiment, indicta eum causa, tanquam qui se piaculo obstrinxerit, necare queant. Gerere quidem Tribunatum plebis nefas ducunt Imperatores, cùm vtique ipsi Patricij sint, omnem verò Tribunitiam potestatem, quanta vnquam maxima fuit, accipiunt: & quia quotannis eam cum Tribunis plebis eius anni renouant, annorum Imperij ipsorum hinc summa concipi solet. Hæc igitur singula, cum legibus fuerint stabilita in ea Reipublicæ institutione, qua penes populum est summa rerum, Imperatores cum ipsis nominibus sibi sumunt, vt nihil sibi à subditis non datum habere videantur. Aliud porrò quoddam ius

habent

habent, nulli vnquam Romano apertè & in omnibus rebus concessum. Legibus enim soluti sunt Imperatores: quo ipso solo, & ea quæ retulimus, ac reliqua etiam omnia agendi licentia eis datur. Ad hunc itaque modum, ratione eorum nominum, quæ in populari ciuitatis statu vsurpantur, omnem totius Reipublicæ potestatem accipiunt, ac regem etiam, nisi quòd inuidiam nominis vitant. Nam Cæsaris, & Augusti vocabula nihil eis quidem ea potentiæ adiiciunt peculiaris, sed alterum successionem stirpis, alterum splendorem dignitatis significat. Patris autem nomen, tametsi aliquod ius in subditos tribuit, quale est parentum in liberos: tamē initio non in hunc finem eis impositum est, sed honoris gratia, vtque admonitioni esset ipsis vt subditos liberorum loco, hique rursus ipsos veluti parentes suos charos haberent. Hæ sunt appellationes istæ, quibus Imperatores secundùm leges, ac instituta nostri etiam temporis vtuntur: nostra verò ætate omnia eis hæc tribuuntur, Censorio excepto: ac olim singula ex legibus decreta eis sunt. Hactenus Dio. Breuius Zonaras Annalium Tomo 2. Omnis autem, inquit, potestas, quæ Consulum, Tribunorum plebis, Censorum, cæterorum denique omnium olim fuerat, in Imperatores est translata: atque illud etiam eis datum, vt legibus soluti essent, nec vllo præscripto tenerentur. Ex quibus intelligitur, quanta Imperatores potestate præditi fuerint: quæ quidem potestas, vt & hoc addam, ipsis quando iam ab exercitu Imperatores proclamati & consalutati (id enim plerumque primum fieri solitum legimus) & à Senatu comprobati fuerant, lege Regia, quæ quòd sublato vetere Comitiorum more, à Senatu ferebatur, nonnunquam etiam Senatusconsultum dicitur, tributa fuit, teste præter alios Cornelio Tacito lib. 12 Annalium, qui de Nerone sic scribit: Illatúsque castris Nero, & congruentia tempori præfatus, promisso donatiuo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator consalutatur. Sententiam militum secuta Patrum consulta. Et de Vespasiano: At Romæ Senatus cuncta Principibus solita, Vespasiano decernit, &c. Qualis autem ea lex fuerit ex fragmento legis de Vespasiani Imperio, quod ærea tabula incisum, adhuc hodie in Laterani Basilica asseruari dicitur, & ad quam legem Cornelius Tacitus iis verbis, quæ de Vespasiano paulò antè citauimus, respexisse videtur, aliquo modo intelligi potest: quod, vt gratiam aliquam ab harum rerum studiosis ineam, libet hic adscribere, ac tum hunc de Imperatoris potestate tractatum concludere. Fragmentum verò illud est huiusmodi.

Tacitus 4. Historiarum.

FOEDVS E CVM QVIBVS VOLET, FACERE LICEAT, ITA VTI LICVIT DIVO AVG. TI. IVLIO CÆSARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO CÆSARI AVGVST. GERMANICO, VTIQVE ET SENATVM HABERE, RELATIONEM FACERE, REMITTERE, SENATVSCONSVLTA PER RELATIONEM, DISCESSIONEMQVE FACERE LICEAT, ITA VTI LICVIT D. AVG. TIB. IVL. CÆSARI TIB. CLAVDIO CÆSARI AVG. GERMANICO. VTIQVE CVM EX VOLVNTATE AVCTORITATEVE, IVSSV, MANDATVVE EIVS, PRAESENTEVE EO SENATVS HABEBITVR, OMNIVM RERVM IVS PERINDE HABEATVR, SERVETVR, AC SINE LEGE SENATVS EDICTVS ESSET, HABERETVRVE. VTIQVE QVOS MAGISTRATVM, POTESTATEM, IMPERIVM, CVRATIONEMVE CVIVS REI PETENTES SENATVI, POPVLOQVE ROMANO COMMENDAVERIT, QVIBVSVE SVFFRAGATIONEM SVAM DEDERIT, PROMISERIT, EORVM COMITIIS QVIBVSQVE EXTRA ORDINEM RATIO HABEATVR. VTIQVE EI FINES POMERII PROFERRE, CVM EX REPVBLICA CENSEBIT ESSE, LICEAT. ITA VTI LICVIT TI. CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO. VTIQVE QVAECVNQVE EX VSV REIPVBLICAE, MAIESTATE DIVINARVM HVMANARVM, PVBLICARVM, PRIVATARVMQVE RERVM ESSE CENSEBIT, EI AGERE, FACERE, IVS POTESTASQVE SIT. ITA VTI DIVO AVG. TIBERIOQVE IVLIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO FVIT. VTIQVE QVIBVS LEGIBVS PLEBEIVE SCITIS SCRIPTVM FVIT, NE DIVVS AVG. TIBERIVSVE IVLIVS CAESAR AVG. TIBERIVSVE CLAVDIVS CAESAR AVGVST. GERMANICVS TENERENTVR, IIS LEGIBVS, PLEBISQ. SCITIS IMP. CAESAR VESPASIANVS SOLVTVS SIT. QVAEQVE EX QVAQVE LEGE, ROGATIONE DIVVM AVG. TIBERIVMVE IVLIVM CÆSAREM AVG. TIBERIVMVE CLAVDIVM CÆSAREM AVG. GERMANICVM FACERE OPORTVIT: EA OMNIA IMP. CÆSARI VESPASIANO AVG. FACERE LICEAT. VTIQVE QVAE ANTE HANC LEGEM ROGATAM ACTA, GESTA, DECRETA, IMPERATA AB IMP. CÆSARE VESPASIANO AVG. IVSSV, MANDATVVE EIVS A QVOQVE SVNT: EA PERINDE IVSTA RATAQ. SINT, AC SI POPVLI, PLEBISVE IVSSV ACTA ESSENT. Sanctio. SI QVIS HVIVSCE LEGIS ERGO ADVERSVS LEGES, ROGATIONES, PLEBISVE SCITA, SENATVSVE CONSVLTA FECIT, FECERIT, SIVE QVOD EVM EX LEGE, ROGA-

Vide Marium Salamonium ll. 6. de Principatu & Animum Vaccam à capite filicis volumine I expositionum locorū obscuriorum & paratitlorū in Pādectas ad tit. 4. li. 1. Quòd principi placuit, &c. Georgius Fabricius Antiquitatum lib. 1. scribit videri hāc alteram tabulæ

parem esse, priore omissa. TIONE, PLEBISVE SCITO, S. VE. C. FACERE OPORTEBIT NON FECERIT, HVIVS LEGIS ERGO. ID EI NE FRAVDI ESTO, NEVE QVID OB EAM REM POPVLO DARE DEBETO, NEVE DE EA RE CVI ACTIO, NEVE IVDICATIO ESTO, NEVE QVIS DE EA RE APVD SE AGI SINITO.

CAPVT XIII.

De Principibus iuuentutis, Cæsaribus, & nobilißimis Cæsaribus.

NON erant hi propriè Magistratus, sed tamen ad capiendos Magistratus designabantur: idemque nolui eos hoc in loco silentio prætertire. Consueuerant Imperatores ex filiis, vel nepotibus, vel aliis sanguine iunctis, vnum atque alterum, quorum præclaram indolem conspexerant, creare, ad quos Imperium transferri volebant; eosque primùm Principes iuuentutis, post exstincta ferè Cæsarum familia, Cæsares: tandem nobilissimos Cæsares appellabant. Primus huius instituti fuit auctor Octauius Augustus, de quo sic Cornel. Tacit. libro primo Annal. Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum sororis filium, admodum adolescentem, Pontificatu & Curuli Ædilitate: M. Agrippam ignobilem loco, bonum militia, & victoriæ socium, geminatis Consulatibus extulit: mox defuncto Marcello, generum sumpsit Tiberium Neronem, & Claudium Drusum priuignos Imperatores nominibus auxit integra etiamdum domo sua. Nam genitos Agrippa Caium ac Lucium in familiam Cæsarum induxerat: nec dum posita puerili prætexta, Principes iuuentutis appellari: destinare Consules specie recusantis flagrantissimè cupiuerat. Hæc Tacitus. Ex quibus hoc intelligitur, Octauium Augustum primum auctorem esse huius instituti, quod deinde reliqui Impp. retinuerunt, vt quē vellent successorem habere adoptarent, Principem iuuentutis nuncuparent, ac deinde variis honoribus, Consulatibus, Pontificatu: Tribunitia etiam potestate, & aliis ornarent. Sic Nero Princeps iuuentutis à Claudio dictus est. Et extāt in Huberti Goltzij Augusto numismata aliquot cum his inscriptionibus, C. L. Cęsares, Augusti F. Coss. desig. princ. iuuent, *item*, C. Cęsar Augusti F. Pont. Coss. des. Princ. iuuēt. *item*, C. Cæsar Augusti F. Augur. Coss. des. Princ. iuuēt. &c. vt taceam de lapidum inscriptionib. quas & Hubertus Goltzius & Onuph. Panuinius adducunt. Aliquantò post, translato Imperio à Cæsarum familia ad alios, ij qui ab Imperatorib. adoptati, & successores destinati erant, non ampliùs Principes iuuentutis, sed Cæsares tantùm appellabantur, nouo prorsus more, cùm ex Cæsarum familia non essent, atque ita posteriorib. temporibus Cæsarum appellatio non familię, sed dignitatis fuit. Docet hoc Ælius Spartianus in Ælio Vero, his verbis: AElius Verus ab Adriano adoptatus, nihil habet in sua vita memorabile, nisi quòd tantum Cæsar est appellatus, non testamēto, vt antea solebat, neque eo modo, quo Troianus est adoptatus: sed eo propè genere, quo nostris temporibus, à vestra clementia (de Diocletiano loquitur) Maximianus, atque Constantius Cæsares dicti sunt, quasi quidam Principum filij viri & destinati Augustæ Maiestatis hæredes, &c. Idem Orosius li. 7. c. 25. confirmat, eodem modo de Diocletiano scribens, quòd Maximianum Cæsarem legerit, & post eundem ex Cæsare Augustum fecerit, atque in eius locum Constantium & Maximianū Galerium Cæsares legerit. Non addam plura testimonia, quorum plena est illorum temporum historia. Retinuerunt autem hoc nomen etiam tum cùm ad Imperatoriæ Maiestatis fastigiū peruenerunt. Nouissimè Cæsares nobilissimi appellati sunt, vti ex Fastis Onuphr. Panuinij & imaginibus Impp. quas ex antiquis numismatibus Iac. de Strada Mantuanus Fastis illis adiecit, liquidò cognosci, vt de aliis taceam, potest. Fuerunt ergo tum Principes iuuentutis, Cæsares & nobilissimi Cæsares, iidem, qui hodie Reges Romanorum.

CAPVT XIIII.

De Præfecto Vrbis.

PRÆFECTVS Vrbis, de quo hoc cap. agendū, Magistratus est ordinarius, primùm ab Octauio Augusto, consilio Mecœnatis institutus, testibus Suetonio in Augusto. Dio. lib. 52. & aliis. Occasio eius creandi, dignitas & munia facile intelligi possunt ex Oratione Mecœnatis ad Augustum, qua suadet, imò hortatur eum, vt solus

lus Imperium retineat:& simul rationem constituendę Reipubl monstret,vbi inter alia dicit, Præfectum Vrbis ex primariis viris quendam creandum esse, qui omnes Magistratus, quos geri ante hunc conueniret,gessisset: non vt per absentiam Magistratuum Rempublicam administraret: sed vt cùm reliquis in rebus Vrbi præesset, tum causas quoque eas, quibus prouocatio competeret,capitalésque etiam omnes,paucis exceptis,in Vrbe ad extra eam, vsque ad xxc i. milia passuum diiudicaret,&c. Huius igitur sapientissimi viri consilium Augustus secutus,vbi Reipublicæ curam & gubernationem omnem in se recepit, Præfectum Vrbis instituit, quem etiam sequentes Imperatores retinuerunt. Plurima eius officia Vlpianus ff. de officio Præfecti Vrbis,ex epistola Diui Seueri Augusti,ad Fabium Cilionem Præfecti vrbis recenset,quorum hæc ferè sunt præcipua, vt seruorum de dominis querelas, vicissimque horum in illos criminationes audiret:Vt patronis de libertis ingratis querentibus ius diceret:Vt de tutorum, curatorúmve criminibus cognosceret: Vt nummulariorum, argentariorúmque fraudes coërceret: Vt carnis curam gereret: Vt quietem in populo procuraret, illicitáq; Collegia coërceret, Vt spectaculorum disciplinæ præesset. Denique quicquid non modò intra Vrbem, verùm etiam intra centesimum ab Vrbe lapidem commissum esset, animaduerteret, sic,vt & Vrbe, & Italia interdicendi potestatem haberet, itémque in Insulam deportandi. Hæc pluribus Vlpianus explicat. Primus Præfectus Vrbis hac potestate ab Octauio Augusto creatus est Cilnius Mecœnas Equestris ordinis, cum secutus Messala Coruinus, tum Taurus Statilius, dein L.Piso,vt est apud Tacitum libro sexto Annalium. Cæterùm constituto hoc nouo & ordinario Magistratu,non planè abolitus est vetus ille,quando Præfectus Vrbis Latinarum causa creabatur, sed retentus etiam Augusti, & aliquot sequentium Imperatorum temporibus est, vti ex Tacito ibidem constat. De eo igitur capite sequenti agemus. Sequuntur Magistratus extra ordinem.

Capvt XV.

De Præfecto absente ordinario Magistratu.

Qvi extraordinarij Magistratus fuerint,ex superioribus intelligi potest,videlicet,qui non singulis annis creati fuerunt,nec annuam habuerunt potestatem, sed qui tum demùm,cùm necessarius ipsorum videbatur vsus,à populo electi fuerunt,& quando curationem illam, qui præfecti erant, absoluissent, Magistratu abierunt. Inter eos primus & antiquissimus est Præfectus Vrbis. Alius verò est hic à superiore:cuius institutio prima refertur ad Cn.Octauium Augustum:hic n. Magistratus ante Augustum in Republica fuit,& extraordinarius quidem, sicut ille ordinarius. Prima mentio huius Præfecti Vrbis fit apud Liuium,cùm ait, Lucretium à Lucio Tarquinio Superbo Rege contra Ardeates profecto, Præfectum Vrbis institutum fuisse, ac imperium in vrbe, Rege absente,habuisse. Tacitus lib. 6. Annalium primam eorum originem ad Romulum refert,& demonstrat sub Regibus semper vsitatum fuisse, Præfectos Vrbis creari:cuius verba,quia notatu digna sunt,& ea tradunt,quæ ab aliis scriptoribus sunt omissa, adscribam. Anteà,inquit,profectis domo Regibus,ac Magistratibus, ne Vrbs sine Imperio foret,in tempus deligebatur, qui ius redderet,ac subditis moderaretur, feruntque ab Romulo Dentrem Romulium,post ab Tullo Hostilio Numam Marcium,&ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos:dein Consules mandabant, durátq; simulachrum,quoties ob ferias Latinas præficitur,qui Consulare munus vsurpat. Hæc Tacitus. Cóstat igitur Præfectos Vrbis sub regibus quoties illi ad bellum profecti,ab Vrbe abessent, creari solitos, quod & Dionys. li.2. indicat,quando de Romulo & prima Senatus lectione hæc scribit: Ex omnibus,vnũ præcipuum ipse declarauit, cui rerum vrbanarum regimen committeret, quoties ipse foras duceret exercitum,&c. Eiectis autem Regibus,etiam à Consulibus, ante institutam Praeturam, quotiescunque ipsis ad bellum proficiscendum erat, Præfecti Vrbis declarabantur, & domi relinquebantur, qui absentibus Consulibus munus Consulare in vrbe obirent, & ius dicerent. Hi verò non vt reliqui Magistratus comitiis, siue Curiatis,siue Centuriatis, siue Tributis creabantur,sed à Regibus & Consulibus eligebantur, quod ex Taciti & Dionysij iam citatis locis perspicuum est: habebántque absentibus Consulibus,vel legibus ferendis,vel iudicio exercendo ius Centuriatis comitiis cum populo agendi. At post introductum Praeturæ

Magistratum,desiit Præfectus Vrbis fieri,nisi quòd Latinarum causa profectis Vrbe Consulibus,relinquendus domi erat Præfectus,idq; religionis causa potiùs,quàm quòd eo Magistratu magnopere opus esset. Et quoniam feriis agi cum populo non licebat, idcirco planum est, huic Præfecto vrbis,cui nonnisi tempore Latinarum(de quibus alio libro diximus)imperium erat,ius non fuisse agendi cum populo tametsi vocandi Senatus(si quid interim accidisset,cur extra ordinem vocandus videretur:)ius habebat,vt ex Agellio lib.14.cap.vltim.discimus. Reliquo verò anni tempore,quanquam abessent Consules, nullus locus reliquus erat huic Magistratui,sed summa potestas erat penes Prætorem vrbanum,vt ex Cicerone lib.10. epist. ad familiares,discitur.

Hotomanus tria Præfectorum Vrbis genera facit,vnum eorum, qui sub Regibus,& primis Consulum temporibus extraordinarij Magistratus fuerunt, aliud eorum, qui posterioribus temporibus,libera tamen adhuc ciuitate,eius Magistratus procurationem habuerunt,& Præfecti Vrbis Latinarum causa dicti sunt,tertium genus eorum, qui Imperatorum temporibus ordinarij Magistratus fuerunt. Nos priora duo genera hic coniunximus.

CAPVT XVI.

De Interrege.

INTERREGNVM, ait Festus, appellatur spatium temporis, quousque in loco Regis mortui alius ordinetur. Is autem qui præerat cum Regia potestate & insignibus, Interrex dicebatur. Origo Interregni antiquissima est. Nam Romulo (de cuius obitu variæ diuersorum sunt sententiæ, quas hoc loco recensere non est necesse) defuncto, vt tradit Dionysius lib. 2. antequam nouus crearetur Rex, integrum annum Interregnum fuit.Sequenti, inquit anno post Romuli scilicet obitum nemo Romæ regnauit, ad nouum Interregum Magistratum delatâ administratione Reipublicæ,in modum hunc:Ducenti Patres conscripti, ex quibus Senatus à Rege Romulo constitutus erat,distributi in decurias, Decemuiris sorte committebant Vrbis imperium. Hi non simul,sed vnus post alium quinis diebus lictores habebant,cæteráque insignia regia,quæ eis per manus tradebantur, à primo deinceps vsque ad vltimum:tum quinqueduanus ille Magistratus migrabat ad sequentem decuriam,& inde rursum ad aliam, &c. Hæc Dionisius, quæ & Liuius lib.1.tradit,sed paulò aliter. Obseruatumque hoc fuit sub Regum imperio,vt quoties Rex vita defunctus esset,priusquam nouus eligeretur, Interreges vicem Regis obirent. Mansit posteà hæc appellatio etiam sub Consulum imperio. Cùm.n.ordinarij Magistratus abessent,& comitiis interesse non possent,siue vitio creati abdicassent,neque placeret Dictatorem dici,tum res ad Interregnum veniebat. Atque hi etiam Interreges,qui sub Consulibus erant,eodem modo quinqueduanum habebant Magistratum, vt illi superiores. Morem hunc fuisse obseruatum etiam tempore Ciceronis lib. 7. ad familiares, apparet ex epistola ad Trebatium,vbi sic scribit:Nisi ante Roma profectus esses,nunc eã certè relinqueres. Quis enim tot Interregnis Iureconsultum desiderat,&c. Interreges autem nonnisi à Patriciis eligebantur vel prodebantur (hoc enim verbum propriè de iis vsurpabatur) vt ex plurimis Liuij, Ciceronis,& aliorum locis cognoscitur. Mutata verò veteri Reipublicæ forma, & summa rerum ad vnum delata,Interreges creari desierunt.

CAPVT XVII.

De Dictatore

ANNO Vrbis conditæ CCLV. Coss. T. Largio(vel Lartio)Flauo,Q.Clœlio Siculo, cũ omnes Latini populi, auctore Octauio Manilio, conspiratione facta, bellum Romanis mouerent,Senatui autem in tantis angustiis & periculis constituto,etiã à domesticis in apparando bello,& militum delectibus,nonnihil difficultatis obiiceretur,non omnib.pari alacritate dantibus nomina. Nam egeni,præsertim ære alieno pressi,quorum ingens erat numerus, citati non parebant,nihil sibi cum Patriciis esse dictitantes,nisi Senatusconsulto remitterentur debita:imò non deerant,qui desertuos se Vrbem dicerent,séque inuicem hortabantur ad non immorandum in Vrbe,in qua nullius boni rei sint participes. Ad hunc modum constitutis rebus,& ad seditionem spectantibus,cum etiã in Se-

in Senatu plurimum discrepantes sententiæ audirentur: aliis, quorum princeps M. Valerius erat, æquum esse censentibus, nexibus de ira remitti, & hac ratione paruo dispendio ciuium beneuolentiam redimi, magnopere volem futuram, tam priuatim, quam publicè: aliis autem, inter quos Ap. Claudius Sabinus primus erat, diuersum sentientibus, & obnixe contendentibus plebi seditiosæ nihil quicquam concedendum esse: aliis mediam viam quærentibus, vbi nihil proficeretur, nec se h e o tolleretur, facta in Senatu mentio est eiusmodi Magistratus, cui aliquanto plus auctoritatis & potestatis esset, quàm consulibus, quibus multum dignitatis & potentiæ, lege Valeria ademptum erat. His in Senatu disceptatis, Senatusconsultum tandem de creando Dictatore, vt refert Dionys. libro quinto, factum tale est: T. Largium, vel Lartium, & Clælium Coss. & si quis alius Magistratus sit in Repub. potestatem deponere. Vnum autem virum à Senatu electum, approbatúmque suffragiis populi, habere semestrem potestatem rerum omnium ampliorem, quàm sit consulum. Hoc S C. ad plebem perlato, & ab ea probato, T. Largius, vel Lartius, primus Dictator à collega Clælio dictus est. Liuius tamen, Eutropius & Eusebius triennio antè, anno scilicet C C L I I. ab V. C primum Dictatorem creatum scribunt, quos sequitur in Fastis suis Hubertus Goltzius. Appellatus autem est Dictator, teste Varrone libro quarto de ling. Lat. vel quòd à consule diceretur, vel quod eius dicto omnes audientes essent: quod idem Liuius libro secundo & Plutarchus docent, & Dionysius, qui etiam hoc addit, caussæ Senatum, ne inuidiosum & molestum nomen imponerent Magistratui gubernaturo ciuitatem liberam, tùm subditorum caussa, ne offenderentur odiosis vocabulis: tum ipsorum, qui id imperium assumunt, respectu, ne imprudentes vel efferantur plus æquo ab aliis, vel ipsi eos tractent insolentius, sicut in tanta potestate fieri solet. Alio nomine Magister populi dictus est, sicut is, quem ipse postea Dictator asciuit, quique proximam à Dictatore potestatem habebat, Magister equitum vocatus est, testibus Varrone, Cicerone, Sex. Pomp. Festo & Seneca. Et primùm seditionis quidem sedandæ, & rei gerendæ causa hic Magistratus est institutus: vnde in posterum obseruatum fuit, vt quoties aut belli externi, aut seditionis domesticæ vis quædam maior Reip. immineret, cui auertendæ maiore seueritate & potentia quàm consulari opus esset, crearetur Dictator. Hinc toties in Fastis scriptum reperitur: Dictator rei gerendæ, item seditionis sedandæ causa creatus, &c. Postea verò, etiam propter alia quædam ardua negotia, Dictator dictus inuenitur, vt claui figendi causa, in pestilentia aut seditione, de quo more Liuius lib. septimo hæc scribit. C. Genutio, L. Æmilio Mamerco II. Coss. cum piaculorum magis conquisitio animos, quam corpora morbi afficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur, pestilentiam quondam clauo ab Dictatore fixo sedatam. Ea religione adductus Senatus, Dictatorem claui figendi causa dici iussit: dictus L. Manlius Imperiosus, L. Pinarium Magistrum Equitum dixit: Lex vetusta est priscis literis, verbisque scripta, vt qui Prætor maximus sit, Idibus Septembribus clauum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Iouis Opt. Max. ea parte, qua Mineruæ templum est. Eum clauum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eóque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus Mineruæ inuentum sit. Volsiniis quoque clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ Hetruscæ Deæ comparere, diligens talium monimentorum auctor Cincius affirmat. M. Horatius consul ex lege templum Iouis Opt. Max. dedicauit anno post Reges exactos. A consulibus postea ad Dictatores, quia maius Imperium erat, solenne clauo figendi translatum est. Intermisso deinde more digna etiam per se visa est res, propter quam Dictator crearetur. Hæc ille III. Comitiorum habendorum causa Dictator creabatur, maiore Magistratu absente. IV. Latinarum feriarum causa, qui signum daret mittendis quadrigis. VI. Senatus legendi causa: quod bello Punico II. propter solitudinem curiæ institutum fuit. Quorum omnium exempla in Fastis capitolinis, Sigonij, Onuphrij, Panuinij, Huberti Goltzij & aliorum reperiuntur. Conferebatur autem Dictatura alicui viro consulari, spectatæ virtutis, non à populo, aut per suffragia, nec a Senatu (quanquam is interdum nominaret quem vellet Dictatorem dici) sed à consule, viua voce (nonnunquam etiam per literas, sed rarius) ac vt cessantibus interim cæteris Magistratibus omnibus, præter Tribunatum plebis (qui tamen eo anno, quo primus Dictator creabatur, nullus fuit) summa ei permitteretur, atque plena potestas belli ac pacis aliorumque omnium negotiorum, eáque prorsus libera, & absque omni prouocatione, & sic etiam ius animaduertendi pro sua sententia in cuiuscumque ciuis Romani caput, indicta causa, & inconsulto populo, mandandi, edicendi, præscribendi, creandi in semestre Magistratus, prout ipsi videbatur esse ex commodo Reipublicæ. Et hoc intelligit Festus, cùm scribit: Optima lex *** in magistro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellabatur, quam plenissimum posset ius esse significabatur.

Sed tamen non perpetua,nec etiam diuturna, sed regulariter semestris fuit hæc potestas quanquam aliquando in magnis periculis ad annum nonnullis fuit continuata,vt Camillo, quando iterum fuit Dictator,& bis L.Papirio Cursori,& Q.Fabio Maximo. Hinc illa Ciceronis lex: Ast quando duellum grauius,discordiæ ve ciuium crescunt,vnus ne amplius ses menses,nisi Senatus creuerit,idé iuris,quod duo Consules teneto,iisque aue sinistra dictus populi magister esto,&c. Sic enim legit Lambinus:paulo aliter Guillelmus Canterus lib.2. Nouarũ lectionum,cap.4.eodem tamen sensu.Quin etiam de pluribus leg tur, quod ante legitimum tempus,decimoquarto,vel quinto die postquam Dictaturam adepti fuerant, eandem deposuerunt. Nec licebat Dictatori equum,nisi ituro ad bellum conscendere,aut vllos sumptus facere ex ærario,sine Senatusconsulto,vel populi iussu,alioqui omnes fasces,vt plus terroris haberet,& maiorem parendi necessitatem hominibus incuteret vsurpabat:quare Polybius lib.3. præter alia discrimen hoc inte Consulem & Dictatorem fuisse scribit, quod Consulem duodecim secures præcesserint,Dictatorem vero vigintiquatuor.

Est & hoc de Dictatoribus obseruatione dignissimum,quod Dionysius lib.5. refert,vbi tradit Sp. Largium(vel Lartium) Dictatoré primum sopito bello Latino Dictaturam designatis prius Consulibus, deposuisse, nemine ciuium à se occiso,nec pulso in exilium,nec mulctato grauius.ibi enim hæc addit. Id exemplum omnes postea Dictatores secuti sunt,vsque ad ætatem ab hac nostra tertiam. Nusquam enim in omni historia proditum reperimus,aliquem in hoc Magistratu se gessisse immodeste, vel inciuiliter , quamuis sæpe Respublica solemnibus Magistratibus abrogatis,omnia vnius potestati permiserit:quisi in externis tantum bellis Dictaturam adepti,bene patriam defendissent,nil corrupti magnitudine imperij,minus mirum esset. Nunc inter multas magnas seditiones ciuium,vel regnum,tyrannidémve affectantibus quibusdam ciuibus, vel imminentibus innumeris aliis calamitatibus ad prohibendas eas potestate accepta, omnes ad vnum sine reprehensione vsi, primum illum Dictatorem æmulati sunt, vt vulgo crederetur vnicum id esse cuiusuis insanabilis mali remedium: & extremam hanc salutis spem reliquam, cæteris deficientibus. Sed Patrum ætate quadringentis annis elapsis à Dictatura Tati Largij,odiosa res visa est omnium mortalium iudicio , quando Lucius Cornelius Sylla primus & solus acerbe crudeliterque vsus est ea , vt tum primum sentirent Romani,quod superioribus temporibus ignorauerant,Dictaturam esse tyrannidem. Nam & Senatum ex qualibuscunque constituit, & Tribunitiam potestatem fecit quam minimam, & vrbes desolauit integras,&regna aliis abstulit,aliaque multa superbe gessit,de quibus longum esset dicere. Ciuium quoque præter eos,qui prælis absumpti sunt,de ditiorum interfecit non minus quatuor millia,ex his excruciatos prius aliquot. Hactenus Dionysius. Post Caij autem Iulij Cæsaris, qui postremus Dictator, & quidem perpetuus,contra leges patrias fuit, Dictatura penitus è Republ.est sublata.

CAPVT XVIII.

De Magistro Equitum.

QVAM primum Dictator ita,vti dictum est,creatus esset,eligebat sibi ipse Magistrum Equitum,virum aliquem,vt plurimum Consularem,aut,si ita postularet necessitas, alioqui virum industrium ,qui Magister Equitum nominabatur, quod ei potestas in Equites committebatur : sicuti de Dictatore iam memorauimus, eum Magistrum populi vocitatum, quod penes ipsum summa in populum Romanum potestas fuerit. Sed ad dignitatem & potestatem Magistorum Equitum quod attinet , tradit Pomponius Iurisconsultus, fere eandem eos habuisse,quam Regum Temporibus Celerum,& post,imperio vniuerso in vnius manu posito, Præfecti Prætorio. Subiecti certe fuerunt Dictatorum imperio,& sine ipsorum mandato & permissu nihil moliri ausi sunt. Vnde legimus de Q.Fabio & M. Minucio Magistris equitum, cum absentibus Dictatoribus,& ab ipsis prohibiti prælium cum hostibus commisissent,quod in grauissimum vitæ discrimen venerint:& nisi populi precibus liberati, & salute donati fuissent,capitis supplicium subire fuerint coacti,vt Liuius, Plutarchus, Eutropius, & alij testantur. De Magistro Equitum quidam etiam Ciceronis legem intelligunt,quam cum in vulgatis exemplaribus sic concepta sit:Æquitatem quicunque regat,habeto pari iure cum eo,quicunque erit iuris disceptator:sic legendũ putat Guillelmus Canterus lib.2. Nouell.lect. cap 4. Equitatum quicunque regat,habeto pari iure, vel par ius cum eo,quicunque erit iuris disceptator:voluisse Ciceronem parem Magistri Equitũ potestatem facere imperio Prætorio

Nonnul-

Nonnunquam, sed rarò Dictatores siue Magistri Equitum creati sunt. Peculiare hoc fuit, quod M. Minutio tempore secundi Punici belli æqua potestate cum Dictatore commissa est, quod tamen ante nunquam factum fuisse testantur Plutarchus in Fabio, & Polybius, Liuius, Florus, Eutropius, & alij.

Capvt XIX.

De Decemuiris legibus scribendis Consulari potestate.

Occasionem creandorum Decemuirorum primam dedit C. Terentius, vt Dionysius eum nominat, vel, vt Liuius, C. Terentius Arsa Tribunus plebis. Is n. anno ab Vrbe condita ccxci. Consulibus L. Lucretio Tricipitino, & T. Veturio Gemino, legem se promulgaturum professus erat de Quinqueuiris legum de Consulari imperio scribendarum causa creandis. Sed resistentibus acriter primum patribus & Præfecto Vrbis Q. Fabio, deinde etiam Consulibus, perlata ea non est. Insequenti autem anno P. Volumnio, & Seruio Sulpitio Camerino Consulibus legem Terentillam à toto collegio relatam Liuius lib. 3. docet: quibus tamen nonnihil diuersa scribit Dionys. lib. 10. Is enim non relatam Terentij legem hoc anno fuisse, sed collegium Tribunorum ad populum tulisse, de Decemuiris legum scribendarum creandis, ex quorum præscripto omnia tam priuatim, quam publice gererentur, auctor est. Causa autem rogationis Tribunorum hæc erat: Nondum, inquit Dionys. erat apud Romanos ius æquum omnibus ciuibus, nec omnes ex æquo ordine admittebantur ad tractandam Rempublicam, nec ius scriptum extabat: sed quandiu regnatum est in Vrbe, Regum arbitrio lites dirimebantur, quod tum erat pro legibus. Translato deinde à Regibus ad annuos Magistratus imperio, inter cætera officia regia, iuris quoque reddendi munus ad eos deuenit. Id ius maxima ex parte constabat virorum potestate præditorum præiudiciis, minima pars eius habebatur in libris Pontificum, quarum legum scientia penes solos erat Patricios, quod hi soli huiusmodi libros versarent. Reliquum vulgus negotiatorum & agricolarum, quod nonnisi mercatus gratia in Vrbem statis diebus conueniebat, prorsus imperitum erat rerum talium. Capita rogationis Tribunorum fuerunt hæc: Decemuiros legitimis comitiis à populo eligi, ætate, prudentia, dignitate præstantissimos, & qui bonæ suæ famæ rationem habeant maximam. Eos viros leges de negotiis tam priuatis, quam publicis promulgare, quibus legibus sua iura præscribantur tam priuatis ciuibus, quàm annuis Magistratibus. Certatum deinde aliquot annos inter Patricios & plebem de huius legis promulgatione, donec tandem anno ccxcix. Cos. Sp. Tarpeio, A. Æternio cùm Tribuni plebis lenius cum Patribus agerent, & eos rogarent, vt finem certaminum facerent, si blebeiæ leges displicerent, vt illi communiter legumlatores & ex plebe, & ex Patribus qui vtrisque vtilia ferrent, quæque æquandæ libertatis essent, finerent creari, suadente T. Romulio, qui prioris anni Consul fuerat, Senatusconsultum factum est, vt legati mitterentur ad Græcas vrbes, qui sunt in Italia, alij Athenas, qui peterẽt à Græcis leges optimas, & instituto suo conuenientissimas. Quibus reuersis referendum ad Senatum de legislatoribus eligendis, & quodnam eorum futurum sit imperium, quámve diuturnum, déque cæteris rebus ad id negotium pertinentib. Missi itaque legati ad Græcas vrbes sunt Sp. Posthumius, Ser. Sulpitius, A. Manlius, triremésque eis assignatæ & ornatæ sunt, ex ærario, pro maiestate Rom. imperij. Quibus anno tertio reuersis Tribuni plebis vrserunt, vt legumlatores crearentur. Post aliquot igitur contentiones Tribunorum & Consulum, Senatusconsultum in designatorum Consulum subsequentis anni sententiam factum est, eligendos Decemuiros è Senatus primoribus: eorum annuum esse imperium ex eo die, quo creati fuerint, cum ea potestate, quam modo Consules, olim Reges habuissent: interim cessare omnes Magistratus alios, donec iuxta leges creati fuerint: Decemuiros verò priuatis iura reddere, & Rempublicam constituere. Hoc Senatusconsulto à Tribunis ad populum relato, Ap. Claudius, & T. Genutius, qui in sequentem annum Consules designati erant, Magistratum eiurarunt & Tribunorum Ædilium, Quæstorum Magistratibus: aliisque ad tempus antiquatis, Comitiis Centuriatis Decemuiri creati sunt, de quorum imperio Dionysius libro octauo hæc tradit. Sequenti anno (qui fuit ab Vrbe condita ccc11.) Decemuiri assumptis ciuitatis gubernaculis, aggressi sunt Rempublicam constituere: penes vnum fasces erant, & reliqua Consularis potestatis insignia. Is Senatum conuocabat: decreta confirmabat, cæteraque agebat, pro imperio. Reliqui (quibus singuli accensi apparebant, teste Liuio libro tertio) ad minuendam potestatis inuidiam non multum à priuatis differe-

bant habitu. Deinde alius in potestatem succedebat, seruatis vicibus, idq. ad certos dies, donec elaberetur tempus annuum. Omnes autem à mane pro tribunali cognoscebant causas priuatas & publicas (Liuius decimo quoque die id à singulis factum fuisse docet, tum quæ ad subditos pertinerent, & socios.) Et lites controuersas dirimebant de singulis disceptantes summa æquitate, atque iustitia: visúmq; est ciuitati optimum eius anni Decemuirale imperium. Sed maximè laudabatur cura plebeiorum hominum, & præsentaneum contra omnem vim atque iniuriam auxilium. Iactabatúrque à multis non fore opus ciuitati aliis Magistratibus, cùm vnus ad obeunda omnia munia mira prudentia sufficiat. Et mox: Hi Decemuiri leges conscriptas tum ex Græcorum iure, tum è patriis consuetudinibus proposuerunt in decem tabulis cognoscendas cuilibet, ferentes admoneri se à priuatis hominibus, & hoc agentes, vt leges placerent omnibus: diúque consultauerunt cum proceribus reuocantes ad exactissimum examen singulas. Vbi verò visæ sunt bene habere, primum Senatu coacto, nemine contradicente, Senatusconsultum de iis fecerunt: deinde Centuriatis comitiis in præsentia Pontificũ, Augurum, aliorúmque Sacerdotum à re diuina excrsi, calculos dederunt Centuriis: tum plebiscito quoque confirmatas, & in æreas columnas incisas, vna serie proposuerunt in loco fori maxime conspicuo, &c. Hactenus Dionys. Finito annuo eorum imperio, cùm videretur aliquid deesse iis legibus (quemadmodum idem auctor, & cum eo Liuius, Plutarchus, & alij testantur, annitentibus etiam nonnullis ex Patribus, vt ea ratione Tribunitia potestas abrogaretur, consensu Senatus & plebis etiam in sequentem annum Decemuiri creati sunt, pars quidem eorum ex prioribus refecti, pars in aliorum loca subrogati, vt id quod x. tabulis deesset, supplerent, & legum iam latarum obseruationem à volentibus exigerent. Cùm verò hi statim initio suæ administrationis clandestinum fœdus inter sese iureiurando ferirent, ne ex collegio vlla in re alter alteri aduersaretur, sed quod vni eorũ placuisset, idem probaretur omnibus: néve comitia haberent, perpetuóque retinerẽt imperium: néve quemquam alium ad id admitterent, ipsiq. pari honore, pari potestate essent, Senatusconsultis, Plebisque scitis nonnisi rarò, idque necessariò vterentur, Maximam partem rerum pro imperio, multa tyrannicè agerent, cúmque primo honoris die post peracta sacra solennia singuli cũ singulis insigniis regiis prodirent, prælatis cuique duodecim fascibus & securibus, quod antea antiquatum fuerat, accedente etiam cæde Siccij, & iudicio Virginiæ, Decemuiri damnati, & hæc potestas in vniuersum sublata est, tertio anno postquam primum in Rempub. fuisset introducta.

Capvt XX.

De Tribunis militum Consulari potestate.

Vt plurimorum aliorũ Magistratuum, ita etiã huius, de quo agendum est, auctores fuerunt Tribuni plebis. Dicuntur Tribuni militum, vel Tribuni militares Consulari potestate, ad differentiam eorum, qui castrenses Magistratus erant. Causam autem iis creandis dederunt Tribuni pleb. qui, vt referunt Liu. libro. 4. initio: & Dionys. lib. 11. cum multa alia priuilegia Patribus & Patriciis ante extorsissent, tandem etiam hoc ad populum tulerunt, vt alterum Consulem ex plebe fieri liceret. Rogarunt hoc Tribuni plebis, & grauissime vrserunt anno ab Vrbe condita CCCIIX. Coss. D. Genutio, & C. Curtio. Cum autem Patricij Tribunis sese grauissime opponerent, nihil tamen efficere possent, Tribunis nihil de suo feruore remittentibus, tandem suasu C. Claudij, viri consularis, ne Consulatus cum plebe communicaretur, Senatusconsultum factum est, vt in locum Consulum alij Magistratus, vel præfecti, pars ex plebe, & pars ex Patribus crearentur, Consularem potestatem habentes, quorum imperium cùm finitum esset, Senatus plebsq. conuenirent, & cognoscerent, vtrum Consules, an Præfectos mallent imperium suscipere: & quod omnib. suffragium ferentibus videretur, firmum esset. Quod Senatusconsultum cùm Tribuni plebis summis laudibus extulissent, plebsque accepisset in annum sequentem, qui fuit ab Vrbe condita cccix. Tribuni militum tres, & quidem omnes Patricij, A. Sempronius Atratinus, T. Clœlius Siculus, L. Attilius Longus creati sunt. Plebs eò primùm contenta fuit, quod sui ratio in comitiis habita fuisset. Sed iidem paulò post, cum vitio factĩ essent, abdicarunt, inque eorum locũ Consules sunt creati. Post aliquot annos rursus Tribunĩ creati, & primum quidẽ tres, mox quatuor, & tandem sex. Nec plures creatos fuisse vnquam Sigonius Comment. in Fastis demonstrat, licet diuersũ reperiatur apud Liu. li. 5. initio, qui vno in loco dicit octo creatos fuisse: quem tamen locum corruptum esse credibile est, cũ apud nullum

nullum alium auctorem eius rei mentio extat. Idémque in Fastis etiam Onuphrii Panuinii, & Huberti Goltzij tantum sex eo anno, quo Liuius octo fuisse dicit, ponuntur. Feruntúrque hi Tribuni nonnunquam omnes Patricij, nonnunquam ex Patribus & plebe simul creati. Post annum CCCXCVI nulli amplius Tribuni militum reperiuntur: vt non sit dissimile vero, eos qui anno CCCXCVI. creati fuerunt, vltra hos fuisse. Ita hic Magistratus post annum LXXVII. quam in Rempublicam introductus esset, frequentari desiit. De potestate & insigniis eorum, quia iisdem, quibus Consules vsi fuerunt, quod ex verbis illis, Consulari potestate intelligitur, non opus est vt hic à me multa afferantur.

Caput XXI.

De Triumuiris Reipublicæ constituendæ.

Triumvirorum Reipublicæ constituendæ Magistratus (si modo Magistratus dicendus est) vt contra leges fuit institutus, ita etiam non fuit diuturnus. Initium eorum incidit in annum ab Vrbe condita DCCX. Causæ propter quas ij in Rempublicam inducti fuerint, hæ ab auctoribus Dione lib. 46. Appiano lib. 3. & 4. Bellorum ciuilium, Suetonio in Augusto, Plutarcho in M. Bruto & Antonio, & aliis recensentur. Cum C. Iulius Cæsar in Senatu viginti tribus vulneribus esset confossus, C. Cæsar Octauianus, qui à C. Iulio adoptatus, & in Cæsarum familiam traductus erat, anno DCCX. Consul cum Qu. Pedio, Hirtio & Pansa ad Mutinam occisis suffectus in toto suo Consulatu nihil aliud moliebatur, quam vt patris Iulij Cæsaris interfectores vlcisceretur. Q. igitur Pedium collegam legem ferre iussit de quæstione habenda in eos, quorum ille opera occisus esset, postulatíque ea lege Marc. Brutus, C. Cassius & D. Brutus, absentes damnati sunt. M. autem Antonij opes C. Asinius Pollio, qui Hispaniæ, & L. Munatius Plancus, qui Galliæ præerant, cum suis exercitibus adiuncti auxerant, & D. Brutus, cui Senatus, vt persequeretur M. Antonium mandauerat, relictus à legionibus suis profugerat, & tandem iussu Antonii in cuius potestatem venerat, à Capeno Sequano, ad Aquileiam interemptus erat. Cæsar igitur cùm M. Brutum, qui Macedoniam, & C. Cassium, qui Syriam ex Senatusconsulto obtinebant, nullo pacto armis vlcisci posset, cum M. Antonio, & M. Lepido, pace facta, postquam Consul creatus esset, vtrumque ex Gallia in Italiam accersiuit. Congressi omnes in agro Bononiensi, ut Dio lib. 46. vel Mutinensi, vt Appianus lib. 4. Bell. ciuil. initio docet, consultationes summas de ordinanda & corrigenda Republica habuerunt, & tandem ita inter eos conuenit, vt publicè quidem ipsi tres constituendis, administrandísque rebus præficerentur, idque non in perpetuum, sed in quinquennium: ita vt omnia ex animi sui sententia, etsi neque ad Senatum, neq; ad populum de his retulissent, agere, Magistratus aliósq; honores, quibus ipsi vellent, tribuere possent: priuatim autem, néve viderentur omnes prouincias sibi ipsis arrogare velle, Cæsari Africa, vtraque Sardinia & Sicilia: Lepido Hispania omnis, ac Gallia Narbonensis; Antonio reliqua omnis Gallia, quæ cis & trans Alpes iacet, tributę sunt: vt inimicos suos proscriberent, ac cæderent: Lepidus in locum D. Bruti Consul fieret, Romanámque & totam Italiam in custodia haberet: Antonius verò & Cæsar Brutum & Cassium bello persequerentur. Atque his consultationibus perfectis, cùm confestim omnes Romam venissent, singuli interiectis dieb. Vrbem ingressi, quæ decreuerant executi sunt. Sui à quoque inimici, plurimi Equites CXXX. Senatores proscripti sunt, inter quos fuerunt L. Paulus, frater M. Lepidi, L. Cæsar, auunculus Antonii, & qui Cæsarem suis sententiis ornauerat, M. Cicero: eu us occisi à Popillio legionario milite, cùm haberet annos LXIII. caput cum manu dextra in rostris positum est. Inierunt Triumuiratum v. Kal Decem. anno ab v. c. DCCX. Cùm autem quinquennium hunc Magistratum gessissent, teste Dione, semetipsos in alterum quinquennium renunciauerunt: quod factum esse anno DCCXVI. Carolus Sigonius scribit. Sed non multo post dissidiis ortis inter Octauium & Lepidum, Octauius fugato Sext. Pompeio, Lepidum bello persequutus est, eíque victo Triumuiratus honorem abrogauit: supplicem tamen factum vita donauit. Postea etiam Antonio bellum intulit, eóque victo, cùm ipse solus rerum potitus esset, Triumuiratu abiit. Hunc finem habuit Triumuiratus, qui non vltra annos X. in Republica Romana fuit. Sequuntur Magistratus minores ordinarij.

Caput XXII.

De Quæstoribus vrbanis duobus, vel Quæstoribus ærarij.

Quæstores, inquit Varro li. 4. de ling. Lat. à quærendo dicti sunt, qui, conquirerent publicas pecunias & maleficia, quæ Triumuiri capitales nunc conquirunt: ab eis postea, qui quæstionum iudicia exercent Quæstores dicti. Tria eorum fuerunt distincta genera. Alij enim Quæstores vrbani, vel ærarij: alij Quæstores parricidij, vel rerum capitalium: alij quæstores Prouinciales fuerunt. Sed nobis de Quæstoribus ærarij, vel vrbanis hoc loco dicendum est. De eorum autem prima institutione dubitatur. Vlpian. quidem ff. li. 1. tit. 13. de Quæstoribus, sic scribit: Origo Quæstoribus creandis antiquissima est, & penè ante omnes Magistratus. Iunius Gracchanus lib. 7. de potestatibus refert, etiam ipsum Romulum, & Numam Pompilium bonos Quæstores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent. Sed sicuti dubium est, an Romulo & Numa Pompilio regnantibus Quæstor fuerit: ita Tullo Hostilio Rege Quæstores fuisse certum est: & sanè crebrior apud veteres opinio est, Tul. Hostilium primum in Remp. eos induxisse. Et à genere quærendi Quæstores initio dictos, Iunius, & Trebatius, & Fenestella scribunt. Hæc Vlpianus. A quibus tamē nonnihil discrepant ea, quæ Corn. Tacitus scribit in Annalibus. Plutarch. in Poplicola, eorum primam institutionem ad P. Valerium Poplicolam refert, inquiens: P. Valerium cùm Saturni ædem ærarium constituisset, populo concessisse, vt Quæstores duos creare posset: creatósque primos esse P. Veturium, & M. Minucium, & pecuniam multam coactam, &c. Hæc ille. Erat autem Quæstura primus Magistratus vrbanus, qui petebatur, postquam quis x. annua stipendia fecisset, non ante annum ætatis xxvii. Sed vigesimo tamen septimo & sequentibus peti poterat. Ac primum quidem ex Patriciis, Comitiis Curiatis, vt ex Liu. libr. 31. & Plutarcho manifestum est, creabantur: postea verò cùm duobus prioribus alij duo adiicerentur, qui Consules in bellum euntes sequerentur, eisq; ad ministeria belli præsto essent, de quibus post dicam: à plebe obtentum est, vt pars ex Patriciis, pars ex plebe Comitiis Tributis crearentur, quorum posterius ex epistola etiam Cic. ad Curium, cuius initium: Ego vero te iam nec hortor, &c. intelligitur, vbi Cic. libro 7. ad Famil. epistol. 30. scribit, In campo certe non fuisti cum Comitiis Quæstoriis institutis, &c. subiungit enim, Ille autem Comitiis Tributis auspicatus esset, Centuriata habuit, &c.

Sigon. lib. 2 de antiqu. iur. ciuium Ro. c. 2. & 4. 5.

Officia Quæstoris vrbani fuerunt varia, ex quibus hæc fere sunt præcipua, Curam gerere ærarij, & vectigalium populi Rom. pecuniam publice, vel priuatim erogare, vel in ærarium condere, atq; in tabulas accepti & expensi referre, cum exercitus scribi, & in campum legiones duci oporteret, signa militaria ex ærario depromere, atq; ad Consules in expeditionem ituros mittere, legatis ex vltimis oris terrarum Romam profectis, publicum hospitium curare, & munera, sæpe commeatus, large & hospitaliter, & vestimenta publico nomine exhibere, ac ne quid ipsis eorū neque comitibus deesset, prospicere: Ægrotantium, legatorum peregrinorū curam suscipere, mortuisque funus è publico facere. Apud Quæstores vrbanos, Imperatores ab expeditione redeuntes, ac triumphum petentes, iurare cogebantur, vere fuisse scriptum ad Senatum de hostium occisorum, & ciuium amissorum numero, alioqui triumphus ei negabatur. Ad eorum etiam munus pertinebat, prædam ex hostibus captam vendere, pecuniámq; inde redactam in ærarium referre, tandem translata etiam ad eos est cura asseruandorum Senatusconsultorum, cùm antea Tribunorum plebis, & AEdilium id munus fuisset, Plutarchus, Liuius, Valer. Maximus, Dio, Agellius li. 13. c. 13 & alij. Sed nullū imperium habebant hi Quæstores, non vocationem nec prehensionem, non sella Curuli, vt plerique Magistratus, neque lictoribus aut viatoribus vtebantur, & apud Prætorem poterant à priuato in ius vocari. Conuocandæ tamen concionis habebant, vt Dionysius Halicarnass. lib. 8 docet. Post constitutam autem Romæ Monarchiam, Quæstura sæpe abrogata, & rursum instituta fuit, vt ex Suetonio & Tacito discimus. Sub Imperatoribus Augustis cœpit aliud genus Quæstorum, qui dicebātur Quæstores Candidati, eorum officium erat libros, hoc est, epistolas, siue orationes Principis in Senatu legere. Vlpianus, AElius, Lampridius, Dio & Tacitus. De his vide etiam Barnabam Brissonium libro 1. Antiquitatum, c. 17.

Liu. lib. 7. Plutarch. Probl. 45.

Val. Max. lib. 2. c. 8.

Capvt XXIII.

De Tribunis plebis decem.

Mvltas in Republica Romana dedit turbas nimia fœneratorum in egenos & obæratos crudelitas, quod manifestum est omnibus iis, qui diligenter Romanas Historias legunt, vt non necesse sit multa de ea re hoc loco verba facere. Illud tantùm iam ostendam, eandem crudelitatem etiam causam fuisse creandorum Tribunorum plebis. Cùm enim, vt docent Dionysius libro 6. Liuius libr.

2.& alij, Romani post eiectos Reges continuis bellis vexarentur per multos annos, plurimi, quibus tenuis res erat, cogebantur, tum propter continuas illas expeditiones, tum propter tributa, aliaque onera, nomina facere: reuersi autem ex bellis domum, cùm soluendo non essent, à creditoribus vincti in seruitium ducebantur, vbi misere ab iisdem tractabantur. His miseriis mota plebs aliquoties petebat, se illis subleuari: minabatur etiam, nisi leuationem, vel remissionem debitorum impetraret, non daturam nomina ad expeditionem, quod primùm anno ab Vrbe condita CCLV. Coss. Tito Lartio Flauo, & Qu. Clœlio Siculo factum esse habet Dionysius. Delinita tamen Patrum pollicitationibus plebs, sæpe de suo feruore remittebat, & imperata faciebat. Cùm autem Patres, secum ipsi diffidentes, nullis egenorum querelis mouerentur, vt ipsorum curam habuissent, res tandem ad seditionem venit, ita vt cum anno Vrbis conditæ CCLIX. Coss. A. Virginio Tricosto Cælimontano, T. Vetusio, vel Veturio, Gemino Cicurino, bellum cum Volscis & Aequis esset, plebs auctore Siccio & ex castris, & ex Vrbe in montem vrbi vicinum, qui postea sacer dictus fuit, secesserit, & non prius inde reuocari potuerit, quàm Patres per legatos plebi debitorum leuationem, & nexorum solutionem obtulissent, eique insuper Tribunatum plebis, cuius constituendi tunc primum facta est mentio: item Ædiles plebis permittentes: quo facto sublata est discordia, & plebs in Vrbem rediit: creatique primum Tribuni plebis quinque anno ab Vrbe condita CCLX. Sp. Cassio Viscellino II. Aul. Posthumio Aurunco II. Coss. qui Tribuni dicti fuerunt, vt docet Varro libro 4. de ling. Latin. quod primi ex Tribunis militum creati fuerunt. Eorum nomina, vti recenset Dionysius libr. 6. fuerunt hæc: L. Iunius Brutus, C. Sicinius Bellutus, C. & P. Licinij. & Sp. Sicilius Ruga: refértque Dionysius, eos comitiis curiatis à plebe creatos, A. D. 4 Id. Decemb. potestatem Tribunitiam accepisse. Duplicatus deinde hic numerus fuit, & pro quinque decem creati, cum magno Optimatium dispendio, anno ab Vrbe condita CCXCVII. Coss. M. Valerio Sp. Virginio. Primi autem Tribuni plebis his conditionibus creati sunt: Cùm in illa plebis cum Patribus transactione plebeij metuerent, ne soluto cœtu, vel promissis non staretur, vel aliqui comprehensi raperentur ad supplicium, securitatis suæ causa potestatem illam postularunt, & adepti sunt, vt ipsi sibi è suo corpore contra Patriciorum potentiam ac vim, creare peculiarem Magistratum possent, à quo auxilij latio aduersùs consules esset, vtque hic Magistratus sacrosanctus esset, hoc est, talis, quem vel vi, vel verbis violare capitale esset, & scelus inexpiabile: vt ita magis ad impediẽdum, quàm ad agendum initio Tribuni fuerint creati, hoc fine, vt si quid vel de publico negotio, vel de priuato animaduerterent à Patribus agi, quod fraudi posset esse plebi, interponerent suam auctoritatem, & illud auerterent: non autem ipsi alia & noua molirentur, sicut sæpe fecerunt. Ideo in Halicarnassæo aliquoties ipsis obiicitur, quod non sint memores, quas metas ea potestas habeat. Nam in veteri iure non habuerunt Tribuni potestatem vocandi: qua de re legi potest Agell. lib. 13. cap. 12. & Cic. 2. in Rullum & lib 3. de Leg. b. dicit, Tribunum plebis maiores præsidem libertatis, custodémque esse voluerunt: & alibi de Tribunis verba faciens, inter alia comparat eos cum Ephoris, quod & Var. Maximus lib. 4. c. 1. facit. De potestate autem Tribunorum hæc inuenimus: Quod quemuis potuerint tueri, contra vim intentatam à superiore, & quod licuerit illis quibusuis decretis, quæ improbabant, intercedere: licuerit etiam ipsis quemcunque vellent, arreptum, in concionem producere, & cogerent quibus de rebus esset interrogatus, de iis respondere: hac tanta potentia & immunitate, tanquam telo quodam acerrimo armati, si qui natura inquieti, aut alias Patrib. iniqui essent, valde abusi sunt sua potestate, & paulatim latius progrediendo, & multò plus sibi iuris vendicando, quam initio fuerat concessum, multùm labefactarunt auctoritatem consulum & Senatus, & auctores crebri fuerunt maximorum tumultuum, & maiorum, vt non raro pestis & pernicies Reipublicæ nominentur. Et ferme semper, quoties aliquid affulsit quietis Reipublicæ, illud turbarum, vbique opponendo se importune Senatui, & res mouendo nouas & rixarum subministrando materiam perpetuam: quanquam ipsa Tribunorum constitutio, si intra limites suos mansisset, & iuste fuisset administrata, fuisset saluti Reipublicæ, & frænum Patrum, ne discederent ab officio, sicut & Dionysius eam habet pro saluberrima, & quę multum ad insolentiam Patrum reprimendam potuerit: Ibidem tamen addit, id eatenus se iudicare, quatenus illa potestas cadat in bonos & prudentes viros, quia improbis & stolidis non raro fuerit ad pessimos conatus occasio. Sed & hoc de Tribunis memorabile est, quod si vnus cæterorum rogationibus refragaretur, impedire poterat omnia. Vnde & Claudius apud Halicarnassæũ sperat fore, vt ipsa Tribunitia vis à se ipsa destruatur, si scilicet aucto Tribunorum numero incidant inter ipsos dissensiones. Gestârunt Tribuni plebis purpuram, vt affirmat Cicero pro Cluentio, quanquam cõtrarium affert Plutarchus Problemate 81. Domúsq; Tribunitia non fuit clausa, sed noctu & interdiu semper tan-

quam portus quidam & perfugium iis, quibus opitulandum esset, patuit. Nec licuit Tribuno integrum diem ab Vrbe abesse, nisi in Latinis feriis. Halicarnasseus li. 8. Agel. li. 3. c. 2. & Macrobius lib. 4 Saturnaliorum, c. 3. Potestas etiam Tribunorum terminata fuit mœnibus, nec extra Vrbem quicquam valuit, vt docent Halicarn. & Liuius li. 3. Cæterùm quod Sulla Dictator totam hanc potestatem aboleuerit, quæ tamen à Pompeio restituta, sit videmus in Plutarcho, in Pompeio, & Cicerone l. 3. de Legibus, ne plures nunc producam. Sub Constantino autem Imperatore in vniuersum Tribunatus cessauit.

CAPVT XXIV.

De Ædibus plebis duobus.

QVOD hactenus in hisce libris religiosè obseruaui, vt singula munia Reipublicæ quæ aliqua ex parte distincta fuerunt, etsi in nomine similitudo quædam esse videretur, distinctè etiam traderem, atque explicarem: idem mihi & hoc loco faciendum puto, vbi de Ædilium officiis disserendum erit. Cùm enim tres ordines eorum fuerint, alij Plebeij, alij Curules, alij Cerales, qui licet vnum nomen habeant, quoad officia autem multum à se inuicem differant: de iis [illegible] singulatim dicere institui, & primum quidem de Ædilibus plebis. Ædilis dictus est teste Varrone lib. 4. de ling. Latin. qui ædes sacras & priuatas curaret. Ædiles autem plebis dicti sunt, quod ex plebe crearentur, & plebis proprij Magistratus essent. Duo igitur Ædiles plebis primum creati sunt anno ab v. c. CCLX. Sp. Cassio Vicellino II. A. Posthumio Auruco II. Consulibus, eodem anno, primi Tribuni plebis. Cùm enim, vt Dionys. li. 6. testatur, inita inter Patres & plebem concordia, plebs, quæ in montem sacrum secesserat, in Vrbem rediisset, & impetrasset à Senatu, vt liceret sibi quotannis è suo corpore creare Tribunos plebis, de quibus iam dictum est, petierunt etiam sibi à Senatu permitti, vt quotannis duos è plebe crearent subministraturos Tribunis, quicquid opus esset, & lites nonnullas, eorum permissu, diiudicaturos, ædiumque sacrarum, locorum publicorum, atque annonæ curam habituros. Quo per Senatum concesso, creauerunt quos tum ministros & socios Tribunorum, ac Iudices appellabant. Nunc verò ab officiorum vno Ædiles vocant, potestatem habentes alterius Magistratus ministram, vt antea. Curant autem multas magnas res, súntque maxima ex parte Græcorum Agoranomis similes, &c. Hactenus Dionysius. Primi Ædiles plebis creati fuerunt comitiis curiatis, idque obseruatum vsque ad legem Voleronis latam. Post illam verò legem Tributis comitiis creari eos solitos, consentiunt scriptores fere omnes.

Officia Ædilium plebis fuerunt, vti ex Dionysio audiuimus, & alij etiam scriptores confirmant Tribunis plebis ministrare, & de leuibus quibusdam causis, & litibus ipsorum permissu iudicare: iis, qui plus quam lege diffinitum erat, agri possiderent, diem dicere: matronas probri accusare, fœneratores coercere, popinas, & ganeata obsonia inhibere, in facta dictáque inciuilia, atque improba animaduertere, atque mulctam indicere: vt ædificia publica priuataq; fierent, vt cloacæ publicæ, aquæductus, & cætera ædificia, lauta, munda, integra & expedita asseruarentur, curare: iniqua pondera corrigere, mensuras minores frangere, & mulctare, de aleæ lusibus cognoscere, conuehere frumentum, & oleum: ne vrbs penuria annonæ, aut caritate laboraret: vtque commeatus, quæque bello vsui forent, in castra deferrentur, ipsorum muneris erat: Plebiscita vt in æde Cereris asseruarentur, ad ipsorum curam spectabat. Quare Pomponius Iurisconsultus ff. tit. de Origine iuris, scribit, eos ob hanc causam potissimum creatos fuisse. Postea etiam Senatusconsultorum cura, ne Proconsulum arbitrio supprimerentur, ipsis est demandata, quæ tamen ad extremum Quæstoribus vrbanis, vt in ærarium reponerentur, sunt commissa. In tantum etiam honoris culmen Ædilitas est prouecta, vt aliquando Vrbe peste laborante, maiestas Consularis, quemadmodum Liuius li. 3. habet, ad Aediles plebis deciderit. Hanc verò eorum potestatem à Claudio & Nerone Imperatoribus Augustis, plurimum accisam fuisse Cornelius Tacitus, & Suetonius produnt.

CAPVT XXV.

De Ædilibus Curulibus duobus, & Ædilibus Cerealibus duobus.

Alii

ALII erant Aediles, qui Curules appellabantur, & sella curuli, vti solebant. Plutarchus in Mario, eos Maiores Aediles appellat. Creabantur autem ex Patriciis, non ex Plebeiis. Quaerentibus autem de ea iniuria Tribunis plebis, conuenit inter eosdem & Senatum, vt alternis annis ex plebe fierent: postea promiscuum fuit. Eorum origo, vt Liuius li. 6. extremo habet, haec fuit: Cùm concordia inter Plebem & Patres inita, Senatus ludos in eius honorem decreuisset, & Aediles plebis se eos facturos recusassent, conclamarunt Patricij iuuenes, se id honoris Deûm immortalium causa libenter acturos, vt Aediles fierent. Quibus cum ab vniuersis gratiae actae essent, factum Senatusconsultum vt duos viros Aediles ex Patricijs Dictator populum rogaret. Primi igitur Aediles curules creati sunt anno Vrbis conditae CCCXXCVI. Cn. Quintius Capitolinus, & P. Corn. Scipio, L. Sextio, L. Aemilio Mamerco consulibus. Liuius libro septimo, initio. Horum munus fuit ludos sacros & solennes instituere, ac procurare. Sacrarum aedium, & priuatarum curam gerere. Quod tum ex iis, quae dicta sunt, tum ex Ciceronis verbis Actione septima in Verrem intelligitur. Sic enim scribit: Nunc sum designatus Aedilis, habeo rationem, quid à populo Romano acceperim, mihi ludos sanctissimos maxima cum cura & caerimonia Cereri, Libero, Liberaeque faciendos: mihi Floram matrem populo, plebique Romanae ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Ioui, Iunoni, Mineruaeque esse faciundos. Mihi sacrarum aedium procurationem, mihi totam vrbem tuendam esse commissam. Ob earum rerum laborem & sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in Senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam, posteritatémque prodendam. Haec Cicero. Ex quibus etiam, quae insignia honorum Aedilibus concessa fuerint, cognoscitur. Caeterùm illos ludos quisque Aedilis sua impensa & sumptibus pro modo patrimonij, ac dignitatis suae celebrandos procurabat, vt ex alio Ciceronis loco, libro secundo Officiorum patet, vt etiam doceret, vitandam esse suspicionem auaritiae. Multi enim, vt ludorum sumptum vitarent, Aedilitatem non petebant: Mamerco, inquit, homini ditissimo praetermissio Aedilitatis, consulatus repulsam attulit, & addit: Muraenam, qui Aedilis non fuerat, propterea ludos in Praetura fecisse, vt à se suspicionem auaritiae remoueret; & sibi populi Romani beneuolentiam, ac studium conciliaret. Est & hoc obseruatione dignum, quod Lucius Ioannes Scopa in Collectaneis annotat, legem Romae latam fuisse, ne quis Romanorum quid scriberet nisi prius ad Aediles Curules accessisset, & scribendi veniam impetrasset, cum illi prius scriptoris vires perpendissent, & secundùm ingenij capacitatem, ac doctrinam, componendi potestatem dedissent. Quod de fabulis Scenicis intelligendum esse, ex omnibus fere Terentij Comediarum inscriptionibus colligi potest. Eas enim Aediles emebant, & vt publicè agerentur, curabant.

Erat etiam Aedilium Curulium officium, curare, vt Templa, Theatra, Stadia, Fora, Porticus, Curiae, & Basilicae, atque Moenia, magnificis operibus reficerentur, & ornarentur. Sed non contenti his muneribus etiam annonae, aliarúmque rerum curationem & cognitionem sibi vindicarunt, & multa cum Aedilibus plebeiis communia habuerunt. Omnium autem maxime ad eos pertinebat, causas & lites redhibitionum, id est, in quibus agebatur de re corruptae vitio, quam quis aut vendidisset, aut commutasset, dirimere: ideóque vbi Kalendis Ianuariis Magistratum inierant, non aliter atque Praetores edictum promouebant, in quo quemadmodum de singulis controuersiis ius dicturi essent, populum praemonebant. Vnde apud Iurisconsultos peculiaris titulus est de Aedilio edicto. Annus quo hic Magistratibus peti solebat, erat, vt colligunt Paulus Manutius, & alij, XXXVII. Atque haec de Aedilibus Curulibus.

De Aedilibus Cerealibus pauca, quae admoneam, habeo. Cereales dicti, quòd Cereri, hoc est frumento praesint. Et primùm à Caio Iulio Caesare instituti, & ex Patriciis creati sunt, anno ab Vrbe condita DCCIX. Testis est Suetonius Tranquillus, cùm in Iulio scribit: Praetorum, Aedilium, Quaestorum, minorum etiam Magistratuum numerum ampliauit. Et Dio lib. 43. qui paulo clarius idipsum docet, sic scribens: Eodem anno primo sex Aediles sunt constituti, duo Patricii, qui Cereris Aediles vocarentur, quatuor Plebeii. Isque mos ad nostram vsque aetatem exinde perductus est, &c. Haec ille, quae etiam confirmat Pomponius Iurisconsultus ff. de Origine iuris.

Caput XXVI.

De curatoribus omnium Tribuum.

CVRATORES Tribuum erant, qui Tribuum commoda procurarent, perinde atque in vicis vicorum Magistri. Eorum Terentius Varro libr.5.de ling. Lat. meminit, in recitatione verborum, quæ dicit Censor Præconi, conditurus lustrum: Omnes Quirites, pedites, armatos, priuatosque, Curatores omnium Tribuum, si quis pro se, siue altero dari rationem volet, voca Inlicium huc ad me, &c. Apud alios scriptores non facilè est eorum mentionem inuenire.

CAPVT XXXII.

De Triumuiris Capitalibus.

TRIVMVIRI Capitales, qui & Tresviri, seu Treuiri Capitales, eo quod tres viri simul ad munus illud obeundum crearentur, sunt dicti, fuerunt, quemadmodum scribit Pomponius. ff. de Origine iuris, qui carceris custodiam haberent, vt cum animaduerti oporteret, id eorum interuentu fieret. Horum sæpe fit mentio apud Liuium, Ciceronem, Plautum & alios. Creati sunt primùm, vt Onuphrio Panuinio & Huberto Goltzio in Fastis placet, ab Vrbe condita anno CDCXV. Eorum non tantùm erat, vti ex Pomponio audiuimus, carceris custodiam habere, sed etiam latomiarum Ad columnam item Mæniam, vt Cicero docet, de eorum scelere cognoscebat, qui cùm ciues Romani non essent, in vrbe habitarent: ac de vilibus & abiectæ tantùm conditionis hominibus, vt de furibus & seruis nequam, ius dicebant, teste Asconio in Diuinationem. Primis autem temporibus, etiam de aliis maleficiis cognouisse eos, nondum constitutis quæstionibus publicis, colligitur ex Plauto in Asinaria, & Varrone li 4. de ling. Lat. qui de Quæstoribus agens scribit: Quæstores à quærendo, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia, quæ Triumuiri Capitales nunc conquirunt. Quod autem addit Pomponius animaduersum in delinquentes, ac scelerosos, ipsorum interuentu fuisse, intelligendum sic est, non quòd ipsi Triumuiri quenquam supplicio affecerint, sed vsi ad eam rem sint opera lictorum, quorum octo sub se habebant: vnde apud Plautum in Amphitruone Sosia:

> *Quid faciam nunc si Tres viri me in carcerem compegerint?*
> *Inde cras è promptuaria cella depromar ad flagrum.*
> *Nec causam liceat dicere mihi, neque in hero quicquam auxilij siet?*
> *Nec quisquam sit quem me omnes esse dignum deputent.*
> *Ita quasi incudem me miserum homines octo validi cædent, &c.*

Hic enim per octo homines, octo lictores intelligunt, ministrantes Triumuiris. Quod vero etiam sacramenta exegerint Triumviri capitales, atque in diuinos vsus & ad tuenda sacra ciuitatis eam pecuniam contulerint, constat ex lege Lucij Papirij Tribuni plebis apud Festum: quam quomodo legendam putant Lucas Fruterius, & Iosephus Scaliger, huc scribam: Queicunque Prætor posthac factus erit, quei inter ceiueis ious dicet, Tresuiros Capitaleis populum rogato, eisque Tresviri Capitaleis, queicunque posthac facti erunt, sacramenta exigunto, iudicantóque, eodem ioure sumpto, vtei ex legibus, Plebe quæ sciteis exigere, iudicare esse oportet. Additq. Festus, sacramenti nomine id æs dici cœptum esse, quod & propter ærarij inopiam, & sacrorum publicorum multitudinem consumeretur in rebus diuinis. Creabantur porrò Comitiis Tributis Capitales Triumuiri, vt alibi est ostensum. Vide etiam de hac lege & Triumviris Capitalibus Iacobum Ræuardum lib.2. Variorum, cap.18.

CAPVT XXVIII.

De Triumuiris nocturnis, Triumviris valetudinis, & Triumviris monetalibus.

QVANDO Triumuiri nocturni creati fuerint, certum non est: hoc constat, antiquum eum Magistratum esse. Meminit eius Liuius libro nono, vbi de C. Flauio Scriba, quomodo Aedilis Curulis factus sit, agens, inter alia dicit, eum prius Tribunatum gessisse, & duos Triumviratus, nocturnum alterum, alterum coloniæ deducendæ, &c. Meminit eius & Tacitus libro quinto Annalium, his verbis: Triumuiri nocturni, quod ad incendium in sacra via ortum tarde venerant, à Tribuno

buno pleqis die dicta damnati sint. Quod eorum officium fuerit, Paulus Iurisconsultus libro primo tit. 44. Apud vetustiores, inquit, incendiis arcendis Triumuiri præerant, qui ab eo, quod excubias agebant, etiam nocturni dicti sunt. Interueniebant nonnunquam, & Ædiles, & Tribuni plebis. Erat autem familia publica, circa portas & muros disposita, vnde & si opus esset, vocabatur. Fuerunt & priuatæ familiæ, quæ incendia, vel mercede, vel gratia extinguerent: deinde Diuus Augustus maluit per se huic rei consuli instituto Præfecto vigilum cum cohortibus. Hæc ille.

Triumuiri valetudinis.

De his cùm nihil quicquam in veteribus scriptoribus inueniam, nec satis sciam, an Magistratus fuerint, quia tamen ab Onuphrio Panuinio in Magistratuum numerum referuntur, nolui eos prætermittere, & cum mihi, quinam illi fuerint, cognitum non sit, Onuphrij verba libr. 2. Commentariorum Reipublicæ Romanæ, adscribere libet, quæ hæc sunt: Huius, inquit, Magistratus nulla apud veteres auctores, quod sciam, mentio est. In antiquo vero argenteo nummo sic scriptum est, M. Acilius III. VIR. VALETV. Hi nostra ætate pestis causa creari solent, atque Domini sanitatis vocantur, quibus temporibus de morbo suspectis magna potestas concedi solet. Nummi autem verba sic ego interpretor. M. Acilius III. VIR. valetudinis tuendæ. Hæc Onuphrius.

Triumuiri monetales.

De Triumuiris monetalibus Pomponius Iurisconsultus ff. tit. 2. de Origine iuris, sic scribit: Constituti sunt eodem tempore & Quatuoruiri, qui curam viarum agerent, & Triumuiri monetales, æris, argenti, auri flatores, &c. Præfuerunt cudendæ monetæ: dicti fuerunt Triumuiri monetales, & Triumuiri A.A.A.F.F. quod est Auro, Argento, Aere, flando, feriendo. De iis etiam intelligendus locus apud Cic. in epist. ad Trebatium Iurisconsultum, vbi sic scribit: Treuiros vites censeo, audio capitales esse, mallem auro, argento, ære essent. Triumuiros enim Treuiros dici, & Tresuiros solitos, non est obscurum: & sic hunc locum interpretantur, Bembus in epistola ad Paulum Manutium, & alij. Quamuis etiam hoc verum sit: intelligi simul per Treuiros populos illos in confinibus Germaniæ, quorum metropolis fuit Treuirum, vrbs adhuc celebris propter Archiepiscopum Treuirensem.

Capvt XXIX.

De Quatuoruiris viarum curandarum, & Quinqueuiris cis & vls Tiberim.

MAxima priscis temporibus Senatus diligentia fuit in faciendis sarciendisq; viis, tam intra, quàm extra Vrbem. Earum autem curandarum munus primum censoribus à Senatu commissum fuit, vnde supra, cùm de censorum officio diceremus addidimus, hoc eorum munus fuisse tueri vias, &c. post verò cum Censores aliis rebus pro officio occupati, huic muneri satis commodè vacare nequirent, ex Senatusconsulto Magistratus alius speciatim ob eam causam creatus est. Ij Quatuoruiri viarum curandarum vocabantur, quod viis vel muniendis, vel sternendis præessent. Eorum non multa mentio est in scriptoribus, quos habemus: in antiquis autem Epigrammatis Plurima Pomponius IC. & Dominicus Floccus Florentinus sic de iis scribunt: Constituti sunt & Quatuoruiri, qui curam viarum agerent. Vide etiam de his Barnabam Brissonium libro 4. Antiquitatum, cap. 12.

Quinqueuiri cis & vls Tiberim.

Non fuerunt hi Magistratus, sed Magistratuum vicarij, de quibus Pomponius IC. & eum sequutus Dominicus Floccus, sic scribunt: Et quia Magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconueniens erat, Quinqueuiri constituti sunt cis Tiberim & vls Tiberim, qui possent pro Magistratibus fungi. Est horum memoria obscura, nisi quod præter Pomponium & Floccum Liuius etiam alicubi eorum meminit. Cæterum vt & hoc addatur, veteres vsi sunt particula vls, qua nos dicimus vltra, teste Festo.

Capvt XXX.

De Decemuiris stlitibus iudicandis, & Centumuiris litibus iudicandis.

DECEMVIRI stlitibus iudicandis Magistratus fuerunt, vt docet Pomp. ff. tit. 2. de Orig. iur. Cùm esset, inquit, necessarius Magistratus, qui hastæ præesset, Decemuiri stlitibus iudicandis constituti sunt. Hic Magistratus, post Quæsturam captus est, vt colligitur ex Suetonio in Augusto, & ex antiqua inscriptione. SCAEVA. QVAESTOR. DECEMVIR. STLITIBVS. IVDICANDIS TRI. PL. &c Adhibuerunt autem hi Xuiri hastam Prætoriam, atque ea posita iudicabant, & ea iudicia exercuerunt, quæ Centumuiralia dicta sunt, de quibus plura libro de iudiciis. Quod ad vocabulum stlitibus, attinet, significat illud idem quod super lites, testantibus Quintiliano & Festo. Centũuiri autem Magistratus non erant, sed Iudices, de quibus sic scribit Festus. Centumuiralia iudicia à Centumuiris sunt dicta; nam cum essent Romæ xxx. & v. Tribus, quæ & curiæ dictæ sunt, terni ex singulis Tribubus sunt electi ad iudicandum, qui Centumuiri appellati sunt: & licet quinque amplius quàm centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, Centumuiri sunt dicti. De quibus controuersiis illi iudicarint, docet Cicero lib. 1. de Orat. his verbis. Iactare se in causis Centumuiralibus in quibus vsucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, cæterarúmque rerum innumerabilium iura versentur, &c. Posterioribus autem temporibus multum creuit eorum iurisdictio, vt in Fab. Quint. lib. 4. c. 1. & li. 5. ca. 2. lib. 11. c. 4. videre licet, atque eorum numerus auctus ad CLXXX. manente tamen semper nomine Centumuirorum, vt testatur Plinius Iunior li. 6. epistolarum, epist. 3. ad Rom. Diuidebantur porro Centumuiri in quatuor consilia, vt alio libr. ostendetur.

CAPVT XXXI.

De Præfectis Ærarij.

SEQVVNTVR alij Magistratus ab Octauio Augusto instituti, inter quos non postremum locum obtinent Præfecti ærarij, de quibus hoc capite dicam. Origo eorum creandorum hæc fuit: Cùm ad Vrbis præsidium, & tuendos Imperij fines plurimæ legiones alendæ essent, nec Augusto suppeterent tot sumptus, consulit Senatum de reditu quodam perpetuo constituendo, vnde citra vllius iniuriam stipendia ac præmia militibus sufficerent. Quia verò nullus reditus excogitari poterat quem omnes probarent, quinimo omnes eum quæri indignarentur, Augustus ipse certum ac proprium ærarium constituit, quod militare appellauit, atque in illud pecuniam pro se & Tiberio intulit, promisitque se quotannis id facturum. Quem secuti aliquot Reges & populi, idem sunt polliciti. Post verò cùm neque ipsius pecunia, neque ea quæ à Regibus & populis mittebatur, satis locupletaret ærarium, nec alia ratio inueniri posset, constituit vt pars hæreditatum ac legatorum vicesima eò referretur exceptis iis, quæ proximis cognatis aut pauperibus relinquebantur. Huius igitur ærarij administrationem tribus Prætoriis, sorte lectis, ad triennium mandauit, qui binis lictoribus, aliisque ministris, quos conueniebat, vterentur, vt Dio libro 55. scribit: Quod & Suet. in Augusto, ca. 46. confirmat his verbis. Quicquid vbique militum esset ad certam stipendiorum, præmiorúmque formulam adstrinxit: definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militiæ, & commodis missionum: ne aut ætate, aut inopia post missionem sollicitari ad res nouas possent: vtque perpetuò, ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos, prosequendósque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit. Hæc ille. Postremis autem temporibus eosdem Præfectos à Principe eligi, & sine electoribus creari solitos, docet Dio lib. 55.

AD CAP. XXXI.

PARALIPOMENA.

Quid ærarium? vbi asseruaretur, Cur in Saturni fano, sanctius ærarium, dotata inde puellæ, ponderata non numerata pecunia, thesauris, materia pecuniæ, adulterini numuni.

ISidorus Hispaniensis l. 16. Etymologiar. c. 17. *antiquissimi nondum auro a gentéque inuento, ære vtebantur, nam prius ærea pecunia in vsu hominum fuit, post argentea, deinde aurea subsecuta sed ab ea qua cœpit, nomen retinuit, vnde & ærarium dictum, quia prius tantum æs in vsu fuit, & ipsum solum recondebatur.* Mutati sæpius ei præpositi, nam olim *Tribuni* præerant. Fest. Pomp. lib. 1. postea *Quæstores.* Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 128.

—Fuit ille quod olim

Quæstor consulibus, tractabat publica iure
Aera suo.

Sub Imperatoribus noui Magistratus instituti, in quorum cura pecunia publica esset, nam à *Quæstoribus ad Prætores*, ab his sub Augusto *ad Senatores*, C. Plin. li. 9. Epist. 1. denique sub Claudio Cæsare ab illis præfectis *ad Quæstores* denuo munus illud deuolutum. dixi ad illud Claudiani in consulatu Manlij Theodori.

Abductoque hominum cumulent æraria sensu.

Et lib. de laudib. Stilichon.

—non indecores æraria lassant
Expensæ.

Id moris & apud Persas, publicam pecuniam magnatibus asseruandam committere. Eruditissimus Brissonius iam præoccupauit. Q. Curtius. lib 5. *Tiridatem pecuniæ*, quæ ex vna Satrapia cogeretur, *custodem* memorat; & Begophanem arcis Babylonicæ, & *regiæ pecuniæ* eiusdem prouinciæ *custodem*. eodem libro Dar j Persarum regis ad constructionem templi Hierosolymitani extat apud Iosephum libro 11. Antiquitat. Iudaicar. cap. 4. *ἐκ τοῦ βασιλικοῦ γαζοφυλακίου, ex regio ærario.* Est & edictum Artaxerxis ad omnes, qui thesauris suis, trans flumen præpositi erant, vt quicquid ab iis Esdras Sacerdos, scriba legis Dei cæli postulasset, illico præstaretur. Esdræ c. 7. Strabo li. 15. vbi de *Suza*, & Arrianus lib. 3. de *Pasagardis*. Erat & *Gaza* celebre thesauris regiis reponendis oppidum, vnde eo nomine opulentiam significarunt. Curt. libro 3. quam vrbem *in Palæstina* reponit Pompon. Mela. lib. 1. cap. 11 quare Suidas *γάζα θησαυρός*. *Gazam thesaurum* interpretatur. & pene eadem Hesychius Grammaticus. recte Seruius ad lib 1. Æneid. *Gazam*, *Persarum lingua censum*, *diuitias*. huiusmodi *custodes* aut *ærario regio præpositi* vocantur *γαζοφύλακες*, Diodor. Sicul. libr. 17. *custodem regiæ pecuniæ* vertit Æmilius Probus, siue mauis Cornelius Neposin Datame, vetus Interpres Bibl Esther cap. 3. *Arcarium gazæ* transtulit, quam immensa, quamque prodigiosa eius summa, liquet videre ex variis scriptoribus adductis ab eodem Brissonio loco laudato. Artemidor. libro 4 Oneirocrit. capite 33. *ἀργυρίου βασιλικοῦ ἐγένετο προεστώς*, *pecuniæ regiæ factus est præfectus.* Asseruabatur plerumque hæc pecunia in templis, quod loca ea sacra & inuiolata censeret, ideóque tutissimo præsidio in fanis Deorum deponebantur. Abbas Vrspergensis sui Chronici pag. quadragesima prima: *audita templi Hierosolymitani opulentia, quam Pompeius intactam reliquerat, in Palæstinam diuertit, Hierosolymam adit, templum peruadit, opes diripit.* Et qui nescit ærarium olim totius Græciæ in Delo Insula fuisse? & templum Delphici Apollinis propter opes in eo depositas à Brenno Gallorum duce petitum? vt narrat præter alios Iustinus li. 24. Hegesippus Excidij Hierosolymitani lib. 1. cap. 17. *denique Pompeius curarum istiusmodi declinans superflua dum triumpho potitus ambiret ambusta, sequentibus sese suorum plurimis, vidit tabernaculum, secundum quod soli principi sacerdotum solenni accessu patebat: atque intus aspexit lucernam, & mensam, & thymiamata, & tabulas testamenti, & super eas Cherubin, multitudinem aromatum dispersam, & sacra pecuniæ talenta duo millia, in quibus cum plurimum auri esset, integer tamen ab omni cupiditate vel ipsa, vel si qua sacrorum vasorum inuenta sunt, intacta conseruari præcepit.* Ea, vt testimonio, ratione inducti Romani, in æde Saturni ærarium suum esse voluerunt. Pseudocornutus ad v. 59. Sat 2. A. Persij. *æs in æde Saturni condebatur, nondum argento auróque signato, vnde ærarium nomen accepit. fuit autem assis libralis, & dipondius, quod hodie in vsu remansit, & solebat pensari potius, quàm numerari, vnde & dispensatores dicti prorogatores.* Rationem habes apud Minutium Fælicem in Octauio, qui dialogus falso à quibusdam pro octauo Arnobij libro habebatur, & à Q. Florente Tertulliano Apologet. aduers. gent. capite decimo, *si quæras rerum argumenta, nusquam inuenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones, postque Attica hospitia consedit, exceptus à Iano, vel Iane, vt Salij volunt, Mons quem incoluerat, Saturnius dictus, ciuitas quam depalauerat, Saturnia vsque nunc est, tota denique Italia post Oenotriam, Saturnia cognominabatur: ab ipso primum tabulæ, & imagine signatus nummus, & inde ærario præsidet.* primus templum illud in vsibus addixit Valerius Publicola Macrob. libro 1. Saturnal. cap. 6. vel, quia reuerentia sacri loci, vt iam admonui, & habetur apud Apollonium Collatium Excidii Hierosolymitani lib. 4. de templo Salomonis,

—nam parcere sacro
Ille loco septémq; vrbis munimenta maneræ
Vna cupit.

Vel quia tutissimus erat ille mons, & prouida Naturæ manu, aduersus iniurias hostiū, sitúque munitus erat. Plutarch. in Rom. Problemat. ca. 42. C. Iul. Solin. Polyhist. c. 2. tu vel historicam Tertulliani, vel sacram Collatij, vel politicam rationem Plutarchi, lector proba. Atque ita Lucanus intelligendus lib. 3. Pharsal.

—pugnásque Metellus
Vt videt ingenti Saturnia templa reuelli
Mole rapit gressus.

Et paucis deinde interiectis.

Non nisi per nostrum vobis percussa patebant
Templa latus, nullaque feres, nisi sanguine sacro
Spar, as raptor opes.

Pulcherrime *sanguine sacro*, nam magistratus sacrosancti erant, neque sine maiestatis imminutę crimine violari poterant. sequitur postea post aliquot versus in Lucano.

Protinus abducto patuerunt templa Metello:
Iam rupes Tarpeia sonat, magnoque reclusas
Testatur stridore fores.

Porrò *duplex ærarium* l.vn. C de quæst.& magist.off. vnum quod *vulgare* suspicor posse appellari, quod communis reipublicæ census, & ordinaria tributa in eo reconderentur, in exteriori scilicet fano, alterum *sacrum*. l. fin. C.de palat.sacr.largit.lib.2.ad vltimos reipublicæ laborantis casus *aurum vicesimarium* celans, idque in penitiori ædis sacræ recessu asseruabatur, tutiori nempe & munitiori loco. hoc ipsum *sanctius ærarium* appellarunt. Philippus Rubenus lib.2.lectissimorum Electorum, cuius vnica pagina, meo iudicio, potior videtur, quàm iuges quorundam volumen, T. Liu.3.Decad.lib.7.*cætera expedientibus quæ ad bellum opus erant consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiori ærario ad vltimos casus seruaretur promi placuit.* M. Tull.lib.7.ad Atticum epist.200.*attulit mandata ad consules, vt Romam venirent, pecuniam de sanctiore ærario proferrent.* Idem Act.3.in C.Verr. *primum mihi litteras publicas, quas in ærario sanctiore conditas habebant, proferunt.* quo loco ostenditur non tantùm opes reip. recondi illic solere, sed & tabulas publicas, vt ab aliis est obseruatum. Meminit Cæsar libr.1.belli ciuil. *Lentulus aperto sanctiore ærario ex vrbe profugit. vicesimarium* illud *aurum* quibusdam placuit appellari *Cimeliarchium*. inter hos Cælius Rhodigin. lib.4.Antiquar. lect.cap.9. κειμήλιον enim *thesaurus* est.

Initio bellorum ciuilium Pompeianorum consules cum summo dedecore vrbe excedentes, sanctius hoc ærarium clauserunt. Cicero eodem lib.7.ad Atticum Epist. 12. *neque enim rerum prolatio, nec senatus, magistratuumque discessus, nec ærarium clausum tardabit*, & post illum Dio Cocceian. libro 41. quod ridiculum visum nonnullis, vt claues auferrent consules, aurum & ærarium Cæsari relinquerent, quasi is pecuniis parceret, qui legibus non pepercisset, qui vexillis iam sublatis hostem se Senatus, libertatis pristinæ oppressorem professus fuisset. Et tenera Cæsari in vrbem ventitanti nihil prius visum agi dignum, quàm rapere, quicquid opulentiæ congestum fuerat. Appian. Alexandrinus Bellor. ciuil. libro secundo pagina 453. ἀψαύστους ἐκείνας χρήματα. *intactas ad id temporis pecunias abstulit.* L. Florus lib.4. ca.2. *nec Pompeius ab Italia, quàm Senatus ab vrbe fugatur priors quam pæne vacuam metu Cæsar ingressus consulem seipse facit, ærarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, iussit effringi, censúmque & patrimonium populi Romani antea rapuit, quam Imperium.* Notauit eum locum apud Lucanum lib.3.iam citato, eleganter expressum Ioannes Damers, sed verba poëtæ apponam:

— tum conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani census populi quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi,
Quos tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores seruastis auorum,
Quod dites Asiæ populi misere tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello
Pauperiorque fuit tum primum Cæsare Roma.

Quantum autem inde sustulerit pecuniarũ, poëta non potuit exprimere articulatim, satis habuit dixisse, totum Romani populi censum per vim raptum, at historici numerum retulerunt, & summam. Freculph. Lexouiens. Tom.1.Chronic.lib.7. cap.8 *Cæsar Romam venit. negatámque sibi ex ærario pecuniam fractis foribus inuasit, protulit ex eo auri pondo quatuor millia centum triginta & sex, argenti pondo prope nongenta millia.* quæ omnia ad verbum ex Paulo Orosio transcripsit libr. 6. cap.15.nisi quod Orosius exiguo admodum discrimine in Numero variet, nam pro *centum triginta & sex*, habet ille *centum triginta & quinque.* cui consentit Abbas Vrspergensis Chronici sui p.42.Ado Viennensis Chron.ætate 5.pag. 97.in summa auri cum Orosio concors est, at *argenti pondo octingenta* solummodo ponit *pondo*. Martin.Polon. de Imperio Romanorum lib.2.c.17.contentus fuit dixisse, *Cæsar negatam sibi ex ærario pecunia fractis foribus ærarium spoliauit.* Ioannes Zonar. Annal.2. Tertio pag. 127. μὴ εὑρισκομένων τῶν κλειδῶν, ἐκκόψαι ἐκέλευσεν. *cùm claues non reperirentur, securibus aperiri ærarium iussit* aliter narrat C. Plinius lib.33.cap. 3.*C. Cæsar introitu primo vrbis in ciuili bello suo, ex ærario protulit laterum aureorum viginti sex millia, & in numerato pondo trecenta, nec fuit aliis temporib. Respublica locupletior.* obiter idem lib.19.c. 3. *Cæsarem verò Dictatorem initio belli*

belli ciuilis inter aurum argentúmq; protulisse ex ærario laserpitij pondo centum vndecim. prioris loci diuersissimam lectionem vide apud Iacobum Dalecampium.

At enim Plinius & authores alij antea citati, neque per aureos, aut sestertios, aut talenta, aut quamlibet aliam pecuniæ summam numerant, sed *per pondo*, quia antiquitus *pecunia solebat pensari potius, quam numerari*, vt Pseudocornutus ad v.59. Sat.2. A. Persij supra citatus diserté Fr. Hottomannus libro quarto Antiquitat. Romanar. Priscian. Cæsariensis Grammatic. libr. 6. neque aliter militibus diuisa stipendia, quam ad stateram, M. Varro lib.4. de ling. Latin. *stipendium quoque à stipe dictum, quod æs quoque stipem dicebant, nam quod asses libræ pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant.* obseruat Godescalcus Stenuechius ad Vegetium libr. 2. cap. 19 Fest. Pomp. lib. 14 *pendere pœnas, soluere, significat, eo quod ære graui vterentur Romani penso eo, non numerato, debitum soluebant.* Seruius Honoratus ad li.6. Aeneid. v.20. *pendere pœnas, soluere, tractum à pecuniaria damnatione.* Nota est historia Brenni, qui libertatem Romanis obsessis vendidit *mille auri pondo*, Plut. in Camillo. L. Florus idem narrat libro primo hist. Rom. cap. 31. *mille pondo auri recessum suum venditantes, idque ipsum per insolentiam, cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbe victis increparent.* Sulpitia poetria in Satyra illa sua de temporibus Domitiani.

—trutina Galli fugere relicta.

Sil. Italic. lib. 1. Punicor.

Hic galeæ Senonum, pensat'que improbus auri
Arbiter ensis inest.

Et lib. 4. eiusdem operis.

Pensantes aurum Celtas vmbone ferebat.

Et ad eum ritum, licet suo sæculo desitum, allusisse videtur Martial. lib 7. Epigr. 51.

Quanto commodius, nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer?

Quare in emptionibus illis familiarum imaginariis, quanquam res oboleuerat, *libripendis* tamen nomen retentum. Theodor. Marcil. ad leges decemuirales exactissime capite 14. Horatius respexit libro secundo Epist. 2.

—quod quis libra mercatus, & ære est.

Vnde frequentissima in solutionibus pecuniariis, *lancis* mentio. Iuuenal, Sat. 6. v. 205. *nec illud.*

Quod prima pro nocte datur, cum lance beata
Dacicus, & scripto radiat Germanicus auro.

Vetus scholiastes *solidos ita signatos* exponit, *qui pro virginitate depositæ nuptæ donantur.* huiusmodi pecuniam Græcis celebratam, vsuque frequentissimo receptam [illegible] appellat Harmenopulus lib. 4 tit. 7. alij [illegible] aut [illegible], Callimach. in Hymno Dianæ, dictionarium Græcobarbar. [illegible]. At versum Iuuenalis suspicor parum esse sanum, quid enim est *scriptum aurum?* In M.S. codice legebatur *sculto radiat auro* pro quo rescribendum censerem,

Dacius, & scutilo radiat Germanicus auro.

Scutilum n. idē est ac si variegatam araneę telam dicas, vnde rete à Plinio lib. 11. ca. 24. & obseruat Adrianus Turnebus li. 27. c. 24. *scutilatum* dicitur. Ipse Iuuenalis huius correctionis author Satyr. 2. v. 97.

Cærulea indutus scutilata, aut galbana rasa.

Clare idem Plin. li. 8. cap. 48. *quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania. scutulatum textum* accipiunt Critici pro *virgato, cancellatim & reticulatim macularum adinstar distincto.* voce desumpta à similitudine lauri, Iosepho Scaligero ita videtur, alij [illegible] appellant: hinc & Diodorus Siculus Gallos scripsit *saga* gestare [illegible], *reticulatim distincta, virgata* siue *scutulata.* neque displicet à forma sic dictum vestis genus, est enim *scutula* [illegible]. *recte* quadratum & oblongum. Iul. Pollux libro quinto Onomast. capite 4. Martial. libr. 11. epigr. 32. firmat egregie correctionem allatam.

Sic implet gabatas, paropsidásque,
Et leues scutulas, cauásque lances
Hoc lautum vocat.

Ecce vt Iuuenalis scutulum aurum lanci coniunxit, ita & Epigrammatographus Claudian. libro 1. in Eutropium, de magistratibus prouincialibus ab eo venundatis.

——propriæ solatia sortis
Communes vult esse notas, & venditus ipse
Vendere cuncta cupis, certantum sæpe duorum
Diuersum suspendit onus, cum pondere index
Vergit, & in geminas nutat prouincia lances.

Coripp. li. 2. de laudi. Iustini Minoris Augusti Num. vlt.

Hinc chartas flammis subigunt, hinc pondere fusos
Exæquant solidos, & lancem pollice pulsant.

Locus hic ex professo esse posset agendi de numismatis, & re nummaria veterum, nisi inter Antiquos Orismius Lexouiensis Episco-

pus, & Caroli sexti Gallorum regis præceptor, curioso id ipsum volumine, & inter recentiores Gulielm. Budæus libris de Asse, Alexander Sardus, Bilibaldus Birckheymerus, Henricus Bantingus, Henricus Mameranus de prisca Moneta, Ioachim Camerarius de Numismat. Græc. & Lat. Stanislaus Gisepsius, Matth. Hostus histor. rei nummariæ veteris & alii: sed præcipuus Fr. Hottomannus præoccupassent. Tantùm paucula obiter perstringam. Ac primùm de *Materia nummorum* dicendum. quæ *triplex* ex Pomponio IC colligitur. l. 2. §. deinde. ff. de origin. Iur. *æs, argentum, aurum*. Cicero libro 3. de legib. *minores magistratus æs, argentum, aurum, signanto*, Trebel. Pollio in Victoria Tyranna. *cusi sunt eius nummi ærei, aurei, & argentei*. hoc tamen discrimine, quod initio omnes omninò pecuniæ, ex ære, ex auro, argentóve nulli nummi cusi, Isidorus & alij Grammatici, supra hoc ipso capite à me producti. neque enim ante victoriam Pyrrhi argentum signatum in vsu Romæ, neque aurum in pecunia cognitum ante Carthaginem & Corinthum superatas. Fr. Patricius libro tertio de Republica titul. 9. Publ. Ouid. libro primo Fastor.

Æra dabant olim melius, nunc omen in auro est,
Priscáque concessit victa moneta nouæ.

Adeò vt nec plumbeos, nec stanneos, nec ferreos nummos priscos illos habuisse legamus: quanquam *plumbei* pro vilissimis, & quasi nullius pretij rebus *nummi* vsurpentur apud Plautum in Trinummo sc. *huic ego,*

——Eine aurum crederem,
Cui si capitis reus fiet nummum unquam plumbeum?

Et in Casina sc. *omnibus*.

Cui homini hodie Peculi nummus non est, nisi plumbeus.

Et in Mostelar. sc. *illi bucede.*

Tace sis faber qui cudere soles plumbeos.
Nummos.

M. Martial. lib. 1. epigr. 10.

Constemus tibi plumbea se libra.

Et li. 10. epigr. 74.

Centum merebor plumbeos die toto.

Vultibus Imperatorum signati nummi, non modò florente iam republica, sed etiam nascente, neque modò id in more Romanis positùm. verùm & Græcis Aristoteles lib. 6. Politic. nummos appellat χαράγματα, Latini vertunt *titulos, figuras*, hoc est, vultus Imperatorum, qui cudi huiusmodi monetam iubebant, nomen, inscriptionem, notam aliquam Victoriæ alicuius, aut casus alterius indicem addebant, vt ex thesauro Numismatum Goltzii coniicere liquet, ratio elegans apud Aurelium Cassiodorum li. 6. epist. 7. *vt imago principum subiectos videretur pascere per commercium.* apud eundem Theodoricus Rex lib. 7. epi. 32. *monetæ debet integritas quæri, vbi & vultus noster imprimitur, & generalis vtilitas quæritur.* Artemid. Daldian. lib. 4 Oneirocrit. c 33. ὁ Στρατόνικος ἔδοξε τὸν βασιλέα λακτίζειν, προελθὼν, εὗρε χρυσοῦν νόμισμα, ὃ ἐτύχε πατήσας, οὐδὲν γὰρ διέφερεν ἢ τὸν βασιλέα, ἢ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ λακτίζειν ἢ πατεῖν. *Stratonicus putabat se regem calcitrare, & progressus inuenit aureum numisma, quod calcauerat; nihil enim differebat, siue regem, siue ipsius imaginem calcitrare aut calcare.* Geor. Cedrenus in Nicephoro Phoca. Iul. Paul. Receptar. sent. l. 5. tit. 25 §. 1 *lege Cornelia testamentaria tenetur, qui nummos aureos, argenteos adulterauerit, lauerit, conflauerit, raserit, corruperit, vitiauerit, vultúque Principum signatam monetam, præter adulterinam, reprobauerit.* Incertus author lib. de Reb. bellic. *sed potentiæ regalis pro licentia speciem suam tantùm in auro argentóque signauit, quæ pro reuerentia figuræ, nullis vsibus proficiens, ad honorem regium sacrata permansit, æris autem materia, quæ copia vilior erat, ad dona militaria, & populorum commercia signabatur.* Itaque Imperatorum Romanorum vultus in nummis, quibus quælibet gentes vtebantur eorum ditioni subiectæ, quare vt insolens quiddam nec vsitatum notatur à Procopio lib. 3. de bello Gothico, *quod Franci, non vt alij populi, Rom ni imperatoris im gine, sed sua impressa nummos signent.* Nota est quæstio illa euangelica de numismate Tiberii Augusti effigie impressa signato. Corippus Grammatic. de laudibus Iustini libro 4. Num. 2.

Hinc vetus argentum formas speciésque nouatum
In varias, sculptum titulis, pressumque figuris,
Excelsis portans humeris, magnísque laborans
Ponderibus, cistæque graues funduntur in vnum:
Vtraque materies in magnos surgit aceruos.

Id frequenter in inauguratione nouorum principum: vt ex loco isto Corippi clarum est, & ex Ammiano Marcellino lib. histor. 26. *aureos scilicet nummos in vultum noui principis, aliáque ad illecebras aptantes.* præcipua hoc agendi ratio vt fauorem militarem captarent, nouo hoc largitionis genere. nã pecuniam sua effigie signatam in vulgus spargebant, vel singulis militibus diuidebant.

Curo-

Curopalates li. de off. aulæ Constantinopolit. pag. 202. ἵσταται δὲ πλησίον αὐτοῦ ὁ τοῦ βασιλικοῦ βεστιαρίου ἄρχων, καὶ ἔχει ἐν τοῖς ἱματίοις αὐτοῦ νομίσματα χυτὰ νομίσματα πολλά, ἃ καὶ δραττόμενος ὁ βασιλεὺς σκορπίζει εἰς τοὺς περιεστῶτας ἄρχοντάς τε καὶ ἀρχοντόπουλα. *stat autem prope illum princeps vestiarij Imperatorij, in pallio suo habens nomismata fusa multa, quæ manipulatim etiam sumens Imperator, dispergit in circumstantes tum principes, tum principum pueros.* de Inaugurando iam principe Ruffino Claudian. libro secundo in illum.

Prosiliit stratis, densæque capacia turbæ
Atria regifico iussit splendere paratu
Exceptura dapes, & quod post vota daretur,
Inscribi propriis aurum fatale figuris.

Duo ergo requisita, vt valeret numisma, proba materia, & vultus Imperatoris ei impressus. reproba numismata *cybdela* appellari, Cæl. Rhodigin. libr. 10. Antiquar. lection. cap. 2. & *adulatores* huiusmodi, siue *monetarios* vocant κιβδηλευτάς: Baptista Egnat. Annotationibus falso *monetarios* exponit *vestium textores*, cui Suidas contradicit μονητάριοι οἱ περὶ τὸ νόμισμα τεχνῖται, *monetarij circa numisma operantes*: & scio à Turnebo notatum lib. 18. Aduersarior. cap. 17 Fl. Vospic. in Aureliano. Valentinian. & Valens AA l. 1. C. de veter. numismat. potest. *solides veterum principum veneratione formatos, ita tradi ac suscipi ab ementibus & distrahentibus iubemus, vt nihil omnino refragationis oriatur, modo vt debiti ponderis sint, & speciei probæ.* quare adulterinam formasse aut excudisse pecuniam, imminutæ maiestatis censebatur, non tam ob suppositum nummum, quā quod dignitatem vultus Imperatorij fœdasse iudicari possent. Constitutio extat Gratiani & Theodosij Augustorum in hæc verba l. 3. C. eod. *vniuersos authoritas tua proposito edicto commoneat, obryzatum omnium solidorum vniforme pretium postulare, capitali scilicet supplicio puniendo, qui vel iussa nostræ maiestatis auaritiæ cæcitate contempserit, vel æternales vultus, dum fraudibus studet, duxerit violare.* *reprobos* appellat *nummos* Vlpianus IC l. 24. §. *qui reprobos* ff. de pignerat action. & illius *pecuniæ vsus interdicitur, à quo vultus Imperatorius abest*, vt habetur apud Scæuolam IC. l. 102 ff. de solut. qua in lege, *ærosa pecunia* illa est, quæ *multum æris* admixtum sibi habet, licet eruditissimo Andreæ Alciato placuerit locum esse corruptum, itaque dispunctorum libro 2. cap. 25. ἔρανον legit, hoc est *mercedem vel collationem pecuniæ tributi nomine indictam*: sed prior lectio potior, nam ærata pecunia plerumq; supposititio signo adulterina erat. A. Pers. satyr. 5.

— & veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro.

Falsa moneta vetita legibus Romanis, nam *peculatus* id crimen vocatur. Isidor. Hispalens. libr. quinto Etymologiar. cap vigesimo sexto. *peculatus iudicium in eos datur, qui fraudem ærario faciunt, pecuniámque publicam interuertunt, non autem sic iudicatur furtum publicæ rei, sicus priuatæ.* licet Verrio Flacco, & Paulo Diacono in schedis aliud videatur, vt & M. Varroni libro quarto de ling. lat. Festus Pomp. libro decimo quarto, *peculatus furtum publicum dici cœptus est à pecore, quia ab eo initium eius fraudis esse cœpit, si quidem ante æs aut argentum signatum ob delicta pœna grauissima erat duarum ouium, & triginta boum, ea lege sanxerunt T. Menenius Lanatus & Sextius Capitolinus consules: quæ pecudes postquam ære signato vti cœpit populus Romanus, Tarpeia lege cautum, est, vt bos centussibus, ouis decussibus æstimaretur.* quem locum Festi non esse, Antonius Augustinus, vir summi iudicij existimat. vtcunque inter Grammaticos de verbis conueniat, certe de re ipsa certum ex lege 1. ff. ad legem Iuliam peculat. *cauetur lege Iulia peculatus ne quis in aurum, argentum, æs publicum quid indat, neue immisceat.* Expressius multo leg. nona ff. ad legem Cornel. de fals. *lege Cornelia cauetur, vt qui in aurum vitij quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos conflauerit, falsi crimine teneri, eadem pœna afficitur etiam is, qui cum prohibere tale quid posset, non prohibuit. eadem lege exprimitur, ne quis nummos stanneos, plumbeos, emere, vendere, dolo malo vellet.* M. Cicero libro tertio de offic. *si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis.* Et quænam adulterina moneta dici possit & debeat, habetur lege 6. ff. ad legem Iul. peculat. *qui cum in moneta publica operarentur, extrinsecus siue signans pecuniam forma publica, vel signatam furantur, hi non videntur adulterinam monetam exercuisse, sed furtum publicæ monetæ fecisse, quod ad peculatus crimen accedit.* Denique vide titulum vigesimū quartum lib. Codicis nono *de falsa moneta.* Et Harmenopulum libr. sexto promptuar. titul. decimo tertio, Paulum Iurisconsult. supra proximo à me loco hoc capite laudatum, ex illo, *pœnam* patet constitutam monetæ adulteratoribus *manus amputationem*, ex isto, quam multiplex sit illud crimen, & quam variæ eius species, ostenditur, quod & Constantini Imperatoris edicto, siue constitutione præcautum, vt extat in Cod. Theodos. lib. 9. tit. 23. licet sciam *Perennium* morte ob id multatum. Herodianus lib. 6.

Nec Romanis tantum id legibus interdictum, sed & Græca consuetudine. Diocles,

& Eubulides antiqui scriptores de ipsum loquuntur, citati à Diogene Laertio libro 5. ... *Diogenes Icesij mensarij filius, Sinopeus fuit, fugisse illum quum pater eius publicæ mensam haberet ac pecuniam adulteraret, loquitur.* Ipse autem Cinicus in Podalo, ... dixit τὸ νόμισμα, vertit vir doctus, *falsò signare monetam.* refertur à Demosthene insigne statutum Solonis *non minus seuere à iudicibus summis esse plectendum quam qui leges corrupisset, & adulterinas induxisset, qui numismata adulterasset.* in Orat. Contra Timocharem. Item in Orat. in Leptinem in fine. Persicis quoque moribus vetitum, nam *Aryandes Ægypti Prætor, Darium, qui ex purissimo auro monetam cuderat imitatus, & ipse ex purissimo argento fecit, cuius rei insimulatus, & morte affectus est.* Herodot. libro 4. quinimo apud Ægyptios hæc erat constituta solemnis pœna, *vt si qui vel cuderent, vel circunciderent monetam adulterinam, vel signa, vel pondera immutarent, aut falsis literis inscriberent, dextræ abscissione mulctarentur.* Diodor. Sicul. libro primo, capite sexto: *apud Suecos, falsarij huiusmodi appensis & circumcisis nummis adulteris in cruces agebantur.* Olaus libro sexto cap. 13. naturalis ratio id vult, nam per pecuniam vitæ commercia habemus, Plato libro quinto de legibus, Aristot. libro primo Polit. capite sexto. ob id Carolus Magnus, quo diligentius moneta cuderetur, in palatio officinam esse voluit. Ioann. Bod. libro sexto capite decimo tertio. neque aliud sonant barbarorum populorum placita, Synodus Bauarica pagina 147. *de prudentia & Constantia Missorum nostrorum de falsis monetariis requirendum est.* Carolus Magnus Capitularij Appendice 2. ad libr. quartum capite 12. Iam obseruauit Marcellus Donatus Ponzan. Dilucidationum suarum pag. 1045. lex est Longobardorum à Lothario rege lata, lib. de legib. prim. Longobardicis libro 2 *si quis aurum sine iussione regis figurauerit, aut monetam confinxerit, manus ei incidatur.* leg. Visigothorum titul 5 *si seruus circumcidisset, vel adulterasset solidos, ei dextera manus amputabatur, si ingenuus, diues, mediam bonorum partem fisco deberet, si fine bonis, in seruitutem regi daretur ei, cui elegerit rex.* Atque hoc frequentissimum etiam vel temporibus D. Hieronymi, qui scribit in vita D. Antonij Eremitæ, *falsæ monetæ authores, ne ipso strepitu deprehenderentur, ad eum v...m in eremis antra sibi parasse, & furtiuæ fallæque monetæ officinas.* Sed redeo ad ærarium.

Ex illo nobilium ciuium filiæ, qui optime de republica meruissent, dotem suam recipiebant. Ammian. Marcellin. libro histor. decimoquarto: *dotatur ex ærario filia Scipionis, cum nobilitas florem adultæ virginis diuturnam absentiam pauperis erubesceret patris.* Id contingebat, si parentes nihil illis reliquissent, vnde dos daretur; L. Apul. Apologiæ libro primo: *quod si modo iudices ista de causa sederent, C. Fabricius, Cn. Scipio, Manius Curius, quorum filiæ ob paupertatem de publico dotibus donatæ, ad maritos iuerunt portantes gloriam domesticam, pecuniam publicam.* L. Seneca Libro primo quæst. Natural. vlt. *an tu existimas ex auro nitidum habuisse Scipionis filias speculum, cum illis dos fuisset æs graue? ô paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecis, non fecisset illis Senatus dotem, si habuissent, at quisquis ille fuit, cui soceri loco senatus fuit, intellexit se accepisse dotem, quam fas non esset reddere.* Duplex hic memoriæ Senecæ lapsus, primum in nomine, nam non fuit is Scipio Africanus, vt ipsi videtur, loco iam proxime citando, cum ille duas filias elocasset suas, vnam P. Scipioni Nasicæ, alteram Tiberio Graccho, vt narrat T Liu. tertio Decad. libro octauo, neque duæ fuerunt pauperis illius Scipionis filiæ, ex ærario dotandæ, sed vnica tantum, vt iam iam probabitur, cum tamen ipse idem Seneca constantissime, & duas fuisse filias, & Scipionis quidem Africani illas, contendat in Consolat ad Heluiam Matrem capite duodecimo. *Scipionis filiæ ex ærario dotem acceperunt, quia nihil illis reliquerat pater, æquum erat mehercule populum Romanum tributum Scipioni semel pendere, quam à Carthagine semper exigeret: ô puellarum felices viros, quibus populus Romanus loco soceri fuit, beatioresve istos putas, quorum pantomimæ decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cuius liberi à Senatu tutore suo in dotem æs graue acceperunt.* facile erit summum & clarissimum authorem admonere, memoriæ eum lapsum esse, si duos ei historicos opponam, quorum vnus antiquior, alter posterior, nempe Valerius Maximus, & Iohannes Zonaras, quorum ille libro quarto capite 4. titul. 9. hic vero Annal Tom. 2. pagina 83. non Africanum hunc minorem fuisse, sed Cn. Scipionem, quod & antea citatus confirmauit Apuleius: sed vtriusque verba apponam. ita Valerius *cum secundo Punico bello Cn Scipio senatui scripsisset ex Hispania petens vt sibi successor mitteretur, quia filiam virginem adultæ iam ætatis haberet, neque ei sine se dos expediri posset, Senatus, ne respublica bono duce careret, patris sibi partes desumpsit, consilioque vxoris ac propinquorum constituta dote summam eius ex ærario erogaret, ac puellam nuptui dedit, dotis modus quadraginta millia æris fuit, qua non solum humanitas patrum conscriptorum, sed*

sed etiam habitus veterum patrimoniorum cognosci potest. Zonaras hunc in modum. [Greek text illegible] *Itaque Cneio veniam domum eundi petenti, vt filiæ nubili dotem colligeret, senatus dotem ex publico decreuit.* hæc pars non maior modo, sed & melior. ad alia pergo.

Reperio etiam, *ærarij priuati* mentionem apud Cornelium Nepotem in vita T. Pomponij Attici. *Excogitatum est à quibusdam, vt priuatum ærarium Cæsaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur, id facile effici posse arbitrati sunt, si & principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaque appellatus est à C. Flauio Bruti familiari Atticus, vt eius rei princeps esse vellet. At ille qui officia præstanda amicis sine factione existimaret, sempérque se à talibus consiliis remouisset, respondit, si quid Brutus de suis facultatibus vti voluisset, vsurum quantum eæ paterentur, neque tamen cum quoquam ea de re collocuturum, neque coiturum.* neque vero existimo vllibi reperiri alibi, quod hic à Nepote traditur, nisi quod simile quippiam à L. Floro refertur libro secundo cap. 6. de Senatu, qui deficiente pecunia publica, opes suas velut ex ærario ad Reipubl. subsidium contulit.

In ærarium publicum pecuniæ ex repetundis inferebantur. C. Plin. libro secundo Epistola 11. *Cornutus Tertullus consul designatus, vir egregius, & pro veritate firmissimus, censuit septingenta millia, quæ acceperat Marius, ærario inferenda, Mario vrbe Italiaque interdicendum.*

Præterea & *pecunia viduarum & pupillarum*, quo tutius asseruarentur, in ærarium deferri solebant. T. Liuius 3 Decad libro 3. & L. Valerius Tribunus plebis, in legis Oppiæ dissuasione apud eundem Liuium 5. Decadis li. 3. & video obseruatum à Godescalco Steuuechio ad Vegetium libro tertio capite tertio.

Omnes opes publicæ in vnum locum congestæ, & depositæ, *ærario* nomen dederunt, at *thesaurum* priuatorum *pecunias* vocarunt, ita *depositas*, vt neque, *memoria extet*, neque *dominum habeant*, vt est in leg. 1. ff. de acquiren. rer. domin. siue, vt definit M. Aurel. Cassiodor. libr. 6. Epist. 8. *thesaurus est de ositiua pecunia, quæ longa temporis vetustate competentes dominos amisit*, sed notissima sunt omnia, & qui plura cupis, consule Petrum Gregorium Tolosatem Syntagmat. Iur. vniuersi lib. 3. cap. 11. vbi obiter notari velim veteres & *thensaurum* vsurpasse, pro thesauro, vt & *formonsus* in vsu, pro *formosus*. vet. scholiast Iuuenal. ad v. 199. Sat. 13. *Glaucum dicit genere Spartanum, qui creditum fidei suæ thensaurum à Milesio quodam, & repetentibus hanc pecuniam hæredibus filiis eiusdem Milesij reddere dubitauit.* notatum est à viris doctis, Petro Pithæo, & Fr. Lindembrogio, ex pandectis Florentinis multis in locis. Æl. Donat. in Teren. *thensaurum Latini veteres secundùm Græcos proferebant.* atque ita in P. Terentio legendum ex fide MS. codicis in prologo Eunuchi.

Idem Menandri phasma nunc nuper dedit
Atque à thensauro scripsit, causam dicere
Prius, vnde petitur aurum quare sit suum,
Quam ille qui petit, vnde is sit thensaurus sibi.

Deponebatur pecunia varie, aliquando in tumulis maiorum, qui sacrorum in numero habebantur, neque sine piaculo violari. Fest. lib. 17. in voce *sacrum*. & in voce *religiosus* libr. 16. vnde Andromache illa apud. L. Senecam Tragædum in Troadib. Act. 3. sc. 1.

Est tumultus ingens coniugis cari sacer
Verendus hostis, mole quem immensa parens
Opibusque magnis struxit in luctus suos
Rex non auarus.

Et eadem scena, paucis interiectis.

——fuerat hoc prior ius nefas
Danai, inaurium templa violasti, deos
Etiam fauentes busta transierat furor.

In his igitur tumulis repositi thesauri. Donatus in locum proxime laudatum. *adolescens, qui rem familiarem patris prodegerat, vsque ad nequitiam, seruum mittit ad patris monimentum, quod senex sibi viuus magnis opibus apparauerat, vt id aperiret, illatúrus epulas, quas pater post annum decimum sibi curarat inferri. sed eum agrum, in quo monimentum erat, senex quidam auarus ab adolescente emerat: seruus ad aperiendum monimentum auxilio vsus senis, thesaurum cum epistola ibidem reperit: senex thesaurum tanquam à se per tumultum hostilem illic defossum retinet, & sibi vindicat. adolescens iudicem capit.* Id in more positum fuisse discimus ex nobili illa Cyri Persarum regis historia, quam Arrianus libro sexto descripsit, & Qu. Curt. libro decimo, *forte sepulchrum Cyri Alexander iussit aperiri, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias, auro, argentóque repletum esse crediderat, quippe ita fama Persæ vulgauerant.* Inde extat edictum Theodorici Gothorum regis, quod consule

apud Cassiod.libr.4.epist. 36. *moderata iussione decernimus, vt ad eum locum in quo latere plurima talenta suggeruntur, sub plurima testificatione conuenias, & si aurum, vt dicitur, vel argentum fuerit tua indagatione detectum compendio publico fideliter vindicabis, ita tamen vt abstineatis manus à cineribus mortuorum, quia nolumus lucra quæri quæ per funestra possunt scelera reperiri: ædificia tegant cineres, columnæ vel marmora ornent sepulcra, talenta non teneant qui viuendi commercia reliquerunt, aurum. n. sepulchris iustè detrahitur, vbi dominus non habetur, imò culpæ genus est, inutiliter abdita relinquere mortuorum, vnde se vita potest sustentare viuentium, non est. n. cupiditas eripere, quæ nullus se dominus ingemiscat amisisse.* Et in sacris literis Hyrcanus & Herodès è monimento Dauidis, *talenta tria millia, ornatum ex auro, & thesaurum multum.* Ioseph. Antiq. Iudaicarum lib. 11. cap. 11. hic autem thesaurus in sepulchris inuentus, cuius esset domini? controuersum video: tu lector consule Philostratum Lemnium de vita Apollonij Thyanæi libro 2. & eundem in vita Attici ad Neruam Imperatorem, cuius operis fragmenta apud Photium Patriarcham in Bibliotheca extant, Zonaram in vita Neruæ Annal.tom.2. Calistratum IC. l.3.§.10.ff. de Iure fisci, Tryphonianum IC. l.63.§.1. ff. de acquir. & omitt. poss. denique l.2. Cod. Theodos. de Thesauro. M.Manil. libr.5. Astronomic.

——sub terris scrutari cæca metalla,
Deposita & opes.

Aut in templis reconditæ pecuniæ, vt initio huius Tractatus dicebam, Et de populo sancto notius est, quam quod notissimum, decretum enim à Iosue, cap. 6. *vt quicquid auri esset, aut argenti, domino consecraretur,* dum Hierico obsideretur, & *thesaurus* memoratur *domus domini* in sacris literis l.1.4. Reg. cap. 12. & *thesauri diuini* leguntur *præfecti* libro 1. Paralipom. c.9. in eo thesauro, non modò vestes sacræ, aut pecuniæ, sed & spolia hostibus erepta, vt patet *de lanceis & sagittis aureis quas à rege Sophono captas* Dauid gazophylacio *consecrauit.* Narrat Ioseph. lib.8. Antiquit. Iudaic. cap.10. Id vel maximè Romani moris Vlpian. apud Iacobum Ræuardum varior. lib.1. c.15. *rem, pecuniámque signatam in æde deponere.* Paulus IC. *sed constat vt ante litem contestatam præses iubeat in æde sacra pecuniam deponi.* M. Cicero libro quinto epist. famil. *nam de Luccio est ita actum vt auctore Cn. Pompeio ista pecunia in fano poneretur.* Et ibidem loci paucis interpositis. *illud me non aduertisse molestè ferrem, vt adscriberem te in fano pecuniam meo iussu deposuisse.* Idem libro 15. ad Attic. *quū ex reliquis quæ Nonis April. fecit, abundarem, cogor mutuari, quódque ex istis fructuosis rebus receptum est, id ego ad illud fanum sepositum putabam.* M.Varro libro quarto de ling. Lat. *ea pecunia quæ in iudicium venit in litibus à sacro sacramentum, qui petebat, & qui inficiabantur, de aliis rebus vterque quingentos asses apud pontificem deponebant.* Eadem itaque res *in æde sacra in fano, apud Pontificem deponere.* vide quæ hoc opere exposui de donariis templorum votiuis. Cæsar. lib.1. Bell. ciuil. *pecunia municipiis imperantur, à fanis tolluntur, omnia diuina humanáque iura permiscentur.* Herodot. Dio Chrysost. Æmil. Probus in Aristide. Herodian. citati in hoc à Dionysio Lambino legantur, nam neque moris mihi, neque otij quicquam, vt transcribam. Plaut. Bacchidib. sc. *ibo in Piræum.*

Nos ibi apud Theotimum omne aurum deposuimus
Qui illic sacerdos est in Dianæ Ephesiæ.

Et ibidem loci paucis interpositis.

Quin ipsa in æde Dianæ conditum est, ibi
Demum publicitus seruant.

Iam verò ad quos inuentus thesaurus spectat, ad dominum soli, Inuentorem ipsum, an veriùs ad fiscum Imperatorium? controuersum à IC. qui videantur.

CAPVT XXXII.

De curatoribus operum publicorum, Curatoribus aluei Tiberis, & cloacarum, & Curatoribus viarum singularum, extra Vrbem.

HORVM fient & sequentium, nulla mentio est, nisi in lapidibus, & apud Suetonium, qui in Augusto c.37. sic scribit: Quoque plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, noua officia excogitauit, curam operum publicorum, viarum & aquarum aluei Tiberis, frumenti populo diuidendi, præfecturam vrbis, Triumuiratum legendi Senatus, & alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescunque opus esset. Hæc Suet.

Curatores aluei Tiberis, & cloacarum.

Officium

Officium horum fuit curare ne quid detrimenti cloacæ caperent, & vt purgarentur : & as quam transmittere possent. Cloacam, vt id obiter adiiciam, primus cœpit fodere Tarquiniu- Priscus, qui montibus subfossis ac vrbe pensili fornicibus suspensa receptaculum omnium vr bis sordium cloacam fecit, inque tres ductus diuisit, maxima cloaca ea dicta est, fossæ deinde sunt aliæ, vt plures essent. Sed post Vrbem à Gallis captam & incensam, dum sibi quisque domicilium reædificare, qua parte primum potuit, festinat: vicorum nulla, vt antè fuit, ratio obseruata, neque ciuitas, vt priùs, in certas regiones diuisa, neque cloacæ, quæ olim per publicum ducebantur, animaduersæ, vbi essent, posteà priuata subintrarunt tecta: vnde factum, vt quæque domus hodie suam ferè habeat cloacam. Earum cura primùm penes Censores fuit, vt alibi est dictum, postea publici earum curatores ab Augusto sunt instituti. Plura de cloacis habent Dionysius libro 3. Plin. libro 35. capit. 15. Bartholomæus Marlianus libr. 3. cap. 18. Liu. lib. 2. & alij.

Curatores viarum singularum extra Vrbem.

Quatuoruiros viarum curandarum creatos fuisse paulò ante est dictum. Crescente verò viarum numero, quum hi non sufficerent singulis vel duabus, aut tribus, pluribusve viis restituendis, sarciendisque, prout temporis necessitas exigebat, singuli ciues præpositi fuerunt, qui Curatores earum viarum appellabantur. Quorum Magistratus cùm priùs incertus esset, nec nisi ad tempus crearetur, tandem eum ordinarium fecit Cæsar Augustus, vt docet Suetonius in Augusto capite vigesimo septimo. Meminit eorum Cicero ad Atticum, Plinius Iunior, & Plutarchus in Gracchis, & Tacitus. De viis multa habent Georgius Fabricius, & Onuphrius Panuinius.

Ad Cap. XXXII.

Paralipomena.

De retandis fluminibus, prima nauigandi ratio, naues vtiles, myoparones, lembi, lenunculi, caudicaria.

Fluminum alui egestis ruderibus, quæ vadosa possent facere, purgari solebant, ne tandem aliquando collectis interque se collisis saxis innauigabilia essent. quod quia à multis obseruatum video, ad eos te, lector, remitto, aliquot tamen inscriptionum veterum fragmenta apponam, primum est.

C. Calpetanvs. Rantivs. Quirinalis. val. Cestivs. Cvrator. Riparvm. Et. Alvei. Tiberis. Terminavit.

Secundum in hæc verba.

Ti. Livivs. Ferox. Cvrator. Alvei. Et. riparvm. Tiberis. Et. Cloacarvm. Vrbis. Terminavit. Ripam. R. P. Proximo. Cippo. P. ccclxxxi. S.

Tertium sic se habet.

C. Vibivs C. F. Rvfvs. Sex. Sotidivs. Sex. F. Strabo. Libvscid. C. Calpetanvs. C. F. Stativs. Rvfvs M. Clavdivs. M. F. Darcelivs. L. Visellivs. C. F. Varro. Cvrator. Riparvm. Et. Alvei. Tiberis. Ex. S. C Terminavit.

Atque hæc quidem ex Onufrio in Ciuitate Romana pag. 326, licet secundum aliter in Lipsij, & Iani Gruteri inscriptionibus legatur. Adde & hæc ex vetustis lapidibus desumpta, primum Romæ extat.

Ex. Avthoritate. Imperatoris. Caesaris. Divi. Nervae. Filii Nervae. Traiani. Avg. Germanic. Pontificis. Maxi. Tribvnic. Potest. V. Cos. IIII. P. P. Ti. Ivlivs. Ferox. Cvrator. Alvei. Et. Riparvm. Tiberis. Et. Cloacarvm. Vrbis. Terminavit. Ripam. RR. Proximo. Cippo P. clxxxi. S.

alterum est ibidem loci ad ædes Rusticorum.

Ex. Avctoritate. Imp. Caesaris. divi. Traian. Parthici Nervae. Nepotis. Traian. Hadrian. Avg. Pontif. Max. Trib. Potest. V. Cos. L. Messivs. Rvsticvs. Cvrator. Alvei. Et Riparvm. Tiberis. Et. Cloacarvm. Vrbis R. R. Restitvit. Secvndvm. Precedentem. Terminationem. Proximi. Cipp. Ped. C. XV. S.

Denique tertium suppeditat Paulus Manutius in Orthographia pagina 108, quod descripsi.

.........M. F. Clavdio. Prisco..........
Icinio. Italico. Leg. Avg. Pr. Pr. Prov. Capadociae. Leg. Pr. Pr. Prov. Britanniae. Leg. Avg. Pr. Pr. Prov. Maesiae. Svper. Cvrato. Alvei. Tiberis. Et. cloacarvm. Vrbis C &c.

Et quoniam mentio nauigationis incidit, non erit alienum de prima nauigandi origine, nauigiorumque inuentione disse-

rere, præter ea, quæ satis frigide congessit in libris suis *de rerum Inuentoribus* Polydorus Virgilius, (vt omittam Prometheum in Aeschyli celebri illa Tragædia gloriari naues à se inuentas, cuius versus vide apud M. Antonium Muretum libro primo capite vndecimo, & de naui longa consensus est authorum, Iasonem eius esse inuentorem. Scholiast. Aristopha. Equitibus. Scholiast. Demosthenis Vlpianus in Orat. In Leptinem, & Scholiast. Thucydid. Etymologici author in voce ἐρέτης. Hesychius in voce ἀργώ. denique & Eustathius in libro primo Iliad.) dicendum hic, non Iano, non Herculi, vt est in fabulosis poetarum narrationibus, non Agynetis, Phœnicibus, aut Tyriis, ac ne Iasoni quidem, vt video historicis quibusdam placuisse, deberi nauium excogitatum vsum, sed Britannis, casque naues constat omnino sutiles fuisse, & è vitibus contextas. C. Plin. libro quarto capite decimosexto *ad eam Britannos vitilibus nauigiis corio circumsutis nauigare.* Et libro septimo capite 56. *naue primus in Græciam ex Ægypto Danaus aduexit, ante ratibus nauigabatur inuentis in mari rubro inter insulas ab Erythra rege: reperiuntur qui Mysos & Troianos priores excogitasse in Hellesponto putent, cum transirent aduersus Thracas, etiam nunc in Britannico Oceano vitiles corio circunsuto fiunt, in Nilo ex papyro, & scirpo, & arundine.* in MS. Foxiensi habetur, *in Britannico Oceano vtiles*, vt & in priori loco, *vilibus nauigiis corio circumsuto nauigare*, quod ferri posset, maximè cum in Britannia nostra ne nomen quidem vitis auditum, multo minus arboris illius ad nauigia facienda vsus receptus, sed recepta lectio placuit Hadriano Turnebo libro vigesimo octauo Aduersarior capite 45. puto ego non è vite, sed è vimine facta nauigia. Isidorus in glossis *carabus, parua scapha, ex vimine & corio.* Idem libro 19. cap. 1. *myoparo, quasi minimus paro, idem quod carabus est enim scapha parua, ex vimine facta, quæ prætexta crudo corio, genus nauigij præbet, quas habent Germanorum pyratæ in Oceani littoribus.* Et de Britannis, quibus Plinius vtiles naues tribuit, loquens Solinus, vimineas assignat Polyhist. capite 25. *nauigant in vimineis alueis, quos circumdant ambitione tergorum bubulorum.* alueos autem pro nauibus sumi docuit Philip. Beroald. in suis in Seruium Annotationibus 5. 12. de sutilibus huiusmodi nauiculis intelligendi poetę. Fest. Avien. in Ora maritima.

Non carinas hi quippe pinus texere
Facere morem, non abiete, vt vsus est,
Curuant faselo, sed rei ad miraculum,
Nauigia iunctis semper aptant pellibus,
Corioque vastum sæpe percurrunt salum.

Virgilius lib. 6. Aeneid. de Charonte Æneam traducente.

——gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.

Sidon. Apollinar. Carm. 7. v. 374.

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto Glaucum mare findere lembo.

Pulchre M. Lucan. libr. 1. Pharsaliæ ver. 131. morem illum perstrinxit.

Vtque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit
Primum cana salix madefacto vimine paruam
Texitur in puppim, cæsoque induta iuuenco.
Vectoris patiens, tumidum supereminet amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus.
Nauigat Oceano, sic cum tenet omnia Nilus
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Aliam speciem nauium expressit Iulius Solin. Polyhistor. cap. 60. *bubulis viribus contabulatas rates superponunt, vectatique hoc ratis genere, venenatis sagittis prætereuntes petunt.* Contextas viminibus istiusmodi naues authores supra laudati *myoparones*, & *lembos* appellarunt. Achill. Tatius de Amoribus Clitophontis & Leucippes libro 3. pagin. 82. vbi σκαφῶν λῃστρικῶν doctus vir vertit, *myoparonum latrocinantium.* Valer. Maxim. libro 1. capite tertio *myoparonum pyratica rostra.* Paul. Oros. libro sexto capite secundo. *Mithridates cum quassata iam naue mergeretur, in myoparonem Seleuci ipso adiuuante pyrata transsiliuit,* D. Hieronym. in vita D. Hylarionis. Nonius capite decimo tertio numer. sexto *myoparo est nauicula pyratarum.* aliquanto diligentius Fest. Pomp. libro vndecimo, *myoparo genus nauigij ex duobus dissimilibus formatum: nam & midion & paron se sunt.* Idem infra libro decimo quinto *parones, nauium genus ad cuius similitudinem myoparones vocantur.* priorem locum Gothofredus tentauit; *nam & mysion & paron:* Scaliger multo melius, *nam & Myon & Paron. μύωνε* quippe ab angustia dicuntur hæ naues, & ab Insula *Paro, parones.* Sisenna historiar. libro quarto. *nauesque triginta, totidem myoparones.* L. Sen. libro primo Controuers. 7. *incidisti in pyrata myoparone.* Marc. Tull. libro tertio de Republica. *nam quum quæreretur ex eo, quo*

quo scelere impulsus mare haberet infestum uno myoparone, eodem, inquit, quo tu orbem terræ. C. Salust. hist. libro 3. *& fortè in nauigando cohors vna grandi phaselo vecta, à cæteris deerrauit, marique placido à duobus prædonum myoparonibus circumuenta.* Sidon. Apollinar. lib. 8. Epist. 6. *litteribus Oceani inerrare pandos myoparonis quorum quot remiges videris, totidem putes te cernere archipyratas.*

Lembus etiam in nauigiis prædonum, fortè idem cum *myoparone*. Sidonius Apollinaris paulò antea citatus Carm. septimo Q. Curt. libro quarto *Pharnabasus cum Apollonida & Athenagora vincti traduntur, duodecim triremes cum suo milite ac remige, præter eas triginta naues, & pyratici lembi.* Heliodor. libro primo histor. Æthiop. ἐπὶ λιμένα κατῆειν, κ λέμβ@ ἄρτι κατ... *Id est, descendi ad portum, & Lembus prope appellebat.* Seruius Maur. ad v. 201. libro primo Georgic. *genus nauigij*, interpretatur, *admodum breue*. poetæ. Claudian. de Consul. Manlij Theodori.

Lasciui subitò confligunt æquore lembi.
Stagnáque remigibus spumant inuersa canoris.

Turpilius in Lemniis.

——Lembi redeuntes domum
Duo ad nos certam accelerarunt ratem.

Accius in Deiphobo.

Eo autem, nocte extrema, retia vt procherem,
Et statuerem forte aliquanto quam solitus
Lembo sum progressus.

Plaut. Mercatore sc. *ex summo.*

........Lembo aduehitur tuus pater pauxillulo.

Eandem nauem, à celeritate cursus, qui in prædatione necessarius, puto *dromonem* vocatam, nam Fulgentius δρομάδα *lembum vertit*, quæ vox eo in significatu non est obseruata ab antiquis scriptoribus, qui Cassiodorum præcesserunt, quanquam inter Græcos meminere plerique. Ethicus Hister. hist. libro quinto Procopius libro tertio de bello Gothico, Isidorus Hispalensis lib. 19. capite primo Græcam originem ἀπὸ τῦ δρόμου, à cursu desumit. Iulius Pollux libro 1. Onomastic. capit. 9. *δρομάδες ὁλκάδες naues cursoriæ.* vertente erudito Rodolpho Gualtero. obseruauit Guliel. Fornerius, fallitur Ioann. Picardus, qui nullam eius mentionem apud vllum extare scriptorem asseruit, nisi Cassiodorum. is itaque libro quinto Variar. epist. 16 *cum nostrum igitur animum frequens cura pulsaret naues Italia non habere, vbi tanta lignorum copia suffragatur, vt aliis quoque prouinciis expetita transmittat, Deo nobis inspirante decreuimus, mille interim dromones fabricandos assumere, qui & frumenta publicè possint conuehere, & aduersis nauibus, si opus fuerit, obuiare.* Eiusdem libri Epistola sequenti. *dudum igitur magnitudini vestræ ex Italiæ littoribus officia iussimus præparare nautarum, vt dromones, quos industria fabricare valuisset, manus remigum prouisa susciperet:* paucis deinde interpositis, pulcherrime explicat earum nauium officium *nunc prædictis rebus armamenta procura, vela præcipuè, quas nauium facientia, lignum volatile, (* melius meo iudicio, quàm *lignum volatile) spiritus currentium carinarum prænuncia mercium, auxilia quieta nautarum quorum beneficio conficiunt otiosi, quod à celerrimis auibus vix probatur impleri.* vsi sunt posterioris æui authores Auctuarii Aquicinctiui scriptor, qui Sigebert. Gemblacensis Chronicum continuauit, Ad Annum 1191. *Inuenit nauem paganorum permaximam, quam dromonem dicunt.* Guillelm. Neubrigens. histor. Angl. libro secundo capite decimo sexto. *adhibebatur pontifex ex triremi ingressurus dromonem seu confestim circa dromonem pira is. mox remis retortis in Magalonensem se portum recepit: at ij qui erant in dromone, tam viri iter rel... pyratis, vt confusione nec illæsi abigerent.* hinc qui dromonibus præpositi erant, *à dromonarij.* in eiusdem Cassiodori libro secundo Epist. 31. cuius epigraphe sic habet *dromonariis Theodoricus.* & sub finem Epistolæ eleganti circumloquutione idipsum describit. *quando cursus vester non atteritur, qui per vias liquidas expeditur, non enim vobis nimia claudicare contingit, qui nauibus ambulatis, vehiculum vestrum non sentis iniuriam, nec defectum patitur, quod vnda potius currente portatur.* hæc ille. Reperio & aliud nauigij genus, quod *lenunculum* vocant, siue, vt verius dicam, *lemnunculum*, à *Lemno* Insula, vti etiam præ... *parones* cymbas, à *Paro* appellatas. Ammian. Marcellin. libro decimo quarto: *nam sole orto magnitudine angusti gurgitis & profundi à transitu arcebantur, & dum piscatorios quærunt lenunculos, vel innare temerè contextis ratibus parant.* Idem libro decimo sexto: *lenunculo se commisisse piscantis.* glossarium vetus, *lenunculus* πλοῖον, ἀκάτιον. Salust *primo incidit forte super noctem in lenunculo piscantis.* C. Tacit. libro decimoquarto Annal. *nando deinde occursu lemnunculorum Lucrinum in lacum vectam villæ suæ infertur.* C. Cæsar. Commentarior libro secundo de bello ciuili capite octauo: *itaque perterritis omnibus sibi quisque consulebat, at qui in classe erant proficisci properabant: horum fuga nauium onerariarum magistros incitabat, pauci lenunculi ad officium Imperiúmque conueniebant.* præterea ea quæ apud Nonium Marcellum Grammaticum, & alios. huic nauigio qui præerant, *lenuncularij vocati.* Vetus lapis Romanus.

PATRONO CORPORIS LENVNCV

LARIORVM. AVXILIARIORVM.

OSTIENSIVM.

Et inscriptio in alio lapide.

ORDO. CORPORATORVM. LENVNCVLARIORVM. TABVLARIORVM. AVXILIARES. OSTIENSES.

Naues quidem istæ in mari, at in Tiberi *caudicariæ* solebant appellari. L. Sen. libro de breuit. vit. cap. decimo tertio. *Hæc quoque quærentibus remittamus quis ex Romanis primus persuasit nauem conscendere? Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus, caudex apud antiquos vocabatur, vnde publicæ tabulæ codices dicuntur, & nunc, nunc quoque quæ per Tiberim ex antiqua consuetudine commeatus subuehunt, caudicariæ vocantur.* quæ de Claudio ait ille, petita sunt ab authore anonymo virorum illustrium, *Appius Claudius Caudex Cæci frater fuit, primo ad explorandos hostes piscatoria naue fretum traiecit.* & ex C. Suetonio capite secundo & de nauibus, dicam infra, hoc opere, cap 38. D. Auson. Mosella.

Nauita caudiceo fluitans super æquora lembo.

CAPVT XXXIII.

De Præfecto Prætorio.

VETERES, inquit Asconius Pædianus, omnem Magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellauerunt: vnde & Prætorium tabernaculum eius dicitur, & in castris porta Prætoria, & hodie quoque Præfectus Prætorio. Præfectus igitur Prætorio dicitur, qui militibus iis præerat, quos Imperatores in sui custodiam allegerant. Fluxit autem hoc institutum primùm ab Octauio Augusto, vt ex Suetonio & Dione cognoscitur, deinde à Tiberio Cæsare stabilitum est. Et primùm quidem ex Equitibus tantum Romanis Præfectus Prætorio legebatur: postea verò, cùm ex Præfectis quoque Imperatores creari cœpti sunt, quorum primus fuit Macrinus, tum non Senatoribus modò, sed Consularibus etiam ea dignitas patuit. Durauitque hic Magistratus ad Imperium vsque Constantini, quo tempore cum Prætoriani pro Maxentio contra Constantinum stetissent, post victum & occisum Tyrannum, castro Prætorio diruto, cohortes Prætorianæ exauctoratæ sunt, atque ita Præfectum Prætorio dignitas est sublata: in quorum locum, quum ipse Imperator nouam quandam orbis Romani diuisionem commentus esset, vt eum in quatuor præcipuas partes, siue diœceses diuideret, quatuor quoque Præfectos Prætorio, Galliarum, alter Præfectus Prætorio Italiæ, tertius Præfectus Prætorio Illyrici, quartus Præfectus Prætorio Orientis, dicebatur, de quibus alii. Sed vt ad Præfectum Prætorio, qui in Vrbe cohortibus prætoriis præerat, reuertar, maxima eius dignitas & potestas fuit, vti tum ex aliis, tum ex Aurelio IC. intelligitur, qui sic scribit: Breuiter commemorare necesse est, vnde constituendi Præfectorum Prætorio officium origo emanârit. Ad vicem Magistri equitum Præfectos Prætorio antiquitus institutos esse, à quibusdam Scriptoribus traditum est. Nam cùm apud veteres Dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, & Magistros equitum sibi eligerent, qui associati principali curæ, militiæ causam secundam post eos potestatem gererent, Regimentis Reipub. ad Imperatores perpetuò translatis, ad similitudinem Magistrorum equitum Præfecti Prætorio, à Principibus electi sunt, dataque est eis plenior licentia, ad disciplinę publicę emendationem. His cunabulus Præfectorum autoritas initiata, in tantum meruit augeri, vt appellari à Præfectis Prætorio non possit. Nam cùm ante quæsitum fuisset, an liceret à Præfectis Prætorio appellari, & iure liceret, & extarent exempla eorum, qui prouocauerant: posteà publicè sententia principali electa, appellandi facultas interdicta est. Credidit enim Princeps eos, qui ob singularem industriam explorata eorum fide, & grauitate ad huius officij magnitudinem adhibentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicaturus. Subnixi etiam sunt alio priuilegio. Pręfecti Pętorio, ne à sententiis eorum minores ætate ab aliis Magistratibus, nisi ab ipsis Pręfectis Pętorio restitui possint. Hactenus ille. Plura de Præfectis Prætoriis, vide apud Vuolfgangum Lazium Commentariorum Reipub. Romanæ lib. 1. & 2.

Notandum & hoc est, quamprimùm Præfectus Prætorio lectus esset dari ei ab Imperatore cingulum cum gladio solitum, vnde memorabilis illa Traiani vox litteris mandata est, qui cum Præfectum suum cingulo donaret, ita dixisse fertur: Atque è Republica imperauero, pro me: sin secus, in me vtere. Plinius Iunior in Panegyrico, & alij.

CAPVT

Capvt XXXIIII.

De Præfecto frumenti diuidendi, & Præfecto vigilum.

Etiam hic Magistratus nouus est, institutus ab Augusto, vt ex Suetonio, in Augusto ca. 27. apparet, vbi dicit, Augustum multa noua officia excogitasse, & inter ea etiam curam frumenti populo diuidendi. Cùm enim lege Gracchi esset obtentum, vt frumentum populo diuideretur, & quidem senis æris trientibus in singulos modios veniret, Publij autem Clodij rogatione effectum esset, vt gratis frumentum populo daretur: Octauius Augustus, vbi Imperium est adeptus, summopere curauit, vt illud institutum obseruaret, vt ea liberalitate populus beneuolentior sibi redderetur: ideóque frequenter populo frumentum distribuit, cui distributioni qui præerat, Præfectus frumenti populo diuidendi est appellatus. De frumenti diuisione sic Suetonius in Augusto, ca. 40. Ac ne plebs frumentationum causa frequentius à negotiis auocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinauit: sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, vt sui quisque mensis acciperet. Et paulo post: Frumentum quoque in annonæ difficultatibus sæpe leuissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est, tesserásque nummarias duplicauit. Hæc ille. Et sic Dio. lib. 54. quoque refert, cùm vehemens Romæ fames esset, ab Augusto viros Consulares frumento & pani Præfectos fuisse, qui certam singulis summam venderent. &c. Cæterùm cùm in loco Suetonij à nobis citato mentio fiat tesserarum frumentariarum, sciendum est, fuisse eas signa, quæ qui exhiberent, frumentum proportione Romæ à principe accipiebant. Adrianus Turnebus Aduersariorum libro 19. cap. 26. existimat, fuisse frustilla lignea quadrata, certa insignita & notata forma, quæ data sint iis, quibus ius fuerit petendi frumenti publici, ideoque à Græco τέσσαρα dictas putat, quanquam & rotunda etiam fuerint, cùm à Dione σφαίρια, dicantur, id est, globuli, & pilulæ. Sed hæc præter rem.

Præfectus vigilum.

Etiam præfectus vigilum ab Augusto institutus est, testibus Suetonio in Augusto c. 30. Dione lib. 55. & aliis. Nam cùm septem cohortes opportunis locis constituisset, vt binas regiones vrbis vnaquæque cohors tueretur: præposuit eis Tribunos, & super omnes spectabilem virum, qui præfectus vigilum appellaretur. Is cognoscebat de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus: nisi si qua tam atrox, tamque famosa persona esset, vt præfecto vrbi remitteretur. Et quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fustibus castigabat eos, qui negligentius ignem habuissent, aut seuera interlocutione comminatus, fustium castigationem remittebat. Idem per totam noctem vigilare debebat, & coerrare calceatus, cum hamis & dolabris, & curare omnes inquilinos admonendos, ne negligentia aliqua incendii casus oriatur: Prætereà vt aquam vnusquisque inquilinus in cœnaculo habeat. Hæc Paulus ff. titulo de officio Præfecti vigilum. Quæ confirmat etiam Dio libro 55. his verbis: Cùm eo tempore multa in Vrbe essent vastata, libertinos septem locis ad ea curanda instituit, equitem eis præfecit, quos etsi haud diu id officium gerere, pati statuerat: tamen reipsa expertus, vtilissimum ac maxime necessarium esse eorum munus, perdurare iussit: súntque nostra ætate etiam nocturni hi custodes, non ex libertinis tantùm, sed ex aliis militibus, murósque in Vrbe tenent, & mercedem publicè accipiunt. Eadem Suetonius tradit, sed breuiùs.

Capvt XXXV.

De Curatoribus regionum, Denunciatoribus regionum & Magistris vicorum, Vrbis regionum 14.

Cum Vrbê in quatuordecim regiones Augustus diuisisset, per singulas eas duos Curatores, & duos Denunciatores creauit. Curatorum munus erat procurare apud principem commoda regionum, decorem & elegantiam viarum & vicorū Vrbis, ne à priuatis nouis ædificiis interrumperētur, prouidere, & alia eiusmodi facere. Denunciatorum verò officium erat, quicquid regioni tam publicè quàm priuatim accideret, denuntiare. Magistri verò vicorū, qui & Vicomagistri appellati sunt, quatuor per singulos vicos creabātur, vt illos tuerentur, de quibus quod prætextati soliti fuerint ludos Compitalitios facere in Deorvm Larium honorē, scribit Asconius in

Pisonianam. Eorum omnium mentio fit sæpissimè in Sexti Rufi,& P. Victoris libris XIV. Vrbis regionibus. Et Suetonius in Augusto cap.30.scribit: Spacium Vrbis in regiones,vicosque diuisit instituitque,vt illas annui Magistratus sortitò tuerentur: hos Magistri è plebe cuiusque viciniæ electi. Magistratus enim annuos regionum Curatores, & Denunciatores intelligit: magistros autem è plebe, Magistros vicorum, vel Vicomagistros.

CAPVT XXXVI.

De Aduocato Fisci.

FISCI, fiscinæ, & fiscellæ, ait Asconius in I Verrinam, spartea sunt vtensilia ad maioris summæ pecunias capiendas, vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ, quam priuatæ, vt pro censu priuato loculos & arcam,& sacellos dicimus, sic pro publico thesauro ærarii dicitur Fiscus. Hæc ille. Propriè autem Fiscus Principis erat, vt ærarium populi. Qui huic Fisco patrocinabatur, Fisci patronus vel Aduocatus dicebatur, isque à Marco Antonino philosopho primus institutus est, teste Iulio Capitolino in ipsius vita. Sequuntur Magistratus minores extra ordinem.

AD CAP. XXXVI. PARALIPOMENA.

Quid fiscus Imperatorius,in exercitu, ventri in Rep.similis, & Lieni.

VT populi vniuersi, stante republica, census *ærarium* erat, in translatis iam rebus ad monarchicum dominandi ritum, summaque Imperii in Cæsares transfusa, *fiscus* dicebatur pecuniæ publicis vsibus deputatæ asseruandæ locus. Hesychius & Suidas *δημόσιον ταμιεῖον* reddunt, D. Augustin.in psalm. 146. vertit *fiscum publicum.* Sueton.in August.cap. vlt. *quantum pecuniæ in ærario & fiscis.* C.Tacit. libro quinto *bona sciam ablata ærario,ut in fiscum cogerentur.* L. Sen. libro 7. de Benefic. cap.6. *Cæsar omnia habet. fiscus eius priuata tantum ac sua, & in vniuersa in Imperio eius sunt ac patrimonia propria.* Ascon. Pædian. in Diuinat. Verrin. ostendit nomen inde deriuatum, quod cophinis & sportellis sparteis antiquitus pecuniæ asseruarentur. Ael. Spartian. Hadriano. *damnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta.* C. Plin. Iunior in panegyrico illo luculento quem Traiano dixit, *non eadem seueritate fiscum, qua ærarium cohibes, immò tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis.* Q. Symmachus libro 10. Epist.54. *fiscus bonorum principum, non sacerdotum damnis,sed hostium spoliis augeatur.* Idem scriptor corrigendus est lib.1. Epist.64. *fundo acceperas rebellione barbarica, quos auri, argenti, priuati aut publici, sacri aut profani, Mauritaniæ fuit direptione hostium lancinatum, euenit ea tempestate, vt etiam fidei depositum belli iure raperetur, quod à summatibus ciuitatis, quos fuga reliquos fecerat, ius ærarii reposcebat.* ex MS. codice legebat, non omnino inepte, Schoppius, *vt etiam fisci depositum belli iure raperetur.* de fisco Iuuenalis Sat.4. de Imperatoris Domitiani truculentia.

Quicquid conspicuum, pulchrumque ex æquore toto
Res fisci est, vbicunque natat.

De Aerario Claudian. in Consulatu Manlii Theodori.

Abductoque hominum cumulent æraria censu.

Confunduntur tamen interdum, Claudian. idem de 4. Hon. consul. ad Augustum.

Non tua priuatis crescunt æraria damnis.

Boni certe principes vel eo nomine impensius laudabantur, quod prouinciis bello, aut aliqua calamitate attritis ciuitatibus consueuerint subuenire, remittendo tributa, onerumque fiscalium indulgentia concessa, quod dignum encomio visum est, in Constantino Augusto, qui Aeduæ ciuitati grauissime afflictæ remisit quod è quinquennio reliquum fuerat. Eumenius Rhetor in luculenta illa de Restauran. Schol. Oratione. *quinque annorum nobis reliqua remisisti, ô lustrum omnibus lustris felicius!* Theodoricus Rex *prouinciæ Alpium Cottiarum, quod per illam exercitus transierat, tertiæ indictionis tributa laxauit.* Aurel Cassiod. lib. 4. Epist. 36. alebantur interdum è fisco pauperes, & posteriorum Imperatorum, maximè Christianorum temporibus, conuocatis generalibus Conciliis, Episcopis eo profecturis viaticum suppeditabant. Seuer. Sulpit. histor. sacr. libro 2. *Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispaniam, Galliasque magistris officialibus*

dialibus, acciti numeratiue quadringenti, & aliquanto amp'ius Occidentales Episcopi, Ariminum conuenere; quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat, sed id nostris, id est, Aquitanis, Gallis, ac Britannis indicens visum, repudiatis fiscalibus, propriis viuere maluerunt: tres tantum ex Britannia, inopia proprij, publico vsi sunt, cùm oblatam à cæteris collationem respuissent, sanctius putantes fiscum grauare, quàm singulos. Corippus Afric. libro secundo Num. septimo.

Omnibus sufficiunt sacrati commoda fisci,
Ex quibus est commune bonum, commune leuamen,
Tutetur fiscus iustorum nemine læso.
Quæ sua sunt capiat, quæ sunt priuata, relinquat.

Sequitur deinde eodem numero.

Nec patimur quenquam sacratum lædere fiscum,
Nec lædi quenquam sinimus sub nomine fisci.

Sed eodem libro Num. 10.

Cùm vestrum est, quod mundus habet, scis summe regentum
Publica quid vestro prosint commercia fisco.

Erat & fiscus in exercitu, alendo indubie militi, lapis Mathelicus in Italia apud Vvolfgangum Cazium lib. 6. Reip. Rom. cap. 1.

C. ARRIO. C. F. COR. CLEMENTI. MIL. IX. COH. PRAE. EQVITI. COH. EIVSDEM. DONIS. DONATO. AB. IMPERATORE. TRAIANO. TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS. OB. BELLVM. DACICVM. SINGVLARI. PRÆFECTOR. PR. TESSERARIO. OPTIONI. FISCI. CVRATORI. CORNICVL. TRIB. EVOCATO. AVG. COH. I. VIGIL. STATINORVM. COH. XIIII. VRB. COH. VII. PR. TERCENARIO.

Cum respublica, vt antea monui corpus habdretur, *fiscum lienem* esse voluerunt, præsertim sub auaris principibus. Traianus Augustus dicebat, *fiscum lieni esse similem, quod eo crescente, artus reliqui tabescerent*, vt verba Aurelij Victoris vsurpem in Iuliano. Ioann. Corasius Miscellaneor. Iur. ciuil. libro sexto capite decimo nono rectè ille apud Paulum Diaconum hist. Miscellæ lib. 11. *quidam improbus exactiones detestans, dicebat fiscum esse lienem, quod eo crescente reliqui artus tabescerent.* crescere autem fiscus credebatur Imperatorius, *ex addictione bonorum proscriptorum.* Cassiodor. lib. 4. Epist. 32. Andreas Alciatus Emblem. 146. & Claudius Minos.

Humani quod splen est corporis, in populi re
Hoc Cæsar p[illegible] dixerit esse suum.
Fisco aucto, reliqui tabescunt corporis artus,
Fisco aucto, arguitur ciuica pauperies.

Ventrem esse eleganter exequitur Corippus lib. 2. Num. 7.

Quod fisci est, nullus rapias, cognoscite fiscum
Ventris habere locum, per quem omnia membra cibantur.
Venter alit corpus, fuerit si venter inanis,
Omnia deficiunt, tenuantur robore membra,
Et contracta rigent arentibus ossa medullis.

Qui plura cupis de fisco, consule Marcellum Donatum Ponzanum dilucidationum suarum, pag. 130. & sequentibus, Brederodium & Barnabam Brissonium in Repertorio Iuris, & in Lexico, & alios passim.

CAPVT XXXVII.

De Duumuiris perduellionis, & Quæstoribus parricidij, vel rerum Capitalium.

QVi Magistratus minores, item qui extraordinarij fuerint, dictum est antè. Inter minores autem Magistratus extraordinarios primi sunt Duumuiri perduelliones, siue Capitales, quorum origo est antiquissima, vt puta, qui à Tullo Hostilio III. Romanorum Rege, primùm creati sunt. Cùm enim Horatius parta de Curiatiis victoria, vrbem Romam triumphans ingressus, sororem sibi obuiam & vnum de Curiis lamentantem interfecisset, posteaquam à quibusdam reus factus, neque absolui iustè, nec honestè damnari à Rege posset: Rex Duumuiros creauit, qui de perduellione certarent. Verba Liuij libro primo sunt hæc: Rex ne ipse tam tristis, ingratique ad vulgus iudicij, ac secundum iudicium, supplicii auctor esset, Concilio aduocato, Duumuiros, inquit, qui Horatium perduellionem iudicent, secundùm legem facio. Lex horrendi criminis erat, Duumuiri perduellionem iudicent, si à Duumuiris prouocârit, prouocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomœrium,

vel extra pomerium. Hæc Liu. Fuit etiam post Reges eiectos hic mos aliquandiu retentus, vt in iudicio perduellionis Duumuiri crearentur, qui perduellionem iudicarent, vti ex Liuio constat, donec tandem vetustate obsoletus, prorsus intermissus fuerit, quem tamen à Labieno Tribuno plebis postremis temporibus, in Rempublicam relatum, Cicero grauissimè queritur. Meminit eorum præter Liuium lib. 1. & 5. & Ciceronem pro Rabirio, Plutarchus quoque, Suetonius & Dio li. 37. De perduellione & perduellibus alibi dicetur.

Quæstores Parricidij vel rerum capitalium.

Quæstores Patricidii vel rerum capitalium, qui & Quæsitores dicti fuerunt, qui Iudicia quæstionum exercerent. Eorum Magistratus non fuit ordinarius, sex extraordinarius. Cùm enim Consules de capite Ciuis Romani, iniussu populi ius dicere non possent, idcirco, quoties vsus postulabat, ex Senatusconsulto, vel Dictator, vel Consulum alter, ambóve, vel Prætorum aliquis de crimine publico quærere iubebatur: qui iussus erat, is Quæsitor dicebatur. Docet hoc Pomponius Iurisconsultus ff. titulo de origine iuris his verbis: Quia de capite ciuis Romani iniussu populi non erat lege permissum Consulibus ius dicere, propterea Quæstores constituebantur à populo, qui capitalibus rebus præessent. Hi appellabantur Quęstores Patricidij, quorum etiam meminit lex duodecim Tabularum. Hactenus Pomponius. Quæ etiam confirmat Festus sic scribens, Patricidij Quæstores (sic. n. legendum esse monet Iosephus Scaliger, non Parricidij) appellabantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quærendarum. Nam Parricida non vtique is, qui parentem occidisset dicebatur, sed qualemcunque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilij Regis, his composita verbis: Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, Parricida esto, &c.

Hoc autem modo publicæ quæstiones tractatæ sunt vsque ad annum v. c. DCIV. quo constitutæ sunt quæstiones publicæ de ambitu, maiestate, peculatu, repetundis, & singulis sui Prætores Præfecti, atque tum, si de aliquo horum criminum esset quærendum, non nouo Quæsitore, qui extra ordinem quæreret, opus erat, sed Prætor ille, qui ei quæstioni præesset, adhibebatur, ísque, vt ante, cum consilio de eo crimine cognoscebat, dicebatúrque tum ipse Prætor quærere, & quæstionem ac iudicium exercere, quæstioni præesse, & Quæsitor esse, vti ex multis Ciceronis locis intelligitur. Sed de his plura dicentur libro de Iudiciis.

CAPVT XXXVIII.

De Præfecto annonæ.

PRAEFECTVS annonæ extraordinarius Magistratus fuit. Eius munus erat, vt videret, ne plebs annonæ inopia & caritate laboraret, vtique panis copia redundaret, ponderéque iusto, ac mundicia debita panis veniret. Itaque si quid ad annonam pertinens commissum erat, id cognoscebat. Mentio eius fit à Liuio libro 4. & alibi sæpe, item à Pomponio ff. tit. de origin. iuris, & Martiano ff. lib. 13. de accusat. Eundem Magistratum gessit Cn. Pompeius magnus eo anno quo Cicero reuocatus est ab exilio, vt constat ex oratione eius pro domo.

AD CAP. XXXVIII.

PARALIPOMENA.

Annus pro annona, Africa, Ægyptus, Gallia, frumentationem vrbi suppeditabant, per Tiberim inuecta, panis distribuebatur, seditio ob famem, frumentum dimensum, gratuitum.

ANnus pro *annona* apud vetustos scriptores, Q. Tertullianum Apolog. ca. 40 *denique cum imbribus æstiua hyberna suspendunt, & annus in cura est.* sed & alij passim: sic Sigismundus Gelenius censuit legendum illud C. Plinij li. decimo sexto capite decimosexto *cedri. & Iuniperus, & Ilex, annua ferè habentur, nouus fructus in iis Autumno pendet.* sic in vulgatis editionibus, at ille transcribit ex MS. *citreæ, & iuniperus & Ilex anniferæ habentur: nouúsque fructus in his cum annotino pendet.* vt anniferæ dicantur arbores, quæ annonam, seu annum, id est fruges ferant, nam & fruges de arboribus dici, Liuij locus docet apud Theodorum Marcilium in leg. 12. Tabularum ca 60. *dulcedine frugum, maximéque vini.* Gloss. ar. vet. *frugis καρπός.* Sed de hac annonæ significatione poetæ. Claudian. lib. de bello Gildonico.

Pop

Pensabant Pharium Getulis messibus annum.

D. Lucan. Pharsal. lib. 3. v. 70:

Effusis magnum Libyæ tulit imbribus annum.

Stat. lib. 3. sil. 2. v. 22.

——Dicarchæis Pharium grauis intulit annum.

Annona ista in vrbe penes Ædiles erat, quorum curæ commissum, ne populus fame premeretur, Tiraqu. in Alexand. Neapolitan. lib. 4. Genial. dier. c. 24. Illata in vrbem per præfectos diuidebatur. Rosin. supra hoc libro c. 34. qui ob id *annonæ præfecti* vocantur. Sed vnde conueheretur in vrbem controuersum, Itaque initio fundatæ reipublicæ, horrea populi Romani dicebantur Sicilia, & Sardinia, licet pars huius ad Septentrionem vergens sit sterilitate non modo damnata, sed & morbis contagio aëris infestatus, Martial. li. 4. Epigr. 60. tamen Australis eius regio frugifera, Lucanus loco proxime citato eleganter describit.

Curio Sicaniæ transcendere iussus in vrbes,
Quæ mare telluremq; subitis aut obruit vndis
Aut scidit, aut medias fecit sibi littora terras,
Vis illic ingens pelagi, sempérque laborant
Aequora, ne rupti repetant confinia montes,
Bellúq; Sardoas etiam sparguntur in oras.
Vtraque frugiferis est insula nobilis aruis,
Nec plus Hesperiam longinquis messibus vllæ,
Nec Romana magis complerunt horrea terræ,
Vbere vix glebæ superat cessantibus Austris
Cum medium nubes Borea cogente sub axem
Effusis magnum Libyæ tulit imbribus annum.

At postea aucta republica, prolatóque imperio sub consulibus ex Africa, domita iam Carthagine, sub primis Imperatoribus ex Ægypto, quam in prouinciæ formam redigit Augustus, denique decliui iam principatu, aut potius diuiso, è Gallia frumenta in vrbem, ad annonam populi, conuehebantur, recte Æl. Lamprid. in Commodo. *Imperata vtrique prouinciæ*, (Africæ & Ægypto) *tributa frumentaria, vt si Alexandrina cessasset, classis Africana subsidio esset.* C. Plin. iun. in panegyrico, *discat Ægyptus, credátque experimento, non alimenta se nobis, sed tributa præstare.* Æl. Spartian. in Fescenino Nigro. *Ne Africam occuparet, & fame populum Romanum perurgeret, & videbatur id facere posse per Libyam Ægyptúmque vicinas Africæ.* C. Tacit. libro 12. Annal. *nec nunc infæcunditate laboratur, sed Africam potius & Ægyptum exercemus, nauibúsque & casibus populi Romani vita permissa est.* nescio an non legi debeat, *nauibúsque & classibus populi Romani vita permissa.* vt significet frumentationem vel singulas naues aduexisse, vel multas simul. D. Auson. in vrbib. de Burdegala.

——tota tibi nauigat orbe cataplus.

Certe Alexandrinæ frumentationes nobilitatæ etiam à Græcis, Bacchylides in fragment. citante Athenæo lib. 11. Dipnosophist. πυροφόροι δὲ κατ' αἰγλήεντα πόντον ἄγουσιν ἀπ' Αἰγύπτου μέγιστον πλοῦτον, ὡς πίνοντος ὁρμαίνει κέαρ. *& tritico onustæ naues splendidas de Ægypto deferunt diuitias amplissimas, vt bibentis cor imaginatur.* alibi in hoc opere de naue ista Alexandrina, quædam obiter docui, vide viros doctos ad cap. 97. Suetonii in Augusto. M. Varro de annona ex Africa aduecta. lib. 2. de Re Rust. *frumentum locamus, qui nobis aduehat, quo saturi fiamus ex Africa, & Sardinia.* Atque ita de fertilitate Africæ intelligendi poetæ, vt & de tributo ab eadem Romanis præstito. Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmachum.

Respice num Libyci desistat ruris arator
Frumentis onerare rates.

M. Martial. lib. 6. Epigr. 86.

Possideat Libycas messes, Hermúmque, Tagúmque,
Et potet gelidam qui mihi laudat aquam.

Pentadius antiquus scriptor.

Et quicquid Libyco secatur aruo.
Non vna possit non tenere cella.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 46.

Ægypti frumenta dedi.

S. Sen. in Thyeste in choro Act. 2.

Non quicquid Lybicis teris
Feruens area messibus.

Vterque imitatus est Horatium li. 1. od. 1. sic enim ille.

Quicquid de Libycis verritur areis.

Rutilius Claudius Numatianus Gallus Itinerarij sui lib. 1. ad Romam.

——tibi Nilus inundet
Altricémque suam fertilis orbis alat.

E qua prouincia quæcunque nauigia temporibus Augusti in Italiam commeabant, Capreas insulam transitura velo solo contentæ erant, exceptis Alexandrinis, quibus permissum & suppara addere, datus, vt puto, is honor ignobili insulæ tunc primum, Papinius iam citatis proxime superius.

Prima salutauit Capreas, & margine flexo
Sponsit Tyrrhenæ Mareotica vina Mineruæ.

De vtriusque prouinciæ fertilitate hæc accipienda sunt poëtarum loca. Sidonii Apollin. Carm. 7.

—— ... quod torridus Auster,
... Libycumque solum.

Claudian. lib. de Bello Gildon.

Tot mihi pro meritis Libyam Nilúmque dederunt,
... dominam plebem, bellatorémque senatum
Classibus æstiuis alerent, g minóque vicissim
Littore, diuersi complerent horrea venti.
Stabat certa salus, Memphis si forte negasset
Pensabam Pharium Getulis messibus annum:
Frugiferas certare rates, latéque videbam
Punica Niliacis concurrere carbasa velis.

Et lib. 3 de laudib. Stilichonis.

——quod Pœnus arator
Intulerit, madidus quantum transmiserit Auster.

Et lib. de laudib. Serenæ.

——Pharia segetes, & Punica messis
Castrorum deuota cibo.

Posteriori sæculo, vt iam dixi, etiam annonam à Gallia petitam docuit idem Claudianus lib. 1. in Eutrop.

Quæ suscepta fames? quantum discriminis vrbi?
Ni tua vel foreti nunquam non prouida cura
Australem Arctois pensasset frugibus annum.

Pauculis interiectis versibus ibidem loci sequitur, de Hispania.

Tentauimus vomer Pyrenæique iuuenci
Sudauere mihi segetes mirantur Iberas
Horreaque Libyæ junxerunt damna rebellis,
Iam transalpina contenti messe Quirites.

Id prius Honor j æuo factitatum. Idem lib. 2. de laudibus Stilichon.

——quibus Africa per te
Et prius annuas Rhodanus iam donat aristas.
Vt mihi vel Massilia Ceres, vel Gallica prosit
Fertilitas messesque feras nunc humidus Auster,
Nunc Aquilo, cunctis ditescant horrea ventis.

Nauibus aut classibus aduectum frumentum ex Sicilia, Sardinia, Africa, Ægypto, aut Gallia, vt iam dictum est, Imponebatur caudicariis nauigiis, vt per Tiberim in vrbem inferretur, supra hoc libro cap. 32. dictum est. Martian. Capella lib. 6. de Nupt. Merc. Philolog. *ad ostia Tiberina naues onerariæ adpellans.* Q. Symmach. lib. 10. Epist. 22. *mittetis etiam regiam classem, quæ annonariis copiis augeat annotæ plebis alimoniam, hanc ergo in Tiberinis ostiis mixtus populo S. nauis excipies, venerabuntur tanquam sacras puppes, quæ felici onera Ægyptiæ frugis inuexerunt.* Sidon. Apollinar. lib. 1 Epist. 10. *sane hunc ipsum è vestigio ad portum mittere paro, quia comperi naues quinque Brundusio profectas cum speciebus tritici, ac mellis, ostia Tiberina contigisse.* Aurel. Prudent. libro secundo in Symmachum.

——& ad ostia Tibris
Mittere triticeos in pastum plebis aceruos.

Claudian loco proxime supra citato.

Inuectæ Rhodani Tiberina per ostia classes
Cymphiisque ferax Araris successit aristis.

Naues illæ maiores *annonariæ* vocabantur, minores hæ scaphæ, *caudicariæ*. Salust. li. 4. historiar. *contendit ad flumen Eufratem, & quàquam ad id naues caudicarias, occulte per hiemem fabricatæ.* Fest. Pomp. libr. 3 *caudicariæ naues ex tabulis crassioribus factæ.* Et qui istiusmodi nauigiis præerent, *codicarij*, siue *caudicarij* dicebantur. l. 9. C. Theodo. *de suariis*, & l. 1. C. eod. de *Canone frumenti* vrbis Romæ. lapis antiquus apud Smetium Inscriptio. pag. 70.

MENSORES. PORTVENSES. QVIBVS. VETVS. FVIT. CVM. CAVDICARIIS. DIVTVRNVMQVE. CERTAMEN.

Mensores isti aduectam annonam in horrea publica intulerunt, quæ quamplurima in vrbe fuisse, ex libro primo huius operis liquet, in quo descriptio vrbis ex Onufrio, Victoréque habetur. Erant autem horrea vel *pensilia* in editiori villæ parte, Iun. Columella lib 1. de Re Rust. cap. 6. aut *subterranea*, Cassiodo. li. 12. Epist. 12. Columellæ consentit M. Pollio Vitruuius qui *horrea sublimia* vocat Architectonic. li. 6. c. 7. Plinius cum Cassiodoro stat, apud quem *horrea defossa* reperio dici lib. 18 c. 8. addendum & *ex tabulis ligneis mobilia* fuisse, vt verbis vtar Scæuolæ IC. l. 60. ff. de Acquir. rer. dom. Itaque nisi ex horreis publicis distribueretur frumentum, laborabat ciuitas fame. Crudele illud censetur Caligulæ factum apud C. Suetonium cap. 26. qui *nonnunquam horreis præclusis famem populo indixit.* in aliis editionibus, & in MS. legitur *horreis præclusis famem induxit.* vtraq. lectio recta. Sabinus Grammaticus ad illud P. Virgilij lib. 1. Georgic.

——si ruperis horrea messis,

Alb.

Alb. Tribull. libr. 4. in heroico ad Messalam opere.

Horrea fœcundis indefici ntia mensis.

Aurel. Prudent lib. 2. in Symmachum.

——Romana nec horrea rumpat.

Inde annona efferebatur, & populo diuidebatur, vel *per præf. ctum frumenti diuidendi*, vt supra hoc libro cap. 34. & probat vetus Inscriptio.

POST. MIMESIVS. C. F. SARDVS. TRIB. MIL. Q. AED. PL. PR. LEGATVS. TI. CAESARIS. AVG. PROCOS. PRAEF. FRVMENTI. DANDI. EX. S. C.

Ista quidem apud Meursium est Criticar. Curar. parte 2. altera apud Manutium Orthograph. pag. 8.

QVI. LARGAE. CERERIS. MESSES. FRVCTVSQVE. RENATOS. DIGERIT. IN. PRETIVM.

Ergo & *diuidere* dicebantur isti *annonam*, & *dare* & præterea *regere*. lapis vetus eiusdem operis paginæ 306. insertus. quem transcribam.

RAGONIO. CELSO. VINCENTIO. V. C. A. PRIMO. AETATIS. INTROITV. IN. ACTV. PVBLICO. FIDELI. EXERCITATIONE. VERSATO. CVIVS. PRIMAE. VITAE. OFFICIO. SEDIS. VRBANAE. ADVOCATIONI. EXERCITO. FIDEM. IVNXIT. INGENIO. PRVDENTIA. MISCVIT. LIBERTATEM. ITA. VT. NEMO. DE. EIVS. INDVSTRIA. NISI. ILLE. CONTRA. QVEM. SVSCEPERAT. FORMIDARET. CVIVS. ACCESSVS. AETATIS. AMPLISSIMI. HONORIS. ET. QVI. SOLET. SENIORIBVS. PROVENIRE. ORNAMENTA. PROMERVIT. NAN. REXIT. ANNONARIAM. POTESTATEM. VRBIS. AETERNAE. EA. AEQVITATE. VT. INTER. OMNES. QVI. AD. EVM. ANIMO. LITIGANTIS. INTRASSENT. PARENTEM. SE. PLEBVMQVE. MAGIS. QVAM. IVDICEM. PRAEBVISSET. HINC. ETIAM. FACTVM. EST. VT. MENSORES. NOS. VOTI. COMPOTES. ABIREMVS.

Neque semper annona erat frumentum, sed interdum arctiore in penuria panis diuidebatur. Iulianus Cæsar in Misopogone, cuius verba pagina trigesima octaua Martinio Morentino ita Latinè sonant. *in qua viro ciuitas tantùm, sed etiam plebs ex agris vndique fluit ad panem, cuius vnius magna est & copia, & vtilitas, coëmendum*, aliquot deinde lineis interiectis, *at ciuitas pane quidem abundabat, præterea nihil aliud habebat.* Valentinianus Augustus, *comperimus nonnullos venditis ædibus, panes earum penes se retinere.* Valens princeps, *gradilis panis in alium gradum translatio inhibetur.* Eleganter idem alio loco, *titulus figendus est æneus, in quem & panis modus, & præcipientis nomen debens incidi.* tituli 17. libro decimo quarto. Codic. Theod. epigraphe istiusmodi est, *de annonis ciuicis, & pane gradili.* Iustinianus l. 31. C. de iure dotium. *si quis in dotem vel prædia, vel certum reditum, vel ædes, vel panes ciuiles spoponderit, vel promiserit, si ex tempore matrimonij biennium transactum sit, illico redituum, vel pensionum necnon panis ciuilis quæstum sancimus eum præstare.* Constitutione 88. epigraphe est, περὶ αἰαρτήσεως χορηγίας ἄρτων. *de suspensione administrationis panum.* vide ipsam constitutionem. historici meminerunt. Fl. Vopiscus in Aureliano Aug. Epistolam citat Valeriani ad Scionium Albinum præfectum vrbi. *decernes panes militares mundos sedecim, panes militares castrenses quadraginta.* panes mundi sunt puriores, aut è polline confecti, castrenses sunt, vt cum Horatio loquar, *secundi* aut *è siliquis.* sic enim ille libr. secundo Epist. *viuit siliquis & pane secundo.* Aurel. Cassiodor. libro sexto Epist 18. *nam si quo vitio panis, vt assolet, concitetur, tu promissor vbertatis seditiones ciuicas momentanea satisfactione dissoluis.* Ita intelligendi poëtæ. Pomponius in *prostibulo.* apud Nonium cap. 1. Num. 63.

Continuo ad te centuriatim current
Qui panem petent.

D. Iuuenal. Sat. 10. v. 81.

——duas tantum res anxius optat
Panem, & circenses.

In editione Pithæi ita legitur, in quibusdam aliis, *Pana, & circenses*: aut, *Pannum & circenses.* quæ omnes tres lectiones possunt defendi, Prudent. libro 2. in Symmachum non multum à fine.

Posthinc ad populum conuerte oculos. quis in vrbe est
Qui Iouis infestum sanie non despuit aram?
Omnis qui celsa scandis cœnacula vulgus,
Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,
Aut vaticano tumulum sub monte frequentat.

In Giffenij editione primus versus legitur aliter, sed parum refert.

—ad populum conuerte oculos, quorum pars est.

Vetus marmor apud Onufrium Ciuitate Romana pag. 65.

P. ALIO. P. F. PAPIR. MARCELLO. CENT. FRVM. SVB. PRINCIPE PEREGRINORVM. HASTATO. ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO. LEG. VII. GEM. PIÆ. FELICIS. ADIECTO. AD. MVNERA. PRAEF. LEGG. VII. CLAVD. ET. PRIMAE. ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI. LVCVLARI. LAVRENT. LAVINAL. PATRONO. ET. DECVRIONI. COLONIÆ. APVLESIVM. PATRONO. CIVITATIS. FORO. FLAM. FVLGINIÆ. ITEMQVE. IGVVINORVM. SPLENDIDISSIMVS. ORDO. FORO. FLAM. CVIVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS. ET. LIBERIS. EORVM. PANEM. ET. VINVM. SS. XXX. N. ITEM. MVNICIPIBVS SS. IIII. N. DEDIT.

Quod si annona defecisset, (hoc est, *si arctior incidisset*, vt verbis vtar Suetonij in Tiberio c. 8. aut *arctissima* fuisset, vt idem ait in Galba. c. 7. eademque vtitur voce Hermogenianus IC. l. 53. ff. de Iudiciis.) vt nec horreis publicis frumentum, nec gradib. panis suppeteret, sæpe oriebantur seditiones, & ab indignante famelicaque plebe, petiti illi, quibus id negotii demandatum. Paulus Diacon. Epitomes Eutropianæ additamento lib. decimo: *vsque adeo autem mitis fuit, vt cum ob inopiæ frumentariæ suspicionem, lapidibus à populo Romano perstringeretur, maluerit ratione exposita placare, quam vlcisci seditionem* Asconius Pædian. in Milonianā. Et Cicero ipse in eadem Oratione. Q. Symmachus lib. 2. Epist. 6. *frequens sermo est tenui victu in turbas plebem moueri; nec vlla spes datur præsentibus angustiis copiam posse succedere, annus vbique ad famem proximus.* Et li. 4. Epist. 18. *interea laborantum fame murmur est, strepit ciuitas.* Eiusdem libri Epist. 54. *sed quod mihi insusurras frugis Africanæ tenues commeatus* vide locum. Signanter Iosephus Iudaica. Antiquitat. lib. 15. c. 11. Cuius verba sic Latinè sonant Sigismundo Gelenio interprete. *ſi citas diuturna obtinuit vt maxima sterilitas esset, frugumque inopia ad hæc accedebat populare in regem odium, quod ferè soleat calamitatum culpa in eos reiici penes quos est regimen reipublicæ.* M. Lucan. lib. 2. Pharsal.

—irarum causas & summa fauoris
Annona momento trahi, namque asserit vrbes
Sola fames, emitúrque metus, cum segne potentes
Vulgus alunt.

Claudian. lib. 1. de laudibus Stilichon.

—duplices disponere cl asses,
Quæ fruges, quæ bella ferant, aulæque tumultum
Et Romæ lenire famem.

Rebellasse eo solo nomine populum sæpissime historici loquuntur. Marcellinus Comes in Chronico. *Honorio 8. & Theodosio Iuniore 3. coss. apud Constantinopolim magna exarsit seditio, penuria rei annonariæ ingruente.* Idémque in eodem opere. *Antiocho & Basso coss. cum ad horrea publica processum celebraret Theodosius Imperator, tritici in plebem ingruente penuria, ab Orientis populo lapidibus impetitus est.* Fuit itaque sæuientis, & in rabiem actæ ob famem plebeculæ is mos, vt magistratus, quorum incuria arctior incidisset annona, lapidibus peterent. Paulus Diaconus supra proximè laudatus, & P. Victor in Antonino Pio in fine, *cum ob inopiæ frumentariæ suspicionem lapidibus peteretur.* quod Romæ frequentissimum, Ammian. Marcellin. lib. 26. C. Suet in Claudio c. 16. *arctiore autem annona ob assiduas sterilitates, detentus quondam medio foro à turba, conuiciisque simul ac fragminibus panis ita instratus, vt ægrè, ac nisi postico, euadere in palatium valuerit, nihil non ex eo cogitauit ad inuehendos etiam in tempore hiberno commeatus.* Eandem autem narrat historiam Paulus Orosius lib. 7. cap. 6. *veruntamen sequenti anno tanta fames Romæ fuit, vt medio foro Imperator correptus à populo, Comitiis & fragminibus panis turpissimè infestatus, ægrè per Pseudocyrum in palatium refugiens, furorem excitatæ plebis euaserit.* vti pecuniam superius dixi ad stateram pendi, non numerari consuetam olim, ita frumentum plebi diuidendum, tessera frumentaria data, vt multis probauit vir eruditissimus Ioannes Bernartius, ad libr. 10. Thebaidos Statianæ, non mensua, sed pondere dabatur, nam in legibus Xuiralibus *vincto farris libra in singulos dies datur.* vt ad illas c. 18. Theodorus Marcilius docet. Et Iacobus Cuiacius lib. 11. c. 22. Obseruat. Q. Horat. lib. 1. Sat 5.

—cui satis vna
Farris libra foret.

Ideóque si defecisset annona, Imperatores lenitate sua solebant subuenire, & commeatuum in vrbem subuehendorum curam alicui permittere. Symmach. li. 10. Epist. 31. quod tunc gratuitum. & sine pretio, imo interdum & sine mensura conferebat, ad aucupandum popularis gratiæ fauorem, quum alias neque gratuito, neque sine certa dimensione concederetur, vti antea in vetustis marmoribus, inscriptionibus à me allatis patet, vbi *mensores frumenti* nominantur. de nouo hoc, & blan-

& blanditiarum pleno ritu C. Tacit.li.15. Annal. *pretiumque frumenti minutum, usque ad ternos nummos*, minutum scilicet pretium, ad captandos indiscretæ multitudinis animos, recepto. n. more antea dixerat, *frumenti pretio nihil additum est.* Et deinde in fine eiusdem libri, *addiditque militibus sine pretio frumentum, quo antea ex modo annonæ vtebantur.* C.Sueton. apertius in Iulio cap. 26. *frumentum quoties copia esset, etiam sine modo mensuraque præbuit, ac singula interdum mancipia, ac prædia viritim dedit.* recte quidem *viritim*, nam promptior conciliandi animos ratio per distributionem huiusmodi, quam si in vniuersam multitudinem quippiam fuisset collatum, In eodem Iulio idem Suet.capite trigesimo octauo: *populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus publice erat, viritim diuisit, & hos amplius, centenos pro mora.* Egregie in Nerone cap.10. *prætorianis cohortibus frumentum, menstruúmq. gratuitum.* Menstruum verò, quia interdum & in dies singulos distributores alimenta præstabant ciuibus. C.Petron.in Satyrico. *hodie post diaria asellum non sumo.* allusum à Claudiano lib.de bello Gildonico:

Pascimur arbitrio Mauri, nec debita reddi
Sed sua concedi iactat, gaudétque diurnos
Vt famulæ præbere cibos, vitámque faméinque
Librat barbarico fastu, vulgúsque superbit
Fletibus, & tanta suspendit vota ruina
Romuleas vendit segetes.

Quomodo deinde vallatus hic ritus in rebus Getæ & Caracallæ legendus est Herodianus, Suetonij Interpretes ad Aug.cap. 42. Petrus Gregor. Tholosan.in Syntagmate iuris vniuersi,& alij.

Caput XXXIX.

De Quinqueuiris Mensariis, & Triumuiris Mensariis.

Qvinqvevirι mensarij à dispensatione pecuniæ dicti, vt tradit Liuius libro 7. creati sunt, eodem teste, anno A.V.C.CDI.Coss. Valerio Poplicola, C.Marcio Rutilio ex plebe. Causa eorum creandorum fuit, fœneratorum improbitas,& æris alieni plebis Romanæ magnitudo, cui quidem rei cùm Principes plebis succurrere sæpenumero tentassent, sed nihil proficere potuissent, hoc anno scribit Liuius, inclinatis semel in concordiam animis, noui Consules fœnebrem quoque rem, quæ detinere vnanimos videbatur, leuare aggressi, solutionem alieni æris in publicam curam verterunt, Quinqueuiris creatis, quos mensores à dispensatione pecunię appellarunt. Meriti autem æquitate, curaque sunt, vt per omnium annalium monumenta celebres nominib. essent. Fuêre C. Duellius, P.Decius Mus, M.Papirius. Q. Publius,& T. Aemilius, qui rem difficilimam tractatu, & plerumque parti vtrique, semper certe alteri grauem, cum alia moderatione, tum impendio magis publico, quam iactura sustinuerũt. Tarda.n.nomina,& impeditione inertia debitorum, quam facultatibus, aut ærarium mensis cum ære in foro positis dissoluit, vt populo prius caueretur: aut æstimatio æquis rerum preciis liberauit, vt non modo sine iniuria, sed etiam sine querimoniis partis vtriusque exhausta vis ingens æris alieni sit. Hæc Liu. libr. 23 Idem alibi tradit, anno DXXXVII. tempore II. belli Punici Triumuiros mensarios creatos fuisse. Verba eius sunt: Et Romæ quoque propter penuriam argenti, Triumuiri mensarii, rogatione Minutii Tribuni plebis facti, L. Aemilius, qui Consul Censórque fuerat,& M. Atilius Regulus, qui bis Consul fuerat,& L.Scribonius Libo, qui tum Tribunus plebis erat,&c. Creabantur hi Comitiis Tributis.

Caput XL.

De Duumuiris naualibus, Triumuiris, qui conquirerent iuuenes idoneos ad arma ferenda, militésque facerent, ac de Quinqueuiris turribus, murísque conficiendis.

Dvvmvirι hi sic dicti sunt, quod duo viri simul idem munus obirent, non fuerunt ordinarij Magistratus, sex extraordinarij. Eorum prima mentio fit à Liuio libr. 10. in historia anni A.V.C. DXLII. Coss. C. Iunio Bubulco III.& Q. Aemilio Barbula II. quo tempore acerrimum popul. Roman. bellum cum Samnitibus erat, vt scribit, rogante M.Decio Tribuno plebis Duumuiros nauales classis ornandæ, reficiendæque causa populum iussisse. Quod eorum officium fuerit, non est difficile videre. Reficere scilicet & ornare

classem, vtque naualibus sociis impleatur, commeatúque instruatur, curare. Creati hi Magistratus, quemadmodum ex Liuio li.40. & lib.41. intelligitur, & postea sunt, bello contra Ligures, item bello Illyrico, qui tuendam xx. nauibus, mari superiore Anconam velut cardinem haberent, vti Liuius docet: ex quo etiam intelligitur, non certum ad definitum tempus Magistratum hunc habuisse, quod in aliis Magistratibus fuit obseruatum: quippe hi, quorum posteriore loco ex Liuio mentionem feci, biennium illum Magistratum tenuerunt: vnde extraordinarium eum fuisse liquido apparet.

Triumuiri, qui conquirerent iuuentes ad arma ferenda, militésque facerent.

Hi creati sunt, secundi belli Punici tempore, anno A.v.c. DXLI. Q. Fuluio Flacco III. & Appio Claudio Pulchro Coss. Causam eorum creandorum Liuius lib.25. tradit. Consules, inquit, cùm ægrè delectum conficerent, quod inopia iuniorum non facilè in vtrumque, vt & nouæ vrbanæ legiones & supplementum veteribus scriberetur sufficiebat: Senatus absistere eos incœpto vetuit, & Triumuiros binos creari iussit: alteros qui citra, alteros, qui vltra quinquagesimum lapidem in plateis, forisque, & in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent, & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari ætate essent, milites facerent. Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent, vt qui minores septem & decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem & viginti annorum, aut maiores milites facti essent. Ex hoc Senatusconsulto creati Triumuiri bini, conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt. Hæc Liuius: præter quæ nihil de iis reperio.

Quinqueuiri turribus, murisque reficiendis.

Meminit & horum Liuius li.25. eo loco, vbi præcedentium: Comitia deinde, inquit, à Prætore vrbano de Senatus sententia plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt Quinqueuiri turribus, murisque reficiendis, &c. Quod Liuius dicit, comitiis eos creatos fuisse, Tributa intelligit: officia eorum titulus indicat.

Capvt XLI.

De Triumuiris legendi Senatus, & Triumuiris recognoscendi turmas Equitum Romanorum.

De his, quod ab Octauio Augusto instituti fuerint, Suetonius in Augusto capite 37. scribit, cuius hæc sunt verba: Quoque plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, noua officia excogitauit, curam operum publicorum, viarum & aquarum aluei Tiberis, frumenti populo diuidendi, Præfecturam vrbis, Triumuiratum legendi Senatus, & alterum recognoscendi turmas Equitum, quotiescunq; opus esset. Hæc ille. Vnde etiam manifestum est, extraordinarios eos Magistratus fuisse. Sequuntur Magistratus Prouinciales.

Capvt XLII.

De Proconsulibus.

Hactenvs de iis Magistratibus, qui in ipsa Vrbe potestatem habuerunt, quantum quidem ex veterum Monumentis cognosci potuit, mediocri diligentia diximus: restat vt Prouincialium explicationem subiungamus. Dicuntur Prouinciales, quod non in Vrbe, sed extra eam, in Prouinciis scilicet, potestatem habuerint, & exercuerint. Quid autem prouinciæ, quotuplices, & quomodo constitutæ fuerint, libro de Militia explicandum erit, Nos hoc capite de Proconsulibus dicemus, vbi primum consideranda venit ipsa appellatio. Plurimum enim de ea discrepant viri huius nostri sæculi doctissimi quomodo ea scribenda, & pronuncianda sit: Quidam volunt esse duo distincta vocabula, alterum præpositionem, alterum nomen, atque in singulari numero in omnibus casibus Pro consule, in plurali, Pro consulibus: alij contra cõtendunt esse vnum nomen compositum, & inflecti regulariter, Proconsul, Procõsulis, Proconsuli, &c. sicuti, Pronepos, Pronepotis, Pronepoti, &c. dicimus. Cuius sententiæ est Aldus Manutius iunior in Orthographia. Vide etiam Paulum Manutiũ Commentariis in primam epistolam Cic. ad Lentulum. Qui prioré sententiam ample-

amplectuntur, pro se adducunt Augustini & Ciceronis auctoritatem. Augustini hæc est: Ab E litera vocali, nullum Latinum nisi iuncta præpositione masculinum inuenitur, vt Proconsule, Proprætore. Ergo iuncta præpositione fiunt Latina, vt dixi, pro Prætore pro Quæstore. Nam veteres nominatiuo casu proconsul dicebant, attendentes, nullum nomen apud Latinos virilis generis in E exire. Hæc ille Apud Ciceronem autem extat testimonium, vbi L. Philippus dicit, se Cn. Pompeium pro consule, non pro Consulibus ad bellum Mithridaticum mittere: & alibi apud eundem Gellius proconsule vocatur. Ad quas auctoritates quid respondeat Aldus Manutius, videri potest. Legimus quidem etiam in Ciceronis Epistolis ad Familiareis, quas Dionysius Lambinus emendauit, sæpe M.T.C.P. Lentulo PRO CONSVLE. Sed de vocabulo non est tanti, rem ipsam videamus.

Proconsules quatuor modis dictos fuisse inuenimus. Primum eos, quibus vltra legitimum, & annuum tempus Magistratibus prorogatus fuit: deinde eos, qui ex priuatis in prouincias, vel ad gerendum bellum missi sunt: tum eos, qui ex Magistratu in prouincias sunt profecti: postremum qui constituta Monarchia à Senatu in prouincias eas, quæ populi fuerunt, missi sunt.

Ad primam huius vocis significationem quod attinet, primus eiusmodi Proconsul fuit Q. Publilius Philo, vt in Tabulis Capitolinis extat, & in Liuio lib. 8. cuius in historia Belli Palæpolitani hæc sunt: Itaque cum & Comitiorum dies instaret, & Publilium imminentem hostium muris auocari à spe capiendæ in dies vrbis haud è Republica esset, actum cum Tribunis est, ad populum ferrent, vt cum Publius Philo Consulatu abiisset, Proconsul rem gereret, quoad debellatum cum Græcis esset, &c. Vnde constat, Proconsules primo fuisse eos, quibus post Consulatum Magistratus prorogatus esset.

Alio modo Proconsules dicti, qui ex priuatis, nullo ante gesto Magistratu vrbano, ad bellum mittebantur, qualis fuit P. Cornelius Scipio, de quo Liuius lib. 26. Et hos quidem vere Magistratus fuisse aut dici potuisse, Sigonius negat. Nec etiam alius ante hunc Scipionem in Romana historia reperitur, priuato, quique antea nullum in Vrbe Magistratum gessisset, proconsulatus hoc modo fuerit concessus, id quod etiam Carolus Sigonius in posteriori cum Grucchio disputatione fatetur.

Tertio modo, Proconsules dicti fuerunt, qui proximo post Consulatum in Vrbe gestum anno, in prouincias Consulares profecti sunt, easque pro Cõsulibus gubernarunt. Fuit enim constitutum lege C. Sempronij Gracchi, atque postea vsque ad Augusti imperium obseruatum, vt antequam noui Consules atque Prætores designarentur, prouinciæ duæ Consulares & sex vel octo, vel plures Prætoriæ, prout numerus Prætorum postulabat, à Senatu futuris Consulibus, & Prætoribus decernerentur, quas illi designati sortirentur, vel inter se compararent, ita vt finito annuo Magistratu vrbano in eas proficiscerẽtur: Consules quidem in Consulares, vnde Proconsules, Prætores autem in Prætorias, vnde Proprætores appellabantur, vti ex multis scriptorum veterum locis manifestum est. Atque hæc tum ordinaria prouinciarum administratio fuit. Quòd si qui non proximo anno à Consulatu in Vrbe gesto, quemadmodum sæpe fiebat in quinto, vel sexto, vel alio post Consulatum anno in Prouincias proficerentur: si etiam Prætores non proximo à gesta in vrbe Prætura, sed aliquanto post in prouincias proficiscerentur, tum priuati in Prouincias ire dicebantur, ab ordinariis vero Proconsulibus, aut Proprætoribus nihil discrepabant. Antequam autem ad quartum ordinem Proconsulum accedamus, quædam de his qui ex Consulatu in prouincias sunt profecti, eorum creatione, vel electione, potestate, imperio, & aliis huc pertinentibus dicenda nobis sunt.

Ad creationem igitur eorum quod attinet, non eligebantur à populo, vel plebe Centuriatis, aut Tributis comitiis, vti de Q. Publilio Philone, & P. Scipione legimus: sed quando comitiis Centuriatis Consules in annum sequentem designati erant, tum alter Consulum qui Magistratum gerebat, ad Senatum de prouinciis referebat, quæ futuræ Consulares, quæ prætoriæ essent. Quod vbi constitutum esset, tum illæ, quæ Consulares erant, Consulibus designatis decernebantur, vt eas vel sortirentur, vel inter se compararent, vtram quisque ex Consulatu obtineret. Quo facto, Consulatus sui tempore quem Romæ gerebant, legem ad populum per curias congregatum ferebant de imperio militari, sine qua lege bellum gerere non poterant, tum Prouinciæ Senatusconsulto ornabantur. Pertinebant autem ad ornamenta illa, latitudo prouinciæ, magnitudo exercitus, stipendium in milites, viaticum in legatos, & cohortem, comitatus & cætera generis eiusdem: quæ quidem, quoniam non omnibus eadem amplitudine, numeróque concessa sunt, propterea, cum ea decernebat Senatus, tum prouincias aut præsides ipsos Prouinciarum ornare dicebatur. Ad viaticum pertinebat annulus aureus, qui, teste Zonara, Magistratibus peregrè proficiscentibus de publico dabatur, item vestes, vasa, vehicula, muli, tabernacula, & reliqua eius generis, quæ instrumenta locata fuisse, indicio est P. Ventidius, qui, vt Agellius lib. decimo quinto cap. 4. scribit, victum quæsiuit comparandis mulis, &

vehicula Magistratibus,qui sortiti Prouincias forent,præbenda publicè conduxi.Itaq; etiam Alex.Seuer.vt tradit Capitolinus, exempla veterum, argento & necessariis Magistratus quos in prouinciam mittebat,instruebat,ita vt Præsides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena,phialas senas, mulos binos, equos binos,vestes forenses binas, domesticas singulas, aureos centenos,Cocos singulos.Quanquam ex verbis Appij apud Ciceronem li.1.ad familiares coniici possit,extremis Reipublicæ temporibus eos,qui legem Curiatam non habuissent,rem militarem quidem attingere potuisse, viatico autem publico fraudatos fuisse, atque ita suo sumptu in prouincias iuisse.

Comitatus complectebatur adiutores,ministros,comitésque eorum omnes,quos cùm vsus ratióque prouinciæ,tum dignitas ipsa Magistratuum ac Reipublicæ postulauit. Fuerunt autem legati,Tribuni militum,Centuriones,Præfecti,Decuriones,aliique militarium operum, rationúmque adiutores,atque ministri.Præterea verò Scribæ,Accensi, Præcones, lictores,interpretes,tabellarij,Aruspices,Cubicularij,medici,& qui quotidianæ vitæ propè socij fuerunt, quæ cohors Prætoria,& quasi Prætoria dicta est. Inter quos referendi contubernales quoque sunt,qui erant adolescentes, rei militaris percipiendæ, & prouinciæ cognoscendæ gratia Magistratus in prouinciam sequuti.Ideoque familiariter cum iis vixerunt,neque ab eorum lateribus discesserunt,teste Cicerone.Atque hac quidem ratione Proconsules prouincias obtinebant,atque ornabantur,Quomodo autem in eas sint profecti, & quod ipsorum munus atque officium in prouinciæ administratione fuerit,iam explicabimus.

Vbi prouinciam Senatusconsulto atque in ea Imperium Proconsules obtinuerant,tum verò extremo Consulatus anno,aut sua sponte,aut Senatusconsulto Paludati exibant.Verum antequam id facerent,in Capitolium venientes, ibi solemnia pro Republica vota nuncupabant, atque inde Paludamento,lictoribus duodecim,cum totidem securibus ac fascibus,insignibúsque cæteris imperii assumptis, recta ad portam Vrbis ibant,ad quam veteri instituto salutati, inde aut continuo,amicis officij causa aliquanto viæ spatio prosequentibus,ac bene ominantibus in Prouinciam iter ingrediebantur: aut si quid negotii in Vrbe haberent,ad Vrbem per aliquot dies,aut menses manebant, quod cum imperio in Vrbe esse non possent. Hoc tamen etiam sciendum,vt Senatusconsulto exire Consules iussi sunt,sic,ne irent, Tribunorum plebis edicto aut Dirarum obnunciatione prohibere potuisse: itaque M.Crassus cum P. Atteio primum edicenti,deinde obnuncianti non paruisset,ipse post, ac filius cum Parthis dimicans iustas dedisse pœnas existimatus est.

Verum vbi iter in prouinciam iam erant ingressi,moris fuit,vt Proconsules eos,quibus succedebant,de aduentu suo facerent certiores:scilicet,vt cum iis congredientes,de statu cognoscere prouinciæ possent:quo vero die in prouinciam accedebant,eodem prouincialis muneris initium capiebant. Erat autem id in duas partes distributum, in potestatem & imperium. Potestas fuit facultas cognoscendi,imperium exercitui imperandi,bellumque gerendi:quorũ alterum pacis,alterum belli temporibus congruit.Æstatem fere rei militari,Hyemem Prætoriæ cognitioni quæ in iurisdictione potissimum est versata,ducebant. Iurisdictionem autem, (de imperio enim militari alibi dicam)ita instituebant,vt aut intra Prætorium,& in cubiculo querelas prouincialium audirent, ministrante atque admittente cubiculario. Quæque ibi transigebantur,ea fere per diplomata annulo obsignata perficiebantur: aut in Basilica,atque in Tribunali,scribis, Accensis, Præconibus & lictoribus apparentibus,ius dicerent. Hoc vt commode facere possent,institutum erat,vt Proconsul,posteaquam in prouinciam venerat,in aliquã ciuitatem,vel in plures ex iis,in quibus conuentus agi solebat, conuentum siue forum in certam diem edicto indiceret, eoque Prouinciales homines euocaret,atque ita aut vno in oppido plures conuentus,aut in singulis singulos ageret,atque omnes percurreret. Ius verò reddebat, & iudicium dabat vel ex legibus, quas aut Imperator ab initio ex decem Legatorum sententia prouinciæ dederat,aut postea è re nata Consules,aut Tribuni plebis tulerant, quo etiam Senatusconsulta pertinent: vel ex edictis quæ ipsi in prouincia ingressi singulis de rebus diligenter scripta proposuerant: quæ si ex Vrbanis aut Prouincialibus edictis sumpsissent,translatitia:sin minus,noua dicebantur. Tota autem Iudiciorum forma eadem erat in Prouinciis, quæ erat Romæ,vnde ex libro de Iudiciis intelligi facile poterit. Et priuatarum quidem causarum cognitionem nonnunquam Vicariis quibusdam,puta Legatis suis,Quæstoribus vel aliis, delegabant. Publicarum autem causarum siue quæstionum exercitationem mandare aliis non poterant,nisi forte lege, quæ de quæstione illa scripta esset, nominatim cautum esset,vt is,cui exercitatio eius quæstionis obtigisset,posset eam alii mandare.

Præter iurisdictionem habebant etiam curationem,quæ consistebat in cæteris rebus curãdis,atque prouinciæ imperandis,vt in re frumentaria,tributaria,vectigali,& Viaria: quæ omnia per edicta sua administrabant.Frumentum aliud vendebant, aliud emebant,aliud in cellã

suam

suam æstimabant, aliud imperabant, aliud honoris causa accipiebant: quod frumentum honorarium, sicut etiam vinum, quod honoris causa accipiebant, vinum honorarium dicebatur. Extra ordinem autem interdum vectigalia noua instituebant, ac tributa imperabant, verùm non sine crimine. Sæpe etiam naues, nautas, milites'que prouinciæ ciuitatibus ex fœdere imperasse eos, sumptum autem ex ordine nauarcho à sua quaque ciuitate suppeditatum fuisse Cicero alicubi docet. Sed tamen, vt Præsides multi libidine atque auaritia obcœcati, noua vectigalia, ac noua tributa prouinciis imposuerunt, aliaque ad perniciem earum plurima imperarunt: sic nonnulli tanta caritate, atque abstinentia fuerunt, vt non solum publica vectigalia sustulerint, sed etiam prætorium ipsum vectigal, in quo præcipuè Cicero gloriatur, remiserint, neque vlli alii rei, quam commodis, ornamentisque sociorum studuerunt. Vnde honores summos ab ipsa prouincia retulerunt, legationes Romam honoris sui causa missas, statuas, fana, dies festos, cuiusmodi se affici ornamentis ipse in Cilicia Cicero prohibuit.

Cæterum, quomodo etiam de prouincia decesserint Proconsules aperiendum est: qua de re hæc à veteribus scriptoribus traduntur. Annuo prouincialis Imperij numere terminato, Proconsul successorem, si mature venturus erat, in prouincia expectabat, atque ei aduenienti obuiam prodibat, ac præsenti præsens prouinciam, atque exercitum tradebat, deinde intra triginta dies (tot enim lex Cornelia Syllæ dedit) decedebat: verum interea nihil in prouincia, quod ad administrationem attineret, attingebat. Quod si decessor ante successoris aduentum decessisset, tum vero aliquem, qui prouinciæ præesset, vt quæstorem, aut legatum cum imperio est relinquere coactus. Constituto successore, aut imperii Vicario, Romam decedebat, si ante quod C. Iulius Cæsar in primo Consulatu sanciuit, rationes pecuniæ confectas apud duas prouinciæ ciuitates reliquisset, quibus rebus peractis, è prouincia decessit, ac Romam venit, & nisi triumphum petere in animo habuisset, lictoribus dimissis, & paludamento deposito, Vrbe priuatus ingressus est. Sin autem de triumpho postulando cogitaret, aliquandiu ad Vrbem manebat, & lictores fascésque laureatos quandiu triumphasset, habebat, ac Senatu in ædem Bellonæ euocato, res à se gestas exponebat, ac triumphum petebat. Vbi vero, siue triumphans, siue priuatus Vrbem introïisset, tum alio die rationes referre ad ærarium cogebatur, nec multo post Centuriones, cæterosque prouincialis curæ socios ad ærarium in beneficijs, si liberet, deferebat. Ac ante legem quidem Iuliam liberior referendi ratio fuit. Lege autem Iulia cautum est, vt rationes, quas in prouincia apud duas ciuitates reliquissent, eas statim atque Vrbem iniissent, ad ærarium totidem verbis referrent; atque triginta diebus, quibus rationem retulissent, comites in beneficiis deferrent: quod tamen non Proconsulum proprium, sed Questorum commune fuit, quemadmodum ex Ciceronis scriptis intelligitur.

Verum quemadmodum Proconsulibus, qui se optime gessissent, magni, & in prouincia, & in Vrbe honores habebantur: sic contra, si quid deliquissent, atque à legibus recessissent, multis iudiciorum laqueis irretiti sunt. In primis autem tribus obnoxii legibus ac quæstionibus fuerunt, peculatus, maiestatis, & repetundarum. Peculatus, si prædam aut pecuniam publicam auertissent, quo iudicio etiam Quæstores, Legati, & Scribæ eorum obstricti fuerunt: Maiestatis, si aut exercitum aut prouinciam hosti prodidissent, aut vltro exercitum è prouincia eduxissent, aut bellum sine S.C. intulissent: Repetundarum, si se in socios, aut auare, aut superbe, aut libidinose, aut crudeliter, aut iniuste gessissent. Quæ & maxime socialis fuit, & prouinciarum salutem continuit, quo iudicio postulati plurimi, damnati multi, nonnulli etiam absoluti sunt: de quibus alio libro disputabimus. Atque hæc quidem de iis Proconsulibus, qui libera adhuc Republica prouincias gubernarunt, dicta sint, restat vt de his qui constituta Monarchia prouinciis præfuerunt, quædam addam.

Octauius Augustus, cum Senatus ac populi Romani voluntate compelleretur, vt solus Rempub. regeret, prouinciarum administrationem aliam à priori instituit. Alias enim sibi reseruauit, eas scilicet, quæ potentiores erant, & plus periculi ostendebant: ac vel hostes accolas habebant, vel nouos per se ipsæ aliquos motus turbare poterant. Quæ autem infirmiores, & pacatiores erant, populo attribuit, vt in eas, quos vellent, mitterent, eosque qui ipsis præessent, Proconsules appellauit: de quorum potestate quid Dio lib. 53. scribat audiamus: Annuas, inquit Dio, eorum præfecturas Augustus esse iussit, nisi quis multitudinis liberorum, aut nuptiarum ratione priuilegium haberet vtque de communi Senatus consilio mitterentur neque gladio accincti, neque militari habitu vtentes. Proconsules autem eos dici voluit, non modo duos istos Consulares, sed tel quos etiam Prætorios aut qui Prætoriorum loco haberentur, vtque lictores vtrique tot, quot in vrbe permissum est legibus habere, adessent, vt imperij insignia statim atque extra pomerium essent, adsumerent; & vsque ad reditum in Vrbem ea seruarent. Et post, Senatus autem, & eorum quidem Consularibus Africam atque Asiam concessit, & Prætoriis reliquas prouincias adscripsit. Vtrisque autem ex æquo interdixit, ne ante quintum

annum à gusto in vrbe Magistratu prouincias sortirentur: ita fiebat, vt etsi eorum numerus quàm prouinciarum erat maior, tamen ad omnes tandem imperium perueniret. Post Cæsaris autem Octauiani tempora, cum nonnulli eorum male gessissent Magistratum suum, Imperatori istæ quoque prouinciæ adiectæ sunt, ac sic his etiam ipsis quodammodo ii prouincias assignabat. Cæterum & Legatos, seu assessores quosdam sibi adsciscebant, quorum consilio in administratione prouinciæ vterentur, vnicum quidem Prætorius, ex sui, aut inferioris ordinis hominibus, tres autem Consularis, ex eiusdem dignitatis viris accipiebat, eos, qui ipsi Imperatori probarentur. Erat etiam hoc generaliter de omnium prouinciarum potestate constitutum, ne quem delectum militum agerent, ne pecuniam, præter eam quæ constituta erat, exigerent, Senatus Imperatorisve iniussu: cum successor missus esset, is vt statim ex prouincia abiret, ac ne in redeundo domum tempus tereret, sed intra tertium mensem Romam reuerteretur. Hæc Dio. Plura de iis traduntur à Iurisconsultis, titulo de Proconsulis officio, qui proprie huc pertinet.

Capvt XLIII.

De Prætoribus prouincialibus, & Proprætoribus.

Initio prouinciis præfecti sunt Prætores, vt & ius prouincialibus dicerent, & si res cogeret, bellum administrarent. Itaque Prætorum numerus ob id creuit, quia prouinciarum numerus creuit. Cum enim duo Romæ Prætores essent, vnus, qui inter ciues, alter, qui inter peregrinos ius diceret, ac prouinciæ duæ, Sicilia atque Sardinia essent institutæ, visum est faciendum, vt Prætores alii in eas duo adiicerentur. Inde duabus ad Imperium adiunctis Hispaniis, totidem alii accesserunt, qui quaterni quaternas in singulos annos prouincias gubernarent. Quoniam autem in ipsis prouinciis sæpe tumultus ac bella grauiora excitabantur, quæ bella iam inde ab initio geri per Consules erant solita, hinc etiam prouinciæ Consulibus ordine sunt commissæ. Et sic duo potissimum ordinarij fuerunt prouinciarum Rectores: Prætores qui in Prætura, & Consules, qui grauiore vrgente bello, in Consulatu prouinciis præfuerunt. Prætores igitur prouinciales, sicut & reliqui, creati sunt comitiis Centuriatis, quibus, vbi erant designati, decretæ à Senatu prouinciæ, quas sortirentur. Insignia fuerunt eadem, quæ Prætorum Vrbanorum, lictores videlicet sex, totidem fasces, atque secures, vnde ab Appiano ἑξαπέλεκυς id est, sex securium appellantur. Tempus ordinarium, quo Prouincias tenuerunt, fuit annuum. Si vero prorogato post Præturam imperio in prouinciis remansissent, Proprætores sunt appellati. Atque hoc quidem vltra annum Vrbis DC. sic est obseruatum. Postea vero, cum L. Calpurnius Piso Tribunus plebis, L. Marcio Censorino, M. Manilio Coss. anno ipso DCIV. teste in Bruto Cicerone, primus de quæstione perpetua repetundarum tulisset, id est, vt ex Prætoribus iis, qui prouincias sortiri soliti erant, vnus Prouinciæ loco, quæstionem repetundarum sortiretur, eique per annum in Vrbe præesset: & cum idem postea etiam in aliis quæstionibus ac Prætoribus, alij alia lege sanxissent, initium introductũ est, vt Prætores, qui quotannis adhuc seni tantum creabantur, iurisdictiones duas, quæstiones quatuor, aut plures ex legibus, quæ de quaque quæstione latæ erant, in sortem conjicerent, easque per annum in vrbe exercerent: extremo autem anno, ex Senatusconsulto prouincias in posterum sortirentur, & inde Proprætores appellari cœpti sunt.

Cæterum ad ipsam appellationem quod attinet, vtrum Proprætor, an Proprætore dicendum sit, ea hic repetantur, quæ de Proconsulibus monuimus. Non autem vno modo Proprætores dicti sunt. Primum enim Prætores prouinciales, qui imperio prorogato in prouinciis vltra legitimum tempus manserunt, Proprætores sunt appellati: tum etiam illi, qui ex priuatis ad bellum gerendum, non autem ad gubernandum prouinciam, missi sunt, vt C. Octauius. Et hi proprie Magistratus non fuerunt. Tertio Proprætores dicti, qui Prætura in Vrbe gesta, sub finem anni in prouincias profecti, eis præfuerunt: hi ordinarii Magistratus prouinciales fuerunt; quorum imperium & potestas eadem fuit, quæ Proconsulum, nisi quod sex tantum lictoribus, totidem fascibus, & securibus vsi fuerunt, & quod prouincias minores obtinuerunt. Cætera, quæ capite proxime præcedenti, ex Proconsulum in prouincias profectione, & comitatu diximus, item de imperio, iurisdictione, curatione, & decessione, illa omnia etiam ad Proprætores pertinent. Quarto Proprætores etiam dicti sunt illi, quos C. Octauius Augustus, & post eum reliqui Imperatores in eas prouincias, quas sibi reseruabant, miserunt. Et hi maiorem

iorem,quam Proconsules,qui prouinciis populi præficiebantur,habebat potestatem:de quibus Dio libr.53. in hunc modum scribit, de Augusto verba faciens: Qui neque Consulares, neque Prætorii erant,ipse (Augustus scilicet) delegit ac legatos suos & Proprætores nominauit.Nam cum hæc omnia diu admodum in priori Reipublicæ forma floruissent,Prætores, inquam,& Consules:Prætoris nomine,vt bellis maxime ab antiquis temporibus conueniens, à se delectos insigniuit,Proprætores eos nuncupans:Consulum appellatione reliquos,vt paci propinquiores effecit,Proconsules dicens.Hæc nomina in Italia Cæsar reseruauit:qui extra Italiam imperarent,quasi eorum locum tenentes, Præfectos appellauit. A se porro designatis,præter nomen Proprætorum hoc etiam tribuit, vt plus quam annum essent cum imperio, quatenus videlicet ipse statuisset, vt militarem habitum gestarent, gladiumque, & ius capite plectendi militis haberent. Omnes autem Proprætores,ac qui non sunt pro consulibus,sex vtuntur lictoribus, noménque inde apud Græcos habent ἑξαπέλεκυς. Vtrique autem imperij,insignia statim atque venerint in prouinciam ipsis destinatam, accipiunt, perfunctique eo statim deponunt.Hæc ille Qui etiam paulo post addit,Proprætores, cum vrbanis legionibus,pluribus instructis Præfectis in prouincias à Cæsare missos,additosque eis curatores,qui publicos reditus colligerent,& certas impensas facerent.Quin etiam de ipsis constitutum ait,ne quem delectum militum agerent,ne pecuniam præter eam,quæ constituta erat, exigerent, Imperatoris iniussu,cui successor missus esset, is statim ex prouincia abiret, ac ne in redeundo tempus tereret, sed intra tertium mensem Romam reuerteretur. Plura de his Proprætoribus habentur in Pandectis titulo de officio Præsidis,quæ inde petantur.

Caput XLIV.

De legatis Proconsulum,& Proprætorum.

Inter Comites Proconsulum & Proprætorum primum locum obtinuerunt Legati, de quibus hoc capite agemus , reliquos ad alium , & commodiorem locum differentes. Legati,inquit Varro libro 4.de lingua Latina dicuntur, qui lecti publicè, quorum opera consilióque vteretur peregre Magistratus, quiue nuncij Senatus,aut populi essent. Quibus ex verbis intelligeretur, duplices fuisse apud Romanos Legatos:alios,qui Præsidibus,Proconsulibus scilicet, & Proprætoribus operam quacunque ratione nauarunt.Sunt autem & aliæ Legati significationes, verum de ea tantum dicemus, cuius priori loco Varro meminit. Illi igitur Legati, qui Proconsules, Proprætoresque in prouincias euntes comitabantur,aut à Senatu iis dabantur,aut permissu Senatus ab ipsis Præsidibus adsciscebantur,aut lege aliqua extra ordinem deligebantur,Cicerone teste.Numerus Legatorum prouinciarum Rectoribus assignatorum,qui minimus,fuit trium.Nec vero dubium est,quin in eo sit habita ratio Prætorii gradus & Consularis,& prouinciæ,& belli, ipsius denique hominis.Vnde legimus nonnullis Legatorum numerum auctum esse. Obseruatum & hoc est,vt Legatos libenter sibi quisque legaret,qui rei militaris periti essent,quique ipsi prouinciis alias cum imperio præfuissent.Itaque Consulares Consulibus , Prætorij Prætoribus Legatos se poscentibus adiunxerunt, & frater fratrem, filius patrem sibi legauit. Cæterum, quod ad munus ipsorum attinet, Vicarij quidam erant Proconsulum , ad molem rerum prouincialium sustinendam,vnde etiam ipsi lictoribus ac fascibus vtebantur. Ad iurisdictionem autem quod attinet,priuatarum tantum causarum cognitionem habebant, in quibus nō sua, sed mandata vtebantur auctoritate:& si quid occurreret,quod maiorem diligentiam expostularet,id ad Procōsulem remittebant.Publicarum autem quæstionum cognitio & exercitatio iis à Procoss.mandari non poterat,nisi in lege istius quæstionis nominatim scriptum esset.Ius nullum habebant animaduertendi in caput cuiusquam nec atrociter verberandi,Id enim Proconsulis erat. Si tamen contigisset Proconsulem abesse à prouincia, tum Legatis committebantur,quæ animaduersionem postulabant.Sed & hoc notandum,si Proconsules aut Proprætores ante successoris aduentum, de prouincia decederent , eos Legatos vel Quæstores interim prouinciis præfecisse,qui & ipsi tum Proconsules aut Proprætores appellabantur.

De Legatis decem,quorum consilio & ope Duces exercituum vtebantur,in prouinciis cōstituendis,alio loco dicam. Illud hoc loco,antequam ad alia progrediar, admonendum videtur,quod de legatione libera interdum legitur,moris fuisse,vt Senatores Romani,quibus priuata negotia in prouinciis erant veluti hæreditates,aut legata persequendi, vel nomina exigendi,honorario titulo liberæ legationis à Senatu donarentur,vt ita sub Legatorum personis commendabiliores controuersias haberent,atque fauorabiliores.Qui etiam voti soluendi,& periculi vitandi causa eas legationes sæpe impetrabant,& lictores à Prouincialibus Magistra-

tibus cæterorumque Legatorum insignia accipiebant. Cicero autem libr. 3. de Legibus, in suo consulatu omnino extinguere & tollere eiusmodi legationes voluit, vnde etiam inter alias suas leges hanc ponit: Rei suę ergo ne quis Legatus esto. Sed intercessit Liuius Tribunus plebis, &c. Et hæc de Legatis.

Capvt XLV.

De Quæstoribus Prouincialibus & Proquæstoribus.

Qvæstorvm tria genera fuisse supra diximus: Alij enim Quæstores ærarij, vel vrbani: alij Quæstores parricidij, vel rerum capitalium erant: alij Quæstores Prouinciales, de quibus hoc capite dicemus, eo ordine, vt primum, qui Quæstores Prouinciales fuerint, quomodo creati sint, & Prouincias obtinuerint, tum quam potestatem habuerint, ostendamus. Quæstores Prouinciales erant, qui vnà cum Proconsulibus, aut Proprætoribus in Prouincias exibant. In singulas enim prouincias singuli Quæstores mittebantur, præterquam in Siciliam: quæ cum duplex fuisset, Prouincia vetus & noua, duos etiam habuit Quæstores, vnum qui Lilybæi, alterum qui Syracusis curabat. Legebantur autem eodem modo, quo Prætores Prouinciales. Nam cum legitimus Quæstorum numerus in annum populi suffragiis esset creatus, iubebat Senatus vt prouincias in sortem conijcerent: Prouinciæ verò duæ erant vrbanæ, eorum, qui ærario populi Romani præessent: reliquę fere prouinciales, eorum, qui cum consulibus, aut cum Prætoribus in prouincias irent. Quemadmodum autem Præsides non semper prouincias ex Senatusconsulto & sorte, sed aliquando lege obtinuerunt: sic etiam Quæstores non semper ex S. C. eas sortiti, sed aut SC. aut lege aliqua extra ordinem nominatim adepti sunt, cuius rei exempla non pauca apud Liuium & Ciceronem extant.

Ministris Quæstores vsi sunt, Scribis & lictoribus: Scribis ad conficiendas tabulas publicas, Lictoribus ad maiestatem Magistratus tuendam. Nec vero semper Quæstor cum suo Præside in prouinciam proficiscebatur: verum sæpe, aut multo ante, aut multo post eum in prouinciam veniebat: vnde fiebat, vt non idem semper Quæstorij muneris ineundi dies fuerit, qui Prætorij: quod vbi euenit, simul illud etiam contingere potuit, vt duos Quæstores Præses vnus eodem anno habuerit, Cicerone teste.

Potestas horum erat, publicam pecuniam, quam ex ærario, à Tribunis ærarij accipiebant, quæque attributa pecunia dicebatur, curare, & inde stipendia, & viaticum Legatis, cohorti Prætoriæ, & exercitui suppeditare: tum etiam vectigalem pecuniam ex re frumentaria, & ex portoriis, cæterisque quæ Publicani exercent, vectigalibus exigere, & Romam in ærarium referre. Nonnunquam etiam Proprætores Quæstoribus iurisdictionem, imperiúmque suum mandarunt, & totius rei frumentariæ administrationem commiserunt. Quòd si Quæstores à Proprætoribus vel Proconsulibus, ante successorum aduentum de prouincia decedentibus, prouinciæ præponerentur, tum & ipsi Proconsulis aut Proprætoris nomen ferebant, prout huius, vel illius vices sustinebant. Si verò Quæstores non expectato successore de prouincia decederent, non erat eorum suæ prouinciæ aliquem præficere: sed eius, penes quem summum erat prouinciæ imperium, Proconsulis aut Proprætoris.

Cæterum quanta intercesserit necessitudo Quæstori cum Præside suo, docet Cicero cùm sæpe alias, tum verò in Diuinatione in Verrem his verbis: Sic à maioribus accepimus, Prætorem Quæstori suo parentis loco esse oportere, nullam neque iustiorem neque grauiorem caussam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem sortis, quam prouinciæ, quam officij, quam publici muneris societatem. Idem alibi dicit, maiores hanc Quæsturæ coniunctionem liberorum necessitudini proximam esse voluisse. Inter vrbanos, & prouinciales Quæstores hanc differentiam notat Hotomanus, primum quod illi neque lictores, neque viatores habuerint, cum neque vocationem neque prehensionem haberent: hi verò & lictores, & togam prętextam habuerint. Deinde quod vrbani ius non dixerint: prouinciales autem iure dicundo conuentus circumiuerint, vt Scribit Suetonius, & quæcunque commissa populo Romano essent, exquisiuerint, déque iis iudices ac recuperatores dederint, quemadmodum vidimus in Diuinatione Q. Cæcilium Verris Quæstorem in Agonidem iudicium dedisse.

Porrò ad Proquæstores quod attinet, nam & de his me dicturum aliquid promisi, sic appellati fuerij, qui mortuo Quæstore Præsidi ipsi Quæstoris loco esse cœperunt, item qui, Quæstore, non expectato successore, decedente prouinciæ ipsius interea præfecti sunt. Hi verò prouinciam suam non à Senatu, aut populo, vti Quæstores, verum ab ipso Proprætore, vel Proconsule acceperunt, ideoq; inferiori gradu fuerunt. Legimus etiam præsentibus nonnunquam Quæstoribus, tamen etiam Proquæstores fuisse, sed rarò.

Caput XLVI.

De Præfecto Ægypti, Præfectis Præfecturarum, Consularibus quatuor, qui per Italiam ius dicerent, & Iuridicis Italiæ.

PRAEFECTI vocabulum late patet. Nam & in re militari magnus eius vsus est, & in hoc de Prouincialibus Magistratibus loco varie vsurpatur. Scribit enim Dio, Octauium Augustum eos omnes, quos Prouinciis extra Italiam sitis præposuisset, Præfectos appellasse. Verum cum eorum eadem quæ Proprætorum in Cæsaris Prouincias missorum ratio fuerit, nihil de iis hic dicam, sed tantum de Præfecto Ægypti, pauca monebo. Præfectus Ægypti, qui & Augustalis dictus est, ab Augusto primum fuit institutus, & Ægypto, quam Antonio & Cleopatra victis in prouinciæ formam redegerat, præpositus. Diuersus fuit à reliquarum prouinciarum Rectoribus, quod non Senatorii, vt illi, sed Equestris ordinis fuerit. Senatoribus enim eam prouinciam Augustus committere, vt Dio lib. 51. docet, noluit, veritus, ne si violentiores Senatores Præsides nacta esset, occasionem rerum nouandarum afferret. Quin etiam, vt idem ait, proficiscendi in Ægyptum potestatem, nisi ipse nominatim alicui permisisset, omnibus ademit. Primus, qui ei præfuit sub Præfecti nomine Cornelius Gallus fuit, à quo deinceps omnes, qui eam prouinciam administrarunt, Præfecti sunt appellati. Meminit eorum Vlpianus ff. titulo de Præfecto Augustali, his verbis: Præfectus Ægypti non prius deponit Præfecturam, & imperium, quod ad similitudinem Proconsulis lege facta sub Augusto ei datum est, quam Alexandriam ingressus sit successor eius: licet in prouinciam venerit, & ita in mandatis eius continetur, &c. Reliqua ferè omnia cum Proconsulibus, vel Proprætoribus communia habuit.

Præfecti Præfecturarum dicebantur ii, qui Præfecturis præerant, & in iis ius dicebant: propriè quidem prouinciales Magistratus non erant. Præfecturæ enim, vti Festus docet, in Italia appellabant illas vrbes, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum Respublica: neque tamen Magistratus suos habebant, in quas legibus Præfecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent. Quarum genera duo fuere: alterum, in quas solebant ire Præfecti, populi suffragio creati, alterum, in quas Prætor vrbanus quotannis Præfectos mittebat. Sed de Præfecturis, alio loco plura dicemus.

Consulares quatuor, qui per Italiam ius dicerent ab Imperatore Adriano instituti sunt. Cum enim is Italiam in quatuor regiones distribuisset, in singulas Præfectos misit, potestate fere Proconsulari, qui, quod prius Romæ Consulatum gessissent, Consulares dicti. Ælius Spartianus in Adriano: Quatuor Consulares per omnem Italiam iudices constituit. Iulius Capitolinus de M. Antonio Pio: Ab Adriano inter quatuor Consulares, quibus Italia committebatur, electus est ad eam partem Italiæ regendam, in qua plurimum possidebat. Ex quibus constat, Consulares hos tantum iudicium habuisse, hoc est, iudicandis Italorum controuersiis occupatos fuisse, rem vero militarem non attigisse. Neque diu post Adrianum hæc ordinatio mansit, id quod testatur Appianus lib. 1. de bellis ciuilibus, cum in historia belli Marsici sic scribit: Apparet tunc quoque regiones Italiæ distributas fuisse Proconsulibus, quem morem imitatus Adrianus Imperator, renouauit post ætates aliquot, non diu duraturum post eius obitum. Hæc ille. In horum Consularium locum Iuridicos Italiæ præposuit M. Anton. Philos. testante Iul. Capit. his verbis: Datis Iuridicis Italiæ consuluit, ad id exemplum, quo Adrian. Consulares viros reddere iura præceperat. Plura de iis non memini me legere.

Caput XLVII.

De Triumuiris, Quinqueuiris, Septemuiris, ac Decemuiris Coloniæ deducendæ. De Quinqueuiris, Septemuiris, Vigintiuiris agris dandis, attribuendis. De Quinqueuiris, Quindecimuiris agrorum metiendorum.

DE Coloniis, earum diuisione, iure, & deductione libro vltimo dicendum nobis erit, ideoque hic breuiores erimus. Appianus libro primo bellorum ciuilium scribit, morem Romanis fuisse, nunc hos, nunc illos Italiæ populos subiugando parte agri mulctare, in eumque colonias deducere: aut in iam ante condita oppida nouos colonos sui generis adscribere. Hæ Coloniæ tanquam præsidia partis bello prouinciis imponebantur: in quibus quantum erat culti agri Coloniis diuidebatur.

quod verò incultum supererat, vt ferè bellum sequi solet vastitas, quia sub sortem mittere non vacabat, per præconem inuitatis assignabant, quibuscunque liberet colere, excepta sibi tributi nomine in singulos annos ex arbustis prouentus parte quinta, frugum verò decima. Quia & gregibus vectigal indictum erat, tam minoris, quam maioris pecoris. ita prospiciebatur frequentiæ generis Italici, quod laboris patientissimum est habitum, ne carerent auxiliis domesticis. Hactenus Appianus: ex quibus intelligere licet, qua occasione Coloniæ fuerint deduci cœptæ. Cum igitur aut lege aliqua à plebe scitum, aut Senatusconsulto decretum esset, Coloniam aliquam deduci, & numerus colonorum scriptus esset, creabantur comitiis Tributis, vt libro superiore ostendimus, modò per Consulem, modò per Prætorem vrbanum, Curatores qui Coloniam deducerent, interdum tres, interdum quinque, septem, decem, viginti etiam, qui inde Triumuiri, vel Quinqueuiri, vel Septemuiri, vel Decemuiri, vel Vigintiuiri Coloniæ deducendæ, aut agris dandis, attribuendisve appellabatur. Hi postquã creati erant, Colonos, qui vel sua sponte nomina dederãt, vel sorte exierãt, in agros lege definitos, atq; in Coloniam sub vexillo, quasi exercitum aliquẽ deducebant. Dux autem deductionis aliquis è Curatoribus agrariis erat. Appianus, Plutarchus, Cicero. Signa cohortiũ in antiquis nũmis, quibus Coloniæ alicuius deductio significatur, impressa adhuc etiam cernere possumus. Vbi verò colonos in agris, quo deducendi erant, collocârant, tum aratro vrbem, & agrum circũscribebant, testibus Varrone, Dionysio, Plutarcho, & Cicerone, ac aliis: nummis etiam antiquis in quibus aratro deductio Coloniæ demonstrabatur, quales in Fastis, Iulio & Augusto Huberti Goltzij multi cernuntur, in quibus etiam hi, quorum primus repræsentat nobis vexillũ, aqui-

lam, & signum cohortis, secundus item vexillum, aquilam, aratrum, decempedam, siue perticam agri mensoriam, tertius sacerdotem agentem iugum boum, & sulcum aratro ducentem, vrbe, agróque, quomodo dixi, circumscripto: tum verò agri diuisionem, ac suæ cuique partis assignationem sunt aggressi: vnde agros coloniarum diuisos, & assignatos dici notauit Frontinus. Quod munus difficillimum, ac molestiæ sæpe plenissimum videtur fuisse, propter odium colonorum in quod illi facilè poterant assignationis eius causâ incurrere. Atque hæc omnia fiebant auspicatò: qua de causâ Curatoribus illis pullarius dabatur, qui cum ipsis proficisceretur. Tantùm de illis. Sequuntur ministri Magistratuum Romanorum.

CAPVT XLVIII.

De Scribis, Apparitoribus, Accensis, Interpretibus, Præconibus, Lictoribus, Prætoribus, Viatoribus, & Carnificibus.

A Magistratuum explicatione ad ministros transibimus. Fuerunt autem ministri magistratuum Scribæ, Apparitores, Accensi, Interpretes, Præcones, Lictores, Carnifices.

Scribæ, vti Festus docet, fuerũt librarij, qui rationes publicas scribebãt in tabulis. Apparuerũt autẽ singulis Magistratibus eo nomine, vt rationes publicas in tabulas referrẽt, & leges, actaq; omnia perscriberent: vnde dixit Cic. in 5. Verrina: Scribarũ ordinẽ esse honestum, quòd eorum hominũ fidei tabulæ publicæ, periculoq; magistratuũ committantur. Leges quodãmodo in manibus Scribas habuisse, & Magistratibus ius suggessisse, ostendit idem, cùm in tertio de Legibus extremo scribit: Animaduerto quosque in Magistratibus igne-

ignoratione iuris sui tantùm sapere, quantum apparitores velint, quod ipsum de Scribis esse dictum docet Plutarchus, vbi Scribarum arrogantiam à M. Catone minore fractam, ac repressam esse narrat, in hæc verba. Cato cùm Quæsturam iniisset, ministros, & Scribas coercuit, qui publicas tabulas, legésque tractantes, cum adolescentes nacti essent, quibus Magistratibus apparerent, quòd ij propter inscientiam magistris egerent, potestate non cedebant, sed ipsi erant Magistratus. Eos verò Cato Apparitorum loco, vt erant, tractauit, cùm alios fraudis, alios inscientiæ insimularet: cúmque illi auxilio collegarum Catonis vsi restitissent, Cato primum eorum damnatum de fraudata hæreditate ab ærario expulit, alterum verò de inertia postulauit: qui cùm gratia Catuli Censoris fultus euasisset, eo nunquam vsus est Cato. Addo illud. Scribas fere à Quæstoribus mercedem apparitionis accipere solitos, id quod ex fragmento veteris huius tabulæ intelligitur.

Q. VRB. QVEI. ÆRARIVM. PROVINCIAM OBTINENT EAM MERCEDEM DEFERTO QVÆSTORQVE QVAEI ÆRARIVM PROVINCIAM

OBTINEBIT EAM PECVNIAM EI SCRIBAE SCRIBEISQVE HAEREDIVE.

EIVS SOLVITO IDQVE EI SINE FRAVDE SVA FACERE LICETO QVOD.

SINE MALO PECVLATV FIAT OLLEISQVE HOMINIBVS EAM PECVNIAM CAPERE LICETO.

Omnium autem, vt scribit Festus minimæ dignitatis fuit Scriba naualis, quod periculis quoque eius ministerium esset obiectum. Cùm ergo multi essent Scribæ in ciuitate, factum est, vt in decurias multas sint translati, Quæstoriorum, Ædilitiorum, Prætoriorum prout à Quæstoribus, Ædilibus, Prætoribus essent lecti. Nam hoc ius eorum Magistratuum fuisse, non obscure innuit Cicero pro Cluentio cum scribit: Nuper hominem tenuem Scribam Ædilitium D. Matrinium cum defendissem, apud M. Iunium, Q. Publicium Prætores & M. Plætorium, C. Flaminium AEdiles curules: persuasi, vt Scribam iurati legerent eum, quem iidem illi censores ærarium reliquissent. Et liuius libro 40. Q. Petilius Prætor vrbanus eos libros à L. Petilio Scriba sumpsit, & erat familiaris vsus, quod Scribam eum Quæstor Q. Petilius in decuriam legeret. Sed tamen aliquot etiam decurias pretio emptas fuisse apparet, ex Oratione quinta in Verrem. Non admodum autem grauem, atque honestum fuisse Romæ scribarum ordinem, duæ res indicio sunt: vna quod Æmilius Probus in Eumene Scribarum munus multo apud Græcos honorificentius fuisse, quam apud Romanos, prodit: nam apud Romanos reuera, sicut essent, mercenarios haberi, apud Græcos neminem nisi honesto loco, & fide, & industria cognita admissum. Altera, quod Piso apud Agellium lib. 6. cap. 9. de Cn. Flauio Scriba ita scribit: Cn. Flauius, patre libertino natus scriptum faciebat: isque in eo tẽpore Ædili curuli apparebat, quo tempore Æ diles subrogantur, eumque primæ tribus Ædilem curulem renunciauerunt, atque Ædilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere qui scriptum faceret, eum Ædilem fieri. Cn. Flauius dicitur tabulas posuisse, scriptum sese abdicasse, isque Ædilis curulis factus est. Non tamen aditum omnino Scribis ad maiores honores fuisse interclusum, Cicereij, qui Scipionis Africani maioris Scriba fuerat, exemplum ostendit, qui auctore Valerio, cum in campum Africani filium candidatum Prætoriis comitiis deduxisset, seque omnibus centuriis Scipioni anteferri vidisset, è tẽplo descendit. Quin etiam Cicero quendam memorat, qui cum in Sullæ Dictatura Scriba fuisset, postea Cæsaris, Prætor vrbanus fuit.

Apparitores Magistratuum dicebantur, qui Magistratuum imperio præstò erant, vt Scribæ, Accensi, Interpretes, Præcones, Viatores, Lictores, Serui publici, Carnifices. Hæc autem munera libertis fere suis Magistratus quisque more maiorum mandauit. Quod cum ex aliis multis locis colligitur, tum maxime ex Oratione Senatoris cuiusdam apud Tacitum lib 13. Annalium, de libertinorum ordine ita disserentis: Hinc plerumque tribus, decurias, ministeria Magistratibus & Sacerdotibus, cohortes etiam in Vrbe conscriptas, & plurimis Equitum plerisque Senatoribus non aliunde originem trahi. Quibus verbis satis planum facit, libertinis tribus & decurias, credo Scribarum & Præconum, & Viatorum, aliquando esse repletas, ex libertinis ministros Magistratibus & Sacerdotibus datos eosdem esse aliquando in cohortes ad bellum descriptos atque inde plurimos Equites, multos Senatores Originem deduxisse.

Scribas autem ex hoc numero eximimus: non quod non Apparitorum numero fuerint, sed quod eorum ordinem ex ingenuis potius, quam ex libertinis constitisse animaduertimus. Siquidem & antiquus ille Scriba Pontificum Cn. Flauius, non libertinus fuit, sed libertini filius, & Cicereius Scriba Scipionis, Prætor legi non potuisset, nisi ingenuus fuisset. Neque enim stante Republica Magistratus vlli libertinorum ordini paruerunt. Cicero tamen M. Tullio liberto suo Scriba vsus est.

Accensos hoc loco intelligimus Magistratuum ministros, qui accirent. Sic enim Varro lib. 4. de lingua Latina, Consul loquitur ad exercitum: Impero, qua conuenire ad Comitia Centu-

riata. Quare hic Accenso, illic Præconi dicit, hæc est causa. In aliquot rebus idem vt Præco, Accensus acciebat, à quo Accensus quoque dictus. Accensum solitum ciere Bœotica ostendit, quam Comœdiam Ælij esse dicunt, hoc versu.

Vbi primum Accensus clamârit meridiem, &c.

Liuius de Decemuiris Consularibus: Penes Præfectum iuris duodecim fasces erant, Collegiis nouem singuli Accensi apparebant. Et Cicero in epistola illa nobili ad fratrem: His rebus nuper C. Octauius iucundissimus fuit, apud quem primus Lictor quieuit, tacuit Accensus, quoties quisque voluit dixit, & quam voluit diu. Quo in loco cum de Accenso, Tacuit, dixit, significat, Accensi officium fuisse non solum, vt acciret ad Prætorem, qui ius poscerent: sed etiam, vt molestis interpellatoribus silentium imponeret. Libertis autem hoc muneris datum esse, idem ille in eadem ostendit: Accensus sit, inquit, eo etiam numero, quo eum maiores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris, aut muneris non temere nisi libertis suis deferebant, quibus illi quidem non multo secus, ac serui imperabant: vnde ad Appium cum scribit, Pausaniam Lentuli libertum, Accensum suum vocat.

Interpretes fuerunt, quos inter exteras gentes, ad externorum populorum orationem interpretandam adhibuerunt: quos ex apparitorum & libertinorum numero fuisse, Ciceronis verba, quæ sequuntur, ostendunt: Primum ad Thernium, inquit, se pro Coss. in Sicilia, in longa apparitione singularem & prope incredibilem Interpretis sui Marcilii fidem cognouisse. Deinde in Corneliana: C. Publicium Menandrum, libertinum hominem apud maiores Legatos in Græciam proficiscentes Interpretem secum habere voluisse.

Præconum in ciuitate vsus fuit varius, ac multiplex: in auctionibus, vt ad hastam starent, & precia oblata nunciarent: in concionibus, vt audientiam facerent: in comitiis Magistratuum, vt tribus ad suffragia ineunda citarent, & eos, qui designati erant, renunciarent: in legibus ferendis, vt subiiciente Scriba leges populo recitarent: in iudiciis & quæstionibus, vt iudices, reos, & accusatores, & testes citarent: quod vnicuique planum esse potest, qui non cursim, sed attente antiquorum scripta perlegerit. Liberos autem fuisse Præcones, exemplo sit Sex. ille Næuius, de quo Cicero pro Quinctio. Hi à Consulibus ex ciuibus Romanis legebantur, eorumque multæ erant decuriæ.

Lictores dicuntur, ait Festus, quod fasces virgarum ligatos ferunt, hi parentes Magistratibus, delinquentibus plagas ingerunt. Vsi sunt Lictoribus Consules, Prætores, Interreges, & Dictatores, & si qui alij Magistratus non potestatem solum habuerunt, sed etiam imperium. Viatoribus ij, quorum potestas potius quam imperium extitit. Eorum munus erat, vt populum summouerent, sontes virgis cæderent, & securi ferirent, quæ ex Liuio multis locis eliciuntur, qui eos etiam alicubi aditus summotores vocat. Hos in plebe Romana fuisse, idem ostendit, apud quem aliquis ex plebe queritur, quatuor & viginti Lictores apparere Consulibus, & eos ipsos plebis homines: Punico autem bello confecto, qui Magistratibus in prouincia apparerent, eos fere Bruttios fuisse, vnde Bruttianos dictos, tradit Agellius. Plurima de Lictoribus collegit obseruatione dignissima Iustus Lipsius libro singulari Electorum, cap. 23.

Viatores appellantur, inquit Festus, qui Magistratibus apparent eò, quia initio omnium tribuum cum agri in propinquo erant vrbis, atque assidue homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in via, quam vrbe: quod ex agris plerumque homines vocabantur à Magistratibus, & frequens eorum erat ab agris ad vrbem via: cum quo etiam Columella & Cicero, cuius hæc sunt verba: E via ad Senatum accersebantur Curius, & cæteri senes, ex quo, qui eos accersebant, viatores nominati sunt. Hi alii erant à Lictoribus, si antiquam vtrorumque originem respiciamus. Vulgus tamen eosdem fere Viatores cum Lictoribus existimauit, vt est apud Agellium. Lictorem enim dicit à ligando appellatum esse, quod cum Magistratus populi Romani virgis quempiam verberari iussissent, crura eius & manus ligari, vincirique à Viatore soliti sint, isque qui ex collegio Viatorum officium ligandi haberet, Lictor sic appellatus, vtiturque ad eam rem testimonio M. Tullij. Viatoribus vtebantur Consules vocandi & nunciandi causa. Eorumque, sicut etiam Præconum, decuriæ erant, quæ à Consulibus legebantur, & mercede afficiebantur, vti testis est antiqua tabula, quam habet Carolus Sigonius, ex cuius etiam doctissimis de antiquo iure ciuium Romanorum commentariis hæc de ministris Magistratuum omnia transcripsimus.

Erant etiam Serui publici, quorum ministerio Magistratus fere omnes vtebantur, de quibus passim loquuntur historiæ. Eos alios fuisse à Lictoribus ostendit vetus Senatusconsultum quod ponitur à Frontino libro de aquæ ductibus: Placere Senatui, eos, qui aquis publicis præessent, cum eius rei causa extra vrbem essent, Lictores binos & Seruos publicos ternos, Architectos singulos, & Scribas, & Librarios, Accensos Præconésque totidem habere, quot habent ij per quos frumentum plebi datur. Sed de his quoque videndus Iustus Lipsius in lib. sing.

lib.singulari Electorum, capit. 22.

Vnus fuit Carnifex, qui non modo ciuis non fuit, sed ne domicilium quidem in Vrbe habuit, si teste M. Tullio stamus in Rabiriana illa de Perduellione ita loquente: Sed moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam in eius concione carnifex consisteret, quem non modo foro, sed etiam cœlo hoc, ac spiritu censoriæ leges, ac Vrbis domicilio carere voluerunt. Est autem Carnifex fere is, per quem in crucem egerunt, vt Lictor, per quem securi percusserunt. Hæc habuimus, quæ de Magistratibus, eorumque Ministris diceremus. Sequuntur Leges.

Ad Cap. Vltimum.

PARALIPOMENA.

Notæ pro litteris, notarij iidem qui scribæ, actuarij, exceptores, in vrbe, in exercitu, apud reges, dignitas, viatores, prisci magistratus in agris morabantur, pauperrimi erant, colles & siluas in prouincias sortiebantur, Cursores, eorumque officia.

ANtiquitus *notæ* idem ac literæ. quanquam sciam literas à notis solere distingui. nam ante Mecænatem notarum nullus vsus ad Epistolas scribendas, vt in Rebus Augusti lib. 49. relatum est à Dione Cocceiano. Paulus IC. lib. 6. §. fin. ff. de bon. possess. *notas non esse literas Pedius ad edictum scribit.* L. Sen. Epist. 90. *quid loquar verborum notas, quibus, quamuis citata excipitur oratio & celeritatem linguæ manus sequitur, vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* extant libri NOTIS M. Valerij Probi Grammatici vetustissimi, Item Magnonis coætanei Caroli Magni, & Pauli Diaconi,ferturque Cicero nescio quid de notarum differentia scripsisse. Inualuitque vsus, vt pro prænominibus adderentur. Diomedes lib. 1. cap. 12. *item alia nomina & prænomina, aut singulis literis notantur, aut binis, aut ternis.* Priscian. Cæsariens. libro 2. capit. 7. *ex illo consuetudo venit, vt nemo Romanus sit absque prænomine, & notatur, vel singulis literis, vel binis, vel ternis.* verum alia fuit notarum ratio, cum non pro nomine aut prænomine vnam literam ponerent, sed pro vna litera aliam substituerent, & de iis Suet. Cæsare cap. 56. *in quibus si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, id est sic structo literarum ordine, vt nullum verbum effici posset.* adi ad locum. Idem de iisdem in Aug. cap. 88. *quoties autem per notam scribit, b. pro a, c. pro b, ac deinceps eadem ratione sequentes literas ponit, pro x autem duplex a.* Corrigendus fortassis idem capite 64. *nepotes & literas & natare docuit.* legendum censerem, *notare docuit*, neque enim verisimile est Augustum iam grandiori ætate, aut natasse, aut eos natare docuisse, est quippe *notare* idem ac scribere. C. Plin. lib. 1. Epist. 6. *erant in proximo non venabulum, aut lancea, sed stylus, & pugillares, meditabar aliquid enotabamque, vt si manus vacuas, plenas tamen ceras referrem.* Iul. Firmicus Matern. Mathemat. lib. 3. cap 8. Num. 7. *facit etiam aut calculi, aut musicæ, aut notarum, aut difficilium literarum inuentores.* Poetæ illo sensu. Q. Horat. lib. 4. od. 8.

Non incisa notis marmora publicis
Per quæ spiritus & vita redit bonis
Post mortem ducibus.

P. Ouid. lib. 3. de Arte.

Cum possis solea chartas afferre ligatas,
Et blandas vincto sub pede ferre notas.

Et Epist. 4. Phædra Hyppolito.

His arcana notis terra pelagoque feruntur,
Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.

Quæ itaque de notariis, eadem & de scribis dici possunt, & de Actuariis, ac de tribus illis producam testimonia. Ac primum permissum erat actuariis paciscі & negotiari cum militibus, ipsisque ante tempus erogationis pecuniam, speciesve annonarias mutuo dare, sed pro singulis solidis tremissem tantum, id est tertiam solidi partem accipiebant, non in annos, sed pro omni tempore dilatæ solutionis, neque poterant actuarij vlla machinatione, pro temporis prolixitate, vnius tremissis quantitatem excedere: quod si quæstio hac de causa inter militem & actuarium oriebatur, debebat pecuniam erogator apud principia deponere, & ibi lis decidebatur. Hæc ferè Anastasius Aug. libro 16. Cod. de erogat. milit. annonæ lib. 12. meminit etiam Arcadius princeps lege 9. C. eod. & Gratian. lib. 5. Cod. eod. Martianus Cæsar *aut curialis, aut quicumque apparitor, vel optio, vel actuarius, vel quilibet publici debiti exactor siue compulsor, possessorum vel curatorum habuerit cautionem.* l. 3 Cod. de apoch. public. libr. 10. obseruauit Godescalcus Steuuechius ad Fl. Vegetij lib. 2. cap. 19. vetus lapis.

Imp. Cæsari. M. Avrel. Antonino. Pio. Felici. Avg. Parthico. Max. Britan. Max. Germanico. Max. Pontifici. Max. Trib. Potest. XVIII. Cos. IIII. Imp. III. PP. Proc. Eqvites In His. Actarivs. Leg. VII. Gem.

AVT. P. FEL. DEVOTI. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS.

De Notario, præter ea quæ dicta sunt, addendi authores. Q. Fabius libro 7. Institut. oratoriar. capite 1. Æl. Lamprid. in Diadumeno ad finem. *& quantum Lollius Vrbicus in historia sui temporis dicit, ista litera per notarium prodita illi puero multum apud milites obfuisse dicuntur.* Lollio Vrbico historico notarius ille est, qui priuata scripta alicuius digerit, quique alicui veluti amanuensis est: consentit Vlpian. IC. libro 1. ff. de extraordinar. cognit. *ludi quoque literarij magistris, licet non sint professores, tamen vsurpatum est, vt his quoque ius dicatur, nam & librariis & notariis, & calculatoribus siue tabulariis, sed cæterarum artium opificibus, siue artificibus, quæ sunt extra ordinem ius dicere præses debebit.* Plinius Iunior libro tertio Epist. 5. *in itinere, quasi solutus cæteris curis, huic vni vacabat: ad latus notarius cum libro & pugillaribus.* Et libro nono Epist. 36. *cogito si quid in manibus, cogito ad verbum scribenti emendantique similis, nunc pauciora, nunc plura, vt vel difficilimè, vel facilè componi teneriue potuerunt, notarium voco, & die admisso, quæ formaueram, dicto, abit, rursusque reuocatur, rursusque remittitur.* L. Seneca in Apocolocynthosi Claudiana. *multa disertè dixit in senatu deorum, quæ notarius persequi non potuit.* eadem voce in Epistolis sæpe vtitur, vt inde pateat, non priuatis tantùm in ædibus, sed & publico Senatorum consessu, actuarios seu scribas, seu notarios fuisse. M. Varro apud Seruium ad lib. 6. Æneid. *in foliis palmæ interdum notis, interdum sermonibus scribebat.* Trithemius Abbas libr. de Polygraphia, Aurel. Prudent. libr. περὶ στεφ. de Cassiano.

Magister literarum sederat,
Verba notis breuibus comprehendere cuncta paratus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.

M. Manilius lib. 4. Astronomic. eleganti periphrasi adumbrauit.

Hic & scriptor erit fœlix, cui litera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursimque loquentis
Excipiat longas noua per compendia voces.

Martialis lib. 14. epigr. 208. epigraphe est, *notarius,*

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

D. Ausonius Epigr. 136. *ad notarium velocissimè excipientem.*

Puer notarum præpetum.

Et aliquot interiectis versibus multis munus illud exequitur.

Quis ista iam dixit tibi
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam nouus
Veniat in aures vt tuas
Quod lingua nondum absoluerit?
Doctrina non hæc præstitit,
Nec vlla tam velox manus,
Celeripedis compendii.
Natura munus hoc tibi
Deusque donum tradidit.
Quæ loquerer, vt scires prius,
Idemque velles, quod volo.

Scribas eosdem dici notissimum ex T. Liuio 1. Decad. libro secundo in rebus à Scæuola gestis, & eiusdem Decadis lib. 4. quod notatum est à Iulio Barbarano Officinæ Promptuario Tom 1. tit. 24. quorum officium omnes sciunt, in regum comitatu olim. Ammian. Marcellin. libro 30. *Cæsarium ante hæc eius domesticum postea notarium principis, per cruentam quæstionem interrogat.* atque etiam nunc hodie I. Dikenonus speculi Tragici pagina 127. aut in accusationibus & iudiciis, nam & Latinis *scribere*, Græcis γράφειν dicm atque accusare. Petr. Nannius libro 9. Miscellaneor. c. 4. I. Bodæus lib. 10. c. 23. Iul. Pollux lib. 8. Onomast. ca. 9. §. 21. *quæ exciuit notariorum* officium describitur, siue *scribarum*, qui totius ciuitatis censum, priuatorumque singulorum debita digerebant. de quibus lapis antiquus.

L. TARQVITIO. L. F. POM. ETRVSCO. SVLPICIANO. SCRIBAE. QVAESTORIO. EX. TESTAMENTO. DE. HS. XX.

Alterius marmoris fragmentum, à Volfgango Lazio peritum Commentar. Reip. Rom. libro 5. cap. 17. ad finem.

D. M.

M. ATINIO. ÆL. F. PAL. PATERNO. SCRIBAE. ÆDILI. CVRVLI. HON. VSVS. AB. IMP. EQVO. P. BL. HONOR. PRAEF. COH. II. BRACHAR. AVGVSTAN. TRIB. MIL. LEG. X. PREIENSIS. A. DIVO. TRAIANO. IN. EXPEDITIONE. PARTHICA. DONIS. DONAT. PRAEF. ALAE. VII. PHRIG. CVR. KAL. FABRATERVOR. NOVOR. ATINIA. A. F. FAVSTINA. PATRI. OPTIMO.

Erant

Erant itaque scribæ regij, quæstorij, ædilitij, & præterea pontificum, & militares nec Romæ modo, sed & Byzantij. Curopalat. lib. de offic. Aulæ. Constantinopolit. pagin. 133. *ὑπογραφεῖς* dicuntur, qui *ad Metropolitam Philippolitanum honoratissimum scribunt, & totius Thraciæ præsulem.* M. Varro libro 4. de ling. Lat. *scribæ publici pontificum.* vetus Inscriptio apud Onuphrium.

AGRIÆ. TRYPHOSÆ. VESTIFICÆ. LIVIVS. THEONA. AB. EPISTVLIS. GRÆC. SCRIBA. A. LIBRIS. PONTIFICALIBVS. CONIVGI. SANCTISSIMÆ. B. D. S. M.

De *scribis militaribus*, quos *notarios* appellant, plerique in Criticis prodidere. Fl. Vegetius lib. 2. de re milit. cap. 19. epigraphe est, *ter corporis robur, notarium quoque & computandi artem in tironibus eligendam.* Et deinde eodem in capite sequitur: *sed in quibusdam notarum peritia, computandi calculandique usus exigitur.* rationem subiungit. *totius enim legionis ratio siue militarium numerorum, siue pecuniæ quotidie adscribitur actis, maiore propemodum diligentia, quam res annonaria vel ciuilis, politicis libris adnotatur.* quem locum longiorem appoui, quod sanus mihi non videretur. quinam sunt libri politici? legit Iacobus Cuiacius libro quarto Obseruation. cap. 27. *polyptycis libris adnotatur*, & quia in plerisque editionibus *libris* abest, legitur rectissime. *polipticis adnotatur.* Cassiodor lib. quinto variar. Epist. 14. ea voce vtitur. *vt omnibus à te sollicita & æquabili indagatione compertis poliptyci iubeantur adscribi.* Idemque scriptor alio in loco. *dehinc non poliptycis publicis, vt moris est, sed arbitrio compulsorum suggeruntur prouincialium subiacere fortunæ.* aliquoties reperitur eadem dictio & in Codice Theodosiano lib. 2. de discuss. libro 13. de ind. deb. sed quid poliptyci significent, viri magni dissentiunt. Alciat. parerg. libro 3. *chirographa & apochas* interpretatur. Cuiacius loco iam laudato, *rationes siue* [illegible] *publicas*, vide rationes ab eo allatas. ad notarios regredior.

Coniuncta solebat plerumque esse dignitas notarij militaris cum tribunitia potestate, aut primiceriatu. Idem Cassiodor. libro 5. Epist. 6. *notarium te nostrum esse censemus, vt ordine decurso militiæ, ad primiceriatus peruenias feliciter summitatem & honor qui effecit senatorem, cui patrum aula reseratur, non iniuria, nam qui nostris curis militat assidua lucubratione, iuste videtur & curiam libertatis intrare.* Ammian. Marcellin. lib. hist 29. *Bassianum procerum genere natus, notarius militans inter primos, quasi præniscere tiora conatus, licet ipse de qualitate partus vxoris consuluisse firmaret, ambitiosæ necessitudinum studio, quibus tegebatur, morte ereptus, patrimonio opimo exutus est.* adeoque notarij & Tribuni solebant coniungi. Cassiodor. libro 11. Epist. 20. *inter Tribunos & notarios, ad odorandos aspectus properat principales*, marmoris antiqui fragmentum, Romæ in domo Pomponij Læti.

CL. CLAVDIAN. V. C. CL. CLAVDIANO V. C. TRIBVNO. ET. NOTARIO. INTER. CETERAS. INGENTES. ARTIS. PRÆGLORIOSISSIMO. POETARVM, LICET. AD. MEMORIAM. SEMPITERNAM. CARMINA. AB. EODEM SCRIPTA. SVFFICIANT. AD. EVM. TESTIMONII. GRATIA. OB. IVDICII. SVI. FIDEM. DD. NN. ARCADIVS. ET. HONORIVS. FELICISSIMI. AC. DOCTISSIMI. IMPERATORES. SENATV. PETENTE. STATVAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ERIGI. COLLOCARIQVE. IVSSERVNT.

Denique notarij sunt iidem, quos *exceptores* appellant. notitia vtriusque Imperij frequentissime, & cultissimus Guidus Pancirolius. Iul. Firmic. Maternus libro tertio Mathes. capite 6. Num. 7. *malitiosos facit, maleuolos, pessimosque in omnibus actibus. sed aut aduocatos aut tureperitos, seu scribas, vel exceptores, aut hortorum præpositos, aut aquarum distributores.* Vlpian. lib. 19. §. vltim. ff. loc. conduct. *cum quidam exceptor operas suas locasset, deinde eum qui conduxit, decessisset.* notarii est à Fr. Lendengrogio ad lib. 14. Ammiani Marcellini. *assistebant hinc inde notarii.* D. Augustin. Epist. 152. D Gregor. in Prolog. 40 Homil. de diuers. lect. Euang. *quia sicut à me diuersis temporibus dictatæ sunt, ita quoque sunt ab exceptoribus conciibus affixa.* Collatio Carthaginensis sub Honorio inter Catholicos & Donatistas habita, *excipientibus Hilario & Prætexto exceptoribus D. N. V. C. & spectabilis præconsulis. Fabio exceptore D. N. V. C. & spectabilis vicarii, & Remulo V. C. legato A. K. excipientibus quoque Ianuario & Vitale notariis Ecclesiæ Donatistarum.* Sed satis superque de his dictum ad alia pergo.

Viatores censentur *qui à villis ad Senatum patres accersebant.* C. Plin. lib. 18. cap. 3. Iun. Moder. Columella in præf. libr. 1. de R. Rust. *illis temporibus proceres ciuitatis in villis morabantur,* M. Tull. in Vatinium *misistiue viatorem, qui M. Bibulum vi domo extraheret.* Fuit hic quantum conijcio in comitatu Tribuni plebis, T. Liu. 1 Dec. libro 2. *ardens igitur ira Tribunus viatorem mittit ad Consulem, Consul lictorem ad Tribunum.* sed & prætores & consules suos habebant etiam viatores: ostendit hęc inscriptio, quæ Romæ visitur in campo Martio.

T. STABERIO. SECVNDO. COACTORI. ARGENTARIO. VIATOR. CONSVLARIS. ET. PRÆTORIVS. SIBI. ET. CLAVDIAE. STRATONICAE. VXORI.

Quare cum C. Cæsar bellor. ciuil. lib. 3. cap. 3. cuiusdam *Steaberij* meminerit, putarem reponendum *Stabertum*, docet alter lapis Romanus in foro Boario.

T. STABERTVS. EPIGONVS. VIATOR. CONSVLARIS. SIBI. ET. SVIS. LIBERIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM.

Sed quod antiquorum diuitiæ opulentiaque in agricultura esset, ad Claudianum meum frequenter admonui. Plin. libro 18. capite 2. *terra manibus Imperatorum coli gaudet, laureato vomere, & triumphali aratore.* Atellius Fuscus apud L. Senecam. libro 2. controu. 1. *hac cæteros patres nostros, quos apud aratra ipsa mirantes decora sua circumsletere lictores* Et Syllius Bassus apud eundem lib. 1. controuers. 6. *quid tibi videntur illi ab aratro citati, qui paupertate sua beatam fecere rempublicam?* quibusque summa fælicitas vita est, *campum sinua* (verba sunt Sidonij Apollinaris libro primo Epist. 6. *tremente proscindere.* Pacat. Drepan. Lat. in paneg. Theodosio dicto. *depositis in gremio Capitolini Iouis laureis triumphales viri rusticabantur.* vnde Possidonius apud L. Senecam Epist. 90. *agriculturam* ait *esse sapientum inuentum.* & *bonus agricola sapienti* confertur. Idem libro 2. de Clementia cap. vlt. in fine. & fusissimè M. Cicero in Orat. pro Roscio Amerino, & libro 1. de Offic. laudes agriculturæ narrat, & ex multis bonis authoribus Andreas Tiraquell. in Tractatu illo exquisitissimo de Nobilitate. sed talem fuisse crescentis reipublicæ Romanæ statum loquuntur poetæ. M. Lucan. libro decimo.

Sordibus Hetruscis abductis consul aratris.

Sil. Italic. libro primo Punicor. de Senatu Romano.

----hirtaeque comæ, neglectaque mensa,
Dexteráque à curuis capulo non segnis aratris.

P. Ouid. lib. 1. Fastor.

Pascebátque suas ipse senator oues.

Et post eod. lib.

Iura dabat populis, posito modo prætor aratro.

Idemque rursum lib. 3 Fastor.

Et caperet fasces à curuo consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus.

Sidon. Apollinar. carm. 5. vbi sic Romam alloquitur.

------sic quondam consule curuo
vertebas terram.

Et in eod. carm. v. 300.

-----humili dum iuncta camino
Victoris fumum biberet palmata bubulci.

Et carm. 7. idem v. 383.

Vile triumphalis portaret purpura semen.

Claudian. lib. de bello Gildonico.

Sufficerent hetrusca mihi, campanaque culta,
Et Quinti Curijque seges, patriaque ruenti
Rusticus, & proprias ferret dictator aristas.

Et de 4. Honorij consul.

Lustrata lictore casa, fascesque salignis
Postibus affixi, collectæ consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura colono.

Et Paneg. de Consul. Manlij Theodori.

Attamen inuitam blandè vestigat, & vltro
Ambit honor, docuit toties à rupe profectus
Lictor, & in mediis consul quæsitus aratris.

Atque hi quidem initio vrbis mores erant, at deinde paulatim aucta maiestate populi Romani, agricolam fuisse, probrosum, & res dedecoris plena, cum quot senatores essent, totidem reges, saltem comitatu suo, viderentur, retenta tamen aliqua vetustæ frugalitatis vmbra, & quantumvis opulentissimis magistratibus, prouinciæ tamen agrestes, & agricolis conuenientes assignatæ. Petr. Crinit. libr. quarto de honesta disciplina capite quinto, *tantum fuit apud Romanos, vti consules quidem ipsi curam collium atque siluarum haberent, vt hac ratione materies non deesset, qua videlicet nauigia publica possent à præfectis fabrum confici, sicuti & seruatum adhuc in Veneta republica, vti præfectos habeant, quibus hæc siluarum cura sit demandata, vt quotannis sata illa & arbores ex decreto publico excindantur, ne materies non copiosa construendis nauigiis suggeratur.* Idemque scriptum est à Cælio Rhodigino lib. Antiquar. Lect. 26. capite 5. & ab Alexandro Neapolitano libro 3. Genial. dier. cap. 3. Iul. Cæsar Scaliger poetices libro primo capit. 4. *quantum senatus depressit consules ad humilitatem siluarum, tantùm Virgilius suis versibus extollit siluas ad consulatus fastigium.* author omnibus his Criticis C. Sueton. in Iulio cap. 19. *eandem ob causam opera optimatibus data est, vt prouinciæ futuris consulibus minimi negotij, id est siluæ collesque decernerentur.* restituunt viri magni Adrian. Turneb. lib. 3. cap. 9. Aduersarior. Læuinus Torrentius, & Ioannes Brodæus libro primo Miscellaneor. capite 39 leguntque, *id est siluæ callesque decernerentur.* Est enim *callis, iter pecudum* (verba sunt Isidori lib. 15. capit. 16.) *inter montes angustum, & tritum*

tam, à callo pecudum vocatum, siue callo pecudum perduratum. M. Terentius Varro libr.2. de Re Rust. capite 10. *neque senes neque pueri callium difficultatem ac montium arduitatem atque asperitatem facile ferunt, quod patiendum illis, qui greges sequuntur, præsertim armentitios ac caprinos, quibus rupes ac siluæ ad pabulandum cordi.* Idem Suetonius cap.24. in Claudio. *detractaque Hostiensi ac Gallica prouincia, curam ærarij Saturni reddidit quæstoribus, quam vtique medio tempore prætores aut pratura functi sustinuerant.* existimant rescribendum *detractaque Hostiensi ac callium prouincia.* sed vulgatam lectionem Isaacus Casaubonus retinendam contendit ex Dione Cocceiano li.5. τιμίας ἔστι τῷ ... τῷ ... καὶ ... ἄρχειν ... *Quæstores præfecit oræ maritimæ ad vrbem* (hæc est prouincia Ostiensis) *& quibusdam aliis Italiæ locis.* alia hæc Italiæ loca sunt *Gallia Cisalpina*, nempe inter montes Alpes & fluuium Rubiconem interiecta, quam *quæstoriam* fuisse *prouinciam* certum est, ex Festo Rufo in Breuiario suo, Virg. Ecloga 4.

Si canimus siluas, siluæ sint consule dignæ.

Sed ad Magistratuum Romanorum paupertiem reuertor. Exempla *Coruncani, Fabricii, Curii* profert Latin. Pacatus loco proxime supra laudato, & aliorum Saluianus Massiliensis lib. de Prouident. & gubernat. Dei.1. *nisi forte antiquis illis priscis virtutis viris, Fabiis Fabriciis, Cincinnatis, graue fuisse existimamus, quod pauperes erant, qui diuites esse nolebant.* pauci deinde interiectis. *non despiciebant tunc, puto, pauperes cultus, cum vestem hirtam ac breuem sumerent, cum ab aratro accerserentur ad fasces, & illustrandi habitu consulari illis fortasse ipsis quas assumpturi erant imperialibus togis madidum sudore puluerem detergerent. itaque tunc illi pauperes magistratus opulentam rempublicam habebant. nunc autem diues potestas pauperem facit esse rempublicam.* de Curio qui *triumphatis Samnitibus, & Pyrrho, reliquum æuum in re rustica peregit.* M. Tull. li. de Senect. Valer. Maxim. libro quarto capit.3. tit 6. & lib.8. cap. 14. de *Catone.* & præterea *Regulo.* Q. Symmachus libro 7 Epist. 5 *adde te Rusticanum numero, & paulisper Catones atque Atilios æmulare, quos vomeris stiua ad consulares misit secures.* de Quinto Cincinnato quem constat *dictatorem creatum, dum trans Tiberim coleret agrum, & fossam foderet.* vt Liuij vtar verbis libro 3. Decad.1. eademque addiderat post illum Dionysius Halycarnasseus libro decimo, Cicero libr. secundo de finibus bonor. & malor. in limine. *Cincinnatum maiores ab aratro vocarunt, vt consul fieret.* Consulem tantum ille eum facit, quod mirum mihi, cum Dictatorem fuisse omnes consentiant. L. Seneca libr. de breuit. vitæ capit.17. *Dictaturam properat exuere, ab ipso aratro reuocatur.* Idipsum de Camillo, & Serrano proditum à Sidonio Apollinare lib.8. Epist.8. *quid Serranorum æmulus & Camillorum, cum regas stiuam, dissimulas optare palmatam?* de iis pene omnibus passim poetæ M. Manilius libro 4. Astronomicon.

Serranos Curiosque tulit, fascesque per arua
Detulit, éque suo Dictator venit aratro.

De Cincinnato & Curio. Claudian. supra de bello Gildonico, & de vltimo Idem libro 1. in Ruffin.

Et casa pugnaces Curios angusta tenebat.

Et de 4. Hon. Consul.

Pauper erat Curius, reges cum vinceret armis.

Sil. Italic. lib.13. Punicor.

Nunc auro Curium non vnquam cernis amicum.

De primo A. Persius Sat.1.

--- --fulcoque terens dentalia Quinti,
Cum trepida ante boues dictatorem induit vxor.

De Serrano controuersia est, num tantum consul fuerit, an & etiam dictator. nam Claudianus ille idem modo consulem facit libr.1. in Ruffin.

Sudabat que graui consul Serranus aratro.

Modo Dictatorem. idem de 4. Honorij consulatu.

Sordida Serranus flexit dictator aratra.

Vt viatores priscis Romanis in vsu, ita nomine mutato Byzantini habuerunt *cursores.* non quidem illos qui in aciem hostilem excurrebant, impetumque faciebant, vt notat Adrianus Turneb. libro 24. capite 16 sed qui ad principum ministeria idonei essent. Curopal. lib. de offic. Aul. Constantinopolit. pagin. 57. πρωτοκέρσωρ ... *Protostator est etiam dux cursorum, horum quidem neque ordinem habentium, neque flammeolum suum.* legitur melius in Fr. Iunij schedis πρωτοστάτωρ, nam *Protostator* ille censeri potest, qui in officialium numero primus stat. Cursores certe antiquissimos fuisse docemur è Tito Liuio 4. Decad. lib. 1. *hemerodromos vocant, ingens vno die spatium emetientes.* sed illi in triplici omnino genere. aut enim currebant *pedites*, aut *equites*, aut *animantes*, *muli* videlicet, *equi*, *iumenta*, vt disseruit eruditissime fusissimeque Iust.

Lipsius Cent.3. Epist.39. quem non exscribo. horum vsus & à Persis receptus, dictique *Astandæ*, & *Angari*, qui sibi inuicem succederent. Suidas in *Astanda*. Xenoph. libro octauo Pæd. horum nonnulli *nocturni*, alij *diurni*, *accensis facibus per vices*, *ex omnibus regni sublimibus locis, in vno die Imperatori significabant, quod erat scito opus*, verba sunt Apuleij apud Ioannem Brodæum libr.6. Miscellaneo. cap. 6. vbi tamen malim legi, *quod erat cito opus*. Imago accensarum facium in Anglia etiamnum hodie, altissimis enim palis (*Bekins* illi vocant) lumina imponunt, si quando turbarum metus, quo veluti edicto, omnes ad arma concurrunt, pro aris & focis dimicaturi. AEschylus, Cleomedeique cursorum meminerunt, & præsertim eorum, qui equis vecti publicis, & celeriter subinde mutatis nunciabant, diciturque id genus ministerij hodie *la poste*, Gallis: *cursuale ministerium* Theodorico regi libr. quinto Epist.5. apud Cassiodorum appellatur. Ael. Spartian. in Vero. *iam illa leuiora, quod cursoribus suis exemplo Cupidinum frequenter alas addidit, eosque ventorum nominibus sæpe vocitauit, Boream alium Notum, & item Aquilonem, aut Circium, cæterisque nominibus appellans, & indefesse, atque inhumaniter faciens cursitare*. IC. lib.99. ff. de leg.3. *si alii vernæ, alii cursores legati sint, si quidem & vernæ & cursores sint, cursoribus cedent, semper enim species generi derogat.* Addendum & è cursoribus, quos seruos fuisse palam est quosdam appellari solitos *dolichodromos*, *diaulodromos*, *oplitodromos*, *hemerodromos*, *stadi dromos*. Q. Tertullian. lib. de fuga in Persecutione. in fine. *cum in matricibus beneficiariorum & curiosorum, inter tabernarios, & lanios, & fures Balnearum Christiani continentur.* legi posset fortasse, *beneficiariorum & cursorum*. sic eruditissimus Pamelius censuit, licet etiam & *curiosos* in comitatu Præsidum haberi, qui admissa per prouinciam renunciarent. & sub *magistro Officiorum erat curiosus cursus publici præsentalis vnus, & per omnes prouincias*, verba sunt Notitię vtriusque Imperij pagin.46.150. & Guidus Pancirolius. est titulus in Codice Theodos. titul. 10. lib. 12. & in Cod. Iustinianæo tit.21. lib 12. Cuiacius ibidem Coripp. libro 3. Numer.5.

--- iamque ordine certo
Turba Decanorum, cursorum.

Erant vt iam proxime admonui, in seruorum numero cursores. C. Petron. Satyrici pagin.21. *faleratis cursoribus*. Martial. libro 3. Epigr.47. quod forte omnes magistratus eligerentur, hic fuerat dicendum, sed commodius alibi id expedietur.

V. R.

REVERENDIS VIRIS, PIETATE ET ERVDITIONE PRÆSTANTIBVS DOMINIS, Esaiæ Krugero, M. Dauidi Schillingo, & Abrahamo Tetelbachio Ecclesiarum Ministris, affinibus suis colendis S. D.

NEGARE *nolo, teneri me maximo studio cognoscendæ antiquitatis, cum omnis, tum verò Romanæ. Non tamen ita huic inhærendum esse iudico, vt omnia alia studia interim negligantur. Habent hæc suum modum & suas metas. Allectus sum autem ad Antiquitatis tantum amorem à Præceptore meo viro immortalitate dignissimo M. Iohanne Rosa, piæ memoriæ, quem vos nôuistis fuisse & sacrosanctæ Theologiæ, & Philosophiæ moralis, & historiarum ac Antiquitatis Romanæ studiosissimum. Nec ipse solum his studiis vacabat diligentissimè, verum etiam discipulis suis auctor erat, vt antiquitatem & historias colerent, profuturas ad omne aliud studiorum genus, cui sese singuli essent consecraturi. Eaque de causa, vt ostenderet, qua ratione in illis versari deberemus, publicè nobis in illustri Academia Ienensi prælegebat, Caroli Sigonij viri doctissimi & antiquitatis instauratoris omnium, quos Italia habet, præstantissimi, Fastos & Triumphos. Quas explicationes sine dubio edidisset, nisi mors ipsum nobis abripuisset. Quo factum est, vt absoluere, quod cœperat, non potuerit. Imo carendum etiam nobis est præclaro Onomastico, quod meditabatur scribere de iis viris, quorum mentio passim in Cicerone, Plinio, Liuio, historicis aliis, Græcis & Latinis extat. Verum inuidit nobis hoc donum fortuna. Ab eo itaque tempore quo ipsum docentem audiui, tantus ardor cognoscendi antiquitatem & legendi historias, me occupauit, vt longo tempore, penè nihil aliud, nisi de ea re, cogitârim. Auxit ardorem istum meum Iustus Lipsius, vir clarissimus, cuius libri variarum & antiquarum lectionum, Epistolicarum quæstionum, & emendatus Tacitus, mirum quantum me, vt in cœpto persisterem, incitarint. Feci igitur hoc, neque sine consilio Parentis nostri charissimi, & in proprium vsum multa, quæ notatu digna erant, collegi: quæ cum eidem Parenti nostro, & amicis aliis ita placerent, vt edenda illa esse censerent, passus sanè id sum, si fortè aliqua inde ad discentes vtilitas proficisci possit. Cum autem plurimorum sanguine, & affinitate, & beneuolentia iunctorum mihi amicorum mentionem in iis fecerim, neque vestra desiderari nomina volui: quippe qui amabili affinitatis vinculo mihi iuncti, me à multis annis omni beneuolentia & officiorum genere estis prosequuti. Neque dubito, iucundam vobis harum rerum lectionem esse futuram. Vt enim de hoc tantum libro, in quo leges Romanorum recensentur, dicam, multa inuenietis, quæ sacrum etiam Codicem nonnunquam vobis declarabunt.*

Cum sanctus Paulus Gentium Apostolus à Philippensibus captiuus teneretur, & virgis cæsus esset, dixisse legitur, se ciuem esse Romanum, quem indemnatum & indicta

causa virgis cædi non fas sit, & subiicitur audito hoc, Magistratum eius loci sibi valde timuisse. Idem postea Hierosolymis factum esse reperitur. Quid verò hoc est, Apostolum Paulum ciuem Romanum esse, cum tamen fuerit Tarsensis, Tarso Ciliciæ vrbe oriundus?

Docent hæ antiquitates, non tantùm eos ciues Romanos esse, qui in vrbe Roma domicilia haberent: sed eos etiam, qui siue in municipijs, siue in Colonijs, siue in Prouinciis habitarent, iure ciuitatis Romanæ essent donati, Ciliciam autem prouinciam Romanorum fuisse, quam M. Tullius Cicero, insignis ille Orator pro Consule rexerit, notissimum est.

Iamque ciues Romani erant eo, quo dixi modo, hoc priuilegio erant ornati, vt non liceret in eos animaduertere virgis, quod cautum erat legibus Porcia, & Semproniis, quæ in huius libri parte altera cap. 2. recitantur.

Est præterea & illud non minus iucundum, quàm vtile, conferre has leges cum legibus diuinis, & videre in quibus conueniant, in quibus non. Conueniunt autem dubio procul quamplurimæ, id quod ostendit vetus Iurisconsultus Licinius Rufinus in eo libro, in quo leges diuinas cum legibus populi Romani contulit. Et quod Basilius grauis Doctor Ecclesiæ de Philosophicis & Ethnicis Græcorum auctorum disputationibus scripsit, legendas eas esse, quia vel eædem essent cum iis præceptis, quæ in sacris literis continentur, vel ab iis discreparent: si essent eædem, prodesse eas propter consensum: sin discreparent, conferre tamen aliquid ad confirmationem potioris. Idem etiam de legibus iudicandum est. Sed non addam plura: vos viri Reuerendi, affines colendi, rogo, vt meum hoc, qualecunque consilium boni consulere, méque porrò fauore vestro prosequi dignemini. Ratispona, Idibus Februarij, anno à nato Christo ∞ IↃ. XX. C.

V. R.

Studiosissimus Ioannes Rosinus.

ANTI-

ANTIQVITATVM ROMANARVM

Liber VIII.

DE LEGIBVS.

TANTA est dignitas, tanta vtilitas, tanta denique necessitas legum, vt sine illis Respublica nulla constitui, nec consistere possit: sed mera sit barbaries, vti omnium temporum & gentium historiæ satis superque declarant. Quid enim Spartæ laudabile gestum fuit, quam vitam ibi homines egerunt, antequam Lycurgus leges ferret, & cuique ordini ciuium sua officia præscriberet, quidque à quoque requirerent, doceret? Quam eleganter Solon Rempublicam Atheniensium instituit, leges ferendo, & quemcunque ordinem certis quasi cancellis circumscribendo: immo verò Deus ipse, cum populum Iudaicum sibi præ omnibus aliis gentibus eligeret, certas ipsi leges præscripsit, iuxta quas Deum colerent, & vitam suam agerent. Quem morem omnibus hominibus communem, Romani quoque obseruarunt. Quamprimùm enim Vrbem Romulus condidit, certas proposuit & tulit suis ciuibus leges, quæ postea augescente in immensum multitudine, necessitate nonnunquam requirente, interdum hominum libidine impellente, mirum in modum sunt multiplicatę, id quod veteres scriptores nō semel grauissime querūtur. Quare cum proposuerim mihi in hisce cōmētariis Rempublicam Romanam describere, & quantum fieri potest illustrare, leges omittendæ non fuerunt. Nulla enim Reipublicæ pars est, quæ in iis non attingatur.

Collegerunt patrum ætate quasdam leges Pomponius Lætus, Conradus Celtes, Aymarus Riuallius, eosque secuti nostro tempore Vdalricus Zasius Brigantinus ad cuius legum catalogum annotationes adiecit Ludouicus Caranda Parisiensis, Paulus Manutius, Franciscus Hotomanus, Pandulphus Prateus, quorum omnium labores summam laudem merentur, & propterea lectione & cognitione sunt dignissimi. Non tamen me à simili conatu deterruerunt, quin eorum vestigiis insistens, idem tentarem: præsertim, cùm vel maximè in his rebus valeat tritum illud, *Dies diem docet*, semperque posterior dies aliquid inueniat, quod prior ignorauit. Quare non improbaturos spero antiquarum literarum amantes hoc meum studium, quod ipsorum commodis & vtilitati consulere cupiens, ea quæ multis plurimorum libris de Romanorum moribus & institutis tradita sunt, vno quasi fasce comprehenderim: id quod in hoc de legibus libro, si non præstiti, certe tamen volui. Omnes enim leges, quæ apud illos, quos modo nominaui, scriptores, reperiuntur, in hunc librum conieci. Nec eas solùm, verum etiam alias, quæ ab illis ignoratæ, aliorum nonnullorum recentium scriptorum cura & industria inuentæ sunt, addidi, vt quiuis, qui hunc nostrum catalogum cum aliorum indicibus vel commentariis conferre volet, videbit.

Cæterum antequam ipsas leges recitem, non puto rem ingratam lectoribus me facturum, si quædam generalia de legibus & more rogandi eas apud Romanos obseruato, repetam: id quod sequentibus tribus capitibus breuissime facere conabor, à vocabulorum aliquot, quæ huc pertinent, explicatione initio sumpto.

Ad librum Octauum.

PARALIPOMENA.

Leges necessariæ, legislator parere sibi debet. Iuri innituntur, eas diuersis populis qui primi tulerint, & an mutandæ sæpius, legum senium, iuuentus.

NVlla respublica sine certo legum præscripto stare, multo minus florere potest, nam *lex* dicitur non immerito, *Reipublicæ anima.* Liborius à Bodelstein libr. 1. Iurisprudentiæ Politicæ, siue Arcanarum disquisitionum cap. 13. ideoque vel præcipua fuit statum solidum fundaturis ratio, vt à legum latione exordia desumerent: vt quicunque reges essent, iidem & leges ferrent, & legibus à se latis seipsos obstringerent, habenturque legislatores veluti à Deo ipso missi. Corip. libro 4. Num. vlt.

Legislatores statuit Deus ipse per orbem.

Neque vllus eorum repertus est, qui non edoctum se ab aliquo Deo fingeret leges quas populo traditurus esset, tum quo suam fidem liberaret, cum quo maius pondus possent præscripta ipsius habere, altiusque in singulorum mentes descendere. pie & Christiane Manuel Paleologus Augustus in præceptis illis vere aureis Educationis Regiæ ad Ioannem Filium, tit. 51. [Greek text, partly illegible] *sed idem quoque bonus rex eris & legislator vtilis & præstantissimus iudex, si principem, & legislatorem & iudicem sibi ipse constituet, pro quo viribus imitabitur æternum illum Imperatorem, qui scriptum ei dedit in manus.* pulchre & apposite D. Synesius Epist. 2. [Greek text, partly illegible] *securitas maxima timere leges.* Ammian. Marcell. libr. 14. *ideo vrbs venerabilis post superbas efferatarum gentium ceruices oppressas latasque leges fundamenta libertatis, & retinacula sempiterna velut frugi parens, & diues, & prudens, Cæsaribus tanquam liberis suis regenda patrimonij iura permisit.* Antiquus poeta Incerti nominis in fragment.

Iuri seruitium defer, sic liber haberis.

Itaque non nisi primarij authoritate viri, aut principes ipsi leges poterant conscribere, neque facile ab aliis sibi eas imponi vulgus patiebatur. Q. Symmach. libro decimo Epist. 33. *Imperator parens est legum.* Receptumque omnium pene gentium temporumque memoria, vt ad legum latarum obseruantiam inuitarentur inferioris sortis homines, exemplo potentum, qui primi eas custodire cogebantur, & prætertim illi ipsi, qui eas tulissent. T. Liu. 3. Decad. libro 8. *si quid iniunge [illegible] inferiori [illegible], prius in te, ac tuos [illegible] necesse est, si ipse ius statueris, quo [illegible] ius omnes obedientes habeas.* Valer. Maxim. libro octauo capite 6. titul. 3. *Stolo cum sanxisset: ne quis amplius quam quingenta agri iugera possideret, ipse mille comparauit, dissimulandique criminis gratia, dimidiam partem filio emancipauit, quam ob causam à M. Popilio Lænate accusatus, primus sua lege cecidit, ac docuit nihil aliud præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperauit.* D. Augustin. libro de vera relig. one capite 3?. *lex etiam ipsa fit, secundum quam indicat omnia, & de qua indicare nullus potest.* Hincmar. Rhemensis Archiepiscopus Epist 6. capit. o. Aureis vere literis consignandum illud Theodosij & Valentis edictum, leg. 4. Cod. de legibus & constitutionibus Princip. *digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri, adeo de authoritate iuris nostra pendet authoritas, & reuera maius est imperio, submittere legibus principatum, & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus.* quod vsque adeo verum censetur esse, vt *pactum ciuitati præstitum, princeps non valeat rescindere.* sic enim loquuntur Iurisconsulti. pariaque reperire est apud Paulum IC. lib. quarto Receptar. sententiar. titul. 5. *testamentum, in quo Imperator scriptus est heres, inofficiosum argui potest, eum enim qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare conuenit.* Aurel. Cassiodor. libro quinto Epist. 18. *volumus enim hoc exemplum à nostris prædiis inchoare, vt nulli grauis sit iussio, quæ constringit & principem.* & quanquam *princeps sit solutus legibus*, vt loquitur Vlpianus libr. 31. ff. de legibus (pulchra sunt illa Antiochi apud Plutarchum in Apophthegmat. & Tiberij Cæsaris, referente Nicepho. Callisto libro primo histor. Ecclesiast. capite 17. *si quid contrarium legibus per epistolam iussero, ne ei parete, sed me ignoratione lapsum credite.* neque absimilia habet Xiphilinus in M. Antonino Philosop. D. Ambros. Epist. 32. *cum leges præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi, leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* apud Ægyptios non minus reges, quam priuati legibus tenebantur. Diodor. Sicul. libro secundo, Salomonius libro primo de Principatu. Vida libro 2. de Reip. dignit. *magistratus, gubernatores, regé que obediunt quoque ipsi legibus, id est rectæ rationi.* de Ptolomæo rege Aristeas Historicus, & accurate Osorius li. 5. de Reg. Institut. *est eiusdem leges dare, & defendere*, inquiebat Carolus Magnus. Ægydius Carrocerus lib. de

lib. de dictis Memoralibus (licet Augustus monarchiæ faciens fundamenta, Imperatorem esse supra leges voluerit, vt ex narratione Dionis Coccejani lib.53. probauit L. Charondas IC.) tamen præclarum est illud regis Theodahadi apud eundem Cassiodorum lib. 10. Epist.16 *cum possumus omnia, sola nobis licere credimus laudanda*, quod à Guilhelmo Fornerio notatum video. At quod Vlpianus superius de principum potestate disseruerat, exprimitur ab Henrico Stephano metricis legibus, Asinate 33. Musæ monitricis, & eam reiicit sententiam.

At Vlpiani id inquiunt sententia
Euincere potest ipse quod nobis negat.
Princeps ... ille ... solutus ... sit.
Leges ad omnes sta verba qui ... fert,
Is Vlpiani vel sciens, vel insciens
Detorquet alio verba, dum causæ s... a
Seruire vult hæc, &c.

At quis genuinus sit legis antea producta sensus, quæq; vera Vlpiani mens, eruditissime explicatum est à G. Barclaio ciue & cognato meo, nuper professorum Andegauensium Decano, In laudato Contra Monarchomachos opere libro tertio capite 15. neque facile admittendum, quod asserit Georgius Buchananus, cætera laude dignissimus, in Dialogo *de Iure regni apud Scotos*, leges inuentas ad coercendos reges, & in ordinem à subditis cogendos, nam non est in illos legum vlla *vis compulsiua* sed *directa* tantummodo, quatenus ipsi legibus à se scriptis vltro obligant, non quod cogantur, aut cogi ab vllo possint, aut debeant, sed quod ab eorum exemplo dependere popularis soleat multitudo. vnde præceptum salubre Pyttaci Sapientis apud D. Ausonium in ludo de Septem sapientibus.

Pareto legi, quisque legem sanxeris.

Iacob. Sanazarius ad Federicum regem in Epigr. ex Ouidio lib.6 Fastor.

Publica nimirum tunc res sibi constat, & æquum
Imperium, cum rex quod monet ipse facit.

Sidon. Apollinar. Carm 5. v.554.

-------- sic agmina voce
Erigis, exemplóque tuas, primúsque labores
Aggrederis, quoscunque iubes, tum cætera pareat
Turba libens, seruit propriis cum legibus auctor.

Claudian. de 4. Hon. consul.

In commune iubes si quid, censésque tenendum,
Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi, componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita regentis,
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Posteriorum verborum sententia adeo certa est, vt nusquam aliter contigisse prodant historici omnium sæculorum, scriptorésque alij. Aur. Cassiodor. lib.3. Epist. 12. *facilius est errare naturam, quam dissimilem sui princeps possit formare rempublicam.* Ex Aristide celebratum est illud obseruante Iano Grutero, *Coryphæo saltator, gubernatori nauta, oratori auditor, principi populus paret.* Isocrat. ad Nicoclem. μιμεῖται ὅλη ἡ πόλις ... τοὺς ἄρχοντας. *Nec ignores totius ciuitatis mores ad exemplum magistratuum conformari.* Epistola Antigoni Macedonum Regis ad Zenonem Cittiæum prodente Diogene Laertio lib.7. pag.439. ... *nam cuiusmodi fuerit dux, talis plerumque subditos necesse est.* quod in legibus ferendis id multum momenti obtineat, docet vel vnica Ciceronis exclamatio lib.3. de Legib. *quæ unquam mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo secutam.* Id contingere videri posset, quod *princeps sit caput, subditi membra*, vt loquitur Lactantius lib.6. Diuinar. Institut. cap.9. *vel ille anima, illi corpus.* Maxim. Tyrius Serm. 41. eleganter Iustinus Martyr quæst.138. *vt homo corpore constat, & anima, ita regnum ex rege, & iis qui reguntur, & vt vitia ab anima in corpus deriuantur, ita à rege in populum.* Exempla qui volet, repetat ex Hegesandro & Satyro, antiquissimis scriptoribus apud Athenæum lib. 6. Ptolomæus rex *luxuriæ se tradiderat, regisque mores* (verba vsurpo Iustini libri 30.) *tota secuta regia.* de *Vitellio* C. Tacit. libro secundo histor. de *PlemiNio* T Liu. Decad. 4. libro 9 de *Antioch* Valer. Maxim. libr. 9. capit. 1. de *Valentiniano* Ammian. Marcell. lib 30. de *Theodosio* Pacat. Latin. in paneg. de *M. Antonino Philosopho* Herodian. libro primo. de *Catone Vticensi* Plutarch. in eo. quanquam non par semper totius ciuitatis ac principis consensus, facilius enim populus regem in deteriora pronum sequitur, quam virtutis tramitem capescentem. D. Gregor. Nazianzen. in Apologetico ob fugam in Pontum. D. Chrysostomus Orat. 6 ad pop. Antiochen. C. Sallust. in Iugurthina *flagitiosissima facere facinora, secuti morem Imperatoris sui.* Arrian. in Dissertationibus Epicteti libro 3. capite 4. Et ante omnes istos, quos produxi Plato libr. quarto de legibus, cuius verba sic Latine sonant. *nullo*

labore, sed exemplo opus tyranno, vt ciuitatis mores mutet. Certè *rege Ioa à cura religionis desciscente, totus populus desciuit.* Flau. Ioseph. lib. 6. Antiquit. Iudaicar. cap. 8. & *exemplo regum immodicus luxus in Persidem primum inuectus.* Xenoph. Cyropæd. libro 8. hæc etiam Gruterus notat. poëtæ eodem sensu. L. Sen. Thyeste Act. 2. sc. 1.

Rex velit honesta, nemo non eadem velet.

Sophocles in Philoctete v. 284.

διδάσκαλοι λόγων γίγνονται κακοί.

Regentum exemplis fiunt mali.

M. Martial. lib. 9. Epigr. 81.

Nemo suis, hæc est aulæ natura potentis,
Sed domini mores Cæsareanus habet.

Claudian. lib. 1. de Laudib. Stilichonis.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Vtque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Leges in *naturalis iuris æquitate fundabantur*, quare nisi naturæ inniterentur, non censebantur legitimæ, vt verbosissimè probauit Cic. lib. 1. de legibus & sæpissimè *iura & leges* coniungunt. Q. Symmach. lib. 2. Epist. 87. *vox iuris ac legum est, bonæ fidei contractum non posse rescindi.* Freculph. Lexouiens. Tom. 1. lib. 2. cap. 17. *iisdem temporibus Minos leges ac iura constituit.* Q. Aurel. Cassiodor. lib. 8. Epist. 12. *vos leges dicitis, dum nos iura condimus.* In MSS. melioris notæ codicibus diserte habetur, *vox legum diceris*, rectissimè, nam quæstores, quorum formulæ ibi describuntur, vox Imperatorum dicebantur. Claudian. de Consulatu Manlii Theodori.

------nec dignius vnquam
Maiestas meminit sese Romana loquutam.

Sed & alij *leges iuráque* simul extulerunt poëtæ. D. Iuuenal. Sat. 8. vers. 54.

------Iuris nodos, ac legum ænigmata soluit.

Corippus Africanus in panegyrico Anastasij quæstoris.

Principis auspicio iura ac leges gubernans.

Et libro 1. de laudibus Iustini Minoris Augusti Num. 1.

Compositor morum, iuris legúmque sacerdos.

Q. Horat. lib. 1. Satyr. 1.

Agricolam laudat iuris legúmque peritus.

M. Accius Plautus in Epidico sc. *caue præterbibas* in fine.

Atque me minoris facio præ illo, qui omnium
Legum atque iurium fictor, conditor cluet.

Et iam de iis agamus, qui salutari suo adminiculo, populis sine certa lege viuentibus subuenerunt, legésque stabiles fixerunt mensurásque, quædam delibaturi ex Fr. Patricio in præfat. ad libr. primum de Republ. *Multi Græcorum de ciuili societate scripserunt, & in primis Pythagoras Samius, à quo Crotoniatæ, omnésque ferè Italiæ populi præcepta Reipublicæ acceperunt, summa laude extulerunt duos Pythagoræ discipulos veteres, Zaleucum, qui leges Locrensium scripsit, & Charondam, cuius institutis vsi sunt Cappadoces: fuerunt etiam Pythagorici Parmenides & Zenon, qui Eleam Lucaniæ vrbem communem patriam ciuilibus præceptis optimè instituerunt. Tarentini quoque Pythagorica præcepta tenuerunt, & Architam egregium ciuem quasi præceptorem popularis disciplinæ diutius obseruauerunt. Hippasus Lacon patriam Rempublicam scripsit quinque voluminibus. Eudoxus Cnidius ciuibus suis leges, & ciuilia præcepta tradidit, sicut & Protagoras, Abderites Tyriis, Phaleas Carthaginiensibus, Ephorus Cretensibus, Hippodamus Milesius de optimo Reipub. statu etiam scripsit, sic & Heraclitus Ephesius, Æschynes etiam Milesius inter scriptores habitus est. Zeno Citticus Stoicorum princeps de ciuili societate libros edidit, eius auditor Chrysippus ea licentia de Republ. scripsit, qua pleraque alia, nam & matrum & filiarum congressus permisit & alia multa, quæ sermonem reformidant.* Subiungit deinde de Platone, Aristotele, Cicerone, aliisque Legislatoribus: ad quorum veluti æmulationem ad imitationem suum componit studium. At sigillatim videamus. Sed ante omnia perpendenda est legum diuisio, nam aut *humanæ*, aut *diuinæ*, aut denique *Naturales*. Iouianus Pontanus libro primo de Obedientibus naturalibus *à brutis homines discernuntur.* Aul. Gell. libro 6. capite 14. Eduard. Veston de trip. hom. offic. libro tertio pagin. 375. súntque illæ omnibus aliis antiquiores, non in tabulis scriptæ, sed mentibus impressæ, multúmque quibuslibet aliis efficaciores. Tertullianus libr. aduersus Iudæos in limine. eásque ex Iustiniano August. *νόμους ἀγράφους leges non scriptas* dixit Lilius Gyraldus in progymnasmat. aduers. lit. pagin. quare centesima trigesima secunda, humanæ *vnum populum hominémve ab alio distinguunt*, diuinæ *ad cælestem conditionem fragilem hominum & caducam exigunt sortem.* Iul. Barbaran. officinæ Promptuario Tom. 3. pag. 258. de vltimis loqui non potuerunt illi, quibus nondum diuinæ bonitatis sese aperuerat facies, at de primis duorum legum generibus sumenda sunt, quæcunque ab illis prodita, de quibus videatur I. Simancha Pacensis Collectaneorum de Republica toto libro quarto: causas cur ferrentur, recenset Cicero Oration. in Vatinium, *vt ciues suos incolumes conseruarent.* aut vt idem

idem ait lib.2. de legib. *ad salutem ciuium, ciuitatúmque incolumitatem, vitámque hominum & quietam, & beatam.* Aut vt Aristides oratione Platonica I. *vt nihil damnose iniuriam paterentur ciues, nec mali & audaces, probis potiores essent.* ita enim Latinè sonant verba L.Sen.lib.4.Benef.cap.12. *legem dicimus esse iusti, iniustique regulam.* Aphthon. Sophista pene ad finem progymnasm. quibus consonant Horatiana lib.1.Sat.3.

Iura inuenta metu iniusti, fateare necesse est,
Tempora si fastósque velis euoluere mundi:
Nec Natura potest iusto secernere iniquum,
Diuidit vt bona diuersis, fugienda petendis.

Ouid.lib.3.Fastor.

Inde datæ leges, ne fortior omnia posset,
Cœptáque sunt pure tradita sacra coli.

Ad legislatores regredior. fabulosa poetarum inuolucra ad Cererem legum inuentionem referunt, quare & eam *legiferam* appellarunt, vt relatum à Seruio Honorato ad v.56. lib.4. Æneid. videantur Critici de Thesmophoriis. lib.2. huius operis supra expositum est. nec minus fabulosum, Saturnum Italos legibus à se latis formasse. P.Virgil. lib.8.Æneid.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legésque dedit, Latiumque vocari
Maluit: his quoniam latuisset tutus in oris.

Bacchum postea legislatorem fecere, Arrianus lib.8.de Gest. Alexandri, & Diodor.Siculus lib.3. bibliothec. cap.10. hic vt Indos à se belli iure separatos mansuetiori legum cultu imbuit, ita *Corinthios Phidon*, Aristotel.lib.2.Politicor.cap.4. Milesios Hippodamus, eiusdem libri cap.6. *Ænotrios Italus*, Idem lib.7.Politic.c.10. *Lesbios Macarius, Cyrenaici Ionis filius*. Diodor. Sicul. lib.6.cap.16. *Mantinenses Nicodorus pugil.* vt narrat Ælianus lib.1. var.histor.cap.23. *Rhegynos Charondas.* Heraclides lib.de Politiis. Legimus etiam *Caedum*, vel vt alij appellant *Caladem* Atheniensibus iura constituisse. Pausan. lib. I. qui de Atticis est. Locros Epizephyrios Zaleucus institutis ciuilibus informauit. Ioann. Stobæus Serm.43. Ζάλευκος ὁ τῶν Λοκρῶν νομοθέτης. *Zaleucus Locrensium Legislator.* Hierocles oratione *quales in patriam esse debeamus*, Cuius verba Latino idiomate donata, hæc sunt. *Cæterum ego Zaleucum Locrensium legislatorem probo, quod sanciuit, vt quisquis legem nouam introducturus esset, circumposito ceruici laqueo id facere deberet, vt author eius mox suffocaretur, nisi eximiam vtilitatem nouæ legis ad antiquum reipublicæ statum declararet comparatæ.* Ephorus apud Strabonem Amasianum Geographiæ lib.6.M.Tull.lib.2.de legib. *id mihi credo faciendum, vt priusquam ipsam legem recitem, de eius laude dicam, quod idem & Zaleucum & Charondam fecisse video. cum quidem illi non studij & delectationis, sed reipublicæ causa leges ciuitatibus suis scripserunt.* Et deinde apud eundem Tullium Timæus negat vllum vnquam fuisse aut extitisse Zaleuchum, quod tamen & Theophrastus, & concors Locrensium consensus asseuerat. Aristor. lib.2. Politic.cap.10. *Is vinum ægrotis prohibuit, iniussu medici, pœna capitis indita,* vt verba Raphaelis Volaterrani vsurpem Commentarior. Vrbanor. lib.20. extatque constitutio in varia Æliani historia lib.2.cap. 37. leges eius *saluberrimas vtilissimasque* appellat Valerius lib.6. cap.5. tit.penult. nisi quod ibi *Zeleucus* pro *Zaleucus* scribitur, sed facile est illud vnius elementi deliquium corrigere. Marcianus Heracleota in Periegesi, seu orbis descriptione v.314. de Epizephyriis loquitur.

τούτους δὲ πρώτους φασὶ χρήσασθαι νόμοις
γραπτοῖσιν, οὓς Ζάλευκος ὑποθεῖναι δοκεῖ.

Vertit Federic. Morellus Regius literarum Græcarum possessor, vir optime non de isto modo, sed & de tota re literaria meritus.

Hos legibus primum exaratis asserunt
Vsos, Zaleucus quas tulisse dicitur.

Zamolxis etiam *Thrax*, præclaram nauauit operam in legibus præscribendis *Getis*, qui è Scytharum sunt genere, & deinde ob insigne beneficium in deorum numerum est relatus, numenque habitus, quod primus inter gentes *diuinum cultum religionemque sanxisset.* Idem Volateran. libro octauo, Comment.pag.242. Suidas in voce *Ochus.* hic est ille quem *Saturni nomine* colunt Getæ, Mnasea historico authore. at contra aliorum sententiam Hellanicus *Græcum* fuisse scribit, *non Thracem*, cui contradicit lib.4. Herodotus, qui illum & *Scytham* & *Pythagoræ seruum* contendit. quod placuisse video Phauorino cultissimo Philosopho, cuius hæc sunt apud Stobæum Serm.6.relata verba Ζάμολξις οἰκέτης ἦν Πυθαγόρου, καὶ μετὰ θάνατον αὐτὸν ἔθυον. *Zamolxis famulus erat Pythagoræ, & ab illius temporis hominibus adorabatur.* Meminere huius, legúmque ab eo latarum Strabo libro septimo. Diodorus Siculus. libro secundo. capit.quinto.

Charondas, vt quibusdam placet, *Carthagi*-

nensibus leges præfixit; Alexander Neapolitanus lib.6.Genial.dier.cap.10.vt aliis potius probatur, *Thuriis* aut vt nonnulli legunt, *Tyriis*, Valer.Maximus lib.6.cap.5.tit.vlt. Diodor.Sicul.lib.12.Certe eum cum Zaleuco legislatore coniunxit Cicero supra iam proxime laudatus, lib.2.de legib.& Diogen.Laert. lib.8.in Pythagora, pag.577.

Minoem Cretensium regem inter legislatores posuerunt præter alios. Diodorus Siculus lib.6.cap.15.Freculph.proxime supra citatus.Aristotel.lib.7.Politic.cap.10. Ouid.lib.3.Amor.eleg.7.

Opta it Minos similes sibi legifer annos.

Quid refert vel *Epirotarum* legislatorem *Arimbam*, vt prodidit Iustinus lib.17. aut *Tharritam*, vt video placuisse Plutarcho in vita Pyrrhi in initio, referre? aut *Androdamantem Chalcidensium*, aut *Philolaum Thebanorum*, vt testatur Aristoteles lib.2.Polit.cap.10. aut *Mercurium* cognomento *Trismegistum Ægyptiorum*, Cicero lib.3. de Nat.deor.Lactant. Firmian.lib.1.cap.6. aut *Boccorim*, siue *Bocorum*, vel denique *Bocchoridem eorundem*, vt scriptum reliquerunt Eusebius Cæsariensis in Chronico, & Aristotel. lib.7. Politic.cap. 10.aut *Zoroastrem Bactrianorum*.C.Plinius lib. 7. cap. 16. Et li. 30. cap. 1. Albert. Stadensis Chronici sui pag.4.& Coccius Sabellicus Ennead.1.lib.5.Iustin.lib.1. ex Trogo Pompeio. aut *Spartanorum Lycurgum, vt notissimum est*, Isidor. 5.Etymol. cap. 1.aut *Forensium Græcorum*.vide hic infra de Lycurgo.aut *Atheniensium Draconem*, qui res minimas capitali puniuit supplicio, ideoque leges suas sanguine, non atramento scripsit. vnde lepidum Politiano Epigramma:

Inuentum Actæi dicuntur iura Draconis:
Nil mirum est, certe nil nisi virus habent.

Sed gradum ad Romanos legislatores faciamus.

Iisdem Atheniensibus salutares admodum, ciuitatique profuturas leges constituit Solon, Plutarch.in eo.Suidas in voce Σόλων. summaque illi cura *de iure testandi*. Antonius Guibertus Costanus quæstion.Iur.libr.1.cap. 6. Num. 4. quarum eximiam præstantiam, vt & ipsius moderationem debitis laudibus extollit Manuel Palæologus Imperator Orat.1. περὶ ἀγαθοῦ ἄρχοντος. de bono principe pag.139. à quo pleraque & reges Romani, & Xuiri hauserunt, quos in Græciam missos, vt ab optimis legibus informato populo, congrua statui Romano mutuarent fundamenta, loquitur Pomponius I.C.l.2.ff.de Orig. Iur. Ammian. Marcellin. libro 22.fin.historiar. *Et Solon adiutus sententiis Ægypti sacerdotum, latis iusto moderamine legibus, Romano quoque iuri maximum addidit firmamentum.* de quibus legibus præsertim id sit intelligendum explicat diserte Cicero lib. 2.de Legib.*in duodecim tabulis de minuendo sumptu lamentationeque funeris translata fere sunt de Solonis legibus.* de illo & de Dracone meminit, legesque ab vtroque latas inter se confert A. Gellius lib. 11. cap.18. neque tantum Xuirales leges à Solonis legibus mutuatæ, sed & sumptuariæ temporibus Dictaturæ Syllanæ. Ammian. Marcellin. lib.16. *primum itaque factuque difficillimum, temperantiam ipse sibi indixit atque retinuit, tanquam adstrictus sumptuariis legibus viueret, quas ex rhetris Lycurgi & axonibus, Romam translatas, diuque obseruatas, & senescentes paulatim reparauit Sylla Dictator.* sic recte Fr. Lindembrogius legit, antea pessime, *ex retris Lycurgi, id est axonibus.* sunt enim *rhetra* Lycurgi leges, vt & *axones* Solonis, Etymologici magni author, Scholiast. Apollonij Rhodij in lib. 4. Argonautic. tmemate 24. Suidas ἄξονες ἐν οἷς ἐκάλουν Ἀθηναῖοι τοὺς Σόλωνος νόμους, διὰ τὸ ἐγγεγράφθαι αὐτοὺς ἐν ξυλίνοις ἄξοσι. vertit Hieron. Volfius: *axes* (malim *axones* interpretari cum Ammiano) *dixerunt Athenienses Solonis leges, quod inscriptæ essent ligneis tabulis*, de Lycurgi legibus Dionysius Halicarnass. lib.2. pag.113. Claudian. de 4. Hon. consul.

Firmatur senium iuris, priscamque resumunt
Canitiem leges, emendanturque vetustæ,
Acceduntque nouæ, talem sensere Solonem
Res Pandioniæ, sic armipotens Lacedæmon
Despexit muros rigido munita Lycurgo.

Vltimo Reges primum, mox Consules, deinde Tribuni, post hos Decemuiri, eosque alij magistratus insecuti, pro temporum ratione negotiorumque mole, varias tulerunt leges, vt infra sigillatim dissseretur, ita vt semper posteriores prioribus derogarent. vnde non immerito quæsitum est, deberentne leges abrogari, immutarique? nam leges seu præsentes, siue iis abrogatis futuras, ad sui obseruantiam ciues cogere, nulli dubium est, S. Valerianus Serm. de bono disciplinæ. *Iustis legibus seruiat, & non solum præsentibus, sed etiam futuris manum porrigat.* vel sensus alius esse potest, vt legibus antiquis stantibus subueniatur iis, qui iam viuunt, egentque legum adminiculo, vel non satis prospiciatur, futurisque aut nasciturís caueatur, nam *à iustitia* quam habent leges in Republica perdurantes, *index* dicitur. M. Varro libro 4. de ling. Lat.

Lit. Gratian 33. quæst. 2. cap. 1. & Gregorius 9. cap. 10. torus ext. de verbor. significat. Alex. ander ab Imola in lib. diff. de Iurisdict. omnium iudic. quod autem Valerianus dixit, *manum porrigat*, formulari vtus est voce. Q. Symmach. lib. 2. Epist. 79. *ergo accurrenti religiosam manum porrige.* Idemque sæpe alias, sed maxime libr. 3. Epistola 67. *porrige igitur, oro te, adiutricem manum legitima præmia ex more cupienti.* Aureli. Cassiodor. libr. 4. Epistola 26. *necesse fuit circa vastatione detectis porrige dexteram salutarem.* sic poetæ. Magn. Fel. Ennod. Ticinensis Carm. lib. 1 Num. 7.

Porrige dextram
Nominis almi.

Licentius in Carmine eleganti illo ad Augustinum.

Nec mirum, licet omnis enim mea cura legendi
Te non dante manum, & consurgere sola veretur.

Coripp. lib. 1. Num. 1.

-- ----Sanctam mihi porrige dextram.

Guntherus Liguri. in lib. 1.

Porrectáque manu, magno sub fasce labentem,
Oppressumque metu, siquidem potes, erige vatem.

Et illis omnibus antiquior P. Ouidius libro 4. de Ponto eleg. 5.

Ad te mansuetas porriget ille manus.

Idémque loquendi modus & apud Græcos inualuit. Pindar. Pythior. od. 4.

τοῖς δ' ἐν ἐσθλοῖς ἀνὴρ ...
... χεῖρας.
Sicq; autem forti viro amicas
Porriget ante dexteras.

Sed reuertor ad propositam quæstionem, quam diluit Melchior Iunius Politicar. quæstion. parte 3 quæst. 19. ac quod lex & possit, & debeat mutari, ratio ipsa probat, *nam ab hominum voluntate dependet, quæ aut ps & dubia, deinde etiam mores antiqui sæpe mutantur, tum negotiorum diuersitas, temporum, & locorum, mutationes interdum flagitant: postremo leges inter se pugnant nonnunquam, aut sunt plures de eadem re scriptæ, non raro etiam ridiculæ, & stultæ.* quæ omnia conuincunt aliquando necessarium esse legum abrogationem, nouarúmque inductionem, & rationem, vti probatum videbis apud Aristotelem libr. 2. Politic. cap. 6. Platonem libr. 6. de Legibus Casum Oxoniensem in loco Aristotelis laudatum: Æschinem in Ctesiphontem, Iustinianum Aug. Constitut. 13. T. Liuium 4. Decad. lib. 4.

Perniciosam tamen esse legum mutationē censuere in antiquis plerique, freti hisce rationibus, quod lex nihil aliud sit, quam *mens arcana Dei*, qui Hierocli Philosopho in aurea Pythagoræ carmina, θεὸς θεῶν *deus deorum* appellatur, & θεὸς ὕπατος *deus summus*, & κοσμοποιός, *mundi factor*, & ἀριστοτέχνης *optimus artifex*. Porphyrius libro 3 de Abstinent. carn. & cum mens illa æterna semper se eodem modo habeat, sequitur legem debere esse immutabilem, aut certè si à diuina lege ad humanam transgrediamur, *illa causam à principe, robur à consuetudine sortitur: vtriusque contemptum adfert crebra legum mutatio.* Prudent. in Rom. Martyre.

---------- -vel quod hostem publicum
Pati necesse est, soluere pœnam sanguine,
Spreuisse leges, respuisse principem.

Deinde mutatis legibus *manat perniciosa consuetudo non obtemperandi magistratibus.* verba sunt Ioachimi Perionij vertentis Aristotelem loco proxime laudato. Tertio experientia docet *tutius eos degere, qui iisdem legibus etiam malis vtuntur constanter, eodem modo rempublicam capessunt, quam qui mutationibus gaudent.* Thucydid. libr. 3. Accedit, quod *negotiis præsidentibus melius & rectius olim prouisum, & quod sæpe mutatur, nonnunquam in deterius abiit.* C. Tacit. libr. 14. Annal. quod quam exitiale censuerunt Locrenses, discere possumus ex Oratione Demosthenis in Timocratem, & pessime Thuriorum reipublicæ consultum per eandem legum mutationem scribit Diodor. Siculus libro duodecimo.

Hinc deriuatum existimo, vt *senium legum*, aut *iuuentutem* vsurparint authores, quod multis ab eruditissimo Fr. Iureto obseruatum video. Constantinus Aug. lib. 23. C. Theodos. de Appellat. *iubet consenescere legem quæ vetabat à præfecti vrbis sententia prouocare.* A. Gell. libro vigesimo, capite primo. *passus est enim leges istas de tam immodico supplicio, situ atque senio emori.* M. Tull. Orat. 3. in Catilinam. *legum interitum, ac bellum ciuile ac domesticum, & totius vrbis atque imperij occasum appropinquare dixerunt.* Ammianus Marcellin. libro 19. *senescentes (sumptuarias leges) paulatim reparauit Sylla Dictator.* Arnob. lib. 7. *Adnectitur gentes responsum dei de ab aruspicibus editum, res sanas tristissimasque portendi ab incendiis, cædibus, à legum interitus & à iurium occasu.* Q. Symmach. libro secundo Epist. 13. *ergo quia dominorum conditio restricta est, priuatis cupiditatibus iuris occurrat medicina: figens in medio apud homines criminosos vetera decreta, quorum vigor cum latoribus suis occidit,* sic rectissime legitur, in aliis

AVT. P. FEL. DEVOTI. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS.

De Notario, præter ea quæ dicta sunt, addendi authores. Q. Fabius libro 7. Institut. oratoriar. capite 1. Æl. Lamprid. in Diadumeno ad finem. *& quantum Lollius Vrbicus in historia sui temporis dicit, istæ literæ per notarium proditæ illi puero multum apud milites obfuisse dicuntur.* Lollio Vrbico historico notarius ille est, qui priuata scripta alicuius digerit, quique alicui veluti amanuensis est: contentu Vlpian. IC. libro 1. ff. de extraordinar. cognit. *ludi quoque literarij magistris, licet non sint professores, tamen vsurpatum est, vt his quoque ius dicatur, nam & librariis & notariis, & calculatoribus siue tabulariis, sed cæterarum artium opificibus, siue artificibus, quæ sunt extra ordinem ius dicere præses debebit.* Plinius Iunior libro tertio Epist. 5. *in itinere, quasi solutus cæteris curis, huic vni vacabat. ad latus notarius cum libro & pugillaribus.* Et libro nono Epist. 36. *cogito si quid in manibus, cogito ad verbum scribenti emendantique similis, nunc pauciora, nunc plura, vt vel difficilius, vel facilius componi tenerive potuerunt: notarium voco, & die admisso, quæ formaueram, dicto, abit, rursusque reuocatur, rursusque remittitur.* L. Seneca in Apocolocynthosi Claudiana. *multa disertè dixit in senatu deorum, quæ notarius persequi non potuit.* eadem voce in Epistolis sæpe vtitur, vt inde pateat, non priuatis tantùm in ædibus, sed & publico Senatorum consessu, actuarios seu scribas, seu notarios fuisse. M. Varro apud Seruium ad lib. 6. Æneid. *in foliis palmæ interdum notis, interdum sermonibus scribebat.* Trithemius Abbas libr. de Polygraphia, Aurel. Prudent. libr. περὶ στεφ. de Cassiano.

Magister literarum sederat,
Verba notis breuibus comprehendere cuncta paratus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.

M. Manilius lib. 4. Astronomic. eleganti periphrasi adumbrauit.

Hic & scriptor erit fælix, cui litera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursimque loquentis
Excipiet longas noua per compendia voces.

Martialis lib. 14. epigr. 208. epigraphe est, *notarius,*

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

D. Ausonius Epigr. 136. *ad notarium velocissimè excipientem.*

Puer notarum præpetum.

Et aliquot interiectis versibus multis muneris illud exequitur.

Quis ista iam dixit tibi
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam nouus
Veniat in aures vt tuas
Quod lingua nondum absoluerit?
Doctrina non hæc præstitit,
Nec vlla tam velox manus
Celeripedis compendii.
Natura munus hoc tibi
Deusque donum tradidit.
Quæ loquerer vt sciris prius,
Idemque velles, quod volo

Scribas eosdem dici notissimum ex T. Liuio 1. Decad. libro secundo in rebus ab Scæuola gestis, & eiusdem Decadis lib. 4. quod notatum est à Iulio Barbarano Officinæ Promptuario Tom 1 tit. 24. quorum officium omnes sciunt, in regum comitatu olim, Ammian. Marcellin. libro 30. *Cæsarium ante hæc eius domesticum postea notarium principis, per cruentam quæstionem interrogat.* atque etiam nunc hodie I. Dikensonus speculi Tragici pagina 127. aut in accusationibus & Iudiciis, nam & Latinis *scribere*, Græcis γράφειν dicm atque accusare. Petr. Nannius libro 9. Miscellaneor. c. 4. I. Bodæus lib. 10. c. 23. Iul. Pollux lib. 8. Onomast. ca. 9. §. 21. *vbi etiam notariorum* officium describitur, siue *scribarum*, qui totius ciuitatis censum, priuatorumque singulorum debita digerebant. de quibus lapis antiquus.

L. TARQVITIO. L. F. POM. ETRVSCO. SVLPICIANO. SCRIBAE. QVAESTORIO. EX. TESTAMENTO. DE. HS. XX.

Alterius marmoris fragmentum, à Volfgango Lazio petitum Commentar. Reip. Rom. libro 5. cap. 17. ad finem.

D. M.

M. ATINIO. ÆL. F. PAL. PATERNO. SCRIBAE. ÆDILI. CVRVLI. HON. VSVS. AB. IMP. EQVO. P. EL. HONOR. PRAEF. COH. II. BRACHAR. AVGVSTAN. TRIB. MIL. LEG. X. PREIENSIS. A. DIVO. TRAIANO. IN. EXPEDITIONE. PARTHICA. DONIS. DONAT. PRAEF. ALAE. VII. PHRIG. CVR. KAL. FABRATERVOR. NOVOR. ATINIA. A. F. FAVSTINA. PATRI. OPTIMO.

Erant

Erant itaque scribæ regij, quæstorij, ædilitij, & præterea pontificum, & militares nec Romæ modo, sed & Byzantij. Curopalat. lib. de offic. Aulæ. Constantinopolit. pagin. 233. *venigesu*, dicuntur, qui *ad Metropolitam ibi ipsolitanum honoratissimum scribunt*, *& totius Thraciæ præsidem*. M. Varro libro 4. de ling. Lat. *scribæ publici pontificum*. vetus Inscriptio apud Onuphrium.

AGRIÆ. TRYPHOSÆ. VESTIFICÆ. LIVIVS. THEONA. AB. EPISTVLIS. GRÆC SCRIBA A LIBRIS PONTIFICALIBVS CONIVGI SANCTISSIMÆ B.D S.M.

De *scribis militaribus*, quos *notarios* appellant, plerique in Criticis prodidere. Fl. Vegetius lib. 2. de re milit. cap. 19. epigraphe est, *ter corporis robur*, *notarium quoque & computandi artem in tironibus eligendam*. Et deinde eodem in capite sequitur: *sed in quibusdam notarum peritia*, *computandi calculandique vsus exigitur*. rationem subiungit. *totius enim legionis ratio siue militarium numerorum*, *siue pecuniæ*, *quæ de eis scribitur actis*, *maio e propre cum dignitate*, *quam res annonaria vel similis*, *politicis libris adnotatur*. quem locum longiorem appoiui, quod sanus mihi non videretur. quinam sunt libri politici? legit Iacobus Cuiacius libro quarto Obseruation. cap. 27. *polyptycis libris adnotatur*, & quia in plerisque editionibus *libris* abest, legitur rectissime: *polipticis adnotatur*. Cassiodor lib. quinto variar. Epist. 14. ea voce vtitur. *vt omnibus à te sollicita & æquabili indagatione compertis poliptyci iubeantur adscribi*. Idemque scriptor alio in loco. *dehinc non poliptycis publicis, vt moris est, sed arbitrio compulsorum suggeruntur prouincialium subiacere fortunæ*. aliquoties reperitur eadem dictio & in Codice Theodosiano lib. 2. de discuss. libro 13. de iud. deb. sed quid poliptyci significent, viri magni dissentiunt. Alciat. parerg. libro 3 *chirographa & apochas* interpretatur. Cuiacius loco iam laudato, *rationes siue* [illegible] *publica*, vide rationes ab eo allatas. ad notarios regredior.

Coniuncta solebat plerumque esse dignitas notarij militaris cum tribunitia potestate, aut primiceriatu. Idem Cassiodor. libro 5. Epist. 6. *notarium te nostrum esse censemus*, *vt ordine decurso militiæ*, *ad primiceriatus perueniat feliciter summitatem*, *honor qui efficis senatorum*, *cui patrum aula referatur*, *non iniuria*, *nam qui nostris curis militat assidua lucubratione*, *iuste videtur & curiam libertatis intrare*. Ammian. Marcellin. lib. hist. 29. *Bassianus procerum genere natus*, *notarius militans inter primos*, *quasi præsensisse e lictura consuluisse firmaret*, *ambitioso necessitudinum studio*, *quibus tegebatur*, *morte ereptus*, *patrimonio optimo exutus est*. adeoque notarij & Tribuni solebant coniungi. Cassiodor. libro 11. Epist. 20. *inter Tribunos & notarios*, *ad odorandos aspectus properet principales*, marmoris antiqui fragmentum, Romæ in domo Pomponij Læti.

CL. CLAVDIAN. V.C. CL. CLAVDIANO V.C. TRIBVNO. ET. NOTARIO. INTER. CETERAS. INGENTES. ARTIS. PRÆGLORIOSISSIMO. POETARVM, LICET. AD. MEMORIAM. SEMPITERNAM. CARMINA. AB. EODEM SCRIPTA. SVFFICIANT. AD. EVM. TESTIMONII. GRAT. AC. OB. IVDICII. SVI. FIDEM. DD. NN. ARCADIVS. ET. HONORIVS. FELICISSIMI. AC. DOCTISSIMI. IMPERATORES. SENATV. PETENTE. STATVAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ERIGI. COLLOCARIQVE. IVSSERVNT.

Denique notarij sunt iidem, quos *exceptores* appellant. notitia vtriusque Imperij frequentissime, & cultissimus Guidus Pancirolius. Iul. Firmic. Maternus libro tertio Mathes. capite 6. Num. 7. *malitiosos facit, maleuolos pessimosque in amicitias velitus. sed aut aduocatos aut repertos*, *seu scribas*, *vel exceptores*, *aut horreorum præpositos*, *aut aquarum distributores*. Vlpian. lib. 19. §. vltim. ff. loc. conduct. *cum quidam exceptor operas suas locasset*, *deinde eum qui conduxit, decessisse*. notatū est à Fr. Lendengrogio ad lib. 14. Ammiani Marcellini. *adsistebant hinc inde notarii*. D. Augustin. Epist. 15. D Gregor. in Prolog. 40 Homil. de diuers. lect. Euang. *quia sunt à me diuersis temporibus dictatæ sunt*, *ita quoque sunt ab exceptoribus codicibus affixa*. Collatio Carthaginensis sub Honorio inter Catholicos & Donatistas habita, *excipientibus Hilario & Pretexto exceptoribus D. N. V. C. & spectabili præconsulis. Fabio exceptore D. N. V. C. & spectabilis vicarii, & Remulo V. C. legato A. K. excipientibus quoque Ianuario & Vi*[illegible] *de notariis Ecclesiæ Donatistarum*. Sed satis superque de his dictum ad alia pergo.

Viatores censentur *qui à villis ad Senatum patres accersebant*. C. Plin. lib. 18. cap. 3. Iun. Moder. Columella in præf. libr. 1. de R. Rust. *illis temporibus proceres ciuitatis in villis morabantur*, M. Tul. in Vatinium *misissesve viatorem*, *qui M. Bibulum vi domo extraheret*. Fuit hic quantum conjicio in comitatu Tribuni plebis, T. Liu. Dec. libro 2. *ardens igitur ira Tribunus viatorem mittit ad Consulem*, *Consul lictorem ad Tribunum*. sed & prætores & consules suos habebant etiam viatores: ostendit hęc inscriptio, quæ Romæ visitur in campo Martio.

T. STABERIO. SECVNDO. COACTORI. ARGENTARIO. VIATOR. CONSVLARIS. ET. PRÆTORIVS. SIBI. ET. CLAVDIAE. STRATONICAE. VXORI.

Quare cum C. Cæsar bellor. ciuil. lib 3. cap. 3. cuiusdam *Straberij* meminerit, putarem reponendum *Staberium*, docet alter lapis Romanus in foro Boario.

T. STABERIVS. EPIGONVS. VIATOR. CONSVLARIS. SIBI. ET. SVIS. LIBERIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM.

Sed quod antiquorum diuitiæ opulentiaque in agricultura esset, ad Claudianum meum frequenter admonui. Plin. libro 18. capite 2. *terra manibus Imperatorum coli gaudet, laureato vomere, & triumphali aratore.* Atellius Fuscus apud L. Senecam. libro 2. controu. 1. *hæc cæteros patres nostros, quos apud aratra ipsa mirantes decora sua circumsletere lictores* Et Syllius Bassus apud eundem lib. 1. controuers. 6. *quid tibi videntur illi ab aratro citati, qui paupertate sua beatam fecere rempublicam?* quibusque summa fælicitas vita est, *campum stiua* (verba sunt Sidonij Apollinaris libro primo Epist. 6. *tremente proscindere.* Pacat. Drepan. Lat. in paneg. Theodosio dicto. *depositis in gremio Capitolini Iouis laureis triumphales viri rusticabantur.* vnde Possidonius apud L. Senecam Epist. 90. *agriculturam ait esse sapientum inuentum. & bonus agricola sapienti confertur.* Idem libro 2. de Clementia cap. vlt. in fine. & fusissimè M. Cicero in Orat. pro Roscio Amerino, & libro 1. de Offic. laudes agriculturæ narrat, & ex multis bonis authoribus Andreas Tiraquell. in Tractatu illo exquisitissimo de Nobilitate. sed talem fuisse crescentis reipublicæ Romanæ statum loquuntur poetæ. M. Lucan. libro decimo.

Sordibus Hetruscis abductis consul aratris.

Sil. Italic. libro primo Punicor. de Senatu Romano.

---- hirtæque comæ neglectaque mensa,
Dexteráque à curuis capulo non segnis aratris.

P. Ouid. lib. 1. Fastor.

Pascebátque suas ipse senator oues.

Et post eod. lib.

Iura dabat populis, posito modo prætor aratro.

Idemque rursum lib. 3 Fastor.

Et caperet fasces à curuo consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus.

Sidon. Apollinar. carm 5. vbi sic Romam alloquitur.

---- sic quondam consule curuo
verrebat terram.

Et in eod. carm. v. 300.

---- humili dum iuncta camino
Victoris sumum biberet palmata bubulci.

Et carm. 7. idem v. 383.

Vile triumphalis portaret purpura semen.

Claudian. lib. de bello Gildonico.

Sufficerent hetrusca mihi, campanaque culta,
Et Quinti Curijque seges, patriæque ruenti
Rusticus, & proprias ferret dictator aristas.

Et de 4. Honorij consul.

Lustratæ lictore casæ, fascesque salignis
Postibus affixi, collectæ consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura colono.

Et Paneg. de Consul. Manlij Theodori.

Attamen inuitam blandi vestigat, & vltro
Ambit honor, docuit toties à rupe profectus
Lictor, & in mediis consul quæsitus aratris.

Atque hi quidem initio vrbis mores erant, at deinde paulatim aucta maiestate populi Romani, agricolam fuisse, probrosum, & res dedecoris plena, cum quot senatores essent, totidem reges, saltem comitatu suo, viderentur, retenta tamen aliqua vetustæ frugalitatis vmbra, & quantumvis opulentissimis magistratibus, prouinciæ tamen agrestes, & agricolis conuenientes assignatæ. Petr. Crinit. libr. quarto de honesta disciplina capite quinto, *tantum fuit apud Romanos, vti consules quidem ipsi curam collium atque siluarum haberent, vt hac ratione materies non deesset, qua videlicet nauigia publica possent à præfectis fabrum confici, sicuti & seruatum adhuc in Veneta republica, vti præfectos habeant, quibus hæc siluarum cura sit demandata, vt quotannis sata illa & arbores ex decreto publico excindantur, ne materies non copiosa constituendis nauigiis suggeratur.* Idemque scriptum est à Cælio Rhodigino lib. Antiquar. Lect. 26. capite 5. & ab Alexandro Neapolitano libro 3. Genial. dier. cap. 3. Iul. Cæsar Scaliger poetices libro primo capit. 4. *quantum senatus depressit consules ad humilitatem siluarum, tantùm Virgilius suis versibus extulit siluas ad consulatus fastigium.* author omnibus his Criticis C. Sueton. in Iulio cap. 19. *eandem ob causam opera optimatibus data est, vt prouinciæ futuris consulibus minimi negotij, id est siluæ collesque decernerentur.* restituunt viri magni Adrian. Turneb. lib. 3. cap. 9. Aduersarior. Læuinus Torrentius, & Ioannes Brodæus libro primo Miscellaneor. capite 39 leguntque, *id est siluæ callesque decernerentur.* Est enim *callis, iter pecudum* (verba sunt Isidori lib. 15. capit. 16.) *inter montes angustum, & tritum*

tum, à callo pecudum vocatum, siue callo pecudum perduratum. M. Terentius Varro libr.2. de Re Rust. capite 10. *neque senes neque pueri callium difficultatem ac montium arduitatem atque asperitatem facile ferunt, quod patiendum illis, qui greges sequuntur, præsertim armentitios ac caprinos, quibus rupes ac silua ad pabulandum cordi.* Idem Suetonius cap.24. in Claudio. *detractaque Hostiensi ac Gallica prouincia, curam ærarij Saturni reddidit quæstoribus, quam vtique medio tempore prætores aut præturâ functi sustinuerant.* existimant rescribendum *detractaque Hostiensi ac callium prouincia.* sed vulgatam lectionem Isaacus Casaubonus retinendam contendit ex Dione Cocceiano li.5. τοῖς μὲν ἐπὶ τῷ ἐκθάλασσα τῇ πρὸς τῇ πόλει καὶ ἐν ἑτέροις τισὶ τῆς ἰταλίας χωρίοις ἄρχειν ἐποίησεν. *Quæstores præficit oræ maritimæ ad vrbem* (hæc est prouincia Ostiensis) *& quibusdam aliis Italiæ locis.* alia hæc Italiæ loca sunt *Gallia Cisalpina*, nempe inter montes Alpes & fluuium Rubiconem interiecta, quam *quæstoriam* fuisse *prouinciam* certum est, ex Festo Rufo in Breuiario suo, Virg. Ecloga 4.

Si canimus siluas, siluæ sint consule digne.

Sed ad Magistratuum Romanorum pauperiem reuertor. Exempla *Coruncani, Fabricii, Curii* profert Latin. Pacatus loco proxime supra laudato, & aliorum Saluianus Massiliensis lib. de Prouident. & gubernat. Dei.1. *nisi forte antiquis illis priscis virtutis viris, Fabiis Fabriciis, Cincinnatis, graue fuisse existimamus, quod pauperes erant, qui diuites esse nolebant.* paucis deinde interiectis. *non despiciebant tunc, puto, pauperes cultus, cum vestem hirtam ac breuem sumerent, cum ab aratro accerserentur ad fasces, & illustrandi habitu consulari illis fortasse ipsis quas assumpturi erant imperialibus togis madidum sudore puluerem detergerent. itaque tunc illi pauperes magistratus opulentam rempublicam habebant. nunc autem diues potestas pauperem facit esse rempublicam.* de Curio qui *triumphatis Samnitibus, & Pyrrho reliquum aeuum in re rustica peregit.* M. Tull. li. de Senect. Valer. Maxim. libro quarto capit. 3. tit 6. & lib.8. cap. 14. de *Catone.* & præterea *Regulo.* Q. Symmachus libro 7 Epist. 15. *adde te Rusticanum numero, & paulisper Catones atque Atilios æmulare, quos veneris stiua ad consulares misit secures.* de Quinto Cincinnato quem constat dictatorem creatum, *dum trans Tiberim coleret agrum, & fossam foderet.* vt Liuij vtar verbis libro 3. Decad. 1. eademque addiderat post illum Dionysius Halycarnasseus libro decimo, Cicero libr. secundo de finibus bonor. & malor. in limine. *Cincinnatum maiores ab aratro vocarunt, vt consul fieret.* Consulem tantum ille eum facit, quod mirum mihi, cum Dictatorem fuisse omnes consentiant. L. Seneca libr. de breuit. vitæ capit. 17. *Dictaturam properat suadere, ab ipso aratro reuocatur.* Idipsum de Camillo, & Serrano proditum à Sidonio Apollinare lib. 8. Epist. 8. *quid Serranorum æmulus & Camillorum, cum regas stiuam, dissimulas optare palmatam?* de iis pene omnibus passim poetæ M. Manilius libro 4. Astronomicon.

Serranos Curiosque tulit, fascesque per arua

Detulit, éque suo Dictator venit aratro.

De Cincinnato & Curio. Claudian. supra de bello Gildonico, & de vltimo Idem libro 1. in Ruffin.

Et casa pugnaces Curios angusta tenebat.

Et de 4. Hon. Consul.

Pauper erat Curius, reges cum vinceret armis.

Sil. Italic. lib. 13. Punicor.

Nunc auro Curium non vnquam cernis amicum.

De primo A. Persius Sat. 1.

--- --sulcoque terens dentalia Quinti,

Cum trepida ante boues dictatorem induit vxor.

De Serrano controuersia est, num tantum consul fuerit, an & etiam dictator. nam Claudianus ille idem modo consulem facit libr. 1. in Ruffin.

Sudabatque graui consul Serranus aratro.

Modo Dictatorem. idem de 4. Honorij consulatu.

Sordida Serranus flexit dictator aratra.

Vt viatores priscis Romanis in vsu, ita nomine mutato Byzantini habuerunt *cursores.* non quidem illos qui in aciem hostilem excurrebant, impetumque faciebant: vt notat Adrianus Turneb. libro 24. capite 16 sed qui ad principum ministeria idonei essent. Curopal. lib. de offic. Aul. Constantinopolit. pagin. 57. πρωτοκένσωρ ἐστιν διάκονος τῶν κουρσόρων, οὗτοι γὰρ μήτε τάξιν ἔχοντες, μήτε φλάμουλον ἴδιον. *Prosostator est etiam defensor cursorum, horum quidem neque ordinem habentium, neque flammeolum suum.* legitur melius in Fr. Iunij schedis πρωτοστάτωρ, nam *Protostator* ille censeri poterit, qui in officialium numero primus stat. Cursores certe antiquissimos fuisse docemur è Tito Liuio 4. Decad. lib. 1. *hemerodromos vocant, ingens vno die spatium emetientes.* sed isti in triplici omnino genere. aut enim currebant *pedites*, aut *equites*, aut *animantes*, *muli* videlicet, *equi*, *iumenta*, vt disseruit eruditissime susiùsque Iust.

Lipsius Cent.3. Epist.39. quem non exscribo. horum vsus & à Persis receptus, dictique *Astandæ, & Angari*, qui sibi inuicem succederent. Suidas in *Astanda*. Xenoph. libro octauo Pæd. horum nonnulli *nocturni*, alij *diurni*, *accensis facibus per vices, ex omnibus regni sublimibus locis, in vno die Imperatori significabant, quod erat scito opus*, verba sunt Apuleij apud Ioannem Brodæum libr.6. Miscellaneo. cap. 6. vbi tamen malim legi, *quod erat cito opus*. Imago accensarum facium in Anglia etiamnum hodie, altissimis enim palis (*Bekins* illi vocant) lumina imponunt, si quando turbarum metus, quo veluti edicto, omnes ad arma concurrunt, pro aris & focis dimicaturi. AEschylus, Cleomedesque cursorum meminerunt, & præsertim eorum, qui equis vecti publicis, & celeriter subinde mutatis nunciabant, diciturque id genus ministerij hodie *la poste*, Gallis: *cursuale ministerium* Theodorico regi libr. quinto Epist.5. apud Cassiodorum appellatur. Ael. Spartian. in Vero. *iam illa leuiora, quod cursoribus suis exemplo Cupidinum frequenter alas addidit, eosque ventorum nominibus sæpe vocitauit, Boream alium Notum, & item Aquilonem, aut Circium, cæterisque nominibus appellans, & indefesse, atque inhumaniter faciens cursitare.* IC. lib.99. ff. de leg.3. *si alii vernæ, alii cursores legati sint, si quidem & verna & cursores sint, cursoribus cedent, semper enim species generi derogat.* Addendum & e cursoribus, quos seruos fuisse palam est quosdam appellari solitos *dolichodromos, diaulodromos, oplitodromos, hemerodromos, stadi dromos.* Q. Tertullian. lib. de fuga in Persecutione. in fine. *cum in matricibus beneficiariorum & curiosorum, inter tabernarios, & lanios, & fures Balnearum Christiani continentur.* legi posset fortasse, *beneficiariorum & cursorum.* sic eruditissimus Pamelius censuit, licet etiam & *curiosos* in comitatu Præsidum haberi, qui admissa per prouinciam renunciarent. & sub *magistro Officiorum erat curiosus cursus publici præsentalis vnus, & per omnes prouincias*, verba sunt Notitiæ vtriusque Imperij pagin.46.150. & Guidus Panciroliis. est titulus in Codice Theodos. titul. 10. lib. 12. & in Cod. Iustinianæo tit.21. lib 12. Cuiacius ibidem Coripp. libro 3. Numer.5.

—— iamque ordine certo
Turba Decanorum, cursorum.

Erant vt iam proxime admonui, in seruorum numero cursores. C. Petron. Satyrici pagin.21. *faleratis cursoribus.* Martial. libro 3. Epigr.47. quod forte omnes magistratus eligerentur, hic fuerat dicendum, sed commodius alibi id expedietur.

V. R.

REVERENDIS VIRIS, PIETATE ET ERVDITIONE PRÆSTANTIBVS DOMINIS, Esaiæ Krugero, M. Dauidi Schillingo, & Abrahamo Tetelbachio Ecclesiarum Ministris, affinibus suis colendis S. D.

NEGARE nolo, teneri me maximo studio cognoscendæ antiquitatis, cum omnis, tum verò Romanæ. Non tamen ita huic inhærendum esse iudico, vt omnia alia studia interim negligantur. Habent hæc suum modum & suas metas. Allectus sum autem ad Antiquitatis tantum amorem à Præceptore meo viro immortalitate dignissimo M. Iohanne Rosa, piæ memoriæ, quem vos nouistis fuisse & sacrosanctæ Theologiæ, & Philosophiæ moralis, & historiarum ac Antiquitatis Romanæ studiosissimum. Nec ipse solum his studiis vacabat diligentissimè, verum etiam discipulis suis auctor erat, vt antiquitatem & historias colerent, profuturas ad omne aliud studiorum genus, cui sese singuli essent consecraturi. Eaque de causa, vt ostenderet, qua ratione in illis versari deberemus, publicè nobis in illustri Academia Ienensi prælegebat, Caroli Sigonij viri doctissimi & antiquitatis instauratoris omnium, quos Italia habet, præstantissimi, Fastos & Triumphos. Quas explicationes sine dubio edidisset, nisi mors ipsum nobis abripuisset. Quo factum est, vt absoluere, quod cœperat, non potuerit. Imo carendum etiam nobis est præclaro Onomastico, quod meditabatur scribere de iis viris, quorum mentio passim in Cicerone, Plinio, Liuio, historicis aliis, Græcis & Latinis extat. Verum inuidit nobis hoc donum fortuna. Ab eo itaque tempore quo ipsum docentem audiui, tantus ardor cognoscendi antiquitatem & legendi historias, me occupauit, vt longo tempore, penè nihil aliud, nisi de ea re, cogitârim. Auxit ardorem istum meum Iustus Lipsius, vir clarissimus, cuius libri variarum & antiquarum lectionum, Epistolicarum quæstionum, & emendatus Tacitus, mirum quantum me, vt in cœpto persisterem, incitarint. Feci igitur hoc, neque sine consilio Parentis nostri charissimi, & in proprium vsum multa, quæ notatu digna erant, collegi: quæ cum eidem Parenti nostro, & amicis aliis ita placerent, vt edenda illa esse censerent, passus sanè id sum, si fortè aliqua inde ad discentes vtilitas proficisci possit. Cum autem plurimorum sanguine, & affinitate, & beneuolentia iunctorum mihi amicorum mentionem in iis fecerim, neque vestra desiderari nomina volui: quippe qui amabili affinitatis vinculo mihi iuncti, me à multis annis omni beneuolentia & officiorum genere estis prosequuti. Neque dubito, iucundam vobis harum rerum lectionem esse futuram. Vt enim de hoc tantum libro, in quo leges Romanorum recensentur, dicam, multa inuenietis, quæ sacrum etiam Codicem nonnunquam vobis declarabunt.

Cum sanctus Paulus Gentium Apostolus à Philippensibus captiuus teneretur, & virgis cæsus esset, dixisse legitur, se ciuem esse Romanum, quem indemnatum & indicta

causa virgis cadi non fas sit, & subiicitur audito hoc, Magistratum eius loci sibi va'de timuisse. Idem postea Hierosolymis factum esse reperitur. Quid vero hoc est, Apostolum Paulum ciuem Romanum esse, cum tamen fuerit Tarsensis, Tarso Cilicia vrbe oriundus?

Docent ha antiquitates, non tantùm eos ciues Romanos esse, qui in vrbe Roma domicilia haberent: sed eos etiam, qui siue in municipijs, siue in Colonijs, siue in Prouinciis habitarent, iure ciuitatis Romana essent donati, Ciliciam autem prouinciam Romanorum fuisse, quam M. Tullius Cicero, insignis ille Orator pro Consule rexerit, notissimum est.

Iamque ciues Romani erant eo, quo dixi modo, hoc priuilegio erant ornati, vt non liceret in eos animaduertere virgis, quod cautum erat legibus Porcia, & Semproniis, qua in huius libri parte altera cap. 2. recitantur.

Est praterea & illud non minus iucundum, quàm vtile, conferre has leges cum legibus diuinis, & videre in quibus conueniant, in quibus non. Conueniunt autem dubio procul quamplurima, id quod ostendit vetus Iurisconsultus Licinius Rufinus in eo libro, in quo leges diuinas cum legibus populi Romani contulit. Et quod Basilius grauis Doctor Ecclesia de Philosophicis & Ethnicis Gracorum auctorum disputationibus scripsit, legendas eas esse, quia vel eadem essent cum iis praeceptis, qua in sacris literis continentur, vel ab iis discreparent: si essent eadem, prodesse eas propter consensum: sin discreparent, conferre tamen aliquid ad confirmationem potioris. Idem etiam de legibus iudicandum est. Sed non addam plura: vos viri Reuerendi, affines colendi, rogo, vt meum hoc, qualecunque consilium boni consulere, méque porrò fauore vestro prosequi dignemini. Ratisbona, Idibus Februarij, anno à nato Christo ∞ IↃ. XX. C.

V. R.

Studiosissimus Ioannes Rosinus.

ANTI-

ANTIQVITATVM ROMANARVM Liber VIII.

DE LEGIBVS.

TANTA est dignitas, tanta vtilitas, tanta denique necessitas legum, vt sine illis Respublica nulla constitui, nec consistere possit: sed mera sit barbaries, vti omnium temporum & gentium historiæ satis superque declarant. Quid enim Spartæ laudabile gestum fuit, quam vitam ibi homines egerunt, antequam Lycurgus leges ferret, & cuique ordini ciuium sua officia præscriberet, quidque à quoque requirerent, doceret? Quam eleganter Solon Rempublicam Atheniensium instituit, leges ferendo, & quemcunque ordinem certis quasi cancellis circumscribendo: immo verò Deus ipse, cum populum Iudaicum sibi præ omnibus aliis gentibus eligeret, certas ipsi leges præscripsit, iuxta quas Deum colerent, & vitam suam agerent. Quem morem omnibus hominibus communem, Romani quoque obseruarunt. Quamprimùm enim Vrbem Romulus condidit, certas proposuit & tulit suis ciuibus leges, quæ postea augescente in immensum multitudine, necessitate nonnunquam requirente, interdum hominum libidine impellente, mirum in modum sunt multiplicatæ, id quod veteres scriptores nō semel grauissime querūtur. Quare cum proposuerim mihi in hisce commētariis Rempublicam Romanam describere, & quantum fieri potest illustrare, leges omittendæ non fuerunt. Nulla enim Reipublicæ pars est, quæ in iis non attingatur.

Collegerunt patrum ætate quasdam leges Pomponius Lætus, Conradus Celtes, Aymarus Riuallius, eosque secuti nostro tempore Vdalricus Zasius Brigantinus, ad cuius legum catalogum annotationes adiecit Ludouicus Caranda Parisiensis, Paulus Manutius, Franciscus Hotomanus, Pandulphus Prateus, quorum omnium labores summam laudem merentur, & proterea lectione & cognitione sunt dignissimi. Non tamen me à simili conatu deterruerunt, quin eorum vestigiis insistens, idem tentarem: præsertim, cùm vel maximè in his rebus valeat tritum illud, *Dies diem docet*, semperque posterior dies aliquid inueniat, quod prior ignorauit. Quare non improbaturos spero antiquarum literarum amantes hoc meum studium, quod ipsorum commodis & vtilitati consulere cupiens, ea quæ multis plurimorum libris de Romanorum moribus & institutis tradita sunt, vno quasi fasce comprehenderim: id quod in hoc de legibus libro, si non præstiti, certe tamen volui. Omnes enim leges, quæ apud illos, quos modo nominaui, scriptores, reperiuntur, in hunc librum conieci. Nec eas solùm, verum etiam alias, quæ ab illis ignoratæ, aliorum nonnullorum recentium scriptorum cura & industria inuentæ sunt, addidi, vt quiuis, qui hunc nostrum catalogum cum aliorum indicibus vel commentariis conferre volet, videbit.

Cæterum antequam ipsas leges recitem, non puto rem ingratam lectoribus me facturum, si quædam generalia de legibus & more rogandi eas apud Romanos obseruato, repetam: id quod sequentibus tribus capitibus breuissime facere conabor, à vocabulorum aliquot, quæ huc pertinent, explicatione initio sumpto.

Ad librum Octauum.

PARALIPOMENA.

Leges necessariæ, legislator parere sibi debet. Iuri innituntur, eas diuersis populis qui primi tulerint, & an mutandæ sæpius, legum senium, iuuentus.

NVlla respublica sine certo legum præscripto stare, multo minus florere potest, nam lex dicitur non immerito, *Reipublicæ anima.* Liborius à Bodenstein libr. 1. Iurisprudentiæ Politicæ, siue Arcanarum disquisitionum cap. 13. ideoque vel præcipua fuit statum solidum fundaturis ratio, vt à legum latione exordia desumerent: vt quicunque reges essent, iidem & leges ferrent, & legibus à se latis seipsos obstringerent, habenturque legislatores veluti à Deo ipso missi. Corip. libro 4. Numid.

Legislatores statuit Deus ipse per orbem.

Neque vllus eorum repertus est, qui non edoctum se ab aliquo Deo fingeret leges quas populo traditurus esset, tum quo suam fidem liberaret, cum quo maius pondus possent præscripta ipsius habere, altiusque in singulorum mentes descendere. pie & Christiane Manuel Paleologus Augustus in præceptis illis vere aureis Educationis Regiæ ad Ioannem Filium. tit. 51. εἶη δ᾽ ἂν καὶ βασιλεὺς ἀγαθὸς, καὶ νομοθέτης χρηστὸς, καὶ κριτὴς ὡς ἄριστος ἄρχων, καὶ νομοθέτην, καὶ κριτὴν ἑαυτοῦ ποιούμενος, καὶ μιμούμενος τὸν αἰώνιον αὐτοκράτορα, τὸν αὐτῷ τὸν σκῆπτρον ἐγχειρίσαντα. *sed idem quoque bonus rex erit & legislator vtilis & præstantissimus iudex, si principem, & legislatorem, & iudicem sibi ipse constituet, proque viribus imitabitur æternum illum Imperatorem, qui sceptrum ei dedit in manus.* pulchre & apposite D. Synæsius Epist. 2. ἀσφάλεια μεγίστη τὸ φοβεῖσθαι τοὺς νόμους: *securitas maxima timere leges.* Ammian. Marcell. libr. 14. *ideo vrbs venerabilis post superbas efferatarum gentium ceruices oppressas latasque leges fundamenta libertatis, & retinacula sempiterna, velut frugi parens, & diues, & prudens, Cæsaribus tanquam liberis suis regenda patrimonij iura permisit.* Antiquus poeta Incerti nominis in fragment.

Iuri seruitium defer, sic liber haberis.

Itaque non nisi primarij authoritate viri, aut principes ipsi leges poterant conscribere, neque facile ab aliis sibi eas imponi vulgus patiebatur. Q. Symmach. libro decimo Epist. 33. *Imperator parens est legum.* Receptumque omnium pene gentium temporumque memoria, vt ad legum latarum obseruantiam inuitarentur inferioris sortis homines, exemplo potentum, qui primi eas custodire cogebantur, & præsertim illi ipsi, qui eas tulissent. T. Liu. 3. Decad. libro 8. *si quid iniungere inferiori velis, primum in te, ac tuos recipias, necesse est, si ipse ius statueris, quo facile eius omnes obedientes habeas.* Valer. Maxim. libro octauo capite 6. titul. 3. *Stolo cum sanxisset: ne quis amplius quam quingenta agri iugera possideret, ipse mille comparauit, dissimulandique criminis gratia, dimidiam partem filio emancipauit, quam ob causam à M. Popilio Lenate accusatus, primus sua lege cecidit, ac docuit nihil aliud præcipi debere, nisi quod primo quisque sibi imperauit.* D. Augustin. libro de vera religione capite 31. *lex etiam ipsa sit, secundum quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus potest.* Hincmar. Rhemensis Archiepiscopus Epist 6. capit. 10. Aureis vere literis consignandum illud Theodosij & Valentis edictum, leg. 4. Cod. de legibus & constitutionibus Princip. *digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri, adeo de authoritate iuris nostra pendet authoritas, & reuera maius est imperio, submittere legibus principatum, & oraculo præsentis edicti quod nobis licere non patimur, aliis indicamus.* quod vtique adeo verum censetur esse, vt *pactum ciuitati præstitum, princeps non valeat rescindere.* sic enim loquuntur Iurisconsulti. pariaque reperire est apud Paulum IC. lib. quarto Receptar. sententiar. titul. 5. *testamentum, in quo Imperator scriptus est heres, inofficiosum argui potest, eum enim qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare conuenit.* Aurel. Cassiodor. libro quinto Epist. 18. *volumus enim hoc exemplum à nostris prædiis inchoare, vt nulli grauis sit iussio, quæ constringit & principem.* & quanquam *princeps sit solutus legibus*, vt loquitur Vlpianus lib. 31. ff. de legibus (pulchra sunt illa Antiochi apud Plutarchum in Apophthegmat. & Tiberii Cæsaris, referente Nicepho. Callisto libro primo histor. Ecclesiast. capite 17. *si quid contrarium legibus per epistolam iussero, nolite parere, sed me ignoratione lapsum credite.* neque absimilia habet Xiphilinus in M. Antonino Philosoph. D. Ambros. Epist. 32. *cum leges præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi, leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* apud Ægyptios non minus reges, quam priuati legibus tenebantur. Diodor. Sicul. libro secundo, Salomonius libro primo de Principatu. Vida libro 2. de Reip. dignit. *magistratus, gubernatores, regé quoque obedmunt quoque i, si le, ibus id est rectæ rationi.* de Ptolomæo rege Aristeas Historicus, & accurate Osorius li. 5. de Reg. Institut. *est eiusdem leges dare, & defendere,* inquiebat Carolus Magnus. Ægydius Carrocetus lib. de

lib. de dictis Memoralibus (licet Augustus monarchiæ iaciens fundamenta, Imperatorem esse supra leges voluerit, vt ex narratione Dionis Cocceiani lib. 53. probauit L. Charondas IC.) tamen præclarum est illud regis Theodahadi apud eundem Cassiodorum lib. 10. Epist. 16 *cum possumus omnia, sola nobis licere credimus laudanda*, quod à Guilhelmo Fornerio notatum video. At quod Vlpianus superius de principum potestate disseruerat, exprimitur ab Henrico Stephano metricis legibus, Asinate 33. Musæ monitricis, & eam reicit sententiam.

A: Vlpiani id inquit ... sententia
Euinc... e potest ips... quod n... bis negat
Princeps ... ille ... solus ... st.
Leges ad omnes ita verbi qui r fert
Is Vlpiani vel sciens, vel insciens
Detorquet alio verba, dum causæ s... æ
Seruire vult hæc, &c.

At quis genuinus sit legis antea productæ sensus, quæq; vera Vlpiani mens, ... eruditissime explicatum est à G. Barclaio ... & cognato meo, nuper professorum Andegauensium Decano. In laudato Contra Monarchomachos opere libro tertio capite 15. neque facile admittendum, quod asserit Georgius Bachananus, cætera laude dignissimus, in Dialogo *de Iure regni apud Scotos*, leges inuentas ad coercendos reges, & in ordinem à subditis cogendos, nam non est in illos legum vlla *vis compulsiua* sed *directa* tantummodo, quatenus ipsi legibus à se scriptis vltro obligant, non quod cogantur, aut cogi ab vllo possint, aut debeant, sed quod ab eorum exemplo dependere popularis soleat multitudo. vnde præceptum salubre Pyttaci Sapientis apud D. Ausonium in ludo de Septem sapientibus.

Pareto legi, quisque legem sanxeris.

Iacob. Sannazarius ad Federicum regem in Epigr. ex Ouidio lib. 6 Fastor.

Publica nimirum tunc res sibi constat, & aequum
Imperium, cum rex quod monet ipse facit.

Sidon. Apollinar. Carm 5. v. 554.

------- sic agmina voce
Erigis, exemploque tuas, primusque labores
Aggredeus, quoscunque iubes, tum cætera parent
Turba libens, seruit propriis cum legibus auctor.

Claudian. de 4. Hon. consul.

In commune iubes si quid, censesque tenendum,
Primus iussa subi, tunc obseruantior aequi
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi, componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita regentis,
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Posteriorum verborum sententia adeo certa est, vt nusquam aliter contigisse prodant historici omnium sæculorum, scriptoresque alij. Aur. Cassiodor. lib. 3. Epist. 12. *facilius est errare naturam, quam dissimilem sui principes posse formare rempublicam.* Ex Aristide celebratum est illud obseruante Iano Grutero, *Coryphæo saltator, gubernatori nauta, oratori auditor, principi populus paret.* Isocrat. ad Nicoclem. ... *Nec ignores totius ciuitatis mores ad exemplum magistratuum confirmari.* Epistola Antigoni Macedonum Regis ad Zenonem Cittiæum prodente Diogene Laertio lib. 7. pag. 439. ... *nam cuiusmodi fuerit dux, talis plerumque fieri subditos necesse est.* quod in legibus ferendis id multum momenti obtineat, docet vel vnica Ciceronis exclamatio lib. 3. de Legib. *quæcunque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo secutam.* Id contingere videri posset, quod *princeps sit caput, subditi membra*, vt loquitur Lactantius lib. 6. Diuinar. Institut. cap. 9. vel *ille anima illi corpus.* Maxim. Tyrius Serm. 41. eleganter Iustinus Martyr quæst. 138. *vt homo corpore constat, & anima, ita regnum ex rege, & iis qui reguntur, & vti vitia ab anima in corpus deriuantur, ita à rege in populum.* Exempla qui volet, repetat ex Hegesandro & Satyro, antiquissimis scriptoribus apud Athenæum lib. 6. Ptolomæus rex *luxuriæ se tradidit*, *regisque mores* (verba vtar ex Iustini libro 30.) *tota secuta regia.* de *Vitellio* C. Tacit. libro secundo histor. de *Pleminio* T Liu. Decad. 4. libro 9 de *Antiocho* Valer. Maxim. libr. 9. capit. 1. de *Valentiniano* Ammian. Marcell. lib 30. de *Theodosio* Pacat. Latin. in paneg. de *M. Antonino Philosopho* Herodian. libro primo. de *Catone Vticensi* Plutarch. in eo. quanquam non par semper totius ciuitatis ac principis consensus, facilius enim populus regem in deteriora pronum sequitur, quam virtutis tramitem capessentem. D. Gregor. Nazianzen. in Apologetico ob fugam in Pontum. D. Chrysostomus Orat. 6 ad pop. Antiochen. C Sallust. in Iugurthina *flagitiosissima facere facinora, sicuti morem Imperatoris sui.* Arrian. in Dissertationibus Epicteti libro 3. capite 4. Et ante omnes istos, quos produxi Plato libr. quarto de legibus, cuius verba sic Latine sonant. *nullo*

labore, sed exemplo opus tyranno, vt ciuitatis mores mutet. Certè *rege Ioa à cura religionis desciscente, totus populus desciuit.* Flau. Ioseph. lib. 6. Antiquit. Iudaicar. cap. 8. & *exemplo regum immodicus luxus in Persidem primum inuectus.* Xenoph. Cyropæd. libro 8. hæc etiam Gruterus notat. poëtæ eodem sensu. L. Sen. Thyeste Act. 2. sc. 1.

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Sophocles in Philoctete v. 284.

διδασκάλων λόγοισι γίγνονται κακοί.

Regentum exemplis fiunt mali.

M. Martial. lib. 9. Epigr. 81.

Nemo suus, hæc est aulæ natura potentis,
Sed domini mores Cæsareanus habet.

Claudian. lib. 1. de Laudib. Stilichonis.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Vtque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Leges *in naturalis iuris æquitate fundabant*, quare nisi naturæ inniterentur, non censebantur legitimæ, vt verbosissime probauit Cic. lib. 1. de legibus & sæpissime *iura* & *leges* coniungunt. Q. Symmach. lib. 2. Epist. 87. *vox iuris ac legum est, bonæ fidei contractum non posse rescindi.* Freculph. Lexouiens. Tom. 1. lib. 2. cap. 17. *iisdem temporibus Minos leges ac iura constituit.* Q. Aurel. Cassiodor. lib. 8. Epist. 12. *vos leges dicitis, dum nos iura condimus.* In MSS. melioris notæ codicibus diserte habetur, *vox legum diceris*, rectissime, nam quæstores, quorum formulæ ibi describuntur, vox Imperatorum dicebantur. Claudian. de Consulatu Manlii Theodori.

-------nec dignius vnquam
Maiestas meminit sese Romana loquutam.

Sed & alij *leges iuráque* simul extulerunt poëtæ. D. Iuuenal. Sat. 8. vers. 54.

-------Iuris nodos, ac legum ænigmata soluit.

Corippus Africanus in panegyrico Anastasij quæstoris.

Principis auspicio iura ac leges gubernans.

Et libro 1. de laudibus Iustini Minoris Augusti Num. 1.

Compositor morum, iuris legúmque sacerdos.

Q. Horat. lib. 1. Satyr. 1.

Agricolam laudat iuris legúmque peritus.

M. Accius Plautus in Epidico sc. *caue præterbibas* in fine.

Atque me minoris facio præ illo, qui omnium
Legum atque iurium fictor, conditor cluet.

Et iam de iis agamus, qui salutari suo adminiculo, populis sine certa lege viuentibus subuenerunt, legésque stabiles fixerunt mensurásque, quædam delibaturi ex Fr. Patricio in præfat. ad libr. primum de Republ. *Multi Græcorum de ciuili societate scripserunt, & inprimis Pythagoras Samius, à quo Crotoniatæ, omnésque ferè Italiæ populi præcepta Reipublicæ acceperunt, summa laude extulerunt duos Pythagoræ discipulos veteres, Zaleucum, qui leges Locrensium scripsit, & Charondam, cuius institutis vsi sunt Cappadoces: fuerunt etiam Pythagorici Parmenides & Zenon, qui Eleam Lucaniæ vrbem communem patriam ciuilibus præceptis optimè instituerunt. Tarentini quoque Pythagorica præcepta tenuerunt, & Architam egregium ciuem quasi præceptorem popularis disciplinæ diutius obseruauerunt. Hippasus Lacon patriam Rempublicam scripsit quinque voluminibus. Eudoxus Cnidius ciuibus suis leges, & ciuilia præcepta tradidit, sicut & Protagoras, Abderites Tyriis, Phaleas Carthaginiensibus, Ephorus Cretensibus, Hippodamus Milesius de optimo Reipub. statu etiam scripsit, sit & Heraclitus Ephesius, Æschynes etiam Milesius inter scriptores habitus est. Zeno Citticus Stoicorum princeps de ciuili societate libros edidit, eius auditor Chrysippus ea licentia de Republ. scripsit, qua pleraque alia, nam & matrum & filiarum congressus permisit & alia multa, quæ sermonem reformidant.* Subiungit deinde de Platone, Aristotele, Cicerone, aliisque Legislatoribus: ad quorum veluti æmulationem ad imitationem suum componit studium. At sigillatim videamus. Sed ante omnia perpendenda est legum diuisio, nam aut *humanæ*, aut *diuinæ*, aut denique *Naturales*. Iouianus Pontanus libro primo de Obedientibus naturalibus *à brutis homines discernuntur.* Aul. Gell. libro 6. capite 14. Eduard. Velton de trip. hom. offic. libro tertio pagin. 375. súntque illæ omnibus aliis antiquiores, non in tabulis scriptæ, sed mentibus impressæ, multúmque quibuslibet aliis efficaciores. Tertullianus libr. aduersus Iudæos in limine. easque ex Iustiniano August. νόμους ἀγράφους *leges non scriptas* dixit Lilius Gyraldus in progymnasmat. aduers. lit. pagin. quarta centesima trigesima secunda, humanæ *vnum populum hominémue ab alio distinguunt*, diuinæ *ad cælestem conditionem fragilem hominum & caducam exigunt sortem.* Iul. Barbaran. officinæ Promptuario Tom. 3. pag. 258. de vltimis loqui non potuerunt illi quibus nondum diuinæ bonitatis sese aperuerat facies, at de primis duorum legum generibus sumenda sunt, quæcunque ab illis prodita, de quibus videatur I. Simancha Pacensis Collectaneorum de Republica toto libro quarto: causas cur ferrentur, recenset Cicero Oration. in Vatinium, *vt ciues suos incolumes conseruarent.* aut vt

idem

idem ait lib.2. de legib. *ad salutem ciuium, ciuitatúmque incolumitatem, vitámque hominum & quietam, & beatam.* Aut vt Aristides oratione Platonica 1. *vt nihil damnosè iniusti patiantur ciues, nec mali & audaces, probis potiores essent.* ita enim Latinè sonant verba L.Sen.lib.4.Benef.cap.12. *legem dicimus esse iusti, iniustique regulam.* Aphthon. Sophista pene ad finem progymnasm. quibus consonant Horatiana lib.1.Sat.3.

Iura inuenta metu iniusti, fateare necesse est,
Tempora si fastóque velis euoluere mundi:
Nec Natura potest iusto secernere iniquum,
Diuidit vt bona diuersis, fugienda petendis.

Ouid.lib.3.Fastor.

Inde datæ leges, ne fortior omnia posset,
Cœptáque sunt pure tradita sacra coli.

Ad legislatores regredior. fabulosa poetarum inuolucra ad Cererem legum inuentionem referunt, quare & eam *legiferam* appellarunt, vt relatum à Seruio Honorato ad v.56. lib.4. Æneid. videantur Critici de Thesmophoriis. lib.2. hujus operis supra expositum est. nec minus fabulosum, Saturnum Italos legibus à se latis formasse. P.Virgil. lib.8.Æneid.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legésque dedit, Latiumque vocari
Maluit: his quoniam latuisset tutus in oris.

Bacchum postea legislatorem fecere, Arrianus lib.8.de Gest. Alexandri, & Diodor.Siculus lib.3. bibliothec. cap.10. hic vt Indos à se belli iure separatos mansuetiori legum cultu imbuit, ita *Corinthios Phidon*, Aristotel.lib 2.Politicor.cap.4. Milesios Hippodamus, eiusdem libri cap.6. *Ænotrios Italus*, Idem lib.7.Politic.c.10. *Lesbios Macarius, Cyrenaici Ionis filius*, Diodor. Sicul. lib.6.cap.16. *Mantinenses Nicodorus pugil.* vt narrat Ælianus lib.2. var.histor.cap.23. *Rhegynos Charondas.* Heraclides lib.de Politiis. Legimus etiam *Cadem*, vel vt alij appellant *Caladem* Atheniensibus iura constituisse. Pausan. lib. 1.qui de Atticis est.Locros Epizephyrios Zaleucus institutis ciuilibus informauit.Ioann. Stobæus Serm.42. Ζάλευκος ὁ τῶν λοκρῶν νομοθέτης. *Zaleucus Locrensium Legislator.* Hierocles oratione *quales in patriam esse debeamus*, Cuius verba Latino idiomate donata, hæc sunt. *Cæterum ego Zaleucum Locrensium legislatorem probo, quod sanciuit, vt quisquis legem nouam introducturus esset, circumposito ceruici laqueo id facere deberet, vt author eius mox suffocaretur, nisi eximiam vtilitatem nouæ legis ad antiquum reipublicæ statum declararet comparatæ.* Ephorus apud Strabonem Amasianum Geographiæ lib.6.M.Tull.lib.2.de legib. *id mihi credo faciendum, vt priusquam ipsam legem recitem, de eius laude dicam, quod idem & Zaleucum & Charondam fecisse video. cum quidem illi non studij & delectationis, sed reipublicæ causa leges ciuitatibus suis scripsirunt.* Et deinde apud eundem Tullium Timæus negat vllum vnquam fuisse aut extitisse Zaleuchum, quod tamen & Theophrastus, & concors Locrensium consensus asseuerat. Aristot. lib.2. Politic.cap.10. *Is vinum ægrotis prohibuit, iniussu medici, pœna capitis indicta*, vt verba Raphaelis Volaterrani vsurpem Commentarior. Vrbanor. lib.20. extatque constitutio in varia Æliani historia lib.2.cap. 37. leges eius *saluberrimas vtilissimasque* appellat Valerius lib.6. cap.5. tit.penult. nisi quod ibi *Zeleucus* pro *Zaleucus* scribitur, sed facile est illud vnius elementi deliquium corrigere. Marcianus Heracleota in Periegesi, seu orbis descriptione v.314. de Epizephyriis loquitur.

τούτοις δὲ πρῶτοι φασὶ χρήσασθαι νόμοις
γραπτοῖσιν, οὓς Ζάλευκος εὑρηκὼς δοκεῖ.

Vertit Federic. Morellus Regius literarum Græcarum possessor, vir optime non de isto modo, sed & de tota re literaria meritus.

Hos legibus primum exaratis asserunt
Vsos, Zaleucus quas tulisse dicitur.

Zamolxis etiam *Thrax*, præclaram nauauit operam in legibus præscribendis *Getis*, qui è Scytharum sunt genere, & deinde ob insigne beneficium in deorum numerum est relatus, numenque habitus, quod primus inter gentes *diuinum cultum religionemque sanxisset.* Idem Volateran. libro octauo, Comment.pag.242. Suidas in voce *Ochus.* hic est ille quem *Saturni nomine* colunt Getæ, Mnasca historico authore. at contra aliorum sententiam Hellanicus *Græcum* fuisse scribit, *non Thracem*, cui contradicit lib.4. Herodotus, qui illum & *Scytham* & *Pythagoræ seruum* contendit. quod placuisse video Phauorino cultissimo Philosopho, cuius hæc sunt apud Stobæum Serm.6.relata verba Ζάμολξις οἰκέτης ἦν Πυθαγόρου, καὶ μετὰ τελευτὴν αὐτοῦ ὑπὸ τῶν... *Zamolxis famulus erat Pythagoræ, & ab illius temporis hominibus adorabatur.* Meminere huius, legúmque ab eo latarum Strabo libro septimo. Diodorus Siculus. libro secundo. capit.quinto.

Charondas, vt quibusdam placet, *Carthagi-*

Lat. Gratian 33. quæst. 1. cap. 1. & Gregorius 9. cap. 10. forus ext. de verbor. significat. Alexander ab Imola in lib. 1. ff de Iurisdict. omnium iudic. quod autem Valerianus dixit, *manum porrigas*, formulari vsus est voce. Q. Symmach. lib. 2. Epist. 79. *ergo accurrenti religiosam manum porrige.* Idemque sæpe alias, sed maxime libro 3. Epistola 61. *porrige igitur, oro te, adiutricem manum legitima præmia ex more cupienti.* Aureli. Cassiodor. libr. 4. Epistola 26. *necesse fuit circa vastatione detectis porrige e dexteram salutarem.* sic poetæ. Magn. Fel. Ennod. Ticinensis Carm. lib. 1 Num. 7.

Porrige dextram
Nominis almi.

Licentius in Carmine eleganti illo ad Augustinum.

Nec mirum, licet omnis enim mea cura legendi
Te non dante manum, & consurgere sola veretur.

Coripp. lib. 1. Num. 1.

------Sanctam mihi porrige dextram.

Guntherus Liguri ni libr. 1.

Porrectáque manu, magno sub fasce labantem,
Oppressumque metu, siquidem potes, erige vatem.

Et illis omnibus antiquior P. Ouidius libro 4. de Ponto eleg. 5.

Ad te mansuetas porriges ille manus.

Idémque loquendi modus & apud Græcos inualuit. Pindar. Pythior. od. 4.

[illegible Greek]
[illegible Greek]
Scey autem forti viro amicas
Porriget ans dexteras.

Sed reuertor ad propositam quæstionem, quam dirimit M. Melchior Iunius Politicar. quæstion. parte 3. quæst. 19. ac quod lex & possit, & debeat mutari, ratio ipsa probat, *nam ab hominum voluntate dependet, quæ aut ipsa dubia, deinde etiam mores antiqui sæpe mutantur, tum negotiorum diuersitas, temporum & locorum, mutationes interdum flagitant: postremo leges inter se pugnant nonnunquam, aut sunt plures de eadem re scriptæ, non raro etiam ridiculæ, & stultæ.* quæ omnia conuincunt aliquando necessarium esse legum abrogationem, nouarúmque inductionem, & rationem, vti probatum videbis apud Aristotelem libr. 2. Politic. cap. 6. Platonem libr. 6. de Legibus Catum Oxoniensem in loco Aristotelis laudatum: Æschinem in Cresiphontem, Iustinianum Aug. Constitut. 13. T. Liuium 4. Decad. lib. 4.

Perniciosam tamen esse legum mutatioñe censuere in antiquis plerique, freti hisce rationibus, quod lex nihil aliud sit, quam *mens arcana Dei*, qui Hierocli Philosopho in aurea Pythagoræ carmina, [Greek] *deus deorum* appellatur, & [Greek] *deus summus*, & [Greek], *mundi factor*, & [Greek] *optimus artifex.* Porphyrius libro 3 de Abstinent. carn. & cum mens illa æterna semper se eodem modo habeat, sequitur legem debere esse immutabilem, aut certè si à diuina lege ad humanam transgrediamur, *illa causam à principe, robur à consuetudine sortitur: vtriusque contemptum adfert crebra legum mutatio.* Prudent. in Rom. Martyre.

---------- vel quod hostem publicum
Pati necesse est, soluere pænam sanguine,
Spreuisse leges, respuisse principem.

Deinde mutatis legibus *manat perniciosa consuetudo non obtemperandi magistratibus.* verba sunt Ioachimi Perionij vertentis Aristotelem loco proxime laudato. Tertio experientia docet *tutius eos degere, qui iisdem legibus etiam malis vtuntur constanter eodem modo rempublicam capessunt, quam qui mutationibus gaudent.* Thucydid. libr. 3. Accedit, *quod negotiis præfectis melius & rectius olim prouisum, & quos sæpe mutatur, nonnunquam in deterius abiisse* C. Tacit. libr. 14. Annal. quod quam exitiale censuerunt Locrenses, discere possumus ex Oratione Demosthenis in Timocratem. & pessime Thuriorum reipublicæ consultum per eandem legum mutationem scribit Diodor. Siculus libro duodecimo.

Hinc deriuatum existimo, vt *senium legum*, aut *iuuentutem* vsurparint authores; quod multis ab eruditissimo Fr. Iureto obseruatum video. Constantinus Aug. lib. 23. C. Theodos. de Appellat. *iubet consenescere legem quæ vetabat à præfecti vrbis sententia prouocare.* A. Gell. libro vigesimo, capit primo. *passus est enim leges istas de tam immodico supplicio, situ atque senio emori.* M. Tull. Orat. 3. in Catilinam. *legum interitum, ac bellum ciuile ac domesticum, & totius vrbis atque imperij occasum appropinquare dixerunt.* Ammianus Marcellin. libro 19. *senescentes* (sumptuarias leges) *paulatim reparauit Sylla Dictator.* Arnob. lib. 7. Aduersus gentes *responsum dei de ab aruspicibus editum, res sanas tristissimasque portendi ab incendiis, cædibus, à legum interitus & à iacere occasu.* Q. Symmach. libro secundo Epist. 13. *ergo quia dominorum conditio restricta est, priuatis cupiditatibus iuris occurrat medicina: figent in medio apud homines criminosos vetera decreta, quorum vigor cum lateribus suis occidit, sic rectissime legatur*, in aliis

editionibus erat, *quorum vigor cum lateribus suis excidit*, minus efficaciter. eadem enim quæ de hominibus pathemata, de legibus etiam dici solent, *vt canescere, ægrotare, viuere, mori, vulnerari*, quæque alia incommoda humana corpora insiliunt. Idem Symmachus libr.9 Epist.105. *Vtinam leges mecum valerent, quarum sanitas ab ipsis plerumque corrumpitur, quibus curanda mandatur.* Valerij Maximi locus insigni macula deformatus, vna cum legum sanitate, integritati suæ est restituendus lib.6.capit.5.tit.vlt. *ex longinquo rure, gladio accinctus, domum repetens subitò indicta concione, sicus erat, in eam processit, ab eoque qui proximus sibi constiterat, solutæ à se leges monitus, idem ego illam, inquit, sanciam, ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit.* posset videri sententia absoluta, nam contrarietas consistit inter *soluere* legem ac *sancire*, non tamen satisfacit, aliæ editiones Plantini Gryphiique, *ego illam sanciam*: sed optime Ciphanius & commodissime ex MS. codice suo, *ego illam, inquit, curabo, qui sanciani.* Titi Liuij verba huc congruunt 4.Decad. libro 4. *si quas tempora aliqua desiderarunt leges mortales, vt ita dicam, & temporibus ipsis video mutabiles esse.* Claudian. de 4.Hon. Consul.

Firmatur senium iuris, priscámque resumunt
Canitiem leges.

Illam canitiem & senium legibus assignat, vitam dat Claudius Rutilius Numatianus Itinerarij sui libr.1.

Porrige victuras Romana in sæcula leges,
Solaque fatales non vereare colus.

Eodem pacto & *minas* legum scriptores vsurpant, quasi humanis affectibus moueri possent, & *terrores*. Theodosius Nouella 3. de Iudæis. Iul.Firmic.Matern.lib.de errore profanar. religion. *minaci persequi edicto.* L.Sen. Epistol. 95. *quid aliud sunt, quàm minis mixta præcepta?* Ammian.Marcellin.libr.30.in fine: *interdictis minacibus subiectorum ceruices inclinare.* P.Ouid.lib.1. Metamorph. fabul.1. de legibus nondum latis.

---------- non verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Aurel.Prudent.in Romano Martyre.

Laqueo minacis implicatus Iuliæ.

Insuper Imperator l.11.C.ad leg.Iul. de adult. *insurgere leges, & armari iura gladio vltore* dixit. Marius Victor Orator Massiliensis lib.2. Commentarior.in Genesin.vbi de primi hominis lapsu.

---------- tibi crimina plectunt
Arma telis, leges, gladiis, & vindice ferro.

Ita vulgata præfert editio, sed melius in MS.codice Diui Benigni Diuionensis.

Armatæ leges gladiis, & vindice ferro.

Prudent.lib.2.in Symmach.

---------- fulluntur publica iura,
Lex armata sedet.

Et *duritiam* legum inflectit Theodosius. Symmach. libro 10. Epist.47. & lex *res surda.* T.Liu. Decad.libro 2.) *& inexorabilis.* leges *iratæ*.M.Fab.Quintilian.declamat.366. hanc legum *iram* interpretatur D. Ambrosius in Psalm.37. *seueritatem.* At qui plura de legibus in genere desideras, consule præter citatos hoc capite, Manutium, Fr.Balduinum, Fr. Hottomannum, Antonium Contium, Carolum Sigonium, *qui de lege Curiata Magistratuum, & Imperatorum, ac de eorum iure*, scripsit. Fr. Balleriuum, *quod rex sit subditus legibus*, talis est enim epigraphe operis, Thomam Freigium de quæst. Politic. Iacobum Tipotium, Adrianum Turnebum, Antonium Goueanum, Ludouicum Viuem, Petrum Ramum, qui in libros Ciceronis de legibus scripserunt, & Nicephorum Blemidam, qui MS. extat in Bibliotheca Vaticana Romæ, nec prodiit, denique Michaelem Psellum in eadem bibliotheca manuscriptum, qui totam *de legibus* materiam duobus libris complexus est. Volfgangum Lazium in opere de Republica Romana.

Capvt I.

Quid Lex sit, & Quotuplex.

Vocabvla Iuris, & legis sæpe pro synonymis vsurpantur. Est tamen quædam inter ea differentia. Iuris enim nomen generale est, & ad non scripta etiam pertinet: Legis autem est speciale, & ad ius scriptum tantùm refertur. Dicemus de vtroque, & primùm quidem de iure.

Ius pluribus modis dicitur. I. Significat id, quod semper bonum & æquum est: vt ius naturale immutabile. II. Quod omnibus aut pluribus in quaque ciuitate vtile est: vt est ius ciuile. III. Prætorũ edicta dicuntur ius honorarium. IV. Prætoris, & cuiuslibet Iudicis sententia ius vocatur, etiam cũ ius reddens inique decernit: relatione scilicet facta, non ad id, quod Prætor ita fecit, sed ad illud, quod Prætoré facere conuenit, vnde formula illa loquẽdi,

ius dicere. v. Ius dicitur locus, vbi Magistratus vel alius Iudex consistit iuris dicundi, aut iudicandi gratia, etiam, si domi, aut in itinere, siue de plano hoc fiat. vi. Ius pro necessitudine dicimus, veluti est, ius cognationis vel affinitatis.

Legis verò vox non tam late patet. Aut enim eandem cum iure, quod ad duo prima sign ficata attinet, vim habet, aut formam contractus, siue pactiones & conditiones notant, vnde illud vsitatum: Ea lege & conditione. Sed nos reliquis omissis, propiùs ad institutum nostrum accedemus.

Lex siue ius (hæc. n. synonyma esse diximus) triplex est, diuinum, naturale, & humanum. De iure diuino, seu lege diuina, quænam ea sit, & quo modo diuidatur, in moralem, ceremonialem, ac forensem, docent ex sacra scriptura Theologi in suis methodicis libris.

Ius naturæ, de quo hic etiam nos loquimur, quod tamen est quasi fundamentum humani, est, quod natura omnia animalia docuit. Ab Aristotele lib. 5. Ethic. ad Nicomach. sic definitur: Naturæ ius est, quod vbique locorum & gentium retinet vim suam, neque opinione ratum aut irritum est. Cicero lib. 1. de Legibus. Ius vel lex naturæ est ratio summa insita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibétque contraria. Definitio Philippi, quam in explicatione libri 5. Ethicorum Aristotelis affert, videtur esse clarior, cùm dicit: Legem naturæ esse illam ipsam notitiam principiorum practicorum & conclusionum, quæ ex illis necessaria consequentia ducũtur, diuinitus insitam mentibus humanis, non solùm de moribus ciuilibus, sed primum de agnitione Dei, & obedientia Deo debita, postea de moribus ciuilibus, qui referendi sunt ad hunc finem, vt Deus celebretur: Hoc ius in scriptoribus Ethnicis non semel gentium dicitur. Quanquam in Institutionibus iuris ciuilis ius naturæ & ius gentium distinguantur, cùm vniuersum ius priuatum, id videlicet, quod ad singulorum hominum vtilitatem pertinet, tripertitum esse docetur, collectum aut ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus. Videtur autem hoc interesse inter naturæ & gentium ius, quod ius naturale commune sit omnibus hominibus cum brutis animalibus: ius gentium autem non etiam brutis animalibus, sed tantum hominibus commune. Sic enim Iacobus Cuiacius in Notis ad Institutiones hunc locum explicans. Quæ bruta, ait, faciunt incitatione, naturali, ea si homines ratione faciant, iure naturali faciunt. Quæ bruta non faciunt, ea si omnes homines ratione faciant, iure gentium faciunt, quod & ipsum ius naturale dicitur, & bonum, & æquum, & naturalis æquitas, & naturalis ratio, & lex naturalis, & natura: Quæ autem non omnes, sed quædam hominum congregata in vnum locum multitudo, vtilitatis publicæ causa facit, ea verò fiunt iure ciuili. Hactenus ille.

Lex siue ius humanum, quod idem & positiuum, & ciuile, & scriptum dicitur, est commune præceptum, virorum prudentum consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coërctio, communis Reipublicæ sponsio. Et differt à naturali, quod hoc loquatur de genere, illud de specie. 2. quòd hoc habeat demonstrationes: illud valeat & propter rationem probabilem, Decalogo congruentem, & propter auctoritatem, quam Deus Magistratui attribuit: quem iussit addere in hac ciuili vita cùm explicationes, tum adminicula diuinarum legum: 3. quòd ius naturæ vbique idem sit, ius positiuum non vbique idem. Potest & hoc addi, legem naturæ esse æternam, leges positiuas mutabiles.

Non scriptum ius est, quod vsus approbauit, si quidem diuturni mores, consensu vtentium comprobati, legem imitantur. Quanquam & illud ius, quod ex auctoritate Prudentum constitutum est, ius ciuile, non scriptum fuisse, Iacobus Ræuardus velit, quem legere potes libro singulari de Prudentum auctoritate, capite 14. ex quo nos etiam paulo infra quædam repetemus.

Porro iuris ciuilis scripti (de hac enim propriè agimus) species recensentur à Iustiniano lib. 1. tit. 2. sex: Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratuum edicta, & Responsa prudentum.

Lex est, definitore Iustiniano, quod populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante (veluti Consule) constituebat. Atteius Capito apud Agellium lib. 10. c. 22. his verbis legem definiuit: Lex, inquit, est generale iussum populi, aut plebis, rogante Magistratu: quæ definitio à priori dissentit, quod scilicet est generalior, & ad plebiscita etiam pertinet.

Plebiscitum est, quod plebs plebeio Magistratu interrogante (veluti Tribuno) constituebat: Plebs autem à populo eo differt, quo species à genere. Nam appellatione populi, vniuersi ciues significantur, connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus, plebis autem appellatione sine Patriciis & Senatoribus, cæteri ciues significantur. Hinc à Capitone Plebiscitum definitur, lex quam plebs, non populus accipit. Verum de discrimine inter plebem & populum lib. 1. satis multa diximus.

Senatusconsultum est, quod Senatus iubet, atque constituit. Nam cum auctus esset populus Romanus in eum modum, vt difficile esset in vnum eum conuocari legis sanciendæ causa, æquum visum est, Senatum vice populi consuli. Sed & de his alio loco diximus.

Principum placita sunt, quæcunque Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit, eaque etiam sunt leges, legisque vigorem habent. Populus enim lege Regia, quæ de eius imperio fertur, ei, & in eum omne imperium suum, & potestatem concedit.

Prætorum quoque edicta non modicam obtinent iuris authoritatem. Hoc etiam ius honorarium solemus appellare, quod qui honores gerunt, id est, Magistratus, auctoritatem huic iuri dederunt. Proponebant & Ædiles Curules edictum de quibusdam causis, quod & ipsum iuris honorarij portio est.

Responsa prudentum sunt sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat, de iure respondere. Nam antiquitus constitutum erat, vt essent, qui iura publice interpretarentur: quibus à Cæsare ius respondendi datum est, qui Iurisconsulti appellabantur, quorum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, vt iudici recedere à responsis eorum non liceret, vti est constitutum. Hæ sex iuris species à Iustiniano recensentur: nos vero hac in parte tantum de illis dicemus, quæ proprie leges dicuntur, vt sunt leges & plebiscita, quæ quidem communi nomine rogationes appellantur, quia per Magistratus à populo vel plebe rogentur: quod qua ratione factum sit, & supra diximus, lib. 6. de comitiis, & sequenti etiam capite, verbis clarissimi viri Pauli Manutij, libro de Legibus repetemus.

CAPVT II.

De ratione rogandarum legum apud Romanos.

LEGES apud Romanos à Magistratibus tantùm, non tamen omnibus latæ vel rogatæ sunt. Et quia duo Magistratuum genera fuerunt, alij enim maiores, alij minores dicti, leges à Magistratibus maioribus sex tantum, Prætore scilicet, Consule, Dictatore, Interrege, Decemuiris, & Tribunis militum, vt de Regibus, & Triumuiris R.P. C. taceam: à minore vno, Tribuno plebis, rogatæ fuerunt. Præter hos nulli alij legis rogandæ potestas fuit.

Circa rogationem autem legis hæc obseruabantur. Legem laturus Magistratus, scribebat eam domi, & cum peritis consultabat: ne quid contra populi rem, aut voluntatem sanciret, ne forte pugnantia capita simul ferret: neve quid, quod vetus aliqua lex, si ferretur, inane, infirmumque iuberet esse: ne curationem, potestatem, commodúmve aliquod ipse sibi sua lege, aut collegis, cognatis, affinibus mandaret: quod leges duæ, Licinia, & Æbutia, fieri vetuerunt. Etiam illud in scribenda lege cauebatur, ne pluribus de rebus, quæ non eiusdem generis viderentur, vna rogatione ferretur, quod fieri lex Cæcilia, & Didia, & Cicero lib. 3. de Legibus prohibuerunt. Addebatur illa exceptio, vt si quid ius non esset rogari, ne esset rogatum: item, si quid contra alias leges eius legis ergo latum esset, vt ei, qui eam legem rogasset, impune esset quod fuisset tralatitium, hoc est, scribi solitum in omnibus legibus, tradit Cicero lib. 3. epistolarum ad Atticum.

Scripta lege, legislator bene de Republica sentiens, ante, quam eam promulgaret, referebat ad Senatum, vt quo plus ponderis, maiorémque vim lex haberet, de Senatus ea sententiam ferret: Popularis vero, ac seditiosus Magistratus non modo prætermissa Senatus auctoritate, sed interdum etiam contra Senatus auctoritatem legem rogabat.

Promulgabatur deinde Lex, id est, in publico ponebatur (est enim, vt ait Festus, promulgari, quasi prouulgari) vt inspiceret, qui vellet, inspectam consideraret: non solum vt intercedi posset antequam ferretur: verum etiam, vt aliquanto ante statuere cuiuis liceret, vtrum, cum ferretur, antiquanda suffragiis, an accipienda lex esset. Item vt cuiuis monere legislatorem posset, vel de corrigenda, vel omnino de non ferenda lege. Spacium autem promulgationis, quacunque de re ferretur lex, erat trinundinum, id est, per trinas nundinas, vel dies viginti septem. Cum enim nundinarum causa ex agris in Vrbem ciues conuenirent, per trinundinum leges, vt à rustica plebe ter legi, cognoscique possent, patere voluerunt.

Post tertias nundinas (nam ipso nundinarum die ferre legem non licebat, teste Macrobio libro Saturnaliorum primo, capite decimosexto) Magistratus in eum locum, vbi legem laturus erat, siue in forum, siue in campum Martium populum conuocabat. Ibi cum legem Præco, subiiciente Scriba, recitasset: tum primum quidem is, qui legem promulgarat, populo suadebat, vt

bat vt rogationem acciperet. Sed post eum alij non priuati modò, quibus ab aliquo Magistratu concio dabatur (nam alioqui concionandi potestas priuatis non erat) verum etiam quandoque Magistratus, pro suo quisque censu ex Rostris, si in foro, ex suggestu, aut alio editiore loco, si in campo Martio comitia haberentur, vel suadebant, vel dissuadebant. Cum suaserant, dissuaserantve legem, tum præeuntibus Sacerdotibus, vt Dionysius scribit, & diuina exponentibus, sitella, vel vrna deferebatur: in quam, siue tribuum, si Tributis comitiis lex ferretur, siue Centuriarum, si Centuriatis, nomina conijciebantur: deinde, sortibus æquatis, hoc est, ita agitata sitella, ne qua sors subsultaret, atque exsisteret, sed pariter omnes æquatæ iacerent, sortitio fiebat, quæque prima vel Tribus, vel Centuria, quæ secunda, quæ tertia de sitella exisset eundem, quem sors dederat, in suffragio ferendo locum, atque ordinem obtinebat. Hæc dum agerentur, si quis Tribunus plebis legi vellet intercedere, locus erat. Nunquam enim ante suasionem, dissuasionemque intercessio locum habuit. Tribuni itaque plebis, quorum propriè intercedendi ius erat, edita voce illa VETO, de qua mentionem facit Liuius lib. 6. intercedebant.

Præter hanc Tribunorum plebis intercessionem etiam aliæ tres caussæ referuntur, quæ, quò minus promulgata, lex perferri posset, impedimento fuerunt: prima, cum is, qui promulgarat, vel amicorum precibus adductus, vel Senatus auctoritate commotus, vel ipse sua sponte consilium mutabat. Altera, cum neque intercedente Tribuno, neque eo, qui promulgauerat, consilium mutante, Comitiales dies, id est, eos, quibus agi cum populo licebat, Consul eximebat, vel supplicationibus decernendis, vel feriis indicendis, non solum iis, quæ Latinæ dicebantur, quas indicere soli Consules poterant, sed etiam iis, quæ Imperatiuæ, quas non modo Consulibus, verum etiam Prætoribus ipsorum arbitratu licebat imperare. Tertia caussa, auspicia erant, quorum duo fuerunt genera: vnum, quo Magistratus tantùm vtebantur, quæ Spectio dicebatur, vel de cœlo obseruatio: alterum genus ad Augures pertinebat cum ex auium signis, id est, volatu, cantu (tripudij enim animaduersio huc non pertinuit) auspicium faciebant. Nam si quid aduersi vidissent, aut audiuissent, id nunciantes, Comitia impediebant, teste Cicerone libro 2. de Legib. Illo autem priore genere, vel si aduersi nihil esset, ipsa tamen per se spectionem impediebat, quod à Dione lib. 6. traditum est. Obnunciatio autem, quæ Augurum erat, duarum rerum obseruatione fiebat, vel cùm de cœlo fulsisset, aut tonasset: vel cùm aduersa portenderent, qua de re alib. plura.

Sortitione Tribuum, aut Centuriarum facta, dicebat is, qui legem ferebat: Si vobis videtur, discedite Quirites. Significat autem verbum discedere, hoc in loco, vt annotat Asconius Pædianus, non quod in communi consuetudine est, de eo loco vbi lex fertur, discedere: sed in suam quisque Tribum discedere, in qua est suffragium laturus. Cùm igitur de cõcione iussi discedere, in suam quisque Tribum, aut Centuriam abiisset, priuati quidam homines, qui de lege laborarent, ipsi, ne quid fallaciæ committeretur, aut tabulas distribuerunt, aut distribuentibus præfuerunt, idque diribere proprio vocabulo dicebatur, quod muneris fere obiri, curarique ab iis solebat, qui neque ætate graues, neque gestis honoribus insignes admodum essent. id tamen sibi à senibus, & à dignitate præstantibus præcipue contigisse, gloriose commemorat Cicero in Pisonem.

Diribebantur, vel distribuebantur cuique duæ tabulæ, quarum vna his duabus literis erat signata, V. R. id est, vti rogas: eamque legem accipiebat, vti Magistratus rogauerat. Altera notata erat litera A. quæ valebat, Antiquo, hoc est, nihil nouari volo, antiqua probo, & , vti explanat Festus, in morem pristinum reduco. Appositi etiam erant in quaque Tribu aut Centuria, pontes, si Tributa Comitia essent, pro numero Tribuum triginta quinque, si Centuriata, CXCIII. (tot enim erant Centuriæ) vt per suum singulæ pontem suffragium ferrent. Alioqui negotium longi temporis, nec sine perturbatione aliqua fuisset, si ponte vnico Tribus omnes, aut Centuriæ transire cogerentur. Pontes autem dicti, quod extructæ ad tempus mensæ satis angustæ, præsertim post legem Mariam, pontium similitudinem haberent. Pontibus impositæ erant duæ cistæ oblongæ, vna in capite pontis, altera in fine, iisque custodiendis certi homines in Comitiis præerant, qui, Plinio lib. 13. cap. 2. teste, Nongenti sunt appellati. Per pontes eos transibant ad lationem suffragij, tabellis acceptis in prima pontis parte, quas in extrema redderent Primo loco ea tribus, eave Centuria, quæ omnium Tribuum, aut Centuriarum nominibus in sortem coniectis, prima de sitella sorte exierat, suffragium ferebat: eaque prærogatiua dicebatur, quod prima rogaretur à Magistratu, qui Comitia habebat. Et is quem Magistratus legem ferens, in prima Tribu vel Centuria, primum sententiam rogabat, dicebatur primus. Deligebat autem quem & dignitate præstare, & rogationi suæ præter cæteros fauere iudicabat: & erat quodammodo legis ornamentum, cum is eam sciscebat primus, cuius in ciuitate non leuis esset auctoritas.

autem sunt dies & horæ. Non omnibus diebus licebat legem ferre, sed cùm alii essent fasti, alij nefasti, fastis tantum id licebat, neque tamen his omnibus, sed tantum Comitialibus, nisi de cœlo seruatum esset. Quod si Comitialibus de cœlo seruaretur, etiam iis legem ferre non licebat. Publius autem Clodius Tribunus plebis, Ciceronis, ac bonarum partium inimicus, vt armaret immoderata licentia Tribunitiam potestatem, dierum discrimen & auspiciorum imperium sustulit. Neque enim tantum, vt omnibus plane fastis ferri lex posset, verum etiam, ne quis per eos dies, quibus cum populo liceret agi, de cœlo seruaret, rogationem tulit, idque postea seruatum esse, ex Cicerone videmur posse colligere. Horæ verò, quibus agi cum populo posset, omnes erant intra ortum Solis, & occasum, reliquis non licebat.

Ad causas legum quod attinet, variæ illæ fuerunt, vti in ipsa legum recitatione conspicietur, vna tamen vel præcipua fuit, quod à malis & corruptis moribus illæ manarint. Absque his enim non opus fuisset legibus. Itaque vt esset bene viuendi norma, legem inuentam esse, manifeste cognoscitur.

Legum potestas hæc fuit, vt eo, quod erat legibus sancitum, omnes Quirites tenerentur, vtque vigerent vsque dum alia lege abrogarentur, nec paruo spatio terminarentur, aut annuæ tantum essent, vti Prætorum edicta. Abrogari tamen omnes licebat præter Sacratas. Cautum autem erat XII. Tabulis, vt quod postremum populus iussisset, ius ratumque esset. Quinetiam à Senatu nonnunquam leges, quæ non videbantur esse ex Republica, sublatæ sunt. Erant autem quatuor omnino genera, quibus per Senatum more maiorum statueretur aliquid de legibus: vnum eiusmodi, placere legem abrogari, vt Q. Cæcilio, M. Iunio Coss. quæ leges rem militarem impedirent, vt abrogarentur. Atque hoc genere non abrogabat legem Senatus (nam abrogare propriè populus dicebatur) sed vt abrogaretur, statuebat. Vt tamen eiusmodi abrogatio caueretur, in sanctione legum adscribi solebat, ne per Saturam abrogari, derogarive liceret. Dicebatur autem Satura, lex multis aliis conferta legibus, ita vt in ea fraus subesse, quæ populum falleret, facilè posset: aut in simplici lege, si de abrogando, derogandóve populus rogaretur, non difficile erat, id, quod rogabatur, intelligere. Alterum genus erat, si quæ lex lata esse diceretur, non ea videri populum teneri iudicaretur. Hoc fiebat, si Augures contra auspicia latas eas esse, monuissent.

Tertium erat de legum derogationibus, quo de genere sæpe Senatusconsulta facta sunt. Quartum si Senatus hostem aliquem iudicasset. Tum enim simul etiam, vt eius leges, quæ quidem aduersus Rempublicam essent, tollerentur, iudicasse, non est à vero alienum. His addi potest & hoc, cum verbo quidem neque à Senatu, neque à populo, tacito autem omnium consensu, & per desuetudinem leges abrogarentur, id quod & Iulianus Iurisconsultus notauit. Et hæc de potestate etiam & vi legum pauca quidem, sed quæ pluribus explicantur & confirmantur à Paulo Manutio, & aliis.

Postremo aliquæ loquendi formulæ, quæ de legibus vsurpatæ fuerunt, notandæ sunt, quæ ab Vlpiano titul. I. Institutionum his verbis explicantur: Lex, inquit, aut rogatur, id est, fertur: aut abrogatur, id est prior lex tollitur: aut derogatur, id est, pars primæ tollitur: aut subrogatur, id est, adiicitur aliquid primæ legi: aut adrogatur, id est, mutatur aliquid ex prima lege. Hactenus ille. Sed tempus est, vt ipsam legum recitationem aggrediamur, quod faciemus, si prius de origine & processu iuris Romani dixerimus, id quod paucis expediemus.

Capvt IV.

De origine & progressu iuris Romani.

ORIGINEM & processum iuris Romani expositurus Pomponius Iurisconsultus incipit à legibus Regiis, quibus sublatis, ait successisse duodecim tabulas, ex quibus ius ciuile fluxerit, subsecutas postea leges alias, Plebiscita, Senatusconsulta, Prætorum edicta, & Principum placita, de quibus omnibus ordine ipsum disserentem audiemus. Sic vero is scribit: Initio ciuitatis nostræ populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit: omniaque manu Regis gubernabantur. Postea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipsum Romulum traditur populum in triginta partes diuisisse: quas partes Curias appellauit, propterea quod tunc Reipublicæ curas per sententias partium earum expediebat. Et ita leges quasdam & ipse Curiatas ad populum tulit: tulerunt & sequentes Reges, quæ omnes conscriptæ extant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius ex principalibus viris. Is liber appellatur Ius ciuile Papirianum: non quia Papirius de suo quicquam ibi adiecit, sed quod leges

sine ordine latas in vnum composuit. De hoc Iure Papiriano lib. scripsit singularem Gran. Flac. Licinianus, in quo Romuli, Numæ Pompilij, aliorúmque Regum leges exposuit.

Ius Papirianum subsecutæ sunt duodecim tabulæ. Exactis enim Regibus, lege Tribunitia in vsu esse ius Papyrianum desiit, & omnes Regiæ leges exoleuerunt, iterúmque cœpit populus Romanus incerto magis iure & consuetudine aliquam per latam legem: idque prope viginti annis passus est. Postea ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, & ciuitas fundaretur legibus: quas in tabulas eboreas (siue æreas, quod plures tradunt) perscriptas pro Rostris composuerunt, vt possent leges apertius percipi: datúmque est eis ius eo anno in ciuitate summum, vti leges & corrigerent si opus esset, & interpretarentur: neque prouocatio ab iis, sicut à reliquis Magistratibus fieret. Qui ipsi animaduerterunt aliquid deesse istis primis legibus. Ideóq; sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adiecerunt, & ita ex accidentia (vel accidenti) appellatæ sunt leges duodecim tabularum: quarum ferendarum auctorem fuisse Decemuiris Hermodorum quendam Ephesium exulantem in Italia, quidam retulerunt.

His legibus latis, necessaria fori disputatio fuit. Interpretatio enim earum legum Prudentum requirebat auctoritatem: & quod eorum auctoritate erat inductum, id omne commune appellabatur Ius ciuile: quod quidem Ius ciuile ita diuisum fuit, vt partim ex legis constaret actionibus, partim ex interpretatione legum Decemuiralium, partim denique ex nouo iure, loco appendicis duodecim tabulis adiecto.

Legis actiones nihil aliud erant, quàm ritus siue formulæ omnium, quibus ius suum veteres persequebantur, actionum directarum à prudentibus perscriptæ. Sic enim Pomponius Iurisconsultus: Deinde ex iis (duodecim tabularum scilicet) legibus eodem tempore ferè actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent. Quas actiones, ne populus prout vellet institueret, certas solemnesque esse voluerunt. Quibus verbis nihil aliud videtur voluisse Pomponius, quam, id omne, quod lege duodecim tabularum continebatur, Prudentes iuris certis quibusdam formulis, ac ritu solemni in vsum forensem induxisse, siue certas formas composuisse, quibus lege agi posset. Eas formulas obtinendæ atque augendæ potentiæ suæ causa in Pontificum penetralibus reconditas habebant, donec tandem Cneus Flauius Scriba illas ab Appio Claudio ad formam redactas euulgauit, fastóque pene toto foro exposuit, vt quando & quomodo lege agi posset, sciretur. Hic liber, inquit Pomponius, qui actiones continet, appellatur Ius ciuile Flauianum: sicut ille (Papyrii scilicet, qui leges regias continebat) ius ciuile Papirianum. Augescente ciuitate, quia deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spacium Sextus Ælius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur Ius Ælianum. Hactenus Pomponius.

Auctor est pro Muræna Cicero, cognita iam, & promulgata à Cn. Flauio dierum ratione, veritos Iurisconsultos, ne sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuisse, vt omnibus in rebus ipsi interessent. Itaque eam videtur habere sententiam, vt euulgatis fastis & legis actionibus, omnes, quæ à Iurisconsultis deinceps componebantur formulæ, notis, hoc est, literis singulis, aut binis integrum aliquod verbum designantibus, hac intentione exprimerentur, vt si forte rursus euulgarentur, à populo non possent intelligi: & per consequens earum interpretatio semper à ICtis petenda necessario foret. Quam formularum notis describendarum rationem antiquissimam Romæ ad Constantini vsque tempora seruatam fuisse, colligi posse videtur ex illo rescripto Constantini: Iuris formulæ aucupatione syllabarum insidiantes cunctorum actibus, radicitus amputentur, tit. C. de Form. & Impetrat. act. sublat. Quibus verbis Constantinus nequaquam omnes Iuris formulas radicitus amputari voluit, sed ne illæ formulæ (actus legitimos nominat) notis ampliùs describerentur, verùm ita literis perscriberentur, vt à quouis sine aliqua syllabarum aucupatione recte legerentur. In iis autem, quæ notis descrbebantur, huiusmodi syllabarum aucupationes frequentes fuisse, testis esse poterit Marcus Cicero sic ad Atticum scribens lib. 13. Et quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexisti credo, quia διὰ σημείων scripseram. Et ob id haud dubie Iurisconsulti aucupes syllabarum ab eodem libro primo de Oratore dicuntur, quia scilicet in notarum, quibus formulæ descriptæ erant, interpretatione, ob varias, incertasque vnius literæ, aut syllabæ significationes ipsi etiam Leguleij interdum hallucinabantur.

Alterum, ex quo constitisse Ius Ciuile diximus, fuit legum Decemuiralium interpretatio. Cùm enim leges duodecim tabularum aliquot obscuriores essent, nec omnes circumstantiæ definitæ: consueuerunt eas Iurisconsulti suis interpretationibus illustrare, quod qua ratione factum sit, pluribus aliquot exemplis ostendit vir clarissimus Iurisconsultus Iacobus Ræuardus libro singulari, quem de Prudentum auctoritate scripsit.

Tertium, ex quo Ius ciuile constabat, fuit ius nouum, Iurisconsultorum, siue Prudentum auctori-

auctoritate aut responsis, & fori disputatione constitutum, atque appendicis loco duodecim tabulis adiectum. Cùm enim Iurisconsultorum hæc apud Romanos seruaretur differentia, vt alii Iuris essent studiosi, siue Candidati, alij Antecessores, siue Sophistæ, alii denique Iurisconsulti siue Iuris auctores: Studiosi assidebant, titul. de off. assess. Candidatorum opera Principes in recitandis potissimum orationibus vti solebant, tit. vnic. de Off. Quæst. Et qui Ius publicè interpretabantur, hi Antecessores erant, siue Sophistæ. Iurisconsulti autem populo Principali auctoritate de iure respondebant, indéque auctores iuris, siue simpliciter auctores dicebantur: siquidem populo de iure dubitanti, responsis suis certi alicuius iuris auctores fiebant.

Testatur Pomponius, ante Augusti tempora, qui studiorum suorum fiduciam habebant, eis de iure liberum fuisse populo respondere, eosque Iudicibus, à quibus consulebantur, aut certam scripsisse iuris definitionem, aut sine scripto, quid eis videretur, testari solitos, primúmque Diuum Augustum, quo maior iuris auctoritas haberetur, constituisse, vt ex eius auctoritate responderetur, signatáque Iudicibus responsa darentur, & publicè respondendi ius à Principibus necessariò peteretur, titulo secundo §. 25. de origine Iuris. Id quod eam habere videtur sententiam, vt Iurisconsulti ius respondendi Principis beneficio nacti, non à populo solum, sed ab ipsis etiam Iudicibus consulerentur: & à populo quidem consulti certam pronunciarent Iuris definitionem: à Iudicibus verò non quicquam pronunciarent, sed libello, quidnam de iure sentirent, complecterentur, eúmque libellum signatum ne posset à litigatoribus legi, offerrent Iudicibus. Quinetiam Iustinianus expressè scripsit, tantam olim fuisse Iurisconsultorum auctoritatem, vt Iudicibus eos consulentibus, à responsis eorum recedere non liceret, §. responsa. Instit. de iure naturali, gentium & ciuili, nimirum iis temporibus, quibus ex auctoritate Principis huiusmodi responsa dabantur. Tunc enim ea, quantum ex Pomponio Iurisconsulto colligimus, iuris habere vigorem cœperunt. Illud etiam obseruari solebat, vt quoties grauis aliqua, & perplexa Iuris incideret quæstio, fori quædam institueretur disputatio, Iurisconsultis simul in aliquem locum congregatis: cuiusmodi disputationum fori meminerunt Iurisconsulti sæpe, & Marcus Cicero lib. 1. ad Quintum fratrem, atque in Topicis ad Trebatium: Quod igitur in huiusmodi fori disputatione communi Iurisconsultorum consensu definitum, & decretum erat, id quoque ius ciuile communi nomine dicebatur, & ius non scriptum. Cicero decreta Iurisconsultorum appellat, cùm pro Muræna sic scribit: Deinde vestra responsa atque decreta & euertuntur sæpe dicendo, & sine defensione Oratoris firma esse non possunt. Per responsa enim singulorum intelligit Cicero Iurisconsultorum definitiones, per decreta verò certas fori disputationes communi disputantium suffragio receptas sententias. Tum enim decernere dicebantur Iureconsulti, cum de iure dubio certam & communi consensu probatam proferrent definitionem. Idem ius sine scripto ex sola Prudentium auctoritate constans ius receptum, & recepta sententia, & regula Iuris dicebatur, quas postea quidam ICti collegerunt, & in libros retulerunt: quales sunt quinque libri receptarum sententiarum Iulii Pauli ad filium: & libri regularum Iuris in scriptis ICrum. Tantum de iure ciuili quod ex 12. tabulis fluxit: quæ omnia erudite & eleganter explicat Iac. Ræuard. lib. singulari de auctoritate Prudentum, cap. 14. & 15.

Cæterum, vt eò redeam, vnde digressus sum, scribit Pomponius, cùm esset in ciuitate lex duodecim tabularum, & Ius ciuile, essent & legis actiones: euenit vt plebs in discordiam cum Patribus perueniret & secederet, sibique iura constitueret: quæ iura Plebiscita vocantur. Mox cum reuocata est plebs, quia multæ discordiæ nascebantur de his Plebiscitis, pro legibus placuit & ea obseruari, lege Hortensia: & ita factum est, vt inter Plebiscita & legem, species constituendi interessent, potestas autem eadem esset.

Deinde quia difficile plebs conuenire cœpit, populus multò difficilius in tanta turba hominum, necessitas ipsa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit. Ita cœpit Senatus se interponere, & quicquid constituisset, obseruabatur: idque ius appellabatur Senatusconsultum.

Eodem tempore Magistratus iura reddebant: & vt scirent ciues, quod ius de quaque re quisque dicturus esset, séque præmuniret: edicta proponebant quæ edicta Prætorum ius honorarium constituerunt. Honorarium dicitur, quod ab honore Prætoris venerat.

Nouissimè, sicut ad pauciores Iuris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur: per partes euenit, vt necesse esset, Reipublicæ per vnum consuli, nam Senatus non perinde omnes prouincias probè gerere poterat. Igitur constituto Principe, datum est ei Ius, vt quod constituisset, ratum esset. Ita in ciuitate nostra aut iure, id est, lege constituitur: aut est proprium ius ciuile, quod sine scripto in sola Prudentum interpretatione consistit: aut sunt legis actiones, quæ formam agendi continent: aut Plebiscitum, quod sine auctoritate Patrum est constitutum: aut est Magistratuum Edictum, vnde Ius honorarium nascitur: aut Senatuscon-

sultum, quod solum Senatu constituente inducitur sine lege: aut est Principalis constitutio id est, vt quod ipse Princeps constituit, pro lege seruetur. Hactenus Pomponius, ex quibus originem & processum iuris Romani intelligi posse puto. Quibus explicatis, ad suam iam legum enumerationem accedemus.

Caput V.

De iure Papiriano, siue legibus Regiis.

INitium catalogi legum Romanarum faciemus à legibus Regiis, quibus primum vsos fuisse Romanos iam diximus: quasque Sextus Papirius collegit, vnde etiam nomen inuenerunt, vt ius illud, quo leges Regiæ continebantur, ius Papirianum diceretur. Franciscus Balduinus Iurisconsultus celeberrimus in eo, quem ad leges Romuli scripsit, libro, octodecim recenset ipsius leges, quas se in tabula antiquissima inuenisse scribit, & ex quibus multas etiam Paulus Manutius in legum libello commemorat. Verum tamen eruditis viris illæ non probantur. Cuiacius certè non dubitat affirmare, confictas ipsas esse. Ego ne quid desideretur, primum quæ ipsi recitant capita, si quis fortè legere volent, repetam: deinde eas leges commemorabo, quæ certis veterum scriptorum testimoniis nituntur, ita vt de iis dubitari non possit.

HÆC IGITVR CAPITA EX antiquissima Tabula descripsisse se Balduinus affirmat.

1 *Ne quid inaugurato faciunto.*
2 *Patres sacra, Magistratusque soli peragunto, inuentóque, iusque dicunto.*
3 *Sacrorum omnium potestas sub Regibus esto. Sacra Patres custodiunto.*
4 *Plebeij agros colunto.*
5 *Populus Magistratus creanto, leges sciscunto, bella decernunto.*
6 *Deorumq; fabulas ne credunto.*
7 *Deos peregrinos præter Faunum ne colunto.*
8 *Nocturnas in templo vigilias ne habento.*
9 *Ne quis præsentibus fœminis obscœna verba facito.*
10 *Quisquis demissam ad talos togam in Vrbe habeto, néve egreditor.*
11 *Parricidas omnes capite puniunto.*
12 *Ne quis, nisi per portas Vrbem ingreditor. Mœnia sacrosancta sunto.*
13 *Mulier viro legitime coniuncta, fortunarum & sacrorum socia illi esto: vtque domus ille dominus, ita hæc domina.*
14 *Filia vti Patri, ita defuncto viro heres esto.*
15 *Adulterij conuictam vir, & cognati, vti volent, necanto.*
16 *Si vinum biberit, domi vt adulteram puniunto.*
17 *Parentum liberos omne ius esto relegandi, vendendi, & occidendi.*
18 *Monstrosos partus sine fraude cædunto.*

Hæc Balduinus & Paulus Manutius habent. Addit aliquas & Pandulphus Prateus Iurisconsultus, in veteri Iurisprudentia his videlicet.

19 *Virum vxor ne deserito. Vxorem si in veneficio natorum, adulteriove deprehensa clámve marito fuerit, repudiandi ius esto. Qui præter has causas repudiarit, rerum suarum pars vxori dator, pars Cereri sacra esto.*
20 *Deprehensi in homicidio statim puniuntor.*
21 *Plebeij, quem sibi in Patriciis patronum volent, deligunto.*
22 *Iudiciis fraus ne adhibetor.*
23 *Maximarum iniuriarum iudicium penes Reges esto: minorum penes Senatores.*
24 *Annus mensis decimus esto.*

Harum vero plerarumque legum coniecturas sumpserunt, quicunque eas primum collegerunt, ex aliquibus Dionysij Halicarnassei, Plutarchi, Ciceronis, & aliorum scriptorum locis quos hoc loco adscribemus, non quod velimus Balduini, & aliquot aliorum sententiam confirmare, aut etiam refutare (id enim commendamus aliis eruditione, & iudicio præstantioribus) sed vt ex iis, quænam Politiæ à Romulo institutæ ratio fuerit, cognoscatur. Videbunt tamen etiam lectores, quasdam ex his, quas ex Balduino recitauimus, leges verissime latas, licet ipsa earum verba, quæ fuerunt sine omni dubitatione antiquissima afferre in medium non possimus.

Primi igitur capitis coniectura sumpta est ex Ciceronis libro 1. de diuinatione, & Dionysij lib.

lib.2. At Romulus confirmatus in regno diuinitus, aduocata concione & indicatis auspiciis, Rex declaratur consensu omnium,& morem instituit in posterum, ne quis,nisi auspicato regnum assumeret,Magistratúmve iniret,&c.

De secundo etiam & quarto capitibus ita Dionysius:& Romulus porrò postquam discreuit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit, quid vtrisque faciendum: vt Patricij sacra curarent, Magistratus gererent, ius redderent, secum Rempublicam administrarent, res vrbanas obirent, Plebeij verò ab his negotiis immunes, quippe qui talium imperiti essent, nec vacaret eis propter inopiam, agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia.

De tertia lege idem Dionysius Halycarnassæus: Honores & potestates ita distribuit, Regi quidem eximia munia fuerunt hæc,primum vt sacra curaret,atque sacrificia, per eumque gereretur,quicqui l ad placandos Deos attinet.Deinde vt legum,ac morum patriorum haberet custodiam, & Iuris siue naturalis, siue quod scripta, & pacta continet, vtque de iniuriis grauissimas causas ipse decerneret, leuiores permitteret Senatoribus, prouidendo interim, ne quid peccetur in iudiciis,vtque Senatum cogeret,populum in concionem conuocaret, primus sententiam diceret,quod pluribus placuisse,ratum haberet.Hæc Regi attribuit munia,& præterea summum in bello imperium. Senatui verò dignitatem,ac potestatem eam addidit, vt is,de quibus à Rege ad ipsum referatur, de his decernat, & ferat calculum, ita vt semper obtineat plurium sententia.

De quinta lege idem Dionysius Halicarnass. sic scribit: Plebi autem tria hæc commisit, Magistratus creare, leges sancire, de bello, referente Rege,decernere: ita tamen, vt Senatus quoque in his accedat auctoritas.

Sexta,septima,& octaua lex ex eodem Dionysio Halicarnassæo desumptæ sunt,apud quem sic legimus:Fabulas à maioribus de Diis traditas,probra eorum continentes,ac crimina,turpes censuit, & inutiles, ac ne probis quidem viris dignas, nedum Diis superis: repudiatisque his omnibus,ad bene, ac præclarè de immortalibus sentiendum, loquendumque ciues suos induxit,nihil his affingi passus beatæ illi naturæ parũ consentaneum. Neque enim Cælius exsectus à suis liberis apud Romanos traditur,nec; Saturnus proprios natos deuorãs,metuénsve, ne appetatur ipsorum insidiis: non Iupiter Satúrnum patrem regno deiectum includens carceri Tartari,ac ne bella quidem & vulnera,aut vincula Deorum,seruitutésque apud heroas homines. Nullum eorum festum atratum,aut lugubre agitur, non planctus habet ob raptos Deos,ac lamenta mulierum:qualia sacra Græci faciunt raptam Proserpinam,casúsque Bacchi referentia,& id genus alia.

Ac ne quidem corruptis his temporibus videas apud eos abreptos numine, aut furorem Corybanticum,non Bacchanalia, cœtúsve clancularios: aut occulta mysteria, non virorum promiscue cum fœminis peruigilia,non his similia prodigia:sed omnia religiosè fiunt, ac dicuntur,quæ ad Deos attinent,præter morem Græcum,atque Barbarorum gentium. Hæc & plura alia Dionysius Halicarnassæus. Cicero etiam in secundo de Legibus libro inter alias, quæ de religione loquuntur, leges etiam has recenset: Separatim nemo habessit Deos: néue nouos,sed nec aduenas,nisi publice adscitos,priuatim colunto. Item: Nocturna mulierum sacrificia ne sunto,præter olla,quæ pro populo rite fient. Néve quem initianto,nisi,vt assolet,Cereri Græco sacro.An verò ex Romuli legibus eas desumpserit,non addit.

Nonæ & decimæ legis coniectura ex Plutarcho sumpta est:is enim in Romulo scribit,mulieribus Sabinis raptis multos honores esse tributos: cuius generis & hi fuerint, vt via eis decederetur, ne eis præsentibus obscœnum quidquam diceretur, vt qui nudum se ab iis videre passus fuisset,criminis capitalis reus haberetur.

De vndecima lege etiam Plutarchus ita scribit:Id etiam singularis fuit consilij,quod quum nullum contra eos,qui patrem suum occidissent,ius priuatim polluisset, omne homicidium parricidij, vel paricidij vocabulo notauit:quod hoc scelestum,illud ne existere quidem posse, iudicaret.

De duodecima Pomponius Iurisconsultus: Si quis violarit muros,capite puniatur: sicuti si quis transcendet scalis admotis, vel alia qualibet ratione. Nam ciues Romanos alio, quam per portas egredi non licet:quum illud hostile & abominandum sit. Nam & frater Romuli Remus occisus traditur ob id, quod muros transcendere voluerit. Hæc ille. Plutarchus in Quæstionibus Romanis,quæstione vigesima septima:Cur omnem murum sacrum incontaminatúmque habent,portas non item? An vera est Varronis sententia? muros propterea sacros existimandos,vt pro iis propugnare alacrius ciues,mortémque etiam oppetere sustineant.(Et videtur Romulus quoque fratrem propterea interfecisse,quod sacrum locum, & inaccessum transilire aggressus transcendendum,profanúsque reddidisset.) Portæ autem sacræ esse non po-

terant, quum per eas & alia necessaria, cadauera etiam efferentur. Itaque Vrbem, qui de nouo condebant, aratro, cui bouem marem & fœminam subiunxissent, locum, quantum erat murus occupaturus, designabant: portarumque dimensi spatia, vomere exempto, aratrum earum locis intactis transferebant, quod omnem terram aratam sacram, & inuiolabilem censerent futuram.

Decimætertiæ & decimæquartæ testimonium extat apud Dionysium Halicarnassæum, cuius hæc sunt verba. Romulus vnica constitutione redegit vxores ad decentem modestiam. Ea fuit talis, mulierem nuptam, quæ iuxta sacratas leges conuenisset cum viro, ei participem esse possessionum, ac sacrorum omnium. Nominabant autem prisci Romani sacras nuptias vocabulo suo farreationes, quia coniuges vescerentur eodem farre. Et paulo post: ita hæc lex mulieres nuptas, non habentes quo se vertant alio, cogebat vnius mariti se attemperare moribus: viros item sic habere mulieres, vt rem necessariam, nullóque diuellendam tempore. Vxor enim pudica & marito semper obsequens, æque ac ille domus erat domina, in eius defuncti bona succedebat hæres, sicut parentis filia, ex asse quidem si is liberis carens, ac intestatus decederet; quod si prolem haberet, ex æquo cum liberis.

Decimæquintæ & decimæsextæ sic meminit Dionysius Halicarnassæus. Si autem aliquid peccasset mulier, pœnam luebat ex mariti læsi arbitrio. De huiusmodi criminibus cognati cum ipso cognoscebant, in quibus erat violata pudicitia, & quod apud Græcos videretur leuissimum, si deprehensa esset vinum bibisse mulier. Nam vtrumque damnauit Romulus, vt erratorum muliebrium maximum ratus, e stupro nasci insolentiam, stuprum e vinolentia: longóque tempore crimen vtrumque apud Romanos iram merebatur implacabilem, comprobantibus legis æquitatem tot sæculis. Hæc Dionysius.

Agellius quoque libro 10. cap. 23. quum multa de vsu vini mulieribus interdicto scripsisset, adducit Marci Catonis orationem de Dote, in qua id quoque scriptum fuerit: In adulterio vxores deprehensas ius fuisse maritis necare. Et ex eadem Catonis oratione hæc subiungit: Vir, inquit, cum diuortium fecit, mulieri iudex pro Censore est. Imperium quod videtur, habet. Si quid peruerse tetréque factum est à muliere, mulctatur: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.

De iure autem occidendi ita scriptum est: In adulterio vxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio impune necares: illa te (adultera) digito non auderet contingere, neque ius est. Iacobus Cuiacius Iurisconsultus clarissimus lib. Obseruationum sexto, capite vigesimoquinto hanc legem, vt falsam, deprehendit, & docet vt mulctentur vxores adulterij conuictæ, non autem necentur à maritis concessum à Romulo, cum apud Dionysium Halycarnassæum legatur, ζημιοῦν quod sit mulctam infligere, non mortem: & Agellius quoque mulctare & condemnare, non autem necare, habeat: sed tamen contra Iacobum Cuiacium sentit Ioannes Bodinus in Methodo historica: cap. 4 quem legere potes. Moris illius quo vsus vini mulieribus interdictus erat, etiam Valerius Maximus meminit libro 2. capit. 1. Vini vsus, inquit, olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit. Et Plinius lib. decimoquarto, capite decimotertio: Non licebat vinum fœminis Romæ bibere. Inuenimus inter exempla, Egnatij Mecennij vxorem, quod vinum bibisset è dolio interfectam fuisse à marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit, Matronam quod loculos in quibus erant claues vinariæ cellæ resignauisset, à suis inedia mori coactam: Cato ideo propinquos fœminis osculum dare instituit, vt scirent, an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat, vnde & temulentia appellata. Cneius Domitius Iudex pronunciauit, mulierem videri plus vini bibisse, quam valetudinis causa, viro insciente, ac dote mulctauit, &c. Ex quibus tamen omnibus non probatur Romulum lege cauisse, vt vxores, quæ vinum bibissent, morte mulctarentur.

Decimæseptimæ testimonium extat clarissimum apud Dionysium Halicarnassæum libro secundo, vbi sic scribit: Romanorum Legislator, omnem, vt ita dicam, potestatem patri dedit in filium, idque toto vitæ tempore, siue in carcerem eum mittere, siue flagris cædere, siue vinctum ablegare ad rustica opera, siue necare libeat, etiam si filius tractet Rempublicam, etiamsi Magistratus gerat maximos, etiamsi liberalitatis laudem publice sit promeritus. Certe iuxta hanc legem viri illustres pro Rostris, fauente plebe concionantes in Senatus inuidiam, fruentesque auris popularibus, detracti e suggesto per parentes abducti sunt, pœnas daturi ex ipsorum sententia: quos, dum per Forum ducerentur, nemo adstantium eripere poterat, non Consul, non Tribunus, non ipsa turba, cui tum adulabantur, licet omnem potestatem sua minorem existimans. Taceo nunc quod viri fortes necati sint à patribus, nimio virtutis ardore prouecti ad patrandum aliquid, præter ipsorum mandatum: sicut de Manlio Torquato, aliisque

multis

multis traditur, de quibus suo dicemus tempore. Nec contentus hanc potestatem parentibus dedisse Legislator Romanus, permisit etiam vendere filium, nil deterritus crudelitatis specie, quod res grauior videri posset, quam pro affectu domestico, quodque maxime quis miretur in hac dissoluta disciplina Græcorum educatus, quasi durum & tyrannicum. Hoc quoque patri concessit, licere illi terna filij venditione pecuniam quærere, maiorem largitus potestatem patri in filium quam hero in mancipium. Seruus enim semel venditus, deinde libertatem adeptus, in posterum sui iuris est: filius verò à patre venditus si liber fieret, rursum sub patris potestatem redigebatur: iterum quoque venundatus & liberatus, seruus vt ante patris reddebatur. Post tertiam demum venditionem eximebatur è patris potestate. Hanc legem primi illi Reges obseruabant, incertum scriptamne, an sine scripto proditam, habentes pro omnium firmissima.

De lege decima octaua Dionysius Halycarnassæus ita scribit: Romulus primum necessitatem colonis imposuit educandi, quicquid esset masculum, & è filiabus primogenitas: nullam autem prolem necari permisit minorem triennio, nisi quid mutilum, aut alioqui prodigiosum in ipso partu esset editum: Tales enim fœtus exponi à parentibus non vetuit: sed indicatos prius quinque viris vicinis proximis, si illis quoque exponendos esse visum fuerit. Contra hanc legem committentium, præter alias multas, etiam dimidium bonorum addixit ærario.

Decimanona descripta est ex Plutarchi Romulo, vbi hæc legimus: Leges etiam quasdam tulit Romulus, inter quas vehemens est illa, qua mulieri maritum relinquendi potestas adimitur: viro autem eiicere vxorem conceditur, si veneficio circa prolem vsa fuisset aut alienam pro sua subdidisset (sic enim vertit Guillelmus Xylander) aut adulterium commisisset: si quis alia de causa repudiasset coniugem, mariti bona partim vxori cederent, partim Cereri sacra forent: & qui vxorem dimisisset, is Diis Manibus rem sacram faceret.

Vigesima eadem est cum vndecima, de qua diximus.

De vigesima prima Dion. Halicarnassæus: Commendauit Romulus Patriciis plebeios optione cuique vulgo data, vt, quem vellet patronum sibi legeret. Et Plutarchus: Romulus reliquos potentiores à vulgo deiunxit, Patronos eos appellans, vulgus autem Clientes: eaque re mirificam beneuolentiam mutuo excitauit, & eam iura inuicem magni ponderis consecuta sunt, &c. Meminit eius etiam Liuius.

De vigesima secunda & vigesima tertia diximus, ad tertium caput, vbi inter alia Dionysij Halicarnassæi verba, & hæc citauimus: Statuit Romulus, vt de iniuriis grauissimas causas ipse decerneret, leuiores permitteret Senatui, prouidendo interim, ne quid peccetur in iudiciis.

De vigesima quarta, quod Romulus annum fecerit mensium decem, cum multi alij, tum Macrobius libro primo Saturnaliorum, capite duodecimo scribunt. Atque hactenus de illis capitibus quæ à Francisco Balduino, Paulo Manutio, Pandulpho Prateo recitantur. Videbimus iam illas, quarum certiora apud scriptores veteres extant testimonia, & quæ iisdem fere, quibus conceptæ fuerunt, verbis citantur.

Romuli Regis leges.

Vnius tantum legis Romuli fit mentio in Festo, quæ tamen, an Romulo adscribenda sit, dubitari posse videtur, quum Festus dicat (quemadmodum quidem eum locum Iosephus Scaliger emendauit) in legibus Regis Romuli & Tatij, & Seruij Tullij eam extare. Est autem hæc: SEI PARENTEM PVER VERBERIT, AST OLOE PLORASSINT. PVER DIVEIS PARENTVM SACER ESTO. SEI NVRVS, SACRA DIVEIS PARENTVM ESTO.

Addit Festus, plorassint in hac lege significare clamarint, siue inclamarint.

Verberit.) Pro verberet: sicut vindicit, pro vindicet.

Oloe.) Pro illi.

Sacer esto.) Quid sit sacrum, vel sacram alicui Diuo esse, in XII. Tabulis explicabimus.

Numæ Pompilij leges.

Ex legibus Numæ Pompilij hæc fragmenta reperiuntur:

SEI HOMINEM FVLMIN IOBIS (siue, vt Iusto Lipsio placet, FVLMINIS, nominandi casu) OCCISIT, EM SVPRA GENVA NEI TOLLITO. HOMO SEI FVLMINE OCCISVS ESIT, EI IVSTA NVLLA FIERI OPORTETO.

Sic eam Iosephus Scaliger emendauit. Extat apud Festum in voce Occisum, vbi notat occisum à necato distingui à quibusdam, quod alterum à cædendo, atque ictu fiat, alterum sine ictu. Sententiam huius legis habet Plinius lib. 2. c. 54. in Catholicis fulgurum, vbi scribit, hominem ita exanimatum cremari fas non esse, condi autem terra eo in loco, vbi fulmine percussus erat, religione tradi.

Lex Numæ de Parricidiis.

SI QVIS HOMINEM LIBERVM DOLO SCIENS MORTI DVIT, PARRICIDA ESTO. SEI IM IMPRVDENS SE DOLO MALO OCCISIT, PRO CAPITE OCCISEI, ET NATEIS EIVS IN CONCIONE ARIETEM SVBICITO.

Extat huius legis fragmentum apud Festum, in voce Paricidi Quæstores, quod tamen altera parte auxit Iosephus Scaliger ex schedus Seruianis.

Si quis hominem liberum.) Ex hac lege probat Festus, antiquitus Parricidam dictum fuisse, non eum, qui parentem occidisset, sed qui qualemcunque hominem.

Duit.) Pro det, antique.

Parricida esto) Iosephus Scaliger notat, hanc clausulam in omni re capitali positam fuisse, & significare idem, quod, capital esto: de qua loquendi forma in XII. Tabulis dicemus.

Im.) Pro eum. *Se dolo malo)* Id est, sine dolo malo.

Si im imprudens se dolo malo.) Hanc partem concinnauit Iosephus Scaliger ex schediis Seruianis, in quibus ait huius legis mentionem ita fieri: Vt si quis imprudens hominem occidisset, pro capite occisi & natis eius in concione arietem offerret.

Arietem subicito.) Subici aries dicitur, inquit Festus, quem quis agit, vt pro se cædatur, vt ait in eodem lib. Antistius: quod fit, vt ait Cincius lib. de officio Iurisconsulti, exemplo Atheniensium, apud quos expiandi gratia aries inigitur, qui scelus admisit, pœnæ pendendæ loco.

Lex Numæ de Pellice.

PELLEX ARAM IVNONIS NE TANGITO. SI TANGET, IVNONI CRINIBVS DEMISSIS AGNVM FOEMINAM CÆDITO.

Pellicem, ait Festus antiquis proprie dictam esse eam, quæ vxorem habenti nupserit. Cui generi mulierum pœna constituta sit hæc, quam recitauimus, Numæ lege. Iacobus Ræuardus libro singulari de Auctoritate Prudentum scribit, ex toto iure Papiriano huius vnius legis reliquias extare in libris Iurisconsultorum apud Paulum, vbi sic scriptum sit: Grauius Flaccus in libro de iure Papiriano scribit, Pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo cui vxor sit, corpus misceat. Et hanc legem sic interpretatur, Pellex aram Iunonis ne tangito (vel, quemadmodum Ræuardo placet, & veteres loquebantur, tangito) id est: Pellex nulla viro vxorem habenti nubito: si nupserit, crinibus demissis, quod tristitiæ signum erat, Iunoni agnum fœminam cædito, siue mactato.

Lex Numæ de Opimis spoliis.

QVOVIS AVSPICIO CLASSE PROCINCTA OPEIMA SPOLIA CAPIVNTVR. IOVEI FERETRIO BOVEM CÆDITO. QVEI CEPIT ÆRIS DVCENTA DARIER OPORTETO.

SECVNDA SPOLIA IN MARTIS ARAM IN CAMPO, SOLITA AVRILIA VTRA VOLVERIT, CÆDITO:

TERTIA SPOLIA IANO QVIRINO AGNVM MAREM CÆDITO CENTVM QVEI CEPERIT ET ÆRE DATO. Hanc legem repetemus libro de Militia.

Lex Numæ de Pollucti.

PISCEIS QVEI SQVAMOSEI NON SVNT, NEI POLLVCETO. SQVAMOSOS OMNEIS PRÆTER SCARVM POLLVCETO.

Sic hanc legem Iosephus Scaliger restituit ex Cassio Hæmina, cuius hæc sunt apud Plinium verba libro 32. capite secundo. Numa constituit, vt pisces, qui squamosi non essent, ni pollucerent, parsimonia commeatus, vti conuiuia publica & priuata, cœnæque ad puluinaria facilius compararentur: ni, qui ad polluctum emerent, precio minus parcerent, eaque præmercarentur. Significat autem pollucere, de piscibus libamenta Diis offerre. Festus: Pollucere merces Diis, quas liceat, sunt far, Polenta, vinum, panis fermentatus, ficus passa, suilla, bubula, agnina, casei, ouilla, alica, sesama, & oleum, pisces quibus est squama, præter scarum. Herculi autem omnia esculenta, & poculenta. Hæc Festus.

Lex Numæ de Vino.

VINO ROGVM NE RESPERGITO.

Extat hæc lex apud Plinium lib. 14. cap. 12. vbi sic scribit: Romulum lacte non vino libasse, indicio sunt sacra ab eo instituta, quæ hodie custodiunt morem. Numæ Regis Posthumia lex est: Vino rogum ne respergito. Quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitet. Ex eadem lege, ex imputata vite libari vina Diis, nefas statuit, ratione excogitata, vt putare cogerentur, alias aratore & pigri circa arbusti pericula. Hæc Plinius. Aliter eam accipit, & interpretatur Iustus Lipsius libro 3. Antiquarum lectionum, quem consule.

Lex Numæ de Iudiciis.

SEI QVID HORVM FVAT VNVM IVDICEI ARBITROVE, REOVE, DIES DIFFVNSVS ESTO.

Testis huius legis est Festus, in voce Reus, apud quem sic legimus: Reus nunc dicitur qui causam dicit: & item qui quid promisit, spopon̄ditve, aut debet: At Gallus Ælius lib. 2. Significationum verborum, quæ ad ius pertinent, ait, Reus est qui cum altero litem contestatam habet, siue is egit, siue cum eo actum est. Et paulo post: At Capito Atteius in eadem quidem opinione est: sed exemplo adiuuat interpretationem Numa in secunda tabula, secunda lege, in qua scriptum est: Siquid horum fuit, &c. Meminit huius legis Iacobus Cuiacius Obseruationum lib. 3. cap. 40. eamque nos interpretabimur in XII. Tabulis.

Lex numæ de Terminis.

QVEI TERMINON EXARASISIT, IPSVS, ET BOVIS SACREI SVNTO.

Et hoc caput extat apud Festum, cuius hæc sunt verba: Termino sacrificabant, quod in eius tutela fines agrorum esse putabant. Denique Numa Pompilius statuit, eum qui terminum exarasset, & ipsum, & boues sacros esse. Meminit eius & Dionysius Halicarnasseus his verbis: Terminos si quis transferre ausus fuisset, aut tollere, lege Terminali caput eius Diis Terminalibus deuouit Numa, interfectori ipsius tanquam sacrilegi impunitate promissa, & puritate à scelere, &c.

Memoratur & hæc ex Numæ legibus apud Dionysium & Plutarchum: Si pater filio concesserit vxorem deducere futuram sacrorum ac bonorum iuxta leges participem, patri posthac nullum ius esto vendendi filium, &c.

Neque prætermittenda est lex Regia de mortuo non inferẽdo, quę à Martiano refertur lege secunda, ff. de mort. infer. Ne mulier quæ pręgnans mortua esset, humaretur, antequam partus ei excederetur. Qui contra faceret, spem animantis cum grauida peremisse videretur, &c. Verum à quo lata hæc lex sit, non additur: nec adhuc inter eruditiores conuenit. Hotomanus putat, partem eam fuisse alicuius legis Romuli, aut Numæ Pompilij, de qua Marcianus in superioribus disputarit.

Legum Seruij Tullij de Contractibus meminit Dionysius libro quarto & quinto, sed nullam ex iis recitat.

Cæterum vt finem dicendi hic faciam, nullam enim præter has Regiam legem me inuenisse memini: illud non possum silentio præterire, fuisse plerasque Regum Romanorum leges, præsertim illas, quarum æquitas manifesta fuit in XII. Tabulas relatas: id quod præter Dionysium Halicarnassæum, etiam Iacobus Cuiacius & Iosephus Scaliger viri clarissimi testantur, quorum verba non pigebit hoc loco adscribere. Sic igitur Iacobus Cuiacius, libro Obseruationum & Emendationum tertio, capite quadragesimo. Constat, inquit, ex Halicarnassæi libro secundo & decimo, ex Legibus Regiis & ex moribus populi Romani multas Decemuiros leges in XII. Tabulas transtulisse, hoc censente populo. Quamobrem existimo & illas Numæ leges de eo qui sciens hominem liberum mortui duit: & de pœna Pellicis, & de homine fulmine occiso, & de termino exarato ab eodem Sexto Pompeio Festo relatas, XII. Tabulis adscribendas esse. Iosephus autem Scaliger Castigationibus in Festum, ad vocem, Nuptias, post alia quæ confirmandæ huius sententiæ causa in medium attulerat, ita concludit: Ex his non dubium est leges Regias in XII. Tabulas à Decemuiris coniectas fuisse: & prima, secunda, tertia Tabula leges Regias contineri. Quin leges Regias de patria potestate in quartam Tabulam relatas auctor Dionysius, &c. Hæc Scaliger. Atque de legibus Regiis, siue iure Papiriano hactenus.

CAPVT VI.

Leges duodecim tabularum cum breui commentatione.

A LEGIBVS Regiis ad XII. Tabulas venimus: illæ enim præcipuum Romanæ Iurisprudentiæ caput fuerunt, vti paulo post, adductis aliquot clarissimorum virorum testimoniis, probabimus. Qua occasione scriptæ illæ Tabulæ fuerint, diligenter à nobis est indicatum libro septimo harum Antiquitatum, capite decimonono, in quo de Decemuiris disputauimus. Propositæ autem sunt primum, & à populo comprobatæ, decem tantum Tabulæ, anno ab Vrbe condita CCCII. Sequenti anno cum adhuc leges quædam deesse viderentur ad Iuris perfectionem, additæ sunt ab iisdem Decemuiris adhuc II. quæ prioribus X. additæ, XII. numerum effecerunt. De quarum excellentia & præstantia multa dici possent: sed cũ mihi propositũ sit breuitati studere, hortor studiosos Lectores, vt illarũ præconia

apud Liuium, Dionysium, & alios ipsi legant. Cicero certè, cuius testimonium apud nos plurimum valere debet, lib. de Oratore, sub persona Crassi mirum in modum eas prædicat, & supra omnes ferè Bibliothecas omnium Philosophorum extollit. verba eius sunt hæc: Plurima (inquit Crassus) est in XII. Tabulis antiquitatis effigies, quod & verborum prisca vetustas cognoscitur, & actionum genera quædam, maiorum consuetudinem, vitamque declarant: siue quis ciuilem scientiam contempletur, quam Scæuola non putat Oratoris esse propriam, sed cuiusdam ex alio genere prudentiæ, totam hanc, descriptis omnibus ciuitatis vtilitatibus, ac partibus XII. Tabulis contineri videbitis: siue quem ista præpotens & gloriosa Philosophia delectat (dicam audacius) hosce habet fontes omnium disputationum suarum, qui iure ciuili & legibus continentur. Fremant omnes licet, dicam quod sentio: Bibliothecas mehercule omnium Philosophorum vnus mihi videtur XII. Tabularum libellus, si quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare. Egregia profectò commendatio harum pulcherrimarum legum: de quibus etiam idem lib. 2. de Legibus scribit, quod se puero moris fuerit, vt iuniores illas didicerint, tanquam carmen necessarium. Quod magis dolendum est, tantum thesaurum iam amissum, & nihil nisi fragmenta quædam superesse, hinc inde in variis Scriptoribus dispersa. In quibus tamen colligendis, emendandis, & illustrandis, multi viri doctissimi suam operam posuerunt: alij quidem aliis felicius. Primus vt opinor, in illis colligendis operam suam communi vtilitati collocauit Aymarus Riuallius Allobrox, easque libro secundo Historiæ iuris ciuilis est interpretatus. Hunc secuti Oldendorpius Germanus, & Franciscus Balduinus: quorum hic prolixè earum sententiam ostendit, & quomodò Ius fere totum ciuile inde fluxerit, conferendo cum illis Pandectarum leges declarauit. ille verò breuiter eas explicauit. Neque verò post hos nemo amplius ausus fuit eidem operi manum admouere. Sed vt nostra ætas ferax est doctorum virorum, ita etiam plures in his legibus emendandis, quia plurimæ deprauatæ fuerunt: & explicandis, quia obscurè elaborarunt. Inter eos fuerunt Fr. Hotomanus, Iacobus Cuiacius, Iac. Ræuardus, Pandulphus Prateius, Adrianus Turnebus, Iosephus Scaliger, & Iustus Lipsius, à quo iustos Commentarios in has leges, sicut & à Ludouico Carrione, expectamus. Omittam alios, qui de legibus his scripserunt. Cum enim tanta dignitas earum sit, & XII. Tabulæ fons sint totius Iuris ciuilis, nequaquam arbitrati sunt summi illi viri, se operam quam in istis declarandis ponant, ludere: præsertim, cum etiam multi veteres Iurisconsulti, Sextus Ælius, Seruius Sulpitius Labeo & Caius eas suis Commentariis illustrare non dubitarint: quorum omnium tamen vix nomina sunt reliqua: scripta autem cum maxima omnium studiosorum iactura interciderunt. Sed mittam iam prolixiores querelas. Quantum ad hunc meum tractatum attinet, sciat beneuolus Lector, hæc XII. Tabularum fragmenta, & reliquias, collecta esse ex Ciceronis, Dionisij Halicarnassæi, Liuij, Agellij, Sext. Pompeij, Festi, Macrobij, Plinij. &c. libris, & ex Pandectis. In quibus explicandis primum earum sententiam paraphrasticeŝ ipsis verbis legis, sicubi propter obscuritatem necesse erat, subieci: deinde si qua occurrebant verba antiqua, obsoleta, & à nostro vsu remota, explicaui. Iustos commentarios scribere mihi propositum non fuit: si qui eos desiderant, illi adeant Oldendorpij, Balduini, Ræuardi, Hotomani, clarissimorum Iureconsultorum, &, si aliquando edentur, Iusti Lipsij, vel Lud. Carrionis scripta.

Cæterùm, vt de ordine etiam quædam addam, quod quæque lex & in qua tabula scripta fuerit, nos scire non possumus: cum autem Ausonius earum tripartitam diuisionem fuisse scribat, ita vt prima pars ad sacra pertineat, altera ius publicum, tertia ius priuatum comprehendat: ego quoque eundem ordinem quem ante aliquot annos Fr. Hotomanus, & hunc sequutus Ioann. Crispinus obseruarunt, sequar. Ac primum de legibus, quæ ius sacrum tractant agam.

Prima pars legum XII. Tabularum, de Iure sacro.

Ex iis XII. Tabularum fragmentis, quæ temporum iniuria reliqua nobis fecit, pauca admodum de sacris loquuntur: quinimo vnicum tantùm de sacris priuatis agit, cætera omnia de funeribus & sepulcris. Nam quæ Aymarus Riuallius Allobrox, & Ioannes Oldendorpius Iurisconsulti, ex Ciceronis de legibus libris recitant ex XII. Tabulis fuisse, conuinci nullo modo potest. Nam ne verbo quidem Cicero meminit, fuisse ea capita in XII. Tabulis perscripta, cum alioqui, quoties vnam, aut plures ex XII mutuatur, id haudquaquam dissimulet, vti postea videbimus. Quod cum ita sit, nos omissis reliquis incertis, ab ea incipiemus, quæ de sacris priuatis agit, atque ita concipitur.

I. Sacra priuata perpetuò manento.

Huius legis extat testimonium apud Ciceronem in Oratione pro Murena, vbi sic loquitur: Nam cum permulta præclare legibus essent constituta, ea Iurisconsultorum ingenio pleraque corrupta ac deprauata sunt. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones

tiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt. Idem libro 2. de Legibus cum hanc legem posuisset: Sacra priuata perpetua manento. De sacris, inquit, hæc vna sit sententia, vt conseruentur: & deinceps familiis prodantur: &, vt in lege posui, perpetua sint sacra. Et mox: Priuata sacra ita Pontificio iure constituta ait, vt ad quem pecunia, ad eundem etiam sacrorum obligatio perueniret. Omnino enim diligentissime esse animaduersum, ne priuata sacra interirent, sed familiis deinceps proderentur. Sententia igitur legis hæc est: vt quæ sacra gens aliqua, siue illa Patricia, siue plebeia sit, asciuisset, ea deinceps ab iis, qui eiusdem stirpis futuri essent, colerentur, & conseruarentur. Vnde etiam illud institutum constat, vt & mulieres in virorum, & adoptati in parentum, & hæredes in defunctorum sacra transirent: qua de re prolixe Hotomannus.

a Sacra priuata.) Sacrorum enim alia publica, alia priuata fuerunt. Publica (ait Festus) dicebantur, quæ publico sumptu pro populo fiunt: quæque pro montibus, Pagis, curiis, sacellis. At priuata, quæ pro singulis hominibus, familiis, gentibusque fiunt. Idem alibi: Quod priuatæ suæ religionis causa Deo dedicarunt, id Pontifices Romani non existimant sacrum. At si qua priuata sacra suscepta sunt, quæ ex instituto Pontificum stato die, aut certo loco facienda sint, ea sacra appellari, tanquam sacrificium. Ille locus, vbi illa sacra facienda sunt, vix videtur sacer esse. De iisdem sacris Macrobius lib 1. Saturnal. capit. 16. Sunt præterea feriæ propriæ familiarum, vt Claudiæ familiæ, vt Æmiliæ, siue Iuliæ, siue Corneliæ, & si quas ferias proprias quæque familia ex vsu domesticæ celebritatis obseruat, sunt singulorum, vt natalium, fulgurumque susceptiones: item funerum atque expiationum. Hactenus ille. Sacra autem hæc propria eorum Deorum erant, quos Penates, itemque Lares nominabant. Et quia gentis alicuius propria certis ritibus & cæremoniis colebantur, Gentilia dicebantur, quorum etiam meminit Cic. in oratione de Arusp. respon. &c.

Subiicit huic legi Hotomannus, & alteram de intercalatione, sed de qua tantum coniecturas, non autem certa testimonia habet. Ita vero eam concipit: vt Februarius mensis, qui Numæ instituto postremus erat, deinceps secundus esset: vtique eo mense post Terminalia annis alternis eorum dierum, qui ad annuam Solis rationem deessent, intercalatio fieret. Nos eam non interpretabimur. Sequuntur leges de sumptibus funerum, & iure sepulcrorum.

II. *Hominem mortuum in vrbe, ne sepelito, néve vrito.*

Quæ sequuntur leges, de funeribus & sepulturis agunt: hæc autem quæ iam recitata est lex, extat totidem verbis apud Ciceronem libro 2. de Legibus, vbi sic scribit: Hominem mortuum (inquit lex in XII.) in vrbe ne sepelito néve vrito. Deinde eam sic explicat: In Vrbe sepeliri lex vetat: sic decretum est à Pontificum collegio, non esse ius in publico loco fieri sepulcrum. Statuit enim collegium, locum publicum non potuisse priuata religione obligari. Seruius tamen in libro 5 Æneid. memoriæ prodidit, apud maiores (fortasse ante XII. Tabulas) moris fuisse, vt qui mortuus esset, domum suam referretur. Vnde est apud Virgilium,

Sedibus hunc refer ante suis & conde sepulcro.

Notandum vero & hoc est, quemadmodum ante, sic etiam post latas XII. Tabulas, fuisse quosdam in ipsa Vrbe sepultos, quos tamen legibus solutos virtutis causa id consecutos fuisse, Cicero existimat. Quin etiam Imperatores & virgines Vestales, quia legibus non tenebantur, in Vrbe habebant sepulcra. Sed & Virgines Vestæ nocentes, licet viuæ, tamen intra Vrbem, in campo scelerato obruebantur.

Néve vrito.) Credo (inquit Cicero) vel propter ignis periculum.

III. *Hoc plus ne facito.*

Hæc verba superioris alicuius legis, quæ funerum & sumptuum modum præfiniebat, appendix sunt: quasi in eam sententiam scripta lex esset, vt quum finem illis rebus præscripsisset, tum hoc quasi sanctionis loco adscriberet. Puto autem hæc verba ad eam legem pertinuisse, per quam Cicero libro secundo de legibus scribit extenuatum fuisse sumptum tribus reciniis, & claueis purpureis, & decem tibicinibus. Cuius Legis sententia hæc est: ne plus quam tres vestes cum mortuo aut conderentur, aut vrerentur: id quod etiam apud Athenienses, teste Plutarcho, Solonis lege cautum erat: nec plures decem tibicinibus ad funerum pompam adhiberentur. Recinium enim, vel Retinium, ait Festus, omne vestimentum quadratum ij, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt: Verrius togam, qua mulieres vtebantur, prætextam clauo purpureo. In more autem apud veteres erat, vestimenta quædam cum mortuis condere vel vrere: quod præter alios docent Virgilius Æneid. lib 6. in Miseno:

Purpureasque super vestes velamina nota
Iniiciunt.---------

Et Suetonius in Cæsare: Scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem vsum induerant, detractam sibi, atque discissam iniecêre flammæ. Nonnulli eruditi

viri, Iacobus Ræuardus, Adrianus Turnebus, Iunius in Nomenclatore, & alij per Ricinia, intelligunt vestes lugubres, quibus mulieres in funeribus vterentur: sed diuersum docet Iustus Lipsius epistolicarum quæstionum lib. 4. epist. 7.

Et decem tibicinibus.) Etiam Ouidius lib. 6. Fastorum docet decem tibicines ad funera adhibitos fuisse. Seruius in 5. Æneid. scribit, antiquæ consuetudinis fuisse, vt maioris ætatis funera ad tubam proferrentur: minoris vero ad tibias. Et Agellius lib. 20. cap. 2. auctor est, Siticines olim eos propriè appellatos, qui apud sitos canere soliti essent: hoc est vita functos, & sepultos. Eosque habuisse proprium genus tubæ, qua canerent, à cæterorum tibicinum proprietate differens, quos Siticinistas vulgus dicit. Sapienter ergo modum funeris lex præscribit.

IV. *Rogum ascia ne polito.*

Solebant Romani nimio quodam fastu, nimioque sumptu exornare sepulchra: id hæc lex prohibet, & iubet è rudibus, & impolitis lignis pyram confici. Iacobus Ræuardus istud caput, quod modo recitauimus, HOC PLVS NE FACITO, cum hoc coniungit, sic legens: NE FACITO ROGVM ASCIA, NE POLITO. Priores autem duas voces, *hoc plus*, non Decemuirorum sed Ciceronis esse, sicque intelligendas esse: Ea quæ hactenus Cicero ex XII. Tabulis de funeribus recitauerit, omnia à Solone desumpta esse: legem autem XII. Tabul. plus constituisse eo, quod in Solonis legibus continetur, videlicet, Ne quis faceret rogum ascia, nec poliret, &c.

Rogum.) Rogus significat struem lignorum, factam ad cremanda cadauera, sic dictus à rogando, quod in eo manes rogari solerent.

Ascia.) Ascia fabrorum materiariorum dolabra est, quibus ad aspera ligna polienda vtuntur, ab abscindendo dicta: *en dwe beill breite axt: oder zimmeraxt.*

Sumptus igitur superuacuos & inutiles à funeribus lex remouet.

V. *Mulieres genas ne radunto: néve lessum funeris ergo habento.*

Et hæc lex à Solone desumpta est, quem Plutarchus scribit prohibuisse, in funeribus corpus laniare, lamentationémque meditatam edere. Seruius in illud Æneidos XII. *Et roseas laniata genas*, sic scribit: Moris fuerat, vt ante rogos humanus sanguis effunderetur, vel captiuorum, vel gladiatorum: quorum si fortè copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, vt rogis illa imago restitueretur. Tamen sciendum, cautum lege XII. Tabularum, ne mulieres carperent faciem, his verbis: Mulier faciem ne carpito. Hæc Seruius. Vbi tamen verba legis mendosè recitantur, Non enim faciem sed genas: nec carpito, sed radito, vel radunto: numero plurium, in legibus fuisse scriptum, docent Plinius & Festus: quorum hic ita ait: Radere g...... lege XII. id est, vnguibus: vbi Interpretari Festus voluisse videtur, quid sit radere genas: videlicet vnguibus eas cruentare & scindere. Plinius autem lib. 11. cap. 37. Malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant, duodecim Tabularum interdicto, radi è fœminis eas. Sic enim legit Iustus Lipsius in Quæstionibus Epistolicis. Quanquam autem vetitum id esset lege duodecim Tabularum: tamen factum fuisse etiam Varronis temporibus, docet ex Seruianis schedis Iosephus Scaliger in suis ad Festum castigationibus, vbi eum sic scribentem adducit Seruius in schedis: Varro dicit mulieres in exequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, vt sanguine ostenso inferis satisfaciant. Male hanc legem accepit Adrianus Iunius, qui in Commentario suo de Coma, capit. 2. scribit, XII. Tabularum interdicto cautum fuisse, ne mulieres genas raderent, vt ne diutino radendi vsu succrescentibus pilis à natura non datis, sub ementito virilis oris honore fallerent.

Néve lessum funeris ergo habento.) Cicero libr. 2. de legibus auctor est, veteres XII. Tabularum interpretes Sex. Ælium, L. Acilium, non satis se intelligere dixisse, quid esset lessus: sed L. quidem Acilium suspicari, vestimenti genus aliquod funebris fuisse: Ælium autem, lessum, quasi lugubrem eiulationem dictam esse, vt vox ipsa significet: quam Ælij sententiam se probare & veram esse iudicare, Cicero addit: cum idem Solonis etiam lex vetet. Respexit ad hanc legem idem etiam in Tusculanis quæstionibus, cum sic scribit: Sed hoc quidem in dolore maximè est prouidendum ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignaue, ne quid seruiliter, muliebriterve faciamus. Imprimisque refutetur, ac reiiciatur Philoctetis ille clamor. Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro, eiulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum est fletus, quem XII. Tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt. Hactenus ille. Monet Iustus Lipsius in Quæstionibus Epistolicis, veteres losum, & lausum, lesum, ac lessum vna & eadem significatione dixisse.

Plato autem libr. 12. de Legibus: Fleri (inquit) mortuum iubere aut vetare, absurdum est: plangere vero, & voces ac lamenta extra ædes mittere, vetandum.

VI. *Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus fiat: extra quam si militiæ aut peregre mortuus sit.*

Extat apud Ciceronem libro 2. de legibus. Legis sententia hæc est, vt posteaquam crematum corpus esset, ossa è cineribus legantur, statimque loco proximo in terram condantur,

ne si alium in locum sepeliendi causa deportaretur, luctus duplicaretur & sumptus.

Excipitur autem hac lege, si quis aut militiæ aut peregrè sit mortuus, vbi scilicet funus ei fieri non licuerit: tum enim neque luctus, neque sumptus augetur. Itaque & in Pandectis is sumptus funeris probatur, cum peregre mortuus in suum transfertur.

Aliter tamen eam interpretatur, & verius quidem, Iacobus Ræuardus, cum ita scribit: Multum interesse puto inter ossa homini mortuo legere, & inter ossa homini mortuo legere. Nam ossa hominis, quæ dispersa sunt & non cohærent, cum simul colleguntur, tunc hominis ossa legi dicuntur. Seneca libro secundo de Ira: Dignus fuit, cui permitteret à conuiuio ad ossa filij legenda discedere. Sed homini mortuo leguntur ossa, cum eius cadaueri aliqua ossa adimuntur. Eoque sensu viuis ossa legere dixit idem Seneca libro de consolatione. Legere siquidem pro adimere, & auferre veteres dixisse non est obscurum, si consideremus eum dicendum esse sacrilegum, qui adimit, qui aufert res Deo rite consecratas. Pertinet autem lex ad hunc morem fortasse de quo Festus scribit, membrum abscindi mortuo solitum dici, cum digitus eius decidebatur, ad quem seruatum iusta fierent, reliquo corpore combusto, id quod hac lege Decemuiri prohibuerunt, nisi quis aut peregre, aut in bello mortuus esset. Tum enim permiserunt ei ossa legi, quo post funus fiat, hoc est, membrum aliquod adimi, ad quod seruatum iusta Romæ fierent, reliquo corpore apud peregrinos combusto. Hæc fere Ræuardus. *l. & si 14. §. impensa. & l. Diui fratres 3. ff. de relig. & sumpt. fun.*

VII. *Vti seruilis vnctura, omnisque circumpotatio tollatur.*

Solebant olim cadauera siue corpora mortuorum vngi odoribus & vnguentis, vnde Ennius:

Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit.

Et Virgilius lib. 6. Æneidos:

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt corpúsque lauant frigentis, & vngunt.

Atque ff. l. funeris 37. de religios. & sumptibus funerum, eorum sumptuum ratio probatur, qui vnguento pro mortui corpore comparato facti sunt. Sed in seruorum corporibus id fieri lex vetat, quæ sumpta est ex legibus Solonis. Sic etiam non omnis circumpotatio, sed seruilis tantum sublata est. Nam liberi homines, quominus coronari parentantes, cum supra tumulum dapes posuissent, circumpotare potuerint, nulla lege mihi prohibitum fuisse videtur. Ita Iacobus Ræuardus.

Omnisque circumpotatio.) Circumpotatio, alio nomine silicernium, Græcè περίδειπνον dicitur.

Ita Varro Meleagris, quemadmodum Iacobus Cuiacius apud Nonium legit: Funus exequiati laute, siue (quod Iano Palmerio placet) cum lausu ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est, περίδειπνον, quo pransi discedentes dicimus alius alio, Vale. Significat autem silicernium conuiuium funebre, quod apud veteres exhiberi senibus solebat: dictum, quod cum silentio edentes cernerentur, vel propter defuncti memoriam, vel quod cogitarent, se mox illum secuturos, quapropter abeuntes è conuiuio, veluti se amplius non visuri, mutuo se salutabant. Alij aliter hoc vocabulum interpretantur, de quo vide Festum Fulgentium, Placiadem, Donatum in Terentij Adelphos, & Sipontinum in Martialem statim initio.

VIII. *Vti ne sumptuosa respersio fieret: néve murrhata potio mortuo inderetur: néve longæ coronæ, néve acerræ adhiberentur.*

Intelligitur ex his verbis moris fuisse apud veteres, vt cadauer, rogúsve, liquoribus quibusdam pretiosis perfunderetur, quod ne fiat amplius, hac lege prohibetur.

Murrhata potio.) Festus scribit, Murrhata potione vsos antiquos fuisse, eiúsque rei indicium esse, quòd etiam Ædiles per supplicationes Diis addant ad puluinaria, & quod duodecim tabulis caueatur, ne mortuo indatur, docente id Varrone libr. I. Antiquitatum: Qualis verò ea potio fuerit, de eo valde dubitant auctores, Hieronymus Mercurialis, Medicus Patauinus celeberrimus, in variis lectionibus de murrhina, quæ eadem est murrhata potio, disputans, Cuiacij, Iulij Cæsaris Scaligeri, & Adriani Iunij multum discrepantes opiniones primùm recitat, & refutat: deinde quid ipse sentiat afferens, dicit se existimare, murrhinam fuisse artificialem quandam potionem, quæ veterum tempestate vulgatissima fuerit, à posteris autem intermissa, vt vix eius remanserit nomen, quod vel à similitudine, vel à mixtione, vel ab aliqua alia re fortasse captum sit. Hæc Mercurialis. Prohibet igitur lex, ne eiusmodi potio mortuo conficiatur, & ita magni sumptus in eum fiant.

Néve longæ coronæ.) Longæ coronæ dicuntur ad differentiam rotundarum, qualibus busta, sepulcra, sellas curules, theatra, & currus triumphales exornari consueuisse, ex Huberti Goltzij C. Iulio Cæsare, Fastis & Augusto, Guilhelmi Brassicani antiquitatibus, & Æneæ Vici Parmensis nummis discimus.

Néve acerræ adhiberentur.) Festus scribit acerram aram esse, quæ ante mortuum poni so-

leat, in qua odores incendantur. Addit autem alios dicere, arculam esse, thurariam scilicet, vbi thus reponatur. Hotomannus de aris potius accipiendum putat, vt vetet lex, aras quæ proximè sepulchra fierent, cum thure incensisque odoribus obiri.

IX. *Qui coronam parit ipse, pecuniáve eius virtutis ergo arduitor ipsique mortuo, parentibusque eius, dum intus positus erit, forisque feretur, sine fraude imposita esto.*

Legis sententia (ait Hotomannus) videtur esse hęc, vt qui in ludis certaminibusque publicis coronam adeptus sit (quæ quidem præmium victoribus honoris causa proposita erat) ei monimentum istud quasi insigne suæ virtutis, relinqueretur.

Et est hæc lex quasi exceptio quædam præcedentis, qua cum prohibetur, adhiberi ad funera longas coronas, ne imponantur cadaueribus: hic excipiuntur illæ coronæ, quas quis vel ipse, vel per seruos, equosve suos virtutis ergo in publicis ludis, certaminibusque sibi peperisset, atque adeptus esset. Has enim addi, & in funeribus ipsis demortuis Dominis imponi, lex concedit.

Pecunia.) Pecuniæ nomine lex non equos tantùm, sed & seruos comprehendit.

Arduitor.) Sic emendat Iustus Lipsius libro 4 Epistolicarum Quæstionum, epist. 27. cum in vulgatis sit, arguitur. Dicit autem arduitor, positum antique, pro adduitor, à verbo arduo, vel adduo, pro quo nos hodie addo dicimus. Ræuardus legit arguitor: vt sit sensus, corona illa sit argumento & indicio virtutis suæ. Hoc autem volunt illa verba, vt coronæ, quæ partæ ab equis vel seruis essent, Domino æquè ac si per se ipse certando eas peperisset, honorem illum conciliarent. Recitat hanc legem Plinius lib. 21. cap. 3.

X. *Vti plura funera ne vni fierent: néve lecti plures insternentur.*

Ad minuendos sumptus, & mortuis, & viuis inutiles, sine dubio lex pertinet: nam, vt Seruius tradit, apud maiores gloriosum fuerat, quàm plurimis lectis efferri. Ac tenuis quidem fortunæ homines capulis, siue pheretris efferebantur: potentiores autem lectis. Itaque Sulla sex millia lectorum habuisse dicitur.

XI. *Néve aurum addito: ast quoi auro dentes vincti erunt: im cum illo sepelire & vrere, se fraude esto.*

Vetat lex sepulchris aurum iniici, cum apud antiquos consuetudo ferret, vt in rogum vna cum mortuo pretiosa multa inijcerentur: id quod ex plerisque Virgilij locis, & Seruij in eum commentarius intelligitur. Testatur autem Plutarchus & alii, Romanos in rebus ad sacra & religionem pertinentibus, quales Diuorum Manium fuerunt, mirabiliter anxios, & ad summam superstitionem adductos fuisse. Additur deinde exceptio, si tamen quis dentes, qui sibi excidissent, aut euulsi essent, auro incrustasset, licere eos cum mortuo cremari, vel sepeliri, sine fraude: hoc est, non peccari ea re contra leges.

Ast quoi auro dentes vincti erunt.) Id est, cuius dentes, qui illi aliquando vel exciderunt, vel euulsi sunt, auro erunt incrustati.

Quoi.) Pro cui, antique.

Im cum illo sepelire, &c.) Id est, licere per legem, cum dentem, vel eos dentes cum mortuo vri, vel condi. Im pro eum, se, pro sine, antique, teste Festo.

XII. *Rogum, bustúmve nouum, ne propiùs ædes alienas LX. pedes inuito domino adiicito: néve forum sepulchri, bustúmve, vsucapito.*

Sententia legis plana est. Pyra, inquit Seruius, est lignorum congeries. Rogus, cum ardere cœperit, dicitur. Bustum verò iam exustum vocatur, quasi bene vstum. Bustum tamen pro sepulchro, in quo humatus quis est à lege vsurpari, vel hoc argumento est: primùm, quòd cùm de loci interuallo caueat, aliud esse Rogum demonstret, aliud Bustum, siue τύμβον. Atque vt in Rogis incendium lex verebatur (quod Tullius annotauit) sic in Bustis tetrum cadauerum odorem, & aëris pestilentiam cauere oportuit.

Néve forum.) Hoc capite lex cauet ne forum sepulchri, bustúmve vsucapi liceat.

Forum.) Festus antiquos id forum appellasse tradit, quod nunc vestibulum sepulcri dici solet. Ac de vestibulo quidem, ambituque sepulcrorum legis ratio perspicua est: vt scilicet potestas esset hæredibus iusta quotannis ad sepulchrum facere.

Cicero Philip. 9. Maiores, inquit, nostri statuas multis decreuerunt, sepulchra paucis. Sed statuę intereunt tempestate, vi, vetustate: sepulcrorum autē sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moueri, neque deleri potest. Atque hactenus de legibus, quæ ad sacra pertinent, quantùm quidem reliquum est, diximus: in quibus ferè omnes, præsertim eæ, quæ de sepulchris & funeribus loquuntur, extant in 2. Ciceronis de legibus libro. Sequuntur nunc leges de iure publico.

SECVNDA PARS LEGVM XII. TABVLARVM De Iure publico.

I. *Priuilegia ne irroganto.*

Extat hæc lex apud Ciceronem lib.1.de Legibus.Cuius sententia est,ne de priuis,hoc est, singulis hominibus leges ferrentur, cùm æquitatis ratio postulet, vt omnes homines summi cum infimis pari iure teneantur: & iura non in singulas personas, sed generaliter constituantur.

Plerique harum legum interpretes ita hoc caput intelligunt, quasi non omninò priuilegia prohibeantur,sed ita,vt non nisi Comitiis Centuriatis ferantur. Quibus contradicit Iacobus Cuiacius,& docet: Priuilegia esse duplicia, alia quæ de vna tantùm persona concipiantur in omnia tempora:alia quæ ad plures personas eiusdem conditionis, vel ad vniuersos ciues pertineant: de his priuilegiis legem hanc nihil dicere,nec eas prohibere: illa verò omninò tollere:nec verba,nisi per maximum Comitiatum huc, sed ad sequens tantum caput referenda esse:quod ex Cicerone etiam intelligitur,vbi hanc legem interpretatur. Sic enim inquit: Tum legum præclarissimæ de XII.Tabulis translatæ duæ: quarum altera priuilegia tollit, altera de capite ciuis rogari, nisi maximo Comitiatu, vetat, nondum cognitis seditiosis Tribunis plebis,ne cogitatis quidem.Admirandum tantum,maiores in posterum prouidisse.In priuos homines leges ferri noluerunt.id est enim priuilegium,quo quid est iniustius? Cum legis hæc vis sit,scitum esse,& iussum in omnes,&c.Hactenus Cicero. Quæ enim sequuntur verba,ea sequens caput explicat. Vide Cuiacium libro Obseruationum 5.capit.8. Nec multo aliter Ræuardus eam interpretatur.Iosephus tamen Scaliger Castigationibus in Festum scribit,verba Ciceronis (Ferri de singulis,nisi Centuriatis Comitiis,noluerunt) esse interpretationem legis huius, Priuilegia ne irroganto,pagin.133. quod non placet. Vide etiam Agellium libro decimo capit.20.

Priuilegia. Priuus adiectiuum est, significans singulum : pro quo tamen apud Ciceronem pro Domo , & libro tertio de Legibus mendosè legitur priuatus. Est autem priuilegium ius singulare & in certæ personæ,vel causæ gratiam,fauorémve:& lex de vno homine lata.Isidorus.

Irroganto.) Irrogare propriè significat legibus infligere, vt irrogare pœnam, &c. hoc loco videtur positum pro simplici,rogare,vel pro introducere.

II. *De capite ciuis,nisi per maximum Comitiatum,ne ferunto.*

Reipublicæ interest,inquit Vlpianus,vt delicta puniantur.Hoc animaduertentes Romani, etiam ipsi sua iudicia grauissime constituerunt , & alia quidem, videlicet leuiora Magistratibus mandarunt:grauiora autem,vbi de capite ciuis actum fuit, populus sibi reseruauit, illámque populi potestatem Decemuiri hac lege confirmarunt, vt de capite ciuis, nisi Centuriatis Comitiis,non rogaretur,vel ad populum referretur.Sic etiam scribit Pomponius,non potuisse Consules iniussu populi de capite ciuis Romani sententiam ferre.Ideoque secures Consulibus aliquando ademptæ, & ea lege & conditione à Largio Dictatore restitutæ dicuntur, ne iis in caput ciuis Romani iniussu populi animaduerterent. Posterioribus tamen temporibus, constitutis quæstionibus publicis non ipse populus de omnibus criminibus capitalibus iudicauit,sed Quæsitores Parricidij,vel Prætores publicarum quæstionum delegit,iisque iudicia illa commisit.

Per maximum Comitiatum.) Id est, per Centuriata Comitia , in quibus populus descriptus Censu,ordinibus,ætatibus,plus adhibeat in suffragium consilij,quam fuse in Tribus conuocatus.

Habetur hæc lex apud Ciceronem lib.3.de Legibus,& oratione pro Sestio.

III. *Iussus populi & suffragia sunto : Quodcunque postremum populus iussit , id ius , ratúmque esto.*

Extat hæc lex, qua Comitia populi,& suffragia confirmantur,apud Liuium libro 7. vbi sic scribit:In secundo Interregno orta contentio est,quod duo Patricij Consules creabantur,intercedentibusque Tribunis,Interrex Fabius aiebat in XII.Tabulis legem esse,vt quodcunque postremum populus iussisset,id ius,ratúmque esset: Iussum populi, & suffragia esse. Meminit eiusdem Liuius libr.9 atque Cicero pro Balbo,& lib.2.de Inuentione,

Suffragia sunto.) Suffragium est vox illa quæ dabatur Comitiis , & in tabellis describebatur , qua vnusquisque suam declarabat voluntatem de aliquo Magistratu creando , aut condamnando. Initio autem voce,& palam ferebantur,vt nunc quoque fit , donec ferrentur tabellariæ leges,quæ suffragia tabellis describi voluerunt. Aliquando tamen suffragium pro auxilio capitur. Sed hic de priori significatione agimus.

Quodcunque postremum populus iusserit.) Cum Senatus, aut populus Romanus multa iusserit, quæ simul seruari non possunt, quoniam ex diametro inuicem pugnant: tunc postremum pro iure seruandum est, vt sicubi leges sint scriptæ quæ nullo modo conciliari possunt, semper vltimam sequi debemus. Nam postrema grauissima sunt. Vnde Modestinus, *αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν.*

Respexit ad hanc legem author Rhetoricorum ad Herennium, libr. 2. quum eam defensionem tenuem contendit, qua ostenditur, id factum esse quod ea lex sanciat, cui legi abrogatum, vel derogatum sit: id quod posteriori lege sancitum sit, esse neglectum.

IV. *Vt si iudex arbiterve iure datus, pecuniam ob rem iudicandam acepisset, capite pœnas lueret.*

Descripta est hæc lex ex cap. 1. libr. 20. Agellii, qua statuitur pœna in iudicum arbitrorúmve perfidiam, quam omnibus ætatibus odio hominibus fuisse ostendit etiam exemplum illud Cambysis regis Persarum. Testatur autem Phauorinus apud Agellium, populo Romano hanc pœnam nimis duram esse visam: qui postea passus sit legem huius generis de tam immodico supplicio, situ atque senio emori: ideóque factum, vt posterioribus temporibus eiusmodi iudices iniusti ex lege repetundarum extra ordinem puniti, & plerique vel exilio multati sint, vel etiam durius, prout admiserint, teste Modestino. De arbitris dicetur paulo post. *Lege Iul. vlt.*

V. *Vt qui falsum testimonium dixisset, è saxo Tarpeio deijceretur.*

Habetur & hoc caput apud Agellium lib. 20. c. 1. & conuenit cum octauo legis diuinæ præcepto. Videtur autem sumptum ab Atheniensibus, apud quos in Areopago grauissimum fuisse iudicium ψευδομαρτυριῶν, apparet ex Demosthene, qui scribit, eos non modo in testes falsi testimonii reos, sed & in eum, qui eos subornauerat, produxeratque, iudicium dedisse, & grauissimè animaduertisse. Cuius rei causa fuit, quod in Græcia valde multi essent ad falsum testimonium dicendum sine vlla religione tanquam ad ludicrum aliquod, parati. Probat hoc Cicero in Oratione pro Flacco. Cæterùm, quod ad ipsa verba legis attinet, clara & perspicua ea sunt, nec multa explicatione indigent.

E saxo Tarpeio deijceretur.) Saxum Tarpeium miræ altitudinis erat, à quo lex vult deiici eum, qui falsum dixisset testimonium. Causa tam atrocis pœnæ fuit, vt acerbitas vlciscendi maleficij, bene atque cautè viuendi disciplina esset. Posterioribus temporibus aliquando in iudicum arbitrio fuit positum, qualis pœna falso testi irroganda esset: aliquando legis Corneliæ pœna ei fuit irrogata: deportatio videlicet & omnium bonorum publicatio. Testatur hoc postremum Martianus IC. qui scribit, eum qui falsum testimonium dolo malo dixisset, quo quis rei capitalis damnaretur, ea lege teneri, cuius pœna est Insulę deportatio, & omnium bonorum ademptio. *l. 1. ff. ad l. Cornel. de sicar.*

VI. *Ne quis hominem indemnatum occideret, hominisve occidendi causa cum telo esset.*

Priorem legis partem ex Saluiano Massiliensi episcopo primus obseruauit Iacobus Cuiacius IC. celeberrimus, apud quem sic legerat: Interfici indemnatum quemcunque hominem etiam XII. Tabularum decreta vetuerunt. Atque ad hanc legem respexisse eidem Augustino videtur, quando sic scribit: Vos appello leges, iudicésque Romani, nempe post patrata facinora, nec quemquam scelestum indemnatum impune voluistis occidi. Sumptum hoc forte est ex Lycurgi legibus, quæ auctore Valerio de indemnatis supplicium sumi vetabant.

Legis autem æquitas in promptu est: ne si quemuis sceleris manifestum occidi sine iudicio liceret, fenestra hominibus audacibus ac facinorosis ad cædes pro libidine faciendas aperiretur.

Posterior pars ex Cicerone petita est, qui in Miloniana ita ratiocinatur: Cum lex vetat, esse cum telo hominis occidendi causa: eandem tacite permittere, esse cum telo defendendi sui causa. Locus enim est ex contrariis: cuius hoc summum præceptum est, vt contrariorum contraria sit consequentia.

VII. *Ne quis in vrbe cœtus nocturnos agitaret.*

Ex declamatione Portij Latronis in Catilinam apud Sallustium.

Clandestinas contiones lex vetat, quippe quæ facinorosis hominibus facultatem aliquid contra Rempublicam audendi præbeant, quemadmodum Menander scribit:

Τὴν νύκτα τῶν πολλῶν κακῶν ἀρχηγόν.

Itaque intempestam noctem veteres appellabant, vt Varro scribit, quia tempus agendi nullum erat. Inde etiam altera illa lex in has tabulas relata: Sol occasus suprema tempestas esto: vt mox dicetur.

VIII. *Vt si quis hostem concitasset, ciuemve hosti tradidisset, capite pœnas lueret.*

Recitat hanc legem Martianus in l. iij. ff. ad leg. Iuliam maiest. Lex duodecim Tabularum

rum (inquit) iubet eum, qui hostes concitauerit, quive ciuem hostibus tradiderit, capite puniri.

Plerique interpretum hanc legem de crimine maiestatis intelligunt.

Est enim Maiestatis crimen illud, quod aduersus populum Romanum, aut securitatem eius committitur: id est, in quo læditur aut dignitas aut securitas eius. Cicero in Rhetoricis dicit, Maiestatem minuere, esse de dignitate aut amplitudine aut potestate populi, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare. Franciscus Balduinus in huius capitis explicatione scribit, tribus modis Maiestatem populi minui. 1. Si quis iniussu populi, vel principis bellum gereret, delectum haberet, exercitúmve compararet: cum populi esset, ex Romuli lege, hostibus bellum decernere, indiceréve: idque dicit, hoc loco significari per verba hostem concitare. 2. Si quis exercitum populi Romani hostibus traderet. 3. Si quis in bellis cederet, hostémve arcere nollet, aut in castra concederet, aut exercitum desereret, aut ad hostes profugeret. Ex quibus omnibus sententiam huius legis planam esse & intelligi posse, arbitror. Hotomanus dubitat quomodo illa verba, Hostem concitaret, intelligere debeat: vtrum de iis accipienda sint, qui extra ordinem in hostem pugnent, quod capite sancitum fuisse manifestum est: an vero de iis qui hostes ex amicis populi Romani faciant. Lector iudicet.

IX. *Vt qui ædes alienas aceruúmque frumenti iuxta ædes positum dolo malo combussisset, vinctus, verberatus igne necaretur: at si casu id fecisset, noxiam sarciret, Prætorisve arbitratu castigaretur.*

Huius extat testimonium apud Caium in l. qui ædes. 9. ff. de incend. ruin. quam ex Caij libro ad leges XII. Tabular. quarto descriptam esse, inscriptio declarat. In quam sententiam illud est Callistrati, in l. capitalium. 28. § 10. ff. de pœnis. Incendiarios capite puniri, qui ob inimicitiam, vel prædæ causa, intra oppidum incenderunt, & plerumque viuos exuri: qui vero casam aut villam aliquanto leuius. At fortuita incendia, si cum vitari possent, per negligentiam eorum, apud quos orta sunt, damno vicinis fuerunt, ciuiliter exerceri: vt qui iactura affectus est, damnum recuperet. Similiter Paulus libro 5. Sententiarum, cap. 4. Incendiarij, inquit, qui consulto incendium inferunt, summo supplicio afficiuntur. Quod si per incuriam eorum ignis euaserit, duplici compendio damnum eiusmodi sarciri placuit.

X. *Qui fruges excantassit.*

Extat huius legis mentio & apud Senecam lib. 4. naturalium quæstionum, & apud Plinium lib. 28. capite 2. & alibi. Senecæ verba sunt hæc. Apud nos, inquit, in XII. Tabulis cauetur, ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri, tam palam est, vt huius causa nullius Philosophi schola introeunda sit. Hæc Seneca. Cui tamen contradicit Plinius libro 2. capit. 2. & libr. 10. capit. 1. & alibi, probans multis exemplis, maximam vim habere incantationes, id quod etiam quotidiana experientia testatur. Non addam plura ad huius legis explicationem: hoc tantùm dico, quod ab aliis sic recitetur: Qui fruges excantassit: & qui malum carmen incantassit, coercetor. Liuius Decadis 4. libro nono cum de Bacchanalibus loquitur, testis est, olim Romæ ex Senatusconsulto conquisitos fuisse omnes veneficiorum & vaticiniorum libros, vt comburerentur.

XI. *Néve alienam segetem pellexeris.*

Extat apud Augustinum libro 8. de ciuitate Dei, & Seruium in octauam Virgilij Eclogam.

Augustinus libro de ciuitate Dei 8. illud etiam inquit, quod alio loco de his artibus dicit.

Atque satas alio vidi traducere messes.

Eo quod hæc pestifera, sceleratáque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur: nónne in XII. Tabulis, id est Romanorum antiquissimis legibus, Cicero commemorat esse conscriptum, & ei qui hoc fecerit supplicium constitutum? Item Apuleius in Apologia: Magia ista, quantum ego audio, res est legibus delegata, iam inde antiquitus duodecim Tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta.

Hæc verò certis conceptisque verborum formulis, ac potius susurris, vel hominibus perniciesve, vel agris calamitas inferebatur. Huius eiusdem generis illæ [illegible] fuerunt, de quibus Cic. in 1. de Diuinat. & Plutarchus in Crassi vita commemorant: vnde intelligitur, arcanas quasdam & vetustas execrationes fuisse, quarum ea vis foret, vt cui semel obnunciarentur, is nunquam exitium, perniciemque vitaret.

XII. *Sanatibus idem quod forctibus ius esto.*

Extat hoc caput apud Festum: Sanates, ait Festus, dicti sunt qui supra, infráque Romam

habitauerunt: quod nomen his fuit, quia, cum defecissent à Romanis, breui post redierunt in amicitiam, quasi sana mente. Itaque in XII. Tabulis cautum est, vt idem iuris esset, Sanatibus, quod Forctibus, id est, bonis, & qui nunquam defecerant à popul. Romano. Legis æquitas manifesta est, vt ij scilicet, qui benignitatem populi Romani experti essent, constantes deinceps in fide, atque ipsius Maiestate comiter tuenda, permanerent: tum vt reliqui hoc tanquam inuitamento ad populi Romani societatem, atque amicitiam allicerentur. Hanc tamen legem postea Æbutia lege abrogatam fuisse, testis est Agellius libr. 16. cap. 10.

TERTIA PARS LEGVM XII. TABVlarum: de Iure priuato.

De Patria potestate.

I. *Vti qui ex patre, matrèque familias eius nasceretur, in patrisfamilias sui manu, potestate, mancipioque esset: haberetque paterfamilias ius in eum vitæ, ac necis, terque filium venum dandi potestatem.*

At si ter filium pater venum duit, filius à patre liber esto. Vtique filia, cæterique liberi vna mancipatione liberarentur. Iustinianus scribit: Ius potestatis, quod in liberos habemus, proprium esse ciuium Romanorum: Nullos enim alios esse homines, qui talem in liberos potestatem habeant. Nam (vt Dionysius testatur) gentes aliæ omnes modum patriæ potestati aliquem statuerunt: at Romani in omne vitæ filiorum tempus eam produxerunt: etiamsi Rempublicam gererent, Magistratúsve summos obirent.

Qui ex patre, matreque familias.) Sic accipienda sunt hæc verba, quasi dictum esset: Qui ex iusta vxore. Nam (vt Iustinianus ait) in potestate nostra sunt ij demum liberi, quos ex iustis nuptiis procreauimus.

Manu, potestate, mancipio.) Tria hæc coniunctim coaceruata sunt, vt summum illud, & infinitum ius patriæ potestatis intelligeremus. Vnde illud de C. Flaminio apud Ciceronem in 2. de Inuentione, qui cum Tribunus plebis esset, & ex Rostris concionem ad populum haberet, vi à patre de eo templo deductus est.

Haberetque paterfamilias ius in eum vitæ.) Huic tamen legi Imperatores Romani, atque Iurisconsulti detraxerunt, eamque ad naturalem æquitatem reduxerunt, vt ex plurimis Pandectarum, Codicis, & Nouellarum constitutionum locis apparet.

Terque filium venum dandi) Huius partis testem habemus Dionysium Halycarnassæum lib. 2. qui etiam illud adscribit. Maiorem hac lege patribus in filios, quàm heris in seruos potestatem permissam esse. Seruum enim semel venditum, si à nouo domino manumittatur, sui iuris effici: at filium non prius suæ potestatis fieri quam ter à patre suo venditus, ter à suis dominis manumissus fuerit.

At si ter filium pater.) Auctorem hæc pars legis habet Vlpianum, cuius verba ex Institutionum 10. hæc sunt: Liberi parentum potestate liberantur emancipatione: id est, si posteaquam mancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus, sui iuris fit. Id enim lex XII. Tabularum iubet his verbis: Si pater filium ter, &c.

Venum duit.) Alij legunt venum dauit: Turnebus, venum dabit: Iosephus Scaliger, Venum duit, ab antiquo verbo duo, duis, pro quo nos vtimur do, & subiicit, venum dauit, male, imò barbare & inepte dici.

Quod ait lex, Filia verò &c. Existimat Hotomanus, testimonium certum non extare. Nam quod Vlpianus capit. 10 sic scribit. Cæteri liberi, præter filium, tam masculi, quàm fœminæ, vna mancipatione, manumissionéque sui iuris fiunt, &c. nominatim legi XII. Tabularum non adscribit, vt nec in lib. 8. D. de iniu. rup. irr. test. Vtcunque sit, capitis huius sententiam Caius quoque lib. 1. Institutionum confirmans, inquit: Fœminæ, vel nepotes masculi ex filio, vna mancipatione de patris vel aui exeunt potestate, & sui iuris efficiuntur.

De testamentis, ac tutoribus.

II. *Paterfamiliâs vti legassit super pecunia, tutelâve suæ rei, ita ius esto.*

His verbis legis XII. Tabularum, vti legassit, ius esto: ait Iurisconsultus, amplissima potestas tributa est testatoribus, vt etiam si Prætorem, aut Consulem, qui cum summo imperio est, suis

uis liberis tutorum instituant, eos ad hoc onus suscipiendum obligent.

Paterfamilias.) Sic hoc intelligendum est, solis patribus familiàs testandi ius fuisse, filiis familias, ne patribus quidem auctoribus, non fuisse, quippe qui suum nihil haberent.

Vti legassit.) Pro eo est, quasi dixisset, vti statuerit, siue decreuerit. Legandi verbum à lege fictum est, vt legare nihil aliud sit quàm statuere, decernere & (vt vulgus loquitur) disponere: siue de hæreditate, siue de legatis, & donationibus in testamento.

Super pecunia.) Hoc verbo non modò pecunia numerata, verùm etiam res omnes, tam soli, quàm mobiles, & tam corpora, quàm iura continentur.

Tuteláue suæ rei.) Mirum videri potest, quasi rei, id est, patrimonio tutela detur. Tutela moribus potius ac disciplinæ pupillorum quam fortunis & patrimonio comparata est. Sed fortè adiectum est propter superius verbum pecunia, quasi lex hoc capite de testatorum patrimonio & fortunis sanxisset. Quod ait, ita ius esto: per hanc legem ius patriæ potestatis, etiam post patris mortem, & vsque ad paupertatem liberorum extenditur.

III. *Parentibus tutorum liberis in potestate dandorum testamento ius esto.*

Huius legis caput habet Caius libro 4. ad leges XII. Tabularum, l. 1. ff. de testament. tutel. vbi ait: Lege XII. Tabularum permissum esse parentibus, liberis suis, siue masculi, siue fœminini sexus (si modo in potestate sunt) tutores testamento dare. Nam secundum naturam fit verisimile neminem diligentius de bonis tutoribus cogitaturum quàm parentes ipsos. Ideoque lex permittit ac suadet, vt parentes in testamentis suis dent liberis impuberibus tutores: ne post mortem illorum incerta sit eius rei sollicitudo. Addit autem Caius, scire nos in primis hic debere, etiam posthumis filiis posse tutores testamento dari. Et sic Suetonius scribit, Iulium Cæsarem testamentum facientem plures ex iis, qui eum posteà occiderunt, nominasse tutores filij, si quis sibi nasceretur. Rationem autem cur posthumis dari tutor possit, hanc recitat Iustinianus, quòd ij in compluribus aliis causis pro iam natis habeantur.

IV. *Vt si paterfamilias intestato moreretur, agnatorum, gentiliumque in ipsius pupillis, eorumque potestas esset.*

Huius capitis testes sunt Iustinianus, Vlpianus & alij. Legitimæ tutelæ, inquit Vlpianus, lege XII. Tabularum agnatis delatæ sunt, & consanguineis: id est, his, qui ad legitimam hæreditatem admitti possunt: vt qui sperarent hanc successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur.

Si paterfamilias intestato moreretur.) Hæc verba, intestato moreretur, inquit Iustinianus, non hanc habent significationem si omnino non fecerit testamentum is qui poterat tutores dare: sed si, quantùm ad tutelam pertinet, intestatus decesserit. Quod tunc quoque accidere intelligitur, cùm is, qui datus est tutor, viuo testatore decesserit.

Agnatorum gentiliumque.) Caius hæc sic interpretatur: vt si plures agnati essent, proximus familiam adipiscatur: & si eodem gradu plures sint, omnes simul tutelam adipiscantur. Sunt autem agnati cognati per virilis sexus cognationem coniuncti, quasi à patre cognati, veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, nepósve ex eo: item patruus & patrui filius, nepósve ex eo. At qui per fœminini sexus personas cognatione iunguntur, agnati non sunt, sed alias naturali iure cognati: differunt autem agnati etiam à gentilibus hoc modo, quod agnati dicuntur, qui ex eadem familia nascuntur, & idem cognomen habent: gentiles, qui eodem ex genere nascuntur, & simili nomine appellantur. Annotat Iustinianus in Institutionibus ex hac lege etiam libertorum & libertarum tutelam ad patronos, liberosque eorum pertinere.

V. *Si furiosus existat, agnatorum, gentiliumque in eo, pecuniaque eius potestas esto.*

Ex Cicerone descripta est lib. 2. de Inuentione, & libro 3. Tusculanarum quæstionum: item ex Iustiniani Institutionibus lib. 1. titulo 23. Cic. lib. 3. Tusculanarum quæstionum scribit, eum qui errore mentis affectus sit, vetari XII. Tabulis rerum suarum esse dominum. Itaque non esse scriptum, Si insanus, sed si furiosus esse incipit. Nam stultitiam, inquit, censuerunt, id est, inconstantiam sanitate vacantem, posse tamen tueri mediocritatem officiorum. Furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia cæcitatem. Sed & apud Vlpianum cap. Institutionum 12. ita scriptum est: Lex XII. Tabularum furiosum in curatione iubet esse agnatorum. Quapropter furiosos à dementibus Iurisconsulti passim distinguunt.

Existat.) Verbum existat, Cicero sic interpretatur, id est, esse incipit: quasi iubeat lex statim propinquos officio fungi.

Agnatorum gentiliumque) Vt cui erunt agnati, ad eos tutela deferatur: cui gentiles, eodem modo. Vnde peruulgatum inter veteres prouerbium, vt quum aliquem errore mentis

affectum significarent, eum dicerent ad agnatos & gentiles deducendum esse.

VI. *Vt qui prodigus existeret, ei Prætor, causa cognita, bonis suis interdiceret: inque ipsius pecuniam agnatorum gentiliumque potestas esset.*

Huic capiti testimonium præbet Vlpianus in l.1.ff.de curat.fur.vbi sic scribit: Lege XII. Tabularum prodigo interdicitur bonorum suorum administratio. Et item capit. Institutionum 22. Iustinianus Institutionum lib.1.tit.23. Notatione autem digna est ea formula, qua Paulus lib.Sentent.5.scribit, Prætores hac in re vti solitos fuisse. Illa verò est hæc: Quando tu bona patria auitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis: ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico. Desumpta videtur hæc lex ab Atheniensibus, apud quos, vti annotat Balduinus ex lege Solonis, infamia notabatur is, qui patrimonium decoxisset, atque adeò lege omnium Græcorum arcebatur foro, & concionibus, sicuti apparet ex oratione Æschinis contra Timarchum. Ipsi etiam Areopagitæ prodigum interpretantur viuentem, quem Asotum vocant, vtpote quem sibi ipsi relictum, vix salus ipsa seruare posset, non aliter, quàm criminis alicuius reum, & in ius vocabant, & puniebant. Athenæus libro quarto.

Et Prætor.) Per Prætorem Consul intelligitur, qui antiquitus etiam Prætor à præeundo, vel præessendo dictus fuit, vti ex Cicerone liquet. Tempore autem Decemuirorum Prætores, qui diuersum à Consulatu habuerunt Magistratum, nondum fuerunt creati.

VII. *Mulieres orbæ innuptæ, in fratris agnati vt proximi tutela sunto.*

Huius legis testis est partim Cicero, partim Vlpianus: Mulieres omnes, inquit Cicero pro Muræna, propter infirmitatem consilij, maiores in tutorum potestate esse voluerunt. Hi inuenerunt genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur. Vlpianus autem cap.Institutionum 11.postquàm dixit, Legitimos tutores esse, qui ex lege aliqua descendunt, per eminentiam autem Legitimos dici, qui ex lege XII.Tabularum introducuntur, nimirum agnatos, & patronos, statim sic infert: Fœminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sustulit; vnde hanc legem XII.Tabularum illâ Claudiâ abrogatam fuisse intelligitur.

Orbæ innuptæ.) Quia filiæfamiliâs in patrum suorum potestate sunt: nuptæ autem in virorum manu: orbæ innuptæ in fratrum tutela. Quod M.Cato de lege Oppia differens apud Liuium Decadis 4.lib.4.ostendit: Maiores, inquit, nostri nullam, ne priuatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum. Et Valerius aliquanto post: Nunquam saluis suis exuitur seruitus muliebris. (Suos appellat, quorum in manu sunt, patrem, fratrem, maritum.

De suspectis Tutoribus.

VIII. *Vt si quis doli mali, culpæue in tutela gerenda suspectus videretur: eum cuiuis apud Prætorem suspecti arguere, ius esset: vtque doli damnatus infamis fieret.*

Testimonium huius legis extat apud Vlpianum, Iustinianum, & Ciceronem lib.3.Officiorum.

Vlpianus, Iustinianusque aiunt, suspecti crimen ex lege XII.Tabularum descendere. Et Cicero lib.3.Officiorum scribit, dolum in tutela fuisse vindicatum lege XII.Tabularum. Dolum autem malum Gallus Aquilius apud Ciceronem definit, quum aliud agitur, aliud simulatur. Quam definitionem etiam Seruius Sulpitius probat. Tribonianus verò sic describit: Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita.

Culpæue.) Culpa est læsio, per imprudentiam alteri illata, quæ alioquin humanitus euitari potuisset. Donatus dicit, culpam eius esse, qui nesciens aliquem læserit.

Suspectus videretur.) Suspectus tutor quis censeri debeat, definit Iustinianus ex responso Iuliani, Ioitit. de suspectis tutoribus: Suspectus est (ait) qui non ex fide tutelam gerit, licet soluendo sit. Et infra: Suspectum etiam eum putamus, qui moribus talis est, vt suspectus sit. Enimuero tutor vel curator, quamuis pauper est, fidelis & diligens, remouendus non est, quasi suspectus. Idem dicit Vlpianus in l.suspectum, ff. de suspectis tutoribus.

Eum cuiuis.) Hanc ob causam Iustinianus ait, hoc suspecti tutoris iudicium quasi publicum esse, cùm eius accusatio omnibus pateat.

IX. *Vt qui per tutelam pupillum fraudasse eiusque rem furatus esse conuinceretur, infamia notatus duplionis pœnam subiret.*

Extat huius capitis testimonium apud Triphonem in l.tres tutores 55. ff.de adm.tut. & apud Ciceronem in oratione pro Cæcinna,& pro Roscio Comœdo. Superior lex de suspectis tantum tutoribus egit:hæc vero de iis,qui manifeste furti essent conuicti.

Infamia notatus.) Hoc iudicio damnatum infamem fuisse, Cicero testis est, vbi tutelæ iudicium turpe appellat libro primo de Oratore:& pro Cæcinna ait,turpe iudicium dari aduersus eum qui per tutelam fraudasset aliquem. Idem etiam in oratione pro Comœdo inter iudicia summæ existimationis tutelæ iudicium enumerat.

Duplionis pœnam subiret.) Vlpianus in l.1.§.2.de tut. & rat. dist. Considerandum est in hac actione,vtrùm pretium rei tantum duplicetur, an etiam, quod pupilli intersit. Et magis esse arbitror,in hac actione,quod interest,non venire:sed rei tantum æstimationem. Item l.2. Hæc actio licet in duplum sit,in simplo rei persecutionem continet non tota dupli pœna est. Duplionis autem vocabulo vsi sunt veteres,pro duplo,eóque significarunt duplicem vel pecuniæ vel capitis mulctam.

X. *Patronus si clienti fraudem fecerit,sacer esto.*

Hæc lex sumpta est ex Seruij commentariis in Virgilium,lib. 6. Æneid.pagin.1081.vbi versum illum interpretans------*aut fraus innexa clienti* : Ex lege, inquit, XII. Tabularum venit,in quibus scriptum est:Patronus si clienti,&c.Si enim clientes quasi colentes sunt,patroni quasi patres:tantundem est,clientem,quantum filium fallere.Hæc Seruius.

Patronatus autem & clientelarum iura supra libro primo descripsimus.Agel.lib.20.cap.1.& lib.5 cap.13. scribit,antiquis populi Romani moribus comparatum fuisse,vt clientem in fidem receptum,chariorem haberent quam propinquos:cúmque etiam aduersus hos tuerentur:quin & licuisse patronis testimonium pro cliente aduersus cognatos dicere,aduersus clientem non licuisse.

Sacer esto.) Sacer homo est,quem populus iudicauit ob maleficium, quémque non fas est immolari:sed qui eum occidit,parricidij non damnatur:Festus. Et paulò infra: Quiuis homo malus atque improbus sacer appellari solet.

De legatis,& hæredibus.

XI. *Vti quisque legassit suæ rei,ita ius esto.*

Agit hæc lex,cuius testimonium extat apud Pomponium in l.verbis 120. ff.de verborum signific.de legatis,quod patrifamilias liceat legare bona sua, prout sibi placeat. Sic enim eam interpretatur:Verbis,inquit,legis duodecim Tabularum his vti quisque legassit suæ rei,ita ius esto:latissima potestas tributa videtur,& hæredis instituendi,& legata & libertates dandi,tutelas quoque constituendi.Vnde liquet,eam ad manumissiones etiam pertinere, vt quotquot è suis quisque seruis liberos relinquere vellet,posset.Ab aliis sic hæc lex recitatur:Pater familias,vt legassit super familia,pecuniáque sua,ita ius esto.Vbi appellatione familiæ bona patrisfamilias,& in his seruos,seruasque significari,tradit Vlpianus.Pecuniæ quoque vocabulo non modo pecunia numerata, verum etiam res omnes, tam soli, quam mobiles, & tam corpora quam iura continentur.

Legassit.) Hoc loco dicitur de hæreditate,siue de legatis & donationibus in testamento.

Suæ rei.) Significatur hoc verbo,de re sua quemque testari oportere.Nam etiam in legatis alienæ rei,quam suam testator putauit,legatum nullum est.

Ita ius esto.) Summum testamentorum ius esse ostendit, quemadmodum Cicero scribit Philipp.11.In publicis actis nihil esse lege grauius:in priuatis firmissimum esse testamentum. Porrò Testamenti ordo,vt annotat Alexander ab Alexandro,libro 1.Genialium dierum,cap.1. apud veteres erat hic,vt primo capite hæredis fieret institutio,siue vnus,siue plures essent,qui in vniuersum bona ex defuncti voluntate caperent. Sequenti capite,& in ima cera, secundis hæredes,legata,& reliqua testatoris voluntas & dispositio ponuntur:siue aliquos onere grauare,aut si quibus dari fierique oportere,testator pro sua voluntate arbitratus esset:qui non hæredes,sed legatarii sunt dicti.Hæc ille.

XII. *Vt cum paterfamilias super familia sua legaret, nexum faceret, perque as & libram familiam manciparet : ac præter libripendem ciues Romanos puberes ne minus quinque adhiberet.*

Huius capitis argumentum suppeditat primum Agellius lib.15.cap.13.cùm ait in XII. Tabulis eo loco,vbi de testamentis agitur,libripendis mentionem fieri.Deinde Vlpianus cap.Institutionum 20.reliqua explicat.

Testamentorum apud Romanos genera fuerunt tria: vnum, quod calatis Comitiis, alterum, quod in procinctu: tertium, quod per æs & libram appellatum est. De hoc tertio testamenti genere hæc lex loquitur. Dicebatur autem testamentum per æs & libram, cùm Paterfamilias ei, quem vellet successorem relinquere, familiam suam, & vniuersum ius patrisfamilias mancipio venderet, & simul hæredes nuncuparet. Vlpianus ait, in testamento quod per æs & libram fit, duas res agi, familiæ mancipationem, & nuncupationem testamenti. Id quod & Plutarchus libro de sera Numinis animaduersione, innuere videtur de Romanis, inquiens, vbi testamenta condunt, alii scribuntur hæredes, alii venduntur bona, idque absurdum videri ait. Fiebat vero mancipatio familiæ, quæ imaginaria venditio erat, in hunc modum. Quinque aderant testes, & libripens, ciues Romani & puberes: atque iis præsentibus, is qui successor defuncti erat futurus, patrimonium morituri emebat, verba quædam dicens solemnia, & imaginarii precii nomine nummum æneum domino dabat.

Verba solemnia erant hæc: Huius ego familiam, quæ mihi empta est hoc ære, æneáque libra, Iure Quiritium, meam esse aio. Deinde ære percutiens libram, id æs dabat ei, à quo hæreditatem expectabat, quasi loco pretii. Appellabaturque is qui emebat, familiæ emptor. Porro venditor nihil emptori tradebat, sed hæredem eum tali modo constituebat, scilicet vt post mortem venditoris posset iure hæreditatem adire. Vbi mancipatio ea facta erat, tum ordinabat venditor, quid post mortem suam fieri vellet: dicebat enim familiæ emptori siue successori: Huic volo dari fundum, illi domum, alii centum solidos. Atque hæc testamenti nuncupatio dicitur, de qua etiam Vlpianus titulo Institutionum 20. scribit quod sic fieri consueuerit. Nuncupatur, inquit, testamentum in hunc modum: Tabulas testamenti testator tenens, ita dicit: Hæc vti his tabulis, cerisve scripta sunt, ita do, ita testor. Itaque vos Quirites testimonium præbitote.

Nexum faceret.) Id est, mancipare. Festus: Nexum est, vt ait Gallus Ælius, quodcunque per æs & libram geritur, idque necti dicitur: quo in genere sunt hæc: testamenti factio, nexi datio, & nexi liberatio, &c.

Perque as & libram familiam mancipares.) Qua ratione hoc factum sit, iam ostensum est.

Præter libripendem.) Libripens fuit is, qui in mancipationibus libram siue stateram tenebat, à libra & pendendo, siue ponderando dictus, quasi ponderator. Veteres enim primum ære graui non signato vsi sunt: neque in emptione & venditione precium numerarunt, sed appenderunt.

Cæterum & illud hoc loco notandum, ex hac lege tractum esse, quod posteà legislatores omnes voluerunt, septem testibus præsentibus testamenta scribi. Erant enim in hac imaginaria venditione septem, videlicet, quinque ciues Romani, libripens, & emptor.

XIII. *Cum nexum faciet, mancipiumque, vti lingua nuncupassit, ita ius esto.*

Extant hæ reliquiæ apud Festum, & Ciceronem in 1. de Oratore, vbi Antonius ita Crassum alloquitur: Lapides mehercle flere coegisses, vt totum illud, vti lingua nuncupassit, non XII. Tabulis, sed in magistri carmine scriptum videretur. Festus eam sic interpretatur, id est, ita vti nominarit, locutusve erit, ita ius esto.

Cum nexum faciet mancipiumque) Id est, cum paterfamilias per æs & libram familiam vendet. Loquitur enim lex de mancipatione, de qua etiam prior egit, & iubet, vt quod testator hæredem nuncupans, de suis bonis decreuerit, id ius ratumque sit. Quidam etiam ad alios contractus eam referunt.

XIV. *Qui se sirit testarier, libripensve fuerit, ni testimonium feriatur, improbus, intestabilisque esto.*

Extat apud Agellium lib. 15. c. 13. sed valde corruptum. Hæc lex varie à diuersis recitatur. Apud Agellium sic legitur: Qui si erit testator: libripensve fuerit, in testimonium feriatur, improbus intestabilisque esto. Sed vbi priora verba nullam fere significationem habere possunt: ego sic recitaui partim ex correctione Iacobi Cuiacij, partim aliorum. Videtur autem lex qui de testibus ad testamenta adhibitis, quales quinque ciues Romanos puberes cum libripende adhiberi lex duodecima vult, si ij rogati, nolint testimonium perhiberi, ac fateri testamentum ita conditum fuisse, seque testes à conditore eius adhibitos fuisse, quasi propter eiusmodi infitiationem pœna vel mulcta sint afficiendi. Atque sic etiam in ciuili iure traditum est, vt quum ab initio testamenti tabulæ aperiendæ sunt, Prætor pro suo officio cogat signatores conuenire, & sigilla sua recognoscere, vel negare se signasse: quoniam publicè expedit, suprema hominum iudicia exitum habere. Sed & in genere de omnibus testibus accipi potest, qui in aliquo negotio, vel contractu vocari se in testes passi sunt si de perhibito testimonio rogati,

l. 4. & 5. ff. testamenta quem adm. ape.

rogati, illud dicere, eiúsque approbare fidem non velint, vt improbi intestabilésque sint.

Qui se sirit testarier.) Id est, qui se in testem vocari passus fuerit. Sic corrigit doctissimus vir Iacobus Cuiacius adiutus à vetusto codice. Adrianus Turnebus legit, Qui si erit testatus. Vt testatus idem significet, quod antestatus, de quo postea.

Ni testimonium faciatur.) Apud Agellium est, in testimonium feriatur. Cuiacius legit, Si in testimonium feriatur, id est, si cogatur, & pulsetur, vt testimonium dicat. Adrianus Turnebus: Ni testimonium fateatur, vel ferat. Potest autem esse feriatur, vna litera mutata. Veteres enim fariari pro fari, vsi sunt, teste Diomede, qui eiusmodi morem antiquis fuisse dicit, vt in dictionibus quibusdam sermonem ex abundanti adderent, nihilque adiecta syllaba dictionibus conferret. Quomodo aggrediri, pro aggredi, item moriri, pro mori, dixerunt.

Improbus, intestabilisque esto.) Intestabilis propriè dicitur, cui testimonij dicendi ius non est: sicuti contra testabilis dicitur, cui ius hoc datum est. Postea autem intestabiles etiam in patiendi significatione dicti sunt, quibus testimonium non dicitur. Hinc Caius ait: Cum lege quis intestabilis iubetur esse, eo pertinet, ne eius testimonium recipiatur, & eo amplius, vt quidam putant, néue ipsi dicatur testimonium.

XV. *Vtique filij, filiæque familias bonorum sui, suæque hæredes essent.*

Testimonium huius capitis extat apud Iustinianum Instit. lib. 2. tit. 19.

Sequuntur nunc leges aliquot de hæredibus, quo ordine illi sibi inuicem succedere debeant. Hæc autem quam recitaui lex, vult vt primum locum inter hæredes habeant filij, filiæque familias.

Sui suæque hæredes essent.) Tria hæredum genera à Iurisconsultis traduntur. Aut enim sunt necessarij: aut sui & necessarij, aut extranei. Necessarius hæres institutus: ideóque sic appellatur, quia siue velit, siue nolit, omnino post mortem testatoris protinus liber & necessarius hæres fit.

Sui autem & necessarij hæredes sunt, veluti filius, filia, nepos, neptísve ex filio, & deinceps cæteri liberi, qui in potestate morientis modò fuerunt. Atque hi quidem sui hæredes ideò appellantur, quia domestici hæredes sunt, & viuo quoque patre quodammodo domini existimantur: vnde etiam si quis intestatus moriatur, prima causa est in successione liberorum. Necessarij verò ideo dicuntur, quia omnino, siue velint, siue nolint, tam ab intestato, quàm ex testamento, ex lege XII. Tabularum hæredes fiunt. Cæteri, qui testatoris iuri subiecti non sunt, extranei hæredes appellantur. Ex his quæ legis sententia sit, manifestum est. A quibusdam ita recitatur: Intestatorum hæreditates primo suorum hæredum velint nolintve sunto.

XVI. *Vt si qua mulier post viri mortem in decem proximis mensibus pareret: qui quæve ex ea nasceretur, suus, suáve in viri familia hæres esset.*

Prioris partis testimonium extat apud Agellium lib. 3. c. 16. Altera legis pars, (inquit Hotomanus) ex coniectura quidem, sed tamen cum aliqua Iurisconsultorum veterum auctoritate addita est. Vlpiani quidem in l. 3. §. 4. ff. de suis & legit. Item Iuliani in l. 6. & l. 7 eodem. Loquitur hæc lex de posthumis, quem illi gradum inter hæredes habere debeant, & quinam veri posthumi iudicandi. Vt enim sobolem illam posthumam ex nuptiis verè natam & mariti esse constaret, néve aut proles aliqua notha facile supponi posset, aut impudicis mulieribus liberum esset, sua semper adulteria tegere, obtentu matrimonij: ideò Decemuiri scripserunt atque definierunt, in decem mensibus hominem gigni, vt, qui post decimum mensem à parentis morte nascerentur, pro veris posthumis non haberentur, nec inter hæredes numerarentur.

In decem proximis mensibus.) De tempore partus humani variè disputant Physici. Plin. lib. 7. c. 5. quidem negat certo definiri & sciri tempus eiusmodi partus posse, tamen & antiquiores & recentiores scriptores experientia edocti tradiderunt, septimo, nono, & decimo, nonnunquam etiam octauo mense hominem gigni, & in lucem edi, summúmque esse hominem gignendi finem decem menses, non inceptos, sed exactos. Et ex hac lege fluxisse videtur formula illa Aquiliana instituendi posthumi heredis: Si quis mihi nepos post mortem meam in decem mensibus proximis natus erit, &c.

Cum qua conuenit etiam Varronis testamentum: Si quis mihi filius, vnus pluresve in decem mensibus gignuntur, ij si erunt ὄνοι λύρας, exhæredes sunto. Reliqua legis verba antè exposita sunt.

XVII. *Si pater familiâs intestato moritur, cui suus non extabit hæres, agnatus proximus familiam habeto.*

Extat apud Vlpianum capite Institutionum 26. Priorem huius legis partem Paulus interpretatur in l.si quis 9.ff.de lib.& posth. Verba sunt perspicua.

Si intestato moritur.) Hæc verba ad id tempus referuntur, quo testamentum destituitur, non quo moritur: quippe cùm tunc demum certum esse incipiat testatorem intestato esse mortuum. Dicitur autem intestatus quatuor modis: testamento non facto, non iure facto, rupto, irritóve facto, & ab hærede destituto: id est, cùm hæres scriptus hæreditatem repudiauit.

Cui suus extabit hæres.) De suis hæredibus, quinam sint, ante dictum est.

Familiam habeto.) Familiæ appellatio varie accipitur: videlicet, vel de rebus, vel de personis. De rebus, vt in hac lege, vbi significat hæreditatem defuncti. De personis quando intelligitur, tum rursum quinque modis accipitur, vt docent Vlpianus & Alciatus, quos huc non libet referre.

XVIII. *Intestato liberto mortuo, primùm sui succedunto: si hi non fuerint, Patronus.*

Testimonium huius legis extat apud Iustinianum, Institutionum lib.3.tit.8. & apud Vlpianum cap.Institutionum 29.

Olim (inquit Iustinianus) licebat liberto Patronum suum impunè testamento præterire. Nam ita demùm lex XII. Tabularum ad hæreditatem liberti vocabat Patronum, si intestatus mortuus esset libertus, hærede nullo relicto.

De libertis, quinam illi sunt, libro 1. harum Antiquitatum abundè dictum est.

Primùm sui succedunto.) In hac lege per suos hæredes intelliguntur liberti filij, vel liberi naturales, filius adoptiuus, vxor, &c. vti ex Vlpiano & Iustiniano cognoscitur.

Si hi non fuerint, patronus.) De Patronis etiam multa libro primo dicta sunt. Hæc tamen lex de iis non est intelligenda: cùm Patronus hic significet eum, qui ex seruitute seruum suum manumisisset. Cæterum totum hoc caput diligenter ab Vlpiano & Iustiniano explicatur, vnde quæ hîc desunt, peti possunt.

XIX. *Vti cæterarum rerum, si hæredes partem quisque suam habere mallent, familiæ erciscundæ arbitrum sumerent, cui totius rei ius, arbitriúmque permitterent.*

Habetur hoc caput apud Caium l.1.ff.famil.ercisc.& apud Vlpianum li.4.eo. Quandoquidem communio rerum solet discordiam parere, optima ratione lex introduxit actionem, quam familiæ erciscundæ appellarunt Iurisconsulti. Caius loco citato ita inquit: Hæc actio (scilicet familiæ erciscundæ) proficiscitur ex lege XII. Tabularum. Namque cohæredibus volentibus à communione discedere, necessarium videbatur aliquam actionem constitui, qua inter eos res hæreditariæ distribuerentur. Inde etiam Papinianus commendat fratres, qui à lite propter communem hæreditatem suborta, per diuisionem vltrò discessissent.

Familiæ erciscundæ.) Familiæ appellatione hoc loco res hæreditariæ accipiendæ sunt.

Erciscundæ.) Ercisci veteres dicebãt, pro partiri, ac diuidere, vnde illud Festi: Erctum citum (quod significat hæreditatem diuisam) fit inter consortes. Erctum (id est, hæreditas) à coërcendo dictum, vnde & erciscundæ, & ercisci. Citum autem (id est, diuisa) vocatum est à ciendo. Est autem, idem ciere, & ciscere, pro diuidere. Vnde fortè quis non aberret, si dixerit, erciscundę, compositum ab er, vel ereditate: Sic enim veteres scribebant sine aspiratione: & à ciscundæ, id est, diuidundę, vel diuidendæ.

Arbitrum sumerent, cui totius rei ius, &c.) Arbiter (vt Festus docet) dicitur Iudex, quod totius rei habeat arbitrium, & facultatem. Est autem hoc loco Arbiter, Iudex compromissarius, id est, ciuis Romanus, ex compromisso à ligatoribus sumptus, cui Prætor disceptandę arbitrio suo controuersię potestatem dedit. Quod ad hanc legem attinet, significat Cicero li.1 de Oratore, certa & solennia fuisse verba, quibus arbiter, partibus diuisis, alterum ab alterius parte arceret. Summa huc pertinet, vt Arbiter familię erciscundę additus, primum singulas res, si commodè fieri possit, singulis adiudicet, si non possit, & vnius pars pręponderet: tunc eum alteri in pecuniam certam condemnet. Quod si vnus aliquis solus fructus percepit, rémque hęreditariam corrupit, aut consumpsit: tum eum in certam quoque pecuniam alteri condemnet.

XX. *Inter hæredes pro hæreditariis portionibus, obligationes hæreditariæ diuisæ sunto.*

Testimonia huius legis extant plurima in iure ciuili, quæ prolixè hoc loco commemorare nolo. Sententiam tantum breuiter indicabo, quę videtur esse hęc: Vt obligationes testatoris diuisæ sint inter hęredes, pro portionibus hęreditariis. Exemplo fiet res clarior: Si testator votum aliquod fecit, aut centum alicui debet, tum solutio illius voti, vel pecunię debet fieri non per vnum hęredem, sed diuidi per hęredes, ita vt omnes hęredes conferant ad illius

ad illius solutionem, pro portionibus hæreditariis. Et sic creditores demortui debitoris possunt agere, non contra vnum hæredem, sed contra omnes. Idem etiam intelligendum est de testatoribus creditoribus. Si quis eis debeat aliquam pecuniæ summam, nec ante obitum testatoris solutio fiat: tum hæredes eius omnes, non vnus tantùm, contra debitorem actionem habent.

Pro hereditariis portionibus.) id est, pro partibus hæreditatis, quas quisque hæredum ex hæreditate, vel bonis testatoris accepit.

Obligationes hæreditariæ.) Id est, illæ obligationes, quæ à testatore ad hæredes veniunt. Obligatio (vt Iustinianus lib. 3. Instit. tit. 14. definit) est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius soluendæ rei, secundùm nostræ ciuitatis iura. Diuiduntur autem obligationes in naturales, ciuiles, & mixtas. Naturales dicuntur, quæ cùm reuerà contractæ sint, à iure tamen Quiritium non approbantur, veluti, si seruus ciui Romano pecuniam crediderit: iure quidem naturæ, quæ parem omnium hominum conditionem esse voluit, obligatio nata est: sed Prætor de ea ius non dicit. Ciuiles sunt, quæ vel nunquam reuera contractæ essent, facto tamen aliquo, sed ad iuris ciuilis rationem non accommodato, dissolutæ sunt. Mixtæ dicuntur, quæ cum reuera & æquissimè contractæ sunt, tum etiam à iure ciuili comprobatæ, & confirmatæ: cuiusmodi sunt, ex mutuo, commodato, deposito, empto, conducto, & cæteris similibus. De hoc tertio genere præcipuè loquitur. Alias obligationum diuisiones omitto: de quibus Iurisconsultorum scripta videantur: & nos etiam libro sequenti quædam dicemus.

XXI. *Vt quæ mulier, cùm iuris esset, annum vnum apud virum matrimonij causa fuisset, ea mulier, ni trinoctium vsurpatum isset, pro vsucapta haberetur.*

Sic hanc legem, cuius testimonia apud Agellium li. 3. c. 2. & apud Macrobium li. 1. Satur. ca. 5. extant, recitat Franciscus Horomanus IC.

Docuimus libro harum Antiquitatum v. ex Seuerino Boetio Topic. Cic. interprete, tribus modis veteres Rom. vxores habuisse: vsu, farre, seu confarreatione, & coëmptione. Vsu fieri matrimonium dicebatur (vt id breuiter repetamus) cùm tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conueniebat, & cum viro ita consuescebat, vt cum iusto marito: adeò vt si vsus ille intra annum non interrumperetur, pro vsucapta iam haberetur. De hoc modo lex hæc loquitur.

Ni trinoctium vsurpatum isset.) Vsurpare hîc, & vsucapere, verba inter se contrariè relata sunt. Nam vsurpatio est vsucapionis interruptio. Iubet igitur lex, vt quæ mulier annum vnum matrimonij causa apud virum fuisset, ea mulier anno exacto, in eius viri manu esset, i. quasi vsucapta: sicuti res mobiles anno vsucapiuntur. Quemadmodum autem iure ciuili rerum vsucapiones infringuntur, si dominus eas vsurparit: veluti si surculum in fundo defregerit (quod ex libro 3. Cic. de Oratore intelligitur) eodem modo lex mulieri potestatem facit possessionem illam viri interrumpendi: nimirum si ante anni finem tres ab eo noctes abfuerit. Has autem vxores, quæ matresfamilias non erant, Matronas propriè & restrictè appellari solitas verisimile est, præsertim cùm Agellius li. 18. cap. 6. scribat, Matronam dictam esse propriè, quæ in matrimonium cum viro conuenisset, quoad in eo matrimonio maneret.

XXII. *Ne connubium Patribus cum Plebe esset.*

Dionysius lib. 10. extremo scribit, Decemuiros hanc legem in duas postremas Tabulas retulisse, eámque idcirco adiectam fuisse, ne Patres cum Plebe reconciliati, communi studio Decemuirorum, qui retinere Magistratum perpetuum volebant, obsisterent. Abrogatam autem eam, septimo post anno à Canuleio Tribuno plebis fuisse, Liuius lib. 4. memoriæ prodit, vbi simul, quæ cuiusque partis argumenta fuerint, exponit. Perlata enim à Canuleio tandem lex fuit, vt deinceps Patribus cum Plebe connubii ius esset.

XXIII. *Vt si è coniugibus alter alteri nuncium mitteret, eúmque res suas sibi habere iuberet, diuortium esset.*

Et hanc legem, cuius testimonium extat apud Ciceronem Philipp. 2. & apud Caium in leg. pen. ff. ad l. Iul. de adult. sic recitat Franciscus Hotomanus.

Cicero Philipp. 2. sic inquit, Frugi factus est, mimam illam suam suas res sibi habere iussit, ex XII. Tabulis, claues ademit, foras exegit, &c. Constat Romuli instituto tam sanctam habitam fuisse matrimoniorum coniunctionem, vt diuortium Romæ nullum per annos IↃXX. fuerit: id quod à Dionysio, Plutarcho, Valerio, & Agellio memoriæ proditum est. Primum enim, M. Pomponio, C. Papyrio, vel (vt alij scribunt) M. Atilio, P. Valerio Coss. Sp. Caruilius Ruga vxori nuncium remisit, quod eam sterilem diceret, séque liberorum quærendorum causa vxorem capere iurasset. Et Tertullianus in Apologetico ait, Per annos fermè sexcentos ab Vrbe condita, nulla repudium domus sensit. Plutarchus autem in Numa mentionem facit,

morem apud Romanos fuisse, vt marito, qui satis liberorum haberet, ius esset vxorem suam alteri viro, liberorum ex ea quærendorum causa, concedere, atque in matrimonium elocare. Quinetiam Strabo lib. 11. scribit, Catonem Hortensio vxorem suam Martiam liberorum quærendorum causa in certum tempus concessisse. Vbi etiam adscribit, fecisse hoc illum secundum antiquum Romanorum morem. Et Plutarchus in Catone Vticensi nominatim addit, contracta Philippi patris voluntate sponsalia fuisse.

De in ius vocando.

XXIV. *Si in ius vocato morbus, æuitásve vitium escit: qui in ius vocassit, iumentum dato: si volet arceram ne sternito.*

Extat apud Agellium lib. 20. cap. 1. sed valde corruptum: quod sic, vti nos scripsimus, emendauit Iacobus Ræuardus.

Vult hæc lex, vt in ius vocato pauperrimo homini, vel inopi, qui aut pedibus fortè æger esset, aut quo alio casu ingredi nequiret, plostrum daretur, ne causatio ægri corporis perpetuam daret fidem detrectantibus, iurísque actiones declinantibus, vacationem.

Morbus.) Non de graui & periculoso morbo intelligenda est lex: de eo enim sequens loquitur: verùm de leui quadam imbecillitate, quæ rebus agendis non obstet. Id quod etiam Cæcilius apud Agellium probat, inquiens. Morbus in lege ista non febriculosus, neque nimium grauis: sed vitium aliquod imbecillitatis atque inualentiæ demonstratur: non periculum vitæ ostenditur.

Æuitas.) Æuitas senium significat, cùm scilicet iam prouectiores homines sunt, & quasi capulares, vt inquit Plautus.

Iumentum dato.) Iumentum hoc loco non significat, vti alias, simplex iumentum, equum, vel mulam, ad equitandi vsum concessam: sed vectabulum, quod à iunctis pecoribus traheretur. Veteres enim iumentum à iungendo dixerunt.

Si volet arceram, ne sternito.) Decemuiri postulanti arceram reo sterni vetuerunt, non quòd eam delicatè sternere actor, si voluisset, prohiberetur: verum quod eam reo sine arcera in ius sequi recusanti, inuitus actor sternere non cogeretur. Vocabatur autem arcera, plostrum tectum vndique, & munitum, quasi arca quædam magna, vestimentis instrata, qua nimis ægri aut senes portari cubantes solebant.

XXV. *Si Iudex, vel alter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, dies iudicii diffeisus esto.*

Extat hoc legis caput apud Vlpianum lib. 2. Pandect. & testimonium habet apud Agellium lib. 20. cap. 1. item apud Festum.

Sententia legis plana est: hæc scilicet, Vt si Iudex, vel alter ex litigatoribus graui morbo corriperetur, atque sic impediretur, vt in iudicio apparere, vel ei præesse non posset, actio illa in alium diem differretur.

Morbo sontico.) Sextus Cæcilius apud Agellium libr. 20. c. 1. dicit, Decemuiros morbum sonticum appellasse morbum vehementiorem, vim grauiter nocendi habentem. Et apud Festum Ælius Stilo ait, Morbum sonticum in XII. Tabulis significare certum, cùm iusta causa, quem nonnulli putent esse, qui noceat, quòd sontes significat nocentes.

Dies iudicii diffeisus esto.) Dies iudicij ita diffindi solet ex hac lege XII. Tabularum, vt, si morbo sontico actor, vel reus impeditus esset, morbum in iure allegari per amicum curaret: tunc Prætor excusatione cognita, in diffidendo die hac formula vtebatur: Hic dies diffisus esto. Ergo, vocatus in ius, nisi ob morbum opus esset iumento, aut nisi ob morbum sonticum dies iudicij diffisus esset, statim in ius sequi actorem cogebatur: eique non sequenti præsentibus antestatis actor iudicium denunciabat: de quo in sequenti lege.

XXVI. *Si in ius vocet, atque eat.*
Si vis vocationi fuat, antestaminor: ni it, aurem capito antestati.
Si caluitur, pedémve struit, manum endoiacito.

Prior pars extat partim apud Ciceronem, partim apud Porphyrionem interpretem Horatij, sed mirum in modum corrupta: posteriorem Festus habet in voce Struere.

Sententia legis videtur esse hæc: Vti ciuis Romanus in ius vocatus, illicò nulla mora interposita vocantem sequatur. Qui, si sequi nolit, adeò, vt vi cogi oporteat, actor præsentes aliquot ciues antestetur: id est, in testes vocet: quòd si adhuc sequi nolit, aurem antestati capiat. Si fugiat reus, actor ei manum iniiciat, atque in ius rapiat.

Si in ius vocet.) Ita Cic. lib. 2. de Leg. A paruis enim, Quinte, didicimus, si in ius vocet, atque eat, & eiusmodi alias leges nominare, &c. Vetuste autem dixit lex, Atque, pro statim, vt Seruius.

uius in illud Virgilij annotauit : *Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.* Itémque Agellius lib.10.cap.vlt.

Si vis vocationi fuat.) Sic legitur apud Porphyrionem, quam lectionem rectam esse Iustus Lipsius lib.4. Epistolicarum quæstionum, epist.27. affirmat, eúmque secutus sum. Alij aliter emendant. Lambinus quidem sic: Si vis vocationi fuat, aut si te in ius vocantem non sequatur, antestatus em capito: seu, in ius em rapito. Turnebus verò: Si in ius vocat ni it, antestatus manum iniicito, antestati capito. Aliter Carolus Sigonius: Si in ius vocet, atque eat en capito antestari, &c. Est autem sensus horum verborum: Si aduersarium in ius vocaueris, & is vi restiterit, vt vim adhiberi necesse sit, antestaminor, &c.

Fuat.) Sic veteres dixerunt, pro sit, teste Nonio Marcello, & Iulio Sabino in Virgilium.

Antestaminor.) id est, testes aliquot aduocato.

Aurem capito intestati.) mos. n. erat in antestatione, vt memoriæ causa auctor auriculam imam tangeret antestati, cum hoc verbo: Memento. Hinc Plin. lib.11. c.45. Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestantur. Et huc allusit Virgil. inquiens: *Cynthius aurem Vellit, & admonuit.* Addit etiam Lipsius, apud Laurinos lapillum esse, in quo sit caput sculptum, & manus aurem atterens, cum verbo Græco μνημόνευε. Horatii & Plauti versus, ex quibus hic mos elici quoque potest, non adscribam. Alij tamen aliter vocabulum antestati exponunt: penes doctos iudicium esto.

Si caluitur.) Id est, Si frustratur. Nonius.

Pedémve st. uit.) Hoc est, Si retrorsum it, aut fugit, aut gradum auget, vel minuit, si remoratur. Festus. Sic etiam glossarium vetus: Struere pedem, φεύγει.

Manum endoiacito.) Antique, pro manum iniicito.

XXVII. *Si status dies sit cum hoste venito.*

Extat apud Cic. li.1. Offic. Sententia legis hæc est: Is qui iudicio sisti promiserit aduersario, secundum suam, vel fideiussorum promissionem, sistat ad diem statutum.

Si status dies.) Status dies vocatur, qui iudicij causâ est constitutus.

Cum hoste.) Id est, cum aduersario, vel peregrino. Hostis apud antiquos peregrinus dicebatur, & qui nunc hostis, perduellis. Festus. Sic & Cicero libro primo Offic. Equidem illud etiam, inquit, animaduerto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur lenitate verbi tristitiam mitigante. Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Hactenus Cicero. Appellatus est autem hostis, ab hostio, quod est æquo: quoniam peregrini suis, vt nos nostris, vtentes legibus, pares nobis videntur. Et quia in conflictu ex æqua causa pugnam adire solent, ideò concinna est translatio ad litigatores, qui pari iure de eadem contendunt causâ, vt victoriam consequantur: ideóque victos & victores nuncupamus.

De Iudiciis.

XXVIII. *Rem vbei pagunt oranto : nei pagunt ante meridiem in foro, aut in Comitio causam conicciunto: post meridiem, præsent e ambobus, leitem addicito : Sol occasus, suprema tempestas esto.*

Sic hanc legem restituit Iosephus Scaliger in Castigationibus Sexti Pompeii Festi. Prior versus extat in 2. libro Rhetoricorum ad Herennium : reliqua habet Agellius libro 17. capite 2.

Legis sententia hæc est: Vt litigantes, si de re controuersa paciscerentur, vel litem inter se componerent, orarent: id est, oratione id peragerent: quòd si non paciscerentur, tum ante meridiem in Foro, aut in Comitio (in illis enim locis ius dicebatur) causam coniicerent: id est, breuiter narrarent, non integra & prolixa oratione exponerent : eo facto Prætor post meridiem litem, id est, rem controuersam ei, qui causam obtinuisset, addiceret, ambobus præsentibus. Vtriusque enim litigatoris præsentiam lex in lite addicenda desiderat: qua de causa institutum fuit, vt absente altero, alter à Prætore edictum peteret, quo absens intra dies decem adesse iuberetur : ni veniret, item alterum edictum, item tertium : quibus propositis, tunc peremptorium proponebatur, quo aduersario facultas omnis tergiuersandi præcidebatur : quippe cùm in hoc denuncietur, fore vt etiam absente aduersario res cognoscatur, ac iudicetur : alibi dicetur. Additur deinde : Sol occasus suprema tempestas esto: quo significatur, post Solis occasum nullum oportere à Prætore ius dici: quod si diceret, irritum id esse.

Rem vbi pagunt.) Pago, pagis, pagere, pepigi, pactum, significat idem quod pacisci, siue

pactione componere.

Quid Forum, quid Comitium sit, alibi prolixè est explicatum.

Coniciunto.) Iosephus Scaliger scribit, Coniciunto vnico i, more antiquo. Veteres enim sic scripsisse, abicio, adicio, conicio, pro quibus dicimus abiicio, adiicio, testatur Aldus Manutius in sua Orthographiæ ratione. Est autem Coniicere breuiter rem narrare.

Post meridiem.) Meridies, inquit Censorinus lib. de Die natali c.19. quod est mediæ diei nomen. Idem libro eodem, & Plin. lib.7. c.60. argumentatur, horarum nomen trecentis annis Romæ ignoratum fuisse, cùm in XII. Tabulis ortus tantùm & occasus nominentur.

Præsente ambobus.) Est ἀρχαϊσμὸς, pro præsentibus ambobus, quidam legunt: Præsenti litem addicito, si ambo præsentes sunt, quos Iosephus Scaliger reprehendit.

Litem addicito.) Hic lis, res est, de qua controuersia est, quæ addicitur alteri, præsente tamen aduersario. Quidam malunt legere, litem adiicito, vt eodem die coniectioni lis adiiciatur.

Sol occasus.) Antique occasus hoc loco vsurpatur, pro, Sol quando occidit: vel Solis occasus, vt quidam perperam legunt.

Suprema tempestas esto.) Id est, diei, nouissimum tempus. Macrob. lib 1. Saturn. c.3. Aliter tamen interpretatur hanc legem Iacobus Ræuardus lib.4. Variorum, c.1. de quo iudicent docti. Vide etiam Adrianum Turnebum Aduers. lib.29. c.15. & Franciscum Hotomanum in Commentariis ad XII. Tabularum fragmenta.

XXIX. *Si qui in iure manum conserunt, vtreique superstitibus præsentibus, vindicias sumunto.*

Diu torsit me hæc lex, cùm nullius interpretationem, quæ mihi satisfaceret, videre potuerim. Ego quid de ea sentiam, candide in medium proferam. Lectori tamen liberum relinquens iudicium, vt vel aliam quamuis interpretationem sequatur, vel ipse aliam excogitet. Videtur ergo hæc legis esse sententia: Si qui in iure manum conserunt, id est, si qui de domo vel agro, vel alia quadam re contendunt, & super ea re festucas inter se, quasi hastas, dicis causa committunt. Vtreique superstitibus præsentibus, vindicias sumunto, id est, vtrique litigatores præsentibus testibus festucas illas inter se committant, & manus conserant. Hoc mihi quidem videtur, sed tamen non omninò satisfacit. Subiiciam autem rationes interpretationis.

Si qui in iure manum conserunt.) Hoc ita interpretatus sum. Si qui de domo, agro, vel alia aliqua re contendunt, & festucas inter se, quasi hastas, dicis causa super alia re, vel in loco præsenti committunt. Quod ex Agell. colligi potest, is enim sic scribit. Qua de re disceptatur in re præsenti, siue ager, siue aliud quid est, in ea re solemnibus verbis vindicia, id est, consertio manus in re, atque in loco præsenti apud Prætorem ex XII Tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est: Si qui in iure manum conserunt. Sed postquam Prætores propagatis Italiæ finibus datis iurisdictionibus occupati, proficisci, vindiciarum dicendarum causa longinquas in res grauabantur: institutum est contra XII. Tabulas tacito consensu, vt litigantes, non in iure apud Prætorem manus consererent, sed ex iure manu consertum vocarent, id est, alter alterum ex iure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret, atque profecti simul in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, vti vnam glebam ad Prætorem deferrent, & in gleba, tanquam in toto agro vindicarent. Hæc Agellius, quemadmodum legit Sigonius. Nam vulgatus textus paulò aliter habet. Ex quibus hoc liquet, consertionem illam manuum factam fuisse in re, atque loco, de quo disceptaretur, præsenti, & quidem apud Prætorem, id est, præsente Prætore, quo nomine tum Consules etiam dicti sunt, cùm nondum peculiaris Prætorum Magistratus esset, vt ex Cicerone cognoscitur. Addit Agellius, postquam Prætores propagatis Italiæ finibus, datis iurisdictionibus occupati, proficisci vindiciarum dicendarum causa longinquas in res grauabantur, &c. Vnde etiam satis patet, consertionem manuum in re atque loco, de quo disceptaretur, præsenti factam esse, & Prætorem etiam adiudicandæ possessionis causa (quod Agellius hic dicit, vindiciarum dicendarum causa) in cui illa deberetur in eas res, de quibus controuersia esset, proficisci oportuisse. Nec obstat quominus hæc interpretatio vera sit, quod lex dicit: Si qui in iure manum conserunt. Ius enim, vt Lexicographi tradunt, nonnunquam dicitur locus, vbi Magistratus, vel alius Iudex consistit iurisdicendi, aut iudicandi gratia, etiam domi, aut in itinere, siue de plano hoc agat, &c. Ideóque etiam hic ius pro loco, vel re controuersa, vbi Prætorem adesse, & victori possessionem eius adiudicare oporteret, intelligi potest: Manus autem conserere, vt vult Hotomanus, dicebantur ex vindiciis, qui vim moribus faciebant, festucas inter se, quasi hastas, dicis causa committentes.

Super-

Superstitibus præsentibus.) Vult lex vt præter Prætorem etiam testes illi manuum consertioni intersint. Superstites enim testes præsentes dicebantur, inquit Festus.

Vindicias sumunto.) Id est, illa manuum consertio, ab vtrisque litigatoribus fiat, testib. præsentibus, vel alter litigatorum alterius manum corripiat, aut manum cum eo conserat, eo modo, vti iam dictum est, non tantùm Prætore, sed etiam aliis testibus præsentibus. Sic enim Agellius vindiciam exponit consertionem manus, in re atque loco præsenti. Et Adrian. Turnebus in hac lege, vindiciam significare manus consertionem, vel conseruationem scribit. Qui per vindicias intelligunt glebam illam, vel festucam, quam illi, qui ex iure manu consertum sese inuicem vocabant, ex agro, vel domo, vel alia re controuersa, in ius ad Prætorem ferebant, & super quâ vindicabant, multum falluntur, cùm Agellius auctor sit post XII. Tabulas tacito consensu illum morem institutum esse.

XXX. *Si vindiciam falsam tulit, rei, siue litis, arbitros tres dato: eorum arbitriis fructus duplione damnum decidito.*

Recitat hoc caput Festus in voce Vindiciæ. Vult lex, eum qui falsò sibi rem alienam vindicauit, id est, secundùm quem post iniustam manuum consertionem vindiciæ, id est, possessio, datæ sunt, ad duplos fructus restituendos teneri.

Si vindiciam falsam tulit.) Vindiciam ferre, est sententia, decretóque rem obtinere. Vindiciæ appellantur res illæ, de quibus controuersia est, quod potius dicitur ius, quia fit inter eos, qui contendunt. Festus. Seruius Sulpitius ait, vindiciam in numero singulari significare eam rem, de qua est controuersia, ab eo, quod vindicetur, & sic in hac lege accipitur. Sed aliam eius vocis significationem recitat Cincius, vbi dicit, Vindicias olim appellatas fuisse particulas illas, quæ ex fundo sumptæ, in ius allatæ essent. Reliqua vocabula ante sunt explicata.

XXXI. *Vt si quis è libertate in seruitutem assereretur: Prætor vindicias secundùm libertatem daret.*

Capitis huius extat testimonium apud Dionys. Halicarnas. lib. II. vbi de assertione Virginiæ puellæ scribit, Numitorium ipsius auunculum, & assertorem postulasse ab Appio Claudio Decemuiro, vt legem à se in XII. Tabulis perscriptam seruaret, in qua cautum esset, vt eius, qui in seruitutem ex libertate asseritur, dominus vsque ad exitum iudicij non is esse, qui contra libertatem, sed qui pro libertate pugnaret.

Sententia legis est plana. Balduinus, Hotomanus volunt, ita eam accipiendam, vt non modo liber homo, qui status controuersiam pateretur, relinquatur suæ libertati, & eius possessionem retineat, interea dum hæc quæstio status causæque liberalis penderet: sed etiam vt seruus, qui in libertatem ab aliquo legitimo, & iusto vindice asseritur, interea pro libero habeatur, & assertori libertatis dominus possessione cedat.

Assereretur.) Id est, vindicaretur, vel liberaretur.

Vindicias secundum libertatem daret.) Id est, præter possessionem eius, de cuius libertate vel seruitute disputatur, ei daret, qui libertatem defendit, non ei, qui seruitutem quærit. Vindiciæ etiam hoc loco possessionem significant.

XXXII. *Ne quis rem litigiosam in sacrum dedicaret. Qui dedicasset, dupli pœnam subiret.*

Extat apud Caium l. vlt. de litig.

Rem, ait Iurisconsultus Caius, de qua controuersia est, prohibemur in sacrum dedicare: alioqui dupli pœnam patimur. Duplum autem aduersario præstandum est, vt id veluti solatium habeat, pro eo, quod potentiori aduersario traditum est. Tota lex est plana, nec explicatione prolixa eget. Rem litigiosam dicit rem, de qua controuersia est.

XXXIII. *Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito.*

Extat apud Festum, in voce, Portus.

Sensus legis, vt vult Turnebus libro 13. Aduersar. cap. 16. hic est: Si testis ei defuerit, qui litem habuit, ei licere comperendinationis die, id est, die tertio, ante eius, cuius testimonio vti volebat, ædes libere conqueri, & implorare testimonium, conuiciúmque recusanti facere. Ioannes Crispinus aliter legem interpretatur, hoc videlicet modo: Cui testimonium deest, hoc est, qui suam intentionem nullo potest testimonio confirmare, in die tertio ad ædes aduersarij obuagulatum eat: hoc est, aduersario iustum, testibus adhibitis, conuicium faciat. Veluti, si quid esse in tuis ædibus contenderem, quod cum vere ad me pertineret, tamen apud te esse nullo testimonio possim demonstrare, illúdque mihi restituere, vno & altero die rogatus, omnino recuses: mihi permisisse videntur Decemuiri, quandoquidem deficiente testimo-

nio inutiliter iure, aut lege ageretur, tertio die ad ædes tuas venire: ibique rem meam repetere cum conuicio, &c. Hæc ille. Vtra sententia sit verior, iudicent eruditi.

Ob portum.) Portum, inquit Festus, in duodecim Tabulis pro domo positum esse omnes fere consentiunt.

Obuagulatum.) Turnebus legere mauult, ob vagulationem. Significat autem vagulatio, vt Festus docet, quæstionem cum conuicio: & deducitur à vagulo, quod est deriuatum à vagio.

De re iudicata.

XXXIV. *Æris confessei rebúsque iure ioudicatis, triginta dies iustei sunto: postidea indu manus iactio esto: in ious ducito. Nei iaudicatum facit. Aut quips endo ioure vindicit, Secum ducito. Vincito aut neruo, aut compedibus quindecim pondo, ne minore: aut si volet, maiore vincito. Seu volet, suo viuito. Nei suo viuit, qui eum vinctum habebit, Libras farris indies dato. Sei volet, plus dato.*

Habetur hæc lex apud Agell. lib. 20 cap. 1. sed multis modis corrupta: quam sic, vt recitabimus, restituit nobis Iosephus Scaliger. Plurimum etiam in emendanda laborarunt Iac. Cuiacius, & Iaco. Ræuardus Iurisconsulti, quorum correctiones videri, & cum hac conferri possunt.

Sententiam legis malo Sexti Cæcilij, quam meis verbis indicare. Is itaque apud Agellium sic ait: Confessi æris, ac debiti iudicatis, triginta dies sunt dati conquirendæ pecuniæ causa, quam dissoluerent. His diebus nihil agi cum debitoribus poterat. Post deinde, nisi dissoluerent, ad Prætorem vocabantur: & ab eo, quibus erant iudicati, addicebantur. Neruo quoque, aut compedibus vinciebantur. Hactenus ille. Sed clarior fiet lex, si singulas partes considerabimus.

Confessei æris.) Id est, pecuniæ, quam per confessionem aduersarij in iudicio factam constiterit esse debitam. Confessei passiue, dicitur, pro, de quo reus confessus est.

Rebúsque iure iudicatis.) Iac. Ræuardus legit, ærisque debiti iudicatis.

Triginta dies iustei sunto.) Decemuiri, teste Cæcilio, iustos dies appellarunt, veluti quoddam iustitium, id est, iuris inter eos quasi interstitionem quandam, & cessationem, quibus nihil in re agi cum aduersariis posset.

Postidea indu manus iactio esto.) Post illos triginta iustos dies, nisi tibi satisfecerit, iniicere ei manus, atque in ius ducere tibi licet. Postidea, pro postea: indu manus iactio, pro manus iniectio, antique.

In ius ducito.) Ius hoc loco significat locum illum, vbi Magistratus, vel alius Iudex consistit, iuris dicendi aut iudicandi gratia.

Nei iudicandi facit.) Nisi soluerit id, quod sententia Iudicis, siue Prætoris continet, nisi sententiæ à Prætore latæ obtemperauerit. Iudicatum enim iussum, siue sententiam Prætoris de re controuersia significat.

Aut quips endo iure vindicit.) Nisi quis eum in iure vindicet, quips, pro quis, vel aliquis: endo, pro in: vindicit pro vindicat, antique. Cum enim sonare lauare, veteres in tertia quoque coniugatione dixerint, sonere lauere: vt Nonius Marcellus testatur: dubium non est, quin idem fecerint in voce vindicare. Cuiacius certè vir doctissimus affirmat, se in veteri Agellij exemplari expresse scriptum reperisse, vindicit. Ræuardus legit, vindex esit.

Secum ducito.) Vtpote sibi propter æs alienum addictum.

Vincito neruo, aut compedibus.) Neruum, inquit Festus, appellamus ferreum vinculum, quo pedes impediuntur: quanquam Plautus eo etiam ceruices vinciri ait. Sunt & compedes vincula pedum ferrea.

Quindecim pondo.) Significatur grauitas & pondus eorum compedum. Festus in voce Exesto scribit, fuisse quædam sacrificia, in quibus ita clamitabat lictor: Hostis, vinctus, mulier, virgo, exesto scilicet interesse prohibebantur. Vnde colligere licet, vinctos siue nexos, sacris olim interesse solitos. Idcirco autem compedes quindecim pondo maiores, quia essent grauiores, quam vt iis, cum sacris intersunt, sese vincti subducere possint, aut fugere: expresse videntur requirere Decemuiri: ne, si minores essent, aut nexis custos perpetuo adesset in sacris, aut sine custode aliquod fugæ periculum subirent creditores. Et eo fortasse spectat illa legis Decemuiralis particula, quæ apud Festum in voce Nec, Antonij Augustini diligentia sic emendata legitur: At ei custos nec esit, &c.

Si volet, suo viuito.) Liberum reliquerunt Decemuiri nexis, suo viuere, vel non. Si enim non vellent suo viuere, tum creditores cogebantur eos alere, vti in lege sequitur.

Libras farris in dies dato.) Expresserunt Decemuiri certam farris quantitatem, quam creditor

ditor nexis in singulos dies daret:quod si nexus ea quantitate non contentus esset,in creditorum arbitrio posuerunt, si vellent plus dare: Ræuardus pro libras, libram legit, in singulari, item pro in dies,endo die:alij,endo dies.

XXXV. *Ni cum eo pacit,sexaginta dies in vinculis retineto. Trinis nundinis continuis in Comitium procitato, ærisque æstimiam prædicato. Tertiis nundinis capiti pœnas luito,aut trans Tiberim peregrè venum ito. Ast si pluses esunt rei, tertiis nundinis parteis secanto: si plus minusve secuscunt,ne si fraude esto.*

Hoc caput,quod præcedenti cohæret, Agellius non Decemuirorum,sed suis verbis recitat. Iacobus autem Ræuardus ita, vt nos scripsimus,restituere est conatus.

Sextus Cæcilius apud Agellium,cùm priorem legem recitasset, sic pergit: Erat autem ius interea paciscendi. Ac nisi pacti forent,habebantur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in Comitium producebantur, quantæ pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant.Sed eam capitis pœnam sanciendæ fidei gratia,horrificam atrocitatis ostentu nouisque terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset iudicatus,secari si vellent,atque partiri corpus addicti sibi hominis,permiserunt,&c. Causam tam atrocis supplicij in debitores fallentes fidem constituti, idem paulo post reddit his verbis:Nihil profectò immitius,nihil immanius,nisi (vt reipsa apparet) eo consilio,tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam vnquam veniretur. Addici namque nunc, & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audiui: quoniam sæuitia ista pœnæ contemni non quita est. Adscripsi integrum locum, vnde quæ sit huius capitis sententia intelligi potest. Adiicienda tamen quædam pauca sunt, & nonnullæ ex Ræuardo recitandæ illius emendationis causæ.

Ni cum eo pacit.) Id est,ni is, qui eum vinctum habet,cum nexo paciscatur. De verbo paco,vel pago,supra diximus.

Trinis nundinis continuis in Comitiis procitato.) Vult lex produci vinctum debitorem trinis nundinis ad Prætorem in Comitium, seu iudicium, vt repetatur publicè, in quantam pecuniam suo creditori condemnatus.Forte eam ob causam, si quis familiaritate, aut misericordia ductus,soluere voluisset eam pecuniam,hominémque miserum vinculis liberare.Item vt constaret omnibus vincto non fieri iniuriam, aut à creditore, aut à Iudice. Procitare veteres dixisse,pro vocitare & producere,scribit Festus,qui eosdem pro æstimatione, æstimiam dixisse, etiam annotauit.

Ast si pluses esunt rei.) Veteres pro plures,& plurima, pluses dixerunt,& plusima. Item se, vel nesi, pro sine, & reorum nomine, actorem, & reum promiscue acceperunt, vt tradit Festus.

XXXVI. *Assiduo vindex assiduus esto. Proletario ciui quiuis volet vindex esto.*

Descriptum est ex Agellio lib.16.cap.10.

Sententia legis hæc est, vt assidui vel locupletes ciues creditoribus addicti, ab assiduis, vel locupletibus vindicarentur:hoc est, si ita res ferret,assibus redimerentur, non autem à Proletariis:ne,cum sint tenuioris fortunæ,quàm vt asses possent dare,quibus assiduos è vinculis eximerent, ipsi pro assiduis, & se, suósque liberos, familiámque totam in discrimen adducerent:néve corpus liberum,immunéque assidui hominis liberandi gratia seruituti, capitisque pœnæ aut sectioni subiiceretur. Proletario autem ciui quemuis vindicem esse permiserunt Decemuiri:quia eorum debita non solent esse grandiora,quàm quæ ære exiguo lui possint.

Assiduo.) Assiduus,inquit apud Agellium Iulius Paulus, in XII. Tabulis, & pro locuplete, & facile munus faciente ponitur:dictos ab assibus,id est,ære dando,cùm id tempora Reipublicæ postularent:aut à muneris,pro familiari copia faciendi assiduitate. Caius Iurisconsultus lib.2. ad leges XII. Tabular.ait, assiduum locupletem esse, qui satis & idoneè habeat pro magnitudine rei,quam actor restitui petit.

Vindex esto. Festus scribit, veteres vindicem eum appellasse, qui vindicabat, quo minus is, qui prehensus erat,ab aliquo teneretur:hoc est,qui prehensum,nexum,siue addictum,liberabat. Alij vindicem hoc loco exposuerunt procuratorem, alij fideiussorem, quod tamen non omnibus probatur.

Proletario ciui.) Proletarii ciues in munere, officióque prolis edendæ appellati sunt, quod cum re familiari parua minus possent Rempublicam iuuare, sobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentarent. Iulius Paulus apud Agellium.

De emptione, venditione, & vsucapionibus.

XXXVII. *Venditæ & traditæ res non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori precium soluerit, vel alio modo satisfecerit.*

Extat hoc caput apud Iustinianum Institutionum lib.2.tit.1.

Venditæ res, inquit Iustinianus, & traditæ, non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori precium soluerit, vel alio modo satisfecerit: veluti expromissore, aut pignore dato, quod quanquam cauetur ex lege XII. Tabularum, tamen rectè dicitur, & iure gentium, id est, iure naturali id effici. Sed si is, qui vendidit fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est, statim rem emptoris fieri. Nihil autem interest, vtrum ipse dominus tradat alicui rem suam, an voluntate eius alius (cui eius rei possessio permissa sit.) Qua ratione, sicubi libera vniuersorum negotiorum administratio permissa fuerit à domino, isque ex his negotiis rem vendiderit, & tradiderit, faciet eam accipientis. Hæc Iustinianus, vnde legis sententia perspicua est. Eadem fere tradit Theophilus.

XXXVIII. *Vsus & auctoritas fundi biennis: cæterarum rerum annuus esto.*

Extat apud Ciceronem in oratione pro Cæcinna, & in Topicis: item apud Iustinianum.

Tractat & confirmat hæc lex modum acquirendi dominij rerum per vsucapionem, de qua multa à Iurisconsultis traduntur. Iustinianus lib.2. Institutionum, tit.6. inquit, Iure ciuili constitutum fuisse, vt qui bona fide ab eo, qui dominus non esset, cùm crederet eum dominum esse, rem emisset, vel ex donatione, aliave quauis iusta causa accepisset, is eam rem, si mobile esset, anno vtique vno: si immobilis, biennio tantùm in solo Italico vsucaperetur, ne dominia rerum in incerto essent, &c. Ex his, legis sententia perspici potest. Fiet tamen clarior, si quid vsucapio sit, addatur.

Est igitur vsucapio (quæ, quod per vsum aliquid capit, & aufert, dicta est) adeptio dominij per continuationem possessionis temporis annui, in rebus mobilibus, vel biennij in immobilibus. Vsucapere, est vsu acquirere, & possessione suum facere.

Vsus.) Scilicet possessionis, vel possessio fundi.

Auctoritas.) Auctoritas pro vsucapione hoc loco, & in sequentibus aliquot legibus ponitur, & significat ius illud, quod ex possessione, tempore à lege definito acquiritur.

Fundi.) Fundus integrum aliquid est, agrum cum villa & ædificio significans. Vel, fundus est omne, quicquid solo tenetur. Ponitur hic generaliter pro bonis immobilibus. Id est. Si quis rem immobilem biennium totum, sine interruptione possederit, tum demum eam, vt iure suam habeat.

Cæterarum rerum.) Id est, mobilium.

XXXIX. *Aduersus hostem æterna auctoritas esto.*

Descriptum est ex libro 1. Officiorum Ciceronis.

Quæ sententia legis huiusmodi sit, ostendit Balduinus his verbis: Noluerunt, inquit, opinor, Decemuiri alios, quàm ciues suos possessores tueri, & vsucapionis iure donare. Æternum itaque tempus desiderarunt, priusquam vsucapionem peregrinus compleret. Nisi malimus (quod eodem recidit) auctoritatem, hic intelligere ius vindicationis, quod æternum contra possessores peregrinos ciuibus suis esse, & ab omni temporis præscriptione liberum Decemuiri voluerint. Hæc ille.

XL. *Rei furtiuæ æterna auctoritas esto.*

Extat apud Iustinianum, lib.2. Institutionum, tit.6.

Sententia legis hæc est, Rei furtiuæ æternam auctoritatem, id est, liberam, perpetuámque vindicationem esse debere. Repetit eam aliquot annis post Atinius, quando sic ad populum tulit: Furtiua res non vsucapiatur, nisi in potestatem eius, cui subrepta est, reuertatur. Iustinianus sic legem explicat: Quod autem, inquit, dictum est, furtiuarum rerum vsucapionem per leges prohibitam esse: non eò pertinet, vt ne ipse fur vsucapere possit) nam huic alia ratione vsucapio non competit, quia scilicet mala fide possidet) sed ne vllus alius, quamuis ab eo bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, vsucapiendi ius habeat.

De Collegiis.

XLI. *Vt sodalibus, qui ius coeundi haberent, potestas esset, pactionem quam vellent, sibi ferre: dum ne quid ex publica lege corrumperent.*

Sic hanc legem fere recitant Balduinus & Hotomanus, cuius testimoniū extat apud Caium

l. vltim. ff. de Collegiis. Sodales sunt, qui eiusdem Collegij sunt, quam Græci ἑταίρους vocant. His autem potestatem facit lex priuatas inter se pactiones arbitratu suo ineundi: cum eo tamen, nec communem illam totius Collegij, siue ordinis legem violent. Vt n. in l. 38. ff. de pact. dicitur, Ius publicum priuatorum pactis mutari non potest. Videtur autem translata esse ex legibus Solonis, in quibus ita est: Si qui eiusdem corporis, aut si qui tribules, aut Sacerdotes Orgiorum, aut Nauicularij, aut Sodales, aut eiusdem sepulchri, religionisue consortes, aut ad pecorum coëmptionem, aliudve negociationis genus simul proficiscentes, pactionem inter se aliquam inierint, ratum id esse, dum ne quid tabulis publicis prohibeatur. De collegiis, vt quædam dicam, locus postulat.

Fuerunt collegia Romæ primum instituta à Rege Numa, si Plutarcho credimus. Is enim in eius vita scribit: Inter reliqua eius statuta, distributio multitudinis secundùm artificia, meruit summam admirationem. Cùm enim Vrbs ex duabus gentibus (veluti ostensum est) constare videretur, re autem ipsa dissideret, ac in vnum coalescere nullo modo vellet, ne diuersitatem & differentiam liceret abolere, sed essent perpetuæ inter partes offensæ atque contentiones: cum animo suo reputans, ea corpora, quæ suapte natura difficulter aliis ob duritiem misceri possent, confracta in particulas, propter harum exiguitatem inter se demum coire, atque commisceri posse: statuit vniuersam multitudinem in plures portiones partiri, atque ita primum illud & magnum discrimen in minora tributim è medio tollere. Diuisit autem secundùm artificia, vt suum peculiare corpus haberent tibicines, suum aurifices, architecti, tinctores, sutores, coriarij fabri ærarij, figuli: reliquas artes etiam singulas omnes in vnum suum quemque corpus redegit. Porrò vnicuique generi suos peculiares conuentus, & religiones præscribens, tùm primum, ita ex Vrbe sustulit eam diuersitatem, qua alij Romani, alij Sabini, hi Romuli, illi Tatij ciues censebantur, suáque diuisione id consecutus est, vt omnibus cum omnibus conueniret, ac commercia intercederent. Hactenus Plutarchus. Ex quibus verbis & causa constituendi, & nomina Collegiorum intelliguntur. Collegij tibicinum meminit Valerius Maximus capite de Institutis, & Collegii fabrûm ærariû[m] Plinius libro trigesimoquarto, capite primo, & libro trigesimoquinto Collegij figulorum: Fuerunt postea & alia Collegia instituta, vt Capitolinorum & Mercurialium, quorum Cicero libro secundo epistolarum ad Quintum Fratrem, epistola quinta meminit. Fuit autem Mercurialium Collegium proprium mercatorum, institutum Appio Claudio, P. Seruilio Coss. Liuio libr. 2. teste, sic dictum à Mercurio, qui Deus peculiaris illius Collegij fuit, eum enim antiquitus vt patronum mercatores colebant. Collegij Viatorum Agellius mentionem facit libro duodecimo, capite tertio: Pistorum, Nauiculariorum & Fabricentium Collegij in Pandectis & Codice fit mentio. Quid vero iuris habuerint eiusmodi Collegia, ostendit Caius Iurisconsultus in l. 1. ff. Quod cuiusque Vniuersitatis nomine, vel contra eam agatur: Collegia, inquit, Romæ certa sunt, quorum corpus Senatusconsulto & constitutionibus principalibus confirmatum est, veluti Pistorum, & quorundam aliorum, & Nauiculariorum, qui & in Prouinciis sunt. Quibus autem permissum est corpus habere Collegij vel societatis, vel cuiuscunque ἑταιρίας nomine, eorum proprium est, ad exemplar Reipublicæ, habere res communes, arcam communem, & actorem, siue Syndicum, per quem tanquam in Republica quod communiter agi, fieri oporteat, agatur, fiat. &c. Potuerunt etiam illa Collegia manumittere, legatum capere, & leges sibi ferre, dummodo ne quid ex publicis legibus corrumperetur, vt docet Scæuola l. pater filium. ff. de legatis tertio: & Paulus in l. cùm Senatus. ff. de rebus dubiis. Conueniunt igitur Collegia illa cum nostris Sodalitiis, quæ dicuntur *zunfften* vel *handtwerck*. Qui vnius & eiusdem Collegij erant, Sodales dicebantur.

De Seruitutibus & Finibus regundis.

XLII. *Viæ latitudo in porrectum, octo pedum esto: in anfractum, sedecim.*

Descriptum est ex Caio libr. 7. ad edictum Prouinciale, l. 8. viæ latitudo, ff. de seruit. rust. & testimonium etiam habet apud Varronem lib. 6. de lingua Latina.

Loquitur hoc caput de seruitutibus rusticis, vt si quis ius habeat ducendi vehiculi per prædium alienum, id quod via hoc loco dicitur: ea via in porrectum octo pedum esset, in anfractum sedecim.

Iustinianus libro secundo, titulo tertio, ita inquit: Rusticorum prædiorum iura sunt hæc: Iter, actus, via, aquæductus. Iter est ius eundi, ambulandi hominis, non etiam iumentum agendi, vel vehiculum. Actus est ius agendi iumentum vel vehiculum. Via est ius eundi, agendi, & ambulandi hominis. Nam iter & actum, via in se continet. Aquæductus, est ius

aquæ ducendæ per fundum alienum. Alexander ab Alexandro definit iter duorum pedum latitudine, actum quatuor pedum.

In porrectum.) Id est, in directo, vt Varro loquitur.

In anfractum.) Id est, in flexum, ad flectendi plaustri commoditatem. Meminit huius legis etiam in Appendice ad Coniectanea in Varronem, Iosephus Scaliger, vbi dubitat, quomodo intelligi debeat, cùm proportio illa anfractus ad directum (siue vt ipse loquitur) ambitus ad dimetientem, defendi nullo modo possit.

Franciscus Hotomanus etiam hanc ex Ciceronis oratione pro Cæcinna legem recitat: Vt si quis viam alteri deberet, eam munitam præstaret: si ea immunita esset, qua vellet is, cui ea deberetur, iumentum ageret. Cuius sententia facilis est, nec eget explicatione.

XLIII. *Vt si cui priuato aquæductus alterius in publico noceret, ei aquæductus dominus noxæ nomine caueret.*

Extat huius testimonium apud Paulum in l.5.ff. ne quid in loco publico, vbi sic scribit: Si per publicum locum riuus aquæductus priuato nocebit, erit actio priuato ex lege XII. Tabularum, vt noxa domino caueatur: vbi legendum Franciscus Hotomanus censet, Noxæ à domino caueatur, vt vox, nomine antiqua consuetudine subaudiatur, & sensus sit: vt noxæ nomine, id est, damni infecti nomine riui, & aquæductus dominus ei priuato caueat. Loca enim publica (vt ait Vlpianus) vtique priuatorum vsibus deseruiunt, iure scilicet ciuitatis, non quasi propria cuiusque. Itaque si quod forte opus in publico fiat, quod ad priuati damnum redundet: prohibitorio interdicto conueniri potest, l.2 ff. eodem. Hoc est, cum locus publicus atque cuiusque priuati sit, iniquum est, id ab vllo priuato in eo fieri, quod alteri priuato damnum det. Quod si quid operis fiat, quod perfectum nocere poterit, tum priuatus noxæ, id est, damni infecti nomine caueri sibi iure postulabit.

XLIV. *Vt si cui aqua pluuia ex vicini agro noceret, vicino, cui ea noceret, eam per arbitrum arcere ius esset.*

Huius capitis fragmentum extat apud Pompeium in l. Labeo, 21. ff. de statulib. vbi scribit: Veteres hæc verba legis XII. Tabularum, SI AQVA PLVVIA nocet, sic interpretatos esse, id est, si nocere poterit. Reliquum ex coniectura se suppleuisse, Franciscus Hotomanus scribit, cum in Topicis Ciceronis scriptum esset: Aquam pluuiam nocentem, alteram loci vitio nocentem esse, alteram manu. Quarum, inquit, altera iubetur ab arbitrio coerceri, altera non iubetur. In quem locum Boëtius: Ius est aquam pluuiam arceri, id est, vt si in alicuius agro pluuia aqua colligatur, & in alterius agrum defluat, eáque vicini frugibus nocitura concrescat, arceat eam suis finibus ille, qui sua putat interesse ne defluat. Item: Aqua pluuia manu nocens est, quæ ita loco aliquo excipitur, vt inde profluens vicino noceat: si locus is non sit naturaliter talis, sed manu hominis excipiendæ aquæ fuerit apparatus. Vitio verò, quoties naturaliter ita sese locus habet, vt excipere aquam possit, & nocere vicino. Eodem illud Vlpiani pertinet in l.1. ff. de aqua pluuia: Si cui, inquit, aqua pluuia damnum dabit, actione aquæ pluuiæ arcendæ auertetur aqua, &c.

XLV. *Ambitus parietum sestertius pes esto.*

Sic hanc legem restituit Barnabas Brissonius Iurisconsultus clarissimus, lib.1. selectarum ex iure ciuili antiquitatum, c.2. ex Varrone, Festo & Volusio Metiano. Varro li.4. de lingua Lat. sic scribit: Ambitus, iter, quod circumeundo teritur. Nam ambitus, circuitus, ab eóque XII. Tabularum interpretes ambitum parietis, circumitum esse dixerunt. Volusius Metianus libello de asse: Sestertius duos asses, & semissem, quasi semis tertius: Lex etiam XII. Tabularum argumento est, in qua duo pedes, & semis sestertius pes vocatur. Sic eum locum restituit Brissonius. Festus quoque sic scribit: Ambitus propriè dicitur inter vicinorum ædificia locus duorum pedum, & semipedis, ad circumeundi facultatem relictus. Ex his, quæ sententia legis sit manifestum est.

XLVI. *Qui sepem in confinio ponat, terminum ne excedito: qui murum, pedem derelinquito: qui domum, pedes duos: qui sepulcrum fouéamve, quantum id profundum erit: qui puteum, passum: qui oliuam, ficúmve, pedes nouem, qui denique alias arbores plantabit, quinque pedes ab alieno loco ponito.*

Sic hanc legem recitant Franciscus Balduinus, & Hotomanus, cuius testimonium extat apud Caium lib.4. ad leges XII. Tabularum, vlt. ff. Fin. regun. vbi eam ex Solonis legibus desumptam, & in XII. Tabulas translatam fuisse docet.

Sensus legis obscurus non est, ideóque explicatione nostra non eget. Declaratur prolixè ff. lib.8. tit. de Finibus regundis. Vetat autem lex excedi terminum sui soli ab iis, qui sepem vel mace-

etiam effodere voluerint.

In confinio.) Confinii appellatione significatur locus, quo se possessores attingunt. Sicut Trifinium appellarunt veteres eum locum, in quem tres possessores attingebant.

XLVII. *In controuersia de finibus quinque pedum vsucapio nulla esto.*

Extat apud Ciceronem lib. 1. de Legibus.

Voluerunt Decemuiri, inter confines vicinorum agros quinque pedum spatium non vsucapi, hoc est, possideri, sed medium relinqui, quod liberum semper esset, & commune, vt eo ire, agere, & aratrum etiam circumuertere sine alterius incommodo vterque dominus posset. Hæc horum verborum legis est sententia lata post XII. Tabulas: & Manilia lex est, qua cauebatur, vt quoties de his quinque pedibus controuersia esset eligeretur arbiter, siue agrimensor, qui eos regeret, artéque sua constitueret.

XLVIII. *Eius arboris, quæ in alienum agrum impenderet, ramos quindecim pedes altius à terra circumcidere ius esto vicino.*

Recitant & hanc legem Balduinus, Oldendorpius & Hotomanus, cuius testimonium extat apud Vlpianum in l. 1. ff. de arb. cædend. vbi Prætoris in eandem sententiam interdictum hoc profert: Quæ arbor ex agro tuo in agrum illius impendet, si per te stat, quo minus pedes quindecim à terra eam altius coërceas: tunc quominus illi ita coërcere, lignáque sibi habere liceat, vim fieri veto. Infert autem sic: Quod ait Prætor, & lex XII. Tabularum efficere voluit, vt quindecim pedes altius rami arboris circumcidantur: & hoc iccirco effectum est, ne vmbra arboris vicino prædio noceret.

XLIX. *Glandem suam in alienum fundum procidentem colligendi ius esto vicino.*

Suppeditauit hoc caput Plin. lib. 16. cap. 5. Sensus legis manifestus est. Caius legem hanc, vt credi par est, libro ad XII. Tabulas quarto, explicans, sic scribit: Glandis appellatione omnem fructum contineri, exemplo Græci sermonis apud quos omnes arborum species ἀκρόδρυα appellantur. In eandem autem veteris legis sententiam extat Prætoris interdictum: Glandem, quæ ex illius agro in tuum cadat, quo minus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vim fieri veto. *L. 236. ff. de verb. signif. L. vnic. ff. de gland. leg.*

L. *Vt si vicini inter se iurgant finibus regundis, arbitros tres darent: eisque totius rei ius, arbitriumque permitterent.*

Testimonium legis extat partim apud Nonium, partim apud Ciceronem libro secundo de Legibus.

Sententia est manifesta. Cicero lib. 4. de Republica, teste Nonio, sic scriptum reliquit. Iurgari igitur lex vetat inter se vicinos non litigare.

Si inter se iurgant.) Beneuolorum incertatio, non lis, inimicorum iurgium dicitur.

Finibus regundis.) Fines agrorum termini & limites appellantur. Finibus regundis, id est, finibus discriminandis, seu statuendis. Regere enim, antiqua & Decemuirali significatione, est, suis finibus terminum habere. Boëtius interpres Topicorum Ciceronis inquit: Regi fines dicuntur, quoties vnusquisque ager propriis finibus terminatur.

De iniuriis, aliísque delictis.

LI. *Si quis actitauerit, siue carmen condiderit, qui infamiam flagitiúmve alteri precetur, capite punitor.*

Cicero libro 4. de Republica.

Hoc XII. Tabularum caput, quo pœna in scriptores libellorum famosorum & fabularum scenicarum, quibus nominatim ciues Romanos taxarent, statuitur, extat in fragmento libri quarti Ciceronis de Republ. apud Augustinum libro 2. capite 2. de ciuitate Dei, vbi Africanus de libertate Comœdiæ apud Græcos locutus, sic tandem concludit, Nostræ contra XII. Tabulæ, cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerunt. Si quis actitauisset, siue carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiúmve alteri precaretur. Iudiciis enim, ac Magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non Poetarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire, nisi ea lege, vt respondere liceat, & iudicio defendere. Hactenus Cicero. Horatius quoque aliquoties in libro Sermonum & arte Poëtica ad hanc legem alludit. Et extant in Iurisconsultorum libris plures leges, quæ cum hac lege congruunt, & libellos famosos prohibent. In Pandectis ex Vlpiano commemoratur lex, siue Senatusconsultum in hæc verba: Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scri-

p.it, composuit, edidit, dolóve malo fecit, quo quid eorum fieret: etiam si alterius nomine ediderit, vel sine nomine, vti de ea re agere liceat: & si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex lege esse iubetur. Intestabilis autem dicitur is, vt alibi Vlp. explicat, qui nec testamentum facere potest, nec ad testimonium adhiberi testis. Caius verò sic interpretatur: Cum lege qu s intestabilis iubetur esse, eo pertinet ne eius recipiatur testimonium: & eo amplius, vt putant quidam, ne ipsi dicatur testimonium. Porrò Vlpianus adiicit, eadem pœna ex Senatusconsulto teneri etiam eum, qui epigrammata, aliúdve quid, sine scriptura in notam aliquorum produxerit, item qui emendam vendendúmve curauerit. Multis post Augustum annis, editum est acerbius quoddam Valentiniani Valentisque edictum, vt qui quocunque loco famosum libellum inuenerit, nec statim corrupe. it, sed alicui p itefecerit, capitali supplicio coërceretur. Plurium Imperatorum hac de re constitutiones habes in integro Cod. Theodos. li. 9.

Sed ad nostram legem reuertamur.

Actitauerit.) Sic legitur in Augustino. Monet autem Ludouicus Viues se in veteri libro scriptum reperisse, Occentauisset: eámque lectionem probat. Hinc Iosephus Scaliger in suis ad Festum castigationibus sic hanc legem recitat:

SI QVIS CARMEN OCCENTASSIT, QVOD ALTEREI FLAGITIVM FAXIT, CAPITAL ESTO.

Occentassit.) Occentassint antiqui dicebant, quod nunc conuicium fecerint, dicimus, quod id clare & cum quodam canore fit, vt procul exaudiri possit, quod turpe habetur, quia non sine causa fieri putatur. Inde cantilenam dici, quia illam non cantus iucunditatem puto. Festus.

Flagitium.) Flagitium apud veteres significabat infamiam. Flagitium facere, conuinciis alicuius existimationem lædere. Iosephus Scaliger.

Capital esto.) Capital facinus est, quod capitis pœna luitur.

LII. *Si iniuriam alteri faxit,* XXV *æris pœnæ sunto.*

Extat apud Agellium lib. 20. cap. 1.

Leuis pœna hac lege in eum statuitur, qui alterum insigni iniuria affecisset, pro simplicitate scilic. illorum temporum, vt Prætores eam tollere coacti fuerint. Qua de re libet Phauorini verba, quæ sunt apud Agellium, adscribere. Sic igitur is inquit: Quod dixi, videri quædam esse impēdio molliora, nónne tibi quoque videtur esse dilutum, quod ita de iniuria punienda scriptum est, Si iniuriam alteri faxit, vigintiquinque æris pœnæ sunto. Quis enim erit tam inops, quem ab iniuria facienda vigintiquinque asses deterreant? Itaque, cùm eam legem Quinctus quoque Labeo vester in libris, quos ad XII. Tabulas conscripsit, non probaret, inquit, L. Neratius fuit egregiè homo improbus, atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus suæ palma verberare. Eum seruus sequebatur, crumenam plenam assium portitans, & quemcumque depalmauerat, numerari statim secundùm XII. Tabulas, XXV. asses iubebat. Propterea, inquit, Prætores, postea hanc abolescere, & relinqui censuerunt, iniuriisque æstimandis recuperatores se daturos edixerunt. Hæc ille. Sextus autem Cæcilius legem defendens, ait non omnes iniurias hac pœna ęstimatas fuisse, sed leuiores tantùm, hanc paucitatem assium, graue pondus æris fuisse, cùm populus Romanus ea tempestate librariis assibus vsus fuerit.

Si iniuriam.) Iniuria dicta est, quòd non iure fiat. Auctor Rhetoricorum ad Herennium, li. 4. ait, iniurias esse, quę aut pulsatione corpus, aut conuicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cuiuspiam violant. Ideóque Labeo docet, iniuriam aut re fieri, aut verbis. Re, quoties manus inferuntur: verbis verò, quoties non inferuntur manus, vt cùm conuicium fit, &c. Hæc lex de leuibus, vt ante Cæcilij verbis dixi, iniuriis loquitur, non de atrocibus.

LIII. *Si membrum rupserit, è pacto talio esto.*

Extat apud Agellium lib. 20. cap. 1. & apud Festum in voce Talio.

Vult hæc lex, vt de graui, & atroci etiam illata iniuria pacisci liceat, sed è pacto, hoc est, sine pacto, vel extra pactum talionem esse pœnam. Queritur de huius quoque legis iniquitate Phauorinus apud Agellium, inquiens, Nonnulla in istis Decemuirorum legibus, nec consistere quidem visa sunt, Veluti illa lex Talionis, cuius verba (nisi memoria me fallit) hæc sunt, si membrum rupit meum, è pacto talio esto. Præter enim vlciscendi acerbitatem, ne procedere quoque executio iusta talionis potest. Nam cui membrum ab alio ruptum sit ipsi itidem rumpere per talionem velit, quæro, an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium? In qua re primùm ea difficultas est inexplicabilis. Quid si membrum alter imprudens ruperit? Quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet. Ictus quippe fortuitus, & consultus non cadunt sub eiusdem talionis similitudinem. Hæc & plura Phauorinus. Sed Cæcilius pro defensione legis ait, Decemuiros minuere

atque

atque extinguere volentes huiuſcemodi violentiam pulſandi, atque lædendi talione, eo metu coërcendos eſſe homines putaſſe. Neque eius, qui membrum alteri rupiſſet, & paciſci tamen talióne redimenda nollet, tantam rationem habendam arbitratos eſſe, vt an prudens imprudénſve rupiſſent, ſpectandum putarent, aut talionem in eo vel ad amuſſim æquipararent, vel in librili perpenderent, ſed potius eundem animum, eundémque impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eundem quoque caſum exigi voluiſſe, quoniam modus voluntatis præſtari poſſet, caſus ictus non poſſet. Nec eſſe nimiam acerbitatem pœnæ, cùm idem fiat in me, quod egomet in alio fecerim. Præſertim cùm habeam facultatem paciſcendi, & non neceſſe ſit pati talionem, niſi eam ipſe rem elegerim. Hactenus ille.

Talio eſto.) Talio, inquit Iſidorus, eſt ſimilitudo vindictæ, vt taliter patiatur quis vt fecit. De Talione legem etiam Græci habuerunt, & ante hos Iudæi ex præcepto Dei.

LIV. *Si os fregit.........æris ſunto.*

Huius capitis teſtimonia extant apud Agellium lib. 20. c. 1. & Iuſtinianum lib. 4. Inſtitutionum, titulo 4.

Cæcilius apud Agellium. Iniurias, inquit, atrociores, vt de oſſe fracto, non liberis modò, verùm etiam ſeruis factas, impenſiore damno vindicauerunt. Iuſtinianus autem: Pœna iniuriarum ex lege XII. Tabularum, propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os verò fractum, nummariæ pœnæ erant conſtitutæ, quaſi in magna veterum paupertate. Hæc ille. Qualis verò ea pœna, vel quot aſſium fuerit, non exprimitur.

LV. *Si in tuo alienum pecus paſcatur, de paſtu pecoris actio eſto.*

Teſtimonium huius legis extat apud Vlpianum l. qui ſeruandarum. §. vlt. de præſcrip. verb: vbi commemorat, fuiſſe legem XII. Tabularum de paſtu pecoris, ſi in tuo alienum pecus paſceretur.

Voluerunt Decemuiri concordiam inter ciues conſeruare, & cauſas litium, & controuerſiarum præcidere, ideóque hæc leuia in ſuas tabulas retulerunt. Competebat autem hæc legitima de paſtu pecoris actio tum propriè, cùm in meo tuæ pecudes meum aliquid depaſtæ eſſent, naturam ſuam ſecutæ. Plura de his habent Iuriſconſulti. Mihi enim propoſitum non eſt Iuriſconſultorum nodoſas, & difficiles quæſtiones hic tractare, memor illius: Ne ſutor vltra crepidam.

LVI. *Si quadrupes pauperiem fecerit: ei cuius intererit, in eum, qui dominus erit quadrupedis, actio noxalis eſto.*

Extat huius legis teſtimonium apud Iuſtinianum Inſtitutionibus, titulo, Si quadr. paup. feciſſ. dic. §. 1. & alibi. Vlpianus dicit. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, actio ex duodecim Tabulis deſcendit. Quæ lex voluit, aut dari quod nocuit, id eſt, animal, quod noxiam commiſit, aut æſtimationem noxiæ offerre. Noxia enim eſt idipſum delictum. Et rurſus, Pauperies eſt damnum ſine iniuria facientis datum. Nec enim poteſt dici animal iniuriam feciſſe, quod ſenſu caret.

Obſeruandum autem, hanc actionem de damno à quadrupe dato, propriè non pertinuiſſe ad feras beſtias, quæ genitali ſua naturalíque feritate damnum dederunt. Explicatur & hoc caput prolixè à Iuriſconſultis.

LVII. *Vt qui alienas arbores iniuria cecidiſſet, in ſingulas æris viginti quinque lueret.*

Deſcriptum hoc caput eſt ex Plinio lib. 10. cap. 1. Fuit & arborum, ait Plinius, cura legibus priſcis, cautúmque eſt XII. Tabulis: vt qui iniuria cæcidiſſet alienas, lueret in ſingulas æris viginti quinque. Item apud Paulum ſcriptum eſt: Si furtim arbores cæſæ ſint, & ex lege Aquilia, & ex XII. Tabulis danda eſt actio. Caius in l. 2. quæ ex primo illius libro ad legem duodecim Tabularum deſcripta eſt: Eos, inquit, qui arbores, & maximè vites ceciderint, etiam, tanquam latrones puniri. Notandum tamen & illud eſt, hanc actionem habere locum tum, cùm furtim arbores cæſæ ſunt. Si quis verò per vim ſciente domino eas cæciderit, agetur ex interdicto Quod vi, aut clam: aut vi bonorum raptorum.

De furtis.

LVIII. *Qui noctu furtum faxit, aut interdiu telo ſe defenderit, eum domino cum clamore teſtificanti occidere ius eſto. Si neque noctu, neque ſe telo defendens prehendatur, virgis cæſus, ei cui furtum fecit, addicitor. Seruus verberibus affectus, de ſaxo deijcitor: impubes arbitratu Prætoris verberator.*

Teſtimonium huius legis extat apud Agellium libro 11. cap. 18. Prior pars etiam apud Ma-

crob.lib.1.Saturnalio.cap.46.his verbis legitur.

SI NON FVRTVM FACTVM ESIT, SI IM ALIS OCCIT, IVRE CÆSVS ESTO.

Sequuntur nunc leges aliquot de furtis, quæ grauissime Romani punierunt, non tamen omnia eadem seueritate. Capitis autem huius, de quo agimus, sensum ex Agellio licet cognoscere, vbi sic ait: Furem, qui manifesto furto prehensus esset, tum demum occidi permiserunt Decemuiri, si aut, cùm faceret, nox esset, aut interdiu se telo, cum prehenderetur, defenderet. Ex cæteris autem manifestis furibus, liberos verberari, addicique iusserunt ei, cui furtum factum esset, si modò id luci fecissent, neque se telo defendissent. Seruos item furti manifesti prehensos, verberibus affici, & è saxo præcipitari: sed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam sarciri. Hæc ille. Loquitur igitur hoc caput de furto manifesto.

Qui nocti furtum faxit.) Fur, vt Varro voluit, ex eo dictus, quod furuum atrum veteres Romani appellarunt, & fures per atras & obscuras noctes facilius furentur. Quam etymologiam Agellius reprehendit, inquiens, non à furuo, furem dici, sed à Græco φώρ. Nam quod à Græcis, ait, nunc κλέπτης dicitur, antiquiore Græca lingua φώρ est dictum: hinc per affinitatem literarum, qui φώρ Græcè est, Latinè Fur. Hæc ille. Alij furem à ferendo vel auferendo dictum volunt, sicuti Græcum φώρ, à φέρω. Furem autem Sabinus apud Agellium definit eum, qui alienam rem attrectauerit, cùm id se inuito domino facere, iudicare deberet. Furtum vero est attrectatio rei alienæ, inuito domino.

Aut interdiu se telo defendens &c.) Telum, inquit Caius, vulgò quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur, sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Ita sequitur quod & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur: dictúmque ab eo sit, quod in longum mittitur, Græca voce figuratum, ἀπὸ τοῦ τηλοῦ.

Eum domino cum clamore testificanti.) Non voluerunt Decemuiri, furem in manifesto furto prehensum, simpliciter occidi: sed tum demum id concesserunt, si ei, sine periculo eius, cui furtum fit, parci non possit.

LIX. *Si adorat furtum, quod nec manifestum erit, duplionem luito.*

Sic hanc legem restituit Iacobus Rauardus, cuius testimonia extant apud Agellium lib.11. cap.18. & apud Festum.

Tria fuerunt Decemuirorum tempore genera furtorum, manifestum, nec manifestum, & conceptum. Manifestum, vt docet M. Surius Sabinus apud Agellium, quod deprehenditur, dum fit. Faciendi finis est, cùm perlatum est, quòd ferri cœperat. Nec manifestum furtum est, quod postea quandocunque deprehenditur. id est, cum fur in faciendo quidem deprehensus non est, sed eum furtum fecisse negari non potest. Quid conceptum furtum sit, iam explicatur. His tribus generibus Iurisconsulti addiderunt quartum, nempe oblatum, quod est, cùm res furtiua ab aliquo tibi oblata sit, eáque apud te concepta (id est, inuenta) sit, vtique, si ea mente tibi data fuerit, vt apud te potiùs, quàm apud eum, qui dedit, conciperetur. De furto manifesto præcedens lex loquitur, de nec manifesto, hæc.

Si adorat furtum.) Sic legitur apud Festum in voce Nec. Significasse autem apud antiquos, adorare idem, quod agere docet Festus.

Nec.) Hæc particula ab antiquis posita est pro non, teste Sinnio Capitone apud Festum.

Duplionem luito.) Testatur hoc Agellius inquiens: Aliis deinde furtis omnibus, quæ nec manifesta appellantur, pœnam imposuerunt dupli.

LX. *Furta per lancem, liciúmque concepta sicut manifesta vindicantor.*

Extat apud Agellium lib 11 cap.1.

Agit hoc caput, quod ex Agellio descriptum est, de pœna furti per lancem, liciúmque concepti. Et si ne tota lex nihil obscuritatis haberet, si se furto concepto per lancem & licium, quid fuisset, certo constaret. De eo enim variæ & discrepantes sunt opiniones, adeò vt verè dici possit, Quot homines, tot sententiæ. Optime autem consuluisset nobis Agellius, & bene de nobis meritus fuisset, si id & quædam alia nobiscum communicasset. Quia ergo, quænam sententia vera sit, difficulter dici potest aliquot doctissimorum virorum opiniones recitabo, & simul quænam probabilior videatur, indicabo. Lectori tamen liberum relinquam, vt quam velit, partem sequatur.

Alexander igitur ab Alexandro Neapolitanus I.C. libro sexto Genialium dierum, capi. decimo, de hac lege disserens, sic inquit, Dixere furta per lancem & licium, quòd fures, qui in alienas penetrabant ædes, plerumque (vt est sagax furum solertia) licium ferebant, quo furta alligarent, & lancem præ oculis, ne innotescerent. Hæc ille. Cuius sententiam sequitur etiam Oldendorpius, & addit, fures illos lancem duobus foraminibus aptatam, ante oculos habuisse

habuisse, vt matresfamiliarum, aut virgines, aliæve ancillæ in domo fortè fortuna obuiæ terrerentur, fugeréntque potius, quàm quòd de cognoscendo vel obseruando fure essent sollicitæ, ac interim illi res subriperent. Fr. Balduinus Tatij A pini coniecturam sequi mauult, qui opinatur furta per lancem & licium concepta, hæc fuisse, quæ religionis obtentu, impostores quidam tanquam sacrificuli licio succincti, & lanceas ad colligendas stipes circumferentes committerent, sacrilegiis proxima, nempe rerum si ministerium iam consecratarum, collectarum tamen ad sacrificia, & eorum nomine. Probabilior autem videtur Iacobi Ræuardi sententia, quam plerique Iurisconsultorum, & in his etiam Iosephus Scaliger probant, quæque testimonium apud Festum Pompeium habet, apud quem sic legimus. Lance & licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quærere in domum alienam, licio cinctus intrabat, propter matrumfamiliæ, aut virginum præsentiam. Furtum igitur per lancem & licium concipiebatur ab illis quibus furtum factum erat, non fiebat à furibus, idque hoc modo: Qui conquerebatur sibi rem a quopiam furto ablatam, & in alicuius ædes deportatam, accedebat ad dominum illarum ædium, & petebat, vt liceret sibi rem abla[illegible] in illis quærere, iurabatque Deos legum custodes, se reperiendi spe furtum quærere. Et tunc quidem alter ille, apud quem furtum quærebatur, domum suam ei, qui furtum quærebat, aperire, & in obsignatis, & non obsignatis locis liberam furti inquirendi potestatem facere cogebatur. Is verò, qui furtum quærebat, licio se accingebat, vt expeditior ad quærendum esset: & lancem oculis opponebat, ne à mulieribus, aut virginibus in illis ædibus videretur: ab iis enim alienos viros cerni, veteres noleb[illegible]nt. Atque tum, si rem furtiuam conciperet & comprehenderet, furtum illud conceptum & comprehensum pro manifesto vindicari sanxerunt, parémque ac manifesto ei pœnam irrogari voluerunt Decemuiri. Et hunc morem quærendi furta per lancem & licium desumptum esse à G[illegible]rcis, ex 12. Platonis de Legibus libro probare nituntur Fr. Hotomanus Commentariis in 4 librum Institut. præter hanc de qua iam diximus, quámque plerique probant, etiam aliam furti per lancem & licium concepti explicationem affert. Scribit enim se suspicari furtum per lancem & licium conceptum id fuisse, quod per simulationem religionis amicti licio Sacerdotes deprehenderent, sint soliti cum panem Ætite lapide conditum, & in lance cærimoniæ causa delatum, eum qui furti suspectus erat, deuorare iuberent. Qua de re Dioscoridis verba citat, quæ Latine sic sonant: Furem quoque AEtites deprehendit, si quis in pane conditum offerat. Fur enim manium deuorare non poterit: Hactenus ille. Non tamen dissimulabo aliam esse Petri Pithœi sententiam, lib. 1. Aduersariorum subseciuorum cap. 2. quam ipse omnibus aliis anteponere non veretur: eam his verbis explicat: Furtum, quod à lictore, aut viatore licio præcincto, ipso, aut alio quolibet comite iudicium & fidem in lance præferente siue hæc priuata fuerit, siue publica (quod magis credo) ex auctoritate Magistratus perquisitum, inuentúmque est, per lancem, & licium conceptum videtur. Hæc ille. Et huius sententiæ testimonia ex Petronij Arbitri Satyrico profert, quæ ibi videri possunt.

LXI. *Is cuius ope consilio furtum factum erit, dupli actione tenetor. Si seruus furtum faxit, noxámve nocuit sciente etiam Domino, serui nomine actio esto: id minus seruus nomine tenetor. De furto pacisci licitum esto.*

Hæc duo capita primus obseruauit Antonius Contius IC. lib. 1. Lectionum subseciuarum iuris ciuilis, capite 14. Prioris testimonium extat apud Labeonem l. sæpe. §. vltimo de verborum signific. Sententia eorum plana est, ideóque nulla opus habent explicatione.

LXII. *Frugem aratro quæsitam furtim nocte si pauerit, secueritve suspensus Cereri necator: impubes verberator, noxæve duplionem præstato.*

Descripta est ex Plinio lib. 18. cap. 3.

Sancit hæc lex pœnam in eos, qui alienas fruges furtim depauissent, aut demessuissent. Et videtur desumpta esse ex legibus Draconis Atheniensis legislatoris. Is enim, vt auctor est Plutarchus, non minorem aduersus fures vuarum, vel olerum, quam aduersus homicidas, vel sacrilegos pœnam sancit. Mitigata tamen postea hæc pœna apud Romanos est, sicut ex Vlpiani verbis his apparet. Si oliuam, inquit, immaturam decerpserit, vel segetem desecuerit immaturam, vel vuas crudas, Aquilia tenebitur. Quod si iam maturas, cessat Aquilia. Nulla enim iniuria est, cum tibi etiam impensas donauerit, quæ in collatione huiusmodi fructuum impenduntur. At si collecta hæc interceperit, furti tenetur.

Pubes.) Non eandem pœnam statuit in adultos, & impuberes, sed inter eos distinguit.

Suspensus Cereri) Iustus Lipsius lib. 4 Epistolicarum quæstionum, epist. 27 legendum arbitratur: Sacratus Cereri verberator: quia in antiquis legum formulis solemnis sanctio fuit, sacer Cereri esto. Et, Sacer Ioui esto.

LXIII. *Tignum iunctum ædibus, vineæque concapes ne soluito.*

Qui illud iunxit, domino duplum præstato.

Prior pars apud Festum in voce Tignum, & apud Iurisconsf. sæpe, sicut & posterior legitur. Sententia legis hæc est: Ne quis alius alicuius tignum id est ligna, cæmenta, & alia, suis ædibus iungeret, inuito eo Domino, cuius id tignum esset. Quod si iunxisset inuito domino, ne propterea ædes dirueret, sed domino tigni, duplum illius præstaret. Ratio legis est, quod Decemuiri noluerunt sub hoc prætextu ædes dirui, vel vinearum culturam turbari, testibus Vlpiano, & Iustiniano.

Tignum iunctum ædibus.) Tigni appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium constat, vineæque necessaria: vnde quidam aiunt, tegulam quoque, & lapidem, & cæmenta, cæteráque si qua ædificiis sunt vtilia (tigna enim à tegendo dicta sunt) hoc amplius, & calcem & arenam appellatione tigni contineri. Sed in vineis tigni appellatione omnia vineis necessaria continentur: vt pura perticæ, pedamenta, &c.

Vineæque concapes.) Varie hic sese torquent eruditi. Alij concapu legunt, alij cum capite, alij aliter. Iosephus Scaliger sic legendum & emendandum putat, vineæque concapes: hoc sensu, vt si tignum alienum iunctum fuisset tuis ædibus, vel concapes fuisset tuæ vineæ. Significare autem ait tignum concapes, quod depactum, ac defixum sit terræ ad vineam sustinendam, & caput suum habeat cum capite vineæ commissum.

LXIV. *Neque vnciario fœnore amplius exerceto.*

Testimonium huius legis extat apud Cornelium Tacitum, Annalium libr. 5. vel, vt in Iusti Lipsij editione est, lib. 6.

Quantas turbas in Republica Romana dederint vsuræ, docent tùm alij plurimi rerum Romanorum scriptores: tùm verò Cornelius Tacitus his verbis: Sanè vetus, inquit, vrbi fœnebre malum, & seditionum, discordiarúmque creberrima causa, eóque cohibebatur antiquis quoque, & minus corruptis moribus. Nam primò duodecim tabulis sanctum, ne quis vnciario fœnore amplius exerceret: cùm anteà ex libidine locupletium agitaretur: dein rogatione tribunitia ad semuncias redacta. Postremò vetita versura, multisque plebis scitis obuiam itum fraudibus, quæ toties repressæ, miras per artes rursùm oriebantur. Hactenus ille.

Ne quis vnciario fœnore.) Fœnus dictum est, inquit Varro, à fœtu, & quasi à fœtura quadam pecuniæ parientis, atque increscentis. Item docet Festus. Sunt autem variæ fœnoris, siue vsuræ species quas hoc loco attingere libet. Summa vsura quæ & vsura centesima, & æs vsurarius dicitur, est, cùm pars sortis centesima singulis mensibus penditur: id est, cùm de centum aureis singulis mensibus vnus, singulis annis duodecim penduntur. Vsura deunx dicitur, cum singulis annis in centenos, vndecim penduntur: dextans cùm decem: dodrans, cùm nouem: bes, cùm octo: septunx, cum septem: semis, cùm sex: quincunx, cùm quinque: triens, cùm quatuor: quadrans, cùm tres: sextans cùm duo: vnciaria, cùm vnus penditur. Et de hac lex loquitur.

Notandum etiam, quod Cato testatur, Romanos fœneratores quadruplo condemnasse. Verba eius sunt hæc: Maiores nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt: Furem dupli condemnari: fœneratorem quadrupli. Quantò peiorem ciuem existimauerint fœneratorem, quàm furem, hinc licet existimare.

LXV. *Vt iurisiurandi ad fidem adstringendam præcipua vis esset.*

Cicero libro 3. de Officiis, ita scribit: Nullum enim vinculum ad stringendam fidem iureiurando Maiores arctius esse voluerunt. Id indicant leges XII. Tabularum, &c. Agellius lib. 7. cap. 18. Iusiurandum, inquit, apud Romanos inuiolatè, sanctéque habitum, seruatumque est. Id & moribus, legibusque multis ostenditur. Sed nemo id copiosius explicauit Dionysio, qui libro 2. extremo, Regi Numæ institutum illud assignat. Polybius libro 6. commemorat: tantum apud Romanos iurisiurandi religionem valuisse, vt ea laude facile gentibus omnibus antecellerent. Nam si Græco homini, inquit, qui Magistratum gerat, talentum vnum committatur, etiam si decem scribendo assint, signáque totidem, atque etiam duplo plures testes extent, fidem tamen plerumque violant. Apud Romanos autem, qui quum Rempublicam gerunt, maiorem multo pecuniam tractant, sola iusiurandi sui religione in officio suo continentur, &c. Ad hanc porro legem illud Caij pertinet: Maximum remedium expediendarum litium esse iusiurandi religionem. Hactenus de XII. Tabularum iis, quæ adhuc restant, fragmentis.

PARA-

Ad Cap. Vltimum.

PARALIPOMENA.

Leges Romanorum vetustissimæ, Papiriana, Valeria, Sacrata, duodecim tabularum, & qui de iis scripserunt, scripta olim in tabulis, & antea in æde sacra reseruata.

ROmulus legibus à se latis stabiliuit monarchicum dominandi statum, Numa Pompilius religionésque deorum ordinauit; eum sequutus Tullius Hostilius castrensi disciplinæ prospexit, ita tamen vt omnia penes vnum essent, quem imperij modum retinuere & auxere quatuor insequentes reges, licet sciam legum primarum lationem quosdam ad Numam referre, *qui ferociam populi à bellis ad sacra contulit*, inquit Seruius Honoratus ad vers. 812. lib. 6. Æneid. vnde *Numa* vigour, à legibus dictus, vel vt Seruius ait, *inuentione & constitutione legum.* Virgilius ipse loco laudato.

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ,
Sacra ferens? nosco crines, incanaque menta
Regis Romani, primus qui legibus vrbem
Fundauit.

Mutata subinde reipublicæ facie, & pulsis regibus, pro vno, duo creati, qui præessent, decretumque id legibus Valeriis, sic nominatis, quod Valerius Publicola primi anni consul eas scripsisset, ex Plutarcho in illo, vt & leges regiæ *ius Papirianum* appellatæ, quod P. Papirius eas in Codicem & *corpus vnum* redegisset, vt constat ex Pomponio IC. l. 2. ff. de Orig. Iur. & testatur ipsum Grauius Flaccus qui librum *de iure Papiriano* scripsit, vt retulit Paulus IC. L. 145. ff. de verbor. significat. nec id non vidit Raphael Volaterranus lib. 29. Commentarior. pag. 881. dictæ etiam istæ leges *curiatæ*. Fr. Duaren. in Tit. 2. ff. de Orig. Iur. legibus Valeriis ita constitutum, vt consules *priuatum per se ius administrarent, publicum cum populo & senatu* communicarent. F. Polletus Histor. fori Rom. lib. 3. cap. 5. & quo potentius imminueretur potestas vnius, hisce legibus introducta *ad populum prouocatio*. T. Liu. 1. Decad. lib. 2 cuius scitt tenor erat, vt citra prouocationem non liceret ciuem Romanum virgis cædere, multo minus capitali affi ere supplicio. quare incredibile est quantam inuidiæ molem sibi conflauerit Cicero, quod contra legis Valeriæ authoritatem ciues in carcere strangulasset, reliquosque cum Catilina iniussu populi hostes iudicatos, coegisset in exilio collatis cum C. Antonio altero consule signis occumbere, veluti desperata ad populum prouocandi libertate, vt vehementissima oratione exaggerat Calenus apud Dionem Cocceianum lib. 46. creatumque ob id dirum illud & immane factum summum ei periculum, insequente tempestate Clodiana, ipsiusque exilio.

Atque, vt vnico verbo dicam, Publicola legibus suis, secures & gladios à ceruicibus omnium ciuium Romanorum arcuit, præter eos, qui perduellij crimine cecidissent. Cic. 7. Verr. *facinus est vinciri ciuem Rom. scelus verberare, prope parricidium necare.* Tertia mutatio *Tribunitias leges* protulit, quarum summa in eo posita, vt optimatum factio eneruaretur, plebis seu libertas, seu libido firmaretur. Porro de Valerio grauis est dissensio, quodnam illi cognomentum esset? Auctor virorum illustrium, seu Plinius, aut quilibet alter cap. 15. *Lucius Valerius Volesi filius primum de Veientibus, iterum de Sabinis, tertio de vtrisque gentibus triumphauit.* atque vt eundem esse constet, sequitur paucis lineis interiectis, legem de prouocatione *ad populum à magistratibus tulit.* ei concors L. Florus Epitomes Liuianæ lib. 2. *L. Valerius consul legem de prouocatione ad populum tulit.* Accedit his fide dignissimus C. Plinius lib. 36. cap. 15. *sicut in L. Valerio Publicola, qui primus consul fuit cum L. Bruto.* Eutrop. lib. 1. cap. 11. *Lucius ille Valerius Bruti collega.* Sed contra alij non *Lucij* sed *Publicij* cognomen inditum contendunt, Stephanus Pighius Campensis Annal um lib. 2. pag. 69. Iacobus Dalechampius in locum Plinij laudatum, Carolus Sigonius ad Florum Epitomasten. Ant. D. lrius ad L. Senecæ Herculem Oetæum parte 1. syntagm. pag. 161. quorum opinio innititur antiquorum fidei. Cassiodorus in Chronico consulari, & Cuspinianus ibidé pag. 97 Halicarnass. lib. 5. pag. 87. συνάρχοντα αἱρεῖται Πόπλιον Οὐαλέριον. *collegam assumpsit Publium Valerium.* ratio erroris videtur desumpta à Plutarcho in Publicola, qui fratrem Valerij consulis *Publium* appellat, vnde dimanauit, vt vnius nomen pro alterius vsurparetur. de eo Sil. Italic. libro secundo Punicor. in principio.

Huic comes æquato sociauit munere curas
Publicola, ingentis Volesi Spartana propago:
Is cultam referens insigni nomine plebem
Ausonios atauo ducebat consule fasces.

Sed leges has Regias, seu ius Papirianum, vt à Iusto Lipsio nuper collectum est proposuissem nisi alij præoccupassent. omnium quidem primus Bartholomæus Marlianus, post eum Lud. Charondas, deinde Pandultus Prateius, mox Fr. Balduinus, & I. Lipsius, aliique

eruditi. Leges autem Tribunitiæ seu sacratæ (quas Cloacius Verus *oscas* appellat, ex Festo lib. 15.) hæ fere à viris doctis colliguntur.

LEGES VALERIÆ.

I.

Vtique magistratus Imperiumque P. R. daret, bonáque cum capite eius consecrarentur, qui regni occupandi consilia inisset.

II.

Vtique aduersus Magistratum quemuis ad populum à ciue prouocari posset.

III.

Vtique consularis maiestatis læsæ multa in dies singulos, quinque boum, duarumque ouium precium non excederet.

IV.

Vtique quæstores duo quotannis ex patriciis à populo crearentur, qui pecuniam publicam acciperent, in ærarium Saturni cogerent, in tabulas rationum referrent.

V.

Regio imperio duo sunto, iique præeundo, iudicando, & consulendo, prætores, iudices, consules, appellanto: militiæ summum ius habento, nemini parento, ollis salus populi suprema lex esto.

LEGES TRIBVNITIÆ Sacratæ.

I.

Plebs quos pro se contra vim auxilij ergo creassit, Tribuni eius sunto, quod ij prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto, cum populo patribusque agendi ius habento, iidemque ad plebem quod censuerint, ferunto, sanctique sunto, neque plebem orbam Tribunis relinquunto.

II.

Tribunum inuitum nemo vt vnum à vulgo quicquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare iubeto, nec occidito, nec occidere iubeto: si quis contra faxit, sacer esto, bonaque eius Cereri dicata sunto, qui eum occiderit cædis purus esto.

III.

Appellati subuenire ne dubitanto, vim prohibento, priuilegia ne irroganto, de capite iureque ciuium non sine comitiis decernunto, intercedere collegam ne prohibento.

LEGES ICILIÆ.

I.

Concionanti apud populum Tribuno nemo contradicito, nec dicentem interpellato, si quis contra faxit, vades dato, Tribunis soluturum se multam quam imposuerint, qui vades non dederit, morte multator, & bona eius sacra sunto, si quid controuersiæ multarum huiusmodi causa inciderit, iudicia penes populum sunto.

II.

Priuati homines bono iure parta possidento.

III.

Per vim aut fraudem ædificia ex publico occupata, restituunto.

IV.

Ex arbitrorum sententia pretium ædificationis reddunto.

V.

Quæ publica sunt, ea sine pretio plebi diuidunto.

LEGES PVBLILIÆ.

I.

Tribuni & plebis ædiles tributis non curiatis comitiis creantor.

II.

Quicquid Tribunus plebem rogauerit, iisdem comitiis sciscatur.

LEX TERENTIA.

Xuiri de imperio consulari scribendis legibus creantor, quod populus ius in se dederit, eo consules vtantur, non libidinem ac licentiam suam pro legibus habento.

De legibus Xuiralibus pauca supra admonuimus, petitas illas è Solonis legibus, & Lycurgi. Laziardus histor. vniuersalis Epitomes c. 43. quas quia nimis rigidas *Lacedæmonij emendarunt*. Q. Tertullian. Apolog. c. 4. & Zephyrus paraphrastes apud Beatum Rhenanum. addendus Zonaras Tom. 2. Annal. pa. 27. *καὶ τρεῖς ἄνδρας εἰς τὴν Ἑλλάδα διὰ τοὺς νόμους, καὶ τὰ παρ' ἐκείνοις ἔθη πεπόμφασιν. ac tres viros in Græciam ad illorum leges & instituta ablegarunt.* Georg. Cedrenus in Compendio Historiar. pag. 120. *καὶ νόμοι ἐν Ῥώμῃ ἀπὸ Ἑλλάδος διὰ δώδεκα βιβλίων ἐπεμήσθησαν. leges duodecim tabularum ex Græcia Romam allatæ sunt.* Freculphus Lexouiensis Chronicor. Tom. 1. lib. 4. c. 10. *quo in tempore Romani per legatos leges Solonis expetierunt ab Atheniensibus, quas in duodecim tabulis scripserunt, eiicientesque consules potestatem decemuiris tradiderunt.* Dio. Cocceian. lib. 44. histor. Rom. pag. 25. sed leges illas non admodum antiquas fuisse liquet ex Homero, qui nomen *legis* nullibi vsurpauit. Fl. Ioseph. lib. 2. contra Apionem pag. 1070. Paul. Oros. lib. 2. c. 13. *Ipse autem trecentesimo anno, hoc est Olympiade nonagesima quinta, potestas consulum decemuiris tradita, constituendarum legum Atticarum gratia magnam perniciem reipublicæ inuexit.* error in numero est indubie, & vidit Fr. Fabricius Marcoduranus, nam in quibusdam M.S. habetur numerus designatus, in aliis *octuagesima olympiade*, Halicarnassæus *olympiadem octuagesimam secundam* ponit, Diodorus Siculus lib. 1. Biblioth. *octuagesimam quartam.* vt inter Græcos dissidium est, ita & inter Latinos de anno vrbis conditæ, & Icio animaduertisse.

uertisse dissidium potius quàm composuisse Philippum Broidæum Ariensem IC. A. Gell. lib. 20. c. 1. *trecentesimo namque anno post Romam conditam tabulæ* (duodecim) *compositæque scriptæ sunt.* Fl. Eutrop. lib. 1. hist. Rom. c. 14. *anno trecentesimo & altero decemuiri facti.* Consentit cum eo T. Liuius 1. Decad. lib. 3. Alij paulò serius. Iul. Solin. Polyhistor c. 2. *anno 304.* sed leniculam hanc controuersiam facillimum est componere, si dicamus anno ab vrbe condita trecentesimo primo creatos decemuiros, & seqpenti anno leges ab iis scriptas, imperiúmque iisdem scelere Appij Claudij abrogatum. Cæterùm illud vel indubitati est iuris, paucissima hodie earum legum extare verba, tabulæ enim, in quibus descriptæ fuerant, temporibus, nisi fallor, Alexandri Seueri vna cum foro Romano conflagrarunt, & quæ apud Rhetores, Grammaticosque supersunt, & maxime in libris de legibus Ciceronis *non esse verba legum antiquarum, sed tantùm sensum*, acute Antonius Guibertus Costanus quæstion. Iur. Memorabil. lib. 1. c. 11. Num. 13. docuit.

Laudauere inter antiquos scriptores has leges plerique, sed diuersis nominibus, variisque elogiis, *duodecim tabulæ* M. Tullio appellantur lib. 1. de legib. ad fin. *leges in duodecim tabulis*, eidem lib. 3. de legib. ad fin. & simpliciter *duodecim*, lib. 2. de legib. *discedebamus pueri duodecim. lex* etiam *duodecim.* Fest. lib. 18. in voce *vagulatio.* glossarium vetus *duodecim* [illegible]. Fest. lib. 16. in verb. *recinium. lex Romana.* Idem Festus lib. 5. in voce *ercfum.* & ab inuentoribus *Xuiralis lex.* A. Gellio lib. 20. c. 1. authore *lex vetusta.* Caius IC. l. 1. ff. de orig. Iur. *lex duodecim tabul. & lex antiqua.* Vlp. IC. l. 2. ff. de noxalib. actionib. *Ius antiquum.* Scæuola l. 29. ff. de lib. & posthu. Iustinia. Ang. l. vn. C. de nudo quirit. iur. tollend. *inutiles legis antiquæ dispositiones.* sed & insuper *lex antiquissima* audit Nouell. 22. c. 2. *Ius exploratur.* Idem Iustinia. l. penult. C. de legit. hæred. quinimo per excellentiam *lex* nuda appellatione, quasi omnes insequẽtes quorumcumque temporum aut authorum leges ex duodecim tabulis mutuatæ essent, veluti è radice rami, è fonte riuuli. M. Cato in oratione, qua legem Orchiam dissuadet, apud Festum libro decimoquarto in voce *percunctatum. lege sanctum fuisse*, scilicet decemuirali. Tull. lib. 8. epistolar. ad familiares Epist. 8. Vlpianus l. 130. ff. de verbor. significationibus, Et l. 7. ff. de pact. *ius ciuile* l. ff. de bon. damnat. Vlpian. Reg. iur. tit. 22. §. 19. *finis iuris æqui.* C. Tacit. lib. 3. Annal. *fons omnis publici priuatique iuris.* T. Liu. 1. Decad. lib. 3. Et poetæ laudauere, Sidon. Apollin. Carm. 23. vers. 446.

Quo bis sex tabulas docente iuris,
Vltro Claudius Appius lateret,
Claro obscurior in decemuiratu.

Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmachum.

——Dicat cur condita sit lex
Bis sex in tabulis? aut cur rubrica minetur.
Euinctura reos?

D. Auson. in Ternario.

Ius triplex, tabulæ quod ter sanxere quaterve.

Eas porro leges collegere in vnum corpus, aut commentationibus illustrauere plurimi in Criticis & Iurisconsultis eruditi viri. Iulius Pacius summus Philosophus, legum peritissimus, & mihi inter præcipuos amicos semper habitus, Antonius Augustinus, Ioannes Oldendorpius, Ioannes Crispinus, Antonius Consul, Fr. Hottomannus, Dionysius Gothofredus, Stephanus Pighius in Annalib. suis. Fr. Balduinus, Hadrianus Turnebus, Ludouic. Charondas, Iust. Lipsius, Theodorus Marcilius, quorum trium posteriorum leges apponam, ac primũ, verba, quæ Iustus Lipsius vltimo digessit, hæc sunt.

Iussus populi & suffragia sunto; quodcunque postremum populus iussit, id ius ratúmque esto. I.

Priuilegia ne irroganto. II.

De capite ciuis nisi per maximum comitiatum ne ferunto. III.

Forti sanatique idem ius esto. IV.

Qui hostem concitauerit, quive ciuem hosti tradiderit, quive cœtus nocturnos agitauerit, capital esto. V.

Sodalitates & collegia sunto: ast ne in publicas leges commodáve peccanto. VI.

Qui fruges excantassit, Cereri sacer esto. VII.

Qui frugem aratro quæsitam pauit secuitve, pubes cereri sacrator: impubes prætoris arbitratu verberator, noxamve duplionemve præstato. VIII.

Si in alieno pecus pauerit, actio esto. IX.

Qui iniurie arbores alienas ceciderit, in singulas xxv. aeris luito. X.

Arboris impendentis ramos xv. pedes à terra circumcidere ius esto. XI.

Paterfamilias vti legassit super pecunia tuteláve suæ rei ita ius esto. XII.

Si intestatus moritur cui suus hæres nec escit: agnatus proximus familiam habeto: si agnatus nec escit, gentiles familiam hercisciunto. XIII.

Si furiosus esse incipit, agnatorum gentiliúmque in eo pecuniaque eius potestas esto. XIV.

Hominem mortuum in vrbe ne sepelito néve vrito. XV.

XVI. *Hoc plus ne facito: rogum ascia ne polito.*

XVII. *Mulieres genas ne radunto, neue lessum funeris ergo habento.*

XVIII. *Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus facias, nisi belli peregreve mortuo.*

XIX. *Qui coronam parit, ipse pecuniáve eius, virtutis caussa arduitor.*

XX. *Neue aurum addito.*

XXI. *Quoi auro dentes vincti escunt, ast im cum illo sepelire & vrere se fraude esto.*

XXII. Seruilis vnctura tollitur, omnisque circumpotatio.

XXIII. Rogum bustumve nouum, propiùs LX. pedes, alienas ædes ne adricito.

XXIV. Forum bustumve ne vsucapito.

XXV. *Si in ius vocet, atque eat.*

XXVI. *Si morbus æuitasve vitium escit, qui in ius vocassit, iumentum dato: si volet arceram, ne sternito.*

XXVII. *Siquid horum fuit vitium iudici, arbitrove, reove, dies diffissus esto.*

XXVIII. *Si vis vocationi fuat, testamini: igitur em capito.*

XXIX. *Si caluitur pedémve struit, manum endoiacito.*

XXX. *Si quei in iure manum conserunt, vtrique superstitibus præsentibus vindicias sumunto.*

XXXI. *Si vindiciam falsam tulit, rei siue litis arbitros tres dato: eorum arbitrio fructus duplione damnum decidito.*

XXXII. *Rem ubei pacunt, oranto. nei pacunt, ante meridiem in foro aut in comitio caussam coniiciunto, post meridiem præsente ambobus litem addicito. sol occasus suprema tempestas esto.*

XXXIII. *Æris confessi, rebusque iure iudicatis triginta dies iusti sunto: post deinde manus endoiactio esto: in ius ducito: ni iudicatum facit, aut quips endo iure em vindicit, secum ducito, vincito aut neruo aut compedibus quindecim pondo, ne minore, aut si volet maiore vincito, si volet suo viuito: ni suo viuit, qui em vinctum habebit libras farris endo dies dato: si volet, plus dato.*

XXXIV. *Tertiis nundinis partes secanto: si plus minusve secuerint, se fraude esto.*

XXXV. *Assiduo vindex assiduus esto: proletario quiuis volet vindex esto.*

XXXVI. *Qui se sierit testarier libripensve fuerit: ni testimonium fariatur, improbus intestabilisque esto.*

XXXVII *Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito.*

XXXVIII Qui falsum testimonium dixerit, saxo Tarpeio deiicitor.

XXXIX. Si iudex arbitérve ob rem iudicandam, pecuniam acceperit, Capital esto.

XL. Qui malum carmen incantassit, Cereri sacer esto.

XLI. *Qui iniuriam alteri faxit, XXV. æris pœnæ sunto.*

Si quis carmen occentassit, actitassit, condidissit, quod alteri flagitium faxit, capital esto. XLII.

Si membrum rupsit ni cum eo pacit, talio esto. XLIII.

Si nox furtum faxit, & im aliquips occisit, iure cæsus esto. XLIV.

Interdiu si se telo defenderit, iure cæsus esto. XLV.

Si adorat furto quod nec manifestum erit, duplionem luito. XLVI.

Furta per lancem liciumque concepta quasi manifesta vindicantor. XLVII.

De furto pacisci liceto. XLVIII.

Tignum iunctum ædibus, vineæque concapes ne soluito. XLIX.

Furtiuæ rei æterna auctoritas esto. L.

Vsus auctoritas fundi, biennium esto. LI.

Aduersus hostem æterna auctoritas esto. LII.

Qui nexum facit mancipiumque, vti lingua nuncupassit, ita ius esto. LIII.

Vindiciæ secundum libertatem dantor. LIV.

Nequis vnciario fœnore plus exerceto. LV.

Patricij cum plebeiis connubia ne iungunto. LVI.

Via in porrectum VIII. P. in amfractum XVI. P. lata esto. LVII.

In finib. intra V. pedes vsucapio ne esto. LVIII.

Ludouici Charondæ Iurisconsulti acutissimi digestio tabularũ Xuiralium hæc est.

Leges 12. Tabul. quæ à Lud. Charonda IC. colligi atque restitui potuerunt.

I.

IVssus populi & suffragia sunto. Quod postremum populus iussit, id ius ratumque esto.

Ex Liuio lib. 7. & 9.

II.

Priuilegia ne irroganto.*

* sunt qui addant nisi maximo comitiatu.

III.

De capite ciuis Romani nisi maximo comitiatu ne ferunto.

Ex Cic. in orat. pro P. Sestio, & lib. 3. de legibus.

IV.

Parici* Quæstores qui de capite ciuis Romani quærant à populo creantor.

* in meo exemplari Festi, Paricidi.

V.

Ciuem indemnatum indicta caussa ne interficito, néve de ciuitate tollitor: Ast ei ad populum diem dicito.

Ex Saluiano Massiliensi Episcopo lib. 8. de iudicio & prouidentia Dei hanc legem edidit vir eruditissimus atque de Iurisprudentia optime meritus Iac. Cuiacius: sed eam ex Liuij historia expleui, quæ equidem ex sacratis legib. vna fuit.

Ex Pompo. IC. cap. 2. D. de orig. iur. & Festo.

VI.

Qui perduellem concitauerit, quive ciuem perduelli tradiderit, capite multator.

Ex Marciano I.C. cap. 3. D. ad leg. Iul. maiestat. &

VII.

Cùm nexũ faciũt mancipiũque, si quid placuit displicuitve, Sanatibus, idẽ quod

fortibus

fortibus ius esto.

Quantum alii in hac restituenda lege, quæ apud Festum corrupte legitur, elaborauerint, ex eorum scriptis constat: sunt tamen qui melius eam restituendam existiment, si tantum verba postrema cōtineat Sanatibus idem quod fortibus esto, in meo exemplari legitur fortibus: alii legunt Nexo solutóque, forti sanatique idem ius esto.

VIII.

Ex declamatione Portij Latronis.

Nequis in vrbe cœtus nocturnos agitet: qui secus faxit, capite multator.

IX.

* al. facit.

Patronus si clienti fraudem faxit, * sacer esto.

Hanc legem (ne quis sui laboris præmio fraudetur) restituit ex Seruii ad Virgilium commentariis Contius noster, vir diligens & eruditus. Sed tanta religione ius inter patronum & clientem coluerunt veteres, vt etiam patronus aduersus clientem testimonium non dixerit, Gellius ex M. Catonis oratione in Lentulum lib. 5 c. 13.

X.

Cùm nexum faciet mancipiúmque vti lingua nuncupassit ita ius esto.

XI.

Si quis quod lingua nuncupassit infitiatus sit, duplionem luito.

XII.

Ex Cic. lib. 3. Off. & Festo.

Cùm nexum faciet mancipiumq; præsentibus quinque ciuibus Romanis & libripende qui rem mancipio ceperit rodusculo libram ferito, atque ei cum quo nexum mancipiumque faxit æs dato.

Hanc legem, cuius meminit Iustinianus in §. venditæ. tit. de rerum diuis. Instit. ex Boetio & Varrone lib. 4. & 5. de ling. Latin. vt potui restitui.

XIII.

* al. ex. Ex Festo & Gellio lib. 20. c. 9.

Si qui in * iure manum conserunt vtrique superstitibus præsentibus vindicias sumunto.

XIV.

† Alios. † Arbitrij legit Cuiac.

Si vindiciam falsam tulit, rei siue litis, arbitros tres † dato, eorum arbitriis † fructus duplione damnum decidito.

Alii aliter hanc legem restituere ex Festo conati sunt, equidem vestigia veteris scripturæ mei libri, cum quo consentit in quibusdam Augustini liber, secutus sum, & eruditissimi viri Cuiacii coniecturam probaui.

XV.

Ex aucto. Rhetori. ad Heren. lib. 1.

Qui parentem occisit, is obuolutus & obligatus culeo in profluentē deiicitor.

XVI.

* In meo cod. defugerit.

Cui testimonium * defuerit, is tertiis diebus ob portum obuagulationem ito.

Hanc legem primus ex Festo edidi in eo commentario quem multis ante annis ad has 12. tab. leges scripsi. Legunt quidam & restituunt apud Festum, obuagulatum. Eius legis sententia est, Cui testes defuerint aut defugerint cum eos citasset præco, is potest per triduum ad eorum domum ire (nam ob pro ad & portum pro domo in ea lege accipi, Festus scribit) conquesturus, illisque magna voce & clamore testimonium denunciaturus. Et hæc quidem interpretatio à Cuiacii opinione non multum abest.

XVII.

Fundi vsus auctoritas biennium esto, cæterarum rerum annus.

Ex Cic. pro Cæci. & in Topi. Lib. 1. off. Ex Inst. Inst. tit. de vsucap. Ex Caio IC. c. vlt. D. de colleg.

XVIII.

Aduersus hostē æterna auctoritas esto.

XIX.

Rei furtiuæ æterna auctoritas esto.

XX.

Qui eiusdem collegij sodales sunt quibus religionis, aut alterius cuiusque rei caussa coire fas est, si quid inter se paciscuntur, id ius ratúmque esto: Sed legibus publicis fraudem ne faciunto.

XXI.

Quæ si erit testata libripensve fuerit aut in testimonium feriatur, improbus intestabilisque esto.

Hanc legem primus ex Gellio restitui, in qua describenda postea elaborarunt docti quidam viri, et parum fæliciter. Nam satis constat ex lib. 6. c. 7. ipsius Gellii eam intelligendam esse de fœminis quibus XII tabulis prohibitum erat testimonium dicere & testari. Et lib. 15. c. 13. scribitur verbum testor esse commune, vt dignor, veneror & confiteor, additúrque exemplum ex XII tabul. Æris confessi rebusque iudicatis. Item ex iisdem tabulis id quoque est. Quæ si erit testatior eis, vt legendum sit testata [illegible] est, si testamentum fecerit, aut testator: Nam testator, vt auctor, est communis generis, quemadmodum Festus scribit, aliique grammatici de huiusmodi verbalibus. Quod ait ex in testimonium feriatur, ex antiqua testimonii denunciandi forma (de qua scripsi lib. 3. antiquitatum) interpretandum est, hæc autem verba, improbus intestabilisque esto sollemnia erant, & ad vtrumque sexum referebantur, vt in eo libro ostendi.

XXII.

Paterfamilias vti legassit super pecunia tutelave suæ rei, ita ius esto.

Ex Iure. consul. & Impe. & Ro.

XXIII.

Paterfamilias si intestato moritur, liberi sui hæredes sunto.

XXIV.

* i. erit, vt veteres loquebantur, al. extabit.

Paterfamilias si intestato moritur, cui suus hæres pupillus escit, * in eo pecunia-

que eius agnatorum potestas esto.

XXV.

Ex Catone lib.3 instit. subcisiu. 17. collationis legũ Mosaic. cuius verba sequutus sum.

Cui suus nec escit, agnatus proximus familiam pecuniamque habeto.

XXVI.

Si nullus agnatus escit gentiles hæreditatem habento.

XXVII.

Ex Cic. lib. 3. qu. Tuscul. auctor. Rhet. ad Herenn. lib. 1.

Si pluribus familia iure delata sit, & ij à communione discedere velint, familiam herciscunto. XXVIII.

Ex Vlpiano IC. c. 1. D. de cura. furio.

Qui pecuniam promisit & pluribus heredibus relictis decessit, hæredes pro portionibus hæreditariis pecuniam soluunto. XXIX.

Ex Cicer. li. 3. Offi. lib. 1. de Orat. pro Rosc. Comœdo & Tripho. IC. c. 54. D. de ad. & peric. tut.

Si furiosus existet, agnatorũ gentiliúmque in eo pecuniáque eius potestas esto.

XXX.

Si prodigus existet, cui bonis interdictum siet agnatorum gentiliúmque in eo pecuniáque eius potestas esto.

XXXI.

Ex Halycarn. lib. 2.

Tutor qui pupillum fraudauit, duplionem luito, infamísque esto.

XXXII.

Ex Gellio lib. 3. cap. 16.

Patri in filium vitæ necisque, eumque vendendi ius atque potestas esto.

XXXIII.

Si Pater Filium ter venunduit, Filius à Patre liber esto.

XXXIIII.

In decem mensibus perfectum partum gigni ius ratumque esto.

XXXV.

Insignis ad deformitatem puer breui tempore creatus multóque tetrior fœdior dirus * esto.

* al. natus.

Hanc legem quam ex Cicerone lib. 3. de Leg. iamdiu edidi, nunc integriorem manuscripti nostri codicis auctoritate restituisse mihi videor: vbi apertè legitur dirus, id est de ira natus, vt Festus interpretatur: & tetrior fœdior coniunctim lego si quis malit retinere natus esto alias correxeram pro multóque tetrior, mutilóque corpore, sed liberum cuique sit iudiciũ.

XXXVI.

Ex Modestino IC. c. 35. D. de statulib. & Vlpia. in fragm. ti. 2.

Statuliberum venundari ius esto: Ast si pecuniam quam iussus erat heredi dare, emptori dederit, liber esto.

XXXVII.

Ex Vlp. fragment. tit. 29. Ex Halicar. li. 11. Ex Gellio lib. 3. ca. 2. & Macrob. lib. 1. Satyr. c. 3. qui hanc legem sic restituendam esse ostendunt.

Si libertus intestato moritur, cui suus heres nec extabit, Patronus familiam habeto: eadémque iura liberi Patroni habento. XXXVIII.

Patriciis cum plebeiis connubij ius nullum esto. XXXIX.

Si Mulier apud virũ caussa matrimonij per annum fuerit, vsucapta esto. Ast si per trinoctium à viro abfuerit, vsurpata esto.

XL.

Ex Cice. in 2. Philip. Ex Caio IC. cap.

Si vir ab vxore diuortit, vxori res suas sibi habere iubeto, eiq; claueis adimito.

XLI.

Rem suam non litigiosam in sacrum dedicato: Qui secus faxit, * duplionem luito.

* al. facit.

XLII.

Ex Cicerone lib. 3. de leg. Cic. li. 1. Offic.

Si in ius vocet atque eat, in ius ito.

XLIII.

Ex Gellio lib. 20. c. 1. vbi in vulg. corruptè legitur.

Status dies cum hoste esto.

Id est, si quis cum peregrino agere velit, certum ei iudicii diem denunciet.

XLIV.

Ex Vlp. c. 2 D. Si quis caut. Gellio & Festo.

Si in ius vocat, si morbus æuitásve vitium escit, qui in ius vocabit iumentum dato, si nolet arceram ne sternito.

XLV.

Ex Cic. in Topic. Ex Halycarn. lib. 11. & Pomponio IC. c. 2. de orig. iur.

Si iudex arbiter reúsve morbo sontico impediatur, dies diffisus esto.

XLVI.

Assiduò vindex assiduus esto: proletario ciuis quiuis volet, vindex esto.

Ex Fest.

XLVII.

Ex Porphyrione Horatij interprete.

Vindicias secundum libertatem dicito.

XLVIII.

Ex Gell. lib. 6. c. 1. Auct. Rhet. ad Herenn.

Si caluitur pedémve struit, manum endo iacito, igitur endo capito antestari.

XLIX.

Si in ius vocas, ni it, manum endo iacito, igitur endo capito antestari.

L.

Rem vbi pagunt oratione pagũto, ante meridiem in foro aut in comitio caussam coniiciunto, cùm perorant ambo præsentes post meridiem Litē addicito, Sol occasus suprema tempestas esto.

Hanc legem sic restituendam arbitror, nec repetendum, si ambo præsentes vel præsente ambobus: si enim alterutrum legatur, delendæ sunt hæc verba, cum perorant ambo præsentes, eiusdem enim sunt sententiæ: aut fortè rectius legitur veterum more præsente ambobus, vt alia tanquam glossemata deleantur.

LI.

Quod lectorum iudicum maior pars iudicarit id ius ratúmque esto.

Hoc caput describere tentaui ex 143. Epistolarum Ciceronis, quæ familiares appellantur lib. 8. Ea vero scripta est sub nomine Cœlii ad Ciceronem, vbi malè legitur in libris impressis. Legisque vnum & centesimum caput legit, in quo ita erat, Quod eorum iudicum, &c. *Nam in manuscriptis (duos enim consului) sic scriptum est.* Legisque XII. vnum caput legit, in quo ita erat, quod lectorum iudicum, &c. *In vno quidem hæc verba,* & centesimam *delendi nota circumscripta esse animaduerti, duobus*

scilicet

scilicet lineis, quæ verba illa hoc modo includebant [ ], quam fuisse veteribus delendi morem multi ante nos adnotarunt.

L I I.

Iudex qui ob rem dicendam pecuniam acceperit, capite multator.

L I I I.

Ex Gell. lib. 20.

Qui falsum testimonium dixerit, è saxo Tarpeio deiicitor.

L I V.

† al. additur reis. sed in meo exemplari Gel. non extat, ideoque delendum videtur. Ex Gellio hunc locū manuscr. cod. ope restituere quem alij aliter legunt. † al. addi. eo in, sed in meo exemp. abest. † al. ito. Ex Gellio lib. 4. q. Tusc. & 4. de Repub. D. August. ref. lib. de Ciuit. Dei. † al. capit. esto.

Æris confessi † rebusque iure iudicatis xxx. dies iusti sunto, post dein manū endo iacito, in ius ducito. Ni iudicatum faxit, aut quips endo † iure vindicit, secum ducito vincito aut neruo aut compedibus quindecim pōdo, ne minore, aut si volet maiore vincito. Si volet suo viuito: ni suo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris endo dies dato: si volet plus dato. Ni cum eo pacit LX. dies in vinculis habeto: Trinis nundinis continuis in comitium producito, quanti æris iudicatus sit prædicato. Tertiis nundinis capite pœnas dato, aut trans Tyberim, peregre venunduito. † Si plures sunt qui eum vinctum habebunt, tertiis nundinis parteis secanto: si plus minúsve secuerint se fraude esto.

L V.

Ex Macrob. lib. 1. Satur. & Gellio lib. 11. c. 18. Ex Cice. pro Milone.

Si quis carmen occentassit quod alteri flagitium faxit fuste cæditor †.

Pœnam huius legis in qua alij etiam laborant, ab Horatio lib. 2. Epist. ad Augustum, Porphyrione & Acrone eius interpretibus accepi. Sed eam opinionem alij non probant, qui existimant pœnam capitalem fuisse: quia vero res est incerta, suum cuique relinquo iudicium.

L V I.

Si nox furtum faxit & im aliquis occisit iure cæsus esto.

Sic restituendam esse hanc legem, nec adjiciendum, si aliter periculum euitare non potuerit, ostendit Vlpianus lib. 8. ad Edictum in libro collationis legum Moysis hic tit. 7.

L V I I.

Si luci in furto prehensus telo se defenderit, & im aliquis occisit, iure cæsus esto. Si telo se non defenderit, liber virgis cæsus, ei cui furtum factum est addicitor: seruus verberibus cæsus è saxo præcipitator: puer impubes Prætoris arbitratu verberator noxamque sarcito.

L V I I I.

Furta per lancem liciúmque concepta sicut manifesta multantor.

L I X.

Ex Vlpiano IC. c. 2. D. de noxal. act.

Si adorat furtum quod nec manifestum escit duplionem luito.

In meo libro Pompei Festi legitur. Si adorat furtum *& recte. Nam* adorat *verbum (vt ipse Festus testatur) significat agit, id est facit: Sic enim intelligendum ostendit quod scribit Festus in dictione* Adorare. *Neque vero vlla lex xij. Tabula. de actionum formulis statuit, sed qui ipsas xii. Tabulas prudentes interpretati sunt, legis actiones composuerunt: quemadmodum in commentariis ostendi. itaque nec in hac lege, nec in aliis, vbi ceteri actionis meminerunt, de actione quicquam proponendum existimaui.*

Ex Vlpiano c. 7. D. de pact. sed hoc caput alterius legis particulam esse existimo vnde Vlpianus desumpsit.

L X.

Si seruus sciente domino furtum faxit noxamve nocuit, dominus ipsum noxæ dedito.

Ex Plinio li. 18. c. 3.

L X I.

De furto pacisci ius esto.

L X I I.

Si nox frugem aratro quæsitam furtim pauerit secueritve, pubes suspensus Cereri necator: impubes Prætoris arbitratu verberator, noxiam duplione luito.

L X I I I.

Ex Cice. lib. 3. de Natur. Deo. & Vlpian. c. 53. de verb. signif. Ex Caio c. 9. D. de incēd. rui. naufrag. Ex Gellio.

Is cuius ope consilio furtum factum escit, duplionem luito.

L X I V.

Qui ædes aceruúmve frumenti iuxta ædes positum sciens prudens combusserit, virgis cæsus igni cremator: si casu id faxit, noxam sarcito: si soluendo non escit, Prætoris arbitratu verberator.

L X V.

Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.

L X V I.

* al. faxit. Ex Plinio lib. 17. c. 1. Ex Plinio li. 18. c. 3. & lib. 30. c. 1. & Apule. in Apol. Ex Seruio in Virgil. qui tamen hoc caput refert tanquam alterius legis particulā. Ex Festo. Ex Plin. li. 16. c. 13. Ex IC. Ex Vlpian. c. 14. D. de præscr. verb. Ex Festo & IC.

Si iniuriam alteri faxit, * xxv. æris pœna esto: si os fregit, maiore pœna noxiam luito.

L X V I I.

Qui iniuria ceciderit alienas arbores, in singulas æris xxv. pœnam luito.

L X V I I I.

Qui fruges excantassit, aut malum carmen incantassit, Cereri necator esto.

L X I X.

Alienam segetem ne pellicito.

L X X.

Si ruptias sarcito.

Forte melius si rupsit sarcito, id est, damnum dederit.

L X X I.

Glandem in alienum fundum decidentem colligere ius esto.

L X X I I.

Si quadrupes pauperiem faxit, noxæ dedito.

LXXIII.

Si immissum pecus glendem ex arbore aliena procidentem in fundo alieno depascatur, noxæ dedito.

LXXIV.

Tignum iunctum ædibus vineisve (*aut capulo) ne soluito, sed duplionem præstato.

*In meo C. legitur, vineis ne vindicato ne soluito &c. Ex Plinio lib. 18.c.31.

LXXV.

Vuam calidam ne legito: hanc ne legito rorulentam. Vindemiare incipito cum ad palmitem pampinus procumbere cœperit, aut cum exempto acino ex densitate interuallum * non compleri apparuerit, acinum non augeri.

* In manuscr. deest negatio.

LXXVI.

Si arbor in vicini agrum impenderit, eam sublucato: Ast si non fax t vicino ramos quindecim, pedeis altius à terra circum lucere ius esto.

Ex IC. tit. de arbor. cædend. & Paulo in lib. Sent. Ex Cic. li. 4. de Republi. (cuius meminit Nonius Marcel.) & lib. 1. de legib. Ex Voluf. Marciano. in lib. de asse. obseruauit vt alias quasdam clarissimus Sen. & IC. B. Brissonius quem propter singularē doctrinam & admirandā prudentiam colo, atque veneror. Ex Caio. I.C. cap. 8. de seruit. rust. & Varrone lib. 6. de lingua Lat. Ex Cicerone pro Cæcin. Ex Paulo IC. c. 5. D. ne quid in loc. publ. Ex Vlp. c. 21. D. de statu. Ex Caio t. v. t. Dfin. reg. Ex Corn Tacit. lib. 5. Ann. & Cato lib. de re rust. Ex Cic. lib. 2. de leg. Ex Fest. & aliis.

LXXVII.

De confinio agrorum vicini ne iurganto, sed tres arbitri fineis reguntο.

LXXVIII.

Inter confines agros quinque pedum æterna auctoritas esto.

LXXIX.

Inter vicinorum ædificia ambitus parietum sestertius pes esto.

LXXX.

Viæ latitudo in porrectum pedum octo, in anfractum 16. esto.

LXXXI.

Si via imminuta sit, qui volet, iumentum agito.

LXXXII.

Si per publicum locum riuus aquæductus priuato noceat domino de noxa caueto.

LXXXIII.

Si aqua pluuia noceat auortere ius esto.

LXXXIX.

Qui septem in confinio ponet, terminum ne excedito: qui murum, pedem relinquito: qui domum, pedeis duos: qui sepulchrum foueámque effodiet quantum id altum erit: qui puteum sex pedeis: qui oliuam ficúmve ponet, pedeis nouem: qui alias arbores, quinque pedeis.

LXXXV.

Vnciario fœnore amplius ne exerceto. Qui maius fœnus exercuerit, quadruplum luito.

LXXXVI.

Hominem mortuum in vrbe ne sepelito néve vrito.

LXXXVII.

Hoc plus ne facito. Rogum ascia ne polito.

LXXXVIII.

Tria ricinia, rica purpurea, decem tibicines nec amplius sunto.

LXXXIX.

Mulieres genas ne radunto, néve lessum funeris ergo habento.

XC.

Homini mortuo ne ossa legito quo post funus fiat, præterquàm si peregri aut militiæ mortuus sit.

XCI.

Vino rogum ne respergito, murrhatam potionem mortuo ne indito.

XCII.

Seruilis vnctura tollitor.

XCIII.

Ne in funere circumpotato.

XCIIII.

Ne longæ coronæ sepulchris imponuntor.

Ex Plin. lib. 21. c. 3. & Cic.

XCV.

Ne acerræ præferuntor.

XCVI.

Qui coronam parit, ipse pecuniaque eius virtutis ergo * & ei qui peperit & eius parenti, dum funus fiet, sine fraude duitor.

* al. arguitor, sed in manuscri. cod. Plinij legitur hoc loco duitor. quod ad finem legis transposui.

XCVII.

Ne aurum addito.

XCVIII.

Quoi auro dentes vincti sient, ast im cum illo sepelire vrereve sine fraude esto.

XCIX.

Ne vni plura funera facito, néve plureis lectos sternito.

C.

Rogum bustúmve nouum propius sexaginta pedeis ne adiicito ædeis alienas inuito domino.

CI.

Forum bustúmve vsucapi nefas esto.

CII.

Quandoque sarpta vinea donec dempta erit.

Ex Fragmentis Festi hanc legem mei libri ope ut licuit restitui: Ercit autem est antiquum verbum.

Ex Festo, vbi idem in fœdere Latino scriptum fuisse ait.

CIII.

Pecuniam quis nancitor, habeto, & si quid pignoris nancitor, sibi habeto.

In meo libro hæc verba tum in XII. Tab. tum in fœdere Latino repetuntur: quod si quis XII. Tab esse neget, non contendo.

Ex Cic. lib. 3. Offic. Ex Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 13.

CIIII.

Si fidem iureiurando firmarit ne fallito.

Alter-

c v.

Alternis annis mensem intercalato.

Plura obseruari posse alia XII. Tabularum fragmenta non ignoro, sed quia integra legum verba restituere non potui, equid in ipsas ex imperfectis reliquiis aut leuibus coniecturis describere nolui, ne Decemuirali quadam potestate abuterer. Est illud apud Festum. Ast ei custos nec escit, *cuius quæ sit sententia non constat, nec ipsum explere potui. Doctissimus Turnebus voluit emendare, carcer custos nec sit, sed legem non restituit: alij legunt Aitæ custodes nec escit. Obseruaui etiam apud Ciceronem libro tertio de Oratore cuiusdam XII. Tabularum legis huiusmodi principium,* Si telum manu fugit, *quia verò reliqua verba non extant, amplius deliberandum sentio. Verum existimo, Halycarnassei auctoritate motus, multas ex antiquis Regum legibus patriisque moribus in has XII. Tabulas translatas fuisse leges: atque etiam legem illam cuius Liuius libro nono meminit, ad has referendam arbitror, qua constitutum erat, quod iniussu populi nihil sanciri poterat quod populum teneret. Duæ leges in eo libro extant, qui vulgo Marc. Aurelij nomine circumfertur: & licet non sint notatu indignæ, quia tamen ipsarum verba apud probatos auctores Latinos nondum obseruaui, in illis tabulis proponere non statui. Verum de iis, vt de aliis quibusdam in commentariis differere visum est.*

Theodorij Marcilij politissimæ eruditionis opera has leges Xuirales descriptas habemus.

Capvt I.

Si in ius vocat, nec it, antistator: igitur im capito: si caluitur, pedémve struuit, manum endoiacito.

Fest. lib. 17. in voce *struere*. Porphyrion ad Horat. lib. 1. Sat. 9. Caius IC. l. 2. 3. ff. de verbor. significat.

I I.

Si status condictus dies intercedit cum hoste ito.

M. Tull. lib. 1. de offic. M. Plaut. Curcu. Act. 1. sc. 1. L. Cincius apud A. Gellium libro 16. capite 4.

I I I.

Si morbus æuitásve vitium escit: qui in ius vocasſit iumentum dato: si nolet, arceram ne sternito. A. Gell. lib. 20. cap. 1.

I V.

.... morbus sonticus... si quid horum fuuat vnum iudici, arbitróve reóve: dies diffensus esto. Fest. lib. 16. in voce *Reus*. Vlpian. IC. l. 2. ff. si quis caut.

V.

Quoi se siris antestarier libripénsve fuerit, nei testimonium fariator, improbus intestabilisque esto. A. Gell. libro 15. cap. 13. lib. 6. cap. 7.

V I.

Qui testimonium defugerit, is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito. Fest. lib. 16. in voce *portum*. Et libro decimo nono in voce *vagulatio*.

V I I.

Pœna falsi testis. A. Gell. lib. 20. cap. 1.

I I X.

Rem vbi pacunt, ratum esto: nei pacunt, ante meridiem in foro, aut in comitio causam consciscito, quum perorant ambo præsenteis. Post meridiem, præsenti stlitem adicito. Si ambo præsentes, sol occasus suprema tempestas esto. Auctor Rhetorices ad Herennium lib. 2. A. Gell. lib. 17. c. 2. Fab. Quintilian. lib. 1. cap. 6. Terent. Scaurus in Orthograp. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 3. Censorin. de die Natali cap. 24.

I X.

Nexo solutoque forcti sanatique idem ius esto. Fest. lib. 17. in voce *Sanates*.

X.

Pœna iudicis, qui ob rem disceptandam pecuniam accepit. A. Gell. lib. 20. cap. 1.

X I.

Si qui in iure manum conserunt, vtrique superstitibus præsentibus, vindicias sumunto. A. Gell. lib. 20. cap. 9. Fest. lib. 7. in voce *superstites*.

X I I.

Si vindiciam falsam tulit, rei siue stlitis Prætor, arbitros tris dato, eorum arbitrio, reus fructi duplione decidito. l. vn. C. Theod. de vsur. rei iud. Fest. lib. 19. in voce *vindiciæ*.

X I I I.

Vindiciæ secundum libertatem. Halycarnass. lib. 11. T. Liu. 1. Decad. lib. 3. in narratione de Virginia, Pompon. IC. l. 2. ff. de orig. iur.

X I V.

.... Hanc ego rem ex iure Quiritium meam esse aio, Eaque mihi emta esto, hoc ære æneáque libra........ rauduſculo libram ferito. Boetius libr. 3. Commentar. ad Top. Cicer. Isidor. libro 8. capite quarto.

X V.

Quum nexum faciet mancipiúmque vti lingua nuncupasit, ita ius esto. Fest. lib. 12. in voce *nuncupata*.

X V I.

.... *transque data*........ Iussi-

nian. Aug. §. *vendita*. Instit. de rer. diuis. M. Varro lib. 2. R... Rust. cap. 2. Quintil. declamat. 336. Charondas apud Stobæum Serm. 14. Plato lib. 2. leg. Theophrastus apud Cuiacium libro vndecimo obseruat. capite decimo nono.

XVII.

Actio ex causa depositi in duplum. Iul. Paulus IC lib. 2. Sentent. tit. 12. leg. Mosaica pariatio tit. 10.

XVIII.

Æris confesi, rebusque iudicatis XXX. *dies iusti sunto. Post deinde manus endoiactio esto. In ius ducito. Nei indicatum faxit, aut quips endo eo in iure vindicit, secum ducito. Vincito aut neruo, aut compedibus* XV. *Pondo, ne maiore, at si volet minore. Si volet suo viuito, nei suo viuit, qui im vinctum habebit, libras farris in dies dato. Si volet plus dato........ tertiis nundinis partes secanto, Si plus minusue secuerint, se fraude esto.* A. Gell. lib. 20. c. 1. Et lib. 15. c. 13.

XIX.

Asiduo vindex asiduus esto: proletario, cui cui volet, vindex esto. Cicer. in Topic. A. Gell. lib. 16. c. 10. Caius l. 234. ff. de ver. significat.

XX.

Vxor vsu. Gell. lib. 3. cap. 2. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 3.

XXI.

Bonorum societas inter coniuges iudicio est lex Numæ apud Halicarnass. libro secundo.

XXII.

Partus legitimus Gell. lib. 3. cap. 16. Scæuola IC. l. 39. ff. de lib. & posthum.

XXIII.

Partus deformis. Tull. lib. 3. de legib.

XXIV.

Patria potestas Papinianus IC. apud Pariatorem legis Mosaicæ tit. 4. Quintil. declamat. 376. & 377.

XXV.

Si pater Filium ter venum duuit, Filius à Patre liber esto: liberos ceteros semel si venum duuit sui iuris sunto Vlpian. IC. Reg. Iur. tit. 10. Halicarnass. lib. 2.

XXVI.

.... *Res suas sibi habeto, claues adimito, foras exigito.* Tull. Antoniana 2. Caius l. 2. ff. de diuort.

XXVII.

De pudicitia matronarum. Liuius 3. Dec. lib. 4. Nouella 22.

XXVIII.

Paterfamilias vti legasit super pecunia tutelâve suæ rei, ita ius esto. l. 120. ff. de verb. signif. auctor Rhetor. ad Herennium libro primo.

XXIX.

Si intestatus moritur, cui impubes suus extabit heres, agnatorum gentiliumque tutela esto. Vlpian. IC. Regul. tit. 11. l. 1. ff. de legit. tutor. Caius IC. Institut. tit. 1.

XXX.

Mulierum tutela. Cic. Orat. pro Murena, Liu. 4. Decad. lib. 4. vbi M. Cato legem Oppiam disuadet.

XXXI.

Actio tutelæ l. 55. ff. de adminis. tut.

XXXII.

Tutor suspectus. Cic. lib. 3. de offic. l. 1. ff. de suspec.

XXXIII.

Si furiosus existit, ad ei custos nec escit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto. Iustinian. Aug. §. *furiosi* Institut. de Curat. Cic. lib. 3. Thusculanar. lib. 2. de Inuent. auctor. Rhetorices ad Herennium libro 1.

XXXIV.

Curatio prodigi l. 1. ff. de curat. fur. Vlpian. Reg. tit. 12. Cic. libello de Senectute.

XXXV.

Ast si intestatus moritur, cui suus hæres nec escit agnatus proximus familiam habeto: si agnatus nec escit, gentileis familiam habento. Auctor. Rhet. ad Herennium lib. 1. Tull. lib. 2. de Inuent.

XXXVI.

Venter, siue is qui in vtero l. 3. §. *vtique* ff. de suis & legit. obiter Vlpianus in Reg. tit. 22.

XXXVII.

.... *ex ea familia, in eam familiam.* Vlpianus idem l. 195. ff. de verbor. significat.

XXXVIII.

Actiones hereditariæ. l. vlt. C. de hæred. actionib. l. 25. ff. famil. hercisc. l. 1. l. 6. C. eod.

XXXIX.

Familiæ ercifcundæ. l. 1. ff. famil. hercis.

XL.

Statu liberi. Pompon. IC. l. 29. Herennius IC. l. 25. ff. de statulib. Vlpian. Reg. Iur. tit. 2. §. 4.

XLI.

Vsus auctoritas fundi biennium esto: ceterarum omnium rerum vsus esto. Theoph. §. 1. Inst.

Instit. de vsucap. l. vnd. C. de vsuc. transf. Cic. pro Cæcinna, in Top. ad Trebat.

XLII.

Quod subruptum erit, eius rei æterna auctoritas esto. A. Gel. lib. 17. c. 7. Iustinian. Aug. §. *furtiuæ*, Institut. de vsucap.

XLIII.

Aduersus hostem æterna auctoritas esto. Cic. lib. 1. de offic.

XLIV.

Ambitus insularum. Volusius Mæcianus lib. de Asse.

XLV.

De pariete communi Victruuius lib. 2. c. 2. C. Plin. lib. 37. c. 14.

XLVI.

Confinium Cic. lib. 1. de legib. l. 3. C. Theodos. fin. regund. Iul. Frontin. lib. de limit. agror. Sicul. Flacc. de Condic. agror. Aggenus Vrbicus de limitib. Iul. Higin. de limitibus.

XLVII.

Si iurgant vicini, prætor finibus regundis arbitros tris dato. l. 3. & Frontinus supra laudati.

XLVIII.

Interstitia. l. vlt. ff. fin. regund.

XLIX.

Sublucatio arborum. Vlpian. IC. l. 1. ff. de arbor. cæd. Paulus IC. Sentent. lib. 5. tit. 6.

L.

Conlucatio. L. 2. ff. de arbor. cæd.

LI.

Glans procidua C. Plin. lib. 16. cap. 5.

LII.

Viarum latitudo. Caius IC. L. 8. de seruit. rust. prædior.

LIII.

Am segetes viam muniunto: si vis immunita escit, qua volet iumentum agito. Fest. lib. 1. Cic. Orat. pro L. Cæcinna.

LIV.

Si aqua pluuia manu nocet, arbiter coerceto. Labeo apud Pomponium IC. l. 21. ff. de statu lib.

LVI.

Aquædvctus. Paulus IC. l. 5 ff. ne quid in loco publ. vel itin. fiat.

LVII.

Si nox furtum faxit, si im aliquips occisit, iure cæsus esto........ L. 2. ff. arbor. cæd. L. 9. ff. de Incend.

LVIII.

Furta per lancem & licium. A. Gell. lib. 1. cap. 18. & lib. 36. cap. 10. Apul. lib. 6. C. Petron. in Satyr.

LIX.

Arborum furtim cæsarum. Plin. lib. 17. c. 1. l. 1. ff. arb. furt. cæs. l. 28. ff. de iure int.

LX.

Tignum iunctum ædibus, vineæque concapis ne soluito .... quandoque sarpta, donec demta erunt. Fest. lib. 16. in voce *tignum* l. 1. ff. de tigno iuncto, l. 7. ff. de acquir. rer. dom. l. 6. ff. ad exhib. l. 8. ff. de solu. l. 23. ff. de rei vindic. § *cum in suo*. Institut. de rer. diuis.

LXI.

Frugem aratro quæsitam qui furtim nox pauerit, secuerit puber, capital esto, suspensusque Cereri necato: impubes prætoris arbitratu verberator, noxiamve duplione decernito. Plin. lib. 18. cap. 3.

LXII.

Si seruus sciente domino furtum faxit, aliámve noxiam nocuerit, domini noxæ dedito. Vlpian. IC. l. 2. ff. de noxal.

LXIII.

Si quadrupes pauperiem faxit, dominus sarcito, noxæve dedito. l. 1. ff si quadrup. paup. fec. dic.

LXIV.

.... *Rupicias* .... *sarcito*. Vlpian. l. 1 ff ad leg. Aquil. Fest. lib. 16. in voce *rupitias* & lib 17. in voce *sarcito*.

LXV.

Si iniuriam alteri faxit, XXV. æris pœnæ sunto. Gell. lib. 20. cap. 1. Pariator Legis Mosaicæ tit. II.

LXVI.

Si quis occentasit malum carmen sive condidisit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, capital esto Arnob. lib. 5. Paulus Senten. lib. 5. tit. 4. Cic. lib. 4. Tuscul. & lib. 4. de Republica, referente D. Augustino lib. 2. de ciuit. cap. 9.

LXVII.

Qui os fregit, si libero, ter centum: si seruo centum quinquaginta æris pœna sunto, Gell. lib. 20. cap. 1.

LXVIII.

Si membrum rupsit, ni cum eo pacit, talio esto. Idem ibidem.

LXIX.

Ne unciario fenore amplius exercento. Tacit. lib. 6. Annal. Duillius Trib. pleb. apud T. Liuium 1. Decad. lib. 6. Ascon. in Diuinat. M. Cato in prœmio Rei Rust.

LXX.

Ne res controuersa in sacrum dedicetur. Caius IC. lib 6. ad leg. 12. Tabul. l. vlt. ff. de litigios.

LXXI.

Patronus si clienti, clienśve patrono, fraudem faxit, sacer esto. Seru. Maur. ad lib. 6. Æneid. Halicarnass. lib. 2.

LXXII.

.... *ast si stipulam incendens ignis fugit.* T. Caius IC. libro

4.ad leg.12.Tabular.l.9.ff de Incend.

LXXIII.

Cœtus nocturni. Porcius Latro in Catilinam. T.Liu.4.Decad.lib.9.

LXXIV.

Sodalitia. Caius IC.lib 4.ad leg.12. Tabul. l.vlt.ff.de Colleg.

LXXV.

Non mittendum qui percunctetur nomen matrisfamiliæ. Fest.li.14. in voce *percunctatum*.

LXXVI.

Perduellio, Marcian. IC. l.3.ff ad leg.Iul. Maiest.

LXXVII.

Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto. Ast si telum manu fugit, pro capite & natis eius in concione arietem subicito. Cic.in Topic.ad Trebatium. D. August. lib.1.de libero arbit.c.4.

LXXVIII.

Veneficia l.236.ff.de verb.signif.

LXXIX.

Qui malum carmen incantasit .... *qui fruges excantasit* .... *neu alienam segetem pellexerit.* C.Plin.l.28.c.2. Et lib.30.c.1.L.Sen.lib.2.Nat. quæstion.cap.7.Seru.in Eclog.8.Cic.apud D. Augustinum lib.8.de Ciuit.Dei c.19.

XXC.

Paricidi quæstores. Pomp.IC.l.2.ff.de orig. iur.

XXCI.

Paricidæ. Valer.Maxim. lib.1.c.1. Cornificius Rhetoric.ad Herennium lib.1.

XXCII.

De non necandis indemnatis. Appianus li. 3.Roman.D. August.lib.1.de Ciuit. Dei c.19. Saluian.Massiliens.li.8.de Prouid.Dei.

XXCIII.

Priuilegia ne irroganto. Cic. in Orat. pro Sext.&allusit Quintilian.declamat.339.

XXCIV.

De capite ciuis nisi per maximum comitiatum ne ferunto. Cic.ibidem,& lib.3 de legib. T.Liu. 1.Decad.lib.10.

XXCV.

Quodcunque postremum populus iussit, id ius ratumque esto. T.Liu.1.Decad.lib.7.

XXCVI.

Connubia. Halicarnass.lib.10.in fin. C. Canuleius Trib. pleb. inuehens in patres apud T.Liuium 1.Decad.lib.4.

XXCVII.

Ius fecialium. Seruius Hon. Maur.ad lib.7. Æneid.

XXCVIII.

Deiurium. Tul.li.3.Offic.in fine.

XXCIX.

Intercalatio. Tuditanus apud Macrob.lib. 1.Saturnal.c.13.

XC.

Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, néve vrito. Tull.li.2.de legib.

XCI.

Sumtum minuito. Tria si volet reicinia & vincula purpuræ & decem tibicines adhibeto. Hoc plane facito. Idem lib.2.de legib. Verrius Flaccus in voce *reicinium*.

XCII.

Rogum ascia ne polito.

XCIII.

Mulieres genas ne radunto, néve lessum funeris ergo habento Idem ibidem. C. Plin.lib.11. cap.37. Fest. lib.16. in voce *radere*. male Seruius refert ad lib.12. Æneid. *mulier faciem ne carpito.*

XCIV.

Homini mortuo, ne ossa legito, quoi post funus faxit.

XCV.

Vnctura seruilis tollatur, omnisque circum potatione respersio, ne longæ coronæ, nec aceræ. Cicero ibidem.

XCVI.

Murratam potionem mortuo ne indito. Fest.lib. 11. in voce *murrata*. ex Varrone lib.1. *Antiquitatum*.

XCVII.

Qui coronam paris ipse pecuniave duit virtutis ergo arguitor. Ipsique mortuo parentibusque eius dum intus escit forisve effertur, se fraude imposita esto. Plin.lib 21.c.3.

XCVIII.

Vni plura funera ne facito. Lectosve plures ne insterto. Néve aurum addito. Cic.lib.2.de Legib.

XCIX.

Quoi auro denteis vincti ast im cum illo sepelire vreréve se fraude esto. Cic.ibidem loci.

C.

Rogum bustumve nouum propius LX. pedes alienas ædes, si dominus nolet, ne adicito.

CI

Fori bustive æterna auctoritas esto.

Leges istas in tabellis descriptas, publiceque vt ab omnibus legi possent expositas notarunt viri docti, quia enim ad omnes legum custodia spectabat, ita vt omnibus legerentur, publice intererat, & est egregius Dionis Cocceiani locus lib 41.non multum à limine. καὶ πρὸς ἐν καὶ τὰς στήλας, τὰς τοὺς νόμους ἐχούσας ... *itemque columnæ in quibus leges extabant de cælo tactæ sunt.* sed difficultas est num in tabellis descriptæ columnis appenderentur? num tabulæ istæ ligneæ? vt de *axonibus* Solonis supra retuli, an verò æreis ipsæ leges vel tabulis vel columnis inciderentur? de tabulis Latinorum omniũ consensus est, licet

met nonnulla fit discrepantia, quibusdam *æneas*, aliis *eburneas*, seu *eboreas* denique quibusdam *marmoreas* fuisse tabulas contendentibus, Melchior Guillandinus in Capita illa Pliniana de Papyro, & Iosephus Scaliger in animaduersionibus in idem opus. M. Manilius lib. 4. Astronomic.

Hic etiam legum tabulas & condita iura
Nouerit.

At in columnis æreis, non verò tabulis leges antiquas solere scribi, auctor est Dionysius Halicarnasseus. lib. 3. pag. 178. ἀναγράψας δὲ ταῦτα, καὶ προθεὶς ἐν ἀγορᾷ πᾶσι τοῖς βουλομένοις σκοπεῖν, ἃς ἀπολέσθαι συνέβη τῷ χρόνῳ· χαλκαῖ γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ' ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι, καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί. *transcripsit in tabulas, & in foro proposuit legendas quibuslibet, nondum enim in vsu erant columnæ areæ, sed in querneis tabulis incidebantur tam leges quam sacrorum ritus.* Idem lib. 10. histor. Rom. pag. 659. ὁ νόμος ἐκυρώθη ἐν στήλῃ χαλκῇ γεγραμμένος, ὃν ἀνέθεσαν ἐν τῷ Ἀβεντίνῳ. *lex perlata est, quæ extat in Auentino: incisa in columna ærea*, quæ quidem de omnibus promiscue legibus intelligenda sunt, sacrorumque quorumlibet ritibus, fœderibus publicis, pactisque, seu priuata illa essent, seu publici iuris, vt admonitus sum nuper à D. Nicolao Seuino, limatissimi iudicij viro ac collega amantissimo. At de legibus hisce Xuiralibus locus est apud eundem Dionysium lib. 10. pag. 661. ἐπικυρωθέντος δὲ καὶ τοῦ δήμου τοῖς νόμοις, στήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτοὺς ἐφεξῆς ἔθηκαν ἐν ἀγορᾷ, τὸν ἐπιφανέστατον ἐκλεξάμενοι τόπον. *tum plebiscito quoque confirmatas leges, & in æreas columnas incisas, vna serie proposuerunt in loco fori maxime conspicuo.* quod intelligendum non de prima leges ferendi consuetudine, nam tunc in ædibus deorum sacris asseruabantur, custodiaque penes solos Pontifices erat, cum quibus Capitolium conscendebant, quicumque leges inspicere volebant, & è legalibus libris excerpebant, quæ conijciendæ causæ necessaria videbantur. Valer. Maxim. lib. 2. capit primo. *Ius ciuile per multa sæcula inter sacra cærimoniasque Deorum immortalium abditum, solisque Pontificibus notum, Cn. Flauius libertino patre genitus, & scriba: cum ingenti nobilitatis indignatione factus ædilis curulis, vulgauit, ac fastos toto pene foro exposuit.* Eadem multis ante Valerium annis T. Liuius 1. Decad. lib. 9. in fine. *Ius ciuile repositum in penetralibus Pontificum euulgauit* (Flauius ædilis curulis) *fastosque circa forum in albo proposuit, vt quando lege agi posset sciretur.*

A quo fonte deriuatum est, vt diuina humanaque sæpe scriptores coniungant, quo legum in ædibus sacris antiquitus designent custodiam. L. Apul. lib. de Philosophia. *Prudentiam dixit atque Sapientiam, quarum Sapientiam disciplinam vult videri diuinarum humanarumque rerum.* Et Draco ille legislator apud A. Gellium lib. 11. cap. 18. appellatur *iuris diuini & humani peritus.* Aurel. Cassiodor. lib. 7. Epist. 46. *institutio diuinarum legum humano iuri subministrat exordium.* Paul. Diacon. libr. 10. Supplementi sui ad historiam Eutropij *Iustitiæ vero ac iuris diuini humanique tam reperter noui, quam inueterati custos.* huc quadrat Iurisprudentiæ definitio quam Vlpianus adfert, & inseruit Institutionibus suis Iustinianus, *diuinarum humanarumque rerum notitia.* & rectè eximius IC. Ioan. Borcholten ibidem interpretatur ius publicum, *quod in rebus diuinis, sacris sacerdotiisque versatur*, priuatum *quod ad singulorum vtilitatem* pertinet. C. Tacit. lib. 3. Annal. allusit. *Attei Capitonis insignior familia fuit, quod humani diuinique iuris sciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehon stauisset.* Et lib. 5. Annal. *haud multo post Cocceius Nerua continuus principis, omnis diuini humanique iuris scitus, integro statu, corpore illæso, moriendi consilium cepit.* quæ non sum ignarus annotata esse ab insignis eruditionis viris Andrea Alciato, in parerg. Fr. Hottomano, Barnaba Brissonio lib. 4. Antiquita. Cap. 16. Domitius Scæuola *diuini humanique iuris auctor celeberrimus*, vt verba vsurpem C. Vellej Paterculi lib. histor. 2. de eodem Valer. Maxim. lib. 8. capite octauo, *cum bene ac diu iura ciuium & ceremonias Deorum ordinasset.* apud eundem T. Manlius Torquatus lib 5. capite octauo vocatur *iuris ciuilis, & sacrorum Pontificalium peritissimus.* vt omittam eiusdem laudis prærogatiua euectum Atteium Capitonem testantibus Macrobio libro 7. Saturnal. capite decimo tertio. Festo Pompeio libro decimo secundo. A. Gellio libro 4. capite sexto de Masurio Sabino idem libro 10. cap. 15 Denique *ius Pontificum ciuili coniunctum* esse debet, M. Tull. in Bruto & lib. 3. de Legib.

Lib. VIII. Antiquitatum Romanarum, qui est de legibus, pars altera, reliquas Magistratuum Romanorum leges continens.

DIXIMVS hactenus tum de aliis, quæ ad legum Romanorum rationem pertinuerunt, tum de legibus Regiis, & fragmentis duodecim Tabularum: postulat nunc institutus ordo, vt etiam reliquas quæ à diuersis Magistratibus latæ fuerunt, leges recenseamus. quod iam facere aggrediemur, ordinem eundem fere, quem in prioribus legibus tenuimus, quemque in Institutionibus suis Iustinianus Imperator præscripsit, obseruantes. Primum enim de iure publico, tum de priuato, postremum de criminibus publicis, quæ leges vnquam latæ fuerunt, quantum in tanta rerum antiquarum obscuritate fieri potest, referemus, Ioannem Huldericum Zazium, Paulum Manutium, & Franciscum Hotomanum, auctores secuti. Quod si quæ nonnunquam occurrent obscuriores, earum explicationem petere lector poterit vel ex eorum, quos iam dixi, virorum clarissimorum de legibus libris, vel ex Carol. Sigonij Antiquitatum Commentariis, vel ex Francisci Balduini ad nonnullas harum legum edictis explicationibus. De quo lectorem monere hoc loco volui. Sequuntur iam leges.

Capvt I.

De legibus religionem spectantibus.

IN iis legibus, quæ ex tanto veterum scriptorum naufragio ad nos peruenerint, paucæ extant, quæ ad religionem pertinent. Non dubium autem est multò plures fuisse, si omnes integras haberemus. Illæ vero, quæ passim adhuc reperiuntur, vel de ipsis sacris loquuntur, vel de sacerdotiis, quas hoc capite ordine recitabimus.

Sulpitia Sempronia lex. Ad sacra pertinent primùm lex Sulpitia Sempronia, quam tulit Sulpitius Sempronius Sophus Coss. anno CDXLIX. ne quis templum, aramve iniussu Senatus, aut Tribunorum plebis maioris partis dedicaret. Liuius libro nono.

Papiria lex. Non multum dissimilis huic est Papiria, quam L. Papirius Tribunus plebis de consecratione tulit: Ne iniussu plebis ædes, terram, aram, aliámve rem illam consecrare liceret, cuius meminit Cicero pro Domo sua.

Ad sacra ferme pertinent & ludi. De feriis tres reperiuntur leges à veteribus latæ, Hortensia, Publicia, & Cornelia.

Hortensia lex de nũdinis. Hortensia lex de nundinis fuit, vt nundinæ quæ priùs erant feriæ fastæ essent: vti rustici, qui nundinandi causâ in Vrbem veniebant, lites componerent. Macrobius libro primo Saturnaliorum capite 6.

Publicia lex de cereis. Publiciam Publius Tribunus plebis tulit, vt Saturnalibus cerei non nisi ditioribus mitterentur, Macrobius lib. 1. cap. 7.

Corn. lex. Cornelia lex à Cornelio Dolabella Consule anno IↃCCIX. statim post necem Cæsaris lata est, vt deinceps is dies, quo Cæsar interfectus est, Idus scilicet Iulij, natalis Vrbis haberetur. Appianus lib. 2. de bellis ciuilibus.

De ludis item tres latæ reperiuntur, quarum prima Licinia de ludis Apollinaribus loquitur. Hinc tulit P. Licinius Varus, Prætor vrbanus, M. Claudio Marcello V. T. Quintio Crispino Coss. anno ICXLV. Vt ludi Apollinares, qui die incerta fiebant, in perpetuum in statam diem vouerentur. Itaque ipse primus ita vouit, fecitque ante diem tertium nonas Quintiles, is dies deinde solemnis seruatus. Liuius lib. 27.

Reliquæ duæ Theatrales appellantur, & de locis, siue sedibus ordinum in spectaculis agunt. Primum quidem quemadmodum Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. scribit, per annos quingentos, & quinque Senatus populo mixtus spectaculis ludorum interfuerat: Sed eum morem Attilius Serranus, & L. Scribonius Æediles, ludos matri Deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, soluerunt: quæ res auertit vulgi animum, & fauorem Scipionis maximopere quassauit. Aliquantò pòst etiam Equitum loci à populi *Roscia lex Theatralis.* sedibus sunt discreti, lege Roscia Theatrali, quam tulit L. Roscius Otho, Tribunus plebis, L. Cælio Metello, Q. Marcio Rege Coss. anno IↃCXXCV. Vt in Theatro Equitibus Romanis, qui H. S. quadraginta possiderent, XIV. gradus spectandi gratia assignarentur: exceptis iis, qui

gradus spectandi gratia assignarentur: exceptis iis, qui siue suo, siue fortunæ vitio decoxissent: cui generi certum locum assignauit, pœna irrogata si in XIIII. sedissent. Cic. Philip. 2. Asconius in Cornelianam, Florus Epitome 99. Dio. lib. 36. Plin. lib. 7. cap. 30. Iuuenal. Satyr. 14. & Tacitus lib. 15. Annal. qui tamen legem interpretatur hanc habuisse vim, vt Equites non ante plebem, ac separatim, sed confuse tantum XIV. ordines haberent.

Post aliquot annos, cùm C. Octauius Augustus ordinem Equestrem recognouisset, censúmque eius auxisset, multi autem, quibus census ille non esset, à XIV. illis gradibus lege Roscia excluderentur, mitigauit eam aliquo modo Augustus & Iuliam legem tulit, vt Equitibus Romanis, quibus ipsis, parentibúsve equestres census vnquam fuisset, in quatuordecim ordinibus lege Roscia Theatrali constitutis considere liceret. Suetonius in Augusto. Plinius libro 33. capite 2. *Iulia lex. Theatralis.*

Non separabo ab his legibus quæ de sacris fuerunt, eas quas de funeribus tulerunt. Meminit Cicero epist. 33. lib. 12. ad Atticum, legis, quæ sumptum sepulchrorum definierit, & eum qui modum illum superasset, tanta pecunia, quantum præter modum impendisset, multauerit: à quo autem illa lex lata, & quantus sumptus definitus sit, non addit. *Incerta lex de funeribus.*

Sic Corneliæ legis de sumptibus funerum latæ à L. Cornelio Sulla Felice. Plutarchus in vita eius meminit: sed nec ipse, quænam ea fuerit, aut quem sumptum definierit, addit. *Cornelia lex.*

Sacrorum ministri Sacerdotes erant, de quibus etiam leges nonnullæ adhuc supersunt. Earum ferè prima est Sexta Licinia, à L. Sextio, C. Licinio Tribunis plebis, P. Manlio Dictatore, anno CCCXXCV. lata, vt pro Duumuiris sacris faciundis Decemuiri ita crearentur, vt pars ex plebe, pars ex Patribus fieret. Liuius libro 6. *Sextia Licinia lex de Sacerdotibus.*

Hanc sequitur Ogulnia, à Q. & Cn. Ogulniis, Tribunis plebis, anno CDLIII. M. Valerio Coruo V. Q. Apuleio Pansa coss. lata, vt cùm quatuor Augures, quatuor Pontifices, quinque Augures, de plebe omnes allegerentur. Ita deinceps octo Pontifices, nouem Augures fuerunt. Liuius lib. 10. *Ogulnia lex.*

De Triumuiris Epulonum legem tulit P. Manlius Tribunus pleb. L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello coss. anno IↃLVII. vt propter sacrificiorum multitudinem Tresuiri Epulones crearentur: cùm essent ipsi à Numa, vt etiam ludorum illud epulare sacrificium facerent, instituti. Ius præterea togæ prætextæ habendæ, item vt Pontifici, eisdem esset. Cic. libro 3. de Oratore. Liuius libro 33. Vbi tamen pro P. Manlius, T. Romuleius legitur, vnde à nonnullis eadem lex Romuleia dicitur, quod Carolus Sigonius ex coniectura emendauit. *Manlia lex.*

De Pessinuntio sacerdotio Clodia lex memoratur, quam P. Clodius Tribunus plebis, L. Calpurnio Pisone Cæsonio, A. Gabinio Coss. anno IↃCXCV vt Pessinuntius Matris magnæ Sacerdotio spoliaretur, fanúmque illud Brotigato Gallogræco attribueretur. Cicero pro Sestio, & de Aruspicum responsis. *Clodia lex.*

De Virginibus Vestalibus duæ reperiuntur leges, vna de ritu Vestalis capiendæ, altera de pœna earum quæ incestum commisissent. De ritu capiendæ Vestalis virginis Papia fuit hæc: vt Pontificis Maximi arbitratu virgines è populo viginti legerentur, sortitióque in concione ex eo numero fieret, vt cuius virginis ducta esset, eam Pontifex Maximus caperet, eaque Vestæ fieret. Sic enim eam restituerunt Iacobus Ræuardus, & Ludouicus Carrio I. C. addit autem etiam Agellius, eam sortitionem ea lege Papia suo tempore non necessariam videri solere. Nam si quis honesto loco natus adeat Pontificem Maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cuius duntaxat saluis religionum obseruationibus ratio haberi possit, gratiam Papiæ legis per Senatum fieri. *Papia lex.*

De incestu verò Vestalium virginum, & earundem pœna constituta: vt scilicet viuæ defoderentur, sacratæ leges à Numa propositæ loquuntur, Dionysio libro 1. auctore. *Licinia lex.*

Sequuntur iam illæ leges, quæ de Sacerdotum electione, cooptatione, vel creatione latæ sunt, quarum prima fuit Licinia, quam rogauit C. Licinius Crassus Tribunus plebis Q. Fabio Maximo, L. Mancino Coss. anno IↃCVIIX. Vt Sacerdotum cooptatio ab ipsorum collegio ad populum transferretur. Verùm eam non pertulit, vt in Ciceronis Lælio videre est: Sic enim de ea ipse Lælius: Q. Meministis, inquit, Maximo fratre Scipionis, & L. Mancino Coss. quam popularis lex de Sacerdotiis C. Licinij Crassi videbatur. Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo: tamen illius vendibilem orationem religio Deorum illorum immortalium nobis defendentibus facilè vincebat, atque id actum est, Prætore me quinquennio ante, quam Consul sum factus. Itaque magis, quàm auctoritate causa illa defensa est.

Secuta hanc est Domitia, quàm Cn. Domitius Ahenobarbus, Tribunus plebis, Neronis Imperatoris atauus, offensior Pontificibus, quod alium, quam se, in patris sui locum cooptassent, *Domitia lex.*

eruditi. Leges autem Tribunitiæ seu sacratæ (quas Cloacius Verus *ostias* appellat, ex Festo lib. 15.) hæ fere à viris doctis colliguntur.

LEGES VALERIÆ.

I.

Vtique magistratus Imperiumque P. R. daret, bonáque cum capite eius consecrarentur, qui regni occupandi consilia iniisset.

II.

Vtique aduersus Magistratum quemuis ad populum à ciue prouocari posset.

III.

Vtique consularis maiestatis læsæ multa in dies singulos, quinque boum, duarumque ouium precium non excederet.

IV.

Vtique quæstores duo quotannis ex patriciis à populo crearentur, qui pecuniam publicam acciperent, in ærarium Saturni cogerent, in tabulas rationum referrent.

V.

Regio imperio duo sunto, iique præeundo, iudicando, & consulendo, prætores, iudices, consules, appellanto: militiæ summum ius habento, nemini parento, ollis salus populi suprema lex esto.

LEGES TRIBVNITIÆ Sacratæ.

I.

Plebs quos pro se contra vim auxilij ergo creassit, Tribuni eius sunto, quod ij prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto, cum populo patribusque agendi ius habento, iidemque ad plebem quod censuerint, ferunto, sanctique sunto, neque plebem orbam Tribunis relinquunto.

II.

Tribunum inuitum nemo vt vnum à vulgo quicquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare iubeto, nec occidito, nec occidere iubeto: si quis contra faxit, sacer esto, bonaque eius Cereri dicata sunto, qui eum occiderit cædis purus esto.

III.

Appellati subuenire ne dubitanto, vim prohibento, priuilegia ne irroganto, de capite iureque ciuium non sine comitiis decernunto, intercedere collegam ne prohibento.

LEGES ICILIÆ.

I.

Concionanti apud populum Tribuno nemo contradicito, nec dicentem interpellato, si quis contra faxit, vades dato, Tribunis soluturum se multam quam imposuerint, qui vades non dederit, morte multator, & bona eius sacra sunto, si quid controuersiæ multarum huiusmodi causa inciderit, iudicia penes populum sunto.

II.

Priuati homines bono iure parta possidéto.

III.

Per vim aut fraudem ædificia ex publico occupata, restituunto.

IV.

Ex arbitrorum sententia pretium ædificationis reddunto.

V.

Quæ publica sunt, ea sine pretio plebi diuidunto.

LEGES PVBLILIÆ.

I.

Tribuni & plebis ædiles tributis non curiatis comitiis creantor.

II.

Quicquid Tribunus plebem rogauerit, iisdem comitiis sciscatur.

LEX TERENTIA.

Xviri de imperio consulari scribendis legibus creantor, quod populus ius in se dederit, eo consules vtantur, non libidinem ac licentiam suam pro legibus habento.

De legibus Xuiralibus pauca supra admonuimus, petitas illas è Solonis legibus, & Lycurgi. Laziardus histor. vniuersalis Epitomes c. 43. quas quia nimis rigidas *Lacedæmonij emendarunt*. Q. Tertullian. Apolog. c. 4. & Zephyrus paraphrastes apud Beatum Rhenanum. addendus Zonaras Tom. 2. Annal. pa. 27. *καὶ τρεῖς ἄνδρας εἰς τὴν Ἑλλάδα διὰ νόμους, καὶ τὰ παρ' ἐκείνοις ἔθη μετέπεμψαν.* *ac tres viros in Græciam ad illorum leges & instituta ablegarunt.* Georg. Cedrenus in Compendio Historiar. pag. 120. *καὶ νόμοι ἐν Ῥώμῃ ἀπ' Ἑλλάδος διὰ δώδεκα βιβλίων ἐκομίσθησαν.* *leges duodecim tabularum ex Græcia Romam allatæ sunt.* Freculphus Lexouiensis Chronicor. Tom. 1. lib. 4. c. 10. *quo in tempore Romani per legatos leges Solonis expetierunt ab Atheniensibus, quas in duodecim tabulis scripserunt, eiicientesque consules potestatem decemuiris tradiderunt.* Dio. Cocceian. lib. 44. histor. Rom. pag. 25. sed leges illas non admodum antiquas fuisse liquet ex Homero, qui nomen *legis* nullibi vsurpauit. Fl. Ioseph. lib. 2. contra Apionem pag. 1070. Paul. Oros. lib. 2. c. 13. *Ipse autem trecentesimo anno, hoc est Olympiade nonagesima quinta, potestas consulum decemuiris tradita, constituendarum legum Atticarum gratia magnam perniciem reipublicæ inuexit.* error in numero est indubie, & vidit Fr. Fabricius Marcoduranus, nam in quibusdam M.S. habetur numerus designatus, in aliis *octuagesima olympiade*, Halicarnassæus *olympiadem octuagesimam secundam* ponit, Diodorus Siculus lib. 1. Biblioth. *octuagesimam quartam.* vt inter Græcos dissidium est, ita & inter Latinos de anno vrbis conditæ, & scio animaduertisse.

uertisse dissidium potius quam composuisse Philippum Broidæum Ariensem IC. A. Gell. lib. 20. c. 1. *trecentesimo namque anno post Romam conditam tabulæ* (duodecim) *compositæque scriptæ sunt.* Fl. Eutrop. lib. 1. hist. Rom. c. 14. *anno trecentesimo & altero decemuiri facti.* Consentit cum eo T. Liuius 1. Decad. lib. 3. Alij paulò serius. Iul. Solin. Polyhistor c. 2. *anno 304.* sed leniculam hanc controuersiam facillimum est componere, si dicamus anno ab vrbe condita trecentesimo primo creatos decemuiros, & sequenti anno leges ab iis scriptas, imperiúmque iisdem scelere Appij Claudij abrogatum. Cæterùm illud vel indubitati est iuris, paucissima hodie earum legum extare verba, tabulæ enim, in quibus descriptæ fuerant, temporibus, nisi fallor, Alexandri Seueri vna cum foro Romano conflagrarunt, & quæ apud Rhetores, Grammaticosque supersunt, & maxime in libris de legibus Ciceronis *non esse verba legum antiquarum, sed tantùm sensum,* acutè Antonius Guibertus Costanus quæstion. Iur. Memorabil. lib. 1. c. 11. Num. 13. docuit.

Laudauere inter antiquos scriptores has leges plerique, sed diuersis nominibus, variisque elogiis, *duodecim tabulæ* M. Tullio appellantur lib. 1. de legib. ad fin. *leges in duodecim tabulis,* eidem lib. 3. de legib. ad fin. & simpliciter *duodecim,* lib. 2. de legib. *discedebamus pueri duodecim. lex* etiam *duodecim.* Fest. lib. 18. in voce *vagulatio.* glossarium vetus *duodecim* νόμ. δωδεκάδελτ. Fest. lib. 16. in verb. *recinium. lex Romana.* Idem Festus lib. 5. in voce *erctum.* & ab inuentoribus *Xuiralis lex.* A. Gellio lib. 20. c. 1. authore *lex vetusta.* Caius IC. l. 1. ff. de orig. Iur. *lex duodecim tabul. & lex antiqua.* Vlp. IC. l. 2. ff. de noxalib. actionib. *Ius antiquum.* Scæuola l. 29. ff. de lib. & posthu. Iustinia. Ang. l. vn. C. de nudo quirit. iur. tollend. *inutiles legis antiquæ dispositiones.* sed & insuper *lex antiquissima* audit Nouell. 22. c. 2. *Ius exploratur.* Idem Iustinia. l. penult. C. de legit. hæred. quinimo per excellentiam *lex* nuda appellatione, quasi omnes insequẽtes quorumcumque temporum aut authorum leges ex duodecim tabulis mutuatæ essent, veluti è radice rami, è fonte riuuli. M. Cato in oratione, qua legem Orchiam dissuadet, apud Festum libro decimoquarto in voce *percunctatum. lege sanctum fuisse,* scilicet decemuirali. Tull. lib. 8. epistolar. ad familiares Epist. 8. Vlpianus l. 130. ff. de verbor. significationibus, Et l. 7. ff. de pact. *ius ciuile* l. ff. de bon. damnat. Vlpian. Reg. iur. tit. 22. §. 19. *finis iuris aequi.* C. Tacit. lib. 3. Annal. *fons omnis publici priuatique iuris.* T. Liu. 1. Decad. lib. 3. Et poetæ laudauere, Sidon. Apollin. Carm. 23. vers. 446.

Quo bis sex tabulas docente iuris,
Vltro Claudius Appius lateret,
Claro obscurior in decemuiratu.

Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmachum.

——Dicat cur condita sit lex
Bis sex in tabulis? aut cur rubrica minetur.
Euinctura reos?

D. Auson. in Ternario.

Ius triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ.

Eas porro leges collegere in vnum corpus, aut commentationibus illustrauere plurimi in Criticis & Iurisconsultis eruditi viri. Iulius Pacius summus Philosophus, legum peritissimus, & mihi inter præcipuos amicos semper habitus, Antonius Augustinus, Ioannes Oldendorpius, Ioannes Crispinus, Antonius Consul, Fr. Hottomannus, Dionysius Gothofredus, Stephanus Pighius in Annalib. suis Fr. Balduinus, Hadrianus Turnebus, Ludouic. Charondas, Iust. Lipsius, Theodorus Marcilius, quorum trium posteriorum leges apponam, ac primũ, verba, quæ Iustus Lipsius vltimo digessit, hæc sunt.

Iussus populi & suffragia sunto, quodcunque postremum populus iussit, id ius ratúmque esto. I.

Priuilegia ne irroganto. II.

De capite ciuis nisi per maximum comitiatum ne ferunto. III.

Forti sanatique idem ius esto. IV.

Qui hostem concitauerit, quive ciuem hosti tradiderit, quive cœtus nocturnos agitauerit, capital esto. V.

Sodalitates & collegia sunto: ast ne in publicas leges commodáve peccanto. VI.

Qui fruges excantassit, Cereri sacer esto. VII.

Qui frugem aratro quæsitam pauit secuitve, pubes cereri sacrator: impubes prætoris arbitratu verberator, noxamve duplionemve præstato. VIII.

Si in alieno pecus pauerit, actio esto. IX.

Qui iniurie arbores alienas ceciderit, in singulas xxv. æris luito. X.

Arboris impendentis ramos xv. pedes à terra circumcidere ius esto. XI.

Paterfamilias vti legassit super pecunia tuteláve sua rei ita ius esto. XII.

Si intestatus moritur cui suus hæres nec escit: agnatus proximus familiam habeto: si agnatus nec escit, gentiles familiam herciscunto. XIII.

Si furiosus esse incipit, agnatorum gentiliúmque in eo pecuniaque eius potestas esto. XIV.

Hominem mortuum in vrbe ne sepelito néve vrito. XV.

XVI. *Hoc plus ne facito: rogum ascia ne polito.*

XVII. *Mulieres genas ne radunto, neue lessum funeris ergo habento.*

XVIII. *Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus facias, nisi belli peregreve mortuo.*

XIX. *Qui coronam parit, ipse pecuniáve eius, virtutis causa arduitor.*

XX. *Neue aurum addito.*

XXI. *Quoi auro dentes vincti escunt, ast im cum illo sepelire & urere se fraude esto.*

XXII. Seruilis vnctura tollitur, omnisque circumpotatio.

XXIII. Rogum bustumve nouum, propiùs LX. pedes, alienas ædes ne adiicito.

XXIV. Forum bustumve ne vsucapito.

XXV. *Si in ius voces, atque eat.*

XXVI. *Si morbus æuitasve vitium escit, qui in ius vocassit, iumentum dato: si volet arceram, ne sternito.*

XXVII. *Siquid horum fuit vitium iudici, arbitrove, reove, ea dies diffisus esto.*

XXVIII. *Si vis vocationi fuat, testamini: igitur em capito.*

XXIX. *Si calvitur pedémve struit, manum endoiacito.*

XXX. *Si quei in iure manum conserunt, vtrique superstitibus præsentibus vindicias sumunto.*

XXXI. *Si vindiciam falsam tulit, rei siue litis arbitros tres dato: eorum arbitrio fructus duplione damnum decidito.*

XXXII. *Rem vbei pacunt, oranto. nei pacunt, ante meridiem in foro aut in comitio causam coniiciunto, post meridiem præsente ambobus litem addicito. sol occasus suprema tempestas esto.*

XXXIII. *Æris confessi, rebusque iure iudicatis triginta dies iusti sunto: postidea manus endoiectio esto: in ius ducito: nei iudicatum facit, aut quips endo iure em vindicit, secum ducito, vincito aut nervo aut compedibus quindecim pondo, ne minore, aut si volet maiore vincito, si volet suo viuito: ni suo viuit, qui em vinctum habebit libras farris endo dies dato: si volet, plus dato.*

XXXIV. *Tertiis nundinis partes secanto: si plus minusve secuerint, se fraude esto.*

XXXV. *Assiduo vindex assiduus esto: proletario quiuis volet vindex esto.*

XXXVI. *Qui se sierit testarier libripensve fuerit: ni testimonium fariatur, improbus intestabilisque esto.*

XXXVII *Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito.*

XXXVIII Qui falsum testimonium dixerit, saxo Tarpeio deiicitor.

XXXIX. Si iudex arbitérve ob rem iudicandam, pecuniam acceperit, Capital esto.

XL. Qui malum carmen incantassit, Cereri sacer esto.

XLI. *Qui iniuriam alteri faxit, xxv. æris pœnæ sunto.*

Si quis carmen occentassit, actitassit, condidissit, quod alteri flagitium faxit, capital esto. XLII.

Si membrum rupsit, ni cum eo pacit, talio esto. XLIII.

Si nox furtum faxit, & im aliquips occisit, iure cæsus esto. XLIV.

Interdiu si se telo defenderit, iure cæsus esto. XLV.

Si adorat furto quod nec manifestum erit, duplionem luito. XLVI.

Furta per lancem liciumque concepta quasi manifesta vindicantor. XLVII.

De furto pacisci liceto. XLVIII.

Tignum iunctum ædibus, vineæque concapes ne soluito. XLIX.

Furtiuæ rei æterna auctoritas esto. L.

Vsus auctoritas fundi, biennium esto. LI.

Aduersus hostem æterna auctoritas esto. LII.

Qui nexum facit mancipiumque, vti lingua nuncupassit, ita ius esto. LIII.

Vindiciæ secundum libertatem dantor. LIV.

Nequis vnciario fœnore plus exerceto. LV.

Patricij cum plebeiis connubia ne iungunto. LVI.

Via in porrectum VIII. P. in amfractum XVI. P. lata esto. LVII.

In finib. intra V. pedes vsucapio ne esto. LVIII.

Ludouici Charondæ Iurisconsulti acutissimi digestio tabularú Xuiralium hæc est.

Leges 12. Tabul. quæ à Lud. Charonda IC. colligi atque restitui potuerunt.

I.

IVssus populi & suffragia sunto. Quod postremum populus iussit, id ius ratumque esto.

Ex Liuio lib. 7. & 9.

II.

Priuilegia ne irroganto.*

III.

De capite ciuis Romani nisi maximo comitiatu ne ferunto.

* sunt qui addant nisi maximo comitiatu. Ex Cic. in orat. pro P. Sestio, & lib. 3. de legibus.

IV.

Parici* Quæstores qui de capite ciuis Romani quærant à populo creantor.

* in meo exemplari Festi, Paricidi.

V.

Ciuem indemnatum indicta caussa ne interficito, néve de ciuitate tollitor: Ast ei ad populum diem dicito.

Ex Saluiano Massiliensi Episcopo lib. 8. de iudicio & prouidentia Dei hanc legem edidit vir eruditissimus atque de Iurisprudentia optime meritus Iac. Cuiacius: sed eam ex Liuij historia expleui, quæ equidem ex sacratis legib. vna fuit.

Ex Pompo. IC. cap. 2. D. de orig. iur. & Festo.

VI.

Qui perduellem concitauerit, quive ciuem perduelli tradiderit, capite multator.

Ex Marciano I. C. cap. 3. D. ad leg. Iul. maiestat. §

VII.

Cùm nexú faciút mancipiúque, si quid placuit displicuítve, Sanatibus, idē quod

fortibus

fortibus ius esto.

Quantum alii in hac restituenda lege, quæ apud Festum corrupte legitur, elaborarint, ex eorum scriptis constat: sunt tamen qui melius eam restituendam existiment, si tantum verba postrema cōstituat Sanatibus idem quod fortibus esto, in meo exemplari legitur fortibus: alii legunt Nexo solutóque, forti sanatique idem ius esto.

VIII.

Ex declamatione Portij Latronis. Nequis in vrbe cœtus nocturnos agitet: qui secus faxit, capite multator.

IX.

* al. facit. Patronus si clienti fraudem faxit, * sacer esto.

Hanc legem (ne quis sui laboris præmio fraudetur) restituit ex Seruii ad Virgilium commentariis Contius noster, vir diligens & eruditus. Sed tanta religione ius inter patronum & clientem coluerunt veteres, vt etiam patronus aduersus clientem testimonium non dixerit, Gellius ex M. Catonis oratione in Lentulum lib. 5 c. 13.

X.

Cùm nexum faciet mancipiúmque vti lingua nuncupassit ita ius esto.

XI.

Si quis quod lingua nuncupassit infìciatus sit, duplionem luito.

XII.

Ex Cic. lib. 3. Off. & Festo. Cùm nexum faciet mancipiumq; præsentibus quinque ciuibus Romanis & libripende qui rem mancipio cæperit roduscuio libram ferito, atque ei cum quo nexum mancipiumque faxit æs dato.

Hanc legem, cuius meminit Iustinianus in §. venditæ tit. de rerum diuis. instit. ex Boetio & Varrone lib. 4. & 5. de ling. Latin. vt potui restitui.

XIII.

* al. ex. Ex Festo & Gellio lib. 20. c. 9. Si qui in * iure manum conserunt vtrique superstitibus præsentibus vindicias sumunto.

XIV.

† Allos. † Arbitrij legit Cuiac. Si vindiciam falsam tulit, rei siue litis, arbitros tres † dato, eorum arbitriis † fructus duplione damnum decidito.

Alii aliter hanc legem restituere ex Festo conati sunt, equidem vestigia veteris scripturæ mei libri, cum quo consentit in quibusdam Augustini liber, secutus sum, & eruditissimi viri Cuiacii coniecturam probaui.

XV.

Ex aucto. Rhetori. ad Heren. lib. 1. Qui parentem occisit, is obuolutus & obligatus culeo in profluenté deiicitor.

XVI.

* In meo col. deficeris. Cui testimonium * defuerit, is tertiis diebus ob portum obuagulationem ito.

Hanc legem primus ex Festo edidi in eo commentario quem multis ante annis ad has 12. tab. leges scripsi. Legunt quidam & restituunt apud Festum, obuagulatum. Eius legis sententia est, Cui testes defuerint aut defugerint cum eos citasset prætor, is potest per triduum ad eorum domum ire (nam ob pro ad & portum pro domo in ea lege accipi, Festus scribit) conquesturus, illisque magna voce & clamore testimonium denunciaturus. Et hæc quidem interpretatio à Cuiacii opinione non multum abest.

XVII.

Fundi vsus auctoritas biennium esto, cæterarum rerum annus. Ex Cic. pro Cæci. & in Topi. Lib. 1. off.

XVIII.

Aduersus hostē æterna auctoritas esto. Ex Inst. Inst. tit. de vsucap.

XIX.

Rei furtiuæ æterna auctoritas esto. Ex Caio IC. c. vlt. D. de colleg.

XX.

Qui eiusdem collegij sodales sunt quibus religionis, aut alterius cuiusque rei caussa coire fas est, si quid inter se paciscuntur, id ius ratúmque esto: Sed legibus publicis fraudem ne faciunto.

XXI.

Quæ si erit testata libripensve fuerit aut in testimonium feriatur, improbus intestabilisque esto.

Hanc legem primus ex Gellio restitui, in qua describenda postea elaborarunt docti quidam viri, ed parum fœliciter. Nam satis constat ex lib. 6. c. 7. ipsius Gelii eam intelligendam esse de fœminis quibus XII tabulis prohibitum erat testimonium dicere & testari. Et lib. 15 c. 13. scribitur verbum testor esse commune, vt dignor, veneror & confiteor, additúrque exemplum ex XII tabul. Æris confessi rebusque iudicatis. Item ex iisdem tabulis id quoque est. Quæ si erit testatur eis, vt legendum sit testata [illegible] est, si testamentum fecerit, aut testator: Nam testator, vt auctor, est communis generis, quemadmodum Festus scribit, aliique grammatici de huiusmodi verbalibus. Quod ait ex in testimonium feriatur, ex antiqua testimonii denunciandi forma (de qua scripsi lib. 3. antiquit. rum) interpretandum est, hæc autem verba, improbus intestabilisque esto sollemnia erant. & ad vtrunque sexum referebantur, vt in eo libro ostendi.

XXII.

Paterfamilias vti legassit super pecunia tutelave suæ rei, ita ius esto. Ex Iure. consul. & Impe. & Ro.

XXIII.

Paterfamilias si intestato moritur, liberi sui hæredes sunto.

XXIV.

Paterfamilias si intestato moritur, cui suus heres pupillus escit, * in eo pecunia- * i. erit, vt veteres loquebantur, al. extabit.

que eius ágnatorum potestas esto.

XXV.

Cui suus nec escit, agnatus proximus familiam pecuniamque habeto.

Ex Catone lib. 3 instl. subcisiu. 17. collationis legũ Mosaic. cuius verba sequutus sum.

XXVI.

Si nullus agnatus escit gentiles hæreditatem habento.

XXVII.

Si pluribus familia iure delata sit, & ij à communione discedere velint, familiam herciscunto.

Ex Cic. lib. 3. qu. Tuscul. auctor. Rhet. ad Herenn. lib. 1.

XXVIII.

Qui pecuniam promisit & pluribus heredibus relictis decessit, hæredes pro portionibus hæreditariis pecuniam soluunto.

Ex Vlpiano IC. c. 1. D. de cura. furio.

XXIX.

Si furiosus existet, agnatorũ gentiliúmque in eo pecuniáque eius potestas esto.

Ex Cicer. li. 3. Offi. lib. 1. de Orat. pro Rosc. Comœdo & Tripho. IC. c. 54. D. de ad. & peric. tut.

XXX.

Si prodigus existet, cui bonis interdictum siet agnatorum gentiliúmque in eo pecuniáque eius potestas esto.

Ex Haly-carn. lib. 2.

XXXI.

Tutor qui pupillum fraudauit, duplionem luito, infamísque esto.

Ex Gellio lib. 5. cap. 16.

XXXII.

Patri in filium vitæ necisque, eumque vendendi ius atque potestas esto.

XXXIII.

Si Pater Filium ter venunduit, Filius à Patre liber esto.

XXXIIII.

In decem mensibus perfectum partum gigni ius ratumque esto.

XXXV.

Insignis ad deformitatem puer breui tempore creatus multóque tetrior fœdior dirus * esto.

* al. natus.

Hanc legem quam ex Cicerone lib. 3. de Leg. iamdiu edidi, nunc integriorem manuscripti nostri codicis auctoritate restituisse mihi videor: vbi apertè legitur dirus id est de ira natus, vt Festus interpretatur: & tetrior fœdior coniunctim lego si quis malit retinere natus esto alias correxeram pro multóque tetrior, multíque corpore, sed liberum cuique sit iudicium.

Ex Modestino IC. c. 25. D. de statulib. & Vlpia. in fragm. ti. 2.

XXXVI.

Statuliberum venundari ius esto: Ast si pecuniam quam iussus erat heredi dare, emptori dederit, liber esto.

Ex Vlp. fragment. tit. 29. Ex Halicar. li. 11. Ex Gellio lib. 3. ca. 2. & Macrob. lib. 1. Satyr. c. 3. qui hanc legem sic restituendam esse ostendunt.

XXXVII.

Si libertus intestato moritur, cui suus heres nec extabit, Patronus familiam habeto: eadémque iura liberi Patroni habento.

XXXVIII.

Patriciis cum plebeiis connubij ius nullum esto.

XXXIX.

Si Mulier apud virũ caussa matrimonij per annum fuerit, vsucapta esto. Ast si per trinoctium à viro abfuerit, vsurpata esto.

XL.

Si vir ab vxore diuortit, vxori res suas sibi habere iubeto, eiq; claueis adimito.

Ex Cice. in 2. Philip. Ex Caio IC. cap.

XLI.

Rem suam non litigiosam in sacrum dedicato: Qui secus faxit, * duplionem luito.

* al. facit. Ex Cicerone lib. 3. de leg. Cic. li. 1. Offic.

XLII.

Si in ius vocet atque eat, in ius ito.

Ex Gellio lib. 20. c. 1. vbi in vulg. corruptè legitur.

XLIII.

Status dies cum hoste esto.

Id est, si quis cum peregrino agere velit, certum ei iudicii diem denunciet.

XLIV.

Si in ius vocat, si morbus æuitásve vitium escit, qui in ius vocabit iumentum dato, si nolet arceram ne sternito.

Ex Vlp. c. 2 D. Si quis caut. Gellio & Festo.

XLV.

Si iudex arbiter reúsve morbo sontico impediatur, dies diffisus esto.

Ex Cic. in Topic. Ex Halycarn. lib. 11. & Pomponio IC. c. 2. de orig. iur.

XLVI.

Assiduò vindex assiduus esto: proletario ciuis, quiuis volet, vindex esto.

Ex Fest. Ex Porphyrione Horatij interprete.

XLVII.

Vindicias secundum libertatem dicito.

XLVIII.

Si caluitur pedémve struit, manum endoiacito, igitur endo capito antestari.

Ex Gell. lib. 6. c. 1. Auct. Rhet. ad Herenn.

XLIX.

Si in ius vocas, ni it, manum endo iacito, igitur endo capito antestari.

L.

Rem vbi pagunt oratione pagũto, ante meridiem in foro aut in comitio caussam coniiciunto, cùm perorant ambo præsentes post meridiem Litẽ addicito, Sol occasus suprema tempestas esto.

Hanc legem sic restituendam arbitror, nec repetendum, si ambo præsentes vel præsente ambobus: si enim alterutrum legatur, delenda sunt hæc verba, cum perorant ambo præsentes, eiusdem enim sunt sententiæ: aut fortè rectius legitur veterum more præsente ambobus, vt alia tanquam glossemata deleantur.

LI.

Quod lectorum iudicum maior pars iudicarit id ius ratúmque esto.

Hoc caput describere tentaui ex 143. Epistolarum Ciceronis, quæ familiares appellantur lib. 8. Ea vero scripta est sub nomine Cœlii ad Ciceronem, vbi malè legitur in libris impressis. Legisque vnum & centesimum caput legit, in quo ita erat, Quod eorum iudicum, &c. *Nam in manuscriptis (duos enim consului) sic scriptum est.* Legisque XII. vnum caput legit, in quo ita erat, quod lectorum iudicum, &c. *In vno quidem hæc verba,* & centesimam *delendi nota circumscripta esse animaduerti, duabus scilicet*

scilicet lineis, quæ verba illa hoc modo includebant [ ], quam fuisse veteribus delendi morem multi ante nos adnotarunt.

L I I.

Iudex qui ob rem dicendam pecuniam acceperit, capite multator.

L I I I.

Ex Gell. lib. 20.

Qui falsum testimonium dixerit, è saxo Tarpeio deiicitor.

L I V.

† al. additur reis. sed in meo exemplari Gel. non extat, ideoque delendum videtur. Ex Gellio hunc locũ manuscr. cod. ope resti. quem alij aliter legunt. † al. addit. eo in, sed in meo exemp. abest. † al ito. Ex Cic. lib. 4. q. Tusc. & 4. de Repub. D. August. ref. lib. de Ciuit. Dei, † al. capit. esto.

Æris confessi † rebusque iure iudicatis xxx. dies iusti sunto, post dein manũ endo iacito, in ius ducito. Ni iudicatum faxit, aut quips endo † iure vindicit, secum ducito vincito aut neruo aut compedibus quindecim põdo, ne minore; aut si volet maiore vincito. Si volet suo viuito: ni suo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris endo dies dato: si volet plus dato. Ni cum eo pacit LX. dies in vinculis habeto: Trinis nundinis continuis in comitium producito, quanti æris iudicatus sit prædicato. Tertiis nundinis capite pœnas dato, aut trans Tyberim, peregre venundaito. † Si plures sunt qui eum vinctum habebunt, tertiis nundinis parteis secanto: si plus minúsve secuerint se fraude esto.

L V.

Ex Macrob. lib. 1. Satur. & Gellio lib. 11. c. 18. Ex Cice pro Milone.

Si quis carmen occentassit quod alteri flagitium faxit fuste cæditor †.

Pœnam huius legis in qua alij etiam laborant, ab Horatio lib. 2. Epist. ad Augustum, Porphyrione & Acrone eius interpretibus accepi. Sed eam opinionem alij non probant, qui existimant pœnam capitalem fuisse: quia vero res est incerta, suum cuique relinquo iudicium.

L V I.

Si nox furtum faxit & im aliquis occisit iure cæsus esto.

Sic restituendam esse hanc legem, nec adjiciendum, si aliter periculum euitare non potuerit, ostendit Vlpianus lib. 8. ad Edictum in libro collationis legum Moysis hic tit. 7.

L V I I.

Si luci in furto prehensus telo se defenderit, & im aliquis occisit, iure cæsus esto. Si telo se non defenderit, liber virgis cæsus, ei cui furtum factum est addicitor: seruus verberibus cæsus è saxo precipitator: puer impubes Prætoris arbitratu verberator noxamque sarcito.

L V I I I.

Furta per lancem liciúmque concepta sicut manifesta multantor.

L I X.

Ex Vlpiano IC. c. 2. D. de noxal. act.

Si adorat furtum quod nec manifestum escit duplionem luito.

In meo libro Pompei Festi legitur. Si adorat furtum *& recte. Nam* adorat *verbum (vt ipse Festus testatur) significat agit, id est facit: Sic enim intelligendum ostendit quod scribit Festus in dictione* Adorare. *Neque vero vlla lex xij. Tabula. de actionum formulis statuit, sed qui ipsas xii. Tabulas prudentes interpretati sunt, legis actiones composuerunt: quemadmodum in commentariis ostendi. itaque nec in hac lege, nec in aliis, vbi cæteri actionis meminerunt, de actione quicquam proponendum existimaui.*

Ex Vlpiano c. 7. D. de pact. sed hoc caput alterius legis particulam esse existimo vnde Vlpianus desumpsit.

L X.

Si seruus sciente domino furtum faxit noxamve nocuit, dominus ipsum noxæ dedito.

Ex Plinio li. 18. c. 3.

L X I.

De furto pacisci ius esto.

L X I I.

Si nox frugem aratro quæsitam furtim pauerit secueritve, pubes suspensus Cereri necator: impubes Prætoris arbitratu verberator, noxiam duplione luito.

L X I I I.

Is cuius ope consilio furtum factum escit, duplionem luito.

Ex Cice. lib. 3. de Natur. Deo. & Vlpian. c. 53. de verb. signif.

L X I V.

Qui ædes aceruúmve frumenti iuxta ædes positum sciens prudens combusserit, virgis cæsus igni cremator: si casu id faxit, noxam sarcito: si soluendo non escit, Prætoris arbitratu verberator.

Ex Caio c. 9. D. de incẽd. rui. naufrag. Ex Gellio.

L X V.

Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.

L X V I.

Si iniuriam alteri faxit, * x x v. æris pœna esto: si os fregit, maiore pœna noxiam luito.

* al. faciet. Ex Plinio lib. 17. c. 1. Ex Plinio li. 18. c. 2. & lib. 30. c. 1. & Apule. in Apol. Ex Seruio in Virgil. qui tamen hoc caput refert tanquam alterum legis particulã. Ex Festo. Ex Plin. li. 16. c. 15. Ex IC. Ex Vlpian. c. 14. D. de præscr. verb. Ex Festo & IC.

L X V I I

Qui iniuria ceciderit alienas arbores, in singulas æris xxv. pœnam luito.

L X V I I I.

Qui fruges excantassit, aut malum carmen incantassit, Cereri tacer esto.

L X I X.

Alienam segetem ne pellicito.

L X X.

Si ruptias sarcito.

Forte melius si rupsit sarcito, id est, damnum dederit.

L X X I.

Glandem in alienum fundum decidentem colligere ius esto.

L X X I I.

Si quadrupes pauperiem faxit, noxæ dedito.

LXXIII.

Si immissum pecus glendem ex arbore aliena procidentem in fundo alieno depascatur, noxæ dedito.

LXXIV.

Tignum iunctum ædibus vineisve (*aut capulo) ne soluito, sed duplionem præstato.

*In meo C. legitur, vineis ne vindicato ne soluito &c. Ex Plinio lib. 18. c. 31.

LXXV.

Vuam calidam ne legito: hanc ne legito rorulentam. Vindemiare incipito cum ad palmitem pampinus procumbere cœperit, aut cum exempto acino ex densitate interuallum * non compleri apparuerit, acinum non augeri.

*In manuscr. deest negatio.

LXXVI.

Si arbor in vicini agrum impenderit, eam sublucato: Ast si non fax t vicino ramos quindecim, pedeis altius à terra circum lucere ius esto.

LXXVII.

De confinio agrorum vicini ne iurganto, sed tres arbitri fineis regunto.

LXXVIII.

Inter confines agros quinque pedum æterna auctoritas esto.

LXXIX.

Inter vicinorum ædificia ambitus parietum sestertius pes esto.

LXXX.

Viæ latitudo in porrectum pedum octo, in anfractum 16. esto.

LXXXI.

Si via imminuta sit, qui volet, iumentum agito.

LXXXII.

Si per publicum locum riuus aquæductus priuato noceat domino de noxa caueto.

LXXXIII.

Si aqua pluuia noceat auortere ius esto.

LXXXIV.

Qui septem in confinio ponet, terminum ne excedito: qui murum, pedem relinquito: qui domum, pedeis duos: qui sepulchrum foueámque effodiet quantum id altum erit: qui puteum sex pedeis: qui oliuam ficúmve ponet, pedeis nouem: qui alias arbores, quinque pedeis.

LXXXV.

Vnciario fœnore amplius ne exerceto. Qui maius fœnus exercuerit, quadruplum luito.

LXXXVI.

Hominem mortuum in vrbe ne sepelito néve vrito.

Ex IC. eit. de arbor. cædend. & Paulo in lib. Sent. Ex Cic. li. 4. de Republi. (cuius meminit Nonius Marcel.) & lib. 1. de legib. Ex Volus. Marciano. in lib. de asse. obseruauit vt alias quasdam clarissimus Sen. & IC. B. Brissonius quem propter singularé doctrinam & admirandā prudentiam colo, atqs veneror. Ex Caio. 1. C. cap. 8. de seruit. rust. & Varrone lib. 6. de lingua Lat. Ex Cicerone pro Cæcin. Ex Paulo IC. c. 5. D. ne quid in loc. publ. Ex Vlp. c. 21. D. de statu. Ex Caio t. vlt. D. fin. reg. Ex Corn. Tacit. lib. 5. Ann. & Catone lib. de re rust. Ex Cic. lib. 2. de leg. Ex Fest. & Plut.

LXXXVII.

Hoc plus ne facito. Rogum ascia ne polito.

LXXXVIII.

Tria ricinia, rica purpurea, decem tibicines nec amplius sunto.

LXXXIX.

Mulieres genas ne radunto, néve lessum funeris ergo habento.

XC.

Homini mortuo ne ossa legito quo post funus fiat, præterquàm si peregri aut militiæ mortuus sit.

XCI.

Vino rogum ne respergito, murrhatam potionem mortuo ne indito.

XCII.

Seruilis vnctura tollitor.

XCIII.

Ne in funere circumpotato.

XCIIII.

Ne longæ coronæ sepulchris imponuntor. Ex Plin. lib. 21. c. 3. & Cic.

XCV.

Ne acerræ præferuntor.

XCVI.

Qui coronam parit, ipse pecuniáque eius virtutis ergo * & ei qui peperit & eius parenti, dum funus fiet, sine fraude duitor.

* al. arguitor, sed in manuscri. cod. Plinij legitur hoc loco duitor. quod ad finem legis transposui.

XCVII.

Ne aurum addito.

XCVIII.

Quoi auro dentes vincti sient, ast im cum illo sepelire vrereve sine fraude esto.

XCIX.

Ne vni plura funera facito, néve plureis lectos sternito.

C.

Rogum bustúmve nouum propius sexaginta pedeis ne adiicito ædeis alienas inuito domino.

CI.

Forum bustúmve vsucapi nefas esto.

CII.

Quandoque sarpta vinea donec dempta erit.

Ex Fragmentis Festi hanc legem mei libri ope vt licuit restitui: Erit autem est antiquum verbum.

Ex Festo, vbi idem in fœdere Latino scriptum fuisse ait. Ex Cic. lib. 3. Offic. Ex Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 13.

CIII.

Pecuniam quis nancitor, habeto, & si quid pignoris nancitor, sibi habeto.

In meo libro hæc verba tum in xii. Tab. tum in fœdere Latino repetuntur: quod si quis xii. Tab. esse neget, non contendo.

CIIII.

Si fidem iureiurando firmarit ne fallito.

Alter-

C V.

Alternis annis mensem intercalato.

Plura observari posse alia XII. Tabularum fragmenta non ignoro, sed quia integra legum verba restituere non potui, quid in ipsas ex imperfectis reliquiis aut levibus coniecturis describere nolui, ne Decemvirali quadam potestate abuterer. Est illud apud Festum. Ast ei custos nec escit, *cuius quæ sit sententia non constat, nec ipsum explere potui. Doctissimus Turnebus voluit emendare, carcer custos nec sit, sed legem non restituit: alij legunt Asta custodes nec escit. Observaui etiam apud Ciceronem libro tertio de Oratore cuiusdam XII. Tabularum legis huiusmodi principium,* Si telum manu fugit, *quia verò reliqua verba non extant, amplius deliberandum sentio. Verum existimo, Halycarnassei auctoritate motus, multas ex antiquis Regum legibus patriisque moribus in has XII. Tabulas translatas fuisse leges: atque etiam legem illam cuius Liuius libro nono meminit, ad has referendam arbitror, qua constitutum erat, quod iniussu populi nihil sanciri poterat quod populum teneret. Duæ leges in eo libro extant, qui vulgo Marc. Aurelij nomine circumfertur: & licet non sint notatu indignæ, quia tamen ipsarum verba apud probatos auctores Latinos nondum observaui, in illis tabulis proponere non statui. Verum de iis, ut de aliis quibusdam in commentariis disserere visum est.*

Theodorij Marcilij politissimæ eruditionis opera has leges Xuirales descriptas habemus.

Caput I.

Si in ius vocat, ne it, antistator: igitur im capito: si calnitur pedémve struit, manum endoiacito.

Fest.lib.17.in voce *struere.* Porphyrion ad Horat.lib.1.Sat.9. Caius IC.l.2.3.ff.de verbor.significat.

I I.

Si status condictus dies intercedit cum hoste ito.

M.Tull.lib.1.de offic. M.Plaut.Curcu. Act.1.sc.1.L.Cincius apud A.Gellium libro 16.capite 4.

I I I.

Si morbus æuitásve vitium escit: qui in ius vocasit iumentum dato: si nolet, arceram ne sternito. A.Gell.lib.20.cap.1.

I V.

....morbus sonticus...si quid horum fuat unum iudici, arbitróve reóve: dies diffensus esto. Fest.lib.16.in voce *Reus.* Vlpian. IC.l.2.ff.si quis caut.

V.

Quoi se sirit antestarier libripensve fuerit, nei testimonium fariator, improbus intestabilisque esto. A.Gell. libro 15. cap.13.lib.6. cap.7.

V I.

Qui testimonium defugerit, is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito. Fest.lib.16. in voce *portum.* Et libro decimo nono in voce *vagulatio.*

V I I.

Pœna falsi testis. A.Gell.lib.20.cap.1.

I I X.

Rem ubi pacunt, ratum esto: nei pacunt, ante meridiem in foro, aut in comicio causam conscisito, quum perorant ambo præsentes. Post meridiem, præsenti stlitem adicito. Si ambo præsentes, sol occasus suprema tempestas esto. Auctor Rhetorices ad Herennium lib.2. A.Gell.lib.17.c.2. Fab.Quintilian. lib.1.cap.6. Terent. Scaurus in Orthograp.Macrob.lib 1.Saturnal.cap.3. Censorin.de die Natali cap.24.

I X.

Nexo solutoque forcti sanatique idem ius esto. Fest.lib.17.in voce *Sanates.*

X.

Pœna iudicis, qui ob rem disceptandam pecuniam accepit. A.Gell. lib.20. cap.1.

X I.

Si qui in iure manum conserunt, utrique superstitibus præsentibus, vindicias sumunto. A.Gell. lib.20.cap.9. Fest. lib.7. in voce *superstites.*

X I I.

Si vindiciam falsam tulit, rei sive stlitis Prætor arbitros tris dato, eorum arbitrio, reus fructi duplione decidito. l.vn. C.Theod.de vsur.rei iud.Fest.lib.19.in voce *vindiciæ.*

X I I I.

Vindiciæ secundum libertatem. Halycarnass.lib.11.T.Liu.1.Decad.lib.3.in narratione de Virginia, Pompon.IC.l.2.ff. de orig.iur.

X I V.

................Hanc ego rem ex iure Quiritium meam esse aio, Eaque mihi emta esto, hoc ære æneáque libra........ rauduículo libram ferito. Boerius lib.3. Commentar.ad Top.Cicer. Isidor. libro 8.capite quarto.

X V.

Quum nexum faciet mancipiúmque uti lingua nuncupassit, ita ius esto. Fest.lib.12.in voce *nuncupata.*

X V I.

..........*transque dato*..........Iussi-

nian. Aug. §. *vendit*. Instit. de rer. diuis. M. Varro lib. 2. R... Rust. cap. 2. Quintil. declamat. 336. Charondas apud Stobæum Serm. 14. Plato lib. 2. leg. Theophrastus apud Cuiacium libro vndecimo obseruat. capite decimo nono.

XVII.

Actio ex causa depositi in duplum. Iul. Paulus IC lib. 2. Sentent. tit. 12. leg. Mosaicæ pariatio tit. 10.

XVIII.

Æris confessi, rebusque iudicatis XXX. *dies iusti sunto. Post deinde manus endoiactio esto. In ius ducito. Nei iudicatum faxis, aut quips endo eo in iure vindicit, secum ducito. Vincito aut neruo, aut compedibus* XV. *Pondo, ne maiore, at si volet minore. Si volet suo viuito, nei suo viuit, qui im vinctum habebit, libras farris in dies dato. Si volet plus dato........ tertiis nundinis partes secanto, Si plus minusve secuerint, se fraude esto.* A. Gell. lib. 20. c. 1. Et lib. 15. c. 13.

XIX.

Assiduo vindex assiduus esto: proletario, cui cui volet, vindex esto. Cicer. in Topic. A. Gell. lib. 16. c. 10. Caius l. 234. ff. de ver. significat.

XX.

Vxor vsu. Gell. lib. 3. cap. 2. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 3.

XXI.

Bonorum societas inter coniuges iudicio est lex Numæ apud Halicarnass. libro secundo.

XXII.

Partus legitimus Gell. lib. 3. cap. 16. Scæuola IC. l. 39. ff. de lib. & posthum.

XXIII.

Partus deformis. Tull. lib. 3. de legib.

XXIV.

Patria potestas Papirianus IC. apud Pariatorem legis Mosaicæ tit. 4. Quintil. declamat. 376. & 377.

XXV.

Si pater Filium ter venum duuit, Filius à Patre liber esto: liberos ceteros semel si venum duuit sui iuris sunto Vlpian. IC. Reg. Iur. tit. 10. Halicarnass. lib. 2.

XXVI.

.... *Res suas sibi habeto, claues adimito, foras exigito.* Tull. Antoniana 2. Caius l. 2. ff. de diuort.

XXVII.

De pudicitia matronarum. Liuius 3. Dec. lib. 4. Nouella 22.

XXVIII.

Paterfamilias vti legasit super pecunia tutelàve suæ rei, ita ius esto. l. 120. ff. de verb. signif. auctor Rhetor. ad Herennium libro primo.

XXIX.

Si intestatus moritur, cui impubes suus exstabit heres, agnatorum gentiliumque tutela esto. Vlpian. IC. Regul. tit. 11. l. 1. ff. de legit. tutor. Caius IC. Institut. tit. 1.

XXX.

Mulierum tutela. Cic. Orat. pro Murena, Liu. 4. Decad. lib. 4. vbi M. Cato legem Oppiam dissuadet.

XXXI.

Actio tutelæ l. 55. ff. de administ. tut.

XXXII.

Tutor suspectus. Cic. lib. 3. de offic. l. 1. ff. de suspec.

XXXIII.

Si furiosus existit, ad ei custos necescit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto. Iustinian. Aug. §. *furiosi* Institut. de Curat. Cic. lib. 3. Thusculanar. lib. 2. de Inuent. auctor. Rhetorices ad Herennium libro 1.

XXXIV.

Curatio prodigi l. 1. ff. de curat. fur. Vlpian. Reg. tit. 12. Cic. libello de Senectute.

XXXV.

Ast si intestatus moritur, cui suus heres nec escit agnatus proximus familiam habeto: si agnatus nec escit, gentileis familiam habento. Auctor. Rhet. ad Herennium lib. 1. Tull. lib. 2. de Inuent.

XXXVI.

Venter, siue is qui in vtero l. 3. §. *vtique* ff. de suis & legit. obiter Vlpianus in Reg. tit. 22.

XXXVII.

.... *ex ea familia, in eam familiam.* Vlpianus idem l. 195. ff. de verbor. significat.

XXXVIII.

Actiones hereditariæ. l. vlt. C. de hæred. actionib. l. 25. ff. famil. hercisc. l. 1. l. 6. C. eod.

XXXIX.

Familiæ ercifcundæ. l. 1. ff. famil. hercif.

XL.

Statu liberi. Pompon. IC. l. 29. Herennius IC. l. 25. ff. de statulib. Vlpian. Reg. Iur. tit. 2. §. 4.

XLI.

Vsus auctoritas fundi biennium esto: ceterarum omnium rerum vsus esto. Theoph. §. 1. Inst.

Instit. de vsucap. l. vnd. C. de vsuc. transf. Cic. pro Cæcinna, in Top. ad Trebat.

XLII.

Quod subruptum erit, eius rei æterna auctoritas esto. A. Gel. lib. 17. c. 7. Iustinian. Aug. §. *furtiue*, Institut. de vsucap.

XLIII.

Aduersus hostem æterna auctoritas esto. Cic. lib. 1. de offic.

XLIV.

Ambitus insularum. Volusius Mæcianus lib. de Asse.

XLV.

De pariete communi Vitruuius lib. 2. c. 2. C. Plin. lib. 37. c. 14.

XLVI.

Confinium Cic. lib. 1. de legib. l. 3. C. Theodos. fin. regund. Iul. Frontin. lib. de limit. agror. Sicul. Flacc. de Condic. agror. Aggenus Vrbicus de limitib. Iul. Higin. de limitibus.

XLVII.

Si iurgant vicini, prætor finibus regundis arbitros tris dato. l. 3. & Frontinus supra laudati.

XLVIII.

Interstitia. l. vlt. ff. fin. regund.

XLIX.

Sublucatio arborum. Vlpian. IC. l. 1. ff. de arbor. cæd. Paulus IC. Sentent. lib. 5. tit. 6.

L.

Conlucatio. L. 2. ff. de arbor. cæd.

LI.

Glans procidua C. Plin. lib. 16. cap. 5.

LII.

Viarum latitudo. Caius IC. L. 8. de seruit. rust. prædior.

LIII.

Am segetes viam muniunto: si vis immunita escit, qua volet iumentum agito. Fest. lib. 1. Cic. Orat. pro L. Cæcinna.

LIV.

Si aqua pluuia manu nocet, arbiter coerceto. Labeo apud Pomponium IC. l. 21. ff. de statu lib.

LVI.

Aquæductus. Paulus IC. l. 5. ff. ne quid in loco publ. vel itin. fiat.

LVII.

Si nox furtum faxit, si im aliquips occisit, iure cæsus esto.........L. 2. ff. arbor. cæd. L. 9. ff. de Incend.

LVIII.

Furta per lancem & licium. A. Gell. lib. 1. cap. 18. & lib. 36. cap. 10. Apul. lib. 6. C. Petron. in Satyr.

LIX.

Arborum furtim cæsarum. Plin. lib. 17. c. 1. ht. ff. arb. furt. cæs. l. 28. ff. de iure iur.

LX.

Tignum iunctum ædibus, vineæque concapit ne soluito .... quandoque sarp a, donec dempta erunt. Fest. lib. 16. in voce *tignum* l. 1. ff. de tigno iuncto, l. 7. ff. de acquir. rer. dom. l. 6. ff. ad exhib. l. 8. ff. de solu. l. 23. ff. de rei vindic. § *cum in suo.* Institut. de rer. diuis.

LXI.

Frugem aratro quæsitam qui furtim nox pauerit, secuerit, puberi capital esto, suspensusque Cereri necato: impubes prætoris arbitratu verberator, noxiamve duplione decernito. Plin. lib. 18. cap. 3.

LXII.

Si seruus sciente domino furtum faxit, aliámve noxiam nocuerit, dominus noxæ dedito. Vlpian. IC. l. 2. ff. de noxal.

LXIII.

Si quadrupes pauperiem faxit dominus sarcito, noxæve dedito. l. 1. ff si quadrup. paup. fec. dic.

LXIV.

.... *Rupicias* .... *sarcito.* Vlpian. l. 1 ff ad leg. Aquil. Fest. lib. 16. in voce *rupitias* & lib 17. in voce *sarcito.*

LXV.

Si iniuriam alteri faxis, XXV. *æris pœnæ sunto.* Gell. lib. 20. cap. 1. Pariator Legis Mosaicæ tit. II.

LXVI.

Si quis occentasit malum carmen sive condidisit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, capital esto Arnob. lib. 5. Paulus Senten. lib. 5. tit. 4. Cic. lib. 4. Tuscul. & lib. 4. de Republica, referente D. Augustino lib. 2. de ciuit. cap. 9.

LXVII.

Qui os fregit, si libero, ter centum: si seruo centum quinquaginta æris pœnæ sunto, Gell. lib. 20. cap. 1.

LXVIII.

Si membrum rupsit, ni cum eo pacit, talio esto. Idem ibidem.

LXIX.

Ne vnciario fenore amplius exercento. Tacit. lib. 6. Annal. Duillius Trib. pleb. apud T. Liuium 1. Decad. lib. 6. Ascon in Diuinat. M. Cato in prœmio Rei Rust.

LXX.

Ne res controuersa in sacrum dedicetur. Caius IC. lib. 6. ad leg. 12. Tabul. l. vlt. ff. de litigios.

LXXI.

Patronus si clienti, cliénsve patrono, fraudem faxit, sacer esto. Seru. Maur. ad lib. 6. Æneid. Halicarnass. lib. 2.

LXXII.

.... *ast si stipulam incendenti ignis fugit.* T. Caius IC. libro

4. ad leg. 12. Tabular. l. 9. ff de Incend.

LXXIII.

Cœtus nocturni. Porcius Latro in Catilinam. T. Liu. 4. Decad. lib. 9.

LXXIV.

Sodalitia. Caius IC. lib 4. ad leg. 12. Tabul. l. vlt. ff. de Colleg.

LXXV.

Non mittendum qui percunctetur nomen matrisfamiliæ. Fest. li. 14. in voce *percunctatum*.

LXXVI.

Perduellio, Marcian. IC. l. 3. ff. ad leg. Iul. Maiest.

LXXVII.

Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto. Ast si telum manu fugit, pro capite & natis eius in concione arietem subicito. Cic. in Topic. ad Trebatium. D. August. lib. 1. de libero arbit. c. 4.

LXXVIII.

Veneficia l. 236. ff. de verb. signif.

LXXIX.

Qui malum carmen incantasit .... *qui fruges excantasit* .... *neu alienam segetem pellexeris.* C. Plin. l. 28. c. 2. Et lib. 30. c. 1. L. Sen. lib. 2. Nat. quæstion. cap. 7. Seru. in Eclog. 8. Cic. apud D. Augustinum lib. 8. de Ciuit. Dei c. 19.

XXC.

Paricidi quæstores. Pomp. IC. l. 2. ff. de orig. iur.

XXCI.

Paricidæ. Valer. Maxim. lib. 1. c. 1. Cornificius Rhetoric. ad Herennium lib. 1.

XXCII.

De non necandis indemnatis. Appianus li. 3. Roman. D. August. lib. 1. de Ciuit. Dei c. 19. Saluian. Massilien. l. li. 8. de Prouid. Dei.

XXCIII.

Priuilegia ne irroganto. Cic. in Orat. pro Sex. Allusit Quintilian. declamat. 339.

XXCIV.

De capite ciuis nisi per maximum comitatum ne ferunto. Cic. ibidem, & lib. 3 de legib. T. Liu. 1. Decad. lib. 10.

XXCV.

Quodcunque postremum populus iusit, id ius ratumque esto. T. Liu. 1. Decad. lib. 7.

XXCVI.

Connubia. Halicarnass. lib. 10. in fin. C. Canuleius Trib. pleb. inuehens in patres apud T. Liuium 1. Decad. lib. 4.

XXCVII.

Ius fecialium. Seruius Hon. Maur. ad lib. 7. Æneid.

XXCVIII.

Deiurium. Tul. li. 3. Offic. in fine.

XXCIX.

Intercalatio. Tuditanus apud Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 13.

XC.

Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, neve vrito. Tull. li. 2. de legib.

XCI.

Sumtum minuito. Tria si velet reicinia & vincula purpuræ. & decem tibicines adhibeto. Hoc plane facito. Idem lib. 2. de legib. Verrius Flaccus in voce *reicinium*.

XCII.

Rogum ascia ne polito.

XCIII.

Mulieres genas ne radunto, néve lessum funeris ergo habento Idem ibidem. C. Plin. lib. 11. cap. 37. Fest. lib. 16. in voce *radere.* male Seruius refert ad lib. 12. Æneid. *mulier faciem ne carpito.*

XCIV.

Homini mortuo, ne ossa legito, quoi post funus faxit.

XCV.

Vnctura seruilis tollatur, omnisque circum potatione respersio, ne longæ coronæ, nec aceræ. Cicero ibidem.

XCVI.

Murratam potionem mortuo ne indito. Fest. lib. 11. in voce *murrata.* ex Varrone lib. 1. *Antiquitatum.*

XCVII.

Qui coronam parit ipse pecuniave eius virtutis ergo arguitor. Ipsique mortuo parentibusque eius dum intus escit forisve effertur, se fraude imposita esto. Plin. lib. 21. c. 3.

XCVIII.

Vni plura funera ne facito. Lectosve plures ne insterto. Néve aurum addito. Cic. lib. 2. de Legib.

XCIX.

Quoi auro denteis vincti ast im cum illo sepelire vreréve se fraude esto. Cic. ibidem loci.

C.

Rogum bustum ve nouum propius LX. pedes alienas ædeis, si dominus nolet, ne adicito.

CI

Fori bustive æterna auctoritas esto.

Leges illas in tabellis descriptas, publiceque vt ab omnibus legi possent expositas notarunt viri docti, quia enim ad omnes legum custodia spectabat, ita vt omnibus legerentur, publicè intererat, & est egregius Dionis Cocceiani locus lib. 41. non multum à limine. καὶ στῆλαι αἱ τοὺς νόμους ... ἐκ τοῦ κεραυνοῦ ... i. stque columnæ in quibus leges extabant de cælo tactæ sunt. sed difficultas est num in tabellis descriptæ columnis appenderentur? num tabulæ istæ ligneæ? vt de axonibus Solonis supra retuli, an verò æreis ipsę leges vel tabulis vel columnis inciderentur? de tabulis Latinorum omniũ consensus est, licet

cet nonnulla sit discrepantia, quibusdam *æneas*, aliis *eburneas*, seu *eboreas* denique quibusdam *marmoreas* fuisse tabulas contendentibus, Melchior Guillandinus in Capita illa Pliniana de Papyro, & Iosephus Scaliger in animaduersionibus in idem opus. M. Manilius lib. 4. Astronomic.

Hic etiam legum tabulas & condita iura
Nouerit.

At in columnis æreis, non verò tabulis leges antiquas solere scribi, auctor est Dionysius Halicarnasseus lib. 3. pag. 178. [Greek text] *transcripsit in tabulas, & in foro proposuit legendas quibuslibet, nondum enim in vsu erant columnæ areæ, sed in querneis tabulis incidebantur tam leges quam sacrorum ritus.* Idem lib. 10. histor. Rom. pag. 659. [Greek text] *lex perlata est, quæ extat in Auentino: incisa in columna ærea*, quæ quidem de omnibus promiscue legibus intelligenda sunt, sacrorumque quorumlibet ritibus, fœderibus publicis, pactisque, seu priuata illa essent, seu publici iuris, vt admonitus sum nuper à D. Nicolao Seumo, limatissimi iudicij viro ac collega amantissimo. At de legibus hisce Xuiralibus locus est apud eundem Dionysium lib. 10. pag. 681. [Greek text] *tum plebiscito quoque confirmatas leges, & in areas columnas incisas, vna serie proposuerunt in loco fori maxime conspicuo.* quod intelligendum non de prima leges ferendi consuetudine, nam tunc in ædibus deorum sacris asseruabantur, custodiaque penes solos Pontifices erat, cum quibus Capitolium conscendebant, quicumque leges inspicere volebant, & è legalibus libris excerpebant, quæ conficiendæ causæ necessaria videbantur. Valer. Maxim. lib. 2. capit primo. *Ius ciuile per multa sæcula inter sacra cæremoniasque Deorum immortalium abditum, solisque Pontificibus notum, Cn. Flauius libertino patre genitus, & scriba: cum ingenti nobilitatis indignatione factus ædilis curulis, vulgauit, ac fastos toto pene foro exposuit.* Eadem multis ante Valerium annis T. Liuius 1. Decad. lib. 9. in fine. *Ius ciuile repositum in penetralibus Pontificum euulgauit* (Flauius ædilis curulis) *fastosque circa forum in albo proposuit, vt quando lege agi posset sciretur.*

A quo fonte deriuatum est, vt diuina humanáque sæpe scriptores coniungant, quo legum in ædibus sacris antiquitus designent custodiam. L. Apul. lib. de Philosophia. *Prudentiam dixit atque Sapientiam, quarum Sapientiam disciplinam vult videri diuinarum humanarumque rerum.* Et Draco ille legislator apud A. Gellium lib. 11. cap. 18. appellatur *iuris diuini & humani peritus.* Aurel. Cassiodor. lib. 7. Epist. 46. *institutio diuinarum legum humano iuri subministrat exordium.* Paul. Diacon. libr. 10. Supplementi sui ad historiam Eutropij *Iustitiæ vero ac iuris diuini humanique tam repertor noui, quam inueterati custos.* huc quadrat Iurisprudentiæ definitio quam Vlpianus adfert, & inseruit Institutionibus suis Iustinianus, *diuinarum humanarumque rerum notitia.* & rectè eximius IC. Ioan. Borcholten ibidem interpretatur ius publicum, *quod in rebus diuinis, sacris sacerdotiisque versatur*, priuatum *quod ad singulorum vtilitatem* pertinet. C. Tacit. lib. 3. Annal. allusit. *Attei Capitonis insignior familia fuit, quod humani diuinique iuris sciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehonestauisset.* Et lib. 5. Annal. *haud multo post Cocceius Nerua continuus principis, omnis diuini humanique iuris sciens, integro statu, corpore illæso, moriendi consilium cepit.* quæ non sum ignarus annotata esse ab insignis eruditionis viris Andrea Alciato, in parerg. Fr. Hottomano, Barnaba Brissonio lib. 4. Antiquita. Cap. 16. Domitius Scæuola *diuini humanique iuris auctor celeberrimus*, vt verba vsurpem C. Velleij Paterculi lib. histor. 2. de eodem Valer. Maxim. lib. 8. capite octauo, *cum bene ac diu iura ciuium & cæremonias Deorum ordinasset.* apud eundem T. Manlius Torquatus lib. 5. capite octauo vocatur *iuris ciuilis, & sacrorum Pontificalium peritissimus.* vt omittam eiusdem laudis prærogatiua euectum Atteium Capitonem testantibus Microbio libro 7. Saturnal. capite decimo tertio. Festo Pompeio libro decimo secundo. A. Gellio libro 4. capite sexto de Masurio Sabino idem libro 10. cap. 15. Denique *ius Pontificum ciuili coniunctum* esse debet, M. Tull. in Bruto & lib. 3. de Legib.

Lib. VIII. Antiquitatum Romanarum, qui est de legibus, pars altera, reliquas Magistratuum Romanorum leges continens.

Diximus hactenus tum de aliis, quæ ad legum Romanorum rationem pertinuerunt, tum de legibus Regiis,& fragmentis duodecim Tabularum: postulat nunc institutus ordo, vt etiam reliquas quæ à diuersis Magistratibus latæ fuerunt, leges recenseamus. quod iam facere aggrediemur, ordinem eundem fere, quem in prioribus legibus tenuimus, quemque in Institutionibus suis Iustinianus Imperator præscripsit, obseruantes. Primum enim de iure publico, tum de priuato, postremum de criminibus publicis, quæ leges vnquam latæ fuerunt, quantum in tanta rerum antiquarum obscuritate fieri potest, referemus, Ioannem Huldericum Zazium, Paulum Manutium, & Franciscum Hotomanum, auctores secuti. Quod si quæ nonnunquam occurrent obscuriores, earum explicationem petere lector poterit vel ex eorum, quos iam dixi, virorum clarissimorum de legibus libris, vel ex Caroli Sigonij Antiquitatum Commentariis, vel ex Francisci Balduini ad nonnullas harum legum editis explicationibus. De quo lectorem monere hoc loco volui. Sequuntur iam leges.

Caput I.

De legibus religionem spectantibus.

In iis legibus, quæ ex tanto veterum scriptorum naufragio ad nos peruenerint, paucæ extant, quæ ad religionem pertinent. Non dubium autem est multò plures fuisse, si omnes integras haberemus. Hæ vero, quæ passim adhuc reperiuntur, vel de ipsis sacris loquuntur, vel de sacerdotiis, quas hoc capite ordine recitabimus.

Sulpitia Sempronia lex. Ad sacra pertinent primùm lex Sulpitia Sempronia, quam tulit Sulpitius Sempronius Sophus Coss. anno CDXLIX. ne quis templum, aramve iniussu Senatus, aut Tribunorum plebis maioris partis dedicaret. Liuius libro nono.

Papiria lex. Non multum dissimilis huic est Papiria, quam L. Papirius Tribunus plebis de consecratione tulit: Ne iniussu plebis ædes, terram, aram, aliámve rem illam consecrare liceret: cuius meminit Cicero pro Domo sua.

Ad sacra feriæ pertinent & ludi. De feriis tres reperiuntur leges à veteribus latæ, Hortensia, Publicia, & Cornelia.

Hortensia lex de nundinis. Hortensia lex de nundinis fuit, vt nundinæ quæ priùs erant feriæ fastæ essent: vt rustici, qui nundinandi causa in Vrbem veniebant, lites componerent. Macrobius libro primo Saturnaliorum capite 6.

Publicia lex de cereis. Publiciam Publius Tribunus plebis tulit, vt Saturnalibus cerei non nisi ditioribus mitterentur, Macrobius lib. 1 cap. 7.

Corn. lex. Cornelia lex à Cornelio Dolabella Consule anno I϶CCIX. statim post necem Cæsaris lata est, vt deinceps is dies, quo Cæsar interfectus est, Idus scilicet Iulij, natalis Vrbis haberetur. Appianus lib. 2. de bellis ciuilibus.

De ludis item tres latæ reperiuntur, quarum prima Licinia de ludis Apollinaribus loquitur. Hanc tulit P. Licinius Varus, Prætor vrbanus, M. Claudio Marcello V. T. Quintio Crispino Coss. anno ICXLV. Vt ludi Apollinares, qui die incerta fiebant, in perpetuum in statam diem vouerentur. Itaque ipse primus ita vouit, fecitque ante diem tertium nonas Quintiles, is dies deinde solemnis seruatus. Liuius lib. 27.

Reliquæ duæ Theatrales appellantur, & de locis, siue sedibus ordinum in spectaculis agunt. Primum quidem quemadmodum Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. scribit, per annos quingentos, & quinque Senatus populo mixtus spectaculis ludorum interfuerat: Sed eum morem Attilius Serranus, & L. Scribonius Æediles, ludos matri Deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, soluerunt: quæ res auertit vulgi animum, & fauorem Scipionis maximopere quassauit. Aliquantò pòst etiam Equitum loci à populi sedibus sunt discreti, lege Roscia Theatrali, quam tulit L. Roscius Otho, Tribunus plebis, *Roscia lex Theatralis.* L. Cælio Metello, Q. Marcio Rege Coss. anno I϶CXXCV. Vt in Theatro Equitibus Romanis, qui H.S. quadraginta possiderent, XIV. gradus spectandi gratia assignarentur: exceptis iis, qui

gradus spectandi gratia assignarentur: exceptis iis, qui siue suo, siue fortunæ vitio decoxissent: cui generi certum locum assignauit, pœna irrogata si in XIIII. sedissent. Cic. Philip. 2. Asconius in Cornelianam, Florus Epitome 99. Dio. lib. 36. Plin. lib. 7. cap. 30. Iuuenal. Satyr. 14. & Tacitus lib. 15. Annal. qui tamen legem interpretatur hanc habuisse vim, vt Equites non ante plebem, ac separatim, sed confuse tantum XIV. ordines haberent.

Post aliquot annos, cùm C. Octauius Augustus ordinem Equestrem recognouisset, censúmque eius auxisset, multi autem, quibus census ille non esset, à XIV. illis gradibus lege Roscia excluderentur, mitigauit eam aliquo modo Augustus & Iuliam legem tulit, vt Equitibus Romanis, quibus ipsis, parentibúsve equestres census vnquam fuisset, in quatuordecim ordinibus lege Roscia Theatrali constitutis considere liceret. Suetonius in Augusto. Plinius libro 33. capite 2. *Iulia lex. Theatralis.*

Non separabo ab his legibus quæ de sacris fuerunt, eas quas de funeribus tulerunt. Meminit Cicero epist. 35. lib. 12. ad Atticum, legis, quæ sumptum sepulchrorum definierit, & eum qui modum illum superasset, tanta pecunia, quantum præter modum impendisset, multauerit: à quo autem illa lex lata, & quantus sumptus definitus sit, non addit. *Incerta lex de funeribus.*

Sic Corneliæ legis de sumptibus funerum latæ à L. Cornelio Sulla Felice. Plutarchus in vita eius meminit: sed nec ipse, quænam ea fuerit, aut quem sumptum definierit, addit. *Cornelia lex.*

Sacrorum ministri Sacerdotes erant, de quibus etiam leges nonnullæ adhuc supersunt. Earum ferè prima est Sextia Licinia, à L. Sextio, C. Licinio Tribunis plebis, P. Manlio Dictatore, anno CCCXXCV. lata, vt pro Duumuiris sacris faciundis Decemuiri ita crearentur, vt pars ex plebe, pars ex Patribus fieret. Liuius libro 6. *Sextia Licinia lex de Sacerdotibus.*

Hanc sequitur Ogulnia, à Q. & Cn. Ogulniis, Tribunis plebis, anno CDLIII. M. Valerio Coruo V. Q. Apuleio Pansa coss. lata, vt cùm quatuor Augures, quatuor Pontifices, quinque Augures, de plebe omnes allegerentur. Ita deinceps octo Pontifices, nouem Augures fuerunt. Liuius lib. 10. *Ogulnia lex.*

De Triumuiris Epulonum legem tulit P. Manlius Tribunus pleb. L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello coss. anno IↃLVII. vt propter sacrificiorum multitudinem Treuiri Epulones crearentur: cùm essent ipsi à Numa, vt etiam ludorum illud epulare sacrificium facerent, instituti. Ius præterea togæ prætextæ habendæ, item vt Pontifici, eisdem esset. Cic. libro 3. de Oratore. Liuius libro 33. Vbi tamen pro P. Manlius, T. Romuleius legitur, vnde à nonnullis eadem lex Romuleia dicitur, quod Carolus Sigonius ex coniectura emendauit. *Manlia lex.*

De Pessinuntio sacerdotio Clodia lex memoratur, quam P. Clodius Tribunus plebis, L. Calpurnio Pisone Cæsonio, A. Gabinio Coss. anno IↃCXCV vt Pessinuntius Matris magnæ Sacerdotio spoliaretur, fanúmque illud Brotigato Gallogræco attribueretur. Cicero pro Sestio, & de Aruspicum responsis. *Clodia lex.*

De Virginibus Vestalibus duæ reperiuntur leges, vna de ritu Vestalis capiendæ, altera de pœna earum quæ incestum commisissent. De ritu capiendæ Vestalis virginis Papia fuit hæc: vt Pontificis Maximi arbitratu virgines è populo viginti legerentur, sortitióque in concione ex eo numero fieret, vt cuius virginis ducta esset, eam Pontifex Maximus caperet, eaque Vestæ fieret. Sic enim eam restituerunt Iacobus Ræuardus, & Ludouicus Carrio I.C. addit autem etiam Agellius, eam sortitionem ea lege Papia suo tempore non necessariam videri solere. Nam si quis honesto loco natus adeat Pontificem Maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cuius duntaxat saluis religionum obseruationibus ratio haberi possit, gratiam Papiæ legis per Senatum fieri. *Papia lex*

De incestu verò Vestalium virginum, & earundem pœna constituta: vt scilicet viuæ defoderentur, sacratæ leges à Numa propositæ loquuntur, Dionysio libro 2. auctore. *Licinia lex.*

Sequuntur iam illæ leges, quæ de Sacerdotum electione, cooptatione, vel creatione latæ sunt, quarum prima fuit Licinia, quam rogauit C. Licinius Crassus Tribunus plebis Q. Fabio Maximo, L. Mancino Coss. anno IↃCVIIX. Vt Sacerdotum cooptatio ab ipsorum collegio ad populum transferretur. Verùm eam non pertulit, vt in Ciceronis Lælio videre est: Sic enim de ea ipse Lælius: Q. Meministis, inquit, Maximo fratre Scipionis, & L. Mancino Coss. quam popularis lex de Sacerdotiis C. Licinij Crassi videbatur. Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo: tamen illius vendibilem orationem religio Deorum illorum immortalium nobis defendentibus facilè vincebat, atque id actum est, Prætore me quinquennio ante, quam Consul sum factus. Itaque magis, quàm auctoritate causa illa defensa est.

Secuta hanc est Domitia, quam Cn. Domitius Ahenobarbus, Tribunus plebis, Neronis Imperatoris atauus, offensior Pontificibus, quod alium, quam se, in patris sui locum cooptassent, *Domitia lex.*

tulit, C. Mario III. L. Aurelio Coss. anno DCL. Ne Sacerdotum collegia, vti antea, quem vellent, cooptarent: sed vt populi id beneficium esset. Cum autem populus per religionem Sacerdotia mandare non posset, rogauit, vt minor pars populi, id est, tribus septemdecim vocarentur: ab ea parte qui esset factus, is à collegio cooptaretur: Suetonius in Nerone, Velleius Paterculus libro 2. Cicero Agraria 2. Epistola 5. ad Brutum, & pro Cornelio, & Asconius in eadem, Dio libro 37. Manutius existimat, hac lege permissum esse, vt absentes quoque possent petere Sacerdotia, hunc locum Ciceronis ad Brutum de ea exponens: Ciceronem nostrum (scribit Tullius) in vestrum collegium cooptari volo. Existimo omnino absentium rationem haberi Sacerdotum Comitiis posse: nam etiam factum est antea. C. enim Marius, cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est Augur, nec, quo minus id postea liceret, lex vlla sanxit.

Cornelia lex. Domitiam legem L. Cornelius Sulla Dictator, & Consul cum Q. Metello, anno DCLXXVII. abrogauit. Tulit enim, vt ius creandorum Sacerdotum à populo (cuius hac lege Domitia potestas erat) ad collegia transferretur: atque ex veteri more, non Tributis Comitiis, cooptarentur. Dio lib. 37. Asconius in Diuinationem.

Atia lex. Corneliam legem rursus abrogauit, & Domitiam restituit T. Atius Labienus Tribunus plebis, M. T. Cicerone, C. Antonio Coss. anno DCXC. Vt populus Sacerdotia mandaret, cum antea Sacerdotes lege Cornelia è Pontificum collegio crearentur. Dio libro 37.

Anton. lex. Verum non multo post eam abrogauit M. Antonius Consul cum C. Iulio, anno DCCIX. tulitque, vt ius cooptandorum Sacerdotum à populo ad illorum collegium iterum transferretur. Dio libro 44. Quam tamen legem etiam non multo post abrogatam, & ius mandandorum Sacerdotiorum ad populum relatum esse Paulus Manutius ex aliquot coniecturis colligit. Atque hæ de creatione, vel cooptatione Sacerdotum in defunctorum locum latæ sunt.

Lex de vacatione Sacerdotum. Ad Sacerdotes etiam ea pertinent, quæ de vacatione lata est, de qua Appianus lib. secundo bellorum ciuilium, & Plutarchus in M. Marcello, item in Camillo scribunt. Vsque adeo Romanis Gallos terribiles, & formidolosos esse, vt in lege de vacatione militiæ, quæ Sacerdotibus, & Senibus permittitur, illud adscriptum sit, nisi bellum Gallicum exoriatur. Tum enim & senes, & Sacerdotes in militiam proficisci. Verum hanc consuetudinem, si tumultus aliquis, non autem bellum Gallis oriretur, fuisse, docet Cic. Philipp. ca octaua, his verbis: Grauius autem esse tumultum, quam bellum, hinc intelligi potest, quod bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent. Meminit huius legis & Liuius libro 8. & 10. Item Cicero pro Fonteio.

Lex de intercalatione. Ad Sacerdotum officium pertinet intercalatio, de qua L. Pinarius, L. Furius Coss. anno CCXXCI. legem tulerunt. Varro apud Macrobium scribit, eam fuisse antiquissimam, cui mentio intercalaris adscribatur, fuisseque in columna ærea incisam. Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, cap. 13. atque de religione hactenus.

CAPVT II.

De ciuitate & iure ciuium Romanorum.

RECITATIS iis legibus, quæ ad sacra pertinuerunt, ad Politicas accedimus. Illæ vero aut de iure publico, aut de priuato, aut de criminibus latæ fuerunt. Dicemus primum de iis, quæ de iure publico egerunt, initium sumentes ab iis, quæ de iure seu libertate ciuium Romanorum loquuntur. Sunt autem illæ duplices. Aliæ enim ius seu libertatem ciuium Romanorum constituunt, aliæ idem ius aliis communicant, quas hoc capite recitabimus.

Ius siue libertas ciuium Romanorum, qua sese aduersus nimium Magistratuum, & præsertim Consulum, imperium munierunt, multis legibus est confirmata.

Valeria lex de prouocatione. Prima est Valeria, quam tulit P. Valerius Poblicola, Consul solus, Bruto collega mortuo anno CCXLIII. Vt aduersus omnes Magistratus ad populum prouocatio esset. Ne quis Magistratus ciuem Romanum aduersus prouocationem verberaret, aut necaret, aut pecunia multaret. Liuius lib. 2. Dionysius lib. 5. Plutarchus in Poplicola, & alij. Eam secutæ sunt leges sacratæ de Tribunis plebis, de quibus post dicendum.

Valeria Horatia lex. Cùm autem hæc ciuium Romanorum libertas, & lex de prouocatione, Decemuirali potestate euersa esset, restituerunt eam L. Valerius M. Horatius Consules anno CCCV. & noua lege confirmatur: Ne quis vllum Magistratum sine prouocatione crearet: qui creasset, eum ius,

ius, fasque esset occidi: neve ea cædes capitalis noxæ haberetur. Liuius lib. 5.

Eadem lex de prouocatione, tertio relata est à M. Valerio Coruo v. Consule cum Q. Appuleio Pansa anno CDLIII. Ne quis qui prouocasset, virgis cæderetur securive necaretur: si quis aduersus ea fecisset, improbe facturum. Liuius lib. 10. qui addit eam tum tertium post Reges exactos latam esse, semper ab eadem familia. *Valeria lex de prouocatione.*

Secuta Valerias leges est Porcia, quam tulit M. Porcius Tribunus plebis, eodem anno: Nequis Magistratus ciuem Romanum virgis cæderet, necaretve: sed damnato exilium permitteret: cum antea nudorum ceruix insereretur furcæ, corpus virgis ad necem cæderetur. Liuius lib. 10. Cicero pro Rabirio perduellionis reo, & sæpe alias, Sallustius in coniuratione Catilinæ, Suetonius in Nerone, & alij. *Porcia lex.*

Porciam inde legem Semproniæ sunt consecutæ, à C. Sempronio Graccho Tribuno plebis, Q. Cæcilio Metello, T. Quinctio Flaminio Coss. anno IↃCXXX. latæ; Ne de capite ciuis Romani, iniussu populi iudicaretur. Vt qui Magistratus indicta causa in ciuem Romanum animaduertisset, de eo populi quæstio constitueretur: quod propter P. Popillium Caius tulit, à quo Consule Tiberij fratris socij misere fuerant diuexati, vt eum vlcisceretur, atque Vrbe, vt & fecit, expelleret. Erat etiam hoc earum caput, Ne quis coiret, conueniret quo quis iudicio publico circumueniretur. Quam legem Cicero in Cluentiana, in Senatores, pro plebe esse latam dicit. Carolus Sigonius opinatur, etiam Porciam legem ab eo relatam fuisse. Ne Magistratus ciuem Romanum virgis cæderet, aut securi feriret. Meminerunt harum legum Cicero pro Rabirio, pro Domo, pro Cluentio, & lib. 3. de Legibus, Plutarchus in Gracchis. Idem Cicero 7. Verrina exclamat, O nomen dulce libertatis! ô ius eximium nostræ ciuitatis! ô lex Porcia, legésque Semproniæ! Videtur autem exceptum parricidium his legibus fuisse, cum in oratione pro Sex. Roscio vetus supplicium commemoretur. *Semproniæ leges.*

Cum igitur tanta libertas & tanta dignitas ciuium Romanorum esset, ideo factum, vt exteri Latini, & Itali summo studio adipiscendæ ciuitatis tenerentur: nonnulli etiam pro suis in Rempublicam Romanam meritis impetrarent. Nam L. Papirius Prætor, anno CDXXI. Coss. à Cornelio Cosso Aruina II. Cn. Domitio Caluino, legem tulit, vt Acerranis ciuitas sine suffragio daretur. Liuius lib. 8. *Papiria lex de ciuitate Acerranis danda.*

Et C. Valerius Tappo, Tribunus plebis anno IↃLX. M. Claudio Marcello v. T. Quinctio Crispino Coss. legem tulit, vt Formianis, Fundanis, Arpinatibus suffragij latio (nam antè sine suffragio habuerant ciuitatem) esset. Liuius lib. 38. *Valeria lex.*

Nec vero ita temere cuiuis ciuitatem impartiri voluerunt. Quare cum aliquando multi ex Latinis Romani clàm migrarent, ibique pro ciuibus Romanis sese gererent, atque ea de re sociorum legati grauiter quererentur: C. Claudius Consul cum Ti. Sempronio, anno IↃLXXVI. ex Senatusconsulto legem tulit, edixitque, vt qui ex sociis, ac Latini nominis ipsi, maioresve eorum M. Claudio, T. Quinctio Censoribus, póstque ea apud socios nominis Latini censi essent, vt omnes in suam quisque ciuitatem ante K. Nouembris redirent. Cumque anteà, lege sociis, ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, datum esset, vt ciues Romani fierent, eáque lege malè quidam abuterentur, suósque liberos, quos domi relinquere ex lege debebant, quibuscunque Romanis in eam conditionem, vt manumitterentur, mancipio darent, vt libertini ciues essent: addita hæc lex est, Ne quis quem ciuitatis mutandæ causa suum faceret, néve alienaret: & si quis ita ciuis Romanus factus esset. Liuius libro 41. *Claudia lex de sociis et nominis Latini.*

Post legem Claudiam non multis annis lata est Papia de ciuitate, quo anno, incertum: cuius sententia hæc fuit, vt peregrini vrbe Roma expellerentur. Cicero pro Balbo. *Papia lex, de peregrinis.*

Eandem legem anno IↃCXXVII. Mam. Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreste Coss. M. Iunius Penus retulit, & insuper hoc addidit, vt peregrini vsu ciuitatis prohiberentur. Meminit huius legis Festus, & Cicero lib. 3 de officiis, vbi hanc legem inhumanam reprehendit. *Iunia lex de peregrinis.*

Non multo post M. Fuluius Flaccus Consul cum M. Plautio Hypsæo, anno ab vrbe condita IↃCXXIX. legem promulgauit de ciuitate Italis danda: verùm indignante, atque aduersante Senatu, ac misso, & propè amandato in prouinciam M. Fuluio, nihil effectum est. Appianus lib. 1. Bel. ciuil. Valerius Maximus lib. 9. cap. 5. *Fuluia lex de ciuitate Italis dãda*

Triennio post C. Gracchus Tribunus plebis legem hanc retulit, Vt sociis Latinis ius suffragij ferendi perinde vt ciuibus Romanis esset. Plutarchus in Gracchis. Appianus libro 8. de Bellis ciuilibus: Gracchus multas leges promulgauit de iudiciis, de viis, de coloniis, & ad omnes Romanorum res Latinos aduocabat, quasi vero Senatus hominibus consanguineis honeste repugnare non posset. Reliquis vero sociis, quibus ius suffragij non erat, suffragium in posterum dabat, vt & hos in ferendis legibus suffragatores haberet. Quo facto Senatus per- *Sempronia lex de ciuitate Italis danda.*

Seruilia lex de ciuitate. turbatus Consules edicere iussit, ne quis eorum, quibus suffragij ius non esset, in Vrbe obseruaretur, neque propius Vrbem quinque millia passuum esset. Hæc ille. Secuta est lex Seruilia, quam tulit C. Seruius Glaucia, quo anno, incertum, Vt si quis Latinus Senatorem Romanorum accusando condemnasset, is ciuis Romanus esset: Asconius in orationem pro Scauro. Cicero pro Balbo.

Licinia Mucia lex, de peregrinis. Cùm verò pòst Itali summa cupiditate ciuitatis Romanæ flagrarent, & ob id magna pars eorum pro ciuibus Romanis se gereret, tulerunt legem L. Licinius Crassus, Q. Mucius Scæuola Pontifex Maximus Coss. anno IↃCLVIII. Vt in suæ quisque ciuitatis ius redigeretur. Quæ lex eandem fere habuisse vim videtur, quam Claudia primùm, pòst Papia, quæ vetustate fortasse iam iua negligebantur. Cicero libro 3. de Officiis pro Balbo. Verùm de hac lege adeo alienati sunt Principum Italicorum animi, vt ea vel maxima causa belli Italici, quod triennio post exortum est, fuerit.

Liuia lex de sociis. Anno post IↃCLXII. L. Manlio Philippo, Sex. Iulio Cæsare Coss. M. Liuius Drusus Tribunus plebis assiduis Italicorum efflagitationibus fatigatus, legem proposuit de ciuitate Italiæ danda. Verum antequam eam perferret, domi suæ, incertum à quo, necatus est. Appianus libro 1. de Bellis ciuilibus, Florus libro 3. capit. 17. Epitoma Liuii libro 71. Cicero lib. 3 de Legib. Quo

Valeria lex. facto Equites Romani, penes quos tum iudicia erant, Q. Varum Hybridam, Tribunum plebis Drusi collegam impulerunt, vt legem ferret in eos, qui Italicos ciuitatem petentes clàm palàmve iuuissent, qua lege multi è primoribus Vrbe sunt exacti. Appianus libr. 1. Bellorum ciuilium, Cicero in Bruto & alibi, Valerius maximus lib. 8. capit. 6.

Iulia lex de ciuitate. Motum inde est bellum Italicum siue sociale, quo durante, cùm acceptis aliquot cladibus, cæso etiam P. Lupo Consule, Etrusci quoque & Vmbri aliique iis finitimi populi defectionem spectarent, lex lata est à L. Iulio Cæsare Consule, vt qui populi ad eam diem in fide mansissent, ciues Romani essent, qua lege Latini, Etrusci, & Vmbri ciuitate donati sunt. App. libro primo Bellorum ciuilium, Cicero pro Balbo. Postea vero & Italici à Cn. Pompeio Strabone consule, & L. Sulla alterius consulis L. Catonis legato pluribus prælijs victi, & iam ad paucos redacti, omni belli gerendi occasione deposita, eadem lege in ciuitatem asciti, & in octo nouas tribus descripti sunt, quod factum est Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coss. anno IↃCLXIV.

Siluani & Carbonis lex, de peregrinis. Eodem anno peregrinis etiam aditus quidam ad ciuitatem Romanam lege Siluani & Carbonis Tribunorum plebis factus est. Tulerunt enim, vt qui fœderatis ciuitatibus adscripti essent, si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, ac sexaginta diebus apud Prætorem professi essent, ciues Romani essent, Cicero pro Archia.

Sulpitia lex. Anno proximè sequenti L. Cornelio Sulla, Q. Pompeio Rufo Coss. P. Sulpitius Tribunus plebis ad aucupandam Italicorum, qui in octo nouas tribus adscripti erant, gratiam, legem tulit, vt noui ciues, libertinique in 35. Tribus veteres distribuerentur. Florus epitoma 77. Plutarchus in Sulla. Verum ea aut non est perlata, aut eodem anno P. Sulla Consule, cum Sulpitium ipsum, Mariumque inimicos suos Vrbe exturbasset, vna cum cæteris eius legibus sublata est.

Cornelia lex. Eandem legem in sequenti anno L. Cinna consul retulit, verum etiam non pertulit: pulsus enim Vrbe est, & consulatus ei abrogatus. Velleius libro 2. Concessum tamen ipsis tandem fuit hoc, idque vt Carolus Sigon. arbitratur, secundo L. Cornelij Cinnæ consulatu, qui incidit in an. Vrbis IↃCLXVII. & à L. Cornelio Sulla confirmatum. Sic enim Epitoma 86. scriptum est: Sulla cum Italicis populis ne timeretur ab iis, velut erepturus ciuitatem, & suffragij ius nuper datum, fœdus percussisse, quod factum est anno IↃCLXX. L. Cornelio Scipione Asiatico, C. Norbano Flacco Coss. Cicero in Philippicis.

Cornelia lex de municipiis. Idem tamen Sulla victor, & Dictator hoc ius & beneficium multis, qui Cinnam, Carbonem, Marium Scipionem & Norbanum, cæterosque aduersæ factionis duces, aut consilio, aut pecunia, aut copiis iuuerant, ademit. Tulit enim, vt municipiis omnibus ius ciuitatis, agrique adimeretur. Quod tamen de agris, non autem de ciuitate ratum fuisse Cicero docet in Oratione pro Domo, cum sic scribit: Populus Romanus, L. Sulla Dictatore ferente, comitiis Centuriatis ciuitatem ademit: ademit iisdem agros, de agris ratum est. Fuit enim populi potestas, de ciuitate ne tandiu quidem, quandiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Post autem Sulla Dictaturam deponente, aut certe mortuo, omnibus, aut plerisque ius pristinum, vt opinatur Sigonius est restitutum. Qua vero lege incertum.

Hoc igitur pacto, cum Italia ciuitatem Romanam multis laboribus ac multo sanguine primum meruisset, deinde vero armis, atque populi Romani benignitate obtinuisset, amissámve recuperasset: tum tanta demum peregrinorum in Vrbem se contulit copia, vt noua lege

lege eorum libido fuerit coercenda,

Itaque L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coss. anno Vrbis ɔɔcxxcix. C. Papius Tribunus plebis legem tulit, vt peregrini vrbe Roma expellerentur: Cicero lib. 3. Officiorum, pro Balbo, pro Archia, Dio lib. 37. *Papia lex de peregrinis.*

Item, vt socij Latini in suas ciuitates redigerentur. Vt iudicium sociis & ciuitatibus exteris constitueretur, repetundi eius causa, qui in ciuitatis Romanæ censum irrepsisset. Valerius lib. 3. cap. 4. Cicero pro Cornelio. De his legibus omnibus vide Carolum Sigonium libr. 3. de Antiquo iure Italiæ, cap. 1.

Pertinent ad has de iure ciuitatis Romanę leges, etiam Calpurnia, Gellia, Cornelia, Mensia. *Calpurnia lex.*

Calpurnia lege latum est, vt milites virtutis ergo ciuitate donarentur. Non ius in voce ergò, ex lib. 4. historiarum Silennæ.

Gellia Cornelia à L. Gellio Poplicola, Cn. Cornelio Lentulo coss. ann. Vrbis ɔɔcxxci. lata est. Vt ciues Romani essent ij, quos Cn. Pompeius de consilu sententia singulatim ciuitate donauisset. Cicero pro Balbo. *Gellia Cornelia lex.*

Mensia hæc fuit, vt ex alterutro natus, deterioris parentis conditionem sequeretur. Vlpianus Institution. cap. 5. Et hanc idem Vlpianus l. lex naturæ 24. de statu hominis, specialem legem intelligit. Quis eam tulerit, & quando, incognitum. *Mensia lex.*

Huc tandem referantur illæ leges, quæ de singulis personis, iure ciuitatis donandis, latæ fuerunt, quarum duæ memorantur. Vna est, de Cn. Publicio Menandro homine libertino, quem legati Romanorum, legum conquirendarum causa in Græciam proficiscentes, interpretem secum habuerant vt, si domum reuertisset, & inde Romam redisset, ne minus ciuis esset. Cicero pro Balbo, Pomponius l. 5. ff. de cap. & postlim. reuer. *Lex de Cn. Publicio Menandro.*

Altera est de ciuitate Romana Mutini Libyphœni danda, qui cùm ab Hannone Carthaginensium Imperatore, cuius Præfectus fuerat, dignitate sua spoliatus esset, Agrigentum Romanis prodiderat. Liu. lib. 27. Tantum de iure ciuitatis Romanæ. *Lex de Mutini Libyph.*

Capvt III.

De Legibus, quæ de Comitiis & coitionibus fuerunt.

Maxima pars iuris ciuium Romanorum in Comitiis consistebat, de quibus hoc capite dicemus, ordine sic postulante. Recitabimus autem primum eas leges, quæ in genere de ipso Comitiorum modo, tum quæ de suffragiis loquuntur.

Apud omnes scriptores frequens mentio est legis Aeliæ & Fufiæ. Aelia lex hæc fuit, Vt quoties cum populo ageretur, Augures de cœlo seruarent, Magistratus & obnunciandi, & legis lationi intercedendi potestatem haberent. Fusia tulit, vt certis diebus, qui tamen fasti essent, agi cum populo non liceret. A quibus latæ hæ sint, non certò constat. Paulus Manutius vtramque à Tribunis plebis latam esse contendit, addens, ex Aelia gente neminem vnquam consulatum gessisse. Hotomanus contra Aeliam à Q. Aelio Pæto consule cum M. Iunio Penno anno ɔɔxxcvi. Fusiam à P. Furio Philo consule cum Sexto Atiliano Serrano anno ɔɔxxvii. rogatam esse vult, & certè hos consules in fastis Sigonij, Onuphrij Panuinij, & Huberti Goltzij inuenio. *Aelia lex. Fufia lex.*

Abrogauit has P. Clodius Tribunus plebis, L. Calpurnio Pisone Cæsonino, A. Gabinio coss. anno ɔɔcxcv. lege lata, Ne quis per eos dies quibus cum populo agi liceret, de cœlo seruaret. Vt omnibus fastis legem ferri liceret. Asconius in Pisonianam, Dio lib. 38. Quare Cicero toties queritur, Clodium propugnacula & muros tranquillitatis atque otij euertisse, pro Sestio, in Pisonem & alibi. *Clodia lex.*

Ad modum comitiorum pertinet lex Curia, de Patrum auctoritate à M. Curio Dentato Tribun. plebis, M. Fuluio Coss. anno CDLI. lata, vt ante comitia Magistratuum Patres auctores fierent. Cicero libro de claris Oratoribus eam Appio Claudio Cæco Interrege comitia habente, Liuius autem libr. 10. P. Sulpitio, latam esse tradunt. Et quidem Liuij sententia est verosimilior. Non enim ab eo, qui primus Interrex esset proditus comitia haberi solebant, vt alibi ostendimus. Priorem autem proditum esse Appium, Liuius asserit. Non igitur comitia habere potuit. *Curia lex.*

De Magistratuum comitiis Claudia loquitur quam tulit M. Claudius Marcellus Coss. cum Ser. Sulpitio Rufo anno ɔɔcciii. Ne in magistratuum comitiis absentium ratio haberetur. Sueton. in Cæsare. Plures infra, vbi de Magistratibus dicendum erit, habebimus. *Claudia lex.*

Sequuntur leges de suffragiis, quæ duplices sunt. Aliæ enim de suffragiis, per tabellam ferendis, qua de causa tabellariæ dicuntur, latæ sunt: aliæ aliis quibusdam ius suffragij ferendi rogarunt. Prioris generis fuerunt, Gabinia, Cassia, Papiria, Cœlia, Maria: alterius autem Valeria, Manilia, Sempronia, Fusia, Antonia.

Gabinia lex. Primùm per multos annos Romani suffragium, voce tulerunt: posteà verò, vt quisque liberius sententiam suam proferre posset, absque metu periculi, inuentæ tabellæ sunt, quibus suffragia ferrent: idque aliquot legibus fuit constitutum.

Prima fuit Gabinia, quàm tulit A. Gabinius Tribunus plebis, Cn. Calpurnio Pisone, M. Popillio Lænate coss. anno ꟾↃCXIV. Vt comitiis, quibus Magistratus crearentur, populus non voce, sed per tabellam suffragium ferret. Et quò id liberius esset, cautum est, Ne quis inspiceret tabellam, ne rogaret, ne appellaret, & ita ab omni parte liberum iudicium suum in Magistratibus creandis populus haberet. Cicero libro tertio de Legibus, de Amicitia, item pro Plancio.

Cassia lex. Secuta hanc est Cassia, quæ etiam suffragia libera esse voluit, non Iudicum tantùm in Iudiciis, sed etiam populi in Comitiis: verùm in tributis tantùm, quibus de mulctis iudicaretur. Cicero in Lælio, vbi hanc legem biennio post Gabiniam latam scribit: item in Bruto, libro 3. de Legibus, Asconius in Corneliam & Verrinam 2.

Papiria lex. Idem in legibus faciendum esse, Papiria suasit, quam tulit C. Papirius Carbo Tribunus plebis, P. Pollio Lænate, P. Rupilio Coss. anno ꟾↃCXXI. Vt in iubendis legibus, aut vetandis, populus tabella suffragium ferret. Cicero lib. 3. de legibus.

Cœlia lex. Hanc consecuta est Cœlia, quam tulit Cecilius Tribunus plebis, Q. Cœlio Metello Baleatico, T. Quinctio Flaminio, Coss. anno ꟾↃCXXXV. Vt etiam in perduellionis iudicio quod Cassia lege Tabellaria exceptum erat, populus non voce, sed tabella sententiam ferret. Cicero libr. 3. de Legibus.

Sēpronia lex. Huc etiam Sempronia pertinet, quam tulit eodem anno C. Sempronius Gracchus, Vt ex confusis quinque classibus sorte centuriæ euocarentur. Sallustius in oratione ad Cæsarem.

Maria lex. Et Maria lex, quam tulit C. Marius Tribunus plebis, L. Cæcilio Metello Caluo, L. Aurelio Cotta Coss. anno ꟾↃCXXXIV. Vt pontes, per quos suffragia in comitiis ferebantur, angustiores fierent, ne quis illic, nisi suffragium ferret, consistere posset ad appellandum, rogandúmque, Cicero libro 3. de Legibus Plutarch. in Mario.

Fusia lex. Et Fusia, quam tulit Qu. Fusius Calenus Prætor, C. Iulio Cæsare, M. Calpurnio Bibulo coss. anno ꟾↃCXCIV. Vt singula genera suffragium seorsim ferrent, quò sententiæ internosci possent, anteà enim in tributis comitiis omnium simul suffragia confundebantur: itaque fiebat, vt singula genera de suffragiorum euentu sic inter se contenderent, vt quod rectè statutum esset, id suo suffragio factum dicerent: quod secus in alios reiicerent. Hac lege autem factum est, vt singulorum generum suffragia seorsim renunciarentur. Dio libro trigesimo octauo. Plura de hac lege, quomodo sit intelligenda, libro de comitiis diximus.

Antonia lex. Memoratur etiam Antonia lex, quam L. Antonius tulit, qua cum Caio Cæsare Magistratus partitus est, Cic. Philipp. 7.

Valeria lex. Alterius generis est lex Valeria, quam tulit C. Valerius Trappo Tribunus plebis, M Valerio Messala, C. Liuio Salinatore Coss. anno ꟾↃLXV. Vt Formianis, Fundanis, Arpinatibus, suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerant ciuitatem) esset. Liuius libro 38.

Sempronia lex. Et Sempronia quam tulit C. Sempronius Gracchus Tribunus plebis anno ꟾↃCXXX. Q. Cæcilio Metello T. Quinctio Flaminio Coss. Vt sociis Latinis ius suffragij perinde, vt ciuibus Romanis esset. Cic. multis locis, Plutarch in Gracchis.

Manilia lex. Item Manilia, quam tulit C. Manilius Tribunus pleb. anno ꟾↃCXXVII. M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo Coss. Vt libertinis in omnibus Tribubus suffragium esset, Cic. pro lege Manilia, & Asconius.

Cæterùm, quemadmodum Romani legitimos conuentus, qui Reipublicæ causa habebantur, & Comitia multis legibus confirmarunt, ita contra illegitimas, & suspectas coitiones, & cœtus nocturnos seuerè prohibuerunt, vt ostendant leges Duillia, Mænia, & Gabinia.

Duilia Mænia lex. Duillia, Mænia de illegitimis coitionibus fuit à M. Duillio, & L. Mænio Tribunis plebis C. Martio Rutilo, Cn. Manlio Capitolino Imperioso secundò coss. anno trecentesimo nonagesimo sexto. de Collegii Tribunorum sententia lata, Ne quis postea populum seuocâret: qui hoc faceret, capitale esset. Narrat Titus Liuius libro 7.

De

De nocturnis cœtibus Gabinia fuit, vt qui conciones vllas clandestinas in Vrbe conflauisset, more maiorum capitali supplicio multaretur. Portius Latro in declamatione in Catilinam, apud Sallustium. Idem autem priùs lege XII. Tabularum cautum erat, vt idem testatur, diximus. Atque hactenus de comitiis. *Gabinia lex.*

Capvt IV.

De Senatu, & Senatoribus.

Avgvstvm Vrbis Romę Concilium, Senatus fuit, de quo cùm Cyneas à Pyrrho interrogatus esset, quid sibi videretur: respondit arbitratum fuisse, videre se consessum Regum. Et verè quidem eum locutum fuisse, historiæ testantur. Non enim omnes sine discrimine in Senatum receperunt, sed magnum delectum habuerunt. Munus fuit primùm Regum, post Consulum, Censorum, Senatum legere: & eos, qui indigni eo honore essent Senatu mouere.

L. Cassius Longinus Tribunus plebis legem tulit, C. Mario II. C. Flauio Fimbria Coss. anno ꟾↃCXLIX. Vt quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in Senatu ne esset. Asconius in Cornelianam. Tulit autem eam Cassius maximè propter simultates cum Q. Seruilio Cæpione, qui ante biennium Consul fuerat, & cui populus imperium abrogauerat ob malè gestum bellum. *Cassia lex.*

De Senatorum quæstu legem tulit Q. Claudius Tribunus plebis, P. Cornelio Scipione, Ti. Sempronio Longo Coss. anno ꟾↃXXXV. adiuuante vno Patrum C. Flaminio: Nequis Senator, quive Senatoris pater fuisset, maritimam nauem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos: quæstus omnibus Patribus indecorus visus est. Liuius libro 21. Verrina 7. Hanc legem Cæsar Dictator posteà in Iuliam de repetundis transtulit, de qua infra. *Claudia lex.*

Voluerunt etiam Senatores vitare æs alienum, ideò Seruius Sulpitius Tribunus plebis ann. ꟾↃCLXV. L. Cornelio Sulla, Q. Pompeio Rufo, Coss. legem tulit, Nequis Senator, supra duo millia drachmarum deberet. Plutarchus in Sulla. Ipse tamen legislator, cum vita excessit, vltra trecentas myriades debiti nomine reliquit. *Sulpitia lex.*

De legendo, & supplendo Senatu hæ leges loquuntur. Ouinia, cuius Festus meminit, vt Censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in Senatu legerent. Quo factum est, vt qui præteriti essent, & loco moti haberentur ignominiosi. *Ouinia lex.*

Cassia quam tulit C. Cassius Prætor, Dictatore Iulio Cæsare, Vt in numerum Patriciorum, qui Senatui deessent, alij sublegerentur. Tacitus li. 11. Annalium. Suetonius autem in Iulio Cæsare scribit, ipsum Senatum suppleuisse, Patricios allegisse, Prætorum, Aedilium, Quæstorum, minorum etiam Magistratuum numerum ampliasse. Vtrum autem illa Cassia lege an alia id fecerit, incertum. *Cassia lex.*

Sentia, quam tulit, vt opinatur Hotomanus, C. Sentius cos. cum Q. Lucretio anno ꟾↃCCXXXIV. Augusto imperante, vt in numerum Patriciorum, qui Senatui deessent, alii sublegerentur. Tacitus lib. 2. Annalium, vbi tamen in vulgatis corruptè legitur Senia, pro Sentia. *Sentia lex.*

De Senatu habendo Gabinia lata est ab A. Gabinio Trib. pleb. L. Cæcilio Metello, Q. Marcio Rege coss. anno ꟾↃCXXXV. Vt ex Kalendis Februarii ad Kalendas Martias quotidie Senatus cogeretur, & legatis exterarum nationum daretur. Cicero libro 1. Epistolarum ad Quinctum fratrem. *Gabinia lex.*

Huc pertinet Pupia, qua latum est, Ne Senatus ab XIIX Kalend. Februarij ad vsque Kalendas Februarias haberetur. Ne nisi perfectis, aut reiectis legationibus, aliis de rebus Senatus haberetur. Cicero l. b. 1. epist. 4. ad Lentulum lib. 2. epist. 2 ad Q. Fratrem, & Cœlius libr. 8. epist. 8. ad Ciceronem, vbi hac lege solutos esse Magistratus scribit. *Pupia lex.*

Ad Senatores pertinet etiam lex Tullia de legationibus liberis. Cùm enim consuetudo obtinuisset, vt Senatores, quibus negotia futura erant in Prouinciis, vt qui hæreditates persequi, vel legata, aut qui nomina exigere volebant in Prouinciis, quo commemorabiliores atque fauorabiliores controuersias haberent, à Senatu, ornamenti causa, legationem liberam peterent, qua semel impetrata, deinceps perpetuo, quotiescunque eiusmodi negotia inciderent, honoris & commodi sui causa vtebantur: legem tulit M. Tullius Cicero, Consul cum M. Antonio, ann. ꟾↃCXC. Ne, sicut anteà, infinitum, sed annuum tempus earum esset. Cicero libro 3. de Legibus, vti testatur, se legationes tales, approbante frequentissimo Senatu (licèt ad *Tullia lex.*

Senatus vtilitatem pertinere viderentur) extincturum fuisse, nisi intercessisset Liuius Tribunus plebis: fecisse tamen, cùm essent antea infinitæ, & perpetuæ, vt annuæ fierent, atque ita turpitudo maneret, diuturnitate sublata. Meminit eius rei etiam oratione Agraria. Hactenus de Senatu.

Capvt V.

De Magistratibus maioribus.

NVlla ferè pars Reipublicæ fuit, de qua nõ fuerint aliquæ leges latæ, id quod hactenus in sacris, in iure ciuitatis, in comitiis, in Senatu vidimus. Hoc capite eas consignabimus, quæ de Magistratibus in genere, & in specie, de maioribus Magistratibus latæ reperiuntur.

De Magistratibus in genere.

Valeria lex de prouocatione. Huc verò primùm pertinent illæ leges, quæ certos quasi cancellos Magistratibus circumdederunt, ne quod liberet, id etiam confestim sibi licere putarent, quales sunt illæ quæ de prouocatione latæ sunt, quarum prima fuit Valeria, anno ccxlvi. à P. Valerio Poplicola Consule collega Iunio Bruto mortuo, lata, Vt aduersus omnes Magistratus ad populum prouocatio esset. Ne quis Magistratus ciuem Romanum aduersus prouocationem verberare, aut necare, aut pecuniâ mulctare vellet Ne quis Romæ imperium haberet, nisi cui à populo datum esset, sacrúmque esset cum bonis caput eius, qui regni occupandi consilia inisset. Vt capitale esset, si quis iniussu Magistratum adiisset. Liuius libro 2. Dionysius libro 4. Valerius Maximus libro 4. cap. 1. Pomponius I C. de origine iuris.

Valeria lex secunda, siue Valeria Horatia. Retulit hanc L. Valerius Poplicola potitus Consul cum M. Horatio Barbato, anno ccciv. Ne quis vllum Magistratum sine prouocatione crearet: qui creasset, eum iusque fasque esset occidi, néve ea cædes capitalis noxæ haberetur. Liuius libro 3. Dionysius lib. 3. Dionysius libro 10. Eadem Horatia appellatur.

Valeria lex tertia. Tertiò eam repetiit M. Valerius Coruus coss. v. cum Q. Appuleio Pansa, anno cdliii. Nequis, qui prouocasset, virgis cæderetur, securíve necaretur: si quis aduersus ea fecisset, improbè factum. Liuius libro 10. Diligentiùs, inquit, quàm alìæ sancta est. tertiò tum post reges exactos lata semper à familia eadem.

Lex Villia annalis. De ætate Magistratuum loquitur Villia annalis, quam tulit L. Villius annalis Tribunus plebis, L. Manlio Acidino Fuluiano, Q. Fuluio Flacco fratribus Germaneis coss. anno. ıↄlxxiv. Quot annos nati quemque Magistratum peterent caperentque, Liuius lib. 40. vbi tamen corruptè legitur ab L. Iulio Tribuno plebis latam, vti adnotat Sigonius. Meminit huius legis & Cœlius ad Ciceronem, & Valerius Maximus, vbi eodem modo pro L. Villio, aut L. Iulius, aut L. Tullius hactenus lectum est, quod viri docti emendarunt. Quæ autem ætas cuique Magistratui capiendo definita hac lege sit à Liuio non exprimitur. Paulus Manutius, & alii quid quæsiuerunt, & liberaliter aliis communicauerunt, quod non pigebit hoc loco tribus verbis repetere. Quæstura primus Magistratus vrbanus fuit: hunc non licuisse capere ante annum ætatis xxvii. affirmant, adducti auctoritate Polybij, qui libro 6. scribit, legem fuisse, Ne quis vrbanum Magistratum gereret, nisi decem stipendia confecisset. Annus autem legitimus ad militandum fuit decimus septimus, Cicero Philip. 5. Tribunatui plebis definiunt annum ætatis xxx. Ædilitati xxxvii. Præturæ xl. Consulatui xliii. &c. Quorum omnium probationem qui requirit, Manutium legat libro Antiquitatum de legibus, & alios.

Genutia lex. Legi Villiæ annali affinis est Genutia, quam tulit L. Genutius Tribunus plebis, C. Marcio Rutilio iv. Q. Seruilio (Ahala) coss. anno cdxi. Ne quis eundem Magistratum intra decem annos caperet, neu duos Magistratus vno anno gereret. Liuius lib 7.

Cornelia lex. Genutiam legem repetiit & confirmauit L. Cornelius Sulla Felix, Dictator & Consul ii. cum Q. Cæcilio Metello Pio, anno ıↄclxxiii. Tulit enim, vt, si quis Magistratum peteret, quem ante gessisset, nisi decennium interiectum esset, eius ratio non haberetur. Appianus libr. 1. de bellis ciuilibus.

Pompeia lex. Cneus etiam Pompeius Magnus. iii. consul cum Q. Cælio Metello Pio Scipione, anno ıↄcci. legem tulit. Ne cuius absentis in Magistratuum comitiis ratio haberetur, vno Cæsare excepto. Priuilegium hoc potius, quam lex est. Dio libro 40. Plutarchus in Pompeio & Cæsare &c.

Sempronia lex. Iniqua lex fuit Sempronia, qua C. Sempronius Gracchus Trib. pleb. ann. ıↄcxxx Q. Cæcilio Metello Balearico, T. Quinctio Flaminio coss. tulit, vt, cui Magistratus abrogatus fuisset, ei Ma-

ei Magistratum iterum capere ius non esset. qua lege M. Gelanius, cui Tib. Gracchi lege Tribunatus abrogatus fuerat, notabatur. Eam tamen Caius post ipse Corneliæ matris precibus abrogauit. Plutarchus in Gracchis & alij.

Iniquior etiam Cornelia, quam L. Cornelius Sulla Felix Dictator tulit, vt iis, qui suas partes in ciuili bello secuti essent, honores ante tempus capere ius esset, vtque proscriptorum liberi honorum petendorum potestate priuarentur. Appianus libro 1. de bellis ciuilibus. Plin. libro 7. Quinctilianus lib. 11. c. 1. Cicero in Pisonianam Dio lib. 41. *Cornelia lex.*

Similis huic est lex Hircia, de Pompeianis, ab A. Hircio, eo, qui posteà in pugna ad Mutinam cecidit lata, vt Pompeiani ad dignitates non admitterentur. Cicero Phil. 13. in Antonii epistola. Hæ leges in genere de Magistratibus loquuntur, videamus speciales. *Hircia lex.*

De Consulibus.

De Consulibus quatuor, ex magno numero earum, quæ iniuria temporum interciderunt leges extant, Iunia, Terentia, Licinia, Sextia, Genutia.

Prima est Iunia, quam Iunius Brutus primus consul, tum solus, anno ccxiiii. tulit, vt imperium Tarquinio abrogaretur, vt ipse idem cum coniuge ac liberis, itémque omneis Tarquiniæ gentis exularent: vt capitale esset, si quis de iis reuocandis mentionem faceret: vt Regio imperio abrogato, consules duo Regia potestate quotannis comitiis Centuriatis à populo crearentur, Dionysius lib. 4 Liuius lib. 2. *Iunia lex.*

Verùm multum huic legi detraxerunt leges Valeriæ de prouocatione, de quibus paulò antè. *Terentia lex.*

Neque solum hæ multum detraxerunt Consulum potestati, verùm cum ipsi multa tyrannicè, & licenter agerent, quippe quorum imperium nullis erat legibus circumscriptum, legem tulit C. Terentius Arsa Tribunus plebis, anno ccxci. L. Lucretio Tricipitino, T. Veturio Gemino Cicurino coss. Vt Quinqueuiri crearentur legibus de consulari imperio scribendis, ne ipsi libidinem ac licentiam suam pro lege haberent. Dionysius lib. 3. qui quidem perlatam eam non fuisse scribit. Fuit tamen causa creandis posteà Decemuiris legibus scribendis Consulari potestate.

Et consulatus quidem primùm solis Patriciis patebat, Plebeij ab eius petitione excludebantur, quod ægrè ferens plebs, tandem per Tribunos effecit, vt sibi etiam eum capere liceret. Tulerunt enim legem C. Licinius Stolo, L. Sextius Tribuni plebis, L. Furio Camillo Dictatore, v. anno ccccxxvi. Vt Consulum alter ex plebe crearetur. Liuius lib. 6. *Sextia lex quæ & Sextia Licinia dicitur.*

Hanc secuta est Genutia, quam tulit L. Genutius Tribunus plebis, C. Marcio Rutilio iv. Q. Seruilio Hala Coss. anno cdxi. Vti liceret ambos Consules ex plebe creari. Liuius libro 7. *Genutia lex.*

De Prætoribus.

De Prætoribus prima lex fuit, quam Manutius à M. Furio Camillo Dictatore, anno Vrbis ccccxxvi. latam esse putat, vt Prætor vnus, qui ius in Vrbe diceret, quod antè Consulum munus fuerat, Patricius crearetur, Liuius libr. 6. A quo tamen Magistratu, & quibus comitiis lata sit, non explicat.

Secuta hanc est Bæbia, vt alternis annis quaterni Prætores crearentur. Liuius lib. 40. Festus nominat in voce Rogat. *Bæbia lex.*

De iurisdictione Prætorum L. Cornelius Sulla Felix Dictator, & Consul ii. cum Q. Cæcilio Metello Pio anno DCLXXIII. nemine quidem repugnante, multis tamen inuitis, quemadmodum scribit Asconius, vt Prætores ex edictis suis perpetuis ius dicerent. Quæ res tum gratiam ambitiosis Prætoribus, qui variè ius dicere assueuerant, sustulit. Solebant enim anteà Prætores neglectis edictis perpetuis, vt quisque auaritia aut ambitione ducebatur, variè ius dicere: hácque ratione fiebat, vt singulis annis noua edicta proponerentur, ipsúmque ius Prætorium ob edictorum varietatem turbaretur. Dio lib. 36. Cicero Philippica 2. meminit etiam huius legis, Ne Prætor plus quàm x. dies ab Vrbe abesset, quod caput existimat Manutius vel primæ de Prætoribus legi additum, vel posteà latum fuisse. *Cornelia lex.*

De Censoribus.

Primùm lex lata fuit de Censoribus quinqueuiri imperio è gente Patricia creandis, anno cccx. M. Geganio Macerino ii. T. Quinctio Capitolino v. coss. de qua licèt certum testimonium non extet, tamen dubitandi etiam nulla iusta causa est.

Abrogauit hanc legem Mam. Aemilius Dictator ii. anno cccix. qui tulit, Ne censura, quæ vsque eò quinquennalis fuerat, plus quàm annua, ac semestris esset. Liuius lib. 4. & 9. *Aemilia lex.*

Secuta illa est, quæ de Censoribus ex plebe etiam creandis lata est. Cùm enim primùm Patriciis solis ea dignitas pateret tulit legem Q. Publilius Philo Dictator, anno CDXLV. Vt cùm eò ventum esset, vt vtrumque plebeium Consulem fieri liceret, alter ex plebe Censor crearetur. Liuius libro 8. *Publilia lex.*

Marcia lex à Marcio Censorino lata est, Ne cui bis Censuram gerere liceret. Plutarchus *Marcia lex.*

Ouinia lex. n Coriolano. De munere & potestate Censorum lex Ouinia à Festo recitatur, qua latum est, vt Censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in Senatu legeret. Quo factum, vt qui præteriti essent, & loco moti, haberentur ignominiosi.

Clodia lex. Neque prætermittenda hoc loco est lex Clodia, quam tulit P. Clodius Tribun. plebis, L. Calpurnio Pisone Cæsonio, A. Gabinio Coss. anno ɪɔcxcv. Ne quem Censores in legendo præterirent, néve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & vtriusque Censoris sententia damnatus esset. Asconius in Pisonianam. Cicero in eadem in Miloniana, & Sextiana. Hac autem lege Censoriæ potestatis ius imminutum est, quod quadringentis annis in Republica, vt inquit in Pisonem Cicero, retentum fuerat. Antea enim Censoribus notam apponere licuit etiam non accusatis, & quod vnus statuisset, nisi alter disertè intercessisset, aut notatum liberasset, tantundem erat, ac si vtriusque iudicio esset damnatus.

Cæcilia lex. Restituit eis pristinam potestatem, abrogata lege Clodia, Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio Consul cum Cn. Pompeio Magno anno Ɪɔcci. Tulit enim, Vt Censoria potestas, quam P. Clodius Tribunus plebis imminuerat, restitueretur. Dio lib. 40.

De Dictatore.

Dictator primùm sine prouocatione, optima lege, qua voce quàm plenissimum ius eius Magistratus significabatur, creatus est, Senatu ita decernente, & lege cautum, vti ex Consularibus fieret: item, Ne Dictatori equum conscendere liceret. Prioris legis Liuius meminit, posterioris Plutarchus in Fabio Maximo: à quo verò latæ eæ sint, non additur. Postquàm autem Duillia, & Valeria Horatia promulgatæ sunt, & cautum, Ne quis vllum Magistratum sine prouocatione crearet, facilè intelligitur à Dictatore etiam prouocationem ad populum concessam esse: & tum in creatione eius desitum est dici, vti optima lege, vtpote imminuto iure priorum Magistratuum. Auctor est Festus.

Genutia Aemilia lex. Memorantur deinde lex Genutia Æmilia de clauo pangendo, quam tulêre ex S.C. Cn. Genutius Auentinensis, L. Aemilius Mamercinus Coss. anno cccxc. Vt qui Prætor maximus esset Idibus Septembribus clauum pangeret. Liuius lib. 7. vbi addit, legem ętate sua fuisse priscis literis, verbisque scriptam, clauumque, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum, eóque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerua inuentus sit.

Metilia lex. Contra morem maiorum fuit lex, quam tulit M. Metellus, siue Metilius, quod Sigonio placet, Tribunus plebis, anno Ɪɔxxxvi. Cn. Seruilio Geminio, C. Flaminio II Coss. vt Magistri Equitum, & Dictatoris ius æquaretur. Liuius libro 22. Quæ lex lata fuit in gratiam, & fauorem M. Minutii Rufi, qui Magister Equitum contra edictum Dictatoris sui, Q. Fabii Maximi pugnauerat.

Fuit Dictatura ab initio Magistratus semestris, qui mos ferè vsque ad Sullæ tempora mansit: tum verò L. Valerius Flaccus Interrex à Senatu proditus, ciuitate Consulibus destituta, Cn. Papirio Carbone, & C. Mario interfectis, legem tulit, vt L. Cornelius Sulla perpetuus Dictator Reipublicæ constituendæ causa crearetur, & quæcunque is, aut tanquàm Consul, aut tanquàm Proconsul gessisset, rata essent. Cicero Verrina 4. in Rullum. Appianus libro 1. de bellis ciuilibus.

Fuit & de Dictatura C. Iulij Cæsaris lex lata, à quo incertum.

Antonia lex. Tandem verò, cùm multi Dictatores tyrannicè agerent, & nomen illud inuisum populo Romano esset, legem tulit M. Antonius Triumuir Reipublicæ constituendæ, Ne quis vllam ob causam de Dictatore creando referret, néve Dictaturam oblatam acciperet: qui secus faceret, eum vt necare ius, fásque esset. Appianus lib. 3. de bellis ciuilibus.

De Tribunis militum Consulari potestate. Primùm memoratur lex illa, vt Tribuni militum Consulari potestate promiscuè ex Patribus, & plebe crearentur, qui tamen per annos XLVI. Patricii omnes creati sunt. Liuius libro 4.

Licinia lex. Refertur post hanc Licinia, quam tulit C. Licinius Stolo Tribunus plebis, Sp. Furio Medullino, P. Clœlio Siculo, &c. Tribunis militum anno CCCLXXVI. Ne eo anno Tribunorum militum comitia fierent. Liuius lib. 6. Verùm ea non tenuit.

Titia lex. De Triumuiris R. P. C. legem tulit P. Titius Tribunus plebis anno Ɪɔccx. C. Vibio Pansa, A. Hircio coss. Vt Tresuiri Consulari potestate constituendæ Reipublicæ, in quinquennium crearentur Cn. Octauius, M. Aemilius Lepidus, & M. Antonius. Appianus libro 6. de bellis ciuilibus. & Florus Epitoma 120. Pertinet huc lex regia de vnius imperio, quam libro præcedenti, cap. 12. recitauimus, vnde peti potest. Prolixiorem eius explicationem apud Antonium Vaccam Iurisconsultum, & Marium Salamonium libro 5. & 6. de Principatu habes. Hactenus de Magistratibus maioribus.

Caput VI.

De Magistratibus minoribus.

Vidimus capite præcedenti, quibus legibus Magistratuum Romanorum maiorum potestas confirmata, interdum etiam deminuta, nonnunquam omninò sublata fuerit: hoc capite de minoribus dicemus: quorum primi sunt Quæstores.

De Quæstoribus reperiuntur tres leges, Valeria & alia ἀνώνυμος, & Cornelia. *De Quæstoribus.*

Valeriam tulit P. Valerius Poblicola coss. solus, Bruto collega mortuo, anno CCXLIII. Vt pecuniæ publicæ in æde Saturni reconderentur, duóque Quæstores crearentur. Liuius libro 2. Plutarchus in Poblicola, & alij. *Valeria lex.*

Secuta hanc alia est, qua constitutum fuit, vt præter duos vrbanos Quæstores, duo alij, qui Consulibus ad ministeria belli præstò essent, crearentur, iique promiscuè de plebe, ac Patribus, libero populi suffragio. Item, vt Quæstoribus anno confecto redire ex Prouincia liceret. Plutarchus in Gracchis.

Tertia est Cornelia, quam L. Cornelius Sulla Dictator anno ꟾↃCLXXIII. tulit, vt viginti Quęstores supplendo Senatui crearentur, cui iudicia tradiderat. Tacitus libro 2. Annalium. *Cornelia lex.*

Sequuntur Tribuni plebis. De his verò multæ adhuc extant leges. Prima est Iunia sacrata, quam tulit L. Iunius Brutus Tribunus plebis primus creatus anno CCLX Sp. Cassio Viscel. II. Posthum. Cumino Aurunco II. Coss. vti plebi sui Magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio aduersus Consules esset: néve cui Patrum capere eum Magistratum liceret. Dion. libr. 6. hæc legis verba refert: Ne quis Tribunum quasi priuatum, quicquam facere cogito, néve virgis cædito, néve cædi iubeto: ne occidito, néve occidi iubeto: qui aduersus ea fecerit, sacer esto: bonáque eius Cereri sacra sunto: eúmque occidere, ius fásque esto. Liuius libro 3, etiam hoc carmen ex rogatione illa edit: Si Tribunos plebis decem rogabo, si quis minùs hodie decem Tribunos plebis fecerit: hi tum quos sibi collegas cooptassint, ita illi legitimi eadem lege Tribuni plebeij sint, vt illi, quos hodie Tribuni plebeij fecerint. Dicebantur autem leges sacratæ, inquit Festus, quibus sancitum erat, vt si quis aduersus eas fecisset, sacer alicui Deorum esset. Sunt qui esse dicant sacratas, quas plebs iurata in monte sacro sciuerit. Illud dubitari potest, verúmne sit, quod scribit Diodorus lib. 12. in Auentino fœdere comprehensum hoc fuisse, vti Tribuni plebis exacto sui Magistratus anno, mox totidem alios in annum sequentem designarent: quod si prætermisissent, illicò viui comburerentur: sin aliquando diutius eos in designando dissensio tardaret, interea potestas eis prorogaretur dum alios crearent: cum apud nullum alium scriptorem expresè eius rei mentio fiat. *De Tribunis plebis. Iunia sacrata lex.*

Secuta sacratas leges est Icilia, quam tulit Sp. Icilius Tribunus plebis, T. Geganio Macerino, P. Minutio Augurino coss. anno CCLXI. Ne quis Tribuno ad populum concionanti contradiceret, néve eum interpellaret. Qui contra faceret, prædes Tribunis daret, se mulctam, quam ipsi irrogarent, soluturum. Qui prædes non daret, capital esset, familiaque eius sacra esset: siquid esset in multis controuersiæ, populi iudicium esset. Dionysius libr. 7. *Icilia lex.*

Post hanc, legem tulit M. Duellius Tribunus pleb. L. Valerio Poplicola Potito, M. Horatio Barbaro Coss. anno CCCIV. vt qui plebem sine Tribunis plebis reliquisset, quique Magistratum sine prouocatione creasset, tergo & capite puniretur. Liuius lib. 3. *Duilia lex.*

Eodem anno legem tulit M. Horatius Barbatus Consul cum L. Valerio Poplicola, vt qui Tribunus plebis, Aedilibus, iudicibus nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset, familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret. Liuius libro 3. Dionysius libro 11. *Horatia lex.*

Anno insequenti CCCV. Lar. Herminio Aquilino, T. Virginio Tricosto Cælimontano Coss. L. Trebonius Tribunus plebis legem tulit, vt qui plebem Romanam Tribunos plebis rogaret, is vsque eò rogaret, dum Tribunos plebis faceret. Qua Tribunorum cooptatio collegio adempta in populum Romanum translata est. Liuius lib. 3. & 5. *Tribonia lex.*

Cùm verò initio Tribuni plebis Senatu excluderentur, legem tulit Atinius Tribunus plebis, vt qui Tribunus plebis esset, dicendæ in Senatu sententiæ ius haberet. Agell. libro 12. capit. vlt. *Atinia lex.*

C. Papirius Carbo Tribunus plebis legem tulit anno ꟾↃCXXIII. M. Perpenna, C. Claudio Pulchro Coss. vt eundem Tribunum plebis quoties quidem vellet, creari liceret. Quæ tamen perlata non est. Florus epitoma 59. Cic. in Lælio. *Papiria lex.*

Omnem Potestatem Tribunis plebis ademit L. Cornel. Silla Dictator, anno ꟾↃCLXXXIII. lege lata, Ne Tribunis plebis ferendarum legum, concionandíve ius esset, néve ad eos prouocatio esset, vt ne iis intercedere liceret, néve iis, qui Tribuni plebis fuissent, alios posteà *Cornelia lex.*

Magistratus capere liceret. Cic.lib.3.de Legibus Cæsar.li.1.Commentariorum de bello Gallico. Plutarchus in Sulla, Florus epitomis. Appia.lib.1.de bellis ciuilibus. Ascon.in 3. Verrinam.

Abrogata tamen ex parte hæc lex est à C. Aurelio Cotta consule cum L. Octauio, anno DCLXXIIX, qui tulit, vt Tribunis plebis liceret posteà alios Magistratus capere, quòd lege Sullæ iis erat ademptum. Asconius in Cornelianam, in Verrem 1. Velleius lib.2.

Pompeia lex. In vniuersum autem omnem potestatem & dignitatem Tribunis plebis restituit Cn. Pompeius Magnus consul 1. cum M. Crasso, anno DCXXCIII. Tulit enim, vt ad Tribunos plebis prouocandi ius esset, omniaque omnino, quæ Tribunis plebis ademerat Sylla, illis restituerentur. Plutarch.in Pompeio, Ascon.in Verrin.1.& 2. Cæsar.lib.1.de Bello ciuili.

Publilia Lætoria lex. De comitiis Tribunorum plebis & aliorum Magistratuum plebeiorum lata est lex à Volerone, Publilio Philone, & Lætorio Tribunis plebis, App. Claudio Sabino Regillensi, T. Quinctio Barbato Capitolino Coss. anno CCXXCII. Vt plebeii Magistratus, qui anteà Curiatis comitiis fiebant, deinceps remotis patribus, Tributis comitiis crearentur. Liu.2. Dionys. libro sexto.

De Aedilibus Curulibus Furia lex. De Aedilibus Curulibus legem tulit, vt opinatur Manutius, M. Furius Camillus Dictator, anno CDXXV. vt duo Aediles ex Patribus crearentur. Liu.lib.6. in fine.

De Triumuiris Capitalibus. Papiria lex. De Triumuiris Capitalibus lex Papiria extat apud Festum, quam L. Papirius Tribunus plebis tulit: vt, qui inter ciues ius diceret, Tresuiros Capitales populum rogaret, qui Sacramenta litigatorum exigerent, iudicarentque: eodémque iure essent, vti quos ex legibus, plebisve scitis exigere, iudicaréve oportet. Atque de Magistratibus hactenus.

Caput VII.

De legibus, earum vi & potestate, item de Priuilegiis.

Comitiis & Magistratus creati, & leges latæ, & iudicia exercita fuerunt. Cùm igitur hactenus de Magistratibus dixerimus, nunc de legibus agemus, quarum duo fuerunt genera. Aliæ enim Centuriatis comitiis, quæ quidem propriè leges dicuntur, aliæ Tributis comitiis, quæ plebiscita, latæ sunt. De plebiscitis hæ leges loquuntur.

Horatia Valeria lex de Plebiscitis. Prima est Horatia Valeria, quam tulere L. Valerius Poplicola Potitus, M. Horatius Barbatus Coss. anno CCCIV. vt quod tributim plebs iussisset, populus teneret. Liuius lib.1. Dionys.lib.2.

Hortensia lex de Plebiscitis. Confirmauit hanc, & ampliùs extendit Q. Hortensius Dictator seditioni sedandæ causa creatus, anno CDLXVII. vt eo iure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur, cùm anteà Patricij non tenerentur, Agellius libro 15.cap.27. Florus epitom.11. Plinius.

Publilia lex. Retulit hanc post annos aliquot Q. Publilius Philo Dictator, anno CDXIV. Qui etiam de Centuriatis legibus tulit, vt legum quæ comitiis Centuriatis ferrentur, ante initum suffragium Patres auctores fierent. Liuius lib.8.

Cæcilia Didia lex. De ratione legum ferendarum laudantur Cæcilia Didia, à Q. Cæcilio Metello, T. Didio Coss. anno DCLV. lata, Ne multis de rebus compluribus, aut id quod nollet, accipere, aut id quod vellet, repudiare. Item, vt in legibus promulgandis trinundinum seruaretur. Cicero Philipp.5. pro Domo sua, & ad Att.epist.1. Paulus Manut. Cæciliam Didiam non vnam legem esse contendit, sed duas diuersa sententia latas, vt primum quidem, caput ad priorem, posterius ad aliam referatur.

Iunia Licinia lex, de trinundino. De Trinundino etiam Iunia Licinia fuit, quam D. Iunius Silanus & L. Licinius Muræna Coss. anno DCXCI. tulerunt. Vt iis qui trinundinum in ferenda lege non seruassent, grauiores, quàm lex Cæcilia & Didia sanxissent, pœnæ irrogarentur. Cicero Phili.5. lib.2.& 4. epistolarum ad Atticum, in Vatinium, & pro Domo.

Clodia lex de intercessione. Tribunorum plebis intercessionem in legum comitiis sustulit P. Clodius Tribunus plebis, lege lata, vt libera & soluta in ferendis legibus Tribunorum plebis potestas esset, neque intercessione impediretur. Cicero pro Sestio. Nouem enim Tribunus plebis vnus obsistere poterat. Dio lib.38.

Aebutia lex de XII. Tab. De XII. Tabularum legibus tulit L. Aebutius Tribunus plebis, vt duodecim Tabularum capita, quæ Reipublicæ propter antiquitatem, obsoletásque res inutilia essent, abrogarentur, solæ legis actiones centumuiralium causarum manerent. Agellius libro 16. capite 10. Ludouicus Charondas de hac lege in fragmento quodam Romanæ antiquitatis sic reperiri ait,

L. Æbutius Tribunus plebis, vir popularis, legem tulit ad populum, vt XII. Tabularum capita, quæ inutilia essent Reipublicæ, tollerentur. Quæ lex multis contradicentibus tandem rogata est.

Non probatur lex Iulia, quam tulit C. Iulius Cæsar Dictator, vt ei, qui in suas leges non iurasset, capitale esset, Appianus lib. 2. de Bellis ciuilibus. *Iulia lex de suis legibus.*

Huc denique Licinia Æbutia referatur, quam de legum latoribus tulêre Licinius, & Æbutius Tribuni plebis, vti potestas nulla, curatióve non modò iis, qui de aliqua curatione aut potestate tulissent: sed nec eorum collegis, cognatis, affinibus mandaretur. Cicero in oratione 2. contra Rullum & in oratione pro Domo sua. Sunt tamen qui duas leges constituant: alteram Liciniam, aliam Æbutiam, quæ eiusdem generis fuerint. *Licinia Æbutia lex.*

Quanquam autem ita constitutum esset vt legibus iis, quas populus suffragiis suis confirmaret, omnes Quirites tenerentur: tamen factum est nonnunquam, vt quidam grauibus de causis legibus soluerentur: qua de re C. Cornelius Tribunus plebis, C. Pisone, M. Glabrione Coss. anno DCXXXVI. legem tulit Ne quis in Senatu legibus solueretur, nisi CC. affuissent: neve qui cùm solutus esset, intercederet, cùm ea de re ad populum ferretur. Asconius in Cornelianam. Quòd eò pertinebant, vt esset quidem in Senatus potestate dare extra ordinem imperia legibúsque soluere, sed ita, vt pòst ad populum veteri more de ea re referretur. Dio lib. 36. *Cornelia lex, de iis, qui legib. soluũtur.*

Priuilegij speciem habet lex Horatia, quam tulit M. Horatius, vt Caiæ Tarratiæ virgini Vestali certi honores tribuerentur, in his vt testabilis esset. Vt si quadraginta annos nata Sacerdotio abire, ac nubere voluisset, ius ei potestásque exaugurandi atque nubendi esset: munificentiæ & beneficij gratia, quod campum Tiberinum, siue Martium populo Romano condonasset, Agellius lib. 6. cap. 7. Plutarchus in Poplicola, vbi eam Tarquiniam appellat. *Horatia lex de Caia Tarratia.*

Est & priuilegium lex illa quam T. Ampius & T. Labienus Tribuni plebis, Q. Cæcilio Metello Celere, L. Afranio Coss. anno DCXCIII. tulerunt, vt Cn. Pompeius victor ex Asia ludis Circensibus corona aurea, & omni cultu triumphantium vteretur: Scenicis autem prætexta coronáque aurea. Velleius lib. 2. Plura priuilegia passim in hoc libro recitantur. *Ampia Labiena lex de Cn. Pompeio.*

CAPVT. VIII.
PARALIPOMENA.

Magistratus in prouincias non tam latis legibus, quam sorte missi, sors in bellis, in qualibet re incerta.

QVæ in superioribus habentur capitibus, aut leuia sunt, aut antea hoc in opere à me explicata: superest vt decretas magistratibus prouincias ostendamus, non tam legum beneficio, quàm sortis arbitrio, quæ in decernendis prouinciis veluti arbitra interponebatur. *At primum, consules sorte commissas prouincias obtinebant.* Vt ex Authentica *de Consulibus* manifestum est. Non sum ignarus multa ab omniscio Andrea Tiraquel. in tractatum illum luculentum, & variæ eruditionis, de legibus connubialibus esse congesta. T. Liuius omnibus paginis testimoniorum plenissimus, 1. Decad. libro quarto, & libro 7. *censuit senatus vtrique legiones scribi, consulésque sortiri prouincias iussit.* Et libro 10. in controuersia illa celebratissima inter Fabium Maximum & P. Decium consules. & 3. Decad. libr. 2. in consulatu Marcelli & Leuini, & 4. Decad. libr. 2. in initio, & libro 4 *illa tacita suberat cura, ne nouus consul Græciam prouinciam sortiretur.* Eiusdem denique Decadis libro septimo in princip. Plutarchus sæpè, Paulo Æmilio, in Crasso. M. Tull. libro 1. ad Attic. Epist. 11. *quibus ego mede i, & antea sæpe studui, & vehementius post sortitionem prouinciæ.* Epist. 14. in limine *senatus decreuit, vt consules duas prouincias sortirentur Gallias.* Valer. Maxim. libro 3. cap. 7. tit. 5. *Q. Metellum, Q. que Pompeium consulares, suos vehementer inimicos, cupitam sibi profectionem in prouinciam Hispaniam, quam sortitus erat, identidem exprobrantes, legatos secum ire illuc coëgit.* fuerat certe hic *P. Furius Philus* consul, vt ex narratione Valerii liquet, collegámque habuit *C. Flaminium,* vt ex Fastis Capitolinis clarum, & docuit Aurelius Cassiodorus in Chronico consulari, licet non *Philum* ille, sed Philonem vocet: atque hoc ipsum est, quod dicitur, prouincias inter consules comparari, sortirique. 3. Decad. libro 10. princ. T. Liuius. *Cn. Seruilius Cepio, & Cn. Seruilius Geminus consules, cum de republica belloque & pace ad senatum retulissent, censuerunt patres, vt consules inter se compararent, sortirenturque, vter Brutios aduersus Annibalem, vter Hetruriam Ligures prouinciam haberet.* Sæpe & extra sortem prouinciæ demandatæ. Eiusdem Decadis libro 8. *Sicilia extra sortem, concedente collega, Scipioni delegata est.*

Sortiebantur etiam *proconsules* prouincias suas, testis est Ælius Spartianus in Seuero, Andreas Alciatus libro quinto Parerg. cap. 22. ex Dione Cocceiano libro 58. C. Plin. Iunior libro secundo Epist. 12. *Cornutus Tertullus*

censuis ordine mouendum (Marium Priscum) *acutius Nerua, in sortitione prouinciæ rationem eius non habendam, quæ sententia tanquam mitior, vicit.* Fuisse autem prouinciam eam proconsularem, discimus ex eodem Plinio Epistola præcedente. *Marius Priscus, accusantibus Afris, quibus proconsul præf erat, omissa defensione iudices petiit.* Paulus Iurisconsult. libro 36. ff. de adoptionibus. *Emancipari filium à Patre quocunque loco posse constat, vt exeat de patria potestate, apud proconsulem etiam in ea prouincia, quam sortitus non est, & manumitti, & adoptionem posse dari placet.* M. Tullius ad Q. Metellum proconsulem scribens lib. 5. familiar. Epist. 2. *nihil dico de sortitione vestra, tantum te suspicari volo, nihil ea in re per collegam meum, me insciente, esse factum, recordare cætera, quam cito senatum illo die, facta sortitione, coëgerim.* Qui locus clarissimus, ostendit sortitionem inualidam, nisi firmatam Senatusconsulto, itaque coram populo, vt cæteri magistratus omnes vrbici, ita & prouinciales eligebantur, & accedente Senatus authoritate, in decretas sibi à populo prouincias profectionem instituebant.

Prouinciæ etiam præsidiales sorte concedebantur *Præsidibus*, nam antiquæ libertatis prouinciæ proconsulibus demandabantur, aliæ per præsides administrabantur. Strabo Amasian. lib. 6. in fine. atque hæ *validiores* audiunt à C. Suetonio in Augusto capite 47. Hegesippus apud Marcellum Ponzanum Dilucidation. suar. pagin. 440. Q. Symmach. lib. 1. Epist. vlt. *Alexander vir ornatissimus, sortitus prouinciam præsidialem, postulat honori suo incrementa præstari, si tuo amore potatur.* in MS. Iacobi Cuiacij codice, *sortitus præsentiam præsidialem*, sed pessimè, Notissimum enim quasdam prouincias præsidiales fuisse, quo in numero recenfentur *Sicilia, & Sardinia*, Sext. Ruffus in libello Breu. hist. Rom. *quatuor Hispaniæ*, Martian. Capella lib. 6. *Tripolis, vtraque Mauritania*, Ruff. ibidem loci. vt & *Ægyptus*, Corn. Tacit. lib. 12. Annal. & lib. 1. histor. *Gallia*, Treb. Pollio in Posthumo, Dalmatia, Fl. Vopisc. in Carino, legendus præter alios, est Alexander ab Alexandro libro 2. Genial. dier. capite 27.

Par ratio *quæstorum*, qui in obtinenda prouincia, sortem experiebantur. Cuius rei fides ex M. Tullio sæpissime, in Orat. pro L. Murena, in Orat. in Vatinium, Orat. 3. in C. Verrem. L. Fenestella, si modo is author est, ac non Verius Dominicus Floccus, eius libelli qui de Magistratibus circumfertur. C. Sueton. in Vespas. capite 2. *quæstor Cretam & Cyrenas sorte tulit.* Valer. Maxim. libro sexto capite 9. titul. vltim. *quapropter C. Marium consulem moleste tulisse traditur, quod sibi asperrimum in Africa bellum gerenti tam delicatus quæstor sorte obuenisset.* Tacit. in vita Iulij Agricolæ. *sors quæsturæ prouinciam Asiam dedit.* Sed quando primum inualuit is mos, expeditum reperies apud Vlpianum Iurisconsult. l. vn. ff. de offic. quæstor. *ex quæstoribus quidam solebant prouincias sortiri ex senatusconsulto, quod factum est Decimo Druso, & Porcina consulibus. sane non omnes quæstores prouincias sortiebantur, verum excepti erant candidati principis.* Hæc ille ex Iunio Trebatio, & Fenestella. Sed quinam illi *candidati principis*, quibus non concessum prouincias sortiri? Sunt illi quibus aditus primus ad honores patefiebat, quique latera principis semper stipabant. Dixi abundantissimè ad illud Claudiani de 4. Hon. consul. ad finem.

Per Ligurum populos solito conspectior ires,
Atque inter niueas alte veherere cohortes,
Subnixisque alte pubes electa lacertis
Sidereum gestares onus.

Addendæ inscriptiones, præter Fabium lib. 6. cap. 4. quarum prima est.

LEG. PR. PR. PROVINC. BELGICÆ. LEGI. I. MINERVIÆ. CANDIDATO. CÆSARIS. IN. PRÆTVRA. ET TRIBVNATV. PLEBIS.

Altera in hæc verba concipitur.

ADIECTO. A. SACRATISSIMO. IMP. HADRIANO. AVG. INTER. TRIBVNITIOS. PR. PEREGR. CANDIDATO. AVG.

Tertia sic se habet in æde cuiusdam parietis ædis sacræ Tibure apud Onufrium Panuinium.

DIVI. HADRIANI. AVG. IN OMNIBVS HONORIBVS. CANDIDATO. IMPERATOR. TRIB. LATICLAVIO.

Denique *Prætores* sorte addicente prouincias suas obtinebant. M. Tullius variis in locis. libr. octauo ad familiar. Epist. 9. Et Act. 2. in C. Verrem. *cum prætores designati sortiremur.* Et 3. Verrina. *nam vt prætor factus est, & sortem nactus est vrbanæ prouinciæ.* Sueton. Augusto capite 3. *ex prætura*

Mace-

Macedoniam sortitus. Idem in Iulio capit.18. *ex prætura vlteriorem sortitus Hispaniam.* & passim istud apud bonos scriptores, quanquam reprehensum id à quibusdam veterum rerumpublicarum instructoribus, quod in electione alia, quæ per sortem fit, *plus temeritas valeat & casus, quam ratio & consilium.* Liborius à Bodenstain Iurisprudentiæ Politicæ libro 1. capite 33.

Neque tantum prouinciæ sortis arbitrio subiectæ, dum diuiderentur, sed & bella exercitusque, aut quælibet alia regendi publice forma. cuius rei quàm antiquus ritus discimus ex Homero libro 7. Iliados, vbi Hector fortissimum prouocat Græcorum, illi omnes cum exire gestirent, sorti rem permiserunt, tum quidem Aiacem, alij Diomedem, nonnulli Agamemnonem à Ioue petierunt, quod cum Alexander legisset, *interficerem*, inquit, *qui me tertium nominasses*, vt rettulit D. Ausonius in Panegyrico. Aiax ipse apud Ouidium libr. 13. Metamorph. Fab. 1.

--- Sortémque meam vouistis Achiui,
Et vestra valuere preces

Et sorte excubabant. Sidon. Apollinar. lib. 8. Epist. 6 *si quid inter excubiales curas, vt pote in castris, saltem sortito vacabis.* L. Ap ... lib. 4 *Milites latrones sorte delecti noctibus excubabant, spei ... gratia.* Vegetius, C. Theod. & Suetonius ab eruditissimo Sauarone notati, D. Auson. in Ludo Sapient.

Nostris negotiis sua loca sortito data.

Valer. Flac. lib. 3. Argonautic.

Iamque adeo nec porta ducem, nec pone moratur
Excubias sortita manus.

Ad pericula sorte exibant, & periturorum nomina educebantur. Seruius Honoratus ad lib. 6. Æneid. *ob mortem Androgei Minois filij, ab Atheniensibus, iis victis pœnam indixit, vt quotannis septem filios, septem filias elendos Minotauro darent, quos illi, vt commune omnibus esset periculum, sorte delegebant.* Virgilius ipse eo loci.

------ stat ductis sortibus vrna.

Et lib. 2. Æneid.

Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt.

Oraculum est apud Pausaniam in Messeniacis, seu lib. 4.

κ;...
... ...

Puellam intactam inferis Diis
Sorte acceptam ab Aepytidarum sanguine.

Idem Pausanias in Laconicis prodidit Lymnæum locum esse, in quo Dianæ *Orthiæ*, id est, *Rectæ* sacellum erectum est, vbi *sorte ducti* homines mactabantur. *Euxea Callisthenes Patre, pro sua salute, & Celephonia ab Erichthæo Patre, pro Atheniensibus ex sorte immolatæ sunt.* Iul. Hygin. Fabular. 238. apud Carthaginenses diu Saturno, vel vt aliis visum, Iunoni, puer sorte delectus immolabatur. Euseb. lib. 4. præparat. Euangel. capite 9. Lactant. Firmiam. libro 1. capite 21. describit operosè, præter morem suum, Silius Italic. lib. 4.

Mos fuit in populis, quos condidit aduena Dido,
Poscere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris
Infandum dictu, paruos imponere natos.
Vrna reducebat miserandos annua casus,
Sacra Thoanteæ, ritúsque imitata Dianæ,
Cui sato sortique Deum de more petebat
Hannibalis prolem discors antiquitus Hanno.

Paucis interiectis Imilce Hannibalis vxor pie.

Quæ porrò hæc pietas delubra aspergere tabo?
Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægri,
Naturam nescire Deum.

Seruius Maurus ad illud Virgilij lib. 4. Æneid.

Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorte.

Et ad illud lib. 9. Æneid.

Omnis per vallum legio sortita periclum
Excubat.

Silius ille idem de Romanis Cannensi clade territis lib. 10.

Munera sortito inuadunt.

Quinimo statio in castris assignabatur militibus sorte, idque ab Heroicis temporibus obseruatum, viri docti ex Hom. lib. 10 Iliad. v. 40. Apol. C... lianus, lib. 2. de Excidio Hierosolymitano.

Parcite, vos oro, cædisque immittere sortem,
Inque vicem se quisque petat.

Neque tantum leges Romanæ sortem admiserunt, sed & diuina præscripta, vt ex sacris infinitis penè locis legimus. Numer. cap. 16. *vt sors terram tribubus diuidat.* capit. 33. *Ego dedi vobis illam in possessionem, quam diuidetis sorte.* cap. 34. *Hæc est terra quam possidebitis sorte.* cap. 36. *Præcepit vt terram sorte diuideres filiis Israel.* legantur ad hæc cap. 1. 31. Deuteronom. cap. 1. 13. Iosue, cap. 24. in fine lib. 1. Paralipomen. Psalm. 77. lib. .. Reg. 14. Et *Ionas sorte in mare deiectus.* Ionæ cap. 1. missa est sors in vrnam, quo die gens Iudæorum debebat interfici. Hester cap 3. Denique *contradictiones comprimit sors, & per-*

tentes quoque iudicat. Vt habetur Prouerbior. capit.18. Atque vt ad noui fœderis monimenta descendamus, *vestis Christi sorte diuisa*, vt vnanimi suffragio conceptum ab omnibus Euangelistis D.Matt.cap.27. D.Marco cap.15. D.Luca cap. 23 D. Ioan. capit.19. Sedulius presbyter Carmin.lib 5.

Huius in exuuiis sors mittitur, vt sacra vestis
Intemerata manens, à Christo schisma vetaret.

Fortè æque rectè.

Huius in exuuias sors mittitur.

Quod & Romanis, vt præfatus sum, legibus receptum Iustinian. Aug. Institut. de legat. *si plures quibus optio permittitur, non conueniunt, sorti res committitur.* Eadem penè sunt libro 2. Cod. quando & quibus libro decimo. *si hæredes & socij non conueniunt in communi rei diuisione, sorti locus est.* confirmat Caius I.C. libro 5. ff. famil. hercisc. *si omnes iisdem ex partibus hæredes sint, nec inter eos conueniat, sortiri eos oportet.* & sexcentis aliis locis idipsum obseruari potest. quæ apud Brederodium & Brissonium reperies.

Cap. VIII.

De prouinciis, earumque Rectoribus.

De Prouinciis & earum constitutione alibi dicemus, hic tantùm leges recitabimus, quæ de iis sunt rogatæ. Sunt autem duplices. Aliæ enim in genere de Prouinciarum administratione loquuntur, aliæ de certis quibusdam Prouinciis certis personis mandandis agunt.

De prouinciis in genere.

Sempronia lex de Prouinc. Hîc prima occurrit Sempronia, quam tulit C. Sempronius Gracchus Tribunus plebis, anno IↃCXXX. Q. Cæcilio Metello, T. Quinctio Flaminio Coss. Vt Senatus quotannis ante comitia Consularia, designandis Consulibus prouincias arbitratu suo decerneret, quas deinde ipsi designati inter se sortirentur: quod ante, vel post designatos Consules, vel post initum Consulatum facere solebant. Prætereà cùm anteà Senatus decreto per Tribunos intercedi posset, ne deinceps liceret. Cic. pro Domo sua, in Vatinium, de Prouinciis consularibus. Salust. in Iugurtham, Suetonius.

Cornelia lex de Prouinc. Post hanc lata est Cornelia à L. Cornelio Sylla Dictatore, vt opinatur Hotomanus, anno IↃCLXXII. Vt qui cum imperio in Prouinciam profectus esset, tamdiu illud imperium retineret, quoad in Vrbem reuersus esset. Cùm antea certo ac præfinito tempore imperium illud terminaretur: & si successor non mitteretur, noua rogatione ad imperium prorogandum opus esset. Fuit & hoc rogationis huius caput, vt triginta tantùm dies, postquam successor missus esset, Magistratui ad decedendum concederentur. Cic. epist 9. ad Lent. & lib.3. ad Appium, epist.6.

Iulia lex. de Prouinciis. De Prouinciis C. Iul. Cæsar duas leges tulit, vnam consul cum M. Calpurnio Bibulo, anno IↃCXCI. cuius aliquot reperiuntur capita: Vt Achaia, Thessalia, cuncta Græcia liberæ essent, neque in iis Magistratibus pop. Romanius dicere liceret, Cic. pro Domo sua in Pisonem, & de Prouinciis Consularibus. Item, vt Magistratibus transeuntibus, eorumque comitibus fœnum, aliaque ab oppidis & vicis subministrarentur, Ad Attic. lib.5. & in Pisonem. Item, Vt duabus in ciuitatibus Prouinciæ suæ Magistratus decedentes rationes suas relinquerent, easdemque totidē verbis ad ærarium referrent. Cic. ad familiares lib 5. epist.20. & in Pisonem. Item, Ne coronarium aurum iis qui Prouincias obtinerent, vel decerni, vel ab iis accipi liceret, nisi decreto triumpho. Cicero in Pisonem. Ne qui cum imperio essent, iniussu populi, aut Senatus de Prouincia exirent, exercitus educerent, aut bellum sua sponte iniussu populi, aut Senatus gererent, in regnum alienum accederent. Cic. in Pisonem, pro Posthumo.

Iulia lex altera. Alteram Dictator tulit, Ne Prouinciæ Prætoriæ plus quam annum, seu plus quàm biennium Consulares obtinerentur, Cic. Philip.3 & 8. Dio. lib. 43.

Manlia lex, de Numidia prouincia. Aliæ leges sunt speciales, de certis quibusdam Prouinciis, certis personis mandandis. Tales sunt Manlia, Clodia, Triboniæ duæ, Vatinia, & Pompeia.

Manliam L. Manlius Tribunus plebis tulit, C. Mario, L. Cassio Longino Coss. anno IↃCXLVI. Vt Consuli C. Mario Prouincia Numidia mandaretur.

Vatinia lex. Vatiniam tulit P. Vatinius Tribus plebis, C. Iulio Cæsare, M. Calpurnio Bibulo Coss. anno IↃCXCIV. Vt C. Cæsari Gallia Cisalpina cum Illyrico in quinquennium sine Senatus decreto, & extra

& extra sortem mandaretur. Vt ij quos in lege nominabat, Legati sine Senatus decreto cum Cæsare proficiscerentur. Vt eidem pecunia ex ærario ad exercitum attribueretur. Vt idem coloniam Nouocomum deduceret. Suetonius in Cæsare, Cicero pro Balbo, & epistolis ad Lentulum, maxime in Vatinium, Sallustius in Iugurtha, Plutarchus in vitis.

Post hanc Clodia lata est à P. Clodio Tribuno plebis, L. Calpurnio Pisone Cæsonino, à Gabinio Coss. anno IↃCXCV. Vt Gabinio Syria, Babylon, Persæ, Pisoni, Macedonia, Achaia, Thessalia, Græcia, omnisque Bœotia Proconsulari imperio mandaretur: iisque cum exercitu in eas Prouincias ituris pecunia ex ærario attribueretur. Cicero pro Domo, & in Sextiana. *Clodia lex.*

Tulit idem & aliam legem, vt Cyprus Insula in prouinciæ formam redigeretur. Vt Ptolomæus Rex Cypri sedens cum purpura, & sceptro & aliis insignibus regiis, Præconi publico subiiceretur, & cum bonis omnibus publicaretur. Vt M. Cato Quæstor cum iure Prætorio adiecto etiam Quæstore, mitteretur in Insulam Cyprum, & regiæ gazæ vendendæ, & pecuniæ deportandæ præficeretur. Vt qui Byzantij rerum capitalium damnati exularent, populi Rom. nomine in eam ciuitatem reducerentur. Cicero pro Domo sua, pro Sextio. De Prouinciis consularibus, Velleius lib. 2. Plutarchus in vitis. *Clodia lex altera de Cypro.*

L. Trebonius Tribunus plebis duas leges tulit, Cn. Pompeio Magno II. M. Licinio Crasso II. Coss. anno IↃCXCIIX. Prior fuit, vt Cæsari Imperium in Gallia in aliud quinquennium, quam quod ex Vatinia lege concessum erat, prorogaretur. Ita Senatui successoris mittendi potestatem adimebat. Cicero lib. 7. 8. 9. 10. ad Atticum, Florus epitoma 105. Plutarchus in Pompeio & Catone Vticensi, Dio lib. 39. Altera fuit, vt Pompeio Magno & Crasso consulibus, Syria & Hispania Prouinciæ in quinquennium darentur. Plutarchus in Pompeio. *Trebonia lex vna.* *Trebonia lex altera.*

Anno IↃCCI. Cn. Pompeius Magnus consul III. cum Q. Cæcilio Metello Pio, legem tulit, vt sibi Hispania prouincia in alterum quinquennium prorogaretur. Dio lib. 38. & Plutarch. in vitis, qui tamen quadriennium scribit. Sequuntur leges de Colonis. *Pompeia lex.*

CAPVT IX.

De Coloniis deducendis.

PRIMVS C. Acilius Tribunus plebis legem tulit anno IↃLVI. C. Cornelio Cethego, Q. Minutio Rufo, Coss. Vt quinque Coloniæ in oram maritimam deducerentur, duæ ad ostia fluminum Vulturni, Liternique: vna Puteolos, vna ad castrum Salerni, his Buxentum adiectum: tricenæ familiæ in singulas Colonias iubebantur mitti, Liu. l. 32. *Acilia lex.*

Secuta hanc est Ælia, quam tulit Q. Ælius Tubero Tribunus plebis, P. Cornelio Scipione Africano II. Ti. Sempronio Longo Coss. anno IↃLIX. Vt Latinæ duæ Coloniæ, vna in Brutios, altera in Thurinum agrum deducerentur. Liu. lib. 34. & 35. *Ælia lex.*

Liuia sequitur, quam tulit M. Liuius Drusus Tribunus plebis anno IↃCXXXI. Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Fannio Strabone Nepote Coss. Vt duodecim Coloniæ deducerentur, & singulis tria ciuium millia assignarentur. Plutarchus in Gracchis. *Liuia lex.*

P. Vatinius Tribunus plebis C. Iulio Cæsare, & M. Calpurnio Bibulo Coss. anno IↃCXCIV. legem tulit, vt C. Cæsar Coloniam Nouumcomum deduceret. Suetonius in Cæsare, & alij. *Vatinia lex.*

Paulò pòst M. Claudius Marcellus consul cum Ser. Sulpitio Rufo anno IↃCCII. tulit, Vt colonis quos rogatione Vatinia Nouicomum Cæsar deduxisset, ciuitas adimeretur: quòd per ambitionem & vltra præscriptum esset. Suetonius in Cæsare. *Claudia lex.*

C. Iulius Cæsar Dictator legem tulit, vt ager Campanus viginti millibus ciuium extra sortem diuideretur, eóque Colonia deduceretur. Suetonius in Iulio & Augusto. *Iulia lex.*

CAPVT X.

De legibus Agrariis.

HIs legibus, quæ de Coloniis deducendis latæ fuerint rectè mihi videor Agrarias subiungere, quæ sic appellatæ sunt, quòd de agris populo diuidendis fuerunt rogatæ.

Prima fuit Cassia, quam tulit Sp. Cassius Viscellinus III. Consul cum Proculo Virginio Tricosto Rutilio anno CCLXVII. Vti ex agro Hernicis, quibuscum fœdus ictum erat adempto, dimidium Latinis, dimidium plebi diuideretur. Lex tamen non tenuit. Liuius lib. 2. Valerius lib. 5. cap. 8. *Cassia lex.*

Hanc secuta est alia Licinia, quam tulit C. Licinius Stolo Tribunus, L. Æmilio Mamercino *Licinia lex.*

V.P.Valerio Potito Poplicola IV.&c. Tribunis militum consulari potestate anno CCCLXXVII. Ne quis plus quingenta iugera agri, centum pecoris maioris capita, quingenta minoris possideret. Varro libro 1. de Re Rustica, Columella libro 1. cap. 3. Liuius libro 6. Appianus, Agellius, Valerius, Plinius, Velleius, Plutarchus in Camillo & in Gracchis.

Ælia Licinia lex. Consecuta hanc est Licinia de septem iugeris viritim diuidendis. Nam Columella libro 1. Post exactos, inquit, Reges Liciniana illa septem iugera, quæ plebis Tribunus viritim diuiserat, maiores quæstus antiquis retulêre, quàm nunc nobis amplissima vera acta. Sigonius dicit tunc hanc legem latam esse, cùm hic Magistratus octo ante annis in Rempublicam esset inductus.

Flaminia lex. Post hanc Flaminia sequitur, quam tulit C.Flaminius Tribunus plebis, Sp.Caruilio Mar. II. Q.Fabio Maximo Verrucoso II. Coss. anno IƆXXV. Vt ea regio Galliæ quæ Picenum vocatur, vnde Senones expulsi fuerant, militibus Romanis diuideretur. Polybius libro 4. Cic. in Catone maiore.

Rubria lex. *Liuia lex.* Post captam Carthaginem de agris in Africa diuidendis Rubria lex lata est, tum Liuia de Decemuiris, qui diuiderent: quarum legum in tabula ænea mentionem se vidisse Manutius affirmat.

Sempronia leges. Secutæ Semproniæ sunt à Ti.Sempronio Graccho Tribuno plebis, anno IƆCXX. P.Mutio Scæuola, L.Calpurnio Pisone Frugi Coss. latæ, quarum vna repetitio Liciniæ fuit: Ne quis ex publico agro plus quingenta iugera possideret: quorum tamen dimidium filiis habere liceret, Vt si quis latiùs agrum patefaceret, Triumuiri quotannis data opera creati iudicarent, quà publicus ager, quà priuatus esset. Appianus libr. 1. Bellorum ciuilium, Plutarchus in Gracchis, Vell. libro 2 Sex. Aurelius Victor (sic enim iam auctor proditur) de viris illustribus, Cic. pro Sextio & de Aruspicum responsis, Florus epitoma 58. & Siculus Flaccus in lib. de conditione agrorum: apud quem tamen ducenta legimus, cùm alij omnes apertè quingenta prodant.

Altera lex. Sêpronia. Altera fuit, quæ quidem aliquo modo huc pertinet, vt pecunia Regis Attali, qui populum Rom. hæredem fecerat, iis ciuibus, qui sua lege Sempronia agrum sortiti erant, darent, ad comparationem instrumentorum, & agriculturæ apparatum. Vt agri regii à censoribus locarentur: vnde vectigal populo penderetur. Plutarchus in Gracchis, Cicero Verrina 5. Florus epitoma 58.

Bæbia lex. Sempronias leges haud ita multò post secuta est Bæbia, quam tulit M.Bæbius Tribun. plebis, idémque Triumuir Coloniæ deducendæ, Ne agri ampliùs diuiderentur: sed possessores in iis relinquerentur, vectigal pro iis populo Romano soluente, eáque pecunia plebi diuideretur, Appianus lib. 1. Bellorum ciuilium.

Thoria lex. Non multò pòst Sp.Thorius Tribunus plebis legem aliam tulit, Ne quis vectigal vllum agrorum, quos possideret, solueret, cauitque de pastione pecoris. Cicero in Bruto. Duo legis Thoriæ fragmenta ex æneis tabulis exscripta, & suppleta habet Sigonius lib. 1. de antiquo iure Italiæ, cap. 2.

Appuleia lex. Anno IƆCLIII. C.Mario VI. L.Valerio Flacco Coss. legem tulit Appuleius Saturninus Tribunus plebis: vt quem agrum C.Marius consul in Gallia, pulsis Cimbris, in ditionem populi Rom. redegisset, is populo Rom. diuideretur, & si ita lex sciuisset, intra diem quintum à singulis Senatoribus in eam rem iuraretur: qui non iurasset, ei mulcta pœna esset. Appianus lib. 1. de Bello ciuili.

Titia lex. Anno insequenti M.Antonio A.Posthumio Albino Coss. legem tulit Sext. Titius Tribunus plebis, vt vectigal agris publicè assignatis impositum Quæstor colligeret. Cicero libr. 2. de Oratore pro Muræna. Valerius lib. 8. cap. 1.

Marcia lex. Eodem tempore L. Marcium Philippum Tribunum plebis legem Agrariam Gracchanæ similem promulgasse, ostendit Cicero in Officiis, quam tamen ipse facile antiquari passus est.

Cornelia lex. L.Cornelius Sulla Dictator, & Consul cum Q.Cæcilio Metello anno IƆCLXXIII. legem tulit, vt Proscriptorum agri publici essent: quòd maximè de iis agris intelligendum est, qui in Thuscia circa Volaterras, ac Pesulas erant, quos militibus suis Sulla diuisit. Cicero in Rullum, pro Roscio Amerino, Sallustius in Catilinæ coniuratione.

Seruilia lex. Sequitur Seruilia, quam tulit P.Seruilius Rullus Trib. pleb. M.Tullio Cicerone, C.Antonio Coss. anno IƆCXC. Vt qui agri, quæ loca, quæ ædificia, aliúdve quid, quod publicum populi R. factum esset L.Sulla, Q.Pompeio consulibus, id venderetur. Item vt omnia vænirent, de quibus vendendis S.C. facta erant M.Tullio, Cn.Cornelio Coss. & ea pecunia agri in Italia emerentur, in quos Coloniæ à Decemuiris deducerentur. Vt Campanus ager, & Stellas publicus populi Rom. diuideretur. Capuam Coloni adscriberentur. Multa huius legis capita fuerunt. Nam Cicero alicubi quadragesimum citat. In Orationibus ipsius contra Rullum

hæc

hæc citantur.

Tribunus legis Agrariæ lator Decemuiros per septemdecim tribus creato, & quem nouem tribus fecerint, Decemuir esto.

Vt comitiis Pontificis Maximi.

Decemuiratus candidati præsentes profitentor.

Curiata lege per primum Prætorem Decemuiri ornantor.

Si fieri non possit, eodem tamen iure sunto, quo qui optima lege, nec intercedendi potestas esto.

Auspicij coloniarum deducendarum causa Decemuiri pullarios, vt lege Sempronia, apparitores, scribas, præcones, architectos, mulos, tabernacula, centurias, supellectilem, ianitores ex Equestri loco ducentos quotannis stipatores corporis habento.

Potestatem Prætoriam omnium rerum iudicio sine prouocatione in quinquennium habento.

Omnia de quibus vendendis S.C. facta sint, M. Tullio, Cn. Cornelio Coss. aut posteà vendunto.

Qui agri, quæ loca, ædificia, aliúdve quid extra Italiam publicum populi Romani factum sit L. Sylla & Q. Pompeio Coss. aut posteà, vendunto.

Ager Recentoricus & Numidicus exceptus esto.

Quæ libera, quæ publica sint, iudicanto.

Vectigalia populi Rom. in omnibus prouinciis vendunto.

Aurum, argentum, ex præda, manubiis, coronario, quæ neque relata sunt in publicum, neque in monimentum consumpta, ab Imperatoribus repetunto.

Pompeius exceptus esto.

Vbicunque velint, auctionem proscribunto.

Eam pecuniam in ærarium ne referunto.

Agros qui arari, aut coli possint, in Italia coëmunto.

Ab inuito nil tangunto.

In coëmptos agros plebem deducunto.

Quinque millium Roma. coloniam Capuam deducunto, iisque agrum Campanum & Stellatem campum diuidunto.

Quæ publice data, donata, concessa, vendita, possessa post Marium & Carbonem Coss. ædificia, lacus, agri, stagna, loca, possessiones eo iure fiunt, vt quæ optimo iure priuata sunt, &c.

Verùm lex hæc dissuadente Cicerone Consule, magno consensu plebis est repudiata.

Triennio post Flauia à L. Flauio Tribun. plebis lata est, Vt vel agri, quos à Senatu locupletes emissent, reddita possessoribus pecunia, plebi diuiderentur: vel, si neminem vetere possessione moueri Senatus vellet, alij agri ea pecunia, quæ ex nouis vectigalibus per quinquennium reciperetur, emerentur: & plebi, quæ agros non haberet, partirentur. Cicero libro 1. ad Atticum. *Flauia lex.*

Postero anno Iulia lata est, à C. Iulio Cæsare Consule cum M. Calpurnio Bibulo anno IↃCXCI. suasore Cn. Pompeio. Vt ager Stellas, maioribus consecratus, item Campanus ad subsidia Reip. vectigalis relictus plebi diuiderentur. Diuisit extra sortem viginti millibus ciuium, quibus terni, pluréſque liberi essent. Velleius libro secundo, Plutarchus in Pompeio, in Cæsare, & in Catone Vticensi. Dio lib. 38. Hanc vocat Campanam Cicero l.b. 2. ad Atticum. Dio eam optimam fuisse dicit. Et hæ sunt præcipuè Agrariæ leges, quarum à scriptoribus mentio fit. *Iulia lex.*

CAPVT IX.

De Terminis, siue Limitibus.

LEGES Agrarias sequuntur illæ, quæ de terminis seu limitibus rogatæ sunt, quarum quæ extant, hoc capite à nobis recitabuntur.

Prima ferè, cuius memoria extat Sempronia est, à T. Sempronio Graccho Tribun. plebis lata, anno IↃCXX. P. Mutio Scæuola, L. Calpurnio Coss. Vt per actuarios limites populo ius eundi esset, sicut per viam publicam. Hygynus libello de Limitibus constituendis. *Sempronia lex.*

Proxima huic est, Mamilia, quam tulit C. Mamilius is, qui propterea Limitanus vocatus est, Tribunus plebis bello Iugurthino, vt proditum est à Sallustio. Hæc lex in finibus *Mamilia lex.*

agrorum quinque aut sex pedum latitudinem præscripsit, quos vsucapi vetabat. Aggenus Vrbicus, Cicero lib. 2. de Legibus & in Bruto. Eâdem lege etiam singulos arbitros regendis finibus datos, esse, ostendit Cicero.

Cornelia lex. *Iulia lex.* Cornelia, L. Cornelij Sullæ Felicis, & Iulia, C. Iulij Cæsaris Dictatorum, tantum repetitio Semproniæ legis fuerunt, teste Hygino in libello de limitibus constituendis.

Reperiuntur in libro Variorum auctorum de agrorum conditionibus fragmenta aliquot legis Mamiliæ, Rosciæ, Peduceæ, Allienæ, Fabiæ, quæ vti à Iusto Lipsio viro clarissimo accepimus, huc adscribemus.

Iustus Lipsi in ca. 3. Quæ colonia hac lege deducta, quo iure municipium, præfectura, forum, & conciliabulum constitutum erit, si qui ager intra fines eorum erit, si termini in eo agro statuti non erunt, quo in loco terminus non stabit, in eo loco is, cuius supra scriptus ager erit, terminum restituendum curato: quem recta actum, pactum esse velit, idque Magistratus, qui in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabolo iurisdicundi præerit, facito vt fiat.

Idem c. 4 Qui limites, decimanique in lege deducti erunt, quæcunque fossæ limites in eo agro erunt, qui hac lege ager conlatus, assignatus erit, ni quis eos limites, decimanóve obsepito, néve quid in eis molitum, néve quid fiat opsitum habeto, néve eos arato, néve eas fossas obturato, néve quid sepito, quo minús suo itinere aqua ire, fluere possit. Si quis aduersus ea quid fecerit, in terminos singulos, quotiescunque fecerit, IIX. S. coloniis, municipibus eis, atque in quorum agro id factum erit, dare damnas esto. Pecuniæque, qui volet, petito hac lege esto.

Idem c. 5. Qui hac lege coloniam deduxerit, municipium, Præfecturam, fora, conciliabola constituerit, in eo agro, qui ager intra fines eiusce coloniæ, municipii, fori, conciliaboli, Præfecturæ erit, limites, decimaníque vt fiant, terminíque statuantur, curato. Qui fines statuerit, fines horum sua acto, dum ne extra agrum colonicum, territoriúmve fines ducat. Quique termini hac lege statuti erunt, ne quis eorum quem eiicito, néve loco moueto sciens dolo malo. Si quis aduersus ea fecerit, in terminos singulos, quos eiecerit, loco mouerit, sciens dolo malo, ss. V. M. N. (id est, sestertium quinque millia nummûm) in publicum eorum quorum intra fines hic ager erit, dare damnas esto. Deque ea re curatoris, qui hac lege erit, iurisdictio reciperatorúmque xx. datio, addictio esto. Cùm curator hac lege non erit tum quicunque Magistratus in ea colonia, municipio, foro, conciliabolo, Præfectura, iurisdicũdi præerit, eius Magistratus de ea re iurisdictio, iudicisque datio, addictio esto. Inque eam rem is, qui hac lege iudicium dederit, testibus publicis duntaxat, in terminos singulos ss. x. millia denunciandi hæc essantem facito, ita vti è Republica fidéque sua videbitur. Et si duo de ea pecunia petita condemnati erunt, eam pecuniam ab eodem aut denique eis, primo quoque tempore exigito: eiusque pecuniæ quòd receptum erit, partem dimidiam ei, cuius vnius opera maxime his condemnatus erat, partem dimidiam in publico redigito. Quo in loco terminus haud erit, si quis in eum locum terminum destituere sine malo, & sine fraude sua liceto facere, néve quid cui hic ob eam rem hac lege damnas esto. Vide Iusti Lipsij librum Electorum, capite 15. Cæterùm vt his legibus aliquid lucis accedat, de limitibus pauca quædam adiiciam.

Limitum multa genera fuerunt, decumani, cardines prorsi, transuersi. Decumanus erat ab Oriente in Occidentem: à Meridie in Septentrionem cardo: ab Occidente ad Orientem prorsi: à Septentrione ad Meridiem transuersi. Et à situ regionum maritimi, & montani erant, qui ad mare, vel ad montes spectarent. Præter hos erant limites actuarii & linearij. Actuarius erat, vt ait Hyginus in libro de Limitibus, qui primus actus erat, ab ea quintus quisque: quem si numerares cum primo, erat sextus: quoniam quinque Centurias sex limites clauderent, reliqui medij limites Linearii appellabantur, in Italia Subruncini. Dicuntur limites à liminibus. Quemadmodum enim limina introitus, exitúsque locis præstant: similiter introitus, exitúsque, qui in agris diuisis & adsignatis peruij semper esse debent, tam itineribus, quàm mensuris agendis, limites appellantur. Higinus à limo, verbo antiquo, quod transuersum & obliquum significat, limites dici vult. Vnde Festus ait: limites nunc terminos, nunc vias transuersas significare. Denique quicquid obseruationum finium in agro opera manuum factum est, Limes, auctore Aggeno Vrbico appellatur. Limitum, siue terminorum designãdorum ritum ab antiquis obseruatum eleganter describit Siculus Flaccus, cuius verba huc libet adscribere: Cùm terminos, inquit, disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram conuocabant proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, & vnguento velaminibusque & coronis eos coronabant. In fossis autem, quibus posituri eos erant, sacrificio facto hostiáque immaculata cæsa, facibus ardentibus in fossa cooperti, sanguinem instillabant, eóque fruges & thura iactabant: fauos quoque & vinum alia-

liaque, quibus consuetudo erat terminis sacrum fieri, in fossa adiiciebant, consumptisque omnibus dapibus igne super calentes reliquias lapides conlocabant, atque ita diligenti cura confirmabant. Hactenus ille, quæ ad pleniorem harum legum intellectum huc referre volui.

Caput XII.

De legibus frumentariis.

NOn sunt silentio prætereundæ leges frumentariæ, quarum quatuor memorantur, Sempronia, Liuia, Terentia Cassia, & Clodia.

Semproniam tulit T. Sempronius Gracchus II. Tribunus plebis, anno ƆCXXIIX. M. Fuluio Flacco, M. Plautio Hypsæo Coss. Vt semisse & triente frumentum menstruum plebi ex publico viritim daretur. Appianus lib. 1. de Bel. ciuil. Florus Epit. 60. Cic. pro Sextio, & alibi sæpe, Velleius lib. 2. Plutarchus in vitis. Hinc locus Romæ constitutus, in quo frumentum publicum afferuabatur, vnà cum legibus frumentariis, qui dicebatur Horrea Sempronia. *Sempronia lex.*

Hanc legem postea confirmauit M. Liuius Drusus, Tribunus plebis, L. Martino Philippo, Sexto Iulio Cæsare Coss. anno ƆCLXII. Tulit enim, vt Sempronia lex de frumento plebi ex publico viritim dando valeret. *Liuia lex.*

Secuta est Terentia Cassia, quam tulere M. Terentius Varro, Lucullus, C. Cassius Coss. anno ƆCXXC. Vti frumenti alteræ decimæ à Prouinciis coemerentur pretio in singulos modios H-S. trium constituto. Item, vt ciuitatibus æqualiter imperaretur, precio in modios singulos H-S. quatuor constituto. Cic. Verrina 5. & 7. *Terentia Cassia lex.*

Clodiam P. Clodius Tribun. pleb. L. Calpurnio Pisone Cæsonio, A. Gabinio consulibus, anno ƆCXCV. tulit. Vt frumentum populo, quod antea senis æris, ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur, & Sext. Claudio frumentaria procuratio mandaretur. Asconius in Pisonianam, Cic. pro Sestio & in Pisonem & pro Domo. De his legibus omnibus, & tota frumentariæ rei ratione lege ea, quæ collegit Iustus Lipsius lib. Electorum, cap. 8. *Clodia lex.*

Meminit Cic. & legis Hieronicæ in 4. Verrina, qua inter aratores & decumanos iudicia facta dicit. Tulit eam Hiero Siciliæ Tyrannus. Hac constitutum fuit, vt refert Zasius, quantum frumenti, aut quo precio, quove tempore arator frumentum decumano, id est publicano qui decimas redemerat daret. Quod ita diligenter & cautè scriptum erat, vt nec arator decumanum fraudare, nec decumanus plus decima ab aratore auferre posset. Atque ob hanc legis æquitatem Romani Sicilia potiti, nihil mutauerunt. Memorabile hoc etiam in lege fuit, quod numerus aratorum quotannis apud Magistratus publicè subscribebatur. *Hieronica lex.*

Caput XIII.

De legibus sumptuariis.

HOc capite leges sumptuarias recitabo, quæ inde nomen habent, quod modum sumptibus in conuiuiis definierint. Cùm enim à veteri & auita maiorum parsimonia posteri discederent, & nullum modum luxuria inueniret, legum animaduersione opus fuit. Lata igitur primùm lex Orchia est à C. Orchio Tribuno plebis, de Senatus sententia, tertio anno quam Cato fuerat, quæ numerum conuiuarum præscribebat. Et hæc est lex Orchia, inquit Macrobius lib. tertio Saturnaliorum capite 18. de qua Cato mox orationibus suis vociferabatur, quòd plures quàm præscripto eius cauebatur, tum ad cœnam vocarentur. *Orchia lex.*

Anno XXII. post Orchiam, cùm nouæ legis auctorem aucta necessitas imploraret, Fannia lata est A. V. C. ƆXXCIIX. secundum Agellij opinionem, à C. Fannio Coss. quæ ludis Romanis, item plebeiis & Saturnalibus, & aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos æris insumi concessit, decémque aliis diebus in singulis mensibus tricenos: cæteris autem omnibus diebus denos. De hac lege Sammonicus Seuerus ita refert: Lex Fannia sanctiss. Augusti ingenti omnium ordinum consensu peruenit ad populum, neque eam Prætores aut Tribuni, vt plerasque alias, sed ex omni bonorum consilio & sententia ipsi Coss. pertulere, cùm Respub. ex luxuria conuiuiorum maiora, quàm credi potest, detrimenta pateretur. Siquidem eò res redierat, vt gula illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam, & libertatem suam venditarent, plerique ex *Fannia lex.*

plebe Rom. vino madidi in Comitium venirent, & ebrij de Reip. salute consulerent. Hæc Sammonicus. Addit Macrob.lib.3 Saturnal.cap.17. Fanniæ legis seueritatem in eo superasse Orchiam legem, quod in superiore numerus tantummodò cœnantium cohibitus fuerit, licueritque secundum eam vnicuique bona sua inter paucos consumere: Fanniam autem & sumptibus modum fecisse assibus centum. Vnde à Lucilio Poeta festiuitatis suæ more centussis vocetur.

Didia lex Fanniam legem post annos x. & IIX Didia consecuta est. Eius ferundæ duplex fuit causa. Prima & potissima, vt vniuersa Italia, non sola vrbs, lege sumptuaria teneretur, Italis æstimantibus Fanniam legem non in se, sed in solos vrbanos ciues esse conscriptam. Deinde, vt non soli, qui prandia, cœnásve maiore sumptu fecissent: sed etiam, qui ad eas vocati essent atque omnino interfuissent, pœnis legis tenerentur.

Licinia lex. Post Didiam Licinia lex lata est à P. Licinio Crasso Diuite: cuius ferendæ, probandæque tantum studium ab Optimatibus impensum est, vt S. C. iuberetur. vt ea tantummodò promulgata, priusquam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus obseruaretur, quasi iam populi sententia comprobata. Lex verò hæc paucis mutatis in plerisque cum Fannia congruit. Summa eius fuit, vt in Kalendis, Nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos xxx. duntaxat asses edundi causa consumere liceret: cæteris verò diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quam carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo. Ea autem quæ ex terra, vite, arboréve nata essent, promiscuè largita est. Ab hac lege Centenarias cœnas vocabant in quas ex lege non plus centussibus præter terra nata impendebantur, auctore Festo.

Cornelia lex. Secuta est non ita multis post annis lex Cornelia, & ipsa sumptuaria, quam tulit L. Cornelius Sulla Dictator: in quo non conuiuiorum magnificentia prohibita est, nec gulæ modus factus, verum minora precia rebus imposita. Agellius tamen lib.2.cap.24. etiam hoc Sullana lege constitutum fuisse dicit, Vt Kalendis, Idibus, Nonisque diebus ludorum, & feriis quibusdam solemnibus H.S. tricenos in cœnam insumere ius potestásque esset: cæteris autem aliis diebus omnibus non amplius ternis.

Aemil. lex Sulla mortuo M. Aemilius Lepidus Coss. legem tulit & ipse cibariam. Cato enim sumptuarias leges cibarias appellat. Hac lege non sumptum cœnarum, sed ciborum genus & modum præscriptum fuisse Agellius dicit.

Antia lex. Dehinc paucis interiectis annis, alia lex peruenit ad populum, ferente Antio Restione, quam legem quamuis esset optima, obstinatio tamen luxuriæ, & vitiorum firma concordia, nullo abrogante irritam fecit. Hanc legem Agel. ait præter sumptum æris, id etiam sanxisse, vt qui Magistratus esset, Magistratúmve capturus esset, ne quò ad cænam, nisi ad certas personas itaret. Addit Macrobius, illud memorabile de Restione latore ipsius legis ferri, quod, quoad vixit, foris postea non recœnauerit, ne testis fieret contemptæ legis, quàm ipse bono publico pertulisset.

Postremò lex Iulia ad populum peruenit, Cæsare Augusto imperante, qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur, Kalendis, Idibus, Nonis, & aliis quibusdam festiuis, trecenti: nuptiis autem & repotiis H. S. mille. Hęc ferè Macro. lib.3. Saturn. c.17. & Agell. lib 2 Noct. Attic. c.24. de legib. sumptuariis, quibus & hoc Agellius addit, Capitonem Ateium dicere, edictum fuisse, Diui ne Augusti, an Tiberij Cæsaris, se non satis commeminisse, quo per dierum varias solemnitates à CCC. H-S. ad vsque duo millia sumptus cœnarum propagatus sit, vt his saltem finibus luxuriæ efferuescentis æstus coerceretur. Ad leges sumptuarias eas etiam refero, quibus luxus in vestitu & aliis rebus fuit prohibitus.

Cecilia lex. Cæciliam legem tulit Cæcilius Metellus Trib. pleb. anno IƆXXXIII. L. Veturio Philone, C. Lutatio Catulo Coss. qua ratio poliendarum vestium fullonibus præscribebatur. Dedere eam ad populum ferendam C. Flaminius Papus Censores, cùm ipsis non liceret. Plin. lib.37. cap.17.

Oppia lex Non multò post Oppia lex de Matronarum cultu, vel mundo muliebri lata est à C. Oppio Tribuno pleb. Q. Fabio Maximo, T. Sempronio Graccho II. Coss. anno IƆXL. in medio ardore secundi Belli Punici, Ne qua mulier plus semuncia auri haberet: neu vestimento versicolore vteretur, neu iuncto vehiculo in vrbe, oppidóve, aut propiùs inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur. Liuius lib.34. Tacitus Annal. libro 2. Ea tamen post aliquot annos antiquata est, auctoribus M. Fundanio & L. Valerio Tribunis plebis. Fuit etiam lex, Ne quis in argento & auro plus LX. H-S. possideret, quam legem C. Iul. Cæsar II. Consul confirmauit. Dio libro 41.

Capvt XIV.

De re Militari, Triumphis, & Bellis.

Recita-

RECITABIMVS hoc capite eas leges, quæ ad rem militarem spectant, quibus posteà adiiciemus eas, quibus certorum aliquot bellorum administratio certis Magistratibus est demandata.

De Tribunis militum.

DeTribunis militum legem tulit C. Rutilius Rufus, cuius meminit Festus, his verbis: Rufuli appellabantur Tribuni militum à Consule facti, non à populo: de quorum iure, quòd Rutilius Rufus legem tulerit, Rufuli, ac post Rutili sunt appellati. Plura de hac lege non extant. **Rutilia lex.**

Sequitur Atilia Marcia quam tulêre L. Atilius, C. Marcius Trib. pleb. C. Iunio Bubulco Bruto II. Q. Æmilio Barbula II. Coss. anno CDXLII. Vt Tribuni mil. cum seni deni in quatuor legiones à populo crearentur, quæ anteà perquàm paucis suffragio populo relictis locis, Dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia. Liuius lib. 9. **Atilia Marcia lex.**

Liciniam Cassiam tulêre Publ. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus Coss. anno IↃXXII. Ne Tribuni militum eo anno suffragiis populi crearentur, sed Consulum, Prætorumque in iis faciendis, iudicium, arbitriúmque esset. Liuius lib. 42. **Licinia Cassia lex.**

De Duumuiris naualibus tulit M. Decius Tribunus plebis, C. Iunio Bubulco Bruto II. Q. Æmilio Barbula II. Coss. anno CDXLII. Vt Duumuiros nauales classis ornandæ, reficiendæque causa populus iuberet. Liuius lib. 9. **Decia lex.**

De militibus extat lex apud Plutarchum in Gracchis, vt ciues Romani annos X. cùm vsus Reipublicæ postularet, militarent.

Sacrata lex militaris fuit, Ne cuius militis scripti nomen, nisi ipso volente, dederetur, Ne quis, vbi Tribunus militum fuisset, posteà ordinum ductor esset. Liuius lib. 7. Hotomanus opinatur latam eam esse à M. Valerio Coruo Dictatore, anno CDXI. **Sacrata lex militaris.**

De ætate militum legem tulit C. Sempronius Gracchus Tribun. pleb. anno IↃCXXX. Q. Cæcilio Metello, T. Quinctio Flaminio Coss. Ne minores annis XVII. ad militiam cogerentur. Vt vestes militibus gratuito, & præter stipendium darentur. Plutarchus in Gracchis. **Sempronia lex.**

De disciplina militari fuit lex, L. Papirio Cursore, Sp. Caruilio Maximo Coss. anno CDLX. lata, à quo incertum, Vt qui iuniorum non conuenisset ad Imperatorium edictum, quique iniussu abiisset, eius caput Ioui sacratum esset. Liuius lib. 10. **Incerta lex de disciplina militari.**

Feruntur & hæ de militia leges, Vt qui ciuem ab hoste seruasset, is ab Imperatore quercea corona donaretur. Plutarchus in Coriolano.

Ne quis loco ab Imperatore designato cederet atque ordinem desereret. Diodorus libro 12. Vt si quis vlteriùs secederet, quàm vnde signa audiri possent, pro desertore haberetur. Appian. in Libyco.

Huc pertinet lex de vacatione, Vt Sacerdotes & senes militiæ vacationem haberent, prætorquàm si tumultus Gallicus rursus oriretur. Plutarchus in Marcello & Camillo, Liuius lib. 8. & 10. Appianus lib. 2. de Bellis ciuilibus, Cicero pro Fonteio, & Philippica 8. **Lex de Vacatione.**

Anno CDX. M Valerius Coruus Dictator legem tulit, Ne cui militum secessio, quam metu supplicij fecerant, cùm de Capua, quæ ipsorum præsidio commissa erat, occupanda conspirassent, corúmque consilium detectum esset, fraudi esset. Liuius lib. 7. **Valeria lex.**

De iure triumphandi hæ memorantur leges. Ne quis triumpharet, nisi qui hostium quinque millia vna acie cecidisset. Val. Max. lib. 2. cap. 8. Dio lib. 37. **De iure triumphandi.**

Vt solis Consulibus & ducibus triumphare liceret. Plutarch. in Pompeio, & Catone Vticensi.

Ne qui triumphaturus esset, ante triumphum Vrbem introiret. Plutarch. in Pompeio.

Item Maria Porcia, quam tulere L. Marius, M. Porcius Cato, Trib. pleb. anno IↃCXCI. D. Iunio Silano, L. Iunio Muræna Coss. vt pœna afficerentur ij, qui aut hostium occisorum in prælio aut amissorum ciuium numerum literis Senatui retulissent. Vt cum primum vrbem intrassent, apud Quæstores vrbanos iurarent, de vtroque numero verè ab iis scriptum esse. Val. Maxim. lib. 2. cap. 8. Huc pertinent etiam Cassia & Sulpitia. **Maria Porcia lex.**

Cassiam tulit Q. Cassius Prætor, Q. Aelio Pæto, M. Iunio Penno Coss. anno IↃXXCVI. vt Paulo Anicio, & Octauio ex bello Macedonico cum victoria redeuntibus, quo die Vrbem triumphantes inueherentur, & imperium esset. Liuius lib. 45. **Cassia lex.**

Sulpitiam tulit Seru. Sulpitius Galba Prætor anno IↃCXCIX. L. Domitio Aenobarbo, Ap. Claudio Pulchro Coss. vt C. Pontinio Proconsuli, quo die Vrbem triumphans ingrederetur, imperium esset. Cic lib. 4. ad Atticum, Dio lib. 40. Iam vero aliæ sunt leges, quibus bella decreta, corúmque administratio certis personis demandata est, quales sunt hæ: **Sulpitia lex.**

Sulpitia lex, quam tulit P. Sulpitius Galba Maximus II. Consul cum C. Aurelio Cotta anno IↃLII. Vellent, iuberentne Philippo Regi, Macedonibúsque, qui sub regno eius essent, ob iniurias, armáque illata sociis populi Romani bellum indici. Liuius libro 31. **Sulpitia lex.**

Martia Atidia lex. Deuictis autem, & pacem petentibus Macedonibus, anno ıↄLVII. L. Furio Purpureone M. Claudio Marcello Coss. Q. Martius, C. Atinius Tribuni plebis ad populum tulêre, Vellent, iuberentne cum Rege Philippo pacem esse. Liuius lib. 33.

Cornelia lex. Anno ıↄLXXXII. P. Cornelius Scipio Nasica Cos. cum M. Acilio Glabrione, ad populum tulerunt, Vt quod Perseus Philippi filius Macedonum rex aduersus fœdus cum patre Philippo ictum, & secum post mortem eius renouatum, sociis populi Rom. arma intulisset, agros vastasset, vrbésque occupasset: quódque belli parandi aduersus populum Rom. consilia iniisset, arma, milites, classem eius rei comparasset, vt nisi iis de iis rebus satisfecisset, bellum cum eo iniretur. Liuius lib. 42.

Licinia Cassia lex. Anno ıↄCVI. P. Corn. Scipione Africano AEmiliano, C. Liuio Druso coss. ab vno Tribunorum plebis, cuius tamen nomen non additur, lata est lex, vt belli Punici secundi administratio P. Scipioni coss. mandaretur: Vt ex delectibus supplementum conscriberet: voluntarios quotquot posset à sociis acciperet, & ad Reges, ac ciuitates literas daret inscriptas populi Romani nomine. Appianus de bellis Punicis.

Sulpitia lex. Anno ıↄCLXV. L. Cornel. Sulla, Q. Pom. Rufo coss. Legem tulit P. Sulpitius Tribun. pleb. Vt L. Cornel. Sullæ, cui Asia Prouincia obuenerat, vt bellum Mithridaticum administraret, imperium abrogaretur, & C. Mario mandaretur. Velleius lib. 2. Florus Epit. 77. Plutarchus in Sulla & Mario. Appianus lib. 1. de bellis ciuilibus.

Gabinia lex. Anno ıↄCXXXV. L. Cæcilio Metello, Q. Marcio Rege coss. A. Gabinius Trib. pleb. legem tulit, vt bellum aduersus Piratas Cn. Pompeio in triennium ita mandaretur, vt toto mari, quod est intra columnas Herculis, & in maritimis Prouinciis vsque ad cccc. à mari stadium potestatem haberet imperandi Regibus, Præsidibus, ciuitatibus, vt se rebus omnibus ad eius belli administrationem necessariis iuuarent. Asconius Pedianus in Cornelianam, Velleius lib. 2. Dio lib. 38. Plutarchus in Pompeio, Cic. de lege Manilia, in orat. post redit. in Senat. Appian. in Mithridatico.

Manilia lex. Biennio post, M. AEmilio Lepido, L. Volcatio Tullo coss. legem tulit C. Manilius Trib. pleb. Vt belli Mithridatici administratio Cn. Pompeio mandaretur. Vt Prouincia vniuersa, cui L. Lucullus præfuerat, omnéque ipsius imperium, exercitus & copiæ Pompeio darentur: & hoc amplius Bithynia adiungeretur, cui Glabrio præerat: classis item, & copiæ omnes maritimæ, quas ipse initio belli Piratici habuerat: omnes præterea Prouinciæ, quibus solis lege Gabinia non præfuerat, Phrygia, Lycaonia, Gallatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis superior, & Armenia. Cic. pro lege Manilia, Plutarch. in Pompeio, Appian. in Mithridatico, Florus Epit. 100. lib. 36. Non malè non ad has de re militari leges retulero Martiam de Scatellis, quam tulerunt M. Martius Sermo, Q. Martius Sylla, vel Scylla, Tribuni plebis, C. Popillio Lenato, Publ. Allio Ligure coss. anno ıↄXXCI. vt qui ex Statellis, Liguriæ populis, deditus in libertatem, restitutus ante kalend. Sextileis primas non esset, cuius dolo malo is in seruitutem venisset, vt iuratus Senatus decerneret, qui eam rem quæreret, animaduerteretque. Liuius lib. 42.

CAPVT XV.

De Iure priuato, & primùm de manumissionibus, & libertis.

DE Iure publico hactenus diximus, sequitur priuatum, de quo tamen paucæ adhuc reperiuntur leges. Hoc capite eas, quæ de manumissionibus & libertis extant, recensebimus. Sunt autem istæ, Manlia, Furia Caninia, Iulia, AElia Sentia, Iulia Norbana, Pappia & Visellia.

Manlia lex. Manlia à Cn. Manlio Capitolino Imperiosso II. coss. cum C. Marcio Rutilo, anno cccxcvI. lata est, Vt ij, qui manumitterentur, fortunarum suarum vicesimam ærario darent. Liuius lib 7.

Furia Caninia lex. Furiam Caniniam tulêre, vt opinatur Hotoman. P. Furius Camillus, C. Caninius Gallus coss. anno ıↄCLI. Vt in testamento ex tribus seruis non plures quàm duos manumittere liceat, vsque ad decem dimidiam partem: à decimo vsque ad triginta, tertiam partem, vt tamen adhuc quinque manumittere liceat, æquè vt ex priori numero: à triginta vsque ad centum, quartam partem, æquè vt decem ex priori numero liberari possint: à centum vsque ad quingentos, partem quintam similiter, vt ex antecedenti numero vigintiquinque possint fieri liberi: eadémque præcipit, ne plures omnino, quam centum ex cuiusquam testamento liberi fiant. Eadem lex cauet, vt libertates seruis testamento nominatim dentur, Vlpianus Instit. titul. 1. Paulus Sent. 4 Caii institutiones.

Iuliam

Iuliam tulit Cn. Octauius Augustus, Vt Imperator, cùm seruum manumittit, non vindictam imponeret, sed simpliciter liberum esse iuberet. Paulus l. apud eum 14. ff. de manumiss. Qua lege tam manumissoris, quam manumissi ætatem definiuit, itáque quibus patroni aduersus libertos vterentur, constituit. Dio. lib. 55. *Iulia lex.*

Æliam Sentiam tulêre Sext. Ælius Catus, C. Sentius Saturninus cos. anno ɔɔccLVI. Vt qui serui pœnæ causa vincti à domino, quibusue inustæ notæ fuerant, quiue propter noxam torti, nocentésve inuenti, quive traditi, vt ferro, aut cum bestiis depugnarent, quive in custodia fuissent, ij manumitterentur, non ciues Romani, sed deditiorum numero essent: id est, vt ne connubium, neque commercium, neque testamenti factionem haberent. *Ælia Sentia lex.*

Vt minorem triginta annorum seruum vindicta, aut testamento, nisi causa apud consilium probata, manumittere non liceret.

Ne dominus annis viginti minor, seruum, nisi causa apud consilium probata, manumitteret.

Vt seruus ab eo domino, qui soluendo non est, testamento liber esse iussus, & hæres institutus, etsi minor sit triginta annis, vel in ea causa vt dedititius fieri debeat, ciuis Romanus & hæres sit.

Quòd si duo, pluresve liberi, hæredésve esse iussi sunt, primo loco scriptus, liber & hæres fit.

Vt si patronus libertum inopem non aluerit, primùm libertatis causa impositis, tam ipse, quam is, ad quem ea res pertinebit, mulctetur: deinde ipsius hæreditate, tum ipse, tum ipsius liberi priuentur, nisi hæres institutus sit: postremo à bonorum possessione remoueatur, præterquam secundum tabulas.

Ne dominus in manumittendo seruo, seruáque legem ei de contrahendo matrimonio, quæ ciuis Romani libertatem imminuat, imponat: si secus faxit, ad eius legitimam hæreditatem ne admittatur. Vlpianus tit. 1. Instit. & Iustinianus Instit. quibus ex caus. man. non lic. item Iulianus l. qui soluendo 42. Paulus l. si is qui. 55. l. 57. qui soluendo 60. l. si non 83. ff. de hæredib. instit. l. sciendum 70. ff. de verb. sign. l. 2. Cod. qui manumit. non poss. l. 3. §. 2. ff. de suis & legit. l. si patronus 33. ff. de bon. liber.

Iuniam Norbanam tulêre M. Iunius Silanus, L. Norbanus Flaccus, Balbus Coss. anno ɔɔccLXXI. Vt ij serui, qui neque censu, neque vindicta, neque testamento, sed aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierent, non ciues Rom. sed eodem iure, quo Latini coloni essent. Vt si Latinus ciuem Romanam, vel Latinam vxorem duxerit testatione interposita, quod liberorum quærendorum causa vxorem duxerit, postea filio filiáve nato, natáve & anniculo facto, possit apud Prætorem, vel Præsidem prouinciæ causam probare, & fieri ciuis Rom. tam ipse, quam filius, filiáve eius, & vxor, scilicet si & ipsa Latina sit. Vt Latinorum legitimæ successiones nullæ prorsus essent, sed eorum bona manumissores, tanquam seruorum peculia sibi haberent. Vt liberti ius ciuitatis Rom. non ante haberent, quam ius aureorum annulorum, aut natalium restitutionem à Principe impetrassent. Vlpian. in Instit. tit 3. Iustin. §. de success. lib. idem Nouel. 78. *Iunia Norbana lex.*

Viselliam tulit L. Visellius Varro coss. cum C. Fonteio, anno ɔɔccLXXVI. D. Claudij temporibus. Ne libertinis hominibus, qui ius annulorum aureorum adepti non erant, eos honores, qui ingenuorum proprij sunt, capere liceret. Imp. l. vnica. C. ad leg. Visel. l. 1. C. quando prænc. act. crim. præiud. Vlpian. cap. Inst. 3. Viscellia tamen vbique legitur, mendose, cùm Visselliorum familia nota sit, cuius erat C. Visellius Varro Ciceronis consobrinus, vt constat ex Bruto. *Visellia lex.*

De Iure Patronatus extat lex Pappia, quam tulit M. Pappius Mutilus coss. cum Q. Poppęo II. Augusti temporibus. Vt ex bonis eius, qui H.S. centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quam tres liberos habebat, siue is testamento facto, siue intestatus mortuus erat virilis pars patrono deberetur. Itaque cum vnum quidem filium hæredem reliquerat libertus, perinde pars media debebatur patrono, ac si is sine vllo filio, filiâve intestatus decessisset: cum verò duos duásve hæredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono: si tres reliquerat, repellebatur patronus. Item: Vt libertus qui duos liberos in potestate haberet, operarum obligatione liberaretur. Iustinianus §. 1. de success. libert. Et in Pandect. sub tit. de bon. libert. aliisque locis compluribus. *Pappia lex.*

Capvt XVI.

De Iure connubiorum, & maritandis ordinibus.

De hac etiam parte perpaucæ leges extant. Memoratur de iure connubiorum Canuleia, quam tulit C. Canuleius Trib. pleb. M. Genutio Augurino, C. Curtio Philone Coss. anno CCCIIX. Vt plebi cum Patribus connubiorum ius esset. Tulit autem hanc aduersus legem XII. Tabularum, qua cautum erat, Ne liceret Patriciis coniungi connubio cum Plebeiis. Augu t. lib. 3. de ciuitate Dei cap. 17. Liuius lib. 4.

Iulia lex. De maritandis ordinibus Iulia & Pappia Poppæa agunt. Iuliam tulit C. Octauius Augustus, Ne cœlibes, nisi qui genere essent proxi... quicquam ex testamento ciuis Rom. caperent, neve orbi plus quàm dimidium eorum, quæ relicta essent. Hoc ex Eusebio, Nicephoro, & Sozomeno, & l. 1. C. de infir. pœn. cœlib. Ne coniux coniugis testamento nisi decimam relictorum partem caperet, fiscus reliquas nouem. Vlpianus c. Instit. 15. l. 1. C. de his qui se def. lib. 10. l. 2. C. de infir. pœn. cœlib. Fœminis, inquit Vlp. Lex Iulia à morte viri, triennij à repudio, anni & sex mensium. Vlpianus c. 14. Suetonius in Augusto. Vt priori ex Consulibus fasces sumendi potestas esset, qui plures liberos, quàm collega, aut in sua potestate haberet, aut bello amisisset: sed si par vtrique numerus liberorum esset, maritus, aut qui in numero maritorum est, præferretur: si verò ambo & mariti & patres totidem liberorum sunt, tum ille pristinus honor instauraretur: & qui maior natu esset, prior fasces sumeret. Agellius lib. 2. cap. 15. Vt si liberta ab inuito patrono diuerteret, alij nubere inuito patrono non posset. Vt iusiurandum quod liberto impositum est, ne vxorem duceret, ei remitteretur. l. 6. §. 3. de iure pat. l. 1. ff. vnde vir. & vxor.

Ne qui Senator esset, quive filius, nepos, pronepósve ex filio, vel ex filia natus, cuius eorum esset sponsam, vxoremve, sciens, dolo malo haberet libertinam, aut eam, quæ ipsa, cuiusve pater, matérve artem ludicram faceret, fecissétve, néve Senatoris filia, neptísve ex filio, proneptísve ex nepote, filio nato, nata libertino, eive qui ipse, cuiúsve pater materve artem ludicram faceret. fecissétve, sponsa nuptáve sciens dolo malo esset. Eleganter hoc caput explicat Barnabas Brissonius libro de Iure connubiorum.

Item, ne quis Senator ex numero corpore quæstum facientium vxorem duceret. Cæteri autem ingenui prohiberentur ducere lenam, à lenone, lenáve manumissam, & in adulterio deprehensam, & iudicio publico damnatam, & quæ artem ludicram fecisset, Paulus l. 44. ff. de ritu nupt. Martian. autem in l. 19. eod. scribit cap. 35 fuisse, vt qui liberos, quos habent in potestate, iniuria prohibuissent vxores ducere, vel nubere, à Magistratibus cogerentur in matrimonium collocare & donare. Vt Patriciis liceret libertinas vxores ducere: præterquàm si Senatores, Senatorumve liberi essent, Ne qua sponsalia rata essent, nisi statim exacto biennio nuptiæ fierent: hoc est, ne puellæ decem annis minores ducerentur, quarum annus ætatis duodecimus maturus coniugio habebatur. Zonaras lib. 11. Hæc autem lex in libris Iurisconsultorum interdum Iulia tantùm, interdum Pappia, interdum Iulia Pappia, interdum Pappia Poppæa dicitur.

Pappia Poppæa lex. Pappia Poppæa tum eadem illa, quæ lex Iulia continet, habuit, tum verò etiam hæc, Vt ne quinquaginta annis minor sexagenario nuberet, aut vir hac ætate iunior quinquagenariam fœminam duceret in vxorem. Vt patronis, qui ius trium liberorum haberent contra tabulas testamenti liberti, aut ab intestato contra suos hæredes non naturales bonorum possessio daretur. Vt patronæ ingenuæ duobus liberis honoratæ libertinæ tribus, idem iuris daretur, quod Patronis ex edicto. Vt liberis ingenuæ trium liberorum iure honoratæ, idem iuris quod ipsi patronæ tribueretur. Vt omnibus ingenuis præter Senatores, eorúmque liberos, vxores libertinas habere liceret. Tulêre eam M. Pappius Mutilus, Q. Poppæus II. Coss. suff. Augusto imperatore. Tacitus lib. 3. Iurisconsulti sub titulo de ritu nupt. de vulg. substit. de iure patron. & aliis locis innumeris. Vlpianus cap. Instit. 14. & 24. & 29. Dio lib. 56.

CAPVT XVII.

De Tutelis.

Atilia lex. SEQVVNTVR leges de tutelis, quarum quatuor reperiuntur, Atilia, Lætoria, Iulia, Titia & Claudia. Atilia hæc fuit, vt mulieribus & pupillis tutores non habentibus à Prætore & maiore parte Tribunorum plebis darentur. Quando lata hæc lex sit, non certò constat. Sigonius lib. 1. de Antiquo iure ciuium Romanorum, coniectura ductus scribit, videri sibi latam esse ante Sp. Posthumi Albini, & Q. Marcij Philippi Consulatum, qui incidit in annum IↃLXV. Meminit huius legis Vlpianus titulo 11. vbi addit, tutores Atilia lege datos, Atilianos dici. Meminit & Liuius lib. 39. Hęc tamen posteà à Claudia

à Claudio Imperatore abrogata fuisse videtur, cùm scribit Suetonius, sanxisse Claudium, vt consules pupillis vtriusque sexus tutores darent, quod vicissim ab Antonino Philosopho sublatum refert Capitolinus, ab eoque Prætorem tutelarem institutum.

Cæterùm cum Atilia lex tantum Romæ locum haberet, lata est posteà Iulia Titia, vt etiam prouinciarum Præsides mulieribus, pupillisve tutores non habentibus, tutores darent. Iustinianus Institutionibus de Atilianis tutoribus, & Vlpian. c. Inst. 11. *Iulia Titia lex.*

Lætoria fuit, vt iis qui furiosi, vel prodigi essent, curatores darentur, qui eos circumscripsissent, iudicio publico tenerentur. Meminerunt eius Cic. lib. 3. Offic. lib. 3. de Natura Deorum, Iul. Capitolinus in M. Antonino Philosopho, Suetonius in 4. Prætorum apud Priscianũ lib. 8. *Lætoria lex.*

Claudia à C. Claudio Imperatore lata est, Vt ne agnati mulierum tutelam legitimam recipere cogerentur. Vlpianus tit 2. Instit. & Imperator l. 3. C. de legitimis tutorib. Tantum de tutelis: plura de iis habebimus in XII. Tabularum fragmentis. *Claudia lex.*

Capvt XVIII.

De Testamentis, hæredibus, & legatis.

Dicemvs nunc de testamentis, de quibus aliquot leges hodie extant, vt Furia, Voconia, Falcidia, Cornelia, Iunia, Velleia, Iuliæ tres & Pappia.

Furiam tulit C. Furius Tribunus plebis: Ne cui, nisi manumissoris cognato, certisque aliis personis supra mille asses, legare, mortisve causa donare liceret: quod si quis maiorem summam sibi legatam accepisset, redderet. Theophilus Instit. de legatis. Lata est autem, vt ait Iustinianus, legis XII. Tabul. coërcendæ causa, qua vti quisque legasset suæ rei, ita ius erat. Cicero pro Balbo, & Verrina 3. Iustinianus de lege Falcidia, Vlpianus cap. Instit. 1. & 28. vbi minus quam perfectam esse dicit, quod vetet aliquid fieri, & si factum sit, non rescindat. Ad hanc etiam videtur respexisse Pomponius l. 120. de verb. signific. *Furia lex.*

Voconiam de mulierum hæreditatibus tulit Qu. Voconius Saxa Tribunus plebis, Qu. Martio Philippo II. Cneo Seruilio Cæpione Cos. anno ΙϽXXIV. Ne qui census esset, virginem, néve mulierem supra quadrantem suorum bonorum hæredem institueret, plúsve cuiquam legaret, quam ad hæredem hæredésve perueniret. Ne fœminæ vltra consanguineos ab intestato succederent. Cicero Verrina 3 de Senectute. lib. 2. de Finibus, Dio lib. 56. Agellius lib. 7. cap. 3. & lib. 17. cap. 5. Augustinus lib 3. de ciuitate Dei. Florus Epitoma 141. vbi Volumnius legitur, pro Voconius, Paulus lib. 4 Sentent. Extat autem declamatio Quintiliani 264. in qua hæc lex proponitur: Ne liceat mulieri nisi dimidiam partem bonorum relinquere. Verum ea lex ad scholasticas exercitationes ficta, & accommodata fuisse videtur, vt ex Dione constat. *Voconia lex.*

Falcidiam tulit Publ. Falcidius Tribunus plebis, Cn. Domitio Caluino II C. Asinio Pollione Consulibus anno ΙϽCCXIII. cuius hæc capita à Iurisconsultis memorantur: Qui ciues Romani sunt, qui eorum post hanc legem rogatam testamentum facere volet, ius, potestásque esto, vt hac lege licebit. Quicunque ciuis Romanus post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuique ciui Romano pecuniam iure publico dare, legare volet, ius potestásque esto, dum ita detur, vt ne minus, quàm quartam partem hæreditatis ex eo testamento hæredes capiant. Eis quibus ita datum legatum erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto: isque hæres qui eam pecuniam dare iussus, damnatúsve erit, eam pecuniam debeto dare, qua damnatus est. Si quis aliter, quam hac lege liceat, pecuniam dederit, legauerit, hæredi quartam partem eius pecuniæ quæ data, legata erit, ex eo testamento retinere liceto. Paulus l. 1. ff. ad leg. Falcid. Eusebius in Chronicis, qui tamen latam fuisse scribit, vt quarta pars tum demùm hæredibus superesset, si quatuor, aut minus essent: quod in Iurisconsult. libris nusquam reperias: tum & huius hæc verba refert Dio lib. 48. Vt hæres quartam partem bonorum sibi relictorum, si grauiter oneratus sit legatis, accipiat: cætera legatarius relinquat.

Corneliam tulit L. Cornelius Sulla Felix, Dictator & consul cum Q. Metello Pio Balearico, anno Vrbis conditæ ΙϽCLXXIII. Vt eorum testamenta, qui in hostium potestate essent, perinde rata essent, ac si hi, qui ea fecissent, in hostium potestatem non peruenissent, & hæreditas ex his eodem modo ad vnumquemque pertineret. Iulianus lib. 12. ff. qui testam. fac. poss. Vlpianus capite Instit. 23. Iauolenus in l. 15. de iniust. rupt. Atque ea hac lege inducta fictio est, vt qui captus apud hostes decederet, mortuus eodem momento, quo captus esset, putaretur. Eiusdem legis caput opinatur illud fuisse Hotomanus, quod in edicto Verris significatur apud Ciceronem libro Accusationum primo: Non minus multis signis, quam è lege oporteat *Cornelia lex.*

cautumque de numero testium, quos in testamentis adhiberi oportet, fuisse.

Iunia Velleia lex. Iunia Velleia sequitur, Vt qui testamentum faceret, omnem virilis sexus, qui ei suus hæres futurus erit, cum nascetur, instituẽdi, exheredandique potestatem haberet, etiamsi viuo testatore nasceretur. Item, Vt si quis ex suis hæredibus suus hæres esse desineret, liberi eius, & cæteri in locum suorum sui hæredes succederent. Scæuola l. Gallus 20. de liberis & posthumis, Paulus Manutius eam sic recitat, Vt qui testamentum faceret, omnes eos virilis sexus necessario institueret hæredes, qui cùm nascerentur, ei hæredes sui futuri essent, eorúmque in locum liberi succederent, qui nisi instituti essent, aut si exheredati, ad exemplum posthumorum essent, testamentum non valeret. Duplex itaque in hac lege caput fuit, primum, vt mortuo filio, nepotes nondum nati possint institui. Item, vt viuente filio nascituri nepotes possint institui, si auo viuente, & mortuo filio nascantur: ne facti sui, cùm nascerentur, si se præteritos inuenerint, rumpant testamentum. Altero capite cautum est, vt nepotes iam nati viuente filio, ab auo hæredes instituantur, vel nominatim exhæredentur, ne forte mortuo post testamentum filio, facti sui hæredes, ad exemplum posthumorum testamentum infirment. Cuiacius pro Iunia, Iulia legendum censet, corruptéque vbi huius fit mentio, Iunia scriptum esse ad l. Gallus ff. eod. notat.

Extant etiam tres leges Iuliæ, de testamentis, quarum vna dicitur Iulia, de vicesima: altera Iulia Caducaria: tertia Miscella.

Iulia lex de vicesima. Iuliæ de vicesima hæc fuerunt capita: vt quæ hæreditates, legata, & donationes mortis causa ad alienos, aut locupletes peruenirent, earum pars vicesima ad fiscum pertineret.

Vt testamenta in municipiis, coloniis, oppidis, Præfectura, vico, castello, conciliabulo facta, in foro, vel basilica, præsentibus testibus vel honestis viris, inter horam secundam & decimam diei recitentur, exemploque sublato, ab iisdem rursus Magistratibus obsignato, quorum præsentia constat apertum.

Vt testamentum statim post mortem testatoris aperiatur: hoc est, à præsentibus intra triduum vel quinque dies, ab absentibus quoque intra eos dies, cùm superuenerint.

Vt testes vel maxima pars eorum adhibeantur, qui signauerint testamentum, ita vt agnitis signis, rupto licio aperiatur, & recitetur: atque ita describendi exempli fiat potestas, ac deinde signo publico obsignatum in Archiuum redigatur, vt si quando exemplum eius interciderit, sit vnde peti possit. Dio libro 38. & Paulus sentent. l. 4. tit. 6.

Iulia Caducaria lex. Iuliæ Caducariæ hæc duo capita fuerunt: Vt si nemo sit, ad quem bonorum possessio pertinere possit, aut sit quidem, sed ius suum omiserit, bona publicentur. Vlpianus capit. Institutionum 28. Idem l. 4 §. eod. ff. de fidei. lib. Quare etsi caducariis legibus bona delata sint, idem erit probandum. Sic enim locum hunc nobis restituit Cuiacius. Eandem legem Iuliam significat Iulianus l. 96. §. 1. de legat. & fideic. libro 1. Quoties lege Iulia bona vacantia ad fiscum pertinent, & legata & fideicommissa præstantur.

Iulia Miscella lex. Iulia Miscella fuit, vt coniugi superstiti legatum sibi à demortuo ea lege, ne iterum nuberet, ita capere ius esset, si intra annum (luctui nondum erat præfinitus annus) iuraret, se liberorum quærendorum causa velle nubere. Iustinianus in tractatu de interdicta viduitate, & lege Iulia Miscella tollenda, libro Cod. 6. tit. 40. & Nouella Const. 22. vbi Iulium Miscellam huius legis auctorem nominat. Alij tamen Miscellam malunt dictam, quod id legis Iuliæ caput tam ad virum quàm fœminam pertinebat. De hac lege Barnabas Brissonius libro 3. Selectarum ex iure ciuili antiquitatum, cap. 3. vbi & hoc addit, ei legi Iustinianum, quod ad iusiurandum attinet, obrogasse. Eò enim legem hanc ait per interpretationem Prudentum productam fuisse, vt omnes inde conditiones, quæ liberam auferant nuptiarum contrahendarum potestatem, legatariis remittantur, quasi nullam fieri nuptiis moram oportere lex senserit.

Pappia decimaria lex. Reliqua est Pappia decimaria cuius hæc sent. fuit. Vt vir, & vxor, nullis ex eo matrimonio extantibus liberis, decimam ex testamento matrimonij nomine capere possit. Si verò extent liberi ex alio matrimonio, pro vnoquoque ex liberis aliam decimam, & pro communi filio post nonum diem amisso aliam: pro duobus post nonum diem amissis duas: quod explicat Vlpian. in fragment. tit. 15. & 21. Vide Cuiacium Obseruat. lib. 3. c. 12. Alludit ad hanc legem Tertullianus lib. 1. ad vxorem. Hæ itaque de testamentis leges ex veteribus adhuc extant, quarum prolixam explicationem nemo à me expectet, cùm id ad Iurisconsultos pertineat.

Glicia lex. Solet hîc quoque mentio fieri legis Gliciæ, de ratione inducendæ querelæ inofficiosi testamenti, de qua tamen cum nihil certi habeatur, non est, vt multa afferam. Si qui volunt, possunt contrarias de ea disputationes legere Iacobi Cuiacij lib. 2. Obseruationum, capit. 21. & lib. 14. ac Iacobi Ræuardi libro singulari de auctoritate Prudentum, cap. 12. Atque hæ de testamentis leges ex veteribus adhuc extant.

Caput XIX.

De Vsucapionibus, Cessione bonorum, & Furtis.

DE testamentis diximus, persequamur nunc alias leges, quæ ad ius priuatum pertinent, quales sunt de Vsucapionibus, cessione bonorum, & Furtis.

De Vsucapionibus extat lex Atinia, qua cautum fuit, vt, quod subreptum esset, eius rei æterna auctoritas esset: nisi si in eius, cui surreptum esset, potestatem reuertisset. Meminit eius Agellius lib. 17. capit. 7. Paulus leg. 4. §. ff. de vsurpat. Iulianus leg. 33. eiusdem tituli, & Cicero Verrina tertia. *Atinia.*

Extat & Iulia Plautia, ab Octauio Augusto lata: Ne res vi possessas vsucapere vllo tempore liceret. Iustinianus de vsucap. lib. 1. Instit. *Iulia Plautia lex.*

De cessione bonorum eiusdem Augusti Iulia memoratur: Vt qui sine dolo suo malo, æri alieno satisfacere non posse, bonis suis cedendo liberaretur. leg. 4. C. qui bon. ced. poss. & in C. Theo. lib. 4. tit. qui bonis ex lege Iulia cedere possint.

De Furtis Aulus Hostilius Mancinus consul cum Aulo Atilio Serrano anno IↃXXCIII. legem tulit: Vt furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes essent, aut Reipublicæ causa abessent, quive in eorum cuius tutela essent. Iustinianus de iis, per quos ag. poss. Hinc illæ Hostilianæ actiones, id est, formulæ apud Ciceronem libro de Oratore 1. vbi de militis testamento agitur. Plura de furtis infrà in fragmentis XII. Tabularum habebimus. *Hostilia lex.*

Caput XX.

De re Numaria, & Fœnore.

DICENDVM nobis nunc est de re Nummaria & Fœnore, quid de iis Romani statuerint. Ac de re nummaria quidem quatuor reperiuntur leges, Papiria, Liuia, Clodia, Maria.

Papiria lege cautum fuit, Vt asses qui vnciales erant, semunciales fierent. Tulit eam, vt censet Hotomanus, C. Papirius Carbo Tribunus plebis, L. Cornelio Scipione, C. Lælio Nepote, Coss. anno IↃLXIII. Plinius lib. 33. cap. 3. *Papiria lex.*

Liuia autem à M. Liuio Druso Tribuno plebis, anno IↃCXXXII. Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Fannio Strabone, Coss. lata fuit, Vt octaua æris pars argento misceretur. *Liuia lex*

Clodia vel Claudia fuit, Vt victoriatus nummus, qui ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur, Romæ percuteretur, & eadem victoriæ nota obsignaretur. Plin. lib. 33 cap. 3. *Clodia vel Claudia lex.*

His addatur etiam lex Maria, quam tulit M. Marius Gratidianus, Prætor, L. Sulla Dictatore anno IↃCLXXII. Vt nummi certa tum excogitata ratione probarentur. Iactabatur enim temporibus illis nummus, sic, vt nemo scire posset, quid haberet. Cicero lib. 3. Offi. Plinius li. 33. c. 9. *Maria lex.*

Cæterum vt melius intelligantur superiores de re nummaria leges non absurdum erit, si integrum Plinij locum, vbi legum illarum meminit, adscribam. Sic autem is libro 33. capit. 3. Populus Romanus, argento quidem signato ante Pyrrhum Regem deuictum vsus est. Libralis, vnde etiam nunc libella dicitur, & dupondius appendebatur assis: quare æris grauis pœna dicta. Seruius Rex primus signauit æs; antea rudi vsos Romæ Remeus tradit. Signatum est nota pecudum, vnde & pecunia appellata. Maximus census CX. M. assium fuit illo Rege. Et ideò hæc prima classis. Argentum signatū est anno Vrbis CDXXCX. Q. Ogulnio, C. Fabio Coss. quinque annis ante primum bellum Punicum. Et placuit denarius pro decem libris æris: quinarius, pro quinque: sestertium pro dupondio ac semisse. Libræ autem pondus æris imminutum bello Punico primo, cum impensis Respublica non sufficeret: constitutumque vt asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri, dissolutūque æs alienum. Nota æris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis: in triente verò, & quadrante, rates. Quadrans antea triuncis vocatus à tribus vnciis. Postea Annibale vrgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, asses vnciales facti, placuitq; denarium XVI. assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Ita Respublica dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus. Notæ argenti fuēre, bigæ atque quadrigæ, & deinde bigati, quadrigatique dicti. Mox lege Papiriana semunciales asses facti. Liuius Drusus in Tribunatu plebis octauam partem æris argento miscuit. Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est. Antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. E Il autem signatus Victoria, & inde nomen. Aureus nummus post annum XXII. percussus est

quàm argenteus, ita vt scrupulum valeret sestertiis vicenis, quod efficit in libras, ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios ĪDCCCC. Post hæc placuit XL. M. sed signati ex auri libris, paulatimque principes imminuêre pondus, minutissimus verò ad XLV. M. Hactenus Plinius.

A legibus nummariis ad fœnebres accedemus, quarum hæ extant, Licinia, Genutia, Duillia, Mœnia, Sempronia, Valeria, Sulpitia, Gabinia, Iulia, & Claudia.

Licinia lex. Licinia hæc fuit, Vt deducto eo de capite, quod viuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolueretur. Tulit eam C. Licinius Stolo Tribunus plebis Sp. Furio Medullino, P. Cælio Siculo, &c. Tribunis militum Coss. anno CCCLXXVI. Liuius libro 6.

Alia Licinia lex. Est & alia Licinia de Fœnore, à L. Licinio Lucullo Asiæ proconsule, ante Ciceronis consulatum lata, ad leuandam ære alieno Prouinciam: Ne scilicet supra centesimam iure fænoris solueretur: Ne maiores essent viuræ, quàm quibus veteri iure pecuniæ antea credebantur: Ne creditoribus à debitore fœnoris nomine plus omnino liceret accipere, quam quanta fructuum creditoris pars esset.

Duillia Mœnia lex. Duillia Mœnia à M. Duillio, L. Mœnio Tribunis plebis: C. Marcio Rutilo, Cn. Manlio Capitolino Imperioso II. Consulibus, anno CCCXCVI. lata est. Vt fœnus ne maius vnciario exerceretur. Liu. lib. 7. Tac. tamen lib. 6. annalium Fœnus vnciarium XII. Tabularum legibus constitutum fuisse tradit. Fuit igitur hæc repetitio legis XII. Tabularum anno Vrbis CDVI. C. Plautio Ypsæo, T. Manlio Imperioso Torquato Coss. lex semunciarij fœnoris à Tribunis plebis lata est. Liuius lib. 7. Tacitus lib. 6. Annalium.

Genutia lex. Paulò pòst, anno CDXI. C. Martio Rutilo IV. Q. Seruilio Coss. L. Genutius Tribunus plebis legem tulit, ne fœnerare liceret. Liuius lib. 7.

Atque hæc quidem in Vrbe obseruabatur. Cæterum cum essent lucri cupidi qui nomina in socios, quòd ij non tenerentur iis legibus, transcriberent, legem tulit M. Sempronius Tribunus plebis, anno IↃLX. L. Cornelio Merula Q. Minutio Thermo Coss. Vt cum sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem quod cum ciuibus Romanis esset. Liuius lib. 35. Cicero lib. 2. de Officiis.

Sempronia lex.

Valeria lex. Anno IↃCLXVII. L. Valerius Flaccus II. Consul cum L. Cornelio Cinna II. in Marij demortui locum suffectus, tulit: Vt creditoribus quadrans solueretur: hoc est, Vt terni nummi pro centenis in anno penderentur. Vell. Paterculus lib. 2. qui tamen hoc factum vt iniussum reprehendit.

Cæcilia Gabinia lex. Cæcilia Gabinia lex ab Aul. Gabinio Tribuno plebis, L. Metello, Q. Marcio Rege Coss. anno IↃCXXCV. lata est: Ne ius diceretur de iis pecuniis, quæ versura facta essent sumptæ: Ne scilicet Prouinciales homines à Romanis exhaurirentur: Ne grauior viura quàm centesima exigeretur. Sed & præter amissam sortem certam pœnam sanciebat. Cic. libro 6. epist. ad Atticum.

Quod de C. Iulio Cæsare Suetonius, & ipse Cæsar lib. 3. comment. de Bello ciuili, memoriæ produnt, Cæsarem, cum fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ soluerentur, constituisse, vt debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum ab arbitris ad hoc datis factam, quanti quasque ante ciuile bellum comparassent, deducta summa æris alieni, si quid viuræ nomine numeratum aut perscriptum fuisset: qua conditione quartam fere crediti deperisse aiunt, nescio an ad legem aliquam sit referendum, quod aliquibus placere video, qui etiam ex Tacito afferunt, eadem lege cautum fuisse, de modo credendi, possidendique intra Italiam. Locum Taciti, cùm & superiorum legum mentionem habeat, integrum adscribam. Sic igitur is lib. 6. Annal. (quemadmodum Iulius Lipsius recensuit) scribit: Interea magna vis accusatorum in eos irrumpit, qui pecunias fænore auctitabant aduersum legem Dictatoris Cæsaris, qua de modo credendi, possidendique, intra Italiam cauetur, omissa olim, quia priuato vsui bonum publicum postponitur. Sane vetus Vrbi fœnebre malum, & seditionum, discordiarumque creberrima causa, eòque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo XII. Tabulis sanctum, ne quis vnciario fœnore amplius exerceret, cũ antea ex libidine locupletium agitaretur: dein rogatione tribunitia ad semuncias redacta. Postremò vetita versura, multisque plebiscitis obuiam itum fraudibus, quæ toties repressæ, miras per artes rursus oriebantur. Hactenus Tacit.

Iulia lex. Memoratur & alia Iulia lex de cessione bonorum, Vt qui sine dolo suo malo æri alieno satisfacere non posset bonis suis cedendo liberaretur. lib. 4. C. qui bon. ced. poss. & in C. Theod. lib. 4. tit. qui bonis ex lege Iulia cedere possint.

Claudia lex. Claudiam tulit Claudius Cæsar, ne creditores in mortem parentum pecunias filiis familiarum fœnori darent. Tacitus lib. Annalium 2. quæ lex ab Athenensibus desumpta est, quos similem habuisse legem ex Terentij Phormione discimus.

Refe-

Referenda ad hanc classem etiam est lex Pętelia Papiria, quam tulêre C. Pætelius Libo Visolus III. L. Papirius Mugillenus, Coss. anno CDXXVII. Ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, & in compedibus, aut in neruo teneretur, pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Et ne quis in posterum necteretur. Liuius libr. 8. C. Manlius in Epistola ad Q. Marcium Consulem apud Sallustium in Coniuratione Catilinæ. Tantum de re nummaria, & fœnore. Sequuntur leges de Iudicibus. *Pætelia Papiria lex.*

Caput XXI.

De Iudicibus, Donis & Muneribus.

De iudiciis iam dicturi, priùs eas leges recensebimus, quæ de ipsis Iudicibus latæ fuerunt, tum quæ de iudiciis. Sunt autem de Iudicibus latæ istæ: Sempronia, Seruilia, Liuia, Plautia. Cornelia, Aurelia, Pompeia, Iulia, Antonia. Iudicia primum penes Senatum fuerunt, ex lege Romuli, de quo Dionysius Halicarnassæus scribit in hunc modum. Romulus, inquit, postquam discreuit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit quid vtrisq; faciendum: Vt Patricij sacra curarent, Magistratus gererent, ius redderent, secum Rempublicam administrarent, res vrbanas obirent: idque longo tempore etiam sub Consulibus seruatū, donec tandem C. Sempronius Gracchus Tribunus pleb. Senatui iniquior, anno IↃCXXX. Q. Cæcilio Metello Baleарico, T. Quinctio Flaminio, Coss. legem tulit, quā paucis ante annis frater eius Tiberius ferre conatus erat: Vt iudicia, quæ semper antea penes Senatorium ordinē fuerant, ad solos Equites transferrētur. Appianus libro primo de Bel. ciuil. Asconius in Diuinat. Velleius libro 2. Tacitus libro 12. Varro de Vita pop. Roman. apud Nonium, in voce Biceps. Plutarchus in Gracchis, Equites trecentos cum Senatoribus trecentis mixtos tradit, atque inter vtrosque communicata iudicia, quod falsum est. Florus etiam Epit. 60. auctor est, lege Sempronia trecentos Senatores cum sexcentis Equitibus commixtos iudicasse: quod procul dubio ad legem Seruiliam pertinet, quam non multo post tulit Q. Seruilius Cæpio Consul cum C. Attilio Serrano, anno IↃCXLVII. Vt iudicia, quæ lege Sempronia ad solos Equites translata erant ordini Senatorio communicarentur: quæ tamen lex non multo post abrogata est. Tacitus libro 12. Annal. Cic. in 1. de Arte Rhetorica libro secundo de Oratore, in Bruto, in oratione pro Scauro, & ibidem Asconius. Fuit autem hac lege impar & minor numerus Senatorum, quam Equitum. Nam paucis post annis M. Liuius Drusus Tribunus plebis L. Marcio Philippo, Sex. Iul. Cæsare Coss. anno Vrbis IↃCLXII. tulit, Vt æqua ex parte iudicia penes Senatum & Equestrem ordinem essent, id est, trecenti Equites, & trecenti Senatores. Asconius in Cornelianam, Cic. lib. 3. de Orat. Florus Epit. 71. Appian. libro primo de Bel. ciuil sic scribit: M. Liuius Drusus Senatum quoque ac Equites tum maximè propter iudicia dissidentes inuicem conabatur conciliare: quæ cum nequiret Senatui palam restituere, arte vtrosque aggressus est. Nam cum per id tempus propter crebras seditiones vix trecentorum explerent numerum, promulgauit legem, vt ex Equestri ordine adderentur totidem, delectu optimorum habito, atque ex his omnibus in posterum Iudices legerentur: vtque causam dicere cogerentur suspecti de munerum corruptela: quod malum iam inter crimina haberi desierat: adeò frontem plerique perfricuerant. Hactenus ille. Verum nec hæc Liuia longæua fuit: nam L. Marsius Philippus consul, Drusi inimicus, eodem anno obtinuit, vt Drusi leges tanquam contra auspicia latæ vno Senatusconsulto tollerentur, vti testatur Cic. libro tertio de Legibus. Anno deinde elapso, qui fuit secundus belli Italici, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coss. cum Equester ordo in iudiciis dominaretur, legem tulit M. Plautius Syluanus Trib. plebis, vt Tribunus singuli ex eo numero quinos denos suffragio crearēt, qui eo anno iudicarent. Ex eo factum est, vt Senatores quoque in eo numero essent, & quidem etiam ex ipsa plebe. Cicer. in oratione pro Cornelio, epistol. ad Attic. libro quarto, & Asconius in Cornelianam. Ex quo intelligitur, cùm ante Equites soli iudicarent CCC. Tribus dedisse singulas Iudices XV. itaque CDL. fuerunt: & iudicia inter tres ordines, Senatorium, Equestrem, & Plebeium communicata sunt. *Romuli lex.* *Sempronia lex.* *Seruilia lex.* *Iulia lex.* *Liuia lex.* *Plautia lex.*

Plautiam legem secuta est Cornelia, quam tulit L. Cornelius Sulla Dictator & consul II. cum Q. Cæcilio Metello Pio, anno IↃCLXXIII. Vt iudicia Equestri ordini adempta, in solum ordinem Senatorium transferrentur. Florus Epit. 89. Asconius in Diuinatione. *Cornelia lex.*

Vndecim annis post legem L. Cornelij Sullæ, Aurelia lata est à L. Aurelio Cotta Prætore, anno IↃCXXCIII. Cn. Pompeio Magno, M. Licinio Crasso, Coss. Vt iudicia, quæ penes *Aurelia lex.*

ſolos Senatores & Equeſtrem ordinem, & Tribunos Ærarios communicarentur. Cicero in Verrinis ſæpe, Aſconius in eaſdem, in orationem pro Cornelio, & in Piſonem, Florus Epitome 97. Velleius lib. 2. vbi tamen Tribunos Ærarios non nominat.

Vatinia lex. Secuta Vatinia eſt, quam tulit, vt opinatur Manutius, Publ. Vatinius Tribunus plebis C. Iulio Cæſare, M. Calpurnio Bibulo conſulibus, anno ıↄcxiv. Qua autem ſententia fuerit, ſe nondum inuenire potuiſſe idem ait: exiſtimare tamen popularem fuiſſe, cùm Vatinius Senatum, Senatus illum vehementer oderit.

Iulia lex. Iulia lex à C. Iulio Cæſare conſule cum M. Bibulo, anno eodem lata eſt: Vt iudicia ad duo genera Iudicum redigerentur. Equeſtris ordinis, & Senatorij: Tribuni verò Ærarij, quod erat tertium, tolleretur. Suetonius in Cæſare. Meminit & Agellius libro 14. capite 2. Dio libro 43. Multa præterea huius legis capita fuerunt de ipſorum iudicum ætate, dignitate & conditione, de forma & conſuetudine iudiciorum publicorum & priuatorum. Quæ omnia in antiquis Iuriſconſultorum libris comprehenſa opera Triboniani abolita ſunt.

Pompeia lex. Pompeia ſequitur: quam tulit Cneus Pompeius Magnus II. Coſſ. cum M. Licinio Craſſo II. anno ıↄcxcIIx. Vt ampliſſimo ex cenſu, ex centuriis, aliter quam antea lecti Iudices, ex tribus tamen ordinibus, quibus Aurelia lege communicata erant iudicia, Senatorio ſcilicet, Equeſtri, & Tribunis Ærarij res iudicarent. Item, vt quinque & ſeptuaginta Iudices cauſas cognoſcerent. Cicero in Piſonem, & in eadem Aſconius.

Antonia lex. Vltima Antonia eſt, quam tulit M. Antonius Coſ. cum D. Iulio Cæſare, anno ıↄccciх. Vt tertia Iudicum decuria è centurionibus, Anteſignanis, Alaudis, Manipularibus fieret. Cicero Philip. 1. & 5. Suetonius in Auguſto. Ex quo etiam intelligi poteſt, hanc non fuiſſe abrogatam, cum ille hoſtis iudicatus eſt, vt vult Zaſius. Sic enim ſcribit: Ad tres Iudicum decurias quartam addidit ex inferiore cenſu, quæ ducenariorum vocaretur, iudicarentque de leuioribus ſummis.

Pompeia lex. Hactenus leges de Iudicibus recitauimus, de quibus prolixè Paulus Manutius libro de Legibus, & Franciſcus Polletus libro tertio Hiſtoriç Fori Romani. Quibus adiiciemus eam Pompeij legem, qua tulit, Vt de iis, qui à ſecundo ſuo conſulatu ad hunc vſque diem ob rem iudicandam pecunias cepiſſent, quæſtio conſtitueretur. Appianus libro ſecundo de bellis ciuilibus.

CAPVT XXII.

De iudiciis.

NON eſt dubium, ſi omnes, quæ à priſcis Romanis latæ ſunt leges, hodie ſupereſſent, magnum earum numerum de iudiciis futurum eſſe. Verum interciderunt ferè omnes. Quæ igitur adhuc extant, hoc capite recitabimus. Sunt autem tres, Pompeia, Iulia, & Iunia Petronia.

Pompeia lex. Pompeia à Cneo Pompeio Magno conſule ſolo ſine collega, anno Vrbis ıↄccı. lata eſt. Ne reum in iudicio laudare liceret. Plutarchus in Pompeio, & Catone Vticenſi. Valerius lib. 6. cap. 2.

Iulia lex. Legem Iuliam iudiciariam à C. Iulio Cæſare latam multa de forma iudiciorum publicorum priuatorumque cõtinuiſſe quæ à Triboniano abolita ſint, diximus capite præcedenti. Fuit autem & alia Iulia lex ab Octauio Auguſto Cæſare lata, quæ formam iudiciorum præſcripſit, cuius hæc capita feruntur: Vt qui nomen alicuius deferrent, locum, annum, & menſem, quo crimen admiſſum erit, deſignent, l. 3. de accuſ. Ne eodem tempore de duob. reis quis quereretur, niſi ſuarum iniuriarum cauſa, l. 12. eodem: Ne inuito denuncietur, vt teſtimonium dicat aduerſus ſocerum, generum, vitricum, priuignum, ſobrinum, ſobrinam, ſobrino natum, eóve, qui priore gradu ſint. Item, Ne liberto ipſius, liberorum eius, parentum, viri, vxoris: item patroni, patronæ, & vt ne patroni, patronæ aduerſus libertos, neque liberti aduerſus patronum cogantur teſtimonium dicere, lib. 4. ff. de teſtibus. Vt inter priuatos, qui in Iudicem conſenſiſſet, iuriſdicundi, ei iudici poteſtas eſſet, lege 3. §. 1. ff. de iudiciis. Ne qui Iudex ſit, arbitrium recipere eius rei, de qua Iudex eſt, neve ſe promitti iubeat. lege nona ff. de arbitris. Ne minor annis viginti iudicare cogatur, l. cum lege 41. ff. de arbitris. Vt Saturnalibus triduo feriæ ſeruarentur, Macrobius libro 1. capit. 10. Eadem etiam latum opinatur Hotomanus, vt certus patronorum numerus eſſet. Meminit Aſconius in argumento orationis pro Scauro. Et ſi quis reus accuſator domum Iudicis ingrediatur, per legem Iuliam iudiciariam in legem ambitus cõmittit lege prima ff. de ambit. Item, Ne iudices ſuo anno in alienas ædes ingrediantur. Dio libro 54.

Iuniam

Iuniam Petroniam tulêre C. Iunius Cęsonius, Petronius Turpillianus, coss. anno DCCCXIII. Vt si dissonantes pares iudicum existerent sententiæ, pro libertate pronunciaretur. Hermog. l. 24. ff. de manumiss. His legibus subiiciemus eas, quę de mulctis, item eam, quæ de donis & muneribus latæ sunt.

De iudiciis etiam fuit lex Memmia, de Reis postulandis, qua latum fuit, vt eorum, qui Reipublicæ causa abessent, nomina inter reos reciperentur. Cic. in Vatin. Valer. Max. lib. 3. c. 7. *Memmia lex.*

Item illa de calumniatoribus: vt calumniatoribus pœna constituto iudicio imponeretur: cuius meminit Cicer. pro Sext. Roscio, Papinianus lib. 13. de testibus, lib. 11. c. 1. ad Senatusconsultum Turpil. Hac autem lege calumniatori in fronte imprimebatur litera, qua indicabatur calumniatum eum esse. Sic enim Cicero pro Sext. Roscio: Literam illam, cui vos inimici estis, vt etiam calumnias oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt posteà neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis, &c. Cæterum hanc legem, sicut & superiorem, quidem Remiam appellant. Paulus Manutius autem commentariis in orationem pro Sex. Roscio, superiorem illam de reo reuocando Memmiam: hanc ergo de calumniatoribus Remmiam dictam sibi videri scribit. Pertinent ad hunc de iudiciis locum etiam leges, quæ de Mulctis, item quæ de Donis & muneribus latæ fuerunt. *Lex de calumniatoribus.*

De Mulct. primi legem tulêre Sp. Tarpeius Montanus Capitolinus, Aul. Aterius Fontinalis coss. anno CCCIX. vnde & Ateria, & Tarpeia indifferenter dicitur: Vt omnibus Magistratibus mulctæ dicendæ ius esset, cùm antea solis coss. id liceret: Vt duas oues, triginta boues mulcta non excederet. Dionysius lib. 10. Agellius lib. 11. c. 1. & Festus in voce Peculatus. Ad huius legis primum caput respexisse videtur Vlpian. l. vnica. ff. si quis ius dic. non obtemperauer. ait: Omnibus Magistratibus secundum ius potestatis suæ concessum est iurisdictione pœnali iudicio defendere. *Ateria Tarpeia lex.*

Biennio pòst, anno scilicet CCCI: P. Sextius Capitolinus, L. Menenius Lænatus coss. legem tulerunt, vt oues decussi, boues centussi æstimarentur. Apud Festum, qui huius legis meminit, mendum esse videtur, quia priore loco ponit legem Menentam Sectiam, posteriore Tarpeiam, quasi Menenius ante Tarpeium & Aterium consul fuerit, quod falsum est. Vide Antonium Augustinum apud Festum, ad vocem, Peculatus. *Sextia Tarpeia lex.*

Fuisse quoque Papiriam Iuliam legem consularem de modo mulctarum latam, ex Liuio cognoscitur: verùm qua sententia, non exprimitur. Atque tantum de mulctis. *Papiria lex.*

Huc denique pertinet lex Cincia muneralis, siue de donis & muneribus, quam tulit M. Cincius Tribunus plebis, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano coss. anno ICLIX. Ne quis ob causam orandam donum, munúsve caperet. Liu 34. Tacitus lib. 14. Annalium, Cicero ad Atticum lib. 1. item lib. 2. de Oratore, in Catone. Hanc Festus muneralem à Plauto vocari scribit, his versibus. *Cincia lex.*

Neque muneralem legem, neque lenoniam,
Rogata fuerit nécne flocci æstimo.

Fuerunt autem & alia quædam huius legis capita, vt Ne plus ducentis aureis donare liceret: extra quam si coniunctis personis donaretur, quod eo amplius donatum esset, ratum non esset, argumento l. sancimus. C. de donat. Vlpianus cap. Instit. 1. l. 4. & l. 6. C. Theod. de donat. Item, Vt in donatione quibuscunque personis facta, mancipatio traditione adhiberetur, ff. l. 4. & l. 5. Verùm ista propriè huc non pertinent.

Hoc loco meminerunt quidam ex Tacito lib. 2. Annal. & ex Ausonio legis Titiæ muneralis. Cum verò ij loci de mendo suspecti sint, nihil amplius de ea habeo dicere, præsertim cùm etiam Iustus Lipsius in notis ad Tacitum affirmet in Vaticanis duobus, & Farnesiano codice, legi Cintiam, aut Cinthia, non Titiam.

Atque has leges, quas de iure publico & priuato recitaremus, habuimus. Sequitur vt de criminibus dicamus, quod faciemus capitibus sequentibus.

CAPVT XXXII.

De criminibus publicis, & primùm de Maiestate.

HACTENVS eas leges recitauimus, quæ de iure publico, & priuato latæ sunt. Restant illæ, quæ de criminibus loquuntur. Fuerunt autem crimina maleficia, quæ aut aduersus Rempublicam commissa sunt, aut populus Romanus aduersus Rempublicam commissa existimauit, atque iudicio legibus constituto, pœna vindicanda putauit: qualia sunt crimen Maiestatis, peculatus, ambitus, repetundarum, vis publicæ sicariorum, veneficij, parricidij, falsi, adulterij, plagij. De his omnibus ordine dicemus, sumpto initio à

crimine Maiestatis, quippe quod omnium fuit grauissimum & antiquissimum.

Maiestas, inquit Vlpianus, est crimen illud quod aduersus populum Romanum, aut securitatem eius committitur, id est, in quo læditur aut dignitas, aut securitas eius. Et pertinent ad hoc crimen omnia, quæcunque aut populo, aut Magistratibus eius directo iniuriæ facta sunt. Grauissimum autem inter Maiestatis crimina est crimen perduellionis, & sub illo tanquam species sub genere continetur. Est autem perduellio, hostili animo aduersus Rempublicam, vel Principem animatum esse. Franciscus Hotomanus IC. celeberrimus, quadruplicem inter Maiestatis & perduellionis crimina differentiam notat, quarum prima est, quòd Maiestatis crimine tenentur ij, qui vel partem aliquam Reipublicæ læserunt, veluti, si quis duces hostium accepta pecunia liberauit, aut priuatus domi suæ hostium duces tenuit: aut si Magistratui quippiam pro sua potestate agenti aliquis officiat, veluti C. Cornelius, quem Cicero defendit. Perdullionis autem crimen in eos cadit, qui summam Reipublicæ labefactare conati sunt. Altera differentia est, quòd Maiestatis in foro apud suum Prætorem pro tribunali, iudicio certa lege constituto agebatur, vt ex Verr. 3. & 7. cognoscitur. Perduellio verò primis quidem temporibus à Duumuiris data opera creatis, post autem à populo Romano comitiis centuriatis in campo Martio cognoscebatur: quemadmodum ex oratione Ciceronis pro C. Rabirio perduellionis reo, in campo Martio habita, itémque ex Valerij Maximi lib. 6. cap. 5. satis plane constat. Tertia differentia est, quòd Maiestatis crimen non morte, sed exilio mulctabatur: perduellionis verò damnatum carnifex in Vrbem euocatus in crucem, Martio in campo fixam tollebat, quod ex eadem oratione cognoscitur, in qua crucis mentio fit, & ex Dionis libro 37. vbi de hoc iudicio commemorat. Quartam differentiam Vlpianus ostendit ff. l. vlt. de crim. Maiest. vbi ait: Maiestatis imminutæ crimen rei morte obliterari: Perduellionis autem memoriam etiam post mortem damnari. Quomodo intelligendus Iustinianus Institutionibus §. 2. de publicis iudiciis, Publica, inquit, iudicia hæc sunt: Lex Iulia Maiestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem vel Rempublicam aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit. Cuius pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur, &c. Plura de Maiestate alibi recitantur, nos hic leges Romanorum, quæ de eo crimine latæ fuerunt, recensebimus: inter quas, quæ quidem post duodecim Tabulas rogatæ sunt (de illis enim diximus ante) prima est Gabinia: Ne quis coitiones clandestinas conflaret, qui fecisset, capitali supplicio plecteretur. Sallustius in Declamatione Porcij Latronis.

Post annum inde ɪᴐᴄɪᴠ. leges 4. de Maiestate latæ, Apuleia, Valeria, Cornelia, & Iulia.

Appuleia lex. Appuleiam tulit L. Appuleius Saturninus Tribunus plebis anno ɪᴐᴄʟɪɪ. C. Mario v. M. Aquileio coss. Hac lege C. Norbanus postulatus, quem M. Antonius Censorinus defendit, vt in 2. de Oratore scribit Cicero, ex quo apparet, hac lege vim in Vrbe ac seditionem vindicatam esse. Carolus Sigonius putat eandem etiam quæstionem de Maiestate perpetuam constitutam esse.

Valeria lex. Legem Valeriam tulit Q. Valerius, propter obscurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus, Tribunus plebis anno ɪᴐᴄʟxɪɪ. L. Marcio Philippo, Sex. Iulio Cæsare coss. Vt quæreretur de iis, quorum opera, consilióve socii contra populum Romanum arma sumpsissent. Cicero oratione pro Scauro, & pro Cornelio, & in easdem Asconius. Valerius Maximus lib. 8. cap. 6. Cicero Tuscul. 2. & in Bruto.

Cornelia lex. Sequitur Cornelia quam tulit L. Cornelius Sulla Felix dictator anno ɪᴐᴄʟxx. cuius hæc capita apud scriptores dispersa leguntur: Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui intercessionem sustulerit, aut magistratui, quo minus munere suo fungatur impedimento fuerit. Qui exercitum è prouincia eduxerit, aut sua sponte bellum gesserit. Qui exercitum sollicitauerit. Qui ducibus hostium captis ignouerit, aut pecunia liberauerit. Qui ducibus prædonum captis ignouerit. Qui potestatem suam in administrando non defenderit. Qui ciuis Romanus apud Regem externum versatus fuerit. Mulieris testimonium accipiatur, Calumniatoribus nulla pœna sit. His damnatis pœna aquæ & ignis interdictio fit. Cicer. in Pisonem, pro Cluentio & epistolis ad Appium. Asconius in Corneliano, & alij. Fuit & illud in hac lege, vt à quæstionibus cruentis nullius dignitas exciperetur. Ammianus Marcel. lib. 19. Hac lege populus Rom. vsque ad Cæsarem Dictatorem est vsus. Ius tulit, vt de vi & Maiestate damnatis aqua & igni interdiceretur. Cicer. 1. Philip.

Iulia lex. Alia est Iulia, quam tulit C. Octauius Augustus, cuius mentio crebra in libris Iurisconsultorum occurrit. Eius hæc extant capita.

Prætor qui ex hac lege quæret, de eo quærito, Cuius opera dolo malo consilium initum erit quo obsides iniussu principis interciderent, quo armati homines cum telis lapidibúsve in Vrbe sint, conueniántve aduersus Rempublicam, locáve occupentur, vel templa, quóve cœtus conuentus fiat, hominésve ad seditionem conuocentur: cuiusve opera, & consilio, dolo

lio,dolo malo,consilium initum erit, quo quis Magistratus populi Romani,quive imperium, potestatémve habet,occidatur, quóve quis contra Rempublicam arma ferat,quive hostibus populi Romani nuntium,literásque miserit,signumve dederit,feceritve dolo malo, quo hostes populi Romani iuuentur aduersus Rempublicam, quive milites sollicitauerit, concitaueritve,quo seditio tumultusve aduersus Rempublicam fiat.

Item de eo,qui in bellis cesserit,aut arcem non tenuerit,aut castra concesserit.

Qui iniussu principis bellum gesserit,delectumve habuerit,exercitum comparauerit,quive, cùm ei in prouinciam successum esset, exercitum successori non tradiderit,quive imperium, exercitumve populi Romani deseruerit, quive priuatus pro potestate, magistratuve quid sciens dolo malo gesserit,quive quid eorum,quæ supra scripta sunt,facere curauerit. Cuiusve dolo malo iureiurando quis adactus est,quo aduersus Rempublicam faciat: cuiusve dolo malo exercitus populi Romani in insidias deductus, hostibusve proditus erit,factumve dolo malo cuius dicitur,quò minùs hostes in potestatem populi Romani veniant, cuiusve opera dolo malo hostes populi Romani commeatu,armis,telis,equis,pecunia, aliavé qua re adiuti erunt, vt ne ex amicis hostes populi Romani fiant,cuiusve dolo malo factum erit, quo Rex exteræ nationis populo Romano minùs obtemperet:cuiusve opera dolo malo factum erit,quo magis obsides,pecunia,iumenta,hostibus populi Romani dentur aduersus Rempublicam.

Item de eo quærito,qui confessum in iudicio reum, & propter hoc in vincula coniectum emiserit. Item cuius ope,consilio,dolo malo,Prouincia,vel ciuitas hostibus prodita est. Qui statuas aut imagines Imperatoris iam consecratas conflauerint, aliudve quid simile admiserint. Qui famosos libellos scripserint. Famosi, ad ius accusandi admittantur, itémque milites. Serui deferentes audiantur,& quidem dominos suos,& liberti patronos. Itemque mulieres accipiantur. Qui in reatu Maiestatis decesserit,nisi à successoribus purgetur, hereditas fisco vindicetur. Qui ex alia causa legis Iuliæ Maiestatis reus est, quam perduellionis, mortis crimine liberetur:qui perduellionis,capite puniatur.

Collecta hæc sunt à Carolo Sigonio ex Vlpiano,Marciano,Sceuola,Venuleio,Modestino, Papiniano,Hermogeniano ff. ad legem Iuliam Maiestatis,Tacito libro primo Annalium, & Suetonio in Augusto. Ad hanc quoque legum de Maiestate classem referri non incommodè posse arbitror Memmiam,de Iugurtha Romam euocando,& Mamiliam de Senatoribus à Iugurtha corruptis. Memmiam tulit Memmius Tribunus plebis,P.Cornelio Scipione Nasica,L. Calpurnio Bestia Coss. anno IↃCXLII. Vti L.Cassius Prætor ad Iugurtham mitteretur, eumque interposita fide publica Romam duceret,quo faciliùs indicio Regis, Scauri & reliquorum,quos pecuniæ captæ arcessebant, delicta patefierent. Sallustius de bello Iugurthino.

Mamilliam tulit C.Mamillius Limetanus vel Limitanus Tribunus plebis,Sp. Posthumio Albino,Qu.Minutio Rufino Coss.anno ıↃcxıv. Vti quæreretur in eos quorum consilio Iugurtha Senatus decreta neglexisset,quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent:qui elephantos,quique perfugas tradidissent: item qui de pace, aut bello cum hostibus pactiones fecissent. Sallust.de bello Iugurthino. Tantùm de Maiestate.

Capvt XXIV.

De Adulterio.

Secvndvm inter crimina iudiciorum publicorum locum dedimus adulterio,secuti ea in re,sicut in toto hoc libro, Iustinianum Imperatorem,qui & ipse in Institutionibus iudicia publica recensens, secundo loco adulterii mentionem facit. Habemus autem vnam tantùm de hoc crimine legem reliquam, Iuliam scilicet, quam tulit C Octauius Augustus Imperator, cuius hęc capita hinc inde dispersa collegit Barnabas Brissonius I.C.eáque eleganti commentario explicauit. Nos capita legis hic referemus, explicatio e Brissonij commentario petatur. Sunt autem hæc.

Nequis posthac stuprum adulterium facito sciens dolo malo. Qui stuprum, adulterium sciens dolo malo fecerit,in Insulam relegator. Patri,qui in potestate habet adulterum, quemlibet,quem in filia deprehenderit, domi suæ generive sui occidere ius esto, dum vnà cum eo in continenti filium occidat. Viro deprehensum domi suæ in vxore sua adulterum,qui leno fuerit quive artem ludicram fecerit, vel in scenam saltandi,cantandive causa prodierit, iudi-

tiore publico damnatus, neque in integrum restitutus erit, quive libertus eius mariti, vxorisve, patris, matris, filij, filiæ, vtriusque eorum fuerit, propriusve eorum, vel cum alio communis, quive seruus erit occidere liceto. Qui eorum aliquem occiderit, vxorem sine mora dimittito. Viro adulterum cum vxore sua deprehensum, quem aut nolit, aut non liceat occidere, retinere per horas diurnas, nocturnasque non plus quàm viginti, testandæ eius rei gratia, vt vti sine fraude suo iure possit, liceto.

Viro patríque, qui in potestate habet, sexaginta dies vtiles ad accusandum dantur, intráque eos dies cuilibet præferuntor. Post eos dies patri, maritóque lapsos, extranei quilibet admittuntur. Ne quis inter eos eum, qui tunc sine detractione Reipublicæ causa aberit, referto. Minoribus xxv. annis adulterij accusare ne liceto. Si seruus adulterij accusetur, & quæstionem in eo haberi accusator postulet, iudices seruum æstimanto: & quantùm æstimauerint, tantam pecuniam & alterum tantum eum, qui nomen eius serui detulerit, ei ad quem ea res pertinet, dare iubento. Qui post maritum & patrem accusare possunt, si ad accusandum plures simul prosiluerint, is cuius de ea re notio est de iusto accusatore constitutio. Reos adulterij marem & fœminam ex eadem causa ne facito. Si mulier ante denunciationem nupserit, qui accusare volet, ab adulterio incipito. Nec antè ad mulierem quisquam peruenito, quàm adulterum reum peregerit. Adultero absoluto, quæ nupsit, quamdiu nupta erit, aduersus omnes secura esto. Si vir, qui vxori adulteræ repudium misit, vel extraneus quis mulieri, antequàm nuberet, adulterij se acturos denunciauerint, eaque post denunciationem nupserit, ab ea incipere accusare volenti ius esto. Si vidua sit, de cuius adulterio agitur, accusator liberum arbitrium, adulterum, vel adulteram, vtrum priùs velit, postulandi habeto. Qui domum suam præbuerit, vt stuprum, adulteriumve cum aliena matrefam. vel cum masculo fieret, sciens, hac lege tenetor. Qui pro comperto stupro precium acceperit, quæstumve ex adulterio vxoris suæ fecerit, hac lege tenetor. Damnatam adulterij si quis sciens vxorem duxerit, hac lege teneto. Qui deprehensum in domo sua adulterum dimiserit, vxoremve in adulterio deprehensam retinuerit, hac lege tenetor. Mulieri accusandæ sex menses vtiles dantor, posteà accusare ne liceto. Adulterum, adulteramve post quinquennium continuum quàm commissum esse adulterium dicetur, accusare ne liceto, eaque præscriptio adultero, adulteræque vtilis esto. De seruis ancillisve, eius de quo, vel de qua quæretur, parentisve vtriusque eorum, qui eis ad vsum à parentibus dati sint si accusator postulet, quæstionem habeto. Quæstioni reus reave patronive eorum, & iis, qui crimen detulit, intersunto. Patronis interrogandi facultas esto. Seruus de quo quæstio habita fuerit, publicus esto. Si reus, vel rea absoluti fuerint, seruorum damnum iudices æstimanto: siue mortui fuerint, quantæ pecuniæ ante quæstionem fuerint: siue salui, quantæ pecuniæ in his damnum datum fuerit, factumve erit. Serui, qui quæstioni postulari possunt, intra sexaginta dies ex die diuortij, ne manumittuntor, neve alienator. Adulterij damnato, damnatæ testimonij dictio ne esto. Diuortia septemve ciuibus Romanis puberibus testibus adhibitis præter libertum eius, qui diuortium faciet, posthac faciunto. Aliter facta pro infectis habentor. Dotale prædium Italicum maritus inuita vxore ne alienato, neue consentiente ea obligato.

Extant hæc capita apud Suetonium, in Augusto, Tacitum libro secundo, ff. ad legem Iuliam de adulterio, Paulum libro Sentent. secundo, cap. 22 & Iustinianum sub tit. quibus alien. licet.

Peducea lex. *Scantinia lex.* Ante hanc Iuliam legem de adulterio, mentio etiam fit legis Peduceæ de incestu, apud Ciceronem lib. 3. de Natura Deorum, & Scantiniæ de pueris impudicis, apud Iuuenalem Satyra 2. Suetonius in Domitiano, Ausonium, Ciceronem Philippica 3. Hanc tulit, vt Paulo Manutio placet, C. Statinius Aricinus, Tribunus plebis in eos, qui alienam pudicitiam sollicitassent, aut suam ipsi prostituissent, quibus pœnam irrogauit decem millia nummum. Meminit eius etiam Fabius Quinctilianus libro quarto, capite secundo, & libro septimo, capite 4. Cælius ad Ciceronem, libro octauo Epistolarum ad Familiares, epistola 12. Valerius Maximus libro sexto, capite primo testatur, C. Scantinium Capitolinum Tribunum plebis, quòd filium M. Claudij Marcelli, Ædilis Curulis de stupro appellasset, damnatum fuisse, id quod etiam Plutarchus in Marcelli vita habet, à quo quidem hanc legem Scantiniam vocatam voluit, quod tamen haud videtur verisimile. Hanc porrò legem in suam Iuliam de adulterio & pudicitia retulit C. Octauius Augustus, grauiori imposita pœna, teste Iustiniano libro 4. Institutionum, titulo de iudiciis publicis. Vide & Læuinum Torrentium commentariis in Suetonium, in Augusto, cap. 34. Elias Vinetus commentariis in Ausonium, ait sibi nondum satis compertum esse, quæ & qualis lex Scantinia fuerit. Tantum de adulteriis.

Ad Capvt. XXIV.

PARALIPOMENA.

Adulterij crimen, veneficio & furto vicinum, variæ in illud pœnæ, castratio, mutilatio combustio, lapidatio, deiectio è saxo, marito arbitrium iudiciúmque concessum.

NOn simplex crimen censebant adulterium, Hoc est μοιχείαν, vt appellat Iosephus lib. 2. cont. Appion. sed multorum flagitiorum veluti colluuiem. M Fab. Quintil. lib. 5. capit. 11. in fine. *si causam venefi y dicat adultera, non M. Catonis iudicio damnata esse videatur, qui nullam adulteram non eandem esse veneficam dixit?* idem Declamat. 319. *adultera venefica.* Duplex illud, nocturnum, diurnum, atque vt Cato veneficiis adulterium in genere connexuit, ita Imperator furto nocturnum coniunxit, eiúsque pœnam grauiorem longe esse voluit, adulterio diurno. L. 4. Cod. ad leg. Iul. de adult. hinc νυκτικλωπίας *nocturna furta* apud Sibyllina Oracula libro tertio pro adulteriis vsurpata, rectissimè obseruauit Theodorus Marcilius ad leges Xuirales cap. 57. κλέπτας γάμων dixit Phocylides, *fures nuptiarum*, glossar. vet. *adulteri noctícubæ.* Constantin. Imperat. l. 30. ff. ad leg. Iul. de adult. & stupr. *sacrilegi nuptiarum adulteri.* Nonius Marcellus interpretatur *furtum, quicquid occultè geritur, non res solum ablatas.* cap. 6 Numer. 3. M. Plaut. in Amphytruone. sc. 13.

Manifesta hanc obtorto collo teneo
Furem flagitij.

Flagitium, vt puto, corruptela est pudicitiæ alienæ, Virgil. libr. 4. Æneid. de concubitu illo decantatissimo.

Vulcani Martisque dolos, & dulcia furta.

Aurel. Prudent. περὶ στεφάνων. Hymno 10.

------furta mœcharum calent,

Agathias Scholasticus lib. 3. Antholog. capite 21.

Οὐχ ὁσίως μοιχὸς ... ἀνὴρ,
... ἀλλοτρίης ἀλόχου.

Vertit Eilhardus Lubinus.

Non sanctus lectis gaudebat os ultus vir,
Lectum furatus alterius vxoris.

Ad pœnas progredior, quarum primus auctor *Hiectus Archiuus* vt Alexander Neapolitanus libro 4. Genial. dier. capite 1. alij *Hietsum* vocant. Pausan. Bœotic. æquum enim erat, vt violatæ religionis pœnas penderent, *quos in aliena comprehenderant genialis se lectuli expugnatione recisso.* vt loquitur Arnob. lib. 4. cont. gentes. Philo in Explic. Decalogi, B. Cyprianus, Zeno Veronensis sermone de Patientia, laudati à Desiderio Heraldo viro eruditissimo legantur. S. Valerian. serm. de bono discipl. *nec ille adulterii facinus prætermissum putet, qui indulgentiæ lege deprehensus euasit.* D. Iuuenal. Sat. 6.

-----sacri Genium contemnere fulcri.

Itaque seu ob violata nuptialium deorum sacra, seu iniuriam hominibus illatam, variæ in adulteros decretæ pœnæ. Ac primum *apud Ægyptios deprehensus in adulterio mille plagis cæsus castrabatur, maximè, si quam corrupisset, non seruilem, sed liberam conditionem prætulisset; quod vno crimine, tria maxima scelera fuisset complexus, iniuriam, corruptelam, liberorum confusionem.* Laurentii Rhodomanni verba sunt Interpretis Diodori Sicul. lib. 2. Bibliothec. capit. tertio. Romanos eadem seueritate vsos liquet, vel ex Porphyrione Grammatico ad Qu. Horatij Satyr. 2. libro 1. v. 46.

------Quin etiam illud
Accidit, vt cuidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferrum.

Pythyas ille Terentianus in Eunucho.

Nunc minatur porro sese id quod mœchis solet,
Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim.

M Martial. lib. 2. Epigr 60.

Vxorem armati futuis, puer Hyle, Tribuni,
Supplicium tantum dum puerile times.
Væ tibi, dum ludis castrabere, iam mihi dices,
Non licet hoc, quid? tu quod facis Hyle, licet?

Secundus versus à Domitio Calderino, & à M.S. conceptus,

Supplicium facti nec puer Hyle times.

Indignabunda Ouidiana Progne, sorore sua Philomela à Tereo marito corrupta lib. 6. Metamorphos. Fabula septima.

------Non est lachrymis hoc, inquit, agendum,
Sed ferro, seu si quid habes, quod vincere ferrum
Possit, in omne nefas ego me germana paraui:
Aut ego cum facibus regalia tecta cremabo,
Artificem mediisque immittam Terea flammis,
Aut linguam, aut oculos, aut quæ tibi membra pudorem
Abstulerant, ferro rapiam.

Secundo membrorum detruncatio, artuúm-

que mutilatio, & præsertim aurium, nariúmque, vt deformitas corporis, sceleris perpetrati atrocitatem denuntiaret, vtque pœnæ suæ superuiuentes, quid, & quàm turpiter alienam pudicitiam expugnassent, semper vel vultu ipso loquerentur, notat Adrianus Turnebus lib. 28. Aduersarior. cap. 46. & in opere Virgiliano Deiphobus Helenæ adulter sic plectitur.

Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora,
Ora, manúsque ambas, populatáque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Martial. lib 3 Epigr. 83.

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Nil hac peccatum est parte, marite, tibi.
Stulte, quid egisti? nihil hîc tua perdidit vxor,
Dum sit salua tui mentula Deiphobi.

Tertiò *combustione* punita adulteria compertum est ex sacris literis. Genes. cap. 38. scio non semper vsque adeò seueram animaduersionem lege diuina propositam, nam Mosaica lex *lapidibus obruebat adulteros.* Ezech cap. 16. & disertè in Iure Canonico. *C. hinc apparet. 23. q. 5. & c. Hæc imago 33. q. 5.* quam pœnam simpliciter *mortem* vocat Bardasanes referente Eusebio lib. 6. præparat. Euangel. c. 8. Idem enim Bardasanes libro de Fato docuerat quod ex illo transcribit.

Solemnis ergo pœna *lapidatio erat*, non in adulterio tantum vindicando, sed & in aliorum criminum coërcitione. Notatum video ab eruditissimo Ioanne Meursio, testimonium petendum ex eleganti illo scriptore Parthenio Erotic. c. 21. [illegible] *exhortatus est milites, vt puellam lapidibus obruerent.* Ælian. Var. histor. lib. 5. cap. 9. [illegible] *cum Athenienses iam parati essent eum lapidibus obruere.* Polyænus lib. 1. Stratagemat. Sophocl. Antigone. Philostrat. in Heroicis, & lib. 1. de vit. Sophist. in Lolliano, isti quidem omnes de Græca consuetudine loquuti sunt, & aliis id iam præoccupatum. Hebræis idem in more positum, loquitur D. Lucas in Act. Apostolor. cap. 7. de Stephano protomartyre. Vincentius Bellouacensis in speculo historico. *Romæ gladiatorio ludo celebrato, Telemachus monachus increpitans populum attentius spectaculis inhiantem lapidatur à populo.* quæ ille petiit indubiè ex Theod. Histor. Eccles. lib. 5. cap. 26. & Aurel. Cassiodor. lib. 10. Histor. Tripart. cap. 11 L. Apul. lib. 1. Milesiar. *publicitus indignatio percrebuit, statutúmque est, vt in eam die altera seuerissimè saxorum iaculationibus vindicaretur.* Interpres historiæ Apollonij Tyrij *tunc ciues rapuerunt Strangulionem Dionysiadem, extra ciuitatem trahentes lapidauerunt.* M. Fab. Quintilian. Declamat. 12. *populus quoque impunitum nefas sine lapidibus præscribis?* C. Petron. in Satyrico. *Ex his qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt.* Romulus Amalæus Interpres Pausaniæ in Arcadic. pagin. 259. *cum pueri aliquot (neque enim certus traditur numerus) circa templum luderent, funiculo, quem repererant, Dianæ signum obligato collo, per lusum trahentes, Dianam strangulari dictitabant, eos Caphyenses cum deprehendissent, violati numinis crimine damnatos, lapidibus obruerunt.* Incerti nominis poëta apud Parthenium, & recitat M. Anton. Delrio in Troadas L. Senecæ pagin. 431. Abdias Babylonius Histor. Apostol. lib. 1. *& cum vellet populus Magum Simonem lapidare, ait Petrus, satis est ad pœnam eius, quod agnoscit in suis actibus se superatum.* Alexander Seuerus August. vt est apud Ælium Lamprid. Et Pescenninus Niger, referente Ælio Spartiano, *tribunos quos constitit ballaturas accepisse lapidibus obrui ab auxiliaribus iusserunt.* & diu ante illa tempora Romani supplicij genus erat. de Antonio Appian. bellor. ciuil. lib. 5. pag. 711. [illegible] *& cum nihil moueretur, tum demum eum saxis appetebant.* signantissimè Hippolytus Thebanus in Chronico commentario, *Interea enim dum sacris ipse operaretur de more, lapidibus iactis, & in caput contortis eum trucidarunt.* In Græco est codice [illegible]. hic est Hippolytus cuius D. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiastic. meminit, & eum citat Nicephorus Callistus libro secundo histor. Ecclesiast. capite tertio: non verò ille Hippolytus, qui Portuensis Episcopus fuit, qui citatur à Simeone Metaphraste. meminit & Xenophon libro primo de Expedit. Cyri Minor. pagin. 158. Accedant Poëtæ. Lycophron in Cassandra.

[illegible]
[illegible]
Conuitiosis maledictis irritato.
Occultabit quoddam tegmen lapidum densum.

Ita Guilielmus Canterus vir clarissimus vertit, & metricis astrinxit legibus Iosephus Scaliger.

Conuitiosis percitorum iniuriis
Abscondet imber saxeus manualium.

P. Ouid. in Elegia de Nuce.

Num ego iuncta viæ, cum sim sine crimine vitæ
A populo saxis prætereunte petor.

Obruere

Obruere ista solet manifestos pœna nocentes,
Publica cum lentam non capit ira moram.

Idem lib.13. Metamorphos. Fab.2.

Clade sui Thracum gens irritata tyranni,
Troada telorum, lapidúmque incessere iactu Cœpit.

D. Auson. Eidyllio 7.

--- crimen ob illud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.

Atque hi de quibuslibet criminibus sic coërcitis indignante plebeia multitudine locuti sunt, ac peculiare adulterio assignatum supplicium testantur, præter illos quos nominaui, Daniel Cap.13. D. Ioänes Euangelista c.8. & Melchior Hameuuelto notat. *Capitalem* certe fuisse *pœnam* notum, idque lege antiqua. D. Hieronym. in Nahum. cap.1. *quæret hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiet? aut enim punietur, & falsum est hoc quod dicitur, non iudicabit dominus bis in idipsum in tribulatione, aut non punietur, & optandum est adulteris, vt in præsentiarum breui & cita pœna cruciatus frustrentur æternos.* Sed iam miscellaneas percurram pœnas, fine delectu, aut ordine, vt quanta in isto coërcendo crimine diuersitas sit, videatur.

Ancyrana synodus Can.7. *adulterum à participatione sacrorum mysteriorum excludit septem annis integris,* vt habetur apud Claudium Cardinalem Gattanum in quæstionibus, & Græcorum ad eas responsionibus qu.11.

Moscouitæ adulteros in partes dissecant. vt Ouiczinæ exemplo docet Sigismundus Liber Baro in Herbelstain Rer. Moscouiticar Commentar. pag.26. aut *discerpebant, & laniabant.* Eiusdem operis pag 109.

Nonnullæ gentes *ferreis catenis collo adulteri saxa alligabant, vt omnibus ludibriis expositus, solo terrore fragilis eum sexum à corruptela arceret.* Olaus Magnus, & ex illo Cornel. Scribonius Graphæus Epitom. lib.6. cap.12. iisdem scribentibus lib.14. cap.6. facile est perspicere aliam pœnam, quæ non barbara, *sed* Romana videri posset, *mulier adulter ins testimonio sex virorum deprehensa perdit dotem, & quicquid secum tulit in cohabitationem viri, qui ea suscipit* Q. Horat. in lib 1. Sat.2 fin.

Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus hæc metuat doti deprensa.

Nobilis illa est adulteriis præfixa pœna, quæ elicitur ex Platone lib.8. de legibus qui adulterum arcendum magistratu vult, quod vel morte grauius est, & tamen illum *legislatorem summæ authoritatis* appellat Callistratus Iurisconsult. l.2. ff. de Nundinis. quod idem ac si infames fecisset adulteros, vt Charondas, referente Plutarcho lib. de curiositate pag.59. nec silendum quod proditum scriptis Acrone Grammatico ad Q. Horat. lib.1. Sat.2. *matronæ, quæ à maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant sublata stola propter ignominiam, toga autem meretricibus apta, ita enim prostare solebant cum togis pullis, vt discernerentur à matronis.* corruptus videri posset locus, & posset sic reponi, *toga autem meretricibus apta, istæ enim prostare solebant cum togis pullis, vt discernerentur à matronis.* Q. Sammonicum Serenum corrigi posse sic putant de Curat. morbor. cap.59.

Qui veteris claras expressit amore togatas,

Claræ matronæ sunt adulteræ, toga alba indutæ, & fuit Vectius Tiberij Cæsaris adulterio nobilitatus. C. Plin. lib.29. cap.1. quem vult Sammonicus libidine victum, imitatum toga alba matronas prostituti pudoris conuictas, ita antea concipiebatur.

Alliis præcepit Titini sententia Vecti,
Qui veteri claras expressit more togatas.

Licet non ignorem de comœdiis togatis intelligi posse. Horat. in Arte.

Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

D. Iuuenal. Sat.1. in limine.

-----recitauerit ille togatas.

Extat & ea pœna recepta, vt adulteras è saxo deturbarent Capitolino. L. Seneca lib 1. Declamat. 3. lex, *Incesta de saxo deiiciatur,* Thema, *incesti damnata, antequam deiiceretur de saxo, inuocauit Vestam, vixit deiecta, repetitur ad pœnam.* illa quidem epigraphe est. Arellius Fuscus pater. *erat præruptus locus, & immensæ altitudinis, tibi dicebam, incestam lex mori voluit, stat moles abscissa in profundum, frequentibus exasperata saxis, quæ aut elidant corpus, aut de integro grauius impellant, inhorrent scopulis enascentibus latera, & immensæ altitudinis triste aspectus, electus potissimum locus, ne damnati sæpius deiiciantur.* recte Nicolaus Faber *legum scholæ* seu exercitamenti esse ait, nam sacerdos adultera viua defodiebatur, vt ex Iuuenale Sat.4. Suetonio, Plinio, Plutarcho, & sexcentis aliis locis notissimum. Sed non tantum adulterio hanc pœnam statutam, sed & quibuslibet aliis criminibus, constat ex Dionysio Halicarnassæo lib.8. & licet colligere ex Modestino IC. lib.25 ff. de Pœnis. Ita in *proditores* animaduersum, exemplum habes de Manlio Capitolino apud T. Liuium 1. Decad. libro sexto. auctorem de vir. Illustrib. libelli cap. 24. & in *transfugas.* ex 3. Decad. libro quar-

zo, aut in *obsides*: quorum ciues defecissent, eadem illa Decade libro 5. de Philea Tarentino, ita, & in Spurium Cassium animaduersum, ex Halicarnassæo loco proxime supra laudato, & in Pituanum, C. Tacit. libro 2. Annal. Denique si ad originem ritum illum placeat reuocare, in falsos testes primum stabilitum reperiemus, A. Gell. lib. 11. capit. 18. idque præceptum XIIralibus tabulis, sed procedente deinde tempore abrogatum, eodem Gellio scribente libro 20. capit. 1. nihil in re vulgatissima morari operæ pretium. T. Lucret. Carus libro 3.

Carcer & horribilis de saxo iactu, deorsum
Verbera carnifices?

Q. Horat. lib. 1. Sat. 6.

Tunc Syri, Damæ aut Dionysi filius, audes
Deijcere è saxo ciues?

Fontes respicimus si coercitionis in adulteros constitutæ, ad Romuli tempora eam referemus, nam Halicarnassæus libro 7. refert eum legem in id tulisse, sed non explicat: hanc ego fuisse existimo, vt cognati cum viro vna in consilium conuocati de adultera iudicarent. diligenter C. Tacit. libro 13. Annal. *Pomponia Græcina insignis fœmina, Plautio, qui ouans se de Britannis retulit, nupta, ac superstitionis externæ rea, mariti iudicio permissa, Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque coniugis cognouit, & insontem nunciauit.* Priscum institutum interpretor legem à Romulo primis nascentis vrbis temporibus latam. adde T. Liuij non obscurum locum 4 Decad. libro nono de Bacchanaliorum abrogatione. *mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, vt ipsi in priuato animaduerterent in eas.* C. Sueton. in Tiberio capite 35. *matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, vt propinqui, maiorum more, de communi sententia, coërcerent, auctor fuit.* Valer. Maxim. libro sexto capit. 3. titul. 12. *consimili seueritate senatus postea vsus, Sp. Posthumio Albino & Q. Martio Philippo Consulibus, mandauit vt de iis, quæ sacris bacchanalium incestæ vsæ fuerant, inquirerent, à quibus cum multæ essent damnatæ, in omnes cognatas intra domos animaduerterunt.* Lex Romana antiquissima, & à Romulo lata, vt supra hoc libro admonui, & Stephanus Pighius diserte. *adulterij conuictam, vir & cognati vti volent, necanto.* Significantissime Calistus, c. *si ut alterius* 7. qu. 1. in iure canonico. *alterius vxor nec adulterari, nec iudicari ab alio nisi à viro permittitur.* adi ad Danielem Venatorium libro 6. Institution. Canonicar. titul. 16. Aurel. Prudent. libro 1. in Q. Symmachum, Romam alloquitur.

Cum te pestifera premeret Maxentius aula,
Lugebas, longo damnatos carcere centum
Vt scis ipsa, patres, aut sponsus fœdera pacta
Intercepta gemens, diroque satellite rapta,
Immersus tenebris, dira inter vincla luebat.
Aut si nupta thorum regis conscendere iussa,
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.

Insequutus deinde Numa aliam super eodem crimine legem tulit. A. Gell. lib. 4. Noct. Atticar. cap. 3. tenor & capita legis illius habentur hæc apud Festum Pompeium lib. 14. in voce *pellices. pellex aram Iunonis ne tangito, si tangit, Iunoni crinibus demissis agnam fœminam cædito.* Sed quæ pœna à Romulo indicta? multiplex sane ea, nec facile constituere. M. Fabius *matronas stupri damnatas pecunia mulctabat.* T. Liu. 3. Decad. lib. 5. in principio. D. Augustinus ex illo, vt apparet ciuit. Dei li. 3. cap. 5. idipsum prodidit. Alij *relegatione*, cuius rei fides à Suetonij Augusto capit. 65. Plin. Iunior lib. 6. Epist. 31. Vlpian. lib. 43. ff. de ritu nuptiar. Andreas Alciat. Parerg. libro 5. cap. 8. vt omittam consuetudinem illam portentosam qua solitum *raphanum in anum impingere, & euulsis pilis calidum cinerem inspergere in vulnera,* ita sonant verba Scholiastis Aristophanis in Nebulas. Hartungus Dec. 2. capit. 6. §. 2. Nonnulli capitali supplicio, quod & à barbaris constitutum reperies apud Ludouicum Rom. patritium Nauigation. suar. lib. 5. cap. 8. & Brocardum Monachum. Terræ sanctæ Descript. pag. 281. & à Græcis, Philostratus Lemnius de vit. Sophistar. in Hermocrate pag. 605. licet, inquit, ob adulterium *[illegible] interficere.* Heliodor. Æthiop. libro primo pagin. 11. in Aureliano principe scribit Fl. Vopiscus. Idemque Suetonius in Iulio capit. 48. idipsum *gladio punire* dixit Constantinus Aug. lib. 6. ff. ad leg. Iul. de adult. Albertus in *l. transigere.* Cod. de Transact. & Baldus in l. *si quidem* C. de contract. & commit. stip. D. Hieronym. in Epistola de muliere septies icta: mors illa penes maritum erat. M. Cato in Orat. de dote apud A. Gellium libro decimo, capite vigesimotertio, quod ius primum patris fuit, non vero mariti, vt iam obseruatum. Dotem etiam, vt antea dixi, amittebant, adde IC. Alexandrum in l. *Si cum dotem*, ff. de sol. matrim. & l. *consensu* C. de repud. L. Sen. libr. 2. Controuer. 8. de adultera, *vt multiplicatam dotem perdat, plus tamen ex quæstu habet.* Legimus & in historia C. Marium damnasse Titinium, *qui vxorem falso adulterij titulo repudiauit,* vt

nis dotem consequeretur. vt ait Valerius Maximus libro 8.capit.2. Multa curiose, & docte, vt semper solet disquisiuit I.Lipsius lib. 4. Taciti sui, quæ inde repete, & I.Borcholten IC.ad tit.18.libri 4.Instit.Imperial.

Sed à rudioribus illis priscis sæculis ad cultiora florentis Reipub.tempora ascendamus. ab Augusto lata est lex Iulia coërcendis adulteriis,stuprisque: Sueton. in eo.capite 34. *leges retractauit, & quasdam in integro sanxit, vt sumptuariam: & de adulteriis, & de impudicitia, & de ambitu, de maritandis ordinibus.* delendum ex MS. codice censent priorem illam copulam &, sed parum interest, omnino historicos. Q.Horat. libro quarto od. 15.

Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia.

Eiusdem libri od.5.effuse in legis Iuliæ huius laudem excurrit.

Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos & lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperæ,
Culpam pœna premit comes.

Lepidissima ea est altercatio inter Italum & Germanum, hoc disticho eleganti comprehensa.

Vt nos vina iuuant, sic vos Venus improba vexat,
Proposita est Veneri Iulia,nulla mero.

M.Martial.lib.5.Epigr.76.

Quæ legis causa nupsit tibi Lælia Quinte,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Et lib.6. Epigr.22.

Ne lex Iulia te notare possit
Non nubis Proculina sed fateris.

D.Auson. Epigr.88.

Iurisconsulto cui viuit adultera coniux
Papia lex placuit,Iulia displicuit.

Videtur illam iam veluti obsoletam, postliminij iure reduxisse Domitianus, Martial. lib.6.Epigr.2.

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ,
Lusus & immeritos exsecuisse mares,
Vtraque tu prohibes,Cæsar.

D.Iuuenal. Sat.2. v.36. & vetus scholiastes ibidem.

-----Vbi nunc lex Iulia dormis?

Sed quæ eius pœna? relegationem censuit Yuo Villiomarus, Robertus Titius mortem, ex Iuuenale loco laudato.

------leges reuocauit amaras
Omnibus, atque ipsi Veneri, Martique timendas.

Huius seueritatem vt euitarent matronæ, & vt liberius peccarent, specie matrimonij prætenta, eunuchos in maritos accipiebant, qui non tam mariti, quam mœchi censebantur.Martial.lib.6.Epigr.2.

At prius ô mores! & spado mœchus erat.

Eiusdem libri Epigr.67.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gella? quæris, Pannice?

Et Epigr.22.ibidem.

Quod nubis Proculina concubino,
Et mœchum modo,nunc facis maritum.

Idem lib.1.Epigr.75.

Mœchus erat, poteras tamen hoc tu, Paulle, negare,
Ecce vir est,nunquid,Paula,negare potes?

Incertus, sed vetus Poëta apud C. Suetonium in Othone cap.3.

Cur Otho mentito sit,quæritis,exul honore?
Vxoris mœchus cœperat esse suæ.

Denique adulterium peius periurio reputabat Thales,Laert.in vita eius & Sibylla Erithræa *Deum maxime adulterio irritari* vaticinabatur, vt refert Lactantius Firmianus lib. de Ira Dei capite 22. *idololatria grauius* illud ipsum prædicat D.Ioannes Chrysostomus in D.Ioan.homil.62.Euphron vetus Poëta apud Stobæum Serm.6.

οὐκ ἔστι μοιχοῦ μεῖζον οὐδὲν κακόν.
Non est adulterio maius vllum malum.

Capvt XXV.

De legibus inter sicarios, & legibus veneficij ac parricidij.

Crimen inter sicarios dictum est si ferro,aut telo cædes facta esset. veneficium,si veneno:si parentibus aut propinquis nex allata,parricidium.Sicarij à sica dicti: Sicam ferreum cultrum fuisse,scribit Iustinianus libro 4.Institutionum.Qualis vero sit,g'adius fuerit,docet Iosephus Antiquitatum Iudaicarum lib.20. Sicarij,inquit,latrones sunt, cultellis vtentes, magnitudine similibus acinacibus Persicis recuruis & similibus iis, quæ à Romanis sicæ dicuntur: vnde & qui latrocinantur, nomen sumpserunt. Hi gladij breues erant,ita vt occultari sinu vestis possent. & facile nec opinantes confodi, & maxime in turba possent.De crimine inter sicarios & venefi.ij præter antiquas,quarum memoria obliterata est,extat Cornelia lex,quam tulit Cornelius Sulla Dictator anno DCLXXIIX. cuius hæc reperiuntur capita.

Iudex quæstionis cum iis iudicibus, qui ei obuenerint, de eius capite quærito, qui hominem occiderit, cuiúsve dolo malo incendium factum erit, quique hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulauerit. Iudex quæstionis, cum iis iudicibus, qui ei obuenerint, de eius capite quærito, qui venenum malum hominis necandi causa fecit, fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit. Déque eius capite quærito, qui Tribunus militum legionibus quatuor primis, quive Quæstor, Tribunus plebis, Triumuir Capitalis, Triumuir agris dandis, assignandis, Consul, Dictator, Prætor, Magister Equitum, quive Magistratum habuerit, quive in Senatu sententiam dixit, dixerit: qui eorum coit, coierit, conuenit, conuenerit, consensit, consenserit, quo quis falsum iudicium profiteretur, vt quis innocens conueniretur, iudicio publico condemnaretur. Déque eius capite quærito, qui testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur, quiue Magistratus, Iudéxque quæstionis ob capitalem causam pecuniam acceperit, vt publica lege reus fieret. Qui contra hanc legem fecerit, is in Insulam deportetur, & bonis omnibus spolietur. Marcianus ff. ad legem Corneliam de sicariis. Theophilus. Ea lege excepti erant, qui proscriptione Sullana ob relata ciuium Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant. Suetonius in Cæsare. Eiusdem etiam hoc caput fuit, vt cùm in consilium iri oporteret, Quæsitor à reo quæreret: clàm an palàm de se sententiam ferri vellet. Cicero pro Cluentio. Item. Vt si quis domi suæ necatus erit, ei, qui seruos, qui ante quæstionem fugerint, peruestigauerit, & indicarit, in singulos seruos, quos eius cædis conuicerit, quinos aureos ex bonis occisi, et si inde redigi ea quantitas non possit, ex publico accipiat. Vt de his, qui ante quæstionem habitam fugerint, si aperto testamento liberi scripti inueniantur, iudicium inter sicarios fiat, ita vt e vinculis causam dicant, & conuicti perinde ac serui puniantur: & ei qui conuicerit, deni aurei præmij nomine dentur ex bonis damnati. Caius lib. 25. ff. ad S. C. Silanian. Huius legis meminit Seneca libro primo de Prouidentia, & libro Declama. tertio: item in ludo, quem de morte Claudij Cæsaris composuit.

De legibus Parricidij.

Lex de parricidis Parricidij nomine primùm cuiuscunque hominis cædem complexi sunt, teste Plutarcho: & Festus ait, Parricidam, siue, vt aliis placet, Paricidam non eum dictum fuisse, qui parentes, sed qui qualemcumque hominem occidisset. Quare veteres de Parricidio leges omnes in genere de cæde cuiuscunque hominis, non autem parentum loquuntur. Neminem enim prisci Romani tam nefarium esse arbitrabantur, qui parentibus necem inferret: quin etiam serò admodum Romæ tale facinus est patratum. Primam de iis, qui parentes occidissent, legem latam fuisse opinatur Carolus Sigonius tum, cùm L. Hostius patrem interfecit, aliquantò post bellum Annibalis: quā legem ipse putat fuisse huiusmodi: Si quis parentes occiderit, aut verberauerit, ei damnato obuoluatur os folliculo lupino, soleæ ligneæ pedibus inducantur, & in carcerem ductus ibi sit tantisper, dum paretur culleus, in quem coniectus in profluentem præcipitetur. Coniecturam huius legis capit ex Liuij epitoma, Rhetoricis ad Herennium, & Plauto in Vidularia apud Nonium. Hanc legem putat L. Cornelium Sullam constituta publica quæstione, repetisse & confirmasse, nihil autem addidisse.

Pompeia lex. Secuta postea est Pompeia, quam tulit Cn. Pompeius Magnus Consul cum M. Crasso II. anno DCXCIIX. cuius hæc reperiuntur capita: Prætor, qui ex hac lege quæret, de eius capite quærito, qui patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, (materteram) consobrinum, consobrinam, vxorem, virum, generum, socerum, vitricum (nouercam) priuignum, priuignam, patronum, patronam, occiderit. Cuiusve dolo malo id factum erit, siue conscius fuerit. Déque eius matris capite quærito, quæ filium, filiámve occiderit, & aui eius, qui nepotem occiderit, eiusque qui emit venenum, vt patri daret, quamuis non potuerit dare. Is si confessus erit, virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & simia, deinde in mare profundum culleus iaciatur. Marcianus, Modestinus de parricidiis, Iustinianus Institutionum lib. 4. de iudiciis publicis & alij.

Capvt XXVI.

De legibus falsi.

Cornelia lex. Crimen falsi latissimè patuit. Nam omnia, quæ falso dicta, aut scripta, aut facta in alterius damnum essent, hoc nomine complexi sunt. De falso antiquæ fuére leges, sed certos non habuére Prætores. L. Cornelius Sulla Dictator & consul cum Q. Cæcilio Metello anno DCLXXIII. relatis legib. certum etiam Prætorem huic crimini addidit, Cicerone teste. Ex eius lege falso hæc capita extant.

Prætor

Prætor qui ex hac lege quæret, de eius capite quærito, qui testamentum amouerit, celauerit, eripuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit: quique testamentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit dolo malo, cuiusve dolo malo id factum erit. Qui sibi legatum, fideicommissumque adscripserit. Qui nomine Prætoris literas falsas reddiderit, edictumque falsum proposuerit. Déque ius capite quærito, qui ob falsas testationes faciendas, testimoniáve falsa inuicem dicenda dolo malo coierit, quique Iudicem corruperit, corrumpendúmque curarit.

Déque eius capite quærito, qui nummos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, qui in aurum vitij quid indiderit, qui argenteos nummos adulterino flauerit, qui cùm prohibere tale quid posset, non prohibuit. Qui nummos stanneos, plumbeos, emerit, vendiderit dolo malo, eique damnato aqua & igni interdicito. ff. ad l. Cornel. de falso. Meminit eius & Cicero lib. 3. de Nat. Deor. & Suetonius in Augusto.

Capvt XXVII.

De legibus de vi.

VIM dixerunt iniuriam, quæ inferebatur alicui, siue in vrbe, siue in agro, siue armatis hominibus, siue inermibus. De hac primis temporibus ferè iudicabant ex legibus de Maiestate, & de sicariis. Vltimis autem temporibus leges de ea latæ sunt:

Plautia lex. Plautia à P. Plautio Tribuno plebis lata est adiuuante Q. Lutatio Catulo Consule, cum M. Æmilio Lepido anno IↃCLXXV. cuius hæc videntur fuisse capita: Is, cuius hæc quæstio erit, de eius capite quærito, qui aduersus Rempublicam coniurauerit, insidias Senatui fecerit, Magistratibus vim attulerit, qui cum telo in publico fuerit, aut seditionis causa loca superiora occuparit, alienáve ædes saxis, ignibus, aut ferro occuparit, déque iis quotidie quærito. Itémque de eius capite quærito, qui possessorem e fundo hominibus armatis deiecerit dolo malo, aut armatis obiectis, vt inde profugeret, causam attulerit, prohibetóque, ne prædium, vnde deiectus possessor sit, vsu capiatur. Iis damnatis aqua & igni interdicito. Capita hæc collecta sunt à Carolo Sigonio ex iudiciis, quæ hac lege facta sunt, quorum memoria est apud Suetonium, Sallustium in oratione in Ciceronem, Dionem libro trigesimo nono, Ciceronem & alios. Et hac lege, inquit Sigonius, iudicia de vi omnia facta sunt vsque ad Cæsarem Dictatorem, eáque multa capita legis de sicariis, & de Maiestate comprehensa sunt.

Clodia lex. Memoratur & Clodia, quàm tulit Pub. Clodius Tribunus plebis, L. Calpurnio Pisone Cæsonio, A. Gabinio Consulibus anno IↃCXCV. Vt de iis qui ciues Romanos sine iudicio populi, indictáque causa necassent, quæstio haberetur. Tulit autem ob Ciceronem & alios, à quibus necati erant Catilinarij, quamuis nominatim de Cicerone nullam faceret mentionem. Velleius lib. 2. Dio lib. 38. Cicero lib. 3. ad Atticum.

Cn. deinde Pompeius in tertio Consulatu anno IↃCCI. legem tulit de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit, & pœnam grauiorem, & formam iudicij breuiorem. Capita eius ab Hotomano hæc sunt collecta: Vt priusquam causa de vi ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum Iudices consignarent, quarta die adesse omnes in diem posterum iuberentur, & coram accusatore ac reo pilæ, in quibus nomina Iudicum inscripta essent, æquarentur: dein rursus postera die sortitio fieret virorum & LXXXI. qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent: tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reúsque illo eodem die iudicaretur: priùs autem quàm sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reiiceret: ita vt numerus Iudicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta & vnus. Asconius in Milonianæ argumento, Dio libro 40. Cicero libro 4. de Finibus, & ad Atticum libro 10. Cæsar libro 3. de Bello ciuili. Hanc legem in hunc numerum referri non debere Sigonius vult.

Iulia lex. Post legem Pompeiam Iulia lata est à C. Iulio Cæsare Dictatore, cuius tenuis memoria extat. Vnus enim tantùm meminit Cicero, qui in Antonium, inquit, legem, quam Antonius Consul post mortem Cæsaris promulgarat, vt de vi damnati ad populum prouocarent: obrogari legi Cæsaris, quæ iubet ei, qui de vi damnatus sit, aqua & igni interdici: quam pœnam non à Cæsare primùm irrogatam esse constat. Neque verò lex Antonii inter leges est referenda, quia tantum sit promulgata, non lata. Ita Carolus Sigonius.

Pedia lex. Postero autem anno Q. Pedius cum C. Octauio consul legem tulit nominatim de Cæsaris interfectoribus, quæ siue de vi, de sicariis, siue de Maiestate dicatur, pro lege non est habenda, cùm neque in vniuersum, neque in futurum sit lata. Huius meminit Velleius lib. 2.

Demum C. Cæsar Augustus leges tulit de vi publica, & de vi priuata. Publicam appellans, vt inquit Iustinianus, quæ armis: priuatam, quæ sine armis esset facta. Prioris legis hæc capita fuerunt.

Qui arma, tela domi suæ, agróve in villa præter vsum venationis, vel itineris, vel nauigationis coëgerit præter ea, quæ quis promercij causa habuerit, hæreditatéve ei obtinuerint. Qui turbæ, seditionísve faciendæ consilium inierint, seruósque aut liberos homines in armis habuerint. Qui pubes cum telo in publico fuerit. Qui pessimo exemplo conuocatu, seditione villas expugnauerint, & cum telis & armis bona rapuerint: Qui ex incendio rapuerit aliquid præter materiam. Qui puerum, vel fœminã, vel quemquam per vim stuprauerit, qui in incendio cum gladio, aut telo rapiendi causà fuit, vel prohibendi dominum res suas seruare. Qui hominibus armatis possessorem domo, agróve suo, aut naui sua deiecerit, expugnauerit concursu, vtque id staret, homines commodauerit. Qui cœtu, concursu, turba, seditione incendium fecerit, quique hominem dolo malo incluserit, obsederit, quive fecerit, quò minus sepeliatur, quò magis funus diripiatur, distrahatur, quive per vim sibi obligauerit. Qui cum imperium potestatémve haberet, ciuem Romanum aduersus prouocationem necauerit, verberauerit, iusseritque quid fieri, aut quid in collum iniecerit vt torqueatur, si legatorum, oratorum, comitumque quem pulsauerit, siue iniuriam fecerit. Qui reum vinxerit, impedieritve, quò minus intra certum tempus adsit. Qui dolo malo fecerit, quò minùs iudicia tutò exerceantur, aut iudices, vt oportet, iudicent: vel is, qui potestatem, imperiumve habebit, quàm ei ius erit, decernat, imperet, faciat. Qui ludos, pecuniámve ab aliquo inuito publice, priuatimve, per iniuriã exegerit Qui cum telo dolo malo in concione fuerit, aut vbi iudicium publicè exercebitur, præter eum, qui propter venationem habeat homines, qui cum bestiis pugnent. Qui conuocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, & pulsetur, neque occisus homo sit. Qui ædes alienas, aut villas expilauerit, effregerit, expugnauerit, si quidem in turba cum telo fecerint. Qui noua vectigalia exercuerint, Prætori, cui coercitio hac lege obuenerit, eam, si proficiscatur, mandare liceto. Damnatis de vi publica aquæ, & ignis interdictio esto.

Hæc autem capita omnia sunt in Digestis ad legem Iuliam de vi publica, ex Marciano, Scæuola, Vlpiano, Mæciano, & Paulo. Addit Paulus armatos non vtique eos intelligendos esse, qui tela habuerunt: sed etiam qui quid aliud, quod nocere potest, & telorum appellatione omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt, accipi. Cæterùm qui telum tutandæ salutis suæ causà gerunt, non videri hominis occidendi causà portare.

Capita verò legis de vi priuata hæc fuerunt: Qui cœtum, & concursum fecerit, quò minùs qui in ius producatur, quive quæstionem de alterius seruo habuerit. Qui quem ex agro suo hominibus congregatis siue armis deiecerit. Qui creditor sine auctoritate Iudicis res debitoris occuparit. His damnatis tertia pars bonorum publicetur. Neque Senator, neque Decurio sit, aut vllum honorem capiat néve in eum ordinem sedeat, néve iudex sit. Hæc ex Scæuola, Paulo, Vlpiano, Modestino, Digestis ad legem Iuliam de vi priuata.

Cornelia lex. De iniuriis etiam legem tulit L. Cornelius Sulla Felix Dictator & consul cum Q. Cæcilio Metello Pio, anno Vrbis DCLXXIII. quam hic referre placet Capita eius memorantur ista: Vt in eos, qui quempiam pulsassent, domumve alienam vi introissent, iudicium daretur. Vt in eo iudicio non esset, qui ageret, gener, socer, vitricus, priuignus, sobrinusve esset, propiusve esset, propiúsve eorum quemquam ea cognatione, affinitatéve attingeret, quive eorum cuius, parentisve cuius eorum patronus esset. Vt filiusfamiliàs ex omni causà iniuriarum ageret, vt actori iusiurandum deferre liceret reo, an iniuriam fecerit. Si quis librum ad infamiam alicuius scripserit, composuerit, ediderit: dolóve malo fecerit, quo quid eorum fieret: etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine: vti de ea re agere liceret: & si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex lege iubetur. Vlpianus l. 5. ff. de iniur.

Cap. XXVIII.

De Peculatu, residuis, & sacrilegio.

Pecu-

PECVLATVS dictus est furtum pecuniæ publicæ, & peculator, qui furtum pecuniæ publicæ commisit, teste Asconio. Nomen autem accepit, vt scribit Festus, à pecore, quia ab eo initium eius esse cœpit. Si quidem ante æs, aut argentum signatum ob delicta pœna grauissima erat duarum ouium, & triginta boum. Vt autem cæteræ quæstiones, sic etiam peculatus primis temporibus certum Prætorem aut Quæsitorem non habuit, sed lege, prout vsus incidebat, Prætoribus aut etiam Consulibus mandabatur. Postquam autem quæstio repetundarum perpetua constituta proprium Prætorem est nacta, tum verò quæstio etiam peculatus præcipuo Prætori eodem modo mandata est. Id verò ante Dictaturam L. Sullæ, id est, ante annum ƆCLXXI. Qua tamen lege acceperit, adhuc inueniri non potuit. Hæc Carolus Sigonius. Franciscus Hotomanus Petilliam de peculatu legem commemorat ex Liuij libro 38. quæ lata est à Q. Petillio Tribuno plebis anno IƆLXVI. M. Æmilio Lepido, C. Flaminio Nepote Coss. Vellent, iuberent, quæreretur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab Rege Antiocho sit, quique sub eius imperio fuerint: quod eius publicum relatum non esset, vti de ea re Ser. Sulpitius Prætor vrbanus ad Senatum referret. Addit Liuius: Omnes Tribus, vti rogas, iusserunt. *Petillia lex.*

Præter hanc nulla ferè de hoc crimine lex extat, nisi Iulia, quam tulit C. Iulius Cæsar, quaque peculatum, sacrilegium, & residuas pecunias est complexus. Eius legis capita in Digestis hæc extant: Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui ex pecunia sacra religiosa abstulerit, interceperit, in suam rem verterit, aut quò quis auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat fecerit. Qui in aurum, argentum, æs publicum quid indiderit, immiscuerit, aut quo quid indatur, immisceatur, fecerit dolo malo, quo id peius fiat. Quique tabulam æream legis, formámve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutauerit, ei aqua & igni interdicatur, atque pecunia ab hærede repetatur. Quique publicam pecuniam delegatam in vsum aliquem retinuerit, neque in eam rem consumpserit. Item de eo, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam accepit, aliáve qua pecunia resedit, is damnatus ampliùs tertia parte, quàm debet, soluat. Vlpianus libro primo ff. eo. Paulus sententiarum libro 5. Cap 29. & libro secundo ff. ad legem Iuliam de peculatu. Residuæ autem pecuniæ, vt & hoc addam, dicebantur, quæ apud eum, qui publicam pecuniam administraret, supererant, cùm vel in vsum publicum erogari, vel in ærarium referri deberent: Paulus libro 22. ff. ad legem Iuliam de peculatu. De residuis pecuniis legem ante hanc Iuliam tulisse C. Cornelium Tribunum plebis, ex oratione Ciceronis pro Sulla cognoscitur. *Iulia lex.*

CAPVT XXIX.

DE AMBITV.

AMBITVM appellarunt crimen illud, quo quis se in ambiendo Magistratu obstrinxit. Ambire verò erat petere, verùm studiosiùs, impensiúsque, quàm mores, legésque ciuitatis ferebant. De ambitu Cicero libro de petitione Consulatus ad Q. fratrem, Carolus Sigonius libro 2. de iudiciis, & ex eo nos, libro de Magistratibus multa diximus. Hic tantùm leges de ambitu, vel potiùs contra ambitum latas recitabimus.

Primæ legis, quæ ad ambitum pertineret, mentio est apud Liuium libro quarto L. Pinario, L. Furio Tribunis militum Consulari potestate, anno CCCXXII. qua togæ candidæ vsus est interdictus. Placuit, inquit Liuius, Senatui tollendæ ambitionis causa, Tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum addere petitionis causa liceret. Vicerunt Tribuni, vt legem perferrent. Quo in loco, vt hoc obiter moneam, in vestimentum, duabus distinctis vocibus legendum Iustus Lipsius libro 4. Antiquarum lectionum capit. 15. monet: vt sensus sit, vetuisse legem album addi in vestem, id est, cretam, gypsum & si milia, quibus togas suas ornare petituri solebant, ex quo & nomen manauit candidati. Hanc tamen legem obseruatam non esse, satis constat. *Lex de toga candida.*

Liuius tamen de ambitu primùm latum esse C. Fabio, & C. Plautio Coss. scribit anno CCCXCIIX. aduersus eos, qui nundinas, & conciliabula prensandi causa obirent: De Ambitu, inquit, à C. Pratelio Tribuno plebis, auctor ibus Patribus tùm primùm latum ad populum est, eáque rogatione nouorum maximè hominum ambitionem, qui nundinas & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant. Verùm & hanc legem tacito pòst consensu abrogatam existimare possumus, quippe cum petitores Magistratuum *Pratelia lex.*

solos Senatores & Equestrem ordinem, & Tribunos Ærarios communicarentur. Cicero in Verrinis sæpe, Asconius in easdem, in orationem pro Cornelio, & in Pisonem, Florus Epitome 97. Velleius lib. 2. vbi tamen Tribunos Ærarios non nominat.

Vatinia lex. Secuta Vatinia est, quam tulit, vt opinatur Manutius, Publ. Vatinius Tribunus plebis C. Iulio Cæsare, M. Calpurnio Bibulo consulibus, anno IↃCXIV. Qua autem sententia fuerit, se nondum inuenire potuisse idem ait: existimare tamen popularem fuisse, cùm Vatinius Senatum, Senatus illum vehementer oderit.

Iulia lex. Iulia lex à C. Iulio Cæsare consule cum M. Bibulo, anno eodem lata est: Vt iudicia ad duo genera Iudicum redigerentur. Equestris ordinis, & Senatorij: Tribuni verò Ærarij, quod erat tertium, tolleretur. Suetonius in Cæsare. Meminit & Agellius libro 14. capite 2. Dio libro 43. Multa præterea huius legis capita fuerunt de ipsorum iudicum ætate, dignitate & conditione, de forma & consuetudine iudiciorum publicorum & priuatorum. Quæ omnia in antiquis Iurisconsultorum libris comprehensa opera Triboniani abolita sunt.

Pompeia lex. Pompeia sequitur: quam tulit Cneus Pompeius Magnus II. Coss. cum M. Licinio Crasso II. anno IↃCXCIIX. Vt amplissimo ex censu, ex centuriis, aliter quam antea lecti Iudices, ex tribus tamen ordinibus, quibus Aurelia lege communicata erant iudicia, Senatorio scilicet, Equestri, & Tribunis Ærarij res iudicarent. Item, vt quinque & septuaginta Iudices causas cognoscerent. Cicero in Pisonem, & in eadem Asconius.

Antonia lex. Vltima Antonia est, quam tulit M. Antonius Cos. cum D. Iulio Cæsare, anno IↃCCCIX. Vt tertia Iudicum decuria è centurionibus, Antesignanis, Alaudis, Manipularibus fieret. Cicero Philip. 1. & 5. Suetonius in Augusto. Ex quo etiam intelligi potest, hanc non fuisse abrogatam, cum ille hostis iudicatus est, vt vult Zasius. Sic enim scribit: Ad tres Iudicum decurias quartam addidit ex inferiore censu, quæ ducenariorum vocaretur, iudicarentque de leuioribus summis.

Pompeia lex. Hactenus leges de Iudicibus recitauimus, de quibus prolixè Paulus Manutius libro de Legibus, & Franciscus Polletus libro tertio Historię Fori Romani. Quibus adiiciemus eam Pompeij legem, qua tulit, Vt de iis, qui à secundo suo consulatu ad hunc vsque diem ob rem iudicandam pecunias cepissent, quæstio constitueretur. Appianus libro secundo de bellis ciuilibus.

Caput XXII.

De iudiciis.

NOn est dubium, si omnes, quæ à priscis Romanis latæ sunt leges, hodie superessent, magnum earum numerum de iudiciis futurum esse. Verum interciderunt ferè omnes. Quæ igitur adhuc extant, hoc capite recitabimus. Sunt autem tres, Pompeia, Iulia, & Iunia Petronia.

Pompeia lex. Pompeia à Cneo Pompeio Magno consule solo sine collega, anno Vrbis IↃCCCI. lata est. Ne reum in iudicio laudare liceret. Plutarchus in Pompeio, & Catone Vticensi. Valerius lib. 6. cap. 2.

Iulia lex. Legem Iuliam iudiciariam à C. Iulio Cæsare latam multa de forma iudiciorum publicorum priuatorumque cōtinuisse quæ à Triboniano abolita sint, diximus capite præcedenti. Fuit autem & alia Iulia lex ab Octauio Augusto Cæsare lata, quæ formam iudiciorum præscripsit, cuius hæc capita feruntur: Vt qui nomen alicuius deferrent, locum, annum, & mensem, quo crimen admissum erit, designent, l. 3. de accus. Ne eodem tempore de duob. reis quis quereretur, nisi suarum iniuriarum causa, l. 12. eodem: Ne inuito denuncietur, vt testimonium dicat aduersus socerum, generum, vitricum, priuignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eóve, qui priore gradu sint. Item, Ne liberto ipsius, liberorum eius, parentum, viri, vxoris: item patroni, patronæ, & vt ne patroni, patronæ aduersus libertos, neque liberti aduersus patronum cogantur testimonium dicere, lib. 4. ff. de testibus. Vt inter priuatos, qui in Iudicem consensissent, iurisdicundi, ei iudici potestas esset, lege 3. §. 1. ff. de iudiciis. Ne qui Iudex sit, arbitrium recipere eius rei, de qua Iudex est, neve se promitti iubeat. lege nona ff. de arbitris. Ne minor annis viginti iudicare cogatur, l. cum lege 41. ff. de arbitris. Vt Saturnalibus triduo feriæ seruarentur, Macrobius libro 1. capit. 10. Eadem etiam latum opinatur Hotomanus, vt certus patronorum numerus esset. Meminit Asconius in argumento orationis pro Scauro. Et si quis reus accusator domum Iudicis ingrediatur, per legem Iuliam iudiciariam in legem ambitus cōmittit lege prima ff. de ambit. Item, Ne iudices suo anno in alienas ædes ingrediantur. Dio libro 54.

Iuniam

Iuniam Petroniam tulêre C. Iunius Cęsonius, Petronius Turpillianus, coss. anno DCCCXIII. Vt si dissonantes pares iudicum existerent sententiæ, pro libertate pronunciaretur. Hermog. l. 24. ff. de manumiss. His legibus subiiciemus eas, quę de mulctis, item eam, quæ de donis & muneribus latæ sunt.

Memmia lex. De iudiciis etiam fuit lex Memmia, de Reis postulandis, qua latum fuit, vt eorum, qui Reipublicæ causa abessent, nomina inter reos reciperentur. Cic. in Vatin. Valer. Max. lib. 3. c. 7.

Lex de calumniatoribus. Item illa de calumniatoribus: vt calumniatoribus pœna constituto iudicio imponeretur: cuius meminit Cicer. pro Sext. Roscio, Papinianus lib. 13. de testibus, lib. 11. c. 1. ad Senatusconsultum Turpil. Hac autem lege calumniatori in fronte imprimebatur litera, qua indicabatur calumniatum eum esse. Sic enim Cicero pro Sext. Roscio: Literam illam, cui vos inimici estis, vt etiam calumnias oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt posteà neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis, &c. Cæterum hanc legem, sicut & superiorem, quidem Remiam appellant. Paulus Manutius autem commentariis in orationem pro Sex. Roscio, superiorem illam de reo reuocando Memmiam: hanc ergo de calumniatoribus Remmiam dictam sibi videri scribit. Pertinent ad hunc de iudiciis locum etiam leges, quæ de Mulctis, item quæ de Donis & muneribus latæ fuerunt.

Ateria Tarpeia lex. De Mulct. primi legem tulêre Sp. Tarpeius Montanus Capitolinus, Aul. Aterius Fontinalis coss. anno CCCIX. vnde & Ateria, & Tarpeia indifferenter dicitur: Vt omnibus Magistratibus mulctæ dicendæ ius esset, cùm antea solis coss. id liceret: Vt duas oues, triginta boues mulcta non excederet. Dionysius lib. 10. Agellius lib. 11. c. 1. & Festus in voce Peculatus. Ad huius legis primum caput respexisse videtur Vlpian. l. vnica. ff. si quis ius dic. non obtemperauer. ait: Omnibus Magistratibus secundum ius potestatis suæ concessum est iurisdictione pœnali iudicio defendere.

Sextia Tarpeia lex. Biennio pòst, anno scilicet CCCI: P. Sextius Capitolinus, L. Menenius Lænatus coss. legem tulerunt, vt oues decussi, boues centussi æstimarentur. Apud Festum, qui huius legis meminit, mendum esse videtur, quia priore loco ponit legem Meneniam Sectiam, posteriore Tarpeiam, quasi Menenius ante Tarpeium & Aterium consul fuerit, quod falsum est. Vide Antonium Augustinum apud Festum, ad vocem, Peculatus.

Papiria lex. Fuisse quoque Papiriam Iuliam legem consularem de modo mulctarum latam, ex Liuio cognoscitur: verùm qua sententia, non exprimitur. Atque tantum de mulctis.

Cincia lex. Huc denique pertinet lex Cincia muneralis, siue de donis & muneribus, quam tulit M. Cincius Tribunus plebis, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano coss. anno IↃLIX. Ne quis ob causam orandam donum, munusve caperet. Liu. 34. Tacitus lib. 14. Annalium, Cicero ad Atticum lib. 1. item lib. 2. de Oratore, in Catone. Hanc Festus muneralem à Plauto vocari scribit, his versibus,

> *Neque muneralem legem, neque lenoniam,*
> *Rogata fuerit nécne, flocci æstimo.*

Fuerunt autem & alia quædam huius legis capita, vt Ne plus ducentis aureis donare liceret: extra quam si coniunctis personis donaretur, quod eo amplius donatum esset, ratum non esset, argumento l. sancimus. C. de donat. Vlpianus cap. Instit. 1. l. 4. & l. 6. C. Theod. de donat. Item, Vt in donatione quibuscunque personis facta, mancipatio traditione adhiberetur, ff. l. 4. & l. 5. Verùm ista propriè huc non pertinent.

Hoc loco meminerunt quidam ex Tacito lib. 2. Annal. & ex Ausonio legis Titiæ muneralis. Cum verò ij loci de mendo suspecti sint, nihil amplius de ea habeo dicere, præsertim cùm etiam Iustus Lipsius in notis ad Tacitum affirmet in Vaticanis duobus, & Farnesiano codice, legi Cintiam, aut Cinthia, non Titiam.

Atque has leges, quas de iure publico & priuato recitaremus, habuimus. Sequitur vt de criminibus dicamus, quod faciemus capitibus sequentibus.

CAPVT XXXII.

De criminibus publicis, & primùm de Maiestate.

HACTENVS eas leges recitauimus, quæ de iure publico, & priuato latæ sunt. Restant illæ, quæ de criminibus loquuntur. Fuerunt autem crimina maleficia, quæ aut aduersus Rempublicam commissa sunt, aut populus Romanus aduersus Rempublicam commissa existimauit, atque iudicio legibus constituto, pœna vindicanda putauit: qualia sunt crimen Maiestatis, peculatus, ambitus, repetundarum, vis publicæ sicariorum, veneficij, parricidij, falsi, adulterij, plagij. De his omnibus ordine dicemus, sumpto initio à

crimine Maiestatis, quippe quod omnium fuit grauissimum & antiquissimum.

Maiestas, inquit Vlpianus, est crimen illud quod aduersus populum Romanum, aut securitatem eius committitur, id est, in quo læditur aut dignitas, aut securitas eius. Et pertinent ad hoc crimen omnia, quæcunque aut populo, aut Magistratibus eius directo iniuriæ factæ sunt. Grauissimum autem inter Maiestatis crimina est crimen perduellionis, & sub illo tanquam species sub genere continetur. Est autem perduellio, hostili animo aduersus Rempublicam, vel Principem animatum esse. Franciscus Hotomanus IC. celeberrimus, quadruplicem inter Maiestatis & perduellionis crimina differentiam notat, quarum prima est, quòd Maiestatis crimine tenentur ij, qui vel partem aliquam Reipublicæ læserunt, veluti, si quis duces hostium accepta pecunia liberauit, aut priuatus domi suæ hostium duces tenuit: aut si Magistratui quippiam pro sua potestate agenti aliquis officiat, veluti C. Cornelius, quem Cicero defendit. Perdullionis autem crimen in eos cadit, qui summam Reipublicæ labefactare conati sunt. Altera differentia est, quòd Maiestatis in foro apud suum Prætorem pro tribunali, iudicio certa lege constituto agebatur, vt ex Verr. 3. & 7. cognoscitur. Perduellio verò primis quidem temporibus à Duumuiris data opera creatis, post autem à populo Romano comitiis centuriatis in campo Martio cognoscebatur: quemadmodum ex oratione Ciceronis pro C. Rabirio perduellionis reo, in campo Martio habita, itémque ex Valerij Maximi lib. 6. cap. 5. satis plane constat. Tertia differentia est, quòd Maiestatis crimen non morte, sed exilio mulctabatur: perduellionis verò damnatum carnifex in Vrbem euocatus in crucem, Martio in campo fixam tollebat, quod ex eadem oratione cognoscitur, in qua crucis mentio fit, & ex Dionis libro 37. vbi de hoc iudicio commemorat. Quartam differentiam Vlpianus ostendit ff. l. vlt. de crim. Maiest. vbi ait: Maiestatis imminutæ crimen rei morte obliterari: Perduellionis autem memoriam etiam post mortem damnari. Quomodo intelligendus Iustinianus Institutionibus §. 2. de publicis iudiciis, Publica, inquit, iudicia hæc sunt: Lex Iulia Maiestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem vel Rempublicam aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit. Cuius pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur, &c. Plura de Maiestate alibi recitantur, nos hic leges Romanorum, quæ de eo crimine latæ fuerunt, recensebimus: inter quas, quæ quidem post duodecim Tabulas rogatæ sunt (de illis enim diximus ante) prima est Gabinia: Ne quis coitiones clandestinas conflaret, qui fecisset, capitali supplicio plecteretur. Sallustius in Declamatione Porcij Latronis.

Post annum inde ıↄcıv. leges 4. de Maiestate latæ, Apuleia, Valeria, Cornelia, & Iulia.

Appuleia lex. Appuleiam tulit L. Appuleius Saturninus Tribunus plebis anno ıↄcl11. C. Mario v. M. Aquileio coss. Hac lege C. Norbanus postulatus, quem M. Antonius Censorinus defendit, vt in 2. de Oratore scribit Cicero, ex quo apparet, hac lege vim in Vrbe ac seditionem vindicatam esse. Carolus Sigonius putat eandem etiam quæstionem de Maiestate perpetuam constitutam esse.

Valeria lex. Legem Valeriam tulit Q. Valerius, propter obscurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus, Tribunus plebis anno ıↄclxii. L. Marcio Philippo, Sex. Iulio Cæsare coss. Vt quæreretur de iis, quorum opera, consilióve socii contra populum Romanum arma sumpsissent. Cicero oratione pro Scauro, & pro Cornelio, & in easdem Asconius. Valerius Maximus lib. 8. cap. 6. Cicero Tuscul. 2. & in Bruto.

Cornelia lex. Sequitur Cornelia quam tulit L. Cornelius Sulla Felix dictator anno ıↄclxx. cuius hæc capita apud scriptores dispersa leguntur: Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui intercessionem sustulerit, aut magistratui, quo minus munere suo fungatur impedimento fuerit. Qui exercitum è prouincia eduxerit, aut sua sponte bellum gesserit. Qui exercitum sollicitauerit. Qui ducibus hostium captis ignouerit, aut pecunia liberauerit. Qui ducibus prædonum captis ignouerit. Qui potestatem suam in administrando non defenderit. Qui ciuis Romanus apud Regem externum versatus fuerit. Mulieris testimonium accipiatur, Calumniatoribus nulla pœna sit. His damnatis pœna aquæ & ignis interdictio sit. Cicer. in Pisonem, pro Cluentio & epistolis ad Appium. Asconius in Corneliano, & alij. Fuit & illud in hac lege, vt à quæstionibus cruentis nullius dignitas exciperetur. Ammianus Marcel. lib. 19. Hac lege populus Rom. vsque ad Cæsarem Dictatorem est vsus. Ius tulit, vt de vi & Maiestate damnatis aqua & igni interdiceretur. Cicer. 1. Philip.

Iulia lex. Alia est Iulia, quam tulit C. Octauius Augustus, cuius mentio crebra in libris Iurisconsultorum occurrit. Eius hæc extant capita.

Prætor qui ex hac lege quæret, de eo quærito, Cuius opera dolo malo consilium initum erit quo obsides iniussu principis interciderent, quo armati homines cum telis lapidibúsve in Vrbe sint, conueniántve aduersus Rempublicam, locáve occupentur, vel templa, quove cœtus conuentus fiat, hominésve ad seditionem conuocentur: cuiusve opera, & consilio, dolo

ſto, dolo malo, conſilium initum erit, quo quis Magiſtratus populi Romani, quíve imperium, poteſtatémve habet, occidatur, quóve quis contra Rempublicam arma ferat, quíve hoſtibus populi Romani nuntium, literáſque miſerit, ſignumve dederit, fecerítve dolo malo, quo hoſtes populi Romani iuuentur aduerſus Rempublicam, quíve milites ſollicitauerit, concitaueritve, quo ſeditio tumultuſve aduerſus Rempublicam fiat.

Item de eo, qui in bellis ceſſerit, aut arcem non tenuerit, aut caſtra conceſſerit.

Qui iniuſſu principis bellum geſſerit, delectumve habuerit, exercitum comparauerit, quive, cùm ei in prouinciam ſucceſſum eſſet, exercitum ſucceſſori non tradiderit, quive imperium, exercitumve populi Romani deſeruerit, quive priuatus pro poteſtate, magiſtratuve quid ſciens dolo malo geſſerit, quive quid eorum, quæ ſupra ſcripta ſunt, facere curauerit. Cuiuſve dolo malo iureiurando quis adactus eſt, quo aduerſus Rempublicam faciat: cuiuſve dolo malo exercitus populi Romani in inſidias deductus, hoſtibuſve proditus erit, factumve dolo malo cuius dicitur, quò minùs hoſtes in poteſtatem populi Romani veniant; cuiuſve opera dolo malo hoſtes populi Romani commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliavé qua re adiuti erunt, vt ne ex amicis hoſtes populi Romani fiant, cuiuſve dolo malo factum erit, quo Rex exteræ nationis populo Romano minùs obtemperet: cuiuſve opera dolo malo factum erit, quo magis obſides, pecunia, iuramenta, hoſtibus populi Romani dentur aduerſus Rempublicam.

Item de eo quæritur, qui confeſſum in iudicio reum, & propter hoc in vincula coniectum emiſerit. Item cuius ope, conſilio, dolo malo, Prouincia, vel ciuitas hoſtibus prodita eſt. Qui ſtatuas aut imagines Imperatoris iam conſecratas conflauerint, aliudve quid ſimile admiſerint. Qui famoſos libellos ſcripſerint. Famoſi, ad ius accuſandi admittantur, itémque milites. Serui deferentes audiantur, & quidem dominos ſuos, & liberti patronos. Itemque mulieres accipiantur. Qui in reatu Maieſtatis deceſſerit, niſi à ſucceſſoribus purgetur, hereditas fiſco vindicetur. Qui ex alia cauſa legis Iuliæ Maieſtatis reus eſt, quam perduellionis, mortis crimine liberetur: qui perduellionis, capite puniatur.

Collecta hæc ſunt à Carolo Sigonio ex Vlpiano, Marciano, Scæuola, Venuleio, Modeſtino, Papiniano, Hermogeniano ff. ad legem Iuliam Maieſtatis, Tacito libro primo Annalium, & Suetonio in Auguſto. Ad hanc quoque legum de Maieſtate claſſem referri non incommodè poſſe arbitror Memmiam, de Iugurtha Romam euocando, & Mamiliam de Senatoribus à Iugurtha corruptis. Memmiam tulit Memmius Tribunus plebis, P. Cornelio Scipione Naſica, L. Calpurnio Beſtia Coſſ. anno IↃCXLII. Vti L. Caſſius Prætor ad Iugurtham mitteretur, eumque interpoſita fide publica Romam duceret, quo faciliùs indicio Regis, Scauri & reliquorum, quos pecuniæ captæ arceſſebant, delicta patefierent. Salluſtius de bello Iugurthino.

Mamilliam tulit C. Mamillius Limetanus vel Limitanus Tribunus plebis, Sp. Poſthumio Albino, Qu. Minutio Rufino Coſſ. anno IↃCXIV. Vti quæreretur in eos quorum conſilio Iugurtha Senatus decreta neglexiſſet, quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepiſſent: qui elephantos, quique perfugas tradidiſſent: item qui de pace, aut bello cum hoſtibus pactiones feciſſent. Sallust. de bello Iugurthino. Tantùm de Maieſtate.

Caput XXIV.

De Adulterio.

SECVNDVM inter crimina iudiciorum publicorum locum dedimus adulterio, ſecuti ea in re, ſicut in toto hoc libro, Iuſtinianum Imperatorem, qui & ipſe in Inſtitutionibus iudicia publica recenſens, ſecundo loco adulterii mentionem facit. Habemus autem vnam tantùm de hoc crimine legem reliquam, Iuliam ſcilicet, quam tulit C. Octauius Auguſtus Imperator, cuius hæc capita hinc inde diſperſa collegit Barnabas Briſſonius I.C. eáque eleganti commentario explicauit. Nos capita legis hic referemus, explicatio e Briſſonij commentario petatur. Sunt autem hæc.

Nequis poſthac ſtuprum adulterium facito ſciens dolo malo. Qui ſtuprum, adulterium ſciens dolo malo fecerit, in Inſulam relegator. Patri, qui in poteſtate habet adulterum, quemlibet, quem in filia deprehenderit, domi ſuæ generive ſui occidere ius eſto, dum vnà cum eo in continenti filium occidat. Viro deprehenſum domi ſuæ in vxore ſua adulterum, qui leno fuerit quive artem ludicram fecerit, vel in ſcenam ſaltandi, cantandive cauſa prodierit, iudi-

tiove publico damnatus, neque in integrum restitutus erit, quive libertus eius mariti, vxorisve, patris, matris, filij, filiæ, vtriusque eorum fuerit, propriusve eorum, vel cum alio communis, quive seruus erit occidere liceto. Qui eorum aliquem occiderit, vxorem sine mora dimittito. Viro adulterum cum vxore sua deprehensum, quem aut nolit, aut non liceat occidere, retinere per horas diurnas, nocturnasque non plus quàm viginti, testandæ eius rei gratia, vt vti sine fraude suo iure possit, liceto.

Viro patríque, qui in potestate habet, sexaginta dies vtiles ad accusandum dantur, intráque eos dies cuilibet præferuntor. Post eos dies patri, maritóque lapsos, extranei quilibet admittuntur. Ne quis inter eos eum, qui tunc sine detractione Reipublicæ causa aberit, referto. Minoribus xxv. annis adulterij accusare ne liceto. Si seruus adulterij accusetur, & quæstionem in eo haberi accusator postulet, iudices seruum æstimanto: & quantùm æstimauerint, tantam pecuniam & alterum tantum eum, qui nomen eius serui detulerit, ei ad quem ea res pertinet, dare iubento. Qui post maritum & patrem accusare possunt, si ad accusandum plures simul professi fuerint, is cuius de ea re notio est de iusto accusatore constitutio. Reos adulterij marem & fœminam ex eadem causa ne facito. Si mulier ante denunciationem nupserit, qui accusare volet, ab adulterio incipito. Nec ante ad mulierem quisquam peruenito, quàm adulterum reum peregerit. Adultero absoluto, quæ nupsit, quamdiu nupta erit, aduersus omnes secura esto. Si vir, qui vxori adulteræ repudium misit, vel extraneus quis mulieri, antequàm nuberet, adulterij se acturos denunciauerint, eaque post denunciationem nupserit, ab ea incipere accusare volenti ius esto. Si vidua sit, de cuius adulterio agitur, accusator liberum arbitrium, adulterum, vel adulteram, vtrum priùs velit, postulandi habeto. Qui domum suam præbuerit, vt stuprum, adulteriumve cum aliena matrefam. vel cum masculo fieret, sciens, hac lege tenetor. Qui pro comperto stupro precium acceperit, quæstumve ex adulterio vxoris suæ fecerit, hac lege tenetor. Damnatam adulterij si quis sciens vxorem duxerit, hac lege teneto. Qui deprehensum in domo sua adulterum dimiserit, vxoremve in adulterio deprehensam retinuerit, hac lege tenetor. Mulieri accusandæ sex menses vtiles dantor, posteà accusare ne liceto. Adulterum, adulteramve post quinquennium continuum quàm commissum esse adulterium dicetur, accusare ne liceto, eaque præscriptio adultero, adulteræque vtilis esto. De seruis ancillisve, eius de quo, vel de qua quæretur, parentisve vtriusque eorum, qui eis ad vsum à parentibus dati sint si accusator postulet, quæstionem habeto. Quæstioni reus reave patronive eorum, & iis, qui crimen detulit, intersunto. Patronis interrogandi facultas esto. Seruus de quo quæstio habita fuerit, publicus esto. Si reus, vel rea absoluti fuerint, seruorum damnum iudices æstimanto: siue mortui fuerint, quantæ pecuniæ ante quæstionem fuerint: siue salui, quantæ pecuniæ in his damnum datum fuerit, factumve erit. Serui, qui quæstioni postulari possunt, intra sexaginta dies ex die diuortij, ne manumittuntor, neve alienator. Adulterij damnato, damnatæ testimonij dictio ne esto. Diuortia septemve ciuibus Romanis puberibus testibus adhibitis præter liberum eius, qui diuortium faciet, posthac faciunto. Aliter facta pro infectis habentor. Dotale prædium Italicum maritus inuita vxore ne alienato, neue consentiente ea obligato.

Extant hæc capita apud Suetonium, in Augusto, Tacitum libro secundo, ff. ad legem Iuliam de adulterio, Paulum libro Sentent. secundo, cap. 22 & Iustinianum sub tit. quibus alien. licet.

Peducea lex. *Scantinia lex.* Ante hanc Iuliam legem de adulterio, mentio etiam fit legis Peduceæ de incestu, apud Ciceronem lib. 3. de Natura Deorum, & Scantiniæ de pueris impudicis, apud Iuuenalem Satyra 2. Suetonius in Domitiano, Ausonium, Ciceronem Philippica 3. Hanc tulit, vt Paulo Manutio placet, C. Statinius Aricinus, Tribunus plebis in eos, qui alienam pudicitiam sollicitassent, aut suam ipsi prostituissent, quibus pœnam irrogauit decem millia nummum. Meminit eius etiam Fabius Quinctilianus libro quarto, capite secundo, & libro septimo, capite 4. Cælius ad Ciceronem, libro octauo Epistolarum ad Familiares, epistola 12. Valerius Maximus libro sexto, capite primo testatur, C. Scantinium Capitolinum Tribunum plebis, quòd filium M. Claudij Marcelli, Ædilis Curulis de stupro appellasset, damnatum fuisse, id quod etiam Plutarchus in Marcelli vita habet, à quo quidem hanc legem Scantiniam vocatam voluit, quod tamen haud videtur verisimile. Hanc porrò legem in suam Iuliam de adulterio & pudicitia retulit C. Octauius Augustus, grauiori imposita pœna, teste Iustiniano libro 4. Institutionum, titulo de iudiciis publicis. Vide & Læuinum Torrentium commentariis in Suetonium, in Augusto, cap. 34. Elias Vinetus commentariis in Ausonium, ait sibi nondum satis compertum esse, quæ & qualis lex Scantinia fuerit. Tantum de adulteriis.

Ad Capvt. XXIV.

PARALIPOMENA.

Adulterij crimen, veneficio & furto vicinum, variæ in illud pœnæ, castratio, mutilatio combustio, lapidatio, deiectio è saxo, marito arbitrium iudiciúmque concessum.

NOn simplex crimen censebant adulterium, Hoc est μοιχείαν, vt appellat Iosephus lib. 2. cont. Appion. sed multorum flagitiorum veluti colluuiem. M. Fab. Quintil. lib. 5. capit. 11. in fine. *si causam venefi y dicat adultera, non M. Catonis iudicio damnata esse videatur, qui nullam adulteram non eandem esse veneficam dixit?* idem Declamat. 319. *adultera venefica.* Duplex illud, nocturnum, diurnum, atque vt Cato veneficiis adulterium in genere connexuit, ita Imperator furto nocturnum coniunxit, eiúsque pœnam grauiorem longe esse voluit, adulterio diurno. L. 4. Cod. ad leg. Iul. de adult. hinc νυκτικλόπια *nocturna furta* apud Sibyllina Oracula libro tertio pro adulteriis vsurpata, rectissimè obseruauit Theodorus Marcilius ad leges Xuirales cap. 57. κλέπτειν γάμον dixit Phocylides, *fures nuptiarum*, glossar. vet. *adulteri noctìcubæ.* Constantin. Imperat. l. 30. ff. ad leg. Iul. de adult. & stupr. *sacrilegi nuptiarum adulteri.* Nonius Marcellus interpretatur *furtum, quicquid occultè geritur, non res solum ablatas.* cap. 6. Numer. 3. M. Plaut. in Amphytruone. sc. 13.

Manifestâ hanc obtorto collo teneo
Furem flagitij.

Flagitium, vt puto, corruptela est pudicitiæ alienæ, Virgil. libr. 4. Æneid. de concubitu illo decantatissimo.

Vulcani Martisque dolos, & dulcia furta.

Aurel. Prudent. περὶ στεφάνων. Hymno 10.

------furta mœcharum calens.

Agathias Scholasticus lib. 3. Antholog. capite 21.

Οὐχ ὁσίως λεχέεσσιν ἐτέρπετο λάθριος ἀνὴρ,
λέκτρον ὑποκλέπτων τῆς ἀλλοτρίης ἀλόχου.

Vertit Eilhardus Lubinus.

Non sanctus lectis gaudebat os ultus vir,
Lectum furatus alterius uxoris.

Ad pœnas progredior, quarum primus auctor *Hiectus Archiuus* vt Alexander Neapolitanus libro 4. Genial. dier. capite 1. alij *Hiettum* vocant. Pausan. Bœotic. æquum enim erat, vt violatæ religionis pœnas penderent, *quos in aliena comprehenderant genialis se lectuli expugnatione iecisse.* vt loquitur Arnob. lib. 4. cont. gentes. Philo in Explic. Decalogi, B. Cyprianus, Zeno Veronensis sermone de Patientia, laudati à Desiderio Heraldo viro eruditissimo legantur. S. Valerian. serm. de bono discipl. *nec ille adulterii facinus prætermissum putet, qui indulgentiæ lege deprehensus euasit.* D. Iuuenal. Sat. 6.

------sacri Genium contemnere fulcri.

Itaque seu ob violata nuptialium deorum sacra, seu iniuriam hominibus illatam, variæ in adulteros decretæ pœnæ. Ac primum *apud Ægyptios deprehensus in adulterio mille plagis cæsus castrabatur, maximè, si quam corrupisset, non seruilem, sed liberam conditionem prætulisset, quod vno crimine, tria maxima scelera fuisset complexus, iniuriam, corruptelam, liberorum confusionem.* Laurentii Rhodomanni verba sunt Interpretis Diodori Sicul. lib. 2. Bibliothec. capit. tertio. Romanos eadem seueritate vsos liquet, vel ex Porphyrione Grammatico ad Qu. Horatij Satyr. 2. libro 1. v. 46.

------Quin etiam illud
Accidit, vt cuidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferrum.

Pythyas ille Terentianus in Eunucho.

Nunc minatur porro sese id quod mœchis solent,
Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim.

M. Martial. lib. 2. Epigr 60.

Vxorem armati futuis, puer Hyle, Tribuni,
Supplicium tantum dum puerile times.
Væ tibi, dum ludis castrabere, iam mihi dices,
Non licet hoc, quid? tu quod facis Hyle, licet?

Secundus versus à Domitio Calderino, & à M. S. conceptus,

Supplicium facti nec puer Hyle times.

Indignabunda Ouidiana Progne, sorore sua Philomela à Tereo marito corrupta lib. 6. Metamorphos. Fabula septima.

------Non est lachrymis hoc, inquit, agendum,
Sed ferro, seu si quid habes, quod vincere ferrum
Possis, in omne nefas ego me germana paraui:
Aut ego cum facibus regalia tecta cremabo,
Artificem mediisque immittam Terea flammis,
Aut linguam, aut oculos, aut quæ tibi membra pudorem
Abstulerant, ferro rapiam.

Secundo membrorum detruncatio, artuúm-

que mutilatio, & præsertim aurium, nariúmque, vt deformitas corporis, sceleris perpetrati atrocitatem denuntiaret, vtque pœnæ suæ superuiuentes, quid, & quàm turpiter alienam pudicitiam expugnassent, semper vel vultu ipso loquerentur, notat Adrianus Turnebus lib.20. Aduersarior. cap.46. & in opere Virgiliano Deiphobus Helenæ adulter sic plectitur.

Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora,
Ora, manúsque ambas, populatáque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Martial. lib. 3 Epigr. 83.

Quis tibi persuasit nares abscindere mœchæ?
Nil hac peccatum est parte, marite, tibi.
Stulte, quid egisti? nihil hic tua perdidit vxor,
Dum sit salua tui mentula Deiphobi.

Tertiò *combustione* punita adulteria compertum est ex sacris literis. Genes. cap. 38. scio non semper vsque adeò seueram animaduersionem lege diuina propositam, nam Mosaica lex *lapidibus obruebat adulteros.* Ezech cap. 16. & disertè in Iure Canonico. *C. hinc apparet. 23 q. 5 & c Hæc imago 33. q. 5.* quam pœnam simpliciter *mortem* vocat Bardasanes referente Eusebio lib. 6. præparat. Euangel. c. 8. Idem enim Bardasanes libro de Fato docuerat quod ex illo transcribit.

Solemnis ergo pœna *lapidatio erat*, non in adulterio tantum vindicando, sed & in aliorum criminum coercitione. Notatum video ab eruditissimo Ioanne Meursio, testimonium petendum ex eleganti illo scriptore Parthenio Erotic. c. 21. [Greek illegible] *exhortatus est milites, vt puellam lapidibus obruerent.* Ælian. Var. histor. lib 5. cap 9. [Greek illegible] *cum Athenienses iam parati essent eum lapidibus obruere.* Polyænus lib. 1. Stratagemat. Sophocl. Antigone. Philostrat. in Heroicis, & lib. 1. de vit. Sophist. in Lolliano, illi quidem omnes de Græca consuetudine loquuti sunt, & alius id iam præoccupatum. Hebræis idem in more positum, loquitur D. Lucas in Act. Apostolor. cap. 7. de Stephano protomartyre. Vincentius Belleuacensis in speculo historico. *Romæ gladiatorio ludo celebrato, Telemachus monachus increpitans populum attentius spectaculis inhiantem lapidatur à populo.* quæ ille petiit indubie ex Theod. Histor. Eccles. lib 5. cap. 26. & Aurel. Cassiodor. lib. 10. Histor. Tripart. cap. 11 L. Apul. lib. 1. Milesiar. *publicitus indignatio perciebris, statutúmque est, vt in eam die altera seuerissimè saxorum iaculationibus vindicaretur.* Interpres historiæ Apollonij Tyrij: *tunc ciues rapuerunt Strangulionem Dionysiadem, extra ciuitatem trahentes lapidauerunt.* M. Fab. Quintilian. Declamat. 12. *populus quoque impunitum nefas sine lapidibus præteribit?* C. Petron. in Satyrico. *Ex his qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt.* Romulus Amasæus Interpres Pausaniæ in Arcadic. pagin. 259. *cum pueri aliquot (neque enim certus traditur numerus) circa templum luderent, funiculo, quem repererant, Dianæ signum obligato collo, per lusum trahentes, Dianam strangulari dictitabant, eos Caphyenses cum deprehendissent, violati numinis crimine damnatos, lapidibus obruerunt.* Incerti nominis poeta apud Parthenium, & recitat M. Anton. Delrio in Troadas L. Senecæ pagin. 431. Abdias Babylonius Histor. Apostol. lib 1. *& cum vellet populus Magum Simonem lapidare, ait Petrus satis est ad pœnam eius quod agnoscit in suis actibus se superatum.* Alexander Seuerus August. vt est apud Ælium Lamprid. Et Pescenninus Niger, referente Ælio Spartiano, *tribunos quos constitit bullaturas accepisse lapidibus obrui ab auxiliaribus iusserunt.* & diu ante illa tempora Romani supplicij genus erat. de Antonio Appian. bellor. ciuil. lib. 5. pag 711. [Greek illegible] *& cum nihil moueretur, tum demum eum saxis appetebant.* signantissimè Hippolytus Thebanus in Chronico commentario. *Interea enim dum sacris ipse operaretur de more, lapidibus iactis, & in caput contortis eum trucidarunt.* In Græco est codice [Greek illegible]. hic est Hippolytus cuius D. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiastic. meminit, & eum citat Nicephorus Callistus libro secundo histor. Ecclesiast. capite tertio: non verò ille Hippolytus, qui Portuensis Episcopus fuit, qui citatur à Simeone Metaphraste. meminit & Xenophon libro primo de Expedit. Cyri Minor. pagin. 158. Accedant Poetæ. Lycophron in Cassandra.

[Greek illegible]
[Greek illegible]

Conuitiosis maledictis irritato.
Occultabit quoddam tegmen lapidum diluuio.

Ita Guilielmus Canterus vir clarissimus vertit, & metricis astrinxit legibus Iosephus Scaliger.

Conuitiosis percitorum iniuriis
Absconderis imber saxeus manualium.

P. Ouid. in Elegia de Nuce.

Nux ego iuncta viæ, cum sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.

Obruere

Obruere ista solet manifestos pœna nocentes,
Publica cum lentam non capit ira moram.

Idem lib.13.Metamorphos.Fab.2.

Clade sui Thracum gens irritata tyranni,
Troada telorum, lapidúmque incessere iactu Cœpit.

D.Auson.Eidyllio 7.

--- *crimen ob illud*
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.

Atque hi de quibuslibet criminibus sic coërcitis indignante plebeia multitudine locuti sunt, ac peculiare adulterio assignatum supplicium testantur, præter illos quos nominaui, Daniel Cap.13. D. Ioãnes Euangelista c.8. & Melchior Hameuuelro notat. *Capitalem* certe fuisse *pœnam* notum, idque lege antiqua, D. Hieronym. in Nahum.cap.1. *quæret hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiet? aut enim punietur, & falsum est hoc quod dicitur, non iudicabit dominus bis in idipsum in tribulatione, aut non punietur, & optandum est adulteris, vt in præsentiarum breui & cita pœna cruciatus præferrentur æternos.* Sed iam miscellaneas percurram pœnas, sine delectu, aut ordine, vt quanta in isto coërcendo crimine diuersitas sit, videatur.

Ancyrana synodus Can.7. *adulterum à participatione sacrorum mysteriorum excludit septem annis integris,* vt habetur apud Claudium Cardinalem Gaitanum in quæstionibus, & Græcorum ad eas responsionibus qu.11.

Moscouitæ adulteros in partes dissecant. vt Ouuiczinæ exemplo docet Sigismundus Liber Baro in Herbestain Rer. Moscouiticar Commentar. pag.26. aut *discerpebant, & laniabant.* Eiusdem operis pag 109.

Nonnullæ gentes *ferreis catenis collo adulteri saxa alligabant, vt omnibus ludibriis expositus, solo terrore fragilis em sexum à corruptela arceret.* Olaus Magnus, & ex illo Cornel. Scribonius Graphæus Epitom. lib.6. cap.12. iisdem scribentibus lib.14. cap.6. facile est perspicere aliam pœnam, quæ non barbara, *sed* Romana videri posset, *mulier autem certo testimonio sex virorum deprehensa perdit dotem, & quicquid secum tulit in cohabitationem viri, qui eam suscipit* Q. Horat. in lib 1. Sat.2 fin.

Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus hæc metuat doti deprensa.

Nobilis illa est adulteris præfixa pœna, quæ elicitur ex Platone lib.8. de legibus qui adulterium arcendum magistratu vult, quod vel morte grauius est, & tamen illum *legislatorem summæ authoritatis* appellat Calistratus Iurisconsult. l.2. ff. de Nundinis. quod idem ac si infames fecisset adulteros, vt Charondas, referente Plutarcho lib. de curiositate pag.59. nec silendum quod proditum scriptis Acrone Grammatico ad Q. Horat. lib.1. Sat.2. *matronæ, quæ à maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant sublata stola propter ignominiam, toga autem meretricibus apta, ita enim prostare solebant cum togis pullis, vt discernerentur à matronis.* corruptus videri posset locus, & posset sic reponi, *toga autem meretricibus apta, istæ enim prostare solebant cum togis pullis, vt discernerentur à matronis.* Q. Sammonicum Serenum corrigi posse sic putant de Curat. morbor. cap.59.

Qui veteris claras expressit amore togatas,

Claræ matronæ sunt adulteræ, toga alba indutæ, & fuit Vectius Tiberij Cæsaris adulterio nobilitatus. C. Plin. lib.29. cap.1. quem vult Sammonicus libidine victum, imitatum toga alba matronas prostituti pudoris conuictas, ita antea concipiebatur.

Alliis præcipit Titini sententia Vecti,
Qui veteri claras expressit more togatas.

Licet non ignorem de comœdiis togatis intelligi posse Horat. in Arte.

Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

D. Iuuenal. Sat.1. in limine.

---- *recitauerit ille togatas.*

Extat & ea pœna recepta, vt adulteras è saxo deturbarent Capitolino. L. Seneca lib 1. Declamat. 3. lex, *Incesta de saxo deiiciatur,* Thema, *incesta damnata, antequam deiiceretur de saxo, inuocauit Vestam, vixit deiecta, repetitur ad pœnam.* ista quidem epigraphe est. Arellius Fuscus pater. *erat præruptus locus, & immensæ altitudinis, tibi dicebam, incestam lex mori voluit, stat moles abscissa in profundum, frequentibus exasperata saxis, quæ aut elidant corpus, aut de integro grauius impellant. inhorrent scopulis enascentibus latera, & immensæ altitudinis tristis aspectus, electus potissimum locus, ne damnati sæpius deiiciantur.* recte Nicolaus Faber *legum scholæ* seu exercitamenti esse ait, nam sacerdos adultera viua defodiebatur, vt ex Iuuenale Sat.4. Suetonio, Plinio, Plutarcho, & sexcentis aliis locis notissimum. Sed non tantum adulterio hanc pœnam statutam, sed & quibuslibet aliis criminibus, constat ex Dionysio Halicarnassæo lib.8. & licet colligere ex Modestino IC. lib.25. ff. de Pœnis. Ita in *proditores* animaduersum, exemplum habes de Manlio Capitolino apud T. Liuium 1. Decad. libro sexto. auctorem de vir. Illustrib. libelli cap. 24. & in *transfugas.* ex 3. Decad. libro quar-

ro, aut in *obsides*: quorum ciues defecissent, eadem illa Decade libro 5. de Philea Tarentino, ita, & in Spurium Cassium animaduersum, ex Halicarnassæo loco proxime supra laudato, & in Pituanum, C. Tacit. libro 2. Annal. Denique si ad originem ritum illum placeat reuocare, in falsos testes primum stabilitum reperiemus, A. Gell. lib. 11. capit. 18. idque præceptum Xuiralibus tabulis, sed procedente deinde tempore abrogatum, eodem Gellio scribente libro 20. capit. 1. nihil in re vulgatissima morari operæ pretium. T. Lucret. Carus libro 3.

Carcer & horribilis de saxo iactu, deorsum
Verbera carnifices?

Q. Horat. lib. 1. Sat. 6.

Tune Syri, Damæ, aut Dionysi filius, audes
Deiicere è saxo ciues?

Fontes respicimus si coercitionis in adulteros constitutæ, ad Romuli tempora eam referemus, nam Halicarnassæus libro 7. refert eum legem in id tulisse, sed non explicat: hanc ego fuisse existimo, vt cognati cum viro vna in consilium conuocati de adultera iudicarent. diligenter C. Tacit. libro 13. Annal. *Pomponia Græcina insignis fæmina, Plautio, qui ouans se de Britannis retulit, nupta, ac superstitionis externæ rea, mariti iudicio permissa, Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque coniugis cognouit, & insontem nuntiauit.* Priscum institutum interpretor legem à Romulo primis nascentis vrbis temporibus latam. adde T. Liuij non obscurum locum 4 Decad. libro nono de Bacchanaliorum abrogatione. *mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, vt ipsi in priuato animaduerterent in eas.* C. Sueton. in Tiberio capite 35. *matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, vt propinqui, maiorum more, de communi sententia, coërcerent, auctor fuit.* Valer. Maxim. libro sexto capit. 3. titul. 12. *consimili seueritate senatus postea vsus, Sp. Posthumio Albino & Q. Martio Philippo Consulibus, mandauit vt de iis, quæ sacris bacchanalium incestu vsæ fuerant, inquirerent, à quibus cum multæ essent damnatæ, in omnes cognatas intra domos animaduerterunt.* Lex Romana antiquissima, & à Romulo lata, vt supra hoc libro admonui, & Stephanus Pighius diserte. *adulterij conuictam, vir & cognati vti volent, necanto.* Signantissime Calistus, c. *si uxor alterius* 7. qu. 1. in iure canonico. *alterius vxor nec adulterari, nec iudicari ab alio nisi à viro permittitur.* adi ad Danielem Venatorium libro 6. Institution. Canonicar. titul. 16. Aurel. Prudent. libro 1. in Q. Symmachum. Romam alloquitur.

Cum te pestifera premeret Maxentius aula,
Lugebas, longo damnatos carcere ceruens
Vt scis ipsa, patres, aut sponsus fœdera pacta
Intercepta gemens, diróque satellite rapta,
Immersus tenebris, dira inter vincla luebas.
Aut si nupta thorum regis conscendere iussa,
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.

Insequutus deinde Numa aliam super eodem crimine legem tulit. A. Gell. lib. 4. Noct. Atticar. cap. 3. tenor & capita legis illius habentur hæc apud Festum Pompeium lib. 14. in voce *pellices. pellex aram Iunonis ne tangito, si tangit, Iunoni crinibus demissis agnam fœminam cædito.* Sed quæ pœna à Romulo indicta? multiplex sane ea, nec facile constituere. M. Fabius *matronas stupri damnatas pecunia mulctabat.* T. Liu. 3. Decad. lib. 5. in principio. D. Augustinus ex illo, vt apparet ciuit. Dei li. 3. cap. 5. idipsum prodidit. Alij *relegatione*, cuius rei fides à Suetonij Augusto capit. 65. Plin. Iunior lib. 6. Epist. 31. Vlpian. lib. 43. ff. de ritu nuptiar. Andreas Alciat. Parerg. libro 5. cap. 8. vt omittam consuetudinem illam portentosam qua solitum *raphanum in anum impingere, & euulsis pilis calidum cinerem inspergere in vulneras.* ita sonant verba Scholiastis Aristophanis in Nebulas. Hartungus Dec. 2. capit. 6. §. 2. Nonnulli capitali supplicio, quod & à barbaris constitutum reperies apud Ludouicum Rom. patritium Nauigation. suar. lib. 5. cap. 8. & Brocardum Monachum Terræ sanctæ Descript. pag. 281. & à Græcis, Philostratus Lemnius de vit. Sophistar. in Hermocrate pag. 605. licet, inquit, ob adulterium ... *interficere.* Heliodor. Æthiop. libro primo pagin. 11 in Aureliano principe scribit Fl. Vopiscus. Idemque Suetonius in Iulio capit. 48. idipsum *gladio punire* dixit Constantinus Aug. lib. 6. ff. ad leg. Iul. de adulr. Albertus in *l. transigere.* Cod. de Transact. & Baldus in l. *si quidem* C. de contract. & commit. stip. D. Hieronym. in Epistola de muliere septies icta: mors illa penes maritum erat. M. Cato in Orat. de dote apud A. Gellium libro decimo, capite vigesimotertio, quod ius primum patris fuit, non vero mariti, vt iam obseruatum. Dotem etiam, vt antea dixi, amittebant, adde IC. Alexandrum in l. *Si cum dotem*, ff. de sol. matrim. & l. *consensu* C. de repud. L. Sen. libr. 2. Controuer. 8. de adultera, *vt multiplicatam dotem perdas, plus tamen ex quæstu habes.* Legimus & in historia C. Marium damnasse Ticinum, *qui vxorem falso adulterij titulo repudiauit,*

nis dotem consequeretur. vt ait Valerius Maximus libro 8. capit. 2. Multa curiose, & docte, vt semper solet disquisiuit I. Lipsius libr. 4. Taciti sui, quæ inde repete, & I. Borcholten IC. ad tit. 18. libri 4. Instit. Imperial.

Sed à rudioribus illis priscis sæculis ad cultiora florentis Reipub. tempora ascendamus. ab Augusto lata est lex Iulia coërcendis adulteriis, stuprisque: Sueton. in eo. capite 34. *leges retractauit, & quasdam in integro sanxit, vt sumptuariam & de adulteriis, & de impudicitia, & de ambitu, de maritandis ordinibus.* delendum ex MS. codice censent priorem illam copulam &, sed parum interest, omnino historicos. Q. Horat. libro quarto od. 15.

Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia.

Eiusdem libri od. 5. effuse in legis Iuliæ huius laudem excurrit.

Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos & lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperæ,
Culpam pœna premit comes.

Lepidissima ea est altercatio inter Italum & Germanum, hoc disticho eleganti comprehensa.

Vos nos vina iuuant, sic vos Venus improba vexat,
Prop sita est Veneri Iulia, nulla mero.

M. Martial. lib. 5. Epigr. 76.

Quæ legis causa nupsit tibi Lælia Quinte,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Et lib. 6. Epigr. 22.

Ne lex Iulia te notare possit
Non nubis Proculina sed fateris.

D. Auson. Epigr. 98.

Iurisconsulto cui viuis adultera coniux
Papia lex placuit, Iulia displicuit.

Videtur illam iam veluti obsoletam, postliminij iure reduxisse Domitianus, Martial. lib. 6. Epigr. 2.

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ,
Lusus & immeritos exsecuisse mares,
Vtraque tu prohibes, Cæsar.

D. Iuuenal. Sat. 2. v. 36. & vetus scholiastes ibidem.

-----Vbi nunc lex Iulia dormis?

Sed quæ eius pœna? relegationem censuit Yuo Villiomarus, Robertus Titius mortem, ex Iuuenale loco laudato.

------leges reuocauit amaras
Omnibus, atque ipsi Veneri, Martique timendas.

Huius seueritatem vt euitarent matronæ, & vt liberius peccarent, specie matrimonij prætenta, eunuchos in maritos accipiebant, qui non tam mariti, quam mœchi censebantur. Martial. libr. 6. Epigr. 2.

At prius ô mores! & spado mœchus erat.

Eiusdem libri Epigr. 67.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia? quæris, Pannice?

Et Epigr. 22. ibidem.

Quod nubis Proculina concubino,
Et mœchum modo, nunc facis maritum.

Idem lib. 1. Epigr. 75.

Mœchus erat, poteras tamen hoc tu, Paula, negare,
Ecce vir est, nunquid, Paula, negare potes?

Incertus, sed vetus Poeta apud C. Suetonium in Othone cap. 3.

Cur Otho mentito sit, quæritis, exul honore?
Vxoris mœchus cœperat esse suæ.

Denique adulterium peius periurio reputabat Thales, Laert. in vita eius & Sibylla Erithræa *Deum maxime adulterio irritari* vaticinabatur, vt refert Lactantius Firmianus lib. de Ira Dei capite 22. *idololatria grauius* illud ipsum prædicat D. Ioannes Chrysostomus in D. Ioan. homil. 61. Euphron vetus Poeta apud Stobæum Serm. 6.

ἐκ ἔστι μοιχοῦ μεῖζον οὐδὲν κακόν.
Non est adulterio maius vllum malum.

CAPVT XXV.

De legibus inter sicarios, & legibus veneficij ac parricidij.

CRIMEN inter sicarios dictum est si ferro, aut telo cædes facta esset: veneficium, si veneno: si parentibus aut propinquis nex allata, parricidium. Sicarij à sica dicti: Sicam ferreum cultrum fuisse, scribit Iustinianus libro 4. Institutionum. Qualis vero illa alius fuerit, docet Iosephus Antiquitatum Iudaicarum lib. 20. Sicarij, inquit, latrones sunt, cultellis vtentes, magnitudine similibus acinacibus Persicis recuruis & similibus iis, quæ à Romanis sicæ dicuntur: vnde & qui latrocinantur, nomen sumpserunt. Hi gladij breues erant, ita vt occultari sinu vestis possent, & facile nec opinantes confodi, & maxime in turba possent. De crimine inter sicarios & veneficij præter antiquas, quarum memoria obliterata est, extat Cornelia lex, quam tulit Cornelius Sulla Dictator anno DCLXXII. cuius hæc reperiuntur capita.

Iudex quæstionis cum iis iudicibus, qui ei obuenerint, de eius capite quærito, qui hominem occiderit, cuiúsve dolo malo incendium factum erit, quique hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulauerit. Iudex quæstionis, cum iis iudicibus, qui ei obuenerint, de eius capite quærito, qui venenum malum hominis necandi causa fecit, fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit. Déque eius capite quærito, qui Tribunus militum legionibus quatuor primis, quive Quæstor, Tribunus plebis, Triumuir Capitalis, Triumuir agris dandis, assignandis, Consul, Dictator, Prætor, Magister Equitum, quive Magistratum habuerit, quive in Senatu sententiam dixit, dixerit: qui eorum coit, coierit, conuenit, conuenerit, consensit, consenterit, quo quis falsùm iudicium profiteretur, vt quis innocens conueniretur, iudicio publico condemnaretur. Déque eius capite quærito, qui testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur, quiue Magistratus, Iudexque quæstionis ob capitalem causam pecuniam acceperit, vt publica lege reus fieret. Qui contra hanc legem fecerit, is in Insulam deportetur, & bonis omnibus spolietur. Marcianus ff. ad legem Corneliam de sicariis. Theophilus. Ea lege excepti erant, qui proscriptione Sullana ob relata ciuium Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant. Suetonius in Cæsare. Eiusdem etiam hoc caput fuit, vt cùm in consilium iri oporteret, Quæsitor à reo quæreret: clàm an palàm de se sententiam ferri vellet. Cicero pro Cluentio. Item, Vt si quis domi suæ necatus erit, ei, qui seruos, qui ante quæstionem fugerint, peruestigauerit, & indicarit, in singulos seruos, quos eius cædis conuicerit, quinos aureos ex bonis occisi: aut si inde redigi ea quantitas non possit, ex publico accipiat. Vt de his, qui ante quæstionem habitam fugerint, si aperto testamento liberi scripti inueniantur, iudicium inter sicarios fiat, ita vt e vinculis causam dicant, & conuicti perinde ac serui puniantur: & ei qui conuicerit, deni aurei præmij nomine dentur ex bonis damnati. Caius lib. 25. ff. ad S. C. Sillanian. Huius legis meminit Seneca libro primo de Prouidentia, & libro Declama. tertio: item in ludo, quem de morte Claudij Cæsaris composuit.

De legibus Parricidij.

Lex de parricidis Parricidij nomine primùm cuiuscunque hominis cædem complexi sunt, teste Plutarcho: & Festus ait, Patricidam, siue, vt alijs placet, Parricidam non eum dictum fuisse, qui parentes sed qui qualemcumque hominem occidisset. Quare veteres de Parricidio leges omnes in genere de cæde cuiuscunque hominis, non autem parentum loquuntur. Neminem enim prisci Romani tam nefarium esse arbitrabantur, qui parentibus necem inferret: quin etiam serò admodum Romæ tale facinus est patratum. Primam de iis, qui parentes occidissent, legem latam fuisse opinatur Carolus Sigonius tum, cùm L. Hostius patrem interfecit, aliquantò post bellum Annibalis: quam legem ipse putat fuisse huiusmodi: Si quis parentes occiderit, aut verberauerit, ei damnato obuoluantor os folliculo lupino, soleæ ligneæ pedibus inducantur, & in carcerem ductus ibi sit tantisper, dum paretur culleus, in quem coniectus in profluentem præcipitetur. Coniecturam huius legis capit ex Liuij epitoma, Rhetoricis ad Herennium, & Plauto in Vidularia apud Nonium. Hanc legem putat L. Cornelium Sullam constituta publica quæstione, repetiisse & confirmasse, nihil autem addidisse.

Pompeia lex. Secuta postea est Pompeia, quam tulit Cn. Pompeius Magnus Consul cum M. Crasso II. anno DCXCIIX. cuius hæc reperiuntur capita: Prætor, qui ex hac lege quæret, de eius capite quærito, qui patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, (materteram) consobrinum, consobrinam, vxorem, virum, generum, socerum, vitricum (nouercam) priuignum, priuignam, patronum, patronam, occiderit. Cuiusve dolo malo id factum erit, siue conscius fuerit. Déque eius matris capite quærito, quæ filium, filiamve occiderit, & aui eius, qui nepotem occiderit, eiusque qui emit venenum vt patri daret, quamuis non potuerit dare. Is si confessus erit, virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & simia, deinde in mare profundum culleus iactetur. Marcianus, Modestinus de parricidiis, Iustinianus Institutionum lib. 4. de iudiciis publicis & alij.

Capvt XXVI.

De legibus falsi.

Cornelia lex. Crimen falsi latitissimè patuit. Nam omnia, quæ falsò dicta, aut scripta, aut facta in alterius damnum essent, hoc nomine complexi sunt. De falso antiquæ fuêre leges, sed certos non habuêre Prætores. L. Cornelius Sulla Dictator & consul cum Q. Cæcilio Metello anno DCLXXIII. relatis legib. certum etiam Prætorem huic crimini addidit, Cicerone teste. Ex eius lege falso hæc capita extant.

Prætor

Prætor qui ex hac lege quæret, de eius capite quærito, qui testamentum amouerit, celauerit, eripuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit: quique testamentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit dolo malo, cuiusve dolo malo id factum erit. Qui sibi legatum, fideicommissumque adscripserit. Qui nomine Prætoris literas falsas reddiderit, edictumque falsum proposuerit. Déque ius capite quærito, qui ob falsas testationes faciendas, testimoniáve falsa inuicem dicenda dolo malo coierit, quique Iudicem corruperit, corrumpendúmque curarit.

Déque eius capite quærito, qui nummos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, qui in aurum vitij quid indiderit, qui argenteos nummos adulterinos flauerit, qui cùm prohibere tale quid posset, non prohibuit. Qui nummos stanneos, plumbeos, emerit, vendiderit dolo malo, eique damnato aqua & igni interdicito. ff. ad l. Cornel. de falso. Meminit eius & Cicero lib. 3. de Nat. Deor. & Suetonius in Augusto.

Capvt XXVII.

De legibus de vi.

VIM dixerunt iniuriam, quæ inferebatur alicui, siue in vrbe, siue in agro, siue armatis hominibus, siue inermibus. De hac primis temporibus ferè iudicabant ex legibus de Maiestate, & de sicariis. Vltimis autem temporibus leges de ea latæ sunt:

Plautia à P. Plautio Tribuno plebis lata est adiuuante Q. Lutatio Catulo Consule, cum M. Æmilio Lepido anno DCLXXV. cuius hæc videntur fuisse capita: Is, cuius hæc quæstio erit, de eius capite quærito, qui aduersus Rempublicam coniurauerit, insidias Senatui fecerit, Magistratibus vim attulerit, qui cum telo in publico fuerit, aut seditionis causa loca superiora occuparit, alienaue ædes saxis, ignibus, aut ferro occuparit, déque iis quotidie quærito. Iterúmque de eius capite quærito, qui possessorem e fundo hominibus armatis deiecerit dolo malo, aut armatis obiectis, vt inde profugeret, causam attulerit, prohibetóque, ne prædium, vnde deiectus possessor sit, vsu capiatur. Iis damnatis aqua & igni interdicito. Capita hæc collecta sunt à Carolo Sigonio ex iudiciis, quæ hac lege facta sunt, quorum memoria est apud Suetonium, Sallustium in oratione in Ciceronem, Dionem libro trigesimo nono, Ciceronem & alios. Et hac lege, inquit Sigonius, iudicia de vi omnia facta sunt vsque ad Cæsarem Dictatorem, eáque multa capita legis de sicariis, & de Maiestate comprehensa sunt. *Plautia lex.*

Memoratur & Clodia, quàm tulit Pub. Clodius Tribunus plebis, L. Calpurnio Pisone Cæsonio, A. Gabinio Consulibus anno DCXCV. Vt de iis qui ciues Romanos sine iudicio populi, indictáque causa necassent, quæstio haberetur. Tulit autem ob Ciceronem & alios, à quibus necati erant Catilinarij, quamuis nominatim de Cicerone nullam faceret mentionem. Velleius lib. 2. Dio lib. 38. Cicero lib. 3. ad Atticum. *Clodia lex.*

Cneus inde Pompeius in tertio Consulatu anno DCCI. legem tulit de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit, & pœnam grauiorem, & formam iudicij breuiorem. Capita eius ab Hotomano hæc sunt collecta: Vt priusquam causa de vi ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum Iudices consignarent, quarta die adesse omnes in diem posterum iuberentur, & coram accusatore ac reo pilæ, in quibus nomina Iudicum inscripta essent, æquarentur: dein rursus postera die sortitio fieret vnius & LXXX. qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent: tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reúsque illo eodem die iudicaretur: priùs autem quàm sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reiiceret: ita vt numerus Iudicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta & vnus. Asconius in Milonianæ argumento, Dio libro 40. Cicero libro 4. de Finibus, & ad Atticum libro 10. Cæsar libro 3. de Bello ciuili. Hanc legem in hunc numerum referri non debere Sigonius vult.

Post legem Pompeiam Iulia lata est à C. Iulio Cæsare Dictatore, cuius tenuis memoria extat. Vnus enim tantùm meminit Cicero, qui in Antonium, inquit, legem, quam Antonius Consul post mortem Cæsaris promulgarit, vt de vi damnati ad populum prouocarent: obrogari legi Cæsaris, quæ iubet eis qui de vi damnatus sit, aqua & igni interdici: quam pœnam non à Cæsare primùm irrogatam esse constat. Neque verò lex Antonii inter leges est referenda, quia tantum sit promulgata, non lata. Ita Carolus Sigonius. *Iulia lex.*

PECVLATVS dictus est furtum pecuniæ publicæ, & peculator, qui furtum pecuniæ publicæ commisit, teste Asconio. Nomen autem accepit, vt scribit Festus, à pecore, quia ab eo initium eius esse cæpit. Si quidem ante æs, aut argentum signatum ob delicta pœna grauissima erat duarum ouium, & triginta boum. Vt autem cæteræ quæstiones, sic etiam peculatus primis temporibus certum Prætorem aut Quæsitorem non habuit, sed lege, prout vsus incidebat, Prætoribus aut etiam Consulibus mandabatur. Postquam autem quæstio repetundarum perpetua constituta proprium Prætorem est nacta, tum verò quæstio etiam peculatus præcipuo Prætori eodem modo mandata est. Id verò ante Dictaturam L. Sullæ, id est, ante annum DCLXXI. Qua tamen lege acceperit, adhuc inueniri non potuit. Hæc Carolus Sigonius. Franciscus Hotomanus Petilliam de peculatu legem commemorat ex Liuij libro 38. quæ lata est à Q. Petillio Tribuno plebis anno DLXVI. M. Æmilio Lepido, C. Flaminio Nepote Coss. Vellent, iuberent, quæreretur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab Rege Antiocho sit, quique sub eius imperio fuerint, quod eius publicum relatum non esset, vti de ea re Ser. Sulpicius Prætor vrbanus ad Senatum referret. Addit Liuius: Omnes Tribus, vti rogas, iusserunt. *Petillia lex.*

Præter hanc nulla ferè de hoc crimine lex extat, nisi Iulia, quam tulit C. Iulius Cæsar, quaque peculatum, sacrilegium, & residuas pecunias est complexus. Eius legis capita in Digestis hæc extant: Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui ex pecunia sacra religiosa abstulerit, interceperit, in suam rem verterit, aut quò quis auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat fecerit. Qui in aurum, argentum, æs publicum quid indiderit, immiscuerit, aut quo quid indatur, immisceatur, fecerit dolo malo, quo id peius fiat. Quique tabulam æream legis, formámve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutauerit, ei aqua & igni interdicatur, atque pecunia ab hærede repetatur. Quique publicam pecuniam delegatam in vsum aliquem retinuerit, neque in eam rem consumpserit. Item de eo, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam accepit, aliáve qua pecunia resedit, is damnatus ampliùs tertia parte, quàm debet, soluat. Vlpianus libro primo ff. eo. Paulus sententiarum libro 5. Cap 29. & libro secundo ff. ad legem Iuliam de peculatu. Residuæ autem pecuniæ, vt & hoc addam, dicebantur, quæ apud eum, qui publicam pecuniam administraret, supererant, cùm vel in vsum publicum erogari, vel in ærarium referri deberent: Paulus libro 22. ff. ad legem Iuliam de peculatu. De residuis pecuniis legem ante hanc Iuliam tulisse C. Cornelium Tribunum plebis, ex oratione Ciceronis pro Sulla cognoscitur. *Iulia lex.*

CAPVT XXIX.

DE AMBITV.

AMBITVM appellarunt crimen illud, quo quis se in ambiendo Magistratu obstrinxit. Ambire verò erat petere, verùm studiosiùs, impensiúsque, quàm mores, legé'que ciuitatis ferebant. De ambitu Cicero libro de petitione Consulatus ad Q. fratrem, Carolus Sigonius libro 2. de iudiciis, & ex eo nos, libro de Magistratibus multa diximus. Hic tantùm leges de ambitu, vel potiùs contra ambitum latas recitabimus.

Primæ legis, quæ ad ambitum pertineret, mentio est apud Liuium libro quarto L. Pinario, L. Furio Tribunis militum Consulari potestate, anno CCCXXII. qua togæ candidæ vsus est interdictus. Placuit, inquit Liuius, Senatui tollendæ ambitionis causa, Tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum addere petitionis causâ liceret. Vicerunt Tribuni, vt legem perferrent. Quo in loco, vt hoc obiter moneam, in vestimentum, duabus distinctis vocibus legendum Iustus Lipsius libro 4. Antiquarum lectionum capit. 15. monet: vt sensus sit, vetuisse legem album addi in vestem, id est, cretam, gypsum & similia, quibus togas suas ornare petituri solebant, ex quo & nomen mansuit candidati. Hanc tamen legem obseruatam non esse, satis constat. *Lex de toga candida.*

Liuius tamen de ambitu primùm latum esse C. Fabio, & C. Plautio Coss. scribit anno CCCXCIIX. aduersus eos, qui nundinas, & conciliabula prensandi causa obirent: De Ambitu, inquit, à C. Pratelio Tribuno plebis, auctoribus Patribus tùm primum latum ad populum est, eáque rogatione nouorum maximè hominum ambitionem, qui nundinas & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant. Verùm & hanc legem tacito pòst consensu abrogatam existimare possumus, quippe cùm petitores Magistratuum *Pratella lex.*

etiam in Prouincias ad coloniarum, & municipiorum gratiam colligendum accurrisse constet. Anno inde CCCCXXXIX. C. Mænium Dictatorem quæstiones exercuisse scribit aduersus eos, qui Magistratuum petendorum causa coitiones fecissent, quod aduersus Rempub. essent.

Bæbia Æmilia lex. Post autem anno IↃLXXI. leges de ambitu latæ sunt, à M. Bæbio, L. Æmilio Coss. vt scribit Liuius. Verùm cuius sententiæ eæ fuerint, non addit: Carolus Sigonius opinatur, Æmilium tulisse legem aduersus suffragationes & coitiones: Bæbium autem aduersus largitiones.

Anno inde IↃXCIV. lex de ambitu lata est, Consulibus Cn. Cornelio Dolabella, & M. Fuluio Nobiliore, teste Liuio in Epitomis. Putat verò Sigonius hac primùm lege capitali pœna cautū esse, ne suffragia donis ac pecunia emerentur. Scribit tamen Plutarch. in Coriolano, se nescire, quis primus populum largitione corruperit; serò tamen largitionem factitatam, satis constare. Itaque ad eadem tempora illud pertinet Polybij, qui scribit, ætate sua ambitum capitalem fuisse, id est, exilij pœna vindicatum esse, & quod apud Plin. libr. 35. Q. Coponium ambitus damnatum, quòd vini amphoram dedisset ei, cui suffragij latio erat.

Postquàm autem populus in mandandis Magistratibus vti tabella cœpit, quod lege Gabinia fieri cœptum esse, anno IↃCXIV. suprà docuimus: tum leges illæ latæ sunt quarum Cicero meminit in 3. de Legibus: Ne quis tabellam inspiceret, ne rogaret, ne appellaret, quibus legibus studia suffragatorum sublata esse inquit, qui eam sedulitatem in campum offerebant, vt quos rogarent, eorum etiam tabellam, ne fortè deciperentur, vellent inspicere.

Maria lex. C. inde Marium Trib. plebis legem tulisse de ambitu, anno IↃCXXXIX. ex Plutarcho elicitur. Ea lex, vt ibidem scribit Cicero, pontes in comitiis fecit angustos, nempe, ne cui suffragatori ad rogandum locus in iis pateret. Cæterum qua lege quæstio ambitus perpetua constituta, & proprium Prætorem adepta sit, est obscurum. Latam autem per hæc tempora facile crediderim. Siquidem anno IↃCXXIX. cùm vna petissent consulatum P. Rutilius, & M. Scaurus, vt est in Bruto: non Rutilius solùm, qui repulsam tulerat, accusauit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium. Nec multò pòst C. Marius, vt ait Plutarchus, cùm in Præturæ petitione repulsus esset, accusatus est de ambitu, quia Cassius Sabaconis amici seruus intra septa conspectus esset, inter eos, qui suffragium ferrent. Marius autem excusauit, se frigidam aquam, cùm æstuaret, ab eo petisse bibendi causa.

Quinetiam idem narrat, sextum ab eo consulatum pecunia esse emptum, & L. Sullam in

Fabia lex. Prætura repulsam passum, post corruptis pecunia Tribubus, eam esse adeptum.

Per hæc etiam tempora lex Fabia promulgata est de numero sectatorum, eáque à populo repudiata. Itaque Cicero pro Muræna dixit: Tenuiores legi Fabiæ de numero sectatorum restiterunt.

Acilia Calpurnia lex. Anno inde IↃCXXIV. lex Acilia Calpurnia lata est à M. Acilio Glabrione & C. Calpurnio Pisone Coss. Vt qui ambitus damnati essent, iis neque Magistratum capere, neque in Senatu legi liceret, & pecunia mulctarentur. Cicero pro Muræna, pro Cornelio, & in eam Asconius, Dio lib. 36. vbi causam etiam ferendæ huius legis indicat, in hæc verba scribens: Lex ab ipsis Consulibus promulgata est de ambitu, vt qui eius conuicti essent, iis neque Magistratum gerere, neque Senatores esse liceret, sed pecuniaria insuper eis mulcta irrogaretur. Posteà enim quàm Tribunis suum antiquum ius restitutum est, cùm multi Senatoria dignitate ante à Censoribus moti, eam recuperare conarentur, de omnibus Magistratibus frequentes omninò coitiones, conspirationésque fiebant. Eam legem Consules tulerunt, non quod ambitum odissent (nam & ipsi ad Consulatum contentissima fauoris venatione peruenerant, diésque dictus ob eam rem fuerat Pisoni, isque vnius atque alterius cuiusdam intercessione, ne causam diceret, effecerat) sed coacti à Senatu, idque hac de causa. Qui ambitus rei essent iis acerbissimas pœnas statuere, C. quidā Cornelius Tribunus plebis intenderat, approbante idipsum populo. Senatus immodica supplicia denunciando, videbat quidem terrorem hominibus inijci, quòd tamen ea extrema essent, neque accusatores reorum, neque qui eos condemnarent, facilè reperiri posse. Vbi verò mediocres pœnæ propositæ essent, ibi & frequentes accusationes fieri, neque à damnando reo Iudices deterreri. His causis inducti patres rogationem eam emendare, de eaque legem consules ferre iusserunt. Vbi dies comitiorum aduenit, quæ antequàm fierent, nulla lex sanciri poterat, cùm interim hoc libero tempore, qui dignitates ambiebant, multa facinora perpetrassent, & ne à cædibus quidem temperatum esset, decreuerunt, vt contra hos etiam lex promulgaretur, & consulibus satellitium daretur. Et post pauca: Denique tanta cura tùm temporis cauerunt, ne quis largitionibus se corrumpi sineret, vt præter pœnas, quas eius rei manifestis infligebant, accusatoribus etiam honores haberent. Hactenus Dio.

Deinde C. Iulio Cæsare, C. Marcio Figulo Coss. anno. IↃCXXIX. cùm in dies licentia ambitus augeretur

ingeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonij audaciam, censuit Senatus, vt lex ambitus etiam cum pœna ferretur, eique rei Q. Mutius Orestinus Tribunus plebis intercessit, auctore Asconio in orationem in toga.

Inde M. Tullio Cicerone, & C. Antonio Consulibus, anno Iɔcxc. commemoratur Senatusconsultum, & lex Tullia lata de ambitu. Senatusconsultum fuit huiusmodi. Si mercede conducti obuiam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgò locus tributus, & item prandia si vulgò essent data, contra legem Calpurniam factum videri. Cicero pro Muræna. Lex Tullia fuit: Ne quis munus gladiatorium biennio, quo Magistratum petiturusve esset, ederet, nisi ex testamento præstituta die. Vt Senatoribus ambitus damnatis aqua & igni ad annos decem interdiceretur. Vt in plebem pœna grauior esset, quàm lege Calpurnia fuisset. Vt reis morbum excusantibus, pœna certa esset. Cicero in Vatinium, pro Sextio, pro Muræna, Dio libr. 37. *Lex Tullia.*

Eadem verò in lege continebantur etiam diuersorum iudicia, pecuniæ deprehensæ, sectatorum multitudo, prandia data, centuriæ descriptæ, locus gladiatoribus datus: quandoquidem hæc, vt Murænæ ambitus reo obiecta, purgat Cicero in Oratione pro eo.

Biennio inde post M. Valerio Messalla, M. Pupio Pisone Coss. lex ab Aufidio Lurcone Tribuno plebis promulgata est, seuerior etiam, quàm Tullia. In qua noui hoc est, vt qui nummos in tribu pronunciauerit, si non dederit, impunè sit: sin dederit, vt quoad viuat, singulis Tribubus sestertium xxx. debeat. Cicero ad Atticum. *Aufidia lex.*

Lex inde lata est Licinia de sodalitiis, à M. Licinio Crasso II. Consule cum Cn. Pompeio II. anno Iɔcxcɪɪx. in qua pœnam grauiorem constituit aduersus eos, qui largitionem fecissent. Dio libro 39. Meminit huius legis Cicero pro Plancio multis verbis, ex quibus constat, latam fuisse legem Liciniam in eos, qui sodalitia, & qui ambitum commisissent, vt de sodalitiis iudices ederentur, ab accusatore sine reiectione, vt de ambitu iudices sorte legerentur, reiectione reo & accusatori permissa. Sodalitia autem tum in hac, tum in aliis legibus complectebantur tribules decuriatos, populum descriptum, & sodales ad vim faciendam paratos, coitionem cum petitoribus, & nummorum diuisione. *Licinia lex.*

Anno inde Iɔcci. cum magna inter Consulatus competitores, Scipionem, Hypsæum, & Milonem contentio esset, iique non solùm largitione profusa, sed etiam factionibus, armati peterent, vt inquit Asconius, comitiis extractis, cùm Kal. Ianuariis nulli essent Consules, inde v. Kalend. Martias per Interregem Cn. Pompeius solus Consul creatus statim iniit, & post diem tertium de legibus nouis ferendis retulit: duas ex Senatusconsulto promulgauit, vnam de vi, alteram de ambitu: pœnam grauiorem & formam iudiciorum breuiorem constituit. Vtraque enim lex testes priùs dari, deinde vno die atque eodem ab accusatore, & ab reo perorari iubebat, ita vt duæ horæ accusatori, tres reo darentur. Addit præterea Dio, Pompeium legisse omnes homines, ex quibus iudices sorte ducendi essent, & certum Patronorum numerum statuisse vtrique parti, & laudatores sustulisse: aduersus autem eos, qui ambitu fecisse arguerentur, eos quoque, qui simili de causa postulati fuerant, accusatores constituisse magno præmio proposito. Nam quicunque duos reos fecissent, atque vnum damnassent, ei impunitatem dedisse. Plutarchus item latum à Pompeio scribit, ne laudatores darentur, & numerum Iudicum centum sexaginta prodit. At Asconius inquit, Pompeium trecentos sexaginta ex amplissimo censu legisse, ex quibus sorte ducendi erant in quaque quæstione. *Pompeia lex.*

C. inde Iulius Cæsar Dictator ambitus flammam restinxit, cùm comitia Magistratuum, alia sibi reseruasset, alia populo concessisset: de qua re Suetonius in ipsius vita. *Iulia lex.*

Postremò C. Iulius Augustus Comitiorum ius pristinum reduxit, ac multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis, & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid à quoquam Candidato desiderarent, singula millia nummum à se diuisit, vt Suetonius prodit. Adicit Dio libr. 54. Augustum statuisse, vt qui largitionibus Magistratum petiissent quinquennio vacarent. Deinde verò cum Tiberii tempore comitia ad Senatum, & à Senatu ad Principem essent translata, ambitus omnis cessauit. Atque ita lex Iulia de qua scriptum est in Pandectis, teste Modestino, necessaria non fuit. Tantum de legibus ambitus.

Capvt XXX.

De pecuniis repetundis.

INTER quæstiones publicorum criminum prima fuit, & prima Prætorem certum habuit hæc de pecuniis repetundis, de quibus, quæ leges latæ fuerint, hoc capite docebimus. Repetundæ pecuniæ dictæ sunt, quas siue socij, siue ciues priuati à Magistrati-

bus,aut iudicibus,aut publicis curatoribus iudicio repetiuerunt,quas illi aut in prouincia, aut in Vrbe,aut ob ius dicendum, aut ob iudicandum, aut ob aliud aliquid publicè curandum cepissent. Quod genus furti,cùm exprimere vellent,pecuniam ablatam,captam,coactam,conciliatam,auersam dixerunt,quas voces cum Cicero in accusatione Verris repetundarum rei,tum legum veterum fragmenta celebrant. Ac repetundarum quidem quæstio primùm constituta videtur sociorum & prouinciarum causa aduersus Prætores, Quæstores, Legatos, cæterósque,qui in prouinciis cum imperio,aut potestate versarentur: vnde lex socialis à Cicerone in Verrem vocatur: deinde ad vrbanos etiam Magistratus, Iudices, curatorésque translata, qui aliquid pecuniæ à priuatis cepissent.

Porcia lex. Primus autem M. Porcius Cato, cùm ex Prætura Sardiniam obtineret, sumptus prouincialium in Prætores coërcuit,anno ɪↄvɪ.de quo Liuius:Sardiniam M. Porcius Cato obtinebat,fugati ex Insula fœneratores, & sumptus, quos in cultum Prætorum socii facere soliti erant, circumcisi,aut sublati:in veteri etiam plebiscito de Thermensibus,nominatur lex Porcia,qua iuberetur,quid quemque dare prębere oporteret,his,verbis:Nei quis Magistratibus,próve Magistratu, legatus, neu quis alius facito, neive imperato, quo quis magis ij dent, præbeant, ab iisve auferatur,nisi quod ed.S.ex lege Porcia dare,præbere oporteret,oportebit. Per ea verò tempora cùm nullis adhuc legibus hoc crimen vindicatum esset,hæc causa priuata fuit,& extra ordinem cum Senatusconsulto,à Recuperatoribus cognita est.

Calpurnia lex. Crescente autem in dies magis Magistratuum in prouinciis libidine, L. Calpurnius Piso Tribunus pleb.anno ɪↄcɪv. L.Marcio Censorino,M.Manlio Coss.extitit qui legem tulit, qua non solùm pœna grauiore,vt verisimile est,hoc crimen vindicandum sanxit:sed etiam, vt certum hæc quæstio posthac haberet Prætorem, instituit,ita vt noua lege opus non esset sociis, sed certum ad quem confugerent Prætorem haberent.Cic.lib.2.de Offic.in Bruto.

Cæcilia lex. Eodem tempore nominatur à Valerio lex Cæcilia lib.6.cap.9.cùm scribit: L. Lentulus Consularis lege Cæcilia repetundarum crimine oppressus, Censor cum L.Censorino creatus est. Quam tamen legem Sigonius aut eandem cum Calpurnia fuisse, atque à duobus Tribunis, Cæcilio & Calpurnio latam,modò hoc,modò illo nomine appellari,arbitratur,apud Valerium Calpurnia,pro Cæcilia oportere legi putat.

Iunia lex. Legem Calpurniam subsecuta est Iunia,quam tulit,vt arbitratur Sigonius,M.Iunius Pennus,qui Tribunus plebis,teste in Bruto Cicerone,fuit,Mam. Aimilio Lepido,L.Aurelio Oreste Coss. anno ɪↄcxxvɪɪ. qua lege præter litis æstimationem exilium etiam damnato est irrogatum. Itaque C. Cato, qui Consul fuit anno ɪↄxxxɪx. ea lege Macedonibus accusantibus vtraque pœna mulctatus est,de quo Velleius Paterculus libro secundo Cic.in Verrem,& pro Balbo

Seruilia lex. Post annos inde xxɪv.lex Seruilia lata est à C.Seruilio Glaucia Prætore, C.Mario vɪ. Consule,anno ɪↄcɪxxɪɪɪ.Cuius legis fragmenta hinc inde apud scriptores veteres sparsa,hæc collegit Carolus Sigonius.

Qui Prætor ex hac lege quæret, de iis quærito, qui Consules, Prætores, Dictatores, Magistri equitum, aut alio Magistratu pecuniam ab aliquo priuato abstulerint, ceperint, coëgerint,concil arint, auerterint, Iudicum,qui ex hac lege facti erunt,iudicatio, litisque æstimatio esto.

De hisce,dum magistratum,aut imperium habebunt,eorum nomen deferri non licet.

Prætor,qui ex hac lege quæret,ei qui petet,patronos sumendi,& repudiandi dato.

Prætor, qui ius inter peregrinos dicet, ᴄᴅʟ. viros in perpetuum legito, qui in hac ciuitate iudicent.Idem facito,vti ᴄᴅʟ, viros legat,qui quotannis de pecunis repetundis iudicent.

Qui ex hac lege pecuniam petet ad eum Prætorem, qui ex hac lege factus erit, eum vnde petet,in ius educito,noménque deferto.

Prætor,qui ex hac lege quæret,facito,vt is,qui nomen detulerit,de vicesimo ex ᴄᴅʟ. viris, qui in eum annum facti erunt,centum aduersario suo legat,edátve. Quos verò is ed.derit, ex iis vnde petetur,quinquaginta edito,legitóve,qui iudicent.

Prætor,qui ex hac lege quæret, facito, vt iudicum & patronorum nomina in tabulis scripta habeat.

Prætor,qui ex hac lege quæret,facito, vt qui ita lecti erunt iudices in eam rem,eius perpetuò iudices sint.

Si is,vnde petitur,priùs Vrbe cesserit,& in exilium abierit,quàm ea res iudicata erit,Prætor ab iis item quærito,ad quos eam rem peruenisse constiterit.

Prætor,qui ex hac lege quæret,facito,vti testes audiantur,ac citati omnes adsint testimonio dicendo.

Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, vti testes interroget, iudices pronunciet,

ne

ne quis iudex disputet.

Prætori qui ex hac lege quæret, iudicium in alium diem proferre ius sit.

Si Prætor, qui eam rē quæret ex hac lege, causam non nouerit, ei ampliùs pronūciare ius sit.

Prætor qui ex hac lege quæret, causam semel à reo dictam in tertiam diem differto. Extant hæc capita apud Ciceronem pro Posthumo, pro Balbo, in Verrem apud Asconium, in Epitoma Liuij 70. & in duobus fragmentis legis Seruiliæ, quæ ex æneis tabulis Sigonius exscripta & suppleta inseruit capite 27. libri secundi de iudiciis Romanorum, vbi has de repetundis leges omnes recenset.

Deinde post Seruiliam legem lata est Acilia, à M. Acilio Glabrione, in qua illud fuit noui, vt neque ampliari, neque comperendinari reus posset. Cic. in Verrem, & in iisdem Asconius. *Acilia lex.*

Aciliam inde Cornelia subsecuta est, à L. Cornelio Sulla Dictatore lata, qua lege iudicia omnia de repetundis vsque ad primum Cæsaris Consulatum peracta sunt. Capita verò legis hæc fuisse videntur, quantum intelligi ex monumentis scriptorum licet. *Cornelia lex.*

Qui prætor ex hac lege quæret, de eo quærito, qui Dictator, Consul, Prætor, Magister equitum pecuniam dono ceperit, abstulerit, coegerit, conciliarit, auerterit: nec solum auare, sed etiam libidinose, superbe, crudeliter se in prouincia gesserit.

Item de eo, qui iudex non suæ decuriæ munere functus erit, aut non perpetuò sederit, aut ob iudicandum pecuniam ceperit.

Item de eis, ad quos ea pecunia peruenerit.

Facitóque, vti viginti dies accusatori det, totidémque defensori. Item de eis, qui Procoss. rationes ad ærarium non retulerint, aut qui Procoss. priuatum aliquò profecti fuerint, ad transmarinas res accersiuerint.

Prætor, qui ex hac lege quæret, iudices ex Senatoribus sortiatur reo, & accusatori reiectionem permittat, atque in eorum locum subsortiatur. Item facito, vti accusatori viginti dies, totidémque reo concedat.

Si causam non nouerit, ei comperendinæ, & ampliare reum, ius sit.

Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, vt reo damnato lis æstimetur, & aqua, & igni interdicatur. Qui in reatu decesserit, ei ne lis æstimetur.

Extant hæc fragmenta apud Ciceronem pro Cluentio, in Verrem, & apud Asconium Commentariis in Verrinas.

Postremò, C. Iulius Cæsar legem de pecuniis repetundis tulit, quæ vsque ad extremum seruata etiamnum in Pandectis celebratur. Latam autem esse in primo Consulatu eius, colligitur ex oratione Ciceronis in Vatinium, qui Cæsare Consule Tribunatum plebis gessit, & ex oratione pro Sextio. Huius legis hæc capita reperiuntur. *Iulia lex.*

Prætor, qui in hac lege quæret, de eo quærito, qui cum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob iudicandum, decernendumve acceperit, vel quo magis aut minus quid ex officio suo faceret. Item de eo, qui comes iudicum pecuniam ceperit. Qui ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium pecuniam acceperit, cui damnato testimonium publicè dicere, aut iudex esse, postularéve non liceat. Item de eo, qui ob militē legendū, mittendumve, æs acceperit, quive ob sententiam in Senatu, consiliove publico dicendā pecuniam acceperit, vel ob accusandum, vel non accusandum. Item de iis, qui Magistratus vrbani plus domi muneris in anno acceperint, quam quod sit aureorum centum. Item de eo, qui ob iudicē arbitrumve dādum, mutandum, iubendúmve, vt indiceretur, quive ob non dandum, non mutandum, iubendumve, vt iudicet: quive ob hominem in vincula publica cōiiciendum, vinciendum, vincirive iubendum, éxve vinculis dimittendum: quive ob hominem condemnandum, absoluendumve: quive ob litem æstimandam, iudiciumve capitis, pecuniæve faciendum, vel non faciendum, aliquid acceperit. Qui in acceptum tulerit opus publicum faciendum, frumentum publicè dādum, præbendū, sarta tecta tuenda, antequàm perfecta, probata, præstita lege erunt. Quod cōtra hanc legem Proconsuli, vel Prætori donatum erit, nō liceat vsucapi. Venditiones, locationes eius rei causa pluris, minorisve factæ irritæ sunto, neque vsucapio esto priùs, quam in potestatē eius, à quo profecta res sit, hæredisve eius veniat. Item de eis, qui munus publicè mandatum accepta pecunia ruperunt. Item de eo, qui ob negocium faciendum, aut non faciendū per calumniam pecuniam accepit. Atque hæc quidem sunt in Pandectis ad legem Iuliam de repetundis, & de calumniatoribus. Apud Ciceronem verò, & alios hæc præterea inueniuntur.

Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito qui Procos. & Propr. cædes, adulteria, & stuprum in prouincia fecerit. Qui ius in liberos populos de pecuniis creditis dixerit. Qui de prouincia exierit, aut exercitum eduxerit, & sua spōte bellum gesserit. Qui modum in imperato, & æstimato frumento exigendo excesserit. Qui libertatem sociis non conseruauerit. Qui aurum coronarium aut imperauerit, aut acceperit sine S.C. Qui quidquam à sociis præter

fœnum, & quatuor lectos, & ligna acceperit. Qui rationes in prouincia apud duas ciuitates non reliquerit, & easdem totidem verbis, ad ærarium non retulerit, & vltra triginta dies comites in beneficiis detulerit. Vt Prætor quærat ab iis ad quos pecunia peruenerit. Quod eorum iudicium, maior pars iudicarit, id ius, ratúmque esto. Horum criminum pleraque obiecit Pisoni Macedoniæ Proconsuli Cicero in oratione in eum habita. Sed de criminibus publicis satis.

Capvt XXXI.

De aliis Miscellaneis legibus, & vltimum.

Iulia lex de Auentino monte. IN hoc caput coniiciemus eas leges, quæ in superioribus locum non habuerunt, neque tamen prætermitti à nobis debuerunt. Consignabimus autem eas, prout nobis occurrent. Primùm occurrit lex Icilia, à L. Icilio Tribuno plebis, M. Valerio Maximo, Sp. Verginio Tricosto Cælimontano Coss. anno cccxvii. lata, vt Auentinus mons plebi ad ædificia concederetur. Dionysius libro 10. sic eam recitat: Vt quæ priuati homines bono iure parta possidebant, ea manerent penes pristinos dominos. Quæ per vim aut fraudem occupassent æd ficiis, ea restituto ex arbitrorum sententia precio ædificationis, addicerentur populo: quæ publica essent, ea sine precio plebi diuiderentur. Meminit eius & Liuius libro 3.

Atilia lex de deditiis. Atilia de deditiis, quam tulit L. Atilius Tribunus plebis M. Claudio Marcello iv. M. Valerio Læuino Coss. anno ICXLIIII. Omnes Campani, Attelani Calatini, Sabatini qui se dediderunt in arbitrium, ditionémque populi Romani Fuluio Proconsuli, quæque vna secum dediderunt, agrum, vrbemque, diuina, humanaque, vtensiliáque, siue quid aliud dediderunt: de his rebus quid fieri velitis vos rogo, Quirites. Plebs sic iussit: Quod Senatus maxima pars censeat, qui assidetis, id volumus, iubemúsque. Liu. lib. 26.

Clodia lex de collegiis. Clodia de Collegiis, quam tulit P. Clodius Trib. Pleb. L. Calpurnio Pisone Cæsonino, A. Gabinio Coss. anno IƆCXV. vt Collegia, id est, conuentus artificum à Numa instituti, & magna ex parte partim legibus, partim Senatusconsultis sublati, restituerentur, multique alij constituerentur. Cicero pro Sextio, in Pisonem, pro Domo, Asconius in Cornelianam, Dio lib. 38. de Collegiis in XII. Tab. diximus.

Licinia lex de sodalitiis. Fuit & Licinia de sodalitiis. Vt in Sodalitiis iudices ab accusatore ex Tribubus ederentur. Cicero pro Plancio, & lib. 8. Epistolarum ad familiares.

Cæcilia lex, de iure Italiæ, & tributis tollend. Cæciliam de iure Italiæ, & de tributis tollendis tulit Q. Cæcilius Metellus Nepos L. Afranio, Q. Cæcilio Metello Celere Coss. anno IƆCXCIII. Vt Italia à vectigalibus immunis esset. Dio. lib. 37. Cicero lib. 2. epistol. ad Atticum, Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diuiso, quid superest domesticum, præter vicesimam?

Cæcilia lex, de Fullonib. Fuit etiam Cæcilia de Fullonibus, quam tulit Cæcilius Metellus, Caius Flaminius Lucius Æmilius Censores dedêre ad populum ferendam, cum illis non liceret. Plin. lib. 36. cap. 17.

Sempronia lex, de viis Italiæ. Sempronia de viis Italiæ lata à Caio Sempronio Graccho Tribuno plebis, Quinto Cæcilio Metello Baleatico, Tito Quinctio Consulibus anno IƆCXIX. Vt viæ in Italia munirentur, sternerentur, lapidibus milliaria discernentibus notarentur, pontibus instruerentur. Plutarch. in Gracchis, & alij.

Claudia lex de Scribarum negociatione. Claudia de Scribarum negociatione: quam Hotomanus scribit, videri Claudiæ de Senatorum quæstu, quam supra retulimus partem fuisse. Suetonius in Domitiano: Scribas Quæstorios negotiantes ex consuetudine, sed contra Claudiam legem, venia in præteritum donauit. Aliud de ea lege nihil reperitur.

Cornelia lex de lusu. Cornelia de lusu: Ne quis in pecuniam luderet, sponsionemve eius rei ergò, nisi qui corporis exercendi causa susceptus esset, faceret: veluti si certaretur disco, hasta, pilóve iaciendo, currendo, saliendo, luctando, pugnando, quæ virtutis causa fiebant, hæc lex Reipublicæ an Imperatorũ temporib. lata sit, vix sciri potest. Huius Marcianus l. 3. ff. de aleatoribus mentionẽ facit.

Publicia lex de lusu. Fuit & Publicia de lusu. Ne quis in pecuniam luderet sponsionémve in ludo, nisi qui virtutis causa susceptus esset, faceret: veluti si quis certet hasta, vel pilo iaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando. Marcianus l. 3. ff. de aleator. Idem lege Titia & Cornelia sancitum fuit, vt idem refert.

Titia lex, de lusu. Titia de lusu. Ne quis in pecuniam luderet, sponsionémve in ludo, nisi quis virtutis causa susceptus esset, faceret. Marcianus l. 3. ff. de alear.

Meminit etiam Cicero Philipp. 2. legis de Alea.

Talaria lex. Talaria de Talorum lusu nominatur à Plauto in Milite glorioso.

Atque adeo vt ne legi fraudem faciam talariæ,
Accuratote, vt sine talis domi agitent conuiuium.

Facetè

Facetè ad legem aliquam de alea veterem alludit, qua talorum lusus conuiuiis interdicebatur, Publiciam fortè aut Titiam.

Pagana lege in plerisque Italiæ prædiis cauebatur, ne mulieres per itinera ambulantes torquerent fusos, aut omnino attectos ferrent: quoniam aduersaretur id omnium spei, præcipuéque frugum. Plinius libro vigesimo octauo, capite secundo. Sed de Legibus hactenus.

AD CAP. XXIIII. XXVI. XXIX. XXXIV. PARALIPOMENA.

Parricidium coercitum variis pœnis, multatione bonorum, soleis ligneis, carcere, manuum detruncatione, culeo, quid id fuerit supplicij, quid in eo cum reo includeretur, iudicium de Oreste, falsi testes, ambitus, equuleus.

NOn est hic nobis sermo de *paricida* qui *parem* id est hominem occiderit, vt notant Fr. Balduinus lib. de legib. Romuli pag. 25. & Iacobus Ræuardus Comment. in Reg. Iur. c. 109. & de ea re lex Numæ intelligenda: *Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto.* ac ne is quidem hoc loco *parricida* censetur, qui fratrem sororémque peremerit, vt habet Isidorus lib. 5. Etymologiar. cap 26. sed qui patrem tantum aut matrem sustulerit, aut pater liberos interficiens, vt definit Constantinus Cæsar l. 1. tit. 27. lib 11. Cod. Theodos. aut frater fratrem interimens Aurel. Prudent. Hamartig.

Armat deinde parricidalem manum
Frater.

C. Sueton. in Nerone cap. 39. vbi Æneas patrem discrimine subduxit, Nero matrem interfecit.

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

De pænis tam horrendo sceleri debitis, disquiram, quamquam neque Solon, vt est apud Plutarchum in eo, & Laertium lib. 1. neque Romulus quicquam in parricidas statuerint, *quod neminem tam nefarium existimarunt, vt velles tantum facinus admittere.* Paul. Oros. lib. 5. cap. 16. in principio, M. Tull. pro Sexto Roscio, & alij. Isidor. in gloss. M. S. *parentia, de parricidio lex*, quam latam intellige multis sæculis ab Vrbe condita, vt sum infra dicturus. Ac primum leuissime eos puniit Iulius Cæsar. *vt bonis omnibus tantum multaret.* Ciceronis authoritate C. Sueton. Iulio cap. 42. locus quidem ille in codicibus Ciceronis, qui hodie extant, non reperitur, & neque puto de parenticidis locum illum debere intelligi, sed de parricidis, hoc est homicidis, vt iam proxime ante admonui, & lex extat Tribunitia eodem sensu sumenda, authore Festo Pompeio lib. 17. in voce *sacer.* verba legis sunt illa, *si quis eum qui plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit.* Itaque vt puto parricidium pro homicidio hic vsurpari, ita leuem hanc coercitionem homicidis decretam.

Secundo ex veteri legum Romanarum præscripto, *vt soleæ ligneæ pedibus inductæ essent, & is in carcerem duceretur.* vt est apud authorem Rhetorices ad Herennium lib. 1. vbi nonnullæ editiones habent, *soleæ ligneæ pedibus inductæ*, aliæ *pedibus inditæ*: sed parum interest. ratio ecce illa traditur ab Hadriano Turnebo lib. 13. Aduersarior. cap. 13. *ne terram communem omnium parentem attactu improbo contaminarent.* Terram autem communem esse *parentem hominum, vt cælum deorum*, dixit Plinius lib. 2. cap. 63.

Tertio ad annum domi asseruabantur parricidæ aut carcere continebantur, donec exacto anno plecti debitis pænis à magistratu possent. Calpurnius Flaccus Declamat. 4. cui epigraphe est, *damnatus parricidij anno custodiatur.* Thema, *damnatus qui sub nouerca est, vult illum pater domi custodiri, ille petit, vt publico carcere seruetur.*

Quarto non occidenti parentes, sed tantum *verberanti, manus amputabantur*, L. Sen. lib. 5. Controuers. 4. In sacris literis Exodi cap. 20. 21. Et prouerbior. cap. 23.

Quinto subiecto igne comburebantur, lex enim hæc extat in Harmenopulo l b 6. cap. 6. *qui ascendentem, vel descendentem occiderit*, id est, parentes, vel liberos, *igni traditor.* Exemplum huius in Gregorio Turon. lib. 3. Histor. Francor. cap. 39. de Clodouei Galliarum Regis filia. Iul. Paulus IC. tit. 24. lib. 5. Receptar. sententiar.

Denique culeo insuebantur. quod longa authorum catena probat vet. scholiast. Iuuenal. ad vers. 212. Sat. 8. *parricidis in culeo clausis, ad pænam simia & serpentes iungi solebant.* Idem ad vers. 155 Sat. 3. *culleo non insui consueuerant, qui hæc scelera tentarent, id est parricidæ cum simia & serpente, & in mare missi.* Dositheus Grammaticus seu Magister in Sententiis & Epistolis Hadriani Imperatoris lib. ἐξηγεῖτο νόμος τὶς τοιοῦτο τοῦ τρόπου πᾶσιν ἀνθρώποις, ὥστε ὅτις πατροκτονίαν ποιήσειε, ἀμφορίως

ὡς μολγὸν τυφθεὶς συνεχράτο μετὰ ἐχίδνης, καὶ πιθήκου, καὶ ἀλεκτρυόνος, καὶ κυνὸς, ἀσεβῶν ζώων ἀσεβὴς ἄνθρωπος, καὶ εἰς ἅμαξαν ἐζευγμένην μελαίνοις βουσὶ κατενεχθῆναι πρὸς θάλασσαν, καὶ εἰς βυθὸν ἐλαθῆναι. ἔδειξαν οὖν ὑπόδειγμα τιμωρίας ἵνα μᾶλλον φοβηθῶσιν ὅτως ὠμὸν ἔργον ποιῆσαι. quæ sic Latinè sonant. *fuit lex quædam huiusmodi omnibus hominibus, vti qui parricidium fecisset publicè in culleum missus insueretur, cum vipera, & simia & gallo, & cane, impius homo impiis animalibus, & in plaustrum iunctum nigris bobus deportaretur ad mare, & in profundum mitteretur. ostenderunt enim exemplum pœnæ, vt magis timeant tam crudele opus facere.* μολγὸν pro culeo Dositheus vsurpat, vt & eadem voce vtitur Ioannes Xiphilinus in Nerone, & Hesychius Grammaticus, in voce ἀσκός. Fulgentius Planciades libello de prisco sermone *culeus dicitur saccus, in quo rei conclusi in mare mittuntur.* neque satis saccum appellasse, sed ex qua materia fieret ille, perspiciendum. glossar. vet. *culleum* vel *colleum* ταύρειος ἀσκὸς, *taurinum corium*, & iterum *Culleus* ἀσκὸς βόειος, saccus aut *corium bouinum*. & planè ἀσκὸν & μολγὸν coniunxit Iulius Pollux lib.10. Onomastic. c.50. vertit Rudolphus Gualterus *vtrem & molgum*. signantissimè Anianus vetus interpres ad l. vnicam C. Theod. de parricidiis. *si quis patrem, matrem, sororem, filium, filiam, vel alios propinquos occiderit, remoto omni aliorum genere tormentorum facto de coriis sacco, qui culeus nominatur, in quo cum missus fuerit, cum ipso etiam serpentes claudantur, & si mare vicinum non fuerit, in quolibet gurgiti proiiciatur, vt tali pœna damnatus nullo tempore obtineat sepulturam.* C. Suetonius *ascoperam* nominare videtur in Nerone c.45. *statuæ eius à vertice currus appositus est, cum inscriptione Græca, nunc demum agona esse, & traheret tandem. alterius collo & ascopera delegata, simulque titulus, ego quid potui sed tu culeum meruisti.* Hadrianus Turnebus ex MSS. codicibus legendum putauit, *cirrus appositus*, & *raderet tandem*. sed quid agoni cum cincinnis, aut cirris? vt boui cum clitellis. & conuenienter Philip. Beroald. & Ant. Sabellicus retinent *currus*, vt sit simulachrum Circensium ludorum, quibus currus prælati. In sequentibus grauissima difficultas, nam certum est pro *delegata* debere legi *deligata*, id est appensa. postea *ascoperam* rectissime legunt Critici, post Angelum Politianum Miscellaneor. cap.20. ex Suida id confirmari potest, in voce ἀσκοπήρα. qui interpretatur τὸ μαρσούπιον, βαλλάντιον *marsupium* aut *sacculum*. aliis placet *ascopa*, aliis *escopa*, Turnebus, *ascoma*, quod apud Aristophanis Scholiastem *lorum* significat, legit. denique Theodorus Marcelius ad leg. Xuiral. cap.81. *ascura*. Sed primam lectionem viri docti receperunt, Isaacus Casaubonus, Leuinus, Torrentius, Marcellus Donatus. Præter hæc nomina, aliud legitur apud Ioannem Zonaram Tom.2. Annal. pag.16. τινὶ ποτε τῶν φυλασσόντων αὐτὰ Μάρκος Ἀκίλιος χρήμασι δεκασθεὶς μετηλλάξατό τινα. ἐκδοθέντος δὲ τοῦ ἔργου, ὁ Μάρκος οἷα βιβλίων ἱερῶν ἀσεβήσας ἐμβληθεὶς κατεποντίσθη. ὁ ἐξ ἐκείνου μετὰ ταῦτα κατὰ τῶν πατροκτόνων ἐπενομίσθη γίνεσθαι, ἵνα μήτε ἡ γῆ, μήτε τὸ ὕδωρ, μήτε ὁ ἥλιος μιανθῇ αὐτῶν θνησκόντων. Hieron. Volfius Latinè reddidit *altero custodum M. Aquilio largitionibus corrupto, quædam transcripserunt: quo facinore cognito, Marcus culeo insutus, atque submersus est. id supplicij genus post in parricidiis obseruatum, vt neque terra, neque aqua, neque sol eorum morte inquinaretur.* P. Ouid. ad hunc sensum de Scylla, quæ Nisum patrem prodiderat lib.8. Metamorphos. fab.1.

Præmia nulla peto, nisi te, cape pignus amoris,
Purpureum crinem, nec me nunc tradere crinem
Sed patrium tibi crede caput, sceleratáque dextra
Munera porrexi: Minos porrecta refugit,
Turbatusque noui respondit imagine facti.
Dii te summoueant, ô nostri infamia sæcli,
Orbe suo, tellusque tibi, pontusque negetur.

At culei solius mentio apud Zonaram habetur, vt & apud L. Apuleium lib.10. Milesiar. *nec quisquam decurionum tam æquus remanserat iuueni, qui eum euidenter noxæ compertum culeo insui non pronuntiaret.* Firmian. Lactant. lib.3. cap.14. *nos ergo M. Tulli, parricidæ sumus, & insuendi te iudice, in culeum.* nec id sine erudita cautione legendum, nam in principio nihil penitus insuebatur culeo cum parricida. probatur idipsum è Valerio Maximo lib.1. cap.2. eandem cum Zonara narrante historiam. *culeo insutum in mare abiici iussit, idque supplicii genus non multò post parricidis lege irrogatum est.* Iacobus Cuiacius *legem* pro *more* sumit, & legit, *idque supplicii genus multo post parricidis lege irrogatum est.* Ouidius ad Corneliam legem allusit, quæ prior Pompeia fuerit, ex Pomponio IC. l.2. ff. de orig. Iur. hanc *antiquam legem* appellant Imperatores Gratianus & Valentinianus lib.9. C. Theod. tit.15. & disquirit Hieronymus Magius lib.4. Miscellaneorum capite octauo. Ennodius magnus Ticinensis Dictione 18. *nescio vtrum accusem, an quod tyrannus es, an quod parricidas præmio honoras, vtrique digni crucibus, & de præsenti vita culeis effugandi.* primi ergo legislatores ex humana societate deturbare & eliminare parricidas tan-

tantummodo contendebant, quod & Plato lib.11. de legib. præscribit, cuius hæc sunt apud Interpretem Marsilium Ficinum. *& qui cæsis* (parricidij) *huiusmodi condemnatus fuerit, tam à iudicum ministris, quam à magistratibus occidatur, abiaturque extra urbem in statutum trivium nudus, vbi singulis magistratus pro vniuersa ciuitate in mortui caput lapidem mittant, atque ita ciuitatem omnem purificent, demum vltra regionis fines portatum, secundum leges insepultum abiiciant.* Extra fines deportari, est in mare deuolui, Constantin. Aug. l.vn. C. de his qui par. vel lib. occid. *vt omni elementorum vsu carere viuus incipiat, & ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur,* aut in solitudinem proiici, hoc est, *in insulam desertam,* vt loquitur Iulius Capitolin. in Antonino Pio. vtriusque rei testis locupletissimus Plautus, de mari in Vidularia quæ interiit, sed citat Priscianus.

------ iube hunc insui culeo
Atque in altum deportari, si vis bonam
Annonam.

De abiectione seu deportatione idem in Pseudolo sc. exite in fine.

Si mihi iam non huc culleis oleum deportatur,
Te ipsum culeo ego cras faciam deportere in pergulam,
Ibi tibi adeo lectus dabitur, vbi tu haud somnum capias,
Sed vbi vsque ad languorem.

Accessit crescente indies parricidarum numero, grauitas supplicij, ac primum *serpentes* cum noxio includi cæpere, vt de C. Villio scriptum reliquit Plutarchus. L. Seneca lib.5. Controuers.4 in fine, T. Liuius 5. Decad. lib.8. Valer. Max. lib.1. cap.1. postea *simia,* vt iam probabitur, denique *canis & gallus gallinaceus,* quod à Constantino primum adiectum videtur, Conrad. Rittershusius, *neque gladio, neque igni subiugetur* (parricida) *sed insutus culeo cum cane, simia, vipera & gallo, inter ferales angustias comprehensus, serpentium contubernio misceatur.* vt loquitur Imperator l.vn. C. de his qui par. vel lib. occid. quod si verum est Tribonianus interpolauit legem Modestini l. pæn. ad leg. Pomp. de parricidiis. Pompeius enim nihil tale in parricidas tulit, cuius lex eadem erat cum Cornelia, vt ostendit I. Cuiacius in Notis ad Paulum lib.5. tit.25. Iuuenalis Sat.8.

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni,
Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, non serpens vnus, non culeus vnus?

Idem Sat.1.

Vel deducendum corio bouis in mare, cum quo
Clauditur aduersis innoxia simia fatis.

Isidorus Hispalensis in glossis. *culleus, tunica ex sparto in modum cumenæ facta, quæ linebatur à populo pice, & bitumine, in qua includebantur parricidæ cum simia, serpente & gallo, insuta mittebatur in mare, & contendentibus inter se animantibus, homo maioribus pœnis afficiebatur.* correctione opus non leui, itaque rescribe, *quæ linebatur à publico.* est quippe *publicus* idem ac *carnifex* glossar. vet. *δημιος carnifex.* & interdum cum adiectione *seruus* solet vocari. C. Vell. Patercul. lib. 2. hist. Rom. cap. 19. *in carcerem Minturnensium iussu duumuiri ductus est, ad quem interficiendum cum gladio missus seruus publicus, natione Germanus, qui forte ab eo imperatore bello Cimbrico captus erat, vt agnouit Marium, profugit è carcere, abiecto gladio.* Valer. Maxim. lib.2. cap. vlt. tit.7. eandem rem narrans, *missus ad eum occidendum in priuata domo Minturnis seruus publicus, natione Cimber, & senem & inermem, & squallore obsitum, strictum gladium tenens, aggredi non sustinuit.* Paterculus in *carcere*, ille in *priuata domo* clausum Marium vult, sed forte carcer & in domo, vti infra de ergastulis dicetur, ille seruum publicum *Germanum*, hic *Cimbrum*, Liuius, Auctorque v. r. illust. cap 67. Gallum faciunt, *immissum percussorem Gallum vultus authoritate deterruit.* Sed facile illud dissidium componere, nam Gallorum nomine antiquitus & Germani & Cimbri continebantur, vt Iac. Schegkius notat. Idem Valerius lib.3 cap 2. tit 29. *Theramenes porrectam iussu tyrannorum veneni potionem non dubitanter hausit, quodque ex ea superfuerat, iocabundus illisum humo clarum edere sonum coegit, reddensque seruo publico qui eam tradiderat, Critie, inquit, propino.* Iuuenal. Sat.10. in principio.

------ magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vna,
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi consul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem.

Alio sensu *serui publici* magistratuum, aut reip. ministri appellantur, vt in Octauio cap. 2. in Suetonio legunt, *municipalibus magisteriis contentus*, lege *ministeriis* L. Apul. lib 9 Milesiar. in fine, & lib.10. *donec ministeria publica conferunt.* Petron. Satyr. pag. 50. *intrat stabulum præco cum seruo publico, aliaque sane modica frequentia.* C. Plin. Iunior. lib.10. Epist.30. *vtrum per publicos ciuitatum seruos (quod vsque adhuc factum) an per milites asseruare cu-*

stodias debeam. Eiusdem libri Epist. 40. *In plerisque ciuitatibus maxime Nicomedia, & Nicea, quidam vel in opus damnati, vel in ludum, similiaque his genera pœnarum, publicorum seruorum officio ministerioque funguntur, atque etiam vt publici serui annua accipiunt.* sed quis hic δοῦλος δημόσιος *seruus publicus*? vt in Iuliani Aug. Epistolis, quicunque, vt puto, publicis vsibus inuigilans, præter scribas, & lictores, illos namque disiungit C. Iul. Frontinus lib. de Aquæductibus. *lictores binos, & seruos publicos: & scribas habeant.* definiturque non male à Ioanne Maria Catanæo, *reipublicæ nomine emptus, & publicis vsibus inseruiens.* quæris quænam eorum officia seruorum? *custodias excubantur, vias publicas muniebant, cloacas purgabant.* Et de istis quædam I. Lipsius ad Taciti sui Annal. 2. Sed de diuerticulo in viam.

De parricidarum pœnis iam antea nominatis, Tertullian. lib. de anima, Theophilus paraphrastes, lib. 4. Institut. Imperial. tit. 18. Cæl. Rhodigin. lib. 11. cap. 11. Paul. IC lib. 5. tit. 24. sententiar. mutationem pœnæ ostendit *hi* (parricidæ) *& si antea insuti culeo in mare præcipitabantur, hodie tamen viui exuruntur, vel ad bestias damnantur.* congerit pleraque supplicia in eos Sidonius Apollinaris lib. 4. Epist. 23. *dignum abdicatione, truce, culleo clamans, cæterisque suppliciis parricidialibus.* L. Sen. lib. 1. de Ira cap. 16. *ceruicem noxio præcidi iubebo, & cum parricidam insuam culleo.* Et lib. 2. de Clementia cap. 15. *non culleum, non serpentes, non carcerem decreuit.* Ecce vt ostendat suo sæculo, nec gallum nec canem includi solere, solos serpentes nominat. Eiusdem lib. cap. 2. *pater tuus plures intra quinquennium culeo insuit, quam omnibus sæculis insutos accepimus.* Mento orator apud eundem lib. 3. Controu. 17. *carnifex se culeo totum insuisse.* Georg. Cedren. Compend. historiar. pag. 161. de Pilati morte *νεαρᾷ βοείᾳ pelli bouina* eum insutum vult. C. Sueton. in Augusto cap. 33. *manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, ita fertur interrogasse.* adi ad legem primam, & vltimam ff. de pœnis, & l. 1. C. eod.

Sed antequam includerentur culeo, *virgis sanguineis cædebantur*, idque Modestinus prodidit l. 9. ff. ad leg. Pompeiam de parricid. *caput tegebatur.* Fest. lib. 13. in voce *obuoluere*, cuius hæc sunt verba *obuoluere quod antiqui obnubere vocarunt: ob quam causam legem quoque parentum iubere caput eius obnubere, qui parentem necauisset.* auctor Rhetorices ad Herennium lib. 1. *damnato folliculo lupino statim os obuolutum est.* M. Fabius Quintilian. Declamat. 298. *cuius statim ora, oculosque à iudicio reos instit abduci, ne hunc iucundum cæli aspectum polluerent terri oculi.* quod autem de plaustro, & de nigris bobus disserit Dositheus, puto, nullibi alibi reperitur, sed ratio hæc esse potest, quod huiusmodi coloris victimæ Diti patri manibusque sacrarentur, in quorum peculio damnatus iam habebatur.

Sed enim mirum illud mihi persæpe cogitanti visum, non modo non esse exploratum à quo prima de parricidio lata lex sit, sed ne nomen eius certo prodi, qui primus eius criminis reus ceciderit. Certe post bellum Cimbricũ & Marij victoriam id primum factitatum luculentis proditum est auctoribus, primumque matre necata damnatum *P. Malleolum*, vt Floro Epitomastæ T. Liuij placuit lib. 68. aut *M. Malleolum*, Alexander Neapolitan. lib. 1. Genial. dier. c. 5. aut denique *Publicium*, Paul. Orosius lib. 5. cap. 16. vide locum, in quo pleraque huc spectantia inuenies, ritusque parricidia puniendi diligenter explicatos deprehendes. quid Græci de accusato Oreste matricida censuerint, quare eum Minerua absoluerit, perpendit erudite P. Victorius lib. 13. variar. lection. c. 23. ex Maniliana Ciceronis. & vide M. Catonem lib. 3. Originum, qui *expiasse cædem eum* scribit. Probus Grammaticus in Bucolica Virgilii, M. Varronem in Eumenidib. apud Nonium Grammaticum.

Dico vicisse Orestem, vos ab hoc facessite.

Martian. Capell. li. 5. pag. 159. Pindar. Pythior. od. 11. & vt se defenderet τόξα εἰληφέναι παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος *qui, fertur arcus ab Apolline accepisse*, Stesichorus, rescribente Euripidis Scholiaste. Cuius accusationem Carcinus poemate complexus est, eumque de matre coactum respondere, ambagibus vtentem inducit. Suidas in voce καρκίνος. P. Ouid. *in matre patris malus vltor Orestes.* v. scholiast. Iuue. ad Sat. 8. v. 215.

------ *quippe ille diis authoribus vltor*
Patris erat, cæsi media inter pocula.

Præclarissima vero, vt semel concludam, disquisitio parricidij, si negaretur, hæc inualuit, vt pedibus ignitos vomeres calcarent. quod probationis genus Io. Busæus *præsumptionem* vocat. Karoli Magni Capitular. Append. sec. ad lib. 4. cap. 3. Et in Synodo Bauarica coacta sub Tassilone duce, temporib. Caroli Magni, pag. 143. *si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens ne in seruitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in seruitium casurum timet, occiderit; id est patrem, matrem, patruum, auunculum, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, ipse qui hoc perpetrauit, moriatur, agnatio eius & consanguinitas in seruitutem cadat, & si negauerit se illum occidisse, ad nouem vomeres ignitos iudicio Dei examinandus accedat.* antiquissimum sane id probationis genus.

genus, per ignem veritatem experiri vt nudis pedibus super carbones in sacrificiis, aut ferrum candens incederent examinandi. Seruius ad vers. 786. lib. 11. Æneid. C. Iul Solin. polyhistor. cap. 8. Plinius, & poetæ. Virgil. loco iam laudato.

Sancte pater, summi custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acerno
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna.

Quod vt friuolum, & profanum Varro irridet, causamque religionis contemptor adscribit, *quod medicamento plantas tingerent*: Ita tamen gentium consuetudine receptum me pridem monuit eruditiss. Theodorus Marcilius, & præsertim id in barbaris obseruatum, lapsa iam republica Romana. testes vberrimi sunt Helmoldus in Histor Sclauor. Aimonius Monachus lib. 5. cap. 34. Hildebertus Cenomanensis Epist. 17. Petr. Venerabilis lib. 6. Epist. 29. Saxo Grammatic. lib. 14. Nicephorus Gregoras lib. 6. cap. 1. Cæsarius Monachus lib. 3. cap. 16. Georg. Pachymerius in Græcor. histor. Iuo Carnutensis variis in locis, Epist. 74. & Epist. 76 Epist 91. Epist. 234. Epist. 251. Epist. 283. & alibi, Auentinus Annal. Boior. lib. 4. vbi de consecratione ferri, meminit & Sigebertus in Chronic. lex Anglica tit. 15. lex Francica lib. 4. lex Ripuarior. tit. 32. *quod si postquam eam ad ignem applicueris, fuga lapsus fueris*, &c. explicari videtur ex titulo eiusdem legis præcedenti. *cum super quatuordecim noctes ad ignem repræsentato, & sic de eius præsentia cum festuca fidem facias.* Et tit. 33. §. 5. *ad ignem seu ad sortem excusare studeat.* licet non ignorem in iure Canonico hoc genus explorationis prohibitum, c. *mennam.* 2. 4. 5. &c. *consuluisti.* 9. 6. ritum operosissime totum describit Heliodor. lib. 10. Æthiopic. variis in locis, sed præsertim pag. 466.

De *falsi* crimine plena Iurisconsultorum volumina, & quam grauiter Indi in illud animaduerterint, repete ex Strabone Amasiano lib. 15. pag. 813. longum esset enumerare omnium gentium ætatumque placita. Carolus Magnus l. b. 3. Capitularii cap. 41. simpliciter, *falsi testes, vt non reperiantur*, edixit, eademque præscripsit Synodus Bauarica pag. 146. dixi supra, vbi de adulterij pœnis. Pseudo-Cornutus ad vers. 77. Sat. 6. A. Persij. *Cappadoces dicebantur habere naturale studium ad falsa testimonia proferenda, qui nutriti in tormentis à pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, vt inuicem se inuicem torqueant, & cum in pœna perdurarent ad falsa testimonia se bene venundarent.* Conducti igitur falsa testimonia exhibebant, vt insinuat D. Iuuen. Sat. 14. v. 218.

Falsus erit testis, vendet periuria summa
Exigua, Cereris tangens aramque pedemque.

Ægyptij certe capitali falsos testes afficiebant supplicio, Diodo. Sicul. lib. 1. Bibliothec. cap. 3. at Lydij tanquam societate sua indignos vendebant. Melchior Iunius quæstionum Politicar. tom. 1. qu. 98.

Ambitus crimen *virtuti propius*. Salustius, *inter publica animaduersione digna* censetur l. 2. ff. de iudic public. & cognationem habet *cum repetundis*, Iuuenalis Satyr. 14. apud Pet. Gregor. Tholosatem lib. 36. syntagmat. Iur. vniuer. cap. 29.

------peregrina ignotaque nobis
Ad scelus atque nefas quodcunque est purpura vendit.

Dictus ambitus, ab vniuersis ciuibus in petitione magistratuum ambitis, candidati enim circuibant, pensabant, mirifica spondebant, neque enim, nisi in comitiis suffragia sua dare populus poterat. Fl Blondus libro 3. Romæ Triumphant. Nicol. Grucchius lib 1. de Comit. Rom. cap 6. hæc prima fuerunt exordia, creuit deinde ambitio, & mercari honores ciuicos cæptum, Ascon. Pædian. in Argumento Catilinar. & in Cornelianam. quis tamen primus largitione suffragia furatus incertum etiam ætate Traiani, Plutarch. in Coriolano, quanquam apud Plinium Q. Coponium eo nomine damnatus ambitum accipiamus, quod amphoram vini cepisset. vide Plinium Iuniorem lib. 6. Epist. 5. Et Epist. 19. cumque *res vana esset & ventosa, nullumque habens terminum*, vt loquar cum L. Seneca Epist. 84. variis legibus coercita est. C. Sueton. in Augusto cap. 34. Et cap. 40. & in Cæsare cap. 9. *Atque vtinam* (verba sunt Valerij Maximi lib. 4. cap. 4.) *more maiorum nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecunia liceret.* l. 1. Cod. Theodos. de Munerariis l. 37. C. eod. de decurionib. Fortunat. lib. 1. Poemat. capite 16.

Leges refutant ambitum
Inuasor omnis pellitur,
Quod respuunt prætoria,
Vites nefas ecclesia.

Pœna erat, *vt honoris petitione prohiberentur, certaque multarentur pecuniæ summa.* Dio Cocceian. lib. 36. aut *senatu mouerentur*. Sidon. Apollinar. lib. 1. Epist. 3. dicam ad illud Claudiani lib. 1. in Ruff.

Ilicet ambitio nasci, discedere rectum,
Venum cuncta dari, profert arcana, clientes
Fallit, & ambitos à principe vendit honores.

Et lib.2.de laudibus Stilichonis.

Ac primum scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens, patulis rimatur faucibus aurum.
Trudis auaritiam, cuius fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulo foribusque potentum
Excubat, & pretiis commercia poscis honorum.

M.Lucan. lib. 1.vers.177. elegantissimè naturam illius criminis expressit.

Hinc rapti fasces pretio, sectorque fauoris
Ipse sui populus, lethalisque ambitus vrbi,
Annua venali referens certamina campi.

Nec minus culte C.Petronius in Satyrico, vbi de bello ciuili, pag.85. vbi, cum Appiano lib.1.Ciuil.ortum inter ciues nimium potentes, ob hoc solum crimen, lethale bellum, sic enim suauissime canit.

Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt,
Venalis populus, venalis curia patrum:
Est fauor in pretio, senibus quoque libera virtus
Exciderat, sparsisque opibus conuersa potestas,
Ipsaque maiestas auro corrupta iacebat.

Supererat de equuleo dicendum, sed liber Hieronymi Magij posthumus, & tractatus de pœnis infra singula exhibebit. Interim L. Seneca audiatur lib.3.de Ira c.3.& c.19. *torserat per omnia, quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis tabularibus, eculeo, vultu suo.* vide Festum Pompeium li.17. in voce rebus, & Gothefridum ibidem. Valerium Maxim.lib.3.cap.3.tit.4. & lib 5. cap.3. tit.vlt.de Phocione dictus ita *quod in eo reus extendatur.* Isidor. lib.5. Etymolog. cap. 27. erat autem *machina lignea equo similis, cui imponebatur torquendus.* Adrian. Turneb.lib.15. Aduersarior. cap.16.L.Apuleius affirmat esse *Græcorum inuentum* lib.10. Milesiar. M.Cic. lib.4. de finib. *nec si ille sapiens ad tortoris eculeum à tyranno ire cogatur, similem sui habeat vultum ac si ampullam perdidisset.* Idem libr.5. Tusc. q. *hæc etiam in eculeum coniiciuntur, quo vita non aspirat beata.* legendi præterea sunt Carolus Sigonius lib.3.de Iudiciis cap.17. Antonius Gallonius Rom. Congregationis oratorij presbyteri lib.de SS. Martyrum cruciatibus cap.3.D.Cyprian.epist.ad Donatum,& lib.de laude Martyrij.D.Augustinus epist.59. Euseb. Cæsariens. lib.8.histor.ecclesiast.c.11. vnde colligere liquet, nullum aliud tormentum frequentius esse in martyrum actis, vt non modò passim in scriptoribus legere est, sed & ex tabulis, ab eodem Gallonio delineatis. huic impositi penduli in aëre librabantur. Incertus scriptor sed antiquus, in vita S.Blasij, *iussit eum in ligno suspendi*, Theodoret lib.3.histor.Ecclesiast.c.11.de Theodoro quodam sub Iuliano suppliciis huiusmodi addicto, quod post illum recitat Sozomenus lib.5.histor.c.20.vbi tamen Musculus non *eculeum*, vt debuit, sed *pelum* transtulit, clare constat eum lapsum ex Ruffino lib.1. hist. Ecclesiast.cap.36.Aurel.Prudent.in Romano Martyre.

Euiscerandum corpus eculeo eminus
Pendere, & vncis vngulisque crescere.

Statim deinde, vt lignum ostendat fuisse, subiungit.

Iubet amoueri, noxialem stipitem.

S.Paulinus lib.5.de vita S.Martini, & ad illum Fr.Iuretus in eruditis illis suis notis.

Ast alij sursum porrecti robora ligni
Triste ministerium furioso corde parabant,
Vt caro distensis propere malè pendula membris
Tortori laceros cruciandos exponeret artus.
Tartaream misero perfundens sanguine dextram
Et spargens tristem per vulnera crebra cruorem,
Vtque eadem geminum satiaret pœna furorem,
Incussor laceri quatiebat corporis artus.

Suspensum ita rei corpus variis ictibus lancinabatur, discerpebaturque. Valafridus Strabus in Mammete id testatur.

------iubet altius ergo
Sanctum suspendi, tormentisque acribus armens.
Pulsat vtrumque latus, dum carpitur vnguibus vncis.
Nullam dat Mammes vocem.

PRV-

PRVDENTIA SINGVLARI, ERVDITIONE ET VIRTVTIBVS ORNATISSIMIS VIRIS, D.D. CHRISTOphoro Loebero seniori Archigrammateo, & Georgio VValtero Syndico Reipublicæ Vinariensis, socero, atque affini suis reuerenter colendis. S. D.

DIV, multúmque mecum cogitaui, Prudentissimi atque ornatissimi viri, Socer atque Affinis colendi, quánam ratione aliquam saltem apud vos ederem grati in vos animi significationem, pro summis vestris in me meritis. Sed profectò huc vsque nihil in mentem venit, quo voluptati atque desiderio meo satisfieri posse, visum mihi esset. Commodum igitur ita res cecidit, vt Antiquitatum libri, quibus colligendis aliquantum temporis tribui, in publicum emittendi essent: quamuis, vt verum fatear, vrgentibus tamen id amicis quibusdam, quos & mihi & rebus meis syncero studio fouere, satis supérque hactenus intellexeram. Nactus ergo occasionem visus sum qua interim, dum referendæ etiam gratiæ facultas esset, profiterer, quantum vobis deberem. Quanquam quis est qui pro talibus beneficiis, qualia vestra sunt, inprimis tua, Obseruande Domine socer, gratias dignas agere, nedum referre possit? Huius apim in vos mei testimonium esse volo hunc Antiquitatum librum, quem idcirco ex aliis elegi, vt sub vestrorum nominum patrocinio in lucem prodiret, & varia hominum variè affectorum iudicia subiret: quia res, quas tractat, vobis non sunt ignotæ, & vestro etiam muneri, quod geritis, conuenientes. Iudicia enim explicat, quomodo ea à Romanis fuerint exercita. Quanquam autem alia iam eorum tractandorum est ratio: vtile tamen est, veterem etiam Romanorum morem, ex quo is, qui hodie in vsu est, profluxit, cognoscere. Et offerunt sese in hac tractatione, plurima & illustria singularis prudentiæ atque sapientiæ illius populi (quantum quidem in homines luce verbi diuini carentes cadere potest) testimonia. Adde quòd fructus, qui ad studiosos hinc accedet, quem ego quidem potissimum respexi, sit immensus. Descripsi autem integrum hunc librum ex tribus lectissimis Caroli Sigonij Mutinensis de iudiciis Romanorum libris, qui nuper cum aliis præclaris eius monumentis, quorum tamen magna pars anteà quoque publici iuris fuit, in lucem prodierunt. Cuius mei consilij rationem in prima ad lectorem præfatione reddidi, quam æquis iudicibus (malignos enim & Zoilos nihil moror) satisfacturam esse omninò confido. Et quamuis cùm propter Antiquitatem

obscura hac materia, tum difficilis esse, præsertim homini, qui non magnam studio iuris operam dederit, videatur: tamen & perspicua methodus & commodus ordo, quem adhibuit Sigonius, istam difficultatem maxima ex parte tollunt. Multùm etiam ad hæc rectiùs intelligenda lucis mihi attulerunt Francisci Polleti historia fori Romani, & Iacobi Reuardi libri, quorum aliquot auctoritate & beneficio clarissimi IC. Simonis Ostermanni, cuius in me merita non possum quidem sine insigni ingratitudinis nota silentio præterire: sed cùm ea (tot enim ac tanta sunt) hæc breuis charta capere non possit, alium expectant & magis aptum locum, vbi Deo volente quantum infantili lingua potero prolixè à me commemorabuntur: quorum, inquam, aliquot diligenter legi: quod eò hoc loco recito, vt studiosus lector sciat, per quos ego profecerim, & quibus ipse etiam multò maximam horum collectaneorum partem debeam. Sed plura non addam. Vos, viri Prudentissimi atque Ornatissimi, Socer, atque Affinis, colendi & obseruandi, submissè rogo, vt meum studium æqui boníque consulere, méque & familiam meam, quos hactenus vestris beneficiis benignè fouistis, porrò commendatos vobis habere velitis. Valete optimè, & saluete cum vestris familiis, & tota cognatione, quibus omnibus plurimam à me salutem dicetis. Ratisponæ, Kalend. Martij, anno à nato Christo ∞ ICXXC.

V. P.

Addictissimus

IOHANNES ROSINVS.

PRV-

PRVDENTIA SINGVLARI, ERVDITIONE ET VIRTVTIBVS ORNATISSIMIS VIRIS, DD. CHRISTOphoro Loebero seniori Archigrammateo, & Georgio VValtero Syndico Reipublicæ Vinariensis, socero, atque affini suis reuerenter colendis. S.D.

CVM adolescens adhuc liberalibus artibus operam darem, atque inter alias disciplinas quæ publicè proponebantur, principia quædam, seu elementa historiæ Romanæ audirem, mirum in modum illud studium mihi arridebat. Nam & rerum gestarum commemoratio me, vt alios homines puto plerosque incredibiliter delectabat, & illustria virtutum exempla, quæ passim occurrebant, quæque ad animum nostrum rectè informandum omnium sapientum iudicio, plus possunt ipsis præceptis, vehementer me afficiebant: & intelligebam, harum rerum notitiam omnibus in Ciceronis, & aliorum & vetustiorum scriptorum monumentis cum fructu, & vtilitate versari volentibus, in primis esse necessariam: quod ipsum etiam præceptores nostri identidem nobis inculcabant: quin & hoc addebant, dandam nobis esse operam, vt veteris Reipublicæ Romanæ, Magistratuum, Comitiorum, Legum, & quod omnium vtilissimum esset, iudiciorum rationē cognitam aliquo modo, & perspectam haberemus. Ita enim Ciceronis, & aliorum id genus auctorum scripta fore nobis multis partibus planiora, atque magis perspicua. Prodibat tum forte in lucem Francisci Polleti historia fori Romani: ex qua, verum id esse, quod à Præceptoribus audiueram, cognoscebam. Itaque cum summa voluptate librum illum euoluebam. Sed sequebantur paulò post ea tempora, quæ cursum meum omninò interrumpebant. Qua ratione factum est, vt illis studiis, quibus tum magnopere delectabar, intermissis, vni Theologiæ aliquandiu vacarem: donec tandem muneri docendi in schola Ratisbonensi præfectus, Historiarum, atque Antiquitatis studium, tamdiu omissum repetere sum coactus. Vbi cum eos auctores, qui mihi aliquid opis ad earum rerum cognitionem afferre posse videbantur, conquisiuissem: non abs re facturum me putaui, si certa quædam capita mihi præscriberem, in quæ, si quid ad Antiquitatem & veterem Romanæ Reipublicæ statum pertinens inter legendum occurreret, notarem, ac deinceps in ordinem redigerem. Quanquam mihi parum temporis ad eam rem concedebatur: totos enim dies laboribus scholasticis occupatus, nocturnas horas, quæ quieti debebantur, his lucubrationibus

impendere cogebar. Posteaquam ergo de Religione, Comitiis, Magistratibus, & legibus quædam commentatus, ad iudiciorum rationem inquirendam, & explicandam accederem: euenit: vt præter Francisci Polleti historiam Fori Romani, cuius paulò ante memini, etiam Iacobi Cuiacij, Iacobi Rauardi, Barnabæ Brissonij, Francisci Hotomani, &c. libros, quorum aliquot beneficio clarissimi Iurisconsulti Simonis Ostermanni nactus eram, inspicerem: in quibus multa rectius, quàm hactenus ab aliis factum erat, explicari videbam: donec tandem etiam librorum Caroli Sigonij, quos de Iudiciis edidit, mihi copia fieret. Quos cum auide percurrissem, opera precium me facturum sum arbitratus, si dictos Sigonij libros in compendium contraherem, & his meis Antiquitatum collectaneis insererem: non aliam ob causam, quàm vt ij, qui Sigonij commentarios vel non nancisci possent: si forte in hos meos libros inciderent, etiam hic inuenirent, quæ de iudiciis veterum scitu essent necessaria: eáque ex Clarissimorum virorum traditione. Cuius mei consilij rationem in prima quoque ad Lectorem Præfatione reddidi, quam æquis arbitris (Momos enim & Zoilos improbos nihil moror) non improbatum iri confido. Vobis autem, Ornatissimi Viri, Domine Socer, atque Affinis Colendi, hunc librum inscribere volui, vt publice extaret aliquod mei in vos amoris, & obseruantiæ testimonium: simul etiam, vt aliquam apud vos ederem pro summis vestris in me meritis, grati animi significationem. Et si autem ea tanta sunt vt referendæ gratiæ rationem inire hoc tempore nullam possim, spero tamen hanc qualemcunque grati, & beneficiorum acceptorum memoris animi professionem vobis non fore ingratam. Quod vt fiat, vtque meum studium æqui bonique consulatis: ac me, & familiam meam, quos hactenus vestris beneficiis, atque officiis benignè fouistis, vobis porro commendatos habeatis, submissè rogo. Valete, viri Prudentissimi, atque Ornatissimi. Domine Socer atque Affinis colendi, & saluete, cum familiis vestris, & cæteris amicis, quibus omnibus plurimam à me salutem dicetis. Ratisbonæ, Calend. Martij, anno à nato Christo, ∞ IↃXXC.

V. P.

Addictissimus

IOHANNES ROSINVS.

ANTI-

ANTIQVITATVM ROMANARVM Liber IX.

DE JVDICIIS.

SVPERIORI libro leges Romanorum, quæ quidem ex tanto naufragio optimorum scriptorum ad nos peruenerunt, recitauimus: sequitur vt iudicia quoque consideremus. Horum enim tractatio, quantùm ad veterum monumenta rectiùs intelligenda conducat, non facile est dicere. In Cicerone certè, cuius egregia monumenta omnium manibus teruntur: & teri etiam, propter multas insignes vtilitates, debent, quid, quæso, frequentiùs occurrit, quàm ea, quæ ad iudicia Romanorum, & publica, & priuata spectant? Maxima igitur ex hoc libro lux accedet, tum scriptis eius aliis, tum præcipuè orationibus, in quibus nihil aliud præter iuris controuersias tractatur: vt interim taceam de Plinio Iuniore, & aliis innumeris. Quantùm etiam prosit harum rerum cognitio versantibus in libris Iurisconsultorum, & res ipsa per se satis testatur, & multorum clarissimorum virorum iudicia declarant. Quare meritò laudanda est industria eorum, qui veterum nonnullorum exemplo ad studiosorum vtilitatem iudiciorum Romanorum morem, & rationem ex veterum scriptorum fragmentis, quasi è tenebris eruerunt, & in literas retulerunt. Quorum primus nostra ætate, quod ego scio (Guilhelmi enim Budæi de vocabulorum ad veterem iuris praxim pertinentium significatione commentarius lucem nondum aspexit) integram Romani fori historiam (sic enim ipse appellat) quinque libris exposuit Franciscus Polletus Duacensis IC. quos tamen morte auctoris interruptos, & imperfectos auxit, & ad finem deduxit gener ipsius Philippus Broidæus: libros mehercle omni eruditione refertos, & ad antiquorum monumenta cognoscenda perquàm vtiles.

Præter hos verò, & alij passim in suis lucubrationibus non pauca ad hanc rem pertinentia maximo studio conquisiuerunt, & nobis communicauerunt, quales fuerunt, Iacobus Cuiacius, Barnabas Brissonius, Antonius Contius, Iacobus Reuardus, Franciscus Hottomanus, Iurisconsulti clarissimi, aliique plures. Nuperrimè autem Carolus Sigonius vir clarissimus, & antiquitatis instaurator, atque illustrator egregius ad alia, quæ de antiquo iure ciuium Romanorum, Italiæ, & prouinciarum literis mandauit, addidit etiam tres de iudiciis libros, ea diligentia, eóque ordine scriptos, vt nihil meliùs, & ordine conuenientiori, omnium iudicio, tradi possit. Hos ego in compendium contraxi, & meis Antiquitatum collectaneis inserui, nulla profectò alia de causa, quam vt plures mei ordinis homines, ad illius ipsius monumenta diligenter euoluenda hac ratione inuitarentur, & maximarum vtilitatum, quæ inde ad studiosos eorum lectores proficiscuntur, participes fierent. Quod meum consilium, vt ipse etiam auctor, si modò hæc collectanea aliquando in manus eius venient, comprobet, mihique huius facti, quod ipso inconsulto, tantum in eius libros ausus fuerim, veniam det, ac voluntatem potius meam, quàm factum ipsum spectet etiam atque etiam rogo. Hac necessaria excusatione præmissa Iudiciorum tractationem aggrediemur.

Capvt I.

Iudicia in genere quid sint, & quotuplicia apud Romanos fuerint.

Ivdicia à iudicando dicta apud Romanos (de iis enim tantùm hoc loco agemus) fuerunt, quæcunque aut Magistratus ipsi ius dicentes decreuerunt, aut Iudices à Magistratu ius dicente dati, de iure statuerunt.

Quoniam autem ius aliud priuatum fuit, aliud publicum, propterea iudicia alia priuata, alia publica extiterunt: priuata quidem de controuersiis, publica verò de criminibus constituta. Vnde dixit Cicero pro Cæcinna: Omnia iudicia aut distrahendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt. De vtriusque quando agere nobis in animo est, prius de priuatis agamus.

Capvt II.

Quid priuata iudicia fuerint, & quot eorum causæ.

Privata iudicia fuerunt decreta, seu sententiæ de controuersiis priuatis, quæ aut Magistratus ipsi, qui ius dicebant, aut Iudices à Magistratibus ius dicentibus dati tulerunt, prout iure erat sancitum. Eorum ratio vt cognoscatur melius, de rebus primùm seu causis, de quibus iudicium fuit, inde de personis, quæ fecerunt, post de ratione faciendi iudicij priuati dicendum erit. Et quidem de causa iudiciorum priuatorum hoc capite agemus.

Causæ, de quibus iudicia priuata constituta sunt, lites, seu controuersiæ ciuiles fuerunt, ac priuatæ appellatæ: ciuiles quidem, quod aut iure ciuili comprehensæ, aut à iure ciuili profectæ sint: priuatæ verò, quod aut priuatum quemque non populum, nec Rempublicam attigerunt, aut quòd priuato tantùm cuius res ageretur, actio conueniret, non è populo cuicunque. Harum verò controuersiarum Prisci Iurisconsulti tripartitam attulêre diuisionem. Quippe alias voluerunt ad personas pertinere, alias ad obligationes, vt Iustinianus in Institutionibus scripsit. In Controuersiis ad personas pertinentibus posuerunt, quæ de liberis ac seruis, libertis & patronis incidere lites potuerunt. Itemque, quæ de ingenuis, ac libertinis, de patria in filios potestate, de nuptiis, de adoptionibus, capitis diminutionibus, ac tutelis fuerunt.

Causæ rerum erant, de mancipationibus, vsucapionibus in iure cessionibus, hæreditatibus, fideicommissis, bonorum possessionibus, irrogationibus, & bonorum emptionibus.

Obligationum causæ erant de mutuationibus, commodationibus, depositionibus, pignoribus, stipulationibus, fideiussionibus, emptionibus, locationibus, societatibus, & mandatis, contractibus innominatis, solutionibus, acceptilationibus, nouationibus, delegationibus, furtis, rapinis, damnis iniuria datis, & iniuriis. De singulis antequàm ad reliqua accedamus, pauca addemus.

Capvt III.

De causis, siue controuersiis iudiciorum priuatorum, quæ de personis fuerunt.

Qvænam controuersiæ siue causæ iudiciorum priuatorum de personis fuerint, diximus. Iam operæ pretium est, vt paulò vberius exponantur, quod quidem breuiter expediemus secuti Iustinianum, ex quo, vel etiam ex Sigonio plenior explicatio peti potest. Omnes homines (inquit Iustinianus) aut liberi sunt, aut serui. Et libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur) est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut iure prohibetur. Cicero pro Cluentio ait, liberum dici, in cuius potestate sit, arbitrio suo viuere, eatenus tamen, vt lege, & instituto permissum fuerit. *Instit lib. 1. tit. 3.*

Seruitus autem erat constitutio Iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijciebatur. Serui verò aut nascuntur, aut fiunt, Nascuntur ex ancillis nostris. Fiunt aut iure gentium, id est, ex captiuitate, aut iure ciuili, cum scilicet aut liber homo maior viginti annis ad precium participandum sese venundari passus est.

Liber-

Libertus erat, qui desierat esse seruus, vel quem dominus ex iusta seruitute manumiserat. Patronus dicebatur, qui ex seruitute manumiserat. Ingenuus erat, qui statim, vt natus erat, liber erat. Libertini iidem qui liberti, quemadmodum Iustinianus accipit. Nos libro harum Antiquitatum primo plura de iis, quinam fuerint, & quomodo aliquando à libertis distincti sunt, diximus.

Patria potestas erat ius illud, quod pater, vel auus in personas liberorum, qui ex iustis nuptiis procreati erant, habebat. Eratque proprium ciuium Roman. quoniam à lege XII. Tabul. interdictum.

Nuptiæ, siue matrimonium erat viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens. Adoptio fuit actus legitimus naturam imitans ad liberorum solatium inductus, habebátque locum in his personis, in quibus natura locum habere non poterat. Capitis diminutio erat prioris status mutatio. Fuitque triplex, maxima minor & minima. Maxima capitis diminutio dicebatur, cum aliquis simul & ciuitatem, & libertatem amittebat. Minor seu media cum ciuitas quidem amittebatur, libertas verò retinebatur. Minima cum ciuitas retinebatur, & libertas, sed status hominis commutabatur.

Tutela erat ius, ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se ipse defendere non poterat, iure ciuili data ac permissa. Hæc plenius, vt dixi, à Iustiniano, & Sigonio, atque aliis explicantur.

Capvt IIII.

De causis siue controuersiis rerum iudiciorum priuatorum.

VT cognoscatur, quænam controuersiæ de rebus ad iudicia priuata pertineant, de rebus & earum distinctionibus, quædam sunt annotanda. *Instit. lib. 2. tit. 1.*

Rerum aliæ in patrimonio nostro esse dictæ sunt, aliæ contrà. In patrimonio fuerunt res priuatæ, nempe quæ abalienari pro arbitrio potuerunt. Extra patrimonium, res sacræ, religiosæ, sanctæ & publicæ. Sacræ dictæ, quæ per pontifices consecratæ Deo sunt, vt aræ, templa, donaria: Religiosæ, loca, in quæ illati mortui fuerant. Sanctæ, quæ vt inuiolatæ essent, pœna proposita cautum erat, veluti muri & portæ vrbis. Publicæ, quæ omnium hominum ac gentium communes sunt, vt aer, mare, littus: aut omnium alicuius vrbis ciuium vt fora, basilicæ, theatra.

Item res aliæ corpus habuerunt, aliæ corpore caruerunt. Habuêre, quæ sub censum ceciderunt, vt fundus, & domus. Caruêre, quæ animo tantum comprehendi potuerunt, vt hæreditas, obligatio, seruitus.

Item aliæ fuêre mancipi. Mancipi, teste Vlpiano, vocant prædia in Italiæ solo, tam rustica, qualis est fundus, quam vrbana, qualis est domus. Item iura prædiorum rusticorum, veluti viam, iter, actum, & aquæductum: item seruos, & quadrupedes, quæ dorso collóve domarentur, sicuti boues, mulos, equos, & asinos. Nec mancipi cæteræ res appellatæ. *Instit. lib. 2. tit. 2.*

Acquiri verò aut singulas voluerunt, aut vniuersas. Singulas, aut iure gentium, aut iure Quiritium. Iure gentium, vt occupatione, captiuitate, accretione, rei effectione, traditione, & seruitute. Iure Quiritium, vt mancipatione, vsucapione, in iure cessione. Occupationis ius erat eiusmodi, vt quod nullius esset, primùm occupanti acquireretur. Captiuitatis, vt quæ ex hostibus cepissent, sua fierent. Accretionis, vt quod alicui rei sic accreuisset, vt pars totius eius esset, cuius totum esset. Atque hoc in alluuione, circumluuione, inædificatione, satione, pictura, scriptura, prætexta valere voluerunt.

Rei effectio eam vim habuit, vt si species ex aliena re confecta ad pristinam formam reuocari posset, eius esset, cuius erat res quasi materia non esset extincta: aut si ex vtraque materia confecta esset, eius qui effecisset.

Traditio venditionem permutationem, legatum, donationem complexa est. Seruitus dicta est, quod quis vel ex re sua alteri constituit: quæ duplex fuit. Personarum, vt vsusfructus, vsus, habitatio: & rerum, vt seruitutes prædiorum vrbanorum, & rusticorum. Vrbanorum, vt tigni immittendi stillicidij recipiendi, vicinis luminibus non officiendi. Rusticorum, velut, iter, actus, via, aquæductus, & eiusmodi alia. Mancipationis ius erat, si quis per imaginariam venditionem, adhibitis non minus quinque testibus ciuibus Romanis puberibus, & libripende, alteri per æs & libram, quæ in sua potestate habebat, tradebat.

In iure cessio fuit communis alienatio, & mancipi rerum, & nec mancipi, quæ fiebat per

tres personas in iure cedentis, vindicantis, addicentis.

Vsucapio fuit acquisitio per vsum legitimi temporis, iure ciuili constituta, vel adeptio dominij per continuationem possessionis, anni vel biennij; rerum quidem mobilium anni; immobilium autem biennij. Res porrò per vniuersitatem acquiri voluerunt quinque modis, hæreditate, fideicommisso, bonorum possessione, arrogatione, & bonorum emptione. Hæreditas fuit successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit: eáque duplex fuit, testamentaria, & legitima.

Testamentaria fuit iusta, & solennis testatio mentis, ac voluntatis nostræ de vniuerso iure nostro in aliquem, pluresve post mortem nostram abalienando. Atque in his de hæreditatibus, legatis, & fideicommissis cauerunt, & secundos, tertióque hæredes substituerunt.

Legitima fuit, quæ ab intestato ex lege XII. Tabularum delata fuit. Intestatus dictus fuit, testamento non facto, ruptóve, irritóve facto, & ab hærede destituto. Quòd si quis intestatus moreretur, lex primum liberis, deinde agnatis hæreditatem attribuit.

Fideicommissa appellata, quæ fidei hæredis, vt ea redderet, committebantur, vt si quid ei testator datum vellet, cui per leges capere non liceret. Itaque non videbatur hæres, sed rogabatur. Horum autem duo genera: vnum, quibus res singulæ, veluti vestis, aut fundus relinquebantur, vt L. Titius hæres esto. Alterum, quibus vniuersæ, vt hæreditas, transferebantur: vt, Peto abs te, L. Titi, vt meam hæreditatem C. Seio restituas.

Bonorum possessio erat ius persequendi, retinendive patrimonij, siue rei, quæ cuiusque, cùm moritur, fuit, solius Prætoris beneficio instituta. Nam, quia hæredes Prætor facere non poterat, bonorum possessionem, pro suo iure cuique attribuebat. Earum verò multa genera fuerunt, de quibus post commodiore loco dicetur. Arrogatione eius bona, qui arrogabatur, omnia, præter ea, quæ capitis diminutione pereunt, arrogatori pleno iure quærebantur.

Publica bonorum emptio, auctione constituta fiebat, cum debitoris alicuius latitantis bonorum possessio creditoribus à Prætore concessa esset, eáque bona triginta dies ab iis possessa fuissent.

Capvt V.

De controuersiis vel causis obligationum.

Seqvvntvr obligationes. Obligatio fuit iuris vinculum, quo necessitate astringebantur rei alicuius soluendæ ex iure ciuili. Hæc fuit triplex, naturalis, cum reuera contracta erat, vel cum reuera contracta esset, facto tamen aliquo, sed ad iuris ciuilis rationem non accommodato dissoluta erat: vt si quis vi, metúve promisisset, summo iure obligatus erat, & si creditor pactus esset, se nunquam petiturum: aut debitor creditoris postulatu iurasset, se non debere. Mixta, quæ cum reuera & æquissime contracta esset, etiam à iure ciuili comprobata erat: vt ex mutuo, commodato, deposito, empto, conducto.

Quin etiam obligatio bipartita fuit, ciuilis & honoraria. Ciuiles dictæ, quæ ab aliqua iuris ciuilis parte institutæ, veluti lege XII. Tabularum, vt hæres legatario sit obligatus. Honorariæ, quas vel Prætores, vel Ædiles in edictis suis instituerunt: veluti cum Prætor bonorum possessionem creditoribus omnibus hæreditariis obligauit.

Item obligatio alio modo quadripartita fuit ex contractu, ex quasi contractu, ex maleficio, ex quasi maleficio.

Contractus fuit negotium inter duos, pluresve data opera gestum, vt vel vterque inuicem vel alter tantum alteri obligaretur. Contractus alij nominati, alij innominati. Nominati alij re parere obligationem dicti, alij verbis, alij literis, alij solo nudóque consensu.

Re obligatio contrahebatur, cùm ea nonnisi re tradita, acceptáque concipiebatur, vt in mutuo, commodato, deposito, pignore. Mutuum erat contractus, quo rerum, quæ pondere, numero, mensura constarent, vsus ita concedebatur, vt posteà non eædem, sed aliæ generis eiusdem redderentur. Commodatum erat contractus, quo gratis alicuius rei vsus ita concedebatur, vt accipiens summam in ea ipse reddenda diligentiam præstare deberet. Depositum contractus, quo res aliqua ea lege apud alterum deponebatur, vt is dolum tantùm, & nonnullam in ipsa reddenda culpam præstare deberet. Pignus, contractus, quo res aliqua creditori, ea lege obligabatur, vt in illa ipsâ, cùm primùm ei satisfactum esset, reddenda dolum, & leuem culpam præstaret.

Verbis contrahebatur obligatio per stipulationem. Stipulatio erat interrogatio certis, solemni-

solemnibusque verbis concepta,& apta, (consentaneáque responsio,veluti spondes? spondeo: dabis? dabo. De stipulationibus autem quatuor quærebantur, quæ personæ obligari possent, quæ res in stipulationem deduci possent, quæ forma stipulandi esset, quod ius stipulationum existeret. Ad stipulationes autem pertinebant fideiussiones,quæ per stipulationem fiebant,& vt aliam obligationem confirmarent,institutæ erant. Fideiussor erat,qui fide aut periculo suo iubebat,vt id de quo agebatur,fieret,quoniam eius euentum præstaret.Fideiussionis formula erat. Centum à me Titio tua fide credita esse iubes? iubeo. Iubebat autem sua fide,qui auctor ac suasor erat,vt alteri quid crederetur.Fideiussio verò omni obligationum generi adhibebatur.

Literarum obligatio ea erat,quæ per scripturam fiebat,neque tamen omnis, sed præcipuè ad nomina,quæ in tabulis accepti & expensi fiebant,contrahebatur. Ita nominum obligatio sæpe appellabatur cùm alicui quid expensum ferebatur,id est,scribebatur in tabulis,aliquem alicui certam pecuniam expendisse. Obligatio ex consensu erat, quæ sine rei traditione, sine stipulatione,sine nominibus,nudo consensu,soláque conuentione contrahebatur,vnde & inter absentes,& inter surdos,ac mutos rectè fiebat. Erant autem quatuor,emptio,locatio,societas,& mandatum.

Emptio & venditio erat contractus bonæ fidei,inter quos iure ciuili licebat,nudo consensu factus de re certa,certo precio in perpetuum domini iure obtinenda:eáque in personis,rebus,forma contrahendi,& contractus iure consistebat.

Locatio contractus bonæ fidei,de re aliqua,certa mercede vel facienda,vel ad tempus vtenda,inter quos iure ciuili licebat factus, atque in totidem partibus, quot emptio erat positus. Quod si nulla merces constitueretur,sed tantùm,quantum inter eos conuenisset,neque locatio,neque conductio,sed actio præscriptis verbis dicebatur.

Societas erat contractus bonæ fidei de alicuius vel rei, vel negotiationis communione, sic institutus,vt eius & quæstus,& damnum ad vnumquemque communiter pertineret:cuius totidem,quot superiorum,erant partes.

Mandatum contractus bonæ fidei,de eo quod fieri sine mercede conueniret periculo mandatoris exequendo,inter quos iure ciuili licebat,factus, atque in hoc personæ, res, mandata, forma mandati,& ius contractus considerabantur.

His etiam contractibus adiungere licet fiduciam,quæ iuris ciuilis fuit. Erat autem fiducia species mancipationis,vt Boëtius ait,nempe quoties cui res aliqua mancipabatur,cum eo,vt eam mancipanti remanciparet:veluti,si quis dubium timens amico potentiori fundum mancipasset,vt sibi,cùm tempus,quod suspectum esset præteriisset,redderet. Hæc mancipatio fiduciaria nominata,quòd restituendi fides interponeretur.Liuius libro 32. Optimum ratus Corinthum Nabidi Lacedæmoniorum tyrãno velut fiduciariam dare,vt victori sibi restitueret si quid aduersi accidisset,ipse haberet.Itaque fiducia videtur fuisse contractus,quo fidem alicuius secuti,rem ei aliquam dicis causa mancipabant:ita dictus,quod nulla alia re,quàm fide,& probitate emptoris freti,eam venditionem celebrabant.In eius verò formula hæc verba fuêre solennia: Vt inter bonos viros,bene agi oportet:& vti ne propter te, fidémque tuam captus, fraudatúsve sim.

Obligatio ex quasi contractu erat, quæ neque ex contractu, neque ex delicto propriè nascebatur:sed quia rei priuatæ negocium gestum erat, ita appellabatur,vt si quis negocium absentis ignorantis sua sponte, ac sine mandato gessisset, quæ negociorum gestorum est appellata.

Contractus innominati erant quatuor,do vt des.Do vt facias,Facio vt des,Facio vt facias. Do vt des,cùm id negocium gestum erat,quod neque emptionis,neque alterius nominati contractus nomine,appellari poterat,sed conuentum erat,vt res pro re daretur,veluti in permutatione,& negotio æstimatorio. Do,vt facias,cùm id conueniebat fieri,quod locari non poterat:veluti,vt centum aureos Sempronio dem, vt seruum suum manumittat.

Facio, vt des,is cum superiore reciprocatur,veluti si conuenisset, vt seruum meum manumittam,& tu mihi centum soluas.

Facio,vt facias:cùm neque gratis, neque mercede pecuniaria constituta quid fieri cõueniebat,sed vt factum pro facto redderetur:veluti vt vicini bobus suis alternis diebus vterentur.

Obligationes autem quatuor modis dissoluebantur,solutione,acceptilatione,nouatione & delegatione.Solutione,cum vel ea res,quæ debebatur,vel,si modo creditor consentiret,altera præstaretur.Nam inuito creditori aliud pro alio solui non poterat.Acceptilatio erat in tabulas acceptæ pecuniæ relatio. Nouatio prioris debiti in aliam obligationem transfusio, atque translatio,quæ per stipulationem fiebat.Delegatio,alterius debitoris in suum locum substitutio.

Obligationes ex delicto, quæ ex delictis tantùm priuatis nascebantur, furto, rapina, damno iniuria dato, & iniuria. Furtum erat contrectatio fraudulenta, lucrifaciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisve, quod lege naturali prohibitum erat remittere. Idque duplex, manifestum & nec manifestum. Manifestum, cùm res in manibus furis, antequam destinatum in locum ferretur, deprehensa erat. Nec manifestum, cùm fur in faciendo quidem deprehensus non erat, sed eum furtum fecisse, negari non poterat. His additur furtum per lanceam, & licium conceptum, & oblatum, de quibus in fragmentis XII. Tabul. diximus. Rapina furtum erat illud quidem, sed impudenter, & vi factum. Itaque rapinæ & priuatum, & publicum constitui iudicium potuit, pœna proposita fuit tripli.

Damnum iniuria datum à furto, & rapina, fuit diuersum, quod illa lucrifaciendi causa tantùm, hoc damni inferendi causa factum est: illa non sine dolo, hoc per imprudentiam admissum. Iniuria enim est, nō cauere, quod caueri debuit, & potuit, vt is, qui eo loco iaculatur, vbi vel nulli, vel soli se milites exercere solent. Iniuria demum erat, quæ aut pulsatione, aut conuicio, aut turpitudine corpus, aures, aut vitam alicuius violauit, aut nostram, aut alterius in contumelam nostram: de quibus in XII. Tab.

Obligatio ex quasi delicto erat, cùm quis pœna aliqua mulctabatur, quasi deliquisset, cùm tamen reuera non deliquisset, sed tantùm in culpa esset: veluti, si cuius ex cœnaculo deiectum aliquid esset.

CAPVT VI.

De ius dicentibus, vel de personis, quæ ius dixerunt.

Civibus poscentibus ex legibus XII. Tabularum, quæ ius omne priuatum complexæ sunt, vel ex iis, quæ post XII. Tabulas de iure ciuili latæ sunt, quales fuerunt Furia, Voconia, Atinia, Atilia, Aquilia, & Falcidia, &c. vel ex annuis Prætorum edictis, ius reddiderunt Magistratus ij, qui hanc potestatem à populo acceperunt. Ac qui ius quidem suum persecuti sunt, ij lege agere: qui ius reddiderunt, ij ius dicere dicti sunt. Vnde illa potestas legis actio, hæc iurisdictio appellata. Vt autem lege agere, fuit aliquid ex iis, quæ legibus aut delictis instituta erant, in iure persequi: sic ius dicere, fuit reddere ea iura, quæ legibus aut edictis continerentur.

Ius autem hoc primùm dixêre Reges, deinde Consules, & qui cum potestate Consulari fuerunt: videlicet, Tribuni militares Consulari potestate, & Decemuiri legibus scribendis, postremò Prætores atque Ædiles Curules.

De iure dicto à Regibus, Dionysius libro 2. & 4. in Romulo & Tullio apertè scripsit, & Liu. lib. 1. subsignificauit in Prisco, cùm ipso vulnerato Tanaquilem Reginam sic fecit loquentem: interim Seruio Tullio iubere populum audientem esse, eum iura redditurum, obiturúmque alia Regis munera esse.

De Consulibus præter Dionysium Liuius libr. 2. idem docuit, de Appio scribens: Appius Consul de pecuniis creditis ius quàm asperrimè dicere. Et alibi: Quòd de credita pecunia ius non dixisset.

De Decemuiris Consularibus Dionysius lib. 10. & 11. cum Liuio lib. 3. Decimo die ius populo singuli reddebant. Item Appianus dixit, se eo die neque ius dicturum, neque decretum interpositurum. Pòst autem, vt scribit Pomponius I. C. ff. titul. 2. de orig. iur. cùm Consules auocarentur à bellis finitimis, neque esset, qui in ciuitate ius reddere posset, factum est, vt Prætor quoque crearetur, qui ius in Vrbe diceret. Creatus deinde & alius Prætor, qui, quòd ius inter peregrinos diceret, Peregrinus Prætor appellatus est.

Ædilium iurisdictionis adhuc memoria obscurior est: hi tamen de paucis rebus ius dixerunt. In primis autem de venditione mancipiorum, de mensuris & foro venalium. Neque etiam solus Prætor sua iudicia exercuit, sed socios laboris huius Decemuiros litibus iudicandis habuit, de quibus omnibus in eo libro, qui de Magistratibus Romanorum est, plurima scitu dignissima tradita sunt, quò studiosum Lectorem remitto.

CAPVT VII.

De loco vbi iudicia exercebantur, de Foris ac Basilicis.

Locus

LOCVS in quo ius dictum est, fuit duplex: aut superior, aut planus. Superior fuit tribunal in Comitio, atque in Tribunali Sella Curulis. Planus, quicunque locus præter tribunal posita Sella Curuli, isque locus tum dicebatur Ius. Sic enim Vlpianus: Ius, inquit, non is solum locus est, vbi iurisdicundi, iudicandíve gratia Magistratus populi Romani consistit, sed etiam, si domi, vel in itinere hoc agat. Et Paulus I.C. Ius est locus, vbicunque Prætor salua maiestate imperij sui, saluóque more maiorum, ius dicere constituit. Comitium pars fuit Fori Romani, in quo Rostra erant. Vnde qui è Rostris agebant, in Forum, & in Comitium versus agere poterant. Centumuiralia autem iudicia in Basilicis exercebantur. Cùm verò de comitio supra quædam in medium attulerimus, hic de Foro, quid & quot numero Romæ fuerint, quisque eorum ornatus fuerit, tum etiam de Basilicis, Tribunali, & Subselliis, pauca quædam dicemus, quæ quidem legentibus non puto ingrata & iucunda esse futura.

Forum à ferendo dictum esse, quòd eò controuersias suas, & quæ vendere vellent, conferrent, Varro docet. Alij à foras deriuant, quod scilicet foras, id est, sub dio sit. Isidorus forum à fando, vel Phoronæo Rege Archiuorum nomen accepisse vult: quod tamen doctis non probatur, vti apud Alciatum, & Franciscum Polletum videre est. Quòd ad significationes vocabuli attinet, ita scribit Festus: Forum sex modis intelligitur. Primo, negotiationis locus, vt Forum Flaminium, Forum Iulium, ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda curarunt, quod etiam locis priuatis, & in viis, & in agris fieri solet. Alio, in quo iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi solent. Tertio, cum is qui prouinciæ præest, Forũ agere dicitur, cùm ciuitates vocat, & de controuersiis eorum cognoscit. Quarto, cùm id Forum antiqui appellabant, quod nunc vestibulum sepulcri dici solet. Quinto, locus in naui, sed tum masculini generis est, & plurale. Sexto, Fori significant Circensia spectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus. Hæc ille. Nos, omissis reliquis, de iis tantùm Foris, quò res conferrentur, dicemus: quorum quidem duo apud Romanos fuerunt genera: alia enim ad Vrbis splendorem facta erant, in quibus hominum conuentus fiebant, vel negotiorum ciuilium, vel delectationis causa: alia ad communes populi vsus parata negotiantibus patebant. Quæ verò fora negotiis ciuilibus tractandis fuerunt comparata, hæc sunt, Romanum, Cæsaris, & Augusti. Romanum forum, quod & antiquissimum fuit, & propterea vetus appellatum, incipiebat à Capitolij radicibus, vbi nunc Septimij arcus est: & secundùm longitudinem ad S. Mariam nouam, vbi Titi arcus protendebatur, secundùm latitudinem à Palatini radicibus, ad viam sacram, & Saturni ædem. Variis nominibus appellatum hoc forum fuit. Nonnunquam enim simpliciter forum dictum est, frequentiùs Romanum, à dignitate scilicet Vrbis, quòd præ cæteris esset ornatissimum, propter ædificia, & frequentissimum, propter iudicia. Latinum etiam, siue Latium, item Palladium ab æde Palladis, quæ in eo fuit, est appellatum. Hoc forum eleganter describit Plautinus Miles, vbi indicat, quæ præcipua in eo loca, & quæ in singulis hominum studia fuerint. *Plautus in Milite*

Qui periturum (inquit) *conuenire vult hominem, initio in Comitium.*
Qui mendacem & gloriosum, apud Cluacinæ sacrum.
Dictis damnósos maritos sub Basilica quærito,
Ibidem erunt scorta exoleta, quique stipulari solent.
Symbolorum Collatores apud forum Piscarium.
In foro infimo boni homines atque dites ambulant.
In medio propter canalem ibi ostentatores meri.
Confidentes, garrulique, & maleuoli supra lacum.
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipsi sat habent, quod ipsis posit verè dicier.
Sub veteris ibi sunt, qui dant, quique accipiunt fœnore.
Pone ædem Castoris ibi sunt subitò quibus credas malè,
In Tusco vico ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.
In velabro, vel Pistorem, vel lanium, vel Haruspicem,
Vel qui ipsi vertant, vel qui aliis subuersentur, præbeant.

Hæc ille. Circa forum vndequaque fuerunt tabernæ, per pilas distinctæ, quæ aut nomen habuerunt ab opificibus, aut à positu, atque numero. Plurima autem ædificia, quibus insigne hoc forum fuit, cognosci ex Onuphrij Panuinij de Vrbis regionibus libello, & ex Bernardi Gamucci Antiquitatibus Romanis, Italica lingua scriptis, possunt. Et hoc quidem foro diu contentus populus Romanus fuit, donec C. Iul. Cæsar aliud constituit, cuius solum quanti constiterit, Suetonius in Cæsare his verbis significat: Nullum largitionis, aut Officiorum genus publicè, priuatímque omisit, forum de manubiis inchoauit, cuius area sup. à sestertium mil-

lies constitit: quæ summa secundum Budæi calculum, vicies quinquies centena millia coronatorum efficit. A Suetonio non dissentit Plin. lib. 36. cap. 15. si ita, quemadmodum Glareanus vult, legatur: sic enim inquit: Pyramydes Regum miramur opera, cùm solùm tantùm foro extruendo millies ducenties sestertium emerit Cæsar Dictator, &c. In hoc foro Cæsar ipse statuam loricatam sibi poni passus est, & Basilicam Iuliam ædificauit. Habuitque & hoc forum in circuitu tabernas, quemadmodum Romanum. Post aliquot annos restituit id Domitianus, & nominauit Palladium, id quod Martialis testatur.

Tertium forum adiecit Octauius Augustus, propter hominum, iudiciorumque multitudinem, quæ videbatur non sufficientibus duobus etiam tertio indigere. Itaque festinantiùs, necdum perfecta Martis æde (quam vouerat bello Philippensi, pro vltione paterna suscepto) publicatum est, vt separatim in eo publica iudicia, & sortitiones iudicum fierent. Spacio modicum fuit, ne aut alienas domos violenter inuaderet, aut publica ædificia ignominiosè euerteret. Templo Martis Vltoris, & Colosso Augusti conspicuum fuit. In hoc foro Augustus, cum Tiberis circum inundasset, decursus & venationes fieri mandauit. In hoc foro Martis ædes erat, in qua conuiuia agitabantur à Martis Sacerdotibus, vt Suetonius in Claudio auctor est. Atque hæc sunt tria illa fora, quæ intelligit Martialis lepidissimus Poëta, cùm aliis, tum his versibus:

Causas, inquit, agam Cicerone disertiùs ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Vide hic Alexandrum ab Alexandro Neapolitanum Genialium dierum lib. 2. c. 12.

Quarti fori fundamenta iecit Domitianus Imp. verùm cùm is morte præuentus exædificare non posset, Neruæ id vindicatur, à quo exædificatum, exornatumque est. Suetonius in Domitiano. Hoc forum transitorium fuisse appellatum, Lampridius in Seuero docet, his verbis: Statuas colossos, vel pedestres nudas, vel equestres, Diuis Imperatoribus in foro Diui Neruæ, quod transitorium dicitur, locauit, omnibus cum titulis, & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent. Vocatum hoc fuit Transitorium, quòd inde in tria fora transitus pateret. Et pertinuit ad montem vsque Quirinalem, parte eius aliqua complanata. Barthol. Marlianus scribit lib. 3. c. 14. In medio huius fori columnam æneam ingenti magnitudine, tecta ex laminis aurichalci, intrinsecus lumine ambiguo stetisse. Forum variis statuis & columnis, quæ Neruæ gestorum ordinem continebant, exornatum fuisse.

Tandem quintum & celeberrimum Imp. Traianus adiecit ex manubiis distractorum spoliorum refectis, in quo columna 140. cubitorum altitudine fuit, in qua exactissime res ab ipso Principe gestæ incisæ erant. Agellius lib. 13. cap. 23. Hoc forum Traiani dictum est, & forum Vlpium. Capitolinus in Marco Philosopho: Multi, inquit, nobiles bello Germanico, siue Marcomanico, imò plurimarum gentium interierunt, quibus omnibus statuas in foro Vlpio collocauit. De hoc foro ita Barthol. Marlianus lib. 3. c. 13. Traiani forum inter Neruæ forum, Capitolium, & collem Quirinalem ab Apollodoro mira industria extructum fuit. Idem architectus Traiani iussu Methodæum, & Gymnasium ædificauit. Fori tectum æneum, intus vndique circùm simulacra equorum, & signorum militarium aurata tegebat. Simulacra autem hæc publico sumptu in eorum, qui bene de Republica meriti essent, aut alioqui ob facinus insigne, memoriam ponebantur. Arcus item triumphalis, & alia multa in Traiani laudem extructa forum eius exornabant. Fori porticus amplissimis, excelsisque columnis, & magnis epistyliis imposita, tantam præbebat intuentibus admirationem, vt gigantum potiùs, quam hominum opera crederentur. In hanc summorum virorum statuas pulcherrimas Alexander Seuerus in Traiani honorem transtulit. Equus item Traiani in medio altis columnis impositus stabat. In medio foro columna Traiani Cochlidis structura stabat. Hæc circumquaque rerum gestarum à Traiano summam mira arte cœlatam habebat, in primis verò Dacicum bellum. Intus 185. gradibus ad summum fastigium, 40. fenestellis lucem admittentibus, præbet ascensum. Alta pedũ 120. vel, vt Eutropius scribit, 140. In summo Traiani ossa in pila aurea condita seruabantur. Hanc columnam Traianus ipse non vidit. Nam dum hic contra Parthos bellum gereret, Senatus hanc illi absenti dedicauit. Qui dum à Persis redit, in itinere apud Seleuciam Syriæ vrbem, fluxu sanguinis è vita discessit. Cadauer verò Romam perlatum. Solus hic, teste Eutropio, inter Imperatores in Vrbe sepultus fuit. Hactenus Marlianus. De hoc foro & columna Traiani etiam Georg. Fabricius Chemnicensis in sua Roma, capit. 7. multa notatu digna habet: Columna ipsa, inquit, Pario marmore incrustata, qua res gestæ Traiani, & præcipuè bellum Dacicum est expressum. Cernere in ea est formas munitionum, propugnaculorum, pontium, nauium: item varia militum opera, lignantium, ædificantium, castra metantium, fossas agentium, equos adaquantum, trophæa ferentium, in triumpho euntium: item, formas thoracum, galearum, clypeorum, scutorum, zonarum, lituorum, pugionum, pilorum, gladiorum, pharetrarum,

retrarum, aliorúmque armorum. Ab ea parte, in qua inscriptio est, Victoriæ sunt alatæ cum duabus aquilis. In hoc foro poetæ Ausonij statua fuit, de qua Sidonius Apollinaris.

Plauseres cui fulgidam Quirites,
Et charus popularitate princeps,
Traiano statuam foro locarunt.

Idem Ausonius de seipso canit:

Quod legimur medio, conspicimúrque foro.

In eodem foro M. Antoninus proponi edictum mandauit, in quo Christianos pœnarum crudelitate exemit, eósque vocari in ius propter religionem prohibuit: delatorem verò ipsorum cremari viuum præcepit.

Sallustij forum in monte Quirinali fuit, quo in loco nunc ædes S. Susannæ. Hoc forum Sallustius post Africanam Præturam emit, vnà cum hortis, qui & nunc Sallustiani appellantur.

Alterius generis fora hæc erant, boarium, olitorium, pistorium, suarium, cupedinarium, piscarium, rusticorum, siue suburanum, & agonium, in quibus ea, quæ ad victum erant necessaria, vendebantur. De iis cùm ad institutum nostrum nihil faciant, hic dicere supersedebo. Præter hæc autem fori Aurelij facit mentionem Cicero, Archimonij Victor, Esquilini Appianus, Ceditij Festus, Argentarij Victruuius, Iugarii recentiores. Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 2. cap. 12. tredecim recenset fora. P. Victor libello de Vrbis regionibus septemdecim numerat, in reliquis libelli Sexti Ruffi de Vrbis regionibus decem fororum fit mentio. Onuphrius Panuinius in sua regionum Vrbis descriptione nouemdecim enumerat. Venio nunc ad alterum iudicij exercendi locum, Basilicas scilicet.

Erant Basilicæ amplissima & ornatissima ædificia, in quibus, non Senatores modò deliberare, verùm etiam Iudices omnis generis causas cognoscere, & clientibus homines periti de iure respondere solebant, quando hi vacabant, mercatores ibidem, & numularij sua tractabant negotia: hic Basilicæ argentariorum est in octaua regione mentio apud P. Victor.

Cinctæ erant Basilicæ porticibus concameratis ex coaxatis contignationibus immissis in parastatas columnis aut pilis adiunctis, supra quam contignationem altera est, & superior porticus, cuius rectum testudinatum, aliis postibus parastatis, & arctariis sustinebatur. Medium spacium, & quasi superior porticus pluteus vocabatur, qui in vtrumque latus per intercolumnia peristyliorum liberum habebat prospectum. Parastatæ verò dupli erant ad latitudinem porticus, sicut & columnæ perpetuo scaporum ductu ad Basilicæ latitudinem. Nam sic ferè describit lib. 8. eam Fori Basilicam, cuius architectus fuerat Victruuius, qui etiam hoc memoriæ prodit, Basilicas ita ædificari solitas, vt in vna parte iudicia, in altera negotia exerceri possent. P. Victor in libello de vrbis Romæ regionibus XIX. Basilicas recenset. Onuphrius Panuinius XXI. In his ergo centum virorum, quatuor tribunalia erant, quorum Plinius Orator in Epistolis sæpe meminit.

CAPVT VIII.

De Tribunali & subselliis.

PERTINENT & tribunal, & subsellia ad iudiciorum locum, de quibus antequam ad iudiciorum tractationem redeamus, pauca quædam subiiciemus.

Tribunal erat suggestus editior, vnde conspici Magistratus ab omnibus poterat, in quo sella curulis, iurisdictionis insigne, locata erat, vbi sedens Prætor cognoscebat. Victruuius lib. 5. tribunal speciè amplissimum in æde Augusti his verbis describit: Tribunal, inquit, est in ea æde hemicyclio schematis minoris curuatura formatum: eius autem hemicyclii in fronte est interuallum pedes quadraginta sex, introrsum curuatura pedes quindecim, vti qui apud Magistratus starent, negotiantes in Basilica non impedirent: quod ipsa assignatione angustissimum videtur, & in arcus formam, quæ semicirculo minor est, cùm ad diametrum non pertingat, redactum. Hæc ille. Subsellia autem sedilia erant, in quibus ij Iudices, qui Magistratum Curulem non gerebant, considebant, & causas cognoscebant: quales fuerunt Tribuni plebis, Quæstores, Triumuiri, Ædiles plebis, & qui cum Curulibus Magistratibus iudicabant, Centumuiri. Quinetiam ij, qui causas agebant, siue defenderent, siue accusarent, in subselliis considebant: qua de re vide Aldum Manutium libr. 2. de Quæsitis per epistolam, epistola 4. Atque de loco iudiciorum exercendorum hactenus. Reuertamur ad iudicia.

Caput IX.

De tempore iudiciorum exercendorum.

Non omnibus diebus licuit iudicia exercere:sed in iis diligens obseruata fuit ratio, sicut in Kalendarij Romani explicatione ostensum est, quæ tamen hoc loco paucis sunt repetenda.

Dierum alij Fasti,alij Nefasti,alij Intercisi vocati:Fasti fuerunt,quibus ius fari, id est,dici poterat. Varro lib.5. de lingua Latina, dies fasti per quos Prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari. Contrarii horum vocantur dies nefasti, per quos dies nefas fari Prætorem,Do,Dico,Addico,Ouid.lib.1.Fastor.

Ille nefastus erit,per quem tria verba silentur,
Fastus erit,per quem lege licebat agi.

Suetonius in Octauio de Prætoribus,teste Prisciano:Fasti dies sunt,in quibus ius fatur,id est,dicitur:& nefasti,in quibus non dicitur,Macrobius lib.1. Saturnal.cap.16. Fasti dies sunt, quibus licet fari Prætori tria verba solemnia,Do,Dicò,Addico: hísque contrarij sunt nefasti. Intercisis diebus quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est ius dicere. Et fastis quidem diebus lege agi potest, cum populo non potest, Comitialibus vtrumque potest. Hi verò qui, quoto quoque mense fuerint, ex libro prioris Commentarii 4. de annorum & dierum apud Romanos ratione,& ex Kalendario Romano illi libro inserto liquet.

Caput X.

De legis actionibus,siue de exercenda Iurisdictione,de Vindicatione,& in Iure Cessione, Emancipatione, Adoptione, Manumissione, Postulatione, ac datione tutoris,postulatione,ac datione possessionis bonorum,atque Postulatione interdicti, eiúsque interpositione.

Magistratibus ius dicentibus,loco etiam & tempore cognitis,iam quemadmodum illud dixerint,declarandum est.Prætores igitur ius dixerunt,aut ex superiore loco,aut ex æquo:id est,aut de tribunali,aut de plano.Quoniam autem sella posita sedentes id faciebant, eos dies Sessionum vocarunt: quorum duo fuére genera: Nam alii postulationibus,alii cognitionibus dicati fuerunt. Cognitionum autem dies alii legis actionibus exercendis erant constituti. Vnde Vlpian. ff. de bonorum possessione: Si causâ cognita bonorum possessio detur, non alibi dabitur, quàm pro tribunali,quia neq; decretum de plano interponi,neq; causâ cognita bonorū possessio alibi,quā pro tribunali dari potest.Vt autem legis actiones erant multæ,sic iurisdictio quoq; multiplex erat. Lege quidem agere, vt antè diximus, nihil aliud erat, quàm aliquid eorum, quæ lege continentur,apud Prætorem, vel apud eum,qui talem iurisdictionem haberet,in iure obire: nempe,vindicare,atque in iure cedere,filium suum emancipare,alienum adoptare,seruum manumittere,tutorem,bonorum possessionem,interdictum,& actionem postulare. Ius verò dicere erat,aliquid horum aut dicere,aut addicere,aut dare.Quæ Prætor,cùm faciebat,decreuisse,aut decretum interposuisse dicebatur.Diebus igitur Fastis,Prætores summo mane in comitium,siue Forum veniebant, atque in tribunali sella posita assidebant, & Accenso, vt tertiam horam populo circumstanti inclamaret imperabant. Tertia inclamata, tum per Accensum eundem populum rogabāt,num quis esset,qui apud se lege agere vellet,id est,qui ius posceret.

Hoc præcepto audito accedebant,qui lege agere volebant:veluti,si dies postulationum esset, qui aliquid eorum postulabant, quæ legis actionibus continebantur, ex legibus,aut edictis eorum:nempe,aliquid eorum,quæ suprà diximus.

Cæterùm hi neque pro arbitrio,neque temerè agere potuerunt, sed prout in singulis legis actionibus scriptum erat.

Legis autem actiones formulæ fuerunt agendi,quas primùm Pontifices intulerunt, deinde C.Flauius App.Claudij Scriba ab Appio compositas diuulgauit, de quibus Pomponius de Origine iuris multa.Legis igitur actiones dictæ sunt,quòd earum rerum,de quibus lex duodecim Tabularum scripta erat,priuatim agendarum formularum præscribebant. Atque hæ actiones ita solemnes fuerunt,vt qui agere vellent,& impetrationis rationem habere, & formularum deberent.

Impe-

Impetrationis ea vis fuit, vt nemini liceret iudicio experiri, nisi priùs ab eo, cuius erat iurisdictio, agendi formulam impetrasset. Formularum verò, vt formulæ quædam adhiberentur verborum, quarum ductu in iudiciis experirentur, vt qui vno verbo errasset, is tota causa cecidisse videretur. Porrò formulæ illæ in singulis actionibus fuerunt ferè peculiares.

In vindicatione, & in iure cessio hæc: Si quis seruum, aut aliam rem corpoream sibi vindicare volebat, is apud Prætorem ita agebat. Vindicator tenens seruum in iure, ita dicebat: Hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio. Prætor autem interrogabat eum, vnde petebatur, an contra vindicaret: id est, an contra seruum illum suum esse assereret: eo verò tacente, aut cedente, Prætor seruum addicebat vindicanti: qui verò vindicauerat, lege egisse: qui cesserat, in iure cessisse: atque ea in iure Cessio dicebatur: Prætoris verò Addictio, teste Boëtio.

In mancipatione & emancipatione hæc erat formula: Adhibitis non minùs quinque testibus ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiusdem conditionis, qui libram æneam teneret, qui appellabatur Libripens, is, qui mancipium accipiebat, æs tenens, ita dicebat: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, ísque mihi emptus est hoc ære, ænea libra: deinde ære percutiebat libram, ídque æs dabat ei, à quo mancipium accipiebat, quasi precij loco. Qui ergo naturalis pater filium emancipare volebat, is secúdùm postulationem, die cognitionis filium suum fiduciario patri emancipabat, hac verborum formula vtens, quæ vindicationem simul, ac mancipationem complectebatur: Hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio: quoniam emptus est mihi hoc ære, æneáq; libra. Naturalis verò pater respondebat: Hunc filium meum tibi mancipo, & accepto precio in iure cedebat, quo facto Prætor addicebat. Quoniam verò ex lege filius à patre venundatus vsque ad tertiam mancipationem, in potestatem patris redibat, propterea secunda inde mancipatio, & in iure cessio adhibebatur. Cúmque iterum filius in potestaté patris redisset, tum tertia adhibebatur, hoc modo: Ego vere hunc filium meum tibi mancipo, ea conditione, vt mihi remancipes, vt inter bonos bene agi oportet, ne propter te, tuámque fidem frauder, ac tertium accepto precio, cedebat, & Prætor tertium addicebat. Qua re perfecta tũ demùm filius è potestate patris egressus putabatur. Vnde fiduciarius pater, qui dominus eius erat factus, eundem naturali patri sine fraude remancipabat: naturalis verò filium, quem quasi seruum coëmerat, manumittebat, atque ita liber ille, id est, sui iuris factus erat, vt Caius scripsit.

In adoptione hæc erat: Is qui adoptabat, apud Prætorem eum, quem adoptabat, tenens, ita dicebat, Hunc hominem filium meum esse aio, ísque mihi emptus est hoc ære. Naturalis autem pater vsque ad tertiam mancipationem in iure cedebat. Prætor verò addicebat. Notauit Appian. etiam testibus præsentibus adoptiones apud Prætorem fieri solitas.

Formula manumissionis fuit ea: Vbi die postulationis manumissio postulata erat, tum die cognitionis post causam cognitã fiebat hoc modo. Qui manumittere seruum apud Prætorem volebat, eius, quem manumittere volebat, caput, aut aliud membrum tenens ad Prætorem ita dicebat, Hunc hominem liberum esse volo, & emittebat eum è manu. Prætor autẽ vindicta, id est, virga, eiusdẽ serui capiti imposita ita dicebat, Dico eum liberum esse more Quiritium. Inde conuersus ad lictorem, addebat, Secundum tuam causam, sicuti dixi, ecce tibi vindicta. Tum lictor accepta à Prætore vindicta, caput serui percutiebat, faciem palma, tergúmque verberabat. Quibus peractis nomen manumissi in acta à Scriba referebatur, adiecta causa manumissionis. Addit Caius, ff. de manumiss. vindicta non esse omninò necesse pro tribunali manumittere. Itaque pleróſque in transitu seruos manumitti solere, cùm aut lauandi, aut gestandi, aut ludorum causa prodiret Prætor. Atque hæ actiones iuris per verbum Dico, exprimebantur à Prætore.

Sed & tutoris postulatio ad legis actionem, datio ad iurisdictionem pertinuit, auctore Vlpiano, cùm inquit, Ius dicentis officium latissimum est. Nam & pupillis non habentibus tutores, constituere potest, quod intelligendum est, si neque testamentarius, neque legitimus tutor adesset, tum datum à Prætore fuisse. Hoc cum faciebat Prætor tertiam partem iurisdictionis explebat, quam verbum Do continebat. Atque hoc idem de Consulibus & Tribunis plebis dicimus, quorum idem ius fuisse accepimus.

Ad hæc verò qui voluerunt, à Prætore quoque bonorum possessionẽ postularunt. Prætórque pro arbitrio dedit. Vnde scribit idem Vlpianus eodem in loco, Ius dicentem bonorum possessionẽ dare potuisse. Item, Mistum imperium est, cui etiam iurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. Cæterùm bonorũ possessio fuit ius persequendi, retinendíque patrimonij, siue rei, quæ cuius cum mortuus est, fuit, quod Prætor aut emendandi, aut impugnandi, aut confirmandi iuris ciuilis gratia dedit. Vt enim lex duodecim Tabularum ex testamento, vel ab intestato ad hæreditatem vocauit, sic Prætor bonorũ possessiones inue-

nit, per quas ius ciuile correxit, non solum in iis, qui intestati mortui essent, sed etiam qui testamentum fecissent. Nam si quis moriens alienum posthumum hæredem scripsisset, his si natus fuisset, à iure ciuili reiiciebatur: at à Prætore bonorum possessione secundùm tabulas decorabatur. Si libertus patronum præteriisset, lex nullum dabat patrono aditum ad bona liberti: at Prætor dabat bonorum possessionem contra tabulas. Item si quis ex testamento hæres institutus esset, non solùm à iure ciuili habebat hæreditatem, sed etiam à Prætore bonorum possessionem secundùm tabulas.

Neque verò solùm has duas bonorum possessiones Prætor dedit ex testamento, sed etiam octo alias ab intestato, partim ius ciuile confirmans, partim emendans, partim reprehendens. Sunt autem hæ primò suis hæredibus, id est, liberis, tum emancipatis, tum suis ab intestato: secundo legitimis hæredibus, nempe agnatis ab intestato ex lege XII. Tabularum: tertiò decem personis, quæ manumissori extraneo præferrentur: nimirum filio, fratri, sorori, nepoti, nepti, patri, matri, auo, auiæ: quarto cognatis proximis: quinto iis qui ex familia, nempe liberti liberis tam naturalibus, quàm adoptiuis, itemque vxori, quæ ipsius in manum conuenerat: sextò liberto, patrono, patroni liberis parentibúsque eorum: septimò viro, intestata vxore: & vicissim vxori, viro intestato, quoties deficiebat omnis parentum, liberorumve, seu propinquorum legitima, vel naturalis successio: octauò patroni cognatis, intestato liberto. Atque hæc quidem Prætor omninò fecit, prout se facturum in edicto proposuit. Hinc Valerius lib. 7. Piso Prætor Vrbanus Terentio patri exhæredato bonorum defuncti filij possessionem dedit, hæredésque lege agere passus non est. Tandem vt postulatio Interdicti ad legis actionem pertinuit, sic interpositio interdicti ad iurisdictionem.

Interdicta vero, vt inquit Iustinianus, fuerunt formulæ, atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut iubebat aliquid fieri, aut prohibebat: quod tunc maxime faciebat, cùm de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur. Erat autem possessio rei corpore præditę, vt domus: quasi possessio, rei corpore vacantis, vt vsusfructus. Ex quibus verbis apparet, interdicta fuisse decreta Prætorum de iis rebus, quas Iudicum cognitioni committendas non putârunt, sed sibi ipsis pro imperio reseruarunt. Cùm enim dictum sit, res alias sacras, & religiosas, alias publicas, alias priuatas fuisse, reliquas actiones, quæ de his incidere poterant, cognoscendas Iudicibus tradiderunt. Quæ verò de vi, vel facta, vel quæ fieri in his posset, incidissent, quatenus ad possessionem ferme pertinerent, ipsi decernerent. Decretum verò illud vocatum est præcipuo nomine Interdictum. Itaque decreta, quæ de aliis rebus interposita sunt, arbitrio eorum permissa, hæc verò, quæ Interdicta vocata sunt, propriis formulis concepta, & vt concepta erât, in Edictum relata, & deinde ex Edicto, prout res poposcit, pro tribunali pronunciata. Itaque Interdictum fuit Actionis, siue Iudicij quasi principium. Nam vt scribit Caius ff. de vendicat. is, qui destinauit rem petere, animaduertere debuit, an aliquo interdicto posset nancisci possessionem, quia longè commodius est, ipsum possidere, & aduersarium ad onus petitoris compellere, quàm alio possidente petere. Ita inter cæteras legis actiones rectè reponitur etiam Interdicere, quod est, non tam interdictum interponere, quod est Prætoris, quàm Interdictum postulare, siue interdicto contendere, quod est litigatoris. Interdictum autem dabat Prætor, cùm mittebat in possessionem. Mittere autem in possessionem fuisse à danda bonorum possessione diuersum, & tamen partem iurisdictionis fuisse, declarat Vlpianus, cùm inquit, ius dicentem & bonorum possessionem dedisse, & in possessionem misisse.

Cæterùm interdicta, quæ ad sacras & publicas res pertinuerunt, aut fieri aliquid prohibuerunt, aut restitui, aut exhiberi iusserunt, quæ ad priuatas, aut de adipiscenda, aut de retinenda, aut de recuperanda fuerunt. De locis sacris & religiosis ita interdictum est. Quò, quáve illi mortuum inferre inuito te ius est, quò minus illi eo, eáve mortuum inferre, & ibi sepelire liceat, vim fieri veto. Item Quo illi ius est, te inuito mortuum inferre, quò minùs illi in eo loco sepulcrum sine dolo malo ædificare liceat, vim fieri veto.

De liberis personis ita: Quem liberum dolo malo retines, exhibeas iubeo: Qui, quæ ve in potestate tua est, si is, eáve apud te est, dolóve malo tuo factum est, quò minùs apud te esset, ita eum eámve exhiberi iubeo: Si Stichus in potestate tua est, quò minùs Mæuius eum ducere liceat, vim fieri veto.

De locis publicis: Ne quid in loco publico facias, ínve eum locum immittas, qua ex re quid illis damni detur, præterquam quod lege, Senatusconsulto, edicto, decretóve tibi concessum est, de eo, quod factum erit, interdictum non dabo: quò minùs illi viam publicam, itérve publicum aperire, reficere liceat, dum ne ea via, idve iter deterius fiat, vim fieri veto: Ne quid in flumine publico, ripáve eius facias, ne quid in flumine publico, ripave eius immittas, quo statio, itérve nauigio deterior sit, fiat.

Inter-

Interdictum de adipiscenda possessione dabatur ei, cui bonorum possessio à Prætore decreta erat in hunc modum: Quod bonorum ex edicto meo illi possessio data est, quod de his bonis pro hærede, aut pro possessore possides, possideréve, si nisi vsucaptum esset, quandoquidem dolo malo fecisti vt defineres possidere, id illi restituas. Cæterùm pro hærede possidebat, pro possessore, qui nullo iure rem hæreditariam, vel totam hæreditatem sciens ad se non pertinere, possideret. Erat autem vtile hoc interdictum ei, qui tum primum conaretur adipisci rei possessionem. Itaque si adeptus amisisset, hoc nihil iuuabatur.

Retinendæ possessionis interdicta fuêre duo, quæ tum vsurpabantur, cùm inter eos, qui de proprietate litigare volebant, non conueniebat, vter possideret: vnum ad res immobiles pertinuit, alterum ad mobiles. Primum fuit, Vti eæ ædes, quibus de agitur, nec vi, nec clam, nec precariò alter ab altero possideatis, quò minùs ita possideatis, vim fieri veto. Hoc vincebat, qui interdicti tempore possidebat, si modò nec vi, nec clàm, nec precariò nactus erat ab aduersario possessionem. Secundum, Vtrubi hic homo, quo de agitur, maiore parte huius anni fuit, quò minùs eum ducas, vim fieri veto. Hoc vincebat, qui maiore parte anni sine vitio possederat.

Interdictum recuperandæ possessionis reddebatur eis, qui vi deiecti essent de possessione fundi, vel ædium. Neque enim deiectio est de rebus mobilibus, cùm in eas actio sit vel furti, vel vi bonorum raptorum. Vis autem duplex fuit, vera & simulata. Vera item duplex, armata, & sine armis. Interdictum de vi armata fuit, Vnde tu illum vi deiecisti, eò illum restituas iubeo. Sine armis, Vnde tu illum vi deiecisti, cùm abs te, nec vi, nec clàm, nec precariò possideret, eo illum restituas iubeo. Simulata veram est imitata, eadem ciuilis & quotidiana est dicta, vt post dicemus.

Iam verò Interdictorum alia simplicia fuerunt, alia duplicia. Simplicia, in quibus alter actor, alter reus est, qualia fuerunt omnia restitutoria, aut exhibitoria. Nam actor is est, qui desiderat aut exhiberi, aut restitui: reus autem is, à quo desideratur, vt restituat, aut exhibeat. Prohibitoria, alia simplicia, veluti cùm Prætor prohibebat in loco sacro, vel in flumine publico, ripáve eius aliquid fieri. Nam actor est qui desiderat, ne quid fiat: reus qui aliquid facere conatur. Duplicia, veluti Vti possidetis, & Vtrubi. Ideo verò duplicia vocabantur, quia par vtriusque litigatoris in his conditio est, nec quisquam præcipuè reus vel actor intelligitur, sed vterque tam rei, quam actoris partes sustinet. Vsus autem interdictorum antiquus, cum ordinaria iudicia essent, fuit, vt primùm de possessione ageretur, & ad interdictum confugeretur, deinde dominij actio institueretur. Hæc fermè Iustinianus in Institutionibus.

Capvt XI.

De actionibus, & earum multiplici differentia.

Ex omnibus legis actionis partibus, extrema fuit actio, siue iudicium, quæ vt ab actore postulabantur, sic à Prætore dabantur. Verùm quemadmodum actionis dationem præcedit postulatio, sic postulationem editio, editionem in ius vocatio. De quibus singulis dicam, si prius quid sit actio, & quotuplex dixero. Actionem definiuit Iustinianus, ius persequendi in iudicio quod sibi debetur apud Iudices. Egregiè illud quidem, ita tamen, si intelligatur non ius solùm persequendi, sed etiam ipsa persecutio. Harum verò actionum Iustinianus lib. 4. Institutio. à quo hæc sumpsimus, septem veterum attulit diuisiones, quibus incognitis, antiqua iudiciorum consuetudo cognosci non potest.

Prima diuisio hæc est: Actionum aliæ in rem intentæ sunt, aliæ in personam, aliæ in vtrumque. In rem, cùm egerunt cum eis, qui nullo sibi iure obligati erant, sed eis de aliqua re intulêre litem. Vt in re corpus habente: Si Titius seruum, fundumve aliquem suum esse confirmasset, Marcus autem possessor dominum se esse dixisset. Quod idem de rebus corpore carentibus intelligendum est, vt vsufructu. & seruitute prædiorum.

In personam, cùm egerunt cùm eis, qui sibi obligati erant, vel ex contractu, vel ex maleficio, atque intenderunt, eos dare, facere sibi oportere. Vt si Titius empta aut locata domo dixisset, Marcum sibi dare, facere oportere, quidquid empti, locatíve nomine dare, facere oporteret, aut alios contractus, & maleficia nominasset. In personam autem est dicta, quia non certam rem repetiuerunt: neque enim dixerunt rem illam, aut illam sibi dare oportere, sed quidquid contractus alicuius nomine eum dare, facere oporteret, parum, vndénam ille

satisfaceret, laborantes. Quorum verborum, dare quidem ad dominij translationem contulerunt, facere verò ad simplex factum, vt nauis ædificationem, ac traditionem, & vtrumque quidem ad contractus: Dare verò tantùm ad maleficia accommodarunt.

In vtrumque autem intentæ sunt, quibus & rem certam petierunt, & præstationes personales ab aduerlario postularunt. Eæ verò fuerunt tres: Familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum.

Familiæ erciscundæ fuit, quæ inter cohæredes hæreditatis diuidendæ causa dabatur. Neque enim solùm postulabatur, vt hæreditas diuideretur, sed etiam, vt quod eo nomine alterum alteri dare, facere oporteret, præstaretur.

Communi diuidundo fuit, quæ inter eos reddebatur, qui rem, quam ex alia, atque hæreditatis causa communem haberent, diuidi, simúlque, quod alterum alteri præstare oporteret, dari fieri postulabant.

Finium regundorum fuit, quæ inter confines dabatur, & vt fines agrorum vicinorum dirigerentur, & si quid alter ex alterius agro percepisset, restitueretur. Ex his actionibus primæ vindicationes, secundæ condictiones, tertiæ mistæ sunt appellatæ.

Vindicatio dicta videtur à vi simulata, quam verbis petitor possessori dicis causa faciebat, vt paulò pòst apparebit.

Condictio verò ex eo, quia condicere erat, diem, locúmve, communi consensu indicere, quo in iudicio litigatores venirent: quod etiamsi in vindicatione quoque fiebat: tamen quia in rem actio proprium sibi nomen vindicationis asciuerat, in hac communi nomine condictionis vsi sunt. Mistarum nomen est notum.

Secunda diuisio. Actiones aliæ legitimæ dictæ sunt, aliæ honorariæ.

Legitimæ, quæ à legibus XII. Tabularum proditæ sunt.

Honorariæ, quæ à Prætoribus in Edictis propositæ sunt, vt legi deficienti opem ferrent.

Legitimæ fuére, quæ in rem, & in personam, & in vtrumque sunt nominatæ.

Prætoriæ quædam aliæ, quæ à nominibus Prætorum appellantur, Publiciana, Paulina, Seruiana, Imperatoribus rerum potientibus, vt creditur, constitutæ, & quidem rem & ipsæ personámque complexæ, quæ ex Institutionibus Iustiniani peti possunt.

Tertia diuisio: Actiones aliæ persequendæ rei causa sunt institutæ, aliæ pœnæ, aliæ vtriusque.

Persequendæ rei fuére omnes in rem, & omnes in personam ex contractu natæ, vt ex mutuo, stipulatu, empto, vendito, locato, conducto, pro socio, fiduciæ, mandati, commodati, depositi: item quædam ex maleficiis, vt furtiua condictio, quæ vna est ex Prætoriis, quæ ex delicto nascuntur.

Pœnæ, vt actio furti. Siue enim de manifesto quadrupli ageretur, siue nec de manifesto dupli, de sola pœna agebatur. Nam ipsam rem, aut vindicatione, aut furtiua condictione, dominus rei persequebatur. Item in actione Iniuriæ.

Mistæ quæ simul & rem, & personam persequebantur, vt actio vi bonorum raptorum, quæ rem raptam simul cum pœna tripli persequebatur, & actio damni iniuria dati lege Aquilia, non solùm, si aduersus inficiantem daretur, sed etiam, si quanti plurimi æstimatio peteretur.

Quarta diuisio. Actiones aliæ in simplum conceptæ sunt, aliæ in duplum, aliæ in triplum, aliæ in quadruplum.

In simplum ex stipulatu, mutuo, empto, locato, vendito, conducto, mandato & aliis.

In duplum, furti nec manifesti, damni iniuria dati, depositi ex quibusdam causis, serui corrupti. In triplum rapinæ.

In quadruplum, furti manifesti, de eo quod metus causa, de pecunia data ad calumniandum. Actio verò damni iniuria, in inficiantem dabatur in duplum, in confitentem in simplum.

Quinta diuisio. Actionum aliis solidum, id est, totum id, quod dicebatur, exigebatur, aliis pars sola. Eiusmodi fuit actio de peculio filij, de dote, quæ mulieri diuortio facto ad dotem exigendam aduersus maritum dabatur: item actiones, quæ aduersus parentem, patronum, socium, & eum, qui quid donauit, concedebantur. Nam omnes, in tantùm quod facere possent, damnabantur. Item actio in debitorem, qui bonis cessisset, & postea mediocres fortunas adeptus esset.

Sexta diuisio. Actiones quædam natæ sunt ex contractibus, & maleficiis dominorum & patrumfamilias, quædam ex contractibus & maleficiis seruorum, & filiorum familias. De primis

mis dictum est. De reliquis nunc dicendum. Ex contractibus seruorum hoc modo: Serui aut sine consensu dominorum, negociati sunt, aut sine consensu eorum. Si consensu, quatuor actiones emanârunt. Quod iussu, Exercitoria, Institoria, Tributoria. Quod iussu data est in eum, cuius seruus cum aliquo iussu ipsius contraxit. Nam qui cum seruo iussu domini contrahebat, non serui, sed ipsius domini sequi fidem videbatur. Exercitoria dabatur in exercitorem, qui seruum naui præposuisset, de eo, quod cum eo seruo illius rei causa gestum fuisset. Exercitor autem erat, ad quem quotidianus nauis quæstus redibat. Seruus autem, quem naui præficiebat, Magister dicebatur. Institoria dabatur in eum, qui seruum institorem tabernæ præfecerat, de eo, quod cum eo seruo eius rei causa gestum esset. Erat autem institor, qui alicui negociationi præficiebatur. Tributoria dabatur in dominum, quo sciente vna cum seruo, in merce peculiari contractum erat, nisi res æqualiter inter creditores partita esset, nimirum, vt alia tributio fiat. Merx peculiaris erat, in qua seruus suo nomine domini consensu ita negociabatur, vt eius quæstus ad ipsum pertineret. Sin autem sine consensu negotiati sunt, actiones duæ prodierunt de in rem verso, & de peculio. Actio de in rem verso dabatur, in dominum, siue cuius voluntate seruus contraxit, vt quod in rem domini versum est, solidum præstet, reliquum ex peculij viribus dissoluat. In rem domini versum dicebatur, quodcunque domini facultates aliqua ex parte amplificaret, dummodò necessarius sumptus ille fuisset. Actio de peculio dabatur aduersus dominum ex serui contractu, quatenus in peculio erat. In peculio id esse dicebatur, quod deductis iis, quæ domino, familiæve debebantur, supererat. Eadem verò patrum, & filiorumfamilias ratio fuit, atque dominorum, & seruorum. Ex maleficiis porrò seruorum Noxales actiones natæ sunt, dictæ, quia delicta eorum Noxæ vocatæ. Noxalis autem actionis natura fuit, vt dominus ea damnatus, vel litis æstimationem persolueret, vel si vellet, seruum ipsum noxæ dederet. Seruo autem noxę dedito dominium statim ab ipso domino in actorem transferebatur. Quòd si post admissam noxam dominus mutaretur, noxa in nouum dominum dabatur: si seruus manumitteretur, in ipsum seruum. Quod idem de noxis etiam filiorumfamilias est intelligendum. Quin etiam noxalis actio fuit de pauperie, id est, de damno dato à quadrupede. In his, si damnum à quadrupede mansueta erat, vt equo calcitroso, & boue cornupeta, noxalis actio dabatur, lege XII. Tabularum: si à fera, edicto Ædilium cautum erat, vt ob vulnus homini libero illatum, actio in bonum, & æquum daretur, ob cætera damna in duplum.

Septima diuisio. Actiones aliæ stricti iuris fuerunt, aliæ bonæ fidei, aliæ arbitrariæ. Bonæ fidei, in quibus libera potestas permitteretur Iudici ex æquo & bono æstimandi, quantum actori restitui oporteret, eo compensatio in reliquum is, quo cum agebatur, condemnaretur. Hę fuerunt, empti, venditi, locati, conducti, mandati, fiduciæ, pro socio, negotiorum gestorum, tutelæ, familiæ erciscundæ, communi diuidundo depositi, commodati, pignoratitia, præscriptis verbis, tam quæ de æstimato, quàm quæ de permutatione competebat, & rei vxoriæ actio. Arbitrariæ, quæ ex arbitrio Iudicis pendebant, in quibus, nisi arbitrio Iudicis, is, quo cum agebatur, actori satisfaceret, vel vti rem restitueret, vel exhiberet, vel solueret, vel noxali causà seruum dederet, condemnabatur, & fuerunt tam in rem, quàm in personam. In rem, quædam Prætoriæ: in personam, Quod metus causà, quod dolo malo factum, Cùm id, quod certo loco promissum erat, petebatur, & actio ad exhibendum. In iis enim omnibus permissum erat Iudici, ex æquo & bono, secundùm cuiusque rei, de qua agebatur, naturam æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteret. Præter has reliquæ stricti iuris dictæ.

Hæ ferè antiquæ actiones fuère, ex quibus, qui ius suum persequi iudicio voluerunt, aliquam necessario arripuerunt, eámque à Prætore postularunt. Quoniam autem actio ius erat persequendi in iudicio, quod sibi deberetur, qui actionem postulauit, nihil aliud postulauit, quam ius persequēdi in iudicio, quod sibi deberetur, aut quod suum esset. Id autem erat iudicium, aut iudicem in eam rem, de qua lis erat, postulare, vt re cognita, & iudicata, ius vterque suum adipisceretur. Iudicem autem dare præcipuum fuit ius dicentis officium. Vnde scripsit Vlpianus: Ius dicentis officium latissimum est, nam & bonorum possessionem dare potest, & in possessionem mittere, pupillis non habentibus tutores constituere, iudices litigantibus dare, & alio libro; Iurisdictio est etiam iudices dandi licentia, id est, qui ius dicit præter superiora iura, etiam iudices dandi ius habet. Hinc illa sunt prope translatitia in Edictis Prætorum: De ea re iudicium dabo: De ea re iudicium non dabo.

Caput XII.

De in ius vocatione, editione actionis, & postulatione actionis, siue iudicij.

De actione quid sit,& de diuisione actionum hactenus dictum est: sequitur, vt modus actionum explicetur,id quod hoc capite faciemus.Qui petere in animo habebat, aut alia ratione alicui litem, siue actionem intendere, antequàm in ius adiret, per amicos intra parietes,quid proficere posset,experiebatur,Liuio libro secundo, & Cicerone pro Quintio,& Cecinna testibus. Vbi vero reus ita conueniri non poterat,tum die postulationum petitor eum vnde petebatur,in ius vocabat. Erat autem in Ius vocare,vti Paulus definit,in Ius experiundi causa vocare.Non omnes tamen vocari poterant.Indicat hoc Edictum Prætoris:Parentem,Patronum,Patronam,liberos,parentésque,Patroni,& Patronæ, in ius sine meo permissu, ne quis vocet. Item: Magistratus, Pontifex, dum sacra facit, & qui vxorem ducunt,in ius vocari non possunt.Vocabat autem hoc modo:Qui petebat,eum,vnde petebatur,conueniebat,atque,vt se in ius sequeretur,admonebat. Si is sequi noluisset,eum in ius educebat,siue rapiebat.Verùm ne iniuriam facere videretur,antè aliquem eius actionis testem faciebat,capta scilicet hominis fortè interuenientis,aut præsentis auricula,rogabat eum his verbis.Licetne attestari? id est,possumne testem sumere? si respondebat,Licet,tum aduersarium frustrantem, aut fugientem iniecta manu ad Prætorem trahebat, atque hoc faciebat auctoritate XII.Tabularum.Sic enim in iis erat:Si vis vocationi fuat,antestaminor. Neminem verò de domo sua in ius vocare licuisse, partim ex Cicerone pro Domo & in Vatinium, partim ex Caio Comment. in XII.Tabulas, ff. de in ius vocando cognoscitur, cuius verba sunt: Plerique putauerunt, nullum de domo sua in ius vocare licere, quia domus tutissimum cuique refugium,ac receptaculum sit,eúmque qui inde in ius vocaret,vim videri inferre.Paulus etiam ait:Etsi qui domi est, interdum vocari in ius potest, tamen de domo sua nemo extrahi debet.Quòd si ille,qui vocabatur,imbecilla valetudine esset,tum qui vocabat,iumentum,currumve dare cogebatur à lege, in hunc modum loquente: Si in ius vocato morbus æuitásque vitium esset,qui in ius vocabit,iumentum dato:si nolet,arceram ne sternito. Si verò is,vnde petebatur, latitaret, ita vt nullam secum agendi potestatem faceret, cùm de domo extrahi non posset; Actor Prætoris auxilium implorabat, atque reum euocari edicto iubebat. Edictum verò ad ipsius latitantis ædes ponebatur, cum solenni vicinorum testatione. Si autem euocationi primæ non pareret, neque defenderetur, Prætor secundam decernens, in bona Petitorem mittebat,& nisi euocatione tertia,ad sui defensionem venisset, altero decreto bona eius possideri, proscribi, ac distrahi iubebat. Itaque in edicto Prætorio erat: Qui fraudationis causa latitauerit, si boni viri arbitratu non defendetur, eius bona possideri, vendique iubebo. Venditio tamen non statim fiebat, sed postquàm bona per triginta dies possessa essent,tùm verò iterum,qui se creditores esse dicebant,si plures essent, Prætorem adibant,petebántque vt sibi liceret vnum ex corpore suo constituere, qui debitoris bona auctioni subiiceret.Is constitutus dicebatur Magister,& post id temporis proscriptio fiebat in celeberrimis totius vrbis locis ita: Ille debitor noster in eiusmodi causa est,vt bona eius diuendi debeant, nos creditores patrimonium eius distrahimus: quicunque emere volet,adesto.Inde post aliquot dies,tertium iam Prætorem adibant, postulantes, vt sibi liceret legem bonorum venditorum facere,atque inde ita proscribebant:Hæc quicunque emerit,creditoribus in dimidiam partem eorum, quæ ipsis debentur, respondere debet,sic vt cui aurei centum debentur, accipiat quadraginta.Et certo tempore elapso emptori patrimonium addicebatur. Et vocabatur is,qui emerat,Bonorum emptor,actionésque omnes à debitore,in bonorum emptorem transferebantur, & conueniebatur non aliter, ac bonorum possessor, siquidem vterque successor Prætorius erat.Theophilus libro tertio Institution.Cicero pro Quinctio.Atque hæc quidem in XII.Tabulis.Edictum inde Prætoris legem correxisse videtur,& cauisse,vt si quis in Ius sequi nollet,satisdaret fore,vt se in iure sisteret. Vnde est titulus in Pandectis ex edicto sumptus:In ius vocatus aut eat,aut satisdet.

Vbi verò vocatus in ius venerat, actor impetrata loquendi potestate,actionem ei edebat, qua aduersus eum vti volebat. Erat autem ita comparatum,vt qui peteret,non vnam,sed multas actiones haberet, id est, multis modis ius suum persequi posset: vt docet Cicero pro Cecinna,Theophilus libro 4.Instit.& Iustinianus de furibus.Ex illis igitur actor vnam aliquam eligebat, eamque in ius vocato reo edebat. Plautus Persa, Vlpianus ff.de edendo in 4. Verrina.

Edita

Edita inde actione, qua vsus erat, actor postulabat eam à Prætore, id est, petebat, vt sibi in aduersarium liceret intendere (postulare enim Vlpiano ff. de edendo, auctore, est desiderium suum in iure apud eum, qui Iurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere) Reus contra à Prætore postulabat aduocatum. Fuit autem aduocatus, teste Asconio, Iurisconsultus, qui Patrono ius suggessit, aut reo præsentiam suam commodauit. Actione inde aduersario edita, eaque à Prætore post postulationem impetrata, tum actor certa verborum accepta formula vadabatur reum, id est, vades siue sponsores petebat, fore, vt certo die, is plerumque perendinus erat, se in iure sisteret. Vas autem fuit, qui pro altero vadimonium promisit. Vadimonium porrò adhibito Iurisconsulto concipiebatur: & qui prouocabat vadati: qui prouocabatur, vadimonium promittere dicebatur. Concepto vadimonio, & sponsoribus acceptis, e iure discedebatur. Accidit autem, & quidem sæpe, vt Prætores deinde ex voluntate litigatorum vadimonia in alios dies perendinos differrent. Interea dum res in vadimonio fuit, reus cognita actione, aut actori sine iudicio cessit, aut se ad contendendum parauit. Si cessit, rem aut pacto, aut transactione composuit. Hinc erat in edicto: Pacta, conuenta, quæ neque dolo malo neque aduersus leges, plebiscita, Senatusconsulta, edicta, decreta Principum, neque quo fraus eorum cuiquam fiat, facta erunt, seruabo. Quod ad omnes pactiones transactionesque traductum est.

Li. 86. ex tome 86 & lib. 2. ad Attic. Iuuenalis Satyra 3. Vlpian ff. de Transact. Cicero pro Q. Roscio, & in 3 Verrina.

Capvt XIII.

De intentione actionis siue litis.

Tertio inde die, qui dies cognitionibus erat dicatus, & comperendinus appellabatur, Prætor actiones editas ac postulatas ex tabulis ordine recitari, atque actores, reósque citari per Accensum iubebat, vt iudicia actionibus eorum cognoscendis daret. Quorum illud, dicere vadimonia, hoc, addicere iudicia vocauit Macrobius lib. 1. Saturn. cap 16. Si verò litigatores ad vadimonium die constituto non accurrissent, litem amittebant. Præcipuè verò reus, si vadimonium deseruisset, quod promiserat, perdebat litem: quia Prætor postulante actore ex edicto bona ius possideri iubebat, & si xxx. dies possessa essent, neque ille se defendisset, vendi iubebat, eo modo, quo supra demonstratum est. Si autem vterque occurrisset, tum se stitisse dicebantur. Ac tum prior reus ita agebat: Vbi tu es, qui me vadatus es? vbi tu es, qui me citasti? ecce ergo me tibi sisto, tu contra & te mihi siste. Procedente autem actore rogabat, Quid ais? Respondebat actor, Aio (exempli gratia) fundum quem possides, meum esse. Aio, te mihi dare, facere oportere, prout natura actionis postulabat, quam ille intendere volebat. Cæterùm responsio actoris ipsam complexa est intentionem actionis. Singulæ autem actionum intentiones propriis formulis inclusæ fuerunt, quæ à Pontificibus scriptæ quondam, deinde à Iurisperitis compositæ fuerant: à quibus qui recessit, causa cecidit, vt Cicer. lib. 2. de Oratore significat. Has verò formulas in singulis actionibus cuiusmodi fuerint, demonstrare longum esset, & propter similitudinem ipsarum inter se molestum, ac propè putidum, in principibus autem præterire vix sine insigni huius doctrinæ detrimento licet. Itaque initio ducto à vindicatione, quid in paucis obseruatum sit, videamus.

Plautus in Curculione.

Actio vindicationis fuit duplex, vna possessionis altera dominij. Possessio vsum rei hoc loco significat, vt ædium, aut fundi, eáque propriè Vindiciæ nominatur. Qui verò litem de dominio rei intendere volebat, quæ dicebatur Vindicatio, si cuius vindiciæ, id est, possessio esse deberet certum fuisset is, qui possessione carebat, actionem statim possessori de dominio intendebat. Sin autem incertæ fuere vindiciæ, primùm de vindiciis deinde de dominio agebat, idque hoc modo: Cùm incerta esset possessio, ii, quorum intererat, postularunt à Prætore interdictum de possessione aut quasi possessione, nempe aut de adipiscenda possessione aut de retinenda, aut de recuperanda. Interdictum de adipiscenda possessione reddebatur, ei, cui bonorum possessio à Prætore ex edicto data fuerat. Interdictum de retinenda, eis, qui de proprietate litigaturi erant, neque vter possideret, inter eos conueniebat. De recuperanda iis, qui vi ex aliquo loco deiecti erant. Vis autem hæc fuit duplex, vera & simulata. Vera vis appellata, cùm armatis, aut inermibus hominibus coactis aliquis ex loco deiectus erat. Vis simulata fuit veræ vis imitatio, quoties dicis causa alter alteri in manum conserendo, vim attulit, & verbis vindiciauit seu vindicias postulauit. In seruo quidem manus consertio facta est in hunc modum: Qui serui possessionem petebat, tenens seruum in Iure apud Prætorem, ita vindicabat: id est, possessionem per

ſimulatam vim poſtulabat. Quippe roganti reo: Quid ais? Reſpondebat: Hunc hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, eúſque vindicias mihi dari poſtulo. Si ille aliter taceret, aut cederet, Prætor ſeruum addicebat vindicanti, id eſt, poſſeſſionem decernebat poſtulanti vſque ad exitum iudicij, de dominio inſtituendi. Sin autem ille contra vindicaret, tum & ipſe ſeruum eundem corripiens, & quaſi de manu vindicantis abſtrahens dicebat: Et ego hunc hominem meum eſſe aio, eiúſque vindicias mihi conſeruari poſtulo. Tum Prætor interdicebat: Qui nec vi, nec clàm, nec precariò poſſidet, ei vindicias do.

In fundo autem aut domo manus conſertio facta eſt in hunc modum, Stantes in iure litigatores petitor eum, vnde petebatur, ex iure manu conſertum vocabat, Ita dicens: Fundus qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, meus eſt, eum ego ex iure Quiritium meum eſſe aio. Inde ibi ego te iure manu conſertum voco. Ille verò niſi ceſſiſſet, reſpondebat: Vnde tu me ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te reuoco. Tum Prætor dicebat vtriſque, Superſtitibus iſtam viam dico. Inite viam. Præſto aderat ſapiens qui inire viam doceret: Redite viam. Eodem duce redibant: in agro verò, ſiue domo manum conſerebant, id eſt, terræ aliquid ex eo agro, vti vnam glebam ſumebant, in eam manum conſerebant, atque ad Prætorem deferebant, & in ea gleba, vel feſtuca tanquam in toto agro, vel domo tota vindicabant. Dicebatur ea gleba, vel feſtuca Vindicia, teſte Feſto: Vindiciæ olim dicebantur, quæ ex fundo ſumptæ in ius allatæ erant. His autem vindiciis, id eſt, hac gleba, ſiue feſtuca in ius allatis, actor, qui deiectus erat, eas tenens, dicebat: Hunc fundum, ſiue hanc domum meam eſſe aio ex iure Quiritium, eóque reſtitui, vnde deiectus ſum, poſtulo. Tum Prætor: Vnde tu illum deieciſti, cùm nec vi, nec clàm, nec precario poſſideret, eò illum reſtituas, iubeo. Reſtituebat, ſi modò illum nec vi, nec clàm, nec precario poſſediſſe conſtaret. Agellius lib. 20. cap. 1. hanc vim ciuilem, & feſtucariam vocat.

Cic. pro Murena.

Altera vis ſimulata fuit, quæ non à lege, ſed à moribus emanauit. Quippe qui poſſeſſionem recuperare volebat, poſſeſſori certum diem conſtituebat, quo in rem præſentem veniretur, vt in fundo, de quo agebatur, moribus vis & deductio fieret. Hoc modo Cæcinna apud Ciceronem agere cum Ebutio poſſeſſore voluit, verùm ab eo in fundum ingredi vera vi, non moribus prohibitus, interdictum, Vnde vi, poſtulauit, vt ille, qui veram vim paſſus eſſet.

Huic acceſſit & tertia ratio ineundæ poſſeſſionis, quæ neque à lege neque à moribus, ſed à iure ciuili profecta eſt. Hæc non propriè vis fuit, ſed vſurpatio. Vſurpatio verò, vt ſcribit Paulus ff. de vſucapionibus, fuit interruptio vſucapionis. Hinc Venuleius ff. de acquirenda poſſeſſione: Species inducendi in poſſeſſionem alicuius rei eſt, prohibere ingredienti vim fieri. Statim enim cedere aduerſarium, & vacuam relinquere poſſeſſionem iubet, quod multò plus eſt, quàm reſtituere. Hoc autem facto, vt reor, ille, qui inductus erat, vſurpandi ſurculum deſringere conſueuit, atque ita poſſeſſionem aduerſarij interrupit. Et hactenus de vindicatione poſſeſſionis. Iam de vindicatione dominij.

Cic. lib. 3. de Orat. Caius ff. de vſurpationib.

Conſtituto poſſeſſore, tum lis de dominio intendebatur, poſſeſſor ab eo, qui poſſeſſione excluſus eſſet, aut qui omninò expers poſſeſſionis eſſet. Dominium autem petebatur eadem ratione, iiſque propè verborum formulis, quibus poſſeſſio. Petitor enim cum poſſeſſore ita agebat, vt primùm, an actor eſſet, id eſt, an talis eſſet, vnde ius ſuum repetere poſſet, ſtatueret: deinde vindicaret, tum ſatiſdare iuberet, tum ſponſione prouocaret. An auctor eſſet, ita quæſiuit. Quando te in iure conſpicio, poſtulo, anne ſtes auctor? ſi ille, qui rogabatur, taceret, lis ei æſtimabatur. Si negaret, tum Prætor dicebat: Quando negat, Sacramento quærito. Erat autem Sacramento quærere, ad certam ſpondendam pecuniam reum prouocare, Ni ita eſſet. Itaque audito Prætoris mandato petitor ſubiiciebat, Quando negas, te Sacramento quinquagenario prouoco, Spondeſne, ſoluturum quinquaginta aſſes, ſi auctor ſis? id eſt, ſi probauero, te auctorem eſſe? Cui infìciator reſpondebat, Spondeo quinquaginta aſſes, ſi auctor ſim. Inde reſtipulatur, Tu verò ſpondéſne idem, Ni ſim? cui ille. Et ego quoque ſpondeo. Quod ſi ille ſe auctorem eſſe profiteretur, tum eadem vindicandi ratio in dominio petendo obſeruabatur, quæ adhibita fuerat in petenda poſſeſſione. Nam vindicatio non magis erat poſſeſſionis poſtulatio, quam dominii. Itaque vt maneamus in ſuperioribus exemplis, ſi ſeruus peteretur, petitor ſeruum tenens ita vindicabat. Quando ais neque negas, te auctorem eſſe, hunc hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio. Tum Prætor poſſeſſorem interrogabat, an contra vindicaret. Si ille cederet, ſeruum pariter vindicanti addicebat, id eſt, dominium decernebat. Sin contra vindicaret, ſic reſpondebat, Et, ego eundem hominem meum eſſe aio ex iure Quiritium. Sed nónne tu dicis, qua cauſa vindicaueris? Tum petitor cauſam exponebat.

Cic. pro Muræna & lib. 1. de Orat. Valerius Probus libello de Notis antiquis. Paulus ff. de petitione hæreditatis.

Sin autem fundus aut domus peteretur, eadem ratione vindicabatur, id eſt, dominium petebatur, qua poſtulatum in ſeruo fuerat. Quippe allatis in ius vindiciis dicebat petitor,

Hunc

Hunc fundum aio meum esse ex iure Quiritium, & reliqua, eodem modo, quo in seruo.

De satisdationis postulatione ratio fuit eiusmodi: Antequàm petitor causam redderet, cur vindicaret, postulabat à possessore, vt satisdaret, se nihil deterius in possessione facturum. Satisdabat autem possessor, aut litem amittebat.

Sponsionis inde faciendæ ratio fuit huiusmodi: Petitor, vbi eum, vnde petebatur, aut intentionem, aut rationem intentionis suæ inficiantem audiuit, eum sponsione Sacramenti prouocauit, Ni ita esset: qua facta, reus petitorem vicissim prouocauit hoc modo in intentione: Quando negas hunc seruum meum esse, Sacramento te quinquagenario prouoco. Spondesne quingentos si meus sit? id est, si meum esse probauero. Cui reus: Spondeo, Si tuus sit, & si sponsionem recusasset, litem amisisset. Inde restipulans rogabat. Et tu spondesne quingentos, Ni tuus sit? id est, si probauero, tuum nõ esse. Cui petitor: Spondeo, Ni meus sit: atque in hoc nisi fecisset, litem amisisset. In ratione intentionis hoc pacto: Aio hunc seruum meum esse, quia ex ancilla mea natus est. Cui reus, Nego tuum esse, quia ex ancilla tua natus nõ est. Tum petitor, Spondesne quingentos, si ex ancilla mea natus sit? Reus, Spondeo, si ex ancilla tua natus sit. Et tu spondesne quingentos, Nisi ex ancilla tua natus sit? In hoc genere pecunia, quæ interponebatur, Sacramentum, stipulatio, & restipulatio sponsio dicebatur. Cæterùm sponsionis ratio huiusmodi fuit: Qui petebat, dicebatur sponsione, & Sacramento prouocare, quia interrogabat, Spondesne quingentos? item Sacramento rogare, quærere, & stipulari ob eandem causam. Ille verò, vnde petebatur, dicebatur contendere ex prouocatione, contendere Sacramento, & restipulari. Contendere ex prouocatione, quia prouocatus non recusabat sponsionem, Sacramento, quia pecuniam, quæ Sacramentum dicebatur, &, vt inquit, Isidorus libro 5. sponsionis pignus erat, se soluturum spondebat, Restipulari, quia & ipse ab actore vicissim stipulabatur, postquam ipse spoponderat, Et tu spondesne idem? Vterque autem spondere, & sponsionem facere, & si inter se sponsione prouocare dicebatur. Cæterùm vtraque sponsio his verbis concipiebatur, Si, & Nisi, sed modò hoc, modò illo, pro natura negotij & rei affirmatione, aut inficiatione, Nam semper contrarium rogabatur eius quod reus dixerat. Quippe negante reo, se esse auctorem, rogabat petitor, ac stipulabatur, Spondésne quinquaginta, si es auctor? Aiente autem, fundum suum esse, quia testamentum extet, rogabat, & stipulabatur, Spondesne quingentos, Ni tuus fundus sit, Ni testamentum extet? Reus autem spondebat, Spondeo quinquaginta, si auctor sim, quingentos, Ni meus fundus sit, Ni testamentum extet. Inde rogabat vicissim petitorem, & restipulabatur, Et tu spondesne quinquaginta, Ni auctor sim. Si meus fundus sit, Si testamentum extet? Cui ille, Spondeo. Ni auctor sis, si fundus tuus sit, si testamentum extet, &c. Exempla sunt apud Valer. libro secundo, Macrob. Ciceronem, & Liuium. De quingentis autem spondendis perpetuum non fuisse crediderim, sed sponsionem factam esse pro modo litis, & arbitrio prouocantis. Siquidem dixit Cicer. in 5. Verrin. Facta est sponsio Sestertium quinque millibus. Et pro Q. Roscio, Pecunia petita est certa, cum tertia parte sponsio facta sit.

Asconius. Varro lib. 5. de ling. Lat. Pau. ff. de pet. her. Cic. 3 Verrina & in eandem Asconius. Festus.

His de auctoritate, satisdatione, sacramento, & sponsione perfectis, redeo ad rem, de qua dicere institueram. Cùm petitor in hæreditatem fundi ageret, ita dicebat: Aio hunc fundum meum esse iure Quiritium. Cui possessor inficians respondebat, Et ego meum, non tuum esse aio ex eodem iure Quiritium. Tum Petitor, Satisda te non deteriorem possessionem facturum. Possessor satisdabat. Tum petitor, Spondesne quingentos, si meus hic fundus sit? Possessor spondèo quingentos si tuus hic fundus sit. Inde restipulans: Et tu spondesne totidem, Ni tuus hic fundus sit? Petitor spondeo, Ni meus hic fundus sit. Est autem animaduertendum, si reus nihil ad inficiationem addidisset, puram defensionem dictam si exceptionem adiecisset, coniunctam. Erat autem exceptio rei defensio, quæ non omnem actoris intentionem excludebat, vt inficiatio, sed eius partem duntaxat, atque his verbis concipiebatur, extra quam si, vel, Nisi, vt si reus dixisset, Imò hæreditas mea est, non tua, Nisi testamento prodatur, quo tibi relicta appareat, aut aliquid tale. Cicero in Rhetoricis. Vt autem in inficiatione actor, sic in exceptione reus sponsionem concepit. Et sponsio quidem cum inficiatione, Pura dicebatur, cum exceptione verò Coniuncta, vt Spondesne quingentos, Ni hæreditas tua sit, Ni testamentum prodatur? Spondeo. Tu verò spondesne, si hæreditas mea sit, Ni testamentum prodatur? Spondeo.

Quoniam autem per exceptiones actio transferebatur, locus admonet, vt de translatione actionis deinceps dicamus.

Transferebatur actio, cùm petitor agens plus in intentione sua complectebatur, quã ad eum pertinebat. Quòd si fecisset, causa cadebat, id est, vt inquit Iustinianus, litem amittebat, nec

faciè in integrum restituebatur à Prætore, nisi minor erat vigintiquinque annis. Plus autem quatuor modis petebatur, re, tempore, loco, & causa. Re, veluti, si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti peteret; aut, si is, cuius ex parte res est, totam eam vel maiore ex parte suam esse intenderet. Tempore, veluti, si quis ante diem, vel ante conditionem petisset. Loco, veluti, cùm quis id, quod certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco petisset, sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus esset: verbi gratia, si is, qui ita stipulatus fuerat, Ephesi dare spondes? Romæ pure intendat dari sibi oportere. Causa, vt si quis ita à te stipulatus esset: Hominem Stichum, aut decem aureos dare spondes? deinde alterutrum petisset, veluti hominem tantùm, aut decem aureos tantùm. Ideo autem plus petere intelligitur, quia in eo genere stipulationis est optio, vtrum pecuniam, aut hominem soluere malit. Qui verò pecuniam tantùm, vel hominem tantùm sibi dari oportere intendit, eripit optionem aduersario: & eo modo suam quidem conditionem meliorem facit, aduersarij verò sui deteriorem. Cic. in Rhetoricis.

Atque hoc quidem modo in rebus corpore præditis litis concipiebatur intentio. Qua cognita, facilis est cognitio reliquarum. Nam in rebus corpore vacantibus, vt in vsufructu, & prædiorum seruitute eodem modo intendebatur, ac vindicabatur. Aio vsumfructum fundi tui, qui est in agro Sabino, esse meum. Aio ius ex fundo tuo aquam ducendi: vel ius versus ædes tuas altiùs tollendi, esse meum. Hoc autem proprium in his fuit, quòd non solùm affirmanter intendi potuit, sed etiam neganter, hoc modo: Aio vsumfructum fundi mei non esse tuum, atque ita in cæteris. Causa verò huius dissimilitudinis fuit, quod in rebus corporeis is solùm agere potuit, qui non possedit. Nam ei, qui possedit, nulla erat prodita actio. Neque enim intendere potuit: Aio fundum hunc tuum non esse. Neque enim, si iudicatum esset, non esse possessoris, propterea fiebat necessariò, vt esset petitoris. In his autem non idem erat, qui affirmatiue agebat, & qui negatiue. Nam affirmanter intendebat, qui se ius illud, de quo quærebatur, habere dicebat, veluti vsumfructum, aut seruitutem alterius proprietate. Neganter verò ipse dominus fundi, aut ædium, qui affirmabat, illum alterum vsumfructum, aut seruitutem in fundo, aut ædibus suis non habere. In his autem sponsiones fuerunt hæ: affirmatiue ita: Aio vsumfructum fundi tui esse meum. Aio vsumfructum fundi non esse tuum. Spondésne, si vsusfructus fundi tui sit meus? Spondeo. Si vsusfructus fundi mei sit tuus? Spondeo. Et tu, spondésne, si vsusfructus fundi mei non sit tuus? Spondeo. Si vsusfructus fundi tui non sit meus? Spondeo. Negatiue ita: Aio, vsumfructum fundi mei non esse tuum: Aio vsumfructum fundi tui non esse meum. Spondesne si vsusfructus fundi mei non sit tuus? Spondeo. Si vsusfructus fundi tui non sit meus? Spondeo. Et tu, spondesne, si vsusfructus fundi tui sit meus? Spondeo: Si vsusfructus fundi mei sit tuus? Spondeo. Eodem modo in cæteris. In actione etiam de seruitute luminum fuit aliquid diuersi à cæteris. In aliis enim, qui intendebat, idem etiam sponsionem faciebat. Exempli gratia si me habere dixissem ius fundo tuo vtendi, fruendi, neque tamen me vti frui sineres, vocassem te in ius, & intendissem apud Prætorem, ius vtendi tuo fundo meum esse, & à te prouocatus sponsionem fecissem: Ni meum ius sit. At si altiùs ædes tollere incœpissem, tu in ius me vocasses, & ita dixisses: Nego tibi ius esse altiùs ædes tollendi versus me, & rationem negatæ seruitutis Prætori expostulasses. Tum ego remissam esse seruitutem ostendissem, & à te prouocatus sponsionem fecissem: Ni meum ius sit. Itaque in hoc libertas vindicari, in aliis seruitus peti videbatur.

Fuerunt præterea actiones duæ in rem, vna de libertate, altera de ventre cognoscendo, quæ propriam requirunt obseruationem. Ex his autem causa liberalis fuit duplex, aut enim e seruitute in libertatem, aut e libertate in seruitutem vindicabatur. Hæc verò priuata omninò causa non videtur, quia actio cuique e populo data est, qui se assertorem, & vindicem profiteretur. Erat autem lex XII. Tabularum, vt inquit Dionysius libro 11. & Liuius libro 3. vt si quis aut ex libertate in seruitutem, aut ex seruitute in libertatem assereretur, possessionis ius manere vsque ad exitum iudicij penes eum, qui in libertatem assereret: non, qui in seruitutem. Item in eadem lege fuit: Vt cui vindiciæ secundum libertatem à Prætore addicerentur, is sponsores daret, hominem posteà iudicio sisti. Verba postulantis vindicias sunt apud Terentiũ in Adelphis: Hunc hominem ego liberum esse assero, postulo vt mihi des vindicias secundum libertatem. Item hunc hominem seruum meum esse assero, postulo vt mihi des vindicias secundum seruitutem. Decretum Prætoris: Qui libertatem defendit, ei vindicias do. Decreta in hunc modum possessione, tum alio die actio de libertate intendebatur, ita: Hunc hominem ex iure Quiritium liberum esse assero: quo dicto, ille alter respondebat: Hunc hominem seruum esse meumque ex iure Quiritium seruum esse assero: Inde sponsiones, vt suprà: Ni liber sit: Ni seruus sit, & seruus eius sit. Item in cæteris: Aio me ingenuum esse ex iure Quiritium, neque iustam

stam seruitutem seruisse. Aio, hunc hominem, cùm apud me iustam seruitutem seruiret, à me manumissum, meúmque libertum esse. Sponsio: Ni manumissus sit. Huius iudicij illustre exemplum est apud Asconium in Cornelianam.

De ventre verò ita intentum est: Aio mulierem hanc ex te prægnantem esse: Nego. Sponsio: Ni sit. Ac de formulis quidem intentionis in actione vindicationis hactenus.

Condictionis verò longe alia ratio fuit. Condictio verò fuit, vt diximus, qua non corpus aliquod petierunt, sed à persona certam præstationem postularunt, neque, vnde satisfaceret, curarunt. Ea vero, vt dixi, fuit duplex, vna aduersus eum, qui ex contractu: altera aduersus eum, qui ex maleficio obligatus erat. Contractus nomina ferme, vt diximus, hæc fuerunt: Mutuum, Commodatum, Depositum, Pignus, Emptum, Locatum, Societas, Fiducia, Stipulatus, Negotium gestum, Præscriptis verbis. In his actor ferme sic intendit: Aio te mihi mutui, aut commodati, aut depositi, aut aliorum nomine dare centum oportere. Ille verò, vnde petebatur, aut inficiabatur, aut excipiebat. Inficiabatur ita dicens: Nego me tibi dare centum eo nomine oportere. Excipiebat, partem actionis excludens, ita: Nego me tibi ex stipulatu centum dare debere. Nisi quod metu, aut dolo, aut errore adductus spopondi: aut, Ni minor annis xxv. sim. Plautus in Rudente. Item: Aio te mihi domum, aut nauim ædificare, aut vestem polire oportere ex stipulatu. Nego. Inde sponsio: Ni facere debeat, vt ante, nascebatur: aut, Ni mutui, aut depositi nomine centum dare debeat. Quo in loco Dare videtur accipiendum esse pro reddere. Non enim qui mutuò dedit, aut commodauit, aut deposuit, dominium amisit.

Præscriptis verbis obligatio erat talis: Si qua nasceretur inusitata cõtrouersia, litigatores vel suo ingenio, vel Iurisconsulti sui actionis formulam certis verbis secundùm pactũ inter ipsos conuentum concipiebant, in eáque verba sponsionem faciebant: exempli gratia, Mæuius fulloni polienda vestimenta sua dedit ea mercede, de qua posteà inter ipsos conuenisset, atque ea polita accepit, neque fulloni satisfecit. Tum fullo sic intendet: Aio te mihi mercedem, de qua inter nos conueniat, ob polita tua vestimenta, dare oportere. Sponsio: Ni dare debeat. Iam verò obligationes ex maleficiis fuerunt, vt diximus, ex furto, damno, rapina, iniuria. In furto eiusmodi fuit intentio: aio vestem, quam nuper furto mihi abstulisti, meam esse, téque illam mihi dare oportere. Hæc autem actio furtiua condictio vocabatur, odio furum à Prætore instituta, vt furtum non solum vindicatione repeti posset, sed etiam condictione. Nam in vindicatione aduersus possessorem tantum erat actio, hoc modo: Aio, hanc vestem meam esse. Neque furti mentio fiebat. In condictione verò aduersus furem ipsum erat actio, & furti nomine exprimebatur, & illam rem eum dare, id est, reddere debere, intendebatur, vt Iustinianus docuit. Eadem in cæteris maleficiis fuit ratio. Aio te mihi pugnum, aut fustem inflixisse, aut conuicium fecisse, téque mihi tantum, quantum ego æstimauero, dare oportere. Nego. Sponsio: Ni fecerit.

Postremò mistarum actionum intentiones eiusmodi fuerunt: Aio te familiam diuidere debere, & eo nomine centum te mihi dare oportere. Aio te res communes diuidere debere, & eo nomine centum te mihi dare oportere. Aio, fines agri nostri dirigi oportere, & quot ex agro meo percepisti, te mihi dare oportere. Quibus intentionibus, Inficiatio, Exceptio, Sponsio eodem modo subiiciuntur, quo in superioribus diximus.

His cognitis, quoniam in tertia diuisione actiones maleficiorum triplices fuisse scripsimus, rei persequendæ, pœnæ persequendæ, & vtriusque: deinceps quænam earum formulæ fuerint, ostendamus. In furto actio, quæ rem tantùm persequitur, vindicatio, & furtiua condictio vocabatur, vt dictum est. Per quam vbi res ablata recepta erat, remanebat tamen furti actio, quæ ad pœnæ persecutionem pertinebat. In hac ergo intentio hæc erat, Aio te centum mihi abstulisse, & manifesto deprehensum esse, & manifesti furti nomine quadringentos aureos mihi dare debere. *Caius ff. de furtiua condictione.*

Rapinæ vero actio simul rem, pœnam persequebatur. Iustinianus. Quamobrem formula erat: Aio, Mæuium vi vestem mihi eripuisse, atque eius rei nomine, eum quadruplum mihi dare oportere. Quoniam enim nulla actio Rapinæ prodita est, quam rem & personam separatim persequi liceret, propterea vna, & eadem actione vtrumque persecuti sunt. Actio damni lege Aquilia item & rem & personam persequebatur. Pœna aduersus confitentem in triplum erat, aduersus inficiantem in duplum. Itaque intentionis formula erat. Aio, Mæuium Stichum seruum meum interfecisse, factúmque illud inficiatum esse, atque eo nomine duplum, quanti hoc anno seruus plurimi fuit, mihi dare oportere. Reus negabat se interfecisse, aut inficiatum esse. Sponsio nascebatur, Ni interfecerit, Ni inficiatus sit. Iam vero in seruo corrupto ita intendebatur, Aio, Mæuium Sticho seruo meo persuasisse dolo malo, quo eum deteriorem faceret, atque hoc nomine, quanti ea res fuit, mihi dare oportere. De eo quod metus causa gestum

est,quæ fuit Prætoria actio:ita: Aio, Mæuium terrore, ac minis vestem à me extorsisse,atque eo nomine quadruplum quanti ea res fuit,mihi dare oportere.De calumnia ita:Aio,Mæuium calumniæ causa pecuniam accepisse,vt mihi negotium facesseret,& eo nomine quadruplum mihi dare oportere.Cæterum,vt inquit Iustinianus,actio furti nec manifesti,& serui corrupti à cæteris differunt,quòd omnino dupli sunt,at actio damni ex lege Aquilia,& de dolo malo, inficiatione depositi duplicantur,in confitentem autem in simplum dantur.Item actio,de eo, quod metus causa factum est à cæteris diuersa est,quod eius natura tacite continetur, vt qui Iudicis iussu ipsam rem actori restituat,absoluatur.In cæteris non erat,sed omni modo quisque in quadruplum condemnabatur.

Sequuntur actiones quintæ diuisionis,quibus non totum, sed pars petitur. In iis vero intentio sic concipiebatur, vt de peculio filij: Aio,me seruo tuo centum aureos mutuo dedisse, téque quantum ex eius peculio facere poteris mihi dare oportere. De dote: Aio,me tibi nomine dotis centum dedisse,téque mihi,quantum facere poteris,dare oportere. Item à parente,patrono,socioque non totum,sed,quantum facere possent,petebatur. Eodem modo agebatur cum eo,qui creditoribus bonis suis cessit,si postea aliquid acquisisset.

De actionibus sextæ diuisionis,nempe,cum dominis causa seruorum,& cum patribus causa filiorum,hæc habemus.Eius quæ dicebatur, Quod iussu,talis fuit intentio: Aio,me Sticho Mæuij seruo ipsius Mæuij iussu centum aureos credidisse,& centum eo nomine Mæuium mihi dare oportere.In exercitoria sic intentum est: Aio,me Sticho seruo, quem Mæuius dominus ei naui,quam exercet,magistrum præfecerat,centum aureos,eius rei causa, cui præfectus erat,credidisse,eúmque eius rei nomine centum mihi dare oportere.In institoria sic:Aio,me Sticho Mæuij seruo,quem Mæuius institorem suum fecerat,centum aureos credidisse, eúmque eius rei nomine centum aureos mihi dare debere. In tributoria ita: Aio,Mæuium peculiares Stichi serui sui merces ex edicto non distribuisse, & quantò minùs tributum sit , quàm debuerit,tantū mihi dare oportere.Exempli gratia:Duodecim sunt in mercibus serui peculiaribus,ex quibus domino quinque debentur, Valerio quinque,totidémque Seruilio: si de peculio agitur,dominus integra quinque obtinebit.Sin autem tributoria,quatuor tantum. Ibi enim melior est domini conditio,hic verò par est omninò.De eo,quod in rem versum est,sic: Aio,me Sticho Mæuij seruo centum credidisse, vt Mæuii domum cadentem fulciret, & Mæuium,quatenus & in rem versum & in peculio Stichi esse constabit,dare mihi oportere.Hinc probare opus erit,& in rem domini versum,& seruum habere peculium.In noxali ita:Aio,Stichum Mæuii seruum noxam mihi nocuisse, & Mæuium aut soluere,aut Stichum noxæ dedere mihi debere. Quo in loco noxæ dedere,est noxæ nomine dedere. In pauperie hoc modo: Aio,bouem Mæuij me cornu petisse,& vulnerasse,eúmque Mæuium mihi noxæ dedere oportere. Aio,vrsum Mæuii mihi vulnus intulisse,& Mæuium,quantum æquum esse videatur,mihi dare oportere:Aio,vrsum Mæuii meam mihi vestem discidisse,& duplum quanti vestis est, mihi dare debere. Atque hæ quidem actiones fermè eius generis fuerunt,vt in iis & certa pecunia, & sponsio conciperetur, & vt ad certam formulam Iudex astringeretur, postularetur. Vnde stricti iuris actiones à Iustiniano sunt dictæ.

Postrema diuisione arbitrariæ positæ actiones fuêre,in quibus neque certa pecunia est petita,neque sponsio facta,neque ad certam formulam iudex adstrictus.Hæ vero fuêre duorum generum,vnum earum quæ dicebantur, Ex bona fide:alterum earum,quæ proprie arbitrariæ appellatæ.Bonæ fidei tres formulæ fuerunt: vna,quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur,cum his verbis, Ex bona fide:altera,quæ in fiduciis vsurpabatur,cum his: Vt inter bonos bene agier oportet,& sine fraudatione:tertia rei vxoriæ propria cum his : Quantum æquius, melius.Cæterum Arbitrariarum formula fuit, Quantum æquius melius.Arbitrariæ verò quędam fuêre Prætoriæ in rem,vt Publiciana,& Seruiana:quædam in personam,vt eæ,quibus de eo agitur quod aut metus causa,aut dolo malo factum est.Item cum id, quod certo loco promissum est, petitur.Item actio ad exhibendum. Hinc formulæ intentionum natæ : Aio, Mæuium metu me coegisse,vt aureos centum darem eúmque quantum æquius melius videbitur, mihi dare oportere. Aio,Mæuium mihi stipulanti spopondisse,se centum tritici modios Bononiæ daturum,eúmque quantum æquius melius videbitur,mihi dare oportere. Aio, Mæuium mihi vestem exhibere debere, & quantum æquius melius videbitur, mihi dare oportere. In omnibus autem arbitrariis formulis subaudiatur : Nisi ea res mihi restituatur , quòd post in formulis iudicii dandi magis apparebit.Porrò autem actiones ex fide bona fuerunt in personam hæ,Empti,locati,pro socio,fiduciæ,rei vxoriæ,negotiorum gestorum,mandati, tutelæ, depositi,commodati,pignoris,præscriptis verbis,& mistæ duæ,nempe familiæ erciscundæ,& communi diuidundo. Harum autem intendendarum formulæ fuerunt hæ : Aio , te mihi domum vendidisse,aut locasse:téque mihi ex æquo & bono dare,facere oportere, quicquid alterum

rerum alteri empti, siue locati nomine dare, facere oportet ex fide bona. Eadem ratione in cæteris, quæ nascuntur ex contractibus. Hoc verò præcipui fuit in fiducia, & re vxoria, quod si fiducia, ita intentum est: Aio, te mihi domum illam, quam tibi mancipaui, vt mihi remancipares vt inter bonos bene agi oportet, sine fraude remancipare oportere. In re vxoria verò ita: Aio, me tibi præter dotem peculium, & patrimonium meum dedisse, téque mihi, quantum æquius melius sit, dare oportere. Differt autem vxoria actio ab actione de dote, quòd illa ad dotem tantum pertinet, hæc etiam ad peculium, & patrimonium vxoris.

Mistarum autem formulæ hæ fuerunt: Aio, te familiam diuidere debere, & quod eo nomine alterum alteri ex æquo & bono dare, oportet, te mihi ex fide bona dare, facere oportere. Aio te res communes diuidere oportere, fide & quod alterum alteri ex æquo & bona fide dare, facere oportet, te mihi ex fide bona dare, facere oportere. Differunt autem bonę fidei actiones ab arbitrariis, quòd in iis restitutionis mentio fiat, in his non fiat. Ac quemadmodum quidem siue lis, siue actio intenderetur, atque acciperetur, hæc hactenus.

Capvt XIIII.

De Iudicibus: de iudicio postulando, & dando: de Tribunorum appellatione, & testibus.

Concepta ad hunc modum actionis intentione, actor iudicium, siue Iudicem in eam à Prætore postulabat. Si iudicem postulauit, aut eum, qui propriè Iudex appellatus est, aut arbitrium postulauit: si iudicium, aut recuperatores, aut Centumuiros. Iudex cognouit causas omnes & iuris & facti: sed quæ essent, & leuiores, & ad iudicandum faciliores. Arbiter, quæ Bonæ fidei, & Arbitrariæ appellatæ. Vnde Festus: Arbiter est, qui totius rei arbitrium habet, & potestatem. Recuperatores dicti fuerunt, qui de rebus priuatis recipiendis, reddendisque cognoscebant. Centumuiri iudicia fecerunt ferè de iis controuersiis, in quibus non de facto, sed de æquitate, & iure certatum est, vt scribunt Cic. libr. 1. de Oratore & pro Cæcinna, & Quintil. lib. 4. Testamenta item ab iis confirmata, aut rescissa fuisse, ostendit pluribus exemplis Valerius: & eosdem de inofficioso testamento cognouisse, Scæuola & Paulus ff. de inofficioso testamento testes sunt. De hæreditatibus verò Cic. de lege Agraria. Quin etiam iidem de causis iuris grauissimis, & obscurissimis iudicasse à Tacito in Dialogo de Oratoribus, & Seneca lib. 3. de beneficiis dicuntur. Sed de Centumuiris alibi plura dicta sunt. Iam de postulando Iudice, & Iudicio agendum.

Concepta igitur actionis intentione, litigatores pro natura actionis aut Iudicem, aut recuperatores, aut iudicium à Prætore postularunt. Hoc enim ius fuit Magistratus eius: cuius fuit iurisdictio, vt hæc dare postulantibus posset. Iudicis nomine ipsum siue Iudicem, siue arbitrum, cum vnus postulabatur, significārunt. Ea vero res in hunc modum est acta. Si res ageretur eiusmodi, vt lis de facto, aut de certo iure esset, & minime controuerso, auctor Iudicem aduersario, quem ipsi commodum erat, ferebat in verba sponsionis: Ni ita esset. Rogabat autem eum, vt eo contentus esset, & non alium posceret, his verbis de quibus Festus: Si alium procas, níve alium procas. Est enim poscere procare, quod dicitur in Iudice collocando. Sin autem Iudex, quem actor ferebat, à reo probabatur, tum Iudex conuenire dicebatur. Vbi verò Iudex conuenerat, postulabatur à Prætore verbis simul sponsionis allatis, in quæ postulabatur. Formula postulandi hæc erat: Iudicem, arbitrúmve postulo vti des in diem tertium, siue perendinum. Hinc etiam adigere arbitrum, & sumere arbitrum dicebatur. Eadem ratio in postulando recuperatorio, & Centumuirali iudicio fuit. Non postulabantur autem Centumuiri, nisi vtrique litigatores in eos subscripsissent. Plinius lib. 5. epistolarum. Post hæc ille subscripsit Centumuirale iudicium, mecum non subscripsit.

Cicero pro Q. Roscio & pro Cluentio. Val. lib. 2. Asconius. Cicero pro Murana & Cæcinna. Plautus in Bacchidib.

Vbi Iudex, aut Recuperatores, aut Centumuiri postulati sunt, in arbitrio Prætoris fuit, aut dare, aut non dare prout in edicto proposuerat. Si dedit, dedit eos, qui salua lege dari potuerunt. Vt enim scribit Paulus ff. de iudiciis: Non omnes Iudices dari possunt ab iis qui Iudicis dandi ius habent: quidam enim lege impediuntur, ne Iudices sint, quidam natura, quidam moribus. Natura, vt surdus & mutus, & perpetuo furiosus, & impubes, quia iudicio carent: Lege, qui Senatu motus est: Moribus fœminæ & serui, non quia non habent iudicium, sed quia receptum est, vt ciuilibus officiis non fungantur. Hactenus Paulus. Dedit etiam in ea verba, quibus sunt postulati. Hæc vero fuit formula quædam ab ipsa intentione actionis, & conce-

ptæ sponsionis accepta, & quidem hoc modo: Esto Iudex, & si pateat, rem ita esse, pronuncia (patet hic significat idem, quod inuenitur, manifestum fit, vt docet Festus.) In plerisque autem actionibus iubebant alterum litigatorum damnari. Ex quo scriptum est à Iustiniano omnia iudicia fuisse absolutoria. Quemadmodum verò singulæ formulæ intentionum ad formulas iudiciorum sint redactæ, breuiter superioribus exemplis repetitis, demonstremus. In vindicatione rei corpus habentis: C. Aquilli iudex esto, si patet, fundum Capenatem, de qua Seruilius agit cum Catulo, Seruilij esse ex iure Quiritium, neque is Seruilio à Catulo restituatur, tum Catulum damnato. Quòd si exceptio intercederet, addebat: Extra quam si testamentum prodatur, quo appareat, Catuli esse. Sæpe tamen prætor reo iniquus exceptionem addere noluit, qua de causa Tribuni plebis appellari poterant. Quod ostendit Cicero in Lucullo, inquiens: postulat, vt excipiantur hæc inexplicabilia. Tribunum aliquem censeo adeant, à me istam exceptionem nunquam impetrabunt.

In vindicatione rei corpore vacantis ita: Si patet vsumfructum fundi Seruilij esse Mæuij, neque Seruilius eum vti frui sinat, tum Seruilium damnato. Si patet, ius eundi, agendi per fundum esse Mæuij, neque Seruilius eum ire, agere sinat, tum Seruilium damnato. Si patet, ius ex fundo Seruilij aquam ducendi, vel ius versus ædes Seruilij altius tollendi esse Mæuio, neque Seruilius aquam ducere, aut altiùs tollere sinat, tum Seruilium damnato. In causa libertatis, & ventris sic: Si patet, Seruilium liberum, aut ingenuum pronunciato. Si patet, Stichum seruum, aut libertum Mæuij esse, seruum aut libertum pronunciato. In Condictione verò ita. Si patet, Seruilium Mæuio mutui, aut depositi nomine centum dare oportere, neque eos restituerit, Seruilium damnato, Si patet, Seruilium domum aut nauim ædificare, aut vestem polire ex stipulatu oportere, neque satisfecerit, eum damnato. In mistis ita: C. Aquilli iudex esto, itaque familiam herciscitor, vt quod cuique ex hæredibus adiudicandum esse videbitur, quódque Seruilium Mæuio dare, facere oportet, iudices. In pœnalibus actionibus hoc modo: Iudex esto: si patet, Mæuium centum Seruilio abstulisse, & manifestò deprehensum esse, Mæuium in quadringentos damnato. Item in cæteris, quæ sequuntur, huius generis. In iis verò in quibus pars petitur, hoc pacto: Si patet, Mæuium Lucio Seruilii filio centum mutuò dedisse, tum Lucius pater, quantum ex filii peculio facere poterit, damnetur. In iis verò, in quibus cum dominis agitur causa seruorum, ita: Si patet, Seruilium Sticho Mæuij seruo iussu Mæuij centum credidisse, neque Mæuius Seruilio satisfaciat, tum Mæuius damnetur. In actionibus bonæ fidei hoc modo: Si patet, Mæuium Seruilio domum aut vendidisse, aut locasse, tum quantum Mæuium Seruilio ob eam rem dare ex fide bona oportet, tanti damnetur. In arbitrariis ita. Esto arbiter, & si patet, Mæuium metu coëgisse Seruiliũ, vt centũ daret, aut dolo malo iniquis ponderibus vsum, vt eum fraudaret, aut eidem stipulanti spopondisse se centũ tritici modios Bononiæ daturũ, neque arbitrio iudicis ei satisfaciat, tum quantũ Seruilius in litem iurauerit, tanti damnato. Hæ sũt formulę vsitatæ, quas reperire licet in Pãdectis. Plures habet Sigonius. Pergamus.

ff. de libe. causa.

Vbi Prætor iudicem ac iudicium hoc modo dederat, tum deinceps numerum testium, quibus denunciaretur testimonium præscribebat, qui plerumque decem fuerunt. Indicat hoc edictum Prætoris de recuperatorio iudicio dando, cuius meminit Probus in libro de notis: Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium recuperatorium dabo, testibus publicè duntaxat decem denunciandi potestatem faciam. Indicat & lex Manilia, de qua alibi.

Asconius in Orationem in toga candida.

Cum autem denunciandi potestatem dicebant, præcisa oratione denunciandi testimonij facultatem intelligebant. Interdum etiam is, vnde petebatur, dante Prætore actori iudicium Tribunos plebis appellabat & iudicium recusabat: qui verò appellatus erat, is interdicere auxilij causa poterat. Cicero pro Quinctio in Antonium: Non venirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure Prætorio.

CAPVT XV.

De Satisdationibus, contestatione litis, & iudicio faciendo.

DATO inde, acceptóque iudicio satisdationes præstitæ sunt, vel ab ipsis litigatoribus, vel ab eorum procuratoribus. Fuerunt verò satisdationes duæ, Iudicatum solui, & rem ratam haberi: quorum alterum ad actorem, alterum ad procuratorem pertinebat. Ac si actio esset in personam debitoris, procuratores soli satisdabant: actorum quidem de rato, reorum verò iudicatum solui. Itaque in edicto ita fuit: Cuius nomine quis actionem dari sibi postulauerit, ei, quo nomine agit, id ratum habere eum, ad quem ea res pertineret boni viri arbitratu satisdet. Cicero pro

pro Quinctio: Iste postulat, vt iudicatum solui satisdaret. Illud etiam præcipui moris fuit in causis bonæ fidei,& arbitrariis,vt qui arbitrium adigerent,aliquando pecuniam deponerent, quæ compromissum dicebatur. Cicero pro Q.Roscio. De compromisso autem sic Paulus ff. de recept.qui arbitr. Compromissum apud similitudinem iudiciorum redigitur, & Proculus ff.pro socio. Arbitrorum duo sunt genera,vnum huiusmodi,vt siue æquum, siue iniquum esset,ei parere necessum foret:quod tunc obseruabatur,cùm ex compromisso ad arbitrum isset: alterum eiusmodi,vt ad boni viri arbitrium deberet redigi.

His verò rebus omnibus absolutis,litem contestabantur. Contestari autem litem tum dicebantur,inquit Festus,cum ordinato iudicio,vtraque pars dicebat,Testes estote. Atque his demùm rebus perfectis, vterque litigator sibi denunciabat in perendinum diem. Nam in eum Iudex datus fuerat. Vnde ea denunciatio Comperendinatio & Condictio dicta. Sic enim Asconius. Comperendinatio est ab vtrisque litigatoribus inuicem sibi denunciatio in perendinum diem:namque cum in rem aliquam agerent litigatores,& pœna se Sacramenti peterent, poscebant Iudicem qui dabatur post tertium diem, quo dato, deinde inter se in perendinum diem,vt ad iudicium venirent denunciabant. Et Festus: Condictio est in diem tertium eius rei,quæ agatur,denunciatio. Quòd si cum peregrino res esset,ille dies status dicebatur,teste Macrobio lib.1.Saturnal.cap.16. Stati dies,qui iudicii causa cum peregrino instituuntur: & Plauto in Curculione: Status condictus cum hoste dies. Hostis nunc more veteri significat peregrinum. Apud Probum etiam illæ notæ, I.D.T.S.P. in actionibus exponuntur, In diem tertium,siue perendinum. Est autem illud intelligendum,vniuersam iudicii priuatam formam siue legibus, siue moribus fuisse contentam,quousque Augustus Imperator, cùm Rempublicam constitueret,legem Iuliam tulit qua diligentius hæc omnia sanxit, cuius legis meminit Agellius lib.14. Vlpianus,item Callistratus ff.de receptis.

Vbi verò dies tertius accessit, tum iudicium factum est, nisi aut Iudex, aut alter litigatorum abfuit. Quod si causa absentiæ fuit morbus (lex XII.Tabularum, Paulus Agellius, & alij plures Sonticum illum morbum dixerunt) dies iudicii prolatus est. Sic enim lex XII.Tabul. Si Iudex,alterve ex litigatoribus morbo Sontico impediatur iudicij dies diffisus esto, qua de alibi. Postquàm autem Iudex venit,extemplo ad iurandum accessit,se ex lege iudicaturum. Arbiter enim non iurauit. Formula iusiurandi solemnis fuit:Ex animi sententia Cicero in Lucullo,& Iustinianus. Locus in Comitio ad Aram,quæ Puteal Libonis dicebatur. Erat autem Puteal Libonis ara in Comitio,in gradibus ipsis,ad læuam Curiæ sita,in quam iurari solebat, sic dicta à puteo,in quo Acii Naeuii nouacula cum cote defossa fuerat. Solemne autem iusiurandum erat,iurare Iouem lapidem: si ego te sciens fallo, ita me eiiciat Diespiter bonis,salua Vrbe,& arce,vt ego hunc lapidem. Iurasse autem aram tenentes,ostendit Cicero pro Flacco his verbis:Ergo is,cui si aram tenens iuraret,crederet nemo,per epistolam quod volet,iniuratus probabit? Sed pergam ad reliqua. Quòd si iudex venit, litigatorum autem alter non venit,neque morbum accusauit,tum Prætor peremptorium edictum in eum edidit. De quo sic Vlpianus ff.de iudic. Ad peremptorium iudicium hoc ordine venitur,vt primò quis petat post absentiam aduersarij edictum primum,mox alterum,& tertium. Quibus propositis,tum peremptorium impetret,quod inde hoc nomen sumpsit, quòd perimeret disceptationem, hoc est vltra non pateretur aduersarium tergiuersari. In peremptorio autê comminatur is,qui edictum dedit,etiam absente diuersa parte cogniturum se,& pronunciaturum. Nonnunquam post vnum vel alterum,nonnunquam statim,quod appellatur vnum pro omnibus. Hæc autem æstimare oportet eum,qui ius dicit,& pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis: ita ordinem edictorum,vel compendium moderari. Hactenus Vlpianus.

Vbi verò vterque litigator aduenit,Iudex vtrumque iurare iussit. Id iusiurandum Calumniæ iuramentum appellarunt. Nam actor quidem iurauit,se nô Calumniæ causa inficiari. Ciceroni pro Milone, & Q.Roscio iurare in litem dicitur. Id autem interpretantur ICti actorem iurasse,se litem ex æquo & bono æstimaturum. Atque vnus quidem Iudex si fuit, is vnum,aut duos iudicij socios Iurisperitos sibi adiunxit, qui quidem non ipsi iudicarunt, sed consilium communicarunt. Iudex autem sæpè status iudicauit, sed vt verisimile videtur,de re parua. Cicer.in Bruto. Quemadmodum autem tales Iudices cognoscerent paucis exponit Titius in oratione apud Macrobium libro tertio Saturnaliorum, capite decimo sexto, loquens de Iudicibus sui temporis: Veniunt,inquit,in Comitium tristes,iubent dicere quorum negotium est,narrant. Iudex testes poscit. Ipse it minctum,vbi redit,ait se omnia audiuisse, tabulas poscit,literas inspicit,vix præ vino sustinet palpebras,&c.

Cùm autem litigatores,siue patroni eorum iussi essent dicere,tum vero duobus modis dixerunt:vno paucis,altero pluribus verbis. Breuem expositionem appellarunt causæ coniunctionem,de qua sic Asconius:Cùm litigatores ad iudicem venissent,antequam causa ad Iudicê

ageretur, quasi per indicem rem exposuerunt. Atque idipsum dictum est causæ coniectio, quasi causæ suæ in breue coactio. Longioris expositionis exemplo sint causæ à Cicerone defensæ P. Quinctii & Qu. Roscij. Causa verò acta ita est, vt testibus, literis & argumentis ex ipsa re, qua de agebatur, depromptis, vtrinque certatum sit. Eius rei conficiendæ, ac status excogitandi atque eò probationes omnes conferendi artificium in libris Oratoriis multis verbis est demonstratum. Neque enim in aliis præceptis antiqui Rhetores tam Græci, quam Latini plus studij aut operæ consumpserunt. De testibus & tabulis, si qua ad hunc locum pertinent tum afferemus, cùm de publicis iudiciis disseremus. Et hæc quidem de Recuperatorio iudicio intelligenda sunt, cuius exemplum est Oratio pro Cæcinna. De centumuirali, cuius longè alia ratio fuit, pauca sunt adiicienda.

Ad Centumuiros causas detulêre Prætores perplexi iuris controuersiam continentes, non tamen ipsi eis iudiciis præfuêre, aliis fortasse muneribus occupati: verum eas Decemuiris litibus iudicandis attribuere, qui, vt supra dixi, ex consilio Prætorio extiterunt. Hi verò Centumuiros non solum sortiti sunt, sed etiam coêgerunt, atque eis præfuerunt, & litigatores citarunt, & omnino hasta posita totum iudicium pro suo arbitrio moderati sunt, non in foro, sed in Basilicis, id est, in aulis quæ eius officii causa constructæ erant, quarum illustres fuere Porcia & Iulia. Ipsa vero Centumuiralia iudicia in plura consilia distributa erant, & cognitio causarum Centumuiralium in orbem per ea consilia circumducebatur, perinde atque hodie fit in Italia in Iudicialibus quæ appellantur Rotis. Quin etiam aliquot causæ eiusmodi fuerunt, vt primum à Decemuiris, deinde à Centumuiris iudicatæ sint, eæque præiudiciales appellantur. Præiudicium nimirum ipsum Decemuirûm iudicium, quod ante Centumuirale factum est, nominatum. Cæterum Centumuiralia iudicia aucto numero Iudicum procedente tempore in quatuor consilia fuêre tributa, vt testantur Plinius lib. 4. & 6. epistolarum, Quinctilian. li. 12. Valerius Maximus libro 7. Fuerunt porro quædam causæ, quæ à Decemuiris, & Centumuiris cognitæ sunt, vt de libertate, quæ duplex assertio dicta, & de ventre agnoscendo & aliæ. De libertate testis est Cicero pro Cæcinna, & pro Domo. Itaque libet suspicari, quæ apud Iurisconsultos Præiudicia inde subsecuta, Centumuirûm. Satis enim constat, Iustinianum in libro de actionibus, Præiudiciales actiones vocare de libertate & ventre cognoscendo. De libertate autem cognitum esse & à Decemuiris, & à Centumuiris, ex Cicerone manifestum est. Ex quo intelligitur, iudicium Decemuirûm, ratione subsequêtis iudicij, Centumuiralis fuisse præiudicium. In quam sententiam etiam Vlpianus accipiendus est, ff. de in ius vocando, & de liberali causa, vbi significat optionem esse dandam ei, cuius de libertate agitur, an cognitionem causæ suæ malit per Centumuiralia iudicia circumduci, an audita à Decemuiris causa, non præiudicium, sed sententiam proferri. Quanquam autem Decemuiri præiudicium Centumuiralibus causis fecerint, non tamen omnibus fecerunt, sed aliquibus tantum, quemadmodum ex Vlpiano. ff. si ingenuus esse videtur, intelligi potest, & ex Quinctiliano li. 5. & 11. vbi secundam assertionem appellasse videtur, secundum iudicium de libertate à Centumuiris factum: Cum primum Decemuiri fecerint: partes Centumuiralium causarum causas aliquot, quæ duplicia sunt nactæ iudicia, vnum Decemuirûm, alterum Centumuirûm: itémque hastas duas, vnam Decemuirûm Centumuirûm alteram. Ex quo factum, vt ex duobus de eadem re iudiciis factis, primum præiudicium, secundum iudicium dictum sit. Centumuiralium porrò causarum quanquam nullæ extant, neque apud Ciceronem, neque apud alium quenquam orationes, cum inter priuatas essent grauissimæ, exempla tamen similium iudiciorum multa attulit Valerius loquens de testamentis. Has autem causas egêre oratores eodem, quo superiores, artificio, vt ex Ciceronis Rhetoricis, & Asconio conuincitur. Quemadmodum autem Iudicem sese gerere oporteat his causis declarat Cicero lib. 3. Officiorum his verbis: At neque contra Rempublicam, neque contra iusiurandum, ac fidem amici sui causa vir bonus faciet, nec si iudex quidem erit, de ipso amico. Ponit enim personam amici, cum induit Iudicis: tantum dabit amicitiæ, vt veram amici causam esse malit, vt perorandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum verò iurato dicenda sententia sit, meminerit Deum se adhibere testem, id est, vt ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus diuinius. Itaque præclarum accepimus à maioribus morem rogandi iudicis, si eum teneremus, quæ salua fide facere possit.

Capvt XVI.

De sententia latione, in integrum restitutione, addictione, iudicio calumniæ & falsi.

Causa

CAVSA demum vtrinque perorata post meridiem ad ferendam sententiam, quodcunque fuerit iudicium, ventum est. Sic enim scriptum erat in XII. Tabulis: Post meridiem pręsente ambobus litem addicito: Sed occasus suprema tempestas esto. Supremam nominat, quia post supremam ius dici, aut causa cognosci non poterat. Quod si Iudices causam non intellexissent, dixerunt, sibi non liquere. Agellius libro 14. Cicero pro Cæcinna. Si verò in causa nihil obscuritatis habuerunt, sententiam tulerunt. Sententiæ porrò ferendæ non vna omnium Iudicum, neque in omnibus causis ratio fuit. In nonnullis enim causis, vt de libertate, & ventre cognoscendo pronuntiarunt, sibi videri hominem aut liberum, aut ingenuum, aut seruum, aut libertum, aut filium esse, aut nō. Vlp. ff. de liberali causa. In actione verò iniuriarum pronunciarunt, aut iure fecisse videri, aut non iure fecisse videri. Iustinianus tit. de iniuriis. In aliis causis alterum condemnabant, alterum absoluebant. Dicebant autem aut condemno, aut ille debet: aut, solue: aut redde. Macer. ff. quæ sentent. Si Iudex ita pronunciauerit: Cum constet, Titium Seio ex illa specie quinquaginta, item ex illa viginti quinque debere, iccirco Titium Seio centum condemno. Vlpianus ff. de re iudicata. Si is, qui petit, summam expresserit, & Iudex ait, Solue, quod petitum est, valet sententia. Addere etiam soliti fuerunt Iudices in sententiæ latione hæc verba: Si quid est mei iudicij: Cic. lib. 2. de Finibus, in Epistolis ad Q. Fratrem: Prætor iudicare solet deberi. Absoluendi verò formula fuit: Secundum illum litem do. Cicero pro Q. Roscio. Seneca libro 7. controuersiarum. Neque vero illud præterire oportet, quod est apud Iustinianum. Omnia iudicia fuisse absolutoria, quia si ante rem iudicatam reus satisfaceret actori, officio Iudicis conueniebat, eum absoluere, licet in ea causa fuisset, iudicij accipiendi tempore, vt damnari deberet. Exemplum est eius rei apud Ciceronem pro Q. Roscio. Non tamen omnia iudicia fuisse talia existimauerim. Etenim in iis, quibus non res, sed pœna petebatur, restituta re non tamen absoluebantur, vt Venuleius ostendit ff. Quæ in fraudem creditorum: Hæc actio, inquit, restituendæ gratia, non pœnæ nomine datur, adeoque absolui debet reus, si restituerit.

In arbitrariis præcipua aliqua obseruatio fuit. Arbitri primum pronunciarunt arbitrium, deinde, nisi reus arbitrio paruisset, sententiam protulerunt, eumque condemnarūt. Arbitrium autem pronunciarunt ita: Arbitror, te hoc modo satisfacere actori debere. Sententiam vero pronunciarunt hoc modo, vt scribit Pomponius ff. de arbitris. Quantum ei debes, redde. Diuisioni vestræ stari placet, pro ea parte, quam soluisti creditoribus accipe. Quod si reus arbitrio iudiciis non parebat, tum arbiter actori iusiurandum in litem deferebat, id est iubebat illum iurare, quāti litem æstimaret, vt reum non modo damnaret, quanti ea res erat, sed etiam quanti actor æstimaret. Vlpianus ff. de rei vindicatione. Est porro intelligendum, Iudicem in arbitriis liberiorem fuisse, quàm in iis, quæ stricti iuris sunt, quod in iis neque pluris neque minoris damnare poterat, quàm quantum petebatur in hoc, quantum actori restitui oportere æstimabat: in iis exquirebatur tantum, quod lingua nuncupatum esset, in his non tam quod in contrahendo dictum erat, quam quod bonæ fidei ratio exigebat: in iis compensationis rationem habere non licebat, in his licebat. Vt si quis peteret decem, & deberet quinque, Iudex in illis debitorem damnabat decem, in his quinque. Arbitros tamen Prætoris & ipsos imperio fuisse subiectos, docet Vlpianus ff. de recept. arbitr. Notauit etiam Asconius in causis leuioribus singulos Iudices sententiam de tabula pronuntiasse.

Porrò iudicio causæ perfecto, secuta sunt tria alia iudicia, vnum de reo, alterum de petitore, tertium de Iudice. Rei iudicium fuit duplex, vnum pro reo, Restitutio in integrum appellata: alterum contra reum, Addictio. Petitoris autem iudicium Calumniæ, Iudicis, Falsi iudicium est vocatum. Restitutio in integrum fuit huiusmodi. Quoniam fieri poterat, vt aliquis in actione vel recusanda, vel accipienda multis modis lapsus esset, post sententiam semel latam dabatur damnato potestas litis retractandæ, atque ea dicebatur Restitutio in integrum. Paulus ff. de in integrum restitutionibus: Integri restitutio est redintegrandæ rei, vel causæ actio: item integri restitutio est actio Pretoria, qua rem certam, aut ius, aliámve quamlibet causam redintegrari postulamus, cùm quid per metū, vel dolum, vel status permutationem, vel iustum errorem, vel necessariam absentiam, vel ætatis infirmitatem gestum est, &c. Plura traduntur ab Vlpiano & aliis. Itaque in Edicto fuit: Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo. Vbi notat Vlpi. dem. olim edici consueuisse: Quod vi metúsve causa. Sed posteà detractam esse vis mentionem, ideò quia quodcunque vi atroci fit, id metu quoque fieri videtur. Item in eodem: Quæ dolo malo facta esse dicuntur, si de his rebus alia actio non erit, & iusta causa esse videbitur, iudicium dabitur, &c. Plures form. ab Vlp. petantur.

Addictio autem, quæ fuit iudicium contra reum, huius fuit generis. Post triginta dies, quamuis debere iudicatus fuerat, iterum in ius rapiebatur & ni iudicatū faceret, id est, pecu-

niam debitam solueret, à Prætore creditori nexus addicebatur, nisi sponsorem dedisset, atque à creditore abductus priuatum in carcerem condebatur, donec aut pecunia aut opera satisfecisset. Cicero pro Flacco: iste cùm iudicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus est. Hoc pluribus explicat Agellius l.20. ex lege XII. Tabularum, quæ est huiusmodi: Æris confessei rebusque iure ioudicateis 30. dies iustei sunto: Postidea indu manus iactio esto. in ious ducito, nei ioudicatum facit, at Quips endo ioure vindicit, secum ducito, vincito, aut neruo, aut compedibus quindecim pondo, ne minore: aut, si volet maiore vincito: sei volet, suo viuito, nei suo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato: sei volet, plus dato. Hæc sunt verba legis, ita restituta à Iosepho Scaligero, reliqua, quæ ab Agellio pro explicatione eius legis adducuntur, ex præcedenti libro repetantur, vbi totam legem explicauimus. Hi ergo addicti, & nexi vocati sunt. Addicti, propter iudicium Prætoris: Nexi, propter vincula creditoris. Addictus est autem, vt inquit Quinctilianus, quem lex seruire, donec soluerit, iubet. Nexus, teste Varrone, liber, qui suas operas in seruitute pro pecunia, quam debet, dum soluat dat.

Iudicium verò in petitorem fuit, si calumniatus fuisse argueretur. Erant autem calumniatores, qui accepta pecunia litem falsò intenderant, aut prætermiserant. De iis Vlpianus ff. de calumniatoribus: In eum, qui vt calumniæ causa negotium faceßeret, vel non faceßeret, pecuniam accepisse dicetur, intra annum in quadruplum eius pecuniæ, quam accepisse dicetur, post annum simpli in factum actio competit. Item, Hoc edicto tenetur, qui non depectus est. Depectus autem dicitur turpiter pactus. Cicero pro Milone. Qui calumnia litium fundos alienos petebat. Vide etiam Agellium lib.13.

Vltimum iudicium fuit in Iudicem: si ob iudicandum pecuniam accepisset, de quo in XII. Tabulis scriptum fuit. Vnde Agellius libro 20. Nisi duram esse legem putes, quæ Iudicem, arbitrumve datum, qui ob rem iudicandam pecuniam accepisse conuictus est, capite punit. Qui verò Iudex sciens dolo malo iniustè iudicabat, is litem suam facere dicebatur, auctor Vlpianus ff. de iudiciis. Iudex tunc litē suam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit, dolo malo autem videtur hoc facere, si euidens arguatur eius vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordes, vt veram æstimationem litis præstare cogatur. Is etiam videtur litem suam fecisse, qui ad constitutum tempus in iudicium non venit. Macrobius libro tertio capite 16. in Orat. Titij de Iudicibus: Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant. Abrogata inde lege XII. Tabularum, lege repetundarum de hoc crimine quæsitum est, quemadmodum, qui falsum testimonium dixerunt, lege de falso postulati pœnas dederunt, vt mox ostendemus. At de priuatorum quidem iudiciorum consuetudine hæc hactenus.

Capvt XVII.

Quæ publica iudicia fuerint, item de criminibus & pœnis.

Cognita priuatorum iudiciorum ratione, de publicis differendum est. Eorum enim longè alia ratio fuit, quàm priuatorum. Neque enim, vt inquit Iustinianus, per actiones ordinata sunt, neque omninò simile quidquam cum priuatis iudiciis habuerunt, magnáque diuersitas eorum tum, & in instituendo, & in intendendo. Publica verò dicta sunt, quòd cuiuis e populo actio permitteretur. Cæterùm iudicia publica fuerunt decreta, quæ de criminibus, Quæstore aliquo iudicium exercente: Iudices ab eo dati fecerunt, prout leges de singulis criminibus cognoscendis latæ iusserunt. Quæ vt planiùs intelligantur, de criminibus primùm & pœnis, deinde de Quæsitoribus, tum de Iudicibus, inde de quæstionum exercitionibus dicemus.

Crimina maleficia fuerunt, quæ aut aduersus Rempublicam commissa sunt, aut populus Romanus aduersus rempublicam commissa existimauit, atque iudicio legibus constituto pœna vindicanda putauit. Itaque non solùm iniuriæ factæ Senatui, aut populo, aut Magistratibus, sed etiam nonnullæ priuatis illatæ, publicorum iudiciorum legibus comprehensæ sunt.

Reipublicæ directò factæ dicuntur, vt si quis maiestatem populi Romani, aut magistratuum eius minuisset, publicam sacramve pecuniam auertisset, populi suffragia honoris adipiscendi gratia corrupisset, socios spoliasset, aut pecuniam ob iudicandum cepisset, quæ crimina appellarunt maiestatis, peculatus, ambitus, repetundarum, & vis publicæ.

Priuatis factas ad se pertinere populus existimauit, si quis hominem telo occidisset, si veneno neca-

no necasset, si parentibus manum intulisset, si falsum testamentum, falsúmve nummum fecisset, si vxorem alterius corrupisset, si seruum alienum aut celasset, aut vinxisset, aut emisset sciens, inciente domino, vnde hæc crimina nomen acceperunt, inter sicarios, veneficij, parricidij, falsi, adulterij, plagij. Quin etiam quæcunque cum priuatos attingerent, de iis quæstionem publicam constitui lege aliqua voluerunt, ea pro criminibus habita sunt, vt circumscriptio pupillorum lege Lætoria, de qua Cicero de natura Deorum: Inde iudicium publicum rei priuatæ lege Lætoria.

Vt autem non omnia rerum priuatarum iudicia priuata fuerunt, sic non omnia in quibus crimen versatum est, fuerunt publica: sed ea demum, quæ legibus publicarum quæstionum sunt constituta, quod docet Macer lib.1. de iudiciis publicis. Quoniam autem caussæ publicæ crimen ferme complexæ sunt, hinc nomen etiam criminalium inuenerunt.

Criminibus ipsis adiungi debet disputatio de pœnis, quibus ipsa crimina vindicata sunt. Pœnarum autem genera ex auctoritate Tullij octo prodidit Isidorus, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, seruitutem, & mortem, quarum aliæ bona læserunt, vt damnum: aliæ corpus, vt vincula, verbera, & talio: aliæ ius, vt ignominia, exilium, & seruitus: aliæ vitam, vt mors.

Damnum alio nomine mulcta est dicta. Multa Sabinum vocabulum fuit, eáque in ouibus & bubus æstimandis constitit, quibus primis temporibus Italia abundauit. Itaque vt scribit Agellius lib. 11. Suprema mulcta erat duarũ ouium & triginta boum, pro copia scilicet boum, & penuria ouium. Sed cum eiusmodi mulcta pecoris armentique a Magistratibus dicta erat, adigebantur boues, ouésque alias pretij parui, alias maioris, eáque res faciebat inæqualem mulctæ portionem: idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oues singulas æris deni, in boues æris centeni. Minima vero mulcta fuit ouis vnius. Quando autem a Magistratibus populi Romani more maiorum mulcta dicebatur, vel minima, vel suprema: obseruari solebat, vt oues genere virili appellarentur, atque ita M. Varro hæc legitima verba, quibus minima mulcta diceretur, concepit M. Terentio, quando citatus neque respõdit, neque excusatus est, ego ei vnam ouem mulctam dico: ac nisi eo genere diceretur, negauerunt iustam videri mulctam. Hæc ex Varrone Agellius. Festus autem ita: Mulctam Osci dici putant pœnam quandam. M. Varro ait, pœnam esse, sed pecuniariam, de qua in lib. 1 epistolicarum quæstionum refert. Maximam mulctam dixerunt trium millium, & viginti assium, quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duabus ouibus quenquam mulctare, æstimabatúrq; bos centussibus, ouis decussibus, vt scribit Agellius. Quam autem legem Ateriam vocauit Agellius, eam Tarpeiam nominat Festus, quod Aterius cum Tarpeio consul eam tulerit. Pro mulcta vero etiam sæpe pecuniam dixerunt.

Vinculorum nomine complexi sunt cõpedes, pedicas, manicas, catenas, neruos, boiam, & carcerem. Plautus in Asinaria: Qui aduersus stimulos, laminas, crucésque, cõpedesque, neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias, &c. Compedes vinculum est, quo pedes irretiri solent, ab impediendo dictis, teste Nonio. Pedica, vinculum quo pedes vinciuntur. Manica, quo manus, Nonius. Neruum, ait Festus, appellamus ferreum vinculum, quo pedes impediuntur, quanquam Plautus eo etiam ceruices vinciri ait: Perfidiose captus, eo ædepol neruo ceruices probas. Boiæ, id est genus vinculorum, tam ligneæ, quam ferreæ dicuntur, Festus. vbi Scaliger addit ex antiquis Glossis Boiam proprie esse collare. Carcerem ædificatum fuisse ab Anco rege, scribit Liuius lib. 1. imminente foro ad terrorem crescentis audaciæ, omnia ad coercẽdos & constringẽdos homines comparata. Vnde illa Ciceronis in vlt. in Verrem: Quæret quamobrem fasces Prætoribus præferantur, cur secures datæ, cur carcer ædificatus, cur tot supplicia more maiorum in improbos constituta? Cæterum reorum custodia duplex fuit. Carcer & priuata domus. Ante confessionem in liberas custodias tradere consueuerunt: Liberæ autem custodiæ dicebantur, cum apud Magistratos domi, aut apud priuatos nobiles ponebantur custodiendi, quemadmodum de Indice Bacchanalium scripsit Liuius, & de Coniuratis Sallustius. Post confessionem verò in vincula publica coniiciebantur. Venuleius ff. de custodia reorum: Reus confessus, donec de eo pronunciaretur, in publica vincula coniiciendus. Item Scæuolæ Reus confessus, ob solam confessionem coniici in vincula consueuit. Fuit autem custos quidam carceris, quem Commentariensem vocat Plin. lib. 7. cap. 38 qui Triumuiro capitali, cuius summa carceris, & animaduersionis cura fuit, parebat. Ostendit hoc Valerius lib. 5. scribens, custodem carceris pietatem filiæ, quæ in carcere matrem lacte sustentauit, ad Triumuirum detulisse.

Verbera inflicta sunt virgis & fustibus. Virgis vsi sunt Magistratus, cum expeditis fascibus lictores animaduerterunt in terga: præcessit autem verberatio extremum mortis supplicium. Fustigationem in castris adhibuerunt & priuatim. Valerius libro 6. Metellus vxorem, quod

vinum bibisset, fuste interemit.

De Talione sic Isidorus: Talio est similitudo vindictæ, vt taliter quis puniatur, vt fecit: hoc enim & natura & lege est institutum, vt lædentem similis vindicta sequatur, vnde & illud est legis: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Item Festus citat hæc verba legis: Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto. Permittit autem, inquit lex, parem vindictam. Hinc Iustinianus scripsit: Pœna iniuriarum per membrum ruptum talio erat. Agellius autem libro 11. capite 1. addit, reum habuisse facultatem paciscendi, & non necesse habuisse pati talionem, nisi eam elegisset. Sed de hac lege supra.

Ignominia fuit infamia. Cicero lib. 4. de Rep. teste Nonio: Censoris iudicium nihil armis Magistratuum, aut priuatum coëgisset, fere damnato affert, nisi ruborem. Itaque quòd omnis ea iudicatio versatur tantummodò in nomine, animaduersio illa ignominia dicta est. Infames autem lege & edicto Prætorio factos, & quare, apparet ex Digestis de iis qui notantur infamiâ. Cæterùm infamia ius munerum honorumque ciuilium ferme ademit.

Exilium intellexerunt, cum aqua & igni interdixerunt. Siquidem consuetudo loquendi obtinuit, vt omnes, quibus aqua & igni interdictum esset, quoniam exilij causa solum vertere cogebantur, exules appellarentur, vt est in Rhetoricis ad Herennium. Exilium autem non nominabatur in irrogatione pœnæ, sed aquæ & ignis interdictio, quam necessario sequebatur exilium. Neque enim sine aquæ & ignis vsu esse quisquam in Vrbe poterat, quod docet Cicero pro Cæcinna. Exilium non est supplicium, sed perfugium, portúsque supplicij. Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, eò solum vertunt, hoc est, locum, ac sedem mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, vt apud cæteras ciuitates, maleficium vllum esse exilio mulctatum: sed cum homines vincula neces, ignominiásque vitant, quæ sunt legibus constitutæ, confugiunt, quasi ad aram, in exilium: qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuitatem, quam vitam amitterent. Ex illo autem ciues iure ciuitatis nudati sunt. Relegati autem dicti, teste Festo, quibus ignominiæ, aut pœnæ causa necesse fuit, ab vrbe Roma, aliòve quo loco abesse, lege, Senatúsque consulto, aut edicto Magistratus.

De seruitute autem, qua ius libertatis est violatum, & extremo supplicio, quo vita adempta, vt quæ horum iudiciorum non sint, pòst alio loco magis idoneo dicitur.

Quoniam autem has pœnas omnes duobus nominibus incluserunt, pecuniæ & capitis, ob id factum est, vt iudicia publica alia capitalia fuerint. Quod etiam scripsit Paulus ad Edictum principis his verbis: Publicorum iudiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus pœna, mors, aut exilium est, hoc est, aquæ & ignis interdictio. Per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. Nam cætera non exilia sed relegationes propriè dicũtur, tunc enim ciuitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio pœna est. Hactenus ille. Vt autem non omnes causæ criminales capitales fuerunt, velut si maiestatis reus mulctatus esset pecunia: sic non omnes capitales crimen continuerunt, vt causa Quinctij, quæ à Cicerone capitalis dicitur (cum tamen sine crimine) quia infamiam afferebat. Quinctius autem vadimonium deseruisse dicebatur. Modestinus ff. de verborum significatione: Licet capitalis Latinè loquentibus omnis causa existimationis videatur, tamen appellatio capitalis, mortis, vel amissionis ciuitatis intelligenda est. Cicero pro Q. Roscio: Si qua sunt priuata iudicia, summæ existimationis, & propè dicam capitis, tria hæc sunt, fiduciæ, tutelæ, societatis.

Caput XVIII.

De Prætoribus, Quæsitoribus, Iudicibus Quæstionum, & Iudicibus.

Criminibus explicatis, transeamus ad Quæsitores. Quæsitores dicti, qui iudicium publicum exercuerunt, quam quæstionem vocarunt. Huic autem rei operam dederunt primùm Reges, deinde Consules, post Magistratus ij, quos ei muneri Senatus, aut populus præfecit. De Regibus auctor est Dionysius libro 2. qui Romulum Regem delicta maxima cognouisse, minora Senatoribus permisisse scribit, & Liuius lib. 1. qui, cum Superbum Regem scribat, vt metum populo incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis, per se solum exercuisse, propterque eam causam occidere, in exilium agere, bonis mulctare potuisse, non obscurè, quid cæteri superiores reges seruarint, ostendit. De Consulibus ex eo elicere possumus, quòd in regum locum successerunt, & quòd Brutus primus Consul de coniuratis vltimum supplicium, causa ipsa cognita sumpsit. Verum eodem anno id ius lege Valeria, de prouocatione lata, est imminutum, cautúmque in posterum, ne consul de

capite

capite ciuis Romani iniussu populi quæreret: verum ij demum, quos populus quæstionibus publicis præfecisset, qui inde Quæsitores parricidij sunt appellati, quos nō multò post Reges exactos institutos scribit Pomponius, ff. de orig. iuris, Vnde Festus, Quæsitores parricidij (siue Patricidij) appellatos ait, quos soliti fuerint creare causa rerum capitalium, sæpius memoria celebratur vt Cosso, & Medulino Consulibus anno CCCXL. item anno CCCXLIX. & anno DLXVI. Atque in hunc quidem modum vsque ad annum DCIV. Quæstiones publicæ exercitæ sunt, vt quotiescunque res posceret, aut Consules, aut Dictator, aut Prætor Senatusconsulto, aut lege quærere iuberetur.

Anno autem ipso DCIV. perpetuæ quæstiones esse, ac proprium Quæsitorem habere cœperunt. Legem. n. L. Piso Tribunus plebis tulit, quæ quæstionem repetundarum perpetuam fecit, vt scribit Cicero in Bruto his verbis: Carbone forum tenente plura iudicia fieri cœperunt. Nam & quæstiones perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt, quæ nullæ ante fuerant. L. enim Piso Trib. pleb. legem primus de pecuniis repetundis, Censorino & Manlio consulibus tulit. Ij vero eo anno, quo dixi, consules fuerunt. Quæstio vero perpetua facta intelligitur, cum Prætori in singulos annos mandatur: mandatur autem, cum hæc verba in lege de aliquo vindicando crimine lata ponuntur: De ea re Prætoris quæstio esto. Item Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, vt, &c. Post quæstionem de repetundis, quæstio inde de peculatu, de maiestate, & de ambitu perpetua facta est: cũ nque sextum crearentur in vrbe Prætores, mutata est tota ratio sortitionis Prætoriæ. Ante enim Prætores bini sing. domi iurisd. ex Senatusc. sortiebantur, vrbanam & peregrinam: reliqui quatuor prouincias foris gubernandas. Ab hoc vero tempore duæ iurisdictiones, & quatuor quæstiones in sortem ex Senatusconsulto à Prætoribus sex conici cœptæ. Prætura verò Romæ acta prouincias sortiti sunt, in easque Proprætores profecti sunt. Demum L. Cornelius Sulla Dictator, vt inquit Pomponius, quæstiones alias quatuor publicas tulit, de sicariis, veneficiis, falso, & parricidio: & propterea Prætores quoque quatuor, vt de iis quærerent, addidit. Sic enim exponit Cicero in Verrem: Lex Cornelia testamentaria, nummaria (hæc est, quæ quæstionem de falso continet) cæteræ complures, in quibus non ius aliquod nouum in populum constituitur, sed sancitur, vt quod semper malum facinus fuerit, eius quæstio ad Prætorem pertineret ex eo tempore. Quoniam autem numerus Prætorum, & ratio cognitionum earum iam inde ab initio permissa erat arbitrio Senatus: ob id factum est, vt rarò aut fortasse nunquam, nisi octo Prætores quotannis sint creati, ita vt cum essent octo Prætores, & decem cognitiones, in iis deferendis pro voluntate Senatus variatum sit. Vt enim ante aliquando binæ iurisdictiones, & binæ prouinciæ singulis sunt tributæ: sic posthac & binæ iurisdictiones & binæ quæstiones singulis, & iurisdictio cum quæstione vni, & vna quæstio duobus ex Senatusconsulto commissa est, id quod pluribus exemplis in medium prolatis demonstrat Sigonius.

Quanquam autem post annum DCIV. Prætores primum quatuor, deinde sex perpetui singularum quæstionum Quæsitores sunt constituti, vt eas quotannis sortirentur: non tamen omnia iudicia publica ab ordinariis illis Quæsitoribus facta sunt, verum extra ordinem multæ quæstiones aut Senatusconsulto, aut plebiscito, vt ante, aut Consulibus, aut aliis Magistratibus, aut etiam priuatis hominibus mandatæ sunt: siue quia nulla dum lex de iis constituendis erat lata, siue quod lata erat illa quidem, sed pro rei atrocitate extra ordinem quærendum esse videbatur. Exempla etiam huius rei sunt apud Sigonium. Ac Quæsitorum quidem siue ordinarij essent, quanquam potestas ab ea lege, qua creati erant, tota manauit: tamen omnium in his rebus collocata fuit, vt in foro, atque in tribunali, & in sella Curuli sedentes, iudice quæstionis aliquo (de quo iam dicetur) operam fidemque nauante, gladio posito, iudicium exercerent, cum eis Iudicibus, qui eis obuenissent, sedentibus in iure subselliis, scribis verò, accensis, præconibus, lictoribus, aliisque apparitoribus assistentibus, id quod ex Ciceronis oratione pro Cluentio, & eiusdem Bruto est manifestum. Cæterum quæstio, euersa R. publica, merum imperium est appellata. Sunt enim tria Magistratuum imperia celebrata, merum, non merum, & mistum. Merum fuit cognitio rerum capitalium, non merum priuatarum, quod proprie iurisdictio est appellata: mistum vtrumque. Indicat Vlpianus ff. de iurisdictione: Imperium aut merum est, aut mistum. Merum est imperium, habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines. Mistum est imperium, cui etiam iurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. Iurisdictio est etiam iudices dandi licentia, id est, merum imperium continet causarum capitalium cognitionem: mistum non solum cognitionem rerum capitalium, sed etiam iurisdictionem, id est, priuatarum cognitionem, quæ cum multis aliis in rebus versetur, tum vel maxime in danda bonorum possessione, & dando iudicio posita est, vt supra ostendimus. Et Paulus ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio: Mandata iurisdictione etiam imperium, quod non est merum,

videtur mandari. Gladius autem, de quo dictum est, insigne opinor fuit Magistratus publicum iudicium exercentis, sicut hasta Prætoris vrbani priuatum iudicium exercentis.

Præterea vero hanc quæstionem, siue hoc merum imperium, publicive iudicii cognitionem, aut exercitionem mandari alteri non potuisse, satis constat, nisi fortasse eadem lex, quæ de quæstione erat lata, quæstionem illam transmitti licuisse sanciuerit. Papinianus ff. de iudicio eius, cui mandata est iurisdictio: Quæcunque specialiter lege, vel Senatusconsulto tribuuntur mandata iurisdictione non transferuntur, &c. Vide locum. Atque hæc quidem de Quæsitoribus.

Exceptis autem Prætoribus, quos summos Quæsitores fuisse diximus, erant etiam Iudices quæstionum, qui ab Asconio Principes quæstionum dicuntur, & distincti erant à Prætoribus, Quæsitoribus, & ab aliis Iudicibus, & creabantur ex Magistratibus, postquam Ædiles fuissent. Eorum officium erat, datam actionem exercere. Iudices sortiti, testes audire, quæstiones habere, tabulas inspicere: Prætores autem actionem dabant, aut negabant, & dimittebant. Sunt tamen qui opinentur, Iudicem quæstionis eundem cum Prætore fuisse: alii vero, eum non solum non Prætorem fuisse, sed hominem omnino priuatum, quarum opinionum refutationem habet Sigonius.

Restant cognoscendi Iudices, qui à Prætoribus, Quæsitoribus, & Iudicibus quæstionum distincti fuerunt. Iudices vero dicti sunt, qui ex lege ad iudicandum adhibiti sunt, quorumque sententiam Prætor ipse pro tribunali pronunciauit. Horum autem legendorum diligens admodum ratio fuit. Primum enim cautum est ex quibus ordinibus essent legendi, deinde quo numero in singulos annos, inde qua conditione & qua ætate. De ordinibus si quærimus: primum lecti fuerunt ex ordine Senatorio, antiquo, ac Regio instituto, deinde ex Equestri, lege Sempronia C. Gracchi, tum ex vtroque, lege Seruilia Glauciæ, deinde iterum ex Senatorio tantum, lege Liuia Drusi, tum ex tribus ordinibus, Senatu, Equestri ordine, plebe, lege Plautia Siluani, tum ad Senatores solos res traducta lege Cornelia Syllæ: inde ad tres ordines, Senatum, Equites, Tribunos ærarios, hi enim erant e plebe, lege Aurelia Cottæ: postremo redacta ad Senatores & Equites lege Iulia Cæsaris.

Numerus autem eorum à legibus ipsis præscribebatur, aut à lege Seruilia Glauciæ, quadringentorum quinquaginta. Itaque non idem semper fuit. Ætatis item non eadem ab omnibus habita fuit ratio. Nam lege Seruilia Glauciæ cautum est, ne minor annis triginta, maior sexaginta legeretur. Cum autem aliis legibus triginta quinque præscripti essent, Augustus ad triginta redegit, teste Suetonio. Ea verò lectio per prætorem vrbanum, aut peregrinum iuratum celebrabatur, prout lege sancitum fuerat, iique selecti Iudices appellati. Vide legem Corneliam & Seruiliam Glauciæ. Quotannis autem lectos indicat Cicero in Verrem. Nunc Iudicem ex Cal. Ianuariis non habebimus. Munera vero Iudicum fuerunt, vt in legem iurarent, citati à Prætore iudicium exercente adessent, in subselliis, quæ subiecta tribunali erant, ex lege sederent, ne inter se disputarent, postremo iurati sententias ferrent. Hæc etiam de Iudicibus, sequitur de actione.

CAPVT XIX.

De exercitione actionis, siue instituenda actione, in ius vocatione, postulatione, nominis delatione, citando accusatore & reo.

CRIMINIBVS, quæstionibus & iudicibus cognitis, deinceps de exercitione quæstionis, siue de instituenda actione atque tota apud Prætorem agendi ratione disserendum est. Ordo vero agendi talis fuit: Priuatus ciuis, qui priuati nomen deferre in animo habuit, eum in Ius vocauit, & Prætorem in foro adiens, qui de crimine illo cognoscebat, quod ipse deferre volebat, dicendi potestate accepta, postulauit, vt sibi nomen eius deferre liceret: qua re impetrata, nomen detulit. Nomine recepto, atque à Scribis, iussu Prætoris, in tabulas relato, ille reus est dictus. Ita primum præcessit in Ius vocatio, deinde postulatio: tum nominis delatio, ad extremum inde secuta est accusatio.

In ius vocatio. Cæterum in Ius vocatio ita locum habuit, si ille, cui negocium parabatur, in Vrbe fuit. Habuit enim, vt puto, prehensionem, & eductionem perinde, atque in priuato iudicio. Quod ostendit Seneca lib. 4. Controuersiarum, item in Ludo, & Macer ff. de accusationibus: cum scribit, qui sunt in Magistratu accusari non posse, quia sine fraude in Ius euocari non possunt. In ipsa vero vocatione eadem obseruata esse in iudicio publico, quæ in priuato seruata sunt, videtur verisimile.

Vt

Vt autem in iudicio priuato, aduersario in Ius vocato postulabatur à Prætore, vt sibi liceret nomen deferre. Testes sunt Cælius ad Ciceronem, libro octauo Epistolarū ad familiares, Cicero ipse in Diuinatione, & ad fratrem, & Seneca in Ludo. Postulatio vero fiebat nō solum præsente, sed etiam absente illo, in quem fiebat, vti Cicero ostendit scribens ad fratrem, cum Gabinium, postquam accessit ad Vrbem, necdum ingressum, à Lentulis de maiestate postulatum nunciat. Idem Cælius ad Ciceronem, & Valerius Maximus lib. 3. testantur. *Postulatio.*

Neque vero leges potestatem temerè concesserunt, vt quicunque postulare, aut quicunque postulari possent. Scribit enim Macer ff. de accusationibus. Qui accusare possunt, intelligemus, si scierimus, qui non possunt. Itaque prohibentur accusare alij propter sexum, vel ætatem, vt mulier, vt pupillus: alij propter Sacramentum, vt qui stipendium merent, alij propter Magistratum, potestatémve: in qua agentes sine fraude in Ius euocari non possunt, alij propter delictum proprium, vt infames: alij propter turpem quæstum, vt qui duo iudicia aduersus duos reos subscripta habent, nummósque ob accusandum vel nō accusandum acceperint: alij propter conditionem suam, vt libertini contra patronos: hæc Macer. Quod autem scriptum est de muliere & pupillis, idem eo loco tradunt Pomponius & Papinianus, sed tamen cum exceptione, quæ ibi videatur. Quæ verò de iis, qui accusare non potuerunt, à Iurisconsultis scripta sunt, ea ex legibus singulis de quoque crimine sumpta sunt. Neque vero solum leges præscripsisse videntur, qui postulare non possent, sed etiam ipsi Prætores pro potestate multos à postulatione videntur repulisse, vt Quæstores, ne Prætorum suorum nomina deferrent, propter necessitudinem, quæ inter illos intercedebat, teste Cicerone in Diuinatione. Eadem ratione non omnes postulari poterant, primùm non Magistratus, deinde non ij, qui Reipublicæ causa absunt. De Magistratibus notum est illud libro 45. apud Liuium, vbi Seruilius reprehendit Galbam, quod si nocere Paulo voluit, non postridie, quàm triumphauit, cum primum eum priuatum visurus esset, legibus interrogarit. De iis qui Reipublicæ causa absunt, lex Memmia sanxit, cuius mentio fit apud Valerium libro tertio. Satis etiam constat, apud Romanos accusationis munus probro fuisse, laudem tamen attulisse iis, qui, vt inquit Cicero in 2. de Officiis, aut Reipublicæ causa, aut patrocinij gratia, aut paternarum aut propriarum inimicitiarum causa ad accusationem accederent, eámque rem summo honori adolescentibus fuisse, quod etiam in Lucullo scripsit Plutarchus. Iam verò in causa repetundarum illud præcipuè obseruatum est, vt populi qui repeterent pecuniam, ac spoliatos se per legatos quærerentur, patronos quoque nominandi potestatem postularent, testibus Liuio libro 43. & Cicerone in 1. de Oratore. Itaque in legibus de pecuniis repetundis præcipuè sanctum est de patronis dandis & repudiandis. Hi verò qui sociorum patroni fuerunt, reorum accusatores extiterunt.

Sæpe etiam euenit, vt duo aut plures non solum in repetundarum, sed etiā ambitus, & aliorum criminum, accusationem sibi deposcerent. Quod cum accidit, tum iudicium factum est, vter deberet nomen deferre. Quod Vlpianus ostendit, ff. de accusationibus. Si plures existant, inquit, qui in iudiciis publicis accusare volunt, iudex eligere debet eum, qui accuset, causa scilicet cognita, æstimatis accusatorum personis, vel de dignitate, vel ex eo, quod interest, vel ætate, vel moribus, vel alia iusta de causa. Hoc autem iudicium Diuinationem dixerunt. Diuinatio porrò dicta est, teste Asconio in Diuinationem Ciceronis, quia non de facto quæritur, sed de futuro, vter debeat accusare. Alij putant diuinationem dici, quod iniurati Iudices in hac causa sedeant, vt quod velint, præsentire de vtroq; possint. Alij, quòd res agatur sine testibus, & sine tabulis, & his remotis, argumenta sola sequantur Iudices, & quasi diuinent. Agellius autem ita scribit lib. 2. Cum de constituendo accusatore quæritur, iudiciúmque super ea re redditū, cuinam potissimum ex duobus pluribúsve accusatio, subscriptióve in reum permittatur, ea res, atque Iudicum cognitio Diuinatio appellatur. Bassus, Diuinatio, inquit, iudicium appellatur, quoniam diuinare quodammodo Iudicem oporteat, quam sententiam sese ferre par sit. Et quæ sequuntur.

Quale autem hoc iudicium fuerit, facilè ipsa Ciceronis in Verrem Diuinatio, in qua cum Cæcilio disputat, potest docere.

Ex multis autem accusatoribus, qui primas egit, is accusator est dictus: qui secūdas, & tertias, subscriptor. Hic vero, vt inquit Asconius, accusatorē adiuuare est solitus. Subscriptorum meminerunt Cornelius Nepos in vita Attici, Asconius in Cornelianam, & Scaurianam, Cicero in Verrem. Plutarchus etiam in Catone maiore scribit, legem fuisse, vt reus accusatori daret custodem ad obseruandam accusationem eius. Tamen cum Cicero dixisset de Cæcilio, Custodem Tullio me apponite: Asconius interpretatus est, accusationibus subscriptorem.

Die constituta, venerunt in Ius Accusator & is, cui accusatio parabatur, ac præsente Prætore delatio nominis facta est. Primum autem, Accusator calumniam iurauit, deinde nomen *Nominis delatio.*

detulit Iurare calumniam fuit solemne iusiurandum concipere, se non calumniandi causâ nomen delaturum esse. Liuius lib. 44. Cælius ad Ciceronem, lib. 8. Epistolarum ad familiareis, & Asconius in Cornelianam. Hoc in lege Seruilia deiurare calumniam dicitur. Quoniam autem idem est Delatio nominis in iudicio publico, quod in priuato intentio litis, verisimile est, easdem formulas actionum, quoad res passa est, obseruatas. Nempe qui vadimonium promiserat dixit: Ecce me, sisto me: & tu siste te, quid ais? Cui accusator respondit: Aio, te peccasse contra legem hanc, vel illam. Hoc innuit Liuius libro 4. Formula verò intentionis eadem ferè in omnibus criminibus fuit. In crimine certe repetundarum talis fuit: Aio, te in Prætura spoliasse Siculos contra legem Corneliam, atque eo nomine sestertium millies à te repeto. Cicero in Verrem. In peculatu ita: Aio, te pecuniam publicam, cum Quæstor esses, auertisse, & falsas ad ærarium rationes retulisse, atque eo nomine sestertium quingenties à te repeto. In ambitu ita: Aio, te in petendo Consulatu pecuniam dedisse Tribubus, prandia, locum gladiatoribus contra legem Tulliam, atque pœnam, quæ lege continetur, à te repeto. Quòd si ille aut tacuisset, aut confessus esset, tum in repetundarum crimine lis æstimabatur, vt victo, aut pœna repetebatur: si infitiatus esset, postulabatur, vt nomen inter eos reciperetur, ac delatio nominis scribebatur, & tempus inquirendi postulabatur. Qui verò hoc faciebat, is dicebatur, Reum facere, & legibus interrogare. Asconius, Cicero pro Domo, Sallustius & Liuius libro 45. Vt autem in iudicio priuato petere, & repetere pecuniam dicebatur actor: sic in publico, petere & repetere mulctam, & pœnam accusator. Cicero aliquot locis. Inde fluxit, vt repetere pœnas ab inimicis dicamus, cum eos vlciscimur, translatione è iudicio deriuata. Vbi verò voce res peracta erat, tum verò ad scriptum veniebatur, ac crimen quod obiiciebatur, libello subscriptum relinquebatur. Vlpianus ff. de Accusatoribus, item Paulus, Asconius in Milonianam, & Cicero pro Cluentio. Ex quibus etiam intelligitur, accusatorem & voce & libello omnia & singula, quibus reus legem illam, quam nominasset, transgressus esset, esse complexum, vt in pecuniis repetundis, abstulisse, iniquè iudicasse, supplicia de ciuibus Romanis sumpsisse, aut alia, quæ se probare aduersus illum posse confideret.

Vbi verò nomen eius hoc modo detulerat, postulabat, vt reciperetur, id est, vt in tabulas inter reos referretur. Prætor enim hoc ius habebat, vt recipere, & non recipere posset, testibus Seneca in Ludo, & Cælio ad Ciceronem. Erant autem crimina quædam, quæ propter atrocitatem ac magnitudinem suam extra ordinem accipiebantur, vt patricidij, & de vi. Cicero in Rhetoricis & pro Cælio, Cælius ad Ciceronem.

Recepto autem vel ordine, vel extra ordinem in rei nomine, Prætor certam diem qua accusator & reus ad iudicium adessent, constituebat. Is dies in aliis legibus decimus in aliis tricesimus fuit. Asconius in Cornelianam, Cicero in Vatinium. In crimine autem repetundarum accusator diem longiorem ad inquirendum poposcit, vt Cicero in causa Verrina centum & decem, teste Asconio. His rebus actis, reus vestem mutauit, & patronos conquisiuit. De veste hæc ratio fuit. Toga alba deposita, atram induit, & barbam, capillúmque promisit, squalorémque contraxit. Quæ verò Agel. libro 3. de Scip. Æmil. Plutarchus de Macro, & Valerius libro 6. de Rutilio narrant, quod nec vestem mutarint, nec barbam promiserint, singularia fuerunt. De patronis hæc accepimus. Scribit Asconius ante bellum ciuile Cæsaris raro quenquam pluribus, quàm quatuor patronis esse vsum, post bella verò ciuilia ante legem Iuliam vsque ad duodenos patronos esse peruentum. Idem defensorum quatuor genera facit, quorum patronum eum vocat, qui orator esset, & voce causam orandam susciperet, & sese accusatori opponeret. In his etiam iudiciis non licuisse Tribunos plebis appellare, significat Cicero in Vatinium.

De citādo accusatore & reo. Quoniam autem sæpè accidit, vt perficiendi iudicij causa accusator, & reus citandus fuerit, hoc notandum est. Quoties dies constituta alicui actioni à Prætore accessit, si Prætor adesse non potuit, rem in alium diem differendi ius habuit. Asconius. Si affuit, accusatores, & reum & patronos citari per præconem iussit. Tum verò, si accusatores non affuerunt, nomen rei ex reis exemptum est: si reus non accessit, absens damnatus est. Asconius eodem in loco, & in Milonianam, & Cicero in Verrem. Etiam illa causa cognitionis differendæ fuit, si extraordinarius aliquis reus esset delatus, de qua paulò ante diximus. Item si qua causa, cum ea quæ agebatur, coniuncta in iudicium esset adducta. Nam propter coniunctionem, & quasi affinitatem, eam ante ordinarias peragi voluerunt, vt Cicero pro Cluentio: Fabricium statim reum fecit, atque vt ei locus primus constitueretur propter causæ cognitionem, imperauit.

CAPVT

CAPVT XX.

De iudicibus legendis, sortitione, reiectione, subsortitione, & numero Iudicum: qui & quando iurati aut iniurati sederent.

VBi verò Prętor assederat, & accusatores, reus, & Patroni prodierant, de Iudicibus agebatur, quod munus plerumque iudici quæstionis assignabatur. Numerus autem Iudicum legebatur, qui à lege erat præscriptus, qua iudicium illud exercebatur, & quomodo erat præscriptum. Modus autem fuit duplex, sortitio & editio. *De Iudicibus legendis.*

Sortitio fuit eiusmodi. Prętor, aut Iudex quæstionis in vrnam conijciebat omnes iudices selectos, id est, qui ad iudicia eius anni à Prętoribus ex lege fuerant delecti, ac sorte eũ numerũ educebat, quem lex ipsa præscribebat. Quo facto dabatur potestas reo, & accusatori reijciendi, quos parũ sibi putarent idoneos. In locum verò reiectorum alios, siue Prætor, siue Iudex quæstionis subsortiebatur. Quem morẽ his verbis exponit Asconius: Cùm multi iudices in consilio cũ Prætore suo iudicaturi essent, qui Quæsitor fuisset in causa publica, necesse fuerat, eos primùm de curia Senatoria conscribi, cũ Senatus iudicaret: deinde in vrnã mitti, vt de pluribus necessarius numerus sortitione confici posset, tertiò permitti accusatori & reo, vt ex illo numero reijciant, quos putauerint sibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore. Reiectione celebrata, in eorũ locum qui reiecti fuerãt, subsortiebatur Prætor alios, quibus ille iudicum numerus legitimus cõpleretur. & alibi: Sortitus erat Iudices Prætor Verres in eorum locum, vt mos est, alios. Quibus verbis ostendit, hanc lectionem multarum adeò legum, ac quæstionum fuisse, vt more facta dicatur. In hac tamen re variatum esse vi legum, satis posteà apparebit. Reiectionis meminit Cicero pro Sylla, & in tertia in Verrem. De editione mentio fit in lege Seruilia Glauciæ, qua iubetur, vt actor ex CDL. Iudicibus centum edat, reus ex centum edat quinquaginta, sicuti alio loco ea recitata est. Eadem ratione lex Licinia de Sodalitijs potestatem dedit accusatori edendi Iudices reo, verùm non ex delectis ad iudicandum, sed ex vniuerso populo. Qua de re grauissimè conqueritur Cicero pro Plancio. *Sortitio. Reiectio. Subsortitio. Editio.*

Hac re transacta, iudices lecti citabantur, quique adesse non poterat, excusationem afferebat. Cicero in 5. Philippica. Qui verò accedebant & iudicium accipiebant, ij iusiurandũ suscipiebant, atque eorum nomina inscripta in arcis reponebantur. Vnde scripsit Asconius: Subscriptione perfecta, iurabant in leges Iudices, vt obstricti religione iudicarent. (In Diuinatione verò non iurabant, eodem Asconio teste.) Cùm iurassent omnes præter ipsum Prætorem, nomina eorum libellis consignabantur, ne pro selectis iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissimè iudicarent. Addit verò alibi: Facilè verò pro veris iudicibus improbi supponi poterant, volente hoc iudice quæstionis, & illis patientibus, qui non veri iudices erant: quia nisi citati non considebant, & graue onus erat, & incommodum, iudicare. Iurasse autem eo modo, quo iudices priuatarum causarum, facilè existimauerim.

CAPVT XXI.

De prima actione, quæstionibus, testibus & tabulis.

HIs actis inde cognoscẽdę causę opera dari est cœpta. Cognitio vero fermè omnis in duas actiones diuisa fuit, primã & secundam, quarum secunda à cõperendinatione manauit in iis causis, in quibus cõperendinatio est permissa, vtraq; vero actio accusationẽ & defensionem cõplexa est. Quoniam autẽ accusatio testimoniis maximè nitebatur, propterea priùs de testimoniorum ratione, deinde de accusatione agamus.

Testimoniorum nomine omnes probationes extrinsecus sumptæ sunt appellatæ, quæ etiã expertes artis ab iis, qui de artificio Oratorio scripserunt sunt dictæ. Hæc vero in tres potissimùm partes tributa sunt, quæstiones, testes, & tabulas. In his studium accusatoris maximè fuit collocatum: atque earum, & eiusmodi rerum parandarum gratia dies aliquot post nominis delationem ad inquirendum sumpserunt, quod maximè in lege repetundarum est obseruatum. Quanquam non omnia crimina iisdem testimoniis confirmata sunt. Nam cædes quęstionibus, & testibus probata est, tabularum fidem non desiderauit: repetundæ & peculatus testes, & tabulas poposcerunt, quęstiones repudiarunt, maiestas autem & ambitus solis etiam testibus fuit contenta.

Quæstiones fuerunt testimonia seruorum, vi tormentorum expressa. Itaque propria accusatoris fuerunt, vt reum ex dictis seruorum conuinceret. Itaque accusator, vbi primum *De Quæstionibus.*

Quæsitor cum Iudicibus assedit, seruos rei in quæstionem postulare consueuit, & ab eo datos in tormentis habere. Asconius in Milonianam. Cæterùm serui contra dominos torqueri non poterant, excepta causa incestus & coniurationis, teste Cicerone pro Deiotaro, & in Partitionibus. Ratio autem quærendi qualis fuerit, Cicer. pro Cluentio, & Milone ostendit. Quæstione habita, & in tabulas relata, tabulæ obsignabantur, vt ibidem dixit Cicero pro Milone. Quæstio autem habita est in eculeo, de quo pòst dicam.

De testib. Quæstionibus cognitis testes sunt attingendi. Hi fuerunt liberi homines, qui testimoniũ extra tormenta dixerunt. Quoniam autẽ non omnibus dicere testimonium licuit, propterea ante de testium conditione quærendũ est. Callistratus ff. de testib. hæc scribit: Testium fides diligenter examinanda est, ideóque in persona eorum exploranda erunt in primis conditio cuiusque, vtrũ quis decurio, aut plebeius sit, & an honestæ, & inculpatæ vitę, an verò notatus, & reprehẽsibilis, an locuples, vel egens sit, vt lucri causâ quid facilè admittat, vel an inimicus ei sit, aduersus quem testimonium fert, vel amicus ei sit pro quo testimonium dat. Nam si careat suspicione testimonium, vel propter personam, à qua fertur, quod honesta sit, vel propter causàm, quod neque lucri, neque gratiæ, neq; inimicitiæ causa sit, admittendus est. Videantur etiam quæ ibi scribunt Arcadius & Papinianus. De iis verò, qui testimonium dicere non potuerunt lex 12. Tabularum locuta est, verba quædã sunt apud Agellium lib. 15. cap. 13. Qui se sierit testarier libripẽsve fuerit, in testimonium fariatur, improbus, intestabilisque esto. Intestabilis autem est, vt inquit Caius, & qui lege iubetur, ne eius testimonium recipiatur, néve ipsi dicatur testimonium. Sed de tota hac lege libro proximè præcedenti satis dictũ. Testium porrò illa diuisio fuit, vt alij testimonium sponte dicerent: alij inuiti: his lex iubebat, vt testimonium denunciaretur ab accusatore, qui vti eorum testimonio cupiebat, quam intellexit Valer. lib. 8. & Cic. in Verr. Non putasti me in hanc rẽ tuis familiarissimis testimonia denũciaturum. In quibus autem causis inuitis testimonium denunciari non possit, ostendit lex Iulia publicorum iudiciorũ, quam alio loco recitauimus. Et de his testibus si testimonium dicere respuissent, sic scriptũ erat in XII. Tabulis. Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portam obuagulatũ ito, id est, si quis, cui testimoniũ denunciatũ sit, ipsum testimonium deseruerit, tum ad ædes eius ad dicendum cõuitium ito, de qua lege alibi. Quoniam verò testes protulit, & accusator voluntarios vterque diligenter, quemadmodum eos interrogaret, animaduertere debuerunt. Fuit enim in interrogãdo teste summa industriæ Oratoriæ laus posita, de qua scripsit Quinctil. lib. 5. Instit. Oratoriarum cap. 1. vbi de tota ratione interrogandorum ab vtraque parte testium pluribus, ac subtiliùs agit. In quam sententiam etiam ab Asconio scriptum est: Tenere debemus interrogationes testium & accusatoris, & defensoris fuisse, & eius, qui producit, & eius contra quem producuntur. Videndus & Cicero pro Flacco. Formula interrogandi testis fuit: Quæro de te, arbitrerin’e? Ipsi vero testes respondebant iurati, respondentésque dicebant: Arbitror. Asconius. Religione adducti testes à Cicerone dicuntur, quia iurati testes produci solent, non solum, ne falsa dicant, verum etiam ne quæ vera sint, taceant. Cicero in Lucullo: Maiores nostri voluerunt, vt qui testimonium diceret, etiam, quod ipse vidisset. Cæterum interrogatio testium ipsam accusationẽ pręcessit: id quod cum aliis legibus cautum est, tum Pompeia de vi, de qua supra. Aliæ leges post causàm actam testes dari voluerunt, vt lege Cornelia de repetundis. in Verrem Cicero. Addit Quinctilianus testimonia aut à præsentibus dicta, aut per tabulas: simpliciorem fuisse contra tabulas pugnam. Adiicit illud etiam, sæpe contigisse, vt testes laudare opus esset, cuius rei ratio ex artificio Oratorio repetenda fuit. Nam omittendum est illud etiam, quod est apud Isidorum de testibus alligatis: Testes sunt, inquit, à quibus quæritur veritas in iudicio, quos quisque ante iudicium sibi placitis alligat, ne cui sit postea liberum, aut dissimulare, aut subtrahere se, & alligati appellantur. Itaque Cicero scripsit ad Fratrem: Nerius Iudex edidit ad alligatos, Cn. Lentulum & C. Cornelium. Atque hæc de testibus. Restant tabulæ explicandæ.

Paulus ff. de testib. Papinianus ff. de accusa.

De tabulis. Tabularum vero nomine omne genus scripturarum appellabant, quo causam confirmare suam possent. In primis autem erant tabulæ dati & expẽsi, quas accusator à reo postulabat in certis causis, vt repetundarum, & peculatus, de quibus sic Asconius: Moris fuit, vnumquemq; domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere, ex qua appareret, quid quisque de reditibus suis, quid de arte, fœnore, lucróve seposuisset quoque die, & quid item sumptus, damnive fecisset: sed postquam obsignandis literis reorum ex suis quisque tabulis damnari cœpit, ad nostram memoriam tota hæc consuetudo cessauit. Hæc ille. Quò respexit etiam Cicero aliquot locis. Fuerunt etiam tabulæ auctionariæ, in quibus argentarij, quarum rerum auctio futura esset, præscripserant, quarum meminit Cicero in Catilinam, & Quinctilianus libro 11. Fuêre etiam pactionales in quas obsignatas pacta referebantur. Cicerone libro primo de Orat. teste. Quinetiam literæ, & syngraphæ omnes vno tabularum nomine

mine comprehenduntur, eæque ab accusatore inquisitæ, & obsignatæ, ne corrumperentur, ad Prætorem delatæ sunt, Cicero pro Flacco, & in Tusculana 5. Fuerunt quidem tabulæ rationum relatarum, quibus Iudices docentur, quæ publicè data & accepta sint, de quibus Festus. Atque hæc hactenus.

CAPVT XXII.

De accusatione, defensione, & laudatione.

CVM igitur die cognitionis Prætor consilium aduocasset, atque citatus accusator & reus adesset, tum accusator dicendi potestate accepta actionem instituit, quippe primis diebus crimina singula exposuit, atque ad extremum ea producendis testibus confirmauit. Itaque tota illa interrupta oratio fuit, deinde productis testibus alteram alio die orationem habuit, quæ perpetua fuit, & illa Accusatio est dicta, de qua Cicero pro Cælio: Accusatio crimen desiderat, rem, vt definiat, hominem, vt notet, argumento probet, teste confirmet, quam non vnus accusator peregit, sed partitis inter se muneribus multi. *Accusatio.* Eadem proœmia habuit ad odium, & inuidiam inflammandam composita. Narratio inde, si incidebat (neque enim omne crimen, vt ambitus narrationem admisit) ad confirmationem fuit apposita: vtraque verò ad eum, qui iam rem teneret, accommodabatur. Contentio non crimen illud solum, quod intendebatur, sed totius præteritæ vitæ criminationem complexa est. Itaque non solum testimonia adhibuerunt, sed etiam argumenta, id est, ex ipsa re, & vita rei superiore, sumptas coniecturas, suspiciones, & signa, omnémque eò industriam suam intenderunt, vt factum fuisse, quod intendebatur, ostenderent. Id enim erat, in quo lex violata obiiciebatur. Contentioni inde peroratio grauis, & vehemens erat subiecta. Itaque accusatio omninò nihil aliud fuit, quam perpetua oratio ad crimina inferenda atque augenda artificiosè composita. Dixit autem accusator, quæ voluit, & per quot dies legis permissu voluit. Cicero pro Cluentio. Asconius etiam viginti dies datos ad accusandum, & viginti ad defendendum, lege opinor Cornelia scripsit.

Accusatione perfecta, patroni defensionem aggrediebantur, eo die, qui esset ex lege à Prętore concessus. *Defensio.* Cicero pro Cluentio. Cæterùm vt accusatores crimina inferenda sic Patroni diluenda, partitis inter se muneribus, susceperunt, & quoniam tres erant defensionis arces, aut factum negare, aut nomen facti, aut iure factum probare, si, quod firmius videbatur, factum negassent, fermè testes non dabant, sed orationem adhibebant, qua aut testes, tabulásque poscebant, aut qui producti erant, refutabant, quod docent Asconius, & Cicero pro Fonteio. Vt autem accusatori testimonia, sic defensori argumenta aptiora fuerunt, quæ Rhetores in verisimilia & signa distribuerunt, cuius rei clarissimum exemplum Miloniana suppeditabat. Quòd si de nomine facti, aut de iure controuersia fuit, tum aut subtilibus definitionis, aut eruditis de iure, siue absoluto, siue assumptiuo disputationibus negotium confecerunt. Erant autem quædam causæ, quæ commodissimè inficiatione defendebantur, vt repetundarum, & ambitus: aliæ quæ definitione, vt maiestatis: quædam iure, vt cædes. Primarum exemplum erit defensio Fonteij, Flacci, Murænæ, & Plancij, secundarum Cornelij, tertiarum Miloniana. Quinetiam Gracchi & Saturninus iure cæsi fuisse defensi sunt. Principia adhibebant ea, quibus incendium odij ab accusatore conflati restinguerent, & amorem Iudicum reo reconciliarent. Narrationes cùm inciderent, ad defensiones rationes accommodabant, eásque futuræ fidei seminarium statuebant. In contentione aut vitam rei, si probris affecta fuisset, purgabant, aut si hominum opinione probata fuisset, pro argumento innocentiæ proponebant, atque inde partibus accusationis singulis occurrebant, & vulnera ab accusatore facta sanabant. Perorationes verò eiusmodi adhibebant, vt iis misericordiam commouere contenderent. Cùm autem multi dicerent, causa non vno die peragi poterat, sed ad multos traducebatur. Cicero quidem scribit, se per tres ampliùs dies Verrem accusasse, eundem verò Corneliũ per quatriduum defendisse, tradit Asconius. Erant autem dies epilogorum, in quibus ad concitandam misericordiam paruuli etiã filij reorũ producebantur: qua de re multa egregiè scripsit Quinctilianus, meminit & Asconius.

Mos etiam fuit, vt rei præter Patronos laudatores etiam adhiberent. *Laudatio* Hi fuêre aut ciues summa auctoritate viri, qui in periculo capitis vitam rei in iudicio laudarunt, aut municipes rei, quos municipia publico nomine eius officij causa Romam miserunt: aut homines prouinciales, quos singulæ prouinciarum ciuitates ab eo administratæ, cum publica

laudatione ad subleuandum rei periculum miserunt. Hi minimum decem dati dicuntur. Cicero in Verrem, & in 2. de Oratore. Hæc autem laudatio aliquando defensioni præposita est, vt Cicero pro Flacco aliquando in ea inserta, idem pro Cluentio: nonnunquam etiam ipsam est defensionem subsecuta, vt de Scauro Asconius refert, & Cicero pro Cælio. His actis, si iudicibus sententiæ latio permissa esset, ij primo cœtu, & primo iudicasse dicti sunt. Auctor Rhetoricorum ad Herennium, & Cic. in 3. Verrina.

Capvt XXIII.

De secunda actione, quæ comperendinatio dicta est, & de Officio Quæsitoris, dum causa agebatur.

Qvod si lex comperendinationem haberet, prima actione perfecta, post tertium diem secunda est instituta, quæ Comperendinatio dicta est, eò quòd perendino die ageretur. Hanc Asconius definiuit partis vtriusque recitationem, id est, vt ego interpretor, nouam accusatoris, & rei citationem. in hac vero actione contra factum est, atque in superiore. Ibi enim accusator priore locò dixit, defensor posteriore: hic contra prius defensor, posteriùs verò iterum actor. Cic. in Verrem. Cùm igitur in Comperendinatione defensio præcederet accusationem, sanè intelligendum est in cæteris eandem fuisse rationem, atque superiorum fuit, probationum, atque argumentationum. Accusationis huius secundæ exemplo sint quinque libri in Verrem, quorum vnus de Prætura vrbana inscribitur, alter de iurisdictione Siciliẽsi, tertius de re frumẽtaria, quartus de signis, quintus de suppliciis.

Hæc autem omnia Quæsitoris prudentia regebantur, siquidem scriptum est in Rhetoricis ad Herennium, Accusatoris officium esse inferre crimina, defensoris diluere, testis dicere, quæ scierit, Quæsitoris vnumquemque eorum in officio continere. Interim verò dum causa agebatur, Quæsitor, & dimittere Iudices, & inuitos retinere pro potestate potuit. Cicero multis locis. Custodiebat etiam vrnas in tribunali paratas, siue ad sortes ducendas, siue ad sententias Iudicum, quæ in tabellis scriptæ erant, recipiendas. Cicero in Vatinium. Itaque huc alludens Virgilius dixit:

Quæsitor Minos vrnam mouet. Ille silentum
Conciliúmque vocat, vitásque & crimina discit.

Capvt XXIV.

De latione sententiæ, æstimatione litis, & animaduersione.

Postqvam autem aut prima, aut secunda actio perfecta fuit, tum vterque Orator, se dixisse significauit, quo audito, præco eos dixisse pronunciauit, Prætor verò Iudicibus tabellas dedit, & vt sententias ferrent, in consilium misit. Prioris moris meminit Asconius & Cicero. Mittere autem, aut dimittere in consilium Iudices erat, iubere illos ad vrnas ire, atque in eas tabellas sententiam continentes conijcere. Hoc docet Asconius inquiens: Mittere Iudices in consilium, est dimittere Iudices ad sententiam dicendam: vbi allegatis omnibus argumentis Orator dixerit, Dixi. Cælius: Mittit in consilium eosdem illos, qui litem æstimarant, Iudices. Tum verò consurgentes Iudices in consilium ibunt. Cicero pro Cluentio: Consurgitur in consilium. Item cùm Cicero dixisset in Diuinatione: Non singulos Iudices ferre sententiam, sed vniuersos constituere, exposuit Asconius, singulos Iudices sententiam de tabula pronunciasse in leuioribus causis, & ob id neque nota, neque custode opus fuisse. Constituere autem fuisse tabulas in cistas ponere. Hic pro Cluentio scribit, Quæsitorem in iudicio Scamandri cùm in consilium iri oporteret, quæsisse Scamandrum clam, an palàm de se sententiam ferri vellet.

Vrnæ verò siue cistæ tot fuerunt, quot Iudicum ordines, qui iudicarunt. Tres quidem, cùm omnes adhibiti sunt, vna Senatorum, altera Equitum, tertia Tribunorum ærariorum. Tabellæ verò, quæ datæ erant Iudicibus, quarum vnam in vrnam mitterent, erant tres: vna absolutionis, altera condemnationis, tertia ampliationis, eæque tabulæ ceratæ erant.

Ampliatio verò in quibus causis adhibebatur (neque enim omnes eam leges admiserunt) erat, quoties Iudices significabant, rem sibi non liquere, & secundum actionem instituendam esse, & Prætor ex consilij sententia pronuntiabat, ampliùs cognoscendum esse. Itaque vt nota absolutionis in tabula fuit A. Condemnationis C. sic Ampliationis, N. L. id est, Non liquere.

Asconius,

Asconius, Cicero multis locis, Liuius, Valerius. Hoc loco Prætor gratificari potuit reo, vt C. Licinius M. Popillio, de quo Liuius libro 42. M. Popillius apud C. Licinium Prætorem bis causam dixit, tertio Prætor precibus victus, Idibus Martiis adesse reum iussit, quo die Noui Magistratus inituri erant honorem, ne diceret ius, qui futurus, priuatus esset. Moris autem fuit, vt dum Iudices sententiam ferrent, rei ad pedes eorum se proiicerent. Asconius in orationem pro Scauro, & Valerius Max. Coniectæ inde in vrnas tabellæ, promiscue dirimi solebant, vt numerus absoluentium & condemnantium, & ampliantium Iudicum conciperetur. Cicero in Pisonem, & ad Fratrem. Postquam autem diremptis tabellis Prætor Iudicum cognouit iudicium, tum id pronunciauit. Moris autem fuit, vt si condemnatum pronunciaturus esset, prætextam poneret, vt inquit Plutarchus in Cicerone. Formula verò pronūciandæ condemnationis fuit: Videtur fecisse, aut, Non iure videtur fecisse. Absolutionis: Non videtur fecisse, aut Iure videtur fecisse. Ampliationis: Amplius cognoscendum. Festus, Cicero multis locis & Liuius. Addo illud, in formula condemnationis non solùm crimen commissum, sed etiam pœnam sumendam comprehensam esse, exempli gratia: Videtur vim fecisse, atque eo nomine aqua & igni interdico. Videtur prouinciam spoliasse, atque eo nomine litem ei æstimandam esse. Pomponius Iurisconsultus ff. de interdictis. Fieri tamen etiam potuit, vt de pœna reticuerit, & ad legem rem reiecerit. Marcianus ff. ad SC. Turpilianum.

Diuersa verò fuit Ampliatio à Comperendinatione, quòd Comperendinatio facta est, etiamsi Iudices primo cœtu non iudicassent, Ampliatio verò ex incerta Iudicum sententia nata est. Ampliatio ex arbitratu Prætoris quocunque die, Comperendinatio ex præscripto legis tertio die. Ex causa Comperendinationis bis tantùm causa dicta est, ex causa Ampliationis sæpissimè dici potuit. In Comperendinatione potuit esse Ampliatio, in ampliatione nequaquam Comperendinatio. In Comperendinatione defensor primùm dixit, deinde accusator. in Ampliatione primùm accusator, deinde defensor: Si autem per Ampliationem iterum acta est, non minùs secunda actio dicta est, quàm si per Comperendinationem, vt scribit Asconius. His actis Prætor reum aut absolutum, aut condemnatum referebat in tabulas, Cælius ad Ciceronem. Ius autem ratúmque id erat, quia ab his iudiciis prouocatio non erat. Declarauit lex Antonij, qui teste in Philippicis Cicerone ad extremum tulit, vt damnatis de maiestate, & de vi esset prouocatio ad populum.

Condemnatum inde reum duæ res sequebantur, æstimatio litis, & animaduersio. Æstimatio litis præcipuè erat in causa repetundarum, & peculatus. Erat autem iudicium quo lis ei æstimabatur, id est, furtorum omnium ratio inibatur, atque inde pecunia reddebatur, cui erepta dicebatur. Asconius & Cicero pro Cluentio. *Æstimatio litis.*

Animaduersio verò fuit mulctæ, pœnæve legitimæ persecutio, quæ Prætoriæ curæ mandata est. In mulcta sic acta res est. Pecunia per magistratum exigebatur: quòd si ille soluendo non esset, bona auctioni subiiciebantur: ea qui emissent, sectores vocati sunt. Liuius lib. 2. & 38. Asconius in Verrinas, & Cicero in Verrem. Verberatio, Coërcitio, & talio per lictores Magistratus eius sunt factæ, cuius fuit illa iudicatio. Plautus in Amphitryone, & in Asinaria. Scribit etiam Asconius, fures & seruos nequam apud Triumuiros Capitales ad columnam Mæniam puniri solitos. Infamium cura mandata fuit Censoribus, ne eos paterentur in Republica munera illa, quibus per infamiæ notam priuati erant, obire. Exilij obeundi exemplum sit Marcius Coriolanus, de quo Dion. lib. 7. *Animaduersio.*

Capvt XXV.

De iudicio calumniæ & præuaricationis.

Reo verò absoluto duo relinquebantur iudicia, contra accusatorem ambo instituta: vnum calumniæ, alterum præuaricationis. Calumnię, si falsum crimen intulisse constaret, pręuaricationis, si cum defensore collusisset, & vera crimina occultasset. De calumniatore Marcianus titulo ad S C. Turpilianū: Calumniari est falsa crimina intendere. Calūniatoribus pœna lege Remnia irrogatur, sed non vtique, qui non probat quod intendit, protinus calumniari videtur: nam eius rei inquisitio arbitrio cognoscētis permittitur, quia reo absoluto de accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus ad accusatioē processit, & siquidem iustum eius errorem reperérit, absoluit eum: si verò in euidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat, quorum alterutrum ipsis verbis pronunciationis manifestatur, nam siquidem ita pronūciauerit, Non probasti, pepercit

ei: siti autem pronunciauit, Calumniatus es, condemnauit eum: & quamuis de pœnā nihil subiecerit, tamen legis potestas aduersus eum exercebitur. De hoc iudicio etiam loquitur Asconius in Scaurianam, Cicero pro Cluentio, & Cælius. Pœnam calumniæ frontis inustionem, & notam fuisse significat. Plinius in Panegyrico: quod intellexisse quoque videtur Cicero, cùm in Rosciana calumniatores dixit literam calumniæ ita odisse, vt omnes literas oderint, eámque literam iudices ad caput affixuros. Hæc de Calumnia.

Quid verò Præuaricatio fuerit, docet Marcianus eodem loco: Præuaricari, inquit, est, vera crimina abscondere. Præuaricator est, qui colludit cum reo, & translatitio munere accusandi defungitur, & qui proprias rationes dissimularet, falsas verò rei excusationes admitteret. Item Vlpianus de verborum significatione: Præuaricatores eos appellamus qui causam aduersariis suis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt. Cæterùm vt de calumnia, sic de præuaricatione iudicium constitutum fuisse, ostendit, Cicero in Partitionibus, in exemplo præuaricatoris præcepta locorum Oratoriorum exercens, item ad fratrem, & in oratione de Aruspicum responsis, Plin. lib. 3. Epistolarum. Vt autem calumniæ frontis inustio, sic præuaricationis infamiæ notatio pœna fuit, quemadmodum ex Asconio constat. Atque hæc quidem in vniuersum de iudiciis publicis disputata sint.

Capvt XXVI.

Quæ fuerint iudicia populi, & de criminibus ac pœnis eorundem.

Explicatis iudiciis quæ iussu populi à Magistratibus exercita, & à Iudicibus disceptata sunt, sequitur, vt de iis agamus, in quibus populus ipse disceptator, & Iudex fuit. Hæc autem non aliter, ac superiora, & priuata, & publica fuerunt. Priuata fuerunt, quæ de controuersiis aut ad res, aut ad personas, aut ad obligationes pertinentibus constituta sunt: publica, quæ de criminibus. Priuatorum vnicum est exemplum apud Liuium lib. 3. de Aricinis & Ardeatibus controuertentibus de agro quodam apud populum Romanum. Publicorum plurima extant. De quibus, quæ subtilior est disputatio, hæc accepimus.

Populus Romanus iudicandi potestatem iam inde à Romulo rege acceptam, vsque ad Augustum Imperatorem retinuit: verùm non iisdem semper comitiis. Nam Curiatis quidem tantum sub Regibus: Centuriatis autem, & Tributis, Republica dominatu regio liberata. Iudicauit autem de criminibus, & pœnis criminum omnibus, quæ ad se à Magistratu essent delata. Neque enim, quod in iudiciis Prætoris euenit, de iis tantùm criminibus cognouit populus, quæ aliqua lege continerentur: sed de omnibus, quæ Magistratus ad se detulisset, & de omnibus pœnis, quas ille irrogasset, sed tamen ea forma actionis, quæ legibus & moribus contineretur. Neque enim vt illa duo arbitrio, & iure Magistratuum, sic etiam agendi ratio fuit permissa. Quamobrem iudicia populi publica tractaturi, primum de criminibus, deinde de pœnis, tum de forma actionis, postremò de animaduersione dicemus. Si quidem hæc tria Magistratui ad populum data sunt, Cognitio, irrogatio, animaduersio. Vnde queritur Cicero, dari Decemuiris agrariis à Rullo cognitionem sine consilio, pœnam sine prouocatione, animaduersionem sine auxilio.

De criminibus. Crimina ergo, vt rem ordiamur, maleficia fuerunt. Quæ verò maleficia ad populi iudicium à Magistratibus adducta sunt, ea potissimùm duo fuerunt, maiestas, & peculatus: quorum in illo dignitas, in hoc fortunæ Reipublicæ actæ sunt. Ad maiestatem autem pertinere existimatum est, si quis tyrannidis, aut regni occupandi consilia habuisset, si aduersus Rempublicam coniurasset, si hostes ad bellum Reipublicæ faciendum concitasset, aut iuuisset, si Magistratum populi Rom. in ordinem coëgisset, si sacra imminuisset, ciues Romanos aut carcere, aut morte, indictâ causa affecisset, male sua culpa pugnasset, plebis commodis aduersatus esset, populo Romano maledixisset. Exempla hinc inde in scriptoribus plurima reperiuntur, vt iudicium Coriolani, Sp. Cassij, T. Menenij, Sp. Seruilij, Ap. Claudij, Cæsonis Quinctij, M. Posthumii, M. Sergii, P. Virginii, M. Manlii, P. Manlii, Imperiossi, Tusculanorum, Claudiæ, Cn. Fuluij. C. Claudii, & Ti. Sempronii Censorum, Ser. Galbæ, P. Popillij Lænatis, L. Opimii, M. Iunii Silani, Metelli Numidici, P. Furii, M. Ciceronis, &c. Quæ omnia iudicia de maiestate fuerunt, quanquam maiestatis imminutæ nomen nullum reis obiectum sit, præterquam Claudiæ, auctore Suetonio in Tiberio.

Peculatus autem exempla sunt iudicium M. Camilli, M. Curij, M. Liuii Salinatoris, P. Afri-

cani,

cui, M. Posthumii, & Catuli. Quinetiam cædis, falsi, repetundarum, adulterij, tentatæ pudicitiæ, & vis illatæ crimina in iudicium populi esse vocata reperiuntur, vt P. Horatij, P. Sestij, Appii Claudij Decemuiri, C. Lucretij, C. Sergii Sili, & T. Milonis iudicia testantur. Ex quibus apparet omnia crimina, quæ aut directò, aut non directò Rempublicam ipsam attigerunt, ad populi iudicium pro Magistratus arbitrio esse adducta, aut ab ipso cognita, & damnata, pòst per prouocationem ad populum esse translata.

Pœnarum autem genera in his iudiciis fuerunt damnũ, exilium, seruitus, & mors. Hęc verò in duo nomina diuiserunt: mulctam, & caput. Quos enim damno affecerunt, id est, pecunia condemnarunt, in iis mulctæ nomen vsurparũt, vnde de illa pecunia iudicare, pecunia anquirere, mulctam dicere, & mulctam irrogare, nata sunt. Quem exilio, seruitute, mortéve affecerunt, in eo nomen capitis factitarunt. Ex quo illa profecta, diem rei capitalis dicere, capitis iudicare aut anquirere, rei capitalis accusare: pro quibus etiam perduellionem iudicare, & perduellionis actionem intendere, posuerunt Liuius, Cicero, & alij. Nomen verò perduellionis & crimen & pœnam significauit: si crimen, quod erat grauissimũ inter crimina, nempe imminutæ maiestatis: si pœnam, quæ erat acerbissima, nempe mortis, vt in P. Horatio & C. Rabirio, quibus crux: in Sp. Cassio, & M. Manlio, quibus saxum fuit propositum. Liuius tamen etiam, cùm de iudicio M. Posthumii, Cn. Fuluii, Gracchi, & Claudij agit, quibus aqua & igni interdicebatur, nomen perduellionis vsurpauit. Cæterùm de mulcta & exilio supra dictũ est. *De pœnis.*

Pœna seruitutis lege Seruii Tullii regis, teste Liuio & Dionysio, proposita fuit iis, qui nomen suum in censum non detulissent: itemque qui citati nomen in militiam non dedissent.

Mortem autem attulerunt, aut securi percutiendo, aut arbori infelici suspendendo: id est, in crucem agendo, quorum vtrumque verberatio præcessit, aut de Saxo Tarpeio, aut de Robore præcipitando, aut in culeo insutum in profluentem proiiciendo, aut denique laqueo gulam frangendo, de quibus suppliciis paulò pòst dicetur. Atque de his quidem criminibus Magistratus ad populum priuatos homines accusarunt, atque has pœnas pro arbitrio irrogarunt, aut certè mulcta, pœnáve prius pro Magistratus arbitrio indicta, cùm parem, maiorémve potestatem appellassent, & ad populum prouocassent, eos reos ad populum peregerunt: populus autem mulctam pœnámve aut iussit, aut remisit: sub Regibus quidem comitiis Curiatis, post exactos Reges Centuriatis, & Tributis.

Caput XXVII.

De Iudiciis Curiatis.

Cæterum de ratione iudiciorũ Curiatorum vix habemus quid dicamus, quòd vnicum tantùm extet P. Horatij iudicium curiatis comitiis factum, id quod primum, vt inquit pro Milone Cic. Romæ capitis iudicium fuit. P. autem Horatius tum de parricidio interrogatus est lege Numæ, quæ fuit: Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto. Parricidam scilicet vocauit, auctore Festo, non qui parentem occidisse diceretur, sed qualemcunque hominem, atque hac lege interrogatum eum tradunt Festus, & Dionysius, & Cic. cum dixit pro Milone: Romana ciuitas primum iudicium de capite vidit P. Horatij, qui nondum libera ciuitate, tamen populi Romani comitiis liberatus, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur. Actio tamen instituta est ex lege, quam tum Rex Tullius tulit, qua lege creati Duumuiri sunt, vt perduellionem, id est, rem capitalem, & mortis pœnam iudicarent: & si reus ad populum prouocasset, ad eum de prouocatione certaretur. Verba legis, teste Liuio, hæc fuerunt, Duumuiri perduellionem iudicent, si à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato: si vincet, caput obnubito, infelici arbori suspendito, verberato, vel intra pomerium, vel extra pomerium. Res autem acta sic est: Rex concilio populi aduocáto, Duumuiros, qui P. Horatio perduellionem iudicent, inquit, facio secundum legem, Duumuiris creatis, tum alter ex his inquit, P. Horati, perduellionem tibi iudico. Lictor colliga manus. Accessit lictor, iniecitque laqueum: tum Horatius, auctore rege, Prouoco, inquit. Ita de prouocatione certatum ad populum est, populus absoluit. Ex quibus apparet, crimen in hoc iudicio fuisse parricidium, id est, cædem sororis, pœnam perduellionem, id est, mortem in cruce: Duumuiros creatos primùm iudicasse, deinde de eorum iudicio certatum, ac populum eorum iudicium infirmasse. Atque hoc quidem modo Curiatis iudicatum Comitiis est.

CAPVT XXVIII.

Quorum iudiciis Tributis, & Centuriatis actio fuerit, & quo ordine iis actum sit.

EXACTIS autem Regibus, idem populus cum iam ius centuriatim conueniendi, ac sciscendi, lege Ser. Tullij Regis haberet, iudiciorum potestatem adeptus est multis legibus. Nam & anno primo à P. Valerio Coss. teste Dionysio, latum est, vt populus Consulum decretum irritum facere posset: si quis à consulibus condemnatus ad populum prouocasset, & sextodecimo post anno S. C. in N. P. Valerij sententiam est factum, vt populus iudiciorum potestatem haberet, & maximè si quis Rempublicam læsisse, aut seditione conflanda, aut tyrannide paranda, aut ciuitate hostibus prodenda, aut aliquo eiusmodi facinore parando argueretur. Atque hæc iudicia comitiis centuriatis facta esse intelligendum est, cùm nondum essent Tributa. Nam iudicium Coriolani, quod Tributis comitiis per ea tempora actum est, extraordinarium fuit, quippe cùm nulla lege, aut more tum primùm plebs Tributis comitiis iudicarit. Sacratis autem legibus, quæ anno ab exactis Regibus XVI. latæ sunt & XII. Tabularum, quæ post annum LVI. promulgatæ sunt, scitum est, ne de capite ciuis Romani, nisi centuriatis comitiis agi posset: quod Cicero in Oratione pro Sextio, & in 2. de Legibus scriptum reliquit. Vnde in tertio addidit, verè L. Cottam dixisse, nihil omninò actum esse de se à Clodio, quia Tributis comitiis de capite suo egisset, quæ rata esse non possent. Quocirca post ea tempora de mulcta ciuis Romani semper actum est Tributis, de capite centuriatis: Quam legem fortasse obsolescentem C. Gracchus, anno IↃCXXX. siquidem scribit Cic. pro Rabirio: C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium Rom. iniussu vestro iudicaretur. Nam iniussu vestro cùm dixit, populi, non plebis intellexit: etenim Cicero tum agebat ad populum centuriatim conuocatum in iudicio perduellionis. Tributis autem comitiis soli minores Magistratus egerunt, vt Tribuni pleb. Ædiles curules, & Ædiles plebis. De Tribunis omnes loquuntur. De Ædilibus curulibus docet Valerius cap. de Pudicitia, cum inquit, M. Marcellum, Ædilem curulem C. Scantinio Tribuno pleb. diem ad populum dixisse, quod filium suum de stupro appellasset, & P. Clodium Ædilem curulem Miloni de vi ad populum diem dixisse, Cicero testis est. De Ædilibus plebis, Liuius libr. 2. qui Veturio, postquam consulatu abiit, ab C. Alieno Ædili plebis, diem dictam, cúmque X. millibus æris damnatum scribit, & Agellius, qui Claudiæ à C. Fundanio, & T. Sempronio Ædilibus plebis mulctam æris grauis XXV. millium dictam, ex Capitone refert.

Comitiis autem centuriatis egerunt consules, Prætores, & Quæstores. De consulibus & Prætoribus nota res est. De Quæstoribus auctor est Liuius lib. 2. quos diem dixisse Sp. Cassio ob affectatam tyrannidem scribit: Quinetiam idem lib. 6. auctor est, Tribunos plebis accusasse T. Manlium populo centuriatim in campo citato; verùm intelligendum est, petita à consulibus potestate: quemadmodum idem lib. 26. apertè explicuit.

Atque ordine quidem priuati tantùm in iudicium adducti sunt. Itaque T. Menenius, Sp. Seruilius, Ap. Claudius, C. Sempronius postquàm consulatu, aut Decemuiratu abiissent, iudicio à Tribunis plebis oppugnati sunt. Extra ordinem autem etiam Magistratus tentati, vt Scantinius Trib. pleb. à Marcello AEdili curuli apud Valerium: & L. Flacco, AEdili curuli Decianus Trib. pleb. diem dixit apud Ciceronem pro Flacco: & Claudio, Gracchóque Censoribus Tribuni pleb. apud Liuium, lib. 45. Ex quo declaratur, hoc arbitrio Magistratus permissum, vt priuatum & Magistratum apud populum accusarent.

Cæterùm ordo agendi, siue Tributis, siue centuriatis comitiis legibus aut moribus constitutis hic fuit. Magistratus qui reum facere, aut accusare voluit, in Rostra ascendit, & populo per præconem aduocato diem ei, quem reum facere cogitauerat, ad accusationem audiendam prædixit. Vbi verò prædicta dies venit, item è Rostris reum per præconem citauit, atque accusationem instituit, eámque ter intermissa die peregit. Vbi verò ter accusauit, tum rogationem per trinas nundinas promulgatam habuit, in qua crimen & pœnam criminis comprehendit, ac tertiis nundinis quartam accusationem intulit, ac reo causæ dicendæ potestatem fecit, atque inde diem prædixit, qua die ad populum de pœna certandum erat. Quòd si qua res illum diem aut auspiciis, aut excusatione sustulisset, iudicium sublatum erat. Qui citati ad diem non affuissent, neque excusati essent, iis exilium iubebatur. Inde rogatio ad populum ferebatur, déque ea populo suffragium permittebatur Dionysius libro 7. de iudicio Coriolani, & Cicero in Orat. pro Domo. Hæc verò singula quamuis in lib. de comitiis tractata aliquo modo sint, pluribus tamen videntur esse explicanda.

CAPVT

Capvt XXXIX.

De die accusationi dicenda, de citatione rei, triplici accusatione, & mulcta, pœnæve irrogatione.

QVICVNQVE igitur Magistratus alterum reum ad populum facere cogitauit, in Rostra, vt dixi, ascendit, ac concione aduocata palam testatus est, se certa, quam nominabat, die, de certo, quod nominabat, crimine, certum, quem nominabat, hominem accusaturum esse, ac proinde ei, vt ad audiendam sui accusationem adesset, denunciauit. Hæc autem actio, diei dictio, & qui ita agebat, diem dicere, dicebatur. Liuius multis locis. Videtur autem diei dicendi formula hæc fuisse: Ap. Claudi, huc ad me Nonis Septembris adesto, vt te accusari audias, quod vindicias contra libertatem dederis.

Dicta in hunc modum die in rebus capitalibus vades, in mulcta prædes ab reis poscebant. Hi erant locupletes sponsores rei in iudicio ad diem dictam sistendi, aut mulctam, qua damnatus esset soluendi. Qui si dati non essent, reos in carcerem coniiciebant, atque ibi eos vsque ad diem iudicii asseruabant. De vadibus Liuius lib. 2. de iudicio Ap. Claudij. De prædibus Agellius lib. 7. ex vetere historia scribit.

Postquam autem dies dicta venit, accusator in Rostra ascendens, reum per Præconem ex Rostris citauit. Liuius de iudicio Scipionis. Potuit autem aut maior, aut par Magistratus intercedere, ne citaretur, & si absens fuit, potuit excusari. Quòd si citatus, neque excusatus, non adfuisset, pro arbitrio Magistratus potuit ei pœna irrogari. Varro apud Agellium, & Asconius. *De citatione rei.*

Vbi verò primùm adesse iussus, deinde secunda actione citatus affuit, tum vero accusari est cœptus. Cicero pro Domo, vbi agit de iudicio suo. Accusatio vero triplex fuit: siquidem intermissis diebus ter est habita. Ea verò eodem artificio confecta est, quo superiores, de quibus disseruimus. Quippe accusator crimen certum attulit, idque testibus, & argumentis probauit. Vnde dixit Cicero pro Domo sua: Vbi crimen est, vbi accusator, vbi testes? De testibus verò idem in Verrem, & Liuius lib. 27. *De triplici accusatione.*

Cùm autem ter accusaret, in singulis accusationibus perorandis mulctam, pœnamve pro arbitratu dicebat, eáque Anquisitio dicebatur. Erat autem eius hæc formula: Quando igitur hæc, & illa, quæ dixi, fecisti, ob eas res ego mulctam tibi hanc dico, vel pecuniam hanc, siue perduellionem tibi iudicio. Liuius lib. 1. Varro, Cicero pro Scauro, & Dionysius lib. 7. Sæpe autem euenit, vt cùm in prioribus accusationibus pecuniæ iudicassent, in tertia capitis anquirerent: aut, cùm in primis capitis anquisissent, in tertia pecuniæ iudicarent. Liuius de iudicio Cn. Fuluii, & de T. Menenio. Dum autem accusator agebat, reus sub Rostris abiectus, adolescentum conuiciis expositus stabat, teste Liuio, ex quo illud etiam constat, Magistratus non minùs accusationi, quàm citationi rei intercedere potuisse. *De anquisitione.*

Postquam autem accusator tertiam accusationem perfecerat, tum rogationem scriptam promulgabat, in qua crimen & pœnam mulctamve comprehendebat. Erat autem lege vetitum, vt inquit Cic. pro Domo, ne pœna capitis cum pecunia coniungeretur, duabus, vt puto, de causis, vna quòd de capite Centuriatis Comitiis agebatur, de mulcta tributis: altera ne populo necessitas imponeretur, vt aut vtramque iuberet, aut vtramque repudiaret. Rogatio verò per trinas nundinas promulgata manebat, vt populo nota fieret, antequam de ea iudicaret. Hæc actio accusatoris, mulctæ, pœnæve irrogatio, iudicatio populi, mulctæ pœnæve certatio dicta est. Cic. multis in locis, Sueton. in Tiberio, & Ascon. Rogatio autem dicebatur, quod de ea rogandus erat populus: irrogatio, quòd aduersus reum conscripta esset. Cicero pro Domo. Idem autem etiam erat dicere mulctam. Liuius de M. Posthumio, & Cicero in Antonium. Erat autem formula irrogationis eadem, atque inquisitionis: nam vtraque & crimen & pœna comprehendebatur. Sed in anquisitione res verbo peragebatur, in irrogatione scripto. *De mulctæ, pœnæve irrogatione.*

Capvt XXX.

De quarta accusatione, & defensione, de die iudicio indicenda, auxiliis reorum, & reo euocando.

Gracchis: Moris est Romanis, si quis capitis anquisitus nō adsit, cornicinem summo mane ad fores eius venientem, classico euocare, neque priùs de eo Iudices sententias ferre. Idem etiam Tacitus libro 2. confirmat. Inde si ne ita quidem affuisset reus, exilium ei sciscebatur: aut si exilij causa solum vertisset, ei iustum id esse exilium iubebatur. Liuius de Posthumio & Fuluio. Quo loco notandum est, quicunque citati non affuissent, iis exilium esse iussum Tributis comitiis, non Centuriatis: quamuis Centuriatis tantùm de capite ageretur, vt diximus: si præsentes fuissent, Centuriatis opus fuisse.

Capvt XXXI.

De rogatione ferenda, iudicio faciendo, & animaduersione: item de Tormentis in eculeo.

Vbi verò summus iudici dies est constitutus, tum Magistratus, qui accusauerat, & propterea comitia indixerat, reum per præconem rursus citauit, ac populum aduocauit. Reque agi cœpta populum in Tribus, aut in Centurias discedere iussit, omnibus rebus obseruatis, quæ in comitiis solemnes erant, quæ repetere non est hoc loco necesse. Inde Rogationem per scribam recitari populo iussit, de qua suffragia populum ferre oportuit, ac demùm populum, num eum acciperet, rogauit. Formula rogandi erat, Rogo vos, velitis, iubeatisne, vt M. Tullio aqua & igni interdicatur, quòd falsum S. C. retulerit, quòd ciues Rom. indicta causa necandos curarit. Sic enim & pœna, & crimen, quæ erat pœnæ causa, rogabatur, Cic. pro domo. Recitata rogatione, & rogato populo, populus in suffragia mittebatur ab eodem illo, qui Rogator Comitiorum erat, eo modo, qui in legibus ferendis, & Magistratibus creandis obseruabatur, scilicet, vt per pontes in septa transirent, & ad pontes tabellas sententiæ suæ indices custodibus Comitiorum darent. Asconius in Cornel. Est autem repetendum, primis temporibus suffragia in iudiciis ferri voce solita. Anno verò DCLXVI. L. Cassius Trib. pleb. legem tulit, vt in omnibus iudiciis, præterquam perduellionis, populus tabella suffragium ferret, neque ita multò pòst Cælius idem etiam in perduellione seruari voluit, vt alibi dictum est. Cùm autem populus legem accipiebat, rogatus nihil aliud respondebat, nisi, Volo, Iubeo, Vti rogas, aut tabellam dabat, in qua scriptum erat, Vti rogas, V. R. quo facto condemnasse dicebatur, aut se rogationem antiquare significabat, quo pacto pœnam remittere & absoluere demonstrabat. Cicer. pro Domo. Liuius libro 43. & Asconius, pro Scauro. Illud etiam post Reges exactos in perduellione, id est, in mortis pœna retentum est, vt Duumuiri crearentur, qui perduellionem iudicarent, rémque inde per prouocationem ad populum transferretur. Meminit huius consuetudinis Liuius in iudicio Manlij lib. 6. & Dio in Consulatu Ciceronis. Hanc autem iudicii formam vetustate obsoletam, se Consule à Labieno Trib. pleb. relatam contendit Cic. in Orat. ipsa pro Rabirio. Atque hæc quidem siue de mulcta, siue de capite, siue de perduellione Tributis aut Centuriatis comitiis ageretur, hoc modo acta sunt.

Iudicio facto, suscepta est animaduersio. Hæc in cæteris pœnarum generibus eodem modo in populi iudicio facta est, atque in Prætorio, de quibus suprà dictum est. Nunc, quod reliquū est, de seruitute & nece dicamus. Seruitus per venditionem inducta est. Venditio verò, quæ & auctio dicta est, sub hasta est facta, Magistratu ei, qui pluris licitatus esset hominem addicente, Varro apud Nonium, & Valerius Maximus. Necis autem genera hoc modo suscepta sunt: Percussio securi facta est per lictores præegressa verberatione quæ virgis adhibebatur. Liuius libro 2. & 26. Strangulatio verò quæ laqueo fiebat, & præcipitatio, quæ de Robore, ambæ suscipiebantur in carcere. Carceris verò duæ præcipuæ fuere partes, Tullianum & Robur. Tullianum à Seru. Tullio Rege est additum, de quo Sallustius. Robur autem, teste Festo, dictus est in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorū genus, quod ante arcis robusteis includebatur. Carceris verò cura Triumuiris erat commissa, vt eorum interuentu supplicium sumeretur, Pompon. ff. de orig. iur. Cic. in Legibus, & in Catilinam. Strāgulatio igitur facta est in Tulliano, testibus Sallustio & Cic. in Vatinium. Præcipitatio, de Robore, Valerius, Liuius, & Plautus. Vtrumque autem per carnificem iussu Triumuiri capitalis, Valerius, & reliqui. Deiectio item è rupe, siue è saxo Tarpeio per Carnificem facta est, præegressa verberatione iussu Magistratus, eóque supplicio liberi homines affecti, vt scribit libro tertio bell. ciuil. Appianus. Agellius tamen etiam seruos, manifesti furti prehensos, verberibus affectos, & de saxo præcipitatos fuisse, iussu Decemuirorum, scribit libro 10. cap. 18. Vt autem liberi de saxo deiiciebantur,

De animaduersione.

De Marc. Curione vendente Tenebrionem.

sic serui in crucem agebantur, quod supplicium etiam interuentu Triumuiri per Carnificem sumptum est. Valer. lib. 8. De verberatione Cic. lib. 1. de Diuinat. Seruus per circum, cùm virgis cæderetur, furcam ferens ductus est. Fiebat autem verberatio per lictorem: Vnde erant illa solemnia: I lictor, colliga manus, verberato, caput obnubito, arbori infelici suspendito. Erantq; crux, patibulum & arbori infelici suspensio ferè idem. Isidorus tamen lib. 5. scribit: Patibulum vulgo furca appellatur: sed patibuli minor pœna, quàm crucis: nam patibulum appensos statim examinat, crux autem affixos diu excruciat. De Culleo & profluente supra dictum est. Aliquando etiam contumeliæ causa cadauera in Tiberim, aut in scalas Gemonias proiecta, cuius rei exempla non desunt. His de extremo supplicio explicatis, quoniam suprà de tormentis egimus, hîc de torquendi instrumento, quod Eculeum dixerunt, pauca subiiciemus.

Eculeus, quantum ex veterum non leuissimis elici monumentis potest, catasta fuit lignea, cochleata, id intendendum ac remittendum apta, atque ad torquendos homines, vt facti veritas eliceretur, instituta. Tormenti verò genus erat huiusmodi: Vbi catastæ huic brachia, pedésque eius qui torquendus erat, neruis quibusdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligauerant: tum catasta intenta atque in altum erecta, vt ex ea, quasi ex cruce quadam miser ille pēderet, primùm compagem ipsam ossium illius diuellebant, deinde candentibus eiusdem corpori laminis admotis, atque bisulcis vngulis ferreis lateribus laniatis, doloris acerbitatē augebant. Sozomenus eculeum, lignum tortorium: Prudentius stipitem noxialem appellat, vbi multa de Eculeo habet. Pomponius Poeta apud Nonium etiam meminit huius tormenti: item Suet. in Tib. Valerius de Patientia. Quintil. decl. vlt. Cyprianus ad Donatum, & de laude Martyr. Cic. in Verr. & in Anto. &c. Senec. lib. 3. de Ira. Qui igitur in eculeo torquebantur, pendebant brachiis pedibúsque retortis extenti, neruis scilicet, quibus deuincta membra erant, propter summam intentionem crepantibus. Vtque incitandi doloris causa eculeus aut fidiculæ tendebantur, sic eiusdem remittendi eadem laxabantur. Extorquendæ autem de seruis veritatis causa eculeum adhibitum fuisse, docet Cicero, & nos suprà scripsimus. Translatus est inde eculeus ad cruciandos homines, & acerbiore supplicio afficiendos, quod in Christianis martyribus patuit. Atque hæc de Iudiciis.

Sozom. lib. 5. hist. Eccles. Prudent. in Hymno diui Vincentii, & alibi. Cicer. pro Deiotaro, & pro Milone.

AD LIBRVM IX. PARALIPOMENA.

Principes iudices fuisse variis gentium exemplis probatum, statuæ quare erigerentur in foro, ex qua materia, quotuplices, quomodo ensses, manusque in iis effictæ, calumniæ actio, seu delatores, Talio, sortitio Iudicum.

LEgum custodiam adeo necessariam censuerunt patres nostri, vt principes ipsos iudices esse oporteret vt potentia, quà in cęteros pollebant, ad eas obseruandas rebelles cogere possent. Manuel Palæologus August. In educatione regia ad Ioannem filium præcepto 51. νομοθέτης μὲν ὁ βασιλεὺς καὶ κριτὴς τῶν ὑπ' αὐτὸν ἀναδέδεικται, ἄνθρωπος δ' ὢν, ἀνθρώπων θνητὸς θνητῶν, μηδὲν πλέον ἔχει, ἢ χάριτι. Vertit Leunclauius: *manifestum est regem esse legislatorem, iudicémque subditorum constitutum hominum, hominem mortalem mortalium, nulla re cæteris superiorem, nisi dignitate.* & quanquam sciam præoccupatum, dicam tamen nonnihil obiter. Plutarchus in Alexandro, scribit illum *vnam aurem actori clausisse, vt reo illam reseruaret. Is foro vtebatur, quoties ius diceret, splendido, vt species illa veranda metum barbaris incuteret.* Polyæn. lib. 4. Stratagemat. solent enim externa illa terricula menta plurimum apud barbaros præualere. Non solus ille sane è Macedonum regibus forensia iudicia exercuit, sed & pater eiusdem Philippus, *qui dormitans, & parum attentus, Machetes causam audiebat, eum condemnauit, qui reclamans dixit se prouocare. ad quem? inquit rex, ad te ipsum, ait ille, si expergiscaris.* Nec minus iucundum quiddam de eodem refertur, *Is duorum flagitiosorum accusationem pro tribunali audiens, vnum Macedonia exulare iussit, alterum vero illum sequi.* vtrumque in Apophthegmatis retulit Plutarchus. Idem aliis principibus in vsu, nam Mithridates *duarum & viginti gentium rex totidem linguis iura dixit, pro concione singulas sine interprete affatus*, vt loquitur C. Plin. lib. 7. cap. 24. Eademque transcripta pene apud C. Iulium Solinum Polyhisto. cap. 7. *rex Ponticus Mithridates, duabus & viginti gentibus quibus imperitabat, sine interprete iura dixit.* quod autē prisco id Gallorum principum instituto etiam factitatum, in Carolo Magno testatur Eginhartus, & nuper in admirandæ eruditionis, stupendæque facundiæ actionibus forensibus docuit Annæus Rulmanus Iurisconsult. Annæi filius, qui & dignitatem paternam, & in literatos propensionem, seu hæreditarium munus eloquentiæ, incomparabili exhibet. Vide illum Act. 2. quod procedente deinde

tempore

tempore regibus bello, aliisve negotiis implicatis ad *maiorem domus* (quem *iudicem palatii*, & *auditorẽ Rotæ* vocauit, B Petri Damiani libr.1. Epist.19.) *cancellarium, secretarios*, aut denique *referendarios* deuolutum, vt exemplo *Beati Audoini* (qui & *Dado* dictus) ostendit tẽporibus Dagoberti regis Aimonius Monachus l.4.c.41.& Agroeculę Episcopi Cabillonensis, qui eodẽ munere functus est, Greg.Turonensis lib.5.histor. Francicæ cap. 45. quod autem istos magistratus, *non regis sed regni* appellet Impius ille Brutus, in libello nefario quo dignitatem regiam sugillat pag. 83. Et iterum pag.96. discutit & examinat diligenter Guiliel.Barclaius I.C.libr.4. Cont. Monarchomachos cap.16. Nec sunt omnino lectu indigna, quę reperies apud Hortensium Caualcanum in Tractatibus *de Brachio Regio*. ad. ad Robertum Gaguinum lib.5.c.3. & Papon.in Arrest.lib.4.tit.4. & Iudæorum principes iudicum officio fungi solitos, testis est Flauius Iosephus lib.18. Antiquitat. Iudaicar. cap.6. vbi de Philippo Tetrarcha. de Indis, Q. Curtius Rufus libro 8. de Scotis, notius est, quam vt historicorum fide sit opus, quippe etiamnum hodierna tempestate reges Iudiciis intersunt, atque illud antiquissimum apud illum populum fuit regni Ius, vetustissimúmq; præscriptum, cuius verba apponam ex Hectore Boëthio Deidonano eloquẽtissimo dignissimeq; fidei authore li.12.hist.Scot.

IN.PROFANIS.REBVS NEMO.IVS.DICITO. NISI.QVEM IVRI.DICVNDO. MAIESTAS. REGIA. PRAEFECERIT.

SOLIVS.REGIS.NOMINE.IVS.OMNE.REDDITOR. CONVENTVS. IVDICANTOR. CONSILIA. CONVOCANTOR.

NE.QVIS.ALIA. QVAM.REGIA. AVTHORITATE. IVDICIA. OBTINETOR.

Alios aliarum gentium reges etiam iudiciis interesse solitos, clarum legentibus historias. de Priamo Troianorum principe. Virg.lib.7. AEneid.

Hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis
More daret populis.

De Didone Idem lib.1. Æn. dum illa vrbis iacit fundamenta mansuiæ *Iura dabat legesque viris.*

Siculis imperans Acestes, lib.5. AEneid.

——gaudet regno Troianus Acestes,
Indicitque forum, & patribus dat iura vocatis.

Ipse Æneas futurus monarcha de se li.3. Æn.

Iura domósque dabam. Sidon. Apollin. carm. 2. vers.218.

——nam iuris habenas,
Non generum legit Respublica.

Eiusdẽ Carminis vers.204.——*post iura daturi*
Innumeralibus legionibus imperitabant.

Carm.5.vers.569. *Qui dictat modo iura Getis.*

Et vers.480. Carm.2. ——*fit p tribus iste Augustus, longumque Leo mea iura gubernet.*

Ad Romanos si descendamus, nullum penè reperiemus principem nõ iura administrasse & iudicia per se exercuisse, de Romulo Plutarch.in eo. Virgil.lib.1.Æneid.

——Remo cum fratre Quirinus
Iura dabant.

P.Ouid.libr. 14. Transform. Fab.19. in princ.

Occideras Tatius, populisque æquata duobus
Romule iura dabas.

Alios reges idipsum factitasse nullum dubium, nam Tarquinius Superbus *cognitiones rerum capitalium per se solum exercuit*, vt ait T. Liu.1.Decad.lib.1. consules stante Rep. indubie cognoscebant de litibus inter ciues motis, vt & ab iisdem instituti prætores id muneris obtinuerunt, & si ad Imperatores lubeat pergere, non erit operosum ostendere coniunctam fuisse principis dignitati iudicis officium: atque vt inde ordiar, *Seruij Galbæ temeritatis plena postulatio* (verba sunt Valerij Maximi lib.6. cap.2.tit.11.) *quod Diuum Iulium consummatis victoriis, in foro ius dicentem, in hunc modum interpellare sustinuit, C. Iuli Cæsar pro Cn. Pompeio Magno quondam genero tuo, in tertio eius consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor, quid agam?* C.Sueton. in Iul.capit.43. *Ius laboriosissimè, ac seuerissime dixit.* L.Seneca lib.5. de Benef. capit. 14. *causam dicebat apud Diuum Iulium ex veteranis quidam, paulo violentior aduersus vicinos suos, & premebatur causa.* De Aug. Sueton. idem in cap.33. *ipse ius dixit assidue, & in noctem nonnunquam, si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans.* nec id in vrbe modo, sed & ruri. Idem cap. 72. *ex secessibus præcipue frequentauit maritima, insulásque Campaniæ, aut proxima vrbi oppida, Lanuuinum, Præneste, Tibur. vbi etiam in porticibus Herculis templi ius persæpe dixit.* rectè *in porticibus*, nam iudicia exercebantur in basilicis, templis, porticibus, & præterea in subdiualibus locis, vnde liberrimus esset cæli prospectus. Valer. Maxim. lib.8. cap.1. titul.4. *infesto populo obiectus, cum effugere debitam pœnam nullo modo posse crederetur, subito coorti imbris beneficio tutus fuit à damnatione, discussa enim quæstione: aliam, velut diis interpellantibus, de integro instaurari non placuit.* At quomodo discussa fuit quæstio imbre coorto, nisi sub dio iudicium esset institutum? alter est apud eundem locus, tit.6. *per idipsum tempus, quo tristes de eo sententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit, cumque prostratus humi pedes iudicum oscularetur, os suum cœno repleuit. quod conspectum, totam quæstionem à seueritate ad clementiam & mansuetudinem transtulit.* Quod non potuisset contingere, si sub te-

cto, ac non sub dio iudices consedissent, P. Virgil.lib.4. Georgic.

——Cæsar dum magnus ad altum
Fulmina: Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat iura.

De Tiberio Seneca libro proxime laudato capit.25. in limine. *Tibe i s Cæsar inter initia dicenti cuidam, men inisti? antequam plures notas familiaritatis veteris proferret non memini, inquit, quid fuerim.* De Claudio principe L.Sen. in Apocolocynthosi seu satyra illa amarissima. *ego eram* (verba sunt Claudij Aug. ad Herculem) *qui tibi ante templum tuum ius dicebam totis diebus mense Iulio & Augusto.* Et in eodem opere aliquot paginis interiectis sequitur.

Quis iam iudex toto lites
Audiet anno?

De eodem Ioannes Xiphilinus ex Dione Cocceiano lib 60. vt & de Galba. Idem Dio lib 64. Et de Vitellio lib.65.

Vespasianus non in vrbe modo, sed & in prouinciis ius dixit. Philostrat. Lemnius in vita Apollonij capit.12. lib.7. & ipsius filius Domitianus, *industrie, diligenter, ac plerumque extra ordinem* vt loquar cum C. Suetonio capit.11. addit P.Aurelius Victor, *æquissime.* De aliis Imperatoribus, sub quo fœlix illud Iurisconsultis fuit sæculum: quid opus commemorare quicquam, quum aliis id in legibus passim sit obseruatum, eos principes non leges modo scripsisse, sed & iura expoluisse. de Seuero August.Herodian. libro 3. & A El. Spartian. in eo. de Caracalla idem Herodianus lib 4.Dionis authoritate Xiphilinus. de Maximo & Balbino, *qui moderatè causas audiebant*, Iul.Capitolin. in iis. de Iustiniano Authent. de disposito princ. Authentic. de Exact.dot.alij Imperatores iura constituisse, & exercuisse produntur, nomine nullo expresso, L.*Offidius*. ff.de leg.3. L.*Imperatoribus* ff.de Iure fisci, L.vltim. ff. quod cum eo.de Valentiniano Fortunat.lib.1.

Dum vigeret princeps data iura Valentinianus.

De Theodosio. Cl. Claudian.de 4. Hon. Consul.

Non hostes victore cadunt, sed iudice sontes,
Damnat voce reos, petiit quos Marte tyrannos,

Raptim iam, quod huius libri capitibus continetur, percurram, non ignarus Fr. Polleti elegantissimum esse, atque eruditissimum de historia fori Romani volumen, è quo ritus omnes iudicandi repeti commodissime possunt.

Cap.7.de foro agendum fuerat, sed laborem illum exemit Alexander Neapolitanus libro 2. Genial.dier.capit.12.& eruditissime dignitatis Andreas Tiraquellus. hoc tantum hic admonendum, statuas maiorum in eo stetisse conspicuas, cuius rei rationem habes apud Q. Symmachum lib 10. Epist. 25. his verbis. *nam præter illum populi R. mani insitatum d lorem, etiam senatus impat ens dispendii qui solatium petit de honore virtutis, vestrumque numen precatur, vt virum nostra ætate mirabilem statuarum diuturnitas tradat oculis posterorum, non quod ille præmia terrena desideret, qui gaudia corporis, etiam tum cum hominem ageret, vt caduca calcauit, sed quia ornamentis honorum incitatur imitatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Hinc factum est, vt rusticis adhuc sæculis optimi ciuium manu & arte formati in longam memoriam mitterentur.* fuit itaque hic primus statuarum vsus, vt de republica bene merentibus aliquod ab honore publico præmium peteretur, oculisque legentium ingererentur. eleganter eodem sensu Aurel. Cassiodor. libro 8. Epist. 2. *amore principum constat inuentum, vt simulachris æneis fides seruaretur imaginis, quatenus ventura progenies auctorem vid. ret, qui sibi R. mpublicam multis beneficiis obligasset.* bellica virtus secundum vtrumque authorem aliarum dedicandarum statuarum prima & præcipua causa, sed & insequentibus sæculis eruditione doctrinaque præstantibus idem honor decretus. Sidon. Apollinar. libro 5. Epist.5. *statuas literæ dederant, si trabeæ non dedissent.* sic & Verrio Flacco Grammatico *statua in ima parte fori dedicata.* C.Sueton.lib. de Clar. Grammatic. cap. 17. decernebatur stante Republica ius illud statuarum à Senatu, L.Apul. ad illum morem libro 3. Florid. *omnes qui in illa sanctissima curia aderant, tam libenter decreuerunt locum statuæ.* Paul. Iurisc. l b.2. ff.de loco publ. fin. *imagines & statuæ ornamenta Reipublicæ futuræ, in publicum poni debent.* Vide infra Ammiani locum æternitate statuarum dignissimum: & Ennodij Ticinensis. Tertullian. lib.de Anima capite 33. *ob merita vitæ imagines, statuæ, & tituli rependuntur.* erepta libertate ab Imperatoribus sine quorum rescripto vllam erigere non licebat, Symmachus loco laudato, C.Plin.Iunior.libro primo, Epist.17. *ab Imperatore nostro impetrauit, vt sibi liceret statuam in foro L. Syllani ponere.* Claudian.in præfat.ad bellum Geticum,

Annuit his princeps titulum poscente Senatu.
Aspice iudicium quam graue Musa subit.

Hoc est quod apud L.Apuleium lib.tertio Floridor. eodem *dedicationem statuæ nuncupant*

sunt. Egregium illud C. Taciti lib. 4. Annal. *triumphalia ornamenta, & illustris statua honorem, & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulato decerni iubet.* At in prouinciis magistratus municipales decernere poterant, Pomponius Iurisconsult. l. 14. de conditio. & demonstrat. *Titius si statuas in municipio posuerit, hæres esto; si paratus est ponere, sed locus à municipibus ei non datur, Sabinus, Proculus, heredem eum fore.* Inscriptio vetusta Romæ eruta in domo Pomponij Læti.

Cl. Clavdiani. V. C. Cl. Clavdiano. V. C. Tribvno. Et. Notario. Inter. Caeteras. Ingentes. Artes. Praegloriosissimo. Poetarvm. Licet. Ad. Memoriam. Sempiternam. Carmina. Ab. Eodem. Scripta. Svfficiant. Ad. Evm. Testimonii. Gratia. Ob. Ivdicii. Svi. Fidem. D. D. N. N. Archadivs Et. Honorivs. Felicissimi. Ac. Doctissimi. Imperatores. Senatv. Petente. Statvam. In. Foro. Divi. Traiani. Erigi. Collocariqve. Ivsservnt.

Erant præterea & statuæ à priuatis erectę, in solatium amicorum parentumque qui obiissent, sed illæ in porticibus, Sidon. Apollin. Carm. 8. de statua sua.

Vlpia quod rutilas porticus ære meo.

Aut certe in areis, aut bibliothecis priuatis collocabantur, Theodor. Marcil. ad Persium. Arnob. libro primo. in fine. *bibliothecarum reponitis in arcanis, quadrigis & statuis numeramini exules & fugitiuos*, vt & aliæ de quibus iam dixi, in foro, Sidon. idem Apollin. Carm. 9. vers. 197.

Et charus popularitate princeps
Traiano statuam foro locauit.

Claudian. loco proxime supra citato apposite admodum.

Et magis intento studium censore laborat,
Quod legimus medio conspicimusque foro.

Alciat. Parerg. lib 4. cap. 27. & alij videantur.

Erant autem statuæ in multiplici differentia, quædam triumphales, aliæ pedestres, nonnullæ equestres, quod & Græcis illis priscis in vsu, licet rudi artificio, *nam ante Dædalum omnibus statuis oculi clausi.* Christophor. Landinus ad Q. Horatij lib. 2. od. 3. in pedestribus, quæ frequentissimæ, manus exertæ, quo, puto, imperium significari voluerunt, nam vna manus clypeum prætendebat, altera imperantis specie extendebatur. Seruius Honoratus ad illud lib. 8. Æneid.

Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.

Stat in Equo Maximo lib. 1. sil. 1.

Dextra vetat pugnas, læuam Tritonia Pallas
Non grauat.

Corip. lib. 2. Num. 4.

Circumfusa chlamys, rutilo quæ ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra.

Ritus initium à Cethegorum familia videtur sumptum. M. Lucan. lib. 2.

——Exertique manus vesana Cethegi.

Sil. Italic. lib. 8. Punicor.

Ipse humero exertus gentili more parentum
Difficili gaudebat equo.

Sic & in statuis causidicorum, exertæ erant manus dexteræ, qua gestus fieri soliti, is enim causam agendi modus, licet primo anno, quo quis ad causidicinam accessisset, non posset manum exerere, neque eo modo tyro, quo veterani agere, quod ab aliis notatum prætereo, & ad statuas regredior, quas alicui deo consecrari solitas constat; C. Tacit. lib. 3. Annal. *cum Marcelli effigiem Diuo Augusto Iulia dicaret.* morem Romanum loquuntur Halicarnassæus lib. 2. & Strabo lib. 14. Græcum Diogenes Laertius lib. 3. in Platone, & Lipsius notat ad locum laudatum vetus marmor.

P. VEIDIVS. P. F. POLLIO. CÆSAREM. IMP. CÆSARI. AVG. ET. COLONIÆ. BENEVENTANÆ.

Equestres sane non nisi grauissimis de causis concessæ, idque rarenter admodum, nec nisi optime de republica meritis, & speciosissimis quibusque ducibus. Testem habeo C. Velleium Paterculum lib. 2. histor. Rom. cap. 61. *cum* (Augustum) *senatus, honoratum equestri statua, quæ hodieque in rostris posita ætatem eius scriptura indicat (qui honor non alii per trecentos annos, quam Lucio Sullæ, & Cneo Pompeio, & Caio Cæsari contigerat) proprætorem vna cum consulibus designatis, Hirtio & Pansa, cum Antonio bellum gerere iussit.* Nec minus in iis manus dextera protensa, vti ex Statio superius laudato colligitur. vide quę à me dicta sunt ad Corippum lib. 1. Num. 8. AEl. Spartian. in Iuliano Aug. *manu eos semper placare cuperet.* Augustus Princeps apud C. Suetonium cap. 53. *vultu manuque indecoras adulationes repressit.* Heliodor. lib 10. Æthiopic. [illegible] *& neque præcones sientium audientes imperantes, manu protensa silentium denuntians,*

commotionem vulgi in tranquillitatem composuit. Ita audiendi poetæ. M. Lucan. libro 1. Pharsal. vbi Cæsar tumultum

Composuit vultu, dextrâque silentia iussit.

Ex eo Aul. Persius Sat. 4.

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus.

Iupiter Ouidianus lib. 1. Transformat.

——voce manúque
Murmura compressit.

Et apud Statium lib. 1. Thebaid. de deorum etiam consilio.

——veniam donec pater ipse sedendi
Tranquilla iubet esse manu.

Claudian. de Bello Gildonico.

——sacrum dextra sedare tumultum.

Enses quomodo gestarentur, in his statuis, quæ bellicos ducum labores habitusque referebant, difficultas non minima. Persæ enim demissos ferebant. Iul. Pollux lib. 1. cap. 10. §. 7. ἀκινάκης ξιφίδιον τι τῷ μηρῷ προσηρτημένον. *Persicus ensis, femori aptatus.* Gothis alius mos. Sidon. Apollinar. lib. 4. Epist. 20. *penduli ex humero gladii, balteis supercurrentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus.* paritérque iidem Græcis ex humeris penduli erant. lux inde Homero lib. 2. Iliad. vers. 45.

ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον.
Circum humeros iecit gladium argenteis clauis distinctum.

Quod ex eo expressit Claudianus lib. 2. de laudib. Stilichon.

——galeásque renidentes hyacinthis,
Gestatósque patri scapulis radiantibus enses
Diuitiis ex æquo.

ὤμοισιν reddit *scapulis*, ἀργυρόηλον ad vestem accommodat, vel ad ipsum ensem qui *radians* gemmisque distinctus humeros ornabat. Sidon. Apollinar. Carmine 5.

Subligat à læua fulgentem baltheus ensem.

Clara huius consuetudinis in Virgilio vestigia, vnde conijcere liceat, ita heroicis temporibus factum. lib. 8. AEneid.

——Atque humeris Tegeæum subligat ensem.

Et lib. 9. AEneid.

Sic ait illacrymans, humero simul exuit ensem
Auratum.

Scio versum Claudiani aliter à viris doctis legi, contra fidem veteris editionis Venetæ, & MS. mei.

Gestatósque patri capulis radiantibus enses.

At certe in statuis equestribus Romanis ad latera inserti enses cingulis gestabantur, apertissime de Domitiani statua equestri Stat. lib. 1. Sil. 1.

It tergo demissa chlamys, latus ense quieto
Securum.

Idem lib. 1. Thebaid. vers. 427.

Forsan & accinctos lateri, sic ira ferebat)
Nudassent enses.

Idem lib. 4. Thebaid. vers. 41.

——incedit Adrastus.
Contentus ferro cingi latus.

Imitatus est illud M. Varronis lib. 6. de L. L. *latrones stipatores, quod ad latera sint regum, vel quod ad latera ferrum habeant accinctum.*

Et lib. 7. Thebaid. vers. 502.

Quem non permoueas? longe tua iussa cohortes
Expectant, multoque latus præfulgurat ense.

L. Seneca Tragœdus in Agamemnone Act. 5. sc. 1.

Vt Pergamum omne Dorica cecidit face,
Diuisa præda est, maria properantes petunt,
Iámque ense fessum miles exonerat latus,
Neglecta summas scuta per puppes iacent.

Heliodor. li. 2. Æthiopic. pag. 65. τὸ ξίφος ὑφαιρεῖ λαθὼν ἐκ τῆς θήκης ὑπὸ τὴν πλευρὰν ἀνηρτημένον. *gladium illi clam aufert ex vagina, quæ sub latere pendebat.* Ouid. lib. 3. Amor. eleg. 7.

Ense latus cinctum, quod tibi seruit, erat.

Horat. lib. 2. od. 7.

Longáque fessum militia latus
Depone sub lauru mea.

Sil. Ital. lib. 1. vers. 165.

Quem postquam diro suspensum robore vidit
Deformem lateri famulus clam corripit ensem
Dilectum domino, pernix irrumpit in aulam.

Sic recte legitur, neque enim assentior Fr. Modio Nouantiquar. lection. Epist. 57. legenti,

Quem postquam diro suspensum robore vidit
Deformem lateri famulus, clam corripit ensem
Dilectum domino.

Corippus lib. 3. Num. 5.

Ense latus cincti, perstricti crura cothurnis
Adstabant celsi pariter, paritérque nitebant
Extantes latis humeris.

Atque is quidem militarium statuarum habitus quas Ammianus lib. 19. *armatas* vocat, de qua legendus Plinius Iunior lib. 11. Epist. 7. togatarum alius longe. Sed ad materiam pergo, quæ & ipsa multiplex, nam apud primos illos statuarum artifices, rudi & inculto adhuc sæculo, priusquam Rhecus, & Theodorus

dorus æs inuenissent, ex *hebeno, cupresso, cedro, taxo, quercu, lotoque* fiebant. Pausania teste in Arcad. deinde ad metalla transitum, & ex *ære, plumbo, marmore*, erigi cœperunt. Cassiodor. lib.7. Epist.44. & tandem aureæ, argenteæque factæ, de argenteis Caius Sueton. in Augusto. c.53. *atque etiam argenteas statuas sibi olim positas conflauit omnes.* quod Dio Cocceianus obseruandum prodidit lib. histor. Rom.53. Artemidor. lib.2. cap.44. ἀγάλματα τὰ χρυσοῦ πεποιημένα, ἢ ἀργύρου, ἢ χαλκοῦ, ἢ ἐλέφαντος, ἢ λίθου, ἢ ἠλέκτρου, ἢ ἐβένου, ἀγαθὰ αὐτῷ, *statuæ quæ auro factæ, aut argento, aut ære, aut ebore, aut lapide, aut electro, aut hebeno, bonæ sunt.* Hæque ex testamento decretæ, modo, forma, pondere metalli conceptis verbis præfinito. Stat. lib.5. sil.1. vers.190.

Da Capitolinis æternum sedibus aurum
Qui niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris, & propria signet cultricis amorem.

De aureis argenteisque C. Plinius Iunior. in panegyrico Traiani. *tuam statuam in vestibulo Iouis unam alteramue, & hanc æream cernimus, at paulo ante omnes aditus, omnes gradus, totaque area hinc auro hinc argento relucebat, itaque hæ poscæ æreæ manent, illæ aureæ & innumerabiles, strage & ruina, publico gaudio litauerunt.* Tyrannica taxat sub Domitiano tempora, qui vt loquar cum C. Suetonio in eo cap.13. *statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit, ac ponderis certi.* hoc quidem inuito principi, metu adigente, concessum, at nonnullis aliis, etiam solo amore impellente, luxuriantibus deinde sæculis fælicitate nimia. Claudian. lib.3. de laudib. Stilichon. in limine.

Ob fastum, quod in ære colis, miraris in auro,
Cerne libens.

Culte Aurel. Prudent. lib.2. in Symmachum, vt pene semper in illo opere.

Hic ego pro meritis, quæ præmia digna rependam
Non habeo, membra statuis effingere vile est,
Virtutem nil vile decet, nam vile, quod ætas
Eripit, æra cadunt, aut fuluum defluit aurum,
Aut candor perit argenti, si defuit vsus,
Et fuscata situ corrumpit vena colorem:
Viua tibi princeps debetur gloria.

Tertium veluti genus erat earum quæ bracteis aureis obducebantur. T.Liu.4. Decad. libro 10. *ædem* (Pietatis) *dedicauit M. Acilio duumuir, statuamque auratam, quæ prima omnium in Italia statua inaurata est, patri Glabrioni posuit.* Eadem Valer. Maxim. libr.2. c.5. Est autem *bractea* in gloss. πέταλον. & *bracteatores* πεταλουργοί aut πεταλάριοι. l.1. C. de excus. artific. Iul. Firmic. Maternus Astronomic. lib.8. Plin. lib.33. cap.3. frequentissimus tamen, omni reipublicæ seu labentis, seu florentis, seu crescentis æuo, in statuis vsus æris. Ammian. Marcellin. lib.14. *quidam æternitati per statuas se commendari posse affirmantes, eas ardenter affectant, quasi plus præmij ex figmentis æneis, sensibus carentibus adepturi, quam ex honeste recteque factorum conscientia.* paria reperies apud Magnum Felicem Ennodium Ticini Episcopum dictione 8. *quamuis, iudices, virorum fortium effigies mansuro perenniter ære seruentur, & per hæc simulachra nesciant obitum vel sepultis; quamuis in æternitatem migret per has artes imago mortalium, & angustam humanæ naturæ legem vincat industria, tamen virtutis pretium nec parricida aliquando meruit, nec tyrannus expoluit.* L. Apul. libro tertio. Floridor. *quid igitur superest ad statuæ meæ honorem, nisi æris pretium, artificis ministerium, quæ mihi ne in mediocribus quidem vnquam ciuitatibus defuere?* vetus marmoris fragmentum, & Vlpianus IC. l.13. ff. de Iniur. & lib. fam. citante P. Colutio ibidem loci videantur. L. Apul. lib.3. Milesiar. *nam & patronum scripsit, &, vt in ære sua stet imago, decreuit.* lib.10. histor. supplem. Eutropij Paul. Diacon. *pictor, fictorque ex ære & marmore, proxime Polycletus & Euphranoras* Artemidor. lib.1. Oneirocrit. cap.51. χαλκαῖ γὰρ εἰκόνες τῶν ἐλευθέρων ἀνατίθενται. τὸ αὐτὸ δὲ σημαίνει καὶ εἰκόνα τις ἑαυτοῦ ἢ ἀνδριάντα ἰδεῖν χαλκοῦν ἐν ἀγορᾷ κείμενον. *æreæ enim imagines & statuæ* (nam non dicitur ex ære sed ἀγάλματα,) *liberis hominibus eriguntur: idem significat etiam si quis imaginem suam, aut statuam æream videat in foro positam.* Philostratus Lemnius lib.5. de vita Apollonij Tyanei cap.11. καὶ πανταχοῦ μὲν γράφῃ τῆς πόλεως, πανταχοῦ δὲ ἵστασαι χαλκοῦς, ἡμῖν δὲ ἀφορμὰς παρέχουσα λόγων. *Et vbique in tota ciuitate pingeris, vbi æreæ statuæ tibi eriguntur, nobis vero materiam sermonum suppeditabis.* C. Plin. Iunior. lib.4. Epist.7. *illum coloribus, illum cera illum ære, illum argento illum auro ebore, marmore effingit.* quod totidem pene verbis expressum a Statio lib.2. sil.2.

Quid referam veteres ceræque ærisque figuras?

De æreis subinde statuis sequitur, ibidem loci.

Æraque ab Isthmiacis auro potiora fauillis.
Ora ducum, & vatum, sapientumque ora priorum
Quos tibi cura sequi.

Claudian. lib. de laudibus Stilichon. de adulat.

Hinc amor, hinc veris, & non fallentibus omnes
Pro te solliciti votis, hinc nomen vbique
Plausibus, aurati, te ebran: hinc ora figuris.
Quæ non incudes streperent? quæ flamma vocares
Fabrilis? quæ sufficerent fornacibus æra
Effigies ductura tuas?

Corruptus eiusdem locus in præfatione iam laudata ad bellum Geticum, sic enim habetur in vulgatis editionibus.

At prior effigiem tribuit successus amœnam,
Oraque patricius nostra dicauit honos.

Lege opera MS. mei Bongarsiani, & iam idem ex Cuiacij, vt puto, codice Stephanus Clauerius reposuerat,

At prior effigiem tribuit successus ahenam,
Oraque patricius nostra dicauit honos.

Quod confirmari potest, vt omittam multiplicem citatorum à me numerū scriptorum, à L.Seneca lib.6. Natural. quæst. cap.19. *cur ergo aliquis ad hoc stupet, quod æs vnius statuæ, nec solidum quidem, sed concauum, ac tenue, diruptum est.* Et statua Antonio Musæ *ære collato* ponitur Sueton. in Augusto c 59. P.Virgil. lib.6.Æneid.

Excudent alii spirantia mollius æra.

Aere autem collato dixit Suetonius, sequutus testamētorum formulam, inscriptionésque præfigi solitas. vetus marmoris fragmentum apud Onufrium Panuinium in Ciuit. Rom. pag.76.

SÆNIÆ. CN. FIL. BABILÆ. SACERDOTI. DIVÆ. FAVSTINÆ. DECVRIONES. ÆRE. COLLATO. OB. MERITA. EIVS. POSVERVNT.

Sunt & aliæ passim in Bartholomæi Amantij, & Petri Apiani collectaneis, quas & Smithius, & Grutherus, & postremo Lipsius suis Inscriptionibus inseruerunt, & nonnullæ in Volfgango Lazio lib.10. cap.7. Reip Rom.

L.PVDENTI.HIC.QVINI.ESSET. ANNOR. XIII. ROMÆ. CERTAMINE. SACRO. IOVIS. CAPITOLINI. LVSTRO. VI. CLARITATE. INGENII. CORONATVS. EST. IN. POETAS. LATINOS. OMNIBVS. SENTENTIIS. IVDICVM. HVIC. PLEBS. VNIVERSA. MVNICIPIVM. ISCONENTIVM. STATVAM. ÆRE. COLLATO. DECREVIT. CVRAT. R. P.

Erigebantur porro vel *patronis* à clientibus suis, vti supra hoc opere libro 1.cap.16. expositum, vel *consulibus* bene administrata Republica, eædemque tollebantur, eradebantur tituli, memoriaque omnis abolebatur, eaque seuerissima pœna male merentibus & erat, & habebatur. Æl.Lamprid. in Heliogab. & multo apertius in Commodo, *parricidæ gladiatori statuæ detrahantur.* vide alias non absimiles ibidem acclamationes. Iul. Capitolin. in Maximinis. *iussit præterea tabulas pingi, ita vt erat bellum ipsum gestum, & ante curiam proponi, vt facta eius pictura loqueretur, quas quidem tabulas, post mortem eius senatus & deponi iussit, & exuri.* Sueton. in Domitiano cap. vlt. *senatus adeo lætus est, vt repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo declamationū genere laceraret: scalas etiam inferri, clypeosque eius ac imagines coram detrahi, & ibidem solo affigi iuberet, nouissime eradendos vbique titulos, & abolendam omnem memoriam decerneret.* hodieque etiamnum pleræque videntur statuæ, quibus exempti tituli. quo referendum diuorum Arcadij & Honorij Augg. rescriptum lib. 17. C. Theodos. de pœnis. *quod diuinum præmium consulatus lutulentum prodigium contagione fœdauit, patriciatus dignitate, atque etiam omnibus aliis inferioribus spoliatum se esse cognoscat, quos morum polluit fœditate, omnes statuas, omnia simulachra tam ex ære, quam ex marmore, seu ex fucis,* (aliter in imagine, *ex fusis,*) *quam ex quacunque materia, quæ apta est effingentis, ab omnibus ciuitatibus, oppidis, locis priuatis, ac publicis præcipimus aboleri: ne tanquam nota nostri sæculi obtutus polluat intuentium.* scio præter alios magnum purpuratorum patrum, & literatorum decus Cæsarem Baronium idipsum obseruasse, in incomparabili illo de Annalibus Ecclesiasticis opere. Claudian. in præfat. ad lib.2. in Eutrop.

Illicitas consul pœnas se consule soluit,
Annus qui trabeas hic dedit exitium.
Infaustum populis in se quoque vertitur omen,
Sæuit in authorem prodigiosus honor.
Ablato penitus respirant nomine fasti,
Maturamque luem sanior aula vomit.

D.Iuuenal. Sat.10.vers.58.de Seiano damnato sub Tiberio.

——mergit longa, atque insignis honorum
Pagina, descendunt statuæ, restemque sequuntur,
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.
Iam strident ignes, iam follibus, atque caminis

Ardet

Aries odoratum populo caput.

Denique signabatur basis statuarum dedicationis elogio. Valer.Maxim.lib 4.cap.4. tit.2. *plurimorum ac maximorum operum prætexta titulum imaginum suarum amplificauit.* eiusdem libri cap.5.tit.3. *itaque titulo imaginis eius speciosius non recepta dictatura, quam aliorum gesta adscribi potest.* In basi, inquam adscriptus hic titulus. Sext.Propert. lib.2.eleg. 14.alludit.

Taléque sub nostro nomine carmen erit.

P.Ouid.Epist.2.quæ est Phyllidis Demophoonti.

Inter & Ægidas media statuaris in vrbe
Magnificus titulus sed pater ante suis.

Sequitur paucis interiectis.

Hoc tua post illos titulo signetur imago,
Hic est, cuius amans femina capta dolo est.

Eademque omnino ratio anathematum diis appensorum, quibus inscribi solitus titulus, consecrationis index, vide alibi hoc in opere à me dicta. Idem. Ouidius lib.1. Amor.eleg.11.

Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde moror.
Subscribam: Veneri fidas sibi Naso tabellas
Dedicat.

Cap.16. de calumniæ iudicio, & Talione instituendus fuerat sermo, sed omnia iam præoccupata: Obiter nihilominus aliquid perstringam. Et *calumnia malitiosa, & mendax infamatio.* Nonius Marcell. Cap.4.Num.74. Beda lib.de Orthograph. *calumnia est crimen falsum, cum nobis aduersarius, aut malum, quod non fecimus obiicit, aut bonum, quod fecisse probamur, in contrarium vertit.* Aurel.Cassiodor. in Psalm.117. *calumnia est commentum aliquod periculose facultatis obiectum.* hinc reis absolutis actio dabatur, aduersus improbos litigatores, qui eos temere & inique petierant, quæ eos decimâ litis parte notabat, vti obseruatum est à Barnaba Brissonio, & habetur diserte apud Iustinianum & Theophilum paraphrastem §.hæc autem Instit. de pæn.tem.litig. *Improbi isti litigatores, sunt calumniatores, siue etiam delatores.* D.Synesius Epist. 121. συκοφάνται κοινοὶ ἀλάστορες τῆς χώρας. *calumniatores fiscales, communis patriæ mali genij.* Valentinian. & Valens Augg. l.2. Cod. Theodos. de delatorib. *humani generis inimici delatores.* Et l.19.l.2.C.eod.tit. *violenti gatem, turbans securitatem*: C.Tacit.lib.4.Annal. *delatores genus hominum publico exitio repertum.* De quorum publica grassandi rabie, atque etiam prima origine qui multa cupis, adi Ammianum Marcellinum lib.14. in limine. *excogitatum est super his, vt homines quidam ignoti, vilitate ipsa parum cauendi ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent, hi peragrantes & dissimulanter honoratorum circulis adsistendo, peruadendoque diuites domos egentium habitu, quicquid noscere poterant vel audire, latenter intromissi per postisas in regiam, nuntiabant. Id obseruantes conspiratione concordi, vt fingerent quædam, & cognita duplicarent in peius, laudes vero supprimerent Cæsaris, quas inuiti complurìbus formido malorum impendentium exprimebat.* considera locum integrum, neque vllus magis idoneus, quod & simili narratione confirmat Æl.Lampridius in Alexandro Seuero,& ante illos de Tiberio eadem I. Xiphilinus in eo. pag.233. & antiquior eius rei memoria in Tarquinij Superbi gestis apud Dionysium Halicarnasseum lib.4. Sed ante omnes illos Siciliæ tyrannus senior ille Dionysius. *Sagagidas* habebat, vel vt alij appellantur *prosagogidas,* inter quos est Cælius Rhodigin.lib.22. Antiquar. lection.cap.17. de quibus dignissimus est Plutarchi locus libro περὶ πολυπραγμοσύνης *de curiositate.* καίτοι τῶν γε τυράννων οἷς ἀνάγκη πάντα γινώσκειν ἐπαχθέστατον ποιεῖ τὸ τῶν λεγομένων ὠτων καὶ προσαγωγέων φῦλον. ὠτακουστὰς μὲν οὖν πρῶτος ἔσχεν ὁ νέος Δαρεῖος, ἀπιστῶν ἑαυτῷ, καὶ πάντας ὑφορώμενος καὶ δεδοικώς. τοὺς δὲ προσαγωγίδας οἱ Διονύσιοι ταῖς Συρακούσαις κατέμιξαν. quæ verba ita Latinè sonant; *sane tyrannos quibus omnia cognoscere est necesse, inuisissimos reddit hoc genus nominum, qui auscultatores & delatores appellantur. Primus Darius minor auscultatores vsurpauit, sibi ipsi non credens, omnesque h. bens suspectos atque metuens, delatores quos ipsi prosagogidas nominabant, Dionysii inter Syracusanos sparserunt.* Itaque longas aures fatuis principibus aut tyrannis, vt videtur, sæuientibus, & occasionem ex leuissimo rumore captantibus, vt ciues extinguerent assignabant, prudentibus, & legitimis longas manus affingentes, quibus rerum actus denotabant. vetus Scholiasti. Aristophan.ad Plautum Act.2.sc.1.

μίδας μὲν οὖν, ἢν ὦτ' ὄνου λάβῃς.

Vertit.Nicodemus Frischlinus.

Imo Midæ, si modo asininas indueris aures.

Adeundus liber Luciani, *non temere credendum calumniæ,* de quo non male meritus Gilbertus Cognatus, at omnium optime non de illo modo, sed & de omni vtriusque linguæ literatura optime Georgius Strachanus, qui non ita pridem illum libellum Latina cultissime donauit ciuitate: in eo depingitur calumnia ἐν δεξιᾷ τις ἀνὴρ κάθηται τὰ ὦτα παμμεγέθη ἔχων. *ad dexteram vir quispiam sedebat maximas habens auriculas.* vnde illud profluxit, vt credulos supra quam par esset lon-

gioribus auribus effinxerint, vt apud Diogenianum in prouerbium abierit *Μίδας ὄνου ὦτα Midas Asini aures*. Sycophantæ, inquam, appellantur hi à Græcis, quod furta ficuum apud Athenienses capitalia essent, Fr. Poller. lib.4. histor. fori Rom. cap.5. Andreas Alciatus Parerg. lib.11. c.4. Suidas in voce *συκοφάντης*. Cuius verba Hieronymo Volfio Interprete hæc sunt. *ficu arbore primum inuenta, vetuisse tradunt Athenienses, ne ficus exportarentur: qui autem deferebant, qui exportabant sycophantæ, quasi ficuum indices, dicebantur, inde translatum nomen ad quasuis calumnias: Alij dicunt, cum in Attica fame laboraretur quosdam ficus dijs consecratas deuorasse, & post laxata annona fuisse accusatos.* Idem in voce *συκοφαντεῖν*. Eademque pene tradit Philonnestus lib. de mu his Rhodiis apud Athenæum lib.3. cap.3. in limine. Non sunt aliena à proposito, quæ in Paulo Festi Epitomasse deprehendes libr.17. *sycophantas appellatos hac de causa dicunt. Atticos quosdam iuuenes solitos aiunt in hortos irrumpere ficusque deligere, quam ob causam est constitutum lege, vt qui id fecisset, capite truncaretur, quam pœnam qui persequerentur ob paruula detrimenta, sycophantas appellatos.* Gulielmus Budæus in Annotationibus prioribus ad Pandectas, Cel. Rhodigin. lib.18. Antiquar. lection. cap. 9. & alij.

Sed quia adhibere fidem delatoribus & sycophantis improbi principis argumentum est, videamus qui eos fouerint, quiue expulerint, coercuerint, pœnis affecerint, si prius Plautum adduxero. Curcul. sc.1. Act.4.

Ædepol nugatorem lepidum hunc nactus est Phædromus.
Halophantam, an sycophantam, hunc magis esse
Dicam nescio.

Qui locus mira varietate & contentione à Criticis vexatur, Andr. Alciatus lib.11. Parer. Iur. cap.4. Kalophantam legit, interpretatur *χρηστολόγον vtilia & honesta loquentem.* alij *halopantam* probant, Ioachim. Camerarius, Guil. Canterus, Adrianus Turnebus libr.11. cap.5. Aduersarior. *halophantam* legit quem sequitur Dionys. Lambinus, & vterque Festum habet authorem lib.8. Fuluius Vrsinus *holpatam* præfert, *halopantam* vult Nonius cap.2. Num.196. sic sæpe Plautus *sycophantias* pro imposturis ponit & sycophantari pro versutias agere, fallere. in Bacchidib. sc. *hunc hominem.*

Sycophantias componit, aurum abs te vt auferat.

Et in Rudente Charmides.

Enimuero huic sycophantæ nunc sycophantari volo.

Et in Trinummo Callicles.

-----satis scite & probe
Quanquam hoc me etiam ætatis, sycophantari pudet.

Delatorum istorum, seu sycophantarum, seu accusatorum rabies cæpit primum sub Tiberio sæuire. C. Tacit. libr. 5. Annal. adeo vt nulli fidem derogaret, seu vera seu falsa diceret. C. Sueton. in eo. cap.61. *decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus, nemini delatorum fides abrogata.* Mirum sæuientis tyranni ingenium, accusationes innocentum, & testes in eosdem pecunia armare. sed & illud atrox nec minus iniuriosum eiusdem factum, narrante eodem Suetonio cap 58. *statuæ Augusti quidam caput demserat, vt alterius imponeret, acta res in senatu, & quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. damnato reo, paulatim hoc genus calumniæ eò processit, vt hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulachrum, seruum cecidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse, dictum vllum factumve eius existimatione aliqua læsisse.* liberrima prorsus indignatione L. Seneca libr.3. de Benef. cap.26. *sub Tiberio Cæsare fuit accusandi frequens, & pone publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit: Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium, nihil erat tutum, omnis sæuiendi placebat occasio. Nec iam reorum expectabatur euentus, cum esset vnus. Cænabat Paulus in conuiuio quodam, imaginem Tiberij Cæsaris habens ectypam & eminente gemma: rem ineptissimam fecero si nunc verba quæsiero, quibus dicam illum matellam sumpsisse: quod factum simul & Maro, ex notis illius temporis vestigatoribus, notauit. At seruus eius, cui nectebantur insidiæ, ei ebrio annulum extraxit, & cum Maro conuiuas testaretur, admotam esse imaginem obscœnis & iam subscriptionem componeret, ostendit in manu sua seruus annulum.* Mirum sane mihi Maronem illum adeo notum eo sæculo, à Tacito, Suetonio, Dione, Xiphilino, & aliis præteritum: sed aut parum hi curiosi rerum præsumptarum scriptores, aut in Seneca mendum, neque ego facile nodum soluerim: subscribebant autem delatores libello, hoc est quod idem Seneca vocat in apocolocynthosi *edere subscriptionem.* certe tamen nec mulier, nec criminis damnatus, nec miles, nec veteranus, nec vir clarissimus deferre poterat, vt ait Martianus IC. l.16. ff. de Iure fisci, & Imperator l. vlt. C. de delatoribus quanquam Augustus *auunculi sui percussores deferre statuerit.* Suet. cap.10. in limine. Vitellius delatores tantum in mathematicis deferendis lubenter audiebat, quos adeo perni-

ciali

ciali odio est persecutus. *vt à quocunque deferrentur, inauditos capite puniret.* Sueton. c. 14. summo eos studio affectauit Domitianus, *dum bona viuorum & mortuorum vsque quaque quolibet & accusatore & crimine corripi bantur.* de illius temporis iniuria, & nimia apud sceleratum principem delatorum liberrate conqueritur Plinius in Paneg. Traiani, *vidimus delatorum iudicium, quasi g. assassorum, quasi latronum.* & effusius ibidem loci *nihil gratius, nihil seculo dignius, quàm quod contigit desuper delatorum intueri supina ora, retortaque ceruices agnoscebamus, & fruebamur, cum velut piaculares publicæ sollicitudinis victimæ, supra sanguinem innoxiorum ad lenta supplicia grauioresque pænas ducerentur. Congesti sunt in nauigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti, abirent, fugerentque vastatas delationibus terras: ac si quem fluctus & procellæ scopulis reseruassent, hic nuda saxa, & inhospitale littus incoleret, ageret duram & anxiam vitam, relictaque post tergum totius generis humani societate mæreret. Memoranda facies, delatorum classis omnibus permissa ventis.* vide quæ sequuntur. Certe igitur summa profligatis hisce hominibus apud dirum illum tyrannum valuit authoritas. vt ex Iuuenale non est obscurum discere Sat. 1.

——Et post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa
Quod superest.

Hæc quidem de confirmata tyrannide, nam initio principatus *fiscales calumnias magna calumniantium pæna repressit, ferebaturque vox eius, princeps, qui delatores non castigat, irritat.* Sueton. cap. 9 Martial. lib. Spectaculor. Epig. 4.

Turba grauis paci, placidaeque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Traducta est Getulis, nec cæpit arena nocentes,
Et delator habet quod dabat exilium.

Sic in vulgata editione lectum, quod confutat Georgius Merula, itaque indubie est legendum,

Traducta est Gyaris.

Nam insula illa, vt & pleræque aliæ in illo mari, relegatis ciuibus fuere receptaculum. Iuuenal Sat. 1.

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum.

Et Sat. 10. idem.

——Gyaræ clausus scopulis, paruaque Seripho.

Contra Titus eiusdem frater, *flagellatos per arenam egit.* Sueton. in eo. capit. 8. Dio Coccеanus in vita ipsius. Constantinus eos non modo admittebat, sed & fouebat, ex Ruffino histor. Ecclesiast. lib. 9. Pöponius Lętus in eo. eo quoque nomine impensius laudatur temporibus Honorij, cui tutor Stilicho datus. Claudian. lib. 2. de laudib. ipsius.

Denique non diues sub te pro rure paterno
Vel laribus pallet, non insidiator oberrat
Facturus quemcunque reum.

Sed iam de pænis pestifero huic hominum generi irrogatis dicendum: nam Opilius Macrinus *vndique conquisitos* (verba sunt Iulij Capitolini in illo) *pænis afficiebat.* sed quænam hæc pæna? Plinius & Martialis paulo superius, *relegationem* ponunt, seu *deportationem in insulam.* Pertinax Aug. *vrbe exigebat.* Herodian. lib. 2. Gordianus paulo grauius animaduertit, exilioque eos mulctauit. Idem lib. 7. æquissimeque apud eundem lib. 5. *delatores, & serui omnes, quicunque dominos detulerunt patibulis suffixi totaque vrbe, adeoque Romanum Imperium sceleratis hominibus expurgatum supplicio affectis, partim exiliis mulctatis.* quod apparet vetustissimum fuisse supplicium. Ioan. Britannicus ad Sat. 1. Iuuenal. vers. 33. ex Modestino libro 2. ad Herennium Rhetor. *quadruplator, vt breuiter scribam, capitalis est.* quadruplator enim idem est ac delator, vt iam infra expedietur: vet. scholiast. Iuuenal. ad vers. 268. Sat. 8. nam Brutus primus consul Vindicium *seruum, vt conseruatorem patriæ manumisit, vt delatorem dominorum cruci affixit, quod factum matronæ planxerunt.* Antonius Pius *si non probarent obiecta crimina, capite eos mulctabat, si probarent, oblato præmio infames dimittebat.* Iul. Capitolin. in eo. Euseb. lib. 4. Histor. Ecclesiast. cap. 9. cuius exemplum in hoc vt in plerisque aliis expressit Aurelius Ceionius eodem libro cap. 19. sed quænam hæc infamia? docuit idem Capitolinus ibidem loci. *calumniis quadruplatorum intercessit, apposita falsis delatoribus nota.* nomine notæ autem intelligit K. elementum, quod ex lege Rhemnia frontibus candenti ferro imprimebatur, quo facilius omnes sibi ab eorum insidiis cauere possent, Fr. Balduinus libello de famosis libellis, Philipp. Broidæus Atrensis, & vterque testem citare potest M. Ciceronem in Orat. pro Roscio: vbi confert accusatores anseribus, & canibus capitolinis, *seu si ego hos bene noui, literam eam, cui vos vsque adeo inimici estis, vt etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis.* hoc ipsum est, quod Plinius Panegyrico ait *delatores* habere *frontem ferream, punctis & notis vulneratam.* quo sensu Calistratus I.C. l. 3. de testibus ff. *notatum & reprehensibilem,* op-

ponit disertè homini *honesta & inculpatæ vitæ*, & ibidem, alius est homo *calumniis damnatus, alius integræ frontis*. quære superius hoc opere, quæ à me sunt de stigmaticis dicta. Contra quam improbi nonnulli delationem præmiis inuitarunt, id quod lege Papia lata, quæ *plebeijs congiarium quad. ingentorum nummum viritim dabat*, C. Tacit. libro quarto Annal. cui concors Suetonius in Nerone capite 10. *præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit*. & signantissime naturam præcipuumque illius legis caput expressit, dum dicit, *ad quartas*: illi quippe *quadruplatores* dicti, Asconio Pædiano ad Action. 1. in Verrem teste. Et ad Act. 4. qui nomen illis inde inditum scribit, *quòd se eo quæstu tuebantur, vt eas res persequerentur, quarum ex legibus quadrupli actio erat*. adstipulatur locus Festi Pompeij libro 15. aut potius Paulus eius non tam Epitomastes, quam corruptor: quos vt reip. pernitiosos Traianus sustulit, præmia ab aliis principibus ante se concessa abrogauit, vti antea ex Plinij Panegyrico quem ei dixit, manifestum est, & videri potest in aliis historicis, notauitque idem Vldericus Zazius in Catalogo legg. Antiquar.

Denique vt semel absoluam, pæna solemnis calumniantium erat, olim *Talio* id est *pæna reciproci*. leg. 11. C. de exhib. reis aut *par vindicta*. Verrius, *aut iniuriæ vltio*, M. Fab. Quintilian. declam. 372. *aut similitudo supplicii*. Honor. & Theod. Augg. lib. 17. C. de accusationibus. *nec impunitam fore licentiam nouerit mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii*. At priscianus libro 5. capite 1. interpretatur *vicem*. Isidor. in gloss. *Antipelargosin Græci dicunt talionem*. nescio num rectè glossar. Philoxeni, talio *ἀντιπεπονθός*. L. Seneca libro 3. controuers. 1. *si circumuentus iniuriam persequatur, de vi agat, talionem petat*. Cuius vel præcipua habebatur ratio in præuaricationibus. Fr. Polletus libro 4. histor. fori Rom. capit. 3. & idipsum loquitur Paulus IC. lib. 6. ff. de præuaricat. l. fin. C. de Accus. sed multò magis in calumnia diligentissimè exquirit Polletus libro 4. cap. 5. & continetur rescripto DD. Honorii & Arcadij l. vlt. C. de Calumniatoribus. idipsum valuit in atroci iniuria, Fest. libro 18. *si quis membrum rupsit ni cum eo pacit talio esto, permittit enim lex parem vindictam*. vti ex duodecim tabularum fragmentis liquet apud A. Gellium libro 20. capit. 1. M. Cato libro 5. Origin. vt adducit Priscianus Cæsariensis lib. 6. de Grammat. *si quis membrum rupit, aut os fregit, talione proximus agnatus vlciscitur*. Eius autem pænæ vsus apud plerasque gentes receptus, de Græcis, & præsertim axonibus Solonis, Diogen. Laert. libr. 1. de Indis, Strabo Amasianus libro 15. notatum pridem ab eruditissimo Theodoro Marcilio ad legg. XIIrales capite 68. de populo sancto, à quo fons repetendus eius constitutionis in sacris literis disertè habetur. Exod. capit. 21. Deuter. capit. 19. Et Leuitici capit. 24. cuius forma his verbis concipitur in diuinis illis oraculis, *oculum pro oculo, dentem pro dente*, & rectè D. Valerianus in sermone de bono disciplinæ, *antequam sententia seueritatem*, appellat legendus S. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 133. *ἀντίδοσιν* quasi *mutuum* dicas, septuaginta illi interpretes vertunt, quæ in nascenti quidem ecclesia, versio optima habebatur, at *cæpit in secundis haberi*. *D. Hieronymo scripturas sacras veteris testamenti de Hebraica veritate in Latinam linguam vertente*. vt tradidit Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annum 395. Sed redeo in orbitam.

Talionem Romanos admisisse notius est, quàm vt dici debeat, & præsertim in criminibus cuiuscunque conditionis vindicandis. Hippolytus Bonacossa IC. in quæstionibus criminalibus. in voce *membrum* pag. 121. hanc reddit rationem. *mutilanti alicuius membrum, mutiletur etiam illi simile, quia carens membro tali est deformis, & interest reipublicæ quempiam non deformari*. vnde apparet ex Paulo à Castris, Baldo, Alexandro, aliisque Iuris ciuilis interpretibus ibi loci ab eo citatis, pertinere talionem ad publica iudicia. quod non diffitetur Leo Aug. Nouell. 92. cuius capita præcipua transcripsit Constantinus Harmenopulus libro 6. titul. 1. Epitomes Iuris Ciuilis, verba ita Latinè sonant Bernardo à Rey interprete. *si quis cui in oculum damnum intulerit, hunc iubemus si quidem vnum perfoderit, accepta talione vnius quoque iactura multari, si verò vtrumque altero quidem oculorum eum spoliari, vt sceleris sui notam gestare possit, quoniam autem & funesta ac impia manus ei amputari debet, pro manu ablatio bessis patrimonii sui ei irrogatur, idque in solatium victæ, is cui oculi sunt effossi auferto*. Accedat C. Taciti testimonium libro 14. Annal. *perinde pæna teneretur, ac si publico calumniæ iudicio notatus*, Portius Latro apud L. Senecam libro quinto controuers. 33. *expositis inquit, in nullo numero sunt, serui sunt, hoc legumlatori visum est, denique si non licet, habent legem talionis*. Præclara extat epistola Antonini Imperatoris in supplemento hist. Eutropij Paulo Diacono authore libro 10. *quod si quis perstitit huiusmodi hominibus absque vllo crimine mouere negotia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absoluatur, etiamsi probetur id quod ei obiicitur, Christianus. Is autem qui crimen obtendit, vt pœnæ*

ne ipsius quam obiecit, existat. Theodoricus rex Eullorgio, de Episcopo Augustanæ ciuitatis, qui falso accusatus, absolutus est, vt narratur ab Aurelio Cassiodoro libro 1. Variar. Epist. 9. *quicquid autem ex insidiis dicitur, veritas non putatur, volumus enim impugnatores eius legitima pœna percellere*, *legitimam pœnam* interpretor *talionem*, vel edicto Augusti principis scribente Suetonio in eo capit. 32. *diuturnorum reorum & ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleui, conditione proposita, vt si quis quẽ repetere vellet, par periculum pœnæ subiret.* Est autem *repetere*, iterum reum facere vel in capitis discrimen vocare, Venuleius IC. l. 12. ff. de accusationibus. Paulus IC. leg. 3. ff. eod. *lege Iulia de vi, & senatusconsulto cautum est, ita vt liceat alij ex integro repetere reum.* Item l. 18. ff. de quæstion. *reus euidentioribus argumentis oppressus, repeti in quæstionem potest.* Vlpian. l. 14. ff. de bon. libertor. Modestin. IC. l. 16. ff. de quæstionibus *repeti posse quæstionem diui fratres rescripserunt.* hoc est denuo resumi, aut de nouo accusationem institui. Papinian. IC. lib. 10. ff. ad SC. Turpilia. *triginta dies repetendi rei Diuus Traianus vtiles interpretatus est.* Macer. IC. lib. 15. ff. eod. *antequam rem repeteretur*, & alij passim in iure. vtitur & ipse Suetonius in Domitiano cap. 9. *reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, vniuersos discrimine liberauit, nec repeti, nisi intra annum, eaque conditione permisit, vt accusatori, qui causam non teneret, pœna exilium esset.* Sed regredior ad talionem.

Non modo ius diuinum, ciuile, Romanum, aliorumque populorum decreta talioné probarunt, sed & Natura ipsa videtur ei exordium subministrasse, *est enim æquissimum, vt lædentem similis vindicta sequatur.* Isidor. Hispalens. lib. 5. Etym. cap. 27. quamobrem admiror Cæcilium IC. talionem sustulisse, hac sola ratione, *quod non posset ad æquilibrium membrum rumpi*: vt loco proxime supra laudato diserte docuit A. Gellius. neque id tãtum iuris antiquati est præceptum, sed & Cæsarei, l. 3. ff. ad SC. Turpilian. & Pontificij C. quod debet 14. quæst. 1. hodieque omnes pœnæ sunt arbitrariæ in extraordinariis iudiciis, nam in ordinariis, vt iam antea admonui, iudiciis, omnes in eo consentiunt paritatem supplicij irrogatam. Ratio autem cur placuerit talionem tolli, hæc à Bartholo, ad l *si cui* ff de accusationibus, redditur, *ne metu absterreantur accusatores*, atque impunitas criminibus fit permissa. At contra Pythagoræ discipuli ita probarunt talionem, vt iustitiam definirent *retaliationem* quod *Radamanthæum ius* dicitur, Aristotel. libr. 5. Ethic. ad Nicomachum cap. 5. hinc Hesiodi versus congrue intelligetur, quem Suidas citat in voce *ἀμύνειν*, & Iulianus in Cæsaribus.

εἰκε πάθοι τά κ' ἔρεξε δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Lex recta est, cum quis patitur, quæ fecerit ipse.

Vertit non minus eleganter C. Cantoclarus libellorum supplicum magister, & in vtraque lingua versatissimus.

Iudicium si quis quæ fecit perferat, æquum est.

Capit. 17. de pœnis quædam pertractantur, quæ aut *diuinæ* aut *humanæ*. Gregor. Tolosas lib. 31. Syntagmat. Iur. vniu. cap. 4. *ciuiles sunt*, aut *militares*, aut *seruiles*, aut ex his omnibus *mixtæ*, de quibus vberrime Pet. Faber Sanjorianus lib. 1. Semestr. & nos nonnulla superius hoc opere ad finem lib. 8. & infra in Tractatu de Triumpho plura. Interim *Pœnam* qui diuinis afficeret honoribus & inter deos collocaret, repertus est Democritus, testante Plinio lib. 2. cap. 7.

Cap. 20. *Iudicum sortitio* consideranda, quæ ideo excogitata, ne fraus in causarum coniectione suboriri posset, aut ne fauor transuersos iudicum raperet animos. Græci *κληροῦν δικαστὰς* sortiri iudices, aut *iudicium* dicere solebant. Gulielmus Budæus in Annotationibus ad pandect. priores, C. Plin. in perfectissimi operis præfatione, *plurimum refert, sortiatur aliquis iudicem an eligat.* M. Tull. Act. in Verrem 3. *quo die se ex instituto, & lege Rupilia sortiturum Syracusis esse edixerat*, hoc est sortitione cautas cognitiurum: & paucis deinde interiectis *paratus ad hanc dicam sortiendam venerat, cum enim Heraclius non posset eo die sortiri, quod lex Rupilia vetaret*: & paulo post ibidem loci, *id is postero die in mentem venit, ex lege Rupilia sortiri dicas oportere, eduxit ex vrna tres.* Idem Orat. in Vatinium. *nam quum reus in tribunal sui quæsitoris ascenderis? eumque vi turbaris? subsellia dissiparis? vrnas deieceris?* Ascon. Pædian. in Diuinationem in Verrem. Seruius Honoratus ad libr. 5. AEneid. *siue sorte, siue iudicio, traxit autem hoc ex more Romano, non enim audiebantur causæ: nisi per sortem ordinatæ, tempore enim, quo causæ agebantur, conueniebant omnes, vnde & concilium ait, & ex sorte dierum ordinem accipiebant, quo post diem trigesimum suas causas exequerentur.* C. Sueton. in Vespasiano capit. decimo, *sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur, quique iudicia centumuiralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigerentque ad breuissimum numerum.* vet. Scholiast. Iuuenal. ad Sat. 13. in principio. vt omittam nihil esse frequentius apud IC. Authentic. de Exec. & iis qui conuen-

& reconuen. § *illud quoque* Vlpian. lib.17. ff. ad leg.Iul.de adult.§.vltim. *mulier verò iudicem religiosum sortita, pudicitiam suam defendet.* Arcad. & Honor. Augg. leg.8. C. de Iudæis, *sortiri eorum iudicium iure publico non vetentur.* similique penitus vtitur loquendi formula Zeno Imp. l.3.C.de priuileg.scholar.libr.12. Ita poëtas intelligo qui iudicia, aut iudices describentes meminerunt pæne semper vrnarum,in quas coniectæ sortes eximebantur. Nam in castris sortes in galeam coniiciebantur,Seruius,ad lib.5.Æneid.Et in ludis idem factitatum,Papinius Statius libro 7.Thebaid. v.388.

Et iam sortitus Prothous versarat ahena
Casside.

At in iudiciis & magistratibus creandis vrna semper recepta. de Magistratibus supra, de Iudiciis,Sext.Propert.lib.4.eleg.12.

Aut si quis posita iudex sedet Æacus vrna,
In mea sortita iudicet ossa pila.

Locus indubie difficillimus, & est altum tot interpretibus silentium, tetigit Carolus Sigon.lib.2.de iudic. capit.12. sed nemo quid *pila sortita* esset,hactenus exposuit, Ioan.Passeratius doctor meus, *sortiri pilam,est sorte educere ex vrna nomen iudicis in pila scriptum.* Plutarch.in Lycurgo, *pilas exiguas è surfure* commemorat, *quibus coniectis in vas tanquam sortitione fabarum admittebatur vel excludebatur aliquis è conuiuiis Lacedæmoniorum.* sed nihil ad iudicum tribunalia. Ego existimem pilas esse in Propertio, globulos quosdam quibus nomina iudicum inscripta, & adducor maxime authoritate Asconij Pædiani in Manilianam, quem locum indicauit amicissimus, doctissimusque Nicolaus Seuinus. *quarto die adesse omnes in posterum iuberentur, ac coram accusatore ac reo pilæ,in quibus nomina iudicum inscripta essent, æquarentur, dein rursus postera die sortitio iudicum fieret, vnius & octoginta, qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent.* Ita rectissime hactenus excusus ille locus, falsi sunt,qui pro *pilis, libellos*,aut *tabellas* reponere conantur, Fr.Polletus libr.5.hist.fori Rom.capit.7. vrnam autem vas fuisse,siue *sitellam*, vt loquitur Asconius, in quam coniiciebantur sortes, omnibus vulgatissimum est.ita perpetuò eius mentio,vna cum iudiciis iniecta,P.Virgil.libr.6. Æneid.

——stat ductis sortibus vrna

Et eodem libro post.

Nec vero hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes,
Quæsitor Minos vrnam mouet.

D.Iuuenal.Sat.13.in limine.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori, prima est hæc vltio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Valer.Flacc.lib.2.Argonautic.non multum à fine.

——sortitaque lethum
Corpora,crudelis scopulis me destinat vrna.

Papinius Statius multis in locis.lib.2.sil.1.

Quicquid habet ortum finem timet, ibimus omnes.
Ibimus, immensis vrnam quatit Æacus vmbris.

Lib.3.sil.3.

——inferna rigidum timet Æacon vrna.

Et lib.8.Thebaid.v.102.

Crimine non vllo subeo noua fata,nec almis
Sic merui de luce rapi,scit iudicis vrna
Dictæi,verumque potest deprendere Minos.

Et lib.11.Thebaid.v.571.

I mecum ad manes, illic quoque pacta reposcam,
Si modo Agenorei stat gnossia iudicis vrna.

Q.Horat.lib.2.od.3.

Omnes eodem cogimur omnium
Versatur vrna,serius,ocyus
Sors exitura.

Idem lib.3.od.1.

Omne capax mouet vrna nomen.

L. Sen. in Herc. Fur. Act.1. in choro ad finem.

Nulli iusso cessare vacat,
Nulli scriptum proferre diem,
Recipis populos vrna citatos.

Et eadem Tragædia Act.3.sc.2.

Non vnus alta si de quæsitor sedens
Iudicia trepidis sera sortitur reis.

Et in Agamemnone Act.1. sc.1.

Quæsitor vrna gnossius versat reus.

Claudian.lib.2.in Ruffinum in fine.

Tunc animæ quas illi fero sub iure peremit,
Circumstant, nigrique trahunt ad iudicis vrnam.

Et lib.2.de Raptu ad finem.

Vrna me incertas versat Minoia sortes.

Quorum omnium poetarum versus de fabulosis Antiquitatis commentis accipiendi sunt,fingebant enim animabus humana corporis morituri mole exutis positos esse apud inferos iudices, qui rependerent benefactis æterna præmia,delinquentibus apud superos nunquam finiendos imponerent cruciatus, in ferarum corpora humanos spiritus animasque transfunderent. Timæus Locrus lib. de animo mundi & natura ad finem. πάντα δ' αἰνιγματικῶς ἐν δευτέρᾳ περιόδῳ ... τῶν ψυχῶν, τῶν μὲν δειλῶν ἐς γυναικῶν ... ἐκδιδόντι

ποτὶ ὕβριν ἐκδεδομένα, τὼς δὲ μιαιφόνως, ἐς θηρίων σώματα ποτὶ κόλασιν, λάγνως δ' ἐς συῶν ἢ κάπρων μορφάς, κούφως δὲ καὶ μετεώρως ἐς πτηνῶν ἀεροπόρων, ἀργὼς δὲ καὶ ἀπρακτὼς, ἀμαθέας τε, καὶ ἀνοήτως ἐς τὰν τῶν ἐνύδρων ἰδέαν. Itaque dicantur necessario pœnæ externæ absurdeque, cum animi varia subeant corpora, ignaui & meticulosi in mulie bres figuras ad contumeliam prostitutas transferantur, crudeles ac sanguinarij in corpora ferarum ad pœnam, salaces & libidinosi in suum ac aprorum formas, leues & sublimipetæ in alitum pennigerorum species, ociosi & inertes, imperiti & amentes in aquatilium figuram. quam opinionem exagitat impie satis, nec vt solet, L. Seneca Consolat. ad Marciam cap. 19. *cogita nullis defunctum malis affici, illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec obliuionis amnem, nec tribunalia, nec reos in illa libertate tam laxa, nullos iterum tyrannos, luserunt ista poetæ, & vanis nos agitauere terroribus, mors omnium dolorum & solutio est & finis.* Ei concordes inter antiquos plerique, Plato in Phædro in fine. Et libr. 1. de Republ. *μῦθοι περὶ τῶν ἐν ᾅδου fabulæ de inferis.* M. Tull. Orat. in Catilinam 4. pro A. Cluentio, & libro 1. Thuscul. quæst. Callimachus lib 3. Anthologi. citante Dionysio Lambino ad Q. Horatij lib. 1. od. 4.

Iam te premet nox fabulæque Manes.

Contra Pythagoras ac Pythagorei omnes Metempsychosin probantes, in hanc opinionem, quantumuis ridiculam ierunt, vt censerent demortuorum animas arbitrio inferni iudicis noua ferarum subintrare corpora. Plotinus in lib. de suo cuiusque genio. *quicunque humanam proprietatem seruarunt, iterum & ipsi homines renascuntur, qui autem ad sensum defecerunt, bruta quidem ac stolida animantia redeunt: sed ita tamen, vt qui iram adiecerint, feræ existant, & pro ipsa inter se differentia dissentiant, qui vero in libidine & voluptatibus vitam egerint salacia, voluptuaria animalia reuertantur, quod si nec sensu ipso, nec sensus vlla parte vsi fuerint, hi vtique omnes plantæ resurgant, quoniam in his vel animas tantum vegetalis fuerit, neque aliud egerint, quam vt in plantas verterentur, qui autem musicis modulis affecti atque deliniti vixerunt, si in cæteris non degenerarint, animalia musica renascentur, & qui sine ratione ciuitates atque imperia rexerunt, aquilæ fiunt, nisi & ipsi alia prauitate sint infecti, nam & qui absque sapientia sublimia improbius tractant, cælumque suspiciunt, in alites commutantur, ad sublimiora semper deuolantes, qui virtutem autem ciuilem assequutus est, homo reuertitur, qui minime adeptus, in imitile aliquod animal, vt aprum, aut alia huiusmodi se transformat.* huc referendi Simonidis Iambi à Stobæo laudati Sermon. 71. & Latinitate donati à Georgio Buchanano, qui consulantur, longum enim nimis foret transcribere Q. Flor. Tertullian. Apolog. cap. 47. *sic enim poetæ & Philosophi tribunal apud inferos ponunt.* Capite deinde sequenti dogma illud, seu potius delirium vulgatissimum persequitur, *age iam si qui Philosophus affirmet, vt ait Laberius, de sententia Pythagoræ, hominum fieri ex mulo, colubrum ex muliere, & in eam opinionem omnia argumenta eloquij distorserit, nonne consensum mouebit, & fidem infiget etiam ab animalibus abstinendi?* versus autem, quos ille subindicat, sunt isti, licet ab aliis Grammaticis parum correcti, imo plerisque in vocibus mutilati.

Et audio mala multa etiam ex bonis,
Par illud vt nos olim mutant Philosophi.
Et nunc de mulo hominem, & de muliere colubrum
Faciant, & ex diuersis diuersa alia.

Ridiculum foret, quod tritissimum est, narrare opinionem suam, ductis à se ipso experimentis probasse, vt quod meminerit se aliquando formam gessisse *Euphorbi, pauonis, Homeri poetæ, Callidemæ, Alces meretricis,* Ouid. lib. 15. Metamorphos. fab. 3. Petrus Crinitus in poematis.

Adde quod is leges, legumque oracula nouit,
Quæ seruanda dedit Samius mysteria vates,
Cur etiam plures variato corpore formas
Prætulit, atque idem formosi nominis Alce,
Moxque Melathæas animos, & pectora sumpsit,
Et modo gemmantes ales Iunonia pennas
Explicat, & bello ferus induit arma Pyrandes.

D. Auson. Epigr. 69.

Pythagora Euphorbi reparas qui semina rerum,
Corporibusque nouum das reduces animas,
Dic quis erit Marcus iam fata nouissima functus,
Si redeat vitam rursus in aëream?
Non taurus, non mulus erit, non hippocamulus,
Non aper, aut aries, sed scarabeus erit.

Ad istud iudicum infernorum commentum allusum à Valerio Flacco Setino li. Argonaut. 3.

Quippe nec in ventos, nec in vltima soluimur ossa,

Ira manet, duratque dolor, tum deinde tremendi
Ad solium venere Iouis, quæsitque nefandam
Edocuere necem. patet illis ianua leti,
Atque iterum remeare licet, comes vna sororum
Additur, & pariter terras atque æquora lustrant.
Quisque suos sontes, inimicaque pectora pœnis
Implicat, & varia meritos formidine pulsant.

Statius lib. 4. Thebaid. v. 529.

In speculis mors atra sedet, dominique silentis
Adnumerat populos, maior supereminet ordo,
Arbiter hos dura versat Gortynius vrna
Vera minis poscens, adigitque expromere vitas
Vsque retro, & tandem pœnarum lucra fateri.

Rectè Placidius Lactantius interpres ibidem loci, *arbiter, quasi quæsitor, ex forte iudex legit quos habeat in consilio.* Sed omnium optime suauissimeque Claudianus post hanc, iudicum infernorum sententiam, animarum transmigrationem depinxit, cuius versus ob elegantiam, licet longiores adscribam è lib. 2. in Ruffinum ad finem.

——quæsitor in alto
Conspicuus solio pertentat crimina Minos,
Et iustis dirimit sontes, quos nolle fateri
Prospicit ad mala vox transmittit verbera fratris,
Nam iuxta Rhadamanthus agit: congesta superni
Curriculi totosque diu prospexerit actus,
Exequat damnum meritis; & muta ferarum
Cogit vincla pati, truculentos ingerit vrsis,
Prædonesque lupis, fallaces vulpibus addit,
At qui desidia semper vinoque grauatus
Indulgens Veneri voluit torpescere luxu,
Hunc suis immundi fœdos detrudit in artus,
Qui iusto plus esse loquax, arcanaque suetus
Prodere, piscosas fertur victurus in vndas,
Vt nimiam pensent æterna silentia vocem.

Media quoniam antea exposita sunt, superest, vt prima & vltima explicentur. *quæsitorem Minoem* vocat, imitatus Virgilium libr. 6. Æneid. *quæsitor Minos vrnam mouet.* estque Asconio Pædiano, *quæstionis princeps,* dictusque prætor aut quæstor, quod videlicet in crimina admissa inquirat. Martianus IC. l. 1. ff. ad leg. Cornel. de sicar. *quiue magistratus iudexue quæstionis, ob capitalem causam pecuniam acceperis, vt publica lege reus fieres.* quem locum male à Francisco Accursio intellectum exposuit Guilielmus Budæus Annotationibus in pandectas priores. Luctatius proximè ante citatus. Cic. pro M. Fonteio non multum à limine, *quid mihi opus est sapiente iudice, quid æquo quæsitore?* l. 2. C. Theodos. de postul. *non idem in eodem negotio quæsitor sit & defensor,* hoc est *iudicis & assertoris habeat personam,* vt vetus scholiastes interpretatur. Moschopulo redditur ἀνακριτής. Ammian. lib. 14. *qui metu sui discriminis anxius, cum accusatores quæsitoresque subdititios sibi consociatos ex iisdem foueis cerneret emergentes, quæ clam palamue agitabantur, occultis Constantium literis edocebat.* Et libr. 20. idem, *quæsitores dederat spectaturos, quas ob res oppidum sit excisum.* Et libro 30. *errantem vindicantis sempiternæ rigor iustitiæ aliquoties ferunt, sed scrupulosus quæsitor gestorum rectè vel secius.* C. Velleius Patercul. lib. 2. c. 45. *legem tulit, qua Marcum Catonem à republica relegauit, vt is quæstor cum iure prætorio, adiecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum.* Aldus Manutius legit, *vt is quæsitor cum iure prætorio: diu enim ante,* inquit, *Cato quæstor fuerat.* Iustus Lipsius reponendum censuit, *vt is quæstorius,* vulgatam lectionem retinet Iacobus Schegkius, sed probo coniecturam Aldi. ita poëtæ. D. Auson. epist. 24. ad Paulinum suum.

——vel si tibi proditor instat,
Aut quæsitoris grauior censura veretur.
Occurre ingenio, quo sæpe occulta teguntur.

M. Manilius lib. 5. Astronomic.

Quæsitor scelerum veniet, vindexque reorum,
Qui commissa suis rimabitur argumentis,
In lucemque trahet tacitaque silentia fraude.

Corruptissimè ante Iosephum Scaligerum legebatur, & sine vllo probabili sensu.

——tacita licentia fraude.

Sequitur in Claudiano, loquaces in pisces mutatos, & rectè, nam pisces muti, & sine vlla potestate naturali vocem emittendi. Artemidorus libro 2. Oneirocrit. cap. 18. καὶ ἡ γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἰχθὺν εἰ ὑπολάβοι τεκεῖν, ὡς μὲν οἱ παλαιοὶ λέγουσι, ἄφωνον γεννήσει. *quòd si mulier prægnans se piscem parere somniet, iuxta veterum sententiam mutum pariet.* M. Tull. lib. 1. ad Quintum fratrem epist. 1. *mutas pecudes* dixit idem in Aratæis.

Ipse autem labens multis equus ille tuetur
Piscibus.

Deprauatum locum facilè est restituere vno

ele-

elemento detracto.

Ipse autem labens mutis equus ille tuetur
Piscibus.

P. Ouid. lib. 3. de Arte.

Quamuis mutus erat voci fauisse putatur
Piscis, Arioniæ fabula nota lyræ.

Et lib. 4. Transformat. fab. 3.

Verteris in tacitos iuuenilia corpora pisces.

Ita Næuium in Lycurgo apud Nonium capit. 1. Num. 29. capiunt, inter eos Ciusanius est.

Ducite eo cum argutis linguis mutas
Quadrupedes.

Quod ridiculum admodum, pisces enim ἄποδες & ob id non *quadrupedes*. Cælius Symposius Ænigm. 12. cuius lemma est, *piscis & flumen.*

Est domus in terris, clara quæ voce resultat,
Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes
Ambo tamen currunt, hospes simul & domus vna.

Sed ad sortitionem iudicum intermissam regredior, *poterat reus eos reiicere, quos vel sibi inimicos, vel incommodos fore arbitrabatur*, Asconius Pædianus in 2. Verrinam, & tunc *subsortitio* instituebatur, eodem omnino modo, quo prior sortitio, *positis in arca iudicum nominibus, deinde in vrnam coniectis, vt de pluribus numerus necessarius efficeretur*, quod si tamen forte datorum iudicum aliquis obiisset, non vero ob inimicitias esset à reo reiectus, sorti non erat locus vlterius, sed Prætor priuata sua authoritate substituebat alium iudicem in demortui locum, aut certe à Prætore eodem sorte interposita fiebat substitutio, C. Suet. in Iulio capit. 41. *ac ne cui noui cœtus recensionis causa moueri quandoque possent, instituit quotannis in demortuorum locum ex his, qui recensiti non essent subsortitio à prætore fieret.* Cicero loco proxime superius laudato, *postea quam reiectio iudicum facta est, quod & in sortitione istius spem fortuna populi Romani, & in reiiciendis iudicibus mea diligentia istorum impudentiam vicerat.* paucis deinde interiectis. *subsortiemur enim in M. Metelli locum.* Idem in Orat. pro Cluentio habita. *si ex lege subsortitus non erat Iunius, idcirco illius damnatione aliquid de Cluentio iudicabatur.* Et postea, *ab illo enim quod ex lege subsortitus iudicium non esset.* deinde vero post aliqua. *post paucos dies ex subsortitione sedisset.* Et in Orat. pro Cn. Plancio. *Iam non eos Iunius subsortitus est.* Et Act. 3. in Ver. *alium prætorem cum iis iudicibus, quos in horum locum subsortitus est, de re in consilium iturum putasti.* postea deinde, *nam de subsortitione illa Iuniana iudicum, nihil dico.* Et Seruius adeatur, qui *sortiri* interpretatur, *substituere.* addit deinde, *& est verbum iudiciorum, nam subsortiti dicuntur iudices, qui occupatorum funguntur officio.* ad vers. 72. libr. 3. Georgic.

——sobolem armento, sortire quotannis.

In quo non solita diligentia, nam subsortitio non tantum eorum gratia, qui occupati essent, sed & mortuorum, & inimicorum, vt iam expositum. Iunius Philargyrius doctus Grammaticus, eodem Virgilij loco, *sortire*, exponit, *subsortire*, & meo quidem iudicio rectissime.

Nec vero Romanis tantum is mos, sed & Græcis, & præsertim Atheniensium legibus receptus. Lucian. Samotensis Dialogo, cui titulus δὶς κατηγορούμενος, ἢ δικασταί. *bis accusatus, seu fora.* Demosthen. Orat. contra Aristogitonem. quod Solonis inuentum fuit, ob cuius in Republica perniciosum vsum vituperatus idem ille legislator, testante Aristotele libro 2. Politic. cap. vltim. Isti plures habebant stationes, nam ποικίλη *vbi de vita disceptabatur*, & περὶ δημοσίων, *vbi ciui es causa agitabantur*: vnicuique stationi titulus appendebatur, elemento notatus, vt α β γ. vsque ad κ. nam decem tantum erant stationes. Iudices certe & suum & stationis nomen in pugillaribus scriptum habebant, & cum esset iudicium instituendum, in forum omnes concedebant, & sortibus in vrnam coniectis, qui sortitus erat literam α, ibat in eam stationem quæ ea litera notabatur, cum β educebatur, eam occupabat fori conditionem, atque ita deinceps. Blepyrus ille apud Aristophanem in concionantibus, & vetus ibidem loci Scholiastes.

τὰ δὲ κληρωτήρια ποῖ τρέψεις; ΠΡ. εἰς
τὴν ἀγορὰν καταθήσω.
κᾆτα στήσασα παρ' Ἁρμοδίῳ κληρώσω πάντας
ἕως ἂν
εἰδὼς ὁ λαχὼν ἀπίῃ χαίρων ἐν ὁποίῳ
γράμματι δειπνεῖ
καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ' ἐπὶ τὴν
στοιὰν ἀκολουθεῖν
τὴν βασίλειον δειπνήσοντας.

Vertit Andreas Diuus Iustinopolitanus non male.

Sorte autem iudicia vbi vertes? PR.
In forum deponam.
Et postea apud congruum sorte eligam omnes
Quousque
Sciens sortitus abeat, gaudens in qua litera
Canet,
Et præco illos ex beta in porticum sequi
Regalem cœnantes.

Denique capit. 29. de pœnis post sententiam irrogandis, quare hic de modo accusandi & defendendi, condemnandi, absoluen-

dique agam. Primum præcipuus accusatoris scopus inuidiam permouere aduersario apud iudices alij adnotarunt ex L. Apuleio libro 3. Milesiar. Sidonio Apollinare libro 1. epist. 7. *cum accusatores simipullarij nuntios à decemuiris operirentur, & ab industria præripuissent reo debitam miserationem sub inuidia sordidatorum.* M. Cicero in Orat. pro Fonteio, & Act. 2. in Verrem, morem concitandæ indignationis idem expressit, *expulsi rebus omnibus suis Romam venerunt, sordidati, maxima barba, & capillo.* L. Sen. libro 10. *sed si sordes tuæ inuidiam mihi concitant, queror.* Fab. Quintilian. Declamat. 279. *non vociferatione saltem inuidiam facere apud populum conatus.* Et Declamat. 283. *quis iste est filij habitus? quæ sordes? quid hanc mihi inuidiam facis?* C. Petron. in Satyrico. *amolitur Ascyltos inuidiam.* verùm hanc commouendi misericordiam rationem legibus Atheniensium vetitam ait Quintilian. libro 2. Orator. Instit. capite 17. *& Lacedæmoniorum ciuitate expulsam eloquentiam, & Athenis quoque, vbi actor mouere commiserationem vetabatur.* Et libro 6. eiusdem operis capit. 1. *id sensisse Atticos credo, quia Athenis affectus mouere per præconem etiam prohibebatur orator.* C. Plinius Iunior lib. 2. epist. 11. *respondit Fronto Catius, deprecatusque est ne quid vltra repetundarum legem quæreretur, omniaque actionis suæ vela vir mouendarum lachrymarum peritissimus, quodam velut vento miserationis impleuit.* mouerique solebat commiseratio his potissimum a rebus, *si reus in anteacta vita fuit innocens, si benemeritus, si spes in futurum innocenter victuri, & si in aliquo vsu futuri, si vel ex iis incommodis, vel præsenti periculo, vel pænitentia videatur satis pænarum dedisse.* vt Maria Cataneus docuit. ad illum morem accommodatissime, vt solet, L. Apuleius libro decimo Milesiar. *tum demum clamatus introducitur reus, & exemplo Atticæ legis Martiique iudicii, causæ patronis denunciat præco, neque principia dicere, neque miserationem commouere.* quidni liceat pulcherrimum e M. Tullio locum transcribere, cum hunc ritum vel solus docere possit? Is ergo 2. Verrina. *non possum dissimulare, iudices, timeo ne C. Verres propter hanc virtutem eximiam in re militari, omnia quæ fecit, impunè fecerit, venit enim mihi in mentem in iudicio M. Aquilii quantum authoritatis, quantum momenti oratio M. Antonii habere existimata sit, qui vt in dicendo erat non solùm sapiens, sed etiam fortis, causa prope perorata ipse, arripuit M. Aquillium, constituitque in conspectu omnium, tunicamque eius à pectore abscidit, vt cicatrices populus R. iudicesque aspicerent aduerso corpore acceptas, simul & de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit, eoque adduxit eos qui erant iudicaturi, vehementer vt vererentur, ne quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, cum sibi ipse non pepercisset, hic non ad populi laudem, sed ad iudicum crudelitatem videretur esse seruatus.* frequentissimum sanè id, nec vllum magis creditum idoneum argumentum permouendis affectibus, vt ex elegantissima illa declamantium vociferatione colligitur apud Petronium in limine Satyrici fragmenti. Idem Cicero libro secundo de Oratore. *quod enim ornamentum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitauit excitare reum consularem, & eius diloricare tunicam, & iudicibus cicatrices aduersas senis Imperatoris ostendere?* T. Liuius concionem in hunc modum refert 5. Decad. libro 5. *ego ter & vicies cum hoste per prouocationem pugnaui, ex omnibus quibuscum manum conserui, spolia retuli, insigne corpus honestis cicatricibus aduerso corpore acceptis habeo, nudasse se deinde dicitur, & quo quæque bello vulnera accepta essent, retulisse, quæ dum ostentat adapertis fortè quæ velanda erant, tumor inguinum risum proximis mouit, tum hoc quoque quod ridetis, inquit, in equo dies noctésque persedendo habeo, nec magis me eius, quàm cicatricum harum, pudet, pænitetque, quando nunquam mihi impedimento ad rempublicam bene gerendam domi militiæque fuit, ego hoc ferro sæpè vexatum corpus miles adolescentibus militibus ostendi, Galbæ nitens & integrum denudet.* Similia pænè sunt, quæ Mareschalli Baronij epistola exhibet, dum reus in Regio præsidio damnandus capitis detineretur, vir, deus bone! magnus, nisi maximus esse studuisset. Ita Vlysses Ouidian. libro 13. Metamorphos. fab. 1.

——sunt & mihi vulnera, ciues,
Ipso pulchra loco, nec vanis credite verbis,
Aspicite, en (vestemque manu deduxit) & hæc sunt
Pectora semper ais vestris exercita curis.

Originem istius legis licèt repetere à Pausania in Atticis, apud quem ista ferè extant, *vbi Hyperides oraret pro Phryne, nihilque se proficere intelligeret, quia clarissimum videbatur, quod iudices in eam essent daturi calculum, eam in medium adducens, vestes lacerauit illius pectusque nudum ostendit, postea cum Epilogi commiserationem ex conspectu orauit, vt omnes iudices in Hypophetis, & Zachori superstitionem induxerit, & cum dimissa hæc fuisset, lex postea lata est, ne quispiam cum duceretur accusatum, accusatúmve respiciens iudicaret.* Ex ipsorum reorum conspectu

itaque

itaque commiseratio permoueri solita, comam illi demittebant, cinere respergebant, vestem lugubrem induebant, magistratuum insignia, & lætiores cultus ponebant, alibi hoc in opere dictum, vbi de Atrata veste, & nigro colore luctibus adlubito disserui. Fortunat.lib.4.de S.Martino.

———& longa catena reorum
Accrescente coma.

Promissum hunc crimen, vt dixi, puluere aspergebant, quo miserabilior species appareret:exempla in sacra pagina pæne innumera: lib.2. Reg. capit.13.& libr.1. Machab.cap. 3.Hierem.cap.6.Iosue capit.7.Iob.capit.2. in fine, vt omittam hunc lugendi morem Græcis receptum Homerus li.18.Iliad.in limine. neque attinet poëtas laudare in hanc rem, pleni enim sunt.Stat.lib.6. Thebaid.in principio.

———squallentiaque ora
Sparsus, & incultam ferali puluere barbam.

Idem lib.3. Thebaid.v.137.

Canitiem impexam dira tellure voluntans.

Claudian.lib.3.de Raptu.

Tum laceras effusa comas & puluere canos
Sordida.

P.Virgil.lib.10.Æneid.

Canitiem multo deturpat puluere.

Et in Cyri idem.

Intonsos multo deturpat puluere crines.

Accusati apud Senatum rei sedebant sub patrono, instituta ad populum prouocatione, super eundem collocabantur. declamator ille apud L.Senecam libr.3.Controuers.17.de Popilio Lenate Ciceronis interfectore, *impius es, ingratus es, audeo dicere parricida, respice forum, hic sub Cicerone sedisti, respice rostra, hic supra Ciceronem stetisti.* quod nescio an ab vllo animaduersum.

Quæ condemnationis, quæ ampliationis, quæ denique absolutionis fuerit in hisce capitalibus iudiciis nota, ex Asconio Pædiano, Act.3 in C.Verrem, aliis est obseruarum, hic tantum *Theta* præfigi sententiæ capitali consuetum animaduertendum, quod & vulgatissimum. Isidor.li.1.ca.20.& c.23. Pseudo-Cornutus ad vers.13.Sat.4.A.Persij, *indices literam theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt, merito, ἀπὸ τοῦ θανάτου, eo quod quasi habeat telum suum, ideoque quasi triste intelligitur, vel mortis signum, vnde quidam ait,*

O merito ante alias infelix litera Theta.

D.Auson.Epig.110.

Misellle doctor, ù tibi sit obscœno,
Tuumque nomen theta sectilis signet.

A.Persius loco citato.

Et potis es nigrum vitiis præfigere Theta.

Sidon.Apollinar.Carm.6.

Isti qui voles exarationis
Destrictum bonus applicare Theta.

Martial.lib.7.Epigr.36.

Nosti mortiferum prætoris Castrice signum,
Est operæ pretium discere Theta nouum.

Scio contrario ritu salutiferam Hebræis fuisse Thau notam in sacris literis, Ezechiel capit.9.& capit.59. & D Hieronym. ibidem Omnia certe reo proniora, nam si paritas sententiarum constitisset, absoluebatur, vnde lex illa relata à L.Seneca lib.3. Controuers.2. *parricida æquis sententiis absolutus.* IC.l.*inter pares*.ff.de re iudicata. Aristotel. Problem. cap. 13.& cap.15. causa ex Seneca Tragædo audiatur in Thebaide.

Inclinat animus semper infirmo fauens.

Origo ex D.Augustino hæc repetenda est lib.18.Ciuit.dei cap.26. *Mars apud Athenienses homicidij reus iudicantibus duodecim diis, in eo pago, qui postea Areopagus est dictus, sex sententiis absolutus est, vbi enim pares erant sententiæ absolutio condemnationi semper præferebatur.*

Neque poterat lata semel sententia mutari ab eodem iudice, aut decretum prolatum. Celsus IC.lib.24.ff.de re iudic. *quod iussit vetuitque prætor, contrario imperio tollere & repetere potest, licet de sententiis contra, cum iam sententiæ* (verba sunt L.Apuleij libro decimo Milesiar.) *cunctorum pares stilis ad vnum sermonem congruentibus, ex more perpetuo in æream vrnam coniici deberent, quo semel conditus calculus, cum iam rei fortuna transacta, nihil commutare liceat.* Et pulcherrime idem libro primo Floridor in fine: *præco cum proconsul & ipse tribunal ascendit, & ipse togatus illic videtur, & quidem perdiu stat aut ambulat, aut plerumque contentissime clamitat. Enim verò ipse proconsul moderata voce rarenter & sedens, & plerumque de tabella legit, quippe præconis vox garrula ministerium est, proconsulis autem tabella sententia est, quæ semel lecta, neque augeri litera vna, neque autem minui potest, sed vtcunque recitata est, ita prouinciæ instrumento refertur, exceptum illico & lectum est, nec reuocare illud, nec ante mutare, et emendare mihi inde quicquam licet.* Exemplo legem hanc confirmare potest Coriolanus, cuius exilio iam decreto Tribunitia intercessio interuenerat, sed frustra, noluit enim Senatus prudenter paulo ante sententiam, & cum matura deliberatione rescindere. Plutarch. in eo allusit C.Plinius Iunior libro sexto Epist.13. *illi quoque etiam, qui prius negabant Varenus quæ petebat, eadem danda, quia erant data censuerunt singulos quippe integra re dissentire fas esse, peracta, quod pluribus placuisset,*

cunctis tuendum. Ad quem locum Eruditissimus lenex Claudius Minos videatur.

Quo rite sententia non reuocanda edi posset, adhibebatur ritus quidam solemnes: primum *vt per partes disquisitio ageretur*, (sic enim legendum apud Plinium lib.29 capit. 1. vt me doctissimus senator Tholosas D. Catellius admonuit, ex MS. suo, non vt antea, *per parietes*) hoc est, vt singula capita criminis obiecti discuterentur ne quid temere committeretur. deinde quia facilius erat accusare, quam obiectum crimen diluere, ideo si actor sex horas habuisset sibi concessas, reus nouem sortiebatur. C.Plin.lib.4. Epist. 9. At Cn.Pompeius frænum veluti eloquentiæ iniecit, & coarctauit facundiam, vt reus tres *horas, actor duas tantum haberet.* Ascon. Pedian. in Milonianam, quod in funere Germanici disquirendo obseruatum, C.Tacit. lib.3. Annal.

Horæ istæ, posita clepsydra distinguebantur, præsertim posteriori illo æuo, nam primitus vmbris solis tempora internoscebant, Aurel. Macrob. lib.1. Saturnal. cap.3. quod *solarium* interpretantur nonnulli, sed falso, vt proxime infra. A.Gell. lib.3.cap.3. Artemid. lib.3.cap.67. Auson. in Ephemeride. A.Pers. Sat.3. principio.

Quincta dum linea tangitur vmbra.

Secundo excogitatæ clepsydræ, vt differit C.Plinius libro 7.capit.60. de quibus P.Victorius libro 21. capit.13. Cæl.Rhodig. libro 18. capit.39. & peritissime describit Censorinus libello de die Natal. capite 23. *deinde aliquanto tempore post P. Cornelius Nasica Censor ex aqua fecit horarium, quod & ipsum ex consuetudine noscendi ex sole horas solarium cœptum vocari.* recte ex aqua, ὕδωρ enim aqua est, atque inde κλεψύδραι appellant. Sidon. Appollinar. libro secundo Epist.9. *per spatia clepsydrarum horarum incrementa seruantem probabat.* Et eodem libro Epist.13. *cuius ipsa denique spatia vitæ clepsydris metiebantur, vt per horarum dispositas clepsydras explicaremur.* Cassiodorus lib.1. variar. Epist. vlt. eodem sensu dixit, *momenta horarum constituere.* L. Apul. libro 1. Apolog. *possem equidem bono periculo, his dictis contentus perorare, quoniam tamen mihi pro accusationis longitudine largiter aqua superest, cedo, si videtur singula consideremus.* Et post eodem li. *tu interea dum legit, aquam sustine.* deinde vero, *mea licet aqua viase.* Et lib.2. Apolog. *at tu, licibis, aquam sinas fluere.* C.Plinius Iunior lib.2. Epist.1. *dixi horis pene quinque, nam decem clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor.* Idem lib 6. Epist.2. *increbuit passim & inualuit consuetudo, binas, vel singulas clepsydras, vel rdum, & dimidias & dandi & petendi,* & ibidem loci, *paucioribus clepsydris causas præcipitari.* Cic. libro 2. Thusculanar. quæstion. *eras ergo ad clepsydram, si enim dicimus, sed tibi hoc video non posse deberi.* Philetus, Lucianus in Piscatore, Synesius in Dione, à P. Coluto annotat. Et Lucianus quidem in li. de legenda historia, cuius verba explicat Franciscus Luisinius parerg.lib.3.cap.39. M.Fab.Quint.lib.2.Inst. capit.6. Definit non male Suidas in voce διαμεμετρημένη ἡμέρα, *diuisa, & dispertita dies.* vbi sic ille Hieronymo Volfio interprete. *mensura quædam aquæ est ad certum diei interuallum fluens, eaque mense Decembri diuidebatur, quo maximæ causæ, maximisque de rebus agebantur, & quidem in tres partes distribuebatur, quarum ac usatori vna, reo altera, tertia iudicibus assignabatur.* Multiplex error, nam neque mense Decembri de maximis causis agebatur, cessante tunc Senatu, C.Sueton. in Augusto cap.35. neque de diuisione aquę verum, quam vt admittamus, tamen reus, non vnam aquæ partem, vt actor, habebat, sed duas partes propemodum ex lege Pompeij, vt iam paulo supra admonui. Melius idem in voce ἄλλως ἀναλίσκεις ὕδωρ *frustra consumis aquam, in eos qui frustra student eloquentiæ, translatum ab iis qui in iudiciis ad aquam dicebant.*

Iocose Iupiter ille apud Iulianum Cæsarem in Cæsaribus iubet dicere ad μετρεῖ τοῦ ὕδατος, *aquæ rationem.* Et eodem in opere post ὁ δὲ τοῦ ἑαυτοῦ ... τῷ Ποσειδῶνος διάκονος, ὅπως ... ὕδατος ἐλάχιστον, *ad Octauianum Neptuni minister clepsydram* (*ita* ... *vertit C.Cantociarus peritissime*) *detulit, eique quam minimum potuit aquæ distribuit.* Cælius Symposius Ænigmate 70. lemma est *clepsydra.*

> *Lex bona dicendi, lex sum quoque dura tacendi,*
> *Ius auidæ linguæ finis sine fine loquendi*
> *Ipsa fluens dum verba fluunt, vt lingua quiescat.*

Martial.lib.6.Epigr.35.

> *Septem clepsydras magna tibi voce petenti*
> *Arbiter inuitus Cæciliane dedit.*
> *At tu multa diu dicis, vitreisque tepentem*
> *Ampullis potas semisupinus aquam.*
> *Vt tandem saties vocemque sitimque rogamus.*
> *Iam de clepsydra Cæciliane bibas.*

Et lib.8.Epigr.7. idem.

> *Hoc agere est causas, hoc dicere, Cinna, diserte,*
> *Horis, Cinna, decem, dicere verba nouem?*
> *Sed modo clepsydras ingenti voce petisti*
> *Quatuor, ô quantum Cinna tacere potes.*

Sed quoniam de horis multa iam dictum, quomodo in foro diuiderentur, hoc cum poetis addendum, eas cæli ianuæ assidere, & so-

& solis comites ab iisdem effictas. Aristenet. libro 1. Epist. 11. Pindar. Olympicor. od. 4. in limine, & od. 1:. Pythior. od. 9. & corruptus idem apud Stobæum Serm. 5. vbi ἀγαθαὶ ... legitur, sed repone ἀγαθὰς ὥρας, *bonas horas*, Apul. libro 10. *Gratiæ gratissimæ, Horæ pulcherrimæ*. Luctatius Placidius ad v. 410. lib. 3. Thebaid. Papinianæ.

——Rapidis accurrunt passibus Horæ.

P. Ouid. libro 2. Metamorph. fab. 1. in Ianua cæli, cum sole.

——Positæ spatiis æqualibus Horæ.

Claudian. in Consul. Olib. & Probini.

——Te variis scribunt in floribus Horæ.

Corrigendus idem libello de laudibus Serenæ.

Vbera prima dabant gremiis redolentibus Auræ.

Ex MS. Cuiacij omnino est rescribendum, & mens, confirmat.

——Gremiis redolentibus Horæ.

Sed nimis diu rebus obuiis immoratum, ad alia iam mihi properandum.

Fuerat etiam non nihil de *fidicula* hic delibandum, sed vrgente Typographorum, & operarum importuna diligentia, cogor multa omittere, multa leuiter transilire, sic igitur dicitur, *quod fides inueniatur per tormentum*, idemque est *vngula*, quod effodiat. Isidor. Hispalensis libro 5. Etymologiar. cap. 27. consulendi sunt L. Seneca libro 3. de Ira capit. 3. Et cap. 19. Consol. ad Marciam cap. 20. Valer. Maxim. libro 3. capit. 3. titul. 7. de Theodoro. *rupit verbera, fidiculas laxauit, soluit eculeum.* Quintilian. libr. Institut. 6. capit. 2. C. Sueton. In Tiberio capit. 62. *excogitauit inter genera cruciatus etiam, vt larga meri potione per fallaciam Oneratos, repente veretris deligatis fidicularum simul, vrinæque tormento distenderet.* Idem Quintilianus Declamat. vlt. *an tu quæstionem illam fuisse credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur? ideo enim eculeos mouebam artifex, tendebam fidiculas ratione sæuitiæ, vt leuiter fidibus suis remota compago per singulos artus membra laxaret.* Valent. Valens, & Gratian. AAA. L. 6. Cod. de quæstionibus *decuriones siue ob alienum, siue ob suum debitum, exortes omnino earum volumus esse pœnarum, quas fidiculæ & tormenta constituunt, quod quidem capitale iudici erit, si in contumeliam ordinis exitiumque tentetur.* Eiusdem Valentis rescriptum extat lib. 4. C. ad leg. Iul Maiest. *nullus omnino, cui inconsultis ac nescientibus nobis, fidicularum tormenta inferuntur, militiæ, aut generis, vel dignitatis defensione vti prohibeatur.* Thomas Segetus ciuis meus, & vir eximiæ literaturæ, figuram eius nuper edendam curauit, & medici Hippocratis scamno assimilant, Andreas à Cruce Venetus, Oribasius libro de Medicamentis capite 31. Cornel. Celsus libro 8. capit. 10. Martial. libro 5. Epigram. 53.

Exprimere Rufe fidicula licet cogant,

Aut Latinum, χαῖρε non potes Græcum.

Aurel. Prudent. lib. περὶ στεφ. in Romano Martyre.

Costas bisulcis exsecandas vngulis.

Et ibidem loci.

Non vngularum tanta vis fodit latus.

Doctissimis atque humanissimis viris,

D. M. IOAN. WOLFIO

SCHOLAE RATISPONENSIS RECTORI,

ATQVE RELIQVIS SCHOLAE EIVSDEM Ministris, & doctissimo atque ornatissimo viro D. D. Matthiae Bergio, Scholae Catharinianae apud Brunouicenses, Rectori vigilantissimo, Dominis collegis, & amicis suis reuerenter colendis.

QVVM Hannibal Carthagine expulsus, Ephesum ad Antiochum venisset exul, & quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus esset ab hospitibus suis, vt Phormionem Philosophum Peripateticum clariss. si vellet, audiret: isque se non nolle dixisset, verba fecisse scribitur homo copiosus aliquot horas de Imperatoris officio, & de omni re militari: quibus quum caeteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaererentque ab Hannibale, quidnam ipse de illo Philosopho iudicaret: Respondisse Poenus fertur, multos se deliros senes saepè vidisse: sed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidisse neminem. Vereor mehercule, ne futuri sint, qui etiam de meo hoc facto idem iudicent: quum tamen non, quemadmodum Phormio ille, de re militari, apud praestantissimos belli Duces, qualis Hannibal fuit, sed apud scholasticos disseram: nec ita disseram, vt consilium belli gerendi, & administrandi istis dare velim, sed vt veterem militiae morem explicem, & vocabula rei militaris, quae passim apud Scriptores, quos classicos vocamus, & ex quibus adolescentes linguam Latinam addiscunt, exponam. Quod meum consilium, qui attentè considerabunt, ab illa reprehensione me liberaturos esse certò scio.

Vobis autem, Viri doctissimi, atque humanissimi Collegae, & amici colendi, haec publice inscribere volui, cum quia haec mea studia probastis, meque saepè in iisdem iuuistis, tum vt aliquam significationem ederem grati mei in vos animi, pro iis, quae in me contulistis beneficiis, & ea, qua me prosecuti estis beneuolentia. Quòd si quae vicissim in vos beneficia à me proficisci poterunt, nunquam patiar meum studium desiderari.

Ad te, doctissime Bergi, venio, cuius nomen etiam in hoc catalogo amicorum meorum extare volui, primum vt declararem pergratam mihi esse beneuolentiam istam tuam,

tuam, qua me nondum visum complecteris, quodque tam prompte & liberaliter inter amicos tuos locum me habere passus es. Deinde verò vt simul ostenderem, quantum tibi essemus obstricti beneficiis illis tuis, quæ in fratrem meum Ioachimum, piæ memoriæ, contulisti: quem non tantum in tua Schola diligenter liberalibus disciplinis instituisti & fouisti, verùm etiam filij loco habuisti. Pro quibus omnibus agimus tibi gratias quas possumus maximas, & cum respondere atque satisfacere tibi nostra tenuitate non possumus, Deum orabimus, vt ea quæ ipsi præstitisti, cumulatè & abundè tibi tuisque rependat. Interim hoc grati animi iudicium quod affertur, boni consule, méque, vti hactenus facis, amare perge. Ratispona. Kalend. Martij Anno salutis humanæ, 1580.

V. V. H. H.

Addictissimus

IOHANNES ROSINVS.

ANTIQVITATVM ROMANARVM

Liber X.

DE MILITIA.

PERVENIMVS in instituta Reipublicæ Romanæ descriptione ad rem militarem, cuius cognitio quantum prosit omnibus iis, qui in veterum scriptis versantur non opus est, vt ipse multis verbis hoc loco explicem: cùm id fecerint eruditione multa præditi aliquot viri, ita, vt si iis quædam addere velim, actum agere videar. Quare qui pluribus de ea re instrui volent, eos remitto ad illa, quæ hactenus edita sunt, clarissimorum virorum scripta. Ego vero antequam descriptionem & explicationem militiæ Romanæ ordiar, de duobus Lectorem beneuolum monebo. Primùm de Scriptoribus, qui aliquid de re militari in lucem dederunt, quorumque testimoniis vsus sum: deinde de ordine, quo hanc materiam explicaui. Ac de Scriptoribus quidem rei militaris vt primùm dicam, quotus quisque est qui non audierit sæpenumero citari Flauij Vegetii Renati libros? quos tamen pauci legunt, cùm propter exemplarium raritatem, tum etiam propter errorum, qui in eos irrepserunt, & mendorum copiam, quæ vtinam aliquis aliquando adhibitis vetustis libris eruncaret; profectò non parum gratiæ apud omnes humaniorum literarum amantes esset initurus: de quo quidem non ita pridem spem fecit Ludouicus Carrio IC. in suis Antiquarum lectionum Commentariis: cuius voti religione vt sese soluat, sibique studiosum gregem hoc labore demereatur, ipsum communi omnium antiquitatis amantium nomine vehementer etiam atque etiam rogo. Vegetio addi solent ea, quæ Modestus de re militari, & Ælianus de aciebus instruendis scripserunt, qui & ipsi libri multis mendis scatent. De Catonis, Cincij, & aliorum vetustiorum monumentis de hac eadem materia, quæ temporum iniuria interierunt, nihil dicam. Edidit aliquot de re militari Commentarios non indiligenter scriptos vir clarissimus Robertus Valturius, qui tamen mihi visi non sunt. Ego quæ in hoc libro de militia Romana in medium attuli, omnia desumpsi ex rerum Romanarum Scriptoribus Liuio, Dionysio, Plutarcho, Cæsare & ex sexti libri Polybij fragmentis, in quo libro vir ille diligentissimus potissimam Reipublicæ Romanæ partem sibi sumpsit describendam, & explicandam: qui liber vtinam aliquando integer in lucem ederetur. Adhibui præter eos, quos dixi historicos, nonnunquam in consilium veteres Grammaticos, Varronem. Festum Pompeium, Nonium Marcellum, Agellium item Plinium, & ex recentioribus Petri Rami librum de militia C. Iulij Cæsaris, Lazari Baysij IC. & Lilij Gyraldi de re Nautica librum, atque viri omnium optimè de antiquitate meriti, C. Sigonij de Antiquo iure ciuium Rom. & iure Prouinciarum Commen. ex quibus etiam, si, quæ forte hic desiderabuntur, studiosi petent. Atque tantum de Scriptoribus.

De ordine iam dicam, quem in hoc libro obseruaui talem, vt primùm generalia quædam de bello indicendo, fœderibus feriendis, atque delectu faciendo notarim, tum exercitum Romanum, ex legionibus & auxiliis constituerim, partes singulas, Duces, Magistratus, militum ordines, eorumque arma explicarim, aciem instruxerim: inde ad oppugnationes loco-

locorum clausorum, & prælia naualia venerim: quibus explicatis, de animaduersione in deuictos hostes, & milites officij sui parum memores: contra verò de præmiis, & militum fortiter rem gerentium, & ipsorum etiam Imperatorum dixi, atque tandem exercitum dimisi. Hæc præfari volui, beneuole Lector, tum instituti mei tenendi causa, tum vt tu scires quid in hoc libro expectandum esset, quod meum studium, vt boni consulas, rogo. Incipiemus igitur rem militarem Romanorum considerare, initio facto ab antiquo bellorum indicendorum ritu.

AD LIBRVM X. PARALIPOMENA.

Qui rem bellicam scriptis suis extulerunt libris de ea editis, de ætate militari, & stipendiis, numero annorum, quibus militabatur, emeritum, & præmium, de vestitu nonnulla. de cinctu, cingulo & baltheo, duces exemplo tirones erudiunt.

QValis fuerit veterum in castris disciplina, & antiqui scriptores luculenter, & Critici laboriose expedierunt. nomina celebriorum apponam. Adamus Iunghans, AElianus Sophista *de militaribus ordinibus instruendis more Græcorum*, Æneas in Bibliotheca Vatic. & nuper opera Isaaci Casauboni cum Polybio excusus diligentissime, Africanus adhuc MS. in eadem bibliotheca Vaticana, cui operi titulum fecit *Cestes*, Hadrianus Iunius in Epistola libris Animaduersorum præfixa, Andreas Ianus Lascaris *de militia Romanorum, & imprimis Castrametatione ex Polybio.* Anonymi libellus Gallicus, *de vero scopo ad quem tendere debent omnes honestatis amantes, & de prædis, eiusque recto vsu*: Anselmus Stækelius edidit librum cui titulum indidit *enchiridion stratagematicon*, Apollodori *Poliorcetica*, & Athenæi liber *de armaturis* Manuscripti extant, Belisarius Aquiuiuus Neritinorum dux libellum edidit non contemnendum *de Re militari & singulari certamine*, Bernardinus de Atcalante, Bernardinus de Mendoza, Bernardinus Rochæi: Bitonis *fabrica bellicorum instrumentorum* MS. in quibusdam Italiæ bibliothecis, Claudius Coteræus *de Iure militari*, *& de officio Imperatoris.* Constantinus Imperator Constantinopolitanus *de instruendis aciebus* MS. Viennæ in Bibliotheca Imperat. Constantinus Porphyrogenetes *de themasibus siue agminibus militaribus.* Cornazanus septem libros metricis legibus *de re militari* scripsit, Darius Attendulus *de duello*, Dionysius Longinus *de Aciebus bellicis*, Dominicus Cyllenius, Flauius Renatus Vegetius *Epitome Institutorum rei militaris*, Franciscus Petrarcha *de officio imperatoris*, Fr. De Valde Hispanus, Henricus Ranzouius, Heron Alexandrinus *de telorum fabrica*, hunc alii Ctesibium appellant, Hieronymus Catanæus, Hygenus, seu vt aliis placet, Hegenus, quem cognomento *Gromaticum* vocant *de munitionibus castrorum*, vt legitur in Catalogo Scipionis Tetti librorum MSS. veterum, Iacobus Acontius, sicut & Iacobi Lauterij libri duo *de modo substituendi terrena monimenta ad vrbes atque oppida, cæteraque loca omnia, quibus aditus hosti præcluditur*, Iacobus Purliliarum comes, Ioann. Baptistæ Goinæi, *paradoxum, quod studia literarum nobiliora sint rei militaris peritia.* Ioann. Genesius Sepulueda *de honestate rei militaris* sub forma dialogi, cui titulus, *Democrates*, Ioan. Lauterbachius *de armis & literis*, siue, vt barbaris ipsius verbis vtar, *de præcedentia doctoris & militis*, Ioannis Surgeli *Enchiridion militare*, Iulius Ferretus, Iulii Frontini *strategematicon*: sed & alios *de Re militari* libros scripsisse ipse non obscure subindicat in præfatione strategematon, atque hic ille idem est qui sub Nerua floruit, & clarum ex libris de Aquæ ductibus, & Ælianus confirmat præfat. libelli de instruendis aciebus, forte & ille quem Tacitus libro 4. historiar. *prætorem* facit *vrbanum*, sed vlterius disquirendum. Iustus Lipsius *de Militia Romana*, Eiusdem *Poliorceticon, siue de machinis tormentis, & telis*, lib. 5. Lazarus de Schuuendi, Longæus, Laurus Gargerius *de Castellano & Imperatore exercitus, & bello*, Leo Imperator *de bellico apparatu*, fertur & eiusdem liber MS. Romæ asseruari in bibliotheca Vaticana, *de re militari*, & eiusdem insuper *stratagemata Romanorum & Græcorum per capita*, Item eiusdem est *de pugnis nocturnis* MS. Florentiæ, eiusdem denique *περὶ τῶν πολεμικῶν τακτικῶν* MS. in Regia Christianissimi principis bibliotheca, Leonardus Fortius *cum imaginibus variorum instrumentorum bellicorum* metrice lingua Græca vulgari, Leonardus Frousperger *de vniuerso iure & re militari Germanorum nostri temporis.* Extat eiusdem *disquisitio rei militaris secundùm Scripturas sanctas*, Cornelius Celsus, Veget. libro primo capite 8. eum citat, Raphael Volaterranus Commentarior. lib. 14.

Cornelius Celsus de arte Rhetorica, de re militari, deque medicina libros conscripsit, verum ad nos tantùm peruenit eius medicina, oratorio modo conscripta. Scripsit & Macer I. C. *de re militari*, cuius *primus liber* laudatur in Epigraphe lib. 12. ff. de Re milit. qua ex lege constat Augustum principem *disciplinam militarem* edidisse, è qua fragmentum ibidem citatur, Marcus Mantua *de priuilegiis militaribus*. Mauricius Imperator, Michael Ambrosianus, Modestus de *vocabulis rei militaris*, Nicephori Regis liber περὶ παραδρομῆς, & *de excursione*, Nicephori Imperatoris *de euentibus & casibus bellicis, aliisque stratagematibus, & rebus bellicis*, MS. Viennæ in biblioth. Imperat. Nicolaus Machiauellus libris 7. *Militariæ artis præcepta* inclusit, De la Noue Gallus nonnulla vernacula lingua huc spectantia edidit, quæ Latino iure donauit quidam, inscripsitque *discursus*, quem in rebus fidei multa mentientem reprehendit Antonius Posseuinus, vir literatissimus, & parum exactæ disciplinæ fuisse callentem ostendit in libro elegantissimo eiusdem tituli & materiæ. Frãciscus Despinay Sanlucius summus Castrorum Gallicorum præfectus, qui, quod paucis ducibus concessum, vtramque Palladem literatura mansuetiori & bellica virtute incomparabilis coniunxerat, cuius raptum, licèt rex, propriis doloribus inuictus, defleuerit, tamen æquiori animo tolerat Gallia, quod Timoleontem filium paternæ virtutis, non modò honorum successorem videat. Onosander Platonicus MS. in biblioth. Vatic. forte idem cum eo, quem Latinitate donauit Ioachimus Camerarius. Extat certè eiusdem liber *de optimo Imperatore, eiusque officio*, Orbicij *lucubratiuncula de nominibus ordinum militarium*, Paternus, cuius fragmentum lib. 7. & 12. 15. ff. de re militari citatur, & l. vlt. ff. de iure immunitat. hic cognomento *Terruntanus*, aliis *Tarrutinus* dicitur, vti ex epigraphe apparet, præfixa pandectis Florentinis, vbi inter ICtos nomen ipsius reperitur, Æl. Lamprid. in vita Commodi. *Quadratum & Lucillam crudelis vita Commodi compulit ad eius internecionem consilia inire, non sine præfecti prætorio Tarrutini paterni consilio.* Petrinus Bellus, Petrus Ramus *de militia Cæsaris*, Philippi ducis Cliuensis *Institutio omnium Græcorum bellandi*, MS. in biblioth. Imperatoria. Poliænus *libros octo stratagematum* reliquit, Reinhardus senior Comes Solmensis *de re militari veterum Germanorum*, Robertus Vulturius *cum picturis bellicis de re militari*, Sonchus de Londoano Hispanus, Theodoricus Adamęus *de Insula Rhodo & militarium ordinum institutione*, celebratur & Tilemanni Bræalæi *miles Christianus*, Zacharias Lechmerus, vel vt aliis videtur, Locksnerus *de Trianguiaribus vel quadrangularibus aciebus militaribus*; atque isti quidem de Re militari.

Præterea de pace & bello, (vnde non leuis huc accedit cognitio) scripserunt varij, Bernardini Mendozæ *Theorica & practica de bello*, Fabij Albergarti *Tractatus de modo reducendi inimicitias priuatas ad pacem*, Franciscus Arias *de belli iustitia iniustitiáve*, Iodocus Clichtoneus, Iulius Ferretus, *de belli Aquatici præceptis legitimis*, Leo Imperator *de bellico apparatu*, Ludouici Regij *exhortatio ad pacem & concordiam*. Petrus Bizaarus De Bombardis iuxta ac bombardatum vsu curiosè verius quàm doctè prodiderunt. Eugenius Gentilinus, Fr. Ioachimus Brechiel, Nicolaus Tartalea, Cato Censorius de Disciplina militari, qua sola vincunt exercitus, volumen ediderat. Veget. lib. 1. cap. 8. Festus & Nonius citant, & Seruius ad lib. 2. Georg. scripsit idem *de Tribunis militum*, Nonius in voce *proletarij*, & *de præda militibus diuidenda*, Nonius in voce *fite*, Gell. lib. 11. cap. 18. & *de præda in publicum referenda orationem* idem pronunciauit. Priscian. lib. 7. in fine. De Telis præter Lipsium lib. 5. de Militia Romana, & Heronem libro quinto de arte militari, Philo MS. in bibliotheca Regia Gall. denique nec gladiatoria suis caruit scriptoribus, qui eam illustrarent, inter quos, quantum reminiscor, præcipui sunt ferè isti, Ioachimus Maior, Ioann. Alexander Brassicanus *de armis*, quem citat VVolfgangus Lazius: Iustus Lipsius in Saturnalibus. Pet. Fabri *Agonistica*, seu *Athletica*. Ex quibus omnibus non est difficile plenissimam rerum militarium cognitionem, seu veterum spectemus disciplinam siue recentium consuetudinem consideremus, deducere, itaque quo leuior sit labor, te ad eos, lector, remitto, pauca percursurus, vt saltem symbolam meam contulisse videar.

De tyronum exercitiis & præfectis, doctoribus, seu magistris, dixi in hoc opere supra libro 5. cap. 25. de ætate, qua tirones in castra concedebant exuta scilicet toga puerili, & assumpta virili, seu libera, quo modo id fieret disserui plenissimè eiusdem libri cap. 32. de Ritu bellum indicendi, repete etiam ex me supra libro 3. cap. 21. de vestitu etiam supra laudato capit. 32. & mox infra plura, de ætate insuper certum ab anno 17. hoc est primo post prætextam positam, militiæ adscriptos iuuenes, debuisseque permanere vsque ad annos vigintiquinque sequentes continuos, quod illi, qui de iis scripserũt rebus, *stipendia* vocant. Seruius Honoratus Maurus ad lib. 7. vers. 614. *ipse vocat pugnas*

completa stipendia id est militiæ tempora. Et ad illud lib.2 Æneid Idem Seruius.

Fas mihi Græcorum sacrata resoluere iura. *Et hi sunt qui habent plenam militiam, nam & viginti quinque annis tenentur.* Alij ad quadragesimum sextum ætatis annum extendunt vacationem, vnde formula exauthorandorum, *tu minor quadraginta sex annis?* Liu. 5. Decad. lib.3. Polybius libro 6. distinguit, *peditem, nisi necessitate reip. non posse cogi vltra 46 annum, equitem vltra decem stipendia.* At Suidas vigesimum annum simpliciter præfinit in voce ϐετεράν. M. Quintilian. declamat. 253. *eo tempore fortiter feci, quo cogi non possem, vt militarem,* adimpletis videlicet stipendij constituti, aut militiæ annis. de principio ætatis militaris, quod decimus septimus fuerit, T.Liuius 3. Decad.lib.2. *dictator ex authoritate patrum dictus M.Iunius, & Titus Sempronius magister Equitum, delectu edicto minores ab annis septemdecim, & prætextatos quosdam ad scribunt.* & expressius multo eiusdem Decadis lib.5.in limine. *consules cum ægre delectum conficerent, quod inopia iuniorum non facile in vtrumque, vt & nouæ vrbanæ legiones, & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat: Senatus absistere eos ab incœpto vetuit, & triumuiros binos creari iussit, alteros qui citra, alteros qui vltra quinquagesimum lapidem in plateis forisque, & in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent, etiamsi nondum militari ætate essent, milites facerent, si modo roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, Tribuni plebis, si ita iis videretur, ad populum ferrent, vt qui minores septem & decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem & viginti annorum aut maiores, facti milites essent.* diserte ille ætatem militi legendo legitimam, aut stipendium merendi facit decimum septimum annum, à quo quotanni essent, tot stipendia numerarentur. de quibus elegantissime Silius Italic. lib.2.

Pubescit castris miles, galeaque teruntur
Nondum signatæ flaua lanugine malæ,
Nec vulquis æui nota, exanguésque merendo
Stent prima inter signa senes, letumque lacessunt.

Lapides meminerunt, quorum vnus Moguntiæ ita habet, apud VVolfgangum Lazium libro 5. Commentarior. Respub. Rom. cap. 28.

C. IVLIO. FLAVIANO. CORNICVLARIO. LEG. XXII. P. P. P. F. STIPENDIORVM. XVII. QVI. VIXIT. ANN. XXXV. MENSIB. XI. DIEB. XXV. COCCIA. CHRYSIS. CONIVGI. INCOMPARABILIS. PIETATIS.

S. F. C.

Alter ibidem loci.

CAIVS. VALERIVS. CI. CLANDESSA. VA. MIL. LEG. III. ADIVTRIC. ANNIS. XXV. STIPEND. VIII. H. S. E. D. M. V.

Tertius Romanus est, in quo diserte militaris ætatis supputatio memoratur, ita enim se habet.

D. M.

M. AVREL. ANTONIN. MIL. LEG. XIII. GEM. VIV. AN. XXII. MENSIB. XI. DIES. II. MILITAVIT. ANN. V. LIBRAR. AVRELIVS. MARCIANVS. ET. VALENTIN. FILIO. PIENTISSIMO.

Scio nihilominus non semper annos, sed & pecuniam erogatam reipublicæ nomine, per stipendia designari. M.Varro lib. 4. L.L. *stipendium à stipe, quod stipem æs dicerent,* & ex illo Isidor. Et lib.16.cap.17.ita intelligendi authores. D.Iuuenal.Sat.16.in fine.& Ioan.Britannicus ibidem.

Signorum comitem, castrorúmque æra merentem.

Vt ICtos omitam l.16. §. vlt. ff.de castr.pecul. l.20.ff.de excusat. tutor.l.18.ff.de Iure fisci. l.23. §.vlt.ff.ad Municipal. l.15. C.ad leg. Iul. de adult. M. Lucan. lib. 6. Pharsal. vers.144.

Scæua viro nomen, castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes.

M.Plaut. Bacchidibus Sc.1.

Ab istoc milites vt ibi meritum sibi sit, se vt reuehat domum.

Idem in Milite glorioso Sc.1.

——ibus dinumerem stipendium.

Allusit P.Ouidius lib.1.Amor.eleg.9. molliter, vt solet.

Impulit ignauum formosæ cura puellæ,
Iussit & in castris æra merere suis.

Eiusdem libri elegia sequenti.

Nec Venus apta feris, Veneris nec filius armis,
Non decet imbelles æra merere deos.

Et lib.2.Amor.eleg.9.

Me quoque qui toties merui sub amore puellæ,
Defunctum placidæ viuere tempus erat.

Quanta autem stipendiis militaribus summa impenderetur, discusserunt viri eruditi ad Suetonij Domitianum cap. 7. *addidit & quartum stipendium militi aureos ternos.*

Zonaram à Leuino Torrentio laudatum consule, & eundem vide ad Iulium Suetonij cap. 26. neque contemnendus est Titi Liuij locus è Decad. 1. libro 4. *Postremo indicto iam tributo, edixerunt etiam tribuni, auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributum non contulisset, patres bene cœptam rem perseueranter tueri, conferre ipsi primi, & quia nondum argentum signatum erat, æs graue plaustris quidam ad ærarium conuehentes speciosam etiam collationem faciebant*, dabatur itaque ex ærario publico hæc pecunia militibus distribuenda, aut ex fisco principis, Æl. Spartian. in Seuero. *denique militibus tantum stipendium, quantum nemo principum dedit*, & paucis interiectis deinde. *post hoc dato stipendio cumulatiore militi us.* Sed quæ stipendii huius summa, aut modus? variis certè reipublicæ temporibus modo augeri, modo diminui solere ex historica constat lectione, prout vel locuples, vel penuria ciuitas laborabat pro cuiusque Imperatoris erga milites studio, captandoque militarium animorum blanda largitione affectu. nam *Cæsar militibus* (verba sunt Suetonij cap. 26.) *stipendium in perpetuum publicauit*, Augustus vero *ampliauit*, idem Sueton. cap. 49. quantum conferretur disces ex C. Tacito libro primo Annal. vbi Pannonici exercitus seditiosa concione permouentur, *enimuero militiam ipsam grauem, infructuosam, denis in diem assibus corpus & animam æstimari.* Et post eodem libro. *responsum est à concione mandata esse Clementi centurioni quæ perferret, Is o d cur de missione à sexdecim annis, de præmiis finitæ militiæ vt denarius diurnum stipendium foret.* quem posteriorem locum pertractat Marcellus Donatus Ponzanus Dilucidation. pag. 788. priorem examinat Godescalcus Steuuechius ad Vegetiū libro 2. cap. 19. licet non semper pecunia stipendij nomine conferretur, Incertus author de rebus bellicis sub Theodosio. *æris materia, quæ præ copia vilior erat, ad dona militaria, & varia populorum commercia figurabatur.* sed vel panis interdum, vt hoc in opere supra à me relatum memini, vel obsonium, vetere glossario teste. *stipendium ὀψώνιον, ἐπιμήνιον, obsonium militare.* & libro secundo Polybius obsonij vocabulo pro stipendio vtitur. quam rem discusserunt sagaciter I. Lipsius libro 2. Elector. Carolus Sigonius de Antiquo iure ciuium Romanor. Ioannes Stadius ad L. Florum: Andr. Tiraquell. ad Alexandrum Neapolitanum libro 6. cap. 22. genial. dier.

Vocabatur & *emeritum* quod veteranis militibus persoluebatur stipendium, licet *præmium* cum *emerito* confuderint, sed male, nam Paulus IC. l. *qui excubias*, & Menander IC. l. *non omnes* ff. de Re milit. distinguunt, vt suspicer emeritum in agrorum possessione positum, præmium in pecunia consistere. Sueton. Augusto cap. 13. *veteranos in Italiam reducendos, & municipalibus agris collocandos censuisse.* M. Lucan. libro 7. Pharsal.

—Emerito faciat vos Marte colonos.

Ouid. lib 2. Amor. eleg 9.

Fessus in acceptos miles deducitur agros.

Luctatius Placidius Grammaticus notat ad vers. 336. lib. 2. Theb. Statianæ.

—Emeriti surgens confinia Phœbi.

C. Sidon. Apollinar. lib. 5. Epist. 5. legatur, rursusque lib. 6. Epist. 1. Sueton. in Augusto capit. 24. *decimam legionem cum ignominia totam dimisit, contumacius parentem, item alias immodeste missionem postulantes, citra commoda emeritorum præmiorum exauctorauit.* rescribendum omnino, *citra commoda emeritorum & præmiorum.* Modestinus IC. L. 3. ff. de re milit. *si expleto tempore militiæ redeat, vt veteranus restituetur, & emerita accipiet.* sed apertius multo Arrius Menander ad correctionem nostram (quam nescio cur non admittat Lipsius) L. 5. §. fin. ff. eod. *si post multum temporis redit, qui ab hostibus captus est, & eum tum cum, non transfugisse constiterit, vt veteranus erit restituendus, & præmia & emeritum capiet.* addendus Dio Cocceianus lib 54. Claudianus allusit in Consulatu Theodori in principio.

Te quoque Naturæ sacris mundique vacantem,
Emeritum pridem, desudatisque remotum
Iudiciis, eadem rursus complexa potestas
Euehit.

Dicuntur, & commoda eodem significatu. M Tull. Philipp. 12 in fine. *multa enim falsa de me audierunt veterani, multa ad eos improbi detulerunt, quorum commoda, vt vos optimi testes estis, semper ego sententia, authoritate, oratione firmaui.* Sueton. in Vitellio cap. 15. *dilectum ea conditione in vrbe egit, vt voluntariis non modo missionem post victoriam sed etiam veteranorum, iustaque militiæ commoda polliceretur.* Idem in Augusto cap. 49. *quicquid vbique militum esset ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit, definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militiæ, & commodis missionum, ne aut ætate aut inopia sollicitari ad res nouas possent.* Et in Calig. cap. 44. *veteranorum increpitus cupiditate commoda emeritæ militiæ ad sexcentorum millium summam recidit.* legit Lipsius ad lib. 1. Annal. Taciti. *ad sex millium summam.* rectissime P. Ouid. lib. 1. de Arte Amandi.

Romulæ militibus scisti dare commoda solis,

Hæc

Hæc mihi si dederis commoda, miles ero.

Ad vestitum promoueo stylum, quem non vltimam fuisse exercitibus in officio retinendis curam, & Imperatoribus sollicitudinem constat, quum publicis e fisco principum sumptibus daretur, adi ad Codicem Theodosianum lib.7. titul.6.& Codicem Iustinianeum lib.12. titul.39.& Legem 1.& legem 6. C. de erog. milit. annonæ. non sum ignarus diducta e stipendio consueto summa vestem hanc publicitus concessam. C.Tacit. lib.1. Annal. in Percennij seditiosi concione. *denis in diem assibus corpus & animam æstimari, hinc vestem, arma tentoria, hinc sæuitiam centurionum, & munerum vacationem redimi.* quod tamen Gracchus lata lege cauerat, scilicet ne quicquam stipendij deduceretur, pro veste militi concessa, Plutarch.in vita ipsius.& de antiquo illo ritu censeo intelligendum Flauium Renatum Vegetium libro 2 Rei milit. capit. 19. *si quidem incongruum videretur, imperatoris militem qui veste & annona publica pascebatur, vtilitatibus vacare priuatis.* Obseruatum autem vt culti incederent, neque vestes laceras, aut sordidas gestarent milites. Idem Veget.eod.libro cap.12. *miles veste nitidus, armis bene munitus ac fulgens.* quod præceptum fuit ab Auidio Cassio. Æl. Spartian. in eo. hic ille idem, *præpositus Syriacis legionibus, luxuria diffluentibus, arma singulorum septimo quoque die inspexit, vestimenta calceamenta quoque & ocreas.* Vulcatius Gallicanus in vita ipsius. Maximinus legioni tironum ab Imperatore Alexandro Seuero præfectus *iussit eam quinta quaque die decurrere, simulachra bellorum agere, gladios, loricas, galeas, scuta, tunicas & calceamenta inspexit.* Iulij Capitolini sunt verba in Maximinis, & multa talia exempla.

Possem hic de vestimentis militaribus sigillatim differere, sed præoccuparunt alij, & *sagum* quidem bellicum fuisse indumentum docuere, vt alios præterea Helenius Acron, & Porphyrion Grammatici ad Horatij libr. Epod.od.9. *lugubre mutauit sagum.* manifeste ad discrimen M. Cicero Philipp. 14. *ad saga ire, & redire ad togas.* Erat autem, *trabeatum, virgatum, purum, purpureum, candidum, fibulatorium, russeum,* vt disquirit Volfgangus Lazius Comment.Reip.Rom.lib.8.c.9. quem vide.Sil.Italic.lib.vlt.

——*Sagulo circumuolitare rubenti*
Lictorum.

Chlamys in militari vestitu, quæ vel *picta*, vel *purpurea*, vel *pura*, vel *imperatoria*, vel *limbata*, vel *manualis*, vel *hirta*, vel denique *sagochlamis*, quod gregariorum fuit militum. Trebelli.Pollio in Claudio. Lazius eiusdem lib.cap.seq. Stat.lib.2.Sil.1.

——*Et tergo demissa chalamys.*

Coripp.lib.2.Num.4.

Cæsareos humeros ardenti murice texit
Circumfusa chlamys

Paludamentum castrensis etiam vestis. Isidor.vti de aliis, lib.9.Etymolog.capit.24.C. Salust. libro 3.Histor. *Lentulus duplici acie locum editum multo sanguine suorum defensus, postquam ex sarcinis, paludamenta adflari, & delectæ cohortes intelligi cœpere.* Herodia.lib.3. de Septimio Aug. P.Aurelius in Caligula: *indutus aureo paludamento, curru bijugo decurrit.* Lazius ibid. Claudian.de 6.Honorij Consulatu.

——*Agnoscunt proceres, habituque Gabino*
Principis & ducibus circumstipata togatis,
Iure paludatæ iam curia militat aulæ.

Lacerna & militum gestamen, laxius, vt videtur, quod armis superindui posset, dixi supra hoc opere, Pseudocornutus ad v.68. Satyr.1. A.Persij.

Seu comitem horridulum trita donare lacerna.

Eodem numero dixit D.Iuuenalis.

——*Horrenti tunicam non reddere seruo.*

Erant autem variæ eius species, vel enim *candida* appellabatur, vel *pinguis*, vel *muliebris*, vel *pauperum*, quam forte byrrum vocare possumus, de quo superius.vide quæ in hoc opere dixi.denique & *Tyria* celebratur.Lamprid.in Alexandro. *lacernam coccineam accipiebat.* Laz.ibid.Martial.lib.2. Epigram.10.

Quaque Tyron toties epotauere lacernæ.

Et lib. .Epigr.19.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias, coloris optimi.

Penula in militari indumento numerabatur, præsertim ad pluuiam arcendam. Q. Florens Tertullian. lib. de Corona Militis in limine. *O militem Dei gloriosum, suffragia inde, & res apud acta, ibidem grauissimus penulas posuit reuelari auspicatus, speculatoriam morosissimam pedibus absoluit, terræ sanctæ insistere incipiens, gladium nec dominicæ defensioni necessarium reddidit, & laurea de manu claruit, & nunc russatus sanguine suo, spe calceatus, de euangelij paratura succinctus, acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus, & de martyrii candida laurea melius coronatus, donatiuum Christi in carcere expectat.* Eruditissimus Iacobus Pamelius ibid. legitur autem illa multiplici differentia, est enim *picta*, est *oratoria*, est *popularis* est *mulonia*, est *funebris*, est *fæminea* est *gausapina*; est *scortea*, est denique & *Illyriciana*, Trebel.Pollio in Claudio Cæsare *singulicnes Dalmatenses decem, chlamydem Dardanicam, manualem*

vnam, penulam Illiricianam vnam. Laz. ibid. consulantur viri docti ad Q. Horat. libro 1. Epist. 11.

Penula solstitio, campestre niualibus horis.

Britannicus ad Iuuenal. Sat. 5. v. 78.

——Fremeret saeua cum grandine vernus
Iupiter, & multo stillaret penula nimbo.

Martial. lib. 1. Epigr. 104.

Sordidior multo post hoc toga, penula peior.

De calceamentis militantium, quaere dicta à me supra hoc opere lib. 5. cap. 36.

De *campestri, bracca, subarmali.* Laz. eodem loco. *Caliga*, praeterea in frequenti vsu, quae vel *spiculatoriae*, vel *clauatae*, vel *fasciatae*, vel *gemmatae*, vel *sacerdotales.* de quibus Grammatici, Critici, & historici passim, neque pueruli ignorant, vnicus lapis addendus, cuius hoc fragmentum apponere libuit.

C. OPPIO. C. F. V. BASSO. P. P. P. C. PR. I. D. AVX. LEG. III. FL. FEL. ET. LEG. II. TR. FORT. EVOC. AVG. AB. ACT. FORIBVS. P. R. PR. MILIT. COH. II. PR. ET. COH. XIII. ET. XIIII. VRBAN. OMNIBVS. OFFIC. IN. CALIGA. FVNCTO. CENTVRIONES. LEG. II. TRAIANAE. FORTIS.

Cingula non modò militum gestamina, sed & nota, sine quibus nemo militaribus dignus ordinibus censebatur, quippe eis inserti gladii gestabantur. Ioann. Saresberg. libro 6. Policratici. capit. 13. *honorem gladii in cingulo militari frustra portat.* Solius Sidon. Apollin. Carm. 2.

——Bullis hostilibus asper
Subligat à laeua fulgentem baltheus ensem.

Recte *bullis*, nam ex auro appositae illae, quare à Trebellio Pollione in Gallienis *aurati & constellati* dicuntur balthei, P. Virgil. lib. 12. AEneid. in fine.

——Humero cum apparuit alto
Baltheus, & notis fulserunt cingula bullis.

Stat. lib. 6. Thebaid. v. 76. obseruat. Ioan. Bernartius.

——Cinctúsque sonantes
Armáque maiores expectatura lacertos.

Valer. Flacc. lib. 5. Argonauticon in fine.

Quis procul ille virum nobis, quem baltheus asper.
Subligat, & stricto stat proximus armiger arcu.

Milites aut duces, vt puto, bullis aureis gestabant ornatos baltheos, vilioribus gladiatores, Pseudo Cornut. ad vers. 44. Sat. 4. A. Persij. *de gladiatoribus tractum, qui accepto vulnere inaurata baltheo tegunt.* Ipse Satyri.

Caecum vulnus habet, sed lato baltheus auro
Protegit.

L. Sen. Herc. Fur. Act. 2. in Choro.

Aurato religans Ilia baltheo.

Corippus African. libro 4. de laudibus Iustini Num. 3.

Par habitus, par forma fuit, vestísque rubebat
Concolor, atque auro lucebant cingula mundo.

Auro addebantur gemmae, quo speciosior esset apparatus, Corippus ibidem loci in sequentibus elegantissime descripsit.

Nobilibus gemmis, & coelo lucidus auro
Baltheus effulgens lumbos praestrinxit herilis.

Et lib. 2. Num. 4. in limine.

——promuntque feruntque
Augustas vestes, pretiosáque cingula gemmis.

Venatores vtebantur non tantum milites, Biuius Andronicus, apud Terētianum Maurum lib. de Metris, quanquam non *Liuium Andronicum* censeam dicendum, scripsit enim ille comico stylo, sed *Leuium*, qui Heroicus fuit, sic itaque ille,

Et iam purpureo suras include cothurno,
Baltheus & reuocet volucres in pectore sinus.
Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

Adeò hic militi necessarius, vt imperatores inaugurandi eo cingerentur, Corippus loco proximè supra laudato, & per eum militiam ipsam significarent, vt gestatus, militem signaret, depositus, exauthoratum, seu ignominiosa missione excedere castris iussum, Freculph. Tom. 2. Chronic. libro tertio capite 15. *Constantinus probare volens quosdam in suo palatio Christianos, si boni & solidi essent viri, euocans vniuersos praecepit dicens, vt siquidem venirent ad sacrificandum, & eius colerent deos, circa eum essent, & in suo cingulo permanerent, si verò refugerent, egrederentur de palatio, gratias agentes, quod minimè punirentur.* ademptio haec cinguli militaris, in grauissimis semper habebatur poenis, & ignominiosissimis: vocabatur autem *discinctura*, & ab aliis *recinctura.* Herodian. lib. 2. cuius verba Latina à Politiano facta apponam: *sed quoniam ius fasque negant, stipare à vobis* (praetorianis militibus Pertinace Aug. interfecto) *principem, violato iureiurando ac manibus ciuili imperatoriòque sanguine pollutis, prodità que fide, custodiáque, animas quidem & corpora vobis vestra largitur humanitas, porrò militibus meis ita praecipio, recingant vos, ac vestimentis exutos militaribus nudos dimittant.* Idem lib. 7. *cohortibus, quae signa amiserant, hordeum dari iussit, centurionésque manipulorum, quorum signa amissa*

amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit. celebre illud Vulcatii Gallicani, *statim ad signa edici iussit, & programma in parietibus fixit, vt si quis cinctus inueniretur apud Daphnen, discinctus rediret.* pulcherrime Ioannes Saresbertensis lib. & cap. laudatis. *fit interdum vt ex delicto suo priuetur miles militiæ cingulo, in his maxime, vbi sacrilegia committuntur: veteri namque iure statutum est & nouo non est abolitum, vt qui non seruato militiæ sacramento, religionem, quam profitetur, impugnat, cinguli amissione mulctetur.* sic etiam, nisi fallor, intelligendus est Cæsar libro tertio Belli ciuilis. *hoc præterito tempore, serui transfugæ nunciauerunt, oppidanorum bona vendere, ne cui extra vallum liceret exire, nisi discinctum.* hinc passim apud populos cingulum pro militia ipsa vsurpatur, eruditissimus B. issonius notat, Treb. Pollio. in Gallien. *cum cingula sua plerique militantium, qui ad conuiuium venerant, ponerent, & negotiatores militia cingulo prohibentur* leg. vnic. C. negot. ne militent. & Iacob. Cuiac. ibidem *cingi iussus miles.* lege 43. ff. de testam. milit. *cinctus est in alia militia.* leg. 38. ff. eod. titul. & *cinctus Tribunus legionis,* leg. 16. Cod. Theodos. de Palatin. sacrar. largit. l. vltim. Cod. eod. de Postuland. D. Ambros. serm. 7. *cinguli honor.* l. 14. Cod. Theod. de priuileg. cor. *cinguli sacramenta* leg 2. Cod eod. quid prob. deb. *cingulo exui.* lege 1. C. ne rei domin. vel templor. *cingulo spoliandus* leg. 3. C. domest. & protect. libro 12. *post depositum cingulum* lege 2. C. vbi de ratiociniis. *dignitatem & cingulum amissuros* leg. 2. C. vt nemini liceat in Cœmp. spec. lib. 10. ζώνην vocat Zonaras in Comment. Nicenæ synodi. Suidas ζώνην τὸ ἀξίωμα interpretatur. & quod apud Basilium Magnum in Orat. de Martyre Gord. scribitur ῥίψας τὴν ζώνην, nihil aliud sonat, quam quod Tertullianus lib. 2. de præscript. aduersus hæreticos ait *cingulo abiecto & deposito.* Valentiniani Theodosij & Arcadij AAA. rescriptum extat lege 3. Cod. Theod. de his qui relig. contend. *qui sacrilego animo authoritatem nostri numinis ausi fuerint expugnare, priuati cingulo, bonorum proscriptione multentur.* non possum non pulcherrimam ex Suida in Auxentio historiam adducere, cuius verba Latina sic sonant, *Erat in quadam palatij aula fons aquæ, & in eo Bacchi statua, & vitis ampla, totum complexa locum atque inumbrans, quo cum Licinius. per causam delectationis venisset, Auxentio & aliis multis è comitatu sequentibus, vitem intuens, vuam magnam & maturam è palmitibus dependentem vidit, tumque Auxentium resecare iussit, at ille statim femori appenso pugione stricto, resecuit, nihil suspicans, Licinius autem, ponito, inquit, vuam ad pedes Bacchi, at ille, absit, Imperator, Christianus enim ego sum: igitur, apage te, relicta militia, inquit Licinius, alterutrum enim facias necesse est, at hic nihil cunctatus, & solutus Zonam & statim alacer palatio excessit.* Claudian. lib. 2. in Eutrop.

—Militiam nullam, nec prima superbus
Cingula dignari.

Idem in satisfactione ad Hadrianum præfectum prætorio.

Quod si nec precibus fletu nec flecteris vllo,
Eripe calcatis non prospera cingula Musis,
Eripe militiam.

Certe itaque *accinctum* pro milite, *discinctum* pro inhabili ad militiam, aut dissoluto accipiebant, repete quæ supra hoc opere à me dicta eam in rem lib. 5. cap. 32. in fine. D. Auson. in Gratiar. Act. *familiaris habitus decentior, aut militaris accinctior.* vet. Scholiast. Iuuenal. ad Sat. 2. vers. 143. *qui toga deposita, qua vtebantur senatores, tanquam infames tunica vtebantur, hinc dissoluti dicuntur.* Seruius ad illud lib. 2. Æneid.

Illi se prædæ accingunt.

Et ad illud lib. 8. Æneid. idem.

——discinctos Mulciber Afros.

Discinctos, id est, inhabiles militiæ, omnes enim qui militant cincti sunt, aut certe inefficaces & ignaui, vt contra præcinctos dicimus. Horatius (lib. 1. Sat. 5. in principio) *altius, ac nos præcinctis, vnum. hinc & ἄζωνος strenuus.* C. Sueton. Iulio cap. 45. *vnde emanasse Syllæ dictum constat optimates sæpius admonentis, vt male præcinctum puerum cauerent,* paulo aliter Macrobius lib. 2. Saturnal. 3. *adeo vt Sylla tanquam prouidus dixerit Pompeio, caue tibi illum puerum male præcinctum.* ἀζώνες Græci dissolutos luxu diffluentes appellant. Horat. lib. 2. Epod. od. 1. Acron & Porphyrio ibidem.

Discinctus aut perdam vt nepos.

Ouid. lib. 1. 2. de Arte Amandi.

Institor ad dominam veniet discinctus emacem.

Et lib. 1. Amor. eleg. 9.

Ipse ego segnis eram, discinctáque in otia natus.

Vt hi ignaui, desides, rerumque militarium rudes, ita cincti periti bellandi. Claudianus cultissime non vno in loco. lib. 2. in Eutrop.

Quid, quod & armati cessant, & nulla virilis,
Inter tot gladios, sexum reminiscitur ira?
Huccine nostrorum cinctus abiere nepotum?
Sic Bruti despectus honor.

Vide notas ibidem loci, Ad formam militaris disciplinæ, & ciuici magistratus cingi solebant. Plaut. Bacchidib. sc. *nunc experiar.*

Cincticulo præcinctus in sella apud Magistratum assideret.

M Manil.lib.5. Astronomic. de consule Romano.

Mænia succinctus curuo describit aratro.

M.Lucan.lib.7.Pharsal.v.430.

Sarmaticumque premes succinctus consul aratrum.

Sicuti supra hoc opere ostẽsum legislatorem plus exemplo, quam præceptis ad ciuitatem bene ordinatam posse, ita & militaris multitudo præcipue tyrones, potius Principum actis, quam mandatis adiuuantur. Onosander c.1. vide Notas illas doctrinæ refertissimas ad Taciti celebriora quædam loca Iani Gruteri. *de Coriolano* Halicarnass.lib.8. de *Iuliano*. Ammian. libro 24. *de Maximino* Herod. lib.7.de *C.Mario*, Salust. Iugurth.de *Alexandro*, Q.Curt.sæpe,& prætertim lib.5.lib.7.de *Theodosio*, Sozomen.hist.Ecclesiast. præfat.de *Iphicrate*, Prob.in eo.de *Corbulone*. Tacit.lib. 14. de *Brasida*, Thucydid. lib. 5. de *Manuele*, Nicet.Choniat.lib.6.in fine. de *Cyro & Scuthis*. Xenoph. Expedit. lib.7.de *Philopœmene*. *Plutarch.in eo*,de Catone Lucan.lib.9.

——dum primus arenas ingrediar.

De Nerone Sil.Italic.lib.15.

——Alacer præcedere ductor.
Quosque pedes.

Dicam ad Claudian.de 4.Hon.consul.

Nunc eques in medias equitum te consere turmas,
Nunc pedes assistas pediti, tum promptius ibunt
Te socio, tum conspicuus gratusque feretur
Sub te teste labor.

Et lib.2.de laudibus Stilich.

Vtque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

CAPVT I.

Quomodo Romani bellum hostibus indixerint.

DE Militia Romanorum dicturi, ante omnia exponemus, qua ratione bellum hostibus indixerint, & quomodo fœdus cum sociis percusserint: hæc enim legentibus non ingrata esse futura mihi plane persuadeo. Romani, inquit Varro lib.2.de Vita populi Romani, bella & tardè & nulla licentia suscipiebãt, & quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, priusquam indicerent bellum iis à quibus iniurias factas sciebant. Fetiales legatos res repetitum mittebant quatuor, qui, si postulata impetrassent, fœdus cum iis feriebant: si minus, re deliberata, bellum indicebant. Quod qua ratione factum sit, pluribus verbis docent Dionys.Halicarnass.L.Plutarchus, & alij. Dionysij atque Liuij verba adscribemus, & quidem Dionysij lib.2. primùm. Is ergo Fetialium institutionem & munera exponens ita verba facit: Fetialium, inquit, quando apud aliquam ciuitatem Caduceatorum funguntur munere, hos ritus à maioribus accepimus. Vnus quispiam illorum electus à Collegio, veste augustiore, suisque in signis verendus ad infestorum hominum agrum profectus, cum primum fines eorum attigit, Iouem cæterosque Deos inuocãs, testatur à Romanis se venire, iusque suum petere. Deinde iuratus, ire se ad iniustam ciuitatem, & si quid mentiretur, seq; suosque ciues execratus, intra fines ingreditur, & quem primum obuium nactus est, eum testatur, siue is vrbanus sit, siue rusticus, & repetitis eisdem precibus atque execrationibus, ad vrbem pergit. Quam, priusquam ingrediatur, vel portæ custodem, vel primum quemque in porta obuium similiter testatus, ad forum procedit: ibique stans, Magistratibus aduentus sui causam indicat, semper iusiurandum & imprecationes adiiciens. Tum si damnatos auctores iniuriæ, deditosque acceperit, abducẽs eos amicus ipse ab amicis discedit. Quod si tempus ad deliberandum peterent, post decem dies reuertebatur, idque aliquando tertio. Elapsis autem triginta diebus, si non impetraret ius suum, obtestatus superos, atque inferos discedebat, hoc tantum præfatus, super ea re populum Romanum per ocium deliberaturum. Deinde assumptis cæteris Fetialib. Senatui renunciabat, omnia se rite executum, & si velint bellum decernere, licet id illis per Deos. Alioquin si quid horũ omissum esset, neque Senatui fas erat decernere bellum, neque populo, &c. Hactenus Dionys. Nunc etiam Liuium lib.1. audiemus, qui annotat, hunc morem ab Æquicolis desumptum ab Anco Marcio Romæ primùm institutum atque à posteris etiam religiosè obseruatum fuisse. Is itaque de Latinis agrum Romanũ prædantibus, & legatis ab Anco Rege, vt res repeterent, ad eos missis, verba faciens sic pergit: Legatus (Fetialem intelligit) vbi ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen est.) Audi, Iupiter, inquit, audite fines (cuiuscunque gentis sunt, nominat) audiat fas. Ego sum publicus nuncius populi Romani, iustè piéque legatus venio, verbisque meis fides sit. Peragit, deinde Iouem testem facit: si ego iniuste, impiéque illos

illos homines illasque res dedier populo Romano, mihi exposco, tum patriæ compotem me nunquam finas esse. Hæc cùm fines supraicandit, hæc quicunque ei primus vir obuius fuerit, hæc, portam ingrediens, hæc totum ingressus, paucis verbis carminis concipiendique iurisiurandi mutatis, peragit, si non deduntur, quos exposcit, diebus tribus & triginta (tot enim solemnes sunt) peractis, bellum ita indicit: Audi Iupiter, & tu Iuno, Quirine Diique omnes cœlestes, vosque terrestres, vosque inferni audite: Ego vos testor, populum illum (quicunque est, nominat) iniustum esse, neque ius persoluere, sed de istis rebus in patria maiores natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamur. Cum iis nuncius Romam ad consulendum redit, confestim Rex his ferme verbis patres consulebat. Quarum rerum, litium, causarum cōdixit: Paterpatratus populi Romani Quiritium Patripatrato priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, quas res nec dederunt, nec soluerunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, solui oportuit, dic, inquit ei, quem primum sententiam rogabat, quid censes? Tum ille: Puro pióque duello quærendas censeo, itaque consentio, consciscóque. Inde ordine alii rogabantur: quandoque pars maior eorum, qui aderant, in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum: vt Fetialis hastam ferratam, aut sanguineam præustam ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præsentibus diceret: Quod populi priscorum Latinorum hominesque prisci Latini aduersus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt: Quòd populus Romanus Quiritium bellum cum priscis Latinis iussit esse, Senatusque populi Romani Quiritium censuit, consensit, consciuit, vt bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rē ego populusque Romanus, populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, bellum indico, facioque. Id vbi dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Hæc Liuius, cum quo consentit Agellius, qui libro 16. capite 14. ex Cincii libro 3. de re Militari: Fetialem populi Romani bellum indicentem hostibus, telumque in agrum eorum iacientem, hisce verbis vti scripsit: Quod populus Hermundulus, hominesque populi Hermunduli aduersus populum Romanum bellum fecere, deliquere, quodque populus Romanus cum populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum iussit: ob eam rem ego, populusque Romanus populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum indico facioque, &c. Atque ita quidem bellum Romani hostibus indicebant. Quo vero ritu fœdera percusserint, capite sequenti explicabimus.

Capvt II.

Quem ritum Romani obseruarint ferientes fœdus cum aliquo populo.

DIximvs antè, si Romanorum legati ad vicinos populos missi, postulata impetrassent, fœdus cum illo percussisse: sin minus, bellum ipsis indixisse. Vtrumque fiebat per Fetiales: de quibus nos multa libro harum Antiquitatum 3. Quo vero ritu fœdera percusserint (morem enim belli indicendi iam audiuimus) eleganter docet Liuius, cuius libro 1. in historia Tulli Hostilij hæc sunt verba: Fœdera alia aliis legibus, cæterum eodem modo omnia fiunt. Tum ita factum accepimus, nec vllius vetustior fœderis memoria est: Fetialis Regem Tullum rogauit: Iubésne me Rex cum Patrepatrato populi Albani fœdus ferire? iubente Rege: Sagmina, inquit, te Rex posco. Rex ait, pura tollito: Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit: posteà Regem ita rogauit: Rex facisne me tu Regium nuncium populi Romani Quiritium? vasa, comitésque meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio. Fetialis erat M. Valerius, is Patrempatratum Sp. Fusium fecit, verbena caput, capillósque tangens. (Paterpatratus ad iusiurandum patrandum, id est, sanciendum fit) fœdus, multisque id verbis, quæ longo effata carmine, non operæ est referre, peragit. Legibus deinde recitatis, audi, inquit, Iupiter, audi, audi Paterpatrate populi Albani, audi tu populus Albanus, vt illa palam prima, postrema ex illis Tabulis cerâve recitata sunt sine dolo malo: vtique ea hic hodie rectissime intellecta sunt illis legibus, populus Romanus prior non deficiet: si prior non defecit publico consilio, dolo malo, tu ille Diespiter populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodiè feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes, polléśque. Vbi dixit porcum saxo silice percussit. Hæc Liu. Polybius etiam in commemoratione fœderis inter Carthaginenses & Romanos icti scribit, Romanos in fœderibus feriendis iurasse Iouem lapidem, cuius verba non abs re erit adiicere: Rom. inquit, Iouem lapidem, secundum vetustissimum ritum, ac per Martem, & Enyalium iurarunt. Ritus verò iurisiurandi per Iouem Lapidem fuit huiusmodi: Fetialis sumpto in manibus lapide, postquam de fœdere inter patres conuenerat, hæc

verba dixit:si rectè,ac fine dolo malo hoc fœdus,atque hoc iusiurandum facio,Dij mihi cuncta felicia præstent:sin aliter aut ago,aut cogito, cæteris omnibus saluis in propriis patriis, in propriis legibus,in propriis laribus,in propriis téplis,in propriis sepulcris, solus ego peream,vt hic lapis è manibus meis decidet.Nec plura locutus,manu lapidé deiiciebat.Tantùm Polybius,vbi vetus interpres Sipontinus bis vertit,per lapidem,pro,iouem lapidem,de quo errore vide Iacobum Leopardum lib.6.Emendationum cap.15. Sic etiam Festus:Lapidem silicem tenebant iuraturi per Iouem hęc verba dicentes.Si sciens fallo,tum me Diespiter salua vrbe, arcéque bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem. Ex quo Festi loco Carol. Sigonius etiam apud Liuium pro,tu illo die Iupiter, quod in vulgatis habetur, reposuit, tum me Diespiter &c. Atque tantum de ritu hoc. Leges fœderum non adscribimus,quarum exempla in Liuio lib.38. Polybio lib.3.& alibi extant,vnde peti possunt.

Capvt III.

De delectu militum. & sacramento militari.

INDICTO bello,proximum erat,Ducem creari,& militum delectum haberi.De Duce paulo post dicemus: hoc verò capite de delectu. Scribit Seruius ad 8. AEneidos Virgilij,tria fuisse militiæ genera,sacramentum,coniurationem & euocationem. Sacramentum eorũ,qui singuli iurabant pro Republica se esse facturos, nec discedebant, nisi confectis stipendiis. Coniurationem,si esset tumultus,id est,bellum Italicum,vel Gallicum, quo tempore, quia singulos interrogare non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum,ibat adCapitolium,& exinde proferens duo vexilla,vnum roseum,quo pedites euocat,alterum cœruleum, quo equites,dicebat:Qui vult saluam Rempublicam,me sequatur:& qui conuenissent,simul iurabant : vnde dicebatur ista militia coniuratio, vnde lib. 45. scribit Liuius: Senatusconsultum factum,vt Consul,quos præter milites sociósque nauales coniuratos haberet,dimitteret. Euocationem vocabant,cùm ad diuersa loca diuersi,propter cogendos mittebantur exercitus. Legitimum tamen militiæ genus sacramentum erat: qui hoc genere militant,ab ipsis Ducibus delectu habito conscribebantur,hac, vti Polybius libro 6.tradit,ratione: Cùm,inquit,militum delectum habituri sunt, Consulari præditi Magistratu,prædicunt publicè diem,quo adesse oporteat Romanos,per ætaté ad arma idoneos, atque id singulis annis faciunt. Vbi verò aduenit præstitutus dies, omnibus, qui militiæ habiles sunt,in vrbem coëuntibus, atque in Capitolium congregatis, diuidunt se ipsi iuniores Tribuni (quorum quatuordecim erant) sicut populus Imperatorésve instituerint,in quatuor partes: quoniam in quatuor ipsi legiones vniuersam, primámque partitionem copiarum distribuunt. Atque ij, qui primi quatuor electi sunt primæ legioni assignantur:tres, qui deinceps secundæ legioni tribuuntur: quatuor subsequentes,tertiæ: tres vltimi in quartam transferuntur. Ex prouectioribus vero (quorum erant numero decem) duos sane primos primæ tribuunt legioni: treis secundos secundæ: duos subsequentes tertiæ:treis vltimos,quartæ,ex prouectioribus inquam. Cùm in hunc modum Tribuni ordinati, constitutíque fuerint,vt omnes legiones æquales Principes habeant : post hæc seorsum cuiusque legionis Tribuni sedentes,Tribus sigillatim in legiones sortiuntur,aduocántque, quam sors assidue prætulit,atque ex ea eligunt quatuor adolescentes, ætate & corporis habitu quàm simillimos. productísque iis,optionem faciunt primæ legionis Tribuni,secundi secundæ,tertij tertiæ,postremi 4. Rursus quatuor aliis productis, primi optionem faciunt secundæ legionis Tribuni, & sic deinceps,vltimi auté primæ. Post hos aliis quatuor productis,primi accipiunt tertiæ legionis Tribuni,postremi secũdæ,semperque in hunc modum ad portionem, atque ambitu quodam facta electione,accidit,vt pares in legiones singulas viri distribuantur. Cum vero elegerint præsentem multitudinem (hoc autem est, vt faciunt singulas legiones modo quaternum millium & ducentorum peditum, modò quinque millium, si quando maius aliquod videatur periculum imminere) iis ita distributis, equites antiquitus sanè posteriores peditibus legionariis solebant recensere:nunc verò priores, censúsque eorum habita ratione, ditiores à Censore deliguntur,describuntque trecentos in singulas legiones. Delectu perfecto,prædictum in modum congregant ex iis Tribuni suos quisque per singulas legiones, vnumque eligentes maxime idoneum, sacramento adigunt profiteri, obtemperaturum se ducibus proculdubio,atque eorum mandata pro viribus executurum, tum reliqui iurant singulatim procedentes, idipsum significantes, omnia videlicet facturos sese, quemadmodum primus ille.

Per

Per idem tempus Consulari præditi potestate edicunt Præfectis sociarum ciuitatum in Italia, e quibus auxilia putant accersenda, numerum indicantes, diémque & locum, in quem conuenire oporteat, qui delecti fuerint. At ciuitates delectu habito, simili ante dicto, mittunt Sacramento adactos, cõstituto Præfecto, & mercedis exhibitore. Romæ autem Tribuni vbi milites iurare adegerint, denunciato die singulis legionibus, ac loco, ad quem adesse oporteat inermes, tum quidem eos dimisêre. Hactenus Polybius. Quod hic de Sacraméto militari dicit, quale id fuerit, nemo fere exponit, nisi quod sanctè atque religiose à militibus id obseruari, eóque iuberi militantes sequi Ducem, quocunque ducat, scribunt. Sic enim Dionys. Halicarnas. lib. 1. in historia secessionis plebis in montem Auentinum. Horrentibus autem multis sacra mouere signa, neque tutum, neque sanctum esse existimantibus omnibus Duces relinquere, ob Sacramentũ militare, quod maxime omnũ seruant Romani. Iubet enim militantes sequi Ducem quocunque ducat: lexq; Ducibus potestatem dedit occidendi non parentes, relinquentesve signa indemnatos, & indicta causa. Et primum quidem milites sacramento tantum à Tribunis rogabantur, non iureiurando ad militiam adigebantur: ipsi autem inter se cõiurabant, se fugæ atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros. Posteà vero L. Æmilio Paulo II. C. Terentio Varrone Coss. ann. IϽXXXIIX. iureiurando milites fieri cœpere. Docet hoc L. lib. 22 Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, iureiurando à Tribunis militum adacti, iussu Coss. cõuenturos, neque iniussu abituros. Nam ad eam diem nihil præter Sacramentum erat: & vbi ad Decuriatum aut Centuriatum conuenissent, suà voluntate, ipsi inter se equites Decuriati, Centuriati pedites coniurabant, sese fugæ, atque formidinis ergò non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut ciuis seruandi causa. Id ex voluntario inter ipsos fœdere à Tribunis ad legitimam iurisiurandi adactionem translatum. Hæc ille. Et huc pertinet, quod ex lib. 5. Cincij de Re militari. Agell. lib. 16. c. 4. refert: Cum inquit, delectus antiquitus fieret, & milites scriberentur, iusiurandum eos Trib. militaris adigebat hoc modo: In Magistratu C. Lælij C. F. Cos. L. Cornelij P. F. Cos. in exercitu, decemq; milia passuum prope furtum non facies dolo malo solus neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos, extra hastam, hastile, ligna, pabulũ, vtrem, follem, faculam, quid ibi inueneris, sustulerisve, quod tuum nõ erit, quod pluris nummi argentei erit, vti tu C Lælium C. F. Cos. Luciumve Cornelium Publ. F. Cos. siue ad quem eorum alter iusserit, perferas, aut profitebere in triduo proximo, quidquid inueneris, sustulerisve dolo malo, aut Domino suo cuius id censebis esse, reddes, vti quod rectè factum esse voles. Deinde ita concipiebatur iusiurandum, vt adessent, his additis exceptionibus, nisi harumce aliqua causa erit, funus familiare, feriæ denicales, Kalendæque quæ non eius rei causa in eum diem collocatæ sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus, auspiciumve, quod sine piaculo præterire non licet, ius, hostisve dies cum hoste, si cui eorum harumce quæ causa erit, tum se postridie quàm per eas causas licebit, eo die venturumque eum qui eum pagum, vicum, oppidumve delegerit. Hæc Agellius. Quantam autem vim habuerit militare Sacramentum, & vt sine Sacramento pugnari cum hoste more maiorum haud licuerit, ostendit multis verbis Cic. in 1. de Offic. vbi recitat exemplum filij Catonis, qui in exercitu P. Æmilij tyro militabat. Cùm enim P. AEmilio videretur vnam dimittere legionem, & Catonis quoq; filium, qui legione militabat, dimitteret, ille autem amore pugnandi in exercitu remansisset. Cato ad P. AEmilium scripsit, vt si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ Sacramento. Cuius rei etiã meminit Plutarchus in quæstionibus Rom. qu. 39. cùm quærit, qua causa fiat quòd qui Sacramento militari non tenerentur: etiam si alias in castris & exercitu versarentur, non tamen haberent ius interfiiendi, aut vulnerandi hostis. Hæc ille.

De ætate militum notandum, eos ante septimum decimum, & post quadragesimum sextũ ætatis annum non nisi summa necessitate cogente, ad arma vocari solitos. Quare cùm mos increbuisset, vt minores etiã annis septemdecim aliquando scriberentur, lex à Sempronio Graccho Tribuno plebis lata est: Nequis ante annum decimum septimum ad militiam cogeretur, teste Plutarcho. Est & hoc loco silentio hautquaquam prætereundum, qui fuerit conferendi militaris ordinis apud veteres ritus. Scribit enim Barnabas Brissonius I. C. Eos, qui militiæ nomen dederint non prius militum numero habitos, quàm iureiurando adacti, cincti, & in numeros relati essent. De Sacramento militari iam diximus. Cingi autem eos, qui inter milites recipiebantur, consueuisse ex l. filiusfamilias & l. Titius & l. quod dicitur, § 1. ff. de milit. testam. facile colligi potest. Fluxit autem mos iste ex eo, quod qui militabant omnes cincti erant, quemadmodum Seruius in 2. Æneid. Virgilij tradit. Ex quo in procinctu facta testaméta, Festo interprete, dicebantur quæ milites pugnaturi, vel, vt planius Plutarchus, præsentib. cõmilitonibus nuncupabant. Nec verò in castris discinctus quis sine nota versabatur: quinimò

hoc grande scelus, mortéque piandum militaris disciplinæ seueri Censores credebant, si quis ambulasset, aut vallum subiisset discinctus. Exemplum Tacitus lib. vndecimo præbet, cui adde ignominiæ militaris genus fuisse, vt discincti vel stare, vel opus facere milites cogerentur. Postremò in numeros milites referri debebant. Nam qui nondum in numeris erant, etiam si lecti tyrones essent, & publicis expensis iter facerent, nondum tamen milites habebantur, l. ex eo. ff. de milit. testam. Hęc fere Barnabas Brissonius lib. 2. Selectarum ex iure ciuili antiquitatum, cap. 6. & 7. Atque de delectu & militari Sacramento hactenus. Iam qualis exercitus Romanorum fuerit, videbimus.

Capvt IIII.

De Legione, auxiliis, & quod ius fuerit legionis.

Vniversvs exercitus Romanus in duas partes diuisus fuit, in legiones, & auxilia. Legio à legendo, teste Varrone, dicitur, quia leguntur milites in delectu, vel à deligendo, vt Plutarchus scribit in Romulo, quòd ex omnibus pugnaces in illis delecti forent. Vegetius legionem ab eligendo appellatam ait, quod vocabulum eorum desideret fidem, atque diligentiam, quibus milites probentur. Numerus vero militum in legionibus non idem semper, sed varius diuersis temporibus fuit. Prima legio sub Romulo trium militum peditum, & trecentorum equitum fuit, vti consentiunt Liuius, Dionysius, Plutarchus, & alij. Posteà autem sæpe variatus hic numerus est, vt modò quatuor, modò quinque, modò sex millium peditum, itémque modò ducentorum, modò trecentorum equitum scriberetur. Plutarchus in Romulum, post Sabinos in ciuitatem acceptos, legionem duplicasse, atque eam sex mille peditum, & sexcentorum equitum fecisse, in qua re sine dubio fallitur. Carolus Sigonius tamen, & hunc secutus Onuphrius Panuinius, in ea sunt opinione, Romulum post Sabinos victos & in vrbem receptos, legionem ad quatuor millium hominum numerum auxisse, vnde & quadrata dicta sit: cuiusque vsus ferè semper, vsque ad Caium Romæ fuerit, auctore Sexto Pompeio, cuius hæc sunt verba: Sex millium & ducentorum hominum primus C. Marius conscripsit legionem, cùm anteà quatuor millium fuisset: vnde etiam appellabatur Quadrata. Quæ ipsorum sententia à vero non est aliena. Legimus enim apud Liuium libro 6. vbi de bello Volscano, quod gestum est anno ab Vrbe condita 372. scribit, quòd quatuor legiones quaternum millium scriptæ sint. Idem libro 7. tradit, bello Latino & Gallico, cùm vndique socij à Romanis deficerent, Senatum anxium, ne omnes socij deficerent, iussisse Consules omnes Imperij vires delectu habendo, extendere: scriptas igitur vndique non vrbana tantùm, sed etiam agresti iuuentute legiones decem, quaternûm millium & ducentorum, equitúmque trecentorum. Octauo rursus libro annotat, scribi fere solitas tum fuisse quatuor legiones, quinis millibus peditum, equitum in singulas legiones trecentis. Et in historia belli Persici, legionem in Macedoniam scribi à Senatu iussam senum millium peditum & trecentorum equitum dicit. Verùm ex illis ipsis locis facile intelligitur, illum numerum extraordinarium tum fuisse. Quo etiam accedit testimonium Polybij libro 6. qui & ipse retulit legiones conscribi memoria sua ex quinis millibus peditũ, & tricenis equitibus solitas. Vixit autem cum Pub. Æmiliano post bellum Persicum. Et, quod antè ex Festo diximus, Caium Marium primùm legionem sex millium conscripsisse, id non Senatus decreto, sed Imperatoris consilio factum, ostendit Sallustius cùm ait: Igitur Marius cum aliquanto maiore numero, quàm decretum erat, in Africam profectus, &c. Hinc igitur legio sex millium fuisse à multis traditur, quòd hic maximus eius numerus, stante Republica, fuerit. Vegetius auctor est, suo tempore legionem habuisse peditum sex millia, equites septingentos triginta duos: & addit, maiorem etiam interdum esse consueuisse. Hæc de legione.

Altera pars exercitus auxilia erant. Sic autem dicebantur ij milites, qui à sociis, vel à fœderatis gentibus mittebantur, de quibus Polybius libro 6. vbi de delectu militum agit, ita scribit: Per idem tempus Consulari præditi potestate edicunt Præfectis sociarum ciuitatum in Italia, e quibus auxilia putant accerienda, numerum indicantes, diémque & locum in quem conuenire oporteat, qui delecti fuerint. At ciuitates delectu habito, simili ante dicto, mittunt Sacramento adactos, constituto Præfecto, & mercedis exhibitore, &c. Hi verò deteriori iure, quàm Legionarij milites erant.

Vegetius lib. 2. quid inter legiones & auxilia intersit, his verbis docet: Auxiliatores, inquit, conducuntur ad prælium ex diuersis vrbibus venientes, nec disciplina inter se, nec notitia,

tis,nec affectione consentiunt. Alia instituta,alius inter eos est vsus annorum. Necesse est autem,tardius ad victoriam peruenire,qui discrepant ante,quàm dimicent. Denique cùm in expeditionibus plurimùm prosit, omnes milites vnius præcepti significatione conuerti, non possunt æqualiter iussa complere,qui ante pariter non fuerunt:tamen hæc ipsa,si solemnibus diuersisque exercitiis prope quotidie roborentur, non mediocriter iuuant. Nam legionibus semper auxilia, tanquam leuis armatura in acie iungebantur, vt in his præliandi magis adminiculum esset, quàm principale subsidium: Legio autem propriis cohortibus plena, cùm grauem armaturam,hoc est, Principes,Hastatos,Triarios,Antesignanos,item leuem armaturam,hoc est ferentarios,Funditores,Balistarios,cùm proprios & sibi impositos equites legionarios iisdem matriculis teneat, cùm vno animo, pari que consensu castra muniat, aciem instruat, prælium gerat, ex omni parte perfecta, nulloque indigens adiumento, quantamlibet hostium multitudinem superare consueuit. Hactenus Vegetius, qui etiam paulò ante scribit, in legionibus longè ampliorem militum numerum conscribi consueuisse, quam in auxiliis.

Cæterùm vt ad Legionem redeamus, nemini in iis militare licebat, nisi ciuibus Romanis ingenuis,& qui in quinque classibus censi atque ludicræ artis expertes essent. Vnde sequitur seruos,libertinos,pueros,seniores,capite censos,& histriones,si quando ad arma vocati sunt, non nisi cogente necessitate in dubiis rebus Reipublicæ vocatos esse. Qui autem in legione militabant, varia commoda consequebantur, patebat eis aditus ad militaria munera, patebat eis cohors Prætoria,dabatur stipendium, concedebatur præda, & addebantur dona Imperatoria. De muneribus militaribus,& cohorte Prætoria paulò post dicendum nobis erit, quemadmodum etiam de donis Imperatoriis. Hoc loco tantum de stipendio,quale militum legionariorum fuerit,paucis agemus.

Milites Romani ab initio stipendium non meruerunt, sed de suo quisque eo functus est munere. Anno demum trecent. quadrag. septimo Anxure Volscorum oppido capto, ac direpto pedites primum stipendium acceperunt,& triennio post bello Veienti etiam equites,teste Liuio. Quodnam igitur stipendium illud fuerit,videamus. Polybius diurnum peditis quæstum obolos duos statuit, Centurionis duplex, equitis drachmam, quæ eadem est ferè apud Græcos,ac denarius apud Romanos. Oboli autem duo quemadmodum Iustus Lipsius libro Electorum capite 2. supputat, faciunt asses Romanos tres. Vile profectò stipendium, pro quo tot adire labores & pericula cogebantur, & de quo vestes etiam atque frumentum comparanda erant:si enim eorum quicquam e Quæstore accepissent certum, statutúmque precium eo nomine de pecunia detrahebatur. Polybius lib. 6. Donec tandem Caius Sempronius Gracchus Tribunus plebis lege cauit,vt vestis e publico militi daretur: & vt nihilominus pecuniam quoque totam acciperet,teste Plutarcho in Gracchis. Iustus Lipsius existimat etiam de frumento,priori aliqua lege gratiam factam esse.

Post aliquot annos,Caius Iulius Cæsar,vti Suetonius scribit,legionibus stipendium perpetuum duplicauit,quod Lipsius sic interpretatur, constitutum à Cæsare stipendium fuisse sex aut septem assium. Post Caium Cæsarem Augustus constituta Republica,& Imperij iam certus,quicquid vbique militum esset (verba sunt Suetonij) ad certam stipendiorum, præmiorúmque formulam adstrinxit Formula Augusti lætior Iulia,videlicet in diem deni asses,ita vt menstruum militis sub Augusto esset circiter viginti quinque denarij,id est,aureus vnus Romanus,monetæ nostræ aurei duo. Ab Augusto qui stipendium militum auxerit,neq; à Suetonio,neque ab aliis auctoribus annotatur:Iustus Lipsius in hac est sententia,Cæsarem Caligulam,vel Claudium addidisse alterum aureum, tertium fortasse additum per bella ciuilia Vitellii & Othonis:quartum etiam à Domitiano,de quo ita Suetonius, quemadmodum legendum docet Lipsius, Addidit & quartum stipendium militi,aureis ternis. Atque in hanc eandem sententiam Zonaras scribit: Cum militibus septuagenæ drachmæ (ita denarium Græci vertunt) soluerentur, centenas dari Domitianus iussit. Ergo ab initio stipendium militum diurnum fuit trium assium:postea C. Iul. Cæsare regnante sex,vel septem assium: Augusto Imperante,decem assium,quo tempore menstruum fuit aureus Romanus,tum aurei duo,postea tres,demum quatuor Romani scilicet:quorum vnus valet nostræ monetæ aureos duos. Et de hac quidem quæstione plura Iustus Lipsius in primo Electorum libro, ex quo hæc descripsi, cum alii interpretes adducti corrupto Suetonij loco diuersa in medium protulerint.

Non erit ab hoc loco alienum,si de numero etiam legionum quædam afferamus. Numerus legionū Romanarū non vnus semper fuit. Primùm quidem,quemadmodum Polybius,Liuius, Vegetius,& alii memoriæ produnt,quotannis quatuor legiones scribi solebant,quæ Consulibus ad bella prope quotidiana proficiscentibus traderentur,singulis legiones binæ. Vrgen-

te verò necessitate, plures scribebantur, ita vt apud Liuium legamus nonnunquam, x. xvi. x IX. & plures etiam legiones Romanos habuisse. Verum certus earum numerus non fuit semper. Postea verò quam Cæsar Augustus bellis ciuilibus confectis, rerum potius est, militum legiones multas legit, eaque certis auctoramentis habuit mercenarias, quæ Romanum à Barbaris tuerentur Imperium, de quibus, earumque nominibus, & quibus in locis constitutæ fuerint, Dionem loquentem audiemus. Is lib. 55. sic scribit: Alebantur eo tempore legiones vrbanæ xxiii. aut, quem alij numerum ponunt, xxv. nostro tempore solæ xix. restant: nempe secunda legio Augusta, cuius in superiori Britannia sunt hyberna: tres tertiæ, vna in Phœnicia Gallicę nomine: altera in Arabia, Cyrenaica dicta: tertia Augusta in Numidia: quarta Scythica in Syria: quinta Macedonica in Dacia, sextæ duæ, vna in inferiori Britannia, Victrix: altera in Iudæa, Ferreæ (vel Ferratæ) vocabulo insignis: septima in Mysia superiori, Claudia præcipue nuncupata: octaua Augusta, in Germania superiori: decima, Gemella, vel Gemina, in Pannonia superiori: ac Mysia inferiori, Claudiæ cognomento (hæ duæ legiones à Claudio sunt nominatæ, quòd in seditione Camilli non rebellassent ipsi) duodecima in Cappadocia, Fulminifera, siue Fulminatrix: decimatertia Gemella, vel Gemina in Dacia: decimaquarta Gemella in Pānonia superiori: decimaquinta ab Apolline cognominata, Apollinaris, in Cappadocia: vigesima Valeriana, & Victrix in Britānia superiori ve stante. Hæ legiones Augusti supersunt, reliquis aut omnino dissipatis, aut ab Augusto & alijs Imperatoribus inter cæteras legiones admixtis, vnde Gemellarum, vel Geminarum appellatio tracta putatur. Post Augustum etiam alij Imperatores legiones certas instituerunt. Nero legionem primam, Italicamque nuncupauit, in inferiori Mysia hyemantem: Galba primam Auxiliariam in inferiori Pannonia: septimā in Hispania: Vespasianus secundam Auxiliariam in Pannonia inferiori: quartam in Syria Flauiam Domitianus primam Mineruiam in Germania inferiori: Traianus secundam Ægyptiā, trigesimam Germanicam quibus a suo nomine nomen imposuit Marcus Antonius: item secundā in Norico: tertiā in Rhetia, quæ etiam Italicæ vocantur. Seuerus Parthicas primam & tertiā in Mesopotamia, secundamque mediam in Italia. Hactenus Dio. Quarum legionū omnium nomina etiam in fragmento veteris columnæ Romæ leguntur, quod huc adscribam.

Nomina legionum.

II. AVGVSTA.	VI. VICTRIX.	XX. VICTRIX.
VIII. AVGVSTA.	XXII. PRIMIGENIA.	I. MINERVIA.
XXX. VLPIA.	I. ADIVTRIX.	X. GEMINA.
XIIII. GEMINA.	I. PARTHICA.	II. ADIVTRIX.
IIII. FLAVIA.	VII. CLAVDIA.	I. ITALICA.
V. MACEDONICA.	XI. CLAVDIA.	XIII. GEMINA.
XII. FVLMINATRIX.	XV. APOLLINEA.	III. GALLICANA.
II. PARTHICA.	IIII. SCYTHICA.	XVI. FLAVIA.
XI. FERRATENSIS.	X. FRETENSIS.	III. CYRENENSIS.
XII. GEMINA.	II. TRAIANA.	III. AVGVSTA.
II. ITALICA.	III. PARTHICA.	

Plures legiones recenset Hubertus Goltzius in suo Antiquitatis Thesauro, cap. 7. Nomina sumebant legiones ab ordine, quo vnaquæque earum in aliquo loco primum constituta fuerat, vt prima, secunda, tertia, decima, & vicesima appellaretur. Et quoniam plerumque vsu veniebat vt duæ, vel tres in varijs locis constitutæ, omnes primæ, vel secundæ, vel tertiæ appellatæ fuerint: cognominibus inter sese distingui cœperunt, vt vna quidem esset prima Adiutrix, alia prima Mineruia, alia verò prima Parthica: quæ cognomina ad Imperatorum arbitrium plerumque sumere solebant: vel ab eorundem nominibus, qui eas instituerunt, vt Augusta, Claudiana, Galbiana, Flauia, Vlpia, Traiana, Antoniana: vel à Prouinciis deuictis, vt Parthica, Scythica, Gallica, Arabica, Macedonica, Hispaniensis: vel à locis in quibus primò institutæ manserunt, vt Italica, Forensis, Cyrenaica: aut à nominibus Deorum quibus Imperatores, earundem auctores addicti erant, vt Mineruia, Apollinaris, aut postremò ab alijs euentibus, vt Gemina, Adiutrix Martia, Victrix, Ferrata, Fulminatrix, Alauda, Rapax, Primigenia, & alia huiusmodi. Sed de legione in genere satis, partes videbimus.

CAPVT

Caput V.

De partibus legionis, cohortibus, manipulis, centuriis, turmis & decuriis.

Constabat legio ex pedestribus & equestribus copiis. Pedestres copiæ in cohortes & manipulos, equestres in turmas & decurias diuidebantur.

Cohors dicitur, Varrone teste, quòd vt villa ex plurib. tectis coniungitur, ac quiddam fit vnum: sic hæc ex manipulis copulatur: cohors itaque dicta, quòd circa eum locum pecus coerceretur. Ceterum in vna legione x. cohortes erant, Modesto & Vegetio auctorib. quarum tamen prima reliquas & numero militum & dignitate præcedit. Nam genere atque institutione literatũ (Modesti verbis vtar) viros electissimos quærit. Hæc enim suscipit Aquilam, quæ præcipuum signum in Romano est semper exercitu, & totius legionis insigne: imagines Imperatorum: has enim imagines tanquam diuina & præsentia signa singuli venerãtur. Habet pedites mille centũ quinque, equites loricatos centũ triginta duos, & appellatur Cohors miliaria, quæ caput est totius legionis, ab hac cũ pugnandũ est, prima acies incipit ordinari. Secunda cohors habet pedites 555. equites loricatos 66. & appellatur Cohors quinquagenaria. Tertia cohors similiter habet pedites 555. equites 66. sed in tertia validiores probati moris est, quia in media acie consistit. Cohors quarta habet pedites 600. equites 66. Cohors quinta habet totidem. Sed strenuos desiderat milites. Quia sicut prima in dextro, ita quinta in sinistro ponitur cornu. Hæ quinque cohortes in prima acie ordinantur. Sexta cohors habet pedites 555. equites 66. In ipsa quoque enucleati adscribendi sunt iuniores: quia in secunda acie post Aquilã & imagines cohors sexta consistit. Cohors septima habet pedites 555. equites 56. Sed & ipsa animosos desiderat viros, quia in secunda acie consistit media. Octaua cohors totidẽ animosos viros. Nona totidem. Cohors decima habet pedites 5 5. equites 56. Et ipsos bonos consueuit accipere bellatores, quia in secunda acie sinistrum possidet cornu. Hactenus Modestus, eũmque secutus Vegetius. Et hæ fuerunt maiores legionis partes, quæ tamẽ priscis temporibus nullæ erant. Non. n. in tota Liuij historia cohortiũ fit m ẽtio. Ideóque docti viri sentiunt, à C. Mario primũ cohortes esse institutas. Aliæ erant minores legionis partes, centuriæ sc. manipuli, turmæ, & decuriæ. Pedestres quidẽ copiæ in cẽturias & manipulos: equestres in turmas & decurias diuidebantur. De quibus in hunc modũ Varro: Centuriæ, inquit, quæ sub vno Centurione sunt: quorũ centenarius iustus numerus. Hæ in cõtubernia diuidebantur, ita vt decem militibus sub vno papilione degẽtibus, vnus quasi præesset Decanus, qui caput cõtubernij nominatur. Contuberniũ autem manipulus vocabatur, ab eo quòd coniunctis manib. pariter dimicabant. Vegetius, Varro: Manipulos vocant exercitus minimos, manus, quæ vnum sequuntur signum. Plutarchus aliam huius vocabuli originem & etymologiam affert, cũ in Romulo ita loquitur: ipse (Romulus scilicet) secum magnã manum adducebat, in Cẽturias distributã, quarũ vnamquãlibet vir vnus ducebat, manipulũ fœni, ac herbarũ cõto erectũ gestãs, vnde hodie quoq; militibus manipularibus nomẽ est. Cincius apud Agelliũ scribit, legionẽ cohortes decẽ habuisse, manipulos triginta, Cẽturias sexaginta: ex quibus verbis intelligitur, Manipulos maiores partes fuisse ipsis Cẽturiis, & singulos binos Cẽturiones habuisse. Turma terma est, E in V abiit, quòd terdeni Equites ex tribus tribubus Tatiensiũ, Rãnensiũ, & Lucerũ fiebãt. Diuidebãtur hæ in decurias, quæ inde nomen habebant, quòd decem equites singulæ continerent. Hæ partes legionis fuerũt. De signis dicã quorũ alia vocalia, alia semiuocalia, alia muta sunt. Vocalia dicũtur quæ voce humana pronunciãtur, sicut in vigiliis: Semiuocalia sunt, quę per cornua aut tubã, aut buccinam dantur. Tuba: quæ directa est, appellatur: Buccina, quæ in semetipsam æreo circulo flectitur. Cornu, quod ex vris agrestibus argẽto nexũ, tẽperatum arte & spiritu, canentis flatum emittit auditum. Nam indubitatis per hæc sonis agnoscit exercitus, vtrum stare, vel progredi an certè regredi oporteat, vtrũ longe persequi fugiẽtes, an receptui canere. Muta signa sunt Aquilæ, Dracones, Vexilla, Flãmulæ rufæ, Pinnæ. Quocunq; enim hęc ferri iusserit ductor, necesse est signum suum comitantes milites pergant. Apud veteres Rom. signa militaria multa erant, vti Plin. libro 10. capit. 4. Aquila, Lupus, Minotaurus, equus, aper: quæ singulos ordines anteibant. Factum autem postea, vt sola Aquila in acie portaretur, reliqua signa in castris relinquerentur. Donec tandem C. Marius, is qui septies Consulatum gessit, in secundo Consulatu reliquis signis omninò abolitis, Aquilam propriè Romanis legionibus dicauerit. Ab eo tempore notatum est, non ferè apud legiones vnquam hybernatum esse in castris, vbi non fuerit Aquilarum iugum. Erat autem Aquila, aureum aquilæ simulachrum, hastæ præpilatæ suffixum, quod à milite ferebatur, qui ob id Aquilifer dictus est. Minotauri signum veteres in legionibus habuerunt, vt quemadmodum ille in intimo & secretissimo labyrintho abditus perhibetur: ita ducis consilium semper esset occultum. Veget. libro 3. & Festus, qui etiam alio loco effigiem porci inter signa militaria locum habuisse dicit, & causam addit: Veget.

quia confecto bello, inter quos pax fieret cæsa porca fœdus firmari soleret. Posterioribus temporibus Dracones per singulas cohortes ad prælium à Draconariis ferebantur. Vexilla etiam singulis centuriis constituta erant, de quibus ita Vegetius: Antiqui, inquit, quia sciebant in acie commisso bello celeriter ordines, aciésque turbari, atque confundi: ne hoc posset accidere, cohortes in Centurias diuiserunt, & singulis Centuriis singula vexilla constituerunt, ita, vt ex qua cohorte, vel quota esset Centuria in illo vexillo literis esset adscriptum: quod intuentes vel legentes milites, in quouis tumultu à contubernalibus suis aberrare non possent. Centuriones insuper nimium bellicosos loricatos transuersis cassidum cristis habebant, vt facilius noscerentur. Hactenus Vegetius. Vexilla, sicut & Aquilæ, & cohortium signa frequenter in nummis antiquis videntur.

Caput VI.

Quis Dux exercitus fuerit: item quis Imperator dictus.

Legionem & partes eius explicauimus, nunc quot genera militum in iis fuerint, quique aliis præfuerint, considerabimus, initium facientes à Magistratibus, vt sic vocem, militaribus. Duces exercitus apud Romanos fuerunt primùm Reges, deinde Consules, Dictatores, Tribuni militum Coss. potestate, Decemuiri legibus scribendis, Prætores, Proconsules, & Proprætores. Hi enim suis auspiciis bellum gerere dicebantur, Tribuni verò militares, Magistri equitum, Legati, &c. non suis, sed alienis auspiciis pugnabant. De Regibus aperta res ex Dionysio, Liuio, Plutarcho, & aliis: item de Consulibus, qui ferè omnia regia munia obierunt. De Dictatoribus vel hoc satis testimonij est, quod plerunque leguntur rei gerendæ causâ creati esse. De reliquis vniuersa Romana testatur, ita vt non opus sit multa auctorum testimonia huic confirmandæ adducere. Hoc tantum jam explicabimus, quare hi, quos modo nominaui, Magistratus, suis auspiciis bella gerere dicantur, quid sit suis, quid alienis auspiciis pugnare, & quando ac quibus de causis Imperatores appellati sint. De auspiciis primum.

Institutum fuerat ab initio, vt nihil neque domi, neque militiæ, nisi auspicato gereretur, quippe quòd, vt inquit apud Liuium Cn. Manlius, nullius calumniæ subiicerentur ea, quæ Dij comprobauissent. Auspicia verò in exercitu vnius tantum fuerunt Imperatoris, cui ea prouincia euenisset, cæteri auspiciis eius pugnare, ipse bellum, vt ductu, sic auspiciis suis gerere dicebatur. Itaque nec Imperatoris nomen, nec supplicatio, nec triumphus dabatur, aut Legato, aut vlli alii exercitus præfecto, ne si eorum quidem opera atque virtute Imperator absens, aut ægrotus, victoriam adeptus esset: quod non eorum auspiciis res esset gesta, sed ipsius Imperatoris.

Adhibebantur autem in castris auspicia duo, vnum coactum, alterum ex acuminibus. Coactum appellarunt tripudium, de quo satis multa diximus superiori libro de Sacerdotiis. Auspicium autem ex acuminibus quale fuerit incompertum, eius Cicero tantummodo meminit 2. de Diuinatione, cùm dixit: Ex acuminibus quod totum auspicium militare est, M. Marcellus totum omisit. Et in 2. de Natura Deorum: Negligentia nobilitatis, augurіorum disciplina omissa, veritas auspiciorum spreta est, species tantùm retenta. Itaque maximæ Reipublicæ partes, in his bella, quibus Reipublicæ salus continetur, nullis auspiciis administrantur, nulla perennia seruantur, nulla ex acuminibus. Hæc Cicero. De Imperatore nunc dicam.

Imperatoris nomen appellatio fuit militaris, qua Dux præsens re bene gesta primum militum acclamatione in castris, deinde sententia Senatus in vrbe ornatus est. Etenim Imperatoris vocabulo duobus modis vsi sunt, vno pro quocunque exercitus Duce, qui suis auspiciis rem gereret, & qui imperium, id est, ius belli gerendi haberet: altero, qui hostibus magno prælio fusis, ac profligatis, eo nomine, militum acclamatione affectus esset. Scribit autem Appianus lib. 2. Bellorum ciuilium, obseruatum esse antiquitus, vt non nisi magnis rebus gestis, acclamaretur. At suâ ætate (fuit autem Hadriani æqualis) decem millibus occisis acclamatum esse. Addit Dio lib. 60. nonnisi semel de vno bello aliquem appellari Imperatorem licuisse. Hinc Cicero: Magnum numerum hostium cecidimus, castella munitissima cepimus, incendimus, Imperatores appellati sumus, &c. Neque verò solùm, si ipsi, sed si legati, & Quæstores, quibus Imperium commisissent, rem bene se absente gessissent, iidem hoc etiam honoris adipiscebantur, vt ex Legatorum, Quæstorúmque secundo prælio Imperatores appellarentur. Testis est Cicero in Pisonem, de Q. Marcio Legato Pisonis, & M. Terentius Varro in Re Rustica de Trebellio Quæstore Licinij Neruæ, quorum secundo prælio ipsi Duces siue Prætores Piso & Nerui Imperatores sunt appellati. Tantum de Imperatore.

Capvt VII.

De legatis, Tribunis militum, Centurionibus & Decurionibus.

AB Imperatore, siue exercitus Duce ad eius Comites deueniemus, quales fuerunt Legati, Tribuni militum, Centuriones, & Decuriones. De Legatis diximus libro huius posterioris Commentarij secundo, vbi de Magistratibus disseruimus. Illud tantùm hoc loco addemus, Legatum apud priscos Romanos eum fuisse, qui Ammiani Marcellini temporibus Comes dicebatur, & nostra ætate locum tenens, *lieutenant*, penes quem, absente Imperatore, vel Duce summa potestas erat. Tribuni militum dicti, auctore Varrone, quod ab initio terni essent, tum cùm legio ex tribus millibus conficiebatur, ex ternis, quę tũ erant, tribubus, Rhamnensium, Lucerum, & Tatiensium. Hi peditibus tantum Legionis, non etiam Equitibus præerant. Itaque vt numerus peditum in legione auctus est, sic etiam Tribunorum militarium, ita vt à tribus ad quatuor, atque ab his ad sex peruenerint. Quinetiam vt numerus eorum, sic etiam lectio procedente tempore immutata est. Primis enim temporibus omnes ab Imperatoribus legebantur, in singulas quaternas legiones terni, vt essent duodecim. Post autem, anno vrbis trecentesimo nonagesimo primo institutum vt pars eorum populi suffragiis, pars Imperatorum arbitrio crearentur, quod & à posteris obseruatum, nonnunquam necessaria de causa mutatum est. Cúmque postea Rutilius Rufus legem tulisset de iure Tribunorum, qui à Consulibus essent facti, accidit, vt Tribuni ab Imperatoribus in exercitu lecti, Rufuli: à populo in comitiis creati, Comitiati dicti sint: Ita enim Asconius Pædianus: Tribunorum militarium duo sunt genera, primum eorum qui Rufuli dicuntur, hi in exercitu creari solent: alij sunt Comitiati, qui Romæ Comitiis designantur. Idem Liuius & Festus tradunt. Quocirca etiam nouissimis Reipublicæ temporibus alios Tribunos à populo, alios ab Imperatoribus creatos videmus. Cæterùm de Tribunis militum 24. ad primas quatuor legiones creandas hæc prodit lib. 6. Polyb. Posteaquam declarauere Duces, Tribunos militum constituunt, quatuordecim quidem ex iis, quibus quinque annua stipendia facta sint: decem autem alios præter hos, ex iis qui decem stipendia fecerint. Equites quidem qui decem, pedites verò qui sex. Cùm verò delectus habituri sunt, diuidunt se ipsi iuniores Tribuni, sicut populus, Imperatorésve instituerint, in quatuor partes: quoniam in quatuor ipsi legiones vniuersam primámque partitionem copiarum distribuunt: Atque ii, qui primi quatuor electi sunt, primæ legioni assignantur, tres qui deinceps, secundæ legioni tribuuntur: quatuor subsequentes tertiæ, tres vltimi in quartam transferuntur. Ex prouectioribus verò duos sanè primos primæ tribuunt legioni: tres secundos, secundæ, duos subsequẽtes tertiæ: tres vltimos quartæ. Hactenus Polyb. De officio Tribunorum militum ita libro 2. Vegetius: Prima Legionis cohors erat Miliaria, in qua censu, genere, literis, forma, virtute pollentes milites mittebantur. Huic Tribunus præerat armorum scientia, virtute corporis, morum honestate præcipuus. Reliquæ cohortes, prout Principi placuisset, à Tribunis vel à Præpositis regebantur: Tanta autem seruabatur exercendi milites cura, vt non solum Tribuni, vel præpositi contubernales sibi creditos sub oculis suis iuberent quotidie meditari: sed etiam ipsi armorum arte perfecti cæteros ad dimicationem proprio cohortarentur exemplo. Tribuni enim sollicitudo per hanc laudatur industriam, cum miles veste nitidus, armis bene munitus ac fulgens exercitii vsu & disciplina eruditus incedit.

Centuriones sequuntur, de quibus hæc Polyb. libr. 6. Vbi milites ad constitutam à Consulibus diem conuenerunt deligunt, ex iis minimos ætatẽ, fortunæque perquàm tenuis in Pilanos: iis adultiores, in eos, quos Hastatos vocant: ætate ac robore præstantes, in Principes: natu maximos in Triarios. Tot enim ac tales sunt apud Romanos differentiæ tam appellationũ quàm ætatum, imò etiam armaturarum in vnaquaque legione. Diuidúntque eos talem in modum, vt sint prouecti ætate, iidem Triarij, numero sexcenti. Principes mille ducenti, pares hastati: reliqui ætate minimi, velites pilaríve. Quòd si maiore numero constat legio, pro portione diuisionem faciunt, Triariis exceptis, quorum idem semper est numerus. Ex singulis his generibus, præterquam e natu minimis, eligunt ordinum ductores optimos quosque decem, præter quos aliorũ decẽ electionẽ faciunt, atque hos quidem omnes Centuriones appellauerũt: quorum qui primus electus est, sit etiam consilii particeps. Hi rursus totidem eligunt tergiductores. Quibus peractis cum Centurionibus diuidunt ætates singulas in partes decem, exceptis Pilanis: præbéntque singulis partibus ex iis qui iam electi sunt, duos Duces, duó que tergiductores. Velites autem, qui supersunt, æqualiter in omnes partes distribuẽre, partéique appellauêre ordinem, & manipulum & signum: Duces verò, Centuriones, & Principes, seu ductores

ordinum. Quod si vterque centurionum adsit, qui primus electus est, præest, qui ad sinistram signi partem sunt. Si non adsit vterque, qui præsens est, præest omnibus. Ex his intelligitur, qui centuriones fuerint, & quomodo eligerentur; videlicet, vt paucis repetam, Centuriones fuerunt illi, qui singulis ordinibus in legione præerant. Cum autem legio posterioribus quidem temporibus in decem cohortes diuideretur, cohortes singulæ rursus in ordines ternos exceptis velitibus distribuerentur: qui illis ordinibus præerant, centuriones dicebantur. Et is quidem, qui primus Triariorum centurio, siue Triariorum manipulo in prima cohorte præerat, atque reliquos omnes centuriones dignitate anteibat, consiliique particeps fiebat, Primopilus, siue Primipilus, siue primipili centurio vocabatur, qui Triariorum ordini secundæ cohortis, secundi Triarij centurio: qui tertiæ cohortis Triariis, tertii Triarij Centurio, & sic deinceps vsque ad decem: qui decimæ cohortis Triariis præerat, decimi Triarij centurio appellabatur. Quanquam Sigonio placet, reliquos Triariorum centuriones post Primipilum secundi, tertij, quarti, &c. Pili centuriones dictos fuisse. Triarios Principes sequebantur. Qui igitur Principum ordini in prima cohorte præerat, primi Principis centurio, secundæ cohortis Principi, secundi Principis centurio, in tertia cohorte, tertii Principis centurio, & sic deinceps vsque ad decem. Ita etiam qui Hastatorum ordinem primæ cohortis ducebat, Primi Hastati centurio: secundæ cohortis, secundi Hastati Centurio, & sic deinceps vsque ad decem. Transibant autem centuriones virtutis gratia ab inferiori ordine ad altiorem vt à decimo Hastato ad nonum, à nono ad octauum: sic, vsque ad primum: à primo verò Hastato non ad decimum Principem, sed ad primum Principem: nec deinde à primo Principe ad decimum Triarium: sed ad primum Triarium, qui primis temporibus vocabatur primus Centurio: posterioribus Primipilus. Atque tantùm de Centurionibus: qui plura volet scire, adeat Carolum Sigonium lib. 1. de Antiquo iure Prouinciar. c. 1. & Aldum Manutium lib. 3. de Quæsitis per epistolam, epistola 3. qui diligentissimè hac de re scripserunt.

Cæterùm centuriones vbi creati erant, singulos sibi adsciscebant adiutores, quos Polybius extremi agminis, vel tergiductores, Varro & Festus Accensos, & Optiones vocant. Festi verba sunt: Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur Accensus. Is adiutor dabatur Centurioni à Tribuno militum, vt quem vellet, eligeret, vnde nomen sortitus est. Vegetius autem Optiones fuisse dicit, qui antecedentibus ægritudine impeditis, tanquam adoptati eorum atque vicarij solerent vniuersa procurare. Atque hi quidem pedestribus copiis præfuerunt: Equitibus autem, qui singulis legionibus, modò duceni, modò treceni, vt diximus, affuerunt, præpositi sunt ij, qui Præfecti equitum, ac Decuriones vocati sunt: quorum illi Tribunis militum, hi centurionibus responderunt, cùm Præfecti alas equitum ducerent, Decuriones verò turmarum decurias. De quibus legendus in hunc modum Polyb. libro 6. Equites etiam in decem alas similiter diuiserunt, atque ex singulis tres eligunt duces. Ij verò ipsi tres assumunt tergiductores, quique primus electus est, præest alæ. Duo verò Decurionum obtinent. Absente primo, secundus primi locum obtinet. Hactenus Polyb. quibus ex verbis intelligitur, qui Præfecti equitum, qui Decuriones fuerint, & quòd illi etiam Optiones, Polybius tergiductores appellat, sibi adsciuerint. Qua de re Varronis quoque & Festi verba non abs re erit adscribere. Sic autem Varro: Turma terma est, quòd terdeni equites ex tribus Tribubus Tatiensium, Rhamnensium, & Lucerum fiebant. Itaq; primi singularum Decuriarum Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis etiam nunc sunt terni, quos hi primò administros ipsi sibi adoptabant, Optiones vocari cœpti, quos nunc propter ambitionem Tribuni faciunt. Festus: Optio in re militari appellatur is, quem Decurio, aut Centurio optat sibi rerum priuatarum ministrum, quò facilius obeat officia publica. Atque de his hactenus

CAPVT VIII.

De aliis militaribus muneribus.

PRÆTER eos, de quibus præcedenti capite diximus, etiam alij fuerunt militarium munerum curatores, vel Præfecti, vt puta Præfecti legionum, Præfecti sociùm, Præfecti castrorum, Præfecti fabrorum, &c. de quibus hoc capite, quæ occurrent, consignabimus.

Quis Præfectus legionis fuerit, & quod eius officium, docet Veget. lib. 2 his verbis: Proprius, inquit, iudex erat Præfectus legionis habens communem primi ordinis dignitatē, qui absente legato tanquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni, vel Centuriones

turiones, cæterique milites eius præcepta seruabant. Vigiliarum, siue profectionis tessera ab eodem petebatur. Si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate Præfecti legionis à Tribuno deputabatur ad pœnam: Arma omnium militum, item vestes, equi, annona ad eius curam pertinebant. Disciplinæ ius & seueritas exercitus non solum peditum, sed etiam equitum legionariorum præcepto eius quotidie curabatur. Ipse autem custos & sobrius legionem sibi creditam assiduis operibus ad omnem deuotionem informabat, & industriam, sciens ad Præfecti laudem subiectorum redundare virtutem.

Præfecti sociûm dicebantur, qui auxiliis id est, copiis sociorum ab Imperatoribus Romanis præpositi erant, de quibus ad hunc modum Polybius lib. 6. Vbi socij vnà cum Romanis congregati sunt curam distributionis eorum tractationisque habent constituti à locis Principes, Præfecti appellati, numero duodecim: qui primum ex omnibus qui accesserint auxiliaribus, aptissimos eligunt equites, peditésque operam suam ad ministrandum Consulibus exhibituros, hos vocant extraordinarios, &c.

De Præfectis Castrorum & fabrorum ita Vegetius: Erat etiam, inquit, Castrorum Præfectus, licet inferior dignitate, occupatus tamen non mediocribus causis, ad quem Castrorum positio, valli & fossæ destinatio pertinebat, tabernacula, vel casæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipsius curabantur. Præterea ægri contubernales, & Medici, à quibus curabâtur, expensæ etiam ad eius industriam pertinebant. Vehicula, sagittarij, necnon etiam ferramenta, quibus materies secatur, vel cæditur, quibusque aperiuntur fossæ circa situm valli & aquæductus: item ligna, vel stramina, arietes, onagri, balistæ, cæteraque genera tormentorum, ne deessent aliquando, procurabat. Hic post longam, probatamque militiam peritissimus omnium legebatur, vt recte doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.

Habet præterea legio Fabros, Tignarios, Instructores, Carpentarios, Ferrarios, Pictores, reliquosque artifices ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turrésque ligneas, cæteraque, quibus vel oppugnantur aduersariorum ciuitates, vel defenduntur propriæ: præparatos etiam qui arma, vehicula, cæteraque genera tormentorum, vel noua facerent, vel quassata repararent. Habebant fabricas scutarias, loricarias, arcuarias, in quibus sagittæ, missilia, cassides, omniáque armorum genera formabantur. Hæc enim erat cura præcipua, vt quicquid exercitui necessarium videbatur, nunquam deesset in castris, vsque eò, vt etiam cunicularios haberent, qui ad morem bessorum ducto sub terris cuniculo, murisq; intra fundamenta perfossis, improuisi se emergerent ad vrbes hostium capiendas. Horum iudex proprius erat Præfectus Fabrorum, Ministri quidam Imperatorum ac Tribunorum militarium fuerunt Accensi, Commentarienses, Cornicularij. De Accensis Varro: Accensos ministratores Cato esse scribit: potest id ab arbitrio: nam inde ad arbitrium eius, cuius minister. Et Vegetius: Nullis milites instituti deputabantur obsequiis, nec priuata iisdem negotia mandabantur, siquidem incongruum videbatur Imperatori, militem, qui veste & annona publica pascebatur, vtilitatibus vadare priuatis. Ad obsequia tamen Iudicum vel Tribunorum, necnon etiam Principalium deputabantur milites, qui vocabantur Accensi, hoc est, posteà additi, quam fuisset legio completa, quos nunc Supernumerarios vocant.

Commentarienses in castris Sigonius putat fuisse eos, qui obsequia militum, excubias commeatusque perscriberent. Nam talem in exercitu fuisse curam scribit Vegetius.

Cornicularios idem Sigonius opinatur fuisse Tribunorum militarium ministros, qui vigilias Tribunorum loco circumirent, atque eorumdem imperia corniculo ederent. Vnde Cornicularij ipsi merere corniculo dicti sunt à Suetonio in libro de claris Grammaticis. Ex ministris autem humilioribus fuère Scribæ, Accensi, Præcones, de quibus prolixe egimus libro harum Antiquitatum sexto, qui est de Magistratibus.

Caput IX.

De variis militum ordinibus, generibus & discriminibus.

Hactenus de iis diximus qui militiæ præfuerunt, sequitur vt ipsorum etiam militum ordines & discrimina consideremus. Polybius lib. 6. quatuor facit militũ ordines & discrimina, Pilanos scilicet, Hastatos, Principes, & Triarios, quos etiã Velites appellat, dicit eligi eos, qui minimi ætate fortunæque tenuioris sint. Velites Fest. ait fuisse milites expeditos, sic dictos, quasi volantes de quorum institutione in hunc modum Valerius Maximus lib. 2. c. 3. Velitum vsus eo bello primùm repertus est, quo Capuam Fuluius Flaccus Imperator obsedit. Nam cùm equitatu Campanorũ crebris excursationibus

equites nostri, quia numero pauciores erãt, resistere non possent, Q. Neuius Centurio, è peditibus lectos expediti corporis, breuibus & incuruis septenis armatos hastis, paruo tegmine munitos, veloci saltu iungere se equitibus & rursus celeri motu dilabi instituit, quo facilius equestri prælio subiecti pedites, viros pariter, atque equos hostium telis incesserent. Eáque nouitas pugnæ vnicum Campanæ perfidiæ debilitauit auxilium. Ideóque auctori eius Neuio adhuc honos est habitus. Hactenus Valerius.

His adultiores ait Polybius eligi Hastatos, ætate ac robore præstantiores Principes, natu maximos Triarios. Pilani dicti, qui pilis vtebantur. Hastati, qui primi hastis vtebantur: Principes, qui à principio gladiis, & post commutata re militari minùs illustres sumuntur. Triarij dicti qui in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur. Erant & aliæ militum appellationes. Quidam enim dicebantur Adscriptitij, quidam Accensi, quidam Ferentarij, quidam Rorarij. Sunt tamen qui hos eosdem esse censent, & Adscriptitios quidem dici, quòd supplendis legionibus adscriberentur. Accensos, quòd ad censum legionum essent additi: Ferentariósque quòd fundis & lapidibus pugnaturi, ea modo ferrent, quæ in hostes eiicerent. Rorarios etiam, quòd velut ante prælium iustum rorantes dimicarent. De Adscriptitiis vel Ascriptiuis Varro lib. 6. de lingua Latina: Adscriptiui dicti, qui olim adscribebantur, inermes, qui succederét armatis militibus, id est, si quis eorum deperisset. Item libro tertio de vita populi Romani: De Adscriptiuis cum erant attributi Decurionibus, & Centurionibus, qui eorum haberent numerum, Accensi vocabantur. Eosdem etiam quidam vocabant Ferentarios, qui depugnabant pugnis & lapidibus, iis armis, quæ ferrentur, non quæ tenerentur.

De Ferentariis Festus: Ferentarij auxiliatores in bello, à ferendo auxilio dicti, vel quia fundis & lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non tenentur, ita appellati: Ferentarij leuis armaturæ pugnatores. Idem de Rorariis: Rorarios milites vocabant, quòd vt ante imbrem ferè rorare solet: sic illi ante grauem armaturam, quod prodibant, Rorarij dicti.

Funditores erant, qui fundis magnis dimicabant.

Duplicarij milites, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur, institutum.

Volones dicti sunt milites, qui post Cannensem cladem vsque ad octo millia, cum essent serui, voluntariè se ad militiam obtulerunt.

In veteribus lapidum inscriptionibus mentio extat militum Primanorum, Secundanorum, Tertianorum, &c. quæ nomina tributa illis sunt à numero legionum, in quibus militarunt.

De Signiferis, Aquiliferis, Draconariis, qui signa, Aquilam, Dracones in militia gestarunt, non opus est vt multa dicam.

Tesserarij dicti, qui tesseram per contubernia militum nunciabant. Metatores, qui præcedentes locum eligunt castris. Mensores, qui in castris ad podismum demetiuntur loca, in quibus tentoria milites figant, vel qui hospitia in ciuitatibus præstant.

Militum ministri & serui erant Calones, & lixæ. De vtrisque Festus: Calones militum serui, dicti, quia ligneas clauas gerebant, quæ Græci κᾶλα vocant. Lixæ, qui exercitum sequuntur quæstus gratia, dicti, quod extra ordinem sint militiæ, eisque liceat, quod libuerit. Nonius Marcellus: Lixarum proprietas hæc est, quod officium sustineant militibus aquæ vehendæ. Lixam námque veteres aquam vocauerunt. Calonum quoque proprietas hæc habetur, quòd ligna militibus subministrent. Atque de variis militum ordinibus hactenus.

Caput X.

De variis armorum appellationibus.

De variis militum ordinibus diximus, restant nobis explicanda ipsorum arma. Non omnes eodem armorum genere vtebantur, sed prout diuersi militum ordines erant, ita etiam diuersa eorum fuerunt arma. Qua de re Polybium lib. 6. loquentem audiemus: Natu minimi, inquit, quos Velites, & Pilanos appellárunt, iubentur gestare gladium, pila, parmámque. Parma tum firmitatem habet ob structuram, tum magnitudinem, quæ tutando sit corpori satis. Nam rotunda cùm sit, tripedalem habet diametron. Adornatur prætereà miles, & simplici cassíde, cui lupi pellem imponũt, aut eiusmodi aliquid quod in tegumentum pariter, insignéque sit, vt in prælio suos quique Principes strenuè aut ignauiter se gerentes, latêre non possint. Pili telum lignum habet longitudine plerunque bicubitali, crassitudine digitali, spiculum vnius spithamę siue palmi maioris, eò vsque attenuatum & acutũ, vt mox primum post ictum necessario flectatur, fitque inhabile ad remittendũ,

alioqui

alioqui commune fieret telum.

Eos qui deinceps hos ætate excedunt, Hastatique appellantur, armaturam ferre iubent. Est autem Romana armatura primùm sanè scutum θυρεόν, cuius latitudo curuę superficiei pedum duorum semis, longitudo pedum quatuor: maiori additi amplius quatuor digiti, duplici tabulato, glutino taurino, linteolo infuso compactum: eius exterior superficies vituli corio integitur, hinnulive, aut eiusmodi animalis. Habet circumferentia ferreum munimen à summis, imisque partibus, quo ensium ictus vehementiores tutò excipit, terræque adnitendo non corroditur. Impactus est eiusmodi scuto etiam ferreus vmbo, qui ingentes sustinet ictus ac lapidum impetum, sarissarúmve, telique quantumlibet violenti. Vnà cum scuto ensis pendet ad dextrum femur, Hispaniensem vocant, anceps est, mucrone eximio: defertur violenter, eò quod obeliscus eius firmus, stabilisque existit. Ad hæc veruta duo, galeáque ænea, & crurum tegmen ocrea. Veruta hæc partim crassiora sunt, partim tenuiora. Ex firmioribus, quæ teretia sunt, trientalem habent diametron: quæ quadrata, trientale latus: tenuiora hastilibus modicis assimilantur, quæ gerunt cum cæteris, quæ prædicta sunt.

Horum omnium longitudo ligni tria cubita non facilè excedit. Impactum est singulis tegulis ferrum, vtrinque hamatum, eâdem qua lignum longitudine: cuius nexum, structurámque tam firmiter muniunt ad medium vsque lignum inserentes, crebrisque fibulis, clauisque transfigentes, vt non priùs vtendo relaxetur, quàm ferrum frangatur: licet sit crassitudinis in imo, vbi adhæret ligno, digiti vnius ac semis: eò vsque ac tantùm adhibent diligentiæ in nectendo. Præter hæc omnia, adornantur corolla plumea, pennisque tribus puniceis, aut nigris erectis, longitudinis fermè cubitalis, quæ cùm in summo vertice cæteris armis addiderint, vir quidem apparet duplo maior quàm sit: eius verò aspectus pulcher, hostibúsque terribilis, atque plerique accepto ære vnius spithamæ, quoquo versus quod adhibent pectori, vocantque cordituum, perfectam habent armaturam. Qui verò censum excedunt drachmarum decem millium, pro cordituo, cum cæteris armis, hamis consertos induunt thoraces. Idem armandi modus est etiam circa Principes Triariósque, præterquàm quod pro verutis Triarij hastas gerunt. Hactenus Polyb. cum quo etiam Dionysius, Liuius & alii consentiunt. De clypeo adhuc dicam, cuius Polybius non meminit. Nam quod Ianus Lascaris Græcum θυρεόν Latina voce clypeus reddidit, in eo erroris conuincitur ab Aldo Manutio, qui ipsum clypeum pro scuto male accepisse, ostendit. Clypeus enim non quadratus fuit, quemadmodum scutum, quod à Polybio describitur: sed rotundus, ex ære factus minor scuto, de quo videndus Aldus Manutius libr. 2. de Quæsitis per epistolam epist. 6. Telorum ac iaculorum gladiorumque vocabula aliquot recenset Agell. libro 10. capite 25. Hastam, pilum, phalaricam, semiphalaricam, solliferream, gesam, lanceam, sparos, rumices, trifaces (sic enim emendat Iustus Lipsius) tragulas, frameas, mensaculas, cateias, rhomphæas, scorpium, scribones, salices, veruta, enses, sicas, macheras, spatas, lingulas, pugiones, clmaculas. Sed cùm ex iis pauca admodum ad Romanam armaturam pertineant, de quibus vel iam antè diximus, vel paulò pòst dicturi sumus, in eorum explicatione hoc loco non immorabor. Exponuntur tamen passim à Grammaticis, qui de iis sunt consulendi.

Capvt XI.

De Expeditione.

Ostendimus hactenus, qua ratione bellum sit hostibus indictum, quo modo delectus habitus, qui Duces belli, qui militarium munerum Præfecti, qui ordinum ductores, qui militum ordines, quæ arma eorum fuerint; iam exercitum educemus, & quo ordine expeditio facta sit, docebimus. Vbi dux imperium à populo acceperat, bellúmque ipsi commissum erat, in Capitolium ibat, ibique solennia vota pro Republica nuncupabat: atque inde paludamento, lictoribus, insignibúsque imperij cæteris assumptis, rectà ad portam Vrbis ibat, ad quam salutatus, amicis officij causa aliquanto viæ spatio prosequentibus, ac bene ominantibus, ad bellum proficiscebatur. Seruius doctissimus Grammaticus in 8. Æneidos annotat moris fuisse, vt is, qui belli curam susceperat, sacrarium Martis ingressus, primò ancilia commoueret, post hastam simulachri ipsius, diceretque: Mars, vigila.

Cæterùm quo ordine incesserit exercitus, Polyb. libro 6. docet, cuius verba ex versione Iani Lascaris hæc sunt: Plerumque, inquit, primi incedunt extraordinarij: hos sociorum dextrum subsequitur cornu: quos deinceps sua iumenta sequuntur. Post eos ii Romanorum prima le-

gio, habens pone impedimenta sua: tum secunda incedit legio, sequentibus ipsam suis vehiculis, sociorumque impedimentis, qui agmen cogunt. Vltimum enim, dum incedunt, læuum sociorum cornu tenet locum. Equites interdum sequuntur à tergo suas quique partes: alias iumentorum latera obequitant, stipantes ea, tutúmque præbentes incessum. Quòd si quæsita tergo suspicio, cætera quidem apud ipsos eodem se habent modo: ipsi verò sociorum extraordinarij à fronte ad tergum traducuntur, alternisque diebus legiones & cornua eadem præcedunt, rursúmque sequuntur à tergo, vt aquationis, frumentationisque integræ æqualiter omnes participes fiant mutantes semper ordinem, vt alternatim primi incedant.

Vtuntur etiam alio genere incessus temporibus parum tutis. Patentibus enim campis ducunt triplicem phalangem æquidistantem, Hastatorum, Principum, Triariorum: præponentes antecedentium iumenta omnibus. Post prima verò signa, eorum, qui secundi incedunt: post secunda, eorum, qui tertij: & ad proportionem sic alternatim ponentes iumenta, & signa. Hunc in modum ad iter instructi, cum aliquid grauius acciderit, modò ad scutum declinantes, modò ad hastam, producunt signa præter impedimenta ad hostium aspectum, breuique tempore, atque vna motione armatorum ordo recipit instructionis dispositionem: præterquàm si aliquando Hastatos euolutione vti oportuerit. Iumentorum autem, cæterorúmque ea sequentium multitudo, post instructos sese subducentes, locum obtinet in periculis competentem. Cum verò incedentes appropinquauerint ad locum idoneum locandis castris præcedunt Tribunus, & Principes ordinum quicunque huic muneri assiduè fuerint addicti: qui posteaquàm conspexerint totum locum, qui optandus sit ponendis castris, deputant primùm, vbi sit ponendum tentorium Imperatoris, post alia, &c. Hactenus Polyb. Quæ tamen non ita intelligenda sunt, quasi semper hic ordo in expeditione sit obseruatus. Is enim sæpenumerò mutatus & varius fuit, vti vel ex solius Caij Iulij Cæsaris commentarijs intelligere licet. Qua de re, qui volet, legat Petri Rami librum de Militia C. Iulij Cæsaris parte 2. Et hæc terrestris itineris ratio erat. Flumina autem quatuor traiiciebantur modis, primùm ponte, qui quomodo construi soleret, Cæsar in Commentarijs suis passim docet, & Petrus Ramus, in eo quem de Cæsaris militia scripsit, libello, vt interim de alijs taceam. Secundus modus traijciendi fluminis est, quando exercitus nauibus traducitur. Tertius est, cum flumen in plures alueos diductum, transitum exercitui præbet. Quartus cùm equitatus in flumine dispositus, vim illius infringit, vt peditatus tranare incolumis possit. Quorum modorum omnium exempla sunt apud Cæsarem.

Cæterùm & illud hoc loco non est silentio prætereundum, vsitatum fuisse, vt milites legionarij secum ferrent non solùm arma, sed & vallum, & cibaria. Vnde Cic. li. 2. Tuscul. quæstion. Nostri exercitus, inquit, primùm vnde nomen habeant, vide: deinde qui labor, quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre, si quid ad vsum velint: ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim, membra militis esse dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, membris pugnare possint. Hæc Tullius de sui temporis militia. Liuius verò anteà non dimidiati, sed integri mensis cibaria militem ferre solitum docet libr. 44. His igitur rebus onusti milites, tamen singulis diebus vbi opus erat, viginti, aut viginti quatuor millia passuum emetiebantur, quemadmodum Vegetius, & cum eo alij tradunt. Atque de expeditione hactenus.

CAPVT XII.

De castrametatione, & Castrorum motione.

QVÆ vero Castrorum forma fuerit, quomodo ea sit disposita, audiemus ex Polybio scriptore accuratissimo & grauissimo, cuius locum hac de re integrum ex interpretatione Iani Lascaris (aliam enim videre hactenus non contigit) adscribam. Genus Castrametationis eorum, inquit Polyb. est huiusmodi. Loci eius, qui maxime idoneus videtur ad Castrametandum, aptissimam partem ad prospiciendum præsepiendumque, Imperatoris tentorium occupat. Positóque signo, vbi illud fixuri sunt, metiuntur, circa signum spacium quadratum sic, vt omnia latera distent à signo pedes centum, planum eius fit quatuor actuum. Ad huius figuræ semper vnum aspectum, vnumque latus, quod visum fuerit aptissimum aquationibus, pabulationibúsque locantur Romanæ legiones in hunc modum. Cùm sex Tribuni sint in vnaquaque legione, duæque Romanæ legiones vtrumque Consulem sequantur, perspicuum est, duodecim Tribunos necessario militare sub vtroque Consule. Ponunt autem

tem horum tentoria ad vnam rectam lineam omnia, quæ sit æquidistans lateri quadrati præoptato, distétque ab eo pedes quinquaginta, equis pariter, iumentisque, ac reliquis Tribunorum sarcinis locandis idoneus locus. Tentoria auersa figuntur à prædicti quadrati latere, spectantia exteriorem aspectum, qui omnino dicendus, vocandúsque semper à nobis est toti figuræ oppositus. Distant inter se Tribunorum tentoria æquali spacio, atque eo vsque extenduntur, vt totam Romanarum legionum tendentium latitudinem assidue occupent, dimensu rursus spacio centum pedum in anteriorem partem ab omnibus tentoriis, postea à præfiniente hanc latitudinem recta linea, quæ sit æquidistans Tribunorum tentoriis: ab hac inquam facere incipiunt legionum tabernacula, struentes hunc in modum. Cum secuerint bifariam rectam lineam ab eo puncto rectis ad lineam angulis, Equites vtriusq; legionis oppositos inter se vocant, pedes quinquaginta inter se distantes, sectione in medio interualli habita. Est autem Equitum peditúmq; locatio tentoriorum similis : redditur enim tota species tam signi, quàm turmæ, quadrata. Hæc autem respicit viarum interualla, habetq; præfinitam longitudinem viæ adhærentem: est enim centum pedum. Plerunq; etiam altitudinem parem facere student præterquam sociorum. Quod si maioribus vtuntur exercitibus, tam longitudini, quàm altitudini addunt ad portionem. Cum autem accidat, vt respondeant Equitum tabernacula mediis Tribunorum tentoriis, efficitur quasi striga quædam (vel vicus) transuersa ad supradictam rectam lineam, & locum ante Tribunos vacuum. Nam reuera strigis persimilis fit tractus vniuersi species. Quippe cùm ex vtraque parte hinc manipuli, indéq; sint turmæ productim interpositæ: præterquã quòd post prædictos Equites vtriusque legionis triarios ad singulas turmas singula signa, forma perquam simili collocant, figurisq; sese inuicem contingentibus, sed respicientibus in alteram partem, aduersis ab Equitum aspectu dimidiata altitudine ad longitudinem signi cuiusque, eo quòd multitudine etiam dimidio pauciores plerunque sunt ij cæteris partibus. Quamobrem cum inæqualis existat sæpenumero virorum multitudo, contingit vt semper adæquentur secundum longitudinẽ partes omnes ab altitudinis differentia. Rursus quinquaginta pedum interuallo ab iis vtrisque distantes, oppositos Triariis locant Principes, versis autem iis quoque in prædicta interualla duæ hæ præficiuntur strigæ, initia quidem ab eadem recta linea capientes, aditúsque sicut Equites: ab distantia videlicet centipede, quæ ante Tribunos est: desinentes autem in latus castrorum Tribunis oppositum, quod ab initio proposuimus oppositum esse toti Castrorum formæ. Post Principes similiter auersos contingentibus se figuris locant Hastatos. Cúmque decem signa habeant ex prima diuisione strigæ omnes, contingit eas omnes etiam longitudine pares fieri, earúmq; sectiones, postremas inquam parteis ad latus valli oppositum adæquari: ad quod etiam vltima vertentes signa castrametantur. Ab Hastatis rursus quinquaginta relinquentes pedum spatium, sociorum Equites iis oppositos locant, sumentes initium ab eadem recta linea, desinentésque in idem latus. Est autem sociorum multitudo peditum, vt ante dixi, par legionibus Romanis, extraordinariis duntaxat inferior, Equitum duplo maior ablata horum quoque extraordinariis tertia parte, ob id horum etiam altitudinem augentes pro portione, in castrametationum figura conantur longitudinem quoque Romanis legionibus adæquare.

Confectis autem omnibus quinque viis, auersa rursum ab Equitibus ponunt socialium peditum signa, augentes altitudinem ad portionem, vallum respicientia. tranti ... vtrunque latus. Per singula signa prima, quæ sunt ab vtraque parte, tabernacula Principes ordinum capiunt, simúlque prædictum in modum intercalantes per singulas parteis sextam turmam à quinta, pedes quinquaginta submouent. Itidem & peditum ordines, adeo vt fiat hic quoque alius per medias legiones transitus transuersus vtrique ad strigas, sed æquidistans Tribunorum tentoriis via, quam vocant quintanam, eo quòd post quinque ordines traducitur.

Locus qui Tribunorum tentoriis à parte posteriori subiacet, atque vtrique parti Imperatoris tabernaculo adiacet, partim foro, partim Quæstori, eiúsque commeatibus deputatur.

Ab vltimo vtriusque parti Tribunorum tentorio à parte posteriori quasi inflexum tenentes ordinem versus tentoria extraordinariorum Equitum electi, & quidam voluntarij in gratiam Consulum militantes, versus transuersa valli latera locantur: spectantes quidam ad Quæstorios commeatus, quidam parte altera forum versus. Plerunque autem contingit, vt non ij solùm contubernia habeant propinqua Consulibus, verùm etiam vt incedente exercitu, atque in cæteris vsibus circa Consulem, Quæstorémque diuersentur, eique operam curamque impendant.

Apponuntur iis vallum spectantes, qui eundem præbent vsum pedites, quem prædicti Equites, deinceps verò peruium relinquitur spatium latitudinis centum pedum, æquidistans, Tribunorum tentoriis vltra forum Prætorium, Quæstoriúmque, productum per

omneis antedictas valli parteis, ad cuius latus superius sociorum Equites extraordinarij castrametantur, spectantes forum, Prætorium, Quæstoriumque.

Ad media horum Equitum contubernia, & ad ipsum Prætorij locum transitus relinquitur quinquaginta pedum, ducens ad posterius Castrorum latus, ordine ad rectos angulos positus prædictæ plateæ. His equitibus rursus auersi ponuntur auxiliares extraordinarij pedites vallum spectantes, posteriusque totius castrametationis latus.

Vacuus autem locus, qui ex vtraque horum parte superest, versus transuersa latera datur externis, iisque qui pro tempore socij aduenerint.

His sic se habentibus, tota quidem castrorum forma efficitur quadrata æquis lateribus.

Particulares autem figuræ tam sectionis strigarum, quàm reliquæ dispositionis, vrbi simillimam speciem præ se ferunt.

Vallum à tentoriis per omnia latera ducentos submouent pedes, quod vacuum multas ipsis commoditates præbet.

Etenim rebus in castra importandis exportandisque valdè opportunum, quando singuli, vt quæque strigarum proxima est, in hoc vacuum egrediuntur, neque in vnum concursantes subuertunt, calcantque se inuicem: quæque habent, aut abigunt pecora, prædásque ex hostibus huc deducentes, tutò per noctem seruant, & quod præcipuum est, si noctu hostis aggrediatur, neque ignis, neque telum peruenit ad ipsos, præter admodum rara, atque innocua ferme propter magnitudinem distantiæ, tentoriis præsertim circuniectis.

Data igitur multitudine peditum, Equitúmque vtrumque in modum, siue quatuor seu quinque millium singulas legiones faciant: similiter & signorum altitudine, longitudinéque ac multitudine concessa: & adhæc distantiis itinerum, platearumque, nec non omnibus aliis concessis, facile est volentibus considerare quam sit locus capax, castráque quàm ampla.

Quod si aliquando abundet sociorum multitudo, siue hi ab initio castra secuti sint, siue postea per occasionem accesserint: ij quidem qui per occasionem accesserint, ea etiam quæ circa Prætorium sunt, replent spatia, forúmque & Quæstorium contrahunt in vnum, cogente temporis necessitate: iis verò, qui vnà cum exercitu à principio exiuêre, si sit abundans multitudo, addunt strigam vnam ab vtraque parte Romanarum legionum, versus transuersa latera.

Omnibus autem quatuor legionibus, Consulibúsque ambobus in vna Castra coëuntibus, congregatísque, nihil aliud cogitare oportet, quàm duos exercitus, prout dudum exposuimus, pariter castrametatos auersos inuicem iunctos esse, contingentes semet ad contubernia extraordinariorum vtriusque exercitus: quando sanè contingit, vt figura fiat oblonga, locus duplò priore maior, circumferentia sesquialtera.

Cum igitur ita eueniat, vt Consules vnà castrametentur, sic semper vtuntur castrametationibus. Cum verò seorsum, reliqua sanè similiter: forum autem, Prætorium, Quæstoriumque in medio statuunt vtriusque exercitus. Hæc omnia Polybius.

Ex quibus intelligi potest, quæ Castrorum Romanorum forma fuerit. Nonnunquam tamen aliter constructa ea fuerunt. Cæsar lunatis Castris Thapsum (vt est in historia Africani belli) operibus circummuniuit.

Vegetius triquetram & semirotundam formam nominat, quem diligens lector de castrametatione etiam legere poterit. Illud hoc loco, antequam ad alia accedam, monebo, Romanos ante Camilli tempora tantum per æstatem militiæ esse consueuisse, & domi suæ hyemare: eo autem tempore, quo Veij obsessi, primum cœpisse castellis ædificatis, castrisque munitis, in hostico hyemem cum æstate continuare, Plut. in Camillo, Liuius libro quinto.

Notandum & hoc est, tentoria siue tabernacula exercitus Romani ex pellibus fieri consueuisse: quod ex Valerio Maximo libro secundo capite secundo, & aliis est manifestum: hinc toties apud auctores legitur, sub pellibus milites habere, exercitum sub pellibus retinere, sub pellibus esse: quod nihil aliud est, quàm exercitum in tentoriis, quæ ex pellibus fieri solebant, habere, retinere, in tentoriis esse, in castris esse. Vide Carolum Sigonium scholiis in Liuium libro quinto, initio, Iacobum Ræuardum libro quarto Variorum, capite tertio, & alios.

Neque hoc prætermittendum est, Castra Romanorum vt plurimum portas habuisse quatuor. Prima erat Prætoria, quæ & Quæstoria dicta est: ea vel orientem solem spectare, vel è conspectu hostium dirigi solebat. Quod eo fiebat, vt si quando ad arma conclamatum foret, sine tumultu extra castra contrahi multitudo, & explicari ordines, signáque educi possent. Etenim vbi acie decernendum erat, illinc cohortes educi, & copiæ admoueri solebant.

Vbi etiam militum statio copiosa instructaque ad subitos conatus esse debebat, cui etiam Principali nomen datum.

Altera,

Altera à tergo Castrorum Decumana, eò quòd ampla & patens: ex qua desertores & facinorosi, in quos iure militari animaduertendum erat, educebantur, & pœnis coërcebantur.

Tertia erat principalis, ex qua Principes & summi Duces velut ex postico, siquando opus esset, opem suis laborantibus ferebant, ordines tendebant, & milites educebant.

Via quoque, quæ ad eam portam ferebat, Principalis dicta est. Quarta erat post Prætorium & Quinctana dicebatur, quippe per eam commeatus in castra conuehi, & rerum vtensilium copia venalis exponi: inde etiam merces, ad vsum militaris multitudinis, quæque bello vsui essent, importari & exportari solebant. Vide præter Festum, Alexandrum Neapolitanum lib. I. Genialium dierum, c. 12.

Præter quatuor has portas ait Turnebus libro Aduersariorum 30. ca. 24. fuit etiam Extraordinaria, prope quam tendebant Extraordinarii. Liuius libr. 40. Erumpere extraordinaria porta iussit. Quæstoria, quæ propinqua erat Quæstorio. Liuius eodem libro: Quinctus Fuluius Flaccus legatus cum dextera alia ad Quæstoriam portam positus. Sed & duæ Principales erant, Dextra, & Sinistra à Principalibus nomen adeptæ. Liuius lib. 40. ad dextram Principalem Hastatos legionis primæ instruxit, &c. Hactenus ille.

Prætorium dicebatur tabernaculum, quod Duces exercituum, vel Imperatores, siue Consules, siue Dictatores, siue Prætores, siue Tribuni militum Consulari potestate ij essent, occupabant.

Nomen autem inde habet, quòd initio Consules, qui plerumque bella administrabant, Prætores dicerentur. Quæstorium erat tabernaculum Quæstorum. Tantum de Castris, & eorum metatione.

De motione adhuc dicendum, de qua Polybius libro 6. ita scribit. Castra mouent in hunc modum: Vbi primum datum fuerit signum, detrahunt tentoria, componuntque sarcinas: sed neque deponere, neque erigere licet cuipiam, antequàm Tribunorum, Imperatorisque tentorium erigatur, deponatúrve. Vbi secundum, imponunt onera iumentis. Vbi tertium, procedere oportet primos, mouerèque tota castra. Incedunt vero eo ordine, qui paulo ante, cum de expeditione ageremus, à nobis ex Polybio est indicatus. Vt autem iis, quæ hoc capite de veteri Romanorum castrametatione dicta sunt aliquid lucis accederet, operæ precium me facturum sum arbitratus, si typum illius Castrametationis, ex libro quarto Commentariorum Reipublicæ Romanæ VVolfgangi Lazii hic insererem, præsertim cum is cum descriptione Polybii, quem nos secuti sumus, per omnia conueniat. Quod meum consilium vt probes, te, beneuole lector, etiam atque etiam rogo.

Caput XIII.

De disciplina Castrensi, & de Vigiliis.

QVæ porrò Castrensis Romanorum disciplina, quæ vigiliarum ordinatio fuerit, luculenter explicat idem Romanæ historiæ scriptor diligentissimus Polybius, cuius hæc in fragmentis libri sexti verba sunt. Vbi castrametati sunt, conuenientes Tribuni, ab omnibus qui in castris sunt liberis pariter seruísque singulatim iusiurandum exigunt. Iurant autem illi, se nihil è castris furto ablaturos: imò si quis etiam inuenerit quippiam, id allaturum ad Tribunos: deinceps ordinant signa, atque ex vtraque legione principum Hastatorúmque duo ad loci curam deputant, qui ante Tribunos est. In hac enim platea maxima pars Romanorum quotidie versatur, idcirco studium adhibent, vt ea aspergatur, verraturque diligenter. Ex reliquis duodeuiginti tria quisque Tribunorum sortiuntur: Nam tot sunt Hastatorum, Principumque in singulis legionibus signa, secundum ante dictam diuisionem. Tribuni autem sex, tria signa, vicissim singulatímque ministrant. Tribuno ministerium huiuscemodi. Castris loco assignato, tentorium erigunt ij locumque circa tentorium pauimentant: & si quid circumsepire oporteat ad vasorum custodiam, id ipsis curæ est. Dant etiam excubias duas. Excubia quatuor viris constat, quorum pars tentorium iuxta equos excubant. Cùm igitur tria quisque signa Tribunus habeat, atque in iis singulis viri sint ampliùs centum exceptis Triariis, Velitibúsque, qui huiusmodi ministerium haudquaquam exhibent, opus quidem leue fit, eò quòd quarto quoque die ad singula signa ministerium peruenit. Tribunis autem ex præfatis ministeriis vsus pariter necessarius: honorque atque obedientia exhibetur. Triariorum signa Tribunorum ministeriis eximuntur, sed turmis equitum singulis diebus ministeria præbent, vt quique

proximi sunt post turmas locati: qui custodiunt etiam alia, sed præsertim equos, ne aut implicati vinculis lædantur, futuri inutiles ad opus: aut soluti, atque inuicem irruentes, turbas tumultúsque excitent in castris. Cæterùm vnum ex omnibus signum excubat quotidie per vices ante Imperatorem, quod securitatem pariter Imperatori præbet aduersus insidias, ornátque speciem Magistratus, fossæ ac valli duo latera sociis curæ sunt, quibus proximum vtrumque eorũ cornu locatum est: duo alia Romanis, vtrique legioni vnũ. Cũque singula latera per signa diuisa distributáque sint, particularis sanè cura ordinum ductoribus incumbit præsentibus adstantibúsque. Vt autem vniuersum latus bene se habeat, duobus Tribunis similiter, reliquam etiam legionis curam hi sunt qui gerunt. Bini enim inter se diuisi bimestre spatium semestris temporis vicissim imperant: vniuersósque quibus sors obtigit, subdiali vsui præsunt. Idem modus principatus est etiam Præfectorum inter socios, equites, ordinúmque ductores omnes: orientе luce accedunt ad Tribunorum tentoria, Tribuni ad Consulem: ille quod instat agendum, Tribunis edicit: Tribuni Equitibus, ordinumque ductoribus: ij multitudini promunt tempore oportuno. Nocturni signi traditionem tutam præstant, hunc in modum: ex singulis generibus Equitum peditumque decimi signi, quod vltimum castrametatur, ad extremitatem strigarum: ex iis vir vnus eligitur, qui excubiarum ministeriis non tenetur: verùm accedit singulis diebus occidente Sole ad tentorium Tribuni, & accepta tessera (ea est tabella inscripta) recedit. Cumque secesserit ad signum suum, tradit tabellam signumque adhibitis testibus proximi signi Principi, ille similiter proximi: idémque faciunt omnes deinceps, donec ad prima, ac prope tribunos locata signa peruenerit. Hos autem oportet tabellam nondum obortis tenebris referre ad Tribunos: & si relatæ sunt omnes quæ datæ sunt, cognoscunt signum datum esse omnibus, pérque omneis ad sese peruenisse: at si quid defuerit, confestim inquirit Tribunus, quidnam commissum sit, percipítque ex inscriptione, quanam ex parte tabella venerit: atque vbi repertum fuerit impedimentum, conueniens infertur mulcta. Vigilias disponunt hunc in modum: Imperatorem eiusque tentorium, accubans custodit signum: Tribunorum tentoria & Equitum turmas deputati, vt modo dictum est ex singulis signis. Itidem per singulos ordines omnes ex se ipsi custodias disponunt, cæteras Imperator, fiuntque plerumque tres excubiæ: apud Quæstorem vna, binæ apud Legatos, Consiliariósque: exteriorem castrorum aspectum Velites complent, totum interdiu vallum circumsidentes: Etenim hoc illis iniungitur ministerium. Portas singulæ ex iis decades accubantes seruant: eos qui sunt vigiliis deputati, ex singulis custodiis, qui primam vigiliam acturi sunt, vnus ex signis singulis tergiductor vespere ducit ad Tribunum: is dat singulis taleolas per singulas vigilias breueis admodum habentes characterem: illi cum acceperint, ad assignata recedunt loca. Fides circuitionis Equitibus committitur. Oportet enim primum alæ ductorem per singulas legiones præcipere vni ex suis tergiductoribus summo mane præceptum huiusmodi, vt is edicat ante prandium quatuor adolescentibus alæ suæ, ad eos pertinere circuitionem noctis proximè accessuræ. Post hæc oportet idem præcipiat, sequentis alæ ductori ante noctem, quòd illi incumbat cura circuitionis in sequentem diem: is cùm audiuerit, oportebit vt similia faciat his, quæ prædiximus in sequentem diem, atque hunc in modum, & cæteri deinceps. Qui vero præoptati sunt per tergiductores ex prima ala quatuor, vbi sortiti fuerint vigilias conferunt se ad Tribunum, accipiuntque in scriptis, quotque vigilias circuire oporteat. Postea verò accubant ij quatuor iuxta primum signum Triariorum, cuius Princeps curam gerit, vt competens vigiliis signum tuba detur. Cùm vero tempus accesserit, primam vi[illegible] vigiliam, qui eam visendam sortitus est. Circuit autem prædicta loca non solùm circa vallum, aditusque, sed omnia per signa singula, turmásque: et & si inuenerit vigiles primæ vigilantes, accipit ab iis taleolam: sin autem offenderit quempiam dormientem, aut locum deseruisse, attestatus proximos abit. Idem & etiam ab iis, qui deinceps vigilias circumeunt. Dandi autem signum buccina (sicuti paulo ante dixi) per singulas vigilias, quod circuitoribus conueniat cum vigilibus, ductoribus ordinum primi signi Triariorum vtriusque legionis quotidie cura incumbit. Circuitorum singuli sub ipsam lucem referunt tesseras ad Tribunum, & si omnes redditæ fuerint, sine delicto abeunt. At si quis pauciores attulerit quam sit custodiarum multitudo, inquirunt ex charactere, quænam custodia defecerit, qua re cognita, vocatur ordinum ductor. Is autem ducit eos, quibus est commissa vigilia, ij disceptant cum circuitore. & si custodium fuerit derelictum, confestim profert id circuitor, adhibitis testibus, qui proximi fuere: tenetur enim hoc facere, ac si nihil huiusmodi factum sit, crimen recidit in circuitorem, statimque aduocato concilio, coram Tribuno dicit causam: & si condemnetur, fuste cæditur. Hactenus Polybius. His igitur expositis, tempus est, vt aciem tandem instruamus, quod faciemus capite proximè sequente.

Caput XIV.

Instructio aciei.

QVæ in genere de militia Romana scitu fuerunt necessaria, hactenus exposuimus: sequitur, vt aciem tandem instruamus, quæ ipsa res paulò altius est repetenda. Quo die pugna erat cum hostibus committenda, signum in castris Romanis proponebatur, videlicet tunica purpurea vel coccinea supra Prætorium expansa, cuius meminit Plutarchus in Fabio & alibi. Liuius, ac Polybius. Post, vbi iam ad bellum exeundum, & exercitus castris educendus esset, signa militaria, quæ in castris fixa erant, captatis auguriis euellebantur è terra. Habebatur autem hoc inter fœlicia auguria, si auellétem signa facilè sequerentur. Ideòque Crassus in Arabis bello Parthico cum filio occisus legitur, quod iturus ad prælium auellere signa vix potuerit. Educto castris exercitu, acies instruebatur. Quod qua ratione fieri consueuerit, ex Liuio aliquo modo intelligi potest, qui li. 8. multis verbis instructã aciem describit, quæ cùm maximopere huc faciant, non grauabor adscribere. Ita igitur Liuius. Clypeis anteà Romani vsi sunt: deinde postquàm stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecêre, & quod anteà Phalanges similes Macedonicis, hoc posteà manipulatim structa acies cœpit esse: posteà in plures ordines instruebatur. Ordo sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium unum habebat. Prima acies Hastati erant, manipuli quindecim distantes inter se modicum spatium. Manipulus leues vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. Leues autem, qui hastam tantum gesaque gererent vocabantur. Hæc prima frons in acie florem iuuenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde ætas totidem manipulorum, quibus Principibus est nomen: hos sequebantur scutati omnes, insignibus maximè armis: hoc, xxx, manipulorum agmen Antepilanos appellabant, quia sub signis iam alij quindecim ordines locabantur: ex quibus ordo vnusquisque tres partes habebat, earum vnamquamque primum pilum vocabant: tribus ex vexillis constabat. Vexillum cxxvi. homines erant: primum vexillum Triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundum Rorarios, minus roboris ætate factisque: tertium Accensos, minimæ fiduciæ, eò & in postremam aciem reiiciebantur. Vbi his ordinibus exercitus instructus esset, Hastati omnium primi pugnam inibant: si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in interualla ordinum Principes recipiebant, tum Principum pugna erat: Hastati sequebantur. Triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris hastas sub erecta cuspide in terra fixas, haud secus, quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque satis prospere non esset pugnatum, à prima acie ad Triarios sensim referebantur. Vnde rem ad triarios rediisse, cùm laboratur, prouerbio increbuit. Triarii consurgentes, vbi in interualla ordinum suorum Principes & Hastatos recepissent, extemplò compressis ordinibus velut claudebant vias: vnoque continenti agmine iam nulla spe post relicta, in hostem incedebant. id erat formidolosissimum hosti, cùm velut victos insecuti, nouam repentè aciem exsurgentem, auctam numero cernebant. Scribebantur autem quatuor ferè legiones quinis milibus peditum, Equitibus in singulas legiones trecentis: alterum tantum ex Latino delectu adiiciebantur, qui ea tempestate hostes erant Romanis, eodemque ordine instruxerant aciem, nec vexilla cum vexillis tantum, vniuersi Hastati cum Hastatis, Principes cum Principibus sed Centurio quoque cum Centurione: si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebant: Hactenus Liuius, qui vniuersum exercitum in tres partes distribuit. Primam aciem Hastatos facit, id est, leues milites, ac scutatos, in eamque pubescentes ad militiam omnes conicit, alteram Principes, vna cum scutatis, quos Antepilanos vocabant: tertiam ex quindecim ordinibus constituit, quorum vnusquisque tres partes haberet, earum vnamquamque primum pilum vocabant: ex tribus vexillis constabat, Triariorum, Rorariorum, & Accensorum, quorum Rorarii inter Antepilanos primò procurrebant, deinde etiam Accensi eò procedebant, vt tum denique viribus hostium vel exhaustis, vel debilitatis, integri & recentes Triarij pugnam capesserent. Polybius libro 6. eundem ferè ordinem, sed clarius describit. Legionem enim quadrifariam diuidit in Pilanos, minimos natu. Hastatos in proximos ætate, Principes florentissimis armis, & Triarios maximos natu. Pilanos quidem, Hastatosque & Principes millenos ducenos. Triarios autem sexcentos. Si maior fiat legio, proportione partes augeri dicit, exceptis Triariis, quos semper efficiant pares.

Cæterum non vno semper modo acies instructa fuit, sed diuersis, quod videre est tum apud Cæsarem in ipsius Commentariis tum apud Ælianum in libro singulari de instruenda acie, ad quos harum rerum studiosum lectorem remitto. Agellius libro 10. capit. 9. aliquot vocabula

militaria, quibus instructa certò modo acies appellari soleat, recenset: qualia sunt, frons, subsidia, cuneus, globus, forfices, serra, alæ, turres, eáque dicit inueniri in libris eorum, qui de militari disciplina scripserunt, tralatáque esse ab ipsis rebus, quæ ita propriè nominantur, earum quo rerum in acie instruenda, sui cuiusque vocabuli imagines ostendi.

Frons. * * *

Subsidia dicebantur illi milites, qui post aciem subsidebant, vt laboranti exercitui subuenirent.

Cuneus dicebatur acies cuneum repræsentans, sicut orbis, globus, forfices, &c. quæ in modum globi, orbis, forficis instruebatur. Vegetius libr. 3. ait, Cuneum peditum multitudinem vocari, quæ iuncta cum acie primum angustior, deinde latior procedat, & aduersariorum ordines rumpat: quia à pluribus in vnum locum tela mittantur. Quam rem, inquit, milites vocant caput porcinum. Typum eius habet Ælianus in libello de instruendis aciebus.

Alæ, dictæ sunt exercitus Equitum ordines, quod circum legiones dextra, sinistraque tanquam alæ in auium corpore locabantur. Cincius libro 6. de re militari, apud Agellium libr. 16. capite 4.

Caput XV.

De deuotione sui ipsius pro exercitu, & de deuotione exercitus hostilis.

Quod si periculum aliquod imminere videretur, & Aruspices nunciarent, Deos non placatos esse, tum vnus aliquis ex Romanis sese pro exercitu suo & simul exercitum hostium deuouebat. Licebat autem, quemadmodum Liuius libro 8. ait, Consuli, Dictatorique, & Prætori deuouêre legiones hostium, & se vel alium, quem velit, ex legione Romana scripta, ciuem. Si is homo, qui deuotus esset, moreretur, probè factum videbatur: ni moreretur, tum signum septem pedes altum, aut maius in terram defodi, & piaculum hostia cædi oportebat: vbi illud signum defossum esset, eo Magistratum Romanum descendere fas non erat. Qui vero sese deuouere volebat, ni moreretur, neque suum, neque publicum diuinum purè facere poterat. Addit deinde: Ei, qui sese deuoueret, Vulcano arma, siue alicui Diuo vouere vellet, siue hostia, siue quo alio vellet, ius esse: Telo, super quo stans Consul precatus sit, hostem potiri fas non esse: si potiatur, Marti suauetaurilibus piaculum fieri oportere. Qua vero ratione, quibus cæremoniis, & qua verborum forma sese deuouerent, idem paulo ante, de Decio Consule loquens, ostendit, cum ita scribit: In hac trepidatione Decius Consul M. Valerium magna voce inclamat: Deorũ, inquit, ope Valeri opus est, agedum Pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus deuoueam. Pontifex eum togam prætextam sumere iussit, & velato capite, manu subter togam ad mentum exerta, super telum subiectum pedibus stantem, sic dicere: Iane, Iupiter, Mars, Pater, Quirine, Bellona, Lares, Diui Nouensiles, dii Indigetes, diui, quorum est potestas nostrorum, hostiumque, diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feróque, vti populo Romano Quiritium victoriámque prosperetis, hostésque populi Romani Quiritium terrore, formidine, mortéque afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro Republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones, auxiliáque hostium mecum Diis Manibus, Tellurique deuoueo. Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium iubet, maturéque collegæ se deuotum pro exercitu nunciaret, ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios immisit. Hactenus Liuius. Extat etiam apud Macrobium formula deuotionis vrbium, & exercituum hostilium, quam paulo post recitabimus. Cæterum de consilio nihil hoc loco dicam, extant eius exempla plurima, & varia hinc inde apud historicos, Liuium, Cæsarem, Polybium, Plutarchum: item apud Frontinum in libris de Stratagematis, vnde capeti possunt. Hoc tamen notandum esse duxi Romanos, cum classico dato pugnam inirent, primo occursu ad ardorem excitandum, ardentissimo clamore concurrere, & signa inferre consueuisse: qui clamor si consona voce editus, neque impar, varius vel dissonus foret, haud dubiè satis animorum ad certamen esse, & futuram victoriam spondebat: námque is erat index voluntatis & animi cuiusque. Si vero exertatior, crebriórque ab hoste sublatus esset, quò euentus prælij casurus foret, indicium haud dubium præbebat: in qua quidem re ad ardorem animi excitandum, non solum acies, sed ipsi quoque signa militaria inferebant. Neque enim parui momenti fuit prima illa vis & congressio militaris, cum alacres & fiduciæ pleni, ardenti clamore simul in hostes ibant, & signa inferebant, intolerabili clamore, animorum vno impetu consentiente, ac virtute: quæ res magnarum victoriarum plerumque

que causam dedit. Sed de his iam satis. Huc conferenda sunt exempla pugnarum, quæ passim in historicis occurrent, & strategematum, de quibus diligentissime scripsit Frontinus.

Capvt XVI.

De oppugnationibus vrbium, & iis quæ ad oppugnationes requiruntur.

Diximvs de iis quæ necessaria fuerunt, si in locis patentibus ad manus veniretur, iam de expugnatione locorum clausorum & munitorum agemus. Qua quidem in parte omnium maximè de instrumentis & machinis bellicis, quarum in oppugnationibus vsus fuit, dicendum erit. Locus clausus expugnatur ex itinere primo impetu, aut longiore oppugnatione capitur. Illius exempla multa sunt passim. Vnum adferam quod est apud Cæsarem de expugnatione Gomphorum lib. 3. belli ciuilis: Gomphenses, inquit, venienti Cæsari portas præcluserunt. Cæsar itaque castris munitis scalas, musculosque (quibus fossæ aggere completæ solitum iter efficerent) ambulatoriis turribus, ad repentinam oppugnationem fieri, & crates parari iussit, quibus rebus effectis cohortatus milites, docuit quantum vsum haberet ad subleuandam omnium rerum inopiam potiri oppido pleno, atque opulento, simul reliquis ciuitatibus, huius vrbis exemplo inferre terrorem, & id fieri celeriter, priùs quam auxilia concurrerent. Itaque vsus singulari militum studio, eodem, quo venerat die post horam nonam oppidum altissimis mœnibus oppugnare aggressus, ante Solis occasum expugnauit. Hactenus Cæsar. Quòd si propter fossarum latitudinem, murorumque altitudinem, & munitionem repentino impetu vrbs expugnari non posset, vineis actis, aggere iacto, turribus constitutis oppugnabatur. Cuius rei exempla etiam multa passim apud scriptores veteres extant. Nos hic vocabula quædam militarium instrumentorum & operum pertinentium & ad munitiones castrorum, & ad oppugnationes oppidorum exponemus. Castra communiebant aggere, vallo, loricis, ceruis, cippis, liliis, & stimulis. Ad oppugnationes requirebantur turres ambulatoriæ, testitudines, musculi, vineæ, plutei, & cuniculi.

Agger, inquit Vegetius libro 4. ex terra lignisque extollitur contra murum, de quo tela iactantur. Franciscus Hotomanus annotationibus in Cæsarem: Aggeris nomen, inquit, tripliciter ab antiquis vsurpari video, primum pro mole ad mœnia oppidorum, deinde pro munitione castrorum, postremo pro materia, qua moles munitiove extruitur. Molem intelligimus tumulum ex lignis & glebis, ac cespitibus extructum, vt in vrbium, aut castrorum muros vel militibus, vel turribus mobilibus ascensus præbeatur. Cæsar libro secundo belli ciuilis, Lucanus libro tertio: ex quibus intelligitur, trabes à lateribus adhiberi solitas, quæ latera firmarent, ne terra difflueret, interiorem autem partem viminibus, virgultis & terra repleri, atque infarciri solitam. Tanta autem aggeris interdum altitudo erat, vt propè mœnia adæquaret, vt apud Cæsarem lib. 2. belli Gallici, Liu. libro 5. & alibi. Et ad hanc molem extruendam non modo fabri verum etiam milites his ferramentis instructi erant: bidentibus, ligonibus, rastris, alueis, cophinis, qualis, vt Vegetius scribit libro 1. & 3. Reliquarum duarum significationum, quod sumitur pro muro & munitione castrorum item pro ipsa aggeris materia, quæ triplex erat, trabium, quę latera firmabant, frondium, & cespitum, multa extant apud Cæsarem testimonia, quæ non opus est adducere.

Vallus siue vallum dicebatur stipes ramosus in aggeris summa parte defigi solitus, ad aggerem confirmandum & loricas extruendas. Hunc vallum legionarij milites vnà cum armis in itinere ferebant, vti supra ex Cicerone audiuimus, & alij etiam auctores attestantur. Nonnunquam accipitur pro superiore parte aggeris ex illis vallis, id est, sudibus & stipitibus, ac viminibus interiectis constante. Valli Romani elegans descriptio extat apud Polybium lib. 17. vbi id cum vallo Græco confert, & quidnam interea sit discriminis, ostendit. Vallum, inquit, apud Romanos duos, tréive, aut ad summũ quatuor habet surculos, ex quo accidit, vt perfacilis eius sit gestatio. Itaque vnus tria, atque etiam quatuor simul fert. Et paulò post, cùm de Græcorũ vallo, eiusque vsu dixisset, subiicit: Apud Romanos dissimillima est ratio. Primùm enim ita valla inter se circũplicant, vt neque facilè quorum ramorum in terrã compactorũ sint virgulta, neque quorũ virgultorum sint rami, agnoscas. Præterea difficile est, si qui euellere conetur, manum admouere: quoniam densissime inter se contexta & conserta sunt. Eò accidit, quod virgulta ita accurate inflexa, & intertexta sunt, vt reuelli ab eo, qui prehenderit, facilè non possit: primùm quia eminentiæ & surculi omnes suam & propriam in terra firmitudinem obtinent. Deinde cùm vnum è virgultis trahitur, necesse est propter mutuam contex-

quia confecto bello, inter quos pax fieret cæsa porca fœdus firmari soleret. Posteriorib. temporibus Dracones per singulas cohortes ad prælium à Draconariis ferebantur. Vexilla etiam singulis centuriis constituta erant, de quibus ita Vegetius: Antiqui, inquit, quia sciebant in acie commisso bello celeriter ordines, aciesque turbari, atque confundi: ne hoc posset accidere, cohortes in Centurias diuiserunt, & singulis Centuriis singula vexilla constituerunt, ita, vt ex qua cohorte, vel quota esset Centuria in illo vexillo literis esset adscriptum: quod intuentes vel legentes milites, in quouis tumultu à contubernalibus suis aberrare non possent. Centuriones insuper nimium ocilceosos loricatos transuersis cassidum cristis habebant, vt facilius noscerentur. Hactenus Vegetius. Vexilla, sicut & Aquilæ, & cohortium signa frequenter in nummis antiquis videntur.

CAPVT VI.

Quis Dux exercitus fuerit: item quis Imperator dictus.

LEGIONEM & partes eius explicauimus, nunc quot genera militum in iis fuerint, quique aliis præfuerint, considerabimus, initium facientes à Magistratibus, vt sic vocem, militaribus. Duces exercitus apud Romanos fuerunt primum Reges, deinde Consules, Dictatores, Tribuni militum Coss. potestate, Decemuiri legibus scribendis, Prætores, Proconsules, & Proprætores. Hi enim suis auspiciis bellum gerere dicebantur, Tribuni verò militares, Magistri equitum, Legati, &c. non suis, sed alienis auspiciis pugnabant. De Regibus aperta res ex Dionysio, Liuio, Plutarcho, & aliis: item de Consulibus, qui ferè omnia regia munia obierunt. De Dictatoribus vel hoc satis testimonij est, quod plerunque leguntur rei gerendæ causa creati esse. De reliquis vniuersa Romana testatur, ita vt non opus sit multa auctorum testimonia huic confirmandæ adducere. Hoc tantum iam explicabimus, quare hi, quos modo nominaui, Magistratus, suis auspiciis bella gerere dicantur, quid sit suis, quid alienis auspiciis pugnare, & quando ac quibus de causis Imperatores appellati sint. De auspiciis primum.

Institutum fuerat ab initio, vt nihil neque domi, neque militiæ, nisi auspicato gereretur, quippe quòd, vt inquit apud Liuium Cn. Manlius, nullius calumniæ sub icerentur ea, quæ Dij comprobauissent. Auspicia verò in exercitu vnius tantum fuerunt Imperatoris, cui ea prouincia euenisset, cæteri auspiciis eius pugnare, ipse bellum, vt ductu, sic auspiciis suis gerere dicebatur. Itaque nec Imperatoris nomen, nec supplicatio, nec triumphus dabatur, aut Legato, aut vlli alii exercitus præfecto, ne si eorum quidem opera atque virtute Imperator absens, aut ægrotus, victoriam adeptus esset: quod non eorum auspiciis res esset gesta, sed ipsius Imperatoris.

Adhibebantur autem in castris auspicia duo, vnum coactum, alterum ex acuminibus. Coactum appellarunt tripudium, de quo satis multa diximus superiori libro de Sacerdotiis. Auspicium autem ex acuminibus quale fuerit incompertum, eius Cicero tantummodo meminit 1. de Diuinatione, cùm dixit: Ex acuminibus quod totum auspicium militare est, M. Marcellus totum omisit. Et in 2. de Natura Deorum: Negligentia nobilitatis, auguriorum disciplina omissa, veritas auspiciorum spreta est, species tantùm retenta. Itaque maximæ Reipublicæ partes, in his bella quibus Reipublicæ salus continetur, nullis auspiciis administrantur, nulla perennia seruantur, nulla ex acuminibus. Hæc Cicero. De Imperatore nunc dicam.

Imperatoris nomen appellatio fuit militaris, qua Dux præsens re bene gesta primum militum acclamatione in castris, deinde sententia Senatus in vrbe ornatus est. Enim Imperatoris vocabulo duobus modis vsi sunt, vno pro quocunque exercitus Duce, qui suis auspiciis rem gereret, & qui imperium, id est, ius belli gerendi haberet: altero, qui hostibus magno prælio fusis, ac profligatis, eo nomine, militum acclamatione affectus esset. Scribit autem Appianus lib. 2. Bellorum ciuilium, obseruatum esse antiquitus, vt non nisi magnis rebus gestis, acclamaretur. At sua ætate (fuit autem Hadriani æqualis) decem millibus occisis acclamatum esse. Addit Dio lib. 60. nonnisi semel de vno bello aliquem appellari Imperatorem licuisse. Hinc Cicero: Magnum numerum hostium cecidimus, castella munitissima cepimus, incendimus, Imperatores appellati sumus, &c. Neque verò solùm si ipsi, sed si legati, & Quæstores, quibus Imperium commisissent, rem bene se absente gessissent, iidem hoc etiam honoris adipiscebantur, vt ex Legatorum, Quæstorúmque secundo prælio Imperatores appellarentur. Testis est Cicero in Pisonem, de Q. Marcio Legato Pisonis, & M. Terentius Varro in Re Rustica de Trebellio Quæstore Licinij Neruæ, quorum secundo prælio ipsi Duces siue Prætores Piso & Neruá Imperatores sunt appellati. Tantum de Imperatore.

CAP.

Capvt VII.

De legatis, Tribunis militum, Centurionibus & Decurionibus.

AB Imperatore, siue exercitus Duce ad eius Comites deueniemus, quales fuerunt Legati, Tribuni militum, Centuriones, & Decuriones. De Legatis diximus libro huius posteriori Commentarij secundo, vbi de Magistratibus disseruimus. Illud tantùm hoc loco addemus Legatum apud priscos Romanos eum fuisse, qui Ammiani Marcellini temporibus Comes dicebatur, & nostra ætate locum tenens, *un Lutenant*, penes quem, absente Imperatore, vel Duce summa potestas erat. Tribuni militum dicti, auctore Varrone, quod ab initio terni essent, tum cum legio ex tribus millibus conficiebatur, ex ternis, quæ tú erant, tribubus, Rhamnensium, Lucerum, & Tatiensium. Hi peditibus tantum Legionis, non etiam Equitibus præerant. Itaque vt numerus peditum in legione auctus est, sic etiam Tribunorum militarium, ita vt à tribus ad quatuor, atque ab his ad sex peruenerint. Quinetiam vt numerus eorum, sic etiam lectio procedente tempore immutata est. Primis enim temporibus omnes ab Imperatoribus legebantur, in singulas quaternas legiones terni, vt essent duodecim. Post autem, anno vrbis trecentesimo nonagesimo primo institutum vt pars eorum populi suffragiis, pars Imperatorum arbitrio crearentur, quod & à posteris obseruatum, nonnunquam necessaria de causa mutatum est. Cúmque postea Rutilius Rufus legem tulisset de iure Tribunorum, qui à Consulibus essent facti, accidit, vt Tribuni ab Imperatoribus in exercitu lecti, Rufuli: à populo in comitiis creati, Comitiati dicti sint: Ita enim Asconius Pædianus: Tribunorum militarium duo sunt genera, primum eorum qui Rufuli dicuntur, hi in exercitu creari solent: alij sunt Comitiati, qui Romæ Comitiis designantur. Idem Liuius & Festus tradunt. Quocirca etiam nouissimis Reipublicæ temporibus alios Tribunos à populo, alios ab Imperatoribus creatos videmus. Cæterùm de Tribunis militum 24. ad primas quatuor legiones creandas hæc prodit lib. 6. Polyb. Posteaquam declarauere Duces, Tribunos militum constituunt, quatuordecim quidem ex iis, quibus quinque annua stipendia facta sint: decem autem alios præter hos, ex iis qui decem stipendia fecerint. Equites quidem qui decem, pedites verò qui sex. Cùm verò delectus habituri sunt, diuidunt se ipsi iuniores Tribuni, sicut populus, Imperatorésve instituerint, in quatuor partes: quoniam in quatuor ipsi legiones vniuersam primámque partitionem copiarum distribuunt: Atque ii, qui primi quatuor electi sunt, primæ legioni assignantur, tres qui deinceps, secundæ legioni tribuuntur: quatuor subsequentes tertiæ, tres vltimi in quartam transferuntur. Ex prouectioribus verò duos sanè primos primæ tribuunt legioni: tres secundos, secundæ, duos subsequentes tertiæ: tres vltimos quartæ. Hactenus Polyb. De officio Tribunorum militum ita libro 2. Vegetius: Prima Legionis cohors erat Miliaria, in qua censu, genere, literis, forma, virtute pollentes milites mittebantur. Huic Tribunus præerat armorum scientia, virtute corporis, morum honestate præcipuus. Reliquæ cohortes, prout Principi placuisset, à Tribunis vel à Præpositis regebantur: Tanta autem seruabatur exercendi milites cura, vt non solum Tribuni, vel præpositi contubernales sibi creditos sub oculis suis iuberent quotidie meditari: sed etiam ipsi armorum arte perfecti cæteros ad dimicationem proprio cohortarentur exemplo. Tribuni enim sollicitudo per hanc laudatur industriam, cum miles veste nitidus, armis bene munitus ac fulgens exercitii vsu & disciplina eruditus incedit.

Centuriones sequuntur, de quibus hæc Polyb. libr. 6. Vbi milites ad constitutam à Consulibus diem cõuenerunt deligunt, ex iis minimos ætate, fortunæque perquàm tenuis in Pilanos: iis adultiores, in eos, quos Hastatos vocant: ætate ac robore præstantes, in Principes: natu maximos in Triarios. Tot enim ac tales sunt apud Romanos differentiæ tam appellationũ quàm ætatum, imò etiam armaturarum in vnaquaque legione. Diuidúntque eos talem in modum, vt sint prouecti ætate, iidem Triarij, numero sexcenti. Principes mille ducenti, pares hastati: reliqui ætate minimi, velites pilariíve. Quòd si maiore numero constat legio pro portione diuisionem faciunt, Triariis exceptis, quorum idem semper est numerus. Ex singulis his generibus, præterquam e natu minimis, eligunt ordinum ductores optimos quosque decem, præter quos aliorũ decẽ electionẽ faciunt, atque hos quidem omnes Centuriones appellauerũt: quorum qui primus electus est, sit etiam consilij particeps. Hi rursus totidem eligunt tergiductores. Quibus peractis cum Centurionibus diuidunt ætates singulas in partes decem, exceptis Pilanis: præbéntque singulis partibus ex iis qui iam electi sunt, duos Duces, duos que tergiductores. Velites autem, qui supersunt, æqualiter in omnes partes distribuêre, partéique appellauêre ordinem, & manipulum & signum: Duces verò, Centuriones, & Principes, seu ductores

ordinum. Quod si vterque centurionum adsit, qui primus electus est, præest, qui ad sinistram signi partem sunt. Si non adsit vterque, qui præsens est, præest omnibus. Ex his intelligitur, qui centuriones fuerint, & quomodo eligerentur, videlicet, vt paucis repetam, Centuriones fuerunt illi, qui singulis ordinibus in legione præerant. Cum autem legio posterioribus quidem temporibus in decem cohortes diuideretur, cohortes singulæ rursus in ordines ternos exceptis velitibus distribuerentur: qui illis ordinibus præerant, centuriones dicebantur. Et is quidem, qui primus Triariorum centurio, siue Triariorum manipulo in prima cohorte præerat, atque reliquos omnes centuriones dignitate anteibat, consiliique particeps fiebat, Primopilus, siue Primipilus, siue primipili centurio vocabatur, qui Triariorum ordini secundæ cohortis, secundi Triarij centurio: qui tertiæ cohortis Triariis, tertii Triarij Centurio, & sic deinceps vsque ad decem: qui decimæ cohortis Triariis præerat, decimi Triarij centurio appellabatur. Quanquam Sigonio placet, reliquos Triariorum centuriones post Primipilum secundi, tertij, quarti, &c. Pili centuriones dictos fuisse. Triarios Principes sequebantur. Qui igitur Principum ordini in prima cohorte præerat, primi Principis centurio, secundæ cohortis Principi, secundi Principis centurio, in tertia cohorte, tertii Principis centurio, & sic deinceps vsque ad decem. Ita etiam qui Hastatorum ordinem primæ cohortis ducebat, Primi Hastati centurio: secundæ cohortis, secundi Hastati Centurio, & sic deinceps vsque ad decem. Transibant autem centuriones virtutis gratia ab inferiori ordine ad altiorem vt à decimo Hastato ad nonum, à nono ad octauum: sic, vsque ad primum: à primo verò Hastato non ad decimum Principem, sed ad primum Principem: nec deinde à primo Principe ad decimum Triarium: sed ad primum Triarium, qui primis temporibus vocabatur primus Centurio: posterioribus Primipilus. Atque tantùm de Centurionibus: qui plura volet scire, adeat Carolum Sigonium lib. 1. de Antiquo iure Prouinciar. c. 1. & Aldum Manutium lib. 3. de Quæsitis per epistolam, epistola 3. qui diligentissime hac de re scripserunt.

Cæterùm centuriones vbi creati erant, singulos sibi adsciscebant adiutores, quos Polybius extremi agminis, vel tergiductores, Varro & Festus Accensos, & Optiones vocant. Festi verba sunt: Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur Accensus. Is adiutor dabatur Centurioni à Tribuno militum, vt quem vellet, eligeret, vnde nomen sortitus est. Vegetius autem Optiones fuisse dicit, qui antecedentibus ægritudine impeditis, tanquam adoptati eorum atque vicarij solerent vniuersa procurare. Atque hi quidem pedestribus copiis præfuerunt: Equitibus autem, qui singulis legionibus, modò duceni, modò treceni, vt diximus, affuerunt, præpositi sunt ij, qui Præfecti equitum, ac Decuriones vocati sunt: quorum illi Tribunis militum, hi centurionibus responderunt, cùm Præfecti alas equitum ducerent, Decuriones verò turmarum decurias. De quibus legendus in hunc modum Polyb. libro 6. Equites etiam in decem alas similiter diuiserunt, atque ex singulis tres eligunt duces. Ij verò ipsi tres assumunt tergiductores, quique primus electus est, præest alæ. Duo verò Decurionum obtinent. Absente primo, secundus primi locum obtinet. Hactenus Polyb. quibus ex verbis intelligitur, qui Præfecti equitum, qui Decuriones fuerint, & quòd illi etiam Optiones, Polybius tergiductores appellat, sibi adsciuerint. Qua de re Varronis quoque & Festi verba non abs re erit adscribere. Sic autem Varro: Turma terma est, quòd terdeni equites ex tribus Tribubus Tatiensium, Rhamnensium, & Lucerum fiebant. Itaq; primi singularum Decuriarum Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis etiam nunc sunt terni, quos hi primò administros ipsi sibi adoptabant, Optiones vocari cœpti, quos nunc propter ambitionem Tribuni faciunt. Festus: Optio in re militari appellatur is, quem Decurio, aut Centurio optat sibi rerum priuatarum ministrum, quò facilius obeat officia publica. Atque de his hactenus

Caput VIII.

De aliis militaribus muneribus.

Præter eos, de quibus præcedenti capite diximus, etiam alij fuerunt militarium munerum curatores, vel Præfecti, vt puta Præfecti legionum, Præfecti sociûm, Præfecti castrorum, Præfecti fabrorum, &c. de quibus hoc capite, quæ occurrent, consignabimus.

Quis Præfectus legionis fuerit, & quod eius officium, docet Veget. lib. 2 his verbis: Proprius, inquit, iudex erat Præfectus legionis habens communem primi ordinis dignitatē, qui absente legato tanquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni, vel Centuriones

turiones, cæterique milites eius præcepta seruabant. Vigiliarum, siue profectionis tessera ab eodem petebatur. Si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate Præfecti legionis à Tribuno deputabatur ad pœnam: Arma omnium militum, item vestes, equi, annona ad eius curam pertinebant. Disciplinæ ius & seueritas exercitus non solum peditum, sed etiam equitum legionariorum præcepto eius quotidie curabatur. Ipse autem custos & sobrius legionem sibi creditam assiduis operibus ad omnem deuotionem informabat, & industriam, sciens ad Præfecti laudem subiectorum redundare virtutem.

Præfecti sociûm dicebantur, qui auxiliis id est, copiis sociorum ab Imperatoribus Romanis præpositi erant, de quibus ad hunc modum Polybius lib.6. Vbi socij vnà cum Romanis congregati sunt curam distributionis eorum tractationisque habent constituti à Consulibus Principes, Præfecti appellati, numero duodecim: qui primum ex omnibus qui accesserunt auxiliaribus, aptissimos eligunt equites, peditésque operam suam ad ministrandum Consulibus exhibituros, hos vocant extraordinarios, &c.

De Præfectis Castrorum & fabrorum ita Vegetius: Erat etiam, inquit, Castrorum Præfectus, licet inferior dignitate, occupatus tamen non mediocribus causis, ad quem Castrorum positio, valli & fossæ aestimatio pertinebat, tabernacula, vel casæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipsius curabantur. Præterea ægri contubernales, & Medici, à quibus curabãtur, expensæ etiam ad eius industriam pertinebant. Vehicula, sagittarij, necnon etiam ferramenta, quibus materies secatur, vel cæditur, quibusque aperiuntur fossæ circa situm valli & aquæductus: item ligna, vel stramina, arietes, onagri, balistæ, cæteraque genera tormentorum, ne deessent aliquando, procurabat. Hic post longam, probatamque militiam peritissimus omnium legebatur, vt recte doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.

Habet præterea legio Fabros, Tignarios, Instructores, Carpentarios, Ferrarios, Pictores, reliquosque artifices ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turrésque ligneas, cæteraque, quibus vel oppugnantur aduersariorum ciuitates, vel defenduntur propriæ: præparatos etiam qui arma, vehicula, cæteraque genera tormentorum, vel noua facerent, vel quassata repararent. Habebant fabricas scutarias, loricarias, arcuarias, in quibus sagittæ, missilia, cassides, omniaque armorum genera formabantur. Hæc enim erat cura præcipua, vt quicquid exercitui necessarium videbatur, nunquam deesset in castris, vsque eò, vt etiam cunicularios haberent, qui ad morem bessorum ducto sub terris cuniculo, murisq; intra fundamenta perfossis, inprouisi se emergerent ad vrbes hostium capiendas. Horum iudex proprius erat Præfectus Fabrorum, Ministri quidam Imperatorum, ac Tribunorum militarium fuerunt Accensi, Commentarienses, Cornicularij. De Accensis Varro: Accensos ministratores Cato esse scribit: potest id ab arbitrio: nam inde ad arbitrium eius, cuius minister. Et Vegetius: Nullis milites instituti deputabantur obsequiis, nec priuata iisdem negotia mandabantur, siquidem incongruum videbatur Imperatori, militem, qui veste & annona publica pascebatur, vtilitatibus vadare priuatis. Ad obsequia tamen Iudicum vel Tribunorum, necnon etiam Principalium deputabantur milites, qui vocabantur Accensi, hoc est, posteà additi, quam fuisset legio completa, quos nunc Supernumerarios vocant.

Commentarienses in castris Sigonius putat fuisse eos, qui obsequia militum, excubias commeatusque perscriberent. Nam talem in exercitu fuisse curam scribit Vegetius.

Cornicularios idem Sigonius opinatur fuisse Tribunorum militarium ministros, qui vigilias Tribunorum loco circumirent, atque eorumdem imperia corniculo ederent. Vnde Cornicularij ipsi merere corniculo dicti sunt à Suetonio in libro de claris Grammaticis. Ex ministris autem humilioribus fuêre Scribæ, Accensi, Præcones, de quibus prolixe egimus libro harum Antiquitatum sexto, qui est de Magistratibus.

Caput IX.

De variis militum ordinibus, generibus & discriminibus.

Hactenus de iis diximus qui militiæ præfuerunt, sequitur vt ipsorum etiam militum ordines & discrimina consideremus. Polybius lib.6. quatuor facit militũ ordines & discrimina, Pilanos scilicet, Hastatos, Principes, & Triarios, quos etiã Velites appellat, dicit eligi eos, qui minimi ætate fortunæque tenuioris sint. Velites Fest. ait fuisse milites expeditos, sic dictos, quasi volantes de quorum institutione in hunc modum Valerius Maximus lib.2.c.3. Velitum vsus eo bello primum repertus est, quo Capuam Fuluius Flaccus Imperator obsedit. Nam cum equitatus Campanorũ crebris excursationibus

equites nostri, quia numero pauciores erãt, resistere non possent, Q. Neuius Centurio, è peditibus lectos expediti corporis, breuibus & incuruis septenis armatos hastis, paruo tegmine munitos, veloci saltu iungere se equitibus & rursus celeri motu dilabi instituit, quo facilius equestri prælio subiecti pedites, viros pariter, atque equos hostium telis incesserent. Eáque nouitas pugnæ vnicum Campanæ perfidiæ debilitauit auxilium. Ideóque auctori eius Neuio adhuc honos est habitus. Hactenus Valerius.

His adultiores ait Polybius eligi Hastatos, ætate ac robore præstantiores Principes, natu maximos Triarios. Pilani dicti, qui pilis vtebantur. Hastati, qui primi hastis vtebantur: Principes, qui à principio gladiis, & post commutata re militari minùs illustres sumuntur, Triarij dicti, qui in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur. Erant & aliæ militum appellationes. Quidam enim dicebantur Adscriptitij, quidam Accensi, quidam Ferentarij, quidam Rorarij. Sunt tamen qui hos eosdem esse censent, & Adscriptitios quidem dici, quòd supplendis legionibus adscriberentur. Accensos, quòd ad censum legionum essent additi: Ferentariósque quòd fundis & lapidibus pugnaturi, ea modo ferrent, quæ in hostes eiicerent. Rorarios etiam, quòd velut ante prælium iustum rorantes dimicarent. De Adscriptitiis vel Ascriptiuis Varro lib. 6. de lingua Latina: Adscriptiui dicti, qui olim adscribebantur, inermes, qui succederẽt armatis militibus, id est, si quis eorum deperisset. Item libro tertio de vita populi Romani: De Adscriptiuis cum erant attributi Decurionibus, & Centurionibus, qui eorum haberent numerum, Accensi vocabantur. Eosdem etiam quidam vocabant Ferentarios, qui depugnabant pugnis & lapidibus, iis armis, quæ ferrentur, non quæ tenerentur.

De Ferentariis Festus: Ferentarij auxiliatores in bello, à ferendo auxilio dicti, vel quia fundis & lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non tenentur, ita appellati: Ferentarij leuis armaturæ pugnatores. Idem de Rorariis: Rorarios milites vocabant, quòd vt ante imbrem ferè rorare solet: sic illi ante grauem armaturam, quod prodibant, Rorarij dicti.

Funditores erant, qui fundis magnis dimicabant.

Duplicarij milites, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur, institutum.

Volones dicti sunt milites, qui post Cannensem cladem vsque ad octo millia, cum essent serui, voluntariè se ad militiam obtulerunt.

In veteribus lapidum inscriptionibus mentio extat militum Primanorum, Secundanorum, Tertianorum, &c. quæ nomina tributa illis sunt à numero legionum, in quibus militarunt.

De Signiferis, Aquiliferis, Draconariis, qui signa, Aquilam, Dracones in militia gestarunt, non opus est vt multa dicam.

Tesserarij dicti, qui tesseram per contubernia militum nunciabant. Metatores, qui præcedentes locum eligunt castris. Mensores, qui in castris ad podismum demetiuntur loca, in quibus tentoria milites figant; vel qui hospitia in ciuitatibus præstant.

Militum ministri & serui erant Calones, & lixæ. De vtrisque Festus: Calones militum serui, dicti, quia ligneas clauas gerebant, quæ Græci κᾶλα vocant. Lixæ, qui exercitum sequuntur quæstus gratia, dicti, quod extra ordinem sint militiæ, eisque liceat, quod libuerit. Nonius Marcellus: Lixarum proprietas hæc est, quod officium sustineant militibus aquæ vehendæ. Lixam námque veteres aquam vocauerunt. Calonum quoque proprietas hæc habetur, quòd ligna militibus subministrent. Atque de variis militum ordinibus hactenus.

Capvt X.

De variis armorum appellationibus.

De variis militum ordinibus diximus, restant nobis explicanda ipsorum arma. Non omnes eodem armorum genere vtebantur, sed prout diuersi militum ordines erant ita etiam diuersa eorum fuerunt arma. Qua de re Polybium lib. 6. loquentem audiemus: Natu minimi, inquit, quos Velites, & Pilanos appellãrunt, iubentur gestare gladium, pila, parmámque. Parma tum firmitatem habet ob structuram, tum magnitudinem, quæ tutando sit corpori satis. Nam rotunda cùm sit, tripedalem habet diametron. Adornatur prætereà miles, & simplici casside, cui lupi pellem imponũt, aut eiusmodi aliquid quod in tegumentum pariter, insignéque sit, vt in prælio suos quique Principes strenuè aut ignauiter se gerentes, latère non possint. Pili telum lignum habet longitudine plerunque bicubitali, crassitudine digitali, spiculum vnius spithamę siue palmi maioris, eò vsque attenuatum & acutũ, vt mox primum post ictum necessario flectatur, fitque inhabile ad remittendũ, alioqui

alioqui commune fieret telum.

Eos qui deinceps hos ætate excedunt, Hastatique appellantur, armaturam ferre iubent. Est autem Romana armatura primùm sanè scutum θυρεὸν, cuius latitudo curuę superficiei pedum duorum semis, longitudo pedum quatuor: maiori additi amplius quatuor digiti, duplici tabulato, glutino taurino, linteolo infuso compactum: eius exterior superficies vituli corio integitur, hinnuli ve, aut eiusmodi animalis. Habet circumferentia ferreum munimen à summis, imisque partibus, quo ensium ictus vehementiores tutò excipit, terræque adnitendo non corroditur. Impactus est eiusmodi scuto etiam ferreus vmbo, qui ingentes sustinet ictus ac lapidum impetum, sarissarúmve, telique quantumlibet violenti. Vnà cum scuto ensis pendet ad dextrum femur, Hispaniensem vocant, anceps est, mucrone eximio: defertur violenter, eò quod obeliscus eius firmus, stabilisque existit. Ad hæc veruta duo, galeáque ænea, & crurum tegmen ocrea. Veruta hæc partim crassiora sunt, partim tenuiora. Ex firmioribus, quæ teretia sunt, trientalem habent diametron: quæ quadrata, trientale latus: tenuiora hastilibus modicis assimilantur, quæ gerunt cum cæteris, quæ prædicta sunt.

Horum omnium longitudo ligni tria cubita non facilè excedit. Impactum est singulis tegulis ferrum, vtrinque hamatum, eâdem qua lignum longitudine: cuius nexum, structurámque tam firmiter muniunt ad medium vsque lignum inserentes, crebrisque fibulis, clauisque transfigentes, vt non priùs vtendo relaxetur, quàm ferrum frangatur: licet sit crassitudinis in imo, vbi adhæret ligno, digiti vnius ac semis: eò vsque ac tantùm adhibent diligentiæ in nectendo. Præter hæc omnia, adornantur corolla plumea, pennisque tribus puniceis, aut nigris erectis, longitudinis fermè cubitalis, quæ cùm in summo vertice cæteris armis addiderint, vir quidem apparet duplo maior quàm sit: eius verò aspectus pulcher, hostibúsque terribilis, atque plerique accepto ære vnius spithamæ, quoquo versus quod adhibent pectori, vocantque cordituum, perfectam habent armaturam. Qui verò censum excedunt drachmarum decem millium, pro cordituo, cum cæteris armis, hamis consertos induunt thoraces. Idem armandi modus est etiam circa Principes Triariósque, præterquàm quod pro verutis Triarij hastas gerunt. Hactenus Polyb. cum quo etiam Dionysius, Liuius & alii consentiunt. De clypeo adhuc dicam, cuius Polybius non meminit. Nam quod Ianus Lascaris Græcum θυρεὸν Latina voce clypeus reddidit, in eo erroris conuincitur ab Aldo Manutio, qui ipsum clypeum pro scuto male accepisse, ostendit. Clypeus enim non quadratus fuit, quemadmodum scutum, quod à Polybio describitur: sed rotundus, ex ære factus minor scuto, de quo videndus Aldus Manutius libr. 2. de Quæsitis per epistolam epist. 6. Telorum ac iaculorum gladiorumque vocabula aliquot recenset Agell. libro 10. capite 25. Hastam, pilum, phalaricam, semiphalaricam, solliferream, gesam, lanceam, sparos, rumices, trifaces (sic enim emendat Iustus Lipsius) tragulas, frameas, mensaculas, cateias, rhomphæas, scorpium, scribones, salices, veruta, enses, sicas, macheras, spatas, lingulas, pugiones, climaculas. Sed cùm ex iis pauca admodum ad Romanam armaturam pertineant, de quibus vel iam antè diximus, vel paulò pòst dicturi sumus, in eorum explicatione hoc loco non immorabor. Exponuntur tamen passim à Grammaticis, qui de iis sunt consulendi.

Capvt XI.

De Expeditione.

Ostendimvs hactenus, qua ratione bellum sit hostibus indictum, quo modo delectus habitus, qui Duces belli, qui militarium munerum Præfecti, qui ordinum ductores, qui militum ordines, quæ arma eorum fuerint; iam exercitum educemus, & quo ordine expeditio facta sit, docebimus. Vbi dux imperium à populo acceperat, bellúmque ipsi commissum erat, in Capitolium ibat, ibique solennia vota pro Republica nuncupabat: atque inde paludamento, lictoribus, insignibúsque imperij cæteris assumptis, rectà ad portam Vrbis ibat, ad quam salutatus, amicis officij causa aliquanto viæ spatio prosequentibus, ac bene ominantibus, ad bellum proficiscebatur. Seruius doctissimus Grammaticus in 8. Æneidos annotat moris fuisse, vt is, qui belli curam susceperat, sacrarium Martis ingressus, primò ancilia commoueret, post hastam simulachri ipsius, diceretque: Mars, vigila.

Cæterùm quo ordine incesserit exercitus, Polyb. libro 6. docet, cuius verba ex versione Iani Lascaris hæc sunt: Plerumque, inquit, primi incedunt extraordinarij: hos sociorum dextrum subsequitur cornu: quos deinceps sua iumenta sequuntur. Post eos ii Romanorum prima le-

gio, habens pone impedimenta sua: tum secunda incedit legio, sequentibus ipsam suis vehiculis, sociorumque impedimentis, qui agmen cogunt. Vltimum enim, dum incedunt, læuum sociorum cornu tenet locum. Equites interdum sequuntur à tergo suas quique partes: alias iumentorum latera obequitant, stipantes ea, tutúmque præbentes incessum. Quòd si quæsita tergo suspicio, cætera quidem apud ipsos eodem se habent modo: ipsi verò sociorum extraordinarij à fronte ad tergum traducuntur, alternisque diebus legiones & cornua eadem præcedunt, rursúmque sequuntur à tergo, vt aquationis, frumentationisque integræ æqualiter omnes participes fiant mutantes semper ordinem, vt alternatim primi incedant.

Vtuntur etiam alio genere incessus temporibus parum tutis. Patentibus enim campis ducunt triplicem phalangem æquidistantem, Hastatorum, Principum, Triariorum: præponentes antecedentium iumenta omnibus. Post prima verò signa, eorum, qui secundi incedunt: post secunda, eorum, qui tertij: & ad proportionem sic alternatim ponentes iumenta, & signa. Hunc in modum ad iter instructi, cum aliquid grauius acciderit, modò ad scutum declinantes, modò ad hastam, producunt signa præter impedimenta ad hostium aspectum, breuique tempore, atque vna motione armatorum ordo recipit instructionis dispositionem: præterquàm si aliquando Hastatos euolutione vti oportuerit. Iumentorum autem, cæterorúmque ea sequentium multitudo, post instructos sese subducentes, locum obtinet in periculis competentem. Cum verò incedentes appropinquauerint ad locum idoneum locandis castris præcedunt Tribunus, & Principes ordinum quicunque huic muneri assiduè fuerint addicti: qui posteaquàm conspexerint totum locum, qui optandus sit ponendis castris, deputant primùm, vbi sit ponendum tentorium Imperatoris, post alia, &c. Hactenus Polyb. Quæ tamen non ita intelligenda sunt, quasi semper hic ordo in expeditione sit obseruatus. Is enim sæpenumerò mutatus & varius fuit, vti vel ex solius Caij Iulij Cæsaris commentarijs intelligere licet Qua de re, qui volet, legat Petri Rami librum de Militia C. Iulij Cæsaris parte 2. Et hæc terrestris itineris ratio erat. Flumina autem quatuor traiiciebantur modis, primùm ponte, qui quomodo construi soleret, Cæsar in Commentarijs suis passim docet, & Petrus Ramus, in eo quem de Cæsaris militia scripsit, libello, vt interim de alijs taceam. Secundus modus traiiciendi fluminis est, quando exercitus nauibus traducitur. Tertius est, cùm flumen in plures alueos diductum, transitum exercitui præbet. Quartus cùm equitatus in flumine dispositus, vim illius infringit, vt peditatus tranare incolumis possit. Quorum modorum omnium exempla sunt apud Cæsarem.

Cæterùm & illud hoc loco non est silentio prætereundum, vsitatum fuisse, vt milites legionarij secum ferrent non solùm arma, sed & vallum, & cibaria. Vnde Cic. li. 2. Tuscul. quæstion. Nostri exercitus, inquit, primùm vnde nomen habeant, vides: deinde qui labor, quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre, si quid ad vsum velint: ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim, membra militis esse dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, membris pugnare possint. Hæc Tullius de sui temporis militia. Liuius verò anteà non dimidiati, sed integri mensis cibaria militem ferre solitum docet libr. 44. His igitur rebus onusti milites, tamen singulis diebus vbi opus erat, viginti, aut viginti quatuor millia passuum emetiebantur, quemadmodum Vegetius, & cum eo alij tradunt. Atque de expeditione hactenus.

CAPVT XII.

De castrametatione, & Castrorum motione.

QVæ vero Castrorum forma fuerit, quomodo ea sit disposita, audiemus ex Polybio scriptore accuratissimo & grauissimo, cuius locum hac de re integrum ex interpretatione Iani Lascaris (aliam enim videre hactenus non contigit) adscribam. Genus Castrametationis eorum, inquit Polyb. est huiusmodi. Loci eius, qui maxime idoneus videtur ad Castrametandum, aptissimam partem ad prospiciendum præsepiendumque, Imperatoris tentorium occupat. Positóque signo, vbi illud fixuri sunt, metiuntur, circa signum spacium quadratum sic, vt omnia latera distent à signo pedes centum, planum eius fit quatuor actuum. Ad huius figuræ semper vnum aspectum, vnumque latus, quod visum fuerit aptissimum aquationibus, pabulationibúsque locantur Romanæ legiones in hunc modum Cùm sex Tribuni sint in vnaquaque legione, duæque Romanæ legiones vtrumque Consulem sequantur, perspicuum est, duodecim Tribunos necessario militare sub vtroque Consule. Ponunt autem

rem horum tentoria ad vnam rectam lineam omnia, quæ sit æquidistans lateri quadrati præoptato, distétque ab eo pedes quinquaginta, quasi interiumentisque, ac reliquis Tribunorum sarcinis locandis idoneus locus. Tentoria auersa figuntur à prædicti quadrati latere, spectantia exteriorem aspectum, qui omnino dicendus, vocandúsque semper à nobis est toti figuræ oppositus. Distant inter se Tribunorum tentoria æquali spacio, atque eo vsque extenduntur, vt totam Romanarum legionum tendentium latitudinem assidue occupent, demenso rursus spacio centum pedum in anteriorem partem ab omnibus tentoriis, postea à præfiniente hanc latitudinem recta linea, quæ sit æquidistans Tribunorum tentoriis: ab hac inquam facere incipiunt legionum tabernacula, struentes hunc in modum. Cum secuerint bifariam rectam lineam ab eo puncto rectis ad lineam angulis, Equites vtriusq; legionis oppositos inter se vocant, pedes quinquaginta inter se distantes, sectione in medio interualli habita. Est autem Equitum peditúmq; locatio tentoriorum similis: redditur enim tota species tam signi, quàm turmæ, quadrata. Hæc autem respicit viarum interualla, habétq; præfinitam longitudinem viæ adhærentem: est enim centum pedum. Plerunq; etiam altitudinem parem facere student præterquam sociorum. Quod si maioribus vtuntur exercitibus, tum longitudini, quàm altitudini addunt ad portionem. Cum autem accidat, vt respondeant Equitum tabernacula mediis Tribunorum tentoriis, efficitur quasi striga quædam (vel vicus) transuersa ad supradictam rectam lineam, & locum ante Tribunos vacuum. Nam reuera strigis persimilis fit tractus vniuersi speciei. Quippe cùm ex vtraque parte hinc manipuli, indéq; sint turmæ productim interpositæ: præterquà quòd post prædictos Equites vtriusque legionis triarios ad singulas turmas singula signa forma perquam simili collocant, figurisq; sese inuicem contingentibus, sed respicientibus in alteram partem, aduersis ab Equitum aspectu dimidiata altitudine ad longitudinem signi cuiusque, eo quòd multitudine etiam dimidio pauciores plerunque sunt ij cæteris partibus. Quamobrem cum inæqualis existat sæpenumero virorum multitudo, contingit vt semper adæquentur secundum longitudinẽ partes omnes ab altitudinis differentia. Rursus quinquaginta pedum interuallo ab iis vtrisque distantes, oppositos Triariis locant Principes, versis autem iis quoque in prædicta interualla duæ hæ præficiuntur strigæ, initia quidem ab eadem recta linea capientes, aditúsque sicut Equites: ab distantia videlicet centipede, quæ ante Tribunos est: desinentes autem in latus castrorum Tribunis oppositum, quod ab initio proposuimus oppositum esse toti Castrorum formæ. Post Princeps similiter auersos contingentibus se figuris locant Hastatos. Cúmque decem signa habeant ex prima diuisione strigæ omnes, contingit eas omnes etiam longitudine pares fieri, earúmq; sectiones, postremas inquam partes ad latus valli oppositum adæquari: ad quod etiam vltima vertentes signa castrametantur. Ab Hastatis rursus quinquaginta relinquentes pedum spatium, sociorum Equites iis oppositos locant, sumentes initium ab eadem recta linea, desinentésque in idem latus. Est autem sociorum multitudo peditum, vt ante dixi, par legionibus Romanis, extraordinariis duntaxat inferior, Equitum duplo maior ablata horum quoque extraordinariorũ tertia parte, ob id horum etiam altitudinem augentes pro portione, in castrametationum figura conantur longitudinem quoque Romanis legionibus adæquare.

Confectis autem omnibus quinque viis, auersa rursum ab Equitibus ponunt socialium peditum signa, augentes altitudinem ad portionem, vallum respicientia, transuersúmque vtrunque latus. Per singula signa prima, quæ sunt ab vtraque parte, tabernacula Principes ordinum capiunt, simúlque prædictum in modum intercalantes per singulas partes sextam turmam à quinta, pedes quinquaginta submouent: itidem & peditum ordines, adeo vt fiat hic quoque alius per medias legiones transitus transuersus vtrique ad strigas, sed æquidistans Tribunorum tentoriis via, quam vocant quintanam, eo quòd post quinque ordines traducitur.

Locus qui Tribunorum tentoriis à parte posteriori subiacet, atque vtrique parti Imperatoris tabernaculo adiacet, partim foro, partim Quæstori, eiúsque commeatibus deputatur.

Ab vltimo vtriusque parti Tribunorum tentorio à parte posteriori quasi inflexum tenentes ordinem versus tentoria extraordinariorum Equitum electi, & quidam voluntarij in gratiam Consulum militantes, versus transuersa valli latera locantur: spectantes quidam ad Quæstorios commeatus, quidam parte altera forum versus. Plerunque autem contingit, vt non ij solùm contubernia habeant propinqua Consulibus, verùm etiam vt incedente exercitu, atque in cæteris vsibus circa Consulem, Quæstorémque diuersentur, eique operam curamque impendant.

Apponuntur iis vallum spectantes, qui eundem præbent vsum pedites, quem prædicti Equites, deinceps verò peruium relinquitur spatium latitudinis centum pedum, æquidistans, Tribunorum tentoriis vltra forum Prætorium, Quæstoriúmque, productum per

omneis antedictas valli parteis, ad cuius latus superius sociorum Equites extraordinarij castrametantur, spectantes forum, Prætorium, Quæstoriumque.

Ad media horum Equitum contubernia, & ad ipsum Prætorij locum transitus relinquitur quinquaginta pedum, ducens ad posterius Castrorum latus, ordine ad rectos angulos positus prædictæ plateæ. His equitibus rursus auersi ponuntur auxiliares extraordinarij pedites vallum spectantes, posteriusque totius castrametationis latus.

Vacuus autem locus, qui ex vtraque horum parte superest, versus transuersa latera datur externis, iisque qui pro tempore socij aduenerint.

His sic se habentibus, tota quidem castrorum forma efficitur quadrata æquis lateribus.

Particulares autem figuræ tam sectionis strigarum, quàm reliquæ dispositionis, vbi simillimam speciem præ se ferunt.

Vallum à tentoriis per omnia latera ducentos submouent pedes, quod vacuum multas ipsis commoditates præbet.

Etenim rebus in castra importandis exportandisque valdè opportunum, quando singuli, vt quæque strigarum proxima est, in hoc vacuum egrediuntur, neque in vnum concursantes subuertunt, calcantque se inuicem: quæque habent, aut abigunt pecora, prædá que ex hostibus huc deducentes, tutò per noctem seruant, & quod præcipuum est, si noctu hostis aggrediatur, neque ignis, neque telum peruenit ad ipsos, præter admodum rara, atque innocua ferme propter magnitudinem distantiæ, tentoriis præsertim circuniectis.

Data igitur multitudine peditum, Equitúmque vtrumque in modum, siue quatuor seu quinque millium singulas legiones faciant: similiter & signorum altitudine, longitudineque ac multitudine concessa: & adhæc distantiis itinerum, platearumque, nec non omnibus aliis concessis, facile est volentibus considerare quam sit locus capax, castráque quàm ampla.

Quod si aliquando abundet sociorum multitudo, siue hi ab initio castra secuti sint, siue postea per occasionem accesserint: ij quidem qui per occasionem accesserint, ea etiam quæ circa Prætorium sunt, replent spatia, forúmque & Quæstorium contrahunt in vnum, cogente temporis necessitate: iis verò, qui vnà cum exercitu à principio exiuêre, si sit abundans multitudo, addunt strigam vnam ab vtraque parte Romanarum legionum, versus transuersa latera.

Omnibus autem quatuor legionibus, Consulibúsque ambobus in vna Castra coëuntibus, congregatisque, nihil aliud cogitare oportet, quàm duos exercitus, prout dudum exposuimus, pariter castrametatos auersos inuicem iunctos esse, contingentes semet ad contubernia extraordinariorum vtriusque exercitus: quando sanè contingit, vt figura fiat oblonga, locus duplò priore maior, circumferentia sesqui altera.

Cum igitur ita eueniat, vt Consules vnà castrametentur, sic semper vtuntur castrametationibus. Cum verò seorsum, reliqua sanè similiter: forum autem, Prætorium, Quæstoriumque in medio statuunt vtriusque exercitus. Hæc omnia Polybius.

Ex quibus intelligi potest, quæ Castrorum Romanorum forma fuerit. Nonnunquam tamen aliter constructa ea fuerunt. Cæsar lunatis Castris Thapsum (vt est in historia Africani belli) operibus circummuniuit.

Vegetius triquetram & semirotundam formam nominat, quem diligens lector de castrametatione etiam legere poterit. Illud hoc loco, antequam ad alia accedam, monebo, Romanos ante Camilli tempora tantum per æstatem militiæ esse consueuisse, & domi suæ hyemare: eo autem tempore, quo Veij obsessi, primum cœpisse castellis ædificatis, castrisque munitis, in hostico hyemem cum æstate continuare, Plut. in Camillo, Liuius libro quinto.

Notandum & hoc est, tentoria siue tabernacula exercitus Romani ex pellibus fieri consueuisse: quod ex Valerio Maximo libro secundo capite secundo, & aliis est manifestum: hinc toties apud auctores legitur, sub pellibus milites habere, exercitum sub pellibus retinere, sub pellibus esse: quod nihil aliud est, quàm exercitum in tentoriis, quæ ex pellibus fieri solebant, habere, retinere, in tentoriis esse, in castris esse. Vide Carolum Sigonium scholiis in Liuium libro quinto, initio, Iacobum Ræuardum libro quarto Variorum, capite tertio, & alios.

Neque hoc prætermittendum est, Castra Romanorum vt plurimum portas habuisse quatuor. Prima erat Prætoria, quæ & Quæstoria dicta est: ea vel orientem solem spectare, vel è conspectu hostium dirigi solebat. Quod eo fiebat, vt si quando ad arma conclamatum foret, sine tumultu extra castra contrahi multitudo & explicari ordines, signáque educi possent. Etenim vbi acie decernendum erat, illinc cohortes educi, & copiæ admoueri solebant.

Vbi etiam militum statio copiosa instructaque ad subitos conatus esse debebat, cui etiam Principali nomen datum.

Altera,

Altera à tergo Castrorum Decumana, eò quòd ampla & patens: ex qua desertores & facinorosi, in quos iure militari animaduertendum erat, educebantur, & pœnis coërcebantur.

Tertia erat principalis, ex qua Principes & summi Duces velut ex postico, siquando opus esset, opem suis laborantibus ferebant, ordines tendebant, & milites educebant.

Via quoque, quæ ad eam portam ferebat, Principalis dicta est. Quarta erat post Prætorium & Quinctana dicebatur, quippe per eam commeatus in castra conuehi, & rerum vtensilium copia venalis exponi: inde etiam merces, ad vsum militaris multitudinis, quæque bello vsui essent, importari & exportari solebant. Vide præter Festum, Alexandrum Neapolitanum lib. 1. Genialium dierum, c. 12.

Præter quatuor has portas ait Turnebus libro Aduersariorum 30. ca. 24. fuit etiam Extraordinaria, prope quam tendebant Extraordinarii. Liuius libr. 40. Erumpere extraordinaria porta iussit. Quæstoria, quæ propinqua erat Quæstorio. Liuius eodem libro: Quinctus Fuluius Flaccus legatus cum dextera alia ad Quæstoriam portam positus. Sed & duæ Principales erant, Dextra, & Sinistra à Principalibus nomen adeptæ. Liuius lib. 40. ad dextram Principalem Hastatos legionis primæ instruxit, &c. Hactenus ille.

Prætorium dicebatur tabernaculum, quod Duces exercituum, vel Imperatores, siue Consules, siue Dictatores, siue Prætores, siue Tribuni militum Consulari potestate ij essent, occupabant.

Nomen autem inde habet, quòd initio Consules, qui plerumque bella administrabant, Prętores dicerentur. Quæstorium erat tabernaculum Quæstorum. Tantum de Castris, & eorum metatione.

De motione adhuc dicendum, de qua Polybius libro 6. ita scribit. Castra mouent in hunc modum: Vbi primum datum fuerit signum, detrahunt tentoria, componuntque sarcinas: sed neque deponere, neque erigere licet cuipiam, antequàm Tribunorum, Imperatorisque tentorium erigatur, deponatúrve. Vbi secundum, imponunt onera iumentis. Vbi tertium, procedere oportet primos, mouereque tota castra. Incedunt vero eo ordine, qui paulo ante, cum de expeditione ageremus, à nobis ex Polybio est indicatus. Vt autem iis, quæ hoc capite de veteri Romanorum castrametatione dicta sunt aliquid lucis accederet, operæ precium me facturum sum arbitratus, si typum illius Castrametationis, ex libro quarto Commentariorum Reipublicæ Romanæ VVolfgangi Lazii hic insererem, præsertim cum is cum descriptione Polybii, quem nos secuti sumus, per omnia conueniat. Quod meum consilium vt probes, te, beneuole lector, etiam atque etiam rogo.

Capvt XIII.

De disciplina Castrensi, & de Vigiliis.

Quæ porrò Castrensis Romanorum disciplina, quæ vigiliarum ordinatio fuerit, luculenter explicat idem Romanæ historiæ scriptor diligentissimus Polybius, cuius hæc in fragmentis libri sexti verba sunt. Vbi castrametati sunt, conuenientes Tribuni, ab omnibus qui in castris sunt liberis pariter seruísque singulatim iusiurandum exigunt. Iurant autem illi, se nihil è castris furto ablaturos: imò si quis etiam inuenerit quippiam, id allaturum ad Tribunos: deinceps ordinant signa, atque ex vtraque legione principum Hastatorúmque duo ad loci curam deputant, qui ante Tribunos est. In hac enim platea maxima pars Romanorum quotidie versatur, idcirco studium adhibent, vt ea aspergatur, verraturque diligenter. Ex reliquis duodeuiginti tria quisque Tribunorum sortiuntur: Nam tot sunt Hastatorum, Principumque in singulis legionibus signa, secundum ante dictam diuisionem. Tribuni autem sex, tria signa, vicissim singulatímque ministrant. Tribuno ministerium huiuscemodi. Castris loco assignato, tentorium erigunt ij locumque circa tentorium pauimentant: & si quid circumsepire oporteat ad vasorum custodiam, id ipsis curæ est. Dant etiam excubias duas. Excubia quatuor viris constat, quorum pars tentorium iuxta equos excubant. Cùm igitur tria quisque signa Tribunus habeat, atque in iis singulis viri sint ampliùs centum exceptis Triariis, Velitibúsque, qui huiusmodi ministerium haudquaquam exhibent, opus quidem leuę fit, eò quòd quarto quoque die ad singula signa ministerium peruenit. Tribunis autem ex præfatis ministeriis vsus pariter necessarius: honorque atque obedientia exhibetur. Triariorum signa Tribunorum ministeriis eximuntur, sed turmis equitum singulis diebus ministeria præbent, vt quique

proximi sunt post turmas locati: qui custodiunt etiam alia, sed præsertim equos, ne aut implicati vinculis lædantur, futuri inutiles ad opus: aut soluti, atque inuicem irruentes, turbas tumultúsque excitent in castris. Cæterùm vnum ex omnibus signum excubat quotidie per vices ante Imperatorem, quod securitatem pariter Imperatori præbet aduersus insidias, ornátque speciem Magistratus, fossæ ac valli duo latera sociis curæ sunt, quibus proximum vtrumque eorũ cornu locatum est: duo alia Romanis, vtrique legioni vnũ. Cũque singula latera per signa diuisa distributá que sint, particularis sane cura ordinum ductoribus incumbit præsentibus adstantibúsque. Vt autem vniuersum latus bene se habeat, duobus Tribunis similiter, reliquam etiam legionis curam hi sunt qui gerunt. Bini enim inter se diuisi bimestre spatium semestris temporis vicissim imperant: vniuersósque quibus sors obtigit, subdiali vsui præsunt. Idem modus principatus est etiam Præfectorum inter socios, equites, ordinúmque ductores omnes: oriente luce accedunt ad Tribunorum tentoria, Tribuni ad Consulem: ille quod instat agendum, Tribunis edicit: Tribuni Equitibus, ordinumque ductoribus: ij multitudini promunt tempore oportuno. Nocturni signi traditionem tutam præstant, hunc in modum: ex singulis generibus Equitum peditumque decimi signi, quod vltimum castrametatur, ad extremitatem strigarum: ex iis vir vnus eligitur, qui excubiarum ministeriis non tenetur: verùm accedit singulis diebus occidente Sole ad tentorium Tribuni, & accepta tessera (ea est tabella inscripta) recedit. Cumque secesserit ad signum suum, tradit tabellam signumque adhibitis testibus proximi signi Princip, ille similiter proximi: idémque faciunt omnes deinceps, donec ad prima, ac prope tribunos locata signa peruenerit. Hos autem oportet tabellam nondum obortis tenebris referre ad Tribunos: & si relatæ sunt omnes quæ datæ sunt, cognoscunt signum datum esse omnibus, pérque omneis ad sese peruenisse: at si quid defuerit, confestim inquirit Tribunus, quidnam commissum sit, percipítque ex inscriptione, quanam ex parte tabella venerit: atque vbi repertum fuerit impedimentum, conueniens infertur mulcta. Vigilias disponunt hunc in modum: Imperatorem eiusque tentorium, accubans custodit signum: Tribunorum tentoria & Equitum turmas deputati, vt modò dictum est ex singulis signis. Itidem per singulos ordines omnes ex se ipsi custodias disponunt, cæteras Imperator, fiuntque plerumque tres excubiæ: apud Quæstorem vna, binæ apud Legatos, Consiliariósque: exteriorem castrorum aspectum Velites complent, totum interdiu vallum circumsidentes: Etenim hoc illis iniungitur ministerium. Portas singulæ ex iis decades accubantes seruant: eos qui sunt vigiliis deputati, ex singulis custodiis, qui primam vigiliam acturi sunt, vnus ex signis singulis tergiductor vespere ducit ad Tribunum: is dat singulis taleolas per singulas vigilias breueis admodum habentes characterem: illi cum acceperint, ad assignata recedunt loca. Fides circuitionis Equitibus committitur. Oportet enim primum alæ ductorem per singulas legiones præcipere vni ex suis tergiductoribus summo mane præceptum huiusmodi, vt is edicat ante prandium quatuor adolescentibus alæ suæ, ad eos pertinere circuitionem noctis proximè accessuræ. Post hæc oportet idem præcipiat, sequentis alæ ductori ante noctem, quòd illi incumbat cura circuitionis in sequentem diem: is cùm audiuerit, oportebit vt similia faciat his, quæ prædiximus in sequentem diem, atque hunc in modum, & cæteri deinceps. Qui verò præoptati sunt per tergiductores ex prima ala quatuor, vbi sortiti fuerint vigilias conferunt se ad Tribunum, accipiuntque in scriptis, quotque vigilias circuire oporteat. Posteà verò accubant ij quatuor iuxta primum signum Triariorum, cuius Princeps curam gerit, vt competens vigiliis signum tuba detur. Cùm vero tempus accesserit, primam visit vigiliam, qui eam visendam sortitus est. Circuit autem prædicta loca non solùm circa vallum, aditusque, sed omnia per signa singula, turmásque: & si inuenerit vigiles primæ vigilantes, accipit ab iis taleolam: sin autem offenderit quempiam dormientem, aut locum deseruisse, attestatus proximos abit. Idem fit etiam ab iis, qui deinceps vigilias circumeunt. Dandi autem signum buccina (sicuti paulò ante dixi) per singulas vigilias, quod circuitoribus conueniat cum vigilibus, ductoribus ordinum primi signi Triariorum vtriusque legionis quotidie cura incumbit. Circuitorum singuli sub ipsam lucem referunt tesseras ad Tribunum, & si omnes redditæ fuerint, sine delicto abeunt. At si quis pauciores attulerit quam sit custodiarum multitudo, inquirunt ex charactere, quænam custodia defecerit, qua re cognita, vocatur ordinum ductor. Is autem ducit eos, quibus est commissa vigilia, ij disceptant cum circuitore: & si custodium fuerit derelictum, confestim profert id circuitor, adhibitis testibus, qui proximi fuere: tenetur enim hoc facere, ac si nihil huiusmodi factum sit, crimen recidit in circuitorem, statimque aduocato concilio, coram Tribuno dicit causam: & si condemnetur, fuste cæditur. Hactenus Polybius. His igitur expositis, tempus est, vt aciem tandem instruamus, quod faciemus capite proximè sequente.

CAP.

Caput XIV.

Instructio aciei.

QVæ in genere de militia Romana scitu fuerunt necessaria, hactenus exposuimus: sequitur, vt aciem tandem instruamus, quæ ipsa res paulò altius est repetenda. Quo die pugna erat cum hostibus committenda, signum in castris Romanis proponebatur, videlicet tunica purpurea vel coccina supra Prætorium expansa, cuius meminit Plutarchus in Fabio & alibi. Liuius, ac Polybius. Post, vbi iam ad bellum exeundum, & exercitus castris educendus esset, signa militaria, quæ in castris fixa erant, captatis auguriis euellebantur è terra. Habebatur autem hoc inter fœlicia auguria, si auellentem signa facilè sequerentur. Ideòque Crassus in Arabis bello Parthico cum filio occisus legitur, quod iturus ad prælium auellere signa vix potuerit. Educto castris exercitu, acies instruebatur. Quod qua ratione fieri consueuerit, ex Liuio aliquo modo intelligi potest, qui li. 8. multis verbis instructã aciem describit, quæ cùm maximoperè huc faciant, non grauabor adscribere. Ita igitur Liuius. Clypeis anteà Romani vsi sunt: deinde postquàm stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecère, & quod anteà Phalanges similes Macedonicis, hoc posteà manipulatim structa acies cœpit esse: posteà in plures ordines instruebatur. Ordo sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium unum habebat. Prima acies Hastati erant, manipuli quindecim distantes inter se modicum spatium. Manipulus leues vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. Leues autem, qui hastam tantum gesaque gererent vocabantur. Hæc prima frons in acie florem iuuenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde ætas totidem manipulorum, quibus Principibus est nomen: hos sequebantur scutati omnes, insignibus maximè armis: hoc xxx, manipulorum agmen Antepilanos appellabant, quia sub signis iam alij quindecim ordines locabantur: ex quibus ordo vnusquisque tres partes habebat, earum vnamquamque primum pilum vocabant: tribus ex vexillis constabat. Vexillum cxxvi. homines erant: primum vexillum Triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundum Rorarios, minus roboris ætate factisque: tertium Accensos, minimæ fiduciæ, eò & in postremam aciem reiiciebantur. Vbi his ordinibus exercitus instructus esset, Hastati omnium primi pugnam inibant: si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in interualla ordinum Principes recipiebant, tum Principum pugna erat: Hastati sequebantur. Triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris hastas sub erecta cuspide in terra fixas, haud secus, quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque satis prospere non esset pugnatum, à prima acie ad Triarios sensim referebantur. Vnde rem ad triarios rediisse, cùm laboratur, prouerbio increbuit. Triarii consurgentes, vbi in interualla ordinum suorum Principes & Hastatos recepissent, exemplò compressis ordinibus velut claudebant vias: vnoque continenti agmine iam nulla spe post relicta, in hostem incedebant. id erat formidolosissimum hosti, cùm velut victos insecuti, nouam repentè aciem exsurgentem, auctam numero cernebant. Scribebantur autem quatuor ferè legiones quinis millibus peditum, Equitibus in singulas legiones trecentis: alterum tantum ex Latino delectu adiiciebantur, qui ea tempestate hostes erant Romanis, eodemque ordine instruxerant aciem, nec vexilla cum vexillis tantum, vniuersi Hastati cum Hastatis, Principes cum Principibus sed Centurio quoque cum Centurione: si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebant: Hactenus Liuius, qui vniuersum exercitum in tres partes distribuit. Primam aciem Hastatos facit, id est, leues milites, ac scutatos, in eamque pubescentes ad militiam omnes conicit, alteram Principes, vna cum scutatis, quos Antepilanos vocabant: tertiam ex quindecim ordinibus constituit, quorum vnusquisque tres partes haberet, earum vnamquamque primum pilum vocabant: ex tribus vexillis constabat, Triariorum, Rorariorum, & Accensorum, quorum Rorarii inter Antepilanos primò procurrebant, deinde etiam Accensi eò procedebant, vt cum denique viribus hostium vel exhaustis, vel debilitatis, integri & recentes Triarij pugnam capesserent. Polybius libro 6. eundem ferè ordinem, sed clarius describit. Legionem enim quadrifariam diuidit in Pilanos, minimos natu. Hastatos in proximos ætate, Principes florentissimis armis, & Triarios maximos natu. Pilanos quidem, Hastatosque & Principes millenos ducenos. Triarios autem sexcentos. Si maior fiat legio, proportione partes augeri dicit, exceptis Triariis, quos semper efficiant pares.

Cæterum non vno semper modo acies instructa fuit, sed diuersis, quod videre est tum apud Cæsarem in ipsius Commentariis tum apud Ælianum in libro singulari de instruenda acie, ad quos harum rerum studiosum lectorem remitto. Agellius libro 10. capit. 9. aliquot vocabula

militaria, quibus instructa certò modo acies appellari soleat, recenset: qualia sunt, frons, subsidia, cuneus, globus, forfices, serra, alæ, turres, eáque dicit inueniri in libris eorum, qui de militari disciplina scripserunt, tralatáque esse ab ipsis rebus, quæ ita propriè nominantur, earumque rerum in acie instruenda, sui cuiusque vocabuli imagines ostendi.

Frons. * * *

Subsidia dicebantur illi milites, qui post aciem subsidebant, vt laboranti exercitui subuenirent.

Cuneus dicebatur acies cuneum repræsentans, sicut orbis, globus, forfices, &c. quæ in modum globi, orbis, forficis instruebatur. Vegetius libr. 3. ait, Cuneum peditum multitudinem vocari, quæ iuncta cum acie primum angustior, deinde latior procedat, & aduersariorum ordines rumpat: quia à pluribus in vnum locum tela mittantur. Quam rem, inquit, milites vocant caput porcinum. Typum eius habet Ælianus in libello de instruendis aciebus.

Alæ, dictæ sunt exercitus Equitum ordines, quod circum legiones dextra, sinistraque tanquam alæ in auium corpore locabantur. Cincius libro 6. de re militari, apud Agellium libr. 16. capite 4.

CAPVT XV.

De deuotione sui ipsius pro exercitu, & de deuotione exercitus hostilis.

QVOD si periculum aliquod imminere videretur, & Aruspices nunciarent, Deos non placatos esse, tum vnus aliquis ex Romanis sese pro exercitu suo & simul exercitum hostium deuouebat. Licebat autem, quemadmodum Liuius libro 8. ait, Consuli, Dictatorique, & Prætori deuouére legiones hostium, & se vel alium, quem velit, ex legione Romana scripta, ciuem. Si is homo, qui deuotus esset, moreretur, probè factum videbatur: ni moreretur, tum signum septem pedes altum, aut maius in terram defodi, & piaculum hostia cædi oportebat: vbi illud signum defossum esset, eo Magistratum Romanum descendere fas non erat. Qui vero sese deuouere volebat, ni moreretur, neque suum, neque publicum diuinum purè facere poterat. Addit deinde: Ei, qui sese deuoueret, Vulcano arma, siue alicui Diuo vouere vellet, siue hostia, siue quo alio vellet, ius esse: Telo, super quo stans Consul precatus sit, hostem potiri fas non esse: si potiatur, Marti suauetaurilibus piaculum fieri oportere. Qua vero ratione, quibus cæremoniis, & qua verborum forma sese deuouerent, idem paulo ante, de Decio Consule loquens, ostendit, cum ita scribit: In hac trepidatione Decius Consul M. Valerium magna voce inclamat: Deorũ, inquit, ope Valeri opus est, agedum Pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus deuoueam. Pontifex eum togam prætextam sumere iussit, & velato capite, manu subter togam ad mentum exerta, super telum subiectum pedibus stantem, sic dicere: Iane, Iupiter, Mars, Pater, Quirine, Bellona, Lares, Diui Nouensiles, dii Indigetes, diui, quorum est potestas nostrorum, hostiumque, diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feróque, vti populo Romano Quiritium victoriámque prosperetis, hostésque populi Romani Quiritium terrore, formidine, mortéque afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro Republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones, auxiliáque hostium mecum Diis Manibus, Tellurique deuoueo. Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium iubet, maturéque collegæ se deuotum pro exercitu nunciaret, ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios immisit. Hactenus Liuius. Extat etiam apud Macrobium formula deuotionis vrbium, & exercituum hostilium, quam paulo post recitabimus. Cæterum de conflictu nihil hoc loco dicam, extant eius exempla plurima, & varia hinc inde apud historicos, Liuium, Cæsarem, Polybium, Plutarchum: item apud Frontinum in libris de Stratagematis, vnde ea peti possunt. Hoc tamen notandum esse duxi Romanos, cum classico dato pugnam inirent, primo occursu ad ardorem excitandum, ardentissimo clamore concurrere, & signa inferre consueuisse: qui clamor si consona voce editus, neque impar, varius vel dissonus foret, haud dubie satis animorum ad certamen esse, & futuram victoriam spondebat: námque is erat index voluntatis & animi cuiusque. Si vero excitatior, crebriórque ab hoste sublatus esset, quò euentus prælij casurus foret, indicium haud dubium præbebat: in qua quidem re ad ardorem animi excitandum, non solum acies, sed ipsi quoque qui signa militaria inferebant, Neque enim parui momenti fuit prima illa vis & congressio militum, cum alacres & fiduciæ pleni, ardenti clamore simul in hostes ibant, & signa inferebant, intolerabili clamore, animorum vno impetu consentiente, ac virtute: quæ res magnarum victoriarum plerumque

que causam dedit. Sed de his iam satis. Huc conferenda sunt exempla pugnarum, quæ passim in historicis occurrent, & strategematum, de quibus diligentissime scripsit Frontinus.

Caput XVI.

De oppugnationibus vrbium, & iis quæ ad oppugnationes requiruntur.

Diximus de iis quæ necessaria fuerunt, si in locis patentibus ad manus veniretur, iam de expugnatione locorum clausorum & munitorum agemus. Qua quidem in parte omnium maximè de instrumentis & machinis bellicis, quarum in oppugnationibus vsus fuit, dicendum erit. Locus clausus expugnatur ex itinere primo impetu, aut longiore oppugnatione capitur. Illius exempla multa sunt passim. Vnum adferam quod est apud Cæsarem de expugnatione Gomphorum lib. 3. belli ciuilis: Gomphenses, inquit, venienti Cæsari portas præcluserunt. Cæsar itaque castris munitis scalas, musculosque (quibus fossæ aggere completæ solitum iter efficerent) ambulatoriis turribus, ad repentinam oppugnationem fieri, & crates parari iussit, quibus rebus effectis cohortatus milites, docuit quantum vsum haberet ad subleuandam omnium rerum inopiam potiri oppido pleno, atque opulento, simul reliquis ciuitatibus, huius vrbis exemplo inferre terrorem, & id fieri celeriter, priùs quam auxilia concurrerent. Itaque vsus singulari militum studio, eodem, quo venerat die post horam nonam oppidum altissimis mœnibus oppugnare aggressus, ante Solis occasum expugnauit. Hactenus Cæsar. Quòd si propter fossarum latitudinem, murorumque altitudinem, & munitionem repentino impetu vrbs expugnari non posset, vineis actis, aggere iacto, turribus constitutis oppugnabatur. Cuius rei exempla etiam multa passim apud scriptores veteres extant. Nos hic vocabula quædam militarium instrumentorum & operum pertinentium & ad munitiones castrorum, & ad oppugnationes oppidorum exponemus. Castra communiebant aggere, vallo, loricis, ceruis, cippis, liliis, & stimulis. Ad oppugnationes requirebantur turres ambulatoriæ, testitudines, musculi, vineæ, plutei, & cuniculi.

Agger, inquit Vegetius libro 4. ex terra lignisque extollitur contra murum, de quo tela iactantur. Franciscus Hotomanus annotationibus in Cæsarem: Aggeris nomen, inquit, tripliciter ab antiquis vsurpari video, primum pro mole ad mænia oppidorum, deinde pro munitione castrorum, postremo pro materia, qua moles munitiove extruitur. Molem intelligimus tumulum ex lignis & glebis, ac cespitibus extructum, vt in vrbium, aut castrorum muros vel militibus, vel turribus mobilibus ascensus præbeatur. Cæsar libro secundo belli ciuilis, Lucanus libro tertio: ex quibus intelligitur, trabes à lateribus adhiberi solitas, quæ latera firmarent, ne terra difflueret, interiorem autem partem viminibus, virgultis & terra repleri, atque infarciri solitam. Tanta autem aggeris interdum altitudo erat, vt propè mœnia adæquaret, vt apud Cæsarem lib. 2. belli Gallici, Liu. libro 5. & alibi. Et ad hanc molem extruendam non modo fabri: verum etiam milites his ferramentis instructi erant: bidentibus, ligonibus, rastris, alueis, cophinis, qualis, vt Vegetius scribit libro 1. & 3. Reliquarum duarum significationum, quod sumitur pro muro & munitione castrorum item pro ipsa aggeris materia, quæ triplex erat, trabium, quę latera firmabant, frondium, & cespitum, multa extant apud Cæsarem testimonia, quæ non opus est adducere.

Vallus siue vallum dicebatur stipes ramosus in aggeris summa parte defigi solitus, ad aggerem confirmandum, & loricas extruendas. Hunc vallum legionarij milites vnà cum armis in itinere ferebant, vti supra ex Cicerone audiuimus, & alij etiam auctores attestantur. Nonnunquam accipitur pro superiore parte aggeris ex illis vallis, id est, sudibus & stipitibus, ac viminibus interiectis constante. Valli Romani elegans descriptio extat apud Polybium lib. 17. vbi id cum vallo Græco confert, & quidnam interea sit discriminis, ostendit. Vallum, inquit, apud Romanos duos, tréve, aut ad summũ quatuor habet surculos ex quo accidit, vt perfacilis eius sit gestatio. Itaque vnus tria, atque etiam quatuor simul fert. Et paulò post, cùm de Græcorũ vallo, eiusque vsu dixisset, subiicit: Apud Romanos dissimillima est ratio. Primùm enim ita valla inter se circũplicant, vt neque facilè quorum ramorum in terrã compactorũ sint virgulta, neque quorũ virgultorum sint rami, agnoscas. Præterea difficile est, si qui euellere conetur, manum admouere: quoniam densissime inter se contexta & conserta sunt. Eò accidit, quod virgulta ita accurate inflexa, & intertexta sunt, vt reuelli ab eo, qui prehenderit, facilè non possint: primùm quia eminentiæ & surculi omnes suam & propriam in terra firmitudinem obtinent. Deinde cùm vnum è virgultis trahitur, necesse est propter mutuam contex-

turam magnam simul propaginem educi, neque vero fieri potest, vt duo, tresve vnum, idemque vallum prehendere possint. Quod si quis vnum aut alterum commoueat, ac reuellat, exiguum tamen interuallum patefiet. Ita Polybius.

Loricæ dicebantur eminentiæ illæ aggeris siue etiam murorum, quæ pectus defendebant. Fiebant autem plerunque ex cratibus & viminibus, interdum ex pluteis, id est, crassis asseribus & tabulis.

Cerui erant stipites, cornicula eminentia habentes, quibus ad commissuras pluteorum atque aggeris vtebantur, ad impediendum ascensum.

Lilia stipites erant feminis crassitudine, à summo præacuti, ad similitudinem floris eiusdem nominis non aperti: sed adhuc compressi: & tegebantur viminibus ac virgultis.

Cippi erant stipites tricipites, aut quadricipites, delibratis & præacutis cacuminibus, ab infimo reuincti longurio transuersario, ne auelli possent. Hæc omnia ad munitionem & defensionem castrorum parabantur à Romanis.

Iam ea quæ ad oppugnationem requirebantur explicabimus. Turris mobilis, siue (vt Vegetius appellat) ambulatoria, erat machina, instar ædificij ex trabibus & tabulis, interdum decem contignationibus extructa, intus erat aries quem suspensum milites in hostium murum impellebant: ex superiore parte pons demittebatur in eundem murum, & scalæ confestim iniiciebantur. Tota autem machinatio subiectis rotis, à militibus circiter quinquaginta introrsus promouebatur, cum musculus aut vineæ præcederent: sub quibus fossores rastris & ligonibus viam muniebant: aggeremque, de quo diximus, solidabant, vt mœnibus turris propinquari posset. Hæc Hotomanus. In eandem sententiam scribit Vegetius libro quarto. Eius ædificandæ rationem tradit Victruuius libro decimo. De illius forma locus insignis est apud Cæsarem libro secundo belli Gallici. Altitudo eius tanta fuit, vt plerunque denum tabulatorum esset, velut apud Cæsarem libro octauo belli Gallici & de bello Alexandrino, apud Iosephum libro sexto, capite octauo belli Iudaici. De pontibus, quos iniungi solere diximus, insignis extat locus apud Hircium libro octauo belli Gallici: Turres, inquit, crebras excitari in altitudinem trium tabulatorum, pontibus traiectis, constratisque coniungi: quorum frontes viminea loricula munirentur. Multa etiam in eandem sententiam scribit Procopius lib. Gott. & lib. 2.

Testudo tabulatum erat ex trabibus, pluteisque factum, coriisque ac ciliciis contectum aduersus flammam & incurrentia saxa: sub qua latebant milites, qui viam turribus, aut vineis muniebant, saxa de via remouebant, solum æquabant, ac muros tentabant. Victruuius lib. 10. & Cæsar multis locis. Interdum etiam testudo significat cratem, scutorum continuitatem, qua sublatis supra capita scutis protecti pedites sagittarum aut saxorum nubem vitabant.

Musculos Vegetius libro quarto interpretatur machinas, quibus tecti milites apportatis lapidibus, lignis, & terra fossas complebant, vt turri ambulatoriæ viam munirent. At Cæsar Musculorum tecto vsum tribuit: non viæ aggere supportato muniendæ, sed muri subruendi, lapidibusque vectibus subducendis: qui etiam interdum subiectis rotulis impellebantur, eiusmodi musculi descriptio extat apud Cæsarem lib. 2. Belli ciuilis.

Vineas Vegetius lib. 4. ait esse machinationem tabulatis, cratibusque constratam, quæ subiectis rotulis impellitur, cuius tecto muniti obsidentes, murorum fundamenta subruunt. Has Franciscus Hotomanus opinatur inde dictas, quod, vt plerisque locis vineæ sepibus viminibus, ita hæ tectis vimineis muniri soleant. Vsum vinearum Lucanus libro 3. his describit versibus.

Tunc ad aperta leui procedit vinea terra,
Sub cuius pluteis, & tecta fronte latentes
Moliri nunc ima parant, & vertere ferro
Mœnia, nunc aries suspenso fortior ictu
Incussus densi compagem soluere muri
Tentat, & impositis vnum subducere saxis.

Alium præterea, inquit Hotomanus, vsum vinearum esse video, vt cùm plures ordine impellerentur, milites post eas occulti sequerentur, veluti libro 7. belli Gallici. Hinc sub vitem præliari dicebantur milites, cum sub militari pugnabant. Festus.

Pluteos, inquit Vegetius libro 4. esse machinas mobiles, & ambulatorias, ex tabulis, vimine & corio constratas, trinisque rotulis adigi solitas ad muros, quarum vna in medio, duæ in capitibus apponantur, ita vt in quamcunque partem quis velit, more carpentorum admoueri possint. Quos, inquit, obsidentes applicant muris, eorumque munitione protecti, sagittis, siue fundis, vel missilibus defensores omneis de propugnaculis oppidi exturbant vt sca-

vt scalis ascendendis facilior præstetur occasio. Plutei etiam crebro vsurpantur pro tabulis, siue asseribus, cuius significationis exempla occurrunt passim.

Cuniculus est meatus subterraneus, suffossus. Festus. Cuniculum, id est, foramen sub terra occultum, aut ab animali, quod simile est lepori, appellatur, quod subterfossa terra latere est solitum: aut à cuneorum similitudine, qui in omnem materiam intrant fiudentes. Cuniculorum agendorum rationem qui primus inuenerit, Vegetius lib. 4. his verbis docet: Cùm Rhodiorum, inquit, ciuitas oppugnaretur ab hostibus, & turris ambulatoria super murorum altitudinem ac turrium omnium pararetur: mechanici ingenio inuentum est tale remedium. Per noctem sub fundamento muri cuniculum fodit, & illum, ad quem die postero turris fuerat promouenda, nullo hostium sentiente, egesta terra cauauit intrinsecus, & quum rotis suis mola impulsa fuisset tanto pondere solo cedente subsedit: vt nec iungi muris ac moueri vlterius potuerit: ita ciuitas liberata est, deiectaque machina.

Capvt XVII.

De machinis bellicis ad oppugnationem vrbium necessariis, & Romanis vsitatis, Balista, Ariete, Scorpione.

Fvervnt autem & machinæ quædam bellicæ, quibus ad oppugnationem vrbium vsi fuerunt, veluti Balista, Aries, Scorpius, siue Onager, de quibus etiam nonnihil dicendum nobis est.

Vegetius libro quarto inter alia tormentorum genera Balistam primo enumerat: eamque funibus, neruis, cordisque ita tendi ait, vt quantò maiora brachiola haberet, hoc est, quanto maior esset, tanto spicula longius mitteret. Deinde Onagrum, quo lapides dirigebantur. Postremò Scorpiones, ideo sic dictos, quod paruis, subtilibusque spiculis mortem inferrent. Balistæ sicut & Arietis & Scorpii descriptiones extant apud Marcellinum, quas operæ precium est huc referre. Ita vero is libro 23. Balistæ forma hæc est. Ferrum inter axiculos duos firmum compaginatur, & vastum in modum regulæ maioris extentum: cuius ex volumine teretis quod in medio ars polita componit, quadratus eminet stylus extensius recto canalis angusti meatu cauatus, & hac multiplici chorda neruorum tortilium illigatus: eique cochleæ duæ ligneæ coniunguntur aptissimè, quarum prope vnam adsistit artifex contemplabilis, & subtiliter apponit in temonis cauamine sagittam ligneam spiculo maiore conglutinatam: hocque facto hinc inde validi iuuenes versant agiliter rotabilem flexum. Quum ad extremitatem neruorum acumen venerit summum, percita interno pulsu à balista ex oculis euolat, interdum nimio ardore scintillans: & euenit sæpius, vt antequam telum cernatur dolor lethale vulnus agnoscat.

Scorpionis autem, quem appellant nunc onagrum, huiusmodi forma est: Dolantur axes duo querni vel ilicei, curuanturque mediocriter, vt prominere videantur in gibas: hique in modum serratoriæ machinæ connectuntur ex vtroque latere patentius perforati, quos inter per cauernas funes colligantur robusti, compagem, ne dissiliat, continentes. Ab hac medietate restium ligneus stylus exurgens obliquus, & in modum iugalis temonis erectus, ita neruorum modulis implicatur, vt altius tolli possit & inclinari, summitatique eius vnci ferrei copulantur, è quibus pendet stupea vel ferrea funda: cui ligno fulcimentum prosternitur ingens cilicum paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum super congestos cespites vel latericios aggeres. Nam muro saxeo huiusmodi moles imposita disiectat quicquid inuenerit subter, concussione violenta, non pondere. Quum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ imposito, quaterni altrinsecus iuuenes repagula, quibus incorporati sunt funes explicantes, retrorsus stylum penes vncinum inclinant: itaque demum sublimis adstans magister, claustrum quod totius operis continet vincula reserat malleo forti percussam. Vnde absolutus ictu voluceri stylus & mollitudine offensus cilicij, saxum contorquet quicquid incurrerit, collisurum. Et tormentum quidem appellatur, quod ex eo omnis explicatio torquetur: scorpio autem, quoniam aculeum desuper habet erectus: cui etiam onagri vocabulum indidit ætas nouella, ea re quod asini feri, quum venatibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittunt, vt perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ista displodant.

Hinc ad arietem veniemus. Eligitur abies vel ornus excelsa, cuius summitas duro ferro concluditur, & prolixo, arietis efficiens prominulam speciem, quæ forma huic machina-

mento vocabulum indidit: & sic suspensa vtrinque transuersis asseribus & ferratis quasi ex lance, vinculis trabis alterius continetur: eamque quantum mensuræ ratio patitur multitudo retrò repellens, rursus ad obuia quæque rumpenda protrudit ictibus validissimis, instar adsurgentis & cadentis arietis. Qua crebritate velut reciproci fulminis impetu ædificiis scissis in rimas, concidunt structuræ laxatæ murorum. Hoc genere operis, si fuerit exerto vigore discussum, nudato vallo defensoribus, solutisque obsidiis ciuitates munitissimæ recluduntur. Pro his arietum machinamentis iam crebritate despectis conditur machina scriptoribus historicis nota, quam helepolin Græci cognominant: cuius opera diuturna Demetrius Antigoni filius Rhodo aliisque vrbibus oppugnatis, Poliorcetes est appellatus. Ædificatur hæc autem hoc modo: Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clauis aptata, & contegitur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur eius suprema, vt flammeos detrectet & missiles casus. Conseruntur autem eius frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ ponderibus ferreis graues, qualia nobis pictores ostendunt fulmina vel fictores, vt quicquid petierit, aculeis exertis abrumpat. Hanc ita validam molem, rotis & funibus regens numerosus intrinsecus miles languidiori murorum parti viribus admouet concitis: & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes.

His addo etiam Malleolos & Falces murales. Malleoli, inquit Nonius, manipuli spartei, pice contecti, qui incensi, aut in muros, aut in testudines iaciuntur. de quibus ita Marcellinus: Malleoli teli genus figurantur hac specie: sagitta est cannea inter spiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, quo nentur linea stamina, concauatur ventre subtiliter, & plurifariam patens atque in alueo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento. Et sic emissa lentius arcu inualido (ictu enim rapidiore extinguitur) si hæserit vsquam tenaciter, cremat: aquisque conspersa acriores excitat æstus incendiorum, nec remedio vllo quam superiacto puluere consopitur.

De falcibus muralibus ita Vegetius lib. 4. De materia & tabulis testudo contexitur: quæ ne exuratur incendio, coriis vel ciliciis, centonibusque vestitur. Hæc intrinsecus accipit trabem, quæ adunco præfigitur ferro: quod falx vocabitur ab eo, quod incuruata est, vt de muro extrahat lapides. Meminit harum etiam Liuius lib. 38. Cæsar, Orosius, & alij.

Murices alio nomine triboli, siue tribuli dicti, machinulæ ferreæ tetragonæ erant, aculeis extantibus infestæ, quæ spargi solebant aduersus eruptiones hostiles.

Capvt XVIII.

De Euocatione Deorum tutelarium, & deuotione vrbium atque exercituum hostilium.

IAm verò & hoc silentio non est prætereundum quod Macrobius libr. 3. Saturn. c. 9. notat, cum omnes vrbes in alicuius Dei essent tutela, moris erat Romanorum arcanum, & multis ignotum fuisse, vt cùm obsiderent vrbem hostium, eamque iam capi posse confiderent, certo carmine euocarent tutelares Deos: quod aut aliter vrbem capi posse non crederent: aut etiam si posset nefas existimarent, Deos habere captiuos. Vnde & ipsi Romani tum Deum, in cuius tutela vrbs Roma est, tum ipsius vrbis Latinum nomen ignotum esse voluerint, cauerintque ne quod ipsi sæpe aduersus vrbes hostium fecisse se nouerant, idem ipsi quoque hostili euocatione paterentur, si tutelæ suæ nomen diuulgaretur. Euocatis Dijs tum ipsam etiam vrbem, & exercitum hostium deuouebant. Carmen autẽ, quo Dij euocabãtur cũ oppugnatione ciuitas cingeretur eiusmodi ex lib. 5. rerum reconditarũ Sammonici Sereni Macrobius recitat lib. 3. Saturn. c. 9. Si Deus, si Dea es, cui populus, ciuitasque Carthaginensis est in tutela, teque maxime ille, qui vrbis huius, populique tutelam recepisti, precor veneror que, veniamque à vobis peto, vt vos populum, ciuitatemque Carthaginensium deseratis, loca, templa, sacra, vrbemque eorum relinquatis, absque his abeatis: eique populo, ciuitatiq; metũ, formidinẽ, obliuione iniiciatis, proditique Romã ad me meosque veniatis; nostraq; vobis loca, tẽpla, sacra, vrbs acceptior, probatiorq; sit: mihi quoq; populoque Romano, militibusq; meis præpositi sitis, vt sciamus intelligamusque. Si ita feceritis, voueo vobis tẽpla, ludosq; facturũ. In eadem verba hostias fieri oportet, auctoritatemq; videri extorum, vt ea promittãt futura. Vrbes verò, exercitusq; sic deuouẽtur, iã euocatis numinibus: Dis pater, siue Iouis manes siue quo alio nomine fas est nominare, vt omnes illam vrbẽ Carthaginem,

nem,exercitúmque quem ego me sentio dicere,fuga,formidine, terrore compleatis, quíque aduersus legiones exercitúmque nostrum arma,teláque ferent,vti vos eos exercitus,eos hostes,eosque homines,vrbes,agrosque eorum,& qui in his locis,regionibúsque agris vrbibusque habitant,abducatis,lumine supero priuetis:exercitúmque hostium,vrbes,agrósq; eorum quos me sentio dicere,vti vos eas vrbes agrósque,capita,ætatésque eorum deuotas,consecratasque habeatis,illis legibus, quibus quandoque sunt maximè hostes deuoti : eósque ego vicarios pro me fide,Magistratúque meo, & populo Romano,exercitibus,legionibusque nostris do,deuoueo:vt me,meámque fidem,imperiúmque,legiones,exercitúmque nostrum,qui in his rebus gerundis sunt,bene saluos sinatis esse.Si hæc ita faxitis,vt ego sciam sentiam intelligámque:tum quisquis votum hoc faxit,rectè factum esto,ouibus atris tribus, tellus matérque,téque Iupiter obtestor. Cùm tellurem dicit,manibus terram tangit:cùm Iouem dicit, manus ad cœlum tollit:cùm votum recipere dicit,manibus pectus tangit. Hactenus ex Sammonico Sereno Macrobius: & addit in Antiquitatibus,se hæc oppida inuenisse deuota,Stonios, Fregellos,Gabios,Veios,Fidenas,Præterea Carthaginem, & Corinthum. Sed & multos exercitus,oppidaque hostium,Gallorum,Hispanorum,Afrorum,Maurorum,aliarúmque gentium,quas prisci loquuntur annales. Atque de oppugnationibus hactenus.

Capvt XIX.

De prælio nauali.

Seqvitvr iam de prælio nauali,de quo antequam dicere incipiamus,sciendum est,Romanos cùm in omni reliqua militia clari essent, mari tamen sese non commisisse ante primum bellum Punicum. Tum enim primùm , cùm Carthaginenses plurimum mari pollerent, coacti & ipsi sunt classem comparare , & naualis belli periculum facere. Ne autem omninò nauigationis & rerum maritimarum, expertes essent, prouidentia & cura Consulum factum est , vt milites paulatim ad remigium interea , dum tota classis pararetur, exercerentur : per hunc, vti Polybius libro 1.docet,modum Subselliis in arena per ordinem positis , remiges insidentes ad vocem præcipientis , qui in medio eorum erat,omnes vna protendere brachia, ac reducere, remósque per arenam mouere pariter docebantur:ad illius vocem simul motus incipiebant,simul desinebant,per hunc modum nauigandi artem edocti & perfectis intereà nauibus mare ingressi , post paucos dies verum in vndis periculum fecerunt. Hactenus Polyb.Hæc igitur prima rudimenta Romanorum,quoad naualia prælia fuerunt. Is cui imperium in copias nauales mandatum erat,Præfectus classis dicebatur. Interdum etiam Duumuiri nauales creabantur:de quibus diximus libro harum Antiquitatum septimo, cap.40.

Singulæ item naues suos præfectos habebant,de quibus non est necesse multa verba facere. Cæterùm potissima pars huius tractationis consistit in explicatione nauium , earúmque partium,& generum,quibus cognitis, reliqua facilè intelligi , nullo etiam docente possunt. Quare de nauibus,quantum quidem huc pertinere arbitrabimur,dicemus.

Capvt XX.

De classe & nauibus,earúmque partibus & generibus.

Vniversvs nauium apparatus classis dicebatur, ἀπὸ τῶν ξύλων, hoc est,à lignis, vt docent Grammatici.

Nauis autem à Græco νάω, quod fluo significat, vel à Latino No, quod est, nato, vel à nauo,quod rectorem nauum nauis exposcat, hoc est, strenuum & celerem, nomen habet. Nauium partes plurimæ sunt,quas prout nobis occurrent hic recitabimus.

Carina est pars nauis infima à facili cursu,quasi currina vocata,Sallust.alueum vocat.Quidam totius nauis compagem carinam esse opinantur. Hæ primum,sicut & statumina,ex leui materia fiebant,reliquum corpus nauium viminibus contextum coriis integebatur. Capitur etiam carina interdum pro infima trabe,qua nauis fundatur,vt est illud Ouidij:

Dum mea puppis erat valida fundata carina. Statumina quæ & stamina,& costæ dicuntur, ligna sunt arrectaria interiore alueo,quæ latera nauis suppingunt.

Pergula est excursui per totam nauem apertus locus ad nauis latera. Festus Ageam vocat, quod in ea quæque res maximè agi soleat, quo vocabulo vsus est Ennius.

Multa foro ponens; ageaque longa repletur.

Nonnulli ageam eam viam dictam putant, per quam ad remiges hortator accedit.

Prora est nauis pars anterior, sic dicta quasi, [illegible], quod reliquam nauis partem præcedat. Huic qui præest, proreta, Græcè πρωρεὺς, appellatur.

Rostra, pars nauis primore in prora exporrectior, & cunei in modum acutior, nomen habet à rostris auium, ad quorum similitudinem fiebant, vnde rostrata nauis, & rostrata corona, de qua infra: De rostris loco fori Romani, suprà diximus.

Puppis nauis pars est posterior, & est locus in naui honestior, quod ibi sedeat gubernator clauo regens nauigium.

Acroteria, siue plutei nauales, tigna ad ornatum proræ, puppísque prominentia.

Tutela nauis, signum dicebatur, in prora, vnde nauis nomen accipiebat.

Oculus, locus erat, cui nauis nomen inscribebatur.

Fori, spacia sunt in nauibus apertiora, alij latera concaua interpretantur, à ferendo onera dicta. Virgilius.

Implessémque foros flammis.——

Seruius Honoratus nauium tabulata exponit, ab eo, quod incessus ferant. Idem tamen alio loco spatia esse ait in nauibus aperta, velut in gladiatoriis ludis.

Stega nauis est proscenium, id est, tabulatum super quod nautæ ambulant. Alij locum nauis contectum, & perinde etiam tugurium.

Pons significat hoc loco scalas nauales, quibus excipiuntur, aut in terram exponuntur vectores.

Transtra sunt tabulæ, in quibus remiges sedent, dicta, vt ab aliquibus traditur, quod in transuersum disposita sint, vulgò banchi dicuntur à nautis, & trasti: Poetæ etiam iuga vocant. Festus tabulas nauium transtra appellari putat.

Columbaria in summis nauium lateribus loca concaua esse Grammatici quidam scribunt, quod sint similia columbarum latibulis, in quibus nidificant. Victruuius lib. 10. cum organa ad aquam hauriendam describit, columbaria vocat caua seu foramina, per quæ aqua concepta in tympano educitur. Lilius Gregorius Gyraldus putat, nauiculam esse clausam vndique & obtectam, multis pertusam foraminibus, qua viuos pisces seruare piscatores consueuerint. Hadrianus Iunius ex Isidoro scribit, Columbaria esse foramina in nauis lateribus, per quæ remi promicent similia latibulis columbarum.

Scalmus est lignum teres, cui alligantur pensiles remi loro, quod struppum vocat Isidorus, stropham Victruuius. Hinc interscalmium locus vacuus & intermedius inter scalmos remigum.

Sentina est pars inferior nauis, vbi sordes defluunt, atque ideo, quod ibi teter odor sentiatur, sunt qui dictam arbitrentur. Valerius Maximus lib. 2. de Disciplina militari, pro ipsis sordibus accepisse videtur, cùm ait: Hac turpi & erubescenda sentina vacuefactus exercitus noster. Per translationem etiam pro malorum consortio sumitur. Hanc quidam Cumbam vocant: sed hæc vox denotat locum nauis imum, quod scilicet aquis incumbat.

Antlia, machina haustoria, qua è sentina extrahitur, exinanitúrque nautea, sic appellabantur sordes putidæ quæ in sentina erant.

Corbis, signum quoddam nauium erat, vnde corbitæ naues dicuntur onerariæ, quod in malo earum summo pro signo corbes solerent suspendi. Festus. Sicut illæ naues, quæ bello paratæ erant, galeam insigne habebant: quæ verò ad celeritatem, Mercurii petasum: pacificatoriæ caduceum.

Malus est arbor nauis, quæ erecta vela sustinet, sic dicta, quod instar mali habet in summitate, vel quod quasi quibusdam malis ligneis cingitur.

Mala lignea dicuntur orbiculi volubiles, qui malum circulo ambiunt, vt eorum volubilitatione vela facilius, vel pandantur, vel demittantur.

Partes mali sunt calx, sic appellatur pars infima. Carchesium, suprema pars, siue foramen, per quod in summo malo funes traiiciuntur, vt vult Nonius: Antemna, lignum transuersum in malo, quod velum sustinet, quasi transuersa pertica, sic dicta, quod sit ante amnem: alii ab am, id est, circum, & tendo, deducunt. Antemna vtrinque extremitates habebat, quæ dicebantur cornua, item ceruchi. Eratosthenes in Architectonico partes mali dixit esse has, Pterne, thoracium, elacate, carchesion, antemnam, icrion: quo nomine quidam singularem partem mali, alii ipsam antemnam significari scribunt.

Instrumenta & ornamenta nauium hæc sunt:

Rem

Remi sunt perticæ, seu conti, quæ veluti in palmam desinunt, vnde fit, vt interdum à Poetis palmæ & palmulæ vocentur, quibus naues & rates impelluntur, & aguntur. Dicuntur remi, vel, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, vel à remouendis & decutiendis fluctibus. Item tonsæ nonnunquam appellantur, à tondendis & feriendis procellis. Festus tamen, quod ferro tondeantur, dictas putat, idque Ennii auctoritate comprobat. Sunt qui remorum palmulas tonsas esse existiment. Dicuntur & remitrudes, à trudendo, vt plerique existimant. Hos quidam perticas interpretantur, & contos esse volunt ad trudendas, & impellendas naues. Trudes aliqui volunt esse instrumenta, quibus saxo inhærens nauigium trudi vel reduci soleat. Contus, inquit Donatus, est pertica oblonga, in capite ferrum habens, qua nautæ vtuntur ad exploranda loca nauis opportuna.

Palmula est extrema remi latitudo, manubium remi, siue capulum, Enchiridion Græci appellant, mediam partem Vracon.

Clauus nauis est gubernaculum. Ennius.

Vt clauum rectum teneam, nauémque gubernem.

Inde per translationem pro administratione ponitur. Seruius Grammaticus clauum putat esse fustem gubernaculi, hoc est, lignum oblongum, quo flectit, ac reflectit, gubernator nauem, ansa appellatur à Victruuio. Diiunxit & Cicero inter clauum, & gubernaculum, cùm pro Sextio ait, clauum tanti imperij tenere & gubernacula Reipublicæ tractare. Ansa summa pars claui erat. Locus vbi gubernator reclinatur, enclima dicebatur.

Tonsilla palus est dolatus in acumen, & cuspide præacutus, qui nauis religandæ causa in littore figitur, Festus. Isidorus ait Tonsillam significare vncum ferreum vel ligneum, ad quod in littore defixum nauium funes alligantur.

Bolis, Lucillio Cataprorates, est linea, cum massa plumbea, quæ de prora demitti solet in mare ad explorandum fundum, marisque altitudinem: Plauto linea dicitur.

Phalanges, qui & Phalangæ & puluini dicuntur, cylindri quidam lignei sunt, qui vectibus promouentur ad transducendas naues in portum, siue ad litus.

Anchora est dens ferreus ad sistendas naues, sic dicitur per ἀντίστοιχον quasi ἀγκύλη, ab incuruitate. Inter anchoras inquit Pollux, vna est, quæ sacra anchora dicitur, quam non nisi coacti nautæ expediunt necessitatis causa. Sunt qui eius quoque vocabulo, hoc est, ἱερά, extremum nauis subsidium dictum existiment.

Portisculus, vt scribit Ælius Stilo, dicitur, qui in portu modum dat classi: id autem est malleus, cuius meminit Cato in dissuasione de lege Attali & vectigalibus Asiæ: Cato Lucio Prætore remiges scripti ciues Romani sub portisculum, sub flagrum conscripti vænire passim. Portisculus ab aliquibus dicitur etiam interdum perticam significare, interdum remigantium hortatorem: Erat enim pertica quædam in naui, quam hortator remigum tenebat, quam si incuteret, remiges non desinebant. si deponeret, conquiescebant à labore. Hanc Plautus casteriam nominat in Asinaria. Nonius tamen Marcellus casteriam locum esse inquit, vbi cùm nauigatio quiescit, remi & gubernacula reponuntur.

Huc pertinent & instrumenta illa, quibus in bellis duntaxat naualibus vtebantur, qualia sunt, harpagones, manus ferreæ, cataractæ, corui, falces.

Harpago dicebatur pertica ferro adunco præpilata, qua nauis tenebatur.

Manus ferrea, harpago ferrea erat, pluribus vncis diuisa, qua naues in conflictu nauali colligabantur.

Cataracta videtur ab Appiano accipi pro ponte, qui in pugna nauali in hostium naues iniicitur, dum pugna conseritur & ascensum eis præbet.

Corui, Græce κόρακες, munimenta quædam nauium erant, à Romanis excogitata, quorum elegans descriptio extat apud Polybium libro 1. huc referenda: Cùm, inquit Polybius, Romanorum naues tardæ nimis, & ad celeritatem parum commodæ essent, singulis quibusque munimenta quædam aptabant, quæ posteà Coruos appellauere: ea fuit machina huiusmodi, lignea columna proris inerat, longitudinis quatuor vlnarum, latitudinis palmorum trium, in eius radice rotam constituerant: huic prætereà tabulæ inhærentes scalas conficiebant, quarum latitudo erat pedes quatuor, longitudo sex vlnæ: foramen tabulis per longitudinem erat: Scalæ ab vtroque latere vsque ad genu munitæ: In ligni extremo ferrum erat instar mallei peracutum, præterea annulus fune alligatus, ita vt hæc machina machinis frumentariis simillima videretur. Igitur simulac nauis hostium aduentabat, laxo fune scalæ demittebantur, ferrum pondere, ac vi ligni super hostium nauium delapsum figebatur: si aduersa prora erat, bini milites per scalas descendebant, duo primi præferentes scuta, reliqui latera scutis protecti: si verò obliqua erat hostium nauis, in eam ex tota pariter naui desiliebatur. Hactenus Polybius.

Falx dicebatur acutissimum ferrum curuatum ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, collatoribus funes, quibus antemna suspenditur, repente præcidebat, collapsisque velis liburnam pigriorem, ac inutilem reddebat. Vegetius. Aliæ erant falces murales, de quibus suprà.

Funium etiam in re nautica multus vsus est, hi dicuntur rudentes, à nimio scilicet stridore, & pro vario, quem præstant, vsu varia sortiti sunt nomina, quorum quædam hic recitabimus.

Eos funes quibus velum subducitur, mesurias vocant: & quibus ex vtraque parte malum constringitur, protonos.

Pes, nauticus funis est quo velum tenditur. Quidam tamen extremum veli angulum esse opinantur. A pede propes dictus, funis quidam, quo pes veli alligatur.

Hypera funis est nauticus, à summo propendens, quo antemnarum cornua traducuntur.

Sunt & pesmata, funes quibus anchoræ alligantur. Quidam Prymnesia arbitrati sunt.

Festus tamen prymnesium vocat tonsillam palum ipsum, de quo religatur nauis, nô funem.

Verum funis iste, qui nauim in alto, aut vado sistit, etiam funis anchorarius, anchorale, & retinaculum appellatur.

Camelus dicitur funis crassus, quo nautæ alligandis anchoris vtuntur.

Epitonus, lori vel vinculi genus est quo antemna malo alligatur.

Protoni verò funes dicuntur, qui ex mali vtraque parte à prora & à puppe extenduntur.

Connumerantur inter funes, & himonia, quæ ex loris côficiebantur ad aquas hauriendas.

Sunt & troppi, qui & tropoteres, & epicopoteres, Latine struppi vocantur, vincula, quibus scalmo remus alligatur. Victruuius eos strophas videtur appellare.

Torus funis est e loris contortus, qui toro, id est, lecto subtendebatur.

Spiræ proprie sunt funium volubilitates, Seruius: siue vt Festus scribit, funis nauticus in orbem conuolutus.

Transenna funis extentus.

Opiferæ, siue opiferi funes, quibus cornua antemnæ dextra, sinistráque tenduntur.

Mitra funis, quo nauis media vincitur.

Anquina funis, quo ad malum antemna constringitur.

Remulus funis est, quo religata nauis maior minorem sequitur remis actam, vel quo deligata nauis remi vice trahitur.

De velis iam dicendum.

Velum linteum quoddam est, ad nauium celeritatem repertum, quod quasi ala est nauis.

Quis velorum auctor fuerit à plurimis traditur. Conficiebatur ex diuersa materia, ex lino, cannabe, scirpo, sparto, & corio. Triplici autem forma fieri consueuere. Nam alia triangula, qua plurimum figura nunc vtimur: alia quadrata, vt in minoribus nauigiis, & amnicis fieri videmus: alia rotunda, qualia se conspexisse nautæ Lusitani affirmant apud Indos.

Quin & in eorum maioribus nauibus ad duodecim vela habere traduntur. Cæterum vela, vt lib. 10. scribit Victruuius, & ratio palam facit, cum sunt per altitudinem mediam mali pendentia non potest habere nauis celerem cursum: cum autem in summo cacumine antemnæ subductæ sunt, dum vehementiori progreditur impetu, quod non proxime calcem mali, sed in summo longius, & ab eo progressa recipiunt in se vela ventum.

Igitur cùm vela per medium sunt temperata minorem habent virtutem. Quæ autem in capite mali summo collocantur, discedentia longius à centro, non acriore, sed eodem flatu pressione cacuminis vehementius cogunt progredi nauem. Hactenus ille.

Idem & Annæus Seneca: Nulla enim, inquit, res æque adiuuat cursum, quam summa pars veli, illinc maximè nauis vrgetur: itaque quoties ventus increbuit, maiorque est, quam expedit, antemna submittitur, minus habet virium flatus ex humili.

Vela tria facit Iulius Pollux, & eum secutus Isidorus, maius, quod acantion appellant: quod à tergo est, epidromon: quod minimum dolona. Acation, inquit Isidorus, velum maximum est in media naui constitutum. Epidromos secundæ amplitudinis, sed ad puppim: Dolon minimum, & ad proram defixum.

Est & artemon genus veli, quod Nicolaus Perottus antemona appellat sic scribens: Antemon velum est, quod potest facilius obliquari, quo nautæ in summo tempestatis discrimine vtuntur, & hoc ad dirigendam potius nauem, quam ad celeritatem facit. Lilius Gyraldus, Antemnon est minus illud velum, quod velis maioribus appendi solet, vnde & illi nomen.

Suppara quoque inter velorum genera reponuntur. Est autem supparum genus veli, vnum habens pedem, quo iuuari nauigia solent in nauigatione, quoties vis venti languescit. Orthiax appendix est quæ infimæ veli parti adiicitur.

Nauium etiam ornamenta multa erant, quæ nequaquã hoc loco sunt silentio prætereunda.

A plu-

Aplustria, ait Festus, nauium ornamenta, quæ quia erant ampliùs, quàm essent necessaria vsu, etiam amplustria dicebantur.

Segestria erant pelles nauticæ, quas Græci Δέῤῥεις vocant.

Atcoma pellis, quæ scalmo adhiberi solebat.

Sunt & nauium ornamenta aulęa, tapetes, peritasmata, & eius generis cætera, quæ ad alia quoque referuntur.

Catastroma superius est nauis tegmentum, seu pauimentum, è quo propugnatores pugnare solebant.

Corymbis etiam naues ornatas legimus. Corymbos Suidas interpretatur remorum summitates & partes extremas: alij corymba vocant acrostolia nauium, vel coryphas, id est, vertices, quæ addi & adimi possunt. Sunt qui corymbos nauium hederaceas coronas interpretantur, quæ nauibus adhiberi solerent, cùm vela portum remanerent. Vnde illud Poetæ:

——— Et nautæ læti imposuère coronas.

Vel cùm ex nauali pugna victoria parta esset. Sed de partibus, instrumentis, & ornamentis nauium hactenus: sequitur, vt genera nauigiorum videamus.

Nauium multa esse genera, varia illa nomina, quæ eis passim tribuuntur, indicant, quæ sumuntur vel ab iis officiis, in quibus exercentur, vt speculatoriæ, piscatoriæ, mercatoriæ, & quæ apud Plautum geraria vocata est: vel à locis, vbi vel ædificatæ, vel inuentæ, vel in vsu frequentius habitæ sunt, nomina sunt sortitæ, vt Ægyptiæ, Liburnicæ, Naucraticæ, Salaminiæ, Tudertinæ, Rhodiæ, &c. vel ab artificibus, vt Argo, Phereclea, Nicomedis, Paralus, & aliæ: vel à Magistratibus, & ab iis qui præsunt: vocatæ sunt, vt Pretoria, quę & Nauarchis dicitur, & Imperatoria: vel à remorum ordinibus, vt biremis, triremis, penteres, hexeres, hepteres, &c. non Græcis modò, sed & Latinis auctoribus & in primis Liuio: vel à nauigationis cursu, vt dromones, cursoriæ, celeres & celetia: vel à rebus quæ in ipsis deuehuntur, vt hippagines, & hyppagogæ, saccaræ annotinæ, quæ & frumentariæ: vel à vasis, vel eorum forma, vt gaulus, cymba, corbita. Nonnullæ à pictura vel insigni nuncupatæ sunt, vt pistris, vel pristis, Centaurus, multo patriæ. Aliquæ à forma & specie, vt Cameræ, aulonæ, thamelegi, & quas hoc tempore Sandalos vocant. Aliæ ab animalibus, vt Crii, tragi, tauri. Aliæ à Diis ipsis præsidentibus, vt Isidis, Apollinis, Tritoniæ: quæ insignia tamen putarim, vt etiam Crij & Tragi. Aliæ ab eminentiori parte, vt rostratæ, Coronides, turritæ: Aliæ à numero, vt Centenariæ, myriaphori, myriagogi: Aliæ ab instrumentis, quibus muniuntur, ut turritæ, delphinophori, falcatæ, & trochelophora, qualis significatur à Dionysio Halycarnassæo libr. 3.

Agellius lib. 10. c. 25. aliquot nauium appellationes, quas se in veterum scriptis inuenisse ait, recenset. Sunt autem hæ: Gauli, corbitę, caudicę, longę, hippagines, cercuri, celoces, vel, vt Gręci dicunt, κέλητες, lembus, oxię, remuculi, actuarię, quas Gręci, ἱστιοκώπους, vocant, vel ἐπακτρίδας prosumię, vel geloretę, vel orioles, cartę, scaphę, pontones, nuctucię, medię, phaseli, parones, myoparones, lintres, capuli, camerę, placidę (sic legit Iustus Lipsius in Electis c. 7.) cidarum, ratarię, catascopium. Hactenus Agellius.

Gaulus, ait Festus, nauigij genus est penè rotundum.

Corbita est genus nauigij tardum & grande. Caudicę siue caudicarię, naues sunt ex caudicibus, id est, lignis crassioribus compactę, quas Marcellus codicarias appellat. Varro libro 3. de vita populi Romani, quod antiqui pluteis tabulas coniunctas codices dicebant, à quo in Tiberi naues codicarias appellamus.

Longę, naues sunt, quę remis aguntur.

Hippagines, naues dicuntur, quę equis aguntur à Græco ἵππος, quod equum significat.

Cercuri naues sunt Asianę pręgrandes.

Celoces naues sunt breues, sic dictę à celeritate.

Lembus, nauicula breuis piscatoria.

Oxię etiam nauigia breuia sunt, à celeritate nomen habentia, nam ὀξὺς, Gręcè velox dicitur.

Remunculi, fortasse mendosè ita dicuntur pro lemunculis, quę sunt nauigia piscatoria apud Nonium.

Actuarię nauiculę celeres, quòd citò agi possint: nam & remis & velis simul vtebantur, vt Isidorus ait.

Prosumia, inquit Festus, nauigium paruum & speculatorium.

Geloretę fortasse sunt naues oneratorię, vel mercatorię, quę à Plauto dicuntur gerarię, à gerendis & deuehendis mercibus.

Orioles, vel oriolę, nauiculę sunt piscatoriæ. Nam orię naues piscatorię sunt apud

Nonium.

Cattæ etiam nauigia dicuntur, qualia, incertum.

Scaphæ sunt nauiculæ, quæ maiores naues sequuntur.

Pontones genus nauigij Gallici, quorum mentio apud Cæsarem lib. 3. de bello ciuili. Quidam naues interpretantur traijciendis amnibus aptas.

Nuctuciæ etiam nauium nomen apud Agellium, de quibus nihil præterea me legere memini.

Mediæ sunt naues à Medis inuentæ.

Phaselus nauigium est Campanum, Nonio. Alij nauem velocem & oblongam esse scribunt. Videtur ex Horatio & Virgilio phaselus non absimilis fuisse lembo, aut oriæ, quippe qua circumuehi sua rura solebant ditiores, vt agitatu facili eadem & fragili. Adrianus Iunius in Nomenclatore.

Parones, ait Festus, nauium genus, ad cuius similitudinem myoparo vocatus. Isidorus. Paro nauigium piratarum aptum, & ex his ita vocatum.

Myoparo est nauicula piratarum. Festus, Myoparo genus nauigii ex duobus dissimilibus formatum. Nam & mydion & paron, per se sunt. Sunt & myoparones maiores & minores.

Lintres naues fluuiales, Nonio.

Capuli, naues sunt, à capuli forma, vel à capiendo sic denominatæ.

Cameræ naues sunt arctæ & exiles.

Placidæ nauiculæ admodum paruæ, quibus mare nonnisi placidum & à procellis quietum nauigari potest.

Cidarum, quale nauigium fuerit, incompertum.

Ratariæ naues de ratibus compositæ.

Catascopium, nauis speculatoria.

Hactenus de nauium generibus, ex Grammaticis antiquis, quarundam icones ex vetustis monumentis expressæ videntur in libro clarissimi I.C. Lazari Baysij de re nauali, qui multa de hac materia collegit lectu dignissima. Plura etiam habet Liuius, Gregorius Gyraldus in libro de Nauigiis, ex quibus ego hæc ferè desumpsi: qui prolixiorem omnium explicationem, eorum etiam, quæ nos omisimus, desiderant, eosdem, de quibus dixi, libros consulant, & diligenter legant suadeo.

De congressu vel conflictu nauali nihil dicam. Petuntur eorum descriptiones ex Liuio, Plutarcho, Polybio, Cæsare, & alijs. Atque de re nauali hactenus. Iam reliqua, quæ ad militiam pertinent, sequuntur.

Capvt XXI.

De animaduersione in deuictos hostes.

QVOMODO bella indixerint Romani, qua ratione fœdera percusserint, qui Magistratus militares, qui militum ordines, quę eorum arma, quomodo acies instructę, vrbes oppugnatę, & naues apparatę fuerint, hactenus diximus: restat vt etiam de animaduersione in deuictos hostes, & milites etiam minus alacriter suum facientes officium, de strenuorum item militum, & ipsorum victorum præmiis quædam afferamus. Nam & hæc ad Romanam militiam pertinent, & ab eius explicatione nullo modo separari possunt. De animaduersione igitur in deuictos hostes hoc capite agemus.

Magnam clementiam Romanorum à Romulo vsque in deuictos hostes fuisse, pręter alios Dionysius Halycarnasseus testatur, cum lib. 2. scribit: Romulum Regem vetuisse, puberes omnes in bello, captis vrbibus, necari, aut sub hasta venundari, nec agros eorum relinqui compascuos: sed in partem agri sorte diuidendi colonos Romanos mitti voluisse, nonnullos verò admisisse in ius ciuitatis etiam. Hęc Dionysius. Quod tamen non semper & vbique est obseruatum. Legimus enim in Liuio & alijs plurimis, hostes deuictos non tantum parte agri nonnunquam multatos, aut colonias eò deductas: verùm etiam vrbes siue oppida eorum direpta, aut iuris Romani facta, interdum pro suo in vrbem Romam merito, aliquo rursum iure donata esse: vnde hęc diuisio ciuitatum Italię potissimum extitit, vt alię essent Colonię, alię Municipia, alię Pręfecturę, alię Fora, alię fœderatę ciuitates, de quibus, quod ius singularum fuerit, & quomodo inter se distinctę, cap. proxime seq. dicemus.

Integrę regiones deuictę in Prouincię formam redigebantur, & à populo Rom. missis

in

in eas Præsidibus gubernabantur. Quod si ipsi hostes traditis armis deditionem facerent, sub iugum mittebantur, de quo more Dionysius libro tertio ita scribit: est Romanis mos, quoties hostes traditis armis deditionem faciunt, duo tigna recta humi defigere, hisque tertium transuersum superimponere, & sub eo captiuos transmittere, móxque demittere liberos. Hoc ipsi iugum vocant. Festus: Iugum sub quo victi transibant, hoc modo fiebat: fixis duabus hastis super eas ligabatur tertia, sub iis victos discinctos transire cogebant. Et post: Sub iugum mitti dicuntur hostes victi, ereptis omnibus armis, telisque, cum hastis defixis duabus in terra, tertiaque ad summum earum deligata, ipsi eam iubentur subeuntes transire.

Qui verò sese non dederent, sed caperentur, ij vel alia afficiebantur pœna, vel sub corona venibant. de quo more Festus: Sub corona venire dicuntur, quia captiui coronati solent venire. Agellius libr. 7. capite quarto. Antiquitus mancipia iure belli capta, coronis indutis venibant, & idcirco dicebantur sub coronis venire: quia corona signum erat captiuorum venalium.

Est autem & alia rationis huius opinio, cur dici solitum sit captiuos sub corona venundari: eo quod milites, custodiæ causa, captiuorum venalium greges circumstarent, eaque circumstatio militum Corona appellata sit. Sed id magis verum esse, quod suprà dixi, Cato quoque in libro, quem composuit de re militari docet. Verba sunt hæc Catonis, Vt populus sua opera potiùs ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat. Hactenus Agellius. De ciuitatum Italiæ differentia siue diuisione & iure, quæ ipsa ex belli iure nata sunt, item de Prouinciis dicemus capitibus sequentibus.

Caput XXII.

Quid sint Coloniæ, Municipia, Præfecturæ, Fora, & quæ inter ea differentia. Item quid sit Prouincia.

Coloniae oppida fuerunt, quò populus Romanus ciues suos ad incolendum deduxit. Coloniarum duo genera fuerunt. Quædam enim ciuium Romanorum, quædam Latinæ Coloniæ erant. Coloniæ Romanæ, siue ciuium Romanorum fuerunt, quæ donatæ sunt iure Quiritium, hoc est, quæ ius priuatum ciuium Romanorum habuerunt, quod consistebat in iure priuatæ libertatis, connubiorum, iure patrio, iure legitimi dominij, vt hæreditatis, mancipij, & nexus vsucapionis, & reliquorum, item in iure testamentorum & tutelarum. Iura verò publica ciuitatis Romanæ non habebant. Quare qui eò adscripti Coloni erant, nomine quidem erant ciues Romani, re verò Coloni.

Latinæ Coloniæ erant, quæ ius habebant Latij, siue Latinitatis, quod in eo consistebat, vt suffragiorum potestatem Magistratu permittente, haberent: & si in Latina ciuitate aut Latij iure donata Magistratum gessissent ciues Romani vt fierent. Velleius Patercul. lib. 1. alia duo Coloniarum genera constituit, vnum earum, quæ Senatus iussu deductæ sint, & de quibus iam diximus, quod ipsæ fuerint, aut Romanæ aut Latinæ: alterum earum, quæ militares dicebantur, quæque idcirco deduci solebant, vt veterani milites præliorum diuturnitate fessi præmium aliquod aliquando caperent suorum laborum.

Municipium oppidum erat iure ciuium Romanorum donatum. Festus: Municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam venissent, neque ciues Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum vna cum Romanis ciuibus, præterquam de suffragio ferendo aut Magistratu capiendo, sicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuuini, Tusculani, qui post aliquot annos ciues Romani effecti sunt.

Alio modo, tùm id genus hominum definitur, quorum ciuitas vniuersa in ciuitatem Romanam venit: vt Aricini, Cærites, Anagnini, &c.

Municipiorum, sicut & Coloniarum genera erant duo. Aliis enim ciuitas Romana cum suffragio, aliis sine suffragio communicata erat. Suffragium autem pro optimo iure ciuitatis veteres scriptores acceperunt: nempe, quia nec suffragium est sine tribu, & qui suffragij ius habet, fere Magistratus etiam habet.

Primum municipum genus his verbis depinxit Agellius libro 16. capite 13. cùm dixit, Municipes esse ciues Romanos ex Municipiis, suo iure, & legibus suis vtentes, muneris tantum cum populo Romano honorarij participes à quo munere capessendo appellatos videri, nullis aliis necessitatibus neque vlla populi Romani lege astrictos, cùm nunquam populus eorum fundus factus esset. Primos autem municipes sine suffragij iure Cærites esse factos, con-

cessúmque illis, vt ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent: sed negotiis tamen, atque honoribus vacarent, pro sacris bello Gallico receptis, custoditísque.

Hinc tabulas Cærites appellatas versa vice, in quas Censores referri iubebant, quos notæ causa suffragiis priuabant. Quibus ex verbis perspicuum est, hoc genus Municipiorum neque ius Quiritium habuisse, neque alias populi Romani leges obseruasse, caruisse etiam suffragio, & negotiis, atque oneribus ciuilibus vacasse, & muneris tantùm honorarii cum populo Romano fuisse participes: hoc est tantum honoris causa in ciuitatem Romanam venisse, & gradum aliquem dignitatis consecutos esse, vt & ciues Romani dicerentur, & in legione, tanquam ciues Romani, non in auxiliis, vt socij, militarent. Vnde etiam Festus: Municipes erant qui ex aliis ciuitatibus Romam venissent, quibus non licebat Magistratum capere, sed tantùm muneris partem. At Seruius Silius aiebat, initio fuisse, qui ea conditione ciues Romani fuissent, vt Rempublicam semper separatim à populo Romano haberent, Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos qui æquè ciues Romani erant, & in legione mererent, sed dignitates non capiebant, & quæ sequuntur, paulo ante à nobis citata.

Alterum genus municipum fuit quibus cum suffragii latione ciuitas est data, quod intellexit idem Festus, cum ait: Altero modo municipium dicitur, cum id genus hominum definitur, quorum ciuitas vniuersa in ciuitatem Romanam venerunt, vt Aricini, & Anagnini. Sicuti igitur prioris generis municipibus, quibus suffragium non dabatur, suæ leges permittebantur: ita posteriores municipes, quia suffragio ornabantur, suis legibus spoliantur, Romanis verò obstringebantur. Atque vt breuiter dicam, omnia iura hi habebant, quæ ciues Romani domicilii iure excepto.

Quid inter Colonias & Municipia intersit quamuis ex iis, quæ dicta sunt, facilè intelligatur, non tamen pigebit id ipsum etiam verbis Agellij libro 16. capite 13. explicare: qui cum de Municipibus dixisset eos esse ciues Romanos ex municipiis, suo iure & leg. vtentes, &c. quæ verba nos paulò antè recitauimus, subiungit tandem. Sed & Coloniarum alia necessitudo est. Non enim veniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex ciuitate quasi propagatæ sunt, & iura institutáque omnia populi Romani, non sui arbitrij habent. Quæ tamen conditio, quum sit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen, & præstabilior existimatur, propter amplitudinem, maiestatémque populi Romani, cuius illæ Coloniæ quasi effigies paruæ, simulacráque esse videntur, & simul, quia obscura oblitterataque sunt municipiorum iura, quibus vti iam per ignorantiam non queunt. Hactenus Agellius.

Inter omnes Italicas ciuitates Præfecturarum conditio fuit, ac fortuna, durissima. Sic enim à maioribus erat traditum, vt quæ ciuitates iniquæ, ingratæve erga populum Romanum fuissent, ac fidem datam semel, atque iterum fefellissent, vbi in potestatem, ditionémque essent adductæ, in Præfecturæ formulam referrentur. Formula verò Præfecturæ non longe à Prouinciæ formula videtur abfuisse. Vt enim quotannis in Prouincias Prætores Roma mitti soliti, sic in Præfecturas Præfecti, qui eas administrarent, ac ius dicerent, vnde illæ quoque insigne hoc Præfecturæ nomen hauserunt. De præfecturis ita scribit Festus: Præfecturæ eæ appellabantur in Italia, in quibus & ius dicebatur & nundinæ agebantur, & erat quædam earum Respublica, neque tamen Magistratus suos habebant: In quas legibus Præfecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent, quarum genera fuerunt duo, alterum, in quas solebant ire præfecti, qui auctore viginti sex virûm numero, populi suffragio (sic Iosephus Scaliger restituit) creati erant in hæc oppida, Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam: alterum in quas ibant, quos Prætor vrbanus quotannis in quæque loca miserat legibus, vt Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Allifas, Priuernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura. Hactenus Festus, ex quibus manifestum fit, quænam Præfecturæ fuerint, & quod duo earum genera, quódque à Coloniis & Municipiis discernantur. Licuit tamen nonnunquam idem oppidum & Præfecturam, & municipium esse. Præfecturam quidem, quatenus eò Præfectus iurisdictionis causâ mitteretur, nec in ea Magistratus ad ius dicendum crearentur: Municipium vero, quatenus iure ciuitatis, vel cum suffragio, vel sine suffragio vteretur. Quemadmodum etiam Coloniam in ciuitatem adscitam, & Coloniam dictam inuenimus, quia forma Reipublicæ Coloniæ vtebatur, & municipium, quia suffragij ius Romæ ferendi erat adepta. Vnde illa profecta sunt in Antonium: Lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum Suessam fortissimorum militum sanguine repleuit.

Præter Colonias, Municipia, & Præfecturas, erant etiam ciuitates fœderatæ, quas si quis volet describere, non poterit commodius, quam si dicat esse eas oppida, quæ neque Coloniæ, neque Municipia, neque Præfecturæ essent. Atque hæ ciuitates aliquid ex fœdere populo Romano debebant, in cæteris liberæ erant, suamque Rempublicam, suas leges, & suos Magistra-

tus.

ſus habebant. Itaque Senatus, populúſque in iis oppidis, vt in liberis ciuitatibus memoriam vſurpari videmus. Caruiſſe autem fœderata oppida omnia iure ciuitatis Romanæ, illud argumento eſt, quòd multos ex fœderatis ciuitatibus nominatim ciuitate donatos legimus. Cæterum fœderatarum ciuitatum aliquantò vberior, quàm aliorum oppidorum, numerus extitit. Siquidem omnia Italiæ oppida, præter Colonias, Municipia, & Præfecturas, in hunc numerum adſcribenda ſunt.

Occurrent etiam frequenter in veterum ſcriptis hæc duo vocabula, Forum & Conciliabulum, de quibus, vt rem breuiter expediam, hoc tenendum: Fora in Italia & Prouinciis loca fuiſſe, vbi Prætores conuentum in iuris dicendi cauſa habuerint. Sic enim Nonius Marcellus: Fora loca fuerunt, in quibus ius dicebatur. Et Feſtus: Forum tertio modo intelligitur, cum is, qui Prouinciæ præeſt, forum agere dicitur, cùm ciuitates vocat, & de controuerſiis eorum cognoſcit. Significat enim forum agere, conuentum in Prouincia iuris dicundi cauſa habere: Forum indicere ſignificat locum iuriſdicundi, qui conuentus dicebatur deſignare.

Conciliabula erant loca nundinationis, quæ Prætores in Prouinciis indicere, Seruio teſte, ſolebant. Dicebantur autem Conciliabula, vt tradit Feſtus, quod eo in concilium veniretur. Sed & hæc ipſa loca nundinationis cauſa inſtituta, fora nuncupabantur, ſi Feſto credimus, cuius hæc ſunt verba: Forum ſex modis intelligitur. Primo negotiationis locus, vt Forum Flaminium, Forum Iulium, ab eorum nominibus, qui ea fora conſtituenda curarunt, quod etiam locis priuatis, & in viis, & in agris fieri ſolet, &c. Atque de varia oppidorum Italiæ differentia, eorumque iure hactenus: de Prouinciis adhuc agendum.

Prouinciæ appellantur, inquit Feſtus, quod populus Romanus eas prouicit, id eſt antè vicit. Nomē Prouinciæ tribus modis accipitur, primum pro regione quam aut armis deuictam, aut quocumque modo in poteſtatem adductam populus Romanus Magiſtratui ſuo adminiſtrādam ſubiecit: ſecundò pro quacúnque regione, in qua bellum Romanus Imperator adminiſtraret: tertium, pro quacunque publici muneris procuratione. Nos hic de prima ſignificatione dicemus, qua Prouincia regio fuit, quæ tum vectigalia populo Romano pēpēdit, tum Magiſtratui populi Romani ex fœderis lege obtemperauit, exceptis ciuitatibus iis, quæ propter merita ſua, aut immunitate, aut libertate donatæ, atque in amicorum formulas relatæ eſſent. Cùm enim vnius regionis populi ac ciuitates non eodem modo ſe aduerſus populum Romanum geſſiſſent omnes, propterea neque eodē omnes pacto tractatæ ſunt, verùm pro ſuis cuiuſque meritis leges acceperunt. Quo factum eſt, vt aliæ ciuitates vectigales, aliæ immunes relictæ, aliæ ſeruitute, aliæ libertate affectæ ſint: Vectigales dictæ, quibus vectigal aliquod impoſitum eſt: immunes, quibus nullum. Seruitute affectæ, quas Magiſtratui Romano parere voluerunt: libertate, quas Magiſtratus Romani iuriſdictione ſoluerunt. Vectigal porrò ipſum aut certum fuit, aut incertum. Certum, definita ferè ſtipendij ſumma, & hoc tributum, ſiue ſtipendium, & qui hoc pependerunt, tributarii, ſiue ſtipendiarii nominati ſunt, incertum quod portubus rebúſque venalibus paſcuis agriſque conſtitutum eſt, quod portorium, ſcriptura, & decuma dictum eſt. Tributum autem duplex fuit, vnum pecuniæ ordinarium, quod in caput, atque in ſolum impoſitum quotannis exigebatur; alterum, extraordinarium, quod aut ex lege, aut Senatuſconſulto pro vſu prouinciæ aliquando imperabatur, veluti cùm naues, nautas, milites, ac ſumptum in eos dare Prouinciæ iubebantur. Portorium autem fuit vectigal, quod ex importatione & exportatione rerum venalium capiebatur: Scriptura, quod ex paſtione paſcuorum publicorum. Decuma, quod ex agris, qui frumenta decumam, ſiue quamuis aliam partem darent. Frumenti verò, quòd ex Prouinciis extrahebatur, tria genera extiterunt: decumanum, emptum, & æſtimatum. Decumanum erat decuma, quam quiſque arator ſine pretio dare cogebatur: quæ ſumma pro copia, inopiave frumenti in ſingulos annos erat incerta, eaque aut Romæ à Cenſoribus, aut in Prouincia à Magiſtratu Romano vendebatur Publicanis, qui ex eo Decumani dicebantur, vt pro ea certam pecuniam populo Romano repræſentarent. Emptum, ſumma altera, quam aratores vendere, accepto ex Senatuſconſulto pretio, cogebantur, quod frumentum Romam ad alendum populum à Magiſtratu Romano mittebatur. Æſtimatum, ſumma alia, quam æſtimabat Magiſtratus in cellam ſuam, in vſum familiæ ſuæ, cùm interdum pro frumento pecuniam acciperet. Quin etiam, emptum duplex fuit, vnum decumanum quod ex alteris item decumis pretio perſoluto aliquando accipiebatur: alterū imperatum, quod præter duas decumas æqualiter omnibus ciuitatibus, pretio item ſoluto imperabatur, quemadmodum perſpicue ex frumentaria cognoſcitur. Nam fuiſſe etiā quoddam, quod honorarium diceretur, Cicero in Piſonem oſtēdit, cùm dixit: Qui modus tibi fuit frumenti æſtimati, qui honorarii? ſiquidem poteſt vi, & metu extortum honorarium nominari. Seruitus autē, quam dixi, ciuitatū, tota in eo poſita fuit, vt legibus & Magiſtratibus Ro-

manis obtemperarent. Qua de causa in singulis Prouinciis diuersę diœceses, siue diuersi conuentus ac diuersa fora constituebantur, eisque suę cuique ciuitates attribuebantur, quę eo iuris a Magistratu Romano poscendi causa conuenirent.

Vt autem earum ciuitatum quæ seruitute oppressæ sunt, stipendiariæ propriè dictę, quæ aliquid populo Romano penderunt: immunes, quæ nihil: sic earum quæ libertate donatæ sunt, fœderatę præcipuè appellatæ, quę aliquid ex fœdere debuerunt: liberæ, quæ omninò nihil. Huius autem totius beneficij, atque honoris arbitrium ab initio penes Senatum fuit vniuersum. Is enim acceptis ab Imperatore de superatis hostibus, & regione in potestatem adducta literis, secum de mulctà, ac pręmiis eorum, qui victi essent, consultauit, ac quid sibi fieri placeret, Imperatorem admonuit decem, aut quinque legatis Senatoribus ad eum missis, vt ex eorum sententia de hostibus & eorum regione statueret. Quibus mandatis acceptis, Imperator aut ex certa Senatus, si ita præscriptum fuerat, voluntate, aut de communi decem Legatorum sententia, victis gentibus aut ignouit, aut in Prouinciæ formam redegit. Ignouisse dictus est cùm liberos reliquit, ac suis vti legibus, suosque creare more patrio Magistratus permisit: in Prouinciæ formam redigere, cum ademptis, aut immutatis legibus eos omninò Magistratui Romano quotannis ab Vrbe mittédo subiecit, ac vectigalia, conuentúsq; constituit. Quo in genere illud humanitatis adhibuit, vt non omnes eiusdem Prouincię ciuitates eodem modo tractaret, verùm pro cuiusque meritis, aut maioribus, aut minoribus commodis ac detrimentis afficeret. Quæ verò cum de vniuersa regione, tum de singulis ciuitatibus, populisq; constituta erant, ea in concione silentio ante per præconem facto Imperator fere præconi pronuncianda mandabat, ac postremo Romam relicto aliquo Præfecto Prouinciæ decedebat. Hæc in genere de Prouinciis, & quo modo eæ confectæ sint. De differentiis, atque administratione earum & suprà diximus, & paulò post quædam repetemus.

Capvt XXIII.

De ratione deducendarum Coloniarum.

QVomodo Coloniæ fuerint deductæ, explicauimus suprà, cum de Triumuiris, Quinqueuiris, Septemuiris, &c. earum deducendarum ageremus. Quid vero impedit, ea hoc loco iisdem pene verbis, quæ ex Caroli Sigonij doctissimis Commentariis tum descripsimus, repetere, quędam etiam, quæ omissa ibi sunt, addere? Causæ cur Coloniæ deducerentur, sex potissimum fuerunt: vna, vt priores populi qui eum locum, in quem Colonia deducebatur, inhabitarant, coercerentur: altera, vt hostium incursiones reprimerentur: tertia, vt stirps Romana augeretur: quarta, vt plebs vrbana exhauriretur: quinta, vt seditiones Romanę à plebe motæ sedarentur: sexta, vt præmiis milites veterani afficerentur. Quacunque igitur de causa deducerentur, Senatusconsulto opus fuit, aut rogatione aliqua populari, quorum vtrunque vno legis nomine comprehenditur, quæ lex Agraria appellata est. Hæc & agrum definiuit, qui esset diuidendus, & quibus, ac quàm multis hominibus, & per quos, & quomodo, & quibus limitibus esset diuidendus, præscripsit. Cùm itaque de Colonia deducenda ad Senatum aut populum relatum esset, tum ij, qui agri cupiditate tenebantur, nomina in Coloniam dabant. Quòd si aut plures, aut pauciores, quàm lege præscriptum erat, nomina in Coloniam essent professi, tum ad sortem confugiebant, vt ex omnibus ducerentur, qui agro accepto exirent. Numerus autem Colonorum pro agri amplitudine in quem deducebantur, scribebatur, quo factum est, vt modò bina, modò terna, modò quaterna millia, atque ampliùs scriberentur. Deducebantur autem à Triumuiris, vel Quinqueuiris, vel Decemuiris, vel Vigintiuiris, vel Septemuiris qui ob hoc creati erant, vt lib. 6. diximus, sub vexillo, quasi exercitus aliquis. Dux autem deductionis aliquis è Curatoribus agrariis erat. Signa cohortium quæ fuerint, ex antiquis nummis cognoscitur. Vbi verò Colonos in agris, quò deducendi erant, collocarunt, tum aratro vrbem, & agrum circumscribebant, quo facto, agri diuisionem, ac suæ cuique partis assignationem aggrediebantur. Quæ omnia pluribus explicat, & veterum scriptorum testimoniis probat Carolus Sigonius lib. 2. de Antiquo iure Italiæ, cap. 2. ex quo hæc sumus mutuati.

Caput XXIV.

De Republica Coloniarum, Municipiorum, Præfecturarum, & Prouinciarum.

POTERAM hinc ad alia transire, nisi mihi Rerumpublicarum, quæ in Coloniis, Municipiis, Præfecturis &c. fuerunt, descriptio videretur maximopere esse necessaria: quam, ne in his libris desideraretur, hoc loco interere volui, quod vt beneuolus lector benigne interpretetur, & boni meum studium consulat, vehementer etiam atque etiam rogo. Desumemus autem & harum rerum explicationem ex doctissimi Sigonij Commentariis, qui lib. 2. de Antiquo iure Italiæ, ista omnia luculenter & erudite exponit. Ac de Coloniis primùm.

Coloniarum Respublica in legibus, & legum curatoribus posita est. Leges vel à populo Romano acceperunt, vel ipsę sibi per Senatum, aut populum condiderunt. Legum curatores aut Magistratus, aut sacerdotes fuerunt: humanarum illi hi diuinarum. Leges auté suas quæque Colonia habuit præcipuas, à Romanis quidem legibus separatas, sed tamen à Romanis Triumuiris, qui Coloniam deduxerant, datas. Et præter eas, alias à Colonię concilio, hoc est, Senatu populoque suo latas. Senatores in Coloniis, vt etiam in Municipiis Decuriones vocabantur, eam ob causam, quòd Pomponio IC. auctore, decima pars eorum, qui deducerentur, publici consilij gratia sit solita conscribi. Quorum numerus an in omnibus Coloniis idem fuerit, certò sciri non potest. Hoc quidem ex Plinio Iuniore satis constat, in iis legendis non aliter, atque in Senatore Romano, obseruatum esse censum, qui fuerit centum millium. Magistratus Coloniarũ pręcipui erant Duumuiri, Censores, Ædiles, & Quæstores. Duumuiratus Magistratus erat annuus, propemodùm potestate Consulari, aut certe Pętoriæ apud Romanos æqualis: quorum nomina in antiquis lapidibus, & numismatibus extant. Imo & iterati Duumuiratus, vt apud Romanos consulatus, notæ. Quos tamen in aliquot Coloniis, quarum memoria ad nostram vsque ætatem propagata est, Triumuiros quoque fuisse in Colonia Auximate, & Sigmina, ex lapidibus veterum constat, eosque I.D. hoc est Iuris dicundi causa cognomentum ex officio habuisse, probabile est. Censores etiam in Coloniis fuisse, inque iis censum egisse perinde atque Romani Censores Romæ, ex Liuio: vt itidem AEdiles & Quęstores ex marmoribus antiquis constat. Et hos Magistratus in Coloniis prætexta vsos fuisse idem auctor prodit.

Sacerdotes porrò, vt Augures, & Pontifices in Coloniis adoptatos, Ciceronis Agraria testatur. An verò certus numerus sacerdotum fuerit, an verò pro Coloniæ magnitudine variauerit, parum explorata apud antiquos memoria est. Fuére & Pręfecti in Coloniis, & Pręfecti Iuri dicundo: vt tum ex numismatibus antiquis, tum ex antiquo Fastorum Municipalium fragmento, quod Hubertus Goltzius Augusto suo attexuit, constat. Præter eos, quos modò recensuimus, Magistratus etiam Patroni Coloniarum fuerunt: ita Bononienses in Antoniorum clientela fuisse prodit Suetonius, vt Puteolanos in Cassiorum, Cicero testatur, & eorundem varia ampláque in veteribus marmoribus mentio extat.

MVNICIPIORVM Respublica quę fuerit, difficile est dicere. Vniuersum auté genus temperatum est ex omnibus prope Rebuspublicis, & pene Romanę simile videtur fuisse. Ordines in Municipiis, quemadmodum Romę fuerunt tres, Decuriones, Equites, & plebs. Cõsilia publica duo, Senatus, & populi. Magistratus, Dictator, Duumuiri, Quatuoruiri, Censores, Ædiles & Quęstores, Sacerdotes, Flamines Municipiorum. Decuriones iidem erãt, qui Romę Senatores, in quibus legendis summã curam adhibitam fuisse, vel solus Cicero docet in epistola quadam ad Leptam lib. 6. vbi scribit, eos qui pręconium facerent vetari esse in Decurionibus, qui fecissent, non vetari. Ex Decurionum auté ordine Decemuiri legebantur, qui, vt scriptum est apud Hermogenianum, tributorum exactioni ita præerant, vt si quid detrimenti fiscus mortuorum causa contraheret, ipsi suis sumptibus resarcirent. De Magistratibus res manifesta est: scribit enim Spartianus, Imperatorem Hadrianum per Latina oppida Dictatorem, & AEdilem, & Duumuirum fuisse. Quatuoruiratus & Duumuiratus annuus Magistratus erat, AEdiles, & Quęstores iidem in municipiis erant, qui in Coloniis. Atque his quidem Magistratibus, vt in Coloniis, itẽ in municipiis vti pręrextis permissum, inquit Valerius aduersus Catonem disserens de lege Oppia abroganda apud Liuium. Equitum Romanorum celeberrimum ordinem in municipiis fuisse ex Cicerone patet, qui in Cluentiana equitem Romanum quendam in municipio suo nobilem commemorauit. Iam populi fuit [illegible] summum iuspiar in legibus ferendis, & Magistratibus municipalibus creandis, cuius rei ar-

pud Ciceronem in libris de Legibus, in oratione pro Cluentio, & in Epistolis testimonia aliquot extant. Ergo cùm corpus quoddam esset municipalis Reipublicæ, etiam vnde aleretur, & sumptus in Republica necessarij sustinerentur, vectigali publico opus fuit, cuiusmodi Municipes Attellanos & Arpinates habuisse, Cicero in epistola ad Cluuium, item ad Brutum meminit.

In PRÆFECTVRIS etiam tres ordines fuerunt, summus, medius, & infimus. Summus ordo conuentus dicebatur, medius Equitum erat, tertius populi siue plebis. Magistratus erant duplices. Alij enim Roma eò mittebantur, alij è Præfectura creabantur. Roma mittebantur, qui ius dicturi essent, quos Præfectos appellârunt: creabantur, qui publicæ curationi alicui præessent, vt AEdiles, & Quæstores. Ac Præfectos quidem Festus Quatuoruiros, aut Sexuiros dictos tradit. Qui fortasse ij sunt, qui à Cicerone lib.3 de Natura Deorum dicuntur Sexprimi: an potius hi Sexprimi Præfecturis, Decemprimi Municipalibus respondebant. AEdilem autem ad publica vrbis loca sarta tecta tuenda, & Quæstorem ad pecuniam Præfecturæ publicam curandam, in Præfecturis esse creatum, vero simile est.

FOEDERATARVM CIVITATVM Respublica in legibus Magistratibus consistebat. Quales verò leges, qualésque Magistratus singulæ ciuitates fœderatæ habuerint, incertum est. Aliarum tamen alias leges, aliósque Magistratus, pro rerum, ac temporum ratione, & cuiusque Reipublicæ genere fuisse, non est difficile intelligere. Nam Tusculi Dictator, & Consul, antequàm Tusculani in ciuitatem reciperentur, fuisse traditur. Narrat etiam Liuius Capuæ antequàm deficeret, summum Magistratum Mediastuticum (pro quo tamen Iustus Lipsius in Epistolicis Quæstionibus lib.1. epistola decima, Medixtuthicus legit) fuisse alióque loco Prætorem Capuæ Marium Blosium profitetur. Idem alibi etiam Prænestinum Prætorem, quo nomine fortasse in bello Præfectum appellârunt, commemorat. Habuisse easdem & Censores, & AEdiles, atque Quæstores, ex Liuio, & Strabone intelligitur. Caruerunt autem fœderata oppida omnia iure ciuitatis Romanæ. Quare multos ex fœderatis ciuitatibus nominatim ciuitate donatos passim legimus.

De Foris & Conciliabulis quid præter superiora dicam, non habeo.

PROVINCIIS primum præpositi sunt Prętores, qui & ius Prouincialibus dicerēt, & si res cogeret bellum administrarēt. Itaque Prætorum numerus ob id creuit, quia Prouinciarum numerus creuit. Cum enim iam tum duo Prætores essent, vnus, qui inter ciues, alter, qui inter ciues & peregrinos ius diceret, ac prouinciæ duæ essent, Sicilia, atque Sardinia institutæ: visum est faciendum, vt Prætores alij in eas duo adiicerentur: Inde duabus ad Imperium adiunctis Hispaniis, totidē alij accesserunt, qui quaterni quaternas in singulos annos Prouincias gubernarēnt. Quoniam verò in ipsis Prouinciis sæpe tumultus ac bella grauiora excitabantur, quæ bella iam inde ab initio geri per Consules erant solita, hinc etiam Prouinciæ Consulibus ordine sunt commissæ. Quare duo potissimum ordinarij fuerunt Prouinciarum rectores: Prætores, qui in Prætura: & Consules, qui grauiore vrgente bello, in Cōsulatu prouinciis præfuerunt. Qui si prorogato post Præturam aut Consulatum imperio, in Prouinciis remansissent, Proprætores sunt, ac Proconsules appellati. Post annum verò Vrbis IↃC. noua Prouinciarū est ordinatio instituta, ita vt Prætores ex Prætura, quam in Vrbe gesserant, Consules ex Consulatu in prouincias mitterentur, qui & ipsi Proprætores, & Proconsules dicebantur. Hi verò Quæstores sibi adiunctos habebant, & alios Magistratus militares. Sub Imperatoribus Prouinciæ ita ordinabantur, vt aliæ essent populi, quas Proconsules à populo vel potiùs à Senatu missi: aliæ Imperatorum, quas Proprætores ab Imperatoribus designati administrabant: de quibus Magistratibus omnibus, & ratione administrandi prouincias, satis superque diximus lib.7. Iam ad militiam reuertamur, atque videbimus qua ratione in milites obedientiam detrectantes, aut parum strenue rem gerentes sit animaduersum.

CAPVT XXV.

De animaduersione Romanorum in milites obedientiam detrectantes, aut delinquentes.

NON in hostes tantùm, sed & in proprios milites Romani grauiter animaduertebant: quinetiam in cohortes, & legiones, si quid deliquissent, exemplo ad disciplinam conseruandam maxime necessario: quæ animaduersiones duplices erant, pro cuiusque delicti ratione, aliæ scilicet leniores, aliæ verò acerbiores. Non enim, vt in Vrbe lex Porcia ciues Romanos à Magistratuum virgis & securibus: sic etiam

ne etiam in castris vindicauit. Aliam enim disciplinam militarem esse voluerunt, aliam vrbanam, itemque alium ad parendum terrorem exercitui, alium populo esse propositum: siquidem ab Imperatoris imperio nulla erat prouocatio. Lenis autem animaduersio fuit, quæ ignominiam tantum inussit: vt ignominiosè dimitti, stipêdio legitimo spoliari, hastam dare, tendendi locum mutare, extra oppidum hibernare, cibum stantem capere, fossam fodere, discinctum destitui, hordeo pasci, sanguinem mitti. Grauior, quæ detrimentum intulit, vt virgis cædi, venire, fuste & securi percuti, decimari, in crucem tolli, quarum omnium exempla quàm maximè idonea referemus. De ignominiosâ dimissione exemplum est apud Hirtium bello Africo: Cæsar de suggestu conuocatis omnium legionum Tribunis, Centurionibusque: C. Auiene, inquit, quod in Italia milites populi Romani contra Rempublicam instigasti, rapinasque per municipia fecisti, ignominiæ causa ab exercitu meo te remoueo. De fraudatione stipendij satis notum est. Hinc enim ære diruti appellabantur, teste Nonio, milites, quibus propter ignominiam stipendium, id est, merces menstrualis, aut annua, quæ esset in nummis æris, subtrahebatur. Vnde Varro de vita populi Romani: Stipendium appellabatur, quod æs militi semestre, aut annuum dabatur, cui datum non sit propter ignominiam, ære dirutus esset. Et Liuius libro 40. Causa ignominiæ, vti semestre stipendium in eum annum esset, ei legioni decretum. Ære dirutum autem militem ab antiquis dictum tradit Festus, cui stipendium ignominiæ causa non erat datum, quod æs diruebatur in fiscum, nomen militis facculum. Et idem alio loco: Resignatum æs dicitur militi, cùm ob delictum aliquod iussu Tribuni militum, ne stipendium ei detur, in tabulas refertur. De hasta danda idem Festus in hunc modum: Censio hastaria dicebatur, cùm militi multæ nomine ob delictum militare indicebatur, quòd hastas daret. De mutando tentorii loco narrat Polybius libro 6. quos ignominia afficere voluerint, eos extra castra tendere iussos. Vnde apud Liuium libro 25. Cannenses milites queruntur ita: Nunc deteriore conditione sumus, quàm apud Patres nostros fuerunt captiui, quippe illis arma tantum atque ordo militandi, locusque in quo tenderent in castris, est mutatus, quæ tamen semel nauata Reipublicæ opera, & vno felici prælio recuperarunt. De hybernis Liuius lib. 26. Additum vtrorumque ignominiæ, ne in oppidis hibernarent, néve hyberna propiùs vllam vrbem decem millibus passuum ędificarent. De cibo idem Liuius lib. 24. Nomina eorum, qui detrectatæ pugnæ memores secessionem paulò antè fecerunt, referri ad me iubebo: citatósque singulos iureiurando adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter, quàm stantes cibum, potúmque, quoad stipendia facient, capturos esse. De fodiendo auctor est Plutarchus in Lucullo, antiquum militaris ignominiæ genus fuisse: vt tunicis interioribus solutis, fossam fodere inspectante reliquo exercitu cogerentur. De reliquis Liuius lib. 27. Cohortibus, quæ signa amiserant, hordeum dari iussit, Centurionésque manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit. Hordeum item pro tritico ignominiæ causa datum narrat Polybius. De discingendis militibus, quo adimebatur iis militare cingulum, Suetonius in Augusto cap. 24. Frontinus lib. 4. Stratagematum cap. 1. & Barnabas Brissonius lib. 2. Selectarum ex iure ciuili antiquitatum cap. 7. De mittendo autem sanguine sic Agellius lib. 10. ca. 8. Fuit hæc quoque antiquitus militaris animaduersio, iubere ignominiæ causa militi venam solui, & sanguinem dimitti. Cuius rei ratio in literis veteribus, quas equidem inuenire potui, non extat. Sed opinor hoc factum primitus in militibus stupentis animi, atque à naturali habitu declinantis, vt non tam pœna, quàm medicina videretur. Postea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem quasi minùs sani viderentur omnes, qui delinquerent. Quocirca scriptum est etiam apud Frontinum, M. Catonem memoriæ prodidisse, in furto deprehensis inter commilitones dextras esse præcisas: aut si lentiùs animaduertere voluissent, Principi sanguinem missum. M. Antonius Muretus lib. 13. Variarum lectionum c. 20. aliam huius moris causam affert: cùm ait putare se ideircò id factum esse, vt sanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluissent, eum cum ignominia amitterent.

De grauioribus animaduersionibus hæc erunt documento. Liuius de Scipione disciplinam militarem ad Numantiam corrigente: Quem militem extra ordinem deprehêdit si Romanus esset, vitibus: si extraneus, fustibus cæcidit, & alibi: Pub. Nasica & D. Bruto consulibus, delectum habentibus in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est. Nam Caius Matienus accusatus est apud Tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatúsque sub furca diu virgis cæsus est, & sestertio nummo veniit. Et Cicero tertia Philippica. Si Consul ille, fustuarium meruerunt legiones, quæ Consulem reliquerunt. Fuste autem cædebantur, auctore Polybio libro 6 hoc pacto. Accepto fuste Tribunus vix tantū attingebat damnatum, quod vbi factum erat, omnes, qui in castris erant, cædentes fustibus, plerosque in ipsis castris conficiebant, ac si euasissent, ne sic quidem seruari poterant. Quippe quibus neque in patriam redire licet, neque à propinquis domum recipi possent. Hæc pœna infligebatur cu-

stodibus, siue vigilibus in militia, qui tesseras non reddidissent, aut dormiuissent, aut locum vigiliæ deseruissent: item tergiductoribus, & Præfectis alæ, qui negligenter vigilias curassent, aut tesseras non propagassent. Fuste etiam cędebatur, qui furto sustulisset quippiam è castris, necnon qui falsum testimonium dedisset: & si quis flore ætatis abutens deprehēsus esset. Adhæc, qui ter ob idem crimen mulctatus esset. In hæc tanquā crimina animaduertebāt. Probro autē ducunt, inquit Polybius ignauiæ adscribentes militi delicta huiusmodi, si qui strenue se gessisse falsò retulerint ad Tribunos honoris causa adipiscendi: itidem, si qui in Præsidio depositi, perculsi metu datum ipsis locum deseruerint, similiter si quis telum aliquod ob metū abiecerit, in ipso conflictu: proinde nonnulli in præsidiis manifeste perituri, multiplici manu circumuenti, locū semel datum deserere nolunt, pœnam metuentes delicto competentem. Alij in ipso periculo excusso clypeo, aut ense, aut alio quopiā eiusmodi telo, temerè irruunt in hostes: aut in potestate habituros se sperantes quæ perdiderant: aut aliquid perpessos manifestū opprobrium deuitaturos, conuiciaq; suorum. Quod si aliquando hęc eadem circa plures fieri contigerit, & signa aliqua cunctim persuasione ducta locum deseruerint, omnes fuste cædere aut interficere non approbant, sed rei solutionem inueniunt vtilem pariter, terribilémque. Quippe conuocato exercitu, Tribunus productos in medium desertores accusat, inuehiturque acerbe: denique quinque aut octo, interdum etiam viginti, atque in totum habita ratione multitudinis, vt decima ad summum existat pars delinquentium, hos ex omnibus illis qui timide se gesserint, sorte eximit, & fuste cædit, vt supra dictum est, nulla deprecatione admissa, reliquos, hordeo eis pro tritico demenso extra vallum munimentáque tendere iubet. Ergo periculo ac sortis formidine æque omnibus imminente, quandoquidem casus in incerto sit, exemplo autem dati hordei ad omneis pertinente, id quod est receptum consuetudine facit insuper ad terrorem, correctionemque delictorum. Hactenus Polybius.

Antiquissimum decimationis exemplum extat apud Liuium, ab Appio Claudio Consule, ferocissimi ingenij viro: incertum, an primum editum, non multis post reges exactos annis. Verba Liuij libro 2. sunt hęc: Appius Claudius Consul aduocata cōcione inuectus haud falsò in proditorem exercitū militaris disciplinæ, desertorem signorum, vbi signa, vbi arma essent, singulos rogitans, inermes milites, signo amisso signiferos, ad hoc Centuriones, dupliciariosque, qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit, cætera multitudo, decimus quisq; ad supplicium lectu. Rationem autē huius exequendi imperij pręter Polybium cuius verba ex lib. 6. modo recitauimus, etiam Liuius exponit, vbi de Scipione pœnas de seditioso exercitu apud Sucronem repetente ita scribit: Præconis audita vox citantis nomina damnatorum in Consilio: nudi in mediū protrahebantur, & simul omnis apparatus supplicij expromebatur, deligati ad palum, virgisque cæsi, & securi percussi. Cur autem decimatio instituta sit, rationem reddit Cicero elegantissimè pro Cluentio: Statuerunt, inquit, ita maiores nostri, vt si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret. Nam miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum, vimq; pertimuit, potest idem postea esse ciuis vtilis: quare ne in bello propter hostium metum delinqueret, amplior ei mortis & supplicij metus est à maioribus constitutus. Ne autem nimium multi pœnam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est. De Cruce Liuius li. 30. De perfugis grauius, quā de fugitiuis consultum. Nominis Latini, qui erant, securi percussi. Romani in crucem sublati sunt. Atque hęc quidem militarium animaduersionum genera sunt, quæ vsque ad extrema etiam penetrasse Reipublicæ tempora, satis idoneus testis est Suetonius, cùm inquit de Augusto: Cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pauit. Centuriones statione deserta itidem, vt manipulares, capitali animaduersione puniuit, pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit, vt stare per totum diem iuberet ante Prætorium, interdum tunicatos, discinctosque, nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes. Tantum Suetonius.

Atque hæc omnia ad hunc ferè modum collegit Carolus Sigonius lib. 1. de Antiquo iure ciuium Romanorum cap. 15. ex quo nos ea descripsimus. Pleraque etiam habet Alexander ab Alexandro Neapolitanus lib. 2. Genialium dierum, cap. 13.

Capvt XXVI.

De præmiis eorum qui strenue rem gesserant.

VT contumacibus, & negligenter officiū facientibus pœnæ, sic strenuis & impigrè operam suam Reipublicæ commodantibus præmia proposita erant, qualia sunt munera militaria, cohortis Prætoriæ communio, stipēdium, præda, & dona Imperatoria. Munera militaria erant Centurionatus, Præfecturæ, Decurionatus, Optionatus

Optionatus,&c.de quibus Cato in oratione quam habuit apud Equites: Maiores seorsum, atque diuersum pretium parauere bonis, atque strenuis, decurionatus, optionatus, hastas donaticeas, alióque honores. Cohors Prætoria nemini ciui Romano permittebatur, ex qua, qui fuisset, in beneficiis ab Imperatore ad ærarium deferebatur. Stipendium autem pro meritis ipsorum nonnunquam augebatur, nonnunquam minuebatur: quod quale fuerit, & quando militibus dari cœptum, cum prius Romani ciues suis quique sumptibus militarent, paulò ante ex Iusti Lipsij viri clarissimi Electorum libro docuimus. Præda ex hostibus capta, partim ab Imperatore in publicum referebatur, partim militibus donabatur. Quinetiam sæpenumero euenit, vt Imperatoribus ipsis ob eam aut malignè diuisam, aut alio modo interceptam, dies ad populum diceretur. Dona militaria erant, quæ militibus singulis virtutis ergo ab Imperatore triumphaturo dabantur, vt coronæ, quarum multa erant genera, ciuicæ, murales, obsidionales, castrenses, aureæ, rostratæ: vt torques, armillæ, hastæ puræ, phaleræ, cornicula, & cætera generis eiusmodi. Erant etiam, quæ vniuersis, vt pecunia. De coronis dicemus capite sequenti.

Memorabile est, quod ex veteribus Annalibus refert Agellius lib.2. cap.11. de L. Sicinio Dentato, qui vixit ante Decemuiros. Sic enim scribit: L. Sicinius Dentatus pugnasse in hoste dicitur centum & viginti prœliis, cicatricem auersam nullam, aduersas quinque, & quadraginta tulisse. Coronis esse donatum aureis octo, obsidionali vna, muralibus tribus, ciuicis quatuordecim, torquibus tribus, & octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeuigenti: Phaleris item donatus est quinquies, viciésque. Hactenus Agellius. Apud Liuium etiam scriptum est, L. Papirium Consulem equites omnes ob egregiam in bello operam donasse corniculis, armillisque argenteis: & bello Persico, Sp. Ligustinus apud populum gloriatus, se quater & vicies virtutis causa ab Imperatoribus esse donatum, sex ciuicas coronas accepisse, viginti duo stipendia in exercitu emerita habere. Suetonius autem de Augusto refert, eum dona militaria aliquanto facilius, phaleras, & torques, quicquid auro, argentóque constaret, quam vallares & murales coronas, quæ honore præcellerent, dedisse, has quam parcissimè, & sine ambitione, & sæpe etiam caligatis tribuisse. M. Agrippam in Sicilia post naualem victoriam cæruleo vexillo donasse. Cæterùm, antequam ab hoc loco abeamus, vt & ipsa militarum donorum vocabula intelligantur, explicanda paucis sunt.

Armillas, inquit Festus, ex auro, quas viri militares ab imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant, vnde arma ab his dependentia sunt vocata.

Hasta pura eadem est quæ à Catone donatica dicitur, quòd Romani fortes viros eo donarent: Pura autem appellatur, quòd sine ferro esset, alio nomine graminea dicitur, quemadmodum Turnebus libro Aduersariorum 29. c.1. exponit.

Phaleræ videntur esse equorum frontalia. Sic enim Suidas in voce φάλαρα· τὰς προμετωπίδας, τὰς ἀσπιδίσκας, τὰ κόσμια τὰ κατὰ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων· παρὰ δὲ Ἡροδότῳ, τὰ περὶ τὰς γνάθους σκεπάσματα, id est, Frontis ornamenta, scutula, id quo frons equorum exornatur. Apud Herodotum verò circa maxillas tegumenta. Quod dixit Suidas ἀσπιδίσκας, formam ornamenti significauit, scutum imitantem, vt à naribus ad frontem inter oculos ducta illustris lamina dilataretur in fronte, attenuata in imo, similitudine veterum scutorum: quæ Virgilius ideò longa, lib.8. Æneidos, nominauit. Seruius Honoratus neque frontem, neque maxillas, sed pectus phaleris ornari solitum ait, & esse idem, quod in mulieribus monilia. Sic enim interpretatur in eo Virgilij versu:

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Monile autem à collo præpendere, ex Festo, & aliis constat. Plinius quoque satis planè distinguit a frontalibus phaleras, & sentire cum Seruio potiùs, quàm cum Suida, aut etiam Herodoto, videtur. Ait enim sic lib.37. cap.12. de gemma quadam facta, quondam tantæ magnitudinis fecére, vt equis Regum in oriente frontalia, atque pro phaleris pensilia facerent, &c. Sed Agellius lib.5. c.5. eas à monilibus distinguit, qua de re vide differentem Aldum Manutium Pauli F. libro 2. Quæsitorum per epistolam, epistola decima, vbi in hanc inclinat sententiam, vt putet quicquid equorum frontibus, maxillis, pectoribus ad speciem adderetur, communi vocabulo Phaleras esse nominatas.

De corniculis & torquibus nihil opus est monere.

Pecuniam militibus ante triumphum ab Imperatoribus distribui consueuisse ex Liuio patet, qui lib.28. sic scribit: Pecuniam in ærarium tulerunt sestertium tricies octoginta millia æris. M. Liuius militibus quinquagenos senos asses diuisit, tantundé C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, cùm ad exercitum rediisset, &c. Eiusdem rei testimonia extant apud eundem Liuium, & alios plura. Atque de præmiis militaribus hactenus, de quibus etiam vide

Alexandrum ab Alexandro Neapolitanum, Genialium dierum libro 4. capite 18. & Carolum Sigonium libro primo de Antiquo iure ciuium Romanorum, capite 15. ex quo hæc ferè descripsi.

Capvt XXVII.

De coronis militaribus, earumque generibus.

De præmiis quæ distributa iis fuerunt qui strenuè rem gessissent, superiori capite diximus. Interea verò etiam coronæ fuerunt, de quibus hoc capite agemus.

Agellius scribit, Militares coronas multifarias fuisse, præcipuas autem & nobilissimas esse triumphalem, obsidionalem, ciuicam, muralem, castrensem, naualem.

Triumphales, inquit, coronæ sunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id vulgò dicitur aurum coronarium. Hæ antiquitus è lauro erant, pòst fieri ex auro cœptæ.

Obsidionalis est, quam ij, qui liberati sunt obsidione, dant ei Duci, qui liberauit. Ea corona graminea est: obseruarique solitum, vt fieret è gramine, quod in eo loco generatum esset, intra quem clausi erant, qui obsidebantur. Plinius lib. 22. c. 3. & 4. obsidionalem omnibus aliis, gemmatis, & aureis, vallaribus, muralibus, rostratis, ciuicis, & triumphalibus præfert, quippe cùm reliquas aut Imperatores militibus, aut ipsi milites militibus dent: hanc verò miles det Imperatori. Eam dicit vocari obsidionalem, liberatis obsidione, abominandóque exitio totis castris. Eandem etiam dicit datam fuisse è viridi gramine, decerpto inde vbi obsessos seruasset aliquis. Námque summum apud antiquos signum victoriæ erat herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere. Talem accepit L. Sicinius Dentatus, & Decius, & Quintus Fabius Maximus, &c. Eadem de Obsidionali, Festus.

Ciuica corona appellatur, inquit Agellius, quàm ciuis ciui, à quo seruatus est in prælio, testem vitæ, salutísque perceptæ dat. Ea fit e fronde querna: quoniam cibus, victúsque antiquissimus querceus capi solitus sit. Fit etiam ex ilice, quod genus superiori proximum est, sicuti scriptum est in quadam Comœdia Cæcilij.

Aduehuntur (inquit) cum ilignea corona, & chlamide, Dij nostram fidem. Masurius autem Sabinius in 2. librorum memorabilium, ciuicam coronam tum dari solitam dicit, cùm is, qui ciuem seruauerat, eodem tempore, & hostem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat: aliter ius ciuicæ coronæ negat concessum. Tiberium tamen Cæsarem consultum, an ciuicam coronam capere posset, qui ciuem in prælio seruasset, & hostes ibidem duos interfecisset, sed locũ, in quo pugnârat, non retinuisset, eóque loco hostes potiti essent: rescripsisse dicit, eum quoque ciuica dignum videri: quod appareret, è tam iniquo loco ciuem ab eo seruatum, vt etiam à fortiter pugnantibus retineri non quiuerit. Hac corona ciuica L. Gellius vir Censorius in Senatu Ciceronem Consulem donari à Republica censuit, quòd eius opera esset atrocissima illa Catilinæ coniuratio detecta, vindicatáque. Plinius lib. 16. cap. 4. ciuicam coronam & murali & vallari, aureæque, & rostratæ præponit, & ait, eam primò ilignã fuisse, posteà magis placuisse ex Esculo Ioui sacra, variatumque & hoc cum quercu esse, ac datam vbique quæ fuerat, custodito tamen honore glandis. Deinde addit leges de corona ciuica, quibus ea dari debeat: Quique, inquit, patriæ muros primus scandens, audentem irrumpere occidit. Quique ciuem maluit seruare, quàm hostem occidere. Vtque eum locum in quo sit actum, obtineret hostis eo die. Vtique seruatus fateatur, alias testes nihil prosunt: Vt ciuis fuerit. Auxiliis, quamuis Rege seruato, decus id non dant. Nec crescit honos idem Imperatore conseruatore, quoniam conditores in quocunque ciuem summum esse voluerunt. Accepta licet vti perpetuò. Ludos ineunti semper assurgi etiam à Senatu in more est. Sedendi ius in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique, & auo paterno. Quatuordecim eas accepit Sicinius Dentatus, &c. Et paulò pòst subiicit: O mores æternos, qui tanta opera, honore solo donauerunt. Et cùm reliquas coronas auro commendarent, salutem ciues ij in precio esse voluerunt: clara professione, seruari quidem hominem nefas esse lucri caussa. Hactenus Plinius.

Muralis est corona, qua donatur ab Imperatore, qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim ascendit. Idcirco quasi muri pinnis decorata est.

Castrensis est corona, qua donat eum Imperator, qui primus hostium castra pugnans introiuit. Ea corona insigne valli habet, vnde vallaris dicitur.

Naualis

Naualis est, quæ donari solet maritimo prælio, qui primus in hostium nauem vi armatus transiliuit. Ea quasi nauium rostris insignita est. Et muralis autem, Castrensis & Naualis fieri ex auro solent. De Nauali corona postea erit dicendum. Harum coronarum icones in veteribus nummis conspiciuntur.

Capvt XXVIII.

De præmiis Imperatorum, supplicatione, triumphis, & ouatione.

De præmiis, quibus milites ob egregia facinora ornati fuerunt hactenus diximus: sequitur, vt de iis etiam, quæ Imperatoribus proposita fuerunt, agamus. Qui ergo imperium rectè ac feliciter administrarunt, iis hæc, quæ maxima apud eos habita sunt, decora patuerunt: absenti nomen Imperatoris & Supplicatio, præsenti triumphus. De nomine Imperatoris diximus suprà, capit. 6. Supplicatio honos fuit, qui vna cum Imperatoris nomine decernebatur Victori, nempe cùm Senatus populo Deûm templa aperiri, ac gratias Diis Imperatoris nomine agi iubebat. Erat enim moris, vt consules, vel Prætores, postquam à militibus appellati Imperatores fuerant lictores laureatos præferrent, literásque ad Senatum laureatas de re gesta mitterent, quibus Imperatoris nomen ac supplicationes à Senatu postularent. In hac autem supplicationis pompa, quæ aliàs plures, aliàs pauciores dies continuabantur, Senatus ad templa Deorum solemniter se conferebat, ibíque sacrificabat, & dabat in templis epulum. Omnis autem populus agebat dies festos, & agebat Diis gratias pro spe victoriæ, quæ affulgebat, & vota faciebat, vt Dij hoc modo placati, quod ostenderant beneficium perficerent. Quamuis autem primis temporibus in vnum, alterúmque diem supplicatio ægrè decernebatur, tamen ad postremum eò progressa res est, vt etiam in quinquaginta decretæ sint. Siquidem M. Valerio. & M. Horatio Consulibus, A. V. CCCIV. deuictis Sabinis supplicatio in vnum diem decreta est: Camillo

Veiis captis in quatriduum, quot dierum nullo ante bello decretæ erant. At verò Cn. Pompeio Mithridatico bello confecto duodecim: Cæsari bello Gallico, primùm quindecim, post viginti: Hirtio, Pansæ, & Cæsari Octauiano Mutina colonia liberata, quinquaginta dierum decretæ sunt, in quo decernendo cùm magnitudinis victoriæ, tum dignitatis hominis habuisse rationem videntur. Hoc honoris genus Ciceroni quoque habitum fuit quando Catilinariam coniurationem repressit, vt ipse meminit in 3. & 4. Catilinaria, in 2. Philippica. & alibi.

Triumphus eximius quidam honor fuit, quem is, qui auspicio suo hostes prælio deuicisset, in Vrbem cum incolumi exercitu rediens. Senatus primùm decreto, pòst etiam populi iussu consequebatur. Erant autem duo triumphorum genera vnus maior, qui præcipue triumphus, alter minor, quæ Ouatio nominata est. Ex his autem alij terrestres, alij nauales; itemque alij in Vrbe, alij in monte Albano acti sunt. Terrestres dicebantur, qui terra: nauales qui mari rebus feliciter gestis agebantur.

Primus naualem triumphum egit C. Duilius anno Vrbis CDXCIII. de quo ita scribit Valerius Maximus lib. 3. cap. 6. Caius Duilius, qui primus naualem triumphum ex Pœnis retulit, quotiescunque epulaturus erat ad funalem cereum, præeunte tibicine & fidicine, à cœna domum reuerti solitus est, insignem bellicæ rei successum nocturna celebratione testando. Meminerunt huius & Liuius Epit. 17. L. Florus lib. 2. cap. 2. Cicero in Catone Maiore, Eutropius, Orosius, Plinius, & alij.

In Albano primus triumphauit Papirius Maso, anno Vrbis IↃXXII. de quo idem Valerius Maximus lib. 3. cap. 6. Papirius quidem Maso, cum bene gesta Republica triumphum à Senatu non impetrasset, in Albano monte triumphandi & ipse initium fecit, & cæteris postea exemplum præbuit: próque laurea corona, cùm alicui spectaculo interesset, myrtea semper vsus est. Meminit & huius Plinius libro 15. cap. 29.

Ouans primus ingressus est vrbem Publ. Posthumius Tubertus Consul secundus, anno Vrbis ducentesimo quinquagesimo, de quo in hunc modum Plinius libro 15. capit. 29. Bellicis se quoque rebus myrtus inseruit, triumphánsque de Sabinis Posthumius Tubertus in Consulatu (qui primus omnium ouans Vrbem ingressus est: quoniam rem leuiter sine cruore gesserat) myrto Veneris victricis coronatus incessit, obtabilémque arborem etiam hostibus fecit.

Quid autem Ouatio sit, vnde nomen habeat, & quomodo à triumpho maiore, de quo capite sequenti agemus differat, paucis explicandum est. Ouantes, scribit Festus, lætantes esse, ab eo clamore, quem mittant redeuntes è pugna victores milites, geminata litera O. quod idem placet etiam Dionysio Halicarnassæo: Quasi, inquit, Romani εὐοῖ Græcorum vocem, quæ clamorem significat, ouationis nomine voluerint interpretari. At Plutarchus in Marcello hanc opinionem refellit, & ouationis nomen ab oue ductum putat, quam, qui hoc genere triumphi ornabatur, sacrificabat, quemadmodum qui maiorem triumphum agebat, taurum in Capitolium veniens immolabat. Differt autem Ouatio à Triumpho, vt ait Dionysius Halicarnassæus, quòd qui ouans ingreditur, is nec curru vectus, nec trabeam, nec togam pictam indutus pedibus Vrbem exercitu præeunte iniret. Plutarchus autem eundem nec quadrigis inuectum, nec laurea coronatum, nec tubis concinentibus: sed pedibus & calceis myrtea redimitum, tibiis modulantibus Vrbem iniisse scribit, cum quo & Plinius, Festus, & Agellius sentit.

De causis huius decernendi honoris ita scribit Agellius libro 5. cap. 6. Ouandi, non triumphandi causa est, cùm aut bella non rite indicta, neque cum iusto hoste gesta sunt, aut cùm hostium nomen humile, & non idoneum est, vt seruorum, piratarúmque, aut deditione repentè facta, in puluere (vt dici solet) incruentáque victoria obuenit. Cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt, quòd non Martius, sed quasi Venerius triumphus quidam foret.

Hanc myrteam coronam Marcus Crassus bello fugitiuorum confecto, cùm ouans rediret, insolenter aspernatus est. Senatúsque Consultum faciendum per gratiam curauit, vt lauro, non myrto coronaretur. Adiicit Plutarchus, cum verbis & comitate res cum hostibus transacta, & bene gesta esset, tum vt ouantes inirent, & istam pompam bellici apparatus expertem & festiuam ducerent, fuisse permissum. Nam & tibia, inquit, Pacis est, & myrtus, Veneris arbor: quæ Dea maxime violentiam & bella odit: His adde, cùm aut in aliena Prouincia, aut alienis auspiciis, aut cùm sine Magistratu res gesta esset. Pedibus autem an equo vecti ouantes ingrederentur, magna quæstio est, de qua sic etiam Agellius lib. 5. cap. 6.

Præterundum non est, quòd ad ouationem attinet, super quo dissentire veteres auctores scio. Partim enim scripserunt, qui ouarent, introire solitum equo vehente. Et Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicit, sequentibus eos, non militibus, sed vniuerso Senatu. Hæc Agellius. Itaque Dionysius pedibus ingressos, Dio equo vectos intelligit. Etenim ouantem ingredi

bigendi, equo vehi Dio appellat. Dionysius autem pedestrem triumphum ouationem vocat dum de Aulo Manlio ouante anno ducentesimo septuagesimo nono loquitur. Hactenus de Ouat. Sequitur Triumphus maior, de quo capite sequenti.

Caput XXIX.

De Triumpho maiore, Spoliis opimis, Arcubus Triumphalibus, & Tropheis.

De triumpho maiore ea hoc loco afferemus, quæ olim à Præceptore nostro Magistro Ioanne Rosa, piæ memoriæ viro immortalitate dignissimo accepimus, cùm viri clarissimi Caroli Sigonij Fastos ac Triumphos publice nobis prælegeret: pauca tantum interdum ex aliis scriptoribus, vbi opus fuerit, addituri. Sic autem is Triumphorum rationem nobis explicauit. Honor Triumphi fuit illud summum & magnificentissimum, & iucundissimum præmium, quo præcellentium Imperatorum, qui res in bello præclarè & feliciter gesserant, virtus & fortuna apud Romanos ornari solebat.

Ad vocẽ quod attinet, communis est auctorum sentẽtia, quod ea originẽ habeat ex ipsa acclamatione, à Bacchi cognomẽto sumpta. Sic enim Varro lib. 5. de ling. Lat. scribit: Triũphare appellatũ, quod cũ Imperatore redeuntes milites clamitant per Vrbem in Capitoliũ eunti: Io triũphe, Io triumphe: idque à θρίαμβος, Græco Liberi patris cognomento potest ductũ esse. Et quòd Bacchus dictus sit θρίαμβος, habet etiã Plutarchus in Marcello. Fuit autẽ vulgaris opinio, quòd pompa triũphalis Bacchũ habuisset in Græcia primũ auctorẽ, vt videre est apud Plinium li. 7. c. 56. & Diodorum Siculum lib. 5. Acclamationes eas expressit Horat. Oda 2. lib. 4.

Tumque dum procedis Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Ciuitas omnis: dabimusque diuis
Thura benignis.

Et Oda 9. Epodo.

Io triumphe tu moraris aureos
Currus, & intactas boues
Io triumphe nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem.
Neque Africano cui semper Carthaginem
Virtus sepulchrum condidit.

Sic Liuius quoque lib. 45. Militum quidem propria est causa, qui & ipsi laureati, & quisque donis quibus donati sunt insignes, triumphum nomine cient.

Causam instituti huius efficientem generalem ex illa lætitia, quam vniuersaliter affert liberatio à bello terribili, & malis, quæ ab hostibus sæuis sunt expectãda, & ex fauore, quo liberati liberatorem persequuntur, & qualicunque notitia, quod numini prolato auxilio deberentur gratiæ solẽnes, facilè potest intelligi. In specie verò primus auctor talis pompæ in vrbe Roma fuit Romulus, qui cæso sua manu Acrone Cæninensiũ Rege, cum Ioui arma eius ex voto esset dedicaturus, quercum quã in castris vidit recidit, & instar trophæi adornauit, Acronisque armis aptè ex ea suspensis, ac veste ipse incincta, & fluente coma laurea coronatus, stipitem illũ dextro humero baiulans, Vrbẽ est ingressus carmen victoriale exercitu in armis sequẽti præcinens, & ciuibus cum gratulatione & laudibus eũ excipientibus, sese ostentans. Ab hoc exẽplo triumphorum celebritatem initium Romæ sumpsisse, scribit Plutarch. Addidit aliquantò post Tarqu. Priscus Rex currum, & alia, quæ ad speciem & magnificentiam maiorem erant cõparata, quibus quantũ splendoris postmodũ accesserit, videre est in speciosissimis triũphis, quos duxerũt L. Cæcilius Metellus, A. V. ɔɔIII. Marcellus, ann. ɔɔXXXI. P. Scipio Africanus, anno ɔɔXLIX. L. Æmilius Paulus, anno ɔɔXXCVI. Scipio Africanus posteriori ann. ɔɔCVII. L. Mummius, anno ɔɔCIIX. Marius anno ɔɔCLXXII. Sulla anno ɔɔCLXXII. & Pompeius tertiũ triumphãs, anno ɔɔCXII. item C. Iulius Cæsar, & Augustus & posterioribus temporibus Aurelianus.

De Legibus triũphalibus has reperio: Quòd nemini, nisi quis Dictator, aut Consul, aut Prætor, res gessisset, licuit triumphare. Plutarchus in vita Pompeij. Discessum tamen ab hac lege, fuit, quando Lucio Cornelio Lentulo ouatio anno ɔɔLIII. & Cneo Pompeio Equiti tantùm, & nondum in ordinem Senatorium adscripto, ac vix dum annum decimum quartum ætatis egresso, primus triumphus anno ɔɔCLXXII. decernebatur. Triumphum petentes oportebat ex-

tra Vrbem subsistere, & ibi decretum Senatus expectare. Dandi autem huius honoris, sicut & supplicationum & Ouationum potestas erat penes Senatum, quem oportebat semper integrum conuenire, quoties de his summis honoribus erat consultatio. Facto autem a Senatu decreto, de eodem & ad populum ferebatur, ac præterea rogabantur, vt eo die, quo triumphus duceretur, imperium triumphanti populus daret: siquidē id nemo, nisi populus dare poterat.

Erant autem multæ impediendi triumphi rationes: primùm, cùm Tribuni plebis Imperatori, qui triumphum peteret, aliqua de causa infensi, de rogatione ferenda omnes recusarent: deinde cùm rogationem quidem Tribunus aliquis ferret, sed eam populus suffragiis antiquaret: tertiò, vbi Tribuno rogationem ferente, vnus pluresve de collegio intercederent: postremò, cum Tribunus Imperatori ob res in bello gestas, diem diceret, sicuti Caius Memmius Lucullo, qui duobus potentissimis Regibus, Mithridate & Tigrane deuictis, tamen nonnisi triennio pòst, accusationem remittente Memmio, triumphare potuit. Recitat Valerius Maximus lib. 2. cap. 8. etiam has leges. Ob leuia, inquit, prælia, quidam Imperatores sibi triumphos decerni desiderabant, quibus vt occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium vna acie cecidisset. Non enim numero, sed gloria triumphorum excelsius vrbis nostræ futurum decus maiores existimabant.

Cæterùm ne tam præclara lex cupiditate laureæ obliteraretur, legis alterius adiutorio fulta est, quæ pœnam Imp. minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum ciuium falsum numerum literis Senatui ausi essent referre: iubetque eos cum primum Vrbem intrassent, apud Quæstores Vrbanos iurare, de vtroque numero verè ab his Senatui esse scriptum. Hæc Valerius. Fuerunt tamen, qui inuito Senatu honorem hunc sibi rapuerunt: & cum in Capitolium pompam ducere non daretur, duxerunt eam in Albanum montem Latij præaltum, nec procul ab Vrbe situm: cuius rei primum auctorem fuisse reperimus C. Papirium Masonem Cos. A. V. IↃXXII. de quo superiori capite diximus. Legitur præterea in Valerio, libro 2. cap. 8. quòd triumphus tantùm iis, qui Imperium Romanum auxissent, non autem qui amissa recuperassent, fuerit permissus. Non etiam, nisi de hostibus triumphatum fuisse legimus, & quidem de iis, quorum aliquā esset dignitas. Nam cùm per Crassum contra seruorum colluuiem feliciter res esset gesta, indignus hostis fuit habitus, de quo triumphus ageretur: quare coactus fuit Crassus Ouatione esse contentus. De ciuibus verò ita scribit Valerius libr. 2. cap. 8. Verùm quamuis quis præclaras res maximéque vtiles Reipub. ciuili bello gessisset, Imperator tamen eo nomine appellatus non est: neque vllæ Supplicationes decretæ sunt, neque aut Ouans, aut curru triumphauit: quia vt necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, vtpote non externo, sed domestico partæ cruore. Et de Cæsare narrant, quod Massiliam vrbem in triumpho ostentans, & de filiis Pompeij triumphans, maximo odio popul. Romani sese onerarit. Vbi è contrario de Sulla prædicant, quòd cum stabilita sua potentiā multas vrbes Græciæ & Asiæ in triumpho duceret, ciuium tamen Romanorum ne vnum quidem oppidulum vexerit. Sed & hoc moris fuit, vt quo die quis triumphabat, haberet, & deponeret imperium. Atque huc spectat, quod à Valerio loco ante citato his verbis refertur: Moris erat ab Imperatore triumphum ducturo, Consules inuitari ad cœnam, deinde rogari, vt venire supersedeant, ne quis eo die, quo ille triumpharit, maioris in eodem conuiuio sit imperij. Ex his legibus iudicari potest, qui triumphi regulares aut irregulares fuerint.

Ad ipsam pompam triumphi quod attinet in genere, hæc fuit ferè huiusmodi: Imperator, vt scribit Zonaras lib. 2. triumphali habitu ornatus, armillis sumptis, laurea redimitus, & ramum dextra tenens populum conuocabat, & militibus suis aliis communibus, aliis propriis laudibus oneratis, pecuniam & ornamenta diuidebat, cùm armillas aliis, aliis hastas puras, aliis coronas aureas, aliis argenteas, expressum viri nomen, ac facinus ferentes, largiretur. Nam si quis murum primus ascenderat, muralis: si castellum aliquod expugnarat, castelli speciem corona gerebat: si nauali prælio vicerat, rostris corona exornabatur: si equestri, equestre aliquid præ se ferebat. Qui autem ciuem in acie, aut in obsidione, aut in alio periculo conseruasset, cùm summam laudem assequebatur, tum quernam coronam accipiebat, cuius honos argenteis & aureis omnibus excellebat.

Neque verò hæc dona singulis tantùm virtutis causa dabantur, sed & cohortibus & exercitibus vniuersis: spoliorum autem magna pars militibus distribuebatur. Qui etiam quidam vniuersum populum donarunt, & sumptus in ludorum publicorum apparatus fecerunt, & si quid reliqui erat, in porticus, templa, aut alia eiusmodi opera publica consumpserunt. His rebus perfectis, atque sacrificio facto, triumphans currum conscendebat, ita precatus.

DII, NVTV ET IMPERIO, QVORVM NATA ET AVCTA EST RES ROMANA, EANDEM PLACATI, PROPITIATIQVE SERVATE.

Tum

Tum per portam triumphalem vehebatur. Præcedebant tubicines, canentes modos triumphales, aut etiam, quod in Æmilij triumpho factum est, classicum. Post hos ducebantur boues mactandi in sacrificiis, vittis, sertisque redimiti, & aliquando auratis cornibus. Illis succedebat speciosa ostentatio spoliorum, & manubiarum, quæ singulari arte composita, partim plaustris vehebantur, partim gestabantur ab adolescentibus ornatis. Ferebantur & tituli victarum gentium, cum imaginibus deuictarum vrbium: ac fuerunt spoliis interdum mixta animalia, antea non visa, aut mirabiles plantæ ex locis captis asportatæ. Succedebant inde, qui ex hostibus capti erant. Duces vincti catenis, & post illos ante currum Imperatoris portabantur coronæ aureæ, si quæ ipsi ab vrbibus & Prouinciis fuerant summi honoris causa, quod sæpe accidit, per legationes exhibitæ. Ac tùm demùm ipse Imperator curru sublimi, magnifice exornato, vehebatur, fulgens veste triumphali, & redimitus corona laurea, ramúmq; lauri manu gestans. Vestis triumphalis erat purpura, auro intexto picta, de qua Plinius lib. 9. c. 36. & lib. 8. c. 48. Tali autē veste extra hāc pompam vti nemini fas fuisse, docet historia Marij, in qua apud Plutarchum sic legitur: Peracto triumpho, induxit Senatum Marius in Capitolium, atque incertum num prudēs id, an fortuna sua elatus fecerit, insolentius egressus Curiā est veste triūphali. Verùm cito offensum animaduertens Senatum, surrexit, sumptáque rediit prætexta. Et Dionysius Halycarnassæus lib. 3. loquens de toga picta purpurea, qua Reges fuerint vsi, indicat, quòd Regibus exactis nō licuerit vlli, etiam si cōsul esset, eam vsurpare, sicut nec coronā regiam. Nam hæc sola, inquit, de ornatu regio consulibus adempta sunt, quòd inuidiosa viderentur, & libertati grauia. Post victoriam tantùm ex Senatusconsulto triumphantes ornantur auro, & amiciuntur togis pictis purpureis. De corona laurea Plinius lib. 15. c. 30. Currum, qui neque bellicarum, neque ludicrarum quadrigarum, sed turris rotundæ instar, teste Zonara, cōstructus erat, vsitate traxerunt equi: quos, cum albos iunxisset in suo triumpho Camillus, vehementer populum offendit, propterea quod albæ quadrigæ Deorum Regi, & Patri sacræ, ac peculiariter dicatæ habebantur. Quidam tamen ceruos, quidam leones iunxerunt. Sub curru, eo loco, cui Imperator insidebat, suspensum fuit idolum fascini, de quo Plinius lib. 28. cap. 4. sic: Deus Fascinus Imperatorum quoque, non solùm infantum custos: currus triumphantium sub his pendens, defendit, medicus inuidiæ, iubetque eosdem respicere. Quod autem Plinius dicit, moneri triumphantem à fascino, vt respiciat, existimo esse illud Tertulliani in Apologetico: Hominem se esse etiam triumphans Imperator in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim à tergo: Respice post te, hominem memento te. Zonaras auctor est, in ipso curru ministrum publicum aduectum esse, qui pone coronam auream, gemmis distinctam sustinens, admoneret eum, vt respiceret: id est, vt reliquum vitæ spacium prouideret, nec eo honore elatus superbiret. Appensum quoque fuisse currui tintinnabulum, & flagellum, quibus notatum fuerit, ipsum in eam calamitatem incidere posse, vt & flagris cæderetur, & capite damnaretur. Nam, inquit, qui ob facinus supremo supplicio afficiebantur, tintinnabula gestare solebant, ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret. Testis est etiam Plinius lib. 33. cap. 7. triumphantium ora minio illini solita, & sic Camillum triumphasse: quod tamen posterioribus temporibus exoleuit. Moris item fuisse, vt triumphans secum in curru haberet filiolos pueros, paret ex Liuio lib. 45. cùm de filiis Æmylij loquitur. Quin etiam cognatorum, si aliquos habebat, virgines & pueros in currum adsciscebat: natu verò grandiores in equis iugalibus imponebat. Si autem plures erant, equis singularibus vecti ipsum prosequebantur. Currum inde sequebatur equitum & peditum exercitus suo quisque ordine. Ex his si qui peculiares coronas, aut alia dona ob egregium facinus ab Imperatore acceperant, ea præ se ferebant. Cæteri omnes laureati incedebant, cientes lætissima voce triumphum, & accinentes triumphalia carmina, quibus etiam iocos miscere licebat. Qui verò ad spectaculum confluxerant, ex Vrbe, & aliis Italiæ locis homines, omnes velut in publica eáque lætissima festiuitate, cum lætissima aggratulatione, & applausu, pompam spectant, induti vestitu mundo, & vt plurimùm albo. Procedente etiam pompa in honorem Deorum omnes ædes sacræ fuerunt apertæ, atque coronis & suffitibus repletæ. Sic igitur ad Capitolium ductus Imperator, simulatque de foro, versus illud currum flectere cœpit, hostes ante currum ductos abduci mandauit in carcerem. Cicero Verrina 7. vbi vel detenti sunt perpetuò, vel illicò securi percussi. Cùm ventum fuit in Capitolium triumphans ita precatus est:

GRATIAS TIBI IVPITER OPTVME MAXVME, TIBIQVE IVNONI REGINÆ, ET CÆTERIS HVIVS CVSTODIBVS, HABITATORIBVSQVE ARCIS DIIS, LVBENS LAETVSQVE AGO, RE ROMANA IN HANC DIEM ET HORAM PER MANVS QVOD VOLVISTI MEAS, SERVATA, BENE GESTASQVE, EANDEM ET SERVATE, VT FACITIS, FOVETE PROTEGITE PROPITIATI, SVPPLEX ORO.

Et immolatæ ſunt cum maxima ſolemnitate hoſtiæ,ſeu victimæ,& dicata Ioui corona aurea & aliquot pretioſæ manubiæ,clypei & alia monumenta ibi ſuſpenſa.Datum etiam in ipſo Capitolio epulum ſumptibus publicis,& aliquantum pecuniæ viritim plebi diſtributum,cætera relata in ærarium publicum.Quòd ſi quis Opima ſpolia fuiſſet conſecutus,ea in templo Iouis Feretrij ſuſpendebantur. Erant autem ſpolia Opima quæ Dux hoſtium duci à ſe immediate interfecto detraxerat.Quorum,vti Feſtus,& cum eo alij tradunt,tanta raritas fuit,vt intra annos paulò minùs ɔɔxxx. tantum trina contigerint nomini Romano:vna,quæ Romulus de Acrone:altera,quæ Coſſus Cornelius de Tolumnio: quæ Marcus Marcellus Ioui Feretrio de Viridomato fixerunt.Marcus Varro ait Opima ſpolia etiam eſſe,ſi manipularis miles detraxerit,dummodo duci hoſtium detraxerit.Quod autem omnia ſolita non ſint ad ædem Iouis Feretrij poni, teſtimonio eſſe libros Pontificum,in quibus ſit,pro primis ſpoliis boue,pro ſecundis ſolitaurilibus,pro tertiis agno publice ſacra fieri debere.Eſſe etiam Pompilij Numæ Regis legem Opimorum ſpoliorum talem.

QVO IVS AVSPICIO, CLASS. PROCINCTA OPEIMA SPOLIA CAPIVNTVR, IOVEI FERETRIO BOVEM CAEDITO. QVEI CEPIT, AERIS DVCENTA DARIER OPORTETO.

SECVNDA SPOLIA IN MARTIS ARAM, IN CAMPO SOLITAVRILIA VTRA VOLVERIT, CAEDITO.

TERTIA SPOLIA IANO QVIRINO. AGNVM MAREM CAEDITO, CENTVM QVEI CEPERIT, EX AERE DATO.

Ita Feſtus, quemadmodum eum reſtituerunt Carolus Sigonius, Antonius Auguſtinus, & Ioſephus Scaliger. Atque hoc quidem modo Triumphorum pompa peracta fuit,vt conſeruaretur memoria,non modò honeſtiſſimus locus viris triumphalibus fuit datus in conceſſibus publicis & permiſſum,vt in ſpectaculis lauream coronam in capite geſtarent,ſicut & alij,qui vnquam coronas acceperant, tales tum ſoliti fuerunt geſtare in capite: ſed etiam erectæ fuerunt triumphales columnæ, & ſtatuæ, arcus triumphales, trophæa, atque alia monumenta. Quin & hoc vſitatum fuiſſe ait Plinius lib.35.cap.2. Vt ædes ornamenta triumphalia circa limina acciperent.Sic enim ſcribit: Aliæ foris & circa limina animorum ingentium imagines erant,affixis hoſtium ſpoliis,quæ nec emptori refringere liceret:triumphabantque etiam dominis mutatis ipſæ domus:& erat hæc ſtimulatio ingens,exprobrantibus tectis quotidiè imbellem dominum intrare in alienum triumphum.De Columnis triumphalibus,& ſtatuis Plinius lib.34.cap.5.6.& 7.& Valerius Maximus lib.2.cap.5. De arcubus triumphalibus ita ſcribit Georgius Fabricius in ſua Roma,capit.15.Arcus olim honoris virtutiſque cauſa erecti ſunt iis,qui externis gentibus domitis, ſingulares victorias patriæ pepererant. Ii primùm rudes & ſimplices fuerunt, cùm præmia virtutis eſſent, non ambitionis lenocinia ſæculo inſolentiore monumenta victoriarum & triumphorum pompa in iis inciſa. Erant aut latericij,v. Romuli:aut ex rudi lapide quadrato,vt Camilli: aut ex marmore, vt Cæſaris in foro: Druſi cum trophæis in via Appia:Traiani in eiuſdem foro: Gordiani in Viminali, Gratiani,item Theodoſij,non longe à via Triumphali:deinde etiam reliqui. Arcuum forma primum erat ſemicircularis,vnde & nomen fornicis accepit:fornix enim Fabianus à Cicerone dicitur,qui à Victore arcus Fabianus nominatur.Poſteà quadrata,ita vt in medio ampla eſſet porta fornicata, & ex eius vtroque latere aliæ portæ minores additæ. Intra mediæ portæ fornicem Victoriæ alatæ pependerunt,quæ demiſſæ,victori tranſeunti coronam imponerent.In ſuperiore arcus parte ſpatia ſunt in quibus aliquot homines vel qui tubis canerent, vel qui trophæa maximè inſignia oſtentarent,ſtetiſſe exiſtimantur. Hæc magnificentia Auguſti temporibus,vel paulò ante cœpit.Nam de Cæſaris arcu,Seruius:de Druſi,Suetonius:de Germanici & Neronis,Tacitus. Nouitium hoc inuentum ait Plinius,non quòd arcus ante Cæſarum tempora non fuerint,ſed quòd tali ornatu non fuerint. Antiquiſſimi de quibus extra aliquid,ſunt tres: nouitij autem Plinio,nobis veteres,quinque.Hactenus Fabricius.

Trophæa erant corpora trunca cum ſpoliis.Sic enim idem Fabricius de trophæis Marij ſcribit:Inter templa S.Euſebij,& S.Iuliani in Eſquilino, moles latericia, in qua bina trophæa ex marmore.Sunt autem trunca corpora cum ſpoliis, quorum alterum thorace ſquamoſo indutum,cum ornamentis militatibus, & clypeis,ante ſe habens iuuenem captiuum, brachiis ad tergum reuinctis,& vndique alatas victorias. Alterum armis militaribus ornatum, inter quæ clypei inæqualiter rotundi, galea aperta cum cono & criſtis clauſa. In eodem ineſt forma chlamydis, & alia quædam quæ marmore detrito, & corrupto cognoſci ſatis non poſſunt. Locus ille hodie Cimbricum vocatur, quia de Cimbris à C.Mario trophæa illa ſunt erecta. Arcuum triumphalium,& trophæorum icones tum in Antiquitatibus Gamuccij, tum in veteribus nummis cernuntur, quorum vnam atque alteram ſubiecisse nihil neceſſe.

Inſculpta

Insculpta quoque in arcubus triumphalibus erant, posterioribus præsertim temporibus, tum alia multa, tum causæ & merita, pro quibus arcus isti essent ipsis extructi, vti cognoscitur ex inscriptione arcus triumphalis quæ hæc fuit:

IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMO M. FIL. SEVERO PIO. PERTINACI AVG. PATRI PATRIAE, PARTHICO ARABICO ET PARTHICO ADIABENICO. PONTIF. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AVRELIO, L. FIL. ANTONINO AVG. PIO FELICI TTIBVNIC. POTESTAT. VI. COS. PROCOSS. PP.

OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS OB REMPVBLICAM RESTITVTAM, IMPERIVMQVE POPVL. ROMANI PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI FORISQVE S.P.Q.R.

Item ex inscriptione arcus triumphalis Constantini Max. quæ talis est:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO P. F. AVGVSTO S. P. Q. R.

QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT, VOTIS X. VOTIS XX.

LIBERATORI VRBIS FVNDATORI QVIETIS.

In trophæo etiam Alpium, Elogium Augusto dicatum tale est:

IMP. CAESARI DIVI F. AVGVSTO PONT. MAX. IMP. XIV. TRIBVNIC. POTESTAT. XVII. S.P.Q.R.

QVOD EIVS DVCTV AVSPICIISQVE GENTES ARPINAE OMNES, QVAE A MARI SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT, SVB IMPERIVM P.R. REDACTAE SVNT.

Hæc igitur merces & gratia apud Romanos Imperatorum virtuti & fortunæ fuit habita, cuius fuit partim vt animi tanta proposita gloria ad clarissimorum facinorum studium excitarentur, partim vt viderentur Deo exhibere gratitudinem pro euentibus prosperis. Ac memorabile est, quod apud Valerium Maximum lib. 2. cap. 3. de Cn. Fuluio legitur: Eum qui triumphi honorem sibi à Senatu ob res gestas decretum spreuerat, & repudiauerat, fuisse exilio mulctatum. Causa huius decreti fuit, quòd indicârunt insolentiam, quæ gradus publicorum honorum superbè contemneret, spectare ad virtutis perniciem, dum scilicet, quæ multos ad studium eius accendere solent, ita proiicerentur. Tantùm de Triumphis, de quibus etiam lege Dionysium lib. 5. Iosephum lib. 7. c. 23. de bello Iudaico, Ioann. Zonaram Histor. tom. 2. Plutarchum in vita P. Æmilij, Appianum Alexandrinum in Lybico, Seruium super Virgilium, M. Tul. Ciceronem in Pisonem, Flauium Vopiscum in Aureliano, Pomponium Lætum in Philippo & Diocletiano, Alexandrum ab Alexandro Genial. dier. li. 1. c. 22. & li. 6. c. 6. Carol. Sigonium lib. 2. de Antiquo iure Prouinciarum, cap. 10. & singularem de Triumphis librum Onuphrij Panuinij Veronensis: cum quo etiam confer Triumphum maiorem æneis formis expressum à Gerardo de Iode.

CAPVT XXX.

De missione exercitus.

EXplicatis hactenus ferè omnibus, vel saltem plerisque, quæ de re militari fuerunt scitu & obseruatione digna, de missione tandem militum dicemus, atque ita hunc librum concludemus. Missionum verò duo fuerunt genera, honesta & caussaria. Honesta fuit eorum, quibus iusta militiæ vocatio esset. Caussaria, quibus necessaria.

Iusta fuit cùm quis aut legitima confecisset stipendia, aut maior esset annis quinquaginta. Necessaria, cum aut morbo, aut imbecilla valetudine impeditus in castris esse non posset. Cuius rei multa passim apud Liuium extant exempla, quorum vnum atque alterum adducemus. Sic autem lib. 7. scribit: Consul educto in æstiua milite, exercitum purgare missionibus turbulentorum hominum instituit, aliis emerita dicendo stipendia esse, alios graues iam ætate, aut viribus parum validos. Et lib 14. Nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpta, qui quadriennio non militassent, quibus neque vacatio iusta militiæ, neque morbus causa esset: Et li. 40. Senatum veteres Centuriones quam plurimum ad id bellum scribere censuisse: nec vlli qui non maior annis quinquaginta esset, vacationem militiæ esse. Præter has fuerunt aliæ quoque vacationes extra ordinem gratiæ causà, vel à Senatu, vel ab Imperatoribus datæ. A Senatu, vt idem Liuius lib. 39. Senatusconsultum factum est, vt Consul cũ Tribunis plebis ageret, vt P. Æbutio emerita stipendia essent, nè inuitus militaret, néve Censor ei equum publicum assignaret. Et lib. 23. Prænestinis militibus Senatus duplex stipendium, & quinquennij vacationem decreuit. Ab Imperatore, vt in Epitoma Liuiana quinquagesimaquinta, Tribuni plebis quia non impetrarent, vt sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, Consules in carcerem ducere iusserũt. Nonnũquam Imperatores in castris pro suo arbitratu militibus petentibus cõcesserunt commeatum, vel domus reuisendæ, vel negotij priuati gerẽdi causa, cuius hęc formula extat apud Liuium lib. 30. Si quis vestrum suos inuisere vult, commeatum do, primo vere adsitis, edico. Quin etiam senes, & sacerdotes perpetuã militiæ vacationem habuisse, Plutarchus in Camillo. Est autem illud memorabile, vacationes has à Censoribus fuisse cognitas, quod ostendit Liuius lib. 43. cum de Censoribus verba faciens ait: In censu accipiendo populi milites ex Macedonico exercitu, qui quam multi abessent à signis, census docuit, in Prouinciam cogebant. Causas stipendiis missorum cognoscebant & cuius nondum iusta missio visa esset, ita iusiurandum adigebant. EX TVI animi sententia, ex edicto Caij Claudij, Titi Sempronij Censorum in Prouinciam Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris. Hæc Liuius. De qua præter eos quos supra commemoraui, plurima collegit Vuolfgangus Lazius lib. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. Commentariorum Reipublicæ Romanæ. Atque de re militari hactenus.

EPILOGVS TOTIVS OPERIS.

Exposuimus hactenus, beneuole Lector, præcipuos veterum Romanorum ritus, mores, & consuetudines, tum quæ ad religionem, tum quæ ad Politiam, disciplinámque vrbanam ac militarem pertinent. Quæ ex re si tibi, tuisque studiis aliquid vtilitatis accedet, præclarum nostrorum laborum fructum nos consequutos esse arbitramur: quippe qui in vniuersa hac scriptione nihil aliud quæsiuimus, quàm tuum, candide & beneuole Lector, commodum: sin assequi, quod voluimus, non potuimus: voluntas tamen nostra apud æquos Iudices in aliqua saltem laudis parte ponetur: vt qui, quantum tenuitas ingenij, atque laboriosæ conditionis ac vitæ ratio permisit, de Republica literaria bene mereri voluerimus. Erit autem fortasse aliquando, vt hæc ipsa, quæ iam in publicum emittimus, diligentius atque accuratiùs persequamur. Interim hæc æqui bonique consules, nobisque, sicubi non vbique officio nostro, vt quidem par erat, functi fuerimus, humaniter condonabis: quod si feceris, & humanitatem tuam declarabis, & nos ad reliqua in te officia & studia reddes promptiores. Vale, optime Lector, nostrisque conatibus faue.

Ad Cap. III. PARALIPOMENA.

Sacramentum militare, iuramentum illi coniungi solitum, eius formulæ variæ, sub consulibus primum, deinde sub Imperatoribus, in principio militiæ, in fine, Romanis Græcisque vsitatum, adigi, & addici, perinde valere.

Militi in exercitu agenti adeo necessarium sacramentum, vt citra illud ne hostem quidem ferire licuerit, Cato apud Plutarchum Problemat. Rom. cap.38. cuius rationes vide, Cicero lib.1.de Offic. *Cato ad Pompilium scribit, vt si filium pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret sacramento, quia priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat.* Imò & ab eo fonte deriuatum est, vt *militiæ quoddam genus* consueuerint appellare *sacramentum.* glossar. vet. *sacramentum ὅρκος στρατιωτικός.* Iterum in eodem *στρατεία, militia sacramentum.* Isidor. Hispal. lib.9. cap.3. *tirones dicuntur fortes pueri, quod ad militiam deleguntur, atque armis gerendis habiles existunt, hi enim non ex sola professione natiuitatis, sed ex aspectu & valetudine corporis existimantur, vnde & tirones dicti, quique antequam sacramento probati sint, milites non sunt.* quo in loco, pro *deleguntur*, censuerim reponendum *deliguntur*, pro *existimantur*, putarim legendum *æstimantur.* Seruius Maurus ad libr.2. Æneid. vers. 157. *vt non incidat in sacramenti pœnam, nam miles legibus sacramentorum rogabatur, vt miles exiens ad bellum iuraret se nihil contra rempublicam facturum, militiæ tria sunt genera, plerumque enim euocati dicuntur, & non sunt milites, sed pro milite, vnde Salustius, ne quis miles, neve pro milite, item ab his omnes euocatis in centuriones, plerumque tumultuarij, hoc est, qui ad vnum tantum mittuntur bellum, plerumque sacramento rogati, quia post electionem in rempublicam iurant. & hi sunt, qui habent plenam militiam, nam & viginti quinque annis tenentur. hæc tria genera Virgilius sacramenti, hoc loco, tumultuarij.* (libr. octauo Æneid.

——Simul omne tumultu
Coniurat trepide Latium.

Euocationis (eodem libro in limine.)

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem.

Idem ille Seruius ad vers.616.lib.7.Æneid. *tria sunt, vt diximus supra, militiæ genera, sacramentum, in quo iurat vnusquisque miles se non recedere nisi præcepto consulis post completa stipendia, hoc est militiæ tempora, coniuratio, quæ fit in tumultu, id est bello Italico, & Gallico, quando vicinum vrbis periculum singulos iurare non patitur, sicut de Fabiis legimus, euocatio, quod genus nunc tangis, nam ad subitum bellum euocantur, vnde etiam consul solebat dicere, qui rempublicam saluam esse vult, me sequatur.* Eademque repetuntur ab eo in vers.1.lib.8.Æneid. *Apud maiores nostros tria erant militiæ genera in bellis gerendis, nam aut legitima erat militia, aut coniuratio, aut euocatio, legitima erat militia eorum, qui singuli iurabant pro republica se esse facturos, nec discedere nisi completis stipendiis, id est militiæ temporibus, & sacramentum vocabatur.* de coniuratione Claud. lib. de bello Gildonico.

——Iterum coniurat in arma
Progenies vesana Iubæ.

Vide cætera quæ sequuntur. Stat. lib.4. Thebaid. vers.306.

Hos belli cœtus, iurataque pectora Marti
Milite vicinæ nullo iuuere Mycenæ.

Priusquam vlterius pergamus, aduotandum est è re bellica *sacramentum* ad Ecclesiam tractum, si fides adhibenda Ioanni Saresberiensi libr.6. cap.5. *duo sunt quæ militem faciunt, electio & sacramentum, hæc enim duo communia sunt his, qui spiritalem, & corporalem militiam exercent, hæc enim ad ministerium altaris, & cultum Ecclesiæ vocat lingua pontificis, illos ad defensionem reipublicæ eligit lingua ducis.* D. Hieronym. Epist.79. *in sacramenti verba iurasti, pro nomine eius te non patri parciturum esse.* ad Heliodorum. Ita Veget. libro 2 cap.24. *miles sacramento lectus*, id est dignus castris post iusiurandum præstitum Q. Tertullian. lib. de Corona Militis cap.11. *credimusne humanum sacramentum diuino superinduci licere, & in alium dominum respondere post Christum, & eierare patrem ac matrem, atque omnem proximum quos & lex honorari, & post Deum diligi præcepit?* quem locum examinant Pamelius & Desiderius Heraldus. Idem Tertullian. lib. ad Martyres *vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc cum in sacramenti verba spopondimus.* Et in libro de Pudicitia. Idem, *vt sacramento benedictionis exauthoretur, nunquam in castra ecclesiæ reuersurus.* Minutius Fælix in Octauio. Arno. libro 2. Cont. Gent. *quid tam magnis prædati ingeniis oratores, Grammatici, Rhetores consulti iuris, ac medici, Philosophiæ etiam secreta rimantes, magisteria hæc expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant, quod à dominis se seruis cruciatibus affici quibus statuerunt malum, solui coniuges matrimoniis, exheredari à parentibus liberi quam fidem rumpere Christianam, & salutaris militiæ sacramenta deponere.* Sic Claudianum intellige libro 2. in Ruff. ...

vbi milites ad Stilichorem.

Tu licet occiduo maneas sub cardine solis,
Tu mihi dux semper Stilicho, nostrámque vel absens
Experiere fidem.

Sulpitius Seuerus lib.1. de vita D.Martini in limine: *sed cum editum esset à regibus, vt veteranorum filij ad militiam scriberentur, prodente patre, qui fælicibus eius actibus inuidebat, cum esset annorum quindecim raptus, & catenatus, sacramentis militaribus implicatus est, vno tantùm seruo comite contentus, cui tamen versa vice dominus seruiebat, adeò vt plerumque ei & calceamenta detraheret, & ipse detergeret*: allusit L.Seneca lib. de Breuit. vitæ cap.5. *filia, & tot nobiles iuuenes, adulterio, velut sacramento adacti.* Et epist.65. *sapiens, affectatorque sapientiæ adhæret quidem in corpore suo, sed optima sui parte abest, & cogitationes suas ad sublimia intendit, & velut sacramento rogatus, quod hoc viuis stipendium putat.* Et lib. de vita beata, c.15. *ad hoc sacramentum adacti sumus ferre mortalia.* consule Lambertum Hortensium Montfortium Commentarior. in M. Lucanum libro 1. vnam porrò huius sacramenti formulam ex Seruio superius addiscimus, alteram ex loco secundo Tertulliani, etiam paulò anteà laudato, tertiam non est obscurum deducere ex Cicerone Philipp. 13. *at militibus inclusis opem fertis, nihil moror illos saluos, & ire quo iubetis*, sic rectè ex MS. legit Ianus Guilielmus libr.2. Verisimil. capit.11. pessimè antea legebatur, *illos saluos, & ire quo lubes*, quartam disces ex libro 5. Cincij de re militari, referente A. Gellio libro 16. Noct. Atticar. capit.4. *cum delectus antiquitus fieret, & milites scriberentur, in iusiurandum eos Tribunus militaris adigebat, in hæc verba, In Magistratu C. Lælij C. filij Cons. L. Cornelij, P. Pisonis coss. in exercitu, decemque millia passuum prope, furtum non facies dolo malo, solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos, extra hastam, hastile, ligna, pabulum, vtrem, follem, faculam, si quæ ibi inueneris, sustulerisue, quod pluris nummi argentei erit, vti tu ad C. Lælium C. filium cos. Luciúmve Cornelium, P. filium coss. siue ad quem eorum ius erit, proferas, aut profitebere in triduo proximo, quicquid inueneris sustulerisue dolo malo, aut domino suo, cuium id esse censebis, reddes, vti quod rectum factum esse voles: militibus autem scriptis dies præfiniebatur, quo die adessent, & vt citati coss. responderent, deinde ita concipiebatur iusiurandum, vt adessent, tribus additis exceptionibus: nisi harum causa aliqua erit funus familiare, feriæ vindemiales, Kalendæque, quæ non eius rei causa collatæ in eum diem sint, quo is eo die minus esset ibi.* vet. Scholiast. Iuuenal. ad v. 39. Sat. 16. *sacramentorum, id est militia, quia iurabant.* Ipse Satyricus.

Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum.

Q. Horat. libro 2. od.17.

Non ego perfidum
Dixi sacramentum, ibimus, ibimus.

Fortè huc quadrare potest illud Cornelij Seueri.

Tunc redeunt animis ingentia consulis acta
Iurataeque manus.

At istis omnibus antiquior est apud Liuium formula 1. Decad. lib.2. *Centurio erat M. Flacco eius inter primores pugnæ flagitator, victor, inquit, M. Fabi, reuertar ex acie, si fallo Iouem patrem, Gradiuúmque Martem, aliosque iratos inuoco deos. Idem deinde omnis exercitus in se quisque iurat.* Eiusdem Decadis libro 10. *fortè eodem conatu apparatúque omnia opulentiâ insignium armorum bellum adornauerat, & opes deorum etiam adhibuerat, ritu quodam sacramenti vetusto, veluti initiatis militibus delectu, per omne Samnium habito, noua lege, vt qui Iuniorum non conuenissit ad Imperatorium edictum, quique iniussu abiisset, caput Ioui sacratum esset, tum exercitus omnis Aquiloniam est indictus, ad quadraginta millia militum, quod roboris in Samnio erat, conuenerunt, ibi mediis ferè castris locus est consæptus cratibus, pluteisque & linteis contectus, patens ducentos maximè pedes in omnes pariter partes, ibi ex libro vetere linteo lecto sacrificatum sacerdote Ouio Pacio quodam homine magno prognato, qui se id sacrum petere affirmabat ex vetusta Samnitum religione, qua quondam vsi maiores eorum fuissent, cum adimendæ Hetruscis Capuæ clandestinum cæpissent consilium: sacrificio perfecto per viatorem Imperator acciri iubebat nobilissimum quemque genere, factisque: singuli introducebantur. Erant cum aliis apparatus sacri, qui perfundere religione animum possent tum in loco circa omni contecto, aræ in medio victimæque circa cæsæ, & circumstantes centuriones strictis gladiis, admouebatur altaribus miles, magis vt victima, quam vt sacri particeps, adigebantúrque iureiurando, quæ visa auditáque eo in loco essent, non enunciaturum, dein iurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem capitis familiæque, & stirpis composito, nisi isset in prælium, quo Imperatores duxissent, & si aut ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, ex templo occidisset, id primo quidem renuentes iuraturos se, obtruncati circa altaria sunt, iacentes deinde inter stragem victimarum, documento cæteris fuere, ne abnuerent.* Et quia idem ille Liuius optimus & est, & habetur Antiquitatis Magister,

ſter, aliam ex Eiuſdem libro ſecundo Decad. 3. ſacramenti militaris formulam tranſcribam. *delectu perfecto, conſules paucos morati dies, dum ſocii ab nomine Latino venirent, milites tunc, quod nunquam antea factum eſt, à Tribunis iureiurando adacti iuſſu conſulum, aduenturos, neque iniuſſu abituros, nam ad eam diem nihil præter ſacramentum fuerat, & vbi ad decuriatum, aut centuriatum conueniſſet, ſua voluntate ipſi inter ſe equites decuriati, & centuriati pedites coniurabant, ſeſe fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut ciuis ſeruandi cauſa, id ex voluntario inter ipſos fœdere à Tribunis ad legitimam iuriſiurandi adactionem tranſlatum.* hæc ſunt vetuſtiſſimi ſacramenti quædam veſtigia, quod ſub principibus immutatum, vt & ipſa regendi norma variata, nam ſub conſulibus ſatis erat ſacramentum præſtitiſſe, vt ex Liuio hic liquet, ſub Cæſaribus etiam iuſiurandum à ſacramento diuerſum exigi ſolitum, non in caſtris modo, ſed & in vrbe, quod cupidiſſime retentum, firmamentum quippe non leue Imperij in eo, quod in obſequium Principum optimates quique adacti, vt pleniſſime oſtendit I. Lipſius ad finem libri 16. Annalium Taciti, dum inter crimina alia Thraſeæ obiectum, *quod in principio anni vitaret iuſiurandum ſolemne.* hoc illud eſt quod in Anglia, *iuramentum fidelitatis*, appellant Regibus ab omni pene memoria præſtandum. viderit Robertus Bellarminus, ne dum iuſiurandum principi debitum impugnat, firmiſſimam regnandi legem Imperiique deſtinam validiſſimam reuerentiam, & obſequium, ſi non tollat, at ſaltem eneruet. Monachus Egoliſmenſis in vita Caroli Magni, atque, *hæc quidem acta ſunt à Karolo, in qua iurarunt omnes Franci.* Extat etiamnum hodie inſignis formula huiuſmodi iuriſiurandi, cuius Epigraphe eſt *ſacramentum fidelitatis quod iurauerunt omnes Franci. Miſſi Domini Karoli regis ſecundùm capitula facta apud Attiniacum, anno incarnationis Dominicæ DCCCLIII. menſe Iunio.* ſequitur deinde formula ipſa. *Ego ill. Karolo Pij Ludouici filio ab iſta die in ante fidelis ero ſecundum meum ſauirum, ſicut Francus homo per rectè eſſe debet ſuo regi, ſic me Deus adiuuet. & iſtæ reliquiæ.* ſubdit mox. *quod ſacramentum iuratum eſt in Mallo Rhemis 5. Non. Iulij eodem anno.* quod non ad vnum aliquem regni ordinem pertinuiſſe, ſed vniuerſos ſimul obligaſſe, declarant ſequentia ibidem loci paulo infra. *Anno incarnationis Dominicæ 813. Indictione quinta Idibus Septembribus, in placito generali apud Gundulfi villam, Ingilberga regina & legatis ſedis Apoſtolicæ Formoſo & Galerito præſentibus tempeſtate vrgente, Epiſcopi omnes ex regno Glorioſi regis Karoli, hanc profeſſionem infra ſcriptam, & omnes Laïci hoc ſacramentum ſimiliter infra ſcriptum iurauerunt.* vide quæ ſequuntur. Guntherus Ligurini lib. 1. id præſertim in inaugurationibus nouorum principum fieri ſolere oſtendit.

Mox vbi rite ſuam proceres iuramine ſacro
Obſtrinxere fidem, cunctis, quæ poſtulat ordo,
Expletis, patriiſque nouo cum rege relictis,
Diſcedunt, lætique ſuas referuntur ad vrbes.

Sed ad ſacramentum redeo, de quo Fl. Renat. Veget. lib. 2. de Re milit. cap. 5. *nam picturis in cute punctis, milites ſcripti, & matriculis inſerti iurare ſolent, & ideo militiæ ſacramenta dicuntur. iurant autem per Deum, & Chriſtum, & Spiritum ſanctum, & per maieſtatem Imperatoris, quæ ſecundum Deum humano generi diligenda eſt & colenda. nam Imperatori cum Auguſti nomen accepit, tanquam præſenti & corporali Deo fidelis eſt præſtanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus, Deo enim vel priuatus vel militans ſeruit cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat authore, iurant autem milites omnia ſe ſtrenue facturos, quæcunque præceperit Imperator, nunquam deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos pro Rep. Romana.* Elegantiſſime, peritiſſimeque in Epicteti diſſertationibus Arrianus libro 1. cap. 14. τούτῳ τῷ θεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον οἷον οἱ στρατιῶται τῷ καίσαρι, ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι πάντων προτιμήσειν τὴν τοῦ καίσαρος σωτηρίαν, ὑμεῖς δ' ἄρα τηλικούτων καὶ τοσούτων ἠξιωμένοι οὐκ ὀμόσετε, ἢ ὀμόσαντες, οὐκ ἐμμενεῖτε; καὶ τί ὀμόσετε; μὴ ἀπειθήσειν μηδέποτε, μηδ' ἐγκαλέσειν, μηδὲ μέμψασθαί τι τῶν ὑπ' ἐκείνου δεδομένων ἄκοντες ποιήσειν τι ἢ πείσεσθαι τῶν ἀναγκαίων, ὅμοιός τε ὅρκος ἐκείνῳ, ἐκεῖ μὲν ὀμνύουσιν αὐτοῦ μὴ προτιμήσειν ἕτερον, ἐνταῦθα δ' αὐτὸν ἁπάντων. vertit Iacobus Schekgius Medicus Tubingenſis. *Enimuero par erat vos etiam Deo obſtrictos eſſe iureiurando, quemadmodum milites ſunt Cæſari, at milites propter ſtipendium iurant, ſe Cæſaris ſalutem omnibus rebus anteferre, vos tantis & tam eximijs affecti beneficijs non iurabitis, aut iurati non præſtabitis? et quidnam vobis iurandum? non rebellaturos vnquam, aut incuſaturos, aut indigne laturos, vllam rem ab ipſo vobis oblatam, nec non libenter facturos & perpeſſuros ſi ferat ita neceſſitas omnia.* quó ordine, quóve ritu concipi ſolitum iuramentum, docebit C. Cæſar libro 3. belli Ciuill. *princeps Labienus procedit, iuratque eum ſe non deſerturum,*

eundemque casum subiturum, quemcunque ei fortuna tribuisset, hoc idem reliqui iurant Legati, hoc Tribuni militum centurionesque sequuntur, atque idem omnis exercitus iurat. Idem Eiusdem operis lib. 1. *postulant, vt iurent omnes se exercitum, ducesque non deserturos, neque prodituros neque sibi separatim à reliquis consilium capturos, princeps in hæc verba iurat, subsequuntur Tribuni militum Centurionesque, centuriatim producti milites idem iurant.* Alia deuotionis verba reperies apud Flauium Blondum libro 1. de Roma Triumphante, & Iulium Barbaranum Officinæ Tom.3. pagin. 150. adi ad Ioannem Stobæum Serm.41. Ado Viennensis Chronicor. ætate 6. pagin.216. Theodosius & Valentinian. AA. Nouell. 14. *iuratur in militiæ sacramenta, vt necessitates publicæ procurentur.* quod & moris Græcanici, obseruo ex Q. Curtio libro 7. *An non propemodum in tua verba tui omnes te præeunte iurauimus eosdem nos inimicos amicosque habituros esse, quos tu haberes?* Ioan.Saresberiens. lib.6. Policrat. capit. 7. ex Iulio Frontino, qui antiquitatem ritus aperit, quod nescio an ab vllo alio peti possit. sic igitur ille. *L.Flacco & C.Varrone coss. milites primum iureiurando facti sunt, antea enim sacramento tantummodo à Tribunis rogabantur. Cæterum ipsi inter se coniurabant, se fugæ atque formidinis causa non abituros: neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi, hostisue feriendi causa, aut ciuis seruandi.* quæ postrema verba non sunt, vt opinor, Frontini, (saltem non extant in operibus, quæ ad nos peruenerunt,) sed T.Liuij 3. Decad. lib.2. superius proxime, ideo vereor, ne memoria lapsus sit Saresberiensis, aut idem ex Liuio Frontinus scripserit. deinde in eodem Saresberiensi sequitur, *& hoc dicebatur militiæ sacramentum, quod & Christianissimorum principum firmatur authoritate & vsu.* pulchre idem capit. 13. eiusdem libri. *numinibus namque Romanis, ciuibusque iurati, oppugnare non poterant, quos sacramento militiæ susceperant defendendos.* Enses iuraturi vibrabant, & distringebant, quo significarent euaginatis gladiis, vt puto, vlciscendam violati sacramenti fidem. locus est notatu dignissimus apud Ammianum Marcellinum libro 21. *iussique vniuersi in eius nomen iurare solemniter, gladiis suis ceruicibus admotis, sub execrationibus diris, verbis iurauere conceptis, omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint (si necessitas id exegerit) perlaturos, quæ sequuti rectores, omnesque principes proximi itidem simili religione firmarunt.* Sequebatur statim perfectum sacramentum mira quædam alacritas, quam elatis in altum manibus attestabantur. P.Apollonius Collat.Excidij Hierosolymit.lib.3.pag.43.

———Plena sic volentum
Prosequitur laudans castris fauor omnibus idem:
Tollitur ad cælum clamor, dextraque patenti
Certatim iurata fides.

M.Annæus Lucan lib.1.Pharsaliæ vers.386.

———His cunctæ simul assensere cohortes,
Elatasque alte quæcunque ad bella vocaret,
Promisere manus.

Hoc est quod sanctissimum iusiurandum existimo appellari, loco C.Cæsaris inductus, & libro 7. de bello Gallico. *conclamant equites sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad vxorem aditum habeant, qui non bis per hostium agmen equitasset quæ res probata, atque ad iusiurandum omnes adacti sunt.* audiendus aliquoties C. Tacitus. libro 15. Annal. *dein postquam vrgebatur, confessionis gloriam amplexus interrogatusque à Nerone quibus causis ad obliuionem sacramenti processisset, oderam te, inquit.* Idem libro 1. hist. *literæ afferuntur superioris Germaniæ legiones, rupta sacramenti reuerentia alium imperatorem flagitare.* Eod.lib. *Inferioris deinde Germaniæ legiones solenni Cal. Ianuar. sacramento & pro Galba adactæ.* Et post. *postquam vniuersa classiariorum legio sacramentum eius accepit, fidens viribus, &c.* Inferius ibidem. *antequam Titus aduentaret, sacramentum Othonis acceperat vterque exercitus præcipitibus, vt assolet, nuntiis, & tarda mole ciuilis belli.* Et libro 3. Histor. *mittique legatos ad duas legiones, quæ priore acie pulsæ, in vetera castra concesserant, vt idem sacramentum acciperent.* Denique idem libr.4. Histor. *& cum cætera iurisiurandi verba conciperent, Vespasiani nomen hæsitantes, aut leui murmure, & plerumque silentio transmittebant.* C. Sueton. Iulio capit. 42. *sanxit ne quis ciuis maior annis viginti, minorve decem, qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset.* Et in Calig.capit.4. *mox tribus vrbanas ad sacramentum citauit.* in Galba capit. 16. *primi obsequium rupere, ac se Kalendis Ianuarij adigi sacramento, nisi in nomen Senatus recusarunt.* In MS. optimæ fidei legitur, & iam viderat Leuinus Torrentius, *addici sacramento.* Est enim, *addici*, proprium fori vocabulum, quo condemnatum significant, licet T.Liuius 1. Decad. lib.6. dixerit, *condemnatum & addictus est.* allusio Calfurnius Flaccus Declamat. 4. *non potes aduersum damnatum iure patris vti.* Martian. Capellan. lib.5. *an seruos, vel addicto, liceat Tribunos appellare?* Notat Hugeianus Grotius hæc cum e Quintiliano Declamat.3. *id addicto ac pene seruo & vix libero.* vet. scholiast. Iuuenal. ad Sat. 8. v.

8. vers. 135. *vestis ex charta facta pice illita, in qua pœnæ addicti ignibus ardere solebant.* Idem Corrigendus est ad vers. 157. Sat. 1. *addictus cum per arenam traheretur, sultum corpore suo fecit.* legendum est omnino, *addictus cum per arenam traheretur.* Auctor libelli de viris Illustribus capit. 21. *filiam iam addictam videret.* Ammian. Marcell. lib. 29. *vel coniugibus maritorum vacaret miserias flere; immittebantur confestim, qui signatis domibus inter scrutinia suppellectilis patris addicti.* P. Chrysolog. Serm 8. in fine. *misericordia non solum causam præuenit, sed anticipat cognitorem, sed etiam sententiam reuocat, absoluit addictos.* Isidor. Hispal. libro 10. Etymologiar. *damnatus & damnabilis, quorum prior iam addictus est, sequens post si addici.* Notat incomparabilis Saumaise: easque vox non modo in criminibus valet, sed & in re pecuniaria. Anianus lib. 6. C. Theodos. de Sponsalib. 25. *non add[.]catur ad quadruplum.* L. Seneca lib. 3. de Benef. cap. 8. *hic pecuniam pro addicto dependit;* hoc est pro eo, qui cum in ære alieno esset, nexus & vinctus tradebatur creditori, ad libitum ipsius alleruandus. ita indiferete intelligendi Poetæ. Q. Horat. libro Epod. od. 17. *addictum feris.* id est damnatum ad bestias. lib. 1 Epist. 1. *addictus iurare in verba.* id est obstrictus seu debitor. Plaut. in Pænulo sc. *iam istuc* in fine.

——— *Duc me ergo intro, addictum tenet,*

Vide eundem Menæchm. Act. 1. & in Bacchidibus sc. vlt. Marius Victor lib. [.] in Genes.

——— *Quantum enim iudice missa molesto*
Addictos, rursus vitæ sententia reddit.

Claudian. de 6. Honorij consulatu.

——— *Ceu legibus exul*
Addictusque reus statu propiore sequentum
Terga premor.

Sed de diuerticulo in viam.

Istud non consuetudinis tantum Latinorum militum, sed & Græcorum in more positum Euripides in Ephigenia in principio, Apollodor. lib. 3. bibliothec. de ad [...] cum Agamemnonis militibus, cum ad Troiam proficisceretur. (licet sciam aliud iuramentum intelligi, de quo Hyginus Fab cap. 78. & cap. 95.) Sed tamen de sacramento à Græcis præstito ante expeditionem, Aiax ille apud Pacuuium,

Cuius ipse princeps iurisiurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem.

P. Ouid. lib. 3 Metamorphos. fab. 1. in eiusdem Aiacis persona.

Et nunc ille ex omnibus iuratis in arma
Et pars vna ducum, quosque succe[..]re sagittæ
Herculis vtuntur [..] fractus morboque fameque
Vena[..]rque aliturque auibus.

Et lib. 1. de Arte.

Iurabant omnes in læsi verba mariti,
Nam dolor vnius publica causa fuit.

Et lib. 2. Amor. Eleg. 18.

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem
Primaque iuratis induis arma viris.

Stat. Papinius lib. 1. Achilleid.

——— *Nec sufficit omnis*
Quod plaga Graiugenum tumidis coniurat Atridis,
Sed Pelago, terrisque meus quæretur Achilles,
Et volet ipse sequi.

Et lib. 1. Achilleid.

——— *Coniurataque sequuntur*
Mille rates.

Vti tirones arma sumpturi in iusiurandum adigebantur, ita exauctorandi eodem illo sacramento soluebantur, priusquam ab exercitu dimitterentur. Ammian. Marcellin. libro 24. *duos Tribunos sacramento soluit, vt desides, & ignauos.* Et lib. 25. in initio. *abiecti sunt autem sacramento alij quatuor, ob flagitium simile vexillationum Tribuni.* præter Polybium libello de castrametatione, & Herodianum variis in locis ab aliis citatos, vnum addam ex eodem Polybio locum lib. 6. ἐξορκίζουσι, ΗΜΗΝ ΠΕΙΘΑΡΧΗΣΕΙΝ ΚΑΙ ΠΟΙΗΣΟΙΝ ΤΟ ΠΡΟΣΤΑΤΤΟΜΕΝΟΝ ΥΠΟ ΤΩΝ ΑΡΧΟΝΤΩΝ ΚΑΤΑ ΔΥΝΑΜΙΝ, *sacramento adigunt*, FORE OMNINO VT PAREAT IMPERIO DVCVM, ET QVICQVID AB IIS FVERIT IVSSVS PRO VIRIBVS PRÆSTET. Est & Theodosij & Honorij AA. rescriptum, quod non parum lucis adferre possit, extat illud L. vltim. C. de veteranis lib. 12. *nullum eorum qui sacramentis inhærere desierit vel volens permittatur, vel inuitus militare cogatur seu stare in acie in sententiis, quæ non his obseruatis lata fuerint, nullam firmitatem habentibus: nisi forte reperiatur sibi tempore militiæ cæpta cognitio, tunc enim ve ut necdum cingulo depositio, sub militari iudice rem tractari finirique præcipimus, nisi principali beneficio specialiter indulto quidam ex his sese defendant.* Vbi in exauthoratione duo solemnia notantur, sacramenti solutio, quo miles obstringebatur, & cinguli depositio, vt hoc libro supra docui. & iam vlterius pergo.

Ad Cap. X.

PARALIPOMENA.

Varia armorum genera, verutū, bestium, capita abscissa, eiq; imposita, hasta pura, pilum, Phalarica-falx ferrea, gesum quorum telum, lācea-sparus, falces framea,

cateia, rhompea, enses dati Imperatoribus inauguratis, magnis aliis magistratibus, pugio, sarissa, cicatrices gloriosæ, sagaris, acinacis, sudes, conti, triunci, clypeus, parma, in ea relati mortui, eleuati Imperatores. simiæ, Cetra, pelta.

ARma quàm multiplicia diuersis gentibus fuerint, nemo ignorat, neque dubitari potest, cum tam varia nomina maximam rei diuersitatem designent. Pauca hic post alios subtexam. Atque vt inde incipiam, erat *verutum* teli quoddam genus, gloss. vet. *canumentum*, *verutum*, Interpretatur Ioannes Brodæus ad epigr. 17. capit. 12. lib. 2. Antholog. *stilum æneum, gnomonem, vericulum, verutum, pinulam.* Salust. libro 3. histor. apud Nonium capit. 18. Num 16. Carisius. Sosipater libro 1. Obert. Gifanius in Indice Lucretiano. Censerem illud esse quod *graphia* appellat Suetonius in Iul o cap. 82. P. Crinitus lib. 24. honest. discipl. cap. 11. narrat graphiis *Ioannem Scotum interfectum à discipulis suis cum in delirium senectutis vitio incidisset.* T. Lucret. Carus libro 4.

Vix absunt nobis missus bis mille sagittæ,
Vix etiam cursus quingentos sæpè veruti.

M. Plaut. in Trucul. sc. ite, ite, in fine.

Machæram longiorem habes, quam hæc est,
Sed verutum
Sine dum petere, siquidem belligerandum
Est tecum.

Silius Italic. lib. 17. Punicor.

Qui nobis, memini, ad Cannas lætissimus iræ
Seruili fero ora ducis suffixa veruto.

Ritus porro, quem hic designat vulgatissimus est, & obuius omnibus, nam hostile id animi ferocioris argumentum, caput deuicti aduersarij amputare, & in contumeliam, vel loco patente proponere spectandum, vel hastæ affixum in ludibrium circumferre. ita apud Lucanum libr. 8. Pharsal. caput Pompeij ad *Cæsarem perfertur*, vers. 680.

Impius vt magnum nosset puer, illa veren-da
Regibus hirta coma, & generosa fronte decora
Cæsaries comprensa manus est, Pharioque veruto
Dum viuunt vultus: atque os in murmura pulsant
Singultus animæ, dum lumina nuda rigescunt,
Suffixum caput est.

Cassii caput ad Antonium delatum. Iul. Capitolin. in Anton. Philosopho. idem in Maxim. Iun. in fin. *missa etiam Romam sunt capita eorum.* & *Parmenionis interfecti ad Alexandrum.* Q. Curt. lib. 7. Augustus *Bruti caput Romam misit, vt statuæ Cæsaris submitteretur.* Sueton. c. 13. *Didius Saluius Iulianus ex tanta damnatorum more ceruice decollatus, caputque eius in rostris ponitur.* vt loquitur Paulus Diaconus lib. 10. Supplem. Eutropij. Valer. Maxim. libr. 9. capit. 4. tit. 3. *caput eius abscindere, & per vrbem pilo suffixum ferre sustinuit.* Et capit. 9. tit. 1. *eoque errore impulsus est, vt caput Eluij perinde atque Cornelij circa rogum Cæsaris fixum iaculo ferret, officij sui, & alieni erroris piaculum miserabile.* quid refert admonere Græcis, Latinis, Byzantinis, barbarisque gentibus eam vltionis rationem receptissimam? *Gaganæ caput hastili præfixum Constantinopolim inductum fuit.* Et Anthenodori in Isauria capti decollatique *caput Tharsum ciuitatem allatum, pro portis hastili fixum extabuit.* vt author est Marcellinus Comes Indict. 5. Æl. Spartian. in Fescen. Nigro. *huius caput circumlatum pilo, Romam missum, filij occisi, necata vxor, patrimonium publicatum.* Ammian. Marcellin. lib. 22. histor. *Iuliani ad eos mitteret caput perduellis ingrati.* Seru. Honor. ad vers. 464. lib. 9. Æneid. *capita Euryali & Nisi præfigunt in arrectis hastis: & cum magno clamore comitantur.* Ipse Virgilius ibidem loci.

Quin ipsa arrectis, visu miserabile, in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur
Euryali & Nisi.

Claudian. lib. 2. in Ruffin.

Nec minus assiduis certant elidere saxis
Prodigiale caput, quod iam de cuspide summa
Nutabat, digna veniens ad mœnia pompa.

Cornelius Seuerus in Epitaphio Ciceronis; laudatus à L. Seneca Suasoria 6. vt historicos ea super re sileam.

Oráque magnanimum spirantia penè virorum
In rostris iacuere suis, sed enim abstulit omnis
Tanquam sola foret, rapti Ciceronis imago.

Sil. Italic. lib. 2. Punicor.

Nec dum iræ positæ, celsa nam figitur hasta
Spectandum caput, id gestans ante agmina Pœnum
Imperat, & properè currus ad mœnia versant.

Idem lib. 7 Punicor.

Palluit infælix subducto sanguine Maurus,
Ora rapit gladio. Præfixaque cuspide portat.

Denique lib. 15. in fine.

Tunc Nero procera sublimia cuspide portans
Ora ducis cæsi, Cannas pensauimus, inquit,

H anni-

Hannibal, & Trebiam, & Thrasimeni littora tecum
Fraterno capite i, duplicia, nunc perfida bella
Et geminas arcesse acies.

Ad verutum redeo, quod describit Modestus author libelli de vocab. Militarib. ad Tacitum Augustum. *aliud missi e minus, ferro vnciarum quinque, hastili trium pedum semis; quod nunc verutum dicitur.* ex Virgilio lib. 2. Georgic. vers. 168. exponit Adrianus Turnebus lib. 30. Aduersarior. cap. 27. *ferreum telum instar veru*, quod qui gestarent, *veru ti* appellarentur, eodem numero, quo *cincti*. A. Gell. li. 10. Noct. Atticar. cap. 25. *hasta, pilum phalarica, semiphalarica, soliferrea, gesa, lancea, spari, rumiges, trifaces, tragulæ, frameæ, me anculæ, cateiæ, rompheæ, scorpius, sibones, sicilices, veruta, enses, sicæ, macheræ, spatæ, linguæ, pugiones, clunaculæ.* quem locum varie contexerunt, corruperunt, discerpseruntque Critici, Lipsius, Scaliger, Turnebus, aliique, dum in rebus antiquitate ipsa obsoletis, quisque Genio suo vacat, & quod probabilius videtur, in commune consulturus, producit. Ego vero communiora explicabo, & quædam omissa supplebo, de *hasta*, quære quæ à me sunt explicata hoc opere superius lib. 3. cap. 21. hoc tantum adde in donis militaribus hastas esse solere, vt ex sexcentis Inscriptionibus clarum. Fest. lib. 8. in voce *hasta*. & lib. 13. voce *optionatus*. sed *puras* eas esse oportebat, id est sine ferro. Virgil. 6. AEneid.

———*Pura iuuenis qui mititur hasta.*

In terram noctu defigebantur. In sacris literis lib. 1. Samuel. cap. 26 in ædib. in columnis. condebantur: Hom. Odys. vers. 126. Et lib. 17. vers. 29. Virgil. lib. 12. Æneid.

Exin quæ mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus adstabat, valida vi corripit hastam.

Et columnæ istæ *in medijs ædibus* recte collocantur. Iul. Pollux. lib. 7. cap. 27.

Pilum, proprium fuit Romanis militibus gestamen: Grammatici pene omnes, & Historici, descripsit optime callentissimeque Polybius Megalopolitan. lib. histor. 6. cuius verba sic Latine sonant pagin. 469. Interprete eruditissimo Isaaco Casaubono, *sunt è Pilis quædam crassa, quædam tenuia, & solidioribus, quæ rotunda sunt palmarem habens dimetientem, quæ quadrata, latus, tenuia subirris mediocribus sunt similia, atque hæc gestant cum iam dictis, istorum omnium hastile tria fere cubita longum est, aptantur singulis telum ferreum, hamatum, paris longitudini cum ipsis lignis. cuius nexum adeo firmant validè, ad media vsque ligna religantes, & crebris fibulis configentes, vt non ante nexus è ter viendum laxetur, quàm ferrum frangatur, & si crassum in fundo, & qua parte ligno committitur digitum vnum cum dimidio, vsque adeo magna cautione prospiciunt huic adnexioni.* parem pene descriptionem reperies apud T. Liuium 3. Decad. lib. 1. in obsidione Sagunthi. & apud Halicarnasseum pag. 312. lib. 5. vt infra adducam proxime. eadem in bell. Gal. Appiani Alexandrini in limine, qui addit, ἃ (ὄρεγμα) Ῥωμαῖοι καλοῦσι ὑσσοὺς *qua* (pila) Romani vocant *nessos*. quod quia nunquam alibi viderat Interpres, omisit, sed corrige ῥωμαῖοι καλοῦσι ὑσσοὺς, *Romani dixerunt tela*. gloss. vet. πιλον, ὑσσός, & sic sæpe imperiti optimos codices corrumpunt. iterum gloss. *pillum*, ὑσσὸς, & *pilum*, ῥωμαϊκὸν δόρυ, honor castrensis per pilum significatus. C. Plin. lib. 22. cap. 6. *pilum capessens sub Catulo*, hoc est primam militiam. L. Sen. lib. 3. de Ira cap. 2. *in Imperatorem suum legiones pila torserunt.* vnde diligentissimum Lambertum Hortensium Montfortium in M. Lucanum aliquot in locis. ipse Lucanus sæpissime, lib. 1. statim in limine, Et lib. 3. Pharsal. vers. 589.

———*Pila sed in medium venere trementia pectus.*

Et lib. 8. vers. 597.

Septimius, qui proh superum pudor! arma satelles
Regia gestabat posito deformia pilo.

D. Iuuenal. Sat. 10. v. 94. pro militia Romana, *pila* vsurpauit. Valer. Flacc. Argonautic. libro 6.

Romanas veluti sæuissima cum legiones
Tisiphone, regésque mouet, quorum agmina pilis
Atque Aquilis vtrinque micant.

P. Ouid. lib. 6. Fastor. in principio.

Qui bene pugnabat Romanam nouerat artem,
Mittere qui poterat pila, desertus erat.

Stat. Papin. lib. 3. sil. 3. vers. 101.

———*Vigilis te animique sagacis*
Exitus euoluit, quantum Romana sub omni
Pila die, quantumque Tribus, quid templa, quid alti
Vndarum cursus, quid propugnacula poscant
Æquoris aut longe series porrecta viarum.

Et more Romano ad alias traducto libro 4. Thebaid. vers. 110.

Omnibus æratæ propugnant pectora crates,
Pilaque sæua manu.

Sil. Italic. lib. 8.

Non illic solitum crispare hastilia campo
Nec mos pennigeris pharetram impleuisse sagittis,
Pila volunt, breuibúsque habiles mucronibus enses.

Seruius Maurus in illud lib. 7. Æneid.

Pila manu, sæuósque gerunt in bella dolones,

Hinc milites *pilani* appellati, Ouid. lib. 1. Fastor. *totidem pilanus habebat*, & describit T. Liuius 1. Decad. libr. 3. plenissime. & à Martiali libro 10. Epigr. 48. *pilata cohors* eodem sensu audit. Illud porro non omiserim lapsis reip. temporibus idem fuisse *pilum ac spiculum*, testem produco Fl. Renatum Vegetium libro 2. capit. 15. *item bina missilia, vnum maius, ferro triangulo, vnciarum nouem, hastili pedum quinque ac semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur, ad cuius ictum præcipue exercebantur milites.* fortè & eadem significatione lib. 1. cap. 20. *ita enim vibrandis spiculis vehementior ictus est*, quæ reperiuntur ad verbum apud Modestum libello de vocabulis Militaribus ad Tacitum Augustum. Denique nec hoc omiserim, signum ineundi certaminis fuisse emissum pilum, vbi in acie dispositus stetisset miles, vti indicendi belli occasio, ritusque ab hasta in hostium fines librata, desumi solebat. Dionys. Halycarnass. loco iam proxime laudato, cuius verba Frederico Sylburgio ita sonant: *ex pilis defixis ante tentoria, tela sunt hæc Romanorum, quæ primo congressu eiaculantur, oblonga hastilia, crassamento, quod manum compleat, tripedaneis veruculis ferreis vtrinque in rectum præfixa, mediocribus iaculis, cum ferro suo paria. Ex his, inquam, pilis circa summa verucula emicabant flammæ.* Liu. 1. Decad. lib. 9. *vadunt in prælium vrgentes signiferos, & ne mora in concursu pilis emittendis stringendisque inde gladiis foret, pila velut signo dato abijciunt, strictisque gladiis cursu in hostem feruntur.* Claudia. lib. 2. in Ruffin. vbi milites pugnæ vicinæ admoti, indignabundi.

Iam iam barbaricos sitientia pila cruores
Sponte volant, vtroque manus mucrone furensi
Ducitur.

M. Lucan. lib. 7. Pharsal. v. 460. locum ob elegantiam insignem totum adscribam.

Vt rapido cursu fati suprema morantem
Consumpsere locum, parua tellure dirempti,
Quo sua tela cadant, aut quæ sibi fata minentur,
Inde manum spectant tempus quo noscere possent,
Facturi quæ monstra forent, videre parentes
Frontibus aduersis, fraternaque comminus ora,
Nec libuit mutare locum, tamen omnia torpor
Pectora constrinxit, gelidusque in pectora sanguis
Percussa pietate coit, totæque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.

M. Plaut. in Curcul. sc. *argentariis.*

Quin ego ex te faciam pilum catapultarium.

Sequitur in Gellio *Phalarica*, quam sic Liuio describente intelliges 3. Decad. libro 1. *Erat Saguntinis falarica missile telum, hastili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, vnde ferrum extabat, id sicut in pilo quadratum stuppa circumligabant, linebantque pice, ferrum autem tres in longum habebat pedes, vt cum armis transfigere corpus posset, sed id maxime, etiamsi adhæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pauorem faciebat*, vnde liquet telum hoc præcipue Saguntinorum fuisse. gloss. vet. *falarica*, χειροβάλιστρα. vnde liquet & manu torqueri solitam, confirmante Liuio: at Fl. Vegetius libro 4. Rei milit. capit. 10. balistâ voluit falaricam librari. *falarica autem ad modum hastæ valido præfigitur ferro, inter tubum etiam & hastile, sulfure, resina, bitumine stuppisque conuoluitur infuso oleo, quod incendiarium vocant, quæ balistæ impetu destinata, perrupto munimine ardens figitur ligno, tutritamque machinam frequenter incendit.* nominis Etymologiam repetere potes ex Seruio ad lib. 9. Æneid. *de hoc telo (falarica) legitur, quia est ingens, torno factum, habens ferrum cubitale, supra quod veluti quædam sphæra, cuius pondus etiam plumbo augetur, dicitur enim ignem habere adfixa stuppa circundatum, & pice oblitum, incensumque, aut vulnere hostem, aut igne consumit. hoc autem telo pugnatur de turribus, quas phalas dici manifestum est, vnde & in circo phalæ dicuntur diuisiones inter Euripum & metas, quod ibi constructis ad tempus turribus his telis pugnari solebat, hinc phalarica hasta sicut alia muralis.* Phalas autem pro turribus illis scænicis vsurpat Iuuenalis Sat. 6. v. 589.

Consulis ante phalas, Delphinorumque columnas.

De turribus videtur intelligendus Claudianus de Consul. Manlij Theodori in fine.

Fida per innocuas currunt incendia turres.

M. Plaut. Mostellar. Sc. *Iupiter*

Isti, qui hastis trium nummorum causa subeunt sub falas.

Q. Ennius lib. 15. Annalium.

Malos defendunt fiunt tabulata, falæque.

De oleo locus expressus est Abbonis Floriacensis abbatis, is est, qui *in Vasconia martyrizatur*, vt loquitur Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad Annum 1003. & Oliba Ausonensis Episcopus, in Epistola qua agit de pace inter Episcopum & vicecomitem Narbonensem, membrana vetus Floriacensis eum coætaneum Fulberti Carnotensis facit, vixisséque vult Anno 996. Certè obsessa est

sessa est Lutetia à Normanis, quod describit Abbo noster, anno reparatæ salutis 886. vt author est Io. Asser Episcopus Stryreburnensis in vita Ælfredi Britannorum regis. itaque quum quadrent tempora, non dubito, quin Abbo hic, & abbas & Poëta, & martyr idem sit. Itaque Obsid. Paris. libr. 1.

Addit eis oleum, ceramque, picemque ministrans,
Mixta simul liquefacta loco feruentia valde.

Phalaricam loco laudato Virgilius descripsit peritissimè.

Non iaculo, neque enim iaculo vitam ille dedisset,
Sed magnum stridens contorta Phalarica venit
Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga
Nec duplici squamma lorica fidelis, & auro
Sustinuit, collapsa ruunt immania membra.

Q. Ennius in fragmentis.

Quæ valido venit contorta phalarica missu.

Seruius, ad verbum, ne litterula quidem mutata transcripsit. Isidorus lib. 18. cap. 2. & nonnulla obiter Nonius Marcellus cap. 18. Numer. 20. Fest. Pomp. lib. 6. *falarica genus teli missile quo vtuntur ex falis, id est ex locis extructis dimicantes.* M. Luca. lib. 1. Pharsal. vers. 195. non minus appositæ.

Quid nunc vesani, iaculis, leuibusque sagittis
Perditis hæsuros nunquam vitalibus ictus?
Hunc aut tortilibus vibrata phalarica neruis
Obruet, aut vasti muralia pondera saxi,
Hunc aries ferro balistaque limine portæ
Submoueat, stat non fragilis pro Cæsare murus.

Soliferrea memorantur à T. Liuio. 3. Decad. libro 4. & coniunguntur cum phalaricis. ita enim ille: *vt omissis soliferreis phalaricisque gladios strinxerunt, tunc velut redintegrata est pugna.* nomen inde datum existimo, quod solidum esset è ferro telum, neque quicquam haberet ligneæ materiæ admixtum.

Gallorum omnes sciunt proprium telum *gesum* fuisse: at Hetruscos eo vsos prodidit idem Liuius 1. Decad. libro 9. & Iberorum qui ad Romanos eius vsum transmiserunt. Athen. lib. 6. Dipnosophist. capit. 8. & Macedonum Stat. libro 2. Achilleid. vers. 419.

———Nec me vlla feri Mauortis imago
Præteriit, didici quo Pæones arma rotatu
Quo Macetæ sua gesa citent, quo turbine castum
Sauromates, falcemque Getes, arcumque Gelonus

Tenderet, aut flexæ balearicus author habenæ,
Quo suspensa trahens libaret vulnera tractu,
Inclusum quoties distringeret aëra gyro.

Tres vltimos versus legendos ita censeo, adiuuantibus MSS. & sensu claro ita poscente.

———Flexæ balearicus actor habenæ,
Quo suspensa trahens libraret vulnera tractu
Inclusum quoties distingueret aëra gyro.

MS. meus diserte habet.

Quo suspensa trahens libaret vulnera tortu.

Facile enim fuit *auctor* imperitæ operarum manui substituere pro *actor*, adiecto vnico elemento. tum *libraret vulnera*, eleganter dictum, id est iaculo in longinquum torto vulneraret, sic quippe Adrianus Iunius docuerat primus legendum libro 1. Animaduers. capite 1. quamquam & vetusta lectio non incommode retineri possit, vt mendum è Claudiano eadem opera tollatur. libro 2. in Ruffin. corruptissime legitur.

Felix illa manus, talem quæ prima cruorem
Hauserit & fessi pœnam liberauerit orbis.

Rescribendum est omnino.

———Fessi pœnas librauerit orbis.

Librare enim est *longe iaculari*, Antonius Delrio, vel *librato* coniectoque in longinquum *iaculo* percutere, ita ipse Claudian. libr. 2. de Raptu Proserpinæ.

Prætentasque aperis crystas, libratur in ictum
Fraxinus.

Vir eruditissimus Stephanus Clauerius putauit ex MS. suo legendum,

———Fessi pœnam libauerit orbis.

Authore P. Virgilio lib. 12. Æneid.

———degustat vulnere corpus.

Libare enim & *degustare*, translatione ab epulis sumpta, est leuiter attingere, vt velit Claudianus illam esse felicem manum, quæ prima leui aliquo vulnere inflicto vel cutem perstrinxerit, grauioribus vulneribus exemplum subministratura. quo sensu explicari potest illud Augusti dictum apud Suetonium in Galba cap. 4. καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. vertit Tacitus lib. 6. Annal. *& tu fili imperium nostrum degustabis.* nescio quid Philippo Beroaldo in mentem venerit dum vertit, *& tu fili imperio nostro adhærescæ.* neque minus mirum Suetonium solum omnibus pene aliis historicis reluctari, Dioni libro quinquagesimo septimo, Xiphilino in Galba, Iosepho libro decimo octauo Antiquitatum Iudaicarum, qui omnes non Augustum, sed Tiberium iis verbis salutasse volunt, sed ætas Galbæ potius vt Suetonio credam facit. nam

sub Tiberio consul, non vero puer fuit, & hæc puero dicta constat, vide Leuinum Torrentium in eum Suetonij locum, & Lipsium in 6. Annal. est itaque παραγεύσῃ seu degustabis breui temporis spatio regnabis; quod historicis notissimis comprobatum. vtramque vocem reperies apud Statium libro 8. Thebaid. vers. 528.

Nec pudor ire retro, cedentem Acheloius Heros
Impetit, & librans vni sibi missile telum,
Direxit iactus, summæ qua margine parmæ
Ima sedet galea, & inguli vicinia lucent,
Nec frustrata manus, mortémque inuenerat hasta,
Sed prohibet, paulúmque humeri libare sinistri
Præbuit, & merito parcit Tritonia fratri.

Ad gesa regredior, quæ proprie, vt admonui, Gallis conueniebant, adeo vt *Gessi* & *Gessatæ* sint viri fortes, & sic omnes Galli olim vocarentur, Polyb. lib. 2.

Licet ego putauerim non omnes Gallos, sed Gessoriaci tantum incolas sic appellatos, Suetonius in Claudio adeatur c. 17. neque desunt, qui ex Plutarcho in Marcello interpretantur milites Gallorum mercenarios γαισάτ, *gessos*, vel *gesos*. C. Cæsar libro 2. de bell. Gall. à Tiraquello laudatus. Et libr. 3. eiusdem operis cap. 1. *lapides gessaque in vallum coniicere*. Fr. Hotomanus ibidem *guye* pro *strenuo* dictum obseruat. Eustath. pag. 188. Seruius Maurus ad vers. 660. lib. 8. Æneid. *gesa, hastas viriles, nam etiam viros fortes Galli Gæsos vocant*, Luctatius Placid. ad vers. 64. lib. 4. Thebaidos Statianæ. *gesa tela gallica*. sic poetæ intelligendi. Virg. loco laudato.

Galli per dumos aderant, arcémque tenebant
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ,
Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis, tunc lactea colla
Auro innectuntur, duo quisque alpina coruscant
Gesa manu.

Statius Papinius ibidem loci.

Hac manus Adrastum numero ter mille sequuti
Exultant pars gesa manu, pars robora flammis
Indurata diu.

Claudian. lib. 2. in Eutrop.

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens,
Illis ante vagus tandem regionibus hæsit,
Gesaque depositis Graio iam mitis amictu
Pro Rheno poturus Halyn.

Et lib. 2. de laudib. Stilichonis.

——Tum flaua repexo
Gallia crine ferox, euinctaque torque decoro,
Binàque gesa tenens animoso pectore fatur.

Sil. Italic. lib. 1. Punicor.

Hic spolia Æacidæ, hic Epirotica signa,
Hic Ligurum horrentésque comæ parmæque relatæ
Hispana de gente rudes, alpinaque gesa.

Sext. Propert. lib. 4. Eleg. 11.

Vidomari genus hic Rheno iactabat ab ipso,
Nobilis erectis fundere gesa rotis.

Vt Ges. Gallorum, ita Hispanorum *lancea* erat. M. Varro lib. 14. rer. diuinar. *lanceam dixit non Latinum sed Hispanicum verbum esse*, si fides adhibenda sit Probo apud A. Gellium lib. 15. capit. 30. fuit & Maurorum. M. Lucan. lib. 1. vers. 212.

——Tum torta leuis si lancea Mauri
Hæreat.

Et Gallorum, Diodor. lib. 5. biblioth. & ex eo I. Brodæus lib. 3. Miscell. cap. 16.

Passim meminerunt scriptores, neq; operæ pretium quemquam citare. Sil. Italic. libro 15. Punicor.

Obuia nudatum transmisit lancea pectus.

Eadem illa cum hasta Romana. Lucan. libro 7. vers. 472.

Cuius torta manu commisit lancea bellum,
Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit.

Rusticorum *sparus* gestamen. Seruius ad illud libro Æneid. 11.

Agrestisque manus armat Sparus.

Sparus rusticum est telum in modum pedis recuruum. gl. vet. sparus σιβύνη ἀκόντιον, *genus teli*. M. Varro idem Criticorum, doctorumque togatorum princeps, *sparum missile, ducta à piscibus similitudine, qui Spari vocantur*. Sisenna historiar. li. 3.

Sparis ac lanceis eminus peterent hostes.

Varro Atacinus in Meleagris.

Aut ille ceruum qui volabile currens,
Sparo secutus, tragula, ne traiicit.

C. Salust. in Catilinar. *sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa, cæteri vt quosque casus armauerat sparos, aut lanceas, aut præacutas sudes portabant.* T. Liu. 4. Decad. lib. 4. *si quis extra ordinem auidius procurrit, & ipse inter equites sparo percussit, & tribunos centurionesque castigari iubet.* Fest. lib. 17. *spara minimi generis iacula, à spargendo dicta.* Sed & Græci eo teli genere frequentissime vsi. Æmilius Probus in Epaminondæ vita. Vnde non est difficile formam eius teli colligere. sic quippe ille, *vniuersi in vnum impetum fecerunt, neque prius abscesserunt, quam magna cæde facta multisque occisis, ipsum Epaminondā pugnātem, sparo eminus percussum concidere viderūt. huius casu aliquantū retardati sunt*

Bœtij.

Bæotij, neque tamen prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt. At Epaminondas, cum animaduerteret mortiferum se vulnus accepisse, simulque si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum, vsque eo retinuit, quoad renunciatum est vicisse Bæotios: id postquam audiuit, satis, inquit, vixi, inuictus enim morior, tum ferro extracto confestim exanimatus est. ferri ipari extractum alij historici *spiculum* vocant, aut *hastam*. Valer. Maxim. lib.3. cap. 2. Interpretes Pausaniæ in Arcadic. & Rhodomannus Diodori Siculi lib.15. & Donat. Ponzan. notauit ex Æliano. hastam vocauit Cicero lib.5. familia. Epistolar. à Dionysio Lambino citatus. Idem lib.2. de finib. bonor. *non ego iam Epaminondæ, non Leonidæ mortem huius antepono morti, quorum alter cum vicisset Lacedæmonios apud Mantineam, simulque ipse graui vulnere exanimari videret se, vt primum dispexit: quæsiuit, num saluus esset clypeus, cum saluum esse flentes sui respondissent, rogauit, essentne fusi hostes, cumque id quoque, vt cupiebat, audiuisset, euelli iussit eam, qua transfixus erat hastam, ita multo sanguine profuso in lætitia, & in victoria mortuus est.* Res ergo eadem spiculum, hasta, sparus, C. Lucilius.

Tum spara, tum rumices portantur tragula porro.

Sil. Italic. lib.8. Punicor.

Marrucina simul Frentanis æmula pubes
Corfini populos, magnúmque Theate trahebat,
Omnibus in pugna fertur sparus.

Rumigestri pro teli quodam genere ponuntur, sed corrigunt viri docti, *rumices* ex loco Lucilij proxime allato. sed viderint illi, rectene, an secus?

Qui pro *falces* in A. Gellio *faces* reponunt, falsi omnino sunt, nam falcium in bellis vsus creberrimus, vnde & *falcati currus* Latinis. Veget. lib.3. cap.24. Græcis vero *ἅρματα δρεπανηφόρα* Arrian. de Gest. Alexandr. lib.2. Diodor. Sicul. lib.17. Suidas in voce *δρεπανηφόρα*. Curtius lib.4. & alibi sæpe, quorum quidem curruum author fuit Cyrus Xenoph. Cyropæd. lib.6. meminit Plutarchus in Lucullo, & quia res notissima est vnicum tantum locum adscribam ex incerto authore lib. de Reb. Bellic. *huiusmodi pugnacis vehiculi genus quod nouis præter morem videtur instructum, reperit Parthicæ pugnæ necessitas, sed hoc singulis bene munitis inuecti equis, duo viri, vestitu, & armis, ferro diligenter muniti, citato cursu in pugnam rapiunt, cuius posterior supra currum pars, culteris in orbem extantibus communitur videlicet ne facilis à tergo cuiquam præbeatur ascensus; falces vero acutissimæ axibus eiusdem currus aptantur, in lateribus suis ansulas habentes, quibus innexi funes pro arbitrio duorum equitum, laxati quidem explicant, repressi autem erigunt falces, qualia vero huiusmodi machinæ funera hostibus immittant, vel quas turbatis ordinibus strages efficiant, dicent melius qui vsu bella cognoscunt.* Claudian. lib.1. de laud. Stilichonis.

——Non falce Gelonus,
Non arcu pepulere Getæ.

Sidon. Apollinar. carm.7. vers.242.

Cursu Herulus, Chunnus iaculis, Francúsque natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede falce Gelonus.

Stat. lib.1. Achilleid. ad finem.

——Falcémque Getes, arcúmque Gelonus
Tenderet.

Frameam glossæ veteres cum rhomphea confundunt, sic enim *framea ῥομφαία*: & de ea re infra discutietur. interim dissidium maximum est inter Tacitum & Isidorum, quod non est facile componere, ille enim hastam, hic gladium vult fuisse, Tacitus sic lib. de Morib. Germanor. *rari gladiis aut maioribus lanceis vtuntur, hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt, angusto & breui ferro, sed ita acri, & ad vsum habili, vt eodem telo prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent.* Eodem deinde libro, sed paulo post *tum in ipso concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque iuuenem ornant.* Isidor. lib.8. cap.6. *framea gladius ex vtraque parte acutus, quam vulgo spatham vocant, ipsa est romphæa.* conciliet tam diuersæ mentis inter se scriptores, quibus vacauerit. Ioan. Britannicus ad vers.79. Sat.13. D. Iuuenal.27.

Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis.

Marian. Capella in limine lib.5.

Portumni trifidam suspirans flagitat hastam.
Gradiui frameam non ausus poscere falcem
Saturni bello suetus disquirit agresti,
Diffidensque sui respectat tela tonantis.

Monstra hæc verborum nulli intelligenda sustulit vir eruditus Hugeianus Grotius, dum sic interpunxit.

Portumni trifidam suspirans flagitat hastam,
Gradiui frameam non ausus poscere, falcem
Saturni bello suetus disquirit agresti.

Cateiæ etiam inter tela à Gellio collocantur, AElius Donatus in vers.742. lib.7. AEneid. *hi omnes imitati Teutonas mittebant telorum species, quæ cateiæ dicebantur, eranque hastæ angusto & breui ferro.* Seruius *cateia* (ibidem

loci) tela *gallica*. & forte illo æuo iidem Galli & Teutones, atque adeo Germani omnes vnico Gallorum nomine comprehensi, quod doctissimus ostendit, vt alios omittam, Marcus Velserus Augustanus senator libro 1. Annal. Boico. Iacob. Schegkius in C. Paterculum lib. 2. capite 19. Virgil. loco laudato *Teutonico ritu soliti vibrare cateias*. Frustra est Pierius Valerius, qui in Romano Codice ait se reperisse *catelas*. frustra, inquam, est, cum vulgatam lectionem omnes codices recipiant, & confirment alij auctores. vetus Scholiastes D. Iuuenalis ad vers. 195. Sat. 14. *Comes Lælius Centurio, sub quo militabis, vt euertas casas, & cateias Maurorum.* quod nescio an telum significare illo in loco possit. Abbo libro primo de Obsidione Lutet. Parisior. pag. 541. 60.

Inde super cernens lapides conspexit acerbos,
Ac diras vt apes densè trănare cateias,
Inter sese aliud, turrimque.

Idem eodem libro post pag. 550.

Pila dabant, rupesque simul celerésque cateias.
Plebs inimica Deo.

Valer. Flacc. libr. 6. Argonautic. non multum à principio.

———ibi futilis illis
Et domus, & crudo residens sub vellere coniux,
Et puer è prima torquens temone cateias

Sil. Italic. lib. 3. Punicor.

Tunc primum castris Phœnicum tendere visu
Cyniphij didicere Macæ, squallentia barba
Ora viris, humerosque tegunt velamina capri
Setigeri, panda manus est armata cateia.

Romphæa Thracum volunt esse telum, freti authoritate T. Liuij cuius hæc sunt 1. Decad. libro 1. *Threcas Romphea, ingentis & ipsæ longitudinis inter adiectos vndique ramos impediebant.* Isidorus iam proxime antea citatus, in framea, & vetus glossarium: meminere insuper Poëtæ, Baptista Mantuanus Parthenice secunda:

Quam geris aduersas feriat romphæa cohortes.

Valer. Flac. lib. 6. Argonautic. paucis interiectis, post ea quæ citauimus supra.

Quos duce Tentagono crudi mora corticis armat,
Æquaque nec ferro, breuior nec rhomphea ligno.

Notat Ægydius Maserius, in MS. *romphia* fuisse scriptum, ab aliis *rumfea* vocatur. Abbo de Obsid. Lut. loco proxime supra laudato.

Quos valido numero bellantes sub duodenis
Rumfea, vel formido Danum non terruit vnquam.

Sed rescribe *romphæa* cum aliis, qui constanter vel *romphæa* vel *ῥομφαία* proferunt. inhæsit idem mendum eiusdem codicis lib. 2. pag. 556.

Nostra manens turris, clypeus necnon bis acuta
Rumfea, fortis & arcus erat, fortisque sagitta.

De *Ense*, dicendum erat, sed omnia præoccupata, illud tantum addiderim incognitum fuisse in suppliciis exigendis, prisca republica, ensis vsum, cum securi capita inciderentur, recte Lucanus libro 8. vers. 774.

Tunc neruos venasque secat, nodosaque frangit
Ossa diu, nondum artis erat caput ense rotare.

Excogitato deinde sub Imperatoribus gladij vsu, in decollandis hominibus grauior & ignominiosior securis, honoratior gladii pœna censebatur: vnde ridicula illa reprehensio Bassiani Caracallæ interfecto Papiniano, vt retulit Ælius Spartianus in vita eius, *atqui oportuit, gladio exequi mandatum meum.* quasi malignum & tyrannicum factum excusari eo potuisset, quod non gladio, sed securi in eum animaduersum fuisset. Certè passim ensis pro capitali supplicio vsurpari solet à Poëtis, omitto historicos. Coripp. libro primo Numero 3.

Afficitque viros legum pius ensis iniquos.

Claudianus sæpissime, quem vnicum aduocabo, nam libro 1. Semestrium disquisiuit eruditissime P. Faber Saniorianus, quem consule. Claudianus itaque libro de bello Gildonico.

Tertia iam ceruix solito mucrone rotatur.

Et de 4. Hon. consul.

Gladiis submittunt colla paratis.

Et eodem panegyrico post.

———Non imminet ensis.

Et lib. 1. in Ruffin.

———Prob sæuior ense.
Parcendi rabies.

Sed maximus gladio habitus honor, quum nuper creato Imperatori in manum daretur, tanquam summum ius, eximiaque potestas significata per illum foret. Corippus libro 2. Numer. 4. & vide quæ ibi à me sunt dicta: Atque adeo creati præfecti prætorio ense, coram senatu, & quidem stricto donabantur eadem certe de causa, vt potestas in facinorosos animaduertendi exprimeretur. Adrian. Turneb. libro 12. Aduersarior. capit. 6. libro 5. fil. 2.

Cuique

Cuique sacer primum tradit Germanicus ensem.

Sidon. Apollinar. Carm. 5.

——— Cui iuste senatu
Ipse etiam strictum commiserat Vlpius ensem.

Guntherus Ligurini lib. 1. Potestatem sæcularem eo designat.

Hic sacri celebrésque viri, quos laude serena
Infula, vel gladius mundo facit esse verendos,
Ex omni regione fluunt.

Vnde puto profluxit mos, & vt regibus præferatur, etiam hodie in tota Europa, gladius, præsertim celebrioribus comitiis, aut festis. Idem Guntherus libro eodem pag. 14.

——— Posito diademate Petrus
Regali dextra tulit alti principis ensem,
Præcessitque sacram breuius diadema coronam.

Vetus lapis.

PVBLIO. MÆCIO. MEMMIO. FVRIO. BALBVRIO. CÆCILIANO. PLACIDO. C.V. PRÆFECTO. ANNONÆ. VRBIS. SACRÆ. CVM. IVRE. GLADII.

Vt summorum magistratuum gestamen *gladius*, ita minorum *pugio*. Martial. libro 14. Epigr. 32. epigraphe, *parazonium*.

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris,
Arma Tribunitium cingere dicta latus.

Sequentis Epigrammatis Epigraphe est, *pugio*.

Pugio, quem curuis signat breuis orbita venis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Sarissa, inquit Festus Pompeius lib. 17. *hasta est Macedonica*. T. Liu. 4. decad. lib. 7. *ibi simul perturbatis ordinibus, & impeditis incursu suorum vsus prælongarum hastarum, (Sarissas vocant Macedones) insulêre signa Romana legiones, & pila inter turbatos coniecere.* Eiusdem Decadis libro 8. *per operculi foramina, prælongæ hastæ quas sarissas vocant, ad summouendos hostes prominebant.* Q. Curt. libr. 9. *Macedo iusta arma sumpserat, æneum clypeum, hastam, quam sarissam vocant, læua tenens.* quæ verba exponens Robertus Valturius libro 10. de Re Militari cap. 3 turpiter lapsus est, dum contra verba historici, omniúmque aliorum scriptorum testimonia, censuit non hastam esse, sed *clypeum æreum* sarissam. Seruius ad vers. 664. lib. 7. Æneid. *pilum propriè est hasta Romana, vt gæsa Gallorum, sarissæ Macedonum.* Iul. Pollux libro 1. capit. 10. Onomastic. Nunc. 7. σάρισσαν Μακεδονικὴν, τὸ δόρυ. *Macedonicam sarissam, quæ hasta est*, inter arma enumerat. rursúsque idem lib. 10. cap. 31. καὶ ξυστὰ εἶπον αἱ ... *sarissas, ... etiam & hastilia dicet, perticas, peltas, sarissas, fundibula*, vtraque manu conquirebant à Græcis, & præsertim à Lacedæmoniis, ad quos eius vsum transtulit Cleomenes. Alexander Alexandrius Neapolitan. libro 6. Genial. dier. cap. 22. Longitudinem ad cubita quatuordecim docuit debere esse, Ælianus lib. de Aciebus instruendis vt rectissime cum *picqua* gallica confundi possit, vsum descripsit Modestus qui libellum de vocabulis militaribus nuncupauit Tacito Augusto, & ex illo, vt pleraque alia transcripsit Flauius Veget. libro 3. de Re milit. capit. 34. *cataphracti equi iungebantur ad currum, quibus insidentes clibanarij sarissas: hoc est, longissimos contos in elephantos dirigebant*, hinc in Alexandri exercitu sarissis siue hastis armati, *sarissophori* nuncupati. Q. Curt. libro 4. *non immeritò itaque verebatur Ar tam ducem hastatorum quos sarissophoros vocabant*, e fraxino erant, Suid. in voce σαρισσοφόροι. Luctat. ad vers. 269. lib. 7. Thebaid. *Macedonum Lanceas* interpretatur. Ipse Stat. ibid.

Fraxineas vibrant Macetum de more sarissas.

M. Lucanus lib. 8. Pharsal.

Primi Pellæas arcu fregere sarissas
Bactráque Medorum sedem.

Ouid. lib. 11. Metamorph.

Qui clypeo gladióque Macedoniáque sarissa.

M. Lucanus lib. 10. Pharsal. v. 46.

Proh pudor! Eoi proprius timuere sarissas,
Quam nunc tela timent populi.

Leuis macula extergenda est è codice Q. Sammonici Sereni lib. de Medecina cap. 47.

Cuspide non quisquam, longe neque cæde Larissæ,
Fulmine non gladij, volucris nec felle sagittæ
Quàm citò potis est affligier ictu.

Rescribe me authore, nisi fallit me editio mea pag. 295. authore I. Lectio.

——— Longe neque cæde sarissæ.

Quoniam supra *contum* interpretatus est Vegetius esse sarissam, hic de conto videndum. Nonius cap. 18. Num. 24. *conti hastæ longiores & robustæ.* Lambert. Hortensius in M. Lucani lib. 6 pag. 664. ibi.

Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muri, & valli summa tenentes.

Virgil. lib. 5. AEneidos.

Ferratásque sudes, & acuta cuspide contos
Expediunt.

In Nicolai Erithræi editione erat.

Ferratásque trudes.

Idem lib. 9. AEneid.

——— Telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris retrudere contis

Valer. Flacc. Argonautic. libro 6. AEgidius

Maserius ibidem.

——Ingentis frenatur Sarmata conti.

Claud.infinitis pene locis. lib.de bello Getico.

Et tremulus regit hasta gradus & nititur altu

Pro baculo contis,non exarmata senectus.

Et de 3.Honorij Consul.

——Nudique seges Mauortia ferri

Ingeminat splendore diem,pars nobilis arcu,

Pars longe iaculis,pars comminus horrida contis.

De 4.Hon.consul.

Quis molles, sinuare fugas, quid tendere contum

Acrior?

De 6.Honorij consul.

———Solo peragens cum murmure bellum

Protento leuiter frangebat mœnia conto,

Irridens scopulos.

Lib.1.de laudibus Stilichonis.

Non fera Hunnorum feritas, non falce Gelonus,

Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto.

Locum esse corruptum ipse carminis verborumque ordo loquitur, putaui aliquando legendum *Thunnorum* ex I.Solino capit.16. sed reuera *Chunnorum*,rescribi par est.nam ea ætate Chuni irruperant ex Mæotidis confinio in Europam, cum alia barbararum gentium colluuie,Ricobaldus Ferrariensis, in pomærio vrb.Rauennat.D.Auson.Epigr.1.

Arma inter Chunosque truces,furtoque nocentes

Sauromatas.

In precatione Consulatus sui, Chunnum & Getas coniunxit.

Quæ vaga Sauromates sibi iunxerat agmina Chunis,

Quaque Getes sociis Istrum adsultabat Alanis

Sidonius Apollinaris frequentissime libro 8. Epist.9.

Istis Ostrogothis viget patronis

Vicinosque premens subinde Chunos,

His quod subditur,hinc superbis illis.

Idem Carm.5.v.481.

Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus.

Iterum Carm.7.v.241.

Cursu Herulus, Chunus iaculis, Francusque natatu.

Denique Carm.23.v.240.

Pacem te medio darent feroces,

Chunus,Sauromatæ,Getes,Gelonus.

Ad contum regredior,in quo nomine corruptus forte & Statius,nam ex MS.legitur lib.2. Achilleid.vers.420.

Quo Mæotæ suæ gesa citent, quo turbine contum

Sauromates, falcemque Getes.

Denique restituenuus insigniter splendori suo in eodem Claudiani lib.de bello Getico locus,præiuit Egregius Philippus Rubenus.

Vulneribus pars nulla vacat; recisaque cunctis

Gloria fœdati splendet iactantior oris.

Certissima coniectura,me duce rescribes,

Vulneribus pars nulla vacat, recisaque contis

Gloria fœdati splendet iactantior oris.

Sensus est, gloriosum Getis videri, si faciem hastis militaribus vulneratam habeant. nam conti duplices, quidam militares, Iul.Poll. libr.primo cap.10. numer.6. vnde *κοντοφόροι, qui contos gestant*,eidem dicuntur.tali nautici, idem Pollux libro primo,capit.9. Numer.3. Lilius libro de Nauigiis,Ludouic.de la Cerda Toletanus ad libr.9. Æneid. Virgil. vers. 302. Cuius diligentiam nemo non laudet. Cicatrices certe laudi & ostentationi fuisse antea dixi, hic adde Cæsaris iocum ex M. Quintiliano libro sexto, capite quarto. *C. Cæsar Pomponio ostentanti vulnus ore exceptum in seditione Sulpitiana, quod ipse se passum pro Cæsare pugnantem gloriabatur, nunquam fugiens respexeris,inquit.* Idem libro 7.capit.15. *saucius manibus ac cruribus, speciosior sanguine, & ipso periculo augustior.* L.Flor. libro quarto. hist. Rom. capit.1. T. Castritius antiquus scriptor,disertissimorum duorum,Demosthenis Oratoris, & Salustij historici verba huc spectantia examinat, apud A.Gellium libro 2. capite 27. Speciose Aurel.Cassiodor. libro octauo.Epist.10. *vulnera accepit, quæ tantum nunc ei sunt gloriosa, quantum tunc habuere periculi.* Q.Curt.libro 4. *spondet pro se quot cicatrices totidem corporis decora.* Placid. Grammatic.ad vers.74.libro 4.Theb. *Papiniana,signa præteritarum virtutum, id est, cui præstant priora vulnera dignitatem.* dixerat Statius.

———Plagarum in pectore nodos.

Ipse Claudianus paulo ante ibidem loci.

Crinigeri sedere patres,crinita Getarum

Curia, quos plagis decorat numerosa cicatrix.

Sidon.Apollinar.carm.23.

In campis Marathonis merentem

Vulnus non habuisse,grande probrum est.

Est & *sagaris Massagetum telum*, si credimus Herodoto libr.1.in fine,& *Scytarum*,Iul.Poll. libro 1.capit.10.& *Persarum*,Strabo libr.15. in fine.

Sica seu machæra,insidiantiū, & latronum erat.

Cicero

Cicero Orat.2. in Catilinā, & Orat.3. in Verrem. D. Iuuen. Sat.7. verſ.9. hinc *ſicarius* prædo, latro, C. Sueton. in Cæſare capite 11. Cicero Orat. pro Roſcio. fuit *Thracum* Thucydid. libro 2. meminit Martialis libro 2. Epig. 16. libro 1. Epig. 2. Andr. Alciatus Emblem. 52.

Latronum, furúmque manus tibi ſæua per vrbem
It comes, & diris cincta cohors gladiis.

Acinacis Medorum gladius, Q. Horat. libro 1. Od. 27. Helenius Acron *Perſarum gladium*, vocat, Porphyrion & ipſe Grammaticus. *Parthorum*, ibidem loci, ſed facile componere inter illos diſſidium, æuo quippe Horatij, & Perſæ & Medi nomine Parthorum comprehendebantur. Perſas tamen ante Parthos illum geſtaſſe, loquitur Herodotus libro 7. Et Valer. Flac. Argonaut. libro 6.

Inſignis manicis, inſignis acinace dextra.

Iſta quidem arma fuerunt ſolertia induſtriáque gentium excogitata, at prius nullis aliis armis cernebatur, præter quam truncis, aut ſudibus. de truncis quidem Luctat. Placid. ad verſ. 64. libro 4. Thebaid. Statianæ.

——Pars geſa manu, pars robora flammis
Indurata diu.

Eiuſdem libri v.302.

Et paſtorali meditantur prælia trunco.

Virg. libro 7. Æneid.

Improuiſi aſſunt, hic torre armatus obuſto.
Stipitis hic grauidi nodis, quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit.

Eodem iterum libro.

Stipitibus duris agitur, ſudibúſue præuſtis.

Idem libro 10. Æneid.

——Sternentes agmina claua.

Denique lib. Æneid. ad finem.

Tela manu trepidæ iaciunt, ac robore duro
Stipitibus ferrum, ſudibuſque imitantur obuſtis.

Sudes duplicem in vſum, vel vt ad palum exercerentur tirones, vel vt iis pugnaretur. vet. gloſſ. *ſudis*, σκόλοψ, iterum, *ſudis*, χάραξ, *pertica*, κοντὸς, iterum *ſudis* σφῦρα [illegible], ζύγλις, inſuper, *ſudis*, [illegible], denique in eodem gloſſario veteri *ſudis*, *rudica*, χάραξ. adeundus eſt Seruius ad lib. 2. Georg.

Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore contos.

Sudes iſtas librabant in palum, non ſecus ac ſi cum homine res tranſigenda fuiſſet. Fl. Veget. libro 2. capit. 23. *ad palum quoque vel ſudes iuniores exerceri percommodum eſt, cum latera vel pedes, vel caput petere, punctim, cæſimque condiſcant.* corruptum eſſe locum vidit Godeſcalcus Steuuechius, neque enim vt pali, ita ſudes in terram defigebantur, ſed in palum defixum librabantur. palus autem ne nutare poſſet, profunda admodum ſcrobe defixa, ſex pedes eminebat, ſcilicet quo referret iuſtam viri ſtaturam, petebaturque eminus miſſilibus, comminus ſudibus. Idem Veget. libro 1. capite 14. tiro, *qui dum claua exercetur ad palum, haſtilia quoque ponderis grauioris, quam vera futura ſint iacula, aduerſus illum palum, tanquam aduerſus hominem iactare compellitur.* T. Liuius tertia Decad. libro nono, *ſudibus inter ſe in modum iuſtæ pugnæ concurrere.* L. Sen. Epiſt 89. *ſudes torquere iuuentus olim diſcebat.* Feſt. Pomp. lib. 17. *ſub vineam iacere dicuntur milites, cum adſtantibus centurionibus iacere dicuntur ſudes.* Leo Aug. de bellico apparatu capite 7. Numer. 3. Num. 18. & Numero 57. non ſudibus ſed & rudibus etiam exercitatos milites prodidit, & ego ſupra hoc opere in Tractatu de gladiatura expediui. ita Tibull. libro quarto ad Meſſallam.

Quis tardam ve ſudem melius, celerémque ſagittam
Iecerit.

D. Iuuenal. Sat. 6. verſ. 240. vbi ſcio veterem Scholiaſtem *habitum pugnantium gladiatorum*, interpretari non vero militum aut tironum, ſed minus recte.

Endromidas Tyrias & femineum ceroma
Quis neſcit? vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cauat aſſiduis ſudibus, ſcutóque laceſſit,
Atque omnes implet numeros digniſſima prorſus
Florali matrona tuba.

Sed in vero & non ſimulato conflictu milites olim ſudibus vſos, diſco ex Sexto Propertio libro 4. Eleg. 1.

Non rudis infeſtis miles radiabat in armis,
Miſcebant vſta prælia nuda ſude.

Vbi obiter dictum velim auro arma obducta quo maior pompa apparatúſque eſſet. vnde Chryſoaſpides & argyroaſpides nomina cæperunt, vt ex Iuſtino notiſſimum libro 12. & Ælio Lamprid. in Alexandro Seuero Paul. Oroſ. libro 3. capite 23. *vltimo conſilio argyraſpidas, ob arma deargentata ſic dictos, hoc eſt, milites, qui ſub Alexandro militauerant, in auxilium rogat.* Theodoſ. Macrob. lib. Saturnal. 2. capite 2. *oſtentabat Antiochus in campo ingentes copias, quas bellum populo Romano facturus compararerat, conuertebatque exercitum inſignibus aureis, & argenteis florentem, inducebat etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus, equitatumque frænis & ephippiis, monilibus, ac phaleris præfulgentem, atque ibi rex*

contemplationi tanti & tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem aspicis, & putasne, inquit, Romanis satis esse hæc omnia? tunc Pænus eludens ignauiam imbelliamque militum eius pretiosè armatorum, plane, inquit, satis esse credo Romanis hæc, & si auarissimi sint. vide sequentia Virg. lib. 8. Æneid.

Arma sub aduersa posuit radiantia quercu.

P. Ouid. 4. de Ponto eleg. 4. explicasse id visus est.

Scuta sed & galeæ, gemmis radientur & auro.

Stat. lib. 8. Thebaid. v. 403.

——Splendent clypei, pharetraque decora.
Cingulaque, & nondum deformes cruribus aurum.

Eiusdem libri rursus v. 567. *velauerat.*

Surgentes etiamnum humeros, & leuia mater
Pectora, nunc auro phaleras, auroque sagittas,
Cingulaque, & manicas ne coniuge vilior iret,
Presserat, & mixto conum crispauerat auro.

Iterum Ouid. lib. 13. Metamorph.

Ipse nitor galeæ claro radiantis ab auro
Insidias prodet.

Coripp. lib. 4. num. 3.

Fulgebant rutila Pilis splendentibus auro.

Vnde deriuatum existimo, vt tu gorem in armis militaribus requirant. Aurelius Cassiodorus libro 11. epist. 40. atque eo sensu poetæ frequentissimè, dum apparatum bellicum, aciesque in ordine collatas describunt. Pirgopolinices ille Plautinus in Milite Sc. prima.

Curate vt splendor meo sit clypeo clarior,
Quam solis radii esse, olim, cum sudum est, solent:
Vt, vbi vsus veniat, contra conserta manu,
Oculorum perstringat aciem in acie hostibus.

Quem locum laudat Nonius cap. 1. Num. 149. nisi quod pro *perstringat*, legit *præstringuat*, corruptè, vt & Asconius Pædianus in Diuinat. *perstringat aciem* inquit M. Cicero, ad quæ ille, *vel à præstigiatoribus translulit, vel à tironibus qui rudes pugnæ, & ignari, etiam vano armorum sonitu terrentur, præstinctis luminibus*, sed malim legere *præstrictis luminibus*, huc & Apuleius respexit lib. de Deo Socratis. *protinusque Plautinus miles super clypeo suo gloriatur, præstinguens oculorum aciem hostibus.* sed rescribe *præstringens* vel certè *perstringens oculorum aciem.* Antonij extat Exprobatio Augusto per Epistolam obiicientis, vt retulit C. Suetonius in August. capite 6. *in rectis quidem oculis eum adspicere potuisse instructam aciem.* C. Lucilius Satyricus lib. 30.

Præstringatque oculorum aciem splendore micanti.

Accius in Epinausimache.

Ab classe ad vrbem tendunt, neque quisquam potest
Fulgentium armûm armatus ardorem obtui.

M. Lucan. lib. 2. Pharsal. v. 480.

Vt procul immensam campo consurgere nubem,
Ardentesque acies percussis sole etrusco
Conspexit telis.

Sext. Propert. libr. 4. eleg. 6.

Armorum & radiis picta tremebat aqua.

Laberius Mimus apud A. Gellium lib. 10. Noct. Attic. capit. 17.

Democritus Abderites Physicus Philosophus clypeum
Constituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere vt posset splendore æreo, ita radiis
Solis aciem effodit luminis.

Elegantissime P. Virgil. libro 2. Georg. versic. 280.

Vt sæpè ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac latè fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, nec dum horrida miscet
Prælia, sed dubiis medius Mars errat in armis,

Et lib. 8. AEneid.

——Auroque effulgere fluctus.

Claudianus nihilo illo inferior, libro 2. in Ruffinum.

Implet Thessaliam ferri nitor,

Et post eod. lib.

Hic vltrix acies ornatu fulgida ferri
Explicuit cuneos.

Et de 3. Honorii consul.

Feruet cristatis exercitus vndique turmis,
Quosque sua te voce canens, perstringit ahena
Lux oculos, nudique seges Mauortia ferri
Ingeminat splendore diem.

Ad clypeos venio, qui mihi cum *vmbonibus*, *parmis* & *scutis* res eadem, quanquam non sum ignarus & materia & forma differre. nam Seruius ad librum 10. AEneid. *parma leuia arma, clypei maioris ponderis.* vide Iulium Pollucem lib. 1. capit. 10. numer. 6. *vmbones adinuenerunt Cares.* Scholiast. Thucydidis ad librum 1. belli Pelopones. illud æquè in confesso omnium *Græcorum scuta rotunda, cum vmbonibus* fuisse, vt ad librum 1. & rursus ad lib.

lib. 9. Æneid. ait Seruius, *in quibus præmia sua milites gestabant.* Aristides in Minerua. præterea in decursionibus campestribus, supra hoc opere à me est dictum: de ornatu, multa exquisitissimæ lectionis, acerrimique iudicij apud I. Lipsium inuenies in Militia Romana, quem non exscribo. vet. gloss. *parma*, ... iterum, *parma* ... *clypeus equestris*, deniq; ibidem, *parma* ..., *Thracius gladius*, ineptissime, neque enim vllus tam imperitus fuit, qui parmam pro gladio vsurparet, præter illum vnicum Grammaticum, qui turpissime lapsus est, nisi forte ... ad quodlibet armaturæ genus referamus. quod autem *equestrem* vocauit idem Grammaticus *clypeum*, ad velites referendum puto, authore maxime impulsus Liuio 3. Decad. libro 6. *gladiis à velitibus trucidabantur, hic miles tripedalem parmam habet, & in dextra hastas, quibus eminus vtitur, gladio Hispaniensi cinctus est.* ita intelligendum censeo Iulium Frontinum libro 4. Strategemat. capit. vltim. *Romani cùm Campanis equitibus nullo modo pares essent, Q. Nonius Centurio in exercitu Fuluij Flacci procos. excogitauit, vt delectos ex toto exercitu, qui velocissimi videbantur, & mediocris staturæ erant, parmulis* (pessime & nullo sensu prius legebatur, *paruulis*) *non amplius, & galericulis, gladiisque, at septenis singulos hastis quaternum circiter pedum armaret, eosque adiunctos equitibus iuberet vsque ad mœnia prouehi.*

Diuersa certe clypeorum genera, nam plurima inter militantes per eos differentia, at imprimis quædam virorum fortium, quædam vero inertium, ac tironum scuta erant, nonnulla latronum, quorum formam deprehendere non potui, at meminit glossarium Latino Græcum, *Cetra*, ..., *scutum prædatorium*, seu latrocinantium, de veteranorum scutis putarem intelligendum Festum Pompeium libro 1. *Albesia scuta dicebantur, quibus Albenses, qui sunt Marsi generis, vtebantur, hæc eadem decumana vocabantur, quod essent amplissima, vt decumani fluctus.* Addendum hic, *fortium virorum scuta, picta, inertium & tironum pura* esse consueuisse, vt loquitur Seruius Honoratus ad vers. 796. lib. 7. Æneid. vel vt cum eodem loquar ad vers. 546. lib. 9. Æneid. *picta arma iam probati in bellis habebant.* ad quem locum Iacobus Pontanus videatur. Abbo de obsid. Lutet. Parisior. libro 1.

——*saxa fremunt parmas quatientia pictas*
Scuta gemunt.

Et post eodem lib. 1. pag. 541.

Sanguinis nulla via vrbis inest intacta virorum.

Prospiciens turrisque nihil sub sub se nisi picta
Scuta videt.

Ipse Virgilius loco vltime laudato.

Ense leuis nudo, parmaque inglorius alba.

De Camillo eiusdem author libro 11. Æneid. ad tirocinium spectans.

——*puraque interrita parma.*

Contra de viro forti & bellicoso Capaneo Stat. lib. 10. Thebaid. in fine.

Et clypei niger vmbo cadit.

Vti gloriosum, multis vulneribus clypeum habuisse perfossum, summumque dedecus in lucta illum abiecisse M. Anton. Muret libro 9. variar. lect. capit. 2. ita vnicus ducum mortuorum in acie honor, in clypeo suo efferri, quo pertinet præceptum Lacenæ matris armantis filium in bellum profecturum, vt retulit Plutarchus in Apophthegmatis, ..., *fili, aut hunc, aut super hunc*, hoc est, vt vel viuus integrum à conflictu referret, vel in eo referretur ad suos mortuus. Notauit eruditissimus senex Elias Vinetus, & ex eo Iosephus Scaliger Ausonian. Lectionibus, Luctat. Placid. ad vers. 639. lib. 8. Thebaid. *in clypeo mortui ferebantur.* Ipse poeta.

Talia iactabant, subito cum pigra tumultu
Expauit domus & multo sudore receptus
Fertur Atys, seruans animam iam sanguine nullo
Cui manus in plaga, dependit languida ceruix
Exterior clypeo crinesque à fronte supini.

Eodem libro de Tydeo interfecto à Menalippo vers. 732.

Et poscentem hastas, mediaque in morte negantem
Expirare, trahunt summique in margine campi,
Effultum gemina latera inclinantia parma
Ponunt, ac saui rediturum ad prælia Martis
Promittunt.

Virgil. lib. 10. Æneid. v. 507.

——*at socij multo gemitu lachrymisque*
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Et lib. 11. Æneid.

At Lausum socij exanimem super arma ferebant.

D. Auson. Epigr. 23.

Excipis aduerso quod pectore vulnera septem,
Arma superuehens quod Thrasybule tua.

Idem Epigrammate sequenti.

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

Postremum Græcis versibus inclusit Angelus Politianus.

[illegible Greek verses]

Filio Lacena clypeum in bellum profecturo porrigens
Fili, inquit, aut cum hoc, aut in hoc reuertere.

Prius Dioscorides tractauerat libro 3. Antholog.cap.3.epig.10

τῷ Πιτάνᾳ Θρασύβουλος ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους,
ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος.

Pitanæ Thrasybulus super clypeum venitbat mortuus,
Septem ab Argiuis vulnera excipiens.

Clypeo tegi communi formula dictum. Q. Curt. lib.8. *viuunt, stant in acie, te clypeis suis protegunt.* Ipse Alexander apud eundem authorem lib.9. *me periculis obtulerim, qui sæpè aciem clypeo meo texi.* Sulpit.Seuer. lib.1.de vita D. Martini. *si hoc inquit ignauiæ adscribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis adstabo, & in nomine Domini Iesu signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.* Ita frequentissime poëtæ summam securitatem exprimentes, hac loquendi formula vtuntur. P.Ouid.lib.13. Metamorph.fab.1.

Opposui molem clypei, texique iacentem
Seruauique animam, minimum est hoc laudis, inertem.

Vetus poëta Comicus sed elegans, fortè Pacuuius apud Fl. Sosipatrum Charisium li.4.

Vide tegentem clypeo classem Doricam.

Turpilius in Demiurgo.

Quia non minus res hominem, quàm scutum tegit.

Claudian.sæpè lib.de bello Gildonico.

——clypeos tectos, galeisque micantes.

Rursus lib.de bello Getico.

——patrem clypeis defendite Tibrim

Et lib.3.de laudibus Stilichonis.

Protegis hanc clypeo.

Corip.African.lib.4.de laudib.Iustin.num.3.

Hinc armata manus dextram læuamque tuetur
Cæsarei lateris clypeis pia terga tegebat
Ingens excubitus.

Eiusdem libri num.vlt.

Terga tegens domini claris fulgebat in armis.

Stat.lib.8. Thebaid.v.690.

——Retroque datum Thebana regebant
Arma ducem.

Sed legendum est.

——retroque datum Thebana tegebant
Arma ducem.

Lapsa iam Republica consuetudo inualuit, vt Imperatores inaugurati clypeo insiderent, eleuatique in eo Centurionum aut militum humeris, toti exercitui videndos se præberent. Curopalates, siue Codinus lib.de Offic. aulæ Constantinop.pag.181.& Fr.Iunius præoccupauit. μετὰ δὲ τοῦτο ὁ νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουτάριον καθίσας ὑψοῦται, καὶ ὁρᾶται πᾶσι τοῖς περὶ αὐτὸν ἱσταμένοις πλήθεσι. *postea vero Imperator nouus scuto insidens in altum extollitur, & spectantibus exhibetur omnibus turbis stantibus inferiori loco.* Ian.Zonar. Tom. Annal 3.in Iustiniano, cuius verba profert doctissimus Petrus Pithæus libr.2. subsecíuor. cap.6. aliquoties meminit Nicephorus Gregoras lib.3. histor.Rom.pagin.25. *Theodorus post obitum patris, totius populi suffragiis creatus est Imperator, more à maioribus accepto,* καθεσθεὶς ἐπ' ἀσπίδος *clypeo insidens.* Et libro 4. statim in limine. *Michaëlem Palæologum, clypeo insidentem, circa Magnesiam optimates Imperatorem appellans.* Ita enim vertit Antonius Fuggerus. Iul.Capitolin.in Gordianis. *propere ventum ad oppidum Tysdrum, inuentúsque senex venerabilis post iurisdictionem iacens in lectulo, qui circumfusus purpura humi se abiecis, ac retractans, eleuatus, & Imperatorem se appellari passus est.* Nicep.Choniat.de Alexio Emanuelis filio. Idem ille Capitolinus in Maximo & Balbino, *inter hæc Gordianus Cæsar sublatus à militibus Imperator est appellatus.* Ammian. Marcellin. libro 20. *impositus* (Iulianus Cæsar à militibus Gallicanis) *scuto pedestri, & sublatius eminens, populo silente, Augustus renunciatur, iubebatur diadema proferre.* Zosimus histor.Rom.lib.3. cuius verba Fr.Lindenbrogius profert, quæ apud eundem vide. Id & aliorum in more positum de Caninefatibus C.Tacit.lib.4.histor. *Impositus scuto, more gentis & sustinentium humeris vibratus, dux eligitur.* Herodian.libro 8.in fin. Gallicum fuisse ritum liquet ex Adone Viennensi in Chronico ætate sexta, vbi *Sigebertus contra Chilpericum fratrem more gentis clypeo impositus, rex constituitur.* idemque de Clodoueo habet Greg. Turonensis histor.Franc.libr. 11.Claudian.de 4.Honorii consulatu, eleganter describens inaugurationem.

Nec dilatus honos, mutatus principe Cæsar
Protinus æquaris fratri, nec certius vnquam
Hortati superi: nullis præsentius æther
Adfuit ominibus, tenebris inuoluerat atris
Lumen, hiems, densosque Notus collegerat imbres,
Sed mox cum solita miles te voce leuasses,
Nubila dissoluit Phœbus, pariterque dabantur
Sceptra tibi, mundoque dies caligine liber.

Locus non videtur omnino sanus, nam quid est militem voce leuare Imperatorem? nisi fortè sit faustis acclamationibus prosequi: sed il-

sed illud non satis totum ritum explicat, itaque censeo rescribendum.

Sed mox cum solito miles te more leuasset,
Nubila dissoluis Phœbus.

Eget & Critica manu Aurelius Cassiodorus libro 10. variar. Epist.31. *indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum scutorum supposito, regalem nobis contulisse, Deo præstāte, dignitatem.* quo quidem in loco nec sensus vllus est, nec dignitas tanti authoris seruata, itaque lege, *more maiorum scuto supposito.* signanter Georgius Pachymerius in Excerptis Historiarum lib.2. *Imperatorio clypeo insidet is, q i imperio destinatur.* Iterum Zonaras Tom.3. Annal. in Hypathio, qui seditiosa militaris multitudinis concione in Augustum electus, Iustinianoque oppositus, ... *& in scutum sublime eum tollentes salutant regem.* Corip. in Iustini inauguratione libro 2. Num.5.

Quatuor ingentem clypei sublimius orbem
Attollunt lecti iuuenes, manibusque leuatus
Ipse ministrorum supra stetit.

Deinde eodem numero paulo post sequitur eleganter.

Adstitit in clypeo princeps fortissimus illo,
Solis habens specimen.

Denique de *parma* & *parmulariis*, hi pene authores meminerunt. Nonius capit. 18. Num. 14. *scutum breue* interpretatur. C. Sueto. Domit. cap. 10. *impie loquutum parmularium.* M. Quintilian. lib 2. cap.11. *ego parmularius sum.* T. Liu. 1. Decad. lib.4. *dat signum Volscis Imperator, vt parmatis nouæ cohorti hostium locus detur.* hæc non Romanorum modo, sed & Numidarum, idem Liuius 3. Decad. lib.2. Martial. lib.14. Epigr.219

Hæc quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro,
Parma tibi scutum pumilionis erit.

Helenius Acron ad Q. Horatij lib.2. od.7. & Porphyrio.

Tecum Philippos & celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula

Philipp. Beroald. & Bernardinus Veronensis ad Sexti Propert. lib.4. Eleg.11.

Belgica cum vasti parma relata ducis.

Sed locum aliter I. Passeratius doctor meus legit.

Bellica cum vasti parma relata ducis.

Confirmatque ex eodem poeta libro 2. elegia 25.

Et vetus in templo bellica parma vacat.

Ex MS. Iosephus Scaliger aliam lectionem, & interpunctionem obseruauit.

Claudius à Rheno traiectos arcuit hostes
Belligeros, vasti parma relata ducis.

Sil. Italic. libro 1. Punicor.

——parmaque relata
Hispanæ de gente rudes.

Idem lib.12. in principio.

Ac me nocte quidem clypei, ensesque repostis,
Non pharetræ aut iacula, & pro membris arma fuere.
Tunc graue cassis onus, maioráque pondera visa
Parmarum, ac nullis fusæ striderihus hastæ.

Valer. Flacc. lib.1. Argonaut.

Horrentem iaculis, & parmæ luce coruscum.

Stat. lib.2. Thebaid. v.585.

——Tergoque & vertice tegmine noto
Septus, & hostilis propugnans pectora parmæ
Constitit.

Eiusdem libri v.644.

Protinus idem vltro iaculo, parmaque Menetem
Proterrebat agens.

Abbo de Obsid. Lutet. Paris. libro 1.

—— scuta fremunt parmas quatientia pulsas

D. Iuuenal. Sat.5. v.154.

Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parma, & galea, metuensque flagelli
Discit ab hirsuta iaculum torquere capella.

Censui olim mutandum esse quippiam, cum Criticorum frequentiori vulgo, at nunc sensum esse optimum, ne immutata quidem literola, primus omnium, quod sciam, ostēdam, vel ipso poeta, & Scoliaste vetere præeuntibus. simiam intelligit insidentem capræ, & edoctā tironis instar iacula inde vibrare, vult satyricus, Virronem gulosum sibi, aliisque helluonibus poma pulcherrima, suauissimique gustus appoisuisse, inferiori vero lecti parte recumbentibus, ea quæ ne simiæ quidem, in *aggere,* hoc est eminenti triclinij loco, edoctæ ludicra spectacula, conscendentes capras edere, gustare velint. indicia expositionis istius à veteri Scholiaste vt dixi, qui ad versic. 143. *viridem thoraca, armilausiam prasinam, vt simiæ,* interpretatur forte supplendum, *vt gestare solent simiæ.* deinde ad versicul. 154. *metuensque flagelli, qualem simia manducat.* transposita esse verba manifestum est, itaque ordini suo restitue, & corrige, *tu scabie frueris mali, quale simia manducat.* Ita censet vir literatissimus Stephanus Clauerius, & cessent tandem aliquando Critici turbare, aut aliam expositionem quærere. Simias porro militarem artem edoctas fuisse, non est mirum, cum & *latrunculis lusitint.* Marianus apud C. Plinium libro

8.capit.54. & ad humanos rationis vsus proxime accedant, vt imitatores cuiuscunque rei & præsertim oratoriæ *simiæ* vocentur, eruditiss. Sauaro ad Sidonium Apollinarem lib.4.Epist.1. signanter Arnobius lib.3. Cont. Gent. *nam quid in homine pulchrum est? quid quasi admirabile vel decorum, nisi quod & clurino cum pectore nescio quis author voluit esse commune.* sic optime legitur, nam pessime antea, *veterino cum pecore.* gloss. ver. *clura* πίθηκος *simia*, & recte obseruauit P. Pithæus ex Festo.& Plauto in Truculento Act.2.scen. 1. in principio.inde *Stoicorum simiæ.* Rusticus Arulenus à M.Regulo vocatur apud Plinium Iuniorem lib.1. Epist.5. præterquam igitur, quod parasiti apud Iuuenalem, imitentur fœde improbos potentum mores, iisque simiarum more adblandiantur, nam Græcis in prouerbium abiit πιθηκίζειν, *simiarum more exagitare, hoc est decipere, adulationibus vincere, aut etiam imitationibus,* vt est in Suida, improbitatis certe symbolum est simia, quæ quantumuis tecta, nihilominus tamen aliquando erumpit, idem Suidas in voce πίθηκος ἐν πορφύρᾳ: *simia in purpura.* Tertio turpitudinis est simia typus, in eiusdem enim Suidæ scriptis relatum est, πιθήκου βλέμμα, *simiæ aspectus*, pro re maxime turpi, & obscæna. poeta antiquus incerti nominis in Antholog. libro 2. capite 13. Epigr.22. Iuuenal. Sat.10. versic.195. Isidor. lib.12. capite 1. ad finem. *inde est quod quidam iubent grauidas mulieres nullos intueri turpissimos animalium vultus, vt cynocephalos, & simias, ne visibus occurrentes similes fœtus pariant, hanc enim feminarum dicunt esse naturam, vt quales perspexerint, siue mente conceperint, in extremo voluptatis æstu, dum concipiunt, talem sobolem procreent.* quidni ergo simia improbitatis, fœdæ imitationis, & obscænitatis typus, poterit commodissime adulatores referre? Indui vero vestimentis simiam solenne fuisse, loquitur prouerbium supra proxime ex Suida allatum. L.Apul. lib.11. Milesiar. in pompa sacrorum Isidis describenda *vidi & ursam mansuetam quæ, cultu matronali sella vehebatur, & simiam pileo textili, crocotisque Phrygiis, catamiti pastoris specie.* vt simia Iuuenalis tironis specie inequitat capræ, ita apud Apuleium, Paridem eadem refert & vt ille induitur. Ennius referente Cicerone lib.1.de Nat.Deor.

Simia quam similis turpissima bellua nobis.

Ex quo Q.Sammonicus Serenus lib.de Medicina cap.46. Epigraphe est, *hominis ac simiæ morsus.*

Sive homo seu similis turpissima bellua nobis
Vulnera dente dedit.

Afranius in Temerario apud Flauium Sosipatrum.

Quis hic est simia, qui me hodie ludificatur?

Plene satisfacit Claudianus lib.1. in Eutropium.

Quam pulchre conspectus erat, cum sanderet artus
Exangues onerare toga, cinctuque grauatus,
Induitque senex obscœnior iret in aura.
Humani qualis simulator simius oris.
Quem puer arridens pretioso stamine Serum
Velauit, nudásque nates ac terga reliquit
Ludibrium mensis.

Clarissime Martialis & indui solere simias, & hastas vibrare edoctas testatur, hoc quidem lib.14 Epigr.128.

Gallia santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum penula nuper erat.

Istud vero libri eiusdem Epigr.202. qui solus locus vulgatæ Iuuenalis lectioni patrocinari potest.

Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret cercopithecus eram.

Cetra Afrorum & Hispanorum clypeus, seu verius scutum fuit. T Liu.4. Decad. libr.1. *Hispani sine ulla mole in vtres vestimentis coniectis, ipsi cetris suppositis incubantes, flumen tranauere.* Iul.Cæsar. libro 1. Belli ciuil. *erant legiones Afranii tres, Petreii duæ præterea scutatæ citerioris Hispaniæ, & cetratæ vlterioris Hispaniæ cohortes circiter octoginta* Fest.Pomp. lib.14.in voce *pelta.* Seru.in Æneid. ibi loci videatur, *scutis protecti corpora longis.* Et in illud lib.7.

Laeuas cetra tegit.

Sil.Italic.lib.10.Punicor.

Ingreditur nimbum, ac ritu iam moris Iberi
Carmina pulsata fundens barbara cetra.
Inuadit.

Sequitur *pelta* & ipsa *breue scutum*, Fest. loco proxime laudato, formam eius describit Xenophon apud Iulium Pollucem lib. 1. Onomast. capit.10.Num.6. πέλτη ἀμαζονική, ἧς ... *pelta Amazonica, vt Xenophon inquit, hederæ folio similis est.* quæ verba transcripsit Cælius Rhodiginus lib.10.cap.4. in eodem Polluce Numero præcedente πελτασταί, πελτοφόροι *peltastæ & peltophori,* qui peltas huiusmodi ferrent dicti, adeundus idem libro 10. capit.31. addendus C.Plin.lib.12.capit.5. *foliorum* (ficus Indicæ) *latitudo peltæ Amazonicæ effigiem habet.* T. Liuius 4.Decad.lib.1. *nocte cetratos, quos peltastas vocant, loco opportuno inter bina castra in insidiis abdiderat.* Lutatius Placidius ad versic. 145. lib 5. Thebaidos Statianæ. *scuta Amazonum, quas peltas appellant, in modum lunæ formata sunt.* Idem ad vers.174. lib.septimo, Thebaid.

pel-

peltis, lunatis scutis, quibus utuntur Amazones. quæ sumpta sunt à Seruio Mauro ad vers. 494. libro 1. Æneid. scutis breuissimis in modum lunæ formatis iam mediæ. Xenophon autem Exped. Cyri minoris lib.5. pag.367. πελτάζει, vertit Leunclauius, an ex cetratis es? & πελτοφόρος, ægpissime eidem cetratus, Cyropæd. lib 7.pag.176. Et histor. Græcar. lib 2. pag. 472 denique in laudibus Agesilai Regis pag. 664. C. Sueton. Nerone cap. 44. securibus peltisque Amazonicis instruendi. Sic Poetæ. P. Ouid. lib. 2. Amor. eleg. 14.

Quid iuuat immunes belli cessare puellas,
Nec fera peltatas agmina posse sequi?

Valer. Flacc. Argonaut. lib.5.

Tum pelta latus, atque humeris nudata pharetris.

Claudian. lib. 1. de Raptu.

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Pulchra cohors.

Frustra reponere tentat Iul. Cæsar. Scaliger nimis Criticus.

Qualis Amazonidum positis agis agmina peltis
Pulchra cohors.

Et in Fescennino ad nuptias Honorii & Mariæ.

Peltata pugnas desereret cohors.

Stat. lib. 5. sil. 1. v. 87.

Velles Amazoniæ latus intercludere pelta.

Idem lib. 5. Thebaid.

——Amazonio Scythiam feruere tumultu.
Lunatumque putes agmen descendere.

Eiusdem operis lib. 7.

——innocuis iubeas decernere peltis.

Sil. Italic. lib. 2. Punicor.

——lunatis Bistones armis.

Et post ibidem loci.

Nuda latus Marti, ac fulgenti tegmine læuum
Thermodontiaca munita in prælia pelta.

Eodem libro paulo post.

——gemmataque lumina peltæ.

Denique idem lib. 8.

——ubi mille per agmina virgo
Lunatis acies imitatur martia peltis.

Abbo de Obsid. Paris. Lutet. lib. 1.

Vah! multosque terunt Danos, plures quoque peltas,

Et lib. 2 Eiusdem operis.

——plumbi necnon onerosi
Poma dabant peltis gemitus, & grandia saxa.

De disciplina, armis, ordineque militum Turcicorum Modernorum Philip. Lonicerus Tom. 1. hist. Turc. Barthol. Georgeuiz Hierosolymitan. in Epitome de Moribus Turcar.

De diuersis Orientalium Populorum armis, excursum haud incuriosum videbunt viri docti in notis disertissimis V. CL. Georgij Stachani Scoti ad declamationes Græcas Polemonis Sophistæ quas ille Latio à se primum donatas breui in lucem dabit. Ad hæc enim secundæ declam. verba, οὐκ ἀκινάκην μηδικόν, οὐ κοπίδα περσικήν, οὐκ αἰχμὴν βαβυλωνίαν, οὐ πέλεκυν φοινίκιον & Non acinace Medico, non ense, Persico, Non hasta Babylonica, non denique Securi Phœnicia à Callimachum periisse. vide locum ipsum. Admonet Strachanus cur Medis acinacem, Persis Κοπίδα, Babyloniis αἰχμὴν, Phœnissis πέλεκυν Solertissimus Rhetor attribuat, interque alia haut spernenda clarissimum inter Κοπίδα & πέλεκυν discrimen adsignat.

Interim de ritu eleuandi Imperatoris in clypeo præter ea quæ paulo superius attuli pag. 800. locus est insignis Guilielmi Apuliensis, vetusti scriptoris, qui rebus Guiscardi Calabriæ ducis interfuit, ante annos sexcentos, cuius poema e situ eruit Iohannes Tiremæus Hautonæus, in quo ego centunculo aliquas radiantis purpuræ reperio lacinias, res egregias, licet verba nonnunquam obsoleta, aut dura, & ut illa ferebant tempora, barbara. Is itaque lib. 1. Rerum in Italia ac Regno Neapolitano Normanicarum.

Illi respondent, nostrum te principe nullus
Pauper erit, vel egens, duce te fortuna fauebit,
Consiliique vias, duce quas genitore solebat
Pandere, tu nobis effecto principe pandes.
Hoc ubi dixerunt, sublimant protinus illum
Omnes unanimes, communi fit prece Princeps.

De Zanchis seu calceis Imperialibus, ad ea quæ de Campagis supra hoc opere exposui lib. 5. cap. 36. pag. 456. addendus eiusdem Apuliensis versus lib. 1. pag. 10.

——assumitur Imperialis
Purpura, pes dexter decoratur pelle rubenti,
Qua solet Imperij qui curam suscipit, uti.

Ad Caput. XII.

PARALIPOMENA.

Castra à castitate appellata, uxores aut scorta circumducere militibus non permissum, uxores militum meretrices fuisse multis ducum exemplis ostensum, castrametatio.

Quod in castris acerrima castitatis esse deberet cura, nomen inditum voluit Isi-

dor. Hispalens. lib.9. Etymolog. cap.3. *dicta castra, quasi casta, quod illic castraretur libido, nam nunquam iis intererat mulier.* sic perpetuò scriptores castitatem militarem & castrensem notant, tanquam firmissimum disciplinæ & fortitudinis vinculum. M. Fab. Quintilian. Milite Mariano *meretrices ab exercitu submouentur, intrare castra nostra feminis non licet.* Seruius Honoratus Maurus ad versic.519. lib.3. Æneid. eadem nulla litera immutata habet, quæ ex Isidoro paulò antea adduximus, sed tutum est illi e Seruio transcribere. Idem Seruius ad vers.687. lib.8. Æneid. *nefas non in eo tantùm quòd Ægyptiam Romanus duxerat, sed etiam quòd mulier castra sequebatur, quod in ingenti turpitudine apud maiores fuit, vnde bellaturus Pompeius in Lesbo reliquit vxorem.* Amantissimus est iste Grammaticus omnis eruditionis, ac præsertim historicæ cognitionis, quam maiorem in eo quàm in omnibus aliis reperias: nam de Cornelia Pompeij vxore, præter historicos, loquitur Lucanus incipiente bello ciuili eo depositam, rursusque finito inde abductam, comitemque mariti fugæ accessisse deprehendere est lib.8. Pharsal. v.40.

Conscia curarum, secreta in litora Lesbi
Flectere vela iubes, qua tum tellure latebat
Mæstior, in mediis, quam si Cornelia campis
Æmathiæ stares.

Annotatum præterea ab historicis est, Anno vrbis conditæ 619. vt voluit Stephanus Pighius Campensis, vel 620. vt contendit I. Gamers. sed paruus est discessus, P. Scipionem Æmilianum duo scortorum millia, quæ castra sequebantur, eiecisse, atque ita disciplinæ castrensi, si non iam lapsæ, at certe labenti prospexisse, quod longa scriptorum series confirmat. Valer. Maxim. libr.2. capit.2. titul.1. *eodem temporis momento, quo castra intrauit, edixit, vt omnia ex iis, quæ voluptatis causa comparata erant, auferrentur, ac summouerentur, nam constat tum inde maximum institorum & lixarum numerum, cum duobus millibus scortorum abisse. Hac turpi atque erubescenda sentina vacuefactus exercitus noster, qui paulo ante metu mortis, deformi se fœderis ictu maculauerat, erecta virtute, recreataque, acrem illam & animosam Numantiam incendiis exustam ruinisque prostratam solo æquauit.* L. Florus libro 2. hist. Rom. cap.18. *ad hæc scorta, calones, sarcinæ, nisi ad vsum necessarium amputabantur.* Negligentius Iulius Frontinus libr. 4. Stratag. cap.1. *P. Scipio ad Numantiam corruptum superiorum ducum socordia exercitum correxit, dimisso ingenti lixarum numero, redactis ad munus quotidiana exercitatione militibus.* pari oscitantia Fl. Eutropius lib. 4. cap. 7. *militem vitiosum & ignauum exercendo magis quam puniendo sine vlla acerbitate correxit.* Neque diligentius Paul. Oros. lib.5. 7. *aliquamdiu militem suum in castris velut in scholis exercuit.* quæ exercitatio, correctioque militaris referenda est, non modò ad præscripta in castris officia, quæ quotidie miles obire debebat, sed & ad castitatem, quæ etiam lege militantibus imperata. Belisarius Aquiuiuus Aragonius Neritinorum dux li. de Educat. Princip. *blande, & delitiose fœminarum luxu, multum fortitudinis viris auferri solet.* pag.5. Suidas in Seuero pag.843. Edit. Volfianæ, cuius legis capita reperies apud Dionem Cocceianum libro 60. certè *maritorum ius Claudius indulsit militibus, vt quoniam ex legibus vxores habere iis non licebat, saltem hoc orbitatis suæ solatium consequerentur*, quod postea tamen Seuerus Imperator lata lege soluit, & penitus sustulit, vt narrat Herodianus lib.3. Celebre illud quod refertur à Tito Liuio 5. Decad. libro 3. *quatuor millia hominum nati in Hispaniis ex militibus Romanis, & mulieribus Hispanis cum quibus nullum connubii ius, oppidum à senatu petierunt.* Q. Flor. Tertullian. in Exhortat. ad Castit. *perseruant familiæ spadonum, cælibum, militum, peregrinantium sine vxoribus.* C. Tacit. lib.14. Annal. *milites sine vxore, neque coniugiis suscipiendis, neque liberis alendis sueti, orbas sine posteris domos relinquebant.* videatur egregius Lipsius ad eum locum. C. Cæsar. libro 3. bello ciuil. cap.21. *millia viginti in armis habebat, hæc constabant ex Gabinianis militibus, qui iam in consuetudinem Alexandrinæ vitæ atque licentiæ venerant, & nomen disciplinamque populi Romani dedidicerant, vxoresque duxerant, ex quibus plerique liberos habebant.* Ita sumendi poëtæ. Sext. Propert. lib. 4. Eleg.3.

Romanis vtinam patuissent castra puellis,
Essem militiæ sarcina fida tuæ.

Stat. lib.5. Sil.1. v.120.

——tecum gelidas comes illa per Arctos,
Sarmaticasque hiemes, Istrumque, & pallida Rheni
Frigora, tecum omnes animo durata per æstus,
Et si castra darent, vellet gestare pharetram,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta,
Dum te puluerea bellorum in nube videret
Cæsarei prope fulmen equi, diuinaque tela
Vibrantem, & magnæ sparsum sudoribus hastæ.

P. Ouid. lib.2. Amor. eleg.14.

Quid iuuat immunes belli cessare puellas,
Nec fera peltatas agmina velle sequi?

Alb. Tibull. lib. eleg.7.

Quod

Quod si militibus pareas, eris hic quoque miles
Ipse, leuem galea qui sibi portet aquam.
Castra peto, valeatque Venus, valeantque puellæ,
Et mihi sunt vires, & mihi grata tuba est.

Primus versus ritum militarem designat, qui notissimus. L. Sen. lib. 5. de Benefic. capite 24. *siti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galea sua attulisset. Potes ergo inquit, Imperator, agnoscere aut illum hominem, aut illam galeam?* probabili coniectura censerem rescribendum, *quia pedibus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam.* Q. Curt. libro 5. *siti maceratus accessit, ac dum galea haustam aquam sorbet, tela conspexit.* C. Iul. Front. libro 1. Stratagemat. capite 7. *non alienus, vt arbitror, hic locus est, referendi factum Alexandri illud nobile, qui per deserta Africæ itinera grauissima siti, cum exercitu affectus, oblatam sibi à milite in galea aquam spectantibus vniuersis effudit.* Luctat. Placid. ad vers. 663. libro 3. Thebaidos Papinianæ, *poculum militis galea est.* Ipse Statius.

Hostilem Ismenon galeis Dircenque bibemus.

Pedo Albinouanus, seu Incertus author Elegiæ de Obitu Mæcænatis in principio.

Bacche coloratos postquam deuicimus Indos,
Potasti galea dulce iuuante merum.

M. Lucan. libro 9. Pharsaliæ.

———undam galeæ conuexam infudit in orbem.

Et eodem libro post, citante Luctatio Grammatico.

———tum concitus ira
Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.

Sext. Propert. lib. 3. eleg. 11.

Potabis galea fessus Araxis aquam.

Claudian. lib. de bello Getico versus finem.

———galeisque Padum victricibus hausi.

Et de 3. Honorii Consulatu.

In galea potare niues.

Sed à diuerticulo in viam. *adulterij reus inter milites recipi non poterat,* vt definit Menander IC. l. 3. ff. de Re milit. *cautumque à Seuero Cæcina, ne quem magistratum, cui obuenerat prouincia, uxor comitaretur.* vt verba C. Taciti vsurpem libro 3. Annal. quod diu antea ab Augusto factum docent verba Suetonij in eo capite 24. *in re militari & commutauit multa, & instituit, atque etiam ad antiquum morem nonnulla reuocauit, disciplinam seuerissime correxit, ne legatorum quidem cuiquam, nisi grauate, hibernisque demum mensibus permisit vxorem inuisere.* quo sensu capienda sunt ea L. Senecæ libro nono Controuers. 2. *hic est Flaminius, qui exiturus in prouinciam, vxorem à porta dimisit, & in hoc secum vxorem non mittimus, vt salua prouincia sit, optemus meretrici bonam mentem.* prouinciarum itaque præsidum, & exercituum Imperatorum eadem plane erat ratio, neutri enim vxorem comitem habere licebat, licet dispar esset causa, nam duces vxorum comitatu segniores reddi, minusque ad occasionem intenti censebantur; præsides, auari, prouincialiumque expilatores, est quippe fæmina in auaritiam sexus ipsius ingenio propensa, de primo D. Iuuenal. Satyr. 8. vers. 130.

———si nullum in coniuge crimen,
Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno.

De posteriori Claudiani elegans est locus lib. 1. de laudibus Stilich.

Assiduus castris aderat, rarissimus vrbi,
Si quando trepida princeps pietate vocaret,
Vixque salutatis laribus, vix coniuge visa,
Deterso necdum repetebat sanguine campum.
Nec fletis Eucherij dum carpet oscula saltem
Per galeam patris stimulos, ignesque mariti
Vincit cura ducis.

Inde militum vxores libidinosæ. Seruius Honoratus ad lib. 8. AEneid. & ad lib. 11. eiusdem operis: & iam obseruatum est ab omniscio Tiraquello, ex Lycophrone, & Homero lib. 5. Iliad. quod si exempla conquirenda, & in medium proferenda essent, nimis longum foret, neque enim vllus in veteribus ducibus ciuis vxor non male hoc nomine audierit, apponam tamen celebriorum nomina. M. Antoninus cum ex itinere Hispaniensi Narbone Romam redisset, *inuolutoque capite* fores tuas pulsasset, vrbem *terrore nocturno* impleuit, idcirco in concionem citatus à Tribuno plebis, dixit se *rei suæ causa venisse, populum dicacem in se reddidit.* quod eo referri debet, vt Fuluiæ vxoris impudicitia taxetur, M. Tull. 2. Philip. de *Pompeia* Cæsaris vxore. C. Sueton. in eo capite 6. de *Musia* Cn. Pompeij. idem in Iulio capite 50. Ascon. Pædian. in Argum. Orat. pro M. Scauro. Plutar. in Pompeio. de *Metella* Syllæ, Plutar. in eo. Cic. libro primo Epist. 92. de *Clodia* & *Seruilia* Luculli, Plu. in eodem & in Catone, & de omnibus quatuor nominatis D. Hieronym. libro primo in Iouinianum capite 39. de *Clodia* Metelli.

Tull. Orat. pro Cœlio, quæ & *quadrantaria* appellata, ob rationem quam narrante Plutarcho in Cicerone audies, de *Iulia* Septimij Seueri Aug. Æ. Spartian. in vita eius. vide Diocletiani & Maximiani rescriptum l. 19. C. ad l. Iul. de adult. Sext. Propert. lib. 3 eleg. 11. Posthumum alloquitur, relicta Galba vxore militantem.

Ter quater incasta felix ô Posthume Galla,
Moribus his alia coniuge dignus erat.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Cum sit luxuriæ Roma magistra suæ?

P. Ouid. lib. 2. de arte.

Sed mora tuta breuis, lentescunt tempore curæ,
Vanescitque absens, & nouus intrat amor.
Dum Menelaus abest, Helene ne sola iaceret,
Hospitis est tepido nocte recepta sinu.
Quis stupor hic Menelae fuit? tu solus abibas,
Iisdem sub tectis hospes & vxor erant.

Paucis deinde interiectis ibidem loci sequitur:

Cogis adulterium dando tempúsque locúmque.
Quid nisi consilio est vsa puella tuo?
Quid faciat? vir abest, & adest non rusticus hospes,
Et timet in vacuo sola cubare thoro.
Viderit Atrides, Helenen ego crimine soluo,
Vsa est humani commoditate viri.

Præter lubricum illius sexus, causam etiam è naturæ fontibus haustam assignant, quod *cum consuetudo concinnet amorem*, vt ait Lucret. ad fin. lib. 4. ita desuetudine minuitur, & absentia quasi soluitur, vt discussum reperies apud Aristotelem lib. 8. Ethic. ad Nicomach. cap. 6. vnde versus ille incerti authoris.

πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν
Neglectum alloquium multos disiunxit amicos.

Versus iambicus fieri poterit commodissime, si legatur hoc pacto, vt monet Desid. Erasmus Chiliad. 2. Cent. 1. Adag. 26.

πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία λύει
Multas amicitias silentium diremit.

Notissimum est fæminas Scythicas eo libidinis processisse, vt maritis suis longo periculóq; implicatis bello, seruis denupserint, reuersósque tandem maritos victores opposita seruorum manu non contemnenda arcere & prohibere regressu tentauerint. quod copiosissimè describit Herodotus lib. 4. obiter Athenæus libro 5 Dipnosophist. & poëtæ. M. Varro in Gerontodidascalo, referente Nonio cap. 2. Num. 133.

——Vtrum oculi mihi caecutiunt.
An ego vidi seruos in armis contra dominos?

Valer. Flac. Balbus lib. 6. Argonauticon, non multum à principio.

Degeneresque ruunt Sindi, glomerantque paterno
Crimine, nunc etiam metuentes verbera turmas.

Claudian. lib. 1. in Eutropium in fine.

Conscia sue tument audito verbere terga,
Vt Scytha post longo rediens exercitus annos,
Cum sibi seruilis pro finibus obuia pubes
Iret & arceret dominos tellure reuersos,
Armatam ostensis aciem fudere flagellis,
Notus ab inceptis ignobile repulit horror
Vulgus, & obductus sub verbere torpuit ensis.

Idem lib. de bello Get.

Ac veluti famuli, mendax quos mortis herilis
Nuntius, in luxum falso rumore resoluit
Dum marent epulis, atque inter vina, chorosque
Persultat vacuis effrana licentia tectis,
Si reducem dominum sors improuisa reduxit,
Hærent attoniti, libertatemque perosus
Conscia seruilis præcordia concutit horror.

Altera causa in leuitate fœminarum collocari potest Maximiani rescripto l. 20. C. de inoff. test. *momentaria matris voluntas.* in Iure Canonico, *sexus fragilis & inconstans* C. de viduis 27. q. 1. Fr. Accurs. in l. 1. C. de confirm. tut. *mutabile est mulierum consilium.* Bald. in l. vlt. C. de suis & legit. *quod mulier ter mutetur in hora, lubricique sit voti, repellitur à successione feudi.* vnde Festo Pompeio prouerbium, *nec fæminæ, nec gremio credi oportere.* Petronius multa in lepida illa de Ephesina matrona narratione. L. Apul. lib. 1. Milesiar. *genuina est fæminis leuitas.* D. Hieron. in Epist. ad Demetriadem, *quanto magis in fæminis quarum mutabilis fluctuansque sententia, si suo arbitrio relinquatur, cito ad deteriora delabitur.* L. Sen. libello de Remed. Fortuitor. si tamen ille author est, *nihil tam mobile, quam fæminarum voluntas, nihil tam vagum.* T. Liu. 1. Decad. lib. 6. *cæterum is risus stimulos paruis mobili rebus animo muliebri subdidit.* Et 4. Decad. libr. 4. *virorum hoc animos vulnerare posset, quod fæminarum censetis? quas etiam parua mouent.* Propert. libro 1. Eleg. 6. *vagis collata puellis.* P. Virg. lib. 4. Æneid. *varium & mutabile semper fæmina.* quod in iure pontificio vsurpatur C. *forus.* Extra de verborum signification. P. Ouid. libro secundo, Amor.

Verba

Verba puellarum folijs leuiora caducis.
Et lib.2 de Arte.
Parua leues capiunt animos.
Calphurnius Ecloga 3.
Mobilior ventis ô fœmina!
Alb.Tibull.lib.3.eleg 14.
Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen.
Ah! pereat, didicit fallere si qua virum.
Sed flecti poterit, mens est mutabilis illi.

Ad Castrametationem venio, quam scripto volumine Hegenus, vel verius Hyginus illustrauit. Pet. Pithæus libro 2. subsecuor. capite 14. appellauitque *Gromaticum*, male nonnulli *Cromaticum* legunt. Fest. libro 3. *groma appellatur genus machinulæ cuiusdam, quo regiones agri cognosci possint, quod genus Græci dicunt γνώμονα*, quod Festo est *Groma*, id Nonio capit. 1. Num. 316. *gruma* appellatur. gloss. vet. *grumas μετρεῖ ἐξέτου*, rursúsque *gruma γνώμων*. denique in eodem grammatico legitur, *gruma βιωτικὸν γνώμων*. sed tamen Festus adstipulatorem habet suæ sententiæ Aurelium Cassiodorum, apud quem *Gromatica & geometrica scientia* coniungitur, lib. 3. variar. C. Lucilius lib. 3. Satyr.

——viamque
Vis degrumari, in castris mensor facit olim.

Mensores isti locum idoneum eligebant, quem castra occuparent, qui pro diuersitate situque locorum varius erat, modo extensior latiorque, modo arctior compressiorque, quare sæpissime in Liuio, Polybio, diuersissima castrorum munitio, nam *interdum trigona interdum quadrata, interdum semirotunda*, inquit Vegetius libro 1. capit. 23. est & *oblonga* eidem dicta libro 3. capit. 8. hanc oualem fuisse, & à Galba excogitatum loquuntur non historici modo, sed & figura, quam reperies expressam à Gabriele Simeonio Florentino in Antiquis suis obseruationibus. Cultissima Claudian. de 4. Honorii Consulatu.

——ponenda salubri
Castra loco, præbenda vigil custodia vallo,
Disce vbi densari cuneos, vbi cornua flecti
Æquius, aut iterum tendi, quæ commoda vallis,
Quæ via difficilis.

Alb. Tibull. libr. 4. ad Messallam, & I. Passeratius ibidem.

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Quæ deceat tutam castris præducere fossam,
Qualiter aduersos hosti defigere ceruos,
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus vt dulces erumpat terra liquores,
Vt facilisque tuis aditus sit, & arduus hosti.

Hinc colligitur operosissimum munus fuisse castra communire, locoque idoneo disponere, summique semper imperatoris opus, vnde plerunque pendebat totius exercitus seu clades, seu salus, exempla non conquiro. Maxime autem requirebatur ne vel pabulatio, lignorumque copia, atque ante omnia aqua deesset: nam cum hieme tota in castris statiua haberentur, obsessi exercitus, siti in deditionem compellebantur, quod alibi supra hoc opere à me dictum memini, Claudi. de 4. Hon. consul.

——sitiens inclusáque vallo
Ereptas quæsiuit aquas, quas hostibus ante
Contiguas, alio Stilicho deflexerat arcu.

Ideo vt vel ipsis castris flumen includerent, vel in vicino haberent, summa cura prospiciebatur. Ioan. Asser Episcopus Styreburnensis in vita Ælfredi Britannorum Regis. *Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo octuagesimo sexto, sæpe memoratus paganorum Normanorum siue Danorum exercitus iterum in occidentalium Francorum regionem venit, naues suas dirigens in flumen quod Signe dicitur* (puto eo sæculo) *Sequana* sic appellatur, (vt & hodie *la Sene*) *rursus contra longe nauigans Parisiam ciuitatem adiit, & ibi hiemauit, & castrametatus est, intra partem fluminis prope ad portam, vt transitum pontis ciuibus prohiberet.* porta hæc est Parisiensis, vt nominis etiam reliquiæ ostendunt. Brito lib. 1. Philippidos,

Et iam Sequanico vrgebat littore cunctis
Vrbibus vrbs speciosa magis.

Seruius Honorat. ad vers. 274. libr. 2. Georgic. *metari* rectissimè interpretatur *eligere*. sic & Q. Horatius libro secundo Sat. 2. ad finem, *metatum pecori agellum* dixit, hoc est electum. Guilielm. Apuliensis Rer. in Italia ac regno Neapolitano Normanicarum lib 1.

Hac ratione loco metantur castra decenti,
Qui limphis, herbis, simul arboribúsque redundans,
Omne ministrabat, populo quod habere necesse est.

Quod si flumen in contiguo non esset, tunc excauabant terram, vt scaturirent fontes. Idem Apuliensis libro tertio, pagin. 28.

Mœnia castrorum fecit robusta parari,
Tuta quibus contra Siculos sua turba maneret,
Addidit & puteos, alimentaque commoda castris.

Ita passim poetæ. Stat. Papin. libr. 6. Thebaid. vers. 675.

——sed alternis Alpheon vtrunque solebat

Metari ripis.

Iterúmque cultissime lib. 5 silua 2. non multum à principio.

Illa quoque egregiis multum miratus in armis
Bolanum, atque illi curarum asperrima suetus
Credere, partirique metus, quod tempus amicum
Fraudibus, externo quenam bona tempora bello,
Quæ suspecta fides, aut quæ fuga vera ferocis
Armenij: Bolanus iter prænosse timendum,
Bolanus tutis iuga quærere commoda castris
Metari Bolanus agros, aperire malignas
Tot veprium numerúmque moras, tantúmque verendi
Mentem implere ducis.

D. Auson. Eidyllio 3. in Mosella, statim in ipso limine.

Prætereo arentem sitientibus vndique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas,
Arváque Sauromatum nuper metata colonis.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 274.

Contrahis, aggrederis, superas, includis, & vt te
Metato spatio castrorum Serdica vidit,
Obsidione premis.

M. Lucanus libro 1. Pharsaliæ v. 382. Lambert. Hortensius ibi.

Signa super Thusci si ponere Tibridis vndam,
Hesperias audax veniam metator in agros.

P. Virgil. loco paulo ante superius citato.

Vt sæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac late fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, necdum horrida miscent
Prælia, sed dubiis medius Mars errat in armis,
Omnia sunt paribus spatiis dimensa viarum.

Formam vero castrorum Romanorum variè discussit Iulius Barbaranus Offic. Promptu. Tom. 1. pagin. 51. quæ deberent hic dici de *Excubiis, vigiliisque* repetantur ex lib. 1. huius operis cap. 2. de *Machinis bellicis* est adeundus I. Lipsius in Poliorceticis, de *euocatione deorum in oppugnationibus vrbium* pleraque communia, & vide P. Gregorium Tolosatem libr. 17. Syntagmat. Iur. vniuer. cap. 5. *de sacrorum Translatione* dixi lib. 3. superius cap. vlt. de *Animaduersione in hostes, in milites delinquentes, castrensíque disciplina*, multa eruditissimus Petrus Faber Saniorianus libro 1. Semestrium. de *Coloniis deducendis, Municipiis*, eorumque *præfectis & decurionibus* Velleius Paterculus ad finem libro 1. Andr. Tiraq. ad Alexand. Neapolitanum libro 4. cap. 10. de *præmiis militaribus*. Iul. Bulengerus libello docto super ea re: de *Coronis* Carolus Paschasius legatus Regis Christianissimi ad Heluetios eleganter decem libris editis disseruit, quibus omnibus multa quæ adderem mihi ad manum, multa è scriniis eruenda, si aut typographus, aut suscepti muneris ratio pateretur, quæ vt spero alibi felicius, nunc ad alia pergo. Denique milites necessarios in Republica Iulius Barbaranus offic. Promptuar. Rer. Electar. Tom. 1. pag. 21.

Ad Capvt. XXIX. PARALIPOMENA.

De Triumpho, vocato Senatu, numero hostium occisorum, literis, fascibus, armis laureatis, causa triumphali, ornamenta Triumphantium, corona aurea, laurea in sinum Iouis deposita, currus eburneus, equi albi, pueri comites, toga picta, palmata tunica, sceptrum, pompa, qua deuictarum regionum pictura prælata, ære, argento, ligno, auro, & quæcunque in illis rara, Manducus, Petreia, duces hostium catenati, catenæ è ferro, è pilis, ex argento, ex auro, tonsi, parectasis de Tonsoribus. Necati in carcere hostium duces, de carceribus quædam, sacrificium Triumphale, & epulum.

TRiumphus, siue vt in Nummis *Triumpus*, vt notat Angelus Politianus Miscellaneor. capite 19. & in Adolphi Occonis Numismatis apparet frequentissime, summus erat honor, & penè diuinitati conferendus, (quanquam nihil aliud quam laudem ambirent victores, vt ostendit Guilielmus Bellendenus vir summæ eruditionis, limatissimique iudicii, Magister libellorum supplicium Iacobi Augusti Britanniarum Monarchæ, *in Principe Ciceronis & Senatore* capite 19.) quo magis mirum tam fuisse frequentem, siquidem ab vrbe condita, vsque ad Vespasiani & Titi Augg. de superatis Iudæis victoriam, *vigesies & trecensies triumphatum*. quod inter Neotericos obseruant Alexander Neapolitanus libro sexto Genial. dier. capite 6. inter veteres scriptores Paul. Oros. libro septimo capite 9. *Vespasianus & Titus Imperatores magnificum agentes de Iudæis triumphum, vrbem ingressi sunt, pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui à conditione vrbis, vsque ad id tempus acti erant, hoc*

Hoc spectaculum fuit. Eademque verba penitus repetit Paulus Diaconus in Additamentis Historiæ Eutropianæ lib.9. pagin. 245. quod autem superius ex Politiano allatum est, in numismatis sine aspiratione *Triumpum* scribi solere, addere & per f. interdum exaratum. id e vetusto lapide confirmari potest, in ædibus Capranicorum.

FL. EVGENIO. V.C.EX. PRAEFECTO PRAETORIO CONSVLI ORDINARIO DESIGNATO. MAGISTRO. OFFICIORVM. OMNIVM. COMITI. DOMESTICO. ORDINIS. PRIMI. OMNIBVSQVE. PALATINIS. DIGNITATIBVS. FVNCTO. OB. EGREGIA. EIVS. IN. REMPVBLICAM. MERITA. HVIC. DD. NN. CONSTANTINVS. VICTOR. AC. TRIVMFATOR. SEMPER. AVGVSTVS. ET. IVLIANVS. NOBILISSIMVS. CAESAR. STATVAM. SVB. AVRO. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. QVAM. ANTE. SVB. DIVO. CONSTANTE. VITAE. ET. FIDELISSIMAE. DEVOTIONIS. GRATIA. MERVIT. APPROBANTE. AMPLISSIMO. SENATV. SVMPTV. PVBLICO. LOCO. SVO RESTITVENDAM. CENSVERVNT.

Vulgarem tamen receptamque vtriusque linguæ consuetudinem confirmant quædam aliorum lapidum fragmenta, vide supra libro 5. capit. 36. pag. 457. adde aliud, cuius hæc sunt verba.

L. CAECILIVS. F. L.

METELLVS.

PONTIFEX. MAX. CONS. II. DICTATOR. MAG. EQ. XV. VIR. AGRIS. DANDIS. QVI. PRIMVS. ELEPHANTOS. PRIMO. PVNICO. BELLO. DVXIT. IN. TRIVMPHO. PRIMARIVS. BELLATOR. OPTIMVS. ORATOR. FORTISSIMVS. IMPERATOR AVSPICIO. SVO. MAXIMAS. RES. GESSIT. MAXIMO. VSVS. HONORE. SVMMA. SAPIENTIA. MAXIMVS. SENATOR. PARTAM. EX. AEQVO. PECVNIAM. MAGNAM. SINGVLIS. LIBERIS. RELIQVIT. CLARISSIMVS. IN. CIVITATE. FVIT. TRIBVTVM. EI. VT. QVOTIES. IN. SENATVM. IRET. CVRRV. VEHERETVR. AD. CVRIAM. QVOD. A. CONDITO. AEVO. NVLLI. ALII. CONTIGIT.

Visitur & alter Romæ lapis, in monte Quirinali.

P. DECIVS. DECII. F. PRIMO. COS. DE. SAMNITIBVS. TRIVMPHANS. SPOLIA. EX. EIS. CERERI. CONSECRAVIT. ITERVM. ET. TERTIO. CONSVL.

Licet non sim ignarus, nullam Antiquitatis partem plures sortitam scriptores, & nouissime Iulius Bulengerus, erudite quicquid dici in vniuersum possit, in vnum corpus congessit, tamen obiter quædam mihi hoc loco sunt dicenda. Isidor. Hispalensis libro 18. Etymologiar. cap.2. *Trophæum dictum* ἀπὸ τῆς τροπῆς, *id est conuersione hostis & fuga, nam ab eo quod hostem quis fugasset, merebatur trophæum, quod occidisset, triumphum, qui dictus est* ἀπὸ τοῦ θριαμβεύειν, *id est ab exultatione, plenæ cum victoriæ triumphus debetur, semiplenæ trophæum, quia nondum plenam est consecutus victoriam, non enim obtinuit, sed fugauit exercitum: Tranquillus autem triumphum Latine potius appellatum dicit, quod is qui triumphans vrbem ingrederetur, tripartito iudicio honoraretur, nam primum de triumpho duci concedendo exercitum iudicare solitum erat, secundo senatum, tertio populum*, quæ quidem Tranquilli verba hodie penitus perierunt, argumento liquido non omnia luculenti authoris scripta ad nos integra deuenisse, obiter aliqua huc spectantia reperies in M. Tullio Orat. in Anton. Philip.14. in limine, *is demum est, mea quidem sententia, iustus Triumphus ac verus, cùm bene de Republica meritis testimonium à consensu ciuitatis datur, nam siue in communi gaudio populi Romani vni gratulabantur, magnum iudicium, siue gratias agebant, eo maius, siue vtrumque nihil magnificentius excogitari potest* ἀπὸ τῶν θηρῶν *à feris*, deducit Hesychius, & post eum Suidas, quas Bacchum volunt iunxisse, vt triumpharet. Atque is quidem honor cùm maximus esset, qui à mortali optari posset, miror quosdam oblatum sibi, reiecisse, Valer. Maxim. libro secundo cap.3. titul.2. CN. Fuluius Flaccus *tam expetendum aliis honorem triumphi, decretum sibi à senatu ob res bene gestas spreuit ac repudiauit.* M.Fabius, *amisso in bello fratre, triumphare noluit*, vt narrat Paulus Orosius libro 2. capite 7. Tit.Liuio. Decad. lib.2. Diony. Halicarnass. libro nono pagin. 570. Tiberius *mœsta ciuitate clade Variana.* C.Sueton. cap.17. C. Marius, *etiam victis Teutonibus triumphare recusauit, quod ingruerent Cimbri*, L.Florus Epitomastes ad lib. 68. & Plutarch. in Mario. Cumque Romani tantum, aut certe vt minimum, Itali triumphandi ius haberet, *M. Perpenna, homo Græcus de Aristonico duxit triumphales currus*, vt est relatum ab eodem Paulo Orosio lib.5. cap.10. Iustino historico lib.36.

in fine, Valerio Maximo libro 3. cap.4. Eutropio libro 4.capit.3. *Cornelius Balbus Gaditanus de Garamantibus solus inter exteros triumphauit*, vt verbis vtar Iulij Solini Polyhist. cap.42. C.Plinij lib.5. cap.5. & rursus lib.7. cap.43. Illud pene supra fidem, *Ventidium Bassum, Picentem genere, & loco humili triumphante Pompeio Strabone ante currus in sinu matris captiuæ actum, sordide victum quæsisse, inuenisséque comparandis mulis & vehiculis, sic cum Cæsare in Gallias profectum, & post consulatum & post pontificatum ad ptus, de Parthis triumphauit.* Sueton.apud. A.Gellium libro 15.capit.4. Dionem Cocceianum consule libro 48. pag.362. & eodem libro pagin.381. & libro 49.pagin.405. Plutarch. in Antonio. vet. Scholiast. Iuuenalis ad Sat. 7. versicul. 199. *Ventidius ex munitione Cæsaris Dictatoris fuit, vt Tullius in Epistolis* (id familiares libro 11. Epist.10.) *& in Philippicis loquitur, opitulante Antonio Augusto, vsque eo prouectus est, vt ei crederetur Parthicum bellum.* corrige locum & rescribe, *ex mulione Cæsaris*, ex verbis Gellij nupertime allatis clarissimum: deinde, *opitulante Antonio, & Augusto*, neq; enim vnquam Antonius Augusti cognomentum sumpsit, licet Imperatoris sæpe affectasset. vnde vox illa psitraci salutatrix lib.2.Saturnal.capit.4. apud Macrobium, *haue, victor, Imperator, Antoni.* Ita poëta Incertus.

Concurrite omnes augures, aruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat, consul factus est.

D.Iuuenal. loco iam laudato.

Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quam
Sidus & occulti miranda potentia fati?
Seruis regna dabant, captiuis fata triumphum.

Cornel. Gallus in Elegiarum reliquiis nuper editis.

Pingit & Euphratis currentes mollius vndas,
Victricésque aquilas sub duce Ventidio.

Sed quis Romæ primum egerit triumphum, incertum. sunt qui ad *Tarquinium Priscum* referant, inter quos Fl. Eutropius 1. L.Florus libro 1.hist.Rom.capit.5.alij probabilius eundem vrbis parentem, & triumphi inuentorem Romulum faciunt, Dionys. Halicarnass. lib.2. pag.102. τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο, ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἁλουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας, καὶ ἵνα τὸ βασιλικὸν ἀξίωμα σώζῃ, τεθρίππῳ παρεμβεβηκώς. *ipse pompam* (triumphi de Cæcinatibus & Antennatibus) *vltimus claudebat*, indutus purpura, *& coronatus laurea, atque vt regiam maiestatem tueretur, quadrigis inuectus.* vide reliqua quæ sequuntur, nam totam solemnitatem, qualem legimus florente republica, exinde persequitur. adstipulatur Sextus Propertius lib.4.Eleg.1.

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Non me latet alios duces diu ante Romanos triumphasse, exemplo sunt Cyrus referente Cedreno pag.114. & multa à Persis translata Romam. Ptolemæus Philadelphus, Athen. lib.3. Xerxes, Herodot.lib.7. Carthaginenses, Polyb. lib 3. nec ad fabulas reuoluor, quæ Bacchum primum omnium, triumphum de Indis superatis duxisse volunt vt ex Plinio lib. 8. cap.56. Diodoro Siculo lib.4. pagin. 147. Nonno pag. 143. docuit Bulengerus Commentar. de Triumpho cap.5. Ouid.lib.1. Amor.eleg.2.

Domita Bacchus Gangetide terra.

Stat.lib.4.Thebaid.v.386.

Aut tumidum Gangem, aut claustra nouissima rubræ
Tethyos, Eoasque domos flagrante triumpho
Perfurit.

Martial.lib.8.Epigr.28.Virgil.libr. 6. Æneid. v.806.Sil.Ital.lib.17.

Qualis odoratis descendens Liber ab Indis
Egit pampineos frenata tigride currus.

Conuocato in ædem aliquam Senatu, literæ ab Imperatore, & victore exercitu missæ legebantur, de Templo Sueton.in Augusto capit.26. *ædem Marti bello Philippensi pro vltione paterna suscepto vouerat, sanxit ergo vt de bellis triumphisque hic consuleretur senatus.* Martis huius Vltoris præter Ouidium, Plinium, Dionem, & nummos memoratos à Leuino Torrentio, meminere Riccobaldus Ferrariensis Opusculo de dignitate Italiæ præ aliis regionibus, Beneuenutius de Rambaldis in libro Augustali, & aliorum Imperatorum in nummis idem spectatur, vt in *Caracallæ Antonini* MARTI. VLTORI. *Mars Gradiuus.* Adolphus Occo Imperator. Romanor. Numismat. pagin. 368. & in *L. Septimij Getæ*, MARTI. VLTORI. *Mars Gradiens cum tropæo.* Idem pagin.390. Et in *M. Aurelii Seueri Alexandri.* MARS. VLTOR *Mars Gradiuus, dextra hastam, sinistra scutum* tenens, idem pag. 417. in *Claudii* Gothici, MARS. VLTOR. *Mars Gradiuus, dextra hastam, sinistra spolia super humeros.* Idem pag.491. In hoc ritu semper obseruatum, vt extra vrbem haberetur senatus, ne milites vrbem armati ingrederentur. L. Seneca libr.5.de Benef.capit.14. in fin. *qui ne triumphaturi quidem intra vrbem iniussu senatus deberetis, quibusque exercitum victorem reducentibus curia extra muros prabetetur.* certe in campis

pio Flaminis, aut *in campo Martio*, vt in Triumpho L. Valerij & M. Horatij liquet ex T. Liuio videre libro 3. Decad. 1. eò referri potest acris illa in senatu contentio apud Silium Italicum libro 11. Punicor.

Concordi fremitu tenuitatum effunditur asper
Toto è concilio clamor, tum quisque fatigat
Increpitans, vocémque tremis certamine templum.

Et paucis deinde interiectis.

Romuleis durasti, ait, succedere muris?
Ad quos non ausi Carthago, atque Hannibal arma
Post Cannas afferre suas?

In senatu hic recitabantur literæ, rerum feliciter gestarum indices, nam *quinque hostium millia* oportebat *cecidisse*, Valer. Max. libro 2. capit. 8. aut *sex millia*, A. Gell. libro 5. capite 6. hoc est quod *literis nunciare fortunam belli* dixit L. Florus libro 2. cap. 12. vide Paulo infra, illæque lauru obuoluebantur. C. Plin. libro 15. capit. vltim. *laurus præcipuæ victoriæ, lætitiæque nuntia, additur literis.* Iul. Capitolin. in Maximino, *statim Romam laureatas literas misit, quæ ingentem in vrbe lætitiam fecerunt.* idemque in Gordianis repetit. earum figuram expressit in ænea tabula Volfgangus Lazius, præfixitque Commentariis suis Reip. Rom. Pliniusque rursus significantissime libro 35. capit. 10. *laureatis fascibus remittitur ido, unde cretatis pedibus aduenissent.* M. Tullius sæpissime, libro primo de Diuinat. vbi de C. Mario, libro octauo Ad Atticum Epist. 9. *age iam hos compedes, fasces, inquam, hos laureatos, hæc ex Italia ferre, quam molestum est.* Idem Philip. 1. *vehebatur in essedo Tribunus plebis, lictores laureati anteced. bant.* C. Tacit. libro 13. Annal. *Nero ob res à Quadrato & Corbulone prospere gestas, laurum fascibus Imperatoriis addi iusserat.* & libro 3. Historiar. *ipse lauream prosperè rei gestæ ad fratrem misit.* Xiphilin. pagin. 169. C. Iul. Cæsar. libro 3. de bello ciuili, *sed neque literis quas scribere solitus est, neque fascibus Imperatoriis insignia lauri prætulit.* Copiose narrat ritum solemnem Plutarchus in Luculli vita. Cassiodor. libro nono Epist. 23. *vt inuentus quoque quæ fulget meritis, trabea resplendeat triumphali, hunc honorem Deciorum familia non miratur, quia eorum plena sunt atria fascibus laureatis.* est & hoc sensu accipiendus Herodianus, cuius libro 7. hæc verba sunt Politiano interprete. *sequebatur ipsum principalis pompa omnis, milit sque quicunque aderant, iunioréfque vrbani, procera statura ad eorum similitudinem, qui Romæ Imperatorem comitantur, virgæ etiam laureatæ, quo insigni principes à priuatis dignoscuntur.* statuæ quinetiam victoribus decretæ, cingebantur lauru. Cic. Orat. pro Muræna. *qui imaginem parentis sui laureatam nec sua gratulatione respexit.* C. Tacit. libro 4. Annal. *iamque tres laureatæ in vrbe statuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* & libro 1. hist. *populus cum lauru, & floribus Galbæ imagines circum templa tulit.* ad fasces reuertor, C. Iul. Obsequens lib. de Prodig. cap. 122. *cum in agro Pistoriensi Catilinam deuicisset, laureatos fasces in prouinciam tulit.* T. Liu. 1. Decad. libro 5. *literæ à Posthumio laureatæ sequuntur victoriam populi Romani.* Idem 5. Decad. libro 5. in limine, de Licinio consule. *tabellarius, qui se venire ex Macedonia diceret, laureatas literas attulisse dicitur.* illæ ipsæ *tabulæ laureatæ* vocantur ab Ælio Lampridio in Alexandro, sic enim ille. *actæ sunt res feliciter in Mauritania Tingitana, per Furium Celsum, atque ex omnibus locis ei laureatæ tabellæ sunt delatæ.* Ammian. Marcel. libr. 6. ad finem. *Et si eo agente tunc in Italia, dux quidam egisset fortiter contra Persas, nulla eius mentione per textum longissimum facta, laureatas literas ad prouinciarum signa mittebat, se inter primores versatum cum odiosa sui iactatione significans. nuntii à Ponto venientes iaculorum cuspides lauru teblas habebant, de nece Mithridatis certa referentes.* vt penè Plutarch. in Pompeio. sic itaque & literæ, & arma lauru decorabantur, in rei lætioris successu, adde & *nauis laureatæ* mentionem fieri à Plutarcho eodem in Lucullo, sic loco laudato C. Plinius significantissime, additur laurus *literis & militum lanceis, pilisque fascésque imperatorum decorat.* Ioann. Budæus libro 1. Miscellan. capit. 33. Alex. ab Alexandro lib. I. capit. 27. & omniscius Tiraquell. ibid. quædam, more suo, Ant. Delrio ad L. Sen. transcripsit, atque ita intelligendi poetæ. M Martial. lib. 7. Epigr. 5.

Sed iam lætitiæ quo sit fiducia maior
Sarmaticæ laurus nuntius ipse veni.

Lib. 19. Epigr. 10.

Cum tu laurigeris annum qui fascibus intras,
Mane salutator limina mille teras.

Stat. lib. 5. sil. 1.

Omnia iam lætas pila attollentia frondes.

Lucanus seu Ouidius, seu, quod magis puto incertus author poëmatis ad Pisonem.

Laurea facundis cesserunt arma togatis.

L. Sen. Agamemnone Act. 2. in fine.

Namque hasta summo lauream ferre gerit.

A. Persius Satyra 6.

——missa est à Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis.

Lib. 1. Amor. Eleg. 11. in fine.

Non ego victrices lauris redimire tabellas,

Nec Veneris media ponere in æde morer
Subscribam: Veneri fidas has Naso tabellas
Dedicas.

Sidon. Apoll. Carm. 2.

Atque suis ad signa iubet reuirescere laurus.

Martial. lib. 7. Epigr. 5.

Publica victrices testantur gaudia chartæ
Martia laurigera cuspide tela virent.

Claudianus variis in locis, aliqua adscribam. lib. de bel. Gildonico in principio.

Congressum, profugam, captum, vox nuntia vna,
Rumorémque sui præuenit laurea belli.

De 4. Honorarij Consulatu in limine.

Nec te laurigeras pudeat, Gradiue, secures
Pacata gestare manu.

De 6. eiusdem consulatu in fine.

Et Sextus Getica præuelans fronde secures,
Colla triumphanti procul et Honorius Istri.

Aduersa pennis Epistolæ additis, sicut prospera laureis ramis significabantur, & nuntiabantur. vet. Schol. Iuuen. ad vers. 149. Sat. 4. *antea si quid nuntiabant consules, in vrbe, per epistulas nuntiabant si victoriæ nuntiabantur, laurus in epistola......fiebatur,* (legi malim *figebatur*) *si autem aliquid aduersi penna figebatur*. idem mendum eadem opera tollendum. Cælius Rhodiginus *ad celeritatem* refert libro 11. cap. 20. nam altius & citius in animum descendunt aduersa, quam felicia, acriusque ac vehementius torquent. ad illum ritum ipse Iuuenalis allusit loco iam proxime laudato.

Tanquam de Cattis aliquid, toruisque Sicambris
Dicturus, tanquam diuersis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna.

D. Fortunatus Pictonum Episcopus Elegia de morte Gelesuintæ Reginæ.

Mœroris que grauis tam cito penna venit.

Statius Papinius loco proxime superius à me indicato.

Multáque fumosa signatur lancea penna.

Vsus harum epistolarum inde præsertim defluxit quod Imperator victor ante decretum Senatus, vrbem ingredi non posset. M. Cic. lib. 8. Epist. 6. *Neque enim stultè Appius, qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in vrbem, triumphique postulationem abiecerat.* Liu. 3. Decad. libr. 6. *Fuluio, ne minueretur Imperium, si in vrbem venisset, decreuit senatus*; quin & ab historico veracissimo Dione Cocceiano, consignatum libro 33. *Augusto perpetuum proconsulare imperium datum, ne in vrbe quidem minuendum.* Iterum Cicero libro 7. ad Attic. Epist. 1. Epist. 7. pari ratione Vlpianus IC. l. vltim. ff. de offic. procons. *portam Romæ ingressus proconsul deponit Imperium.* vbi diligenter adnotandum est, antequam decerneretur triumphus, iureiurando obstrictos Centuriones, vera esse quæ per literas senatui nunciarentur, neque ementitum occisorum numerum, neque cladem exercitus Romani cælatam, certè ob id lex lata *qua pœna ducibus indicta, qui aut hostium cæsorum numerum augerent, aut ciuium cælarent.* Valer. Maxim. libro 2. capit. 8. quod anno vrbis conditæ 619. accidit. Neque aliunde causæ ciuilium armorum inter Cæsarem & Pompeium, quam quod dimittere exercitum noluit Cæsar, vt priuatus in vrbe veniens, de more peteret triumphum, quem aliter impetrare erat nefas, vt loquuntur historici. Ipse Cæsar libro primo Ciuil. Suet. in capit. 18. Appia. bell. ciuil. lib 2 in limine, Plutar. in Cæsare in Catone, & in Pompeio. Tum causa agebatur, adstantibus Tribunis qui eam commendabant patrono alicui, graui, & magnæ autoritatis. ita Germanicus *orauit causas etiam triumphales*, vt habet C. Suet. in Calig. capit. 3. erudite & docte Isaacus Casaubonus obseruat in nonnullis editionibus fuisse, *orauit etiam causas triumphales*, vt sit sensus, Germanicum post actum Triumphum, patrocinia præstitisse, & de his triumphaturo patrocinius præstitis intelligendus T. Liuius 4. Decad. libro primo in fine. *C. Aurelius cos. cum ex prouincia comitiorum causa venisset, questus est L. Furio quæstori ita triumphum decreuisse senatum, vt nullius, nisi eius qui triumphaturus esset, haud eorum, qui bello interfuissent, verba audiret, maiores ideo instituisse, vt legati, Tribuni militum, centuriones, milites denique triumpho adessent.* Eiusdem Decadis libro 7. vbi M. Acilius de Antiocho & Ætolis triumphat: Decreto Triumpho, actaque causa, & S. C. edito, dies assignabatur, quo cum exercitu adesse debebat Imperator, notauit Hadria. Turneb. libro 30. Aduersar. capit. 25. Idem ille Liuius 1. Decad. libro 10. *ne plus in triumpho certaminum, quam in bello haberet, prætulit triumphi diem.* quo die Senatus obuiam progressus, porta triumphali in vrbem immissum exercitum vsque in Capitolium comitabatur, vt victoriam bello partam, legibus & statutis ciuilibus retinendam doceret. Sed totum hunc de Triumpho sermonem, in quatuor præcipua capita distribuam; in *ornamentum*, *pompam*, *sacrificium*, *cœnam*, de quibus sigillatim agendum. Ac primum,

Ornamenta sunt triumphalia, quibus splẽdor apparatúsque conciliabatur, & dignitas quædam regia oculos perstrictura, Dionys. Halicarnass. libro 8. pagin. 537. In ornamentis recenseri solent, *corona, currus, equi, toga, sceptrum,*

primo. Coronæ quidem militares in multiplici discrimine, nam aut *triumphalis*, aut *obsidionalis*, aut *ciuica*, aut *muralis*, aut *castrensis*, aut *naualis*, aut *oleagina*; de septem posterioribus A.Gell.lib.5. Noct. Atticar. capit.6. & è Neotericis, delineauit Volfgangus Lazius libro 9. Comment. Reip Rom. capit.18. absoluit compleuitque eruditione multiplici Carolus Paschasius adumbrat, elegantissime Claudianus in Consulatu Olybrii & Probini.

Sæpe duces meritis bello tribuere coronas,
Hunc cingit muralis honos, hunc ciuica quercus
Nexuit, hunc domitis ambit rostrata carinis.

De Triumphali hic pauca perstringenda, cuius materia in initio laurus erat, cuius consuetudinis rationes repete ex Plinio libro 15. cap. vlt. ex Massurio antiquo scriptore, *quod suffimentum cædis hostium sit & purgatio.* D. Iuuenal. Sat. 2. vers. 258. de lustratione, *& si foret humida laurus.* alia ratio apud Hieronymum Cardanum de Rerum varietate libro 4. cap. 73. *laurus possessionem pacificam quod ea coronari solerent triumphantes, ideo etiam gloriam partæ victoriæ significat.* vide Artemidorum libro primo Oneirocrit. capit. 79. In initio igitur laurus, inquam, tantum materia erat vt passim poetæ, (omitto Suetonium in Tiberio, capit.17.) Martial. libro 8. Epigr. vlt.

Non quercus te sola decet, non laurea Phœbi,
Fiat at ex hedera ciuica nostra tibi.

P. Ouid. lib.2. Amor. Eleg.12.

Ite triumphales circum mea tempora lauri.

Virgil. Ecloga 8.

——atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

A quo mutuatus est Alb. Tibullus, libro 1. Eleg.7. ne plures aduocare sit necesse.

Ad te victrices lauros Messalla gerentem.

Fest. Auien. in ora maritima.

Ducit laurigeros post Indica bella triumphos.
Erigit & geminas telluris fine columnas.

Martial. lib.3. Epigr.75.

Laurigeros ageres cum læta triumphos.

Quo magis admiror vnicum Isidorum à vulgari sententia dissentire, & tot scriptoribus reluctari, cuius hæc sunt libro 18. capit.2. *qui conflictu vicisset, palma aurea coronabatur, quia palma stimulos habet, qui sine conflictu prostrasset, lauru, quia spinis caret.* Mutata procedentibus sæculis materies, & pro lauru, aurum suppositum. Fest. Pomp. libro 18, aut verius eius Epitomastes Paulus. *Triumphales coronæ sunt, quæ Imperatori victori aureæ præferuntur, quæ temporibus antiquis propter paupertatem laureæ fuerunt.* Seruius Maurus ad vers. 721. lib.8. Æneid. *aurum coronæ ium dicit, quod triumphantibus hodieque à victis gentibus datur, Imperatores autem hoc imponebant, propter concessam vitam, ideo ergo dicit dona, si hoc non esset, spolia diceret.* C. Tacit. libr.15. Annal. coronarij huius auri meminit, *inde prædam etiam dij cessere, spoliatis in vrbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas prospere, aut in metu sacrauerat.* Titulus est in Codic. Theodosiano *de aur. coron.* libr.12. tit.13. cuius verba paulo inferius adducentur. Vel. Patercul. lib.2. *triumphans aut ea corona cingitur.* & est rescriptum Gratiani & Valentin. l. vn. C. de auro coronario libr.10. Ælius Spart. in Antonino Pio, *aurum coronarium quod adoptionis suæ causa, oblatum fuerat, Italicis totum prouincialibus medium reddidit.* Non ergo tantum in victoriis aut superatis hostibus auri coronarij conferendi inualuit consuetudo, sed in quacumque pompa, aut magnificentia de adoptione, de ludicris spectaculis C. Sueto. in Nerone capit.32. *vacatis & præmia coronarum, quæ vnquam sibi in certaminibus ciuitates detulissent.* Quem locum expendunt doctus Leuinus Torrentius, & diligens Marcellus Donatus Ponzanius Dilucidation. pagin. 26. rursus Spartian. in Adriano. *aurum coronarium Italiæ remisit, in prouinciis minuit, & quidem difficultatibus ærarij ambitiose, & diligenter expositis.* Æl. Lamprid. in Alexandro Seuero. *aurum coronarium & negotiatorium Romæ remisit.* T. Liuius 4. Decad. libro 8. aureas coronas collatum ab Asiaticis aurum intelligo, sic itaque ille. *ab Asiæ ciuitatibus ad Cn. Manlium legationes missas, non gratulatum modo, sed coronas etiam aureas pro suis quæque facultatibus deferentes.* neque vero vna aut altera corona præferri solebat aurea, sed & pæne infinitæ, pro opulentia prouinciæ superatæ. idem Liuius libro præcedente, *quinquaginta coronas aureas translatas* scribit in Triumpho Æmylij Regilli, & triumphante L. Manlio Alcidino *centum viginti quatuor coronæ aureæ translatæ.* eiusdem Decadis libro decimo Ammian. Marcellin. libro 25. *liberalitatis eius testimonia plurima sunt & verissima, inter quæ indicta sunt tributorum admodum leuia, coronarium indultum, remissa debita multa diuturnitate congesta, æquata fisci iurgia cum priuatis, vectigalia restituta ciuitatibus cum fundis.* Vide locum, nam insignis est, & quæ de Alexandro habentur, compara cum Theone Sophista Chria 1. pagin.122. & L. Stobæo Sermone 2.4.

de Auro insuper hoc coronario, Cicero Orat. in Pisonem. *misso aurum coronarium; quod lex & decerni & accipi vetat, nisi decreto triumpho, quod ad quemque peruenerit ex præda, manubiis, ex auro coronario.* rursusque idem in Rullum. *aurum coronarium debetur Proconsulibus vel Imperatoribus ex prouincia decedentibus ad decorandum triumphum.* Theodosius & Valentin. libro 17. Cod. de Iudæis. *Palatinis compellentibus, exigant ad eam formam, quam patriarcha, quondam coronarij auri nomine postulabant.* Multa Dio Cocceianus libro 49. & definit eleganter Iulianus Aug. libr. 1. C. Theod. de auro coron. *aurum coronarium munus est voluntatis, quod non solum senatoribus, sed ne aliis quidem debet indici, licet quæ tam indictionum necessitas postulauerit, sed nostro arbitrio reseruari oportebit.* libr. 2 Cod. eod. *vniuersi quos senatorij ordinis dignitas non tuetur, ad auri coronarij præstationem vocentur, exceptis iis, quos lex præscrita ab hac præstatione absoluit.* libro 5. ibid. *ad collationem auri coronarij placuit neminem absque consuetudine esse cogendum.* hæc quidem de exigendo, at quid placeat de Imperatoribus, si illicitè, & non secundum ritus receptos extorqueatur, lex vltima C. eod. loquitur, *aurum coronarium his reddi restituique decernimus, quibus illicitè videtur ablatum.* doctissimus Iacobus Curacius ad lib. 10. Codicis Iustinianei titul. 74. in vallaribus coronis vallum, in muralibus pinnæ, in aureis rerum gestæ inscriptæ fuerant, Tzetzes Chiliad. 13. cap. 461. Sed ad auream hanc coronam redeo.

Illa omnino duplex, *inaurata* vna, altera *aurea*, & solida. Tertullianus à Iosepho Scaligero laudatus, *triumphi laurea foliis struitur, hæc adumbratur lemniscis, inauratur lamnulis.* lib. de Corona Milit. capit. 12. solida vero ob pondus & grauitatem non imponebatur capiti, sed sustinebatur ab aliquo à tergo. C. Plinij locus notissimus est libro 33 capite 1. *vulgòque sic triumphabant, & cum corona ex auro Hetrusca sustineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æque triumphantis, ac serui fortasse coronam sustinentis, sic triumphauit de Iugurtha C. Marius.* sic in vulgatis editionibus, at in MS. aliter, *æqua fortuna triumphantis & serui*, rectius indubie idem lib. 28. capite 4. *vt sit exorata à tergo Fortuna, gloriæ carnifex:* Cæl. Rhodig. libro 3. Antiquar. lect. capite 7. Tertullian. Apologet. capit. 33. *nisi homo sit, non est Imperator, hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur, suggeritur enim à tergo, respice post te, hominem memento te.* suggerebatur hoc à carnifice, seu ministro, aut seruo publico, non modo in ipsa triumphi pompa, vt Plinius hic, & nos alibi supra hoc opere exposuimus, sed & ipso conuiuio triumphali, vt habet apud P. Crinitum lib. 24. honestæ discipl. cap. 5. carnificem fuisse loquitur Ioannes Zonaras in Camilli Triumpho, tom. 3. Annal. & ex eo Onufrius Panuinius libro 5. Fast. Isidor. libro 18. Etymologiar. capit. 2. & præter hos allusit Arrianus Nicomedensis libro 3. dissertation. Epicteti capite 24. eadem pene habet quæ Tertullianus, pagin. 386. D. Iuuenal. Sat. 10. versic. 9.

——— pictæ serrana ferentem
Et humeris aulæa toga, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vna,
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi consul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem.

Hæc corona in sinum Iouis deponebatur, aut templis seu anathema votiuum suspendebatur: de posteriori ritu Hadrian. Turneb. libro 22. Aduersarior. capit. 11. Iulius Obsequens lib. de Prodig. cap. 112. *laurum victricem attulerit, quam in Capitolio à bueras deponere.* Albinouanus in Consolatione ad Liuiam.

Auctorisque sui præferret imagine maesta,
Quæ quondam templis debita laurus erat.

De priori consuetudine C. Plinius Nepos in paneg. *allata erat ex Pannonia laurea id agentibus diis, vt inuicti imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret, hanc Imperator Nerua in gremio Iouis collocarat,* auunculus lib. 15. cap. vlt. *laurus festus Imperatorum decorat, ex his* (malè antea legebatur *ex his*) *in gremio Iouis opt. max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit.* Latin. Pacat. Drepan. in paneg. Theod. *depositis in gremio Capitolini Iouis laureis viri triumphales rusticabuntur.* L. Sen. Consolat. ad Heluiam capite 10. *scilicet minus beate viuebat dictator noster, qui Samnitium legatos audit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa qua iam sæpe hostem percusserat, lauream que in Capitolini Iouis gremio deposuerat.* recto sane & salutari consilio diis, tanquam victoriæ auctoribus, speciosissimum triumphi genus vouebant. C. Sueton. in Domit. capit. 6. *de Sarmatis modo lauream Capitolino Ioui retulit.* Et nescio cur eruditissimus Isaacus Casaubonus neget idem esse triumphare ac laurum Ioui referre. At Suetonius, inquies, in Nerone cap. 13. scribit *ob aduentum Tiridatis in vrbem, Imperatorem salutatum Neronem, laurû in Capitolium lata,* subdit deinde magnus Criticus, *nemo tamen fuisse triumphasse non propterea dixerit.* Infinus ergo ipse Sue-

tonius, qui ibidem loci ait *tum curuli apud rostra sedisse, triumphantis habitu*. vt itaque triumphus non fuerit, videri tamen triumphum volebat. eo sensu constanter boni scriptores maximas victorias per laurum in Capitolium delatam expresserunt, de Domitiano Mart. libro secundo Epigram. 2. clarissime.

Frater Idumaeos meruit cum patre triumphos,
Quae datur ex Dacis laurea, tota tua est.

De Germanico Caesare P. Ouid. libro 4. de Tristib. Eleg. 2.

Inde petes arcem, & delubra fauentia votis,
Et dabitur merito laurea vota Ioui.

Vel vt in MS. meo, [illegible] minus recte, *laurea victa*, Papin. Sat. [illegible] 4. Sil. 1.

———nondum [illegible] gremio Iouis Indica laurus,
Nondum Arabes, Seresque rogant.

De Cn. Pompeio magno M. Lucianus libro 8. Pharsal.

———aut sacras poscunt capitolia laurus.

Ad Scipionem Virtus apud Silium Italicum lib. 15. Punicor.

———dabis ille coronam
In gremio Iouis excisis deponere Poenis.

In pari errore versatus vir doctissimus Stephanus Clauerius, qui ad bellum Gildonicum Claudiani in principio, *ibi, praeuenit laurea*, minus dixit laurum referre, quam triumphare, quum mihi quidem videatur poeta Triumphum insignem designare, quippe fusa cum Gildone *septuaginta armatorum millia*, Paul. Oros. libro septimo Cap. 36. & Paul. Diacon. in supplemento ad Eutropium libro 13. longe maior numerus, quam legibus patriis praescriptum esset, hinc Honorius ad suos, quos in eam expeditionem mittebat, eodem illo de bello Gildonico opusculo ad finem.

———iusto magnoque triumpho
Ciuiles abolete notas.

Et lib. 2. de laudibus Stilichonis.

Sperabam nulla trabeis Gildone perempto
Nasci posse moras, etiam nunc ille repugnat,
Et tanto dubitas fasces praebere triumpho.

Nec modo imperatores victores coronis ornati, sed & milites, equi currusque ipsi de militibus, ex Liuio & Appiano paulo infra expediam, Claudian. ibidem loci.

Velati galeas lauru.

De equis Propert. lib. 3. eleg. 1.

———Coronatis Musa triumphat equis.

Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 2.

Ante coronatos ire videbit equos.

Martial. lib. 7. Epigr. 7.

Festa coronatus ludet conuicia miles,
Inter laurigeros dum comes ibis equos.

De curribus coronatis, Claud. de 3. Honorij consul.

Velarisque pios communis laurea currus.

Iterum De laudib. Stilich. lib. 3.

———currumque secutus
Laurigerum, festo fremuisset carmine miles.

M. Lucan. lib. 5.

Lauriferos nullo comitetur vulnere currus.

Sequitur in ornamentis *currus*, quem ritum ab heroicis temporibus profluxisse existimo, nam apud Homerum magni illi duces quadrigis praelium ineunt. Q. Curt. libro quarto in limine. *Darius qui modo non bellantis more, sed triumphantis, curru sublimis vehebatur.* C. Plin. libro 18. capite 4. rursusque lib. 35. cap. 10. *fecit & Alexandrum curru triumphantem.* Valer. Maxim. libro 8. capite 16. titul. 2. *constitue omnes currus triumphales.* L. Sen. lib. de vita beata capite 25. *triumphantem vt currus vehas.* Et lib. de breuit. vitae capit. 14. *triumphantem captiuos elephantos ante currum agere.* Sueton. in Caesare capit. 37. *Gallici triumphi die, Velabrum praeteruehens, paene curru excussus est.* hic neque cisium, neque petorium, neque carrucam, nec carpentum, nec plaustrum, nec rhedam, nec sarracum, nec epiredium, nec couinum, nec arcirma, neque arceram, ac ne thensam quidem referebat, quae omnia veteribus celebratissima sunt curruum nomina, neque denique falcato currui similis erat, sed *rotunda ad instar turris*, vt iam ex Ioanne Zonara Tom. 3. Annal. notatum reperi apud Turnebum libro 2. Aduersarior. cap. 16. ex ebore erat poetae Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 2.

———currus spectat eburnos.

Lib. 3. de Ponto eleg. 4.

Illa ducis facies in curru stantis eburno
Excuteret frigus sensibus omne meis.

Albinouanus Pedo, seu quilibet & alter incertus consolat. ad Liuiam Augustam.

Magnaque maternis maioribus, aequa paternis
Gloria, quadriiugis aureus ibit equis.
Regalique habitu, curruque superbus eburno
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Alb. Tibull. lib. 1. Eleg. 7

Portabit niueis currus eburnus equis.

Fastigium bracteis aureis decorabatur, Paullus Aemilius deuicto Perseo *in curru aureo* triumphauit. Eutrop. libro 4. Fl. Vopisc. in Aureliano. Ammian. libro 16. *Constantinus insidebat aureo solus carpento.* Philost. in Dione sophista. L. Flor. libro primo hist. Rom. capite 5. *inde est, quod aurato curru, quatuor equis triumphatur.* eadem ante illum T. Liuius

1.Decad.libro 10.de Cn. Pompeio L.Sen.libro 10.Controuers.1. *qui licentia carminis tres auratos currus contemneret.* Sext.Propert.libr.1. Eleg.16.

Cuius inaurati celebrarunt limina currus.

Q. Horatium ita interpretor libr. Epod. od.9.

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactos boues.

Atque vt victoriæ aliquas notas spectaret populus, sanguine respergebatur. L.Sen.lib.1. de Clementia cap. vltim. in fine. *nullum ornamentum principis fastigio dignius, quam illa corona ob ciues seruatos, non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia.* P. Virgil.libr.11. Æneid.

Ducunt & rutilis perfusos sanguine currus.

Claudian. de 6. Honorij consul.

Scilicet vt Latio respersos sanguine currus
Aspicerem.

Currum hunc ducebant quatuor equi albi, vt ex Propertio superius laudato libr.4.Eleg. 1.liquet, & Floro, Seruius Honoratus ad lib. 4. Æneid. vers.543. *propriè ouatio est minor triumphus, qui enim ouationem meretur, & vno equo vtitur, & à plebeiis vel ab equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, & de ouibus sacrificat: vnde & ouatio dicta, qui autem triumphat, albis equis vtitur quatuor, & senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificat.* Certe miror Plutarchum in Camillo, & Liuium 1.Decad.lib. 5. primum omnium equis albis vsum Camillum, cum ex authoribus antea à me laudatis, constet diu ante Camillum, equorum alborum in Triumphis vsum solemnem receptum, adstipulatur tamen iis incertus author de vir. illustri.cap.23. *Veios decenni obsidione domuit, de iisque triumphauit: postmodum crimini datum quod albis equis triumphasset, & prædam iniquè diuisisset.* qui illi *di & iurnis Iouis equi*, habebantur, vt loquitur Herodian.lib.7. videndus Diodorus Siculus libr.14.pag 356. Helenius Acron. & Porphyrion. Grammatici ad Horat.lib.1.Sat.7.

——— Barros vt equis præcurreret albis.

Ouid.lib.1.de Arte amandi.

Quatuor in niueis aureus ibis equis.

Pet. Apollon. Collatius libr.2. de obsid. Hierosolymitana in fine.

Quod si seruitium non effugisse licebat
Sorte mea lætor: niueos anteire iugales
Haud me pœniteat depressum colla catenis.
Vt currus sim pompa tui: nec dura recuso
Vincla pati, dum certa fides mea dicta sequatur.

Claudian. de 6. Hon. consul. Roma alloquitur principem.

Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires
Electi candoris equos.

Lib.2. de laudibus Stilich.

Depositis mitis clypeo, candentibus vrbem
Ingreditur trabeatus equis.

Et lib.3. de Laudib. Stilich.

Ipse albis veheretur equis.

Ratio hæc potissimum censebatur, quod velociores illi essent. Seruius ad illud lib.12. Æneid. non multum à principio.

Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,
Qui candore niues anteirent, cursibus auras.

Imitatus Homerum lib.10. Iliad.v.438.

λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι
Candidiores niue, ad currendum ventis similes.

Allusit Alb. Tibullus lib.1. Eleg.2.

Tu ut & argento conspicuus totus & auro,
Insideas celeri conspiciendus equo.

Equis vecti triumphantes, & quandiu stetit respublica, ac erepta libertate mutati mores, & pro equis leones iuncti. Plin. libro 8.cap. 16. *iugo subdidit eos, primusque Romæ ad currum iunxit M. Antonius: & quidem ciuili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis.* Lapsum memoria in temporis distinctione Plinium ex Cicerone Philip.2. ostendit Petrus Victorius libro 16. cap.3. verba oratoris sunt, *sequebatur rheda cum lenonibus*, corrigit ille coniecturâ probabili, *cum leonibus*. siquidem per leones furor indomitus significatur, Theocritus, Lucretius, Hesiodus, Catullus, Alexander Aphrodisæus, Callimachus, & Thucidides laudati à Pierio Valeriano libr. primo Hieroglyphic. Andreas Alciatus Emblem.29.

Romani postquam eloquij, Cicerone perempto,
Perdiderat patriæ pestis acerba suæ,
Inscendit currus victor, iunxitque leones,
Compulit & durum colla subire iugum.
Magnanimos cessisse suis Antonius armis
Ambage hac cupiens significare duces.

Pompeius Magnus *Elephantos* primus currui iunxit Romæ. Plinius libro 8.capite 2. Post hunc, Caius Cæsar Gallico Triumpho Sueton.capit.37. *Claudius.* Sueton.capit.11.ac deinde *Domitius Allobrogibus, Aruernisque superatis.* idem in Nerone capite secundo. Gordianus, Iul.Capitolin. in vita ipsius. *Alexander Seuerus.* Æl.Lamprid. in illo. de Aureliani curru Triumphali, Zonaras Tom.3. Annal. fallitur Sidonius Apollinaris, qui Cæcilium Metellum scribit bello punico victorem elephantis triumphasse, neque enim ille currui subiecit aut iugo, sed *duxit, populóque Romano ostentauit*, vt notum ex L. Seneca lib. de Breuitate vitæ capit.13. Plin. lib.

lib.7.Cap.4°. Halicarnassæus lib.2. Florus Epitomat.ad lib.19. Liuianę historiæ, is tamen Carm.7.

Nec tu cui currum curru superare Metelle
Contigit, ostentans nobis elephanta frequentem
Grex niger albantes tegeret cum mole iugales,
Authorémque sui celaret pompa triumphi.

Cuius quidem ritus origo à Baccho, qui de Indis deuictis triumphaturus, quatuor elephantos iugo submisit, Diodor.Sicul.libr.4. Biblioth. Antonius Heliogabalus triumphabat *tigribus, vt bacchum referret; leonibus, vt Martem, denique canibus, vt exemplo careret.* Æl.Lampridius eo. Aurelianus Augustus *ad hostium timiditatem exprimendam, ceruis vectabatur.* Fl. Vopisc. in illo. denique Nero, *nouo & portentoso exemplo, equas Hermaphroditas coniunxit,* C.Plin. libro 11. Capit. 49. hæc quidem in Romano ritu, At insolentius multo Sesacus Ægypti princeps, *deuictos bello à se reges curru cui insidebat, subiungebat,* Ioseph. libro 8. Iudaicar.Antiquitat. capite 10. istum *Sinuegis, Serostrem* vocant alij, inter eos Ælianus lib 12.var. histor. capit.4. Diodor. libro 2.Biblioth.capit.1.Plin.libro 33.capit.2. Henricus Samerius Luxemburg. in Chronico sacro, L. Temporarius Chronologicar. Demonstrat.libro 1.Valer.Flacc. lib.5. Argonautic.

——— vt prima Sesostris
Intulerit rex bella Getis.

M.Lucan.lib.10. Pharsal.vers.273.

Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris,
Qui Pharios regum currus ceruicibus egit.

A tergo pone triumphantem carnifex coronam, vt dixi, sustinebat, ante eumdem in curru liberi vehebantur, ita interpretor Iulium Capitolinum in Antonino Philosopho. *ffatimque ei nomen imperatoris, ac triumphi participationem & consulatum dedit.* Et Verus Augustus *nomina cum fratre communicauit die triumphi, quem pariter celebrarunt,* vt eiusdem verbis vtar in Vero. Commodus Imperator. *Antero in curru post se locato triumphauit,* Æl.Lamprid.in eo. signantissime C.Tacit. libro secundo Annal. *augebat intuentium visus eximia ipsius species, currúsque quinque liberis onustus.* Valer.Maxim.lib.5.cap.10.titul.2. *Æmilius Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio, ex quatuor filijs, formæ insignis, egregiæ indolis, duos iure adoptionis in Corneliam Fabiamq. gentem translatos, sibi ipse denegauit duos ei fortuna abstulit, quorum alter triumphum patris funere suo quatuor ante diem præcessit, alter triumphali curru conspectus, post diem tertium expirauit.* Paulus Diacon.libro nono supplementi historiæ Eutropianæ, *pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus id spectaculum fuit, patrem & filium vno triumphali curru vectos, gloriosissimam ab his qui patrem & filium offenderant, victoriam reportasse.* Claudian.De 3. Hon.Consul.

——— cum tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherere per vrbem,
Velarésque pios communis laurea currus.
Quis non Luciferum roseo cum sole videri
Crederet?

Et de 6.Honorij consulatu.

Tunc sibi magnorum mercem fortuna laborum
Persoluit Stilicho, curru cum vectus eodem
Vrbe triumphantem generum florente iuuenta
Conspiceret.

Qui non in curru eodem cum triumphante vectabantur pueri, ad habenas equitabant, equosque triumphales conscendebant. Iul. Capitolin. in Antonino Philosopho: *mille puellas virgines ad habenas duxit.* M.Cicero Orat. pro L. Muræna. *cum sedere in equis triumphantium prætextati potissimum filij soleant.* C. Sueton.in Tiberio capite 6. *Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore iuncto equo, cum Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur.* consulendus Leuinus Torrentius ad illum locum. Sed quo tota res clarior euadat, & hunc ritum, & pierosque alios lubet expressos audire ab Appiano Alexandrino in Libycis, vbi de Scipionis Triumpho, Cuius verba ita Latine sonant: *feriis redimiti omnes, præcinentibus turbis, currus spolijs onustos ducebant, ferebantur & lignea turres, captarum vrbium simulachra præferentes, imagines ... & scripta ... quæ g... aurum deinceps & argentum, partim rudibus massis, partim notis, aut huiusmodi impressum signis, coronæ præterea, quas virtutis gratia vrbes, aut socij, aut exercitus donassent: candidi subinde boues, & elephanti istos sequebantur: post hos, Carthaginienses, & Numidiæ principes bello capti: Imperatorem lictores præibant purpureis amicti vestibus; tum tum cytharœdorum, ac tibiarum turba ad Hetruscæ similitudinem pompæ, liti succinctis, coronisque aureis redimiti, suo quique ordine canentes: psallentesque prodibant: horum in medio, quispiam talari veste, fimbrijs atque armillis auro splendentibus amictus, gestus vario edebat, hostibusque deuictis insultans risus vndique ciebat.*

postea thuris & odorum copia Imperatorem circumsteterat, quem curru deaurato, multifariamque notis refulgente candidi vehebant equi, auream capite gestantes coronam, lapillis ornatam gemmisque: hic vestem succinctus purpuream, patrio more aureis intextam sideribus, altera manu eburneum sceptrum, altera laurum præferebat: vehebantur & cum eo pueri, virginésque & ad habenas hinc inde cognati iuvenes: deinde qui exercitu in turmas aciesque divisus currum sequebantur, milites vero lauru coronati, laurum manu ferentes: quibus meritorum insignia adiuncta erant, qui priores hos quidem laudibus ferre, alios facibus insectarentur nonnullos infamia notarent. Atque hi quidem, *togis candidis*, vt loquitur vetus Scholiastes Iuuenalis ad vers.45.Sat.10.

——Hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niueos ad fræna Quirites.

M Martial.lib.8.Epigr.64.

Hic lauru redimita comas, & candida cultu
Roma salutauit voce manuque ducem.

Sic enim optime legitur, non autem, vt anteà deprauate *candida vultu*. ita & Titus Calphurnius Siculus Ecloga 1. restituendus probabiliter.

Candida pax aderit, nec tantum candida vultu
Qualis sæpe fuit.

Rescribendum omnino est.

——Nec tantum candida cultu.

Imitatus est Corippus Africanus libro 2. Num.3.

Æquiparans humeris matrem, sic candida cultu
Sic niueis formosa genis.

Nullus alius auriga esse solebat, quam ipse triumphans, clare. Valer.Maxim libr.quarto capit.4.tit.5 *quæ manus* (Attilij Calatini) *arantium boum nuper iuga rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt.* Denique *Fascinus Imperatorum non tantum infantium custos, Deus inter sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium, sub his pendens defendit, medicus inuidiæ, iubetque eosdem respicere.* qui locus multiplici varietate legitur, in aliquibus, *iubetque eosdem respicere*, in aliis cumulatius, *iubétque eosdem inuidiam recipere*, denique quædam editiones præferunt, *iubétque post se Deum respicere.* ita censuit vir eruditissimus Iac. Dalecampius. qui de Fascino plura cupis, lege Turnebum lib. 9 Aduersarior.capit.28. Certe enim fascino vires quasdam inesse credebant, ad magna quæque turbanda, Heliodor. libro tertio Æthiopic. hanc vim vel oculis, vel verbis attribuebant. Plutarchus ὀφθαλμὸν βάσκανον, oculum fascinantem vocat. quod & Alciphron, & Alexander Aphrodisæus prodiderunt. ita Poetæ. Q Catull. Epigr.7. oscula sua extra inuidiam & fascinationem posita loquitur.

Quæ pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Per linguam execratio intelligi debet, aut noxiæ in alicuius caput effusæ preces. Gratius in Gynegetico.

Nam sic affectus, oculique venena maligni
Vicit tutela pax impetrata deorum.

Q Horat.lib.1.Epist.14.

Non isthic obliquo oculo meo commoda quisquam
Limat, non odio obscuro, morsúque venenat.

Istud proprie Inuidiam appellabant. idem lib. 2.Sat.3.

Inuidiam placare paras virtute relicta?

P.Virgil.Ecloga3.

Nescio qui teneros oculus mihi fascinat agnos.

Et ibidem loci ab eodem scriptum.

Aut si vltra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Sext.Propert.lib.1.Eleg.12.

Inuidiæ fuimus, num me Deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?

Post currum inter ornamenta explicari debet *vestis triumphantis*, quæ & *toga picta*, & *tunica palmata* solet appellari. Eleganter D. Auson.in Gratiar. Actione. *palmata vestis vt in pace consulis est, sic in victoria triumphantis est.* vtramque purpureí esse coloris, & cocci probatissimi, infra patebit, sed an vna eademque gestamina? controuersum video: confundit Turnebus libro 5. capit. 9. sed tanquam diuersa numerant L.Florus libro primo cap.5. Verrius Flaccus apud Plinium libro 3. cap.3. Erunt tamen mihi vna eademque res trabea consularis, picta, palmataque vestis, purpurea toga, quibus varia conuenire nomina, ob diuersas formas, vt docere possunt Grammatici, Fest.Pompeius libro 14. *picta quæ nunc toga dicitur, purpurea antea vocitata est, eaque erat sine pictura, eius rei argumentum est...... pictura in æde Vertumni & Consi quarum in altera M. Fuluius Flaccus, in altera C. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt: tunica autem palmata à latitudine clauorum dicebatur, quæ nunc à genere picturæ appellatur.* Ita promiscue audio scriptores: Vectium referente Macrobio libr.1.Saturnal.cap.6. *Tullus Hostilius Hosti filius, tertius Romanorum rex, debellatis Hetruscis,*

Hetrusc is, sellam curulem lictorésque, & pictam, quæ insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus vt Romæ haberentur, instituit, clare institutio narratur: ritum expedit Fl. Vopiscus in Aureliano. *sæpe pro rebus gestis, tunicam palmatam, sellam eburneam, nam te hodie consulem designo*, Iul. Capitolin. in Gordianis. *palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum priuatus suam habuit.* T. Liuius 1. Decad. libro 10. *cui deorum hominúmve indignum videri debet, eis viris, quos vos sella curuli, toga picta, prætexta, tunica palmata, & toga insuper picta, & corona triumphali, laureaque honorastis, quorum domus spoliis hostium affixis, insignes inter alios feceritis, pontificalia insignia adiicere.* Idem libro 10. Decad. 3. *Masanissam primum regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & tunica palmata donat.* C. Plin. libro 8. cap. 48. *Trabeis vsos accipio reges, pictas vestes iam apud Homerum fuisse, vnde triumphales natæ*, Videndus Dalecampius ibidem, & Plinius ipse lib. 9. c. 36. *pictæ* dicebatur, quod *stellis aureis* distinguebatur, vti infra dicetur, *palmata, à palmæ imagine* impressa. Isidor. libro 16. capit. 2. Q. Flor. Tertullian. Apologet. capit. 50. *hic habitus est victoriæ nostræ hac palmata vestis, tali curru triumphamus.* Idem lib. de Idololatria capit. 18. *igitur purpura illa & aurum ceruicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more vel prætexta, vel trabea, vel palmatæ, & corona aureæ sacerdotum prouincialium sed non eadem conditione.* L. Apul. libr. 1. Apolog. *triumphantibus quadrigas albas, & togam palmatam exprobraret.* De veste picta M. Lucan. lib. 9. vers. 177.

——— Pictásque togas velamina summo
Ter conspecta Ioui.

Ouid. lib. 2. de Ponto Eleg. 1.

Claraque sumpturum pictas insignia vestes,
Thura prius sanctis imposuisse focis.

D. Auson. Eidyllio 4. in Protreptico ad nepotem.

Vt trabeam pictamque togam, mea præmia consul
Induerer.

D. Iuuenal Sat. 10. princ.

——— Pictæ sarrana ferentem ex humeris aulea togæ.

Et rursus Sat. 6. v. 481.

Et latum pictæ vestis considerat aurum.

de palmata Magnus Ennodius Ticini Episcop. libro 5. Epist. 2. *hic qui bene toga vsi fuerint, referatis scriptura finibus palmata blanditur.* lib. 8. Epist. 1. *quianeum est proprium, quod quasi singulariter videtur palmata conferre.* Seruius ad vers. 332. lib. 11. Æneid. *Romanorum Imperatorum insigne fuit sella curulis, sicut etiam palmata toga dicitur, quam merebantur ij, qui de hostibus palmam reportassent.* Idem ad Eclogam 10. *triumphantes omnia habent Iouis insignia, sceptrum & palmatam togam, qua vtebantur illi, qui palmam merebantur.* quæ more suo transcripsit Isidorus ex Seruio libr. 19. Etymologiar. 1. 24. Q. Symmach. lib. 6. Epist. 40. *illud ante omnia interpretatio tristis perhorrescit, quod natali vrbis suffectum consulem, currus, quo vehebatur, euoluit per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant, itaque palmata amictus & consularis insignis ornatus fracto crure sublatus est.* Iul. Firmic. Maternus libro 4. Mathel. cap. 15. *tunc enim coronas aureas, tunc prætextas decernit, aureasque consularium, seu proconsularium palmatas.* Sidon. Apollinar. lib. 1. Epist. 5. *iam corona sponsus, iam palmata consularis, iam cyclade pronuba honoratur.* doctissimus Sauaro ibidem. Et lib. 8. Epist. 8. *dissimulas optare palmatum? parce tamen in inuidiam nobilitatis rusticari.* Aurel. Cassiodor. libro 6. formula 1. *palmata si quidem vestræ, nostræ probantur esse victoria.* Athalaricus rex Iustiniano Imperatori apud eundem libro 8. Epist. 1. *vos genitorem meum in Italia palmatæ claritate decorastis.* ex quibus locis perspicuum euadit non modo triumphalem hanc esse vestem, sed & pacificam. idem apertius libro nono Epist. 23. *nam si hominas ornat, semel accepisse palmatam, quid ille censendus est, qui meretur in filiis consulatum?* Fl. Vopisc. in Probo. *te manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata.* Ennod. Ticinens. Epigr. 32.

Quid palmata tuo tantum de murice vernas?
Plus fucanto dedit purpura nostra tibi.

Corruptus mihi videtur Venantius Fortunatus lib. 1.

Alter palmata, trabea nitet alter honore,
Pingis & ornatum gemma aurum, purpura, byssus.

Sic enim legendum, & distinguendum, pessime antea.

Alter palmatæ trabea nitet altus honore.

M. Martial. lib. 7. Epigr. 1. ad Loricam.

I, precor, & magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

Sidon. Apollin. Carm. 4. in ipso limine.

Post palmam palmata venit.

Et Carm. 7. v. 160.

——— palmata cucurris
Per proauos, gentemque suam.

Et Carm. 15. v. 150.

Palmatam parat ipsa patri, qui iam consul.

De Trabea, D. Ausonius proxime super lin-

datus, quæ vel *sacra*, Ouid. libro 2 Fastor. vel *regia*, Virgilius proxime ante, Et lib. 7. Æneid. vel *senatoria*, Sidon. Apollinar. libro 1. Epist. 6. lib. 2. Epist. 13. lib. 3. Epist. 6 lib. 5. Epist. 5. lib. 7. Epist. 6. denique lib. 8. Epist. 8. & vbique doctissimus Sauaro, Cassiod. lib. 2. Ep. 1. *longo stemmate ducto per trabeas.* Q. Symmach. libro 9. Epist. 106. *redditæ sunt mihi litteræ, quæ te annalem trabeam meruisse loquerentur.* Corip. lib. 4 Num. 3.

Incessit lætus præclara in veste senatus
Pars trabeis, pars compta togis.

vel *equestris*. I. Lipsius ad libr. 3. Taciti, I. Bernart. ad Papinium in siluis, I. Brodæus ad lib. 1. Antholog. Denique *consularis* & *triumphalis*, eadem enim & consuli & triumphanti ornamenta erant. Cassiodor. lib. 9. Epist. 23. *vt inuentus eius quæ fulget meritis, trabea quoque resplendeat triumphali.* ita viri docti, & in his Dionysius Lambinus exponunt Plautum Epidico sc. ST *tacete.*

An regillam induculam, an mendiculam?

quia res clara est, adscribam tantum aliquot loca quorundam poetarum. Corippi libro 4. Num. 1.

Egreditur princeps sacra trabeatus ab aula.

Eiusdem lib. Num. 2.

Conscendit princeps trabea succinctus auita,
Regalem ditans augusta fronte coronam.

Ibidem loci Num. 3.

Ipse autem sacro consul diademate fulgens,
Ornatus trabea, gemmisque, ostroque nitebat.

Eodem numero paulo post.

Regnabor iustinus amans trabeatus ab aula
Egrediens.

Ausonius Epist. 24.

Paulinum, Ausoniumque, viros quos sacra Quirini
Purpura, & auratus trabeæ velauit amictus.

Claudianus omnibus pæne paginis, & in Commentario nostro obseruauit libro 1. in Ruffin.

Ibat grandæuus nato moriente superstes
Post trabeas exul.

Lib. 1. in Eutropium.

———Flaue lla ferosi
Aspirant trabeis.

In præfatione ad lib. 2. in eundem.

Annus qui trabeas, hic dedit exilium.

De 3. Honorij Consulatu.

Succedant armis trabeæ, tentoria lictor
Ambiat.

De 6. Hon. Consul. *fulgentia tecum*
Collecti trabeatus adit delubra senatus.

Lib. 2 de Laudib. Stilichonis.

Sperabam nullas trabeis Gildone perempto
Nasci posse moras.

Ennodius Felix Ticinensis Epigr. 32.

Consulis ad genium nomen pro stemmate iunxi,
Dans lucem fastis, sum trabeis potior.

Color iis, vt supra admonui, purpureus auro intertexto, Suidas rectissime interpretatur χι..., ... χιτῶνα ἐκ ... *tunicas & clamydes ex auro & purpura.* trabeas certe Leunclauius apud Dionysium Halycarnassæum libro 6. pag. 351. vertit *palmatas è purpura togas*, quas ipse historicus vocat πορφύρας ... Sueton. in Nerone cap. 25. *introijt Romam eo curru, quo olim Augustus triumphauerat, in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympicam.* Sil. Itali. libro 17. Punicor. in fine in Triumpho Scipionis.

Ipse adstans curru, atque ostro decoratus & auro,
Martia præbebat spectanda Quiritibus ora.

P. Ouid. lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Hos super in curru Cæsar victore veheris,
Purpureus populi rite per ora tui.

Lib. 3. de Ponto Eleg. 4.

Prome quod iniicias humeris victoribus ostrum.

De auro intertexto Halicarnass. lib. 5. pag. 314. ... χιτῶνα καὶ πορφύρας *deposito auro & purpura*, hoc est trabeas exuens, quæ auro intertexto conspicuæ erant. Ouidius iterum li. 1. de Arte.

Quatuor in niueis aureus ibis equis.

Albinouanus in Consolatione ad Liuium.

Quadriiugis aureus ibis equis.

Operosissime Claudianus libro 2. de laudibus Stilich.

———Mirere libens, ac suscipe cinctus,
Quos tibi diuino mecum Tritonia duxit
Pectine, succincta simul repetito murice fila
Contulimus pensis, & eodem neuimus auro,

Lib. 3 de Laudibus Stilich.

Seu circum trabeis fulgentibus aureus intres.

Panegyrico de consulatu Olybrij & Probini, qui locus elegantissimus est.

Lætatur veneranda parens, & pollice docto
Iam parat auratas trabeas, cinctusque micantes
Stamine, quod molli tondent de stipite Seres,
Frondea lanigeræ carpentes vellera siluæ,
Et longum tenues tractus producit in aurum,
Filaque concreto cogit squallere metallo.

Additæ auro interdum & gemmæ, Corippus iam iam infra laudandus. Claudianus ille idem vnus omnium instar, de 9. Hon. Consul. Conspi-

Conspicuas cum flore genas, diademate crinem,
Membráque gemmato trabeæ viridantia cinctu,
Et fortes humeros, & certatura Lyæo.
Inter Erythræos surgentia colla smaragdos
Mirari sine fine nurus.

Aurum illud vel stellas exprimebat, vt ex Appiano superius citato didicimus, vel triumphantis res gestæ gentilitiumq; stemma auro cælabantur. D. Auson. in Gratiar. Act. *palmatam tibi misi, in qua diuus parens Constantius intextus est. hæc plane hæc est picta, vt dicitur, vestis, non auro magis suo, quam tuis verbis* Et paucis interiectis eiusdem loci, *Constantius in argumento vestis intexitur, Gratianus in muneris honore sentitur.* Corip. lib. 1. Num. 15.

Et tulit intextam pretioso muri e vestem,
Iustinianorum series vbi tota laborum
Nexo auro insignita fuit, gemmisque coruscа,
Illic barbaricas flexa ceruice phalanges,
Occisos reges subiectásque ordine gentes
Pictor acu tenui multa formauerat arte,
Fecerat & fuluum distincto coloribus aurum,
Omnis vt aspiciens sua corpora vera putaret,
Effigies auro, sanguis depingitur ostro,
Ipsum autem in media victorem pinxerat aula
Effera VVandalici calcantem colla tyranni,
Plaudentem Libyam, fruges laurúmque ferentem:
Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exerto & nudam gestantem pectore mammam,
Altricem imperij, &c.

Tertium versum ita restituimus, cum in editione priore fuisset *necti auro*, admonuit me vir ornatissimus & linguæ vtriusque callentissimus Ioan. Cordanus, posse legi *nexo auro*, recte sane, nam acu constat intextum. Cornelius Gallus in Elegia illa cultissima, quam Iacobo Lectio debemus:

Quin etiam argento, puróque intexitur auro
Altera iam castris parta lacerna tuis.
Illic bellantum iuuenum studiosa figuras,
Atque audita leui prælia pingit acu.

Claudian. iterum libro 2. de Laudibus Stilichonis.

—— Geminique rigentia profert
Dona, grauis auro trabeas, insigne Mineruæ
Spirat opus, rutilis hic pingitur aula columnis,
Et sacri Mariæ partus Lucina dolores
Solatur, residet fulgente puerpera lecto,
Sollicitæ iuxta pallescunt gaudia matris.
Susceptum puerum redimitæ tempora Nymphæ
Auri fonte lauant teneros de flumine risus
Vagitúsque audire putes iam creuerat infans
Ore ferens patrem Stilicho maturior æuo,
Martia recturo tradit præcepta nepoti.
Parte alia spumis fumantem serica fræna
Eudoxius flectebat equum, iaculisque vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua ceruos
Aureus ipse feris, &c.

Hæc eadem vestis appellatur, vt nonnulli volunt, *clauata*, à clauis aureis, quibus distinguebatur. Festus lib. 14. in dictione *picta*, cuius verba superius allata sunt, & lib. 3. in voce *clauata*, ita enim *clauata dicuntur, aut vestimenta clauis intertexta, aut calceamenta clauis confixa.* ad quem locum, non sunt pœnitendæ lectionis, quæ notat doctissimus Gothofredus: hoc illud est discrimen quod inter Senatum & equestrem ordinem constituunt, quod ille *lato*, hic *angusto clauo* ornaretur, viri eruditi ad Suetonii Augustum cap 38. *latum clauum induere: & curiæ interesse permisit.* in Eodem cap. 73. Marcell. Donat. Ponzan. Dilucidation. pagin. 381. Lamprid. in Alexandro Seuero, *vt equites Romani à Senatu claui qualitate discernerentur.* Velleius Patercul. libro histor. Rom. 2. *quippe vixit (Mecenas) angusto clauo pene contentus.* Stat. libro 5. sil. 2. in ipso limine.

———— Nec paupere clauo
Augustam sedem, & Latij penetrale Senatus
Aduena pulsasti.

Idem corrigendus li. 4. sil. 5. manu critica iampridem indigens.

His paruus inter pignora curiæ
Contentus alto lumine purpuræ
Crescis.

Rescribendum est omnino Bernartio & Turnebo authoribus,

Contentus arcto lumine purpuræ
Crescis.

Ouidius lib. 4. de Tristibus Eleg. 10. apposite.

Curia restabat clauí mensura coacta est,
Maius erat nostris viribus illud opus.

Vlpian. IC. lib. 25 ff. de auro arg. mund. leg. *claui, qui vestibus insuuntur.* Vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers. 480. Sat. 6. *auro...... clauatas vestes miratur.* corrigendum censeo *auriclauatas vestes*, aut *auriclauatas* vt verbo vtar Flauij Vopisci in Tacito. Æl. Spartian. in Bonoso, *tunicas palliolatas hyacinthinas subsericas, tunicam auro clauatam subericeam librilem vnam*, χρυσόκλαβα, vocant dictione græca sed corrupta & hybrida, vt ex Curopalate libello de offic. Aul. Constantin. obseruat doctissimus Meursius vocem

Metari vipis.

Iterúmque cultissime lib.5 silua 2. non multum à principio.

Ille quoque egregiis multum miratus in armis
Bolanum, atque illi curarum asperrima suetus
Credere, partirique metus, quod tempus amicum
Fraudibus, externo quænam bona tempora bello,
Quæ suspecta fides, aut quæ fuga vera ferocis
Armenij: Bolanus iter prænosse timendum,
Bolanus tutis iuga quærere commoda castris
Metari Bolanus agros, aperire malignas
Tot veprum nemorúmque moras, tantámque verendi
Mentem implere ducis.

D.Auson. Eidyllio 3. in Mosella, statim in ipso limine.

Prætereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas,
Aruáque Sauromatum nuper metata colonis.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 274.

Contrahis, aggrederis, superas, includis, & vt es
Metato spatio castrorum Serdica vidit,
Obsidione premis.

M. Lucanus libro 1. Pharsaliæ v. 382. Lambert. Hortensius ibi.

Signa super Thusci si ponere Tibridis undam,
Hesperias audax veniam metator in agros.

P. Virgil. loco paulo ante superius citato.

Vt sæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto,
Directæque acies ac late fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, necdum horrida miscent
Prælia, sed dubiis medius Mars errat in armis,
Omnia sint paribus spatiis dimensa viarum.

Formam vero castrorum Romanorum variè discussit Iulius Barbaranus Offic. Promptu. Tom. 1. pagin. 51. quæ deberent hic dici de *Excubiis, vigiliisque* repetantur ex lib. 1. huius operis cap. 8. de *Machinis bellicis* est adeundus I. Lipsius in Poliorceticis, de *euocatione deorum in oppugnationibus vrbium* pleraque communia, & vide P. Gregorium Tolosatem libr. 17. Syntagmat. Iur. vniuer. cap. 5. *de sacrorum Translatione* dixi lib. 3. superius cap. vlt. de *Animaduersione in hostes, in milites delinquentes, castrensique disciplina*, multa eruditissimus Petrus Faber Saniorianus libro 1. Semestrium. de *Coloniis deducendis, Municipiis*, eorumque *præfectis & decurionibus* Velleius Paterculus ad finem libro 1. Andr. Tiraq. ad Alexand. Neapolitanum libro 4. cap. 20. de *præmiis militaribus*. Iul. Bulengerus libello docto super ea re: de *Coronis* Carolus Paschasius legatus Regis Christianissimi ad Heluetios eleganter decem libris editis disseruit, quibus omnibus multa quę adderem mihi ad manum, multa è scriniis eruenda, si aut typographus, aut suscepti muneris ratio pateretur, quæ vt spero alibi felicius, nunc ad alia pergo. Denique milites necessarios in Republica Iulius Barbaranus offic. Promptuar. Rer. Electar. Tom. 1. pag. 21.

AD CAPVT. XXIX. PARALIPOMENA.

De Triumpho, vocato Senatu, numero hostium occisorum, literis, fascibus, armis laureatis, causa triumphali, ornamenta Triumphantium, corona aurea, laurea in sinum Iouis deposita, currus eburneus, equi albi, pueri comites, toga picta, palmata tunica, sceptrum, pompa, qua deuictarum regionum picturæ prælatæ, ære, argento, ligno, auro, & quæcunque in illis rara, Manducus, Petreia, duces hostium catenati, catenæ è ferro, è pilis, ex argento, ex auro, tonsi, parectasis de Tonsoribus. Necati in carcere hostium duces, de carceribus quædam, sacrificium Triumphale, & epulum.

TRiumphus, siue vt in Nummis *Triumpus*, vt notat Angelus Politianus Miscellaneor. capite 9. & in Adolphi Occonis Numismatis apparet frequentissime, summus erat honor, & penè diuinitati conferendus, (quanquam nihil aliud quam laudem ambirent victores, vt ostendit Guilielmus Bellendenus vir summæ eruditionis, limatissimique iudicii, Magister libellorum supplicium Iacobi Augusti Britanniarum Monarchæ, in *Principe Ciceronis & Senatore* capite 19.) quo magis mirum tam fuisse frequentem, siquidem ab vrbe condita, vsque ad Vespasiani & Titi Augg. de superatis Iudæis victoriam, *vigesies & trecenties triumphatum.* quod inter Neotericos obseruant Alexander Neapolitanus libro sexto Genial. dier. capite 6. inter veteres scriptores Paul. Oros. libro septimo capite 9. *Vespasianus & Titus Imperatores magnificum agentes de Iudæis triumphum, vrbem ingressi sunt, pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui à conditione vrbis, vsque ad id tempus acti erant,* hoc

Hoc spectaculum fuit. Eademque verba penitus repetit Paulus Diaconus in Additamentis Historiæ Eutropianæ lib.9. pagin. 245. quod autem superius ex Politiano allatum est, in numismatis sine aspiratione *Triumpum* scribi solere, addere & per f. interdum exaratum. id e vetusto lapide confirmari potest, in ædibus Capranicorum.

FL. EVGENIO. V.C.EX. PRAEFECTO PRAETORIO CONSVLI ORDINARIO DESIGNATO. MAGISTRO. OFFICIORVM. OMNIVM. COMITI. DOMESTICO. ORDINIS. PRIMI. OMNIBVSQVE. PALATINIS. DIGNITATIBVS. FVNCTO. OB. EGREGIA. EIVS. IN. REMPVBLICAM. MERITA. HVIC. DD. NN. CONSTANTINVS. VICTOR. AC. TRIVMFATOR. SEMPER. AVGVSTVS. ET. IVLIANVS. NOBILISSIMVS. CAESAR. STATVAM. SVB. AVRO. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. QVAM. ANTE. SVB. DIVO. CONSTANTE. VITAE. ET. FIDELISSIMAE. DEVOTIONIS. GRATIA. MERVIT. APPROBANTE. AMPLISSIMO. SENATV. SVMPTV. PVBLICO. LOCO. SVO RESTITVENDAM. CENSVERVNT.

Vulgatem tamen receptamque vtriusque linguæ consuetudinem confirmant quædam aliorum lapidum fragmenta, vide supra libro 5. capit. 36. pag. 457. adde aliud, cuius hæc sunt verba.

L. CAECILIVS. F. L.

METELLVS.

PONTIFEX. MAX. CONS. II. DICTATOR. MAG. EQ. XV. VIR. AGRIS. DANDIS. QVI. PRIMVS. ELEPHANTOS. PRIMO. PVNICO. BELLO. DVXIT. IN TRIVMPHO. PRIMARIVS. BELLATOR. OPTIMVS. ORATOR. FORTISSIMVS. IMPERATOR AVSPICIO. SVO. MAXIMAS. RES. GESSIT. MAXIMO. VSVS. HONORE. SVMMA. SAPIENTIA. MAXIMVS. SENATOR. PARTAM. EX. AEQVO. PECVNIAM. MAGNAM. SINGVLIS. LIBERIS. RELIQVIT. CLARISSIMVS. IN. CIVITATE. FVIT. TRIBVTVM. EI. VT. QVOTIES. IN. SENATVM. IRET. CVRRV. VEHERETVR. AD. CVRIAM. QVOD. A. CONDITO. AEVO. NVLLI. ALII. CONTIGIT.

Visitur & alter Romæ lapis, in monte Quirinali.

P. DECIVS. DECII. F. PRIMO. COS. DE. SAMNITIBVS. TRIVMPHANS. SPOLIA. EX. EIS. CERERI. CONSECRAVIT. ITERVM. ET. TERTIO. CONSVL.

Licet non sim ignarus, nullam Antiquitatis partem plures sortitam scriptores, & nouissime Iulius Bulengerus, erudite quicquid dici in vniuersum possit, in vnum corpus congessit, tamen obiter quædam mihi hoc loco sunt dicenda. Isidor. Hispalensis libro 18. Etymologiar. cap.2. *Tropæum dictum ἀπὸ τῆς τροπῆς, id est conuersione hostis & fuga; nam ab eo quod hostem quis fugasset, merebatur tropæum, quod occidisset, triumphum, qui dictus est ἀπὸ τῆς τριάμβου, id est ab exultatione; plenæ cum victoriæ triumphus debetur, semiplenæ trophæum, quia nondum plenam est consecutus victoriam, non enim obtinuit, sed fugauit exercitum: Tranquillus autem triumphum Latine potius appellatum dicit, quod is qui triumphans vrbem ingrederetur, tripartito iudicio honoraretur; nam primum de triumpho duci concedendo exercitum iudicare solitum erat, secundo senatum, tertio populum,* quæ quidem Tranquilli verba hodie penitus perierunt, argumento liquido non omnia luculenti authoris scripta ad nos integra deuenisse, obiter aliqua huc spectantia reperies in M. Tullio Orat. in Anton Philip.14. in limine, *is demum est, mea quidem sententia, iustus Triumphus ac verus, cùm bene de Republica meritis testimonium à consensu ciuitatis datur; nam si e in communi gaudio populi Romani vni gratulabantur, magnum iudicium, siue gratias agebant, eo maius, siue vtrumque nihil magnificentius excogitari potest* ἀπὸ τῆς θριάμβου *à feris,* deducit Hesychius, & post eum Suidas quas Bacchum volunt iunxisse, vt triumpharet. Atque is quidem honor cum maximus esset, qui à mortali optari posset, miror quosdam oblatum sibi, reiecisse, Valer. Maxim. libro secundo cap.3. titul.2. CN. Fuluius Flaccus *tam expetendum alijs honorem triumphi decretum sibi à senatu ob res bene gestas sprenit ac repudiauit.* M.Fabius, *amisso in bello fratre, triumphare noluit*, vt narrat Paulus Orosius libro 2. capite 7.Tit.Liu.1.Decad. lib.2. Diony. Halicarnass. libro nono pagin.570. Tibertus *mæsta ciuitate clade Variana.* C.Sueton. cap.17. C. Marius, *etiam victis Teutonibus triumphare recusauit, quod ingruerent Cimbri*, L.Florus Epitomaltes ad lib..68. & Plutarch. in Mario. Cumque Romani tantum, aut certe vt minimum, Itali triumphandi ius haberēt, *M.Perpenna, homo Græcus de Aristonico duxit triumphales currus*, vt est relatum ab eodem Paulo Orosio lib.5. cap.10. Iustino historico lib.36.

in fine, Valerio Maximo libro 3. cap.4. Eutropio libro 4.capit.3. *Cornelius Balbus Gaditanus de Garamantibus solus inter exteros triumphauit*, vt verbis vtar Iulij Solini Polyhist. cap.41. C.Plinij lib.5. cap.5. & rursus lib.7. cap.43. Illud pene supra fidem, *Ventidium Bassum, Picentem genere, & loco humili triumphante Pompeio Strabone ante currus in sinu matris captiuæ actum, sordide victum quæsisse, inuenisseque comparandis mulis & vehiculis, sic cum Cæsare in Gallias profectum, & post consulatum & post pontificatum ad prius, de Parthis triumphauit.* Sueton.apud. A.Gellium libro 15.capit.4. Dionem Cocceianum consule libro 48. pag. 362. & eodem libro pagin.381. & libro 49.pagin.405. Plutarch. in Antonio. vet. Scholiast. Iuuenalis ad Sat. 7. versicul. 199. *Ventidius ex munitione Cæsaris Dictatoris fuit, vt Tullius in Epistolis* (ad familiares libro 11. Epist.10.) *& in Philippicis loquitur, opitulante Antonio Augusto, vsque eo prouectus est, vt ei crederetur Parthicum bellum.* corrige locum & rescribe, *ex mulione Cæsaris*, ex verbis Gellij nuperrime allatis clarissimum:deinde, *opitulante Antonio, & Augusto*, neq; enim vnquam Antonius Augusti cognomentum sumpsit, licet Imperatoris sæpe affectasset.vnde vox illa psittaci salutatrix lib.2.Saturnal.capit.4. apud Macrobium, *haue, victor, Imperator, Antoni.* Ita poëta Incertus.

> *Concurrite omnes augures, aruspices,*
> *Portentum insitatum conflatum est recens,*
> *Nam mulos qui fricabat, consul factus est.*

D.Iuuenal.loco iam laudato.

> *Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quam*
> *Sidus & occulti miranda potentia fati?*
> *Seruis regna dabant, captiuis fata triumphum.*

Cornel. Gallus in Elegiarum reliquiis nuper editis.

> *Pingit & Euphratis currentes mollius vndas,*
> *Victricesque aquilas sub duce Ventidio.*

Sed quis Romæ primum egerit triumphum, incertum. sunt qui *ad Tarquinium Priscum* referant, inter quos Fl. Eutropius 1. L.Florus libro 1.hist.Rom.capit.5.alij probabilius eundem vrbis parentem, & triumphi inuentorem Romulum faciunt; Dionys.Halicarnass.lib.2. pag.102. τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς εἵπετο, ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἁλουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας, καὶ ἵνα τὸ βασιλικὸν ἀξίωμα σώζῃ τεθρίππῳ παραβεβηκώς. *ipse pompam* (triumphi de Cæcinatibus & Antennatibus) *vltimus claudebat, indutus purpura, & coronatus laurea, atque vt regiam maiestatem tueretur, quadrigis inuectus.* vide reliqua quæ sequuntur, nam totam solemnitatem, qualem legimus florente republica, exinde persequitur. adstipulatur Sextus Propertius lib.4.Eleg.1.

> *Quatuor hinc albos Romulus egit equos.*

Non me latet alios duces diu ante Romanos triumphasse, exemplo sunt Cyrus referente Cedreno pag.114. & multa à Persis translata Romam. Ptolemæus Philadelphus, Athen. lib.3.Xerxes,Herodot.lib.7.Carthaginenses, Polyb. lib 3. nec ad fabulas reuoluor, quæ Bacchum primum omnium, triumphum de Indis superatis duxisse volunt vt ex Plinio li. 8. cap.56. Diodoro Siculo lib.4. pagin. 147. Nonno pag. 143. docuit Bulengerus Commentar. de Triumpho cap.5. Ouid.lib.1. Amor.eleg.2.

> *Domita Bacchus Gangetide terra.*

Stat.lib.4.Thebaid.v.386.

> *Aut tumidum Gangem, aut claustra nouissima rubræ*
> *Tethyos, Eoasque domos flagrante triumpho*
> *Perfurit.*

Martial.lib.8.Epigr.28.Virgil.libr. 6. Æneid. v.806.Sil.Ital.lib.17.

> *Qualis odoratis descendens Liber ab Indis*
> *Egit pampineos frænata tigride currus.*

Conuocato in ædem aliquam Senatu, literæ ab Imperatore, & victore exercitu missæ legebantur, de Templo Sueton.in Augusto capit.26. *ædem Marti bello Philippensi pro vltione paterna suscepto vouerat, sanxit ergo vt de bellis triumphis, que hic consuleretur senatus.* Martis huius Vltoris præter Ouidium, Plinium, Dionem, & nummos memoratos à Leuino Torrentio, meminere Riccobaldus Ferrariensis Opusculo de dignitate Italiæ præ aliis regionibus, Beneuenutius de Rambaldis in libro Augustali, & aliorum Imperatorum in nummis idem spectatur, vt in *Caracallæ Antonini* MARTI. VLTORI. *Mars Gradiuus.* Adolphus Occo Imperator. Romanor. Numismat. pagin. 368. & in *L. Septimij Getæ*, MARTI. VLTORI. *Mars Gradiens cum trophæo.* Idem pagin.390. Et in *M. Aurelii Seueri Alexandri.* MARS. VLTOR *Mars Gradiuus, dextra hastam, sinistra scutum* tenens, idem pag. 417. in *Claudii* Gothici, MARS. VLTOR. *Mars Gradiuus, dextra hastam, sinistra spolia super humeros.* Idem pag.491. In hoc ritu semper obseruatum vt extra vrbem haberetur senatus, ne milites vrbem armati ingrederentur. L. Seneca libr.5.de Benef.capit.14. in fin. *qui nos triumphaturi quidem intra vrbem iniussu senatus decreuit, quibusque exercitum victorem reducentibus curia extra muros præbetur.* certe in campis

pis Flaminij, aut in campo Martio, vt in Triumpho L. Valerij & M. Horatij liquet ex T. Liuio videre libro 3. Decad. 1. eò referri potest acris illa in senatu contentio apud Silium Italicum libro 11. Punicor.

Concordi fremitu vocem sum effunditur asper
Toto à concilio clamor, tum quisque fatigat
Increpitans, vocúmque tremit certamine templum.

Et paucis deinde interiectis.

Romuleis durastis, ait, succedere muris?
Ad quos non ausi Carthago, atque Hannibal arma
Post Cannas afferre suas?

In senatu hic recitabantur literæ, rerum feliciter gestarum indices, nam *quinque hostium millia* oportebat *cecidisse*, Valer. Max. libro 2. capit. 8. aut *sex millia*, A. Gell. libro 5. capite 6. hoc est quod *literis nuntiare fortunam belli* dixit L. Florus libro 2. cap. 12. vide Paulo infra, illæque lauru obuoluebantur. C. Plin. libro 15. capit. vltim. *laurus præcipuè victoriæ, lætitiæque nuntia, additur literis.* Iul. Capitolin. in Maximino, *statim Romam laureatas literas misit, quæ ingentem in vrbe lætitiam fecerunt.* idemque in Gordianis repetit. earum figuram expressit in ænea tabula Vulfgangus Lazius, præfixitque Commentariis suis Reip. Rom. Pliniusque rursus significantissime libro 35. capit. 10. *laureatis fascibus remissi ido, vnde cretatis pedibus aduenissent.* M. Tullius sæpissime, libro primo de Diuinat. vbi de C. Mario, libro octauo Ad Atticum Epist. 9. *ego iam hos compedes, fasces, inquam, hos laureatos, hæc ex Italia ferre, quam molestum est.* Idem Philip. 1. *vehebatur in essedo Tribunus plebis, lictores laureati antecedebant.* C. Tacit. libro 13. Annal. *Nero ob res à Quadrato & Corbulone prospere gestas, lauram fascibus Imperatoriis addi iusserat.* & libro 3. Historiar. *ipse lauream prosperè rei gestæ ad fratrem misit.* Xiphilin. pagin. 169. C. Iul. Cæsar. libro 3. de bello ciuili, *sed neque literis quas scribere solitus est, neque fascibus Imperatoriis insignia lauri prætulit.* Copiose narrat ritum solemnem Plutarchus in Luculli vita. Cassiodor. libro nono Epist. 23. *vt iuuentus quoque quæ fulget meritis, trabea resplendeat triumphali, hunc honorem Deciorum familia non miratur, quia eorum plena sunt atria fascibus laureatis.* est & hoc sensu accipiendus Herodianus, cuius libro 7. hæc verba sunt Politiano interprete. *sequebatur ipsum principalis pompa omnis, milites que, quicunque aderant, iuniorésque vrbani, procera statura ad eorum similitudinem, qui Romæ Imperatorem comitantur, virgæ etiam laureatæ, quo insigni principes à priuatis dignoscuntur,* statuæ quinetiam victoribus decretæ, cingebantur lauru. Cic. Orat. pro Muræna. *qui imaginem patentis sui laureatam nec sua gratulatione respexit.* C. Tacit. libro 4 Annal. *iamque tres laureatæ in vrbe statuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* & libro 1. hist. *populus cum lauru, & floribus Galbæ imagines circum templa tulit.* ad fasces reuertor, C. Iul. Obsequens lib. de Prodig. cap. 122. *cum in agro Pistoriensi Catilinam deuicisset, laureatos fasces in prouinciam tulit.* T. Liu. 1. Decad. libro 5. *literæ à Posthumio laureatæ sequuntur victoriam populi Romani.* Idem 5. Decad. libro 5. in limine, de Licinio consule. *tabellarius, qui se venire ex Macedonia diceret, laureatas literas attulisse dicitur.* illæ ipsæ *tabulæ laureatæ* vocantur ab Ælio Lampridio in Alexandro, sic enim ille. *actæ sunt res fæliciter in Mauritania Tingitana, per Furium Celsum, atque ex omnibus locis ei laureatæ tabellæ sunt delatæ.* Ammian. Marcel. libr. 6. ad finem. *Et si eo agente tunc in Italia, dux quidam egisset fortiter contra Persas, nulla eius mentione per textum longissimum facta, laureatas literas ad prouinciarum signa mittebat, se inter primores versatum cum odiosa sui iactatione significans. nuncii à Ponto venientes iaculorum cuspides lauru tectas habebant, de nece Mithridatis certa referentes.* vt pene Plutarch. in Pompeio. sic itaque & literæ, & arma lauru decorabantur, in rei lætioris successu, adde & *nauis laureatæ* mentionem fieri à Plutarcho eodem in Lucullo, sic loco laudato C. Plinius significantissime, additur laurus *literis & militum lanceis, pilísque fascésque imperatorum decorat.* Ioann. Budæus libro 1. Miscellan. capit. 37. Alex. ab Alexandro lib. I. capit. 27. & omniscius Tiraquell. ibid. quædam, more suo, Ant. Delrio ad L. Sen. transcripsit, atque ita intelligendi poetæ. M. Martial. lib. 7. Epigr. 5.

Sed iam lætitiæ quo sit fiducia maior
Sarmaticæ laurus nuntius ipse veni.

Lib. 19. Epigr. 10.

Cum tu laurigeris annum qui fascibus intras,
Mane salutator limina mille teras.

Stat. lib. 5. sil. 1.

Omnia iam lætas pila attollentia frondes.

Lucanus seu Ouidius, seu, quod magis puto incertus author poëmatis ad Pisonem.

Laurea facundis cesserunt arma togatis.

L. Sen. Agamemnone Act. 2. in fine.

Namque hasta summo lauream ferro gerit.

A. Persius Satyra 6.

——*missa est à Cæsare laurus*
Insignem ob cladem Germanæ pubis.

Lib. 1. Amor. Eleg. 11. in fine.

Non ego victrices lauris redimire tabellas,

Nec Veneris media ponere in æde morer
Subscribam: Veneri fidas has Naso tabellas
Dedicat.

Sidon. Apoll. Carm. 2.

Atque suis ad signa iubet reuirescere laurus.

Martial. lib. 7. Epigr. 5.

Publica victrices testantur gaudia chartæ
Martia laurigera cuspide tela virent.

Claudianus variis in locis, aliqua adscribam. lib. de bel. Gildonico in principio.

Congressum, profugam, captum, vix nuntia vna,
Rumorémque sui præuenit laurea belli.

De 4. Honorarij Consulatu in limine.

Nec te laurigeras pudeat, Gradiue, secures
Pacata gestare manu.

De 6. eiusdem consulatu in fine.

Et Sextus Getica præuelans fronde secures,
Colla triumphanti procul et Honorius Istri.

Aduersa pennis Epistolæ additis, sicut prospera laureis ramis significabantur, & nuntiabantur. vet. Schol. Iuuen. ad vers. 149. Sat. 4. *antea si quid nuntiabant consules, in vrbe, per epistulas nuntiabant si victoriæ nuntiabantur, laurus in epistola......fiebatur,* (legi malim *figebatur*) *si autem aliquid aduersi penna figeba ur.* idem mendum eadem opera tollendum. Cælius Rhodiginus *ad celeritatem* refert libro 11. cap. 20. nam altius & citius in animum descendunt aduersa, quam felicia, acriusque ac vehementius torquent. ad illum ritum ipse Iuuenalis allusit loco iam proxime laudato.

Tanquam de Cattis aliquid, toruisque Sicambris
Dicturus, tanquam diuersis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna.

D. Fortunatus Pictonum Episcopus Elegia de morte Gelesiuntæ Reginæ.

Mœroris que grauis tam cito penna venit.

Statius Papinius loco proxime superius à me indicato.

Multáque fumosa signatur lancea penna.

Vsus harum epistolarum inde præsertim defluxit quod Imperator victor ante decretum Senatus, vrbem ingredi non posset. M. Cic. lib. 8. Epist. 6. *Neque enim stultè Appius, qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in vrbem, triumphique postulationem abiecerat.* Liu. 3. Decad. libr. 6. *Fuluio, ne minueretur Imperium, si in vrbem venisset, decreuit senatus,* quin & ab historico veracissimo Dione Cocceiano, consignatum libro 53. *Augusto perpetuum proconsulare imperium datum, ne in vrbe quidem minuendum.* Iterum Cicero libro 7. ad Attic. Epist. 1. Epist. 7. pari ratione Vlpianus IC. l. vltim. ff. de offi. c proconsul. *portam Romæ ingressus proconsul deponit Imperium.* vbi diligenter adnotandum est, antequam decerneretur triumphus, iureiurando obstrictos Centuriones, vera esse quæ per literas senatui nunciarentur, neque ementitum occisorum numerum, neque cladem exercitus Romani cælatam, certè ob id lex lata *qua pœna ducibus indicta, qui aut hostium cæsorum numerum aug rent, aut ciuium celarent.* Valer. Maxim. libro 2. capit. 8. quod anno vrbis conditæ 619. accidit. Neque aliunde causæ ciuilium armorum inter Cæsarem & Pompeium, quam quod dimittere exercitum noluit Cæsar, vt priuatus in vrbe veniens, de more peteret triumphum, quem aliter impetrare erat nefas, vt loquuntur historici. Ipse Cæsar libro primo Ciuil. Suet. in capit. 18. Appia. bell. ciuil. lib. 2 in limine, Plutar. in Cæsare in Catone, & in Pompeio. Tum causa agebatur, adstantibus Tribunis qui eam commendabant patrono alicui, graui, & magnæ autoritatis. ita Germanicus *grauis causas etiam triumphales*, vt habet C. Suet. in Calig. capit. 3. eruditè & doctè Isaacus Casaubonus obseruat in nonnullis editionibus fuisse, *orauit etiam causas triumphales*, vt sit sensus, Germanicum post actum Triumphum, patrocinia præstitisse, & de his triumphaturo patrocinius præstitis intelligendus T. Liuius 4. Decad. libro primo in fine. *C. Aurelius cos. cum ex prouincia comitiorum causa venisset, questus est L. Furio quæstori ita triumphum decreuisse senatum, vt nullius, nisi eius qui triumphaturus esset, haud eorum, qui bello interfuissent, verba audiret, maiores ideo instituisse, vt legati, Tribuni militum, centuriones, milites denique triumpho adessent.* Eiusdem Decadis libro 7. vbi M. Acilius de Antiocho & Ætolis triumphat: Decreto Triumpho, actaque causa, & S. C. edito, dies assignabatur, quo cum exercitu adesse debebat Imperator, notauit Hadria. Turneb. libro 30. Aduersar. capit. 25. Idem ille Liuius 1. Decad. libro 10. *ne plus in triumpho certaminum, quam in bello habeat, præsulis triumphi diem.* quo die Senatus obuiam progressus, porta triumphali in vrbem immissum exercitum vsque in Capitolium comitabatur, vt victoriam bello partam, legibus & statutis ciuilibus retinendam docerent. Sed totum hunc de Triumpho sermonem, in quatuor præcipua capita distribuam, in *ornamentum, pompam, sacrificium, cœnam,* de quibus sigillatim agendum. Ac primum,

Ornamenta sunt triumphalia, quibus splédor apparatúsque conciliabatur, & dignitas quædam regia oculos perstrictura, Dionys. Halicarnass. libro 8. pagin. 537. In ornamentis recenseri solent, *corona, currus, equi, toga, sceptrum,*

pirum. Coronæ quidem militares in multiplici discrimine, nam aut *triumphalis*, aut *obsidionalis*, aut *ciuica*, aut *muralis*, aut *castrensis*, aut *naualis*, aut *oleagina*; de septem posterioribus A.Gell.lib.5. Noct. Atticar. capit.6. & è Neotericis, delineauit Volfgangus Lazius libro 9. Comment. Reip Rom. capit.18. absoluit compleuitque eruditione multiplici Carolus Paschasius adumbrat, elegantissime Claudianus in Consulatu Olybrii & Probini.

Sæpe duces meritis bello tribuere coronas,
Hunc cingit muralis honos, hunc ciuica quercus
Nexuit, hunc domitis ambit rostrata carinis.

De Triumphali hic pauca perstringenda, cuius materia in initio laurus erat, cuius consuetudinis rationes repete ex Plinio libro 15. cap.vlt. ex Massurio antiquo scriptore, *quod suffimentum cædis hostium sit & purgatio.* D.Iuuenal. Sat.2. vers.258. de lustratione, *& si foret humida laurus.* alia ratio apud Hieronymum Cardanum de Rerum varietate libro 4. cap. 73. *laurus possessionem pacificam quod ea coronari soleant triumphantes; ideo etiam gloriam partæ victoriæ significat.* vide Artemidorum libro primo Oneirocrit. capit.79. In initio igitur laurus, inquam, tantum materia erat vt postea poetæ, (omitto Suetonium in Tiberio, capit.17.) Martial. libro 8. Epigr. vlt.

Non quercus te sola decet, non laurea Phœbi,
Fiat et ex hedera ciuica nostra tibi.

P. Ouid. lib.2. Amor. Eleg.12.

Ite triumphales circum mea tempora lauri.

Virgil. Ecloga 8.

——atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

A quo mutuatus est Alb. Tibullus, libro 1. Eleg.7. ne plures aduocare sit necesse.

Ad te victrices lauros Messalla gerentem.

Fest. Auien. in ora maritima.

Ducit laurigeros post Indica bella triumphos.
Erigit & geminas telluris fine columnas.

Martial. lib.3. Epigr.75.

Laurigeros ageres cum læta triumphos.

Quo magis admiror vnicum Isidorum à vulgari sententia dissentire, & tot scriptoribus reluctari, cuius hæc sunt libro 18. capit.2. *qui conflictu vicisset, palma aurea coronabatur, quia palma stimulos habet, qui sine conflictu prostrasset, lauru, quia spinis caret.* Mutata procedentibus sæculis materies, & pro lauru, aurum suppositum. Fest. Pomp. libro 18. aut verius eius Epitomastes Paulus. *Triumphales coronæ sunt, quæ imperatori victori aureæ præferuntur, quæ temporibus antiquis propter paupertatem laureæ fuerunt.* Seruius Maurus ad vers.721. lib.8. Æneid. *aurum coronæ iam dicit, quod triumphantibus hodieque à ciuitatibus detur, Imperatores autem hoc imponebant, propter concessam vitam, ideo ergo dicit dona, si hoc non esset, spolia diceret.* C. Tacit. libr.15. Annal. coronarij huius auri meminit, *inde prædam etiam dij cessere, spoliatis in vrbe templis, egestóque auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas prospere, aut in metu sacrauerat.* Titulus est in Codic. Theodosiano *de aur. coron.* libr.12. tit.13. cuius verba paulo inferius adducentur. Vel. Patercul. lib.2. *triumphans aut ea corona cingitur.* & est rescriptum Gratiani & Valentin. l. vn. C. de auro coronario libr.10. Ælius Spart. in Antonino Pio, *aurum coronarium quod adoptionis suæ causa, oblatum fuerat, Italicis totum prouincialibus medium reddidit.* Non ergo tantum in victoriis aut superatis hostibus auri coronarij conferendi inualuit consuetudo, sed in quacumque pompa, aut magnificentia de adoptione, de ludicris spectaculis C. Sueto in Nerone capit.32. *reuocauit & præmia coronarum, quæ vnquam sibi in certaminibus ciuitates detulissent.* Quem locum expendunt doctus Leuinus Torrentius, & diligens Marcellus Donatus Ponzanius Dilucidation. pagin. 26. rursus Spartian. in Adriano. *aurum coronarium Italiæ remisit, in prouinciis minuit, & quidem difficultatibus ærarij ambitiose, & diligenter expositis.* Æl. Lamprid. in Alexandro Seuero. *aurum coronarium & negotiatorium Romæ remisit.* T. Liuius 4. Decad. libro 8. aureas coronas collatum ab Asiaticis aurum intelligo, sic itaque ille. *ab Asiæ ciuitatibus ad Cn. Manlium legationes missas, non gratulatum modo, sed coronas etiam aureas pro suis quæque facultatibus deferentes.* neque vero vna aut altera corona præferri solebat aurea, sed & pæne infinitæ, pro opulentia prouinciæ superatæ. idem Liuius libro præcedente, *quinquaginta coronas aureas translatas* scribit in Triumpho Æmylij Regilli, & triumphante L. Manlio Alcidino *centum viginti quatuor coronæ aureæ translatæ.* eiusdem Decadis libro decimo Ammian. Marcellin. libro 25. *liberalitatis eius testimonia plurima sunt & verissima, inter quæ indicta sunt tributorum admodum leuia, coronarium indultum, remissa debita multa diuturnitate congesta, æquata fisci iurgia cum priuatis, vectigalia restituta ciuitatibus cum fundis.* Vide locum, nam insignis est, & quæ de Alexandro habentur, compara cum Theone Sophista Chria 1. pagin.122. & L. Stobæo Sermone 2.4.

de Auro insuper hoc coronario, Cicero Orat. in *Pisonem.* *mitto aurum coronarium; quod lex & decerni & accipi vetat, nisi decreto triumpho, quod ad quemque peruenerit ex præda, manubiis, ex auro coronario.* rursusque idem in Rullum. *aurum coronarium dabitur Proconsulibus vel Imperatoribus ex prouintia decedentibus ad decorandum triumphum.* Theodosius & Valentin. libro 17. Cod. de Iudæis. *Palatinis compedentibus, exigant ad eam formam, quam patriarchæ, quondam coronarij auri nomine postulabant.* Multa Dio Cocceianus libro 49. & definit eleganter Iulianus Aug. libr. 1. C. Theod. de auro coron. *aurum coronarium munus est voluntatis, quod non solum senatoribus, sed ne aliis quidem debet indici, licet quælam indictionum necessitas postulauerit, sed nostro arbitrio reseruari oportebit.* libr. 2 Cod. eod. *vniuersi quos senatorij ordinis dignitas non tuetur, ad auri coronarij præstationem vocentur, exceptis iis, quos lex præterita ab hac præstatione absoluit.* libro 5. ibid. *ad collationem auri coronarij placuit neminem absque consuetudine esse cogendum.* hæc quidem de exigendo, at quid placeat de Imperatoribus, si illicitè, & non secundum ritus receptos extorqueatur, lex vltima C. eod. loquitur, *aurum coronarium his reddi restituique decernimus, quibus illicitè videtur ablatum.* doctissimus Iacobus Curacius ad lib. 10. Codicis Iustinianei titul. 74. in vallaribus coronis vallum, in muralibus pinnæ, in aureis res gestæ inscriptæ fuerant, Tzetzes Chiliad. 13. cap. 461. Sed ad auream hanc coronam redeo.

Illa omnino duplex, *inaurata* vna, altera *aurea*, & solida. Tertullianus à Iosepho Scaligero laudatus, *triumphi laurea foliis struitur, hæc adumbratur lemniscis, inauratur lamnulis.* lib. de Corona Milit. capit. 12. solida vero ob pondus & grauitatem non imponebatur capiti, sed sustinebatur ab aliquo à tergo. C. Plinij locus notissimus est libro 33 capite 1. *vulgòque sic triumphabant, & cum corona ex auro Hetrusca sustineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æquè triumphantis, ac serui fortasse coronam sustinentis, sic triumphauit de Iugurtha C. Marius.* sic in vulgatis editionibus, at in MS. aliter, *æqua fortuna triumphantis & serui*, rectius induit idem libro 28. capite 4. *vesis exorata à tergo Fortuna, gloriæ carnifex:* Cæl. Rhodig. libro 3. Antiquar. lect. capite 7. Tertullian. Apologet. capit. 33. *nisi homo sit, non est Imperator, hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur, suggeritur enim à tergo, respice post te, hominem memento te.* suggerebatur hoc à carnifice, seu ministro, aut seruo publico, non modo in ipsa triumphi pompa, vt Plinius hic, & nos alibi supra hoc opere exposuimus, sed & ipso conuiuio triumphali, vt habes apud P. Crinitum lib. 24. honestæ discipl. cap. 5. carnificem fuisse loquitur Ioannes Zonaras in Camilli Triumpho, tom. 3. Annal. & ex eo Onufrius Panuinius libro 5. Fast. Isidor. libro 18. Etymologiar. capit. 2. & præter hos allusit Arrianus Nicomedensis libro 3. dissertation. Epicteti capite 24. eadem pene habet quæ Tertullianus, pagin. 386. D. Iuuenal. Sat. 10. versic. 9.

——— pictæ serrana ferentem
Et humeris aulea toga, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vna,
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi consul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem.

Hæc corona in sinum Iouis deponebatur, aut templis seu anathema votiuum suspendebatur: de posteriori ritu Hadrian. Turneb. libro 22. Aduersarior. capit. 11. Iulius Obsequens lib. de Prodig. cap. 112. *laurum victricem attulerit, quam in Capitolio dubitas deponere.* Albinouanus in Consolatione ad Liuiam.

Auctorisque sui præfertur imagine maesta,
Quæ quondam templis debita laurus erat.

De priori consuetudine C. Plinius Nepos in paneg. *allata erat ex Pannonia laurea id agentibus diis, vt inuicti imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret, hanc Imperator Nerua in gremio Iouis collocarat,* auunculus lib. 15. cap. vlt. *laurus fasces Imperatorum decorat, ex his* (malè antea legebatur *ex his*) *in gremio Iouis opt. max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit.* Latin. Pacat. Drepan. in paneg. Theod. *depositis in gremio Capitolini Iouis laureis viri triumphales rusticabuntur.* L. Sen. Consolat. ad Heluiam capite 10. *scilicet minus beate viuebat dictator noster, qui Samnitum legatos audit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa qua iam sæpe hostem percusserat, lauream que in Capitolini Iouis gremio deposuerat.* recto sane & salutari consilio diis, tanquam victoriæ auctoribus, speciosissimum triumphi genus vouebant. C. Sueton. in Domit. capit. 6. *de Sarmatis modo lauream Capitolino Ioui retulit.* Et nescio cur eruditissimus Isaacus Casaubonus neget idem esse triŭphare ac laurum Ioui referre. At Suetonius, inquies, in Nerone cap. 13. scribit *ob aduentum Tiridatis in vrbem, Imperatorem salutatum Neronem, lauru in Capitolium lata.* subdit deinde magnus Criticus, *nemo tamen sanus triumphasse eum propterea dixerit.* Insanus ergo ipse Suetonius

tonius, qui ibidem loci ait *tum curuli apud rostra sedisse, triumphantis habitu*. vt itaque triumphus non fuerit, videri tamen triumphum volebat. eo sensu constanter boni scriptores maximas victorias per laurum in Capitolium delatam expresserunt, de Domitiano Mart. libro secundo Epigram. 2. clarissime.

Frater Idumaeos meruit cum patre triumphos,
Quae datur ex Dacis laurea, tota tua est.

De Germanico Caesare P. Ouid. libro 4. de Trist lib. Eleg. 2.

Inde petes arcem, & delubra fauentia votis,
Et dabitur merito laurea vota Ioui.

Vel vt in MS. meo, ... minus recte, *laurea victa*, Papin. Sat. ... 4. Sil. 1.

———nondum ... gremio Iouis Indica laurus,
Nondum Arabes, Seresque rogant.

De Cn. Pompeio magno M. Lucianus libro 8. Pharsal.

———aut sacras poscunt capitolia laurus.

Ad Scipionem Virtus apud Silium Italicum lib. 15. Punicor.

———dabit ille coronam
In gremio Iouis excisis deponere Poenis.

In pari errore versatus vir doctissimus Stephanus Clauerius, qui ad bellum Gildonicum Claudiani in principio *ibis praemis laurea* minus dixit laurum referre, quam triumphare, quum mihi quidem videatur poeta Triumphum insignem designare, quippe fusa cum Gildone *septuaginta armatorum millia*, Paul. Oros. libro septimo Cap. 36. & Paul. Diacon. in supplemento ad Eutropium libro 13. longe maior numerus, quam legibus patriis praescriptum esset, hinc Honorius ad suos, quos in eam expeditionem mittebat, eodem illo de bello Gildonico opusculo ad finem.

———iusto magnoque triumpho
Ciuiles abolete notas.

Et lib. 2. de laudibus Stilichonis.

Sperabam nulla trabeis Gildone perempto
Nasci posse moras, etiam nunc ille repugnat,
Et tanto dubitat fasces praebere triumpho.

Nec modo imperatores victores coronis ornati, sed & milites, equi currusque ipsi de militibus, ex Liuio & Appiano paulo infra expediam, Claudian. ibidem loci.

Velati galeas lauru.

De equis Propert. lib. 3. eleg. 1.

———Coronatis Musa triumphat equis.

Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 2.

Ante coronatos ire videbit equos.

Martial. lib. 7. Epigr. 7.

Festa coronatus ludet conuicia miles,
Inter laurigeros dum comes ibis equos.

De curribus coronatis, Claud. de 3. Honorij consul.

Velatosque pios communis laurea currus.

Iterum De laudib. Stilich. lib. 3.

———currumque secutus
Laurigerum, festo fremuisset carmine miles.

M. Lucan. lib. 5.

Lauriferos nullo comitetur vulnere currus.

Sequitur in ornamentis *currus*, quem ritum ab heroicis temporibus profluxisse existimo, nam apud Homerum magni illi duces quadrigis praelium ineunt. Q. Curt. libro quarto in limine. *Darius qui more non bellanti more, sed triumphantis, curru sublimis vehebatur.* C. Plin. libro 18. capite 4. rursusque lib. 35. cap. 10. *fecit & Alexandrum curru triumphantem.* Valer. Maxim. libro 8. capite 16. titul. 2. *constituit omnes currus triumphales.* L. Sen. lib. de vita beata capite 25. *triumphantem vt currus vehat.* Et lib. de breuit. vitae capit. 14. *triumphantem captiuos elephantos ante currum agere.* Sueton. in Caesare capit. 37. *Gallici triumphi die, Velabrum praetervehens, pene curru excussus est.* hic neque cisium, neque petorium, neque carrucam, nec carpentum, nec plaustrum, nec rhedam, nec sarracum, nec epiredium, nec couinum, nec arcirma, neque arceram, ac ne thensam quidem referebat, quae omnia veteribus celebratissima sunt curruum nomina, neque denique falcato currui similis erat, sed *rotunda ad instar turris*, vt iam ex Ioanne Zonara Tom. 3. Annal. notatum reperi apud Turnebum libro 2. Aduersarior. cap. 16. ex ebore erat poetae Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 2.

———currus spectat eburnos.

Lib. 3. de Ponto eleg. 4.

Illa ducis facies in curru stantis eburno
Ex uteres frigus sensibus omn. meis.

Albinouanus Pedo, seu quilibet & alter incertus consolat. ad Liuiam Augustam.

Magnaque maternis maioribus, aequa paternis
Gloria, quadriiugis aureus ibit equis.
Regalique habitu, curruque superbus eburno
Fronde triumphali tempora vinctus eris.

Alb. Tibull. lib. 1. Eleg. 7

Portabit niueis currus eburnus equis.

Fastigium bracteis aureis decorabatur, Paulus Aemilius deuicto Perseo *in curru aureo triumphauit.* Eutrop. libro 4. Fl. Vopisc. in Aureliano. Ammian. libro 16. *Constantinus insidebat aureo solus carpento.* Philost. in Dione sophista. L. Flor. libro primo hist. Rom. capite 5. *inde est, quod aurato curru, quatuor equis triumphatur.* eadem ante illum T. Liuius

1.Decad.libro 10.de Cn. Pompeio L.Sen.libro 10.Controuerf.1. *qui licentia carminis tres auratos currus, contemneres.* Sext.Propert.libr.1. Eleg.16.

Cuius inaurati celebrarunt limina currus.

Q Horatium ita interpretor libr. Epod. od.9.

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactos boues.

Atque vt victoriæ aliquas notas spectaret populus, sanguine respergebatur. L.Sen.libr.1. de Clementia cap. vltim.in fine. *nullum ornamentum principis fastigio dignius, quam illa corona ob ciues seruatos, non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia.* P. Virgil.libr.11. Æneid.

Ducunt & rutilo perfusos sanguine currus.

Claudian.de 6.Honorij consul.

Scilicet vt Latio respersos sanguine currus
Aspicerem.

Currum hunc ducebant quatuor equi albi, vt ex Propertio superius laudato libr.4.Eleg. 1.liquet, & Floro, Seruius Honoratus ad lib. 4. Æneid. vers.543. *proprie ouatio est minor triumphus, qui enim ouationem meretur, & vno equo vtitur, & à plebeiis vel ab equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, & de ouibus sacrificat: vnde & ouatio dicta, qui autem triumphat, albis equis vtitur quatuor, & senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificat.* Certe miror Plutarchum in Camillo, & Liuium 1.Decad.lib. 5.primum omnium equis albis vsum Camillum, cum ex authoribus antea à me laudatis, constet diu ante Camillum, equorum alborum in Triumphis vsum solemnem receptum, adstipulatur tamen iis incertus author de vir.illustri.cap.23. *Veios decenni obsidione domuit: de iis, quæ triumphauit: postmodum crimini datum quod albis equis triumphasset, & prædam iniquè diuisisset.* qui illi *dicti* inmutonis equi, habebantur: vt loquitur Herodian.lib.7.videndus Diodorus Siculus libr.14.pag 356. Helenius Acron.& Porphyrion. Grammatici ad Horat.lib.1.Sat.7.

———Barros vt equis præcurreret albis.

Ouid.lib.1.de Arte amandi.

Quatuor in niueis aureus ibis equis.

Pet.Apollon.Collatius libr.2. de obsid.Hierosolymitana in fine.

Quod si seruitium non effugisse licebat
Sorte mea lætor: niueos anteire iugales
Haud me pœniteat depressum colla catenis.
Vt currus sim pompa tui: nec dura recuso
Vincla pati, dum certa fides mea dicta sequatur.

Claudian.de 6.Hon.consul.Roma alloquitur principem.

Ast ego frænabam geminos, quibus altior iret
Electi candoris equos.

Lib.2.de laudibus Stilich.

Deposito mitis clypeo, candentibus vrbem
Ingreditur trabeatus equis.

Et lib.3.de Laudib.Stilich.

Ipse albis veheretur equis.

Ratio hæc potissimum censebatur, quod velociores illi essent. Seruius ad illud lib.12. Æneid.non multum à principio.

Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,
Qui candore niues anteirent, cursibus auras.

Imitatus Homerum lib.10.Iliad.v.438.

λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι
Candidiores niue, ad currendum ventis similes.

Allusit Alb.Tibullus lib.1.Eleg.2.

Totus & argento contectus totus & auro,
Insideat celeri conspiciendus equo.

Equis vecti triumphantes, & quandiu stetit respublica, ac erepta libertate mutati mores, & pro equis leones iuncti. Plin. libro 8.cap. 16. *iugo subdidit eos, primusque Romæ ad currum iunxit M. Antonius: & quidem ciuili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis.* Lapsum memoria in temporis distinctione Plinium ex Cicerone Philip.2.ostendit Petrus Victorius libro 16. cap.3.verba oratoris sunt, *sequebatur rheda cum lenonibus*, corrigit ille coniectura probabili, *cum leonibus.* siquidem per leones furor indomitus significatur, Theocritus, Lucretius, Hesiodus, Catullus, Alexander Aphrodisæus, Callimachus, & Thucidides laudati à Pierio Valeriano libr. primo Hieroglyphic. Andreas Alciatus Emblem.29.

Romani postquam eloquij, Cicerone perempto,
Perdiderant patriæ pestis acerba suæ,
Inscendit currus victor, iunxitque leones,
Compulit & durum colla subire iugum.
Magnanimos cessisse suis Antonius armis
Ambage hac cupiens significare duces.

Pompeius Magnus *Elephantos* primus currui iunxit Romæ. Plinius libro 8.capite 2. Post hunc, Caius Cæsar Gallico Triumpho Sueton.capit.37.*Claudius.* Sueton.capit.11.ac deinde *Domitius Allobrogibus, Aruernisque superatis.* idem in Nerone capite secundo.Gordianus, Iul.Capitolin.in vita ipsius. *Alexander Seuerus.* Æl.Lamprid. in illo. de Aureliani curru Triumphali, Zonaras Tom.3. Annal.fallitur Sidonius Apollinaris, qui Cæcilium Metellum scribit bello punico victorem, elephantis triumphasse, neque enim ille currui subiecit aut iugo, sed *duxit, populoque Romano ostentauit*, vt notum ex L. Seneca lib. de Breuitate vitæ capit.13. Plin. lib.

lib.7.Cap.4°. Halicarnassæus lib.2. Florus Epitomat.ad lib.9. Liuianę h.storiæ,is tamen Carm.7.

Nec tu cui currum curru superare Metelle
Contigit, ostentans nobis elephanta frequentem
Grex niger albentes tegeret cum mole iugales,
Authorémque sui celaret pompa triumphi.

Cuius quidem ritus origo à Baccho, qui de Indis deuictis triumphaturus, quatuor elephantos iugo submisit, Diodor.Sicul.libr.4. Biblioth. Antonius Heliogabalus triumphabat *tigribus, vt bacchum referret; leonibus, vt Martem, denique canibus, vt exemplo careret.* Æl.Lamprid.in eo. Aurelianus Augustus *ad hostium timiditatem exprimendam, ceruis vectabatur.* Fl. Vopisc. in illo. denique Nero, *nouo & portentoso exemplo, equas Hermaphroditas coniunxit,* C.Plin. libro 11. Capit. 49. hæc quidem in Romano ritu, At insolentius multo Sofacus Ægypti princeps, *deuictos bello à e reges curru, cui insi ebat, subiungebat.* Ioseph. lib. 8. Iudaicar. Antiquitat. capite 10. istum *Sinocgis Serostrem* vocant alij, inter eos Ælianus lib 12.var. histor. capit.4. Diodor. libro 2.Biblioth.capit.1. Plin.libro 33.capit.2. Henricus Samerius Luxemburg. in Chronico sacro, L. Temporarius Chronologicar. Demonstrat.libro 1.Valer.Flacc. lib.5. Argonautic.

——— vt prima Sesostris
Intulerit rex bella Getis.

M.Lucan.lib.10. Pharsal.vers.273.

Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris,
Qui Pharios regum currus ceruicibus egit.

A tergo pone triumphantem carnifex coronam, vt dixi, sustinebat, ante eumdem in curru liberi vehebantur, ita interpretor Iulium Capitolinum in Antonino Philosopho. *statimque ei nomen imperatoris, ac triumphi participationem, & consulatum dedit.* Et Verus Augustus *nomina cum fratre communicanit die triumphi, quem pariter celebrarant,* vt eiusdem verbis vtar in Vero. Commodus Imperator. *Antero in curru post se locato triumphauit,* Æl.Lamprid.in eo. signantissime C.Tacit. libro secundo Annal. *augebat intuentium visus eximia ipsius species, currúsque quinque liberis onustus.* Valer. Maxim.lib.5.cap.10.titul.2. *Æmilius Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio, ex quatuor filijs, formæ insignis, egregiæ indolis, duos iure adoptionis in Corneliam Fabiamq. gentem translatos, sibi ipse denegauit: duos ei fortuna abstulit; quorum alter triumphũ patris funere suo quartum ante diem præcessit, alter triumphali curru conspectus, post diem tertium expirauit.* Paulus Diacon. libro nono supplementi historiæ Eutropianæ, *pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus id spectaculum fuit, patrem & filium vno triumphali curru vectos, gloriosissimam ab his qui patrem & filium offenderant, victoriam reportasse.* Claudian. De 3. Hon.Consul.

——— cum te genitoris amico
Exceptum gremio, mediam veheretur per vrbem,
Velarétque pios communis laurea currus.
Quis non Luciferum roseo cum sole videri
Crederet?

Et de 6.Honorij consulatu.

Tunc tibi magnorum mercem fortuna laborum
Persoluit Stilicho, curru cum vectus eodem
Vrbe triumphantem generum florente iuuenta
Conspiceres.

Qui non in curru eodem cum triumphante vectabantur pueri, ad habenas equitabant, equosque triumphales conscendebant. Iul. Capitolin. in Antonino Philosopho: *mille puellas virgines ad habenas duxit.* M.Cicero Orat. pro L. Muræna. *cum sedere in equis triumphantium prætextati potissimum filij soleant.* C. Sueton. in Tiberio capite 6. *Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore suna i equo, cum Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur.* consulendus Leuinus Torrentius ad illum locum. Sed quo tota res clarior euadat, & hunc ritum, & pleros que alios lubet expressos audire ab Appiano Alexandrino in Libycis, vbi de Scipionis Triumpho, Cuius verba ita Latine loquant: *ferijs redimiti omnes, præeuntibus turbis, currus spolijs onustos ducebant, ferebantur & ligneæ turres, captarum vrbi m simulachra præferentes, imagines actis..., & scripta æ rerum quæ gesserant aurum deinceps, & argentum, partim rudibus massis, partim notis, aut huiusmodi impressum signis, coronæ præterea, quas virtutis gratia vrbes, aut socij, aut exercitus dederant: candidi subinde boues, & elephanti istos sequebantur: post hos, Carthaginienses, & Numidiæ principes bello capti: Imperatorem lictores præibant purpureis amicti vestibus; tum tum cytharœdorum, ac tibiarum turba ad Hetruscæ similitudinem pompæ his succinctis, coronisque aureis redimiti, suo quique ordine canentes, psallentesque prodibant: horum in medio, quispiam talari veste, fimbrijs atque armillis auro splendentibus amictus, gestus vario edebat: hostibusque deuictis insultans risus vndique ciebat.*

postea thuris & odorum copia Imperatorum circumsteterat, quem curru deaurato, multifariamque notis refulgente candidi vehebant equi, auream capite gestantes coronam, lapillis ornatam gemmisque: hic vestem succinctus purpuream, patrio more aureis intextam sideribus, altera manu eburneum sceptrum, altera laurum praeferebat: vehebantur & cum eo pueri, virginesque & ad habenas hinc inde cognati iuuenes: deinum qui exercitus in turmas aciesque diuisus currum sequebantur, milites vero lauru coronati, laurum manu ferentes: quibus meritorum insignia adiuncta erant, qui primores hos quidem laudibus ferrent, alios salibus insectarentur nonnullos infamia notarent. Atque hi quidem, *equis candidis*, vt loquitur vetus Scholiastes Iuuenalis ad vers.45.Sat.10.

——Hinc praecedentia longi
Agminis officia, & niueos ad fraena Quirites.

M Martial.lib.8.Epigr.64.

Hic lauru redimita comas, & candida cultu
Roma salutauit voce manuque ducem.

Sic enim optime legitur, non autem, vt antea deprauate *candida vultu*. ita & Titus Calphurnius Siculus Ecloga 1. restituendus probabiliter.

Candida pax aderit, nec tantum candida vultu
Qualis saepe fuit.

Rescribendum omnino est.

——Nec tantum candida cultu.

Imitatus est Corippus Africanus libro 2. Num.3.

Aequiparans humeris matrem, sic candida cultu
Sic niueis formosa genis.

Nullus alius auriga esse solebat, quam ipse triumphans, clare. Valer.Maxim libr.quarto capit.4.tit.5 *quae manus* (Attilij Calatini) *arantium boum nuper iuga rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt.* Denique *Fascinus Imperatorum non tantum infantium custos, Deus inter sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium, sub his pendens defendit, medicus inuidiae, iubetque eosdem respicere.* qui locus multiplici varietate legitur, in aliquibus, *iubetque eosdem retipere*, in aliis cumulatius, *iubetque eosdem inuidiam recipere*, denique quaedam editiones praeferunt, *iubetque post se Deum respicere.* ita censuit vir eruditissimus Iac. Dalecampius. qui de Fascino plura cupis, lege Turnebum lib. 9 Aduersarior.capit.28. Certe enim fascino vires quasdam inesse credebant, ad magna quaeque turbanda, Heliodor. libro tertio Aethiopic. hanc vim vel oculis, vel verbis attribuebant. Plutarchus [illegible], *oculum fascinantem* vocat. quod & Alciphron, & Alexander Aphrodisaeus prodiderunt. ita Poetae. Q Catull. Epigr.7. oscula sua extra inuidiam & fascinationem posita loquitur.

Quae pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Per linguam execratio intelligi debet, aut noxiae in alicuius caput effusae preces. Gratius in Cynegetico.

Nam sic affectus, oculique venena maligni
Vicit tutela pax impetrata deorum.

Q Horat.lib.1.Epist.14.

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro, morsuque venenat.

Istud proprie Inuidiam appellauant. idem lib. 2.Sat.3.

Inuidiam placare paras virtute relicta?

P.Virgil.Ecloga3.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Et ibidem loci ab eodem scriptum.

Aut si vltra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Sext.Propert.lib.1.Eleg.12.

Inuidiae fuimus, num me Deus obruit? an quae
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?

Post currum inter ornamenta explicari debet *vestis triumphantis*, quae & *toga picta*, & *tunica palmata* solet appellari. Eleganter D. Auson.in Gratiar. Actione. *palmata vestis vt in pace consulis est, sic in victoria triumphantis est.* vtramque purpurei esse coloris, & cocci probatissimi, infra patebit, sed an vna eademque gestamina? controuersum video: confundit Turnebus libro 5. capit. 9. sed tanquam diuersa numerant L.Florus libro primo cap.5. Verrius Flaccus apud Plinium libro 3. cap.3. Erunt tamen mihi vna eademque res trabea consularis, picta, palmataque vestis, purpurea toga, quibus varia conuenire nomina, ob diuersas formas, vt docere possunt Grammatici, Fest. Pompeius libro 14. *picta quae nunc toga dicitur, purpurea antea vocitata est, eaque erat sine pictura, eius rei argumentum est..... pictura in aede Vertumni & Consi quarum in altera M. Fuluius Flaccus, in altera C. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt: tunica autem palmata à latitudine clauorum dicebatur, quae nunc à genere picturae appellatur.* Ita promiscue audio scriptores: Vectium referente Macrobio libr.1.Saturnal.cap.6. *Tullus Hostilius Hosti filius, tertius Romanorum rex, debellatis*

Hetruscis,

Hetrusc is, sellam curulem lictorisque, & pictam, quæ insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus vt Romæ haberentur, instituit, clare institutio narratur; ritum expedit Fl. Vopiscus in Aureliano. *sæpe pro rebus gestis, tunicam palmatam, sellam eburneam, nam te hodie consulem designo*, Iul. Capitolin. in Gordianis. *palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum priuatus suam habuit.* T. Liuius 1. Decad. libro 10. *cui deorum hominumve indignum videri debet, eis viris, quos vos sella curuli, toga picta, prætexta, tunica palmata, & toga insuper picta, & corona triumphali, laureaque honorastis, quorum domus spoliis hostium affixis, insignes inter alios feceritis, pontificalia insignia adiicere.* Idem libro 10. Decad. 3. *Masanissam primum regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & tunica palmata donat.* C. Plin. libro 8. cap. 48. *Trabeis vsos accipio reges, pictas vestes iam apud Homerum fuisse, vnde triumphales natæ.* Videndus Dalecampius ibidem, & Plinius ipse lib. 9. c. 36. *picta* dicebatur, quod *stellis aureis* distinguebatur, vti infra dicetur, *palmata, à palmæ imagine impressa*. Isidor. libro 16. capit. 2. Q. Flor. Tertullian. Apologet. capit. 50. *hic habitus est victoriæ nostræ hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.* Idem lib. de Idololatria capit. 18. *igitur purpura illa & aurum ceruicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more vel prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & corona aureæ sacerdotum prouincialium sed non eadem conditione.* L. Apul. libr. 1. Apolog. *triumphantibus quadrigas albas, & togam palmatam exprobrares.* De veste picta M. Lucan. lib. 9. vers. 177.

———Pictasque togas velamina summo
Ter conspecta Ioui.

Ouid. lib. 2. de Ponto Eleg. 1.

Claraque sumpturum pictas insignia vestes,
Thura prius sanctis imposuisse focis.

D. Auson. Eidyllio 4. in Protreptico ad nepotem.

Vt trabeam pictamque togam, mea præmia consul
Induerer.

D. Iuuenal Sat. 10. princ.

———Pictæ sarrana ferentem ex humeris aulæa togæ.

Et rursus Sat. 6. v. 481.

Et latum pictæ vestis considerat aurum.

de palmata Magnus Ennodius Ticini Episcop. libro 5. Epist. 2. *hic qui bene toga vsi fuerint, reseratis scripturæ finibus palmata blanditur.* lib. 8. Epist. 1. *quia non est proprium, quod quasi singulariter videtur palmata conferre.* Seruius ad vers. 332. lib. 11. Æneid. *Romanorum Imperatorum insigne fuit sella curulis, sicut etiam palmata toga dicitur, quam merebantur ij, qui de hostibus palmam reportassent.* Idem ad Eclogam 10. *triumphantes omnia habent Iouis insignia, sceptrum & palmatam togam, qua vtebantur illi, qui palmam merebantur.* quæ more suo transcripsit Isidorus ex Seruio libr. 19. Etymologiar. 1. 24. Q. Symmach. lib. 6. Epist. 40. *illud ante omnia interpretatio tristis perhorrescit, quod natali vrbis suffectum consulem, currus, quo vehebatur, euoluit per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant, itaque palmata amictus & consularis insignis ornatu fracto crure subl tus est.* Iul. Firmic. Maternus libro 4. Mathes. cap. 15. *tunc enim coronas aureas, tunc prætextas decernis, curulesque consularium, seu proconsularium palmatas.* Sidon. Apollinar. lib. 1. Epist. 5. *iam corona sponsus, iam palmata consularis, iam cyclade pronuba honoratur.* doctissimus Sauaro ibidem. Et lib. 8. Epist. 8. *dissimulas optare palmatam? parce tamen in inuidiam nobilitatis rusticari.* Aurel. Cassiodor. libro 6. formula 1. *palmata si quidem vestræ, nostræ probantur esse victoria.* Athalaricus rex Iustiniano Imperatori apud eundem libro 8. Epist. 1. *vos genitorem meum in Italia palmatæ claritate decorastis.* ex quibus locis perspicuum euadit non modo triumphalem hanc esse vestem, sed & pacificam. idem apertius libro nono Epist. 23. *nam si hominas ornas, semel accepisse palmatam, quid ille censendus est, qui meretur in filiis consulatum?* Fl. Vopisc. in Probo. *te mane pro virtutibus tuis Capitolina palmata.* Ennod. Ticinens. Epigr. 32.

Quid palmata tua tantum de murice vernat?
Plus fucante dedit purpura nostra tibi.

Corruptus mihi videtur Venantius Fortunatus lib. 1.

Alter palmatæ trabea nitet alter honore,
Pingit & ornatum gemma aurum purpura byssus.

Sic enim legendum, & distinguendum, pessime antea.

Alter palmatæ trabeæ nitet altus honore.

M. Martial. lib. 7. Epigr. 1. ad Loricam.

I, precor: & magnos illæsa merere triumphos,
Palmataque ducem, sed cito, redde togæ.

Sidon. Apollin. Carm. 4. in ipso limine.

Post palmam palmata venit.

Et Carm. 7. v. 160.

———palmata cucurrit
Per proauos, gentemque suam.

Et Carm. 15. v. 150.

Palmatam paras ipse patris quia consul.

De Trabea, D. Ausonius proxime super lib-

Conspicuas cum flore genas, diademate crinem,
Membráque gemmato trabeæ viridantia cinctu,
Et fortes humeros, & certatura Lyæo,
Inter Erythræos surgentia colla smaragdos
Mirari sine fine nurus.

Aurum illud vel stellas exprimebat, vt ex Appiano superius citato didicimus, vel triumphantis res gestæ gentilitiumq; stemma auro cælabantur. D. Auson. in Gratiar. Act. *palmatam tibi misi, in qua diuus parens Constantius intextus est. hæc pla..e hæc est picta, vt dicitur, vestis, non auro magis suo, quam tuis verbis* Et paucis interiectis ibidem loci, *Constantius in argumento vestis intexitur, Gratianus in muneris honore sentitur.* Coripp. lib. 1. Num. 15.

Rebus intextam pretioso muri e vestem,
Iustinianorum series vbi tota laborum
Nexo auro insignita fuit, gemmisque coruscat,
Illic barbaricas flexa ceruice phalanges,
Occisos reges subiectásque ordine gentes
Pictor acu tenui multas formauerat artes,
Fecerat & fuluum distincte coloribus aurum,
Omnis vt aspiciens sua corpora vera putaret,
Effigies auro, sanguis depingitur ostro,
Ipsum autem in media victorem pinxerat aula
Effera VVandalici calcantem colla tyranni,
Plaudentem Libyam, fruges laurúmque ferentem:
Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exerto & nudam gestantem pectore mammam,
Autricem imperij, &c.

Tertium versum ita restituimus, cum in editione priore fuisset *necto auro*, admonuit me vir ornatissimus & linguæ vtriusque callentissimus Ioan. Cordanus, posse legi *neto auro*, recte sane, nam acu constat intextum. Cornelius Gallus in Elegia illa cultissima, quam Iacobo Lectio debemus:

Quin etiam argento, puróque intexitur auro
Altera iam castris parta lacerna tuis.
Illic bellantum innumeram studiosa figuras,
Atque audita Ioui prælia pingis acu.

Claudian. iterum libro 2. de Laudibus Stilichonis.

——Gemmisque rigentia profert
Dona, graues auro trahens, insigne Mineruæ
Spirat opus, rutilis hic pingitur aula columnis,
Et sacri Mariæ partus Lucina dolores
Solatur, r..fid.. fulgente puerpera lecto,
Sollicitæ iuxta pallescunt gaudia matris
Suspectum puerum redimitæ tempora Nymphe
Auri fonte lauant tenetos de flumine risus
Vagitusque audire suos ..iam crenerat infans
Ore ferens patrem Stilicho maturior æuo,
Martia secluso tradit præcepta nepoti.
Parte alia spumis fumantem serica fræna
Euchitiusfle.. ebur equum, iaculisque vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua ceruos
Aureus ipse feris, &c.

Hæc eadem vestis appellatur, vt nonnulli volunt, *clauata*, à clauis aureis, quibus distinguebatur. Festus lib. 14. in dictione *picta*, cuius verba superius allata sunt, & lib. 3. in voce *clauata*, ita enim *clauata dicuntur, aut vestimenta clauis intertexta, aut calceamenta clauis confixa*, ad quem locum, non sunt pœnitendæ lectionis, quæ notat doctissimus Gothofredus: hoc illud est discrimen quod inter Senatum & equestrem ordinem constituunt, quod ille *lato*, hic *angusto clauo* ornaretur, viri eruditi ad Suetonii Augustum cap 38. *latum clauum induere, & curiæ interesse permisit.* in Eodem cap. 73. Marcell. Donat. Ponzan. Dilucidation. pagin. 381. Lamprid. in Alexandro Seuero, *vt equites Romani à Senatu claui qualitate discernerentur.* Velleius Patercul. libro histor. Rom. 2. *quippe vixit (Mecenas) angusto clauo pene contentus.* Stat. libro 5. Sil. 2. in ipso limine.

——Nec pauperè clauo
Augustam sedem, & Latij penetrale Senatus
Aduena pulsasti.

Idem corrigendus li. 4. Sil. 5. manu critica iampridem indigens.

Hic paruus inter pignora curiæ
Contentus alto lumine purpuræ
Crescis.

Rescribendum est omnino Bernartio & Turnebo authoribus,

Contentus arcto lumine purpuræ
Crescis.

Ouidius lib. 4. de Tristibus Eleg 10. appositè.

Curia restabat clau.. mensura coacta est,
Maius erat nostris viribus illud opus.

Vlpian. IC. lib. 25. ff. de auro arg. mund. leg. *claui, qui vestibus insuunt.* Vet. Scholiast. Iuuenal. ad vers. 480. Sat. 6. *auro......clauas vestes miratur.* corrigendum censeo *auriclauas vestes*, aut *auriclauatas* vt verbo vtar Flauij Vopisci in Tacito. Æl. Spartian. in Bonoso, *tunicas palliolatas hyacinthinas, subsericas 2. tunicam auro clauatam subsericam librilem vnam*, χρυσόκλαβον, vocant dictione græca sed corrupta & hybrida, vt ex Curopalate libello de offic. Aul. Constantin. obseruat doctissimus Meursius vocem

eam Latina donauit ciuitate Anastasius Bibliothecarius in Leone 3. pag. 193. *Simul iamodo & super altare sanctæ Dei genitricis, quæ appellatur Medicina, fecit vestem de fundato cum periclysde chrysoclaua, habentem historiam Annunciationis Domini*. Idem in Benedicto 3. pagin. 301. *in Ecclesia beatæ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur trans Tiberim, fecit vestem in altari maiori, de chrysoclauo habentem historiam Assumptionis eiusdem Dei genitricis*. D. Iuuenalis suo restituendus splendori, Sat. 16.

Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos,
Millia clauorum.

Ex MS. meo rescribendum est,

—— offendere tot caligas, tot
Millia clauorum.

Denique quod toga hæc pura opponatur pictæ, disserit Iacobus Gutherius libro 1. de Veteri Iure Pontificio Romæ capit. 28. In quo opere multa summi iudicij, & elaboratæ industriæ.

In ornamentis & *sceptrum* numeratur, T. Liu. 3 Decad. lib. 10. supra laudatus, Dion. Halicarnass. lib. 5. in Menenij Agrippæ triumpho, Valer. Maximus lib. 4. capit. 4. de Attilio Calatino, *eburneum* erat. Appian. in Libycis supra, quem parum curiose & fideliter vertit Sigismundus Gelenius, Iul. Bulenger. lib. de Triumpho capit. 30. *aquilam in summitate habebat*, Isidor. libro 18. capit. 2. *id ouantibus non licebat*, Seruius ad illud Eclogæ Virgilianæ 10.

Sanguineis ebuli baccis.

Iuuenal. Sat. 10.

Da nunc & volucrem sceptro quæ surgat eburno.

Sequitur iam *pompa*, in qua ad pascendos voluptate animos, oculosque explendos, *urbium, montium, fluuiorum, regionumque nomina præferebantur, spolia & exuuiæ hostibus detractæ, postremo ipsi duces superati*. C. Tacit. lib. 2. Annal. *Germanicus Cæsar ad septimum Kalendas Iunias triumphans de Cheruscis, Cattisque, quæque aliæ nationes vsque ad Albim colunt, vecta spolia, captiui, simulachra montium, fluminum, præliorum*. M. Tull. Orat. in Pisonem. *vertes te ad alteram scholam, & disseres de triumpho, quid habet currus iste? quid vincti ante currum duces? quid simulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista mihi crede, delectamenta pene puerorum, captare plausus, vehi per vrbem, conspici velle, quibus ex rebus, nihil est, quod referre ad voluptatem corporis possis*. Scipio Asiaticus centum triginta septem vrbium simulachra in triumpho duxit, vt ex Tito Liuio apertum 4. Deca. libro 17. in fine. M. Marcellus in monte Albano triumphauit, tulitque *Syracusas*. Plutarc. in eo. Liuius idem 3. Decad. libro 6. licet id inficietur Valerius Maximus libro 2. capit 3. *Carthaginis imperio abrupta Hispania, & Siciliæ Syracusæ caput abscissum, triumphales iungere currus nequierunt*. sed potior duorum, quam vnius est authoritas. T. Quintius *Præneste victum prætulit*, Liu. 1. Decad. lib. 6. Fest. Pomp. libro 18. *Trientem tertium pondo coronam auream dedisse Ioui donum scripsit T. Q. insti. Dictator, cum per nouem dies totidem vrbes, & decimam Præneste cepisset*. quid sibi velit id donum, explicat ibidem loci Cincius lib. 2. Mystagogic. C. Plin. lib. 5. capit. 5. *& hæc mirum supra dicta oppida ab eo capta, autores nostros prodidisse, ipsum in Triumpho præter Cydamum & Garamam, omnium aliarum gentium vrbiumque nomina, ac simulachra duxisse, quæ iere hoc ordine*. Egregius est Ciceronis locus lib. 2. Officior. *vexatis & perditis exteris nationibus ad exemplum amissi imperij, portari in triumpho Massiliam vidimus*. Ouid. lib. 1. de Arte.

Atque aliqua ex illis, cum Regum nomina quæret,
Quæ loca, qui montes, quæque ferantur aquæ.

Et lib. 4. de Trist. Eleg. 2.

Hic lacus, hic montes, hic tot castella, tot amnes,
Plena feræ cædis, plena cruoris erunt.

Et ibidem loci paucis interiectis.

Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis inuicti sub pede mœsta sedet.
Collaque Romanæ præbens animosa securi,
Vincula fert illa, qua tulit arma manu.

Vrbes istæ titulos scriptos, & apposita nomina, quæ legi possent, habebant ibidem.

Ergo omnis populus poterit spectare triumphos,
Cumque ducum titulis oppida capta leget.

Turres istæ vel ligneæ, Appia. loco aliquoties iam laudato, vel argenteæ, aureæ, ferreæ, seu ex qualibet alia materia, sed prætertim ex ebore Dio libro 44. pagin. 234. ὅτι ξυλίναις, ἀλλ' οὐκ ἐλεφαντίναις ἤγαγεν ... quod ligneis non eburneis imaginibus ferculisque nonnullis vterentur. Ouid. lib. 2. de Ponto Eleg. 2.

Protinus argento versos imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris.
Fluminaque & montes, & in altas prosua siluas,

Armaque

Armaque cum telis instrui iuncta suis,
Dique Trophæorum quod sol incenderat auro
Aurea Romani tecta fuisse fori.
Et lib.3.de Ponto Eleg.4.
Oppida turritis cinguntur eburnea muris.
Claudian.lib.3.de laudib.Stilich.
Ostentare suos prisco si more labores,
Et gentes cuperent vulgo monstrare subactas,
Certa erat vtraque pares à ... dine laurus,
Hæc Alemannorum spoliis, ... illa
Di...or exuuis, illic flauente Sicambri
Cæsarie, nigri hinc Mauri crinibus irent:
Ipse albis veheretur equis, currumque sequuntur
Laurigerum festo fremuissent carmine miles:
Hi famulos traherent reges, hi facta metallo
Oppida, vel montes, captiuaque flumina ferrent,
Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes,
Inde catenato gemeret Germania Rheno.
Idem de 6.Hon. Consul. Roma ipsa seu triumphaturum alloquitur.
——*pugnæ monimenta dicabam*
Defensam titulo Libyam testi ... perenni,
Iamque parabantur pompæ simulachra futuræ
Tarpeio spectanda Ioui, calata metallo
Classis vt auratos sulcaret remige fluctus,
Vt Massyla tuos anteiret oppida currus,
Palladiaque comas innexus arundine Triton
Edomitis veheretur equis, & in ære latentem
Succinctæ famulum ferrent Atlantia cohortes.
Aut è cera pingebantur. Sido. Apollinar. Carm.5 in fine.
————*cum diuite cera*
Pinges Cyniphii captiua mapalia Bocchi.
Fluuij itaque locorum subactorum, catenis iniectis præferebantur, vt ex Claudiano proximè supra de laudibus Stilichonis laudato liquet. Ouid. Elegia proximè citata.
Squallidus immittat fracta sub arundine crines
Rhenus, & infectas sanguine portet aquas.
Et lib.4.de Trist.Eleg.2.
Cornibus hic fractis viridi malè tectus ab vlua
Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat.
Virgil.lib.8.Æneid.in fine.
——*Eufrates ibat iam mollior vndis,*
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.
A.Persius Satyr.6.
——*et iam postibus arma,*
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.
Sext.Propert.lib.2.eleg.1.
Aut canerem Ægyptum & Nilum, cum tractus in vrbem
Septem captiuis debilis ibat aquis.
Obseruatum itaque in hac pompæ traductione vt fluuij iisdem ostiis, quot fluerent, describerentur, hoc est, quod aquas septem, id est ostia Nilum habere dixit, ea autem enumerat Ammian.Marcellin.lib.22.his nominibus, *Heracleoticus, Sebennyticus, Bolbiticus, Phatniticus, Mendesicus, Taniticus, Pelusiacus.* Omitto Geographos, & poëtas aduoco, Aurelium Prudentium lib.2.in Symmach.
——*præsidique lauans septem ostia Nili.*
Valerium Flaccum lib.8.Argonaut.
Seu refluens Padus, aut septem proiectus in amnes
Nilus.
C.Apollonium Collat.Excid.Hierosol.lib.2.
——*linquunt Nili septemplicis amnem.*
P.Ouidium lib.2.Metamorph.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet, ostia septem
Puluerulenta vacant, septem sine flumine valles.
Et lib.5.Metamorph.
——*septem discretus in ostia Nilus.*
Et lib.9.Metamorph.
——*& sep... digestum in cornua Nilum.*
Et lib.15.Metamor. & alibi sæpe eodem in opere
Perque papyriferi septemflua flumina Nili.
Idem lib.2.Amor.eleg.13.
Quaque celer ... Nilus delapsus ab alueo
Per septem portus in maris exit aquas.
Papin Stat.lib.8.Thebaid v.360.
Nilus & Eoas magno bibis ore pruinas,
Scindis fontis opes, septemque patentibus arvis
In mare fers hyemes.
Fest. Auien. sæpe Claudian.lib.1.in Ruffin.
Hinc bibat æstiuum septeno gurgite Nilum.
In Epith.Hon.Mar.& Epig.de Phœnice.
Sed ad Triumphi pompam regredior, duces captiui catenis onerati amissam dignitatem traducti loquebantur, vnde Marcius Varro lib.4. de Ling. Lat. *Victoriam* inde appellatam contendit, *quod hostes victi vincirentur,* quem sequitur Isidor. lib.10. Etymologiar. in dictione *Peruicax.* alludunt scriptores. D.Augustin.lib.18. Ciuit. Dei. cap.13. *aliqui sanè & victum scribunt istum Liberum & vinctum, nonnulli & occisum in pugna à Perseo.* Paul.Oros.lib.septimo, capite trigesimo septimo, de Radagaiso Goth.rege, *sine prælio victum & vinctum sub iugo catenisque depiciant.* L.Florus de Iugurtha lib 3 hist.Rom.

capit.1. *victus ac vinctus vidit vrbem.* Et rara vnquam victoria describitur sine catenarum mentione. Idem Florus libr.2.capit.11. *sed alligati miraculo quodam fuere, cum catenas morsibus & ore tentassent, quum offocandas inuicem & fauces praebuissent.* Eiusdem libri capit.14. *belli ducem deditum ab eo, ad quem confugerat, Thraciae regulo, in vrbem in catenis remisit.* quin & egredientes in bellum duces catenas secum gestabant. Tacit.Lib.2. Annal. *decem millia passuum cadaueribus atque armis oppleuere, repertis inter arma catenis, quas in Romanos, vt non dubio euentu, portauerant.* sic & Flaminius apud Polybium libr.3. adnotante I.Lipsio, cum armis vinciendis hostibus catenas gestauit. L.Flor. libr.3.capit.7. *primus inuasit Cretam M.Antonius, cum ingenti quidem victoriae spe atque fiducia, adeo vt plures catenas in nauibus quam arma portaret.* sed grauissimas inconsideratae sidentiae paenas & Germani apud Tacitum, & Flaminius, & Antonius pependerunt, claro documento humanis viribus non esse insolenter abutendum. ita Zenobia Palmyrenorum regina ducta est, *cum in vinculis,* inquit Fl.Vopiscus in Aureliano, *Zenobiam teneret.* Dionys.Halicarnass.libr.10.pag. 652. τὸν τε ἡγεμόνα τοῦ πολέμου, καὶ τοὺς ἄλλους ἐπιφανεῖς ἄνδρας, δεδεμένους ἄγων. *catenatum prae se agens belli ducem cum aliis illustribus captiuis.* sic *Hamilcar à Cn.Cornelio* ductus, Liu.4. Decad. libr.3. *captiui nobiles Aetoli, & regij duces triginta sex* ab Acilio, vt ex eiusdem Decadis libr.7. clarum, & *multi principes* à L. Aemilio Paulo Proconsule, lib.10. Totum ritum explicat Iosephus in Triumpho Titi & Vespasiani, quem de Iudaeis egerunt libr. 7. capit.24. Hannibal ille iuratus nomini Romano hostis, *ne traderetur Tito Quintio, ob hanc causam in Bithyniam misso, captiuusque Romam veniret, veneni mali poculo animam expulit, & à Romanis se vinculis morte defendit,* vt verbis vtar C.Iulij Solin. Polyhistor. capite quadragesimoquarto. patria C. Tacitus libro decimosecundo Annal. *injiciuntur catenae, & quod in ceteris barbaris est, compede trahebatur.* Idacius historicus lib.2.collection.chronologicar.cap.29 *Pompeius Hierosolymam veniens, capta vrbe, & templo obseruato, ad sancta sanctorum accedit, Aristobulum vinctum secum adducit.* corrige *templo obserato,* nempe à sacerdotibus, vel *reserato,* per vim aperto, sed spero propediem vt & auctior, & correctior ex bibliotheca magni illius Sauaronis author iste prodeat. Toromachus, seu incerti nominis collector historiae chronologicae libro sexto pagina 721. *cumque in gyro castra posuisset, subito à Francis captum & succensum est, & homines VVaiofarii, quos ibidem inuenit, secum duxit, maximam partem Aquitaniae vastans vsque vrbem Aruernam cum omni exercitu veniens, Claremontem castrum captum atque succensum bellando cepit, & multitudinem hominum tam virorum quam mulierum & infantum plurimos in ipso incendio cremauerunt: Blandinum comitem ipsius vrbis Aruernicae captum atque ligatum ad praesentiam regis abduxerunt,* sed lege pro *Blandino* fortassis *Bladinum.* Sigebert.Chr.ad Annum 759. *vrbem Aruernam,* & deinde post, *vrbis Aruernae* ita enim Claromontium appellari debet. Iornandes de Reb.Getic.cap.45. *Euricus vero rex Vesegoth. tum Aruernam Galliae ciuitatem occupauit.* Gregor.Turonens.lib.2.histor. cap.20 *ciuitatem adderе voluit.* Notitiae Prouinciarum liber, *ciuitas Aruernorum.* Paulus Merula tertiae partis Geograph.lib.3.c.29.ita poetae passim intelligend. Guilielmus Apuliensis Rerum in Italia ac Regno Neapolitano Normanicarum l.4.

Ductus Adenolfi miser Exangustus ad vrbem
Praecedebat equum victoris ab hoste ligatus
Ostentare sui pompam cupiente triumphi.
Ter Gallis illo victoria contigit anno.

Gaufredus Malaterra Monachus rerum in Italia gestarum à Roberto Viscardo & Rogerio fratre lib.3.pag.71.

Roma quondam bellipotens toto orbe florida,
Colla superborum domans perlustrabas climata,
Leges dabas, & habenis temperabas omnia,
Ante te tremebant duces, principes, imperia
Curuabantur colla regum loris tuis domita,
Nil superba resistebant, ense tuo territa.
Ordinabas quod volebas, duces siue principes
Deponebas quod volebas, seruos dans humiles
Artibus exercuisti iustos habens iudices.
Dumque iusta sectabaris, fruebaris prosperis.

Stat.lib.3.sil.2.

Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

Hoc est quod trahi captiuos hostes dixerunt. Claudian.lib.2.in Eutropium.

Seu vinctos traherent Medos, Indumque bibissent.

Et lib.de bello Getico.

O rerum fatique vices! qui foeda parabat
Romanas ad stupra nurus, sua pignera vidit
Coniugibus permista trahi.

Itaque si bello capti non fuissent duces, sed

vel

vel in acie occubuerant, vel fugerant, imagines aut vultus pro veris corporibus præferebantur, & sub triumphantis pedibus effigiabantur, ad eam mentem Artemidorus lib. 1. cap. 50. πόδας μὲν οἰκέτας σημαίνειν, *pedes solos domesticos significans.* Achmes Seirimi F. Oneirocritic. cap. 114. *si quis pedes sibi ferreos factos videre visus fuerit, οἱ μὲν ἐπὶ βασιλεὺς μακροζωήσει, καὶ καταπατήσει τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ, si rex fuerit, longam vitam producet, & hostes conculcabit.* Sil. Italic. lib. 17. in fin.

Sed non vlla magis mentésque oculósque tenebat
Quam visa Hannibalis campo fugientis imago.

Ouid. lib. 4. Trist. eleg.

Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis inuicti sub pede mæsta sedet.

Stat. lib. 1. sil. 1. de statua equestri Domitiani.

Ænea captiui crinem tegit vngula Rheni.

Aurel. Prudent. lib. 1. in Symmachum.

Colla tyrannorum media calcemus in vrbe.

Claudian. de 4. Hon. consul.

Colla triumphati proculcet Honorius Istri.

Coripp. in Præfat.

——deus omnia regna
Sub pedibus dedit esse tuis.

Lib. 1. de laudib. Iustini Minoris Num. 3.

Regnaque sub vestris venient fortissima plantis.

Eiusdem libri Num. 15.

——Vandalici calcentem colla tyranni.

Et lib. 2. Num. 3.

Qui soles edomitos victor calcare tyrannos,
Subiectas gentes, & barbara colla domare.

Captiuis triumphali pompa prælatis catenæ igitur iniiciebantur, & quidem collo, brachiis, manibus, cruribus, vt iam sigillatim probabitur de collo. Isidor. lib. 5. Etymolog. cap. 27. *vincula à vinciendo, id est arctando dicta, eo quod constringant atque retineant, vel quia vi ligant colla.* Ouid. lib. 1. de Arte 3.

Ibunt ante duces onerati colla catenis.

Lib. 4. Trist. eleg. 2.

Vincláque captiua reges ceruice ferentes
Ante coronatos ire videbis equos.

Et lib. 2. de Ponto Eleg. 1.

Totque tulisse duces captiuis addita collis
Vincula, pene hostes quot satis esse fuit.

Alb. Tibul. lib. 4. ad Messalam.

Te duce non alias conuersus terga domator
Libera Romanæ subiecit colla securi.

Apollon. Collat. lib. 2. de Hierosolymor. Excidio.

——niueos anteire iugales,
Haud nic pœniteat depressum colla catenis
Vt currus fieri pompa tui.

Claudian. lib. de bello Getico.

Hac & Teutonico quondam patefacta furori,
Colla catenati vidit squallentia Cimbri.

De brachiis retortis, catenatisque Alb. Tibul. lib. 1. eleg. 7.

——euinctos brachia capta duces.

Q. Horat. lib. 2. Epist. 1.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.

De manibus adeo certum est, vt constet non aliam fuisse militarem custodiam, nisi vt dextra captiui catenis, sinistra militis alligaretur, ne ille res nouas tentare possit, & hic capulo paratam dexteram, si vsus ita posceret, haberet. L. Sen. lib. de Tranquill. c. 10. *alligatique etiam sunt qui alligauerunt, nisi tu leuiorem in sinistra catenam putas.* C. Plin. Iunior. lib. 7. Epist. 27. *senex macie & squallore confectus, promissa barba, horrente capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque.* Seneca ille. Idem Epist. 5. *eadem catena custodiam & militem copulat.* pessime antea in vulgatis editionibus legebatur, *custodem & militem*: siquidem custodia pro eo qui in custodia est, eleganter apud probatos reperitur. C. Plin. lib. 21. ca. 3. *eductam custodiam bibere iussit.* prius etiam male, *eductum è custodia.* Sueton. Domitiano c. 14. *plerasque custodias, receptis quidem in manu catenis, audiebat.* Et in Nerone cap. 31. *quorum operum perficiendorum gratia, quod vbique essent custodiæ, in Italiam deportari etiam scelere conuictos, non nisi ad opus damnari præceperat.* leui opera sensus constabit, *quos vbique essent custodiæ,* hoc est rei, seu noxii ergastulis inclusit ipse. testis Suetonius in Calig. cap. 27. *ex noxiis laniandos adnotauit, & custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, stans tantummodo intra porticum mediam, à caluo ad caluum duci imperauit:* sed de custodia ista paulo inferius plura, manibus interea iniici solere vincula loquuntur poetæ Sext. Prop. lib. 5. Eleg. 10. de Cleopatra captiua.

Fugisti tamen in timidi vaga cornua Nili.
Accepere tuæ Romula vincla manus.

D. Iuuenal. Sat. 6. v. 559.

——sonuit si dextera ferro
Læuaque.

Lib. 12. vers. 441.

Summissos enses nequicquam, ementAque dextris.

Sidon. Apollinar. Carm. 7. v. 78.

——gladiisque grauatas
Ante manus, solas iussi portare catenas.

Ouid. lib. 1. Amor. Eleg. 7.

Adde manus in vincla meas, meruere catenas.

Papin. Stat. lib. 12. Thebaid. v. 470.

Me pietas, me duxit amor; deposuere saeua
Supplicia, & dextras iussit inserere catenis.

Virg. lib. 2. Æneid.

——Nam teneras arctabant vincula palmas.

Claudian. lib. 3. de raptu.

Tendere conatur palmas; vis improba ferri
Impedit, & motu somnum excussere catenæ.

Denique cruribus iniecta vincula. Arrian. Nicomedens. lib. 1. Dissertation. Epict. cap. 19. τύραννός εἰμι, δήσω σου τὸ σκέλος. *tyrannum dixeris alicui, vinciam crura tua.* Greg. de 5. Nicetio *catenæ suras attriuerant.* Tertullian. lib. ad Mart. *nihil crus sentit in neruo, cum animus in cælo est.* Sidon. Apollinar. Carm. 2. *vers.* 179.

Despiciens vastas tenuato in crure catenas.

Et Carm. 16. in fine.

Lubrica crura cui signat sub compede carcer.

Ouid. lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Vidi ego compedibus liuentia crura gerentem.

M. Plaut. Captiuis sc. *quo illum* in fine.

———quid cessatis compedes
Currere ad me, meaque amplecti crura?

Claudian. lib. 2. in Eutrop.

Cruraque signati nigro liuentia ferro
Iura regunt.

Porro leuiora vincula *compedes*, grauiora molestioraque *nerui* audiunt, obseruat eruditissimus Theodorus Marcilius, M. Cato apud A. Gellium lib. 11. c. vlt. *fures priuatorum furtorum in neruo atque compedibus ætatem agere, fures publicos in auro atque purpura.* vnde lex decemuiralis. *Triginta dies iusti sunto, post deinde in ius ducito, ni quis endo eo in iure vindicit, secum ducito, vincito aut neruo aut compedibus.* M. Cato in Thermum, vt recitat Nonius Marcellus c. 1. Num. 320.

Neruo, carcere, moletrina.

P. Terentius Afer Phormione Act. 4. sc. 4.

———————————cæterùm
Cum argentum repetent, nostra causa scilicet
In neruum potius ibit.

Quæ Donatus ibidem interpretatur *de sagittarijs* dictum, & eum sequutus Erasmus Roterodamus in Chiliadibus, aliter exponit P. Nannius lib. 2. Symmict. c. 19. Plaut. in Curcul. sc. vlt.

Atque ita te neruo torquebo, itidem vt catapultæ solent

Canem catulum, catellum vocant. Fest. lib. 3. *catulus quoddam genus vinculi, quâ interdum canis appellatur.* C. Lucil. lib. 29. Satyrar. citante Nonio cap. 1. Num. 161.

Cum manicis, catulo, collarique, vt fugitiuum
De portem.

Plaut. in Casina sc. 7.

Tace, deos quidem hodie quæso tu canem
Et furcam feras.

Incertus author exodiarius, laudatus à veteri Scholiaste Iuuenalis Sat. 5. vers. 3.

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud
Populus voluerat,
Digna dignis, sic Sarmentus habeat crassas
Compedes,

Materia horum vinculorum multiplex, ferrum, setæ, argentum, & aurum. de ferro Festus Pomp. lib. 15. *neruum appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes impedimuntur.* Plaut. in Curculione scena vlt. *catulus ferreus* dicitur. Euseb. lib. 6. histor. Ecclesiast. cap. 39. κλοιὸς σιδηροῦς, *vinculum ferreum.* Polyb. legat. 3. σκύλαξ σιδηροῦς. *catena ferrea.* Plato Comicus apud Iulium Pollucem lib. 10. Onomast. c. 39. σκύλαξ. simpliciter *catena*, eidemque Polluci exponitur σκύλαξ, δεσμὸς σιδηροῦς, *scylax, vinculum ferreum.* Isidor. lib. 5. Etymologiar. cap. 27. *neruus est vinculum ferreum, quo pedes vel ceruices impediuntur,* quod è setis fierent compedes, vt & arcuum nerui, nemo ignorat. Vitruuius lib. 10. Archit. cap. 16. *capillo maxime muliebri vel neruo funes.* Iul. Capitolin. in Maximinis, Cæsar lib. 3. belli Ciuil. Dio in Seuero, Appian. in Punic. L. Flor. lib. 2. cap. 15. *in tormentorum vincula matronæ crines suos contulerunt.* Arnob. lib. 5. Cont. Gent. *adest ad insidias Liber, ex setis scientissime complicatis vnum plantæ inicit laqueum.* in Critico Arnobiano libr. 5. cap. 6. eruditissimus Meursius legit, *adest ab insidijs Liber.* setas has equinas fuisse loquitur idem Arnobius paulo post. *vellem iam videre, si esset mihi his nasci temporibus datum, patrem illum Liberum debellatorem ferocitatis Acdestiæ, post deorum augustissimas curias, cæli ab culminibus lapsum, penicula menta decurtantem cantheriorum, innectentem laqueos prolibus.* Artemidor. libr. 1. Oneirocrit. cap. 21. ἱππείας δὲ ἔχειν τρίχας, δουλείας καὶ ταλαιπωρίας σημαίνει, καὶ τοῖς ἐγγενέσι δεσμοὺς ἐπιφέρει, ἐπεὶ γὰρ πλεῖστον τὸ ἵππου χαίτη ἱππεία δεσμόν. *equinos habere pilos seruitutes & ærumnas significat, & seruis legitimis & domi nostræ natis vincula addit, vt plurimum enim seta equina ligamenti vsum præbet.* Tela amentabantur hisce neruis equinis, & balistæ, Fl. Vegetius lib. 4. Rei Milit. cap. 9. *quia onagri vel balistæ, cæteraque tormenta, nisi funibus neruinis intenta nihil prosunt, equorum tamen setæ de caudis ac iubis ad balistas vtiles asseruntur.* Eodem lib. cap. 22. *balista funibus neruis chordisque tenditur.* sed legendum est *funibus neruinis, chordisque tenditur,* quod in optimis codicibus videtur Fr. Modius. arcuum itaque, vt & tormentorum agendorum nerui,

nerui, è crinibus equinis, Hesychius in voce ἱππείοις, Accius in Philoctete, cuius versum imperfectum adducit Seruius ad v.622. lib.9. Æneid.

Reciproca tendens neruo equino concita
Tela.

Ipse Virgilius loco laudato.

Non tulit Ascanius, neruoque obuersus equino
Contendit telum.

Hæc tela *ammentata* dicuntur. Virgilius ibidem loci paulo post.

Intendunt acres arcus, amentaque torquent.

Stat. lib.14. Thebaid. v.154.

———quibus haud amenta, nec enses
Triste micant.

Lib.11. vers.441.

In digitis amenta vides.

Lib.12. v.734.

Summissos enses nec quicquam, amentaque dextris
Laxa tenens.

Nautici funes, & tormentorum bellicorum è lanis caprinis. M. Varro li.2. Rei Rust. cap. vlt. *vt fructum ouis è lana ad vestimentum, sic capra pilos ministrat ad vsum nauticum, & ad bellica tormenta*, denique flagellorum lora è porcinis pilis Scholiast. Lycophronis, Etymologici author incertus in dictione ὕοψ. Sext. Prob. lib.4. eleg.1.

Verbera pellitus setosa mouebat arator,
Vnde Licens Fabius sacra Lupercus habet.

Argentea & aurea vincula commemorant Heliodorus in Æthiopicis libro 9. Herodotus lib.3. Ammianus Marcellinus libro 27. in fine. *regem Arsacem adhibitum in conuiuium iussit ad latentem trahi posticam eumque effossis oculis vinctum catenis argenteis, quod apud eos, honoratis, vanum suppliciorum æstimatur esse solatium, exterminauit ad castellum, Agabana nomine, vbi discruciatus cecidit ferro pœnali.* Q. Flor. Tertullian. de habitu Muliebri cap. 7. *apud barbaros quosdam quia vernaculum est aurum, & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant tanto locupletiores, quanto nocentiores, aliquando reuera inuentum, quomodo & aurum non amatur.* Idem lib. de cultu fœminar. c.3. *quanquam & aurum ipsum, cuius vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula seruire referunt gentilium literæ.* gentem eam esse Æthiopes, & Heliodorus proxime laudatus ostendit, & Dio Chrysostom. Orat. vlt. & Plutarch. in Amatorio apud Theodorum Canterum libr. 1. variar. lection. capit.5. adde & in moribus Persis positum. Iustin. lib.5. *quod cum nunciatum Artaxerxi esset, accersitum ad se fratrem & innocentiam dissimulatione belli simulantem, compedibus aureis vinxit, interfecissetque, ni mater prohibuisset.* Idem lib.11. ad finem. *Interea Darius in gratiam victoris à cognatis suis aureis compedibus, catenisque in vico Parthorum Tanea vincitur.* Q. Curt. lib.5. *ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt, noua ludibria subinde excogitante fortuna.* Trebell. Pollio in Zenobia: *vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat.* ritum Troianum, siue Græcanicum loquitur fuisse Hecuba apud L. Senecam in Troiade Act.1. in Choro.

Non Argolici præda Triumphi
Subiecta feret colla Trophæis,
Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit, currusque sequens
Agamemnonios, aurea dextra
Vincula gestans
Lætis fiet pompa Mycænis.

D. Auson. in ludo Sapientum, vbi sic Solon Atheniensis.

Miseratur ille, vimque Fortunæ videns
Laudat Solonem, Cræsum in amicis habet:
Vinctumque pedicis aureis secum iubet
Reliquum quod esset vitæ, totum degeret,

Latinos id recepisse testis Sext. Propertius lib.2. Eleg.1.

Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in sacra currere rostra via.

Sil. Italic. lib. vlt. in fine.

Ante Syphax feretro residens captiua premebant
Lumina & auratæ seruabant colla catenæ.

Denique vt semel absoluam, vt dedecus tolleretur, frangebantur catenæ, si quem ignominia liberare volebant. Iac. Durant. Casell. li.2. var. cap.13. allusit Ouidius li.1. de Remed. Amor.

Optimus ille fuit vindex, lædentia pectus
Vincula qui rupit, dedoluitque semel.

In signum seruitutis, iidem duces tondebantur, ita viri eruditi exponunt Propertium lib. 4. eleg.11.

Testor maiorum cineres tibi Roma colendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa iacet.

Ennius in Annalibus, vt refert Priscianus in voce *tondeo*.

Et detondit agros lætos atque oppida cepit.

P. Ouid. lib.1. Amor. Eleg.14.

Iam tibi captiuos mittet Germania crines,
Culpa triumphatæ munere gentis eris.

Videatur epigramma antiqui cuiusdam poetæ in Anthol. infra laudandi. Claud. libro.1. in Eutrop.

Militat vt nostris detonsa Sicambria signis.

Certe enim in libertatis indicium, crines alebant quidam populi, sed præsertim Galli,

quos Claudianus cum Sicambris confundit, vnde *regalis capillitij ius* apud priscos Francos, vt disquirit doctissimus Fr. Hottomanus in Francogallia c.9. Aimonius Monach. libro 3. de Gest. Francor. capit. 61. certe omnes reges Galliæ vsque ad Pipinum Caroli Magni patrem, *longis capillis semel in anno tantùm conspiciebantur, comitibus regnum administrantibus.* Pet. Faber Saniorianus Semest. libro 2. cap. 20. originem ritus describit Ado Viennensis Chronic. ætate 6. pagin. 149. *post Pharamundum Franci Chlodionem filium eius, sibi regem statuunt: ab hinc Franci in finibus Thoringorum habitantes, crinitos reges habere cœperunt.* mira sane crinibus illis reuerentia delata, adeo vt eos tetigisse, idem esset ac solemni iureiurando se obstringere. locum adscribam ex incerto, sed antiquo collectore Chronicorum, apud quem Idacius libro 3. ita loquitur, *quadam vice Clodoueus rex Francorum, & Alaricus rex Gothorum qui sedem Tholosæ habebat, post multa prælia quæ inuicem gesserunt, intercedentibus legatis cum pacem inire cupissent, huius conuenientiæ, vt Alaricus barbam tangeret Clodouei effectus patrinus perpetuam adinuicem pacem seruarent, & ad huius placidæ conuentionis, nec Francus, nec Gothus penitus armatus accederet.* Idem collector ex Thoromacho libro 4. Chronic. capit. 8. *Franci electum à se regem, sicut prius fuerat, crinitum inquirentes diligenter ex genere Priami Frigæ & Francionis, super se creant, nomine Theudomerum, filium Ricimeris.* disquisiuit quædam vir doctus Iacobus Durantius Casellius libro 1. variar. capite 18. consignatum idem omnium pene historicorum testimoniis, Gregor. Turonens. libro 2. histor. Franc. capite 9. *Galli in Sicambria reges super se crinitos creauerunt.* Idem libro 6. cap. 24. Et libro 8. ca. 10. præoccupauit magnus ille Sauaro bono literarum & historicæ patriæ natus. *ita comatus Clodoueus* in præfatione legis Salicæ, & *Cheribertus rex Sicamber.* Venantius Fortunat. lib. 6. Remigius de eodem Clodouæo.

—*mitis depone colla Sicamber.*

Sicambri ab Augusto in Gallias traducti, Sueton. cap. 21. vt merito pro eodem populo vsurpari debeant. Claud. lib. de bello Getico.

Agmina quinetiam flauis obiecta Sicambris
Quæque domant Citos.

Quam illi sedem occupassent, priusquam in Gallias appulissent, discussit Hermanus comes Nueuarius, *Rheni accolas* facit Albertus Crantzius libro 1. histor. Saxon. ca. 16. Sidonio assentiente Carm. 7. v. 40. *flauis in pocula fracte Sicambris Rhene tumes.* licet alibi ad Valachim statuat, sibi contrarius. cum Geldrensibus confundit Andreas Althamerus Commentar. in Taciti Germaniam pag. 29. Idem Claud. de 4. Hon. consul.

Ante ducem nostrum flauam sparsere Sicambri
Cæsariem, pauidéque orantes murmure Franci
Procubuere solo.

Et libro 1. de laudib. Stilich.

—*ingentia quondam*
Nomina, crinigero flauentes vertice reges
Qui nec principibus, donis precibúsque vocati,
Paruerant, iussi properant, segnique verentur
Offendisse mora.

Lib. 2. de Laudibus eiusdem.

—*Tum flaua repexo*
Gallia crine ferox, euinctáque torque decoro.

Lib. 3. eiusdem argumenti.

—*illinc flauente Sicambri*
Cæsarie.

Sidon. Apollinar. libro 8. Epist. 9.

Hic tonso occipiti senex Sicamber,
Postquam victus es, elicis retrorsum
Ceruicem ad veterem nouos capillos.

Carm. 13. in ipso limine.

Sic ripa duplicis tumore fracto
Detonsus Valachim bibat Sicamber.

Vt Franci capillati, ita & Gothi, adnotauit idem ille Sauaro millies nominandus, ex Procopio libro 4. Cassiodoro libro 4. Epist. 49. ad Sidonium libro 1. Epist. 2. nec transcribo Edictum Theodorici Regis ca. 195. *quem libet vt capillatorum tertio fuisse conuentum.*

Aurel. Prudent. libro 2. in Symmachum de Roma à Gothis capta.

—*non armis veste comisque*
Ignotus capta passim vagus erat in vrbe.

Claudian. lib. de bello Getico.

Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
Curia.

Sed quoniam eo deuenimus, obiter quædam de tonsoribus sunt discutienda., rituque capillos adornandi. Atque vt inde ordiar, diu tonsorum non modo officium, sed & nomen ignotum Romanis, M. Varro libro 2. Rei Rust. cap. vltimo. *omnino tonsores in Italiam ex Sicilia primum venisse dicuntur, post Romam conditam anno quadringentesimo quinquagesimo quarto, vt scriptum in publico Ardeæ in literis extat, eósque adduxisse P. Ticinium Menam.* quæ C. Plinius ex illo ad verbum pæne traduxit libro 7. Nat. histor. capite 59. & vtroque posterior A. Gellius eadem habet libro tertio capite 4. Itaque illo rudi æuo concinnabant cinifiones, & ferro calido crines contorque-

quebant, qui solus decor habebatur, vt copiosissime hoc opere supra expositum reperies, Æl.Donat.in Eunuch. Act.5.sc.2. Ioan. Meurs.Exercitat.Criticar.parte 1.cap.2.Ianus Guilielmus Verisimil.lib.3.cap.16.consulantur. Isidor. lib.9. cap.31. *antiæ sunt cincinni dependentes prope auriculas.* Idem in gloss. *antiæ, capilli demissi.* hunc semper prisci illi criniti depingebantur, veterumque statuæ comis demissis collocabantur, atque ita poetæ. Q.Horat.lib.1.od.12.

Hunc & incomptis Curium capillis
Vtilem bello tulit.

Lib.2.od.15.

——non ita Romuli
Præscriptum, & intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.

M.Lucan.lib.2.de Catone.

Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.

Ioan.Britannicus, & vetus Scholiastes ad Iuuenalis Sat.4.v.104.

——Facile est barbato imponere regi.

Idem Sat.5.

Ipse capillato diffusum consule potat.

Denique Sat.vlt.

Et credam dignum barba dignumque capillis
Maiorum.

P.Ouid.lib.2.Fastor.

Denique quicquid id est, quo corpora nostra piantur,
Hoc apud intonsos nomen habebat auos.

Et lib.6.Fastor.

Tunc erat intonsi regia magna Numæ.

Alb.Tibull.lib.1. eleg.1. à Iosepho Scaligero correctus.

Gentis Aquitanæ celeber Messalla triumpho,
Et magna intonsis gloria victor ades.

Rescribendum est,

Et magna intonsis gloria victor auis.

Eodem pacto Græci promissas alebant comas, vnde Homerus eos perpetuo veluti epitheto appellat καρηκομόωντας *capite crinitos.* & lex illa celebris Aristoteli refertur lib. 1. Rhetor. *crinitus seruile officium subire non potest.* & Lacedæmonij *quoties adire vitæ periculum volunt, comam detondent,* Plutarch. in Lysandro. in apophthegma. Lycurgi, in Apophthegmat. Nicandri. causam reddebat Leonidas, *quod hostibus terribiliorem, amicis modestiorem crinis redderet.* Philostrat.lib.8.de vita Apollonij c.3.hunc capillum non nisi vrgente maximo periculo exuebant.Petron.Satyrico pagin. 60. *notauit sibi ad lunam tonsorem intempestiuo inhærentem ministerio, execratusque omen, quod imitaretur naufragorum vltimum votum, in cubile reiectus est,* paucis interiectis, *ergo illi qui sunt nocte ad lunam radebantur? pessimo medius fidius exemplo, audio enim non licere cui quam mortalium in naue neque crinem, neque vngues deponere, nisi cum pelago ventus irascitur:* deinde paulo post. *itane, capillos aliquis in naue præcidit, & hac nocte intempesta?* Libanium eadem pene dicentem viri docti obseruant Casellius Durantius lib.2.variar.cap.9. D.Iuuenal.Sat.12.v.81.

Interiora petit Baianæ peruia cimbæ
Tuti stagna sinus, gaudent vbi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.

Nonius Marcellus in *cirros, qui liberi fiebant, ea causa calui erant, quod tempestatem seruitutis videbantur effugere sicut naufragio liberati solent.* vnde liquet manumittendos radi solere. T. Liu.4. Decad.lib.4. *præbuerunt speciem triumphos capitibus rasis, qui seruituti exempti fuerant.* vet.scholiast. Iuuenal.ad finem Sat.5.ibidem Iuuenalis ipse.

——Pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput.

Seruius Honoratus ad vers.584. libro I. Æneid.*hæc etiam libertorum dea est, in templo cuius raso capite pileum accipiebant. cuius rei Plautus etiam in Amphytruone facit mentionem.* Act.1.sc.1. in fine.

——Quod vtinam illis faxit Iupiter
Vt raso capite portem pileum.

Sed longe aliter in codicibus Plauti versus ille concipitur.

——Quod vtinam illis faciat Iupiter
Vt ego hic hodie raso capite caluus capiam pileum.

Ab hoc fonte deriuatum est, vt contrario ritu, quos in seruitutem asserere volebant Græci, tonderent, L.Apul.lib.6.Milesiar. Venus irata *inuolat in Psychen, vestémque plurifariam diloricat, capilloque discisso, & capite conquassato, grauiter affligit.* Briseis ad Achillem in Epistolis Ouidianis.

Exagitet ne me tantum tua deprecor vxor,
Quæ mihi nescio quo non erit æqua modo.
Neue meos coram scindi patiare capillos,
Et leniter dicas, hæc quoque nostra fuit.

Hinc qui in peregrinationem longinquam, aut expeditionem proficiscebantur, capillum alicui deo deuouebant, cui domum reduces, detonsum consecrabant.Papin.Stat.li.6.Thebaid.vers.608.

Flauus ab intonso pendebat vertice crinis,
Arcados, hoc primis Triuiæ pascebat ab annis
Munus, & Ogygio victor cum Marte redisset,
Nequicquam patriis audax promiserat aris.
Tunc liber nexu, lateque in terga solutus
Occursu Zephyri retro fugit.

Ritum eruerat primus, quod se ... Turnebus lib.22. Aduersarior. cap.28. Valer. Flac.lib.1. Argonaut.

Tectus & Eurytion seruato colla capillo,
Quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.

quod autem deo alicui crines eos vouerent, locus Petronij testari potest, Satyrici pag.65. *cui deo crinem vouisti?* ad quem locum viri eruditi consulantur. Seruius Maurus ad versic. 684. lib.4. Æneid. *sacratum crinem Didonis* dixit M. Varro. *Ambracia primum puerilem demptum capillum, item cirros ad Apollinem ponere solebant*, neque adolescentes tantum, sed & virgines id factitare solitæ, Lucian. in Syria dea. sed qui isti dij, quibus vota capillitia? Iulius Pollux videtur insinuare lib.2. cap.3. Num.5. ποταμοῖς ἢ θεοῖς *fluminibus aut dijs*. de fluminibus Scholiastes Pindari, Homerus libro 23. Iliad. & Eustathius interpres ibid. & iam proxime infra dicetur. votum istud concipiebatur interdum statim ab ipsa natiuitate, deposito de recepta consuetudine in terram nuper nato. Q Florens. Tertul. lib. de Anima capite 40. *ita omnes Idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc vteri, infulis apud idola confecti redimiti, genimina sua dæmoniorum candidati profitentur, dum in partu Lucinæ & Dianæ ciulatur, dum per totam hebdomadem Iunoni mensa proponitur, dum vltima die fata scribunda aduocantur, dum prima etiam constitutio infantis super terram Statinæ deæ sacrum est, quis non deinde aut totum filij caput reatui deuouet, aut aliquem excipit crinem, aut tota nouacula prosecat aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro gentica, pro auica, pro publica, pro deuotione priua?* Aiax Telamonius *Ilisso flumini crinem vouet* Philostratus Iunior in Icone eius, Theseus *Apollini Delphico*. Plutarc. in eo. puellæ Deliorum *Hegargeæ deæ*. Pausan. in Atticis. vulgus Atheniensium *Herculi*, ex Hesychio doctissimus adnotauit Isaac. Casaubonus, adolescentes Romani Æsculapio. Stat. libro 3. sil. 4.

Accipe laudatos iuuenis Phœbeie crines,
Quos tibi Cæsareus donat puer, accipe lætus,
Intonsoque ostende patri.

Aut *Apollini* ipsi Martial. libro 1. Epig.2.

Hos tibi, Phœbe vouet totos à vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor.
Grata Pudens meriti tulerit cum præmia pili,
Quam primum longas, Phœbe, recide comas.

Et libro 9. Epigr.17.

Consilium formæ speculum, dulcésque capillos
Pergameo posuit dona dicata deo.

Aut *Ioui*. Stat. lib.6. Theb. vers. 97. & Luctat. Placidius.

Iupiter hunc crinem, voti reus, ante dicarat,
Si pariter nati virides libare dedisset
Ad sua templa genas.

Forte & hoc sensu sumendus Claudianus lib. de bell. Ger.

Sperchiique, & virginibus dilectus Enipeus
Barbaricas lauare comas.

Aut denique *Apollini barbam*, *Baccho crinem* deuouebant. Stat. lib.8. Thebaid. v.492.

Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.

Capillos capitis detondere Græcis in vsu antiquissimo, at *barbas ponere* non adeo vulgatum, quippe Alexander Macedo, *Persico luxu fractus eneruatúsque, asperitatem patriam, & frugalitatem exuens, barbam radere primus instituit.* Chrysippus lib.4. de Voluptate, & ex illo Athenæus libro 13. Dipnosophist. cap.6. tactum hoc sequuti Imperatores Romani. Iulian. in Misopog. pag.127. βαθὺν τὸν πώγωνα, ἢ τὸ ἀτημέλητον τῆς τρίχωσ *barbæ prolixitas, comæ neglectio*. tanta mollitie omnes, vt Ἀδριανὸς πρῶτος πώγωνα ἔθρεψε: *Hadrianus primus barbam nutriuit*, dixerit Ioannes Xiphilinus in Traiano. & barbæ suæ primitias consecrabant alicui è Penatibus suis deo. hinc Nero Iuuenalia instituit, quod barbæ suæ rasæ τρίχας ἐς σφαῖραν χρυσῆν ἐμβαλὼν ἀνέθηκε τῷ Διὶ τῷ καπιτωλίνῳ *pilos in sphæram auream coniectos, Ioui capitolino consecrauit.* vt verbis vtar Dionis libro 61. in fin. C. Petron. pag.22. *Venerisque signum marmoreum, & pixis aurea non pusilla in qua barbam ipsius conditam esse dicebant.* C. Sueton. in Nerone cap.12. *inter buthysia apparatum barbam primam posuit, conditam in auream pixidem, & pretiosissimis margaritis adornatam, consecrauit Capitolio.* pene exciderat properanti, quod Theodosius Clainus histor. Britann. lib.3. habet, *Henricus comam in hac insula princeps barbamque totundit, eiúsque exemplo ducti Angli, quia sua memoria capillo promisso fuerant, omnes confestim tondebantur.*

Certe in eo conuenit inter scriptores & Latino & Græcanico ritu seruos tonsos incedere consueuisse, ingenuos autem capillatos, A. Persius de seruis, vt puto intelligendus Sat.3. vers.55.

——— detonsa iuuentus
Inuigilat siliquis & grandi pasta polenta.

Aristophanes in Auibus.

ἔπειτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις.
Ac dein seruus cum sies, portas comam?

De ingenuis Petronius loco iam laudato, *vidimus senem inter pueros capillatos ludentem pila*. M. Martial. multis in locis lib.2. epigr.57.

Quem

Quem grex togatus sequitur, & capillatus.

Lib.3. epigr.57.

Et pædagogo non iubente lascini
Parere gaudent villico capillati.

Et lib.10.Epigr.62.

Ludi magister parce simplici turbæ,
Sic te frequentes audient capillati,
Et delicatæ diligat chorus mensæ,

Sed legendum puto sensu manifesto, quis enim locus mensæ?

Et delicatæ diligat chorus Musæ.

P.Virgil.lib.10.Æneid.de Ascanio.

——cervix cui lactea crines
Excipit.

Q.Horat.lib.2.od.5.

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces fallere hospites
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

Quo pulchriores essent, vel errare capillos patiebantur vento agitante mobiles, vel in cirros torquebant. Idem lib.3.od.20.

Fertur & leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis.

Lib.4.od.10.idem.

Et quæ nunc humeris involitant, deciderint coronæ.

Denique lib.Epod.od.11.

Aut teretis pueri
Longam renodantis comam.

Ad eum ritum incertus poeta, sed antiquus libro 4.Antholog.cap.4.Epigr.16.

Ἄλλον ἀκερσεκόμης ...

...

Aliam intonsus Hunnorum exercitus extra Istrum,
Detondens à capite crinem demisso.

Ecclesia certè, vel vt sacros ordines amplexi ab aliis ludis sæcularibus negotiis implicatis distinguerentur, vel vt libertatem consecuti viderentur, vel denique vt tam curarum profanarum quàm superflui crinis immunes viderentur, instituit, vt raderentur clerici sacerdotesque. Concil. Braccarense Gothicum 1.Cap.19. *Placuit vt lectores in Ecclesia in habitu sæculari non psallant, neque granos gentili ritu dimittant.* cuius ritu initium à Divo Aniceto Pontifice. Anastas. bibliothecar.in eo. *hic constituit, vt clerus comam non nutriret secundum præceptum Apostoli.* inde tam sæpe in Nithardo de dissensionibus filiorum Ludovici Pij, Monacho Egolismense, Egintharto, & aliis illius æui historicis, *tonso capite monachum fieri*, sed res nimis trita.

Fuerat hic obiter de diuerso gentium ritu aliquid dicendum, sed omnia præoccupata. *Assyrij in luctu barbam tondent, capitis crines demittunt.* Strabo libro 16. quod Ægyptij ... more positum loquitur Herodotus libro 2. Illud pene ridiculum Abantes, ne ab hostibus prehendantur, anteriores crines tondere, posteriores nutrire, ob eam ὀπισθόκομοι dicuntur. *in tergum comati*, seu *retro criniti*. Iul.Pollux libr.2.capit.3.Homerus libro 2. Iliad. non multum à principio, Stat.libro septimo Thebaid.

——Atque in terga comatos.
Non ego Abantiades, geminumque Capharea dixi

Denique nulla re potius luctus indicatus, quam crinibus, nam quidam *barbam capillumque demittebant.* Sueton.Calig.cap.5. Augusto cap.23.alij penitus vouebantur, vel crines lacerabant. Plutarch.in Problemat. Rom.cap. 13 L.Sen.libro 5.de Benef.cap.6.T.Liu.3.Decad. libro 7. *veste obsoleta, capillo & barba promissis præferens vultu habituque insignem ignominiæ acceptæ memoriam.* quo habitu fugit à Cannis Varro, & in vrbem rediit. Iul.Frontin.libro 4.Strategemat.cap.5. Sisenna historicus lib.4.apud Nonium in dictione *vicatim, complures menses barba immissa, intonso capillo, lugubri vestitu, populum flens vicatim cum liberis circumires.* vel certe crines hos è capite laceratos in ignem iniiciebant, vt arderent; vel corpori iam collocato imponebant, quod Caracalla fecit in funere Festi. Herodian. libro 4.de funere Virginiæ. Dionysius Halycarnassæus, contra *Macedones tonsi lugebant*, Arrian.libro 7.de Rebus Alexandri. Solin. Polyhist.capit. 14.M.Tull.libro 3.Tusculanar. sic luxit Alexandrum defunctum mater Darij, Q.Curt. libro 10.Homer.lib.23.Iliad.de funere Patrocli, & libro 24.Odyss.in principio: ita indifferenter alij latini poetæ. Virgil.libro 3. Æneid.vers.65.in funere Polydori, & lib.11. Æneid.in funere Pallantis. Sil.Italic. lib.3. Punicor.

——dissectaque crinem
Illachrymat Venus

M Lucan.lib.2.Pharsal.

——miserando concisa vultu
Effusas laniata comas.

Alb.Tibul.lib 3 Eleg.2.

Ante meum venies longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mæsta Neæra rogum

Sext.Propert.lib.4.Eleg.5.

Exequiæ fuerant rari furtiua capilli
Vincula.

Et lib.1.Eleg.17.

Illa meo charos donasset funere crines.

Q.Catull. in Nuptiis Pelei & Thetidis, siue Argonauticis.

Cum in cinerem canos soluent à vertice crines.

Ouidius libro 3.de Arte.

Depositis siluas Phillida flesse comis.

Lib.3. Transformationum de Narcissi sororibus.

Naiades & sectos fratri imposuere capillos.

Lib.13.fab.2.eiusdem operis.

Inferias inopes, crinum lachrymásque reliquit.

In Epistola Canaces ad Macarium.

In tua non tonsas ferre sepulchra comas.

L.Sen.in Hipolyto Act.5.sc.1.

Capitis exuuias cape.

Et in Troade Act.3.sc.3.

——sume nunc iterum comas,
Et sume lachrymas, quicquid ô misero viri
Funere relictum est.

Stat. lib.6. Thebaid. non multum à principio.

——tergoque & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit.

Et eodem libro post vers.516.

——tibi Lerna comas Larisšáque supplex
Poneret.

Sed ad intermissum de Triumphali Pompa sermonem postliminij iure regredior. vna cum ducibus catenatis *tibicines & cytharœdi* incedebant, Appian. in Libyco paulo supra citatus. D.Iuuenal.Sat.10.

Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia.

Hos insequebantur *scutiferi, scriptores, aliique exercitus ministri,* Appian. ibidem loci, & Liu.4. Decad.lib.8. Tum *obsides*, nam Q. Flaminius *Demetrium regis Philippi filium & Armenen Nabidis Lacedæmoniorum tyranni filium obsides imperatos* ostentauit, idem T. Liu. 4. Decad.lib.4. Fl.Eutrop.lib.4. cap.1. *tormenta bellica & catapultæ* hos insequebantur. Liu.3. Dec.li.9.de Triumpho Metelli, & 4. Decad. lib.6.de Triumpho M.Fuluij, sed & *cælatum argentum hostibus ereptum* lætantis ciuitatis oculis ingerebantur, Plutarch. in Paulo Æmilio Valer.Maxim. lib.4.cap.3. Plin.lib.33. cap.3.& rursus cap.11. Liu.3.Decad.lib.10. in fine. M.Lucan.lib 3.

Quæ Pompeianis prælata est gaza triumphis,
Quæ Cato longinqua vexit super æquora Cypro.

Spolia deinde & captiua arma hostibus erepta. Liu.4.Decad. lib.9. in principio, aut si quid miri in deuictis regionibus esset, si quid oculis ciuium placiturum. Hinc Curius Dentatus *Elephantos* duxit, vt supra videri potest hoc ipso Tractatu, & eosdem Marcellus, & iterum Metellus, Aurelianus Augustus *ignota animalia.* Fl. Vopisc. in illo *Triumphantem præcesserunt Elephanti viginti, Tigrides quatuor, Camelopardi, Alces, cæteráque* *talia per ordinem ducta.* Alij *coronas aureas*, vt supra docui, seu ciuitatibus imperatas, seu sponte ab amicis populis oblatas iubebant præferri. Cn. Pompeius *tabulam lusoriam cum alueis.* C.Plin. lib.37. cap.2. Et Vespasianus deuicta Iudæa *balsama* qua regio illa abundat.idem lib.12. cap.26. in principio. Pompeius victo Mithridate *hebenum* C.Solin. Polyhistor. cap.55. Cn. Manlius *triclinia ærata, abacos, monopodia & stragula ostendit.* Idem Plin. 34.cap.3.appositissime Albinouanus in Consolatione ad Liuiam culta illa Elegia.

Fluminaque, & montes, & nomina magna locorum,
Et si quid miri vidit in orbe nouo.

Denique totum agmen claudebatur à quodam *qui inepta gesticulatione risum omnibus moueret, hostibus illuderet, eosque virtutis Romanæ, & suæ temeritatis admoneret.* Liu. 1. Decad. lib.4. de triumphatis Veientibus, & Fidenatibus à M. Æmilio, gestabátque *picturas* quasdam, quæ *ciseriæ* dicuntur. Fest.lib.3. altera persona erat *Manduci effigies, malis dehiscentibus, & ingentem dentibus sonitum edens*, idem Fest. lib.11. M.Plautus in Rudente Act. 2. sc.6.

CH. quid si me ad ludos pro Manduco locem?
LA. quapropter? CH. quia pol clare crepito dentibus.

Tertia persona erat *Petreia* in eosdem vsus excogitata, vt populo voluptas, hostibus dolor inde oriretur. Fest.lib.14.

Atque hęc quidem pompa præcedebat currum, *sequebantur senatores.* Dio Cocceianus in Augusti triumpho lib.51. pag.459. *ciues redempti* & hostilibus vinculis liberati, vt proxime infra expedientur, & *milites ipsi.* lapis vetus.

L. LICINIVS. DENTATVS. TRIB. PLEB. CENTIES. VICIES. PRELIATVS. OCTIES. EX PROVOCATIONE. VICTOR. QVADRAGINTA. QVINQVE CICATRICIBVS. ADVERSO. CORPORE. INSIGNIS. NVLLVM. IN. TERGO. IDEM. SPOLIA. CEPIT. XXXIIII. DONATVS. HASTIS. PVRIS. IIXX. PHALERIS. XXV. TORQVIBVS. III. ET. LXX. ARMILLIS. CLX. CORONIS. XXXV. CIVICIS. XIII. AVREIS. VIII. MVRALIBVS. III. OBSIDIONALI. I. FISCO. ÆRIS. X. CAPTIVIS. XX. IMPERATORES. VII. IPSIVS. MAXIME. OPERA. TRIVMPHANTES. SECVTVS.

Claudian.lib.3.de laudib.Stilich.

——currúmque sequutus
Laurigerum festo fremuisset carmine miles.

Hi quidem coronati, Liu.5.Decad.lib.5. *militum quidem propria hæc causa est, qui & ipsi laurea-*

riati, & donis, quibus donati sunt, insignes, triumphum nomine cient post duces suos. poterant, & vitia virtutésque libere, vt collibuisset, ducum suorum decantare. Dionys. Halicarnass. lib. 7. in fine. hinc Camillus *parens patriæ* vocatus, & *alter Romulus* Lib. 1. Decad. libro 7. in principio. Plutarch. in illo. Et C. Marius *tertius conditor*. Plut. idem in eo. vitia objiciuntur apud Velleium Paterculum lib. 2. vnde M. Manlius *ambitionis* taxatur, Liu. 4. Decad. lib. 9. in principio. & *auaritia* Cæsari exprobratur. Plin. libro 19. capite 8. sed amarulentius multo sæuiúsque Suetonius in eo capite 49. *Gallico denique triumpho milites eius inter cætera carmina, qualia currum prosequentes ioculariter canunt, etiam vulgatissimum illud pronunciauerunt.*

Gallias Cæsar subegit, &c.

Item cap. 51. *ne prouincialibus quidem matrimoniis abstinuisse vel hoc disticho apparet, iactato æque à militibus per Gallicum triumphum.*

Vrbani seruate vxores, &c.

Pulchre Martialis lib. 7. Epigr. 7.

Festa coronatus ludet conuitia miles.

Frequentius tamen receptiúsque, *Io Triumphe* inclamabatur, qua fausta voce omnia bona augurabantur, & victori duci, & Reip. M. Varro lib. 5. de Ling. lat. Helenius Acron. & Porphyrio ad Horatij lib. 4. od. 2. Et lib. Epod. od. 29. Ouid. lib. 1. Metamorph. fab. 9. in fine, lib. 9. in fine lib. 1. Amor. eleg. 2. lib. 4. Trist. eleg. 2. lib. 2. de Arte in ipso limine. Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 1. Et lib. 2. eleg. 6. M. Martial. lib. 7. Epigr. 5. & plerique alij ab eruditissimo Brissonio in magno de Formulis opere, laudati. ab Apollinis victoria desumptum ritum ne pueri quidem ignorant. Alcimus Anitus lib. 6. cap. 6.

Cantius at melius longe laudabere, cum iam
Hostibus euictis, & Io clamante Triumpho.

Claudianum ita capio. li. de bello Getico.

Personuit venisse ducem, lætisque Quirites
Vocibus, auspicium certi plausere Triumphi.

Ciues redempti, hostilique liberati custodia hic ibant, vt admonui, & socij ciuibus admixti, nam *Terentius Culeo Scipionis currum secutus est*. Valer. Max. lib. 5. cap. 2. *& duo millia captiuorum ab Hannibale venditorum, Titi Flaminij currum*. 4. Dec. lib. 4. Liuius, *capita iis rasa, & pileis imecta*, quasi iampridem manumissionis beneficium fuissent consecuti, eadem Decade lib. 3. de Insubribus vbi Cornelius triumphat.

Post hos *legati* aut *centuriones*. Sueton. in Tiberio cap. 20. denique popæ, sacrificuli, ac victimarij, in turmas diuisi sequebantur, bouemque candidum præ se agentes, cultros sacros, thus, molam, far, vinum, aliaque sacro apparatui necessaria gestabant. atque ita per vrbem totam, à porta triumphali, per viam sacram, & cliuum capitolinum conscendebat Triumphans, hostes in carcerem coniiciebantur. Et quod *Capitolium ascenderent* duces docere potest Suetonius in Cæsare cap. 37. Et in Tiberio loco iam proxime laudato. & dixi lib. 1. hoc opere supra Cap. 6. pag. 13. Pet. Apollonius Collat. libro 2. de Excidio Hierosolymor.

Haud vnquam tali plausu Capitolia consul
Victor init.

Claudian. lib. 1. de laudibus Stilichonis.

Tarpeias pressis subeant ceruicibus arces.

P. Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 1.

Inde petes arcem, & delubra fauentia votis.

Sidon. Apolinar. Carm. 5. v. 595.

Et regum aspicient Capitolia fulua catenas.

Dum hic triumphantes operabantur, captiui reges in carcerem publicum detrusi, strangulabantur. errat Sigismundus Gelenius, & eum sequutus Interpres Gallicus Fl. Iosephi libro 7. de bello Iudaico c. 24. ἦν δὲ ὁ χωρίον ἐπὶ τὴν ἀγορὰν συρόμενος(?) vertit, *per forum trahebatur, laqueo circumdatus*, omnino enim vertẽdum fuerat *in forum loco vicinum*, Is autem non alius erat quàm *carcer publicus*, sic enim vocatur à Calphurnio Flacco Declamat. 4. *video carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis vmbram recipientem, in hanc coniecti, robur Tullianum prospiciunt.* vet. Scholiast. Iuuenal. Sat. 3. vers. 314. *carcere, Tulliano scilicet, cuius & Salustius* (Catilinaria) *meminit.* L. Apul. libro 9. *vinctos in Tullianum impingunt.* Seruius Maurus ad v. 574. lib. 6. Æneid. *post habitam quæstionem in Tullianum ad vltimum supplicium mittebantur.* *Publicum* dixi *carcerem*, vt distingueretur vel à *castrensi*, vt est apud Scholiastem Iuuenalis ad vers. 559. Sat. 6. quem *militarem* appellat Tacitus li. 3. Annal. vel à *libera custodia*, vt lex I C. ff. lib. 1. de custod. reor. quæ in priuatis ædibus. Sueton. Vitell. cap. 2. *in custodiam fratri datus.* vel denique à *carcere priuato*, vt in Codice Theodosiano lib. 9. tit. 11. publicum sane hunc carcerem foro imminentem, & vnicum primitus structum loquitur Liuius 1. Decad. lib. 1. *ad terrorem increscentis audaciæ, media vrbe, imminentem foro carcerem ædificauit.* Iuuenal. loco iam proximo laudato.

Fœlices proauorum atauos, fœlicia dicas
Secula, quæ quondam sub regib. atque tribunis
Viderunt vno contentum carcere Romam.

T. Lucret. Carus libro 3.

Carcer, & horribilis de saxo iactu deorsum.
Aurel.Prudent. περὶ στεφ. in hymno D.Vincentij.

Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Æterna nox illic silet.

Et eodem hymno paulo post.

In hoc barathrum conijcit
Truculentus hostis martyrem.

Et in hymno Fructuosi & Augurij sanctorum.

His dictis adeunt specum reorum,
Exercent ibi mysticum lauacrum.

Incertus author historiæ S.Sauiniani Martyris in Antiquitat.Tricass.promptuario pag. 387.quod Nicolaus Camuzat bono literarum publicauit. *dum tractatur de suppliciis, traditur in ima carceris.* & deinde *extrahitur ab imo carceris.* Imum carceris interpretor *barathrum* cum Prudentio, *Tullianum* cum aliis.Isto carcere publico de quibusdam ciuibus sumptum supplicium Appian. lib.1. bellor.ciuil. ca.4.in fine.ita iussu Tiberij *Pacomianus strangulatus in carcere.* Tacit.lib.4.Annal. Sueton. in Tiberio c.61. Calenus in vehementi illa sua in Ciceronem concione,narrante Dione Cocceiano lib.46. *Cn.Cornelius à Fescennino in vincula coniectus, in carcere mori coactus est.* Valer.Maxim.li.6. cap.1. quare coniungi *laqueus* & *vincula* solent, id est *carcer* & *mors.* C.Tacit.lib.3.Annal.*neque carcer, neque laquei, neque seruilia quidem cruciatus suffecerunt.* Et lib. 4.Annal.*quem enim diem vacuum pœna, quando inter sacra, & vota, quo tempore verbis etiam abstinere profanis mos est vincula, & laqueus inducuntur.* Sidon. Apollinar. libro 1.Epist.7. *uncum, & gemonias, & laqueum, per horas turbulenti carnificis horrescens.* Nota est Marij historia, ad quam in carcerem coniectum carnifex vt interficeret,missus est,quod & Plutarchus in eo retulit,& præter Valerium, Paterculus, Auctorque incertus virorum Illust. cap.67. vetus Scholiast.Iuuenal.ad v.276.Sat.10. Et ad eiusdem Satyræ vers.294. *Appius in carcerem strangulatus est.* vel supple.*Appius in carcerem coniectus strangulatus est.* vel omnino corrige, *Appius in carcere strangulatus est*, C.Plin. Iunior.libro 2.Epist.11.*cæsus fustibus damnatus in metallum in carcere strangulatus,* Aurel.Prudent.lib.1.in Symmachum.

Nec tantum Arpinas consul tibi, Roma, medele
Contulit, extinctis iusta inter vincla Cethego.

Communis itaque ciuibus & hostibus hæc pœna fuit,non in furcis, vt hodie in Europa, perire, aut decollari, sed in carcere iniecto laqueo ceruici necari: ita periit Iugurtha, Plut. in Mar. quod æquitati consentaneum necne fuerit, disquirit Guil.Bellendenus supplicium libellorum Augusti Britanniarum Monarchi magister li.*de Ciceronis Principe, & Senatore* cap.19. ex Incerto Rhetoricorum ad Herennium authore lib.4. Dio Cocceianus expresse libro 61.in fine pag.689. Sil. Italic. lib.2.Punicor.

Vidi ego quum geminas, arctis post terga catenis
Succinctus palmas, vulgo traheretur ouante
Carceris in tenebras, spes & fiducia genti
Regulus Hectorea.

Sidon.Apollinar.Carm.2.v.299.

——, subita cogente ruina
Electura decem post guttura fracta Iugurthæ
Et si non habuit ius vitæ fine supremo,
Certè habuit mortis quem cæcus carcer, & uncus
Et quem spectabat fracturus guttura lictor.

Albinouan.Elegia consolatoria ad Liuiam.

Spiritus ille minax, & Drusi morte superbus,
Carnifici in cæco carcere dandus erit.

Claudian.de 6 Honorij Consulatu.

Ipse Iugurthinam subiturus carcere pœnam
Præberet fera colla iugo, vi captus, & armis.

Statim postquam *mors ducum captiuorum esset triumphanti nuntiata,* sacrificium incipiebatur. Iosephus loco supra laudato. victima erat taurus candidus.Seruius ad vers.146. libro 2. Georgic. *triumphantes de albis tauris sacrificabant,* atque illi e Meuania petiti,vbi Clitumnus aqua sua epota candidos reddere credebatur. C.Plin.libr.2.cap.106. *in Falisco omnis aqua pota candidos boues facit.* sed legendum ex MS. *in Falisco Clitumni omnis aqua pota.* Ita poetæ. Ouid.lib.4. Trist.eleg.2. toties laudata.

Candidaque adducta collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tinget humum.

Lib.3.Amor.Eleg.12.

Ducuntur niueæ populo plaudente iuuencæ,
Quas aluit campo herba Falisca suis.

Lib.4. de Ponto Eleg.4. non triumphalem modo hanc victimam innuit fuisse, sed & consularem. *video* inquit *te purpura velari.*

Templaque Tarpeiæ primum tibi sedis adiri,
Et fieri faciles in tua vota deos.
Colla boues niueos certæ præbere securi,
Quos aluit campis herba Falisca suis.

D.Iuuenal.Sat.12.

Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis.

Virgilius loco proxime laudato.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deum duxere triumphos.

Sext.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 19.

Quæ formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit & niueos abluit vnda boues.

Papin. Stat. lib. 3. sil. 4. in fine.

——— nec si vacuet Mevania valles,
Aut præstent niueos Clitumna noualia tauros.

Sil. Italic. lib. 4. Punicor.

——— patulis Clitumnus in aruis
Candentes gelido perfundit flumine tauros.

Claudian. de 6. Hon. consul.

Quin & Clitumni sacras victoribus vndas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit.

Idem in epigrammate in descriptione armenti.

Non tales Clitumne lauas in gurgite tauros,
Tarpeio referunt quos pia vota Ioui.

Supererat *epulum Triumphale*, Dio Cocceian. li. 44. pag. 234. de Cæsaris triumpho. sed alias illud præoccupatum, & vide supra hoc opere lib. 1. pag. 13. quæ sunt à me dicta. *Consul* solennib. verbis *inuitabatur*. Val. l. 2. ca. 8. *mox at ne adesset rogabatur, ne videlicet trium, hausi quisquam primum locum eriperet*, vt discussum videbis apud Plutarchum Problemat. Rom. c. 88. omnia hic exquisita, & immodicam redolentia superbiam. L. Sen. ad Heluiam cap. 9. in fine, Sueton. Iulio cap. 38. *vini Chij & Phalerni amphoras centum populo dedit*. idem ille Cæsar, Plin. lib. 14. cap. 15. *murenarum sex millia*, idem lib. 9. ca. 55. vnde colligitur totam ciuitatem, omnesque ordines huic conuiuio adhibitos, nam *Lucullus vrbem totam, & suburbanos vicos excepit*. Plutarch. in eo. & Tiberius *mille mensis* populum adhibuit. Suet. ca. 20. simile in Statio lib. 4. sil. 2.

Cum iam Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille simul iussit discumbere mensis.

Locus vel Capitolina cella, vel Capitolina porticus, vel templum Herculis, vel quilibet alius vrbis locus. Dione teste li. 55. statim in limine. Martial. ita intelligendus li. 12. epig. 48.

Non Albana mihi sit commessatio tanti,
Nec Capitolinæ pontificumque dapes.

Ipsi victi fercula inferebant. Sidon. Apollin. Carm. 22. v. 52

Succedit captiua cohors, quæ fercula gazis
Fert onerata suis.

Denique cum in priuatis conuiuiis, *nardo, rosis, vnguentisque* delicatissimis, vt expositum à me supra hoc opere lib. 5. se vngerent, & diserte Atheneus toto pene lib. 15. Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædag. ca. 8. Plut. lib. 3. Symposiac. quæst. 1. & alii triumphali epulo etiam *minium additum*. C. Plin. li. 33. cap. 7. omnia enim Ioui & triumphanti paria. atque vt huius status diebus festis minio oblinebantur, ita triumphales coronæ ipsiusque victoris Imperatoris vultus eo decorabatur.

PARALIPOMENA.

De signis militaribus, bandum, quam varia signa, manipulus, lupus, equus, porcus, Minotaurus, Aquila, materia, color, dracones, imagines Cæsarum, adorata ea, per ea iurare, ea ornare, figere, vellere.

Signorum quædam vocalia, alia muta, de quibus solis hic, nomen habent *quod vel receptum significent vel pugnam*, Isidor. lib. 18. cap. 3. idemque valent ac *vexilla*, ita loquitur Pomponius IC. li. 2. ff. de orig. Iur. Scæuola IC. L. 45. ex quibus caus. maior. *milites discedere à signis sine periculo non possunt*. Callistratus IC. l. 3. ff. de testib. *testes non temere euocandi sunt per longum iter, & multo minus milites auocandi sunt à signis, vel muneribus*. Iuuenalis Sat. vlt. *signorum comitem* pro militante dixit, Tibull. lib. 1. Eleg. 1. *signa tubæque ite procul*.

Quæ Romani proprie vexilla vocarunt, aut signa, ea posterioris æui scriptores *bandum* dixerunt. Glossar. vet. Latino Græcum. *bandum* λίγνον; sed legendum est σίγνον. clarius Suidas, βάνδον καλοῦσι Ῥωμαῖοι σίγνον τὸ ἐν πολέμῳ, *bandum vocarunt Romani signum in bello*. Constantinus Magnus ad Siluestrium Papam. τὰ βασιλικὰ σκῆπτρα, καὶ πάντα τὰ σίγνα, καὶ τὰ βάνδα. *regia, ceptra, & omnia signa, & banda*. Paul. Varnefridus libr. primo de Gest. Longobardor. Capit. 20. *Taso vero Rodulfi vexillum, quod bandum appellant, eiusque galeam, quam in bello gestare consueuerat, abstulit*. hinc βανδοφόρος Leoni Imperatori lib. de bellico apparatu Cap. 3 idem est ac *signifer*. neque omnino Onufrij Panuinij displicet sententia, *equitum vexilla*, inquit, *cohortium signa, legionum Aquilæ*.

Varium sane & multiplex signorum discrimen, Persæ enim *Solem* pro signis præferebant. Q. Curtius libro 3. locuples est testis. Tertullian. Apolog. capit. 16. *alii plane humanius & verisimilius Solem credunt Deum nostrum: ad Persas si forte deputabimur, licet solem non in linteo pictum adoremus, habentes ipsum vbique in suo clypeo. denique inde suspicio quod innotuerit nos ad orientis regionem precari*. Iidem Persæ, quem in altaribus *Ignem*, seu numen deuenerabantur, in militaribus vexillum gestabant. Strabo Amasianus libr. 15. in fine, Procopius libro 2. Belli Gothici, & Q. Curt. libro 4. Thebani inter signa habebant *Sphyngem*, Plutarch. in Pelopida, Æmil. in Epaminonda, Atheniensibus *Noctua* erat in vexillis depicta. Plutarch. in Lysandro. At

Romanorum quam frequenter mutata consuetudo? Initio enim paupere adhuc Republica *fœni manipulus* ferebatur. Ouid. libro 1. Fastor. & Lipsius abundantissime in Militia Romana. Hadrian. Iun. libr. 3. Aduersarior. c. 2. At deinde crescente domi fortisque Maiestate, *lupi, Minotauri, equi, aprique, cum Aquila singulos ordines anteibant*: vt verba vsurpem C. Plinij lib. 10. cap. 4. ac de lupo, equo, & apro, nihil vlterius comperi, nisi bellicosa esse animalia, & Neptuno, Martique sacra. nisi forte aprum cum porco confundamus. Festus libro 12. *porci effigies inter militaria signa quintum locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret cæsa porca fœdus firmari solebat.* De Minotauro Fl. Veg. lib. 3. capit. 6. *veteres Minotauri signum in legionibus habuerunt*, subiungit deinde elegantem, & ducibus necessariam rationem, *tutissimum in expeditionibus creditur, facienda ab hostibus nesciri.* nam vt ille Minotaurus labyrintho inclusus, ita ducum consilia non modo hostibus, sed & suis tecta esse debent, quippe quod pluribus committitur, diuulgari potest. Notum est Apophthegma Metelli, *tunicam comburerem si secretorum conscium scirem*, Auctor Vir. Illustr. cap. 61. Iul. Frontin. lib. 1. Stratagemat. cap. 1. Ne tamen duces contempti videantur, egregia hæc Imperatori norma præfigitur, *quid fieri debeat, tractato cum multis, quid vero facturus sis, cum paucissimis, vel potius tecum.* Vegetius ibidem loci. Festi Pompeij corruptor Paulus lib. 11. *Minotauri effigies inter signa militaria est, quod non minus occulta esse debent consilia ducum, quam fuit domicilium eius labyrinthus.* And. Alciat. Emblemat. 12.

Atque hæc priuatarum, vt videtur, legionum erant signa, sub sola vero Aquila omnes legiones educebantur, & sub ea sola pugnabatur. vnde in Nummo Aug. *Aquila legionaria.* Occo Numismat. pag 58. Plinius loco laudato. Fl. Ioseph. libr. 3. bel. Iudaic. cap. 5. vel quia illa *auium regina*, & illi gentium domini, vel quod *eius ductu Iupiter Titanas profligasset.* Germanicus Cæsar in Comment. in Aratum, & ex eo Lactant. libro 1. cap. 11. vel quod *contra Saturnum Ioui victoriam nuntiasset.* Fulgent. lib. 2 Mytholog. Seru. ad 9. Æneid. vers. 561. *pedibus Iouis armiger vncis.* eam *argenteam* fecit C. Marius in secundo suo consulatu, Cic. Orat. 2. in Catil. magnitudinem eius & figuram licet colligere ex L. Floro lib. 4. hist. Rom. capit. 12. *signa & aquilas duas adhuc barbari possident, tertiam signifer prius, quam in manus hostium veniret, euulsit, mersamque intra baltei sui latebras gerens, incruenta palude sic latuit.* quæ sic potuit occultari in cingulo militari, exiguæ fuisse formæ satis intelligitur. atque ita semper per aquilas Romanos exercitus intelligunt, alios non aduocabo, vnicus satis erit Claudianus, lib. 1. in Eutrop.

——Hos aquilæ Romanaque signa sequuntur.

Lib. de bello Getico.

Fuderit imbelles Aquilas seruilibus armis.

De 3. Hon. consul. in principio.

Lustrauitque tuos aquilis felicibus ortus.

Lib. 1. de laudibus Stilich.

——Fœlices Aquilas quocunque mouebat.

Successerunt deinde lapso pene Imperio dracones. Sidon. Apollin. Carm. 2. v. 232.

Vt primum vestras aquilas prouincia vidit
Desiit hostiles confestim horrere dracones.

Idem Claudian. de Nupt. Hon. & Mariæ.

Stent bella vices aquilæ, sæuique dracones.

De 4. Hon. consul.

——Feruentesque tument post terga dracones.

Atque hi quidem non è metallo aliquo formati, vt aquila, sed vel picti, vel intertexti, & in *linteo* vt supra Tertullianus, *depicti*, hinc vento moueri dicuntur Ammian. lib. 16. *purpureis sub tegminibus texti circumdedere dracones hastarum aureis gemmeisque summitatibus illigati, hiatu vasto perflatiles, & inde ita perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.* Suid. in voce Ἰνδὸς, in voce χωνευτὸ in voce σημεῖα συνθήματα, Themist. Orat. 6. à Tiliobroga laudati videantur. Gaufridus Malaterra Monachus de Gestis Viscardi & Rogerij libro 3. pag. 55.

Equi fremunt, dant hinnitus, aquæ montes resonant,
Mille aura flante leni vexilla subuentilant.

Sidon. Apol. Carm. 5. v. 409 *textilis anguis*

Discurrit per vtramque aciem, cui guttur adactis
Turgescit Zephyris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem.

Imitatus est Claudianum de 3. Hon. consul.

Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla leuant, multusque tumet per nubila serpens
Iratus stimulante Noto, viuitque receptis
Flatibus.

Et lib. 2. in Ruffin. *spirisque remissis.*

Mansuescunt varij vento cessante dracones.

Et de 6. Hon. Consul.

————quid fixa draconum
Ora velint, ventis fluitent, an vera minentur
Sibila, suspensum rapturi faucibus hostem.

Color huius vexilli *purpureus*, Isidor. libro 14. c. 41. Claudian. lib. 2. in Ruffin.

Surgere purpureis vndantes anguibus hastas,
Serpentumque vago cælum seuire volatu.

Alioquin equitum *cæruleum*, peditum erat *roseum* vexillum. Seruius ad principium li. 8. Æneid. quare *Augustus Agrippam generum cæruleo vexillo donauit.* Suet. in eo. cap. 25. disquirit Donatus

Donatus Ponzanus Dilucidation.pag.314.

Postea & ducum nomina signis inscripta, Herodian.lib.2. in Iuliano, & lib.8. in Maximino. Tacit.lib 5. Annal. in principio. *quorum imagines pro vexillis sequuti forent, eos duces Imperator sque deligerent.* Et lib.3.histor.*nomen atque imagines Vitellij amoliuntur.* apud eundem *Zerfines in castris ad imaginem Cæsaris procubuit.* lib.12. Et Tyridates *ad effigiem Neronis insigne regium deposuit.* Sueton.in Vespas. c.6. *nomen eius sine mora vexillis omnibus inscripserunt.* Dio lib. 40. de Crasso in Parthos ducente.Ioan.Xiphilin.in Vitellio,inde *Imaginarij* qui imaginem Imperatoris preferunt. Modest.lib.de vocab. rei militar. L.Sen. in Thebaid.

Nomen ducum vexillæ præscriptum ferunt.

Hinc puto effectum, vt adorentur signa, Sueton. Vitell. c.2. *ad venerandа legionum signa pellexit.* Tertullianus iam proxime infra adducendus. Tacit.libro secundo.Annal.*sequeretur ut Romanas aues, & propria legionum nomina.* Et alibi. *conuersus ad signa & bellorum deos.* Sueton.in Calig. cap.4. *Aquilas & signa Romana, Cæsarumque imagines adorauit.* clare Vegetius lib.2.cap.6. *imagines Imperatorum, & præ[?]enia signa venerantur.* Sozomenus à Lipsio citatur lib.1.c.4.videatur. Claudian. lib.2. in Ruffin.

Augustus veneranda prior vexilla salutat.

Et lib.de bello Get.

Turba salutaris effunditur obuia signis.

Ideo salutari consilio Constantinus crucem inter signa collocauit, vt adorari posset. Iustin.Martyr.Apolog.2. fusissime.Euseb.lib.2. in eius vita cap.7. D.Hierony. Epist. ad Lætam de Institut. filiæ. *vexilla militum crucis insignia sunt.* Nicephorus Callistus lib.7. histor. Ecclesiast.c.36.vide quæ docte ad lib.3.Vegetij c. 17. colligit Godescalcus Stewecckius. vexillum istud *labarum* audit Curopalates pag 76. *dibinion* vocat, *diuum velum.* Brod.ad Anthologiam.Aurel.Prudent. lib.2. in Symmachum.

Christus purpureum gemmanto textus in auro
Signabat labarum.

Ea causa etiam cur *per signa iurarent* milites. T.Liu.1. Dec. lib.6. *obstringere periurio non se solum suumque caput, sed signa militaria, & aquilas, sacramentique religionem.* Q. Tertull. in Apolog. c.16. *religio tota castrensis Romanorum signa iurat, signa veneratur, signa omnibus diis præponit, omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt, sypara illa vexillorum & cantabrorum, stoli crucium sunt, laudo diligentiam, noluistis nudas & incultas cruces consecrare.* præoccupatum hoc iclo M. Lucan. lib.1.

——per signa decem felicia castris
Perque tuos iuro quocumque ex hoste triumphos.

Festis diebus ornabantur. Minutius Felix in Dialogo. *nam & signa ipsa & cantabra, & vexilla castrorum, quid aliud quam inauratæ cruces sunt & ornatæ?* Sueton. in Claudio cap.13. *aquila non potuit ornari.* quod ex eo transcripsit Orosius lib.7.cap.6. Claudian.de Nupt.Hon. & Mariæ.

——Mauortia signa rubescunt Floribus.

Denique hastæ in quibus prælata signa, ferro acuto in terram defigebantur, nec auellebantur, nisi facto sacrificio, & si forte non fuissent sponte vellentes signiferos sequuta, putabatur imminere periculum, & portendi clades, quod aliis dictum nihil opus est hic repetere. Suetonius & Orosius locis proxime supra laudatis, Seruius ad librum vndecimum Æneid. T Liu.3. Decad.lib.2. pene in limine, Appian.in Parthico, Plut.in Crasso. vnde poetæ figere signa, id est, castrametari, vellere signa, in hostem mouere, dicunt. Stat. lib.6.Thebaid.vers.230.

——sic Martia vellunt
Signa tuba.——

Apollon. Collat.lib.1.de Excid.Hierosl.

——aquilas ergo agmine facto
Euertunt & signa solo perfixa reuellunt.

Et lib.4.Idem. *cum signa reuelli,*
Multa duces prius hortatus.

M.Lucan.lib.7.vers.77.

Credite dijs dubitas? ipsi tua signa reuellunt.

Ouid.l b 3.Amor.eleg.14.Sil.Italic.lib.1.6.

——patres an signa moueri
Censuerint.——

Et lib.3. Punicor. *e[?] ic[?]s conuellere signa.*

Et lib.5.eiusdem operis.

Ocyus interea propelli signa iubebat.

Et post eodem libro.

——tum signa sequentur
Nulla vis famam.——

Lib.8. *vellantur signa* lib.12. *castris auulsa mouere signa iubet doctor.* lib.13. *ductor conuelli signa maniplis iubet.* Cl. lib.de bello Gildon.

——vt rubris Aquilas figamus arenis.

Altiora alij, ego hoc Catone contentus sum, & forte.

Cecidi ego, cadet qui sequitur, laus est publica.

F I N I S.

Digitized by Google

RERVM,

ET VERBORVM

MAXIME INSIGNIVM

ELENCHVS, SVMMA DILIGENTIA in vſum Antiquitatis amantium conſcriptus, ac in ordinem digeſtus.

A.

A LITERA tabulis impreſſa quid ſignificarit 659.769
Abaci laminis aureis obducti 500
Abbo Floriacenſis Epiſcopus qui in Vaſconia Martyrio affectus fuit 1016
Abantes ne ab hoſtibus prehendantur anteriores crines tondebant, & poſteriores alebant 1057
Abaris Scytha, Seuthæ filius 154
Abderites Tyriis leges tradidit 762
Abicio pro abiicio antiquè 798
Abolla qualis veſtis 552
Aborigenes quis docuerit agriculturam 128
Aborigenum rex fuit Saturnus 128. ſub illo nemo ſeruiuit, neque quicquam rei priuatæ habuit ibid.
Aborigenes ſolebant dictionem ſalutis alternæ ligno corticibus ſcribere 21
Abraham Patriarcha primus ſcientiam diuinandi ex ſomniis condidit 116
Abrogare proprié populus dicebatur, Senatus autem ſtatuebat vt abrogaretur 771
Abrogationis formula quæ 771
Abſolutionis nota. A. 922
Abſolutio denotata per calculum album 387
Acarnanes ſex menſium ſpatio annum claudebant 340.
Acation velum 988
Acca Laurentia qualis Dea 230
Acca Laurentia Romuli & Remi nutrix ibid.
Accenſi magiſtratuum miniſtri ſunt qui dicebantur accire 740.970
Accenſorum officium quodnam fuerit 750
Accenſorum vſus Prætori quis fuerit 701
Accenſos faciebant veteres ſuos libertos 750
Acceptilatio erat, acceptæ pecuniæ in tabulas relatio 889
Accia ab Apolline, Serpentis formam gerente grauida facta eſt 145
Accinctus pro milite apto ad militiam 959
Accinctus pro milite apto ad militiam 959
Acclamationes quæ fiebant in amphitheatro intrantibus principibus. 452
Acclamationes factæ in nuptiis 613
Acclamatio militum quando inſtituta fuerit 968
Acclamatione aliquando populus ſignificabat legem quæ proponebatur ſibi gratam eſſe, vel ingratam 656
Accubitoriæ veſtes, ſyntheſes dictæ 576
Accubitorium vnde dictum 511
Accumbere in conuiuiis mos erat 510. de hominibus dicitur ibid.
Accumbendi modus quiſnam apud veteres 507
Accumbendi vſus non erat apud veteres ibid.

A

Accusatio in Comitiis centuriatis trinundino promulgabatur 656
Accusatio quarta trium nundinum 928
Accusatio quomodo instituta fuerit ibid.
Accusationis munus quibus laudi & quibus probro fuerit 920
Accusatio triplex 927
Accusationi magistratus intercedere potuit ibid.
Accusati quomodo commiserationem permouere solebant 947
Accusationem cum sibi duo aut plures petiuerunt, iudicium factum est, vter deberet nomen deferre 917
Accusationes & defensiones per multos dies traducebantur 921
Accusator dictus est is, qui ex multis accusatoribus primas egit 917
Accusator dum agebat reus sub rostris adolescentium conuiciis expositus erat 927
Accusator reum citare poterat 918
Accusator, & voce & libello, & omnia quibus reus legem erat transgressus complectebatur 918
Accusator in comperendinatione posteriore loco dixit 922
in domum ingressus in legem ambitus committit 856
petere multam dicebatur in publico iudicio 918
reo absoluto duobus iudiciis oppugnari poterat 923
vbi primum Quæsitor cum iudicibus assedit, quare seruos rei in questionem postularit 920
viginti dies habebat ad accusandum 921
Accusatoris principia, narrationes, contentiones, & perorationes quales fuerint 921
Accusatori ad dicendum horæ duæ datæ 867
Acerra ara quæ ante mortuum poni solebat 318.626.783.784
Acerra Thuraria 318
Achilles à Chilone, dum puer esset, Lyram, & cytharam didicit 190
Achilles Patrochum citharizare edocuit 526
Achilles inuentor Pyrrhicæ decursionis 496
Aciei instructio apud Romanos 979
Acilia Calpurnia lex, vt qui ambitus damnati essent, magistratum non possent capere 870
Acilia lex de coloniis deducendis 841
Acquirit res quomodo dicebantur 887
[illegible] 504
Ἀκρόδρυα omnes arborum species appellantur 805
Ἀκόρεστος qui satiari nequit 518
Acroteria quæ pars nauis 986
Acta publica in mappis exarabantur 312.313
Actæa, & Attica Ceres 196
Actiaca victoria 480
Actiaci ludi quare sic dicti ibid.
Actio est ius persequendi quod sibi debetur in iudicio 897
Actionis instituendæ ratio apud Romanos quæ 916
Actio vindicationis duplex 901
Actiones de ventre cognoscendo 902
Actiones in rem, personam in vtrumque erciscundæ familiæ finium regundorum 898
Actionum diuisiones variæ ex Iustiniano 897
Actionum omnium cum populo quodnam commune principium 657
Actor in iudicio priuato dicebatur petere pecuniam 920
Actor duas horas distinctas per clepsydram habebat 948
Actuariæ nauiculæ celeres 989
Actuarij limites qui 844
Actus in comœdiis quinam 463
Actus neque plures neque pauciores quàm quinque in fabula esse debent ibid.
quare non habeant scænas definitas ibid.
Actus quintus interdum non est pars catastrophes, sed ei æqualis ibid.
Actuarij pacisci, & negotiari poterant cum militibus 751
Acum inuenisse Bellona dicitur 175
Acus qua vtuntur mulieres 581. diuersa illius genera ibid. & 582
Acus vsus duplex 581
Addicere verbum, in fortunatis, prosperisque sumptum 287
Addicere iudicia quid 901
Addici, proprium fori vocabulum 1012
Addici Sacramento quid sit 1012
Addictio iudicum contra reum 911
Addictio Prætoris erat 895
Addictus Circensibus 343
Addictus feris, id est damnatus ad bestias 1012
addictus iurare in verba ibid.
Adduo antiquum pro addo 784
Ademptio cinguli militaris, in grauissimis semper habebatur pœnis, & ignominiosissimis 958
Adicio pro adiicio 798
Adiutores matrimoniorum 610
Adolescentes Romani Æsculapio crinem vouebant 1056
Adolescentes nobilissimi Pyrrichiam saltationem exercere solebant 496
Adolescentes forensibus studiis (sumpta virili toga,) præparati tyrones dicti 504
Adolphus Otto Imperator Romanorũ 1036
Adonis Veneris minister 178

Adoptio

Adoptio qualis actus fuerit,& vbi locum habuerit 887
Adoptionis formula quænam fuerit 895
Adorare apud veteres idem quod agere 808
Adorantes manum deosculari solent 324
Ad pileum vocare quid 102
Adrastia,etiam Nemesis appellata fuit 175
Adrianus Augustus Colossum transtulit 40
ἀδηίμαχα genus pecuniæ recepta à Græcis 721
Adrianus princeps,psallendi,canendique peritus 516
Adrianus occursante sibi Mauro,infaustitatis argumenta duxit 280
Adscriptitij milites qui 972
Aduentitia dos 611
Aduentus Hirundinum 342
Aduersario optionem eripiens quare plus dicatur petere 904
Adulterij lex 859
eius capita ibid.
Adulteri apud Ægyptios,mille plagis cæsi castrabantur 861
Adulterij supplicium 861.862
Adulteri lapidibus obruebantur lege Mosaica 862
Adulterij reus inter milites recipi non poterat 1031
Adulter à participatione sacrorum mysteriorum septem annis exclusus 863
Adulteria sæpè in fano Bonæ Deæ commissa 249
Adulterium Veneris 178
Adulterium non simplex crimen, sed multorum flagitiorum coluuies 861. duplex ibidem
Aduocati togati dicti 572
Aduocati delinquentes qua pœna afficiebantur 572
Aduocatio togata dignitas dicta ibid.
Aduocatus qui fuerit 901
Ἀδηίμαχα ... ludicra Veneris mari generatæ 56
ἄδυτον,adytus 115
Adytus pars templi solis sacerdotibus reseruata 115
Æbutia lex, de xij.tabulis 837
Aedes sacræ qua verborum figura fuerint dedicatæ 110
Aedis Iunonis Monetæ dedicatio 344
Aedes Imperatoris palatium nominatur 14
Aedes structa Ioui Seruatori Corinthi, & altera in Epidaurorum finibus 549
Aedes Pallori structa contra vrbis pomærium 43
Aedes Herculis in Circo 344
Aedes Iuturnæ dicata in campo Martio 342
Aedes Iulio Dictatori structa 54
Aedes Martis extra muros vrbis Romæ 25
Aedes Honoris,& Virtutis quo anno condita 26
Aedes Fortunæ, & Herculis apud Præneste 225
Aedes Dei Sangi colum Tanaquillis seruiuit 47
Aedes Saluti structa, Nerone regnante 45
Aedes priuatorum profanæ atria habebant 58
Aedes vnde dicta 514
Aedicula quid ibid.
Aedificium Deo consecratum 112
Aedilis qui ædes sacras & priuatas curaret 714
Aedilium creandorum gratia consule habuerunt comitia tributa 670
Aedilibus negotium Augustus dedit, ne quem paterentur in foro, circove, nisi positis lacernis togatum consistere 566
Aediles Cereales dicuntur qui frumento præsunt 715
à quo primum creati ibid.
Aediles Curules adeundi prius illi qui aliquid scribere volebant 716
anno 37.creabantur ibid.
fabulas scenicas emebant, & vt agerentur publicè curabant ibid.
Ludos magnos curabant 437.ludos sua impensa faciebant 715
Aediles Curules primi à Dictatore creati 670
Aediles Curules qui, & vnde sic dicti 715
vnde creati ibid.
Aediles Curules vbi Kalendis Ianuariis magistratum inierant, edictum ponebant in quo, quemadmodum de singulis controuersiis ius dicturi essent, populum præmonebant 715
ius quandoque vendendæ aquæ habuerunt 75
Aediles plebeij dein Curules ludis Romanis præfecti 475
Aedilis officium 733
Aediles, fabas, & alia omnia semina spargebant in vulgus 256
Aediles plebeij ludos plebeios curabant 437
Aediles plebis, & Curules Tributis comitiis creabantur 670
Aediles plebis quibus Comitiis creati fuerint 714. vnde dicti ibidem. quoq;

creati ibid. qua occasione creati ibid.
Aediles vitio creati quod sint quomodo intelligendum 714
Aedilium Curulium origo 715. officium quodnam ibid.
AEdilium officium fuit ludos curare 457
Aedilium plebis officia plurima fuerunt 714
Aedilium plebis potestas à Claudio & Nerone Imperatoribus accisa ibid.
Aedilitatis summa dignitas ibid.
Aedilitati definitus erat xxxvij. annus 832. 715
Aedilitatem inter & praeturam interponebatur ad minimum spatium bienni 697
Aedilitatem multi vt vitarent sumptus non petebant 715
Aedilitatem qui gesserant Ædilitij dicti 698
Aedilitium edictum apud Iurisconsultos vnde manarit 715
A edilitia Comitia quæ 660
Aedituus non Aedituus dicendum 315
Aedium fores, & fastigia Lycurgus cur serra, & securi nullo alio adhibito instrumento fabricari iusserit 606
Aedituus vnde dicatur 315
Aegeria Nympha Numæ Pompilij vxor 204
Aegyptiis quinam litteras, & leges tradiderit 169
AEgyptii per Isidem & Serapidem cælum & terram significabant 34
AEgyptij annum bimestris spatio terminabant 340
AEgyptij Dianam colebant 163
AEgyptios lares habuisse fertur 415
AEgyptij papyri volumina Bibliothecis foroque texebant 22.23
AEgyptij à Mercurio Trismegisto leges acceperunt 664
AEgyptij festum Harpocratis celebrabant mense Augusto 345
AEgyptij quo die, & quo mense Mercurio, sacrificabant 345
AEgyptij falsos testes capitis pœna afficiebant 879
AEgyptij calceos ex papyro ferebant 601
AEgyptij primi mortalium, ante vsum literarum inuentum Draconem ore caudam retinentem ad motus reciprocos astrorum, & vicissitudines exprimendas pro anno effinxerunt 340
AEgyptij vetustum vinum in magno pretio habebant 542
AEgyptij mortuos condiunt, & eos domi seruant 632
AEgyptus in potestatem populi Romani reducta mense Sextili 403
AEgypto quinam nomine præfecti præfuerit 747
Aelia Catula nobilissima filia saltauit 481
Aelia lex de coloniis deducendis 841. de obseruatione, & obnunciatione 819
Aelianum ius quodnam fuerit 772
Aelia Sentia de manumissis 849
Aelij Veri ludi natalitij quando celebrati 481
Aemilia lex de censura semestri 833. de clauo pangendo 834. de modo, & genere ciborum 846
Aemilia tribus vnde nomen habeat 664
Aemiliani cur sic dicti 457
Aemilio Regillo triumphante, quinquaginta coronæ aureæ, translatæ è prouinciis superatis 1039
Aeneas Latij heres relictus 2
Aeneas quomodo in Italiam peruenit ibidem
Aeneæ simulachrum patrem humeris gestantis & filium Iulium manu ducentis 199
Aeneas in Numicum fontem lapsus, creditur consecratus 300
Aeneam Iouem indigetem quare nominarint 137
Aeneas Syluius quandiu regno Albano præfuerit 2
Aequalitas, quæ ciues maximè ad concordiam hortatur, nusquam melius inducitur, quam legitimo nuptiarum contractu 610
Aequinoctium Vernum 343
Aerarij plebei quando, & à quibus facti 94
Aerarios fieri quid sit 652
Aerarium populi, fiscus Principis 732
Aerarium militare Augustus instituit 718
Aerarium vnde dictum ibid.
Aerarium priuatum quid sit 725
Aerarium olim totius Græciæ in Delo Insula fuit 719
Aerarium sanctius, cur sic dictum 720
Ærarium in templo Saturni, publicaque pecunia, dum habebatur festum ipsius 133 720
Aerarium duplex
Aerea pecunia antiquitus in vsu hominum fuit 716
Aerea tympana in sacris Cybeles locum habebant 134
Aere graui non signato primum veteres vsi sunt 792
Aeris vsus in statuis frequentissimus 935
Aeris nota ex altera parte Ianus Geminus,

nus ex altera rostrum nauis 853
Aeris octauam partem argento miscuit Liuius Drusus ibid.
Aerosa pecunia, quæ multum æris admixtum sibi habet 713
Aes primus Rex Seruius signauit 853
Aes in æde, Saturni condebatur 719
Aes antiquitus in vsu hominum 718
Aeschylus repertor Tragœdiæ 461
Aeschylus secundum chorum Tragœdiæ adiecit ibid.
Aeschynes Milesius de reipublicæ statu scripsit 769
Aesculapij tres fuerunt 230
Aesculapio capris, & gallinis litabatur 322
Aesculapius cur bacillum nodosum habeat 230
cur laurea coronetur ibid.
Aesculapius nobilis medicus incertis parentibus natus 230. qua ratione coli cœperit ibid.
Aesculapius primus specillum inuenit quo vulnus obligauit 230
Aesculapius medicorum Deus à Scythis, à quibus colitur, sanctus vocatus 232
Aesculapius quomodo depingebatur 235
Aestimatio litis erat iudicium, quo lis æstimabatur 923
fuit præcipuè in causa repetundarum, & peculatus ibid.
Aestimia pro æstimatione dixerunt veteres 801
Aestimatum frumentum quoddam 993
Aestatis initium 343
Aetas virilis ab anno decimo septimo desumpta 574
Aethiopes occursibus, infaustitatis argumenta fuisse 280
Aetoli vmbilicum Græciæ incolunt 53
Aeuitas senium significat 796
Afri cetra vtebantur 1018
ἀγάπη quid sit 613
ἀγαθὴ τύχη bona fortuna 692
Agathyrsi populi Scythiæ colentes Apollinem hyperboreum 154
ἀγχαυρον 365
Agea quæ pars nauis 986
Agenoria Dea, quæ ad agendum incitabat 244
Agesilai cadauer melle ac cera deportatum fuit 633
Agesilaus rex cum forte factus fuisset, à Pincerna rogatus, quantum vini vnicuique daret: quid responderit 482
Agesilai regis memorabile factum 113
Aglaia, Iouis, & Hermionis filia, Veneris famula 182
Aglaophon pictor, insignis 151
Aggeris altitudo quanta 987
Aggeris nomen tripliciter ab antiquis vsurpatum ibid.
Aggrediri pro aggredi antiquè 793
Agi cum populo nonnisi horis intra ortum solis, & occasum licebat, reliquis autem non 771
Agna Præcidanea quæ ante alias mactabatur 321
Agnati, & cognati per virilis sexus cognationem coniuncti sunt 789
Agnati & gentiles quid differant ibid.
Agni subrumi vnde 241
Agonalia 342. 348 cur sic dicta ibid.
Agonalia quando seruentur 335
Agonalis mons etiam Quirinalis dictus 309
Agononensis porta 16
Agoniam antiqui hostiam vocabant 348
Agonia sacrificia 16. 343
Agonius Deus qui præerat rebus agendis 244
Agonius mons 16
Agon semper Romæ mansit 474
Agones qui 322
Agones Capitolini quales ludi 474
quando, & à quo instituti ibidem
Agonibus Capitolinis omne genus artificum certabat ibid.
Agraria lex quænam dicta 994
Agrariæ leges dictæ fuerunt, quod de agris populo diuidendis latæ fuerint ibid.
Agrariarum legum causa leges latæ 841
Agrippa annos 33. regnauit 2
Agrippæ captiui Iudæorum regi bubo regnum promisi 284
Agros patresfamilias quomodo lustrarint 417
ἀγροτέρων θεὸς rusticorum Deus 271
Aiax Telamonius Ilisso flumini crimen vouet 1056
αἴσιμα quid significet 518
αἰγίδα πολιοῦχου clypeus Mineruæ 517
αἰχμή 1029
Aius Locutius qualis Deus 260. eius templum, ara ibid.
Alæ 980
qui milites ibid.
Alabastrites 85
Alaricus Gothorum rex qui sedem Tholosæ habebat.
Romanis mediantibus, vrbem cepit, & intrauit in eam 506
Alba longa à quo condita, quare sic nominata 2
à quo diruta ibid.
Alba quot annos regnarit 2

Albani diruta Albalonga montem Cælium à Tullo Hostilio traditum inhabitarunt 9
Albani regni initium quando cœperit 2. eius reges quot & qui ibid.
Albedo victoriam denotabat.
Albenses, Mansi generis, Albesiis scutis vtebantur 1025
Albesia scuta, cur sic dicta ibid.
Albogalerus dicebatur flaminis Dialis pileus 292
Alboin Cunimundum in prælio occidit, caputque illius sublatum, ad bibendum ex eo populum fecit 537
Alboinus Longobardorum rex meridiare solebat 566
Albunea Sabilla quæ Tiburi colitur 310
albus color natiuus lanæ est, candidus propriè splendens ille, & qui ab arte est 567
albus pruinoso autumno dicatus est 413. Zephyris consecratus ibid.
album pro fausto, bono, fortunatóque sumptum 386
Alcionij dies 346
Alcmena parturiens Herculem 248
Alea legibus Romanis penitus interdicta 431
Aleæ descriptio 431
Alea sumpta pro quolibet ludo fortunæ ibidem
Alecto 211
Alexander Macedo ludere pila solebat 433
Alexander, lyram Paridis videns, quid dixerit 526
Alexander, dies totos à prandio, in venatu consumebat 162
Alexander vnam aurem actori claudebat, vt reo illam reseruaret 930
Alexander Thebis captis, sacris pepercit 113. Persico luxu fractus, eneruatusque asperitatemve patriam, & frugalitatem exiens, barbam radere primus instituit. scriptus Deus decimus tertius 298
Alexander Seuerus sanxit, vt viri in vniuersum inaures non haberent, & matronæ contentæ deberent esse vno reticulo, atque inauribus & baccato monili 105 Aurum coronarium, & negotiatorum Romæ remisit. Fasciis semper visus est 587
Alexandri magni duas statuas marmoreas Romam Alexandria transtulit Constantinus Imperator 16
Alexandrini Isidem colebant 261
Alexandrinæ frumentationes nobilitatæ à Græcis 733
Alexandrinorum sacerdotes vtebantur calceis 596
Alexandrini pueri 246
Alladius, qui etiam Romulus Syluius dictus, quandiu regnarit 2
Allecti, quinam sint, & cur sic dicti 638
Alliensis, dies atra 344
Alliensis dies qui 401
Alliensis pugnæ tempus ibid.
Alligati qui 910
Ἀλλοτριοῦργοι 410
Alma Ceres propterea quod nos alat 184
Alta semita 16
Altaria communia Marti & Veneri. 179
Altaria superorum tantum deorum erant 111.
Altercatio lepida inter Italum & Germanum, de nimia bibendi consuetudine, & de Venere concessa 546
Altor cur Orcus nominatus 210
Aluei sumpti pro nauibus 728 Naues sutiles 728
Alui purgationem primus Aesculapius tertius inuenit 230
Alumna Ceres sic dicta, quod frugum beneficio alantur homines 196
Amalthea 310
Amazones scutis & peltis vtuntur 1019
Amazones sistro vtebantur in expeditionibus pro tuba 265
Amazonius mensis 410
Ambaruales hostiæ, quæ pro aruis à duodecim fratribus sacrificabantur 321. 417
Ambaruale sacrificium quomodo institutum 417
Ambarualia, festa Paganorum nunquam celebrata sine maximo epularum apparatu 23
Ambegnæ 321
Ambegnæ quales hostiæ ibid.
Ambidens ouis appellatur quæ superioribus & inferioribus est dentibus ibidem
Ambiegnæ ibid.
Ambignæ ibid.
Ambire est petere, & impensius quam mores atque leges ferant 696. 869
Ambire vbinam Candidati soliti fuerint 696
Ambitus capitalis 870
Ambitus crimen est quo quis se in ambiendo magistratu obstrinxit 869. è solis testibus confirmatus 919
Ambitus causæ inficiatione defendebantur 921

Ambi-

Ambitus flammam quomodo Iulius Cæsar restinxit 871
ambitus formula quænam 918
de ambitu quinam accusati fuerunt 870
ambitus proprie dicitur inter vicinorum ædificia locus duorum pedum, & semipedis ad circumeundi facultatem relictus 804
ambitus, crimen virtuti proprium 879
vnde dictus ibid.
Ambrosia festum 410
Amburbales hostiæ quæ 321
Amburbia ab Ambarualibus Scaliger non distinguit ibid.
Ambustea cur sic dicta 633
ἀμφίμαλλον, aut ἀμφιβάφιον 556
Amici ad nuptias vocati, cum apparatu recepti 610
Ammonis oraculum 146
ἄμμος arena ibid.
ἀμφιδέαι quid 940
Amor militiæ comparatus 491
Amoris stimuli furori & truculentiæ Tygridis, abreptos fœtus persequentis assimilari 191
Amphiaraus primus prædicendi autor ex aruspicina, aut augurio 276
Amphiaraus vates, bello Troiano interfuit 116
Amphyction, Deucalionis filius primus scientiam diuinandi ex somniis condidit 116
Amphyction vi regno Cranaum deiecit 419
Amphitapæ, vestes vtrinque villos habentes 551
Amphitheatra circulari forma integra construebantur, aut ouali, aut oblonga 439
Amphitheatrum Latinis visorium, differebat à Theatro 443
Amphitheatrum à quo constructum. 443
Amphoræ Olearıæ 539
Ampia Labiena lex de Cn. Pompeij dignitate 837
Ampliatio ex incerta iudicum sententia nata 933
quidnam fuerit ibid.
Ampliationis & comperendinationis discrimen 923
Ampliationis formula quæ 923. Nota N. L. 922
Amplustria, nauium ornamenta, & quare sic dicta 589
Amptruare quid 304
Amula 310
Amulius interficitur 2. regnum quod minori fratri debebatur, fraude occupauit ibid.
ἀναγκαιοτάτων, pecunia à Græcis recepta 721
ἀναχωρῆσαι ἐγκαίως 453
ἀνάθημα, delubrum 115
ἀναδυομένη 55
Anademata, genus mitræ 591
Anarchia in republica Romana quando fuerit 683. quæ politiæ contraria, quid sit 682. in fine.
ἀναρρύσεις 343
Anaxagoras censebat Solem ignitum esse lapidem Peloponeso maiorem 165
Anaxarchus cognomento Eudæmonicus ridebat Alexandrum, quod se Deum faceret 298
Anchorale 988
Anchora quid, quare sic dicta 987
Anchorarius funis 988
Anclabria qualia vasa 310
Anclabris mensa ministeriis diuinis apta ibidem
Anclarare antiquum pro haurire ibid.
Ancillæ ornandis crinibus præfectæ, & psecades appellatæ 584
Anculare antiquum pro ministrare 242. 310
Anculi siue Anculæ, dij deæque ancillarum 242
Ancus Martius fossas circum vrbem fecit 8. Ianiculum vrbi addidit ibid.
Ancus Martius quartus Romanorum Rex, Numæ nepos, mœnia vrbis muro complexus est 10
Ancus appellatur, qui aduncum habet brachium, vt exporrigi non possit 538
Ancyle scutum breue 304
Ancylia cur plura sint ibid.
Ancylia quæ arma dicantur ibid.
Ancyliorum festum 342
Beatus Andoënus, Dido dictus, quid de illo refератur 931
Andocidis Hermes cur sic vocatus. 173
Andronicus primus dedit fabulam. 460
Androdamantes Chalcidensium legislator 664
Angeronalia 413
Angerona silentij Dea 144
Angli quibus vestibus vtuntur tempore brumali 563
Angli exemplo Henrici regis barbam tondebant.
Anguem per impluuium decidere de regulis infaustum 284
Anguem pro Æsculapio Epidauri colue-

runt 230
Angues apud veteres pro Geniis locorum certant semper habiti 209
Angustus clauus insigne Equitum Romanorum 577
Angusti Claui Tribuni ibid.
Animaduersio fuit mulctæ pœnæve legitimæ persecutio 913
Animaduersionis species ibid.
Animaduersiones militum duplices, qui singulæ 996.997
Animæ gradus summus est animus 129
Animæ gradus tres in omni natura ibidem
Animæ mortuorum de arbitrio iudicis inferni noua ferarum corpora subintrabant 942.943
Animales hostiæ quibus sola anima Deo sacrabatur 321
Animalia bellicosa, Neptuno Martique sacra 1062
Animus cur mundi Deus 129
Anna Perenna à Romanis culta 131
Annæ Perennæ festum quando celebratum 360. cur lætitia magna celebratum ibid.
Annæ Perennæ Lauinia insidias struit 231
Annam Perennam quidam Lunam esse putant, ibidem. alij eam vnam ex Athlantibus esse, quæ Ioui vbera præbuerit, ibidem. alij Themin putant, ibidem. nonnulli vetulam quandam Bouillis oriundam ibid.
Annæ Perennæ parricidium 341
Annalis clauus, cur sic dictus 423
Annare, quid sit 357
Annonam diuidere, dare & regere 737
Annonariæ, naues maiores 736
Annonę Pręfecti tributis comitiis creabantur 668
Annonæ præfecti 733
Anni initium primo die mensis Iunij apud Athenienses 344
Anni nomen quam multiplex 339. 340
Anni Romanorum 422.423
Anni militiæ 954.955
Anni Iulij Cæsaris descriptionem adhuc hodie sequimur 328
Anno triplici Romani diuerso tempore vsi 327
Annuli ex electro facti, 533
Annum cur Romani à Ianuario incœperint 346
Annum Iulius Cæsar ex 365. diebus & quadrante constituit 327. à Numa autem ex 354 ibid.
Annum Romani à Martio ordiebantur ibidem.
Annum Solarem cur annum vertentem dixerint 319
Item magnum ibid.
Annus ante Romam conditam spatio tredecim mensium conficiebatur 340
Annus Platonicus, à Platone Philosopho sic dictus 341
Annus Ioui consecratus 339
Annus pro annona apud vetustos scriptores 734
Annus Hippocratis, cur sic dictus, & quot diebus conficiebatur 340
Annus solaris quot diebus colligendus sit 328
Annus Romuli quot menses & dies habuerit 327
Annus Metonis prouerbialiter sumptus 340
Annus Iulianus à Iulio Dictatore 340
Annus ætate Imperatorum in multos Consules diuisus 698
Annus decimus septimus Tyrocinij annus dicitur 567
Annus Lunaris mensis est 329
Annus Metonicus, vnde dictus 340
Annus lunaris & bimestris cur sic dictus 340.
Annus Persarum, Græcorum & Latinorum motu cælestium Syderum Sole duce peractus 340
Annus nouus, sic dictus à Romanis 341
Annus Eudoxi, cur sic dictus 341
Anquina funis 988
Anquirere pecunia 925. capitis ibid.
Anquisitio quid 927
Anquisitionis, & irrogationis differentia 927
Anquisitionis formula qualis fuerit. 927
Ansa 987
Ansæ poculorum diuersæ 538
Anser in lectica stragula veste preciosa sedens cur solemni pompa certo die Romæ quotannis circumferretur 419
Anseres sacri in sacello Iunonis alebantur 140
Ansulæ certæ quæ protendebantur à pede per tibiam, atque crus obligabant 599
Antecessores qui apud Romanos 773
Antecœna quid 716
Antemna 986
Antemnon genus veli 908
Antestari, id est, testem sumere 797
Antestari auriculam imam actor in antestatione memoriæ causa tangebat ibid.

ibid.
Anteuerta Dea 243
Anthesteria mense Nouembri agebantur 46
Anthropophagi populi, qui ad Septentrionem dicuntur esse decem dierum itinere supra Borysthenem amnem ossibus humanorum capitum bibebant, cutibusque cum capillo pro mantilibus ante pectora vtebantur 537
Antia lex ne qui in magistratu vel eundem capturus esset ad cœnam aliquo iret, nisi ad certas personas 846
Antiæ sunt Cincinni dependentes prope auriculas
Antitheti aurigæ monumentum 447
Antilia machina haustoria in naui 986
ἀνθινὰ φορεῖν, vestes floridas ferre 563
ἀντιπεπονθὸς Talio 940
Antipodes quidam qui nec orientem Solem vnquam viderunt, nec occidentem 507
Antiqui sumere cibum semel in die solebant 504
Antiqui in conuiuiis primum poculum in Iouis olympij laudem sumebant, alterum in heroum, tertium in Iouis seruatoris 549
Antiqui Gallum Marti sacrarunt 287
Antiqui quomodo discumbebant in conuiuiis 511.512
Antiqui in dentibus expurgandis curam maximam collocabant 694
Antiqui Bacchos, Bacchantibus & poëtis qui in Bacchi erant tutela mitras dederunt 590
Antiqui cornibus vtebantur pro poculis 531
Antiqui in capitalibus sententiis ferendis calculos diuersi coloris habebant 387
Antiquis in somniis quippiam diuinitatis inesse putabant 116
Antiqui poëmata sua primum ænigmatis scribebant 155
Antisthenes audiens Ismeniam tibicinem esse optimum, quid dixerit 525
Antius Restio quare foras non cœnauerit quandiu vixerit post legem latam 846
Antonia lex de iudiciis 856. non creando Dictatore 834
Antonij lex Cæsaris legi abrogat 867. quare non sit lex ibid.
Antonini ludi natalitij quando celebrati 481
Antonius inter Deos relatus 297
Antonius senatu motus, à M. Valerio Maximo, & C. Iunio Bubulco censoribus, quod vxorem virginem ductam repudiasset, nullo amicorum consilio 621
Antonius Ciceronis occisi caput præcisum inter duas manus pro Rostris poni curauit 643
Antonius Augusti nomen nunquam sumpsit 1036
Antoninus Pius, si delatores non probarent obiecta crimina, capite eos mulctabat 939
Antonius Vacca Iurisconsultus Imolensis 101
Antonius Heliogabalus triumphabat tygribus 1043
Annulus cur quarto sponsæ digito inseratur 603
Annulus ferreus sponsæ mittebatur ibid.
Anus veneficiis & incantationibus infamis celebrata antiquitate 278
ἀνυποδησία, nudatio pedis 595
Apaturia mense Aprili celebrata, à Venere dicta, & quot diebus 343
Aper integer exhibitus in conuiuio munificentia apparatior erat apud antiquos 517
Apere, comprehendere vinculo antiqui dicebant 292
Aper militare signum apud Romanos 967
Apes quid portenderint 284
Apum examina quacunque se dimisissent, polluere locum credita sunt ibidem
Apex sacerdotum insigne 292
Apicius Gabba sub Tiberio scurra nobilis fuit 436
Apochæ qui 753
ἀποκτείνειν interficere 864
Ἀποθεῶ, diuino 300
ἄποδες pisces 945
Ἀποθέωσις apud Romanos quomodo instituta 399.300
Apollinaris Domitiani gener curam palatij Cæsaris habuit 14
Apollinares ludi 344
Apollinares ludi non fuerunt statuti 472
Apollinares ludi in laudem Apollinis celebrati, victoriæ non valetudinis ergo facti 471
Apollinaribus ludis quinam præfuerint magistratus 472
Apollinarium ludorum forma ibid.
Apollinis dies natalis 343
Apollinis simulachrum & cognomina ibid. 351.152
Apollinis sacra targelia 343
Apollines quatuor Cotta apud Ciceronem statuit 150

Apollo Deliacus cur sic dictus 153
Apollo quibus artibus præfectus 150.151
Apollo Sandaliarius 151. 157. cur sic dictus 157
Apollo à Romanis dictus Palatinus siue Actiacus 156.& cur sic vocatus ibid.
Apollo Horus dictus ab Ægyptiis 164
Apollo medicinæ artis inuentor 233
Apophoreta quid 40
Ἀποστόλιμα πλοῖα quid sit 753
Apostoli in omnes mundi partes cum Euangelij luce missi prouincias sorte elegerunt 205
Apparitores magistratuum Romanorum quinam fuerint 101. 749. ex quo genere hominum electi fuerint ibid.
Apotheosis optime descripta 300. idem ac Consecratio 399.quid sit 399
Apparitorum ordo ex libertinis 740
Appia via omnium longissima 25
Appianus quando vixerit 566
Appio Claudio vnde cognomentum Cæci 273
Appiodas oppidum vi captum 475
Appius Cæcus primus Senatum libertinorum filiis inquinauit 97
Appius Claudius primus omnium aquam arcuato opere in vrbem introduxit 75
Appius Consul negabat ius esse tribuno quenquam nisi in plebeium, non etiam populi, sed plebis esse magistratum 90
Appius in carcere strangulatus est 1060
Ἀπρόσος quænam toga dicta 568
Apri effigies inter signa militaria 1062
Aprilis vnde dicatur, variæ opiniones 368
Aprilis mensis Græcis auspicatissimus 343
Apuleia lex de maiestate 858
Apyroti calices, frigidæ aquæ capaces, non calidæ 538
aqua balneis data perpetuo mansit 75
aqua niuata, vino adhibita 540.541.vt ad manus etiam abluendas ibid.
aqua pluuia manu nocens quæ 804
aqua in nuptiis solemnis 614
Aquæ impetratæ ius neque hæredem, neque emptorem, neque vllum nouum dominum sequebatur 75
aquæ dandæ aut vendendæ ius Censorum aut AEdilium Curulium ibid.
aquæ in vrbem Romam deriuatæ ibidem
aquam arcuato opere primus omnium Appius Claudius in vrbem introduxit ibidem
Aquarum tutela locabatur ibid.
Aquis operam præbentes familiæ duæ erant ibid.
eædem familiæ in aliquot species ministeriorum diuisæ ibid.
Aquis non vtentibus, vt leges iubebant grauis pœna constituta ibid.
Aquarioli, mulierum impudicarum sordidi asseclæ 84
Aquæductus celebris in porta Capena 26
Aquæductus quid 803.804.qui violabant grauiter puniebantur 75
Aquæductuum vsus primus Romæ inoleuit 79
Aquægium quasi aquæ agium 81
Aquila quæ subiiciebatur statuæ per quam credebatur animam defuncti in cælo clatam 301
Aquila legionaria 1062
Aquila quando præbuerit nomen futuri boni 283.signum militare fuit 967
Aquilarum effigies intexta aut assuta calceis 597
Aquilæ Romanæ, exercitus denotant 1062
Aquilæ militaris signi & materia & forma 967
Aquilam C. Marius propriè Romanis legionibus dicauit ibid.
Aquilam Tarquinius Priscus in summitate sceptri eburnei habuit 684
Aquilæ præpetes aues 283
Aquilæ vel pauones expressæ videntur in nummis quibusdam defunctos Imperatores, vel Augustos in cœlum ferentes 297
Aquilifer quinam fuerit apud Romanos 967. 972
Aquiminarium 310
Ara quid & vnde 110
Ara Apollini dicata 120
Aris Iouis Pistoris 344
Ara Vestæ in senatu Athieniensium 199
Ara communis Deo & Mineruæ erecta 173
Ara confugij,cur sic dicta 28
Ara Deli Apollinis sacra in qua nullum animal sacrificabatur 153. cornea siue cornuta erat ibid.
Ara deorum Penatium est focus 389
Ara publicæ pacis 28
Ara deorum Larium corona ornata 389
Ara Victoriæ semper in Senatu posita 181
Ara Ioui Herceo structa 142
Aræ Ianis duæ erectæ, sed diuerso discrimine

mine 110
Aræ Opis & Cereris in vico Iugario 345
Aræ priuatæ Laribus consecratæ 120
Aræ summa cum veneratione dicatæ à Romanis ibid.
Aræ qua figura verborum fuerint dedicatæ 110.111.
Aras diis superis & inferis consecratas fuisse, altaria tantum superis diis 111
Aræ quid Græci nominent 110
Arabes mitra vtebantur 591
Arbiter dicitur qui totius rei arbitrium habet 907
Arbiter iudex, quod totius rei habeat arbitrium & facultatem 794
Arbiter quas causas cognouerit 907
Arbitrium adigere vel sumere 794
Arbitrorum duo genera 909
Arbitrariarum actionum formulæ 907
Arbitratoris Iouis templum quare pentapilum
Arbor citri in magno pretio habita 500
frugifera ibid.
Arbores numinum templa olim 27
Arbores quomodo incidebantur 22
Arbores quomodo viuant 129
Arcades non alios cibos habebant quam glandes 193
Arcani ignes, facis, quæ in thesmofotiis accensæ gestabantur 194
Arcarium Gazæ quam pretiosum 719
Arcera plostrum tectum vndique & munitum 796
Arces ad magnificentiam notandam ædificiorum, quæ illa ætate septuaginta cubituum altitudinem attollebatur 233
Archigallus qui præerat sacris Cybeles 134. 313
Archimedes in notitia syderum & motuum peritissimus 340
Archimimi qui 424
Architas Tarentinus cum seruis suis pila ludere solebat 433
Architam Tarentini, egregium ciuem, quasi præceptorem popularis disciplinæ diutius obseruauerunt 762
Arcuato opere quis primus aquam in vrbem Romam perduxerit. 75
Arcus numerantur inter pompæ triumphalis ornamenta 30.
vnde dicti ibid.
illorum forma ibid.
Arcus Fabianus cur fornix Fabianus 1006
Arcus Triumphalis quare nomen fornicis acceperit ibid.
Arcus triumphales ibid.
eorum materia & forma ibid.
Arcuum triumphalium, & trophæorum icones 1007
Arcubus triumphalibus quænam posterioribus ... temporibus fuerint ibid.
ἀρκτοῦρος ... custos 359
Arduitor pro iditor antique positum 784
Arduo antique pro addo ibid.
Area quid sit 29
Area quid proprie 79
Metaphorice loca in vrbe pura, id est non ædificata ibid.
Arena in amphitheatris cur fuerit sparsa 439
Argei loca vbi sacra fiebant in vrbe à Numa consecrata 362
Argeorum sacraria viginti septem fuisse ibidem
Argeorum simulachra scirpea de ponte in Tyberim deiiciebantur ibid. & 343
Argæus fluuius, in cuius pascuis equi nobiles velocitate nutriebantur 450
Argentea pecunia 718
Argenti nota bigæ atque quadrigæ 853
Argento æris octauam partem miscuit Liuius Drusus ibid.
Argento signato populus Romanus ante Pyrrhum Regem deuictum vsus non est ibid.
Argentum quando signatum 853
Argentum signatum in vsu Romæ non erat ante victoriam Pyrrhi 722
Argilletum sic dictum ab Argo illic consecrato 68
Argiui pyra comedebant 193
Argumenta aut verisimilia sunt, aut signa 921
Argus à quo interemptus 189
Argutisacrificia quæ 289
ἀργυροθήκη sacculum 171
ἀργύρια quid 934
Argyroaspides cur sic dicti 1023
Aries quando subiici dicatur 778
Aretinum oraculum indubitatæ exploratæque fidei habebatur 146
Arinæ oues viridis coloris lanæ è quibus verno tempore conuenientissime vestes fiebant 563
Aringa 321
Aristander augurio aquilæ traiicientis in hostes Alexandrum victorem portendit 283
Aristander Telmissensis celeberrimus in arte aruspicina 116
Aristocratia quando in Repub. Romana fuerit 683
Aristocratia quid, & vnde dicatur 682
Aristonicus Caristius in alexandro pila ludere solitus erat 433
ἄριστον, quasi ἄρειν, prandium à mane 505

Aristoteles iustam gerendi belli occasionem cum venatoriis exercitiis coniungit 162
ἀρχιτεκτονικοί optimus artifex 765
Arma militis membra sunt 974
Armaria aduocatorum 514
Arma antiquorum diuersa 1014
ἅρματα ὀρειτρεπτικά 1019
Armorum genera apud veteres Romanos quænam fuerint 972.973
Armati quinam proprie dicantur 868
Armatorum genera pedites, & equites erant 971.972
Armatura diuersa genera 1015
Armatura Romanorum quæ fuerit 973
quinam ea vsi ibid.
Armillæ qualia dona militaria 999
Armilustrium: ab eo quod in Armilustrio sacra faciunt 409
Arniensis Tribus vnde 665.666
Arrogatio quid 646
Arrogationum lex Curiata ibid.
Ars Attracia, id est, Thessalica incantamenta 167
Artabasdus curam palatij habuit 14
Artifices statuarum 934
Artificum conuentus à Numa instituti 874
Artium omnium professores Romæ in templo Pacis ad disputandum conuenêre 239.
Aruales fratres quales sacerdotes 273.291
Aruales fratres ambaruali sacrificio præerant 417
de terminis motis cognouerunt 273
Aruales sodales ibid.
Aruerna Galliæ ciuitas occupata ab Eurico Rege Visigothorum 1050
Arx Thebarum 403
Aryandes Aegypti prætor Darium qui ex purissimo auro monetam cuderat imitatus, & ipse ex purissimo argento fecit, cuius rei insimulatus, & morte affectus est 724
Arymba Epirotarum legislator 664
Ascalaphus Stygis filius 193
Asclepius filius Apollinis Clinicen inuenit 233
Ascanius Albam Longam vbi condiderit 2
Ascanio filio Æneæ regnum paternum incolume manet ad puberem vsque ætatem ibid.
Asclepiades medicus insignis, florebat temporibus æui Pompeij Magni 545
vomitum damnabat ibid.
Ascia ab asciendo dicta 782
Asco[illegible] 989
[illegible] copera 836
ἀσκὸς βόειος, saccus, aut corium bouinum 876
Asini floribus ornati quando Romæ circunducti 393
Asini caput præsepibus affigi solebat ruri præcepto Tagis, & cur 276
Asini syluestres ex India qui cornu habent è media fronte 531
Asinius Pollio Atrij inuentor 58
Asinus famelicus fustem contemnit, prouerbium 518
Asinius Gallus 500
Asinius Pollius HS. vndecim mensam vendidit 500
Aspergillum 320
Aspersorium ibid.
ἀσπὶς ἰσθμικὴ 1025
ἀσπὶς λῃστρικὴ, scutum prædatorium 1025
ἀσπὶς ἱππικὴ, Clypeus equester 1025
As vsurarius 810
Asses quando vnciales facti 853
Asses semunciales facti ibid.
Assiduitas Candidatorum in quibus consistat 696
Assiduus pro locuplete, & facile munus faciente sumitur 201
Assiduus pro locuplete, & facile munus faciente sumitur 801
Assyrij primi inuentores peristromatum 485
Assyrij Iunonem infernam colebant 150
Assyrij in luctu barbam tondent, capitis crines demittunt 1057
Assis libralis seu dupondius in vsu hodie 719
Astandæ & illorum officium 756
Asterius consul 341
ἀστραγάλη, aut ἀστράγαλος 430
ἀστραγαλίζειν, talis ludere ibid.
Asturco Macedonicus donatus Gironi 97
Artaxerxes alea ludere solebat 432
Atæ, cognomento Romano dicebantur illi, quibus pedes tumore vitiati 688
Attellanæ fabulæ 424
Ateria lex de mulcta 913
Ateria Tarpeia lex de mulctis 857
Ateriam legem Tarpeiam Festus nominat 913
ἀτιμία, quid sit 621
Athenienses instituerunt ludos compitalitios 389
Athenienses legem posuerunt, vt galli gallinacei quotannis vno die certamen in theatro inirent 287
Athenienses vestes floridas prohibebant 563
Athenienses leges fecerunt, vt serui cum dominis pari honore epularentur, in ce-

in celebratione Saturnaliorum 423
Athenienses tria festa agebant lampadibus Panathenęis, Vulcanalibus, & Promethęis 195
Athenienses à quibus leges & iura acceperunt 663.664
Athenienses pro victoria facta facientes, veste candida amiciebantur 387
Athenienses pro foribus domuum suarum hermas erectos habebant 173
Athenienses non alios cibos habebant quam ficus 193
Athenienses diei initium sumpserunt ab occidente Sole 334
suos ciues in plebeios & patricios distribuerunt 88
Athenienses statuam Aristonico Carystio erexerunt, & qua de causa 433
Atheniensibus Noctua erat in vexillis depicta 1062
Athenienses à Dracone leges acceperunt 664
Athenienses in quo mense annum incipiebant 344
Athenienses octauum cuiusque mensis diem Neptuno sacrabant 342
Athenienses Clementiæ deæ nullum simulachrum fieri volebant 112
Atheniensium Rempublicam legibus struxit Solon 759
Atilia de Dedititiis 874
de Tribunis in Senatum cooptandis 835.
de Tutelis 850
abrogata quando ibid.
Atilia Martia lex de Tribunis militum 847
Atinia lex de vsucapionibus 853
Atque, pro statim antique dicitur 796
Atrati quinam, & vnde dicti 568
Atreus cum Thyeste regnum diuidit 205
Atri dies qui, & cur sic appellati 337
Atrienses cur sic dicti 59
Atrium templis adiici solitum 57
Atrium Vestæ 58
Atrium Mineruæ & atrium Libertatis 57
Atrum pro inauspicato, infaustoque vsurpatum 386
Atropos quænam Parcarum 220.221
Attalus Asiaticus inuentor latrunculorum 417
Attalus omissa regni administratione hortos fodiebat, & gramina seminabat 21
Attalus lex aurum intexere in vestibus inuenit 484
Attici legem habebant, si quis in insepultum cadauer hominis incidat, saltem ei terram iniiciat 629
Attilius Serranus ædilis 89
Attys Labienus cur Syllæ legem abrogarit, & sacerdotij mandandi ius ad populum transtulerit 275
Attys mutatus in Pinum 135
Atym etiam Capetum nominant 2
Auctionariæ tabulæ quid 920
Auctoramentum pretium 493.494
Auctoratus ibid.
Auctores iuris qui 773
Auctoritas fortunæ 224
Auctoritas Senatus 690
Auctoritas præscripta quid differat ab eo, quod dicitur Senatusconsultum perscriptum 695
Auctoritas quid differat à Senatusconsulto ibid.
Aucupes syllabarum cur Iurisconsulti 772
Auentinum montem Romulus fratri sacrum esse voluit 19
Auentinus quot annos regnauit 2
Auentinus Syluius in dimicando prostratus est, ac sepultus circa radices montis 634
Auentinus mons celebris fuit secessione plebis Romanæ in eum montem facta 19
cur sic dictus fuerit ibid.
id nominis habuit ante Euandri & Herculis in Italiam aduentum ibid.
idem quare Murcius dictus ibid.
Auentinus mons xiij. regio vrbis 103
Lauretum habuit ibid.
plebs vt ad ædificia concederetur lege sancitum 874
quare pomærio vrbis non fuerit inclusus 20. vrbi quare non inclusus 8
Auerruncare antiquum pro auertere 144
Auerruncus deus qui pericula auertebat ibid.
Aues sinistræ quæ 283
funebres ibid.
Clunæ, Remores, Inebræ, Enebræ, Alteræ, Volgræ superuacaneæ ibid.
Aues diræ, quæ laceratione corporum aluntur 632
cur sic dictæ ibid.
Aues fritinnire dicuntur 430
Aues funebres quænam 632
& inauspicatæ 633
Aues pascere nudus summa pœna 631
Aues fusci coloris inter inauspicatas positæ 386
Auis Incendiaria, cur sic dicta 632.633
Auis nigra infortunatissimi augurij 386
Auis Incendiaria quæ 283
Auium aliæ oscines, aliæ præpetes 283
inspectio ad Curiata, & Centuriata Comitia adhibebatur 544

Aufidia lex de ambitu 871
Auguralis lex quænam 275
Augur fuit Romulus 274
Auguris vocabulum non honoris, nec magistratus, sed scientiæ atque artis cuiusdam nomen 275
Augures dum viuerent, licet maximorum criminum conuicti, sacerdotio tamen potiebantur, neque vnquam priuari poterant 275
cur hoc factum fuerit ibid.
Augures necessario adhibebantur ad Comitia 644. nomen habent ab auibus, gerendoque 274. nunciationem solum habent sine spectione 644
primi à Romulo instituti 274
xv. à Sulla instituti, totidemque Pontifices ibid.
quomodo auguria captarint 282
quomodo creati fuerint 274
si vlcera haberent inaugurandi causa sedere prohibiti sunt 275
Augures tres quare comitiis adfuerint 644
tributis comitiis creati 669
Augures à ventorum flatu futura solebant cognoscere 277
Augures minores & maiores 277
publici quinam dicebantur ibid.
Augures summa veneratione habiti ibid.
Auguria belli è pullis Gallis desumpta 287
Auguria ex auibus desumpta 277
Auguria à quibus inuenta 276
Augurij species, in quinque signa ab omnibus distributæ 277
Augurium quasi auigerium 281
Auguria ex cœlo quomodo fuerint data 282
oblatiua qualia, qualia etiam interpretatiua 281
prospera quænam fuerint, quæque aduersa ibid.
speciatim sumpta quid sint ibid.
Auguriorum genera quinque fuerunt 282
Auguria ab ouis & piscibus petebant veteres 285
Auguria ex pullis quomodo captarint Romani 285
Augurum cœtus vniuersus collegium dicebatur 274
Augurum cœtui qui præfuerat, Magister Collegij dicebatur 275
Augurum collegium viguit Romæ vsque ad tempora Theodosij Imperatoris 275
dignitas vnde appareat ibid.
disciplina à Chaldæis & Græcis vsurpata 274
in Hetruria floruit ibid.
quomodo ad Latinos & Romanos peruenerit ibid.
Augurum & Magistratuum auspicia quid differant 644
Augurum numerus vltra quaternium progressus 307
officium quodnam fuerit apud Romanos 275. trium collegium à Romulo institutum 274
IX. collegium obtinuit plebs ibid.
Augurium infelix M. Craffi 282
Augustæ mulieres quomodo consecratæ 298
Augustales ludi 475
Augustales dies reditus Augusti ad Romam 408. 409
Augustalis præfectus Ægypti sic dictus 747
Augusti victoria naualis ex M. Antonio & Cleopatra 345
Augusti mors 545
Augusti natalis 345
Augusti consecratio quomodo peracta 310. col. 2. c. 298
Augustus mensis in Cereris tutela fuit 304.
quare Sextilis & Augustus dictus 403
Augustum montem quare Cælium nominarint 17
Augustus Pontifex maximus creatus quo die & quo mense 342
Augustus Princeps depositurus Imperij administrationem reddidit Rationarium 513
Augustus Bruti caput Romam misit, vt statuæ Cæsaris submitteretur 791. col. 1. c
Augustus, quando cœpit habere stellam in galea depictam 299
Augustus Cæsar mense Sextili primum Consulatum iniit, & triumphos tres in vrbem intulit 43
sextante bibit, eumque sexies tantum ori admouit in conuiuiis publicis 527
voce admonitus 285
Augustus intermissos ludos sæculares restituit 477
post excessum è vita pro deo habitus fuit 476
quid significetur ea voce 702
Romam in quatuordecim regiones descripsit 1
Augustus post cibum meridianum opposita ad oculos manu paulisper conquiescebat 506
Augustus mensis cur Boedromius vocatus 344
Augustus renouauit salutis augurium iam abolitum & intermissum 45
Augustus Princeps in Septembri M. Antonium Ægyptis & Orientalibus copiis ferocem ad Actium debellauit nauali acie 421

Augustus captiuos bello Perusino trucidauit, & quo die 376
Augustus Templum Apollini dedicauit in Palatio 153
Augustus sacras ædes vetustate collapsas refecit 112
Augustus in vrbe Nicopoli monimentum Actiacæ victoriæ instar trophæi erexit 422
Augustus Agrippam generum cæruleo vexillo donauit 1063
Augustus, pumilos atque distortos, omnia generis eiusdem, vt ludibria Naturæ malique ominis abhorrebat 280
Augustus ampliauit stipendium 956
Augustus sub finem principatus Deus coli à suis, haberique voluit 56
Augustus templum Iani clausit 127
Augustus Cæsar pila ludere solebat 433
Augustus, Antonius, & Lepidus orbis terrarum imperium sorte inter se sunt partiti 205
Augustus post Pisonem compitalia renouauit 388
Augustus dictus Pater patriæ, quo die, & quo mense 342
Augustus altè subleuatis calceamentis vsus est 601
Augustus Imper. salutatus, quo die, & quo mense 343
Augustus renunciatus iubebatur diadema proferre 1016
Aulæa 483
Aulus Vitellius Aug. suasit Senatui, vt legatos cum Virginibus Vestalibus mitterent, pacem petituros 201
αὐλὴ atrium 58
Aure in ima memoriæ locus, quem tangentes attestantur 797
Aurea pocula, gemmis distincta clarissimis 535
Aurea pecunia 718
Aurelianus Augustus ignota animalia ducebat in triumpho 1058
Aurelianus Augustus ad hostium timiditatem exprimendam ceruis vectabatur 1043
Aurem memoriæ sacram veteres voluerunt 245
Aureus Romanus nostræ monetæ valet aureos duos 965
Auri clauata vestimenta cur sic dicta 1047
Aurifodinæ in Dalmatia 589
Aurigæ quomodo induebantur in ludis circensibus 448
Aurigantium factiones quatuor 445
Aurigatio forma circensium ludorum ibid.
Aurium pulsus, augurij genus 279
Aurum in pecunia non erat cognitum ante Carthaginem & Corinthum superatas 722
Aurum coronarium 1039
Auscultatores Prosogogidæ 937
Ausonij locus 94
Ausonij poëtæ statua in foro Troiano 893
Auspices solebant nuptiis interesse 610
Auspices olim nuptiis interponebantur 606
Auspicium coactum quodnam sit, & ex acuminibus 96
Auspicia & augurium magistratuum quid differant 644
Auspicia à quibus inuenta 276
Auspicia in castris duo adhibita fuerunt 968. 284
Auspicia priora obnunciatione 644
Auspiciorum genera tria 643
Auspiciis suis vel alienis militare quidnam sit 968
Automata & pegmata idem esse 485
Αὐτόματα ibid.
Auxilia, & legiones quid differant 964
Auxilia illi milites dicebantur, qui sociis vel fœderatis gentibus mittebantur ibid.
deteriore conditione fuerant quam legionarij milites ibid.
Axamenta quid sint 304
Axare est nominare ibid.
Axones, id est leges Solonis 664
ἄξωνες 398
ἄξων quid significet 95

B

Babylonica peristromata cur sic dicta 483
Babylonij diei initium sumpserunt ab oriente sole 334
Babylonij quoddam festum habebant, cui nomen *Sacææ* 423
Bacariones 84
Bacchanalia quæ fuerint, & quo luxu, atque amentia, & furore celebrata 416
quomodo in Italiam & Romam irrepserint ibid.
Bacchanalia mense Nouembri celebrata 346
Bacchanaliorum festum Romæ abolitum Senatusconsulto 416. 417
Bacchantes myrtas ferebant 590
Bacchenides sic dicti, & quid significent 276
Bacchi cognomina 185. 186
Bacchi simulachrum quale fuerit 183. &

templum 184
Bacchi tres vel quinque 183
Bacchus vel Dionysius & Liber pater dicitur 183. cur autem Dionysius ibid.
Bacchus θρίαμβος dictus 1005
Bacchus legislator dictus 763
Bacchus cur dictus Liber 183. Eleutherius dictus 185
Bacchus cur cornutus depingatur 531
Bacchus primus inuentor poculorum cornibus bouinis compositorum ibid. dictus ταυρικέρως ibid.
Bacchus in leonem mutatus 187
Bacchus primus omnium de Indis superatis triumphum duxit 1036
Bactriani à Zoroastre leges acceperunt 664
Baculus, quo gladiatores vtebantur 493
Baculus Æsculapij 235
Balbinus moderate causas audiebat 932
Βαλανεύς, Balneator. Βαλανεύτρια, Balneatrix 82
Balantium mons Palatinus quare dictus 13
Balineum vel Balinea dixerunt veteres 75. 81
Balista funibus, neruis, chordisque tenditur 1052
Balista qualis machina bellica 983
Balistæ forma quæ ibid.
Βαλανεῖς Bacariones 84
Balnea calida quomodo à Græcis dicta 82. 84
Balneæ Romæ plurimæ fuerunt, & priuatæ, & publicæ 75
Balnearia vno nomine appellata 85
Balnearij serui 84
Balneas pensiles instituit Seruius Orata 76
Balnei Sphæristerium in confinio 82
in Balneis libertinorum gemmas calcari Seneca indignatur 76
Balneis Romani quando, & quare vsi sint 75
Balneis semel data aqua perpetuo mansit, ibid.
In Balneis subministrabatur vasis argenteis 85
In balneis tres cellæ 82
Balneum dicitur, & balnea in genere fœminino 76
Balneum Daphnidis 41
Balthei aurati & constellati dicti 958
Balteum, mitra dictum 591
Bandum quid sit 1061
Barbari suum Apollinem habebant quem hyperboreum vocabant 154
Barcanda 85
Bareas Soranus consulatum & sacerdotium adeptus dum hortorum amœnitati inseruiebat 22
Bartholomæus Marlianus 1
Basilica Ioannis Lateranensis 17
Basilicæ Argentariorum 893
Basilicæ qualia ædificia Romæ fuerint ibid.
Basilicarum Romanarum descriptiones ibid.
Basilicas Romæ 19. vel 21. fuisse ibid.
Bassandæ, ministræ Bacchi 188
Βασσαρίδων φάλαγγες Bassariorum Phalanges ibid.
Beltyns in Anglia quinam sint 756
Bellaria quænam dicantur 516
Bellona Dea bellorum sic dicta, & cur 306
Bellona soror Martis 398. alij dicunt vxorem fuisse, & nominatam Nerienem ibid.
Bellona inter Deos communes collocata ibid.
Bellona in Iunio placabatur à sacerdotibus suis ibid.
Bellona prius Duellona vnde 175
Bellonæ sacrum 392
Bellona quomodo depicta 398
Bellonarij sacerdotes Bellonæ 176. se ipsos cultris feriebant, & proprio sanguine numen placabant ibid.
Bellonarij stragem populorum aut euersiones vrbium vaticinabantur 399
Belli Dea Minerua 173. eadem belli inuentrix 137
Belli Italici vel Gallici tempore qui erat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, duo vexilla proferens equites & pedites euocabat
Bellicrepa saltatio cur sic dicta 496. à quo instituta ibid.
Bellum ortum inter Cæsarem, & Pompeium 611
Bellum per feciales concipiebatur 305
Bellum indicebant quatuor feciales 960. 961. quod ritu, & quibus formulis conceptis ibid.
Bellum Romani nullum nisi tarde suscipiebant 305. 960
Bella consulibus mandabantur 968
Bellorum causa leges promulgatæ 847
Benignitas Candidorum in quibus rebus perspecta fuerit 697
Berecynthia dicitur Tellus à Berecyntho monte 131
Bibacitas reprehensa in fœminis 545
Bibentes veteres diuo alicui libabant, & in dominæ aut amicæ honorem cyathum ebibebant 528
Bibendi ordinem quemnam obseruarint veteres Romani ibid.

Bibendo

Bibendo à minoribus poculis incipiendum: sic enim copiam quamlibet maximam sustinere poterimus 528
Bibere Græco more 544
Biberunt veteres primo ex cornibus boum 508
Bibuli iocus in Cæsarem apud Suetonium 229
Bicliuium quid 507
Bidens ouis appellatur quæ superioribus & inferioribus est dentibus 311
Bidentes hostiæ quales ibid.
Bifrons quare dicatur Ianus 121
Bigarum certamen aut quadrigarum in ludis Circensibus institutum 445
Bigatum argentum, & quadrigatum 853
Birrus antiquorum indumentum 556. vtilissimum vestimenti genus ibid.
Birrus villosus à Græcis amphimalum dictus 556
Blanditia Candidatorum quænam fuerit 696
Blatea purpuræ genus 561
Blatta genus purpureum vermis 561
Blattiarij, qui sericas tingunt vestes 562
Blattifer qui sericis vestibus purpura tinctis induitur 562
Blattosericum pallium 561
Bæbia Æmilia lex de ambitu 870
Bæbia lex de non diuidendis agris 842. de quaternis Prætoribus creandis 833
Boëdromia in quo mense 344
Bœtiæ ciuitates liberæ factæ à Baccho 185
Boiæ genus vinculorum 913. tam ligneæ quam ferreæ ibid.
Boiam proprie esse collare ibid.
Boius cursor celeritatis notissimæ 436
Bolis 987
Bombicina vestis 560
Bombycinum textura illa, quæ procedit ex vestibus bombycinis 561
Bona Dea 248
Bona Dea mulieris fuit 443. qualis fuerit, & quare culta à matronis Romanis 313. quomodo colatur ibid.
Bona damnatorum in fiscum priuatim redacta ab Hadriano 732
Bonæ Deæ sacrum primo die Maij 343
Bonæ Deæ sacra à Clodio polluta 313. sacra cum matronæ peragunt omnes mares domo exterminant. ibid. sacra fiebant in ædibus pontificis Maximi 379. sacra quomodo celebrata 241
Bonæ Deæ sacra violauit Clodius 313
Bonam Deam cur interdum apellent Faunam Opem, Fatuam &c. 243
Bonam Deam nemo mas vidit quandiu vixit, præter vnum 313
Bononienses in clientela Antoniorum 956
Bonorum possessio quale ius 888. eius genera quot ibid.
Bos locutus 284
Bactlunienses pretiosis vestiuntur pellibus, non modo ornatus causa, sed & necessitatis 555
Boues in solemni & compitalitio festo sagminibus coronabantur 43
Boum cornibus prisci illi primò potarunt 508
Brachium exsecabatur in solemnitatibus Bellonæ 399
Bractea quid sit 935
Bracteatores ibid.
Brennus libertatem Romanis obsessis vendidit mille auri pondo 718
Brennus Gallorum dux templum Delphici Apollinis, propter opes in eo depositas petiuit 719
Britanni primi nauigationis inuentores 718
Bromius dicitur Bacchus 410
Brontinus Bacchus cur sic dictus 185
Bruma, siue Brumalia 346
Brumalia Dionysij fuerunt 410
Brumus Bacchus dicitur ibid.
Bruti caput ad Romam delatum ab Augusto 1014
Bruttani qui & vnde dicti 750
Brutus primus Consul Vindicium seruum, conseruatorem patriæ manumisit, vt delatorem cruci affixit 939
Brutus & Cassius de pugnæ euentu admoniti 285
Bubastia, Sacrificia Ægyptiaca 164
Bubastis oppidum nobile apud Ægyptios vbi Diana colebatur 163
Bubo auis funebris 632
Bubo captiuo Iudæorum regi Agrippæ regnum promisit 284
Bubo dirum ostentum præbuit ibid.
Bubo insidens cubiculo Commodi Imperatoris mortem ei significauit 633
Bubona Dea quæ bobus præerat 254
Bubonis vox exercitus Romani ad Numantiam oppressionem portendit 284
Buqones inter inauspicatas aues positæ 386
Bubus Italia primis temporibus abundauit 913
Buccina quid 967
Buleuticum quid sit 486
Bulla aurea cum toga cui purpura prætexitur Patriciorum liberi ex instituto Tarquinij vsi 566
Bullæ pro decore cur libertini lorum in collo gestarint 567

Bullam auream cum prætexta non omnibus concessit Tarquinius 566.567
Burranica qualis potio 415
Bustiarij quinam dicti fuerint 616
Bustuarij gladiatores cur sic dicti 491
Bustum quid 626
Bustum Rogus, Pyra, quid differant 784
Buteones felicis auspicij aues 283
Buteones præpetes aues ibid.
Buxeæ fistulæ in sacris Bacchi receptæ 136
Buxus in sacris Cybeles locum habebat 134
Byzantini quomodo induti 571.572
Byzantini principes victoriæ aram in atriis suis habebant 281

C.

CAballus mons collis Quirinalis quare dictus fuerit 16
Cacia Dea qualis 260
Cacus Herculis boues abigit 138
Cadauer septem diebus in ædibus seruatum octauo efferebatur 623
Cadauera lauare proximis concedebatur 612
Cadauera quibus ceremoniis elata fuerint 613. non eodem modo elata 624
Cadauera antiquitus purpureis tapetibus operiebantur 631
Cadauera melle, & cera oblinere receptum erat 634 & 635. coronabantur eodem modo ac si essent viua 635
Cadauera quomodo conseruabantur 635
Cadi inscripto nomine & autoris & consulis notabantur 543
Caduca aqua quæ 75
Cæcilia Didia lex de ratione legum ferendarum 836
Cæcilia Gabinia lex de fœnore 854
Cæcilia lex de fullonibus 874. iure Italiæ, & tributis tollendis ibid. de restituenda potestate ipsis Censoribus 834. de repetundis 872
Cæcilia lege quæ ratio poliendarum vestium fullonibus præscribatur 846
Cæcilius Metellus victor, Elephantis triumphauit 1042
Cæcilius simulachro Serapidis viso manum ori admouens osculum labiis pressit 324
Cædere pignora quid 695
Cædes iure defendebatur 921
Cædes quæstionibus, & testimonio fuit probata
Cædes Fabiorum quo die, & quo mense accidit 342
Cælata vasa 545
Cælatura argenteorum poculorum ibidem
Cælia lex de perduellionis iudicio 830
Cælius mons à Tullo Hostilio pomerio additus 8. 17. Quercetum habuit vnde dictus 17
Cællariensis, pro cællæ præfecto 511
Cæsar cum plurimis beneficia deberet Magistratibus, & sacerdotiis collatis ei satisfecit 314. cur Pompoiæ nuncium remiserit 610
Cæsar in curia Pompeij 23. vulneribus confossus 361. laxiore cinctura vsus 565
Cæsar Octauianus à Caio Iulio Cæsare adoptatus 711. patris sui cædem vlcisci vult ibid.
cæsar vxorem suam non modo peccato, sed etiam peccati suspicione carere voluit 610
cæsar Dictator ritum sustulit margaritas gestandi, & lata lege coërcuit 61
cæsar hortos suos populo legauit 21
cæsar Dictator inter Deos relatus 399
cæsar militibus stipendium duplicauit in perpetuum 956
cæsar morte condemnauit fabrum quendam, qui vasa vitrea faciebat, tenacitatis tantæ, vt non magis quam argentea aut aurea frangerentur 532
cæsar Romam venit, negatámque sibi pecuniam, fractis foribus inuasit 720
cæsaris natalis 344
cæsaris monarchia quando cœperit 407
cæsaris statua loricata in quo foro collocata 892
cæsares & cæsares nobilissimi qui 704
Cæsares Germani poëtas Laureatos coronarunt 474
Cæsares pro diis culti 56
Cæsarum appellatio non familiæ, sed dignitatis fuit 704
Cæsicium linteolum purum, & candidum 552. vnde ibid.
Cæstus quid 445
Caia Tarratia populo campum Martium dono dedit 652
Caias vocatas fuisse mulieres, quæ coemptionem faciebant 606
C. Velleius Paterculus, qui sub Tiberio eleganti stylo scriptam historiam M. Vinicio dicauit, quid de illo, & de illius scriptis referatur 324
Caius princeps, & L. Murena in circo pegma duxerunt, in quo fuere argenti pondo centum vigintiquatuor 485
C. Marius tertius conditor dictus 1059
C. Marius summiorem aliis ædem Honoris & Virtutis fecit 20
Caius Cæsar Gallico Triumpho Elephantos currui iunxit 1042

C. Marius

C. Marius, victis Teutonibus, triumphare recusauit 1035
C. Curi funebri patris memoriæ duo theatra struxit 491
C. Sulpitius Gallus cum vxore diuortium fecit, quod eam foris capite nudo conuersatam comperisset 621
C. Iulius Dictator interfectus, quo die 376
C. Caligula calidis & frigidis se lauabat vnguentis 561
C. Caligula soccos muliebriter ornatos gestabat 597
C. Caligula exemplo Cleopatræ pretiosissimas margaritas aceto liquefactas absorpsit 61
C. Caligula coronas distinctas Solis ac Lunæ specie vsurpabat 41
C. Caligula Imperator stolam gerebat 585
C. Caligula indutus aureo paludamento curru biiugo decurrebat 957
C. Caligula nonnunquam horreis præclusis famem populo indixit 736
C. Cæsar viam sacram velis intexit 36
C. Cæsari templum non solum Romæ structum, sed Alexandriæ 54
C. Gracchus Sardiniam administrauit 171
Calamistratorium 582
Calamistratus saltator 582
Calamistrum cur sic appellatum ibid.
Calandrus Illyriorum rex in Macedoniam venit cum exercitu 188
Calanticæ quid 580
Calanticæ, genus mitræ 590
Calare pro vocare 639
Calata Comitia proprium, & peculiare genus nonefficiunt ibid.
Calatorum Comitiorum nomen in quibus retentum fuerit ibid.
Calcei albi coloris fuerunt nonnunquam Imperatorum 593. coccinei fuerunt quorundam delicatiorum hominum ibidem. nonnunquam lapillis & gemmis fuerunt exornati ibidem. patricij quales ibidem
Calcei venatorij, altiores erant 600
Calcei Imperatorum purpurei, mulierum albi, & virorum nigri 598. 599
Calcei materia, 600
Calcei Senatorum 599
Calcei meretricij, diuersi colore rubri 600. & feruiles ibid.
Calcei sacri, quibus sacerdotes rem diuinam facturi vtebantur 596
Calcei militares 600
Calceos vrbanos gestabant patricij forma literæ Rho 593
Calceus pedem magis astrinxit quam solea 593
Calceus totum pedem texit ibid.
Calceamenta muliebria, Sycionia 598
Calceamenta Atheniensium, & Alexandrinorum sacerdotum quomodo dicta 596
Calceamenta Principum & Imperatorum Romanorum, ab aliorum cultu, pretio, & colore distincta 596
Calceamenta Comicorum, & Tragicorum 600
Calceamenta matronarum ab aliis omnibus differebant 598
Calceamenta solutis vinculis, & ansis pedibus detrahebantur in sacris expiatoriis 599
Calciamentorum species omnes 601
Calciamentorum genera quæ 593
Calculi Palamediaci 428
Calculi diuersi coloris ab antiquis vsurpati in capitalibus sententiis ferendis 387
Caldaria, cella balnei 82
Calechut rex, matrimonia, nuptiasque apud suos edicit 610
Calendaria Ephemerides dicta 366
Calendarij descriptio 341. 342. 343. 344. 345. 346
Calendarius liber 365
Calendæ Martiæ vualde celebres fuerunt 357
Calendæ in ditione Iunonis 121. 149
Calendaris Iuno quare ibid.
Calestra genus mitræ 590
Calices pterota, quasi pennati aut alati 538
Calices gemmati 538
Caligæ, in vsu frequenti, diuersa earum nomina 958
Calyptra genus mitræ & vestimenti, quo caput operiebatur 590
Calix a calido quod in eo calida puls apponebatur, & calidum in eo bibebant 538. 539
Callias Cereris sacerdos, tædæ gestator 195
Calliops mulier quæ homicidæ coniuncta conceptum susceperat illicitum, magnos in partu dolores ferens, Dianam inuocauit 158
Callysthenes Eubæam filiam pro salute sua sorte immolauit 839
Calo pro voco prisci Latini vsi 339
Calones militum serui 972
cur sic dicti ibid.
Calonum proprietas quod ligna militibus subministrent ibid.
Calpar vinum nouum 405
Calpetus quandiu regnauit 2
Calpurnia lex 833. de prætore quæstionis repetundarum 872
Calua Venus vnde 170
Caluitur, id est frustratur 797
Caluities probrosa cuilibet antiquitus 10

Candidus est propriè splendens ille color qui abarte est, albus autem natiuus lanæ ibid.
Canis in crucem actus, cur solemni pompa quotannis Romæ circumferretur 419. prægnas occurrens quid 284
Canis iactus in talis infortunatissimus 430
Canem atrum ædes alienas introire infaustum 419. cur Flamen dialis non potuerit tangere 294
Canes caniculæ rutilæ quo mense sacrificabantur 344
Canes prodigiosæ magnitudinis in Anglia 161
Canes venatorij 162
Canibus attrahi, & repelli non posse imbres etiam gentibus notum fuit 787
Cantio conuiualis repetita à Græcis sæpissime inter pocula 544
Cantorum numerus in comess. antiquorum pene infinitus 524
Canuleia lex 850
Canumentum verutum 1014
Cappadoces leges à Charonda acceperunt 767
Cappadoces dicebantur habere naturale studium ad falsa testimonia proferenda, &c. 879
Cappadocia ante alias altrix equorum,& prouentui equino accommodatissima 450
Capedines 320
Capedunculæ ibid.
Capena madida 26
Capetus 26. regnauit 21. eundem alij Atym nominant ibid.
Capides vasa escaria sunt 538
Capreenses tempore Tiberij insolentiæ notati 455
Capilli quem animæ gradum habeant 129
Capillitia vota 1056
Capis genus poculi 319
Capita epulantium vnguentis inuncta, & coronis adornata 547
Capita Euryali,& Nisi præfixa in arrectis hastis,& cum clamore comitata 1014
Capital,facinus est, quod capitis pœna luitur 806
Capitalia iudicia,vel non capitalia quæ, quare sic dicta 914
Capitalis appellatione quid intelligendum ibid.
Capitalis rei diem dicere ibid.
Capitales causæ non omnes criminales ibid.
Capitium ab eo quod capit pectus 580
Capitia capitum tegmina 579
Capitolinus Iupiter à monte Capitolino dictus 139
Capitolinus mons dumetum habuit 21. quibus nominibus insignitus sit 14
Capitolini Iouis templum à quo primum extructum, quomodo conflagrauerit, & à quibus sit restauratum 139.140
Capitolini Agones quales ludi 474. quando instituti ibid. à quo ibid.
Capitolini ludi dicti,quod in honorem Iouis Capitolini pro seruato Capitolio ab hostibus Gallis instituti essent 473. fiebant à vicinis præcestatis 474. quinam 348.473
per Capitolinos Agonas aliquando Romæ supputarunt 474
Capitolinis Agonibus omne genus artificum certabat ibid.
Capitolinis ludis quænam fierent ibid.
Capitolium cum nimis angustum esset, propter ornamentorum multitudinem plurima in campum Martium illata sunt 653
Capitolium mons Tarpeius,& Saturninus dictus 14.15 ratio nominis ibid.
Capitolium non solum Romæ erat, sed & in aliis vrbibus 16
Capitolium à quo extructum 8.15. à quo inchoatum, ibid. & à quo absolutum ibid.
Capitolium incensum tempore Syllæ 15
Capitolium tactum fulmine inter prodigia recensebatur 15
Capitolium quadrato saxo structum, & quo anno 15
Capitolium, Quirinalem,& Cœlium colles quare Romulus muro firmarit 8. tamen extra vrbis mœnia ibid.
Capitolij ænea limina à quo,& quando posita 15.140
Capitolij dedicatio 345
in Capitolio præter templum Iouis Capitolini fuerunt etiam aliæ duæ ædes 140. à quo votæ & dedicatæ ibid.
Capra morbo comitiali obnoxia 294
nunquam sine febre 348
Capram aut canem cur flamen dialis non potuerit tangere 294
Capram Veioui immolare solebant 141
Caprotina Iuno 147
Caprotinæ Nonæ 400
Captiui in sepulchris mortuorum necabantur 616
Captiui catenis ligati,& curribus triumphantium iuncti 1049.1050.1051
Captiuorum duo millia ab Hannibale venditorum, Titi Flaminij currum sequebantur 1059
Capulæ 319
Capuli naues à capuli forma 990
Capitis diminutio prioris status mutatio

est 887. hæc maxima, minor, minima, & quid singulę ibid.
Capitis iudicare, aut anquirere 915
Capitis iudicia quæ ibid.
Capitis meatus coacti minus vaporum à vino & cibis sursum elatorum recipiunt 508. nomen vsurpatum cum quem exilio, morte aut seruitute affecerunt 915. pœna cum pecunia lege non potuit coniungi 927
Caput humanum Ioui deferebant 245
Caput velare modus in solemnitatibus sacrificij obseruatus 324
Capys 28. annos regnauit 2
Caracalla moderate causas audiebat 392
Caracalla in funere Festi quomodo indutus 1057
Caracalla cum populus aurigam cui ipse fauebat, cauillatus esset, exercitum immisit, & pœnas exegit 447
Carbasus quale pallium sit 552
Carbatina rusticorum calceus à caribus dictum 601
Carcer publicus, cur sic dictus
Carceris cura triumuiris commissa 929
Carceris partes Tullianum & Robur ibid.
Carcerem ædificauit Ancus rex 913
Carceres in circo primum ex Topho & ligno fuerunt 438 hos marmoreis permutauit Claudius Imperator ibid.
Carchesion 986
Carchesium procerum, & circa mediam partem compressum ansatum mediocriter, ansis à summo ad infimum pertinentibus 538
Cardea Dea 241. 261
Cardinales Romani, posterioribus sæculis fœdissimis pellibus deformantur 556
Cardo limes quis 844
Cares sex mensium spatio annum claudebat 340
Carina quæ pars nauis & vnde dicta 985
Carinam alueum Salustius vocat ibid.
Carinarij 581
Carmenta Dea 228. vnde ibid. & 229
Carmenta mater Euandri ibid. & 349
Carmentalia 349. quare instituta ibid.
Carmentalia relata, quo die, & quo mense 342
Carmentalia quando sint celebrata 335
Carmentalis flamen 295
Carmentalis porta 229
Carna Dea in Cœlio monte 344
Carnæ Deæ sacrificium 391
Carnea Dea vitalibus humanis præesse putabatur 242
Carneæ Deæ pulte fabacea, & larido sacra faciebant ibid.
Carnem crudam, cur flamen dialis non potuerit tangere 294
Carnifex vnus fuit 751. non modo non ciuis, sed ne domicilium quidem in vrbe habuit ibid.
Carnificis officium apud Romanos ibid.
Carolus Gallorum rex nauali exercitu Frisonum regnum ingressus, lucos ac fana subuertit 27
Carolus Magnus quo diligentius moneta cuderetur, in palatio officinam esse voluit 724
Carolus Sigonius antiquitatis instaurator, & illustrator 885
καρηκομόωντες criniti 1055
καρποὶ frugis 734
Carpus siue carptor, cur sic dictus 520
Carthaginenses leges à Phalea acceperunt 762
Carthaginenses plurimum mari pollebant 985
Carthaginenses Romanos ad naualia prælia impulerunt ibid.
Carthago deuota ibid.
Cartibulum vnde dictum 502
Cassia lex de agro Hernicis diuidendo 842. de iis quos populus damnasset 831. de libertate suffragiorum 830. de Paulo Anicio, & Octauio 847. de sublegendis in numerum Patriciorum qui senatui deessent 831
Cassij caput ad Antonium delatum 1014
Cassius & Brutus de pugnæ euentu admoniti 285
Cassius quare capite punitus sit 128
Casona, acus qua mulier scalpit caput 581
Castellarius castellorum custos 75
Castellum locus qui aquam publicam recipiebat 75
Castitas lege militantibus imperata 1030
Castoris & Pollucis fabula 229
Castoris templum Iouis ibid.
Castrametationis genus quale fuerit apud Romanos 974
Castra à castitate appellata 1030
Castra communire, operosissimum munus 1033
Castra quomodo veteres muniuerint 981
Castrensis corona quæ 1001. hæc insigne valli habet ibid.
Castrensis disciplina quæ fuerit apud Romanos 977
Castrenses ludi erant quibus milites in castris exercebantur 468
Castrenses panes è siliquis confecti 737
Castris lunatis Cæsar Thapsum muniuit 776
Castrorum munitio diuersa 1033
Castrorum forma quadrata æquis lateribus 974. mo-

974. motio apud Romanos quænam fuerit 971. præfecti quinam fuerint 971
Cataphracti equi 1021
Catascopium, nauis speculatoria 990
Catastrophe quid 463
Catastasis quid sit ibid.
Castroma superius nauis tegumentum 989
Cateiæ inter tela collocata 1019
Catharacta pro ponte 987
Cathedræ ascriptæ mulieribus in theatro 488
καθήγησις Instructio 195
καθίδρυμα, delubrum 115
Catius Deus qui homines catos id est acutos faceret 244
Cato vociferatur Orchiam legem non obseruari 845
Cato Vticensis, vxorem suam ex qua liberos suscipere non poterat Hortensio concessit 611
Cato Vticensis discalceatus incedere sæpe solebat 596
Catonem Floralibus ludis è theatro discedentem cur populus ingenti plausu persecutus 471
Catuliana Mineruа vnde nomen habeat 171
Catulus ferreus 1052
Caudicariæ naues, ex tabulis crassioribus factæ 736
Caudicæ siue caudicariæ quales naues 989
Caudicariæ naues quæ ex antiqua consuetudine per Tyberim commeatus subuehunt 730
Cauea medius locus depressior in affluente turba hominum 439
Cauiares hostiæ quæ 321
Causæ de quibus iudicia priuata constituuntur, cur ciuiles & priuatæ dicantur 886
Causas agentes in subselliis sedebant 893
Causidici delinquentes, qua pœna afficiebantur 572. dicti togati ibid.
κειμήλιον, hesaurus 710
Celebritas sacra quid 335
Celeres in tres centurias distincti 685. eorum præfectus Centurio dictus ibid. quinam dicti fuerint apud Romanos 684. vnde sic nominati ibid. eorum officium ibid. & 685
Celerum centuriis & centurionibus earum centuriarum qui præerat præfectus seu Tribunus celerum dicebatur 685
Celerum custodiam Numa Pompilius deposuit ibid.
Celerum Tribunus vel præfectus quis ibid.
Celerina Palladij cos. vxor 182
Celeritas equorum probabatur in Circensibus Romanis 450
Celoces, naues breues 989
Cella & Cellarium, vnde dictum 512
Cella diuersoriis, hospitiisque peregrinantium apta ibid.
Cella vnguentaria in balneo posita 87
Cellæ tres in Balneis 82
Cellaria, pro annonis populi publicis 512
κελλαρίτης penuarius ibid.
Celtæ prisci, capitum ossa, in poculorum tradebant ministerium 537
κελτῶν παῖδες, celtarum pubes 534
Censio hastaria qualis mulcta 997
Censor cum quis moriebatur pro infaustissimo omine habitum 700
Censorem bis fieri non licuit ibid.
Censores à consulibus comitiis centuriatis creabantur 660. 648. de magistratu maiore fuerunt 699. designati statim magistratum inibant 654. quænam censoria auctoritate animaduerterint 699. in coloniis quoque fuerunt sicut Romæ 995. ius habuerunt populi vocandi in campum Martium lustri condendi causa 652. mores & vitam etiam Senatorum & Equitum obseruabant, nedum singulorum hominum 699. neque magistratuum, neque legum, neque iudiciorum comitia habuerunt 651. quare morum Magistri dicti 699. qui & quot fuerint lecti 700. quinto quoque anno creabantur ibid. quo anno, & quare constituti 699. vnde dicti ibidem. Romanæ Reipublicæ propter disciplinam admodum salutares ibid.
Censorum causa leges latæ 83
Censorum fuit ius vendendæ aquæ 75
Censorum munus quoque erat tueri vrbis templa, vias, pontes, aquarum ductus, vectigalia elocare &c. 699
Censorum officia quænam fuerint 699
Censorum tribunal sub Augusto Cæsare, cum primo Magistratus die conscenderent Censores, corruit & confractum 700
Censoribus seueri disciplinæ custodia sine prouocatione commissa fuit 699
à Censoribus notati non per omnem vitam infames ibid.
Censoris auctoritate quomodo cognouerint Romani, quinam moti Senatu aut ex ordine equestri ibid.
Censoria comitia quæ 660
Censoriæ legus quid sint 651
Censoriæ potestati ius lege Clodia imminutum 814
Censoria de officio Ciceronis lex 699
Censorium funus 489

Censura annua, & semestris à quonam facta 700. quando, quare, & quandiu intermissa ibid. seruata fuit vsque ad Decij Imperatoris tempora ibid.

Censuræ magistratus solis Patriciis communis quando cum plebe communicatus fuerit ibid.

Censuræ nimis seueræ gestæ nomine damnatus 699

Censuram Reipublicæ restituit Metellus 700

Census annos 17. totos non fuit habitus 699

Census in Senatore cur laudatus fuerit ibid.

Census, transuectio, dictus 96

Census Ciuitatis stante republica in foro posita hasta exigebantur à Consule 513

Censum in legendo Senatu quantum spectarint 686

Centenarias cœnas quasnam intellexerint veteres 846

Centesima vsura quæ sit 810

Centumuiralia iudicia in basilicis exercebantur 891

Centumuiri diuisi in quatuor consilia 718. iudicia fecerunt de iis controuersiis, in quibus non de facto, sed de æquitate certatum est 907. quas controuersias iudicarent 718. quinam dicti ibidem. quamuis quinque amplius, tamen vt facilius nominarentur, centumuiri dicti sunt ibid.

Centuriæ in contubernia diuidebantur 967. iure vocatæ quænam fuerint 658

Centuriæ quænam sint 967

Centuriatum auctor quis 646. iustus numerus est centenarius 967

Centuriis singulis singula vexilla constituta 968

Centuriata comitia antequam ordinarentur hostias immolabant, comitia habituri 656

Centuriata comitia de Manlio Capitolino quare ex campo Martio in Lucum Petilinum translata 653

Centuriata comitia ex auctoritate Senatus fiebant 654. in campo Martio regulariter habita 653

Centuriata comitia legum quemnam peculiarem modum habuerint 655

Centuriata comitia quænam auspicia habuerunt 656 & qui hæc habere volebat, parendum erat obnuntiationi ibid.

Centuriata comitia vnde sint dicta 646. quid fuerint 647

Centuriatorum comitiorum tempore, si Consules bello impediti Dictatorem comitiorum causa creabant 650

Centuriatis comitiis locus destinatus erat campus Martius 551

Centuriata comitia habiturus primo auspicabatur adhibito augure 656. Augurem non tam deos consulere iubebat, quam bona esse auspicia pronunciare, ibidem. in loco inaugurato haberi oportebat 651. nisi imperato exercitu haberi non poterant ibid.

Centuriata comitia quomodo inchoarint 656

Centuriatis comitiis absolutis quidnam factum 660

Centuriatis comitiis exercitum extra vrbem imperari oportebat, intra vrbem ius non erat 651

Centuriatis comitiis iudiciorum accusatio trinundino promulgabatur 656

Centuriatis comitiis legum & iudiciorum quot & quales tabellæ datæ 659

Centuriatis comitiis legum quid obseruatum fuerit 657. iudiciorum quid ibid.

Centuriatis comitiis Magistratuum creandorum quinam ius habuerint 650

Centuriatis comitiis Magistratuum is qui comitia habebat, bene precari solebat illi qui creatus erat 660

Centuriatis comitiis multi sæpe creati sunt qui non petebant 657. non omnes magistratus obnunciare poterant 656. postquam populus conueniebat, habebat Magistratus concionem ad populum 657. quid ea postularit à populo ibid. quænam personæ suffragium tulerint 652

Centuriatis comitiis quando non semper trinundinum interiici potuerit 655

Centuriatis comitiis suffragium non ferebant, qui à censoribus ignominiæ causa notabantur 652

Centuriatis comitiis suffragia quomodo fuerint lata 658

Centuriatis comitiis tria peracta fuerunt 647. vexillum exigebatur, donec comitia finita essent 656. huius moris causa quænam fuerit ibid. vexillo hoc sublato nihil amplius statuere cuiquam licitum ibid.

Centuriatæ leges quænam 649

Centurio dicitur qui præfectus est centuriis celerum 685

Centuriones quinam fuerint 967

Centussis fannia lex quare dicta 846

Cercuri naues Asianæ 989

Cereales ludi à pridie idus Aprilis per dies octo in circo, proximo post Circenses die fiebant 470. à solis matronis fiebant annis singulis ibidem. ij diis grati iudicabantur, qui à lætis & nullo funere pollutis celebrabantur ibidem. cur post Cladem Cannensem intermissi

missi, & quinam sint ibid.
Cerealibus ludis Ædiles præfuerunt ibidem
Cereales ludos præter Aediles, etiam alij Magistratus curabant ibid.
Cerealibus in ludis cur ante noctem epulari nefas fuerit. ibid.
Cerealibus in ludis repræsentabatur à matronis luctus Cereris ob raptam Proserpinam, & eius peregrinatio cum face quæritantis filiam ibid.
Cerealibus ludis Aediles plebis ludos gladiatorios exhibuisse malum omen fuit ibid.
Cerealibus ludis certamina sequestria exhibebantur ibid. nuces, cicer, & alia in vulgus spargebantur ibid.
Cerealia quæ sacra, cui, & quando celebrata 971. eadem ac sacra Græca ibid.
Ceres vnde dicta 184
Ceres ab Aegyptiis Isis dicta 164
Ceres frumenta inuenit 193
Ceres Hennæa dicta 192
Ceres dicta legifera 763
Ceres fruges serere, boues domare, & alumno suo Triptolemo fruges serere commonstrauit 194
Ceres leges inuenisse dicitur 96
Ceres semper cum face accensa, seu locata, seu picta videbatur 195
Ceres Eleusina, Attica, & Actæa, à locorum nominibus profunda, flaua, à colore frugum Panda, & Pantica, Mammosa quod grandibus, & protensis mammis depingeretur, &c. 961
Cereris diuersa nomina ibid.
Cereris sacerdos Græca quæ fuerit 184. 272
Cereris simulachrum quale 184. templum ibid.
Cerium in tabulas referri quid sit 652
Cernuatores cur sic dicti 489. 490
Ceroma quid sit 434
Cerrus glandifera arbor 193
Certamen gallorum Athenis habitum fuisse 287
Certatio mulctæ 927
Certaturi in ludis siue Amphitheatralibus, siue Circensibus dicebantur committi 442
Cerui quid 982
Cessio in iure quidnam fuerit 887
Cessionis bonorum nomine leges latæ 853
Cessionis in iure formula 895
Cessionum dies 894
Cethegi primi, qui statuas erexerunt 933
Cetra Afrorum, & Hispanorum clypeus seu verius, telum 1028
Chalcea Mineruæ solemnitas 345
Chalcidicæ Mineruæ templum 63
Chalciæcum quid 63
Chalciotis Mineruæ sic dicta ibid.
Chaldei propter nouitates Religionum vrbibus expulsi sunt 322
Chaldæi Thiara vtuntur 592
Chamæpi cur sic dicti 248
Charites tres 182
Charistia, id est, sacra cognatorum, quo die, & quo mense celebrata 342
Charistia quale conuiuium solemne fuerit 555
Charondas, Cappadocibus leges instituit 762 763. 764.
Cheribertus rex Sicamber dictus comatus 1054
Chilo inuentor Latrunculorum 427 428
Chiridatæ Dalmatarum, vestes auro intertexto pretiosæ 589
Chiridatæ, vel Chirodatæ vestes è manicis appellatæ 588
Chirographa quid 753
Chiron Centaurus erudiuit Achillem citharizare 190
Chiron Centaurus Saturni filius, artem medicam Chirurgicam ex herbis primus instituit 233
Chiromantæ cur sic dicti. 519
Chlamys à pluribus diuersimodè nominata, & quid denotat 557. à quibus inuenta ibid.
Chlamys, in militari vestitu posita, illius diuersa nomina 957
Chlamys, vestis militaris 552
Chlamydem Vlpianus inter vestimenta puerilia refert ibid.
Chloris filia Tiresiæ, dicta etiam Manto 179
Choraules in pulpitis sedere consueuerant atque inde audiri. 523 524
Chorus quid 459 463
Chorus tam viris quam mulieribus constabat ibid.
Chori argumentum quale fuerit ibid. præcipuæ partes fuerunt lædere quos libuit 460 non habent certum numerum personarum 463. quando præcipuè viris, & quando mulieribus constarent ibid.
Christiana religione Romæ omnia obtinente, Imperatoribusque antiquæ superstitioni repugnantibus, vno edicto sacerdotum omnium reditus fisco applicati sunt 308
Christiani edicto Antonij à crudelitate pœnarum liberantur 893
Christiani martyres in eculeo cruciati 910
Christianorum delator viuus crematur in

foro Troiano 893
Chrysoaspides cur sic dicti 1023
Chuni quo tempore irruperunt ex Mæotidis confinio in Europam 1022
Chytra 346
Cibaria dimidiati mensis olim milites secum ferebant 974
Cibariæ leges quæ 846
Cibi diuersi quibus Ælius Verus Augustus vtebatur 517
Cibi exquisitissimi, in conuiuiis appositi ibid.
Cibi partes dissectæ in conuiuio, sorte distribuebantur, ne iniuria fieret alicui conuiuæ 482
Cibilla mensa à cibo dicta 502
Cibum apud veteres non omnes, sed aliqui tantum quater vel quinquies sumpserunt 449. liberaliter educati apud veteres semel aut bis sumpserunt ibid. veteres quater in die sumpserunt ibid.
Cibus meridianus dictus, cœna 505
Ciborum quoddam solidum, miræ magnitudinis & magni ponderis à quodam rege factum, positum supra corpus Beati Marcelli martyris, in Ciuitate Cauallono, 540
Ciborum poculi genus in modum foliorum colocasiorum factum ibid.
Cicero Ædilis designatus 475. explicatus in Epistola ad Atticum 772. Mineruam custodem domi suæ priuatim coluit, quam in exilium abiturus in Capitolium detulit 171. quare ciuica corona donatus 1000
Cicero in Tusculano oppido suo Mineruam posuit 173
Ciceronis Consobrinus Visellius Varro, 849
Ciceronis libri sine iudiciorum Romanorum cognitione non facile intelligi possunt 885
Ciceronis 2. in Verrem locus explicatus 660. locus lib. quinto Actio. 2. in C. Verrem explicatur 470. ex oratione secunda in Rullum explicatus 842
Ciceronis locus pro Muræna explicatus 650. in oratione pro domo explicatus 656. 676. in Vatinium explicatus 693. in Epist. 1. lib. primo ad Atticum explicatus ibid.
Ciceronis occisi caput præcisum Antonius inter duas manus poni curauit in ipsis Rostris 643. optimi senis caput, cum manu dextra à Popilio legionario milite in Rostris positum 711
Ciceronis oratio pro C Rabirio perduellionis reo in campo Martio habita 858. oratio pro Domo sua apud Pontifices habita 293
Ciceroni quare supplicatio decreta 1001. vitaturo insidias ab Antonio structas corui garritu imminentia pericula significarunt 283
de Cicerone ab exilio reuocando Senatusconsultum factum in Templo Ioui Mariano condito 143
Cicerone in exilium profecto domum eius Clodius Libertati consecrauit 240
Ciconiæ concordiam ferebant 283
Cidarum quale nauigium fuerit 990
Ciere, & Ciscere pro diuidere 794
Cilio vulgo, quid sit 535
cimeliarchium, vicesimarium aurum 720
cincia lex de donis 857
cincinnati capilli 581
cinctura astrictior quæ 565. laxior quæ ibidem
cinctus Gabinus ibid.
cinctus quomodo à cingulo differat 580
cinctum veteres Marti consecrabant 245
cinctus togatum 576
cinædologi, carmina & à quibus cani solebant 415
cinerarius, qui cinerem flat, ad ferrum calefaciendum 583
cingulum militare mitra dictum 591
cingulum, ilia laterave succingebat 586
cingulum militare militibus ignominiæ caussa ademptum 997
cingulum, & cinctus quid differant 580
cingulo noua nupta cingebatur, quod vir in lecto soluebat ibid.
cingula non modo militum gestamina sed & nota, sine quibus nemo militaribus ordinibus censebatur 958
ciniflones ac Cinerarij in eadem significatione apud veteres 582 583. vnde dicti ibid.
cineres cadaueris vstulati in vrnam colligebant 526
cinna vrbe pulsus, consulatus ei abrogatus 828
cinxia qualis Dea 242. 617
cinxiæ Iunonis nomen cur sanctum habitum in nuptiis 610
cippi stipites, tricipites, aut quadricipites 982
circe filia Solis 178. venefica 179
circe venefica, primum omnium in honorem Solis patris sui circum excogitauit 441
circenses Romani, quædam effigies ludorum Græcorum, & præsertim olympicorum erant 450
circenses optime descripti 446
circenses ludi dicebantur, quod exhiberentur in circuitu ensibus positis 437. fere per seruos tantum agebantur 445
circenses ludos Gymnicos etiam appellant 445. olim

445. olim in littore agebant ab altera parte gladiis positis 437
Circensium ludorum quæ fuerit forma 445
Circensibus additus 344
Circensibus in ludis quidnam tractarint ibid.
Circumscribere pro decipere 851
Circumscriptio pupillorum 913
Circularis prima Romæ forma 108
Circularis figura absolutissima & perfectissima 501
Circulatores in tutela Dianæ 158
Circus vnde dictus 438.441
Circus Byzantinus optimè descriptus ibid.
Circus Flaminius & Martialis 438
Circus clamosus cur sic dictus 451
Circus soli sacer 442
Circus Maximus valli propinquus 446
Circi magni forma, latitudo &c. 437. Ornamenta quæ ibid. 438. sedilia quare cancellis separata 438
Circum extruxit primus omnium Tarquinius 437
in Circo ornamenti causa deorum imagines gypseæ, & hostibus spolia detracta suspendebantur 438
Circo sub maximo in antris habitabant, quæ corpore quæstum faciebant ibid.
Circi præter Maximum alij etiam extructi fuerunt ibid.
Circus Mediolanensis celebratus 441
χιτώνιον, quid significat 530
Cirratus 582
Cispius collis 18
Citatio accusatoris, & rei 918
Citatio rei quomodo instituta 927
Citationem rei par aut maior magistratus impedire potuit ibid.
Citaris tegmen regum Persicorum 591
κίδαρις, citaris muliebris capitis gestamen 527
Citeriæ, picturæ quædam 1058
Citharædi quomodo incedebant in triumpho 1058
Citum id est diuisum, à ciendo 794
Ciuica corona L. Gellius Ciceronem consulem quare donare voluerit 1000
Ciuica corona quæ 1000. vnde facta ibid.
Ciuicæ coronæ leges 1000
Ciuicam coronam quibus coronis Plinius præferebat ibid.
Ciuicas coronas quatuordecim L. Sicinius Dentatus accepit ibid.
Ciuile imperium quid, & quibus comitiis datum 641
Ciuilis dies spatium est 24. horarum 534.386
Ciuis Romanus cuiusque esset ordinis, vnam ex triginta quinque tribubus habere cogebatur 667
Ciuis Romanus quis optima lege 87
Ciuis de capite non nisi comitiis centuriatis agebatur 649
Ciuis Romani de capite consules iniussu populi sententiam ferre non potuerunt 785. 827
Ciuem qui ab hoste seruabat, quercea corona donabatur 847
Ciuem Romanum in crucem tollere contra ius libertatis, aut securi percutere perduellionis crimen 649
Ciuem Romanum necare, aut virgis cædere, Portia lege cautum 817
Ciues omnes qui in vrbe domicilium habuerunt, in Tribus & curias fuerunt descripti 642
Ciues Romani annos decem cum vsus Reipublicæ postulabat militare cogebantur 847. quandiu extra vrbem viuebatur in curias non referebantur 642. quinam in curias descripti & qui non ibid. quomodo aliter atque aliter diuisi sint 87. vt essent quos Cn. Pompeius de consilij sententia ciuitate donasset Cornelia lege sancitum 819
Ciues Romani candidis vestibus incedebant, quoties solemnitatem priuatam, aut festum publicitus indictum, peragerent 388
Ciues redempti, hostilique liberati custodia currum triumphantis sequebantur 1054
Ciuium alij candidati, alij pullati 568
Ciuium Romanorum alij optimates, alij populares 88. alij patricij, alij plebeij ibidem & 94. nomina in æde Saturni in libris Elephantinis descripta asseruabantur 119
Ciuitates fœderatæ quænam fuerint 992. non omnes fuerunt eadem conditione apud Romanos 993. vectigales immunes seruitute, aut libertate affectæ quæ, ibid. victæ pro arbitrio Senatus Romani aut liberæ, aut fœderatæ, aut immunes factæ ibid.
Ciuitates victæ, quando, & quomodo in prouinciæ formam redactæ ibid.
Ciuitates deletæ quænam dicantur 13
Ciuitatum seruitus in quonam posita fuerit apud Romanos 993.994
Ciuitatibus victis quando Senatus ignouisse dictus fuerit 994
χλαῖνα aut χλαῖναι, quid sit 201
Clabula diminutiuum à claua 201
Clamores in circensibus editi 451 452
Claria ciuitas est in qua tres dij, id est Iupiter, Neptunus, & Pluto mundum dicuntur sortiti fuisse 204
Classis dicitur vniuersus nauium apparatus

985. classis præfectus qui ibid.
Classem ἀπὸ τ κλάδων deriuant ibid.
Clauata Tunica fuit, quæ clauos purpureos intextos habuit 577
Clauatam tunicam gestabant Senatores & equites 576
Clauata vestimenta cur sic dicta 1047
Claudia lex de adimenda ciuitate Nouicomensibus 841. de magistratuum comitiis 829. de Scribarum negotiatione 874. de Senatorum questu 831. de Sociis 827. de Tutelis 851
Claudia lex ne creditores in mortem parentum filiisfamiliatum pecunias fœnori darent 854. ab Atheniensium sumpta ibid.
Claudia Tribus vnde nomen habeat 664
Clausius seu Clusus quare Ianus 112
Claudia Vestalis virgo 201
Claudius neque crebrius, neque sanctius sibi iusiurandum instituit quam per Augustum 209
Claudius inter deos relatus 399
Claudius Pulcher quod genus diuinandi obseruarit, dum iniret nauale prælium in quo superatus fuit 286
Claudius Princeps, non in forum vt solemnis mos erat, virilis togæ sumptæ die, sed in Capitolium fuit deductus 574
Claues intranti domum marito tradebantur, ita diuertenti adimebantur 612
Claui figendi solemnitas, mensi Septembri celebrata 422.423
Claui fuerunt quasi flores panno intexti 977
Clauus Annalis cur sic dictus 423
Clauus latus fuit tunica latos clauos purpureos intextos habens 577
Clauus, & gubernaculum quid differant 987
Clauus latus Senatorum insigne 94
Clauus quid proprie, & per metaphoram 987
Clauo angusto equites à Senatoribus distincti 94
Clauus Angustus insigne equitum Romanorum 577
Clemmateres 537
κλιμμάδα, forma operimenti testudinis 537
Cleopatra quo immodico luxu vsa fuerit in excipiendo Cæsare 536
κλέψυδρα 948
Clepsydræ, earum vsus frequentissimus ibid. vnde dictæ ibid.
κλέπται γάμων fures nuptiales 861
Clerus comam alere non debet 1057
Clientes 92. dicti adseclæ ibid.
Clientum erga patronos quænam officia fuerint 89
Clientibus & patronis quæ fuerint communia ibid.
Clientum genus 92
Clientes plurimos habere maxima laus nobilium erat 89
κλίνη Græcè, lectus vel accubitus 512
Cloacam fodere primus cœpit Tarquinius 727
Cloacas curare apud Romanos quorum fuerit ibid.
Cloacina qualis dea 260
Clodouæus Rex Francorum 1054. dictus Comatus ibid.
Clodia Metelli vxor 1051
Clodia lex altera de Cypro & aliis 841
de collegiis 874 de comitiis 8 9
de frumento populo gratis dando 835
de Gabinio 841 de intercessione 836
de nemine prætereundo à Censoribus in legendo 834 de vi 867
hæc lata ob Ciceronem & alios à quibus necati erant Catilinarij ibid.
Clodia vel Claudia lex de Victoriato 853
Clodius Bonæ deæ sacra violauit 243
censuram sustulit 700. muliebri veste domi Cæsaris cum sacra Bonæ deæ pro populo fierent deprehensus 620
Muciam C. Cæsaris vxorem adamauit 313
Pompeiam adamauit 620
Clodius, cum intrauit templum Romæ deæ, concubuit cum vxore Pontificis 209
Clodium muros tranquillitatis euertisse 829
κλοιὸς σιδηροῦς, vinculum ferreum 1051
κλοιὸς Boia 162
Clotho euocatio 220
Cluacina Venus quæ 176. eius templum vbi ibid.
Cluere antiqua lingua pugnare est ibid.
Clypeis Romani vsi, antequam stipendiarij facti fuerint 979
Clypeo tegi communi formula dictum 1026
suspendere Clypeum, bello iam confecto, prouerbium 119
Clypeorum diuersa genera 1015
Clypeus equester ibid.
Clypeus non fuit quadratus; sed rotundus 973
Cn. Pompeius Iudæos domuit templumque iure Victoriæ ingressus est 114
Cn. Pompeius Daphnensibus aliquantum agrorum dedit, quo lucus ibi spatiosior fieret, delectatus amœnitate loci 41
Cn. Cornelius à Fescennino in vincula coniectus, in carcere mori coactus est 1060
Laqueus, vinculum ibid.
C. Licinius sacerdos 96

Cn. Do-

Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium, numquam Reginam nisi nomine salutauit 98
Cn. Manlius triclinia ærata, abacos, monopodia, & stragula ostendit in triumpho 1058
Cn. Flauius fastos circa forum in albo proposuit, non sine magna nobilitatis inuidia 96
Codicarij aut caudicarij, qui nauigiis præerant 736
Cœlispex cur Apollo dictus 151
Coæ vestes eædem cum tenuibus ac translucentibus & cur sic dictæ 563
Cœlimontium regio vrbis secunda in monte Cœlio 17
Coemptio quibus solemnitatibus fuerit perfecta 606
Coemptionem imaginariis venditionibus fuisse peractam ibid.
Cæna Vitellij data à fratre sumptuosissima 517
Cœna quid sit 504. dicta ab Antiquis vespertina ibid.
Cœna nobis quod est, veteribus vesperna dicta erat ibid.
Cœna quasi κοινὴ quare ibid.
Cœna vesperna 499
Cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium 505
Cœna postridie nuptiarum honestioribus dabatur 613
Cœna differatne à prandio 504. 505
Cœnę caput præcipuum ferculum 516
Cœnę hora erat diei nona 504
Cœnæ initium lactuca, oua, lucanica 516
Cœnæ initio ponenda mora esse ibid.
Cœnæ Metelli Pontificis luxuriosæ descriptio ibid.
Cœnam antiqui in tres partes distribuerunt ibid.
ad Cœnas veteres conuiuas vocabant 504
Cœnæ centenariæ 846
Cœnacula & Enniacula, cur sic dicta, & quomodo disposita 514
Cœnaculum pars ædium superior, qua epulari consuetum 513
Cœnabant veteres largius, parcius prandebant 504
Cœnatorię vestes, syntheses dictæ 576
Cœnaturi quare tempora lanei, vel lineis vinculis vinciri soliti fuerint 508
Cœnabant veteres foris, nec mensas omnino tollebant, sed semper aliquid super eam relinquere consueuerunt 516
Coercitio tyronum qualis erat, an verber, virga, aut flagellum, &c. 497. 498
Cognati, & Agnati quomodo fiat coniuncti 789
Cognitionum dies qui 894
Cohors pilata 1016
cohors quid 967
cohors milliaria quæ 967
cohortes in vna legione decem erant ibid.
cohortes C. Marius primùm instituit ibid.
cohortium nulla fit mentio apud Liuium ibid.
κοικοίτην 944
collatina ciuitas, in qua Lucretia habitabat 47
collina tribus vnde dicta 663
collinæ tribus meminit Iosephus ibid.
collegium Augurij celebre olim 277
Romæ habitum ibid.
collegium quibusi permittitur, iis quoque ad exemplar Reipub. licet habere arcam communem & Syndicum 803
collegiorum constituendorum causa & nomina ibid.
collegia primum à Numa fuere instituta ibid.
collegia Parasitorum 456
colliculus decimus Romæ ilice nobilitabatur 22. titulus æreis litteris insculptus ibid.
collina collibus præsidebat 254
collis Hortulorum quis & vnde dictus 20. pomærio inclusus ibid.
collis Quirinalis colles particulares 16
collatio quid propriè 623
coloniæ, & Municipia quid differant 992
coloniæ deductio aratro demonstrata 748
coloniæ cur deducerentur, sex causæ fuerunt 994
coloniæ Latinæ quæ fuerint 991. qualia oppida fuerint ibid. qua occasione fuerunt deduci cœptæ 748. Romanæ quæ 991. suos habuerunt sacerdotes, Augures, & Pontifices 995
coloniarum certi fuerunt patroni ibid.
coloniarum deductionis causa leges latæ 841
coloniarum duo genera 991. magistratus præcipui qui 995. Respublica qualis fuerit ibid. Senatores Decuriones dicti fuerunt ibid.
coloni à quibus in prouinciam ducti fuerint 994. nomine ciues Romani fuerunt 991. sub vexillo in prouinciam ducti 994
colonorum dux quisnam fuerit 748. 994. numerus pro agri amplitudine in quem deducebantur, scribebatur 994
colophonia ab Erichthæo Patre pro Atheniensibus sorte immolauit 839

Color vexilli purpureus 1063
Color vitreus quomodo ab Italis, & ab aliis nuncupatur 563
Color Tigridis rauus est 163
Colores diuersi factionum 448
Colores ab initio duo tantum 445
Colossus Soli sacer, & corona radiata insignitus 40
Colossus quid 143
κολοβιδιον quid significet 555
Columba augurium fœlix significabat 283
Columba Veneri sacra 131
Columbaria quid in naui 986
Columna altitudine 140. cubitorum in quonam foro Romæ sit 892
Columnæ triumphales 1006
Columnæ in mediis ædibus erectæ 1015
Coma calamistrata 581
Comæ Germanorum, aliorumque populorum qui ad Septentrionem vergunt 617
Comassari 504
Combustio Vulpium 343
Comœdia quomodo differat à Tragœdia 463
Comœdia Apollini dicata 110
Comedebant Romani sedentes 507
Comedebant veteres communiter, & in patulo ne singularitas luxuriam gigneret 504
Comes aliquando dictus fuit Legatus 969
Comica scena quomodo ornata 465
Comissatio non comessatio 504
vnde dicatur ibid.
Comissationes antiquis probatæ non fuerunt ibid.
Comitia à coeundo 638. censorum quid discriminis habuerunt à comitiis consularibus, & prætoriis 654
Comitiales dies quinam in anno 328
Comites Bacchi 188
Comitia consularia 677
Comitia centuriata antequam haberentur edictum præmittebatur, vt ad quam diem populus conuenire deberet, multo ante intelligeret 655
Comitia centuriata, curiata & tributa quid differant 654
Comitia consularia ante prætoria habebantur ibid.
Comitia & Concilia quid differant 638. 639
Comitia fuerunt conuentus populi ad ferendum de aliqua re suffragium 639
Comitia indicta in comitio sæpe ob tempestatem ingruentem peragi non potuerunt, sed dissoluta fuerunt, caruit enim tecto 645
Comitia magistratuum aut legum haberi non poterant, nisi Augures adessent 644
Comitia nulla nisi in diebus comitialibus haberi poterant 653
Comitia vt impedirentur magistratus de cœlo obseruabant 644
Comitiorum causa leges latæ 770
Comitiorum dirimendorum rationes quænam fuerint 660
Comitiorum genera tria 639
Comitiorum ius pristinum reduxit Iulius Augustus 891
Comitiis Augures tres quare interfuerint 644
Comitiis futuris institutis aut iam habitis Augures obnunciare poterant, magistratus autem priusquam haberentur ibidem
Comitia quænam dissoluerint 657
Comitiis Centuriatis exercitum extra vrbem imperari oportebat, intra vrbem Imperari ius non erat 642
Comitiis centuriatis illi tantum ciues qui in curias descripti erant suffragia tulerunt 641
Comitiis magistratuum creandorum causa institutis, nemini Magistratuum licuit de cœlo seruare, & comitia impedire 644
Comitio quid sit 677
Comitiales dies casu tantum non propriè facti erant 337
Comitiales dies erant, quibus cum populo agi licebat 336. quinam sint ibid.
Comitialibus diebus comitia curiata habita sunt 643
Comitialibus diebus, & lege atque cum populo agi licebat 894
Senatus non fuit habitus 694
Comitialis morbus vnde dictus sic fuerit 657
Comitiatus maximus 785
Comitium foro coniunctum, & pars fori 643
Comitium locus fuit in quo si aliquid quod ex vsu Reipub. esset decernendum foret, decernebatur ibid. in hoc non creabantur Consules, sed in campo Martio ibid. sicuti, & Tribuni non in Comitio, sed plerumque in campo Martio, vel etiam in Capitolio ibid.
Comitium multis annis caruit tecto ibid.
nomen habuit à Comitiis curiatis, quod populus illic conueniret ibid. pars fori Romani in quo rostra 891
Comitij vsus ibid.
Comitio fossa circumducta 21

Commentariensis, custos carceris dictus fuit 913
Commentariensis in castris quinam fuerint 971
Comœdi socco pedes induebant 455
Commercium pellium murinatum à quibus venit 554
Commercium strenarum sublatum à Tiberio 39
Consul nouus omnia fausta optaturus nouum annum aperiebat 37
Commissio certantium quomodo fiebat 441
Commodatum quid 888
Commodus in die octies lauit 75
Communia vestimenta quæ 551
Comœdia à Græcis ad Romanos transiit 460. quid ibid. antiquior Tragœdia 459. κατὰ κώμας dicta ibid.
Comœdia vetus quid 460
Comœdiæ nouæ atque veteris discrimen ibidem
Comœdiæ, & Tragœdiæ discrimen 461
Comœdiæ siue Tragœdiæ partes primariæ quæ, quæ item accessoriæ 463
Comœdiæ variæ definitiones 460
Comœdiarum partes variæ 463
Comœdiarum species variæ 460
Compedes quid 911. ab impedientibus dicti ibid.
Compedes pedum vincula ferrea 800
Comperendinatio quid 909
Comperendinatio, & Ampliatio quid differant 923
Comperendinatio dicta quod perendino die perageretur 922 quid sit ex Asconio ibidem
Comperendinationis exemplum quinque libri in Verrem ibid.
Comperendinatione instituta prius defensor, posteriore loco Accusator dixit ibid.
Comperendini dies quibus vadimonium licet dicere 336
Competitores Consulum aut Prætorum per id tempus quo Consules & Prætores creati, priuati manebant, inquirebant de ambitu in designatos 654
Compitalia quando habita 379. qualia sacra ibid.
Compitalitij ludi quinam sint 475
Compitalia à quibus instituta 388
Compitalia cur Laribus dicebantur deuota 389
Compitalia 342
Compitalitius dies 389
Concapes tignum quod 810
Conceptiuæ feriæ annales quænam 336. 415
Concentus hydraulitum quomodo compositus 521
Concha ærea, aut fictilis in balneis adhibita 85
Concidere pignora quid 695
Conciliabula loco nundinationis quæ Prætores in Prouinciis indicebant 693
Concilia, & Comitia quid differant 638. 639
Conciliorum & Comitiorum discrimen non est perpetuum ibid.
Concordiæ templum à Camillo voto positum 342
Concordia qualis Dea apud Romanos 238
Concordia Romanorum maxima sub Romulo 90
Concordiæ ædes ænea à Cn. Flauio extructa 238
Concordiæ templum, vbi, & à quo extructum ibid.
Concubia nox quale dici tempus 335
Condemnationis formula quæ 923
Condemnationis in formula aliquando & crimen & pœna fuit comprehensa ibid.
Condemnationis nota ibid.
Condemnationem sequebatur, aut litis æstimatio, aut animaduersio ibid.
Condictio est in diem tertium eius rei quæ agitur denunciatio 909 898
Condictio quænam fuerit 905. quotuplex ibid.
Confarreatio 606
Confarreatio solis Pontificibus conueniebat 605. 606
Confessei passiuè pro de quo reus est confessus 800
Confinium locus quo se possessores attingunt 805
Conflictus initio quid Romani fecerint 980
Confugium ad templorum aras 28
Conscripti Senatores 688
Consecratio Templi Martis 344
Consecrata primo omnium Liuia Augusta 298
Consecratio Augusti quomodo peracta ibidem. Imperatorum Romanorum 296. mulierum qualis fuerit 298. quibus cærimoniis instituta, producta, & absoluta fuerit 296
Consecrationis honore affecti inter deos relati 296
Consecrationis mos à Cæsare Augusto primum institutus, & à Tiberio instauratus ibid.
Consertio manus in fundo aut domo quomodo facta 901
Consertio manuum in re atque loco de quo disceptaretur præsenti facta 799

Conseruator Iupiter quare 142
Connectio causæ quid 910
Coniicere est rem breuiter narrare 798
Conicio pro coniicio antiquè ibid.
coniuratio qualis militia fuerit 952
connubia inter patricios, & plebeios quando communia facta sint 604
connubiorum causa leges latæ 850
connubia tribus modis soluebantur 619
connubiorum ius plebi cum patribus concessum lege Canuleia 850
con insula in qua fiunt bombycinæ vestes 561
consilium mulierum mutabile 1032
constantius Castro Prætorio diruto nouam quandam orbis Romanij diuisionem commentus est 710
constantinus non modo delatores admittebat, sed & fouebat 939
constantinus insedebat aureo solus carpento 1041
constantinus Imperator Alexandria Romam duas statuas marmoreas transtulit 16
constantinus passus est se appellari Pontificem Max. 308
constantinus Magnus decennalia celebrauit 48
constantini Magni ludi natalitij quando celebrati ibid.
constituere est tabulas in cistas ponere 912
constituti dies sic dicti 386
constitutio Syracusanorum floridas vestes penitus prohibebat 563
consuales ludi quinam 468
consualia, ludi in honorem Consi 405
Consualia 468
Consul, stante republica sumptus anni, & census ciuitatis in foro posita hasta exigebat 513
Consularis annus fuit quadragesimus tertius 697. dignitas initio cum patriciis tantum fuit communicata 697. potestas quomodo restricta 698
consularem esse maximæ dignitatis Symbolum ibid.
Consulares facti fuerunt Dictatores Magistri equitum & Censores ibid.
consulares leges quæ 651
consulares quatuor quinam, à quo instituti primum 747. iudicium tantum habuerunt, rem autem militarem non attrectarunt ibid.
consulares qui Consulatum gesserant 698
consulatus raro bis aut ter in vnum collatus fuit 697
consulatui definitus annus est xliij. 832
consulatum inter & præturam interponebatur ad minimum spatium biennij 697
consulatum septies gessisse Marij est proprium ibid.
Consul bella indicturus quo genere vestis vsus fuit 565. in Senatu quem rogandarum Sententiarum ordinem Calendis Ianuariis tenuit, eundem toto anno obseruauit 694. nemo creabatur, nisi sibi prius per Quæsturam Ædilitatem & Præturam aditum fecisset 697. ἐπώνυμος fuerit apud Romanos, maximæ erat dignitatis ibid. si quis ante legitimum tempus factus extraordinarium prorsus fuit honoris & præmij ornamentum ibid.
vnde dictus ibid.
consules initio bellorum ciuilium Pompeianorum cum summo dedecore vrbe excedentes sanctius ærarium clauserunt 720
consules stante Rep. indubiè cognoscebant de litibus inter ciues motis 931
consules suos habebant viatores 753
consulis de potestate lex Ciceronis 698
consulem absentem creari non licebat 697. duodecim secures præcedebant 708. Centuriatis Comitiis creati 648. designati calendis Ianuariis consulatum inibant, frequenti populo comitati in Capitolium ascendentes 347. etiam ludos exhibuerunt 437. grauiore vrgente bello in Consulatu prouinciis præfuerunt 996. habuerunt comitia tributa Quæstorum & Aedylium creandorum gratia 670. Honorarij qui 698. Magistratum ineuntes Iunoni Hospitę sacrificare solebant 148
consules nisi interregno aut in locum demortui creati essent, non statim magistratum inibant 654. non ante paludati in prouincias exire consueuerant quam ferias Latinas indixissent 414. noui antequam designati prouinciæ duæ consulares à senatu futuris Consulibus decernebantur, vt finito annuo magistratu vrbano in eas irent 741. nuper creati domum de campo deducebantur à populo, & propinquis 660. populum ad comitia Curiata vocare potuerunt 642. post reges summum imperium obtinebant 697. præsentis anni de Consulibus in sequentem annum legendis habebant 650. primis temporibus Prætores, & iudices dicti fuerunt 697. quo die magistratum inibant ex templo Ioui Capitolini, singuli singulos boues immolabant 40. & ex eo togam sumebant ibid. sortiebantur de Comitiis habendis 651

Con-

Consulibus bella mandabantur 294
Consulum alter plerunque fuit Patricius, alter plebeius 697
Consulum causa leges quænam latæ 833
Consulum creandorum quęnam fuerit occasio 697
insignia quænam fuerunt ibid.
potestas quanta fuerit ibid.
à Consulibus ad plebem prouocatio lege Valeria constituta 698
Consulti legum sacrarum 308
Consumis frustra aquam, ἀνήλωσας ἀνάλωμα ὕδωρ, in eos qui frustra student eloquentiæ 948
Consus consiliorum secretorum deus 475
Consus quis deus sit 203. vnde dictus ibid.
Consum deum aram habuisse subterraneam ibid. ratio huius rei ibid.
Consurgere in consilium 921
Contentio accusatoris, quid complexa fuerit 920. 921
Contestari litem quid 909
Conticinium quid 335
quartum tempus diei ibid.
Conti hastæ longiores & robustæ 1021. 1022
Contractus intentio quænam fuerit 905
inficiatio quæ ibid.
Contractus quid, species eius, & quid singulæ 888
Contractuum monumenta in æde Saturni, in libris Elephantinis descripta asseruabantur 129
Contractuum nomina quænam 905
Controuersia iuris quomodo disceptata 921
Controuersiæ ciuiles quare priuatæ appellatę 886
Controuersiæ priuatæ ad res, vel personas, vel obligationes spectant ibid.
Controuersiarum ad personas spectantium quæ sint capita ibid.
Contubernales adolescentes fuerunt qui rei militaris percipiendæ, & prouinciæ cognoscendæ gratia Magistratus in prouinciam sequuti 742
Contubernium quodnam fuerit 967
Contus 987
Conuertere, modus in adorationibus & sacrificiis obseruatus 324
Conuentus amicorum cum apparatu in cœna nuptiali, permissus 610
Conuiuæ nec loquaces, nec muti esse debent 509
Conuiuarum numerus incipiendus est à gratiarum numero ad Musarum progrediendo 508
Conuiuas veteres ad cœnas vocabant 504
Conuiuales leges quisnam præscripserit 528
Conuiuales sermones quales esse debeant 509
Conuiuium rebus quatuor constat 508
Conuiuij dominus qualis esse debeat 509
Conuiuij domino scheda dabatur simulac decubuisset, quæ descripta ordine obsonia omnia habebat, vt iam sciri posset, quid primum, quid secundum coquus appositurus 516
Conuiuium ornant ea quæ delectant 509
in Conuiuio quænam infausta habita 184
Conuiuiis in publicis in principio minutioribus poculis, in fine vero grandioribus vsi sunt veteres 528
in Conuiuiis veteres solebant saltare & canere ante triclinia 516
Conuiuium peracto triumpho in Iouis Capitolini templo instaurabatur 16
Conuiuium Vitellij prodigiosum 526
Conuiuium instaurabatur in Iouis Capitolini templo, peracto triumpho 16
Copiæ pedestres & equestres, quomodo diuersæ fuerint 967
Coprei quinam essent 451
Copula venatorum 168
Corbes 986
Corbita quale genus nauigij 989
Corbitæ naues dicuntur onerariæ 986
Corbis signum nauis erat ibid.
Corbita quid sit 490
per Corbitam cibi, exprimitur insignis edacitas ibid.
Corbitores cur sic dicti 489
Corinthus deuota 985
Corium crudum bubuli, materia calcei 600
Cornea porta visorum exprimit simulachra 117
Cornelia lex 828. ibid.
de crimine falsi 866. eius capita ibid.
de honoribus ante tempus petendis & proscriptorum liberis 831
de iis qui legibus soluuntur 837
de inferendo bello Regi Anthiocho 848
de Iudicibus 855
de lusu 874
de Maiestate 858
de Prætorum iurisdictione 853
de repetundis 873
de retinendo imperio quo ad in vrbem quis ingressus 840
de Sicariis 865
de Testamentis eorum qui in hostium potestate sunt 851
de viginti Quæstoribus 835
Cornelia lex Genutiam repetit & confirmat 832
Cornelia lex quæ repetiuit Semproniam

844
Cornelia virgo Vestalis maxima 202
Cornelij caput circa rogum Cæsaris fixum 1014
Cornelia lex quæ Tribunis omnem potestatem ademit 835
Cornelia lex qua minora pretia rebus imposita 846
Cornelia Tribus vnde nomen sortiatur 664
Cornelia lex vt proscriptorum agri publici essent 842
Cornelius Lentulus Prætor à Cicerone accusatus, vestem purpuream magistratus sui indicem deposuit, funestamque induit 387
Cornelius Balbus Gaditanus de Garamantibus solus inter exteros triumphauit 1036
Cornelius Sylla dictus est potius fœlix quàm fuerit 64
Cornibus boum prisci illi primo potarunt 508
Cornicularij qui fuerint 971
Corniculo merere dicuntur cornicularij ibid.
Cornu quid 967
Cornices inter inauspicatas aues positi 386
Cornix auis funebris 632
Corymbion mulierum 104
sub Corona stare, seruorum nota Romæ 104
Corolla plumea quare milites Romani ornati 973
Corona triumphalis in initio laurus erat 1039
Corona lanea in expiatoriis & magicis sacris receptissima 389
Coronæ radiatæ vsus in priuatis Principum ædibus 41
Coronæ aureæ 1039
Coronæ militares in multiplici discrimine 1039
Corona graminea maximæ honorationis, in re militari 174
Corona myrtea, & non lauro quare ouantes coronati 1001
Corona redimiri nouæ nuptæ consueuerant 607
Corona signum captiuorum venalium 991
Corona, sub corona venire quid ibid.
Corona triumphalis, obsidionalis, ciuica, muralis, castrensis, naualis quæ sit 1000
Coronam myrteam Crassus aspernatus 1002
Corona quercea donabatur, qui ciuem ab hoste seruasset 847.1004
Coronæ aureę duæ in cella templi Iouis Capitolini 140
Coronæ longæ quænam 783
Coronæ militares multifariæ 1000
Coronæ præcipuæ quænam sint ibid.
Coronarum Icones 1000
Coronas Ianus primus inuenit 121
Coronas, nauigia, & tumultuarios pontes quis primus inuenit ibid.
Corporeæ res in iure quæ sint 887
Corpora defunctorum exportare ex loco in alium locum inconsulto Pontifice nefas erat 322
Corporis humani singulis partibus singuli dij præfecti 145
in Corpore humano affectiones quędam momentaneæ mali ominis quænam fuerint 184
Corui qualia nauium munimenta 987
Corui quid portenderint Alexandro, Ciceroni 281
Corui, inter inauspicatas aues positi 386
Coruus auis inauspicata 633
Coruilius Pollio testudinum putamina secare in laminas, lectosque, & repositoria his vestire, prodigi ac sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij 501
Corybantes sacerdotes Cybeles caput torquere, crinem rotare, totumque corpus circumagere solebant 134
Corybantia æra ibid.
Corymbis, naues ornatæ aliquando 989
κόσμου ταῖς ἐξῆς, 119
κοσμοποιός, mundi factor 765
Costum inter odorata censetur 548
Cothurni non solum tragœdiis apti, sed & puellis & viatoribus 462
Cothurnus quale fuerit calciamentum 461
Cothurno vtebantur in tragœdia ibid.
Cotyliscus quid sit 538
Couella 339
κοντοφόροι, qui contos gestant 1022
κοντός 1023
Couum veteres cœlum appellarunt 339
Crobylus virorum 104
Crassa toga 562
Crassus à Parthis quando cæsus 394 bello Parthico cum filio occisus 979 in Parthos iturus admonitus voce inopinata 235
Crater, genus quoddam poculi 530
quomodo Græcè dicatur ibid.
Crater Iouis seruatoris sacer 549
Crepera res dicitur dubia 155
Crepidæ cercolinæ, aut cercopythæ 601
Crepidulæ quænam 594
Crepusculum vnde dicatur 335

Crepusculum quid sit 365
Crete Insula plurimum vigebat mercatorum frequentia 171
Cretenses Mercurialia celebrabant ibid.
Cretenses, celebrantes Hermæa, Domini ministrabant seruis mensæ accumbentibus 423
Cretenses pyrrhicam decursionem à Pyrrho Cydonio didicerunt 496. pedibus nudis venationes & cursus conficiunt ibid.
Cretenses calculum diuersi coloris sumere solebant in capitalibus sententiis ferendis 387
Criminales causæ non omnes sunt capitales, & contra 914
Crimina omnia ferè pro magistratus arbitrio ad populi iudicium fuere translata 858. qualia maleficia 912. quænam Reipublicæ directò facta sint, & quæ priuatis ibid.
Criminum publicorum causa leges latæ 858
Crinalis, casona, seu acus, qua mulier scalpit caput 581
Crines pectere, non datur in vituperio, modo non sit ad luxum & effeminationem 583
Crines adscititij, & adulterini, qui meretricibus in pretio à Germanis petebantur 617
Crines alicui Deo voti 1056
Crines alere, iudicium libertatis 1053. Regalis capillitij ius 1054
Crinum vnguentum 548
Crinis rufus, & in nodum coactus apud Germanos vtrumque decet 583
Crinitus officium seruile subire non potest 1055
κρίνον lilium 548
κριτήριον 386
Cristallina pocula 532
Cristallus quomodo componatur, & vbi reperiatur ibid.
Crocus in theatralibus admissus 485
Crotoniatæ à Pythagora Samio præcepta Reipublicæ acceperunt 762
Crucis maior pœna quam patibuli 930
Crustumina tribus vnde 665. ante Clustumina dicta ibid.
Ctesibius Hydraulicorum instrumentorum inuentor 522
κύβεια τῶν ἀνδράντων 432
κυβεύειν, talis ludere 430
κύβος δόξης, firmitas gloriæ 133
κύβοι quid vocent 429
Cubiculum, vbi cubare solebant 514
Cuiacius Iurisconsultorum facilè princeps 102
Culeus supplicij genus 786.787
Culpa qualis læsio 790
Cultrarij qui 321
Cultris seipsos Bellonarij feriebant, & proprio sanguine numen placabant 175
Cultus Lucorum 27
Cultus celebris institutus in honorem Æsculapij 232
Cultus Vestæ 199
Cumea Sibylla 310
Cumana Sibylla ibid.
Cumba quæ pars nauis 986
Cumerum vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis vtensilia 608
Cuneus 980
Cuneus acies cuneum repræsentans ibid.
κυνηγέτις, Diana canum actrix 158
Cuniculus meatus subterraneus est subfossus 983. vnde dicatur ibid.
Cuniculorum agendorum primus inuentor ibid.
Cunina Dea quæ cunas infantium administrat 241
Cupiditas opes desiderat 221
Cupido vnde sit dictus 177. tres finxit Cicero ibid. pingitur nudus, alatus, arcum & sagittam gestans 178. ratio huius picturæ ibid.
Cupido nudus depingitur 259
Cupressus excisa non renascitur 623. Diti sacra ibid sero Romam adducta ibid.
Cupressos cur mortuorum domibus apposuerint ibid.
Cura Palatij 14
Cura maxima adhibita in hortis 22
Curatio in prouincia in quibus posita 742
Curator primus Messala Coruinus 75
Curatores aluei Tyberis, & cloacarum 726
Curatores omnium Tribuum quinam fuerint 716. regionum qui 731. viarum singularum extra vrbem qui, & quare constituti cum huius rei cura primum Censoribus esset demandata 727
κυριακός 345
Curia Hostilia ab Hostilio primo ædificata 639
Curia Hostilia quæ, vbi sita 17
Curia Hostilia, Pompeia, & Iulia cum loca profana essent, templa per Augures fuerunt constituta, vt in iis Senatusconsulta iusta fieri possent 694
Curia pro ædibus quas singulæ triginta partium habuerunt, & in quibus sacra peregerunt, 639. pro triginta partibus in quas populus Romanus distribuit ibid.
Curię vocis significationes tres, quarum mentio fit in Historia Romana ibid.

Curiam à Cura esse dictam ibid.
Curiæ apud Romanos tales populi partes fuerunt, quales sunt in vrbibus quibusdam parœciæ 640
Curiæ dicuntur aliquando ædes in quibus Senatus est habitus 639
Curiæ non erant tantum triginta illę populi partes, sed etiam singularum partium ædes dicebantur, ex quibus quæque Curia sua sacra publica faceret 296
Curiæ seu partes populi fuerunt triginta ibidem
Curiæ singulæ singulos sacerdotes habebant, pro sua Curia sacra faciebant, feriasque obseruabant ibid.
Curiæ Tribuum partes fuerunt 640. vnde nomina traxerint ibid.
Curiarum triginta nomina nulla amplius supersunt præter octo ibid.
Curiales eiusdem Curiæ ibid.
Curia lex de modo comitiorum 829
Curiata comitia auspicato habentur 643
Curiata Comitia Flaminis Dialis qualia 646.
Curiata comitia legum ferendarum antequam haberentur oportebat leges trinundino ante proponi 645
Curiata comitia non poterant auspicato fieri, nisi intra pomærium, idque in foro 643
Curiata comitia omnium prima 639. quid fuerint ibid.
Curiata comitia quænam præcesserint 643
Curiata comitia vltimis temporibus, duabus tantum de causis haberi cœpta 641
Curiatorum comitiorum auctor Romulus 460 locus & tempus 643 modus quinam fuerit ibid. ratio quænam fuerit 644
Curiata comitia quænam personæ conuocauerint 642
Curiatis comitiis illi tantum ciues suffragium tulerunt, qui in curias descripti fuerunt 642
Curiatis comitiis iudicium peractum præter Horatij nullum reperitur 641. populus per triginta lictores conuocabatur 643. quamdiu suffragia vocalia fuerint 645. quando omnia quæ ad rempublicam pertinent peracta sint 640. singulis Curiis singuli lictores adfuerunt non suffragiorum, sed officij causa 642
Curiatis comitiis tempore Ciceronis nonnumquam triginta tantum lictores Curiarum, non ipsas Curias suffragium tulisse ibid.
Curia lex arrogationum 646
Curiata in lege ferenda Augures tres adesse oportebat 644
Curiatæ leges quænam 642
Curiatæ leges sex quænam 642
Curio Maximus curiatis comitiis creatus 641
Curio sacerdotes qui sacra pro sua curia curauit 290. à quo confirmatus ibid.
Curionem Maximum nominabant eum qui omnibus curionibus præsidebat ibid.
eum comitiis curiatis creabant ibid.
Curiones à curiis dicti ibid.
Curiones non comitiis, sed à suis curiis eligebantur 641
Curiones qui sacris curiarum præerant 640
Curionia sacra dicebantur, quæ in curiis fiebant 290
Curionum æs quod dabatur curioni ob sacerdotium curionatus ibid.
Curis, Sabinis est hasta 231
Curius Dentatus Elephantos duxit in triumpho 1058
Curius triumphatis Samnitibus, & Pyrrho reliquum æuum re rustica peregit 755
Curopalates 142
Currus triumphantis albo colore exhibebatur 387
Currus sanguine tinctus & ductus à quatuor equis albis 1042
Currus coronati 1043
Currus Martis 179. 180
Currus falcati 1019
Currus triumphantium à Leonibus ducti 1042
Currus triumphales quibus coronis ornati 783
Currum triumphantium quales equi traxerint 1005
Curruum nomina 1042
Cursores, illorumque officium 755
Cursuale ministerium 756
Curetæ Idæi Dactyli dicti, matris deorum sacerdotes 134
Curtius eques Romanus abhibitus in cœnam ab Augusto, rogauit num macrum turdum mittere liceret? & cum responderet Princeps, quidni liceret, statim per fenestram misit 519
Curules magistratus qui 99
Custodes ædium sacrarum quomodo appellabantur 316
Custodia reorum duplex Romæ fuit 913
Custodiæ liberæ quænam fuerint ibid.
Custodias in liberas ante confessionem rei coniecti ibid.
Custos, post partum pueris adhibitus, ne Syluanus per noctem ingrederetur 257
Custos regiæ pecuniæ 719
Custos tectium 159. 160

Cybdela

Cybdela, numismata sic dicta à Græcis 713
Cybele quæ dicta sit, & vnde 131
Cybeles deæ sacerdotes Galli dicti fuerunt 313
Cybeles sacerdotes, quare castrati esse debuerunt ibid.
Cybele coronam turritam gestabat 133. diuersè nominata ibid. eadem cum dea Syria ibid.
Cybeles sacerdotibus licebat stipem petere 314
Cybeli porca litabatur 312
Cybeles Sacerdotes quibus poculis vtebantur 537
Cydones populi in Creta 496. celebres non modò saltatione pyrrhica, sed & sagittandi peritia ibid.
Cyllenius cur Mercurius dictus 170
Cymbala ferre rectè dictum ad officium Archigalli designandum 135
Cymbalorum vsus etiam in orgiis Bacchi receptus ibid.
Cymbium à forma nauis nomen accepit 539
Cymbri antiquitus Gallorum nomine continebantur 877
Cymon, vituperatus fuit, quod musicam ignorabat 526
Cyrbasiæ pilei Saliorum 303
Cyrus curruum primus autor 1019
Cyrus rex hortum sua manu colere solebat 21
Cyssibium, poculum tantum vna parte auritum 538
Cytharœdorum Deus Apollo 150

D

DActyli Idæi ferrum inuenerunt 134
δᾳδουχία, facis gestatio 195
δᾳδοῦχος tædæ gestator ibid.
Dalmaticæ cur sic dictæ 588.589
Dalmaticus cur Metellus appellatus 229. ædem Castoris & Pollucis refecit ibidem
Damia dea 376
Damatrix sacerdos Damiæ ibid.
Damnum iniuria datum à furto & rapina quid differat 890
Damium sacrificium 379
Damnare, verbum solemne, in captandis auibus, in sinistro præsagio sumptum 287
Damnatio Vestalis pro prodigio sumpta 202
Danaus primus in Græciam ex Ægypto naue aduenit 728
Dapalis Iupiter quare 148
Darius minor primus auscultatores vsurpauit 937
Darius Cyro interfecto apud Scythas post aliquantulum interuallum sorte regnum adeptus est 205
Darius, pugnabat cantante hydraule 521
Darius qui modo non bellantis more, sed triumphantis curru sublimi vehebatur 1041
Dauid surrexit è strato suo post meridiem & deambulauit in solario 506
Dæmon Theuth 431
Dea Syriæ 287
Dea Libertorum 1055
Deæ muliebri quam Bonam nominarint, matronæ domi suæ sacellum adornarunt, nec myrtum inferebant 313
December vnde dictus 413.
eius nomina ibid.
Decemuirales leges Centuriatæ 651
Decemuiri Coloniæ deducendæ qui 748
Decemuiri Epulones 314
Decemuiri quando creati 310. eorum officium ibid. ex plebe partim, partim ex patribus creati ibid.
Decemuiri litibus iudicandis qui, eorum officium 718
Decemuirorum creandorum quisnam primam occasionem dederit 709
Decem virorum officium, quod 310. potestas in vniuersum sublata, tertio anno postquam in Rempublicam esset introducta 710
prima comitia Consules habuerunt 651
Decennales ludi à quo sint instituti 480
Decennalia Constantinus Magnus celebrauit 481
Decennalia vnde 628
Δεκανισταί 455
Decia lex de duumuiris naualibus 486
Decimatio qualis ignominia militaris fuerit 998
Decimationem quare instituerunt Imperatores in militia ibid.
Decimatrus 362
Decores siue decures cur togæ tritæ dicantur 568
Decrementa Lunæ 168
Decuma quid 993
Decumanus limes quis 844
Decumani cur publicani dicti fuerint 993
Decumana porta 977
Decumanum frumentum erat decuma, quam arator sine precio dare cogebatur 993
Decumanum frumentum publicanis venditum à quibus fuerit ibid.

Decuriæ dictæ quod singulæ decem Equites continerent 970
Decuriones quinam 970. 995
Decuriones quare Coloniarum & municipiorum Senatores dicti fuerint 995
Dedicare in funus, quid sit 575
Dedicatio ædis Iunonis Monetæ 344
Dedicatio Capitolij 346
Dedititius libertus quinam factus apud Romanos 104
Deductores qui 696
Defectus Lunæ quomodo cognoscitur 167
Defensio quomodo instituta fuerit 921
Defensiones, & accusationes traducebantur per multos dies ibid.
Defensor in comperendinatione priore loco dixit 922
Defensor viginti dies habebat ad defendendum 921
Defensoris principia, Narrationes, Contentiones, &c. quales fuerint ibid.
Defensori argumenta aptiora fuerunt quam testimonia ibid.
Defunctis præferebantur insignia honorum, arma, dona militaria, & similia 624
Defuncti corpus per interualla conclamabatur 622
Defuncti tenuioris fortunæ à Vespis aut Vespillonibus portabantur 624
Defunctos qui sequuti qua voce extrema vsi 626
Dei definitiones Gentilium ridiculæ 108
Dei Etymologia eruditorum varia 108
Deiectio è saxo Tarpeio per carnificem facta 929
Δεῖμος, terror 179
Δεῖπνον quid sit 505
Delatio nominis quomodo facta ibid. eius formulæ ibid.
Delatores humani generis inimici 937
Delatores frontem ferream punctis & notis vulneratam habentes 939
Delatores subscribebant libello 938
Delatorum rabies quo tempore cæpit sæuire 938
Delegatio alterius debitoris in suum locum substitutio 889
Delicatiores inualescente luxuria byssinis vestiebantur 559
Delos insula, vbi natus est Apollo, prima Deum celebrauit 153
Delphica Syb lla 310
Delubrum quid & vnde dictum 109
Delubrum tempestatis 344
Delubrum pars templi 155
Demaratus Lacedæmonius, & quid de illo referatur 592
Demetrius Antigoni filius calceos aureos gestabat 597
Democratia quid sit 682
Democratia quamdiu fuerit, & quamdiu in Repub. Romana ibid.
Demodocus in Phæacum conuiuio Græcorum à Troia reditum cantat 522
Demophile 310
Denarius deferebatur in ædem Iuuentutis, cum quis virilem togam sumebat 574
Denaria loca in quibus Deorum dona reponuntur 119
Denarius semper pro decem assibus datus in militari stipendio 853
Denates pro Penates quare vsurpatum 206
Δενδροφόρος quid sit 125
Δεῖπνον ἄδειπνον 500
Denicales feriæ quænam 627
Denominationes annorum nobiliores 340. 341
Dentes, vt nitidiores fierent, vrina quotidie, aut rebus aliis putidissimis eos leuigare, moris erat 690. quomodo medentur 595
Dentes eburnei 694. quotidie lauabantur, fricabanturque ibid.
Dentis euulsionem primus Æsculapius inuenit 230
Denunciatores regionum quodnam officium habuerint 751
Δεύτερον, pecunia à Græcis celebrata 721
Deosculatio pro adoratione sumpta 324
Deorum Parasiti 456
Deorum nomina diuersa 114
Deorum euocatio in oppugnationibus vrbium quare instituta 984
Deorum internuncius quare Mercurius existimatus 169
Deorum iram quomodo placauerint Romani 410
Deorum tres classes Cicero in Nomothesia sua fecit 226
Deorum tres ordines Cicero statuit 108
Deos alios certos, alios incertos, quosnam Varro intellexerit ibid.
Deos plurimos, qui tamen non fuerunt eiusdem honoris, Romani coluerunt ibid.
Deos primus timor in orbe fecit ibid.
Deos quosdam vt prodessent, celebrabant, quosdam ne obessent, placabant 141
Θεὸς, & alia diuersa nomina 118
Θεὸς ὕπατος Deus summus 765
Διὸς ἵπποι, Iouis equi 1042
Depectus turpiter pectus 912
Deportatio in Insulam, pœna olim delatorum

rum 939
Depositum quid 888
Descriptio Calendarij 341.342.343 344.345. 346
Descriptio hominis mollissimi pulcherrima 589
Desertor quinam habitus apud Romanos 847
Designator apud Romanos qui 316
Designatores qui 489 316
Despondebatur absenti absens per epistolam 602
Deuerra 243
Desultor cum ad finem cursus venisset, desiliebat, & ex equo in equum transiliebat 490
Desultores quinam sint, & cur sic dicti 490
Desultores vno tantummodo equo vtebantur ibid.
Deunce bibaces apud veteres potarunt 527
Deuotio sui ipsius pro exercitu quando suscepta 980
qua forma orationis ibid.
Deuotionis verbum, & exercituum hostilium formula 984.985
Deuotiones vrbium atque exercituum quomodo institutæ ibid.
Deus Legislatores statuit per orbem 760
Deus irritatur maxime adulterio 865
Deus rusticorum Græce dictus ἀγροτικὸς θεὸς 271
Deus à dando, vel quod ei nihil desit 108
Deus est æterna mens, causa boni in natura ibid.
Deus tutelaris vrbis Romæ quare ignotus 767
Dextram fidei sacram esse voluerunt 245
Dextræ tibiæ acutum sonum reddebant 467
Dextræ tibiæ quæ ibid. funeribus dicatæ ibid.
materia earum ibid.
Dextrum in augurali disciplina diligenter obseruatum 278
Δῆλιον, ara Apollinis 120
Δήμιος, carnifex 877
Δημήτηρ, Cererem nominarunt, quasi γῆ μήτηρ 184
Δημοτικοί 88
Δημοσίων, vbi ciuiles causæ actitabantur 945
Δημόσιον ταμεῖον, saccum publicum 731
Δηροτόμος Diana, ferarum vastatrix, aut interfectrix 159
Dialis flamen maximæ dignitatis inter quindecim Flamines 293
Dialis flamen quis & vnde dictus ibid.
à quo constitutus ibid.
Dialis flaminis cærimoniæ plurimæ recensentur 293.294
διαμεμερισμένη ἡμέρα, diuisa & dispartita dies 948
Diana, soror Apollinis, vnde dicta, quæ eius figura 152
Diana idibus Augusti à venatu abstinebat 156
Diana stolata 685
Diana in magno honore habita 163
Diana Bubastis cur sic dicta ibid.
Diana Dictymna, propter venandi studium sic dicta 159
Diana venatrix 158
Dianæ natiuitas 343
Dianæ sacra 345
Dianæ cognomina, parturientibus & venatoribus præposita, & quam multiplex eius potestas 158
Dianæ Segestanæ simulachrum dextra manu facem præferebat 195
Dianæ sacra quo die, & quo mense fiebant 342
Dianæ ceruus litabatur 312
Dianæ templum Romæ in Auentino 152
Dianæ sacra Targelia 343
διασημαίνειν, scribere quid, apud Ciceronem 772
Diaulodromi, serui cursorum sic dicti 756
Διαζύγιον, diuortium 621
Δίκαι, forenses actiones sic dictæ à Græcis 386
Dicendi diei formula quæ fuerit 927
Dicere diem ibid.
Dicere mulctam ibid.
Dicere mulctam vnde natum 925
Dictator postquam creatus, eligebat sibi magistrum equitum 708
Dictator postremus fuit Iulius Cæsar ibidem
Dictator qualis Magistratus 707
quis primus fuerit ibid.
quare primo creatus ibid.
Dictator vnde dictus ibid.
Dictatoris causa leges constitutæ 834
Dictatoris eligendi quæ fuerit occasio 706. 707
Dictatoris potestas 707
Dictatori non licebat equum conscendere 708
Dictatorem vigintiquatuor secures præcedebant ibid.
Dictatores populum ad Comitia Curiata vocare potuerunt 648
Dictatores raro sine magistris equitum creati 709
Dictatura post necem Iulij Cæsaris subla-

ta 708
Dictatura Syllæ crudelis ibid.
Dictatura tantum semestris fuit ibid.
Dictatura viro spectatæ virtutis à Consule viua voce conferebatur 707
Dicteria quænam sint 465
Dictio diei quid 927
δίκτυα, retia venatoria 159
Dictum Orontis Artaxerxis celebre 127
Didius Saluius Iulianus ex tanta damnatorum more ceruice decollatus, caputque eius in rostris positum 1014
Didia lex de sumptibus vniuersæ Italiæ 846
Didiæ legis ferendæ causæ, quænam fuerint ibid.
Didonis soror Anna Perenna 231
Dies ciuilis est spatium 24. horarum 334
Dies festi, profesti, & intercisi qui sint 335
Diei dicendi formula qualis fuerit 927
Dies Soli & Cereri sacri, quo mense incidant 442
& quomodo notari ibid.
Dies festus matronarum 342
Dies festus mercatorum 171
Dies octauus cuiusque mensis Neptuno sacer est apud Athenienses 342
Dies ater 341
Dies pluuius 343
Dies instaurationis ibid.
Dies vltimus Ianuarij, sacer diis penatibus 342
Dies natalis Apollinis 343
Dies lugubris, Vestalibus destinatus 202
Diei dictio quid 927
Diei initium Babylonij ab Oriente Sole sumpserunt 334
Vmbri à meridie ibid.
Diei partes variæ apud Romanos ibid.
Diem dicere 927
Diem rei capitalis dicere 925
Diem Romani à media nocte inceperunt 334. Athenienses ab occidente sole ibidem
Dierum differentia 328
Diespiter Iupiter quare 141
Diffarreatio, dissolutio matrimonij 619
Diffarreatio quid, & vnde dicta ibid.
Diffarreatione quomodo dissolutum matrimonium ibid.
Digitus medicinalis quis 603
Digiti Mineruæ consecrati 245
Dignitas Augurum par censebatur regum honori 278
Dignitas togata est aduocatio 572
Dignitas Patricij 638
Dignitas Principis coniuncta cum Iudicis officio 911
Dij consentes duodecim erant quibus velut consiliariis Iupiter vtebatur, sex mares & sex fœminæ 120
Dei Fidij ædes 261
Dij deæque que parturientibus præerant 241
Dij indigetes qui sint dicti 108. 138 maiorum & minorum gentium quinam 108
nuptiales 242
Dij indigetes, quasi nihil indigentes 232
Dijouis 293
Dij peregini qui 251. rustici qui 252
selecti qui, quot, & vnde nomen habeant 120 120
Diis singulis suæ victimæ deputatæ fuerunt 322
Diluculum quid sit 365
Diluculum quintum diei tempus 335
Diminutio capitis quid, quotuplex 887
Dimissionis ignominiosæ exemplum 997
Dimittere in consilium iudices quid 922
Diocletianus Cæsar, ornamenta gemmarum vestibus, calceamentisque indidit 597. & primus se vt Deum adorari iussit ibid.
Diœceses quare diuersæ in singulis prouinciis fuerint 994
Diogenes Icesij mensarij filij Sinopæus fuit 724
Διώνεια quando & cui celebrata 361
Dionysij cognomina 185. 186
Dionysio Syracusano quare augurium regnum abrogauit 283
Dionysios quoque numerat Cicero 183
Dionysius 13
Dionysius Æsculapij Epidauri barbam auream demi iussit 235
Dionysius Siciliæ tyrannus Sagogidas habebat 937
Dioscuri 549
Dioscuri Castor & Pollux dicti 229
Diribere quid proprie significet 769
quorum hoc officium fuerit ibid.
Diribitores quinam erant, & cur sic dicti 519. 520
Diribitores fuerunt qui populo in suffragium ituro tabulas ministrabant 659
Dirimere suffragia quid fuerit, & suffragiorum diremptio 770
Dirse filia Solis, quasi δύσεργος 178
Diruti ære milites qui dicti 997
Discedere, quid in legum promulgatione significet 769
Discerniculum quid sit 582
Discinctura quid sit, & cur sic dicta 958
Discinctus, pro milite inhabili ad militiam 952

Disciplina militum Romanorum qualis 997
Disciplina Aruspicum excellit in Telmesso 116
Disciplina veterum in castris qualis fuerit 953
Disciplinæ custodia seuera Censoribus sine prouocatione commissa fuit 699
Discumbere in conuiuiis mos erat 510
Discumbebant viri, sedebant mulieres 507
Discumbentium numerus in epulis publicis, & cœnis nuptialibus propter magnam hominum multitudinem obseruari non poterat 508
Discus quid 445.434. optimè descriptus ibidem
Discus lanx in quo assæ carnes ponebantur 320
Dispensator, singulis noctibus domino seu patrifamilias totius diei expensas offerebat considerandas 513
Dispensatores ærarij dicti Prerogatores 719
Dis cur Pluto appellatus 220
διϊπετὲς diuum velum 1063
Diualia feriæ diuæ Angeronæ 413
Diuinandi genus quomodo à Græcis nominatum 227
Diuinatio Ciceronis in Verre quare sic dicta 917
Diuinatio quale sit iudicium, & vnde dicatur ibid.
Diuinationibus Romani quantum detulerint 289
Diuisores qui 697
Diuites singulis mensibus epulas magnificas olim parare solebant Hecatæ 250
Diuites in domibus suis sepeliebantur 633
Diuitiæ antiquorum agricultura 754
Diuortij ritus 621
Diuortium quid sit ibid.
Diuortium non modo consummatis nuptiis, sed & in sponsalibus ipsis valuit ibidem
Diuortium & Repudium quomodo differant 619.621
Diuortium post Catullianum diuortium admodum commune factum 620
Diuortij formula ibid.
Diuortium nemo fecit ante annum septuagesimum 620
Diuortium primus fecit Sp. Catuilius Ruga ibid.
Dius Fidius qualis Deus 261
Diurnæ vigiliæ quomodo à Græcis dictæ 18
D littera vsi veteres sunt pro P. antequam illud esset inuentum 206
Doctores Salernitanæ Scholæ somnum meridianum vetant, & cur 506
Doctores sacri 308
Doctoris titulo qui ornantur, cur pileum accipiant 102
Δεδηλωμένος quid sit 124
Dolabella legem tulit vt ille dies, quo Cæsar interfectus, natalis vrbis haberetur 361
Dolabra 320
Dolichodromi, serui cursorum sic dicti 756
Dolon velum 988
Δοῦλος δημόσιος, Seruus publicus 878
Dolus malus quid 700
Domestica vestis 575
Domestici scurræ, quinam dicantur 455
Domiducus deus 247.
Domiducus deus qui colebatur, cum domum ducenda erat, quæ nubebat 242
Domitianus orbis monstrum 489
Domitianus summo studio delatores affectauit 939
Domitianus Isiaci habitu velatus inter sacrificulos vanæ superstitionis latuit 263
Domitianus statuis sibi in Capitolio non nisi aureas, & argenteas poni permisit 935
Domitianus conuiuabatur frequenter ac largè, sed penè raptim, certè non vltra solis occasum 506
Domitianus industriè, diligenter ac plerumque extra ordinem ius dixit 932
Domitianus pannum purpureum in factionibus addidit 447
Domitius Allobrogibus, Aruernisque superatis Elephantos iunxit currui 1042
Domitius Ahenobarbus ius Sacerdotum subrogandorum à Collegiis ad populum quare transtulerit 275
Domitius Deus 608
Dona militaria varia militibus virtutis ergo data 999
Dona Saturnalitia 132.413
Donorum causa leges latæ 855
Donatica hasta quæ 999
Δῶρα, donaria 119
Dormire in templis, mos antiquorum 115. 116
Dornadilla Magini filius Scotorum Rex, præcepta venandi scriptis commisit 161
Δῶρα.
Deorsum Plutoni consecratur 245

Dos multiplex & varia 611
Dos, pecunia nuptiarum causa data ibid.
Dotem dare, vel dicere, vel promittere idem ibid.
Dotales Tabulæ 621
Dotalia instrumenta 612
Draconarij qui 968. 972
Draco Atheniensium legislator 809
Draco ab Ægyptiis inuentus, ore caudam retinens astrorum motus reciprocos, & vicissitudines exprimendas, pro anno ab ipsis vsurpatus 340
Draco quare in tutela Æsculapij 230
Dracones signa militaria apud Romanos 967
Dracones inter signa militaria 1062
Dracones Indici 155 484
δρόμωνες Lembi 729
Dromo genus nauigij ibid.
Dromonarij qui Dromonibus præpositi erant ibid.
Duces exercitus apud Romanos, quinam fuerint 968
Duces captiui catenis onerati amissam dignitatem traducti in triumpho loquebantur 1049
Duces bullis aureis gestabant ornatos baltheos 958
Duces tondebantur in signum seruitutis 1053
Duces exercituum in pelliceis stragulis cubabant 554
Duillia lex de non creando magistratu sine prouocatione 836
Duillia Mænia lex de fœnore 854
Duillia Mænia lex de illegitimis concionibus 830
Duit pro det 778
Dulopolis vrbs in Creta 10
Duodecim Dij, agricolarum duces 124
Duodecim tabularum leges Centuriatæ 651
Duo, duis, pro quo nos Do. 788
Duplicarij milites qui 972
Duplionis voce veteres pro duplo vsi, & significarunt duplicem pecuniæ, vel capitis mulctam 791
Duumuiri ædes locandæ, faciundæ, dedicandæ 314-315
Duumuiri ædium sacrarum, locandarum, ædificandarum, consecrandarum, Tributis comitiis creabantur 668
Duumuiri nauales qui, & quando instituti 737
Duumuiri nauales Tributis Comitiis creati 668
Duumuiri perduellionis qualis magistratus, eius origo antiquissima 733
Duumuiri quandiu fuerint creati 309
Duumuirorum numerus quando auctus ibidem
Duumuirorum officium quod ibid.
Duumuirorum primum officium 310
Duritia legum 766
Dux postquam imperium à populo accepit, quibus cærimoniis adhibitis, in bellum profectus sit. 973
Diouis Iupiter quare 141

E

EArinæ oues, viridis coloris lanæ, è quibus verno tempore conuenientissimæ vestes fiebant 563
Ebrietas, quàm abiectos reddat homines 545
Ebrietatem vt compescerent veteres Romani, tempora laneis, vel lineis vinculis vinciebant 508
Ebur solidum est, & non peruium 117
Eburnea porta falsas inutilium rerum species designat ibid.
Eculeus quam horrendum torquendi instrumentum fuerit 930
Eculeum extorquendæ veritatis causa è seruis fuisse adhibitum ibid.
Edaces dicti Anni, & cur 518
Edacitas insignis quomodo expressa 490
Edictum Theodorici Gothorum regis 725
Edictum Theodosij, & Valentis 760
Edictum Artaxerxis ad omnes, qui thesauris suis trans flumen præpositi erant 719
Edictum in tabella publice proponebatur, antequam Comitia Centuriata fierent 655
Editio Iudicum 916
Edon mons Thraciæ 188
Edula Dea, quæ escam infantibus præbebat 141
Effectio rei quam vim habuerit 887
Efferari quid sit 399
Effigies eorum qui inter deos efferebantur pari splendore, paribúsque insignibus, atque dum viui erant erigebatur 300
Effigies quę acu intexebantur, animalia referebant horrendæ cuiusdam & prodigiosæ naturæ, interdum & veteres historias adumbrabant 484
Effigies Isidis non semper à sacerdotibus gestabatur, sed interdum ab Asino 264
Effigies Danaidum in porticu templi Apollinis Palatini 154
Effigies aureæ fortunarum in solio Iouis Capitolinj

pitolini collocatæ 225
Effigies Minautori inter signa militaria est 1062
ἐγκαυδίδες 435
Egeriam deam quare mulieres coluerint 242
ἐκχυλίζεσθαι 581
ἐλίξ & ἀκοντίς, genus teli 1018
εἰρηνοδίκαι, Græci Fetiales nominarunt 304
εἴσοδος, introitus Tragœdiæ 464
Elacate 986
ἐλαφοβόλος, ceruipeta 158
Elea Lucaniæ vrbs leges à Zenone, & Parmenide accepit 762
Electrina pocula 533
Electri tria genera 534
Electrum quid sit, vbi terrarum nascitur 533. 534
metalli genus ibid.
Elephanti iuncti curribus triumphantium 1042
Eleusina Ceres
Eleutheurus templorum inuentor 112
Elicius Iupiter fuit ab eliciendo dictus 139
Elicio Ioui Numa Pompilius aram extruxit ibid.
Elugere, & lugere quid differant 628
Emancipationis formula 895
Emblemata nobilium artificum siue cælaturæ, proprio nomine formæ appellabantur 535
ἐμβόλιμα, cantiones illæ quæ in medio Tragœdiæ aut Comœdiæ fiebant 464
Embolaria mulier 464
Embolum, axem totis immissum significat, quo tota currus coagmentatio firmatur ibid.
Ementes & vendentes veteres non pretium numerarunt, sed appenderunt 802
Emeritum stipendium 956
Empanda Ceres in Paganalibus vocata 415
Empedocles Agrigentinus ferreo calceo vsus 601
Emptio bonorum publica, quomodo facta fit 888
Emptio quid 889
Emptor bonorum quis 901
Emptum frumentum quodnam fuerit 993. duplex ibid.
Enclabria qualia vasa 310
Enclima 987
Encombomata quales vestes 581
ἐνδιάζειν, meridiari 505
ἐνδίον, meridianum tempus ibid. & 504
Endoiacito manum antiquè pro iniicito manum 797
Endo pro IN antiquè 800
ἐΰπλοκος Δημήτηρ bene velata Ceres 196
ἐνιαυτὸς, Græcè annus 340
Enniana cœnacula, quomodo disposita 514
Ennius poëta Romanus primus omnium cœnacula magna cœli simpliciter pronuntiauit, elati situs nunune ibid.
Ennius Pythij responsa confinxit, cum iam Apollo versus facere desiisset 157
ἐντεῦθεν 402
ἔνθεν, vnde ibid.
Epaminondas pugnans sparo percussus 1019
Ephebicum quid sit 486
Ephelmator 457
Ephesius populus maximo studio, templo Dianæ dedicato curabat 163
Epicopoteres 988
Epictetus togæ forensis honore priuatus 572
Epictetus ab Adriano interrogatus quid censeret esse Senatum, & quid responderet 691
Epicurus iocandi causa deos perlucidos ac perflabiles induxit 562
Epidauri in honorem Æsculapij cultum instituerunt 232
Epidauri anguem pro Æsculapio coluerunt ibid.
Epidromos velum 988
Ἐπιγραφεῖς, notariorum siue scribarum officium 752
Ἐπιληψία, epilepsia, sacer morbus 677
Epilogorum dies fuerant, in quibus ad concitandam misericordiam paruuli filij reorum producebantur 921
Epirotæ leges ab Arymba acceperunt 664
ἐπίκριος 1023
Epitasis quid 463
ἐπιστάτης μαχομένων, doctorem pugnantium 491
Epistola D. Valeriani inter libros liateos inuenta 312
Epitaphium incisum marmori in D. Pauli basilica Petilij Processij, sedis Prætorianæ togati 572
Epitaphium Crestinæ 312
Epitaphium equi admirabilis 451
Epitonus lori genus 988
Ἐπιτραπέζια, quid significent 519
ἔπιξα 343
Epulæ geniales quæ 609
Epulæ illatæ, vocabantur ferculum 519
Epulantes vnguentis delibuti, crinésque perūncti, & coronati sedebant 547
Epulantes quoties fercula ferebantur, toties manus abluebant 551. & in fine con-

uiuij inuicem se salutabant ibid.
Epulones qui antiquis 410
Epulo in magnifico vix bini vnum locum occupantur 508
Epulones Septemuiri 314
Epulones Triumuiri, aut Septemuiri, aut Duumuiri quale officium habuerint 314 hi ante legem Domitiam à Collegis subrogabantur, post eam verò legem populi suffragiis is honor mandari cœptus ibidem
Epulonum sacerdotum collegium ibid.
Epulonum Triumuiri aut Septemuiri Epulo Iouis indicendo præfuerant 410
Epulum Iouis ibid.
Epulum Mineruæ 345
Epulum Triumphale 1061
Epulum Iouis mense Nouembri celebrabatur, & quo die 346
Epulum in solemnitate nuptiarum factum 613
Equester ordo senatoriæ dignitati proximus fuit 686
Equester clypeus 1025
Equestres toga tantum circunsuta & purpura induti erant 571
Equestres statuæ 933
Equestres copiæ in Turmas, & Decurias diuisæ 967
Equestria cur sic dicta 488
Equestris census sestertium quadringentorum millium 94
Equestris ordinis fundamentum ibid.
princeps quis 699
Equestris ordinis probandi, recognoscendique gratia Fabius transuectionem quandam Equitum instituit 401
Equestris ordinis quinam fuerint 94
à Censoribus eligebantur ibid. quinam lecti ibid.
Eques Romanus quando impolitiæ damnatus 699
Eques Romanus quinam sit 94
Equites quibus præscriptus census lege Roscia deerat, non habebant ius in quatuordecim gradibus sedendi 488
Equites Romani à Senatu claui qualitate discernebantur 1047
Equites candidis togis vtebantur 388
Equites à populo quando, & quibus legibus distincti 94.487
Equites duûm generum fuerunt ibid.
Equites esse desierunt, si vel in senatorum ordinem cooptati, vel magistratum gessissent, vel patrimonium consumpsissent, vel propter flagitia insignia illius ordinis amisissent ibid.
Equites in spectandis ludis separatas sedes à Senatorum & plebeiorum sedibus habuerunt 94.487
Equites quomodo aliquando plebei facti 94
Equites Romani Senatoribus oppositi, ibid.
Equites tunicam clauatam gestabant 577
Equites à plebe annulus aureus distinxit 94
Equiti equum ademere Censores si quid deprehenderent honestati contrarium 94
Equitum vexilla 1065
Equitum sedilia in theatro 487
Equitum loci à populi sedibus discreti in spectandis ludis 814
Equitum magister quis 707
Equitum magister vnde nomen habuerit, & quæ eius potestas 708
Equitum Romanorum insigne augustus clauus 577
Equitibus emeritis Censores vacationem dederunt 699
Equitibus equus publicus, & annulus aureus assignatus 94
Equitia in campo Martis 342
Equitia quando, & vbi celebrata 360
Equitia in Circo maximo 343
Equitandi ars primo à Neptuno tradita 203
Equus Marti immolatur 345
Equus militare signum 967
Equus publicus mille assium 94
Equi albi, solemnes in triumphis 1042
Equi coronati in triumpho 1041
Equi desultorij 496
Equi admissi, cur sic dicti 452
Equi cataphracti 1021
Equi nobiles velocitate, nutriti in pascuis ad Argæum fluuium 450
Equi Iouis 1042
Equi triumphantis albi 387
Equo publico in Capitolium qui transuehitur, in ius vocari non potest 401
Equorum celeritas probabatur in Circensibus Romanis 450
Equos hinnitu alacriore victoriam ominari prælium inituris etiam nunc multis est persuasum 285
ἔρανος, merces, vel collatio pecuniæ tributi nomine indicta 723
ἑρκεῖος ζεὺς, Herculeus Iupiter 142
ἕρκη, septa 159
Ercisci veteres dicebant pro partiri, & diuidere 794
Erciscundæ familiæ actio ibid.
Erciscundæ ab ER. vel EREDITATE & CIscvndæ id est diuidundæ, & diuidendæ ibid.

Erctum

Ercīum citum ibid.
Ercīum, id est hæreditas, à coërcendo dictum ibid.
Ereditas veteres scripserunt pro hæreditas ibid.
Erichthæus Colophoniam filiam pro Atheniensibus sorte immolauit 839
Erichthonius quadrigarum inuentor 449
Erichthonius penes serpentinos habuit ibid.
à Vulcano & Minerua genitus ibid.
Errones in tutela Dianæ 158
Erycina Venus vnde cognominata 177. eius templum vbi. ibid.
Erysichthon voracitatis portentosæ ... dicitur 518
Erythræa Sibylla, eius vaticinia, 310
Eschya vnde, & Vesta, & ... ignis, Dei 197
... Latinis Vesta ibid
Esquilius mons quare sic dictus 18
Esquilina tribus quæ & vnde 662
Esquilinus mons, quasi excubinus 18. Siluam Fageam habuit 21
Esquilini montis colles 18
Essedones, parentum funera cantibus prosequebantur 537
Etheocles, & Polynices regnum Thebarum sortis arbitrio inter se diuiserunt 205
Etrusca gens vnde sit orta. 473
Etrusci montem Cœlium habitarunt 17
Etrusci quare ciuitate donati 818
Etruscorum reges quo cultu incedebant 474
Euander à quibus cultus 129
Eubœa à Callysthene Patre pro salute sua immolata 839
Eudæmon excelluit in notitia motuum & syderum 340
Eudoxus Cnidius ciuibus suis, leges & ciuilia iura tradidit 762
Eudoxus in notitia syderum, & motuum peritus 310
Euentus bonus qualis Deus 253
Eugeria poetria nobilis 554
Eunuchi occursibus infames habiti 280
Euocatio Deorum tutelarium antequam vrbes expugnarentur 984
Euocatio quodnam genus militiæ fuerit 962
Euocationis formula deorum tutelarium ante oppugnationem 984
Euphorbus formam pauonis gestabat 943
Euphranotas, pictor, fictorque ex ære, & marmore 935
Euphrosyne Iouis & Hermiones filia, Veneris famula 182
Euryali caput præfixum in arrectis hastis, & cum clamore comitatum 104
Euricus rex Vesigothorum Aruernam Galliæ ciuitatem occupauit 1050
Eusebius medicus insignis 234
... feliciter, & prosperè 613
..., strenuus 959
Excubiæ in sacris bonæ Deæ 18. à quibus institute 19
Excubiæ stationariorum & legionariorum militum in palatio 14
Excubiæ apud Romanos quales fuerint 978
Excubiæ cur institutæ 18
Excubiarum institutores ibid.
Excubitores insidentes principum vestibula ibid.
Excubitores nolam noctu pulsantes ibid.
Excusationes legitimæ quibus rei iudicium effugere potuerint, quænam fuerint 676
Exercitia militum præcipua 433
Exercitor quis 899
Exercitus apud Romanos quinam duces fuerint 968
Exercitus armatus centuriatis Comitiis lustrari solitus 409
Exercitus quo ordine incesserit 973
Exercitus Romanus in legiones & auxilia diuidebatur 964
Exercitus vniuersus Romanorum in quot partes diuisus fuerit 479
Exercitum sub pellibus habere 976
Exilium quid 914
Exilij obeundi exemplum 915
Exilio ciues iure ciuitatis nudati sunt 914
Eximiæ hostiæ quæ & vnde 321
Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat 464
Expiatio in somnis quomodo facta 118 119
Exponere idem quod necare 3
Exquilinus mons, dictus, Esquilinus 19
Exquilinus mons vnde desumptus 18
Extraordinaria porta quæ 977
Extraordinarij magistratus quinam fuerint 765
Exuertæ quid 617
Exules Romani toga non poterant vti 566
Exuperatorius mensis 410
... quæ canebantur in Tragœdia aut comœdia 464

F.

Fabæ in flore luctus litteræ apparere videntur. 294
Fabam nec tangere, nec nominare flamini Diali licebat ibid.

Fabariæ cur Calendæ Iuniæ dictæ 141
Fabariæ 344
Faber quidam qui vasa vitrea faciebat tenacitatis tantæ, vt non magis quam argentea aut aurea frangerentur, à Cæsare morte condemnatus 522
Fabia lex de numero sectatorum 870
Fabia Tribus vnde 664
Fabij trecenti cæsi 401
Fabiorum cædes, quo die & quo mense accidit 342
Fabricius Censor collegam suum notauit in Senatu, quia supra decem libras argenti Phialam vnam inuenit 535
Fabrorum præfectus quis 971
Fabula omnis neque plures, neque pauciores quam quinque actus continere debet 463
Fabula de Luna petente à matre, tunicam sibi congruentem 167
Fabula falsa de equo à Neptuno producto in contentione cum Minerua inita, de nomine Athenis imponendo 403
Fabula quænam dextris, & finistris tibiis acta esse dicatur 467
Fabulæ de Triptolemo, & Cerere 194
Fabulæ palliatæ in quibus Græci inducebantur 566
Fabulæ togatæ dictæ in quibus Romani inducebantur ibid.
Fabulam primus Andronicus dedit 460
Fabulas scenicas, Ædiles Curules emebant, & vt agerentur curabant 715
Fabulinus Deus qui colebatur cum pueri fari auspicarentur 141
Faces cur adhibitæ fuerint cum noua nupta domum deducebatur 607. cur non plures, nec pauciores quàm quinque accensæ fuerint ibid.
Faces nuptiales poëtæ tædas, faces iugales, faces legitimas, faces genıales, & festas appellant ibid.
Faces præferebantur in nuptiis 617. 618. dictæ nuptiales 618
Faces adhibitæ in Thesmophoriis 194. 195
Facti nomen quomodo tractatum 911
Factiones maximè post Apij censuram exarserunt 97
Factiones quatuor coloribus distinctæ 446 dictæ partes 447
Factum memorabile Agesilai regis 113
Fæni manipulus ferebatur paupere adhuc Republica 1062
Fagus Ioui sacra 143
Fagutalis Iupiter quare ibid.
Fagutalis mons, Viminalis fuit dictus 19
Fagutal, sacellum Iouis fagutalis 143
Falacer flamen 195
Falcati currus 1019
Falces murales quid 984
Falces militare instrumentum 1019
Falcidia lex de hereditatibus 851
Falcones si apparuissent, futuri boni spem certam faciebant 283
Falernia tribus vnde 666
Falsi crimen quid antiquis fuerit 866
Falsi leges ibid.
Falx 988
Falx Saturni insigne 413
Fames tanta Romæ extitit, vt Imperator correptus à populo, vix fugiens, furorem excitatæ plebis euaserit 736
Familia rem hæreditariam quando significet 794
Familiæ appellatione bona patrisfamilias & in his serui, seruæque aliquando significantur 791
Familiæ emptor quis 792
Familiæ emancipatio quomodo facta ibidem
Familiæ vox tum de rebus, tum de ipsis personis accipitur ibid.
Familiaria vestimenta quæ 551
Famosi libelli prohibiti apud Romanos 868
Famuli qui cœnæ seruiebant quomodo dicti 519
Fana à Græcis solemni religione Lunæ erecta 166
Fana sistere 109
Fannia lex de modo sumptuum in conuiuiis 845. Centussis quare dicta 846
Fanum vnde dictum 109
Fanum Quirini, non modò Romæ vnum, sed plura 17
Fariari pro fari antiquum 793
Farinam aut fermentum cur flamen dialis non potuerit tangere 194
Farracia dicta nuptiæ sacra 606
Farre quomodo conueniebatur ibid.
Fartorem quem nominet Festus 697
Fasces quid fuerint 684. regi præferebant lictores ibid. quid significarint ibid.
Fascia non modò in vestitu, sed & in ornatu numerata 586. 587
Fascini idolum sub curru triumphantium quare suspensum 1005
Fascinus Imperatorum, non tantum infantium custos 1044. inter sacra Romana à Vestalibus colitur ibid.
Fasciola instita 585
Fasti primo qui dies sint 336
Fasti dies propriè, & toti qui, & non propriè nec toti sic dicti ibid.
Fasti dies trium generum sunt ibid.

Fasti dies in anno plures 328
Fastigia templorum Victoriæ simulachro suffixo solere insigniri 182
Fastigium bracteis aureis decorabatur 1041
Fatum quid sit 224
Faunus & illius diuersa nomina 271
Faunus primus Deorum cultum iniecit, lucos sacrauit, templa constituit, sacrificiorum ius ordinauit 269
Faunus Iunior suos ciues mitiorem vitam docuit 228. primus loca numinibus, & ædificia ac lucros sacrauit ibid.
Fauni templum vbi ibid.
Fauno agna, vel hœdo litabatur 322
Fauni festum quo die celebratum, & quo mense 342
Fauni duo fuerunt 228. quo anno mundo vixerint ibid.
Faunos à fundo dictos esse ibid.
Faunos esse Cotta apud Ciceronem omnino negat ibid.
Faunalia 346
Fauorinus Philosophus discumbere solebat in conuiuiis, & seruus mensę assistens legebat 510
Faustuli regij pecoris magistri coniux Romulum, & Remum educauit 2
Fax prima quodnam tempus diei 325
Fax in honorem Cereris in nuptiis ferebatur, aquaque aspergebatur 614
Febris Dea quare culta à Romanis 260
Februarius mensis quare omni intercalationi deputatus 328. totus attributus fuit legationibus exterarum gentium audiendis. vnde dictus 351
Februario mense Ciuitatem lustrari oportebat ibid.
Februario mense Iunoni sacra fiebant 149
Februata vel februalis Iuno quare ibid.
Februus, cur Orcus nominatus 220
Feciales tributis Comitiis creati 669
Felicitas qualis Dea 239
Felicitatis simulachrum quale ibid.
Felicitati quisnam templum construxerit ibid.
Fel viuentium symbolum 634
φενακίζειν, decipere 436
Fenerator Romanis peior habitus quàm fur 810
Feneratorem Romani quadruplo punierunt, furem autem duplo ibid.
Fenus dictum à fetu ibid.
Feralia quando, & à quibus celebrata 354
Feralia sacra Mutæ deæ 342
Feralia vnde originem traxerint 628
Ferarum conclusarum venationes in Amphitheatris exhibebantur. 439
Ferculum Ælij Veri Augusti, quodnam erat 517
Ferentarij quinam milites 972
Feretrius quare Iupiter dictus 138
Feretrum deferebat virilis sexus 614, Pauli Æmilij legati Macedonum efferebant ibi. Sullæ Senatores, & Sacræ Virgines extulerunt ibid.
Feretrum defuncti quænam præcesserint ibidem
Feriæ propriè familiarum 419. ad nubendum cur viduis magis quam virginibus sint aptę 604
Feriæ stultorum, cur Quirinalia 253
Feriæ Laribus dicatæ 346
Feriæ Sementinæ 342
Feriæ quod Cæs. Hisp. Citeriorem vicit 344
Feriæ Victoriæ quo mense incidunt 422
Feriæ Latinæ in sacro monte 343
Feriæ studiorum, dum habebantur Saturnalia 132
Ferię Vulcani 343
Feriæ Compitalitiæ 369
Feriæ Quirinaliorum stultorum 342
Feriarum leges varia discrimina 335
Ferias publicas singulis mensibus Rex sacrorum aut Prætor proclamauit 336. qua formula ibid.
Feris fontes in area obiecti 489
Ferreum telum, hasta, pilum, phalarica, semiphalarica, soliferrea, gesa, lancea, &c. 1015
Fertilitas Africæ 733
Fescennini versus quinam & vnde dicti 609
Fessonia Dea, Deos fessos iuuabat 244
Festa matris Deum 343
Festi dies diuiduntur in sacrificia, epulas, ludos, ferias 335
Festi dies, qui diis dicati ibid.
Festiuitas conuiuiorum quomodo à veteribus celebrata 544
Fetiales bellum indicentes hastam ferratam, aut sanguineam præustam in fines hostium emittebant 961
Fetiales dicti, quod fidei publicæ inter populos præerant 304. per hos bellum concipiebatur ibid.
Fetiales quatuor, aut fœdus cum hostibus feriebant, aut bellum indicebant 960
Fetiales selecti è præstantissimis familiis 304. eo sacerdotio per omnem vitam fungebantur ibid.
Fetialium consuetudo in bello indicendo & ritus 960. officia quænam fuerint 304. vnus

pater patratus dicebatur 305
Fecialium origo antiquissima 305. dicti ἱεροφόροι libaminum latores ibid. capite velato bellum hostibus indicebant ibid.
Festum Vmbraculorum 343
Festum Fauni quo die, & quo mense celebratum 742
Festum Mercatorum 343
Festum Vestæ Palatinæ 343
Festum Iouis celebratum nono die mensis Februarij 342
Festus dies, seruorum, & ancillarum 345
Fibulæ, orbiculi quidem teretes, quibus vestimenta connectebantur 558
Fictilia pocula viris optimatibus sola in vsu 529
Fictrices fœminæ 135
Fidei bonæ formulæ 906
Fideicommissa quænam appellata sint 888
eorum genera quot ibid.
Fidei ædes in Capitolio fuit 237
Fidei bonæ actiones ab arbitratiis quid differant 906
Fideiussionis formula quæ fuerit 889
Fideiussor quis ibid.
Fidem Romani tanquam Deum coluerunt 237
Fidicines in conuiuiis adhibiti 525
Fidicula quid sit 949
Fidio Semipatri sacrum 344
Fiduciarius pater 895
Fiducia qualis contractus 889. vnde dicta sit ibid.
Filiæ Solis 178
Filiæ nobilium ciuium qui optimè de republica meruissent, dotem suam recipiebant 714
Filiæ Scipionis dotatæ ex ærario ibid.
Filij Optimatum in primordiis Reipublicæ in Hetruriam mittebantur, vt instruerentur in augurali disciplina, quam deinde totius vitæ tempore exercerent 281
φιμώσεις, quid sit 157
Fines agrorum termini 805
Fines regere, idem ac discriminare ibid.
Fiscellæ quid 732
Fisci aduocatus vel patronus ibid.
Fiscinæ quid ibid.
Fiscus quid ibid
Fiscus similis Lieni 733
Fiscus pecuniæ publicis vsibus deputatæ 732
Fistulæ buxeæ in sacris Bacchi receptæ 136
Fistulatores in conuiuiis adhibiti 515
Flagellorum lora è porcinis pilis.
Flagitium facere apud veteres, est conuiciis alicuius existimationem lædere 806
Flagitium quid 851
Flamen Vulcanalis 343
Flamen Carmentalis quis 295
Flamen Dialis maximæ dignationis 293
Pomonalis minimæ ibid.
Flamen Martialis Marti institutus 295
Flamen Dialis quis, & vnde dictus 293
à quo constitutus ibid.
Flamen Dialis vsque ad finem Imperij Augusti Cæsaris nullus inauguratus 295
Flamen Quirinalis Quirino sacra fecit ibid.
Flamen si vxorem amittat, flaminio decedat 294
Flamen vnusquisque sua sacra habebat, quæ per se curabat 293
Flamen Vulcanalis, furinalis 295. falacer ibidem.
Flamæ sacræ insulæ olim dictæ fuerunt 292
Flammeum capitis tegumentum 616
Flaminis dialis plurimæ cærimoniæ recensentur 294
Flaminis matrimonium nisi morte dirimi ius non fuit ibid.
Flamini Diali magistratum petere non licuit 293
Flamini Diali vti lictore, & sella curuli cur permissum fuerit ibid.
Flaminium ministri Flaminij ibid. ministræ flaminicæ ibid.
Flamineum, pileus flammeum dicebatur 292. vxores flammicæ dictæ 293
Flaminum singuli nomen habent ab eo deo, cui sacra faciunt 295
Flaminum singulorum officium quodnam fuerit ibid.
Flamines ad xv. aucti 293
Flamines alij ex Patriciis: alij ex Plebeis creabantur ibidem. à populo Comitiis Curiatis creabantur ibidem. à Pontifice Maximo inaugurabantur ibidem. Curiatis comitiis creati ibid. & 641. maiores quinam 293
Flamines Plutarchus à Pileo Pilcamines primo dictos putat. post flamines 292
Flamines Pontifici Maximo erant subiecti 293. quandiu durarint ibidem. quamuis quindecim qui nomine conuenirent, collegæ tamen non erant, neque eorum quoddam collegium vocabatur ibid quando creari cœpti 262. quasi flamines ibid. ratio ibid. quinam sacerdotio priuati 293
Flamines tres Dialem, Martialem, & Quirinalem Numa Pompilius instituit 293
Flaminica assiduò vtebatur flammeo 580
Flaminica quibus cærimoniis vti coacta fuerit

fuerit 295
Flaminicæ flaminum vxores 283. iis diuorcium facere non licebat ibid.
Flaminia ædes, domus flaminis dialis ibid.
Flaminia lex de Piceno diuidendo 842
Flaminia sacerdotula fuit, quæ flaminicæ Diali præministrabat, eaque patrima aut matrima erat 315
Flaminiæ flaminum ministræ 293
Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus, & matrimus, qui flamini diali ad sacrificia præministrabat 315
Flaminius exiturus in prouinciam, vxorem à porta dimisit 1031
Flaminius interfectus, ab Hannibale sepulturæ mandatus fuit 618
Flaminius victus à Pœnis 344
Flaminium sacerdotium ita perpetuum erat vt ob certas causas sacerdotio priuari possent 293
Flaminij ministri flaminum ibid.
Flaminio abire quid ibid.
Flaminius Circus qualis locus fuerit 672
Flaminium in Circum Senatus sæpe consultandi gratia ex Capitolio descendit ibidem
Flaminio in Circo, ludi Apollinares equestresque celebrabantur ibid.
Flaminio in Circo, comitia tributa habita ibid.
Flammæ in sacrificiis quænam faustæ, quænam infaustæ 289
Flammearij quales opifices 581
Flammeum vestis vel tegmen, quo capita matronæ tegunt 580
Flammeum ideo feminis imponebatur, vt nouissent maritis semper se subditas esse debere 581
Flammeum vocabatur velum, quo nouæ nuptæ caput obnubebant 607. luteum erat ibid.
Flammeo amiciebantur nubentes ominis boni causa 580
Flaua Ceres, à colore frugum iam maturescentium 196
Flauia lex de agris diuidendis plebi 843
Flora meretrix, floralia instituit 255.256
Flora Dea florum 252
Floralia ludi floræ instituti ibid 343
Florales, ludi in honorem Rusticorum Deorum 255
Floralis flamen 295
Florales ludi qui 470. quando instituti, & cur ibid.
Floralibus ludis Catone spectante, populus, vt mimæ nudarentur, postulare erubuit 471
Floralibus ludis fœminæ impudicæ denudatis pudendis discurrebant ibid.
funambuli & elephantes introducebantur ibid. Seianus prætor ad ridendum Tiberium qui caluus erat, omnia caluorum ministerio ad noctem vsque peregit ibid.
Florales ludi impudici ibid.
Fulmina quatuor modis traiiciebantur 974
Fluoniam Iunonem mulieres colebant, quod eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant 149
Foculum ignitabulum 361
Focus Diis Penatibus sacer 389
Fœderatæ ciuitates caruerunt iure ciuitatis Romanæ 993
Fœderatæ ciuitates quæ 992
Fœderatarum ciuitatum conditio quænam fuerit ibid.
Fœderatarum Ciuitatum vberior numerus quam aliorum oppidorum 993
Fœdus porca cæsa feriebatur 951
Fœdus quomodo Romani percusserunt 951
Fœderum formula 141
Fœdera fetiales percusserunt 961
Fœderibus in feriendis Romani per Iouem Lapidem iurarunt ibid. qua formula vsi sint ibid.& 962
Fœdera publica in mappis exarabantur 312
in Fœderibus sanciendis iuraturi lapidem filicem tenebant 141
Fœminæ inualescente luxuria byssinis vestiebantur 559
Fœminæ Scythicæ, maritis suis longo implicati bello, seruis denupserunt 1032
Fœminæ apud Romanos cum viris luctari exercerique solebant 256
Fœminarum leuitas 1032
Fœminarum pugnas Domitianus edidit 489
Fœnebres leges 854
Fœnerare apud Romanos lege Genutia prohibitum ibid.
Fœnoris ritus 366
Fœneratorum crudelitas in egenos multas turbas in Republica dedit 712. improbitas effecit vt Quinqueuiri mensarij instituerentur 737
Fœnus aliquando apud Romanos fuit quarta pars fructuum creditoris 854
Fœnoris caussa leges latæ 854
φυλακὴ, statio, vbi de vita disceptabatur 945
Fontinalia fontium sacra 409
Fontinalis porta Romæ ibid.
Fordicidia, vel fordicaria 443
Forculus Deus 261

Forfices acies in modum forficis instructa 980
Forensis curia 640
Formula creandi Imperatoris à Byzantinis obseruata 428
Fores templi Iani 128. & quid denotabant ibid.
Forma Circi qualis erat 442
Forma Circi Byzantini optimè descripta 441
Forma Termini optimè expressa 367
Formulæ sacramenti militaris 1010
Formulæ sacrorum 322
Formulæ à Iurisconsultis compositæ notis hoc est litteris singulis integrum verbum designantibus ne à populo intelligerentur 772
Forma prima Romæ Circularis 10
Formæ Romanorum Castrorum 1034
Formæ poculorum diuersæ 537.538
Formularum notis scribendarum ratio ad Constantini tempora seruata fuit 772
Fornacalium indictio deæ fornacali 342
Fornacalia, eorumque ritus 367
Fornacalia quando, & cui instituta 353
Fornax qualis Dea 260
Fornax dea cur sic dicta 342
Fornix Fabianus dicitur etiam Arcus Fabianus 1006
Fors fortuna 223. à quibus culta ibid.
Forticidia 343
Foroneus Græcorum legislator 664
Fortis fort. Ædes 344
Fortuna dea cur virilis nominata 377
mascula etiam appellata ibid.
quid sit ibid.
Fortuna Regia, in interiori principum cubiculo colebatur 225
Fortuna à Romanis culta 223. eius varia cognomina 222.223
Fortuna bona, auguralis formula 692
Fortuna salutaris cur sic dicta 224.225
Fortunæ nomina varia 377
Fortunæ Templum datum 343
Fortunæ muliebris festum 346
Fortunæ virilis sacrum 343
Fortuna diei qualis 223
Fortuna quid, quàm potens 221
Fortunæ qualia templa extructa fuerint 221.222
Fortunæ Seiæ in templo cur Seruii Tullij simulachrum tectum fuerit 394
Fortunæ varia cognomina 222
Forum agere quid 993
Forum appellarunt antiqui, quod nunc vestibulum sepulchri dicitur 784
Forum indicere quid 993
Forum quare à ferendo dictum 891
sex modis sumitur ibid.
Forum quintum Romæ constituit Traianus, in quo columna altitudine 140. cubitorum 892
Forum Romanum vbi fuerit, & quæ eius nomina ibid.
Forum Salustij in monte Quirinali fuit 893
Forum tertium adiecit Augustus 892
Forum Traiani forum Vlpium dictum fuit 892 eius fori elegans descriptio ibid.
Fori loca qualia sint 891
Fori Romani descriptio ex Plauto 891
Forum sex modis intelligitur 993
Forum transitorium quodnam & à quo exædificatum 892. variis columnis & statuis exornatum ibid.
in foro vndequaque fuerunt tabernæ per pilas distinctæ 891
Fora, loca fuerunt in quibus ius dicebatur 993
Fora negotiis ciuilibus tractandis quænam fuerint comparata 891
Fora varia quæ Romæ fuerint, & quæ nominent boni scriptores ibid.
Forum quid sit 891
Fossa veteribus quid 11
Fossam fodere tunicis, interioribus solutis ignominia militaris fuit 997
Francisci Polleti libri de Iudiciis veterū Romanorum omni eruditione referti 885
φόβος, Pauor 179
Fragmentum antiquum marmoris in quo fit mentio de sepulchris eorum qui in domo sepeliebantur 423
Framea, an sit gladius aut hasta 1010
Franci, non vt alij populi Romani Imperatoris imagine, sed sua impressa nummos signant 722
Franci prisci, dicti capillati 1054
Franci in finibus Thoringiorum habitantes, crinitos reges habere cœperunt 1054
Frangere subsellia quid 474
Fratres Aruales qui 273. à suis collegiis cooptabantur 669
Fratrum Arualium insigne quodnam 273
Fribulum quid sit 621
Fricari dentes, idem est ac leuari, quod fieri solitum spina argentea 694
Frigidi naturaliter, qui liberos suscipere ex vxoribus suis non poterant, eas aliis vtendas tradebant 611
Fritillum 431
Fritilla quid sit 529
vnde dicta ibid.
Frons 980
Frontem veteres Genio sacram voluerunt 245
Frons calamistri notata vestigiis 582
Frons limbata, id est, pulchra 167

Frumentaria tessera quæ 731
Frumentationes Alexandrinæ nobilitatæ à Græcis 733
Frumentum aut decumanum, aut emptum aut æstimatum 993
Frumentum populo diuisum 731
Frumenti ratio in prouincia quæ fuerit 742. 743
Frumento qui dij præfecti 253
Frumenta e Gallia ad annonam populi conuecta 733
Frumenta à Cerere inuenta 193
Frumenta in pila comminuebantur, ante vsum molarum 79
Fuat, pro fiat Antique 797
Fugia qualis dea fuerit 260
Fulgor clarus Lunæ prosperos euentus denotat 169
Fulgorem coluerunt ne fulgura ferrent 253
Fulgura, & Tonitrua Ioui Tonanti tribuebantur 142
Fuluia M. Antonini vxor, impudica taxata 1031
Fullones erant Romæ qui maculas è togis eluebant 568
Fullonum vsus creber apud veteres vndenam ibid.
Fulmina apud Romanos quomodo distincta 282
Fulminum plurima discrimina recensentur ibid.
Fuluia lex de ciuitate Italis donanda 827
Fuluius exilio mulctatus, quod Triumphi honorem spreuerit 1017
Fumi in sacrificiis qualesnam esse deberent 189
Funditores qui 972
Fundi vox quot modis sumatur 802
Funebri oratione primus suum collegam Iunium Brutum laudauit P. Valerius Publicola 625
Funebres ludi quinam sint 468
Funebres ludos qui curabant, dicti erant designatores 489
Funebres ludos quinam facere potuerint ibidem
Funebrium ludorum origo 488
Funus illustrium virorum in forum primum elatum ibique oratio funebris recitabatur 625
Funus indictum 623
Funeris familiaris procuratione reus iudicium effugere potuit 676
Funera alia indictiua, alia simpludearia 628
Funera cur à funalibus 316
Funera noctu efferebantur apud Romanos ob sacrorum celebrationem diurnam ibid.
Funera, duplicia 489
Funerum Romanorum solemnitates 628
Funerum formula 624. 825
Funeribus adhibiti Tibicines decem 624
Furia Caninia lex de manumissis 848
Furia lex de Testamentis 851
Furiæ quales Deæ veteribus habitæ sint 221 tres fuerunt ibid.
Furinalia sacra Furinæ 402
Furinalis flamen 295
Furtum quid 861
Furtum nullum commissum fuit Saturno regnante 129
Furtum quid, quæ species eius, & quid singulæ 808 890
Furta per lancem & licium concepta quid 808
Furtorum causa leges latæ 853
Furtorum genera tria tempore Decemuirorum 808. quid singula ibid.
Furtorum dux Luna 168
Furta grauissime Romani punierunt 808
Furta nocturna 861
Furta ficuum apud Athenienses capitalia erant 938
Furtiua res non vsu capitur 802
Furtiuæ conditionis intentio 505
Fur vnde dicatur, variæ sententiæ 8 8 quid sit ibid.
Fures ad columnam Mœniam puniti 923
Fures nuptiales 861
Fures apud Romanos Lauernam deam precabantur 245
Furor indomitus, per Leones significatus 1042
Fusia lex de Comitiis 829. de suffragiis seorsim ferendis 830
Fusci aurigæ sepulchrum 447
Fuste cædebantur milites ignominiæ caussa, & custodes negligentes in militiis 997. 698
Fustigationem in castris adhibuerunt, & priuatim 913

G

GAbinia lex de Maiestate 858. de mandando bello Pyratico ipsi Cn. Pompeio 848. de Senatu habendo 831 de suffragiis 830
Gabinus cinctus 565
Gades insula prope Bæticam dirimens Africam ab Europa 120: millibus passuum, celebratissima propter Herculis columnas 525

Giganæ caput hastili præfixum Constantinopolim inductum fuit 1014
γαῖα 402
Galba munitionem oblongam excogitauit 2033
Galea poculum militis 1031
Galeæ bellicæ, plumis adornatæ 591
Galeria Tribus vnde dicta 663
Galesus Thusciæ flumen ibid.
Gallantes, insani, furiosi à Gallis matris deum 137
Gallicula genus calcei 601
Gallienus August. aspernabatur vitrea pocula, aureis semper bibebat 531
Gallienus Imperator interfectis militibus apud Byzantium Romæ decennalia celebrauit 481
Galli bitri inuentores 557
Gallinarum cantus infelix 283
Gallicinium tertium tempus diei 334
Gallus cur Marti addictus fuerit 174
Gallus gallinaceus à Syris diurnum cultum obtinuit 287
Gallus gallinaceus inclusus cum parricida 877
Gallus sacratus Marti ab Antiquis 287
Galli quare Togati 567
Galli arbitrium electionis ipsi puellæ permittebant in matrimonio 610
Galli in Sicambria reges super se crinitos creauerunt 1054
Galli gesis vtebantur 1017
Galli pugnaces, seditionum & contentionum solummodo significatiui 287
Galli sacerdotes Cybeles deæ 313
Galli Romanis quam fuerint terribiles 826
Galli Gesos vocant viros fortes 1018
Gallorum certamen habitum Athenis 287
Gallorum cantus quid significarent 283
Gallis cum Romanis bellum gerentibus neque sacerdotes, neque senes vacationem habuerunt 826
Gamelia, Iunoni, mense Ianuario celebrata 341
Ganymedes Erychthonii filius, quem Iupiter amauit 124
Gaulus quale nauigij genus 989
Gaza celebre thesauris regiis reponendis oppidum 719
Gaza, Persarum lingua, censum, diuitias ibidem
γάζαν θησαυρόν Gazam thesaurum ibid.
γαζοφύλακες, custodes regiæ pecuniæ ibidem
Gelasiani cur sic dicti 456
Gellia Cornelia lex 629
γελωτοποιός, quid significat 455
Gemmæ vestibus triumphantium additæ 1046
Gemmata pocula 536
Geminus quare dictus Ianus 121
Gemoniæ scalæ 930
Genas mulieres ne radunto 626
Genera diuersa diuinandi à Græcis dicta 277
Genialis lectus quasi generalis 609
Geniales Epulæ quænam ibid.
Geniales lecti qui puellis nubentibus sternuntur ibid.
Genialibus lectis stratis maritorum Genij inuocabantur ibid.
Γενέτωρ, Deli ara est Apollini, in qua nullum animal sacrificabatur 153
Genius qui animæ gradus in nobis dicatur 129
Genius quis Deus sit, variæ doctorum opiniones 205
Genius sacri lecti, quem intelligat Iuuenalis 609
Genius, Deus, cuius tutela, vt quisque natus est, viuit idem ac Laris 208
Genius bonus ibid.
Genij simulacrum quale sit 206
Genio quomodo res sacræ factæ sint ibid.
Genium principis obtestandi consuetudo vnde 209
Gentiles, & Agnati quomodo differant 789
Gentilia sacra quæ 781
Gentium ius à iure naturæ quid differat 767
Genua misericordiæ sacra voluit antiquitas 245
Genutia lex de clauo pangendo 834
de creandis consulibus ex plebe 833.
de non capiendo magistratu eodem intra decennium 832. de non exercendo fœnore 854
Geometriam inuenit Mercurius 169
Georgius Fabricius 1
Geratiæ naues vnde dictæ 981
Germanicus Cæsar ad septimum Kalendas Iunias triumphauit 1048
Germani in summa veneratione Mercurium habebant 172
Germani omnes vnico Gallorum comprehensi, cætera vtebantur 1019.1020
Germani Gallorum nomine continebantur antiquitus 877
Germani pelliculis ferarum teguntur 555
Gerribulum à gerendo dictum 502
Geryonis oraculum 156
Geloretæ quales naues 989
Gessi & Gessatæ, viri fortes, sic dicti 1017
γαισοὶ Gessi 101
Gallogræci gesis vtuntur ibid.

Gesta

Gesta nocturna Lunæ adscripta 166
Gestamen Regum 571
Gestamina Patriciorum 376
Gestus scurrarum descripti 456. 457
Gesum telum 1017
Geta Seueri Principis filius, iussit, vt in conuiuio tot stationes fierent quot literæ essent 517
Getæ vel Gothi pellibus vestiuntur 555
Getæ, à quibus leges acceperint 763
Gigas Cretæ Milinus 137
Gigantes à Ioue sublati ibid.
Gignadij qui sint 457
Glacies, quæ vino adbibitur, ex Alpibus vicinis Liguriæ Romam transfertur 540
Gladiatores ante sepulchra digladiabantur 626
Gladiatores cur dicti Rudiarij 493
Gladiatores venales in catasta ponebantur apud antiquos, vt in eis possent omnia membra inspici 492
Gladiatores in defuncti patris honorem primus Iunius Brutus dicitur dedisse 489
Gladiatores quomodo dimicabant in ludis 491
Gladiatores non acutis gladiis, sed tantum obtusis pugnabant 493
Gladiatorium munus primum Romæ datum est in foro Boario 491
Gladiatorum magistri Lanistæ appellati 488
eorum vsus à Theodorico Gothorum Rege sublatus ibid.
Gladius insigne magistratus publicum iudicium exercentis 916
Gladiorum vocabula 973
Glandis appellatione aliquando omnis fructus continetur 805
Glandem in alienum fundum procidentem colligere non licebat, secundum ius Xuiralium tabularum 193
Glastus quid sit 616
Glebula terræ, non modo cadaueri imponebatur abiecto, sed & ipsi ori 630
Glicia lex de ratione inducendæ querelæ inofficiosi testamenti 852
Globus qualis acies 980
γρώματα, groma 1033
γνῶμον 1013
Gordianus Iunior septies lauit in die 75
Gordianus Cæsar sublatus à militibus, Imperator appellatus est 1026
Gordianus delatores exilio mulctauit 939
Gordiani ludi natalitij quando celebrati 481
Gothi prisci, dicti Capillati 1054
Gothi Pantheum iniectis ignibus frangere non potuerunt 142
Gracchus legem tulit ne quicquam stipendij deduceretur, pro veste militari concessa 957
Gracchus speluncam Mithræ subuertit 165
Gracchus die quo periit tristia omnia neglexit 279
Gradus quatuordecim præscripti equitibus in theatro 488
quare dicantur absolutè quatuordecim ibid.
Gradiuus quare Mars 174
Græci nudas fœminas cum adolescentulis producebant luctaturas 259
Græci quo tempore nundinas celebrabant 611
Græci ea ætate qua florebant, bibacitate omnes populos superasse fertur 544
Græci vtraque manu sarissam torquebant 1021
Græci alebant olim comas, & criniti dicti erant 1055
Græci tintinabulis vtebantur in custodiendis ciuitatum muris 134
Græci legem habebant, si quis in insepultum cadauer hominis incidat, saltem ei terram iniiciat 619
Græci in die bis epulari solebant 505
Græci multa dona ad Apollinis cultores mittebant 154
Græci simulachrum defuncti iisdem ornamentis ornabant, quibus viuus vtebatnr 635
Græci vtebantur pallio 551
Græci templa vastata à Persis restaurare noluerunt 113
Græci sparo vtebantur 1018. 1019
Græci ad motus cœlestium syderum Sole duce conformabant 340
Græci nudipedalia celebrare solebant 596
Grambates hastam infectam sanguine, coniecit more Fetialis 306
Graminea hasta quæ 999
Gratianus Imperator primus edicto proposito vetuit se appellari Pontificem Maximum 308
Gratianus Pontifex Maximus appellatus ibidem
Gratiæ Veneri additæ 178. cur nudæ pingantur ibid. cur connexæ ibid.
cur vna à nobis auersa, aliæ duæ ad nos conuersæ ibid.
Gratiarum nomina sunt tria 182
Gratulationis causa victimas in templo Iouis Capitolini mactabant 140
Groma genus machinulæ cuiusdam 1033

Gromaticum quid sit 1033
Gryphes genus ferarum quod in Hyperboreis nascitur montibus 155
Gubernaculum & clauus quid differant 987
Gustus quænam cœnæ pars 516
Gustatio quænam cœnę pars ibid.
Gyara insula receptaculum delatorum 939
Gymnastica qualis sit ars 445
Gymnici ludi quinam dicantur ibid.
vnde quoque ibid.
Gymnicos ludos quidam ipsos etiam Circenses vocant ibid.
Gynaconitis quid sit 511
Gyraldi error à Mercuriale declaratus 239
Gyron collectione spiritus plenus, ita continuo sternutauit, vt grabatum concuteret 279

H.

HAbitus forensis, idem ac toga 573
Hadrianus primus barbam nutriuit 1056
Hadrianus Imperator seruo inter duos Senatores ambulanti, colaphum iussit impingi 546
Hadrianus damnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit 732
Hadrianus, statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo 583
Hadriani ludi natalitij quando celebrati 372
hæredes & legatarij quid differant 791
hæredum nomine leges latæ 851
hæredum tria genera, & quid singuli hæredes 793
hæreditas quid, eadem quotuplex 888
hæreditas scripserunt veteres credita 794
hæreditatum & legatorum lex 791
Αἰρεία 803
Halopanta, aut Holpata, cur sic dictus 938
Halteres & illorum definitio 435
Hamilcar, catenis ligatus, & ductus à Cn. Cornelio 1050
Hannibal, antequam ad Ammonis oraculum Bostar mitteretur, Herculem donis seu prædæ parte oblata honorauit 146
Hannibal veneni mali veneno animam expulit, & Romanis vinculis morte se defendit 1050
Hannibal, licet iuratus nomini Romano hostis, tamen Flaminij interfecti corpus vt sepulturæ mandaret quæri iussit 628
Harpago 989
Harpasti ludus 434
Harpocratis festum ab Ægyptiis celebratum mense Augusto 345
Haringa 321
Haruspices à victimis in ara aspiciendis 287
à Romulo primum instituti ibid.
Haruspices omnes Hetrusci fuerunt ibid.
Haruspicum officium quodnam 288
Harúspicinæ doctrina à quo primum tradita 290
Hasta hedera in sacrificiis Bacchi recepta 186
Hasta antiquis Quiris dicitur 464
cur Iunoni sacra ibid.
insigne fuit Prætoris vrbani priuatum iudicium exercentis 916
Hasta pura, graminea, donatica, quæ 999
Hastæ cuspide cur discriminarint nouæ nuptæ comam 606
Hastæ puræ, id est, sine ferro 1015
Hastæ in donis militaribus 1015
Hastam Sabini Curim vocant 122
Hastaria censio qualis mulcta 997
Hastati milites qui 757
Hebræi lugubria peragentes officia sedere solebant 312
Hecate, venantium præses, diuersa illius cognomina 249
Hecate vultus tres habebat 250
Hecatæ Græcorum dea 243
Hecatombæ plures in mense Iunio 344
Hederacea pocula 530
Hederæ cur flamini abstinendum 294
Hederæ inesse spiritum, qui de statu rationis deturbet, multi opinantur ibid.
Hederam ebrietatem à nullo vino ortam inducere ibid.
Hederam esse sterilem ibid.
Helena Mineruæ Lindiæ calicem ex electro consecrauit 533
Helepolis qualis machina 767
Heliogabalus mingere solebat in murrhinis & onychinis 533
Hellespontica Sibylla 310
Heluidius à patre occisus, quod quasi Scenico exordio sub persona Paridis & OEnonis, diuortium suum cum vxore tractasset 464
Henna mulier amissa filia impatientia materni doloris sacra Cereri instituit 190
Henricus Britanniæ Princeps comam barbamque totondit 1056
Heraclitus Ephesius de reipubl. statu scripsit 762
Herbidæ vestes à colore indubie appellatæ 564

Herculani scyphi laudati præ aliis 540
Hercules septuaginta liberos reliquit 610
Herculis sacerdotes 272
templa varia 227.228
Herculi ædes in Circo quando posita 392
Herculis boues Cacus abigit 138
Hercules plurimos numerarunt veteres 227
Hercules ita amabat Omphalem, vt muliebri habitu indutus fœminæ opera faceret 157
Hercules tutelare, & numen vrbis regionisque Bœotiæ 540
poculum lineum attulit, quo vtebatur in sacris, quod nec carie consumeretur pice oblitum conseruabatur ibid.
Herculaneo nodo cur nuptę nouæ cingulum vinctum fuerit 610
Herculeo morbo laborans, si subito ceciderit, Comitia diremit 657
Herculis ædes in circo 344
Hermea festa celebrata à Cretensibus 423
Hermæ omnes qui in oppido Athenis erant vna nocte detecti 173
Hermes suppositiitius 489
Herodes quosdam ludos instituerit & celebrarit 480
Heroes pellibus antiquitus induti erant 553
Heroes mira proceritate fuerunt 461
Herophile 310
Hetruriæ populis sex Principum filij in disciplinam traditi 286
Hetrusci se authores prædicendi dicebant & Romanis hoc munus concessisse 176
Hettruscorum cærimoniæ 11
ἱξαπέλεκεις, cur Prætores nominet Appianus 744
Hiectus Arginus, primus auctor pœnæ adulterij 861
Hieronica lex de frumento 845
Hierophantæ qui sint 308
Hierosolymæ a Vespasiano quando captæ 407
Hierosolymitani templi vasa à Tito Vespasiano in templum Pacis reposita 239
Hilaria 363.364
Himonia 988
Hippagines naues 989
vnde dictæ ibid.
Hipparchus excelluit in notitia motuum & syderum 340
Hippasus Lacon patriam rempublicam scripsit quinque voluminibus 762
Hippius cur Neptunus appellatus 203
Hippocratis annus 340
Hippodamus Milesius de optimo reipub. statu scripsit 762
Hippomachus pugillandi magister, cum athleta quidam ex eius discipulis specimen exhiberet artis, & circumstans multitudo vniuersa plausum tolleret, percussit eum virga 498
Hippona dea equorum 254
Hircania plebs publicos alit canes optimates domesticos, nobile autem genus canum, quod pro sua quisque facultate parat, à quibus lanietur 635
Hircia lex de Pompeianis ad dignitatem non admittendis 833
Hirundinum circumuolitationes quid significarint 183
Hispaniensi de victoria triplex pompa Romæ habita 408
Hispaniensis ensis 973
Hispani lancea vtebantur 1018
Hispani quare togati 566
Hispani cetra vtebantur 1018
Hister Thusco verbo Ludio vocabatur 453
Historiæ non solum in charta, vel membranis, sed etiam in momentis Elephantis, texilibusque maluarum foliis, atque palmarum scribebantur 312
Historia vermis Indici 561
Histriones nonnisi dubiis in rebus reipublicæ ad arma vocati sunt 965
Histrionis verbum vnde fuerit deductum 453
Histriones, & illorum cura 456
Homerum mendacia esse scripturum vaticinata est Sibylla Erythræa 310
Homines ducti sorte, in sacellum Dianæ Orthię mactabantur 839
Homines nimio vino truces fiunt 531
Hominem antiqui Hemonem esse dicebant 240
Homines omnes aut liberi sunt, aut serui 886
Honorariæ actiones 898
Honorarium frumentum, quodnam 993
Honorarium ius 766
Honoris & Virtutis templa ita fuere extructa, vt ad Honoris templum ingressus esset per Virtutis. 236
Honori quis primus ædem Romæ extruxerit ibid.
Honor Augurum olim amplissimus 177
Honor præcipuus Delphico oraculo post Alexandrum Magnum 157
Honos qui deferebatur Senatoribus à Græcis 690

Horæ quibus cum populo agi liceret, omnes erant intra ortum Solis, & occasum 771
Horæ quomodo diuidebantur in foro 948
Horæ duodecim olim diei ac nocti attribuebantur 386
Horatum nomen trecentis annis Romæ ignoratum 798
Horatia lex de Caia Tarratia virgine Vestali 837
de non nocendis Tribunis 835
Horatia Tribus vnde 664
Horatia Valeria lex de plebiscitis 836
Horatius Puluillus Capitolium dedicauit 15
Horatius curiarum suffragiis liberatus 925
Horatius condemnatus, ad populum prouocat ibid.
Horatij iudicium Curiatis Comitiis administratum ibid.
Horatij iudicium sub Tullio Hostilio exercitatum ibid.
Hordeum pro triticito aliquando militibus ignominiæ caussa datum 997
Horologium insigne fuit in campo Martio 653
Horrea sublimia, & defossa, cur sic dicta 736
Horrea populi Romani dicta Sicilia, & Sardinia 733
Horrea subterranea cur sic dicta 736
Horrea Sempronia 845
Horta Dea quæ ad honestas actiones excitabat 144
Hortæ Deæ templum cur semper apertum ibid.
Hortensius Dictator reuocauit plebem ex Ianiculo 21
Hordicidia 370
Horti Sallustiani 893
Horti domibus regum Persarum iuncti erant 21
Hortulorum collis vnde dictus 20. quando pomœrio inclusus ibid. In hoc Nero sepultus ibid.
Hostem quem nos dicimus, antiqui nominarunt perduellum 797
Hostes in deuictos quomodo Romani animaduerterint 990
Hostes veteres perduelles appellabant 649
Hostia quid 321
Hostia ab hostio, quod est ferio dicta ibidem
Hostia animalis oblata Bonæ Deæ 249
Hostia nigra in sacrificio obseruata 388
in magicis ritibus, erat etiam nigra ibidem
Hostiæ albæ in deorum sacris adhibitæ ibidem
Hostiæ genus fuit quo sola Dei voluntas per exta disquirebatur 321
Hostiæ minora sunt sacrificia quam victimæ ibid.
Hostiæ præcidaneæ quæ ibid.
Hostiarum immolationibus in omnibus sacris vti solebant 656
Hostiarum multæ differentiæ 321
Hostilia curia 15. ab Hostilio ædificata 639
Hostilia lex de furtis 853
Hostilius cum Ioui Elicio, non ritè sacrum fecisset, fulminis ictu, cum tota domo conflagrauit 139
Hostilio Mancino vox obiecta, quæ illum vt domi maneret admonuit 285
Hostio idem quod ferio 321
Hostis ab Hostio dictus 797
Hostis apud antiquos peregrinus ibid.
Hungari noti sunt, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium 554
Hydraulica quomodo pulsentur 522
Hydraulica instrumenta insonabant quoties noua fercula inferebantur 520 521
Hydraulicorum vsus frequentissimus in conuiuiis 511
Hylen esse fæcem omnium elementorum 255
ὕλη quid intelligant Græci ibid.
Hymenæum Græci in nuptiis inclamabant 606
ὑπάτους quos Græci nominent 697
Hypera funis nauticus 988
Hyperborei populi 154
Hippolytus Thebanus Portuensis Episcopus 862
Hippolytus ad vitam reuocatus ab Æsculapio 234

I

IAcobus Britannorum Monarcha Ludos latrunculorum filio interdicit 429
Iaculorum vocabula 22
Ianicularis, & Ianiculum idem
Ianiculum Esculetum habuit 21. vnde sit dictum ibid. & 22. hodie Montorius ibid.
Ancus Martius vrbi addidit 8
Ianiculum in montem plebis Romanæ secessio 21
Ianiculo ex monte propter altitudinem Roma maximè conspicua 21
cæteris montibus hic quare infrequentior ibid.
Ianual festum Iani 347

Ianuarij versus qui 304
Ianuarius cur sic dictus 345
Ianuarium Romani in Iunonis tutela esse voluerunt ibid.
Ianuæ à Iano dictæ 121.125
Ianuis apertis in sepulchro pictis animæ immortalitas significabatur veteribus 627. clausis autem interitum eiusdem ibid.
Ianus Geminus à Numa rege dicatus, qui pacis, bellique argumento colitur &c. 126
Ianus Deus deorum in carminibus Saliaribus dictus 137
Ianus primus in Italia Diis templa fecit,& ritus sacrorum instituit 125
Ianus in foro habitabat 126
Ianus templum inuentor 121
Ianus primus omnium Deorum dictus pater ibid.& 126
Iani sacrificium quo die celebratum, & quo mense 341
Ianus Italos primus docuit vinum & far ad religionem 121. primus, valuas, seras, & claues ad sanctimoniam domorum excogitauit ibid. quare bifrons, & quadrifrons atque Geminus. Item pater Iunius, Consiuius: Quirinus Patulcius,&c. ibid.& 122
Ianus Septimianus ædificium fuit peruium 123
Ianus vnde dictus 121.quis fuerit ibid.
Iani ædes ab Horatio quare constructa fuerit 123
Iani cognomina varia 121
templum in foro Romano 122
ad forum olitorium 123
Iani templum quare belli tempore apertum, pacis autem tempore clausum fuerit 122
Iani templa tria ibid.
Iano duodecim aræ pro totidem mensibus consecratæ 122
Iano in omni sacrificio quare præfatio præmittatur 121
Iani duo ad arcum Fabianum 124
Iani in plurali numero dicuntur ędificia quadriformia 123
Ianthina quid sint 562
Iaphet qui in sacris litteris dicitur fuisse Ianus 121
Icilia lex de Tribunis non contradicendis 835
Icilia lex de monte Auentino 874
Icrion 986
Idæa mater dicitur etiam Tellus 130
I.D.T.S.P.apud Probum quid 909
Idolum Osyridis sepultum in adytis 115
Iduare,diuidere 339
Iduaria 366
Idus Martis cur parricidij nomine appellentur 376
Idus Martis Mercurio dedicatæ 171
Idus Iuniæ aptissimum tempus nuptiarum 604
Idus quot in mense quolibet 339. vnde dictæ ibid.
Ientaculum quid,& vnde 503
Ientare quid ibid.
Ientatio 499
ἱερογράμματα διδάσκαλοι, Doctores sacrorum 195
ἱερογράμματα, sacrarum cerimoniarum doctores 317
ἱεροφύλακες, sacrarum ædium custodes Græcè sic nominabantur ibid.
Ignis in nuptiis solemnis 614
Ignis sacrificiorum qualis esse debuerit 322
Ignis sacer,qui à Vestalibus custoditur,Vesta est 198
Ignis subtilior est Iupiter, crassus verò quo nos vtimur,Vulcanus 197
Ignis Vestalium negligentia extinctus, quomodo incensus fuerit 302
Ignis colendi consuetudo defluxit à patribus, & remansit inter Ethnicos 197
Ignis inuentor Vulcanus ibid.
Ignis maximam curam habuerunt Romani 731
Ignem qui negligentius habebant Augustus fustibus castigabat ibid.
Ignes Arcani, faces, quæ in Thesmophoriis accensæ gestabantur 194
Ignes festiui 201
Ignobiles apud Romanos qui 99
Ignobiles apud Romanos, quorum nec maiores, nec ipsi Magistratus incesserunt ibid.
Ignominia fuit infamia 914
Ilex Vaticana vetustissima 21
Ilia Remi & Romuli mater 3
Iliceta Curia 640
Ilicet,significat,ire licet 626
Imago quid 99
Imago Termini optimè expressa 367
Imaginem sui tantum illi ponere poterant, qui Magistratus Curules gessissent 99
Imaginum ius,est ius nobilitatis 99
Imagines Romani festis diebus exornarunt 99.in funere extulerunt ibid.quibus vestibus exornarint ibid.
Imagines Romani quare in prima parte ædium posuerint ibid.
Imagines Imperatorum Romanorum in nummis cudebantur 722
Imagines prouinciarum, vrbiumque in circo stetisse fertur 441

Imberbes ne inter Lupercos nudi percursitarent statuit Augustus princeps 271
Imbres cantibus attrahi & repelli non posse, etiam Philosophi animaduerterunt 787
Imitatores cuiuscunque rei, præsertim oratoriæ, dicti Simiæ 1028
Immolatio qualis ritus 321
Immunes ciuitates quæ nihil penderunt populo Romano
Imperatiuæ feriæ quæ 335
Imperator dum creabatur gladius in manum dabatur illi 1010
Imperator constitutis prouinciis relicto præfecto Romam rediit
Imperator in prouincia, quæ de ciuitatibus victis constituta erant, præconi concione pronuncienda mandauit ibid.
Imperator Iupiter quare 141
Imperator Gratianus potestate, virtute victor, Augustus sanctitate, pontifex religione indulgentia pater, ætate filius, pietate vtrumque 113
Imperatores lenitate sua solebant subuenire, deficiente annona 736
Imperatores domesticos augures habebant 277
Imperatores in vrbem redeuntes faustis acclamationibus recepti 180
Imperatores omnes post mortem inter Deos relati 399
Imperatores inaugurati clypeo insidebant.
Imperatores iura constituebant 932
Imperatores Byzantini quomodo creabantur 428
Imperatores post mortem Diui, & Dij appellati, à consuetudine apotheoseos 300
Imperatoris vox quale nomen 968
Imperatoris voce quidnam Romani intellexerint 701
Imperatores ad bellum ituri in templo Iouis Capitolini vota nuncupabant 140
Imperatores etiam ludos exhibuerunt 437
Imperatores ex bello reuersi triumphali Pompa in templum Iouis Capitolini deducebantur 140
Imperatores nisi scripsissent ad Senatum de hostium occisorum & ciuium au illorum numero triumphum non impetrabant 847
Imperatores posteriores quare, quoties decimum imperij annum attigissent, festum celebrarint 480
Imperatores in bello, in pelliceis stragulis cubabant 554
Imperatores soli vtebantur calceis aquilarum effigie intextis 597
Imperator in concilio medius sedet 546
Imperatores quinam dicti, & quibus de causis 702
Imperatores Romani qui superstitibus filiis mortui sint, consecrabantur 296
Imperatorum præmia quænam fuerint 1001
Imperatorum quanta fuerit potestas, & eorum insuper appellationes 702
Imperatum frumentum quodnam 993
Imperium aliud ciuile, aliud militare 641
quid vnumquodque ibid.
Imperium fuit facultas imperandi exercitui 742
Imperium, id est rei militaris administrandæ facultas 641
Imperum merum aut mistum quodnam 925
Imperium militare quomodo datum fuerit in vrbe, & extra brbem magistratibus 646
Imperium per quos annos Reges habuerint 685
Imperium quibus Magistratibus datum 641
Imperium triumphanti solus populus dare poterat 1004
Impetrationis vis, quænam fuerit 895
Impetratiua Auguria qualia fuerint 281
Im pro eum 778
Impotentes naturaliter, qui liberos suscipere ex vxoribus suis non poterant eas aliis vtendas tradebant 611
Impudicitia Penelopes 271
Inarculum virgula erat ex malo punico incuruata, quam Regina sacrificans in capite gestabat 292
Inaugurandi vox quale sit verbum 677
Inauguratus sacerdos qui dicatur ibid.
Inauguratos oportebat esse cuiuscumque sacerdotij candidatos 676
Inaugurationes Principum, & Imperatorum 113
Incantamenta Thessalica 167
Incendiaria auis cur sic dicta 632
Incendiaria auis quæ 283
Incesta de saxo deiiciatur 863
Incorporeæ res in iure quænam 887
India sola non dat crystallum 533
Indictio Fornacalium 342
Indictiuum funus, cur sic dictum 489. 623
Indictiua funera quæ 628
Indigetes Dij qui fuerint nominati 138
Indigetes quales Dij 226
Indigetare ibid.

Indi

Indi sacrificant in sublimi, editove loco 113
Indi, corticibus arborum vtuntur pro calceis 601
Indi primi Bacchum coluerunt 185
Indi qua pœna parricidas punire solebant 879
Indi poculis cornibus bouinis factis vtuntur 531
Indu manus iactio, pro manus iniectio antique 800
Indumenta Hunnorum, quænam 554
Induperator pro Imperator 174
Indusium alij scribunt Intusium 578
Indusium, & subucula quid differant ibid.
Indusium qualis vestis ibid.
Infames lege, & edicto Prætorio facti 914
Infantes nati in humum abiiciebantur 245
exponi soliti 3
Infantes nuper nati, & adhuc de matre rubentes aqua abluebantur & vnguentis perfundebantur 247
Infamium cura Censoribus mandata 923
Infamia ius munerum, & honorum ademit 914
Infantibus nascentibus quinam Dij præfuerint 240
Inferiæ qualia sacra 626
Ingenuus erat, qui statim, vt natus erat, liber fuit 887
Ingenuus Ingenui filius Eques Romanus esse potest, sed aditum in Curiam non habet 101
Ingenuus libertinam ducere non poterat 604
Ingenui libertinorum filij suffragium tulerunt in Tribu rustica, non tamen magistratus capit, & est tertij ordinis 101
Ingenui quinam ibid.
Inguina Veneri sacra 245
Initiandi modus 195
Iniuges hostiæ quæ nunquam iugo subditæ 321
Iniuria quid, vnde dicta, quot modis fiat 806. 890
Iniuriarum lex 868. eius capita ibid.
Innominales dies qui 337
Inscriptio in qua patet procuratores fuisse in factionibus 448. & altera vbi fit mentio de medico ibid.
Inscriptio in qua fit mentio de Calendis, aliæ 366
Inscriptio vetus, de Vesta 203
Inscriptio in qua fit mentio de fratribus Arualibus 291
Inscriptio quæ Romæ visitur in campo Martio 754
Inscriptio de Baccho Brontino 185. alia de Libero patre 190
Inscriptio de mansionibus Palatinorum 203
Inscriptio de Scriba 753
Inscriptio vetus in qua fit mentio de Lanistis 492
Inscriptio, qua probatur numen adscribi Imperatoribus post mortem 301
Inscriptio de vico Sandaliario 157
Inscriptio in qua fit mentio de calceis 598
Inscriptio in qua fit mentio de Parasito 456
Inscriptio vetus, vbi agitur de Patricio 650
Inscriptio, in qua sedes pro tumulo sumpta est 322. alia 323
Inscriptio de Fortuna Salutari 225
Inscriptio in qua fit mentio de factionibus 447. & aliæ diuersæ ibid. & 448
Inscriptio in qua fit mentio de Neptunalibus Ludis 403
Inscriptio veteris marmoris Prænestini, vnde clarum fit Deæ fortunæ non minus quàm aliis donaria voueri solita 377
Inscriptio in qua fit mentio de quodam Pantomimo 457
Inscriptio in qua fit mentio de Archimimo 456
Inscriptio, in qua fit mentio fetialium 305
Inscriptio, in qua notatur olim fuisse Collegium Augurum 277
Inscriptio vetusta, Romæ eruta in domo Pomponij Læti 933
Inscriptio, in qua notantur Sodales Titij 291. altera in qua fit mentio de septemuiro Epulonum ibid.
Inscriptio vetus de alueis 727 aliæ ibid.
Inscriptio vetus qua & coemptio & faces nuptiales, & deductio ad domum continentur 610
Inscriptio antiqua de Genio 207
Inscriptio vetus in qua fit mentio de Auguribus 280. & altera ibid. & seq.
Inscriptio vetus de Augurum publicorum dignitate 277. altera ibidem
Inscriptio vetus in qua fit mentio de cella 513
Inscriptio quædam in qua fit mentio de caliga 958
Inscriptiones de Bona Dea 249
Inscriptiones vetustæ de Tauribolio 136
Inscriptiones vetustæ de Sebasio Ioue 143
Inscriptiones binas de bono Genio 551

Inscriptiones diuersæ in quibus fit mentio de præfectis frumenti 737
Inscriptiones variæ de Candidatis 838
Instaurationis dies 343
Instita matronarum honestarum ornamentum 585
Instita fasciola 586
Institutio Nudipedaliorum 596
Instructio aciei apud Romanos 979
Instrumenta dotalia 612
Instrumenta venatoria 159
Insula in Cronio mari, vbi barbari vinctum à Ioue Saturnum fabulantur 132
Insulæ dicuntur etiam, quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico aut priuato cinguntur 79
Integritas legum 765
Intempestam noctem quare veteres appellarint 786
Intempestiuum est cum tempus agendi est nullum 335
Intercalatio ad sacerdotum officium pertinet 816. de ea lex à quo lata ibid.
Intercalatio omnis quando nonnumquam omissa fit 328
Intercalationi omni quare Februarius mensis deputatus sit 328
Intercedebant inter se Consules, Prætores, Tribuni 658
Intercessio numquam locum habuit ante suasionem aut dissuasionem 769
Intercessioni paris aut maioris potestatis parendum 658
Intercessionem Tribunorum factam esse verbo Veto ibid.
Intercidona 243
Intercisi dies qui sint 335
Interdictum de locis sacris & religiosis 896 de liberis personis ibid. de locis publicis ibid. de adipiscenda possessione 897. de retinenda possessione ibid.
Interdicta quales formulæ fuerint 896
Interdictorum vsus quis ibid.
Interpretes quinam fuerint 697. fuerunt ex numero apparitorum & libertinorum 750
Interpretatio somniorum pars Aruspicinæ magni olim habita 116
Interregnum quid 706
Interrex qui dicatur ibid.
Interreges non nisi Patricij eligebantur 706 populum ad Comitia Curiata vocare potuerunt 642. quando creari desierint 706 quinam Comitia habuerint 651
Interregum origo antiquissima 706
Interscalmium qualis locus in naui 986
Intestabilis propriè, cui ius non est dicendi testimonij 793. post etiam is cui testimonium non dicitur ibid.
Intestabilis qui nec testamentum facere, nec ad testimonium adhiberi potest 806
Intestatus quatuor modis quis dicatur 794
Intestatus qui fuerit dictus 888
Intestatus si quis mortuus, cuinam lex hæreditatem attribuerit ibid.
Inuentores templorum 112
Inuentores primi interpretationum Somniorum 116
Ioannes Scotus interfectus à discipulis suis, cum in delirium senectutis vitio incidisset 1014
Ioannis Lateranensis Basilica 17
Ioa rege à cura religionis desciscente, totus populus desciuit 762
Iocus quid sit 465
Iocum & Ludum Grammatici quomodo distinguant 427
Ionas sorte in mare deiectus 839
Io quare dicta Isis 300
Io triumphe, vox augurationis in triumpho 1059
Ioseph honoris causa stola byssina à Pharaone vestitus 586
Iosephus, Primus mortalium somnia interpretatus est 116
Iouis Pistoris Ara 344
Iouis festum quo die, & quo mense celebratum 342
Iouis ædis cum fundamenta foderentur, in Capitolio caput humanum inuentum 14. 15
Iouis Capitolini in templo quæ, & qualia pacis & belli tempore peregerint Romani 140
Iouis Capitolini templum in monte Capitolino exædificatum 15. quibus ibid.
Iouis cognomina 138
Iouis colendi prima origo quænam fuerit 137. 138
Iouis nomen vnde 137
Iouis ortus quis ibid.
Iouis statoris templum Neronis tempore exustum nunquam restitutum 139. in hoc nonnunquam Senatus habebatur, & Senatus consulta fiebant ibid.
Ioui inuentori Romæ ara extructa 138
Ioui Pistori, quando ara posita 141
Ioui Prodigiali thure, & mole salsa litabatur 321
Iouem indigetem appellatum fuisse Æneam Liuius ostendit 138
Iouem Lapidem Romani in feriendis fœderibus iurabant 961
Ioues trecenti apud veteres culti 137

Ioues tres numerat Cicero ibid.
Ἵππον κάλλιστα ἐλαύνειν, equum dissolutum agitare 490
Ira vindictam cupit 221
ἡρακλειος, Herculeus aut caduceus morbus 677
Ire in consilium 912
Irrogare, est legibus infligere 785
aliquando pro rogare, vel introducere sumitur ibid.
Irrogare mulctam, vnde natum 925
Irrogatio mulctæ vel pœnæ 927
Irrogatio quod aduersus reum conscripta ibid.
Irrogationis & anquisitionis discrimen ibidem
Irrogationis formula ibid.
Isatis 616
Isæus Romæ orator, omnibus eloquentior. 510
dictus fons Demosthenicæ facundiæ ibidem
Isiaci sacerdotes Isidis 263
& quid de illis commemoratur ibid.
Isis dea 261
Isis legifera ibid.
Isis, Inachi fluuij filia, nata in Græcia 264
Isis genius Ægypti 205
& lingua Ægyptiorum terra, significat ibidem
Isidis ἀνεύρεσις 342
Isis in Ægypto frumentum inuenit 194
Isin primo leges, & iustitiam inuenisse 261
Ismenias optimus tibicen 523
Italia Saturnia dicta 133
Italia ciuitatem Romanam multis laboribus meruit 828
Italia tota post OEnothriam Saturnia cognominabatur 719
Italiæ iuridici qui fuerint dicti 747
Italici belli causa 828
Italico vel Gallico bello duobus vexillis rosæo & cæruleo milites euocabantur 962
Itali non omnes pari iure ciuitatem consequebantur 652
Itali à Iano edocti de ritu sacrorum 125
Italus ex quibus parentibus natus 271
Iter quid 803
Itineris euentus sternutatione denotatus 279
Iudæi propter nouitates Religionum vrbibus expulsi sunt 322
Iudæi qui nuptias recusabant, nudis pedibus incedere cogebantur 596
Iudex aliquando stans iudicauit 909
Iudex in arbitrijs liberior erat, quam in iis quæ stricti iuris 911
Iudex quas causas cognouerit 909
Iudex à iustitia dicitur 664
Iudices ex lege ad iudicandum adhibiti quomodo lecti 916
quo numero ibid.
Iudices ex ordine Equestri lecti 94
Iudices iudicaturi quare iusiurandum susceperint, & eorum nomina inscripta in arcis reposita 919
Iudices Quæstionum, Principes Quæstionum dicti 916
Iudices quomodo lecti fuerint 919
Iudices subsortiti qui occupatorum funguntur officio 945
Iudices ad misericordiam commoti 946
Iudicum sortitio 916
Iudicum ex numero Tribuni ærarij sublati 816
Iudicium munera quænam 916
Iudicum nomine leges latæ 855
Iudicum reiectio, subsortitio quomodo instituta 919
Iudicum sortitio quomodo instituta ibid.
Iudices in consilium mittere aut dimittere est iubere illos ad vrnas ire, atque in eas tabellas, sententias continentes coniicere 919
Iudicare qui minor viginti annis non cogebatur 856
Iudicatum significat sententiam Prætoris de re controuersa 800
Iudiciales dies 386
Iudiciarij dies cur sic appellati ibid.
Iudicium in petitorem quale fuerit 912
Iudicium infernorum 944
Iudicia exercebantur in basilicis, templis, porticibus, & in subdiualibus locis 931
Iudicia ad solos equites translata 855
Senatorio ordine rursus communicata ibidem
Iudicia à iudicando dicta 886
Iudicia inter Senatores Equites, & Tribunos ærarios communicata 856
Iudicia mulctæ indicendæ exercebantur Comitiis Tributis 669
Iudicia non omnibus diebus exercebantur 894
Iudicia populi aut priuata, aut publica & quid singula 914
Iudicia priuata fuerunt decreta de priuatis controuersiis 886
Iudicia publica non fuerunt omnia illa in quibus crimen versatum est 913
Iudicia publica quænam fuerint 912
quare sic dicta ibid.
Iudicia quænam habita fuerint Comitiis Centuriatis 649

by Google

Iudicia Romanorum quid sint 886
Iudicia sub Regibus, Curiatis, Comitiis exercitata 641
Iudiciorum Comitia Centuriata, quinam magistratus habuerint 651
Iudiciorum Comitia non tantum habita sunt in Comitio, sed in aliis quoque locis 616
Iudiciorum Comitia tributa à quibus personis habita 671
in Comitio habita ibid.
quando fuerint administrata 676
Iudiciorum Comitiis Tributis, si damnatus reus, illico prædes dare soluendæ mulctæ cogebatur 677
Iudiciorum forma in prouinciis quænam 74
Iudiciorum in Comitiis quasnam personas interesse conuenerit 671
Iudiciorum nomine leges latæ 857
Iudiciorum priuatorum causæ quænam fuerint 885
Iudiciis publicis Quæsitores præfuerunt 701
Iudicia publica post constitutas perpetuas Quæstiones, Prætores reliqui quatuor exercuerunt 701
Iuga Iuno quare 148
Iugarius vicus ibid.
Iugatinus deus 608
Iugatinus deus iugis montium præsidebat 254
Iugatinus deus qui coniuges coniungebat 242
Iuglandes cur nuces dictæ fuerint 609
Iugum apud Romanos quid fuerit 991
sub iugum mitti quid sit ibid.
Iulia Septimij Seueri Aug. vxor 1032
Iulia Caducaria lex 852
Iulia lex de Cessione bonorum 853
Iulia lex de Ciuitate 828
Iulia lex de diuidendo agro Campano, & de deducenda colonia 841
de forma iudiciorum 856
de maritandis ordinibus 850
de non imponenda vindicta manumissis 849. de peculatu 869
eius capita quæ fuerint ibid.
de prouinciis aliquot capita 640
de prouinciis Prætoriis, ne plusquam annum aut biennium obtineretur ibid.
de repetundis 873. de ambitu 871
quando lata ibid. eius capita quę sint ibid.
de vi 867. de vicesima 852
omnes in suas leges iurare debere 837
Iulia lex quæ repetiuit Sempronia 843
Iulia lex sumptuaria 846
Iulia lex vt ager Stellas plebi diuideretur 843
Iulia lex vt Tribuni ærarij ex numero equitum tollerentur 856
Iuliæ legis de maiestate capita 858
Iuliæ legis de repetundis capita quæ sint 873
Iulia Miscella lex 852
quare sic dicta ibid.
Iulia Plautia lex 853
Iulia Titia lex de tutelis 851
Iulianus annus à Iulio Dictatore 340
Iulianus Cæsar à militibus Gallicanis, impositus scuto pedestri, & sublatus eminens populo silente 1030
Iulij Cæsaris verba in Suetonio 291
Iulius Augustus Comitiorum ius pristinum reduxit 871
Iulius Cæsar ab Iulo Æneæ filiæ videri volebat se ortum ducere 177
Iulius Cæsar parricidas bonis tantum multauit 875
Iulius Cæsar ante pugnam Pharsalicam Veneri Genitrici templum cur vouerit 177
Iulius Cæsar decemuiros epulonum instituit 314
Iulius Cæsar mense Iulio natus fertur, vnde, & mensis ille Iulius dictus 399. 400
Iulius Cæsar militibus stipendium duplicauit 965
Iulius Cæsar sacerdotio, & vxoris dote mulctatus 295
Iulius Cæsar viginti tribus vulneribus confossus 711
Iulij Cæsaris ludi natalij quo die celebrati 481
Iulio Cæsari quinam honores decreti fuerint 702
Iulium Cæsarem in constitutione adhuc hodie sequimur 318
Iuliusis mens à C. Iulio Cæsare cur sic dictus 399
Iulius mensis Quintilis cur fuerit dictus ibidem
Iulij mensis Kalendæ primus dies conductionum apud veteres 400
iumentum vectabulum quod à iunctis pecoribus traheretur 796
à iungendo dictum ibid.
Iunia lex de abrogando imperio Tarquinio 833
Iunia lex de peregrinis 827
Iunia Licinia lex de Trinundino 836
Iunia Norbana lex de manumissis 849
Iunia Petronia lex de iudiciis 856
Iunia Velleia lex de Testamentis 852
Iunia sacrata lex 835
Iuniam legem vt inhumanam Cicero reprehendit 829

Iuniæ

Iuniæ Calendæ cur fabariæ 241
Iunia virgo Vestalis 201
Iunius Brutus autor fuit eiiciendi regis 685
Iunius Brutus primus in defuncti patris honorem gladiatores dedit 489
Iunius Bassus dictus asinus albus 388
Iunius mensis vnde dictus 390
Iunonius quare Ianus 122
Iunonij versus qui 304
Iuno soror & vxor Iouis 147. dicta quod vna cum Ioue iuuet ibid.
Iuno cur dea Quiris dicatur 607
Iuno vnxia 608
Iunio, & diuersa illius nomina 147.148.149. dicta insera: multa quæ de illa dicuntur vide in his locis præscriptis
Iunonis aues 147
Iunonis in ditione omnes Calendæ 122
Iunonis in sacello anseres sacri alebantur 140
Iunonis nomina varia 147.148.149
Iunonis Lucinæ dies festus 342
Iunoni Monetæ ædis dedicatio 344
Iunoni agna litabatur 322
Iunoni hasta sacra 607
Iunoni Lucinæ ærarium à Seruio Tullio institutum, in quo pro singulis nascentibus parentes certi pretij nummum inferrent 148
Iunoni mense Februario sacra fiebant 149
Iunonem lucem tribuere putabant 245
Iunus cur Pan dictus 254
Iupiter ante pugnam Gigantum sacrificat Soli, Cœlo ac Terræ 137. cur Elicius dictus 139. factæ capræ quæ Amalthea dicta, melleque educatus 137. primus docuit iustitiam inter mortales seruare ibid. pro diuersa illius potestate variè effictus ibid. propter beneficia optimus, propter vim maximus appellatus 139. quare inuentor dictus 138. quare Latialis, Sponsor, Imperator, Pistor, Capitolinus, Elicius 139.140. quare Stator dictus 138. quasi iuuans Pater 137 sustulit Gigantes ibid.
Iupiter Herceus, cur sic dictus 142. trium oculorum ibid.
Iupiter Ammon, & Hammon vocatus 146
Iupiter Hecalus Munichius, & Olympius 146
Iupiter Hecalus Munichius, & Olympius 146
Iupiter Sabadius, Sebadius, vel Sebasius 145
Iupiter Genetæus, à templo ei in monte Genete structo 144
Iupiter Hospitalis 144
Iupiter, Neptunus & Pluton mundi regna inter se diuiserunt 204
Iupiter Capitolinus in periuros telo trisulco erat armatus 15
Iupiter à precantibus pater dictus 125
Iupiter in anguem mutatus 145
Iuramentum militum quo ordine, quoue ritu fiebat 1011.1012
Iuramentum fidelitatis præstitum in Anglia 1011
Iurare calumniam quid sit 918
Iurare in litem quid 909
Iuratus quomodo sententiam dicere debeat 910
Iurgium quid
Iurisconsulti de litibus ambiguis disceptaturi templum Apollinis adire solebant 154
Iurisconsulti apud Romanos qui 772
Iurisconsulti cur aucupes Syllabarum dicantur ibid.
Iurisconsulti qui appellati 768
Iurisconsultorum apud Romanos differentia 773
Iuridici Italiæ quinam, & à quo instituti 747
Iurisdictio est iudices dandi licentia 915
Iurisdictio prouincialis 742
Iurisdictio qualis potestas 890
Ius Papirianum, leges regiæ sic dictæ 811
Ius Regalis capillitij 1054
Ius Rhadamanthæum 941
Ius Ælianum quodnam 772
Ius aliud priuatum aliud publicum 886
Ius ciuile fluxit ex duodecim Tabulis 771
Ius ciuile Papirianum quodnam, quare sic dictum 771.772
Ius ciuile, quid honorarium ibid.
Ius ciuium Romanorum, quo sese aduersus nimium magistratuum imperium muniebant, multis legibus est confirmatum 826
Ius cognationis, affinitatis 767
Ius & lex quid differant 766
Ius humanum quid sit 767
Idem positiuum, ciuile, & scriptum dicitur ibid. à naturali quid differat ibid.
Ius naturæ quid sit ibid. hoc sæpè ius gentium nominatur ibid.
Ius non scriptum quid ibid.
Ius Papirianum quid 772
Ius priuatum quomodo diuidatur 886
Ius quibus in locis dictum fuerit 890. 891
Ius quot modis dicatur 766
Ius triplex ibid.
Ius belli 114
Ius locus vbi Magistratus consistit iuris dicundi gratia est aliquando 797.798.890 891
Ius naturæ, & gentium quid differant 767

Ius Quiritium in quo fuerit 991
Iuris auctores qui 773
Iuris scripti ciuilis species quæ 767
Iuris ciuium Romanorum causa leges latæ 826
Iura belli in pace seruata 114
Iuris controuersia quomodo disceptata 921
Iuris Romani, origo, & processus 771
Ius apud Romanos quinam dixerint 890
Ius dicere 767
Ius dicere, dicuntur illi qui ius reddunt 890
In Ius de domo sua nemo vocari poterat 900
Ius dixerunt Prætores aut ex superiore loco, aut ex æquo 894
Ius imaginum primo soli patricij habuerunt 99. plebi communicatum ibid.
in Ius postulare, aut postulari quinam potuerint 917
in Ius quomodo aduersarius vocatus fuerit 916
in Ius vocandi modus 900
in Ius vocare quid 900. non omnes vocari poterant ibid.
in Ius vocatio quomodo locum habuerit 916
Iure manum conferre quid 798
Iusiurandum solemne in Capitolio concipiebatur 15
Iusiurandum à Sacramento diuersum exigi solitum, non in castris modo, sed in vrbe 1011
Iusiurandum solemne per Dianam 163
Iusiurandum Calumniæ quale 909
Iurisiurandi religio in qua fuerit authoritate apud Romanos 810
Iurisiurandi insignis formula 1011. præstita à Francis ibid.
Iusti Dies qui 337. 800
Iustinus Minor annis vndecim, Totilam regem Gothorum in Italia superauit, & occidit 589
Iustitia dicta Retaliatio 941
Iustitiæ filia Nemesis 175
Iustitiam inter mortales seruare primus Iupiter docuit 137
Iuturna ex fonte aquam ad omnia sacrificia Romani sumebant 204
Iuturna sic dicta quod iuuaret ibid.
Iuturnæ ædes dicata in campo Martio 342
Iuuenales ludi 346
Iuuenales ludi, & à quo primum instituti 481
Iuuenales ludi tantum per domos & hortos acti ibid.
Iuuenalis explicatus 474
Iuuenes apud Lacedæmonios calceis carebant 595
Iuuentas Dea est, quæ iuuenilis ætatis exordia excepit 241
Iuuentas potius quam Iuuentus ibid.
Iuuentutis ludi 481
Iuuentus Romana vbi omnis generis exercitia habuerint belli & pacis 653
Iuuentutis princeps quis, & vnde electus 494

K

K elementum quod ex lege Rhemnia frontibus candenti ferro imprimebatur 936
Kalendæ omnes in Iunonis tutela erant 347
Kalendæ primus vniuscuiusque mensis dies 339
Kalendas à καλῶ deriuarunt ibid.
Kalendis Ianuarij Consules designati Consulatum inibant 347
Kalendis Ianuarij cur quilibet omne genus operis sua arte inchoarit ibid.
Kalatores 315
καλλίστη θεῖς 377
χαρακτῆρες, tituli & figuræ quæ cudebantur numinis 722
χειροβαλλίστρα, falarica 1016
Κεραίτης, quid & vnde 518
χιτώνη, Chito 158
Κοπίδα 1029
Κῶμαι, conuenticula rusticorum 459
Κωμάζειν, est ebriorum more lasciuire 504
χάραξ 1013
Κάμιναξ 466
Κρεμάσαι τὴν ἀσπίδα, suspendere clypeum, bello iam confecto, prouerbialiter effertur 119
χρηστολόγος, vtilia & honesta loquens 938
χρυσόκλαβος, clauata vestis 1047
χρυσόδετα, vasa deaurata 537

L

LAberius in fine ludorum annulo aureo ꝯhonoratus à Cæsare 488
Labith Horchiam appellatam esse Vestam 198
Lacedæmonij vtraque manu sarissam torquebant 1021
Lacedæmonij calceis iuuenibus interdicebant 595
Lacedæmonij quoties adire vitæ periculum volunt, comam detondent 1055
Lacedæmonij primi penulam ludis excogitarunt 557

Lacerna vestis militaris 552
Lacernam vestem per bella vsitatam factam fuisse Romanis ibid.
Lacernæ vsus præcipuus in spectaculis Amphitheatralibus 557
Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur 556.557
Lacerna militum gestamen 957
species variæ ibid.
Lacernæ purpurei coloris non minus quam prætextæ ipsæ magistratuum 558
non semper coccineæ, sed & interdum candidæ ibid. fibulis substringebantur ibid.
Lachesis sors 220
Lacunæ apud antiquos quomodo sumptæ 505
Ladas cursor celeritatis notissimæ 435
Læna ex plebe consul factus 195
Læna vestimentum militare 552
etiam in sacrificiis sumptum ibid.
Lætoria lex 913
Lætoria lex de Curatoribus dandis furiosis, vel prodigis 851
λαγχάνειν δίκας, sortiri iudices, aut iudicium dicere 941
Lampades in nuptiis accensæ 615
Lana Pollentina valde celebris 441
Lanæ vsus ac vestium ignotus Scythis 555
Lanceam veteres Quirin vocabant 231
Lancea donabantur illi qui fortiter pugnabant ibid.
Lancea militare instrumentum 1018
Lanea vitta, & laneus orbis, indumentum familiare Diis Laribus 389
Lanificij vsum Minerua instituit 170
Lanistæ quinam fuerint 489
Lanistæ dicti patresfamilias 492
Lanistæ, cur sic dicti 491
Lanistæ summam curam adhibebant ne manca aut mutila haberent corpora adolescentes, quos in ludo suo edocturi essent 492
Lapidatio solemnis pœna adulterij 862
Lapidatio Romani supplicij genus olim frequentissimum 862
Lapis Iupiter quare 141
Lapis Manalis 419
Lapis vetus in quo fit mentio de Actuario 751
Lapis de Libero patre 190
Lapis antiquus de scriba 752. alter ibid. & 753
Lapis Vetus Viennæ de Genio 207
Lapis vetus in qua Iduaria posita sunt pro Calendario 367
Lapis vetus in quo fit mentio de Lenunculo 729.730
Lapis in quo fit mentio de rationali 513
alter ibid.
Lapis in quo fit mentio de fisco 733
Lapis antiquus, in quo fit mentio de Caudicariis 736
Lapides terminales 257
Lapides in quibus fit mentio de triumpho 1035
Lapides qui mentionem faciunt de stipendio 955
Lappones pretiosis vestiuntur pellibus, non modo ornatus causa, sed & necessitatis 555
Lara siue Larunda, qualis Nympha 206
cur ei lingua abscissa à Ioue ibid.
Lar familaris quomodo efformatus fuerit ab Antiquis ibid.
Lararia in Decembri peragi solebant 423
Larentalia mense Aprili celebrata 343
Lares cur pelle canina vestiantur 207
Lares permarini qui sint ibid.
Lares sunt Dij domestici 206
Lares colebantur in domibus 423
Lares Compitalitij 389
Lares vicorum atque itinerum Dij 207
Lares domestici & illorum cura 389
dicti etiam familiares ibid. & Vrbani 390.
Hostilij quoque ibid.
Largitione qui primus populum corrupit non constat 870
Laribus Gallo litabatur 322
Latialis Iupiter vnde dictus 140
Latialis collis 16
Laticlauij Tribuni 577
Lati claui omnium fuerunt qui vel patre Senatore, vel Equite nati ibid. sed ab eo anno quo virilis toga sumebatur ad annum ætatis Senatoriæ ibid.
Latinus Rex socer Æneæ 2
Latinus Syluius quandiu regnauit 2
Latini ad motus cælestium syderum sole duce annum conformant 340
Latini quare ciuitate donati 827
Latinæ feriæ in sacro monte 343
Latinæ feriæ quæ, & à quo institutæ 414
Latinas ferias nisi prius Consules indixissent, non exibant paludati in prouincias ibid.
Latitantis bona nisi euocatione Tertia ad sui defensionem venissent prætor possideri, & vendi iubebat 900
Latitare qui volebat quomodo in ius euocatus ibid.
Latius quare Saturnus dictus 128
Latio sententiæ quomodo instituta, 922
Latus clauus tunica fuit latos clauos intextos habens 577. Senatorum ia-

Aa

signe ibid.
Lato clauo deposito; angustum sumebant qui Senatoriam dignitatem non fuerant assecuti ibid.
Latrones vnde dicti 427
Latrunculi vnde dicti ibid.
Laudes Romani Senatus 690.691
Laudes clarorum virorum in epulis celebratæ 522
Laudationes quomodo habitæ sint 921
Laudatores quot, & qui reis concessi fuerint 922
Lauere pro lauare antiquè 800
Lauernalis porta vnde 245
Lauernam Deam caput tantum faciebant sine corpore ibid.
Lauernam Deam Romani fures precabantur ibid.
Lauerniones quare fures antiquis dicti fuerint ibid.
Lauinalis flamen 296
Lauiniam in matrimonium accepit Æneas 2
Lauras Græci vicos cognominant 207
Laurea cur coronetur Æsculapius 230
Laureæ veteres mutatæ in Calendis Martis 357
Laurea noua singulis annis statuæ Iani imponebatur 128
Laureatorum poëtarum mos vnde manarit 474
Laurentalia 443
Laurentia Romuli ac Remi nutrix 2. inuentrix 413.430
Laurentiæ feriæ 230.413
Laurentialis flamen 296
Laurus præcipue victoriæ nuntia 1037. 1039
Lecti sacri genium quem intelligat Iuuenalis 609
Lecti antiquorum testudine Oceani ornati 501
Lecti testudine variegati ibid.
Lecti Triclinares ibid.
Lecti antiquorum insternebantur pellibus 554
Lectisternium quale epulum apud Romanos 410
Legandi verbum à lege 789
Legare, est statuere, decernere, disponere ibidem
Legatarij & hæredes quid differant 791
Legationes liberæ quid, & quare institutæ à Romanis 745
Legationes liberas Cicero in suo consulatu voluit tollere 746
Legationibus exterarum gentium audiendis totus mensis Februarius fuit attributus 694
Legatus apud Romanos quinam fuerit 969
Legatis exterarum nationum vbinam Senatus fuerit datus 79
Legati Pyrrhi Epirotæ interrogati quid de Romanis Senatoribus sentirent, quid responderint 693
Legati aliquando prouinciis præfecti, si proconsules, & proprætores ante aduentum successores de Prouincia decederent 645. apud Romanos duûm generum fuerunt 745. quando proconsules, & proprætores nominati ibid. quinam fuerint apud Romanos ibidem
Legatorum & hæreditatum lex 791
Legatorum nomine leges latæ 851
Legatorum numerus prouinciarum Rectoribus assignatorum minimus trium fuit 745
Legatorum officium in prouincia quodnam fuerit ibid.
Legatos exterarum nationum Romani in vrbem non admittebant 79
Legatos in prouincia sibi quisque legare potuit 745
Legere, pro adimere, & auferre apud veteres 783
Legere in conuiuiis mos erat 515
Legifera Ceres, quod leges inuenerit 196
Legio constabat ex pedestribus & equestribus copiis 967
Legio multò plures milites comprehendebat quam auxilia 962
Legio pro diuersitate periculorum imminentium modò maioris, modò minoris numeri 962
Legio quadrata quæ, & vnde sic dicta sit 964
Legio quas partes habuerit 965
Legio vnde dicatur 964
in Legione nemini militare licebat nisi ciuibus Romanis, ingenuis, &c. 965
Legiones ab auxiliis quid differant 964. 965
Legiones Augusti quænam adhuc supersint 966
Legiones quot militum fuerint 964
Legiones vndenam nomina sua acceperint 966
Legionum milites varia dona consequebantur 965
Legionum Romanarum non vnus semper numerus fuit 965. 966. earum nomina

na 965 966
Legislator ante Comitia concionem habebat, in qua populo necessitatem & vtilitatem ostendebat 655
Legislator bene de Republica sentiens, primùm legem Senatui communicauit 768
Legislatores solebant si bi virum aliquem præcipua autoritate præditum conciliare qui legem populo suaderet 655
Legislatores à Deo instituti 760
Legislatores primi parricidas ex humana societate deturbare aut eliminare, tantummodo contendebant 876. 877
Legitimæ actiones 898
Leguleij cur aucupes Syllabarum 772
Lembus, nauicula piscatoria 989
Lembus nauigij genus prædonum 729
Lemniscata corona 474
Lemonia tribus 663
Lemunculi qualia nauigia 989
Lemures, laruæ nocturnæ 379. dicti quasi remures ibid.
Lemuria quæ noctu agebantur, & triduo 343
Lemuria, id est, sacrificia feralia 20. 379
Lenæ ministræ Bacchi 188
Lentulus aperto, sanctiore ærario ex vrbe profugit 710
Lenuncularij quinam sint, & cur sic dicti 729
Lenunculus nauigij genus, dictum à Lemno Insula 729
Lepus quid portenderit 284
Lessus quid 782
Lesum ac lessum veteres vna significatione dixerunt ibid.
Leuana Dea quæ de terra leuat Infantes 240.
λείψαι. 389
Leutenant qui olim legatus] 969
Lex abrogatur, id est prior lex tollitur 771. derogatur, id est pars primo tollitur: subrogatur, id est, adiicitur aliquid primæ legi ibid.
Lex Reipublicæ anima 760
Lex Acilia 841. Acilia Calpurnia de damnatis ambitus, 870. Acilia de repetundis 873
Lex Aebutia de XII. Tabulis 836
Lex Agraria quænam fuerit 994
Lex Aelia 841
Lex Aelia Licinia 841
Lex Aelia Sentia de manumissis 849
Lex Aemilia 846
Lex Ampia Labiena de Cn. Pompeio 857
Lex antequam ferebatur, promulgabatur 894 quare ibid.
Lex Antia 846
Lex Antonia 826. 830. 834
Lex Antonia de Iudicibus 856
Lex Apuleia 842
Lex Apuleia de Maiestate 858
Lex Ateria de mulcta 913. hæc Tarpeia etiam dicitur ibid.
Lex Ateria Tarpeia de mulctis 857
Lex Attica de Sepultura 629
Lex Atia 826
Lex Atilia de dedititiis, 874. de tutelis, 850. abrogata ibid. tantùm Romæ locum habuit ibid.
Lex Atilia Marcia 848
Lex Atinia 835
Lex Atinia de vsucapionibus 853
Lex Aufidia de Ambitu 871
Lex Aurelia 836
Lex Aurelia de Iudicibus 855
Lex Bæbia 842. Bæbia Æmilia 870
Lex Cæcilia 846. 834.
de iure Italiæ 874
de repetundis 872
Lex Cæcilia Didia 836
Lex Cæcilia Gabinia 854
Lex Cælia, 830
Lex Calpurnia 829
Lex Cassia 830
Lex Cincia de donis 857
Lex Claudia 854. ab Atheniensibus sumpta ibid.
Lex Claudia de scribis 874
Lex Claudia de sociis 825
Lex Claudia de Tutelis 851
Lex Claudia, vel Clodia de Victoriato 853
Lex Claudia 826. 829. 834. 841. 849
Lex Clodia de collegiis 874
Lex Clodia 841. de Cypro ibid.
Lex Clodia de vi 867. lata propter Ciceronem & alios qui Catilinarios occiderant ibid.
Lex Cornelia 824. 825. 826. 832. 833. 835. 842. 844. 846
de crimine falsi 866
recitantur eius capita ibid.
de iis qui legibus soluuntur 837
de inferendo bello regi Antiocho 848
de iudicibus 855
de lusu 874
de Maiestate 858
de Municipiis 828. de prouinciis 840. de

repetundis 873. de sicariis 865. 866. eius capita recensentur ibid. ea lege excepti erant qui proscriptione Syllana ob relata ciuium Romanorum capita pecunias ex ærario accipiebant ibid.
Lex Cornelia de Testamentis 851
Lex Curia 829
Lex Duillia Mænia 830
Lex de Adulterio 859
eius capita recensentur ibid.
Lex de alea 873
Lex Decia de Duumuiris naualibus 847
Lex de Cn. Publicio Menandro 829
Lex de iure triumphandi 847
Lex de reuocatione Ciceronis ab exilio Centuriata fuit 649
Lex de Toga candida 829
Lex de Toga Romuli 567
Lex de vocatione 847
Lex de vocatione sacerdotum 826
Lex Didia 846
Lex Domitia 825
Lex Duillia 835
Lex Duillia Mænia de fœnore 854
Lex, & ius quid differant 766
Lex Fabia de numero sectatorum 870
Lex Falcidia de hæreditatibus 851
Lex Famia 845
Lex Flaminia 842
Lex Flauia 843
Lex Fuluia de ciuitate Italis danda 827
Lex Furia 836
Lex Furia Caninia de manumissis 848
Lex Furia de Testamentis 851
Lex Fusia 829. 830
Lex Gabinia 831
de Maiestate 858
de mandando bello Pyratico Cn. Pompeio 848
Lex Gellia Cornelia 829
Lex Genutia 853
contra fœnus 854
Lex Glicia de ratione inducendæ querelæ inofficiosi Testamenti 852
Lex Hieronica 845
Lex Hirtia 833
Lex Horatia 835
Lex Horatia de Caia Tarratia 837
Valeria de plebiscitis 836
Lex Hortensia de Nundinis 824
Lex Hortensia de plebiscitis 836
Lex Hostilia de furtis 800
Lex Icilia 835
de monte Auentino 874
Lex incerta de disciplina militari 847
de funeribus 825
Lex in Comitiis apparata in tabulas æneas incidebatur, vel in columnas 770
Lex iniuriarum 868
quænam capita habeat ibid.
Lex Iulia 841. 843
de bonorum cessione 853 854
de ciuitate 828
de iudicibus 855
de iudiciorum forma 856
de manumissis 849
de maritandis ordinibus 621
de peculatu 869
eius capita ibid.
de prouinciis 840
de repetundis 873
de suis legibus 857
de vi 868
de vicesima 852
Lex Iulia de Miscella quare sic dicta 852
Lex Iulia Plautia 853
Lex Iulia Theatralis 825
Lex Iulia Titia de Tutelis 851
Lex Iunia 833
de peregrinis 827
Lex Iunia Licinia de trinundino 836
Lex Iunia Norbana de manumissis 849
Lex Iunia Petronia 856
Lex Iunia sacrata 835
Lex Iunia Velleia de Testamentis 852
Lex Lætoria de Curatoribus 851
Lex Licinia 825. 834 841
Lex Licinia Æbutia 837
Lex Licinia Cassia de Perseo Philippi filio 848
Lex Licinia Cassia de Tribunis militum 848
de fœnore 854
de Sodalitiis, 874
Lex Licinia Mutia de peregrinis 828
Lex Liuia 845
de Iudicibus 855
de miscendo ære ipsi argento 853
de sociis 828
Lex Mamilia de terminis 843
Lex Mamilia 830
de bello Mithrydatico Pompeio transmittendo 848
Lex Manlia 825 de Numidia. 840
Lex Marcia 842
Lex Marcia Atinia de pace cum Rege Philippo 848
Lex Marcia de scatellis 848
Lex Marcia Porcia 847
Lex Maria 853
Lex Maria de Ambitu 870
Lex Maria de nummis probandis 853
Lex Memmia 857
Lex Mensalis 544
Lex Mensia 829
Lex Metilia 834. muneralis 858
Ogulnia 825. Oppia 846

Orchia

Orthia 845. Ouinia 831.833
Lex Papiria 835 & 836 de assibus 853 de ciuitate Aceranis danda 827
Lex Papiria Iulia de mulctis 853
Lex Pappia Poppæa de connubiis 850
Lex Peducea de incestu 860
Lex Petilia de peculatu 869
Lex Pompeia 831.836. de Iudicibus qui pecunias acceperunt ob rem iudicandam 856 de non laudando reo in iudicio 856 de parricidio 866 a.de vi 667 capita eius ibid.
de vi & ambitu 671
Lex Porcia 827 de sumptibus Prouincialium 872
Lex Posthumia 544
Lex præter intercessionem quibus de caussis aliis ferri non potuerit 769
Lex Publicia de Cereis 824 de lusu 874
Lex Publia 836
Lex Publilia Lætoria ibid.
Lex Pupia 831
Lex quid 649. 767
Lex quomodo post tertias nundinas lata 768
Lex Romuli de Iudicibus 865
Lex Roscia 440
Lex Roscia Theatralis 824
Lex Roscia 487. 488
Lex Rubria 842
Lex Sacrata militaris 747
Lex Scantinia de pueris impudicis 861
Lex Sempronia 630.931.843. 845
Lex Sempronia de ætate militum 847
Lex Sempronia de ciuitate Italis danda 827
Lex Sempronia de Iudicibus 855
Lex Pædia de vi lex non est 868
Lex Petilia de Ambitu 869 postmodum tacito consensu abrogata ibid.
Pagana 875 Papia 825
Lex Papia de patronatus iure 849 de peregrinis 829
Lex Sempronia de fœnore 854
Lex Sempronia de prouinciis 840
Lex Sempronia de viis 874
Lex Sentia 831
Lex Græcorum de sepultura 629
Lex Seruilia 842
Lex Seruilia de ciuitate 828
Lex Seruilia de iudicibus 855
Lex Seruilia de repetundis 872 eius fragmenta ibid.
Lex Sextia Licinia 833
Lex Sextia Licinia de sacerdotibus 825
Lex Sextia Menenia 857
Lex Siluani & Carbonis de peregrinis 828
Lex Socialis quare Quæstio de repetundis pecuniis dicatur 871. 872
Lex Sulpitia 831
Lex Sulpitia de bello Mithridatico 848 de Cn. Pontinio 847 de non inferendo bello Philippo regi ibid.
Lex Sulpitia Sempronia 824
Lex Talaria de vsu Talorum 875
Lex Terentia 833
Lex Terentia Cassia 845
Lex Thoria 842
Lex Titia ibid.
Lex Titia de lusu 875
Lex Trebonia 835
Lex Triplex 767
Lex Tullia 831
Lex Tullia de ambitu 871
Lex Valeria 835
Lex Valeria de fœnore 854
Lex Valeria de militum secessione 847
Lex Valeria de prouocatione 826
Lex Valeria 828
Lex Valeria de Maiestate 858
Lex Vatinia 840. 841
Lex Vatinia popularis 856
Lex Villia annalis 832
Lex Visellia de iure annulorum libertinis non communicando 849
Lex Voconia de hæreditatibus mulierum 851
Legis actio qualis potestas 890
Legis actiones quæ fuerint 894
Legis actiones quid 772
Legis ante suasionem aut dissuasionem intercessio locum numquam habuit 769
Legis auctor quid sit 655
Legis de vi priuata capita 868
Legis de vi publica capita ibid.
Legis in rogatione quænam obseruata 768
Legis Iuliæ de Maiestate capita 858. 859
Legis Plautiæ de vi capita 857
Legis promulgatio durabat trinundinum, id est dies viginti septem quare ibidem
Legis significationes 767
Leges antequam ferebantur, legislatores & priuati suadebant & dissuadebant

lata à magistratibus concione 651
Legem ferri ex Senatusconsulto & patribus autoribus quid differant 770
Legem quinam maiores magistratus potuerint rogare 768
qui minores ibid.
Legem qui promulgabat, populo suadebat, vt rogationem acciperet 768.
Legem rogare, est legem ferre 771
Legem sibi acceptam, vel non acceptam populus significationem dabat acclamatione 656
Legem suffragiis acceptam omnes ciues iureiurando confirmabant 770
Lege agere quibus diebus licitum fuerit 894
quinam dicantur 890
Lege in perferenda apud Romanos quænam fuerint obseruata 768.769.770
Leges à Græcis ciuitatibus per decem viros expeditæ 772
Leges ad populum à maioribus magistratibus latæ de bellis hostibus indicendis, centuriatæ fuerunt 649
Leges antequam ferebantur, oportebat trinundino ante proponi 645
Leges apud Romanos tantum à magistratibus rogatæ, & latæ 768
Leges Censoriæ quid 651
centuriatæ quænam sint 649
consulares quæ 651
Curiatæ quæ 649
cur trinundino die promulgatæ 416
Leges de ambitu 869
de vi 867
Leges XII. Tabularum ad sacra pertinuerunt, ad ius publicum, & tertio ad ius priuatum 785
Leges duodecim Tabularum præcipuum Romanæ iuris prudentiæ caput 779
primo decem tantùm tabulæ propositæ, mox duæ additæ ibid.
Leges falsi 866
non habuerunt certum Prætorem ibid.
Leges fœnebres 854
Leges frumentariæ quænam 845
Leges in Capitolio quoque tributis Comitiis latæ fuerunt 671
in loco sacro ferebantur 770
Leges peculatus 868.869
Leges quæ Comitiis Centuriatis latæ propriè leges dictæ 836
quæ vero plebiscita ibid.
Leges quæ in foro ferebantur, & quæ in campo Martio quid discriminis habuerint 770
Leges quæ Magistratibus certis cancellos circumdederunt 832
quænam Comitiis centuriatis latæ fuerint 649
Leges quo tempore latæ fuerint 770.771
Leges Regiæ 774
Romuli Regis 777
Semproniæ 827
Sumptuariæ quænam sint, & quare institutæ 845
Treboniæ 841
tributis Comitiis latæ per fora & templa æneis tabulis fixis publicabantur 677
Leges Valerij Publicolæ latę de prouocatione, Centuriæ fuerunt 649
Regem soluere, ac sancire contrarietas magna 766
Leges Valeriæ 812
Leges propositæ conuiuantibus præsertim de bibendi ratione 544
Leges Draconis non atramento, sed sanguine scriptæ 664
Leges obseruatæ in cœnis 505
Leges Publiliæ 812
Leges Xuirales ibid. quantum antiquæ fuerint 813.814
Leges Curiatæ cur sic dictæ 811
Leges Tribunitiæ 812
Leges duodecim Tabul. à Ludouico Charonda collectæ 815. vsque ad 824
diuersa earum nomina ibid.
Leges Solonis inscriptæ ligneis tabulis 66
Leges Tribunitiæ sacratæ 811
dictæ Oscæ ibid.
Leges regiæ ius Papirianum appellatæ 811
Leges dare, & defendere, idem 760
Leges Iciliæ 812
Legum diuisio 762
Legum causa quænam leges latæ 836
Legum causę quænam fuerint 771
earum potestas quæ ibid.
Legum Comitia Centuriata quinam Magistratus habuerint 651
Legum Domitia tributa à quibus personis habita 670
Legum dignitas & necessitas quæ sit 759
Legum duodecim Tabularum diuina præconia 779.780
earum origo quæ fuerit 771.772
Legum ferendarum locus quisnam fuerit 770
Legum sacratum consulti qui 308
Leges omnes abrogari licebat præter sacratas 777
Legibus interrogare quid 918
Legibus nonnunquam aliqui soluti fuerunt 837.

Legibus quas populus suis suffragiis confirmauit, omnes Quirites tenebantur ibidem
Legibus regiis successerunt duodecim tabulæ 771.772
Legibus solui nemo poterat nisi per populum 669
Λαντρεῖς 318
Libatio qualis ritus in sacrificiis 321
Libellus, quem maritus mittebat vxori, ad eam repudiandam 621
Libelli famosi prohibiti legibus 805
Libentina Venus vnde 176
Liberalia quando, cur, & quomodo celebrata 341.361
Libera toga quam induebant ingenui adolescentes, deposito puerilis ætatis gestamine 573
Liberalium die Toga adolescentibus data 362
Liber Pater cur Bacchus dictus sit 183
Liber Calendarius 366
Liber pater ex vrbe in Eleusinam transferebatur 345
Liber pater floridis vestibus indutus 563
Liber pater qua veste vtebatur 188
Liberi sacra optimè descripta 591
Liberi magnatum antiquitus fidibus edocti 526
Liberi à libertate 886
Libero patri quænam obtulerint 322
Liberum quem nominet Cicero 886
Libera cur Ceres dicta 184
Liberæ ciuitates quæ 994
Libertas est naturalis facultas eius quodcunque facere liceat 886
Libertas qualis Dea apud Romanos 240
Libertatis insigne in manumissis 102
Libertatis templum in Auentino 240.
eiusdem artium ibid.
Libertatis templum Romani in gratiam Cæsaris publico decreto construxerunt ibid.
Liberti Clodius domus Ciceronis consecrauit ibid.
Libertate affectæ ciuitates quæ 993
Libertinus eodem iure fuit, quo libertus 101
Libertinus ingenuam non poterat ducere 604
Libertinus quis sit 101
Libertini dicuntur, respectu ingenuorum: liberti autem respectu patronorum 104
Libertini iidem qui liberti 887
non nisi in dubiis rebus Reipublicæ ad arma vocati ibid.
Libertinorum filiis cur prætexta concessa sit 567
Libertus dedititius quinam factus fuerit 102
Libertus erat quidem ciuis, sed nullo munere publico, nisi coactoris fungebatur 101
Libertus est, qui seruus esse desierat 87
Liberti dicuntur respectu patronorum 101. libertini autem respectu ingenuorum ibidem
Liberti patronorum quemnam ordinem habuerint 102
Liberti quoque Scribæ fuerunt 101
Liberti suffragium tulerunt in quatuor vrbanis Tribubus ibid.
Libertinorum caussa leges latæ 848
Libertorum iura quænam fuerint 101
Libido voluptates appetit 221
Libitina quid sit 574
Libitinæ Veneris in templo ea quæ ad funera pertinebant, vendebantur 176
Libitinarij quinam dicantur 623
Librare, longe iaculari 1017
Libri Sibyllini 312
non in carthaceis voluminibus, sed in linteis descripti ibid.
Libripens quid sit 792
Libyca Sibilla 310
Licinia Æbutia lex de legum latoribus 836
Licinia Cassia lex de Creatione Tribunorum militum 847
de Perseo Philippi filio 848
Licinia Mutia lex de peregrinis 828
Licinia lex de agris possidendis 841
de septem iugeris viritim diuidendis 842
de fœnore 854
de sodalitiis 871
874
de Tribunorum comitiis 834
de triginta assibus edundi caussa consumendis in dies singulos Cal. Nonis, & nundinis Romanis 846
Licinius Macer linteorum librorum autor 312
Licouza Ceres, dicta à ventilabro 196
Lictor à ligando dictus 750
Lictores dicuntur quod fasces virgarum ligatos ferunt ibid.
Lictores regij cum Curili sella vehebantur, præferebant fasciculos virgarum, intra quas obligata securis erat, sic vt ferrum in

summo fasce extaret 684
Lictores singuli Curiatis Comitiis singulis curiis officij causa, non autem vt suffragia ferrent, adfuerunt 642
Lictorum numerum vnde Romulus sumpserit 684
Lictoribus quare Quæstores prouinciarum vsi 746
Lictoribus quinam magistratus vsi sint 750
Lictores laureati antecedebant currum triumphalem 1037
Liduna 203
Lilia quid 982
Limbata frons, id est pulchra 167
Limbolarij artifices, qui limbos conficiebant ibid.
Limbus, vinculum fronti tegendæ ibidem
Limentinus Deus 161
Limes quid 844
Limes Decumanus quis ibidem
Limites à liminibus dicuntur ibid. vel à limo ibid.
Limina ænea in Capitolio posita 15. 140
Λίμνηση Θεσμίωση, Ceres legifera 196
Limna Baccho celebrata 346
Linearij limites qui 844
Lini vsus rarior apud Romanos 75
Linigeri Isiaci cur sic dicti 264
Lipsius vir clarissimus 426
Litteræ antiquitus idem ac notæ 751
Literas inuenisse dicitur Mercurius 169
Litigatores improbi, dicti calumniatores 937
Litigatores iudicem aut recuperatorem à Prætore quomodo postularint 907
Litis æstimatio quid, vbi præcipuè obseruata 923
Litem contestari quid 909
Lithuani, medone, & spisso, & tenui, & vario modo cocto abundant, & illo reficiuntur, atque inebriantur 546
Lituus 319
Liuia Augusta prima omnium consecrata 198
Liuia lex de æqua parte iudiciorum penes Senatum, & Equites 855
de ære miscendo argento 853
de agris diuidendis in Africa 242
de coloniis deducendis 841
de menstruo frumento, quam tulit Sempronius, confirmauit Drusus 845
de sociis 828
Liuia Horestilla nupta fuit C. Pisoni, & quid de illa referatur 511
Liuius antequam legem ferret domi suæ necatus 828
Liuij Andronici fabulæ veteres fuerunt 460
Lixæ qui exercitum sequuntur, quæstus gratia 972
Lixam veteres aquam dixerunt ibidem
Lixarum proprietas est, quod officium sustineant militibus aquæ vehendæ ibidem
Locatio qualis contractus 889
Loca equitum in theatro 487
Loca diuersa spectantium in scæna 486
Loca senatoribus parata in orchestra ibidem
Locrenses à Zeleuco leges acceperunt 762
Loculorum apud veteres Romanos quæ fuerit ratio 627
Locus primus omnium in Reip. descriptione est considerandus 1
Locus Vestalium & virginum in theatro 486
Locus in quem Vestales defodiebantur 202
Locus honoratior quis fuerit in conuiuiis 546 & in senatu ibid.
Λοδιγησ μονομαχοτροφος, qui alit gladiatores 491
Longitudo Orchestræ qualis 486 487
Longitudo sarissæ 1021
Loricæ quid fuerint 98
Losum & lausum veteres dixerunt 782
Lubentina Dea 141
Lucaria festa in luco colebant Romani 402. quare ibid.
Lucares quibus in locis ciuitatis habitarunt & quare sic nominati 23
Luceres tribus quæ 661
Lucretius Iupiter 141
Lucilius lib. 1. 551
Lucina Iuno vnde sic dicta 148
Lucina cur à parturientibus inuocetur 163
Lucinæ templum datum in Esquiliis 357
Luci prope Deorum templa consecrabantur 111.
vnde dicti ibid.
Lucos licebat interdum conculcare ibidem
Lucius Brutus collega Lucij Valerij consulis 111

L. Iulius Cæsar quando perierit 394
L. Manlio Alcidino in triumpho suo centum viginti quatuor coronæ aureæ translatæ 1039
L. Murena, & Caius princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo centum viginti quatuor 485
L. Opimius consul, primus autor picandi, reponendique vinum in doliis 542
L. Piso compitalia renouauit 388
L. Roscius Tribunus plebis legem tulit, vt equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur 487
L. Tarquinius vrbem ab Oriente aggere muniuit 9
Lucius Valerius Volesi filius, primum de Veientibus, iterum de Sabinis, tertio de vtrisque gentibus triumphauit 811
Luctus quomodo minutus fuerit 628
Luctus tempus quodnam fuerit ibid.
Lucularis flamen 296
Lucullus vrbem totam, & suburbanos vicos excepit 1061
Ludere in templis olim consuetum erat 430
Ludus nucium 436
Ludus pilæ exercitatissimus 433
Ludus Latrunculorum diuersus ab eo qui hodie vsurpatur 429
Ludi Neptunales 403
Ludi Circenses qui sint 437
gladiatorij in Amphitheatris exhibebantur 439
Ludi in Iudæa Cæsareæ ab Herode instituti 480
Ludi Megalenses quando habiti 469
Ludi Piscatorij quales, cur, quando celebrati 392
Ludi primum in Insula Tyberina exhibiti 437
Ludi quales sint celebritates 427. quid fuerint apud Romanos ibid.
Ludi Romani etiam scenici fuerunt 475.
sacri qui in deorum honorem fiebant 468
Ludi sacri sunt Megalenses, Cereales, Florales, Martiales, Apollinares, Capitolini, Romani, Plebeij, Compitalitij, Seculares ibidem
Ludi solemnes in septis exhibiti, tempore Augusti 678
Ludi Circenses quo die, & quo mense celebrati 343
Ludi florales triduo 343
Ludi Apollinares 344
Ludi plebeij, in mense Nouembri celebrati 346
Ludi Circenses Soli, & Cereti sacri 442
Ludi scenici qui 453
Ludi scenici in Theatro agebantur 439.
Troiani qui fuerint 494
Ludi variæ significationes 427
Ludi vnde dicti sint ibidem
Ludi compitalitij à quibus instituti 388
Ludorum genera multa à fol. 427. per totum vsque ad 436.
Ludorum Circensium quænam formæ 445
Ludorum, & Theatrorum luxuries 445. 446
Ludorum finis quis 427.
genera varia 436.
pompa quænam fuerit 482
Ludorum scenicorum initia parua 453.
eius species, Tragœdia, comœdia, Satyra, Mimus 454
Ludorum singulæ species singulis diis consecratæ 468
Ludis quando impensa sint ducenta millia nummûm 475
Ludos funebres quinam exhibuerint 438. 489.
primus instituit Romulus 427
Ludos gladiatorios socrui suæ Hadrianus impendit 491
Ludos pro diuersa Reipubl. forma varij etiam homines illos exhibuerunt 437
Ludos vt spectarent Senatus cum populo mistus fuit per annos quingentos & quinquaginta octo 440
Luere antiquum pro diuidere 440
Lugere, & elugere quid differant 628
Lugubris toga 575
Luminaria 343
Luna cur Noctiluca dicta 166
Luna in calceis lunulatis non syderis formam, sed notam Centenarij significabat 593
Luna vnde dicatur 164
Luna bellorum præses 168
Luna minuens, id est decrescens 167. 168
Luna ab Hebræis pro summo Deo venerata, & cur. 340
Luna à luendo, id est expiando, dicta 168

Luna quando deficit, sonitus fieri adsolet 166
Luna plena pulchritudinis typus 167
Lunæ defectus quomodo cognoscitur 167
Lunæ diuersa cognomina ibid.
Luna tauro litabatur 312
Lunæ templa tria, ædicula vna refertur 165
Lunam cur Annam dici voluerint 231
Lunam veteres Ianam appellarunt 339
Lunaris annus mensis est 319
Lunulati calcei quales 593.
Senatorum, & nobilitate præstantium virorum erant ibid.
Lunulas in calceis cur gestarint qui nobilitate generis aliis præstabant ibidem
Lupanaria vnde dicta 4
Lupercalia quomodo celebrata 351. 352
Luperci alij fuerunt Fabiani, alij Quinctiliani 270
quarum partium singuli ibid.
Luperci sacerdotes à suis collegiis cooptabantur 669
Luperci sacerdotes omnium vetustissimi 270
sunt qui Lupercalibus per lasciuiam discurrentes pellibus obuios cædunt ibidem
Luperci Fabiani, cur sic dicti 271
& Iulij, ibid.
atque Germani ibid.
Luperci cincti dicti, & qua de causa ibid.
induebantur pelliceis scuticis ibid.
Crepi nominati, & qua ratione ibid.
Luperci nudi currere solebant ibid.
Lupercorum societas cur rustica, & agrestis vocatur 272
Lupus Marti sacer 258
Lupus quid portenderit 284
Lupus signum militare apud Romanos 907
Luporum in vrbe inauspicatus conspectus habitus est 184
Lustrantur Romani post censum à magistratu sanctissimo 418
Lustrare pro circuire 417
Lustratio quinquennalis à Censoribus perfecto sensu quinto quoque anno instituta 418
Lustricus dies 241
Lustrica 320
Lustrum 418
Lustrum condere Censorum erat 699
Lustrum dictum fuit quinquennium 700
Lustrum primum in Campo Martio conditum 953
Lustri condendi gratia Censorum populum in Campum Martium vocabant 652
Lusus in pecuniam apud Romanos prohibitus 874
Lutatius Catulus templum Iani clausit 127
Lutea herba 616
Luteus color 617
Luteus igni, & soli consecratus 448
Luxuria Romanorum supra modum crescens legibus sumptuariis occasionem dedit 116
Luxus veterum quantus ibid.
Luxus immodicus Cleopatræ quo Cæsarem excepit 536
Luxus conuiuiorum 517
Lycaon templorum inuentor 112
Lychnabius quid sit 507
Lycij, in luctu muliebrem vestem sumebant, vt citius stolidum mœrorem deponerent 588
λυκ... 365
Lycurgus cur fores, & fastigia ædium serra, & securi fabricari iusserit 606
Lycurgus Spartanis leges præscripsit 759. 764
Lydij mitra vtebantur 590. 591
Lydorum primaria vrbs 473
λύγος, Bandum 1061
Lyncus rex Siciliæ 194
Lyntres naues fluminales 990
Lyra oriens, tempestatem significat 341
Lyriscæ in pulpitis sedere consueuerant, atque inde audiri 523. 524
Lysander Athenis potitus 342
Lyssa 221

M.

Macedones cùm paruum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis, & thyrsis in modum Baccharum ornauerunt 188
Macedones tonsi lugebant 1057
Machera, insidiantium & latronum erat 1012
Macheres condemnatus à Philippo reclamans dixit se prouocare, ad quem rex inquit, &c. 930
Machina lignea equo similis, cui imponebatur torquendus 880

Machinæ

Machinæ Bellicæ Romanis vsitatæ quænam fuerint 983
Mæmactes Iupiter 345
Mœnia lege cautum ne filiis parentibus oculos suggillarent 622
Mæsius Mensis Maius dicitur lingua Osca 378
Magidæ cur sic dictæ antiquitus, & quænam sint 537 & Græcè μάγιδες mensæ ibidem
Magister exercitus 497.498
Magister collegij Augurum qui dictus fuerit 275
Magistrum Equitum Dictator sibi eligebat 708
Magistri morum quare Censores dicti 699
Magisterij titulo qui ornantur cur pileo ornentur 102
Magistri vicorum qui, eorum officium 371
Magistratus nullus Comitiis creandorum Magistratuum causa institutus potuit de cœlo seruare, & Comitia impedire 644
Magistratus causa quænam leges latæ 831.
Magistratum adire iniussu populi capitale ibid.
Magistratus Curules qui 99
Magistratus & nunciationem & conspectionem habebant 644
Magistratus extraordinarij quinam 705 hi omnes Tributis Comitiis creabantur ibid.
Magistratus in Coloniis prætexta vsi fuerunt 995. in ius postulari non poterant 916
Magistratus maiores Comitiis centuriatis creati 648
Magistratus maiores & ordinarij quinam ibid. 683. 684. maiores extraordinarij quinam ibid.
Magistratus sacrosancti erant neque sine Maiestatis imminutæ crimine violari poterant 720
Magistratus candidis togis vtebantur 388
Magistratus noui instituti, sub Imperatoribus, sub quorum cura pecunia publica erat 719
Magistratus minores ordinarij & extraordinarij quinam sint 683
Magistratus ordinarij ad finem mensis Iulij & principium Augusti creabantur 672
Magistratus ordinarij qui sint 685
Magistratus populi Romani extra vrbem, & prouinciales quinam sint ibidem
Magistratus quando curiatis Comitiis creati 640
Magistratus quo ordine fuerint creati, & quo tempore 685. 686
Magistratus quomodo alterum reum fecerit ad populum 927
Magistratus olim zona vtebantur 171
Magistratus prisci in agris morabantur, pauperrimique erant 755
Magistratuum Comitia haberi non poterant, nisi augures adessent 644
Magistratuum creandorum Comitia tributa in campo Martio habita 671
Magistratuum & Augurum auspicia quid differant 644
Magistratuum ministri quinam fuerint, & quot 748
Magistratuum minorum causa leges constitutæ 835
Magistratuum Romanorum plena diuisio 683
ministri quinam 684
Magistratibus qui ad vrbem erant Senatus in templo Bellonæ datus 694
Magistratibus vrbanis & prouincialibus si extra vrbem bellum esset gerendum, Imperium militare, lege curiata tribuebatur: in vrbe vero seditionis restinguendæ causa Senatusconsulto 6.6
Magistratus de cœlo seruare nulla res cogebat 644
Magistratus extraordinarios quinam crearint 670
Magistratus minores ordinarios quinam crearint ibid.
Magistratus quænam leges in officio continuerint 832
Magistratibus creandis non semper idem tempus obseruatum 654
Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi à feris sint antea laniata 635
Maiestas populi minui quot modis dicatur 787.
Maiestas solis testibus fuit approbata 919
Maiestatis accusatorum exempla 914
Maiestatis crimen definitione defendebatur 921
Maiestatis crimen, & perduellionis quid differant 649
Maiestatis crimen quidnam comprehendat 924

Maiestatis crimen quid sit 858 quid differat à crimine perduellionis ibidem
Maiestatis Quæstioni quando Proconsules obnoxij fuerint 743
Maiestatem minuere quale crimen 787
Maior domus apud Gallos, curam palatij habens 14
Maior domus, apud antiquos Gallos, quæ dignitas ibid.
Maiores olim in domibus suis sepeliebantur 423
Maiores, & ordinarij magistratus 683
Maius mensis nuptiis infaustus habitus à veteribus 604. vnde dicatur 378
Maium in tutela Apollinis fuisse ibidem
Mala lignea 986
Maleficia quænam ad populi iudicium à magistratibus adducta fuerint 914
Malina 203
Malleoli manipuli spartei, pice contecti, qui incensi in muros aut testudines iaciuntur 984
Malus arbor nauis 986
Mali partes quæ ibid.
Mamilia lex de finibus agrorum 843
Mamilius cur Limitanus vocatus ibidem
Mammis mulier quædam matrem carceri inclusam clam aluit 237
Mammosa Ceres sic dicta, quod grandibus, & portentosis mammis depingeretur 155
Mana dea partui præesse dicebatur 243
Manalis lapis 174. 419
Mancipatio familiæ quomodo facta sit 792
Mancipationis formula 895
Mancipationis ius quodnam fuerit 887
Mancipi res quæ sint 887
Mandatum qualis contractus 889
Manduci effigies ferebatur in Triumpho 1058
Mane sextum diei tempus 335. vndenam Mane dictum ibid.
Manica, vinculum quo manus vinciuntur 913
Manilia lex de Bello Mithridatico Pompeio transmittendo 848. de suffragiis 830
Manipuli quid 967
Manius Papirius primus rex sacrorum institutus 313
Manlia lex de manumissis 848. Numidia 840
Manturna 608
Manturna dea adhibebatur, vt noua nupta cum viro maneret 241
Manuarias artes ciuibus Romanis exercere non licebat 675
Manumissi inter amicos per mensam, & per epistolam qui dicantur 102
Manumissi raso capite pileum gestabant ibidem
Manumissio quæ per censum fiebat qualis 301
Manumissio tribus modis fiebat ibid. & 102
Manumissionis causa leges latæ 848
Manumissionis formula antiqua 102. & 895
in manum conuenire, solemne in nuptiis 615
Manus ferrea 987
Manus consertio in fundo, aut domo quomodo facta 902
Manuum detruncatione puniebantur parricidæ 875
Manum conserere quid 798
Marcia lex de Censura non bis gerenda 833. de Pace cum Rege Philippo 848
Marcia lex Graccanæ similis 842
Marcia Porcia lex de numero hostium interfectorum 847
M. Acilius de Anthiocho, & Ætolis triumphauit 1038
M. Æmilius, in portu Herculis cum Mancinus Consul conscenderet, nauem petens Numantiam vox improuiso audita: mane Mancine 280
M. Antonius primus inuasit Cretam, cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiducia, adeo vt plures catenas in nauibus quam arma portaret 1050
M. Antonius edictum proponi mandauit in quo Christianos pœnarum crudelitate eximit, eosque vocari in ius propter religionem prohibuit 893
M. Antonius à diluculo mensæ accumbens vsque ad ebrietatem potabat 62
M. Antonius cum ex itinere Hispaniensi Narbone Romam rediisset, & fores suas pulsasset, vrbem terrore nocturno impleuit 1031
M. Antonius ius coaptandorum sacerdotum quare ad populum retulerit 275
M. Antonij leges omnes à Vibio Pansa, & A. Hir.

A. Hirtio Coss. abrogatæ ibid.
M. Atilius culeo insutus in mare proiectus 309
M. Cato alea ludere solebat 432
Marci Crassi infelix augurium 282
M. Fabius matronas stupri damnatas, pecunia mulctabat 864
M. Iunianus Iustinus ciuitates belli iure populi Romani factas in integrum restitui iubet 114
M. Iunius Dictator remp. administrans spolia hostium templis affixit 514
M. Marcellus in monte Albano triumphauit 104
Marcus Imperator, Antonio Pio patri munus gladiatorium exhibuit 491
M. Perpenna, homo Græcus ab Aristonico duxit triumphales currus 135
M. Vinicius Consul, cui C. Velleius Paterculus historiam suam dicauit 324
M. Volusius Ædilis plebis proscriptus assumpto Isiaci habitu per itinera, viasque publicas stipem petens 263
M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit 500
Mardurinæ, merces Moscouitarum 556
Mare Romani ante primum bellum Punicum non sunt ingressi 985
Maria lex de ambitu 870.
de probandis nummis 853
Maria lex vt pontes, per quos suffragia feruntur, angustiores fierent 830
Marianus Iupiter 143
Marinus campi ductor, aut campidoctor 497
de Maritandis ordinibus lex Iulia 611
Maritus deprehendens vxorem in adulterio, dote eam poterat multare 611
Mariti noui nuces spargebant 609
Maritorum ius Claudius indulsit Militibus 1030
Marius de ambitu accusatus 870
Marius in carcerem coniectus, & à carnifice interfectus est 1060
Marij vnius proprium est, quod consulatum septies gesserit 697
Marmor vetus, in quo fit mentio, de Iustino minori, & de illius victoria 689
aliud
Marmor de Siluano 258.
aliud ibid. item aliud ibid.
Marmor vetus in quo fit mentio de ara 120.
Alterum ibid.
aliud ibid.
Marmor vetus, de igne, qui in templo Vestæ accensus semper erat 200
Marmor in quo fit mentio de Sole Mithra 166
Marmor vetus, in quo fit mentio de Cęnaculo 514
Marmor de restauratione vrbis Romæ 10
Marmor vetus in quo fit mentio de ære collato 936.
aliud ibid.
Marmor vetus in quo mentio fit de poculo argenteo 534.
aliud ibid.
μαρσίππιον, sacculum 171
μαρσύπιον, Marsupium 876
Marsupium è Zona pendulum recondendæ pecuniæ 171
Mars cur Quirinus 174.
quare Gradiuus ibid.
Mars vigila, cuius hæc vox solemnis 973
Mars Siluanus dictus 258
Mars vnde dictus 174.
vnde natus ibid.
Martis patria quæ ibid.
Marti cur Gallum appinxerunt ibid.
Martem Romuli parentum existimarunt Romani ibid.
Marti sacra extra portam Capenam 344
Martia lex de scatellis 848
Martialis collis 16
Martialis flamen Marti institutus fuit 295
Martiales ludi quinam fuerint 472
Martialis locus 78
Martius campus etiam Tyberinus dictus 652
extra vrbem fuit ibid. quare sic dictus ibidem
Martius à Marte dictus 356
Martij varia etyma ibid.
Martyres Christiani in eculeo excruciati 930
Matris Matutæ 344
Matris tutela 345
Martius mensis anni initium fuit 355
Massagetæ sagitta vtebantur 1022
Mastruca vestis germanica ex pelliculis ferarum 555
Materia nummorum triplex 722
Materia vinculorum captiuorum 1052
Materia statuarum 934.
935
Mater Darij Alexandrum defunctum luxit 1057
Mater Deûm vnde Tellus dicta 130
Mater-familias aliud est, & aliud vxor 603

Materfamilias apud veteres sine comite in publicum non prodibat 620
Matres familias quænam propriè dictæ fuerint 603.620
Matris familias significationes ibid.
Matrem Tellurem dictam putant, propterea, quod plurima pariat 129. 130.
Matres ipsæ sponsarum apud Græcos præferebant fasces in nuptias 618
Matralia quando celebrata 344. 394
Matrimonium quid 887
Matrimonium quomodo vsu factum fuerit 603
Matrimonium contrahentes quinque Deorum ope indiguisse arbitrabantur 242
Matrimonio soluto dotem reddi voluerunt 610
Matrimonij renunciatio qualis fuerit 620
Matrimonio vno contentæ Corona pudicitiæ æonorabantur 238
Matrimonia in omnibus nationibus permissa 610
Matrimus qui matrem viuentem habet 315
Matrimoniorum adiutores 610
Matronalia à matronis Marti celebrata in Calendis Martiis 342.357. & cur ibidem
Matronalia quando, cui & quare celebrata 357
Matronalis Stola 685
Matrona quænam proprie 620
Matronæ à maritis ob adulterium repudiatæ, togam accipiebant 863
Matronæ honestiores discernebantur à meretricibus propter vittas 685
Matronæ, vt euitarent seueritatem adulterij Eunuchos in maritos accipiebant 865
Matronæ honestiores stolis siue instilis vestiebantur 570
Matronæ Stola vtuntur demissa vsque ad imos pedes 586
Matronarum dies festus 342
Matuta mater 243
Mauors quare Mars 174
Mauri, occursibus infaustitatis argumenta fuisse 280
Maximus & optimus cur Iupiter 139
Maximus moderate causas audiebat 932
Maximus legis tyronum ab Imperatore Alexandro Seuero præfectus 957
Medæa, filia Solis, quasi μηδεῖν [illegible] 178
Medici primi serulis conditione erant 234
Medicinæ inuentor Apollo 150.235
Meditrinalia qualis dies 408
Meditrinalia mense Septembri celebrabantur 345
Medium Veris quo die, & quo mense 343
Medixtutichus qualis magistratus 996
Megæra 211
Megalenses ludi aprili dabantur 469
Scenici tantum ibid.
Megalenses ludi & Romani non sunt iidem ibid.
Megalenses ludi in Palatio habiti ibid. quando celebrati ibid. quinam sint, non inter omnes conuenit ibid.
Megalensium ludorum conuiuia qualia fuerint ibid.
Megalenses ludos Prætores & Magistratus purpurati in toga & prætexta atque ornatu maximo celebrarunt ibid.
Megalensibus ludis præter Ideæ matris mulos stipem cogere nemo poterat ibid.
Megalensia, & Megalesia ibid.
Megalensis purpura ibid.
Megalesia 343
Megalega, ludi quales 131
Megalesia quando, & cui habita 469
Megalesia ludi Matris Magnæ 469
Melampus primus prædicendi autor, apud Græcos 276
Mellaris, amphora, in qua vinum sacrificiorum Bonæ Deæ apponebantur 249
Mel symbolum mortuorum 634
Melisseus primus telluris cultum instituit 129
Mellona mellificationis dea 254
Memmia lex 857
Memmia lex de iis qui Reipublicæ causa absunt non postulandis in ius 917
Mena dea quæ fluoribus menstruis præerat 242
Menenia gens primis Reipublicæ temporibus Romæ floruit 664
Menenia tribus vnde nomen habeat ibid.
Meneniam tribum potius quam mentinam esse dicendam ibid.
Mensa escaria, Cibilla dicta, & quomodo composita 502
Mensa viuaria rotunda, nominabatur cilibantium ibid. duplex erat ibid.
Mensæ circulares ibid.
Mensæ Romanæ referebant figuram sigmatis Græci 503
Mensæ citreæ antiquitus in magno pretio habitæ 500
Mensæ eburneæ 502
Mensæ ex vluis palustribus compositæ 499. dictæ lecticæ, & cur ibid. ex acere conficiebantur etiam 500
Mensæ antiquorū, quatuor laterum erant 502

Mensæ escariæ quadratæ vocantur, in quibus homines epulantur ibid.
Mensæ citreæ, quo maioribus conspiciendæ maculis, eo cariores. 500. dictæ Tigrinæ, ibidem, & Pantherinæ ibidem
Mensæ secundæ quæ 516
Menses Iunoni consecrati 340
Menses Romanorum 424
Mensia lex 833
Mensores, qui 972
Mensores aduectam annonam in horrea publica inferebant 736
Mensores frumenti cur sic dicti 739
Mensura togæ iustæ senas vlnas habebat 571
Mensuris quibus veteres potarint 527
Mentem consecrarunt veteres, vt bonam mentem concederet 236
Menti ædes extructa Romæ ibid.
Mentis templum 344
Mentor laudatur mirum in auro cælando 535
Mercatores zona vtebantur 171
Mercatores in magno honore Mercurium habent 171
Mercatores Mercurium tanquam patronum coluerunt 803
Mercatorum collegium, mercurialium fuit ibid.
Mercatorum deus quare Mercurius 109
Mercatorum dies festus 171
Mercaturæ quæstum docuit Mercurius ibidem
Mercurio litterarum, musicæ, Palestræ, Geometriæ inuentio tribuitur 169
Mercurialis statuæ 170
Mercurialium collegium fuit mercatorum 803. à quo institutum ibid.
Mercurius cur alatus 119
Mercurius deus collegij mercurialium 803
Mercurius furacissimus 169
Mercurius, communis Deus vocatus 171
Mercurius quasi mercium cura deus lucri, pictus cum sacello & à negotiatoribus, & mercatoribus summo honore habitus 171
Mercurius Trismegistus Ægyptiorum legislator 764
Mercurius in hircum mutatus 271
Mercurialia à Cretensibus celebrata 171
Mercurij sors pars illa carnium in conuiuio vocabatur, quæ prima illi Deo consecrata seponebatur 510
Mercurij natalis 343
Mercurius quasi medicurius 169. orationis deus ibid.
Mercurij simulachrum quale ibid.
Mercurium tanquam patronum mercatores coluerunt 803
Mercurios tres Cicero nominat 169
Merenda cum prandio eadem 499. quomodo introducta ibid.
Merenda quid, quare sic dicta, quibus data 504
Meretrices, togis indutæ 570
Meretrices in floralibus nudatis corporibus per varias ludendi partes discurrebant 255
Meretrices calcei, diuersi colore rubri 690
Meridiare quid sit 506
Meridianus cibus, dictus olim cœna 505
Meridies mediæ diei nomen 798
Meridies quasi merus dies, id est purus 335
Mercurialia festum Mercurij 401
Meroitanum vinum 187
Messala Coruinus primus Curator 75
Messalina Augusta nuda in fornice stetit prostituto corpore intrantibus 259
Metari castra 1033
Metatores qui 972
μεταζέτης, id est desultor 490
μέταξα: metaxa quid sit 562
Metellus Scipio triclinaria Babylonica sestertium octoginta millibus vendidit 484
Metellus in vlteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria concurrentium vndique virili ac muliebri sexus, per vias, & tecta omnium visebantur 150
Metilia lex de æquando iure magistri Equitum & Dictatoris 834
Metina Dea 345
Metius Celer 3
Metonicus annus cur sic dictus 340
Meto astronomus celebratissimæ famæ ibidem
Michael Palæologus, clypeo insidens, imperator appellatus est 1026
Midas consultor optimus in Tesseris 430
Μίδας ὄνου ὦτα. Midas Asini aures 938
Migrationes ex ædibus in alias ædes apud Romanos, quo die, & quo mense fiebant 344
Migrationes ex ædibus apud veteres Calendis Quintilibus fiebant 400
μηχανοποιοί, Machinarum fabricatores 485
Miliarium aurum quid 79
Milinus Cretæ Gigas 137
Militantes omnes cincti erant 963
Militare cingulum militibus ignominię caussa ademptum 999

Militare Imperium etiam Senatusconsulto dabatur 641
Militare Imperium quid, & quomodo datum fuerit ibid.
Militare in legione quodam potuerint 960 965
Militare minores annis xvij. non cogebantur 847.960.
Militare nemini licebat apud Romanos, nisi ciuibus & ingenuis atque in quinque classibus censi 765
Militares coronæ multifariæ 1000
Militaria signa apud Romanos quæ 967
Militaria signa in castris fixa erant 977
Militaria munera quænam fuerint 998. 999
Militaria munera quam multa L. Sicinio Dentato data fuerint 999
Militaris disciplinæ lex incerta 847
Militaris lex sacrata qualis ibid.
Militaris ignominiæ genus fuit militem discinctum opus facere vel stare 963
Militaris ordinis conferendi ritus ibid.
Militaris rei causa leges promulgatæ 847
Militaris toga, qua in castris induebantur milites 575
Militaris Stola 586
Militia tempore Ciceronis qualis 974
Militiæ genera tria 962
Militarium lignorum finis apud Romanos qui 1017
Militiæ Romani veteres tantum per æstatem assueuere 976
Militis membra sunt arma 974
Militi æs resignatum quando dicatur 997
Militi vestis è publico quando data demum fuerit 965
Milites ab Imperatoris imperio prouocare non poterant 997
Milites ære diruti quinam dicti fuerint ibid. aliquando pœnæ loco stantes cibum potumque sumebant ibidem. dimidiati mensis cibaria præter cætera onera secum ferebant 974. in numeros referendi erant 964
Milites legionarij secum ferebant non solum arma, sed & vallum, & Cibaria 974
Milites olim singulis diebus vigintiquatuor millia passuum emetiebantur ibid.
Milites qui sacramento militabant, quomodo delecti fuerint 962
Milites qui sacramentum non obseruabant, indicta causa à ducibus occidebantur 963
Milites Romani ab initio stipendium non meruerunt 965. quando stipendium acceperint primo ibid.
Milites Romani cur plumea corolla ornati fuerint 973
Milites Romani delinquentes quomodo puniti 997
Milites, vt virtutis ergo ciuitate donarentur, Calpurnia lege sancitum 819
Milites pilani 1016
Milites ad cursum assuefaciendi sunt 498. & ad saltus exercendi ibid.
Milites per signa iurare solebant 1063
Milites post exacta legitima stipendia, arma sua diis Laribus consecrabant 424
Milites ignauos exercere magis quam punire conuenit sine vlla acerbitate 1030
Milites discedere à signis sine periculo non possunt 1061
Milites bullis aureis ornatos baltheos gestabant 958
Milites discinctos sine nota in castris versari quando scelus 963
Milites sub pellibus habere 976
Militum ætas apud Romanos 963
Militum animaduersiones leues aliæ, aliæ acerbiores, & quid singulæ atque eius species 996
Militum disciplina alia fuit quam vrbana apud Romanos 997
Militum missio fuit duum generum 1061
Militum ordines atque discrimina quænam fuerint 971
Militum Romanorum stipendium primum quodnam fuerit 965
Militum varia opera quæ sint 892
Militum vigilantia Gallo ad Martem picto, significabatur 174
Militibus pecunia ante triumphum distribuebatur 999
Militibus quare pœnæ loco sanguis missus fuerit 997
Militibus singulis dona militaria qualia data 999. qualia vniuersis data ibid.
Milui diri semper 283
Mimus quis dicatur 454
Mimi excellentes, quinam 455
Mimi non erant personati, sed fuligine obliti, & agninis pellibus amicti ibid.
quare inter actus introducantur 454
Mimi quare planipedes 455
Mimorum argumentum quodnam ibid.
Mimi, & illorum cura 456
Minerua, à minuendo, vel minando & aliter ibid.
Minerua capta ibid.
Minerua inuentrix belli 137. quare omnium artium inuentrix dicatur 170. quare Pallas dicta ibid.

Mineruæ delubrum consecrauit Pompeius magnus ibid.
Mineruæ icon ibid.
Mineruæ sacra, tertio mensis Ianuarij 341
Mineruæ natalis dies 342
Mineruæ Epulum 345
Mineruæ numerorum inuentio tribuitur 140
Mineruæ quare opifices supplicent 170
Mineruam custodem Cicero domi suæ priuatim coluit, quam abiturus in exilium in Capitolium detulit 171
Mineruas quinque Cicero statuit 170
Mineruium Mineruæ templum dicebatur 171
Mineruij versus 304
Ministri Bacchi 188
Ministri reipublicæ, & magistratuum serui publici dicebantur 877
Minores Magistratus vitio creatos esse quomodo sit intelligendum 694
Minos quæstionis princeps apud inferos 944 dictus prætor, & quæstor ibid.
Minos leges ac iura constituit iisdem temporibus 762. 764
Minotaurus militare signum apud Romanos 967
Minotauri signum quare veteres in legionibus habuerint ibid.
Minucia porta vnde 261
Minucius qualis Deus ibid.
Minusculæ 395
Miscellæ vites sunt quæ omni agro conueniunt 481
Miscellanei ludi quinam ibidem
Miscellum quodnam genus Columbarum ibid.
Missio militum duûm generum 1017
Missiones militum iustæ, causariæ, & necessariæ, quæ ibid. & 1018
Mitra à Μίτ@-, 580
Mitra funis 988
Mitra fœminarum ornatui annumerari solet 590
Mitræ diuersi coloris 591
Mitræ capitis ornamenta mulieribus propria 580
Mithridates duarum, & viginti gentium rex totidem linguis iura dixit, pro concione singulas sine interprete affatus 930
Mitrophorum à tiarophoro differt 591
Mittere in consilium iudices quid 922
μίθυμα, 188
Modi in Comœdiis quid sint 464
Modi mperator quis 528
Modus conuertendi se in adorationibus 324
Modus condendi vinum in doliis 542
Modus obseruatus in distribuendis stipendiis 956
Mœcia tribus vnde 666
Mœnia vrbis Romanæ ampliare, erat pomœrium proferre 11
Mœrum pro murum ibidem
μοιχεία, quid 861
Molæ quando sertis ornatæ 393
Moles quid 981
μολγὸς, quid 876
μονῳδικὸν, quinam cantus 466
Monarchia quando in republica fuerit Romana 663. hæc in tyrannidem quando versa sit ibid.
Monarchia regno prior est 682
Monarchia quale imperium sit ibid.
Monarchiæ iam censentur quatuor summa in mundo imperia ibid.
Monarchiæ & regni discrimen ibid.
Monarchicus dominandi status à quo institutus 811
Moneta falsa vetita legibus Romanis 723
Moneta quare I uno dicta fuerit 148
Monile, & Phaleræ quid differant 999
Monetarij falsi appensis, & circumiectis nummis adulterinis in cruces apud Suecos exhibiti 724
Monetarius falsus quomodo puniebatur 78
Monile, muliebre ornamentum 998. quid à Phaleris differat ibid.
Monilia rusticarum fœminarum ex electro facta 533
Monitores cur sic dicti & quomodo hoc nomen accipiatur 497. & eius electio, ibid. solebant animaduertere in eos qui officia non bene obibant, non solum voce sed & verbere ibid. idque tractum à Græca consuetudine ibid.
Monopodia, laminis aureis obducebantur 500
Μονῳδικὸν, quinam cantus fuerit sic dictus 466
Mons Palatinus in tutela Apollinis erat 154
Mons Cœlius à quo munitus & pomœrio inclusus 17. idem Querquetulanus appellatus ibid. habitatus ab Etruscis ibidem
Montorius 21
Monumentum Anticheti aurigæ 447
Morbus Comitialis 677
Morbus sonticus quis dicatur 909
Morientium spiritum proximiores apud Ro-

manos excipiebant 622
oculos eorum claudebant ibid.
Moriones, quinam 457
Moriri pro mori antiquè 793
Mors Augusti 345
Mortem quibus modis Romani damnatis attulerint 925
Mortuo qui cremandus erat, digitus incidebatur 625
Mortuum concremare lege XII. Tabularum cautum ibid.
Mortui pauperes apud Romanos feretris efferebantur 784
Mortuorum in sepulchris captiui necabantur 626
Mortuis quare salue, & vale dicatur ibid.
Mortuos lugere per decem menses solebant 628
Mortuos quamplurimis lectis efferri gloriosum erat 784
Morgi, sanniones 456
Moschouij cum conuiuari cœperunt sedent à meridie in medium noctis continuo cibo, & potu sese opplentes 546
Moscouitæ adulteros in partes dissecant 863
Mulcta Sabinum vocabulum fuit 913
Mulcta suprema primis temporibus erat duarum ouium & triginta boum ibid.
Mulctæ certatio 927
Mulctam dicere, & erogare 915.927
Mulctam quomodo à condemnatis magistratus exegerint 923
Mulctarum nomine leges sancitæ 857
Multatione bonorum puniebantur parricidę 875
Muliebria vestimenta quæ sint 551 578
Mulier in bigis à Rhinocerotibus trahitur 627
Mulier ter mutat in hora 1032
Mulier adulterans testimonio virorum deprehensa perdit dotem 863
Mulier Embolaria 464
Mulieres genas ne radunto 626
Mulieri relinquendi mariti potestas adempta fuit 619
Mulieres per itinera ambulantes torquere fusos aut detectos ferre spei omnium aduersabatur 284
Mulieres quando cœperunt cum viris accumbere 507
Mulieres steriles februantibus lupercis se offerebant 270
Mulieres acus suas habent quibus ornatum crinium compago tenetur ne laxius fluant & in sparsos dissipentur capillos 581
Mulieres in maritorum gremiis accumbere solebant 510
Mulieribus vini vsus interdictus 776
Mulieribus castra sequi prohibitum 1030
Mulieribus sacrificare non licebat Siluano 258
Mulierum consilium mutabile 1032
Mullei quales calcei 593. vnde dicti ibid.
Mulso priuatim sitim antiqui in conuiuiis sedabant 516
Mummius Corintho deleto Theatrum temporarium erexit 439
Munacius Plancus ædem Saturno extruxit 129
Mundi Deus cur animus ibid.
Mundi natalis XII. Calend. Sextileis 402
Muñeralis lex quænam Plauto dicatur 857
Munera militaria quænam fuerint 998. 999
Municipes primi sine suffragij iure Cærites facti 991
Municipes qui fuerint ibidem
Municipibus primis quid concessum fuerit 992
Municipium, & præfectura quomodo potuerit vnum idemque esse oppidum. 991
Municipium oppidum fuit iure ciuium Romanorum donatum 991
Municipia, & coloniæ quid inter se differant 992
Municipiorum genera duo 991
Municipiorum senatores decuriones dicti 995
Municipiorum Respublica qualis fuerit ibidem
Munificentia apud antiquos videbatur apparatior si in conuiuio aper integer fuisset exhibitus 517
Munimenta togæ quomodo nominata 557
Munus dictum ab officio 489
Muralis corona quæ 1000
Murciæ Deæ sacellum 19
Murcia Dea desidiæ 243
Murcia ignauorum Dea, & vnde dicta 250. 251
Murci Murcidi, & Murcieidi, cur sic dicti 251
Mutiam Cæsaris vxorem Clodius adamauit 313
Murcius mons quare Auentinus dictus fuerit 19
Murices quid 984
Murrata potio 783
Muries, quid sit 529
Murina ac murinum vinum 547
Murrhina pocula 533

Murtia Venus 176
prius Myrtia ibid.
Murus apud veteres 11
Murum totum veteres Romani quare habuerint sacrum ibid.
Musculi quales machinæ fuerint 982
Musica quæ solebat fieri in conuiuiis antiquorum 521.522 523
Musicam inuenit Mercurius 169
Musicus concentus adhibebatur in pyrrhica saltatione 496.497
Muta sacrificia quæ 189
Mutæ Deæ sacra feralia 342
Mutia Cn. Pompej vxor 1031
Mutia lex,& Licinia de peregrinis 828
Mutialis collis 16
Mutinus qualis Deus 242
Mutuum quid 888
Myoparo nauiculum piratarum aptum 990
Myoparones maiores & minores ibid.
Myoparones cur sic dicti 728
Myrtea corona quare ouantes coronati, & non lauro 1002
Myrteam coronam Crassus bello fugitiuorum confecto aspernatus ibid.
Myrtus Veneri dicata 176
Myrtum cur Matronæ Romanæ ad sacra Bonæ Deæ non adhibuerint 313
Mysteria magna,quo die celebrata 345
Mysteria minora mense Octobri fiebant ibidem
Mysteria Bacchi nocturna 186
Mysteria, ἀπὸ τοῦ μύειν, quod est os claudere 195. duplicia, parua scilicet, in honorem Proserpinæ ibid.& magna, in laudem Ceteris instituta ibid.
Mythra sola apud Persas 165
μύωπες, sic dictæ naues quædam ab angustiâ 728

N

NAbathæi sandaliis vtebantur 158
Nænia carmen quod in funere laudandi gratia ad tibiam cantatur 245
Nænia Dea funerum ibid. Sacellum eius vbi ibid.
Naides ministri Bacchi 188
Narratio oratoria non in omni crimine locum habebat 921
Narses prius chartularius fuit,deinde propter virtutum merita patriciatus honorem promeruit 689
Nascio siue Natio qualis Dea 240
Natalitij ludi qui in natalibus virorum magnorum edebantur 481
Natalis Virgilij 345
Natalis Romuli ibid.& Augustini ibid.
Natalis Mercurij 343
Natalis Romæ 343
Natalis mundi 344
Natalis Cæsaris 344
Natalis dies Apollinis 343
Natalis Augusti 345
Natalis D.Cæsaris Germanici 345
Natiuitas Dianæ 343
Naturales dies 334
Naualis corona quæ 1001. hæc nauium rostris insignita ibid.
Naualis triumphus quis 1002
Nauigandi artem Neptunus inuenit 203
Nauigandi artem quomodo Romani didicerint 985
Nauigatio à quibus inuenta 728
Nauigia Ianus primus inuenit 121
Nauis rostrata 986
Nauis vnde deriuetur apud Grammaticos 985
Naues bello paratæ galeam habebant insigne, ad celebritatem Mercurij petasum, pacificatoriæ caduceum 986
Nauium insignia quæ fuerint ibid.
Naues Britannorum omnino sutiles,& è viminibus contextæ 728
Naues ex quibus rebus confectæ ibid.
Naues maiores annonariæ dictæ 736
& minores scaphæ caudicariæ ibid.
Nauium genera 728
Nauium nomina plurima vnde sumpta sint 989
Nauium partes 985
Naumachia in ludis Circensibus instituta 445
Naurea 986
Nec pro non antiquè 808
Neæra 398
Nefasti dies quinam in anno 328
Nefasti primo quinam 336.894
Nefastis diebus prætori non licebat tria verba fari,causas tamen agere,concionem habere,& legem promulgare licebat 336
Negotiatores in magno honore Mercurium habent 172
Negotiatorum omnium Deus Mercurius 169
Negotiosi dies cur dicti 386
Negreorum turba simulachrum Serapidis custodit 265
Nemesis cum aliis diis collocata 377
Nemesis culta Romæ in Capitolio 175
Nemesis cur alata pingatur, & pedibus eius rota subiiciatur,item cum freno,& mensura cubiti ibid.
Nemesis Iustitiæ filia ibid.
Nemesis vnde dicta ibid.
Nemesi sacrificabant, & munus gladiatorum

edebant Romani ad bellum ituri ibid.
Nemus Aricinum 345
Neptunales ludi 403
Neptunalia Neptuni feriæ 401
Neptunalia quo mense celebrata 344
Neptunus humentis substantiæ Ennosigæos, & Sisichthon à Poëtis veteribus & Theologis sic nuncupatus 402
Neptunus non equum, sed fontem seu scaturiginem produxisse fertur 403
Neptunus vnde dictus 203. nauigandi artem inuenit ibid.
Neptuno pectus deferebant veteres 245
Nerienes 398
Nero ludibrium infelicitatis humanæ 489
Nero princeps iuuentutis à Claudio dictus 704. vbi sepultus 20
Nero præcepit, vt effigies fortunæ aureæ in Solio Iouis Capitolini collocaretur 225
Nero studio equorum, ab ineunte ætate flagrauit, vt obiurgante magistro, de Hectore se loqui, mentitus est 447
Nero pilos in sphæram coniectos, Ioui Capitolino consecrauit 1056
Nero nouo & portentoso exemplo equas Hermaphroditas coniunxit currui 1043
Nero ob res à Quadrato, & Corbulone prosperè gestas laurum fascibus Imperatoriis addi iussit 1037
Nero retibus aureis piscabatur 561
Nero amissarum rerum nuntio accepto duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos 540
Neroni paucis diebus ante mortem vox reddita qualis 285
Nerua cum paucis cænabat Veiento proximus, atque etiam in sinu recumbebat 510
Neruum appellant aliquando ferreum vinculum quo pedes impediuntur 800. 913
Neruo ceruices vinciri Plautus ait 913
Neruæ ludi Natalitij quando celebrati 481
Nesi pro siue antique 801
Nexum est, quodcumque per æs, & libram geritur 792
Nicanor res gestas Alexandri Magni Macedonis scripsit 310
Nicopolis vrbs apud Actium à quo condita 480
Nicopolis vrbs quam D. Augustus monimentum Actiacæ victoriæ instar trophæi erexit 422
Niger pro mortuo sumptus 387
Nigrum pro inauspicato, infortunatoque sumptum 386
Nilus seruator Ægypti 550
Nisi caput præfixum in arrectis hastis, & cum clamore comitatum 1014
Nix quæ vino adhibetur, ex Alpibus vicinis Liguriæ Romam transfertur 540
Nix percolari, & sacco transmitti solebat 545
Nixij Dei ab enitendo, id est pariendo dicti 241 242
Nixij perperatum dij, dicti à nitendo 248
Nobiles apud Romanos qui 99
Nobiles, quorum maiores magistratus Curules gessissent ibid.
Nobilium maxima laus erat plurimos clientes habere 89
Noctiluca quare Luna dicta 165
Noctis mediæ inclinatio alterum tempus diei 334
Noctem quare intempestam veteres appellarint 786
Noctua quando felix, & infausta 284
Nohæ filius Iaphet quibusdam Ianus est 121
Noam primo celebrasse Saturnalia in arca 412
Nola ante triumphantis currum cur gerebatur 134
Nomenclatio quid 696
Nomenclator quis fuerit dictus ibid.
Nomen anni quam multiplex 339
Nomen facti quomodo fuerit explicatum 922
Nomen recipere, est in tabulas inter reos referre 918
Nominis delatio quomodo facta 917. 918
Nomina Prætor recipere, & non recipere poterat 918
Nomina fortunæ varia 377
Nomina diuersa Fauni 271
Nomina ducum signis inscripta 1063
Nomina mutata eorum qui inter deos referebantur 300
Nomina deorum diuersa 124
Nomina dierum 328
Nominare qui aliquem volebat, iuratus, id facere oportebat 676
Nominatio quæ sacerdotium petentibus necessaria quidnam ibid.
νομοφύλακες, sacrarum legum custodes 317
νόμος ἄγραφος, lex non scripta 762
Nonæ Caprotinæ 400
Nonæ cur nuptiis non conueniant 604
Nonæ cur sic dictæ 339
Nonarum cur impar numerus introductus sit 339
Nongenti quinam fuerint 769
Notæ antiquitus idem ac litteræ 751. notarum differentia ibid.

Notæ

Notæ delatorum 939
Notarius quisnam sit 752
Nouatio prioris debiti in aliam obligationem translatio 889
Nouæ nuptæ in conclaue cur simulachra deorum illa fuerint 609
Noua nupta cingulo cingebatur 607
coronam ex verbenis sub amiculo ferebat ibid.
velo obnubi solebat, cum ad virum ducebatur ibid.
soccos luteos gestabat ibid.
cur in pelle lanata collocata fuerit 608
aqua cur fuerit aspersa ibid.
limen domus non transcendebat, sed ea sublata transportabatur à pronubis ibid.
postridie nuptiarum quare in domo viri rem diuinam fecerit 610
quare senis crinibus ornata 606
quibus cæremoniis in lectum viri deposita fuerit 609
Nouella Iuno quare 149
Nouember mensis in Dianæ tutela fuit 346
Nouember quare sic dictus 410
varia eius nomina ibid.
Nouembrem tutelæ Dianæ commiserunt ibid.
Nouendiale sacrum quare celebratum, quo modo, & quandu 415
à Pontifice maximo aut à Prætore indicebatur ibid.
Nouendialia vnde originem traxerint 628
Noui apud Romanos fuerunt, quorum maiores nullos magistratus Curules gessissent, sed ipsi 99
Noui homines qui ibid.
Nouitates Religionum Atheniensibus & Romanis prohibitæ 322
Nox concubia 335
Nox media ibid
Noxialem stipitem eculeum nominat Prudentius 930
Nubentes ex veteri lege Romana asses tres ad maritum venientes solebant ferre 615
Nubentes ad aram iugæ Iunonis quare vinculis iuncti fuerint 148
Nubentes mulieres ad virum venientes asses tres quare soliti fuerint ferre 606
Nubentes quo comitatu ad mariti ædes accesserint 607
Nubentes virgines comitabatur colus compta cum fuso, & stamine ibid.
Nubentium fores frondibus, & floribus ornabant 608
Nubere de muliere dicitur, vt de viro ducere 607
Nubere, velare priscis significat ibid.
malum Nubero in mense Maio decimo die 343
Nuces in tutela Iouis fuerunt 609
Nuces iuglandes dictæ sunt quasi Iouis glandes ibid.
Nuces nouus maritus spargebat ibid.
Nuctuciæ nauium nomen 990
Nudipedalia festum apud gentiles, Romanos, Græcos & Barbaros, in quo nudis pedibus oportebat omnes incedere 596
illius institutio ibid.
Nudipedalium Iudæi festum celebrare solebant, & cur ibid.
Numa Pompilius Celerum custodiam deposuit 685
Numa Pompilius Romulum secutus 8
collem Quirinalem vrbi includens pomœrium eius protulit ibid.
Numa Pompilius sacra, religionésque Deorum instituit 821
Numa Pompilius templum Iani clausit 127
Numa nihil Deo Termino animatum immolari volebat 367
Numa Comitiis Centuriatis rex declaratus 641
Numa rex sacra obiit 273
Numæ lex de opimis spoliis 778
de pollutu ibid.
de vino ibid.
de parricidis ibid.
de pellice 779
Numæ Pompilij vxor Ægeria nympha 204
Numeria Dea, quæ numerare docebat 244
Numerorum inuentio Mineruæ tribuitur 140
Numerus hostium occisorum ad triumphandum 1037
Numina in syluis, seu lucis culta ab antiquis 113
Numina præcipua in omnibus sacris fuerunt Ianus & Vesta 321
Numitori regnum à nepotibus restituitur 2
Nummariæ rei caussa leges latæ 853
Nummus aureus quando percussus 854
Nummi plumbei vilissimi 722
signati vultibus Imperatorum, non modo iam florente Republica, sed etiam nascente ibid.
Nummorum materia triplex 722
Nummos argenteos adulterinos qui flauerit, lege Cornelia punctus 867
Numisma vt valeret, duo requisita 723
Nunciare visa vel audita auspicia indicare 644
Nuncupatio testamenti quid 792
Nundina dea à nono nascentium infantium die dicta 241
Nundinæ an feriæ sint, necne 416

Nundinæ feriæ sunt Paganorum, quibus conueniunt negotiis propriis, aut merci-bus prouisuri 335
quales fuere 416
Nundinarum die non licebat legem ferre 768
Nundinarum lex 814
origo quæ 416
Nundinis,hoc est,nono die homines ex agris in vrbem tantum veniebant 655
Nundinarum causa ex agris in vrbem ciues conueniebant 768
Nundinæ apud Græcos quo tempore celebratæ 611
Nupta noua cingulo præcingebatur, quod vir in lecto soluebat 617
Nuptæ nouæ adipe lupina postes inungere solebant 608
Nuptæ nouæ cingulum cur Herculaneo nodo vinctum 610
Nuptæ nouæ comam cur hastæ cuspide discriminarint 606
Nuptæ nouæ velum quo caput obnubebat flammeum dicebatur 607
Nuptæ nouæ ingredienti claues permittebantur 608
Nuptæ nouæ corona redimiri consueuerant 607
tunica recta induebantur ibid.
Nuptam nouam vespere prætextati pueri tres domum ducebant 607
Nuptiæ in omnibus nationibus permissæ 610
Nuptiæ non nisi captatis prius auguriis fiebant 609
Nuptiæ quid 887
Nuptiarum tempus aptissimum sunt idus Iuniæ 604
Nuptiis apud veteres Romanos certum tempus præstitutum erat ibid.
Nuptiis infaustus habitus mensis Maius ibid.
quinam præterea dies inauspicati fuerint nuptiis ibid.
In Nuptiis Romani Thalassionem inclamabant 609
Nuptiarum genus triplex 613
Nuptiarum tempus quod aptum 611
Nuptiarum contrahendarum duplex causa ibid.
Nuptialia dona quæ 610
Nuptialis cœna lautior quam alia conuiuia 609
Nuptialibus ceremoniis quinam adhibiti fuerint ibid.
Nyctelia sacra Bacchi 186
νυκτερινὰ nocturna furta 861
Nymphea quid sint 79. vnde nomen traxerint ibid. veterum Nymphea non durarunt ad nostra tempora ibid. recens conspicitur intra Neapolim, & montem Vesuuium ibid.

O.

Obeliscus Circi Bizantini optimè descriptus 441
Obeliscus in Circo maximo quidnam fuerit 438
Obelisci in Circo magnitudo ibid.
Obeliscum in Circo excisum esse à rege Semneserteo ibid.
Oblatiua auguria qualia sint 181
Obligatio ex quasi delicto quid 890
Obligatio litterarum quæ 889
Obligatio quid, species eius quæ, & quid singulæ 888
Obligationes quot modis dissolutæ fuerint 889
Obligationum causæ quænam sint 886
Obnubere,velare significat priscis 607
Obnunciare ante & post auspicium Magistratus poterat 644
Obnunciare est visa vel audita auspicia indicare ibid.
Obnunciatio duarum rerum obseruatione fiebat 769
Obrogat legi Cæsariæ lex Antonij 867
Obseruare de cœlo nulla res magistratum cogebat 644
Obseruatio de cœlo ad omnia Comitia adhibebatur ibid.
Obsidialis corona quæ 1000
quibus data,ex gramine facta ibid.
Obsidionalem coronam Plinius præfert omnibus coronis ibid.
Obsonij Magister quisnam dicatur 520
Obsonium militare pro stipendio sumptum 954
Obsonia omnia conuiuij dominus in scheda descripta habebat 516
Obstetrices natos infantes in humum deponere solebant 246
Obuoluere,antiqui vocarunt obnubere 873
Occasus Sol,pro quando Sol occidit antiquè 798
Occentassint veteres dicebant, quod nunc conuicium fecerint 806
Occidere impunè Romani quos volebant, eos cuipiam, maximè diis inferis sacrificabant 89
Occisum à necato quomodo distinguatur 777
Ochlocratia quid 682
Ochlocratia in Republica Romanorum quando fuerit 683
Ocrisia regiæ Tanaquilis serua & ancilla, quo-

quomodo grauida facta fuit 388
Octauius primo Augustus dictus 702
October mensis quare sic dictus & varia nomina quæ ei fuerunt attributa 408
in Martis tutela fuit ibid.
Oculus qualis locus ipsius nauis 986
Oculi significati per portam eburneam 117
Odeum qualis locus fuerit apud Romanos 440
Odea in vrbe quinque fuerunt ibid.
Oenomaus primus iunxisse quadrigas fertur 450
& aurigandi peritia celebris ibid.
ὀφθαλμὸς βάσκανος, Oculus fascinans 1044
Offendices 292
Offensiones pedum inter præsagia positæ 279
Officium scribarum & notariorum 752
Officium in Constantinopolitana Ecclesia quomodo fiebat 452
Officium muneris nomen est 489
Oleaginea pocula 530
Oligarchia quid sit 682
Oligarchia in Republica Romana quando fuerit 683
Oliuæ inuentrix Minerua 170
ὁλοπόρφυρος, tota è purpura contexta toga 571
Oloe pro illi 777
Olympias mater Alexandri inuidebat illi quod se Deum fecisset 298
Olympias à Ioue serpentis figuram gerente grauida facta est 145
Omina mortis vestimenta nigra 387
Omina pro quolibet auspicio, augurioque 278
quid sint 279
Omina adhibita in somniis 118
ὁμομήτριος, qui ex eadem matre natus est 525
Onager qualis machina bellica 983
ὄνος πεινῶν ῥοπάλου ἀλέγει, Asinus famelicus fustem contemnit 515
Opalia festum Opis 130
Opiconsiua in Capitolio 345
ὀπισθοκόμαι, in tergum comati 1057
Opiferi funes 988
Opifices quare Mineruæ supplicent 170
Opigenam Iunonem matronæ colebant, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant 149
Opima spolia quænam fuerint 1006
Opis qualis Deus 240
Opi primus Romæ ædem extruxit T. Tatius Sabinorum Rex 130
Ὀψιδίδασκ, quid victor nominet 110
Opitulus Iupiter 147
Oplitodromi, serui cursorum sic dicti 756
Oppia lex de matronarum cultu 846
ὁπλοδιδάσκαλος, id est campi doctor 497
Oppidorum colendorum, & describendorum apud veteres mos 11
Oppius collis 18
Oppugnatio vrbium antequam suscepta, dij euocabantur 984
Oppugnationibus quænam necessaria fuerint 981
Ops tellus dicta quod opera fiat melior 129. 130
aliæ nominis rationes ibid.
Optimates fuerunt illi qui Reipub. commodis studuerunt 97
Optimates sæpius admoniti, vt male præcinctum cauerent 565
Optimus & maximus cur Iuppiter nominatus 139
Optio aliquando Accensus dictus 970
Optionem aduersario eripiens quare plus petere dicatur 904
Optiones quinam vocati 970
Ora extrema vestis limbus dicta 167
Oracula flexiloqua, & obscura dicta 155
forti committebantur 155. 156
Oracula Sibyllina in summa religione multis sæculis durauere 312
Oracula Sibyllina extant etiamnum hodie ibid.
Oraculum Panis 277
Orationis Deus Mercurius 169
Oratores è Paphlagonia carbatinis induti 601
Orbis qualis acies 980
Orbona Dea colebatur, ne orbos faceret 241
ὀρχεῖσθαι, id est salio 486
Orchestra spatium in quo saltat Pantomimus 457
Orchestra quid erat 486
Orchestra non pantomimorum saltibus dicata, sed Senatorum subselliis ibid.
Orchestra, locus erat in quo Senatores considebant spectaturi 440
Orchia lex de numero conuiuarum 845
Orciscopalarius 457
Orcini qui 686
Orcus ab antiquis Quietalis 239
Orcus qualis Deus 210
Ordines tres populi Romani exactis Regibus instituti 94
Ordinarius Consul qui sit 698
Ordinarij Magistratus qui 684
Ordinarij dies 386
Orgia Bacchi sacerdotem debere vitare 294
Oriæ naues piscatoriæ 989
Orioles, vel Oriolæ quales nauiculæ ibid.

Ornamenta Triclinij 514
Ornamenta triumphalia qualia erant 1036
Ornamenta gladiatorum, seu Lanistarum 491
Ornamenta Circi 441
Ornamentum templorum 119
Ornatrices puellæ quæ capita adornarent, & crines disponerent 584
Ὀρνιθεία diuinandi genus à Græcis sic nominatur 277
Orphytus præfecti potestate regebat vrbem æternam 11
Oschophoria 345
Osci à Regione Campanæ quæ est Oscos, vocati 378
Oscines aues quænam fuerint 283
Osiris Deus 261
Ossa transferri inconsulto sacrorum Pontifice nefas erat 322
Ossa capitis humani, pro poculis seruiebant apud Barbaros 537
Ossa qua anima viuant 129
Ossilago Dea solidatrix ossium 241
ὀψώνιον στρατιωτικόν, Obsonium militare 956
Orismius Lexouiensis Episcopus, Caroli VI. Gallorum Regis præceptor 721.722
Ouantes quinam dicantur 1002
quomodo vrbem ingressi ibid.
Ouatio quare decreta fuerit ibid.
Ouatio quid, & vnde nomen habeat ibidem
Ouationis, & Triumphi discrimen ibid.
Oues duæ, & triginta boues ante æs, & argentum signatum erat pœna grauissima 889
Ouibus Italia primis temporibus abundauit 913
Ouidius à fastis Romanis non raro discrepat 327
Ouile qualis locus in campo Martio 659
in eum suffragia laturi ingrediebantur per pontes ibid.
Ouinia lex de Censorum potestate 833
Ouinia lex de legendo Senatu 831
Oxiæ nauigia breuia 989

P

Pacis simulacrum varium 239
Pacis ara Romæ ibid.
Pacis templum opulentissimum Commodo Imperatore incendio consumptum ibid.
Pacis templum, Vespasianus à Claudio inchoatum construxit ibid.
Paconianus iussu Tyberij strangulatus in carcere 1060
Pacta dotalia dote dicta signabantur 612
Pactionales Tabulæ quid 920
Pacuuij fabulæ mediæ fuerunt 460
Pœdia lex de vi nulla est lex 867.868
Pœnæ aliæ bona læserunt, aliæ corpus, aliæ ius, aliæ vitam 913
Pœnæ certatio 927
Pœnarum genera in iudicio populi 925
Pœnarum genera quot fuerint apud Romanos 913
Pœnas repetere qualis sit translatio 418
Pagana lex de mulieribus ne per intima fusos torquerent 875
Paganalia quales feriæ 415
Paganicæ feriæ & Paganalia quomodo distinguantur ibid.
Pagani magicis artibus Lunam posse mutari credebant 166
Pago pagis pagere idem quod pacilei seu pactione 797
Palestritæ 457
Palamediaci calendi 428
Palamedes Nauplij filius in obsidione Troiana Latrunculos instituit ibid.
Palare id est errare 13
Palatinus cur Apollo 151
Palatinus mons, alias Palatium 13
quare sic dictus ibid.
Palatinus mons hodie suffossionibus & subterraneis specubus quasi pensilis ibid.
Palatinus mons quare primò à Romulo muro cinctus 8.13
sedes imperij Romani ibid.
vetustissimis temporibus nemora & pascua habuit 11
Palatinum montem primus Romulus muro cinxit 8.13
qui Reges inhabitarint ibid.
Palatini ludi qui 476
Palatium quare cuiusuis principis aut splendidi hominis domus dicatur 13
Palatia regum erigebantur in tragico theatro, quomodo ornata erant 483
Palatium in Apollinis tutela erat 154
Palatina tribus quæ, vnde dicta 663
Palatinæ tribus inscriptione, quæ sint ibidem.
Palatuar sacrificium 413
Palatualis flamen 295
Pales Dea pabuli 252
Pales Dea pastorum 13.372
Pales & masculino & fœminino genere dicitur 252
Palestram inuenit Mercurius 169
Palilia siue Parilia, Pastorum Deæ solemnitas 5
Palilia 343.370

Palladium

Palladium ab Ænea in Italiam transportatum 198
Palladium alterum quod negligentius asseruaretur cur effictum 199
Palladium Atheniense quodnam ibid.
Palladium cùm flagraret ædes Vestæ L. Metellus ex medio incendio sustulit amissis luminibus 199
Palladium simulachrum Palladis ibid.
ex Alba longa seu ex Lauinio Romam in ædem Vestæ translatum ibid.
Palladium forum C. Cæsaris nominatum 891
Palladium in Ilium transuectum accepto Oraculo mansuram vrbem quandiu Palladium in ea fuerit 199
In intimam arcis partem reconditum quare ibid.
Palladium pro dote secum attulit Chrysas Palantis filia cum Dardano nuberet ibid.
Palladium Troianum vbi afferuetur ibid.
Palladium verum non imaginarium Æneas vrbe capta cum diis magnis in Italiam secum aduexit 198
Palladio ab Vlysse & Diomede per fraudem surrepto vrbs Troiana capitur 199
Pallas quare Minerua dicta fuerit 170
Palas vbi sepultus 13
Hercule & Dyna procreatus ibid.
Pallas oliuam produxisse fertur 403
Palliatæ fabulæ in quibus Græci inducebantur 566
Palliatæ fabulæ vnde 460
Palliatus quod fuerit Rabirius hoc ei tanquam probrum obiectum 566
Palliati pro Græcis quare dicti ibid.
Palliolum diminutiuum à pallio 551
quid fuerit ibid.
Pallium Græcorum vestis ibid.
Pallium mulierum ab eo quod viri & pueri gestabant, diuersum 578
Pallium quia palàm gestabatur ibid.
Pallium virorum erat, puerorum atque mulierum ibid.
Pallium, pallaque, in vestitu censebantur, non autem in ornatu, viro fœminæque promiscuo vsu permissa 590
Palmata vestis, cui dabatur 1044
Palmata vestis, vt in pace consulis, & sic in victoria triumphantis est ibid.
Palmata toga qualis vestis 570
Palmata tunica quæ 577
[illegible] Sallissatio, sternutatio 279
Palmula 987
Palula vnde 552
Paludamentum qualis vestis ibid.
Paludamentum quid ibid.
propriè Imperatorum ibid.
Liuius pro veste militari simpliciter posuit ibid.
Paludamentum, castrensis vestis 957
Paludatus quinam dicatur proficisci 551
Paludati Imperatoris icon 533
Pan inter semideos collocatus 272
apum seruator ibid.
Herculis, & Mercurij socius ibid.
Echus soni inuentor ibid.
Pan cur hircinis pedibus effingatur 271
Pan Deus vnde dictus 254
Pan Lycæus vocatus 272
præses venatorum ibid.
Pan Mercurij & Penelopes filius ex mortali factus est immortalis 272
παῖ ὁ [illegible], incubus Siluanus 257
ὀρειβάτης & cur Pan dictus 251
Pani & Mineruæ capra litabantur 312
Pani Lyceo templum ædificatum 254
Pana natum ferunt ex Mercurio & Penelope 169
Pana quomodo effinxerint 254
Panathenea Græcorum 303
Pancratium differtne à Pentathlo 434
Panda quænam Dea fuerit 184
Panes castrenses, è siliquis confecti 737
Panes mundi sunt puriores, aut è polline confecti ibid.
Panici terrores Spectráque ad Faunum referuntur 228
Pannus bombycinus 561
Pannus purpureus in factionibus à Domitiano additus 447
Panopsia Apollini 345
Patagium qualis vestis 552
Pantherinæ mensæ cur sic dictæ 500
Pantheum vnde & quantæ magnitudinis 142
Mariæ Virginis & omnibus sanctis dicatum à Bonifacio tertio ibid.
Gothi inuectis ignibus frangere non potuerunt ibid.
Pantomimi quinam dicantur 457. per tot.
Pantomimi quinam 454
Papia lex de iure patronatus 849
de peregrinis 827. 833
Papia lex de Virginibus Vestalibus 825
Papiria Iulia lex de mulctis 857
Papiria lex de assibus 853
de ciuitate danda Acerranis 827
de eodem Tribuno plebis creando 835
de libertate suffragiorum 830
de Triumuiris capitalibus 836
Papiria tribus vnde 664
Papirianum Ius ciuile quodnam & quare sic dictum 772
In vsu esse desiit lege Tribunicia exactis regibus ibid.
Papirianum Ius quod 774

Pappia decimaria lex 852
Pappia poppæa lex de connubiis 850
παραχαράκται, falsi monetarij 723
παρίστασθαι, est in iudicio alicuius adesse 550
παραστάτης, non modo de Deo, sed & de quocunque effertur, qui alicui assistit 549
Parasiti quinam dicantur 455
Parcæ quod nemini parcant 220
tres fuerunt ibid.
Parentalia, ludi sic dicti 220
Parentationes vnde 628
Parentatio eorum qui contra Persas pugnando occubuerunt 345
Parentibus necem inferri velle neminem posse, opinati sunt Romani 866
Parilia festa in honorem Pales Deæ celebrata 252
Paris lyram callentissimè pulsabat 526
Paris ab Homero perpetuo Alexander nuncupatus 300
Parma 972
Parmæ leuia arma, maioris clypei ponderis 1025
Parmenides, Pythagoræ discipulus Eleam Lucaniæ vrbem communem patriam ciuilibus præceptis instituit 762
Parmenionis interfecti caput delatum ad Alexandrum 1014
Parochiæ nostræ sunt quod apud Romanos curiæ 640
Parœcus communis sacrorum minister ibid.
Parones quale nauigium 990
Paro insula, ex qua parones dicti sunt 718
Patricida qui parem, id est, hominem occiderit 875
Parricida dicitur non qui parentem, sed qualemcunqne hominem 734
quis antiquis dictus 778
Parricida siue paricida 866
Parricidarum lex 778
Parricidæ quomodo puniuntur 875. 876
priuati sepultura ibid. 878
Parricidæ seruabantur 875
Parricidium pro homicidio vsurpatum 866. 875
parricidium qui dies Martij sit dictus 361
Parricidij causa leges quænam latæ sint 866
Parricidij lex prima ibid.
altera ibid.
Parricidij leges in genere de cæde cuiuscumque hominis loquuntur ibid.
Parricidij nomine quid Romani intelligant ibid.
Parricidij Quæstores qui 738
Parthi venatui incumbebant 163
Parthi spolia hostium templis affigebant 515
Partunda parturientium Dea 242
Pasiphae, filia Solis, dicta quasi πασιφαής 178
Pasithea Iouis, & Hermiones filia, Veneris famula 182
Pastoralis Dea 13
Patellæ, vasa picata parua sacrificiis faciendis apta 310
pateræ eo quod pateant ibid.
Patera, quasi plana & patens sit 558
Patera, genus poculi 550
Pateræ vsus, in sacrificiis, & conuiuiis, aptus 539
Paterpatratus vnus Fetialium dicebatur 305
quare sic dictus ibid.
Pater quare dicatur Ianus 122
Patres conscripti quinam sint 687
Patres cur Senatores fuerint appellati 685
Patres nisi Centuriata Comitia aliquem edicere iuberent, haberi non poterant 955
Patres quinam dicti apud Romanos 88
Patibuli quare minor pœna quam crucis 930
πατὴρ βασιλέως, pater Imperatoris vocabatur patricius 688
Patratum esse, id est perfectum esse 305
Patria potestas ius est in liberos 887
propria erat Romanorum ibid.
Patricij calcei quales 593
Patricij & plebei à Romulo instituti 88
Patricij & plebej in connubiis discrimen habuerunt 603
Patricij initio centum 593
Patricij quinam vocabantur 688
Patricij candidati spectabant in ludis amphitheatralibus, aut scænicis 388
patricij dicti Patres principis 688
pater reipublicæ & Græcè πατρῶος πατὴρ τοῦ κοινοῦ. ibid.
Patricij non omnes fuerunt senatores & contra 94
Patricij maiorum gentium quinam fuerint 530
Patricij per c. & non per t. quare scribantur 88. in margine.
Patricij primo soli ius imaginum habuerunt, postea ad plebem quomodo translatum 99
Patricij qui à patribus orti 94
Patricij quinam 88
quomodo etiam in plebe fuerint 94
Patriciorum & plebeiorum coniunctio à Romu-

Romulo facta 89
Patriciorum liberi bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur vsi ex instituto Tarquinij 566
Patriciorum officia apud Romanos quænam 88
Patriciorum plurima dignitatum & honorum ornamenta quomodo ad plebeios peruenerint ibid.
Patriciorum sicut, & plebeiorum tres ordines 94
Patricios Magistratus solos potuisse Comitia Curiata conuocare 642
Patricios maiorum aut minorum gentium quos intelligant scriptores 687
Patricios præco suis nominibus conuocauit, plebeios autem ministri cornibus bubulis 88
Patriciatus quo tempore cœpit 688
Patrimus qui patrem adhuc viuum habet 315
Patrium ius in liberos quantum 788
Patroclus cithara canere edoctus fuit à Dionysio 526
Patronatus ius quibus officiis contentum fuerit 89
Patronatus tutela pauperum ibid.
Patronus est is, qui ex seruitute manumisit 887
Patronum plebeij ex patriciis quum vellent legere poterant 89
Patroni coloniarum 995
Patronorum liberti ordinem habuerunt 102
Patronis, & clientibus quænam communia fuerint 89
Patronos habebant è ciuibus Romanis, non tantum, sed & coloniæ, & sociæ ciuitates, atque bello subactæ 90
Patronos postulare poterant illi qui pecunias repetebant 917
Patronos quot reus conquisiuerit 918
ad Patronos Senatus sæpe numero ciuitatum & gentium controuersias remisit, & eorum iudicia rata habuit 90
Patulcius quare Ianus 122
Pauentia Dea quæ ab Infantibus pauorem auertebat 241
Pauire ferire 285
Paulus Æmilius Papiriam ferè sine causa dimisit 620
Pauli Æmilij feretrum legati Macedonum efferebant 624
Pauli Æmilij infelix augurium 282
Paulina Saturni vxor in Isidis fano à Mundo violata 263
Paulus Æmilius de victo Perseo in curru aureo triumphauit 1041
Paulus Festi Pompeij abbreuiator 109
Pauones vel Aquilæ in quibusdam nummis expressæ videntur quæ in consecratione Imperatorum animas in cœlum ferunt 297
Pauperes Christianorum Imperatorum temporibus è fisco alebantur 732
Pauperiores in puteis sepeliebantur 633
Paupertas pulla quare dicatur 568
Pausus 398
Pecten, dentatus dictus 582
Pectorale ornamentum 587
& cur excogitatum 588
Peculatus testibus, & tabulis fuit confirmandus 919
Peculatus exempla 524
Peculatus forma quæ fuerit 918
Peculatus lex primis temporibus prætorem non habuit, postmodum autem habuit 869
Peculatus leges ibid.
Peculatus Quæstioni Proconsules quando obnoxij fuerint 745
Peculatum à pecu nomen accepisse 869
Peculator qui furtum pecuniæ publicæ commisit 869
Peculatus quid ibidem 723
vnde dictus 867.723
Pecunia ablata, capta, coacta, conciliata, auersa 872
Pecunia cum capitis pœna non potuit lege coniungi 927
Pecunia induare 925
Pecunia aliquando in tumulis maiorum deponebatur 725
Pecunia solebat pensari potius quam numerari 721
Pecunia ærosa, quæ multum æris admixtum sibi habet 723
Pecunia sæpè pro multa dicitur 913
Pecunia, vnde appellata 853
Pecuniæ custos quare Saturnus fuerit 129
Pecuniæ repetundæ quæ sint 871 872
Pecuniæ residuæ quænam 869
Pecuniæ vocabulo non modò pecunia numerata, verum etiam res omnes tam soli, quàm mobiles, tam corpora, quam iura continentur 791
Pecuniæ ex repetundis in ærarium publicum inferebantur 725
Pecuniæ reconditæ in Templis 726
Pecuniæ antiquitus asseruabantur in cophinis, & sportellis sparteis 732
Pecuniæ viduarum & pupillorum in ærarium deferri solebant 725
Pecuniarum repetundarum Quæstio quare primò constituta fuerit 871
Pedarij Senatores qui fuerint 687

Pedestres copiæ in cohortes, & manipulos diuidebantur 967
Pedestres statuæ 933
Pedica, vinculum quo pedes vinciuntur 913
Peducæa lex de incestu 860
Pegma è croco non modo bracteis aureis argenteisque decorabatur 485
Pegma vnde dictum 484
Pegmata non solum in Circo aut amphitheatro erecta, sed & in publicis vicis 485
Pegmates, à pegmatum structionibus ibid.
Pegmata, & automata idem esse 484
Pelasgi primum Saturnum victimis humanis placarunt 413
Pelasgus temporum inuentor 112
Pellex quæ vxorem habenti nupsit 778
Pelles quibus antiqui induti erant, pro qualitate, nobilitateve personarum ita viliores pretiosioresve erant 555
Pelles murinæ à quibus inuentæ 554
Pelles pretiosæ merces Moscouitarum 556
Pelles Hædinæ materia calcei 601
ex Pellibus Syluestrium murium consarcinatis, vel indumentis linteis operiuntur Hunni 554
Pellonia Dea pellendorum hostium 224
Pellucidæ vestes in maximo pretio 562
Pelopidas rudimenta militiæ à venatu auspicatus est 162
Peloponesia 271
Peloria, à Thessalibus sic dicta 423
Pelta Amazonica, hæderæ folio similis 1018
Pelta, breue scutum ibid.
πελτασταὶ peltastæ ibid.
Pelusiotæ cur cæpe non edant 168
Penates hominum 112
Penates quales Dij sint 206
Penatium genera varia ibid.
Pendere pœnas, soluere significat, à pecuniaria damnatione 721
Penelope interfectori mariti sui Vlyssis nupsit 271
Penelope, pudica, vt aliqui volunt, & secundum alios omnium impudicissima 271
dicta βασσάρα πορνῶν ibid.
Penetrale pars templi 115
Penetralia, secreta templorum ibid.
Pensilia horrea 736
Pentathlum apud Græcos celebre 433
Pentapylon Iouis arbitratoris templum 143
Penula semper vestimenti genus itinerarium & pluuiæ fuit 580
Penula vestis est, quam suprà tunicam accipimus 552
Penula virorum, & mulierum communis fuit 580
Penula vtebantur veteres in arcendis pluuiis 552
Penula quid sit 552. 557
idem ac lacerna ibid.
Penula in militari indumento numerata 957
& diuersa illius nomina ibid.
Penulatum mulus vsus apud Romanos temporibus Augusti fuit 552
Penu omne id significat, quo homines vescuntur 206
Penus locus intimus in æde Vestæ
Percus, lacus prope quem filia Helenæ à Dite rapta fingitur 190
Perduellio quis sit 858
Perduellionis actionem intendere 925
Perduellionis crimen & Maiestatis crimen quid differant 649
Perduellionis iudicium Comitiis Centuriatis habitum ibid.
Perduellionis nomen & pœnam & crimen significauit 925
Perduellionis reus quinam dicatur 549
Perduellionem iudicare 925
Perduellis antique erat quem nos hostem nominamus 797
Perduellis qui pertinacia bellum retinet ibid.
Perduelles veteres hostes appellabant ibid.
Peregrinus apud antiquos hostis dicebatur 797
Peremptorium iudicium quale fuerit & vnde dictum 909
Perennare quid sit 357
Perennius morte mulctatus, & cur 723
περγαία ἄρτεμις, pergæa Diana 158
Pergameæ arces 233
περιπόρφυρος, toga circunsuta tantum purpura 571
Pergula quæ pars nauis 986
Περίδειπνον 783
περιοχὴ Comœdiæ quid 463
Περιοχὴν non vbique esse necessariam in fabulis ibid.
Περσιάρχαι 409
Peristromata cur dicta Babylonica 485
Peristromatum inuentio prima desumpta ex Assyria ibid.
Permarini lares quinam 207
Perones quales calcei olim fuerint 593
Pernoctantes consueuerant sciscitari rerum futurarum euentum in templis 115. 116

Persæ

Persæ annum ad motus cælestium syderum, sole duce conformabant 340
Persæ venatui incumbebant 163
Persæ, cera circumlitos mortuos condiunt 635
Persæ in spelæis solem colunt 165
Persæ nulla fana admittebant 112
Persæ magnatibus pecuniam publicam asseruandam committebant 719
Persæ acinaci vtebantur 1022
Persæ Solem pro signis præferebant 1063
Persæ sagari vtebantur 1022
Persæ tiaram gestabant 591
Persicus ensis, femori aptatus 934
Pertinax Aug. delatores vrbe exigebat 939
πελτοφόροι peltophori 1028
Pertunda Dea, cur in conclaue nouæ nuptæ illata 609
Pescia 455
Pesmata funes 988
Pes qualis funis ibid.
Pedes Mercurio sactos voluit antiquitas 245
Pessinuntia Dea vnde 131
Pestilentia magna in mulieres grauidas 479
Petalium è nardo præstantissima, Latine foliatum 548
πέταλον Bractea 935
πεταλῶται, aut πεταλουργοὶ Bracteatores ibidem
Petaminarius 457
Petauristarum saltus per flammas accenso pegmate 485
Petauristæ, vel petauris tiparij vndi dicti 435
Petaurus ibid.
Petere plus dicebatur petitor quatuor modis 903.904
Petillia lex de peculatu 869
Petitor plus petens quam ad eum pertineret causa cadebat 903
Petitores cum in campum descenderent quare tunicam deposuerint 696. 697
Perteia tertia persona quæ incedebat in triumpho 1058
Petrus Damianus Ostiensis ex Monacho & Heremita Episcopus, & piæ memoriæ Cardinalis 556
Peucerus vir clarissimus eruditos commentarios diuinationum scripsit 290
Pexis togis tritæ opponuntur 568
Phalanges siue phalanga 987
Phalarica missile telum 1016
Phaleas Carthaginensibus leges tradidit 762
Phaleræ equorum frontalia 999
Phaleræ & monilia differunt ibid.
Phaselus nauigium Campanum 990
Phædra quasi φέρων ἡδὺ, afferens suauitatem 178
Phædrus Tiberij Aug. libertus 22
Phænis, quis ludus 436
Phiala, & illius forma 538
Phiala enumerata inter vasa potoria 539
Philippus Macedo inter cœnandum reprehendit cantorem 513
Philippus Macedo forensia iudicia exercebat 930
Philippus Iunior numquam risisse creditur 478
Philippus primus Christianus Imperator ibidem
Philistio qualis fuerit 464
Philolaus Thebanorum Legislator 764
Philopæmen à militia cessans venatui incumbebat 162
Philosophi tribunal apud Inferos ponebant 943
Phosus vnus de Centauris, qui Herculem peregrinantem hospitio excepit 540
Phocion non tantum in eculeo ab Atheniensibus impositus est, sed certe post obitum nullam Atticæ regionis, quæ ossibus iniiceretur glebam inuenit 629
Phoroneus templorum inuentor 112
Phryges pictarum vestium inuentores 581
Phryges inuentores buxeæ 136
Phryges mitra vtebantur 590. 591
Phrygiana toga 570
Phrygia Sibylla 310
Pilumnus Deus vsum stercorandorum agrorum inuenit 154
Picqua Gallica 1021
Picta vestis 1047
Picta toga qualis vestis 570
Picturæ Deorum masculæ non erant apertæ in templo Bonæ Deæ 249
Picturæ striatæ 586
Pietas quid 237
Pietas erga matrem ibid.
Pietati Romæ in foro olitorio ædes extructa ibid.
Pietatem tanquam Deam Romani coluerunt ibid.
Pietatis vox quam latè pateat ibidem
Pignus quid 888
Pila paganica vnde dicta 432
Pila corpori maximè idonea ibid.
Pilæ vsus celebris 433
Pilæ qualia fuerint vasa 79
Pila trigonalis, cur sic dicta 432

Pilam sortiri quid sit 942
Pilani quinam milites 974. 1016
Pilata cohors 1016
Pilea, & mitra quid differant 580
Pileus Priscis insigne fuit spectatæ virtutis 102
ad Pileum vocare quid sit ibid.
Pilum telum 972
Pilumnus 243
Pilumnus pinsendi frumenti vsum inuenit 254
Pilum proprium fuit Romanis militibus gestamen 1015
Pinarij Herculis sacerdotes 272
Pincius collis 20
Pinarij dicti ἀπὸ τῆς πείνης 273
Pinus dicata Cybelæ 135
Piscatorij Ludi in campo 344
Piscatorij ludi quando, & cur celebrati 392
Pisces quadrupedes 945
Pistor Iupiter quare dictus 141
Pistrinum locus vbi farina molebatur 79
vnde nomen habeat ibid.
Pistrini nomen mansit mutata re ibid.
in Pistrina quare serui traditi, & quandiu ibidem
πιθήκου βλέμμα Simiæ aspectus 1028
πιθηκισμοῖς ἀνακαλεῖν Simiarum more exagitare, id est decipere, adulationibus vincere 1028
πίθηκος ἐν πορφύρᾳ Simia in purpura ibidem
πίθηκος Simia ibid.
πίθηκος σκαφίδιον Lenunculus 729
πήγνυμι compingo 484
Pyxis cornea, Græce simus dicitur 430
Placidæ nauiculæ admodum paruæ 990
Plagula quale genus vestis 580
Planipedes cur Mimi 454
Platonica Dei definitio 108
Plautia lex de vi 867 eius capita ibid.
Ploutini Parasiti 456
Plautus in Epidico 552
Plauti locus in Amphitruone explicatus 716
Plebecula vilior tunicis indui solebat 589
Plebuculam cur Horatius Popellum tunicatum nominet 576
Plebeius quinam fuerit, quomodo eques factus vel Senator 94
Plebeij à Censoribus notati propter flagitia Ærarij fiebant, & in Ceritum tabulas referebantur ibid.
Plebeij & Patricij à Romulo instituti 88
Plebeij Patronum ex patriciis quemcunque vellent legere poterant 89. 90
Plebeij in spectandis ludis separatas sedes ab aliis habuerunt 94
Plebeij ludi, qui, quando & quare instituti 475
Plebeij candidati spectabant in ludis amphitheatralibus, aut scænicis 388
Plebeij qui sint 88
Plebeiorum cum patriciis coniunctio quomodo facta 89
Plebeiorum officia apud Romanos [illegible]
Plebeiorum sicut & Patriciorum tres ordines 94
Plebeios in concionem vocarunt ministri cornibus bubulis, patricios autem præco suis nominibus 88
Plebeios magistratus auspiciis carere quomodo intelligendum sit 673
Plebiscitum quid 669. 767
Plebiscita Ædiles æde Cereris asseruabant 714
Plebiscita omnia Tributis Comitiis ferebantur 669
Plebs à populo vt species à genere differt ibidem
Plebs impetratis à patriciis Tribunis plebis sacrorum quorundam curationem & magistratus Curules extorsit [illegible]
Plebs in montem sacrum quare secesserit 713
Plebs Patriciorum patrocinio tuta erat in vrbe, & extra vrbem 90
Plebs per secessionem impetrauit, vt sibi liceret Tribunos Ædilesque creare 641
Plebem ex monte sacro quomodo in vrbem reuocarint 713
πλινθίδια quid sit 728
Plinius acerrimus insanientis luxuriæ hostis 536
Plumaciorum vsus in delicatiorum sedilibus 501
Pluses pro plures antiquè 801
Plusuia pro plurima antique ibidem
Plutei quales machinæ apud Romanos fuerint 983
Pluto quadrigis vectus 627
Pluto qualis Deus, & vnde 220
Plutonio nomina quæ fuerint ibidem
Plutoni cur inferorum imperium veteres tribuerint ibid.
Pluuiæ minutæ Græcè quomodo dictæ 584
agricolis vtiles ibid.
Pocula aurea, gemmis distincta clarissimis 535
Pocula ex fago facta in vsu apud Priscos 530

Pocu-

Pocula Rhyta 530
Pocula gemmata 535
Pocula è cornibus bouinis effecta 530
nunc etiam in vsu ibid.
Pocula cristallina 532
Pocula Electrina 533
Pocula Murrhina 533
Pocula lignea apud Barbaros in vsu 530
Pocula Oleaginea ibidem. hederacea ibidem
Pocula duo Herculea manu Mentoris summo artificio facta 540
Poculis minutioribus in principio conuiuiorum publicorum vsi sunt veteres, in fine autem grandioribus 528
Poculorum species quænam 538
Poculorum diuersa genera 530
Poculorum forma quam diuersa fuerit 538
Poculum Nestoreum duos fundos habebat 537
Poculum Vitreum Vatinij cuiusdam sutoris quod quatuor rostris protendebatur, instar nasorum 532
Poculum militis galea est 1031
Poculum boni Genij 550
ποδήρης. vestis ad talos demissa 595
Pœna ante æs, & argentum signatum erant duarum ouium, & triginta boum 869
Pœnæ falsorum monetariorum 723
Pœna indicta aduocatis delinquentibus 572
Pœna virginis Vestalis 202
Poëtæ vittati 685
Poëtæ qui in tutela Bacchi erant, mitras ferebant 590
Poëtæ, tribunal apud inferos ponunt 943
Poëtæ & Rhetores, aliarumque professionum homines coronati in ipso agone 474
Poëtæ laureati ab ipsis Cæsaribus Germanis coronati ibid.
Poëtæ omnium optimè veterum in edendo, & bibendo mores expresserunt 527
Poëtarum laureatorum mos vnde manarit 474
Politiani error in ludis Circensibus vnde ortus 470
Politia quid sit 682
Politiæ genera omnia Respublica Romana experta est 683
Politiæ contraria est Anarchia 682
Politiam impertiri quid sit ibid.
Politiæ vox tria significat ibidem
Politiam Polybius in sex species diuidit ibidem
Politiam Romanorum Polybius omnibus Rebuspublicis anteponit 683
Politiarum species tres 682
eius oppositæ tres ibid.
Pollentia vrbs nobilis, & celeberrima 441
Pollia tribus vnde 663
Pollicis gestus diuersos animi motus denotat 251
Pollinctores dicebantur qui cadauera vngebant 623
Pollucere quid 778
Pollucis, & Castoris fabula 226
Polybius 13
Polybius latinè redditus à Musculo 697
Polynices cum Etheocle fratre suo regnum Thebanum diuisit 205
Polycletus pictor, fictorque ex ære & marmore 935
Polycletus Sicyonius ex ære fecit duos pueros, talis ludentes 430
πολύμιτος, vestis filis versicoloribus contexta 484
Pomerium proferre quid 11
Pomerium prolatum quoties vrbs amplior facta ibid.
Pomerium quasi post murum, vel promurum ibid. quid ibid.
Pomerij proferendi ius quinam habuerint ibid.
in Pomerio veteres Romani nullum ædificium fieri passi sunt ibid.
Pomona Dea pomorum 252
Pomonalis Flamen ibid.
Pomonalis Flamen minimæ dignitatis inter Flamines 295
Pompa triumphantium 1048
Pompa, in circensibus qualis 446
Pompa obseruata in sacris Isidis 266
Pompeia Cæsaris vxor 1031
Pompeia lex de iudicibus 856
de non habenda ratione absentis in magistratu vno Cæsare excepto 832
de parricidio 856
de reo non laudando in iudicio 856
de sibi proroganda Hispania in alterum quinquennium 841
de vi & ambitu 871. 867.
eius capita ibid.
Pompeia lex quæ Tribunis omnem potestatem restituit 856
Pompeia lex, vt quæstio constitueretur de iis iudicibus, qui pecunias accepissent ob rem iudicandam 856
Pompeiam Cæsaris vxorem Clodius adamauit 620
Pompeianus Iupiter 143
Pompeius Magnus Mineruæ delubrum consecrauit 170

Pompeius primus Theatrum mansurum extruxit ad exemplar illius quod Mytilenis viderat 429
Pompeius bellaturus in Lesbo reliquit vxorem 1030
Pompeius Magnus victo Mithridate hebenum in triumpho ferebat 1058
Pompeius sex pocula murrhina Ioui Capitolino dedicauit 533
Pompeius Hierosolymam veniens, capta vrbe, Aristobulum vinctum secum adducit 5050
Pompeius Magnus Elephantos primus currui iunxit Romæ 1042
Pompeius in triumpho suo transtulit vasa ex auro & gemmis abacorum nouem 535
Pompeius fascia candida crus obligatum habebat 587
Pompeius dicitur Romam in Epirum transtulisse, quod meliorem ciuium partem eo traduxerat 10
Pomptina Tribus vnde 666
Poneropolis à Philippo condita 10
Pons qualis nauis 986
Pontes in Campo Martio quid 659
Pontes per quos suffragia tulerunt, quidnam fuerint apud Romanos 769
Pontibus impositæ erant duæ cistæ oblongæ ibid.
Pontifex Maximus ex Collegio Pontificum creabatur, non quidem collegarum cooperatione, vt in cæteris sacerdotiis mos erat, sed populi tributis Comitiis 308. non nisi ex patribus modo tempore creatus ibidem
Pontifex Maximus maximarum rerum quæ ad sacra pertinent iudex erat, & vindex contumaciæ priuatorum, & magistratuum ibid.
Pontifex Maximus tributis Comitiis creatus 669
Pontificis defuncti in locum alius subrogabatur, non populi suffragiis, sed qui collegio maximè videbatur idoneus ex omni numero 308
Pontifici Flamines suberant 295
Pontifices alij maiores, alij minores 307
qui singuli 308
Pontifices à ponte faciendo dicti 307.
à quonam cooptati fuerint ibid.
Pontifices Augures & reliqui sacerdotes sub Augusto Collegiorum primo, deinde Romanorum principum arbitrio cooptari cæpti sunt 275
Pontifices de omnibus causis ad sacra pertinentibus iudicant 307. nouas leges de sacris condunt ibid. nullius ipsi potestati obnoxij sunt ibid. Doctores sacri, aut sacrarum legum consulti, aut sacrorum custodes dicti 308
aut etiam Hierophantes ibid.
Pontifices, & Religionibus Deorum immortalium, & summæ Reipubl. præfuerunt ibidem
Pontifices Maximi quando ex plebe creari cœpti sint ibid.
Pontifices populum ad Comitia Curiata vocare potuerunt 642
Pontifices, quando ex plebe creari cœpti sint 307
Pontifices quatuor tantum ad Numam vsque instituti ibid. eos ex patriciis omnes ibid.
Pontificum apud Romanos quænam officia fuerint ibid.
& 303
Pontificum Collegium vsque ad Theodosij Senioris tempora Romæ fuit ibid.
Pontificum cooptandorum potestas penes quos fuerit diuersis temporibus 307
Pontificum discrimen à Sulla factum ibid.
Pontificum Maximorum series ibid.
numerus variè auctus à variis ibidem
Pontificum omnium supremus Maximus dicebatur 308
Pontificum vniuersus cœtus Collegium dictum 307
Pontifices Maximos omnes Imperatores Romani se voluerunt nominare 308
Pontificatus Maximus ad plebeios translatus vsque ad mortem Iulij Cæsaris ibidem
Pontificatus Maximi candidati non nisi ex Pontificum Collegio esse poterant 671
Pontificatum Maximum Augustus à Lepido viuente nunquam suscipere voluit 308
Pontificatum Maximum post mortem I. Cæsaris eius in locum Lepidus inuasit ibidem
Pontones genus nauigij Gallici 990
φώρ idem quod Latinis fur 808
φώριον ibid.
Popæ ministri sacrorum erant, qui hostias & victimas ligabant 316
Popilia tribus variè scribitur 666. vnde nomen habeat ibid.
Poplifugia qualis Dies 400
Popularis qui seditiosis ciuibus, aut res nouas molientibus adhæret 97
Populona, seu Populonea quare Iuno dicta 149
Populoniam quare coluerint 253
Populus læto clamore principes recipiebat

piebat venientes in theatrum aut circum 452
Populus cum lauru & floribus Galbæ imagines circum templum tulit 1037
Populus ad exemplum Regis conformatur 761
Populus ad funera qua formula fuerit euocatus 613
Populus à plebe differt, vt genus à specie 767
Populus Romanus post exactos Reges, in tres ordines distributus 947
Populi instituta in quibus præcipuè versentur 1
Populi iussum 636
Populi libertas in creandis Magistratibus 646
Populi Romani conuentus, non omnes fuerunt Comitia 639
Populi Romani diuisio à factione 97
Populi voluntatis conciliatio, quasnam partes habuerit 696
Populi vox ambigua 97
Populi Septentrionales omnes turpissimam atque fœdissimam impuritatem Romanorum imitati sunt 546
Populi arboris succus expressus generat Electrum 534
Porca Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset 631
Porca cæsa firmabatur fœdus 697
Porca præcidanea quæ 321
Porcia lex qualis 827
Porcia lex de sumptibus prouincialium 872
Porci effigies quare inter signa militaria locum habuerit 697
Porci effigies inter militaria signa quintum obtinebat 1062
Porcinum caput qualis acies 890
Porcus Siluano sacrificabatur 258
πορφύρα ποικιλτή palmata è purpura toga 1046
Porrimæ Postuertæ 342
Porsenna Rex Hetruscorum castra in Ianiculo habuit 21
Porta eburnea inutilium rerum species designat 117
Porta Capena 25
Porta Prætoria 565. 976
Portæ in castris, Prætoria, Decumana, Principalis, Quinctana 976
Portæ locum quomodo veteres Romani conditores designarint 11
Portas veteres Romani quare non habuerint sacras ibid.
Porticus illa celebris quæ ante curiam Pompeij erat 444
quomodo constructa ibid.
Porticus cur in omnibus templis adiuncta erat 17
Portisculus 987
Portorium quid 993
Portumnalia quales feriæ 404
Portumnus qualis deus 204
Portunalia ad Pontem Æmyl. 345
Portus pro domo 800
Posidonia à certamine Pallad. & Neptuni 346
Possessio aliquando vsum rei significat 901
Potentia fortunæ 224
Potestas fortunæ 377
Posthumi quinam veri, & lex de illis 793
Postidea pro postea antique 800
Postuerta dea 243
Postulare quid 901
Postulatio in ius quomodo facta sit 917
Potestas fuit facultas cognoscendi 742
Potina dea quæ potionem infantibus ministrabat 241
Potio murrata qualis potio 547. 783
Potitij Herculis sacerdotes 272
Potitij quare ad vnum omnes interierint 273
Præceptum salubre Pyttaci sapientis de legibus 761
Præciæ dicebantur qui à flaminibus præmittebantur, vt denunciarent opificibus, vt manus abstinerent ab opere, ne si vidisset sacerdos facientem opus sacra pollurentur 316
Præcidanea agna quæ ante alias mactabatur 321. 418
Præcidanea porca quæ ibid.
Præcidaneæ hostię quæ ante solemnia sacrificia mactabantur ibid.
Præcidanea agna, cur sic dicta 631
Præcidaneæ porcæ sacrificij formula 418
Præcincti alte pro expeditis 565
Præclamitatores qui 316
Præcones fuerunt liberi 750. à Consulibus ex ciuibus Romanis legebantur ibid.
Præconum vsus quam fuerit varius in ciuitate ibid.
Præcones in multas curias distributos fuisse à Romanis ibid.
Prædæ partem Romani bella gesturi numinibus pollicebantur 143
Prædator Iupiter cur dictus ibid.
Prædictionis author ex Aruspicina, aut augurio primus, incertus est 276
Præfectura & Municipium quomodo poterit vnum idemque oppidum esse 992
Præfecturæ formula non longe à prouinciæ formula abfuit ibid.
Præfecturæ in Italia quænam fuerint 747
Præfecturæ quænam appellatæ fuerint 992
Præfecturarum conditio inter omnes ciuitates Italicas omnium durissima ibid.

Præfecturarum duo genera 747
Præfecturarum reipublicæ quænam 996
Præfectus Ægypti quis dicatur 747
idem Augustalis dictus ibid.
à quo primum institutus ibid.
Præfectus annonæ quis dicatur 734
Præfectus Celerum quisnam fuerit ibidem
Præfectus frumenti quinam fuerit 751
Præfectus legionis quis,& quodnam eius officium 971
Præfectus Prætorio quam primum lectus, dabatur ei ab Imperatore cingulum cum gladio 730
Præfectus Prætorio quis dicatur ibid.
à quo primo institutus ibid.
Præfectus vrbis quis, & eius officium quodnam 704
Præfectus vrbis quando non amplius fuerit creatus 706
Præfecti aut Præsides magnorum palatiorum 14
Præfecti vocabulum quam late pateat 747
Præfecto vrbis quare non fuerit ius agendi cum populo 706
Præfecti ærarij sine lictoribus creati 718
Præfecti præfecturarum quinam dicantur 747
Præfecti prætorio ex quibus ordinibus lecti 730. quandiu durarint ibid.
Profecti sociûm, castrorum, fabrorum quinam sint 971
Præfecti vigilum qui fuerint 731
à quo instituti ibid.
Præfecti vrbis primi 705
Præfecti vrbis sub Regibus creati quoties illi ad bellum profecti ab vrbe abessent 705.
etiam à Consulibus post eiectos Reges creati,vt absentibus Coss.munus Consulare obirent ibid.
Præfectorum ærarij quæ fuerit origo 718.
eorum ministri ibid.
Præfectus regiæ pecuniæ 719
Præfectorum Prætorio dignitas quare, & quando sublata sit 730
Præfectorum vigilum officium 731
Præfectorum vrbis genera tria fuerunt 705
Præfectos vrbis ipsi Reges,vel Consules creabant ibid.
Præfericulum quale vasis genus 319
Præfericulo in sacris Opis Consiuæ vtebantur ibid.
Præfica à præfectione dicta 316
Præfica mulier, quæ conducebatur, vt ante domum demortui laudes caneret ibidem
Præficæ quænam fuerint mulieres 624
adhibitæ in funeribus ibid.
Præiudicium, iudicium primum ex duobus iudiciis de re eadem 910
Præliares dies 386
Præliares dies quinam 337
Præliari sub vitem quid 982
Præmia delatorum 940
Præneste locus vbi fortuna colebatur 225
Præneste capta T. Quinctius simulachrum Iouis Romam in Capitolium tulit 141
Prænestina fortuna cur sic dicta 225
Præpetes aues quænam fuerunt 283
quare præpetes ibid.
Prærogatiua quænam centuriata fuerit appellata 658
Præsagia victoriarum futurarum certa Lunæ aspectu ducebantur 169
Præsagia ex auibus desumpta 277
Præsegmina 276
Præsente ambobus ἀρχαιρεσία 798
Præsides prouinciarum quando Senatus ornare diceretur 741
Præsides prouincias suas sortiebantur 858
Præstigiatores 457
Prætexta Magistratus toga 460
Prætextam Prætores aliquem capitis damnaturi prius deponebant 567
Prætextatæ fabulæ quare sic dictæ 460
Prætextati vnde,& quare sic dicti 567
Prætor ordinarius in Circensibus cur sic dictus 451
Prætor antiquitus à præeundo, vel etiam à præessendo dictus 790
Prætor ferias indicebat 336
Prætor ius habuit rem differendi in alium diem 918
Prætor nonnunquam vtramque iurisdictionem sortitus est 700
Prætor peregrinus quis 890
Prætor tutelaris 701
Prætor vnde dictus, quando,& quare creatus 700
Prætor vrbanus absentibus Consulibus summam potestatem habebat,non autem amplius vrbis Præfectus 706
Prætor vrbanus & peregrinus 700
Prætor Maximus clauum pangit 345
Prætoris creandi occasio prima 890
officium quodnam 700
Prætoris vrbani maior fuit dignitas quam peregrini 701
Prætori non tantum fastis diebus tria verba fari licebat,sed & Comitialibus, & nefastis primò 336
Prætorem appellarunt veteres omnem Magistratum cui exercitus pareret 730
Prætores aliquem capitis damnaturi, quare prætextam prius deposuerint 567
Prætores antequam designarentur à Senatu prouinciæ, sex vel octo, vel plures Prætoriæ futuris Prætoribus decernebantur, quas

quas illi designati sortirentur, ita vt finito Magistratu annuo in eas abirent 741
Prætores Centuriatis Comitiis creati 648
Prætores Cereales 701
Prætores Comitia iudiciorum causa habuerunt 651
Prætores Comitiis Centuriatis consules creabant 650
Prætores designati de iurisdictione sortiebantur 700
Prætores interregno aut in locum demortui creati, non statim designati inibant magistratum 654
Prætores legum ferendarum causa Comitia habuerunt 651
Prætores lictoribus duobus vel sex vsi 701
Prætores populum ad Comitia Curiata vocare potuerunt 642
Prætores prætextam Calendis Ianuariis in Capitolio solemnibus votis nuncupatis vna cum cæteris insignibus acceperunt 701
Prætores priusquam ius dicerent in albo edictum constituebant, & proponebant 700
Prætores Prouinciis ab initio præfecti erant 744
Prætores quibus ex locis ius dixerint 894
Prætores quindecim Romæ quid iudicarint 701
Prætores sex quando creati & quodnam eorum officium ibid.
Prætores summo mane in Comitium veniebant 894. accenso Imperabant vt tertiam horam populo circumstanti inclamaret ibid.
Prætori licebat fari tria verba & quænam sint 318
Prætores suos habebant viatores 753
Prætores sorte addicente prouincias suas obtinebant 838
Prætores tempore Decemuirorum qui diuersum à Consulatu Magistratum habuerunt, nondum fuerunt creati 790
Prætorum causa quænam leges latæ 833
Prætorum edicta non modicam obtinent iuris auctoritatem 768
Prætorum in prouinciis insignia quæ fuerint 744
Prætorum insignia propria hasta & gladius 701
Prætorum numerus quare creuerit 996. sub quo ad denarium excreuerit 701
Prætorum tempus ordinarium in Prætura annuum fuit 744
Prætoribus si post præturam prorogatum imperium fuerit, vt in prouinciis manserint, proprætores tunc dicti ibid.
Prætoria cohors quæ 742
Prætoria porta quæ 730. 974
Prætoria Comitia quæ 650
Prætorium 730
Prætorium quodnam tabernaculum fuerit 977
Prætorio Præfectus quis dicatur 730. à quo primum constitutus ibid.
Prætura Vrbana quid differat à peregrina 701
Præturæ definitus annus 40. 832
Præturam qui gesserant prætorij dicti 698
Præuaricari est vera crimina abscondere 914
Præuaricatio cum accusator cum defensore colludebat ibid.
Præuaricationis pœna infamiæ notatio fuit ibid.
Præuaricator quinam fuerit ibid.
Prandiculum 499
Prandium quomodo idem cum ientaculo & ab eo dictum 504
Prandia veterum parcissima ibid. quando liberalia ibid.
Prandium vnde dictum 505
Prandium differt à cœna 505
Prandia apud antiquos, non omnium omnino ciuium, sed lautiorum tantummodo 504
Prasinæ factioni, ita addictus erat & deditus Caligula Augustus, vt cænaret in stabulo assiduè, & maneret 447
Prasinus virenti verno dicatus est 448
Prateria lex de ambitu 869
Precationes quales erant illæ quæ fieri solebant intrantibus principibus in Circenses 452
Prema Dea in conclaue nouæ nuptæ cur illata 609
Prensare quidnam sit 696
Priamus aram Ioui Herceo structam religiose coluit 144. & ante eam à Pyrho interfectus ibid.
Priapus obscænitatis, & spurcitiei præses inter deos rusticorum diuino honore cultus 258 nauigantium præpositus ibid. diuersa illius cognomina ibid.
Priapus impurus Deus 255. hortorum custos ibid.
Primani milites qui 972
Primitiæ omnium sacrorum Iano oblatæ & cur 125
Primitię frugum Apollini Delio mittebantur 155
Primopilus quis 970
Princeps Equestris ordinis quis 699
Princeps iuuentutis quis, & vnde electus

494.704
Princeps Senatus quis dicatur 687
Principes milites qui 972
Principes Romani omnes cur Pontificatum Maximum susceperint 308
Principes aut primarij viri leges solum poterant conscribere 760
Principes Iudæorum iudicum officio fungi soliti 931
Principes cum clientes suos admittere volebant, ad consueta salutandi munia obeunda, velo dimoto illi prodibant 484
Principes alea ludere solebant 432
Principes posterioribus temporibus induebantur tunica 589
Principes pyrrhicam saltationem exercere solebant 496
Principis dignitas coniuncta cum iudicis officio 931
Principum placita quæ 768
Principalis porta 677
Prisci Galli, capitum ossa in poculorum tradebant ministerium 537
Prisci criniti depingebantur 1055
Priuatæ feriæ quæ 335
Priuati concionem habere non poterant nisi à magistratu potestate accepta 769
Priuati quando dicerentur prouincias administrare 741
Priuilegium quid 785
Priuilegia esse duorum generum ibid.
Priuus adiectiuum significans singulum ibid.
Procas quandiu rebus Albanis præfuerit 2
Procæ filij Numitor, & Alladius ibid.
Procare est poscere 907
Procidus sub principium regni Atheniensium quadrigam iunxit 449
Procitare pro vocitare, & producere dixerunt veteres 801
Proconsul vox an duo distincta vocabula, an verò vnum compositum quod regulariter spectatur 740
Proconsules Centuriatis Comitiis creabantur 648
Proconsules ne irent in Prouinciam Tribuni plebis edicto prohibere poterant aut dirarum obnunciatione 742. ordinariè ex Senatus decreto prouincias obtinebant 668, primò fuerunt illi quibus post consulatum magistratus prorogatus 741
Proconsules prouinciam ingressi quid fecerint 742
Proconsules prouincias suas sortiebantur 837
Proconsules quatuor modis dicti fuerunt 741
Proconsules qui 996. quomodo ex prouincia discesserint 743. quomodo in prouinciam profecti 742
Proconsules si malè prouincias administrassent, quibus legibus ac quæstionibus fuerint obnoxij 743
Proconsulum administratio, in prouinciis quænam fuerit constituta Monarchia ibid.
Proconsulum auaritia, & improbitas in prouinciis, quænam aliquando fuerit 743. eorum etiam Innocentia ibid
Proconsulum Comites primi fruerunt legati 745
Proconsulum curatio in prouincia in qua re posita 742
Proconsulum profectio, & Comitatus in prouincias quænam fuerit ibidem per totum
Proconsulibus sæpe extra ordinem populi iussu prouinciæ mandatæ non Senatusconsulto 668
Proculi narratio de Romulo 231
Procuratores in factionibus singulis 448
Prodere propriè de Interrege dicitur 706
Prodigia inspectis Sibyllinis oraculis expiabantur 312
Prodigiæ hostiæ quales 321
Πρόδρομοι quid Publius vocet 110
Profectitia dos 612
Professio candidatorum, in qua re posita 696
Profesti dies diuiduntur in fastos, Comitiales, comperendinos, statos, & præliares 335
Profesti dies qui hominibus ad rem priuatam publicamque administrandam concessi ibid. quare sic dicti ibid.
Proletarij ciues qui 801
Prologus quid sit 463
Prologus ὑποθετικός quid ibid. συστατικός. ibid. ἀναφορικός ibid.
Promulgare, & in publico ponere 768
Promulgari est quasi prouulgari ibid.
Promulgata quare fuerit lex antequam lata ibid.
Promulgationis alicuius legis spatium erat trinundinum, id est dies viginti septem, & quare ibid.
Promulgationes legum quomodo fiebant 768.769
Promulsidem nominarunt quoque ante cœnam 516
Pronubus annulus 603
Procœmia qualia habuerit accusator 921
Propes funis 988
Proprætores qui dicti fuerunt, prioribus, & posterioribus temporibus 744.996
Proprætores quot lictorib. & fascibus vsi sint 745. prouincias minores obtinuerunt 744
Proprætorum Comites primi fuerunt legati

gati 745
Proprætorum profectio & comitatus in prouincias quinam fuerit ibid.
Proprætorum vox tribus modis sumitur 744
Propugnatoris Iouis ædes vbi 143
Proquæstores quinam fuerint 746
minoris dignitatis quam Quæstores, quare ibid.
à quibus creati fuerint ibid.
præsentibus Quæstoribus nonnunquam Proquæstores fuerunt, sed rarò ibid.
Prora quæ pars nauis 986
Proreta quis ibid.
Prorsa qualis dea 242
Prorogatores, idem ac dispensatores ærarij 719
Prorsi limites qui fuerint 844
Proscenium quinam theatri locus fuerit 440
Proscriptio fiebat in celeberrimis locis ipsius vrbis 900
qua formula facta ibid.
Proscriptorum agri quinam intelligendi in lege Cornelia 842
Proserpina filia Cereris 184
nihil aliud, nisi terræ fœcunditas ibid.
Proserpina nata patre Athere 137
Proserpina Ennea dicta 192
Proserpinæ raptus cur excogitatus fuerit 184
Proserpinam Tellurem dictam quod ex ea fruges proserpant 130
Profumia nauigium speculatorum 989
Protasis in Comœdia quæ pars 463
Protoni funes 988
Prouerbium: Ad agnatos, & Gentiles esse deducendum 789
Prouerbium: Nescis quid vesper serus vehat 508
Prouerbium: Omnia secunda saltat senex 473
Prouerbium: Reges ad triarios redit vnde 979
Prouincialis Iurisdictio vbi instituta 742
Prouincialis muneris partes duæ ibid.
Prouinciales magistratus quinam fuerint 668.683.740
quibus etiam Comitiis creati fuerint 668
Prouincialium sumptus in Prætores primus M. Porcius Cato coercuit 872
Prouincia qualis regio 993
Prouinciæ nomen tribus modis accipitur ibid.
Prouinciæ præsidiales etiam sorte concedebantur præsidibus 838
Prouinciam administraturi quænam à Senatu acceperint 741
Prouinciæ à priuatis administratæ quando dicerentur 741
Prouinciæ duæ Consulares à Senatu antequam noui Consules designarentur futuris Consulibus decernebantur; vt finito annuo magistratu in eas inirent ibid.
Prouinciæ in formam integræ regiones deuictæ redigebantur 990
Prouinciæ sub Imperatoribus quomodo ordinatæ fuerint 996
Prouinciarum causa leges rogatæ quænam 840
Prouinciarum numerus quia creuit, idcirco Prætorum numerus creuit 996
Prouinciarum ordinaria administratio quæ 741
Prouinciarum rectores ordinarij duo Prætores & Consules 996
Prouinciarum Rectores, quæstores & alios Magistratus militares adiunctos habebant ibid.
Prouinciarum Respublica qualis fuerit ibid.
Prouincias aut Præsides prouinciarum quando Senatus ornare diceretur 741
Prouinciis ab initio præfecti fuerunt Prætores 744
Prouinciis constitutis Imperator relicto præfecto Romam rediit 994
Prouocatio aduersus Magistratum ad populum 826. sublata ibid.
demum restituta ibid.
Prudentiæ dea Minerua 170
[illegible]ίλω, quid significat 509
[illegible]ϊκδα, dotalia instrumenta 612
[illegible]τοςάτης, Protestator qui in Officialium numero primus stat 755
Prymnesia 988
Psalterium, vulgo dictum Canticum 465
Psecades, ancillæ ornandis crinibus præfectæ 584
Psecades dicebatur speculum Iunoni tenere 149
Pterne 986
Ptolomæus luxuriæ se tradens, Regis mores secuta est tota Regia 761
Puberes in militia Romana primi armis exercebantur 497
Publicæ res quæ sint 889
Publicani cur Decumani dicti 993
Publicia lex de lusu 874
Publicij Menandri in gratiam lex lata 819
Publici serui qui, eorum ministerium quodnam 750
Publicus carcer cur sic dictus 1059
Publilia Lætoria lex de Comitiis Tribunorum plebis, & aliorum Magistratuum 836
Publilia lex de Censoribus ex plebe creandis 833. de Centuriatis legibus 836
P. Cornelius Nasica Censor fecit horarium ex aqua 948
P. Malleolus, matre necata, primus damnatus 878

P. Papirius leges in Codicem, & in vnum corpus redegit 811
P. Rutilius Consul voluit tyrones à doctoribus lanistis artis militaris peritiam edoceri 498
P. Rutilius Consul quando cum L. Iulio perierit 394
Pudicitia alia Patricia, alia plebeia 238
Pudicitia vt dea apud Romanos culta ibid.
Pudicitiæ Patriciæ ædem nemo ingredi poterat præter eas quæ semel nupsissent ibid.
Pudicitiæ plebeiæ ædiculam quare Virginia extruxerit ibid.
Pudicitiæ vitium magnam repudiandæ vxori causam attulit 620
Puellæ donec nuberent, toga prætexta vtebantur 567
Puellæ Gaditanæ 525
Puellæ Deliorum Hegargeæ deæ crinem vouent 1056
Puellæ Ornatrices, quæ capita adornarent, & crines disponerent 584
Puellæ nunquam nisi nocte nubebant 617. 618
Pueri ingenui quo die virilem togam sumebant 342
Pueri Ægyptij dicaces, & ob id conuiuiis gratissimi 246
Pueri Alexandrini ibid.
Pueri vocales omnes fibulas habent in naturis ne coeant 558
Pueri quinque apud Romanos sponsis præferebant faces 607
Pueri in curru triumphantis vectabantur 1043
Puerilia vestimenta quænam sint 551
Puerperæ statim doloribus defunctæ, Iunoni sacrificium instruebant, & vestimenta Dianæ consecrabant 158
Puerperarum dij 248
Puerpera ignobilis supplicij gratia matrem carcere inclusam aluit 237
Puerperis Syluanus infestus 255
Pugio, minor gladius 1021
Pugna apud Romanos, quo signo fuerit denunciata 979
Pugnacitas galli 287
Pugnantis Iouis templum vbi fuerit, & à quo extructum, incognitum 145
Pulla paupertas quare dicatur 568
Pulla toga atri coloris fuit ibid.
Pullæ fuerunt vestes plebeiæ omnes sub Imperatoribus ibid.
Pullarij exercitus sequebantur, & locum prope signa in mediis castris habebant 286
Pullarij pœna, si dissimulasset, quæ dij diuulgata voluissent ibid.
Pullarij vnde nominati 285. qui bid.
eorum officium ibid.
Pullati qui, & vnde 568
Pullati candidatis opponuntur, & è contra ibid.
Pullatos Seneca coloratos nominat ibid.
Pulli omnium animalium pugnacissimi 287
Pullorum auguria 285
Pulpitum agentium & loquentium locus erat in Proscenio 440
Pulpitum cuius latitudinis ibid.
hoc altius Proscenio & Orchestra ibid.
in eo quod actum fuerit ibid.
in Pulpitis organarij sedere consueuerant atque inde audiri 525. 524
Puluini 987
Pupillorum circunscriptio 913
Pupinia Tribus vnde dicta 663
Puppis quæ pars nauis 986
Pura hasta quæ 999
Pura toga quæ 567
quare sic dicta ibid.
Purpura Megalensis 469
Purpuræ rubor ingenuitatis ruborem regere debet 567
Purpureus Iridi sacratus 448
Puteal Libonis ara in Comitio 909
vnde dicta ibid.
Puteolani in clientela Cassiorũ fuerunt 995
Pylades primus nomen Pantomimi vsurpauit 457
Pyralis quid sit 633
Pyra, rogus, bustum, quid differant 784
Pyramides à quibus extructæ, in honorem defunctorum scilicet 631
Pyrgus quid sit 430. 431
Pyrrhica decursio cur sic dicta 496
Pyrrhica saltatio omnibus communis 496. 498
Pyrrhicarij cur sic dicti 496
Pyrrhichius pes, vnde dictus ibid.
Pyrrhicus Cydoniates, Cretensis genere Pyrrhicæ decursionis inuentor ibid.
Pyrrhus Epirota strategematum peritissimus 427
Pyrrhus Cydoneus primus Pyrrhicæ decursionis inuentor 496
primus etiam qui Cretenses sub armis saltare ad huius pedis sonum instituit ibid.
Pythagoras Samius, à quo Crotonianæ, omnesque fere populi Italiæ præcepta Reipublicæ acceperunt 762
Pythagoras & Pythagorei Metemphycosin probabant 943
Pythœgia 346
Pythagoras in Ægypto fuit regnante Semneserteo 438
Pythamius Samius pictor 223

Qua-

Q

QVadrans antea Triuncia vocatus cur sit 853
Quadrantis nota, rates ibid.
Quadrifrons quare dictus Ianus 111
Quadrigarum certamen in ludis Circensibus institutum 345
Quadrigarum inuentrix Minerua 170
Quadrigatum argentum 853
Quadrupedes qualia præbuerint auspicia 284
Quadruplator, idem ac delator ac capitator est 939
Quæsitor dimittere iudices, & inuitos retinere potuit 922. custodiebat vrnas in tribunali paratas ad sortes ducendas vel sententias ibid.
Quæsitoris est vnum quenque in officio continere ibid.
Quæsitores dicti, qui iudicium publicum exercuerunt 914
Quæsitores gladio posito in sella curuli sedentes iudicium exercebant 915
Quæsitores qui dicti 734
Quæsitorum iudicium Quæstio dicta 914
Quæstiones fuerunt testimonia seruorum vi tormentorum expressa 919. perpetuæ quænam dicantur 701. quare propriæ accusatoris fuerint 919
Quæstionum principes erant iudices quæstionum 916. quando creati ibid. eorum officium ibid.
Quæstores in obtinenda prouincia sortem experiebantur 838
Quæstori cum præside suo quanta necessitudo intercesserit 746
Quæstores candidati qui fuerint & quando cœperint 712. concionem conuocare poterant ibid. etiam sub regibus fuerunt 641 ex patriciis Comitiis Curiatis petebantur 711. post Comitiis Tributis ex plebe creabantur ibid. nullum imperium habebant, nec lictores, nec viatores, & apud Prætorem poterant à priuato in ius vocari ibid.
Quæstores parricidij qui 734
Quæstores prædam ex hostibus captam vendebant 712
Quæstores prouinciales quinam fuerint 746
Quæstores prouinciarum quare aliquando Proconsules nonnumquam Prætores dicti fuerint 746. quomodo delecti fuerunt 746. quando in prouinciam profecti ibid. sæpè duos præsides prouinciarum habuerunt ibid. Tributis Comitiis creabantur 668. vnde dicti 712
Quæstorum Candidatorum officium ibid.
Quæstorum causa leges constitutæ 835
Quæstorum creandorum gratia consules habuerunt Comitia tributa 670
Quæstorum fuit asseruare Senatusconsulta 712
Quæstorum ministri quinam 746
origo prima 712
prouincialium munus quodnam 746
Quæstorum quam fuerint varia officia 712
Quæstorum tria genera ibid.
Quæstorum Vrbanorum, & prouincialium quænam differentia 746
Quæstoribus prouinciarum quare scribæ & lictores traditi 746
Quæstores duos quare Sicilia prouincia habuerit ibid.
Quæstoria Comitia quæ 650. 712
Quæstorium tabernaculum quæstorum 977
Quæstura primus Magistratus vrbanus qui non ante annum 21. petebatur 712
Quæstura primus Magistratus Vrbanus 687
Quæsturæ annus fuit vicesimus primus ibid.
Quæsturæ annus est xxvij. ætatis 832
Quæsturæ candidatj tam patricij quam plebeij esse poterant 838
Quæsturam qui gesserant Quæstorij 698
Quatuor viri curandarum viarum quinam, eorum officium 717
Quercus, viri opulenti iudicium 193
Quernam coronam quinam acceperint 1604
Querquetulanus mons qui, & vnde 16
Quietis templum Romæ 239
Quietam Deam ad mortuos pertinuisse ibid.
Quietus Tyrannus electridem pateram quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam contineret, signis breuibus, & minutulis Pontifici propinauit 533
Quinctana porta 977
Quindecimuiri à quo instituti 310
Quindecimuiri qualia officia habuerunt ibid.
Quindecimuiri sacris faciundis tributis comitiis creati 669
Quindecimuiri tantum Cumeæ Sybillæ libros inspicere poterant 310
Quindecimuirorum sacerdotium permansit vsque ad tempora Theodosij ibid.
Quinquatria quando incipiebant 382
Quinquatrus ibid.
Quinqueduanus Magistratus 706
Quinquennale certamen 480
Quinquennales ludi à quo sint instituti ibid.
Quinqueuiri cis, & vltra Tyberim 717
Quinqueuiri mensorij quinam fuerint dicti, & quare instituti 739
Quinqueuiri Coloniæ deducendæ qui 747
Quinqueuiri mensarij Tributis comitiis creabantur 668

Quinqueuiri turribus murisque reficiendis ibid.
Quinctilis cur mensis Iulius dicatur 399
Quinctilibus Calendis migrationes ex ædibus fiebant 400
Quinquatria 341
Quinquertium quid sit, & apud Græcos celebre 433
Q. Antistius vetus diuortium remisit vxori quod cum libertina quadam vulgari secreto fuisset collocuta 621
Q. Catulus primus omnium inuenit vela in theatris 444
Quintus Coponius damnatus quod amphoram vini cepisset 879
Q. Coponius ambitus damnatus 870
Q. Fabius Maximus sexaginta tribus annis Augur fuit 277
Q. Flaminius Demetrium regis Philippi filium & Armenem Nabidis Lacedæmoniorum tyranni filium obsides Imperator ostentauit 1058
Q. Lutadius Diodorus maximam, & pulcherrimam mensam citream habebat 500
Q. Symmachus mirabili eloquio, & scientia præditus, tamen paganus, præconio laudum in consistorio recitato, aram victoriæ in senatum restitui, Christiano, vt nouerat Principi intimauit 181
Quirinaliorum stultorum feriæ 342
Quips pro quis antique 800
Quirinalia quando, & cui celebrata 353
feriæ stultorum ibid.
Quirinalis collis à Curetibus dictus 16
primo Agona nominarunt ibid.
alij à templo Quirino ædificatum dictum putant ibid.
Quirinalis collis particulares colles ibid.
Quirinalis Flamen à Quirino institutus fuit 295
Quirinalis mons Agonalis quoque dictus 309
Quirinalis syluam fageam habuit 21
addita custodia à quo firmatus 8
pomerio inclusus 8.21
Quirina tribus vnde 667
Quirinus cur Mars 174
Quirinus cur Romulus 17.231
Quirinus quare Ianus 122
Quirini fana Romæ plura 16
Quirini templum in coll. Quir. 344
Quiris antiquis hasta dicitur 606
Quiris dea dicitur Iuno ibid.
Quirim lanceam veteres vocabant 231
Quirites cur Romani ibid.
Quirinum ius in quibus positum 991
Qui pro cui antique 784

R

Rabies delatorum ac Sycophantarum quo tempore cœpit sæuire 937
Radaisus Scytha, cum ducentis millibus Gothorum rex ea Scythia veniens, Italiam inuasit 181
Radere genas quid 781
Reuardus à Lipsio Belgici Papinianus nominatur 603
Ralla tunica est pellucida, aui Rhalla à raritate dicta 561
Ramnenses quæ loca vrbis incoluerint, & vnde sic dicti 23
Ramnensis tribus quænam 661
Rapina quid 890
Rapinæ actio quæ 905
Rapinæ pœna 890
Rapiundæ virginis vis simulata quare fuerit instituta 603
Rapta curia 640
Rapta quia feliciter Romulo successit, ideo institutum ab eo rege vt non vero, sed simulato quodam raptu omnis legitimi connubij ritus perageretur 603
Raptus simulatus nulli alij contrahendi connubij modo quam ei, qui vi fiebat, conueniebat ibid.
Raptus filiæ Henneæ 192
Raptus Sabinarum 345
Ratariæ naues de ratibus compositæ 990
Recipere nomen est in tabulas inter reos referre 618
Recuperatores dicti fuerunt, qui de rebus priuatis recipiendis reddendísque cognoscebant 907
Recuperatorij Iudicij forma 910
Redamptuare quid sit 304
Redhibitionem lites Aediles Curules dirimebant 715
Redimiculum capitis 591
Regalia sacrificia quæ 289
Regere est suis finibus terminatum habere 805
Regina sacrorum sacra quoque facere poterat 313
Regionis pars est vicus 24
Regiones antequam prouinciæ fierent sub Regibus erant, & ab iis regebantur ibid.
Regiones maiores vrbis partes quare dictæ fuerint ibid. Regiones vrbis Romæ tres fuerunt ibid. quare regiones dictæ ibid.
Regnum & Monarchia quomodo differant 682
Regnum ex Monarchia oriri ibid.
Regnum nemo nisi auspicato assumere poterat 684
Regnum Thebarum sortis arbitrio Etheocles, & Polynices inter se diuiserunt 105

Regna

Regna vini 528
Reiectio iudicum 919
Relegati quinam dicti fuerint 914
Relegatio, pœna delatorum 939
Religiones nouæ Atheniensibus & Romanis prohibitæ 322
Religionis gratia leges latæ 824
Religiosæ res quæ 887
Remnia lex de Calumniatoribus 857
Remulus funis 988
Remunculi nauigia piscatoria 989
Remuria, annua sacrificia in honorem Romuli instituta sic dicta 20
Remus à Romuli militibus interfectus, & in Auentino sepultus 20
Remus à Celere Romuli comite interfectus 684
Remus ac Romulus Rheæ Syluiæ filij 2. expositi ibid. educati à quo ibid.
Remus à prædonibus captus Numitoris nepos agnoscitur ibid. à Romulo in Auentino monte superatus 20. in Remonia sepultus 11. interficitur 2
Remi & Romuli nutrix 2.230
Remi quid & vnde 987
Remitrudes ibid.
Renes Veneri adiudicantur 245
Reparatio Romæ vrbis 11
Repetere, iterum reum facere, vel in capitis discrimen vocare 941
Repetere pœnas qualis translatio 918
Repetundæ pecuniæ quænam dicantur 871 872
Repetundæ testes & tabulas poposcerunt 919
Repetundarum causa inficiatione defendebatur 921
Repetundarum causa quando adhuc priuata fuerit 872
Repetundarum in causa illi qui pecunias repetebant, potestatem habebant postulandi patronos 917
Repetundarum in crimine accusator diem longiorem ad inquirendum poposcit 918
Repetundarum in crimine quænam formula seruata ibid.
Repetundarum lex maximè socialis fuit 743
Repetundarum Quæstioni quando Proconsules obnoxij fuerint ibid.
Repetundarum Quæstio prima est quæ certum prætorem habuerit 871
Repetundarum Quæstio primo constituta sociorum, in prouinciarum gratiam 872
Repositoria eburnea 502
Repotia, conuiuium in nuptiis factum 613
Repotia quinam dies 610
Repudium à diuortio quomodo differat 621
Repudium primum ob sterilitatem contigit, anno vrbis sexcentesimo, aut circiter ibid.
Repudium dicere 621
Repudium mittere ibid.
Repudium non modò consummatis nuptiis, sed & in sponsalibus ipsis valuit ibid.
Repudium & diuortium quomodo differant ibid.
Repudij causa maxima fuit pudicitiæ vitium 620
Repudij formula 619
Repudium quid sit 621
Res ad triarios redit 979
Res per vniuersitatem quomodo & quot modis acquisitæ fuerint 888
Rerum variæ diuisiones ex institutionum libris 887
Residuæ pecuniæ quæ sint 869
Resignatum æs militi 997
Responsa prudentum quæ, cuius auctoritatis 768
Respublica firmata latis legibus dicitur 11
Respublica omnis in senatus potestate fuit 693
Respublica Romana primum à Regibus gubernata fuit 684
Respublica Romana quando in Monarchiam conuersa 702
Respublica Romana quando Tyrannidem experta sit 685
Respublica Romana quomodo in omnes formas politiarum conformata sit ibid.
Reipublicæ alicuius descriptio quo modo sit instituenda 1
Reipublicæ causa qui abfuerant, in ius postulari non poterant 917
Reipublicæ liberæ tempore Democratia viguit 685
Reipublicæ Romanæ forma tempore Polybij fuit mixta, & composita non simplex ibid.
Restauratio vrbis Romæ 11
Restitutio in integrum qualis actio 911
Retia venatoria 159
Retinaculum 988
Reticulum quid 580. vnde ibid.
Reus dum accusator agebat sub Rostris adolescentum conuitiis expositus fuit 927
Reus & accusator citari poterant 918
Reus in domum iudicis ingressus in legem ambitus committit 856
Reus quomodo euocatus 929
Reus quomodo quis factus fuerit 916
quomodo vestem mutarit 918
quos patronos conquisiuerit ibid.
tribus comitiis quomodo fuerit accusatus 676
Rei citatio quomodo instituta 927
Rei cur in sordibus esse dicantur vel sordidati 569. dum iudices sententiam dice-

bant, se ad pedes eorum proiicerent 923
Rei facti viri illustres togam sordidatam sumebant deposita niuea 569
Rei præter patronos quot laudatores habuerint 921
Rei quomodo commiserationem permouere solebant 946 947
Reo ad dicendum horæ tres datæ 867
Reum facere quis dictus 918
Reum quomodo magistratus aliquem fecerit 927
Reorum auxilia quæ fuerint 928
Reorum custodia duplex 913
Reorum etiam cognati solidam togam sumebant 569
Reorum habitus quinam fuerit in iudicio 676
Rex apud Romanos habebat circa se trecentos iuuenes robustissimos 684
inter ordinarios magistratus principem locum tenet ibid.
quomodo Romæ fuerit creatus ibid.
Rex præter Celeres circum se habebat duodecim lictores 684
Rex sacrorum quando, quare, & à quibus institutus 312.313
Rex sacrorum vsque ad Theodosij senioris tempora mansit 313
Regio à rego quare dicatur 24
Regis eiiciendi autor fuit Iunius Brutus 685
Regis officia apud Romanos quænam fuerint 684
Regis sacrorum officium 313
Regis sacrorum vxor Regina sacrorum appellata ibid.
Regis fugium 342
Regi cur secures & virgas simul prætulerint lictores 684
Regi sacrorum feriis opus videre non licebat 313
Regem sacrorum magistratum gerere, nec orationem ad populum habere licuit ibid.
ad Regem sacrorum virgines Vestales certa die ibant, & dicebant, vigilásne rex? ibid.
Reges curiatis comitiis creati 641
Reges Etruscorum quo cultu incedant 474
Reges omnes Galliæ vsque ad Pipinum Caroli Magni patrem, longis capillis semel in anno tantum conspiciebantur, comitibus regnum administrantibus 1054
Reges apud AEgyptios, non minus quàm priuati legibus tenebantur 760
Reges Persarum stola vestiebantur 585
Reges hodie iudiciis intersunt 931
Reges diuersarum gentium stola vestiebantur 585
Reges omnes excepto Tarquinio comitiis legitimis fuerunt creati 641
per quot annos Imperium habuerint 685
primum ludos exhibuerunt 437
quibus insignibus vsi sint 684
exercentes iudicia in sella curuli conspicua sedebant ibid.
Roma eiecti 641
Reges sacerdotes apud Græcos & Romanos 273
Reges sacrorum centuriatis comitiis creabantur 648
Regum Augustum consilium fuit Senatus 685
Regum in locum Consules creati 642
Regum vestitus, & comitatus apud Romanos 684
Regibus Romæ exactis ordines tres instituti populi Romani 94
Rethræ Lycurgi, id est leges ipsius Lycurgi 764
Reges Persarum quomodo induti erant 564
Rhadamanthæum ius 941
Rhamnusia Nemesis dicta 175
Rhea Saturni coniux 129
Rhea Syluia à Marte grauida facta 2
carcere inclusa ibid.
Rhea Syluia Romuli mater 174
Rheam Syluiam Vestæ sacerdotem quare consecrarit Amulius 2
Rhetores coronati in ipso agone 474
Rica quid sit 616 580
Ricinia quid 781
Ricinum vestimentum quale 552
vnde etiam dictum ibid.
Riculæ quid 580
Rediculus vel ridiculus qualis deus 260
Ripæ fluminis Tanai crystallum dant 533
Ritus sacrificij Vestæ 200
Ritus sacrorum Cereris 195
Ritus obseruati in pegmate 485
Ritus apotheoseos in hunc diem obseruatus 300
Ritus obseruatus in sumenda toga virili 574
Ritus fœnoris 366
Ritus sacerdotum Isidis 263.264
Ritus iudicandi optime expressus 932
Ritus fornacaliorum 367
Robigalia 343
Robigalia à quo instituta, cui & quando 374
Robigalia feriæ Robigo institutæ 252.253
Robur quinam locus in carcere 929
Rogare Candidatorum quid 696
Rogatio dicebatur, quod de ea rogandus populus 926
Rogatio legis quomodo instituta 768
Rogatio per trinas nundinas promulgata manebat 926
Rogatio qua de pace ad populum ferebatur, & qua per populum Triumphus decer-

cernebatur, aut Ciuitas aliqua dabatur Tributis Comitiis ferebatur 609
Rogationis nomen omnibus actionibus cum populo commune vnde ortum 657
Rogationes generali voce appellantur leges & plebiscita 768
Rogationes omnibus Tributis Comitiis ferebantur 669
Rogatores quinam fuerint 659
Rogerius Siculus, Corintho, Thebis & Athenis expugnatis, opifices qui fericos pannos texere solebant, ob Imperatoris ignominiam captiuos deduxit, quos in Paternio Siciliæ Metropoli collocans, artem illam texendi edocere suos præcepit 561
Rogus apud veteres liquoribus perfusus 784
Rogus à rogando quare dictus 782
Rogus, Pyra, Bustum quid differant 784
Roma à quo condita 2
Roma quo tempore condita fuit 6
quis nomen Romæ imposuerit 6
Roma capta ab Alarico Gothorum rege Romanis meridiantibus 506
Roma condita vulturis augurio 5.6
Roma vrbs æterna dicta 11.1
Roma in quot regiones diuisa fuerit à regibus 23. quomodo à septem regibus fuerit amplificata 8 9. postmodum libertate constituta ab aliis 9. quando, vbi & à quibus condita 2. quadrata 8 10. quoties amplior facta pomœrium etiam prolatum 8
Roma diuisa in vicos, & regiones ab Augusto 24.25
Roma primum dicta quadrata 10
Romæ natalis 343
Romæ aliquando per Capitolinos agonas supputarunt 474
Romæ partes à Tullio constitutæ Palatina, Suburrana, Collina, Esquilina 23
Romæ vrbis deum tutelarem quare ignotum esse voluerint Romani 984
Latinum nomen quare ignotum esse voluerint ibid.
Romæ vrbis natalis dies in quo Cæsar interfectus 361
Romam Augustus in quatuordecim regiones descripsit 23
Romam ciuitatem Reges quomodo capaciorem effecerint 8
Romam migrantes ex coloniis, municipiis vel prouinciis, patriis sacris relictis, eius curiæ in quam referebantur, sacra recipere cogebantur 642
Romam Romulus in tres partes distribuit 23
Romam septicollem quare nominarint 13
Romana respublica omnes politiarum formas est experta 683
Romanus ciuis optima lege, quinam 87.88
non nisi Romanam ducere poterat 603
Romani à principio conflictus quid fecerint 980
Romani bella gesturi de parte prædæ aliquid numinibus pollicebantur 143
Romani ciues alij patricij, alij plebeij 88
Romani diem à media nocte inceperunt 334
Romani in Asia vt vim Mithridatis effugere possint, pallia sumunt 564
Romani in Deorum cultu superstitiosissimi 960
Ingentem Deorum multitudinem coluerunt 108
Romani ludi à Tarquinio Prisco instituti 469. mense Septembri ibid.
Romani ludi primùm à Regibus, deinde à Consulibus edebantur 475
Romani ludi primùm Circenses, deinde Scenici fuerunt 469
Romani ludi quinam 475. cur sint Magni appellati ibid. Scenici quoque fuerunt ibid.
Romani mari se non commiserunt ante primùm bellum Punicum 985
Romani posteri ab auita parsimonia discesserunt 845
Romani primo clypeis, post scutis vsi sunt 979
Romani principes omnes qui sub Imperatoris nomine rei Romanæ præfuerunt Pontificatum Maximum susceperunt 308
Romani pugnam tunica purpurea, vel coccinea supra prætorium expansa denunciabant 979. quandiu contenti fuerint aquis quas aut ex Tyberi, aut ex puteis hauriebant 75. quando in hostico, etiam in hyeme bella continuarint 976. quinam dicantur 603. quomodo in milites animaduerterint 996. quomodo nauigandi artem didicerint 985. vtebantur toga 551
Romani à quibus leges acceperunt 764
Romani à quo tempore simulachra Deorum erigere cœperunt 113
Romani antiqui seorsim solebant prandere, cœnare verò cum amicis 505
Romani, vno, eodemque tempore & cœnas, & prandia faciebant 505
Romani toga vtebantur 570
Romani prisci pellibus induti 553.554
Romani in omnibus fanis vincula statuis Saturni imponebant, & in festo ipsius soluebant 132
Romani in triuiis Hermas erectos habebant 132
Romani Carthaginibus bellum indixerunt

missa hasta 306
Romani vxores suas gremiis impositas, & veluti in se reclinatas habere solebant 511
Romani aleam penitus interdicebant 431
Romani diu sola pulte victitarunt, incognito panis vsu 398
Romani nudipedalia celebrare solebant 596
Romani quo die, & quo mense migrationes ex ædibus in alias ædes, faciebant 344
Romanis cæna edita, sublatisque mensis primis silentium fieri solebat 501
Romani veteres in epulis fides ac tibias adhibebant 522
Romani in Lupercalibus nudi discurrere solebant, & pellibus obuias quasque fœminas ferire 271
Romani hortos curare solebant & reges quoque ibid.
Romani pro victoria sacra facientes candida veste amiciebantur 387
Romani primi fuerunt qui cum viris luctari, exercerique fœminas voluerunt 255
Romani talionem admittebant 940
Romani annum nouum vocabant 341
Romani summa cum veneratione aras dicabant 120
Romani iacientes talos scorta sibi auxiliaturа inuocabant 430
Romani corpora defunctorum quomodo sepulturæ mandabant 629
Romani solebant Saturnalia celebrare 423
Romani toga vtebantur in pace, & in bello paludamentis 571
Romanorum Principes Augusti dicti 113
Romanorum ciuium diuisiones 87
Romanorum clementia in hostes deuictos 990
concordia Romuli auctoritatis tantæ vt per dcxxx. annos nunquam ventum sit ad sanguinem 90
politiam Polybius omnibus rebus publicis anteponit 681
Rex Sextus Seruus Tullius 661
Romanos non debere Veio migrare qua voce admoniti 185
Romanis cum Albanis bellum gerentibus visa est monstrosa species 476
Romanis ludis Sabinæ sunt raptæ 475
Romilia id est, ex Romilia 663
Romilia Tribus quæ, & vnde nomen habeat ibid.
Romphæa, Thracum telum 1020
Romulus ac Remus Rheæ Syluiæ filij expositi ibid. & 3. 4
Romulus triumphi inuentor 1036
Romulus legibus à se latis stabiliuit monarchicum dominandi statum 811
Romulus primum anni mensem genitori suo dicauit 356
Romulus in honorem Martis seu Quirini quadrigam excogitauit 449
Romulus post consecrationem Quirinus vocitatus 300
Romulus bellicrepam saltationem instituit 496
Romulus Augur fuit 274
Romulus ciuitatis Romæ ac ciuibus nomen dedit
Romulus cum nullus adhuc esset Senatus à populo communi consensu Rex declaratus 684
cur Quirinus 221
Ioui Statori templum consecrat 138
in Palatij radice 139
Romulus Rheæ syluiæ filius 2. Tito Tatio cum parum fideret, excubias monte Esquilino habuit 18
Romuli, & Remi nutrix Acca Laurentia 2. 230
Romuli lex de Iudicibus 855. de toga 566
Romuli mater Rhea Syluia 2. 174
nonnulli Seruia 3. aliis Ilia 2
Romuli parentem existimarunt Romani esse Martem 174
Romuli prosapiam referri ad Æneam Troianum 2
Romuli regis leges quæ 777
Romuli Imperium addixerant duodecim vultures 13
Romulum Syluium, alij Alladium 2
Rorarij quales milites 972
Roscia lex equitem à populo in spectandis ludis discreuit 440
Roseus æstati flammeæ dicatus est 448
Marti consecratus ibid.
Rosinus in descriptione Antiquitatum Romanarum quos scriptores recentiores secutus sit 1
Rosinus Iusto Lipsio quondam operam dedit 416
Rostra alia noua fuerunt, alia vetera 643
locus auguratus 770
templum dicta fuere ibid.
noua ad Palatij radices 643
pars nauis qualis 986
Rostra vbi fuerint, vnde dicta 643
Rostra vetera apud Curiam in Comitio ibid.
in Rostris leges ferebantur, agebantur causæ, & conciones habebantur ibid.
Ciceronis caput ibid.
Rostrata nauis 986
Rubico antiquissimæ Galliæ limes erat ab Italia 534
Rubigo quid 44
Rubria lex de agris diuidendis in Africa 842
Rudentes vnde dicantur funes nautici 988

Rudis

Rudis baculus gladiatorius 389
Rufuli vnde dicti 847
Rumam Mammam veteres dixerunt 241
Rumigestri, pro teli quodam genere 1019
Rumina Dea quæ mammam paruulo immulgeat 241
Rusina Dea quæ à rure nomen habuit 254
Rusor cur Orcus nominatus 220
Rustica tribus quid 662
Rusticæ tribus quare vrbanis præpositæ ibid.
Rusticæ tribus quot sint ibid.
Rustici Gallorum simulachra dæmonum candido tecta velamine, misera per agros suos circumferebant dementia 386
Rustici dij agrorum præsides 255
Rutilia lex de Tribunis militum 847
Rutilæ canes caniculæ quo mense sacrificabantur 344
Rutilius Scaurum ambitus accusauit 870

S

SAbbasia, nocturna sacra Bacchi 185
Sabbatina vnde 665
Sabarium & Sagam Berosus Saturnum appellat 128
Sabinæ ludis Romanis raptæ 354.474.611
Sabinarum raptus 345
Sabini raptum filiarum vlciscuntur 138
Sabini Tarpeiam arcem cœperunt ibid.
Romanos in fugam coniecerunt ibid.
Sabinis mons Tarpeius habitandus traditur 8
σακκίζειν, & σακκελίζειν, sacco liquare 543
σακκελίσιον, sacculum 876
Sacella, quænam dicantur 109 110
Sacellum erectum Dianæ Orthiæ 839
Sacellum, pecuniæ repositorium 171
Sacerdos Græca Cereris 272
Sacerdos, Deus dicitur, & mons existimatur 113
Sacerdos Martis in capite tiaram gerebat 592
Sacerdotes Atheniensium & Alexandrinorum quibus calceamentis vtebantur 596
Sacerdotes Bonæ Deæ fuerunt matronæ quę operatæ sunt sacris Faunæ 313
Sacerdotes duo in eodem collegio ex eadem gente esse non potuerunt 671
Sacerdotes Galli à suis collegiis cooptabantur 669
Sacerdotes non fiebant antequam togam virilem sumerent 671. omnium vetustissimi Luperci 270. publici quinam apud Romanos 274. immunes à militia, & exempti ab vrbanis negotiis ibid. quibus legibus electi, creati, & cooptati 825
Sacerdotes quidam non in Comitiis, sed à suis collegiis cooptabantur 669
Sacerdotes qui suo cruore sacrificabant 175
Sacerdotes vittati fuerunt 585
Sacerdotes Iouis Sabadij, Sabi dicti 145
Sacerdotes Ægyptiorum calceos ex papyro ferebant 601
Sacerdotes Bellonæ, quomodo illi sacrificabant 398
Sacerdotes Ægyptij cur cæpe non edant 168
Sacerdotes Isidis velo à populo secernebantur 263. linigeri dicti 264
Sacerdotes duo 310
Sacerdotes suos singulæ Curiæ habebant 290
Sacerdotum comitia tributa Consules habere oportebat 670
Sacerdotum cooptandorum ius à quibus modo à collegio ad populum, modo à populo ad collegium fuerit translatum 275
Sacerdotum creandorum ius à populo ad collegia translatum lege Cornelia 826
abrogata rursus ibid.
Sacerdotum leges ibid. ministri 315
Sacerdotum omnium reditus Romæ fisco applicati 308
Sacerdotum publicorum institutum quale 274
Sacerdotum subrogandorum ius à collegiis ad populum translatum post legem Domitiam 669. quare 275. & collegio redditum ibid.
Sacerdotibus quomodo vacatio à militia concessa 826
Sacerdotium absentes potuisse petere 826
Sacerdotium qui petere volebant, iis nominatio erat necessaria 676
Sacerdotia petendi ætas definita non fuit 671
Sacerdotij cuiuscunque candidatos inauguratos esse oportebat 676
Sacerdotij summi dignitas apud Romanos quando defecerit 308
Sacerdotij genera omnia descripta 291
Sacer homo qui dicatur 791
Sacra alia priuata, alia publica, quid singula 781
Sacra gentilia quæ ibid.
Sacra Cereri instituta ab Atheniensibus 194
Sacra Marti extra portam Capenam 344
Sacra Vestæ 375
Sacra Solis fiebant in speluncis abditis 165
Sacra Bellonæ 344.398.399
Sacra Dianæ quo die, & mense fiebant 342
Sacra Ægyptiaca quo in tempore à Romanis accepta 322
Sacra peregrina quænam sint, & cur sic di-

cta ibid.
Sacra Cereris, cur iactatione tædarum ardentium celebrabantur 195
Sacra Bacchi nocturna 186
Sacrorum custodes qui 308
Sacræ res quænam sint 887
Sacramentum militare 1009
Sacramentum militare quale fuerit 962
963. religiose à militibus obseruatum ibid.
Sacramentum quænam pecunia fuerit 903
Sacramentum quale genus militiæ 993
Sacramenti vetustissimi vestigia 1011
Sacramento miles lectus 1009
Sacramenti nomine quodnam æs dicatur 716
Sacramento qui non parebant indicta causa à ducibus interficiebantur 663
Sacrata lex militaris qualis 647
Sacratæ leges quæ dicantur 835
Sacrificium quid 321
Sacrificium Iani 342
Sacrificia annua in honorem Romuli instituta idib. Maiis celebrabantur 20
Sacrificia in honorem Remi instituta singulis annis ibid.
dies iste idib. Maiis celebrabatur ibid.
Sacrificia Bacchi optime descripta 185
Sacrificia deo Termino an animata, aut inanimata essent 367
Sacrificia Siluani apud Romanos tantum habita 258
Sacrificia sponsalia 613
Sacrificia Larium 390
Sacrificia Bellonæ 399
Sacrificia Bonæ Deæ 249
Sacrificia post partum 158
Sacrificia Isidi instituta eadem, quæ olim in Ægypto 261
Sacrificia deo Genio oblata 208
Sacrificia Agonia 16
Sacrificia atque sacra Rex curabat apud Romanos 684
Sacrificia sua quomodo Romani peregerint 321
Sacrificiorum alia muta, alia arguta, alia regalia 289
Sacrificiorum per quæ expiationem faciebant, tria loca 110
in Sacrificiis ne quid, in precationis formula prætermitteretur, de scripto præire aliquem oportebat 321
Sacrificiis peractis veteres ad epulas redibant, laudes diis canebant, pedibus circum aras complodentes, ad numeros psallebant, choreas agebant 322
Sacrificantes ad dextram vertere se solebant 324
Sacrilegus quis, & vnde 783
Sacri ludi quinam sint 468
Sacrima quid 409
Sacrum Saturno fiebat aperto capite, & aliis diis tecto 133
Sacrum Fidio Semipatri 344
Sacrum Bonæ Deæ primo die Maij 343
Sacrum Veneris cum floribus, & Myrtho 343
Sacrum mense Octobri, Libero fiebat 345
Sæculares ludi à quibus instituti 310
Sæculares ludi celeberrimi apud Romanos 476 quare sic dicti ibid.
quando instituti 477
Sæculares ludos paulatim intermissos D. Augustus instaurauit ibid.
Sæculares ludos primus post exactos Reges instituit P. Valerius Poblicola ibid.
Sæcularium ludorum ritus quis 478
Sæculum in centum annos extendi existimabant Romani 476
Sæcula aurea, tempora Saturni 131
Sagaris Massagetum telum 1022
Sagochlamys, gregariorum militum fuit 957
Sagogidæ Dionysij 937
Sagum bellicum indumentum 957
Sagum belli insigne 566
Sagum vestimentum militare, quod armis superinduebatur 552
Sagum vox Gallica ibid.
Saguntini Phalarica vtebantur 1016
Salacia qualis dea, & vnde sic dicta 203
Sales cur sic dicti 465
Saliare carmen primum composuit Numa Pompilius 304
Saliares virgines quænam ibid.
Salij 376
Saliorum clypei ibid.
Salij vel saliares 457
Salij à suis collegiis cooptabantur 669
Salij Collini qui, à quo, & quando instituti 309
Salij cur Palatini dicti 303.
erant saltatores, & laudatores deorum, belli præsidum ibid.
Salij quales pileos gestent ibid.
quomodo saltent ibid.
Salij Quirinales etiam Agonenses dicti 309
Salij vnde dicti 303
Saliorum carmina quomodo nominata fuerint 304
Saliorum diebus festis cur abstinendum à nuptiis 604
Saliorum festum 358
Saliorum festum in Panathenæa Græcorum 30. quale ibid.
Saliorum genera duo 309
cœtus dicebatur collegium 303
magister illorum Præsul 304

Salios duodecim Numa Pompilius ex patriciis instituit, qui Marti in Palatio sacra facerent 303
Sal rufum offerebatur vestæ in sacrificio 200
Sallustiani horti qui 893
Sallustij forum in monte Quirinali ibid.
Saltabant,& canebant apud veteres ante triclinia 516
Saltatio armata,pyrrhica dicta 482
Saltatio mimica differatne à gladiatoria 486
Saltatio bellicrepa à quo instituta 496
Saltatio gladiatoria,dicta Pyrrhica 486
Saltatio vetustissima sine cantu fuit 465
Saltationis differentiæ quæ ibid.
Saltationis partes tres fuisse ibid.
Saltationis ratio veteribus non vulgaris ibidem
Saltationi quando cantus, & instrumenta fuerint adiuncta ibid.
Saltationes in scæna factæ 486
Saltatorum habitus qualis 482
Saltus petauristarum per flammas accenso pegmate 485
Salutaris collis 16
Salutaris porta vnde nomen habeat 239
Salutatores qui 696
Salutis augurium quale apud Romanos 239
Saluti à quo templum extructum ibid.
Salutem Romani religiose coluerunt ibid.
Salue,& vale cur mortuis dicatur 626
Sambucistriæ epulis additæ 522
Samia Sybilla 310
Sanates dicti fuerunt qui supra infraque Romam habitauerunt 779
Sandalarius vicus 151
Sandalium genus calceamenti ibid.157
σανδάλια, gallicula ibid.
Sanctæ res,quæ vt immolatæ essent pœna irrogata cautum 887
Sanguis cur ignominiæ caussa militibus missus 997
Sanguis humanus ante rogos defunctorum effundebatur 626
Sanniones cur sic dicti 456. tria genera sannarum ibid.
Sapientia in capite hominis 170
Sardes Lydorum primaria vrbs 473
Sardes reges Etruscorum 474
Sarissa,hasta Macedonica 1021
σάρισσα Μακεδονική, Macedonica Sarissa ibidem
Sarissophori cur sic dicti ibid.
Sarmatæ pellibus teguntur 555
Sarraceni impotentes, & frigidi naturaliter, qui liberos suscipere ex vxoribus suis non poterant, eas aliis vtendas tradebant 611
Saturnius mons idem qui & Capitolinus, & Tarpeius mons dicitur 14. quare sic nominatus ibid.in cuius tutela ibid.
Satisdare se velle,in iudicio se sistere 700
Satura quid fuerit apud Romanos 971
Saturnalia quo mense celebrata 346
Saturnalia peragebantur magna libertate in Decembri 423
Saturnalia ante Romam conditam in Italia, & Græcia celebrata 411
Saturnalia primo à Noha esse celebrata tempore diluuij in arca 411. quando primo Romæ instituta 129
Saturnalia Saturni dies festus 413
Saturnalibus crebra conuiuia agitabant, & mittebant sibi inuicem munera ibid.
Saturnalicia dona cur sic dicta ibid,& 423
Saturnia terra quare sic dicta sit Italia 14.133
Saturni cur sic dicti 133
Saturnius mons,tutissimus,& prouidæ Naturæ manu aduersus iniurias hostium, situque immitissimus 719
Saturnus antiquissimus deorum, Cæli filius, sub eo sæcula aurea, cum Titanibus pactum iniuit, victus, & in Tartarum coniectus 131 plura de bello ibid.
Saturnus Aboriginum rex Iustus 128
Saturnus culturæ agrorum præsidet 411
Saturnus nomen Thuscum,& Syriaca lingua latentem significat 128
Saturnus quare ex se natos fingatur comedere ibid. cursum temporum continet ibid. Cœli & Hecates filius ibid. quare Latius ibid.quare pecuniæ custos constitutus 129. quemnam locum tenuerit 14
Saturnus quem Romani coluere vnus fuit ex filiis,aut posteritate Nohæ 128
Saturnus victimis humanis placatus à Pelasgis 413
Saturnus Italos legibus à se latis formauit 763
Saturni coniux Rhea fuit 129
Saturni dicuntur familiarum Nobilium, & Regum senissimi 128
Saturni,& Opis templum Tul. Hostilius primus Romæ vouit 128
Saturni etymologia ibid. imago quomodo picta fuerit ibid. eiusdem aræ, areæ, luci ibid. insigne cur falx 411
Saturno regnante nullum furtum commissum 129
Saturnum Noham fuisse quidam contendunt 128
Saturnum quare Aborigenes in numerum Deorum retulerint ibid.
Satyra lanx 351
Satyra qualis species ludorum scenicorum ibidem
Satyræ nomen vnde ibid.

Satyrica scena quomodo adornata fuerit 465
Satyri in Atellanas fabellas demigrarunt 454
Satyri in Comœdias primum inducti à Liuio Andronico ibid.
Satyri quare Tragœdiis sint admissi ibid.
Satyri ministri Bacchi 188
Satyrorum habitus 481
Satyros an Latini in tragœdias receperint 454
Satyros nudos induxit Horatius in Tragœdia ibid.
Satyros primum reiecit Sophocles ibid.
Saucia curia 640
Scala genus quoddam poculi 530
Scalæ admotæ cœnaculis 514
Scæuola optime pila lusisse dicitur 433
Scaphæ nauiculæ sunt, quæ maiores naues consequuntur 990
Σκαφία instrumenta quibus ignem amissum Vestalium negligentia intendunt 302
Scalmus quæ pars nauis 986
Scantinia lex de pueris impudicis 860
Scaptia tribus vnde 666
Scaurus Rutilium ambitus accusauit 870
Scauri Theatrum sumptuosissimum 439
Scena quid proprie sit 439.465. vnde dicta sit 440
Scæna quænam pars theatri 439
Scena versatilis cum machinis quibusdam subito vertebatur ibid.
Scenæ mutationes rerum & personarum sunt in actibus 463
Scenæ non plures personas habere debent quam tres ibid.
Scenam ductilem quid nominarint Romani 339.340
Scenarum genera tria fuerint 465. quomodo singulæ scenæ adornatæ ibid.
Scenas definitas ipsi actus non habent 463
Scenici ludi in theatro peragebantur 439
Scenici ludi qui in scena, hoc est vmbra agebantur 437 vnde dicti 453
Scenicorum ludorum initia parua ibid. species ibid.
Sceptrum per quod iurant Romani, & Lapidem silicem ex templo Iouis Feretrij sumpserunt 138
Sceptrum, inter ornamenta triumphalia positum, eburneum, in summitate habens aquilam 1048
Schema quid sit 435
Scholæ clausæ dum habebantur Saturnalia 131
Scipio Carthaginem, ad vota soluenda diis, munusque gladiatorium (quod morti patris, patruique parauerat) edendum rediit 401
Scipio Asiaticus centum triginta septem vrbium simulachra in triumpho duxit 1048
Scipio cum pallio & crepidis inambulauit in Gymnasio 566
Scipio Æmilianus duo scortorum millia quæ Castra sequebantur eiecit 1030
Scipionis triumphus 1043.1044
σκίρος, 343
Scissores, famuli qui cœnæ seruiebant 519
σκίταλη, 1023
Scordisci, longe nunc ab iisdem prouinciis disparati, hostiis captiuorum Bellonæ litantes & Marti, humanumque sanguinem in ossibus capitum humanorum bibentes auidius 537
Σκυθικὰ, 343
Scorpionis forma quæ 983
Scorpiones sic dicti quod paruis subtilibúsque spiculis mortem inferrent ibid.
Scorta, calones, sarcinæ, nisi ad vsum necessarium amputabantur 1030
Scorta floridas vestes ferebant 563
Scorta producta in Floralibus 256
Scortorum antiquissima lex ne peregrinis vestimentis vterentur, &c. 559
Scriba Cicero vsus est suo Liberto 749
Scriba naualis minimæ dignitatis ibid.
Scribæ apud Græcos in maiore honore habiti quam apud Romanos ibid. apud Romanos qui 748. cur singulis magistratibus apparuerint ibid.
Scribæ à Quæstoribus mercedem apparitionis acceperunt ibid.
Scribæ cum plurimi essent in ciuitate, in decurias multas sunt translati 749
Scribæ Pontificum liberi fuerunt 101
Scribarum arrogantia à M. Catone minore fracta 749
Scribarum ordo ex ingenuis potius quam ex libertinis constitutus ibid.
Scribarum ordinem non admodum grauem fuisse Romæ ibid.
Scribarum vsus prætor qui fuerit 701
Scribis aditus ad maiores honores non fuit interclusus 749
Scribas apud Romanos leges in manu sua habuisse 748
Scribis quare Quæstores vsi 746
Scribarum genera 773
Scriptores diuersi de disciplina militari veterum 953
Scriptura vectigal quod ex pactione pascuorum publicorum colligitur 993
Scurræ in scenam adhibiti 455. duplici genere ibid.
Scutum 973
Scuti latitudo, & longitudo ibid.
Scutum Pallladis 587

Scuta albesia dicta decumana 1025
Scutorum materies & forma 973
Scuta Amazonum 1028.1029
Scuta Græcorum rotunda 1024
Scutum Prædatorium 1025
Scutulum quid sit 711
Scutilatum ibid.
Scutula genus vestis oblongum, & quadratum ibid.
Scutulata toga 570
Scylla Nisum patrem suum prodidit 876
σκύλαξ ἅλυσις σιδηροῦς, scylax, vinculum ferreum 1052
Scyphi Homerici 540
& scyphi Herculanei laudati præ aliis ibid.
Scyphus, fuit in vsu 539
Scythæ pellibus ferinis ac murinis vtuntur 554.555
Scythæ antiqui ossibus capitis humani vtebantur pro poculis 537
Scythæ non admiserunt Dionysia sacra 185
Scythæ sagari vtebantur 1022
Secespita quid 320
à secando dicta ibid.
hac vtebantur flamines, & flaminicæ Virgines atque Pontifices ad sacrificia ibid.
Secessio plebis Romanæ in Auentino facta 19
Secessio plebis Romanæ in Ianiculum 21
Secreta penetralia templi Cereris Catanensis adire, viris nefas erat 196
Sectatores qui 696
Sectatores qui fuerint 923
Secundani milites qui, & vnde nomen habeant 972
Sedebant mulieres, & discumbebant viri 507
Sedere aliquando feriari est 361
Sedere, formula sacrorum, obseruata in funebri solemnitate 322
Sedes equestris ordinis 488
Sedes Imperatorum in theatro 486
Sedes pro sepulchro, ac tumulo sumpta 322.323
Sedes æterna aut perpetua, cur sic dicta 323
Sedes senatorum in orchestra 486
Sedilia equitum in theatro 487
Sedilium ordines in Theatro quinam 440
Seditio magna apud Constantinopolim, penuria rei annonariæ ingruente 738
Seditiones ortæ à populo in diuisione annonæ 738
Se dolo malo, id est sine dolo malo 778
Segesta Dea 253
Segestria pelles nauticæ 989
Segetia qualis Dea 253
Ξεῖν quid significat 402
Selecti Dij qui, quot, & vnde dicti 120.121
Sella Curulis prætorum qualis sella fuerit 701
Sella curulis Romanorum Imperatorum insigne fuit 1045
Sellæ curules quibus coronis ornatæ 783
Sellularias artes exercere non licebat ciuibus Romanis 675
Selenus alumnus, & nutricius Bacchi, senex, caluus 189
Sementinæ feriæ 342
Sementinæ feriæ quæ, quando institutæ 351
Semidei qui 108
Semones quales dij ibid.& 240
Sempronia horrea 845
Sempronia, multa virilis audaciæ facinora commisit viro, & liberis fortunata, Græcis & Latinis literis docta, psallere, & saltare elegantius 523
Sempronia lex ad sacra pertinet 824
Sempronia lex de ætate militum 847
de fœnore 854
de iis quibus magistratus esset abrogatus 832
de iudicibus 855
de iure suffragij sociorum Latinorum 827
Sempronia lex de iure suffragiorum sociis Latinis dando 830
de menstruo frumento 845
de prouinciis Consulibus designandis decernendis 840
de viis Italiæ 874
Sempronia lex, vt per actuarios limites populo ius eundi esset 843
Semproniæ leges quæ contineant 827
Semproniæ leges de possessione publicorum agrorum 842
Sempronius sophus, diuortium remisit vxori, quod spectasset ludos se ignorante 611
Senaculum fuit in æde Concordiæ 238
Senaculum vbi Senatus aut seniores consisterent 79
Senacula qualia loca fuerint 694
quotnam Romæ ibid.
Senacula tria vbi Romæ fuerint 79
Senatoria ætas quænam fuerit 687
Senatoria dignitas non omnibus sine discrimine concessa 831

Senatorium censum si quis labefactasset, ordinem amittebat 687
Senator cum dicenda sententia duas pluresve res complexus esset, eæ si non omnes probarentur, postulabatur à quouis sedente vt diuideret 694
qua forma sententiam dixerit ibid.
Senator qui à Senatu abfuit, quomodo mulctatus, & quando 695
Senator sententiam rogatus assurgebat, & quandiu volebat, dicendi potestatem habebat 694
Senatoris legendi arbitrium non solum fuit Censorium, etiam prætereundi 687
Senatori cui ius quando concessum fuerit dicere, Numera senatum 695
Senatorem loco mouere poterant Censores 699
Senatorem non legebant, nisi qui magistratum prius gessisset 687
Senatores cum legebantur, ordinis, generis, census, ætatis, & magistratibus ratio habebatur ibid.
cur patres appellati 685
Senatores etiam si Magistratus gessissent, nisi tamen à Censoribus lecti essent, Senatores esse non poterant 689
Senatores ex patriciis & plebeiis legebantur 686
Senatores fuerunt qui à Regibus primum, deinde à Consulibus, post à Censoribus in Senatum lecti, siue patricij, siue plebeij, siue Equites 94
in spectandis ludis separatas sedes ab Equitum & plebeiorum habuerunt ibid.
legi solebant à Regibus, Consulibus, & Censoribus 686
Senatores maxime ex Equestri ordine legebantur ibid.
Senatores non fuerunt omnes patricij posterioribus temporibus 94
Senatores metu perculsi sub initio bellorum ciuilium in Ianiculum se receperunt, veluti in sedem tutam, quietamque 22
Senatores candidis togis vtebantur 388
Senatores ætate Atronis, vtebantur pellibus in vestitu 556
Senatores pectus Reipublicæ Romanæ 691
Senatores nudis incedebant pedibus 595
Senatores pedarij quinam 687
Senatores primum Romulus elegit 685
quosnam ibid.
quare aliquoties legationem liberam petiuerint 851
Romæ ducenti, & mox trecenti 686
mox sexcenti ibid.
Romæ nongenti, & ex omni turba ibid.
tunicam clauatam gerebant 577
Senatores vnde dicti 685
Senatorum causa leges latæ 831
Senatorum electio quomodo instituta à Romulo 685
Senatorum filij nondum in Senatum Equites siue Equestri ex ordine fuerunt 94
Senatorum insigne fuit Tunica latos clauos intextos habens 577.687
Senatorum numerus à Romulo institutus qui 685
Senatorum numerus confecto bello Sabino auctus fuit 686
Senatorum numerus vt Senatusconsultum fieret, quinam necessarius fuerit 695
Senatorij dies quinam in anno 318
Senatus cessabat mense Decembri 948
Senatus vnde dictus 690
Senatus conuocatus antequam quis triumpharet 1036
Senatus à Cæsare dictatore ad nongentos auctus, & post necem eius omni turba repletus 686
Senatus causa fuit legum latarum 831
Senatus exterarum nationum legatis vbinam datus 694
Senatus cessabat dum habebantur Saturnalia 131
Senatus indictus qui sit 694
Senatus in templo Iouis Capitolini nonnunquam habebatur 140
Senatus legitimus quinam 694
magistratibus qui ad vrbem erant datus in templo Bellonæ ibid.
non nisi in loco per Augures constituto, quod templum appellabatur, haberi poterat ibid.
nonnunquam habitus in templo Iouis Statoris 139
populo mistus in spectandis ludis per quingentos, & quinquaginta octo annos fuit 440
Senatus Princeps qui sit 687
nullus alius nisi priore mortuo creabatur ibid.
Senatus quale Consilium fuerit 693
Senatus quando plebi communicatus fuerit 686
Senatus quando subdio habitus 694
Senatus quare Comitialibus diebus non fuerit habitus ibid.
Senatus quibus temporibus habitus fuerit ibid.
Senatus Regum & aliorum Magistratuum augustum

augustum consilium 685
Senatus cessabat tantum toto anno duobus mensibus 692
Senatus authoritas 690
Senatus Romanorum visus est Cyneæ Regum consessus 693
Senatus si in loco non legitimo aut die non idoneo, aut non legitimo edicto coactus esset, tum non fiebat Senatusconsultum: sed quid placuisset, reliqui testari volebant 695
Senatus Sullani numerus certus afferri non potest, supra quadringentos, tamen fuisse ex Cicerone constat 686
Senatus Vatinium vehementer odit 856
Senatus legendi ordinaria ratio quænam fuerit 686
Senatus potestas quanta fuerit 693
Senatum à Tarquinio Superbo cædibus imminutum suppletum esse, quomodo intelligendum 686
Senatum consulendi ius quoque habuerant Tribuni militares, Decemuiri legum scribendarum, Triumuiri Reip. constituendæ 693
Senatum ex Calendis Februariis ad Calendas Martias quotidie cogendum lege Gabinia sancitum 831
Senatum legere quorum fuerit ibid.
Senatum quinam habere potuerint 693
ex Senatu sacerdotes & magistratus creabantur 696
Senatusconsultum quid 768
Senatusconsultum, & auctoritas quomodo differant 695
Senatusconsultum fieri non poterat, si adusque solis occasum Senator orationem produxisset ibid.
Senatusconsultum in cuius sententiam factum erat nominatim nominabatur ibid.
Senatusconsultum per discessionem quomodo factum fuerit 694
Senatusconsultum quomodo perscriptum fuerit 695
Senatusconsultum vt fieret, quot Senatores in Senatu esse necessum fuerit ibid.
Senatusconsulto scripto eorum omnium nomina, qui adfuerant adscribebantur ibid.
Senatusconsultum quinam facere potuerint 693
Senatusconsultorum cura quare Ædilibus plebis commissa 714
Senatusconsulta quibus de causis omnino fieri non potuerint 695
Senatusconsulta quomodo duobus modis facta sint 694
Senatusconsultis Tribuni plebis intercedere poterant 695
Senatusconsulta Quæstores asseruabant 712
Senatusconsulta quomodo fiebant 692
Senes in scæna sedebant in Buleutico 486
Senibus, & sacerdotibus quando nulla vacatio data fuerit 829
Seniores non nisi dubiis in rebus Reipublicæ ad arma vocari sunt 695
Sententiæ latio qualis fuerit 910. 911
Sententiarum rogandarum ordinem quem consul Calendis Ianuariis tenuit, eundem ordinem toto anno obseruauit 694
Sentia lex 831
Sentina quid proprie, & quid metaphorice 986
Senum appellatione prisci viros ætate & virtute præstantes honorarunt 685
Se pro fine antique 784. 801
September mensis varie denominatur 406
in Vulcani tutela 407
September quare sic dictus 406
Septembrem senatus in honorem Tyberij Tyberium nominari voluit ibid.
Commodus Imperator Herculem ibid.
Septem Romæ Montes 9
Septemuiri Epulones quando, & à quo instituti 314
Septemuiri Epulones quodnam officium habuerint ibid.
Septemuiri Epulonum tributis Comitiis creati 669
Septenarius 362
Septicollem quare Romam nominarint 8. 13
Septimatrus 362
Septimius collis 18
Septimontium festum 413
Septa loca in campo Martio inclusa tabulis 678
Sepeliebantur Principes, aut in montibus, aut ad montium radices 634
Sepulchrum temporarium, & æternum quo modo differant inter se 322
Sepulchrum à sepulto dictum 423
Sepulchrum Fusci aurigæ 447
Sepulchra à veteribus culta, tanquam templa 112
Sepulchro locum designabant, vel Augures vel Pontifices 625
Sepulchra in vrbe quando habita sint, & quinam in ea habuerint ibid.

Sepulchrorum ornamenta qualia 615
Sepulchra in vrbe habere quando non fuerit concessum, & quando permissum 781
Sepultura variarum nationum 619
Sepultura communis Romanorum in viis publicis 633
Sequana, fluuius 1033
Sequestres qui 697
Seraptenum vinum 187
Serapis Deus 261
Seribus iucundissima cœli temperies, salubrisque aëris facies, munda, &c. 560
Serica vestis ibid.
Serica blatta 551
Sergia tribus vnde 665
Sergius Orata balneas pensiles instituit 76
Sericulata toga 570
Sermonis Deus Mercurius 169
Serpentes cum parricida includebantur 875
Serui à Dominis ministrabantur mensæ accumbentes in celebratione Hermeæ 423
Serui publici, id est ministri magistratuum aut reipublicæ 877
Serui contra dominos torqueri non poterant 94
Seruij Tullij simulachrum igne consumpto templo fortunæ Seiæ, in quo erat, solum sine vlla labe permansit 394
Serui nascuntur ex ancillis 886
Serui nequam ad columnam Mœniam puniti 913
nisi in dubiis rebus Reipub. ad arma vocati 965
Serui publici qui fuerint, & eorum ministerium quodnam 750
Serui tribus modis manumittebantur 101. 102
Seruorum ius gestandi arma vnde manarit 102
Seruos fieri aut iure gentium aut iure ciuili 886
Seruilia lex de ciuitate 818
de iudicibus 855
de repetundis 872
Seruilia lex quibus consulibus lata 842
Seruiliæ legis capita plurima recitantur ibid. & 843.872
Seruitus ciuitatum apud Romanos in quonam posita 994
Seruitus quid, & quotuplex 886
Seruitutis pœna quibusnam proposita fuerit 925
Seruitutes personarum & rerum quænam sint 887
Seruius Tullius, quomodo natus, & ex qua matre 388
& quid de illo referatur ibid.
Seruius Tullius Comitiis curiatis creatus 641
primus Censor ac inspector vitæ ac modestiæ ciuium 222
quos montes vrbis pomerio addiderit 8.9
sextus Rex Romanorum 9.23 661
septem colles vno muro complexus vrbem Romam in quatuor partes à collibus denominatas diuisit ibid.
quandiu durauit hæc diuisio ibid.
Sesquiulysse quid 580
Seuerinus consul ordinarius 503
Seuerus Cęcinna, ne vxor comitaretur quenquam magistratuum cui obuenerat prouincia 131
Seuerus Imperator lata lege maritorum ius militibus indulsit 1030
Seuerus Romæ interemptus est in palatio 14
Sexatrus 262
Sextante temperati potarunt 527
Sextia lex de creando altero consulum ex plebe 853
Sextia Mœnenia lex 857
Sextilis mensis cur Augustus dictus 403
Sexto Claudio frumentariam procurationem mandandam esse tulit Clodius 845
Sibylla Erithræa Deum maximo adulterio irritari 866
Sibylla Cumana nouem libros attulit ad Regem Tarquinium, ac pro eis trecentos philippeos postulauit 310
Sibylla dicta quasi Σιοβόλλα ibid.
Sibylla fuit Romæ Olymp. 1. qua regnauit Tarquinius Priscus 309
Sibyllæ decem fuerunt numero 310
Sibyllæ omnes fœminæ vates à veteribus sunt appellatæ ibid.
Sibyllarum omnium carmina & feruntur, & habentur, præterquam Cumeæ, cuius libri à Romanis occultantur ibid.
Sibyllarum trium statuæ Romæ iuxta rostra erant ibid.
Sibyllarum oracula 312
Sibyllarum numerus 310
Sibyllina oracula Romani diligentius custodiuerunt, quam vlla sacra 309
Sibyllini libri non sunt vnius Sibyllæ libri 310
Sibyllini libri post reges expulsos ad populum deueniunt 309

qui

qui nunc extant in multis locis comportati sunt ibid.
seruantur in arca lapidea in Sacello Iunonis, quod in templo Iouis Capitolini 40
Sibyllini libri vsque ad bellum Marsicum incolumes permansere 309
ine absumpti fuerunt ibid.
Sibyllinorum oraculorum libri Tarquinio venales oblati ibid.
aliquot cremati ibid.& 310
Sica ferreus cultellus 865
Sicambri ab Augusto in Gallias traducti 1054
Sicarij à sica dicti ibid. 865
Sicariorum causa leges latæ ibid.
Sicarius, prædo, latro 1023
Σικιννίς 466
Sicilia prouincia quare duos habuerit Quæstores 746
Sicilia vel Sardinia horrea populi Romani sic dicta 733
Sicinio Dentato quam multa munera militaria data 999
Siciniſtæ 781
Sicyonij, Coronidi dei nullam statuam erigebant 181
Sigebertus contra Chilpericum fratrem, more gentis clypeo impositus rex constituitur 1026
Sigillaria post Saturnalia celebrata 346
Sigillariorum festum 414
Sigma litteram aliquando vt C. scriptam fuisse 507
Sigma quid ibid.
Sigma apud Græcos quid sit, & quomodo capiatur 503
Sigmatum, & mensarum ornatus ibid.
Sigmata quomodo ornabantur ibid.
Signum Pollentiæ 441
Signa militaria apud Romanos quænam 967
Signa militaria apud Romanos in castris fixa erant 979
Signorum alia vocalia, alia semiuocalia, muta alia 967.1061
discrimen ibid.
Silatum fuit dictum Ientaculum 503
Silleni satyri, dicti ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, à conuiciari 188
Sileni ministri Bacchi ibid.
Silentium apud Romanos cœna edita, sublatisque mensis primis fieri solebat 501
Simaristus exiguum & cauum poculum 539
Simia includebatur cum parricida 871
Simon magus lapidatus 861
Simpludiaria funera, qualia erant 489.628
Simpulatrices fœminæ rebus diuinis deditæ 319
Simpulum à sumendo ibid.
Simpuuiatrix illa, quæ porrigit poculum quod dicitur simpuuium 530
Simpuuium vas sacrificiis aptum ibid.
Simulachrum Mercurij apud Athenienses in omnium ædium priuatarum vestibulis 199
Simulachrum Dianæ Segestanæ dextra manu facem præferebat 195
Simulachrum Vestæ stabat in omnium ædium priuatarum vestibulis apud Romanos 199
Simulachrum Victoriæ in Circo positum 181
Simulachrum defuncti apud Ægyptios iisdem ornamentis, quibus viuens vtebatur 635
Simulachra omnium Deorum, dearumque in Capitolio coli solita 16
Simulachra Argeorum scirpa de Ponte in Tyberim deiiciebantur 343
Simulachra ipsorum numinum testacea erant 530
Sinistræ tibiæ grauem sonum reddebant 467
Sinistræ tibiæ quæ ibid.
Sinistrum in augurali disciplina diligenter obseruabatur 278
Sinus togæ 565
Σίφων quale vas 319
Sinistrum adhibitum in sacris Isidis, pulsatum à sacerdotibus 265
Sitella, vas, aut vrna 942
Siticines qui apud sitos, hoc est vita functos canebant 782
Siticines quinam sint 624
Sitim primam antiqui mulsa sedabant 516
Soccus Comicorum 462
Soccus quale calceamentum 461
Socco vtebantur in comœdia ibid.
Socialis lex quare Quæstio repetundarum dicatur 872
Societas quid 889
Societas Lupercorum cur rustica, & agrestis vocatur 272
Sociorum præfecti qui fuerint 291
Socrates infirmus, vouit Æsculapio si conualesceret, gallum 231
Socrates Athenis damnatus, eo quod nouas religiones introducebat 312

Socrates cum pueris pila ludere solebat 433
Sodales Titij, plerumque adolescentes fuerunt 291
Sodales sunt, qui eiusdem collegij sunt 803
Sodales Titij à suo Collegio cooptabantur 669
Sodalitia quid intelligantur esse 671
Sol Mithra dictus, & descriptus à Persis 165
Sol quare dictus Hecatombæus 344
Sol cursum suum peragit trecentis sexaginta quinque diebus,& quadrante 328
Sol occasus pro sol quando occidit antique 798
Sol vnde dictus sit 164
Soli,& Marti equo litabatur 321
Sol à Persis adoratur 1061
Solarium 948
Solea plantam tantum texit 593
Soleæ quid proprie 594
Soleis ligneis puniebantur parricidæ 875
Solemnitas nuptiarum 613
quomodo finiebatur ibid.
Solemnitates funerum Romanorum 629
Soliferrea coniuncta cum Phalaricis 1017
Solistimum tripudium 287
Solitaurilia quales hostiæ 418
Solon Rempublicam Atheniensium legibus informauit 759
Solutio sacramenti militaris 1013
Somnia inquietorum, & infirmorum furiosa 117
Somnia vt plurimum ex euentibus iudicantur 116
Somniorum diuersitas 117
Somnus interiectus inter prandium & cœnam videtur alium diem facere 506
Sonere pro sonare antiquè 800
Sontes feris obiecti in arena 489
Sonticus morbus quis 796.909
Sophocles tertium chorum tragœdiæ adiecit rogatus 461
Sordidatam viri illustres rei facti sumebant 569
Sordidari cur rei dicti ibid.
Sordida toga à pulla quid differat, & cuius coloris 558
Sororia Iuno quare 147
Sors adhibita in oraculis 155
Sorte Regna olim inter se diuidebantur 205
Sortes in profundum aliquem fontem iactati diuinandi gratia 156
Sortes in castris in galeam coniiciebantur 942
Sortiri pilam,quid sit ibid.
Sortitio 613.614
Sortitio iudicum quomodo instituta 919. 941
Sosianus Apollo 151
Sospita Iuno quare 148
Sospitæ templi 342
Sotades Maronites floruit in genere cinædologi 435
Spartanis Lycurgus leges præscripsit 759. 764
Spari,cur sic dicti 1018
Sparus rusticorum gestamen ibid.
Spatha quid sit 1019
Species variæ Lacernæ 957
Species omnes calciamentorum 601
Species poculorum quænam 538
Sphæromachia quid sit 431.433
Sphæristæ qui sint 432
Specillum Æsculapius primus inuenit 230
Spectio per se Comitia impediebat 769
Spectionem habere idem est quod seruare de cœlo,vel auspicari 644
Specularia 485
Spes quo simulachro efficta fuerit 238
Spei AEdes Romæ in foro Olitorio fuit ibid.
Spei templum quando & à quibus incensum ibid.
Spiculum teli genus 1019
σπινθὴρ, spintarinx 633
σπινθὴρ ignis structura ibid.
Spinter Apollinaribus ludis primus vela carbasina in theatrum duxisse traditur 444
Spinturnix auis genus,turpis figuræ auis hominibus ignota 633 291
Spiræ 988
Spissata toga 562
Spolia hostibus erepta in templis recondita 726
Spolia hostium templis affixa 514.515
Spolia,& captiua arma hostibus arrepta ducta in triumphis 1058
Spolia opima quænam fuerunt 1006
Spondere quid 903
Sponsa quibus ceremoniis vxor facta sit 607.608.609
Sponsa vnde nomen habeat 602
Sponsæ annulus pignoris loco mittebatur 603
Sponsæ nocturno tempore flammeo velatæ

latæ ſponſæ in domum mariti futuri ducebantur, carpento ſeu pilento vectæ, comitantibus duobus amicis 248
Sponſaliorum ſolemnitas 613
Sponſiones depoſita pecunia de Victoria alicuius aurigæ fiebant 447
Sponſio quæ pura, quæ coniuncta 903
Sponſalia à ſponſionibus vel ſpondendo nomen habent 602
Sponſalia nudo conſenſu conſtituebantur ibid.
Sponſalia quanam ætate fieri poſſint 603
Sponſaliorum contractorum argumentum ſponſæ à ſponſo arrhæ dabantur ibid.
Sponſionis faciendæ ratio, quænam fuerit 903
Sponſionem facere ibid.
Sponſione inter ſe prouocare ibid.
Sponſor Iupiter quare 141
Sponſus vnde nomen traxerit 602
Sportula vilioribus poſtridie nuptiarum dabatur 613
Spurina aruſpex monuit C. Iulium Dictatorem, vt caueret periculum quod non vltra Idus Martias proferretur 376
Spurius Caruilius Ruga diuortium primus fecit 620
Stadium extruxit Domitianus 440
Stadium locus erat curſoribus deſtinatus ibid.
Stagnum Iuturnæ dedicatum 342
Stare inter capreas, quid ſibi vult 455
Stare, formula factorum antiquitùs obſeruata 322
Statio aſſignabatur ſorte militibus in caſtris 839
Stationes, in quibus iudices conueniebant quomodo dictæ 945
decem ſolummodo ibid.
quomodo notabantur ibid.
Stadiodromi ſerui curſorum ſic dicti 756
Statanus Deus 241
Status dies eſt qui iudicij cauſa eſt conſtitutus 797
Stati Dies qui iudicij cauſa cum peregrino inſtituuntur 336. & 909
ſtatilinus Deus 241
Statinæ feriæ quæ 335
Statius in agone Capitolino ſuam Thebaidem recitauit 474
Statua erecta Termino Deo, quadrato lapide 256
Statua Priapi, nuda depicta 258
Statuæ Mercurio erectæ à Græcis & Romanis 171
Statuæ æreæ liberis hominibus erectæ 935
Statuis Dianæ retia addita 159
Statuæ Iunonis crines adhibiti 149
Statuæ veterum comis demiſſis collocabantur 1055
Statuæ Victoribus decretæ, cingebantur lauru 1037
Statuæ Victoriæ in quibus locis erectæ 181
Statuæ ornamenta Reipublicæ in publicum poni debent 932
Statuæ enſes in manu geſtabant ac clypeum quoque 933. 934
Statuæ deorum candidis veſtimentis induebantur 386
Statuæ Mercuriales 169
Statuæ plurimæ fuerunt in Comitio 643
Statuæ Iano in Romano foro erectæ 126
Statuæ cur erectæ 934
Statuarum differentia 933
Statuarum materia 934. 935
Statua Syluani, manu protenſa, & cupreſſu armata 257
Statuas in alium locum exportare non conceſſum erat 312
Statumina quales partes Nauis 985
Stega nauis proſcenium 986
Stella quæ apparuit in Septentrione dum ludi funebres Cæſaris exhiberentur 299
Stellatina tribus vnde 665
Stenelus Capanei filius 144
Stercorarius cur ſic dictus 455
Sterculius Deus 254
Sternutantes genu flexo ſalutabantur 179
Sternutare in ventos, quid ſit ibid.
Sternutatio, & ſternutamentum ibid.
Sternutamenta quippiam diuinitatis habere augurabantur ibid.
in Cereris poteſtate eſſe ibid.
Sternutationes matutinæ infanda ominantur, meridianæ firmi ſunt augurij ibid.
Steſimbrotus Thaſius, cithara canere, ad chordarum ſonum à Dionyſio edoctus eſt 516
Stibadia eburnea 501
Stibadia apud antiquos non erat in vſu 511
Stibadia teſtudine aut ebore adornata ad Tyberium principem legata 501
Stilicho vrbem Pollentiam prodidit 441
Stipendia quomodo militibus diuidebantur 995. 996
Stipendia vnde dicta 721
diuiſa militibus per ſtaterem ibid.

Stipendiariæ ciuitates quæ aliquid populo Romano pependerant 994
Stipendiarij qui fuerint 993
Stipendium quid 997
Stipendij fraudatio leuis animaduersio in militem Romanum ibid.
Stipendij diuersa nomina 956
Stipendij summa quanta erat 955.956
Stipulatio quid 888.889
Stitisse se quid 901
Stilitibus quid 718
Stoici an supra terram, ac infrà putrescerent, non curabant 628.629
Stola quid 578
vestis communis viris & mulieribus ibid.
Stola vtebantur fœminæ honestæ loco togæ 566
Stola matronalis 585
Stola holoserica 559
στολάς, armaturæ genus 586
στολὰς πολεμικάς, militares stolas ibid.
Stolam ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι esse dictam 578
Stolatæ mulieris Romanæ Icon 579
Stolæ honestarum matronarum ornamentum 585
στολὴ Σεμιραμίδος, stola Semiramidis ibid.
Stolata Diana ibid.
στολὴ Περσική, stola Persica 584
στολὴ Μηδική, stola Medica 585
σκιδωτοὶ χιτῶνες, striata tunica 586
σκώπτειν scurrari, & σκώπτης scurra 456
Stragula vestimenta dicebantur quæ insternebantur 551
Stragulum à sternendo ibid.
Strangulatio in Tulliano facta est 929
Στρατεία militia, Sacramentum 1009
Strena quid, quo die data, à quo mos ille inoleuerit 347
Striæ, prominentiæ columnarum 586
Striata tunica, plicas habens quæ armis superinduebatur ibid.
Striatæ stolæ ibid.
Strigile vsi antiqui ad fricandum corpus 76
Strix auis funebris 632.633
Strophæ 988
Στρόφιον quid 292.980
Strophio tumorem papillarum cohibebant 580.
Strophia & fasciæ ad vinciendum pectus inseruiebant ibid.
Stroppus 292
Structor aut adornator mensarum quomodo Græcè dicatur 519
Structores, famuli qui cœnæ seruiebant ibidem
Struere pedem [illegible] est 997
Struppi 988
Subiugus Deus in conclaue nouæ nuptæ illatus 609
Sublimia horrea cur sic dicta 736
Subrumi agni vnde 241
Subruncini limites 845
Subscriptor fuit qui secundas & tertias partes in accusando egit 917
Subsellia frangere quid 474
Subsellia qualia sedilia fuerint 893
Subsellia senatorum in theatro 487
Subsidia 980
qui milites fuerint ibid.
Subsortitio iudicum quomodo instituta 919
Subsortitio quomodo instituebatur 945
Subsortiti iudices cur sic dicti ibid.
Substituere, verbum iudiciorum ibid.
Subterranea horrea, cur sic dicta 736
Subucula & indusium quomodo differant 578
Subucula interior tunica quæ proximè cutem attingebat 577
Subucula interior virorum vestis 552
vnde dicta ibid.
Suburana tribus prima inter vrbanas 662
vnde sit dicta ibid.
quænam comprehenderit ibid.
Successores Alexandri regna inter se diuiserunt 205
Succidaneæ hostiæ quæ, vnde dicantur 321
Succinum Electri genus
Sudes dupliciter sumpti 1023
Succi falsos monetarios appensis, & circumuectis nummis adulterinis in cruces detrahebant 714
Sues glandibus pinguiores fiunt 198
Suetonius in quo Macrobio anteferendus 565
Suffibulum, vestimentum album, &c. 202
Suffimentum quid sit 1059
Suffragatores quinam fuerint 696
Suffragatorum studium sublatum 870
Suffragium Romani per multos annos viua voce tulerunt 830
quare hæc ratio mutata fuerit ibid.
Suffragium vox illa quæ dabatur in Comitiis 785
aliquando pro auxilio sumitur ibid.
Suffragij iure alij ciuitatem consequebantur, alij sine suffragiis 652
Suffragiorum æqualitate reus absolutus 659
Suffragiorum colligendorum ratio quænam fuerit in Comitiis Centuriatis ibid.

Suffra-

Suffragiis educendis custodes adhibebantur ibid.
Suffragia describere quid sit ibid.
Suffragia dirimere quid & suffragiorum diremptio 770
Suffragia per puncta conferebantur 679
Sugillare pro concludere 621
Sulcus quid sit 586
Sulla denuo sanxit vt sacerdotes à collegiis crearentur 275
Dictator crudelis 708
ciuium quatuor millia interfecit ibid.
Tribunatum aboleuit 714
Sulla in funere sex millia lectorum habuit 624
Sulla Pompeium monet, vt sibi caueat à Cæsare 565
Sullæ feretrum senatores & sacræ virgines efferebant 624
Sulpitia lex 818
Sulpitia lex ad sacra pertinet 824
Sulpitia lex de bello Mithridatico 848
de C. Pontinio 847
de debitis senatorum 831
de Philippo rege 847
Sulpitius Gallus Tribunus militum secundæ legionis 168
Summa dotis qualis erat 611
Summa stipendiis militaribus impensa, quanta erat 955
Summanus cur Orcus nominatus 210
Sumptuariæ leges quænam dicantur 845
Sumptus annui, stante republica in foro posita hasta exigebantur à consule 315
Sumptuariæ leges vnde ortæ 516
Suouetaurilia quale sacrificium 417
Suouetaurilibus patresfamilias lustrabant agros suos ibid.
Supercilia in Iunonis tutela fuerunt 245
Superstites etiam testes præsentes dicebantur 799
Superstitio varia Latium 390
Supparus qualis habitus 579
Supparum linteum femorale 552
vnde dictum ibid.
Suppara inter velorum genera reponuntur 988
Supplicatio qualis honor Imperatoris fuerit 1001
Supplicationis tempus quodnam fuerit ibid.
Supplicationes quibus habitæ & quot diebus ibid.
Supplicium falsorum testium 879.880
Supplicium lethale denotatum per nigrum calculum 397
Supplicium parricidarum 875.876
Supplicium adulteri 861. 862. 863. 864. & 865
Susacus AEgypti princeps, deuictos bello à se reges currui, cui insidebat, subiungebat 1043
Sycionis calceamenta muliebria 598
Sycionij, inuentores generis quorumdam calceamentorum ibid.
Sycophantari, pro versutias agere, fallere 938
Sycophantæ cur sic dicti à Græcis ibid.
Sycophantarum rabies primum cœpit sæuire sub Tiberio ibid.
Syluanus inter Deos rusticos habitus, & matronali pudicitiæ insidiator 257
Syluanus Deus pecorum & agrorum 255
Syluanus infestus puerperis ibid.
Syluani nomen vnde factum ibid.
Syluano porca litabatur 322
Syluius Ascanij successor quandiu regnarit 2
Symphoniaci pueri, vnde dicti 524
Symposiarcha talis vel astragalis sorte missis constitutus 528
Sympulum à sympone quod vasculum est angusto collo ad vinum pitissandum 319
Sympulum quale vasis genus ibid.
Sympuuium vas quo vinum libabatur in sacrificiis ibid.
Syntheses vestes 578
[illegible] 1021
Syracusani vestes floridas penitus prohibebant 563

T

T Littera Senatusconsultis subscripta quidnam significaret 695
Tabellæ populo quot fuerint datæ 658.659
Tabellæ quæ iudicibus datæ erant tres & ceratæ 912
Tabellaria lex à Sabinio lata 645
Tabellariæ leges quæ 830
Tabernacula ex pellibus olim faciebant 976
Taberna, vnde dicta 504
Tabernæ ædificia qualiacumque popularis vsus 79
Tabernariæ fabulæ quænam 460
Tabula Latrunculana 428
Tabula Dotalis 611
Tabulæ non prius signabantur quam solennis stipulatio fuisset interposita 612
Tabulæ publicæ codice dictæ 730

Tabulæ votiuæ quibus in partibus templi suffigebantur 119
Tabulæ auctionariæ quænam fuerint 920
Tabulæ dicebantur omne genus scripturarum, quo causam suam confirmabant ibid.
Tabulæ in quibus leges incisæ in publico proponebantur, vel ad ærarium deferebantur,& ibi asseruabantur 770
Tabulæ quæ dicebantur, quibus litteris notatæ 769
Tabulæ rationum relatarum quæ sint 920
Tabularum nomine etiam littera & syngraphæ comprehenduntur ibid.
Tabularum scribendarum consuetudo quare fuerit intermissa ibid.
Tabulas dati & expensi postulabat accusator à reo in crimine repetundarum & peculatus ibid.
Tabulas inquisitas & obsignatas ne corrumperent ad prætorem detulerunt 921
Tæniæ ornamenta capitis 580
Tages,auguriorum, & auspiciorum inuentor in Hetruria 276
Tages præcipiebat caput asini præsepibus tuti,& cur ibid.
Tagen Hetrusci Haruspicinæ auctorem coluerunt 290
Talares tunicæ quæ 576
Talaria lex de Talorum vsu 875
Talaris stola 586
Talio pœna solemnis calumniantium olim erat 940
Talio est similitudo vindictæ vt taliter puniatur quis vt fecit 807.& 914
Talionis legem Græci habuerunt & ante eos Iudæi ex Dei præcepto ibid.
Tali pedum in Theudis potestate fuerunt 245
Tali in conuiuiis olim recepti 419
Tali eburnei ibid.
Talaris mulierum habitus 589
Tali differentia à Tesseris 416
Tapeta,quasi tapedia 483
illorum vsus,& ornatus ibid.
Tapetes priuatarum domuum vela peritissime appellantur 484
Tarannius mango eximios forma pueros, velut geminos, sestertiis vendidit, & vnde comparauerat 525
Tarentini Pythagorica præcepta tenuerunt 762
Targelia sacra Apollini,& Dianæ 343
Tarpeia virgo Vestalis 14
ab hac mons Turpeius nomen habet ibid.
armis à Sabinis necata ibid.
vbi sepulta ibid.
Tarpeium saxum miræ altitudinis 786
Tarpeio è saxo deiectio 929
Tarpeius mons à quo veteris vrbis pomerio fuerit adiunctus 8
Tarpeius mons qui etiam Capitolinus dicitur,nominatus 14
quare sic ibid.
Tarpeij ludi qui 468
Tarquinius bellum primum cum Latinis gessit 475
Tarquinius Priscus inchoauit templi Capitolini exædificationem, Superbus absoluit 15
Tarquinius Priscus Olimp. L. regnauit 309
primus cæpit magnis saxis muros retinere 9
Tarquinius Priscus rex, compitalia instituit 388
Tarquinius amissionem regni à vulturibus accepit 278
Tarquinius Priscus quintus Romanorum rex Capitolium inchoauit 15
Tarquinius Priscus primum Romæ triumphum egit 1036
Tarquinius superbus absoluit Capitolium 15
Tarquinio Prisco aquila pileum capiti detractum in sublime euexit moxque reposuit 183
Tarquinio superbo quale augurium exilium portenderit ibid.
Tarienses quæ loca vrbis inhabitarint & vnde sic nominati 23
Taso Rodulfi vexillum, quod bandum appellant, eiusque galeam quam in bello gestare consueuerat,abstulit 1061
ταυρεῖς δοράς,taurium corium 876
Taurij ludi quinam sint 479
quare instituti ibid.
vbi facti ibid.
ταυροπόλη ἡ ἄρτεμις 136
Tauripola Diana ibid.
ταυροβόλος, Tauribola ibid.
Tebennus quoddam togæ genus, eius forma, color,& origo 571
à quo nomen accepit ibid.
Telegonus inuentor prædictionum ex aruspicina & augurio 276
Telemachus monacus Romæ gladiatorio celebrato lapidatur à populo 862
Tellumonem nominant vim masculinam quæ semina producit 126

Tellus vis fœminina quæ, semina recipit ibid.
Telluris cultum primus instituit Melisseus ibid.
Telluris Deæ quænam sint cognomina 130
Telluri ædes vbi extructa fuerit ibid.
Telmissenses primi inuentores interpretationis somniorum 116
Telmessus in Caria est, qua in vrbe excellit aruspicum disciplina ibid.
Telum, omne quod mittitur manu 868
vnde dictum ibid.
Telorum nomine accipitur omne id quo singuli homines nocere possint 868
Telorum vocabula 972
Telorum genera 1017.1018
Tempestatis delubrum 344
Tempestatis ædes vbi Romæ extructa 260
Templum Iani pacis tempore clausum, belli autem tumultu apertum 122
ter tantum clausum à Numæ regno ad Augustum ibid.
Templum primo Romæ consecratum fuit Iani Feretrij 138
Templum quid & vnde dictum 109
Templum Hierosolymitanum à diuersis principibus captum 114
incensum à Tito ibid.
Templum Dianæ Bubastis 164
Templum fortunæ datum 343
Templum Mineruæ Iconiæ in quo hostes profligati se receperunt 113
Templum Veiouis ad duos lucos Asyli 342
Templum Lucinæ datum in Esquiliis 357
Templum Isidis Romæ propè septa seu ouile collocatum 262
Templum commune Marti & Veneri 179
Templum Bonæ Deæ, cuius introitus viris interdictus 248
Templum Bonæ Deæ in Auentino monte 249
Templum Ioui Genetæo structum 144
Templum Apollinis ab Augusto in Palatio constructum 154
Templum Neptuni commune illi erat cum terra 402
Templum Genio extructum 209
Templum fidei sponsoris Iouis 344
Templum Iani tempore pacis clausum, & indicto bello apertum 127
Templum Delphis Apollinis, propter opes in eo depositas à Brenno Gallorum duce petitum 719
Templum Vestæ 344
Templum Mentis ibid.
Templum in augurali disciplina cœli regio 112
Templi partes tres 110
Templa plurima in gratiam Romanorum Imperatorum extructa & consecrata 240
Templa veterum quomodo nostris non fuerint absimilia 110
Templi Martis consecratio 344
Templa belli tempore non minus quam res profanæ occupata 113
Templa Romanorum à quo tempore erecta ibid.
Templa Augusta sic dicta ibid.
Templa deorum fictiles habebant parietes 530
Templa qua verborum figura dedicata fuerint 110
quomodo construxerint veteres 109
Templorum forma apud veteres non eadem ibid.
Templa cur homines vouerint ibid.
Templa diis quibusdam veteres intra vrbem, quibusdam extra, aliis in montibus, aliis in foro, aliis alibi extruxerunt 110
Templa effari quid 109
Templorum institutio 112
Tempus nuptiali celebritati aptum 611
Tempora vmbris solis primitus internoscebantur 948
Tentoria antiquorum pellibus integebantur 554
Tentoria exercitus Romani ex pellibus fiebant 976
Terentia Cassia lex de figmento 845
Terentia lex de creandis Decemuiris 833
Terentij tabulæ nouæ 460
Terentius Culeo Scipionis currum sequutus est 1059
Terentina tribus vnde 667
Tergiductores qui 970
Terminalia 254
Terminalia quando, cui, & quare celebrata 355
Terminalia vnde dicta 367
Terminalia quo die celebrabantur ibid.
Terminales lapides 257
Terminalis Iupiter 254
Terminus Deus agrorum fines in sua potestate habuit ibid.
Terminus & Iuuentus noluerunt cedere, cum Tarquinius templa exaugurarent omnium Deorum qui in Capitolio celebrantur 241

Terminus Deus 307
Termini forma optimè expressa 367
Terminum in Capitolio coluerunt Romani 254
Terminorum causa leges latæ 843
Terminorum defigendorum ritus ab antiquis quinam obseruatus 844
Terminos si quis transtulisset, quomodo punitus 254
τερπόμενος δίναις, Pan sic dictus, & cur 271
Terra communis hominum parens, vt cælum Deorum 875
Terræ γῆς ἄγαλμα simulachrum 199
Terra tremente supplicationes Neptuno fiebant 402
Terrestris Triumphus quis 1002
Terripauium 286
Terripudium ibid.
Tertiani milites qui & vnde nomen habeant 970
Tessera frumentaria quæ fuerit 731
Tesseræ in conuiuiis, frequentissimæ 419
Tesserarij qui 972
Testamentum calatis Comitiis tempore pacis fiebat bis in anno 639
Testamentum per æs & libram quodnam fuerit 792
Testamenti nuncupatio quid ibid.
Testamenti ordo apud veteres qualis fuerit 791
Testamenta confirmata aut rescissa à Centumuiris 907
Testamenta in procinctu facta quæ 963
Testamenta omnia, quare septem testibus præsentibus scripta sint 792
Testamentorum genera duo 639
tria genera quænam fuerint 792
Testamentorum nomine leges latæ 851
Testandi ius solis patribus familias fuit 789
Testimonium falsum ab Ethnicis grauiter punitum 786
Testimonia dicuntur omnes probationes extrinsecus sumptæ 919
Testimoniorum diuisio ibid.
Testimoniorum parandorum gratia dies aliquot sumpti ibid.
Testis quid & eius conditiones 920
Testis falsi pœna lege Cornelia deportatio & omnium bonorum publicatio 786
Testis interrogandi formula quæ fuerit 910
Testes alij sponte, alij inuiti testimonium dixerunt ibid.
Testes interrogabantur ab accusatore, defensore, atque eo qui producebat ibid.
Testes iurati respondebant ibid.
quare ibid.
Testium interrogatio, summam Oratoris industriam requirebat ibid.
Testes falsi quomodo puniebantur 879. 880
Testudo 501
quantum fuerit in vsu ibid.
Testudo quale tabulatum 982
Tetas palumbes vulgò appellati 191.
τετραλέξειν quadriloquium 462
Tetrapharmacum, ferculum Ælij Augusti 517
Tetrastylum, locus, seu spatium quatuor columnis distinctus 115
τεύθιδες, quid sit 584
Teutones Careia vtebantur 1019
Talassionem in nuptiis Romani inclamabant 609
Thales adulterium peius periuro reputabat 865
Thalia in Gratiarum numero reposita 182
Thapsum Cæsar castris lunatis muniuit 976
Thau, apud Hebræos salutaris littera 947
Theatrales leges 824 825
Theatralis legis autor 487
& quo anno introducta fuit hæc lex ibidem
Theatrum ex medio amphiteatro est, semi circuli figuram habens 438.448
theatrorum numerus ibid.
Theatrum à quo constructum ibid.
Theatrum apud Romanos diu nullum fuit 439
Theatrum erat destinatum ludis scenicis ibid.
nomen habet à θεάομαι ibid.
Theatrum locus est in quo deorum immortalium diebus festis ludos spectabant Romani ibid.
Theatrum mansorum primo Cn. Pompeius extruxit ibid.
Theatrum M. Scauri sumptuosum ibid.
Theatrum quinam Consules primo faciendum locarint ibid.
Theatrum suum Pompeius cur non Theatrum, sed Veneris templum nuncuparit ibid.
Theatrum temporarium Mumius erexit ibid.
Theatri ædificandi prima occasio quænam fuerit ibid.

Theatri

Theatri partes quænam ibid.
Theatra Curionis qualia 439
Theatra qua forma fuerint ibid.
Theatrorum vsu nondum introducto sub frondibus & vmbraculis agebant 440
Thebæ Bœotiæ oppidum à quo conditum & antiquissimum 2
Thebani inter signa habebant Sphyngem 1062
Thebani leges acceperunt à Philolao 764
Themis Dea 228
Themison Medicus 295
Themistocles cum solebat sternuere in sacrificij solemnitate peragenda certa Victoriæ argumenta capiebantur 279
Themistocles instituit Athenis certamen Gallorum 187
Theodoricus Gothorum rex gladiatorum vsum sustulit 489
Theodoricus Gothorum Rex laudatur, quod cum epularetur, hydraulica organa non sonarent 521
Theodoricus Gothorum Rex lucrum inter domesticos partiebatur, vt gratiam promereretur 432
Theodorus post obitum patris creatus est Imperator, more à maioribus accepto, clypeo insidens 1016
Theodorus quidam sub Iuliano suspensus 880
Theodosius senior laudatur, quod è modestis suis conuiuiis eiecerit immodicum luxum, & fidicines, fistulatores & alios huiusmodi 525
Theodosius Hispanus disciplinæ militaris obseruantissimus 554
Theodosius Imperator sacerdotia veteris superstitionis sustulit 308
Θεοβούλη dicta Sibylla 310
Θεὸς vnde deriuetur 108
Theramenes porrectam iussu tyrannorum veneni potionem hausit 877
Thermæ aliæ æstiuæ, aliæ hyemales 76
Thermarum Diocletianarum descriptio ibi.
Thermarum luxus ibid.
Thermarum sola sternebantur vitro, lapide aut cistis marmoreis, &c. ibid.
in Thermis populus campanæ sonitu, vel aduocabatur, vel dimittebatur 78
Thesaurus, vnde dictus 715
Thesaurus inuentus ad quos spectat 716
in sepulchris inuentus ibid.
Thesmophoria, sacra Cereri instituta ab Atheniensibus 194
Thesmophoron quare Cererem nominant 184
Theseus Apollini Delphico, crinem vouet 1056
Thessalica incantamenta 167
Thessalus templorum inuentor 112
Theta, nota capitalis sententiæ 947
Thimelici artifices instrumentorum musicorum 523
vnde dicti ibid.
Thiæ ministræ Bacchi 188
Tholus est in media templi camera locus in quo vouentium primitiæ, aut exuuiæ figebantur 119
Thomartes quid sit 512
Thoria lex de non soluendo vectigali 842
Thraces solebant calculum diuersi coloris sumere, in capitalibus sententiis ferendis 87
Thraces Bassarim nominabant vestem qua Bacchus vtebatur 188
Thraseas Pætus consulatum, & sacerdotium adeptus, hortorum amœnitati inseruiebat 22
Threnum quare sic dictum 110
Θρίαμβος Bacchus dictus fuit 1003
Thus quo tempore inuentum & in sacrificiis receptum 125
quid sit ibid.
ex Thure quomodo diuinarint veteres 289
Thuribulum vas in quo Thura adolentur 319
Thuscanicus Apollo 151
Thuscus vicus vnde dictus 17
Θυρεὸς significat clypeum 975
Τυμπανισμὸς, sonus tympani 135
Thybareni Chalybes populi 144
Thyeste cum Atreo fratre regnum diuisit 205
Thymeles famosissima mima 523
Thyrsus in sacrificiis Bacchi receptus 186
Tiara differat ne à mitra 591
Tiara sacerdotalis acumine carebat, quod regum habebat 592
Tiara pileum Phrygium ibid.
Tiaræ sunt capitum velamenta, aut vincula Persica pauoninas pennas habentes 591
Tibe trado, antiquè dictum 195
Tiberinus campus, Martius campus quoque dictus fuit 652
Tiberius se salutans grauiter, & tristi animo tulit cum sternutasset 279
Tiberius munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in aui sui Drusi dedit, diuersis temporibus ac locis 491
Tibia nuptialibus festiuitatibus interuenit 609
Tibia vnde dicta 466
Tibiæ aliæ veteres, aliæ nouæ ibid.
Tibiæ dexteræ vel sinistræ quænam sint 467
earum materia ibid.

Tibiæ pares vel Impares quænam fuerint 466
Tibiæ in conuiuiis antiquorum Romanorum adhibitæ 522
Tibiæ buxeæ inuentores, & earum materia 136
Tibiarum variæ differentiæ, varia materia 466
Tibias finistras grauem sonum reddidisse, dextras acutum 467
earum materia quæ ibid.
Tibiis dextris & finistris acta est, quid sit ibid. quinam vti dicantur ibid.
Tibiis imparibus quid ibid.
Tibiis sarranis quid ibid.
Tibicinem canere oportebat in sacrificiis ne quid infausti exaudiretur 321
Tibicines decem ad funera adhibiti 782
Tibicines tibiis concinentes sacris populi Romani interesse solebant 315
Tibicines in pulpitis sedere consueuerant, atque inde audiri 523.524
Tibicines habitu muliebri vrbem lustrabant, quo die, & quo mense 342
Tibicines quomodo incedebant in triumpho 1005.1058
Tibicinum Collegium 803
Tifata curia 640
Tigrinæ mensæ cur sic dictæ 500
Tiginum concapes quid 810
Tigni appellatione quænam contineantur ibid.
Tigna à tegendo ibid.
Timenus Areas inuentor Tebenni, & primus qui eam chlamydem induit 571
Timor legum, securitas magna 760
Timor primus in orbe deos fecit 108
Tina, seu tinæ vasa qualia erant 503
Tintinnabulum quare Triumphantium currui appensum 1005
Tintinnabula gerebant qui extremo supplicio afficiebantur ibid.
Tirynthij syluestria pyra comedebant 193
Tisiphone 221
Titia auis hominibus ignota 291
Titia curia 640
Titia lex de colligendo Vectigali 842
de lusu 875
de Triumuiris R.P.C. 835
Titiensis tribus quæ 661
Titij sodales quinam dicti 290
vnde appellati ibid.
à quo instituti ibid.
Titulus quid & vnde 463.464
Titus Coruncanus Pontifex maximus primus in plebe creatus 308
Titus Tatius à Romulo victus 8
T. Quinctius Præneste victum prætulit 1048
Titus templum Hierosolymitanum incendit 115
Titus Imperator quam mirificè triumphauit de Iudæis 1054
Titus delatores flagellatos per arenam egit 939
Titus Quintius nocte itinera fieri iubet 168
Titus Imperator Musicæ non erat ignarus 526
Titi Cæsaris ludi quo die celebrati 481
τήβεννα, τήβεννος, Tibennum aut Tibennum 571
Toga ad calceos pendebat stante Republica 565
Toga an fuerit aperta necne ibid.
Toga cingeretur nec ne controuersum est ibid.
Toga exules Romani non poterant vti 566
Toga libera adolescentibus pueritiam egressis die liberalium dabatur 362
Toga mutata Respublica apud paucos remansit & non nisi honestiores sumebant 566
Toga crassa 562
Toga spissata ibid.
Toga gestamen omnium ordinum Romæ, omnis sexus, ætatisque 570
Toga tota è purpura contexta gestamen Regum 571
Toga forensis 574
Toga militaris, qua in castris induebantur milites 575
Toga lugubris siue pulla ibid.
Toga picta, vestis triumphantis 1044
Toga libera quam induebant ingenui adolescentes, deposito puerilis ætatis gestamine 573
cur sic dicta ibid.
Toga palmata 574
Toga tunica fuit iniecta 565
Toga vndulata, sericulata, phrygiana, scutulata 570
Toga cinctura triplex 565
genera quænam fuerint 566
mensura varia fuit 565
iusta fuit sex vlnarum ibid.
Togæ sinus ibid.
Togæ tritæ pexis opponuntur 568
cur dicantur decores ibid.
Togæ vsus in solis propemodum Senatoribus ad extremum fuit 566
Togæ vsus in castris ibid.
Togæ diuersa genera 575
Toga pura 573
Togæ pictæ, & trabeæ discrimen 576
Togæ descriptio optima 571
Toga niuea qui erant ditiores & elegantiores semper incedebant 568
Toga pacis insigne fuit 566

Toga

Toga pacis tempore vſurpata & vnde dicta 564
lanata fuit ſi materiam ſpectes ibid.
Toga palmata qualis veſtis 570
Toga picta qualis veſtis fuerit ibid.
Toga prætexta & bullæ in vſum puerorum cur fuerit vſurpata 566
quæ fuerit & vnde dicta ibid.
hac pueri quandiu vſi ſint ibid.
Toga prætexta vtebantur puellæ donec nuberent 567
Toga primo forma ſemicirculari fuit, dein quadrata 564
Toga pura pueris virilem ætatem ingredientibus in exitu anni decimi ſexti dabatur 567
Toga pura, quæ & quare ſic dicta ibid.
quare λευκή dicta 568
quare liberta dicta ſit ibid.
Toga purpurea quid differat à picta, & prætexta 570
Toga recens & intacta quænam 568
Toga Romanorum, vt pallium Græcorum 566
Toga ſordida à pulla quid differat & cuius coloris fuerit 568
Toga ſumebatur in æde Iouis Capitolini, poſtquam domi ſumpta ſtatim in Capitolium ad Iouis ædem ibatur ibid.
Toga candida vtebantur ij qui honores petere volebant 567
Toga honeſtiores fœminæ non vtebantur, ſed eius vice ſtola 566
Toga picta vt vterentur priuati duobus tantum conceſſum 570
Toga prætexta quinam vſi ſint 567
Toga virili ſumpta per annum modeſtiæ cauſa, togam in humerum non reiiciebant 565
Togæ ſi maculas contraxiſſent eas eluebant fullones qui Romæ erant 568
Togas maiores habebant amplioris fortunæ homines 565
Togis paruis tenuioris fortunæ homines vſi ibid.
Togis vtebantur mulieres obſcuri loci & impudicæ 566
Togam Conſules ex templo Iouis Capitolini ſumebant 140
Togam Græci τήβεννον appellant 564
Togam petitorum candidam quare Polybius λαμπρὰν maluerit dicere quam λευκὴν 567
Togam pictam triumphantes gerebant 570
Togam prætextam quare Græci περιπόρφυρον vocent 566
Togam pullam induebant luctus cauſa 568
Togam puram Caligula anno 19. accepit, M. Aurelius 15. anno ibid.
quare virilem nominarint ibid.
qui accipiebant tirones dicti fuerunt ibid.
Togam ſordidatam depoſita niuea viri illuſtres cum rei facti etiam ſumebant 569
Togam prætextam primis reip. temporibus puerilis ætas non vſurpauit 566
quibus de cauſis poſt vſurparit ibid.
Togata dignitas eſt Aduocatio 571
Togatæ fabulæ quare ſic dictæ 460.566
in quibus Romani inducebantur 566
Togatæ mulieres meretrices ſignificant apud veteres ibid.
Togati pro Romanis quare dicti ibid.
quare Galli atque Hiſpani dicti fuerint ibid.
Togatos Senatores, & Equites, Hadrianus ſemper eſſe voluit ibid.
Togulam ſuam incretabant tenuioris fortunæ homines ſub dies ludorum vt nitidi eſſent ibid.
Tolus in monte Capitolino ſepultus 13
Tonans Iupiter quare 141
Tonitru Comitia quomodo diremerit 657
Tonitrua & fulgura Ioui tonanti tribuebantur 141
Tonſilla 987
Tonſores in Italiam ex Sicilia veniſſe dicuntur, poſt Romam anno quadringenteſimo quinquageſimo quarto 1055
Tortoris Apollinis ſimulachrum 151
Torus funis 988
Totila Gothorum Rex à Iuſtino minore ſuperatus, & occiſus 689
Trabea veſtis, tripliciter dicta 1047
Trabea toga à quibus originem ſumpſit 571
Trabea conſulum poſt reges habitus militaris fuit 577
qualis veſtitus ibid.
Trabeam auro pictam facit Auſonius 578
Romanis triumphalem fuiſſe ibid.
Trabearum genera tria fuerunt ibid.
Trabeatæ fabulæ 460
Trabeati Conſules qui antea prætextati fuerant 578
quare Equites dicti 577
Traditio quænam complectatur 887
Tragica ſcena quomodo ornata 465
Tragici cothurno pedes induebant 455
Tragici in initio non ſimplici aliquo carmine, ſed quadruplici certabant fabula, ſingulis annis 462
Tragicorum ornatus, actorum fortunæ eorum reſpondebant ibid.
Tragœdia quid 456
Comœdia quid differat 460
chorum habet quem numquam amiſit 464
neque argumentum habebat, neque pro-

logum separatum ibid.
non habet dicacitatem aut risum 454
in hac nihil nisi mirabile ac terrificum ostenditur ibid.
primum τραγῳδία dicta 459
prius exculta quam Comœdia 458
vnde dicatur Grammatici non conueniunt ibid.
Tragœdiæ species duæ 459
vtilitas ibid.
Tragœdia coronata depingebatur 462
Tragœdia quomodo Græcè & Latinè dicta 461. à quibus inuenta ibid.
illius partes, & authores ibid
quomodo differat à Comœdia ibid.
Tragœdiæ, & Comœdiæ iunctæ simul, ab antiquis autoribus 462
τραγῳδία, quasi τραγῳ ᾠδὴ 459
Tragula vestis genus 249
Traianus à Persis rediens in itinere apud Seleuciam fluxu sanguinis è vita discessit 892. solus in vrbe sepultus ibid.
Traianus Augustus, non peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscæna petulantia mensis principis oberrat, sed benigna inuitatio & liberales ioci 525
Traianus meridiare solebat 506
Traianus inter Deos relatus 399
Traianus Augustus dicebat fiscum lieni esse similem 733
Traiani vox memorabilis omnibus regibus, & principibus obseruanda 892
Traiiciendi Fluminis modus quadruplex 974
Transenna 988
Translatio actionis quando locum habuerit 903
Translatio sacrorum 322
Translatitia funera cur sic dicta 489
Transmigratio animarum 943.944
Transtra 986. vnde dicta ibid.
Transuersi limites 844
τραπεζοποιός, Mensarum adornator 519
τραπεζοποιοί, Mensarum structor ibid.
Trebonia lex 836
Treboniæ leges duæ, de Cæsare, Pompeio 841
Treuiri populi in confinibus Germaniæ 717
Treuirum metropolis Treuirorum ibid.
vrbs celebris propter Archiepiscopum Treuirensem ibid.
Triattus 362
Triarij quales milites 972
Triboli quid 984
Tribules suos vnicuique tribui qui diuersa munia haberent, ne domicilium mutarent adscripsit Tullius 23
Tribunal apud inferos secundum opinionem poëtarum ac Philosophorum 943
Tribunal qualis suggestus fuerit 893
Tribunalis descriptio ibid.
Tribunatus omnino cessauit sub Constantino Imperatore 714
Tribunatus plebis annus xxx. ætatis definitus 832
Tribunatum Sulla aboleuit 714
Tribunitia comitia quæ 650
Tribunitia domus non fuit clausa 713
vis seipsam poterat destruere ibid.
Tribunus Celerum quænam sacra peregerit 290
quis fuerit 685
Tribunus plebis vnus si cæterorum refragationibus refragaretur impedire poterat omnia 713
Tribuno plebis integrum diem ab vrbe abesse non licuit 714
Tribunum Celerem Romulus Equitum quos Celeres vocabant præfectum constituit 290
Tribuni Celerum Comitiis curiatis creati 641
Tribuni Comitiati qui 969
Tribuni militares centuriatis Comitiis creabantur ibid.
Tribuni militares Comitia Magistratuum creandorum causa habuerunt 650
habuerunt Consularia Comitia ibid.
Tribuni militum alij angusti clauij, alij laticlauij fuerunt 577
iisdem insignibus quibus Consules vsi 711
nonnumquam Patricij, nonnunquam ex plebe & patribus creati ibid.
Tribuni militum quinam, quibus præfuerunt 969
Tribuni militum tres, quando creati 710
mox quatuor, tandem sed, numquam plures creati ibid.
Tribuni plebis legem tulerunt, vt Pontifices ex plebe quoque creentur 307
Tribuni plebis purpuram gestarunt 713
quibus conditionibus primo fuerint creati, quare ibid.
quinque primo creati sic dicti ibid.
quomodo vetustis temporibus decreta patrum examinarunt 695
sacrosancti fuerunt 713
Tribuni plebis si decreta patrum probassent, littera T. scripta significabant 695
Tribuni plebis tributis Comitiis creabantur 667
vetustis temporibus curiam intrare non poterant 695
Tribuni potestatem vocandi in veteri iure non habuerunt 713
Tribuni Rufuli qui 969

Tribu-

Tribuni sortiebantur in Tributis Comitiis, quinam illa habere deberet 669
Tribuni tantum semel à Pontifice maximo creati 670
Tribunorum & Ædilium pleb. quænam personæ comitia habuerint ibid.
Tribunorum militarium numerus quomodo fuerit auctus 969. eorum lectio qualis & à quibus suscepta ibid.
Tribunorum militum Comitia ad Consulum munus pertinuerunt 670
Tribunorum militum Comitia à quibus habita 650. potestas quando sublata 711
Tribunorum plebis causa leges constitutæ 835
Tribunorum plebis creandorum quænam causa fuerit 713. numerus duplicatus fuit ibid. potestas terminata fuit mœnibus, nec extra vrbem quicquam valuit 714
Tribunis plebis Sulla omnem potestatem ademit 835
Tribunos militum nunquam octo fuisse creatos, vt Liuius dicit 711
Tribunos plebis in iudiciis non licuisse appellare 918
Tribunos vitio creatos esse quomodo intelligendum sit 713
Tribus quidnam 640.660
Tribus triplici modo sumitur ibid.
Tribus vna quæque in vrbe Roma propriam sedem occupauit 23
Tribum accipiebant Romani cum pleno iure ciuitatis 671
Tribus Vrbanæ & Rusticæ 661. quid singulæ ibid.
Tribus fuerunt tres partes vrbis Romæ in quas Romulus totam ciuitatem distribuit 23
Tribus multæ duobus nominibus fuerunt nominatæ 667
Tribus multa nomina illustrium familiarum sibi asciuerunt 664. quando hoc factum ibid.
Tribus nouæ tempore belli Marsici ad 25. additæ non diu manserunt 667
Tribus nouemdecim in quas populum Romanum Seruius diuisit 665
Tribus quomodo à regibus auctæ 23
Tribus Rusticæ quare vrbanis propositæ 662
Tribus triginta quinque in quas vniuersus populus Romanus fuit diuisus 667
Tribus vrbanæ quatuor quænam sint 663
Tribus vrbanæ Rusticis ignobiliores 101
Tribuum nomina & auctor 661
Tribuum numerus varius 660
Tributa Comitia in quam variis locis habita fuerint 671
Tributa frumentaria 733
Tributa Comitia Magistratuum quo ordine habita fuerint 672
Tributa Comitia quid fuerint 660. quomodo non auspicato habita 673. quo tempore habita sint 672
Tribunorum Comitiorum causæ quatuor fuerunt 667. modus & processus explicatur 673.644
Tributis Comitiis vocandis non erat vnus locus destinatus 671
Tributis Comitiis quænam personæ peregerint 669
Tributis Comitiis creabantur magistratus minores 667
Tributis Comitiis iudiciorum si damnatus reus, illico, prædes dare cogebatur soluendæ mulctæ 677
Tributis Comitiis lege Voleronis plebej Magistratus creati 641
Tributis Comitiis Magistratuum candidatos adesse oportebat 671
omnes ciues Romani suam dicebant sententiam ibid.
Tributis Comitiis quinam sacerdotes creati fuerint 669
Tributarij qui 993
Tributum quid ibid.
Tributum ordinarium fuit & extra ordinarium ibid.
quid singula ibid.
Tricennalia vnde 628
Triclinium quid 508.512
Triclinium cur sic dictum 507.511. sterni dicitur 511
Triclinium domibus priuatis aptum 511
Triclinia lignea, rotunda, solida, nec multo maiora quam mensæ 500
Triclinares lecti ad Tyberium principem legari, & quomodo adornati 505
Trientis nota rates 853
Trientes calices quotidiani fuerunt 527
Trifinium appellarunt veteres eum locum in quem tres possessores attingebant 805
Trinundinum, id est, dies viginti septem 768
Trinundinum quare in Comitiis Centuriatis ferè semper interiectum fuerit 655
Trinundino die cur leges promulgatæ 416
Triptolemus beneficio Cereris fruges per omnes gentes ampliauit 192.194
Triptolemus Celeus pater à Græcis dictus 193
Triptolemus agriculturam quo tempore ampliasse, & quadrigas iunxisse dicitur 449
Tripudium 286
Tripudium Oscinum quid ibid.
Tripudium rerum gerendarum proprium erat 644

Tripudium Solistinium 286
Tripudium Saninium 286
Tritæ togæ pexis opponuntur 568
Tritenas fastigio ædes Saturni cum buccinis superpositos, quid significari voluerint Romani 129
Triumphantis trabea Romanis fuit 578. vestis erat purpura, auro intexto picta 1005
Triumphalis Pompæ primus auctor in Græcia 1003
Triumphali veste extra Triumphum nemini licebat vti 1005
Triumphales statuæ 833
Triumphales columnæ, & arcus 1007. coronæ quænam sint 1000. leges 747. 1005
Triumphales leges quænam fuerint 1003. 1004. ludi qui post insignes victorias celebrantur 481
Triumphalia ornamenta qualia erant 1036
Triumphalibus viris post peractos triumphos quinam honores decreti fuerint 1007
Triumphanti imperium populus dabat 1004
Triumphantis vestis 1044
Triumphans, solus erat auriga ibid.
Triumphantes de albis tauris sacrificabant 1060
Triumphantes omnia insignia Iouis habebant 1045
Triumphantes Capitolium curru ascendebant 165
Triumphantes postquam in Capitolium ducti quid factum 16. 106
Triumphantes secum in curru habebant filiolos pueros ibid.
Triumphantium currus qualis fuerit ibid.
Triumphantium currui quare tintinabulum flagellum appensum ibid.
Triumphantium ora minio illini solita ibidem
Triumphare apud Romanos quibusdam concessum magistratibus 1003
Triumphare is tantum poterat, qui hostium quinque millia cæcidisset 847
Triumphare solis Consulibus, & ducibus concessum ibid.
Triumpharunt veteres non nisi de hostibus, quorum aliqua esse dignitas 1004
Triumphaturus ante triumphum vrbem introire non poterat 847
Triumphaturi in toga picta triumphabant 578
Triumphus dictus ἀπὸ τῆς θριάμβου 1035
Triumphus, siue triumpus summus honor erat 1034
Triumphus Scipionis 1043. 1044
Triumphus cum decernebatur, Senatum integrum adesse oportebat 1004
Triumphus qualis honor fuerit 1002
Triumphi honorem qui sibi Senatu inuito rapuerunt, duxerunt eum non in Capitolium, sed in montem Albanum 1002. 1004
Triumphi honorem quod Cn. Fuluius spreuerit, exilio mulctatus fuit 1017
Triumphi pompa qualis olim fuerit 1004
Triumphi quis primus auctor Romæ 1003
Triumphi terrestres & nauales quinam fuerint 1002
Triumphi vnde originem habeant 1003
Triumphum naualem quis primò egerit 1002
Triumphum petentes oportebat extra vrbem subsistere & decretum Senatus expectare 1003. 1004
Triumphi quibus rationibus impediti fuerint 1004
Triumphorum causa leges promulgatæ 847
Triumphorum finis 1017
Triumphorum genera 1002
Triumuiratus quomodo in Rempublicam introductus 711. non vltra annos decem in Republica Romana fuit ibid.
Triumuiri ædibus sacris conquirendis donisque persequendis præerant 315
Triumuiri capitales 667. vnde dicti, eorum officium 716. creati ibid.
Triumuiri coloniæ deducendæ qui 747
Triumuiri etiam Treuiriles tres viri dicti 717
Triumuiri lictores octo habebant
Triumuiri mensarij 739
Triumuiri monetales 717
Triumuiri nocturni 716
Triumuiri qui conquirerent, iuuenes idoneos, ad arma ferenda, militesque facerent 739
Triumuiri recognoscendi turmas Equitum Romanorum 740
Triumuiri reficiendis sacris Tributis Comitiis creabantur 668
Triumuiri Reipublicæ constituendæ contra leges instituti 711. non diuturni ibid. quare in Rempublicam introducti idem
Triumuiri sacris conquirendis, & donis persequendis Tributis Comitiis creabantur 667
Triumuiri valetudinis qui 717. quare creati ibid.
Triumuirorum monetalium officium quodnam

nam fuerit ibid.
Triumuiri officium Reip. constituendæ in quem annum inciderit 711
Triumuiris vt Pontifici lege datum togæ prætextæ ius 314
Triumuiris Capitales Comitiis tributis creabantur 716
de Triumuiris Epulonum quis lege tuleri 825
τρύγητος 459
τρυγᾶν ibid.
Trochilus vsum quadrigarum adinuenit, & apud Argiuos in honorem Iunonis quadrigam excogitauit 449
Trochus, quis ludus 436
Troici ludi 468.494
Troia quare diruta 2
Troia noctis, Lunæque præsidio à Græcis capta 169
Troiani colunt Vestam 199
στρόφιον, strophium 587
Tromentina tribus 665
τρόπα, ludi genus 456
ὠπτίω, quid significat 455
Trophæa corpora trunca fuerunt cum spoliis 1006
Trophæorum & arcium Triumphalium Icones 1006.1007
Trophæum dictum ἀπὸ τῆς τροπῆς 1035
Trulla, siue truella, scyphus profundior, & oblongior 538
illius significata ibid.
Trophonius 169
Tropoteres 988
Trudes 987
Tuba quid 967
Tuba adhibita in denuntiandis, declarandisque victoribus 453
Tubero homo eruditissimus, strauit pelliculis hædinis lectulos punicanos, in funere Scipionis Africani, cum epulum populo Romano, nomine Qu. Maximi daret 554
Tubilustrium 342
Tubicines dicuntur qui tubis canunt 316
Tueri duo significat: vnum ab aspectu, alterum à curando 315
Tullia lex de ambitu 871. de legationibus liberis 831
Tullianum, quæ carceris pars 929
Tullus Hostilius, vbi regiam suam habuerit 17
Tullus Hostilius Hosti filius, tertius Romanorum rex 8. debellatis Hetruscis, sellam curulem, lictoresque, & pictam, primus vt Romæ haberentur instituit 1045
Tullus Hostilius castrensi disciplinæ prospexit 811
Tumuli à veteribus culti, tanquam templa 112
Tumultum grauius quid esse quàm bellum 304
Tunica lati claui, fuit tunica latos clauos intextos habens 577. quorum propria ibid.
Tunica latos clauos purpureos intextos habens propria fuit Senatorum ibid.
Tunica ordines ciuium Romanorum distinxit ibid.
Tunica palmata quæ 570.577
Tunica quænam propriè dicatur vestis 576
Tunicæ color hominum liberorum albus fuit ibid.
Tunicæ talares quæ ibid.
Tunicæ non tantùm virorum, sed etiam fœminarum 578
Tunica ralla aut Rhalla, est pellucida, & à raritate dicta 562
Tunica Laticlauia 574
Tunica blattea 561
Tunica inter communia vestimenta reponitur 588
Tunica palmata vestis triumphantis 1045
Tupulla, qui scilicet trapulo seu mensæ præsideret 521
Turma quid 967
Turris mobilis qualis fuerit machina 982
Turres 979
Turricula 431
Tutanus Deus qui rebus tuendis præest 253
Tutela ius est ad tuendum eum qui per ætatem se defendere non potest 887
Tutela nauis quale signum 986
Tutelarum causa leges latæ 850
Tutilina Dea 253
Tutores suspecti qui 790
Tutulum nominabant Flaminicarum capitis ornamentum 292
Tyberinus quandiu regnauit 2
Tygris Baccho sacrata, & cur 186
Tigridis color, rauus est 163
Tygridis natura, abreptos fœtus persequens 191
Tygrides ex vento concipiunt 191
Tympana quænam, & cur sic dicta 537
Tympana ærea, in sacris Cybeles locum habebat 134
Tympanorum vsus in orgiis Bacchi receptus 135
Tyrannus vnde dicatur 682. quis sit ibid.
Tyranni vox in bonam partem sumpta ibid.
immutata in malam partem ibid.
Tyrannum Græci appellabant quicunque dominatur in libera ciuitate ibid.
Tyrannica quid sit ibid.
Tyrannia quando fuerit in Romana Repu-

blica 683
Tyria Lacerna celebrata 957
Tyrij dicti ardentes 496
Tyrij ab Abderitę leges acceperunt 762
Tyrones 568
Tyrones decimo sexto anno militabant 497
Tyrones arma sumpturi ad iusiurandum adigebantur 1013
Tyrones deducti in forum 574
Tyrones cur sic dicti 497
Tyrocinij annus dicitur annus decimus septimus 566
Tyrrhenus, & Lydus fratres Lydiam sortiti sunt 205
Tytiri ministri Bacchi 188
Tzagatha, quid sit 597
Tzaggia, calceamentorum genus 596
Tzancæ, calceamenti genus ibid.

V.

VAcationes militum extra ordinem quænam 1017. 1018. à Censoribus fuerunt cognitæ 1018
Vacuna Dea quæ ociosis præfuit 244
Vadari reum quid 901
Vadimonium deserens reus litem perdebat ibid.
Vadimonium quinam promisisse dicatur ibidem
Vadimonia dicere quid ibid.
Vagitanus pro Vaticanus 240
Vagulatio quæstionem significat, cum conuicio 800. deducitur à vagulo, quod deriuatur à vagio ibid.
βαλανοφάγειν comedere glandes 193
βαλανοφάγοι glandium comestores ibid.
Vale, & salue cur mortuis dicatur 626
Valentia Roma dicta 602
Valens Pontifex Maximus appellatus 308
Valentinianus Pontifex Maximus nominatus ibid.
Valeria lex de fœnore 854. de militum successione 847. de pecunia publica, & duobus Quęstoribus 835. de perpetua dictatura Sullæ 834. de prouocatione 832. secunda ibid.
Valeria Horatia ibid.
Valeria tertia ibid. de suffragiis dandis 830. vt aduersus omnes Magistratus prouocatio ad populum esset 826
Valeriæ legis caput ibid.
Valeria lege prouocatio à Consulibus ad plebem concessa 698
Valerianus princeps, Zosimo Syriæ procuratori præcepit, vt Claudio extra dona daret fibulas argenteas, & inauratas duas, & fibulam auream 558
Valerius Publicola leges Romani scripsit 811
Valerius Poplicola primus ludos sæculares post exactos instituit 477
Valerij Poplicolæ leges latæ de prouocatione, Centuriæ fuerunt 649
Vallaris corona quæ 1000
Vallum quid 981
Vallum legionarij milites vna cum armis in itinere ferebant ibid.
Valli Romani descriptio ibid.
Vallonia vallibus præsidebat 254
βαλλίζειν quid sit 1061
Valeria lex 818. de Maiestate 858
Varolinæ, merces Moscouitarum 556
Varro quo habitu fugit à Cannis, & in vrbem rediit 1057
Varro Alexandrinos deos Romæ coli indignatur 322
Varro omnium Romanorum doctissimus 19
Vasa deaurata quomodo Græcè dicta 537
Vasa tina, seu tinea, qualia sunt, & cur sic dicta 503
Vasa fictilia varia optimatibus sola in vsu 531
Vasa testacea celebrata 441
Vasa cælata cur sic dicta 535
Vasorum vinariorum genera 539. 540
Vasorum genera, quibus veteres in sacrificiis vsi sunt 318. 319
βασιλικὴ γνώμη 1033
Vas qui pro altero vadimonium promittit 901
βασσάρα τερπνόν, id est, Penelops Baccha, scortans, sic dicta 271
Vaticana Bibliotheca celeberrima totius orbis 21. quare sic dicta ibid.
Vaticanus Deus qui infantum vagitibus pręsidet 240
Vaticana lex antiquissima 221
Vaticanus ilicetum habuit ibid.
Vaticanus mons trans Tyberim ibid. vnde dictus ibid. in eo ilex vetustissima ibid.
Vaticinationes Bellonariorum 399
Vaticinia ex auibus captata 277
Vaticinium Sibyllarum antiquissimum 318
Vaticinia quædam per sortes agebantur 156
Vaticinij Deus Apollo 150
Vatinia lex de C. Iulio Cæsare 840. de Colonia deducenda Nouicomum ibid.
Vatinia lex 856. popularis ibid.
Vatinius Senatum odit ibid.
Vectigal certum, & incertum quodnam 993
Vectigal incertum Portorium scriptura & Decumana dictum fuit ibid.
Vectigalia & fundos publicanis Censores in conspectu populi Romani elocabant 699

Veientina tribus vnde 665
Veios non esse migrandum, qua voce Romani admoniti 285
Veiouis Iupiter quare 141
Veiouis simulachrum quale ibid.
Veiouis templum ad duos lucos Asyli 341
Veiouem eum deum appellarunt, qui non iuuandi potestatem, sed vim nocendi habebat 141
Veiupiter, quare Iupiter ibid.
Vela, tapetes priuatarum domuum 484
Velamen nubentis 613
Velia Tribus vnde 667
Velita Curia 640
Velites qui milites, quasi volantes dicti 971
Velitum vsus quando primum repertus, & à quo ibid.
VELITIS IVBEATIS QVIRITES quale principium actionum cum populo 657
Vellensis Curia 640
Velum quale nauium linteum 988
Velorum auctor materia, forma ibid.
Vela Carbasina à quibus in theatrum ducta 444
Vela Iudaica 484
Venabulum, hasta oblongior, qua feræ incurrentes excipiebantur 160
Venabula quasi venatui habilia ibid.
Venatio quantum honesta 162
Venationis commoda 163
Venatores cothurnos ferre solebant vt à luto defenderentur 462
Venatores in tutela Dianæ sunt 158.159
Venatoria instrumenta 159
Venatorij calcei altiores erant 600
Vendentes & ementes veteres pretium non numerarunt, sed appenderunt 792
Venditio quid fuerit 889
Venditio honorum non nisi post dies triginta fiebat 900
Venæ, arteriæ, cæteque capitis meatus quo magis coacti, eo minus vapores à vino, & cibis sursum elatos recipiunt 508
Veneficium quid 865
Veneficij causa leges latæ ibid.
Venetus nubilæ hyemi dicatus est 448
cœlo & mari consecratus ibid.
Venilia quid 203
Ventidius Bassus de Parthis triumphauit 1036
Venti deorum nuntij 177
Ventris cognoscendi actio qualem formulam habuerit 905
Venus cur Cluacina, Murcia, Libitina, Libentina, Alma, Calua, Erycina, Verticordia, Romana, Victrix, Genitrix, &c, dicatur 176.177
Venus cur è spuma procreata effingatur 176
cur pedibus testudinem calcare fingatur ibid. vnde dicatur ibid. vnde nata ibid.
Venus sine vlla veste depicta 259
& cur ibid.
Veneris sacrum cum floribus & Myrtho 343
Veneris genitricis templum ante pugnam Pharsalicam vouit, & potitus Victoria in foro suo posuit C. Iulius Cæsar 177
Veneris Libitinę in templo ea vendebantur, quæ ad funera pertinebant 176
Veneris simulachrum varium ibid.
Veneri columba litabatur 362
Veneri genitrici Iulius Cæsar spolia de hostibus dedicauit 177
Veneri Gratiæ additæ 178
Veneres quatuor Cicero ponit 176
Verberatio in condemnatis mortem antecessit 915
Verberatio per lictorem fiebat 930
Verbera virgis, & fustibus inflicta sunt 913
Verberit pro verberet 777
Veris medium quo die, & quo mense 343
Veris initium, quo mense, & quo die incipiatur 342
Vermis Indicus, & eius historia 561
Verres Flaccus libertinus ad exercitanda discentium ingenia, æquales inter se committere solebat 443
Verres diligens in obseruandis legibus conuiuialibus 528
Verres palliatus stitit in littore cum Pallio purpureo 566
Verrinæ secundæ locus explicatus 660
Verruncare antiquum pro vertere 244
Versura vetita apud Romanos 810
Vertens annus quare 319
Verticordia Venus vnde 177
eius templum ibid.
Vertumnus deus rerum contrahendarum, permutandarum 253
Vertumni signum, & templum vbi ibid.
Vertumni quinam dicantur ibid.
Vertumni feriæ 346
Verus Augustus vernas in triclinium, & Saturnalibus, & diebus festis semper admittebat 132
Verus Imperator Antonino propatri munus gladiatorium exhibuit 491
Verutum teli quoddam genus 1014
Veruta 973
Veruti, cur sic dicti 1015
Vescebantur veteres in propatulo & communiter 504
Vespę quod vespertino tempore eos efferant, qui funebri Pompa propter paupertatem duci nequeunt 316

Vespæ dicuntur qui funerandis corporibus officium gerunt ibid.
Vespasianus quando Hierosolymas cœperit 407
Vespasianus templi Hierosolymitani vasa in Pacis templum Romæ reposuit 239
Vespasianus inter Deo relatus 399
& dictum eius prima morbi accessione ibid.
Vespasianus deuicta Iudæa balsama in triumpho ferebat 1058
Vespasianus Imperator triumphauit de Iudæis 1034
Vespasianus non in vrbe modo, sed in prouinciis ius dixit 931
Vespera à stella quæ ἕσπερος dicitur nomen habet 335
Vesperna, Cœna 499
Vesperna apud antiquos, quam nunc Cœnam appellamus 504.505
Vespillo dictus quod vespertino tempore mortuos efferat 316
Vespillones cadauerum funeratores ibid.
etiam vespæ dicuntur ibid.
Vesta dicta Tellus, quod herbis vestiatur 130
diu ante Romam conditam culta in Italia 193
vnde dicatur 197
Vesta inter Deos Penates, & Domesticos Romanorum colebatur, ideoque mater peculiari nomine dicebatur 199
Troianorum peculiare numen 199
Vestæ ignis sacer est 198
sacra quando, & quomodo peracta 359
Vestæ simulachrum 198
Numa Pompilius templum extruxit, in quo ignis æternus asseruatur ibid.
Palatinæ festum 343
Templum 344
Vestalia qualis dies 392
Vestalis neque hæres est cuiquam intestato, neque intestatæ quisquam, sed bona eius in publicum redegerunt 303
Virgo flagro cæsa, quia quadam nocte parum diligens æterni igni custos fuisset 200
adulter verberibus necabatur 202
damnatio pro prodigio sumpta ibid.
Vestalis Maxima cur sic dicta 201
Vestales ad nuptias conuolare non poterant ante annum trigesimum 202
quomodo tempus insumebant ibid.
Vestales vittatæ ibid.
Vestales à Pontifice Maximo creabantur, cuius ætatis, ex qua familia, & quo ritu capi solitæ fuerint 302
dicebantur quæ Vestæ sacra curabant, & ignem eius custodiebant 301
incestum committentes cur non crematæ fuerint ibid.
per triginta annos puræ manere cogebantur 301
piaculum commisisse quomodo deprehensum 302
Vestales virgines ante Romam conditam Lauinij & Albæ fuerunt 301
Vestales virgines stupratas quomodo punierint Romani 302
Vestalibus matronæ cur nudis pedibus ad templum Vestæ iuerint 393
quinam honores redditi sint 302
Vestalibus virginibus cibi quando & cur à ciuibus missi 392.393
Vestalium sacerdotium durauit vsque ad Theodosij Senioris Imperatoris tempora 303
Vestalium virginum ædem quis primò Romæ extruxerit 301
Vestalium virginum numerus, officium, dignitas ibid.
Vestis domestica 575
qua Liber pater vtitur, demissa ad talos 188
Vestis triumphantis 1044
Bombycina à Bombyce vermiculo 560
triumphantis Alba erat 387
Christi sorte diuisa 840
Vestis Liberia 573
Tebennia 571
Vestis vitrea, eadem cum pellucida aut tenui 561
cotonina à quibus sumpsit exordium 560
Vestem mutare quid 569
Vestes pellucidæ in maximo pretio habitæ 561
Vestes Coæ eædem cum tenuibus ac translucentibus, & cur sic dictæ 565
herbidæ, à colore indubiè appellatæ ibid.
Vestes lineæ sacerdotibus AEgyptiis gratissimæ 264
Vestes Floridæ prohibitæ à Syracusanis, & Atheniensibus 563
omnium illorum qui in pulpitis canere solebant
Vestis Serica idem ac Bombycina 560
Holoserica 550
mutatio 918
Vestimenta nigra, mortis omina 387
AEsculapij 235
Triclinaria, quænam 512
diuersarum nationum 574.575
clauata quænam 577
communia quænam 551
familiaria quæ sint ibid.

Vestimenta

Vestimenta muliebria quæ 551
puerilia quæ sint ibid.
vestimenta quædam cum mortuis condebantur,& vrebantur 781.782
quid sint,& eorum species 551
stragula quæ insternebantur ibid.
virilia ibid.
vestimentorum Romanorum cognitio plurimum adfert ad intelligentiam multorum scriptorum ibid.
Vestitus Timenius,cur sic dictus 571
Veturia tribus 665
Vetusia gens postea Veturia dicta fuit ibid.
Vexilla quare singulis Centuriis constituta fuerint 968
Romanorum in numis antiquis videntur ibid.
Vexillum quod fuerit apud Romanos 967
Vexillo roseo pedites euocabantur 962
cæruleo equites ibid.
Vexilla Romanorum cocco decorata 448
militum crucis insigne fuit 1063
equitum 1061
Vexilli color purpureus 1063
Vfentina tribus vnde 666
Via quid 803
Viarum cura lege Sempronia instituta 874
faciendarum maxima diligentia apud veteres 717
Viatores cothurnos ferre solebant vt à luto defenderentur 462
Viatores qui à villis ad Senatum partes arcessebant 753
à consulibus legebantur 750
alij erant à lictoribus ibid.
qui ibid.
Viatorum erant Decuriæ apud Romanos ibid.
Viatorum officium quodnam ibid.
Viatorum opera crebrior in via quam in vrbe ibid.
Viatoribus quinam magistratus vsi ibid.
Vibidia Vestalis 200
Vibilia quæ ab erroribus viarum liberabat 244
Vicani Magistri vicorum etiam de magistratibus non erant, tamen ludos faciebant ibid.
Vicennales ludi 481
Vicennalia vnde 618
quales ludi fuerint 481
Vicepota qualis dea 260
Vicomagistri qui,eorum officium 731
Victima quid 321
triumphantis erant taurus candidus 1059
Victimæ albæ superis diis deputatæ, nigræ inferis 322
Victimæ infaustæ quænam fuerint & quæ faustæ ibid.
Victimæ sic dictæ, quod victus percussæ cadant 321
Victimas gratulationis causa in templo Iouis Capitolini mactabant 140
Victimas maiora esse sacrificia, quam sint hostiæ 321
Victimarij quales sint sacerdotum ministri 316
Victimariorum castra Romæ fuerunt ibid.
Victores arma captiuorum hostium Lunæ cremabant 168
Victores non solum citabantur sono tubæ, sed & patria, genus parentésque publicè dicebantur 453
Victoria inter Deos Penates enumerata 180
Romana,& Græca Dea 181
Victoria naualis Augusti ex M. Antonio, & Cleopatra 345
vnde dicta,ab antiquis nominata 180
quomodo depicta ibid.
velox etiam appellata ibid.
apud Actium promontorium 480
aurea in templo Iouis Capitolini 140
vnde dicatur 180
Victoriæ ludi à quo instituti,& quando 480
signum summum erat herbam porrigere victis 1000
Victoriæ simulachrum aureum cccxx.pondo ab Hierone Siciliæ rege gratulationis causa Romam missum, & in Capitolini Iouis templum illatum 175
Victoriæ templum ædiculæ, simulachrum quale ibid.
Victoriam tardius assequuntur, qui discrepant ante quam dimicent 965
Victoriarum numerus inscribebatur tumulorum cippis, aut statuarum elogiis vna cum factionis mentione 448
Victoriatus lege Clodia percussus 853
Victoriatus nummus ibid.
Victoriati nomen à victoria, qua numus est signatus ibid.
Victor Iupiter quare 141
Vicus est regionis pars 24
Vicus sandaliarius cur sic dictus 157
Camenarum 25
Vicus Tuscus 17
postea Augustus dictus ibid.
Vicum nominant quod vias circum haberet 24
Viduæ si nuberent,non impetrata potestate, infames fiebant à Prætore 628
Vigiliarum dispositio apud Romanos 978
Vigiliarum tessera à Præfecto legionis petebatur 971

Vigiliarum præfecti qui fuerint 731
à quo instituti ibid.
Viginti viri coloniæ deducendæ qui 748
Vilia lex de ætate Magistratuum 832
Viminalis à Ioue Vimineo 143
Viminalis mons à Vimineo Ioue dictus 19
etiam figutalis ibid.
Viminalis mons Vimina, & syluam Fageam habuit 21
Viminalis porta, & collis 21.143
Viminalis mons partem Esquilini facit 19
Vimineus Iupiter 19.143
Vinalia alia Veneri, alia Ioui celebrabantur 405
Vinalia quando, cui, cur celebrata 374
Vinalia rustica instituta 252.345
secunda 345
priora Ioui & Veneri 343
Vinum vetus percolari & sacco transmitti solebat 643
Vinum vetustum in magno petio habitum apud AEgyptios 542
Vinum quomodo condebatur in doliis ibid.
Vinum Mercitanum 187
Vinum nimium homines truces reddit 531
Vinum ægrotis prohibitum, iniussu medici, pœna capitis indita 763
Vinum celerius fumo maturescit 542
genera 187
inuentor ibid.
Vina vetusta quandiu duratura 542.543
Vina veteres sæpius niue, aut in puteo refrigerarunt 528
Vincula in publica rei post confessionem coniecti 913
Vinculorum nomine quænam Romani comprehendant ibid.
Vincula statuis Saturni in omnibus Romanorum fanis iniecta, & in festo ipsius dissoluta 132
Vincula captiuorum qualia 1052
argentea & aurea 1053
Vinculum ferreum 1052
Vindex dicitur is, qui vindicabat, quo minus is, qui prehensus erat, ab aliquo teneretur 801
Vindicatio quid 898
Vindicationis actio duplex 901
formula 895
intentio 905
Vindicia est res in singulari, de qua est controuersia 799
Vindiciæ quid 799 901
Vindiciam ferre est sententia decretóque aliquid obtinere 799
Vindicias postulantis verba quænam sint 905
Vindicit pro vindicat antique 800
Vindicta manumissi non semper pro tribunali manumittebantur 102
Vindictæ rationem tulit P. Valerius Publicola 101
vnde nomen sortita sit ibid.
eius potestas primum penes Consules, tum ad Prætorem vrbanum translata 101. 102
mos circa hanc manumissionem obseruatus qui 102
Vineæ qualis machinatio 982
Vinearum vsus ibid.
Vinum effudisse bonæ fortunæ signum 184
Vini potu liberi fiunt mortales, omnisque tristitia pellitur 183
Vini vsus mulieribus Romæ interdictus 776
Violarij 581
Virbialis flamen 195
Vir ducit, mulier nubit 607
quare ibid.
Virgæ, & secures simul cum Regibus prælatæ fuerunt 684
Virgis quando vsi sunt Magistratus 923
Virgilij natalis 345
Virgilius explicatus 781
Virginensis dea adhibebatur cum Virgini zona solueretur 242
Virginensis dea in conclaue nouæ nuptæ illata 609
Virgines Saliares quæ dicantur 304
Virgines igni fouendo, excubuisse alternatim, seu sorte, seu Pontificis, ad id officij abductæ 200
Vestales bonæ deæ sacrificabant 249
Virgo nupta deducebatur per vim abrepta è gremio matris in domum mariti 614
Virgo nondum nupta discernebatur ab aliis, propter vittas 585
Virgo quare à veteribus ex gremio matris raperetur 603
Virginum Vestalium incestus quibus legibus punitus 825
Virilia vestimenta quænam sint 551
Virilis toga sumebatur anno ætatis decimoquinto 574
Virilis toga cur sic dicta 573
Viri opulenti denotati per Quercum 192
Viri non poterant intrare in templum Bonæ Deæ, & cur 248
Viro eiicere vxorem quibus conditionibus concessum 619
Viriplaca dea, quæ viros placabat 242
eius sacellum vbi ibid.
Virtus quare à viro dicatur 236
Virtus quid ibid.
Virtutis effigies qualis ibid.

Virtutis, & Honoris templa ita fuere extructa, vt per Virtutis templum ingressus esset ad ædem Honoris ibid.
Virtuti, & Honori quis primus ædem Romæ extruxerit ibid.
Vis alia publica, alia priuata,& quid hæc vel illa 868
Vis qua aliquis, & loco aliquo detectus vera & simulata fuit 902
Vis priuatæ capita quæ sint 868
Vis publicæ capita quænam sint ibid.
Viscellia mendose pro visellia 849
Visceratio quid 627
Viscellia lex de iure annulorum libertinis non communicando 849
Visellius Varro, Ciceronis consobrinus ibid.
Vitellius factioni Venetæ ita erat addictus vt ei semper faueret 447
Vitellius quàm sumptuosissimum epulum fratri suo fecerit 517
Vitellius delatores tantum in Mathematicis defendendis lubenter audiebat,quos adeo perniciali odio persecutus est 938
Vitreus color quomodo ab Italis & ab alijs nuncupatus 563
Vitri officina in Circo Martiali 439
Vittæ capitis ornamenta muliebria 580
Vittæ in multiplici vsu fuisse 585
Vittæ honestarum matronarum ornamentum ibid.
Vitula Dea quæ lætitiæ præfuit 244
Vis quid veteribus 717
Vltor quare Iupiter dictus 142
Vlysses interfectus,qua de causa 271
Vmbri diei initium sumpserunt à meridie 334
Vndulata toga 570
Vngues quem animæ gradum habeant 129
Vnguentum, quo epulantes peruncti erant 547
Vnguenta aut ad necessitatem, aut valetudinem,aut ad voluptatem apta 548
Vnxia Iuno 608
Voces inopinatæ quibus Romani admoniti fuerint 285
Voces sinistri augurij prælatæ 280
Voconia lex 851
Volcanalia feriæ Vulcani 405
Volcanalis flamen 295
Volones quinam milites 972
Voltinia tribus vnde 663
Volturnalia sacra Volturni 261
Volturnalis flamen 261.295
Volturnus qualis Deus 261
Volumna Dea nuptialis 244
Voluntas fœminarum nihil tam mutabile 1032
Volupia Dea quæ voluptatem hominibus afferebat 242
Volupiæ ara ibid. sacellum ibid.
Volupiam quomodo effinxerint ibid.
Vomitus, damnatus ab Asclepiade medico, necessarius in quibusdam, excitatus propter ebrietatem 545.546
Votiui ludi quinam 468
Votiui ludi qui sint 479. quomodo fuerint introducti ibid.
Votum Hectoris Aiacem interficere cupientis 119
Votum pro salute Principis 341
Votiuæ tabulæ in quibus partibus templi suffigebantur 119
Vota solemnia in Capitolio concipiebantur 15
Vota capillitia 1056
V.R. quid significarint litteræ hæ 659.769
Vracon 987
Vrbana tribus quid 662.eius quatuor genera ibid.
Vrbanas in tribus transferri, ignominiosum ibid.
Vrbani scurræ quinam dicantur 455
Vrbs vnde dicta,& quomodo ab antiquis scriptoribus accipiebatur 10.11
Vrbs apud veteres ibid.
Vrbis partes maiores quænam similitudine regiones dictæ sint 24
Vrbes cur olim in montibus ac collibus locatæ 10.11
Vrbium atque exercituum deuotiones 984. exempla ibid. condendarum ac defendarum modus 12.13
Vrna siue cistæ quot fuerint 917
Vrna,vas erat siue sitella 942
Vrnæ in quas coniectæ sortes eximebantur ibid.
Vrnula 319
βρόχος, quid sit 721
Vsucapere 802
Vsucapit ibid.
Vsucapio qualis acquisitio fuerit 888
Vsucapionum nomine legis latæ 853
Vsura centesima quæ sit 810
Vsura deunx, dextans, dodrans, & sic in reliquis partibus assis 810
Vsura magnas turbas in Repub.Romana dedit ibid.
Vsurarius as ibid.
Vsurpatio est vsucapionis interruptio 795
Vsurpatio quid 902
Vsurpatione quomodo connubia dissoluta 619
Vsus vestis holosericæ hominibus interdictus 559
Vsus latrunculorum frequentissimus apud priscos 428
Vsus vestium pictarum Assyriis attribuitur 581

Digitized by Google

Vſus pilæ legibus receptus 433
Vuendi, Sclauorum ſeu Thuringorum genus, vxores eidem rogo cum maritis inferebant 611
Vulcanalis flamen 343
Vulcanalis in Circo flam. 345
Vulcanus cur claudus 197
ignis inuentor ibid.
Vulcanus quaſi Volicanus ibid.
Vulcani fanum cur Romulus extra vrbem ædificari voluerit ibid.
Vulcani quatuor Ciceroni ibid.
Vulcano Titius Tatius domum Romæ vouit ibid.
Vulcani tutela 345
Vulcani feriæ 343
Vulgus Athenienſium Herculi crinem vouet 1056
Vulgus ſordidum 568
Vulnus primum obligauit Æſculapius 230
Vulpes fœta 284
Vulpium combuſtio 343
Vultur, inauſpicata auis 278
Vultures dicti hæredipetæ 631
Vulturem in ædem Iouis aut deorum volaſſe prodigij loco habitum 283
Vultures præpetes aues ibid.
Vulturum 12. numerus Romulum condentem vrbem de tempore durationis admonuit ibid.
Vulturnalia 345
Vultus Hecates tres 250
Vultus Imperatorum Romanorum in nummis cudebatur 722
Vxor ingrediens cubiculum mariti pueris iactis nucibus ſtrepitum excitabant 436
Vxor deprehenſa à marito in adulterio, dotem perdit 611
Vxor genus eſt, habens duas ſpecies 603
Vxor iuſta & iniuſta quæ ibid.
Vxor tribus modis habebatur ibid.
Vxorem ducere quaſi domum ducere 607
Vxorem in manu mariti eſſe quid ſit 610
Vxores quaſi vnxores 608
Vxores veteres tribus modis habuerunt 795
Vxorum genera duo 620

X

XEnophontis liber de Æquiuocis 128
Ξένιοι θεοί, hoſpitales dij 144
Ξένιος Ζεύς, hoſpitalis Iupiter ibid.
Ξένια 109
Xerxes quo die, & quo menſe victus 344
Xyſtus Græca appellatione locus erat Romæ, in quo ſub tecto, hiemis tempore verſabantur Athletæ 440

Z

ZAleucus, leges Locrenſium ſcripſit 762. 763
Zenon Pythagoræ diſcipulus Eleam Lucaniæ vrbem communem patriam ciuilibus præceptis inſtituit 762
Zeno Cittiæus ſtoicorum princeps de ciuili ſocietate libros edidit ibid.
Zonaras Monachus de Græcorum Imperatoribus ſcripſit 79
Zona dicta à ζωννύω, quod eſt cingo 580
Zonæ quale genus veſtimenti ibid.
Zonæ ab antiquis frequenter vſitatæ 171
Zoroaſter Bactrianorum legiſlator 764

FINIS.

616800

Digitized by Google

Legato.
N 10
Digitized by Google

Digitized by Google